R. 1032

POLYANTHEA SACRA

EX UNIVERSÆ

SACRÆ SCRIPTURÆ

UTRIUSQUE TESTAMENTI

FIGURIS, SYMBOLIS, TESTIMONIIS,

Nec non è ſelectis Patrum, aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rariſque Hiſtoriis collecta, & copioſis, exquiſitiſque Materiis Moralibus

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS

PRO

CONCIONIBUS EFFORMANDIS

adornata, atque ad communem, ſacrorum præſertim Oratorum, utilitatem in lucem edita;

LABORE ET STUDIO

R. P. ANDREÆ SPANNER,

E Societate JESU.

TOMUS SECUNDUS,

CUI PRÆTER INDICES TITULORUM, ET MATERIARUM, Textuumque ſacrorum, qui ex utroque Teſtamento in hoc Tomo explicantur, accedit Syllabus Thematum in Dominicas & Feſta totius Anni.

VENETIIS, MDCCXLI.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

POLYANTHEA SACRA,

EX UNIVERSÆ

SACRÆ SCRIPTURÆ

UTRIUSQUE TESTAMENTI

FIGURIS, SYMBOLIS, TESTIMONIIS,

Nec non è ſelectis Patrum, aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rariſque Hiſtoriis collecta, & copioſis, exquiſitiſque Materiis Moralibus

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS

PRO

CONCIONIBUS EFFORMANDIS

adornata, atque ad communem, ſacrorum præſertim Oratorum, utilitatem in lucem edita;

LABORE ET STUDIO

R. P. ANDREÆ SPANNER,

E Societate JESU.

TOMUS SECUNDUS,

CUI PRÆTER INDICES TITULORUM, ET MATERIARUM, Textuumque ſacrorum, qui ex utroque Teſtamento in hoc Tomo explicantur, accedit Syllabus Thematum in Dominicas & Feſta totius Anni.



VENETIIS, MDCCXLI.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

R. 1032

M.

T I T U L U S I.

MAGDALENA PŒNITENS.

§. I.

Nomen.

MAgdalena Hebr. idem eſt, quod *turrita*, à radice *Migdal*, ideſt, turris: fuit enim procera, & excelſo corpore. 2. Magdalena idem eſt, quod magnifica, ut ait Origenes tract. 35. in Matth. Aut Magnificata, ut Pagninus in Nom. Græc. Hebr. 3. Idem Pagninus: Magdalena idem eſt, quod vexillo *insignita*, aut vexillum ducens, vel elevans. Erexit enim vexillum ſummæ pœnitentiæ, fervoris, & amoris, in Chriſtum, juxta Cant. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem*. Hebr. *Vexillum ejus ſuper me charitas*. 4. Pagninus: idem eſt, quod *educata nutrita*, ſcilicet verbis Chriſti internis, & externis, ad omnem ſanctitatem, Cornelius in Luc. 8. 2.

§. II.

Figuræ, & laudes.

R*Egina Saba audita fama Salomonis* &c. 3. Reg. 10. 1. S. Bonaventura S. 1. de S. Magd. comparat illam Reginæ Saba audienti ſapientiam Salomonis; inter cætera ait: ſi Regina Saba invenit tantam ſapientiam in figura; quantam putas invenerit Magdalena in re ipſa: dicitur enim Luc. 10. 39. *Sedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius*.

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem. Cant. 1. 11. Quando ſcilicet recumbente Domino, à muliere habente alabaſtrum unguenti nardi &c. ejus capiti ſuperfuſum. S. Juſtus Orgelit. hic.

Illa vadens nuntiavit &c. Marc. 16. 10. Facta eſt Apoſtola Apoſtolorum, quæ priùs erat fovea peccatorum. Hugo Card. hic.

Vade ad Fratres meos. Joan. 20. 17. Ecce conſtituitur Magdalena inter homines prima nuntia S. Reſurrectionis: ut nuntiet his, qui hanc reſurrectionem per univerſum orbem proclamaturi erant. Et Chriſtus ore ſuo eam primam ſuæ reſurrectionis Evangeliſtam fecit. Simon. Caſſ. lib. 14.

Quinque officia dedit Chriſtus D. Magdalenæ poſt converſionem. I. Fecit theſaurariam ſuam. Chriſtus non portabat pecunias; ſed dicit Marcus, quòd poſt ſermonem circumſpiceret, ſi à quopiam invitaretur ad prandium: hoc ſciens Magdalena &c. 2. Fecit eam ſecretariam ſuam. Luc. 10. 39. *Sedens ſecus pedes Domini*: Credo, quòd ipſa petiit de ſe, in quo ordine collocaretur; & forte fuit dictum à Chriſto, quòd cùm Seraphinis ex ardenti charitate. 3. Quia fecit eam familiarem ſuam, & ſociam Matri ſuæ: quæ, licet eſſe purior Sole, non tamen deſpexit eam 4. Fecit eam apothecariam, & medicam ſuam; quando fatigato ex itinere unxit manus, & pedes, & caput. Fecit Apoſtolam. Petrus, Paulus &c. miſti ad peccatores; ſed Magdalenam miſit ad convertendos Apoſtolos; dubios de Chriſti reſurrectione. S. Vinc. Ferr. ſ. de S. Magd.

Quid per hoc vas, niſi Magdalenæ lapideum, ideſt, firmiſſimum, cor candidum per propoſitum innocentis vitæ. Hoc alabaſtrum plenum erat unguento amariſſimæ pœnitentiæ, & mœroris. S. Bernardinus t. 2. ſ. 46.

§. III.

Magdalenæ pœnitentia, lacrimæ.

Figuræ, Simbola.

M*Emor ero Babylonis*. Pſ. 86. 4. B. Magdalena fuit Babylon, plena confuſione peccati; vel confuſione poſtmodùm veræ pœnitentiæ. Sed de Babylone facta eſt Jeruſalem. Hoc eſt miraculum, de quo Iſ. 21. 4. *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum*: quia ſcilicet de Babylone fit Jeruſalem. Hugo Card. hic.

Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt. Cant. 5. 6. Monſtruoſum nimis gelicidium; ſi non fluat, ut cera, cor tuum. Jacuit ad pedes Jeſu congelata prius Maria; tota mox in lacrymas inſtar nivis, ad ſolem fervidum, liquefacta eſt. Audiebat ſimul eloquium tuum, quod eſt ignitum vehementer: non ſolùm ignitum; ſed ſicut oleum effuſum nomen tuum in fomentum ardoris. Jeſu Chriſte, propter nimiam charitatem, qua dilexiſti nos, deſcendiſti in abyſſum incendii. Joan. Gerſon tr. ſup. Magnificat.

Sume citharam, circui civitatem. Iſ. 23. 16. Hugo Card. hic applicat S. Magdalenæ.

Tu ſpeculum peccatorum, tu gaudium Angelorum, tu pœnitentiæ forma, tu Apoſtolorum Apoſtola, tu divini amoris fornax &c. S. Bernardinus t. 2. ſ. 46.

De Magdalena pœnitentia, varia.

E*Ece mulier; quæ erat in civitate peccatrix*. Luc. 7. 37. Satis probabiliter putant Simon Caſſia. lib. 9. cap. 29. Toletus, Salmeron &c. fuiſſe civitatem Naim, in qua Dominus filium viduæ ſuſcitavit; cujus fama commota eſt Magdalena. Silveira hic. Sed quæ civitas fuit hæc? crediderim, quòd Naim: quam non nominat Lucas, nè idem bis repetat. Dixerat enim ſupra, quòd ibat Jeſus in civitate Naim, ubi filium viduæ ſuſcitavit; & ſic proſequitur hiſtoriam, quòd mulier erat in civitate peccatrix, in civitate inquam, Naim. Hic cùm famam Chriſti audiret; novo miraculo reſuſcitati adoleſcentis commota, & à Deo tacta; ad Chriſtum devenit: dicebat enim intrà ſe: ille, qui vitam adoleſcenti mortuo reſtituit, poterit etiam mihi vitam præſtare in peccatis defunctæ. Stella hic.

Lacrymis cœpit rigare pedes. Luc. 7. 38. Acceſſit non ad caput Domini, ſed ad pedes. Et quæ diu malè ambulaverat, veſtigia recta quærebat. Acceſſit aut Dominum immunda, ut rediret munda: acceſſit ægra, ut rediret ſana; acceſſit confeſſa, ut rediret profeſſa. S. Auguſt. l. 5. hom. ſ. 23.

De qua ſeptem dæmonia exierant. Luc. 8. 2. Myſticè Beda, Theophylactus, Gregorius ſeptem vitia Capitalia. Ad literam veri dæmones. Ita Ambroſius, Euthymius, Janſenius. Cornelius hic.

Cur, non invitata, domum Phariſæi, & Chriſtum, adit? magnanima ſuperat omnes difficultates. Reliqui pro temporali domo acceſſerunt: Chananæa pro ejectione dæmonis à filia. Matth. 25. 22. Fluxum ſanguinis patiens. Matth. 9. 20. Hæc prima pro Domini obſequio, & ſalute ſua. Dominum quærit. Sanct. Chryſoſtom. hom. 81. in Matth. cùm cæteræ omnes curationis corporeæ gratia adeſſent; ſola hæc, ad honorem ei conferendum, & animæ incolumitatem acquirendam, acceſſit: nulla enim corporis ægritudine laborabat. 2. Avidè arripit occaſionem ſalutis, alibi forſan non habitatura. Tertull. lib. de pœnitent. cap. 4. Rape occaſionem inopinatæ felicitatis. 3. Inclinem ad miſerandum ſupremam dicit majeſtatem; & ideò credidit, quod eſſet ad venia-

niam sibi promptus, qui Pharisæi venerat tam promptus ad mensam. 4. Nimio veniæ peccatorum desiderio irruit: non timet irrideri, illudi, despici; quin potius optat, ut quovis modo ità in se ulciscatur peccatum. Sylveira hic.

En mutatus ordo rerum! pluviam terræ dat cœlum semper: ecce nunc rigat terra cœlum, Lacrymis rigabat pedes ejus. O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam. S. Chrysol. s. 93.

Magdalena, sensibus, & membris, omnibus, quibus peccaverat mulier, pœnitentiam egit: nos verò verbis quidem pœnitentiam pollicemur; factis verò nihil studii, laborisque, præstamus: sed eadem vivendi consuetudine utimur, qua priùs. S. Gregor. Niss. orat. in eos, qui acerbius alios judicant.

Ad discumbentem Dominum, misericordiæ fontem, justificanda cucurrit. Cucurrit, inquam; quia trahebatur interiùs, S. Laurent. Just. s. in festo S. Magd.

Magdalena incipiens à lacrymis, illicò in virtute proficit: compendiosa enim via lacrymarum ad sanctitatis verticem. Escobar. t. 3. coll. Chr. obs. hic.

O quot Magdalena pœnitens præstat Deo obsequia! lacrymis pedes abluit, coma tergit, ungit, osculatur. Addit S. Chrysost. hæc quidem agebantur exteriùs; sed quæ interius revolvebat, multò erant his ferventiora. Quò tot affectus, tot obsequia? quia restauratio gratiæ non sine ingenti labore perficitur. Pœnitentia aptè vocatur tabula post naufragium; quia restauratio gratiæ laboriosor. Qui vehitur navigio vento secundo, nulla operatione disturbatur: at; qui tabula post naufragium utitur; magno labore afficitur; ut ad littus perveniat. Baptismus navigium; tabula pœnitentia. Id. ib.

Stat ad pedes pœcatrix; & non cogitat de recessus; nec sibi adest de convivio ulla cura. Convivantes non aspicit, neque cogitat, neque appositas intuetur dapes: suis intendit officiis; præpediri non vult, nec alios ipsa præpedit. Premit duo labia super pedes. Amor, & timor, labia sunt animæ: unum superiùs, scilicet amor; timor labium inferius est. Annæ tantùm labia movebantur; & de prole meruit à Domino exaudiri. Nec Magdalena legitur verbulasse; sed labia amoris, & timoris, premebat in Domini pedes, & osculis loquebatur; de quibus in Job dicitur: quod in omnibus adversitatibus non peccavit labiis suis, ut à Dei amore, atque timore, discederet: ut amore, atque timore, privatus, contra Dominum aliquid loqueretur. Simon Cass. l. 8. c. 7. hic.

Lasciviæ macula multis eget, ut tandem, licèt ægre, tollatur. Magdalena nihil curat murmura, nec obloquia, sese ad pedes Jesu adjicit, & osculatur, & lacrymis rigat, & aureis siccat crinibus, unguento perfundit, nec suæ nobilitati timet, nec sumptibus parcit; adhibet fidem, charitatem. S. Ephrem de S. Magd. non janitores, ac famulos domesticos, generosa mulier timuit; nec duram adstantium increpationem: unum hoc secum cogitans dicensque: quòd si totam meam faciem, quasi ferream, aut æream, non reddidero; salvari ex turpi inundatione lasciviæ meæ non potero. Baexa t. 2. l. 6. c. 5. §. 16.

Permissus est Lazarus amicus mori; non ad mortem, sed pro gloria Dei. Oportebat nihilominus quempiam Electorum spiritualiter mori itidem pro gloria Dei: ut scilicet per conversionem ejus glorificaretur Filius Dei, dimittendo illi peccata multa. Permissa est igitur hæc mulier, delecti Lazari soror, mori peccatis, & esse famosa peccatrix, non ad mortem, sive interitum æternum; sed pro gloria Dei, pro testimonio justi, & justificantis nos Dei, & hominis, Jesu Christi Filii Dei. Sanct. Rupertus de oper. Spir. Sanct. cap. 28.

§. IV.

Magdalenæ magnus amor.

Sicut Eliæ sacrificium. 3. Reg. 18. 34. 38. Igne cœlesta absumptum est, sed priùs aqua ter effusa; ità Magdalenæ cor igne cœlesti absumitur, cùm dilexit multùm; sed multis lacrymis priùs effusis. Osorius t. 2. D. Pass.

Tenui eum, nec dimittam. Cant. 3. 4. Non dimittam te, ait Magdalena; sicut mulier, quæ cucurrit ad Elisæum 4. Reg. 4. 30. apprehendit pedes ejus, dicens: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te &c.* Quæsivit *per noctes*, quia venit ad monumentum, cùm adhuc tenebræ essent, quærit *in lectulo*, id est, sepulchro. Sed cur ait *in lectulo meo*? quia lectulus Christi etiam lectulus Magdalenæ erat; & cum eo sepulto sepulta erat spiritualiter. *Surgam, & circuibo*. Revertitur in Jerusalem ad discipulos. *Tulerunt Dominum meum &c. Invenerunt me vigiles*, Angeli. *Paululum cùm pertransissem illos*. Tandem læta ait. *Invenit quem diligit anima mea*. De Ponte hìc. Exh. 13. §. 1.

Apparuit primò Mariæ Magdalenæ. Marci 16. 9. Sed quare primò Magdalenæ? quia ardentiùs diligebat: ut ostenderet, quòd pro salvandis peccatoribus venerat in hunc mundum. Ut, sicut mulier fuerat nuntia nostræ perditionis; ità mulier similiter esset nuntia nostræ salutis. Et, ubi abundavit peccatum, abundare gratia monstraretur; & nulli de cætero peccatori desperationis locus relinqueretur. Hugo Card. hic.

Dilexit multùm. Luc. 7. 47. *Duodecim portæ margaritæ sunt*. Apoc. 21. 21. Nullo tormento transit margarita ad delicias: rore concipitur, concha excipitur, auro innectitur. Non teritur, non aduritur, non extergitur. An non margarita charitas est? quæ, etiam citra flammas, & malleos, enitet. Ità Magdalena fulsit in domo Pharisæi: *dilexit*, & inter alabastra æquavit setras Isaiæ; compedes, & lapides, Jeremiæ. Ama, &, si libet, epulare. Oliva lib. 3. Strom. §. Dilexit. Jam sicut columba, quæ lacte est lota, residebat ad pedes Jesu, juxta fluenta plenissima. Drogo Ost. de Sacr. D. Pass. 1.

Regressæ à monumento nuntiaverunt &c. Luc. 24. 9. Magdalenam autem aliis signanter præmittit: quia ipsa ferventiùs aliis dilexit, & prior, ut traditur, ad monumentum venit; &, præ cæteris, diuriùs perseveravit. Et ad dandam fiduciam peccatoribus. S. Bonavent. hìc.

Stabat foris plorans. Joan. 20. 11. Amor faciebat eam stare; & dolor cogebat eam plorare. Origen. hom. de Magd. Petrus, & Joannes, timuerunt, & ideò non steterunt. Maria autem non timebat: quia nihil sibi suspicabatur superesse, quod timere deberet. Perdiderat enim Magistrum suum; quem ità singulariter diligebat, ut præter ipsum nihil posset diligere, nihil posset sperare. Perdiderat vitam animæ suæ, & sibi jam meliùs esse arbitrabatur, mori quàm vivere. Oblita erat gaudere, oblita erat seipsam; oblita erat denique omnia præter illum, quem diligebat super omnia. Id. ib.

Mulier, quid ploras. Joan. 20. 13. Et quem quæris? O desiderium animæ suæ! cur interrogas eam, quid ploras; & quem quæris? Ipsa paulò antè coram oculis suis cum magno dolore cordis sui viderat spem suam suspendi in ligno; & tu nunc dicis, *quid ploras?* vidit te exspirantem spiritum suum, videlicet spiritum tuum; & tu dicis, *quid ploras?* Ipsa die tertia viderat manus tuas, quibus sæpius benedicta fuerat; pedes tuos, quos deosculata fuerat, & quos lacrymis rigabat, in cruce clavis affigi; & tu dolor ejus nunc dicis, *quid ploras?* Id. ib.

Vidit Jesum stantem, & nesciebat, quia Jesus est. Joan. 20. 14. O pium, & delectabile pietatis spectaculum! qui quæritur, & desideratur; & ocultat se, & manifestatur. Occultat se, ut ardentius requiratur, & requisitus cum gaudio inveniatur, inventus cum sollicitudine teneatur; & tentus non dimittatur. Drogo Ost. de Sacr. D. Pass.

Et ego eum tollam. Joan. 20. 15. Charitas debili fœminæ ingentes contulit vires. *Et ego eum tollam*. Quam Christus mulierem vocavit, post magnanimos ausus, Mariam nuncupat. Unde post illam verba, *ego eum tollam*, statim sequitur: *dicit eis Jesus, Maria* v. 16. Quæ pondus angelicis humeris formidandum portare audet, meritò vocatur Maria. Cum cupit esse Jesu bajula, fit Mariæ Matris nomine, & munere, æmula; illa Jesum portavit in utero; ista optat portare humero. Arcones in Is. 2. Disc.

Quid est bone Jesu! quod dicit ad te de te: *& ego eum tollam?* Joseph timuit, & non fuit ausus tollere corpus tuum de cruce, nisi de nocte; & nisi hoc peteret à Pilato. Maria verò noctem non præstolatur, non Pilatum reveretur; sed audacter promittit dicens, *& ego eum tollam*. O Maria! si corpus Jesu fortè positum est in atrio Principis Sacerdotum, in quo princeps Apostolorum calefaciebat se ad ignem; quid factura es? *Ego eum tollam*. Et si ancilla ostiaria interrogaverit te; quid factura es? *Ego eum tollam*. O ineffabilis mulieris amor! ò mirabilis mulieris audacia! ò mulier non mulier! Idem ibid. Calx. Lem. *Ardet in undis*. Picinelli.

§. V.

S. Magdalenæ virtutes aliæ.

Ecce mulier in civitate peccatrix. Luc. 7. Hanc mulierem inducit Matthæus 26. 7. super caput Christi effundentem unguentum; & ideo fortè noluit dicere peccatricem: nam peccatrix, secundùm Lucam, supra Christi pedes effundit unguentum. Potest ergo non eadem esse, nè sibi contrarium Evangelistæ dixisse videantur. Potest etiam quæstio meriti, & temporis diversitate dissolvi; ut adhuc illa peccatrix sit, jam ista perfectior. S. Ambrosius lib. 6. in Luc. hic. Quid memorem de sepulturæ officio, quod prævenit; de pedibus ascendens ad unctiones capitis. Drogo Ost. Docenos speculum pœnitentiæ, ut pedetentim in via virtutis progrediamur. De Castillo Illat. 8. Est fundit super caput mulier hoc ungentum. In sublime fœmina hæc subvecta est: quia à pedibus ascendit ad caput. Simon. Cass. l. 9. c. 34.

Ut cognovit, quòd accubuisset in domo Simonis. Luc. 7. 37. Cur Christum non invitat ad propriam domum? sciebat, eum respicere peccatores, cum illis manducare: & cùm se maximam peccatricem agnosceret, se indignam judicavit, ut Christus sub tectum ejus intraret, & tanto beneficio potiretur. 2. Quia publica peccatrix publicam elegit pœnitentiam. Silveira hic q. 7.

Maria accepit libram unguenti nardi Pistici pretiosi. Joan. 12. 3. In Commentar. Cit. §. 3. Pisticum Græcè fidele significat, ut nardum veram, puram, & sinceram, ostendat fuisse: ex hac enim solùm unguentum pretiosum conficiebatur; quod non esset alia admixtione corrupta. Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 10. Vide plura. Lacrymæ, Pœnitentia, Spes.

TITULUS II.

MAGNANIMITAS.

§. I.

Symbola Allegoriæ.

Exaltatio oculorum est dilatatio cordis. Prov. 21. 4. Per exaltationem oculorum aliqui accipiunt magnanimitatem: magnanimus enim, uti altam habet mentem, ità & altis oculis magna aspicit, q. d. Magnanimitas, uti exaltat oculos sic & dilatat cor: ut magna moliatur, & ambiat. Cornelius hic.

Justus, quasi leo, confidens absque terrore erit. Prov. 28. 1. Apte justus comparatur leoni: quia leo, ut dicitur Prov. 30. 30. *fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum*. Plinius lib. 8. cap. 36. invalidissimum ursò caput, quod leoni fortissimum. Sic justus omne robur habet in capite, id est, in mente, voluntate generosa, & amore Dei, armata &c. Id. hic.

Ferculum fecit sibi Rex Salomon. Cant. 3. 9. Ferculum est quælibet Sanctorum congregatio ad æternum convivium animas ferentium. Columne argenteæ, qui fortissimè operis exemplo alios portant, & lucæ prædicationis illuminant. Reclinatorium aureum, æternæ fecilitatis fulgor: in qua reclinatur, & ab omni labore quiescitur. Ascensus purpureus est: quia ad claritatem illius quietis non nisi per tribulationem venitur. Idem hic.

Leo inclusus Lem: *Angustiis efferatur. Non unus sufficit orbis*. Picinelli.

Sol inter nubila. Lem. *Obstantia solvet*. Idem.

Ignis. Lem: *Numquam deorsum*. Animi alti. Idem.

Heliotropium in Sole. Lem. *non inferiora secutus*. Idem.

§. II.

Magnanimitas vincit omnia.

Initium viæ bonæ, facere justitiam. Prov. 16. 5. q. d. Via ad virtutem non est speculatio, sed actio, & exercitium virtutis: sic enim humiliatio est via ad humilitatem, ait S. Bernardus, sicut lectio ad scientiam, passio ad patientiam. Hinc prudentes, cùm quid ardui occurrit, mox id aggrediuntur, clausis quasi oculis mentis; ne ejus difficultate aspecta terreantur. Itaque primam difficultatis apprehensionem, quæ vehementissima est, superant: sicut ægri pillulas, aliasque medicinas amaras, clausis oculis hauriunt &c. Cornelius hìc.

Clamavit dicens: Domine, salvum me fac. Matth. 14. 30. Magnanimum primùm Petrum undæ excipiunt; timentem mergere volunt. Silveira hìc.

Nihil arduum, nihil magnum est, magno viro: nec timendum est ei quidquam difficilè; cùm soleat difficultas ex solo timore procedere. Blesensis ep. 87.

Cordi magno nihil est magnum. Idem ep. 127.

Est magnificentiæ proprietas, consummatio fortis inchoatorum: sicut ad magnanimitatem spectat aggressio considerata magnorum. Gerson. tr. 11. sup. Magnif.

§. III.

Magnanimitatis exempla.

Ex Veteri.

Invenit in ipso anno (sterilitatis) *centuplum*. Genes. 26. 12. & vers. 22. *Profectus indè fodit alium puteum*. Nota constantiam, & magnanimitatem Isaaci; qui fortiter fert invidorum insultus, eisque cedit; sed ità, ut segnior non efficiatur, quin alibi se, suaque, strenuè promoveat. Cornelius hìc.

Surge, & transi Jordanem tu, & omnis populus tecum-noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus &c. Jos. 1. 2. 9. Timor prohibetur, & amnis rapidissimi trajectio imperatur. *Noli timere*: quasi hic timendo sit solùm timor, & quidem; dum Josue audet steterunt aquæ &c. In virtute nullus est labor, si laboris abscedat timor. Sæpe qui certamine essent victores, certaminis timore vincuntur. Naxera hìc §. 29.

Da mihi montem istum? Jos. 14. 12. Magnanimus ipsis difficultatibus irritatur, & ad honestos labores accenditur. Caleb eas, præ cœteris, urbes, petit, quæ difficiliores expugnatur. Idem hìc §. 38.

Irruit Spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem. Judic. 14. 6. Leo est res ardua, ut gravis tentatio? quam instar Samsonis, invocato Dei Spiritu, animosè invadere, & superare, debemus. Occide hunc leonem; occisus amplìùs te non vexabit. Unde Job 4. 10. 11. juxta Septuag. *myrmicoleo*, id est, formica leo. Cornelius hìc.

Immutavit ei Deus cor aliud 1. Reg. 10. 9. q. d. Deus cor Saulis; quod, cùm esset privatus, erat pusillum, abjectum, agreste, servile; jam, eo rege facto, fecit magnanimum, sublime, amplum, regale; ut nullis periculis cederet, nullos hostes metueret, nullum onus difficile sibi putaret. Ità Abulens. mutavit ei cor, quod antea erat parvum, & servile, in cor regale. Vatablus: immisit illi mentem aliam, & cor regium: sive regios spiritus. Theodoret. quoniam erat rusticus, solùm sciens terra colere; cum ei manus imposuisset, dedit ei spiritum regium. Cornelius hìc.

Ascendit Jonathas manibus, & pedibus, reptans. 1. Reg. 14. 13.

Non vales resistere Philistheo isti nec pugnare adversùs eum, quia, puer es. 1. Reg. 17. 133. Quid David? non suis viribus, sed Dei auxilio, fretus: *nunc vadam, inquit, & auferam opprobrium populi*. v. 36. S. Basilius Seleuc. or. 15. qua ratione à proposito certamine conatus es avertere, acrius, ò rex, ad pugnam exacuisti: hic quidem bellator, ego verò belli inexpertus; quæ res animos mihi facit. Naxera in Jos. 14. §. 38.

Osi quis mihi daret potum aquæ &c. irruperunt ergo tres fortes &c. 2. Reg. 23. 15. Per hostiles ensés irrumpere fuit opus, ut David potiretur affectu. Qui conatur magna, magnas difficultates perrumpat, est necesse. Id. ib. §. 35.

Et latitudinem cordis &c. 3. Reg. 4. 29. Latitudinem cordis vocat magnanimitatem; puta, cor regium, amplum, magnum. Cornelius hìc.

Cùm leonibus lusit, quasi cum agnis &c. Eccl. 47. 3. S. Sabbas Abb. sub vesperam ingressus cavernam, in qua leo suos alebat catulos, mandavit leoni, ut secum maneret; vel, si nollet, sibi locum cederet. Cessit leo, & cum catulis suis excessit in aliud spelæum. Ità habet ejus vita. Moraliter: viri magnanimi, & fortes, ludunt cum leonibus; quando occurrentes in via Dei, & virtutis, difficultates, persecutiones, obices quamvis arduos, heroicè illæsi, & quasi ludibundi, superant, dicentes: omnia vincit amor. Id. hìc.

Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ, & mori, ad acuendos eos in prælium. 1. Machab. 6. 34. ostensus sanguis aptior videbatur infirmandis animis, non acuendis: sanguis namque mortis testimonium, & stragis indicium. Imò acriùs incitant; dum sanguinem elephantis ostendunt. Naxera in Jos. 14. §. 38.

Ex Novo, & Historicis.

Ubi est, qui natus est rex Judæorum? Matth. 2. 2. Quàm certa, atque secura, interrogatio. Jam Romani legem tulerant, ut sub periculo mortis nemo aliquem regem vocaret, sine eorum consensu. Fuit quoque præceptum, & Magis non ignotum; quod, qui rege vivente, alium regem pronuntiat, aut adorat, punitur in sanguine. Quomodo ergo Magi audent vivente, & regnante Herode, in ejus præsentia, sine Romanorum consensu, regem alium profiteri? Procul dubio istam eis audaciam puer natus influxit. Nondum viderant Christum, & jam parati erant mori pro Christo. Dionys. Carthus. hìc.

Petiit corpus Jesu. Matth. 27. 58. Ex hoc facto summam Josephi constantiam, & fortitudinem spectare licet. Parum enim aberat, quin vitam ipsam Christi causa impenderet: quippè qui Judæorum omnium inimicitiam propter illum in se susciperet. Causam constantiæ dat Marcus, & Lucas: *qui & ipse erat expectans regnum Dei*. Victor Antioch. in c. 15. Marci.

Exurgens-abiit-cum festinatione. Luc. 1. 39. ut ostendatur regalis animi magnanimitas; quæ nulla montium asperitate, ut ab incepto desisteret, deterreri potuit. S. Ambros. non ab studio asperitas montium; non ab officio prolixitas itineris, retardavit. Sylveira hìc.

Quærebat videre Jesum. Luc. 19. 3. Hic si statura pusillus, animo magnus erat; cum affectavit videre Jesum: argumentum nactus es arte, atque studio, quod sibi natura negaverat. Simon Cass. l. 9. c. 48.

Omnia possum in eo, qui me confortat. Philipp. 4. 13. Quantæ

tæ fiduciæ vox ! quid ? omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest. Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit; quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui sperant in eo. S. Bernardus S. 25.

§. IV.

Motiva varia.

De forti egressa est dulcedo. Judic. 14. 14. id est, mel dulcissimum. Nimirum leo à me occisus, præbuit mihi mel: ut significetur, actus heroicos meæ fortitudinis parituros mihi, & cuilibet alteri mirificam voluptatem, felicitatem, & gloriam. Cornelius hic.

Alios duodecim leunculos stantes &c. 2. Paral. 9. 19. In quolibet gradu assensus Salomonis erant duo leones hinc, & inde: sed hi leones, quia ficti erant, & sine vita, significant; quòd solùm timidos, & vecordes impediunt. Brogmard. Dominium Christi.

A Domino diriguntur gressus viri. Proverb. 20. 24. Fortis, & strenui qui magna, & ardua molitur: hunc enim Hebraicum Geber significat. Cornelius hic. Vide tit. Fiducia, Fortitudo.

T I T U L U S III.

MAGNIFICUS.

§. I.

Magnitudo animi.

Parvulum occidit invidia. Job 5. 2. Parvulus dicitur, qui terrena diligit; magnus, qui sola æterna quærit. Hugo Card. hic.

Exultavit ut gigas ad currendam viam; à summo cœlo egressio ejus. Ps. 18. 6. 7. Sed nunquid Mars, Jupiter, Saturnus, altiori cœlo? Richardus: egreditur à summo cœlo, non loco, & vastitate, sed virtute, ac efficacitate. Sylveira c. 13. in Matth.

Vox Domini in magnificentia. Ps. 28. 4. Quia excitat ad magnifica, & heroica facinora; ut non tantùm præcepta, sed etiam consilia, corde magnanimo exequamur. De Ponte in Cant. 2. p. 1. l. 5. §. 3.

Abstulit omnes magnificos meos. Thren. 1. 1. 5. Id est magnafacientes. Magnificus est, qui in omni opere, virtute eligit, quod perfectius est: unde magnificentia est decus, & ornamentum, divinarum, humanarumque omnium virtutum. S. Bonavent. hic.

Inhabitabo in eis, & deambulabo. Ps. 133. Levit. 26. 12. Vide anima sancta, quàm grandis sit: Christum capit, quem cœlum non capit. S. Hieron. in Ps. 133. Ita legit textum hunc S. Hieronymus.

Fido Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo &c. Hebr. 11. 24. Pende ly *grandis*: quasi exigui animi, puerilisque levitatis fuerit; Ægyptia regna amassa. Factis dixit Moyses cum Apostolo: *Cùm essem parvulus &c.* Incert. Auth.

Naturali instinctu quilibet concupiscit magna; utpote à Deo conditus magnus. S. Laurent. Just. l. de contemptu Mundi cap. 10.

Nil aliud magnum in rebus humanis; nisi animus magna despiciens. S. Martinus Bracar. Ep. de vera virt. c. 2.

Qui ab externis rebus præstantiam sibi comparare nititur, perinde facit, ut ii solent, qui, cùm statura breves sint, acceptis grallis duobus, & eò ampliùs interdum cubitis, crescunt. Quod sæpissimè hominibus usu venit, quoties opum, aut potentiæ, adjumento apparere cæteris præstantiores volunt; quæ tamen præstantia non est. Is enim præstans, & excelsus est; qui nullus horum eget; sed omnia ista parvi pendit; & in seipso habet magnitudinem. Isidorus Clarius l. 1. or. 7. in die Ciner.

§. II.

Magnitudo corporis.

Fuit Saul procerus, & quasi gigas. 1. Reg. 10. 23. sic procerus Salomon. Cant. 5. 15. Cornelius in 1. Reg. 10.

Induit Saul David vestimentis suis. 1. Reg. 17. 38. Hinc patet, Davidem fuisse procerum; alioquin enim Saulis proceri vestes, & arma illi aptari nequissent. Idem hic.

Omnis homo, dum sui corporis pulcritudinem concupiscit, procerum se esse exoptat. S. Chrysost. S. 103.

Quidam sarcasticè dixit de magnis: superiora magnarum ædium non inhabitari. Masenius l. 2. argut.

T I T U L U S IV.

MALI.

§. I.

Prosunt bonis.

Ex Veteri.

Major serviet minori. Gen. 25. 23. Tropologicè: mali serviunt bonis; tyranni Martyribus: quia fabricant coronas æternas. Cornelius hic.

Gabaonitæ, Jos. 9. 27. qui ex alia stirpe erant à filiis Israel, ministrabant in templo, ligna, & aquam portantes in officium sacrificiorum. Sic impii, qui ex aliena stirpe sunt, nempe diaboli, ligna, ac cruces subministrant bonis; ut holocausta de se offerant. Diez amor inimicorum.

Sicut novacula acuta fecisti dolum. Ps. 51. 4. Ecce quid faciunt sanctis mali: capillos radunt. S. August. hic. Qui quidem capilli non superfluè facti sunt à Deo in corpore hominum; sed ad aliquod ornamentum: tamen, quia sine sensu præciduntur; illi, qui adhærent Deo, sic habent ista terrena, sicut capillos. Id. ib. Omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur. Id. in ps. 54.

Qui stultus est, serviet sapienti. Prov. 11. 29.

Ex Patribus, & aliis.

Per ipsos, in quibus est malitia, claros, & probatos, efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Nam si perimeretur malitia, non esset utique, qui contrairet virtutibus. Virtus autem, non habens aliquid contrarium, non clarescceret; nec splendidior, & examinatior fieret. Non probata verò, nec examinata virtus; nec virtus est. Origenes hom. 14. in Num.

Ex malorum consideratione decus bonorum lucidiùs indicatur. Idem hom. 1. in Gen.

Hanc Deus bonorum, ac malorum, voluit esse distantiam, ut qualitatem boni ex malo sciamus; item mali ex bono: nec alterius ratio sublato altero potest intelligi. Deus ergo non exclusit malum; ut ratio virtutis constare possit. Quomodo enim patientia vim suam, nomenque, retineret; si nihil esset, quod pati cogeremur? Quomodo laudem meretur devota Deo suo fides; nisi esset aliquis, qui à Deo vellet avertere? nam ideo potentiores esse injustos permisit; ut cogere ad malum possent: ideò plures, ut virtus esset pretiosa. Lactantius l. 5. div. instit.

Abel esse renuit, quem Cain malitia non exercet. S. Greg. mor. l. 20. c. 29.

Mali bonos magis ab hujus mundi desideriis expediunt, dum affligunt: quia dum multa eis hic violenta ingerunt, festinare illos ad superna compellunt. Id. mor. l. 26. c. 9.

Nunc vivit impius pio: sed sicut lima non habet locum planato ferro; ità post consummationem justorum non erit locus impiis. V. Beda in Ps. 36.

Quod fornax facit auro, vel paleæ; quod lima ferro; hoc impius facit pio. Nam sicut palea incineratur, aurum verò purgatur; sic in persecutione justus fit justior, & sordidus sordidior. Id. ib.

Cùm Deus præsciret, eos (Angelos malos) tales futuros, quare creavit eos? Propter ornatum sui operis: ut enim pictor nigrum colorem substernit, ut albus, vel ruber, pretiosior sit; sic collatione malorum justi clariores fiunt. S. Anselmus in Elucidario.

Mali vivere permittuntur ad bonorum probationem: ut eorum moribus exasperati patientiæ fructu remunerentur. Rosa suaviter redolet; pulchra est visu, lenis tactu: & tamen non crescit, nisi inter spinas; quæ sunt asperæ tactu, deformes visu, nihil redolentes. Sic etiam boni, & justi, homines: licèt lenes sint patientia, pulchri moribus, suaves bono exemplo; non tamen possunt proficere, vel probari, nisi inter malos. Quandoque etiam spina defendit rosam, ne carpatur ante maturitatem: sic mali occasio sunt bonis; nè excedant in peccatis: quandoque per eorum malitiam refrænantur; nè immoderata lætitia, vel alio peccato, dissolvantur. Nunquam etiam servatur vinum bene in bonitate sua nisi in fæce: nec boni, & justi, in virtutibus stare, & proficere possunt; nisi probentur tribulationibus, iniquorum persecutionibus. Dixit B. Virgo S. Brigittæ Revel. l. 1. c. 22.

Fabri sunt mali, qui tribulant modò bonos in igne tribulationis. Hugo Card. in Gen. 1.

Lætior esto, quoties displices malis; & malorum de te existimationes malas veræ tuæ laudationi adscribe. S. Martinus Bracar. de vera virtute c. 3.

§. II.

Mali immixti bonis.

Fur erat. Joan. 12. 6. Quale Collegium, qualis societas, qualisque congregatio, munda erit, sine iniquitate manebit? si Christi Collegium saltem habuit unum reum, qui velamento virtutis tendebat in vitium, specie misericordiæ augebat miseriam; aliis videbatur intendere, qui seipsum ex toto deferuerat. Simon Cass. l. 9. c. 34.

Boni soli nunquam sunt, nisi in cœlo; & mali soli nunquam sunt, nisi in Inferno. Hæc autem vita, quæ inter cœlum, & infernum, sita est; sicut in medio subsistit, ità utrarumque partium cives recipit. Ob hanc causam Sancti Patres comparant Ecclesiam utero Rebeccæ, quæ tulit Jacob Deo dilectum, Esau autem odio habitum. Jam horto Cant. 2. in quo lilia inter spinas: arcæ Noe, in qua homines, & pecora; corvi & columbæ: agro, in quo triticum, & zizania: Sagenæ missæ in mare; in quo boni, & mali pisces. In familia Adæ, & Abel justus, & Cain fratricida. In domo Noe, Sem, & Japhet cum Cham: in domo Abrahæ Isaac & Ismael: in Isaac domo, Jacob, & Esau: in domo Jacob Joseph cum fratribus venditoribus: in domo David Ammon & Absalon: in electis Apostolis Judas. De Ponte l. 1. t. 3. c. 3. de perfect. hom. Chr.

§. III.

Mali patienter tolerandi.

Ex Veteri.

Adam ubi es? Gen. 3. 9. Adnotat autem Moyses: *cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Cur ad auram? Abulen: ad auram, id est, contra auram: quia qui contra auram, id est, ventum movetur, tardiùs movetur. Cur autem Dominus tardus movetur, cùm exigere Adamum pro debito occurrit? quia exactio validior est expectante patientia Creditoris. Escobar. l. 6. Parab. Chr. Obs. 4.

Ex cunctis animantibus carnis universæ bina induces in arcam, ut vivant tecum. Gen. 6. 19. Noe vivens inter animantia solatio sit ad patientiam probis cum improbis degentibus; præsertin Prælatis, qui sub eodem tecto, intrà eandem arcam familiæ religiosæ, versantur cum subditis; in quibus adhuc sylvescit animalis homo; qui non sapit, quæ Dei sunt. Fernandius hic Sect. 3.

Ecce constituti te Deum Pharaonis. Exod. 7. 1. Cur non dicitur, Deus constitutus elementorum? nam super illa quadam divina potestate eminuit. Aquas per medium divisit, easque in sanguinem convertit: percusso pulvere terræ fecit sciniphes in universo Ægypto; aerem tenebris replevit: ignem misso Aarone cum thuribulo repressit. Et Pharao tamen ei restitit? ℣. Moyses positus est à Deo, ut elementis imperaret, ac Pharaonis malitiam in multa patientia sustineret? divina autem potestas in Moyse magis patebat ea sufferentia, quàm jussione, & imperio in elementa. Oleaster: expende, quæso; quanta sit dignitas Sanct. Moysis; quem Deus sic evexit, ut Deum Pharaonis constituerit: & similiter, quanta sit prudentia ejus & misericordia; ut non eum statim occideret, sed patientia quasi Dei tulerit, & monuerit. Sylveira in Luc. 10.

Non sicut tu vis &c. 2. Reg. 18. 14. Expectat post tot admonitiones; Deus expectat David pater. Escobar. t. 3. Colloq. Chr. Obs. 8.

Calamum quassatum non conteret; & linum fumigans non extinguet. Is. 42. 3. S. Hieronymus per calamum accipit tibiam, sive fistulam: quæ priùs canora; cùm quassatur, hiulcum edit sonum; ideoque abjicitur. Sanct. Matthæus calamum exponit arundinem. Delrio adagio 772. per linum accipit ellychnium, ex lino caligans flamma nondum dominante, vel jam evanescente. Unde & Syrus per linum accipit *lucernam*. Significatur his duobus proverbiis summa Christi mansuetudo. Homines enim calamum quassatum abjiciunt, quia inutilis est; & quia tenentem suis fracturis & aculeis, pungit, & lædit. Similiter linum, sive ellychnium fumigans, nec ardens: quia nocet & oculis, & naribus fœtore; mox extinguunt. Christus verò tantæ erit patientiæ, ut neutrum faciat; infirmos, & imbecilles in fide, spe, & charitate, non abjiciet: nec eos clamosè increpabit; sed sua mansuetudine eos sustentabit, fovebit, sanabit, & accendet. Ita Hieron. Cyrill. Hilarius, Procopius, Discat hic à Christo Christianus, patienter ferre mores, infirmitates, & vitia, proximorum. Cornelius hic. Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris; quassatum calamum confringit. Qui scintillam fidei contemnit in parvulis, lignum extinguit fumigans. Id. in Matth. 12.

Ex Novo & Patribus.

Vis imus & colligimus ea? non. Matth. 13. 28. Sanct. Chrysostom. hom. 30. hic. Multi tanta pœnitentia compuncti sunt, ut, cum antea perversi essent, electissimi postea inveniantur. Propterea zizania jussit dimitti; ut pœnitentiæ tempus præberetur. Paulus, Publicanus, Latro, cùm priùs zizania essent, in optimum triticum mutati sunt: quæ quidem mutatio in seminibus impossibilis est; & in voluntate facilis, atque procliva. Oliva t. 2. conc. 2. in festo Imm. Concept. Fieri potest, ut qui hodie sunt Zizania, cras sint frumentum. Sanct. August. serm. 46. de divers. Datur locus pœnitentiæ, non citò amputandus frater: potest enim resipiscere. Sanct. Hieron. Multi primò Zizania sunt: qui, nisi patienter, cùm mali sunt, tolerentur; ad laudabilem mutationem non perveniunt. Itaque si evulsi fuerint, simul eradicatur & triticum; quod futuri essent; si parceretur. Sanct. August. apud Escobar t. 6. Par. Chr. Obs. 5. Si Zizaniis patientia Dei non subveniret; nec Matthæum de Publicano Evangelistam, nec Paulum de Persecutore Apostolum, Ecclesia possideret. Sanct. Chrysol. s. 97.

Patientiam habe in me. Matth. 18. 29. Citius debita recipit, qui patienter expectat; perdit impatiens exactor. Tertull. de patientia: illum prodigum filium patientia patris, & recipit, & vestit, & pascit, & apud impatientem fratrem excusat. Escobar t. 6. Par. Chr. Obs. 4.

Samaritani illi, quos Apostoli Luc. 9. 54. cœlesti igne consumptos videbant, venente Spiritu S. fuerunt in suscepta fide primi. Actor. 8. 5.

Si boni estis, quamdiu in hac vita subsistitis, æquanimiter malos tolerare debetis: nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intollerantiam suam testis est; quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exercet. S. Greg. hom. 38. in Evang.

Homines bonos imitare, malos tolera, omnes ama: quoniam nescis, quid cras futurus sit, qui hodie malus est. Sanct. August. lib. de catechiz. rud. c. 27.

Ego nec culpa careo; nec amicos, qui culpa careant, quæro, nec enim nancisco. Nam qui, ob exiguum vitium, maximam etiam virtutem parvipendunt, nec res humanas considerant, nec Paulo morem gerunt admonenti: *alter alterius onera portate.* S. Isidorus Pelus. l. 3. ep. 410.

T I T U L U S V.

MANSUETUDO.

§. I.

Symbola, allegoriæ.

Ex Veteri.

In finem pro populo, qui à Sanctis longè factus est. Titulus hic præfixus est Psalmo 55. S. Hieron. legit: Victori pro columba muta. Glossa ait: Columba, quia fuit sine amaritudinis felle: quia Saulem persequentem ad mortem bis salvavit à morte. Pierius lib. 22. Hominem nequaquam iracundum ostendere volentes, columbam pingebant. Vatablus hìc David columbam taciturnitatis, & mutam appellat; quòd Dei voluntati omnia commiserit; nihil suis adversariis respondens. Arcones in Is. Expos. 2. Disc. 3.

Æstatem, & ver, tu plasmasti ea. Ps. 73. 17. Per hæc tempora significat Fideles, diversa morum qualitate pollentes. Alii enim sunt tanquam æstas, fidei calore ferventes, ad Martyrium usque perducti. Alii mansuetudine temperati, tanquam ver, æquabili Domino devotione famulantes. Cassiodorus hic.

Sicut lilium. Cant. 2. 2. Est & mansuetudo lilium, habens innocentiæ candorem, & odorem spei. Sanct. Bernardus s. 70. in Cant.

Mel & lac sub lingua tua. Cant. 4. 11. Sponsam laudans sponsus ajebat. Olim infantulis recens lustratis lac melli mixtum in os inserebatur, teste Tertulliano l. de cor. mil. qui ritus monebat mansuetudinis.

Tibia, & psalterium, suavem faciunt melodiam, & super utraque lingua suavis. Eccl. 40. 21. q. d. Sermo suavis magis mentem afficit, & delectat, quàm melodia instrumentorum musicorum. Sermo enim suavis secum quasi vehit mel internum, & suavitatem animæ, à qua promanat; eamque defert in aures & cor audientis. Pierius hierogl. 7. de cervo cap. 1. tradit cervum, licèt fugacissimum animal, ità melodia delectari: ut consistens capi se, necarique patiatur. Cornelius hic.

Butyrum, & mel comedet. Is. 7. 15. Origenes hom. 2. in Is. Emmanuel but. & mel manducat, & quærit ab unoquoque nostrum butyrum manducare. Opera nostra dulcia, sermones nostri suavissimi, & utiles mella sunt; quæ manducat Emmanuel. Si verò sermones nostri amaritudine pleni

sunt, ira, contentiones; dedit in os meum fel; & non comedit ab his sermonibus Salvator. Cornelius hic.

Ex Novo, & aliis.

Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam. Matth. 3. 16. Non incongruè ad indicandum agnum venit columba: quia nihil melius agno convenit, quàm columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est: summa utriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas: S. Bernardus s. 1. in Epiph. D.

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam. Matth. 21. 5. Jumenta vult habere Dominus. Esto jumentum Domini, id est, esto mansuetus: sedet ille super te, ipse regit te; noli timere, nè offendas, & eas in præceps - Pullus asini es; sed Christum portans. S. August. in Ps. 33. *Venit tibi mansuetus*: qualis ipse est, talem te esse vult; mansuesce jugum ejus portare, ut & ipse sedeat super te asinam suam, & pullum filiæ subjugalis. Drogo Ost. de Sacr. Pass.

Erunt prava in directa. Luc. 3. 5. *Aspera in vias planas* immutantur; cùm immites, atque iracundæ, mentes, per refusionem supernæ gratiæ ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Escobar t. 3. Coll. Chr. obs. 4. hic.

Vade, lava in Natatoria Siloe. Joan. 9. 7. Cur Christus cœcum illuminaturus, misit eum ad fontem, seu piscinam Siloe? sicut *aquæ Siloe vadunt cum silentio* Is. 8. 6. sic Christus est lenis, mansuetus, & agnus. Cornelius hic. Est mititas, tamquam culcitra mollis: quæ dura suaviter recipit, & in ea animus leviter & suaviter requiescit. S. Bernardinus s. 3. de octo beatit.

Scopulus. Lem. *Immotus frangit*. Queti, & mansueti, animi Symbolum. Lipsius l. de una relig. ut scopulus insilientes undas sine ullo motu suo frangit; sic nos convitiatores, sine acerbitate, aut ira. Picin.

§. II.

Mansuetudo regia virtus, apta regimini.

Vives in gladio. Genes. 27. 40. Præreptam à fratre benedictionem novit Esaü; ulteriorem tamen sibi summis precibus, & magno ejulatu flagitabat: *vives in gladio, & fratri tuo servies*: hoc est, semper armatus incedes, & hostibus tuis terrori eris; multùm viribus valebis. Quid ergo hinc inferet? certè fratrem tuum subjugabis, tibi servire coges. Sed longè aliter pater moriturus intulit, fratri tuo servies. Nempe frater tuus lenis est moribus; sed hac ipsa lenitate robur, & arma, superabit. S. Ambros. l. de Jacob. c. 7. Domina est crudelitatis pietas, & mansuetudo duris moribus præstat. Pinna Eth. 67.

Memento, Domine, David & omnis mansuetudinis ejus. Ps. 131. 1. Mansuetudo non est contraria justitiæ; imò soror est zeli *honoris Dei*: & qui facilè tolerat injurias proprias, quod est mansuetudinis; aptior est ad vindicandas injurias Dei, & proximi: tum quia omnes vident eum non moveri ex affectu proprio, sed ex solo justitiæ zelo; tum quia, oblitus quodammodo sui, totus occupari potest in Dei honore quærendo, & propugnando. Hinc ratio redditur, cur Moyses, & David, & mitissimi, Rectores populi constituti. Bellarm. hic.

Sedes ducum superborum destruxit Deus; & sedere fecit mites pro eis. Eccli. 10. 17.

Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Is. 16. 1. & Joan. 1. 32. Et hic videt *Spiritum Dei descendantem de cœlo sicut columbam*. Quid agnus, quid columba, ad dominandum, ad subjiciendum orbem? Agnina, ac columbina mansuetudo, & lenitas, valdè potens est, ad rapidos leones, & rapaces aquilas domandas. Prudentius hymno 3. agnus enim vice mirifica, ecce leonibus imperat; exagitansque truces aquilas sedere lapsa columba fugat. Sylveira in Matth. 3. v. 16.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Matth. 5. 4. Syr. *hæreditatis jure possessuri sunt terram*. S. Chrisost. mitis propria putatur amittere: contrarium Dominus pollicetur dicens: quòd ipse mitis sit, qui tutissimè cuncta possideat. Sylveira hic.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum. Luc. 12. 32. Quid regno cum grege? num oves aptæ sceptris? cur non Apostolos, non discipulos, non duces Christiani exercitus vocavit, in auguraturus eos ad regnum? Nimirum non bellando, sed patiendo, regnum cœlorum invaditur: nec milites, *sed oves tantum occisionis* Ps. 43. 22. Occupant regnum. *Agnus enim occisus ab origine mundi* dignus est accipere regnum. Apoc. 13. 8. Gregem post Apostolicum cœtum vocavit tum maximè, cùm eum ad regnum provehebat; testatus, ovium potiùs mansuetudine Ecclesiæ thronum staturum, quam dignitate, fastuque principis. Oliva l. 13. Strom. Luc. 12. 32.

Mansuetudo est virtus regia. S. Ambros. l. 1. exam.

§. III.

Mansuetudo corrigit efficacèter, & convertit.

Ex Veteri pleraque symbolicè.

Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas. Ex. 12. 3. Cujus interventu Pharao statim dimisit populum; Moysem reveritus ab eo benedictionem petiit v. 32. *abeuntes benedicite mihi*. Unde ferox bestia sic mansuefacta? una agni præsentia. Rupertus lib. 2. in Joan. per immolationem agni Pharao quondam superatus est, & Israelitarum servitus soluta; quod per manum Moysis, & Aaron, plagis immissis perfici non poterat. Sylveira addit. in Evang. Matth. 10.

Percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, &c. Num. 12. 11. Cassiodorus lib. 4. var. ep. 3. ad implendum miraculum inde fecit currere humidos liquores, ubi erat sicca durities. Nota: ad implendum miraculum. E quo capite illud mirum? ex eo, quod lapis flagellatus virga aquas emitteret: Non enim solet subditus ad obsequium adduci, cùm Præsul rigidè extorquet, quod suavitate verborum efficeret. Id. ib. l. 2. Obs. 1.

Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Num. 20. 8. Petra virga percutitur. Dominus autem iratus ait: *non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. v. 12. Cur Dominus irascitur? Sanct. Nyssenus: Dominus irascitur Moysi; quòd, cum juberetur populum in concionem vocare, coramque petram alloqui, alio divinæ potentiæ instrumento usus est. Ut aquas educas ex lapideo pectore, peccatoris, in fontem lacrymarum convertendo, verba blanda sufficiunt; non opus virgæ percussione. Escobar. t. 3. coll. Chr. l. 9. Obs. 4.

Tulit autem Samuel agnum lactentem unum. 1. Reg. 7. 9. Agnum lactentem nonne sacrificas ut Philisthæos pessumdes? cur non leones immolas? non taurum? quid agno cum cædibus. Docuit Ecclesiam suam, de hostibus suis non cædendo, imo cedendo, triumphare. Non rugitu hostes terret, sed mansuetudine: cujus ut vires videas; cùm agnus immolaretur, intonuit Dominus, & pecudis balatu in tonitru mutato, Philistæi fugerunt. Oliva l. 10. Strom. 16.

Facta est manus Domini super Philistæos cunctis diebus Samuelis. 1. Reg. 7. 13. Agnus cæsus à Samuele occidit leones, cœsi sunt à filiis Israel. Oliva l. 10. Strom. §. Puer autem erat minister.

David autem psallebat manu sua. 1. Reg. 18. 10. Quid per Saülem, nisi elatio potentium? & quid per David innuitur, nisi humilis vita Sanctorum? cùm ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, David canente ejus vesania temperatur: quia cùm sensus potentium per elationem in furorem rapitur; dignum est, ut ad salutem mens, quasi dulcedine citharæ, locutionis nostræ tranquillitate revocetur, S. Greg. l. past. curæ p. 3. c. 3.

Incubuit super puerum. 4. Reg. 5. 34. Is, quem terroris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit: dumque se parvulo accommodavit, & composuit, facilè erexit, & suscitavit. B. Petrus Dam. lib. de cont. sæc. c. 28. Nobile est cor humanum; faciliùs ducitur, quàm trahatur. Hugo Cardinal. in cap. 9. Job Non potuit Giezi cum baculo puerum suscitare, quem Elisæus facie humili inclinatione suscitat. Escobar t. 3. Coll. Chr. Obs. 4.

Tribus Sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis. Esth. 14. 13. Ut posset fœmina leonem convertere in agnum, petit compositum Sermonem. Quid autem Sermo compositus? Dionys. Carth. Sermo ornatus seu audiendi bene places. Escobar. ib. l. 9. Observ. 4.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant. Psalm. 103. 21. Quid actum putas? ut rapaces ab ingerentur? an fulguribus, ac tonitruis, cœlum rugiit? fulsit; non fulmina, sed lucem emisit; & orbis rapinis, ac lanienis, expiatus est! v. 22.

Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Ut cœlum fulsit, vicit: nimirum inest vis magna clementiæ, quæ, dum mulcet, frœnat. Oliva lib. 3. Strom. §. Stantes ante Thronum.

Emittet verbum suum, & liquefaciet eos. Psal. 147. 18. Non igne glaciem dissolvit; non æstu, sed verbo. Quàm blandè agit cum impiis, Deus! obduruit in morem crystalli fons olim aquæ vivæ; abstinet omni violentia solis, & flammæ, solumque verbum præficit glaciei dissolvendæ. Idem. tom. 2. Strom. hic.

Oculi ejus sicut columbæ. Cant. 5. 12. ait sponsa. *Oculi ejus tamquam flamma ignis*. Apoc. 1. 14. ait Joannes. Columba quid mitius? flamma quid sevius? falleris, nil sevius columba, quæ osculando corda perfidorum pervadit, mollitiaque ad se convertit. David non balistis, non hastis, non

non fuste, malum Saulis spiritum compressit; sed lyra. Id. l. 3. Strom. §. Stantes ante thronum.

Non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. Is. 1. 6. Ideò Isaias livori, plagæque tumenti, non ignem, sed oleum defuisse dolet. Aderat fortè scalpellum, quò ulcus incideretur; sed fascias, non incisuras, optabat; oleum petit, non flammam. Id. l. 1. Strom.

Oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis. Jonæ 2. 1. Territ Jonam Dominus, commota in eum tempestate; sed terrore non ad orandum, sed ad stertendum, impulsus. Oravere in navi nautæ; nec tamen Jonas oravit. Ubi verò à pisce haustus, tentorium sibi paratum sensit in monstruo; mox benignitate Domini in preces effusus est. Id. l. 2. Strom. §. aperi mihi soror.

Ex Novo, & aliis.

Ecce, ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Matth. 10. 16. Quid ove mansuetius? quid verò lupo agrestius? hic tamen ab illa superabitur: nihil enim mansuetudine potentius, nil lenitate validius, ac firmius. S. Chrysostom. in Psal. 120. Volo vos mansuetos esse, sicut oves; & sic magis vincere. Theophylactus. Quia fortissima armatura est mansuetudo; ideo dicit: sicut agnos inter lupos; idest, sicut pios, humiles, & mansuetos, inter impios superbos, & malignos. S. Bonav. in Luc. 10.

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21. 5. Mansuetus venit; ut subditos homines faciliùs ad se trahat. Dixerat Dominus: *invenietis asinam, alligatam; solvite; & adducite mihi*. Nihil difficiliùs, quàm illigatum peccatorem ad Dominum adducere; eique subditum reddere, qui multis Dominis subdebatur. Ideo dicitur: *ecce rex tuus venit tibi mansuetus*. Dum mansuetudinem ostendit Dominus, asinam subditam regit, & ducit. Escob. tom. 3. Coll. Chr. l. 8. Obs. 4.

Messis quidem multa Luc. 10. 2. 3. *Ecce ego mitto vos sicut agnos*. Agni messores Domini sunt: quia mansuetudine potissimos colligimus ex auditoribus fructus. Non ira, non industria, non fortitudo; sed agni mansuetudo, immittitur in messem Domini, ut fruges metat. Oliva l. 13. Strom. hic.

Infundens oleum, & vinum. Luc. 10. 34. Sæpe flectit humanitas; quos nec virtus potuerit superare, nec ratio. Denique Dominus illum homines, qui ex Jericho descendens incidit in latrones; quem non asperioribus legis medicamentis, non prophetico rigore, curaverat; oleo curavit, & vino. S. Ambros. l. 2. de fide ad Gratian. cap. 4. Priùs oleum, dein vinum: oleum blandè fovet, tumorem demulcet, & austeritatem nescit; vinum acriùs urit, vivacius mordet. Nax. in Jos. 19. §. 20.

Nolite timere pusillus grex. Luc. 12. 32. Acquisivit humilitas, superbia quod amisit; & grex pusillus, ac mitis totas, & varias edomuit propria mansuetudine feritates. Pusillus grex vicit, ac fregit, tot genera bestiarum, quot diversitates subdidit jugo Christi nationum. Grex pusillus, ac mitis, diu contentus occidi, diu devorari passus est; donec Gentilis sevitia sanguine satiata, vel carnibus, Evangelici pabuli suavitatem, & divini fontis fluenta degustans, totum contagium sæculi evitaret, & pastum: atque in hominem rediret ex bestia, qui ex homine fuerat delapsus in bestiam. S. Chrysol. s. 23.

Fili, tu semper mecum es. Luc. 15. 31. Furebat, & fremebat, major natu filius recepti nuncio fratris à patre. Videbatur à saginato vitulo, quò frater recreabatur, in pardum efferatus, parentem cum filio voraturus. *Numquam dedisti mihi hœdum*. Quò putas sævitiam tantam repressit pater, fuste, an ense? *fili &c.* sentiat quisque quod vult; ego pluris fascio senis patientiam ingrandiorem, quàm commiserationem in prodigum juniorem. Facilè est parenti filium amplexari lacrymantem; at furentem, non modò non arguere, sed filium vocare; arduum æquè ac rarum est. Delinitus ità est furor primogeniti his patris illecebris; ut nè mussitarit, aut de vitulo, aut de fratre. Oliva l. 1. Strom. Descendit, & lavit.

Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi. Joan. 1. 29. Mira res! Christus & leo est: pugnaturus tamen cum scelere, & illud fugaturus, non rugit ut leo, sed blanditur ut agnus. Resorbe, quæso, frementes rugitus tuos, si vitam peccatoris optas, & non mortem: agnus peccatum tollit, non leo. Id. l. 4. Strom. hic.

Domine, da mihi hanc aquam. Joan. 4. 15. Hydram sex capitum, non igne, *ferroque*, extinguit Dominus, sed frigida perfundit; ut ex hydra hydria fiat aquæ salientis in vitam æternam. Faustior hæc Cana est, ubi sine discipulis suis JESUS vinum luxuriæ in aquam vertit fœcundissimæ castitatis: nam quæ prolem nullam susceperat è tot viris, uni desponsata numini urbem integram peperit Christo. Idem l. 6. Strom. hic.

His auditis compuncti sunt corde. Act. 2. 37. Cur Petrus non rigidè, sed blandè, ac suaviter, se habet cum Judæis; gravissimo peccato mortis Filii Dei? S. Chrysostom. hom. 7. in Acta: reveriti sunt Petri mansuetudinem: qui his, qui Dominum suum crucifixerunt, & contra ipsos clamarunt, tamquàm pater, ac magister, curam gerens loquebatur; obedierunt, ac seipsos condemnarunt; senseruntque, quod fecerant. Mansuetudine adeò eos devinxit? Sylveira hic quæstion. 32.

Deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Act. 7. 57. *Justus de angustia liberatus, & tradetur impius pro eo*. Prov. 11. 8. B. Stephanus de angustia hujus miseræ vitæ est liberatus; & Paulus, qui tunc erat impius, pro eo ad angustias tolerandas est traditus. Christus enim bonus Pastor per ovem lupum cœpit; & eum non solùm ovem, sed etiam ovibus pastorem præfecit. Stephanus enim ut ovis mansuetus erat; Paulus sæviebat ut lupus inquietus: sed cùm ovis occubuit, Pastor pro ea lupum restituit. Paulus quippe pro gregge Christi post sanguinem suum fundebat; qui priùs in nece Stephani consentiebat. Act. 7. 59.

Ego sum Jesus. Act. 9. 5. Cur non ait, ego sum Deus, vel Filius Dei, sed Jesus tantùm? Petrus Bles. s. de convers. S. Pauli: poterat expressisse, quis esset, majestaticis, & terribilibus verbis; ut diceret: ego sum *Deus ultionum*. Psalm. 93. 1. &c. his noluit uti; sed lenitate, ac mansuetudine eum suaviter allicit ad fidem, & spem; proposito nomine JESU, qui est mitis, & humilis corde. 2. Sub Salvatoris nomine vult maximè cognosci, & manifestari: nam Dei nomine significatur ejus majestas, qua nos creavit: Salvatoris verò, ejus beneficentia, & pietas, qua nos redemit. Sylv. hic q. 10.

Adductus est ad Ananiam. Act. 9. 10. Et *Ananias* interpretatur *ovis*. Lupo sævitia interdicitur; lupus ad ovem captivus adducitur. Ab Agno pro ovibus mortuo fit ovis secura de lupo. S. Aug. S. 14. de Sanctis.

Si præoccupatus fuit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Galat. 6. 1. *Instruite*, non coercete. Cur? quia homo est ratione, non titione, corrigitur. Væ Ecclesiæ Domini, si ad Joannis, & Jacobi, diras, Samaria conflagrasset; Careremus Samaritanæ hydria, Samaritani oleo, Samaritanorum in Christum fide. Oliva l. 2. Strom. §. aperi mihi Soror.

De ore ejus gladius utraque parte acutus. Apoc. 1. 16. Cant. 5. 13. *labia ejus lilia*. Uter horum hallucinatus est? cane, quæ florem spectavit in labiis? an qui ensem in ore ejus conspexit? neuter: non quòd uno ex ore flos, & ensis, prodire possit; sed quòd ipsum lilium simul fica sit: una, eademque clementia dum fragrat, ferit. Quæ scandala non tolles rugiendo, sublata gratulaberis blanditiis tuis. Oliva lib. 3. Strom. §. Stantes ante thronum.

Aqua dulcis magis idonea est, quàm salsa eluendis maculis. Macrobius l. 6. Saturn. c. 3.

§. IV.

Mansuetudo placat, & reconciliat iratos.

Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? Gen. 32. 28. Totum hoc factum est, nè formidinem ex anima justi eximeret, & persuaderet ei, ut circa angorem fratri occurreret. Hæc audientes, imitemur justum illum; & si qui sunt, qui malè nobis afficiuntur, non magis eorum accendamus iram; sed magna mansuetudine, & humilitate tam verborum, quàm operum, reprimamus eorum inimicitias, & afflictas, eorum curemus animas. Non potest igne ignis extingui: repugnat enim hoc naturæ: sic neque furor furore aliò domatur unquam. Verùm quod igni est aqua; hoc est iræ mansuetudo, & mititas. S. Chrysostom. hom. 58. in Gen.

Quem persequeris Rex Israel? &c. 1. Reg. 24. 15. *Levavit Saul vocem suam, & flevit*. 1. Reg. 24. 17. S. Chrysostom. hom. 3. de David, & Saul: ex homicida fecit patrem; ex lupo ovem. Fornacem iracundiæ multò implevit rore; tempestatem vertit in tranquillitatem; atque tumorem omnem exæstuantis animi ira perstrinxit.

Numquid vox hæc tua fili &c. 1. Reg. 24. 17. Vide, quàm efficax fuerit vox Davidis, quàm potens humilitas, & incensa charitas; quæ adamantinum cor Saulis confregit, ac mite, placidum reddidit, & in lacrymas amoris solvit. Cornelius hic.

Lingua mollis confringet duritiam. Prov. 25. 15. S. Chrysost. vertit. Sermo mollis confringit ossa, & ait S. de Davide & Saule: quid osse durius? & tametsi quis æquè durus sit, & rigidus, atque præfactus, nihilominus facilè vicerit, qui illum mansuetè tractat.

Sicut lilium inter spinas &c. Cant. 2. 2. Sed vide, quò nomine mulieres illas, spinas, & sentes, vocet. Cant. 1. 4. *nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem*. Sanct. Bernardus serm. 25.

serm. 25. in Cantic. Hæc igitur ratio, cur sponsa filias Jerusalem dicat eas ipsas, quas malevolas sustinet; atque maledicas: videlicet, ut blando sermone deliniant murmurantes, commotionem sedet, livorem: scriptum est enim, lingua pacifica compescit lites. Didacus Nyss. Pol. Cœl. p. 2. lib. 6. cap. 3.

Non potest igne ignis extingui: repugnat enim hoc naturæ: sic neque furor furore alio demulceri poterit unquam. Verùm quod igni est aqua, hoc est iræ mansuetudo & mititas. S. Chrysost. hom. 58. in Gen.

Sicut rogum, cùm valdè accenditur, aqua injecta restinguit; ita & animum, camino magis exardescentem, verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. S. Chrysost. hom. 58. in Gen.

Neque ferrum ignitum, & aquæ intinctum, ità statim calorem amittit; sicut si incidat in animam longanimem homo iracundus. Idem hom. 6. in Acta.

Nihil elephantem iratum ita evincit, quàm agni conspectus: & nihil ità tormentorum bellicorum vim, & impetum, elidit, atque lana constipatos. S. Franc. Salesf. de am. p. 3. cap. 8.

Globus excussus in congeriem lanæ muro obtensam. Lem. *In molli frangitur* Masenius.

§. V.

Mansuetudo attrahit animos, persuadet.

Faciamus hominem. Gen. 1. 26. Deus in creatione hominis non usus est imperandi verbo *fiat*, quo ad alia creanda usus; sed verbo suavi *faciamus*: quia in rationali propria, & rigorosa invenitur obedientia. Ut ergo Deus ad suum obsequium hominem liberum alliceret; non imperiali verbo *fiat*, sed suavi *faciamus*, produxit; docens: cum ingenuis, & ratione præditis, non vi, aut imperiali voce, agendum; sed blando & suavi alloquio. Hinc Psalm. 118. 68. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me justificationes tuas*. S. August. s. 4. de V. Ap. legit: suavis es tu, & in suavitate tua. De Castillo Illat. 16.

Curremus. Cant. 1. 3. Propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Jesu; audientes, quòd non spernas pauperem; peccatorem non horreas. S. Bernardus s. 22. in Cant.

Fili, in mansuetudine operis tua perfice; & super hominum gloriam diligeris. Eccli. 3. 19.

In loquela labii loquetur ad populum. Is. 28. 11. Acquire tibi dulcia labia, & habebis tibi omnes amicos. S. Isaacus Presb. l. 1. de cont. mundi c. 13.

Cùm descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Matth. 8. 1. Descendit Dominus de monte, idest, de majestate, rigore legis, de vindicta, de duro illo nomine, quòd esset *Deus ultionum*. Psal. 93. 1. *Deus Zelotes*, vindicans peccata in quartam generationem. Ex. 20. 5. Descendit ergo Dominus in humilitatem, & mansuetudinem; & tunc turbæ accedunt, ac eum sequuntur: quos enim rigor, & vindicta legis non curavit; hos benignitas, & humanitas Salvatoris sanavit. Sylv. hic q. 1.

Ecce Agnus Dei. Joan. 1. 36. Cùm hæc verba duo Discipuli audirent, *secuti sunt Jesum*. ib. v. 37.

Ecce agnus stabat. Apoc. 14. 1. *hi sequuntur agnum, quocumque ierit*. v. 4. Dum vocatur *Leo* Apoc. 5. 5. Nullum lego eum sequentem; sed omnes post agnum abeunt. Plus enim sibi comparavit agnina mansuetudine, quàm leonina fortitudine. Sylv. in Matth. 10. c. 8.

S. Francisus Salesius à morte nihil fellis habuisse compertus est; sed exiguum fellis in lapillos concreverat; qui dein auro, & annulis, intexti, iis amuleto, qui nil nisi bilem vomunt. In Vita.

§. VI.

Mansuetudo est fortis potens.

Percussit Saul mille, & David decem millia. 1. Reg. 18. 7. Saul, homo durus, & immitis; viribus, & copiis, vix decimam partem attigit eorum, quos David lenitate sibi devinxit. S. Ambros. in Psalm. 43. Ideo Saul in millibus, David in decem millibus: quia durus in paucis, mansuetus in pluribus. Pinna Eth. 67.

Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. 2. Reg. 21. 8. Virtus simul bellica, & modesta, viri designatur civilitas: quòd videlicet sicut vermiculus ligni, tener quidem, & fragilis toto suo corpore, nec non & permodicus apparet; nihilominus fortissimum ligni robur excedens consumit. Sic ille affabilis omnibus domi, & quietus, atque humilis videbatur: at in certamine publico robustum se, atque intolerabilem hostibus exhibebat leonem. Vid. Beda l. 30. Quæst. q. 9.

Cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus. Habac. 3. 4. Drogo l. de Pass. Quæ est autem fortitudo tua, nisi mansuetudo tua?

Mansuetudine, & lenitate furorem comprimamus: nihil enim illa potentius, nihil fortius. Illa animam nostram in perpetua tranquillitate, & quasi in portu constituit; & omnis recreationis, ac quietis, occasio nobis est. Sanct. Chrysostom. homil. 34. in Genes. Vide hic plura de mansuetudine.

§. VII.

Mansuetudo Christi.

Butyrum, & mel comedet, Is. 7. 15. Quia totus erit placidus, & suavis; aesi butyraceus esset, & melleus. Cornelius hic.

Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Matth. 21. 19. Sanct. Chrysostomus loquens de sollicitudine, qua Christus Judam conabatur à scelere retrahere, dicit: Christum, quod neminem hominum punire vellet, ad ostendendam tamen Judæ puniendi potentiam, sicut maledixisse. Ut simul, inquit, terreret Discipulum, ne per contemptum fieret deterior; nec ullus tamen hominum afflictionem, pœnam, aut supplicium pateretur; in ficum arborem Christus hanc potestatem exercuit. Observat ibidem: Christum, cùm omnibus benefecisset, neminem tamen punivisse.

Ejiciebat omnes vendentes, & ementes &c. Matth. 21. 12. Modicum severitatis ostendit, dum ementes flagello è templo ejecit: sed statim *accesserunt ad eum cæci, & claudi, in templo, & sanavit eos*. Cur ex severitate mox in benignitatem migravit? ut illam abundè compensaret. Adde etiam: cùm flagello armatus esset, non fuisse terribilem, sed amabilem: nam à pueris, qui in templo erant, amabatur, non timebatur. Tantam enim oculis, ac toto ore benignitatem spirabat, ut pueri flagellum minimè timentes, ad eum properantes dicerent: *Hosanna Filio David*. v. 15. Mendoza in 1. Reg. 12. annot. 10. Sect. 2.

Converte gladium tuum in locum suum. Matth. 26. 52. Dominus adaptans eum ad Evangelicam vitam, docet, non utendum gladio, etiamsi quis Deum ulcisci videatur. Theophylactus hic.

Osculo Filium hominis tradis? Luc. 22. 48. Filium hominis, hoc est, mansuetum, lenem, morigerum; propter te factum hominem, cùm Deus sit. Idem hic.

§. VIII.

Mansuetudo Moysis, & aliorum Sanctorum.

Et partem gloriæ tuæ &c. Num. 27. 20. Aliqui per gloriam accipiunt mansuetudinem Moysis, quæ eum populo mirè amabilem, & laudabilem fecit. Oleaster vertit: da Josue partem dejectionis, vel humilitatis tuæ, q. d. doce Josue tuam mansuetudinem, ut hæc reddat eum populo acceptum, sicut te reddidit. Corn. hic.

Nec dentes illius moti sunt. Deuteron. 34. 7. In hoc adjuvit eum sobria diæta, & animi tranquillitas orta ex mansuetudine. Nam, ut ait Hippocrates, animalia, quæ bile carent, longæva sunt, ac sana, fortiaque in multam ætatem. Idem hic.

Moyses servus meus. Jos. 1. 2. Erat admodùm mansuetus, & clemens: ob eamque causam famulus Dei dicitur, & Dei conspectu omnium Prophetarum dignissimus fuit. S. Dion. Areop. ep. ad Demophilum Monachum de Moyse.

Discipulum, quem diligebat Jesus. Joan. 21. 20. Quid hanc præcipuam dilectionem conciliavit? Incredibilis, arbitror, Joannis mansuetudo, & lenitas; qua remissior sæpenumero videbatur. S. Chrysost. hom. 32. in Joan.

§. IX.

Varia alia motiva.

Ex Veteri, & Novo.

Populus peculiaris. Deut. 7. 6. Peculium dicitur possessio pecorum mansuetorum: unde populus peculiaris idem est, quod populus mansuetus, & assuetus ad Dominum. Hugo Card. hic.

Pellem pro pelle. Job 2. 4. Idest, patientiam, & imitationem mansuetudinis agni incontaminati Jesu Christi, rependere debemus. Petrus Cell. l. de pan. c. 1.

Mansuetis dabit gratiam. Prov. 3. 34. S. Chrysost. mirabile Salomonis promissum. Et an iis nihil dabit gratiæ, qui jejuniis, castimonia, eleemosynis &c. suo se conditori commendarunt? imò verò dabit; sed mites erunt primi, qui optimam partem, qui totos principatus auferent in prœmium. Drexelius Tob. p. 2. c. 3. §. 1.

Beati mites. Matth. 5. 4. Convenienter ponitur mititas post paupertatem spiritus: quia humiles, & inopes, facilè contemnuntur, injuriasque, & multa incommoda sentiunt: idcirco maximè indigent mititate; nè ad iram, vel impatientiam, concitentur. Dionys. Carthus. hic. Verè beati mites, qui

qui seipsos possident in variabili animo; & dominantur sibi ipsis, velut rebus, quas possident. Altius enim est, sui ipsius esse possessorem, & dominum; quàm omnium erum extra positarum. Simon. Cass. l. 10. c. 3.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21. 5. Voluit venire mansuetus propter quatuor. 1. ut malos facilius corrigeret. 2. ut omnibus se amabilem exhiberet. 3. ut omnes ad se traheret, & populum sibi multiplicaret. 4. ut mansuetudinem doceret. S. Thomas Aqu. D. 1. adv.

Ex Patribus, & aliis.

AD hoc mitissimi homines facinus occultatum diligenter, atque instanter examinant; ut inveniant, quibus parcant. Unde plerumque necesse est, exerceatur acrius inquisitio; ut, manifestato scelere, sciat, ubi appareat mansuetudo. S. August. ep. 169.

Multæ quidem sunt virtutes, quæ Christianum virum bene decent; maximè autem omnium mansuetudo. S. Chrys. s. de mansuet.

Animus ab iracundia alienus, templum est Spiritus S. In spiritu mansuetudinis Christus caput inclinat; & mens pacifica Sanctæ Trinitatis est domicilium. S. Nilus or. 4. de ira.

In cordibus mansuetorum requiescit Dominus. Joan. Clim. gr. 24.

Hæc duo certissima signa sunt Spiritus S. justa mansuetudo animi in proximum; & vera cordis humilitas in Deum. Philo Carpath. in Cant. c. 7.

Dum animal mansuetum esse desinis, natura hominis spoliaris. S. Bonavent. s. 9. de tempore.

Miscellanea.

Beati mites. Matth. 5. 4. Et mutitas corporis ex defectu naturæ: nec non ex voluntate se mutum aliquis facit, cùm sectatur sana silentia ex amore virtutis, Spiritu Dei actus intendit, & vacat sanctæ taciturnitati. Sic & est mititas in similitudinem mutitatis; qua se homo mutum facit; non habens ad opprobria, & ad convitia, & ad quælibet maledicta, redargutionem, aut repunctiones. Simon Cass. lib. 10. cap. 3.

Fera sit licèt immanior; simul ac amare quis cœpit, ove mansuetior evadit. S. Chrysost. hom. 33. in 1. Cor. 13.

Mansueti dicuntur manui assueti. Hugo Card. in Psalm. 33.

TITULUS VI.

MARIA.

Virgo Deipara.

Ordine Alphabetico.

A.

Æquanimitas.

Et tuam ipsius animam &c. Luc. 2. Humilitatem agnosce Mariæ; quæ non velut Mundi Regina, & æterni Regis Mater; sed ut discipula, accipit verba senis: non stomachans verbum, non dedignans auditum; æquanimiter læta, & tristia, recipit, omissa responsione ut prærogaret omnibus audiendæ veritatis formam; & virginibus auferat loquendi audaciam. Sim. Cass. lib. 1. de gest. D. c. 21.

Ipsa, & putativus Pater, silenter oracula divina suscipiunt: & animo constans, servansque in lingua censuram; non mutata facie in auditis de sua prole magnis, & sævis, passionibus, & quòd sit doloris gladio fodienda; eamdem consistentiam conservavit; ut nec læta de lætis, nec tristis de tristibus videretur. Idem ibidem.

Affectus.

O Divinum, ac vivum simulacrum! ad quod opifex Deus inventus est; mentem quidem divinitus gubernatam habens, ac Deo soli operam dantem: cupiditatem autem omnem ad id, quod solum expetendum, atque amandum est, intentam: iram verò adversùs peccata duntaxat, ipsiusque parentem. S. Joan. Damasc. or. 1. de Nat. B. V.

Amor Dei erga B. Virginem.

Adamavit eam rex plus quàm omnes mulieres. Esth. 2. 17. *Et posuit diadema regni in capite ejus. Corona seniorum filii filiorum*. Proverb. 17. Deus plus amat solam B. Virginem, quàm reliquos Sanctos omnes. Suarez 3. p. t. 2. disp. 18. Sect. 4.

Venit Jesus à Galilæa. Matth. 3. 13. Puta à Nazareth; in qua hucusque habitavit cum Virgine Matre: cum qua tanto tempore in terris conversari, & demorari elegit. quia deliciæ ejus esse cum illa. Dion. Carthus. hic.

Dilexit eam Deus super beatam societatem Apostolorum; super Angelos, & Archangelos; super omnes Virtutes, & Potestates cœlorum. Golfridus Abb. in omni festiv. B. V.

Amor B. Virg. in Deum, & Filium.

Dum esset Rex in accubitu suo. Cant. 1. statim addit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus inter ubera mea commorabitur*. Dum Rex in throno est, non vocatur dilectus; at tempore Passionis, dum plagis, vulneribus, plenus, vocatur dilectus. Ridenter fortuna, nitentre purpura, amor abscondit. At in Passione, dum fugiunt Discipuli, vacillat Petrus, panditur Virginis amor; & inter cordis suum amplectitur, & fovet, Dilectum. Sylveira t. 2. lib. 4. cap. 1.

Pulchra ut luna. Cant. 6. 9. propter virginitatem; lunæ namque corpus frigidum est. *Electa ut sol*; propter ferventissimam charitatem. *Terribilis ut castrorum acies ordinata*; propter profundissimam humilitatem, qua nihil dæmonibus terribiliùs est. S. Bernardinus Sent. t. 1. s. 52.

Fili, quid fecisti nobis sic? Luc. 2. Non potuit ampliùs continere affectum, cùm in verba excessus amoris erupit; non aliunde ipsum denominans, nisi quòd ipse sit Filius, ipsa Mater, Stupor, & gaudium, humanis mentibus ministratur; quòd virgo Mater Dei Filium nomine filiationis appellat. Omnis amoris signum in isto verbo superatur, *Fili*. Lingua in amore manifestare plus nequit, dicens *Fili*. Nihil ex amore brevius, nihil efficacius ad proferendum, cùm dicitur *Fili*, Amat præ cunctis Filium Mater, à quo præ cæteris se novit amari. Sim. Cass. l. 2. c. 24.

Cur virgo prior loquitur? Lyran. Joseph, licèt Pater ejus diceretur, non fuit ausus hoc dicere; cùm firmiter crederet, ipsum esse Deum. Sed Mater, ex maxima dilectione, quam habebat ad illum hæc fecit; quia amor excellens dominium nescit. Primas honoris, dicendo *Pater tuus*, concessit Joseph; primas in loquendo amori suo dedit. Sylveira hic.

Mulier amicta sole. Apoc. 12. 1. Calidissimus est hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur; ut nihil in ea, non dico tenebrosum, vel obscurum saltem, vel minùs lucidum; sed nè tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum, liceat suspicari. S. Bernardus de verbis Apoc.

Stabat virgo in nuptiis, non oblectata convivio, sed sociata Filio; cui amore individuo jungebatur; cujus non satiabatur aspectu. Simon. Cass. l. 2. de gest. D. c. 25.

Est etiam sagitta electa amor Christi; quæ Mariæ animam non modò confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore reliquerit; sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret; & etiam esset gratia plena. S. Bernardus s. 29. in Cant.

Imitamini signaculum fidei vestræ, B. Mariam: quam, velut ignis ferrum, Spiritus S. totam decoxit, incanduit, & ignivit: ità ut in ea Spiritus S. flamma videatur; nec sentiatur, nisi tantùm ignis amori Dei. S. Ildephonsus s. de assumpt. B. V.

Divinum erat, in quo amor Virginis ferebatur: pura in purum, casta in castum, Virgo in Virginem, humilis in humilem: prudens in sapientiam, paupercula in pauperem, virtuosa in Virtutem, ignitis amoribus agebatur. Et operibus ostendebat, quibus internis ignibus æstuabat: à quibus succensa motibus corporis prodibat in publicum, quæ consueverat semper tenere secretum. Sim. Cass. l. 2. de gest. D. cap. 26.

Divigis ignita colloquiis tota effecta es velut ignis; teque holocaustum Deo suavissimum obtulisti. O Phœnix aromatizans cinnamomo, & balsamo, & nardo, suaviùs Regem in aspectu tuo delectans. Amedeus hom. 6. de laud. B. V.

O B. Maria! torrens voluptatis, vis amoris, totam te operuit, totamque obtinuit, penitusque inebriavit. Et dixisti; *Osculetur me &c.* Dixisti enim ad Angelum: *ecce ancilla Domini*. Rupert. l. 1. in Cant.

Mater Dei, Regina dilectionis suprema. S. Franc. Salesf. in orat. dedic. t. de div. am.

Ubera quoque, botris assimilata sunt: in quo mirabilis prærogativa merendi demonstratur in Virgine; quæ non minùs meruit, sumendo lac de uberibus suis ad nutrimentum Filii, quàm Martyres, qui per botros figurantur; fundendo sanguinem suum in Martyrio: omnium enim operum merces secundùm radicem charitatis pensatur. Hailgrinus Card. in lilud Cant. 7. 7. Statura tua &c.

Seraphini è cœlo descendere poterant ut amorem discerent in corde Mariæ. Ex hoc immenso amore procedebat; opera ejus summi meriti esse; cùm præcipua ratio meriti sit charitas. Plus Maria merebatur, cùm pannis involvebat Christum infantem; quàm Laurentius, cùm super craticulam ureretur. Rupertus l. 1. in Cant.

Excedit omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes, amor istius Matris in Filium suum; & istius Filii in Matrem suam. S. Anselmus de excell. Virg. c. 4.

Amorem Dei vult in nobis accendere.

A*Djuro ut nuntietis ei, quia amore langueo*. Cant. Quid erat? vel quid efficiebat, talis adjuratio? nunquid ille dilectus nesciret amorem languentis, nisi annuntiaretur ei? Domine, inquit Petrus, tu omnia scis! tu scis, quia amo te. Quando magis ò tu dilecta; tam prudens tamque fidelis; per temetipsam, absque internuntiis, dicere poteras dilectos & frequenter dixisti sine dubio. Dilecte mi: nullum est tibi absconditum cor, nullius occultus amor. Tu scis, quia amore langueo. Quorsum ergo tendit hæc adjuratio? Eo nimirum: ut percussa percutiat, vulnerata, vulneret.

Quia tota ardens fuit; omnes se amantes, eamque tangentis, incendit, & sibi assimiliat. Unde dici potest similis cuidam lapidi pretioso, qui manum se tangentis adurit. S. Bonaventura s. 3. de Virgine.

B. Angelæ de Fulginio B. Virgo in Communione quadam benedixit: sis benedicta à Filio meo, & à me; & studeas diligenter, & sollicitè ad amandum, quantùm potest: quia tu es multùm amata. Bollandus 4. Joan.

Siquidem amor est origo cujuslibet affectionis alterius. Est autem Maria Mater pulchræ dilectionis. Sit igitur, necesse est, & Mater timoris, & spei; & lætitiæ, & doloris: qualis est illorum, quos beatificat lugentes Filius ejus. Gerson. tr. 5. sup. Magnif.

Ferunt, Hippocratem visa muliere ignem ferente dixisse: ecce ignis gestans ignem. Conspecta Deiparæ Jesum sinum gestantis imagine facilè nobis idem occurret. Ecce ignis, gestans ignem. Unde à S. Catharina Sen. vocatur currus ignis, portatrix ignis. Nadasi 6. mense anni amor. Dei cap. 2.

Amor erga B. Virginem.

U*Num est, si circumcidamus masculos nostros &c.* Gen. 34. 22. Circumcisi sunt omnes; ictoque pro Dina fœderi cruore, non atramento; non calamis subscripsere, sed cultris. Proh! lasciviendi intemperiem! ut ludat, cruentatur: vulneribus, quasi cuniculis, ad amplexus puellæ proruptura. Venus est, non Mars; quæ tantum sanguinis sine bello, sine hoste, sine obsidione, sed non sine Dina profudit. Stat Bethulia exercitu oppugnata; ruit jacetque Salem in strage sua non vallata cohortibus. Si circumcidi non abnuere Chananæi pro Dina; nos circumcisionem cordis pro Virgine Maria recusabimus? Christiani sine cruore circumcisionem mentis non patientur, ut Maria fruantur patrocinio & amplexu? Nec cordis circumcisio cruentat; sed dealbat, curat, non vulnerat. Olivæ lib. 1. Strom. hìc.

Ecce Mater tua. Jon. 19. 27. Moriturus Deus hoc unum à Discipulo petit; ut Virginem tueatur. Non illi dicit: *inspice, & fac secundùm exemplar*. Ex. 25. 40. quod tibi ostendo in monte: crucem amplectere, clavos ama, cruciatus siti, vulnera esui, spinas floribus anteferto. Pro spinis, inquit, tibi trado lilium; pro Cruce tibi Matrem commendo. Si hanc amaveris, sufficit ipsa tibi pro Cruce. Et ideo forsan solus ex Apostolis gladio non periit: quia Martyrii gloriam compensarit amor in Virginem. Idem tom. 2. Stromat. hic.

Non alia, præter te, o Deipara, genuit Regem Salomonem; regem tam magnum, tam magnificum. Sed illæ, diligendo in Te hoc tam grande privilegium, Regis ejusdem matres fiunt. S. Rupertus l. 3. in Cant.

Quemadmodum divina bonitas inclinationem quamdam naturalem ingeneravit rebus omnibus; qua feruntur ad ea, quæ sibi commoda putant, & proficua: adeoque actionibus iis, quæ ad corporis, vitæque conservationem; ac naturæ propagationem, necessaria sunt; ut in cibo, potu, somno aliisque delectationem aliquam inesse voluit; tamquàm condimentum, & illecebram; nè ob adjunctam molestiam cæteroque negligerentur. Pari ratione, quod ad ordinem gratiæ spectat; cum Deipara salus sit, felicitatsque publica Orbis universi; misericordissimus Deus Fidelium omnium mentibus inservit præcipuam quandam propensionem, peculiaremque affectum, erga ipsam; inqua Virginis devotione, & cultu nobis adeò necessario summam, dulcissimamque jucunditatem. Credet hoc mihi libenter, quicumque se ex animo Maximæ hujus Reginæ famulatui consecrabit. Simul atque enim id fecerit; istiusmodi mox sensurus est in animo suo suavitatem; & tam teneræ, lapidæque pietatis abundantiam; quæ sancta illum lætitia, cæleltibusque deliciis planè perfundat; & mentem repleat, recreetque haud paulò amplius; quàm quidquid in hoc orbe reperire est aliarum, quarumcumque voluptatum. Nieremberg. de am. erga D. V. c. 21.

Angeli.

E*Go sum Raphael Angelus &c.* Tob. 12. 15. Raphaelem mirantur aliqui, quonam ipse modo? cum unus esset ex septem, qui adstant ante Dominum; & qui majores, velutque cœli optimates; ut, quibusdam placet ex principe, sunt Angelorum, id est Seraphinorum classe: nihilominus ad tam vile ministerium descenderit, seque Tobiæ itineris comitem adjunxerit. Ego verò sic sentio: si legationem eam, & comitatum, honori castitatis datum fuisse, animadvertamus, Sanctæque Saræ, quæ typus erat B. Virginis, indultam: celsissimum hunc spiritum in magna sua gloria duxisse, dignum se à Deo habitum, quo vel umbræ Mariæ Patronæ castitatis obsequeretur, & subserviret. Idem ibidem c. 6.

Ingressus Angelus &c. Luc. 1. 28. Cur Angelus veniens ad B. V. non explicat ei suum nomen; quemadmodum in annuntiatione Joannis Bapt. Zaccariæ? Luc. 1. 19. *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum*. Zacharias nunquam ipsum viderat; at B. Virgo consueta erat visioni, & conversationi, Angelorum: inde eos noscebat etiam ex nomine. Sylveira in additam ad Luc. 1.

O omnium consolatio, Virgo Maria, hoc ipsum tu es; ad quod Angeli à principio tanta arserunt charitate? quòd tu ipsi Deo eis propinquior fieri debebas; & ex eo, quòd majorem charitatem, majoremque suavitatem, quàm ipsi habebant, tibi noverint reservari. Nierembergius sermone Angelico ad S. Brigittam.

Ipsi Angeli de hoc magis exultabant; quòd te Deus creare volebat; quam eo, quòd ipsos creaverit. Et sic tu, ò Virgo sanctissima, angelis, mox ut creati fuerunt, gaudium fuisti; quæ ipsi Deo sine principio summa delectatio extitisti. Joan. Gerson serm. ang. ad S. Brigittam ser. 2. Lect. 1. cap. 4.

Mariæ typum fuisse thronum illum Salomonis 3. Reg. 10. 18. 19. communis Ecclesiæ sensus est. Qui autem sunt duo leones, qui utrimque throno adhærebant? Petrus Dam. s. 1. de Nat. B. V. duo leones sunt Gabriel archangelus, & Joannes Evangelista: quorum alter dexteræ Virginis, alter sinistræ, custos deputatus est. Gabriel enim mentem, Joannes carnem, pervigili sollicitudine servaverunt. Qui bene leones dicuntur, propter rugitum altissimæ vocis: duo enim verba nuntiarunt Orbi terræ; qualia nec dicta sunt, nec dicentur. Ramirez in epist. Christ. in Prologomenis §. 8.

S. Anna.

O par beatum, Joachim, & Anna! vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum præstantissimum, Creatori obtulit, nempe casam Matrem; quæ sola Creatore digna erat. O beatum ventrem, qui vivum cœlum, cœlis ipsis latius, peperit. O beata ubera! quæ ejus, qui Mundum nutrit, Nutricem lactarunt. S. Joan. Damasc. or. 1. de Nat. V.

O beatum par, Joachim, & Anna! ac profectò ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini; quemadmodum Christus quodam loco dixit: *ex fructibus eorum &c.* Matth. 7. Id. ibid.

Venerabilis Anna verè nuncupari potest omnipotentis DEI gazophylacium: quia ipsius thesaurum, super omnia sibi amabilem, in suo utero recondebat. O quàm prope erat igitur cor Dei huic thesauro! O quàm piè, & alacriter huic thesauro oculos suæ Majestatis innixit; qui postmodum in Evangelio suo ait; *ubi est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum*. Gerson ante citatus.

Annuntiatio B. V.

§. I.

Figuræ.

D*Ies diei eructat verbum*. Psal. 18. 3. Dies diei, Angelus Virgini. Dies Angelus, propter beatitudinem: Virgo dies, propter integritatis virtutem. *Et nox nocti indicat scientiam*. Serpens nox, propter malitiam, mulier nox, propter ignorantiam. S. Bernardus s. 5. ex parvis. Dies Gabriel eructa verbum Salvatoris, sed nox, idest, Diabolus indicat scientiam noctis, id est Evæ. *Eritis sicut dii scientes, &c.* S. Thomas Aq. hìc.

Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea. Cant. 5. 2. Guilielmus parvus: seu Neoburgi vox, inquiebat deipara, dilecti mei pulsantis facta est ad me; quando, impleto tempore dispositionis suæ, placuit incarnari ex me. Quæ autem fuerit vox illa, confestim addit: *aperi mihi soror mea*. Poterat dilectus, non aperiente ipsa, ipse introire in uterum Virginalem; sed, ad Matris gloriam, quam maluit sponte, & hilarirer, aperire. Stetit ad ostium, & pulsavit. Apud Arcones in Is. 3. Disc. 8. Piscina probatica. Lem. *Turbata est in sermone ejus*. Luc. 1. 29. Picinelli.

§. II.

Cur per Angelum salutata.

MOrs per Adam; vita per Christum. Evam serpens seduxit; Maria Gabrieli consensit. S. Chrysost. de interdict. arb. ad Adam.

Per Virginem Evam venit mors: operæ pretium erat, de Virgine apparere vitam: ut, sicut illam serpens decepit, ità hanc Gabriel annuntiaret. Sanct. Cyrillus Jerosol. Catech. 12.

Agit cum Maria Angelus de salute, qui cum Eva Angelus egerat de ruina. S. Chrysol. s. 142.

Datur determinata legatio; quod incomprehensibilis Virginali clauditur in alvo: & ut eam salutet almificè, seriò edocetur. Stupet auditor; mirantur omnes infimul hierarchiæ cœlestes; quod ad hujusmodi legationem nuntius cœlestis agreditur, quem illico est secutura divina Majestas. Suspenduntur illorum altis considerationibus mentes, quòd Deus ad hominem, immortalis ad mortalem, incorporeus ad corpus, invisibilis ad visibilem; simplex, si & incompositus ad compositam creaturam; infinitam habitator ad finitam ædem; ad peregrinationem ubique existens; ad miseriam temporis æternè beatus, velit accedere. Sim. Cass. lib. 2. de gest. D. c. 1.

Ecce in conclavi creaturæ duæ insignes assistunt; Angelus, & Maria. In Majori verò conclavi terrestris curiæ paradisi, diabolus, & Eva. Processit dialogus, unde sunt mala omnia subsecuta: nunc incipit, unde omnia bona proveniunt. Magnus angelus, magnaque Maria; major Angelus, majorque Maria major Angelus in natura; major Maria ex gratia. Cœlestis, & terrestris, in modicò loci spatio convenerunt de pace Dei; de ineffabilibus, & divinis mysteriis; de reparatione humani generis, absque interpretibus tractatum. Idem ibidem.

Juris regula est: ut per easdem causas, quibus aliquid fit, dissolvatur. Ità per easdem causas, quibus in Mundum ingressa mors, per eas expulsa. Mors intravit, propter dialogum habitum inter Angelum, & mulierem: vita ex colloquio Angeli, & mulieris. Stella in Luc. 1. 26.

§. III.

Concernentia Personam B. V.

A*Nima mea liquefacta &c.* Cant. 5. 6. Profectò anima tua liquefacta est, ut Dilectus locutus est, scilicet Deus Pater locutione admirabili ineffabili: dum substantiam Verbi sui cum illo Amore suo Spiritu S. tuæ menti, tuo ventri, penitus insereret. Rupertus l. 1. in Cant.

Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est. Cant. 8. 8. Hoc quærit non dubitans; sed quid facturus est, exaggerans. Quasi dicat: magna faciemus ei, quando alloquenda est à Gabriele. Hugo Carens.

Benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. Quia videlicet mulier omnis de amore viri concipit; tu sola de amore Dei, id est, de Spiritu Sanct. concepisti. Rupertus lib. 1. in Matth.

Turbata est in sermone ejus. Luc. 1. 29. Turbata est, non in visione ipsius: quia ut dicitur, solita erat conspicere Angelos, sed aliqui probabile altruunt: quòd Angelus vice hac apparuit ei lumine multo præclariore; apparatu, ac habitu, venustiore; secundùm quod magnitudo causæ suæ legationis exegit. Dion. Carth. hìc.

Ne timeas Maria. Luc. 1. 30. Timor enim eorum est, qui offenderunt: *tu verò invenisti gratiam apud Deum*. S. Basilius Seleuc. or. de SS. Dei genetr. &c. Timet, non qui invenit, sed qui perdit. S. Chrysol. s. 144.

Fiat mihi &c. Luc. 1. 38. Per hunc consensum, omnium Electorum salutem visceroissimè expetiit, & procuravit; & omnium saluti per hunc consensum se singularissimè dedicavit. Ità ut ex tunc omnes in suis visceribus bajularet, tanquam verissima Mater filios suos. Sanct. Bernardinus tr. de B. V. s. 6.

Ecce ancilla Domine. ibidem. Uno solo actu, priùs etiam quàm Mater Dei esset; nempe semel dicendo, Angeloque respondendo. *Ecce ancilla Domini; fiat &c.* amplius meruit, quàm omnes simul Angeli & homines, quamcumque Sanctis cogitationibus, & actionibus, meriti sint, vel merebuntur. Eo actu meruit principatum in cœli Seraphinos, Dominatum in omnes res creatas, & Sceptrum, regni Filii sui; plenitudinem omnium gratiarum; omnium fructuum, & donorum, Spiritus S. quòdque sit JESU Mater, & causa felicitatis nostræ. Dei porrò genitrix facta quid non meruerit? quid non obtinuerit? incomprehensa illa multitudine actuum internorum, operumque externorum, usque ad extremum Spiritum constantissimè, religiosissimèque, exercitorum? Nierembergius de am. B. V. c. 13.

O Domine! tu Matrem me dicis; ego ancillam profiteor: Ancilla Christi sum, & quidem Matrem me præstabo. Guarricus Abb. s. 3. de Nat.

Nicolaus Godignus noster in vita Gonzali Sylveiræ M. S. I. refert: verosimile est, quod monumenta tradunt congregationis Sanct. Georgii in Alga. Auctores illius acceperunt, Archangelum Gabrielem in annuntiatione novem integras horas apud B. Virginem fuisse. Acsi ob incredibilem Virginis modestiam, & majestatem humana majorem; atque ob Verbum incarnatum, in admiratione raptus discedere non posset. Doultreman. de am. Dei erga homil. lib. 1. cap. 3. Sect. 2.

§. IV.

Ejus Festum.

FEstum hoc solemne in tanta antiquitate eminet; ut liceat piè meditari, originem ejus debere describi gratissimo effectui Deiparæ V. quæ singulari veneratione, ac devotissimo cultu, quotannis recolere solita fuerit divinum beneficium hoc die sibi, & toti humano generi præstitum. Hanc piissimæ gratitudinis consuetudinem in Sanctissima Deipara intuiti Apostoli, debitam agnoverunt obligationem, & venerabili imitatione observarunt, & ubique terrarum observari debere sanxerunt. Certè secundùm Regulam à S. Augustino de Baptismo contrà Donatistas l. 4. c. 24. propositam: quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est; non nisi auctoritate Apostolica traditum rectè creditur. Bollandus 25. Martii.

Hodie renovatur Adam, & choros cum Angelis agit in cœlum sublatus. Hodie terrarum orbis gaudio ob adventum Spiritus S. in homines plenus est. Hodie Davidicum adimpletum est oraculum, quod dicit Ps. 59. 11. *Lætentur cœli, & exultet terra: gaudebunt campi, & omnia ligna &c. quoniam venit*. S. Greg. Thaomat. hom. 1.

Possevinus l. 1. rerum Moscovit. tradit: populum vix unquam ab opere vacare, nisi ipso die B. V. Annuntiatæ; & reliquis festis, ac Dominicis operari: ac sibi persuasum habere; ad nobiles spectare, ut ad templum, ac sacra officia, tam sæpe proficiscantur.

Est pia consuetudo per Belgium: ut feria 4. Quatuor Temp. in Adventu Missa solemnis antelucana de Annunt. B. Mariæ cantetur; quæ ob excellentiam *Aurea Missa* dicitur Bollandus 25. Martii.

Maria Apostolos respiciens.

In capite ejus corona stellarum duodecim. Apoc. 12. 2. Duodecim stellæ coronæ ejus sunt duodecim Apostoli Christi: quia B. V. meritis fuerunt electi; & post ruinam in Christi morte ad fidem etiam reformati, ac per ejus instructionem edocti. S. Bernardinus t. 3. s. 11.

B. Virgo Maria Doctrix Apostolorum, & Evangelistarum. S. Bonav. lib. cui tit. Luminaria Eccl. s. 9.

Apostolorum fuit Apostola. Gerson s. de Spiritu S.

Ipsa dignissima Virgo singulariter totum mysticum corpus cum vero corpore suo portavit in utero, & in continuis cordis sui doloribus Filii sui parturivit: cui attribuitur tota corona duodecim Apostolorum: quoniam meritis ejus fuerunt vocati, ac per ejus instructionem edocti, per ejus quoque suspiria, & orationes, Spiritus S. repleti. Unde & Virgini Sanctæ singulariter attribuitur tota per Apostolos facta Mundi victoria. Et ideo hæ duodecim stellæ fulgent in ejus capite, quæ est sedes Sapientiæ: quia & Mariana sapientia derivata est lux doctrinæ; quà totum Mundum ut stellæ illuminarunt. Ubertinus. apud Carthus. l. 4. de laud. Mariæ Act. 16.

Assumptio B. Virg.

§. I.

Figuræ.

E*Leva virgam tuam: & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israel*. Ex. 9. Hæc via, ad cujus elevationem præparatur via populo Dei, est gloriosa Virgo Maria: cujus patrocinio omnis penè amarikudo Dei populo dulcoratur. S. Bern. tom. 3. tr. de B. V. s. 11.

Cum elevaretur arca, dicebat Moyses: surge Domine, & dissipentur inimici tui; & fugiunt, qui te oderunt. Num. 10. 33. ut mysterium innuatur: quòd quando elevata fuit Virgo gloriosa ad cœlestia regna, dæmonis potentia imminuta est, & dissipata. Id. ibid.

Regina Saba ingressa est Jerusalem multò comitatu &c. 3. Reg. 10. 2. Comitatus B. V. tres Angelorum hierarchiæ. Divitiæ ejus virtutes: aurum charitas &c. Sed quid tunc *Rex Salomon? dedit omnia, quæ voluit, & potivit* ab eo. De Ponte l. 6. in Cant. Exh. 21.

Magnificata est anima mea hodie &c. Judith 12. 17.

§. II.

Gloria.

Ecce currus igneus. 4. Reg. 2. 11. Elias ascendit curru igneo. Illi fuit dilectus Filius instar currus ignei: *ascendit innixa super dilectum suum*; à quo deducta. Cùm enim Apostolis dixerit Joan. 14. 3. *iterum veniam, & assumam*: multò magis venit, ut Matrem ad se assumeret. Et qui alias Virgines Sanctas invisit, sicut Gregorius narrat de Tarsilla l. 4. dial. c. 16. quæ moribunda suisum respiciens JESUM venientem vidit, & clamavit: recedite, Jesus venit. Quantò magis venisse credendus est, ut Virginem Virginum secum duceret. Non portabatur sicut Lazarus ab Angelis; sed brachiis dilecti sui. De Ponte citatus.

Mulier amicta sole. Apoc. 12. 1. Quorsum in Matre tam sumptuosus apparatus; ut etiam à sole, luna, & stellis, decor requiratur? Nil mirandum; ait S. Bernardus hom. Sup. Miss. qualis erga Filium Mater, talis erga Matrem Filius. Vestis eum, ait, & vestiris ab eo, vestis eum de substantia tuæ carnis; vestit ille te gloria suæ Majestatis: vestis solem nube; & sole ipsa vestiris. Paoletti Dom. Quinquag.

Gloriosè assumpta est cum Corpore, & anima. Et meritò quidem: quia manus, quæ nunquam erectæ fuerant, nisi ad benedicendum suum Conditorem; non æquum erat, ut verterentur in terram. Oculi, qui nunquam aperti fuerant, nisi ad laudandum illum, qui eos formavit; indecens erat, ut in terram verterentur. Pedes, qui nunquam gressum fecerunt, nisi ad servitium Dei, & utilitatem proximorum; non decuit, ut eorum particeps terra esset. Os, quod nunquam apertum erat, nisi ad gratiarum actiones; cur in cineres vertereturⁿ? Caro, quæ nunquam Carnem sapuit; quin imò purior fuit omni sanctorum spiritu etiam purissimo; non aquum erat, ut terram saperet. Cor, cujus conversatio semper in cœlis. &c. Diez tom. 2. conc. 2. in festo assumpt.

§. III.

Corona.

Veni de Libano &c. Cant. 4. 8. Idest, migras de Corpore isto, Corpore candido, Corpore Virgineo. *De Capite Amana*; quod interpretatur *nocturna avis*. *De vertice Sanir*. quod interpretatur *dens* vigiliarum; *& Hermon*, quod interpretatur *anathema*. *Coronaberis* de omnibus his, idest, de corpore, vel membri illius, qui nominibus istis rectè denotatur; de regnis Mundi hujus. Regna namque Mundi hujus, quædam Capita, vel quidam vertices rectè dicuntur, nocturnæ avis, & dentis vigiliarum; & verè anathematizati diaboli, & à Deo separati: qui, cùm sit princeps tenebrarum, & *tanquam leo rugiens circumeat, quærens, quem devoret*; rectè & nocturna avis, & dens vigiliarum, dicitur. Ipsa eadem regna, & cubilia leonum, & montes, dico, pardorum. De talium leonum cubilibus, taliumque pardorum montibus, tu, amica mea, coronaberis. Quomodo? videlicet credent in me fructum ventris tui; & eorum credentium salus, corona erit. Ità coronaberis: ut & in cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina sis regnorum. Reges atque Imperatores, coronis suis te coronabunt; ut desinant esse, quod fuerunt, montes pardorum, cubilia leonum. S. Rupertus l. 3. in Cant. Si montes hi usurpentur in bonum, ad significandum insignes viros; B. Virgo de his omnibus coronatur: tum, quia omnes superat; tum maximè quia ejus meritis, & precibus, hanc sanctitatem adepti sunt; de quibus dicere potest: *gaudium meum, & corona mea*. Philipp. 4. 1. Hi enim sunt duodecim stellæ, ex quibus coronata erat mulier, quæ apparuit in cœlo. Coronatur etiam de cubilibus leonum &c. idest, de innumeris, & maximis, peccatoribus; qui ejus intercessione convertuntur. De Ponte l. 7. in Cant. Exh. 22.

In capite ejus corona stellarum duodecim. Apoc. 12. 1. Dignum planè stellis coronari caput; quod & ipsis longè clariùs micans, ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera, quàm sol vestit? S. Bernardus serm. 5. in Ass. V.

S. Francisca Rom. vidit Sanctissimam DEI genitricem modicum inferiori sede Dei, & sui Filii, tribus coronis ornatam. Prima quidem, propter suam Virginitatem; secunda; propter ejus humilitatem; tertia, ejus gloriam declarante. Bollandus 4. Martii.

§. IV.

Cur tardè assumpta?

Quæritur: cur, ascendente in cœlum Domino, Mater ejus, quæ tantò cum amplectabatur affectu, non statim recuta est? Ut quid dilatum est terventiùs igne tam sanctum ejus desiderium? quoniam ipsa dilatio Discipulorum Christi non minima consolatio fuit. Voluit enim D. JESUS, ut, ipso ad Patrem revertente, Apostoli materno solatio, & eruditione, fruerentur. Mir denique pietate primitivæ Ecclesiæ provisum est: ut, quæ Deum in carne hac præsentem jam minimè cerneret; matrem ejus visu jucundissimo recreata videret. Quid enim tam jucundum, quid tam decorum, ac delectabile? quam Matrem Plasmatoris, & Redemptoris omnium, videre. S. Amedeus. hom. 7.

Sanè etiam advertendum ex hac ejus dilatione; ut quæque Fidelis anima, vulnerata charitate, & jaculis amoris confossa, discat, non murmurare; si eam evenerit nondum ad vota migrare. Ecce differtur Mater Domini, quis audeat murmurare? Differtur, ut proficiat; proficit perseverando. Hinc Psalmista: adhuc multiplicabuntur &c. Idem ibidem.

Luna, sole recedente Mundum illuminat. Quia sole justitiæ transeunte de hoc Mundo ad Patrem per mortem corporalem, Maria fide sua totam illustravit Ecclesiam. Eodem sole ascendente ad cœlum, dimissa est in Mundo ad tempus: ut Ecclesiam suis illustraret exemplis; ac Mundum, idest, amatores munditiæ, semper loco solis Christi illuminet. Rich. à S. Laur. l. 7. de laud. B. Virg.

O certè verissimum, quòd erunt novissimi primi. Quis hoc æstimasset? quis hoc credidisset? quis speraset? assumitur ad gloriæ cubiculum latronis anima; & anima Matris relinquitur ad lamentum: cui & longo tempore post patet ingressus ad idem sponsi cubiculum. Poterat invidiam ei facere glorificatus ipse latro; si non fecisset eam charitas unum cor, & unam animam, cum eo. Svasit eadem charitas, quærens quæ Dei sunt, habere vitam in patientia propter Electos Dei, per se, & ex eo, docendos de mysteriis veræ fidei. Gerson tr. sup. Magnif.

Ascendente suo benedicto Filio ad regnum suum, Virgo Maria in hoc Mundo, ad bonorum confortationem, & errantium correctionem, remanere permissa est. Erat enim Magistra Apostolorum, consortatrix Martyrum, Doctrix Confessorum, clarissimum speculum Virginum, consolatrix Viduarum, in conjugio viventium saluberrima monitrix; atque omnium in fide Catholica perfectissima roboratrix. Serm. Angel. die Sabb. Lect. 1. c. 19.

§. V.

Proficua hominibus.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi? Cant. 3. 6. O beati Spiritus! quomodo hanc cœlestem Reginam fumo assimilastis? Contumelia potiùs videmini afficere: nam nos de homine inquieto, parum sensato, dicere solemus, fumo leviorem esse: & de biliosio; illum in naribus fumum habere, & ad extenuenda terrena, fumum esse. Unde David Psalm. 101. *Defecerunt sicut fumus dies mei*. Dico nihilominus, hanc unam ex præcipuis laudibus esse, quibus eam Angeli efferre potuerunt. Nam fumus odorifer in S. Scriptura placationem significat. Unde Num. 16. legitur: ira Dei placata, thura dante Aarone. Gen. 8. Sacrificio Noe odoratus est Dominus suavitatis odorem. Ex. 29. Præcipitur sacrificium fieri in odorem suavissimum in conspectu Domini. Unde dicentes Angeli, quòd ascendat sicut virgula fumi ex aromatibus; significare voluerunt: ad placandam iram Dei illam ascendere. Diez tom. 2. conc. 4. in Assump. V. Quæ? &c. Rogant cœlestes Virtutes. Alludunt profectò ad illud Gen. 8. 21. *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*. Et ait: *nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines*. En, odor securitas fuit terræ: quò plus cœlo approximabant odoramenta, hominum salus securior. Nax. tr. de B. V. §. 34.

Præcessit hodie nos Regina nostra, præcessit; & tam gloriosè suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam servuli clamantes: *trahe nos post te*. Ascendens quoque in altum Virgo beata dabit ipsa quoque dona hominibus. S. Bern. s. 2. de Ass.

Totus Mundus hodie condigna jubilatione lætatur; Tartarus tantummodo ululat, fremit, & submurmurat quoniam gaudium hujus diei clausitis infernalibus inclusis aliquod remedium, idest refrigerium, præstat. Non audent, ut opinor, ministri Tartarei hodie attingere suos captivos; quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro Mundi salute est dignatus nasci de Virgine. S. Ildefonsus s. 5. de Ass. V. apud Nicremb. de am. erga B. V. c. 1.

Date ei, inquit Spiritus S. de fructu ventris sui; ut saturetur illo, quem genuit. O Mater misericordiæ! saturare gloria Filii tui; & dimitte reliquias tuas parvulis tuis. Tu jam ad mensam Domina; nos sub mensa catelli. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ*; ità familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Guarricus Abb. s. 4. in Ass. Virg.

B. Veronica de Binasco V. videt animas Purgatorii ab Angelo educi in Assumpt. B. Virg. nive candidiores, coronatas viridi fronde, & ante thronum Dei statui: animæ verò coronas ante sedem Dei ponunt; quas Deus vultu placidissimo benedicens Beatissimæ Matri offerebat. Bollandus 13. Jan.

Au-

Aurora.

B. Virgo vocatur Aurora ab *auro* puritatis, charitatis, sapientiæ. Vel quasi *aurea hora*: quia adduxit ætatem auream. Vel ab *aura* Spiritus S. qua afflata est, nosque refrigeramur. Aut ab *aure*, per quam Christus Virgini illapsus est, & in ejus utero conceptus. Vel quasi *avium horam*: quia earum aperuit ora; sicut apparente Virgine aves cœli, & astra matutina, simul laudarunt, & jubilarunt ex Job, 38. Richardus à S. Laur. l. 7. de Deipara.

Aurora mater roris, præsertim veris tempore. *Rorate cæli &c.* Ps. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te*. Legunt aliqui ex Hebræo sic: de Matrice Auroræ tibi Ros Nativitatis tuæ. Albertus M. aurora quasi aura rorans. Idem l. 7. de laud. Deip. c. 7. Aves cœli sunt Angeli, qui concorditer laudant eam: unde & potest dicere cum Filio; *cùm me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*. Job 38.

Dicitur *quasi aurora consurgens*; quasi de cadente materia surgens. Alii enim cadunt nascendo, quia omnes nascimur *filii iræ*. Ephes. 2. Sed ipsa consurrexit; quia munda ab originali. Idem ibidem.

Istud manè genuit nobis diem, id est Christum, qui est dies æternus. Idem ibidem l. 7. c. 9.

Sicut aurora terminum noctis, & diei principium, adesse testatur; sic & virgo noctem expulit sempiternam. Petrus Dam. serm. de Ass. V.

Felix aurora! felicis diei extiristi nuntia. Talis dies talem auroram diei decuit. S. Bernardus in depreçat. ad gloriosam Virg.

Cùm Patres historiam Jacobi cum Angelo luctantis. Gen. 23. 24. in varios sensus allegoricos inflectant; ille omnium videtur opportunissimus, quem Canticorum verbis, *quæ est ista?* &c. affixit Cardinalis Hailgrinus apud P. Martinum del Rio. Verba ejus; hæc est Aurora, de qua Angelus ad Jacob in Genesi: *dimitte me; jam enim ascendit aurora*. Siquidem per Jacob luctantem cum Angelos Sancti designantur; qui luctantes cum Domino, precibus, & lacrymis, extorquere à Domino Incarnationem Filii sui nitebantur. Sed eorum cœtui respondetur à Domino: *dimitte me; jam enim ascendit Aurora*. Cesset instantia vestri luctaminis: quia jam Lux nascitur, videlicet Virgo; quæ vobis pariet verum solem.

O quàm clarè in Annæ utero emicuit aurora consurgens; quando in ea Mariæ corpusculum per adventum animæ vivificatum extitit; cujus ortum videre Angeli, & homines, tantoperè desiderabant. Angelus B. Brigittæ in serm. Angel. cap. 1.

Aurea hora fuit, conceptio mea: nam tunc incepit principium salutis omnium, & tenebræ quasi festinabant in lucem. B. Virgo Revel. S. Brig. l. 6. c. 65.

Dicitur Ps. 73. illud singulare: *tu fabricatus es auroram &c.* De cœlo, terra, & omnibus, quæ in eis sunt, *dixit, & facta sunt*. Sed de aurora, & sole, id est, Maria, & Filio ejus, dicitur, quòd *fabricatus* est eos. Ubi notatur labor, & studium. *Ab æterno ordinata sum &c. Adjuvit* eam manè diluculo. Ps. 45. S. Bernardus s. 4. sup. Salve Reg. Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit auroram. Quid autem est nox frigida, & obscura? nisi originale peccatum, frigidum concupiscentia, obscurum ignorantia. Tu ergo processisti ut aurora lucida & rubicunda; quia super originali peccato in utero matris nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis.

B.

Maria benedicta, ejus benedictio.

Ecce odor filii mei, sicut odor agri, &c. Gen. 27. Maria est ager iste benedictionis. S. Bonaventura Spec. B. V. c. 12.

Benedices coronæ anni &c. Ps. 64. Tot sunt dies in hoc anno (æternæ vitæ) quot sunt justi in cœlo. Hujus autem anni benedicti corona est benedicta Virgo Maria. Idem ibidem.

Benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. Tria fuerunt in Maria, propter quæ specialiter benedicta. *Primum* est *humilitas*; qua se vacuam ostendit, & ideò impleri meruit. Unde dictum est ei: *Ave gratia plena*. *Secundum* est *solitudo*, qua frequentias hominum fugit; propter quod Dominum comitem habere meruit. Unde dictum est: *Dominus tecum*. Ex. 3. 1. legitur, quòd Moyses solus erat, quando Dominus apparuit ei. Et Agar Gen. 16. 7. Et Elias 3. Reg. 19. 5. *Tertium* est *Virginitas*, cujus amore hominum maledicta contempsit. Et ideò dicitur *benedicta*. Hugo Card. hic.

Quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ. S. Bonavent. Spec. B. V. c. 3.

Beneficia hominibus ab ea præstita.

§. I.

Figuræ Symbola.

Sicut per Arcam olim quatuor beneficia antiqui Patres susceperunt; sic quatuor alia nos per hanc mysticam arcam Virginis. *Primò* in periculis auxilium. Nam, cùm elevaretur arca, dicebat Moyses Num. 10. *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant &c. Secundò* in dubiis consilium. 1. Reg. 14. cùm Saul vellet consulere Deum, dixit; *applica mihi arcam*. *Tertiò* in adversis solatium. 3. Reg. 2. Salomon dixit Abiathar Sacerdoti: *equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam: quia portasti arcam Domini*. *Quartò* benedictionem. 2. Reg. 6. ad introitum Arcæ fœderis Domini in domum Obededon Deus ei benedixit.

Ascendentem Dominum prævidens Habacuc, juxta Sanct. Gregorii lectionem, ait: *Attendo manus suas lavavit: elevatus est Sol: & Luna stetit in ordine suo*. Nam ad divini solis elevationem, Lunæ splendens auxilium experti sunt omnes mortales, Teodoretus; quoniam ejus ordo est, nisi illustrare terras. Baeza tom. 1. l. 5. c. 7. §. 9.

Sol. Lem. *Oriens universum illustrat*. Mariæ præsentia totus illustratur orbis; adeò ut & ipsa jam cœlestis patria clariùs rutilet, Virgineæ lampadis irradiata fulgore. S. Bernardus s. 1. de Ass. Picinelli.

§. II.

Beneficia illius in genere.

Illeat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis meminit defuisse. Per te enim Cœlum repletum, Infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem. Sanct. Bernardus S. 4. in Ass. B. V.

Nemo donum ullum consecutus, nisi per te, Dilecta Deo. S. Germanus Archi. Ep. Constant.

Publica bonorum omnium Procuratrix, Idem.

Inventa Virgine Maria invenitur omne bonum. Idiota Contempl. de B. V. Prologus.

§. III.

Beneficia spiritualia.

Præcepi mulieri, ut pascat te. 3. *Reg.* 17. Multum honoris confert viro suo uxor circa ministerium sollicita: contingit enim interdum domum patrisfamilias accedere peregrinos improvisè; quibus commodè ministrare non posset, nisi uxore mediante. Quædam enim tantùm habent in promptu, quod volunt; ut statim omnia videantur præparasse. Paterfamilias Deus, volens providere peregrinis, id est, hominibus; qui nimio labore lassati quærebant refectionem; voluit Beatissimam Virginem Sponsam suam esse; cujus sollicitudine Ecclesiæ filiis venientibus ad convivium divinum abbundanter provideretur. De Rampelogis fig. Bibl.

Non timebit domi suæ à frigoribus &c. Prov. 31. Maria multiplici virtute, quasi multiplici veste, adornat servos suos. Neque enim patitur cultores suos sine vestibus esse; & frigoris injuriis laborare: ipsa quippe est *mulier illa fortis*, de qua Salomon: *non timebit &c.* Dei amore flagrans, figura non timebat, timebat suis. Rich. à S. Laur. l. 2. p. 1.

Cibavit' illum &c. Eccli. 15. Pascit Marias suos convivas verbis suis positis in Evangelio, quæ verba Dei sunt: quia *non in solo pane vivit homo &c.* Matth. 4. Propter hoc de ea dicitur: *cibavit illum*, id est, amatorem suum, Maria *pane vitæ, & intellectus*; id est, doctrina verbi Dei: quæ quia dat intellectum credentibus. Et hoc in præsenti. Et in futuro pane Angelorum, id est, fruitione. Idem l. 12. *Quodcumque dixerit Jobi, facito*. Joan. 2. 5. Beatissima Virgo brevissimè, & dulcissimè, omnia prædicabilia uno verbo prædicavit, quando dixit in nuptiis: *quodcumque &c.* Docuit spem: nam, liceat à Filio audiret verba, quæ videbantur repulsam notare; speravit tamen contra spem. Docuit amorem in Deum; dum procuravit, ut ejus gloria miraculis confirmaretur. Docuit modestiam; dum non gloriatur se Matrem: non enim ait, quodcumque dixerit filius meus. Docuit reverentiam in Deum: non ait, quodcumque dixerit Jesus: Nunquam lego eam hoc sanctissimum nomen pronuntiasse; ob illius magnam reverentiam. Albertus M. super Missus.

Nisi tu iter aperires, nemo spiritualis evaderet, nemo in spiritu Deum adoraret. Tunc enim spiritualis factus est homo, cùm tu Deipara! S. Spiritus habitaculum effecta es. S. Germanus.

Invenerunt puerum cum Maria matre ejus. Matth. 2. 11. Nunquam invenitur Christus, nisi etiam Maria, nisi cùm Maria, nisi per Mariam. Nam dum Maria Christus inventus est à Magis; inventus in stabulo, cum Maria fuit in patibulo: nam stabat juxta crucem Mater piissima, suo modo

cum

cum Filio crucifixa, & summo dolore transfixa. Cum Maria etiam nunc invenitur in Cœlo. Frustrà igitur quærit, qui cum Maria invenire non quærit. S. Bonav. serm. 26. in Epiph.

In te primi Parentis substitit lapsus, ultrà pergendi facultate sublata. Nam in baptismum per Filium tuum instituto, malum est omne submersum. Te proinde honoramus, veluti causam obtentæ puritatis. S. Sabbas. Ex. Men. S. Jan. onde 9. de S. Sycletica.

Juvenis in toto luxuriæ deditus; expugnato multarum matrumfamilias pudore, immodico cujusdam mulieris amore flagrabat. Qua cùm nec prece, nec pretio, nec vi, nec dolo, potiri liceret; conciliatum magicis cantionibus dæmonem rogat à ut se voti compotem faciat; ad omnia paratum se ostendens. Diaboli ergo jussu à Christo deficit: super hæc jurat, conceptis ab illo verbis; & chirographo se obstringit. Cœterum, ut potius est? quod cupierat; fuit, ut sit, fastidium cœpit; & cœlesti luce oborta, magnitudinem sceleris sui seria estimatione perpendit. Occurrit animo Virgo Lauretana. Protinus, Deo authore, Lauretum petit, spe plenus Sacerdotem consulit; spem salutis illi ostendit; si precibus, jejuniis, voluntariaque corporis vexatione, Deum placare insistat. Cùm ille nihil omnino pœnarum recusaret, promisit Sacerdos, si imperata fecisset, se tantum piaculum Deo proditio utique, expiaturum. Monet, ut per triduum inedia, cilicio, flagris, corpus afflictet, B. Virginis opem implorans. Triduo exacto, monente Sacerdote, Sacellum ingreditur, lacrymans B. Virginem precatur; ut recepto nefario chirographo, saluti suæ consultum velit. Dumque versiculos illos ex animo iterat: *Monstra te esse Matrem &c.* subito chirographum in manus suas delapsum conspicit. Letus grates agit; ad Sacerdotem currit, scriptum acceptum ostendit horridis diris, & execrationibus; refertum. Ita devotum illum inferis caput Deiparæ benignitate afferitur in libertatem filiorum Dei. Domus Nazareth; seu Natalis B. V. Turell. l. 1. Laur. hist. c. 1.

Fuit in Canariis, seu fortunatis, Insulis mulier Virgini devota: quæ à malo dæmone in fraudem inducta, unam aliquam à se admissam noxam sacrilego silentio in Confessione reticebat: usque dum quadam die vidit Beatissimam Matrem vultu madente, & tristi, magna continuò lacrymarum vim ex oculis profundentem. Eo spectaculo mirè affecta, mœsteque Virginis dolorem dolens, uberioris hujus fletus causam exquirit. Cui Virgo: cur non integrè conscientiæ tuæ labes, & vulnera, patefacis? teque ipsa potiùs, animamque tuam, misera is perditum? Hisce verbis ad verum de peccatis suis fœmina commota dolorem, accuratè omnia Sacerdoti aperuit. Nierembergius de am. erga B. V. c. 14. Ex Sodale Parthen. l. 2. cap. 3.

§. IV.

Beneficia corporalia.

SAnctus Fulbertus Ep. Carnot. cum mirè B. Virgini devotus existeret, ac igne sacro correpta esset ejus lingua; nocte quadam apparuit ei Matrona nobilis à qua monebatur, ut os aperiret: quod cùm fecisset, mox ex sacris suis uberibus lac expressit in os ejus: quo ita refrigerata est lingua, ut ardorem omnem extinxerit, & eum perfectæ sanitati restituerit. Ne autem illusio, aut phantasma, esse putaretur; in Fulberti gena remanserunt guttæ aliquot; quas ipse diligenter sudario exceptas collegit; hodieque in thesauro Ecclesiæ Carnotensis summa cum veneratione servantur. Ità habent annale; Ecclesiæ Carnotensis; & Baronius tom. 12. A. C. 1028.

Clericus quidam morbo languebat ad extrema deductus, B. Virgini quotidiana per singulas horas laudum vota persolvebat. Cumque velut egressurus in ejus pectore spiritus anxiè palpitaret; ecce B. Virgo visibiliter adstitit & sacri uberis pupilla lac exprimens, ejus labiis instillavit. Et ille protinus convaluit; & mox clericalibus ornamentis indutus Ecclesiam adiit; mirum videntibus spectaculum. S. Petr. Dam. l. 6. ep. 29.

C.

Castitas Mariæ.

D*Escendet sicut pluvia in vellus.* Ps. 71. 6. Quid est vellus, nisi lana à carne sublata? O quale vellus, illum virgineum pectus, longè remotum, valdè alienum, a desideriis carnalibus, & sordidis corporum passionibus. O quale vellus Virgineæ mentis, mundi cogitatus. O quale vellus, Virginei pectoris casti affectus! O quale vellus, virtutum omnium ornatus. Quis non gaudeat, se vestiri posse de virtutum vellere B. Virginis Mariæ! O quantus! ò qualis! & quàm gloriosus, ornatus Ecclesiæ Catholicæ! Et hæc de vellere Virginis Mariæ. Rich. à S. Vict. annot. in Ps. 71.

Virgo ipsa est, & Virginum amans; pura est, & purorum amans. Quapropter, si & corporis, & animi, castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur: si quidem lutum omne fugit, ac cœnosas affectiones aversatur. S. Joan. Dam. or. 2. de dormit. B. V.

Non tamen, ut Abraham Saram, præmonuit Joseph Mariam; ut diceret, se ipsius esse sororem; veritus, propter ejus pulchritudinem mortem; si se fateretur uxorem; quæ specie sua Saram, & Rebeccam, superavit. Sciebat enim, quòd meliùs, quam Sara, custodiebatur ab Angelo. Et talem gratiam Deus in Virgine Matre posuit; ut nec propter excedentem ejus pulchritudinem potuisset ab aliquo ob immunditiam concupisci. Simon Cass. lib. 2. de gestis Dom. cap. 22.

Salutavit Elisabeth cognatam suam; non quia cognata; non enim curæ Virgini erat, familiarem se præstare cognatis; quæ jam cognita, & cognata, cœlestibus spiritibus facta erat, & totius Deitatis hospitium. Idem ibidem capit. 12.

Conspectus Virginis omnem flammam libidinis in aliis extinguebat. S. Bon. s. 14. in Nat. Dom.

Quasi cedrus exaltata sum in Lybano; & quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Eccl. 24. Similiter Beatissima Virgo peculiari Dei prærogativa, infrænatos hominum apetitus sua suavissima pulchritudine extinguebat. Diez Conc. 1. in fest. B. V. ad Nives.

Caritas Mariæ erga homines.

Oculi tui columbarum. Cant. 4. 1. Tu maximè, ò Mater misericordiæ, sine felle es: nihil enim unquam habuisti invidiæ, nihil odii; quod familiare est rapacibus corvis. Rupertus l. 3. in Cant.

Quasi palma exaltata sum in Cades. Eccl. 24. 18. in Palma in sublime assurgit; sed dactylos in humum inclinat. Sic B. Virgo in cœlo meritorum verticem ad solium Deitatis erexit, ait S. Gregorius: Eadem tamen fructus suæ clementiæ in terram inclinat; dum veluti Mater opitulantibus se inclinat. Corn. hic.

Abiit in montana cum festinatione. Luc. 1. 39. Decet festinatum iter in montes; ardua adiri oportet ferventius: nec retardantium cursum, cum ad aliena commoda pergimus. Virgo enim cum festinatione domum Elisabeth subiit; sed in domum suam non legitur reversa cum festinatione. Oliva lib. 13. Strom. hic.

Vinum non habent. Joann. 2. Omnium hominum advocatam se sciens, quæ pro omnibus Creatoris facta fuerat Mater, officium advocationis, & piæ auxiliatricis assumpsit; cùm videret inopiam, quæ nec rogata, prævenit, acsi opus non sit, ipsam precibus excitare; quæ omnem oculum suæ pietatis direxit in nos; præsciens indigentiam nostram, & se cunctorum Matrem pietatis, agnoscens; solita pro filiis, irrequisita etiam ad divinum Filium accessit. Simon Cass. l. 2. de gest. Dom. c. 25.

A nemine rogata, pro aliorum necessitatibus se ingerit; & ad Filium pro auxilio recurrit: nulla enim major charitas, quàm quæ subvenit non invocata. Euthymius. Non expectat sædula mater; & propensa in filios, quòd clamoribus excitetur. Cum eos cognoverit subjacere defectui, ab amore inhærente fortiùs urgetur, in omnem revelationem intendere, Simon Cass. lib. 2. de gest. Dom. c. 25. Virgo Mater internè commota prorumpit in verbum; ut præstaretur jucunditas hominibus, quos amabat, quos indigere cognoverat. Si hoc non rogata perfecit; quid rogata non perficiet. Si hoc viatrix existens; quid cùm regnat in patria? si hoc apud Filium morti temporali subjectum; quid cum morte superavit? Prærogat in terris, quid sit pro nobis in cœlo factura. Sim. Cass. ibid.

Mariæ charitas perseverans est, quæ numquam excidit. Unde & dicit filiis: *in charitate perpetua dilexi te.* Jerem. 31. Similabatur enim charitas ejus charitati Filii, de qua Joan. 13. *cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Rich. à S. Laur. lib. 4.

Maria proficientibus, & perfectis, profundeque peccantibus, sol est. Propter hanc communitatem dicitur de Patre æterno, & de Matre Maria, Matth. 5. *qui solem suum facit oriri super bonos, & malos.* Ideo etiam dicitur de ipsa Sap. 6. 8. *æqualiter* (idest communicativè) *est ei cura de omnibus.* Sicut enim non est personam acceptio apud Deum; sic nec apud Mariam. Id. l. 7. de laud. Mariæ.

Nonne plus, sine comparatione, nos diligis, ac bona nostra procuras; quàm Mater carnalis? Sanct. Bonav. stim. am. cap. 4.

Domina nostra omnem diligit, omnibus succurrit, pro omnibus intercedit, pro omnibus advocatam se fecit; nec ullum à charitate sua secludit. Propter hoc est Lunæ assimilata Cant. 6. 9. Quia, sicut luna, quæ inter corpora cœlestia & terrena, est media; & quod ab illis accipit, ad infe-

inferiora refundit: Sic Virgo Regina inter nos; & Deum nostrum, est media; & gratiam ipsa nobis refundit. Idem s. 14. in Nat. Dom.

Charitatem, qua humanum genus incessanter protegit, & fovet, mentis intelligentia non comprehendit. S. Amedeus hom. 3.

Quis unquam ab eo æger, vel tristis, ut ignarus cœlestium mysterium, abiit? quis non lætus, & gaudens, rediit ad propria, impetrato à Matre Domini quod voluit; Idem hom. 7.

Tota mitis est, tota serena; tota suavis, tota benigna; non solùm justis, & perfectis; verùm etiam peccatoribus, ac desperatis. Lud. Blosius Parad. an. c. 19.

Theologorum sententia est Beatos in cœlo nos magis diligere, quàm dum in terra essent: quia amor Dei ex visione, quàm ex fide: & quo major amor Dei, major etiam amor proximi. Hinc Seraphini nos plus diligunt, quàm Cherubini, & sic deinceps. Quia ergo Sanctissima Virgo Maria super omnes cœlestes choros ita exaltata est; ut ipsa per se novam & singularem, hierarchiam constituat: sic amor, quo nos cuncti Seraphini, & prefectiores Sancti diligunt; si cum amore sanctissimæ nostræ Imperatricis conferatur, est velut centrum terræ cum circumferentia ipsius, & omnium cœlorum comparatum. Diez. tom. 3. Dom. 20. Pent.

Viri nonnulli eruditi, & pii, sic ornat: Domine da mihi hoc; quod pro me optat, postulatque à te sanctissima Virgo Maria! ipsi enim majora optat, quàm nos optare possumus. Cornelius in Eccl. 6. 37.

Charitas actus Mariæ.

Exurgens Maria &c. Luc. 1. Habent Sancti hoc proprium omnes, qui in veritate sanctum habent charitatis spiritum, ut ita gratulentur de beneficiis, quæ aliis impensa perceperunt; quemadmodum quæ à Deo sibimet collata sunt. Rupertus l. 1. in Cant.

Christus Dominus Mariæ similis.

Christus totus fuit Matri similimus. Hoc enim, qui viderant utriusque imagines ad vivum, asserunt, nunquam fuisse sic filium Matris similimum, vultu, & moribus, verbis, & habitu. Denique in omnibus Mater nihil fuit, nisi filii adumbrata imago, & Filius Matris expressa figura. S. Tom. Vill. Conc. 1. de Nat. V.

Cogitationes Mariæ.

Nihil, nisi Deum cogitabam; nihil volebam, nisi ipsum. Nulla mihi, nisi Deus, placuerunt. Ego semper optavi in corde, ut viverem ad tempus Nativitatis ejus: si forte fieri merer ancilla indigna Matris Dei. Revel. S. Brig. l. 1. c. 10. Verba Virg.

Stellis quoque cogitationis tui cordis in hoc similes apparebant: quod à tempore illo, quo primam Dei cognitionem habuisti, ita fervens in divina charitate usque ad mortem permansisti: quòd Dei, atque Angelorum, aspectui omnes cogitationes tuæ, nitidiores, quàm stellæ humano visui. Serm. Angel. ad Brigittam fer. 2. lect. 2. c. 5.

Compassio Mariæ erga nos.

Remansit puer Deus. Luc. 2. 34. Cur subtrahendo se Matrem dolore afficit? ℟. Quia enim voluit efficere, & dare nobis in Matrem misericordiæ: ut exprimentaliter disceret nobis compati. Secundò ut sit nobis socia dolorum, quod est magno solatio. Osorius Dom. infra oct. Epiph.

Conceptio immaculata Mariæ.

§. I.

Figuræ.

Ex Veteri.

R*Equievit arca - super montes Armeniæ.* Gen. 7. 4. Constat, Mariam ab ipso peccato Originali fuisse immunem quod quidem prætendebat arca illa jussu Domini à Noe fabricata: quæ aquis diluvii universam terram, & altissimi montes, supergressis, sola ipsa supernatans ferebatur in sublime. Arca est Virgo Maria; per quam à peccati naufragio totum genus humanum & à damnationis æternæ diluvio, liberatum est. Quamvis igitur Sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli; tamquam montes excelsi virtute, & sanctitate vitæ, obruti sunt aquis, & inundatione peccati originalis: ipsa tamen arca nostra universos montes istos supergressa, ferebatur etiam in ipso Conceptionis initio in sublime puritatis, nec est immensa huic Virgini sordis originalis. Arcones in Is. 4. v. 7. Expos. 1. Disc. 2. S. Ildefonsus lib. de Virginitat. Mariæ.

In Ægypto sola terra Sacerdotalis fuit immunis ab omni tributo. Gen. 47.

Arcam de lignis setim compingites. Ex. 25. 10. De lignis Setim, quæ sunt ligna spinæ albæ imputribilia. Albertus Magnus ad Cant. Magnif. Historia plantarum lib. 4. ex Dioscoride lib. 2. c. 13. de spina alba: amuletum ex ipsa appensum, serpentes fugari. Et Plinius l. 24. c. 12. spinæ albæ semen contra serpentes auxiliatur.

Præcide tibi duas tabulas. Ex. 34. 1. Dixit Deus Moysi, ubi primas tabulas confregit. Poterat Deus fragmenta priorum conjungere perfectissimè; cur novas petit? Tostatus p. 3. hic quasi diceret: oportet quod nunc scribam ego alias tabulas; quia tu fregisti primas continentes præcepta decem. Abulens. indecens putavit Deus in tabulis, licèt summo artificio reparatis, legis præcepta, & verba sua, scribere. Maria tabula est pretiosissima, in qua æternus Pater æternum verbum scripsit, cùm naturam nostram assumpsit: Indecens esset, ut in ea tanta exaretur scriptura, si priùs nævum habuisset. Castillo Illat. 220.

In Salomonis templo, cui B. Virgo comparatur, januæ palmis, & olivis, ornatæ. 3. Reg. 6. 33. Templi aditus significat Conceptionem Virginis. Oliva misericordiam, qua præventa est: palma victoriam. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Psal. 86. 1. Nierembergius de am. erga B. V. c. 9.

Non ingredietur urbem hanc (Rex Assyriorum) *nec mittent in eam sagittam: protegamque urbem hanc &c.* 4. Reg. 19. Civitas, quæ nunquam sub potestate hostis fuit, vocatur Virgo. Idem ibidem.

Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine. Esth. 2. 15. Tota pulchra es Virgo gloriosissima: non in parte, sed in toto: & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te; nec unquam fuit, nec erit. Idiota contempl. &c. c. 3.

Benedixisti Domine terram tuam. Ps. 84. 2. Juxta communem Patrum sententiam, primus Adam Christum Dominum præfiguravit; Eva vero B. Virginem. Sicut ergo terra, ex qua productus fuit Adam, nulli unquam maledictioni obnoxia fuerat: ità & B. Virgo, ex qua secundus Adam prodiit, nulli origini peccati maledictio subjacuerat. Nieremb. ante citatus.

Fasciculus myrrha Dilectus meus mihi. Cant. 1. 13. Præservat myrrha à corruptione. Idem ibidem.

Hortus conclusus. Cant. 4. 12. *Mons preparatus.* Is. 2. 2. Pro hortus Hebr. Paradisus. Cùm totus orbis aquis diluvii obruitur, Paradisus immunis. Abul. q. 15. in Gen. 7. inquirit: an aquis omnis terra demersa? Et respondet: de solo monte Paradisi terrestris est ratio dubitandi; tum quia ibi jam erat Enoch, nè extingueretur. Et statim: locus Paradisi non debuit lædi, quia esset habitatio Sanctorum. Ideo non debuit illuc intrare diluvium; licèt ascenderit ad majorem altitudinem; maneret tamen aqua circumfusa in modum muri. Sanct. Damascenus or. 2. de B. V. dormit: ad hunc Paradisum serpens aditum non habuit. Hilgrin. Card. in Cant. hunc hortum ità clausit Deus; ut nulli maligno pateat ingressus. Conclusit eum tota Trinitas: Potentia Patris munivit virginem contra diaboli violentiam: Sapientia Filii contra hostis fraudulentiam: Bonitas Spiritus S. contra ejusdem malitiam. Arcones in Is. 2. v. 2.

Fons signatus. Cant. 4. 12. Rupertus l. 7. hæc intelligit de B. Virgine. Gregor. Nyss. fons signatus perinde est, acsi dicas, custoditus. Sigillatus fuit hic fons Dei sigillo, id est, Dei imagine; gratia scilicet, quæ Divinitatis est imago. Quando autem fuit fons? quando concepta: quia fons dicitur in prima sua origine. Castillo Illat. 217.

Veni de Libano &c. Cant. 4. 8. Ter vocatur Maria à cœlesti sponso; & trinam coronam ei promittit. In quibus triplex victoria declaratur contra peccatum originale, mortale, & veniale; à quibus omnibus libera fuit. Idem Illat. 227.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Eccl. 24. id est Ecclesia. Est autem cedrus arbor imputribilis, virorem suum semper retinens, & valdè alta: ità ut Rabanus super Ps. vocet eam dominam, & reginam, arborum. Guilielmus Pipinus Ord. Prædic. s. 1. de intemerata Concept. V. Mariæ.

Quasi plantatio rosa in Jericho. Eccl. 24. 18. Rosa, etsi cum vepribus, & sentibus, nascatur spinosis; nullum tamen ab eis trahit aculeum. V. Maria rosa, quæ de parentibus originali peccato infectis, tamquam rosa de vepribus, & sentibus, nata; nullum ex parentibus contraxit originalis culpæ aculeum. Arcones in Is. 4. v. 5.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Ibidem v. 23. Vitis, dum floret, hanc virtutem habet; quod solo odore suo, aut expellit, aut extinguit bufones, & serpentes. Ità & hæc V. sanctissima. Id. ib.

Accessit ad Prophetissam, & concepit. Is. 8. 3. S. Hieron. Cyrillus, Basilius, Rupertus, Augustinus, hunc locum explicant de Conceptione Virginis, & partu Emmanuelis. Prophetia fuit, dum dixit: *beatam me dicent omnes generationes.* Cornelius hic.

Quæ est illa porta Sanctorum, exterior ad orientem, quæ manet clausa Ezech. 44. 2. *& nemo*, inquit, *pertransivit per eam,*

eam, nisi solus Deus Israel? Nonne est hæc porta Maria, per quam in hunc Mundum Redemptos intravit? S. Ambros. ep. 81.

Sol, & luna steterunt in habitaculo suo. Hab. 3. 11. Omnes homines, quotquot fuerunt, & erunt; in primo suo habitaculo, quod est maternus uterus, non steterunt, sed ceciderunt. At Christus, & Maria solùm in hoc primo habitaculo non ceciderunt. De Ponte l. 1. in Cant. Exh. 11. §. 4.

Inter natos mulierum non surrexit &c. Matth. 18. 11. Ille surrexit, quia priùs in peccatum cecidit: Maria non surrexit: quia nunquam cecidit. Idem ibidem §. 5.

Ex aliis.

Cœlum umbra carens. Lem: *Citra umbram.* Picinelli.

Maria liber Dei Spiritu Dei vivi conscriptus. Quid mirum? si erratis careat. Deus est totus oculus, teste Plinio l. 2. c. 7. Ex. 32. 31. *Aut si non facis, dele me de libro tuo.* Quæ, ut notat August. l. qq. q. 47. in Ex. non diceret; nisi ex fiducia, qua sibi persuadebat, è Dei libro se minimè fore delendum. Nimirum non cadit in librum Dei litura. Nieremb. de am. erga B. V. c. 9.

§. II.

Conceptionis immaculatæ argumneta, & congruentiæ.

Ex Veteri.

INimicitias ponam &c. Gen. 3. 15. Filius Dei ad hoc decrevit ex muliere nasci; ut destrueret opera diaboli; & maximè peccatum Mundi, quod ejus malitia, dum Evam decepit, introductum est; juxta illud: *inimicitias &c.* Si ergo Christus semen mulieris, per mulierem matrem suam contriturus erat caput serpentis, quod est peccatum originale, reliquorum peccatorum caput æquum erat, ut mulier ista benedicta illa macula non contaminaretur. De Ponte l. 1. in Cant. Exh. 11. §. 3.

Ædes Rahab Deus in Jericho ab incendio defendit. Jos. 6. 25. quomodo sanctissimam matrem ab originali peccato non præservasset? sistebant aquæ Jordanis, impetum continentes, cùm transiret arca Domini. Jos. 3. 16. Quasi venerando, nè fluxu contingerent. Et non cessisset culpæ originalis inundatio reverentialiter parcendo Virgini Matri; quæ vera Dei arca est; nè in Conceptionis transitu pateretur naufragium. Fuerunt Jonas, & Daniel, à morte illæsi, præter ordinem naturæ; unus in ventre ceti, alter in lacu leonum. An non servavit Deus Matrem illæsam in utero Annæ à morte spirituali, & à monstro terribili originalis peccati? Paoletti in festo Imm. Conc.

Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob. Psalm. 84. Non dixit abstulisti. Loquens in eodem psalmo de sanctificatione aliorum, non dixit, avertisti captivitatem, *sed remisisti iniquitatem plebis tuæ.* Nieremb. de am. erga B. V. c. 9.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum. Psal. 120. B. V. obtinuit hanc benedictionem Davidis. Idem ibidem.

Dominus possedit me in initio viarum suarum. Prov. 8. Dicitur hic *Dominus*, & non Deus: quia in Conceptione B. Virginis Creator generis humani tamquam absolutus Dominus se gessit in universali lege de contrahendo peccato originali cum B. Virgine dispensas. Observat. S. Augustinus, quòd Moyses, quamdiu locutus de creatione Mundi, Deum non vocarit *Dominum*; sed primò, quando primum hominem in paradiso collocavit. Gen. 2. Rationem putat Carthagena; quod supremum ipsius dominium non præcisè in eo consistat; ut, instar terrestrium dominorum, de quibus dicitur Luc. 11. *Reges gentium dominantur eorum*, ingenti famulorum copia suo imperio subjiciat; sed quòd ipse dominos constituat, & regna largiatur. Prov. 8. *Per me reges regnant; omnia subjecisti sub pedibus ejus.* De Ponte l. 1. in Cant. Exh. 11. §. 5.

Tota pulchra es. Cant. 4. Pulchrum appellatur ex eo, quod omni ex parte pulchrum sit; & plus quàm pulchrum: sitque pulchrum, quod eodem modo semper se habet; ità ut nec oriatur, nec intereat, neque augeatur, neque minuatur; neque partim pulchrum; partim turpe sit; neque hoc tempore pulchrum sit, illo non item. Dionys. l. de div. nom. c. 4. O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum. O Dei genitrix, pulchrorum omnium summum ornamentum. Greg. Nicomed. or. de oblat. Deip. Divinum illud elogium, suggestum ab æterno verbo Salomoni, non convenit Mariæ; si illa in Conceptione immaculata non fuit: *tota pulchra es.* Si Matri Dei id non convenit, ob contagium originalis culpæ; nè inane; & fabulosum, sit; debet Mundus expectare à cœlo mulierem Maria majorem, quæ ex luto Evæ compacta non sit; cui dici jure possit: *tota pulchra es &c.* Oliva tom. 2. conc. 2. in festo Imm. Conc.

Victoria parta contra Lisiam, Judas Machabæus 1. Machab. 4. 44. *Cogitavit de altari holocaustorum; quod profanatum erat; quid de eo facere &c.* Indecens judicavit, ut altare illud Deo deserviret, quod falsis diis consecratum erat. Andr. Cret. or. 2. de Nat. Maria est altare, in quo Agnus Christus vivum sacrificium spiritualiter offertur. De Castillo Illat. 220. Agnum jugulare non sunt ausi Machabæi in ara, quam gentium hostiæ profanarunt. Et Dei Agnus concipi potuit, ubi Leviathan lusit, & scelus illusit? Oliva l. 11. Strom. §. Dominus possedit me.

Ex Novo.

De qua natus est Jesus. Matth. 1. Dum matrem Dei dixit, plus quàm mille rationes pro ejus puritate attulit. Celada in Esth. §. 348.

Non surrexit major. Matth. 11. 11. In quo Matrem suam excepit, quæ nunquam surrexit: quia in nullam culpam, seu originalem, seu actualem incidit. Reliqui omnes surrexerunt, quia ceciderunt. In Scriptura peccatum casus vocatur Is. 64. *Cecidimus quasi folium universi.* Diez conc. 4. de S. Joann. Bapt.

Involvit illud in sindone munda. Matth. 27. 59. Non fortuitò scriptum est, quoniam involvit corpus in sindone munda, & posuit in monumento novo: quoniam omnia, quæ sunt circa corpus Jesu, munda sunt, & nova; & omnia, magna valde. Origenes in Catena S. Thron. Si Deus providentia sua tantam munditiam acquisivit in sindone, in qua per 36. horas, involvendum erat corpus Christi: qualem providentiam habuerit, ut Marianus uterus esset expers ab omni macula. Sylv. in Marc. 15. c. 1. Sepultura.

An putas cadaver Christi Domini reponi nequivisse in Sepulchro, in quo alius quiesceret homo; & ibi formari potuisse ejus corpus; ubi non jacuisset homo, sed Sathan exultasset? Oliva l. 11. Strom. §. Dominus possedit me.

Ex Patribus, & aliis.

S. Ambrosius l. 1. hexam. c. 8. Negat in lumine vitæ tenebras mortis debere inquiri: cùm nequeat quidquam reperiri splendidius ea, quam splendor elegit.

Sicut in cœlo, qualis Pater, talis & Filius; sic & in terra, secundùm carnem, qualis est Mater, talis & Filius. S. Aug. s. 20. ad FF. in eremo; sive 10. de Nat. Chr.

Non tantum dolet anima cùm à corpore avellitur; quantus dolor est, te immaculata privari. S. Germanus Archiep. Const. s. de dormit. Virg.

Stetit quidem draco ante mulierem; serpens namque insidiabatur, nè fieret, quod proposuerat Deus. At Deus propositi sui victoriam in potestate habens, mysterio à sæculis abscondito, Immaculatam jam sibi Matrem delegerat. Rup. l. 2. de vict. verbi Dei c. 16.

Virgo tenebrarum principibus semper fuit terribilis: ut ad eam accedere non præsumpserint. Rich. à S. Vict. l. 1. in Cant.

Constat, illam ab omni peccato originali fuisse immunem: per quam non solùm maledictio matris Evæ soluta est; verùm etiam & benedictio omnibus condonatur. S. Ildephonsus l. de parturit. Virg.

Caro Virginis, ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit; sed in candorem lucis æternæ conversa est. Pet. Dam. s. de Assumpt.

Tu, ò Virgo Deipara, per progeniem tuam, totius Universi fines illustras. De te enim sola publicè constat, quòd ab æterno mundata extiteris; ut quæ possidebas justitiæ solem. S. Sabbas Ex Men. 18. Jan. Ode 6. de S. Cyrillo.

Horrescit animus fateri Matrem Domini, quæ caput serpentis erat contritura, quandoque ab eo contritam fuisse. Carthusianus in 3. distinct. 3. q. 1.

Hoc ipso, quòd festum Conceptionis Deiparæ Virginis celebrandum assumpsit, satis astruit, eamdem Conceptionem fuisse omnis contagionis expertem ac sanctam. Profana siquidem festa non novit Ecclesia. Blosius c. 5. de dictis Patrum.

Statuta Universalis Ecclesiæ de Sanctorum celebritatibus omnia fundata sunt supra sanctitatem: ut nullo die pro aliquo Sanctorum solemnizet, in quo Persona sancta non fuerit; cui honor ille defertur. S. Bonaventura in 3. distinct. 1. q. 1. a. 1.

§. III.

Conceptionem immaculatam defendentes.

ANno 1496. Scotus, in disceptatione, quam habuit cum Discipulis Alberti; cognomen *subtilis* accepisse memoratur. Cùm idem Doctor ad defendendam ejus Immaculatam Conceptionem, contra illius adversarios in arenam descenderet; brevemque illam precatiunculam ante lapideum ejus simulacrum præmisisset: *dignare me, laudare te &c.* Ipsa Mater benignissimè sese inclinare illi non est dedignata. Et in hodiernum diem inclinato capite perseverat. Laur. Chrysol. S. J. Mundi Mariani p. 2. disc. 5.

Consilium Mariæ.

Fili, acquiesce consiliis meis, Gen. Ipsa est Rebecca, quæ dixit filio suo Jacob: *fili &c.* Consilia autem Mariæ sunt, ut faciamus pœnitentiam, quæ notatur in præparatione hœdorum; quos sibi jussit Rebecca afferri à filio suo: qui sic acquisivit benedictionem Patris sui; obediendo scilicet consilio matris suæ. Richardus à S. Laurent. lib. 10. de laudibus Virg.

Responso accepto. Matth. 2. 12. Responsum propriè datur interroganti. Et sic Magi forsan interrogarunt à Maria, an ad Herodem redire deberent? Dion. Carthus. hic.

Constantia Mariæ.

Excidit columnas septem. Prov. 9. 1. Septem columnæ, quibus firma semper stetisti, sunt septem dona Spiritus S. quæ requieverunt in te, & nunquam te deseruerunt: per quæ stetisti firmiter, & perseveranter in omni gratia, & virtute. Idiota de B. V. c. 4.

Luna sub pedibus ejus. Apoc. 12. 1. Luna mutabilis sub pedibus ejus; quæ nunquam mutata est à primo instanti Conceptionis, usque ad ultimum vitæ spiritum. Nierembergius de adorat. l. 2. c. 13.

Cor.

O raptrix cordium! quando mihi restitues cor meum? S. Bernardus Medit. sup. Salve Regina. Considera, filia, Passionem Filii mei. Cujus membra mihi fuerunt quasi membra mea, & quasi cor meum. Ipse erat mihi quasi cor meum: propterea, cùm nasceretur ex me, sensi; quòd quasi dimidium cor meum nasceretur, & exiret ex me. Et, cùm ipse pateretur, sensi; quòd quasi cor meum patiebatur. Propterea audacter dico; quòd dolor ejus erat dolor meus; quia cor ejus erat cor meum. Sicut enim Adam, & Eva vendiderunt Mundum pro uno pomo: sic Filius meus, & ego redemimus Mundum quasi uno corde. Revel. S. Brig. l. 1. c. 35. Verba B. Virg.

Correptio.

Quidquid inter coævas puellas vidit, quod non ad normam virtutis esset, suavi admonitiuncula abstersit: si fortè risum leviusculum, oculos liberiores, verba minùs ponderata, animum minùs patientem, in aliis observasset; amore ingenti corrigere studuit. S. Bonaventura in vita Christi c. 28.

Crucifixus.

Steteruntque sol, & luna. Jos. 10. 13. Quæri jure potest: cur in diebus Josue luna steterit? quando sole tantùm indigebat, & die, ut hostes suos persequeretur; non autem luna, aut stellis. Responderi potest: solem esse astrorum regem; non modò quia luce præeminet, aut eam cum cæteris communicat; sed etiam, quia illa sic ei subserviunt; ut vim & influxus suos, ad ejus usus dirigere videantur; quòd ille mortalibus utilior sit. Decebat ergo, rege stante, ejus item stare famulitium; procedente procedere. Stetit igitur luna, quia sol stetit. Stetit in Cruce Jesus clavis confixus; stetit sub Cruce Maria doloris gladio confossa; & amoris, compassionisque, clavis Filio confixa. Doultreman de am. Dei l. 2. c. 5. Sect. 5.

Stabat, *sicut luna perfecta in æternum, & testis* (seu Martyr) *in cœlo fidelis.* Ps. 88. 38. Fidelis: quæ, cæteris fuga dilapsis, sub Cruce stabat; non eminus spectans, sed proxima; tantùm non commoriens. Gregor. Naz. Stabat, & Filii Creatoris sui mortem intuebatur, quam videre sol non sustinuerat: immota, cùm terra tremeret; infracta animo, cùm rupes finderentur. Stabat, non vindictam inclamans, non ignem de cœlo advocans cum Elia, ex antiquæ Legis zelo; sed cum Filio pro inimicis deprecans. Stabat, non muliebriter ejulans; sed Machabæa, S. Felicitate, S Symphorosa constantior: non septem quidem liberorum, quemadmodum illæ, sed unius dumtaxat Filii Mater: ut qui potiori jure, quàm Elcana dicere poterat: *nunquid non melior tibi sum, quàm decem filii?* 1. Reg. 1. 8. Stabat fortior Meliana; de qua ait Hieron. ep. 25. ad Paulam: calente adhuc mariti corpusculo, & nondum humato, duos simul perdidit filios: & tamen ex ejus oculis lacrymæ gutta non fluxit. Doultreman. l. 2. de am. Dei, c. 5. sect. 5.

Statura tua assimilata est palmæ. Cant. 7. per palmam, qua manus victoris antiquo ritu ornatur, insigne illud, ac victoriosum, Crucis lignum notatur: cui nimirum Evangelista staturam piæ Matris assimilatam insinuans ait: stabat illa juxta Crucem sui Jesu; atque ea ipsa sibi quodammodo Crux erat. Guil lielmus Paris. hic.

Stabat juxta Crucem Mater ejus. Joan. 19. Parum dixisti, ò Evangelista: perfectis auribus aliquid majus dicere potuisti. *Stabat*, tu inquis, *juxta Crucem Mater ejus*; cùm in ipsa Cruce penderet. Omnino illa plus ad Crucem appropinquabat, quàm quicumque alii: quia non solùm juxta Crucem stabat; verùm etiam in Cruce pendebat: de se enim in se nihil remanserat. Tota commigraverat in dilectum & dum ille corpus, ista *spiritum*, immolabat. Sanct. Bernardinus t. 1. s. 55.

Ad quid Mater Jesu juxta Crucem ejus? insolitus mulieribus mos, quòd Filiorum sequantur corpora damnatorum: quamvis ipsis assistant sedulò, si in domibus, & lectis, propriis moriantur. Vitant humanæ matres videre crudelia exitia filiorum. Quæ mentis fortitudo? quæ animi virtus; quæ interna constantia? quid illa statio juxta Crucem? quæ mater secuta filium ad truncationem capitis? mutilationem membrorum? ad effussionem oculorum? ad incendium? Raram, vel nullam, dixerim. Et hæc Virgo Mater videre Filii supplicia non veretur. Sim. Cass. l. 2. de gest. D. cap. 26.

Proxima Crucі stabat, non amore arboris, sed dilectione pendentis, velut prima discipula hujus hominis cruciati; & Magistra sequentium: ut stent juxta Crucem; ex qua salus animarum, & peccatorum occasus, & inferni clausura, & apertio cœli. Non juxta Mundi delicias, & delectantia sensum, quæ subvertunt mentes mortalium, & à Christo avertunt, & tandem ad inferna demergunt. Cruci debet assistere omnis vita mortalium, postquàm finivit per Crucem immortalis. Idem ib. c. 27.

Stat juxta Crucem Virgo Christi Mater; quia Eva juxta vetitam arborem stetit; non verita pœnas futuras, si tangeret. Idem ib.

Stemus juxta Crucem, velut juxta apothecam aromatum; ex qua vulneribus nostris vera medicina defluxit. Et velut juxta Crucem, qua fulgente in mentibus hominum nunquam ambuletur in tenebris. Velut juxta fontem, in quo abluti sumus; quò inundante potamur. Velut sub umbra; sub qua requiescere potest, *malis arboribus æstuatus*. Stemus *juxta* Crucem magis mente, quàm corpore. Idem ib.

Facta per omnia Christiformis, & Cruciformis, stat diligens, & diligenter, juxta Crucem. Id. ib.

Cultus Mariæ.

§. I.

Exempla.

QUia arbitror te veritate superatum, ad detractionem meæ, & ad maledicta converti (solent enim hoc & mulierculæ facere, quæ victoribus dominis malè optant in angulis) illud dico præveniens; gloriæ mihi fore tua convitia, cùm eodem, quæ Mariæ, detraxisti, ore me laceras; & caninam facundiam servus Domini pariter experiatur, & Mater. Sanct. Hieron. tomo. 2. adv. Helvidium de perpet. Virginit. Mariæ.

Job non scidit vestimenta, nisi audita morte filiorum, & filiarum.

Ordo vetus militaris, qui insignæ stellæ in veste præferebant, institutus à Roberto Rege Franciæ sub Annum Christi 1496. *in honorem B. V. 8. Septembris*: eò quòd *ipsa sit stella* maris. Cornelius in Matth. 2.

Magnus, Mogor, cùm jam ad Catholicam magnis à Deo stimulis impulsus esset, *Anno Chr. 1590.* audito Christianos annuam Assumptionis Beatissimæ Virginis memoriam agere; suo illam ritu celebrare decrevit. In hanc rem thronum sublimem erexit, in quo effigiem Sanctissimæ Virginis, à P. Rudolpho acceptam, collocatam ab omnibus voluit satrapis, ac proceribus deoscularі. Dicebant optimates, filium regium primogenitum Sancto huic operi initium debere; *cæteros tum* ultrò successuros. Imperata quàm promptissimè facientem reliqui secuti sunt; quorum pietatem Rex egregiè compensavit: quoniam in Deiparæ obsequio se promptos demonstrarunt, Equites aurati facti sunt. P. Jarricus Thes. rer. Indic. tom. 2. lib. 2. cap. 12.

§. II.

Culta Variis precibus.

SHedvvigis, Ducissa Poloniæ, imaginem Deiparæ gestare consueverat, ut memoria cultus illi exhibendi, fervorque imitationis, ejus aspectu excitaretur. Quàm cùm tribus digitis sinistræ moriens ità strinxisset, ut nulli eam avellenti cederet, simul cum illa tumulari debuit. Viginti annis ab obitu, cùm sacra ejus ossa transferenda essent, reliqua corporis parte absumpta, tres illi digiti prorsus integri reperti; ac intra illos imago Deiparæ omnis expers corruptionis. Caput quoque non modò illæsum, sed etiam fragrantissimo liquore, quod ex eo instar olei ubertim manabat, plenissimum repertum. Surius 15. Octobris.

S. Francisca Romana inter nutricis brachia, ut primùm linguam cœpit in voces resolvere, stupentibus cunctis, didicit Beatissimæ Virginis recitare Officium: quod pensum tota deinceps vita honori ejus persolvit. Bolandus 9. Martii. Idem fecit, teste eodem 24. Martii, S. Catharina Suecica.

S. Carolus Borromæus, pro suo singulari in Virginem affectu, sollicitè perfecit; ac inter cætera statuit, ut per totam suam diœcesim supra portas templorum omnium Parochialium Deiparæ effigies collocaretur: ut precaturi moneantur; sibi accessum ad Deum per B. Virginem procurandum esse. Franc. de la Croix hort. Marian.

Ludovicus Pius Imp. Caroli M. filius, cùm venatum iret; secum B. Virginis imaginem deportabat; & in media solitudine positis humi genibus, devotè coram illa suas preces fundebat. Canisius l. 5. de B. Maria c. 29.

Josephus Anchieta S. J. inter Apostolicos labores carmen bis mille octingentorum sex distichorum composuit de B. Virgine. Vitæ l. 1.

Ad Deiparam Virginem (conspectis ejus imaginibus) omnes etiam Gentiles vehementer efficiuntur; eamque summa reverentia; toto corpore in terram demisso, venerantur; & appellant, scim, mu, niam, niam, idest, Sanctam Matrem, & Reginam Reginarum. P. Nicolaus Longobardus S. J. ex China A. 1598.

Bernardus Bauhusius versum scripsit unicum: toti tibi sunt dotes Virgo, quod sidera cœlo. Hunc versum quatuordecim Syllabarum millies bis, & vicies, mutavit, iisdem prorsus verbis, sensu, & metro, servatis. Drexelius Trismeg. l. 2. cap. 4.

§. III.

Proemia Mariam colentium.

S. Eugenius Ep. cùm meditaretur cœnobium ædificare, B. Virgo apparuit, librum manibus præferens, & cruce aurea luce radiante ei benedixit. Bollandus 11. Jan.

B. Joannes Parmensis, Minister Generalis septimus Ordinis Minorum, cùm visitaret ultramontanas Provincias, contigit brumali tempore eum tota die devisse; atque in deserto, mediisque sylvis, ingruentem noctem sustinuisse. Sociis anxiè quærentibus, quid agendum? respondit, Dei, matris ejus, & S. Francisci, opem implorandam; Deum nunquam in se sperantibus defuisse. Primus ergo varias orationes fudit ad S. Virginem: quibus absolutis audierunt pulsari campanam. Secuti sonum, pulsato ostio, præsto obviam fiunt, quasi ex condicto expectantes, plures Monachi: qui promptè receperunt hospites, ducunt ad ignem, lavant pedes, exsiccant vestimenta, apponunt cœnam, & sternunt lectos, omnia ministrant magna alacritate. Post primam vigiliam surrexit Generalis B. Joannes ad orationem; & audita campana, qua nocte ad divinum officium convocantur Monachi, ad Chorum cum ipsis convenit. Officium incepturus Hebdomadarius, nec consuetu usus est cerimonia, nec ordine, nec Versiculo, Domine labia mea &c. sed abruptim, & cum turbatione, incæpit ab illo versu Ps. 35. *ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*. Respondit Chorus: *expulsi sunt, nec potuerunt stare*. Tertiò idipsum repetitum; quod suspicionem ingessit B. Joanni. Præcepit igitur in virtute Passionis Christi, & Sanctissimi nominis ejus, ut ocyus edicerent, quinam essent? Respondit, qui Abbatis loco videbatur præesse: omnes esse Angelos tenebrarum; qui præcepto divino inviti essent missi ad ministrandum ipsi & sociis precibus, inquit, Matris Dei, & illius Vexilliferi Patris vestri. Quibus dictis totum evanuit, quod ibidem extructum videbatur: se autem, cum sociis, in nemoroso antro, atque nuda humo invenit Generalis. Excitatis Sociis, reliquam noctem usque ad auroram, quæ jam instabat, vigiles duxerunt; & surgentes iter prosecuti sunt ad Conventum Ordinis. Bollandus 19 Martii.

Fieri non potest, ut pereat; qui Mariæ sedulus, & humilis, cultor fuerit. Blosius. Parad. an. c. 18.

Idem p. 2. Concl. an. fid. c. 12. Deipara ad B. Mechtildem l. spir. grat. c. 48. ego omnibus, qui mihi piè, & sanctè, deserviunt, volo in morte fidelissimè, tanquam Mater piissima, adesse; eosque consolari, ac protegere.

Cùm Baltherus nobilis Prutenus Missam audiret, Sacerdos celebrans, ut in Canone calicem levavit, Crucem auream ab ejus pede conspexit; cui annexa fuit chartula cum his verbis: Crucem hanc defer ex parte mea, Mariæ scilicet Matris Christo, amico meo Vualtero militi de Bribach. Quam cum Sacerdos legisset, post Missam pulpitum ascendit; & interrogans, essetne quis præsens hujus nominis? & ostendentibus, eum seorsum duxit, & Crucem porrexit. Bollandus 22. Jan.

S. Ildephonsus Ep. Ob susceptam defensionem adversus hæreticos, Dei genitricis Virginitatem impugnantes, ab eadem candidissima veste donatus est. Idem 23. Jan.

B. Ugolinus Ordin. Eremit. S. Aug. quia devotissimus B. Virginis cultor, & angelicæ castitatis; clarus corporis integritate, cognita post annos triginta ab inhumatione; quando cor illius candidum, & fragrantissimum, protrusit lilium; quo temerè ab aliquo rescisso, aliud è corde enatum est. Bollandus 21. Martii.

Stephanus Losoncius Valachiæ Præfectus, in medio ardore pugnæ cum Turcis confossus oppetiit. Secundo, tertiove anno, cùm plerique in eum campum, ubi patrata strages, descendissent, vocem inter ossa cæsorum audierunt JESU, & Mariæ, nomina resonantem. Admiratio, & pavor, hos incessit: & ecce loquax inter cadavera caput inveniunt. Quid, inquit, stupidi hic statis viri? Christianus ego sum, & magnæ Matris divæ Mariæ semper addictus, inconfessus, inexpiatus hoc bello occubui. Magna Diva me æterni supplicii reum esse non patitur; hic me adhuc linguæ compotem servavit; ut & delicta fateri, & animum sacris ritè Apostolicis lustrare valeam: proinde quæso Sacerdotem. Rogatus, quid tandem à Diva beneficii meruisset? respondit: septena quotannis in vita sua festa illius reverentissimè celebrasse; jejuniis ex pane, & aqua decorasse; illi cunctas animi vires dedicasse. Accersito ex pago proximo Sacerdote, confessionem ritè transegit; defunctique apud repentè continuit, perpetuoque quievit. Rainaldus ad An. Chr. 1415. ex Antonio Bonfinio rerum Hungar. dec. 3. l. 3.

§. IV.

Motiva alia Mariani cultus.

U*Nde hoc mihi &c.* Luc. 1. 43. Cur Elisabeth tantùm adventum Virginis gratulatur? cùm duæ hic visitationes sint factæ; una Virginis, altera Christi Domini in utero: solum tamen Beatissimæ Virginis adventum gratulatur: *unde hoc mihi &c. ℟.* Quia tanta est connexio inter Christum, & Virginem; ut idem sit obsequium præstare Virgini, ac Christo Domino: uni enim sine altero placare non potest. Sylveira hic q. 20.

P. Sebastianus à Campo S. J. moriens sic locutus: ò filii Adæ! Servite, & amate Mariam diligentiùs: nam scitis, quàm vobis sit necessaria Mariæ deprecatio. Nadasi in Sabbato quarto.

Gravem tempestatem in mari salutatione angelica sedet B. Joannes de Deo, Bollandus 8. Martii.

D.

Dignitas, & excellentia B. Virginis.

§. I.

Figura.

S*itque inter vos, & Arcam, spatium cubitorum duorum millium*. Jos. 3. 4. ut agnoscas, Mariam, cujus arca umbra erat, magnis intervallis cæteris anteire creaturis. Naxera tr. de B. V. Excellentia B. V.

Electa ut sol. Cant. 6. Sol in medio planetarum, tres subtus se, tres suprà. Supra Virginem nihil pulchriùs, nisi Divinæ tres Personæ; sub se tres Angelorum hierarchias habet Stella in Luc. 1.

Tanta fuit perfectio Mariæ, ut soli Deo cognoscenda reservaretur; juxta illud Eccli. 1. *ipse creavit illam in Spiritu S. & vidit, & dinumeravit, & mensus est*. S. Bernardinus t. 2. s. 21.

§. II.

Textus Scripturæ.

U*Na est columba mea*. Cant. De illa veriùs, quàm de aliis dicitur: quia inter omnes Sanctos, tam Angelos, quam homines, unum constituit chorum ab aliis diversum; ad quem nullus alius accedit, sed longissimè distat. Unde exaltata est super novem choros Angelorum, super choros Prophetarum, Apostolorum &c. Nam illa, sicut & ejus Filius, singularem habet sedem: hic ad dexteram Patris; illa ad dexteram Filii. De Ponte l. 9. in Cant. Exh. 3. §. 4.

Fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1. Non explicat, quænam hæc magna fuerint, nec quàm magna: quia inexplicabilia sunt. Nierembergius de ador. l. 2. c. 4. *Fecit mihi magna qui potens est*. Sed quàm magna? nescio, an ipsa voluit suam comprehendere magnitudinem. S. Thom. Vill. conc. 3. de Nat. Virg.

Dominus tecum, Luc. 1. In his duobus verbis notatur Mariæ dignitas, & Dominium super Filium suum. Cùm enim de omnibus cæteris Sanctis dicatur, & magnum sit, eis esse cùm Domino: unde & Enoch dicitur ambulasse cum Deo. Gen. 5. quod faciunt, qui ejus per omnia voluntati obediunt. Maria majus aliquid cæteris hominibus sanctis sortita est: ut non solùm ipsa subjiceretur voluntati Domini; sed etiam Dominus voluntati ipsius: ut per hoc meritò diceretur Dominus esse cum ea. Richardus à S. Laur. l. 1. de laud. Virg. c. 5.

Missus est Angelus Gabriel &c. Luc. 1. Cur non Archangelum vocat? cur non Seraphim? nam ex illorum ordine fuit, juxta aliquos nimirum Bernardin. de Bustis; & Marcum Vigerium Card. Juxta plurium tamen opinionem. S. Thomæ, Bernardi, Gregorii, summus fuit Archangelorum. Nudè vocat Angelum, quia in Incarnationis mysterio, in qua Deus ità demittitur, demittere se quisque debet. Secundò: quia Virginis conspectu omnis celsitudo demittitur, omne lumen obfuscatur, omnis ardor videtur tepor, omnis sanctitas penè disparet. Umbra Virginea hic.

Seniores viginti quatuor mittunt coronas suas ante thronum. Apoc. 4. 10. Cur non potiùs ante Agnum? Thronus B. V. juxta graves authores, præfigurabat: & ideò illi diadematum abjectione primò, & peculiariter, reverentiam exhibent. Sylv. t. 1. l. 1. c. 6. q. 18.

In laude aliarum Virginum dicitur, quod, *sequuntur Agnum, quocumque ierit*. Apoc. 14. De Virgine autem Virginum Maria potest securè dici, quòd agnus sequebatur eam, quocumque ivit. Unde Luc. 2. *erat subditus illis, Dominus tecum*. Rich. à S. Laur. l. 1. de laud. V.

§. III.

Ex Patribus, & aliis.

A D te pro dignitate laudandam omnis inops est lingua: etiamque animus excelsior Mundo in laude tua vertiginem sentit, ò Deipara! cùm tamen clemens existas, fidem nostram, qua laudes tuas amplectimur, accepta. S. Joan. Damasc.

Verè rerum omnium conditarum Domina facta est, cùm Creatoris Mater extit. Idem l. 4. orthod. fid. c. 15.

Mater Domini omnis creaturæ: quia genuit Creatorem, Domina facta est omnis Creaturæ. S. Bernardinus t. 3. s. 3. de glorioso Nom. Mariæ.

Per me reges regnant. Prov. 8. 16. A Christo D. hoc regnandi, & imperandi jus participat B. V. tanquam ejus mater. Regis enim Mater regina fit, oportet; uti concludit Sanct. Athanasius s. de Deip. idque primò: quia mater in filium regem jus habet maternum, quo ei, quasi filio, potest præcipere, & imperare, quare hoc quoque jus habuit B. V. in Christum. Secundò, titulo Deiparæ: tanta enim hæc dignitas; ut poscat dominium omnium, quæ in Dei sunt potestate. Tertiò, quia Christus summè honorat Matrem: ideoque hoc Dominium ei ultrò communicat. Quartò, quia Fideles omnes: hoc jus B. Virgini deferunt: vocant suam Dominam; quod etiam nomen sonat. Corn. hic.

De hac, & ob hanc, & propter hanc, omnis Scriptura est; propter hanc totus Mundus factus est. S. Bern. s. 3. sup. Salve Reg.

Opus, quod solus opifex supergreditur. Petrus Dam. s. 1. de Nat. B. V.

Architectus, & Dominator omnium, Deus, ex incorrupto utero tuo carne suscepta, humani te generis Primatem creavit, ò Domina, nulli unquam reprehensioni obnoxia. Unde ad te confugimus cuncti: veniam orantes offentarum. S. Sabbas. Ex. Men. 1. Jan. in precibus Matutinis.

Decores, quos Angelus abjecit (Ezech. 28. *omnis lapis pretiosus operimentum tuum &c.*) & ab Eva abstulit; Virgo Beata assumpsit. Albertus M. in Salut. Angel.

Opus Domini excellentissimum est Maria. S. Bonav. Spec. B. V. c. 3.

Si linguis hominum loquar, & angelorum; nihil digni, nihil propriè de Sanctæ, ac perpetuæ, Virginis Matris Christi Mariæ gloria eloqui potero. Arnoldus Carnot. Abbas tr. de laud. Virg.

Scio, quod ineffabilis est laus ejus; nec ad eam poterit homo vivens, etiamsi loqui detur Angelorum linguis; quoniam major est omni laude. Hanc enim gloriam sibi retinuit cœlestis artifex; cujus Mater Virgo opus est speciale; nec alteri daturus est eam. Rich. à Sanct. Laur. Prologo 1. de laud. Virg.

Plus, quàm mulier hæc. Parum est; plus, quàm vir. Hoc modicum est; plus, quàm Angelus omnis. Gerson tract. 11. Sup. magnif.

Ave magnifica Aula, & splendidum Palatium, Imperatoris æterni. Blosius p. 2. Parad. animæ.

S. Mechtildi ipsa Deipara sic loquitur l. 11. B. Trinitas me talem imaginem facere volebat; in qua totius potentiæ, sapientiæ, & bonitatis suæ, artificium elegantissimè apparet.

Dolorosa.

§. I.

Figura, & Comparationes.

C*ongregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum*. Gen. 1. 9. In unum cor Mariæ quasi omnes aquæ dolorum congregatæ. Tursell. Laur. hist. l. 3. c. 32. S. Bonav. Spec. B. V. c. 2. vocat eam Rosam Martyrum c. 3. Maria mare amarum interpretatur.

Non te comparabo Abrahæ, filium in sacrificium ducenti: ille enim reduxit incolumem; tu verò sine Filio relicta es orphana. Nec te comparabo Jacob ploranti Joseph. Gen. 37. supererant enim ei undecim filii: Nec etiam Davidi ploranti suum Absolon, & dicenti: *quis mihi det &c.* 2. Reg. 18. ille enim, licèt pulcher aspectu, sed fœdus moribus, inobediens patri, & proditor occubuit: Christus verò subditus tibi, omni præditus pulchritudine.

David, audita nece Absolonis, licèt perduellit, ac scelesti filii, præ dolore caput operuit; & vita sua mortem ejus redimere volens, exclamabat: *fili mi Absolon! Absolon, fili mi! quis mihi det, ut ego moriar pro te?* Uberiores fontes flendi Maria habuit. David nuntium dumtaxat de morte filii tribus lanceis confossi acceperat; Maria dilectissimum suum JESUM ante oculos suos tribus clavis confixum, toto corpore lacerum &c. vidit expirantem. *Ne vocetis me Noemi, id est, pulchram, sed vocate me Mariam; id est, amaram Ruth* 1. 20. *quia amaritudine replevit me valdè omnipotens.*

Flebat irremediabilibus lacrymis, & nulla modo consolari poterat. Tob. 10. 4. 7. Quando Scriptura vult exprimere aliquem luctum multùm dolorosum, assimilat eum luctui unigeniti. Jer. 6. 29. Amos 8. 10. Intensissimus dolor; quia præsens erat. Quod oculus non videt, cor non dolet.

Job non scidit vestimenta sua, nisi audita morte filiorum, & filiarum.

Factum est cor meum &c. Psalm. 21. 15. Potest hic versus exponi de B. Virgine: ipsa enim dicitur cor Christi, quia eam summè dilexit, & ipsa intima fuit in corpore Christi mystico. Ipsa liquefacta est per dolorem, & amorem, ad ignem Passionis Christi. Hugo Card. hic.

Ascensum purpureum. Cant. 3. Ascensus purpureus fuit dolorosa compassio; qua affectuosissima, ac benignissima Mater filio suo paulatim tam intensiùs condolebat, quantò Passio ejus magis appropinquabat. Fuit dolor talis consolationibus ejus frequenter admixtus. Quemadmodum enim dulcissimè, amabiliterque, gaudebat, Infantem puerum JESUM vultu placido conspectando, virgineis brachiis deferendo, amplectendo, rosea facie osculando, sacris uberibus nutriendo. Sic planè recolendo, quod à Gabriele sancto perceperat, dictum esse ad Joseph de Puero: *ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum*, vehementissimè condolebat; & concutiebantur omnia viscera ejus materna super innocentissimo Filio suo; ità ut cum David dicere videretur: ò JESU! *Fili mi* JESU? *quis mihi det, ut ego moriar pro te*! Dionys. Carth. hic.

Coma capitis tui: sicut purpura regis vinucta canalibus. Cant. 7. 5. Cogitationes tuæ tinctæ in sanguine Dominicæ Passionis; & affectæ sic semper fuere, quasi recentem viderent sanguinem de vulneribus profluentem. Hailgrinus. B. V. Dei genitrix, quia in ea parte patiebatur, quæ impassibilis habetur; & atrociùs passa est gladio Passionis Christi; plus quàm Martyr fuit: unde constat, quia plus omnibus dilexit. S. Sophronius s. de Assumpt. B. V.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon. Cant. 7. 4. Rupertus hic: quòd non deficiant ex eis aquæ. Et tu maximè, ò Virgo, præ cunctis mortalibus semper compuncta corde potes dicere: *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte*. Propterea dicuntur *sicut piscinæ in Hesebon*, id est, in maxima compunctione. Hesebon quippe interpretatur cingulum mœroris.

Quasi plantatio rosæ in Jericho. Eccl. 24. 28. Rosa ruborem habet vehementis intentionis; in quo duo figurantur: summa videlicet amoris perfectio, & persecutio intentio doloris. Quantò enim diligebat ardentiùs, tantò vulnerata est profundiùs. Rich. à S. Laur. l. 3. de laud. Virg.

Sol verteur in tenebras, & luna in sanguinem. Joel. 2. 31. Sol justitiæ Christus versus est in tenebras per mortem; & luna, idest, Maria conversa est in sanguinem per compassionem. Tursell. hist. Laur. l. 3. c. 32.

Myrrha arbor est in Arabia, quæ interpretatur *Vespera*, vel *Occidens*, est amaritudo. Maria autem fuit arbor myrrhæ in Vespera Passionis Filii. Fuerat Maria arbor lætitiæ, quando dixit: *exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo*: sed amaritudinis; quando discessit ab ea sol moriturus justitiæ. Rich. à S. Laur. l. 12.

§. II.

Comparatur Martyribus, & præfertur.

V*Irgo* universos Martyres sub splendore tantum excedit, quantum sol reliqua astra. S. Basil. Seleuc. or. de Annunt.

Quid de Deipara dicturi sumus; quæ tanto supra Martyres omnes splendore enituit, quantus sol stellarum micantes radios fulgoribus vincit. Idem orat. de Sanctissima Dei genitrice, & de Incarnat. &c. Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ Passionis: quæ nimirum sua immensitate transfi-

transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. Et utique, pia Domina, non credidit in, te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere; nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis; spiritus scilicet dulcissimi Filii tui, pro quo monente conquerebaris, tantopere torquebaris, te confortaret, & consolaretur, te intus doceret, non esse mortem tum absumentem; sed magis triumphum omnia ei subjicientem. S. Anselmus de excellentia Virg. c. 5.

Modo quodam indicibili in omnibus Electis suis omnia perferebat pœnarum genera. Persequebatur in Apostolis, lapidabatur in Stephano, assabatur in Laurentio: sicque in singulis singula Martyrum, cœterorumque justorum, sustinebat tormenta. Sanct. Laurentius Just. de triumph. Chr. agone cap. 19.

O dulcissima Mater nostra! ubi stas? numquid juxta Crucem? imò certè in Cruce es. Sed hoc differt: quia Filius in corpore, tu autem in corde crucifigeris. Nec non & vulnera, per ejus corpus dispersa, in tuo corde sunt unita: Ibi Domina laceratum est cor tuum; ibi clavatum, ibi coronatum spinis, ibi illusum, exprobratum, contumeliis plenum; demum aceto, & felle potatum. Idem de incendio div. am. c. 4.

Rosam Martyrum vocat. S. Bonav. spec. B. V.

Plus, quàm Martyr fuit: quia in animo non minùs amoris, quàm mœroris, intus gladio vulnerata: parataque stetit ad pœnam quamlibet excipi; si percussoris manus accessisset. Quæ nimio amore demum vulnerata testis extitit Salvatoris; & pro mœrore in animo cruciatum sustinuit Passionis. S. Ildephonsus s. 2. de Assumpt. B. V.

Non sine causa hi, qui fideliter Christo astiterunt in Calvariæ monte, & compassi sunt; non sunt passi postea Martyrium in exitu suo: cùm reliqui Apostoli, & alii discipuli, à tyrannis sint occisi. Nam B. Virgo Mater JESU, S. Joannes Evang. & Magdalena, non fuerunt per martyrium sublati. Dolor major omni morte, & omni cruciatu, excruciavit illos, sola compassione; & sufficit pro morte Martyrii. Nieremb. de adorat. l. 2. c. 5.

§. III.

Vehementia dolorum.

CRux gladio erat, qui per Filii corpus maternum pectus transverberavit. Ephrem in lam. Deip. Damascenus lib. 4. de fide c. 15. August. Ep. ad Paulinum.

Euthymius in c. 2. Luc. Gladium nominavit, acutissimum dolorem, maximèque dividentem; qui penetravit cor Matris Dei; dum Filius ejus Cruci affixus est.

Mulier, ecce filius tuus. Joan. 19. 26. Non vocavit eam Matrem: nè præ amoris vehementis teneritudine ampliùs ipsa doleret. S. Bonav. medit. vitæ Chr. c. 79.

Sanguine Filii in flagellatione per totum corpus defluente, innumerabilium aqua lacrymarum de Virginis oculis decurrebat. In serm. Angel. f. 6. lect. 2. c. 17.

Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus, &c. Joan. 19. 20. Cur B. Virgo nunc prima nominatur? cum alibi mulieribus postponitur. Act. 1. 14. *Cum mulieribus, & Maria Matre Jesu.* Ubi sermo est de Crucis ignominia, quæ à Filio in Matrem derivabatur, prima Maria scribitur: quia præcipuè, & prima opprobriorum ejus erat particeps. Extra verò hanc occasionem eximalis humilitas postremum sibi elegit locum. Sylv. t. 5. l. 8. c. 17.

Vulnera Christi morientis, erant vulnera Matris dolentis. S. Bern. lament. B. V.

Nunc solvis, Virgo, cum usura, quod in partu non habuisti a natura. Dolorem pariendo Filium non sensisti; quem millies replicatum Filio moriente passa fuisti. Id. ibid.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2. 35. Dolores, quos non habuisti in partu, ut sentires te esse Matrem; exolves in morte Filii, sentiens te esse Matrem. Stella hic.

Canit Ecclesia: circumdabant eam flores rosarum, idest, infinita martyriorum genera; quarum rubor attestatur persecutionum martyria. Richardus à Sanct. Laur. lib. 3. de laud. Virg.

Currit Mariam post Jesum, non tantùm in odore unguentorum, sed in multitudine dolorum: non solùm in gaudio consolationum, verùm in abundantia passionum. Cernebat verum Salomonem Mater ejus in diademate, quo coronavit eum noverca Synagoga; & ipsa coronata corona tribulationis post eum incedebat. B. Amedeus hom. 5.

Tantus fuit dolor Virginis; quòd si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt, divideretur; omnes subitò interirent. S. Bernardinus t. 1. f. 61. a. 3. c. 2.

Nihil est ambiguum, quia si divina non fuisset bonitate servata, roborataque; cor illius devotissimum, præ dolore, & mœrore raptum fuisset. Blosius p. 3. Margar. spir. cap. 13.

Quòd si latius attendere velis; quæ, & quanta, in persecutione, atque Passione, dilecti Filii sui sustinuit; invenies eam nimirum tot amaras potiones ebibisse in vita, quot Jesus habuit ætatum momenta, & membra vulnerata. Thomas Kemp. p. 3. c. 5. ad Novitios.

Videns Mater, Filium suum in Cruce crudeliter extendi, in omnibus sui corporis viribus cœpit tabescere. Audiens verò malleorum sonitum, quando Filii manus, & pedes, ferreis clavis perforabantur; tunc, omnibus Virginis sensibus deficientibus, ipsam in terram, velut mortuam, doloris magnitudo prostravit. Unde non parvum miraculum in hoc Deus tunc fecit, cùm Virgo Mater tot, ac tantis, doloribus intrinsecus fauciata, suum spiritum non emisit: quando tam dilectum Filium nudum, & cruentatum; vivum, & mortuum, atque lancea transfixum; omnibus eum deridentibus, inter latrones pendere perspexit: illis penè omnibus, quibus nutus extiterat, ab eo fugientibus; & multis eorum à rectitudine fidei enormiter exorbitantibus. Commemorat Scriptura, quòd uxor Phinees, arcam Dei ab inimicis captam, audiens, præ doloris vehementia mox expiravit: cujus mulieris doloris Mariæ Virginis doloribus comparari non possunt: quæ sui benedicti Filii corpus, quod arca præfigurabat, inter clavos, & lignum, captum detineri videbat. Serm. Angel. f. 6. lect. 3. c. 18.

S. Paulus pingitur cum gladio; quia gladio occisus: S. Andreas cum cruce; &c. B. Virgo pingitur, Filium suum gestans. Ubi expressi videtur dolor, quem ex ejus morte passa fuit. Itaque, sicut gladius instrumentum mortis fuit S. Paulo; ità Christus Jesus gladius doloris fuit piissimæ suæ Matri. Diez Gravissimum desiderii frustrati Matri fuit martyrium, supplicium atrocissimum, cum Filio non torqueri, morte quavis acerbiùs, Christo morienti non commoti. Doultrem. de am. Dei l. 2. 5. Sect. 5.

Miraculo proximum est, quod narrant testes idonei: Florentiæ speculum asservari, quo olim usus fuit Cosmus magnus Hetruriæ Dux; cujus effigiem perpetuò refert: quasi si spectanti & ipse spectans adhæreat: Maria ejusmodi speculum fuit: sed longè mirabilius; quod conceptum, nascentem, adolescentem, adultum, viventem, morientem, & demum mortuum, refert Christum Filium; ejusque bonitatis, cæterarumque virtutum, imaginem repræsentat. Ità S. Laur. Just. l. de triumph. Chr. agone cap. 21. clarissimum Christi Passionis speculum effectum erat cor Virginis, nec non & perfecta mortis imago. In illo agnoscebantur sputa, convitia, verbera, & Redemptioni vulnera. Idem ib.

§. IV.

Circumstantiæ augentes dolorem.

ARcæ Noemum Dominus inclusit Gen. 7. nè, ut Chrysostomus inquit, posset videre justus generalem interitum. Vidit Virgo Maria Creatoris interitum; quæ cum universa Mundi machina interire velle visa est. Idem ibidem.

Alia conditio Virginis dolorem extollens erat; quòd opem nullam, aut consilium, Filio suo afferre posset. Consolatur mater, si filium in suo dolore, & morte, osculari, amplecti, & adjuvare, potest. Sed hoc fuit Deiparæ negatum. Videbat nudatum; & vestire non poterat. Audiebat ipsum dicentem: *sitio*; & non poterat illi potum porrigere. Videbat eum vulneribus plenum; & non poterat vulnera alligare. Conspiciebat sanguine irrigatum; nec valebat linteo abstergere: caput malè inclinatum; non poterat sustentare. Videbat expirare; non poterat osculari. S. Bernardinus Senens. t. 3. s. 3. de Nomine Mariæ.

§. V.

Par amori dolor.

OVos omnes, qui transitis &c. Thr. 1. 12. Ethicus ait: pulsus doloris est amor. Ut scias, quanta sit febris, & calor; tangis præsum. Ut scias quantus fuerit dolor Christi; & B. Virginis; cogita, quantus fuerit ut utriumque amor, tum erga matrem, tum erga omnes homines. Cornelius hic.

Fili, quid fecisti nobis sic? Luc. 2. 48. Volo, o Sanctissima Virgo, quæstioni tuæ satisfacere. Quæris: *quid fecisti nobis sic?* R. Scit equidem Filius tuus; quod nec ipsi Angeli aquè ac tu, illi servierint, sed quia, quem magis diligit, majores dolores illi infert. Quid doloris Abrahæ ex immolando filio? Gen. 22. Quid Jacobo ex Joseph? Gen. 27. Tobiæ? 10. Exemplum esse debes aliis matribus; ut in patientia exerceantur, ubi Deo placuerit charissimos filios de medio tollere. Denique his tribus diebus voluit te sic angi; ut robore animi te induas, & præpares, ad ferendos tres alios dies, scilicet mortis ejus; ubi non sicut modò illum invenies inter Doctores, sed inter latrones crucifixum. Stella hic.

Quò magis diligebat, plus doluit: & amoris magnitudo attulit fomenta passionis. S. Amedeus hom. 5.

Quan-

Quantò incomparabiliter amavit, & tantò vehementiùs doluit. Unde sicut non fuit amor, sicut amor ejus; ità non fuit dolor simili dolori ejus. Richardus à S. Vict. cap. 26. in Cant. de Virgine Dolorosa.

Fuisset severæ mentis, non fieri illius Altissimi Filii consciam passioni. Et audenter dixerim: ipsam præ cæteris decebat animi dolore perfodi: hoc enim ampliùs cognitionis, & excessivi amoris ratio suadebat. Simon Cass. l. 2. de gest. D. c. 1.

§. VI.

In corde passa.

HOc solùm restat; quòd ipse in corpore, tu verò in corde, es passa: nec non singula vulnera, per corpus ejus dispersa, in tuo corde generaliter sunt unita. Tu Domina, in tuo corde es lacerata; tu amaris clavis in clavata; tu de spinis coronata; tu illusa, & exprobrata. O suavissimum cor amoris! cur conversum es in cor doloris? S. Bonaventura stim. am. cap. 4.

Quid est, quod Dominus dicit Is. 63. *Torcular calcavi solus; & de gentibus non est vir mecum.* Verum est, Domine, quòd *non est vir tecum*; sed Mulier una est tecum: quæ omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde. Et sicut lancea militis perforavit latus tuum; ità gladius doloris ejus animam pertransivit. Richardus à S. Laur. de laud. Virg. l. 1. c. 5.

Quot vulnera Filius accipiebat in carne, tot pia Mater accipiebat in corde: rubebat caro Filii sanguine Passionis; rubebant maternæ cogitationes, ut ità dicam, sanguine compassionis. Guilielmus in Cant. 7. 5.

Ille carne; illa corde, passa est. S. Amedeus hom. 5.

Idcirco accessit Calvariam, ut cum eo intus spiritualiter crucifigeretur. Blosius marg. Spir. p. 3. c. 6. Gladio doloris animæ ipsius infixo, vulnerabatur, Spiritu, & crucifigebatur affectu. Et quod in carne Christi agebant clavi, & lancea; hoc in ejus mente compassio naturalis, & affectionis Maternæ angustia. Arnoldus Carnot. tract. de laud. Virg.

§. VII.

Oblatio, & Sacrificium:

LÆtabatur dolens, & lætabunda dolebat, quod offerebatur sacrificium vespertinum in Salvationem sui, & in redemptionem omnium nationum; quo placabatur iratus. Simon Cass. de gest. D. l. 2. c. 27.

Nimirum in Tabernaculo illo duæ videres altaria; aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi. Christus carnem, Maria immolabat animam. Arnoldus Carnot. tr. de 7. verb. D. in Cruce.

§. VIII.

Initium Mariæ dolorum, tempus, duratio.

F*asciculus myrrhæ &c.* Cant. 1. 12. Cùm carne mea progenitum talem Filium sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem; & talem ejus futuram mortem semper præ oculis haberem; qualem, quantam, quàm prolixam, me putatis materni cordis pertulisse passionem? Hoc est, quod dico: *fasciculus myrrhæ.* Veruntamen & illud sciebam, quòd esset resurrecturus. Igitur dilectus mihi & fasciculus myrrhæ, quia moriturus, & Botrus Cypri erat, qui resurrecturus.

Ductus est Jesus in desertum. Matth. 4. 1. Mater tua piissima quantum passa est dolorem, propter tui absentiam? Nunquam à principio ortus tui talem absentiam habuit, neque pertulit; imò semper tecum fuit. Quare quilibet horum dies annus ei videbatur absentiæ. S. Thom. Vill. s. D. 1. Quadr.

Ecce pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te. Luc. 2. 48. Nec tridui absentiam à JESU sine ingenti dolore pati sustinuerunt. S. Aelredus hom. in præsenti: ò Domina mea! quid dolebas? Credo, non famem, non inediam, timebas Puero, quem Deum noveras: sed tantùm subtractas tibi vel ad modicum ineffabiles præsentiæ ejus divitias quærebaris. Baeza t. 2. l. 11. c. 6. §. 1.

S. Brigitta Revel. l. 6. c. 9. dixit B. Virg. ego nullam horam sine tribulatione transfixi cordis in terris habui. Thaulerus vitæ Christ. c. 18. dicit: Beatissimam Virginem pro tota vita fecisse professionem doloris.

Sicut rosa crescere solet inter spinas, ità B. Virgo in hoc Mundo crevit inter tribulationes. Et sicut rosa crescente crescunt & spinæ; sic hæc electissima rosa Maria, quantò plus crescebat ætate tantò fortiorum tribulationum spinis acutis pungebatur. Serm. Angel. c. 16.

Quoties aspiciebam Filium meum; quoties involvebam eum pannis; quoties videbam ejus manus, & pedes; toties animus meus quasi novo dolore absorptus est: quia cogitabam, quomodo crucifigeretur. Revel. S. Brig. l. 6. cap. 57.

Omni tempore, quo post Ascensionem Filii mei vixi: visitavi loca, in quibus ipse passus est, & mirabilia sua ostendit. Ib. c. 61.

Scias; quandocumque induebam ipsum illa tunica; tunc oculi mei replebantur lacrymis? & totum cor meum torquebatur tribulatione, & dolore; & affligebatur intensa amaritudine: ex eo videlicet, quòd ego bene noveram modum, quo in futurum illa tunica ab eodem Filio meo esset separanda tempore Passionis ejus: quando ipse nudus, & innocens, da Judæis crucifigeretur. Ib. l. 7. c. 8.

Ille doloris gladius cordi Virginis omni hora tanto se propiùs approximabat, quantò suus dilectus Filius Passionis tempori magis appropinquabat. Unde credendum est; quòd ille piissimus Dei Filius, innocentissimæ suæ, Matri filianter compatiens, dolores ejus frequentibus consolationibus temperabat: alioquin ejus vita usque ad Filii mortem sustinere minimè valuisset. Serm. Ang. fer. 6. Lect. 2. c. 17.

§. IX.

Compassio cum Matre dolorosa.

EX tuo dolore discas, quænam illa communis omnium Parentis jactura sit; cùm ejus Filius, quem dilexit, vitam pro generis humani incolumitate offerret. Cyrillus Alex. hom. 1. Pasch.

Sol splendens, sui amœnitatem subducendo, totum hunc Orbem mœrore affecit; seque socium junxit intemeratæ Virgini Mariæ in plangendo Filio. Blosius Marg. spir. p. 3. c. 18.

Intellige filia mea, lacrymas Passionis meæ gratia à meditantibus manantes mihi gratissimas fore. At cùm meam Genitricem inexcogitato amore prosequor; gratior mihi est dolorum, quos in Passione mea perpessa est, attenta meditatio. Dixit Christus B. Veronicæ de Binasco, Bollandus. 13. Jan.

Domina.

B. Virgo Domina est in Filii oblatione; amarum mare in ejusdem Passione. Stella est, quia illuminat; Domina; quia protegit. Hugo Card. in Luc. 1.

Domus Lauretana.

In qua Deus conceptus, ab Apostolis ritè conservata, Anno 300. ab Helena pereleganti æde decorata, teste Nicephoro l. 8. c. 30. Ex in ab Asianis, Afris, Europæis, frequentata. Anno 1291. asportatur in Dalmatiam; ab Episcopo ægro, revelante ipsa B. Virgine, agnoscitur, & sanatur. Ipse cum aliis, suadente Nicolao Frangibani, Prætore Dalmatiæ, in Nazareth proficiscitur; & rem certiùs explorat. Redux pro concione ad frequentem populum omnia exponit, lætitia cunctis penè diffluentibus Quadriennio non toto interjecto sacrosancta ædes in Dalmatia transfertur. Causa in incerto est. Quid si arrogantia fuisset; de qua Auctor. cap. 4. quòd crederent, se divino judicio cæteris gentibus esse prælatos, cum humilitate exulasse videtur humillima Mater. Secutus luctus ingens in populo, qui usque hodie perseverat; cùm annus jam agatur à discessu trecentesimus. Catervatim quotannis Dalmatæ, transmisso Adriatico. Lauretum ventitant; non magis B. Mariæ incunabula venerantes, quàm orbitatem lamentantes suam. Quorum solemnes illa voces: revertere ad nos Maria. Ex Dalmatia translata in Italiam in Picenum Anno 1294. cùm tota bellis flagraret, Retinetensem agrum insedit, quæ matronæ cujusdam erat divitis, & piæ, Lauretæ nomen fuit: cujus deinde nomine Lauretana ædes appellat. Tenet fama (narrat id Author l. 1. cap. 6.) nec vana, inquit, fides; venienti Deiparæ domicilio omnes arbores obvias, velut venerabundas inclinasse se; ac deinde pronas perstitisse; quoad ævo, ventis, ferro, procumberent. Nocte allata pastores vigiles splendor accivit, domum recurrunt, vise narrant. Effusa civitas, ipsi ægri adrepere, depulsi morbi, à longinquo accurrunt. C. 7. Verùm quia via angusta, arboribus obsita, à latronibus infesta, peregrinos spoliant, mactant. Et ideo ad proximum collem ab Angelis translata ad mille passus, octavo circiter mense, quàm lucum insederat. Possidebant eum collem fratres duo. Hi cœlesti dono mirè lætiædem conjunctis studiis colere cæperunt. Aucta interea inter indigenas, & advenas, devotio. Sed auctis donis, pecuniaque, fratribus evenit avaritia; quæ stationem breviorem, quàm in Sylva, sacelli fecit. Nam sacro auro uterque inhiare; inde, stimulante avaritia, dissidere, & ad arma venire. Ergo S. ædes ad jactum fermè sagittæ ab eo loco in proximum collem versus mare submovetur. C. 9. area in Sylva, quam S. Domus occupaverat, nitebat semper vernantibus herbis, floribusque; cùm omnia circà densis obsita virgultis, ac sentibus, horrerent. Hodieque religionis ergo à multis visitur: at amœnitatem illius loci rusticorum temeritas violavit. Turrell. Laur. hist. l. 1. c. 1.

E.

Educatio.

Qui manè vigilant ad me, invenient me. Prov. 8. 17. Manè, idest, citò, maturè; putà à prima ætate. Omnes quidem diligentes se diligit Maria Deipara; sed maximè eos, qui manè ad eam vigilant, id est, pueros; qui à teneris illi servire incipiunt. Sicut enim parvulos Christus præ cæteris amat, dicens: *Sinite parvulos venire ad me*: Matth. 19. sic eosdem præ cæteris diligit purissima Virgo, quia ipsum Puerum Christum tenerrimè dilexit, fasciis involvit, lactavit, &c. ac in eo dicit amare, & educare pueros, Cornelius hic.

Quando difficultatem in partu habuisti, ego ad te ingressa sum. Ideo ingratas es, si non diligis me. Labora igitur, ut filii tui sint etiam filii mei. In Compendio vitæ S. Brig. Verba Deiparæ.

Eleemosyna.

Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Cant. 4. Quæ sunt unguenta tua, soror mea sponsa? eleemosynæ tuæ, quas expendisti in me. Super omnia aromata est odor unguentorum tuorum, id est, suavitas eleemosynarum tuarum; quia non ut cæteri in membris meis, sed in memetipso tu mihi munificentissima extitisti. Rup. in Cant. hic.

Quare non obtulit B. Virgo agnum; quæ paulò antea acceperat à Magis in oblatione, sicut piè creditur, non parvam auri quantitatem? dicendum: quòd B. Virgo, paupertatis amica, thesauros, Regum devotione oblatos, absque mora liberalissima charitate regionis illius pauperibus dispensavit. Neque potuit manibus ejus aliquid temporalis substantiæ adhærere, quæ jam intellexerat, Filium paupertatis, altitudinem demonstrare. S. Bernardinus tom. 3. tr. de B. V. s. 10. de Purif.

Evangelista.

Conferens in corde suo. Luc. 1. 19. Hinc Discipuli Christi à B. Virgine, post Christi Ascensionem, de aliquibus dicuntur instructi; præsertim Lucas ab ea edoctus asseritur, maximè in his, quæ ipse solus de Christi infantia refert. Non quòd à Spiritu S. non sit de illis instructus. Imò & Spiritus S. eum per Mariam sic instruxit; & Supernaturali irradiatione de omnibus informavit, & infallibiliter direxit. Eadem enim veritas à diversis, & pluribus modis, addiscitur. Dion. Carth. hic.

Evangelium.

Prima Evangelii præconissa in carne degens Mater Conditoris Evangelii Mariæ: quæ, antequam Evangelium conderetur, ipsa servavit. Nondum Conditorem ejus conceperat, & Evangelica erat. Sim. Cass. in Evang. lib. 8. de vitiis cap. 3.

Eucharistiam respiciens.

Columba *venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis.* Genes. 8. 11. Tu, *quasi oliva speciosa in campis*, quæ Mundo naufrago ramum illum olivæ Paternæ protulisti JESUM Christum. Colligere fas habet ipsum in Eucharistiæ Sacramento fidelis animas. Qui, dum creavit eam, misit per aquas, & terras hujus diluvii: quatenus bene volando rediret ad ipsum, qui misit illam. Felix plenè anima, quæ redibit ad vesperam vitæ suæ, ferens in ore suo ramum olivæ Christum, per Sacramentalem, vel saltem spiritualem susceptionem. Gerson. tract. 9. Sup. Magnif.

De pomis cœli de pomis fructuum solis, & lunæ. Deut. 33. 13. Ad terrestrium pomorum genituram coeunt solis, ac lunæ influxus: nam luna genitali quadam aspergine arva noctu humectans irrorat, & fœcundat: sol verò interdiu vividis igniculis fovet; & vitali quodam calore promovet terræ partus. JESUS verò virginalis, & pulcherrimæ, arboris Mariæ fructus est. Eucharistia fructus, & pomum, est solis, ac lunæ: hoc est, solis JESU, & lunæ Mariæ. Arcones in Is. 3. 6. Disc. 5.

Introduxit me Rex in cellaria sua. Cant. Eucharistiam: quorum tu Cellaria es. Gerson. t. 11. Sup. Magnif.

In qua urna aurea habens manna. Hebr. 9. 4. Urna aurea est Maria: aurea per excellentiam vitæ; aurea per integritatem, & puritatem; aurea per plenitudinem gratiæ. Hæc urna manna reconditum habuit; quę Panem Angelorum, qui de cœlo descendit, & dat vitam Mundo, sacrosancto gessit in utero. S. Amedeus hom. 1.

Corpus, & Sanguis Filii Dei, fructus sunt arboris pulcherrimæ, idest, Virginis intemeratæ. S. Rupertus l. 1. in Lev. cap. 37.

In Sacro Virginis utero formatus cibus. S. Thomas Vill. s. 1. de Corp. Chr.

Christus ipse S. Matri suæ læto vultu Viaticum sacrum præbuit. Gerson. tr. 9. sup. Magnif.

Tu Mater es Eucharistiæ, quia Mater gratiæ bonæ. Tu clavigera Cellariorum Regis pacifici. Id. ib.

F.

Fides.

Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Prov. 31. Vestes servorum Mariæ sunt fides, & operatio. Fides vestis interior, quæ coram hominibus nos Christo patienti similes facit. Rich. à S. Laur. l. 2. c. 1.

Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum &c. Cant. 4. 9. Oculos fidem, capillus humilitatem designat; quibus Potentis Dei Filio Virgo maximè complacuit; illumque uno capillo, licet fortissimum, & potentissimum fortiter alligavit. S. Thom. Vill. s. de S. Steph.

Mariæ fides transcendit fidem Abrahæ. Abraham credidit; posse se habere filium de sterili sene; sed Maria, quòd virgo conciperet de Spiritu S. neque concepisset, nisi credidisset. S. Bonav. s. 17. in Hexam.

Fiducia.

Factum est autem, cum essent ibi, impletum est tempus, ut pareret. Luc. 2. 6. B. Virgo improvisa venit, de tempore partus non cogitans; divinæ directioni, & gubernationi, omnia relinquens, cùm divina, non humana operatione concepisset; nihil secum deferens, quod edita proles in cultu educationis requirit. Sim. Cass. de gest. D. l. 1. hic.

Filius.

Peperit Filium suum primogenitum. Luc. 2. 7. Nos esse filios B. Virginis hic ostenditur. Si primogenitus, ergo alii secuti sunt secundò geniti, tertiò geniti: neque enim primogenitus diceretur, nisi post se alios haberet. Carnales verò nullus habet B. Virgo, præter Christum, ergo spirituales habeat, necesse est. Non Angelos; ergo homines: nam Filius ejus frater noster dicitur. Ergo si nos fratres; illa nostra Mater. Incert. Auth.

Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus. Apoc. 12. 1. *in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pareret.* v. 2. Glossa interl. clamabat, cupiens alios generare, Moralis glossa. Significatur intersum desiderium implendi in opere, quod concepit in mente. Ambrosius: cruciatur, ut pariat, cùm luget eos, quos in peccatis parere conspicit. Sicut Paulus Ap. infirmantibus discipulis loquitur: *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Gal. 4. 19. Nax. tr. de B. V. §. 26. Maria cupit gignere filios spiritualiter.

Omnes filii ventris Ecclesiæ, sunt hæreditas, & merces fructus ventris Mariæ. S. Bonav. Spect. B. V. c. 14.

Præto Janes, sive Abyssinus Imperator, hos sibi usurpat titulos: David supremus meorum regnorum à Deo unicè dilectus. Columna fidei, ortus ex stirpe Juda, filius David, filius Salomonis, filius ex semine Jacob, filius Magnus Mariæ, filius SS. Petri, & Pauli, secundùm gratiam. Imperator superioris, & majoris Æthyopiæ. Orthelius in theatro tabula 68.

Fortitudo.

Hæc est illa mulier fortis, de qua scriptum est: *mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 31. 10. Blesensis l. 1. in Adv.

Intravit JESUS in quoddam castellum. Luc. 10. 38. Quod castellum fortius, quod firmius? quàm Virgo Sanctissima; cujus animam sic Deus gratia firmavit; ut neque facto, nec cogitatu, à Deo unquam declinaverit. S. Thom. Vill. conc. 1. de Assumpt. V.

Fuga in Ægyptum.

Ecce Dominus ascendet super nubem levem. Is. 19. 1. Hieron. Procop. & S. Ambros. Exhortat. ad Virgines, docent: nubem levem esse B. Virginem; cujus ulnis Christus puer in Ægyptum delatus est. Porrò B. Virgo dicitur nubes levis; quia nullis concupiscentiæ, aut conjugii, onere gravata inquit Hieron. Super omnes res terrenas quasi nubes, ait Procopius, eminebat. Hæc nobis pluit Christum; & per eum interna mentis nostræ humectat. Cornelius hic. Nubes levis, & nullius corruptionis pondere gravis, est Virgo Maria; quæ in Ægytum Christum portavit. Eusebius Emiss. hom. in Nat. Innocentium.

Fuge in Ægyptum. Matth. 2. Nam incipiebat cudi acutus doloris gladius, cùm tam citò nova sua, teneraque, proles cogeretur regum timore, quos terrebat, provincias Ægyptiacas incolere. Et mirum in hoc infante tenello, quòd terrens terrebatur; & territus plus terrebat; qui ob hoc fugiebat; quia ab ipso terrebatur Herodes. Simon. Cass. l. 1. de gest. D. c. 22.

Ecce Regina mundi Ægyptiacas ingreditur civitates, nullo humano comitata fastu; sed nec pedissequam unam legimus habuisse. Incognita in Mundo, ignorata in populo; quam, si quæ erat, cognovisset Ægyptius, apparatu, & magnis copiis, occurrisset. Conducit hospitium carpentarius, introducit Matrem cum prole fugientem; congregat suppellectilem modicam, ad fovendam Matrem, & prolem; artis carpentariæ instrumenta producit. Idem ibidem. Vide obedientia.

G.

Gaudia.

Cor Matris quædam dulcedines, quæ humanum superant intellectum, imbuebant: eratque utrinque mira jucunditas, cum pia Sanctæ Matris, & devota, humilitas, & Sancti Sanctorum immensa benignitas, confœderatis affectibus mergerentur. S. Cyprianus de Nat. Chr.

Gratia.

Omnia flumina &c. Eccle. 1. 7. Per mare intelligitur V. Maria; in quo omnia flumina gratiarum, & donorum spiritualium, intraverunt cum ipso fonte: & non redundavit Maria, id est non intumuit per superbiam. Hugo Cardin. hic.

Sicut turris David collum tuum. Cant. 4. 4. Sicut caput per collum, ejusque arterias, spiritus vitales, in membra influit; Sic Christus per matrem in Fideles sua dona. De Ponte lib. 7. Exh. 15. §. 3.

Omnia flumina intrant in mare; dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam. Et flummen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariam: & flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam: & flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam: & flumen gratiæ Confessorum; flumen gratiæ Virginum &c. Omnia flumina intrant in mare, id est, gratiæ intrant in Mariam. Unde ipsa optimè dicere potest illud. Eccl. 20.

In me omnis gratia. S. Bonaventura Spec. B. V. c. 3.

Ave gratia plena. Luc. 1. 28. Hæc est gratia, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. S. Chrysol. s. 143.

Spiritus S. superveniet in te. Luc. 1. 35. Non dixi, veniet; *sed superveniet.* Prius quidem in ea fuit per multam gratiam; sed nunc supervenire nuntiatur propter abbundatioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam. S. Bernardus hom. 4. sup. Missus.

Nec solùm ad seipsam sit gratia plena; sed ut refundat in cœteros exigentes: & detur in illa intelligi; quòd plenitudinem gratiæ, futura Christianitas possit accipere, quæ numerositate singulari Virgini proferenda erat. Etenim ad totam Christianitatem ordinabatur, quod fiebat in Virgine. Sicut una prima virgo, non pro seipsa tantùm, sed pro omnibus, plenitudinem culpæ suscepit. Simon Cass. de gest. D. l. 2. c. 2.

Invenisti gratiam. Luc. 1. 30. Non creasti, ut Deus: non rapuisti! ut Angelus: non prædidisti; ut Adam: non emisti; ut Simon magus: non abscondisti; ut infidelis doctor: sed restituisti potiùs. De Castillo Illat. 217.

Salutans nomen Virginis reticet, ab eo, quod plus in ea erat, denominat, dicens: *Ave gratia plena.* Ostenderat ei omnipotens, qui delegaverat eum; quòd & plus esset hæc Virgo, & quibus dotibus ditata consisteret; cùm, omnium abjecta copia rerum, solùm polleret plenitudinem gratiarum. Sim. Cass. antè cit.

Invenisti gratiam. Prudens Virgo, non sapientiam, sicut Salomon; non divitias, non honores; sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua solvamur. Quid nos aliud concupiscimus fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus. S. Bernardus s. in Nat. Virg.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris: in illum montem altissimum montium: montem non modo myrrhæ, & thuris; sed & omnium aromatum; Virginem Virginum omnium plenam gratiarum. Guarricus lib. 1. de annunt. Virg.

Quodcumque donum alicui Sanctorum unquam datum fuit, tibi non fuit negatum: sed omnium Sanctorum privilegia omnia habes in te congesta. Idiota Contempl. de V. Maria cap. 2.

Quemadmodum in compendium collegit Deus in Adamo, ex Eva, universam naturam, postquam cuncta creasset: atque in homine sunt omne? naturarum, & vitarum, gradus eminentiori modo, quàm in ipsis naturis, cœlis, plantis, & animalibus; ut unus homo plus valeat, quàm universus Orbis; & sit alter Mundus. Ità, quoniam non est negligentior; & minus curiosus, artifex Deus in rebus gratiæ: in unum quoque redegit in novo Adamo; & Eva, universam gratiam datam, & dandam hominibus, & Angelis. Unaque in Maria sunt omnia genera charismatum, & donorum supernaturalium, & gratiarum, gradus eminentiori modo, quàm in cunctis reliquis hierarchiis Spirituum beatorum, & Ordinibus Sanctorum. Nierembergius de ador. l. 2. cap. 4.

Gratitudo.

Beatissima Maria, nè unquam Deum laudare cessaret, semper in ore habuisse fertur, teste S. Bonavenuura vitæ Chr. c. 33. *Deo gratias.*

H.

Humilitas.

§. I.

Figuræ.

Qui non sum similis &c. Ruth. 2. 13. Ecce mira humilitas Ruth; quæ se facit omnibus ancillis Booz inferiorem; & ancillarum ancillam; ideoque meruit fieri ejus uxor. Sic B. Virgo dicens; *ecce ancilla Domini*, meruit fieri Mater Dei. Cornelius hic.

Fecit etiam Salomon thronum & vestivit eum auro fulvo. 3. Reg. 10. 8. Humilitas Mariæ pretiosissima. Et ideò signatur per throni Salomonis aurum, quod era fulvum nimis. Humilitas enim Joannis, & aliorum Sanctorum, aurum pallidum est; si cum auro humilitatis Mariæ fulvo nimis comparetur. Et sicut pretiositas auri omnia metalla transcendit; sic humilitas Mariæ omnem gaudium humilitatis excessit. Quantò enim Maria fuit virtutibus præeminentior, tantò in ipsa humilitas mirabilior. Richardus à S. Laur. l. 4.

Nardus mea &c. Cant. 1. 11. Olim in Eva malo superbiæ fœtore offensus, & in hoc ab humano genere aversus: nunc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meæ, sic ad genus humanum conversus est. Rupert. l. 1. in Cant. Rex gloriæ fuit in accubitu, id est, cubavit novem mensibus in utero B. Virginis, cùm ex eo carnem assumpsit: tuncque nardus id est, virtus, & humilitas B. Virginis dedit odorem suum. Nam quid, inquit Sanct. Bernardus, est aliud, *nardus mea dedit odorem suum?* quàm, placuit mea humilitas. Non mea, inquit, sapientia, non nobilitas, non mea pulchritudo; sed, quæ sola inerat humilitas, dedit odorem suum. Cornelius hic.

Quæ est ista, quæ ascendit &c. Cant. 3. 6. Rupertus censet, hæc esse verba Christi, humilitatem B. Virginis admirantis. q. d. Tu dicis, sicut Abraham pulvis sum terræ, qualem ventus dispergit, aura tollit. Et ille, non: sed pulvis pigmentarius, sive pulvis pigmentarii; pulvis myrrhæ, & thuris; qualem pigmentarius Spiritus S. conficit ex optimo thure; quod est suavitas mentis; & ex myrrha probatissima; quod est mortificatio carnis. Tu dicis: fumus ego sum teter coram divinis oculis, qualis de camino ascendit. Et ille: non, sed fumus ex aromatibus myrrhæ, & thuris; qualem decet ascendere de aureo thuribulo ante altare aureum, usque ad os, & olfactum, Domini. Idem hic.

Sicut turris David collum tuum. Cant. 4. 4. Quid erat turris David? putasne illa turris manufacta; de qua legitur 1. Paral. 11. Imò turris David non manufacta fuit, cui tuum, ò Dilecta! collum debeat assimilari. Et hæc est humilitas David. *Filiæ Sion*, ait Dominus apud Is. 3. elevata sunt; *& ambulaverunt extento collo, &c.* Hæc fuit superbia illarum; propterea expugnari potuerunt. Tuum autem collum nequaquam extentum fuit; sed est, sicut turris, id est, sicut humilitas David. Per quam ille coram Deo fortis, & contra homines stetit inexpugnabilis. Rupertus in Cant. l. 3. hic.

Terribilis, ut castrorum acies ordinata. Cant. 6. 9. propter profundissimam humilitatem, qua nihil dæmonibus terribilius est. S. Bernardus t. 1. s. 52.

Maria Virgo stellæ assimilatur: quia, cum magna esset ad modum stellæ, modica apparebat per humilitatem. Hugo Cardin. in Luc. 1.

§. II.

Humilitas B. V. summa, perfecta.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Luc. 1. 45. Græc. apud Jansenium: quia respexit *parvitatem* ancillæ suæ. Aliqui ex Hebr. respexit *annichilationem* ancillæ suæ. Sylveira hic.

Fecit illi magna. Nostis quæ? Magnum, quia Virgo; magnum, quia Mater; majus, quia utrumque; maxima, quia Dei Mater: sed majus: quia, cùm tanta sit, putat se nihil esse. V. Beda in Luc. 1.

Exinanivit se, exemplo Filii sui, formam ancillæ suscipiens. Richardus à S. Laur. l. 4.

§. III.

§. III.

Humilitas illius respecta, amata, à Deo.

Q*Uia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Luc. 1. 45. Mira devotione plena vox, qua dicitur; *quia respexit &c.* Non enim ait, quia respexit virginitatem meam, aut innocentiam, aut aliam quarumlibet virtutum gratiam; sed solam humilitatem suam respexisse Dominum humiliter fatetur. S. Ildephonsus s. 2. de Assumpt. B. V.

Tria fuerunt in Maria, propter quæ specialiter benedicta. Primum est humilitas, qua se vacuam ostendit; & ideò impleri meruit. Unde dictum est ei *Ave gratia plena &c.* Hugo Card. hìc.

§. IV.

Humilitas illius exaltata.

E*Cce ancilla Domini*. Luc. 1. In hoc, quod dicit *ecce*, notatur prompta obedientia; *Ancilla* vere perfectæ humilitatis nota est. Quæ enim major humilitas? quàm quòd Mater Dei eligitur, ipsa se ancillam nominat. Eccl. 43. *Luminare; quod minuitur in consummatione*. Hugo Card. hìc.

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Luc. 1. Ubi Theologi cùm Toleto asserunt: his verbis Mariam votum virginitatis expressisse. O votum! maledictionis quodammodo speciem referens. Fœmina Israelitica maledictione se affectam existimat, dum laborat sterilitate. O Virgo prudentissima! curavit minimùm abjectionis suæ virginitatis adhærere: ut tam profunda humilitas quasi necessariò ad Dei elevetur maternitatem. S. Bernardus serm. 4. sup. Miss. eligis in Israel esse contemptibus; ut illi placeas, cui te probasti maledictum incurrere sterilitatis. Et ecce maledictio benedictione commutatur; sterilitas fœcunditate recompensatur. Escobar. Vol. 5. l. 7. sect. 1. Obs. 5.

Nunquam super omnes Angelos glorificata ascendisses; nisi priùs infra omnes homines humiliata descendisses. S. Bernardus Deprec. ad gloriosam V. Mariam.

Magnæ Deus! terribilis, & fortis; bonitate ineffabilis; humilem ancillam erigis, & exaltas; unde hostem æmulum olim expuleras. Triumphat humilitas augmentis gratiarum; & corona inclita à te decorata; superbia verò inanis, & tenebrosa, dehiscat. Lucifer gloriosus & arrogans, vulneratus ad ima corruit: audiant superbi, & humilientur. Virgo humilis ad thronum gloriæ coronata ascendit: audiant humiles, & lætentur. S. Amedeus hom. 8.

§. V.

Quò major, eò humilior.

E*Cce ancilla Domini*. Luc. 1. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur-Mitem enim, humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. S. Ambrosius hìc.

Quantò magis B. Virgo se audivit elevandam in Matrem Messiæ, Filii Dei; tantò magis ad humilitatis gremium confugit. Cajetanus hìc.

Cum Virgo legeret illud Is. *Ecce Virgo concipiet*, intelligens, quòd talis Virgo erat futura Filii Dei Mater; anxia desiderio postulabat tali sanctissimæ Virgini obsequi, & famulari: illam alloqui, & contemplari; vel saltem illi in aliquo humillimo officio ministrare. Et dum in hujusmodi desideriis sancta virgo flammesceret? Angelo nuntiante, se illam esse virginem, de qua per Isaiam Spiritus S. prophetavit, audita Domini voluntate, humiliter se obtemperare parans; cùm fieret Mater Dei, atque Regina cœli, & Mundi: non gloriæ altitudinis, sed infinitæ humilitatis assumpsit nomen, dicens: *ecce Ancilla Domini*. S. Bernardinus t. 2. s. 48.

Sicut nulla post Filium Dei creatura tantum ascendit in gratiæ dignitate: si nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ. Id. s. 51.

Et quasi consurgere manipulum meum. Gen. 37. 7. Cur principatus triticeo in culmo ostenditur; & non potiùs in virga aurea? Vides spicas maturas se inclinare? nimirum agnata sublimatati humilitas. Escobar t. 3. Colloq. Chr. lib. 3. sect. 2. obs. 1.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Plin. l. 21. c. 5. nulli florum excesitas major langiudo collo est, & non sufficienti capitis oneri. Langiudo collo Maria verum lilium: *ecce ancilla Domini*, Idem ibid.

Luminare, quod minuitur in consumatione. Eccl. 43. 7. Lunæ ultimum accretionis instans imminutionis est primùm. Idem ibidem.

§. VI.

Actus humilitatis.

J*Oseph autem vir ejus &c.* Matth. 1. 19. B. Virgo ex modestia noluit divinum hoc secretum Josepho ultrò revelare; nè tanta sua dona jactare videretur: sed Dei providentiæ, cujus hoc totum opus erat, resignavit, certissimè confidens; Deum suam innocentiam, & famam, tutaturum. Cornelius hìc.

Turbata est in sermone ejus &c. Luc. 1. 29. 32. Regni Davidici nomen exhorruit; comitatu contenta fabri. Et nisi ex verbis Angeli conjectasset, non temporalem fore principem, cujus regni finis non futurus prædicebatur; audeo dicere. abdicasset verbum; nè à vilitate abdicaretur. Et ideò forte Gabriel, cùm de regno Flii multa dixisset, eam nunquam salutavit Regina: quin tot inter titulorum fulgores ipsa sibi seposuit ancillæ vocabulum. Oliva l. 4. Strom. §. Multiplicabo semen tuum.

Pater tuus, & ego, dolentes &c. Luc. 2. Christum peperat; Angelus ad eam venerat, & dixerat ei: *ecce concipies in utero &c.* Luc. 1. 31. Meruerat parere Filium altissimi; & erat humillima. Nec se marito, nec in ordine nominis, præferebat, ut diceret; ego, & pater tuus? sed *pater tuus*, inquit, *& ego*. Non attendit in sui uteri dignitatem, sed attendit ordinem conjugalem: non enim humilis Christus matrem suam superbire docuisset. S. August. de divers. parte altera s. 63. in Nat. Chr.

Et tuam ipsius animam. Luc. 2. Humilitatem agnosce Mariæ; quæ non velut Mundi Regina, & æterni Regis Mater; sed ut discipula accipit verba senis: non stomachans verbum, non dedignans auditum: æquanimiter læta, & tristia, recipit &c. Sim. Cass. l. 2. de gest. Chr. c. 21.

Nuptiæ factæ sunt, & erat Mater Jesu ibi. Joan. 2. 1. Magnum; & cunctis S. Ecclesiæ spectandum ordinibus humilitatis exemplum; quòd Mater Jesu non aspernata est, carnali interesse celebritati nuptiarum. Rupertus l. 2. in Joan.

Petrus & Andreas, & Jacobus, & Joannes - hi omnes perseverabant unanimiter cum mulieribus, & Maria Matre Jesu. Actor. 1. Itane mulierum sese ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur? Meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. S. Bernardus de B. Virg. Apostolos sic honorabat; ut primarii Scriptores dicant; eam à S. Luca petiisse obnixè; ut in catalogo eorum, qui expectabat Spiritum S. non principe, sed novissimo loco post Sacerdotes se collocaret. Nierembergius de am. erga B. V. c. 9.

Miscellanea.

Accessit ad eum mulier &c. Matth. 26. 7. Joannes verò 12. 3. *Maria accepit libram unguenti*. Toletus hìc: Matthæus nomen tacet; quia caput unxit; Joannes nominat Mariam; quia pedes. Qui Mariam nominat, humilitatem indicat neque enim Maria sine humilitate stare potest; cùm virtus humilitatis à Maria planè sit inseparabilis. Joan. Damasc. orat. de dormit. Mariæ: Maria unxit pedes Jesu; quia in Maria humilitatem in honore habet. Paoletti s. 3. in Purif. B. V.

Si non potes Virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. S. Bernardus hom. 1. sup. Missus est.

I.

Imagines B. Virginis.

C*Um S. Hyacinthus, Tartaris subitò in templum irruentibus, ipse asportato secum Venerabili, fugeret, inclamavit statua quædam B. Virginis: sic ergo inimicorum meorum opprobriis me committes? age, me cum Filio meo aliò transporta. At ille gravitatem statuæ, utpote magnæ, & ex alabastro confectæ, causabatur. Sed adjecit imago; ut sese confidenter assumeret: futuros pares oneri humeros. Accepit; sensitque valde levem. Jamque pervenerat ad Boristhenem fluvium; nec pons, nec navicula, comparebat. Itaque facto signo crucis, substrata chlamyde, sicco illum trajecit vestigio; quod etiamnum visitur. Ribadeneria 16. Augusti in ejus vita.

Imitatio.

Si tam quam bonus, & devotus filius eam in omnibus pro posse studueris imitari; tunc procul dubio te sibi, tamquam Matri, veraciter exhibebis: & ipsa te tamquam filium suum veraciter adjuvabit; &, quæ dignè ab ea petieris, tibi dabit. S. Bonaventura Stim. div. am. c. 7.

Sit vobis, tamquam in imagine descripta virginitas, vitaque B. Mariæ: de qua, velut speculo, refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi, tamquam in exemplari, magisteria expressa probitatis: quid corrigere, quid effugere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? S. Ambrosius l. 2. de Virginibus.

Mariæ magis placet imitator devotus, quàm laudator otiosus: S. Ildephonsus s. 1. de Assumpt. Virg.

Incarnatio Christi Mariam respiciens.

§. I.

Figuræ.

L*Ignum vitæ in medio Paradisi*. Gen. 2. 9. O verè lignum vitæ! quod solum fuit dignum portare fructum salutis. S. Bernardus s. 2. in adv. Dom.

Maria. Gen. 22. 2. est B. Virgo: in cujus utero templum, id est. Humanitas Christi est ædificata. Cornelius hìc.

Facies candelabrum ductile ex auro mundissimo. Ex. 35. 31. O aureum item candelabrum! ignem recipe divinitatis; ut per te illiceat Mundo; unaque nequitiarum nostrarum tenebras dissipet. Ecclesia Græca in profesto B. V. Annunt.

Rubus incombustus, seu ignis in rubo, est Deus in B. Virgine conceptus, & natus, illæsa ejus virginitate. Ita Theodoretus, Rupertus, S. Bernardus s. de B. Maria. Ut frutex incendit ignem, & non crematur: itidem etiam virgo, & lumen parit, & non corrumpitur. Hinc tota Ecclesia: rubum, quem viderat Moyses, incombustum. Greg. Nyss. or. de Nat. Christ.

Et ipse tamquam sponsus &c. Ps. 18. 6. Et ipsæ procedens de utero Virginali: ubi Deus naturæ humanæ, tamquam sponsus sponsæ, copulatus est. S. August. hìc.

Stilantia super terram. Ps. 71. 6. Quæ est illa terra, nisi Matris Domini caro Virginea; *Rorate cœli &c. Aperiatur terra &c.* De hac terra veritas est orta. Richardus à S. Vict. annot. hìc.

Sapientia ædificavit sibi domum. Prov. 9. 1. Sapientia Dei de sinu Patris ad nos veniens ædificavit sibi domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam; in qua septem columnas excidit. Quid est in eam septem columnas excidere? nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide, & operibus, præparare. Nimirum ternarius numerus ad fidem, propter Sanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores, propter quatuor principales virtutes. S. Bernardus in Serm. parvis, serm. 9.

Lectulus Salomonis. Cant. 3. id est, verè pacifici, virgo dicitur; in qua Dei Filius requievit velut in lectulo. Richardus à S. Laur. l. 10. Lectula, est uterus, B. Virginis; in quo Sponsus beatissimam copulam celebravit, qua humanæ naturæ dignatus est copulari. *Lectulus* autem dicitur, non lectus; propter humilitatem. Hugo Card. in Cant. 1.

Ferculum fecit sibi Rex Salomon, Cant. 3. 9. B. Virginis uterus, & sinus, fuit ferculum augustissimum, bajulans Verbum incarnatum; *ideoque media charitate constratum propter filias Jerusalem*. Quia Christus, qui est ipsa charitas, maximam gratiam, & charitatem B. Virgini aspiravit: ut ipsa filiabus Jerusalem, id est, animabus devotis, ad illam in quavis difficultate recurrentibus, opem ferret. Cornelius hìc.

Egredimini Filiæ Sion &c. Cant. 3. 11. Mater Christi B. Maria esse creditur? quæ coronavit eum diademate: quia humanitatem nostram ex ea assumpsit. S. Gregor. hìc.

Ecce Virgo concipiet. Is. 7. 14. Hebr. est *Haalma*: Septuag. *illa Virgorara, & unica illa Phœnis Mundi*, apud Cornelium hìc.

Ecce Dominus ascendet super nubem levem &c. Is. 19. 1. Verè levem: quia conjugii onera nescivit. Verè levem; quæ levavit hunc Mundum de gravi fœnore peccatorum. Levis erat: quia remissionem peccatorum utero gestabat. S. Ambrosius l. de inst. Virg. c. 9. Ascendit Dominus super nubem levem, corpus scilicet Virginis Mariæ; quod nullo humani seminis pondere prægravatum est. S. Hieron. hìc.

Deus ab austro veniet. Habac. 3. 3. Septuag. *Deum de Theman veniet, & sancto de monte umbroso, & condenso*. Per montem hunc Theophylactus, & Euthymius, accipiunt B. Virginem; quæ, quasi mons virtutum, cœteris Sanctis excellior, obumbratione Spiritus S. concepit, juxta Gabrielis promissum: *virtus Altissimi obrumbavit tibi*. Cornelius hìc.

In hoc conflatorio (uteri virginalis) conflatum est aurum, & decoctum ad purum; natura humana purgata, & ab omni labe purgata, verbo unita, & in unam personam conjuncta. In hoc conflatorio, & ex hujusmodi auro, formatus est annulus, lapis pretiosus; & in eo imposita est forma summi Regis; & imago impressa, & plenè expressa. Aurum optimum, Caro Christi; lapis pretiosus, anima Christi; figura, & imago, Patris, Divinitas Christi. Qui cùm sit *splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*; Hebr. 1. 3. nihilominus tamen humanitati nostræ est unitus: ut ex duabus naturis, tribusque substantiis: esset quasi in unum annulum junctus Mediator Dei, & hominum. Homo Christus Jesus; & fieret dexteræ Excelsi ornatus.

Si quis in nobis factus filius prodigus, qui dudum mortuus est, & jam revixit: datæ hunc annulum in manu ejus. Richardus à S. Vict. annot. in Ps. 71.

Sol. Lem. *Ornat* (scilicet cœlum) *non onerat*. *Abiit in Montana cum festinatione*. Luc. 1. 39. Omnis Sanctorum beatitudo de glorioso Virginis utero processit. V. Beda in Luc. 1.

§. II.

Uteri Virginei laudes.

Q*Uoniam tu es, qui extraxisti me ventre &c.* Ps. 21. 6. Christus ex materno utero progrediens Patrem suum alloquitur. Tertulianus legit: *avulsisti*. Et subdit: quid avellitur? nisi quod hæret. Unde collige; quàm delectabile habitaculum purissimus Virginis uterus Christi fuerit. Incert. Auth.

Dominus tecum. Luc. 1. 28. Quòd si sol, cùm creatura limitata sit, & finita; supra terram tanta celeritate currens, eam tamen ita fertilem reddit; foris quidem fructibus ornatam, intus verò pretiosis metallis gravidam: quænam, & quanta, in purissima Virgine sol ille infinita potentiæ operatur; non celeriter currens, sed in ea manens. Diez conc. 2. de Incarnat.

In quo nondum quisquam positus fuerat. Joan. 19. 41. In horto monumentum novum pro homine novo; ut sepultura Incarnationi conveniat. Nam? dum incarnaretur, positus est in utero virginali, ubi nondum quisquam positus fuerat, neque ponendus erat. Sim. Cass. l. 13. hìc.

Vas electionis &c. Act. 9. 15. Siquidem Paulus vas electionis cognominatus est; quod augustum Christi nomen portaverit, ac ubique terrarum ipsum prædicaverit: quale vas Dei Mater; non quæ velut aurea urna in se manna complexa sit; sed quæ cœlestem illum Panem; alimenti causa, atque roboris, Fidelibus concessum; utero suo gestaverit. S. Basilius Seleuc. or. de S. Dei genetr. & Incarnat. &c.

Salve concha; quæ viva manens de intemerato sanguine tuo, rubrum & instar purpuræ lucens Paludamentum pro rerum omnium Rege tinxisti; & simul per illud nuditatem Adami operuisti. S. Joan. Damasc. Ex Men. ode 6. de B. V.

Cùm me totum Deus transformare vellet in Deum, totum se tibi univit, ò Maria; sicque in comprehensum, & novum, omnibus repræsentatur mysterium. Tu pariendo Virgo incorrupta perseveras; & ex te Caro cernitur Deus. S. Sophronius.

O uterum! in quo confectus est nostræ libertatis libellus. O ventrem! in quo adversùs mortem fabricata sunt arma. O templum! in quo Deus ipsa factus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. S. Procul or. 1. in laud. Dei genetr.

Hortus deliciarum nobis sacratissimus tuus uterus, ò Maria! quia ex eo multiplices gaudii flores colligimus, quoties mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis toti orbi inde refulsit. Verè paradisus Dei tu es; quia lignum vitæ inde protulisti. S. Bernardus Deprec. ad glor. V. Mariam.

Esto paratus, ò divinæ munditiæ liber! quippe tibi S. Spiritus digito inscribitur sapientia divina; sed incarnata: quæ insipientiæ meæ prævaricationem è medio tollat. Ecclesia Græca in profesto B. V. Annunt.

Ave magnifica aula, & splendidum Palatium Imperatoris æterni. Blosius p. 2. parad. an.

§. III.

In utero Virginis factus est Deus mitior.

A*Pparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi*. Ex. 3. 2. Ignis hic innoxius. Non sic Ex. 19. 14. *Totus mons Synai fumabat &c.* Cum in rubo apparet Deus mansuetus, benignus, & pacificus? in Sinai terribilis, tonans, & bellicosus? Quia in rubo erat velut in conspectu matris; nam rubus illius signum, ex Ecclesiæ mente. In monte Sinai nec in umbra adfuit Maria. De Castillo de vestib. Aaron. Illat. 274.

De qua natus est Jesus; qui vocatur Christus. Matth. 1. 16. Salvator priusquam in utero Virginis incarnaretur, nunquam Christus appellatus fuit. De eo autem, mox ut natus est, Matthæus dicit: *de qua natus est &c.* Porrò nomen actionibus personæ respondere debet. Christus idem est, quod *unctus*: quia oleo unguuntur reges: Oleum autem Symbolum est clementiæ, & misericordiæ. Et ideo reges unguuntur: ut discant lenes, & pii esse. Hinc Matthæus, dicendo, *qui vocatus Christus*, insinuare videtur: Deum, priusquam de Virgine nasceretur, fuisse severum, peccatores rigidè punivisse; at verò natus de Maria, nomen accepit Christi, quod idem est, ac *unctus*, benignus, mitis. Alphonsus Salmeron tom. 3. tr. 9. quidam piè meditantur; ex aliquibus sanguinis guttis, è corde Mariæ erutis, Spiritus S. ministerio Christi corpus fuisse conditum, Stillæ cordis humani, præsertim cordis Virginis mitissimi, sunt præ quovis alio totius corporis sanguine, dulcissimæ, suavissimæ, & velut ex pietate compositæ. Et ideò, cùm Filius Dei ex hoc sanguine suam formavit humanitatem, quomodo poterat non esse misericors, benignus, & compassivus; qui ex compassione, & misericordia, Mariæ Matris suæ erat compositus. S. Bonaventura in Psalterio Virginis, vocat eam venam misericordiæ: quippe quæ stillavit è cordis venulis purissimi sanguinis guttas, quibus formaretur Christus ad misericordiam eximiè propensus. Paoletti s. 8. in festo B. V. Annunt.

Sol justitiæ Deus noster in Veteri Testamento erat ut leo terribilis, rugens, peccatores terribiliter puniens: sed in uterum Virginis intrans, factus est totus benignus, suavis, & humanus Filius benignissimæ Matris, Matris misericordiæ. S. Antoninus p. 4. tit. 15. c. 22.

Sol in Virgine. Lem. *Temperat iras*. Picinelli.

Inimici.

TAm particeps charitatis, quàm Crucis Jesu, assumpsit orationem pro eis, corde perfecto paternæ pietatis aures compulsans; Pater! dimitte illis hanc noxam: quia &c. S. Amedeus hom. 7.

Gerrardus Pannoniæ Præsul, Matris Virginis cultor mirificus, complura in ejus venerationem fieri constituit. In more positum habuit, quantumcunque læsus fuisset ab aliquo; si is per Christi Matrem petiisset veniam, mox suffusis lacrymis veniam dedit; aut dandam, velut reus ipse, à lædente petiit. Drexelius in Salomone c. 16.

Anno 1546. Obvii sibi duo hostiliter offensi facti; quorum unus ab altero veniam offensæ petens, cùm non impetraret, adversarium occidit. Ob tantam iram unius, & peritionem alterius, visa lacrymari imago B. Virginis in proximo depicta muro. Aringus in Roma Vet. & Nova. De templo S. Mariæ à fletu.

Invocatio B. Virginis pro diversis gratiis.

O Intemerata! rogamus te obnixè; ut pro famulis tuis assiduè intercedas. Potes quidem reipsa omnes salvare, ut Dei altissimi Mater, precibus materna authoritate polleentibus. S. Joan. Damasc. ex men. 1 Jan. ode 4.

Venio ad te, sola Virgo Mater Dei; procido coram te: rogo te; ut reveles mihi multitudine dulcedinis Filii tui: concedas mihi, adhærere Deo, & tibi; servire Filio tuo, & tibi; famulari Domino, & tibi, illi, sicut Factori meo, tibi sicut Genitrici Factoris mei. S. Ildephonsus l. de Virginit. Mariæ c. 12.

Delatus sum in turbinem perditionis; & ipsa me flumina scelerum immensorum perturbant. Verùm tu, Sanct. Domina miseratione mei commota, ad portum me divinum appelle. S. Theophanes ex Men. 16. Jan. ode 6.

L.

Laudes.

B*Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Luc. 1. Quare dicitur fructus Virginis benedictus, post ipsam benedictam? Prius laudat Virginem, & postea fructum ejus, scilicet Christum Dominum.

Quia sic æstimat Deus laudem, & honorem, suæ Matris; ut in laude primas obtineat. Silveira t. 1. l. 1. c. 6. q. 18.

Non est quidem, quod me magis delectet; sed nec est, quòd terreat magis; quam de gloria Virginis Mariæ habere sermonem. S. Bernardus s. 4. in Assumpt. V.

Liberalitas.

Signum magnus apparuit in cœlo: mulier amicta sole. Apoc. 12. 1. In te manet, & tu in eo: & vestis eum: & vestiris ab eo: vestis eum substantia carnis; & vestit ille te gloria suæ Majestatis: vestis solem nube; & sole ipsa vestiris. S. Bernardus s. de verb. Apoc. Ideo hoc sole (divinitatis) amicta est in cœlo; quia in terris perfectè Christum induerat. Rich. à S. Vict. in Cant. p. 2. c. 31.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Cant. 8. 5. Nititur Maria Deo, quia Deus parvulus incumbebat Mariæ gremio: nitebatur brachiis, quia ad ejus pendebat ubera. Arcones in Is. 2. Disc. 13. 3.

Sicut nec maris profunditas; sic nec Mariæ liberalitas, potest exhauriri. Richardus l. de laud. V. c. 3.

Regina Maria non gravat tributis; sed largitur servis suis divitias, dona gratiarum, vestes virtutum, thesauros meritorum, & magnitudinem præmiorum. Richardus à Sancto Laur. l. 6.

Illa vera Dominatio est, quæ in omnes, per provisivam sui bonitatem, affluentissimè largissima, vel profusa est. Sic B. Virgo donorum, & beneficiorum, largissima Dispensatrix est ideoque Regina, & Domina. Hoc enim vero pertinet ad dominationem, vel principatum, scilicet larga donorum, vel beneficiorum, collatio. S. Bernardinus t. 3. s. 3.

Lux Mundi.

Maria designata est per notatoriam Siloe, ad quam missus est cœcus natus, Joan. 9. Lavare oculos suos, ut illuminaretur. Ipsa enim dicitur Illuminatrix: & hoc nomen suum interpretatur in nobis precibus suis illuminans peccatores. Richardus à S. Laur. l. 9. de laud. Virg.

Duo magna luminaria magis Mundo famosa, & Ecclesiæ illuminativa, quæ fuerunt in Mundi Regina, fuerunt virginitas, & humilitas. S. Bonaventura s. 1. de B. V.

Mariæ potentia totus illustratur orbis, adeò ut ipsa jam cœlestis patria clariùs rutilet Virgineæ lampadis irradiata fulgore. S. Bernardinus s. 1. de Assumpt.

Luxuria hostis, & remedium.

Peregrinus profligatæ vitæ ab æde Lauretana umbra quadam sese horrida specie illi obiciente, bis repulsus est: nec ante ingredi potuit, quàm animum confessione expiasset Tursellinus hist. Laur. l. 5. c. 27.

Sicut lilium valet adversus serpentes, & venena; sic B. Virginis invocatio, & cultus, singulare est remedium in omni tentatione præsertim libidinis. Cornelius in Cant. 2. sicut lilium inter spinas.

Tu candida nubes, ardorem æstus temperans: tu ros opportunus, rorem fornacis extinguens. Blosius p. 2. parad. an.

M.

Magnificat Deum.

M*Agnificat! anima mea Dominum.* Luc. 1. 48. Sermonem dividit in laudes Dei. Nihil suis meritis tribuit; sed totam suam magnitudinem ad illius donum refert. V. Beda hìc.

Tu me Elisabeth cognata magnificas; sed ego non magnifico meipsam: sed pro his omnibus magnificat anima mea Dominum. S. Thom. Vill. conc. de Visit. B. V.

Tu me, Elisabeth, laudas, extollis, magnificas; verùm ego sciens, quòd à me nihil habeo; universa bona Deo adscribo, ipsum laudo; me deprimo, illum magnifico, id est, magnum, summum, immensum, fateor, contestor, demonstro: illum totis viribus honoro, omni zelo venerari desidero, me parvipendo, fecit ergo Maria, quod pater ejus admonuit: *magnificate Dominum meum.* Ps. 33. 4.

Mater Dei.

Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. Cant. 7. 2. Mater, & Virgo. Expressa est Mariæ cum maternitate virginitas: per triticum enim fœcunditas, per lilia puritas, designatur. Incert. Auth.

De qua natus est Jesus. Matth. 1. Sancti Evangelistæ de ejus laudibus silent, quoniam ineffabilis est ejus magnitudo. Satis fuit de ea dicere: *de qua natus est Jesus.* S. Thom. Vill. conc. 3. de Nat. B. V.

Quidquid de Virgine scire, aut intelligere cupis: totum in hoc clauditur breviloquia: *de qua natus est Jesus.* Hæc longa, & plenissima, historia ejus est. Idem s. 2. de Nat. B. V.

Quid ampliùs ei assignare possumus divini muneris, & honoris; quàm Genitricem eam esse Dei, & hominis. Infrà hoc dicitur, quidquid in ejus commendatione effertur. Si cœli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quàm ore, excogitatum protuleris, non adsurget ad hunc superindicibilem honorem; quo creditur, & prædicatur, Dei Genitrix. Petrus Cell. l. de panib. c. 21.

Clara proavorum titulis; sed incomparabiliter clarior generositate prolis. Petrus Dam. s. 46. in Nat. B. V.

Quid mihi, & tibi est mulier? Joan. 2. 5. Cur Christus Virginem vocat mulierem? Primus Manichæorum, & Valentinianorum, teste Orig. & August. tr. 8. in Joan. ausus affirmare, Virginem Christi Matrem non esse; quia hic non Matrem, sed mulierem vocavit. Sed non advertunt; eam ter in hoc textu Matrem dici. Imò benè notat Metaphrastes orat. de vita, & dormit. Mariæ: quod in Evangelio bis dicitur *mulier*, & octies post partum vocatur *Mater Jesu.* Sylveira hic qu. 18.

Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Gal. 4. 4. O rem miram! in omnibus epistolis Sanct. Pauli non reperitur, eum Sanctissimæ Virginis, nisi hoc loco, meminisse: quam nunc tam siccè nominat, *factum ex muliere.* Quid hoc Apostole Sancte? hoc honore afficis, quam omnes beatorum spirituum hierarchiæ ut Imperatricem honorant? aliter de ea loquitur Joannes Apoc. 2. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo &c.* Ecce cum quanta majestate de hac Regina loquitur. Dico, S. Paulum eam magis hic, quàm Joannem, commendasse: siquidem eam Genitricem Dei appellat. Quæ, cùm mulier esset, Deum hominem fecit, scilicet humanum corpus illi ministrans: quæ est suprema dignitas, in quam pura creatura evehi potest. Diez conc. 2. in Nat. V.

Mater nostra.

Habitabunt in te filii tui. Is. 62. Beata Mater illa Christi, quia Mater Christianorum se agnoscit ratione mysterii; cura quoque se Matrem ejus præstat, & affectu pietatis. Nunc habitamus in adjutorio Matris altissimi; postea in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confovebimur. Nullatenus autem credideris; majoris esse felicitatis, & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ, quàm in sinu Mariæ. Guerricus Abb. s. 1. de Assumpt. V.

Dic, ut sedeant &c. Matth. 20. 21. Cur submiserunt Matrem? Abulensis hìc q. 54. quia faciliùs concederet Christus Matri, quàm filiis: quia fortè illa aliquando adjuverat Dominam nostram, sororem suam, ad nutiendum Christum. Accedit Mater filiorum Zebedæi, ut filiis suis dona impetret. Matrem nos habemus, quæ nostra curet, & nobis bona petat. Sed quæ illa? Quando Christus Joanni dixit: *ecce Mater tua*, omnibus Fidelibus Maria data est in matrem: quia Joannes universæ Ecclesiæ tunc personam agebat. Tam ex corde nobis Maria mater est, acsi nos genuisset: tam confidenter ad eam accedere possumus; ac ex utero ejus nati essemus. Fortior enim est amor, qui in Maria à magna gratia processit; quàm quem natura præstare poterat. Osorius t. 1. ser. 4. post D. 2. Quadrag.

Deinde dicit Discipulo: ecce Mater tua. Joan. 19. 27. Non ait, dicit Joanni; sed *Discipulo.* Joannes est nomen particulare, Discipulus commune: ut denotetur; quòd Maria omnibus detur in matrem. Sylveira c. 17. hìc.

Si ipsa propter peccatores, scilicet propter me, meique similes, facta est Dei mater; quomodo immunitas peccatorum meorum cogere poterit desperare veniam eorum? S. Anselmus de excell. Virg. c. 1.

Mysticè intelligimus in Joanne omnes animas Electorum quorum per dilectionem B. Virgo facta est Mater: filius enim in Græco nomen amoris est. S. Bernardinus tom. 1. s. 55.

Discipulus iste electus designavit unumquemque Fidelem. Quemadmodum enim Christus dixit Joanni: *ecce Mater tua*; sic unicuique Christiano dedit matrem suam in matrem: ità, quòd ipsa est mater, & advocata, omnium nostrum; quam post Deum summè amare, & venerari debemus. Dion. Cart. in Joan. 19.

Maria velut materfamilias in Domo Dei, misericordiæ claves habet. Niermbergius l. 2. de Ador. c. 1.

Ad pedem Crucis accepit nos Maria in filios: ibi peperit nos, non ex utero, sed ex corde. Ecce filius tuus est quisque Fidelis, & Discipulus meus. Idem ibidem.

Nec ob aliud Filii æterni temporaliter facta est Virgo Mater, per quam ejus & nos sumus fratres: nisi ut interpellet Filium pro fratribus ejus miseris, æternè stantem pro caducis, justum pro iniquis, Deum pro hominibus, verum Filium pro filiis adoptivis. Sim. Cass. l. 2. de gest. D. c. 25.

Misericordia.

§. I.

Figuræ, & Simbola.

Ex Veteri.

A*Rcum meum ponam in nubibus; & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Gen. 9. 13. Ipsa profectò Virgo est arcus fœderis sempiterni positus in nubibus cœli, ne interficiatur omnis caro. Bernardinus de Bustis p. 9. s. 2.

Duc eam ad matrem suam. 4. Reg. 4. 19. Filium Sunamitis nimius sol in agro torrebat, & capitis dolor cruciabat; quem pater non alio remisit, quàm ad matrem suam. Filium quanta potuit, benevolentia excepit mater, & *posuit eum super genua sua usque ad meridiem, & mortuus est.* Efficere non potuit illa matris charitas; ne filius, quem suo gremio fovebat, moreretur: & mortem hausit; ubi aucturus vitam credebatur. B. Virgo autem ait: *qui me invenit, invenerit vitam.* Prov. 8. Mendoza in 1. Reg. 14. 3.

Jerunt ad Holdam prophetidem &c. 4. Reg. 22. 14. Josias Rex iratum Deum præsentiens, misit ad Holdam prophetidem, ut ipsa consuleret Dominum. Sed cur, relictis viris prophetis, à fœmina cupit audire oraculum? Lyran: quia Josias voluit à Deo habere responsum misericordiæ: & quia mulieres sunt clementiores viris, misit, ad consulendum Dominum, per mulierem. Ego autem omnes monuerim, qui volunt à Deo responsum misericordiæ accipere; ut consulant eum per Mariam. Baexa l. 1. c. 5. §. 8.

Gloriosa dicta sunt de te civitas. Ps. 86. 3. B. Virgo dicitur civitas: quia in ipsa fuit populus; quia visceribus misericordiæ suæ omnes continebat; & adhuc continet: unde dicitur Mater misericordiæ. Sic Paulus habebat in se populum, cùm dicebat Philipp. 1. 7. *Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis; eo quod habeam in corde meo.* Hugo Card. hìc.

Meliora sunt ubera tua vino. Cant. Ubera tua solùm scatent dulcissimo lacte; nihil habent mordacis fini. Fragrant unguentis optimis misericordiæ; nihil ad te de justitia vindicativa. De Ponte l. 1. in Cant. Ex. 19. §. de B. Virgine. *Ubera ejus inebrient te omni tempore.* Prov. 5. 19.

Quasi oliva speciosa in campis. Eccl. 24. 19. B. Virgo rectè dicitur oliva speciosa, idque in campis: tum, quia omni tempore; & loco, ac pro omni morborum genere, quasi Mater misericordiæ, omnibus eam invocantibus, & ad opitulandum, est exposita: tum, quia nobis viatoribus, tentationum æstu afflictis, in campis apertis, ubi similes arbores desunt, optatum sub umbraculo præbet refrigerium. Cornelius hìc. Non eam appellat olivam horti conclusi, ad quam difficilis accessus; sed camporum: quia omnibus patet ejus misericordia. Diez conc. 3. in Nat. Virg.

Et sicut platanus exaltata sum juxta aquas in plateis. ibid. Platanus repræsentat B. Virginem: nam platanus patulis diffunditur ramis, habet folia instar scutorum. Sic B. Virgo, quasi platanus abscondit, & protegit. Idem hìc.

Offerantur super placabili altari meo. Is. 60. Maria dicitur altare placationis Domini; qui placatur erga peccatores, cùm super hoc altare offerunt dona, & sacrificia sua, de quo altari ipse dicit: *offerentur &c.* Richardus à S. Laur. lib. 2. de laud. B. V.

Filii olei, Zach. 4. 14. reliqui justi vocantur; quia filii sunt gratiæ, & filii Christi; cujus *nomen est oleum effusum.* Cant. 1. 2. At B. Virgo meritò dici potest Mater olei. Est enim Mater gratiæ, Mater misericordiæ, & Mater Christi, qui est ipsum oleum. Unde quot sunt filii olei, filii etiam Deiparæ nuncupantur. De Ponte l. 1. in Cant. Exh. 21. oleum effusum.

Ex Novo.

Maria est *Mulier Chananæa egressa de finibus Tyri, & Sydonis.* Matth. 15. id est, de profundo sæcularis conversationis: quæ clamat ad Deum pro filia, id est, peccatrice anima; cujus etiam personam transformat in se dicens; *miserere mei Fili David!* Cui misericorditer respondet Filius: ò mulier! magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis. Richardus à S. Laur. l. 6.

Cum venisset Jesus ad montem Oliveti. Matth. 21. Maria est mons Oliveti. Sic dictus ille mons propter copiam olivarum: & Mariam cumulavit Dominus plenitudine gratiæ, & fecit Matrem misericordiæ. Richardus à S. Vict. lib. 8. de laud. Virg.

Infundens oleum, & vinum? Luc. 10. Si vulnus oleo perungatur, oleum non permittit cicatricem obduci, donec sanies sit educta. Nec Mariæ benignitas conscientiam pacificari; donec per confessionem putrendo Vitis sit ejecta. Maria siquidem illud oleum est misericordiæ, quod verus Samaritanus, id est, Christus, infudit vulneribus sauciati, id est, generis humani, prævaricationem primæ matris de Jerusalem in Jericho descendentis. Richardus à S. Laur. l. 1. de laud. Virg.

Et fons Jacob Maria, Joan. 4. apud quem Samaritana convertitur. *Puteus altus*, plena profunda misericordia contra profunditatem cordis peccatoris. Richard. à S. Laur. l. 2. de laud. Virg.

Maria *piscina probatica.* Joan. 5. quæ cognominabatur *Bethsaida*, id est, *domus frugum.* Unde dicitur Cant. 7. *venter tuus sicut acervus tritici. Quinque porticus habens*, id est, quinque principalia genera misericordiæ. Convertit errantes, cùm sit via: illuminat in tenebris ambulantes; cum sit stella: vivificat mortuos; cùm sit vitæ vena: spem infundit desperatis; unde dicit: *in me omnis spe vitæ.* Multis, quorum jam dictata erat sententia, impetravit à Filio spatium pœnitendi: sicut Abigail à Davide Nabali stulto 1. Reg. 25. *in his* quinque porticibus *jacebant multitudo magna languentium, cæcorum*, qui illuminari; *claudorum*, qui dirigi; *aridorum*, qui gratia humectati curabant; *expectantium aquæ motum*, id est misericordiæ Mariæ; *ut sanarentur à languoribus suis.* Idem ibidem l. 9.

Maria est civitas illa, de qua Apoc. 12. habens portas duodecim; quarum aliquæ ad orientem &c. quia misericordia ejus omnibus aperta. Brogmard.

Ex variis.

Sicut, *ubicumque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ.* Matth. 24. 28. ita ubicumque fuerit miseria tua, & currit, & succurrit misericordia. A Deo pietate replentur ubera tua; ut alicujus miseriæ notitia tacta lac fundant misericordiæ, nec possis miseras scire, & non subvenire. Et quid mirum, si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti. Carnalia in te Christus ubera suxit; ut per te nobis spiritualia fluerent. Richardus à S. Vict. c. 23. in Cant.

Tu es, quasi fidus vadens ante solem: quia justitiam meam præcedis tua pietate. In Revel. S. Brigittæ extravagantibus c. 50. verba Chr. ad B. Virg.

Luna, Lem. *Velocitate præstat.* Absolvit enim circulum suum inter planetas alios citissimè. Velociùs occurrit ejus pietas, quàm invocetur; & causas miserorum anticipat. Richardus à S. Vict. c. 23. in Cant.

§. II.

Misericordia illius erga peccatores.

Num. I.

Figura.

LUminare majus. Gen. 1. 16. Christus; qui præest diei, id est, justus: *luminare minus* B. Maria; quæ præest peccatoribus. Hugo Card. hìc.

Nubecula 3. Reg. 18. 44. est B. Virgo; quæ ardorem solis temperat, id est, furorem Judicis, orans pro peccatoribus, mitigat; terram Ecclesiæ orationum suarum pluvia fœcundat. Idem hìc.

Quasi

Quasi platanus exaltata sum in Libano. Eccl. 24. Maria platanus, patulam se exhibet peccatoribus: omnes, quantùm in se est, parata recipere sub sua protectione; & omnes refrigerare malo igne exustos: Et nota: quod ubi sunt folia lata, ibi est umbra magna; & magna est umbra protectionis ejus. Nam protegit contra carnalem concupiscentiam; quia Virgo: contra ventum mundanæ vanitatis; quia humillima: contra tentamenta divitiarum; quia pauperrima: contra fervorem solis; quia mater Solis justitiæ. Inc. Aut.

Iris in circuitu sedis. Apoc. 4. Est Maria: quæ astat in circuitu sedis similis visioni Smaragdinæ, in quo ostenditur consolatio tribulationis; smaragdus enim dilectat visum. Sic blanda est consolatio Virginis peccatoribus; quæ mitigat Dei Judicium, & sententiam, contra peccatores. S. Bernardinus apud Sylv. hic.

Num. II.

Affectus, & opera.

Considerabam ad dexteram, & videbam; & non erat, qui cognosceret me. Psalm. 141. 5. queritur Crucifixus; à dextris sibi nullum esse amicum. S. Antoninus Florent. Archiep. s. in Sabb. 3. Quad. quare non dicit, ad sinistram? respondeo, propter Matrem, quæ ibi erat. Sed cur Maria stat ad sinistram Christi? Quia per eam ira, & justitia Dei intelligitur & etiam peccatores: ut sic Christum obligaret ad eorum conspectum, & misericordiam. Didacus de Castillo de vest. Aar. Illat. 274.

Stabat Mater JESU juxta crucem. Joan. 19. Sed qua parte stabat Virgo Maria juxta crucem? utique ad sinistram Christi, secundùm Alex. de Halis: scilicet, ut pro peccatoribus Filium exoraret, qui à sinistris sunt. S. Bernardinus tom. 1. s. 55. Stetit juxta Crucem ex parte aquilonis; quasi inter peccatores, & Filium suum. Hugo Card. in Ps. 23. de B. V. in die Passionis.

Tu, ò summè misericors Domina! si tu nos deserveris, quonam confugiemus? quid de nobis fiet, ò S. Deipara? S. Germanus Patriarca Constant. in adorat. zonæ Deip.

Ave asylum peccatorum, & hospitium, salve Mater misericordiæ. S. Ephr. or. de laud. Virg.

Tu peccatorem, quantumlibet fœtidum, non honores, non despicis; si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit. S. Bern. Deprecat. ad glor. V. Mariam.

Sæpe, quos justitia Filii potest damnare, Matris misericordia liberat: quia thesaurus Domini est, & thesauraria gratiarum ipsius. Idiota de Contempl. B. V. Prologo.

§. III.

Regina misericordiæ.

Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam Filio Regis. Ps. 71. 1. Mater Christi compatiendo meruit misericordiæ tributum; ut dicere possumus: Deum misericordiam tuam Reginæ dedisti, & pietatem tuam Matri Regis. Nieremb. de adox. l. 2. c. 4.

Regina misericordiæ! non subest tuo regimini, nisi miser. S. Bonav. Stim. am. c. 4.

Qui vult à Deo gratiam impetrare, ad hanc Mediatricem accedat devotissimo corde, quia cùm sit Regina totius misericordiæ, nihil omnino trahens in regno justitiæ, nihil petenti poterit denegare. Idem s. 2. de B. V. dicimus Mariæ Salve Regina misericordiæ; commemorantes; quod possit, tamquam Regina; & velit tamquam misericors nos juvare. Repulsi ergo à Filio justitiæ clamemus jugiter ad Reginam misericordiæ. Nec enim solùm Regina misericordiæ, sed & Mater misericordiæ appellatur, quoad affectum miserendi: nam Filii Regis misericordiam exhibet. Rich. à S. Laur. lib. 4. de laud. Virg.

Magnificata est ità hodie B. V. ut Regina cœli, imò & Mundi jure vocetur: principatum habens dimidii Regni Dei. Regnum quippè Dei consistit in potestate, & misericordia. Quapropter potestate Domino remanente, cessit quodammodo misericordiæ pars, Christi Matri, sponsæque regnanti. Gerson p. 3. tr. Sup. magnif.

Adimus te benedictissima Virgo, quæ Mater es gratiæ; Mater, & Regina, misericordiam incarnatam suscepisti in medio Virginalis uteri tui. Idem in Purif. B. V.

§. IV.

Communis, velox; major in cœlo.

Benedicta es à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti. Ruth. 3. 10. Magna fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exulantis in Mundo; sed multò major ergo miseros est misericordia ejus regnantis in cœlo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam: quia magis nunc videt hominum miserias. S. Bonav. in spec. c. 8.

Præoccupat, qui se concupiscunt; ut illis se prior ostendat. Sap. 6. 14. De æterna Sapientia ad literam; de B. V. in sensu allegorico. Velocior est nonnumquam salus, memorato nomine ejus, quam invocato nomine Domini JESU. Quia ad Christum, tamquam judicem, pertinet etiam punire; ad Virginem tamquam ad Patronam, non nisi misereri &c. S. Ans. l. de excell. Virg. c. 6.

Sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis meminit defuisse. Per te enim cœlum repletum, Infernus evacuatus est; instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem. S. Bern. s. 4. in assumpt. B. V.

Quis est, super quem sol non luceat? quis est, super quem misericordiæ Mariæ non resplendeat? S. Bonavent. Spec. B. V. cap. 8.

Abyssus est Maria in bonitate, & in misericordia profundissima. Id. ibid. c. 5.

Certè domina, cùm te aspicio; nihil, nisi misericordiam cerno. Pro miseris facta es Mater Dei. Idem stim. am. c. 4.

Mors B. Virginis.

Fortitudo, & decor, indumentum ejus; & ridebit in die novissimo. Prov. 31. 25. Gaudens, & ridens, soluta est corpore; & perrexit ad Dominum. S. Ildephonsus s. 3. de Assumpt.

Sacram tuam migrationem, mortem haud quaquam, appellabimus; sed somnum, aut peregrinationem; vel, ut aptiore verbo utar, cum Deo præsentiam. S. Joan. Damasc. orat. 1. de dormit. B. V.

O quàm pretiosa in conspectu Domini mors Genitricis suæ! quæ vita adæquabitur morti ejus? Addas licet mundanos honores; addas convivia, ac festa trophæa; addas omne, quod demulcet, & quod delectat universum; his tamen omnibus jucundior, atque suavior est. S. Amedeus hom. 7.

Morientium Patrona.

S. Mariæ Ogniacensi Christus ostendit, quomodo Sanctissima Mater ejus immodicos ægrè ardores flabello temperaret. Jacobus de Vitriaco Card. l. 2. c. 3.

Qui diligit, & honorat Matrem Domini, securè potest à Patre, & Filio ejus, petere misericordiam; cum amotus fuerit à vita: recipietur enim in domo Mariæ. Unde Psalmista dicit Ps. 23. *Domini, dilexi decorem domus tuæ* Domus ista B. V. Unde *Sapientia ædificavit sibi domum.* Prov. 9. Rich. à S. Laur. l. 2. de laud. Virg.

B. Joanni de Deo B. V. in extremo morbo visibilis sudorem abstersit, addens: hæc est hora, qua devotis meis famulis nunquam deesse soleo. Bollandus 8. Martii.

N.

Nativitas Christi Domini.

B. Virgo illico editum partum, antequam tangeret, adoravit primò, in profundæ humilitatis abysso genuflexa, proclivo corpore super terram. Deinde lætabunda, pariter & tremebunda, suspenso in admiratione animo, cepit in manibus prolem suscepit ad genus. Sim. Cass. de gest. Salvat. l. 1. cap. 4.

Pia mater ejus semper eum parvulum, & magnum, antè adoravit, quàm tangeret. Id. l. 9. c. 34.

Nativitas B. Virginis.

§. I.

Figura.

Ecce nubecula parva, quasi vestigium, hominis ascendebat de mari. 3. Reg. 8. 44. Revelavit Deus Eliæ; quòd quædam infantula, scilicet B. Maria, per illam nubeculam significata; & instar illius nubeculæ per humilitatem parva, nasceretur de humana natura peccatrice, designata per mare. Hebr. legit: *parva nubecula acsi esset hominis manus, ascendit.* Quia misericordiæ Mater est, non dedignabitur subire munus Angelicum: in manibus portabit filios suos. Arcones in Is. 1. 13. Disc. 2.

Surge, propera amica mea, & veni. Cant. 2. 10. Verba ista profectò desiderantis verba sunt. Tamquam præsenti loquebatur mihi: meque jubebat surgere, & properare, id est, nasci; & hospitium ventris mei cito sibi præparare. S. Rup. l. 2. hic.

Jam hyems transiit &c. Cant. 2. 11. B. V. Nativitatis gaudium annuntiavit universo Mundo: quia annuntiabat hyemis finem, & initium veris: finem peccati, & legis veteris; initium gratiæ, ac legis novæ: finem regni diaboli; & initium Regni Christi. De Ponte hic Exh. 15.

O Rosa! quæ ex spinis, hoc est Judæis, orta es, & divina fragrantia cuncta perfudisti. S. Joan. Damasc. orat. 1. de Nat. Virg.

In meridiano lumine primus illi parens creatus est ad imaginem

Sinem Conditoris. Sed ille, tanti privilegii dignitate rejecta, apostatæ spiritui, falsa promissione delinitus, inhæsit; & se cum posteritate sua æternæ morti destinavit, & tenebris. Ab illa hora (peccati originalis) tenebræ factæ sunt usque ad Virginem. Nec inventus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet. At nata Vigine surrexit aurora: quia Maria, veri prævia luminis, Nativitate sua manè clarissimum serenavit. Hæc aurora, quam sequitur, imò de qua nascitur, Sol justitiæ, solius soli claritati succumbens. Hæc est aurora, quam ille non vidit, quid vidit omne sublime &c. Petrus Dam. s. 40.

Hæc est Aurora, de qua est Angelus ad Jacobum Gen. 32. 24. *dimitte te me; jam enim ascendit Aurora.* Siquidem per Jacobi luctantem cum Angelo, Sancti designatur; qui luctantes cum Domino, precibus, & lacrymis, extorquere à Domino Incarnationem Filii sui nitebantur. Sed eorum cœtui respondetur à Domino: *dimitte me &c.* Cesset instantia vestri luctaminis; quia jam lux nascitur, videlicet Virgo, quæ nobis pariet verum Solem. Hailgrinus Card.

§. II.

Nativitas ejus læta, dulcis.

ADeste gentes omnes, omne hominum genus; omnes cujusvis linguæ, & ætatis, ac dignitatis: Orbis universi lætitiæ Natalem lætis animis celebremus. S. Joan. Damasc. or. 1. de Nat. Virg.

S. Francisca Romana in festo Nativ. B. Virg. vidit omnes Choros Angelorum, Patriarcarum, Prophetarum, Apostolorum &c. applaudentes, & Deo gratias agentes. Bollandus 9. Martii.

Credibile est; etiam Abrahæ divinitus præostensum, quòd una filiarum suæ stirpis Dei Filium parturiet. De hac filia Abraham magis, quàm de Isaac exaltavit, & magis ipsa dilexit. Præscius ergo, hanc Virginem, quæ Deum pareret, degeneratione sua processuram; plus de ipsa sola consolatus est, quàm de omnibus filiis, & filiabus suæ stirpis, &c. Serm. Angel. ad S. Brigittam fer. 2. Lect. 2. c. 8.

§. III.

Nativitas ejus utilis.

COmmoveatur Mundi mare: in ipsa enim conca gignitur, quæ cœlitus ex divinitatis fulgetro in utero concipiet, & Christum, ingentis pretii unionem pariet. Idem ibidem.

O Sanctissima Filia! in maternis ulnis conspicua: rebellibusque Angelis formidabilis. Joan. Damasc. orat. 1. de laud. Virg.

§. IV.

Prærogativæ, honor, Nascentis.

FAciamus hominem, ad imaginem, similitudinem nostram, &c. Gen. 1. 16. Antiquiorem conditione sua honorem Adam suscipit. Nondum fingitur lutum, & trhono apparatur: *faciamus hominem.* Unigeniti Dei domicilium. Faciamus Adam, à quo alter aliquis Adam Conditor olim, adsideat. Non priùs est efformatus Adamus, quàm Christi Patris honore fulgeret. Fulgeret, Sed priùs honore fulsit? quàm prodiret. Maria vel in ipsis cunabilis Mater dicitur: *de qua natus est Jesus.* S. Basilius Seleuc. or. 1. apud Naxeram tr. de B. Virg.

Vinea uberrima ex Anna pullulavit, atque uvam suavissimam protulit; nectar mortalibus fundentem in vitam æternam. S. Joann. Damasc. or. 1. de Nat. Virg.

Paulus quidam, homo solitarius; abstinentiæ, & Sanctimoniæ singularis; in proximo nemore struxerat casam, unde Sacrosancta ædes & conspiceretur facilè, & adiretur; quam etiam quotidie adibat. In tugurio suo quotannis vidit ipso Natali B. Virginis die, quarta fermè vigilia noctis plurimum labi de cœlo ignem, & æqualiter tectus ædis splendore aperire. Diu ignarus, quid fieret, tandem in quiete per noctem cœlesti indicio discit, Natalis Deipare die Domum ejus Natalem anniversaria insigniri flamma. Turcell. hist. Laur. l. 1. c. 17.

September Hebræis dicitur, seu vitium, mensis. Appellatur autem sic, ait Pagninus in Lexico, ut ajus Hebræi Doctores, quòd in eo nati fuerunt fortes Mundi. Hoc mense nata B. Virgo; quæ stemma suum à Davide, quod *manu fortem* significat, trahebat. Incert. Auth.

Varia.

Fac nos, obsecramus, in hac sacratissima Nativitate tua mori peccatis, mori Mundo; vivere, & renasci, Deo. Fac, nascatur in nobis per gratiam Jesus; quemadmodum prius in te natus est per fidem, & amorem. Gerson. s. de Nat. B. Virg.

B. Virgo, sicut nullum omnino habuit peccatum, sic nullo Sacramento, ad illud expiandum, indiguit. Suscepit tamen sacramentum Baptismi; ut profiteretur Religionem Christianam: item Confirmationem, Eucharistiam, fortem etiam extremam unctionem: Confessa nunquam. Cornelius in Luc. 2. 24.

Scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi; quòd Christus Petrum, & B. Virginem Mariam, baptizaverit; Petrus vero reliquos Apostolos. Euthymius in c. 3. Joan. Et valdè conveniens fuit, ut docet Suar. t. 2. ad 3. p. disp. 18. sect. 3. ut Virgo Sancta baptizaretur à Filio suo Jesu, ad exemplum aliorum: & quia per Baptismum constituuntur, & signantur membra Ecclesiæ à Christo instituta; cujus perfectissimum membrum B. Virgo fuit. Sylveria in Joan. 2. q. 6.

Nives.

In summis, excelsisque verticibus. Proverb. 8. 2. Ecclesia hæc propriè adaptat B. Virgini. Unde hoc caput legit in lectionibus festi B. Virginis ad Nives 5. Augusti. Quia ipsa est idea, & exemplar Sapientiæ, idest, virtutis, & sanctitatis: tum quia ipsa est Mater æternæ Sapientiæ in ipsa incarnatæ: tum quia Romæ se, suamque Sapientiam ostendit, & prædicavit in morte Esquilino; dum illum in summis æstatis caloribus nivibus cooperuit; locumque templo in eo ædificando Liberio Pontifici, & Joanni Patritio, in somnis apparens designavit: in quo tum Deus, Christus, & ipsa, colerentur: tum Martyres, qui in eo plurimi Martyrii lauream consecuti sunt, honorarentur; voluit inter Martyres, quasi Martyrum Regina habitare. Cornelius. Vide ibi plura.

Nomen maria.

§. I.

Quid significet.

QUi est ista, quæ ascendit per desertum? Cant. Singulari prærogativa, & per quandam antonomasiam, Virginis nomen est, *quæ ascendit.* Sicut nomen Filii est, *vir oriens.* Creata est, ascendens à statu naturæ in statum gratiæ ab ipso Conceptionis instanti: & deinceps omnibus suis arribus usque ad finem vitæ semper ascendit; nec ascensum leviter interrupit. De Ponta in Cant. l. 6. Exh. 21.

Et nomen Virginis Maria. Luc. 1. 27. Maria, vel Hebraicè dicitur. *Miriam*, idem est, quod *moriam*, idest, myrrha, vel amaritudo maris. Hebræi enim tradunt, sororem Moysis dictam esse Moriam; eò quòd ipsa nascente, cœpit amara Pharaonis tyrannis mergendi infantes Hebræorum. Verùm meliore omine, & nutu divino; mutatum est in aliam significationem: nam transito mari rubro, & merso Pharaone, dicta est Maria, quasi mara jam, idest, magistra, vel Domina maris. Sicut enim Moyses virorum, ità Maria fœminarum, Dux fuit in transitu maris rubri. Addit Pagninus in nomine. Hebr. Maria, inquit, interpretari potest pluvia temporanea. Corn. in Luc. 1.

Nomen Maria compositum est ex mor, id est, myrrha; jam, idest, maris; myrrha maris. Cornelius in Ex. 15. 20.

Speciale Maria Domini hoc nomen invenit; quod significat, *Deus ex genere meo.* Dictæ sunt & antè Mariæ multæ: nam & Maria soror Aaron dicta fuit; sed illa Maria amaritudo maris vocabatur. Venit ergo Dominus in amaritudinem fragilitatis humanæ, ut conditionis amaritudo dulcescerет, Verbi cœlestis suavitate, & gratia, temperata. S. Ambrosius lib. de institut. Virginis c. 5.

Sicut continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa; sic Mariæ nomen, quod in servorum, Dei ore assiduè versatur; simul argumentum est, quòd verè vivant. Simul etiam hanc vitam efficit & conservat; omnemque eis lætitiam, & opem ad omnia impertitur. S. Germanus Patr. const. or. de Deip.

§. II.

Nomen honorificum, reverendum.

AVe gratia plena. Luc. 1. Cur non vocat proprio nomine? quia per antonomasiam nomen intelligitur. 2. Non nominat, propter nominis altitudinem: sicut dicimus, Rex, vel Episcopus, hoc fecit. 3. Quia cum ea, quasi cum cive cælesti, egit. In hac vita habemus nomina, ad evitandam confusionem, & propter intellectus tenuitatem: civibus cœlestibus nullum proprium nomen. Stella hic.

Et nomen Virginis Mariæ. Luc. 1. 27. Cur duo hæc nomina, Virginis, & Mariæ, simul conjungit? Indicare voluit: hoc nomen semper cum virginitate, aut certè cum castitate, conjunctum esse debere. Richardus à S. Laur. l. 1. c. 2.

Ecce mulier in civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Non dicit, ecce Maria: quia Maria, & peccatrix, non bene conveniunt. Propter hujus nominis reverentiam non ausus fuit, S. Lucas Mariam, sed mulierem, appellare. Id. ib.

Nomen hoc prophetiæ germanum est; hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc prudentiæ decus, hoc indicium castitatis. S. Chrysol. s. 146.

Quis non timeat, Mariam pollutis labiis nominare? S. Bernardinus tom. 3. s. 2.

S. Petri Thomasii Patriarchæ Constantinopolitani cordi à morte visum insculptum nomen Maria; cujus fuerat magnus cultor. Bollandus 29. Jan.

§. III.

§. III.

Fugat metum, confortat.

NE *timeas Maria*. Luc. 1. 30. Fugatura metum vox Angeli mox præcessit dicens: *nè timeas Maria*: ante causam dignitas Virginis annuntiatur ex nomine. S. Chrysol. sect. 142.

Angelus ipsam considerans verbum novitate timentem, dubietatis timore turbatam; statim ad propellendum dubium, & timorem, ipsam iterum allocutus est dicens: *nè timeas Maria*. Sim. Cass. l. 2. de gest. D. c. 4.

Panis quidem ille, quem gustu sentimus, naturali virtute corroborat hominum corda: sed mentes Christianorum Sacrosanctum nomen tuum, ò Virgo, perpetim decantatum confirmat. S. Joan. Damasc. ode 6. de B. Virg.

Gloriosum, & admirabile, est nomen tuum. Qui illud retinent, non expavescent in puncto mortis. S. Bonaventura in Psalterio B. V.

§. IV.

Terret dæmonem, Anti Christum.

TEmpore Antichristi nullus audebit Christum, nec Mariam, nominare sub pœna mortis. S. Vincentius Ferr. s. 3. D. 2. adv.

Expavescunt cœli Reginam Spiritus maligni? & diffugiunt, audito nomine ejus, velut ab igne. Thom. Kemp. s. 4. ad Novitios.

Omnes dæmones verentur hoc nomen, & timent: qui audientes hoc nomen Maria statim reliquant animam de unguibus, quibus tenebant eam. Revel. S. Brigittæ. l. 1. c. 19.

§. V.

Salubre.

DEi Matris nomen sit mihi ultimus linguæ loquentis motus; ut illud, velut olivæ ramum, in ore ferens avolem, & requiescam; quemadmodum columba in salutari arca paradisi. S. Germanus Const. orat. 6. de Annunt. Virg.

Non est in ullo alio nomine, post nomen superbenedicti Filii sui, tam potens adjutorium: nec est ullum aliud nomen datum sub cœlo hominibus, post dulce nomen Jesu, in qua tanta salus hominibus refundatur: quia super omnia Sanctorum nomina, reficit lassos, sanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, & jugum diaboli extradit. Idiota contempl. de B. Virg. c. 4.

Mariæ nomen dolori peccatorum medetur meliùs, quàm unguenta. Peccator es, ad nomen Mariæ confugias; ipsum solum sufficit ad medendum. Nulla enim pestis tam efficax, nulla sic hæret; quæ ad nomen Mariæ non cedat continuò. Richardus à S. Laur. l. 1. de laud. Virg. ad illud Eccl. 7. 2. melius est nomen bonum, quàm unguenta pretiosa.

O pia, ò magna, ò multùm, amabilis, Maria! tu nec nominari quidem potes, quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te: tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita memoriæ portas ingrederis. S. Bernardus deprecat. ad glor. V. Mariam.

§. VI.

Dulce.

QUa *est ista*? Cant. Ideò toties in persona Angelorum quæritur, *quæ est ista*? eò quòd Angeli summè desideraverint recreavi hoc sanctissimo nomine. Richardus à S. Laur. de laud. Virg.

Idcirco hujus nominis Maria media longa; ut in ejus nominatione diutius immoremur. Idem ib. l. 12.

Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam. Matth. 1. 20. Angelus volebat efficaciter consolari Josephum, & turbati cordis tenebra dissipare: ideò expressit Sanctissimum nomen Maria. Paolett. s. 28. de Nat. B. Virg.

O.

Obedientia.

Apparuit in somnis Joseph. Matth. 2. 13. Cur hæc revelatio facta tantum Joseph, & non B. Virgini? Rg. ne Virgini subtrahatur occasio exercendi actum obedientiæ; ad quam ipsa erat paratissima. Sylveira hic.

Missus est Gabriel Angelus &c. Cant. 1. Quemadmodum illa (Eva) per Angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ità & hæc per angelicum Sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo S. Irenæus l. 5. adv. Hæreses c. 19.

Ecce ancilla Domini. Luc. 1. Quæ invitabitur ad alta, & ad dominatum; in ancillatum animum convertit. Nihil sibi Virgo retinuit; totam se posuit in divino famulatu: præterquam obedientiam, non amplius habuit, quod posset objicere. Sim. Cass. l. 2. de gest. D. c. 6.

Dominus tecum. Luc. 1. 28. Cur dixit Angelus, Dominus, & non Deus tecum? Toletus annot. 70. Angelus intendebat B. Virginem ad consentiendum verbis suis inducere; nomine Domini, tanquam argumento usus. Si enim Dominus; ei obediendum.

Oratio.

Vulnerasti cor meum in uno oculorum; Cant. 4. 9. Quis unquam ita habuit, ut tu habes, soror mea, sponsa, unum oculorum? de quadam muliere narrat Scriptura 1. Reg. 1. *vultus illius non sunt amplius in diversa mutati*. Quid erat illa uniformitas vultuum, non se amplius in diversa mutantium? Nimirum identitas cogitationum, & valde intenta earumdem perseverantia precum. Hoc est unum oculorum. Rupertus l. 3. in Cant.

Sicut turris David collum tuum. Cant. 4. 4. Sicut caput per collum, ejusque arterias, spiritus animales in venas influit; sic Christus per Matrem in Fideles sua dona. Est autem collum organum vocis, & instrumentum loquendi cum Deo, vel de Deo. Non prædicabat Virgo, sicut Apostoli, & Doctores; at orabat: orandoque per illos prædicabat, virtutem eis impetrando; ut semen divini Verbi centesimum fructum ferret. De Ponte l. 7. in Cant. Exh. 15. §. 3.

Conferens in corde suo. Luc. 2. Quid est, conferre in corde? nisi studiosa meditatio mentis, veritatem rerum potissimùm investigans. Exemplo novæ Virginis Matris animentur; ut interna mente mysteria meditemur: ut fide nos vivificent, spe erigant, dilectione pascant. Sim. Cass. l. 2. de gest. D. c. 21.

Angelus tribus vicibus Virginem salutat. Tam intenta erat meditationi; sicque flagrabat desiderio, ut Deus homo fieret: Quod ut adverteret ea, quæ exponenda erant; & eam Angelus sibi attentam faceret; tripliciter eam vocare, ac salutare, necesse fuit. Incert. Aut.

Quoniam aquila regina volucrum; & Maria Regina Angelorum, & justorum. Aquila cæteras aves præcedit in volatu, & solis aspectu, & Maria Sanctos omnes in volatu contemplationis, & aspectu solis justitiæ, idest, Filii sui, qui lucem inhabitat inaccessibilem &c. Rich. à S. Laur. l. 12. de laud. Virg.

P.

Patrocinium.

§. I.

Figuræ, Symbola.

M*ulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno; & comedi*. Gen. 2. 12. Licèt Adam in crimine è numero fatuorum fuerit; quædam scintilla tamen in excusatione sceleris effulsit, Deo enim ad judicium, & supplicium, vocanti non seipsum impavidus objecit; sed Evam, tamquam munimen corporis, & animi appositit: in quo divinæ iræ mucro retunderetur. Audivit enim vocem Domini in paradiso, dixitque Adam: *mulier &c.* S. Bernardus apud Tilmannum in allegoriis: Adam indignationi divinæ mulierem, pro qua peccaverat, objecit; quasi post tergum ejus volens declinare sagittam. Sed prudens Adam sciebat tutamentum viri in fœmina præparatum. Agnovit in ea Eva altera viventium matrem adumbratam; & ex ea nascituram ab omni labe immunem. Unde non est à Domino notatus Adam, quòd Evam in certamen, & discrimen, exposuerit. Arcones in Is. 1. 13. Disc. 3.

Rebecca diligebat Jacob. Gen. 25. 28. Rebeccæ patrocinio Jacob temporalibus signis abundat; at Esau orbatur matris favore nudus. Ut scias: quem Maria tuetur, cœlestem, & terrenam felicitatem fortiri; ea privari, cui illa non Patrona. Nax. tr. de B. V. §. 34. Patrocinium B. V.

Hæc est *Virga* Moysis Ex. 4. 2. per quam fecit signa in Ægypto; & ad quam in omni necessitate recurrebat. Rich. à S. Laur. l. 12. de laud. B. V.

Maria est *columna nubis*. Ex. 13. 21. quia, tamquam nubes, protegit ab æstu divinæ indignationis. Bonav. Spec. B. V. c. 3.

Populus *arcam*. Jos. 3. 14. Mariæ imaginem, secum defert: sicque ad Mariæ præsentiam evanescunt discrimina; ut mare terrenum iter vianti populo concesserit. Nax. cit.

Accipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi. 1. Reg. 25. Abigail placavit David verbis, & muneribus: Sic Virgo Deum precibus, & meritis. S. Bonav. in Spec.

Sensit Aman. Esth. 77. paratum sibi à rege malum. Ut id averteret, surrexit, ut rogaret Esther reginam pro anima sua; adeoque ardenter rogavit, ut dicatur ante lectulum ejus, sive adorabundus, sive tremebundus, cecidisse. Sed frustranea fuit supplicatio. Non ea erat Estheris, licèt sanctæ, pietas, ut suo vellet hosti patrocinari. Sed misericordiæ Ma-

Mater ab omnibus, etiam infestissimis hostibus, se exorari sinit. Mendoza in 1. Reg. 14. 3.

Expandit nubem in protectionem eorum &c. Ps. 104. De Mariæ nube dicitur. Ecce duo officia, ad quæ data est Maria, ut protegat à fervore Solis Justitiæ tanquam nubes; ut etiam contra diabolum quasi igneus murus; & contra vitia, & peccata. Richardus à S. Laur. l. 7. de laud. Virg.

Tenui eum, nec dimittam. Cant. Conqueritur Deus. Isa. 64. 7. *non est, qui consurgat, & teneat me*. Quid Deipara? *quia inveni, quem diligit anima mea*, novique eum indignaturum generi humano; *tenui eum*, idest, precibus meis tenebo eum, *nec dimittam irasci*. De Ponte l. 6. in Cant. Exh. 9. §. 6. Coriolanum insignem apud Romanos belli ducem, nihil ferè æquè delectavit, atque Matris suæ gaudium, certæ omnia suis ipsum precibus concessurum. Graviter ille à civibus suis offensus ad Volscos defecerat; & urbi jam hostis imminebat, funditus eam deleturus. Cùm remedia alia omnia deprecantes Quirites, Coriolani Matrem ad ipsum miserunt; ut iratum Patriæ placaret. Quam ubi filius aspexit; vicisti, inquit, iram meam Patria, precibus hujus admotis; cujus utero te, quamvis meritò mihi invisam, dono; continuoque Romanum agrum hostilibus armis liberavit: uniusque parentis aspectus, ut ait Valerius, bellum atrox salutari pace mutavit Valerius Max. l. 5. cap. 4. An. minoris Jesus Matrem suam faciet? nec iram remittet ad preces illius? Nierembergius de am. erga B. Virg. c. 5.

Opposuisti nubem, ut transiret oratio. Thr. 3. 44. Deo ad misericordiæ eloquium aptare possumus; scilicet opposuisse sibi nubem, nè effunderet indignationem, Ea nubes Maria, Numinis ardorem temperat: nè peccatores exurat, eorum peccata abscondit; nè illorum fœditas divinos oculos offendat. Naxera tom. 2. in Jos. 20. §. 10.

Ipse autem (Daniel) erat in foribus regis. Dan. 2. In foribus erat; ut regis amicus reperiatur ab ingredientibus: & ejus intercessione cives optata impetrent. Escobar Colloq. 11. Sic Maria adest in foribus Regis; ut facilè ab eis inveniatur, qui à Rege petunt salutem. Incert. Auth.

Quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa &c. Act. 3. 2. Glossa: Dei templum, locus Beatorum: hujus templi *porta speciosa* est B. V. Maria. Per hanc portam venit ad nos redimentum Filius Dei; & per eam deducit nos ad glorificandum. Si quis autem claudus est, ambulare non potens in via morum; ponatur per devotionem ad ipsam: erigetur divinitus, & fortificabitur ad feliciter gradiendum. Arcones in Is. 1. 13. Disc. 4.

Venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus. Act. 12. 12. Petrus, Herodis evadere cupiens insidias, utque securiùs degat; non remotas terras petit, sed domum Mariæ. Adeò enim inoffensè sub hujus nominis tutela vivitur; ut Petrus non remotas migret ad terras; sed ejus elegerit patrocinium. Naxera tr. de B. Virg. Patrocinium B. Virg.

§. II.

Exempla.

V*inum non habent*. Joan. 2. Assistit opportuno tempore intercessura pro nuptiis; cùm defectus vini, videlicet internæ lætitiæ, atque supernæ consolationis, adesset. Omnium hominum advocatam se sciens, quæ pro omnibus Creatoris facta fuerat mater; officium advocationis, & piæ axiliatricis, assumpsit, cùm videret inopiam. Quæ nec rogata, prævenit: acsi opùs non sit, ipsam precibus excitare; quæ omnem oculum suæ pietatis direxit in nos, præsciens indigentiam nostram, & se cunctorum matrem pietatis agnoscens; sollicita pro filiis irrequisita etiam ad divinum Filium intercessit. Sim. Cass. l. 2. de gest. D. c. 25.

Inclinato capite tradidit spiritum. Joan. 19. 30. In quam partem caput inclinavit? Picturæ collocant ad dexteram. Hugo Card. ex parte Matris suæ, quasi dicat: per ipsam veniam petit ipsa est oraculum misericordiæ.

Mercator Constantinopoli mutuò sibi datam à Judæo pecuniam, adhibita B. Virgine quasi fidejussore, coram ejus imagine promiserat, se statuto die redditurum: sicque, Judæo acquiescente, perrexit cum pecunia Alexandriam, ibique feliciter negotiatus est. Interim dies imminebat debiti exolvendi: atque ità propè jam aderat, ut tantillo tempore nec Alexandria Constantinopolim ipse mercator reverti; nec pecuniam suam per alium transmittere posset. Quid ageret; mirum init consilium, quod rara illi in B. Virginem fiducia suggessit. Conclusit debitam pecuniam in arcula, quam suo signavit annulo, cum hac inscriptione: Suscipe Abraham (hoc erat nomen Judæo Creditori) pecuniam, quam à te mutuò accepi. Hanc arcam pridie ejus diei, quo fuerat pecunia persolvenda, imposuit mari; Supplicans B. Virgini, ut ea in Constantinopolim in manus Creditoris dirigeret. Mirum! dirigente Virgine, per tot maris spatia, una nocte pervenit arca ad littus Constantinopolitanum: & quidem in manus ipsius Judæi, qui tunc in littore abambulabat. Sed non hic finis miraculi. Perfidus Judæus arcam absconderat; negabat pecuniam sibi redditam esse; eamus à Catholico debitore, Constantinopolim postea reverso, interposita magistratus authoritate, exigebat injustissimè. Imò ausus est (quia deficientibus aliis testimoniis ad hoc adigebatur) coram imagine B. Virginis jurare; se debitam pecuniam non recepisse. Vix juraverat; cum imago, palam omnibus, in has voces erupit: mentiris; quoniam arcam cum pecunia accepisti, & abscondisti. Perculsus Judæus scelus fassus est; & Deiparæ potentiam juxta ac misericordiam, agnoscens, in Christianæ Religionis statum juravit. Vincentius Beluacensis spec. hist. l. 7. c. 82.

Romæ in solemni supplicatione ad avertendam pestem, quæ vehementer grassabatur; dum B. Virginis imago à S. Luca depicta deferebatur; quemcumque subiret locum, statim optata salubritas illic subsequebatur. Tunc auditi sunt ab omnibus cantantes Angeli: *Regina cœli lætare! alleluja!* Quibus subjunxit S. Gregorius Pontifex divino edoctus instinctu, & totius populi nomine: *ora pro nobis Deum! alleluja*. Non ità post Angelus, qui stans super molem Hadriani, ensem nudaverat in supplicia, visus est eumdem in vaginam recondere, in signum impetratæ misericordiæ. Baronius tom. 8. A. 590.

Vir quidam probus, cum uxore, & filio probo, ad S. Jacobum Compostellam profecti, divertunt in domo cujusdam, cui adulta filia: quæ formosi juvenis amore capta, ad scelus invitat. Is repugnat illa, vertens amorem in odium, sub discessum ejus cuculło craterem patris sui clam imponit. Post discessum clamat puella coram parentibus; craterem ablatum. Prætor per satellites reducit; puella eruit craterem. Juvenis judicatus suspensus: miseri parentes Compostellam pervenerunt. Ubi, solutis votis, redierunt eo loci, ubi filius suspensus: quem mater lacrymabunda adiens audit filiam dicentem sibi: mater mea! noli flere super me; ego enim vivus sum: quia B. Virg. & S. Jacobus, me sustinent. Vade ad judicem; & dic ei meam innocentiam. Venit illa, & convenit Prætorem prandentem; qui gallum, & gallinam, assos scindere volebat. Prætor, inquit, filius meus vivit: jube solvi. Prætor ait: vivit filius tuus? vivit, ut vivunt hæ aves. Vix dixerat; cùm gallus, & gallina, saltaverunt; & gallus, cantavit. Prætor stupens vocat Sacerdotes, & cives: eunt ad suspensum; inveniunt sanum; parentibus restituunt: gallus, & gallina, transfertur in templum; ubi septennio vixerunt. Nierembergius l. 1. c. 1. de mir. natur. in Europa.

Henricus Suso, Ordin. Prædic. protectus à B. Virgine sub pallio. Bollandus 25. Jan.

§. III.

Ex Patribus.

COelum, & terra, jam pridem ruissent; si non Maria precibus sustentasset. S. Fulgentius l. 4. Mytholog.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater Salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. S. Bernardus s. 2. de Adv. Dom.

O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas, & tempestates, fluctuare; quàm per terram ambulare: nè avertas oculos à fulgore hujus sideris; si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum; si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentis; respice ad Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat ab ore, non recedat à corde. Idem hom. 2. Sup. Missus.

Optima sanè spes est; apud eam habere confugium, quæ scilicet inter omnes cœlestis curiæ Senatores impetrandi apud Deum primum obtinet locum. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 29.

Hoc debemus indubitanter credere, pro hoc incessanter gratias agere; quòd, sicut Maria omnibus Sanctis in cœlo est potior; ità quoque pro nobis apud Deum, præ omnibus Sanctis, est sollicitior. S. Bonaventura in spec. B. Virg. c. 6. apud Naxera tr. de B. V. §. 34.

Nemo, *Domina*, tam idoneus est, ut gladio Domini manus pro nobis objiciat; sicut tu amantissima. Idem ibidem cap. 12.

Securum accessum jam habet homo ad Deum; ubi mediatorem causæ suæ Filium habet antè Patrem; & antè Filium Matrem. Christus nudato latere Patri ostendit latus, & vulnera; Maria Christo pectus, & ubera: nec potest esse repulsa; ubi concurrunt, & orant omni lingua disertius, hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia. Dividunt coram Patre inter se Mater, & Filius, *pietatis officia*. Arnoldus Carnot. tr. de laud. Virg.

Advocati officium est; ut Clientis causam tueatur, & agat; non modò in judicio, sed armis quoque contra hostes. B. Virgo nostri patrocinium suscipit multò ardentiùs & effi-

cariùs, quàm quispiam Sanctorum; quia nos magìs amat; & totius generis humani curam Maternam in Filio accepit, Costerus Sup. Salve Regina.

Paupertas Mariæ.

Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Matth. 8. 20. id est, propriam domum. Sed nonne Maria, quæ erat unica suis parentibus, ex parte patris habuit domum parentum suorum? Et Joseph, qui adhuc vixit secundùm quosdam, propriam habuit domum? Respondendum: probabile esse; quòd Virgo beata omnia sua vendidit, & pauperibus elargita est; similiter Joseph, Aliter non implessent, quod Christus alios doçuit; & Apostoli perfecerunt: qui relictis omnibus, secuti sunt Christum Dominum, Dionysius Carthusianus hìc.

Tulerunt &c. Luc. 2. Defert Mater eum, velut oblationem novam, pro omnibus Mundi criminibus expiandis; & pro ipso piè obtulit munera paupertatis; insinuans præsentibus, atque posteris; quod Mundi divitias non habebat; & quòd nec in magni muneribus placatur omnium rerum Conditor; sed in affectibus, & in virtutibus magnis; quibus Virgo fulgebat. Sim. Cass. l. 2. de gest. Chr. c. 21.

Invenerunt puerum cum Maria. Matth. 2. 11. Cognoverunt sapientem, providam, verecundam, atque modestam, pauperem; & in ipsa paupertate lætantem. Sim. Cass. hìc.

Par turturum, aut duos pullos columbarum. Luc. 2. 24. Hæc fuit oblatio pauperum: nam divites agnum offerebant. Ex quo pater paupertas Mariæ, & Joseph. At nonne Maria à parentibus suis hæreditatem bonam suscepit? Nec dubium, quin tres magi pretiosa Christo dona obtulerint. Sed perfectissima Virgo, inspiranter ei spiritu Filii sui, omnia tenuissimæ necessitati, hoc est, parcissimo victui, ac tegumento; superflua per se, vel potiùs per manus Joseph, erogavit egenis. Nec reor, quod pregrinationi suæ cum Jesu, & Joseph, in Ægyptum aliquid notabile servaverit; vel tantam de crastino habuerit curam: quippe cujus spes in Deo perfectissima fuit; & quæ noverat, se Christum Dei sapientiam, ac providentiam, omnipotentem secum habere. Dion. Carthus. hìc.

Apta paupercula, aprè Christo sacra est Virgo Mater; ut pauperem in terris Genitricem haberet: qui, cùm omnium esset dives, egenus pro omnibus factus est. Sim. Cass. l. 2. de gest. Chr. c. 18.

Peccatores respiciens.

Abscondit se Adam, & uxor ejus, à facie Domini DEI in medio ligni paradisi. Gen. 3. 8. Lignum hoc, lignum vitæ fuisse, tradunt nonnuli. Cucurrit ad vitæ lignum; quia jam pectore mortis cruciabat venenum. Nunquam inducam animum, ut putaverim, Adamum voluisse Numinis oculis subtrahi; ut eluderet scientiam; sed ut frustraretur vindictam. Erat arbor illa Deiparæ umbra: agnovitque Adamus, umbram Deiparæ opportunum peccatoribus esse perfugium. S. Ephrem orat. de Deip. ave lignum vitæ, gaudium, & voluptas. Naxera tom. 2. c. 20. §. 10.

Et peccatoribus *civitas refugii.* Ex. 21. Hum. 35. Viæ, quæ ad eas ducebant, complanatæ erant; ut nullum esset obstaculum, quod homicidam in via impediret. Oleaster hìc.

Ecce famula tua sit ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei. 1. Reg. 25. 40. Maria signata est per illam Abigail. Bonaventura in spec. Lect. 10. Per benedictam ancillam Mariam quasi tot servi Domini toti sunt, quot Fideles ejus suffragiis à peccatis mundati sunt. Ipsa enim tot servorum Domini pedibus aquam obtulit, quot pœnitentibus lacrymas compunctionis obtulit.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora? Cant. 6. 9. Luna licet in nocte, aurora in diluculo, sol in die: nox autem est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo jacet in nocte culpæ; respiciat lunam, deprecetur Mariam. Qui ad diluculum pœnitentiæ surgit; respiciat auroram, deprecetur Mariam. Innocentius P. s. 2. de Assumpt.

Elias turbine tegitur, ut peccatores videret. Eccl. 48. 13. Tibi, peccatores cernere, grave spectaculum; nihil verò, qui sum Dominus, lex de humanitate præscripta est, meipsum debitorem clementiæ constitui. Tu ergo sub diversorium à peccato liberum; carne vestitus cum Angelis conversare. Ego verò ad homines per Incarnationem veniam; ego in eorum salutem curram. Virgo sub Spiritus umbra est; ut peccatores à divinæ justitiæ æstu subduceret; eorum protectio fieret, & umbraculum. Basilius Seleuc. In Maria, velut in horto condenso, & umbroso, invenitur umbra propitiationis. Ad hoc enim adumbravit eam virtus Altissimi in filii conceptione; ut ipsa precibus suis, meritis, & exemplis, obumbraret peccatoribus contra fervorem divinæ iracundiæ. Richardus à S. Laur. l. 12. de laud. Virg. Refert S. Petrus Dam. & Salmeron tom. 10. tr. 40. Ideircò bonum latronem respuisse; quia B. Virgo inter Crucem Filii, & crucem latronis, posita Filium pro latrone deprecabatur.

Probatica piscina. Joan. B. Virginem significavit, Blesensis s. 1. in adv. D.

Et in utero habens clamabat parturiens; & cruciabatur ut pariat. Apoc. 12. 1. Non de partu Christi loquitur, sed peccatorum. Peccator est filius doloris Bennoni B. Virgini. Parit, & stellis coronatur. Nempe fœminæ hujus gloria est, quòd peccatores parturiat. Paulus fratres in Christo coronam suam vocabat. Philipp. 4. 1. Incert. Auth. Ipsa de cubilibus leonum & de montibus pardorum, dicitur coronari. Et nota: quòd Apoc. 12. dicitur Maria coronari de stellis. Quid est hoc? nisi quòd feræ per gratiam, & orationes, Mariæ sunt stellæ. Richardus l. 3. de laud. Virg.

Pœnitentia.

Maria est *fluvius Jordanis*, 4. Reg. 15. 14. in quo ad præceptum Elisæi, restituitur caro Naaman leprosi, sicut caro parvuli pueri; si in eo abluatur. Per hunc Jordanem transeunt Israelitæ veri in terram promissionis. Ita nos transeuntes à malo in bonum per pœnitentiam, devotè Mariam collaudantes, per eam introducemur in terram promissionis. Richardus à S. Laur. l. 9. de laud. Virg.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris? Cant. 3. 6. Rupertus: talis fumi virgula tu, ò Maria, suavem odorem spirasti Altissimo, cœlestibus disciplinis erudita, atque extenuata. Intercessionis, & pietatis, spiramina redolebat, abolens fœtorem scelerum, & vitæ æternæ odorem exhalans; complens Dei nares fragrantissimis odoramentis: per myrrham excitat ad dolorem criminum, & pœnitentiæ amaritudinem. Et benè fumum exhalat, qui solet ciere lacrymas. S. Bonaventura in spec. 12. desertum est cor peccatoris, desertum à gratia, & virtutibus. Fumus aromaticus, fumus suavis animæ, est aspiratio spei veniæ. B. Virgo Maria per desertum quasi virgula fumi ascendit, quando, ipsa suffragante cor peccatoris fumum spei veniæ suscepit. Nullum piissima Virgo desertum abhorret, nullum peccatorem despicit; sed, quocumque pertransierit, suavissimum spei veniæ fumum respergit. Arcones in Is. 1. 13. Disc. 3.

Nostræ novæ Religionis, & pœnitentiæ est Magistra. S. Ignatius M. ep. 13. Joannis S. Seniori.

Naufragis omnibus tutus pœnitentiæ portus est mater nostra misericordiæ. Arnoldus Carnot. tr. de laud. Virg.

Hæc est, post Filium suum, præcipuum refugium peccatoribus; quò post lapsum fugiant, consilium, ut pœniteant; auxilium, ut convertantur, nè pereant. Confessionem, & pœnitentiam in hominibus desiderat peccatorum; ut pro illis occasionem habeat deprecandi. Galfridus Abb. in omni festiv. B. Virg.

Prudentia.

Cogitabat, qualis esset illa salutatio. Luc. 1. 29. Hæc erat magna prudentia: continebat enim profunditatem sapientiæ; de qua Sap. 6. 16. *Cogitare de illa, sensus est consummatus.* Den. 4. 16. *Cœpit intrà semetipsum tacitus cogitare &c.* S. Bonaventura hìc.

S. Ephrem s. de laud. Virg. B. Virginem, Principem omnium prudentissimam, & sagacissimam, Damascenus sapientiæ thesaurum. Illa paradisi hortulana Eva nimium credula, simplicitate, & imprudentiam Maria correxit, cùm ab Angeli affatus prudentissimè subjecit: *quomodo fiet istud?* Quòd si, Salomone teste, Prov. 10. 19. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est*; Virgo præ omnibus prorsus hominibus longè prudentissima erit dicenda. Apud Drexelium in Ros. select. virt. p. 2. c. 1. §. 1.

Prudentibus cunctis ipsa prudentior; dum præ omnibus id solum elegit, quo melius inveniri nequit: præcavens, quidquid eò potuit minimum ad offensam; adinveniens, quidquid per rationem, & virtutem, inhæsitanter placet. Sim. Cass. l. 2. de gest. D.

Pulchritudo.

O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! O Dei genitrix, pulchrorum omnium summum ornamentum. Gregorius Nicomed. orat. de oblat. Deip.

Purgatorium.

Sum Mater omnium, qui sunt in Purgatorio: quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis, pro peccatis suis; in qualibet hora, propter preces meas, quodammodo mitigantur. Revelat. S. Brig. l. 4. c. 138. V. B. V. Vide Assumptio.

Purificatio.

Hodie mitissima *columba olivæ ramum ferens.* Gen. 8. templum ingreditur: jam amicitia inter Deum, & hominem, restauratur. Diez conc. 1. in Purif.

Jacob. Gen. 32. 18. ex Mesopotamia redux, timensque fratrem suum; ut eum leniret, munera illi misit. Postea sua in tres turmas divisit, & ultimo loco decoram Rachelem cum puero Joseph. Gen. 33. 2. Fortè prudenter considerans; quòd licèt Esau munera non respiceret; saltem Rachelis pue-

puerique forma mitigaretur. Sic Mundus irato Deo multa in lege naturæ, & scripta, obtulit sacrificia: postremo tandem loco, cùm hæc ad illum mitigandum non sufficerent; pulcherrimam Rachelem cum Joseph obtulit; quæ est B. Virgo, pretiosissimum infantem Jesum brachiis bajulans: quod munus ei infinitè placuit. Idem ibidem.

In hac sacratissima die per manus amorosissimæ Virginis, tanquam à communi Matre Salvatoris, & salvandorum, in loco communi, idest, in sancto Dei templo; communi personæ, videlicet sanctissimo Simeoni; tanquam authentico, & legitimo, Mundi Procuratori, humano generi facta est donatio Jesu Christi, Dei, & hominis: atque Ecclesia, Sponsa Dei in possessionem doni introducta est. Proinde in persona humani generis Propheta ad Dominum ait: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Ps. 47. 10. S. Bernardinus tom. 3. tr. de B. Virg. s. 10. de Purif.

Donavit & B. Virgo Filium suum humano generi, dicens Simeoni: Novi, fidelissime Procurator Mundi, quibus egeat Mundus; quare illum contulerit mihi Deus. Pro Mundi salute mihi donavit illum: quia *sic* Deus dilexit Mundum &c. Dono igitur illum etiam ego: dono illum in donum illuminationis, in exemplum conversationis, in prœmium glorificationis. Novi, quid dono: ipse est verus Agnus, qui tollit peccata Mundi. Nec solum Filium meum; sed & meipsam super hoc donum dono: atque ipsorum advocatam, genitricem, tutricem; nec non & thesaurorum Filii mei dispensatricem, charitate inviolabili repromitto. Idem ibidem.

Viderunt oculi mei salutare tuum &c. Luc. 2. 30. Dum virgineis in brachiis salutare omnibus Lumen; ruina verò, & resurrectio, ad manum Simeonis translatus. *Ecce positus est hic in ruinam.* Luc. 2. 34. S. Bernardus s. 2. de Purif. hodie placabilis, & Deo placens, hostia virgineis manibus offertur in templo. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Ps. 47. 10. Modò illuxisse Mundo decantat misericordiam; cùm antea cœlicolis misericordiam, & hominibus decantasset judicium. *Domine, in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Ps. 35. 6. Antequam brachiis virgineis portabatur, in cœlicolis misericordiam ostentabat; veritatem in homines; jam misericordiam in homines largè effudit. Naxera tr. de B. Virg. §. 29.

Verè, o B. Virgo! non habes causam; nec tibi opus est Purificatione. Sed nunquid Filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum: nam & Filius tuus sic est in numero puerorum. S. Bernardus s. 3. de Purif.

Quis hodie cereum gestans in manibus non statim illius Senis recordetur; qui hodie Jesum accipiens in ulnas suas, verbum in carne, tanquam lumen in cera; ipsum esse Lumen ad illuminationem gentium perhibeat. Guarricus s. in Purif.

R

Resurrectio.

SImon Cass. l. 14. de Resurr. Salvatoris, rationem reddens, cur B. Virgo cum aliis mulieribus ad sepulchrum non venerit, ait: quia Filius resurgens ipsam præhonoraverat, velut præ cœteris in sui morte dolore perfusam; & diligentem ardentiùs, & expectantem anxiùs resurgentem. Et præhonoranda erat in Resurrectione Virginitas, quæ in Incarnatione ipsum ad hoc susceperat, ut pro nobis moreretur, atque resurgeret. Et dignum erat, ut quæ natum priùs ipsa prior adoravit, atque sola suscepit de terris, quòd priùs aspiceret regressum ab inferis. Ipsa siquidem Angelorum & hominum, jam facta Regina; & super omnes Virtutes præfulgens, meruit in novitate cœlesti altiùs honorari. Id dixerim ante omnes aspicere Filium resurgentem; non quia Mater, sed quia charitate pollentior. Et quia omnia ordinatè disponit, jure servandi ordinis, hanc singularem in virtutibus fœminam resurgens à mortuis, primitus suam exhibendo corporalem præsentiam, honoravit; terminum dando singultibus; cujus cor doloris machera perfoderat.

Quando sol oritur, statim apparet in altiori monte, & postea aliis; dein in planitie camporum, & convallibus. Inter omnes puras creaturas mons altior est B. Virgo. Et Sol Christus in resurrectione resurgens statim apparuit huic monti, dein aliis. Diez Resurrectio.

Rosa.

Rosa veris speciosa. S. Bonaventura in Litan. B. Virg.

Rubens rosa charitatis ardentissima. Blosius p. 2. parad. an.

B. Hermannus Josephus B. Virginem communiter Rosam appellabat. Bollandus 7. Aprilis.

S

Sabbatum.

DOmina nostra omnem diligit, omnibus succurrit, pro omnibus intercedit pro omnibus Advocatam se fecit; nec ullum à charitate secludit. Propter hoc est Lunæ assimilata. Cant. 6. 9. Quia, sicut luna, quæ inter corpora cœlestia, & terrena est media: & quod ab illis accipit, ad inferiora refundit. Sic & Virgo Regia inter nos, & Deum nostrum est media; & gratiam ipsa nobis refundit. Et hæc est ratio, quare dies Sabbati appropriatur ei: quia, sicut dies Sabbati inter diem Passionis; & Resurrectionis, est remedium; nec est diei transitus à die Veneris usque in diem Dominicum, nisi per Sabbatum. Sic Domina nostra est medium inter nos, & Deum: nec nisi per eam ad primum est pervenire principium. S. Bonaventura s. 14. in Nat. D.

Cur Sabbato cantatur officium de B. Virgine? quia est porta regni cœlorum, quod commodè per Dominicum figuratur. Belethus rat. div. off. c. 51.

Sabbatum est janua, & introitus, in diem Dominicam, quæ est dies requiei; & significat vitam æternam. Quia verò Deipara est nobis porta ad regnum cœlorum, quod per diem Dominicam significatur: ideò de illa solemnizamus septima die, quæ diem Dominicam præcedit. Durandus 6. Rational. c. 29.

Visebatur Constantinopoli imago Virginis, quàm tegebat velum tota hebdomade; nisi quod feria 6. post Vesperas, nullo mortalium movente, attollebatur, & reducebatur ab imagine; usque dum, celebratis in Sabbato Vesperis, iterum ante eamdem imaginem devolveretur, eamque, ut prius, velaret. Spinellus c. 29. n. 17. ex Durando.

Variè in Sabbato cultu.

S. Ludovicus Rex Gall. solebat singulis diebus Sabbati privato in cubiculo pedes lavare egenorum, osculari. In vita.

S. Radegundis Clotarii Regis Regina conjux quot hebdomadis ipso Sabbato ipsa leprosorum unum manibus blandè abluebat; & iis, quos eodem die ad mensam adhibebat, egenis convivis ipsa serviebat ancilla. Nadasi Sabbato 8.

Alutarius in sutrino B. Virginis iconem, accensa quolibet Sabbato lampade, colebat fusis precibus cum uxore, liberis, & familia. Die quadam nubifragium octuaginta domos abstulit, ducentas quassavit; pluribus pereuntibus ipse salvus. Domi tota supellex natabat, orantibus uxore & liberis. Ubi aqua resedit, venere in domum admiratores; qui lychnum Sabbatinum ardere, intactam ab aquis imaginem, & salvam conjugem stupent; cùm tamen aquam stetisse viderent altiùs, quàm & imago, & lampas, & fœmina & liberi fuerint. Bentius in Annuis S. J. Lusitaniæ.

Fœmina, hactenus carnivora diebus Sabbatinis, persuasa abstinere, feliciter puerum, & puellam, sterilis peperit. Idem in annuis Austriæ.

Duo probi Sacerdotes proximum in itinere templum conspicati, cùm sacro apparatu instructi essent; eamus, ajebant: & quia Sabbatum est, Deum in Maria Sacro veneremur. Ergo eorum alterum Sacro intentum hæretici rapiunt, lingua mutilum, & seminecem, relinquunt. Abductus à comite ad Cluniacense cœnobium. Nocte Epiphaniæ, cùm alios ad matutinas laudes abire sentiret, baculi strepitu unum advocat, & signis petit ad sacram ædem deferri. Orat corde elinguis: adest B. Virgo, manibus linguam ferens; cùm in Sabbatino, inquit, Sacrificio linguam amisisset, novam se illi dare. Et os aperire jusso linguam imposuit candidam; orat clara voce, stupentibus omnibus, Salve Regina. Cæsarius l. 7. dial. c. 24.

Rusticus messor die Sabbati falcarios socios adhortatus, ut labore sub adultum jam Sabbati tantisper intermisso, ad sacram ædem, & preces, se conferrent. At surdis cecinit. Ergo ipse falcem cum Rosario commutat, templum adit, confiretur, Dominica communicat, Lunæ ad falcem redit. Irrisus à sociis, quòd isti agellum suum jam messuissent, ipse verò haberet adhuc metendum. Patienter tulit: verùm pro more à cruce laborem inchoans, immissa messi falce, & primo tactu, magnum auri obryzi pondus laxus invenit cum hac epigraphe: hanc illi auri massam à Deo, Deique Matre mitti, in *signum Sabbati honorati*; in cœlo autem æternam coronam ei paratam. Cantipratanus l. 2. c. 50.

S. Gerlacus Ruremund. Divæ Virginis honori singulis Sabbati diebus ad Aquisgranensem. Deiparam visitandam nudis pedibus peregrè ire solitus. S. Servatii verò reliquias summo manè quotidie, molesto licèt itinere, visitavit. Hic *sanctus*, cùm jam non ad Aquisgranensem, verùm ad cœlestem, Deiparam, per itinera æternitatis adeundam, se componeret; nullus aderat Sacerdos in agone luctanti. Ergo à Deipara S. Servatius submissus est sola candida gloriosus; qui Gerlacum omnibus præsidiis communivit. Bollandus 5. Jan.

Sutor, Deus dedit, quidquid lucri per hebdomadam referebat, id omne erogabat in pauperes Sabbato; tenui tantum victu,

victu, ac necessaria veste, ut plus dare posset, contentus. Quare visa est pretiosè magnifica domus Deo architecto fabricari; sed singulis Sabbatis tantùm; alias non: crescebat domus singulis Sabbatis. Is, qui hoc vidit miles, dixit; laterculos aureos certatim collados ad ædificium domus à senibus, & juvenibus, pueris, ac puellis. S. Gregorius dial. l. 4. c. 36.

Juvenis liberali forma, ære, ac pætulantia, instructus ad scelus; à Virgine, quàm perditum ibat, repulsam passus est non invitus: quando illum & præsentis tunc diei Sabbati reverentia, & Mariani nominis, quo innocens illa pro argumento tuendæ puritatis utebatur, religio permovit ad generosam de hoste victoriam. Pepercit pudori Mariæ; Virginem in cœnobio cum dote, quæ illi unica ad ingressum deerat, collocavit. Hunc postea eidem in cœnobio Virgini Beatissimæ Mater necessariis ad mortem sanctè obeundam præsidiis instructum vita cessisse dixit; ob illam victoriam, ideoque cœlo assertum esse. Corpus verò illius condi jussit; utpote quod rosa ornasset. Itum, ut est in anno Mariano Sabbato 18. Et ecce rosa è tumulo ex ipso adolescentis corde in altum excrevit. Nadasi Rosa 37.

B. Catharina Palautina, in Ducatu Mediolanensi tenella adhuc, singulis Sabbatis millies Ave Maria recitare in consuetudinem assumpsit. Bollandus 6. April.

Sacerdotum gloria. Amedeus hom. 8.

Salutatio Angelica.

§. I.

Explicatio, præstantia.

AVe. Verè ei dicitur ave; quæ ab omni væ culpæ immunissima fuit. S. Bonaventura in spec. B. Virg. c. 1.

Rarò in Veteri Testamento salutatione Angelica quemquam honoratum reperies. Non salutatur Abraham, cùm extollitur titulo fidei. Non saluratur, cùm jugulatis quinque regibus, erepto Lothon, revertitur; neque cùm filium immolare jubetur. Non salutatur Moyses, cùm de rubo eum Deus alloquitur. Annuntiato Christo salutationes incipiunt jam proximo Jesu, qui est Salvator Mundi, salute non procul posita. - Salutat Angelus Mariam; nec multò post Elisabeth occurrit & ipsa salutans. Salutant Angeli post resurrectionem sanctas mulieres; salutat ipse Christus Discipulos. Arnoldus Carnot. tr. de laud. B. Virg.

Herva. Gen. 3. 20. Septuag. *vita.* Hebr. *have*, idest, vive; quæ vox est salutantis. Pro *have* Latini dicunt *ave*. Cornelius hìc.

Arch-Angelus Gabriel nunc quoque in cœlis regium præfert vexillum aureis inscriptum literis Ave Maria. Revelat. S. Mechtildis l. 1. c. 1.

Testantur historiæ urbis Cæsar-Augustanæ in Hispania, & Didacus Mucillo in historia de fundatione miraculosa Sacelli Angelici B. Virginis: ubi audivit, inquit, aliquamdiu S. Apostolus Jacobus musicam cœlestium Spirituum; & observavit, iterasse illa verba: *Ave Maria! gratia plena, Dominus tecum.*

Prima omnis sapientiæ, & salutaris doctrinæ in Novo Testamento illa nobis salutatio à Patre luminum immissa est. S. Gregorius Thaum. hom. 2.

§. II.

Quibus in usu.

SAlutationem tibi Angelicam, ò Virgo! omnes incorporeæ legiones; item Chori Patriarcharum, Prophtæ, Apostoli; unaque divinæ Religionis Antistites venerandi; præterea Martyres; item reliquæ stationes Sanctorum; & denique agmina Justorum universa decantant. S. Germanus Patr. Constant. Ex. Menol. 18. Jan. in Vesp. de SS. Athanasio, & Cyrillo.

B. Maria Ogniac. aliquando intrà diei, & noctis, spatium millies, & centies, genuflectens salutabat Deiparam. Surius in vita.

S. Thomas Aquin. puerulus à nutrice balneatus chartulam parvam humo levavit: quam cùm illi eripere vellet, ejulavit; permisit illi: clausa manu balneatus, absterfus, indutus, ad matrem portatus. Mater manum ejus aperiens reperit chartulam nil aliud continentem, nisi *Ave Maria*; Bollandus 7. Martii.

B. Margarita Ungarica V. filia Belæ regis Ung. in singulis festis B. Virginis, ac intrà octavas offerebat B. Virgini mille salutationes angelicas; & ad singulas earum prostrationes faciebat. Bollandus 28. Febr.

Venerabilis Ida, quam aliqui Beatam appellant, Virgo Ord. Cisterc. Lovanii, per longum tempus diebus singulis mille ducentis vicibus genua flectit, & Deiparam salutat. Idem 13. April.

S. Catharina Sen. quinquennis edocta salutationem angelicam, illam ascendendo, aut descendendo, per gradus, ad quemlibet flexo genu persolvebat. Vitæ p. 1. c. 1.

Ignatius Martinus in Lusitania catechizans, & rogans, quis vellet salutare B. Virginem? omnes pudebat. Et ecce infans in ulnis maternis insonat: *Ave Maria*, tum progressi: *gratia plena*. Nierembergius nat. hist. l. 3. c. 20.

§. III.

Prœmia, & miri effectus.

IPsa nos libenter salutat beneficio, & consolatione, si nos eam frequenter salutamus servitio, & oratione. Libenter nos salutat cum gratia; si libenter eam salutamus cum Ave Maria. S. Bonaventura spec. B. Virg. c. 4.

Si mille *Ave Maria* dicis in die devotè, milles à Virgine resultaris. S. Bernardinus tom. 1. s. 52.

Invitat nos ad salutationem Mariæ Gabrielis exemplum: nam, si eam salutaverimus, non est tam rustica, ut sine resalutatione dimittat. Hugo Card. in Luc. 1.

Cœlum gaudet, stupet omnis terra, cùm dico, *Ave Maria*. Sathan fugit, Infernus contremiscit; cùm dico, *Ave Maria*. Abscedit tristitia, venit nova lætitia; cùm dico, *Ave Maria*. Torpore evanescit, cor ex amore liquescit; cum dico, *Ave Maria*. Crescit devotio, oritur compunctio, spes proficit, augetur consolatio; cùm dico, *Ave Maria*. Thomas Kemp. soliloq. an. c. 23.

De Bustis s. 1. p. 12. ait, aviculam à pia virgine, à qua alebatur, *Ave Maria* garrire didicisse. Abjerat illa aliquando è sinu longiùs: & ecce milvum Necessitas *Ave Maria* suggessit: & ecce milvus in terram decidit mortuus; avicula evasit. O quot milvus infernalis aviculas raperet, si non salutassent sæpe Mariam.

Henricus Suso, Ordin. Prædic. manè B. Virginem salutans cœlesti cantu recreatur. Bollandus 25. Jan.

In Polonia Laicus quidam, in Ordine nostro Conversus, erat; nullam aliam orationem, præter salutationem Angelicam, addiscere potuit; quam nocte dieque, piè recitabat. Ex mortui ore excrevit arbor, cujus singulis foliis, distinctis literis impressum, *Ave Maria*. Cæsarius hom. in D. 9. post Pent.

B. Joannes de Deo gravem tempestatem in mari sedat salutatione Angelica. Bollandus 8. Martii.

Sanctitas.

Talis profectò erat; ut nulli usui servaretur, nisi divino. S. Laurentius Just. serm. in Annunt. B. Virg.

Virgo Maria super omnes fuit spiritualior, quia fuit Christo propinquior; quia ipsum portavit in utero novem mensibus. S. Vincentius Ferr. s. de SS. Philippo, & Jacobo.

Sermo.

Mansit autem Maria &c. Luc. 1. Dignum, suaque, duxerunt insimul ad tempus conturbernium facere; divinum ad invicem possint habere colloquium: quarum mens nihil disputare noverat de terrenis, quæ dona cœlestia in anima, & corpore gestabant. Quantum eis gaudii credimus affuisse, dum de divinis solæ confabularentur: dum referebant, quod non propriis meritis, sed ex divina gratia, talium fœtuum factæ fuerunt portatrices. S. Anton. 4. p. tit. 15. c. 15.

Plus cum Deo quàm cum Angelo, vel hominibus, locuta est Maria? ex quo bis Angelo, bis hominis, ter autem Deo, locuta est. S. Bonaventura spec. B. Virg. c. 2.

B. Virgo depingitur cum majori oculo, quàm ore; ut pater in imagine, quam pinxit S. Lucas: ad indicandum; quod habuerit oculum cordis magnum, ad cogitandum, & contemplandum, sed os parvum ad pauca loquendum. S. Vincent. Ferr. serm. in Vigil. Nat. D.

Solitudo.

Fons signatus. Cant. 4. 12. Utpote quem neque ferarum pes sordidet, nec pulvis perturbet. Hunc ergo fontem, quem adeò sedulè clausum dixerat; jam cunctis floribus, viretisque, amœnos subministrare latices ostendit. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Cant. 4. 15. Contraria sibi sponsus dixisse videtur: si enim sigillo clausus; quomodo jam impetu fluens, & hortorum flores abluens? Imò, ut copiosiores hortis aquas impertiatur, priùs est signatus, & clausus, sigillis. In abdito acquisivit, quos ditior postea latices plantis omnibus propinaret. Naxera tr. de B. V. §. 16.

Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti. Is. 16. 1. Rupertus ad illud Cant. 3. quæ est ista, quæ ascendit per desertum: Maria ascendit per desertum, idest, animam habens valde solitariam. Sicut Esther 14. 3. Regina potest dicere *adjuva me solitariam.*

Disce Virginem moribus, disce Virginem verecundia, disce Virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret; solus Angelus reperiret. S. Ambros. l. 2. in Luc. c. 1.

Sola erat Maria, & loquebatur cum Angelo. Sola erat, quando supervenit in eam Spiritus S. & virtus Altissimi obumbravit eam. Sola erat, & operata est Mundi salutem, & concepit redemptionem universorum. Idem ep. 41.

In-

Ingressus Angelus ad eam &c. Luc. 1. Non enim in plateis erat; non in publico morabatur: intus erat, in penetralibus sola sedebat. Eusebius Emiss. hom. in fer. 4. Dom. 4. Adv. Nunc, ubi ipsam invenit, demonstrat. Non foris in plateis civitatis vagabundam, sed intus in domo solitariam. Illi enim, qui foris sunt, idest, in publico, non merentur, à Deo per Angelum salutari, &c. Hugo Card. hìc.

Turbata est in sermone eius. Luc. 1. 29. Quid egit Angelus, ut omnem Virgini trepidationem admiret? Ex nomine illam vocavit: *ne timens Maria.* Vix illa nomen suum audierat, quando conquievit. Nam reputabat apud se: ego domo nunquam prodeo, nomen meum omnibus incognitum est. Ergo Propheta Dei est juvenis; Deus hoc illi indicavit: ergo à nuntio Dei nihil timendum. Didacus Nyss. s. 6. Dom. 4. Quadr. §. 4.

Ingredi eò poterant Angeli, quò homines non admittebantur. Quæ hominum conversationem fugit, ad Angelorum visitationem disponitur. Diez conc. 2. de Incarn. Dom.

Cum festinatione ivit; quia nolebat diu in publico videri. Medit. vitæ Chr. c. 5.

Mansit Maria, cum illa quasi mensibus tribus; & reversa est in domum suam. Luc. 1. 56. Rediit autem: quia circa Elisabethæ partum magna hominum multitudo ad Zachariæ ædes confluxura erat. Virgo autem sanctissima, virgineo quodam pudore tenta, hominum conspectum declinabat. Titus Bostrensis.

Spes Nostra.

Salve spes desperatorum, & afflicti generis nostri resocillatio. S. Joan. Damasc.

Ipsa est spes pœnitentium, solamen lugentium. S. Bonaventura in Psalterio.

Spiritus Sanctus.

An donum linguarum datum etiam B. Virgini, & aliis præsentibus mulieribus? Actor. 2. 3. Negat Cajetanus. De B. Virgine est certum: quia magistra magistrorum, & Doctrix Apostolorum. Ergo donis Spiritus S. magis repleta, quàm ipsi Apostoli. Secundò fugit in Ægyptum, & cum Ægyptiis locuta Ægypticè. Sylveira hìc.

Quicumque radios, à gratia Spiritus S. projectos haurire oculis cupimus; illud, inquam, inocciduum divinis Luminis jubar; omnes ad gratiæ fontem, idest, ad Genitricem Creatoris, accurramus oportet. Ad ipsius enim votum, summa quæque dona, Fidelibus communicat Deus. Philotheus Patriarcha ex Menol. 16. Julii ode 3.

Stella.

Non dixit, *stella stabat* supra puerum; sed *suprà, ubi erat puer.* Matth. 2. 10. Ubi enim erat puer, nisi in sinu Matris; Stabat stella supra stellam: Maria enim *stella maris* interpretatur. Stabat stella, & clamabat: habet enim linguam suam; significando loquebatur. Sed quid significabat? quid dicebat? vis audire, quid? hic puer est; hìc est Mater pueri: hic eum quærite; hìc eum invenietis. Eusebius Emiss. in Epiph. Dom.

Maria stella matutina est, lucens, antequam dies erat: quia ortus Mariæ præcessit ortum diei, idest, Christi, qui est Lux, & dies. Hæc est stella, quæ vincenti promittitur in prœmium. Apoc. 2. 28. Richardus à S. Laur. l. 1. de laud. Virg. c. 3.

Maria interpretatur stella maris-quæ navigantes per mare Mundi in navi innocentiæ, vel pœnitentiæ, dirigit ad littus cœlestis patriæ. S. Bonaventura spec. B. Virg. c. 3.

T

Temperantia.

UTerus ille, qui Deo incarnato gravidatus est, nunquam in cibo, & potu, intemperato gravatus est. Idem c. 4.

Templa.

Sola Roma magnifica templa in B. Virginis honorem ad sexaginta tria, quot Salutationes Angelicæ in Rosario, exædificavit; illaque studiosè frequentat, & devotè colit.

In Hispania, post diligentem inquisitionem, reperta sunt templorum B. Virgini Mariæ dedicatorum octuaginta millia: vixque ibi colliculus aliquis, insignior, amœniorve, conspicitur? quem non Sacellum aliquod, aut ædicula Mariana, exornet, & coronet. Nierembergius de amore erga B. Virg. c. 10.

Tentationes.

Debbora. Judic. c. 8. quod Hebr. idem est, quod *apis*, typus B. Virginis; peperit victoriam de diabolo. Barac noluit ire ad conflictum, nisi comite, imò Duce Debbora. Sic B. Virgo Virginum, Apostolorum, Martyrum, Sanctorum omnium, antesignana omnes præit verbo; & exemplo hortatur, ad generosè cum carne, Mundo, & dæmone, certandum. Incert. Auth.

Sicut cinnamomum aromatizans odorem dedi. Eccli. 24. 20. Pausanias in Bœoticis lib. 9. scribit: in Arabia plurimas viperas sub balsami arboribus latitare; easque sub illis commorantes balsami pastu venenum amittere; ipsarum item morsus ob in esse innoxios. At verò præsidio B. V. quæ est mysticè balsami arbor, dæmonibus, per serpentes significatis, venenum adimitur; ne eorum morsus, & nefariæ suggestiones, ejus clientibus noceant. Cornelius hìc.

Domine! salva nos, perimus. Matth. 8. Maria nostra est susceptio: nam in mari Mundi submerguntur omnes illi, quos non suscipit navis ista. Unde Sap. 14. *transeuntes mare*, idest, Mundum, *perratem*, idest, Mariam, *liberati sunt.* Ideo, quoties videmus insurgentes super nos fluctus hujus maris; clamare debemus ad Mariam: Domina! salva nos, perimus. Richardus à S. Laur. l. 11. de laud. Virg.

V

Verbum Dei.

ECce Mater tua, & fratres tui, foris stant. Matth. 12. 47. Profundè subdita silenter stabat ad verbum; cedens doctrinæ publicæ pro publica utilitate potiùs, quàm vellet sibi Filium reducere in privatum. Nec ipsa dixit, quod ille Judæus protulit, quòd ei loqui vellet. Sed aut Christum increpare satagens, quòd ex paupercula natus esset; aut humanè discretus ad Matrem, autumans ipsam assistere præ foribus præstolantem, ut Filio loqueretur. Simon Cass. de gest. D. l. 2. c. 26.

Maria autem conservabat omnia verba hæc &c. Luc. 2. 19. Si Maria à pastoribus discit, cur tu declinas discere à Sacerdotibus? S. Ambros. hic. Audit ab Angelis Maria omnium Magistra virtutum; & velut à sapientibus verba deprompta custodit. Humilitatem suam protestatur, quòd audit ab eis, quibus est ipsa superior; & affectum movet in prolem. Simon Cass. de gest. D. l. 2. c. 20. Quid est conferre in corde? nisi studiosa meditatio mentis veritatem rerum potissimùm investigans. Exemplo novæ Virginis Matris animemur: ut interna mente mysteria meditemur; ut fide nos vivificent, spe erigant, dilectione pascant. Idem ibidem c. 21. O Mater sapientissima! nobis conservabat, & memoriæ commendabat: ut postea ipsa docente, ipsa narrante, scriberentur, & universo Mundo prædicarentur. Ab ipsa enim hæc Apostoli audierunt, &, ipsa dictante, scripserunt. Eusebius Emiss. in aurora Nativ.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Joan. 8. 47. Aures debent esse duæ, scilicet intellectus & affectus, ut audiat, qui ex Deo est, exemplo Mariæ. Humiliter pro se, sicut ipsa audivit Angelum; patienter contra se, sicut ipsa Filii irrisores. Non debent moveri aures, nisi moto capite, idest, nisi ad ea, quæ Deus vult; quia aures sunt de ipso capite. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Sic per omnia, & tantùm sic movebatur Maria. Richardus à S. Laur. l. 5.

Victoria.

Joannes Zemisces Orientis Imperator, dum, deleto Bulgarorum rege, & regno, Constantinopolim cum triumpho regreditur; ipse albo vectus equo, venerandam verò Augustissimæ Virginis imaginem in curru triumphali, substratis ejus pedibus hostium spoliis, victricem deferri jussit. Zonaras tom. 7.

Joannes Comnenus, Imp. Constantinop. cùm anno 1123. de Scythis valido exercitu Thraciam invadentibus, ope B. Virginis victor evasisset; in rei gestæ monimentum apparari jussit currum pulcherrimum, cui quatuor equos candidissimos admovit, in eo victricem Imaginem Deiparæ collocavit; habenas proceribus regni, currum cognatis, regendum dedit: ipse crucem manu gestans pedes antecessit. Nicetas in Annalibus.

Virginitas.

Pulchra ut Luna. Cant. 6. 9. propter virginitatem: lunæ namque corpus frigidum est. S. Bernardinus tom. 1. s. 52.

Fortè propterea turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Luc. 1. Quòd benedictam sese audisset in mulieribus; quæ nimirum benedici in Virginibus semper optabat. S. Bernardus s. de B. Virg.

Novum canticum, quod solis dabitur in regno Dei cantare Virginibus, Apoc. 14. 3. ipsam Virginum Reginam cum cœteris, imò primam inter cœteras esse cantaturam; nemo est, qui ambigat. S. Bernardus hom. 2. sup. Missus.

Virgines cum Maria Virgine habebunt partem. S. Cyrill. Jeros. Catech. 12.

Virginitatis feracissima planta. S. Amedeus hom. 8.

Ità puritatem, & virginitatem amabat; ut, si quis ab ea petiisset, vellette potiùs virgo esse, & non Dei Mater? an verò Mater Dei esse, amissa virginitate? responsuram fuisse credo; illæsam se malle virginitatem. Ex quo patet;

quantopere carnales reprehendendi sint, qui tam vili pretio virginitatem vendunt. Diez conc. 4. de Incarnat. Dom.

Deo virginitatis lilium in humilitatis valle produxit, Fulbertus Carnot. dd. Nat. B. Virg.

Virtus.

Ad Virginem. Luc. 1. 27. Ad virtutem desponsatam viro. Theophylactus. Declarat hæc versio Mariæ sanctitatem; ità ut dicatur ipsamet virtus.

Oculi tui columbarum &c. Cant. 4. 1. Laudatur in oculis simplicitas, in capillis cogitationum tuarum munditia, in labiis doctrina, in genis verecundia, in collo humilitas, in uberibus tuis adoranda, & spectabilis est cum virginitate fœcunditas. Rupertus l. 3. hic.

S. Bonaventura spec. B. Virg. c. 7. vocat Matrem virtutis. O quàm florida fuit terra, quàm floridus fuit lectus Mariæ; quæ in floridæ vitæ honestate florebat omnium virtutum honestate. Idem ibidem c. 10.

Depromebant virtutes in cogitatione, & affectu, cordis ejus ineffabilem harmoniam; quam ipsa Creatrix, & inhabitatrix ejus Dei sapientia delectabatur audire. Fulbertus de Nat. B. Virg.

Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessurum, non innocentia, aut humilitas Virginum. In summa; nullo genere vacasti virtutum, ò Virgo plus quàm beata! quodcumque donum alicui Sanctorum umquam datum fuit, tibi non fuit negatum: sed omnium Sanctorum privilegia omnia habes in te congesta. Idiota de contempl. B. Virg. c. 2.

Tu vallis vernans virtutum liliis. Blosius parad. an. p. 2.

Visitatio.

Trahe me &c. Cant. 1. 3. Trahebatur post Dominum fœmina desideriorum; trahebatur, & currebat in odore unguentorum: & ipsum currere, idest, in montana cum festinatione abire, erat dicere: *trahe me post te.* Rupertus l. 1. in Cant.

Festinationem Mariæ in domum Zachariæ Angeli mirantes ajunt: quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens? Cant. 6. 9. Mirantur, quod longo silentio rupto, & quiete, quasi aurora consurgat. Nam, cum aurora communes hominum labores excitantur; servilia opera incipiunt agitari. *Jam enim ascendit aurora.* Gen. 32. q. d. juxta Interlinearem: jam tibi tempus est, ab invisibilibus, & divinis, ad corporalia, & humana negotia tractanda descendendi. Hoc pulcherrima aurora Maria promovit suis factis; dum à verbi conceptu silentio, & quiete, contemplationis abiit cum festinatione servitura cognatæ. O utinam ab hac divina aurora excitarentur ad laborandum multæ otiosæ mulierculæ; quæ prætextu orationis, horrent fusum. Baeza.

Surge, propera, &c. Cant. 2. 10. Surge à quiete contemplationis, qua tot annis potita es tum in templo, tum in Nazaret: propera cum festinatione ad montem Judææ; ut manifestentur Dei magnalia, quæ in te perfecta sunt. Veni mecum in domum Zachariæ; ut ibi generes mihi alium filium adoptivum, præcursorem meum. De Ponte tom. 1. l. 5. Exh. 15. hic.

Exurgens Maria &c. Luc. Unde, precor, exurgens fuisti? si non à somno quodam, non tam sensuali, quàm spirituali? & hoc in contemplatione: quatenus sedula fieres ministratrix in actione. Gerson tr. 9. sup. Magnif.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1. Quæritur, quomodo magnificet Dominum? si enim Dominus nec augmentum, nec decrementum, recipere potest; qua ratione nunc Maria loquitur? *Magnificat &c.* Si considerem Dominum Salvatorem imaginem esse invisibilis Dei; & videam, animam meam factam ad imaginem Conditoris; ut imago esset imaginis: quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, idest, animam meam; & magnificavero eam opere, agitatione, sermone: tunc imago Dei grandis efficitur; & ipse Dominus, cujus imago est, in nostra anima magnificatur. Origenes hom. 8. de Visit.

Cur B. Virgo suum iter confecit cum festinatione? ut ostendatur regalis animi magnanimitas; quæ nulla montium asperitate, ut ab incepto desisteret, detineri potuit: sed festinanter omnes difficultates superavit, ut ad destinatum locum perveniret. S. Ambros. non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris, retardavit. Nescit tarda molimina Spiritus S. gratia. Idem Sylveira hic qu. 6.

Virgo Deo plena ad montana conscendit, superiora petit; jam non in terris, sed in cœlis, mente habitat, & spiritu conversatur. Festinat, properat; nihil negligenter agit. Eusebius Emiss. ser. 6. Dom. 4. Adv.

B. Virgo, charitate vulnerata, non potuit quiescere, quin cognatam inviseret; ac præsentia, gratiaque sua adjuvaret; & ut Joannes adventu verbi sanctificaretur. Sylveira hic.

Cur Virgo tam festinanter tendit ad Elisabeth? cùm cogitabunda fuerit ad respondendum Angelo: *cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Et iterum quærit: *quomodo fiet istud?* Vide divinum ingenium: ad honores, & dignitates acceptandas, cunctatur; ad opera verò charitatis, & humilitatis, velocissimè prævolat. Idem hic q. 7.

Festinat Maria montana conscendere, non voluntate vagandi, aut ad curiositatem oculorum in montibus dilatandam: sed ad illam dumtaxat civitatem, in domum ingreditur; ubi novi Prophetæ, suique Filii Præcursoris noverat esse Matrem. S. Antonin. 4. p. tit. 15. §. 1. c. 12.

Sancta pergit ad Sanctam: & quæ majori sanctitate resplendet, humilioribus, atque ardentioribus moribus agitur. Idem ibidem.

Tradunt quidam ex revelatione, iter sex dierum fuisse à Nazareth usque in civitatem Zachariæ; & una die à Beatissima Virgine, juvantibus Angelis, fuisse emensum: & propterea dictum esse, *cum festinatione.* Salmeron apud Sylveira t. 1. l. 1. c. 6. qu. 9.

Voluntas.

Eris corona gloriæ in manu Domini. Is. 62. 3. *Vocaberis voluntas mea.* v. 4. Guerricus s. 4. de Ass. Mariam, quæ secundùm carnem Mater erat, alia quoque ratione Matrem sibi Jesus probat: quandoquidem ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat; ut de ipsa prædiceret Pater. *vocaberis voluntas mea.*

Ecce ancilla Domini. Luc. 1. 38. En tabula sum, quamvis Scripturam excipere idonea. Scribat in me scriba ille, quodcumque visum fuerit: faciat de me universorum Dominus, quidquid libuerit. Titus Bostrens. hic. Tabula sum pictoria: pingat pictor, quod voluerit: faciat Deus, quod voluerit. Theophylactus apud Did. Nyss. D. 3. Epiph. §. 3.

Assentior Divo Antonino 4. p. tit. 15. cap. 41. §. 1. Anselmum secuto, qui ait: ò Domina! ità divina voluntati conformis fuisti; ut salutis humani generis avidissima esses; ut dicere audeam: quòd si nullus fuisset repertus, qui Filium crucifigeret; ad hoc, ut sequeretur salus hominum, & adimpleretur voluntas Dei, secundùm rationem; si oportuisset, ipsa posuisses in crucem. Neque enim credendum est, minoris fuisse perfectionis, & obedientiæ ad Deum, quàm Abraham; qui proprium filium obtulit Deo in sacrificium, propriis manibus occidendum. Nierembergius de amore erga B. V. c. 14.

Z

Zelus.

Et ingressus Angelus ad eam. Luc. 1. 28. Est probabile quòd tunc devotissimè pro totius humani generis salute, & Christi adventu oravit. Dion. Carth. hic.

Exurgens Maria &c. Luc. 1. 39. Vix Christum in utero conceperat, cùm post Angeli discessum subdit S. Lucas: *exurgens Maria &c.* Quò abis, Virgo purissima? cur relinquis quietem domus tuæ? cur properas in domum Zachariæ? Propero; ut Dilectum, quem inveni, cœteris introducam in domum matris meæ inter cognatos meos &c. ut per fidem, & gratiam, introducam eum in Joan. Bapt. Per illam inventus à pastoribus, Regibus; introductus in Ægyptum ad significandum ejus meritis & precibus, Christum introducendum in omnes gentes. De Ponte el. 6. in Cant. Exh. 9. §. 6. donec introducam &c.

Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Luc. 1. 46. Quamvis Deus, ex quo Mundum condidit, semper fuerit Salvator; officium tamen salvandi personaliter tunc assumpsit, cum Caro factus est. Et propterea hoc speciali modo Salvator significatur. Et verè in Deo Salvatore Spiritus B. Virginis exultavit in Deo incarnato, Salvatore autem non hujus vel illius, sed Mundi. Verè meus, inquit Maria: quoniam totum corpus ejus, mediante quo, salvat Mundum, meum est. Cajetanus hic.

Maria ante crucem stabat, & piis spectabat oculis Filii vulnera: quia expectabat, non Pignoris mortem, sed Mundi salutem. S. Ambros. l. 10. in Luc. 23.

Sicut tu, ò Domine! salutem humani generis in cruce sitivisti; & sic ipsa sitivit. Stabat enim juxta crucem, non ut dolorem Filii consideraret; sed ut salutem humani generis expectaret. Richardus à S. Laur. l. 1. de laud. Virg. cap. 5.

Gaudet ultrà, quàm dici, aut credi, fas est, de communi Electorum salute: sciens, quòd propter eos Dei Filius carnem suscepit ex ea. S. Amedeus hom. 2.

T I T U L U S VII.

ENCOMIA B. VIRGINIS.

EX SCRIPTURA, ET SANCTIS PATRIBUS.

Ordine Alphabetico.

A.

ABigail sapiens. Bonaventura in Carmine Virg.
ablutio lacrymarum nostrarum. Germanus Constant.
abyssus humilitatis. Ildephonsus de parturit. Virg. c. 2.
abyssus gratiæ. Damascenus or. 2. de dormit. Virg.
abyssus sapientiæ. Bernardus s. 1. in signum magnum.
abyssus miraculorum. Damascenus s. 1. de Nat. Virg.
abyssus luminis, Bernardus s. de verb. Ap.
abyssus abyssum invocans. Bonaventura suprà.
abysso profundior. Augustinus s. 83. de Assumpt.
acervus tritici vallatus liliis. Epiphanius s. de laud. Virg.
Adæ revocatio. Theophanes hymno de Annunt.
administra salutis universi. Damascenus or. 1. de Nat.
aditus recuperationis. Anselmus de præc. ad Virg.
adjutrix destitutorum. Ephrem or. ad Virg.
adjutrix peccatorum, & indigentium. Andreas Cret. or. 2. de Assumpt.
admiranda universis. Ignatius ep. ad Joan.
advocata Evæ. Irenæus l. 5. contra hæres. c. 19.
advocata unica peccatorum. Ephrem in laud. Virg.
advocata omnium iniquorum, ad ipsam confugientium. Dionys. Carth. de laud. Virg.
Ægrotantium exultatio. Ephrem or. ad Virg.
Ager Dei amplissimus, plenus fructibus dilectionis. Andreas Hier. or. Annunt.
ager plenus, cui benedixit Dominus. Bonaventura suprà. Richardus à S. Laurentio.
agna immaculata. Gregorius Nicomed. de oblat. Virg.
agna, ex qua Pastor ovem induit. Id. or. 1. de Nat.
altare Dei. Ambrosius in Ps. 42.
altare animatum panis vitæ. Methodius or. de hypapante.
altare thymiamatum. Ambrosius l. 2. de Virginibus.
altior cœlo. Augustinus s. 83.
altissimæ speculationis miraculum. Epiphan. de laud. Virg.
altitudo altitudinum. Germanus Constant. in vita Virg.
alveus divinæ gratiæ. Bernardus s. de B. Virg.
amatrix hominum. Bonaventura in Lytan. Virg.
amictus à Deo variatus. Andreas Cretens. homil. 2. de Assumpt.
Ancilla Domini. Luc. 1.
alienissima ab omni labe peccati. Ephrem. orat. ad Virg.
ancilla in subdito habens Deum. Ildephonsus de Virg.
anchora fida in tempestatibus. Ephrem suprà.
anchora humanæ spei. Id. ib.
Annunciata oraculis propheticis. Sophronius or. de Assumption.
Angelorum gloria. Bernardus serm. de Nat.
Angelis reverenda. Idem ep. ad Lugdun.
Angelus desiderii omnium electorum. Bernardinus tom. 2. serm. 51. art. 2.
apis parvula, cujus fructus est dulcissimus. Bonaventura supra c. 16.
aquæductus divinæ gratiæ. Bernardus de Nat. B. V.
aquila grandis magnarum alarum. Bernardus s. 2. in Salve Reg.
aquila singularis. Idem s. 3. de Assumpt.
arbor vitæ fructifera. Bonaventura in Lytan. Virg.
arbor magna, in qua habitant cœlestes aviculæ. Id. in speculo c. 5.
arbor pulcherrima. Id. c. 14.
arca Dei. Bernardus tom. 2. s. 52.
arca fœderis. Laurentius Justin. de casto connub. c. 9.
arca Noe largior, & illustrior. Hesychius s. 1. de Virg.
arca, in qua naufragium evadimus. Bernardinus de verb. apoc.
arca sanctificationis. Leo Imp. de dormit. Virg.
arca testamenti novi. Ildephons. de Assumpt. s. 1.
arca vitæ. Hesychius supra.
arca sacra, & animata Dei viventis. Damascenus s. 2. de Nat. V.
arca Sacramentorum Dei. Ildephonsus suprà.
arca undique auro contecta. Damascenus suprà.
arca pietatis, & gratiæ. Bonaventura in hymn. de Virg.
arca intelligens hypostasis verbi Dei. Damascenus suprà.
arca pretiosissima. Chrysippus or. de Virg.
arca, quæ excepit totius sanctitatis thesaurum. Id. ib.
arcus fœderis in nubibus cœli Bonaventura in speculis capite 14.
arcus patens cœlestis portæ. Id. ibid.
area Christi spicæ immortalitatis. Andreas Hierosol. salut. ad Virg.
areola sanctorum aromatum à cœlesti consita pigmentario. Bernard. de precat. ad Virg.
armarium vitæ. Chrysippus s. de S. Deipara.
armarium gloriæ Dei. Galatinus ex Hebr. l. 5. c. 17.
arrha salutis firma. Damascenus suprà.
aræ gratiæ. Thaumaturgus or. de Virg. Annunt.
aspersio irrorans cordis nostri. Germanus Constant. de vita Virg.
affectatrix Jesu perpetua. Epiphanius hær. 78.
asylum Dei ad inhabitandum tutissimum. Andreas Cret.
aula cœlestis. Ambrosius l. 10. ep. ad Sirenum.
aula divinorum mysteriorum. Id. de inst. Virg. c. 7.
aula pietatis. Anselmus de præcat. ad Virg.
aula Regis æterni. Augustinus l. 9. s. 1. de Assumpt.
aula virtutum nitore pudoris clarissima. Ildephonsus de Virg. c. 2.
aula Solis. Bonaventura in spec. c. 1. 4.
aula Spiritus S. Ildephonsus s. 2. de Nat.
aurora consurgens. Cant. 6.
aurora veri solis. Bernardinus suprà.
aurora felix. Bonaventura in spec. lect. 7.
aurora noctem expellens sempiternam. Damascenus s. de Assumpt.
aurora perpetuæ lucis. Bernardinus tom. 2. s. 51.
aurea Christi vestis. Andreas Cret. suprà.
auro purior. Laurentius Justin. suprà.
aurum minimè adulteratum. Damascenus s. 1. de Nat.
auctrix virtutum. Bernardus s. 1. in Salve Reg.
auctrix meriti benedicta. Augustinus s. 2. de Nat.
auxiliatrix præsens. Bernardus s. 2. de adv.
auxilium periclitanti. Laurentius Just. suprà.
æternitas Virginitatis. Ildephonsus l. Virg. cap. 10. Cyrillus hom. 6.

B

BAlsamum non mixtum. Bonaventura in spec. c. 15.
Balsamo suavior. Laurentius Justinian. de casto connub. c. 9.
basis sanctitatis. Ildephonsus c. 10.
barba mystica, in quam descendit unguentum &c. Ps. 132. Hilarius.
beatissima fœminarum. Anselmus c. 4. de laud. Virg.
bellatrix egregia. Bonaventura in spec. c. 9.
benedicta in mulieribus. Luc. 1.
bonum generis humani. Nazianzenus in Christo patiente.
botrus Vitæ. Bonaventura.

C

CAlix propinans orbi nectar divinum. Bonaventura in Ps. min.
calceamentum verbi. Ambros. de instit. Virg. c. 4.
campus florens. Bernardus s. 4. de adv.
campus germinans. Laurentius Just. de casto conn. c. 9.
campus vernans speciosus floribus. Bernardus de precat. ad Virg.
candelabrum aureum Ecclesiæ. Epiphanius or. ad Virg.
candelabrum virginum depellens tenebras. Id. ib.
candelabrum è cœlo accipiens ignem. Id. ibid.
candelabrum septem gratiæ lucernis ornatum. Zach. 4. Andreas Hierosol. salut. ad Virg.
candidior solis radiis, ac fulgoribus. Ephrem. suprà.
canticum Cherubim. Ephrem. de precat. ad Virg.
capax Dei Virgo. Hilarius in Ps. 118.
caput libri obsignatum. Andreas Hierosol. suprà.
charta divinissima. Ephrem. or. ad Virg.
charta purissima, in qua abscissum est fraudis chirographum Gregorius Nicomed. in ortu Virg.
castellum, in quod Jesus intravit. Bernardus s. 2. in assumption.
castrorum acies ordinata Cant. 6. Bernardus serm. de aquæductu.
cathedra Cherubim. Hesychius s. 2. de Virg.
causa salutis humani generis. Iræneus l. 3. cap. 33. contra hæres.
cedrus in Libano exaltata. Eccl. 24. Ildephonsus s. 2. de Assumpt.
cœlum spirituale. Augustinus s. 35. de Sanctis.
cœlo capacior. Damascenus s. 1. de Nat. Virg.
cœlum alterum. Chrysostomus hom. de annunt.
cœlum Dei animatum. Damascenus de dormit. Virg.
cœlum, in quo Deus paravit sedem suam. Bonaventura in speculo.
cœlum, in quo Rex gloriæ splendet. Andreas Hierosol. in explicat. salut. Angel.

cœlum Solis gloriæ. Id. ibid.
cœli circulus mirabilis. Epiphanius.
cœlum splendidissimum. Idem.
cœlum stellizatum. Bernardus s. 1. de B.V.
cella munda Pietatis. Bonaventura in Carm. Virg. lit. A.
circumscriptio incircumscripti. Methodius orat. de hy. pap.
cisterna Bethlehemitica Davidem refocillans. Id. ibid.
cithara Spiritus. S. Bonaventura suprà.
civitas Dei. Augustinus l. 7. de Civ. c. 6.
civitas vivens Regis exercituum. Damasus de dormit.
civitas refugii. Id. ibid.
clavis Cœlorum. Ephrem. suprà.
clavigera cœlestis. Bonaventura in speculo parvo.
clausorum liberatrix saluberrima. Ephrem suprà.
clibanus cœlestem panem excipiens. Petrus Cell. 4. de panib.
clibanus, in quo coquitur sacrificium. Epiphanius supra.
clibanus intellectualis. Id. ibid.
clipeus sperantibus in te. Prov. 10. Bonaventura suprà.
collum Ecclesiæ. Epiphanius suprà.
collum Ecclesiæ nectens caput cum membris. Richardus à S. Laur. lib. 2. p. 102.
collegium sanctitatis. Ghrysologus s. 146.
columba electa. Cant. 6. Rupertus hic.
columba formosa desuper rivos aquarum. Bonaventura s. 2. in assumpt.
columba Noè fidelissima. Bonaventura in speculo c. 8.
columba pura, & impolluta. Epiphanius suprà.
collis thuris prætiosi. Rupertus 7. de div. offic. c. 25.
columna ignis. Ex. 13. Andreas Cret. hic.
columna nubis spiritualis Israel. Id. ibid.
columna vivifica. Id. or. 1. de Virg.
comprehensio omnia comprehendentis. Cyrillus Alex. hom. 6. contra Nestor.
commune reconciliatum. Andreas Cret. or. 2. in Assumpt.
commune Mundi gaudium, Germanus Constant. de ortu Virg.
claritudo veris. Bonaventura in Ps. min.
commercium cœli, & terræ. Chrysologus s. 140.
complementum Trinitatis. Hesychius or. 2.
concha cœlitus concipiens unionem Christum. Damascenus s. 1. de Nat. Virg.
concha Gedeonis rorida. Bonaventura suprà.
consolatio infirmorum. Ephrem suprà.
consolatio nostra. Damascenus himno Assumpt.
conciliatrix universi orbis. Ephrem suprà.
congregatrix errantium. Bonaventura hymno de Virg.
congregatio omnium gratiarum. Id. in spec. c. 7.
continentiæ exemplar. Justinianus s. de Nat. Virg.
contritio pravitatis hæreticæ. Bernardus serm. de aquæductu.
conventus virtutum. Damascenus or. 1. de Nat.
corona Regis pretiosa. Epiphanius suprà.
corona virginitatis. Cyrillus hom. 6.
corona Sanctorum omnium. Ephrem suprà.
corona habens lapidem pretiosum Christum. Epiphanius.
correctio Evæ. Damianus suprà.
crates tornatilis non indigens poculis. Ambrosius de instit. Virg. c. 14.
creates sapientiæ, qui non potest exinaniri. Cretensis or. 2. Assumpt.
creata citra ullam labem. Proclus hom. de Nat. in concilio Ephesino.
Crux, quæ in ulnis Dominum portasti. Epiphanius suprà.
cubile expers vitiorum: Nyssenus hom. 18. in Cant.
cubiculum ortus Christi purum. Chrysost. suprà.
cypressus in monte Sion. Eccl. 24. Bonav. suprà.
cypressus se attollens. Justinianus suprà.
curatio vulnerum immedicabilium. Germanus Constant. supra.
currus Dei decem millibus multiplex. Cretensis suprà.
custos in vineis. Cant. 1. Rupertus ibid.
corona anni benignitatis Domini. Bonaventura in spec. c. 14.

D

DApifera deliciarum. Bonaventura in Psalt. min. quinqu. 3.
dea habita. Nazianzenus in Christo patiente.
decora sicut Jerusalem. Cant. 6. Rupertus ibidem, & Bruno Carthus.
declaratrix profundorum divinæ incomprehensibilitatis. Cretens. or. 2. Assumpt.
decus hominum. Justinus de Nat. V.
decus omnium honorificentissimum. Damascenus de dormit. Virg.
decus Patriarcharum. Andreas Hierosol. in salut. Ang.
Dei genetrix sanctissima Athanas. or. de Annunt.
Deipara immaculata. Id. ibid.
dilectatio terrigenarum omnium. Eprem. or. ad Virg.
deliciis spiritualibus affluens. Bernard. s. 4. Assu.
desertum speciosum. In spec. c. 18.
desiderabilis cunctis. Ignatius ep. ad Joan.
desiderata gentibus. Bernardus s. 174.
desiderium collium æternorum. Idiota.
dilectissima omnium dilectarum. Rupertus l. 3. in Cant.
dies festa. Bonavent. in Ps. min. supra.
diversorium peccatorum. Eprem. supra.
directio dubitationis nostræ. Germanus Const. in Encomia Virg.
disciplina omnium. Ambrosius 2. de virg.
discipula totius Trinitatis. Hier. s. de Virg.
diadema regni Christi. Andreas Cret. 2. de Assumpt.
divina cum hominibus reconciliatio. Andreas Hierosol. supra.
divinum, ac vivificum Mundi simulacrum. Damascenus or. 1. de Nat.
doctrix doctorum. Idiota contemp. c. 30.
domicilium cœlo præstantius. Bernardus in Salve.
domicilium cœli, & terræ. Andreas Hierosol. supra.
domicilium verbum Dei decens. Damascenus l. 4. fidei c. 15.
domicilium virtutis. Thaumatus s. 2. de Annunt.
domina inculpatissima. Sophronius or. de excell. ang.
domina Angelorum. Ex officio Ecclesiastico.
domina rerum omnium conditarum. Damascenus l. 4. de fide cap. 15.
domina benignissima. Damianus s. 1. de Annunt. V.
domina, & magistra Prophetarum. Galatinus l. 7. de arcanis Cath. &c. c. 4.
domina, & Mater, totius Mundi. Augustinus serm. 1. ad Fratres.
domina gloriosa Christianorum, in Lyturg.
domina immaculata, & Sanctissima. Ibid.
domina piissima. Anselmus de laud. V. c. 12.
domina regum. Ildephonsus s. 4. de Assumpt.
domina super omnes benedicta. Chrysostomus hom. de Annut.
domina præpotens. Anselmus apud Bonaventura in spec. cap. 3.
domina cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ibid.
domina, cui omne genu curvatur. Arnoldus hom. 6.
dominatrix nostra sanctissima, & intemerata. Casilius in Lit.
dominatrix unica super choros exaltata. Anselmus supra.
domus Dei. Methodius de hypap.
domus cypressina. Bonaventura supra.
domus gloriosa. Ambrosius l. 2. de Virg.
domus impleta gloria Domini. Bonaventura in spec. c. 7.
domus sapientiæ. Prov. 9. Laurentius Just. 1. de Nat. S. Hier. l. 30. in Is.
domus columnarum septem à Deo fabricata. Bernardus s. 9. ex parvis.
domus solida, quæ nunquam vacillavit. Idiota c. 4.
domus Spiritus. S. Justinus supra.
donorum omnium præstantissima. Damascenus serm. de Nat.
dulcedo nostra. Ecclesia in Salve.
dulcedo animarum credentium. Bernardus in Salve.
dux omnium. Ephrem. supra.

E

ELecta ex millibus. Bernardus s. 11. in Cant.
electa ex omnibus. Idem ep. ad Lugdun. Canonicos.
electa ut sol. Ildephonsus s. 4. Assumpt. Cant. 6.
electa à Deo, antequam nata. Andreas Hierosol. de annunt.
effectrix miraculorum. Andreas Cret. de Ass. Virg.
equitatus Christi, Cant. 1. Rupertus, & Cyrillus, hic.
erogatio munerum. Bonaventura in hymno.
esca spiritualis divinitatis. Epiphanius orat. de laudib. Virg.
excellentissima omnium fœminarum. Irænæus l. 3. c. 33.
exemplar Confessorum Bonaventura supra.
exemplum perfectionis. Hieronymus, seu Sophronius s. de Assumpt.
exemplum humilitatis. Ibid.
expectatio prœmiorum nostrorum. Augustinus s. 2. de Annunt.
exultatio mortalium. Epiphanius supra.
exultatio cœlorum. Cyrillus hom. 9.
exemplum, & Salus orbis. Bonaventura in Psalt. min. quinqu. 1.

F

FAstigium omnium virginum. Ildephonsus s. 1. Ass.
favus distillans. Rupertos in Matth.
fenestra cœli crystallina. Bonaventura in Lit. Virg.
finis iræ. Bonaventura in Psalt. min. quinq. 1.
fermentum Dei Sanctum, quo massa humanam generis conspersa est. Andres Hierosol. s. Annunt.
festivitatis nostræ principium, medium, & finis. Methodius in hypp.
fœderis arca. Ambros. s. 18. Damasc. de dormit. Virg.
fœminarum omnium sanctissima, & beatissima. Tertullian. de resurr.

fœmi-

fœmina singulari venerandа. Bernardus sermone 2. Sup. miss.
fœmina super omnis admirabilis. Id. ibid.
fœmina super omnes benedicta. Augustinus serm. 28. de Sanctis.
fiducia nostra maxima. Bernardus s. de Nat. Virg.
filia Jerusalem pulchra, & decora. Methodius supra.
filia præ electa æterni Patris. Justinus de Nat. Virg.
filia Principis benè calceata. Rupertus in Cant. 6.
filia vitæ. Dionysius Alex. Ep. contra Samosat.
finis testamentorum Dei. Andreas Cret. 2. de Ass.
firmamentum dividens aquas ab aquis. Bernardus in Salve.
flos vitæ immaculatus. Gregorius Neo-Cæs. serm. 1. de Annunt.
flos ætatis. Bonaventura in spec. minori.
flos Campi. August. s. 18. de Sanctis.
flos Virginitatis. Bonav. in spec. c. 12.
flos cœlestis. Id. c. 10.
flos, & gemma mulierum. Id. in spec. min.
flos florum. Blosius.
flos æstatis. Bonaventura in spec. c. 10.
flos incorruptionis. Andreas Cret. supra.
fluentum benedictionis novæ. Damianus serm. de Nativitat. Virg.
fluminum mare. Bernardus s. 1. in Salve.
flumen clementiæ. Bernardus in medit. Sup. Salve.
flumen sapientiæ. Id. tom. 6. Lyt. Virg.
fluvius de loco voluptatis. Bonaventura in spec. c. 9.
fluvius gratiæ. Id. in Carm. Virg.
fluvius vitæ perennis. Andreas Cret. supra.
fodina lapidis Christi. Hesychius s. 2.
fomes pietatis. Bonaventura in spec. V.
fons ascendens ex divina bonitate. Id. ib.
fons fontis vivi. Damianus s. de Nat. V.
fons gratiæ, & totius consolationis. Ephrem orat. de laud. Virg.
fons immortalitatis. Cretens. s. 2. Ass.
fons horrorum. Cant. 4. Rupertus ibid.
fons humanitatis Filii Dei. Methodius in Threnis.
fons lucis omnem hominem illuminantis. Damascenus or. 1. de Nat.
fons perennis veri luminis. Id. ib.
fons perennis curationum. Damascenus de dormit. V.
fons signatos. Cant. 3. Rupertus hic.
fons misericordiæ. Bonaventura in Lytan.
fons redolens expressam Dei imaginem. Ambrosius de B. V. cap. 82.
formosa sicut pelles Salomonis. Cant. 1. Hailgr. ibid.
forma Dei. Augustinus s. 35. de Sanctis. Ildephonsus s. 2. de Nat.
forma Ecclesiarum Dei. Ildephons. s. 3. de Assumpt.
forma morum. Bonaventura in Psalt. min. quinq. 1.
forceps purificationis. Methodius supra.
fragmen mali Punici. Cant. 4. Hailgr. ib.
fructus honoris, & honestatis. Bonaventura in spec. c. 10.
funiculus coccineus defensionis nostræ. Jos. 2. Rupertus in cap. 4.
fulgentissima gemma mulierum. Thomas Kempi part. 3. sermon. 6.

G

GAudium plenum post Deum. Bonaventura in te. Virg.
gaudii pelagus inexaustum. Damascenus de dormit. Virginis.
genitrix immensi gaudii. Andreas Hierosolym. serm. 1. de Annunt.
genetrix gloriosa. Ildeph. s. 9. de Assumpt.
genitrix vitæ. Bernardus s. 2. de Ass.
genitrix innocentiæ. Augustinus s. 17. de Nat.
genitrix illius, qui verbo portat universa. Methodius de Hypp.
gemmis omnibus pretiosior. Laurent. Justin. de casto connub. cap. 9.
germinatrix veri fructus. Ephrem de prec. ad Virg.
gloriosior omnibus superis exercitibus. Id. ibid.
gloria Jerusalem. Judith cap. 15. Bonaventura in speculo capit. 13.
gloria Dei. Damianus s. de Nat. V.
gloria, & corona justorum. Bernardus tom. 2. s. 51.
gloria virginitatis. Jacobus in Lyturg.
gloria Prophetarum. Ephrem de laud. Virg.
gloria beatorum. Dionysius ep. ad Paulum.
gloria in solitudine degentium. Ephrem supra.
gloria, & lætitia Sacerdotum. Ephrem de laud. V.
glorificatio SS. Trinitatis. Cyrillus hom. 6.
gloria nostrorum parentum. Jacobus in Lyturg.
granum tritici mystici. Ambros. de instit. Virg. c. 14.
gratia plena. Luc. 1.
gratiosa, & amabilis oculis omnium. Bernardus serm. 2. in soliloq.
gravida sine gravamine. Bernardus de verb. Apoc.
germen David justum. Bonaventura in Psalt. min. quinqu. 1.

H

HAbitaculum pulchrum divinæ demissionis. Cretens. or. 2. de Ass.
habitaculum omnis virtutis. Damascenus 4. fid. c. 15.
habitaculum, de quo Deus respicit super omnem terram. Ps. 32. Hugo hic.
harmonia omnia delectabilior. Laurent. Just. de casto connub. cap. 9.
hera nostra sanctissima. Athanasius s. de Deipara.
hesther liberans populum Dei. Bonaventura in carm. supra.
hymnus Angelorum. Ephrem de laud. Virg. tom. 3.
hymnus degentium in solitudine. Id. ib.
honorificentia populi nostri. Judith 15. Bonaventura in spec. cap. 13.
honor, ac decus Martyrum. Ephrem or. de laud. Mariæ.
honor, & festivitas Virginum. Bonaventura hymno te Virg.
honestatis rivulus. Justinus suprà.
hortus omnibus virtutum odoramentis consitus. Hieronymus ep. ad Pam.
hortus plantationum. Id. ib.
hortus non seminatus. Hesychius s. 2. de Virg.
hortus conclusus. Cant. 4. Ildephonsus s. 1. de Ass.
hortus æterni Patris Chrysippus or. ad Virg.
hospitium Dei. Ambrosius s. 2. de instit. V.
humilitatis totius forma. Justinus supra.
humanæ salutis prævia. Chrysologus s. 146.
hymnodia Angelorum. Ephrem supra.

I

JAnua virginea, ac divina. Damascenus or. 1. de Nat.
janua Regis alti. Ecclesia in hymno.
janua cœli. Ildephonsus s. 1. & 4. de Ass.
janua salutis. Anselmus de prec. ad Virg.
janua Filii Dei. Augustinus s. 18. de temp.
idea vitæ moralis. Idiota Contempt. c. 4. & 8.
ignis effulgens. Bonaventura tom. 6. s. de Virg.
illuminatrix cordium. Bonaventura in Lytan. Virg.
imago integra, & illæsa Christi. Sinaita lib. 6. contempt. in Gen.
imago expressissima veri solis. Bonaventura in speculo c. 10.
imago virginitatis. Ambrosius l. 2. de Virg.
imago rectè descripta divini archetypi. Cretensis supra.
imperatrix Angelorum. Damian. s. de Joan. B.
imperatrix cœli, & terræ. Anselmus de laud. Virg. c. 4.
ineffabili luce perlucens. Damianus s. de Annunt.
incensum cœli, & terræ. Epiphanius or. de Virg.
ineffabile consilium curationis humanæ. Cretens. or. 1. de Ass.
initium viarum Dei. Prov. 8. juxta Septuaginta.
inventrix gratiæ. Bernardus s. de Apoc.
individua Christi comes. Arnoldus s. de Annunt.
infirmorum solatium. Ephrem or. ad Virg.
innixa super dilectum suum. Bernardus supra.
insigne felicitatis æternæ. Dionysius ep. ad Paulum.
interemptrix omnium hæresum. Justinus s. de Annunt.
integra ab omni labe peccati. Ildephonsus de V. Maria.
integritas omnium virtutum. Id. s. 2. de Ass.
introitus vitæ. Id. s. 4. Ass.
juvenca nunquam jugum experta. Epiphanius supra.
indefinens lætitia nostra. Methodius de Hypp.

L

LAmpas luculentissima. Alcuinus s. de Nat. V.
lampas inextinguibilis. Cyrillus hom. 6. Damascenus or. de dorm. V.
lampas dulcissima nostræ animæ. Catharin. Senen. ex serm. de Ann.
lampas lucidissima orbis. Epiphanius de laud. V.
lana mundissima. Alcuinus 4. de Trinit. c. 14.
lana divinitate purpurata. Id. ib.
lana solo æterno Imperatore dignissima. Id. ib.
lætitia Angelorum. Cyrillus hom. 6.
lætitia Israel. Judith 15. Bonaventura in speculo c. 14.
lætitia Sanctorum. Ephrem.
leæna gloriosa. Epiphanius contra hæres. 3.
leæna cui partus fecundus non contingit. Epiphanius supra.
laudatissimum Dei tabernaculum. Dionysius Alex. contra Paulum Samos.

lectu-

lectulus Salomonis. Cant. 3. Rupertus hic.
lectulus floridus Dei. Bonaventura in spec. c. 10.
levamen molestiarum unicum. Damascenus de dormit. V.
libanus non incisus. Methodius de Hyp.
liber obsignatus. Gregorius Nicom. de obitu Virg.
liber verè unicus Verbi. Cretens. s. 2. de Ass.
libertas jucunda. Ephrem de laud. V.
lignum vitæ. Damascenus supra. Bernardus serm. de Av.
lignum plantarum fecus decursus aquarum. Damascenus ibid.
lignum Libani, ex quo sibi Salomon ferculum præparavit. Cant. 4. Rupert. hic.
lilium inter spinas. Cant. 2.
lilium immaculatum. Epiphanius supra.
lilium cadens. Bonaventura in spec. c. 10.
lilium Angelorum. Epiphanius supra.
lilium convallium. Cant. 4. Rupertus hic.
locus possessionis Dei. Methodius supra.
locus voluptatis, de quo fluvius egreditur irrigans paradisum. Rupertus l. 4. in Cant.
lucerna Domini. Idiota contemp. c. 10.
lucerna pedibus nostris. Psalm. 118. Epiphanius hic supra.
lucerna in extincto luminis. Cyrillus hom. contra Nestor.
lucerna oris expers, quæ à se jugiter ardet. Hesychius or. 2. de Virg.
lucerna Christi præparata. Ps. 131. Epiph. supra.
lucerna luminosa. Cretensis hom. 2. de Ass.
lucerna Ecclesiæ. Bonaventura in spec. Mariæ.
lucifer rutilans. Ephrem supra.
lumen totius orbis. Id. ib.
lumen cœcorum. Bernardus s. 2. in Salve.
lumen inextinguibile. Cyrillus hom. 6. supra.
lux Astrorum. Bonaventura in Psal. min. quinq. 1.
lux gentium. Ildephonsus s. 9. Ass.
lux carens fuligine culpæ. Bonaventura in Carm. supra.
luna plena, quæ nunquam deficit. Sinaita lib. 6. contemp.
locus habitationis gloriæ Dei. Germanus Constant.

M

MAgistra Apostolorum. S. Brigitta in ser. Ang.
Magistra Evangelistarum. Augustinus.
magistra gentium. Augustinus s. 6. de temp.
magistra nostræ religionis. Ignatius ep. ad Joan.
magistra religionis, ac fidei. Rupertus l. 3. in Cant.
magnificentia *super cœlos exaltata*. Psalm. 8. Bernardinus p. 6. 16.
magnificum divinæ gloriæ templum. Andreas Hieros. serm. in Annunt.
magnificum gratiarum tabernaculum. Cretensis sermon. de dormit.
magnes attrahens dura corda hominum. Brigitta Revel. l. 3. cap. 32.
major cœlo, orbe latior, fortior terra. Chrysostomus serm. 140.
mamilla parvulorum. Bonaventura in Lyt. V.
mansio cœlestis Imperatoris. Ildephonsus s. 2. de Virg.
manna cœlitus veniens. S. Maximus in Ram. Palm.
manna depluens cibum melle dulciorem. Id. ib.
margarita cœlestis. Methodius de Hypap.
margarita pretiosa. Justinus de castu conn.
mare spirituale habens geminam cœlestem Christum. Epiphanius de laud. V.
mare dæmonem submergens. Bonav. prim.
mare, in quod intrat omnia flumina gratiarum. Bonaventura in spec. c. 3.
martyr fortissima. Hieronymus s. de Ass.
martha excipiens Christum. Luc. 22. Bernardinus s. 2.
mater Regis regum. Damascenus l. 2. de Nat.
mater amabilis. Bonaventura supra.
mater honorificata. Eccl. 24. Ildephons. s. 1. Ass.
mater Cretoris. Bernardus s. de Apoc.
mater Redemptoris, Augustinus s. 35. de Sanctis.
mater Conditoris. Bonaventura supra.
mater & sponsa Christi. Gerson. tr. in Magnif.
mater sine viro. Cretensis hom. 2. Ass.
mater, & Virg. Ambrosius s. 32.
mater solis justitiæ. Bonaventura supra.
mater communem cum Deo habens filium. Anselmus de Conc. V. cap. 18.
mater admirabilis. Isidorus in Miss.
mater incorrupta. Origenes supra.
mater Verbi Dei. Damascenus or. de dormit. V.
mater immaculata. Id. ib.
mater sola talis filii dignissima. Emissenus hom. ad Virg.
mater lucis æternæ. Epiphanius supra.
mater vitæ. Cretensis supra.
mater omnium credentium. Ambrosius apud Bonaventuram in spec. cap. 10.
mater viventium. Augustinus s. 2. de Ass. Epiphanius contra hæret. l. 3. c. 2.
mater & domina rerum omnium. Anselmus de Virg.
mater gentium, Augustinus s. 35. de Sanctis.
mater orphanorum. Bonaventura in Lytan. Virg.
mater nova. Guarricus s. 1. de Nat. V.
mater misericordiæ Ecclesia, & Anselmus de excell. Virg. cap. 12.
mater amabilis. Bonaventura in speculo c. 10.
mater sanctæ spei. Id. ib.
mater benignissima, & misericors. Bern. supra.
mater gratiæ. Consilium Basileense.
mediatrix cœli, & terræ. Epiphanius supra.
medium Mundi, & quod omnia respiciunt. Bernardus ser. 2. de Pent.
medicamentum omnium cordis dolorum. Damascenus de dormit. V.
mensa propositionis. Damascenus or. 1. de Nat.
mensa fidei intellectualis. Epiphanius supra de laud. V.
mensa virginea optimis quibusque cibis abundans. Id. ib.
ministra propitiationis. Bernardus s. de Apoc.
miraculum omnium miraculorum maximum. Damascenus supra.
miraculum stupendum. Epiphanius supra.
miraculum magnum. Ignatius ep. ad Joan.
miraculorum medicina. Damascenus supra.
monile inexplicabile. Epiphanius or. de laud.
mons exuperans omnem montem. Damascenus suprà.
mons clarissimus. Id.
mons umbrosus. Cretensis s. Ass.
mons, in quo beneplacitum est Deo habitare. Id. ib.
mons Sanctus. Bonaventura in spec. c. 12.
mons myrrhæ. Rupertus 7. de div. off. c. 28.
mons Domini in vertice montium. Is. 2. Gregorius M. in 1. Reg.
mons, de quo abscissus est lapis *sine manibus*. Dan. 2. Cretensis or. 2. Ass.
mons sublimis. Greg. s. 1. in c. 1. Reg.
mons *coagulatus*, & *pinguis*. Damascenus supra.
mons obumbrans. Abac. 3. Andreas Hieros. de Annunt.
mons Ephraim. Gregorius M. in 1. Reg.
mortis destructio. Bonav. supra.
mulier per quam venimus ad Christum. Idiota c. 7.
mulier plena Deo. Hieronymus s. 1. in Ass.
mulier conterens caput serpentis. Rupertus in c. 3. Gen.
mulier amicta sole. Bernardus de verbis Apoc.
mulier gestans lucem in ulnis. Epiph. supra.
mulier, in quam venit tota gratiæ plenitudo. Ildephonsus s. 2. de Ass. fidei.
mulier, quæ nec primam, nec sequentem habet similem. Blesensis in instr.
mulier conterens Sathanam. Idiota c. 4.
mundi medicina. Bonav. in Carm.
munimentum justitiæ. Thaumaturgus s. 2. de Ann.
mysterium cœli, & terræ. Epiphanius supra.
myrrha maris. Id. ib.
melodia dulcis, & sonora. Bonav. in Lytan. V.
munus omnium donorum Dei præstantissimum. Damascenus s. 1. de Nat.
munus Dei charissimum. Ibid.

N

NArdus odoris suavissimi. Bernardus s. 4. Ass.
Navis mercibus referta. Hesychius or. 2. de Virg.
navis institoris de longe portans panem. Prov. 31.
naufragantium portus. Bonav. in hymno te V.
nivita Mundi. Id. ib.
nectar dulcissimum. Laurentius Justinianus de casto connub. cap. 9.
negotium Sæculorum. Bernardus s. 2. Pent.
nidus Christi passeris solitarii. Idiota c. 4. contempl.
nive candidior. Sophronius ep. de Ass.
norma rectæ fidei. Cyrill. hom. 6. contra Nestor.
norma castitatis. Bonaventura in Psalt. quinq. 3.
novum, quod fecit Dominus super terram. Bernard. de Verb. Apoc. c. 32.
novæ gloriæ ara. Andreas Hieros. s. 2. Ass.
nubecula de mari exorta. 3. Reg. 18. Joan. Hier. de instr. Monarchi.
nubes pluvialis. Hesychius supra.
nubes levis, in quam Dominus ascendit. Is. 19. Epiphanius or. de laud. V.
nubes diei splendidissima. Hieronymus in Ps. 77.
nubes, in quo gloria Domini apparuit. Ex. 33. Joann. Hier. ibid.
nubes columnæ similis. Epiphanius supra.

nubes

nubes cœlestem imbrem demittens, quo terra irrigatur. Epiphanius supra.
nubes tonitrui fortis. Methodius de Hyp.
nubes lucidissima emittens lucidissimum fulgur Christum. Methodius supra.
nubes tota sole vestita. Bern. s. de Verb. Apoc.
nutrix cœlestis panis. Hieronymus de Ass. V.
nutrix Dei. Anselmus de precat. ad Virg.
nutrix officiosissima Christi. Guilielmus in Cant. 1.
nutrix omnia nutrientis. Hieron. s. de Ass.
nympha Dei. Theophanes hymno de Ann.

O

OBses fidei Dei. Augustinus s. 6. de Nat. V.
Obses fidei nostræ apud Deum. Augustinus in Genes. cap. 28.
obsequium devotionis. Ambros. s. 2. de V.
oblectamentum omnium terrigenarum. Ephrem or. de Nat.
odor agri pleni. Hilarius in Ps. 13.
officina Verbi Dei. Damascenus de dormit. V.
officina divinitatis, & Humanitatis Filii Dei. Damascenus.
oleum effusum. Bernardus s. de verb. Apoc.
oliva speciosa in campis. Ildephonsus l. 1. de Ass.
oleum pullulans. Bonaventura supra.
oliva in domo Dei fructifera. Damascenus supra.
oliva impinguata Spiritus S. Isidorus 4. fid. c. 15.
olla regalis spei nostra. Ambrosius in Justit. V.
omnibus exorabilis, & clementissima. Bernardus ser. de Verb. Apoc.
omnibus modis irreprehensa. Jacobus in Lit.
opitulatrix periclitantium. Ephrem supra.
opulentissima in omnibus bonis Dei. Bonaventura in specul. cap. 8.
opes nostræ mendicitatis. Germanus Constant. in Encom. V.
opus digitorum Dei grande nimis. Bonaventura in Psalt. min. quinq. 1.
opus Excelsi. Eccli. 42. Bonaventura supra c. 7.
opus solum Incarnationis Filii Dei. Ildephonsus lib. de Virg. cap. 2.
opus specialissimum divini opificis. Idiota c. 4. contempl.
oraculum Prophetarum. Bonav. in spec. c. 2.
organum lætitiæ. Andreas Hieros. in Ave Maria.
origo fontium. Bernardus s. 5. in Salve Reg.
ornamentum præclarum nostræ naturæ. Hesychius or. 2.
ornamentum cœlestis hierarchiæ. Ephrem supra.
ornamentum mulierum. Damasus supra.
ortus solis nullum ferens occasum. Chrysip. or. 2.
orphanorum susceptio. Ephrem supra.
oriens solis intelligibilis. Thaumaturgus hom. de Ann.
oris immaculata, quæ peperit ovem Christum. Epiphanius or. de laud. Virg.

P

PAlatium animatum Regis Angelorum. Andreas Hieros. or. 2. Chrysost. or. de Annunt. B. V.
palma florens. Bonaventura in spec. c. 2.
palma in Cades. Eccl. 24.
palmes vitis veræ. Bonaventura in Psalt. min. quinq. 1.
paradisus deliciarum. Ephrem or. de laud. V.
paradisus Dei. Bernardus de prec. ad Virg.
paradisus virginalis. Dionysius Alex. ep. contra Paulum.
paradisus voluptatis. Bonaventura in spec. c. 2.
paradisus spiritualis secundi Adami. Jacobus in Lyturg.
paradisus immortalitatis. Hesychius or. 2. de V.
paradisus, ex quo egreditur fluvius Christus. Andreas Hieros. suprà.
paradisus cœlestis, ex quo omnia gratiarum germina Rupertus.
paradisi scala. Justinus s. de Ann.
pavor spiritualibus nequitiis. Id. de casto conn. c. 9.
pax Mundi. Ephrem supra.
patrona omnium Christianorum. Idiota de contempl. Mar. cap. 4.
pelagus gratiarum. Damascenus or. 1. de Nat. V.
pelagus gaudii inexhaustum. Damascenus or. de dormit. Virg.
petra deserti, unde Agnus missus. Damasc. ib.
pincerna cœlestis curiæ. Bonaventura in Lytan. supra.
pia consolatio miserorum. Id. ib.
pia fundens solatia. Id. ib.
pignus Annæ dulcissimum. Damascenus.
planta cœlestis. Bernardus s. 2. de Adv.
planta virginitatis feracissima. Damascenus or. 1. de Nat.
plantatio rosæ in Jericho. Eccl. 24. Hieronymus ep. 11.
platanus juxta aqua exaltata. Eccl. 24.
plena, & superplena gratia. Bonav. in spec. c. 7.
plena Deo, plena virtutibus. Id. ib.
plenitudo omnis boni. Bernardus de Nat. V.
pons, per quem Deus ad homines descendit. Proclus in Conc. Ephes. tom. 6.
panegyris salutaris reconciliationis. Id. ib.
pessulus pudoris infractus. Augustinus s. 17. de Nat.
potentia debilitatis nostræ. Germanus Constant. in Encom. Virg.
pinguedo omnis sacrificii. Methodius or. de Hyp.
porta libertatis. Bonav. in Psalt min. quinq. 1.
porta cœlorum. Ephrem supra.
porta sublata super cœlos cœlorum. Id. ib.
porta orientalis clausa. Eccl. 44. Hesychius or. 2.
porta intacta Creatoris. Sedulius l. 2.
porta clausa, per quam Dominus solus exivit. Ex. 42. Andreas Cret. or. 2. Ass.
porta lucis fulgida. Ecclesia in hymno.
portus vitæ. Anselmus de prec. ad Virg.
portus peccatorum tranquillans. Damascenus or. 1. de Nat.
portus vexatorum. Ephrem supra.
portus naufraganti. Justinus de cast. conn. c. 9.
potentissima apud Deum. Bonav. in spec. c. 8.
portus, qui non potest labefactari. Elias Cret. ser. 2. de dormit. Virg.
pratum totius fragrantiæ Spiritus S. Chrysippus or. ad Virg.
præconium verissimum oraculorum Dei. Andreas Hierosolym. supra.
prædium patens. Ephrem supra.
præfigurata mysticis oraculis. Bernardus de Verb. Apoc.
primitiæ nostræ massæ. Damascenus or. 3. de Nat.
præses vitæ nostræ. Sedulius supra.
principium vitæ. Damascenus de dormit. Virg.
promissio Patriarcharum. Bonaventura in hymn. Te Deum laud.
promotrix justorum.
propugnaculum munitissimum in bello versantibus. Ignatius Martyr.
propugnaculum fidei Christianorum. Andreas Cret. de dorm. Virg.
promptuarium divinæ charitatis. Chrysostom. supra Methodius or. de Hyp.
propitiatorium commune. Andreas Cret. s. 2. de Ass.
propitiatorium universæ terræ. Bernardus s. 1. de Ass.
prodigium cœleste. Ignatius ep. ad Joan.
prophetissa Sancta. Ildephonsus s. 2. de Ass.
prophetissa Prophetarum. Rupert. 1. in Cant.
princeps, & domina, singulariter dilecta. Id. 6. in Cant.
princeps omnium prudentissima, ac sagacissima. Ephrem supra.
princeps regnum, & regnorum. Bonav. in Psalt. min.
proemium proemiorum. Germanus Constant. in Encomio V.
propugnatrix confidentium in te. Ephrem supra.
proxima Deo præ omnibus. Bonav. s. 1. de V.
pulcherrima inter mulieres. Cant. 1. Rupert. hic.
purpura regia, quæ cœli, terræque regem vestivit. Epiphanius de laud. Virg.
purpura à Deo contexta. Cretensis or. 2. de Ass.
puteus aquarum viventium. Cant. 4. Ildephonsus serm. 4. de Assumpt.
pulchritudo Martyrum. Ephrem supra.
pulchritudo justitiæ. Bonavent. in spec. c. 4.

Q

QUies Dei gloriosa. Hesychius s. 2. de Virg.
Quies tuta hominum. Bonaventura in Carm. per lit. A. B. C. &c.

R

RAchel pulcherrima. Bernardus s. 2. in Missus.
Radius divinitatis. Id. in Salve Reg.
radix speciosissimi floris. Methodius orat. Hyp.
radix bonorum omnium. Chrysippus s. de Deip.
radix Mundi. Bonav. in Psal. min. quinq. 1.
radix gaudii. Nyssenus or. 5. de resurr.
radix Sancta Ecclesia in hymno.
raptrix cordium. Bernardus in Salve Reg.
redemptrix captivorum. Epiphanius supra.
redemptrix humani generis. Ephrem or. ad V.
refugium, & hospitium nostrum. Ephrem sup.
refugium tutum Christianorum. Bonaventura in spec. c. 2.
regina stans à dextris Dei. Cretensis supra.
regina immaculata. S. Marcus in Lyturg.
regina varietate circumdata. Ps. 44. Ildephonsus serm. 1. de Assumpt.
regina clemens. Bernardus s. 4. de Ass.
regina misericordiæ. Bernardus tom. 3. s. 51.

regi-

regina Sanctorum. Anselmus de excell. V, c. 8.
regina Virginum. Bernardus ep. 174.
regina cœlorum. Ecclesia in hymno,
regina Angelorum. Bernardus s. 1. de Ass.
regina cui Deus famulatur, Bernardus tom. 1. s. 61, Art. 13.
regina, cujus est potestas in cœlo, & in terra. Damascenus s. de Nat.
receptaculum Spiritus S. Nyssenus or. de Natali.
reclinatorium aureum, Damasc. s. de Annun.
regeneratrix nostra. Athanasius s. de Deip.
reparatrix generis humani. Augustinus de fide ad Petrum.
reparatrix perditi orbis, Ildephonsus s. 1. Ass.
reparatrix parentum nostrorum. Bernardus s. 3. in Miss.
reparatrix vitæ. Id. s. 2.
requies SS. Trinitatis. Bonav. in spec. Virg.
requies gemituum nostrorum. Germanus de vita Virg. apud hipom.
renovatrix universi. Andreas Hierosol. de Annunt.
restauratio fœminarum. Fulgentius or. de Virg.
resurrectio Adam. Ephrem supra.
reseramentum portarum paradisi cœlestis. Id. ib.
ros divinus ardoris nostri. Germanus Constant. in Encom. Virg.
rosa veris speciosa. Bonav. in Lyt. Virg.
rosa salutifera. Bernardus s. de B. V.
rosa posita in transitu aquæ. Eccl. 49.
rosa Martyrum. Bonav. in spec. c. 2.
rosa ex spinis Judæorum. Damasc. or. 1. de Nat.
rosa mollis sine spinis. Sedulius c. 2.
rosa in Jericho. Eccl. 24.
restauratio calamitatum nostrarum. Germanus Const. supra.
rubus ardens incombustus. Ex. 3. Nyssenus de vita Moys.

S

SAcer Davidis Surculus. Chrysippus or. ad Virg.
Sacerdos pariter, & altare panis vitæ. Epiphanius or. de laud. Virg.
sacrarium Spiritus S. Ildephonsus s. 2. Ass.
sacrarium totius Divinitatis. Damianus s. 3. de Nat. V.
sacrarium Sanctimoniæ. Justinus de Nat. V.
salus firma Christianorum omnium. Ephrem de laud. V.
salus desperantium. Justinus de casto conn. c. 9.
sancta sanctorum. Bernardus in Salve.
sanctior Seraphim, & Cherubim. Ephrem supra.
sanctissima omnium fœminarum. Ildephonsus s. 1. de Ass.
sanctissimum Verbi tabernaculum. Cretensis s. 2. de Ass.
sancto spiritu obumbrata. Luc. 1.
sanctuarium DEI manifestum. Theophanes hymno de Annunt.
scabellum Dei. Bonaventura supra.
scala Jacob. Germanus Const. or. in Nat. V.
scala peccatorum. S. Bernardus de Nat. B. V.
scala Jacob, in qua Deus quiescit. Damascenus de dormit. Virg.
scala cœlestis Dei ad nos. Augustinus serm. 11. de Nat. Domini.
scala hominum ad Deum. Id. ib.
scopus ante sæcula excogitatus. Cret. supra.
secretum verecundiæ. Damascenus supra.
sedes ejus, qui nullo loco capitur. Id. or. de dorm. V.
sedes Christi luminosa. Bonav. in spec. c. 2.
sedes Spiritus S. Hieronymus contra Helvidium.
seraphim in comprehensæ visionis. Epiph. supra.
sigillum virginitatis. Alanus in 1. Cant.
signaculum fidei nostræ. Ildephonsus s. 1. de Ass.
signum magnum apparens in cœlo. Apoc. 12. Bernardus hic.
simulacrum puritatis, & integritatis. Thaumaturgus serm. 1. de Ass.
sion sancta. Nicomediensis or. de oblat. Deip.
sol oriens Mundo. Bernard. tom. 1. Cant. s. 51.
sol adorans Joseph. Cyrill. 4. in Joan. c. 28.
sol, in quo posuit Deus tabernaculum suum. Psal. 18. Hieronymus hic.
sole splendidior. Epiphanius supra.
sole amicta. Bernardus supra.
sole tota perfusa. Richard. Vict. c. 6. in Cant.
solamen dulce conversorum. Ephrem supra.
solatium peregrinationis nostræ. Laurentius Justin. de Nat. V.
solatium Mundi. Ephrem supra.
solatium miserorum. Bonaventura in hymno de Virg.
solarium omnium supernorum civium. Id. ib.
solium DEI excelsum, & elevatum. Bernardinus tom. 3. s. 1.
solium Dei in misericordia præparatum. Ps. 16. Bonaventura in spec. c. 6.
solium gloriæ Dei. Jerem. 14. Ildephonsus serm. 7. de Annunt. V.
solium regium, cui assistunt Angeli. Damascenus orat. 1. de dorm.
solutio vinculorum nostrorum. Germanus Constant. in Encom. Virg.
solitudo Dei. Ildephonsus c. 7. de V.
soror nostra. Athanasius ep. contra hæret.
soror, & Sponsa Christi. Bernardus tom. 1. s. 51.
specimen gemmæ pretiosissimæ. Chrysipp. or. de V.
speculum interlectuale contemplationis. Andreas Hierosol. or. 2.
speculum, & species totius castitatis. Ildephonsus serm. 2. de Ass.
speculum sine macula. Sap. 7. Athanasius supra.
speculum Confessorum. Bonav. in spec. c. 2.
spectaculum sanctissimum. Ignatius ep. ad Joan.
spes nostra. Ecclesia in Salve.
spes Christianorum sanctissima. Ephrem de laud. V.
splendor firmamenti. Bernardus s. de verb. Apoc.
stella radiosissima. Bonav. in Ps. 4.
stella purissima. Id. ib.
stella maris. Bernardus hom. 2. super Miss.
stella vitæ. Hesychius s. 2. de Virg.
stella matutina in medio nebulæ. Eccl. 50. Bonaventura in spec. c. 7.
statua à Deo sculpta. Cretensis s. 2. Ass.
stupor Angelorum omnium. Epiphanius supra.
stupendus Ecclesiæ thesaurus. Id. ib.
splendor Crucis. Epiphanius supra.
schema clarum David. Bonaventura in Ps. min. quinq. 2.
splendor Moysis, gloria Aaron. Ephrem supra.
summa oraculorum divinorum. Cretensis supra.
sulamitis verè libera. Rupertus l. 6. in Cant.
stabilimentum monachorum. Ephrem supra.

T

TAbernaculum fœderis. Ex. 31. Justinus de casto conn. cap. 9.
tabernaculum Deum vivum; & rationale. Damascenus or. 1. de Nat. V.
tabernaculum gloriæ Dei. Ildephonsus s. 9. Ass.
tabernaculum Dei inter nos positum. Apoc. 14. Andreas Hierosol. or. de dormit. V.
tabernaculum habens Sancta Sanctorum. Arnoldus de laud. Virg.
tabula scripta legem ferens. Ephrem de laud. V.
tela purissima, ex qua Salvatori tunica confecta est. Proclus in Conc. Ephes. c. 6.
tellus, ex qua novus Adam formatus est. Andreas Hierosol. s. 2. Ass.
templum Dei vivi. Epiphanius or. de laud. V.
templum sanctificatum. Id. ib.
templum Salomonis. Damascenus supra.
templum majus cœlo. Hesychius or. 2.
templum divinum. Cretensis hom. 2. Ass.
templum cœleste. Ildephonsus s. 9. Ass.
templum ornatissimum divinæ gloriæ. Andreas Hierosol.
templum insolubile. Cyrill. hom. 6.
templum misericordiæ Dei. Augustinus s. 2. in Ass.
templum unicum Factori sui. Ildephonsus cap. 20. de B. V.
templum honorabile. Origenes hom. 1. in Matth.
terebinthus extendens ramos gratiæ. Eccl. 24. Bonaventura in spec.
thalamus Regis Christi. Epiphanius supra.
thalamus, in quo verbum carnem sibi desponsavit. Proclus supra.
thalamus ornatissimum Dei. Leo Imp. de dorm. V.
thalamus Spiritus S. Damascenus supra.
thalamus sanctimoniæ. Cyprianus s. de Nat.
thalamus fragrans virginitatis odore. Justinus supra.
terra Dei benedicta. Arnobius in Ps. 84.
terra nova. Tertullianus de carne Christi c. 17.
terra, de qua bella penitus ablata sunt. Ps. 48. Richardus l. 1. de Emman. c. 29.
terra habens omnia. Gen. 27.
terra verè desiderabilis. Ps. 87. Cretensis supra.
terra illuminata à gloria Dei. Apoc. 18.
terra virginea nunquam maledicta. Andreas Ap. apud Abdiam cap. 4.
terra germinans Salvatorem. Is. 45. Ildephonsus supra capit. 3.
terra Sacerdotalis, & immunis. Bonavent. sup. Gen. 47.
terra ferens aromata. Cretensis supra.
terra, de qua veritas orta est. Augustinus in Ps. 48. Bernardus s. de aquæductu.
terra promissionis. August. ib.
terra dans fructum suum. Ps. 85. Ildephonsus supra;

ter-

terror malignorum spirituum. Bonaventura in Sym. Te Vi.
terribilis ut castrorum acies ordinata Cant. 6.
theca novi unguenti divini. Cretensis supra.
thesaurum Domini. Idiota de contempl. Mariæ in Prologo.
thesaurus totius Sanctitatis. Cretensis supra.
thesaurus desponsationis arcanus. Epiphanius supra.
thesaurus divinarum gratiarum. Damianus sermon. de Nativ. Virg.
thesaurus absconditus ante sæcula mysterii. Cretensis supra.
thesaurus cœlestis. Origenes hom. 1. in Matth.
thesaurus locupletans. Hesychius or. 2.
thesaurus vitæ immarcessibilis. Andreas Hierosol. supra.
thesauraria Domini. Idiota supra.
thronus gratiæ Dei. Hebr. 4. Bonaventura supra c. 4.
thronus Cherubicus. Epiphanius supra.
thronus Saphyrinus super firmamentum. Ezech. 1. Bernardinus tom. 1. s. 51.
thronus Dei in columna nubis. Eccl. 24. Hugo ib.
thronus, de quo procedunt fulgura, & voces. Apoc. 4. Bernardus s. de Virg.
titulus nobilissimus nostræ libertatis. Ildephonsus cap. 12. de V. M.
trames aquæ immensa. Eccl. 24. Bonavent. sup.
triclinium nobiles SS. Trinitatis. Bonaventura in hymno de Virg.
thornus nuptialis Christi. Augustinus s. 17. de Nat.
tuba clarissima præcognitionis arcanæ. Andreas Hierosol. sup. Miss.
thuribulum aureum. Gregorius Nicomed.
turris Davidica, de qua omnis armatura fortium. Cant. 4. Rupertus hic.
turris eburnea. Damianus s. 1. de Nat. V.
turris spei nostræ. Bernardus de Nat. Mar.
turtur munda. Hesychius or. 2.
turtur castissima. Epiphanius l. 3. contra hæres.
thus redolens in diebus ætatis. Eccl. 49. Bonav. supra.
typus Ecclesiæ Sanctæ. Augustinus s. 10. de temp.

V

VAllis benedictionis abundans aquis. 2. Paral. 20. Bonav. in spec. c. 5.
vallum fidelium. Ephrem or. de laud. V.
vas immensissimum continens immensum. Bonavent. in spec. cap. 15.
vas electionis. Cyprianus de Nat. Chr.
vas auri ornatum omni lapide pretioso. Bernardus in Salve.
vas aureum cœleste continens manna. Damascenus or. 1. de Nat. V.
vas pretiosum virtutum. Cretensis Nicomed. de oblat. Virg.
vas Dei electum. Ephrem supra.
vas admirabile. Ecclesiast. 43. Bonaventura supra c. 3.
vas purissimum. Prov. 25. Bonaventura ib.
vas unguenti pretiosi. Id. in Psal. min.
vaticinium Propherarum. Hieron. in Micheæ 6.
vehiculum ad Deum nostrarum animarum. Bernardus s. de Nat. Mar.
vellus mundissimum, ex quo pastor ovem induit. Proclus in Conc. Eph.
vellus Gedeonis. Judic. 6. Epiphanius supra. Methodius or. in hyp.
vellus roris incomprehensibilis. Methodius ib.
vellus, in quod pluvia descendit. Psal. 71. Theodoretus hic.
venustas humanæ naturæ. Damascenus oratio 1. de Nat.
vena vitæ munda. Prov. 15. Bonaventura in spec. c. 15.
vena benedicta. Ib.
vena misericordiæ in hym. Te Virg.
venia peccatorum. Bernardus s. 1. in Salve.
veritas Prophetarum. Bonaventura supra.
vestimentum Dei impollutum. Methodius supra.
vestimentum nuditatis nostræ. Germanus Const. de Præsent. B. V.
vexillifera Regis nostri. Prov. 8. juxta Hebr.
via regia Salvatoris. Bernardus s. 2. de Adv.
via errantibus. Justinus de casto conn. c. 9.
virga Dei. Damianus s. de Annunt.
virga gracilis, & pulchra. Rupertus lib. 11. de victoria verbi.
virga de radice Jesse. Is. 11. Hieron. hic.
virga vigilans. Jer. 2. Bernardinus tom. 1.
virga Moysis. Bernardus s. 3. sup. Miss.
virga sublimis. Id. s. 2. de adv.
virga Aaronis florida. Cretensis sup. Miss. Chrysostomus in Genes.
virga germinans florem Christum. Ambrosius l. 2. de Spiritu S. c. 5.
virga virtutis Dei. Ps. 109. Bonaventura in spec. c. 3.
virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Cant. 3. Emissenus hom. de Nat.
virga simplex, atque purissima. Hieronymus in Os. 3.
virga expers omnis nodositatis. Damasc. s. de Annunt.
virgo lucifera, Ephrem supra.
virgo carne, & mente. Bernardus s. 3. in Miss.
virgo intemerata. Damascenus de Ann. V.
virgo à sæculo electa, & Deo præparata. Bern. sup.
virgo Deiformis. Dionysius ep. ad Paulum.
virgo, quàm sibi totam rapuit Spiritus Sanctus. Damascenus s. de Ann. V.
virgo prudens. Bernardus supra.
virgo veneranda. Nazianzenus in Christo patiente.
virgo clemens, & pia. Ecclesia in Salve.
virgo dulcissima. Bonavent. in speculo c. 1.
virgo de cujus plenitudine omnes accipimus. Bernardus s. de Nat.
virgo ineffabilis. Rupertus.
virgo inclita. Ildephonsus s. 1. de Ass.
virgo fidelis. Rupertus l. 3. c. 14. in lib. Reg.
virgo incorrupta. Ambrosius in Ps. 18.
virgo felix. Bernardus de prec. ad Virg.
virgo Regia. s. de Nat. Bernardus s. 2. de adv.
virgo sine mensura perfusa gratiæ. Damascenus sermon. de Joan. B.
Virgo, cui nihil defuit. Idiota contempl. c. 4.
virgo mirabilis. Chrisostomus tom. 4. in Matth.
virgo priùs sancta, quàm mater. Justinus de Annunt.
virgo multocula. Epiphanius de laud. V.
virginum signifera. Bonav. in Lit. Virg.
virginitatis corona. Cyrillus Alex.
virginitatis primiceria. Chrysostomus supra.
visio magna in terris. Ex. 3. Andreas Cret. sup.
Virga omnium viventium. Id. ib.
vita nostra, & dulcedo. Ecclesia in Salve.
vitæ causa felicissima. Cretensis supra.
vivificatrix posterorum. Bernardus s. 3. in Miss.
vitis spondens generosa. Bonaventura in Lytan. Virg.
vitis veritatis felicissima. Epiphanius supra.
vitis semper virens. Thaumaturgus s. 1. in Annunc.
vitis minimè vindemiata. Epiphanius supra.
vitis germinans uvam maturam Christum. Id. ib.
vitis lætificans glorificantes te. Thaumaturg. sup.
umbraculum Dei. Bonav. supra.
umbraculum Spiritus Sancti. Methodius or. de hyp.
volumen Novi Testamenti à Deo scriptum. Cretensis or. 2. Assumpt.
volumen, in quo Dei verbum sine manibus scriptum. Id. ib.

TITULUS VIII.

S. MARTINUS.

SCidi pallium meum, evelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mœrens. 1. Esdræ 9. 3. Miles pallium dedit ad literam. Monachus capillos evulsit, idest, temporalia reliquit, quæ per capillos designantur. Episcopus mœrens sedit: quia ad Episcopum pertinet peccata subditorum flere. S. Thomas Aqu. in festo S. Martini.

Magnus erat Martinus animo, etsi exiguus corpore: qui cœlestium amore succensus jugi cogitatione ferebatur in Deum. S. Laurent. Just. in eodem festo.

TITULUS IX.

MARTYRES.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri.

VIde, utrùm tunica filii tui sit. Genes. 37. 32. Quæ sunt vestimenta nostri Joseph, Christi, nisi S. Martyres? de quibus. Is. 63. 2. quàm rubicunda sunt vestimenta tua! S. Prosper de promissionib. p. 1. c. 27.

Tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas. Judic. 7. 20. In tubis clamor prædicationis, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis designata est fragilitas corporum. S. Rupertus de oper. Spir. S. l. 6. c. 15. ait de prœliis Martyrum figuratis in prœlio Gedeonis.

Calix tuus inebrians quàm præclarus est! Psalm. 22. 5. Hoc calice inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes suos non agnoscebant. Quid tàm ebrium, quàm non videre uxorem flentem, non filios, non parentes? Sanctus Augustinus hic.

Æstatem, & ver, tu plasmasti eas. Psalm. 73. 17. Per hæc tempora significat Fideles diversa morum qualitate pollentes. Alii enim sunt tanquam æstas fidei calore ferventes ad martyrium usque perducti: alii mansuetudine temperati

tam-

tanquam ver æquabili Domino devotione famulantes. Cassiod. hìc.

Calicem salutaris accipiam. Ps. 115. 13. Pulcherrimè ac breviter, definita est Martyrum mors, calix salutaris. Calix, quià sub mensura bibitur; salutaris, quia in æternam salutem Domino præstante propinatur. Cassiod. hìc.

Sophia jugulavit filios suos. Prov. 9. 2. Vulgata: *Sapientia immolavit victimas*. O bonam matrem! opto & ipse in filios ejus redigi, ut ab ea occidar, opto occidi, ut filius fiam. Tertull. lib. cui tit. Scorpiacus contra Gnosticos.

Ascensum purpureum. Cant. 3. 10. idest, sella purpurea, ait Justus Orgel. est ingens, & quasi innumera multitudo Martyrum. Corn. hìc:

Dentes tui sicut greges tonsarum. Cant. 4. 2. Dentes Ecclesiæ Martyres sunt; quibus in ejus corpus omnis Gentilium populus, velut cibus quidam, mansus, & trajectus est. S. Thom. Vill. conc. de multis Martyr.

Sicut fragmen mali Punici. Cant. 4. 3. V. Beda: ostendit colorem Puniceum in genis Ecclesiæ; cùm prima, & eminentiora ejus membra, idest, Martyres sancti, sanguinem fundunt pro Christo.

Messui myrrham cum aromatibus. Cant. 5. 1. Metit myrrham cum aromatibus, quando Martyres suos cum cœteris electis, ubi ad maturitatem quique donaræ sibi perfectionis pervenerint, quasi quadam falce mortis ab hac vita præcidit, atque ad interna supernæ beatitudinis gaudia perducit. V. B. l. 4. c. 5. hìc.

Genæ illius sicut areolæ aromatum. Cant. 5. 15. Genæ sunt Martyres, qui sanguinem suum pro fide Christi fundentes, quasi genæ in facie sponsi rubent. Richardus à S. Vict. cap. 38. hìc.

Egrediamur in agrum. Cant. 7. 11. in agro Christiani, in vineis Ecclesiæ, in floribus fides, in fructibus virtutes, in malis Punicis Martyrium designatur. S. Isid. hìc.

Et quasi holocausti hostiam accepit illos. Sap. 3. 6. idest, sicut holocaustum, quod totum Deo incenditur, Deo acceptum est; ità passio Martyrum, igne tribulationum exteriùs combustorum; & igne charitatis, & fidei, interiùs accensa, accepta est in conspectu Domini pretiosa. Hugo Card. hìc.

Veri exercitus in coccineis. Nahum. 2. 3. q. d. milites Chaldæorum erunt nobiles, ideoque vestientur clamydibus coccineis: coccus enim erat nobilium, imò regum vestis; uti dixi Thr. 4. 5. De Cyri exercitu Xenophon l. 6. Pædiæ Cyri: universus exercitus ære fulgurabat, Puniceoque florebat ornatu. Causam dat noster Martinus à Roal. 1. singul. c. 2. ut scilicet sanguis, si quis ex vulnere esse impressus, absorberetur à cocco; tum illi confidentius, & sine pavore, pugnarent. Cornelius hìc. Coccinei milites Christi, sunt Martyres, qui sanguine suo purpurantur: qua de Causa Cardinales purpura vestiuntur; ut ostendant, se paratos pro Christo, & Ecclesia, sanguinem fundere. Id. ib.

Ex Novo Patribus, & aliis.

Aurum. Matth. 2. 11. Offerunt Doctores, Sapientiam: *thus* Martyres, & Confessores: *myrrham* pœnitens peccatores. Eusebius Emiss. in Epiph. D.

Plurima turba straverunt vestimenta &c. Matth. 21. 8. Corpora humana dicuntur vestes animæ; quas plurima *turba*, scilicet SS. Martyrum straverunt in via, morientes pro fide Christi. S. Vinc. Ferr. s. 3. in Palm.

Equus rufus. Apoc. 6. 4. aut effusi sanguinis Symbolum est; aut inflammatum illorum affectum significat, qui mortem pro Christo opperierunt. S. Andreas Cæsar. s. 5. c. 14.

Vos de vinea Domini pingues racemi, & jam maturit fructibus botri, pressuræ sæcularis infestatione calcati, torcular vestrum carcere torquente sentitis. Vini vice sanguinem funditis, ad passionis tolerantiam fortes, martyrii poculum libenter hauritis. In carne adhuc licèt vobis positis vita jam vivitur, non præsentis sæculi, sed futuri. Ratio præcesserat: ubi non nisi Dei præcepta, & Christi proemia, cogitantur, voluntas est illic tantùm Dei. S. Cyprianus ep. 16.

Mundus vindemiarum ubertate lætatur; nos Sanctorum passione gaudemus: quæ quidem passio vindemiis comparanda est. Sicut enim uvarum expressione vinum funditur; ità & Sanctorum martyrio vice viæ, sanguis effunditur, nisi quòd uva temporales fructus præstet, passio sempiternos. S. Amb. s. 73. de Nat. SS. Petri, & Pauli.

Pulchrum quidem, & integrum corpus fuerat (Jobi) multò verò venerabilius factum est ab illis vulneribus infestum. Quoniam & lanæ pulchræ quidem, & antequam inficiantur: postquam verò purpureæ factæ fuerint, ineffabilem capiunt pulchritudinem, multumque decorem. Chrysost. hom. 5. ad pop. Antioch.

Purpura. Lem: *Ex nece triumphus*. Picinelli.

Laurus ramis ab signa triumphalia cœsa. Lem: *Cæsa triumphat*.

§. II.

Martyres comparantur rosis.

Quasi rosa plantata super rivos aquarum. Eccl. 39. 17. *aquarum*, idest, lacrymarum, vel adversitatum. *Rosæ* sunt Martyres; quorum pulchritudinem in amore, & sanctitate, imitari debemus. S. Bon. s. 3. Dom. 7. Pent.

Aliter olet flos uvæ; quia magna est virtus, & opinio, Prædicatorum; qui inebriant mentes audientium. Aliter flos olivæ: quia suave est opus misericordiæ; quia more olei refovet, & lucet. Aliter flos rosæ, quia mira est fragrantia, quæ mitilat, & redolet, ex cruore Martyrum. S. Greg. in Ezech. l. 1. hom. 6.

O beatam Ecclesiam nostram! quam sic honor divinæ dignationis illuminat; quam temporibus nostris gloriosus Martyrum sanguis illustrat. Erat ante in operibus fratrum candida; nunc facta est in Martyrum cruore purpurea. Floribus ejus nec lilia, nec rosæ desunt. S. Cyp. ep. 9.

Salvete flores Martyrum, quos lucis ipso in limine Christi inscutor sustulit; seu turbo nascentes rosas. Prudentius.

Euchenius in formis alleg. ait: rosas esse Martyrii Hieroglyphicum; Martyresque coronari rosis, ob ruborem sanguinis pro Christo effusi.

§. III.

Martyrum variæ laudes.

Vade populo meus, intra in cubiculo tuo. Is. 26. 20. q. d. Ite ò Martyres, ad sepulchra; modicum ibi dormite, donec puniam impios. Corn. hìc.

Dico autem vobis amicis meis? &c. Luc. 12. 4. Servos suos dignatur vocare amicos tunc, cùm ad martyrium eos accendit: ut intelligamus, præsentis vitæ mala, tormenta, mortemque, parari amicis ejus; & talia esse amicitiæ ejus pignora. Cajetanus hìc. Martyres dicuntur consanguinei Christi, quia sanguinem Christi miscuerunt cum sanguine suo. S. Vinc. Ferr. s. 2. D. 20. Pent.

Vidi subtus altare &c. Apoc. 6. 9. Alluditur hìc ad antiquum, & communem Ecclesiæ ritum: quæ ex sanctione Felicis Papæ I. mandat, corpora Martyrum sepeliri sub altari; ut docent S. August. s. 11. de Sanct. Anselmo, Richardus &c. Quia Martyres immolati Deo instar holocausti, ut sepulchra eorum orantibus ad altare continuum essent excitamentum devotionis, virtutis, fortitudinis. Hinc Sacerdos accedens ad altare, & osculans dicit: oramus te Domine per marita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hìc sunt. Sylv. hìc. Convenienter, & quasi pro quodam consortio, ibi Martyribus sepoltura decreta est; ubi mos Domini quotidie celebratur. Scilicet, ut qui propter mortem ejus fuerant mortui, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant. S. Aug. s. 73. in append. de diversis.

Stata est via prius spinosa, & pedibus Apostolorum contrita, facta lenior secuturis. Quasi semine sanguinis impleta est Martyribus terra; & de illo semine seges surrexit Ecclesiæ. S. Aug. s. 39. de divers.

Triumphus Dei est passio Martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia. S. Hier. ep. 150.

Non ità siderum exornatum choro cœlum illustre est, ac splendido vulnerum choro Martyrum corpora exornantur. S. Chrysost. Laudat. OO. SS. Martyrum.

Martyres, & Angeli, nomen tantùm distincti sunt, factis autem junguntur. S. Chrysost. tom. 6. Laudatio OO. SS. Martyrum.

Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur. S. Leo s. 1. in Nat. SS. Petri, & Pauli.

Cur plerique Martyres gladio Deus obtruncari voluit? Respondet Oleast. in c. 40. Gen. Martyres suos Deus voluit pro majori parte decollari: quia ea mors nobilium esse solet.

§. IV.

Martyrum fortitudo, generositas.

Fasciculus myrrhæ &c. Cant. 1. 12. Sponsa Regem suum sponsum in accubitu suo videns, idest, in Incarnatione, Passione, crucifixione, & morte, quam pro sponsa sponte obivit; rapta in admirationem tanti amoris exclamat: *fasciculus myrrhæ &c.* q. d. ego myrrhæ, idest, amore hujus sponsi mei, qui tam amara ultrò pro me subiit, semper recordabor; illi grata ero, illum amabo; pro illo vicissim amara quælibet subire non detrectabo; sed optabo, & ambiam. Unde communis hæc Martyrum fuit vox, sensus, & spiritus: ego amore Christi, pro me tanta passi, & crucifixi, crucem, mortem, feras, ignes, equuleos, & quævis tormenta subire desidero; ut dolorem dolori, amorem amori, non ex æquo, sed quoad possum, rependam. Cornelius hìc.

Inebriamini charissimi. Cant. 5. 1. Philo Carpathius intelligit Ss. Martyres; qui ità Dei gratia erant fortes, & constantes in martyrio, acsi essent impassibiles. Cornelius in Act. 2. q. 14.

Martyres hujus fidei testes fuerunt; huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum, & crudelissimum, pertulerunt; eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt. S. Augustinus de Civ. l. 22. c. 9.

Terrentur licèt Martyres, rident, feriuntur, & gaudent, occiduntur; & ecce triumphant. Quare? quia morte charitatis intus in corde jam dudum mortui peccatis, mortui Mundo, tanquam insensibiles facti: nec minas, nec tormenta, nec mortem, sentire potuerunt. Quid mirum? mortui erant. S. Bernardus tr. de Pass. D. sup. illud ego sum vitis cap. 3.

Ipse, quando Platonica doctrina delectabar; cùm audirem Christianos calumniis appeti; nec mortem horrentes, nec aliud quidquam cæteris terribile; cogitabam esse impossibile, tales vitiis servire, ac voluptatibus. S. Justinus M. Apolog. pro Christianis ad Senatum Romanum.

Abel ideò Martyr, quia justus: ideò justus, quia patiens; à quo pati Martyres didicerunt. S. Zeno s. de pat.

Triplex corona legitur in Scriptura: una aurea, altera stellea, tertia lapidea. Prima datur Virginibus, secunda Prædicantibus, tertia Martyribus. Aurum enim, quia incorruptibile, significat incorruptionem, seu carnis integritatem: stella deviantium est directiva: lapis, propter suam soliditatem, significat patientiæ firmitatem. S. Bonaventura s. 2. de S. Bartholomæo.

Marcus, & Marcellianus, fratres Romani, ad stipitem alligati, pedes clavis confixi, à Fabiano Duce diis facere jussi; nunquam ajebant, tam jucundè epulati sumus, quàm hæc hilariter D. Jesu causa perferimus; cujus amore jam fixi esse cœpimus. Drexelius Tob. p. 1. c. 12. §. 1.

Senex 72. annorum, Simon nomine, in Japonica persecutione, jussus à Præsule, aut negare Christum; aut in pyram incensam, & cumulum ingentem ardentium anthracum se immergere. Priùs illud recusans, spoliare se, abijcere vestes, & nudus penitus, in ignes insilire jussus est: quos inter medios constitit immobilis; ac si alienum corpus torreri videretur. Septies præterea, aut octies, se circumegit, ut meliùs uteretur; &, prout tyrannus imperabat, illo se vertebat. Nierembergius hist. natur. l. 8. c. 29.

Puerum Christianum arbori alligatum facibus adurebant, Cùm ejus constantia superaret omnem sævitiam; vasculum bene ignitum obtulerunt puero, ut manibus sustentaret, hoc pacto, ut, si excideret, aut ipse abjiceret, idem foret, ac Christum detestari. Accepit illud puer, & nudis sustinuit manibus, donec penitus frigefieret, absque ullo motu, aut doloris significatione. Idem tyrannus imperavit aliis duobus Christianis, adjecta hac conditione, accepturum se quemlibet motum in signum detestati Christi: at illi immoti perdurarunt duas horas, partim tosti, partim adusti ignibus. Id. ib.

§. V.

Martyrii desiderium, & aviditas.

Eamus, & nos, ut moriamur cum eo. Joan. 11. 16. Ecce bonus commilito; qui ad probitatem, & socios animat; &, velut ignitus carbo, alios extinctos nititur facere redivivos; & à mortis pavore jam factus extraneus, alios invitat ad mortem. Dignum omninò ratus, omnes milites, si expedit, mortem subire cum duce: maximè illam modicam catervam post cœlestis Ducis mortem vita judicabat indignam. Propterea omnes hortatur ad mortem, si ipse mori decreverit, ac si diceret: quid eum sequi cunctamur, si vult ad bella procedere; ubi nos non antè premittit, sed ipse primus vult habere congressum. Cur ei adhæsimus, si sequi retardamus &c. Magna fidei, & amoris erat adhæsio in Thoma, qui timori mortis repudium dederat, animabatque socios timorem hujusmodi abijcere. Simon Cass. l. 5. c. 15.

Clades illi, & calamitas erat, quòd non sæpè posset Martyrum pro veritate certamina imitari. S. Gregor. Nyss. or. funebri de S. Basilio frater suo.

§. VI.

Martyrum multitudo.

Totum Mundum, Fratres, aspicite? Martyribus plenus est. Jam pene, tot, qui videamus, non sumus, quot veritatis testes habemus. Gregorius hom. 27. in Evang.

Quòd si tantus ostenditur, & probatur, Christianorum Martyrum populus; nemo difficilè, vel arduum putet, se Martyrem fieri, quando videt Martyrum populum non posse numerari. S. Cyprianus Exhort. ad MM. apud Sylveira in Apoc. 7. q. 16.

Unus dies passionis Martyrum si computetur, millia hominum inveniuntur coronatorum. S. August. s. 5. de divers.

Quis cœli stellas enumeret, ac diffusam ad maris littus arenam, tot sunt Martyres per orbem. B. Theodorus Stud. ser. 10. de SS. Martyrib.

Præsidi oblati innumeri Fidelium populi, qui spontè cervices offerebant. Defecerunt carnificium manus, & succedentes sibi invicem fatigati sunt; hebetata est acies gladii. Videbam fessos carnifices residere, vires resumere, mutare gladios, diem quoque non sufficeret ad pœnam. Nullus tamen ex omnibus, nè parvulus quidem infans, deterreri potuit à morte. Nicephorus l. 7. c. 8.

Miscellanea.

Stabant autem omnes noti ejus &c. Luc. 23. 49. Nota, quòd nullus eorum, qui juxta crucem steterunt, martyrio obiit, adeò enim vehemens fuit ille crucis gladius; ut illis fuerit pro martyrio. Stella hìc.

Christus à S. Gregorio Naz. or. 18. vocatur primus Martyr. à S. Augustino s. 2. de S. Stephano, caput Martyrum.

Sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. S. Ambros. l. de Viduis.

Martyria voluntaria, Vide Paupertas, Virginitas, Patientia.

TITULUS X.

MATRES.

§. I.

Matrum amor in filios.

Tradiditque puerum (Agari) & dimisit eam. Gen. 21. 14. In exteras regiones proficisci Ismaelem sinit. Abraham. Proh! dura viscera patris! tenellum sic expedit. Quid si feræ irruant in eum? Non timet pater filio, quem tradidit matri suæ Agar. Alvarez Illust. 13.

Dixit Esau in corde suo: venient dies luctus patris mei. Gen. 27. 42. mox: *nuntiata sunt hæc Rebeccæ*. Si in corde tantùm locutus est Esau, quomodo Rebecca illis audivit vocem? adeò vigiles sunt matres erga filios; ut vel inimicorum pectora timentur, & occultè meditata damna prævideant, ut præcaveant. Vide plura de ejus amore in Jacob. v. 13. Id. ib.

Divisique filios Liæ, & Rachel &c. Gen. 33. 1. Familiam suam ità ordinavit Jacob, ut filii matribus adhærent. Sed cur suo lateri non jungit? Respondet Oleaster: quia matres illos melius custodirent, & pro eis fratrem deprecarentur. Maternus amor in filios primas obtinet, vigilantiorque paterno est. Id. ib.

§. II.

Machabææ & aliarum.

Contingit autem & septem fratres unà cum matre sua apprehensos. 2. Machab. 7. 1. &c. Mater illa gravius in suppliciis filiorum punjebatur, quàm si ipsa pateretur: & major erat passio invisceribus matris, quàm in corporibus filiorum S. Chrysost. hom. de Nativitate septem Machabæor. Videre erat ignem triplicem: quem ille tyrannus accendebat; quem excitabat natura; quem Spiritus S. inflammabat. Non ita illi jacentes in igne urebantur, atque hæc ob amorem liberorum urebatur. Sed ob pietatem vincebat; & natura cum gratia pugnabat; & victoriam gratia reportabat. Religio maternum affectum superabat; & ignis vincebat; spiritualis naturalem, & quem crudelitas tyranni accenderat. S. Chrysost. tom. 6. Laudatio S. Machabæor. Non immeritò præsumitur ista mater beatissima Ecclesiæ Sanctæ imaginem præmonstrasse; quæ filios Deo spirituales parere consuevit; nihil de carne, & sanguine, cogitantes. S. Gaudentius tr. de Machabæis.

Discurrebat latior inter confossa cadevera, quàm inter cunabula chara filiorum: quia internis oculis tot cernebat bravia, quot vulnera; quot tormenta, tot proemia; quot victimas, tot coronas. Et quid plura fratres? non est vera mater, quæ nescit filios sic amare. S. Chrysologus s. 134. de S. Felicitate M.

Et misisti manum tuam ex alto; & de hac profunda caligine eruisti animam meam; cùm pro me ploraret ad te mea mater fidelis, tua, ampliùs, quàm flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide, & spiritu, quem ex te habebat; & exaudisti eam Domine. S. Aug. Conf. l. 3. c. 11.

Miscellanea.

Isaac non duxit uxorem vivente matre; nè uxoris dilectio dilectionem matris superaret. V. Beda in c. 2. Ex.

Si impium est, contemnere matrem; contemnere tamen propter Christum, piissimum est. S. Bernardus ep. 104.

Videte fratres, nè degeneretis; nobilis est mater, quæ vos genuit, generosa sunt ubera, quibus lactati estis. Guaricus s. 2. in Natali SS. Petri & Pauli.

Juvenis quidam matrem suam truserat pede. Tactus pœnitu-

nitudine, contulit se ad S. Antonium de Padua, ut expiaret noxam: qui, ut in ejus anima vivaciùs imprimeret horrorem peccati, inter alia dixit: fili mi, pes ille, qui instrumenti loco tuæ servivit malitiæ, ad patrandum tantum scelus, abscissionem à reliquo corpore mereretur. Juvenis id adeò cordi accepit, ut reversus ad matrem pedem illum abscideritj quem tamen per ejusdem Sancti benedictionem recepit. S. Franciscus Salesf. de amore Dei l. 8. c. 12. Hoc exemplum alias est de S. Petro M. Ord. Prædic. in ejus vita 29. April. apud Bollandum p. 694. col. 2.

TITULUS XI.

MATRIMONIUM.

§. I.

Matrimonii figuræ & laudes.

Solem, & Lunam, adorare me. Gen. 37. 9. S. Ambros. l. de Joseph c. 2. probat puerum Jesum adoratum à Joseph & Maria; ex illo Ps. 148. 3. *Laudate eum sol, & luna*; solis instar est Joseph, Lunæ vicem gerit Maria: sicut enim sol ferram, ità, pater calefacit, foveque familiam: sicut luna lumen mutuatur à sole; sic uxor à marito dignitatem, & potestatem suam accipit. Cornelius hic.

Sub solis, & lunæ, typo videt patrem & matrem. Amico tædere curas partiri domesticas debent conjuges. Sicut sol diurno labori invigilans lunæ committit nocturnum pensum; sic publicis, & externis rebus assidens maritus, domesticas uxori dirigendas confidat. Alvarez. Illustr. 48.

Matrimonium Sacramentum, quia repræsentat Christi Incarnationem. S. Vincent. Ferr. s. 1. D. oculi.

§. II.

Origo, & causa.

Evæ creatio, ac Matrimonii institutio, facta est, ante Sabbatum die sexto, puta Veneris, quò creatus est Adam. Cornelius in cap. 2. Gen. Simulatque Deo non obtemperaverunt, ac terra, cinisque facti sunt; simul cum beata illa vivendi ratione virginitatis decus amiserunt; & unà cum Deo semigravit ab eis castitas virginalis. Nam quamdiu à diaboli servitute liberi fuerunt, ac Dominum suum sunt veriti; fuit penes eos virginitas; quæ majori ipsis erat ornamento, quàm sit diadema regibus, aut aurea vestimenta. Posteaquàm verò captivi fuerunt, & regiam ipsam exuerunt stolam - tunc unà successit connubium; mortale hoc, & servile vestimentum. Videsne, unde nuptiæ initium habuerint? à divini præcepti contemptione, ab execrationibus, à morte: siquidem ubi mors est, ibi nuptiæ commorantur. S. Chrysost. l. de virginit.

Dii si sunt immortales, & æterni, quid opus est altero sexu? cùm successione non egeant, qui futuri sunt semper. Nam profectò in hominibus, cœterisque animantibus, diversitas sexus, & generatio, nullam habet aliam rationem: nisi ut omnia genera viventium, quando sunt conditione mortalitatis obitura, mutua possint successione servari. Lactantius l. 1. de falsa relig.

Quia mors, ideò & nuptiæ; & quia nuptiæ, ideò & mors. Ubi autem morte abolita quis nuptiarum usus? nuptiæ enim auxilium vitæ mortalis; & impletio ejus, quod deficit: ubi autem nihil deficit, quid opus implente? Teophylactus in c. 9. Joann.

Morbi corporis maximè indicant necessarium esse matrimonium. Clemens Alex. l. 2. Strom.

Matrimonio haud opùs habent, qui mortales non sunt. Sanct. Joan. Damascen. lib. 2. orthod. fid. c. 3. Vide tit. Nuptiæ. Uxor.

§. III.

Matrimonium ærumnosum.

Ex Veteri.

Multiplicabo ærumnas tuas. Gen. 3. 16. Cur Dominus *ut prægnantibus, & nutrientibus.* Matth. 24. 19. cecinit, nisi quia filiorum impedimenta testatur in illa die expeditionis incommoda futura? tunc autem ad viduas non pertinebit: ad primam Angeli tubam expeditè prosilient. Tertullianus l. ad uxorem c. 5. Ex his collige, quàm molestum sit conjugatis mortis periculum; quàm expedita ad moriendum vita cœlebs. Virginibus conclamatur: *ecce sponsus venit*! unde tanta illarum celeritas? *tunc surrexerunt omnes virgines*. Sanè maritatæ, & difficiliùs prægnantes, ad vocem Domini, non ità facilè, & expeditè occurrissent. Ternandius in c. 3. Gen. Sect. 36.

Olim Patriarcharum matrimonia pleraque juxta fontes, aut aquis proxima loca, conflata. Gen. 24. 13. Oeconomus Abrahæ ait: *ecce ego sto propè fontem aquæ*. Sic Jacob Gen. 29. 10. Aquæ autem significant labores, ærumnas, persecutiones, S. Hieronymus l. 1. in Jovinianum; ait: in sepulchro; cui par conjugum illatum fuerat, hoc visum epitaphium: Hospes miraculum! hic vir, & uxor non litigant. Didacus Nyss. in Phœn. Græc. l. 3. c. 14.

Mortua est Sara. Gen. 23. 2. Deus à morte uxoris ulteriùs Abrahæ apparuisse non legitur. Rupertus in Gen. 35. l. 6. Cur conjugato toties apparuit? Licèt habuerit uxorem probam: egebat tamen crebra Dei visitatione; ut ferret leviùs opera matrimonii; quibus sublatis ulteriùs Deus ei non apparuit: ut indicaretur: eum, qui sine uxore est, etiam absque ærumnis esse. Didacus Nyss. D. 2. Epiph. §. 2.

Equitatui meo assimilavi te. Cant. 1. 7. Religiosi equitatus Dei. Conjugati sunt velut pedites; qui pedes suorum affectuum terræ figunt, negotiis terrenis inhiant. De Ponte hìc Exh. 21. §. 21.

Ex Novo.

Jugum meum suave est, & onus meum leve. Matth. 11. 30. Quòd si quæris; quamobrem antiqui duas, aut tres, habuerint uxores? disce diligenter, quòd magna tunc esset diaboli tyrannis, quam Christus ad nos perfectus abolevit, multis dæmonibus è medio eliminatis. S. Anastasius q. 97. in Script. Lex Mosaica erat difficilis. Act. 15. 10. *Neque patres nostri neque nos, portare potuimus.* Unde Christus prævidens, quanta viro foret anxietas, quanta cura, pluribus alligari uxoribus; lege nova prohibuit. q. d. non opus est, habere plures cruces; una sufficit. Paolettus D. 2. Epiph. *Duæ erunt molentes in unum.* Luc. 17. 34. Intelliguntur conjugati: Hugo Card. hìc.

Vinum non habent. Joan. 2. 3. Est inter nuptialia gaudia vini defectus; & quando labor, & pœna, non premit nuptias? *tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* 1. Cor. 7. 28. S. Paulinus ep. 39. nunquam in carnalibus affectionibus ità quiescit animus, ut cruciatu careat; dum necessitudines suas aut bonas amat, cum amittendi metu; aut malas, odit, cum amittendi voto in utroque miseriis sustinendis semper obnoxius. Baeza t. 2. l. 11. c. 1. §. 8.

Paulus servus Jesu Christi. Rom. 1. 1. Quid ad nuptiarum, vel castitatis, præcepta commemoratio servitutis, ac libertatis assumitur? sed nos sensum Pauli ità intelligimus: quòd servum dicat eum, qui jugali conditione constrictus est; liber verò, qui sine uxore per puritatem continentiæ venit ad Christum. Origenes hìc l. 1.

Alligatus es uxori, noli quærere solutionem. 1. Cor. 7. 27. Adolescentes audite: vincula ferrea sunt; nolite pedes mittere; nè, cùm miseritis, arctius constringamini compedibus. S. August. in Ps. 149.

Ex Patribus, & aliis.

Bona vincula nuptiarum; sed tamen vincula: etsi vincula, tamen vincula charitatis. Bonum conjugium; sed tamen à jugo tractum, & jugo Mundi: ut viro potiùs cupiant placere, quàm Deo. Bona etiam vulnera charitatis, & osculis præferenda. S. Ambrosius l. 3. de Virg. circa medium.

Nubes sunt, & graves nubes, quæ nupserint: namque à nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Et verè graves nubes, quæ sustinent sarcinam matrimonii. S. Ambrosius Exh. ad Virg. Sunt nubes graves curarum grandinibus, irarum fulminibus, miserarum plurimarum nimbis. Didacus Nyss. Pol. cœl. p. 1. l. 3. c. 2.

Nuptæ dictæ, quòd vultus suos velent: translatum nomen à nubibus, quibus tegitur cœlum. Unde & nuptiæ dicuntur, quòd ibi primùm nubentium capita velantur. Obnubere enim cooperire est. S. Isidorus l. 9. Etym. c. 8.

Nuptiæ peccatum non sunt; sed per sollicitudinem Mundi, qui nubunt, legem Dei servare vix possunt. Id. l. de offic. Eccles. c. 17.

Quando uxorem ducturus es, non solùm Civile Jus, verùm etiam Ecclesiasticum, legito. S. Chrysost. hom. quales ducendæ uxores. Quasi conjugium inire perinde sit, ac in medium litium, & contentionum, forum se dare. Somniat quis, se in crucem agi; malum omen inquit Artemidorus l. 2. c. 58. Quod illud? viro uxorem non habenti nuptias prædicit. Didacus Nyss. D. 2. Epiph.

Valerius scribens Rufino, ne uxorem ducat, ep. 44. tom. 9. Oper. S. Hieronymi. Placet, ait, delectatio; sed pungit dilectum: flos veneris rosa est; quia sub ejus purpura multi latent aculei. S. Maximo M. cùm adhuc juveni parens vellet uxorem affigere: magis, inquit, mihi libet inter feras in eremo vitam finire, quàm conjugio transitorio sociari. Bollandus 2. Jan.

Novis nuptis tædæ præferri solebant. Tufus in c. 9. Eccli. qui matrimonio conjungitur, & amori conjugali se mancipat; tamquam morti se dat. Faces igitur illæ, quæ conjuges comitantur, tædæ sunt in eorum accensæ morte. Didacus Nyss. vitæ abr. l. 12. c. 4.

§. IV.

§. IV.

Matrimonium castè ineatur.

Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis. Gen. 29. 20. Rachel, postquam desponsata fuit Jacob, septennio cum ea commoratus est in domo Laban patris ejus, tanta cum castimonia, ac si ille non esset homo, nec illa esset fœmina. Diez f. 5. D. 3. Quadr.

Deditque illi uxorem Asenech filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos. Gen. 41. 45. Castissimus Joseph meruerat felici matrimonio ostendere; nuptiis compensari victorias, quæ ante nuptias reportantur. Stengelius t. 2. Jud. div. c. 25.

Audi me, & ostendam tibi &c. Tob. 6. 16. 17. Instruitur ab Angelo, quàm castè ineundum sit matrimonium; ne per libidinem detur dæmonio potestas dominandi. Tres noctes primas jubetur à matrimonii usu abstinere, orationi vacare, benedictionem Dei obtinere: quem morem ab antiqua Catholica nobilitate observatum constat, ut non nulli parentes sponsam tribus primis noctibus ne ad thronum quidem sponsi admitterent. De nostro autem sæculo quidam: adeò nunc homines ab hoc more recesserunt, ut pro magno habendum sit, si sponsi tribus diebus ante nuptias non fiant conjuges. Id. ib.

Mulier diligere corona est viro suo. Prov. 24. 4. Alludit ad coronam nuptialem, qua sponsus, & sponsa, coronari solent in signum amoris, concordiæ, & gaudii nuptialis. Item corona est Symbolum erat victoriæ, quòd conjuges vicissent scortationem, mœchos &c. Ità S. Chrysost. hom. 9. in 1. Cor. idcirco coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ signa sint; quòd scilicet antea libidini fuerint impenetrabiles. Quòd si libidine superatus quispiam seipsum scortis addixerit; cujus jam rei gratia coronatus incedat, qui tam fœdæ libidini colla subdiderit. Cornelius hìc.

Egredimini, & videte quomodo coronavit eum mater sua &c. Cant. 3. 11. Solebant enim matres coronare filios, cùm fierent sponsi, in nuptiis. Id. ib.

Vocatus est & Jesus. Joan. 2. 2. Nam sine Jesu periculosæ sunt nuptiæ, omni ope destitutæ. Ferdinandus in Gen. 2. Sect. 14. Quòd ut plurimum non nisi in principio nuptiarum modicum vinum consolationum, & benedictionem, habeatur; ideo est, quod D. N. J. Christi loco invitetur Adonis, & B. Virginis loco Venus. S. Franciscus Salesf. c. 38.

§. V.

Matrimonii bonæ dispositiones.

Non est bonum, esse hominem solum. Gen. 2. 18. Matrimonium unde initavit? non à corruptione, non à prole; sed à societate. Fiat adjutorium simile sibi: adjutorium non ad defendendum: nemo enim lædebat, aut læsisset Adam; nisi sua culpa se sibi, atque cætera, fecisset inimicari. Sed ad quid? ad laudandum, & benedicendum, animo, & rationabili verbo, atque opere, Deum. Simon. Cass. l. 15. de just. Christ. c. 3.

Immisit ergo Dominus DEUS soporem in Adam. Gen. 2. 21. Adam priùs quodammodo in cœlum raptus audiit arcana verba, quam humanam vocem: priùs Angelos vidit, & cum iis collocutus; quàm mulierem viderit, audierit, aut allocutus sit. Nec enim validior solet esse armatura, quàm piæ meditationis ad Deum. Discant hinc, qui conjugalem statum affectant; qua armatura se prius debeant præmunire, antequàm tàm ærumnosum statum ineant. Sed ità evenire solet; ut sine ulla cœlesti armatura prorsus inermes; imò, quod pejus est, clausis oculis, in conjugalem labyrinthum se præcipitent. Ferdinandus in Gen. 2. Sect. 8.

Adduxit eam ad Adam. Gen. 2. 22. Adducta est ad Adam priùs sponsa, & ostensa: scire enim sponsum oportet, qualis sponsa sit, quibus moribus, quibus virtutibus ornata: non tam de pecuniis, quàm virtutibus, sollicitus sit. Dormienti Adamo costam Deus abstulit ib. 21. sed ad vigilantem Evam adduxit; & qualis eva esset, aperuit. Multi dormientes conjugium contrhunt, pauci vigilantes. In dote accipienda vigilant; in uxore consideranda dormiunt. Barradius t. 2. l. 3. c. 4. D. 2. Epiph.

Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem &c. Gen. 24. 57. Hinc intellige; quantùm errent illi, qui per vim filias suas in uxores tradunt iis, quas ipsæ nollent; vel qui eas monasterii includunt, ut religiosæ sint, quamvis repugnent. Diez con. 2. de Incarn. D.

§. VI.

Matrimonium honestius, quò castius. Continentes sancti conjuges.

Quoniam virum non cognosco. Luc. 1. 34. Ut audacter affirmem: eò matrimonium dignius, atque honestius, est censendum, quò major castitas ipsum fovet. Simon. Cass. l. 2. c. 7. Pulchriores, atque ditiores, sunt nuptiæ castitate, quàm copia filiorum. Et quantò humana caro pia intentione ab amplexibus, & concubitu removetur; tantò ad primam creationis suæ pulchritudinem repropinquat. Vocent omnes Christum ad nuptias, ut aut eas ex toto castificent; aut nihil in eis agant, quàm Christiferam deceat sanctitatem. Id. l. 5. c. 1.

S. Eduardus Rex Anglæ cum Editha conjuge castè vivit. Bollandus 5. Jan.

S. Julianus cum S. Basilissa cùm esset desponsatus, & in thalamum sponsæ inductus, miram uterque liliorum, & rosarum, in eo hyemali tempore, adorati sunt fragrantiam: qua ita delibuti, ut statuerent simul virginitatem servare. Bolland. 9. Jan.

Exempla continentur Conjugum. 1. B. Virgo, & S. Joseph. 2. S. Cecilia, & Valerianus MM. 3. S. Pulcheria, soror Theodosii Imp. & Marchion, teste Cedreno. 4. Henricus secundus Imp. & Cunegundis, quæ, ut suam virginitatem probaret, illæsa super ferrum candens ambulavit. 5. Boleslaus quintus Polonorum princeps, & Cunegundis Belæ Hungariæ regis filia. 6. Conradus rex filius Henrici quarti Imp. & Mathildis. 7. Eduardus tertius, & Egitha.

Sic existimo: si quis ab extremis orbis finibus, atque ex universo hominum genere, præstantissimum conjugium conciliare studuisset; nullum usquam conjugium isto præstantius, aptiusque reperiri potuisse. Sic enim virorum, atque mulierum optima, & præclarissima quæque, in unum confluxerant; ut hoc matrimonium non minus virtutis; quàm corporum, nexus esset. Nam cùm alios vincerent, se tamen ipsi mutuò, propter virtutis æqualitatem, & æquilibrium, vincere non valebant. S. Greg. Naz. or. 28. de funere Patris.

§. VII.

Documenta varia.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph. Matth. 2. 13. Quare revelatio de fuga Christi ad infideles non fuit facta Virgini Mariæ? quæ erat sanctior Josepho? Resp. ad ostendendum, quòd regimen domus ad virum pertinet. S. Vincent. Ferr. s. in Oct. SS. Innoc. Vir debet esse cœlum dominando; & uxor terra subjiciendo. Id. s. 2. de Nat. B. Virg.

Dominum eum vocans. 1. Petri 3. 6. Sara proprio nomine vocabatur Jescha, ut dixi. Gen. 11. in fine; postea dicta est Sarai, idest, domina, vel princeps mea; idque, ut videtur, ab Abraham: qui videns se ab ea honorari, vocatique dominum; vicissim eam honorare voluit; ideoque vocavit eam Sarai. S. Gregor. Naz. or. 11. de S. Gorgonia sorore sua asserit: Saram hac obedientia, & honore, quem detulit marito, promeritam esse, non tantum justitiæ laudem; sed & ut ex eo conciperet, & pareret filium sanctum, & illustrem Patriarcham Isaac. Cornelius hìc.

Viri similiter cohabitantes. Id. ib. v. 7. *ut non impediantur orationes vestræ* q. d. si vir uxori honorem non deferat, sed illam viliter, & indignè tractet; illa vicissim viro indignabitur, cum eo rixabitur; itaque impeditur utriusque pietas, & oratio. Id. hìc.

Miscellanea.

Isaac duxit Rebeccam ætatis suæ anno 40. ut patet Gen. 25. 20.

Quæram tibi requiem. Ruth. 3. 1. Idest, quæram tibi honestum, & opulentum conjugium; in quo à paupertatis, famisque, laboribus libera in mariti divitis cura requiescas. Cornelius hìc.

TITULUS XII.

S. MATTHÆUS EVANGELISTA.

Liber generationis. Matth. 1. 1. Sicut Moyses Prophetis, & omnibus, qui aliquid scripserunt, in Veteri testamento, non absurdè præponitur; ità Matthæus jure omnes præcellit, qui scripsisse reperiuntur in novo, ut enim ille Mundi nascentis texit originem; sic ille, tamquam Spiritualis alicujus Mundi, describit Ecclesiæ novitatem. B. Petrus Dam. s. de S. Matthæo.

Cùm transiret inde JESUS &c. Matth. 9. 9. Cùm transiret JESUS, non dixit, cùm staret ibi: transivit, & pertransivit indè JESUS, nè Matthæus remaneret ibi. Transivit indè JESUS, nè Matthæus ibi taliter permaneret. Sanctus Chrysol. 28.

Ait illi, sequere me. Ibid. respexit JESUS Matthæum oculo corporalis; sed multò profundiùs oculo pietatis interno, seu compassionis affectu; sicut respexit Petrum post trinam negationem. Similiter vocat Matthæum verbo vocali ad extra corporales aures pulsando; sed multò virtuosiùs vocavit eum verbo inspirationis occultæ, & exhortationis intimæ; de quo ait Psal. 84. 9. *audiam, quid loquatur in me Dominus.*

Forro Christi verba penetrativa erant cordis & operativa. Dionysius Carth. hìc.

Discumbente eo &c. Ib. v. 10. Per corporale convivium, quod Christo Matthæus exhibuit, mysticè intelligitur spirituale convivium, quod ei in anima sua paravit, præbendo delicias cordis: per hoc, quòd eum in anima toto recepit affectu, aperiens ei ostium mentis. De quo convivio ait Salvator. Prov. 8. 31. *deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Et Apoc. 3. 20. *Ecce sto ad ostium*. Sed & dum exemplo Matthæi graves transgressores convertuntur, & coriguntur, facit Matthæus Christo solemne convivium. Id. ib.

Vidit sedentem in telonio. Id. sedebat utique, qui stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incurvus. Aurum, natura grave, gravius fit avaritia nimis vehementis aggravat corda quàm corpora. Nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta: &, dum suam semper reptat ad naturam, cœlestes animos ad inferna deponit; obscurat sensus semper, alta mentium semper in terrena demergit. S. Chrysol. 29. Cur vocatio Matthæi recensetur post sedatam tempestatem, dæmones pulsos, paralyticum sanatum? Respondet Glossa: Matthæus vocationem suam refert inter miracula. Sylveira hìc.

Et factum est, ut accumberet in domo illius, multi publicani, & peccatores simul discumbebant cum JESU. Marci 2. 15. magno mox convivio in domo sua instructo, cùm Christum ipsum, tum cæteros omnes familiaritate conjunctos, benignè ad illud invitat: nè ipse solus beneficium accipiat; sed reliqui omnes, qui vocati ad epulum venerant. Victor Antioch. hìc de S. Matthæo.

Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. Luc. 5. 29. Fecit illi convivium, ut diem natalis sui gaudio concelebraret. Theophylactus. Illa dies Matthæo verè natalis fuit, qua Christo natus. Alvarez. in Gen. 40. 20. Illustr. 128.

TITULUS XIII.

MEMORIA DEI.

Motiva.

§. I.

Est frænum peccati.

Corrupta autem est terra coram Deo. Gen. 6. 11. Oleaster hìc: peccare, seu corrumpi in oculis Dei, nihil aliud esse puto, quàm memorem Dei, ipsum offendere: omnia enim vident oculi ejus; sed nos peccantes non semper ipsius memores sumus. Sperat autem ipsa, quòd nemo ejus memor possit peccare: cùm enim meminerit Plasmatoris benefici, & Redemptoris munifici; quomodo non retinebitur, nè eum offendat? Ramirez ep. 3.

Ubi est Dei memoria, ibi est peccatorum oblivio. S. Chrysost. in Ps. 140.

Memoria Dei excludit omnia peccata. S. Hieronymus in c. 22. Ezech.

§. II.

Deus nostri memor.

Colligat unusquisque ex eo &c. Ex. 16. 16. Dignum inquisitione est: cur Domine non dedisti eis panem ad mensam? aut quem ad hebdomadam saltem servare possent; sed ad singulos dies? vult Dominus nos semper ad ejus providentia pendere: quoniam novit, non adituros nos eum, nisi indigeremus. Qua in re melior est pauperum, quàm divitum, conditio: sunt enim singulis diebus pauperum oculi ad Dominum; ut eorum misereatur, & necessaria saltem ad illum tribuat diem: ut etiam nullus transeat dies, quo Dei circa se non sentiant beneficia. Oleaster hìc.

Panes super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Ex. 25. 30. Voluit semper coram se panem habere; ut continuo nostræ indigentiæ memor esset. Oleaster hìc. Causa, quare proponebantur isti panes, exprimitur. Levit. 24. scilicet in memoriam filiorum Israel, ut Deus recordaretur eorum. Abulensis q. 28. in c. 25. Ex.

In manibus meis descripsi &c. Is. 49. 16. Lyran. id est, ità te habeo in memoria; sicut illud, quod tenetur manu.

Vis esse Deum memorem tui, cùm rogas; quando tu ipse memor tui non sis? S. Cyprianus l. de or. Dom. sicut nulla hora est, vel punctum, in omni vita mea, quo tuo beneficio non utor; sicut nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos meos in memoria mea. S. Augustin. Solil. c. 18.

Necesse est semper, ejus memores simus, ut & ipse memor nostri misereatur. S. Paschasius in Chr. l. 5. c. 5. §. Cogita tu de me, & ego cogitabo de te. Dixit Christus S. Catharinæ Sen. Boll. 30. April.

§. III.

Memoria Dei alia motiva.

Ex Veteri, & Novo.

Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum. Ps. 49. 22. Studiosè unumquodque ex his, quæ dicta sunt, intelligite. Et vos, qui Deum obliti estis (oblivio enim Dei conciliatrix peccati est) pœnitentiæ medicamentis vulnera curare; Antequàm mors rapiat; quæ quidem leonis more in homines grassatur, cùm res nulla vehementem illum impetum cohibere possit. B. Theodoretus hìc.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Cant. 5. 2. Vigilanti corde fiducialiter dormitur; quando, remotis curis sæcularibus, & repressis vitiorum motibus, solum Duem libera per gratiam Dei anima suaviter delectatur contemplari. S. Rupertus de operib. Spir. S. in Os. c. 1.

Ex Patribus, & aliis.

Memoria quasi venter est animi; lætitia vero, atque tristitia, quasi cibus dulcis, & amarus. S. August. l. 10. Confess. c. 14.

Dei sæpius etiam recordari debemus, quàm spiritum ducimus. S. Gregor. Naz. or. 1. ad. Eunomianos.

Semper recordare Dei, & cœlum sit cogitatio tua. S. Nilus cap. Parænet.

Beatus, in cujus pectore semper Dei memoria insederit: erit enim totus ille tamquam Angelus cœlestis super terram, timore, & amore, Domino sacrificium offerens. S. Ephrem l. de beatitudinib.

Tunc signum est, quòd homo verè diligat; si semper amatum in memoria teneat. S. Bonav. serm. 104. Dom. 12. Pent.

Tunc cor hominum Deum datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum. S. Bernardus ep. ad quemdam. Qui Deum ferventer amat, necesse est, ut eum frequenter in memoria habeat: quemadmodum qui acriter sitit, non potest non recordari sitis suæ. Blosius Sacello animæ fid. §. 4.

Ad hoc donata nobis memoria est, ut Dei reminiscamur: ad hoc concessus intellectus, ut per fidem, & contemplationem in Dei cognitione proficiamus: ad hoc præstita voluntas, ut Deum eligamus, atque diligamus. Id. Instit. Spir. c. 5.

§. IV.

Arguitur oblivio Dei.

Profectus est in regionem longinquam. Luc. 15. 13. Regio longinqua oblivio Dei est; fames verò, in regione illa, est indigentia, verbi veritatis. S. August. q. l. 2. qu. 33.

Tum maximè Deus è memoria hominum elabitur; cùm beneficiis ejus fruentes, honorem dare divinæ indulgentiæ deberent. At verò, si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur. Lactantius l. 2. Instit.

Malus est somnus animæ; bonus somnus corporis, quo reparatur valetudo corporis. Somnus autem animæ est oblivisci Deum suum. S. August. in Ps. 62.

Omnia nobis difficilia videntur, quia Dei memoriam non habemus, sicut oportet habere: quia eum non semper in mente portamus. Justè quippe nobis dixerit: obliviscar & ego tui. S. Chrysost. hom. 26.

TITULUS XIV.

MENDACIUM.

§. I.

Motiva vitandi.

Ex Veteri.

Nequaquam morte moriemini. Gen. 3. 4. Cum dæmon vellet mendacium proferre in paradiso, non induit speciem creaturæ rationabilis, sed bestiæ homini inimicæ, scilicet serpentis: quia mendacium est virus, quòd vitam spiritualem extinguit. Idioma regni cœlestis est veritas, ut Mundi mendacium. Stella de cont. Mundi p. 2. cap. 58. Dæmon, quando Evæ mentitus fuit, eribuit in sua persona; & quasi facie ad faciem mendacium proferre; & ità imaginem serpentis sibi assumpsit: tu verò sine pudore mentiris: Id in Luc. 3. In principio Mundi concertasse videntur mulier, & diabolus; uter in mentiendo magis excederet? Diabolus duo tantùm mendacia excogitavit, alioquin astutissimus: scilicet, *nequaquam moriemini*: & *eritis sicut dii*. Eva tria effutivit: 1. *præcepit nobis Deus*; soli Adamo præceperat Deus, nondum formata Eva. 2. dixerat Deus: *nè comedas*, at illa: *præcepit nobis, nè tangeremus*. 3. *nè fortè moriamur*. Dicit illa conditionaliter, ubi Deus absolutè locutus. S. Antiochus hom. 66.

Negavit Sara dicens: non risi. Gen. 18. 15. Mendacium licèt levisculum à Sara longè Deus esse voluit, ob id severè reprehensa. S. Thom. ut à repentino etiam mendacio imposterum redderetur cautior. Velloso in Judith. 5. Præn. 10.

Tollensque multos viros, abscondit, & ait: faceor, venerunt ad me; sed nesciebam, unde essent. Jos. 2. 4. Achan à Josue de crimine interrogatus rem totam confessus est. Jos. 7. 20. *verè ego peccavi Domino Israel*. Rahab mentita est, non Achan, quid mirum? iste nobilis; illa moribus, & genere, obscura. Mendacium vitium plebejum est; ingenuus quisque, etsi admiserit alia, hoc tamen flagitium animitus detrectat. Naxera in Jos. 7. §. 46.

Omnis homo mendax. Ps. 115. 2. Quærit Petrus Damiani l. 2. ep. 14. Nonne David homo erat, cùm dixit homines mendaces; ergo & ipse talis. Negat id Damianus ob id: *ego dixi in excessu meo*: ac si perspicuè dicat: de falsitate hominum inde veram sententiam protuli; unde ego ipse supra hominem fui, q. d. qui Deum altè meditatur, hominem quasi exuit; ac proinde non mentitur, Velloso in Judith. 5. in Præn. 11.

Semen Chanaam, & non Juda! species decepit te rectè meritus es & tu in caput tuum. Dan. 13. 56. 59. Nescio, cur nobiles Daniel non appeller, quos lasciviæ norit addictos? nam vitium hoc in nobilibus præ cæteris viget. Cur ergo non Juda, sed Chanaam filios vocat? quia Judæ tribus nobilis, & regni sceptris insignis; Chanaam natus ad servorum servitium, dicente avo Gen. 9. 25. *Maledictus Chanaam, servus servorum erit fratribus suis*. Daniel ergo quos mendaces reperit, nobiles negat, obscura ortos origine affirmat: quasi mendacium, nisi in servorum servis, nequivetit reperiri. Naxera in Jos. 7. §. 46.

Et nunc Domine, tolle quæso animam meam. Jonæ. 4. 3. Quantus viris honestis pudor est, si mendacii notam subeant, falsa etiam opinione. Jonas fugit, quia timebat, nè mendax haberetur. Ità S. Athanasius s. de Cruce: factum, quod timebat: effugit Ninive pœnam, & Jonas dolore tabescit. Theodoretus: *& nunc Domine &c.* vita defungi malo, quàm vivere cum ignavia; veror, nè mendax habeat. Velloso in Judith ut suprà. Eversionem jubetur proclamare; nescit minimè futurum, & mendax timet haberi. Sicque mendacium nobilis aversatur Propheta; ut elegerit reddi naufragus, fugax agnosci, quàm haberi mendax. Quia pœnitentia sententiam solvit, ire Propheta detrectat. Ecce fugæ causam: nè mendax habeatur, aliis criminibus maculari non timet; sed non fert, vel ad speciem tantùm haberi mendax. Naxera in Josue supra.

Philippus 2. Hisp. rex mendaciis convictum nescio quem è domesticis adeò tribus hisce verbis perculit: sic me decipis? ut is domum reversus paulò post ex mœrore, & pudore obiit. Doultreman l. 2. c. 5. sect. 1.

Ex Novo.

Sit autem sermo vester, est, est; non, non. Matth. 5. 37. Albertus M. *dicitur est, est*; quòd si est affirmatio in corde, sit etiam in ore; & sicut est negatio in corde, ita etiam in ore. *Iterum negavit*. Marci 14. 70. Petrum, & magistrum, & Sacerdotem maximum, veritatis negatæ reum dicit. Ut scias, inquit S. Ambros. l. 10. in Luc. Evangelistam veritati, quàm gratiæ, plus dedisse. Nè quis taceat verum, metu perdendæ gratiæ apud Magistrum. Velloso in Judit. 1. Præn. 1.

Non sinebat ea loqui. Luc. 4. 41. Unus dæmonum dicebat. Marc. 1. 24. *scio, qui sis*. Cajetanus in Luc. ait: non sinebat ea loqui, quia dicebant mendacium. Non enim certe sciebant, Christum Deum esse. Velloso in Judith. 5. Præn. 11.

Hora erat quasi sexta. Joan. 4. 6. Adjecta voce *quasi* minutè se agere probat, nè à supputando vel minimum discedat. S. Cyrill. Alex. l. 2. in Joan. ut nos etiam discamus, vel in minimis non parvam habere veritatis curam. Id. in Judith 1. Præn. 1.

Cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri spiritui Sancto? Cur Ananiæ mendacium dicitur specialiter commissum contra Spiritum Sanctum? quia est *spiritus veritatis*. Joan. 16. 13. Mendacium autem, ut erat Ananiæ, maximè contrarium veritati. Sylveira hìc q. 5.

Ex Patribus, & aliis.

Mentiri non licet nec pro Dei laude. S. August. ep. 8.

Nemo potest convincere; aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere, æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Id. l. de mendacio c. 7.

Sicut non est veritas sine opere ejus, qui dixit. Joan. 14. 6. *ego sum veritas*: sic non est loqui mendacium sine diabolo authore mendacii. Origenes, tr. 3. in c. 17. Matth.

Mendacium adeò est malum: ut Deus, qui de nihilo fecit Mundum, non possit facere mendacium esse bonum. S. Bonaventura. s. 81.

Quàm multi hodie sunt, quos magis puderet, in oratione fecisse Barbarismum, contra regulam Prisciani; quàm protulisse mendacium in sermone suo contra regulam Christi. Richardus à S. Vict. l. qui dicitur Beniam. minor. c. 46.

Mendax homo similis est falso denario: nam tantum prævalet verax homo mendaci, quantum denarius verus falso. Geminiani. l. 9. c. 42.

Proverbium Arabum est: qui famam habet veracis, illius etiam mendacis fides habetur; qui mendacis, hujus veritati quoque non creditur. Masen. l. 4. argut. ven. 4.

§. II.

Mendacii origo.

Valde difficile est, ut, qui multa loquitur, non etiam mentiatur. S. Gregorius hom. 12. in c. 3. Ezech. ante finem. Ex lapide quidem, ac ferro, excutitur ignis, ex loquacitate verò, ac jocis, mendacium nascitur. Joan. Climacus pr. 12. de mendacio.

TITULUS XV.

S. MICHAEL.

Ex Veteri, & Novo.

Venerunteque duo Angeli. Gen. 19. 1. Duo scilicet, qui ab Abrahamo recesserant, tertio cum eo remanente. Symbol. Angelus unus è tribus, repræsentans Deum Patrem, manserat cum Abraham, ut ejus domum benediceret, eumque patrem efficeret, ad generandum Isaac; unde videtur hic Angelus fuisse medius, & primarius inter tres, puta Michael; qui duos socios, Gabrielem, & Raphaelem misit ad exscindendam Sodomam. Gabriel enim juxta etymon suum, est *fortitudo Dei*; putà fortis executor divinæ justitiæ; hicque repræsentat secundam in Trinitate personam. Raphel verò videtur esse Angelus præses castitatis, & ultor incestus. Hic repræsentabat Spiritum S. qui est tutor, & vindex castitatis; summusque osor libidinis. Cornelius hìc.

Michael tota nocte luctatus cum Jacob. Gen. 32. 24. S. Th. Vill. conc. 1. de S. Michaele.

Apparuitque ei Dominus. Ex. 3. 2. Fuit hic verus Angelus: quia est communis Theologorum cum S. Dionysio cap. 4. cœl. hierarch. sententia, omnes Dei apparitiones in veteri testamento factas esse per Angelos. Dices: quomodo ergo hic Angelus vocat se Deum? Resp. licèt obsequio esset Angelus, repræsentatione tamen, & authoritate erat Deus: sustinebat enim personam Dei. Censentque S. Justinus M. Tertull. Hilar. Ambros. Chrysost. in omnibus apparitionibus veteris testamenti repræsentatum fuisse Filium; non Patrem, non Spiritum S. Angelum hunc fuisse Michaelem, probabile est: erat enim custos Synagogæ, ut jam S. Ecclesiæ. Cornelius hìc.

Sum princeps exercitus Domini. Jos. 5. 14. Quis esse putandus est princeps exercitus Domini? arbitror esse Michaelem Archangelum. B. Theodoretus q. 4. in *Jos.* hìc.

Cui respondit Angelus. Judic. 13. 16. Probabiliter opinatur Serrarius, hunc Angelum Pele, idest, admirabilem, fuisse S. Michaelem: docetque S. Michaelis nomen, & invocationem, mirè valere contra omnes tentationes. Cornelius hìc.

Hic est Michael Archangelus, qui potentissimum exercitum Sennacherib Assyriorum regis interemit. 4. Reg. 19. 35. S. Thom. Vill. conc. 1. de S. Mich. Idem affirmat Pantaleon Diaconus. Juxta eundem Michael *conclusit ora leonum*. Dan. 6. 22. Michael repressit flammam ignis. Paoletti s. 30. de S. Mich.

Dixit autem ad cultorem vineæ. Luc. 13. 7. Michael Archangelus, qui Dan. 10. 13. præpositus est populo Judæorum, nomine cultoris vineæ congruè intelligitur. Cajetanus hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Satage; quomodo magis adsumaris ad societatem Michaelis Archangeli; qui orationes Sanctorum semper offert Deo, adsumeris autem in hunc numerum, vel in istud officium; si insistas semper orationi, & vigiles in ea. Orig. hom. 14. in Numer.

Quando omnia illa admirabilia, quæ expectantur per sonitum, quem daturus es, consumabuntur; tunc ò S. Archi-Satrapa, errantium ductor, prolapsorum excitator, animorum propugnator, corporum conservator, dæmonum exterminator, S. Michael! tunc, obsecro te, tunc fidus causæ meæ patronus adesse ne gravere. S. Sophronius or. in laud. Angelorum.

Ex illo certamine magno, & mirabili; pulchro nomine, & honore, donatus est unus; & primus di militiæ cœlestis principibus gloriosè rediit, nomine videlicet, ut exinde vocetur Michael: honore, ut non solùm Angelorum, verùm etiam hominum habentium Dei verbum ipse sit princeps. Et hoc honore, velut principatu donatus est; ex quo contra diabolum dicentem, Deus ego sum, restitit; ut

ut diceret: quis sicut Deus? &, vincendo illum, probavit; quia nullus alius esset Deus. Rupertus de vict. verbi Dei c. 18.

Primus de militiæ cœlestis principibus, Rupertus ib. lib. 1. cap. 18.

S. Laurentius Just. in festo S. Mich. vocat illum: cœlestis exercitus Primatem, & Ducem: animarum electorum sedulum susceptorem.

T I T U L U S XVI.

M I L I T E S.

§. I.

Mirum, si probi.

Vives in gladio. Gen. 27. 40. S. Chrysost. hom. 53. scito, quòd militarem vitam acturus sis. Miles non facilè prius. Hebr. 12. 16. *Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau.* Profanus, idest, ait Hugo, piger ad divina, alienus à Deo. Estne miles? omnino: nam patet Gen. 27. *vives gladio.* Velloso in Judith. 1. Disq. 5. Paræn. 1.

Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Matth. 8. 8. Si miles facilè pius esset, non miraretur Christus hoc dixisse fide nobili. Ac nè quis negaret, hominum pia fide probatum esse; jurat persanctè Dominus: *amen dico vobis.* v. 10. quasi non facilè crederetur miles fide prius. Deinde laudes aggerit: *non invenit tantum fidem in Israel.* Itane, Domine, minor est fides Petri, Joannis, Abraham &c. Litem solvit Cajetanus: major erat illa fides in viro gentili, & militari. Velloso ib.

Tunc milites præsidiis suscipientes Jesum &c. Matth. 27. 27. Inter acerbissimas Christi D. pœnas fuit, militibus tradi. Nec mortuo à milite parsum. S. Ambr. s. 66. cùm peccant graviter, hac solent à peccatis suis prima se voce excusare; quòd militant.

Interrogabant eum & milites. Luc. 3. 14. Priores tamen fuere de vulgo hominis: *interrogabant eum turbæ.* v. 10. Deinde exactores pecuniæ publicæ. v. 12. *venerunt & publicani.* Postremò milites v. 14. suo scilicet genio mores nectunt, cùm de re pia agendum est. Velloso ib.

Ordo militum nunc est, ordinem non tenere. Nam cujus os majore verborum spurcitia polluitur? Qui detestabilius jurat, qui minùs Deum timet, qui ministros Dei vivificat, qui Ecclesiam non veretur: iste hodie in cœtu militum fortior, & nominatior reputatur. Blensis ep. 94.

§. II.

Milites sancti, & probi.

FUere tamen milites sancti, qui arma tractarunt salva fide, religione, pietate. Abrahæ quanta fides, & pietas! qui, hoste fuso, Melchisedech ex itinere adiit. Genes. 14. 18. *proferens panem, & vinum.* David sacros versus pangit inter lituos: Psalm. 56. *titulus in finem, cùm fugeret à facie Saul*; ubi tragœdia tota de vita castrensi. Ps. 59. *titulus in finem, cùm succedint Mesopotamiam Syria.* Ita David prius in armis, religiosus in castris, sanctus in acie; totus in bellum ardere, flagrare totus in Deum solitus. Velloso cit. supra.

§. III.

Miscellanea.

Timete Dominum, & servite eo perfecto corde. Jos. 24. 14. Panormitanus l. 3. de reb. Alphonsi cap. 51. Alphonsus Rex Aragoniæ filio suo, dum in Florentinos moveret, hoc documentum dedit: victoria, mihi crede, non hominum disciplinis, aut industria paratus; sed Dei O. M. benignitate, & arbitrio. Scientia rei militaris ità demum profutura est, si Deum nobis pietate, atque innocentia placatum, propitiumque habuerimus. Quantùm regi Abbia ad victoriam profuerit custodia divinorum præceptorum. Vide 2. Paral. 13. 10. 11. Schonleben Disc. 30. tempore belli.

Recensuit eos, quasi agnos. 1. Reg. 15. 4. Appositè milites comparat agnis: ut notet militum simplicitatem, & obedientiam; quòd ut agni sequantur suum Ducem. Cornelius hic.

Quatuor sunt minima terræ &c. Prov. 30. 24. Salazar appositæ per hæc quatuor animalia accipit quatuor hominum genera; quæ Rempublicam confluat, fovent, & promovent. Per locustas, milites, qui urbem, & Remp. ab hostibus defendunt: locustarum enim exercitus, ordines, & acies, militiam quandam præseferunt; imò ipsorum forma galeatos milites refert. Cornelius hic.

Ubi Christus est, omnis cœlestis militia adest, tamquam principi militiæ virtutis Domini. Sant. Ignatius M. ep. 7. ad Smyrnenses.

Charactere Domini inscribuntur servuli; & nomine Imperatoris signantur milites. S. Ambros. de obitu Valentiniani Imp.

De militia translatus est in militiam, qui terreni tribunatus, quo fungebatur, officium Christianæ militiæ professione mutavit. Petrus Dam. S. de S. Georgio.

Dux Albanus Capitaneus generalis exercitus Caroli V. habebat quadringentos juvenes animosos, & resolutus, quos vocabat prodigos vitæ, & perditos *Magdhalsi.* Hos in conflictu immittebat seorsim in latus hostium fortius; illi audacissimi, pugnacissimi, & certi mori, turbabant ordines hostium, eosque rumpendo ordinariè pariebant victoriam. Cornelius in Matth. c. 10.

T I T U L U S XVII.

M I R A C U L A.

§. I.

Quotidiè fiunt.

EA, quæ incomprehensibili indagatione mira sunt, humanis oculis usus viluerunt. Unde fit, ut, si mortuus homo suscitetur, in admirationem omnes exiliant: & quotidie homo, qui non erat, nascitur; & nemo miratur: cùm procul dubio omnibus constet, quia plus sit creari, quod non erat; quàm reparari quod erat. Quia arida virga Aaron. Num. 17. 8. floruit, cuncti mirati sunt: & quotidie ex arenti terra arbor producitur, virtusque pulveris in lignum vertitur; & nemo miratur. Quia quinque panibus quinque millia hominum saturati sunt; crevisse escas sub dentibus cuncti mirati sunt; quotidie sparsa grana seminum plenitudine multiplicantur spicarum, & nemo miratur. Aquam semel in vinum mutatam videntes cuncti mirati sunt: quotidie humor terræ in radicem vitis contractus per botrum in vinum vertitur, & nemo miratur &c. S. Gregor. mor. l. 6. c. 7.

Quid non mirum facit Dominus Deus in omnibus creaturæ motibus, nisi consuetudine quotidiana viluissent. Denique quàm multa usitata calcantur, quæ considerata stupentur: sicut ipsa vis seminus, quos numeros habet, & quàm vivaces, quàm latenter potentes, quàm in parvo magna molientis: quid adeat animo, quis promat eloquio? S. August. ep. 3.

Cuncta, quæ sunt, & facta sunt, mira valde sunt; sed consuetudine viluerunt. S. Isidorus s. 1. sentent. c. 8.

Planè solis ortus, & occasus, terræ fœcunditas temporum vissitudo, miracula sunt, & magna miracula; sed toties hæc videmus, ut jam non sit, qui attendat. S. Bernardus s. 4. in Vigil. Nat. D.

In hoc mirabilis apparet Dei potentia; quòd in terra frigida; & sicca, aliquid virens efficitur, & de ea educitur naturaliter res virens; quæ humida, & calida. Virentia enim vivunt; & vita fundatur in humore, & calore, secundùm Aristotelem in lib. de plantis. S. Thomas Aq. in c. 1. Gen.

Si vel folium arboris contemplari volueris, deprehendes in eo stupendum quoddam artificium. Blosius par. an. c. 29.

§. II.

Miracula Christi.

ET ecce Angeli accesserunt. Matth. 4. 11. Miracula Christi D. à magorum prodigiis distant utilitate, & beneficentia. Malignus spiritus boni inscius, vanissima semper efficit ludibria, nihil hominibus commodum, & salutare, molitur; sed ea quæ, velut in theatris vulgus stupeat. Verùm bonus Christi Spiritus totus hominibus utilis, curat infirmos &c. Arnobius l. 1. contra gentes de Christo D. pro multis, ac tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta in nos sunt, Deus dici, appellariquej deberet. Baeza l. 3. c. 3. §. 4.

Moysis miracula Ægyptiis exitium; Christi miracula Mundo salutem attulerunt. Moyses Ægypti primogenita occidit; Christus mortuos in vitam revocavit: Moyses Ægyptum tenebris complevit; Christus mundum splendore illustravit: Moyses fluvii aquam in sanguinem vertit, & hoc primum ejus in Ægypto miraculum? Christus aquam in vinum. Verbo: Christus mera miracula fecit, non quæ solum stupenda essent, sed salutaria hominibus. Berradius Dom. 2. Epiph. c. 3. *Lazare veni foras.* Joan. 11. inter omnia miracula, quæ fecit Dominus, Lazari resuscitatio præcipuè prædicatur. S. August. tr. 49. in Joan.

Miscellanea.

Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Jonæ 2. 1. Multa hic miracula. 1. quòd venter piscis calidissimus Jonam non consumpserit, & in chilum converterit. 2. quòd Jonas ibidem vivere, & respirare, aeremque frigidum attrahere, potuerit. 3. quòd fœtor in ventre ceti intolerabilis Jonam non exanimaverit. 4. quòd in hoc angustissimo carcere mentis compos fuerit, & pium carmen Deo cecinerit. Cornelius hic.

Quicumque dixerit huic monti, Marci 11. 23. Neque Christus, aut hi, qui ab ipso potestatem faciendi miracula susceperunt, aliquando experti sunt; utrùm possent montem in mare jactare, ut vocarent ad fidem incredulos. Nihil per ostentationem in miraculis Apostoli effecerunt; sed ad utilitatem videntium, quoniam hæc potestas, quæ à Spiritu S. conceditur, præterquam ad utilitatem, nemini exhibetur. Sim. Cass. l. 5. c. 6.

Sciendum nobis est, quòd, quidquid ratione nominis comprehendi potest, mirum esse jam non potest; sed sola est in miraculis ratio, potentia facientis. Sanct. Greg. hom. 20. in Ezech.

Si velis signa videre, extermina abs te omne delictum; & vidisti, quod cupiebas. Magnus enim dæmon peccatum est; quod si abs te abjeceris; major tu mihi eris, crede, quàm qui dæmonia ejiciunt &c. Sanct. Chrysost. hom. 33. in Matth. cap. 10.

T I T U L U S XVIII.

M I S E R I C O R D I A.

§. I.

Symbola. Metaphoræ.

Ex Veteri.

FActum est Vespere, & manè, dies sextus. Gen. 1. 31. Notandum, quòd hujus gratiæ (eleemosynæ) sex opera sunt, quadam habentia similitudinem sex dierum, quibus Deus Mundum perfecit; & omnia, quæ in Mundo sunt, in eo videlicet, quòd & ipsa suum promeretur Sabbatum: ut qui hoc fecerit, etiam ipse requiescat ab operibus suis ait Apostolus, sicut, & à suis Deus. Rupertus lib. 5. in Matth. In eumdem Sabbatismum, propter sex illa opera (esurivi &c.) Deus homines inducit; quo & ipse requiescit, qui tales sex operum species fecit. Rupertus s. de oper. Spir. Sanct. lib. 9. cap. 15.

Columba gestans ramum olivæ. Gen. 8. 11. repræsentat hominem misericordem. Fernandus hic sect. 5.

Facies & mensam &c. Ex. 25. 23. Sanctum, est Ecclesia militans, tendesque ad Sanctum Sanctorum, idest, ad cœlum: in qua alii se dedunt eleemosynis, & operibus charitatis. Hos significat hæc mensa panum. Coronam habet mensa: ut significet, misericordes non tantùm in cœlo, sed etiam in terra benedici. Corn. hic.

Porrò David ascendebat clivum olivarum scandens, & flens. 2. Reg. 15. 30. Cùm David fugeret à facie Absalon, *ascendebat clivum &c.* Clivus olivarum misericordia; ad quem ascendendum flendo in angustiis. Sylv. in Luc. 14.

Quæsivit lanam, & linum. Prov. 31. 13. Possunt mysticè in lana, quæ est habitus ovium, omnia simplicitatis, & pietatis, opera, quæ proximis impendimus, accipit. V. B. hic.

Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit. Eccl. 11. 3. Hunc sensum exigit antithesis austri, & aquilonis Auster significat misericordiam; aquilo immisericordiam. Casus ligni hominis more: homo enim est arbor inversa. Cura ergo, ut eleemosynas accumulando cadas ad austrum. Vide, quò inclinet mens tua? an ad avaritiam j an ad virtutes &c. & videns eam propendera ad aquilonem; omni studio reflecto eam ad austrum. Corn. hic.

Manus ejus plenæ sunt hyacinthis. Cant. 5. 14. Plenæ sunt hyacinthis magis, quàm alii gemmis; eo quòd hyacinthus Symbolum sit misericordiæ. Nam, teste Solino, & Sanct. Isidoro, nebuloso cœlo turbatur color ejus, quasi mœreat; sereno verò rutilat, & quasi rilarescit; faciens cum ipso cœlo mutationem. Hoc autem proprium misericordiæ, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus. De Ponte hic Exh. 24. §. 3.

Ibi dabo tibi ubera mea. Cant. 7. 12. Duo Christiani pectoris ubera sunt, duplex propensio ad opera misericordiæ, spiritualia, & corporalia. De Ponte in Cant. 1. Exh. 19. §. 2.

Daniel serve Dei, tolle prandium. Dan. 14. 36. Ille pauperes, qui adversa præditi valetudine, angustoque hospitiolo, imò verò angustis hospitioli angulis conclusi sunt, ut Daniel in lacu; te benignum, & pauperum studiosum, atque amantem, tamquam Abacuc expectant. S. Greg. Nyss. or. 1. de pauperib. amandis.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12. 35. Aliqui hoc de ministrantibus Christo, & pauperibus, per eleemosynam (de hac enim sermo proximæ præcesserat) exponunt: q. d. præcingite lumbos: ut sitis expediti, & agiles, administrandum Christo, & pauperibus. Corn. hic.

Habebunt alas senas. Apoc. 4. 8. Rupertus: senas oportet habere alas, idest, sex opera misericordiæ; quæ is, qui sedet super thronum stantibus à dextris ità enumerat: *esurivi, &c.* Bonaventura l. de Eccl. hierarchia p. 1. cap. 2. sex alæ sunt sex opera misericordiæ spiritualia: convertere errantem, instruere ignorantem, ad gratiam suscipere peccantem, diligere persequentem, arguere delinquentem, defendere innocentem.

Portus est constitutorum in necessitate homo misericors: portus autem omnes, qui in naufragium inciderint, excipit, liberatque; sive mali fuerint, sive boni. S. Chrysost. de Lazaro conc. 2.

Pietas attrahit miseros, sicut magnes ferrum. S. Bonav. in c. 19. Lucæ.

Tunc hinc villicus diffamatur apud Dominum, quando clamor pauperum ascendit ad Dominum. Id. in c. 16. Luc.

Inter omnia animalia est ovis magis benefica, nam facit nobis misericordiam lana se exuendo; dat lac ad comedendum, & etiam agnos. Eritis oves Christi, dando lanam, scilicet bona temporalia; lac, idest bona interiora, & spiritualia. In Legenda B. Martini legitur; quòd semel admirans de ove attonsa discipuli quæsierint, quid miraris? qui dixit: hæc ovis complevit præceptum Evangelii: *qui habet duas tunicas, det non habenti.* Luc. 3. 11. Vinc. Ferr. s. 2. f. 2. post Invocavit.

Misericordia nihil est aliud, quàm miserorum chorda. Id. s. 2. f. 2. Rogat.

Luna terrestribus est vicina: sic misericordes proximis per compassionem. *Quis videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? at ille dixit: qui fecit misericordiam in illum.* Luc. 10. 36. Geminiani l. 1. c. 3.

Vita Sanctorum similis est iridi, quæ habet medium convexum; & elevatum superiùs; cornua inclinata inferius. Sic sancti viri habent medium, idest, cor semper elevatum ad Deum; cornua inclinata ad proximum: quasi enim duo cornua sunt studia eorum; quibus inserviunt proximis: unum circa salutem animarum, quando inclinatur ad proximum per eleemosynas spirituales: aliud circa salutem corporis; & hoc inclinatur proximo per eleemosynas corporales. Idem lib. 1. cap. 69.

Nubes. Lem: Congregata disperdit.

§. II.

Misericordia comparatur olivæ.

QUia sunt duo olivæ. Zach. 4. 11. & 14. Quod de Elia, & Enoch. S. Joannes explicat. Apoc. 11. 4. Oleum, & oliva, denotat eorum misericordiam, qua miserati animarum pereuntium stragem, se suaque omnia, cum vita pro Dei gloria impendent. Corn. in Apoc. 11.

Quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Matth. 25. 3. Lampades, animæ nostræ; & unius cujusque mens, lampas est: quæ tunc accenditur, quando habet oleum virtutum, & misericordiam. Fatuæ autem virgines ideo; quòd tunc requirant oleum; cùm non sit negotiandi tempus. Theoph. hic.

Hymno dicto exierunt in montem oliveti. Matth. 26. 30. Hoc est illud cœnaculum, ubi tunc Christus cum Discipulis erat; tunc ad montem olivarum exivit. Hinc & nos ad manus pauperum exeamus: ibi enim mons olivarum est. Olivæ quippe in Domo Dei plantatæ, multitudo pauperum est: hic stillat illud guttatim oleum, quo nobis opus tunc omnino erit. Hoc est quod quinque illæ virgines habebant: hoc est, quo alteræ carentes, perierunt. S. Chrysost. hom. 83. de commun. SS. Euch.

Centum cados olei. Luc. 16. 6. Idest, opera pietatis: per oleum quippe opera pietatis designantur, quæ debent villici, qui bona temporalia receperunt, pauperibus ministrare. Hugo Card. hic. Qui de scientia sua dat ignoranti, consilium dubitanti, correctionem erranti, consolationem desolato, remissionem inimico; talis dat oleum de oleo Domini sui: Triticum significat opera misericordiæ corporalis. Villicus majus donum fecit de oleo, quam tritico: quia major est eleemosyna de bonis Spiritualibus, quàm terrenis. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. 9. Trinit.

Ideo oleo toties sumus inuncti, ut semper misericordiæ memores simus. S. Eusebius Emiss. Dom. 4. Pent.

Misericordia assimilatur olei effusioni: quia oleum quiete, & non cum sonitu effunditur; sicut aqua, & vinum. Sic eleemosynæ fiant, non cum sonitu vanæ ostentationis; sed cum silentio humilis intentionis. Geminiani l. 3. c. 39.

§. III.

Misericordiæ motiva.

Num. I.

Misericordia est propria hominis, & ei congenita.

Ex Veteri, & Novo.

AB infantia mea crevit mecum miseratio. Job 31. 18. Naturalis est omni homini misericordia. Hugo Cardinal. in Gen. 1. 10.

Vidit hominem. Matth. 9. 9. Non otiosè dicitur, vidisse homi-

minem, ut ingè scilicet reddatur ratio, quæ ipsum JESUM allexit, ut Matthæo proprius fieret: quia ad naturam humanam, tanquam sibi cognatam, valde propendet. Baeza t. 2. l. 6. c. 4. §. 2.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias. Matth. 20. 1. Cur hic paterfamilias dicitur *homo*? S. Hieronymus: quando agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est.

Misereor super turbam. Marci. 8. 2. Abulens. in c. 15. Matth. q. 103. misereor eis; quasi dicat: ipsi non petunt panes; sed erubescunt. Glossa interlin: quia verus homo, miseretur, & compatitur humanæ fragilitati. Haymon. quia homo erat, misericordia motus est.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14. 16. Hominem nominat misericordem suum Patrem: quando verò ultricem Dei virtutem Scriptura significat; pantheram, & ursum, & pardum eum vocat: quando verò misericordiam vult insinuare; hominem induit. Theophylatus hìc.

Hominem non habeo. Joan. 5. 7. Sine charitate hominis nomen non mereris. Marc. 6. 48. *laborantes in remigando*. In hoc periculo Dominus, nunquam suos deserens, *venit ad eos, ambulans supra mare; & volebat præterire eos*. Simulabat, quasi eos negligere vellet. Viderunt hoc defessi Discipuli, *putaverunt phantasma esse*. v. 49. non crediderunt hominem. Cur? non audis Marcum? *volebat præterire eo*: auxiliari enim proprium hominis est. S. Ambros. l. 3. offi. c. 3. considera ò homo, unde nomen sumpseris: ab humo utique; quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus. S. Chrysostomus hom. 62. in Joan. ait, Evangelistas sibi hanc provinciam sumpsisse, ut probarent Christum, Deum simul, & hominem esse; Ad asserendam divinitatem scriptà miracula: ut verò hominem Matthæus, Marcus, Lucas probarent, pavorem mortis recensuerunt, quem in horto assumpsit. Observat tamen idem Chrysostomus, quòd Joannes nullam, vel agoniæ in horto, vel cœterarum infirmitatum, mentionem faciat: qua ergo ratione Christum hominem probat? Respondet S. Chrysost. Joannes à lacrymis Humanitatem confirmat. Jo. 11. 35. *lacrymatus est*. Compassione, lacrymis, charitate, Humanitatem probat. Didacus Nyss. f. 6. D. 1. Quadr.

Ex Patribus.

Nihil tam proximum, quàm caput membris. Diligamus eum, qui inoxiæ alterius corporis unitate compatitur. Non enim cognatio facit *proximum*, sed misericordia: quia misericordia secundùm naturam. Nihil enim tam secundùm naturam, quàm juvare consortem naturæ. S. Ambros. in Luc. 10.

Revera Dei imago est benefaciens. Clemens Alex. lib. 2. Strom.

Nihil ità humanum ostendit characterem, ut misereri, & humanum esse. S. Chrys. hom. 43. in acta.

Nonne omnis creatura suo modo nobis impendit misericordiam? nonne terra nos sustentat, & nobis cibum, & potum dat? nonne aqua nos potat, nostras terras fœcundat, & pisces in solatium nobis dat? nonne aer calorem cordis nobis refrigerat, & vitam toti corpori administrat, & aves in cibum accommodat? Nonnè ignis panem, atque cibaria, nobis coquis, frigus à nobis mitigat. S. Bonaventura serm. 82. Dom. 1. Pent.

Fecit Deus hominem non solùm ad imaginem; sed ad similitudinem suam. Ad imaginem videlicet in eo, quod rationalem, & æternum; ad similitudinem verò in eo, quòd suæ Bonitatis imitatorem fecit eum. Rupertus l. 1. in c. 1. Joan.

In utero nos ità natura formavit, ut genua genis opposita sint. unde & à genis genua dicuntur. Ibi enim cohærent sibi, & cognata sunt oculis, lacrymarum indicibus, & misericordiæ. S. Rupertus l. 6. in Cant.

Ubi Deus curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. S. Leo. s. 10. de Quadr.

Una omnium animarum natura, carnisque traduce, nos ad amorem invitat; una materia, ex qua facti sumus; una forma humanitatis in omnibus; una nascendi, & moriendi conditio. Una terra, per quam gerimur; unum cœlum, quo tegimur; una lux, qua perfundimur, debent jure inter homines indissolubilem amicitiam copulare. Simon Cas. de justit. Chr. l. 15. c. 6.

In maximam confusionem nostram, omnes creaturæ irrationales, & insensibiles, erga proximum charitatem docent. Cœlum suis influentiis terræ necessitatibus benignissimè succurit; dum illam tunc rore fœcundat, nunc pluviis humectat, nunc ventis abstergit, & exsiccat &c. Philo l. de Cherub. & gladio flammeo.

Num. II.

Immisericors non est homo.

Esurivi, & non dedisti mihi. Matth. 25. 42. Euthymius: imitati sunt immisericordem, inhumanumque, diabolum. Nam, ut Theophylact. compassionis expertes sunt diaboli; sic hostiliter erga nos affecti meritò idem supplicium habent, qui ejusdem voluntatis sunt. Sylveira hìc.

Nescio vos. Matth. 25. 12. Misericors, & miserator. Dominus nescit immisericordes: quomodo enim dissimiles, & alienos à se nosset? Theophylactus hìc.

Putaverunt phantasma esse. Marci 6. 49. Cum navigantes illi viderent se in arcto positos; & quòd imago illa volebat eos præterire sine ope; persuaserunt sibi, non esse rationalem personam; sed quòd phantasticum; quod apparentem, & non veram habet existentiam. Sylveira in Marci 6. c. 34.

Verum est illud Ciceronis, hominem naturæ obedientem homini nocere non posse. Ergo si nocere homini, contra naturam est; prodesse igitur homini secundùm naturam sit, necesse est: quod qui non facit, hominis se appellatione dispoliat: quia humanitatis officium est necessitati hominis, ac periculo subvenire. Lactantius l. 6. div. inst.

Hoc super omnia discat homo; quoniam & hoc est homo, & pretiosum vir misericors. Itaque, nisi hoc habeat, esse desiit homo. S. Chrys. hom. 33. ad pop. Antioch.

Misericordia, speciosum est humanæ naturæ ornamentum: cujus expers malè degenerat, & hominem diffitetur. Unde & nescire misereri, cum feris est habere consortium. Hildebertus Turon. Ep. ep. 23.

Canes lambendo semper curant vulnera sua: canes curant pauperem magisterio naturæ; & homo hominem negligit, ipsa graviter accusante natura. S. Chrysol. s. 121. de Lazaro.

Canes lingebant ulcera &c. quo per hoc dives epulo feris bestiis immanior; imò vero omni misericordia, omnique humanitatis sensu prorsus exutus, ostendatur. Titus Bostr. in Luc.

Num. III.

A Misericordia degeneravit homo.

Ex Veteri.

Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ex. 21. 24. Modum imponit Deus vindictæ, ut læsus homo *oculum pro oculo &c.* excutiat. Itane bonus Deus? & ubi illa clementiæ cura, de qua Moyses Ex. 34. 6. *Deus misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis*? viamne aperit hominibus ulciscendi injurias. S. Chrysol. s. 38. ut qui sapere non valebant ad veniam, vel modum saperent ultionis. Sciebat Deus, eam sævitiam esse Judæis. teste Ruperto l. 5. in Matth. ut pro oculo caput, & pro dente animam postularent. Velloso in Judith. 2. Paræn. 14.

Veniebat leo vel ursus &c. 1. Reg. 17. 34. Quanta animositas, & audacia! Eccl. 47. 3. *cum leonibus lusit, quasi cum agnis*. & tamen fugit à facie Saul. 1. Reg. 18. 10. 11. Plus timenda ira unius maligni hominis, quàm rabies omnium bestiarum: non major inimicus, quàm homo homini. Sylveira in Act. 7. q. 20.

Egressus leo è Sylva occidit Prophetam. 3. Reg. 13. 24. 4. Reg. 2. 24. *egressi duo ursi de saltu laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros*, at Gen. 37. 33. *fera pessima devoravit Joseph*. Sylveira c. 8. in Matth. 10.

Misit Angelum in Jerusalem, ut percuteret eam. 1. Paral. 21. 15. Cur Deus non hominibus, sed Angelis, committit censuram hominum, & ultionem scelerum? Hieronymus in traditionibus Hebr. quod terribiliter positum est de gladio Domini, temperatur, dum dicitur, & Angelus Domini. Homini data potestas diu durat. 3. Reg. 17. 1. Elias cœlum triennio claudit. Et quot motivis à Deo ad misericordiam trahi opus habet? Angelus potestatem accipit, triduo plectendi; nec integrè diem complet. v. 15. Velloso in Judith. 2. Paræn. 14.

Melius mihi est, ut incidam in manus Domini: quia multæ sunt miserationes ejus; quàm in manus hominum. 1. Paral. 21. 13.

Irruerunt Sabæi, & tulerunt omnia &c. Job 1. 15. &c. Cùm diabolus potestatem tentandi Job postulasset per direptionem substantiæ ejus; primùm desæviturus, homines ad pastorum cædes, & ad direptionem pecudum excitavit, eosque in hanc voluntatem latrocinii accendit. Egit ergo, quod volebat, per humanæ operationis officium. S. Zeno in Psalm. 128.

Eripe me Domine ab homine malo. Psalm. 139. 2. Omnes insidias, quascunque nobis spirituales nequitiæ prætendunt, maximè per homines aptantur; & occasiones vitiis nostris alienæ naturæ perversitas subministrat. Sanctus Hilarius hìc.

Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis. Dan. 5. 5. Cùm Balthasar in vasis templi biberet; ut ostenderet Deus severum supplicium, quò eum erat castigaturus; depinxit in pariete manum hominis illusi scribentis: nam per manus hominum eum puniturus erat, ut sic supplicium grande esset. Diez amor inimicorum.

Lapis positus est super os lacu, quem obsignavit rex annulo suo. Dan. 6. 17. Quando rex Darius Danielem Prophetam propter postulationem æmulorum, in lacum leonum jussit immitti; nè quid fieret contra Danielem; *obsignavit &c.*

Quid

Quid facis ò rex? curas, ut nemo Danieli officiat; & tamen in locum leonum illum injicis? Quid dedisti ei, ostium claudi, regioque sigillo obsignari; siquidem cum leonibus Daniel manet inclusus? Lyranus dicit: magis timebat rex de crudelitate hominum contra Danielem, quàm de ferocitate leonum: timebat enim, nè inimici ejus in lacum introirent, illum interfecturi. Diez sect. 6. post Cin.

Ex Novo, & Patribus.

Cavet ab hominibus. Matth. 10. 17. Suprà v. 16. dixerat Dominus: *mitto vos sicut oves in medio luporum*, nunc ait: *caveto ab hominibus*. Cur non à lupis? Haymon: quos Dominus superiùs appellavit lupos, eos nunc appellat homines: lupos eos vocat propter voracitatem, homines propter ferocitatem. Sylveira hìc. Non dixit: cavete à feris, leonibus, flamma; sed ab hominibus: quia homo malus pejor est ipso diabolo; crudelior quacumque fera. Id. in additionib. hìc.

Inimicus homo. Matth. 13. 28. Maximus inimicus solet esse homo homini. Et ità Christus D. ut exaggeraret, quàm inimicus sit diabolus homini; ipsum vocavit inimicus homo. Diez, Amor inimicorum. Hominem inimicum ipsum diabolum, quia semper omnibus obesse conatur, meritò appellavit. S. Chrysost. hom. 47. Nullus hostis major, quàm homo. Cùm diabolus homo non sit, homo tamen hìc vocatur; ut aptiùs ejus furor exprimatur. Sylveira hìc.

Duxerunt illum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum, Luc. 4. 29. Sæviores homicidæ, quàm Sathanas: hic enim & Christum rogat, ut de se faxo ejiciat; & Angelorum manibus excipiendum pronuntiat. Hi verò de monte JESUM præcipitassent; nisi se illis clam subduxisset. Oliva f. 2. D. 3. Quadr.

Filius enim hominis futurum est, ut tradatur in manus hominum. Luc. 9. 44. Hominis immanitatem libet admirari; in cujus manus tradi dicitur Deus: ut intelligatur, extrema quæque passurus. Itane ursorum unguibus, leonum molis, dentibus elephantum, sæviores manus hominis sunt? ut, cùm iis tradetur Christus, immaniora morte supplicia debeat sustinere? Oliva l. 13. Strom.

Quemadmodum divinæ est voluntatis, ut homo per hominem servetur; ità Sathanas magnoperè contendit hominem in laqueum protrudere perditionis. S. Antiochus. hom. 28. de fide.

Quid homini est inimicissimum? homo. S. Martinus Ep. Bracar. in Maximis de morib.

§. IV.

Misericordia est regia virtus.

Ex Veteri, & Novo.

Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos. Gen. 23. 6. dixerunt filii Heth ad Abraham. Quid Abrahæ tam gloriosum titulum apud barbaros peperit? Gen. 21. 33. *Abraham plantavit nemus in Bersabee &c.* Lipomannus: Abraham hortum plenum optimis fructibus plantavit, & peregrinos suscepit hospitio, quibus gratis necessaria omnia suppeditabat. Similia habet Pererius, & Cornelius à Lapide. Arcones in Is. 3. Disc. 9.

Impera nobis. Judic. 9. 8. Regis Schema est oliva, quæ ad arborum principatum delecta. Recusat illa: *numquid possum deserere pinguedinem meam*? Non video, cui oliva, si regnum adeat, à sua pingui fortuna excidat; cùm princeps regno crescat, non marcescat. Videt tamen Abulensis qu. 29. quia reges, si bene regant, non debent intendere suis, sed aliorum utilitatibus. Velloso in Judith. 2. Paren. 9.

Ut ungerem te in Regem. 1. Reg. 15. 1. Idcirco Sacerdotes, Reges, & Prophetæ ungebantur; quia divinæ benignitatis Symbolum habet oleum. Sanct. Chrysost. hom. 4. in ep. ad Philip.

Tulit Samuel cornu olei, & unxit eum. 1. Reg. 16. 13. Si ergo coronam regni vis habere in cœlo, oleo misericordiæ ungi debes in Mundo. S. Bonav. s. 3. D. 12. Pent. vide 1. Mach. 2. 57.

Ne ponat, oro, Dominus meus Rex &c. 1. Reg. 25. 25. Undè novit Abigail David regem fore? an à Samuele? an à fama publica? Putat id Abulensis, & addit: ut eum inclinaret ad clementiam, vocavit regem: quasi virtus hæc regum esset genuina. Velloso in Judith 6. Paræn. 9.

Quid vis Esther regina. Esth. 5. 3. Nullibi meliùs dicitur regina, quàm ubi, etiam cum suo periculo, nititur populum à morte liberare. Baeza tom. 2. l. 6. c. 1. §. 25.

Introduxit me rex in cellaria sua. Cant. 13. *exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum*. Quid regi cum uberibus? si regem verum ostendere curat, quomodo possit ab uberum memoria abstinere? Verus rex est? ergo mater subditorum. Escobar tr. 6. Par. Chr. l. 9. vinea sect. 1. Obs. 1.

David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. 1. Machab. 2. 57. Ecce misericordia facit nos reges cœlestes. S. Bonavent. s. 2. D. 2. Pent.

Ex Patribus, & aliis.

Hanc itaque suscipiamus artem, & scientiam, & obeamus. Meliùs est enim hanc scire, quàm esse regem, & diademate coronari. S. Chrys. hom. 33. ad pop. Antioch.

Si quis principem laudare velit, nihil illi adeò decorum adscribet, atque misericordiam: principatus enim proprium est, misereri. S. Chrys. s. 4. in c. 1. Philipp.

Lex ejus vocatur *lex clementiæ*. Prov. 31. 26. Et in signum clementiæ unguntur reges Christiani. S. Thom. Aqu. opusc. 38. de erudit. princip. c. 14.

S. Rupertus confert potestatem, quam contulit Christus Apostolis ad ejiciendos spiritus immundos, languores &c. potestati à Deo datæ Moysi in producendis ranis, & reliquis plagis; & illam huic profert: quia, inquit, non adeò vicina saluti humanæ potestas operata est. Additque, ubi major clementiæ gratia, ibi sine dubio major venerandæ potestatis dignitas. l. in volum. 4. Evang. c. 21.

Pastoralis ars ad regnum est præludium, ideò reges cognominantur *pastores* ovium. Philo. l. 1. de vita Moys. Dum pascunt, regunt, non regerent, ni pavissent. Subditis alimenta præbere, est imperii robur. Naxera in Jos. 1. 66.

Leo l. Imp. cùm adhuc privatus ageret, in itinere cœco cuidam sitienti dux viæ fuit, & potum quæsivit. Cùmque diu non inveniret, B. Virgo voce cœlitus lapsa aquam ei in luco monstravit; promisitque, quòd luto cæci oculis illito eum illuminaret; ac tandem Imperium ei promisit. Baron. A. C. 457. apud Cornelium in Ezech. c. 18. 7.

Alphonsus rex Aragonum in Symbolo habuit lumen ardens cum Lem. *Aliis servio mihi consumor*. Ludovicus XI. Rex Galliæ habuit pro Symbolum Pelicanum revocantem ad vitam pullos suos cum Lem: *Sanguis meus estis, vivite*.

Historiæ Indicæ narrant: apud Peruanos Ingas reges, antequam regnum adeant, per dies aliquot laceris indutos vestibus, velut pauperes, & mendicos, per urbem incedere: ut indicent, paupertatem, & pauperes, sibi cordi, curæque esse, & fore. Cornelius in Eccl. 4. 16.

Diademata olim erant fasciæ, ex lino, seu byssо; quibus regum capita obligabantur, ut habeant, ajunt nonnulli, quo subjectorum vulnera adstringant, medicosque se eorum esse sciant. Doultreman l. 1. c. 5. Sect. 6.

§. V.

Ob Misericordiam Christus Dominus rex.

Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram. Ps. 46. 3. Erat etiam antea magnus; sed ignorabatur. *Mundus per ipsum factus est, & Mundus eum non cognovit*. Nunc autem hoc quoque præclarè gessit, quòd, nos sibi familiaritate jungendo, Rex magnus effectus est. Quidni enim magnus; qui pauperes pescatores, illitteratos, privatos, numero undecim, obscuros, peregrinos, piscibus magis mutos, unicam tunicam habentes, calceis carentes, nudos, per universum terrarum orbem misit, & velut mandato omnes cepit. S. Chrys. hìc.

Deus judicium tuo Regi da - judicabit pauperes populi - coram illo Æthyopes procident. Ps. 7. 1. &c. Cur? *quia liberabit pauperem à potente*. Oliva l. 1. Strom. §. Natus est nobis hodie Salvator.

Liber generationis JESU Christi filii David. Matth. 1. 1. Cur non ponit titulos splendidiores divinitatis? majori gloriatur titulo JESU Salvatoris. Velloso in Judith. 5. Paræn. 26.

Qui pascet (regat) Populum meum Israel. Matth. 26. Pascet, dixi; non tyrannidem exercebit, vel devorabit. Alii enim reges, non Pastores, sed lupi sunt: Christum autem Pastor. Theophylactus hìc.

Pater noster, qui es in cœlis - adveniat regnum tuum. Matth. 6. 9. 10. Si rex est, cujus regnum ad nos advenire postulas; cur non potiùs regem, quàm Patrem vocas? Quia, si rex verus, debet se Patrem hominum exhibere. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 9. Sect. 1. Obs. 1.

Ecce Rex tuus venit tibi. Matth. 21. 5. Idest, ad utilitatem tuam. S. Thom. Aqu. D. 1. Adv.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam. Matth. 21. 33. Si vinea Domini regnum est, juxta illud: *auferetur à vobis regnum Dei*. v. 43. aptiùs dixisset: erat Rex, qui plantavit vineam. Sed, ò quàm apte! homo erat Pater: quia, si rex est, nihil sic regis optimi explicat proprietates, quàm se patrem gerere subditorum. Escob. s. 6. Par. Chr. l. 9. hìc.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. Cur non dixit: regnabit in domo Abraham, aut Isaac? si Abraham, & Isaac, Patres Domini vocantur? Respondet Salmeron: non in domo Abraham, in qua Israel pugnat cum Isaac, nec in domo Isaac, ubi Esau persequitur Jacob; sed in domo Jacob, quæ cœteris sanctior. Quomodo domus Jacob potest cœteris sanctior vocari, in qua tot filii iniqui? Credideris domum Jacob commendati ex Pastoritio ministerio. Gen. 31.

41. Viginti annis fui tecum; oves tuæ &c. In domo tam boni Pastoris regnare dignatur, ut ostendat, tunc Dominum dici regnare, cùm boni Pastoris pietas regnum tenet. Id. t. 3. Colloq. Chr. l. 9. Obs. 2.

Memento mei, dum veneris in regnum tuum. Luc. 23. 42. Quo jure, qua confidentia, id petit? cum in regno suo fuerit: ex *eo* enim, quòd rex est, tenetur mei misereri; ipsum regnum est ei excitamentum, ut mei meminerit. Sylveira hic.

Ego sum Pastor bonus &c. Joan. 20. 11. Cur Character boni Pastoris non est, ut honoretur; sed quod pro ovibus, det animam? S. Chrys. in Ps. 113. hoc maximè ostendit principem; quod scilicet suorum curam gerat, eisque provideat, ac prospiciat: ideò dicebat Christus *pastor bonus*; non dixit honoratur, colitur; sed *animam suam dat pro ovibus suis*. Hoc est principatus, hoc est pascendi scientia: sua negligere; & eorum, quos regit, curam gerere. Id. hic.

Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel. Joan. 12. 13. Quid fuit Domino, regem esse Israel? non enim rex Israel est ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hostesque debellandos; sed rex Israel, quod mentem regat, quod in æternum consulat, quòd in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque, perducat. Vedi Beda hic.

Nunc regnum meum non est hinc. Joan. 18. 36. ut si non est nunc, omnino fiet imposterum: nam nondum Ecclesia de Judæis, & gentibus erat; nondum mortuus erat, nondum fluxerat sanguis ex latere, nondum novitas resurrectionis, & Christiferi regni, claruerat; nondum missus erat Spiritus S. Simon. Cass. l. 13. hic.

Princeps regum terræ. Apoc. 15. 5. Cum dicitur princeps & rex regum, subjungit, *lavit nos in sanguine suo*; pro nobis scilicet moriens. Si princeps, rex, ubi corona, purpura? sceptrum? *Lavit nos &c.* Sylveira in Joan. c. 37.

Tu verè solus es Dominus; cujus dominari super nos hoc est, Salvare nos: nostrum verò servire tibi, nihil est aliud, quàm à te salvari. S. Bernardus l. de amore c. 6.

§. VI.

Misericors est prudens, sapiens.

Ex Veteri.

Nomen unii Phison: ipse est, qui circuit omnem terram, Hevilath, ubi nascitur aurum. Gen. 2. 11. S. Ambr. lib. de par. c. 3. Phison prudentia est; & ideò habet aurum optimum. Non enim angusta quædam, sed dives utilitatum prudentia est, quæ pluribus prosit; ideo prima. Ut, si quis de paradiso fuerit egressus, velut quoddam eum prudentiæ flumen excipiat, nè citò possit arescere, sed per hanc ad paradisum, facilè revertatur. Arcones in Is. 3. Disc. 2.

Ite ad Joseph. Gen. 51. 55. Cassiodorus lib. 5. var. ep. 3. cum Pharao de periculo futuræ famis inauditis somniis urgeretur; nec visionem tantam humanum posset revelare consilium; Joseph vir beatus inventus est, qui & futura veraciter prædiceret; & periclitanti populo prudentissimè subveniret. Ipse ad hoc gloriæ culmen evectus; ut per sapientium conferret plus populis, quòd præstare non potuerat potentia dominantis.

Os suum aperuit Sapientia, manum suam aperuit inopi &c. Prov. 31. 26. 20. Sapientia vult habere misericordiam, non solùm in affectu, sed etiam in effectu. S. Bonav. serm. 2. in exam. Vox *aperuit*, eum clausum habere os, & obsignatum silentio, quod nil nisi clavis sapientiæ referet. Rursum ly *aperuit sapientia*, innuit; sapientiam habitare in corde ejus, illudque quasi animare, movere, & regere; ut non tam virago, quàm sapientia ipsa per os ejus loqui, & per manus ejus operari, videatur. Cornelius hic.

Et lex clementiæ in lingua ejus. Prov. 31. 26. Septuag. *lex eleemosynæ, & misericordiæ*, vel cum Tigurina: *beneficentiæ*. q. d. virago hæc assiduæ in lingua, æquè ac in mente, & manu; nomine habet eleemosynæ: quia assiduæ eam omnibus commendat; jubetque suos nulli eam petenti denegare. Cornelius hic.

Odio habui omnem laborem meum, quem laboro sub sole; quoniam relinquam ipsum homini post me venturo. Et quis scit, *sapiensne futurus sit, an stultus?* Eccl. 2. 14. Quare hoc dicat, contemplandum nobis relinquit: quia videlicet melius est, nos ipsos, dum sumus in vita, dispensare divitias nostras in pauperum necessitates; ut ità thesaurum habeamus indeficientem in cœlis, quàm aliis in hæreditatem transmittere; qualescumque demum illos fore contingat. Olympidorus hic.

Beatus qui invenit amicum verum. Eccl. 25. 12. Græca pro amicum habent φρόνησιν, idest, *prudentiam*. Unde Tigurina: beatus, qui prudentiam assecutus est. Syr. *beatus, qui invenit misericordiam*.

Requiescet super eum spiritus sapientiæ. Is. 11. 2. Spiritus sapientiæ, sive sapientia, est donum, sive virtus Christiana; qua contemplamur divina, & æterna; & secundùm ea de rebus omnibus judicamus. Scientia est donum, seu virtus; quo cognoscimus temporalia ad salutem conducibilia; & modum, illis benè utendi. Cornelius hic.

Ex Novo.

Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11. Offeramus ei de thesauro corporis myrrham, de thesauro cordis odoriferum thus. Aurum illi offert, qui temporales divitias, quas possidet, in toto, vel in parte, Deo dicat, vel pauperum usibus tribuit. S. Thom. Vill. s. in Epiph. D.

Fiat voluntas tua. Matth. 6. 10. Donum consilium, virtus misericordia, beatitudo misericordiæ consecutio. q. d. da nobis spiritum consilii, ut faciamus voluntatem tuam, maximè misericordiam; quatenus misericordiam consequamur. S. Bonavent. hic.

Quis putas est fidelis servus & prudens. Matth. 24. 45. Non dicitur divitiarum Dominus, sed Domini servus, ut facultates illius dispenset. Infidelis est, qui sibi à Deo commissa non dat pauperibus. Dicitur etiam prudens: quia summa stultitia opes sibi servare, nullo reportato lucro. Pinna. Eth. 49.

Ite ad vendentes. Matth. 25. 9. Nondum advenit sponsus; ut timendum sit, quis tibi de suo daturus sit oleo. Adhuc licet, ut emas, ut recondas. Neque enim dum est, qui dicat, *nè non sufficiat nobis, & vobis*; sed adhuc multi sunt, qui vendunt; nudi scilicet, esurientes; ægroti, quique in carceribus sunt. Pasce illos, istos vestibus indue, jacentes visita: quæ si feceris, accurret oleum uberiore copia, quàm soleant aquarum fontes. Sanct. Chrysost. s. 18. in cap. 10. ad Rom. Colligamus abundè oleum, si cum sponso ingredi volumus; sin minùs, excludemur. Et subdit: impossibile enim, impossibile est: etsi innumera faciamus bona, sine eleemosina cœlestis regni vel vestibulum quidem attingere. Id. hom. 22. in Joan.

Prudentes autem &c. Ib. Virgines sunt quivis Fideles, prudentes illi, qui habent fidem cum operibus misericordiæ. Ità Orig. S. Hilarius.

Quid faciam? Luc. 12. 17. Parata tibi responsio fuerat: esurientium animas explebo; aperiam horrea, & omnes vocabo pauperes. Imitabor Joseph, humanitatis laudibus vocem emittam magnificam: quicumque panibus egetis, venite ad horrea mea. S. Basilius s. in divites avaros. Idem ait S. Zeno s. de divite.

Laudavit Dominus villicum iniquitatis. Luc. 16. 8. Prudentem dispensatorem dicit misericordem; ut qui multa paucis emat; pecuniis cœlum, veste regnum; pane, & poculo frigidæ aquæ, bona futura. S. Chrysost. in Ps. 111.

Quid faciam? Ib. Scilicet vel labore; vel mendicitate. Significat consilium hominis de æterna vita, non quærenda labore jejuniorum, nec mendicitate orationum. Et verè, cùm comminatio mortis adest, jejunare non valemus; & orare erubescimus, conscii malæ actæ totius vitæ; nulla enim suppetit ratio, ut exaudiamur. *Scio quid faciam*. Consilium optimum iniit deliberando tertiam viam, scilicet eleemosinatum. Cajetanus hic.

Eleemosyna, quæ datur in vita, est sicut lucerna, quæ præcedit te, nè cadas in lutum, vel foveam. Quæ post mortem datur; fertur post tergum, quæ non custodit. Geminiani l. 9. c. 21.

§. VII.

Immisericors est imprudens stultus.

Quid prodest stulto habere divitias? Prov. 17. 16. Significat Salomon, divitias sine sapientia esse inutiles, & vanas; imò noxias: eò quòd à Sapiente per sapientiam in opera utilia pietatis sapienter debeant expendi. Aristoteles l. 2. Rhet c. 16. divitiæ nihil aliud ferè sunt, quàm felix amentia. Cornelius hic.

Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. Eccl. 10. 15. Et metaphora à mancipiis damnatis ad labores, vel in ergastulis, vel in agris, vel in fodinis, metallorum: qui, cùm ibi viam laboriosam degant, ignorant viam in urbem; ut in ea vitam civilem, facilem agant &c. aut à viatoribus, & peregrinis, qui cùm viam rectam, & compendiosam: in urbem, ad quam tendunt ignorent; per circuitus vel sero, vel nunquam perveniunt. Simili modo stultus laborat, ut sapienter, & feliciter vivat; sed frustrà: quia viam in urbem; idest, rationem, & methodum sapientiæ ignorat. Nescit sapienter res suas exequi; nescit qua in re sita sit sapientia: quærit enim eam in libertate, gula, luxuria &c. cùm sita sit in sapientia, prudentia, & virtute. Cornelius hic. *Quinque autem ex eis erant fatuæ*. Matth. 25. 2. Sicut lucernæ lumen retinetur oleo, & consumpto eo, ipsum quoque unà consumptum evanescit, ità etiam spiritus gratia; quantisper habeamus opera bona, & crebris eleemosynis animam rigamus; manet, non aliter, quàm flam-

flamma oleò retenta: quæ si non adsint, recedit à nobis. Quod etiam quinque illis virginibus accidit; propter hoc etiam stultæ sunt appellatæ. Et meritò: quoniam cùm impotentiores cupiditates vicissent; à minùs valida sunt victæ. Naturæ violentiam superaverunt; rabidam insaniam frænaverunt; cupidinum fluctus sedaverunt, in terra degentes angelicam vitam vixerunt: &, post tantos labores, pecuniarum cupiditatem non superaverunt. S. Chrysost. tom. 6. s. de Verb. Apost.

Quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos. Stultè, hac nocte &c. Luc. 12. 17. 20. Stultum se exhibet? toties inculcando, illa bona non esse locata, sed propria fructus meos, horrea mea, omnia, quæ nata sunt mihi, bona mea. V. Beda: non in eo reprehenditur dives, quòd terram coluerit, natosve in ea fructus in horea collegerit; sed quod fructus suos, sua bona computans, non pauperibus erogaverit; sed suæ in futurum luxuriæ reservare studuerit. Escobar. t. 6. Par. Ch. serm. 2. Obs. 2. Stultus dicitur dives, ex eo; quòd peritura congregat, non servanda reponit, & communia redigit in privatum. Simon. Cass. lib. 6. cap. 11.

Quid faciam? Ib. Ex te ipso captas consilium? planè imprudenti uteris consiliario. S. Basilius hom. in divites, quia avari usus consilio inutili, imò noxio. Baeza t. 2. l. 11. c. 2. §. 16.

Hac nocte animam tuam repetunt à te. Ib. v. 20. nocte anima avari reposcitur; quæ à tenebris incipit, & in tenebris perseverat. Avaro semper nox Sanct. Ambros. lib. de Naboth. cap. 4. Convenienter hac nocte inquit: quia, fugiens misericordia lucem, avaritiæ tenebris se mancipaverat. Sanct. Chrysost. s. 104.

Non est sapientia, ubi deest charitas: suum quippe Verbum diffundit lumen, ubi suum præstat amorem. S. Laurent. Just. l. de casto conn. c. 18.

§. VIII.

Misericors sibi ipsi benefacit, & prodest.

Num. 1. Symbola.

Comparatur Fonti.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, inquit Ps. 61. 11. tu autem affluentes retines, & exitus obstruis. Deinde sic coactæ, & occlusæ, & quasi stagnantes, quid tibi faciunt? Putei continuo exhausti, & copiosiore, & pulchriore admodum fluunt aqua; dimissi verò, & quieti, facilè putent. Sic & opes conditæ, quiescentes; inutiles: motæ autem, & translatæ, fructum pariunt, maximèque usui sunt. S. Basil. s. in div. avaros.

Deriventur fontes tui foras. Prov. 5. 16. Cajetanus: ex facultatibus tuis largas disperge eleemosynas. Sapientiæ, & virtutis nostræ, fontes foras derivamus; cùm alios docemus, bene consulimus, monemus, in sanctitate formamus. Cornelius hic.

Et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. Is. 58. 11. Aptè misericors comparatur fonti: sicut enim fons omnibus suam aquam largiter communicat, nec tamen deficit; ità misericors. Id. hic. Putei, qui exhauriuntur, emittunt aquam magis perspicuam: corrumpuntur autem ii, quorum nullus est particeps. Clemens Alex. l. 1. Strom.

Puteus. Lem. *Hauriendo salubrior*. S. Ambros. Tibi proficit, quidquid inopi contuleris; tibi crescit, quidquid pauperi erogaveris. Picinelli.

Puteus. Lem. *Motu clarior*. Quid sicut aqua frequenti haustu fit limpidior; ità liberalitas, si amici crebro hauriant. Guido Ferrarius Card. Masenius.

Misericors comparatur agro, & semini.

Qui metit mercedem accipit, ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. Joan. 4. 36. Non seminantem sed metentem, gaudere scriptura affirmat. Ps. 125. 6. *Euntes ibant venientes autem venient cum exultatione &c. Lætabantur coram te, sicut qui lætantur in messe*. Is. 9. 3.

Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 2. Cor. 9. 6. Eleemosynam vocat benedictionem: quia sola eleemosyna specificabitur in illa ultima benedictione: venite benedicti Patris mei. Matth. 25. Diez Eleemosyna.

Imitamini terram; adferte, quemadmodum & illa, fructus cum fœnore: nè pejor velis esse virtute, cùm ratione sis potior. Illa, in quam, non in suum usum, aut commodum, opes, sed in tuam ministrare contendit. Quemadmodum frumentum in terram cadens lucrum projicienti parit; sic & panis in esurientem projectus multam imposterum tibi reddet utilitatem. S. Basilius s. in div. avar.

Quando seminandum est, non magnificis, quòd evacuas fructuum veterum promptuaria; sed ad messis futuræ fructum spectas; idque cùm eventum, nescias: nam & rubigo, & calamitas, & locustæ & aeris intemperies, quandoque spes nostras frustrabatur. Cùm verò in cœlum est semen jaciendum, ubi nullæ sunt tempestates, nullæ insidiæ, nulla læsio; tergiversaris, ac procrastinas? si terra reddit, quod sibi est creditum; multò magis Dei manus, quæcumque acceperit, magno cum fœnore est redditura. S. Chrysost. t. 6. s. 2. de Verb. Apost.

Alia Symbola.

Stetit itaque sol in medio cœli. Jos. 10. 13. Stat sol in obsequium Gaboanitarum; sed sibi etiam stat, & longuiorem lucratur lucem. Citiùs occideret, ni Gabaonitis auxiliaretur. Liberalis sibi salutaris. Naxera hic. §. 44.

Erit tamquam lignum &c. & omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur, Ps. 1. 3. Arbor tota, aliis servit, sibi nihil: sic justus charitate flagrans, fuique oblitus, res aliorum procurat, & hinc ille proficit. Didacus Nyss. s. in die Cin.

Vade ad formicam. Prov. 6. 6. Post hunc versum de formicis adjungitur similis de apibus apud Septuag. aut *vade ad apem, & disce, quomodo operaria est*. E Latinis eundem versum citat, S. Ambrosius, & Hieronymus. Et Paulinus ep. 21. ad Amandum: commodè formicæ annectitur apis, quia utraque laboriosa; sed formica sibi soli; apis sibi, & aliis. Cornelius hic.

Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Eccl. 11. 3. Sensus est, ait Olympiodorus: sicut nubes jussu divino imbrem super omnes homines spargunt; ità convenit eleemosynam cunctis hominibus impartiri. Uude illud Oseæ 13. 3. misericordia vestra quasi nubes matutina. Et Eccl. 35. 26. *speciosa misericordiam Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis*. Aptè eleemosyna nubi comparatur: quia sicut pluvia grata est nubi, ac nubem nubi rependit, dum in terra à se humectata, & radiis solis calefacta, vapores excitat; qui in aerem elevati in nubes rursus concrescunt: sic pariter eleemosyna ditat dantem. Nubes misericordiæ nostræ in pauperes elicit, & provocat nubem misericordiæ divinæ; ut in nos gratias, & dona sua pluat. Cornelius hic.

Revera Dei est imago benefaciens, qua in re etiam ipse beneficio afficitur; sicut gubernator simul servat, & servatur. Clemens Alex. l. 2. Strom.

Amarantus Mirùm in eo, gaudere decerpi, & lætiùs renasci. Non marcescit: inde ei nomen. Plin. l. 18. c. 8.

Num. 2.

Sententia Biblica.

Alii dividunt propria. Prov. 11. 24. Septuag. *sunt, qui propria seminantis, plura faciunt: sunt autem, qui congregantes, minuuntur*. Sicut agricola, qui jacit semen, pro uno grano, vel modio, recipit viginti, triginta, imò subinde sexaginta, & centum, in copiosa messe; sic beneficus spargens opes in egenos. Cornelius hic.

Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Ibid. v. 25. Hebr. & irrigans ipse jore, id est, pluvia est: id est, ipse aliis benefaciendo pluviam frugibus suis, ut lætissimæ, & copiosissimæ, evadant, inducit. Pagninus: qui irrigat, & inebriat; ipse irrigabitur, & inebriabitur. Inebriat, id est, affluenter largitur eleemosynam: sic ebrietas sumitur pro satietate, copia, & affluentia. Cant. 5. 1. Prov. 5. 19. Id. hic.

Fili, si habes, benefac tecum. Eccl. 14. 11. Syrus: *si habes, fili mi, ministra animæ tuæ; & si habes, benefac tibi*.

Accipe bonum. Os. 14. 3. Accipe, id est; da bonum, quod à nobis vicissim accipias. Ad blandiendum enim artificies mendici dicunt, accipe, non da, q. d. da non tam nobis, quàm tibi: quia nos illud tibi reddemus. Sic Ps. 67. 19. dicitur: *ascendisti in altum, &c. accepisti dona in hominibus*. Id est, dedisti; ut explicat Apostolus Eph. 4. 8. Cornelius hic.

Num. 3.

Exempla Biblica.

Si inveni in oculis tuis, nè transeas servum tuum. Gen. 18. 3. Hoc est admirabile. Beneficium, inquit, das, non accipis: verè enim ejusmodi res hospitalitas est; qua magis accipit, quàm dat, qui illam promptè, & alacriter exercet. S. Chrysost. hom. 41. in Gen.

Vade in Sarephta præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te. 3. Reg. 17. 9. Quando S. Eliam fame confectum ad domum viduæ Deus misit, ut benefaceret viduæ; ità disposuit: si quidem per ipsum Eliam in illa magna fame illam pavit. Diez conc. 2. in Assumpt. V.

Faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17. 4. Dionysius Carth. quæret: cur non dixit, faciamus hic sex tabernacula? hoc enim numerus præsentium postulat. Resp. quia putavit in illis tribus tabernaculis se, & duos discipulos, recipi posse, ac commorari: sic tamen, ut ipse esset in tabernaculo sui magistri charissimi. Memor erat, quòd suum negotium conficit, qui tractat alienum; de aliena habitatione sollicitus, hac

hac ratione putat, optimam sibi sedem obventuram. Didacus Nyss. s. in die Cin. §. 2.

Num. 4.

Sententia Patrum.

UNde illa vidua 4. Reg. 4. 7. liberata? nisi de augumento olei. In oleo misericordia intelligitur, S. Augustinus s. 2. D. 5. Trinit.

Certum est, unumquemque nostrum animæ suæ benefacere, quoties misericordia sua inopiæ succurrit alienæ. S. Leo s. 1. de Collectis. Thesaurum enim suum condit in cœlo, qui Christum pascit in pauperè. Benignitatem itaque in hoc, & dispensationem divinæ pietatis agnosce: idcirco enim te abundare voluit, ut per te alius non egeret. Calamitate affectum ut aurum amplectere: infirmam pauperis valetudinem ità fove; ut in ea sanitatem tuam; & salutem uxoris, & filiorum, & servorum, & totius denique familiæ, sitam putes. S. Greg. Nyss. de pauperib. amandis.

Da pauperi, & dies tibi: quia, quidquid pauperi dederis, tu habebis. S. Chrysol. s. 8.

Misericordiam volui. Os. 6. Humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam. Id. ib.

O fortis virtus! quæ neminem spolians omnia rapis: omnia facis tua, & nemini aufers sua; dum bonum, quod in alio diligis, diligendo acquiris. Richardus à S. Vict. tr. de grad. Char. c. 1.

§. IX.

Vitæ, & cognitæ miseriæ movent ad misericordiam.

Num. 1.

Deum & Filium ejus Incarnatum.

VIdi afflictionem populi mei. Ex. 37.

Respice in me, & miserere mei. Ps. 24. 16. Quasi misericordia per oculos prodiret. Escobar. l. 1. mir. Chr. l. 8. Obs. 6.

Speciosa misericordia DEI *in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ tempore siccitatis.* Eccl. 35. 26. Nubes è terrenis vaporibus attrahuntur. Ps. 134. 7. *educens nubes ab extremo terræ*: quia nostras videre miserias; misericordiam suam excitat. Ps. 102. 13. *quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Octavianus in Eccl. 18.

Videns turbas misertus est eis. Matth. 9. 36. Observa: non dicit Evangelista, JESUS audiens, sed *videns*: plus enim ad commiserandum tangitur visu, quàm auditu. Christus ipso solùm conspectu populi miserè habentis permotus est ad misericordiam, & commiserationem. Didacus Nyss. Phan. Græc. l. 2. c. 4.

Adducunt ei surdum. Marci 7. 32. Non sunt contenti pro absente loqui, sed oculis JESU præsentant. Ex humanis sic arguebant, quòd visa miseria divinam pietatem alliceret. Sylveira c. 3. hic.

Misericordia motus super eam dixit illi: noli flere. Luc. 7. 13. Quæres: quid Christum ad hanc misericordiam moverit, cum licèt turba multa civitatis cum illa, tamen id nemo rogarit. Respondet Euthymius: *misericordia motus est super illam*, intuitus eam inconsolabiliter flentem. Si enim turba miserebatur; quantò magis fons misericordiæ. Didacus Nyss. s. 2. D. 3. Quad. §. 5.

Homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14. 2. Hydropicum, metu Judæorum, & Pharisæorum, non ausum petere sanitatem in Sabbato, sed ante Christum stetisse; ut ex aspectu misertus sanaret eum, ut Euthymius apud Barradium t. 3. s. 3. c. 12. D. 16. Pent.

Conversus Dominus respexit Petrum. Luc. 22. 61. 62. Ille autem continuo *egressus foras*, flevit amarè. Hieron. nec enim fieri poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerant Mundi.

Cum esses sub ficu, vidit te. Joan. 14. 8. Rupert. l. 2. in Joan. vidit non solùm Philippum, sed omnes electos suos, dum essent sub ficu; vidit misericordiæ suæ oculis. Id est, cùm primus parens illorum factus mandati transgressor, consutis ficus foliis pudenda contegeret; jam tunc vidit eos, & misertus est: jam disponebat misericorditer, quò illos ordine à prævaricationis reatu liberaret.

Cum sublevasset oculos. Joan. 6. 5. Sublevati oculi JESU fenestræ salutis, & patentes misericordiæ januæ sunt, per quas gratia, & veritas, emittitur: sublevatio oculorum JESU præsens miserorum compassio est. S. Rupert. lib. 6. hic.

Præteriens JESUS vidit hominem cæcum. Joan. 9. 1. Vidit cœcum, & lumine donavit: nec enim Dei oculi vident quos salute non sunt donaturi. Hinc Ps. 79. 4. *ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Ambros. aspectus Dei; salus nostra est; atque in ejus vultu nostrum est adjutorium. Habac. 3. 6. *aspexit, & dissolvit gentes.* August. l. 18. de Civ. c. 32. aspexit, hoc est, misertus est, & fecit pœnitentes. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 3. Sect. 1. Obs. 3.

Dicunt ei: Domine veni, & vide. Joan. 11. 34. Quid est vide? miserere; videt enim Dominus, quando miseretur. V. Beda hìc.

Justitia meritum quærit; misericordia miseriam intuetur. S. Bernardus ep. 12.

Num. II.

Homines.

Ex Veteri.

INclusit eum Dominus deforis. Gen. 7. 16. Et novem sic obstruxit, ut, quid aquis ageretur, Noè non videret. Quo id consilio? S. Chrysost. hom. 25. in Gen. ut nè posset justus videre communem hominum interitum; unde majori dolore conficeretur. Durus valdè homo est, qui hominis lanienam siccis spectat oculis; cùm vel Nero, speculo smaragdino pugnas spectaret gladiatorum; ut viridi lenitate mulceret aspectum rerum fœdissimarum. teste Plinio l. 37. c. 5. Velloso in Judith. 2. 6.

Joseph egressus est ad terram Ægypti, & circuivit omnes regiones Ægypti Gen. 41. 45. 46. Ut scilicet propriis oculis miseriam subditorum aspiceret. Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 5. Obs. 7.

Ibat per singulos annos circuiens Bethel. 1. Reg. 7. 16. Samuel rem suam non agebat, sed suorum; nè subditi adeundo Judicem sumptus &c. Mendoza hìc.

Non parcet oculus tuus. Judith. 2. 6. Vetat severè Nabuchodonosor, nè Holofernes flectatur aspectu gentis miseræ. Aut jugum, aut gladium, recipiant omnes; pereant, si non pereant. Sunt oculi misericordiæ sedes: nam si homo non exuit hominem, videre non potest siccis oculis calamitatem alienam. Velloso hìc.

Tunc Eliachim circuivit omnem Israel. Judith. 4. 11. Magnus omninò Sacerdos, qui populum sibi subditum adit; ut videat, alloquatur. Non alibi magnus vocatur, nisi cùm urbes, pagos, provinciam lustrat totam, amore gentis agnoscendæ, monendæ. Id hìc. Paræn. 13.

Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. Prov. 22. 9. Hebr. *bonus oculus*; vel potiùs *bonus oculo*. Chald. *qui bonum oculum habet.* Bonus oculo est, qui placido, & benigno oculo respicit pauperes. S. Chrysost. hom. 12. in ep. ap. Hebr. eleemosyna, ac misericordia, est tamquam quædam aurea, ac vivens columba, placidum habens aspectum, & mitem oculum; nihil est illo oculo melius: itaque misericordiæ oculi obvenerunt columbini, placidi, benevoli. Adagium Arabum est, cent. 1. num. 80. liberalis, vicinus est Dei, vicinus hominis, vicinus paradisi, remotus abigne. Inferni Cornelius hìc.

Ex Novo.

Surge, & sta in medium. Luc. 6. 8. Carpebant curationem: quæ in Sabbatis à Christo fiebat, prætextu religionis. Ut autem eos molliret ad misericordiam, jubet hominem surgere & in medium prosilire: ut visa miseria compatiantur. S. Chrysost. hom. 62. in Matth. commotus misericordia *dimisit eum.* Matth. 18. 27. neque antequam supplicaret: ut calamitate sua perductus facilis ad ignoscendum fieret. Pinna in Eccl. Ethol. 224.

Jacebat ad januam ejus ulceribus plenus. Luc. 16. 20. quia nihil erat vox unius oris clamantis, ad aperiendum os divite tot essent pauperis ora, quot vulnera. S. Chrysol. s. 121.

Sanat te Dominus JESUS. Act. 9. 84. Cur Petrus non interrogat hunc paralyticum, vis sanus fieri? Ipsa ejus miseria id Petro indicabat. Sylveria hìc.

Sententia Patrum.

Non solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas visa, quàm vox pauperi. Videndus est ille, qui te non videt, requirendus ille, qui erubescit videri. S. Ambros. l. 2. offic. c. 16.

Oculi sunt omnes illi, qui ad populum ducendum ordinati sunt: quid enim inter membra nostra præstantius est oculis. S. Greg. Nyss. hom. 7. in Cant.

Necesse est, ut ampliùs visa permoveat, quàm audita calamitas. Cassiod. l. 5. ep. 29.

§. X.

Misericordia Christo D. exhibetur.

ALii autem cædebant ramos de arboribus & sternebant in via. Matth. 21. 8. Sternere in via ramos Olivarum, id est, opera misericordiæ pedibus ejus accommodes: Drogo Ost. de Sacr. Pass.

Nihil invenit in ea, nisi folia tantum. Matth. 21. 19. Etiam illa ficus nobis cavenda est, de suæ infœcunditatis exemplo; quàm Dominus Jesus nihil habentem, quod esuriens sume-

sumeret, perpetua sterilitate damnavit: ut intelligeremus, quoniam qui esurientem non refovet, & egenum, illi denegat cibum: qui, quod pauperi est datum, sibi dixit impensum. S. Leo s. 7. de jejunio.

Emerunt aromata, ut venientes ungerent JESUM. Marci 16. 1. Tu quoque, si te induas viscera misericordiæ; liberalem, benignum, exhibens &c. Constat te quoque abundare unguentis optimis; nec caput, aut pedes Domini tantùm, sed passim, quantùm, in te est ungere suscepisse totum corpus, quod est Ecclesia. S. Bernard. s. 12. in Cant.

Accepit eum ulnas suas. Luc. 2. 28. Quid est, quòd *Maria* portat eum in utero, Joseph in humero in Ægyptum, Simeon in brachiis? *Maria* significat Prædicatores, Joseph pœnitens, Simeon bonos operatores. Si quis, autem est, qui porrigat panem esurienti, potum sitienti, cœteraque misericordiæ opera sollicitè impendat egenti; nonne iste rectè videtur eum portare in brachiis? S. Bernardus s. 8. in Brevibus. Alii portant Jesum in brachiis cum Simeone; qui faciunt opera misericordiæ. Hugo Card. in c. 3. Matth.

Pedes ejus & unguento ungebat. Luc. 7. 38. In activa vita pedes tantùm ungit Ecclesia dum; pauperibus, vel egenis, pro nomine ejus, cujus tanquam capitis infima membra sunt, corporalibus ministrat subsidiis: in contemplativa verò caput, & pedes, ejus gratiosius ungit; dum de fideli sanctarum radice, sivè medulla Scripturarum, pium conficiens sermonem suaviter tractat. Rupertus ep. ad Cunonem Abb. Pedes ungis, proximis misericorditer subveniendo. De Ponte in Cant. 1. Exh. 32. §. 2. Unctio pedum opera misericordiæ significavit: pauperes enim Domini sunt pedes; quibus adhuc ambulat in terra. Blesensis s. 23. de S. Magd.

§. XI.

Misericors meretur misericordiam.

DA misericordi. Eccl. 12. 4. Dionys. Carth. da illi, qui in alios misericors est. Jure enim apud nos misericordiam invenire debet, apud quem misericordiam alii invenerunt. Merentur fontes, ut iis mare aquas subministret: quoniam & ipsi in alios munifici aquas haurientibus suppeditant. Octavianus hìc.

In hominem similem sibi non habent misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Eccl. 28. 4. q. d. qua audacia, qua præsumptione, homo immisericors, & in similem sibi crudelis, poscet à Deo misericordiam; eamque non de uno, sed de multis, iisque gravissimis peccatis? Cornelius hìc.

Verumtamen quod superest, date eleemosynam. Luc. 11. 41. Nec ideò Christus hæc ait, quasi sola eleemosynarum largitio sit purgativa à vitiis; sed quia inter remedia contra peccata, est quoddam præcipuum; & per appropriationem quandam, veniam desuper meretur: quia decens est, ut Deus sic faciat nobis, sicut nos facimus proximis nostris. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Dionys. Carth. hìc.

Erat quidam mendicus nomine Lazarus. Luc. 16. 20. Si dives epulo Lazaro inopi jacenti ad januam succurrisset, divinæ pietatis procul dubio expertus fuisset circa salutem documentum: eleemosyna enim plures iniquos divites ab æterno liberavit exitio. S. August. s. 122. de temp. ò infelicitas generis humani! quàm multi divites inveniuntur, qui ebriosos magis, quàm oportet, cogunt bibere; & ante ostium pauperibus petentibus vel unum calicem aquæ dissimulant dare. S. Chrysol. s. 121. iste dives non pauperem, sed ipsam Dei misericordiam, despicit; ad januam suam Lazaro sic jacente. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 3. obs. 6. hìc.

Dans autem illi manum, erexit eam. Act. 9. 41. Cur Petrus, qui mirabilia umbra sua, & voce operabatur; ut hanc mulierem suscitaret, ejus manum apprehendit? Tabitha manus suas extendebat ad pauperes, ut eorum miseriam sublevaret: manus ergo contactu Apostolico eleemosyna fructum recipiat. Sylveira hìc q. 34.

Ceciderunt catenæ de manibus ejus. Act. 12. 7. Cur Angelos de manibus Petri velociter solvit catenas? Non poterat pati, quòd Petri manus amplissima potestate plenæ, alligatæ essent. Et quia manibus usus; opus fuerat suprà Tabitham beneficam suscitando. Id. hìc q. 12.

Vinum, & oleum, nè læseris. Apoc. 6. 6. Cur hæc singulariter libera esse debent ab omni calamitate? Luc. 10. 34. de Samaritan. vino & oleo, quæ infervierant ad curanda egeni miseri vulnera. Ita Andreas Cæs. apud Sylveira hìc: nè vinum, aut oleum, lædatur; jubetur: ut quæ illos sanare sunt idonea, qui in latrones inciderunt.

Misereantur pauperum, qui sibi volunt parcere Christum; faciles sint ad alimenta miserorum, qui cupiunt ad societatem pervenire Fidelium. Cibus egeni, regni cœlestis est pretium; & largitor temporalium, hæres efficitur æternorum &c. S. Leo s. 4. de collect. Unde autem exigua ista impendia tanta æstimari taxatione meruerunt? nisi quia pondere operum charitatis lance pensantur. Idem.

Quamvis quis Fidelis sit, & castus, & sobrius, & aliis moribus ornatus insignibus; misericors tamen si non est, misericordiam non meretur. Id. s. 5. de Coll.

Nec ulli rei potiùs, quàm humanitati, & commiserationi commiseratio, & humanitas, ab eo rependi solet. S. Gregor. Naz. or. 27. de paup. amore.

Discamus misericordes esse omnium causa; maximè quoniam & nos multæ indigemus misericordiæ; & neque vivere putemus per id temporis, quo non misereamur. S. Chrysost. hom. 33. ad pop.

Impossibile est, ut misericordiam à Deo percipiant, qui eam proximo exhibere non curant. S. Bonaventura sect. 82. Dom. 1. Pent. Homo, da Deo, quod vult; si vis dari à Deo, quod vis. S. Chrysol. s. 8. Humanam misericordiam petit Deus ut largiatur divinam. S. Chrysologus s. 8.

§. XII.

Misericordia respiciens quatuor novissima.

Num. I.

Mortem.

REversa est ad eum in arcam. Gen. 8. 9. Eleemosyna columba est illa, quæ ad vesperum revertitur ad Noè in diluvio, virentem olivæ ferens ramum; id est, fiduciam, lætitiam, pacem sempiternam, Barradius t. 3. l. 4. c. 2. D. 8. Pent. Pennata est eleemosyna, & levis, aureas habens alas; ipsos suprà modum delectans Angelos. S. Chrysost. hom. 7. de pœn. Columbam emiserat Noè, illa vesperi reversa viridem olivæ ramulum reportavit, ad obitus nostri vesperam, ubi nos dolorum cinget diluvium, redibit argentea hæc columba; & ramum referet olivæ fiduciam, pacem, lætitiam, immortalem gloriam. Drexelius de Eleem. p. 3. 1. 6. §. 1.

Dominus opem ferat super lectum doloris ejus. Ps. 40. 4. Lectum doloris diem mortis intelligamus: ille enim gravis est, & molestus peccatoribus propter metum Judicii. Sed in eo fert opem ei, qui est amator pauperum. S. Chrysost. hìc.

Senectus mea, in misericordia uteri. Ps. 91. 11. Id est, vita matura habebit uberes fructus operum misericordiæ. Senes ad literam magis debent esse misericordes, propter multas rationes: videlicet quia dum deficit via, debent aliis impartiri viaticum. Quia deficiunt nundinæ hujus vitæ, quantùm ad ipsos: unde debent emere de pecunia sua, quidquid possunt; quia navigantes appropinquant portui, ubi navis salvabitur, vel peribit. Quia omnia oportet eos dimittere. *Nihil intulimus in hunc Mundum.* 1. Tim. 6. 7. Debent ire in longinquam regionem; unde debent sibi præparare viaticum. Vadit ad curiam; & ideò indiget amicis, & advocatis. Hugo Card. hìc.

Ab auditione mala non timebit. Ps. 111. 7. Alius: nuntium malum non timebit. Nam si viderit morbum minitari, minimè extimescit. Et imminente morte non modò non metuit; sed etiam festinat quamprimum in ea loca concedere, *ubi sunt* ejus merces: ubi enim est thesaurus hominis, ibi cor ejus. Si enim mercatores, qui domum multa onera præmiserunt, properant quotidie suas divitias videre; multò magis hic, qui in cœlo omnes suas facultates antea deposuit, volet à rebus præsentibus avulsus ad futuras festinare. S. Chrysost. hìc.

Sola virtus comes est defunctorum. Sola nos sequitur misericordia, quæ cœlestium dux prævia mansionum, pecuniæ vilis ostura tabernacula defunctis acquirit æterna. S. Ambros. in Luc. 12.

Non memini, me legisse, mala morte mortuum, qui libenter opera pietatis exercuit: habet enim multos intercessores; & impossibile est, multorum preces non exauditi. S. Hieron. ep. 2. ad Nepotianum.

Iræveniens para tibi ipse sepulchrum: pulchrum sepulchrum pietas. Omnibus tibi circumpositis hinc abi, proprium ornatum divitias effice, habe illas tecum. Isidorus Clarius l. 1. or. 38.

Num. II.

Judicium.

In die mala liberabit eum Dominus. Ps. 40. 2. Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Videbit diem malum, qui diem judicii sine advocatione pauperis intraverit. Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat. S. Chrysol. s. 14. hìc.

Et capilli capitis ejus quasi lana munda. Can. 7. 9. Lana capitis in throno præsidentis, summam misericordiam in pauperes effusam indigitat: charitate enim sua scelerum multitudinem operuit; plagas flagitiorum lana, suo sanguine rubricata, abolevit &c. Quo in loco graviter objurgat potentiores immisericordes; qui miseros famentes, & nudos, nec alimento, nec veste confovent. Unde hæc prima in Judicio disquisitio: *esurivi &c.* Arcones in Is. 3. Disc. 2.

Con-

Congregabit triticum suum in horreum. Matth. 3. 12. Per ventilabrum significatur divinum Judicium, quo Christus D. discernet bonos à malis. S. Cæsarius dial. 4. qui verò velut triticum nutritores proximorum fuerunt, & rectè virtutem perfecerunt; illos in horeum comportat. Sylveira addit. in Matth. 3. qu. 4.

Ne forrè non sufficiat nobis, & vobis. Matth. 25. 9. Bonæ virgines, cur tam duræ estis in sorores? tantillum olei procurastis; ut mei modicum aliis valeatis porrigere? sed instricti Judicis adventu quævis abundantia disparet. B. Cæsarius Arelat. hic: tantus terror, & tanta exinanitio, erit in die judicii; ut etiam illi, qui oleum misericordiæ intelligunt se abundantius præparasse; metuant, nè eis possit ad omnia peccata redimenda sufficere. Nemo tot meritorum cumulos repositos habebit; qui, dum ad tribunal Christi accedit, non dubitet, an satis sibi providerit? Quis plura congessit opera misericordiæ, quam Job? *oculus fuit cæco &c.* c. 29. 15. omnium rerum sustinuit jacturam; & tamen ait c. 7. 21. *Si manè me quæsieris, non subsistam*. Baeza t. 3. l. 13. c. 1. §. 13.

Esurivi, & non dedistis mihi manducare. Matth. 25. 35. Cur hoc dumtaxat peccatum commemoraturum se Dominus profitetur; quòd hoc peccatum minùs est, quàm cœtera peccata, excusabile: in aliis enim vel ignorantia, vel naturæ exstimulatio, vel impetus animi; si non plenam ac veram; certè aliquam saltem inter homines afferre videtur excusationem; hic verò nihil horum intercedit Isidorus Clarius l. 1. or. 11. In judicio extremo, ubi Dominus justos alloquitur, ordine primo & ut antesignanus, qui pauperem nutriit, accersitur. Qui panem administravit, ante omnes promevetur: liberalis denique præ cœteris in vitam præmittitur. S. Basilius s. 3. in div. avar.

Per unum Sabbati unus quisque vestrum apud se ponat recondens, quòd ei benè placuerit. 1. Cor. 16. 2. Sed nota, quòd paulò antè cap. 15. 52. præmiserat: *in momento; in ictu oculi, & in novissima tuba, mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur*. S. Chrysost. s. de Coll. & eleemos. tomo 4. animadverte sensum & ingenium Apostoli: quàm tempestivè ad hanc admonitionem accedit: cùm enim meminit futuri judicii, terribilisque illius sedis; tum de hoc reliquum sermonem informat. Didacus Nyss. in Phœn. Græc. l. 3. c. 12.

Superexaltat misericordia judicium. Jac. 2. 12. Quid est hoc, fratres? superponitur misericordia judicio, in quo inventum fuerit opus misericordiæ. Et si habuerit aliquid fortè in judicio, quo puniatur; tanquam unda misericordiæ peccati ignis extinguitur. S. August. in Ps. 143. Misericordia in foro judiciario Dominum locum superiorem obtinet: nam *misericordia superexaltat judicium*. Et ideò à foro justitiæ licitum est appellare ad forum misericordiæ. Hugo Card. in Matth. 5.

Dicturus causam in judicio Dei, Patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. S. Chrysol. s. 8.

Gratis misericordiam sperat tibi, qui hic non fecerit misericordiam: currit ad prœmium, qui facit misericordiam; qui non facit misericordiam, decurrit ad pœnam. Id. ib.

In judicio Divino misericordia est optima Advocata. *Conclude eleemosynam & hæc pro te extrahit*. Eccl. 29. 15. Tunc certè plus valent preces misericordiæ, quàm omnium Sanctorum. S. Bonaventura s. 2. D. 1. Pent.

Ante judicium judicem donis occupa: da illi ansam exercendæ humanitatis; suggere ignoscendi materiam. Novit Dominus pauperum manibus corrumpentia munera sumere; novit exiguo munere prolixa abolere supplicia: misericordia ignem extinguamus. S. Basilius Seleuc. or. in illud: ego sum pastor bonus.

Monendi sunt; ut attendant, quòd melius est rationem reddere de misericordia, quàm justitia. B. Humbertus s. 24. ad Carthusienses.

Num. III.

Infernum.

Statuet hœdos à sinistris. Matth. 25. 33. Eos, qui à sinistris sunt, in ignem mittit, qui præparatus est diabolo. Quia enim compassionis expertes sunt diaboli; & hostiliter, & inimicè, erga nos affarti sunt; meritò idem supplicium habent, qui ejusdem voluntatis sunt. Theophylactus hic.

Erat quidam dives. Luc. 16. 19. Ille dives, ante cujus januam jacebat miserrimus ulcerosus, non est dictus raptor rerum aliarum. Dives, inquit, erat; non dixerat pauperum oppressor, non pupillorum spoliator, non viduarum persecutor, nihil horum; sed erat quidam dives. Quid magnum est? dives erat; de suo dives erat. Si vis audire crimen divitis illius, noli ampliùs quærere, quàm audis à veritate: *dives erat, induebatur purpura, & bysso &c.* Quod ergò ejus crimen? jacens ante januam ulcerosus, & non auditus: hoc enim apertè de illo dictum est, quod misericors erat. Propter hanc solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante januam suam jacentem; nec congruè, dignèque pascebat; *mortuus est, & sepultus in Inferno*. Desideravit guttam, qui non dedit micam. S. Aug. s. 19. de verb. Cap. Quæso vos pauperum inimici: annescitis horum causa in Sacro Evangelio poni, & commemorari exempla, omnia horrenda, & terribilia? nonnè graves illius cruciatus, & gemitus, recesentur, qui in bysso fuerat enutritus? Quid huic alter ei similis nonne cùm vesperi de matutinis deliciis cogitaret, tam inexpectata, & repentina, damnatus est morte; ut orientis quidem solis radium potuerit intueri? S. Gregor. Nyss. or. 1. de pauperib. amandis.

Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti. S. August. lib. 50. hom. 30. Vide Eleemosyna.

Num. IV.

Paradisum, cœlum.

In ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum. 3. Reg. 6. 31. intimæ partis templi, quæ Sancta Sanctorum dicitur, & cœlum repræsentat; ut scripsit Paulus ad Hebr. 9. 12. Per hoc significatur, misericordiam nobis ingressum in cœlum aperire. Ex monte olivarum ad cœlum ascendit Christus; ex monte misericordiæ ascendit Christianus. Aloysius Lipoman. in prato Spir. c. 185.

Beati misericordes. Matth. 5. 7. Misericordiam est ostiaria paradisi illa poterit Domino dicere: libera me ab omnibus tormentis, quia omni genere tormentorum punita sum. 2. Cor. 11. 29. *quis infirmatur &c.* Hugo Card. hic.

Vidi ego quosdam jejunantes, orantes, præteritorum pœnitentia suspirantes, omnem denique sine sumptu pietatem offendentes; egentibus verò nè obolum quidem præbentes. Quid his cœtera virtutum diligenzia prodest? non propterea regnum consequentur. S. Basilius s. 2. in div. avaros.

§. XIII.

Misericordia extinguit peccata &c.

VIdua illa 4. Reg. 4. 5. unde liberata est; & debita solvit? nisi de augmento olei, & misericordiæ. S. Augustin. s. 206. de temp.

Ignem ardentem extinguit aqua; & eleemosyna resistit peccatis. Eccl. 3. 33. Aqua ergo misericordiæ comparatur. S. Maximus hom. 1. de eleem.

Qui habet duas tunicas, det non habenti &c. Luc. 3. 11. Cùm Joannes B. pœnitentiam prædicare, ipsi, quibus dixerat, *genimina viperarum &c.* dicebant: *quid faciemus?* quibus respondit: *qui habet &c.* Mira res! tam perditis, ut misericordiam Dei consequantur, præcipere, ut misericordes sint. Id. ib.

Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Luc. 11. 41. Severè Christus reprehendit Pharisæos: *væ vobis, qui diligitis primas cathedras &c.* post tot comminationes quis cogitaret aliquam his omnibus spem salutis superesse; & tamen ait Dominus: *veruntamen &c.* Diez conc. 2. D. 4. adv.

§. XIV.

Misericordia evitat pœnas Dei, & aliam mala.

ABscondit se Adam, & uxor ejus, à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Gen. 3. 8. Hoc lignum erat illud scientiæ boni, & mali, ut communiter tenent interpretes. Sed cur sub hac arbore se abscondit? an putat alicubi ab oculis Dei se latere posse? Confugit ad misericordem arborem, quæ seipsam denudaverat; ut nudos vestiret. Hinc fortè Deus puniturus ait ei: *ubi es?* exi foras à loco, in quo es, ut exponit Pereira; acsi Deus arboris misericordiam reveretur: nec enim sub tutela misericordiæ reum punire volebat. Id. ib.

Rahab exploratores Josue in Hiericho hospitio excepit, fideliter custodivit, ac dimisit. Jos. 2. 1. proinde domus ejus tota, & sola, ab Hebræis in clade servata est.

Ad audirione mala non timebit. Ps. 111. 7. alius: *nunrium malum non timebit*. Nam sive bellum viderit adventare, sive terræmotum oppida diruere; sive latrones, & murorum effossores, omnia eripere; sive Barbaros incursiones facere; minimè (misericors) extimescat: suas enim opes antea deposuit in loco tutissimo; & ex quo non possunt eripi. Chrysostomus hic.

Ini consilium. Is. 16. 3. q. d. inquit S. Hieron. vis cladem evadere à Moab, Deumque tibi propitium, & protectorem, reddere; accipe consilium, quod suggero. *Pone, quasi noctem, ubram tuam in meridie; absconde fugientes*. Symbolicè: sicut meridies, & æstus, significæt ingentem calamitatem (quia in meridie sol maximè urit) ità umbra & nox significat ejus remedium, refugium, & refrigerium. Unde Is. 4. 6. dicitur: *erit in umbraculum diei ab æstu*. Sensus ergo est: ò Moabitæ, vultis esse salvi, vultis evadere manus Nabuchodonosoris? facite, quòd dico: Israelitas cognatos, & vicinos vestros, patria exules, humaniter excipite, fovete, protegite. Nota hic: optimum remedium, ad evadendam instantem afflictionem, & Dei vindictam, esse misericordiam. Vis evadere miseriam? esto misericors in miseros. Vis suscipi cœlo? suscipe peregrinum hospitio. Corn. hic.

Arefacta est continuo ficulnea. Matth. 21. 19. Cur hæc ficulnea maledicitur, & non potiùs illa paradisi? quæ humani generis ruina fuit. Arbor illa vetita, juxta Isidorum Pelusiot. Ambros. Athanas. ficus fuit. Cur ergo hæc non maledicitur? licèt indignationem meruit, dum gulæ Evæ, & Adami inserviit; tamen benè consuluit, dum nudis parentibus vestes exhibuit. Gen. 36. Sic eleemosyna liberat hominem à maledictione, licèt aliis peccatis infectum. Sylveira Addit. hic.

Manducat Deus in cœlo panem, quem perceperit pauper in terra. Si nobis in cœlo misericordia sit patrona, nihil nobis nocebit in terra. S. Chrysol. s. 42.

Econtrà malè immisericordi.

Nutantes transferantur filii ejus &c. Ps. 108. 10. Audiri possunt supplicia horribiliora? In quem autem immittit plages tam horridas? an in Cain fratricidam? an in Goliath? an in Dathan, & Abyron? &c. neminem ex his designat. In scopum tot ærumnarum illum ponit, qui ausus est conculcare abjectos, & inopes: *pro eo, quòd non est recordatus facere misericordiam*. v. 16. Oliva t. 2. conc. 21.

Ablacturit eam, quæ erat absque misericordiam. Os. 1. 8. Licèt Deus tantoperè Hebræos dilexerit; quia tamen in proximos suos crudeles fuerunt, non occurrentes illis in necessitatibus eorum; eis consolationes, & particularia auxilia, abstulit. Diez s. 6. post Cin.

Hac de causa Deus omnipotens manum non aperit, quoniam fraternitatis charitatem occlusimus. Ob hoc & campi steriles, quoniam charitas friguit, aruit. Et quamquam supplicantium vox assiduè clamat, attamen apud homines evanescit, & dissipatur: nam & nos rogantes minimè audimus. S. Basilius s. 3. in div. avar.

§. XV.

Misericordia meretur benedictiones, gratias.

ABraham, & Loth, hospitales, Angelos habuerunt hospites. Gen. 18. 19. Tobias, quia sepeliebat, vidit Raphaelem. c. 12. 12. Act. 10. 2. &c. Cornelius ob eleemosynas meruit Angelum loquentem, & converti. *Una Sabbati &c.* Luc. 24. 1. Docemur: opera misericordiæ mereri conversationem cum Angelis. Stella in Luc. 24.

Panem suum esurienti dederit. Ezech. 18. 7. In fame Burgundiæ Ecdicius Senator ad quatuor millia pauperum continuò aluit. Unde ad eum vox de cœlo lapsa: Ecdici, quia fecisti rem hanc; tibi, & semini tuo, panis non deerit in sempiternum: eò quòd obedieris verbis meis, & famem meam refectione pauperum satiaveris. Ita Gregor. Turon. l. 2. hist. Franc. cap. 24.

Venite benedicti. Matth. 25. 34. Non otiosè misericordes in remuneratione à Domino vocantur *benedicti*; nec eorum benedictio in particulari explicatur, an fuerit cœlestium? an terrenorum? an agri pleni? an frumenti, & vini? Quia misericordis benedictio perfecta est; omnes benedictiones complectens. Nazianz. or. de pauper. amore: dicet Dominus animæ tuæ: salus tua ego sum, & fides tua te salvum fecit. Et ecce sanus factus es; nec non omnia humanitatis verba; si solum te dolentibus viderit humanum. Baeza t. 3. l. 13. cap. 3. §. 6.

Date & dabitur vobis. Luc. 6. 38. Deus misericordibus, & liberalibus, etiam in temporalibus benedicit; estque commune dictum: qui non dat, quod amat; non capit, quòd optat. Dionys. Carth. hic.

§. XVI.

Misericordia vocatur justitia, sanctitas.

UT *habeas justitiam &c.* Deut. 24. 13. idest, misericordiam. Dan. 4. 24. *peccata tua eleemosynis*. Chald. *justitia redime*. Prov. *Justitia*, idest, misericordia, *liberabit*. Prov. 11. 4. *à morte*: præcessit enim, *non proderunt divitiæ* avarè recondita *in die ultionis*. Psal. 111. 9. *dispersit, dedit pauperibus; justitia, idest*, ex radice Hebraica, *eleemosyna ejus manet in sæculum sæculi*. Cornelius in Deut. hic.

Periit sanctus. Mich. 7. 2. Hebr. *pius*. Chald. *misericors*. Tigurina *benignus*.

Attendite, nè justitiam vestram &c. Matth. 6. 1. Arab. *misericordiam*. Chrysost. *eleemosynam*.

§. XVII.

Misericordiæ honor, dignitas, præstantia.

Num. I.

Facit filium Dei.

ET *species quarto similis filio Dei*. Dan. 3. 92. Verum Filium Dei interpretatur Tertullianus, Augustinus, Rupertus: nimirum quia pueris illis, omni ope humana destitutis pupillis denique, opem tulit; dignum potuit Rex existimare, qui aut Filius Dei videretur, aut esset. Octavianus in Eccl. c. 4.

Et eris tu, filius altissimi. Eccl. 4. 11. Magna hæc merces. Angeli natura omnes creatas alias dignitate præeminet: quare Joannes B. *Angelus* dictus est Malach. 3. 1. Nunquam tamen tam præcellens natura filii Dei nomine dignata est. Hebr. 1. 5. *cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu?* hunc autem titulum pupillorum patri tribuit. Octavianus hic.

Hic est Filius meus dilectus. Matth. 17. 5. Pater æternus Christum aspiciens in miserationibus prædivitem, solis in morem effulgentem; Filium suum esse inclamavit. Si Christus solem induit, bonis, & malis, exorientem; quid mirum, à Patre cœlesti Filii nomine decorari? Escobar t. 1. mir. Chr. lib. 11. obs. 4.

Misericordia Dei maximè Deo similem facit: quia unus dicitur alteri similis, quando in facie assimilatur ei; nullum autem opus Dei nobis manifestus, quàm misericordia. S. Vinc. Ferr. s. 2. D. 15. Trinit.

Num. II.

Varia ejusdem argumenti.

Et senectus mea in misericordia uberi. Ps. 91. 11. Diligenter attendo in Scripturis, ubi primum legerim senectutem. Adam 930. annis vixit; & tamen senex non dicitur: Mathusalem 960. annis vixit, & senex non dicitur. Venio usque ad diluvium; & post diluvium, per annorum ferè tria millia, & nullum invenio, qui dictus est senex. Primus Abraham *senex* dicitur. Genes. 24. 1. Et certè multò minoris ætatis fuit, quàm Mathusalem: sed propterea dicitur *senex*, quoniam *senectus* illius inuncta fuit oleo uberi. S. Hieron. hic, idest, bonis operibus charitatis. Mendoza in 1. Reg. 3. 1.

Initium viæ bonæ, facere justitiam. Prov. 16. 5. Salazar per justitiam accipit misericordiam. S. Chrysost. hom. 5. in Matth. vis corpus Christi honorare; non despicias ipsum nudum. Neque hic quidem in Ecclesia fericis pannis induas, foris autem frigore, ac nuditate, confici negligas: qui enim dixit, *hoc est corpus meum*, & rem simul cum verbo confecit, idem dixit: esurientem me vidistis, & non cibastis. Hoc dico, non quia vitare velim talium vasorum oblationem; sed quia dignum putem ante omnia misericordiæ, & benignitati esse incumbendum. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ: super argentum, & aurum gratia bona*. Prov. 22. 1. *Syrus pro auro, & argento, bona est misericordia*.

Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Cant. 4. 11. Si sponsam dicas Ecclesiam, quæ ejus vestimenta? Lucas Abb. hic: vestimenta Ecclesiæ eos opinor intelligi, qui pauperes tegunt. Sed quis est odor eorum? sicut odor thuris. Cur thuris; non alterius odoris? Lucas cit: famam similem pronuntiat Spiritus S. eorum, qui sacrificium Dei efficiuntur, idest, Martyrum; eò quòd thus soli Deo in odorem suavitatis offerri jussum sit. 1. Joan. 3. 16. *in hoc cognovimus, charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit. & nos debemus pro fratribus animas ponere*: mox subjicit: *quì habuerit substantiam hujus mundi*. S. August. apud Hugonem Card. animam meam pro proximo pono; quando ori subtraho, quod pauperi impendo. Didacus Nyssen. Phœn. Græc. lib. 3. c. 12.

Estote ergo vos perfecti &c. Matth. 5. 48. Lucas autem c. 6. 36. *estote misericordes &c.* Ex radice Hebr. *sanctum, & perfectum*, idem est, quod esse *misericordem*.

Factum est, at portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ. Luc. 16. 22. una ex causis, cur Limbus sinus Abrahæ dicatur, est; quia voluit Deus magnam Abrahæ misericordiam honorare. Quia Abraham tam liberalis erat in excipiendis peregrinis, & protegendis pauperibus, in Sinu eos gerens; voluit eum Dominus hoc honore afficere; ut ille locus, qui Sanctis Patribus in requiem designatus est, cognomen acciperet illius sinus, & cordis pii Abrahæ; quod semper egenis patuit. Diez conc. 2. in Assumpt. Virg.

Oleoginei colores imagini multum splendorem addunt: sic misericordia omnes virtutes illustrat. Diez f. 5. D. 4. Quadr.

§. XVIII.

Misericordiam à quibus doceamur.

Corvis præcepi, ut pascant te. 3. Reg. 17. 4. &c. alii (Deus Eliam) corporum copia, ut quasi immundi animalis escam abominatus famis solvat sententiam : Vide mihi divinam sapientiam ! Traducitur apud Sacros Scriptores corvus, ut animal pullorum odio laborans: nam cùm fœtum excluserint, repudiant, neglecta nutricandi cura. Sed quæ creaturam omnem pervadit, divina Providentia pullis ipsis corvorum, occulta quadam ratione, è minutis quibusdam animalibus escam parat. Mandabo, inquit, corvis, ut pascant te : qui proles produnt, hi tibi cibum metant. Ne igitur durior fueris corvis pullorum osoribus; nec istud illorum erga pullos odium tu erga Judæos imiteris. Sanct. Basilius Seleuc. or. in S. Eliam. S. Chrysostom. tom. 6. or. in Eliam, ait; cùm à corvo sustentatum, à vidua, ab Angelo : ut exemplis misericordiæ Dei permotus peteret pluviam, & fertilitatem; quàm licèt Deus sine precibus ejus dare potuisset, noluisse tamen ad eum honorandum.

Quòd toties in montem Oliveti Dominus ascendit; nos misericordiam diligere docebat, *oleos* enim Græcè, Latinè *misericordia* dicitur. Matth. 21. 1. 24. 3. 26. 30. Luc. 19. 29. 21. 37.

Vince sævam complexionem, depone ferinum morem : nam Deus clemens creavit te, natura pia nutrit te, plana terra sustentat te. Dulci sanguine vivis, amica membrorum compagine subsistis & humorum tuorum pacis fœdere sotiaris. Revera totus ordo naturæ ad pietatem te trahit. S. Cyrill. Apoll. 1. c. 22.

Alexander V. P. adeò liberalis erat in pauperes; ut cum honoribus ejus benignitas creverit; ideòque dicere auditus sit: cùm Episcopus essem, dives eram: cùm Cardinalis; factus sum pauper: cùm Pontifex; mendicus. Masen. l. 2. Argut. de Pegeo.

§. XIX.

Varia alia motiva.

De comedente exivit cibus, & de forti egressa dulcedo. Judic. 14. 14. Græcus : *& de tristi*. Tamen de forti hoc intelligitur : quia leo fortis est feritate; & qui ferus, tristis. Et de vobis, qui pecuniam devorastis, & avaritiam, exeat misericordia: hæc est enim esca egenorum. Et de tristi exeat dulce; ut dimittatis ei, quia non habet, unde solvat. S. Ambros. l. de Tob. c. 15.

Non occidetur quisquam in die hac. 1. Reg. 11. 13. q. d. ait Carthus. sicut misericordiam consecuti sumus à Domino: sic misericordiam debemus facere proximis nostris.

Ecce homo manum habens aridam. Matth. 12. 10. Multi & nunc aridas manus habent; hoc est, immisericordes sunt, & non communicant. Sed quando sermone Evangelico docentur; extendunt eas, & communicant. Theophylactus hic.

Canes ante mensam impastos esse non patimur; & homines extrudimus ? S. Ambros. offic. l. 3. c. 7.

Pro uno mandato divino, quod nos hortatur ad rigorem justitiæ; sunt innumerabilia, tam in vetери, quàm Novo Testamento; quæ ad misericordiam nos incitant. B. Humbertus s. 75.

§. XX.

Misericordia magis egenti priùs succurrit.

Misericordia tua Domine plena est terra. Psalm. 118. 64. Fortasse dicas : qua ratione dictum non est, misericordia Domini plenum est cœlum ? Licèt auxilio Domini fulciantur etiam cœlites, tamen non tanta ejus indigent misericordia, quanta ea, quæ sunt inferiora, ac terrena : non enim illa carnis involucro vestiuntur, in qua est frequentis erroris illecebra. S. Ambros. Octon. 8. hic.

Hunc cùm vidisset Jesus jacentem &c. Joan. 5. 6. specialiter hunc unum affatur, & curat; quia miserabilior fuit. Dion. Carthus.

Miscellanea.

Longanimis. Psalm. 102. 8. Cassiodorus legit : *patiens, & multùm misericors* : nullus enim misericors, nisi qui & patiens. Id. hic.

Non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Os. 4. 1. *Et*, idest, quia q. d. defectus scientiæ Dei, quasi luminis practici, est causa, cur deficiat misericordia. Cornelius hic.

Et extendens Jesus manum, tetigit eum. Matth. 8. 3. Factum est hoc, ut ajunt. Ambros. in Luc. Glossa Interl. Remigius, ad benignitatem Christi ostendendam; quæ nos docet; nullum proximum tædio, vel fastidio, nobis esse debere, licèt miserrimum. Sylveira hic.

Ut venientes ungerent Jesum. Marci 16. 1. Non ad ungendam tantùm aliquam corporis partem, pedes, aut caput; sed *ut venientes ungerent Jesum*, quòd est totius corporis complexio. Tu quoque, si te induas viscera misericordiæ, liberalem, benignumque te exhibeas ad omnes. Sanct. Bernardus s. 12. in Cant.

Nulli parvus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet, ac pietatis. S. Leo s. 2. de Quadr.

Tria sunt, quæ in misericordiæ opere optanda sunt Christiano: ut possit facere, ut velit, ut compleat. S. Chrysost. hom. de misericordia, & duab. mulier. vid.

Invidia in alienis bonis est tristitia : misericordia autem tristitia in alienis malis. S. Gregor. Nyss. l. 4. c. 12.

T I T U L U S XIX.

MISERICORDIA DEI.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Per dexteram.

Læva ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Cant. 2. 6. Læva sponsi justitia est; quæ per timorem fulcit Ecclesiam, nè corruat in peccatum : dextera sponsi est misericordia ? quæ per spem amplexatur, & consolatur Ecclesiam, nè desperet. *Sperantem in Domino misericordia circumdabit*. Hugo Card. hic.

Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi. Luc. 1. 11. quia divinæ insigne misericordia deferebat. S. Ambros. Dominus enim *à dextris est mihi, nè commovear*. Ps. 15. 8.

Et habebat in dextera sua stellas septem. Apoc. 1. 16. Cur Joannes, cùm describat singillatim omnia in Christo, solius sinistræ mentionem non facit. Capillos, vestem, faciem, vocem, pedes, dexteram. Dextera significat misericordiam; & cœlestis regni redditionem, sinistra justitiam, & pœnam. Hinc in Judicio Electi ad dexteram stabunt, reprobi ad sinistram. Ideò hic Christus D. dexteram stellis fulgentem ostendit, sinistram occultat; quia maximè gloriatur de misericordia; & hanc omnium oculis declarat; rigorem autem justitiæ abscondit. Sylveira hic.

Posuit dexteram suam. Apoc. 1. 17. Hanc Deus suam vocat, non sinistram. Matth. 25. 33. *Statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris*. S. Bernardus s. 2. de Ascens. sedet ad dexteram, habens in dextera misericordiam multam nimis: in dextera aquam, in sinistra ignem immobiliter tenens. Christus ex se misericors, & benefacit; ex nobis autem provenit, quòd puniat, & damnet. Id. hic.

Alia Symbola ex Veteri.

Fluvius egrediebatur qui inde dividitur in quatuor capita. Genes. 2. 10. Sic infinitum divinæ misericordiæ flumen in quatuor distribuitur flumina, quæ orbem irrigant. Primum est creationis, secundùm gubernationis, tertium redemptionis, quartum glorificationis. Barradius t. 2. l. 10. c. 17. D. 6. Pent.

Arca fuit Ecclesia, Noe Christus, columba Spiritus S. oleæ folium divina benignitas. S. Chrysost. tom. 6. tract. in terræmotum.

Tunica talaris. Ex. 28. 2. 4. (Sacerdotis Aaron) viscera sunt misericordiæ Dei nostri. S. Prosper p. 2. c. 3.

Speciosa misericordia in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. Eccl. 35. 26. *Educens nubes ab extremo terræ*. Ps. 134. 7. quia nostras videre miserias, misericordiam suam excitat. Octavianus hic.

Ex Novo, & Patribus, & aliis.

Qui solem suum oriri facit &c. Matth. 5. 45. Sol est misericordia Dei, qui radios super universos effundit : nam ipse omnium pro suo modo miseretur. Simon Cass. l. 1. c. 26.

Infundens oleum. Luc. 10. 34. Habes oleum divinæ misericordiæ, in quo foveas vulnera peccatorum : habes oleum gratiæ, in quo mitiges morbos vitiorum; habes oleum gloriæ, in quo lenias fatigationes certaminum. Richardus à S. Vict. tr. 3. de statu inter. hom. c. 8.

Jesus autem pertransiit in montem oliveti. Joan. 8. 1. Mons oliveti sublimitatem Dominicæ pietatis, & misericordiæ, designat. Pergit Jesus in montem Oliveti; ut arcem misericordiæ in se constare denuntiet. V. Beda hic.

Præcinctum ad mamillas zona aurea. Apoc. 1. 13. Zona aurea præcinctus; non circa lumbos; ut cœteri mortalium, ad comprimendas carnis illecebras sed ad pectus &c. circa mamillas : ut hinc ostendatur, opus nobis esse clementia, quæ justam Dei iram, quæ tolerari aliquoi non posset, contineat. S. Andreas Cæsar. hic.

Iris erat in circuitu sedis, similis visioni Smaragdino. Apoc. 4. 3. Forsan per Smaragdum optimè exponitur misericordia Dei. Pinna Eth. 34.

Sicut

Sicut videns venientem accipitrem mater expandit alas suas ut pulli subeant, & habeant tutum refugium; sic nobis parata, & quodammodo dilatato sinu, extensa est summa illa, & ineffabilis pietas Domini nostri. S. Bernardus s. 4. in Ps. qui habitat.

Duas alas habet Deus, misericordiam, & charitatem : per misericordiam peccatores Deus protegit; per charitatem justos. Hugo à S. Vict. in Ps. 16.

Misericordia manus Christi est, habens quinque digitos : longam expectationem, benignam conversionem, altam promotionem, spiritualem affectionem, cœlestem fruitionem : hac peccatores, hac Magdalenam erexit, S. Vincent. Ferr.

Sicut per hyemem rigor, & tempestas divinæ justitiæ; ità per æstatem serenitas misericordiæ significatur; dies ergo æstatis sunt beneficia divinæ pietatis. S. Bonavent. s. 3. in Epih. D.

Aquarii urnæ. Lem. *Nunquam deficient*. Arnoldus tr. de 7. verb. Non arctatur numero, non clauditur fine. Nullas omnino metas habet divina clementia. Sit, qui invocet; erit, qui exaudiat; sit, qui, pœniteat; non deerit, qui indulgeat. Picinelli.

§. II.

Dei est, misericordiæ recordari.

Et recordatus est Deus Noe. Gen. 8. 1. Quid est, recordatus est? misertus est, dicere vult, justi in arca agentis. S. Chrysost. hic hom. 26.

Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam. Genes. 30. 22. Quomodo recordatus est Rachelis, cùm nullius rei, licèt exiguæ, obliviscì possit ? Abulens. dicitur humano more : homines enim quando animos in miseriis adjuvant, eorum recordari dicuntur, Deus autem, qui aliquando nos deserere videtur, licèt non deserat; quando rursus nos adjuvat, nostri recordari dicitur. Recordatus igitur Rachelis est Deus, non quia unquam illius oblitus : sed quia modò misertus. Alvarez Illustr. 1. hic. Chaldæus : *& venit memoria Rachelis in conspectu Domini, & suscepit orationem ejus*.

Domine exercituum! si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ. 1. Reg. 1. 11.

Hæc dicit Dominus : recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam. Jer. 2. 2.

§. III.

Misericordiæ Dei est, videre, prospicere; est facies Christi.

Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. Gen. 46. 30. Facies Christi est ejus misericordia; de qua Ex. 33. 13. *Si inveni gratiam in conspectu tuo; ostende mihi faciem tuam*. Hugo Card. in Gen. hic.

Dominus de cœlo prospexit. Ps. 13. 2. Prospicit; suam in nos benignitatem ostendens. S. Chrysost. hic.

Aspexit, & dissolvit gentes. Habac. 3. 6. Aspexit, hoc est, misertus est; & fecit pœnitentes. S. August. de Civ. l. 8. c. 32.

Ostende faciem tuam, & salvi erimus. Ps. 79. 4. Aspectus Dei salus nostra est; atque in ejus vultu nostrum est adjutorium. S. Ambrosius.

Vidit hominem. Matth. 9. 9. Respexit Jesus Matthæum oculo corporali; sed multò profundiùs oculo pietatis interno, seu compassionis affectu; sicut respexit Petrum post trinam negationem. Dionys. Carth. hic.

§. IV.

Misericordia Dei propria.

Ex Veteri.

Hi sunt dii tui Israel. Ex. 32. 4. Vitulum populus fabricavit; sed non destitit Deus à benignitate: negaverunt Deum homines, sed Deus seipsum non negavit. Isti, inquiunt, sunt dii tui Israel, & tamen pro amore suo Deus servat eos. S. Cyrill. Jeros. Catech. 2.

Hi sunt dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto; confortamini, & estote viri Philisthiim. 1. Reg. 4. 8. *Timueruntque valde Philisthiim dicentes : venit Deus in castra*. ib. v. 7. Philisthinorum Duces, ut milites timore prostratos in pugnam accendant, ajunt, *hi sunt dii &c.* Lyran. isti, ut excludant timorem ab aliis, hoc dicebant. Nè timeant ut Deum; tacent misericordem, percussorem vulgant; nec ineptè : nam Deus non esset, ni misericors. Naxera in Jos. 7. §. 25.

Vivit Dominus Deus Israel si erit annis his ros &c. 3. Reg. 7. 1. Benè committitur Eliæ pluviæ dispensatio: non enim divina Bonitas posse videre tantam hominum indigentiam, quia mox subveniret eis. S. Basilius Seleuc. or. 11. O lingua, quæ cœlum frænas! o Domini in homines charitas! servo committit, res conditas gubernet. Reveritus siquidem est ardorem pietatis suæ, & Eliæ creaturæ habenas permisit. Baeza t. 2. l. 11. c. 2. §. 2.

Elias quidem in turbine rectus est. Eccl. 48. Cur? nè peccatores; videat quos sustinere non potest. S. Basilius Seleuc. or. 11. de Elia, cùm raperetur, ait in persona Dei: tibi, peccantes cernere; grave spectaculum; mihi verò, qui sum Dominus, lex de humanitate præscripta; est meipsum debitorem clementia constitui. Tu ergo sub diversorium à peccato liberum, carne vestitus cum Angelis conversare : ego verò per incarnationem ad homines veniam; ego in eorum salutem curram, Baeza t. 2. l. 9. c. 3. §. 4.

Ut faciat opus suum Is. 28. 21. Opus proprium Dei est, misereri, & parcere, condonare: non suum, sed alienum est, irasci, punire. S. Hieron.

Nunquid obliviscì potest mulier infantem suum ? Is. 49. 15. quasi misericordia matris in filios non tam sit opus liberæ voluntatis, quàm opus naturæ. Et nihilominus vincit misericordia Deus cunctas matres. Baeza t. 2. lib. 11. §. 2.

Revertere aversatrix Israel, quia sanctus ego sum. Jer. 3. 12. Hebr. & Septuag. *quia misericors ego sum*.

Ex Novo, & Patribus,

Neminem voluit scire, & non potuit latere. Marci 7. 24. Hugo Card. hic non potuit latere de misericordia. Sicut dicitur de homine largo; quòd non potest concedere solus. Sylveria in Matth. 15. l. 6. c. 2. t. 4.

Non misit Deus Filium suum &c. Joan. 3. 17. Pius, benignus, & misericors Deus est, qui vult homines salvos fieri : sed peccatores increduli eum ad judicandum trahunt. Iniquitas tribunal judiciale constituit; salvare vellet, non judicare. Simon. Cass. l. 11. c. 6.

Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis 2. Cor. 1. 3. Alibi sæpè vocatur Deus, *dominator terræ*: vel *Dominus cœli, & terræ* ubi verò de misericordia ejus agitur; non Dominus, sed *Pater* dicitur *misericordiarum*. Quasi non possit dominari pro libitu suæ misericordiæ, eamque continere; sed sit opus naturæ. Baeza t. 2. l. 11. c. 2. §. 2.

Non Pater ultionum dicitur, sed misericordiarum : non modò, quòd pater videatur misereri potius, quàm indignari; sed quòd misérendi causam sumat ex proprio, ulciscendi magis ex nostro. S. Bernardus s. 1. de Nat. Apud Velloso in Judith. 7. Paræn. 34.

Deus omnipotens, & clemens; cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia. S. Leo s. 2. in solemnit. Nat. D.

Religiosus carnifex stringit gladium. Patris erat, quòd levavit; Dei fuit, quòd pepercit. S. Zeno Veron. sect. 3. agit de Abraham immolante filium. *Deus cui proprium est, misereri semper, & parcere*, canit Ecclesia.

§. V.

Misericordia Dei immensa, incomprehensibili.

Ex Veteri.

Osculatus est Joseph omnes fratres suos. Gen. 45. 15. Joseph autem venditores suos osculatur flendo, quando Christus suis peccatoribus reconciliatur plurimum misérando. S. Bonavent. s. 4. D. 5. Pent.

Congrega jumenta tua. Ex. 9. 19. Ecce clementiam Dei, qui, etiam irascens, iram clementia diluit, pœnamque mitigat. Cornelius hic.

Sit inter vos, & arcam, spatium cubitorum duorum millium. Jos. 3. 4. At Novi Testamenti arca Christus omnes accedit, omnibus se sociat. Besseus D. 3. Pent.

Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui. Job 6. 2. Quantumcumque magnum peccatum sit, major est misericordia Dei. Quod si vis scire, pone peccata in statera crucis. Hugo Card. in Gen. 4.

Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Psal. 50. 1. Dei misericordia tanta est; ut nulla oratione explicari possit, nulla cogitatione comprehendi, mentemque omnem excedat, ac rationem superet. S. Chrysost. hic. Magnam quæro misericordiam; quia non decet tuam magnificentiam parva dare: imò exaudiri dignus non essem, si à magno parva peterem. Ego enim te illum alterum Magnum Alexandrum existimo, qui non attendis; quid me oporteat accipere, sed quid deceat te dare. Urbanus IV. P. in Ps. 50.

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea. Psalm. 147. 18. Non desperet nix, non desperet nebula, non desperet crystallum. De nive, tamquam de lana, conficitur & tunica. Nebula illa in pœnitentia salutem invenit; quia, quos prædestinavit, illos & vocavit. Sed licèt sint inter prædestinatos durissimi, & multò quasi tempore congelaverint, & crystallus facti sint; non erunt duri misericordiæ

Dei.

Dei. *Emittit verbum suum &c.* S. August. hic. Excedit pietas Jesu omnem quantitatem, seu numerositatem, S. Bern. s. 1. in Vigil. Nat. D.

Secundùm magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est. Eccl. 2. 23. Syrus: *sicut majestas ejus, ità & misericordia ejus.* Tigurina: *quanta majestas est ipsius, tanta est ejusdem misericordia.* Significat Syracides hìc; ex magnitudine majestatis, & potentiæ, oriri magnitudinem divinæ misericordiæ, & clementiæ: magni enim animi, & celsæ indolis est, iræ dominari, injuriis non moveri, peccantibus parcere; imò benefacere. Corn. hic.

Quia non defecerunt miserationes ejus. Thren. 3. 22. quia in nullo deficiunt, ut non desuant pietatis; si cujuslibet conversio non defecerit. S. Paschasius hic.

Fili hominis, leva planctum super regem Tyri. Ezech. 28. 11. Quàm bonus Deus! qui etiam eos, qui se negaverunt, deflet! & hoc venit ex amoris affectu. Orig. hic hom. 13.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Fili, tu semper mecum es. Luc. 15. 31. O quid facit vis amoris! quamvis malo filio non esse nescit, non esse potest, pater: videt filium degenerasse animo; videt paternæ pietatis, paterni generis, nil habere; & tamen nuncupat filium. S. Chrysol. s. 4.

Videns civitatem, flevit super illam. Luc. 19. 41. Sicut potestas, & honor decent regem; sic pietas, dolor decet Pontificem. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati &c.* Hebr. 4. 15. Ostenditur autem hæc pietas Christi magna: quia in die summi honoris sui in terris non cessabat à lacrymis per affectum compassionis. Sanct. Bonaventur. hìc.

Benignus est Deus; nec ullus homo poterit illius benignitatem satis prædicare. Imò etiamsi omnes omnium hominum linguæ simul coacervarentur; nec sic quidem partem aliquam benignitatis illius enarrare possent. S. Cyrill. Jer. Catech. 2.

Considera scintillam, quæ casu incidit in pelagus: sisterene se aliquo potest, aut apparere? Quantùm scintilla ad pelagus collata; tantidem est hominis malitia, si eam componas cum benignitate Dei. Imò veriùs non tantidem; sed tantò ampliùs præcellit clementia Dei: pelagus enim, etsi eximiæ sit magnitudinis, suum tamen habet modum; Dei autem clementia nullo clauditur fine. S. Chrysost. Enarr. in Is. Procemio priore.

Infans, licèt nihil possit proficere, aut propriis pedibus accedere ad matrem nequeat: nihilominus volvitur, clamat, & plorat, inquirens matrem: erga quem summa misericordia afficitur mater, & gaudet de infante quærente eam cum labore, & clamore. Et cùm non possit infans ad eam pervenire; nihilominus, ob multam pueri inquisitionem, ipsa mater abit ad illum, amore pueri capta; & amplectitur, fovet, atque *alimentum profert* summa cum dilectione. Hac ipsum benignus quoque Deus facit in anima ad eum accedente, & ejus desiderio detenta. Sanct. Macarius homilia 46.

Periisset totum, quod Deus fecerat; nisi misericordia subvenisset. S. Chrys. s. 42.

Ecce occurrit nobis Pater misericordiarum cum gratia, Mater misericordiarum cum gratia; Filius, qui est lux misericordiarum, cum gratia. S. Bon. s. 2. in hex.

Manus est virtus Christi, quæ habet quinque attributa, quasi quinque digitos, quibus Deus cuncta operatus est. Primus potentia, secundus sapientia, index; misericordia medius, qui largior est aliis; *sicut misericordia ejus super omnia opera ejus*, gratia quasi medicus tangens venam cordis; justitia auricularis; quia minor aliis apparet nunc. S. Vinc. Ferr. s. 3. de S. Joan. B.

Ex ipsa misericordia detinemur, nè cadamus; cadentibus manus datur, ut resurgamus. Ipsa nos adjuvat, ut vincamus; ipsa nos salvat, nè pereamus; ipsa expectat dulciter; cùm redire tardamus; ipsa porrigit manum, dum petimus; aperit, cùm pulsamus; invenit ipsum bonum, quòd quærimus: emollit cor ad pœnitentiam, citò dimittit offensam; & per peccatum factam non tenet injuriam: dat largiter gratiam, multiplicat datam, servat multiplicatam. Multis, & miris modis Deus ex misericordia impedit, nè fiat peccatum; dat adversa, ut purget peccatum &c. O quàm multiplex, & magna, est misericordia Dei! o quàm benè, qui ad ipsam confugiunt! o quàm malè, qui bene non utuntur! cùm in peccatis multis jaceant sub respectu ejus. Simon Cass. l. 1. cap. 26.

§. VI.

Misericordia Dei facilis, velox, ad remissionem.

Num. I.

Figuræ, Parabolæ.

Ex Veteri, & Novo.

F*Acies propitiatorium de auro mundissimo.* Ex. 25. 17. Oleaster hìc: numquam legimus, Deum in hoc Mundo instituisse domum justitiæ, qua reos puniret, aut saltem judicaret; sed; cùm sit clemens, domum, qua peccatis nostris propitiaretur, instituit non unicam, sed penè infinitas: quot enim sunt Ecclesiæ, tot sunt domus propitiationis. Sed non ideò putes te impunè peccatorum: quoniam tantò severiorem in altero Mundo construxit, quantò in hac vita constituit Benigniorem. Ramirez in ep. 4.

Impleverat gloria Domini domum Domini. 3. Reg. 8. 11. In dedicatione scilicet. Quo porrò illud modo? nempè in condonando, & propitiando. Et verè templum illud propter propitiatorium ædificatum est; quod erat ex ligno Cethim. Ex. 25. 17. Alii dicunt, ex spina, quod auro regebatur. Hæc est gloria Domini, spinas ipsas peccatorum auro charitatis convestire. Doultr. l. 4. sect. 4.

Per omnes rivos Juda ibunt aqua, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. Joel. 3. 18. Quid ais? spinis, non aquis, repletus es. Exaruisti, nec modò non irrigas, sed & pungis, sentibus peccatorum plenus. Noli timere; fons, qui è domo Domini egreditur, non ad lilia currit, non ad pomaria defluit; spinas alluit, *torrentem spinarum*: & adeò profuit; ut rigari potuerit ab ea, versis in rosas spinis: cujus odore non modò domus, sed Ecclesia tota, repleta est. Pharisæi invitantis oblivisciturc. Luc. 7. & solius recordatur peccatricis; illius dapes negligit, hujus lacrymis reficitur. Adest Samaritana è Sichem. Joan. 4. torrens spinarum; mox & cibi, & Discipulorum oblitus, eam alloquitur, sanat; ex pellice in Dei sponsam convertit. Nimirum fons iste spinas amat: non enim venit vocare justos, sed peccatores. Oliva t. 2. Strom. §. beati omnes, qui sperant.

In die illa erit fons patens domui David. Zach. 13. 1. Per hunc fontem intelligunt Hieronymus, Rupertus, Hugo, Baptismum. Remigius doctrinam Christi. Haymo misericordiam Dei. Cornelius hìc.

Patientiam habe in me. Matth. 18. 26.

Omne debitum dimisit tibi, quoniam rogasti me. Matth. 18. 32. Non quia triduo in pane, & aqua, inediam sustinuisti; non quia nocturnis te maceraſti vigiliis; non quia peregrinando te fatigasti &c. sed quia rogasti me: Eodem momento, quo tu percutis pectus, commoventur ei omnia viscera: simul & rogas, & impetras. Inc. Auth.

Citò proferte stolam primam. Luc. 15. 22. Ratio, quòd citò exaudiat: quia peccator in vera, & extrema necessitate est. Osorius s. 2. D. Pass. Tanta signa benevolentiæ erga filium, qui universa bona sua dissipaverat, ostendit pater; ut plura non posset erga eum, qui victor, ac triumphator de hostibus redisset. Bellarminus in Ps. 50.

Cecidit super collum ejus, ut amoris onere onus tolleret peccatorum. *Cecidit &c. & osculatus est eum.* Sic Pater judicat, sic emendat; sic peccanti filio dato oscula, non flagella. Delicta non videt vis amoris; & ideò pater peccata filii redemit osculo, clausit amplexu; nè nudaret pater filii crimina. His auditis adhuc moramur? adhuc non redimus ad patrem? Non dixit: unde venisti? ubi fuisti? ubi sunt, quæ tulisti? quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti? sed, *citò proferte stolam primam* &c. S. Chrysol. s. 3. Cum iis etiam, qui ipsum deserunt, amanter hærere contendit, & rogat; nè indigni habeantur, & repellantur. Eis, cum procul absunt tamen accedentibus occurrit, & prodit obviam, totosque complexus osculatur: nec superiora maleficia exprobat; sed ea bona, quæ adsunt, diligit, festum diem agit; convocat amicos, idest, bonos, ut sit omnium lætantium habitatio. S. Dionysius Areop. ep. ad Demophilum Monachum. Non objurgat, non repellit, sed mare imitatus, quod fluvios ad se redeunte non objurgat, licèt longis ambagibus fugitivi per orbem erraverint: sed continuò ipsos sinu, unde fluxerant, recipit, suorumque thesaurorum facit participes. Si tanta benignitate à Deo recipitur talis notæ filius, qui ad illum non alia de causa revertitur, quàm quod fama se sentiat mori; quid de vobis dicam, qui ad Deum revertimini eo tempore, quo omnium commodorum, & deliciarum copia abundatis, totumque amore Dei relinquitis! ò quanto affectu vos suscipiet! Segneri die Jovis D. Pass.

Hesperus Lem: *Citò venit, serò recedit. Misericordia ejus praeveniet me.* Ps. 58. 11. Picinelli.

Num. II.

Exempla ex Veteri.

Adam ubi es? Gen. 3. 9. ad Adamum post peccatum Deus citò venit; nec dicit ei, ò sceleratissime, cui tot beneficia contuli, quid fecisti? sed, Adam *ubi es?* non est oblitus nominis ejus, licèt ille Dei oblitus sit. Stella in Luc. 13.

Fecit Deus quoque Adæ, & uxori ejus, tunicas pelliceas, & induit eos. Gen. 3. 21. Induit eos, ad ostendendam suam erga eos pietatem, & ut sic daret aliquam spem de sua reparatione; eò quòd jam incipiebat de eis curare. Unde ab isto loco incepit nostram necessitatem revelare: & tunc consummavit; quando januam paradisi per suam Passionem aperuit. S. Thom. Aqu. in Gen. hìc.

Peccavi Domino 2. Reg. 12. 13. Et statim Propheta subjunxit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Ps. 22. 6. Ut me retrahat, & convertat. S. Anastasius Sinaita in Psalm. 6. misericordia tua subsequetur me servum fugitivum, qui semper ad peccatum misericordiam quærat; sed è contrario magis, quòd indulgentia reum, misericordia peccatorem, indagat. Derogare id videtur majestati Dei: verùm plus Deus defert nostræ saluti, quàm suæ existimationi. Did. Nyss. f. 6. D. 5. Quad. §. 5.

Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. Psal. 118. 1. Mox de improbis ait: *non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* v. 3. Observat S. Hilarius, quòd justis unam solùm viam Vates indicat, peccatoribus plures. Cur hoc? quia, cui una solùm via, eaque angusta, lubrica, periculosa; is suspenso pede, & magno cum metu perdendi & viam, & vitam, iter carpit. At cui multiplex via ostenditur; is magno animo iter suscipit. Deus ergo, ut timorem injiciat justo, arctat illi viam cœli; ut sollicitus vivat, nè ab ea, aberret. Peccatori autem, qui jam illi è domo excessit, plures demonstret vias; ut faciliùs redire queat, neque errare timeat. Did. Nyss. D. 18. Pent. §. 4. Deus novit & justo se exhibere, quasi sit absque misericordia, & peccatori, velut sit absque justitia; idque: ut huic animos addat; illum frænet. Id. ib.

Vocavi extendi manum meam &c. Prov. 1. 24. Cajetanus censet, quatuor gratiæ Dei beneficia hìc denotari: in vocatione beneficium excitandi; in extensione manus, oblationem auxilii; in consilio, instructionem ad eligenda bona; in increpatione, monitionem ad fugienda mala. Præterea manus extendere, est pacisci, & reconciliari, volentis, q. d. Deus: ego injuriarum mihi à vobis illatarum oblitus, prior extendi dexteram, invitans vos ad reconciliationem meam; utque vos vicissim in signum renovari fœderis, dexteram vestram meæ conseretis. At vos me extendentem manum respuistis; vestram retraxistis. Beda: extendere manum, est signum summi amoris, & desiderii, quo Deus homines omnes expansis charitatis brachiis complecti, stringere, sibique unire, satagit. Hac de causa Christus in cruce brachia extendit; ut iis totum Mundum amatissimè complecteretur; imò extendit manus, quasi rogans, & obsecrans, ut ad eum accedamus. Cornelius hìc.

Surge, propera amica mea. Cant. 2. 10. *Surge* per fidem, *propera* per spem, & *veni* per charitatem: fides enim timorem excitat, quo peccator incipit surgere; spes vires auget, ut properet ad obtinendam veniam; charitas contritionem perficit, qua ad Deum venit. Sed quomodo peccatori dicitur, *propera amica &c.* qui est inimicus, corvus fœdus. Sed nonne Christus Judæ: *amice ad quid venisti?* Matth. 26. 50. Qui ergo peccatorem obstinatum vocavit amicum, propter pristinam amicitiam; quid mirum, quod vocet amicum eum, quem excitat, vocat, & trahit; ut amicum faciat? De Ponte hic Ib.

Revertere. Cant. 6. 12. Idcirco tam crebro ei *revertere* dicitur; ut, etiamsi conversa deliquerit, in desperationem non decidat; sed à peccandi consuetudine spei indulgentia resipiscat. S. Justus Orgel. hic.

Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus & ego suscipiam te. Jer. 3. 1. Quia quocumque fluant homines per peccata, semper superfertur Dominus; sicut avicula super nidum, cùm pulli ejus rapiuntur, clamitat: *tu fornicata es &c.* Hugo Card. in c. 1. Gen. O summa, & inenarrabilis, pietas Domini Dei nostri! fornicatur uxor alicujus hominis, & statim expellit, & vix unquam ei parcit. Sed peccat anima, Christi sponsa; nec uno tantùm, sed pluribus peccatis, sed modis innumeris, cum Mundo, carne, diabolo: &, si redeat, statim eam vocat ad se, & omnia peccata condonat; imò, quòd majus est, nolentem redire vocat, ut redeat, & ut revertatur, vocare non cessat. S. Bonav. serm. 41.

Ipsa gemens conversa est retrorsum. Thren. 1. 8. *Aures tuæ audiunt verbum post tergum momentis.* Isa. 30. 21. Quia, si nos ei terga dedimus; pius, ac clemens, Dominus non dedignatur revocare nos, de post tergum nostris exasperatus malis; ut ad eum, quasi retrorsum, faciem convertamus: &, unde cecidimus, redeamus. Apoc. 2. 5. *Memor esto, unde excidisti, & age pœnitentiam.* Joan. 20. 14. *conversa est retrorsum.* S. Paschasius hic.

Ex Novo.

Invenerunt puerum. Matth. 2. 11. Exhibet se nobis puerum in remissione peccatorum, si offendisti puerum, citò, & modico, & pomo, vel ovo, ei reconciliaris: sic & pœnitens Christo. S. Bonav. s. 1. in Epiph. D.

Extendens manum. Matth. 8. 3. ait Glossa, qui misericordiæ tendit affectum. Scilicet, quando auxilium divinæ misericordiæ impendit, ait Remigius. Corn. hic.

Pedes capillis capitis sui tergebat. Luc. 7. 38. Vidit, & accedens pedes ejus tenuit. Ducrogo, ante oculos tuos; quæ manus? cujus tenuerunt pedes? Illa *mulier, quæ erat in civitate peccatrix*; illæ manus, quæ erant iniquitate pollutæ; illius tetigerunt pedes, qui ad Patris dexteram super Angelorum verticem sedet. Sanct. Greg. ep. 22. ad Gregoriam Cubicularium Augustæ.

Erat appropinquantes ei peccatores. Luc. 15. 1. Comitas magnes animorum. Quid mirum, quòd ad Christum appropinquant peccatores; quando eo se demittebat, ut ad domos eorum diverteret; tamque amicè, & blandè, cum eis consuesceret? Did. Nyss. D. 3. Pent.

Hic peccatores recipit. Luc. 15. 2. Hic est titulus honorificus Christi, quo semper gloriatur; & quem vult sibi omni in loco inscribi, & affigi. Marchantius D. 3. Pent. *Dominus Deus ignis consumens est.* Deut. 4. 24. In lege gratiæ se Lucem vocat. Joan. 8. 12. *ego sum lux Mundi.* In Lege veteri ignis consumens erat, qui omnia amburebat, & depascebatur: in lege gratiæ totus lex est, merus amor, & suavitas: quid miramur ergo, quòd tantus ad eum peccatorum, & publicanorum, confluxus? Did. Nyss. D. 3. Pent.

Hodie in domo tua oportet me manere. Luc. 19. 5. Hodie, inquit, me quærere cœpisti, hodie in domo tua oportet me manere. Verum est igitur, quod per Prophetam dicitur: quia peccator, quacumque hora conversus fuerit, & ingemuerit, vita vivet, & non morietur. S. Eusebius Emiss. in Dedic. Eccl. Latro in Cruce neque una die opus habuit: & quid dico una die? neque brevi hora. Tanta est Dei erga nos misericordia. S. Chrysost. in Gen. hom. 27.

Venit ad JESUM nocte. Joan. 3. 2. Cor Nicodemus nocte, & occultè, veniens non reprehenditur? Rupertus l. 3. ignoscendum est illi, & expectanda ejus lactens, & edentula, fides, donec crescat, & proficiat. S. Ambros. in 23. Luc. veni & tu, vel serò, vel nocte, vel quacumque hora: quandocumque veneris, invenies Jesum ad suscipiendum paratum, nec minorem seriùs venientibus mercedem pia largitate solventem: nam & qui sexta hora venit, non est mercede fraudatus; & qui undecima, plenitudinem mercedis accepit. Apud Sylveira hìc.

Sententiæ Scripturæ.

In servis suis misserebitur. Deut. 32. 36. Dei misericordiam verè Dei consolatione à Moyse dictam volunt fratres; sive quòd vox Hebræa Itnecham misereri sonet, & consolari; sicut quod bonus Deus, cùm veniam præstat, magnam capit voluptatem. Velloso in Judith. 7. Paræ. 34.

Dixi, confitebor adversùs me injustitiam meam Domino, & tu remisisti. Ps. 31. 5. O magna utilitas confessionis peccati! maxima quoque benignitas miserantis Dei! qui ad solum confitendi propositum remittit peccatum: non enim dixit, confiteor, sed *confitebor*, idest, proposui confiteri injustitiam meam, & statim remisisti. Gerson. Medit. in Psalm. 2. pœnit.

Eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam. Is. 65. 24.

Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 2. Cor. 5. 20. singula verba multo pietatis nectare stillant: non quavis legatione Paulus pro Christo fungitur; sed hac obsecrativa: quasi Christus per ministros suos quotidie obsecratos accedat. Nec satis habet optimus Salvator, monere, suadere; sed rogat. Mediator enim noster est, &, pariter cum bono nostro, sanguinis sui fructum sic carpit suavissimum. Ramirez in ep. 4. v. 21.

Sententiæ Patrum, & aliorum.

Nullum aliud est ei (Deo) præterquam hoc solùm opus, ut homo salvus fiat. Clem. Alex. or. adh. ad Gentes.

Deus ex multa benignitate, & clementia, hominem retinet, & complectitur: sicut cùm pullus è nido excidit, mater avis è nido advolat. Si quando autem serpens pullo devoraturus inhiet; mater circumvolat, natos, charissima pignora, deflens, Deus autem Pater & suum quærit figmentum, & ei, quod lapsum est, medetur, & feram persequitur; & pul-

& pullum rursùm in nidum recipit, ut rursùm advoleat, incitans. Id. ib.

Deus meus, cornu salutis meæ, & susceptor meus! ego infelix! ego te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promeruì, Peccavi! & passus es; deliqui, & adhuc sustines. Si pœniteo, parcis; si revertor, suscipis; dum differo, præstolaris. Revocas errantem, invitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem. Doces ignorantem, mœrentem mulces, à ruina suscitas, post lapsum reparas: petenti largiris, quærenti inveniris, & pulsanti aperis. S. Aug. l. Medit. c. 2.

Non sicut ipsi deseruerunt te Creatorem suum, ità & tu deseruisti creaturam tuam: ipsi convertantur, & quærant te; & ecce ibi es in corde eorum. S. Aug. l. 5. conf. c. 2.

Dic solùm: offendi! dic ex animo, & pura mente: & soluta sunt omnia. Non adeò cupis dimitti peccata tua; sicut ille cupit, peccata tua dimitti. S. Chrysost. hom. 36. in Acta.

Benignus est Deus: & quemadmodum parturiens cupit eniti fœtum; ità & ille cupit effundere suam misericordiam. Id. or. de B. Philogonio.

Convertere Domine &c. Ps. 6. 5. ponit assiduè illud *Domine*: veluti quamdam rationem adducens gratiæ condonationis. Est enim hæc nostra spes maxima, ejus ineffabilis clementia, ac benignitas: & quòd suapte natura sit propensus ad condonandum. Id. hic.

Suavis Dominus, & mitis, petentem habet januam pietatis; nec recusat inde pulsantes, sed accusat potiùs negligentes. Neque enim aliquid petitur, quod non habeat; ut, cùm non dederit, erubescat. Sanct. Fulgentius serm. omni tempore dicendo.

Priusquam peccator pertingat ad januam, tu ei aperis; antequam tibi procidas, manum ei præbes; antequam lacrymas profundat, tuas super illum miserationes effundi; charitas tua, nostræ salutis cupidissima, se ipsa ad nos inclinat. Sanct. Ephrem de animæ afflict. Apud Did. Nyss. Dom. 10. Pent.

Quis non stupeat charitatem Dei spreti, & revocantis. S. Bern. s. 82. in Cant.

Non arctatur numero, non clauditur in fine, nullas omninò habet metas, divina clementia. Sit, qui invocet; erit, qui exaudiet. Sit, qui pœniteat; non deerit, qui indulgeat. Non huic pœnitenti multorum annorum jejunia imponuntur; non nudi pedulibus, vel sacco afficitur: simul & confitetur, & justificatur, & glorificatur. Arnoldus Carn. super illud Joan. 19. amen dico tibi &c.

Antequam puniat Deus, & exerceat sua dura flagella, quatuor misericordias portigit peccatoribus Deus. Primam misericordiam, scilicet sententiam suspendentem offert peccatoribus; dum pedes cruci tenet affixos: non enim ad executionem sententiæ currit; non festinat irasci; sustinet, dissimulat, expectat. Secundam misericordiam, scilicet ad pœnitentiam revocantem, peccatoribus offert; dum manus expandit; quasi omnes peccatores ad pœnitentiam vocet, & trahat, dicens eis illud Matth. 11. *venite ad me omnes*. v. 28. Tertiam misericordiam, videlicet offensas dimittentem, inclinato capite offert Christus: quia amorosè paratus est remittere peccatum, recipere, & dare; osculum, & insuper offerre pacis vinculum. Quartam misericordiam, gratiam offerentem aperto latere, ostendit; unde sanguis nostræ redemptionis, & aqua nostræ ablutionis, charitate largiflua defluxerunt. Unde Is. 55. 1. Dominus vocat omnes peccatores dicens: *omnes sitientes venite ad aquas*. S. Bern. t. 2. s. 19.

Cùm non nisi coactus percutiat; quid afferri potest, quin, nativa sua bonitate utens, indulgentem se nobis præbiturus sit; modò nosmetipsos nostri misereat, justisque Patris visceribus viam patefaciamus. Sanct. Greg. Naz. or. 26. in plag. grand.

O Summa, & inenarrabilis pietas Domini Dei nostri! fornicatur uxor alicujus hominis, & statim eam expellit, & vix unquam ei parcit. Sed peccat anima Christi sponsa, nec uno tantùm, sed plurimis peccatis, sed modis innumeris, cum Mundo, Carne, diabolo: & si redeat, statim eam vocat ad se, & omnia peccata condonat: imò, quòd majus est, nolentem redire vocat, ut redeat, & ut revertatur, revocare non cessat. Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, & ego suscipiam te. Jer. 3. 1. S. Bonav. s. 41. de Sanctis.

Redi ad cor tuum tandem aliquando, redi vetus Adam! vide, ubi, & quomodo, te requisivit, & invenit novus Adam. Ostendam tibi in corpore suo ignominias animæ tuæ. Non satis fuit, quòd per calaphos, & nova irrisionum genera, post te fugientem clamitans, & miserans percurrit, & usque ad novissimum Crucis supplicium, te, animam efflantem, assecutus invenit, & apprehendit. Quis enim latro, ille, nisi Adam fuit? qui, ex quo primum in paradiso sui ipsius homicidium perpetravit, tamdiu à Christo fugit reus, & abscondit se; donec in crucis articulo novissimè consumptus, & comprehensus, fugere, & latere, amplius non potuit: ubi tandem comprehensus à te bone JESU! conversus est, culpam suam confessus est, pœnam liberam amplexus est. Drogo Ost.

Fasciculus stupparum in ingentem ignem missus non ità repentè incenditur, quàm repentè Deus peccatis nostris, propter ineffabilem pietatem, & misericordiam suam ignoscit; dum verè nos pœnitet vitæ actæ. Blosius par. an. cap. 2.

O ineffabilis misericordia tua Domine! quæ supra id, quàm cogitari potest, declarata est. Nam nescientes te sollicitè quæsisti; deserentes te non deservisti; peccantibus tibi benignissimè indulsisti; aversis longiùs à te viam ostendisti æternæ salutis. Si tam pius factus es inimicis, quid eris amicis? Thom. Kemp. conc. 1. de Incarn. Christi. Vide plura Humanitas Christi, Crux, Passio.

§. VII.

Misericors Dei patiens, longanimis.

Num. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Ecce constitui te Deum Pharaonis. Ex. 7. 1. 1. Cur non dicitur constitutus Deus elementorum? nam super illa quadam divina potestate enim ait: aquas per medium divisit, easque in sanguinem convertit: percusso pulvere terræ, fecit sciniphes in universo Ægypto. Aerem tenebris replevit; ignem, misso Aarone cum thuribulo repressit: & Pharao tamen ei restitit. Resp. Moyses positus est à Deo, ut elementis imperaret, ac Pharaonis malitiam in multa patientia sustineret: divina autem potestas in Moyse magis patebat ea sufferentia, quàm jussione, & imperio in elementa. Oleaster: expende, quæso, quanta sit dignitas S. Moysis; quem Deus sic evexit, ut Deum Pharaonis constituerit; & similiter, quanta sit prudentia ejus, & misericordia, ut non eum statim occideret; sed patientia quasi Dei tulerit, & monuerit. Sylv. in Luc. 10. 3.

Circumierunt civitatem secundo die semel, sic fecerunt sex diebus. Jos. 6. 14. Cur ad primum clangorem buccinæ prima die muros non prosternit? ut innueret in punitione Dei tarda molimina. Sanct. Chrysostom. hom. 5. de pœnit. cùm struit, velociter struit; cùm destruit, tardè destruit. Sex diebus Deus cœlum, & terram fecerat. Hic igitur tam velox in construendo, cum expetit unius urbis demoliendæ consilium, inventus est bonitate tardus. Mundum universum sex diebus construis, & unam urbem septem diebus solvis? Num potentia imbecillior? sed clementia diutius tolerat. Nec silentio in hostes irruit Josue; aut somno oppressos occupat; nec ad primum tubæ sonum muri corruant; sed clamoribus buccinæ, & militum vociferationibus, omnia complet: ut somno lentos increpet: pigritantes excitet. Arcones in Is. 1. Disc. 3.

Lætabor, & partibor Sichimam. Ps. 59. 8. S. Aug. hìc: Sichima *humeri* interpretantur. Quomodo dividet humeros? ut alios gravent peccata sua, alii tollant sarcinam Christi. alia sarcina premit, & aggravat te. Matth. 11. 30. *onus meum leve*. Dominus languores omnium, dolores, & dolentes, portavit hos humeros nobiscum dividit. *Pater mi! Currus Israel, & auriga ejus*. 4. Reg. 2. 12. Abul. q. 19. currus Israel vocatur: quia ad currum pertinet sustentare. Sic enim Elias sustentavit Israel; supportando defectus eorum, & providendo eis in necessitatibus. Arcones in Is. 3. Disc. 7.

Meliora sunt ubera tua vino. Cant. 1. 1. Duo sponsi ubera, duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta: quia & patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo suavitatis exuberat in pectore Domini JESU: longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. S. Bern. s. 9. in Cant. Dextrum Domini uber est longanimitas, quia patienter peccatores expectat; sinistrum uber est clementia, qua clementer suscipit pœnitentes. Hugo Card. hic.

Revertere. Cant. 6. 12. Quater dicit, *revertere*: ad significandam longanimitatem Dei in vocandis peccatoribus, in quatuor eorum ætatibus, pueritia, juventute, virili ætate, & senectute. De Ponte hìc Ex. 8. §. 1.

Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos &c. Os. 11. 3. Miram Dei patientiam, cujus & Paulus in Actibus Apostolorum 13. meminit, præsens locus magnificè satis inuit. Sanct. Rup. l. 5. hic.

Ex Novo.

Vis, imus, & colligimus ea? non, Matth. 13. 18. S. Chrysost. homil. 30. in Matth. multi tanta pœnitentia compuncti sunt; ut, cùm antea perversi essent, electissimi postea inveniantur. Propterea Zizania jussit dimitti; ut pœnitentiæ tempus præberetur. Paulus, Publicanus, Latro; cùm priùs Zizania essent, in optimum triticum mutati sunt: quæ quidem mutatio in seminibus impossibilis est; at in voluntate facilis, atque pro-

procliva. Oliva t. 2. c. 2. in festo Immac. Conc. Si Zizaniis Dei patientia non subveniret; nec Matthæum de Publicano Evangelistam, nec Paulo de persecutore Apostolum, nec Magdalenam de peccatrice pœnitentem Ecclesia possideret. S. Chrysol. s. 97.

Peregrè profectus est. Matth. 21. 33. videtur Deus & dormire, & peregrè proficisci; dum longanimis est; & non è vestigio peccatorum pœnas exigit. Theophylactus hìc. Peregrinatio Dei, longanimitas Dei. Idem ibid.

Cùm venerit Dominus vineæ. Matth. 21. 40. Venit puniturus qui semper adest; cur ergo recessisse dicitur? videtur Dominus à nobis recedere ex longanimitas: quia patiens redditor non è vestigio peccatorum pœnas exigit. Escobar t. 6. Par. Ch. Sect. 3. Obs. 1.

Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac; & non invenio. Luc. 13. 17. Qui sunt hi tres, aut quatuor anni, quibus Deum ficulneæ fructus expectat? nisi quatuor vitæ hominis partes; in quibus sæpius ipsum visitat Deus vocando ad bonos fructus proferendos. Quòd si in primo anno, hoc est, quando usus rationis jam adest, eos non proferat; Deus patienter expectat; reditque secundo anno, in secunda scilicet vitæ ejus parte. Qui si adhuc in sua sterilitate persistit, sustinet eum Deus longanimiter. Redit verò tertio anno, tertia ætatis parte; qui si adhuc in sua sterilitate persistat, ostendit se illi magnis iratum; & fortioribus pulsibus, plagisque morborum, & adversitatum, monet, minaturque; se vitæ filum abscissurum, quasi hominis nauci, & inutillis. De Ponte tom. 1. de Christ. hom. perfect. c. 14. §. 3.

Si velox ad pœnam fuisset Deus, Paulum Ecclesia non possedisset: propterea distulit blasphemantem, ut Dei longanimitas ostenderet pœnitentem. Lupum in Pastorem transtulit Dei longanimitas; Publicanum fecit Evangelistam. S. Chrysost. t. 5. hom. 5. de pœnit.

Num. II.

Exempla, & sententiæ.

Ex Veteri.

Adam ubi es? Gen. 3. 9. Nomine vocat occultatum: ut vocationis mansuetudine animetur; & timore mortuus cogitationes rosocillabundas assumat: adhuc mihi sermone communicat? adhuc voce me dignatur, adhuc me ut Pater advocat? nondum implet sententiam, quàm antea minatus est; sed dat responsi locum? S. Chrysost. s. de Adam, & Pœnit.

Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum. Genes. 4. 15. Plus Abel obit, ut requie potiatur; Cain impiùs superstes, ut pœnitere possit. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 9. sect. 2. obs. 2. Tradunt, illum (Cain) à clementissimo Deo ideo usque ad septem generationes fuisse dilatum; ut saltem malis ipsis, & longevitate meroris, compulsus pœnitentiam ageret; ut mereretur absolvi. S. Hieron. ep. 125. ad Damasum:

Nequaquam ità fiet. Gen. 4. 15. Id est, non ità citò morieris, sicut credis: Deus enim per suam misericordiam peccatores expectat ad veniam, vel pœnitentiam. Unde ipsum Cain non ità citò voluit mori; ut hic tempus haberet pœnitendi. S. Thom. Aqu. hìc.

Pluam quadraginta diebus &c. Gen. 7. 4. Quid? non erat ei possibile, ut una die totam pluviam induceret? quid, inquam, una die, uno momento posset. Sed hoc dedita opera facit; volens simul & timorem, & occasionem præbere; qua possent pœnam, quæ jam in foribus esset, effugere. S. Chrysost. hom. 24. in Gen.

Idcirco posui te ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Ex. 9. 16. Sed quomodo Deus ostendit fortitudinem suam in Pharaone? non tam in Palagis immittendis, quàm in expectando peccatore. S. Theodolus in ep. ad Rom. potentia Dei est longanimitas, adeoque maxima potentia. Ps. 26. 14. *viriliter age; & confortetur cor tuum, & sustine Dominum*. Si homo, ut Deum sustineat, & expectet, viriliter agere, & confortari jubetur; quas vires requiret Dominus, ut peccatorem expectat? Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 2.

Miserator, & misericors Dominus; longanimis, & multùm misericors. Ps. 102. 8. Quid tam longanimum? quid tam multum in misericordia? Peccatur; & vivitur, accedunt peccata; augetur vita. Blasphematur quotidiè; & *facit solem suum oriri super bonos, & malos*. Vocat undique ad correctionem; vocat undique ad pœnitentiam; vocat beneficiis creaturæ; vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miseriam consolationis. S. August. hìc.

Patiens, & multùm misericors. Ps. 144. 8. Venit ad secundum argumenti locum, qui appellatur à potentia, quam non laudavit, quòd terras suspendit, Maria coercuit, stellis cœlum depinxit; sed tolerantem dixit excessus humanos: ut, qui puniri possent lege justitiæ, probentur per patientiam Domini non perire. Cassiodorus hic.

Expectat Dominus, ut misereatur vestri. Is. 30. 18. Grandis clementia Dei! ut expectat nostram pœnitentiam: &, donec nos à vitiis convertamur, ille potentem contrahat manum, ne ferire cogantur. S. Hieronymus l. 9. hìc.

Laboravi rogans &c. Jerem. 15. 6. Hebr. *Laboravi rogans pœnitere*. Id est, laboravi rogans, & invitans te per prophetas; ut pœniteres, teque converteres. Maldonatus vertit: laboravi penitendo, aut ut Sanchez, miserendo q. d. Sæpius decrevi punire vos; sed ductus pœnitentia, & misericordia, revocavi sententiam; sperans vestri emendationem. Sed nihil obtinui; tantùm fatigavi me. Cornelius hìc.

Vocavi amicos & ipsi deceperunt me. Cogitavit Dominus &c. Thr. 2. 8. quasi dicat: non statim fecit; sed diu ejus conversionem expectavit. S. Bonavent. hìc.

Ex Novo.

Et cum sedisset, Matth. 5. 1. Expectatio benigitatis inclaruit: expectat enim nos in infirmitatibus, & tarditatibus nostris. Tardi enim homines sunt ad credendum, quæ Christi sunt, tardi ad intelligendum, quæ sunt utilia; tardi ad agendum, quæ necessaria sunt: tardi ad pœnitentiam, cùm reliquerimus iter verum: & Dei benignitas Dei patientia, charitas Christi, ad pœnitentiam nos expectat. Simon Cass. l. 10. hìc.

Patientiam habe in me. Matth. 18. 29. Citiùs debita recipit, qui patienter expectat? perdit impatiens exactor. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 2. Sect. 2. Obs. 4. hìc.

Jerusalem! Jerusalem! quoties volui. Matth. 23. 37. *Volui, & noluisti*. S. Chrysost. Jerusalem, Jerusalem! quæ usque nunc luctata es contra misericordiam meam tuis peccatis; nunc autem ipsam superasti. Hæc ille in opere Imperf. addit: volo enim in te misereri; sed vires misericordiæ faciendæ non habeo; nec possum te ampliùs sufferre: incessabilibus enim iniquitatibus tuis misericordia mea quasi jam lassata à proposito suo defecit. Didacus Nyss. s. 4. D. 1. Quadr.

Invenit eos dormientes. Matth. 26. 40. Quoties & redis ad nos, & invenis dormientes? & tamen benignè suscitas nos. Et iterum abis, secundo, & tertiò, *eamdem sermonem dicens*. Statim autem ut recesseris iterum somnus occupat nos: nec vigilare possumus; nisi quantùm nobiscum es, & suscitas nos. Drogo Ost. hìc.

Sedebat sic supra fontem. Joan. 4. 6. Nulli rei tam assidet Dominus, quàm peccatori, expectando ad castæ sponsæ ostium. Cant. 5. 2. videbis sponsum pulsantem, sed ad stantem, non sedentem; at modò peccatricem venaturus sedet; & morosus sedet supra puteum. O immensam Dei expectationem, ut peccatores accedant ad salutem. Qui moræ impatiens est, vix stat. Dominus in aliis omnibus festinissimus; cùm peccatoribus expectandis accedit, omnium est morarum patientissimus; tunc sedet. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 5.

Jesus autem abscondit se. Joan. 8. 59. Cur Christus abiit à lapidantibus non inflicta aliqua pœna? S. August. tr. 43. cùm Judæi lapides tollerent, quid magnum erat, ut eos continuò terra dehiscens absorberet, & pro lapidibus infernos invenirent? non erat magnum Deo; sed magis erat commendanda patientia.

Ex Patribus.

Clementissime Magister! quoties ego doctrinæ tuæ transgressus sum regulas? quoties edicta tua Domine Sancte contempsi? & cùm diceres mihi, *revertere*, non sum reversus; cùm minareris, non timui: cùm bonus esses, & lenis, exasperans fui. Ultra septuagesies septies in cœlum, & coram te peccavi! quis tot sordes abluet? quis abradet stercora conglobata? necesse est, ut ipse nos abluas. S. Cyprianus de ablutione pedum.

Quid Esau nequius? nonne odibilis Deo? Esau odio habui. Quare protinus meritam non suscipit animadversionem? si excisus fuisset, maximum fortassis justitiæ fructum mundus amisisset. Et qualem? audi: Esau genuit Raguelem, Raguel Zaram, & Zara Job. Cernis, quantus elanguisset patientiæ flos, si præveniens Deus à radice pœnas exegisset. S. Chrysost. ho. 5. de pœnit.

Ego peccabam, & tu dissimulabas; non continebam à sceleribus, & tu à verberibus abstinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam; & tu Domine pietatem tuam. S. Bernardus s. 2. D. 6. Pent.

§. VIII.

Misericordia Dei non sit stimulus ad peccandum.

Comedit, dedìtque viro suo, qui comedit. Gen. 3. 6. Vidit Adamus Evam comedentem, & non vidit morientem; credidit sibi quoque fore impune, si comederet: atque adeò abusus patientia, & longanimitate Dei, ità respondet S. Augustinus l. 11. in Gen. ad lit. c. 30. nec suaderi jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat. Et

Eva ipsa ex hac divina patientia processit ad tentandum virum. Mendoza Annot. 8. in 1. Reg. 1.

Deus Judex justus, fortis, & patiens. Ps. 7. 12. Dei patientia timenda est malis: quia eo ipso, quòd expectavit eos Dominus ad pœnitentiam, & converti noluerunt; districtus judicabuntur, & durius punientur. Thr. 1. 15. *vocavit adversum me tempus.* Hugo Card. hic.

Sustinens ingratissimas nationes; ludibria artium, & opera manuum suarum, adorans, nomen cum familia sua persequentes; luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem, quotidie insolescentem: ut sua sibi patientia detrahat; plures enim Dominum non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt. Tertul. l. de par. c. 2.

Sicut omnia in mensura fecit Deus, & pondere, & numero; ità etiam patientiæ ejus mensura est. Origen. l. 2. in c. 2. ep. ad Rom.

Magis peccant contra me, qui nunc dicuntur sapientes. Ego enim dedi eis sensum, & intellectum, & sapientiam; ut me diligerent: sed ipsi nihil, nisi ad suam utilitatem temporalem, intelligunt. Oculos habent in occipites; videntes sunt ad sua delectabilia; sed cœci sunt ad gratias agendas mihi, qui dedi eis omnia. Ideò ego possum nunc hoc proverbium dicere, quod à vulgo communiter dicitur: qui patiens est, ab omnibus contemnitur. Sic ego propter patientiam meam nimis videor ab hominibus fatuus esse; & ideò ab omnibus contemnor. Sed væ eis, cùm ostendero eis judicium meum post talem patientiam. l. 1. Revel. §. Brig. c. 19.

§. IX.

Misericors Deus.

Christus misericors Samaritanus. Luc. 10. 33. Utinam, Domine Jesu, ad me misericordia motus digneris accedere, qui descendens ab Jerusalem in Jericho, proruens scilicèt de summis ad infima, de vitalibus ad infirma, in Angelos tenebrarum incidi: qui non solùm gratiæ spiritalis mihi vestimentum abstulerunt, sed etiam plagis impositis semivivum reliquerunt. Utinam pecatorum meorum vulnera data mihi recuperandæ salutis fiducia alliges; nè deteriùs sæviant, si sanari desperent. S. Gregor. in quartum Ps. pœnit. initio.

Dominus Jesus ipse est medicus, qui vulnera nostra curavit, *infundens vinum, & oleum: & alligans vulnera.* Adæ illius, qui descendens ad Jerusalem à latronibus vulnera tus est. S. Ambros. in Ps. 118. Octon. 21.

Nonne verè dicimus, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Respondit autem: ego dæmonium non habeo. Quod respondit refutavit; quod tacuit confirmavit. S. August. c. 7. de verb. D.

Christus suum de cœlo detulit oleum & vinum; ut semivivi hominis, in delictorum jacentis volutabro mederetur vulneribus. S. Laurent. Just. de triumph. c. 1.

Proponitur hic multiplex peccatorum miseria. Privant cœlesti gloria: descendebat ab Jerusalem. Incidit in latrones potestatem dœmonum. Bonis gratuitis spoliant; vulnera inferunt, quibus integritas humanæ naturæ violatur. Samaritanus Christus, iter ejus Incarnatio, juramentum Caro ejus. S. Thom. Aq. D. 13. Pent.

Appropians vulnera ejus ligavit. Per duas partes ligaminis vulnera constrinxit, dum per duos timores peccata compescuit. Servilis enim timor pœnalis à peccatis prohibet; filialis autem timor sanctus ad bona opera movent. Vinum infudit, dum dixit, pœnitentiam agite: oleum addidit, dum subjunxit: appropinquavit enim regnum cœlorum. S. Honorius s. D. 13. Pent.

Oleum lætitia est, Ps. 44. 8. *unxit te Deus tuus oleo lætitiæ.* Et vinum lætitia est. Ps. 103. 15. *vinum lætificat cor hominis.* Ac per hoc duplici lætitia conversus peccator perfunditur: quia evasit infernum, & regni supremi accepit promissionem. Simon Cass. l. 8. c. 38.

Oleum misericordiam, vinum justitiam: his stipatus incedit liberatus à malo. Id. ib.

§. X.

Continuatio prioris. Misericors Medicus.

Ex Veteri, & Novo.

Ego Dominus sanator tuus. Ex. 15. 26. Hebr. *medicus tuus.* Disce hic à morbis ad Deum recurrendum. Cornelius hic.

Lavare septies in Jordane. 4. Reg. 4. 10. Petit majora, & plura, Naaman; quæ non obtinuit: sed quæ singula Christus animarum medicus in curandis nobis abundè præstitit, &c. S. Gregor. hom. 16. in Ezech. caro factus est, ut nos facere spirituales; inclinatus est, ut levaret; exiit, ut introduceret; flagella pertulit, ut sanaret; mortuus est, ut vivificaret. Agamus ergo gratias vivificanti, & mortuo; & ideò vivificanti, quia mortuo. S. August. tr. 15. in. Joan. illius infirmitas nostra est fortitudo. Oliva t. 1. conc. 10.

Puerabam, quod egrederetur ad me. 4. Reg. 5. 11. 13. dicit leprosus Naaman &c. dicit ei servus fidelis. *Pater si rem grandem dixisset tibi Propheta &c.* Leproso peccatori dicitur: accede ad Christum, ad Confessarium. Multi sunt potentes, & divites; qui ad animarum medicum vel compulsi tempore veniunt. Sed si Confessarius aliter, quàm illi velint, eos curare disponit; alium quærunt, qui pro libitu suo eis pharmaca præbeat, *Si rem grandem &c.* Cùm damnatus sis ad æterna supplicia, cùm merueris Inferni pœnas; quid magnum postulari potest, ut hoc redimas &c. Osorius D. 3. Epiph.

Oleum effusum. Cant. 1. 2. Sanguis Christi effusus pro me, est oleum effusum in me; ut mea lethalia vulnera sanet, & peccata remittat. De Ponte hic.

Magna est velut mare contritio tua; quis medebitur tui. Thren. 2. 13. *Ut mederet contritis cordi.* Is. 61. 1.

Mulier quædam erat in fluxu sanguinisque in medicos erogaverat omnem substantiam suam. Luc. 8. 43. Illa mulier in Evangelio per duodecim annos fluentem sanguinem corporalium voluptatum sistere non potuit, nisi posteaquam confugit ad Christum. Intellexit enim, quòd nemo perfectus medicus, nisi qui descendisset è cœlo. S. Ambros. in Ps. 43. Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ. S. Aug. s. 17. de temp. Quid eram, nisi subvenires? quàm desperatus eram, nisi curares? ubi jacebam, nisi advenires? certè ingenti vulnere periclitabar. Sed illud vulnus meum medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti medico nihil est insanabile; non renuntiat alicui, qui sanat omnes infirmitates tuas. Idem in Ps. 58. 18. *adjutor meus! tibi psallam.* Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit; tantùm tu curari te fine. Id. hic.

Erant appropinquantes ei publicani, & peccatores. Luc. 15. 1. Dominus illud faciebat, cujus gratia incarnatus est, accedens ad publicanos, & peccatores, tanquam medicus ad infirmos. Theophylactus hic.

Ex Patribus, & aliis.

Verbum Paternum solum est humanarum ægritudinum Pæonius medicus, & sanctum ægrotæ animæ incantator. Clem. Alex. l. 1. Præd. c. 2.

Non utitur ferro; nè medicamento quidem austero, vel cauterio: solo verbo sanat cœlestis hic medicus; & bonus Deus lacrymis, atque gemitibus vulnera curat. Accede peccator ad bonum hunc medicum, & pro optimo medicamento lacrymas offers. Si insanabilium tibi conscius sis vulnerum, cogitationum, & actuum, in te latentium; quare occulta illa vulnera negligis, nolens ea medico, ut cureris, ostendere? Quid times medicum? non est durus, nec immitis, ac immisericors. S. Ephrem. s. 1. de pœnit.

Omne mandatum tuum, sicut cauterium impressum, tenebo. Etsi urit cauterium mandati, tamen putrefacta carnis exurit, nè ad vivum serpat contagio. Etsi mordet medicamentum, tamen vitio ulceris tollit. Aufer igitur Domine Jesu potenti machæra tua meorum putredines peccatorum. Dum me habes ligatum charitatis vinculis, seca quodcumque, vitium est. S. Ambros. l. 5. in Luc.

Subveni gravi vulneri secundùm magnam medicinam tuam Grave est, quod habeo; sed ad omnipotentem confugio. De meo tam lethali vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem. S. Augustinus in Ps. 50.

Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit; tantum tu curari te fine: manus ejus nè repellas; novit quid agat. Non tantùm delecteris, cum fovet; sed etiam toleres cùm secat. Tolera medicinalem, dolorem futuram cogitans sanitatem. S. August. in Ps. 102.

Noli mihi dicere, perii! quid mihi restat? noli dicere, peccavi, quid faciam? medicum habes, quid morbum potest vincere: medicum habes, qui sanat omnem languorem: medicum habes; qui potest, & vult sanare. S. Chrysost. de Chananæa.

Currite ad Medicum, cùm potestas; nè, cum velitis, non possitis. S. Chrysost. in Ps. 26.

Nostrarum medicus animarum, non quæ nobis fraudi postea futura sunt, dare sustinet: neque enim parentes iis, quos amant, parvulis adhuc filiolis, vel gladios, vel ignitos carbones adduci possunt, ut porrigant. S. Chrysost. tom. 6. or. de inst. vita &c.

Jesus apud Hebræos significat Salvatorem; in lingua verò Græca medicum significat: quandoquidem & corporum medicus est, & animarum curator. S. Cyrill. Jeros. Cat. 10.

Omnia, quæ de Salvatore legimur, medicamina sunt nostrarum animarum. S. Bernardus s. 4. in temp. Resurr.

Ipse medicus noster infirmitate carnis nostræ, tamquam in lecto discubuit infirmantium: ut experiretur, quid sanandis infirmis suis esset necessarium. B. Ivo Carnot. s. de Nat. D.

Primò curavit nos per diætam; quando jejunabat quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Secundo per electuarium, quando corpus, & sanguinem suum dedit. Tertiò per sudorem, quando factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Quartò per minutionem, quando flagellis, & lancea, vulneratus fuit. Quintò per potationem, quando gustavit acetum cum felle mixtum. Sextò per emplastrum, quando facies ejus sputis illita fuit. S. Bern. s. 2. s. 56.

§. XI.

Misericordia ejus major est Angelica, & humana.

Ex Veteri.

Melius mihi est, ut incidam in manus Domini: quia multæ sunt miserationes ejus. 1. Paral. 21. 13. S. Ambr. in Ps. 37. miseretur, qui nescit errare; non miseretur, qui particeps est erroris. Sedulius l. 1. Paschali c. 15. de Jona: nata feritatem præbuit, fera naufragium subministravit. Elegit, non quod à flagello esset immune; sed quod moderatius judicavit: ut Dei lenitati magis, qui nescit ignoscere, quàm hominum se committeret potestati; qui mensuram ultionis frequenter excederent. S. Ambr. in Ps. 37.

Vox Domini super aquas. Psal. 28. 3. Convertimini ad me, clamat vox ista. Porrò per aquas Deus voce, pedibus graditur Petrus: adeò suaviùs semper Deus cum hominibus agit, quàm homines. Oliva l. 12. Strom. hic.

Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum. Jer. 1. 9. Nota Domini suavitatem, ut Prophetæ labia fœcundet, os tangit tantùm. Angelus verò, Isaiæ labia purgaturus, lapidem, & ignem adhibet. Is. 6. 6. Ille tangit, hic urit. Planè si tertius Propheta ab homine purgandus esset, labia sibi non tangi, non uri, sed exuri, & mutilari, sentiret. Quò melior quis, eò mitiùs, & delicatiùs discipulum format. Oliva t. 2. Strom. hic.

In qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum &c. Joan. 4. 11. Disce hic, quàm Deus clementior sit homine etiam sancto; quamque satiùs sit confugere ad Dei, quàm hominum tribunal. Si Jonas in causa Ninivitarum fuisset judex, tulisset in omnes, licèt pœnitentes, ob præterita scelera, sententia mortis. Corn. hic.

Ex Novo.

Quare cum publicanis, & peccatoribus, manducat Magister vester? Matth. 9. 11. Bonus Jesus, & impeccabilis Deus, ad se peccatores recipere dignatur; quos acriter dedignantur, & mordent Pharisæi, omnibus pleni peccatis. Nemo durior nemo immanior, contra peccatores, quàm peccator. Baeza t. 2. l. 6. c. 4. §. 15.

Remittuntur tibi peccata; vade in pace. Luc. 7. 47. 50. Si ad illius Pharisæi pedes accessisset, dicturus erat, recede à me. S. Aug. hom. 23. ex. 50.

Ego habeo claves mortis, & Inferni. Apoc. 1. 18. Cœlorum claves Petro tradidit. S. Justinus ep. ad Zenam: si in hominum potestate esset situm, gehennæ quosliber addicere, totus Mundus exhaustus esset eorum sævitia.

§. XII.

Misericordia ei charior præ justitia.

Ex Veteri.

Ego sum Dominus Deus tuus fortis, & zelotes; visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me. Ex. 20. 5. 6. Steph. Cantuar. in Sylva Alleg. visitans peccata in quartam generationem; ecce justitia: faciens misericordiam in millia; ecce misericordiam: quæ tantum præcellit justitiam, quanto plus comprehenditur per millia, quàm per tertiam, & quartam generationem.

In libro bellorum Domini. Num. 21. 14. Sed periit ille, volente Domino. Cur? Oleaster: ut solum nunc jactaret opera misericordiæ: non enim leges in Evangelio, qualiter debellaverit hostes homines; sed qualiter ab infinitis morbis peccantes sanaverit.

Manus tua fecerunt me. Job 10. 8. Marci 10. 16. *imponens manus super illos, benedixit eos.* Cùm autem sermo de justitia, in numero unitatis. Job 19. 21. *manus Domini tetigit me.*

Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus. Ps. 29. 6. Hebr. *ad momentum est ira ejus.* Chald. *una horu ira ejus, vita æterna bona voluntas ejus.*

Calix in manu Domini vini meri plenus misto verumtamen fæx ejus non est exinanita. Ps. 74. 9. S. Ambr. hic: plus minatur, & minus exigit: cùm irascitur, differt; cùm miseretur, propter, ut absolvat: terret, ut corrigat; admonet, ut emendet; prævenit, ut ignoscat. Ad terrendum, plenus est calix; ad bibendum non est exinanitus. Apud Pinna in Eccl. Ethol. 34.

Lava ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cant. 2. 6. Quia per dextrum, & sinistrum, adversa solent, atque prospera, designari; videtur mihi hoc loco intelligi posse, lævam quidem verbi comminationem supplicii; dexteram verò regni promissionem. Sanct. Bernardus s. 51. in Cantic.

In puncto, ad modicum, dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Is. 54. 7.

Ut prædicarem captivis indulgentiam - ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro. Is. 61. 1. 2. Oleast. in Gen. 8. vides, ultionem die claudi; placationem verò usque ad annum durare.

Ex Novo.

Liber generationis J. C. filii David, filii Abraham. Matth. 1. 1. Cur primò ponitur David filius? quia in Davide plus resplendit divina misericordia, quàm in Abraham: nam ille in multis peccavit, iste in omnibus justus apparuit, ait Anselmus. Cùm ergo in hoc repræsentetur justitia, in illo misericordia, David præcedat: misericordia enim apud Deum primam semper occupat sedem. Sylv. hic.

Qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis. Apoc. 4. 3. Plin. l. 37. natur. hist. c. 17. ait: eam sardinis lapidis naturam esse; ut oleo magis, quàm alio liquore, haberetur. Ut argumento sit, misericordiæ oleum acuta Dei arma hebetare. Incert. Auth.

Ecce vicit Leo de tribu Juda. Apoc. 5. 5. Semel tantum vocatur Christus in Apocalypsi *leo*, sed in eadem trigesies semel *agnus*; quia longe plura signa humanitatis, quàm severitatis exhibet; magis de mansuetudine agni, quàm de fortitudine Leonis gloriatur. Mendoza in 1. Reg. 11. annot. 10. sect. 2.

§. XIII.

Quæ Deum moveant ad misericordiam.

Num. I.

Quia sumus populus ejus.

Injustè agitur contra populum tuum. Ex. 5. 16. Abul. q. 5. cautè locuti sunt, & Retoricè; ad captandum amorem, & misericordiam.

Vade, descende, peccavit populus tuus. Ex. 32. 7. *Moyses autem v. 11. orabat ad Dominum Deum suum dicens: cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum.* Abulens. q. 17. hic; quamvis exterius suaderet Moysi Deus, nè oraret; movebatur à Deo interiùs, ut pro eo oraret, nè deleretur, pro re sua quia suus populus erat, testimonio Deo. Moyses è contrario ipsum populum Dei esse dicit: quasi totam curam populi illius, & bonum, & malum, Deo incumberet. q. d. Domine, si iste populus non esset tuus, deberes in eum irasci quasi hostis; sed quia tuus est, debes ei mitis esse sicut Pater. Arcones in Is. 1. Disc. 3.

Ut Deus Israel misericordiam suam ostenderet super populum suum. Judith 7. 4. Forma est orandi, qua maximè lenire possunt homines, cùm se esset monent Dei populum. Quis enim curam abjiciat sui operis? quis suis non faveat domesticis? Velloso hic Paræn. 8.

Nos autem populus tuus. Ps. 78. 13. Intuendum est, lamentationem suam, qua suavitate concluserit; ut Domini dicat esse gregem, pro quo devotissimus supplicabat; nè diutius irasceretur eis, quos suos esse meminisset. Cassiod. hic:

Magister, nonnè ad te pertinet, quia perimus. Marc. 4. 38. Magnæ profunditatis, & divinæ inclinationis, est verbum. *Magister nonne &c.* Imò ad neminem pertinet, præterquam ad te: si perimus: tui enim ex creatione sumus; tibi ergo perimus, si tui sumus. Ad te solum liberare pertinet, nè pereamus; & reassumere de periculo, si incurrimus. Vocasti nos in promissione tua, sequimur te in fide nostra. Vocasti nos miris modis; sequimur te vestigiis nostris: patrocinia Mundi dimisimus; & sub tua protectione confugimus. Sim. Cass. l. 5. cap. 4.

Num. II.

Fragilitas nostra.

Non permanebit spiritus meus (idest, indignatio mea) *in homine, quia caro est.* Gen. 6. 3. q. d. nec ità indignabor, quòd non velim eum corrigere per flagella; *quia caro est*, idest, fragilis: q. d. ideò miserebor, quia fragilis. Non ità de diabolo, quia spiritus tantùm, & non caro, & sine Suggestione peccavit; ideò sine redemptione punietur. Hugo Card. hic. *Non permanebit.* Symmachus, & alii, ex Hebræo vertunt: *non judicabit, non litigabit.* q. d. Deus: non patiar hanc litem inter, meam justitiam, & misericordiam, tam diu durare. S. Hieron. q. in Gen. sic legit: *non judicabit spiritus meus*, hoc est: quia fragilis est in homine conditio; non eos ad æternos servabo cruciatus; sed hic illis restituam, quod merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat; dum peccator hic pro suo scelere visitatur. Corn. hic.

Vidit omnes filios hominum. Psalm. 32. 13. Considera, quia non

non dicit, visa peccata, sed filios hominum: nam cùm delicta respicit; punit; cùm hominem intuetur, absolvit. Sicut. Ps. 50. 11. dicit *averte faciem tuam à peccatis meis*. Et Ps. 142. 7. *non avertas faciem tuam à me*. Cassiod. hìc.

Vidit hominem. Matth. 9. 9. Non otiosè dicitur vidisse hominem: ut inde reddatur ratio, quæ ipsum Jesum allexit, ut Matthæo propitius fieret: quia ad naturam humanam tamquam sibi cognatam valde propendet. Baeza t. 2. l. 6. c. 4.

Memento mei. Luc. 23. 42. Non dico, ut memineris operum meorum; hæc enim metuo; sed omnis homo afficitur ad comitem suum. S. Cyrill. Jerosol. Catech. 13. *introire in conspectu ejus in exultatione*. Ps. 96. 2. Ante quem tremunt columnæ cœlorum; jubemur homines exultare. Unde tanta præsumptio? an quid Deus homo? sic S. Chrysol. s. 6. unde est, quòd propterea hoc vos facere debere sic præsumit? unde est? ex eo, quod sequitur v. 3. *scitote*, inquit, *quòd est Dominus Deus*: quia Dominus ille est Deus; qui fuit in carne nostra pusillus. Baeza antè citatus.

§. XIV.

Deus est benignior peccatoribus, quàm justis.

Locuta est Maria contra Moysen &c. Num. 12. 1. 10. Quia semel contra fratrem murmuravit, à Deo lepra percussa est, & à castris septem diebus exclusa. Mariam autem Magdalenam plurimis peccatis oneratam benignissimè tractat, & consolatur, atque defendit. Justum timor sustinet, ne efferatur; peccatorem spes erigit, ne desperet. Diez s. 5. Dom. Passion.

Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat, atque transierat. Cant. 5. 6. 7. Pulsante sponso, cùm sponsa paululum morata fuisset, illum non invenit; fecitque eam ire per vias ad eum quærendum; ubi in manus vigilum incidit, à quibus percussa &c. Illam verò meretricem, quæ tot adulteria cum multis amatoribus commiserat. Jer. 3. 1. tam benignè alloquitur: *revertere ad me*. Vide etiam Ezech. 18. 21. quàm asperè minetur justo; quam blandè spondeat peccatori. Id. ib. Petrum, cùm Passionem Christi vellet ex amore impeditam, Sathanam appellavit. Matth. 16. 23. Judæ proditori dicit: *amice, ad quid venisti?* Matth. 26. 50. Id.

Miscellanea.

Non est bonum hominem esse solum. Genes. 2. 18. Cùm præscius sit omnium futurorum; non apparet, qua ratione in verum sensum id aptari possit. Nam si Adam solus remaneret, fortè nullum esset peccatum; quòd consulente uxore, factum est: vel saltem non tot essent; at accepta conjuge, humanum genus longè, latèque dilatavit. S. Ambrosius causam refert in Dei misericordiam, l. de parad. c. 8. quia ex viro solo non poterat esse humani generis propagatio, pronuntiavit Dominus, non esse bonum hominem solum: maluit enim Dominus plures esse, quos salvos facere posset, & quibus donaret peccatum; quàm unum solum Adam, qui liber esset à culpa. Pinna Eth. 34.

Domine in Cœlo misericordia tua. Ps. 35. 6. Nescio, quàm misericordiam ipsius dicit, quæ in cœlo est: est enim misericordia Domini & in terra. Habes scriptum Ps. 32. 5. *misericordia Domini plena est terra*. De qua ergo misericordia loquitur, cùm dicit, *Domino in Cœlo &c.* Munera Dei partim temporalia sunt, atque terrena; partim æterna & cœlestia. Qui propter hæc colit Deum, ut terrena ista, atque temporalia accipiat, quæ omnibus præsto sunt; quasi adhuc ut pecus est. Utitur quidem misericordia Dei; sed non illa, quàm expectaturus est; quæ non dabitur, nisi solis justis, sanctis, bonis. Sanct. August. hic.

Melior est misericordia tua super vitas labia mea laudabunt te. Ps. 62. 4. idest benignitas illa, qua me peccatorem à Tartaro revocasti; hæc melior est ad Deitatem tuam testandam, quàm vitæ redditæ Lazaro, viduæ filio, aut principis filiæ. Eusebius Emiss. hom de Pascha: benè dicitur: melior est misericordia tua super vitas: meliores enim sunt dies, quibus ad æternam vitam renascimur; quàm illi, quibus in hæc tempora procreamur: siquidem majora sunt dona gratiæ, quàm naturæ. Hic potentia, ibi misericordia continetur. Escobar t. 3. Coll. Chr. p. 2. sect. 3.

Mores publicani, & peccatores discumbebant cum Jesu. Matth. 9. 10. Anni multi docent misericordiam in peccatores. Severissimus ultor est peccatorum juvenilis ardor; & nimius erroris plectendi rigor semper novitius est in disciplina Christiana. Jesus ut adolevit ætate, publicani mensis accumbit; & recipit publicanus, ac peccatores. An non ille est Jesus, qui puer nec nasci, nec portari patitur, nisi ex Virgine Maria, à justo Simeone? cur modò non solùm à justis, sed & peccatoribus, patitur tractari? S. Bern. s. de Purif. nullum ibi locum peccator habuit, omnes fuere perfecti, omnes justi, omnes sancti. Sed numquid hos tantùm salvabis Domine? crescit corpus, crescit & miseratio: *homines, & jumenta, salvabis*: Baeza t. 2. l. 9. c. 4. §. 13.

Mulier in civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Mulierem vocat, quia nomen fragilitatis: misericordia maximè respicit miseriam. Sylv. hìc.

Avulsus est ab eis, quantùm jactus est lapidis. Luc. 22. 41. Sim. Cass. in Matth. *progressus pusillum*: scilicet *quantùm jactus est lapidis*: ut numquam ab aliquo elongetur Christus; quàm cor lapideum hominis ad ipsum non possit, si velit, converti. *Facta est quasi vidua*. Thren. 1. 1 S. Paschas. l. 1. in Thr. *quasi* vidua, & non verè vidua: quoniam, etsi à sponso despicitur, sponsalitatis tamen ejus jura manent; ut, si redierit prioraque dilectionis opera impleverit; sponsum saltem per pœnitentiam respiciat. Baeza t. 1. l. 4. c. 2. §. 12.

Capilli candidi tamquam lana alba: Apoc. 1. 14. Victor. Pictav. Ep. in capillis albis albatorum est similitudo; lanæ similis propter oves. Ipsam ovem errantem tullit humeris. Luc. 15. 5. Inde sic coronatur Christus: nulla enim corona Christo pretiosior, quàm peccatores convertere, & reducere ad salutis gregem. Sylv. hìc q. 53.

Oculi ejus tamquam flamma ignis. Ib. S. Antonius Pad. in fragm. sup. Apoc. *oculi ejus &c.* idest, respectus gratiæ Christi, tamquam ignis glaciem, idest, cor peccatoris congelatum dissolvens. Luc. 22. 61. *Dominus respexit Petrum*, oculis scilicet misericordiæ, & *flevit amarè*: quia dissoluta fuit glacies cordis ejus in lacrymas compunctionis. Gelfridus conc. 34. oculi ejus intentio ejus: quia autem charitas ignis, flamma ignis est nimietas charitatis; bonorum nostrorum non egens subvenire nobis solo intuitu vehementissimæ charitatis intendit. Id. hìc.

Quamdiu vivimus, si datur contra nos in Curia justitiæ, possumus appellare ad Curiam misericordiæ; sicut fecit David, & Ezechias. S. Vinc. Ferr. s. 3. f. 2. Rogat.

Qui fugit dexteram divinæ benignitatis, incidit in sinistram divinæ severitatis. S. Bern. t. 2. f. 54.

Multi volunt misericordiam, retinendo peccati miseriam: & orat misereri; sed nolunt emendari. Superbia maxima est, petere misericordiam, & in vitiis velle manere. Sim. Cass. l. 1. c. 26.

§. XV.

De misericordia Dei præsumptio.

Reversaque sunt aqua, & operuerunt currus. Ex. 14. 28. Quantæ temeritatis, & dementiæ, Pharao! iratum habet Deum; nec tamen terrebatur. Persuasit sibi impius, Deum etiam tunc fore benignum, quem toties expertus fuerat. Abutebatur divina misericordia: ex ea sumpsit occasionem peccata peccatis cumulandi. S. Greg. M. in l. Reg. c. 3. peccare, & de Dei Creatoris clementia præsumere; pelago justitiæ ejus exponi est. Castillo Illat. 164.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Ps. 30. 20. Origenes tom. 1. in Ezech. notat, abscondi dulcedinem hanc non diligentibus, idest, perfectis viris; sed timentibus, idest, qui parum in virtute profecerunt. His utiliter absconditur, nè præsumptionem ingerat: & manifestatur justitia, ut utiliter timeant. Parvuli, ait Origenes, non possunt cum emolumento suo discere, quòd amentur à patre; nè dissolvantur, nè despiciant bonitatem Dei. Pinna Eth. 64.

Publicani, & meretrices, præcedent vos in regnum Dei. Matth. 21. 31. Idcirco ad telonia, & prostibula, currendum? absit! imò potius ab iis ideo procul cedendum. S. Ambr. l. de Elia, & jejunio c. 20. ex iis verbis sic concludit: ergo quia tam misericordem habemus Dominum, qui etiam gravi ignoscet errori; convertamus nos à vitiis; non recedamus à lege; præceptum Domini quasi servi sedulis studiis exequamur. Magis quodammodo Dei misericordia timenda, quàm justitia: qui enim justitiam offendit, habet misericordiam pro asylo; qui autem misericordiam offendit, quæ ara eum tuebitur? Mendoza in 1. Reg. 4. Annot. 10. sect. 2.

Quemcumque osculatus fuero &c. Matth. 26. 48. Proh dolor! quantam proditoris anima pravitatem suscipit! quibus oculis tunc Magistrum aspexit? quod signum proditionis dedit? Quemcumque osculabor. Confidebat in lenitate Magistri: quæ res maximè confundere illum hominem, & omni privare venia, sufficit; quia ità mansuetum prodebat Magistrum. S. Chrysost. hom. 48. in Matth.

Sic timeat (peccator) justitiam; ut quærat misericordiam: sic de misericordia confidat; ut tamen justitiam contremiscat. Cæsarius Arelat. hom. 13. Desperatio. Vide Spes.

§. XVI.

Misericors, & justus est Deus.

Ex Veteri, pleraque Symbolicè.

Cumque transissent septem dies, aquæ inundaverunt super terram &c. Gen. 7. 10. S. Ambros. l. de Noe, & arca: quæ causa est, cur postquam ingressus est Noe in arcam, post septem dies diluvium factum sit? non enim otiosum videtur, quòd non, aut plures, aut pauciores, interpositi sunt dies; sed tot, quot in constitutione Mundi fuerunt. Quo declaratur indicio; ipsum esse authorem Mundi, atque diluvii: Mundum propter bonitatem suam condidit; diluvium misit nostrorum merito delictorum.

Duos quoque Cherubim aureos - ex utraque parte oraculi &c. Ex. 25. 18. &c. Deus in Propitiatorio dabat responsa inter duos Cherubim; quorum alter justitiam, alter misericordiam, designat. Pinna Ethol. 126.

Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Joab, 3. Reg. 2. 5. &c. Cùm rationis ordo deposcat, ut in perduelles, vel quoslibet inimicos vivens sententiam ultionis exereret, moriens autem eis misericorditer indulgeret; cur moriens David Salomoni in regnum succedenti perdendos mandavit? sed sciendum est: quia per regnum David, qui tot persecutionibus, & arumnis, attritus, hoc præsens sæculum designatur; in quo cum suis membris Christus affligitur, multisque tribulationibus Ecclesia laceratur. Regnum verò Salomonis futuræ vitæ denuntiat gloriam. Unus igitur, idemque, Redemptor noster; & nunc David est, & tunc Salomon erit. Nunc quasi David reproborum pravitate æquanimiter tolerat; & postmodum tamquam Salomon in gloria sua veniens, eos, quasi vibrato judicii sui mucrone trucidat. *Misericordiam, & judicium, cantabo tibi Domine*. Ps. 100. 1. Petrus Dam. l. 2. ep. 20.

Præcepit Dominus. 3. Reg. 7. 17. 20. in templi columnis malogranata, catenasque depingi. Vult Deus ex domo sua fructum misericordiæ, justitiæque catenas, sperari oportere; quæ sunt duæ columnæ, quibus totus orbis sustinetur. Diez conc. 2. in Com. Conf. Pont.

Obliviscatur ejus misericordia. Job 24. 20. Omnipotentis Dei misericordia obliviscì ejus dicitur, qui omnipotentis Dei justitiæ fuerit oblitus. Quisquis eum nunc justum non timet, postea eum invenire misericordem non valet. S. Gregor. l. 7. mor. c. 31.

Exultavit ut gigas ad currendam viam. Ps. 18. 6. Non sat apta similitudine usus videtur Propheta; dum eum, quem nuptiali carmine v. 6. sponsum dicit, gigantem, & ad cursum alios provocantem, vocat. Magis enim è re videbatur, si cum vestibus pretiosis indutis, bella facie amabilem, depinxisset. Potiùs enim terreret sponsa homo gigantea proceritate ad cursum, & palæstram, alios lacessens. S. August. s. 12. de temp. adhoc *sponsus* procedit de thalamo suo, exultavit *ut gigas* ad currendam viam suam; amabilis, & terribilis; severus, & serenus; pulcher bonis, asper malis. Pinna Ethol. 65.

Speciosus forma præ filiis hominum. Ps. 44. 3. Mox tamen, quasi militem strenuum, viribus potentem, armisque accinctum describit: *accingere gladio tuo super femur tuum potentissime* v. 4. *Sagittæ tuæ acutæ*. v. 6. Docemur, utrumque miscere, & misericordiam, & justitiam: ne aut solius misericordiæ consideratio desides, aut solius justitiæ pusillanimes, faciat. Id. ib.

Qui eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Ps. 77. 14. S. Augustinus hìc per nubem Christum intelligit. Qui ad cœlestem patriam pergis, hujus columnæ ductum sequere, & cogita, quæ Christus inter homines degens pro te gesserit; & quæ acturus contra improbos in igne: quia columna nubis est benefaciens; ignis, puniens. Utramque columnam memoria tene. Id. Ethol. 99.

Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Ps. 100. 1. Potestas Domini semper aut miseretur, aut judicat. Sed neque misericordia ipsius sine judicio, neque judicium sine misericordia reperitur: utraque enim se mutua societate conjungunt. Cassiodorus hìc.

Misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur. Ps. 114. 5. Ecce circumceptam justitiam à misericordia, & tamquam in medio clausam; ut nec ingredi, nec aggredi, nisi per misericordiæ januam, queat. Diez Misericordia Dei.

Verba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem. Eccl. 1. 1. Petrus Damiani ser. 1. de Nat. B. V. tria Salomonis nomina adaptat Christo sic: filius rex; nec solùm filius Dei, sed etiam Deus. Salomon, id est pacificus, est nobis in hoc exilio. Ecclesiastes, id est, concionator, erit in judicio. Idida, id est, gloriosus, erit in regno, in exilio amabilis; in judicio terribilis; in regno admirabilis. Cornelius hìc.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Habet sponsus labia sua; & sponsa similiter. Labia sponsi sunt misericordia, & veritas: labia sponsæ sunt amor, & timor. Et hæc quatuor labia sibi invicem conjunguntur: nam misericordia amori conjungitur, & veritas timori. Hugo Cardin. hìc.

Botrus Cypri dilectus - Fasciculus myrrha. Cant. 1. 12. 13. Cur sponsus tam disparatis rebus comparatur? Uva dulcis, & potato grata; myrrha autem amara, & gustui insipida. Maximilianus II. Imp. ut modum ostenderet subditis, quem in regimine observatum voluit; curavit in Symbolo pingi aquilam, pede uno fulmen tenentem, altera aureum coronam, cum Lem. *In opportunitate utrumque* q. d. probis subditis liberaliter præmia largias, malos puniam. Sic Deus fasciculus myrrhæ est iis, qui eum ad amaritudinem provocant &c. Paoletti D. Quinq.

Candidus & rubicundus. Cant. 5. 10. Candidus propter misericordiam: rubicundus propter justitiam. De Ponte hìc. Exh. 19. §. 3.

Expectat Dominus ut misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis. Is. 30. Nec misericordia ejus præscribit justitiæ, nec justitia ejus aufert misericordiam: misericors, & justus. S. August. s. 109. de temp.

Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri - quia Deus judicii Dominus. Is. 30. 18. Quia strictus judicii rigor Domino est datus; ideò ab illo præmittitur amor, præmittitur misericordia, perfecti judicii comes, & judicii anteambulo. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 6.

Assumpsi mihi duas virgas: unam vocavi Decorem; alteram vocavi Funiculum. Zach. 11. 7. Intellige per has duas virgas, misericordiam, & justitiam. Diez conc. 2. in Com. Conf. Pont.

Ex Novo.

Vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam. Matth. 3. 16. Super specie ignis super Apostolos. Act. 2. 3. quia, quantumvis in virtute profeceris; Dei timorem abjicere non debes. Pinna Ethol. 64.

Apparuerunt Moyses, & Elias. Matth. 17. 3. Hinc misericors, & mansuetus, Moyses; hinc severus, & justus, Elias quia justus Dominus, misericors. Petrus Blesens. tr. de transf. D.

Statuet oves à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Matth. 25. 33. Sedet ad dexteram, habens in dextera misericordiam, in sinistra judicium. Et misericordiam multam nimis, & judicium multum nimis: in dextera aquam; in sinistra ignem, immobiliter tenens. S. Bernardus s. 2. de Ascens.

Quemcumque osculatus fuero, ipse est: tenete eum. Matth. 26. 48. Origenes tr. 35. in Matth. Dignum est quærere, cùm secundùm faciem notus esset (Christus) omnibus habitantibus in Judæa; quare quasi non cognoscentibus effigiem ejus, dedit eis signum? R. venit de eo talis traditio ad nos, quoniam non solùm duæ formæ erant in eo; una, secundùm quam eum omnes videbant; altera, secundùm quam transfiguratus est coram Discipulis in monte; sed etiam unicuique apparebat, secundùm quod fuerat dignus. Sicut & de manna scriptum est, quòd habebat saporem ad omnem usum convenientem. Et verbum Dei non similiter cunctis apparet. Propter hujusmodi transfigurationes ejus signo indigebant.

Osculabatur pedes ejus. Luc. 7. 38. Fallitur, qui sic osculatur misericordiæ pedem, ut pedem judicii non attendat. S. Bernardus in festo S. Magd.

Stans retrò secus pedes. Ib. Pedes Domini sunt misericordia, & judicium, quibus venit ad peccatores. Hugo Cardin. hìc.

Osculabatur pedes ejus. Ib. Pedes isti misericordia, & judicium; quorum alterum sine altero osculari vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Sanct. Bernardus. In pede misericordiæ reperit Magdalena salutem: *remittuntur tibi peccata*. At, post tantum beneficium acceptum, judicium instat, nè ob ingratitudines pes misericordiæ ipsius beneficii pondere suffocet peccatricem. Escobar t. 5. proph. Chr. l. 1. obs. 4.

Infundens oleum & vinum. Luc. 10. 34. Oleum misericordiam, vinum justitiam. His stipatus incedit liberatus à malo. Simon. Cass. l. 8. c. 39.

Fatigatus ex itinere sedebat. Joan. 4. 6. Quòd Jesus sedeat, judiciariæ potestatis judicium est; quòd fatigatus ex itinere, hoc pietatem, & benignitatem ostendit. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 6.

Neque ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare. Joan. 8. 11. *Vade*, Christi misericordiam indicat: *jam amplius noli peccare, justitiam*. S. August. tom. 33. in Joann. quid est, Domine? faves ergo peccatis? non planè, sed attende, quod sequitur? vade, deinceps jam noli peccare. Ergo & Dominus damnavit? sed peccatum, non hominem: nam, si peccatorum fautor esset, diceret: vade, & vive, ut vis. De mea liberatione esto secura, quantumcumque peccaveris, te ab omni pœna, & jam gehennæ liberabo. Non hoc dixit. Pinna Ethol. 65.

Similis erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis. Apoc. 4. 3. Viegas, Pererius: jaspide virente significatur misericordia; sardo rubente justitia. Sylveira hìc.

Iris erat in circuitu sedis - & de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. Apoc. 4. 3. 5. Iris ex Ruperto misericordiam denotabat. Octavianus in Eccles. c. 2. v. 7.

Vicit leo. Apoc. 5. 6. *Vidi agnum stantem*. v. 6. Magna est differentia inter leonem, & agnus: leo est magnus, agnus parvus. Sed si utrumque consideramus; utrumque Redemptorem nostrum comprobamus: leo malos puniendo; agnus bonos redimendo. Richardus à S. Vict. l. 2. in Apoc. 3.

Ex Patribus, & aliis

Labente ab ingenita innocentiæ dignitate homine, per multorum curricula temporum in Trinitatis sacrosancto Collegio, mirandum misericordia, & justitia, invicem habuere conflictum. S. Laurent. Just. de triumpho c. 1.

Sicut per hyemen rigor, & tempestas, divinæ justitiæ ità per æstatem serenitas divinæ misericordiæ, significatur; dies ergo æstatis beneficia sunt divinæ pietatis. S. Bonav. s. 3. in Epiph. D.

Sol Lem. *Mortificat, & vivificat*. Vel, *Humiliat, & sublevat*. S. Cyprianus ep. 31. Sicut respici debet divina clementia, sic & respici debet divina censura: Deus enim, ut est indulgens: ità est præceptorum suorum exactor; & quidem diligens. Paravit cœlum; sed paravit & Tartarum: paravit refrigeria; sed paravit etiam æterna supplicia. Picinelli. Vide Bonitas Dei.

T I T U L U S XX.

M O D E S T I A.

Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. Gen. 46. 4. Occulos morientium claudere ritus antiquis inviolabilis erat. O si vivis eos clauderent ad humana; ut mortui possent videre divina! Abulensis inquit: ideo mortuis claudi lumina; nè, præ lethali frigore palpebris frigescentibus, stupidi oculi horrorem incutiant intuentibus, ideo quoque os, manus, & pedes, mortuorum componuntur. Si bona videtur in iis dispositio sensuum, & membrorum; quem horrorem incutere debet, videre hominem viventem, oculis, ore, manibus, pedibus, & toto corpore, dissolutum. Alvarez Ill. 266. Scias religiosè, te Mundo mortuum; & horrori esse virum mortuum, dissolutos oculos, inversas manus, & pedes incompositos, exhibere. Illum ergo charissimum tibi habe; qui silentium tibi, modestiam gravitatem, totiusque corporis honestatem, amicè commendat, majus enim beneficium est viventi modestiam suadere, quàm mortuo jam lumina claudere. Id. ib.

Sapientia hominis lucet in vultu ejus. Eccl. 8. 1. Tripliciter sapientia lucet in vultu. Primò quia, ut ait S. Hier. anima seipsam, suasque passiones, & affectus, imprimit corpori, præsertim vultui, per naturalem Sympathiam. Secundò, quia sapientia, & virtus, non tantùm animum, sed & corpus, præsertim vultum, ad omnem honestatem, & decorem, componit, facitque, ut in eo reluceat gravitas, comitas, probitas, pietas. Tertiò, sapientia lucet in facie: quia facit sapientem omnibus amabilem. Cornelius hic.

Modesti. 1. Petri 3. 8. Angeli, ut docerent nos modestiam, sæpe apparuerunt in corpore assumpto: ut in eo Angelicos mores, & modestiam exprimerent. Cornelius hic.

Ama modestiam summoperè, ut divini spiritus tabernaculum efficiaris. S. Ephrem Præen. 5.

T I T U L U S XXI.

M O R B I.

§. I.

Utiles animæ.

Num. I.

Symbola, & similitudines.

Ex Veteri, & Novo.

Urgebantque Ægyptiis populum de terra exire velociter dicentes: omnes moriemur. Ex. 12. 33. Mos quotidie nobis impendens, & ejus comites morbi, sæpius invisentes admonent; jamjam esse demigrandum, & tamquam Ægypti urgent Israelem: qui, nisi afflictus, & oppressus, non facile promissam umquam terram illam lacte, & melle, redundantem, adamasset. Isidorus Clarius l. 1. or. 7. in die Cin.

Mortui sunt multò plures lapidibus grandinis &c. Jos. 10. 11. Lapides grandinis sunt infirmitates immissæ à Domino. Et plures convertuntur ad Dominum per infirmitatem, quàm per prædicationem. Hugo Card. hic.

Misit Salomon in Ophyr, ut aurum inde deferretur. 3. Reg. 10. 11. Ophyr *infirmitas* interpretatur. S. Rupertus l. 2. c. 30.

Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. Ps. 40. 4. q. d. ut tui, ò Deus! dulcem captent somnum; ut eis tuis ipse manibus lectum componis. Quis sensum horum verborum? S. Chrysol. s. 14. Caro est, quæ versatur, & versat: ipsa est ergo, quæ in adversis resolvitur, in prosperis versat. Ut infirmo benesit, & quierè; versari stratum, executi, sursum, ac deorsum volvi, necesse est. S. Ambros. l. 1. de pœnit. c. 13. quod nocet corpori, adjuvat spiritum. Didacus Nyss. s. 2. in die Cin.

Habens sub me milites &c. Matth. 8. 9. hoc voluit subintelligi: ut homo, qui & Deus es, passiones omnes, & universas infirmitates, habes potestati tuæ, & judiciis tuis, militantes; & dicis huic vade, & vadit. Dicis, inquam huic spiritui infirmitatis, recede; & recedit: dices item alii, cùm causa, & ratio, postulat, veni, & venit: ut sciliçet flagelletur, quem flagellari volueris. S. Rupertus c. 20. in Evang. Morbi enim sunt quasi milites, & satellites tui, quos ad nutum in reos emittis; & pœnitentibus, ac supplicibus revocas. Cornelius hic.

Dedit illis potestatem ut curarent omnem languorem. Matth. 10. 1. Apostoli possunt dici infirmitates corporales; quas mittit Dominus quasi correctores; ut ab errore revocent homines; vel ut eos, qui boni sunt, efficiant meliores. Hugo Card. hic.

Accessit, & tetigit loculum. Luc. 7. 44. Quoties & tu ad Inferni sepulchrum properas! misericors autem Dominus tangit manu loculum, corpus; mittendo morbum, ut te retineat & ad vitam gratiæ revocet. Stella hic.

Cujus filius infirmabatur Capharnaum. Joann. 4. 46. Capharnaum Eusebio Emisseno id est, quod *villa consolationis*. quasi suburbanum prædium, in quod homines relaxandi gratia secedere solent. Non sine mysterio addit locum infirmitatis Joannes: nam quod majus solatium, quæ voluptas amœnior; quòd prædium gratius? quàm lectus ægri? Didacus Nyss. D. 20. Pent. §. 3.

Cùm infirmus, tunc potens sum. 2. Cor. 12. 10. Quomodo infirmus robustior potest esse sano? Anima tres habet inimicos, dæmonem, Mundum, & carnem; corpore verò infirmo jam unus ejus inimicus occubuit. Neque caro solùm victa; sed transfugit è statione propria ad partes animæ, quæ jam cum duobus luctatur; nec sola, sed corpore adjuvante. Stella de cont. p. 1. c. 81.

Ex Patribus, & aliis.

Frumenti granum projectum in terram, & mortuum; cùm juxta siccum lapidem pululasset, lilium ità fertur ei dixisse: unde tibi contrito, & mortuo e spiritus germinandi? cùm ego, quando conteror, eo ipso perdor? cui granum respondit; hoc mihi ex virtutis granditate contingit; qua fit, ut passio mea sit mea actio; & dum morior, revivisco. Phœnix mortua generat; & cinnamomum contritum plus inflammat. Sic infirmum membrum sine dolore tangi non patitur; & sanum, dum tangitur, delectatur. S. Cyrillus in Apol. c. 21.

Oraveram planè quàm sæpè, ut in me cœlestis disciplinæ rigor irrueret; & petulantem corporis mei insolentiam non levi languoris ægritudine castigaret. In quo me divina clementia non despexit; sed ultra spes precibus annuens, non sine fœnore, mea vota complevit. Dedit enim mihi Pentecostem lugubrem, non Pascalem: &, ut ità dicam, contulit mihi Jubileum, non Sacerdotalium turbarum clangoribus intonantem; sed suspiriis potiùs, ac gemitibus lacrymabiliter obstrepentem. Dominico nimirum die febricitans in lectulum decidi; septemque transactis hebdomadibus, æquè Dominico die, qui nimirum quinquagesimus erat, Deo me resuscitante, surrexi. Dom. Petrus Dam. l. 6. ep. 19.

Non solùm in mari, aut in bello; sed etiam in lecto, apparet virtus. Si ferrum es; per infirmitatis ardorem rubiginem amittis: si argentum; per ignem solidatis: si verò aurum; exercitatum per ignem à magnis ad majora proveheris. S. Laurentius Just. de Patientia c. 4.

Faciunt homines sicut nautæ: qui, cùm sunt in mari, dum serenum tempus est, vacant lusibus, & dissolutionibus; & Domini obliviscuntur: cùm autem ingruit tempestas; tunc devotè invocant Deum, & Sanctos: & vota multa faciunt. Sic homo ferè quilibet, dum est in prosperitate, omnia mala, & ferè nulla bona facit; sed in infirmitate promittit, quidquid potest; cùm autem sanatur, nihil vult solvere, quod promisit. Hugo Card. in Ps. 77.

Infirmitas expressa est imago naufragii: nam dum navis illiditur saxis; aut ventorum, fluctuumque, rabie procellosa concutitur; universa Mundi pretiosa vilescunt, & in pœnitudinem transit, quidquid fuerat occasio voluptatis. Petrus Blesens. ep. 150.

Pecus in luto jacens stimulis erigitur sic infirmus ad confessionem, bona opera. Brogmard. Morbi.

Reges Puream vocabant morbos nuntios cœli, quibus se dicebant ad Deos acciri. Nierembergius l. 8. histor. n. c. 13.

Morbus corporis medicina cordis. Leo, teste Solino, quartanam semper patitur, divina providentia, ut ejus ira temperetur. Elephantes ægri colliguntur herbas salubres, & antequam eos edant, erecto ad cœlum capite, etiam herbas levant: & quadam quasi religione à Deo auxilium postulant. Multò magis homo à Deo in morbo petat ejus auxilium Geminiani l. 5. c. 66.

S. Agnes V. Ord. S. Dominici, videbatur sibi in somno post orationem Angelo de sua cella ad olivæ arborem duci, ibique calicem sibi ab eo porrigi cum his verbis: bibe sponsa Christi calicem hunc, quem Dominus JESUS etiam pro te bibit, quem illa arreptum avidè bibit. Oblata illi hæc visio novies, diebus Dominicis novem continuis. Nec multò post secuta gravis, & diuturna infirmitas, quam patientissimè toleravit. Bolland. 20. Aprilis.

Num. II.

Exempla Biblica.

Vere scio, quòd non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel. 4. Reg. 5. 15. dixit Naaman Syrus. O felix lepra; quæ veri Dei cognitionem in hujus viri mentem induxit! quæ si defuisset, nec ullo morbo laborasset; gentilis permansisset. Stella in Luc. 5.

In diebus illis ægrotavit Ezechias. 4. Reg. 20. 1. Nè de miraculoso triumpho extolleretur; vel quia non cantavit Canticum Domino post stragem hostium, ut mos erat, sicut Moyses, Anna, David, &c. Hugo Car. hic. Ne elevaretur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos, & de media captivitate victoriam; infirmitate corporis sui visitatur; & audit, se esse moriturum; ut conversus ad Dominum flectat sententiam ejus. S. Hieron. l. 11. in c. 38. Is.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. 1. Vide, quàm citò animæ sanitatem indulsit paralytico, nec mora interposita. *Vidit hominem sedentem in telonio*, v. 9. non mox animæ sanitatem confert Matthæo; sed jubet sequi, & sensum animæ habes ponere. Quod inter utrumque discrimen; S. Chrysol. s. 30. ad paralysin refert; adversa valetudo mox animæ maculas eluit; at Matthæus bene valens tempore egebat, quo animum mundaret. Chrysol. paralytico dicitur: venit *sequere me*. hoc est, ut sequendo me, repas, quod sequendo pecuniam perdidisti Confide fili, dimittuntur tibi peccata tua, quia compensarunt delicta, doloribus, publicano autem dicitur: Pinna. Eth. 154.

Filia me malè à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22. Ut quid *malè*? nunquid aliquando bene vexare quempiam volet? Minimè, sua intentione dumtaxat; sed divina providentia, quæ bene malis utitur, dæmonum, malorum hominum voluntatibus, sunt secutæ coronæ. Clamat hoc Martyrum exercitus, vexantibus dæmonibus, Tyrannorum terrore, & supliciis, consecratus. Hæc filia materno judicio, malè à dæmonio vexabatur. Sic enim intentione Sathanica; sed ad profectum utriusque benè vexata est: nam ambæ in anima liberæ, à cultu aversæ Gentilium, in Christi familiam transierunt. Simon Cass. l. 5. c. 24.

Cùm infirmor, tunc potens sum. 2. Cor. 12. 10. Vides, quia carnis infirmitas robur spiritui augeat, & subministret vires; Ità è contrario noveris carnis fortitudinem debilitatem spiritus operari. S. Bernardus s. 29.

Quæ causa fuit, quod Magdalena ità fuit peccatrix, quòd perdidit nomen; Martha verò semper fuit Virgo? gratia Dei, & tribulatio. Nam dicit Ambrosius, quòd Martha fuit illa mulier Matth. 9. 10. quæ duodecim annis habuit fluxum sanguinis: quando Magdalena cecidit in peccatum, Martha cecidit in infirmitatem; quia alias fuisset ut Magdalena. O benedicti infirmitas! quæ facit servare castitatem. Ps. 118. 143. *tribulatio & angustia, invenerunt me*. quasi perquirant hominem Ideò *mandata tua meditatio mea est*; sciliçet ad servandum. Sanct. Vincentius Ferrer. serm. 5. Dom. 16. Trinit.

Num. III.

Sententiæ Biblicæ.

Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Ps. 15. 4. Christus iram mihi convertit in gratiam, infirmari me volens, nè gravius infirmaret. Eram salutis meæ neglector, & immemor sed desidem, & in via Dei lefescentem, infirmitatem multiplicitas stimulavit ad cursum. Petrus Bles. ep. 31.

Invenietis requiem animabus vestris. Matth. 11. 29. Non dixit corporibus: nam in hoc vita Lex Christi maximè quietem affert animæ. Et quia, ut ait S. Paschas. l. 6. in Matth. in præsentiarum corpora cruciantur; ut animæ à vitiis requiescant. Sylveira hic.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi. Joan. 1. 29. Non dicit morbos corporis, non molestia carnis; sed peccatum, quod est morbus animæ, & corruptio mentis. S. Bernardus s. de triplici Adventu.

Num. IV.

Sententiæ Patrum, & aliorum.

Omnis languor, & omnis infirmitas, quam sanavit Salvator tunc in populo; referuntur ad infirmitates spirituales animarum, secundùm differentias passionum. Origenes tr. 4. in 17. Matth.

In dextera deliciæ, in sinistra medicinæ sunt. S. Bernardus s. 4 in Nat. super illud: læva ejus sub capite meo.

Jactatum te gravi ægritudine significasti mihi, crediditisse in Dominum JESUM, & jam cepisse revalescere. Ad salutem igitur ea infirmitas fuit; plus aculei, quam periculi ferens: quia diu promissum remordebas. S. Ambrosius ep. 9. ad Bellicium.

Quàm multi ægrotant in lecto innocentes; & si sani fuerint, procedunt ad scelera committenda. Quàm multis obest sanitas! S. August. tr. 7. in Joan. 1.

Quantò quis carne plus fessus est, tantò erit animi virtute robustior, & sapientiæ complexibus aptior. Orgines hom. 16. in Gen.

Corpore ægrotante anima bellè habet; anima flóret, atque in cœlum oculos habet; cùm voluptates decidunt, atque unà cum corpore marscescunt. S. Greg. Naz. or. 4.

Optimum medicamentum ad salvandas animas, ægritudo corporis esse comprobatur. S. Laurent. Just. l. de spir. animæ resurrect.

Gratias tibi cœli moderator, & conditor; qui dispensatione subtili, & occultis miserendi itineribus, vias nostras, & de afflictione componis, & ad virtutem perfectam pia laceratione nos reparas. Ennodius Eucharistico de vita sua.

Quæris, quisquis ille es, qua ratione infirmi sunt sancti viri? Respondeo breviter: quia ideo sancti viri infirmiores se esse faciunt: quia si fortes fuerint, sancti vix esse possunt, Si infirmitatem corporis appettendam sibi etiam Apostolus putat; quis sapienter evitat? Si fortitudinem carnis Apostolus metuit, quis rationabiliter fortis esse præsumit? Legimus Timotheum 1. Tim. 5. 23. Apostolum carne infirmissimum fuisse; nunquid negligebatur à Domino? aut ob infirmitatem Christo placere non potuit? qui ad hoc infirmus esse voluit, ut placeret; quemque etiam ipse Apostolus Paulus, licèt nimis jam in infirmitatibus laborantem, non tamen nisi pussillum vini sumere, ac delibare permisit. Hoc est, ità eum voluit infirmitati suæ consulere, quòd noluit tamen ad fortitudinem pervenire. Salvianus de provid. l. 1.

Verè divinæ dispositionis ordo laudabilis; quia; dum secat, curat; dum percutit, etudit medetur, dum vulnus infligit. Ad hoc enim te venerande Pater, divina severitas corporalis molestiæ verberibus cinxit; ut tamquam docilem puerum à levitate compesceret. Idcirco te malleo disciplinæ percussit; ut vas utile in domo domui, à scabrifscentis scoriæ, vel superductæ rubiginis squalore purgaret. Petrus Dam. l. 4. ep. 17. ad quendam Episcopum.

Morbus est occasio frequenter conversionis à malis consuetis in sanitate. - Unde potest dici quoddam purgatorium vitæ præsentis. Sic ergo patet, quòd infirmitas est majus bonum, quàm Sanitas. Hujusmodi encœnia solet mittere maximis amicis suis. B. Humbertus s. 92. ad infirmos in hospitalibus.

Erigit, attollitque, se animus corpore jacente. Lipsius ep. 19. Centur. 1.

§. II.

Morbi sunt loco Purgatorii.

Ora Dominum, & ipse curabit te. Eccl. 38. 9. Infirmitas carnis, si patienter sustineatur, est quasi purgatorius ignis. V. Beda in proverbiis.

Exiguus dolor in morbo brevi tempore plus exolvit de penis debitis; quàm ignes, & diuturnus, in purgantibus flammis cruciatus: adeò ut ardor febrilis unius diei in hac vita possit exolvere unius mensis, aut etiam anni ignem in purgatorio. Stengelius t. 4. de div. Jud. c. 31.

Nocte quadam in somnis. S. Agatha apparens dixit Monacho Cistercienfi ægro; non fit tibi onerosa infermitas hæc: quia isti sexaginta dies reputabuntur tibi pro sexaginta annis Cæsarius l. 4. c. 30. apud Bolland. 5. Febr.

§. III.

Morborum origo ex peccatis.

Ex Veteri, & Novo.

Omnis quippe caro &c. Gen. 6. 12. Idest homo; quo peccante omnis caro dicitur corrupisse viam suam: quia propter eum omnis caro creata affligitur. Hugo Card. hic.

Eruerunt oculos ejus. Judic. 16. 21. Congrua pœna Samson privatur oculis, quia eis lascivè aspexerat, & concupierat Dalilam: quæ proinde justo Dei judicio ejus captivitatis, & cœcitatis fuit causa. Cornelius hic.

In diebus illis ægrotavit Ezechias. 4. Reg. 20. 1. Quia non cantavit canticum Domino post stragem hostium, ut mos erat: sicut Moyses, Anna &c. Hugo Card. hic. Ezechias incurrit infirmitatem propter ingratitudinem: quia post tantam victoriam Canticum gratiarum actionis non composuit sicut moris erat. S. Thom. Aqu. in c. 38. Is.

Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum incidit. (Syrus, *traditur*) *in manus medici*. Eccl. 38. 15. Nocta aptam allegoriam medicus enim comparatur tortori, vel judici; Medicinæ comparantur torturæ, & carnificinæ; æger reo; peccata

cata ægri criminibus rei. Hinc S. Scriptura morbos sæpe vocat funes; & lectum, cui æger affigitur, vocat carcerem; in quo à Medico, quasi in equuleo, potionibus, sectionibus, clysteribus, cucurbitis, balneis, cauteriis, ustionibus, torquetur, & affligitur. Ità Job in morbis suis c. 7. 12. *nunquid mare ego sum aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* Et David Ps. 17. 5. *circumdederunt me dolores mortis* Cornelius hic.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. 2. Declarans, quòd paralysis ex peccatis esset; primum peccata solvit. Theophylactus hic. Idcirco forsan priùs peccata dimittuntur; ut, causis debilitatis ablatis, Sanitas restituatur. V. Beda in c. 2. Marci.

Remittuntur tibi peccata tua. Luc. 5. 20. Primùm animam sana, dicens: *remittuntur &c.* ut discamus; multas infirmitates à peccatis nasci. Theophylactus hic. Hugo Card. hic, idem habet.

Erat ejiciens dæmonium &c. Luc. 11. 14. Cur non dicitur, quòd Christus sanaverit mutum; sed quòd ejecerit dæmonium mutum? quia dæmonium erat in causa, quòd esset mutus. Et Christus D. ut bonus Medicus, radicem tollit. Sylveira hic.

Erat Jesus ejiciens dæmonium. Ib. Erat hic miser homo mutus, cœcus, ut habet Matth. 12. 22. surdus, ut Chrysost. Euthym. & Theophylactus ajunt. Per ea plectitur peccator, per quæ delinquit. Multorum opinio habet, miserum hunc hominem Deo injurium fuisse? & lingua, per verba otiosa: & oculis, per illicitorum visum; & auditu auscultando, quæ proximo perniciosa: ut intelligat peccator, quomodò justitia divina utitur iisdem rebus ad vindictam, quibus ille abusus fuerat ad offensam. Didacus Nyss. Sabb. D. 2. Quadr.

Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Luc. 17. 14. Cur ostendi jubet Christus leprosos Sacerdotibus? ut discamus, meliùs per Sacerdotes, quàm per medicos, languores curari. Cur verò dum irent, sanati sunt? ut doceamur: Dei pharmacum accedentibus ægris occurrere, nec pati se ab iis conveniri. Ipsum curationis desiderium curatio est. Oliva l. 13. Strom. hic.

Tollegrabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 8. Languido insigni sanato reliqui probabiliter sanitate donari: ex improbi enim societate pœnis afficimur, à quibus abstracti ab impio liberamur. Escobar t. 1. mir. Chr. Obs. 10.

Jam noli peccare. Joan. 5. 14. Tota causa infirmitatis erat peccatum: quod dum non removebatur, frustrà languidus tot aquæ motus expectabat. Quid juvat moveri? tentare omnia: ubi solum peccatum immobile manet in anima.

Miserunt vasa, quæ erant in navi. Joan. 1. 5. irritus erat nautarum labor; Jonas, qui erat author tempestatis, somno stertebat. Baeza t. 2. l. 9. c. 2. §. 17.

Ecce mittam eam in lectum. Apoc. 2. 22. ut scilicet ægra fiat. Cur ob tot scelera rigidior pœna ei non infligitur? nullum durius mulieri, quàm ut domi detineatur, & extravagari non possit. Sylveira hic. *Mittam eam in lectum*, id est, percutiam eam morbo: ut quæ modò in voluptatum; ac vitiorum suorum, lecto quiescit; decumbat in lecto ægritudinis; indeque transeat ad lectum gehennæ. Cornelius hic.

Corpus hominis, ob varia peccata, variis sæpe morbis affici, & immutari videmus: membra enim corporis reduntur & inimica; quia ipse à Deo, & proximo, se alienari permittit. S. Ephrem de morbo linguæ.

§. IV.

Motiva patientiæ in morbis.

Transierunt omnia illa, tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens. Sap. 5. 9. Per nuntium currentem significantur passiones animæ, & corporis, quæ præcedunt mortem. Tales nuntios oportet hilariter, vel ad minùs patienter accipere, & hospitium præpara; alioquin malè erit nobis Judic. 7. 24. *misit Gedeon nuntios*. Hugo Card. hic.

Fili, in infirmitate tua ora Dominum, & ipse curabit te. Eccl. 38. 9. Matri de filio ægro major cura, & affectu signa, quàm de decem sanis. Solatium ægro discipulo à patre datum, nè contristeris: quia, si ferrum es rubiginosum? rubiginem perdes: si aurum; fies purior. Brogmard. Morbi pellunt peccata.

Si vis, potes me mundare. Matth. 8. 2. Tu si vis, notat desiderium curationis mixtum cum resignatione: resignant enim, & se submittit voluntati divinæ; ut, si velit, curet; si nolit, non curet. Morbi enim sæpe animæ sunt utiles: idque scit Deus; sed nescit homo. Cornelius hic.

Ut manifestentur opera Dei in illo. Joan. 9. 3. Poterat cœcus dicere: quid Domine: ad hoc homines in æruminis ponis, ut gloria tua manifestetur? Verum ò cœce! quàm magna est Dei misericordia, & gratia; vilissimum terræ vermiculum in instrumentum gloriæ suæ assumere. Virga Aaron baculus erat. Num. 17. 10. sicut & aliorum pastorum: verùm quia assumpta à Deo fuit in mirabilium suorum instrumentum; in Arca testamenti reconditur; tantique æstimatur, & colitur, ut nemo, præter summum Sacerdotem, illam semel in anno perspiceret. Gloriare ergo in infirmitatibus tuis, ut manifestetur in te virtus, & gloria Christi. Diez fer. 4. D. 4. Quadr.

Ecce, quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Venit infirmitas in Lazarum; sed longè antè venerat in illum Dei amor: priùs dilectus dicitur, quàm infirmus. *Pervenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Ps. 20. 4. Antea dulcia amoris pocula, quàm potiones amaræ. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 7.

§. V.

In morbo patientiæ exempla.

Testa saniem radebat. Job 2. 8. Accepit testam, ut raderet saniem. Dic ò beate Job! ob quam rem hoc facis? Meritò, inquit, exaggero, atque commoveo, ipsos dolores; ut per cuncta ostendam nequissimo diabolo: quia ejus malitiam irrideo; quia iniquitatem ejus contemno, quia omnes ejus plagas, atque vulnera, ad nihilum reputo. Ad hoc rasit Job sua vulnera testa: ut nobis patientiæ, atque tolerantiæ, normam daret. Origenes l. 2. in Job. Job laboraffe plus quàm triginta morbis, puta, podagra, chiragra, ischiade, arthritide, dysenteria, angina, fame canina, igne sacro, cancro, asthmate, febri hectica, lepra, apostemate, pleuritide, vigilia, dolore renum, vermibus, dolore costarum, visceribus putridis, ulcere pulmonum, scabie, luè venerea, animi deliquio &c. ex ipsis Jobi verbis, toto libro sparsis, colligit noster Pineda in Job c. 2. 7. S. Cyprianus ait: Job significare clarissimum Dei: quia amore ejus constanter tanta substinuit. Cornelius in ep. Jacobi c. 5. 2. sufferentiam Job audistis. Immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringebat, & erumpentes inde bestiolas in eosdem specus, & pastus, foraminosæ carnis ludendo revocabat. Tertullianus l. 1. de patient. c. 14.

Lazarus-ulceribus plenus. Luc. 16. 20. Lazarus pauper erat, & infirmus graviter. Ecce alius dolor, videre alios in deliciis, se verò fame premi. Num igitur Lazarus in tantis malis blasphemat? nihil horum. Sed fortis erat. Unde manifestum? propterea, quod Angeli ipsum mortuum susceperint. Theophylactus hic.

§. VI.

Morbi animæ, & cura eorum.

Non est circumligata-neque fota oleo. Is. 1. 6. Habes oleum divinæ misericordiæ, in quo foveas vulnera peccatorum; habes oleum gratiæ, in quo mitiges morbos vitiorum; habes oleum gloriæ, in quo lenias fatigationes certaminum. Richardus à S. Vict. tr. 3. de statu inter hom. c. 8.

Hujus statuæ caput ex auro optimo &c. Dan. 2. 32. Ad hoc procul dubio nonnulli permittuntur in actione deformiter cadere; & aurum suum in argentum, argentum in æs, æs in ferrum, ferrum in testam mutare: ut ex proprio defectu, & quasi per experimentum discant; quid de propria virtute, & fortitudine, sentire debeant. Idem de eruditione hom. inter l. 1. c. 22.

Erat homo habens dæmonium immundum. Luc. 4. 33. Quid divina Bonitas misereri non definit, nec continet in ira misericordias suas; Filium suum misit in terras; ut passiones humani generis, quas neque natura, vel ars poterant sua virtute curare; divina & supernaturali virtute depelleret: ut ostenderet, quid inanimabus facturus erat, qui sic corpora refovebat. Simon Cass. l. 5. c. 8.

Murmurabant-Scribæ. Luc. 15. 2. Expedit infirmis Medico esse propinquos; aliter invalens infirmitas inferet exitium. Nulla major infirmitas, quàm fieri peccatorem; ad quam depellendam solus Christus est medicus: quia languores nostros ipse tulit: appropinquate Deo; & ipse appropinquabit vobis. Simon Cass. l. 6. c. 14.

Quia antiquorum morborum difficilis, & tarda coratio est; tantò velociùs adhibeantur remedia, quantò recentiora sunt vulnera. S. Leo s. 1. de Resurr. D.

Si saucii morbos corporales depellere cupientes, nullis facultatibus parcimus; etiamsi indusium dividendum sit, ut ab infirmitate illa liberemur: multò magis animæ infirmitatem, & gravissima peccatorum vulnera, curaturi; per eleemosynam, cum summa alacritate eam exerceamus. S. Chrisost. l. 6. serm. de Verb. Ap.

TITULUS XXII.

MORS.

§. I.

Symbola, & Allegoriæ.

Num. I.

Est Vester. Occidens.

Inclinata jam die. Gen. 24. 63. Cùm mors appropinquat, egrediendum est in agrum pœnitentiæ, unde cœlestia contemplemur. Hugo Card. hic.

Cùm autem sol occidisset. Luc. 4. 40. Bene in occasu solis se ægros deprehendunt, & accurrunt ad Jesum. Occasus hic, vitæ quoque occasum signat; quo instante quisque sua vulnera clare intelligit, radiis vicinæ mortis illustratus. Tunc fatemur, languores esse, quæ videbantur dignitates esse, & opes: ad occasum enim unde dignitas occidit, & mammona. Oliva l. 13. Strom. hic.

Venient ab Oriente, & Occidente. Luc. 13. 29. Per orientem designatur ortus nativitatis; per occidentem occasus mortis. Itaque spiritualiter ab oriente veniunt; qui consideratione suæ originis convertuntur, pensantes illud Job 14. 1. *Homo natus de muliere*. Ab Occidente veniunt; qui mortis memoria, Judicii metu, Inferni formidine, convertuntur; pensantes illud Hebr. 10. 31. *horrendum est incidere in manus Dei viventis* Dion. Carth. hic.

Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit. Luc. 24. 29. Quando finis vitæ nostræ appropinquat; tunc advesperascit. Sicut manè principium, meridies medium; ità vespera finis vitæ. S. Bonavent. s. 3. f. 3. Pasch. Quantò magis instat vesper hujus vitæ, deberemus cogere Dominum orationibus, jejuniis, eleemosynis; ut maneret nobiscum. Hugo Card. in c. 19. Gen.

Sol Lem: *Recedo, non decedo*. Seneca ep. 36. mors, quam pertimescimus, ac recusamus; intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies. Picinelli.

Num. II.

Mors similis flumini.

Quasi-aquæ dilabimur in terram, quæ non revertantur. 2. Reg. 14. 14. Comparat vitam nostram aquæ, non fluminis pertranseuntis, sed pluviæ delabenti in terram, ibique absorptæ; & evanescenti. Cornélius hic.

Qui sublati sunt ante tempus suum; & fluvius subvertit fundamentum eorum. Job 22. 16.

In diluvio aquarum multarum. Ps. 31. 6. Hæ sunt populus: nam sicut aqua aquæ succedit, ità populus populo. S. Bonavent. hic.

Pro morte defluente deprecatus sum. Eccl. 51. 13. Mors dicitur defluere metonymicè: quia omnes, & omnia facit defluere, & dilabi, sanctitatem, vigorem, vitam, sensus, opes, amicos, omniaque Mundi bona. Cornelius hic.

Omnia flumina intrant in mare. Ecclæ 1. 7. Sicut mare est hospitium omnium fluviorum; sic mors est repositio finalis omnium mortalium. Idiota lib. 5. contempl. cap. 13. *Et mare non redundant*. ib. idest, non satiatur mors, quousque omnes mortui fuerint. Hugo Card. hic.

Patres nostri præterierunt; nos abibimus; posteri sequentur. Velut ex alto undarum jactus; aliis, atque aliis supervenientibus, in littoris extrema franguntur: ita in terminum mortis succiduæ alliduntur ætates. S. Eucherius ep. paræn. ad Valerianum cognatum suum.

Fluvii in mare currentes. Lem. *Properamus ad unum*. Lipsius Cant. 3. ad Belgas ep. 3. omnes in eadem via currimus, & ad eumdem finem. Picinelli.

Num. III.

Mors est somnus.

In pace in idipsum dormiam. Ps. 4. 9. Somnum hic mortem appellavit. B. Theodoretus hic.

Vade populo meus; intra in cubicula tua. Is. 26. 20. q. d. ite Martyres, ò justi, ad sepulchra; modicum ibi dormite, donec puniam impios. Cornelius hic hierogl.

Dicitur mors somnus propter spem resurrectionis. S. Thom. Aqu. in ep. 1. Cor. Lect. 8.

Num. IV.

Alia Symbola.

Ex Veteri.

Complevitque Deus die septimo opus suum. Gen. 2. 2. Septima dies est absolutio à corpore; de qua Salvator Luc. 23. 43. *hodie mecum eris in paradiso*; quæ dies non habet vesperam. S. Bonavent. s. 3. hexam.

Restituitque alterum in locum suum &c. Gen. 40. 21. Malum signum, quando incarceratus timet exire. Ex eodem carcere tres exierunt: Unus ad mortem, pistor Pharaonis; alius ad honores, pincerna regis; tertius ad regnandum Joseph. Alii è carcere vitæ exeunt, ut suspendantur in patibulo inferni; alii, ut glorificentur in cœlis. Diez f. 2. Dom. 2. Quadr.

Projecit, & versa est in colubrum. Ex. 4. 3. Serpens mortem significat; per serpentem enim homini mors perlata est. V. Beda hic.

Ad ultimum salsissimo claudeneur mari. Num. 34. 12. Post egressum Israel ab Ægypto Deus complura loca designans Moysi, tandem *ad ultimum*, inquit, *salsissimo &c.* Dum vivimus, in alium orbem peregrinamur. Tandem, post continuum hoc iter, & mare mortis salsissimum pervenitur. Hi termini sunt omnis voluptatis, & laborum: non plus ultrà. Drexelius Tribunal Chr. l. 1. c. 4. §. 1.

Consumentur velut à tinea. Job 4. 19. Sicut enim tinea vestimentum corrodit, quæ ex vestimento nascitur; ità mors naturalis ex causis interioribus corporis exoritur. S. Thom. Aqu. hic. Lect. 3.

Putredini dixi, pater meus es. &c. Job 16. 14. Per putredinem, & vermes, juxta S. Gregor. l. 13. mor. c. 20. intelligit Job ipsam mortem, q. d. mors ista me genuit: quia vita humana magis refert mortem, quàm vitam: filii enim dicuntur imago patris; quia ore, moribus, & ingenio parentes referunt. Pinna Ethol. 118.

Tollet eum ventus urens, & auferet; & velut turbo rapiet eum de loco suo. Job 27. 21. Ventus est mors; quem cum putredine, & dolore, omnes involvit. Sim. Cass. l. 4. c. 9.

Salva me ex ore leonis. Ps. 21. 22. Utique mortis. Tertullianus l. adv. Judæos.

Ipsi calcaneum meum observabant. Ps. 55. 7. Calcaneum, quæ est ultima pars corporis, signat mortem, observabat S. Vinc. Ferr. s. 1. de S. Petro ad vinc.

Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis (sectionis) *advenit*. Cant. 2. 12. q. d. mox ut flores apparent, & initia vitæ florescunt; jam ferè adest tempus secandi per mortem: ideò surge, propera, & veni, ad studiosè operandum. De Ponte hic. Mors justis est velut putatio arboris; peccatoribus verò sicut sectio, vel eradicatio: sicut enim arbor fructuosa putatur, ut novos fructus ferat; sic justus Christo unitus tanquam palmes putatur in morte; ut novos, & dulcissimos fructus ferat divinæ visionis, gaudii, & amoris. Id. ibid.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi. Cant. 3. 6. Sunt, qui cum S. Ambrosio ep. 62. hunc locum ascensioni animæ per mortem ad Deum aptent. Sicut aromata igne dividuntur, & partibus terrestribus in cinerem redactis, fumus ascendit: sic à morte corpus in sepulchro consumitur, *spiritus ad Deum*. Ecclæ 12. 7. redit. At sicut fumus secum fert odores materiæ, unde eductus est; ità spiritus odores operum, quæ fecit in terra: Spiritus iniquorum odores pessimos. Spiritus Sanctorum sicut fumus aromatum *Opera sequuntur illos*. Apoc. 14. 13. De Ponte hic Exh. 20. §. 2.

Unus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Sap. 7. 6. Sanct. Hieron. ep. 6. ad amicum ægrotum tom. 8. ò angustum, & satis anxium, tempus vitæ mortalis; ubi cum initio nominatur & finis: initium nostrum cum fine suscipimus.

Sicut folium fructificant in arbore viridi. Eccl. 14. 18. *alia generantur &c.* v. 19. Brevi tempore victuri homines ad instar frondium enascuntur, & pereunt; & aliis decedentibus, succedunt alii; quos alii superventuri movebunt loco, & ad terram proruent. Ecclæ 1. 4. *generatio præterit, & generatio advenit*. Octavianus hic.

Et quasi Cypressus in monte Sion. Eccl. 24. 17. Cypressus succisa non recrescit: ideò priscis erat Symbolum mortis, & funeris; indeque vocatur feralis. Ità sapientia docet hominem memorem esse mortis; ac post mortem non esse reditum ad vitam; sed transitum in æternitatem. Quare illud singulis assiduè inclamat: Eccli 7. 40. *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*. Cornelius hic.

Ab Aquilone pandetur malum. Jer. 1. 14. Symbolicè. Aquilo est frigidus, asper, & læva Mundi regio. Est symbolum mortis, mortemque plantis affert: Auster vitæ. Cornelius hic.

Ecce uncinus pomorum. Amos 8. 1. Poma sunt homines, quos

quos uncinus, ideſt mors, capit; nunc hunc, nunc illum; donec omnes colligat. Cornelius in hieroglyphicis Prophet. hìc. Uncinus eſt mors; quæ ramos, & poma, ideſt, hominis dores virtutes, & vitia, quamvis recondita, attrahit; ut Deo carpantur, & ſuis locis ſingula collocentur. Ribera. Fernandius viſione 28. mors variis uncinis, ideſt, variis morborum, & caſuum generibus attrahit ramos, in quibus plura ſunt poma: ideſt, familias, in quibus plura ſunt capita, eaque robuſta, & valentia; quæ à morte videntur remotiſſima. Apud Cornel. in Amos hìc,

Ex Novo.

Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Luc. 3. 9. Eccle. 11. 3. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem &c.* ideſt: dum homo moriendo defecerit, atque tranſierit ad regnum cœlorum, quod per auſtrum: vel ad infernum, qui aquilonis nomine deſignatur: in alterutro horum locorum æternaliter permanebit. Hinc Bernardus ait: ſi vis ſcire, quò caſura ſit arbor; ramos aſcende: & quò ponderoſior ramorum eſt copia, illuc caſuram non dubites. Rami arboris ſunt deſideria hominis: in quo ſi carnalia deſideria præponderent, ad inferos cadet; ſi ſpiritualia, ad cœlos evolabit. Dionyſ. Carthuſ. hìc.

Cecidit, cecidit, cecidit. Luc. 8. 5. In Sacra Scriptura homo in morte dicitur cadere: quia, qui moritur, cadit de honore, & amicis; quantumcumque ſit magnus. Item cadit de pulchritudine in turpitudinem; de magnis divitiis in paupertatem; de amore in odium: quia ſtatim projicitur de domo &c. de vita in mortem. S. Vincentius Ferrer. ſ. 2. D. Sexag.

Videte regiones, quia albæ ſunt jam ad meſſem. Joan. 4. 35. Cavillantur quidam lepidè ſenes; videri regiones, quòd albæ ſint ad meſſem: propter canos ſcilicet, & meſſem mortis. Theophylactus hìc.

Venit nox &c. Joan. 9. 4. Præſens vita dicitur dies, & mors dicitur nox: quia dies dati ſunt ad operationem, & noctes ad quietem. Hugo Card. hìc.

Mitte falcem &c. Apoc. 14. 18. In campo aliquæ frumenti ſpicæ ſunt aliis altiores: at dum meſſor eas demetit, omnes in terra ſunt æquales; adeò ut, quæ major, & minor, fuerit, cognoſci nequeat. In morte omnes æquales. Stella de contemptu Mundi p. 1. c. 23.

Ex Patribus & aliis.

Sicut vita eſt, & vivus panis, qui de cœlo deſcendit, & vitam dedit huic Mundo: ſic & inimica ejus mors, panis eſt mortuus. Origenes tr. 3. in c. 17. Matth.

In parte meridionali, & ſeptentrionali, figura vitæ, & mortis, continetur: quia vita in calore eſt, mors in frigore. Lactantius l. inſtitut. qui eſt de orig. erroris.

Tanta facilitate carnem exuamus; quanta veſtimentum. Hoc autem fiet; niſi pecuniis alligati fuerimus; niſi domibus, & niſi affectionibus; niſi ſimus ab omnibus ſuſpenſi. S. Chryſoſt. hom. 67. ad pop. Ant.

Illud mihi exploratiſſimum eſt, te nunc animo ità comparam eſſe; ut nè corpore quidem indutam te eſſe exiſtimes; ac ſi tempus id poſtulet, promptiùs illud exutura ſis, quàm alii veſtes, quibus obtecti ſunt. S. Chryſoſt. ep. 19. Olympiadi Diaconiſſæ.

Mitte Lazarum, dives ait. Quem millies præteriſti, quem nè videre quidem voluiſti: hunc tibi nunc ad ſalutem mitti poſtulas. Ubi verò nunc pocillatores tui? ubi paraſitæ? ubi ſuperbia? ubi aurum? folia erant: ea corripuit hyems; & exſiccata ſunt omnia. Somnium erant: ut autem dies illuxit, abſceſſit ſomnium. Umbra erant; veritas venit, & umbra præteriit. S. Chryſ. tom. 6. tr. in terræmotum.

Mors à morſu primi hominis, quò ille pomi eſu mortem meruit. S. Iſidorus l. 11. c. 2. Originum.

Mors à mordendo nomen accepit: aut quia nimis mordet; aut quia morſum ſolùm facit in parte: non enim in toto compoſito mors poteſt habere dominium. Sim. Caſſ. l. 3. in Luc. 1. v. 74.

Mors nihil eſt aliud, quàm carceris finis, & laboris conſummatio, oneris graviſſimi depoſitio, de equo furioſo deſcenſio, & de domo ruinoſa liberatio. Idiota l. 5. c. 8.

Hyems eſt ſtatus culpæ: ver eſt ſtatus pœnitentiæ. Cant. 2. 11. *hyems tranſiit*: æſtas ſtatus perfectæ juſtitiæ: autumnus ſtatus mortis: tunc enim homo colligit, quæ ſeminavit. Hugo Card. in c. 35. Gen.

Sicut maris fluctus, licèt furibundi, rupibus illiſi, ibi ſiſtunt, & eorum inflatio diſparet: ità reges, & principes; cùm omnia abſorbere videantur; ad lapidem tamen ſepulchri impingentes deficiunt. Diez Mors.

In ludo latrunculorum multi ſunt, & diverſi, calculi, reges reginæ, equites, pepites &c. Dum ludus ille ſuo compoſitus eſt ordine, alii alios valore excedunt: ludo autem peracto calculi omnes invicem permiſcentur ſine diſcrimine; cunctique, nempè dempto, in ſacculum intromittuntur. Ità pauperibus cum divitibus in hac vita ſæpe contingit; ut alii aliis dignitate, fama, nobilitate excellant: alii reges, alii ſint ſervi? alii pauperes, alii divites. Verùm finita vita omnes pariter in pulverem convertuntur &c. Diez Purgatorium.

In Boreali Oceano juxta Moſcoviam piſcis eſt, cui nomen Mors. Hæc bellua maximè dentata eſt. Non procul nobis hæc bellua quærenda eſt; mors ſua cuique domi eſt. Drexelius. vol. ſelect. virt. p. 2. §. 18.

Luna. Lem. *Incipit ab occaſu.* Juſtus Lipſius Phyſiologiæ lib. 3. diſſertat. 11. quem tanquam extremum formidas, æterni natalis eſt. Picinelli.

Stellæ. Lem. *Vergimus ad occaſum.* Idiota l. 5. contempl. c. 1. ſicut omnes ſtellæ, quæ ab oriente veniunt; quamvis ſint magnæ claritatis, & virtutis; tendunt tamen ad occaſum: ſic etiam homines univerſi, qui ab oriente, ideſt, per nativitatem, intrant in Mundum; quamvis illi aliquantum rutilent, & clareſcant; neceſſe tamen eſt, quòd tandem ad occaſum mortis veniant, occidantque. Picinelli.

§. II.

Mors certa, & inevitabilis.

Ex Veteri.

Et mortuus eſt. Gen. 5. 5. Cogitemus, de me quoque id dicitur; ait enim Eccleſiaſticus 14. 12. *teſtamentum hujus Mundi, morte morietur.* Hoc erit meum, hoc omnium epitaphium. Cornelius hìc.

Appropinquaverunt dies David, ut moreretur. 3. Reg. 2. 1. & infrà v. 10. *dormivit igitur David cum Patribus ſuis.* Scriptura, quæ Davidem diu ante ipſius obitum vocare regem ſolebat; demum cum in eo eſſet, ut reginæ morti commune tributum penderet, non ampliùs regem vocat. Rabbi Salomon ait; cùm ſæpe David decoretur regis titulo in Scripturis: at cum de morte agitur, ſola nominis, prætermiſſa dignitate, fit mentio. Ingentem mortis poteſtatem illa regiæ dignitatis diſſimulatio indicat: nam & opulentiſſimi, & victorioſiſſimi, & potentiſſimi reges; licèt Davides ii ſint, qui gigantes ſtraverint; leones, & urſos dilaceraverint; invalidi pigmæi ſunt, & ignavi nani; ſi cum morte comparantur. Didacus Nyſſ. ſ. 5. D. 4. Quadr.

Ego ingrediar viam univerſæ terræ. 3. Reg. 2. 2. Ideſt, univerſorum habitantium in terra. Hæc eſt via regia, via communis; per quam neceſſe eſt omnes ire: & reges, & ſervos; & bonos, & malos. Hugo Card. hìc.

Nec habet poteſtatem in die mortis. Eccle. 8. 8. Hebr. *non eſt poteſtas in diem mortis.* q. d. non eſt princeps, vel magiſtratus; qui imperet morti. Vel: non eſt potens, ideſt, rex vel princeps, qui te liberare queat à morte. Cornelius hìc.

Nec finitur quieſcere ingruente bello. ib. Hebr. & Græc. *nec eſt miſſio, vel dimiſſio in prælio.* Quod Cajetanus ſic explicat: in acie, dum conflligitur, nemo poteſt alium ſui loco ſubmittere, ut ipſe immunis evadat: ſic nec in hora mortis hero licet ſervum, aut filium, ſibi ſubſtituere; ſed ipſe mortis agonem ſubire compellitur. Arabicus vertit: *neque invenies epiſtolam in die belli.* q. d. nemo accipiet dimiſſorias literas, quæ eum immunem à morte faciant; ut mors, iis viſis, liberum à ſe dimittat. Cornelius hìc.

Teſtamentum hujus Mundi, morte morietur. Eccl. 14. 12. Ingens ad omnem virtutem eſt hìc ſtimulus; quo olim aſcetæ nonnulli ſibi occurrentes conſalutabant; ut ſugem ſibi memoriam mortis imprimerent. Moriendum eſt; neſcimus quando. Id. hìc. Scis, quorum te Mundus fecit hæredem? quæ tibi legavit: quas opes, quas dignitates? ſanè hæc: *morte morietur.* Si cui maximum legatum relinquendum erat; id quidem meruit Dei Filius; qui antonomasticè filius hominis vocatus eſt; qui humanum genus adeò demeritus fuit; ut illum Pilatus conſiderans æternis laudibus dignum judicaret. At cùm illum Judæis incolumem reddere volebat; communis populi erat clamor: *nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.* Joan. 19. 7. Sic Mundus tibi dicet, cui tota vita tam impensè ſerviſti. Baezal. 5. c. 8. conc. 12.

Memor eſto judicii mei; ſic enim erit & tuum mihi heri, & tibi hodie. Eccl. 38. 23. Mors vocatur judicium. 1. quia conſueta, & communis omnibus: judicium enim Hebræis ſæpe idem eſt, quod mos, & conſuetudo. 2. quia, juſto judicio Dei, Adæ, & poſteris ejus, ob inobedientiam, & peccatum, à Deo eſt inflicta. Gen. 3. 19. 3. quia per mortem tranſimus ad judicium, & tribunal Chriſti. Benè dicit: *tibi hodie*: ut intelligat quiſque; quemlibet diem præſentem ſibi poſſe eſſe ultimum; nec ſibi promittat certum aliquod tempus vitæ in futurum. Alvarez de Paz tomo 2. lib. 4. de cognitione ſui p. 2. cap. 7. explicans citata verba ait: mortalis es, ſicut & ego; igitur morieris: luteum vas es; ſicut & ego, homines reliqui; igitur & confringeris. Viatores, ad finem tendis; ergo tandem umbra mor-

mortis occupaberis. Mors eſt magna domina, quæ cunctis mortalibus dominatur; & ideo expectari vult, & paratos mortales ad iter faciendum eſſe cupit: ipſa verò nullum expectat; ſed, deſtinato tempore, ſine nulla mora, ad egrediendum vocat. S. Ephrem ſerm. de his, qui in Domino dormierunt: ne nos in hodiernum, vel craſtinum, diem impura relaxet cogitatio: quoniam multi, dum multa ſecum ſtatuerunt, ad craſtinum non pervenerunt: at ſubitò rapti ſunt, ſicut paſſerculi ab accipitre; & velut agni à lupo; & quaſi captivus à latrone: nec loqui prorſus valentes, nec teſtamentum condere, neque vocem ullam edere. Cornelius hìc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Nolite ſolliciti in craſtinum eſſe. Matth. 6. 34. Multi, providentes ſibi per hebdomadam in futurum diem craſtinam non viderunt: & per menſem, non impleverunt hebdomadam: & in annum, plurimi ante novilunium deceſſerunt. Quid enim eſt, quod in hoc Mundo proprium homines quærunt? ubi ſolùm mori, ſive peccare, factum eſt proprium hominibus. Sim. Caſſ. l. 7. c. 7.

Hominis cujuſdam divitis ubere fructus ager attulit. Luc. 12. 16. Non debet eſſe aliquid proprium, ubi mors invincibile tenet imperium. Proprium factum eſt homini mori; non in hoc ſæculo aliquid vendicare privatum. Id. lib. 6. cap. 11.

In omnes homines mors pertranſiit. Rom. 5. 12. Non dicit pertranſibit; ſed *pertranſit*: quia licèt ipſo facto nondum occiderit; tamen adeò eſt certa; ut occidat, quaſi jam occiderit. Mendoza in 1. Reg. 4. Annot. 14. Sect. 1.

Mutuum debitum eſt inter ſe nativitati cum mortalitate. Tertullianus l. de Carne Chriſti.

Cætera noſtra, & bona, & mala, incerta ſunt; ſola mors certa eſt. Conceptus eſt puer, fortè naſcitur? fortè abortum facit: fortè creſcit, fortè non creſcit, fortè ſeneſcit, fortè non ſeneſcit. Reſpice omnia; ubique eſt fortè erit, fortè non erit: nunquid potes dicere, fortè moritur, fortè non moritur? S. Auguſt. ſ. 21. de verb. Dom.

Poſſibilitatem mortis initium vitæ facit. In hac terra, & in genere humano, ille ſolus mori nondum poteſt, qui nondum cœpit vivere. Incertus ergo dies, tanquam quotidianus, ſperandus eſt. S. Auguſt. l. de 10. chord. c. 1.

In veſpera vitæ meæ ſum; ſi tamen, quod vivo, vita eſt: oppreſſus enim morbis, variiſque incommoditatibus ſenectutis obſeſſus; præcipuum habeo in votis, ſæculo vale dicere. Petrus Bleſ. ep. 151.

§. III.

Mortis in certum tempus, & cauſæ. Cur?

Ex Veteri, & Novo.

Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ. Eccle. 12. 1. Cur ſolius meminit *juventutis*? an memoria Creatoris ſeni deponenda? abſit. *In diebus juventutis* inquit: quia mors ità prævolat; ut alias ætates ſæpe prævertat: in quas ſi memoria Creatoris differatur, prorſus auferetur; quod nec peccatores ignorant. Sap. 2. 6. *Utamur creatura tanquam in juventute, celeriter.* q. d. utamur celeriter; nè, ſi temporis delicias citò præripiant, à morte præoccupentur. Iſ. 22. 13. *comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.* Dicerent conſultiùs: jejunemus, & ploremus; cras enim moriemur. Mendoza in 1. Reg. 4. Annot. 14. Sect. 2.

Flores apparuerunt in terra noſtra. Cant. 2. 12. Statim ingemuit: *tempus putationis advenit.* Vix naſcimur, morimur: nativitas, & mors, uno tempore conveniunt. Sylveira c. 18. in Joan. q. 8.

Sic & rex hodie eſt, & cras morietur. Eccli. 10. 12. Caſimirus II. Poloniæ rex; inſtructo grandi convivio; Proceribus exhilaratis; regiſque res geſtas, & felicitatem celebrantibus; ipſe nonnulla de immortalitate animæ, & cœlitum beatitudine, prolocutus; hauſto mediocri poculo ſubitò concidit, & paucis horis animam exhalavit, teſte Martino Cromero l. 6. hiſtor. Ladislaus Hungariæ, & Boemiæ, rex regæ pompæ nuptias cum Magdalena Caroli Galliæ regis filia adornans; aeratas quadrigas, ac dynaſtas, & nobiles ſeptingentos purpura, auro, gemiſque, onuſtos; qui ſponſam adducerent, Pariſios miſit. Ecce autem eo die, quo Pariſios legatio illa ingreſſa eſt, antequam conſideret, de repentino Ladislai Pragæ mortui interitu à tabellione admonetur; & nuptiæ in nænias verſæ, uti narrat Anton. Bonfin. l. 8. Hung. Decade 3. Joannes Arragonum Rex, cùm Anno D. 1479. febri correptus in deliquium incidiſſet; mox ad ſe reverſus aſtantes intuens exclamavit: ò vanas hominum cogitationes! ò miſeros homines! qui ad principatum aſpirant! qui divitias, opes, & nimios honores affectant: ò felicem pauperum conditionem, & ſecuram illorum vitam, atque beatam; qui panem comedunt cum ſudore vultus ſui, qui vivunt labore manuum ſuarum. Nam mihi miſero quid regnum, quid honores, quid obſequia plurimorum contulerunt? quid? labores ſcilicet magnos, & multa corporis, & animæ, pericula ſubivi; nec unquam ætate tam longa potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miſerum, & infelicem! qui tam ſerò fallacem Mundum cognoſco! qui vitam certò vixiſſem multò meliorem; ſi non rex, ſed agricultor, fuiſſem. Converſus autem ad imaginem Crucifixi, defixis in cœlum oculis: ò pientiſſime Redemptor, inquit, parce mihi indigniſſimo ſervo tuo! miſerere mei clementiſſime Jeſu! atque inter has voces animam Deo reddidit. Ità Lucius Marinæus l. 8. rer. Hiſpanic.

Aſcendit mors per feneſtras. Jer. 9. 11. Cur non per portas? ut opprimat magis incautos. Homines magis in januis, quàm, feneſtris cuſtodiendis, occupantur. Mendoza in 1. Reg. 3. morte nil certius.

Occidit ſol ei in meridie. Jer. 15. 9. Moraliter occidit ſol in meridie juvenibus, qui ſperabant annos Neſtoris, & in flore ætatis à morte abripiuntur. Cornelius hìc.

Ex Novo.

Vigilate. Matth. 25. 13. Opus eſt vigilare, ſive veſperi, id eſt, in juventute; ſive media nocte, id eſt in medio vitæ humanæ tenebroſæ; ſive galli cantu, quando jam ſenior eſt; ſive manè, quando jam ſenectute provecta eſt. Origenes tr. 30. in 24. Matth.

Vigilate ergo &c. Marci 13. 35. Serò Dominus venit, cùm aliquem in ſenectute de hac vita exire Præcipit. Media nocte advenit; cùm aliquem in juventute inopinata morte vocaverit. Galli cantu adventat; cùm aliquem in adoleſcentia obire imperat. Manè ſupervenit; cùm quempiam in pueritia ſubtraxerit. S. Honorius ſ. de adv. Dom.

Neſcitis, quando tempus ſit. Marci 13. 33. Utiliter abſcondit Deus conſummationem vitæ; ſive omnium in communi, ſive uniuſcujuſque in ſingulari: ut, dum incertus eſt finis, ſemper ſolliciti ſimus, ac anxii; expectantes illum, & timentes; nè impræparatis ſuperveniat. Theophylactus hìc.

Permitte mihi primùm renuntiare his, quæ domui ſunt. Luc. 9. 59. Summa vitæ humanæ incertitudo nec minimam morulam admittit, quò tardes ad Deum venire. Quid agis homo? Deum ſequi vis; & priùs domum abis? unde ſcis, an revertendi tempus aderit? vis domeſticas res diſponere: habeſne diem craſtinum? Ezechias Iſ. 38. 1. jubetur domum diſponere propter inſtantem mortem; ille autem domum oblitus hoc agit, ut Deum oret. v. 2. Baeza t. 2. l. 6. c. 4. §. 7.

Hac nocte animam tuam repetunt. Luc. 12. 20. Rectè dicitur anima impii evulſa: quia in vitiorum ſuorum obſcuritate eſt deprehenſa; & lucem ſaluberrimæ conſiderationis abjecit; per quam mortis ſuæ horam præcogitare, parareque debuit. Dionyſ. Carth. hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Sancti viri, quia brevitatem vitæ indefinenter aſpiciunt, quotidie morientes vivunt: & tantò ſe manſuris ſolidiùs præparant; quantò & nulla eſſe tranſitoria ſemper ex fine penſant. S. Gregor. l. 7. mor. c. 14.

Quid mutabilitas, niſi mors quædam eſt? quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quaſi occidit, quod fuerat; ut incipiat eſſe, quod non erat. Id. l. 12. c. 17.

Adhoc Conditor noſter latere nos voluit finem noſtrum; ut, dum incerti ſumus, quando moriemur, ſemper ad mortem paratè inveniamur. Id. l. 12. c. 20.

Si præſciviſſet homo diem obitus ſui, totam viam ſuam ſine timore in peccatis peregiſſet; & ſolùm ante duos, vel quandoque tres dies, ante mortem ſuam dediſſet ſe ad pœnitentiam. S. Athanaſius lib. Quæſt. quæſt. 36.

Quotidie diem exitus tui expecta, & ad ingrediendum illud iter te para: qua enim hora minimè putas, veniet mandatum horribile. Et væ tunc imparatis! S. Ephrem Conſil. de vita ſpir. ad Monachum Novit. c. 51.

§. IV.

Mortem, non ut remotam, ſed proximam, & præſentem, cogita.

Ex Veteri.

In quocumque die comederis, morte morieris. Gen. 2. 17. Non quòd mortuus ſit illo die, ut dicit Auguſtinus ſuper Gen. ſed ſententiam mortis incurrit, & mori cœpit. Mori, eſt ire ad mortem. 2. Reg. 14. 14. *omnes moriemur, & quaſi aqua dilabimur.* S. Vinc. Ferr. ſerm. de quadruplici morte.

Apparuit ei Dominus ſedenti in oſtio tabernaculi ſui. Geneſ. 18. 1. Abraham in oſtio tabernaculi ſedebat; Elias in ſpeluncæ ſuæ oſtio ſtabat: uterque ad egreſſum paratus; uterque in Domini adventum ſemper ſuſpenſus. Richard. à S. Vict. de Beniam. c. 10.

Cum-

Cumque concidisset ligna in holocaustum. Genes. 22. 3. Cur ligna fert in montem? an non ibi, vel in vicinia, reperturus? quia fortè in loco immolationis ligna non reperiret. Salubre consilium est, ut quisque Christianus imitetur Abrahamum: suaque omnia componat, ligna jam concisa deportans; & quæcumque supremum illud vitæ tam periculosum tempus requirere potest. Didacus Nyss. vit. Abrahæ c. 11.

Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali. Gen. 42. 4. Cajet. ex Hebr. *nè fortè occurrat ei mors*. Juniori magis timet: quia juniores præsertim mors insequitur. Senes ad mortem currunt; mors currit ad pueros. Ad sepulchrum Joannes præcucurrit Petro; quia erat junior. Alvarez Illustr. 187.

Vectes semper erunt in circulis; nec unquam extrahentur ab eis. Ex. 25. 15. Petrus Dam. s. 14. ad hoc vectes in circulis semper esse jubentur; ut, cùm portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus nulla portendi tarditas generetur. Sic quisque Christianus debet fecisse confessionem, testamentum, & omnia, quæ ad bonam mortem pertinent. Didacus Nyss. vit. Abr. l. 11. c. 5.

Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur super terram. 2. Reg. 14. 14. Non ait moriemur, sed *morimur*: sicut flumen jugi fluxu currit, & nunquam aquæ jam elapsæ retro redeunt; ità dies nostri incessanter ad mortem fluunt; nec lapsæ ætatis flumen ad nos redit. Stella in Luc. 16. 3.

Gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit &c. Ps. 7. 13. Mors gladio suo senes; & quasi sagittis juvenes, accipit: quia qui occiditur gladio, de propinquo occiditur; sagittis verò distans. Broymard. Mors.

Tempus nascendi, & tempus moriendi. Ecclæ. 3. 2. Sapienter Ecclesiastes à nativitate cœpit, & morte; temporariæ hujus vitæ nos admonens. Propterea & Moyses primum suum volumen Genesim inscripsit; Exodum verò secundum nominavit: ut in historia figuratè nobis hanc vitam temporariam describeret. Olympiodorum in Ecclæ. 3. hic.

Et nos nati continuò desivimus esse. Sap. 5. 13. Quomodo ille tam longam vitam sibi pollicebatur, hi verò tam brevem agnoscunt? Dives erat in vivis, & in tenebricosa nocte peccati. At hi in Inferno positi; & in æternitate aperti oculi eorum: ut inter vitam, & mortem, vix spatium ullum putarint intercessisse. Sylveira in Apoc. 1.

Ex Novo.

Cùm natus esset - ecce magi. Matth. 2. 1. Ut cognoverunt hominem, ut viderunt natum; mox obtulerunt myrrham (qua olim mortui ungebantur) ut indicarent, tantumdem esse nasci, ac mori. Didacus Nyss. p. 1. l. 2. c. 6.

Sint lumbi præcincti &c. Luc. 12. 35. Monet, semper debere esse paratos, tanquam servos Dominum expectantes; non quasi de longinquo, sed de proximo jam jam adventientem. Servi, qui noctu lucernas accensas habent, & eas in manibus tenent, jam dominum suum præsentem, ac pulsantem, considerant; ut ipso veniente nil restet faciendum, nisi ipsum dominum excipere. Sylveira hìc.

Auferet à me vilicationem. Luc. 16. 3. Non dixit, auferet, de futuro; sed aufert, de præsenti: quia mortem, tempusque reddendæ rationis, non ut futurum, sed ut præsens, debemus considerare. Sylveira hìc.

Mitte falcem tuam, & mete. Apoc. 14. 15. Falx coacervatim herbam, & spicas metit, floresque novos, & veteres. Oliva l. 10. Strom. §. Domine, filia mea &c.

Ex Patribus, & aliis.

Longa nostra desideria increpat vita brevis: in cassum multa portantur, cùm juxtà est, quò pergitur. S. Gregor. hom. 32. in Evang.

Sentisne, obsecro, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? Quotidie morimur, quotidie commutamur: & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo; de vita mea tollitur: quot puncta Notarii, tot meorum damna sunt temporum. S. Hieronym. ep. 3. ad Heliodorum.

Vitæ hujus principium mortis exordium est; nec priùs incipit augeri ætas nostra, quàm minui. S. Prosper l. 2. de vocat. Gent. c. 21.

Quotidie dies ultimus oppropinquat, quotidie ad finem tendimus, ad mortem quotidie properamus. S. Isidorus l. 1. soliloq.

Quid agimus; ex quo primùm incipimus vivere; nisi morti appropinquare, & incipere mori? S. Bernardus in Ps. qui habitat s. 17.

Vale; mortemque non pluribus stadiis ab aula, quàm à tugurio distare memineris. Hildebertus ep. 3. amico.

Festina mors velo, & remigio, accelerat, quantùm potest. S. Thom. Vill. conc. de S. Dorothea.

Sicut qui è carcere ducitur ad patibulum; etsi longiore ducatur via, non tamen ideo patibulum metuit minùs, quia eò perventurus est tardiùs. Et licèt sit firmis pedibus, vegetis oculis, vàlido pectore; cibus, potusque benè sapiat: hoc tamen illum extremè angit, jam in via esse. Et nos omnes ducimur ad mortem; in via jam sumus, exiguis intervallis disjungimur. At dicas, sanissimus sum; sed in via es. At, annum trigesimum nondum excessi: in via jam eras anno vigesimo; imò & primo anno, primaque hora. Thomas Morus dicebat. Joannes Nider. l. 2. form. c. 3.

§. V.

Mortis oblivio &c.

Reges Pharao, & Nabuchodonosor, ambo somniarunt; Pharao somnii probè recordatus. Gen. 41. 17. &c. At de Nabuchodonosor Dan. 2. 1. *somnium ejus fugit ab eo*. Hinc minùs laboravit Joseph in aperiendo, quàm Daniel: Daniel enim somnium, & solutionem divinare debuit. Differentiam dat Lyranus: quia visio Nabuchodonosor erat respectu futurorum de longè, quæ impleta sunt post ejus mortem; visio autem Pharaonis de futuris in proximo, quorum impletio statim debebat incipere. Didacus Nyss. D. 4. Quadr. §. 1.

Electa triginta millia virorum fortium misit nocte, præcipiteque eis dicens: ponite insidias post civitatem. Jos. 8. 3. 4. Copiosus adeò exercitus, licèt lentè incederet, iter sine ingenti strepitu peragere nequiebat. Verùm Haiensis sic immersi jacebant somno, sic exoculati dormiebant; ut nec strepitum audierint, nec mortem sibi imminentem conspexerint. Naxera hìc. Ante oculos etiam mortem obversantem non videmus.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat? Ps. 40. 9. Hugo Card. legit: verbum diaboli constituerunt adversum me. Cur id vocatur verbum diaboli? Hugo: verbum diaboli fuit, *nequaquam moriemini*. Et modò per adulatores, qui sunt organa ejus, dicit, nequaquam adhuc moriemini: benè potestis modò bibere, & comedere; vos estis adhuc juvenes: quando senueritis, tunc facietis pœnitentiam. Dominus verò inclamat Ps. 94. 8. *hodie si vocem ejus audieritis &c.* Did. Nyss. Pol. cœl. p. 2. l. 3. c. 5.

Non videbit interitum, cùm viderit sapientes morientes. Ps. 48. 11. Hæc est cœcitas humana; ut, cùm quotidie videamus morientes homines, nobis etiam meliores, & juniores; tamen vix adduci possimus, ut serìò cogitamus, nos morituros esse. Bellarminus hìc.

Abscissus est lapis de monte sine manibus. Dan. 2. 34. *Conterritus est spiritus ejus*. v. 1. *Somnium ejus fugit ab eo*. v. 1. excidium intuens illius oblitus est. Casus illius invasit horror; & horrorem comitata est horroris oblivio. Cyrillus Jeros. Catech. 16. Daniel illi indicavit visionem imaginis, ipse viderat eam, & nesciebat. Dic, inquit mihi visionem, quam ego vidi, & quæ fit, nescio. Simulacrum in favillam levi lapidis ictu conversum, regnorum celerum finem, gloriæ, pompæque, citissimè fore portendebat excidium; ast ea Nabuchodonosoris est cœcitas, ut mortem intueatur, & nesciat. Naxera in Jos. 8. §. 10.

Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti. Matth. 20. 12. Quærit S. Chrysost. cur tantum mercedis dederit postremis, quantum primis? Si dicas, quòd postremi labore parvi temporis æquarunt primos; tantumque una hora præstiterunt, quantum illi tota die; quæro, qui id factum? Respondet S. Chrysost. primos operarios fuisse ex primorum sæculorum justis; quorum erat vita diuturnior: postremis autem designatos sanctos, & servos legis gratiæ, quorum vita brevior. Primos operarios, ait Chrysost. quodammodo negligentes faciebat circa justitiam, & refrigescere faciebat animas eorum, expectatio sæculi longioris; & illis infrigidatio erat, cognoscere, Mundi spatia esse longinqua. Hæc ille in Imper. Postremi seipsos incitarunt vitæ brevitate. Vide, quàm tepefaciat corda fragilitatis propriæ neglecta memoria; quàm verò fervorem accendat vitæ brevioris recordatio. Did. Nyss. f. 5. D. 4. Quadr. §. 3.

Anima mea habet multa bona posita in annos plurimos &c. Luc. 12. 19. Remotiora visui apparent minora, quàm in se sint; sicut apparet in sole, luna & stellis. Sic etiam mortis pericula parva nobis videntur: quia ea consideramus velut nimis remota. Diez s. 6. D. 4. Quad. Immortalem animam, non caducum corpus, alloquitur; quasi sit immortalis, morti non obnoxius. Verùm quid inter promissa longissimæ vitæ audivit spatia? *stultè! hac nocte &c.* Naxera in Jos. 8. §. 10.

Ea quidem, quorum nulla opinio, ut eveniant; nulla spes, ut contingant; singulis horis, quasi per somnum, conjicimus, & speramus: quod verò omnino, prorsusque futurum est, ac sæpe jam imminet (de morte loquitur) nec cogitare in animum inducimus. Sed mortales, corpore, eoque fragili, cùm simus; tanquam immortales cogitationibus ludimur; ac animæ quidem, quæ sit immortalis, nulla cura tangimur. S. Isidorus Pelus. l. 5. ep. 329.

Quid istud, quæso, quid istud est? nihil ità quotidie homines ut mortem vident; nihil ità, ut mortem obliviscuntur. S. Eucherius ep. parænet. ad Valerianum cognatum suum.

Quasi non moriturus, quasi evasurus mortem; sic de vita disponis. S. Chrysol. s. 118.

§. III.

Motiva præparationis pro bona morte.

Num. I.

Christi D. Exemplum.

Scitis, quia post biduum Pascha fiet. Matth. 26. 2. Quid Christus egit illo biduo ante esum agni Paschalis? Quòd illo biduo non docuerit in templo, aliqualis est conjectura: quia quæ docuit tam ipsa die Palmarum, quàm feria secunda, & tertia, scribunt S. Matth. à c. 21. usque ad c. 25. & Marc. c. 11. 12. & 13. S. Lucas c. 29. 20. 21. Quid autem docuerit hoc biduo, tacent. Conjectura ergo est, quòd tunc non docuerit; sed, pro more suo, in monte Oliveti oraverit, & meditatus: docens nos, sibi soli vacare ante mortem. Ille innocens, nos nocentes; ille sciens horam mortis, nos ignari. Sylveira hìc q. 2.

Ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum; & ibi parate. Luc. 22. 12. *Et paraverunt Pascha*. Matth. 26. 19. *Tollite lapidem*. Joan. 11. 39. Quòd magis morti appropinquabat Dominus, eò majora edebat signa; nè aliquis ejus mortem humanæ infirmitati tribueret. S. August. tr. 49. in Joan. Ut etiam exemplo omnes doceret; quò viciniores sunt morti, eò excellentiora virtutum opera ederent. Sylveira hìc q. 23.

Ut transeat ex hoc Mundo ad Patrem. Joan. 13. 1. Ad Patrem iturus omnia priùs in tempore præparat. Disce te præparare pro transitu ad Judicem, cujus præcepta violasti. Sylveira hìc.

Sciens, quia venit hora ejus. Ib. Christianum non agit, qui mortis venientis conspectu ad ferventiora opera se non erigit. Ecce ipse Filius jam meditatus mortem, amoris erga suos opera excitavit, & auxit. Baeza l. 3. c. 7. §. 4.

Inclinato capite. Joan. 19 30. mortem vocavit, ut tradunt Patres. Recens natus Dominus, quæ illi à Patre injuncta, non absolverat negotia: in cruce jam omnia ritè peregerat; *consummatum est*. Doceat, rebus omnibus expeditum mortem non timere; sed audenter invitare. Nazera in Jos. 24. §. 41.

Unus militum lancea latus ejus aperuit. Joan. 19. 34. S. Bernardus s. 5. in vigilia Nat. in parasceve passus est, idest, in die præparationis. Meritò omnibus dicitur. *Sanctifica illos hodie - & sint parati*. Ex. 19. 10. 11. jisdem siquidem maximè prodest Christi passio & mors, qui mortem propriam prævenientes, & prævidentes, ad illam præparantur; nè imparatos interficiat mors. Sylveira hìc c. 20.

Num. II.

Quàm malè imparato.

Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti. Ex. 12. 29. Sequitur paulò post v. 30. *Surrexitque Pharao nocte, & omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus*. Mors peccatores adeò obscuratis tenebris invenit; ut, quid remedii capiant in illo articulo, penitus ignorent. Ægyptios ait sacer textus; proclamasse quidem; sed non obsecrasse Dominum. Ità peccatores &c. Diez conc. 2. D. 4. Pasch.

Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis &c. 1. Reg. 13. 22. Jam ante diem prœlii armis carebant; sed ipsum defectum in ipso die prœlii observabant. Unde videtur hìc non solùm ostendi armorum penuria; sed etiam reprehendi Hebræorum incuria: qui prœlium instare sentientes, suorum defectum armorum, aut non videbant, aut non curabant. Quos ji imitantur, qui diem mortis, diem prœlii periculosissimi certissimè sibi affuturum scientes, nulla sibi comparant arma spiritualia; quæ serò quærentur sibi deesse. Sic olim, cùm Judam Machabæorum Gorgias bello invaderet, 1. Mach. 4. 6. *Apparuit Judas in campo cum tribus millibus virorum tantùm, qui tegumenta, & gladios non habebant*. Mendoza hìc.

Illo (Absolone) suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insidebat, pertransivit. 2. Reg. 18. 9. Abulens. hìc. q. 12. notat: multa occiderunt Absoloni hìc, à quibus posse liberari videbatur. Nam potuisset tenere equum, nè introisset subter quercum ramosam; & etiam postquam introivit, & alligati sunt capilli ejus, poterat ipse tenens mulum, solvere illos, & fugere: poterat, abscendente nullo, capillos amputare: vel, si non habebat gladium, poterat, manibus tenens arborem, illos solvere, vel rumpere. Sed nihil horum fecit. Cur non fecit? quia inopinatò in vitæ periculum deductus est; & trepidans non potuit in illa improvisa perturbatione deliberare de remedio. Nunc si Absoloni tam præsens, ut facilè poterat, non occurrit remedium: quomodo, tu, ò cœce, miser peccator! vitam, & conscientiam tuam, tam longis annis, ac multis modis, intricatam, implicatamque evolves? cùm te in illa hora suprema tam justis timoribus undique videbis impugnari? Didacus Nyss. f. 5. D. 5. Quadr. §. 2.

Nihil æquè terret, quàm inopina moriendi necessitas. Aspice, quomodo, qui alieno imperio parent, subitò justi longum iter agere, solliciti, ac tristes, complicandis raptim sarcinulis inhiant. Vide, quàm queruli, & indignantes, abeant; quòd non maturiùs moniti: dum discedunt, nunc hoc, nunc illud, obliti murmurant. Nulla via est longior, quàm mori: nulla obscurior, incertior, certè irremediabilis. Tantò igitur attentiùs providendum, nè quid obliviscamur; quia reverti non licet. Drexelius in Prodromo æternit. c. 2. §. 8.

Num. III.

Bene præparato.

In nidulo meo moriar. Job 29. 18. S. Hieron. hìc: cùm Job etiamnum felicissimus ageret, mortis tamen nunquam oblitus, nidum sibi struxerat quotidiana meditatione. Nam sicut aves nidulos sibi ædificant frequenti ramulorum, aut glebularum congestu; ità Job quotidie prævidit mortem: & sic, velut sedula hirundo, glebas comportavit ad struendum nidulum, in quo defungeretur. Drexelius Tribunal Chr. l. 2. c. 6.

Mortuus est (Job) *senex, & plenus dierum*. Job 42. 16. In eo, quòd *senex, & plenus dierum*. Job mortuus est, notandum; quòd quidam moriantur dierum vacui, quidam pleni. Vacuus dierum moritur; qui in vita sua vanitatibus hujus Mundi inserviens, vitæ æternæ merita moriendo secum non detulit. Plenus verò dierum migravit à Sæculo; qui operam virtutibus dedit. Bonum siquidem est, bene vivere; sed longè melius, bene mori. Petrus Bles. tr. seu compendio in Job.

Non visurum se mortem &c. Luc. 2. 26. Mors ab jis videtur, à quibus prævideturr: reliquos enim imparatos opprimit. Porrò mors potiùs videri dicitur hìc, quàm gustari; quòd morientibus lucem quandam invehat; qua & ipsa videtur, & reliqua ab oculis evanescunt. Si enim mortem nobis proponamus ob oculos, mox coronæ, infulæ, opes, dignitates, nobilitas, & imperia, velut stellæ fulgore solis, hebetantur, & nusquam lucent. Oliva lib. 13. Strom. hìc. Non dixit illum non esse moriturum, nisi videret Christum Domini; sed quòd non esset *visurus* mortem. Aliud enim est videre mortem, aliud à morte videri. Ille mortem videt, qui illam in vita considerat; ille videtur à morte, qui sine ejus consideratione ab ea invaditur. Stella hìc.

Si sciret paterfamilias, qua hora fur &c. Luc. 12. 39. Mors latroni comparatur; qui domum spoliaturus, si dominum invenit vigilantem, eum salutat, & humaniter alloquitur; dormienti verò fauces comprimit, & ædem spoliat. Sic &c. Stella de cont. van. p. 2. c. 81.

Et nunc alligatus ego spiritu. Act. 20. 22. Prævidebat, quòd in Jerusalem, ad quam ibat, sibi imminerent vincula. Et qualiter ibat? *alligatus spiritu*, in quo ipse se priùs ligaverat; sibi catenas, & mortem injecerat, & ideò omnia spernebat: qui enim spiritu, & imaginatione, ad mortem separat, venientem lætus excipit. Sylv. hìc.

Si basiliscus videt te, antequam tu illum videas, occidet te visu; si autem tu priùs videris illum, occides. Sic, si tu mortem videris in hac vita, illam prævidendo; feres de ea victoriam: si illa te viderit priùs; antequàm illam considères, dominabitur tui. Stella in Luc. 12. v. 39.

§. VII.

Alia motiva præparationis ad mortem.

Ex Veteri.

Estote parati in diem tertium - Jamque advenerat tertius dies &c. Ex. 19. 15. 16. Tres isti dies vitæ nostræ sunt, principium, medium, & finis. Die ultimo audientur tonitrua; conscientiæ, & dæmonum accusationes: peccata præterita velut fulmina terrebunt: nubes, & caligo, totum montem, hominem totum involvent: oculi, intellectus, ratio, obtenebrabuntur; aurium, cœterorumque sensuum usus deficiet &c. Drexelius Tribun. Chr. l. 1. c. 4. §. 5.

Tolle Aaron, & filium ejus cum eo - cumque nudaveris patrem veste sua - Aaron colligetur, & morietur ibi. Num. 20. 25. 26. ut mortem exarmet, Aaronem nudari jubet: omnibus eum vult ante mortem expediri, ut mortem imperturbatis oculis spectet. Naxera in Jos. 24. §. 41.

Sanctificamini. Jos. 3. 5. Hebræi legunt: *estote parati*. Et cùm nesciamus, quando futura sit hora nostra; semper sanctissimus; nè fortè simus ex illis de quibus S. Apost. Judas v. 12. quòd sint quasi *arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ*. Sic vocat peccatores pigros, & lentos; qui de salute

sua

sui nullam curam habent. Sicut enim arbores, quæ in autumno florere incipiunt, cum cæteræ jam maturos fructus ferant, serò veniunt, & rarissimè maturescunt, propter frigus superveniens; sic sera pœnitentia, rarò vera. Diez f. 5. in Cœna Dom.

Prepara foris opus tuum. Prov. 24. 27. Author Catenæ Græcæ sic ex Sept. vertit, & explicat: *para ad exitum opera tua, & excole agrum, & sequere me*. Idest, operare omnia tanquam moriturus. Sive ergo agrum colueris; tanquam mortalis cole illum: sive lætus fueris; tanquam mortalis ineundus esto. Cornelius hic.

Dispone domui tuæ. Is. 38. 1. Familiaris fuit hæc admonitio, & semel facta per Spiritum Sanctum ad Ezechiam. Generalis est; & quotidiana, ad quamlibet fidelem animam. Petrus Bles. s. 16. in hebd. pænosa.

Ex Novo.

Vigilate, quia nescitis &c. Matth. 24. 42. S. August. ep. 80. in quo quemque statu suus invenerit novissimus, dies in hoc eum comprehendet Mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, nè imparatum eum inveniat adventus Domini. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies.

Ad sepeliendum me fecit. Matt. 26. 12. hoc est, nunc fecit, quod faceret mihi in sepulchro: si posset. Marci 14. 8. *prævenit ungere corpus meum in sepulturam*. Dionys. Carth. hic.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12. 35. hoc est; omnibus modis parati estote ad opera Domini vestri. Theophylactus. hic.

Beati servi illi, quos invenerunt vigilantes. Luc. 12. 37. Bene vivere in Scriptura dicitur vigilare; peccare, dormire. 1. Cor. 15. 34. *Vigilate justi, & nolite peccare*. Qui vigiliam protendunt in mortis horam, similes longiùs navigaturis; qui nihil secum sumunt; sed à porta discedentes recordantur necessarium rerum, cùm jam non licet redire. Cùm ergò incertus sis, qua hora navis tua à littore debeat discedere; para in tempore necessaria. Stella hic.

Ex Patribus, & aliis.

Non subitanea morte moriuntur, qui sese semper cogitaverunt morituros. S. Anselm. in Elucidario.

Ars bellandi, si non præluditur? cùm necessaria fuerit, non habetur. Discat ergo miles in otio, quò proficere possit in bello. Cassiodorus l. 1. ep. 40.

Hæc est maxima sapientia, & maximum donum; scilicet sapientia moriendi, quæ non datur non benè viventi. Hugo Card. ib. Ps. 71.

§. VIII.

Praxes bonæ dispositionis remotæ.

Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives. 4. Reg. 20. 1. Si Sancti cor principis, denuntiatione solum mortis, colliquescit in lacrymas; qui manabunt è fonte fletus, cui mors non nuptias parat, sed securim? Vide autem, quomodo à nobis dissentiat Ezechias: nam ille factus de morte certior, suæque domui consulere jussus; neglecta domo, nec curato ulcere; non tabelliones accersit, & scribas; non acciri medicos imperat: sed expiando animo totus incumbit, orat, & lacrymatur. Nos verò jussi, abducta tantisper à domo corporeque mente, curare pestes animi, cœlique rationes subducere; condimus testamenta, signamus codicillos; antidota ligurimus, salutationibus vitæ supremum halitum impendimus: Ideò quæ rex revaluit; nos verò tabescimus, & perimus. Oliva s. 6. D. 4. Quadr.

Surrexi, ut aperiam Dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham. Cant. 5. 5. Surgit sponsa, ut aperiat, quando Dominus in obitus instantia advenit. Ad illum obitum præparatur; dum manus operum myrrha mortis inungit. S. Gregor. Nyss. hom. 11. myrrham mortis esse symbolum, nemo est, qui ambigat. Pulchrè ergo ait sponsa, quia manus ipsius myrrham, idest, mortem stillant, cùm aperuit ostium Deo. Escobar. t. 3. Coll. Chr. l. 3. s. 1. Obs. 5.

Populus meus pendebit ad reditum meum. Os. 11. 7. Pendebit tanquam inter cœlum, & terram, id est, veluti mortuus expectabit sponsum, quando revertatur à nuptiis. Id. ib.

Bona mors, si peccato moriaris, & justitiæ vivas. Hæc mors, necesse est, ut præcurrat; ut sequatur illa secura. In hac vita, quamdiu durat, compara tibi illam, quæ semper durat. S. Bernardus ep. 105.

§. IX.

Mortem facilem faciunt ærumnæ.

Petivit anima sua, ut moreretur. 3. Reg. 19. 4. Unde ei tam optabilis, & facilis mors? ex fuga Sanct. Chrysologus s. 147. Elias ille, ubi sensit toto se timore aspergi, repetebat, quam fugerat, mortem. Baeza t. 3. lib. 4. cap. 15. §. 3.

Cùm autem persequentur vos fugite. Matth. 10. 23. Metus, & fuga mortis, mortem ipsam reddit amabilem. Sapienter Christus, quos pro se mortem subire volebat, priùs in fugam movet: noluit enim, ut prima statim persecutione mortem oppetant; sed, ut fugiant, suadet: ne post fugam jam haberent in morte, quod timeant; sed quod ament. Qui enim in fuga vivit; tot mortis timoribus agitatur; ut inde nequeat jam mortem non amare. Idem. Ibidem.

Alligatus ego spiritu vado in Jerusalem. Act. 20. 22. Vincula imminentia sibi Jerosolymis prævidebat: & ad illa ibat. Sed qualis? *alligatus spiritu*. Nimirum, quæ vera ventura erant, vincula ipse in spiritu jam antea injecerat; jam velut vinctus catenis agebat: ut vincula sperneret, & ipsam mortem. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 42.

Per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus. 2. Cor. 11. 33. Non præ timore operam fugæ præbuit; absit: quin potiùs fugam habuit pro palestra, & meditatione, adversus mortem. Sanctus Athanasius in Apolog.

§. X.

Qualis vita, mors est ita.

Ex Veteri.

Abraham mortuus est in senectute bona. Gen. 25. 8. Mortuus est in senectute bona, eò quòd in bonitate propositi sic permansit. Mors igitur vitæ est testimonium. Sanct. Ambros. lib. de bono mortis cap. 8. Quem conscientia non pungit, mors non terret: quia mortem cupere, vel horrore; non tam hominis est, quàm conscientiæ, asserente Paulo Philipp. 1. 23. *coarctor; desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*: & timente Caino Genes. 4. 14 *omnis, qui invenerit me, occidet me*. Eadem utrique natura: sed de morte diversa opinio; quia & actus diversi. Sanct. Ambros. cit. non mors ipsa terribilis est; sed opinio de morte, quam unusquisque pro suo interpretatur affectu: aut pro sua conscientia perhorrescit. Suæ igitur unusquisque conscientiæ vulnus accuset, non mortis acerbitatem. Denique justis mors quietis est portus, nocentibus naufragium putatur. Naxera in Jos. 1. 24.

Viri pastores sumus servi tui ab infantia nostra usque in præsens hac autem dicetis; ut habitare possitis in terra Gessen. Gen. 46. 34. Abulens. hoc dicebat Joseph, nè Rex eos faceret bellatores, & dispungeret; sciendo tota vita hoc officium gessisse: quia illos judicaret inhabiles ad aliquid aliud. Nemo senex facilè discit artem, cui non studuit puer. Nimiùm præsumit, qui inter brachia Domini tamquam alter quidam Moyses, cupit suaviter obdormire cùm per omnem vitam suam Dominum enormibus sceleribus oppugnarit. Didacus Nyss. p. 2. l. 4. cap. 8.

Moriatur anima mea morte justorum. Num. 23. 10. Prudentiùs dixisset Balaam: vivat anima mea vita justorum; etiam moriatur morte justorum. Corn. hic.

Moyses servus meus mortuus est. Jos. 1. 2. Mors vitæ fuit index; sicut fuit servus Dei vivens, ità & moriens. Cajetanus hic: mortuus est in statu servitutis meæ. Mortuus est sic: quia, quidquid operabatur, meum erat. Naxera hic §. 24.

Ecce currus igneus &c. 4. Reg. 2. 11. Cur Elias curru igneo, & igneis equis vectus? Eccl. 48. 1. *surrexit Elias quasi ignis; & verbum ipsius quasi facula ardebat*. Raptus Eliæ quædam illius politica mors fuit. Et nè hæc dissimilis ante actæ vitæ esset; qui ut ignis vixit, è vita in igne avehi debuit. Did. Nyss. D. Septuag.

Justum deduxit per vias rectas. Sap. 10. 10. Via recta est, cujus media conformia sunt principio & fini. Vita nostra iter. Principium à fletu. Sap. 7. 3. *primam vocem omnibus similem emisi plorans* de utero matris egressus. *Unus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus*. v. 6. *Nudus egressus sum &c.* Job 1. 21. Natus es plorans, & morieris plorans. Si vis vivere ridens, non incedis via justorum. Nè ædifices superba palatia; cùm in nativitate ingressus parva incunabula, & post mortem habebis strictum loculum. Stella de cont. &c. p. 1. c. 56.

Ex No-

Ex Novo.

Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente, venient. Matth. 8. 11. Cur meridionales, & septentrionales, ab ea excludere videtur facilitate? S. Paschasius l. 5. in Matth. prima, & ultima, ideo ponuntur: nam & illi soli in regno recumbent; quos nimirum initium rectæ fidei, & consumatio boni operis, probaverit idoneos. Didac. Nyss. Pol. cœl. p. 2. l. 4. c. 8.

Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. Matth. 14. 28. Ire cœpit, sed mergi quoque. Noli prodigiis inniti: si lapis vixeris, lapis morieris. Oliva l. 5. Strom. §. Si Filius Dei es.

Alii tentantes signum de cœlo quærebant ab eo. Luc. 11. 16. Inter Fideles multi petunt signa. Sunt in peccatis jacentes tota vita; & hi à Deo misericordia, affectores in morte sperant. Hi petunt signum à Deo in fine vitæ. Communis est lex; ut, qui malè vixit, malè pereat. Nonne est hoc tentare Deum, Stella hic. Sicut monstrum esset, quòd lupus habeat caudam ovis; sic monstrum est, quòd vita rapacis usurarii habeat bonum finem. Stella in Luc. 23.

Mortuus est autem & dives. Luc. 16. 22. Aqua saporem contrahit terræ, qua transit: nam si venam salis, aut sulphuris, offendit; salsa, sulphurea quæ fluit: si terram bonam; dulcis manat. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur*. 2. Reg. 14. 14. Mors saporem vitæ contrahit: si vita bona, mors suavis. Stella hic.

Ut intingant extremum digiti sui in aquam. Luc. 16. 24. Glossa ordinaria: ab extremo digiti se tangi desiderat, qui optat justorum ultima participare. Manus, & digiti, justorum significant opera pœnalia, & laboriosa; quibus, dum hic vivunt, insudant; ut æternam quietem, quæ sunt digitorum extrema, assequantur. Vellet quisque à deliciis transire ad voluptates: ab honore ad gloriam, à divitiis ad regnum, de quiete ad quietem, sine labore. Optat justorum ultima participare; sed labores pro Deo ærumnas pro virtute, opera pœnalia pro commissis peccatis, non vult habere communia. Didacus Nyss. f. 2. D. 5. Quad. §. 1.

Beati morti, qui in Domino moriuntur. Apoc. 14. 13. Nihil in homine moritur, quod in eo ante non vixit. Unde manus mea, pes meus, & alia membra, quæ in me non vivunt, in morte in me mori non possunt. Sic in Domino moritur, quicumque est membrum Domini per fidem, & amorem; & nullus in eo non moritur, qui in eo vivit. S. Bonav. s. 2. D. 15. Pent.

Ex Patribus, & aliis.

Vivete benè, nè moriamini malè. Sanct. August. s. 24. de verb. Dom.

Mori malè times; & vivere malè non times? Corrige malè vivere, time malè mori. Sed noli timere: non potest malè mori, qui benè vixerit. Idem lib. 1. de discipl. Christi cap. 12.

Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit: neque enim faciat malam mortem, nisi quòd sequitur mortem. Non itaque multùm curandum est iis, qui necessariò morituri sunt quid accidat, ut moriantur; sed moriendo quò ire cogantur. Cùm igitur Christiani noverint, longè meliorem fuisse religiosi pauperis mortem, inter lingentium canum linguas; quàm impii divitis in purpura, & bysso; horrenda illa mortium genera quid mortuis obfuerunt, qui benè vixerunt? Id. de Civ. l. 1. c. 11.

Utinam omnes tam affectarent justorum primordia, quàm optant extrema. Richardus de gemino Paschate.

§. XI.

Dispositio proxima pro morte in morbo gravi.

Num. I.

In morte major fervor; tibi soli vacat.

Vocavit Jacob filios suos, & ait eis &c. Gen. 49. 1. &c. Licèt Jacob semper piè vixerit; sub finem tamen vitæ magna vaticinatus filiis, & nepotibus. Cur? quia se tunc maximè Deo univit, ferventiorem amorem elicuit; hinc magis meruit illustrari. Sylv. in Apoc. 3.

Astitit regina in vestitu deaurato in fimbriis aureis. Psalm. 44. 10. 14. Regina vestitus dicitur deauratus, fimbriæ autem aureæ. Sanct. Paschasius hic: per fimbriam vita hominum significatur extrema; quam non deauratam, ut vestis fuisse monstratur; sed auream esse totam debere, dicitur: quia in fine vitæ tota perfectio amoris quæritur. Sylv. in Apocal. 3. Fimbriæ sunt finitima vestium, per quas hominum vita significatur extrema. Hæc non deaurata, ut suprà, sed nunc illi esse aurea profitetur: quin in fine tota perfectio est; ubi charitas, non tamquam deaurata conspicitur; sed jam plenissima, tamquam aurea, reperitur. Cassiod. hic.

Sciens quia venit hora ejus. Joan. 13. 1. Horam suam mortem dicit: hora mortis verè hominis est: tempus enim vitæ nostræ multis aliis impendimus, amicis, corpori, negotiis, deliciis; ut ferè nobis nihil remaneat. Hora mortis nostræ; quia in ea, reliquorum omnium obliti nos, nostraque curamus. Otiosius in Cœna Dom.

Cum serò esset die illo, unu Sabbatorum venit Jesus. Joan. 20. 19. Cur serò, non Sabbati manè? quia cùm mors, & vesper, ætatis, instat; salutis negotia graviùs aguntur. Gilbertus s. 44. istud ostium maximè aperitur Jesu quod aliis negotiis omnibus clauditur. Escobar tract. 3. Coll. Chr. lib. 6. obs. 2.

Num. II.

In morte mitte curas terrenorum.

Levavit pallium Eliæ. 4. Reg. 2. 13. Currum conscendens, Propheta pallium à se abjecit: indicans terrena hæc ad vitæ discessum impedimento esse; ac proinde ex animo ea projici oportere. Inc. Auth.

Populus meus pendebit ad reditum meum. Os. 11. 7. Pendere, est à terra elevari: monet Dominus, à terrenis curis expeditos esse debere ad præparationem mortis. Inc. Auth.

Dum irent, venit sponsus. Matth. 25. 10. ò meritò fatua virgo! quæ, inclinata jam vitæ die, instante Domini adventu, pergit ad vendentes; adhuc apud Sæculum negotiatur. Vidi plurimos, & planxi; quos animam agentes urgent negotia sæcularia. Tunc maximè illis res est cum vendentibus, cum mercatoribus; tunc pecuniarum rationes, tunc æris alieni compositio, totam hominis cogitationem pervadunt. Baeza l. 5. c. 3. §. 12.

In senili corpore aliquatenus imbecillitas sustineri, & fulciri potest; cùm tamen in putri ædificio omnis junctura dilabitur, & dum alia excipitur, alia discinditur; circumspiciendum est, quomodò exeas. Sanct. Fulgentius ep. 30. ad Gallam filiam Symmachi Consulis. q. d. dum vetusta domus dissolvitur; & modò in uno, modò in altero, latere rimas agit; ut perito architecto sarciente unam novæ aperiantur, & à fundamentis ruinam minentur. Quis tunc pictores convovat, sculptores, instaurandi peritos, ad ornandas concamerationes? Nemo non perterritus ruina imminente, peristromata à parietibus detrahit; è conclavibus suppellectilem defert; contendens egredi è domo ruinosa, minimo rerum suarum, & vitæ, quantùm fieri potest, detrimento. Idem dico senescenti, & mori incipienti: laboretur, ut ex vita educamus omnes divitias, quæ educi possunt. Oliva t. 3. conc. 21. de Pass. Chr. ego sum pastor bonus.

Num. III.

In morte sit oratio, pia suspiria.

Jesus emissa voce magna expiravit. Marci 15. 37. In hoc, quid faciendum sit nobis in ipso articulo mortis, edocuit bonus Magister. Tunc enim Pater vocandus est; tunc ei filiali amore medullitus ad hærendum est; tunc potissimus ei spiritus commendandus est: quia tunc maximè dæmones circa nos, tamquam rugientes leones, circumeunt præparati ad escam. Hugo Card. hic.

Manè nobiscum. Luc. 24. 29. dicat nunc aliquis non beatum Jacob, cùm in ipsis mortis diebus esset; qui plura cum Deo, quam cum hominibus, alloquia miscebat. S. Ambr. de Jac. apud Baeza t. 1. l. 5. c. 3. §. 12.

Domine Jesu suscipe spiritum meum. Act. 7. 58. In articulo mortis sanctissimum nomen Jesu dicit; ut nos in eodem moriamur. Sylv. hic.

Num. IV.

Pœnitentia mortificatio.

Ibimus viam trium dierum in solitudinem. Ex. 3. 18. Deus Hebræorum, idest, transeuntium, ab hac vita migrantium, vocavit; scilicet ad gloriam: ut eamus viam trium dierum *in solitudine*, idest, morte. Tres dies sunt confiteri, communicare: & ungi: quia in is homo se sacrificat Deo. S. Vinc. Ferr. s. 2. de Ass. B. V.

S. Laurentius Justinianus cùm ageret annum quartum suprà septuagesimum, lethali febri afflictio lectum parabant domestici. At ille: non in pluma Dominus meus; sed in durissimo ligno cubavit. Boll. 8. Jan.

B. Mathildis, regina conjux Henrici Aucupis regis Germaniæ, morti proxima jussit cilicium humi poni, & se suprà poni; propriis manibus imponens cinerem capiti: non decet, inquit, Christianum, nisi in cilicio, & cinere mori. Boll. 14. Martii.

§. XII.

Quæ homini in morte accidant.

Num. I.

Tentationes.

A*Bigebat eas Abram - cùmque sol occumberet*. Gen. 15. 11. 12. Cur volucres vesperi infestant victimas Abrahæ? Hugo Vict. Miscell. 2. tit. 2. Abraham, cum ad occasum solis sacrificium offerret, instantes aves pertulit: quia sacrificium vitæ, quo in ara crucis offerimus, immundi spiritus conantur magis maculare ad occasum solis, seu vitæ. Sylveira in Apoc. 9.

Recessit ab illo usque ad tempus. Luc. 4. 13. mortis scilicet. S. Athanasius or. de Pass. & Cruc. in pudore rejectus, observandum sibi persuadebat tempus mortis.

Fratres sobriè estote &c. 1. Petr. 5. 8. Ecclesia, licet ea Petri verba ad quamvis aliam horam canonicam dici aut cantari præcipere potuisset; ad solum tamen Completorium, quæ est horarum ultima, dici, voluit: ut doceret; quòd hostis noster, licèt semper nos dolosè impugnet; numquam tamen enixiùs hoc agat, quàm in agone. Didac. Nyss. Pol. cœl. P. 2. lib. 4. c. 5.

Dum in tota vita diabolus hominem prævaricari cupiat; amplius tamen in fine molitur decipere. S. Isidorus l. 3. c. 5. sentent.

Num. II.

In morte aperiuntur primùm oculi.

Tu nosti, quæ fecerit mihi Joab - Abner - & Amasa &c. quos occidit! 3. Reg. 2. 5. Horret animus severitatem præscripti à rege id loci, temporisque supplicii, Moriturus mortem imperat; & lacrymarum negligens, cruorem sitit Ducis sui? Et cujus Ducis? cui vitam, regnum, referebat. In suo scilicet lumine morienti homicidium spectatum est. Oliva f. 2. D. 3. Quadr.

Cùm dormierit, aperiet oculos suos, & nihil inveniet. Job 27. 19. S. Gregor. l. 18. mor. c. 12. & dormit ergo dives, & oculos aperit; quia, cùm carne moritur, ejus anima videre cogitur, quod prævidere contempsit. Tunc profectò in vera cognitione evigilat; tunc nihil esse conspicit, quod tenebat. Tunc se vacuam invenit, quæ plenam rebus præ cœteris se omnibus esse lætabatur.

In tempore vesperierit lux. Zachar. 14. 7. Cum advesperasset nox aderit; qua opes evanescant: sed lux aperit; qua scelera noscantur. Defungetur sacerdotis munere supremus vitæ agon: is sibi in mentem revocabit, quorum te meminisse piguit non inquinari. Oliva f. 6. D. 4. Pass. Quadr. Si Jacob filiorum, quæ dissimulabat, scelera moriturus severissimè arguit. Gen. 49. 4. quàm fœdiora tibi tua morienti flagitia videbuntur; si aliena crimina ità tristia apparvere Patriarchæ moriturò: torqueberis prodeuntium in lucem monstrorum insultu. *Ad vesperum demorabitur fletus*. Ps. 29. 6. Crepusculo vitæ occidentis illustrabuntur, quæ sub vitæ meridiem deliluere facinora. Gen. 15. 12. *cùmque sol occumberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus & tenebrosus invasit eum*. Id. hìc.

Pœna oculus aperit, quos culpa claudit. Talpa, omni tempore, quo vivit, oculos non aperit, nisi in morte. S. Bonavent. f. 116.

Num. III.

In morte omnia evanescunt.

Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis: 1. Reg. 12. 21. S. Gregor. l. 4. c. 2. in 1. Reg. notandum, quia de furore dicitur, *non proderunt vobis*: quia nimirum nunc prodesse cernuntur. Sed cùm in furore pro iis puniri cœperint, nequaquam prosunt. Quidquid enim in hoc Sæculo lætum, delectabile, sublime prosperum cernitur; vanum profectò est: quia difficilè habetur & citò amittitur. O quàm tibi erit acerba ultima vitæ hora, rerum omnium fuga, tunc quando jacebis in lecto doloris: tunc quando eris in extrema necessitate: tunc quando sudabit frons, pallescet vultus, fragentur oculi, silebit lingua, frigescet manus, regebunt pedes, anchelabit pectus, stupebit animus, formidabit spiritus, affligetur corpus. Tunc, quando maximè indigebis solatio, auxilio, ope, & opera Mundi. Tunc, in illo articulo temporis, in postremo vitæ momento, quando exhalabis spiritum, fugiet Mundus. Tunc fugiet ab ambitioso honor, à superbo gloria, ab avaro opes, à lascivo voluptas. Utinam non & Angeli fugiant, cœlites, mater misericordiæ Maria, misericordiarum Pater Jesus. Tunc anima exclamabit cum illis Sap. 5. 9. *transierunt omnia illa, tanquam umbra*. Transierunt omnia illa, propter quæ exhausi omnes vires corporis, animi; industriæ, ingenii propter quæ tot subivi pericula; tot devoravi tædia, tot pertuli incommoda, tot exaltavi labores. Transierunt omnia illa tanquam umbra; tam citò, cum tanto meo dispendio, in ictu oculi, in momento, in puncto.

Num. IV.

Quid morientem foletur.

Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te. 4. Reg. 20. 3. Ezechias, cùm ægrotaret, non mensæ deliciarum plenæ recordabatur; nec eximiæ gloriæ, nec regni, aut imperii; sed justitiæ, ac rectæ conscientiæ. S. Chrisost. hom. 54. in Matth. Hæc est consolatio regis morientis; quem cùm non juvarent natalium claritas, copia famulorum, deliciarum; delectavit sola impleti officii recordatio. Oliva conc. 30. de Ven. 5. in Quadr.

Tempus resolutionis meæ instat. 2. Tim. 4. 6. Vide Paulum, exultantem, atque dicentem: *bonum certamen certavi*. v. 7. At quid aliud, inquies, Paulus potuit dicere? Honores certè, gloriam, cæteraque hujusmodi, nec parva, nec pauca. Nihil autem horum omnium: sed labores; pericula, & repositas pro his coronas, in medium attulit. Neque id injuria; illa enim cum hac vita finiuntur; hæc verò nobiscum egrediuntur: & illorum quidem rationes exiguntur; pro his autem nobis præmia tribuuntur. S. Chrysost. hom. 54. in Matth.

§. XIII.

Post mortem quæ homini eveniant.

Num. I.

Oblivio hominum.

I*Nfodit ea subter terebinthum*. Gen. 35. 4. Revertens Jacob à Laban, in Bethel sacra Deo facturis, jussit sua idole abjicere; qua ille infodit. S. Bruno apud Godefridum quærit, cur ea sepilire potiùs, quàm comburere voluit? & respondit: quia sepulta facilè abeunt è memoria. Castillo Illat. 203.

Periit memoria eorum cum sonitu. Ps. 9. 7. ad literam, campanarum. Hugo Card. hìc.

In imagine pertransit homo. Ps. 38. 7. Id est, perfectè, & ex toto transit: quia nec ipse videtur, nec de eo etiam vestigium aliquod in memoria habetur. Id. hic.

Qui videbant me, foras fugerant à me; oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde. Ps. 30. 12. 13. Non dicit, oblivioni datus sum ab ore; quia nec orant pro me: vel ab opere; qui nihil faciunt pro me: sed *à corde*; quia nec cogitant de me; quod facilium esset: quomodo ergo facient pro mortuis difficiliora? Brogmard. Mortis memoria.

Num. 2.

Quis eum comitetur; quid secum deferat.

Lazarus amicus noster dormit Joan. 11. 11. Ergo viro nobilissimo è prima stirpe oriundo, tot pagorum domino, tam diviti, charo tot magnatibus; post alteram diem sepulturæ, à prolixa illa honorum serie, nihil aliud superest, quàm amici Dei titulus? *Lazarus amicus noster dormit*. Neque honorum illa inanitas mortui funere primùm spectata est: nam morbi gravitas ubi spem vitæ labefactavit, ægroti sorores scribentes ad Messiam, nullo alio, quàm amici, nomine eum commendant: *Domine, quem amas, infirmatur* Attamen verum est in tanta inopia titulorum, & nominum illustrium, sufficere cuilibet dominanti in terra; habere, in patrimonium æternitatis, diploma, & honorificum testimonium, quo amicus Dei nuncupatur. Hoc unum deferetis ad tribunal, reddituri administrationis vestræ rationem. S. August. de Civ. l. 10. c. 4. bonum nostrum nullum est aliud; quàm illi cohærere, cujus unius anima incorporeo, si dici potest, implexu, veris impletur, fœcundaturque virtutibus. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur, duci; & quos diligimus, ducere. Oliva conc. 30. die Ven. 5. Quadr.

Quære ab impio in morte regna, & opes: *quæ parasti, cujus erunt* (respondebit: heu! non mea amplius erunt, sed aliorum. Quare à justo; *quæ parasti, cujus erunt*? respondebit: mea erunt in æternum. S. Ambros. in Luc. 12. Remanent in sæculo cuncta, quæ sæculi sunt: sola virtus, comes est defunctorum. Cornelius in Ex. 14.

Quidam rex moribundus dixit: heu! quot præcursores habere solebam ad parandum mihi hospitium! hodie recedo solus ad patriam ignotam; & nullum invenio, qui me velit præcedere, vel comitari. Brogmard. Mors.

Num. III.

Varia.

Bonum est nos hìc esse. Matth. 17. 4. Cùm Moyses, & Elias, excessum loquitur; Petrus ait: *bonum est &c.* Quàm diversæ cogitationes vivorum, & mortuorum. Moyses, & Elias, qui aliud sæculum viderunt, dicunt, moriatur Christus: Petrus autem, *bonum est hìc esse*. Defuncti dicunt Sap. 5. 8. *quid nobis profuit superbia*? illi delicias abominantur: dicis tu: *non pratum sit &c.* Sap. 2. 8. Osorius D. 2. Quadr.

S. Hieronymus Comment. in Is. adfert Apologum: procellus parentis sui mortem acerbo grunnitu flevit. At cùm, lectis testamenti tabulis, glandis acervum, & aliquot farinæ modios sibi legatos audisset, obticuit. Rogatus, cur tam subitò fletum omnem comprimeret? farina, & glandes, ait, mihi os obstruunt.

Focus extinctus. Lem. *Cinis est, quod antè micabat*. Picinelli.

§. XIV.

Mortis memoria.

Num. I.

Symbola.

F*Ecit Dominus Deus Adæ, & uxori ejus, tunicas pelliceas &c.* Gen. 3. 21. Cur Deus tales iis vestes dederit? causam refert Origenes hom. 6. in Levit. talibus oportebat indui peccatorem; quæ essent mortalitatis, quam primo peccato acceperat; & fragilitatis ejus; quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.

Ambulavit Enoch *cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus*. Gen. 5. 24. Sed cur à Deo occultatus? Chaldæus: *quia non mori fecit eum Deus*. Quasi timeret Deus, nè homines metum, & memoriam mortis emitterent, videntes non mori Enochum; & ideò eum occultavit. Baeza t. 2. l. 8. c. 2. §. 2.

Asportate ossa mea vobiscum &c. Gen. 50. 24. Joseph, in utilitatem fratrum, jussit ab eis ossa sua ex Ægypto asportari: ut scilicet mortis memores essent; & quoties ossa ejus aspicerent, dicerent: hæc sunt ossa potentis illius ac sapientis viri Joseph; & tandem mortua est. Quid de nobis erit? nunquid & nos moriemur? Diez conc. 1. D. 15. Pent.

Colligat unusquisque &c. Ex 16. 16. *Nullus relinquat ex eo in manè*. v. 19. Cur prohibet lex cibum in crastinum servari? S. Paschasius l. 4. in Matth. gradienti per desertum populo præcipitur; ut singuli non ampliùs ad victum quotidianum, quàm gomor unum, colligerent: sic vivant quotidie, quasi morituri.

Cinerem tanquam panem manducabam. Ps. 101. 10. Balduinus hìc: idest, memoriam infirmitatis, & conditionis meæ; qua memini me pulverem esse, & cinerem; panis mihi est, refectio mea est.

Sol cognovit occasum suum. Ps. 103. 19. Itane? tantis stipatus radiis, tanta ornatus luce, noctis recordatur; seque occasui destinari sol intelligit? & homo, vallatus ærumnis, & mortem secum in carne vehens; obliviscatur occasus? qui sumus *cænum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur*. Matth. 6. 30. Cedrorum nobis incorruptionem pollicemur? nisi cineres comparaveris tibi, ignis tuus citò extinguetur. Tunc fulgebis ut sol, si te umbris sepias. Oliva t. 2. Strom. hìc.

Flores apparuerunt in terra nostra-tempus putationis advenit. Cant. 2. 12. Convenienter Salomon hæc duo conjunxit q. d. mox, ut flores apparent, & initia vitæ florescunt; jam ferè adest tempus secandi per mortem: ideo surge, propera, & veni, ad studiosè operandum. Id. hìc.

Vox turturis audita est in terra nostra. Cant. 2. 12. Per turturem S. Nyssenus hom. 5. in Cant. Epiphanius hæresi 59. intelligunt Præcursorem Domini; cujus præcipua vox fuit, *pœnitentiam agite &c. Vox turturis*, idest, sacerdotis dicentis: *memente homo, quia pulvis es*. Ecce subitò veniet dies mortis, in quo dicatur tibi: tempus putationis, vel sectionis, advenit. Velis, nolis; putandus es, & secandus in morte. Auferenda à te sunt non solùm superflua, sed cuncta, quæ possidebas: auferentur dignitates, opes, vita, & corpus ipsum; ut nihil remaneat, nisi minutissimus pulvis. Reduc in memoriam virides, & pulchros ramos olivarum, & palmarum, quos in manu gestabas anno præterito; qui jam sunt in cineres conversi: ut intelligas, omnem hanc terrenam pulchritudinem, & viridantem gloriam, qua potiris, convertendam in cinerem. Licèt sis hodie formosus sicut lilium, cui nec gloria Salomonis potuit comparari; hodie es, & cras in clibanum mitteris; ut in cineres convertaris. De Ponte hìc.

Cibavit me cinere. Thren. 3. 16. Moraliter cibat se cinere, qui sæpe de morte cogitat. Cinis es, & in cinerem reverteris. Gen. 3. 19. Cornelius hìc.

Ite ad exitus viarum; & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Matth. 22. 9. Albertus M. f. 74. illi, qui sunt in exitibus viarum, mortem suam jugiter prospiciunt; & qui se credunt quotidie morituros. Et certè tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mereantur: quicumque enim mortis suæ efficaciter recordantur, student esse patientes, continentes &c. Didacus Nyss. f. 1. in die Cin.

Præcepit turbæ, discumbere super terram. Marci. 8. 6. Super terram discumbunt, quicumque terram, & pulverem, se esse cognoscunt. S. Eusebius Emiss. D. 6. Pent.

Sicut ex cineribus fit vitrum, & speculum; ità ex incineratis nobis speculum faciamus. Broymard. Mortis memoria.

Num. II.

Mortis memoria sit continua.

In omni opere suo dicat sibi ipsi: si modò moriturus esses, faceres istud? S. Bernardus in speculo Monachorum.

In omnibus operibus tuis memento te esse hominem; & timor ejus, qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Jugi meditatione inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta, memorare novissima tua: quia quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem. S. Bernardus ep. 237. ad Eugenium P.

Sociam tibi, & uxorem, quære; quæ nunquam à te separetur, memoriam mortis. Porrò filii tibi amantissimi sint gemitus cordis. Servum posside corpus tuum; amicas verò sanctas virtutes angelicas, quæ tibi exitui tui tempore auxiliari poterunt, si eas tibi amicas familiaris feceris. Hæc est sanè generatio quærentium Dominum. Affectus Dei parentum exaudit affectum. Joan. Climacus gr. 3. de peregrinat. & somniis.

Memoria mortis est quotidiana mors. Sicut cibis omnibus panis vilior est; & magis necessarius; ità præstat omnibus mortis operibus mortis cogitatio. Id. gr. 6. de memor. mort.

Diu, noctuque, ad ultimam horam respice. S. Nilus Cap. Parænet.

Cùm volueris incipere opus Dei, priùs conde testamentum; tanquam non habeas vivere in hac vita. S. Isaacus l. 1. de contemptu Mundi c. 17.

Num. III.

Mortis memoria semper, & ubique, occurrit.

Sedens in sterquilinio. Job 2. 8. In sterquilinio sedebat; ut, quæ esset substantia suæ carnis, perpenderet; & ex fœtore loci caperet, quòd festinè corpus ad fœtorem rediret. Hugo Card. hìc.

Ecce defunctus. Luc. 7. 12. Triplex mortis admonitio: defunctus filius; vidua, cujus maritus fuerat defunctus; & populus defunctum pullatis vestibus lugens. Si quæres; quis hanc vel illam ædem extruxerit? paucas novas invenies: veterum autem ferè omnium ædificatores dicentur esse mortui. Stengelius t. 4. Jud. div. c. 44.

Monimentum dicitur, quod monet mentem cujuslibet inspicientis: ut recordetur, quòd cinis est, & in cinerem revertetur. Durandus l. 1. c. 5. de cœmeterio.

Abassinus Imp. Pretejannes dictus, inter edendum solitus fuit ante oculos habere vitretum vas cinere plenum; cujus aspectus diem extremum objiceret comedenti. Nicolaus Godinus l. 1. de Abassinor. reb. c. 6.

Cardinalis Baronius in annulo calvariam sculptam gerebat; insinuans, à morte pendere æternitatem. S. Damascenus in historia Barlaam, & Josaphat, priscos ait, Sanctorum reliquias religiosè in theca ex collo gestasse; non tantùm venerationis, sed & memoriæ mortis causa.

Quæ mensis apponuntur, quid aliud, quàm memoria mortis? vitrum manu tenes? vita tua fragilior vitro est. Quidquid comedimus, vixit; herbæ, frumentum, bubula &c. Stengelius t. 4. div. jud. c. 44.

§. XV.

Mortis memoria utilis contra peccata; convertit &c.

Ex Veteri.

I*N quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Gen. 2. 17. Peretius quærit; cur Deus primo homini, ut illum intrà limites cohiberet, pœnam mortis statuerit? Videtur enim ad incutiendum timorem, satius fuisse, si gehennam intentasset. Respondet: licèt pœna Inferni reipsa gravior sit, quàm mors corporis; comminatio tamen corporalis mortis acrior, & vehementior est, ad commovendum hominem.

Num sanguinem hominum istorum, & animarum periculum, bibam? noluit ergo bibere. 2. Reg. 23. 17. Suavitatem bibendi habere non poterat, quæ propositæ mortis horrore constabat. S. Ambros. q. d. quomodo bibat aquam, cui horrenda mors ob oculos versatur; ob oculos mortis nulla est sine multo felle voluptas, nulla sine amarore dulcedo, nullæ sine anxiis curis deliciæ. Didacus Nyss. f. 5. D. 4. Quadr. §. 3.

Mansit juxta fluvium Tigris-Et exivit, ut lavaret pedes suos. Tob. 6. l. 2. Sicut Tobias sedens in littore Tigridis fluminis, con-

considera, quàm velociter transeant dies. Tigris à velocitate nomen habet. In hac consideratione levabis pedes affectuum animæ tuæ. Stella de conp. van. p. 1. c. 91.

Dies mei breviabuntur; & solum mihi superest sepulchrum. Non peccavi. Job 17. 1.

Putredini dixi: pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus. Job 17. 14. Tam dulcis ei mors; ut eam se venerari, colere, & amare, velut parentes, & sorores, dicat. Omnia mihi charissima in morte habeo; domum, parentum complexus, sororum blanditias. Mors mihi unicum solatium; uti puero parentes, & sorores. Origenes: ut pueri parentes consolatores habent; sic ego mortem, & putredinem. Fortè amplius accipitur hic locus de passionibus animi; quæ non modo finiuntur in morte, verùm & mortis memoria domantur. Quiritatur infans, ingemiscit, flet, vel levi de causa: parens flentem in brachia suscipit, soror ludicro, aut crepitaculo, adblanditur, mox subsidit ploratus; fletus in risum vertitur. Et quispiam delicatiore sui studio infans, puerilibus desideriis huc illuc distrahitur, si ille in terram, in pulverem, in sepulchrum, memoriam fixerit, illicò conquiescet. Fernandius in c. 3. Gen. Sect. 9.

Notum fac mihi Domine finem meum. Ps. 38. 5. Non ignorabat se moriturum; nec petebat, ut illi Deus diem obitus sui revelaret: sed ut ità metu mortis cor ejus tangeret; ut sic correctus vitam rectè institueret; paratusque semper esset, ut cùm venit Dominus, & pulsaverit januam; confestim aperiret. Diez auxilium Dei.

Abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Jon. 3. 6. Nihil prodest, quòd homo per memoriam mortis in cinere humiliatur; nisi vestimentum veteris conversationis abjiciatur; & saccus pœnitentiæ assumatur. S. Bonavent. s. 1. die Cin.

Ex Novo.

Potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Luc. 3. 8. Et unde vis tanta? Sequitur: *jam enim securis ad radicem arboris posita est.* Oliva l. 11. Strom. §. Erunt signa in sole &c.

Hæc cum dixisset expuit in terram &c. Joan. 9. 6. solo verbo poterat eum curare; cur lutum, rem humano judicio adeò contrariam, oculis imponit? Nota mysterium: nonne vestis rudis, si lacera est, rudi etiam commissura resarcitur? si verò purpurea; panno purpureo? sic fecit hic Dominus: terreum hominem terra curat. Tu ò peccator, qui conscissus es, vis resarciri? volo. Quia erga terra, & lutum es; luto, & terra, te resarci reminiscere, te lutum esse; & hodie, vel cras, in pulverem convertendum. Diez s. 4. D. 4. Quadr.

Solvite eum, & sinite abire. Joan. 11. 44. Meditatio mortis fidissimus dux ad vitam. Non ad sui sequelam invitat redivivum hominem Salvator, ut Matthæum &c. sed liberam abeundi dat facultatem: *sinite abire.* Sciebat enim, hominem memoria mortis septum non perditum iri. Baeza. t. 2. l. 8. c. 3. §. 44.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. D. 6. 12. Satis erat dicere, in vestro corpore; addidit *mortali*: quia difficilè regnat peccatum, in quibus mortis memoria. Incert. Auth.

Ex Patribus, & aliis.

Facilè contemnet omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. S. Hieron. ep. 103. singulare contra omnia mala remedium est, mortis memoria. Sanct. Bernardus de modo vivendi.

Nihil tam revocat à peccato, quàm frequens mortis cogitatio. Idiota l. 5. contempl. c. 4.

Ità vive, ut si diem quotidie agas ultimum; & non peccabis. B. Isaias Abb. or. 9.

Albertus M. docet lib. de vegetabilibus: corvum non redire ad nidum, si in eo ponatur cinis; aut pulvis vitri. Sic dæmon fugit à nido cordis nostri, si in eo posita sit memoria cineris, & pulveris, in quem convertendum est vitrum, id est, homo fragilior vitro. Cornelius in Thren. 1. 9.

Sicut latrones timent, & fugiunt, faciem judicis, sic vitia memoriam mortis. S. Bonavent. diæta sal. sept. c. 36.

De peccatore dicitur Thr. 1. 9. *sordes ejus in pedibus*, idest, in affectionibus; quia non est recordatus finis sui. Id. ib.

Confessarius scelerato pœnitentiam injunxit, ut comitaretur mortuos ad sepulturam: quod cùm sæpius faceret, compunctus est, & conversus. Broymard. Mortis memoria.

§. XVI.

Mortis oblivio.

Ne fortè moriamur. Gen. 3. 3. Dubitavit mulier de comminatione mortis; atque ideo, metu omni posito, ad peccandum profiliit. Sed licèt illa insanierit; eo nos tamen incusabit nomine; quòd nondum experta fuerit mortem. At nos, qui nihil tam quotidianum, & tam certum, & contestatum oculis, usurpamus, quàm mori, quàm mortuos: & nihilominus sic vivimus, sic ædificamus, sic lucris inhiamus, sic peccamus; quasi nunquam morituri. Fernandius hic.

Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. Ps. 101. 24. Juxta S. Gregor. in Ps. pœnit. sensus est iste: fac, meminerim brevitatis vitæ meæ. Nihil notum magis, quàm brevem esse vitam, cur ergo id doceri petit, ut rem difficilem? quia amore vitæ avertit homo eam memoriam. Longa nostra desideria increpat vita brevis: in cassum multa portantur, cùm juxta est, quò pergitur. S. Gregor. hom. 32. in Evang. Pinna. Ethol. 118.

Quid clamabo? omnis caro fœnum. Is. 40. 6. Quid certius? quid magis clamat quotidiana experientia? & tamen obsurdescunt ad hanc vocem homines. ideo id iis inclamandum. Id. ibid.

§. XVII.

Mortis memoria frænum superbiæ.

Ex Veteri.

Levitici 1. 16. Jubebat Dominus plumas avis, quæ illi offerebatur, in cineris locum conjici ad partem orientalem. Elevant in altum divitiæ, honores, nobilitas, velut avis plumas suas. Vult Dominus, ut hæc omnia conjicias incineris locum, qui sepultura est: ubi mox videas ortum tuum; nihil aliud, quàm cinerem, & à cinere esse. Stella in Luc. 7. 11.

Moyses servus meus mortuus est; surge, & transi Jordanem istum. Jos. 1. 2. In quid mortis memoria, cùm Josue ad culmen imperii evehitur? mortis recordatione deprimendus est tumor dignitati cognatus. Naxera hic.

Hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem: cum abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel. 1. Reg. 10. 1. 2. ad sepulchrum misit regimen auspicaturum: & post sepulchri aspectum adhuc habitur Saul: ergo reprobus morietur. Alvarez Illustr. 77.

Et egressus est Goliath. &c. 1. Reg. 17. 4. Lapis unus tantam evertit molem. Sed lapis esse debet de torrente. v. 40. *elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente.* Objice exprobranti tibi felicitati, & fastui, humanarum rerum defluxum: dicito; torrens obarmavit me. Nonne vermiculus opacam prophetæ hederam, virentemque, morsu uno erosit? Jon. 4. 7. Sola memoria mortis florentem voluptatem arefacit. Præsertim autem arroditur hedera vermiculo diluculi: idest, si cogitemus rerum fragilitatem tantam; ut in exortu non procul sint ab occasu. Oliva l. 3. Strom. hic.

Spiritus meus attenuabitur. Job 17. 1. Juxta Gregor. l. 13. mor. c. 15. Spiritus superbiam designat. id est, Spiritus superbos facilè deponam. Quo medio? *dies mei breviabuntur; & solum mihi superest sepulchrum*, idest, mente volvam, quàm proximè mihi instet dies mortis; & spiritus altus subsidet. Pinna Eth. 98.

Non est respectus morti eorum &c. ideo tenuit eos superbia, operati sunt iniquitate &c. Ps. 72. 4. 6. S. Hieron. quòd non cogitaverint de morte sua, ideo tenuit eos superbia.

Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur. Ps. 103. 29. idest, si cogitent, quòd cinis sint; facilè tumentes spiritus deponent. Pinna Eth. 98.

Sum quidem & ego mortalis homo. Sap. 7. 1. Disce, contra superbiam efficax esse remedium, memoriam mortis. Cornelius in Act. 14.

De excelso misit ignem in ossibus meis; & erudivit me. Thren. 1. 13. Ignem utique lamentabilem; ignem non lucentem, sed consumentem; exsiccantem, devorantem. Ignis iste mortalis conditio est; qua virilis juventus paulatim desiccata in aridum contrahitur, atque arrugatur senium; tandemque, omni humore consumpto, solvitur, atque dissipatur, in favillam, & cinerem. Attamen hoc igne *erudivit me*; ut discerem non superbire; ut scirem incedere demisso capite, ut intelligerem, quod Adam noluit intelligere; scilicet me non Deum, sed pulverem, esse. S. Rupertus hic.

Ex Novo, & Patribus.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi tinea demolitur. Matt. 6. 19. Tinea, purpureæ vestis mors, homines efficit à superbia cadere: flocci enim facit honores, qui cogitat se brevi moriturum. Escobar t. 3. Lign. vitæ l. 1. Sect. 2. Obs. 7.

Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes. Matth. 13. 47. Cur nulla secus littus sedentibus in electione fallacia? quando homines sæpe cœcatis affectibus ità luduntur, ut pretiosis præferant vilia. Galfridus: littus, in quo pisces ab invicem separantur, est vitæ præsentis occasus: quia ibi omnis fructus humanæ superbiæ frangitur; ibi detumescit, & deficit; quidquid aura transitoriæ prosperitatis inflatur. Naxera in Jos. 24. §. 3.

Occurrit de monumentis homo in spiritu immundo clamans voce magna dixit: quid mihi, & tibi, Jesu? Marci 5. 2. 7. denique expetiit legio illa in gregem porcorum mitti. v. 12. Qui Deificam sedem expetierat; jam humilis adorat; jam ad porcorum gregem immitti precatur. Unde superbissimo hæc humilitas? domicilium habebant in monumentis. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 1. obs. 7.

Dicebant excessum. Luc. 9. 31. Quorsum in summa gloria, mortis, & excessus, memoria? Docet locus, reges, principes, divites, in media Mundi hujus gloria meminisse mor-

mortis. Excedent omnes è vita, è Mundo, è gloria; tollent secum nihil, *opera illorum sequuntur illos.* Apoc. 14. 13. deserunt cætera. Sicut aqua diluit vinum; sic mortis memoria diluit felicitatem; nè mentem à virtutis statu deturbet. Barradius D. 2. Quadr. tom. 2. Luc. 10.

Qui terram, & cinerem, esse se novit, post paululum in pulverem dissolvendum; nunquam superbia elevabitur. Sanct. Hieron. in ep. ad Ephes. c. 4.

Sufficit vel solus urnæ aspectus ad eum deprimendum, qui est valdè insolens. S. Chrysost. in Ps. 123.

Mare. Lem. *Frenant arenæ.* S. Petrus Dam. Opusc. 15. c. 23. superbiæ Spiritus inflat? sepulchrum ad mentem redeat. necessariò illic rigidæ cervicis tumorem preminus; ubi cinerem nos proculdubio, pulveremque pensamus. Picinelli.

§. XVIII.

Mortis memoria est motivum justitiæ, restitutionis.

Mors æquà est, & in morte æquitas observanda. Eam fortè ob causam Patriarchæ filiorum suorum benedictionem, non solùm in senilem ætatem, sed etiam in horam mortis proximam differebant. Ità Is. Gen. 27. 1. Jacob. Gen. 49. 2. Moyses Deut. 33. 1. Tobias Sen. 14. 5. quia scilicet, de sua integritate in vita quodammodò diffidentes, se ad id tempus reservabant; in quo, morte urgente, ad æquitatem servandam etiam inviti traherentur. Mendoza in 1. Reg. 1.

Senuisti, & longævus es &c. Jos. 13. 1. *& nunc divide terram &c.* v. 7. q. d. mortis recordatione antehabita aggredere ad dividendum: ut, sicut mors æquissima est in omnes; ità tu ejus æquitatem in distributione imiteris. Id. ib.

Invenies duos viros juxta sepulchrum. 1. Reg. 10. 2. Prudenter monet de monumento muliebri, cùm regnum pollicetur: ut princeps, mortis memor, curet magistra æquitate. Velloso in Judith. 4. 16.

§. XIX.

Mortis memoria stimulus virtutis, probæ vitæ.

Ex Veteri.

Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam. Gen. 2. 21. Cur Deus ex homine somno consopito mulierem ædificare voluit? cur non ex vigili? quia somnus mortis simulacrum. Hinc Epaminondas vigilem somno opressum occidit, dicens: talem reliqui, qualem inveni. Ergo Adam dormiens mortis exprimit effigiem; & costa sepulchri spolium. Eva, idest, mater viventium, ex mortis simulacro fuit formata: quia nec unde meliùs, quàm ex mortis imagine, vitæ mater resurgit. Tertull. l. de anima: proponit tibi corpus amica vi soporis elisum, blanda quietis necessitate prostratum, immobile situ: quale ante vitam jacuit, & quale post vitam, jacebit; ut testationem plasticæ, & sepulturæ, expectans animam nondum collatam, & quasi jam exceptam. Utinam ipsa recordata fuisset suæ originis, sanè non mortem sibi, viro, & posteris, ministrasset. Castillo Ill. 107. Mortis meditatio vitæ auspicium.

Scissique vestibus indutus est cilicio. Gen. 37. 34. Mors aliena nos docet vivere. Sepulchrum schola benè vivendi esto, ubi Jacob filii mortem animo volvit, cilicio sese induit. Proh quàm eloquens est alienæ mortis inspectio. Ante obitum uxoris Saræ frequenter Deus apparuit Abrahamo; & cum eo loquebatur; documenta præbens probæ vitæ. At post mortem ejus non legimus ei ultrà apparuisse. Uxoris defunctæ conspectus vices supplevit: sepulchrum illud schola fuit; in qua discere posset, quid sibi salutare, & Deo placitum, esset. Alvarez Illustr. 77. Annotat Rupertus in Gen. 35. quòd Abraham, à morte Saræ, omne studium converterit, ad emendum sibi, & illi sepulchrum: Notandum verò, quia Deus ulterius Abrahæ apparuisse non legitur. Cur post hæc nos apparuit? quia studiosiùs, quàm olim, de sepulchris agin. Bonam sui vicarium, mortis memoriam, Deus nactus; quæ illius locum in tutando homine subiit; ut sub illa securus vivat Christianus. Didacus Nyss. s. 1. die Cin. §. 2.

Confer Hebræos ex Ægypto exeuntes, & Moysem. Illi sæpè Deum offendunt, sæpe plectuntur; hic autem ad Dei colloquium vocatur; fidelissimus stat. Quod discrimen? Hebræi cum vasis aureis egrediuntur. Ex. 12. 35. *tulit Moyses ossa Joseph secum.* Ex. 13. 19. & cum iis memoriam mortis. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 44.

Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris. Ex. 14. 31. Cur Deus fecit eos supernatare in conspectu Hebræorum? Ut à tanto mortuorum conspectu gressus sic dirigant; nè aberrent. Hinc desperatam eorum conditionem sic exaggerat Origenes hom. 7. in Ex. O populus ingratus! desiderat Ægyptum, qui Ægyptios vidit extinctos. Carnes Ægypti requirit, qui Ægyptiorum carnes vidit maris piscibus, & cœli alitibus, datas. Desperata conditio est eorum, qui nec visa morte emendantur. Id. ib.

Quocumque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros, ut exeatis hinc. Tob. 14. 12. Ex eo, inquit, scilicet ex sepulchro, gressus dirigite, vitam instituite. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 44.

Testamentum hujus Mundi, morte morietur. Eccl. 14. 12. Ingens ad omnem virtutem est hìc stimulus; quo olim se Ascetæ nonnulli sibi occurrentes consalutabant; ut jugem sibi mortis memoriam imprimerent: *morsendum est; nescimus quando.* Cornelius hìc.

O Mors! bonum est judicium tuum. Eccl. 41. 3. Certè nemo consilium melius, certius, securius, & sapientius, suggeret. Segneri s. 26. die Jov. Dom. 4.

Ex Novo.

Venite, & videte locum, ubi positus erat Dominus. Matth. 28. 6. Ad sepulchrum videndum invitat; quia nihil utilius hominibus, quàm mortem mente, & oculis, versare. Pinna Ethol. 98.

Si venerit in secunda vigilia; & si in tertia vigilia venerit &c. Luc. 12. 38. Cur nec de prima, nec de quarta vigilia meminit? Drogo de Pass. quòd nec prima ætas suasum recipit vigilandi, nec ultima spem prolixius dormiendi. Pueris admonitione non est opus: quia adhuc incapaces doctrinæ, & culpæ sunt. Senes item monitis non videntur egere: quia senectus ipsa pro admonitione est, & velut quoddam: *memento homo.* Alvarez Illustr. 290.

Sinite abire. Joan. 11. 44. Santo paralytico concionatur Christus Joan. 5. 14. *ecce sanus factus es &c.* & postea largum sermonem habet ad populum. Similiter cœco nato. Joan. 9. 35. At resuscitato Lazaro, adolescente Luc. 7. puella Archisynagogi Marci 5. 43. nullum dat hortamen: quia ipsa experientia mortis, & ejus cognitio, in adstantibus sufficiens erat concio; & movebat animos ad morum reformationem. Sylveira in Luc. 7. qu. 17.

Quidam adolescens dispuetante Paulo cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Act. 20. 9. quo casu soluta est concio; licèt multa Paulo dicenda superessent; imò plura ex ipso casu emergerent inculcanda. Sed non immeritò: nam, ut benè S. Chrysost. hom. 43. in Acta: pro doctore casus fuit. q. d. repentina illa mors optimi doctoris partes explevit &c. Mendoza in 1. Reg. 4.

Collyrio inunge oculos tuos. Apoc. 3. 18. Collyrium est pulvis, ex quo cum oleo simul mixto fit unguentum, quo unguntur oculi, & clarescit visus. Primus pulvis ejus veræ cognitionis est. Memento homo, quia pulvis es. S. Bernardinus tom. 3. s. 3. Ex consilio Raphaelis junior Tobias c. 11. 13. *sumens de felle piscis linivit oculos patris sui.* Cur fel? non cor, pars nobilior? fel notat, ob amaritudinem, mortem. 1. Reg. 15. 32. memoria mortis illuminat. Sylveira hìc.

§. XX.

Morientium pia monita.

Congregamini, & audite. Gen. 49. 2. Numquam prolixiùs ad filios locutus fuit Jacob; quàm morti proximus. Sic & Christus. Alvarez Illustr. 332.

Deuteronomium non est aliud, quàm ardens, & contenta concio; qua Moyses moriturus Israelem ad studium legis, cultumque Dei, adhortatur. Similem eadem de re concionem habuit successor Moysis Josue c. 24. 1. jam moriturus c. ultimo. Job 29. 7. Samuel 1. Reg. 12. 7. Cornelius in Ecclæ 1. 1. David moriturus ad Salomonem 3. Reg. 2. 2. &c. *ego ingredior &c. Estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in voluminе legis Moysi ego senui, & proprestioris ætatis sum.* Jos. 23 2. 6. Abulens. q. 2. vocavit totum Israel, quoniam erat longævus: quia intendebat commovere totum populum ad Dei cultum: & hoc voluit facere ad mortem suam. Ea quippe, quæ quis agit in limine mortis, magis apud posteros in memoria tenentur; quam ea, quæ fiunt, dum quis de morte suspectus non est. Et hoc quia creditur quis facere ex majori affectione, quæcumque agit morti conjunctus, quàm quæ aliàs egit. Naxera hìc.

Appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis suis &c. 1. Mach. 2. 49. His verborum irriguis ager Israel rigatus, hastas undique, militesque, produxit; quos amor legis concitaret in sacrilegos. Oliva f. 3. D. 3. E lectulo ità tonabat Mathathias, qua ratione nemo nostrum è suggest. declamat. Frigebat corpus, & æstuabat oratio; jacebat orator, sed sermo consurgebat. Acclinaverat in pulvillo caput; ità tamen, ut cervical docentis foret cathedra, non thronus expirantis. Caret Resp. Christiana Machabæis: quia vix ullam habet in suis civibus Mathathiam; qui de lege agat, cùm agit animam. Id. ibid.

B. Bernardi de quinta valle, qui fuit primus S. Francisci socius, ultima morientis vox: Fratres, invenio in anima mea, quod pro mille Mundis isti æqualibus vellem non servisse D. Jesu Christo. Et mox in terram provolutus: de omnibus, inquit, offensis, quas feci Salvatori meo, & vobis, me accuso, & dico gravissimam culpam meam: quoniam non fui verus frater Minor, nisi in tentationibus, in quibus semper tenuit me Dominus. Et in uno alio solo extitisse fratrem minorem me invenio; videlicet, quòd plus dilexi fratrem post offensam, quàm ante. Rogo autem, ut pro me de-

devotè oretis. Sed magis hoc oro, ut vos invicem diligatis; quemadmodum exemplum dedi vobis. Cornelius in Eccl. 28.

B. Amedeus Sabaudiæ Dux Volandæ uxori filiorum tutrici, ac proceribus regni, quasi ultimo testamento, illa verba inculcavit: diligite judicium & justitiam; & diligite pauperes: & Dominus dabit pacem in finibus vestris. Boll. 30. Martii.

§. XXI.

Morientium ultimæ voces, & suspiria.

DOmine! illa ego ovis amissa ad te Pastorem redeo: vocem tuam novi, non alienorum. Peto Domine, ut ad ovile me reducas. S. Laurent. Just. Bolland. 8. Jan.

S. Raymundus de Pennaforti mortuus est in iis verbis, in manus tuas Domine commendo spiritum meum. Boll. 7. Jan.

B. Andreas Ord. Erem. S. Augustini concionator per 50. annos, mortuus est in iis verbis: in pace in idipsum dormiam, & requiescam. Boll. 18. April.

S. Andreas de Corsino expiravit in iis verbis: nunc dimittis &c. Boll. 30. Jan.

S. Petri Nolasci in supremo morbo fuerunt ultima ejus verba: redemptionem misit populo suo, mandavit in æternum testamentum. Boll. 59. Jan.

S. Vodali Conf. ultima verba fuere: credo videre bona Domini in terra viventium. Boll. 5. Febr.

S. Francisci de Paula ultima verba: ò bone Jesu! Pastor bone! justos conserva, peccatores justifica, & omnibus Fidelibus miserere vivis, & defunctis: & propitius esto mihi peccatori. Amen. Boll. 2. April.

S. Juliana V. in ultimo morbo sæpè repetebat, beati mortui, qui in Domino moriuntur. Boll. 5. Apr.

S. Thomas Aqu. junctis manibus, & elevatis in cœlum oculis, pronuntians magno cum fervore verba Cantici, quæ erant ultima, quæ explicarat: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum. S. Franciscus Salef. tr. de div. am. l. 7. c. 9.

Joannes Gerson Cancell. Paris. lætus corde, facie hilari, expiravit, hæc verba pronuntians: ò Deus! fortis est ut mors dilectio tua. Id.

Quidam frater, dum extremum spiritum traheret, fratresque multi morienti adstarent; repentè manum clausam protulit, cum magno jubilo dicens: benè mihi! bene mihi! denarium accepi. S. Honorius s. in Septuag.

Vox ultima S. Mariæ Ægniacensis morientis: quàm pulcher es rex noster Domine! Alleluja! Cornelius in Prov. 14.

§. XXII.

Mors prænuntiata variis signis.

CAmpanula in Monasterio Camorensi PP. Dominicanorum triduo ante obitum alicujus Religiosi sponte sua solita pulsari. Similis campanula in Monasterio S. Dominici Cordubensi; & Monialium in Germania. Joan. Nieremberg. l. 1. de mir. nat. in Europa c. 12.

In quodam Monasterio Galliæ S. Mauritii tot sunt in quodam stagno pisces, quot Monachi: quorum aliquo ægrotante supernotat aliquis piscis infirmus, morituro præmoritur piscis. Id. l. 2. c. 53.

Quando quispiam ex cœtu S. Victoriani Abb. in Hispania moriturus est, arca, in qua sacrum ejus corpus (nunquam aperitur) triplici citu quatitur Boll. 12. Jan.

§. XXIII.

Mors non timenda ob sequentes rationes.

Prima.

Mors Christi reddit suavem mortem.

Ex Veteri, & Novo.

AFferte mihi vas novum, & mittite in illud sal. 4. Reg. 2. 20. 21. Elisæus sale aquas Jericho sanavit, & potabiles fecit: sic Christus ipsam mortem dulcem fecit. Diez Conc. 1. in Com Doct.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26. 38. S. Ambros. l. 10. in Luc. homo in plaga, & sciens ferre infirmitates, nos vult erudire: ut quia in Joseph dicimus carcerem non timere; mortem vincere disceremus in Christo, & quod est ampliùs, futuræ mortis mœstitiam vinceremus.

Sinite hos abire. Joan. 18. 8. Apostoli destinati erant carceri, vinculis, morti; cur iis nunc tradi vetat Christus? Nondum erat passus, nec Passionis exemplum positum ante oculos; & tunc ruina eis timeri potuit in tormentis. At post hanc securè omnibus cruciatibus traduntur. Quis enim, visa morte Christi, mortem timeat? Philippus Abb. ep. 14. pro salvandis illis prior ipse elegit mori; ut postmodum facti fortes idem referant Salvatori. Sylveira in Apoc. 2.

Regeneravit nos per resurrectionem Jesu Christi, ex mortuis. 1. Petri 1. 3. Mortuus est, nè nos mori timeremus: resurrexit ex mortuis, ut & nos per eum resurrecturos esse speremus. V. Beda hìc.

Iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdina. Apoc. 4. 3. Per eam multi Patres Passionem Christi D. agnoscunt, quod eò plus arridet; cum constet res horribiles à smaragdo reddi pulchras, aspectuque delectabiles, Unde, ut fœdissimè gladiatorum strages, vulnera tabe, pulvereque, deturpata à spici possent ab Imperatoribus Romanis; hæc illi horrenda festa spectabant smaragdinis speculis interpositis. O utinam Christiani ob oculos sibi ponerent smaragdinum speculum, Passionem Christi! equidem amarent mortem, & gratissimè aspicerent quamvis mortificationem, & abjectionem. Baeza lib. 4. c. 5. §. 35.

Ex Patribus, & aliis.

Contemnenda tibi mors est, cui Christus occisus est. S. Cyprianus l. de laude martyrii.

O divinum mysterium! ò evidens sacramentum! evasimus interemptorem, potentem vicimus: ibi nunc cibus vitæ est, ubi erant antea miseriæ, fames, mortes. In salutem pericula, in suavitatem amaritudo convertitur. Gratia ex offensione processit, potentia ex infirmitate, vita de morte. S. Ambr. in Præf. ad l. 2. de Spir. S. agens de melle in ore leonis à Samsone invento.

Sed jam levi circumcisionis dolore non est opus Christiano; qui mortem Domini circumferens per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit. Quis enim acu utatur ad præliandum, cùm talis instructus sit validioribus? Id. ep. 77.

Molestia quantacumque sit mortis; debet eam vincere vis amoris, quo amatur ille; qui, cùm sit vita nostra, etiam mortem voluit ferre pro nobis. S. August. tr. 123. in Joan.

Ubi suum Salvator excitavit corpus, non jam pavenda mors est: nam & parvuli adhuc per ætatem festinant mori; seque adversùs eam parant exercitatione jugi, non modò viri, sed & fœminæ. Adeò enim infirma facta est; ut & muliebris ab ea seductus sexus eam modò perinde acsi mortuam, remissamque deludat. Nam sicut cùm tyrannus à vero rege debellatus, manus ac pedes, nexibus dederit; omnes eum transeunt, illudunt, cædentes illum, ac pertrahentes; nec jam ipsius vesaniam timent ac feritatem, victoris regis viribus freti: ità & morte superata, atque à Salvatore in cruce suffixa; & pedes, manusque revincta; omnes Christi Fideles ipsam transeundo contemnunt. S. Athanasius lib. de Incarn. Verbi.

Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? jam non stimulus, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, & moriendo cantat. S. Bernardus s. 26. in Cant.

Secunda.

Mors à morte Christi somnus est.

Dormite jam, & requiescite. Matth. 26. 45. S. Hilarius super Matth. ait: divinum Magistrum discipulos his verbis docuisse, quàm meritò jam possent securè, & tranquillè, requiescere: siquidem hora accesserat, in qua ipse morte sua omnes metus, pavores & timores nostros, susceptùrus erat. Tam pio ergo remedio, quale est, Dei Filium pro hominibus mortuum, quid pertimescere potero? Diez amor Dei erga hom.

Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Luc. 5. 24. Jam non lectus doloris, sed quietis; miseratione etenim Domini cœpit quies esse, quod mors erat; qui nobis saporem mortis vertit in mensam voluptatis. S. Ambros. hìc.

Lazarus amicus noster dormit. Joan. 11. 11. Postquam Christus venit, & pro Mundi vita mortem subiit, non ampliùs vocatur mors, mors; sed somnus, & dormitio. Qua de causa & locus cœmeterii, (q. d. dormitorii) nomen invenit. S. Chrys. tom. 6. or. in crucem Domini.

Nolumus vos ignorare de dormientibus. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est &c. 1. Thes. 4. 12. 13. Quid est hoc S. Apostole? Christum, qui est vera vita, mortuum appellas; hominem vero, qui nihil aliud est, nisi mortis imago, dormientem vocas? Christum mortuum vocat; hominem autem dicit dormire: nos enim ideò dormimus, quia Jesus Christus mortuus est; & effecit, ut mors nostra somnus esset. Diez s. 6. D. 4. Quadr.

Superveniens Dominus hæc omnia sustulit, ad nomina usque tantùm, si volumus. Neq; enim mors, mors ultrà est; sed nomen tantùm habet mortis: imò & ipsum nomen sublatum est: nam neque mortem ultrà dicimus; sed soporem, & somnum. Sanct. Chrysost. hom. 29. in Gen. de miseriis per Adamum inductis.

Dormire morti simile est; evigilare resurrectioni simile est. S. August. s. 120. de diversis.

Tertia.

Mors est solùm iter, peregrinatio &c.

Ex Veteri.

TU autem ibis ad Patres tuos. Gen. 15. 15. Non dicit morieris, sed abibis: quasi peregrinaturo, & migraturo à Patria in patriam. S. Chrys. hom. 37. in Gen. hìc.

En

En ego hodie ingredior viam universæ terræ. Jos. 23. 14. S. August. legit ex Sept. *ego autem recurro viam.* Recurrere, est, idem sputum semel, & iterum conficere, jam dimensum repetere. Si ergo Josue antea mortuus non fuerat, quomodo potuit recurrere, quod constabat ignorare? Quia expertus fuerat utili consideratione, quod non didicerat experientia. Naxera hìc.

Ego vadam magis ad eum; ille verò non revertetur ad me. 2. Reg. 12. 23. S. Paulinus ep. ad Pamachium: docuit rex propheta, quam post nostros sollicitudinem debemus induere; videlicet, ut de nostro itinere laboremus. Sic se gessit Abraham in uxoris funere. Gen. 23. 9. in quo eadem cura parat uxori sepulchrum, & sibi: *ut det mihi speluncam duplicem.* Baeza t. 2. l. 10. c. 2. Hæc est via regia, via communis; per quam necesse est omnes ire; & reges, & servos; & bonos, & malos. Hugo Card. hìc.

En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera &c. Cant. 2. 10. In hora mortis dilecta anima sponsi præsentiens adventum ità loquitur, *surge* à corpore mortali, quo vincta teneris; *surge* à miseriis, quibus fatigaris in hac lacrymarum valle: *propera* exire à carcere hujus mortalis corporis: *& veni* mecum, ut in æternum regnes &c. De Ponte hìc Exh. 17. §. 3.

Veni de Libano &c. Cant. 4. 8. Veni per optimam vitam, quam in corpore vivens exerceas. Veni absoluta corpore ad percipiendam animæ vitam perennem. Veni tertiò, recepto corpore, ad videnda resurrectionis gaudia perfecta. V. Beda l. 4. in Cant.

Surgite, & ite; quia non habetis hìc requiem. Micheæ 2. 10. Jubemur, in nullis Mundi rebus putare nobis requiem; sed ad sublimia tendere. S. Hieron.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Filius hominis vadit. Matth. 26. 24. significat peregrinationem magis, quàm mortem, occisionem suam. Theophylactus hìc.

Nunc dimittis &c. Luc. 2. 29. Cur dicitur dimitti, non mori? Cùm Jesum contemplatur, & manibus tenet, mors sileturi; & mutato verbo, vocatur dimissio, seu migratio: quia ad Jesu præsentiam nulla mors, nec illius sentitur angustia. S. Ambros. hìc, qui vult dimitti, accipiat in manibus verbum Dei, contempletur velut quibusdam fidei brachiis. Tunc dimittetur; ut non videat mortem, quia viderit vitam. Sylveira hìc.

Ante diem festum Paschæ. Joan. 13. 1. Dies festus debet nobis esse, cùm transimus in morte. Hugo Card. hìc.

Una est mors, quando copula corporis, & animæ separatur; non formidabilis, non timendæ: cùm discessio quædam nostri videatur esse, non pœna. Non metuenda fortibus desideranda sapientibus, miseris exoptanda. S. Ambr. l. 7. In Luc.

Sanctorum Virorum exitus in hac vita nequaquam plorandus est; sed magis genesis, & ad hanc vitam ingressus. Pretiosa mors, non pretiosa genesis hominum. S. Basil. in Ps. 115.

Quotidie diem exitus tui expecta, & ad ingrediendum illud iter te para: qua enim hora minimè putas, veniet mandatum horribile, & væ tunc imparatis! S. Ephrem. Consilio de vita spir. &c. c. 51.

Mortem nominamus Galicè Trespas, id est, transitum; & mortuos trespasler; quasi diceres: qui transierunt. S. Franc. Salef. tr. de div. am. l. 8. c. 13.

Quid tandem est mors? peregrinatio ad tempus; somnus consueto longior. S. Chrysost. hom. 5. ad pop. Antioch.

Mors bonorum non est timenda, sed potiùs diligenda, propter multa: nam talis mors non est, nisi acceleratio glorificationis, disruptio carceris, finis peregrinationis, portus navigationis, depositio vetustæ vestris, induitio novæ vestis, depositio, solutio debiti naturalis. Hugo Card. in Prov. c. 3.

Quarta.

Mors est iter ad Patriam, Patrem, Christum &c.

Ex Veteri, & Novo.

Dimitte me, ut revertar in patriam. Gen. 30. 25. Cur Jacob, tot ex Lia liberis susceptis, non curat de reditu in patriam, quasi oblitus illius: & cùm primùm Rachel peperit Joseph, statim dimissiones petit? Stephanus Cantuar. quamdiu Lia fœcunda fuit, Jacob non suspirat ad patriam; sed quamprimum de Rachele generat filium, tam citò suspirat ad reditum. Ità & vir justus, dum activæ vitæ laboribus exercetur, ad cœlestem patriam non anhelat? sed quam citò contulit se ad contemplationis requiem, & fruitur contemplatione divina: tunc totis mentis affectibus ad superna suspirat. Castillo hìc Illat. 50.

Per aliam viam reversi sunt. Matth. 2. 12. Revertamur & nos per aliam viam in regionem nostram: quia per illam, qua exivimus, redire non possumus. Eusebius Emiss. in Epiph D. Gloria cœlestis, est terra propria, & regio, ad quam debemus ire finaliter: quæ nostra est triplici ratione, & jure; scilicet creationis, redemptionis, & legationis. S. Vincent. Ferr. s. 3. in Epiph. D.

Pater noster, qui es in cœlis. Matth. 6. 9. Si audieris *Pater noster*, arripe generosum, nobilemque, contemptum omnis fœdæ rusticitatis tu, qui tam regio Patre gloriaris. Displiceat tibi, atque gemas exilium; cui cœlestis hæreditas filiationis titulo, cujus Pater in cœlis est, reservatur. Joan. Gerson. de Myst. Theol. Consid. 5.

Transfretavit & venit in civitatem suam. Matth. 9. 1. Salsas maris undas Christus transmisit, ut in patriam suam perveniret. Docet, per amaritudines, scopulos adversitatum, fluctus ærumnarum, contendendum nobis esse ad cœlestem patriam. Didacus Nyss. D. 18. Pent. §. 2.

Et misit illum in domum suam, dicens: vade in domum tuam. Marci 8. 26. Postquam sanavit, mittit in domum: nam domus uniuscujusque nostrum cœlum est; & mansiones, quæ sunt in eo. Theophylactus in Cat. S. Thomæ.

Transeamus usque in Betlehem. Luc. 2. 15. Moraliter, & anagogicè simul, per Betlehem designatur cœlestis patria; quæ est domus panis, domus refectionis: quia ibi panis vitæ plenè comeditur usque ad satietatem. Luc. 14. 15. *beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Hugo Card. hìc.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23. 46. Moribundus meminerit Deum non tam Judicem, quàm Patrem suum, quò securè migret. Ecce Magister noster in ultimis constitutus, quem doceat à nobis invocandum; ut facilè, & securè, viam universæ carnis intremus. *Pater! in manus tuas.* Prodigo illo ad patrem revertenti, & intimis præcordiis dicenti: *ibo ad patrem meum*, occurrit festinus pater, ruit in amplexus, & oscula. S. Chrysol. s. 2. pater, viso filio, cooperit mox reatum, dissimulat judicem; qui magis vult implere genitorem. Baeza l. 4. c. 5. §. 32.

Nunquid potest homo *in ventrem matris suæ iteratò introire?* Joan. 3. 4. Mater nostra, Dei, & beatorum omnium Angelorum ejus, una concors, & dilecta civitas est. S. Rupertus l. 3. in Joan. hìc.

Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc Mundo ad Patrem. Joan. 13. 1. Mors justorum æternis Paschatis initium. Drexelius Opusc. Joseph Æg. Pror. c. 19. §. 3.

Ex Patribus.

Ejus est mortem timere, qui ad Christum nolite ire. S. Cyprianus l. de mortalitate.

Tot persecutiones animus quotidie patitur; & delectat hic inter diaboli gladios diu stare? cùm magis concupiscendum sit, & optandum; ad Christum, subveniente velociùs morte, properare. Id. ib.

In præsenti vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. S. Gregor. hom. 11. in Evang.

Eja fratres mei! ardenter desideremus propriam patriam: peregrinationem istam, quæ nos ab ea adhuc detinet, toleremus, non amemus: festinemus tamen. Ascendamus navem fidei simul, & crucem; nec desit anchora spes nostræ salutis. Extendamus funes, diversas virtutes; vela charitatis colligamus; invocemus ventum prosperum verbum Dei; exhauriamus sentinam à peccatis, per eleemosynam mundetur conscientia. S. August. l. 2. de discipl. Ch. c. 2.

Hoc distare in hac vita inter Electos, & reprobos solet; quòd Electi, peregrini nunc, & exules, patriam expectant in futuro: tantoque minùs gaudiis in præsenti delectentur caducis, quantò futura sine fine, gaudia se sperant accipere. At verò reprobi hìc habent patriam, cujus solùm vitæ desideriis norunt inhiare: ideoque post hanc vitam in exilium relegabuntur perpetuum; ubi, cunctis carentes voluptatibus, sola in tormentis patientur adversa. V. Beda in 1. Petri 2. 11.

Viam pro patria miramur; & somnia pro veritate complectimur: regnum disponimus in exilio, & portum collocamus in pelago. Eucherius s. 6. Exhort. S. Faustini Ep.

Exempla.

S. Adelardi Abb. Corbel. fuere ultimæ morientis voces: nunc dimittis servum tuum &c. nunc quid superest? nisi ut ad te veniam. Hinc ibo, & ad Deum meum veniam; lætus veniam, lætus moriar. Boll. 2 Jan.

B. Virgo Gertrudis ab Oosten in Belgio, in infirmitate, munita jam Sacramentis dicebat sororibus: Sorores; ego domum volo. Dicentibus, eam domi esse, dixit illa: nequaquam domi sum; sed esse volo, ubi sternuntur plateæ auro mundo. Boll. 6. Jan.

S. Laurentius Justinianus prope mortem ajebat: hactenus, filii, per jocum res acta est; seriò nunc agitur: propè est sponsus; eundum ei obviam. Et sublatis in cœlum oculis: venio ad te bone Jesu! Boll. 8. Jan.

§. XXIV.

Alia motiva non timendi mortem.

Ex Veteri.

Testes in vocem quòd proposuerim vobis vitam, & mortem. Deut. 30. 19.

Non comedit leo de cadavere &c. 3. Reg. 13. 28. Leo ille, quem prophetam paulò antè occiderat, nec devorare, nec discerpere ausus; sed custodis instar, ab aliarum ferarum incursu defendit; donec honorificè sepeliretur. Jam quæro: Propheta hic impiusne fuit, an sanctus? si sanctus; cur à leone vivus occiditur? si peccator; cur mortuus à leone defenditur? solvit dubium. S. Gregorius l. 4. Dial. c. 24. culpabilis invita fuit; punita inobedientia erat jam justus eo morte. Leo ergo, qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver justi. Nec id mirum videatur: si enim excelsæ virtutis est, in quavis adversitate se divinæ voluntati conformare; quantò magis in morte, à qua sensus plus quàm ab alio abhorrent malo. Segneri s. 26. f. 5. D. 4. Quadr.

Cooperuit nos umbra mortis. Ps. 43. 20. idest, mors temporalis, & corporalis; quæ non est, nisi umbra in respectu mortis spiritualis, & mortis æternæ: quæ vera mors dicitur; quia permanens est in æternum. Hugo Card. hic.

Et dies mortis (supple) melior est *die nativitatis*. Eccl. 7. 2. Etenim moritur ad quiescendum. *Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Apoc. 14. 13. sed hic nascitur ad laborem. S. Bonaventura hic.

Ex Novo.

Et resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17. 2. Ad mortales tenebras subeundas hanc sibi faciem prætulit Dominus. Sed cur instar solis se ad mortem parat? S. Zeno Veron. hom. de resurr. sol quotidie nascitur; eodemque diè, quò nascitur, emoritur; nec tamen instantis finis sorte terretur, ut suos retardet cursus. Sed fidelis semper intrepidus ad sepulchrum noctis contendit; sciens in ipso se habere, quòd vivat. Baeza l. 3. c. 4. §. 12.

Nunc dimittis Domine servum tuum in pace. Luc. 2. 29. Pax habetur per mortem; quia vita hominis militia est. Oliva l. 13. Strom. hic.

Misericordia motus super eam. Luc. 7. 13. Tam miserum est nasci, tantâ felicitas mori! ut nato de vita compati, de nato autem de morte gratulari possis. Matrem mœstam superstitem, non defunctum, Christus miseratus fertur ab Evangelista. Dicebat Seneca: Stratagema est naturæ, homines sine ratione nasci. Nam si ratione inter vitæ primordia pollerent, qua possent calamitates venturas prævidere; quis lacrymabilem vitam diligeret? Didacus Nyss. f. 5. D. 4. Quadr.

Gravati erant somno. Luc. 9. 32. Somnus est vita præsens, quo gravantur oculi interiores. Ab hoc somno evigilat homo, cùm moritur: & tunc potest videre majestatem Dei; ante non. Hugo Card. hic.

Et vos similes hominibus expectantibus &c. Luc. 12. 36. Observa: dies mortis dicitur dies nuptialis: hinc nulla timoris, sed spei fit mentio. Non dicitur: vos similes hominibus timentibus Dominum suum; sed *expectantibus*. Licèt enim tota vita hominis ordinata sit ad timorem; in morte tamen potiùs sperandus, quàm timendus est Deus; multumque de ejus bonitate confidendum. S. Ambros. l. de bono mortis c. 8. mortus metus non ad mortem referendus est, sed ad vitam. Prov. 14. 32. *in malitia sua expelleretur impius; sperat autem justus in morte sua.* Sylveira hic.

Et lacrymatus est Jesus. Joan. 11. 35. Vestræ non debent à Salvatoris lacrymis discrepare; si estis Salvatoris amici: qui non pro morte Lazari, sed pro ipsius revocatione ad miserias temporales, planxisse dicitur, & luxisse. Blesens. ep. 174. S. Chrysol. s. 65. certè ipse, qui dixerat. *Lazarus mortuus est, & gaudeo*: de quo gaudet mortuo, ipsum dum resuscitat, tunc lamentatur. Qui, cùm amittit, non flet; cùm recipit, tunc deplorat. Tunc fundit lacrymas mortales, vitæ spirituum cum refundit. Justorum enim mors non prosequenda lacrymis, sed gaudio celebranda. Ideò gaudet, cùm moritur; ideò flet, cùm resurgit. Escob. t. 1. Mir. Chr. lib. 10. obs. 7. sect. 2.

Vapor è face ardente sequens in altum flammam. Lem. *Quò vivens spiravit, eodem spirat adhuc moriens, speratque invisere cælum.* Coloss. 1. 5. *propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis.* Hesius.

Ex Patribus, & aliis.

Quantis laboribus agitur, ut longiori laboretur! & mors, cùm impendere cœperit, ideò cavetur, ut diutius timeatur. S. August. ep. 45.

Mors invitis imperat, volentibus servit. S. Chrys. s. 5. de proditore.

Mors quies viro est. S. Chrysost. hom. de nom. Abram.

Haud scio, an hæc vita nostra mors potiùs dicenda sit; an mors contra vitæ nomine appellanda. S. Greg. Naz. Carm. de hum. nat.

Mors est portus, ad quem continuò navigamus. Idiota lib. 5. c. 8. de contempl.

Leo, quem, injecto in os fræno, sola moderatur manus. Lem: *Dies, & ingenium.* Mors quasi horribilis leo, inquit Idiota l. 5. c. 5. Sed quid facias, ut mitescat? Effice tibi mortem cogitatione familiarem; ut, si tua sors tulerit, possis ei obviam exire: est namque magna sapientia frequenter cogitare de morte. Did. Nyss. s. in Cin. §. 6.

§. XXV.

Mors probis est somnus.

Ex Veteri.

Dormivit igitur David. 3. Reg. 2. 10. Scripturâ mortem vocat somnum ob fidem, & spem resurrectionis. Cornelius hic.

Nunc dormiens silerem. Job 3. 13. Silentium mortem vocat, ut hoc tropo mortem commendet: nam in Scriptura idem est silere, quod cessare: quia in morte strepitus omnes, & tumultus hujus vitæ cessant. Unde & Hebræi vocant sepulchrum *duma* idest, *silentium*. Diez Mors.

Dulcis est somnus operanti, sive parum sive multum comedat. Eccl. 5. 11. Qui Deo famulantur, æquo animo feruntur, atque lætantur; de temporali hujus sæculi vita in æternam transferri; quam vitæ præsentis translationem pulchrè vocavit somnum. Olympiodorus hic. *Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Apoc. 14. 13.

Ex Novo, & aliis.

Dormit. Matth. 9. 24. Fortè puella ista non fuit mortua morte culpæ, quamvis fuerit mortua morte naturæ: ut ideò quoque dictum sit, *non est mortua, sed dormit*. Dionys. Carth. hic.

Lazarus amicus noster dormit. Joan. 11. 11. idest, quia amicus, ideo dormit. Hugo Card. in Gen. 7.

Mors Sanctorum somnus potius est, quàm mors. S. Joan. Damascenus orth. fid. l. 4. c. 16.

Sanctorum mors somnus est; peccatorum verò mors est: quia in Inferno pœnæ vivunt, vitæ pereunt. S. Chrysol. s. 96.

Venit quidem mors, sed somnus erit dilectis Domini. S. Bernardus s. 28.

§. XXVI.

Mors probi læta, plena solatiis, optata.

Ex Veteri.

Et sicut dies mercenarii dies ejus. Job 7. 1. Mercenarius enim dies suos citò desiderat transire; ut ad prœmium perveniat. Sic justus. Hugo Card. hic.

Expectto, donec veniat immutatio mea. Job 14. 14. Symmachus: *donec veniat nativitas mea.*

Putredini dixit: pater meus es; mater mea, & soror mea vermibus. Job 17. 14. Origenes hic: ut pueri consolatores habent parentes; sic ego mortem, & putredinem.

Ridebit in die novissimo. Prov. 31. 25. Sept. *gaudebit in diebus novissimis.* Syrus: *exultabit in die extremo.* Per diem novissimum accipe mortem q. d. virago hæc probè, & strenuè operata est omne bonum per totam vitam: quare in morte benè sibi conscia, & sperans prœmia cœlestia, non tristabitur, sed ridebit, & exultabit. Cornelius hic.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Voca operarios. Matth. 20. 8. Non vocantur hic nobiles; non auro, & purpura fulgentes; non sublimes Philosophi; sed soli operarii; de solis operibus hic sermo. Quamvis hodie, durante Mundi hujus die, non nisi de sola scientia, dignitatibus, & nobilitate habeatur mentio; in mortis tamen hora non nisi de operibus agetur. Tunc magis proderit injurias propter Deum remisisse, & cum inimico in gratiam redisse; quàm eximias illas Julii Cæsaris victorias obtinuisse. Tunc majori dignus laude censebitur unicus humilitatis actus; quàm omnis illa à Scriptoribus celebrata Alexandri M. majestas. Unica tunc in egenos erogata eleemosyna majoris ponderis futura est; quàm amplissimæ Cœsi opes. Besseus D. Septuag.

Dicite filiæ Sion &c. Matth. 21. 5. Verbum propositum est verbum Dei ad sanctos Angelos ut loquantur amicabiliter animæ sanctæ, bonæ, & justæ, ab hac vita recedenti, tanquam concivi eorum, & cohæredi dicentis, dicite: *ecce rex tuus*, quem tam ardenter desiderasti; amasti, & cui tam fideliter servisti. S. Vincent. Ferr.

Non gustabunt mortem. Marci 8. 39. Decentissimo verbo sanctos mortem gustare testatur; à quibus nimirum mors corporis quasi libando gustatur; vita verò animæ veraciter possidendo tenetur. V. Beda hic.

Secundùm verbum tuum in pace. Luc. 2. 29. Proprium justorum est, mori in pace. Abrahæ dicitur Gen. 15. 15. *Tu ibis autem ad patres tuos in pace.* Stella hic.

Misit servum suum hora cœnæ. Luc. 14. 17. idest, in fine vitæ, ait Anselmus. An mors potest hora cœnæ vocari? quid mortis horroribus cum epuli voluptatibus? sanè justorum mors convivium est, cœlestibus epulis præparatum. Escobar t. 6. par. Chr. l. 5. sect. 1. obs. 2.

Non habemus, quod in morte metuamus; si nihil, quod timendum sit, vita nostra commisit. Sanct. Ambros. l. de bono mortis cap. 8. O vita secura; ubi puta conscientia! ò, inquam, vita secura, ubi absque formidine mors expectatur; imò & expectatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione. Sanct. Bernardus serm. exhortatorio ad milites templi cap. 1.

Non sic vixi, ut pudeat me inter vos vivere. Sed nec mori timeo; quia bonum Dominum habemus. S. Ambr. dixit moriens. Corn. in Gen. 50.

Mors Christianis ludus est. Prudentius hymno de Sanct. Vincent.

In morte triumphat, cui non dominatur iniquitas in vita. Guarricus Abb. s. 3. de adv. D.

Cygnus cùm ad mortem appropinquat, dulcissimè canit: nam ut Aristoteles in Problem. in morte accedit sanguis ad cor; sanguis autem cygni est valde generosus, qui illum canere facit. Sic virtutes faciunt justos hilariter mori. Diez conc. 3. in Purif. B. V.

§. XXVII.

Mors probis beata, honorifica, non defletur.

Ex Veteri.

Moritur Josue, & nullo planctu sepelitur. Jos. 24. Moyses obit. Deut. 34. 7. 8. & cum planctu sepelitur. Cur? Moysis mors peccatorum mortem figurabat; Josue justorum. Sanct. Hieronym. ep. ad Paulam de obitu Blesillæ: in Moyse, idest, in Lege veteri, sub peccato Adam omnes tenebamur; & ad inferos descendentes consequenter lacrymæ prosequebantur, secundùm Apostolum, qui ait Rom. 5. 14. *regnavit mors ab Adam usque ad Moysen*. In Jesu verò (seu Josue) idest, in Evangelio, per quem justo paradisus est apertus, mortem gaudia prosequuntur. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 10. obs. 7.

Ad vesperum demorabitur fletus & ad matutinum lætitia. Ps. 29. 6. Ubi ex PP. sententia vespertino tempore lex peccatoribus tradita designatur; matutino autem gratia justorum. Ad vesperum fletus, cùm peccatores obeunt; ad matutinum lætitia, cùm justi decedunt. Id. ib.

Date ei de fructu manuum suarum. Prov. 31. 31. Anima sancta audiet in hora mortis à S. Angelis: *date ei &c.* scilicet, date ei mercedem, & gloriam, pro merito heroicorum actuum, quos manibus operata est. ità Salonius. Cornelius hic.

Tempus putationis advenit. Cant. 2. 12. Mors justis est sicut putatio arboris: sicut enim arbor fructuosa putatur, ut novos fructus ferat; sic justus Christo unitus tanquam palmes putatur in morte, ut novos, & dulcissimos fructus ferat divinæ visionis, gaudii, & amoris. De Ponte hic.

Ut ascendam ad populum accinctum nostrum. Habac. 3. 16. Hebr. *unitum, collectum, colligatum, & congregatum.* Fideles, & Sancti, cùm diem suum obirent, dicebantur congregari, & colligi ad populum suum, Patribusque suis apponi: ut de Moyse Num. 31. 2. de Josia 2. Paral. 34. 28. Dicebantur autem colligi, seu colligari, in fasciculo viventium. 1. Reg. 25. 29. ut instar odoratorum florum fasciculi in æternum essent in manu Domini. Eccl. 39. 17. Cornelius hic.

Ex Novo.

Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme. Matth. 24. 20. Justi omnes moriuntur in vere; quocumque anni tempore moriantur: nam Deus illos vernantes velut rosas colligit. Pharmacopolæ sub vernum tempus uno quandoque die aliquot rosarum millia carpunt: ità Deus quotidie veris opes, suas sibi decerpit rosas; quotidie beatorum numerus augetur morientium decessu. Sponsa gratulatur sibi Cant. 1. 6. *Dilectus meus descendit in hortum suum.* Quod Theodoretus explicat: de spinis colligit lilia, rosasque; scilicet animas de corporeis sollicitudinibus. Drexelius opusc. 7. Joseph c. 19. §. 2.

Posuit eum in monumento excelso. Luc. 23. 53. Gloriosam voluit habere sepulturam, juxta Isa. 11. 10. ut doceret à morte incipere justorum gloriam, ubi superborum finitur. Stella hic.

Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus. 1. Cor. 15. 55. *stimulus mortis peccatum est.* Nullus timor mortis, ubi non est peccatum. Apoc. 2. 11. *qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* Cùm dicat mortem secundam, sequitur, esse mortem primam. Hæc est peccatum. Jacob. 1. 15. *peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Altera mors est, quæ corpus occidit. Qui igitur primam mortem, idest, peccatum, vicerit, non lædetur à morte secunda: quia venit ad eos mors languida, imbecillis, sine peccati stimulo. Id. hic.

Tempus resolutionis meæ instat. 2. Tim. 4. 6. S. Cypr. ep. 9. ad MM. legit: tempus assumptionis.

Ex Variis.

S. Thomas Aqu. à sorore interpellatus; quid maximè in hac vita desideraret? respondit: benè mori. Corn. in Eccl. Prolegom. c. 5.

In morte Sanct. Laurentii Justinian. Patriarchæ Veneti auditus cantus Angelicus. Ex vita B. Angelæ de Fulgino 8. Januar.

Die qua B. Joetta reclusa obiit; pluvia, venti, nix, grando, omnia permiscebant: ad fenestram tamen cellulæ agonizantis multitudo insedit innumerabilis avium diversi generis; & quasi congaudentes decedentis gloriæ modulabantur suavissimè: perseveravitque concentus avium ille, donec campanarum cessaret sonitus; quæ pro ejus obitu pulsabantur. 13. Jan.

§. XXVIII.

Ex morte necessaria fac virtutem.

Ascende in montem istum Abarim, &c. Num. 27. 12. ex quibus constat; Moysen, propter offensam Deo illatam ad aquas contradictionis, exclusum terra promissionis. Et tamen Deut. 34. 5. de eo dicitur: *Mortuus est Moyses servus Domini jubente Domino.* Cùm in pœnam sui peccati mortuus sit; dicitur tamen jubente Domino; seu, ut Hebr. legit: *ad os Domini*; seu, ut alii: *in osculo Domini*: quod significat mortem quandam jucundissimam. Si imposita in pœnam peccati, quomodo tam suavis? novit pœnam convertere in obedientiæ, & virtutum, facinus; conformans se divinæ voluntati. Sylv. l. 8. in Joan. 16. c. 16. q. 8.

Morientur, & non in sapientia. Job 4. 21. S. Greg. l. 5. mor. c. 30. mortem quidem, & sapientiam, pariter fugiunt; sed sapientiam penitus deserunt; mortis autem laqueos non evadunt. Et qui quandoque morituri, vivere, moriendo potuerant, dum mortem, quæ procul dubio ventura est, metuunt; & vitam simul, & sapientiam perdunt. At contrà justi in sapientia moriuntur: quia mortem, quam devitare funditùs nequeunt, cùm pro veritate imminet, differre contemnunt; eamque, dum æquanimiter ferunt, pœnam propaginis vertunt in instrumentum virtutis.

Domine memento mei &c. Luc. 23. 42. Sanct. Hieronym. ep. 13. ad Paulin. latro crucem mutat paradiso, & facit homicidii pœnam martyrium. O beatissimum latronem! imò non latronem, sed martyrem, & Confessorem: necessitatem enim vertit in voluntatem; & pœnam commutavit in gloriam; & crucem in triumphum. In te beatissime Confessor Martyr, de totius mundi sterilitate, fidei reliquias colligit Christus: tu fugientibus Discipulis, & Petro negante, socius, & comes Passionis ejus fieri gavisus es. Tu Petrus in cruce fuisti; & Petrus in domo Caiphæ latro. Drogo Ost. de Pass. Fuit illi crux, quam pertulit, non tam supplicii damnatio, quam salutis occasio. Sanct. Ambros. de latrone s. 44.

Si post modicum morituri sumus, nulla Dei causa proposita; quomodo non ante modicum in causa Dei cum gloria morimur: ut fiat voluntarium, quod futurum est necessarium: utque offeramus Deo pro munere, quod reddendum est pro debito. Auth. Imp. hom. 26. in Matth.

Vides sapientiam Dei, quo pacto maximum illud malorum, caputque nostræ calamitatis, quod invexit diabolus; mortem, inquam, in honorem, gloriamque nostram, convertit; ac per hanc ipsam athletas ad martyrii bravia deduxit. S. Chrysost. t. 6. Laudatio OO. SS. MM.

Apis in thymo. Lem: *Dulcescit amator.* Mortis meditatio. Bzovius.

§. XXIX.

Mors impiorum misera, infelix &c.

Ex Veteri.

Agag pinguissimus. 1. Reg. 15. 32. Chaldæus, & alii: *Agag deliciosus - siccine separat amara mors* lib. q. d. ò quàm amara est mihi delicato, & deliciis enutrito, ista mors imminens! & quàm statu meo regali, opibus, honoribus, & deliciis abundanti, indigna: sperabam enim in iisdem, quibus assueveram, vitam concludere. Corn. hic

Sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustiæ. 2. Reg. 1. 9. Corporisne, an animæ, an ab hominibus, an à dæmonibus, excitatæ? Hebræus apud Abulensem in l. 2. Reg. cap. 1. sic habet: *tenent me ora vestimenti sacerdotalis.* Animo

mo ejus, & oculis, objiciebantur omnes illi sacerdores Domini, accusantes eum in judicio coram Domino. Quòd Sauli infelici accidit, peccatori evenit; cùm in ferali agone derelictus jacet. Horrenda aliquibus specie objicient fraudari mercede mercenarii, pauperes in extrema necessitate deserti. Aliis obversabuntur juvenes sceleratè seducti &c. Tunc clamabunt: *tenent me angustiæ*. S. Chrysost. conc. 2. de Lazaro: cùm semper nos stimulet peccatorum conscientia; cùm verò maximè illa *hora*; cùm hinc sumus abducendi: tunc enim sive quis rapuit, sive fraudavit, sive contumelia affecit, universus illic peccatorum cumulus renovatur. Segneri ser. 24. f. 3. D. 4. Quad. O quàm leviùs tunc premeretur angustiis; si tota *simul* non esset vita auferenda; si pars aliqua jam antè foret sponte dimissa. Naxera in Jos. 23. §. 30.

Quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, 2. Reg. 18. 33. Aelredus spec. char. l. 1. c. 34. dicebat de filio parricida sanctus David. Nunquid hoc dixit de Jonatha amico suo? de parricida dici debuit: quia *mors peccatorum pessima*. Pium erat, velle mori pro impio; ut esset, quem pœniteret; esset, cui misereretur Deus; nè in æternum periret. At Jonathas translatus ad requiem, non erat ulteriùs in hanc miseriam revocandus. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 10. s. 2. obs. 2.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. Ps. 40. 4. Lectum doloris diem mortis intelligamus: ille enim gravis est, & molestus peccatoribus propter metum judicii: sed in eo fert opem ei, qui est amator pauperum. S. Chrysost. hìc.

Audite hæc omnes gentes &c. Ps. 48. 1. *os meum loquetur sapientiam*. Dic sancte Propheta sine ambage, quod mente versas. Magnum quid dicturus est, cùm tam prolixa prefatione animos velit attentos; subdit enim statim: *cur timebo in die malæ*? scilicet mortis. Num fortè quòd divitias deseram? aut uxorem? aut liberos? an quia ad loca proficiscar ignota? Non cur ego? *iniquitas calcanei circumdabit me*. Calcaneum est humanæ vitæ extremum; calcanei iniquitas peccata sunt morientis in impœnitentia. Diez conc. 2. D. 1. adv.

Qui iniquè agunt, auferentur ex ea. Prov. 2. 22. Chald. *direptores eradicabuntur ex ea*. Significat, impios invitos, & magno dolore, à terra avelli; utpote illi toto corde affixos. Corn. hìc.

Ne moriaris in tempore non tuo. Ecclæ. 7. 18. inoportuno tempore, ac non suo, decedit è vita, qui consummatus non fuerit in virtutibus; sed qui in peccatis moritur, quibus convixit. Olympiodorus hìc. Quàm multi reprobi salvarentur, si morerentur in tempore suo, cùm sunt in statu gratiæ: jam autem damnantur; quia moriuntur in tempore non suo; id est, quia degunt in peccato mortali. Cornelius hìc.

Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Is. 38. 10. Sancti implent dies suos; qualis fuit Abraham, qui *mortuus est plenus dierum in senectute bona*. Peccatores verò, & impii, *in dimidio dierum* suorum moriuntur. Non enim implent opera virtutum; nec student pœnitentia emendare delicta. S. Hieron. hìc.

Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea &c. Dan. 5. 2. *Balthasar* interpretatur *turbatio*; & signat peccatorem ingratum; qui abutitur vasis templi, potentiis animæ. Cùm se putat securum, mors repentina irruit: convocat Chaldæos, id est medicos, remedium ut adhibeant contra mortem; sed frustrà. Adest Daniel, divina sententia: numeratum est regnum tuum, quia completus terminus vitæ tuæ. Appensus es &c. talenta sine lucro dissipasti. Divisus es; corpus detur vermibus, anima dæmonibus. De Rampelogis. Mors.

Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem. 1. Mach. 6. 12. Quin lætoria cogites ò rex; victoriarum recordare. Ægyptum cogita tibi tributariam, Pelæstinam, Syriam; Tua est Babylon, tua tot gentium spolia: cur horum non memor exultas? heu mihi! non possum! *reminiscor malorum! in quantam tribulationem deveni*. v. 11. Ecce omni in Deum fide carens rex insolentissimè superbus, morti vicinus, conscientiæ stimulos & latratum, dissimulare non potuit. Quid ergo accidet Christianis? heu non tantùm sacrilegia, sed vel levissimæ fraudes, & quodvis exiguum delictum, horrenda nobis specie occurret, & gelidum sudorem exprimet. Segneri sect. 24 f. 3. D. 4. Quadr.

Ex Novo.

Non fiat fuga vestra &c. Matth. 24. 20. Oportet precari, nè fiat fuga nostra ex hac vita, hoc est, mors in Sabbato, otiosis nobis à bonis operibus: neque hyeme, in sterilitate bonorum; sed in serenitate animæ, quæ non turbetur. Theophylactus hìc.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26. 38. *Domine, audivi auditum tuum, & timui*. Terruit me, cùm appropinquaret traditor Judas, & immineret Passionis hora, quod dixisti ad Patrem: *Pater! si fieri potest &c.* & tristem te usque ad mortem, præ nimia anxietate sanguineo sudore perfusus, coram Apostolis es professus. Audiens hæc ego expavi. Quis enim non timeat, si timet ille, quem omnia timent? si pavet ille, cui omne genu curvatur? si ille, qui mors est mortis, & morsus Inferni, morte propinquante pertimescit? S. Cyprianus de Pass. Chr. Quid pro se ille, cùm in agonia esset, peteret, qui in terra positus cœlestia cùm potestate tribuebat? sed, appropinquante morte, nostræ mentis in se certamen expressit; qui vim quandam terroris, ac formidinis patimur cùm per solutionem carnis æterno propinquamus judicio. S. Greg. l. 25. in Job cap. 17. Unde tanta anxietas dolorum plena? repræsentabatur innocentissimo agno, quòd ad tot judices, & tribunalia trahendus esset &c. designans quis futurus sit timor, & anxietas hominum in morte, cùm ante tribunal severissimi judicis sunt sistendi. Sylveira in Luc. 22.

Animam tuam repetent à te. Luc. 12. 12. Angeli, sicut crudeles tributorum exactores, & terribiles, tuam repetent animam, te etiam invito; utpote propter præsentis vitæ immodicum amorem obluctante. Nam à justo non repetitur anima, sed ille gaudens, & exultans, commendat eam Deo Patri Spirituum; neque mortem ægrè fert: corpore enim circumamictus est, ut onere, quod leviter deponit. Peccator verò, qui animam carni subdidit, corpori nimiùm affectus, etiam illam fecit carnem; indivulsam eam habere vult. Idcirco dicitur ab eo repetita; sicut ab inobediente quòdam debitore, qui traditur crudelibus exactoribus. Theophylactus hìc. Semper stimulat nos conscientia peccatorum; sed præcipuè, cùm debemus trahi ad terribile judicium Dei: tunc enim tota congeries criminum innovatur, & præ oculis posita percutit mentem. Et sicut incarcerati semper dolorosi sunt; tunc autem præcipuè, dum debent judici præsentari: sic & anima maximè in ipso tempore egressionis, de peccato cruciatur, & dolet; multoque magis cum fuerit evulsa. Dion. Carthus. hìc.

Non sineret perfodi domum. Luc. 12. 39. Hoc de homo, non justi, sed impii, intellige. Non perfodiet Dominus domum justi, cùm venerit: quia jam ipse aperuit Domino suæ voluntatis januam; & volens, ac libens, de vita decedit. Impius, quia januam aperire non vult, patitur domum suffodi. Stella hìc.

Væ prægnantibus &c. Luc. 21. 23.

Ex Patribus, & aliis.

Non ità delinquentes peccata delectent, ut illos in suis actibus vitæ hujus finis inveniat: quoniam in Inferno nulla est correctio. S. Leo s. 5. in Epiph. D.

S. Chrysost. tom. 6. tr. Panegyrico de SS. MM. Berenice, & Prosdoce VV. fusè ostendit, quomodo Abraham mortem timuerit Gen. 20. 11. Jacob. Gen. 32. 11. Elias 3. Reg. 19. 3. & ait: formidabilem Deus tunc temporis mortem volebat, ut gratiæ postea magnitudo innotesceret.

S. Anselmus iter faciens incidit in venatores, & canes, persequentes leporem: qui, cùm jam pene esset in ore canum, accurrit ad pedes Sancti totus tremens, ac sudans. Manum eum excepit. S. Anselmus, dixitque sociis: talis est anima in extremo vitæ periculo, quam canes infernales prosequuntur, & devorare contendunt. Cornelius in ep. S. Jacobi c. 2. v. 13.

Mors est crux horribilis; ad quam quotidie festinas, & non attendis. Vide, quomodo mos te crucifigit; crura distenduntur; manus, & brachia decidunt; pectus anhelat, cervix languescit, facies exsudat. Vultus horrescit. Drogo Ost. de sacr. Pass.

Pensandum est, cùm jam peccatrix anima à vinculis incipit carnis absolvi, quàm amaro terrore concutitur; quantis mordacis conscientiæ stimulis laceratur. Recolit verita, quæ commisit; videt mandata, quæ implere contempsit. Dolet, indulta pœnitentiæ tempora sese inaniter perdidisse: plorat immobilem districtæ ultionis articulum inevitabiliter imminere. Manere satagit, ire compellitur; recuperare vult perdita, non auditur. Post terga respiciens totius transactæ vitæ cursum, velut unum brevissimum deputat itineris passum; ante se oculos dirigit, & infinitæ perennitatis spatia deprehendit. B. Petr. Damiani l. 7. ep. 19.

Circumdederunt me dolores mortis. Ps. 17. 5. Primus est dolor afflictionis: dolet corpus, caput &c. Secundus dolor est cogitationis: quatuor enim genera cogitationum infirmi quatiunt mentem; videlicet doloris, amoris, timoris, spei. Hi sunt quatuor venti, de quibus Daniel 7. 2. *quatuor venti cœli pugnabant in mari magno*, id est, in amaricata morte magni peccatoris. Dolor, quia, ut ait Gregorius, illuc dirigitur tota intentio mentis, ubi sentitur vis doloris. Consurgit amor filiorum, uxoris, divitiarum, honoris, & eorum omnium, quæ in vita vitiosè dilexit. Timet mortem, pavet infernum, sæculum alterum abhorret. Insurgunt cogitationes spei; mera stultitia: quia, dum moritur, adhuc mortem evadere arbitratur. De hac spe Ps. 54. 24. *non dimidiabunt dies suos*, non dicit dies ætatis suæ, sed *dies suos*, id est, quos inordinata affectione hujus vitæ ipsi sibi promiserunt. Accedit dolor privationis mundanæ gloriæ, superbiæ, deliciarum, divitiarum; de quibus dicitur. Is. 57. 13. *liberent* te tunc *congregati tui, idest, denarii*. Exemplum de illo divite, qui sibi portari fecit omnes denarios & thesauros suos, quos dolorosè alloquebatur: ò denarii mei, ò thesauri mei! en morior! juvate me quæso. Relinquam ne vos dilecti denarii mei? tangebat eos, palpabat eos, osculabatur, amplexabatur. Demum arrepto argenteo vase in illud, quasi rabidis morsibus stringens, cum diabolo expiravit. S. Bern. s. 14. qui est de duodecim doloribus quos patitur in hora mortis peccator.

§. XXX.

Planctus de morte aliena, charorum.

MOrtuo Jacob in Ægypto filii ejus solos septem dies in lacrymis posuerunt. Gen. 50. 10. Ægyptii autem septuaginta dies v. 3. Cur minora doloris indicia dederunt filii, quàm externi? quia non putabant filii Jacob parentem sibi obiisse, qui ad Deum abiisset, & credebant resurrectionem. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 10. sect. 4.

Solvamus bono principis stipendiarias lacrymas; quia ille nobis salvit etiam mortis suæ stipendium. Omnes non tamquàm Imperatorem sibi, sed tamquam parentem publicum, obiisse, domestico fletu doloris illacrymant, suaque omnes funera dolent. Ast Ecclesia pignus suum; lacrymæ ejus in maxillis ejus. Quid sit maxilla, audi: qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Luc. 6. 29. eo quòd in dolore sit patiens, ut pœniteat verberantem. Percussa erat in maxilla tua Ecclesia, cùm amitteres Gratianum: præbuisti & alteram; quando tibi Valentinianus ereptus est. S. Ambros. or. fun. de obitu Valentiniani Imp.

Quo dolore contenebratum est cor meum, & quidquid aspiciebam, mors erat: & erat mihi patria supplicium; & paterna domus mera infelicitas; & quidquid cum illo communicaveram, sine illo in cruciatum immanem vertebatur. Expectabant eum undique oculi mei, & non dabatur mihi; & oderam omnia; quia non haberent eum. S. Aug. Conf. l. 4. c. 4. mortem amici cujusdam sibi charissimi deplorans.

Subtracto illo (Gerardo fratre suo) simul & cor meum dereliquit me. Scitis ò filii, quàm justus sit dolor meus; quàm dolenda plaga mea? quo mihi avulsus es? quo mihi raptus è manibus homo-unanimis, homo secundùm cor meum? amavimus nos in vita; quomodo in morte sumus separati? amarissima separatio; & quam non posset omnino efficere, nisi mors. Tecum omnes pariter abiere deliciæ, & lætitiæ meæ. Quid effecerit mutuus amor in sibi præsentibus; horror indicat separationi, & dolor de invicem separatis. S. Bernardus s. 26.

Lugeat virginitas, lamentetur viduitas, ploret orbitas; cognoscant, quid habuerunt, postquam habere desierunt. In tot millibus, qui simul aderant, nullus erat oculus, qui terram lacrymarum guttulis non irrigaret. S. Greg. Nyss. or. in funere Placillæ Imp.

§. XXXI.

Solatio ob charorum mortem.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem. Joan. 14. 28. Docens; & ostendens; cum chari, quos diligimus, de sæculo exeunt, gaudendum potiùs, quàm dolendum. S. Cyprianus de mortalitate.

Cur impatienter feras, subductum interim, quem credis reversurum? profectio est, quam putas mortem: non est lugendus, qui antecedit, sed planè desiderandus. Christum lædimus, cùm evocatos quosque ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus. Si patientiæ incubabo, non dolebo. Tertull. l. de patientia.

Desiderandus est tibi quasi absens, non quasi mortuus; ut illum expectare, non amisisse videaris. S. Hieron. ep. 3. ad Heliodorum.

S. Melania, nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humano, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem; sed, teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectum invadere? lacrymæ gutta non fluxit; stetit immobilis, & ad pedes advoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: expeditiùs, inquit, tibi servitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti. S. Hieronymus ep. 25. ad Paulam super obitu Blasillæ Filiæ.

Sursum sit cor, & sicci erunt oculi. S. August. ep. 248. consolans Sapidam virginem super morte fratris.

Quid de Matre Machabæorum loquar? quæ spectabat læta filiorum, quot funera, tot trophæa; & morientium vocibus, tanquam psallentium cantibus, delectabatur: pulcherrimam ventris sui cytharam in filiis cernens, & pietatis harmoniam, omni lyræ numero dulciorem. S. Ambros. offic. l. 1. c. 41.

Deduximus, fratres dilectissimi, hostiam meam, hostiam incontaminatam, hostiam Deo placentem, Dominum, & fratrem meum, Satyrum nihil quidem habui in rebus humanis tanto fratre pretiosius, nihil amabilius, nihil charius. Sed præstant privatis publica. Ipsius quoque si quis sententiam scisciteretur; mallet occidi pro aliis, quàm sibi vivere. Lætandum est magis, quòd talem fratrem habuerim; quàm dolendum, quòd fratrem amiserim: illud enim munus, hoc debitum est. Numquam totus in me fui, sed in altero nostri pars major amborum; uterque autem eramus in Christo. Latus meum tuo latere sepiebas; charitate ut frater, cura ut pater, sollicitudine ut senior, reverentia ut junior. Ita in unius necessitudinis gradu complurium mihi necessitudinum officia impendebas; ut in te non unum, sed plures amissos requiram. Id. or. de excessu fratris Satyri.

§. XXXII.

Mortuis resuscitatis non creditur.

Mitte Lazarum. Luc. 16. 24. Hoc dives devotis omnium loquitur mundanorum: omnes enim susurrare consuevimus: ò si quis veniret ex mortuis; &, quod ibi agitur, referret hìc; omnes crederent ei. Sed perfidiæ, non ignorantiæ est, quòd sic loquamur. S. Chrysol. s. 66. S. Chrysost. quæcumque dicunt Scripturæ, dicit Dominus. Unde, etsi resurgat mortuus, etsi cœlitus descenderit Angelus, omnibus magis sunt dignæ fidei Scripturæ: nam Angelorum Dominus vivorum, & mortuorum, eas instituit. Si autem hoc sciret Deus, quòd mortui resurgentes prodessent viventibus non hoc omisisset; qui prò utilitate nostra singula quoque tractat. Samuel Saulem, Lazarus resuscitatus Judæos, admonens nihil profecit.

Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Luc. 16. 31. Unde Judæi, Lazaro fratre Marthæ resuscitato, non crediderunt; sed mortem inferre voluerunt. Mortuis quoque, qui cum Christo resurrexerunt, & multis in sancta civitate apparuerunt, non crediderunt Judæi. Id. hìc.

Si Moysen, & Prophetas non audiunt &c. Ib. Quis ex mortuis veniens meliùs posset dissuadere peccata, & homines ad meliora convertere; quàm Mosaica lex; quàm Scriptura Prophetarum, quàm ipsa veritas, quæ humanis mentibus interlucet? Quis ex mortuis aptior alterius sæculi bona, vel mala, prædicere? quis ad pœnitentiam cautior imitator, quàm ipse Christus *factus inter mortuos liber*. Ps. 87. 6. qui verè Infernum novit, & cœlum. Porrò, si ad mortum correctionem Evangelio Christi non creditur; desperandum est, cui alteri meliùs credatur. Quærere hominem ex mortuis, ut nobis, quid sit post hanc vitam, annuntiet; qui monefaciat ad virtutes, qui retrahat à peccatis; subterfugia sunt, excusationes sunt: causatio est veritatis, dubium est in fide; nolle simpliciter servare promissa, nolle à criminibus explicari. Ac per hoc, si Christo, & Apostolis non creditur; neque si surrexissent centum millia mortuorum. Nam si angelicæ virtutes evangelizarent, si Spiritus Immundi in linguis humanis prædicarent, si omnes mortui revocarentur ad vitam, cum scientia, & potestate loquendi: si ostenderentur oculis humanis bona superna; si possemus, ut sunt tormenta, & loca tartarea, mente, seu corporaliter intueri: etiam ad hæc omnia plus est Christus, cui præ omnibus est adhibenda fides. Sim. Cass. l. 6. c. 12.

Lazarus erat unus ex discumbentibus. Joan. 12. 2. Secundùm Augustinum, in illa cœna interrogatus Lazarus à convivantibus, de statu animarum post mortem, de pœnis Inferni, de expectatione justorum; omnia per ordinem diligenter narravit. Dion. Carth. hìc.

Petrus triennalis mortuus, à S. Stanislao Ep. Cracoviensi suscitatus; ut testimonium coram Boleslao rege exhiberet, sibi ab eo venditum esse agrum: *eo perhibito*, cùm multi eum interrogarent de rebus alterius sæculi; nihil, nisi hoc respondit: habetis Moysen, & Prophetas: non ad evangelizandum, sed ad testificandum missus sum. Ità Breviarium Polon. 13. Maji.

Miscellanea.

Mittens occidit omnes pueros. Matth. 2. 16. Theophylactus in c. 9. Joan. quòd sæpè vides pueros mori; scias, quòd Deus propter misericordiam præripiat illorum vitam, ut nè, cùm supervixerunt, deteriores fiant; & in malum suarum animarum, & aliorum multorum vivant.

Somnus est speculum mortis, finis omnium quæstionum. Tertull. l. de anima.

Mors est desperationis Domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, Inferni parens, diaboli conjunx, omnium malorum regina. S. Chrysol. s. 118.

T I T U L U S XXIII.

MORS CHRISTI DOMINI.

§. I.

Figuræ, & imagines.

IMmisit Dominus Deus soporem in Adam. Gen. 2. 21. Id est, Deus Pater somnum mortis in Christo. Et dicitur mors Christi sopor, propter celeritatem, & facilitatem, resurgendi; & voluntatem moriendi. Hugo Card. hic.

Requiescens accubuisti ut leo. Decumbens dormies ut leo. Genes. 49. 9. quemadmodum enim leo dormiens terribilis est, sic mors Domini formidabilis fuit & morti & diabolo. B. Theodoretus q. 109.

Quo mortuo filii Israel creverunt. Ex. 1. 6. 7. Donec viveret Joseph, non refertur, quòd multiplicati fuerint filii Israel. Antequam moreretur noster Joseph; ille, qui distractus est triginta argenteis ab uno ex fratribus Juda, valde pauci erant filii Israel: cùm verò pro omnibus gustavit mortem, multiplicatus est Fidelium populus. Origen. ho. 1. hic. Quid est hoc? donec viveret Joseph, non referuntur crevisse filii Israel; sed, posteaquam mortuus est, sic germinasse dicuntur &c. Sed hæc in illo Joseph figurata sunt; in nostro autem Joseph, id est, Domino Christo, in veritate completa sunt. Priùs enim, quàm morerentur, id est, quàm crucifigeretur, Joseph noster, pauci in eum crediderunt: posteaquam autem mortuus est, & resurrexit, in universo Mundo multiplicati sunt, & creaverunt Israelitæ, id est, populi Christiani. Sic & ipse Dominus in Evangelio dixit. Joan. 12. 24. *nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet &c.* Postea enim quàm in Passione pretiosum granum frumenti mortuum est, & sepultum, per universum Mundum de uno illo grano messis Ecclesiæ pullulavit. S. August. s. 1. D. 3. Quadr.

Deorsum ad pedes ejusdem tunica per circuitum quasi mala Punica facies - mixtis in medio tintinabulis. Ex. 28. 33. Qui sunt fines tunicæ Sacerdotalis, nisi extrema vitæ Domini nostri? quæ sunt mala Punica valdè rubentia; nisi ejus, qua majorem nemo habuit, charitatis opera. Hæc utique mala finibus suæ tunicæ appendit: quia, *cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*; scilicet suam pro amicis suis animam ponendo. Tintinabula autem clarissima sunt dilectionis ejus verba; quibus eos in predicta cœna instituit, & deinceps pro iis Patrem rogavit. Rupertus lib. 13. in Joan.

Oritur sol, & ad locum suum revertitur. Ecclæ. 1. 5. Oritur sol unigenitum Dei Verbum è Paterno sinu; occidit in novissimis diebus, ad occasum vitæ hujus; carne assumpta, suam quodammodo divinitatem occultans. Oritur insuper ex Deipara Maria secundùm carnem; occidit autem ad Inferni ima descendens. Olympiodorus hic.

Fasciculus myrrhæ &c. Cant. 1. 12. Myrrham sponsi mortem, & quæ inde ad sponsam pervenit, indicat suavitatem. In medio uberum meorum commorabitur, hoc est, in præcipua animæ meæ parte, nempe in corde, quod inter ubera situm est. B. Theodoretus hic.

Jam enim hyems transiit. Cant. 2. 11. Hyemem salutarem Domini necem vocat; in qua hyemantes Judæi miseram tulerunt perditionem. Philo Carpathius hic.

Vadam ad montem myrrhæ. Cant. 4. 6. Ascendam Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt de me: tradar enim Gentibus &c. Hoc erit ire ad montem myrrhæ; scilicet mortificari, vel occidi. Tertia die resurgam à mortuis; & deinde ascendam in Cœlum: hoc erit ire ad collem thuris l. 3. in Cant. hic.

Veni in hortum meum &c. Cant. 5. 1. Descendendo in uterum tuum, & assumendo carnem; ut verus homo nasceret, qui verus Deus eram, veni in hortum meum: Moriendo, atque infernum descendendo, *messui myrrham meam cum aromatibus meis*; resurgendo *comedi favum cum melle meo*; ascendendo in cœlum *bibi vinum meum cum lacte meo*. Id. hic.

§. II.

Mors Christi spontanea.

EGo dormivi &c. Ps. 3. 4. Id est, spontè jacui in cruce, ut in ea morerer: quomodo se in lectum componunt, qui dormire volunt. Bellarminus hic.

Factus sum sicut homo inter mortuos liber. Ps. 87. 6. Euthymius: liber, quia non ab Angelis in Infernum deductus sum, sed solus descendi. Liber accessi ad mortem, hoc est, insons, atque innocens. Potissimùm liber, quia alii inviti moriuntur; & ideo morti servi sunt: At Cristus sponte sua, & liberè mortuus est: potestatem enim, inquit, habeo ponendi animam meam. Arcones in Is. 2. Disc. 2.

Filiæ Jerusalem nolite flere super me. Luc. 23. 28. Perspicuum est illud; commiserationem ei, qui invitus patitur, solatium: ei autem, qui ultrà & sponte contumeliam afferre. Isidorus Pelus. l. 2. ep. 285. Istum planctum Dominus Jesus dedignabatur impendi: quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam. S. Leo s. 10. de Pass.

Ego vado, & quæretis me. Joan. 8. 21. *Ego vado*, ait, ut monstret, quòd præsciat suam mortem; & quòd non illorum virtutis opus crux sit; sed ejusdem voluntatis suæ. Theophylactus.

Quem quæritis? Joan. 18. 4. Magna charitas, quæ mortis excludit horrorem! miranda securitas, quæ inimicis se spontè donat. Ad hæc caput nostrum animavit & membra. Sim. Cass. l. 13. c. 13.

§. III.

Mors Christo chara, dulcis, optata.

FActum est vespere, & manè, dies unus. Gen. 1. 5. Cur priùs vesper, quàm manè? Manè ortus solis, vesperi occasus. Rupertus l. 1. in Gen. c. 20. ait: quod dies illa Christum præfigurabat: Manè Incarnationem, & Nativitatem; vesper mortem: pretiosior omnibus ei mors.

Quasi de somno suscitatus sum; & somnus meus dulcis mihi. Jer. 31. 26. Dormire Dei est, cùm unigenitus Filius Patris in assumpta carne mori dignatus est; cujus mors certè somnus prædictus est: *quasi de somno &c.* S. Anselmus lib. de vestim. &c. Deo attributis.

Gratias egit fracturus panem. Matth. 26. 27. ut ostendat, secum gratitudine fractionem sui corporis, hoc est, occasionem, suscipere. Theophylactus hic.

Sciens, quia venit hora ejus. Joan. 13. 1. *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*. v. 3. *sciens, quia à Deo exivit*. v. 3. Inter objecta tam sublimia primo loco ponit præscientiam de morte tanti eam æstimabat. Sylveira hic q. 3. Cum scientia omnipotentiæ, & essentiæ divinæ, connectitur mortis scientia: quia in tanto pretio ei fuit mors; ut pro eximio amore in nos, ipsa divinitatis, & omnipotentiæ, scientia non inderetur ei, nisi simul involveret cognitionem crucis, & mortis. Id. hic q. 19.

Processit, & dixit eis: quem quæritis. Joan. 18. 4. Cùm procul adhuc abessent hostes, ad mortem usque tristabaris, & sanguinem sudabas: jam, quando in oculis sunt inimici tui; illis procedis obviam? ò bone Jesu! ò dulcis amator! quid hoc est? quis amor cor tuum absorbuit, ut ad mortem, ceu ad nuptias, properes; hostibus, perinde ut amicis, obviam procedas? Lud. Blosius margar. spir. p. 3. c. 3.

Primogenitus mortuorum princeps regum terræ. Apoc. 1. 5. Cur potiùs non dicitur primò princeps regum terræ, dein primogenitus mortuorum? Rectum servavit ordinem juxta beneplacitum Christi; cui in majori pretio fuit mors quàm principatus omnium regum terræ. Sylveira in Joan. 13. q. 3.

Pedes ejus similes aurichalco. Apoc. 1. 15. Pannonius: quia Christi desideria sancta erant, & fortissima; ut non cederent morti; rectè æri comparantur. Frequenter in Scriptura per pedes desideria, & affectus, significantur. Ps. 9. 16. Psal. 17. 34. Prov. 3. 23. Meritò æri fortissimo Christi affectus comparantur: quia ejus desideria pro nobis moriendi; validissima, & constantissima fuerunt. Sylveira hic q. 58.

Occisus est ab origine Mundi. Apoc. 13. 8. Nihilominus inter ævus mortis dolores viventem pronuntiat Joannes 1. 4. *quod factum est in ipso vita erat; & vita erat lux hominum*. Mors facta est in ipso, eritne in eo mors vita? verbera facta sunt, sævissimi dolores; & vita erunt; throno cùm appareat occisus, quomodo cruce vivit? ò amoris flammas! ò Zeli martyrium! ab origine Mundi agnus non patitur, ut homines à vitiis revocet; ut Patris ulciscatur injuriam, occumbuit occisus: quasi ejus mors sit, non mori; sed longo tempore otiari. Sed cùm ascendit crucem, quia culpas delet, tunc vivit. S. Ambros. in Ps. 36. Mors facta est in ipso; vita est: remissio peccatorum facta est in ipso; vita est: vulnus factum est in ipso; vita est: sepultura facta est in ipso: vita est. Vide, quanta in ipso facta sunt, quibus vitæ nostræ facta conversio est; ut, quæ perierant, redderentur. Naxera in Jos. 8. §. 15.

§. IV.

Mors Christi quanta nobis bona attulerit.

Num. I.

Nostra vita.

INcubuit super puerum. 4. Reg. 4. 34. In Elisæo figura Domini præcessit; qui projecit se, ut mortuum erigeret. In quo symbolum est, quòd nobis Christus commortuus sit; ut nobis resurgeret. Projecit itaque se usque ad nostram Christus fragilitatem, ut nos erigeret. Projecit se, non cecidit; sed erexit consortem. S. Ambros. ep. 17.

Emisit spiritum. Matth. 27. 50. Joan. 19. 30. *tradidit spiritum*. Evangelistæ non dicunt Christum mortuum. Simili phrasi utitur scriptura in creatione hominis. Gen. 2. 7. *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*. Vox Hebræa *Napuch* propriè significat *insufflare*; seu *emittere*, *dare spiritum*: quia spiritus vitalis primo parenti concessus, conjunctus erat cum morte Filii Dei; & ab ipsa ejus morte vitalis spiritus in nos transfunditur. Sylveira in Joan. 13. q. 19. v. 3.

Si exaltatus fuero. Joan. 12. 32. Novus triumphus de principe, de quo occumbens triumphavit, affixa cruci manu spolia, diu detenta detraxit: moriens occidit mortem; mortuus mortuos revocavit ad vitam: ligatus in cruce ferro compedes ferreos confregit; captivus captivatos eduxit de carcere. Simon Cass. l. 11. c. 49.

Pro nobis mortuus est Christus; ut nos in illius redivivo corpore viveremus. S. Ambros. l. 1. de Spir. S. c. 8.

Mors Christi mors meæ mortis: quia ille mortuus est, ut ego viverem. S. Bernardus s. exhort. ad mil. templi c. 11.

Num. II.

Alia bona.

Vespere autem facto &c. Matth. 8. 16. Omnes, non mane, non meridiè, sed ad vesperam curantur; quando verus sol occubuit, ille, qui dixit: *quamdiu in Mundo sum, lux sum Mundi*. V. Beda hic. *Vespere facto*, sole jam habente occasum; omnes malè habentes ad Dominum deferuntur: ut ex hoc agnoscamus; per ipsam Christi mortem Mundo fuisse redditam sanitatem. Sim. Cass. l. 5. c. 10.

Tunc plena est cordis nostri compassio, cùm malum inopiæ pro proximo suscipere non metuimus; ut illum à passione liberemus. Quam videlicet pietatis formam mediator nobis Dei, & hominum dedit. Qui, cùm possit nobis, etiam non moriendo, concurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit: quia videlicet nos minùs amasset, nisi & vulnera nostra susciperet: nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet; nisi hoc, quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. S. Gregor. mor. l. 20. c. 26.

Tota spes mea est in morte Domini mei. Sanct. August. Man. c. 23.

§. V.

Quomodo erga mortem Christi nos affici oporteat.

Ex Veteri.

OMnis multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo erigintæ diebus per cunctas familias suas. Num. 20. 30. Quantò magis nos Christum, verum, & summum, totius Mundi Sacerdotem oportet lamentari; qui in monte Calvariæ mortuus est. Aaron mortuus est, nè terram promissionis ingrederetur: Christus autem reparator noster obiit; ut nos in veram promissionis terram introiremus. Diez in Pass. D.

Filiæ Israel super Saul flete &c. 2. Reg. 1. 24. Si David imperavit, ut fœminæ Israel lamentari discerent ad Saulis, & Jonathæ, obitum deplorandum; & ipse collacrymatus dicebat: *Saul & Jonathas amabiles &c.* v. 23. Quantò magis ratio postulat; ut deploremus, & deplorare alios doceamus, mortem. Id. ib.

Calicem salutaris accipiam. Ps. 115. 13. Quid nos pro his omnibus retribuimus, vel potiùs, quid retribuere debemus? Primum scilicet illud, quod beatissimus Propheta ei debere se, & redditurum esse testatur dicens: *quid retribuam &c.* prima ergo hæc retributio est, ut mortem pro morte reddamus. Secunda autem, ut, si debitum morte non solvimus, vel amore solvamus. Sylvianus l. 4. de Provid. Dei.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum. Ps. 115. 15. Si pretiosa in conspectu &c. qui patiuntur, & moriuntur, pro Christo, quantò magis debet esse pretiosa in conspectu nostro mors Domini nostri Jesu Christi. S. Laur. Just. de incendio am. c. 4.

Fasciculus myrrhæ &c. Cant. 1. 12. Mors dilecti mei, quam pro mea salute subiit, semper in ea memoria commorabitur. S. Isidorus hic.

Ex Novo, & aliis.

Terra mota est. Matth. 27. 51. Tremuit terra, ferre non valens, quod plebs Judaica sustinebat. Tremuit velut pavens ad insolitas actiones; in hoc transformans suo tremore omnium Fidelium mentes: ut credant, & contremiscant; quoniam pro injustis justus, pro impiis pius, pro peccatoribus sanctus, pro hominibus in carne passus est Deus. Sim. Cass. l. 13. Ubi homines in hac injustitia pro veritate tacent, saxa scissa loquuntur, & suo modo provocant dura corda hominum: ut scindantur, & recogitent eum, qui talem pro omnibus sustinuit passionem. Id. ib.

Nolite flere super me. Luc. 23. 28. Cur eas prohibuit à planctu tam adnato occasioni? an quia mors justi ploranda non erat, secus peccatoris? plane mors Jesu lætitia: ipsius autem flentis aridi peccatoris mors luctu prosequenda. Titus Bostr. prohibuit: quia mœstæ, afflictæque, eum lugebant; quem æquiùs erat, plausu, lætaque acclamatione, excipere. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 10. Sect. 2. Obs. 7.

Obscuratus est sol. Luc. 23. 45. passionis tempore forsan idcirco; qui soli crucis radii digni erant, qui & orbem, & oculos hominum, illustrarent. Ideo & ad finem Mundi *sol obscurabitur; quia tunc apparebit signum Filii hominis*. Matth. 24. Alvarez Illustr. 322.

S. Brigitta revelatum est: eo temporis, quo Redemptor noster obiit, orbis universi homines ingenti mœrore, & lethali propè cordis dolore; percussos fuisse. Doultreman l. 2. c. 2. Sect. 6. Crucifixo.

Ego, ego, sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis: ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. S. August. Medit. c. 7.

Miscellanea.

Memor sit omnis sacrificii tui. Ps. 19. 4. Ideò dicit, *omnis Sacrificii*: quia singulæ passiones ejus singula fuere sacrificia; holocaustum autem ipsa mors. S. Rupertus hic.

Mitte te deorsum. Matth. 4. 6. Parum petis diabole à Filio Dei, ut se à pinna templi demittat. Etenim ille est, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, crucifixus, mortuus, & sepultus est. Aquilarum pulli maternis scapulis sublati, an degeneres sint, probantur ad solis lucem. Verùm Dei Filius à sinu Patris emissus in terram; tunc apparet manifestissimus, cùm & ipse, & totus orbis, operitur mortis caligine. Baeza l. 3. c. 2. §. 16.

Latro Salvatorem tunc majestatis Dominum recognoscit, cùm videt humilitatis patientia cruciari. Sanct. Max. hom. 1. de Latr.

T I T U L U S XXIV.

MORTIFICATIO.

§. I.

Symbola, & Allegoriæ.

Num. I.

In genere.

INtrate per angustam portam. Matth. 7. 13. Quid est humanæ menti angustiùs, quàm voluntates proprias abnegare, desideria carnis frangere; nulla laudis gratia, vel deceptionis à justo, & recto deflectere: de cujus nimirum vitæ ingressu Dominus dicit: *intrate &c.* S. Paschasius in Thr. 3. 4.

Induebatur purpura, & bysso. Luc. 16. 19. Ob hoc arguitur epulo. Et tamen mulier illa fortis. Prov. 31. 22. Ob id laudatur: *byssus, & purpura, indumentum ejus*. Discrimen: mulieris indumentum primum byssus, tum purpura. Byssus Symbolum mortificationis: quia ad illum candorem, & tenuitatem, multis tunsionibus perficitur; ut latè describit Plin. l. 19. c. 1. Sylveira hic.

Nisi granum frumenti mortuum fuerit. Joan. 12. 24. Frumenti abundantiam nullus habere potest, nisi ipsum frumentum priùs mortificetur. Simon Cass. de just. Chr. l. 15. c. 2.

Venerunt ad portam ferream. Act. 12. 10. Ferrea porta, quæ ducit ad Jerusalem cœlestem, est crux, mortificatio, tribulatio, martyrium. V. Beda apud Cornelium hic.

Num. II.

Symbola mortificationis carnis.

Ex Veteri.

Egredere de terra tua. Gen. 12. 1. Exit de terra sua, qui passiones mortificat in carne sua. S. Eucherius de S. Honorato.

Erit pactum meum in carne vestra &c. Gen. 17. 13. Origenes hom. 3. in Gen. legit: erit testamentum meum in carne vestra & addit: quomodo erit testamentum Christi super carnem meam, requiro: si mortificavero membra mea, quæ sunt super terram; testamentum Christi habeo super carnem meam: si semper mortem Christi in corpore meo circumferam, testamentum Christi in corpore meo.

Ejice ancillam hanc & filium ejus. Gen. 21. 10. Per Abraham noster spiritus; per ancillam nostra caro; per filium ejus carnalia opera designantur. Per liberam anima; per filium ejus spiritualia opera, figurantur! Sicut ergo Sara despicientem se Agar afflixit; & Ismael, ad mortis periculum Isaac impellentem, ejici jussit: sic anima, quæ est domina, carnem, ancillam suam, se contemnentem, jejuniis, & vigiliis, affligat; filium ejus persequentem filium suum, id est, carnale opus, impediens spirituale, ejiciat herilem filium; id est, bonum opus pariat, qui gaudium hæreditatis capiat. S. Honorius s. D. 4. Quadr.

Tulit de lapidibus & supponens capiti suo dormivit. Gen. 28. 11. Jacob, durum sibi sternit lectum, scilicet lapidem: quia cœli aulicos durus lectus, durus victus, omnia dura decent. S. Ambros. l. 2. de Jacobo in somno bonus operarius; quoniam plus

plus negotii cum Deo peragit dormiendo, quàm vigilando. Cornelius hic.

Fratrum vestrum minimum ad me adducite. Genes. 42. 20. Quando Joseph voluit Benjamin in conspectu suo apparere, fratrem ejus natu majorem in carcerem detrusit. Duo fratres sunt corpus & anima: frater major est corpus; quia multis antè diebus incipit esse in utero matris, postea verò creatur anima. Et sicut in domo magnatis major ratio habetur de primogenito cui servantur redditus; sic major ratio multis de corpore; miseræ animæ nihil datur! Vis, ut frater minor, id est, anima videat Joseph, id est, Christum in cœlesti aula gloriosum fratrem majorem in carcerem detrude, vinculis alliga; timore Domini jejuniis torque, & flagellis. Diez Dom. 2. Quadr.

Decem cortinas de byisso retortæ, & hyacintho, ac purpura &c. Ex. 26. 1. Purpura, quæ rubicunda, & sanguinea, est, denotat, in Ecclesia, ad sanguinis usque effusionem, nobis laborandum esse; linum verò, quod toties manus subit, toties tunditur, & laboratur, antequam ad perfectionem, & formam legitimam perveniat; mortificationem designat: hiacinthus verò, qui cæruleus color est, æternæ beatitudinis præmium. Besleus D. Septuag.

Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos. Num. 25. 17. Item Num. 31. 2. Cur ità? non lego, quod ad ea usque tempora Madianitæ, contra Israel gladium strinxerint. Quomodo ergo ostiliter egerunt contra eos? mollitie muliebrium blanditiarum, epulis, lusibus, tripudiis, fornicationibus. Num. 25. 1. Caro, inimicus tuus sic tractandus. Hostes vos sentiant Madianitæ; & percutite eos flagris, jejuniis &c. Jonghen. Nupt. Agni p. 1. t. 2.

Victoria Gedeonis. Judic. 7. 20. fractis lagenis obtenta, significat, fracto mortificationis corpore virtutem Salvatoris in nobis manifestari. De Ponte in Cant. 1. Exh. 25. §. 4.

Percussit Philisthæum in fronte. 1. Reg. 17. 49. Duellum Davidis cùm Goliath repræsentat luctam spiritus cum carne: qui scilicet carnem suam lapide austeritatis dejicit, & gladio mortificationis caput Dei abscidit; nè præsit, sed susit. Cornelius hic.

Homo, quem rex desiderat honorare, cupit, debet indui vestibus regiis. Eph. 6. 7. vestes regiæ, quibus rex noster indutus fuit, fuerunt opera afflictionis, & pœnalitatis. Ille ergo induitur vestibus regiis, qui carnem cum vitiis, & concupiscentiis crucifigit. S. Bonavent. s. 122.

Confitebor tibi in cithara. Ps. 42. 4. Carnem affligam; & laudabo te in maceratione carnis. Hugo à S. Vict. in Ps. 41. cùm velis teipsum efficies citharam; cùm carnis membra morte afficeris, & animæ cum corpore pulchrum concentum efficeris. S. Chrysost. hic.

Confitebor Domino in cithara. Ps. 97. 5. Duo ligna sunt duæ cruces: interius lignum crux carnis; superius crux mentis. Corda siccatur, & tenditur, ut sonum reddat: caro hominis à malo mundatur, post in bono excitatur. Siccatur per abstinentiam: tenditur per patientiam. S. Bonavent. hic.

Quæsivit lanam, & linum. Prov. 31. 13. Possunt mysticè in lana, quæ est ovium habitus, omnia simplicitatis, & pietatis opera, quæ proximis impendimus, intelligi Potest in lino, quod ex terra virens oritur; sed longo, ac multiplici, exercitio amittit humorem nativum, atque ad gratiam novi candoris pervenit; castigatio nostræ carnis intimari. V. Beda hic.

Fasciculus myrrhæ. Cant. 1. 12. Myrrha, teste Plinio l. 12. c. 15 arbuscula est in Arabia, minor, quàm arbor thuris; altitudine quinque cubitorum. Convenit autem inter authores, qui hac de re scripserunt; eam esse scabram, spinosam, foliis aculeatis; caudice duro, & intorto: è cujus vulnere defluit lacryma, gustu acris cum amarore; quæ glutinandi, siccandi, & abstergendi vim habet egregiam: quæ omnia aptissima sunt ad præsentis vitæ austeritatem. Cornelius hic.

Ferculum fecit sibi rex Salomon. Cant. 3. 9. Mens pia præsertim mortificationi studens, & crucem Christi ferens, est ferculum Christi, juxta illud 2. Cor. 4. 10. *Semper mortificationem JESUS in corpore nostro circumferentes, ut & vita JESU manifestetur in corporibus nostris*. Et Gal. 6. 17. *ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*. Et 1. Cor. 6. 10. *glorificate, & portate, Deum corpore vestro*. Hinc S. Ignatius M. vocatus est Deifer, & Christifer. Cornelius hic.

Vadam ad montem myrrhæ. Cant. 4. 6. Mons myrrhæ est anima, mortificat membra sua, quæ sunt super terram. Rich. à S. Vict. hic c. 24.

Ex Novo Patribus, & aliis.

Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11. Quid in his non sonat mortificationem? Myrrha quidem primaria est imago pœnitentiæ: aurum verò de suppliciis transit ad delicias: thus, cùm flagrat, flagrat, si torques illud, tunc tibi suavitatem suam inhalat. Oliva lib. 9. Strom. hic.

Cùm jussisset turbam discumbere super fœnum. Matth. 14. 19. Opinor, quòd turbas jusserit discumbere in fœno, propter id, quod dicitur in Is. *omnis caro fœnum*, hoc est, subjicere carnem, ac subditum reddere carnis affectum: ut sic possit aliquis particeps esse panum, quibus benedixit JESUS. Origenes hic.

Et calceamenta in pedes ejus. Luc. 15. 22. Cur filio prodigo data calceamenta? S. Chrysost. de patre, & duobus fil. propter mortificationem membrorum. Vitæ enim nostræ cursus in Scripturis *pes* appellatur; & mortificationis species in calceamentis ponitur; quia de animalium mortuorum pellibus conficiuntur.

Anima quæque in hoc corpore, tanquam in fidibus musicis, quæ sobria est, cum summis, ut ità dicam, digitis, velut nervorum sonos, ità pulsat carnis passiones; ut consonum reddat morum, atque virtutum, consentientemque concentum: ut in omnibus cogitationibus suis, in omnibus operibus, id custodiat; ut omnia consilia, & facta, sibi concinant. S. Ambrosius l. de bono mortis c. 7.

Cùm carnem aliquis perfectè afflixerit; tunc suavissimum Deo in dulcedine malos reddit. S. Gregor. in Ps. 7. pœnit. Proœm.

Pia vita Sanctorum numquam aliena est crucis Christi; dum continentiæ clavis desideria carnis configit; & corporeas cupiditates virtute spiritus in se habitantis interficit. S. Leo s. 7. de Quadr.

Spinæ, quæ pedibus infixæ, non solùm retinent, retardantque; verùm etiam enecant; peccata sunt: à quibus durities calceorum defendit; continentissima videlicet, tenuis, ac dura vita. S. Gregor. Nyss. l. de vita Moys.

Consueverunt pueri rumpere vestes antiquas, ut citiùs habeant novas. S. Bonavent. diæt. Sal. D. 6. Pent.

Terra. Lem. *Vulnere virescit*. Vel: *Sauciata feracior*. S. Leo s. 4. de jejun. Pent. terra carnis nostræ, nisi assiduis fuerit sauciata culturis, citò de segni otio spinas, tribulosque, producit; & partu degeneri dabit fructum; non horreis inferendum, sed ignibus concremandum. Picinelli.

Crystallus. Lem. *Rigora nitescit*. Id.

Echinus. Lem. *Asperitate tutus*. Id.

Rosa. Lem. *Et neglecta virescit*. Id. vel: *Et rubent & pungunt*.

Phœnix in flammis. Lem. *se necat, ut vivat*. Masen.

Vide Caro.

Num. III.

Symbola mortificationis animi.

Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine. Jer. 48. 10. Maledictus est, qui suos hostes: id est, affectus pravos, mortificationis gladio non cœdit, sed vivere patitur, & dominari. Isti enim sunt hostes Dei, æquè ac animæ; quam, nisi occidantur, occident. Cornelius hic.

Crux est mortificatio affectionum; ità ut moveri nequeant, & operari. Theophylactus in Luc. 23.

§. II.

Motiva varia mortificationis, Carnis, & animi.

Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit. Gen. 4. 4. Cur? Mendoza in 1. Reg. 1. quia Abel obtulit Sacrificium cruentum de gregibus; Cain autem incruentum de frugibus; Cruor enim Sacrificio suffusus, sive in typum Dominicæ Passionis, sive propriæ mortificationis, victimam Deo reddit gratiorem.

Sponsus sanguinum tu mihi es. Ex. 4. 25. Hoc dicat Christo verus Christianus, præsertim Religiosus: tum quia tuo sanguine animam meam tibi coemisti, & desponsasti, tum quia a me vicissim, ut sim sponsa, te digna, sanguinem meum, imò carnem, & vitam meam, exigis: dum doces mortificandas concupiscentias carnis, & sanguinis. Cornelius hic.

Est martyrii genus, & quædam effusio sanguinis! in quotidiana corporis afflictione. S. Bernardus s. 1. in octava Paschæ.

Sepulturam præparat Christo, qui secundùm Apostolum mortificat membra sua, quæ sunt super terram. S. Zeno s. de jejun.

Sicut pater curam gerit filii sui; ità Deus curam gerit corporis, quod pro ipso affligitur. S. Isaacus lib. 1. de contemptu mundi c. 14.

Insigne martyrii genus est, vitiorum cohibere motus, atque cupiditatum resecare pruritus. S. Laurent. Just. s. in festo S. Laurentii M.

§. III.

Mortificationis utilitas, & subsequens delectatio.

Myrrha, & gutta à domibus, ex quibus delectaverunt te filiæ regum. Ps. 44. 9. 10. Vis domos eburneas spiritualiter accipere? Magnæ domus, & magna tabernacula Dei, corda sunt sanctorum. Ipsoque reges, regentes carnem, subjugantes sibi turbas humanarum affectionum, castigantes corpus, & servituti subjicientes, accipe; quia inde delectaverunt eum filiæ regum. S. August. hic.

Qui delicatè à pueritia nutrit servum suum postea sentiet eum contumacem. Prov. 29. 21. Servus animæ est corpus: qui ergo illud delicatè nutrit, sentiet sibi illud rebelle; ut suis deliciis addictum, nolit animæ obsequi ad orandum, meditandum; cœteraque opera pœnitentia, & arduarum virtutum. Cornelius hic.

Ego vivo, & vos vivetis. Joan. 14. 19. Cur non dixit, & vos vivitis? Non ità; sed omnimodo mortificatio convenit homini, qui velit gloriosam postmodum ingredi vitam. Baezat. 3. l. 14. c. 17. 8. 22.

Mihi Mundus crucifixus. Gal. 6. 14. Non solùm, inquit, mortuus Mundo, sed & crucifixus. Omnia, quæ Mundus amat, crux mihi sunt: delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes. Quæ verò Mundus reputat crucem, illis affixus sum; illis adhæreo; illa toto amplector affectu. S. Bernardus s. 7. in cap. jejun.

Morsui estis. Coloss. 3. 3. Adsterne cadaveri omnes regum coronas, & Monarcharum diademata; appone omnes mundi delicias; nihil movetur. Immerge illud cœno; exonera in illud injurias, & opprobria; discinde, disseca, feris devorandum objice; nec movetur, nec sentit. Ex libello, cui titulus solus Deus, Auth. Henrico Boudon. p. 1. Reg. 4. 4.

Audivi vocem de cœlo, tamquam vocem aquarum multarum, & vocem, quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis, Apoc. 14. 2. Eamdem vocem & tonitrui, & citharæ, similem vocat. Rupert. hic in tonitruo terroris asperitas, in citharis verò sonantibus delectationis est suavitas - Citharizabant, & cantabant: id est, semetipsos affligebant, & gloriam Dei resonabant. Primùm vox tonitrui, deinde citharæ melos: quia de dolore oritur gaudium. Naxera in Jos. 1. §. 26.

Lectus quidam noster communis, est terræ hujus amplissimum solum, in quo corpora nostra deposita, tutissima sede requiescunt. In hoc autem lectulo ille mollius dormit, quisquis duriùs in vita se gesserit. S. Ambrosius l. 28. de duob. in lecto uno.

Quisquis foris sensus suos per timorem Dei à delectatione carnis non restringit, quæ sit interni boni dulcedo gustare non poterit. Hugo à S. Vict. in Ps. 13.

Quantò magis caro foris atteritur, tantò magis mens interiùs spirituali gaudio consolatur. Id. in Ps. 42.

§. IV.

Mortificationum corporalium exempla.

Flagella.

Sanct. Henricus Suso Ord. Prædic. jussit clam sibi confici subligaculum; in quo erant infixæ arcus asperæ 150. quarum acumina erant semper ad carnem versa: in ipso noctibus dormiebat. Sedecim annis se ità afflixit. Boll. 25. Jan.

B. Sibyllina soror de pœnit. S. Dominici, corpus suum flagellis crudeliter macerabat. In hyeme cùm surgeret à disciplina, genua, mediante sanguine, præ frigore congelata, violenter avellere cogebatur. Boll. 19. Martii.

V. Ida asperrimis spinarum virgulis totum corpus durissimè lacerabat. Id. 13. April.

S. Catharina Sen. ter quotidie, exemplo S. Dominici, catena ferrea se cædebat: in singulis flagelationibus horam, & dimidiam impendebat. Id. 30. Apr.

S. Brigitta sextis feriis de cæreis stillas cadentes aliquabat super nudam carnem; & amarissimam radicem retinebat in ore. in Bulla Canoniz. Bonifacii IX.

Leo Monachus, cùm jam, ut fert opinio, 14. ætatis annos excedat, postquam se constanter inclusit, hac etiam lege constrinxit, ut quotidie se scopis gravioribus atteret; nullo etiam die, nisi celebrioribus festis, circa vesperam tantùm comedendi consuetudine solvat. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 30.

Carolus V. moribundus Philippo II. Hispaniarum regi filio suo cilicium asperum, & flagellum cruentum in manus tradidit. Idem fecit Philippus II. moriens Philippo III. filio hoc ipsum à patre acceptum manus offerens. Drexelius opus. 13. Salomon. c. 17. §. 3.

S. Elisabeth regis Ungariæ Andreæ filia sexto quoque hebdomadis die virgarum flagellis in tenerum corpus animadvertebat. Surius ex Jacobo Montano Spirensi.

Philippus tertius Hisp. rex flagello, quod Carolus V. suo sanguine tinctum ei transcripserat, ita usus est, ut non nisi affuso cruore proprio illud poneret. P. Rho. exempl. virtut.

Extat in hac die flagellum multo conspersum sanguine, quo fluebat, cùm se cederet. Vitæ Ferdinandi secundi c. 14.

Cilicia.

S. Carolus M. senilem carnem cilicio attrivit. Spondanus A. 814. n. 5.

S. Joannes Anachoreta 25. annos sub dio transegit; vestis ei cilicium, ferramentis magni ponderis totum corpus configebat. Boll. 23. Febr.

A morte B. Petri Hieremiæ Ord. Præd. ferrea zona lumbis adeo inhærens inventa, ut neque evelli, neque lima discindi potuerit; itaque cum ea sepultus. Boll. 3. Martii.

Philippus tertius Hisp. rex cilicium purpura palliaret notat. P. Rho. exempl. virtutum.

In cubando.

S. Eustrathius Thaumaturgus, Monachus factus fertur, nunquam supinus jacuisse, neque totis 75. annis, quibus cursum vitæ peregit, dormiturus in sinistrum latus deposuisse Boll. 9. Jan.

S. Paula vidua Romana super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat. S. Hieron. in vita ejusd.

V. P. Marcellus numquam persuaderi potuit, ut umquam dormiret in lecto, vel cum stragulo; sed in storea, vel stramento, ipsi quies erat; pro pulvino capitis Breviarium involutum pallio. In vita.

Mortificatio gustus.

B. Antonius à Stroncone Ord. Min. Lacius in summis æstatis Caloribus calidam bibebat absynthio temperatam. Deinde absynthium quatuordecim annis jam uso velut dulcissimus erat cibus. Boll. 6. Febr.

B. Christina de V. Comitibus feria quavis sexta bibit accetum cum felle mixtum. Boll. 14. Febr.

S. Aubertus Presb. Ord. s. Benedicti viginti duobus annis abstinuit ab omni potu. Boll. 7. April.

B. Helena vidua tertii Ord. Erem. s. Aug. octodecim annis jejunavit quotidie in aqua, & pane; quibus aliquando addebat herbarum radices. Immiscebat aquæ potui terram, & cinerem; vesperi illum felle, & aceto miscebat; diebus autem veneris ad prandium aliud non adhiebebat, quàm panem; & solum fellis, atque aceti potum. Boll. 23. April.

In frigore.

S. Laurentius Just. dum Monachus esset; rigente hyeme ad ignem accedere numquam visus est. Pater quidam ad ignem invitabat; recusantis palpavit manum; cumque obrigentem frigore sentiret, admirans inquit: ò fili magnus calor est, quo intus ardes, si frigora ista non sentis, quibus obriguisti. Boll. 8. Jan.

B. Oringa, sive Christiana V. etiam hyeme nudis pedibus incedebat, signans sæpe vestigia sanguine; plerumque, quamvis fatigata, in nuda humo jacebat. Boll. 10. Jan.

Varia alia mortificationes.

S. Simeon Stylita, postquam tredecennis factus Monachus, invenit ad puteum funem è setis textum, eoque totum corpus circumcinxit; perduravit ità circiter anno uno: qui funis depastus est carnes, & penetravit usque ad ossa; & carne putrefacta tegi cœpit ut præ graveolentia nemo prope eum consistere posset; sed & stratum ejus vermibus repletum est. Cùm jussu Archimandritæ tentarent eum exuere, non potuerunt; ità erunt indumenta putrefactæ carni agglutinata: tribus diebus tepida aqua, & oleo, eum maceraverunt, & vix sic exuere potuerunt, funis autem propemodum cerni non poterat. Clamabat autem B. Simeon: finite me canem fœtidum sic mori; finite scelera mea sic puniri. Permedicos avulso fune intra quinquaginta dies curatus, dimissus est. Indè ingressus puteum sine aqua; ubi magna vis spirituum habitabat, & aspidum viperarum, ac serpentium, ut multi transire timerent, in hunc se dimisit, septemque diebus in eo latuit. Boll. 5. Jan.

B. Margarita Ungarica V. filia Belæ regis Ung. cilicio frequenter uso asperrimo de crinibus equorum, & pilis porcorum; circulo inclusa ferreo pectus stringebat nocte quavis se crudelissimè flagellavit faciebat se per alias verberari usque ad sanguinem, & aliarum fatigationem à carnibus abstinuit toto vitæ tempore. Boll. 28. Jan.

S. Francisca Romana duplici quotidiano cilicio; & aculeis ferreis, assiduè carnem macerabat ardentis cærei stillas super nudam, vulneratamque carnem faciebat decidere. Boll. 9. Martii.

TITULUS XXV.

MUNDUS.

§. I.

De materiali.

Num. I.

Tempus creationis.

Factum est vespere, & manè, dies unus, Gen. 1. 5. fuit hæc prima dies Mundi! Dominica: nam septima ab ea fuit Sabbatum. Cornelius hic.

Protulit terra &c. Gen. 1. 12. Hinc sequitur, hoc die tertio paradisum plantatum. Concilium Palæstinum habitum sub Victore P. A. 198. definit, mundi primum fuisse 25. Martii, quo B. Virgini annuntiatus, & incarnatus est Christus, & quo post 34. annos passus. Cornelius hic.

Verno tempore est perfectus Mundi ornatus. V. Beda in hexam. S. Thom. in c. 1. Gen.

Veris tempore Deus condidit Mundum. S. Gaudentius tr. 1. in Ex.

Aprili Mense instante jam ver est reliquum hoc tempus est creationis Mundi. S. Cyrill. Jeros. Catheç. 14.

Multi autumant Mundum factum esse in autumno; sed in vere creditur creatus, & recreatus. Hugo Card. in Gen. 1.

Duratio. Finis.

Compleviteque Deus die septimo opus suum. Gen 2. 2. Symbolicè sex dies significant sex millia annorum, quibus durabit Mundus (mille enim anni sunt coram Deo sicut dies unus. Ps. 89. 4. ut docet S. Hieron. in Ps. 89. Irenæus l. 5. c. ult. Justinus q. 71. ad Gentiles. S. August de Civ l. 2 c. 7. Hinc & sex primi parentes, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalael, Jared, mortui sunt; septimus Enoch vivus in cœlum translatus: quia post sex millenarios annorum labores, & mortis, sequitur vita æterna, ait Isidorus in glossa c. 5. Cornelius hic.

Appropinquavit regnum cœlorum. Matth. 4. 17. Hoc jam, fratres Charissimi, etiam Evangelium taceat, Mundus clamat: ruinæ namque illius voces ejus sunt. Qui enim tot attritus percussionibus, à gloria cecidit, quasi jam nobis è proximo regnum aliud, quod sequitur, ostendit. Ipsis jam, & à quibus amatur, amarus est. Ipsæ ruinæ eis prædicant, quòd amandus non est. Si Mundus cadit, & nos eum amando amplectimur; opprimi potiùs volumus, quàm habitare. S. Gregor. hom. 4. hic.

Non longè à fine absumus: sed jam Mundus properat: hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræmotus, hoc extincta Charitas, significat, quemadmodum enim corpus, jam adventante morte, innumeris malis afficitur, & domus prope casum in rimas fatiscit, & priùs à tecto, & parietibus, multa decidunt; ità & orbis terrarum ad finem properans tantis undique malis conteritur. S. Chrysost. hom. 33. in Joan.

Creatus hic Mundus rursus renovabitur: pertransibit hic Mundus, ut pulchrior restituatur. S. Cyrill. Jeros. Catech. 15.

Mundi Conservatio.

Appendit, tribus digitis molem terræ: Is. 40. 12. Tribus scilicèt præcipuis, quæ à Patris omnipotentia, Filii Sapientia, & Spiritus S. bonitate, & charitate, continuè procedunt, operibus creatione, conservatione, providentia; de Ponte in procem t. 1. de perfect. hom Christ.

Dei sapientia hoc totum, acsi lyram tenens, & terrenis aeris, aerisque cœlestia copulans, & singulis universa connectus; nutuque, ac voluntate, circumagens Mundum unum; & unum ejus ordinem, pulchrè, atque aptissimè, confici. S. Athanasius lib. contra Gentiles.

Actum est de Mundo, Mundique tota substantia; si vel uno momento Divinitatis cesser imperium. S. Zeno Ver. s. 1. de Corinth.

Num. II.

Mundi laudes, varia nomina, & comparationes.

Faciamus hominem. Gen. 1. 26. Denique, ubi omnia suo ornatu excoluit, & convenienti ordine omnia disposuit; & mensam largam instruxit, variis & omnimodis, refertam eduliis; copiamque; & opes habentem; & quasi quis dicat Regiam &c. tunc tandem fruiturum his omnibus format; cui visibilium omnium potestatem tradat. S. Chrysost. hom. 7. in Gen.

Ornatus Potifex. Ex. 28. 5. creaturarum omnium typum portabat in vestibus Sanctis; in quarum coloribus totius Mundi similitudinem proferebat. Byssus enim terræ deputatur, de qua gignitur purpura mari, quia ex ejus cochleis gignitur. Hyacinthus aeri, cujus speciem habet. Coccus, propter ruborem, igni, vel ætheri. Arnoldus Carnot. tr. de 6. & 7. Verb.

Factum est autem in Sabbato secundo. Luc. 6. 1. Quid sibi Sabbatum velit? quid segies? quid spicæ? non mediocre mysterium est. Ager enim est omnis hic Mundus. Agri seges in satione humani generis, fœcunditas numerosa sanctorum. Spice agri, fructus Ecclesiæ, quos operibus decutientes suis Apostoli pascebantur, nostro se alentes profecto. S. Ambros. l. 5. hic.

Mundus divinæ Majestatis insigne est? ut per ipsum Dei sapientia manifestetur. S. Ambros. l. 1. hexam. c. 5.

Et velut communis quidam liber, & catena alligatus (ut assolet) sensibilis Mundus iste, ut in eo sapientiam Dei legat, quicumque voluerit. S. Bernardus s. de verb. Ps. audiam quid loquatur. Mundus iste domus Dei est; & ordinatissima est; qualem decet esse tanti principis domum. Quòd si quæ inordinatè fieri permittuntur; ad maximum ordinem per Dei justitiam, & pœnam debitam, redigentur. S. Thom. Vill. conc. 1. D. 1. Advent.

Mundus iste non solùm in usum, & in ministerium; sed & in doctrinam, & magisterium, datus est. Id. conc. 1. de Nat. B. V.

Potest non incongruè Mundus iste visibilis puerorum chartis comparari: in quibus prima literarum rudimenta discimus; & in quibus ex literis syllabas, ex syllabis dictiones mussitantes cum labore componimus. Ità omnino, ità sumus in hoc Mundo, veluti parvuli in schola; ubi quisque, quamvis doctissimus, parvulus est. Id. conc. 1. de S. Augustin.

Terra exercitium est hominis, cœlum corona. S. Ambros. l. 6. ep. 38. Quid est Mundus? nisi quidam agro plenus certaminum. ib.

Est Mundus iste quasi quidam hortus, cujus Deus est quasi hortulanus. Petrus Blesens. s. 22. de Ss. Trinit.

Universus iste Mundus veluti quidam liber est, digito Dei scriptus; in quo singulæ creaturæ, tanquam singulæ literarum figuræ sunt. Blosius parad. an. c. 28.

§. II.

De mundo morali.

Mundus fallax, deserit, spoliat, &c. Rapit uni, ut det alteri.

Filia eorum composita, circumornata, ut similitudo templi. Ps. 143. 12. Quidquid possunt, furantur; ut filias suas ornent, tamquam templi imagines. Mundus est tanquam sacrista pauper; vix aliquem vestire potest, quin nudet alterum. Diez conc. 3. D. 3. Adv.

Omnis vallis implebitur. Luc. 3. 5. O mortalium conditio planè mortalis! en rerum vicissitudinem! mons deprimitur, collis attolitur; hic impletur, ille evacuatur. Sanè, vallis impleta est, quando Lazarus, qui implere non poterat de micis ventrem, Abrahæ sinum occupavit; depressusque mons jacuit, cùm epulo elevare saltem oculos nitebatur è tormentis. Oliva l. 13. Strom. hic.

Percussit triginta viros, quorum ablatas vestes dedit iis, qui problema solverant. Jud. 14. 19. Sampson triginta sociis vestes promisit; easque exsolvere non valens his technis usus est: triginta nimirum Philisthæos obtruncans, eos vestibus spoliavit, quas deinde sociis ænigma solventibus tradidit. Ità & Mundus: hos enim denudat, ut illos vestiat. Besseus D. 3. Adv.

§. III.

Aliæ fraudes.

Ex Veteri.

Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborem & abiit. Gen. 21. 15. Sic Mundus miserè aporiatum, & fatigatum, abjicit. Hugo. Card. hic.

Non es passus, ut oscularer filios meos. Gen. 31. 28. Mundus recedentes à se cum gaudio magno vult prosequi, ut vel sic saltem illis, quos retinere non potest, memoriam sui imprimat. Et hoc est, quod Laban in recessu vult filios osculari; unde sicut Judas dixit: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Matth. 26. 48. Sic dicit Mundus: cuicumque claustrali memoriam mei impressero: ipse est, & tenendus est: quia talis sæpè fugit in mundum; etiam dum cantat in Ecclesia. Hugo Card. hic.

Aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere. Judic. 4. 19. Post lac clavum. v. 21.

Dereliquit me Dominus meus, quia ægrotare cœpit. 1. Reg. 30. 13. Tunc ægrotat homo, quando vires deficiunt dando, & serviendi Mundo. Hugo Card. hic.

Mulus Absolonis. 2. Reg. 18.

Salve mi frater: & tenuit manu dextera mentum amasa, quasi osculans, eum. 2 Reg. 20. 9. Amicus Mundi est amicus proditoris; & ejusdem osculum est fraudulentum: *quemcumque osculatus fuero.* Sic facit Mundus illi, quem amare se simulat; sicut fecit Joab Amasæ, quem quasi osculatus occidit. S. Thom. Aqu. opusc. 38. de erudit. princip. c. 11.

Qua re apud me indiges, ut quæras ire in terram tuam? nulla, respondet Adad, nihilominus *dimittas me.* 3. Reg. 11. 22.

Ut

Ut Pharão ad Adad, idem nobis sæpè Mundus: qua re apud me eges? nomen geris, & decus; in pretio es; omnia tibi feliciter succedunt. Qui autem patrium cœli amat, respondet, dimitte me; vadam in patriam meam. Drexelius Rosel. p. 2. c. 4.

Fallax equus ad salutem. Ps. 32. 17. Hic equus est Mundus; qui propriè dicitur *fallax*; quia in necessitate deficere comprobatur. S. Bernardinus s. de desiderabili veritate.

Fallax gratia. Prov. 31. 30. qua Mundo gratiosi sumus: non enim est, nisi perditio quædam; sicut osculum Judæ, *Osculo Filium hominis tradis.* Hugo Card. hic. Sic & Mundus, quemcumque osculatur osculo collatæ dignitatis, vel prosperitatis; tradit in mortem. Id. Salve mi frater.

Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Is. 38. 17. Acsi confiteatur: postquam ad pacem mentis, te largiente, redii, magis mihi gravis esse incipit fallax status Mundi. Thom. Kemp. Soliloq. c. 20.

Ex Novo.

Ostendit ei omnia regna Mundi. Matth. 4. 8. Ideò vafer hostis in præaltum montem Jesum transtulit; ut, eminus intuens regna terrarum, illiceretur eorum fuco: quem certè ridendum sciebat cominus intuenti. Quàm liberalis est Mundus in suarum exhibenda pompa dignitatum! at solos oculos fallaci spectaculo detinet: semper ostendit; semper clamitat, se daturum rarò confert. In momento temporis omnem ambitionis supellectilem expromit. Haud igitur grandis pompa hujus Mundi, quæ tam brevi temporis puncto exponi potest. Oliva l. 13. Strom. Luc. 4.

Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde &c. Ib. Miser! malus vis esse; sed non potes: cupis tentare; sed nescis. S. Chrysol. s. 11. Cur? quia in montem celsissimum ducit, & à mundialibus rebus longissimè seperat. Debuisset terrenis rebus inserere. Naxera in Jos. 18. §. 29.

Osculatus est eum. Matth. 26. c. 9. Velut Judas osculo tradit Christum; sic Mundus suo suavio dæmonibus tradit Christianum, in tantum dicens: quemcumque osculavero, ipse est vester, tenente eum, Simon. Cass. l. 8. c. 40.

Villam emi; & necesse habeo exire, & videre illam. Luc. 14. 18. Imprudentiam hic adverte in mundanis nundinis sat vulgarem. Nempe mortales priùs emere, quàm explorare. En iste epularum repudiator villam spectatum it; quam jam emerat. Stultum mercatorem villæ mulier arguit Prov. 31. 16. *consideravit agrum, & emit eum. Juga boum emi quinque, & eo probare illa.* v. 19. Laborat secundus institor insania primi: juga emit; tum probat. Oliva l. 13. Strom. hic.

Pax vobis: & cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Joan. 20. 19. 20. Magno mysterio dans pacem ore, simul latus, & manus, præbet: ut denotet, pacem, quam ore dabat, se etiam corde, & manibus, seu operibus, conferre. Luc. 24. 39. dicit: *videte manus meas, & pedes meos: quia ego ipse sum.* Non alius verbis, alius corde, alius rebus. Nec pacem, quomodo Mundus dat, ego do vobis: Mundus quippe ad instar Judæ pacem oris osculo dat: corde, & manibus insidiosè tradit. Sylveira hic qu. 5.

Mulier habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione. Apoc. 17. 4. Calicem, seu populum, Babylonis, dulcem intelligimus deceptionem &c. ubi ad illiciendos populos adhibuit sonitum tubæ, fistulæ, & cytharæ &c. ut festiva sonorum suavitate inebriati omnes populi, & tribus, & linguæ, caderent adorando statuam auream. Rupertus de victoria vorbi Dei l. 6. c. 15.

Ex Patribus, & aliis.

Quid strepis ò Munde? immunde quid strepis? quid avertere conaris? tenere vis periens; quid faceres, si maneres? Quem non deciperes dulcis; si amarus alimenta mentiris. S. August. s. 29. de V. D. secundùm Lucam.

Vides magnam molem? habes, quod videas, & non habes, quod teneas. Solidior est fumus igni proximus, & terræ proximus: attenuatus evanescit, & disperit; quando se multùm extulerit. S. August. s. 109. de tem. loquens de fumo.

S. Petrus Clementem docebat, Mundum hunc esse plenam fumo domum. Clemens Rom. in ep.

Vix habet Mundus, ut fallat. Periit imago illa rerum ad decipiendum usque decora. Prius nos seducere verò cogitabat fulgore; non poterat. Prope jam non valet & ipsa nos falsa ostentatione corrumpere. Solidis bonis carebat; ecce deficit etiam caducis &c. S. Eucherius ep. Paræn. ad Valerianum.

O prævaricatores, revertimini ad cor; intelligite non intelligentes; quia omnes promissiones Mundi seductoriæ sunt; omnes blanditiæ venena; cunctæ delectationes pocula mortalia; viæque ejus sempiterna mors. S. Laurent. Just. de virtute fidei c. 1.

Præsens sæculum iniquitate superabundans, utrùm fideliter diligat, sæpissimè ignoratur. O quàm jugiter fingit; & sanctæ charitatis tegumento se vestit. Sanctus Laur. s. de Resurr. D.

Mundus est falsus amicus; qui in morte deserit, de suo non tribuit, auxilium nullum impendit. S. Bonavent. s. 97.

Mundus anguillæ est similis; quæ sæpè, dum teneri creditur, non habetur: imò, quantò manu fortiùs stringitur, tantò citiùs de manu egreditur. Id. s. 102. D. 11. Pent.

Videbis aliquando in aere nubem hominis magni, turrisve excelsæ figura, sed mox vento rapta dissolvitur, & evanescit. Talis est spes nostra in Mundo collocata. Promittit Mundus turres dignitatum, sed omnia hæc sunt arces in aere fabricatæ, quæ celerrimè dissipantur. Dies Mundi contemptus.

Meritò Mundus in S. Scriptura vocatur hypocrita: quia cùm foris valdè speciosis sit; intus tamen plenus est corruptione, & vanitate. Si Mundus apertus esset, statim deprehenderetur esse vanus, & falsus. Quidquid enim est in Mundo, præteritum, præsens, aut futurum est: quod præteriit, jam non est; quod futurum, incertum est; præsens verò instabile, & momentaneum. Stella de cont. van. p. 1. c. 4.

De latronibus Ægyptiis refert Seneca: quòd itinerantes non tumultuariè pro more grassatorum nostratium, neque afferatè, invadebant; sed humanè conveniebant blandè ex jumento, si quo fortè vehebantur, submittebant; magnificis promissis lactabant; arctè quoque amplexabantur. Et quando iratus viator talibus blandimentis delinitus, optimè secum agi putabat impii sicarii miserum trucidabant. In hoc amplectuntur, ut strangulent, inquit Seneca ep. 47. Horum prædonum similis Mundus fallax; qui, cùm adulatur strangulat. Didacus Nyss. s. 3. D. 5. Quad. §. 3.

Vulpes glaciem transitura aurem applicat, non confidens se ei, si subtus aquam fluentem audiat; timens nimis esse tenuem. Mundi gloria splendens glacies; sed fragilis. Plus crede literis scriptis in glacie, quàm Mundi fragilis vanæ fallaciæ. Appone autem, audies fluxum. Mundus transit, & concupiscentia ejus. Joan. 2. 17. Johngen p. 3. Exh. 28.

Anguilla. Lem. *Compressa dilabitur.* Picinelli.

§. IV.

Mundus vanus, fragilis, instabilis.

Ex Veteri.

Vidit in somnis scalam. Gen. 28. 12. Scala est hujus vitæ in constantia; in qua alii è summo dejiciuntur in imum; alii ex imo evehuntur in summum; idque ad Dei nutum, & voluntatem; qui scalæ huic incumbens eam dirigit. Philo de somniis.

Jericho olim urbs fuit magna, populosa; undè, & suum regem habuit, ut patet. Jos. 2. 2. sita in regione campestri, & pinguissima; ubi balsamum præstantissimum; nusquam alibi. Abundat rosetis, cannis, melle, palmetis; unde & civitas palmarum appellata. Est typus Mundi, qui mutatur ut luna. Odoratas delicias suis amatoribus exhibet; sed instar odorum evanescunt. Cornelius in Jos. 1.

Clangentibus tubis muri illicò corruerunt. Jos. 6. 20. Disce, quàm infirma, exilis, & vana, sit Jericho, idest, Mundi gloria: utpote quæ solis tubarum flatibus ruit, & evanescit. Cornelius hic.

Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Job 20. 5. Hypocrita est hic Mundus; cujus gaudium est instar puncti; quod nec latum, nec longum, nec profundum. S. Bonavent. soliloqu. c. 2.

Circumdabunt eum calices tormentis. Job 40. 17. Mundus iste propter velocem volubilitatem suam, torrentis nomine appellatur. V. Beda in Job l. 3. c. 9.

Vidi impium superexaltatum, & elevatum, sicut cedrus Libani, & transivi, & ecce non erat. Ps. 36. 35. 36. Dum intuetur remotior, videt non fuisse: in propinquo videt exaltatum; remotius non esse. Ni transisset, veritatem non spectasset. Naxera in Jos. 18. §. 29.

Vox tonitrui in rota. Ps. 76. 19. Non intelligo. Audiam, quid dicis: *apparuerunt fulgura tua orbi terrarum.* Orbis terrarum est rota: nam circuitus orbis terrarum meritò & orbis dicitur. S. August. hic. Ità ille huc textum legit.

Foderunt sibi cisternas, dissipatas, quæ continere non valent aquas. Jer. 2. 13. Vere cisterna dissipata honor, cisterna perforata voluptas, divitiæ, & omnis prosperitas mundinalis: non valet aquam continere. Triduo placet, & statim evanescit omnis illa consolatio, & fastiditur, & displicet. S. Thom. Vill. s. D. 3. Quadr.

Ex Novo.

Video homines velut arbores ambulantes. Marci 8. 24. Quàm bene vidit arbores Symbolum vanitatis: marcent hodie avulsæ, quæ heri gratè floribus coronatæ. Cœcus à turba separatus videt, quàm caduca sint, quæ ab hominibus habentur firmissima: eductus agnoscit, in civitate non videt. Naxera in Jos. 18. §. 29.

Misit illum in villam suam-in se autem reversus. Luc. 15. 15. 17. Qui inter homines à se migrarat, inter bestias ad se rever-

ſus eſt. Quid ejus illuſtravit mentem? à terrenis ſeparatio, & à longe ſpectans Mundum. Id. ib.

Cùm appropinquaret Jericho. Luc 18. 35. Sapienter Chriſtus prope Jericho illuminavit cœcum: ut primo mox intuitu diſcat Mundi fœditatem; conjiciatque ex ruinis urbis vanitatem præſentem, & futurum excidium. Oliva l. 13. Strom. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Credendum eſt; hunc Mundum eſſe alienum, & in eo nihil nobis proprium, niſi fidem, Religionemque. S. Juſtinus ep. ad Zenam, & Serenum, fratres.

Deſertum plangimus hujus Mundi: deſertum enim dicitur res, ubi non manetur: quia ergo hic non permanetur, deſertum dicitur. S. Chryſoſt. hom. de Jephte.

Umbra, & ſomnium quoddam, eſt erraticus hic Mundus. S. Ephrem de judicii lamentatione.

Omnia Mundana, umbra, fumus, & bullæ ſunt. S. Nilus Cap. Paræn.

Mundus iſte ſemper tendit ad non eſſe; & per momenta ſingula fluit ad nihilum. S. Laur. Juſt. diſcipl. mon. converſat. cap. 1.

Mundus iſte eſt inſtar domus; quæ habet duas portas: unam ad intrandum, ſcilicet nativitatem; alteram ad exeundum, ſcilicet mortem. S. Vinc. Ferr. ſ. f. 4. Paſch.

Iſte Mundus eſt ut arbor; fructus ejus ſunt honores, dignitates; divitiæ. Et quilibet vult colligere: ſed jam minatur ruinam. Id. ſ. in Vigil. Pent.

§. V.

Mundus plenus periculis.

Ex Veteri.

V*Allis autem ſylveſtris habebat puteos multos bituminis*. Gen. 14. 10. ideſt, Mundus habet multa retinacula. Hugo Card. in Pſ. 58.

Timuit Elias, & abiit. 3. Reg. 19. 3. Non mulierem fugiebat Propheta tantus; ſed ſæculum. Nec mortem timebat, qui ſe obtulerat requirenti! & qui dicebat ad Dominum: recipe animam meam. Tædium vitæ iſtius ſuſtinens, non cupiditatem: ſed fugiebat ſæcularem illecebram, & converſationis maculoſæ contagionem. S. Ambroſ. l. de fuga ſæculi c. 6.

Quoniam ipſe liberavit me de manu venantium. Pſ. 90. 3. Multi ſunt venatores in iſto Mundo, qui animas noſtras venari conantur. S. Hieron. hic.

Torrentem pertranſivit anima noſtra. Pſ. 123. 5. Sæculum præſens eſt. Quia ergo omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos agri; hujuſmodi levia facilè ſecum trahit torrens innundas. S. Bernardus D. 4 Pent. de David & Goliath &c.

Sicut lilium inter ſpinas. Cant. 2. 2. Plenus eſt Mundus ſpinis: in terra ſunt, & in aere ſunt, in carne tua ſunt. Verſari in his, & minimè lædi, divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ. S. Bernardus ſ. 48 in Cant.

Scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris. Eccli. 9. 20. Non dixit, juxta laqueos pertranſis; ſed *in medio laqueorum*. Utrimque nobis voragines, utrimque doli. Navigium Mundum eſſe puta; temonem, ſuppoſitam terram; velum cœlum; vectores homines; mare ſubjectam abyſſum: quomodo igitur tanto naufragium tempore non eſſet factum? S. Chryſoſt. hom. 15 ad pop. Antioch.

Spiritus vitæ erat in rotis. Ezech. 1. 21. Rotas vidit Ezechiel; ſed ſpiritu vitæ plenas; in rotis Mundi non ſpiritus vitæ, ſed mortis. Incert Auth.

Ex Patribus, & aliis.

Pauliſper te crede ſubduci in montis ardui verticem celſiorem: ſpeculare indè rerum infrà jacentium facies; & oculis in diverſa porrectis, ipſe a terrenis contactibus liber, fluctuantes Mundi turbines intuere. Jam ſæculi & ipſe miſereberis; ſuique admonitus, & plus in Deum gratus, majori lætitia, quod evaſeris? gratulaberis. S. Cyprianus ep. 2.

Chriſtianis Mundus hic pelagus eſt. Sicut enim mare adverſis excitatum procellis, inſilit, & tempeſtatem navigantibus facit; ità, & ſæculum, perfidorum conſpiratione commotum, perturbat Fidelium mentes; & tanta diverſitate hoc agit inimicos; ut, quid priùs evitandum ſit, ignoretur. S. Ambroſ. in c. 8. ep. ad Rom.

In mari tempeſtas fuit, ſtridunt procellæ; ſed piſcis natat, non demergitur, quia natare conſuevit. Ergo tibi ſæculum hoc mare eſt: habet diverſos fluctus, undas graves, ſævas tempeſtates. Et tu eſto piſcis; ut ſæculi te unda non mergat. S. Ambroſ. de ſacramentis l. 3. c. 1.

Hoc ſæculum mare eſt: habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationum, tempeſtates tentationum. Habet homines velut piſces de ſuo malo gaudentes, & tamquam ſe invicem devorantes. Calca mare, ne mergaris in mari. S. Auguſt. in Pſ. 39.

Nolite credere, nolite eſſe ſecuri: licèt in modum ſtagni fuſum æquor arrideat; licèt vix ſumma jacentis elementi ſpiritu terga criſpentur: magnos hic campus montes habet; intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite. Crux antennæ figatur in frontibus: tranquillitas iſta tempeſtas eſt. S. Hieron. ep. 1. ad Heliodorum.

Mundi laquei, quocumque progredimur. Laquei in corpore, laquei in lege, laquei in pinnis templorum, Laquei in Philoſophis, laquei in cupiditabus: laquei in pecunia, laqueus in religione, laqueus in ſtudio caſtitatis. S. Ambr. l. 4. in Luc. 4.

Vincula complura ſunt in hoc ſæculo. Vincula ſunt deſideria vivendi, vincula ſunt oblectamenta voluptatum, vincula ſunt honorum, vincula conjugii. Id. in Pſ. 118. Octon. 3. Concupivit anima mea.

Quis inter tot paſſiones hujus corporis, inter tantas illecebras hujus ſæculi, tutum, atque intemeratum, ſervare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus; & ſenſum mentis avertit: audivit auris; & intentionem inflexit: inhalavit odor; & cogitationem impedivit: os libavit; & crimen retulit: tactus contigit; & ignem adolevit. Denique, qui ſalvus eſſe vult, ſuprà Mundum aſcendat; quærat verbum apud Deum, fugiat hunc Mundum, terras relinquat: non enim poteſt percipere illud, quod eſt, & eſt ſemper; niſi priùs hunc fugerit. Id. l. de fuga ſæc. c. 1.

In Scriptura ſacra equi nomine, aliquando lubrica vita pravorum, aliquando dignitas temporalis, aliquando hoc ipſum præſens ſæculum exprimitur. S. Gregor. mor. l. 31. c. 10.

Duplicem Mundus aciem producit contra militem Chriſti. blanditur, ut decipiat; terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena; & victus eſt Mundus. S. Auguſt. ſ. 1. de S. Vinc. M.

Mundus iſte perículoſior eſt blandus, quàm moleſtus; & magis cavendus, cùm ſe illicit diligis, quàm cùm admonet, cogitque contemni. S. Auguſt. ep. 144.

Res ipſæ ſingulis diebus, tuba quavis clariùs declamant; quàm ſint omnia hujus Mundi vilia, quàm ridicula, quàm turpia, quàm periculoſa, quàm profundi barathri. S. Chryſ. ſ. 14. in c. 8. ep. ad Rom.

Qualiter, o anima tenera, & delicata; fragilis, & infirma; deliciis Mundi aſſueta; gaudiis hujus ſæculi, tanquam fœcibus vinariis, more porcorum, inebriata; qualiter potuiſſes, inter tot, & tanta, antiqui hoſtis retia, inter tot falſa conſilia, inter tam varia impedimenta, inter tot innumerabilia amicorum, conſanguineorum vulnerantium jacula; in bono perſtitiſſe: qualiter potuiſſes tot funibus peccatorum circumplexa, in bono profeciſſe? ſi non Spiritus Sancti gratia fuiſſes miſericorditer adjuta, & ſæpius dulciter conſolata, & refecta? S. Bonavent. 5. ſolemnit. de præſent. pueri Jeſu.

Amator Mundi, & voluptatum, homini à facie furentis unicornis fugienti ſimilis: & dum currit, in ingentem ſcrobem ruit; ac ruendo manus extendens arborem quandam arripit, eamque arctiſſimè retinet ſui ſecurus. Reſpiciens autem: duos mures cernit; alterum candidum, atrum alterum, arboris, quam tenet, radicem perpetuò corrodentes, jamque penè amputantes. Atque inſuper, conjectis in imam ſcrobem oculis, horrendum draconem conſpicit, oculis ignem ſpirantem; rictumque pandentem. At rurſum in gradu illo, cui pedes ipſius innitebantur, quatuor aſpidum capita videt, è pariete, in quo conſiſtebat, prominentia. Superne autem nonnihil mellis ex ramis ſtillans conſpicit. Quocirca, periculi omnis immemor, in illa dulcedine captanda totus defigitur. Unicornis mors eſt, ſcrobs Mundus, arbor vita, mures dies & nox; aſpides quatuor humores corporis, Draco Infernus, mellis guttula dulcedo Mundi. S. Jo. Dam. hiſt. de Barlaam, & Joſaph. c. 12.

Mundus in maligno poſitus eſt, plenus laqueis; plenus ſcandalis, & peccatis; circumſeptus periculis, pravis colloquiis, iniquis conſiliis, exemplis peſſimis, & mortibus animæ infinitis. Petrus Bleſenſ. ep. 142.

Mare tempeſtuoſum Delphinum in aridam ejiciens. Lem *proprius nec parcit alumnis*. S. Auguſt. ſ. 13. de V. D. attendite ſæculum quaſi mare. Amas ſæculum? abſorbebit te; amatores ſuos vocare novit non portare. Picin.

§. VI.

Mundus Deo, & Filio ejus, contrarius.

P*Hantaſma eſt*. Matth. 14. 26. Putabant ſe phantaſma videre. Phantaſma eſt apparitio incorporeæ rei ſub figura corporea. Eſt apparitio umbroſa ſub indiſtincta figura. Eſt apparitio, quæ fit ſenſibus conturbatis timore, aut aliqua paſſione. Eſt aliquid exiſtimatum aliud, quam id quod eſt. In nocte Chriſtus in adjutorium veniens, daturus requiem fatigatis, ſecuritatem credentibus, creditur eſſe phantaſma. Regnat adhuc hæc peſſima exiſtimatio ſuper terram. Exiſtimant phantaſma Judæi omnia myſteria Chriſti; hoc Pagani; hoc Philoſophi naturales, & impoſſibilia, & quædam deliramenta, credunt Chriſti humiles actiones; & velut phantaſma fictum, Chriſti myſteria. Vitam, & doctrinam, exiſtimant

ſtimant fictiones. Aſſentiunt autem his graviori delicto Chriſtianorum perfidi peccatores: qui, ſi credunt quandoque Chriſti myſteria; phantaſmatibus ejus mores attribuunt, pauperem pro Chriſto fieri, caſtratum eſſe propter regna cœleſtia, vivere in dejecta prudentia, vileſcere coram hominibus, caſtigare corpus, & reducere in animæ ſervitutem, inſiſtere vigiliis, orationibus intentos quærere ſolitudines, patienter, perpeti paſſiones, illatas injurias quieto animo tolerare, alienum fieri à parentibus, cognatis, & notis: adhuc dicunt eſſe phantaſma, & phantaſticos: imò veſanos reputant talium ſectatores. Simon Caſſ. l. 4. c. 9.

Ite in caſtellum. Matth. 21. 2. Interdum caſtellum generaliter ſignat totum Mundum, qui ab initio prædicationis Apoſtolicæ contra illos erat, qui verbum Evangelii, quod illi prædicabant, recipere nolebant. Haymo hom. in Dom. 1. Adv.

Quod in hoc Mundo contemptui, hoc pretioſum eſt apud Deum. S. Ambroſ. Octon. 3. in Pſ. 218. Aufer à me opprobrium.

Elegit Chriſtus in cruce contraria ſapientiæ Mundi. Tu magnipendis temporalium ſuavitates; amaricatus eſt Chriſtus. Tu magnipendis honores; vilificatus eſt Chriſtus. S. Bonavent. ſ. 2. hexam.

Chriſtus deſpiciendo damnavit, quæ Mundus amabat; patiendo probavit, quæ Mundus horrebat; & illam veritatem docuit, per quam aſcenderetur in cœlum. Sim. Caſſ. l. 13. c. 13. Matth. 27. 11.

§. VII.

Mundus malus, noxius, vilis, ingratus.

V*Eneruntque duo Angeli Sodomam veſpere*. Gen. 19. 1. Per Sodomam ſignificatur Mundus. Hugo Card. hic.

Abraham autem conſurgens intuitus eſt Sodomam &c. Gen. 19. 27. 28. Abraham eſt quilibet vir juſtus, qui Mundum intuetur; nec videt de illo aſcendere, niſi fumum ſuperbiæ, & favillam inanis gloriæ quæ de vanitate procedunt. Id. hic.

Jezabel depinxit oculos ſuos ſtibio. 4. Reg. 9. 30. Jezabel eſt Mundus iſte; qui depingit oculos, ut pulcher appareat; cùm ſit turpis. Id. hic.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto? Cant. 8. 5. Deſertum eſt Mundus propter abundantiam mali, & inopiam boni. Hugo à S. Vict. hic.

Onus Babylonis. Iſ. 13. 1. Babylon, quæ interpretatur *confuſio*; eò quòd ibi ædificantium turrim ſermo confuſus ſit. Spiritualiter Mundus iſte intelligitur, qui in maligno poſitus eſt; & non ſolùm linguas, ſed opera ſingulorum, menteſque confundit. S. Hieron hic.

Venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt Calvariæ locus. Matth. 27. 32. Moraliter Mundus dicitur Calvariæ locus; ubi corda malorum decalvata ſunt, id eſt, ornatu rectarum cogitationum, & affectionum, nudata. Hugo Card. hic.

Cum eo crucifigunt duos latrones, unum à dextrix, & alium à ſiniſtris. Marc. 15 27. Latro ſiniſter eſt Mundus: qui Chriſto crucifixo, id eſt, membris ejus crucem portantibus, inſultare non ceſſat. Id. hic.

Miſit Saul ad Iſai dicens: ſtet David in conſpectu meo. 1. Reg. 16. 22. Et tamen 1. Reg. 17. 55. quærit: *de qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens?* Unde tanta oblivio in rege? Aſſentior Lyrano qui putat eam ortam eſſe à diabolica perturbatione. Hoc habet Mundus ingenium, acceptum à diabolo; ut ſuorum penitus obliviſcatur, & minimè ſuos noſcat. Beaza l. 7. c. 1. §. 4.

Erit igitur mihi ſervus ſempiternus. 1. Reg. 27. 12. Davidi ob illuſtres de Amalecitis, de Geſſuti, de Gerzi, relatas victorias Rex Gethæus dixit: *erit igitur &c.* O ingratum regem! ob tot labores, pericula ſpreta, hoſtes debellatos; ſervitus promittitur eaque ſempiterna? ſpolia, tituli, honores, cum eo dividendi erant, amicitiæ fœdera ineunda. Sic oleum, & operam perdit, qui Mundo ſervit. Stengelius t. 3. Iud. div. c. 15.

Eſt hujus ſæculi figura humi depreſſa, vilis temporalis; nihil habens ſublime, nihil ſtabile, nihil recti; ſed omnia perverſa. S. Chryſoſt. ſ. 20. in c. 12. ad Rom.

In taberna Mundi venditur vinum, quod hominem ducit in oblivionem ſapientiæ. S. Bonavent. ſ. 2. hexam.

§. VIII.

Mundi feſta deſinunt in luctu.

R*Iſus dolori miſcebitur, & extrema gaudii luctus*. Prov. 14. 13. *Convertam feſtivitates veſtras in luctum; omnia cantica veſtra planctum*. Amos 8. 10. Statua Nabuchodonoſoris habebat caput aureum, & pedes terreos. Dan. 2. 32. *Sordes ejus in pedibus ejus: nec recordata eſt finis ſui*. Thren. 1. 9. *Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint; tunc id quod deterius*. Joan. 2. 10.

Dulcedo hujus ſæculi ad tempus fauces indulcat; ſed in magnam amaritudinem poſtea convertetur. S. Aug. in Pſ. 123.

Fumus. Lem. *Aſcendendo defecit*. Picinelli.

§. IX.

Mundus miſer miſeros facit.

Q*Uid exiſtis in deſertum videre?* Matth. 11. 7. Deſerto Mundus hic comparari videtur. Adhuc incultus, adhuc ſterilis, adhuc infœcundus. S. Ambroſ. in Luc. 7.

Sedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. Matth. 21. 5. Propterea ſedit Dominus hodie ſuper aſinam ſubjugalem, afflictam, & inhonoratam; ut apertè inſinuaret; quod magnificentia Mundi aſina ſit. Subjugalis propter viliſſimam ſervitutem: quia quò ſuper plures ambitioſus satagit dominari; eò neceſſe habet, pluribus ſubjugari. Eſt afflicta propter anguſtias maximè cordiales; quas, velit, nolit, neceſſe eſt ei pati. S. Bernardus ſ. 5 art. 1.

Nec hoc vos conſternet, quòd ſegregati eſtis à Mundo. Si enim recogitamus, ipſum Mundum magis carcerem eſſe; exiſſe vos è carcere, quàm in carcerem introiſſe, intelligemus. Majores tenebras habet Mundus, graviores catenas induit. Mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt; pejores immunditias expirat Mundus, libidines hominum. Plures poſtremò Mundus reos continet; ſcilicet univerſum hominum genus. Tertull. l. ad Martyres.

Habet Mundus iſte noctes ſuas, & non paucas. Quid dico, quia noctes habet Mundus? cùm penè totus ipſe ſit nox, & totus ſemper verſetur in tenebris. Id. ſ. 75. in Cant.

O Munde immunde! licet videaris nutritor corporum; tamen carcer es animarum. Idiota contemplat l. 3. c. 1.

Semper dies mali in ſæculo. S Auguſt. in Pſ. 33.

Vincula hujus Mundi aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam; certum dolorem, incerta voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miſeria, ſpem beatitudinis inanem. Id. ep. 39.

Quantò magis ad Mundum accedis, tantò longiùs à Deo recedis. Quantò magis foris es ſapiens, tantò magis ſtultus intus efficeris. Quantò magis extra lucraris, tantò magis intus perdis. Quantò magis in temporalibus es ſollicitus, tantò magis in ſpiritualibus es mendicus. S. Bernardus ſ. de miſeria humana.

Poſtrema Mundi ætas plena eſt malis, tanquam morbis ſenectus. S. Eucherius ep. Paræn. ad Valerianum.

In hoc ſenio ſæculi, in hac hora noviſſima, in præcurſione Anti-Chriſti, Mundus, tanquam ſenex, delirus, phantaſias plures, & illuſiones, ſomniis ſimiles, pati habet. Joan. Gerſon. tr. de diſtinct. verar. viſion. à falſis.

§. X.

Mundus ſpernendus, fugiendus.

Num. I.

Symbola.

E*Gredere & de domo patris tui*. Gen. 12. 1. id eſt, de hoc ſæculo nequam, & converſatione ejus: ut pater Mundus, & mater concupiſcentia, ſint nobis mortua; & nos ipſis: ut verè dicamus: *Mundus mihi crucifixus eſt, & ego Mundo*. Hugo Card. hic.

Profectique ſunt filii Iſrael de Rameſſe. Ex. 12. 37. Primus tranſitus eſt de Ægypto, ſecundus deſerto. Primo tranſi de Mundo ad teipſum. Mundum amaſti? Mundum deſpice, & tranſi. Deſere curas ſæculi, & age curam tui: & incipies eſſe cultor eremi. Rediens de Ægypti tenebris, de erroribus mundanis, ad ſecretiora cordis; nihil aliud invenies, niſi locum horroris, & vaſtæ ſolitudinis. Hæc eſt enim terra illa deſerta, invia, & inaquoſa; conſcientia videlicet diu neglecta, omnino inculta, ſpinis, & tribulis obſita, & omni horrore plena. Rich. à S. Vict. tr. de exterminat. mali &c. c. 5. Statim abſque dubio, ut Ægyptum deſerveris; ut Mundum poſt te totum rejeceris; perit cauſa timoris, cauſa doloris, radix amaritudinis: radix ſi quidem malorum omnium eſt cupiditas. Id. ib. c. 1.

Omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit. Deut. 11. 24. Bene calcare Mundum, contemnere eſt; per cujus contemptum dominatio acquiritur Mundi. S. Bernardus ſ. 8. tr. de octo beatitud.

Si quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames &c. 1. Reg. 6. 9. Velut de domo, ſolis ſunt Bethſames, qui contemptis terrenis omnibus, veri luminis ſplendoribus illuſtrantur. De domo quidem ſolis ſunt, qui jam omni Mundo ſepulti, ad videndam conditoris ſui claritatem flamma miræ dilectionis inardeſcunt. S. Gregor. hic.

Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum. Pſ. 17. 34. Qui perfecit amorem meum ad tranſcendenda ſpinoſa, & umbroſa implicamenta hujus ſæculi. S. Auguſt. hic.

In Idumæam extendam calceamentum meum. Pſ. 59. 10. Idumea interperetatur *terrena* & ſignificat Mundum; in quam vir juſtus extendit calceamentum; calcando, & contemnendo, ipſum. Hugo Card. hic. Calceamentum autem, quod fit de corio mortui animalis, & munit pedes, ſignificat memoriam mortis;

quæ benè munit pedes; id est affectus; ne ad obices, quos offert Mundus, offendat. Id. ib.

Præcepit turba, ut discumberet super terram, Matth. 15. 35. Ut notetur constantia in contemptu Mundi. Id. hic.

Ecce duo cæci - clamaverunt, Matth. 20. 30. Quis est, qui clamat ad Christum; qui contemnit Mundum, clamat ad Christum; qui spernit sæculi voluptates, clamat ad Christum. S. August. s. 18. de V. D.

Quid existis videre, Luc. 7. 24. Ut aviculæ nidificantes, exteriùs spinas, & vepres; interiùs penulas, molles, levesque res ponunt; sic justi exteriùs dura vestimenta, asperitatem, mortificationes; interius suavitatem spiritus induunt. Stella hic.

Revera quid aliud sæcularibus, quàm ludere videmur? cùm quod ipsi appetunt in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus; & quod ipsi fugiunt, nos appetimus. More scilicet joculatorum, & saltatorum; qui capite misso deorsum, pedibusque sursum erectis, præter humanum usum stant manibus, vel incedunt. Hoc casto, & religioso, ludo ludebat, qui dicebat: *Spectaculum facti sumus Mundo & Angelis, & hominibus*, 1. Cor. 4. 9. S. Bernardus ep. 87.

Num. II.

Exempla spernentium.

Cui soror pueri; vis ut vocem ibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infanculum? Ex. 2. 7. Cùm plures Ægyptia admoviſent ubera; Moyses puer avertebat faciem. Idem, cùm Pharao, pueri vetustatem miratus, coronam suam capiti ejus imponeret, puer coronam projecit in terram, & fregit. Hugo Card. hic.

Super pupillum irruitis. Job 6. 27. Pupillum se Job dicit; quia concupiscentia mater, & Mundus pater, mortui sunt ei; ut verè possit dicere: *mihi Mundus crucifixus est*. Gal. 6. 14. Hugo Card. hic.

Mihi Mundus crucifixus est. Gal. 6. 14. non amanti divitias; non amanti honores sæculi; non amanti quæ sua sunt; sed quæ Jesu Christi: non amanti, quæ videntur; sed quæ non videntur: non cupido vitæ; sed ei, qui festinat dissolvi, & esse cum Christo; crucifixus est Mundus. S. Ambros. l. 6. in Luc. c. 7. Si mihi crucifixus est Mundus, scio quia mortuus est. Non diligo eum; scio, quia præteriit: non concupisco eum; scio, quia corruptela consumet hunc Mundum: quasi fœtidum vito; quasi lucem caveo; quasi nociturum relinquo. Id. ib. Invicem ergo sibi mortui sunt, & Mundus Apostolo; & Apostolus Mundo: dum nihil concupiscit Apostolus Mundi; & dum nihil habet Mundus suum, quod agnoscat in Paulo. Sicut & Dominus ait. Joan. 14. *Venit princeps Mundi hujus, & in me non habet quidquam*. Id. hic in ep. ad Gal. 6. acsi diceret: ad alia quidem omnia mortuus sum; non sentio, non attendo, non curo: si quæ verò sunt Christi; hæc vivum inveniunt, & paratum. S. Bernardus s. 7. de peregrino, mortuo, & crucifixo.

§. XI.

Mundum spernendi alia motiva.

Ex Veteri, & Novo.

Orphano tu eris adjutor. Ps. 10. 14. Id est, ei cui moritur pater hic Mundus, per quem carnaliter genitus est; & jam potest dicere: *Mundus mihi crucifixus est, & ego Mundo*: talibus enim pupillis pater fit Deus. S. August. hic.

In lectulo meo per noctes quæsivi &c. Cant. 3. 1. Lectulum sibi sancta anima in nocte facit; dum, omnes perturbationes, Mundi fugiens, secretum comparat, in quo requiescat. S. Gregor. hic.

Quod signum adventus tui, & consummationis sæculi. Matth. 24. 3. Hoc à Christo quivis tyro exquirat, quando Mundus in corde desinet Jesu adventu illustrato? Nam numquam finitur Mundus in nostro corde, nisi illud invisat; & fœcundet, Deus ingressu suo: nec ille cor visitat, nisi prius in eo Mundus finiatur. Oliva l. 9. Strom. hic.

Misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent. Luc. 14. 17. Cùm cuilibet perversè agenti dicimus: convertere, Deum sequere, Mundum relinque; ubi hunc, nisi ad Dominicam cœnam, invitamus? S. Gregor. hom. 36 in Evangel. Si cuncta Mundi relinquere non potestis; sic tenete, quæ hujus Mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in Mundo; ut terrena res possideatur, non possideat; ut sub mentis vestræ sit dominio, quod habetis; ne mens vestra, dum terrenarum rerum amore vincitur, à rebus suis ipsa magis possideatur. Sit ergo res temporalis in usu æterna in desiderio. Id. ibidem.

Regnum Dei intra vos est. Luc. 17. 21. Tunc verè dicitur regnare Deus, quando nihil mundanum in animabus nostris versatur; sed omnino aliter vivitur, quàm Mundus solet. Theophylactus hic.

Nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras. Joan. 12. 31. Mittitur diabolus foras, quando ex toto corde huic Mundo renuntiatur. S. August. lib. de Agone Christiano c. 1.

Surrexit Saulus de terra; apertisque oculis nihil videbat. Act. 9. 8. Visum perdidit ad videndum Mundum: *apertis oculis nihil videbat*, nihil terrenum: sed videbat interioribus oculis Christum. Cœcus fuit, ut se à Mundo averteret, & Mundum ulterius non amaret. S. Bonavent. s. 1. in Conversi. S. Pauli.

Ex Patribus, & aliis.

Nihil appetere jam; nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est. S. Cyprianus ep. 2.

Exeundum nobis est de Ægypto, relinquendus est Mundus; si volumus Domino servire. Orig. hom. 3. in Exod.

Et tu, si vis tanquam Deus peccatoribus esse terrori regibus reverentiæ; ut tamquam Deo tibi videantur subjecti, quia operaris in Dei nomine; contemne, quæ sæculi sunt; & Dominicæ Passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis. S. Ambros. in Ps. 118. s. 8.

Ergo eorum (Apostolorum) imitatores non solvant tributum, quibus Deus portio est. Ideo Dominus ait: *reddite*, id est, vos reddite, qui protulistis imaginem Cæsaris, apud quos invenitur: ego autem nihil debeo Cæsari, quia nihil hujus Mundi habeo. Venit enim hujus Mundi princeps, & in me inveniet nihil. Nihil debuit Petrus, nihil Apostoli mei, quia non sunt de hoc Mundo. S. Ambros. ep. 1. ad Justum.

Fugiamus ergo hinc; ubi nihil est; ubi inane est omne, quod magnificum putatur esse; ubi & qui se putat quid esse, nihil est; & omnino non est. Id. l. de fuga sæculi c. 5.

Relinquamus ergo umbram, qui solem quærimus; deseramus fumum, qui lumen sequimur: fumus iniquitas est; quia sicut fumus oculis, sic iniquitas, utentibus ea. Umbra est vita &c. Id. ib.

Sed, qui fugit, velociter fugiat, ne comprehendatur; velociter deprædetur hunc Mundum, ut Hebræus Ægyptum. Qui parturit, pariat; ne onusto, & degravato iniquitatibus mentis, utero, fugere non possit: & fugiat, non quasi lactentem ferens; sed quasi expeditum; non parvulum gestans; sed perfectum in Christo exhibens. Fugiat, non quasi feriatus in Sabbato; sed tanquam operarius in negotio: neque tanquam sterilis in frigore; sed tanquam optimus in messe. Id. ib. c. 6.

Quid magnum est, pro illa æterna, cœlestique patria, cuncta sæculi hujus, quamlibet jucunda, blandimenta contemnere. Si pro hac temporali, atque terrena, filios Brutus potuit & occidere; quod illa facere neminem cogit. S. August. de Civit. l. 5. c. 18.

Vult te Mundus absorbere; tu absorbe Mundum, & trajice illum in corpus tuum; macta, & manduca. Id. in Ps. 34.

Pereant omnia, & dimittamus hæc vana, & inania; conferamus nos ad inquisitionem veritatis. Vita hæc misera, est mors incerta. Si subito obrepet, quomodo huic exibimus? quid cunctamur, relicta spe sæculi, conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam? Id. lib. Conf. 6. c. 11.

Pudet, ac piget, me talia pati, qualia Mundus iste agit. Id. in Man. c. 5.

Qui sic operantur ea, quæ Dei sunt, ut tamen & quædam, quæ sunt sæculi, non relinquant; sacrificium, & non holocaustum efferunt. Qui autem cuncta, quæ Mundi sunt, deserunt; & totam mentem igne divini amoris accendunt; hi nimirum omnipotenti Deo sacrificium, & holocaustum fiunt. S. Gregor. hom. 12. in c. 3. Ezech. in fine.

Quisquis ea, quæ Mundi sunt, agere, apperit, quasi vigilat; quisquis verò internam quietem quærens hujus Mundi strepitum fugit, velut obdormiscit. Id. mor. l. 5. c. 22.

Mundana hæc omnia postpone: parva enim sunt, quæ relinquis; maxima verò, quæ dantur à Domino. S Cyrill. Jeros. Catech. 1.

Grandis exultatio animæ est, cùm parvo contentus fueris, Mundum habere sub pedibus, & omne. S. Hieron. l. 2. adv. Jovinianum.

Nihil potius esse duco, quàm si, compressis sensibus, extra carnem, & Mundum, positus, nullas res humanas attingens, nisi quatenus summa necessitas flagitat; tecum, & cum Deo colloquens, supra res omnes, quæ sub aspectum cadunt, vivas. S. Gregor. Naz. or. de recta doctr. sententia.

Curabis, ut solas divinitatis opes tibi compares; Mundumque universum araneorum telis similem semper arbitreris. Id. in sententiis.

Deo servire quispiam non potest, nisi omnia, quæ in hoc Mundo sunt, propter Deum spreverit. S. Gregor. Nysl. l. de vita Moysis.

Cui Christus incipit dulcescere, profectò necesse est amarescere Mundum. S. Bernardus s. illud Sap. 7. Sapientia vincit malitiam.

Qui pecuniam diligit, non satiatur; qui luxuriam diligit, non satiatur; qui gloriam quærit, non satiatur. Denique qui Mundum amat, numquam satiatur. Novi ego homines satiatos hoc Mundo, & ad ejus omnem memoriam nauseantes. Novi satiatos pecunia, & satiatos honoribus, satiatos voluptatibus, & curiositatibus hujus Mundi; nec mediocriter, sed usque ad fastidium satiatos. Et facilè est cuique nostrum hanc satietatem per Dei gratiam obtinere: neque enim parit hanc copia, sed contemptus. Id. s. 4. ad Clericos de contemptu Mundi c. 22.

Qui Mundum diligit, sæpe tristitia afficitur; qui autem contemnit ea, quæ in Mundo sunt, in perpetua lætitia versabitur. S. Nilus or. 5. de tristitia.

Qui Mundum diligit, is, necesse est, ut subinde contristetur, & mœreat: qui autem, quæ in Mundo sunt bona, ne tantilli quidem ducit, jugi lætitia perfruetur. S. Antiochius hom. 20.

Si quis Mundum omnino odit, hic tristitia effugit. Porrò si quis quælibet visibilium rerum affectione mordetur, tristitia nondum liberatus. Joan. Chimacus. gr. 2.

Pulchrum est, à Mundo occidere ad Deum, ut ad ipsum oriamur. S. Ignatius M. in ep. quam citat in vita Metaphrastes ad Rom.

Ille plenè omnia terrena possidet, qui omnia hujus Mundi plenè despicit, & contemnit. S. Bonavent. Stim. amor. c. 1.

Mundus est derelinquendus; quia à Deo est excommunicatus: *ego pro eis rogo, non pro Mundo*. Mundus est contemnendus, quia malis legibus institutus. Fugiendus est Mundus, quia nullis bonis fructibus est ornatus. Quis est tam pravus, tam facinorosus; qui ibi habitare vellet, ubi nulla justitia servaretur, nullus bonus usus haberetur. Sed passim omnes caperentur, expoliarentur, & mortibus traderentur? Nonne videtis aves? nonne feras sylvestres, nec non in mari pisces, loca fugere sibi nociva; & quærere sibi, & filiis loca tuta. Unde dicitur in Apoc. 18. 4. *exite de* Babylone *populus meus; ut nè participes sitis delictorum ejus*. Id. s. 74.

Esus panis post ablactionem datur infanti; & homo; qui vult delectari in divinis; priùs se debet à sæculo, velut infans ab uberibus maternis, abalienare. S. Isaacus de contemptu Mundi l. 1. c. 2.

Temulentum est quodamodo bonum inter mortales, ac nemine etiam concutiente vix consistit. Isidor. Pelus. l. 2. ep. 126.

Albertus Archi-Ep. Moguntinus, & S. R. E. Card. sepulchro inscribi voluit: *Pernoctavi hic in Mundo; omnes sequimini*.

§. XII.

Mundus in omnibus patitur defectum.

Ex Veteri.

Scatere cœpit vermibus. Ex. 16. 20. Manna in diem colligebatur; &, si ultra diem manebat, in vermes convertebatur. Si, quidquid dulce, gloriosum, in Mundo est; si ultra diem producitur, nauseam generat, vermes producit. Baeza t. 2. l. 11. c. 7.

Defecerunt aquæ Jordanis. Jos. 4. 7. Et in obsidione Bethuliæ, Judith 7. 11. *defecerunt cisternæ. Defecerunt in vanitate dies eorum*. Ps. 77. 33. *Defecit caro mea, & cor meum*. Ps. 72. 26. *Defecit in dolore vita mea*, Ps. 30. 11.

Jericho autem clausa erat. Jos. 6. 1. Jericho *defectus*, sive *luna*, interpretatur: significat autem hunc Mundum mutabilitati, & defectioni obnoxium. S. Rupertus hic c. 10.

Panis defecit in sit arcis nostris. 1. Reg. 9. 7. O inopem, & medicum Mundum! omnia ipsi desunt; & ramen omnia se habere jactitat. Besseus D. 2. Epiph.

Nutrivi illos cum jucunditate; dimisit autem illos cum fletu, & luctu. Baruch. 4. 11.

Ex Novo.

Ostendit ei omnia regna Mundi. Matth. 4. 8. Vanitas harum prosperitatum temporalium etiam ex hoc apparet; quòd dicitur diabolus in momento ostendisse Christo D. omnia regna Mundi. Hinc illud Pauli 1. Cor. 7. 31. *præterit figura hujus Mundi*. Diez Mundi vanitas.

Lampades nostræ extinguuntur. Matth. 25. 8. Virgines fatuæ habent parva vascula, nec oleo replentur; sed etiam in parvis deficit. Sylveira in Joan. 4. 28.

Quia super pauca fuisti fidelis. Matth. 25. 21. Quæ illa pauca? certè omnia illa, quæ in hoc Mundo pretiosissima æstimantur. Ramirez in ep. 2. S. Hieron. notandum, quòd omnia, quæ in præsenti habemus, licèt magna videantur, & plurima; tamen, comparatione futurorum, pauca, & parva sunt.

Villam emi &c. Luc. 14. 18. Nota: alter villam, alter juga emit. Unde non mirum, si fructus sequatur nullus in Mundo; cùm vel ager desit ementi boves, vel juga non adsint possessori villæ. Sanè qui villam emit, emere, debuit & juga. Alterum semper Sæcularibus deest: cui fortuna abundat, virtus deest. Si dives est, non prudens &c. Oliva l. 13. Strom. hic.

Deficiente vino. Joan. 2. 3.

Ex variis.

Quid vis? utrùm amare temporalia, & transire cum tempore? an Mundum non amare, & in æternum vivere cum Deo? S. August. tr. 2. in ep. S. Joan.

Quid potest Mundus promittere? quidquid liber, promittat; fortassis crastino morituro promittit. Id. tr. 3. 16.

Vir opulentus, & principum favore magnus, à quodam interrogatus, quid ad omnem fortunam sibi esse putaret? respondit: clavum unicum, quo fortunam tam propitiam affigam, nè avolet. Sed hactenus hic clavus numquam est repertus. Drexelius Opusc. 7. Joseph c. 12. §. 2.

Luna plena. Lem. *Ad citò deficit*. S. Isidorus in Jos. 7. Luna Mundi hujus speciem tenet: quia sicut luna menstruis completionibus deficit; ità hic Mundus ad completionem temporum currens, quotidianis defectibus cadit. Picinelli.

TITULUS XXVI.

MUNERA.

§. I.

Faciunt gratum.

Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur. Gen. 25. 28. Dignior erat Jacob, ob virtutis, & ingenii, præstantiam. Escob. mir. Chr. t. 1. l. 10. s. 1. Obs. 5.

Accipe munusculum de manibus meis: sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei. Genes. 33. 10. Quis ferreum pectus mollefecit, agrestem vultum Esau mutavit in divinum? oblata, & accepta munera. Arcones Dis. 3. in Is. c. 1.

Accidit, ut peccarent duo Eunuchi. Gen. 40. 1. & sequ. Ex quibus somniorum circumstantiis Joseph alterius fortunam conjicit, & alterius calamitatem? Unus munera largitus est; *& tradidi poculum* Pharaoni. Alter non est largitus. Naxera in Jos. 1. §. 48.

Tradidi poculum Pharaoni. Gen. 40. 11. Vel in somno de largitione curat, qui liberalis; clausis oculis manus aperit. Pistor somnians nihil offert. Tam dignus hic supplicio, quia ad avaritiam pronus; quàm illa præmio, qui non sibi vinum, sed Pharaoni, propinat. Alvarez Illust. 44.

Sumite de optimis terræ fructibus &c. Genes. 43. 11. Abulens. hic: præmonuit illos Jacob, aliqua munera deferre illi viro; ut placabilis illis esset. Noverat enim Jacob; quanta vis sit muneribus; quia animos iratos conciliant, & amorem causant.

Tollite in manibus cibaria & occurrite eis, & dicite: servi vestri sumus; fœdus inite nobiscum. Jos. 9. 11. Munera offerunt; ut se dignos adstruant amicitia. Nec falluntur: susceperunt de cibariis eorum; fecitque cum eis Josua pacem. Naxera hic.

Obtulitque munera Eglon regi Moab. Judic. 3. 17. 19. Regis Eglon ingreditur aulam Hebræus Aod, aitque, se velle cum rege loqui sine testibus. *Imperavitque* rex *silencium; egressique omnibus, qui cum eo erant, ingressus est Aod ad eum*. Si rex Eglon per multos annos assiduis bellis Israelitas attriverat; cur modò tam facilem aditum præbet Duci Aod, & cum eo solus sermonem miscet? dixerat jam sacer Textus, *obtulit munera &c.* Ea enim munerum conditio est, & potentia; ut principum animos alliciat, januas palatii reseret, & regios favores facillimè consequatur. Alv. Illust. 44. in Gen. 40.

Stellio moratur in adibus regis. Prov. 30. 28. Quomodo stellio, exiguum animal, alta obtinet? Manibus nititur. Alas non habet, sed manus habet; largis manibus fastigia conscendit. Nax. in Jos. 9. §. 19.

§. II.

Munera SS. trium Regum. *Matth. 2.*

In auro regem, in thure Sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamvis passibilem profitentur. S. Cypr. de stella, & Magis.

Thus Deo, myrrham homini, aurum regi offerunt. S. Leo s. 1. in Epiph.

Imperator est, auro debet ornari: Dominus; incensum ei debet offerri: homo factus pro nobis, ut habitaret in nobis; de myrrha debet fieri sepultura. S. Fulg. s. in Epiph.

Scientiam isti, & obedientiam, & charitatem, figuraliter offerebant. S. Chrysost. hom. 8. c. 2. in Matth. c. 2.

Aurum regi, thus Deo, morituro myrrham, Dominicæ devotioni offerunt. S. Chrysol. s. 158.

Alii in his muneribus intelligere volunt Physicam, Ethicam, & Logicam; quas post fidem ad laudem Dei iste Mundus obtulit. V. Beda hic.

Existimo myrrham esse primam oblationem incipientium, deinde thus proficientium, denique aurum perfectorum. Guaricus s. in Epiph. Dom.

Offerte aurum dilectionis ardentissimæ; offerte thus contemplationis devotissimæ, offerte myrrham contritionis amarissimæ. Aurum dilectionis, propter bona collata; thus devotionis, propter gaudia præparata; myrrham contritionis propter peccata perpetrata. S. Bonav. 4. sollemnit. de Magor. Adorat.

Obtulerunt aurum tamquam potentissimo regi; thus tamquam

quam potentissimo Judici; myrrham tanquam benignissimo Patri. Id. f. 26. in Epiph.

Quidam sunt boni perfectè; & isti offerunt Deo aurum: quidam sunt boni mediocriter; & isti offerunt Deo thus: quidam sunt mali; & isti offerunt Deo myrrham, per amaritudinem. S. Vinc. Ferr. f. 4. in Epiph.

Aurum Deo offerimus, cùm per patientiam probati, in tribulationibus non deficimus. Thus ei in ara cordis incendimus, cùm, interno ejus amore flagrantes, per studium compunctæ, & lacrymosæ orationis, ei placere contendimus. Myrrham quoque de nostri cordis arca proferimus, cùm pro ejus amore, vigilando, orando, jejunando, petulantiam carnis edomamus. B. Ivo Carnot. f. de Epiph. D.

Offeramus ei de thesauro temporalium aurum; de thesauro corporis myrrham; de thesauro cordis odoriferum thus. Aurum illi offert, qui temporales divitias, quas possidet; in toto, vel in parte, Deo dicat; vel pauperum usibus tribuit. S. Thom. Vill. f. in Epiph. D.

Per aurum eleemosyna, thus oratio, myrrham mortificatio carnis. Hugo Card. hic.

Hæc quoque munera & nos quoque spiritualiter Christo quotidie offerre debemus. Per aurum enim significatur fides illuminata, vel donum sapientiæ, vel charitas fervida. Per thus verò figuratur bonæ famæ suavitas, vita exemplaris; vel affectuosa, & dulcis oratio. Per myrrham signantur mortificatio carnis, seu bona opera. Dionys. Carth. hic.

TITULUS XXVII.

MUSICA.

Quandocumque spiritus Domini malus erripiebat Saul, David tollebat citharam &c. 1. Reg. 16. 23. Potior vis hujus citharæ erat supernaturalis; nimirum quòd David citharæ pulsu mentem suam excitabat; & ferventiùs oravit Deum pro Saulis salute. Unde Deus eum exaudiens, ob Davidis ferventes preces, & merita, abigebat dæmonem à Saule, & sibi restituebat. Rupertus per citharam accipit dulcedinem prædicationis Evangelicæ: hæc enim sua suavitate ad se rapuit omnes gentes. Cornelius hic.

In voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis. Ps. 41. 5. Si velis, teipsum efficies citharam; cùm carnis membra morte affeceris, & animæ cum corpore pulchrum concentum effeceris. S. Chrysost. hic.

Cùm vidisset tibicines. Matth. 9. 23. hoc est, quosdam lugubre carmen canentes, ad provocandum fletum in aliis. Tales inferebantur olim in funere magnarum personarum. Sicut enim quædam symphonicæ melodiæ, seu cantus, provocant ad audaciam, sicut in bellis; quædam ad lætitiam; quædam ad devotionem: sic quædam inducunt & planctum. Dion. Carthus. hic.

Ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbalum concremat; quis ibi Dei timor? S. Hieron. tom. 2. adversùs Helvidium.

Elementum Musicæ est unisonum. Musica est plurium dissimilium in unum redactorum concordia. Rich. à S. Vict. tr. Exposit. l. 1. c. 8.

Restat, ut arbitror, Musicorum voluptas. Habes organum ex diversis fistulis Sanctorum Apostolorum, Doctorumque omnium Ecclesiarum, aptatum quibusdam accentibus, gravi, acuto, & circumflexo: quos Musicus ille Dei, Spiritus S. per verbum tangit, implet, & resonat. S. Prosper de promissionibus &c.

Musici, diaboli sunt adulatores. Ugo Carens. in c. 9. Prov.

Musicam Philomelæ debemus, si Democrito fides. Nieremberg. hist. nat. l. 1. c. 13.

N

TITULUS I.

NATIVITAS D. JESU.

§. I.

Figurata, & prædicta.

Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac. Gen. 17. 19. Isaac *risus* interpretatur, quo nomine rectè seminis Abrahæ, qui est Christus, felix nativitas significatur: qui universitati Sanctorum, quorum ex carne vera caro, & verus homo ipse est, sempiterni risus, & interminabilis gaudii, causa est. Quod gaudium, vel quem risum, omnium pulchrè unus illorum prægustavit, clausus adhuc in utero: *exultavit in gaudio infans &c.* Luc. 1. 44. Rupertus l. 5. c. 35. in Gen.

Risum fecit mihi Deus. Gen. 21. 6. Quis est autem Spiritualis risus, & gaudium Electorum? nisi is, de quo Angelus ait pastoribus. Luc. 2. 10. *evangelizo vobis gaudium magnum.* Dion. in Matth. Carth. 1. 2.

Hæc est Bethlehem. Gen. 35. 19. idest, *domus panis*, à fertilitate, quæ ibi fecit post famem; quæ acciderat tempore Elimelech, ut habetur Ruth cap. 1. 1. Sicut Rachel Benjamin, ità B. Virgo peperit Christum in Bethlehem; quasi suum Benoni, idest, *virum dolorum*. Ephrata Hebr. significat *fertilem, fructiferum*; est enim hic locus fertilis. Corn. hic.

Orietur stella ex Jacob. Num. 24. 17. De Christi nativitate manifesta, & vera, est prophetia: qui & ipse stella clara est, & matutina. S. Rupertus hic.

O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem! 2. Reg. 23. 15. Sitiebat David non aquam de lacu, qui est in Bethlehem; sed oriundum ex Virgine Christum cum spiritu prævidebat, volebat ergo bibere, non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritualis: hoc est, non aquarum sitiebat elementum; sed sanguinem Christi. S. Ambros. lib. de Apologia David c. 7.

Nunquid volebat rhinoceros servire tibi? aut morabitur ad præsepe tuum. Job 39. 9. q. d. ferox animal rhinoceros: nunquid vires, & industria, sunt tibi ò Job, ut reti intercipias, & mansuetum deducas oneris bajulum in stabulum? ut eodem, quo asinus, & bos saginetur pabulo? imbecillæ sunt tantæ victoriæ homini vires: soli Deo in præsepio recumbenti servatur rhinocerotis domitì triumphus. Non miror Imperatorum de hostibus reportatas victorias: stupeo mansuefactas belluas, barbaras gentes, sub jugo Christi cervicem submittere. Arcones in Is. 1. Disc. 5.

Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis sylvæ. Ps. 131. 6. gratulatur David de inventa arca. Natum Jesum in spelunca Betlehemitica Vates intuetur; & inventa arca Corporis Domini, exultat. Theodoretus: Ephrata illa, quæ nunc appellatur Bethlehem, nominabatur: ibi enim Christus D. ortus est. Sed cùr Bethlehem, & specus nati Christi, campus Sylvæ vocatur? quia Sylva latibulum bestiarum. S. Ambros. l. 2. de S. Spiritu c. 11. illa Sylva, ad quam Paulus lupus quidem raptor intravit; sed pastor exivit. Eramus ergo feræ sed, per Spiritum S. jam leonum sævitia, pardorum varietas astutia vulpium, luporum rapacitas, de nostris exolevit affectibus. Magna igitur gratia, quæ cœlo terras mutavit; ut conversatio nostra, sicut Apostolus dixit, in cœlis sit; qui antè, sicut feræ errabamus in Sylvis. Arcones in Is. 1. Disc. 5.

Oritur sol. Eccl. 1. 5. idest, Christus de Virgine; *& occidit in* cruce; *& ad locum suum*, idest, cœlum empyreum, vel ad sinum Patris *revertitur in* Ascensione. Hugo Card. hic. Oritur in Nativitate ad illuminandum; occidit in Passione ad redimendum. Occidit sol in meridie, idest; in vehementi amore charitatis; ad locum suum vertitur in Ascensione; flectitur ad aquilonem in extremo examine. S. Bonaventura hic.

Indica mihi, quem diligit anima mea; ubi cubes in meridie? Cant. 1. 6. Per meridiem Christi accipe crucifixionem: in meridie, enim crucifixus est. Et Crux Christi Ecclesiæ, & Fidelibus, contra omnes perfectionum, & tribulationum, æstus, certum; fidumque, præstat umbraculum. Aurora ergo vitæ Christi fuit in Nativitate, dies in prædicatione, meridies in cruce, vespera in sepulchro. Ità Philo Carpath. in Cant. hic.

Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt & ungatur Sanctus Sanctorum. Dan. 9. 24. Nativitas Christi post septuaginta hebdomades annorum à tempore Danielis in Christo impleta est: quia ab illo tempore usque ad regnum Herodis tot hebdomadæ transierunt. Una autem hebdomada continet septem annos; omnesque simul continent circa quadringentos annos. Dion. Carthus. in Matth. 1.

In medio annorum notum facies &c. Habac. 31. Septuag. *in medio duorum animalium cognosceris.* Tu, qui olim te manifestabas inter duos seraphinos clamantes *Sanctus, Sanctus, Sanctus!* Is. 6. 3. & qui repræsentaris per arcam fœderis, quæ in medio erat duorum Cherubim splendentium velut aurum. 3. Reg. 8. 6. jaces in vili loco inter duo bruta. Hic cognoscitur tua immensa charitas, misericordia, sapientia, bonitas, & omnipotentia. Ibi agnitus à regibus, & pastoribus. De Ponte in Cant. 1. 6. Exh. 4. §. 2. Christus, inter bovem, & asinum, collocatus reipsa clamat illud. Ps. 72. 23. *ut jumentum factus sum apud te*, ut cibi serviam per omnia, & totus, uti jumentum servit hero. Jumentum ergo designat summam Christi humilitatem, obedientiam, resignationem, laborem, patientiam, ac tandem sacrificium, & mortem. Jer. 11. 19. *ego quasi agnus mansuetus*; ubi Vatablus, Pagninus, & alii: *ego autem sicut agnus, & bos.* Cornelius in Hab. 3.

Quid est, quòd Sancti Patriarchæ in Chananæorum terra sua corpora quiescere tanto desiderio concupiscunt? nisi quod humanæ salutis authorem illic noverant de suo semine nasciturum, Petrus Damiani f. de translat. corporis S. Hilarii.

§. II.

§. II.

Nascentis Christi in nos amor.

Rogavit me enixè, ut iret in Betlehem. 1. Reg. 20. 28. ait Jonathas de Davide: *& ait: dimitte me*, v. 29. *quoniam sacrificium solemne est in civitate; unus de fratribus meis accersivit me.* Quàm solemne sacrificium offertur in præsepio! puer ille, frater noster, omne vocat. Tacitus dicis, quod olim Joseph: *fratres meos quæro.* Alvarez Gen. 37. Illustr. 30.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Tunc quodammodo venientibus ad se osculum dedit quando Unicum suum in homine nasci voluit. S. Justus Orgelit. hic.

Sicut malus inter ligna Sylvarum &c. Cant. 2. 3. Quæ laus, sponsum humili arbori comparare? cum de se, qui est Sapientia æterna dicat Eccl. 24. 17. *quasi cedrus, exaltata sum.* Cur non his arboribus, sed parvæ malo, sponsum assimilavit? Fateor, ait S. Bernardus, parva laus, quoniam parvi laus. Non enim hoc loco prædicatur magnus Dominus, & laudabilis nimis; sed parvus Dominus, & amabilis nimis. Ergo non majestas attollitur hic; sed commendatur humilitas. Adde etiam; commendatur & charitas: nam sic DEUS dilexit nos, ut humilis, & parvulus, fieret propter nos. De Ponte. hic Exh. 24. §. 3. Erat teste Pierio l. 54. malus hieroglyphicum amoris: eò quòd jucundus esset pomorum ejus gustatus, & aspectus. Amores natos esse dicebant sub malo; sub ea lustrare amantes; malis se petere, & donare. Unde paulò post sponsa subjunxit v. 5. *stipate me malis, quia amore langueo.* Et ad finem Cantici 8. 5. sponsus ait: *sub arbore mala suscitavi te*; idest, cœpi te amare. Comparat igitur illum malo: quia ex amore apparere voluit homo inter filios hominum; sicut malus inter ligna Sylvarum. Id. ib.

Cùm videritis nubem orientem &c. Luc. 22. 54. Theophylactus intelligit de adventu Domini in carne. q. d. Christus ad Judæos: oportebat vos veluti nubibus imbrem, & ab austro æstum conjectatis; sic etiam tempus hujus mei adventus probare, & conjectare: quòd non venerim mittere pacem sed imbrem, & tribulationem. Nubes enim & ipse sum, & ab occidente humanæ naturæ venio, quæ priùs fuit humilis. Sed etiam veni ignem mittere, & æstum facere. Auster enim sum, spiritus fervidus, & frigiditati aquilonis contrarius: quandoquidem in Betlehem apparui, quæ ad Austrum sita est. Ita ille hic.

Jacet Deus in præsepio, quasi quidam adamas; trahens ad se per charitatem, jumenta, pastores, reges. S. Albertus M. f. 5. de Nativ.

O quanto labore, & quàm ferventi amore, quæsivit animam amorosus Jesus; Virginis uterum vix egressus est; & dilectam animam more infantium vocat: A! A! A! Anima mea! anima mea! anima mea! te quæro; pro te invenienda hanc peregrinationem assumo. S. Bernardinus f. 51. Art. 2.

§. III.

Christus nobis natus, omnibus utilis.

Ego flos campi, & lilium convallium. Cant. 2. 1. Hodie divinus Redemptor, flos campi: in domo sine januis, nascitur: ut ad eum omnibus pateat aditus. Diez Nativitas Dom.

Parvulus natus est nobis. Is. 9. 6. *Nobis*, inquam, non sibi. Utamur nostro in nostram utilitatem; de Salvatore salutem operemur. S. Bernardus hom. 3. Sup. Miss. Verè tu misericors puer natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua, nascens de nobis quæsisti; Guarricus Abb. f. 3. de Nativ. D. Prorsus admirabile commercium! ut sumens carnem, largiaris deitatem! Commercium, inquam, charitate, non cupiditate, contractum; indulgentiæ quidem tuæ gloriosum; sed indigentiæ meæ omnino lucrosum. Verè tu misericos puer natus es nobis, non tibi. Idem ib.

Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Is. 9. 6. Cùm dicitur *filius*, non dicitur natus, sed *datus*: ut detur discrimen inter hunc filium, & alios: alii filii nascuntur parentibus. Sic nato Seth dixit Eva: *posuit mihi Deus semen aliud pro Abel!* Gen. 4. 25. Sic Abrahæ de Sara dicit Deus: *ex illa dabo tibi filium.* Gen. 17. 16.

Uxor Elisabeth pariet tibi filium. Luc. 1. 13. At Jesus veniens in Mundum non tantum dicitur natus, sed datus omnibus in salutem. Hinc Luc. 1. 31. *concipies - & paries filium*: non dicit sibi. Hinc mater natum non tenet in sinu, sed *reclinavit eum in præsepio*; tanquam hominibus eum tradens. Sylveira additamento in Joan. 1. q. 8.

Pariet filium. Matth. 1. 23. Theophylactus! non dixit, pariet tibi; sed simpliciter *pariet*: non enim peperit illi, sed toti orbi: neque illi soli gratia facta est; sed in omnes effusa est.

Ille parvulus, ille infantulus fuit, ne tu vir possis esse perfectus: ille involutus in pannis; ut tu laqueis absolutus sis: ille in præsepibus; ut tu in altaribus: ille in terris; ut tu in cœlis: ille alium locum in eo diversorio non habebat; ut tu plures haberes in cœlestibus mansiones. Meum ergo paupertas illius patrimonium est: & infirmitas Domini mea est virtus. Maluit sibi egere; ut omnibus abundaret. Meos vagientis infantiæ abluunt fletus; mea lacrymæ illæ delicta laverunt. Plus igitur Domine Jesu injuriis tuis debeo, quod redemptus sum; quàm operibus, quòd creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. S. Ambros. in Luc. 2.

Totus mihi datus, & totus in meos usus est. S. Bernardus f. 3. in Circumcis. D.

Nascitur Christus non sibi, sed nobis. Nascitur autem Filius Dei in homine; ut vel ità Conditorem suum intueri cuperet Mundus. S. Gaudentius tr. 9. sen. 2. de lectione Evangelii.

§. IV.

Christus parvulus est, noli timere.

Vocem tuam audivi in paradiso, & timui. Gen. 3. 10. Sed dum Angelus pastoribus dixit Luc. 2. 10. *nolite timere*; timore omni deposito confidenter dicunt: *transeamus usque Betlehem.* v. 15. Neque magi eum accedere timuerunt. Ubi Adam peccavit, Verbum necdum naturam assumpserat: sed cum homo natus; terrorem deposuit. S. Bernardus f. 1. de Nat. D. noli fugere, noli timere: non venit cum armis; non puniendum, sed salvandum requirit. Et nè fortè dicas etiam nunc: *vocem tuam audivi & abscondi me.* Gen. 3. 10. ecce infans est, & sine voce: nam vagientis vox magis miseranda est, quàm timenda. De Castillo Illat. 58.

Intrate in conspectu ejus in exultatione. Ps. 99. 2. Quis exultans ante terrorem Majestatis supremæ? Archangeli tremunt, pavent Angeli, Potestates metuunt, in faciem cœli protuunt Seniores: elementa fugiunt, solvuntur saxa, montes desiluunt, terra tremit: & homo terræ quàm intrepidus intrabit? Unde est? quòd Propheta hoc nos debere facere sic præsumit? unde est? ex eo, quod sequitur: *scitote, quoniam Dominus ipse est Deus.* v. 3. Quia Dominus ille Deus est, qui fuit in carne nostra pusillus. Hinc est, quòd ille Dominus Deus est, qui fuit in cunabulis nostris capax, dulcis in gremio, mitis in habitu, in nostro contubernio blandus. S. Chrysol. f. 6.

Mare vidit, & fugit; Jordanus conversus est retrorsum. Joan. 3. 16. Ps. 113. 3. Fugit mare, & Jordanis: quia divinam præsentiam formidant. Non sic Jordanis, cùm Christus inter ejus undas tingeretur. Matth. 3. 13. & ambularet super mare. Matth. 14. 26. S. Cyrill. Jeros. Catech. 12. venit Christus ut baptizaretur, & baptisma sanctificaret; venit, ut miracula operaretur ambulans super aquas maris: quoniam, ante carnis Assumptionem, *mare vidit* illum, *& fugit Jordanis conversus est retrorsum.* Assumpsit Corpus Dominus, ut mare videns sustineret, & Jordanis sine timore illum susciperet. De Castillo ib.

Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Luc. 2. 12. Olim homines quatuor ob causas de Deo conquerebantur. 1. quod ea, qua vellent, facilitate Deum invenire non possent. Ps. 41. 4. *fuerunt mihi lacrymæ-ubi est Deus tuus?* 2. quòd manus habeat graves. Job 13. 21. *manum tuam longè fac à me.* 3. Severè eum, & asperè, loqui. Ex. 20. 19. *non loquatur nobis Dominus, nè forte moriamur.* 4. quòd sedat in throno tantæ majestatis, ut alloqui eum non auderent. Is. 6. 1. *vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum &c.* Nunc igitur nuntius Dei dicit: *invenietis infantem &c.* q. d. nulla jam est querelæ causa. Querabimini, quod inveniri non posset; nunc *invenietis*. Querebamini ejus verba esse aspera; nunc *invenietis infantem*, qui est æterni Patris Verbum; & lacrymis, & vagitu, suaviter, & amanter, loquitur. Querebamini, quòd manus habeat graves; nunc *invenietis infantem pannis involatum*; nunc vinctas habet manus. Querebamini, in sublimi throno sedere; nunc invenietis *positum in præsepio*; non Seraphinis, sed animalibus, cinctum. Diez conc. 3. in Nativ. D.

Noli fugere, noli timere; non venit cum armis. Non puniendum, sed salvandum requirit. Parvulus factus est, tenera membra Virgo mater pannis alligat; & adhuc timore trepidas? S. Bernardus f. 1. in Nat. D.

Parvulus natus est nobis, mitis, & humilis. Ad parvulum accedere quis formidat? parvulorum mores omnes agnoscitis; una lacrymula placatus offensus; injuriam non recordatur. Accedite ergo ad eum peccatores, nunc dum parvulus est; dum generis, & majestatis, videtur oblitus. Accedite, nolite timere; irasci nescit, ferire non novit. S. Tho. Vill. f. de S. Steph.

Nascitur parvulus, ut non formides potentiam; nascitur nobis parvulus, ut non formides justitiam. Deum habemus parvulum; ut eum cupere possimus. Sanct. Bonav. ser. 13. in Nat. D.

Deus in summa paupertate, & nuditate natus; ut inde se accessu facilem prædicaret. Quidquid magnum excelsum, Verbum in Mundo nascens in primis deposuit; ne majestate deterreret homines; sed vilitate, & facilitate caperet, & alli-

alliceret: non in tonitruis, non in nube, non in igne, neque in tubæ sono; sicut olim Judæis apparuit. Theodotus or. de Chr. Nat. propterea non venit cum imperiali fastigio; nec obsequium deduxit Angelorum; non movit Archangelorum exercitus; sed venit omnium Dominus in forma servi, paupertate circumamictus; ut venerationem non effugaret Baeza l. 2. c. 2. §. 2.

§. V.

Nativitas Christi plena gratiis, solatiis, benignitate.

INcubuit super puerum &c. 4. Reg. 4. 34. Quid ostendebat in baculo, qui suscitare non potuit; nisi legis offensionem? Et in Eliseo significabat Christi nativitatem; qui se habuit minorare, assumens quod non erat; non amittens, quod erat: & suscitaret mortuum, idest, genus humanum, quod acceperat sententiam primi hominis: *morte morieris*, S. Chrysost. in Ps. 22.

Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: festina prædari. Isa. 8. 3. Quid est illud, quod scribitur humano stylo, ut puer natus velociter spolia detrahat, & citò prædetur? hoc est, nè ultrà patiatur regnare diabolum; nec mittat Angelos, nec Prophetas; sed ad salvandas creaturas suas ipse descendat. S. Hieron. l. 3. hìc.

Consolamini, Consolamini, popule meus, dicit Deus vester. Is. 40. 1. dicit hoc Emmanuel vobiscum Deus. Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni. S. Bernardus s. 5. de Nat. D.

Ubi est, qui natus est, Judæorum? Matth. 2. 2. Quàm certa, atque secura, interrogatio! Jam Romani legem dederant, ut sub periculo mortis nemo alium regem vocaret; sine eorum consensu. Fuit quoque præceptum, & Magis non ignotum; quòd, qui rege vivente, alium regem pronuntiat, aut adorat, punitur in sanguine. Quomodo ergo Magi audent, vivente, & regnante, Herode, in ejus præsentia, sine Romanorum consensu, regem alium profiteri? Procul dubio istam eis audaciam puer natus influxit: nondum viderant Christum; & jam parati erant mori pro Christo. Dion. Carthus. hìc.

Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth. Matth. 2. 23. S. Bernardus de Pass. D. c. 43. Nazaræus florem interpretatur. Quid enim jucundius flore? Multi autem, imò omnes, idest, omnium virtutum flores, in nostro Nazareno sunt; quarum delectabili odore totum Mundum traxit post se: apud Sylveira, hìc.

Peperit filium suum primogenitum. Luc. 2. 7. Nota: Christum D. media nocte fuisse natum; quando homines rerum omnium, & sui etiam, obliti, in utramque, sine cura, aurem dormiunt. Unde Cant. 5. 2. *ego dormio, & cor meum vigilat.* Cor meum, idest, sponsus meus, amor meus: qui cor meum est, en ipse vigilat. Stella hìc.

Humanitas, & benignitas Apparuit &c. Tit. 3. 4. Ubi Dei innotescit Humanitas, jam benignitas latere non potest. S. Bernardus s. in Epiph. D.

Quantò minorem se fecit in Humanitate, tantò majorem se exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior est. Id. ib.

Consilium antiquum prodiit palàm, nec jam secretum est; sed innotuit publicè in conspectu Gentium revelata Christi benignitas. S. Cyprianus de Nat. D.

Hodierni mysterii Sacramentum, virtutum nativitas, ruina vitiorum. S. Greg. Naz. hom. 4. in Nat. D.

Immolata pro nostra redemptione caro Christi, totius Trinitatis lætitia est. S. Eligius hom. 8.

Deus in terra agit, & quis in cœlum non evadat? Deus ex Virgine natus in medium prodit, & quis hodie divinus non efficiatur? S. Sophronius or. in Orat. D.

Hodie fratres charissimi, Christus natus est nos renati. S. Greg. Naz. hom. 1. in Nat. D.

Jesus Christus Filius Dei nascitur Bethlehem Judæ. Tanta est gratia sermonis hujus, & continuò incipiat minùs sapere, si vel unum jota mutavero. S. Bernardus s. 1. in Vigil. Nat. D.

Positus in præsepio, spiritualium cibus effectus est jumentorum. S. Bernardus hom. D. infra octav. Epiph.

Quantò pro me egit viliora, tantò bonitatis suæ dedit indicia majora. Ipse parvulis lectulus; ipse pullis est indutus. Gilbertus s. 2. in Cant.

Exhibet se nobis puerum remissione peccatorum. Si offendisti puerum; citò, & modico, & pomo, vel ovo, ei reconciliaris: sic & pœnitens Christo. S. Bonav. s. 1. in Epiph. Dom.

Et hæc gratia nobis hodie apparuit, dum celavit Deus potentiam in infirmitate, sapientiam in infantia, justitiam in pietate, & circumcisionis satisfactione. Tanquam imposuerit Deus silentium eis, & dederit audientiam totam misericordiæ. Joan. Gerson s. de Circumcis.

Gratias tibi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; quia celasti sapientiam in infantuli ætate, nè accuset; justitiam in Humanitate, nè condemnet: potentiam in infirmitate, nè sæviat, & cruciet: quibus superatis datur triumphus gratiæ, datur & misericordiæ; ut dominetur, & superexaltet judicium. Id. s. in Pur. B. V.

B. Virgo ipsa nocte Nativitatis revelavit S. Brigittæ, ut ipsa refert s. 6. revel. c. 88. dicens: cùm nasceretur ex me, indicibili exultatione, & mirabili festinatione, clauso meo utero virginali, prodibat.

§. VI.

Priori affinis: in fines nobis utiles Christus natus.

EXiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Luc. 2. 1. Quid est, quòd nascituro Domino Mundus describitur? nisi hoc; quod apertè monstratur: quòd ille apparebat in carne, qui Electos suos describeret in æternitate. S. Greg. hom. 8. in Evang. Jesus Christus rex nobilis, rex magnus, homo cœlestis, homo novus; idcirco natus, idcirco Rex datus est: ut Provinciales suos in libro vitæ conscriberet; ut civium suorum nomina in Curia cœlesti notificaret. S. Rupertus l. in Evangelica cap. 4. Voluit Dominus tempore descriptionis nasci, ad innuendum; quòd apparituros erat in carne, qui suos adscriberet in æternitate. Hugo Card. hìc.

Ita Deus, ut piissimus, & misericordissimus, præ desiderio, vel amore, hominis; non solùm sua, verùm etiam & se ipsum, impendit; ut hominem recuperaret non tam sibi, quàm homini ipsi. Ut homines ex Deo nascerentur, primò ex ipso natus est Deus. S. August. Man. c. 26.

Filius Dei factus est filius hominis, ut filios hominum faceret filios Dei. S. August. s. 1. de S. Steph.

Deus homo factus est, ut homo Deus fieret: &, ut servus in dominum verteretur, formam servi Dominus accepit. S. August. de divers. s. 52. in Nat. D.

Ut panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo. Id. s. 53. ib.

Deus natus est ex homine, ut ex Deo homines nascerentur. B. Fulgentius l. de Incarnat. & gratia Christi.

Cùm Filius sempiterni esset Dei, etiam filius David esse dignatus est: modò ut te filium faceret Dei. Servum patrem habere dignatus est; ut tibi servo Patrem faceret Deum. Natus est secundùm carnem; ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris. S. Chrysost. hom. 2. in Matth. cap. 1.

Magnificetur & à nobis parvulis magnus Dominus; quos ut faceret magnos, factus est parvulus. S. Bernardus hom. 3. Sup. Miss.

Qui per ætatum incrementa dignatus est crescere, valet etiam nos de minimis ad majora provehere; & teneram nostri sensus infantiam perfectionis suæ gratia roborare: qui nimirum idcirco parvus in nostris fieri dignatus est, ut nos in suis magnos efficeret. Idcirco nostram infirmitatem pertulit, ut nos suæ virtutis plenitudine solidaret. Ut nos erigeret, se misericordialiter inclinavit. B. Petr. Damiani s. in Nat. D.

§. VII.

Nascentis Christi gloria, splendor.

PRincipes cessabant loqui, & digitum superponabant ori suo. Job 29. 9. *Cùm quietum silentium continerent omnia &c.* Sap. 18. 14. Venit sermo in silentio, venit sermo ad silentes. Urbana inter homines, & curiales, consuetudo est; ut, cùm honoratior, & præpotens persona loqui voluerit, tenent, qui circumstant, silentium. Quando igitur Deus deorum locutus est, silent Prophetæ, & conticescunt. Petr. Blesens. s. 6. de Nat. D.

Herodes rex turbatus est. Matth. 2. 3. Nascente Domino conturbatur Herodes, *& omnis Jerosolyma cum illo.* Ecce jacentem in præsepio pertimescit armatus, contremiscit humilem rex superbus, obvolutum pannis metuit purpuratus. S. August. s. 2. de Ss. Innocentibus. Terret homines illa puericia in cunabulis vagiens, & involuta in fasciis, & in præsepio reclinata: ut jam ex ipso exordio sciant; quanta sit potestate donandus, quanto sublimandus imperio, quanto terrore pressurus impios, quanto munere remuneraturus pios. Simon Cass. l. 1. c. 12.

Puer corpore parvus, Mundi rector, & Dominus: & genitricis gremio continetur, qui nullo fine clauditur. S. Leo s. 7. in solemnit. Epiph.

§. VIII.

Virtutes, quas Christus in Nativitate exercuit.

Num. I.

Humilitas.

IN civitatem David, quæ vocatur Bethlehem. Luc. 2. 4. Sanct. Leo s. 1. de Epiph. Bethlehem prælegit nativitati, Jerosolymam passioni. Locus angustus deputatur nativitati, ubi gloria erat decantanda: Jerusalem civitas magna passioni conferatur; ubi ignominiæ manifestandæ. Sylveira hìc.

Invenietis infantem pannis involutum. Luc. 2. 12. Multa posset Angelus dare signa, quibus puerum recens natum agnoscerent, & tacentem divinitatem adorarent. S. Bernardus s. 4. in Nativ. D. aut certè cœlitus annuntiatur humilitas; quia hæc quasi propria virtutis divinæ exhibenda sit majestati. Pinna Ethol. 257.

Vide Humilitas Christi.

Num. II.

Paupertas.

Passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos. Psal. 83. 4. At passer Joseph vir cœlestis? & turtur Maria Virgo castissima, non invenerunt domum, ubi ponerent hunc pullum pretiosissimum. De Ponte in Cant. 1. Ex. 4. §. 4.

Pannis eum involvit. Luc. 2. 7. Vilitate pannorum tecta est illa superba nobilitas, quam ex suggestione Sathanica deseruit Adam. Initiavit caput Ecclesiæ Christus viam novam in his bonis, quæ Mundus abhorret, & dilexit, quæ Mundus odio habuit. Cœpit ab ea hora, quo Mundo apparere voluit, priùs facere, quàm docere, altissimam paupertatem, rerum omnium abdicationem; ut ei non essent panni, nisi viles; non sua, sed aliena ædes; non conducti stabuli determinati hospitis, sed loci vagi, atque communes; ut non crederetur natus alicui priùs; sed communis omnibus factus; & totum diceretur divinum, ubi nihil apparebat humanum. Sim. Cass. l. 1. c. 4.

Invenietis infantem. Luc. 2. 12. Quæ est ista Evangelizatio Angelica? ut ad signandum Jesum Christum Dominum, involutum pannis, reclinatum in præsepio clamet? sunt ne ista tria, infantia, pannorum involutio, situatio in præsepio; perfectæ signantia Salvatorem? Ad ea signa se contulit ostendenda, quæ ostenderent. Deum ab humanis rebus liberum existentem. Et ingressum, & egressum à Mundo, voluit concordare; ut in paupertate natus, in illa etiam moreretur. Sicut natus involutus est pannis, sic mortuus sindonis involutus. Et sicut reclinatus est, & positus in alieno præsepio; sic positus est in alieno sepulchro. Id. l. 1. c. 4.

Absconde Maria novi solis fulgorem, pone in præsepio, involve pannis infantem: nam & ipsi panni divitiæ nostræ sunt; Pretiosiores siquidem pannis Salvatoris omni purpura; & gloriosius hoc præsepe auratis regum soliis: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris Sæculi. Quid enim humilitate ditius? &c. S. Bernardus in vigil. Nat. D.

O novitas summa! & paupertas stupenda! nam regnat in cœlo, qui jacet in fœno; qui fecit omnia, locum habere non potest in diversorio; sed locatus est in præsepio. Qui continet omnia, brevi involvitur panno: qui pascit volatilia, lacte pascitur modico. S. Bonavent. s. 13. in Nat. D.

Pauper mater, pauper filius, inops hospitium, his, qui in Ecclesia in forma hujus scholæ militant, præbent efficax documentum. S. Cyprian. de Nat. D.

Num. III.

Alia virtutes.

Tempus pacis elegit Dominus, in suam Nativitatem: quia pacem diligit. Haymo hom. in nocte Nat. D.

Jam clamat exemplo, quod postmodum docturus est verbo: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* S. Bernardus s. 1. in Nat. D.

§. IX.

Bethlehem, & Antrum.

INclusit eum Dominus deforis. Gen. 7. 16. Ego supra omnia virtutem justi admiror, Dominique bonitatem, & ineffabilem misericordiam; quando considero, quomodo potuerit versari in medio bestiarum. Mirare magis puerum Jesum in stabulo Bethlehem. Arcones in Is. 1. Disc. 5. Pro unaquaque rerum nostrarum unaquæque res ejus, qui nobis sublimior, est repensa. Christus propter Adamum: idcirco generatio, & virgo; præsepium, & Bethlehem, Generatio propter effectionem, Virgo propter mulierem, Bethlehem propter Eden præsepium propter paradisum. S. Greg. Naz. or. 1. Apol.

Percussit cor suum David. 1. Reg. 24. 6. eò quòd abscidisset oram chlamydis Sauli. Cur cor percutit? credo, quia in spelunca hoc factum: in spelunca viderat Christum plorantem nasciturum. Escobar t. 3. Colloq. Chr. l. 4. s. 2. obs. 4.

Et tu Bethlehem Ephrata. Michææ 5. 2. Nota: Bethlehem hìc nuncupatur à fertilitate loci; nam Hebr. idem est, quod *domus panis*; id est, locus ferax frumenti, & vini. Nam, ut scribit Adrichomius in descriptione terræ sanctæ: Bethlehem sita est in monte mediocriter alto; terra subjecta rerum omnium copia multùm præstat, vini potissimum; ut comparandum non sit, quod ex aliis Palestinæ locis affertur. Iter verò, quòd Jerosolyma euntibus Bethlehem est, usque adeò sui amœnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis, transeuntes oblectat; ut si ad tam præclaram naturæ faciem cœlestis aliqua, & digna Christiano, meditatio accedat; non jam in terris sibi esse videatur, sed in paradiso Christi nativitatem, & in cunabula, præsentibus oculis contueri. Cornelius hìc. Bethlehem distabat à Jerusalem sex milliaribus: à Nazareth verò, ex qua B. Virgo venit in Bethlehem, distabat itinere tridui. Scribit B. Beda lib. de loc. Sanctis cap. 8. Borchardus, Adrichomius, & alii: in Orientali angulo Bethlehem esse rupem ipsi muro adjacentem; ab hominum turba, & oculo, semotam; in quo quoddam quasi naturale semiantrum est; quasi stabulo pro pecoribus utebantur; cujus exterior pars Nativitatis Christi fuisse dicitur locus. Ex hac rupe miraculosè scaturivisse fontem aquarum ea ipsa nocte, qua natus est Christus, eumque ad sua tempora durasse, scribit Beda loco citato, & ex eo Baronius. Ex Bethlehem prodierunt plures principes, & illustres viri. Primus fuit Abesan Judex, id est, princeps Israelis, *qui habuit triginta filios, & totidem filias.* Judic. 12. 8. Secundus Elimelech maritus Noemi. Ruth 1. 2. cujus filio nupsit Ruth, & eo mortuo nupsit Booz; ex quo genuit Obed patrem Jesse, ex quo natus est David. Tertius David rex; à quo tota familia regum Israel, & Juda descendit, usque ad ultimum regem Sedeciam. Cornel. ib.

Scribit S. Hieronymus ad Paulinum epist. 13. Adrianum Imp. Bethlehem profanasse, erecto ibidem Adonidis simulacro; ut in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, veneris amasius plangeretur. Stetit ibi Adonis per centum octuaginta annos, usque ad Constantinum Imper. quando S. Helena ejus mater, everso Adonide, magnificam Ecclesiam supra ipsam specum extruxit; & super ipsum præsepe, in quo Agnus Dei reclinatus est, erexit altare; in quo idem jugiter Deo Offeretur, qui ibi primò pro salute hominum illuxerat. Sed hæc Constantinus eamdem specum regalibus ornamentis ex auro, argento, variis aulæis, exornavit: ità ut hæc Basilica meritò esset miraculum; nec in orbe quidquam esset ei simile: nam excelsa est admodum: & amplissima. Quilibet ordo habebat quinquaginta columnas, singulari artificio, pretio, & sumptu. Parietes tabulis ex alabastro pretiosissimis sunt incrustati. Quocirca ipsi etiam Turcæ, & Saraceni, reverenter hoc templum frequentant. Cæterum lapidis illa pars, in qua Christus dicitur natus; & præsepis pars, in quam fuit reclinatus; nude patent, ad peregrinorum venerationem, & osculum. Lapis, in quem reclinavit Maria, & cui flexis genibus insedit, similitudinem habet sella. Ità Burchardus, Adrichomius &c.

Bethlehem ex Hebræo in Latinum *domus panis* interpretatur: quia hìc Filium Dei nasci oportebat, qui Panis est vitæ. S. Chrysost. hom. 1. in Matth.

O Bethlehem parva; sed jam magnificata à Domino: magnificavit te, qui factus est in te parvus, & magnus. S. Bernardus s. 1. in Vigil. Nat. D.

§. X.

Præsepe.

NOn est factum tale opus in universis terris. 3. Reg 10. 20. *Ecce plusquam Salomon hic* Matth. 12. 42. qui è suo isthoc solio decet veram sapientiam; paupertatis, & humilitatis, amorem. Doultremin de amore l. 2. c. 1.

Lectulus noster floridus. Cant. 1. 16. Septuag. *lectulus noster umbrosus.* Lectulus floridus præsepe; floridus ob Jesum Nazarenum. De Ponte hìc.

En lectulum Salomonis. Cant. 3. 7. Præsepium lectulus Salomonis: circa quem pax annuntiatur hominibus bonæ voluntatis. Id. hìc.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c. Is. 6. 1. Vidit quondam Isaias gloriam Christi sedentis in templo super solium excelsum, & duos Seraphinos stantes juxta illud, clamantes ad invicem *Sanctus* &c. Sed nunc ecce templum stabulum, præsepe thronus, Adstant duo Seraphim Maria, & Joseph. clamantes Sanctus &c. Id. in Cant 1. 2. Exh. 25.

Magna cathedra præsepium illud: in quo residet divina sapientia. Magister orbis. Totum ibi legitur Evangelium: quidquid enim, ò bone Jesu! postea verbo docuisti, hìc statim ortus opere demonstrasti. S. Tho. Vill. s. 2. in Nat. D.

§. XI.

Nativitatem Christi cole, ama, imitare, non offende.

ARca Dei, & Israel, habitant in papilionibus, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam? 2. Reg. 11. 11. Utinam hoc Christiani dicerent Dei Filius incarnatus, & sanctissima ejus Virgo Mater, in stabulo habitant; ego verò deliciis vocabo? nullo modo hoc faciam. Diez conc. 2. in Nat. D.

Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli &c. Matth. 18. 3. Ad parvuli formam se componere debet, quisquis cœlestia regna cupit hæriditate. Sed ad cujus parvuli formam gratior erit conversio? pueruli Jesu formam subeat regni candidatus. S. Leo s. de Nat. D, amat Christus infantiam, quæ majorum dirigit mores; ad quam senum reducit ætates; & ad eos suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum. Baeza l. 1. c. 3. §. 4.

Quid in thesauro Dominicæ largitatis, ad honorem præsentis festi, tam congruum possumus invenire, quam pacem; quæ in Nativitate Domini prima est Angelico prædicata concentu? Ipsa enim est, quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, & genetrix unitatis; requies beatorum, & æternitatis habitaculum. S. Leo s. 6. in Nat. D.

Fratres, & vos invenietis hodie infantem pannis involutum, & positum in præsepio altaris. Sicut enim Mater Maria quibusdam assumentis pannorum involuit infantem: sic mater gratia dispensatoriis speciebus rerum ejusdem sacris Corporis nobis obtegit veritatem. Guerricus Abb. s. 5. de Nat. D.

B. Margaritæ de Cortona dixit Jesulus in Nativitate: filia, pete à me modò quidquid vis. Et illa: Domine Jesu! concede mihi ut numquam te offendam. Boll. 22. Febr.

Post mortem B. Margarita V. tertii Ord. S. Dominici memores Fratres, sæpè ab ea dictum in vivis, pretiosum thesaurum se in corde suo gestare; illud rimantur, & tres lapides vident mosipilorum magnitudine: in primo imago B. Virginis coronatæ, secundus puellum in præsepi medium duobus animalibus, tertius S. Josephum, referebat. Boll. 13. Apr.

Alphonsus Rex Hisp. ipso nati Servatoris die monitus à suis Ducibus; facilè nunc, & opportunè, hostes opprimi posse; respondit: pluris ego hunc unum diem facio, quàm omnes victorias. Postea nihilominus felicissima potitus est victoria Drex. Delic. gent. hom. in appendic. de Nasc. Jesu §. 10.

§. XII.

Apparitiones Jesuli, beneficia.

PUero, cùm expectaret in templo Matutinum nocte Nativitatis, apparuit Jesulus infans specie pulcherrima se cordi ejus dulcissimè communicans. Ex Vita S. Bernardi l. 1. c. 2.

B. Bonifacius Ep. Lausanensis, cùm nocte Nativitatis ob morbum celebrare non posset; decumbens valde contristatus, eaque de re conquestus B. Virgini. Cui statim apparens Filiolum suum panniculis involutum posuit super lectum ejus: infans verò extraxit manum de panniculis, & levavit pannum de facie sua ostendens ei pulchritudinem faciei suæ. Tunc Episcopus mirè exhilaratus dixit: si nihil aliud esset in paradiso, nisi illa facies benedicta, dignum esset pati omne, quòd triste est; ut videri posset facies illa gloriosa. Boll. 19. Febr.

§. XXX.

Festum seu Natalis Domini.

IN lectulo meo per noctes quæsivi &c. Cant. 3. 1. Qui per noctes quærit, non videtur mihi tam aspectus, quàm amplexus, sectari: tenere magis optat, quàm intueri. Amplexus quære Dilecti, ignorantiæ tuæ nox; imò noctes ignorantiarum tuarum, serenam tibi adimit visionem secretorum cœlestium. Nox non præscribit deliciis; nam & ipsis aliquotiens illustratur. *Nox*, inquit, *illuminatio mea in deliciis meis*. Et in hac nocte potest Jesus meus magis dulci quodam affectu suaviter sentiri, quàm sciri ad puerum. Gilbertus s. 1. hic.

Adest Christi multùm desiderata, & diu expectata, Nativitas. Gaudia nobis cœlitus nuntiantur, lætitia imperatur. S. Cyprianus de Nat. D.

Salvator noster dilectissimi hodie natus est. Gaudeamus: neque enim fas est locum est tristitiæ, ubi natalis est vitæ. S. Leo s. 1. in Nat. D.

Mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. S. Leo s. 1. in Epiph. D.

Bene sanctam hanc diem Natalis Domini solem novum vulgus appellat - si enim obscuratur sol, cùm Christus patitur; necesse est, illum splendidiùs solitò lucere, cùm nascitur. S. Ambros. s. 16. de Nat. D.

Dulcis dies, verè dulcis dies, & cunctis pœnitentibus veniam portans. Promitto vobis filioli, & certus sum: quia in hac die si quis ex corde pœnituerit, & ad vomitum peccati reversus non fuerit, quodcumque petierit, dabitur ei: tantùm in fide non dubiter. Hodie totius Mundi peccatum tollitur, & peccator desperet? S. August. s. 3. in Nat. D.

S. Chrysost. or. de B. Philogonio festum Nativitatis Christi vocat omnium festorum metropolim.

Jure, meritoque, lucem hanc dierum dominam appellaveris. S. Sophronius or. in Nat. D.

Nocte Dominica natus est Christus, consonante mirabilium suorum ordine: ut, quo die dixit *fiat lux*: ejusdem diei nocte oriretur in tenebris tamen rectis corde. Rupertus l. 3. de div. offi. c. 16.

Dies misericordiæ, est dies natalis Domini; in quo nobis ortus est sol justitiæ. S. Thom. Aqu. D. 1. adv.

Nulla est creatura, in qua non fuerint monstrata, & offensa miracula in Nativitate Christi. Ea nocte, qua Virgo peperit, funditus corruit templum pacis. Per totum Mundum (idem sentit Hieron.) universa idola corruerunt. Fons Romæ pro aqua oleum emanavit. Aer ipsa nocte tanta claritate refulsit, quòd noctem in lucem diei converterit. In cœlo tres soles visi sunt in Oriente, qui divisi incesserunt, in ipsa noctis hora in unum solem conversi sunt. Hac die Magis orantibus stella mira claritate apparuit, quæ eos in multam admirationem convertit: nam formam pulcherrimi pueri habebat, in cujus capite crux fulgebat, dixitque eis: in Judæam ite, Regem natum quærite. S. Mater cùm puerum parturiisset, & eum in præsepio collocasset; mox bos & asinus, genu flexerunt, & eum adoraverunt. S. Bonavent. s. 13. in Nat. D.

Tunc illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ; tunc per totum Mundum mellifluì facti sunt cœli. Id. de ligno vitæ.

Magna cathedra præsepium illud, ex quo cunctis mortalibus Dei loquitur sapientia, cœlestis in stabulo Magister legit. S. Thom. Vill. s. 1. in Nat. D.

§. XIV.

Christus nascitur in nobis spiritualiter.

CUm natus esset Jesus in Betlehem Juda. Matth. 2. 1. Juda *Confessio*, Betlehem *domus panis*, Confessio, & Eucharistia his nominibus adumbrantur: quæ qui coluerit, securus est, quòd suo in corde puer Virginis oriatur. Olivat. 2. Strom. hic.

Et peperit filium masculum. Apoc. 12. 5. In uno quolibet spiritualiter nascitur Christus: Ecclesia autem parturit, fasciisque involvit; donec Christus natus in nobis formetur: atque ità unusquisque Christi participatione Christus quodammodo efficiatur. S. Andreas Cæsar. s. 11. in Apoc.

An nescis, quia ex semine verbi Dei, quod seminatur, Christus nascitur in corde Auditorum: hoc enim dicit Apostolus, *donec formetur Christus in vobis*. Gal. 4. 19. S. Cyrill. Alex. l. 12. in Levit.

Vos Ecclesiæ Pastores, vos Episcopi, & sacerdotes audite, & intelligite: vobis Angelus loquitur, vobis hoc gaudium magnum evangelizat. Nuntiate ergo, quod audistis; prædicate, quod vidistis; nolite celare, quod cognovistis. Toties enim Christus in stabulo, oritur toties ut parvulus in præsepi ponitur; quoties Virginis partum, & Christi Nativitatem, aliis nuntiatis. Euseb. Emiss. in nocte Natalis D.

Utinam inveniamur & nos Betlehem Judæ, ut in nobis quoque dignetur nasci - nam domus panis, quod Betlehem sonat, ad præparationem fortasse videtur magnopere pertinere: quomodo enim ille paratus est, ut excipere tantum hospitem possit, qui dicit: quia non est in domo mea panis &c. S. Bernardus s. 6. in Vig. Nat. D.

In te est, utrum sis pater, an mater; an potiùs utrumque, pater, & mater. Potes Deum gignere in corde tuo, & in corde alieno; & potes eum excipere à corde tuo, & ab ore alieno. Intellectu gignitur, consensu concipitur, affectu nascitur, effectu nutritur. Nosti voluntatem Dei; consenti ei: & concepisti. Amando parturias, operando nutrias. Richardus à S. Vict. Annot. in Ps. 25.

Christus concipitur per affectum, nascitur per effectum, nutritur per profectum. Innocentius P. III. s. 3.

Dei Filius spiritualiter nascitur in mente; cùm, post sanum consilium, post discussum sufficienter negotium, post invocatum divinum patrocinium; sanctum propositum, perducitur ad effectum: cùm jam anima incipit agere, opere perficere, quod diu pertractavit in mente. S. Bonavent. 2. solemn. de Nat. pueri Jesu.

Miscellanea.

Ego quasi Agnus mansuetus. Jer. 11. 19. Clem. Alex. l. 1. Pædag. c. 5. Quoniam Scriptura pueros, & infantes, agnos vocat; Deum, qui est verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat; vocavit agnum Dei, Filium Dei, infantem Patris. Cornelius hic.

Puer autem crescebat. Luc. 2, 40. Bene puer dicitur Christus: sicut enim puer cum matre, cum pueris, cum floribus, cum brachiis, libenter esse solet: sic puer Jesus delectatur in matris Ecclesiæ felicitate, in puerorum per innocentiam societate, in florum virtutum venustate, in brachiorum operum charitate. S. Bonavent. s. 4. D. infra Nat.

Non consolatur infantia Christi garrulos, non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes, non consolantur pannis ejus ambulantes in stolis; non consolantur præsepe, & stabulum, amantes primas cathedras in Synagogis. S. Bernardus s. 5. in Nat. D.

Quàm felix, quàm amabilis Nativitas tua puer Jesu; quæ Nativitatem omnium emendat, conditionem reformat, præjudicium solvit, chirographum demoratæ naturæ rescindit. Guarricus s. 3. de Nat. D.

TITULUS II.

NOBILITAS.

§. I.

Vana de ea gloriatio.

PAter noster Abraham est. Joan. 8. 39. Non prodest nobilitas generis; & paterna bonitas in filios non transfunditur; neque virtus more hominum, aut arborum, propagatur: quoniam tantùm caro de carne nascitur; non virtus originem habet ex carne, cujus solus Deus potest esse largitor. Inaniter igitur Judæi de Abraham sibi gloriam vendicabant, quòd de suis lumbis essent traducti continuata propagine. Sim. Cass. l. 11. c. 39.

Admonentur etiam hic divites, vel genere nobiles secundùm sæculum; cùm Christiani fuerint, non superbire adversus pauperes, & ignobiles; quoniam simul dicunt Deo: *Pater noster*. Quod non possunt verè: & piè dicere, nisi se fratres esse cognoscant. S. August. l. 2. s. 8. de serm. D. in monte.

Verè liber, & solus princeps, ac rex regum, ille est qui passionibus immunis est. S. Chrysost. hom. 59. in Matth. c. 18.

Pulvis nnus omnes sumus. Mihi servus est, quisquis turpiter, ac flagitiosè vivit: mihi liber est, quisquis virtute, vitæque integritate præstat. S. Greg. Naz. in nobilem malè moratum.

Præstat in obscuritate generis virtute, quàm in majorum charitate vitiis, cumulari. Nam & rosa, licet ex aspera spina nascatur, fragrantissimum tamen odorem afflat. Id. ib.

Si nobile de auro, & ignobile Deus fecisset de luto, causam fortasse aliquam superbiendi haberent nobiles: sed, cùm omnes sint de una materia; vana est eorum gloriatio: Broymard. Nobilitas.

Multa sidera. Lem. *Simili ab ortu*. Seneca ep. 44. Plato ait: neminem regem non ex servis esse oriundum; neminem non servum ex regibus. Picinelli.

§. II.

Nobilitas vana sine virtute.

QUa utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Ps. 29. 10. q. d. ait Incognitus: nulla est nobilitas, ac decor in sanguine meo; & genere; dum in peccata incido. Sylveira addit. in Luc. 13.

Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Jerem. 2. 18. S. Hieron. l. 1. in c. 2. Habac. quamvis de paradiso flumina Ægypti exire credantur; tamen, quia conculcantur pedibus Pharaonis, & luto Ægyptio violata sunt; perdiderunt splendorem suum.

Fuit in diebus Herodis. Luc. 1. 5. Dum Lucas Zachariæ dignitatem, & nobilitatem describit, apponit verbum *fuit*, præteriti temporis: dum autem ejus & uxoris, sanctitatem, narrat, ponit verbum *Erat* imperfecti temporis: *erant justi ambo ante Deum*. v. 6. verbum *fuit* significat rem præteritam ac transactam; verbum autem *erat* æternitatem ac permanentiam: & ideo usus est eo Joannes in generatione æterna: *in principio erat verbum*. Omnis hujus sæculi dignitas, & nobilitas, citò deficit; justitia autem coram Deo in æternum durat. Sylveira c. 4. in Luc. 1.

Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? Apoc. 7. 13. *Responsum v. 14. hi sunt, qui venerunt ex tribulatione magna*. Duo quærebat Senior ex Joanne: qui sunt hi? & unde venerunt? respondet soli secundæ quæstioni. Cur non primæ? quia quæstio prima inquirit in personas, earumque originem. Hæc quæstio sine responso: in domo enim Dei nulli datur gloria, & beatitudo, pro qualitate prosapiæ: hæc enim nihil valet, nisi virtuti juncta. Didacus Nyss. Pol. cœl. p. 1. l. 2. c.

Qui generis splendorum jactatis, date operam, ut mores quoque nobilitatis. S. Gregor. Naz. or. 27.

Nihil mihi conducit martyr pater, si non benè vixero, & amavero generis mei nobilitatem. Origenes hom. 4. in Ezech.

Quæ utilitas ex claris, & probis, parentibus originem ducere; te autem bonæ vitæ esse expertem? aut quod damnum fuerit, si parentes, aut progenitores, fuerint ignobiles, & obscuri; ipse autem virtutibus floreas? Sanct. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Nihil est viro vilius (etsi rex sit) quando est vitio deditus: quemadmodum nihil est vel captivo regalius, ac magnificentius; quamdiu virtutem possederit. Id. in Ps. 6.

Annulus sine gemma. Lem. *Deest optimum*. Nobilitas sine virtute. Masen.

§. III.

Nobilitas vera in quibus consistat.

Ex Veteri, & Novo.

EGo tuli Levitas à filiis Israel pro omni primogenito. Num. 3. 12. Origenes hom. 3. in Num. notat, Levitas assumi pro primogenitis; cùm tamen, ut refertur. Gen. 49. 3. Levi non fuerit primogenitus Israel, sed Ruben, secundus Simeon, tertius Levi. Quomodo ergo Levitæ in primogenitos assumuntur? Quia apud Deum non illi primogeniti habentur, qui corporea nativitate præcellunt; sed meritis. Castillo ad c. 28. Ex. Ill. 3.

Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis. 1. Reg. 9. 6. S. Gregor. hic: nobilis dicitur, qui superna conversatione conspicuus est; & de mundanæ vitæ rusticitate nihil habet. *Cepit David arcem Sion; hæc est civitas David*. 2. Reg. 5. 7. Cajetan. hoc est ad differentiam Bethlehem, quæ erat civitas Davidis; quia inde erat oriundus. Author. Imp. op. hom. 4. in Matth. quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet ei generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Aurum de terra nascitur; sed non est terra: & stannum de argento egreditur; sed non est argentum. Didac. Nyss. in Phœn. Græc. l. 1. c. 7.

Erat vir ille magnus inter omnes Orientales. Job 1. 3. Origen. l. 1. in Job elegit: fuit autem hic homo (Job) de genere optimo ex partibus orientalibus. Job erat Idumæus ex prosapia pessimi Esau: quomodo ergo dicitur ex genere optimo? Præclara Job nobilitas per avos non veniebat; sed à magnis virtutibus, Origen. quomodo de genere optimo erat, qui de talibus nascebatur? Ruben primogenitus Jacob, Simeon, & Levi. Qui ex Israel sunt primogeniti, de genere optimo non dicuntur. Job verò, qui ex impiis ortus est, idest, ex filiis Esau; hic de genere optimo dicitur. Ego, inquit, non carnalem generationem significo, non pereuntem generositatem laudo: nam hæc apud Deum non magni penduntur; hæc à creatore non requiruntur. Sylveira Addit. in Matth. 1. Notandum, ait S. Hieron. in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum; sed eas, quas Scriptura reprehendit. Eæ sunt Bethsabee, Thamar, Ruth, Rahab. Cur verò Salvator noster ex prosapia nasci voluit, in qua & mulieres non paucæ fuerant flagitiis insignes, & viri multi sceleribus cooperti: qui poterat sibi homines ex toto Mundo purissimos, & sanctissimos diligere majores, ex quibus nasceretur? Euthymius in c. 1. Matth. per talia docemur, non de primogenitorum peccatis, sed de propriis erubescere: neque de majoribus gloriari; sed propriæ curam habere virtutis. Did. Nyss. in Phœn. Græc. l. 10. c. 6.

Ex ea, quæ fuit Uriæ. Matth. 1. 6. Hic quoque ejus, quæ fuit Uriæ, mentionem facit. Ut docet, quòd nemo debeat erubescere propter progenitores; sed dare magis operam, virtute sua illos clariores efficere: & quòd omnes accepti sint Deo, etiamsi è scorto nati; modò virtute sint præditi. Theophylactus hic.

Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei. Matth. 12. 48. Una sola, & vera, & communis, nobilitas est, atque necessitudo cum Christo; ut voluntatem Dei facias. Multò propinquiores Deo sunt, qui voluntatem ejus faciunt; quàm qui summa carnis necessitudine conjunguntur. S. Chrysostom. hom. 45. in Matth. hic.

Unde huic sapientia hæc, & virtutes? nonne hic est fabri filius? Matth. 13. 54. 55. Abulens. q. 83. hic. Quare Nazareni dixerunt; quòd Christus erat filius fabri? voluerunt contemnere eum de humilitate cognationis suæ. Imò ob hoc potiùs Judæi Christum laudare, & honorare debuissent; quòd, homo de humili plebe natus, ad tantam probitatem, & ingenii gloriam pervenerit.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17. 2. Cur Christus non ut ignis, sed ut sol, resplenduit tunc, cùm æterni Patris Filius proclamatus fuit? Jo. Cluniac. c. 2. de Nat. differt lumen, quod oritur ab igne, & quod à sole: quia ab igne semper habet fumum, & aliquam impuritatem admixtam; ideo dicitur à Philosophis infumatum. Ita ille. Ignis lumen sumptu, & impendio, nutritur alieno; sol de suo fulget. Didacus Nyss. in Phœn. Græc. l. 1. c. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis: summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. S. Hier. ep. 14. fortè Paulini Ep. ad Celantiam Matronam de ratione piè vivendi.

1 ro-

Probati viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum genus homines; ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur; animarum autem gratia clarificatur splendore virtutis. S. Ambros. lib. de Noe apud Castillo Illat. 87.

Vilitas paterni generis nulla ex parte obscurat filii virtutem: neque nobilitas censetur; eò quòd è magnatum sanguine sis prognatus; sed si ipsei efficaris magnus. Sanct. Chrysostom. in Is. c. 1.

Illud quidem inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona primarium locum tenere. S. Gregor. Naz. or. 30. in laudem Basilii.

Nobis ipsis quodammodo patres sumus; quando per bonum animi institutum, liberumque arbitrium, nos ipsos formaverimus, & genuerimus, & in lucem ediderimus. S. Greg. Nyss. hom. 6.

Potest ex causa vir magnus prodire: potest ex deformi, humilique corpusculo formosus animus, & magnus. Senec. ep. 67.

Miscellanea.

Date annulum in manu ejus. Luc. 15. 22. Cur pater mandat dari annulum? Annulus signum nobilitatis, & libertatis; per quem Equites à plebeis, & servis, distinguebantur. S. Chrysol. s. 5. posuit annulum in manu ejus, annulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus spiritus, signaculum fidei. Sylveira hìc q. 19.

Nobilitas, quasi notabilitas dicitur. Quando quis faciebat aliquam rem notabilem in servitio regis; faciebat illum nobilem. S. Vinc. Ferr. s. 1. f. 5. post Invocavit.

TITULUS III.

NOMEN.

§. I.

Proprio vocari, amoris signum.

A*braham! Abraham!* Gen. 22. 1. Expressio nominis signum est familiaritatis. Ex. 33. 12. *novi te ex nomine*. Lucæ 16. Lazarum quasi familiarem nominat; divitem non. Joan. 20. 16. dixit Dominus: Maria & ipsa Rabboni idest, cognita cognoscit. Geminatio autem nominis, magnæ familiaritatis est signum. Hugo Card. hìc.

Vocavi te nomine tuo. Is. 43. 1. Alludit ad morem heroum benignorum; qui servos, quos amant, nomine proprio vocant. Sic Deus ait: *Israel veni*. Cornelius hìc.

Vocat oves nominatim. Jo. 10. 3. Nomen hominis inditum, & ab alio pronuntiatum, miram habent vim, ut hominem excitet sive dormientem, sive morientem. Doultreman l. 5. c. 2.

§. II.

Nomina Christi.

E*T vocabitur nomen ejus Emmanuel &c.* Is. 7. 14. Vide, quam pulcher, & rationabilis, ordo sit hujus; & cœterorum nominum. Primum *Emmanuel*, idest, *nobiscum Deus*: pro causa videlicet, quæ prima est in ordine; quia habitat in nobis Deus homo factus. Secundum: *Accelera, spolia detrahere &c.* Ea videlicet pro causa, quia moriendo fortem armatum diabolum superavit, & spolia distribuit. Tertium: quia *admirabilis*: videlicet, quia surrexit à mortuis, & ascendens in cœlum, gloria, & honore coronatus sedet à dextris Dei. Quartum *Consiliarius*: ex eo scilicet, quòd dans Paracletum Sanctum Apostolis suis, consilium habuit cum eodem spiritu consilii, de repellendis Judæis, & vocandis Gentibus. Quintum Deus: quia exinde omni modo verè adoratur ut Deus. Sextum *Fortis*: quia verè fortis in judicio, quo expectatur, apparebit. Septimum *Pater futuri sæculi* quia nimirum peracto judicio, non jam ut Dominus servorum, sed ut Pater filiorum regnabit. Octavum *Princeps pacis* quia revera laudabitur in æternum, & grates habebit, ut author pacis; qua Deo sumus reconciliati per mortem ejus, qui eramus inimici. Rupertus l. 1. in Matth.

Filii David, filii Abraham. Matth. 1. 1. O quàm disparia nomina assumit Deus in Novo Testamento, ab iis, quæ in veteri. Tunc enim plerumque vocabatur *Deus Abraham, Isaac, & Jacob*; Deus hominum justorum: quos, sicut David, peccasse nescimus. Nunc autem filius David peccatoris, filiusque Abrahæ justi, dicitur: quia non modò justos, sed & peccatores recipit. Diez conc. 1. in Nat. B. V.

Vocabunt nomen ejus Emmanuel. Matth. 1. 23. dicunt Hebræi: quomodo ergo non vocatus est Emmanuel, sed Jesus Christus? Dicendum: quòd non dixit, vocabis; sed vocabunt: hoc est, opera ejus demonstrabunt, eum Deum esse, & nobiscum conversari: divina enim Scriptura ex operibus imponit nomina Theophylactus in Matth.

§. III.

Nomina data sanctis à Deo.

UBi Deus. Gen. 17. 5. Abrahæ ingentes glorias promisit, literam He nominis divini ejus nomini addit, ut deinceps vocaretur Abraham: ut ostenderet, non modò se bona sua ei impertiturum; verùm etiam seipsum. Baeza l. 1. c. 6. §. 1.

Et in calculo nomen novum scriptum. Apoc. 2. 17. An non sat erat, ore enuntiari? cur insuper scribitur? Quod scribitur, diutius perseverat, quàm quod ore profertur. S. Bonavent. in c. 1. Luc. rectè discitur scriptum nomen Joannis; ob indelebilem firmitatem; quia nomen ejus scriptum in libro vitæ. S. August. in Ps. 44. *lingua mea calamus scribæ*. Quare linguam suam esse dixit calamum scribæ, quia quod lingua dicitur, sonat, & transit; quòd scribitur, manet. Sylveira hìc.

Habent hoc merita Sanctorum, ut à Deo nomen accipiant. Sic Jacob Israel dicitur, quia Deum vidit. Sic D. N. Jesus nominatus est, antequam natus. S. Ambros. l. 2. in Luc. Et factum est in die octavo &c.

§. IV.

Nomina sancta filiis data.

Q*uem vocavit Enos*. Gen. 4. 26. Non solùm hic parentum monstratur pietas; sed & magna erga pueros diligentia. Et quomodo statim, & à principio erudiebant pueros, qui ipsis nascebantur; admonente appellationibus, quas illis imposuerant; ut virtutem exercerent; & non, sicut nunc fortuitò, & absque causa nomina fiunt. S. Chrysost. hom. 20. in Genes.

Et genuit Malalael. Gen. 5. 13. Hebr. idem est, quod *laudans Deum*; quem pater Cainan ita vocavit; ut seipsum, ad jugem Dei laudem excitaret. Cornelius hìc.

Vocavitque nomen ejus Simeon. Genes. 29. 33. Simeon, idest *auditio*, vel *exauditio*. Notent matres; & imitentur pietatem, ac gratitudinem Liæ; quæ perennem memoriam beneficii divini, putà prolis, in nomine ejus constituit: ut, quoties prolem videret, & nominaret, toties beneficii divini recordaretur. Sic Anna vocavit Samuelem; idest, *postulatum, & impetratum à Deo*. 1. Reg. 1. 20.

Quem vocavit Gersam. Ex. 2. 22. Dat rationem, cur eum sic voceat: scilicet quòd ipse Moyses *advena*, & peregrinus, fuerit in Madian. Nomen secundo filio dedit Moyses *Eliezer*; id est, Deus meus *adjutor*; ut doceret, liberos esse monumenta divinæ largitatis, Deique semper esse memores prolesque sancti, aut sanctæ alicujus nomine nuncupare. Cornelius hìc.

Vocavitque nomen ejus Samuel. 1. Reg. 1. 20. idest, *postulatus à Deo*; ut, quoties puer hoc suum nomen audiret, recordaretur, se à Deo per miraculum matri voventi donatum: ideoque se totum, quod esset, & viveret, debere Deo, quasi peculiarem Dei filium; ac proinde totum se ei traderet. Cornel. hìc.

§. V.

Nomen non sit inane.

Ex Veteri, & Novo.

S*ecundùm nomen tuum Deus; sic & laus tua*. Ps. 47. 11. S. Ambros. in Ps. 43. quid est nomen, nisi quo propriè unusquisque significatur. Et in nomine tuo &c.

Beatus es Simon Bar-Jona. Matth. 16. 17. Cur vocatus beatus, qui nondum æterna beatitudine fruitur? Non deest possessio, ubi adsunt media. Abulens. q. 61. hìc: accipiendo propriè beatum, vocat eum beatum: quia pro confessione fidei debetur æterna beatitudo. Castillo Illat. 3.

Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Luc. 1. 61. Non secundùm nomen, quod ab hominibus imponitur, adscribuntur in libro viventium; sed secundum nomen, quod fortimur in cognatione virtutum. Sim. Cass. l. 3. hìc.

Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos. Luc. 9. 54. S. Ambros. l. 7. hìc: bene præsumunt, quia ad sermonem suum ignis de cœlo descenderet, quoniam filii sunt tonitrui. Matei 3. 17. *imposuit eis nomina Boanerges; quod est, filii tonitrui*. Didac. Nyss. Dol. cœl. p. 1. l. 5. c. 4.

Dicit ei Simon Petrus, Joan. 13. 9. Cùm repugnat v. 6. & 8. solùm dicitur *Petrus*. At modo, cùm obedit, dicitur *Simon Petrus*: tunc enim hoc nomen meritus. Sylveira hìc.

Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus. Rom. 1. 1. Anselmus: nondum se dicit Apostolum: quia nondum Romanis prædicaverat, nec adhuc Apostolus esse videbatur. Apud Mendozam in 1. Reg. 8.

Nomen habes, quòd vivas; & mortuus es. Apoc. 3. 1. Diem te vocant, & nox es; solem dicunt, & tenebræ es, patrem nominant, & tyrannus es. S. Gregor. Nyss. or. de Christ. perf. tales in omni vita nos præstemus, quales requirit Christiani nominis excellentia. Did. Nyss. pol. cœl. p. 1. l. 5. c. 4.

Ex

Ex Patribus, & aliis.

Pascha Hebr. *transitus dicitur*, vel *profectus*: scilicet quia per hoc mysterium de pecoribus ad meliora transitur. Bonus transitus est transire de peccatis ad justitiam, de vitiis ad virtutes, ad infantiam de senectute. S. Maximus hom. 4. in festo Pasch.

Dignè noscamus, quid sumus; & quod sumus professione, actione potiùs, quàm nomine demonstremus; ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini: nè sit nomen inane, & crimen immane: nè sit honor sublimis, & vita deformis; nè sit Deifica professio, & illicita actio; ne sit religiosus amictus, & irreligiosus profectus: nè sit gradus excelsus, & deformis excessus; nè habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, & conscientia sacerdotis reperiatur humilior; nè locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam; nè profectionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam. S. Ambros. lib. de dignit. Sacerd. c. 3.

An ideo tibi bellus, videris, quia fausto vocaris nomine? quasi non & lucus ideo dicatur, quod minimè luceat: & Parcæ, quod nequaquam parcant: & Eumenides furiæ, quòd non sint benignæ: & vulgò Æthiopes vocantur argentei. S. Hieron. ep. 100.

Tales in omni vita nos præstemus, quales requirit Christiani nominis excellentia. S. Gregor. Nyss. or. de Christiana perfectione.

Certum est, quòd unusquisque vel Angelorum, vel hominum, ex iis, quæ sibi injunguntur, officiis, & actibus, etiam nomina sortiantur. Origenes hom. 24. in Josue.

Fratres, Patresque, nihil est felicius, vel nostrate vita, vel instituto sublimius; si, quales nominamur, vivimus, nec nomenclaturæ contrariam vitam degimus. B. Theodorus Studita s. 39.

Per nomen rei sumus. Salvianus l. 3. de gubernatione. Et l. 4. magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat: reatus impii, est pium nomen.

Omnino nihil prodest, nomen sanctum habere sine moribus: quia vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem. Id. l. 3. de Provid.

Nimis absurdum est, portare nomen alienum; & aliud dici, quàm possit in moribus inveniri. Cassiodorus lib. 8. ep. 10.

Absolon *pax patris* dicitur. Bonum planè nomen; sed ipse nominis hujus virtutem abnegabat. Gilbertus s. 14. in Cant.

§. VI.

Peccator est anonymus.

A*nimæ viventis*. Gen. 2. 19. Tantùm vivis per gratiam imponitur nomen. Unde & Lazarus nominatur, & non dives. Nomina bonarum scripta sunt in cœlo, nomina malorum in terra. Hugo Card. hìc.

Corrupta est terra coram Deo. Gen. 6. 11. Cur non dixit homines? S. Chrysost. hom. 24. in Gen. quia peccatum facit, ut homines suo nomine vocari non sint digni.

Unus Isboseth, 1. Reg. 14. 49. qui etiam erat filius Saulis, prorsus tacetur, non nominatur. Cur? Lyranus: non nominatur Isboseth propter defectum magnanimitatis: quia fuit pusillanimis, & ineptus ad prœlium.

Tanquam aqua decurrens. Ps. 57. 8. Aqua decurrens fluit ad mare: & quando intrat mare, ad nihilum devenit; quia nomen amittit: sic isti venientes in amaritudinem Inferni, nomen, quod sibi fecerunt in terra, amittent. Hugo Card. hìc.

Nomen impiorum putrescet. Prov. 10. 7.

Nomen impiorum delebitur. Eccl. 41. 14. Veteres Hebræi, Græci, & Romani, ità nomina sceleratorum detestabantur, ac opinione sepeliebant; ut illa nec nominare, nec alicui suorum indere, sustinuerint. Hinc apud Hebræos nemo sustinuit vocari Cain, Chanaan, Nemrod, Pharao, & apud Christianos Judas. Apud Græcos, teste Strabone c. 14. caverant Ephesii, nomen ejus, qui Dianæ templum incenderat, pronuntiari. Cornelius hìc.

Recedentes à te in terra scribentur. Jer. 17. 13. Quia, quod in terra scribitur, vel pulvere elationis, vel aqua carnalis voluptatis, citò deletur. Hugo Card. in Gen. c. 2.

Improbi senes Dan. 13. à v. 5. eo capite nunquam nominantur. Nec Matth. 1. mater Solomonis.

Ibunt hi in suplicium æternum. Matth. 25. 46. Meministisne nomina, & titulos, quibus Mundus potentes honorat? quamvis mali sint. Videte, quo nomine Christus eos hic appellet. *Ibunt hi*. Vix habet Mundus nomen vilius, quàm cùm dicit: hic, iste: hoc eos Deus nomine vocat. Diez conc. 4. D. 1. adv.

Mulier in civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Non quæritur hic nomen: quia peccatores, quamdiu sunt in peccato, de libro Domini sunt deleti. S. Anton. Pad. s. in fer. 5. post D. Pass. Nomini Mariæ sanctitas inseparabiliter est adjuncta: quod cùm agit B. Lucas c. 7. de pœnitentia Magdalenæ; propter hujus nominis reverentiam non ausus fuit Mariam, sed mulierem nominare. Sed paulò post scilicet c. 8. cùm dicit eam justificatam à Domino, de suis facultatibus illi ministrare, vocat Mariam. Richardus à S. Laur. lib. 1. de laud Vig. c. 2.

Erat quidam mendicus nomine Lazarus. Luc. 16. 20. Ubi ergo nomen divitis? nusquam; quippe qui nomine careat. Quantæ divitiæ! arbor foliis vernans: sed fructu destituta: quercus in altum protensa; quæ glandem brutis animantibus in cibum suppeditat. S. Chrysost. tom. 6. tr. in terræmotum.

Homo quidam erat dives. Luc. 16. 19. Hinc, tamquam durum, & in pauperes inhumanum, Dominus anonymum nominisve expertem, inducit: nempe ut exemplo id confirmet, quod per Prophetam aliquando de iis pronuntiarat, qui Deum non metuant. Ps. 15. 4. *nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Pauperem verò proprio nomine designant: siquidem tales in Dei lingua, & ore observantur. S. Titus Bostr. hìc.

Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es. Apoc. 3. 1. Occultum opus ejus, qui nomen habet, quòd vivat; & mortuus est: nam cujus peccatum publicum, & notum est, non hic habet nomen, quod vivat. Rupertus hìc.

Idcirco pueris in baptismo nomen datur: quia tunc in albo justorum recensentur. Antea nomine carent, quia filii iræ, & non gratiæ. Alvarez in Gen. 33. Illust. 16.

TITULUS VI.

NOMEN JESU.

§. I.

Figura, & Symbola.

V*ocavitque Osee filium Nun, Josue*. Numero 13. 17. Moses Oseæ nomen mutavit in Jehoscua; addita, & præfixa ad nomen Hoseæ littera jod. Primo, ut certiorem ipsi Josue, & populo per ipsum, salutem, & victoriam de Chananæis promitteret; quam hac exploratione inchoabat: Hosce enim significat *Salva* unde hosanna idem est, quod *salva quæso*. Jehoscua autem significat, *qui salvabit*. Secundò, ut innueret, multa ei bona largiturum Deum, cui priorem litteram nominis sui tetragrammati, scilicet Jod, addidisset. Nomen sic ei mutatum, cùm dux militiæ, contra Amalecitas est constitutus, eosque debelavit. Alii censent, Osee nomen mutatum fuisse, cùm designatus est explorator terræ sanctæ: tunc enim periculo mortis ultrò pro populo se obtulit. Tunc enim magnanimus, sed imperterritus apparuit; ideoque dignus, qui novo hoc, & augusto nomine donaretur. Sept. passim, Josephus, & Philo l. de claritate Hebr. Jescua, seu Josue, vertunt Ἰησοῦς, id est Jesus. Epiphanius hæresi. 29. Jesus, ait Hebraica lingua Curator appellatur; aut medicus, & Salvator. Cornelius hìc. Tres homines hujus nominis in Scripturis fuisse legimus: Jesum Syrach, Jesum Josedech, & Jesum Nave; qui omnes nostri Jesu figuram, & typum gesserunt; sed præcipuè Jesues Nave. Siquidem Jesus Syrach propter sapientiam, Jesus Josedech propter Sacerdotium; sed Jesus Nave propter salutem, quam attulit populo, quem de solitudine in terram promissionis introduxit. Bellarminus conc. 3. sup. miss.

Oleum effusum nomen tuum. Cant. 1. 2. Dum unguentum effusum vocat nomen Jesu Christi, immensam ipsius misericordiam, atque pietatem erga nos ostendit. Philo Carpath. hìc.

Oleum effusum nomen tuum. Ib. Oleum non tantùm ex olivis, sed ex quolibet flore, herba, aromate, distillatur, quod totam rei substantiam, succum, & vim, exsugit; unde à medicis vocatur quinta essentia: quæ si cum oleis aliorum aromatum scitè commisceatur, unguentum facit præstans. Hin. Sept. Vatablus & alii, vertunt: *unguentum evacuatum nomen tuum*. Syrus: *unguentum myrrha nomen tuum*. Cornelius hìc.

§. II.

Excellentia.

D*edisti eis Salvatores*. 2. Esdræ 9. 27. Lego Judices à Deo lectos, vocatos esse, non belli duces, non aulæ princeps, non Dominos, sed augustiore nomenclatura. *Salvatores*. Judic. 3. 9. Num. 13. 17. *vocavitque Osea Josue Abulens.* q. 37. ad significandum; quòd Moyses præficiebat Josuen aliis exploratoribus; ideo vocavit Salvatorem, id est, quòd haberet curam de aliorum salute. Velloso in Judith. 5. Paræn. 26.

Liber Jesu Christi filii David. Matth. 1. 1. Cur non ponit titulos splenditos divinitatis? majori gloriatur titulo Jesu Salvatoris. Prius se Christum Salvatorem, quàm regem hominum agnosci vult. Id. ib. In eò, quod dicitur Jesus, Deus esse asseritur; & ipsam cellitudinem Filii Dei potiùs voluit salvandi operibus ostentare, quàm speciosis titulis, & nominibus Filii Dei. Rupertus apud Sylveiram hìc q. 9. Cur priùs ponitur nomen Jesu, & postea Christi? Quia nomen Jesus, id est, Salvator, dicit merita; Christus verò dignitatem. De meritis ergo po-

potiùs, quàm de corona, & purpura, Salvator noster gloriatur. Id. hic q. 10.

Inventa una pretiosa margarita &c. Matth. 13. 45. Gloriosum, & optabilissimum nomen Jesu pretiosa est margarita: quam, qui omnem suam substantiam vendiderit, comparare potest; & lætitiam majorem, quàm dici possit, de inventione habere. S. Diadochus Ep. de perfect. spir. c. 59.

Vocabis nomen ejus Jesum - filii altissimi vocabitur. Luc. 1. 31. 32. Ruper. de aper. Sp. S. c. 10. Paulò antè vocabis nomen ejus Jesum; hic autem, vocabitur Filius Dei: illic, *vocabis*, hic autem, *vocabitur*. Angelus ait, quòd Christus D. vocandus, seu publicandus sit Jesus, magnus, & Filius Dei. Et licèt nomen Dei sit valdè sublime; conceditur, ut à multis dicatur *primò*. At nomen Jesus adeo altum, sanctum, ut illud primùm enuntiare solùm committatur B. Virgini elevatæ super omnes puras creaturas; & purissimæ ejus linguæ. Sylveira in Act. 3. 6.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. 2. 21. *Proprium* est nomen ipsi mirè nato: quoniam sibi proprium est, posse Salvare. *Substantivum* est, quia veram, & beatam substantiam facit: *Adjectivum* est; adjecit multa super naturam conditam: *Commune* est, communiter omnibus factus est Jesus. Sim. Cass. lib. 1. cap. 10. Cur potiùs Jesus quàm Emmanuel vocatur? ut vocandum prædixerat Is. 7. 14. Emmanuel significat naturæ excellentiam, Jesus officium Redemptoris; quòd vitam pro suis daturus esset. Potiùs verò obligatio muneris debet ante oculos observari, quàm dignitas personæ: ideoque, ut fixa semper esset in mente, insculpta est in nomine. Sylveira in Luc. 2. q. 9.

In nomine Jesu Christi Nazareni surge. Act. 3. 6. Deus significat Dominum, & Creatorem; Jesus significat Deum, ut Salvatorem, & omnium redemptorem: sicut enim majus est beneficium redemptionis, quam creationis; ideo majus est nomen Jesu. Abul. qu. 7. in Ex. 2. Unde consuetudo laudabilis est in Ecclesia; quòd magis honorat nomen Jesu, quàm nomen Deus. Unde audito nomine Jesu, devoti Fideles caput inclinant; quòd non faciunt audito nomine Deus; & qui illud inhonorat, magis peccat; quàm si inhonoret nomen Deus. Sylveira hic q. 18.

Donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Philipp. 2. 9. Orig. hom. 1. in Jos. & Bernardus s. 1. & 2. de Circumcis. putant hoc nomen esse Jesu. Sed quomodo hoc nomen, etiam Jehovah, nomen ineffabile; quod, ob suam excellentiam, nefas erat proferri, nisi à Summo Sacerdote? Excellit ob merita: quia redimendi munus nomine Jesu significatur; & suis meritis nostram salutem operatus est. Castillo in Ex. 28. Illat. 3. Ipsum nomen Jesu, quod est super omne nomen, & in quo flectitur omne genu, obedientiæ remuneratio est. S. Bernardus s. de verbis Petri, ecce nos reliquimus omnia.

Donavit illi nomen. Philippus 2. 9. Quare Luc. 2. 21. *vocatum est nomen ejus?* At in Cruce datum? Jesus, id est, Salvator nostram salutem in cruce operatus est: ibi ergo nomen ei datur; hic verò antè in circumcisione veluti creditur ex meritis solvendis. Sylveira in Luc. 2. 21. q. 12.

Cùm nomino Jesum, hominem mihi propono mitem, & hominem corde, benignum, sobrium castum, misericordem, & omni sanctitate conspicuum: eumdemque ipsum Deum omnipotentem. - Hæc omnia simul mihi sonant, cùm insonuerit Jesus. S. Bernardus s. 15. in Cant.

Nomen Jesus est virtuosum: quia omnes virtutes, quas Deus posuit in herbis, lapidibus, verbis, planetis, stellis, constellationibus; omnes sunt, & continentur, in hoc benedicto nomine Jesus. Vincent. Ferr. s. in festo Circumcisc. D.

Omnia, quæcumque Deus pro salute humana ordinavit, in Jesu nomine comprehenduntur. S. Bernardinus s. 49.

§. III.

Nomen Jesu non est inane.

Si obliti sumus nomen Dei nostri. Ps. 43. 21. Quòd est Jesus, id est, Salvator, quod plenum est misericordia: *quia secundùm misericordiam suam salvos nos fecit.* Tit. 3. 6. Hugo Card. hic.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. 1. 1. Nomen Jesu proprium est, id est, Salvator; quo, ut ait Rupertus, divinitas indicatur: proprium enim est Dei salvare. Christi cognomen est dignitatis, id est, *unctus*: Reges enim, Sacerdotes, Prophetæ ungebantur: ut Saul 1. Reg. 10. 1. David 1. Reg. 16. 13. Salomon 3 Reg. 1. 39. Sacerdotes. Ex. 29. 7. Levit. 8. 12. Prophetæ, ut Elisæus. 3. Reg. 19. 16. Nomen Jesus sibi retinuit, & nobis nomen Christus communicavit: unde Credentes dicti sunt *Christiani*. Act. 11. 26. Jesus nomen salvandi, & redimendi est? Christus verò nomen dignitatis, ac regiæ majestatis: sibi ergo reservavit, quod passionem, & crucem, importabat, nobis verò id, quod splendorem gloriæ innuebat, communicavit. Sylveira hic q. 8.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. 2. 21. Meritò sanè, dum circumciditur puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur, quòd videlicet ex hoc jam *cœperit operari salutem nostram*; immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. S. Bernardus s. 2. in Circumcis. D. Moris antiquis, nomen cujusvis proprium in ejus insculpere monumento. Cur igitur nomen Jesus non ponitur in ejus sepulchro? In crucem nostram operatur salutem; & nomen illustre inter crucis labores solùm valuit intueri. Sylveira in Luc. 2. q. 14.

Domini Jesu Christi nomen, si benè expendatur, totam illius erga nos beneficentiam declarat. Jesus enim, inquit, ob hoc vocabitur, quoniam *ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Matth. 1. 21. S. Chrysost. Enarr. in c. 1. ad Galat.

Neque enim ad instar priorum meus iste Jesus nomen vacuum, aut inane, portat: non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. S. Bernardus s. 1. in Circumcis. D.

Oleum lucet, pascit, & ungit: lux, cibus, medicina. Vide idem de sponsi nomine: lucet prædicatum, pascit recogitatum invocatum lenit, & ungit. S. Bernardus s. 15. in Cant.

Habuit & Judæa quosdam Jesus, quorum vacuis gloriatur vocabulis: illa enim nec lucent, nec pascunt, nec medentur. Id. ib.

Nomen Jesu, si subtiliter contempletur, repræsentat Crucifixionem Christi, in qua fuit nostra salus. Litera H. significat crucifixum: quia dicit Priscianus, quòd h. non est litera, sed aspirationis nota: ideo significat Christum in cruce; quia tunc non fuit litera legibilis, quia vix cognoscebatur: *vidimus eum & non erat aspectus.* Is. 53. 2. sed fuit aspirationis nota, quando clamans voce magna expiravit. 2. in hac litera H. sunt tres lineationes: linea recta significat animam Christi rectissimam; secunda linea retorta significat Corpus Christi passibile, & retortum in cruce: tertia linea est titulus desuper, quæ significat deitatem litera I. significat bonum latronem, ad dexteram crucifixi: litera S. Sinistrum latronem. S. Vinc. Ferr. s. in festo Circumcis. D.

§. IV.

Nomen Jesu Proficuum, Salutare.

Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius. Is. 9. 6. S. Bernardus ser. 2. in Circumcis. Consiliarium se exhibet in electione pœnitentiæ, & vitæ ordinatione; dum bonus latro in Christo divinitatem, in seipso peccata cognoscit, & dicit: *nos quidem justè digna factis recipimus*. Sed quis eum illuminavit? quis consiliarius fuit? nomen Jesus exaratum in titulo. Ideo ut hoc notaret Lucas 23. utramque junxit historiam: *erat autem superscriptio &c. v. 38. Unus autem de his, &c.* Et v. 39. prosequitur narrando ejus conversionem, apud Sylveiram in Luc. 2. q. 11.

In umbra ejus vivemus. Thr. 4. 20. Orig. hom. 8. in umbra, id est, in nomine Jesu, vel in Humanitate, & carne ejus, sub qua, quasi umbra divinitatis vitam accepimus spiritualem, apud Cornel. hic.

Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Joel. 2. 32. Quis umquam, qui hoc nomen invocavit, periit? quis hoc nomen invocans à Deo exauditus non fuit? S. Bonavent. s. 25. de Circumcis. D.

Oriens nomen ejus. Zach. 6. 12. id est, velut sol irradians humanam mentem. - Roboratur spiritus in virtute hujus nominis ad omnia aspera perferenda. - Licèt ipsum imprimere sub triumphali titulo, & beneficio Passionis. S. Bernardus s. 49. Art. 2.

Nuntiavit Judæis, quia Jesus esset &c. Jon. 5. 15. Antè cùm sanatus esset, & lectum tolleret, Medici sui nomen ignorabat v. 13. Ubi perfectam ei animæ salutem concessit; tunc agnoscit, & prædicat, Jesum esse. Sylveira hic.

Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit &c. Joan. 9. 11. Appositè cœcus referens oculorum illuminationem, Nomini Jesu memoriam gessit. E nomine enim Jesu salus omnium exoritus, cunctarum ægritudinum medicina. Escobar. t. 1. mir. Ch. l. 3. s. 2. obs. 1.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joann. 16. 23. Solum hujus Unigeniti Filii nomen, quod est Jesus Christus, necessarium universæ orationis est vehiculum, quo in cœlum directo cursu perlata consistat ante Patris conspectum: salutemque de sinu ejus, & gratiam surgere valeat remissionis peccatorum. S. Rupertus l. 12. hic.

Ego sum Jesus. Act. 9. 5. Cur non ait: ego sum Deus, vel Filius Dei? sed Jesus tantùm? Petrus Blesens. s. de convers. S. Pauli: poterat expressisse, quis esset, majestatis, & terribilibus verbis; ut diceret: ego sum *Deus ultionum*. Ps. 93. 1. his noluit uti: sed lenitate, ac mansuetudine, cum suaviter allicit ad fidem, & spem, proposito nomine Jesu, qui est mitis, & humilis corde. Secundò: sub Salvatoris nomine vult maximè agnosci, & manifestari: nam Dei nomine significatur ejus majestas, qua nos creavit; Salvatoris verò ejus beneficentia, & pietas, qua nos redemit. Tertiò: ad Pauli ferocitatem, & sævitiam, subjiciendam objicitur ei Sanctissimum Jesu nomen: quia nihil eo efficacius ad obstinatos animos vincendos. Sylveira hic q. 10. Non Deum, vel

Dei

Dei Filium, se vocat; sed Jesum. Ut videret, Jesu nomen infunditur, mentis tenebris ablegandis. V. Beda apud Escobar tom. 1. mir. Chr. l. 3. s. 2. Obs. 1. Nihil dignius Creatore, quàm creaturæ suæ curare salutem. S. Hieron. ad Rom. 1. Ibid.

Quemadmodum fluit cera à facie ignis; sic dæmonum argumenta pereunt ab invocatione nominis Jesu. Laurent. Just. de inter. consil. c. 5.

Habes in nomine Jesu, unde actus tuos, vel pravos corrigas; vel minùs perfectos adimpleas. S. Bernardus s. 15. in Cant.

Qui vult cor suum purgare, semper illud recordatione D. Jesu inflammet. S. Didochus de perfect. spir. c. 97.

Benedic Domine Jesu principio anni benignitatis tuæ; quot principium tu corona misericordia, & miserationibus: quoniam illud tibi benedicamus, non fabuloso Jano bifronti. Sit hodierna Sanguinis tui effusio expectationum nostrarum valida signatio. Jo. Gerson. s. de Circumcis. D.

Quinque literas habet nomen Jesu, fortè, quòd illa quinque nomina complectatur. Is. 9. 6. *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Admirabilis nascendo, Consiliarius vivendo, Deus fortis moriendo, Pater futuri sæculi resurgendo, Princeps pacis tamquam mediator ad Deum ascendendo. Incertus Author.

Olim, teste Sidonio Apollinari, pinxerunt solem tres radios cæteris fulgentiores evibrantem. Unum in prægrandem nivis globum, quem calore suo totum colliquescere faciebat: alterum in arduam rupem, quem igneo velut jaculo diffundi cogebat: tertium in hominis cadaver, quod calore suo ad vitam revocare videbatur. Malachiæ 4. 2.

Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. Bonavent. s. 2. in festo S. Magd. frigida supra nivem sunt corda nostra, frigida verba, frigida sunt opera. S. Bernardus s. 15. in Cant. cui stetit aliquando ante faciem salutaris nominis duritia cordis? cui fons fortasse siccatus lacrymarum, invocato Jesu, non continuò erupit uberior, fluxit suavior? Id. ib. labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando; nonnè; si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Nadasi rosæ cœl. de Sanctiss. Nom. Jesu. Ut quis per medios militum cuneos, per frequentes excubias nocte intempesta, securus in castris transeat, militari tessera opus dumtaxat est. In supremo agone tesseratico Jesu nomine instructus omnes inferorum insidias intrepidus penetrabit. Joel 2. 32. *omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, Lyræus imit. Chr. par. Hugoni à Sanct. Victor. tria vota erant. 1. ut cibus ejus ultimus esset Sanctiss. Eucharistia. 2. ut ultima ejus cogitatio esset de Passione Christi. 3. ut ultimum verbum esset dulcissimum nomen Jesu. Ludolphus à Saxonia celeberrimus, ac Sanctissimus Scriptor Carthus. de vita Christi p. 1. c. 10. de Circumcis. sicut hic per gratiam baptismalem à Christo dicuntur Christiani; sic in cœlesti gloria à Jesu dicemur Jesuitæ. Idem scribit Hugo Card. in c. 2. Apoc. Nadasi citatus.

Aqua quæcumque medicinalis. Lem. *Vis in minore major*, (distillata scilicet) S. Bernardinus tom. 2. s. 49. omnia, quæcumque Deus pro salute humana ordinavit, in Jesu nomine comprehenduntur. Picinelli.

§. V.

Nomen Jesu delectabile, dulce.

Dic animæ meæ salus tua ego sum. Ps. 34. 8. Jesus tuus ego sum: nam quid Jesus, nisi salus? Nonnè sic tibi loqui videtur David Deo? Satis dixisti: ego Dominus, ego omnipotens, ego justus, ego terribilis. Abscondantur, obsecro, hæc nomina potestatis, & exhibeatur nomen gratiæ, & benignitatis; & dic: ego Jesus. Gerson. ser. de Circumcis.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Luc. 2. 21. Jesus est nomen admirabile, quia Dei altissimi, est nomen delectabile, quia Patris benignissimi; est nomen utile, quia Medici probatissimi. S. Bonavent. s. 25. de Circumcis.

Apocalypsis Jesu Christi. Apoc. 1. 1. Cur Sanctissimum nomen fronti hujus libri apponitur? Quia totus prophetia est, prædicensævas persecutiones contra Christianos, crudelissimum bellum Anti-Christi: inde Fideles solandi, roborandi. Sylveira hic q. 2.

Manna absconditum. Apoc. 2. 17. Est Jesus: qui pœnitentes, & agonizantes in solitudine Mundi, & in certamine carnis, prælibatione quadam, & dispositoria suavitate reficit, & delectat. S. Bernardinus s. 49. Art. 3.

Excitabar sermone illo (Hortensis Ciceron.) & accendebar, & ardebam: & hoc solum me in tanta flagrantia refringebat, quod nomen Christi non erat ibi: quoniam hoc nomen, secundùm misericordiam tuam Domine, hoc nomen Salvatoris mei, Filii tui, in ipso adhuc lacte matris tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat: & quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis literatum, & expolitum, & veridicum; non me totum rapiebat. S. Aug. Conf. l. 3. c. 4.

Nomen dilectum, nomen delectabile, nomen confortans peccatorum, & beatæ spei. S. Anselmus l. de nom. Iesu. Sentiens dubitanter amœnitatem quandam spiritualem, & sapidam; non solùm in corde, verùm etiam in ore; quoties nomen hoc sanctum à te fuerit cum devotione prolatum. Habet enim virtutem sibi adhibitam, quæ affectum lætificat, mentem pascit, nutrit devotionem, disponit ad devotionem, animum invocantis illud. S. Laurent. Just. s. de Circumcis.

Quidquid dulcissimi Domini mei nomen decolorat, cor meum excoriat. S. Bernardus ep. 178.

Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur: insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum: si disputes, aut conferas; non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. S. Bernardus s. 15. in Cant. Vide ibi plura. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Jesus, & inde saliat in os; & ecce, ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Ib.

O anima! sive scribas, sive legas, sive doceas, sive aliud quidcumque operis facias; nihil tibi sapiat, nihil tibi placeat, nisi Jesus. S. Bonav. 3. solemn. de impos. nom.

Tempore Anti-Christi nemo audebit Christum, nec Mariam, nominare sub pœna mortis. S. Vinc. Ferr. s. 3. D. 2. Adv.

S. Julianus Anachoreta ita lacrymabatur, ut in lectione spiritualium librorum, ubi scriptum erat Deus, aut Dominus, aut Jesus Christus, vel Salvator; literarum elementa deleta reperiuntur. S. Ephrem de eodem.

Sicut graviter æstuanti, & longo sitis ardore succenso, fons frigidus salubris, & gratus efficitur: sic mentibus iniquitate depressis nomen Jesu culpæ gravedinem, & peccati mœrorem expellit. S. Bernardinus s. 49.

Nomen Jesu est refugium pœnitentiæ scilicet contra malum culpæ: quis enim peccator non timeat nomen potentiæ? quis non pavet nomen divinæ iræ? aut quem non terreat nomen furoris Dei? aut cùm nominari audit Dominum ultionum? sed ecce nomen Jesu dulce refrigerium; in quo exinanitur potestas, seu majestas; dulcescit pietas, & Dei & magna misericordia demonstratur. Id. s. 49.

O quanta dulcedo destillare videtur è labiis parvuli innocentis; quando doctus à devota matre, non valens adhuc addiscere Pater noster, & Ave Maria, cum reverentia nominat nomen Jesus. Id. ib.

S. Boifilo Præposito Monasterii in Scotia, crebra in ore erat nominis Jesu usurpatio: de quo tam tenero animo, & uberi fletu, cogitabat, & loquebatur; ut in fletum ipsos quoque Auditores induceret; illud sæpe tenerrimo animi sensu repetens: quàm bonus habemus Jesu? Boll. 23. Jan.

Henricus Suso ord. Prædic. ex ardenti amore Christi, nomen Jesu cordi suo stylo imprimit; quod ad mortem usque tulit; quoties cor motum fuisset, una etiam nomen ipsum movebatur. In quodam mentis excessu vidit in corde suo crucem auream multis gemmis intertextam, in quibus miro decore nomen Iesu luculenter apparebat. Boll. 25. Ian. c. 5.

§. VI.

Nomen Jesu honora, invoca, pronuntia.

Sol nè movearis. Jos. 10. 12. Stetisti quondam sol victores Hebræos præstolatus: Jesu Ducis imperium reveritus es, Domini nomen in conservo honorans. S. Basilius Seleuc. s. in Transf. D.

Memor sui nostri nominis tui Domine. Ps. 118. 15. Hæc nomen (Jesus) invocetur diebus, ac noctibus: nullum tempus prædicandi vacuum sinat sancta devotio præterire. S. Ambros. hic.

Ubi est ille? Ioan. 7. 11. Vide nunc genimina viperarum, quando sæviant veneni præcordialis ardore; dum non dicunt, ubi est Iesus? sed ubi est ille? Numquid enim ejus, quem quærebant interficere, poterant nomen nescire? Ergo cordis illorum habitator homicidia diabolus sic eos agebat; ut, odio dictante, nomen salutis non possent, imò nollent attingere. S. Rupertus in Ioan. l. 7. c. 7.

Scripsit titulum Pilatus &c. Joan. 19. 19. Sanctissimum nomen Jesu divina dispositione non pronuntiat ore Pilatus; sed manu scribit; nam licèt ipse totus sordibus; manus tamen tota erat. Sylveira c. 8. in Luc. 1. 63.

Domine Jesu? suscipe spiritum meum. Act. 7. 58. In articulo mortis sanctissimum nomen Jesu dicit: ut nos in eodem moriamur. Sylveira hic.

Observarunt viri pii, Apostolum suis in epistolis usurpasse Jesu venerabile nomen ducenties decies nonies. Nadasi anno dier. memor. in S. Joannis scriptis ducenties quinquagesies. Id. Ros. cœl. Nomen Jesu.

In corde B. Catharinæ Reconisiæ hæc argenteis literis inscripta: Jesus spes mea. Nad. Ros. cœl. ib.

B. Sanctuccia, priùs matrimonio juncta, dein Abbatissa, filiolam nomine Juliam peperit, quæ ut primum in lucem venit, cùm in primo balneo lavaretur, articulata voce dixit: Iesus Maria. Boll. 21. Martii.

Ti-

TITULUS V.

NOVITATES.

§. I.

Christus D. eas vitat.

CUm *jejunasset quadraginta diebus &c.* Matth. 4. 2. Cur Christus elegit ad jejunandum numerum quadragesimum? Ne excessu jejunii pariat admirationem, & quid inauditum introducat. Poterat enim Christus jejunium Moysi - & Eliæ, transcendere; sed, pro singularitate vitanda noluit. Id. c. 3. hic q. 8.

Pœnitentiam agite. Matth. 4. 17. Cur Christus Dom. iisdem Joannis. Matth. 3. 2. verbis suam inchoat prædicationem? Cajet. hic. Observandum, quod Jesus ab eadem materia inchoat suam prædicationem, à qua inceperat Joannes præparatione. Jesu verò perfectione, hanc materiam prædicabat: tum ad confirmandam prædicationem Joannis; tum ab exemplum nostrum; ut non dedignemur inchoata ab aliis, etiam minoribus bona prosequi. Sylveira l. 3. c. 1. q. 20. de Ioanne prædicante.

Non veni solvere legem. Matth. 5. 17.

Alii Joannem Baptistam &c. Matth. 16. 14. Cur dicunt eum unum ex defunctis Patribus? Venit Christus novus homo in hunc Mundum; cur non dicitur, & judicatur, novus homo? Fugebat novitates: eosque mores in suis actionibus exhibebat, qui jam erant in aliis agniti. Id. in Ioan. 5. q. 19. Nemo in Iesu cernebat, quod non veterum moribus confirmatum. Baeza t. 2. l. 10. c. 5.

Deprecabantur eum ut imponat illi manum. Marci 7. 32. Cur impositione manuum Christi hunc miserum sanat? ℣. Veterum morem Christus tenere voluit, qui idem fecerunt: ut Elias, & Elisæus. 3. Reg. 17. 21. 4. Sic optat fieri leprosus Naaman. 4. Reg. 5. 11. Sylveira hic q. 5.

Quæcumque ille (Pater) *fecerit; hæc & Filius similiter facit.* Io. 5. 19. Cur unus tantùm sanatur à Christo? sicut Angelus unum sanat, ita & Dominus; nec plures, licèt posset. Unde arguuntur, qui in suis actionibus novitatem affectant, & supra alios aliquid addere conantur. Sylveira hic q. 19.

Expuit in terram, & fecit lutum. Io. 9. 6. Sumpsit Dominus lutum de terra, & plasmavit hominem: quapropter Dominus expuit in terram, & fecit lutum, & superlinivit illud oculis; ostendens antiquam plasmationem. S. Irenæus l. 5.

Maria-Unxit pedes Jesu. Ioan. 12. 3. Nè peregrinæ adinventionis studeas superinducere novitatem: nam & ipse, qui est. Magister Angelorum, in cœlo, morem in terra tenuit, quem invenit; nec dedignatus est, terrenam servare consuetudinem. Nam cur sibi caput, & pedes, unguento conspergi muliebri ministerio passus est? nisi, quia Palæstinæ, atque Iudaicæ, regionis mos erat, ut ejus accolæ crebrius ungerentur. Petrus Dam. ep. 106.

§. II.

Alia Motiva eas vitandi.

DEus *Patrum nostrorum.* Iudith 6. 17. Cur Bethuliensis inchoant sermonem hoc titulo? Est frequentior in Scriptura. Ex. 3. 15. Deut. 1. 11. Ios. 18. 3. Act. 3. 13. Credo Hebræum hac loquendi forma laudatum ab antiqua fide, ac monitum, ne à sacra parentum via habeat. S. Aug. l. de anima: semper viris sanctis suspecta novitas. Velloso hic Paræn. 12.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Matth. 15. 2. Non erant traditiones Majorum; sed depravationes ab eis inventæ, quas colorare volebant nomina majorum, ad introducendas suas novitates, semper enim sanctionum novitas placet improbis. Unde Paulus 1. Timoth. 6. 20. *devitans profanas vocum novitates.* Sylveira addit. in Matth. hic.

Habet hoc proprium humanæ mentis fragilitas; quod promptius novitatibus, quàm summis veritatibus, delectetur. Sim. Cass. l. 9. c. 34.

TITULUS VI.

NUPTIÆ.

CONversa *sunt nuptiæ in luctum.* 1. Machab. 9. 41. Sic sæpe in Mundo plausus vertitur, & extrema gaudii luctus occupat. Cornelius hic.

Vocatus est autem & JESUS - ad nuptias. Io. 2. 2. felices nuptiæ; felices illæ, quibus Christus est præsens; non luxu, sed virtutibus consecrantur. S. Chrysol. s. 157. Vocent omnes Christum ad nuptias; ut aut eas ex toto castificent; aut nihil in iis agant, quàm Christiferam deceat sanctitatem. Sim. Cass. l. 5. c. 1.

Non tantum boni est in nuptiis; quod speramus, quantum mali, quod accidere potest, & timendum est. S. Hier. ep. 11.

Vide plura Matrimonium.

O

TITULUS I.

OBEDIENTIA.

Erga Deum, & Superiores.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri.

FEcitque *ei tunicam polymitam.* Gen. 37. 3. Obedientia talaris est tunica? quam Ioseph, quod sonat *accrescens*, vel *augmentum*, idest, quilibet perfectus, dono clementioris gratiæ, quæ est mater credentium, singulariter induit. S. Bern. s. in Cœna D.

Pascitur inter lilia. Cant. 2. 16. Est Christo obediendum: quia obedientes ei sunt lilia; habentes candorem munditiæ. S. Thom. Aqu. hic.

Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur. Ezech. 1. 12. Rotæ, in quibus est spiritus vitæ, semper eunt in voluntatem Domini perficiendam; nec revertuntur ad faciendum suam. Si jubentur præesse; præsunt in sollicitudine: si jubentur subesse; in humilitate; si aliquibus esse; in charitate. S. Bern. tr. de dignit. div. amoris c. 8.

Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt adsumus. Baruch. 3. 34.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Vidimus stellam, & venimus. Matth. 2. 2. Stella hominis Fidelis est obedientia, ductusque superioris. Corn. hic.

Impleverunt ambas naviculas. Luc. 5. 7. Duæ naviculæ, prælatura, & subjectio; jussio, & obedientia. Sim. Cass. lib. 9. cap. 15.

Statim prodiit, qui fuerat mortuus; ligatus manus, & pedes, institis; & facies illius sudario erat ligata. Ioan. 11. 44. Comprehende, si potes, quemadmodum clausis oculis iter carpat vinctis pedibus gradum dirigat: virtute enim divinæ perceptionis operante natura suum non requirebat officium; non jam suo ordini, sed divino nutui, serviebat: agebatur prius quàm parabatur incessus. S. Ambros. l. de fide resurr. apud Baeza t. 1. l. 2. c. 10. §. 2.

Cervix tua sicut redimicula. Obedientia ejus, cervices appellantur. Cervix ergo ejus speciosa facta est sicut redimicula, & meritò: quam enim priùs prævaricationis inobedientia turpem fecerat, nunc obedientia fidei speciosam fecit, & pulchram. Orig. in Cant. 1. hom. 2.

Vir quidam Isidorus nomine, Alexandrinæ civitatis primarius; in ipso cœnobio ante hos annos sæculo abrenuntiavit. Hunc pastor ille mirabilis suscipiens, asperumque, & superbum, aspectu ex ipso conjiciens, ad eum ait: si revera jugum Christi tollere decrevisti; volo, ut ante omnia te obedientiæ laboribus exerceas. Cui ille: sicut fabro ferrum subjectum est, ita & ego arctissimè me ipsum obedientiæ expono. Ioan. Climacus gr. 4. de obed.

Rogatus S. Franciscus, quis verus obediens judicandus? tolle, inquit, corpus exanimæ; &, ubi placuerit pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet: si collocetur in purpura, duplo pallescet. Iongen de Sacr. profess. Exh. 30.

Obedientia est spontanea mors, & sepulchrum propriæ voluntatis. Ioan. Clim. gr. 4. de obed.

Sicut membra judicantur paralitica, quæ non moventur ad imperium capitis; sic perversus est Religiosus subditus, qui non sentit motum, & imperium Patris spiritualis. S. Bonav. diæt. Sal. c. 20. de Religione.

Obedientia navis est, qua obediens navigat per hoc mare magnum præsentis vitæ; ut perveniat ad portum salutis æternæ. S. Bernardinus s. de obed. Evangelica.

Plectratum semper instrumentum est, & esse cupit obediens; ut semper resonet Dominicam cantilenam. Sim. Cass. l. 4. c. 1.

Est obedientia turris fortitudinis, arx securitatis, currus Dei, luna nocturna, sol meridianus, Arca Noe liberans à diluvio; arca fœderis, super quàm requiescat gloria invisibilis Dei. Id. ib.

Obedientia, tamquam Crucis patibulum, omnia membra hominis astringit: non enim potest ambulare, cùm velit; posita est custodia ori ejus. Sic arctata sunt membra, ne liceat eis debita explere officia. Petr. Blesens. s. 21. in Ascens. D.

Reticulum, quod pro lusu pilæ adhibetur: Lem. *Vi modica procul.* Picinelli.

Equus Lem. *Omnia nutu.* S. Chrysost. hom. de pœna: eum equum laudarim maximè, qui, sine ulla habenarum vi pro nutu compescitur.

Parata picturæ tabula. Lem. *Qua forma placebit.* Bovius.

§. II.

§. II.

Obedientia præstans virtus.

Num. I.

Præfertur victimis.

AUres *autem perfecisti mihi.* Ps 39. 7. id est, perfectam obedientiam dedisti mihi; quasi verè sacrificium noluisti nec per sacrificia placatus es humano generi; sed per obedientiam meam, Hugo Card. hic.

Sacrificium - noluisti; aures autem perfecisti mihi. Ib. Docens eos, quoniam obauditionem mavult Deus, quæ servat eos; quàm sacrificia, & holocaustomata. S. Irenæus adv. her. l. 4. c. 32.

Obedientia victimis jure præponitur: quia per victimas alia caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. S. Greg. mor. l. 35. c. 19.

Num. II.

Obedientia præfertur aliis virtutibus.

QUod difficilius, hoc præclarius. Relinquere, enim divitias, præterea continentiam ac castitatem servare, multis quidem Philosophis datum: se autem, proprijamque arbitrium, negare, ex libero servum facere; nulli prorsus, nisi qui crucem Christi sequitur, concessum. Apostolorum hæc imprimis virtus fuit. S. Basilius institut. vitæ Religiosor.

Quid eis prodest, quòd facultates suas abjiciunt, qui voluntates proprias non relinquunt? cùm sit longè præstantiùs voluntatibus propriis abrenuntiare, quàm rebus. S. Prosper. l. 2. de vita contempl. Sacerdot. c. 17.

Vili quopiam opere per obedientiam fideliter peracto, nonnumquam magis proficies in vitæ perfectione; quàm sublimibus exercitiis ex propria electione susceptis. Ludov. Blos. parad. an. c. 27.

Melius est, ex simplici obedientia urticas, & zizania extirpare; quàm ex propria voluntate, sublimi rerum cœlestium contemplationi operam dare. Id. Sacello an. fid. §. 1.

Num. III.

Obedientia includit omnes virtutes.

Et erat subditus illis. Luc. 2. 51. Totam intermediam Christi vitam, quæ est inter ostensionem ætatis, & tempus baptismatis, velut immunem alicujus famosi, & publici, miraculi, & doctrinæ; Evangelista sub uno verbo colligit dicens: *& erat subditus illis.* S. Gregor. in Cath. S. Thomæ. Ubi obedientia regnat, nulla abesse virtus potest. Cùm Christus plurima interim egerit digna memoratu, cur Lucas ea non enarrat? compendio usus, plurima paucis complexus est, cùm ait: *erat subditus illis.* Did. Nyss. Vit. Abr. l. 1. c. 5.

Præit dicata obedientia Deo cunctas virtutes, graditur cum omnibus: nam, quomodo quis crederet, nisi obediret vocanti, & prædicanti; & captivaret omnem intellectum in obsequium fidei? Quomodo quis speraret, nisi obediret? quomodo quis diligeret diligenda; nisi vellet ex obedientia jubentis mandata perficere? unde ipsorum digna observatio, nisi ex obedientia digna? Sim. Cass. l. 2. c. 14.

§. III.

Obedientia aliæ præminentiæ, & laudes.

Ex Veteri, & Novo.

PRecepitque *ei dicens.* Gen. 2. 16. Nonne melius fuisset, nullum dedisse præceptum, quàm positione præcepti facere prævaricationi locum: Ad hæc inquam: unde homo copularetur Deo, si non illi subligaretur obedientiæ jugo? si non acciperet commissum, in quo fidelis deberet existere Deo? Rupertus l. 2. c. 30. in Gen.

Extenditque manum - ut immolaret filium suum. Gen. 22. 10. Abrahæ licuit occidere filium suum, qui à Deo jusserat; & omne præceptum Dei bonum est. Jephte autem occidit filiam suam, non ex præcepto, sed ex voto suo. Abulens. in c. 11. Judic. q. 57.

Audi filia &c. Ps. 44. 11. 12. Pulchritudo animæ pendet ab obedientia erga Deum: anima enim, quamlibet deformis, si quidem obtemperaverit Deo, deponit peccatum, & speciosa redditur. Quam hic dicat pulchritudinem perspiciamus *Audi filia, & concupiscet &c.* cujusmodi decorem, sive pulchritudinem, concupiscet? nimirum animæ. Undenam? quia oblita est. *Audi* igitur, *& obliviscere.* Dic peccatrici animæ, audi. Quòd si obaudierit, mox vide, quali decore exornanda sit. S. Chrysost. hic.

Filii sapientia-obedientia, & dilectio. Eccl. 3. 1. Jungit obedientiam charitati: ut ostendat in praxi, unam alteri quasi sororem sorori sociandam esse; unamque ab altera compleri, & perfici. Hæc enim dilectio obedientiæ, qua primò diligunt suos Prælatos, quasi suos parentes. Secundò diligunt id, quòd jubetur. Tertiò diligunt ipsum obedire; facit facilem, & perfectam eorum obedientiam. Nam, ut ait S. Leo s. 4. de jejun. Septimi mensis: obedientia mollit imperium; nec dura necessitate ibi servitur, ubi diligitur, quod jubetur. Cornelius hic.

Consurge, consurge; induere fortitudinem brachium Domini. Is. 51. 9. Acsi dicat: quid tam diu te contines in sinu Patris ò brachium Domini? consurge, & induere pulchram, & fortem, & fortem dilectionem; pulchram, obedientiæ charitatem S. Rupertus l. 2. in Is. hic.

Et responso accepto in somnis &c. Matth. 2. 12. Reges tres, juxta Hieronymum, à Domino responsum acceperunt. Videbuntur Reges magis à Domino pro Joseph honorati; sed in hoc micantiùs resplendet obedientia Joseph; nam obtemperare divinis mandatis; dum per ministrum imponuntur, obedientiæ summa & apex est. Sylveira in Apoc. 1. 1.

Ad nullam illarum missus est Elias. Luc. 4. 26. Cur non ponitur cum aliqua laude, sicut Joannes. Matth. 11. 9. 10. vocatur plus *quàm Propheta, & Angelus.* Petrus, Matth. 16. 17. *beatus.* Et hic Elisæus propheta vocatur. Elias Monachus, cui nihil illustrius, quàm obedientia, quæ in hoc notatus *missus est.* Alii dicantur prophetæ, angeli, Ecclesiæ fundamenta: at Eliæ summa gloria, quod *missus*, & obediens. Sylveira in Matth. 13. c. 31. q. 17.

Osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Luc. 7. 38. Qui Jesum diligit cùm Magdalena, pedes ungat operibus vitæ activæ, caput contemplativæ. Item: pedes ungis, proximis misericorditer subveniendo: caput, quando Prælatis amorem, honorem, obedientiam præstas. De Ponte in Cant. 1. l. 1. Exh. 32. §. 2.

Apparuit illi Angelus - confortans eum. Luc. 22. 43. Cur non hic quoque vox Patris auditur, ut in baptismo. Matth 3. 17. & in transfiguratione. Matth. 17. 5. *hic est filius meus dilectus.* Cur hic solùm adest Angelus confortans? ℣. Christus hic summam exhibebat obedientiam: *non sicut ego volo; sed sicut tu.* Et, ubi tanta obedientia refulget, vox Patris non requiritur. Sylveira addit. in Matth. 2. q. 10.

Quasi filii obedientiæ. 1. Petri 1. 14. Filii obedientiæ vocantur dediti & planè addicti obedientiæ: ut ex ea, quasi matre, progeniti, planeque obedientiæ indolem, & naturam, imbibisse videantur. Hi sunt fratres Angelorum; qui sunt potentes virtute, *facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.* Ps. 102. 20. Cornelius hic.

Ex Patribus, & aliis.

Ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis; sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis. S. Gregor. in 1. Reg. 3. l. 3. Exposit.

Victimæ sunt obsequia obedientium: quia, cùm hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Cœteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Id. l. 4. in c. 10. Reg.

O quale, quantumque sacrificium! suam voluntatem omnino postponere, & totum se ad alienum arbitrium exponere; nihil sibi de semetipso reservare. O quàm libenter crucifixo astabit, qui se, propter ipsum, ad omnem obedientiam subdit. Cùm quanta conscientiæ securitate verus obediens ad thronum gratiæ illius accedet, qui *factus* est Patri *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Philipp. 2. 8. Richard. à S. Vict. de sacrificio David Prophetæ.

Non sic Diadema in capite positum regem illustrat, atque obedientia. S. Chrysost. hom. 32. in Gen.

Voluntatem propriam à te excindere, perinde est, ac si proprium fundas sanguinem: sed & hæc homini imputatur pro victima. S. Antiochus hom. 39.

Obedientia principium divinæ dilectionis. Id. ib.

Censeri debet pro regula generali: illud esse meliùs, pulchrius, nobilius, utilius, delectabilius, honestius; quòd est obedientiæ proximus; sit illa res, in qua obeditur, vilis, abjecta, inutilis, laboriosa, stulta; solo peccato excluso. Joan. Gerson. Consid. 2. ad Religiosos.

Est sine sanguine fuso martyr, qui lætè portat obedientiæ pondus. Sim. Cass. l. 4. c. 1.

Referam obedientiam in amorem: imò dico, obedientiam & charitatem, prout ab ipso Deo primo instituitur, nulla ratione differre: nam amor amato obsequitur, & subjicitur; & tantò subjicitur verius, quantò amat ardentiùs. Id. ib.

§. IV.

Obedientiam quàm sit grata à Deo.

QUod *præcipio tibi, hoc tantùm faciso Domino; nec addas quidquam, nec minuas.* Deut. 12. 32. Certè imminutio vitari debuit: quia quidquid imminutum, habetur omnibus imperfectum. Prohibere verò honestum additamentum, in religiosi studii ad speciem vergit incommodum. Cur, qui arietes duos Lege tenetur offerre, nequiverit quatuor litare? sic scilicet placet Deo obedientia, ut non semel vel exiguum obsequium appareat de obedientia gratius, quàm sine obedien-

tia numero grandius, & materiæ pretio excellentius, Naxera in Jos. 23. §. 16.

In uno crine colli tui. Cant. 4. 9. Crine non simplici, sed ex multis implicato; putà plexu, & fune, ex crinibus intorto. Solebant enim capillos in varias plicas, & tricas colligare; ut fecit Samson. Jud. 16. 13. atque uno ex illis, alterove collum circumdare. Hebr. enim est *fune*, vel torque. Per oculum intellige intentionem casti amoris, qua anima sancta uni Christo, quasi sponso, in omnibus summè placere intendit. Per crinem verò, vel torquem crinitum, significari obedientiam, qua singulis Dei legibus, & inspirationibus, ac Prælatorum suorum (hos enim collum denotat) obedire satagit, Corn. hic.

In Bethania, in domo Simonis. Matth. 26. 6. Bethania interpretatur *obediens domus*; Simon *obediens*. Qui aliquid passurus est, ab obedientia incipiat; ut gratius sit Deo sacrificium. Sylv. hic.

Opus subjecti divinitus inspiratum tunc Deo gratum esse cognoscitur; si majoris imperio, aut permissione peragatur. S. Greg. l. 3. Expos. in 1. Reg. 4.

§. V.

Obedientiæ meritum, & prærogativæ.

Ex cunctis animantibus binа induces in arcam, ut vivant tecum. Gen. 6. 19. Quis non videt pericula? nam si Monachus, de quo S. P. Ignatius in ep. de obed. miraculum edidit, cùm jussus à superiore unam leænam capere, & adducere cœpit, & adduxit: Noe tot miracula fecisse censendus est, quot feras cepit. Quis item non videt, quantum periculum subiret, dum cum illis feris in arca versaretur. Nihilominus Noe, perinde ac si immortalis esset, mortem sprevit, & ad obediendum Deo festinavit. *Fecit igitur Noe omnia quæ præcepit illi Deus*. Gen. 6. 22. Ubi S. Chrysost. hom. 25. recordare, quantæ dignitatis fuerit protoplastus ante inobedientiam. Postquam prævaricatio hanc potestatem (scilicet coercendi feras) nobis datam mutilaverat, & imminuerat; invenit bonus Deus alium virum, qui potuit innovare imaginem pristinam &c. virtus itaque justi primum reparavit dominium; agnoveruntque bestiæ iterum subjectionem. Mendoza in 1. Reg. 3. 9.

Non extendas manum tuam super puerum &c. Gen. 22. 12. Verè obediens, qualis Isaac, mori non potest. Refert Climacus gr. 4. de obed. Achatium in obedientia mirè exercitatum; cùm post mortem è sepulchro à quodam sene evocaretur, rogaretúrque, an mortuus esset; respondisse: obediens mori nequit. Corn. hic.

Sume arma tua. Gen. 27. 3. Cur Isaac filium suum benedicere cupiens, primò ei istud injunxit? non utique ex carnali affectu, & imperantiæ appetitu; sed, ut filius suus sibi in isto obtemperans, per obedientiam istam magis idoneus redderetur ad benedictionis susceptionem. Dion. Carth. hic.

Ex tribus Patriarchis Abrahim, Isaac, & Jacob, longiorem vitam duxit Isaac. Nam Jacob vixit annis 147. Gen. 47. 28. Abrahàm annis 175. Gen. 25. 7. Isaac verò 180. Gen. 35. 28. Cur huic vita longior? Dicet aliquis: quia Isaac magis continens: fuit enim monogamus, cœteri polygami: Fateor, continentiam multùm ad longiorem vitam semper contulisse. Sed addo: Isaac diutius, quàm alii vixit: quia vitam suam per obedientiam Deo imperanti in holocaustum consecravit. Nec immeritò: nam, si mors per inobedientiam introivit in Mundum; cur vita per obedientiam non intrabit? S. Greg. l. 2. in lib. Reg. c. 4. de Samuel obed. obedientia unicum bonum est ad recuperationem vitæ; sicut inobedientiæ culpam malum sufficiens fuit ad perpetrandam mortem. Si ergo in malo inobedientiæ mors prævaluit; toties vitæ reddimur; quoties obedimus. Imò immortalitatis prœmia meretur, qui mortem pro obedientia non timet. Dicebatur olim in Scriptura Deus Abraham, Deus Isaac, & Jacob. Sed, si rem benè expendas, numquam hoc nomen usurpavit; saltem respectu Abrahæ, & Jacob, nisi post eorum mortem: quia per hoc nomen significare volebat, eos, licèt vita functos, esse immortales. Hoc enim argumento Christus D. usus est contra Sadducæos negantes immortalitatem animarum. Matth. 22. 31. *non legistis, quod dilectum est à Deo: ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob; non est Deus mortuorum, sed viventium*. Nihilominus semel Deus se vocavit Deum unius Isaac adhuc viventis; ità enim alloquitur Jacob. Gen. 28. 13. *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac*. Quæro nunc: si Deus non vocabat se Deum aliorum Patriarcharum adhuc viventium, sed vita functorum, ut sic eorum immortalitatem testaretur; cur unius Isaac Deum se vocat adhuc viventis? Ratio mihi videtur: quia Isaac, dum se Deo obtulit in sacrificium, voluntate sua mortuus jam erat, & obedientiæ merito immortalis. Quare, qui mortem pro obedientia non timet, ante mortem consequitur immortalitatem. Hinc perfectè obedientes, quasi jam immortalitate donat, mortem non timent. Mendoza in 1. Reg. 3. 9.

Samuel per obedientiam, quàm Heli sacerdoti præstitit, dignus habitus est, qui Dei vocem audiret. 1. Reg. 3. 4. 11. Elisæus verò hujusmodi adminiculo pallium, & gratiam sui accepit Magistri. 4. Reg. 2. 13. S. Ephrem de virtute l. 2. c. 2.

Dixit Cis ad Saul filium suum &c. quære asinas. 1. Reg. 9. 3. Saul dum obediit patri Cis in quærendis ejus asinis, meruit reperire regnum: quia in officio humili obedientem Deus elegit in principem, & populi Israel regem. Nullum est officium, quamtumvis humile, & vile, quod non sit altissimum, ex obedientia factum. Stella te cont. van. Mundi p. 3. c. 90.

Præcepi tibi mulieri vidua, ut pascat te. 3. Reg. 17. 9. Fecit præceptum, quòd ei prœmium? *hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus* v. 16.

Ut addatur gratia capiti tuo. Prov. 1. 9. Sept. *ut addatur corona gratiarum*. q. d. si has meas leges, & monita, susceperis, opereque exercueris, illa de exornabunt proinde ac corona caput, & torques collum. Nimirum gratia obedientiæ ita exornat obedientem, sicut corona caput, & torques collum. Multiplex autem corona gratiarum obedienti promittitur. Prima gratia Dei, & hominum. Secunda virtutum omnium: has enim vel imperat, vel suadet obedientia. Tertia plenitudo gratiarum, quas Deus obedienti infundit. Quarta regni cœlestis. De P. Petro Fabro, primo S. Ignatii Socio, Orlandinus in ejus vita lib. 2. cap. 28. quod post mortem cuidam Religioso apparuerit redimitus corona obedientiæ; eò quòd in vita, & morte, victima fuisset obedientiæ. Mortuus enim est, eò quòd Romani vocatus in summis caloribus æstatis, illam iisdem ingressus sit; cum sciret, se certum adire periculum; malens vitam perdere, quàm obedientiam. In vitis PP. lib. 5. narratur: quendam vidisse quatuor ordines in cœlo. Primum, infirmorum, & gratias agentium Deo. Secundum hospitalitatem sectantium. Tertium, in solitudine conversantium. Quartum, obedientiam: qui utebatur torque aurea, & corona; majorem, quàm alii gloriam habebat. Cornelius hic.

In verbo tuo laxabo rete &c. Luc. 5. 5. 6. Laborans Petrus tota nocte cepit nihil; & piscans ex obedientia uno tractu rete piscibus implevit. Stella de cont. &c p. 4. cap. 91. Obediens Dominus omne tempus amissum recuperavit. Poteris multum atque diu, laborare, & parum mereri; & parum laborans poteris multum mereri; si contra obedientiam multum laboraberis, nihil mereberis, & si sola tua voluntate laboraveris, parum etiam mereberis. Si autem ex obedientia laboraveris, ingenti retributione dignus eris. Qui obediens est, manducans jejunat, dormiens vigilat, & in quiete laborat. Idem in Luc. c. 5. v. 5.

Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Luc. 12. 7. Non quicumque capilli numerantur, sed hærentes capiti. Obediens, suoque adherens capiti, Dei in se curam provocat. Oliva l. 13. Strom. hic.

Si in malo inobedientiæ mors prævaluit; toties vitæ reddimur, quoties obedimus. Sanct. Greg. lib. 2. Exposit. in 1. Reg. 3.

Sunt nobis manus tornatiles per obedientiam. Petrus Cell. 5. ep. 1.

Nec tamen jejuniis nimirum tribuentes obedientiam, quæ aurea ad cœlum via est, relinquatis. Petrus Dam. Opusc. 13. c. 21.

Nullo modo homo salubriùs reparatur, quàm per præceptum. Sicut prostratus est proprio arbitrio; ità restaurandus est alieno: & sicut per inobedientiam incurerat culpam; sic per obedientiam admittendus est ad gratiam. S. Laur. Just. de vict. obed. c. 1. Lign. vitæ.

§. VI.

Obedientiæ miracula.

Extende manum, & apprehende caudam ejus: versaque est in virgam. Ex. 4. 4.

S. Francisca Romana, officio recitando Mariano in suo cubiculo intenta, per domesticum quempiam accersita à marito, mox paret, signato isthic libro, ubi desiit. In una, eademque antiphona resumenda quater vocata, & revocata; ac semper eamdem promptitudine digressa, regressaque; quarta demum vice librum manu arripiens, antiphonam illam literis aureis scriptam reperit. Boll. 9. Martii.

Abbas quidam, volens cujusdam fratris obedientiam probare, plantavit lignum aridum; fratrique præcepit, ut tamdiu illud rigaret, quousque produceret fructus. Fecit ille hoc per tres annos, & lignum viride factum est, & attulit dulcissimos fructus, quos abbas colligena cunctis fratribus dedit dicens; fratres, comedite fructus S. obedientiæ. S. Bernardinus s. 2. de pugna spirituali.

§. VII.

§. VII.

Obedientia fortis victoriosa.

Cum dixerit vobis Pharao, ostendite signa; dices ad Aaron: tolle virgam tuam &c. Ex. 7. 9. Cur Moyses virgam non projecit, sed fratri projicere imperavit? si Moyses virgam projiciat, potestate non obedientia, pugnabit: si Aaron præceptis obsequendo præliabitur. Victoria non Martis, sed obedientiæ filia. S. Laur. Just. de ligno vitæ c. 3. obedientia facit hominem triumphare. Naxera in Josue 1. §. 52.

Obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel. Jos. 10. 14. Ad speciem aptiùs omnipotente pugnante, quàm obediente: quid enim obedientiæ eum pugna? Verùm Scriptura, ut nos instruat; obedientiam retulit, omnipotentiam tacuit. Id. ib.

Vir obediens loquetur victoriam. Prov. 21. 28. Pluraliter dicit victorias (ut legit S. Bonav.) eò quòd vicerit diabolum, vicerit Mundum; &, quod fuit majus, vicit perfectè seipsum. S. Bonav. s. 17. de S. Stephano. *Primò* obediens canet triumphum de victo diabolo. S. Greg. l. 4. in 1. Reg. 5. victimæ sunt obsequia obedientium: quia dum pro Deo hominibus subjicimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. *Secundò*. Obedientia vincit Mundum: quia Mundi præcipuum desiderium suis sectatoribus immissum est, cœteris omnibus dominari: obedientia verò hoc desiderium rejicit, & calcat. *Tertiò*. Vincit hostem maximè periculosum, carnem, & ejus appetitus. Thomas Kemp. l. 3. de imit. Chr. cap. 14. qui non libenter & sponte suo se Superiori subdit; signum est, quòd caro sua necdum perfectè sibi obedit; sed sæpè recalcitrat, & remurmurat. S. Bern. s. in festo OO. SS. de sec. beat. *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*: hanc ego terram, corpus nostrum intelligo: quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua; necesse est, ut ipsa sit mitis; & superiori suo subjecta. Primus homo per inobedientiam à Deo descivit, & statim carnem contra mentem sensit rebellem. Insuper obedientia vincit, & reliquas superat virtutes. *Quartò*, vincit seipsum, suam voluntatem, judicium proprium; quæ nobilissima, uti post lapsum difficillima, est victoria. Unde S. Greg. mor. l. 35. cap. 10. vir obediens loquetur victorias: quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Addit noster P. Alvarez de Paz tr. de obed. vincit homo seipsum per obedientiam; nam judicio suo compedes injicit, ac voluntatem catenis illigat, & corpus, ac omnem motum ejus, à noxia libertate revocat. Prœmia sic vincentis. Apoc. 2. 7. &c. & cap. 3. 5. 12. 21. *Quintò*, obediens vincit hostes in bello, paganos, hæreticos &c. quia cum in bello milites promptè obediunt capitaneo, capitaneus duci; sternunt hostes. Ità Abraham cum trecentis verneculis expeditis, ac ad nutum obedientibus, prostravit quatuor reges. *Sextò*. Obedientia victrix est maris, ignis, terræ, animalium, cœli, & Inferni. *Maris*: cùm Petrus jussu Christi super mare ambulavit. Matth. 14. 29. cùm Moyses jussu Dei mare rubrum divisit, ut sicco alveo transirent Hebræi. Ex. 14. 21. cum Josue cap. 3. 17. jussu Dei Jordanem dispescuit, & sicco pede casta Hebræorum traduxit. *Ignis*: cùm tres pueri Deo obedientes in fornace illæsi. Dan. 3. 24. Sic in vitis PP. l. 5. cap. 14. num. 18. jussu Abbatis pater filium jactavit in fumum ardentem: statim autem factus est fumus velut ros. Religiosus, teste Severo Sulpitio in vita S. Martini dial. 1. cap. 12. jussus à Superiore furnum ardentem ingredi, illæsus in eo perstitit. *Terræ, & bestiarum*. Paulus magni Antonii discipulus, miraculorum facultate ipso magistro major; cùm Antonius, quos ipse curare non poterat, ad eum mitteret, nec aliam ob causam, nisi unius obedientiæ, &c. *Cœli*, ut, cum Josue pugnans contra quinque reges Amorrhæorum, obediens Deo stitit solem, cœlosque omnes. Jos. 10. 14. Cùm Ezechias Deo obediens oravit per Isaiam à morbo lethali liberali, & in ejus signum, umbram solis, ipsumque solem retrogradi per decem lineas. 4. Reg. 20. 3. 11. *Inferni*, cùm Christus factus obediens usque ad mortem meruit, *ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Philipp. 2. 10. ideoque descendens ad Infernum, de eo triumphavit, ex eoque Patres omnes in cœlum eduxit. *Septimò*. Obedientia vincit tentationes quasvis, peccata mortem, & gehennam. Denique per obedientiam superamus omnia pericula damnationis. *Octavò*. Obedientia vincit ipsum Deum, ut obedienti nihil negare queat. *Voluntatem timentium se faciet*. Ps. 144. 19. Unde Auth. serm. ad FF. in eremo apud S. Aug. tom. 10. s. 61. sciendum, fratres, quòd quanto modo erimus ipsi obedientes Superioribus nostris, tantò erit Deus obediens orationibus nostris: hucusque Cornel. in Prov. 21.

Simonem, quem cognominavit Petrum. Luc. 6. 14. Simon vocatus Petrus: ut per hoc innueretur, quia de obediente fieret firmus. Andreas, frater Simonis, interpretatur virilis, fortis: fortitudo enim est soror obedientiæ. Hugo Card. hic.

Ego vici Mundum. Joan. 16. 33. Sed quomodo vicit Mundum? factus est obediens Patri usque ad mortem. S. Aug. s. 1. de uno Martyre.

Fortissima res est obedientia vera. S. Bern. s. de viis vitæ.

Certamen obedientiæ maximum est. Theodor. Studita s. 91.

Obedientia facit hominem triumphare. S. Laur. Just. Lign. vit. de obed. c. 3.

Omnis, qui propter Deum spontè obedit, opus fortissimi militis facit: quia contra seipsum certat, & divini timoris de obed. c. 3.

Gladio propriæ voluntatis motus enecat. Thom. Kemp. p. 1. ad Novit. s. 7.

Magnum certamen, seipsum vincere; gloriosus triumphus cervicem superbiæ flectere. Id. ib.

§. VIII.

Obedientia tuta in periculis.

Ex Veteri.

Egressus est itaque Abraham. Gen. 12. 4. Appetitus non defuit; sed repressus est. Hunc ergo mulcebat suorum suavitas; sed imperii cœlestis, & remunerationis æternæ consideratio movebat ampliùs. Considerabat, uxorem imbecillem ad labores, teneram ad injurias, decoram ad incentiva insolentium, sine summo non posse duci periculo. Consideravit, quòd Dei favore ubique tutus esse possit; offenso autem Domino, etiam domi non posset illæsus permanere. S. Ambr. l. 1. offic. c. 24.

Egredere de terra tua. Gen. 12. 1. E patria egreditur Abraham Deo jubente; &, quò pergere deberet, ignorat. Hebr. 11. 8. *nesciens, quò iret*. Nec tamen moras nectis, aut difficultates objicit. S. Greg. l. 2. in 1. Reg. nescit judicare, qui perfectè didicit obedire. Id. ib.

Pergebant ergo pariter. Gen. 22. 9. *Solve calceamentum de pedibus*. Ex. 3. 5. Nihil simile mandatur Abrahæ. Utrobique sanctus mons; imò Abrahæ locus crucifixionis Christi, juxta Hieronymum. Unde Moysi difficultas? Abrahæ mox patet? Moyses non vocatus volebat accedere; Abraham Dei jussu: *vade in terram visionis &c.* v. 2. Qui non vocatus, & citra obedientiam se vult intromittere; spinas & multa impedimenta invenit; qui verò vocatus tendit, omnia ei facilia, & aperta. Sylv. cap. 6. in Luc. 6. q. 2.

Veni, mittam te ad eos. Gen 37. 13. Quàm promptè Joseph obediens! *præstò sum*: nec fratrum supercilium, nec viæ difficultas, puerum detetret. Quàm benè Ecclesiastes 8. 5. qui *custodit præceptum, non experietur quidquam mali*. Certe huic obedientiæ adscribendum, quòd à feris, & fratribus liber emerserit. Quòd si viam nescit, quia *invenit eum vir errantem in agro*: cur difficultates non discutit? & priùs prudens cum patre expendit? maluit obediens, quàm prudens videri: imò tunc prudentior, cùm patri obsequentior. Alvarez hic Illust. 50.

Apprehende caudam ejus. Ex. 4. 4. Cauda colubri maximè venenosa, & cauda apprehensa poterat ore mordere. Nihil timendum. Deus mandat: à facie ejus omne periculum fugit. Sylv. in Act. 10. q. 20.

Surge & transi Jordanem istum; tu, & omnis populus tecum. Jos. 1. 2. Obsecutus non imprudenti impetu, sed laudabili cœcitate, discrimen aggressus est, & obedientia iter prosperat invium, fugat pericula; ut meritò dixerit. S. Bern. declamat. ad illud: ecce nos &c. familiaris saluti, & amica, obedientia est. Nax. in Jos. 3. §. 30.

Misit ergo Ochozias rex Israel ad Eliam tres principes quinquagenarios. 4. Reg. 1. 10. 11. hoc est, quinquaginta militibus prælectos; qui Eliam ad se accerserent. Primum, & secundum, Elia imperante, ignis è cœlo lapsus absumpsit; tertius incolumis evasit. v. 13. Cur hic ab igne illæsus? quia hic evidentiùs agnovit vitæ suæ periculum, quam priores: vidit enim eorum mortes, in quos illi in causi irruerunt. Et tamen, ut regi obediret, periculosè exposuit. Quod si regi idololatræ obsequens vitam lucratur; quam mortem timebit, qui Deo obedit? Mendoza in 1. Reg. 3. 9.

Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas, nè suscitetis. Cant. 2. 7. Sic infirmitati sponsæ consulit, nè sinat eam ab aliquo ad laboriosam vitam excitari? at mox subdit ipse: *surge, propera amica mea*. v. 10. Cur, quam timet per alios trahi ad labores, ipse non dubitat invitare? omnem solvit quæstionem verbum illud: *surge, & veni*: ubi enim Deus vocat, nulli timendum infirmitati. S. Bern. s. 58. in Cant. non parum confortat, quod audit, *veni*: quid enim difficile illo comite sibi reputet? *Pone me*, inquit, *juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*. Job 17. 3. Baeza t. 2. l. 11. c. 6. §. 7.

Ex Novo.

Jube me ad te venire super aquas. Matth. 14. 28. Non timet Petrus fluctus maris calcare, si à Deo vocetur: novit enim Dei vocatio fluctuantes firmare calles, & vel in aquis tritas vias firmis gressibus demonstrare. Hoc unum cura, ut voce-

ris à Deo, ut audias suavissimum illud verbum Dei *veni*; de quo mirè confortatus mediis periculis ages. Baeza ante citatus.

Domine, si tu es, jube me ad te venire &c. ib. Tu præcipe: & illicò solidabuntur undæ; & leve fiet corpus, quod per se grave est. Non dixit, ora, deprecare; sed *jube*. S. Chrysost. in Catena. Ubi obedientia intervenit, ipsa per se sufficiens est, ad multa miracula perpetranda, & omnia pericula vincenda. Sylv. hic.

Jube: quoniam tibi obediendo perire non valeo. Dionys. Carthus. hic.

Videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt. ib. Navigabant ex præcepto Domini, & mori timent. Ergone oblectatus Dei voci, & jussui, Jonas exultabit in ceto? & vectus imperio Christi chorus discipulorum Christi trepidabit in navi? Oliva l. 2. Strom. hic.

Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Luc. 10. 3. Dei nutum, & vocationem sequenti nihil non facilè est, & pervium. Quàm durum, & asperum, est agniculis mitti inter lupos. Sed tota hæc duritiès emollitur iis Christi verbis: *ecce ego mitto vos*. Baeza t. 3. l. 14. c. 8. §. 8.

Lazare veni foras. Joann. 11. 43. Impeditus erat Lazarus, qui ligatis pedibus, & manibus, jacebat defunctus: & accessit virtus vocantis; & mox sublatum omne impedimentum; *statim prodiit*. Ride vincula, ride impedimenta, difficultates; ubi Deus te vocat. B. Theodoretus de provid. Dei s. 16. mortuum, qui & vinculis constrictus, & fœtidus jam erat; currere, & mortis manus fugere; ad vocantem autem creatorem, nec mortis foribus, nec vinculis impeditum, festinare fecit. Baeza t. 2. l. 11. c. 6. § 7.

Præcepit eis, nè ab Jerosolymis discederent. Act. 1. 4. Cur pusillus grex non jubetur ab Jerosolymis discedere; ubi tanta Judæorum in eos rabies, ubi Christus crucifixus? Tanta Christi erat potentia; ut etiam in loco sibi infensissimo eos protegeret. Et promiserat illis: *ecce ego vobiscum sum*; tuti ergo in omni loco; etiam propter obedientiam. Sylv. hic.

§. IX.

Obedientia est quieta, pacifica, læta.

P*Paratum cor meum Deus*. Psal. 56. 8. quid sequitur? *cantabo, & psalmum dicam*. Planè vir obediens loquetur victorias. En parati cordis ad obedientiam fructus; psalmus, & lætitia. *Exurge gloria mea v. 9. Psalterium, & cithara*. Oliva lib. 12. Strom. hic.

Homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon. Luc. 2. 25. Nulla religiosa, & honesta habitatio, præter pacem, in qua vir obediens habitat: nam, præter obedientiam, non habitatur in pace; hoc enim prænotat Simeon. Sim. Cass. l. 2. c. 21.

Verus obediens exuto propriæ voluntatis sordidissimo, ac onerosissimo vestimento; sumptisque columbæ dealbatæ deargentatis pennis, ingreditur post laborem in requiem. S. Laur. Just. l. de obed. c. 28.

Cùm non ignorarem, opus esse nobis per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum; sentiremque, meipsum neque unam afflictionem pati: angebar mirum in modum, dubius, insciusque; unde hæc tantæ quietis causa esset? Quod mihi tandem senex aperuit, monuitque ne mœrerem, dicens: quicumque sese traderet in Patrum obedientiam; hunc tantam quietem, & securitatem à Deo necessariò consequi. S. Dorotheus Abb. de renunt. doctr. 5.

Pax quid aliud est, quàm ordinis tranquillitas imperando, & obediendo. Joan. Gerson de Consol. Theol. l. 2.

§. X.

Obedientia est apta regimini.

E*X omni ligno paradisi &c.* Gen. 2. 16. & v. 19. *adduxit* animalia *ad Adam*. S. Chrysost. in Ps. 3. vide: Adam, cùm nondum peccasset, bestias tamquam servos, & obedientes, habentem; & eis tamquam servis nomina imponentem. Postquam autem aspectum peccato commaculavit, tunc eum bestiæ non agnoscebant; &, quæ servæ erant, ei hostes evaserunt.

Josue sæpè vocatur in Scriptura Minister Moysis. Ex. 24. 13. Num. 11. 28. Deut. 1. 38. Quid ergo mirum, si is postea constituatur & successor? Num. 27. 18. Jesus filius Nave perfecta sua obedientia tantum donum promeruit, ut Moysis successor fuerit. S. Ephrem tr. de virt. cap. 2. Mendoza in 1. Reg. 3. 8.

Vocavit adhuc Samuelem tertiò. 1. Reg. 3. 8. Necesse fuit, Samuelis promptitudinem spectari; ut, quàm aptus esset ad imperandum, probaretur: non enim posset utiliter imperare; nisi priùs disceret humiliter obedire. S. Greg. l. 1. dial. c. 1. usus rectæ conversationis est; ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit. S. Bern. ep. 42. ut securè præesse possitis, subesse & vos, sicut debetis, non dedignemini. Quàm pulchrè locutus est ille beatus Centurio. Matth. 8. 9. dicturus quippe, *habens sub me milites*, præmisit, *homo sum sub potestate*. Mend. in 1. Reg. 3. 8.

Pater mi! pater mi! currus Israel, & auriga ejus. 4. Reg. 2. 12. Lyranus in Comment. mor. ad 1. Reg. 9. Currus, qui ducitur, & regitur, hic ponitur primo; & auriga, qui ducit, secundò ad ostendendum, quòd ille benè ducit regendo, qui primò fuit ductilis in obediendo. Id. ib.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus. Matth. 8. 9. Antequam Centurio dicat, quòd sub se habeat milites, priùs ait, quòd sit *sub potestate*: quia ille solus imperare novit, qui obedire didicit. Meritò imperantis scholam voces obedientiam. Sylv. hic q. 16.

Pannis eum involvit. Luc. 2. 7. Non benè præest, qui non didicit benè subesse. Plinii est adverso: animalia cætera simul ferè ac ventris carcere sunt soluta, incipere liberè vagari: homo è carcere uno in alium transit; ex materno alvo in fascias: Christus ipse utero virginali prodiens pannis à Matre involutus. Cur homo, rex animalium, ex uno ergastulo in aliud traditur? Respondet Plin. in Præfat. lib. septimi: feliciter natus jacet manibus, pedibusque devinctis, animalicæteris imperaturum. Qui futurus est aliorum Prælatus, qui aliorum manus ac pedes, loco sui imperii est, alligaturus; is meritò sibi antè obstringere manus, pedesque debet. Did. Nyss. in Phœn. Græc. l. 3. c. 1.

Simon Joannis pasce agnos meos. Joan. 21. 15. Christus D. toties Ecclesiæ gubernaculum Petro traditurus, vocat eum Simonem. Mendoza ante citatus.

Factus est de cœlo sonus. Act. 2. v. 2. tum v. 3. *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis*. Sonus, aurium objectum; lingua magisterii Symbolum: audire idem est, quod discere. Antè audire, & discere quisque debet; quàm loqui, & docere: discipuli priùs discunt, tunc docent. Did. Nyss. ante citatus.

§. XI.

Obedientia est suavis; facit omnia facilia.

L*Atum mandatum tuum nimis*. Ps. 118. 96. Ideò latum, quia tuum. Dominus dixit? hoc sufficit ad condimentum cineris, ad dulcorandas lacrymas, ad inaurandum saccum. Oliva t. 2. Strom. §. in hunc Ps.

Anima mea liquefacta est, locutus est. Cant. 5. 6.

Ecce ego mitto vos &c. Matth. 10. 16. Cùm Discipulis lupos, & lanienas Dominus prædixisset, præmisit, ad ærumnarum solatium; *ecce ego mitto vos &c.* Suffecit hoc ad delicias, & robur? *ibant gaudentes*. Act. 5. 41. Quis enim timeat enses? qui horreat fella? si Deus ille est, qui hæc jubet tolerari. Oliva 2. Strom. ante cit.

Jugum meum &c. Matth. 11. 30. Jugum verbi suave dixit; & onus obedientiæ leve: quoniam, qui jugum verbi patienti cervice susceperit, disciplinæ onus grave esse non poterit. S. Pasch. in Thr. 3.

Ea est vis obedientiæ; ut facilè ea quoque efficiat, quæ per difficilia videantur. S. Xaverius l. 3. ep. 4. Societati Rom.

§. XII.

Obedientia Christi.

I*Bant omnes, ut profiteretur singuli, in suam civitatem*. Luc. 2. 3. Voluit omninò Christus ab ipso nativitatis suæ exordio subjacere legibus tamquam homo? ne videretur Remp. conturbare voluisse; qui venerat ad melius reparare corruptum: insinuas, quòd justè regnum gratum habet, & omnis sibi sanctio est accepta; qui in pace, atque in justitia, Rempublicam servat; nec adversari debent potestati æquè regenti, quicumque mortales? cum ei subjacere voluerit in humilitate Deus. Sim. Cass. de gest. Salvat. l. 1. c. 4.

Erat subditus illis. Luc. 2. 51. Quid fecit anno decimo tertio! vigesimo? &c. Obedivit. Præclarum Religiosi epitaphium: tota vita obedivit, vel tota vita subditus erat illis. Hoc præclarissima continentur gesta, victoriæ, triumphi. Barradius t. 1. l. 10. c. 14. D. 1. Epiph.

inclinato capite tradidit spiritum. Joan. 19. 30. æterno Patri, cui commendaverat: ut non solùm in corpore, sed à corpore, separatus ejus spiritus esset obediens. Etenim decreto Paterno descendit ad limbum; & reversus ad tumulum reanimavit exanimatum. Sim. Cass. l. 13. hic.

Christus dedit vitam; nè perderet obedientiam. S. Bern. ep. 42.

Frequenter cogitandus est amor ille ex quo altissimus voluit pro nobis obedire usque ad mortem crucis: ut confundamur non obedire, quæ ab ipso nobis injunguntur. S. Laur. Just. de Justitia c. 5.

§. XIII.

Obedientia Sanctorum.

T*Olle filium &c.* Genes. 22. 2. Hebr. *tolle nunc filium tuum unicum tuum, quem dilexisti Isaac*. Sept. *tolle filium tuum, illum dilectum tuum, quem dilexisti, illum Isaac*. Totum se

Deo permisit; & id, quod jubebatur, exequi parabat. Ac ne cum uxore quidem hac de re communicavit, rectè sane, sibique utiliter faciens, qui fœminam non idoneam judicaret, quam in consilium adhiberet. S. Gregor. Nyss. or. de Deitate Filii &c. de obedientia Abrahami.

Ubi est victima holocausti? Gen. 22. 7. Zeno Veron. patefecit, quidà se Dominus postulasset; & quid ipse Domino promisisset, ostendit. Lætatus est puer, patre fideli ipse quoque fidelior: nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat. Sed cur fidelior Isaac patre? magna Abrahami obedientia; Deo tamen præcipienti obedivit: Isaac verò Deum non audivit, sed patrem. Nazera in Jos. 13. §. 12.

Expletis duobus mensibus reversa est ad patrem suum, & fecit ei sicut voverat. Judic. 11. 39. Filia Jephte in ipso ætatis flore, se immaturæ morti consecravit, nè debitam Deo obedientiam præteriret. Victima Deo jam devota liberè abire finitur, & montes sine ulla custodia circumvagari: minùs enim mortem, quàm inobedientiam, timebat. Mendoza in 1. Reg. 3. 9.

Puer autem erat minister in conspectu Domini antè faciem Heli. Reg. 2. 11. idest, ut explicat S. Greg. mor. l. 12. c. 8. erat obediens Deo in homine. Repetit deinde 1. Reg. 3. 1. similia verba, postquàm profecit, & crevit. q. d. non solùm; cùm rudimenta in virtute faceret, obediens erat; sed etiam dum crevit in pietate. Pinna in Eccl. Ethol. 50.

Vas electionis est mihi iste Act. 9. 15. Est? cur non dixit, erit? quia dixit: *Domine quid me vis facere?* Escobar tr. Colloq. Chr. l. 2. obs. 5.

Tremunt potestates, non metu formidinis, cùm sint perfectè beati; sed administrationis affectu, vel obedientiæ famulatu: cùm, secundùm Apostolum, *omnes sint administratorii spiritus*. Innocentius III. P. de Sacro alt. myst. l. 2. c. 61.

Cùm ullum senseris concidisse, scito, nullam aliam potiorem causam intervenisse, quàm, quòd cordi suo credidit, quòd seipsum instituit. Nihil gravius, nihil perniciosius; quàm seipsum regere. Cùm essem adhuc cum cœteris in cœnobio, reponebam semper omnia apud Abbatem Joannem Seniorem; nec aliquando sustinui quidquam facere præter ejus voluntatem. Quòd si aliquando mihi cogitatio, & mens mea respondisset: quid nunc turbare senem pergis? hoc tibi dicturus est, quod ego; iratus in cogitationem hujusmodi meam referebam: anathema tibi! quidquid judicii est tibi, quidquid discretionis est, quidquid prudentiæ, quidquid intelligentiæ: idomne tibi à dæmonibus est. S. Dorotheus de Renunt. Doctr. 5.

§. XIV.

Obedientiæ varia alia motiva.

B*Enedixitque Deus Noe*. Gen. 9. 1. Priùs benedixit, & benefecit; deinde præceptum imposuit leve, ac facile de abstinendo à sanguine, & suffocato. Viam subditis ad obediendum libenter stratam efficit, qui beneficiis antè collatis eos devincit, & ad parcendum excitat. Fernandius hic.

Fratri tuo servies. Gen. 27. 40. Ostendens, quia servitus ei remedio sit; quia stultus regere se non potest: & nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. S. Ambros. l. 2. ep. 7.

Ecce ergo. 1. Reg. 3. 4. Mira obedientiæ promptitudo! Nec intempesta nox, nec suavitas somni, nec jucunditas lecti, puerum potuerunt tenere, quò minùs statim prosiliret ad obediendum; & quidem *non justus*, sed *nominatus*. Mendoza in 1. Reg. 3. 4.

Obedientia est spontanea mors, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, tuta navigatio, confectu dormiendo iter sepulchrum voluntatis. Joan. Clim. gr. 4. de obed.

Obedientia est perfecta abnegatio propriæ animæ, & corporis, mors voluntaria, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, Est, iter facere dormiendo sub onere aliis imposito; & super aliorum ulnas, nè mergaris, natare. Id. ib.

In scolis obedientiæ non docentur exceptionis regulæ; rerum, locorum, temporum, & sociorum: replicationes non audiuntur, propelluntur allegationes, appellationes non admittuntur. Sim. Cass. l. 4. c. 1.

§. XV.

Obedientiæ respiciens sapientiam, & scientiam.

P*Racepitque ei dicens &c.* Gen. 2. 16. Cùm Deus hominem condidisset ingenio perspicuum; mox eum obedientiæ præcepto obstrinxit. Secunda Persona, cui sapientia tribuitur, facta homo obediens usque ad mortem? nè quis putet indecens esse hominem sapientem parere. Pinna Ethol. 50.

Sol contra Gabaon ne movearis. Jos. 10. 12. Vehementer extollitur miraculum stante sole ad imperium hominis: quia ingentis laudis est, sapientia illustres parere aliis Id. ib.

Mens justi meditatur obedientiam. Prov. 15. 28. Glossa, & alii, pro obedientiam, legunt *sapientiam*. Cornelius hic.

Cellum tuum sicut monilia; murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas, argento, Cant. 1. 9. 10. Card. Hailgrinus, auro & obedientiam, & sapientiam, designari putat. Nazera in Jos. 13. §. 12.

Filii sapientiæ Ecclesia justorum; & natio illorum obedientia, & dilectio. Eccl. 3. 1. Bene connectitur sapientia cum obedientia; & illius filii possidere dicuntur: nam, ut S. Aug. in Ps. 118. custodienda obedientia, ut percipiatur sapientia. Tuffo hic Natio, idest, prosapia illorum, putà spiritualis, & mystica, est obedientia, & dilectio, q. d. sapientiæ filii, putà discipuli; & studiosi; præter naturalem, & carnalem, generationem; aliam prosapiam habent supernaturalem, spiritualem, & divinam; putà obedientiæ, & charitatis; ex qua spiritualiter prognati sunt: in his enim duobus consistit vera sapientia practica: S. Augustinus in speculo legat, & nati illorum obedientia, & dilectio. Cornelius hic.

In scientia sua justificabit ipse justus &c. Is. 53. 11. Quæ est scientia ejus, nisi obedientia ejus? *Cùm esset filius Dei*, inquit Apostolus Hebr. 5. 8. *didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam &c.* S. Rupertus hic.

Erat subditus illis. Luc. 2. 51. Christus D. post solemnem illum cum Doctoribus in templo congressum, post evulgatas opes sapientiæ; subditus factus est parentibus. Non ergo sapientes dedecet obedire; quando Christus, æterna Patris sapientia, tum potissimùm Matri se subdidit, cùm sapientiæ specimen ingens præbuerat in medio Doctorum. Oliva l. 13. Strom. Luc. 2. v. 51.

Erat subditus illis. Jesus autem proficiebat. Luc. 2. 52. Via proficiendi obedientia. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 2. Obs. 5.

§. XVI.

Obedientia requirit humilitatem.

Ex Veteri.

N*Unquid mittes fulgura, & ibunt; & reverentia dicent tibi, adsumus*. Job 38. 35. Conjunctæ cum Deo voluntatis homines fulgura illa sunt. Fulgura, & fulmen, ignes, subtilissimi, natura petunt sublime. At, quia Deus deorsum illa mittit, suæ naturæ oblita, incredibili celeritate ad ima ruunt. Drexelius opusc. 11. Heliotrop. l. 2. c. 4. §. 3.

In uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Cant. 4. 9. Oculus fidem, capillus humilitatem designat; quibus potentis Dei filio Virgo maximè complacuit, illumque uno capillo colli sui, licèt fortissimum, & potentissimum, fortiter alligavit. S. Thom. Vill. s. de S. Stephano.

Anima mea liquefacta est. Cant. 5. 6. Gilbertus s. 44. in Cant. magna in liquefactis ad sequendum mobilitas, & prompta voluntas. Intelligitis jam, ut arbitror, in liquefactis ad obediendum aptitudinem grandem, humilis animæ affectum tractabilem.

Ex Novo.

Non fiat ego volo; sed sicut tu. Matth. 26. 39. Hæc est vox veræ humilitatis, quæ semper humanæ voluntati præponit divinam; & in hoc ab humanis in divina dirigitur. Nec hoc solùm; sed etiam alterius hominis, non solùm majoris, veparis; sed etiam inferioris voluntatem suæ proponit. Contrario vox superbiæ est: non sicut tu, sed sicut ego; cujus proprium est, suam præponere voluntatem &c. Richard. à S. Vict. s. in die Paschæ.

Invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum. Luc. 2. 46. S. Ambros. in 1. Corinth. 14. 30. hæc traditio Synagogæ est, ut sedentes disputarent, seniores dignitate in cathedris, sequentes in subsellíis, novissimi in pavimento super mattas. Ad pedes scilicet Magistrorum. Hinc Christus puer, cùm nec ex Doctoribus esset, nec ex aliis inferioribus, pro sua humilitate humi super stoream, seu mattam, sedit; licèt in medio Doctorum sedisse dicatur, *qui sedet super Cherubin*. Bernardus hic t. 1. l. 10. c. 14. D. 1. Epiph.

Descendit cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis. Luc. 2. 15. Descensus est in obedientia: nam, nisi animus ad ima descendat, omnino reluctabit obediens. Hic descensus ab arce mentis fit, ab omni altitudine cordis, ab omni proposito contradictionis, & ab omni reputatione propriæ cognitionis. Usquequo erit descensus? Nazareth est terminus &c. Simon Cass. l. 4. c. 1. v. 51.

Inclinato capite trandidit spiritum. Joan. 19. 30. Caput inclinavit in morte, in expiationem erectionis ad vetita: simulque suasit obedientiam, reverentiam docuit, humilitatem in operibus usquequaque monstravit; cum, omni peracto mysterio, inclinato capite expiravit. S. Bernardinus p. 2. s. 56.

Ex Patribus, & aliis.

Tantò quisque in obedientia fit perfectior, quantò apud se fuerit vilior. S. Laurent. Just. de obed. c. 4.

Humilitatis filiæ sunt, sui ipsius perpetua accusatio, propriæ voluntatis odium, consilii sui, ac sensus, abominatio. S. Dorotheus de renunt. doctr. 1.

Humilitas est maximè obedientis; præcipientis verò fontalis est charitas. Sim. Cass. l. 4. c. 1.

Nulla creaturarum est magis aqua obediens. Quò libuerit homini, ascendit; quò vult, descendit; ducentes sequitur, in canalibus dividitur, aliorsum inflectitur, reflectitur. Doultreman de amore l. 1. c. 1. sect. 8.

§. XVII.

Superbus non obedit.

Eritis sicut dii, scientes bonum, & malum. Gen. 3. 5. Primum Evæ, & Adæ, communiore Patrum sententia, peccatum fuit superbia in eo sita; quòd appetierint scire bonum, & malum: ut scilicet per seipsos, ac virtute ingenii sui, possent in omnibus dirigere seipsos, discurrendo, & eligendo, quod bonum est; atque cavendo, quod malum est, nec indigerent à Deo quidem dirigi: Ex qua superbia mox secuta impatientia, & indignatio animi indignatis, se hoc præcepto constringi; curiositas, gula, infidelitas non credendo minis Dei. Cornelius hìc.

Hac insuper virtute maximè Luciferi, ac Protoplasti peccatum compensamus, quod superbiæ vitium, proprièque voluntatis fuit. Nec Angelorum aliud est opus, nisi Deo obtemperare. S. Basilius Institut. vitæ Religiosor.

Importabile onus est obedientia superbienti, & humili voluntas propria. S. Laurent. Just. tr. de compunct. &c.

Superbus similis argento vivo; quod est tantæ virtutis; ut si super sextarium argenti vivi centum saxa superponas, statim resiliat: sic superbia nihil sibi grave vult sustinere. Geminiani l. 2. c. 35.

§. XVIII.

Obedientia est cœca non discurit.

Num. I.

Exempla.

Egredere de terra tua. Gen. 12. 1. E patria egreditur Abraham Deo jubente; & quò pergere deberet, ignorat. Hebr. *nescions, quò iret.* Nec tamen moras nectit, aut difficultates objicit. S. Gregor. l. 2. in 1. Reg. nescit judicare, qui perfectè didicit obedire. Alvarez in Gen. Illustr. 50. v. 13.

Tolle filium tuum unigenitum &c. Gen. 22. 2. Accipe filium tuum dilectum. Vide, quomodo per verba ista majus incendium succendit; & fornacem amoris, quo justus in Isaac affectus erat, violentiùs excitat: accipe filium &c. Unum quodque verbum per se sufficeret ad sauciandam animam justi. Quid igitur justus? non turbatus est animo, non confusus est mente, non ratiocinabatur secum: Cur hoc? qui paulò antè dixit; in isto vocabitur tibi semen, nunc diversa præcipit. Et quomodo implebuntur, quæ sunt ab eo promissa? Quo pactò enim fieri potest, ut radice exsecta rami pullulent? vel succisa arbore fructus proveniant? Horum nihil cogitabat justus ille: sed, sicut gratus famulus, omissa omni ratione humana, unam tantùm rem curabat, ut imperata opere impleret. Et quasi factus ab humana natura alienus, & postponendum ducens divinis præceptis omnem affectionem, & dilectionem: ad implenda jussa festinavit. S. Chrysost. hom. 47. in Gen.

Ubi est victima holocausti? Gen. 22. 7. Sed curiosum puerum pater refellit ea voce: *Deus providebit sibi victimam.* Quo responso nil ultrà puer disputat. S. Chrys. hom. 3. in 2. Corinth. c. 1. Simulatque audivit *Deum*, nihil postea locutus est; nec ampliùs erat curiosus: adeò sapiens erat puer. Verè magna sapientia, cœcè obedire. Velloso in Judith. 5. Paræn. 18.

Veni, mittam te ad eos. Gen. 37. 13. Quàm promptè Joseph obediens! *præsto sum*: nec fratrum supercilium, nec viæ difficultas, puerum deterret. Alvarez in Gen. hìc Illustr. 50. v. 13.

Et cucurrit ad Heli: & dixit; ecce ego! vocasti enim me. 1. Reg. 3. 5. Magna laus est, non curare sui Prælati facta, sed jussa; nec attendere, quam vitam agat, sed quam personam gerat. Mendoza in 1. Reg. 3. annot. 1. sect. 1.

Vade ad mare, & mitte hamum. Matth. 17. 26. S. Chrysost. hanc Petri obedientiam fidei honorat titulo apud S. Thomam admirare Petri fidem, quoniam rei tam difficili obedivit; ideoque de fide eum remunerans, copulavit eum sibi in tributi datione; quod fuit abundantis honoris Naxera in Jos. 13. §. 12.

Num. II.

Obedientiæ cœcæ motiva.

Ex Veteri.

Aperientur oculi vestri. Gen. 3. 5. Nullum non lapidem movet diabolus, ut religiosam vitam impugnet, & obedientiam, qua nihil sublimius, si minùs abolere, certè imperfectam reddat. Quò enim obedientia minus habet oculorum, eò generosior, & illustrior habetur. Fernandius hìc sect. 10. Homo positus sub præcepto audivit à Domino Deo; noli tangere. Quid? hanc arborem. Quid est enim illa arbor? si bona, quare non tango: si mala, quid facit in paradiso? prorsus ideo est in paradiso, quia bona est; sed nolo tangas. Quare non tango? quia obedientem te volo, non contradicentem servum. Bona est arbor; nolo tangas, quia Dominus sum; & servus es: hæc tota causa est. S. August. conc. 2. in Ps. 70.

Venerunt ad eum etiam, omnes filii Israel; quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in monte Sinai: impletisq; sermonibus posuit velamen super faciem suam. Ex. 34. 32. &c. Scilicet velum appendit, ut oculos populus non aspiceret; sed auris verba captaret. Obedientiæ fors esset imminutio præcipientis fulgor: præceptis namque nec lumen vultus servire, nec dextræ lepra debebat nocere. Dum Dei nomine loqui constat, esset supervacanea leprosæ dexteræ, aut splendoris, discussio; quia solùm requirebatur auditio. Naxera in Jos. 13. §. 12. Adde: obedientiam tunc pleniùs resplendescere, cùm fidei quodammodo sibi mutuatur naturam; utque exoculata præstet obsequium, captivat prorsus judicium. Id. ib.

In auditu auris obedivit mihi. Ps. 17. 45. Perfectè obediens, ubi vox mandantis insonuit, nihil cunctatur, nihil dubitat, aut scrutatur ratione, quare mandatum? sed mox manus mittit ad opus. S. Laur. Justin. l. de ligno vitæ c. 2. sunt multi, qui, post præcipientis imperium, plures faciunt quæstiones; & sæpe ingeminant, unde hoc venerit? quis hoc dederit consilium? Propter quod oritur murmuratio, excusatio simulatio, impossibilitas, advocatio amicorum; contra quos per prophetam loquitur Dominus: *in auditu auris obedivit mihi*: ut ostenderet, uno, eodemque momento, obedientem simplicem, & audisse præcipientis imperium, & obsequium perfecisse. Sylveira in Act. 10. 7.

Lucerna pedibus meis verbum tuum. Ps. 118. 105. Vide, ubi lucerna præfertur; non oculis, sed pedibus: ut oculi solùm videant, quòd pedes ex obedientiæ præscripto diriguntur. Verus obediens pro oculis lucernæ lumen; pro intelligentia, & judicio, solam sibi assumit jubentis vocem. Utinam hæc sancta cœcitas in Adam, & Eva, fuisset! illi, & nos viveremus. Fernandius in Gen. 3. 5. Sect. 10.

Duabus volebant faciem ejus, & duabus volabant. Is. 6. 2. Quòd volant, celeritas est in obediendo: quòd alis oculos obtegunt, cœcitas est obtemperantium; qui nihil omnino vident, nil disquirunt, nil judicant, de re imperata. Velloso in Judith 5. Paræn. 18. Apparente Seraphim, thronum Dei cingunt, paratos se ostendunt jubenti ad parendum: toti enim sunt alati; imò & alas explicant ad volatum. Faciem tamen pennis obvolvunt: ut scilicet sine oculis nec jussa discernant, nec interpretentur; sed jubentis vocem audientes, velut exoculati, ferantur impetu ad volandum. Fernandius in Gen. 3. 5. Sect. 10. Seraphim hi sunt Schema religiosæ, & perfectæ obedientiæ, hæc enim, quasi velatis oculis, cœca præceptum non discutit; est tota alata, promptè exequendo jussa. Cornelius in Is. 6. 2.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Turbati sunt, dicentes, quia phantasma est. Matth. 14. 26. S. Chrysost. hom. 51. in Matth. putaverunt esse phantasma, cùm visu ipsum non cognovissent; partim propter noctis tenebras, partim quia nunquam auditum fuit, hominem super aquas ambulasse. q. d. sæpius viderunt Christum D. alia miracula patrare, dœmonia pellere &c. nec tamen unquam eum phantasma putarunt. Referunt hic Apostoli plerosque subditos: qui, si viderint aliquid præcipi, aut fieri à Prælatis novum, cujus rationem non assequuntur; eum esse phantasma, non verum superiorem, mussitant, reprehendunt; cùm tamen in iis verus Christus præcipiat, & operetur. Pinna in Eccl. 8. Ethol. 104.

Accersi Simonem quemdam-hìc hospitatur apud Simonem quodam curiarium-hìc dicet tibi &c. Act. 10. 5. Vides, ut nihil magnum enuntiet de Petro? non ait, esse petram Ecclesiæ, habere claves regni cœlorum, Dei locum in terris tenere &c. sed planè significat esse idem. *Accersi*, inquit, non accede ut ad principem quendam. Quid Cornelius? sprevit hominem? imò ut Prælatum observavit: *vocavit duos domesticos suos &c.* v. 7. Mendoza in 1. Reg. 3. 9. Annot. 1. Sect. 1. Perfectus obediens commendatione prælati non eget. Id. ib. initio.

Vera obedientia, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet; si, quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire. S. Gregor. l. 1. in 1. Reg. c. 3.

Quemadmodum pueri, cùm primum literas formare discunt; in præceptorem intenti sunt; ad quod calamum accomodarit, libenti, atque obedienti animo notas excipientes: eodem modo, eos quoque, qui ad res divinas perdiscendas se conferunt, earum magistros sequi, atque puerilem simplicitatem, & indubitatum assensum, habere oportet. Isidorus Pelus. ep. 400.

Sapiens nummularius est, imò ipsa sapientia; cui necesse habemus reddere hunc obedientiæ nummum: nec suscipiet eum, nisi & integer inveniatur, & sine aliqua falsitate. Nam, si discutimus, si dijudicamus; & in hoc quidem præcepto non obedimus, sed in illo, factus est nummus: non suscipit eum Christus, à quo nummum tenemur nummi integri debitores. S. Bernardus s. 2. in festo S. Andreæ.

Obedientia est, nunquam sibi; nè in his quidem, quæ videntur optima, usque ad consummationem vitæ credere. Joan. Clim. gr. 4. de obed.

Species contumaciæ est, de modo mandati inquirere, hæsitare, discernere, aut differre. In contractu enim obedientiæ non habet disputatio, aut disceptatio locum. Nam si in discussionem, seu suspicionem, ea, quæ sunt tibi mandata deduxeris; ad lignum scientiæ boni, & mali, manum prævarcationis extendis. Petrus Bles. ep. ad priorem de Monasteriolo.

Quisquis circa obedientiam ambigit, aut distinguit; lignum scientiæ boni, & mali, in suam perniciem gustare præsumit. Id. ep. 109.

§. XIX.

Obedientia est prompta; non excusat, non replicat.

Ex Veteri.

Igitur Abraham de nocte consurgens &c. Gen. 22. 3. Abraham tam celeriter decrevit jussis cœlestibus esse parendum; quàm fuerat divinitùs imperatum. Venerabatur, nè votum mora offenderet, aut jussionem tarditas impediret. Fuit lætus, cùm eum (Isaac) acciperet; lætior, cùm immolandum eum postularet. S. Chrysost. s. de fide Abraham. Non contristat frontem devotissimus Abraham; nec dolor patri lacrymas persuasit; sed exultat, & gaudet. Nec timuit, nè parricidium ei imputaretur; sed magis, ut devotioni pareret: lætabatur hoc jussisse Deum. S. Zeno Veron. s. 1. de Abrah. O qui servum Domini ità se esse meminerat, ut patrem se esse nesciret. Quid est pater? ecce sub oculis jacet filius vinculis astrictus. Ubi sunt lacrymæ? ubi dolor, qui in humanis sensibus versari consuevit? In tantis filii casibus lætatur, & gaudet: & se Dominum promeruisse, triumphat à filio ad agnum transtulit dextram, semper lætatus, & gaudens. Id. ib. Charissimi membra, quæ osculis premere consueverat, armatus gladio jubetur occidere. Idem ibid.

Abraham, Abraham, non extendas manum &c. Gen. 12. 11. 12. Obedientia perfectior, quæ ad Jucunda conctantior, ad aspera celerior. *Tolle filium tuum &c.* non exhorruit præceptum, obsequium gemitibus non fœdavit, sed lætabatur, hoc jussisse Deum. Angelus multiplicat præcepta: *non extendas manum tuam, neque facias illi quidquam.* Si unica præceptio, tolle filium tuum, satis fuit ad sacrificium parandum, quid non sufficiat ad innocentem solvendum? O eximiam obedientiam! semel imperat mactationem, bis inclamat libertatem: ad aspera fræno, ad dulcia calcari egerit. Naxera in Jos. 22. §. 3.

Revertere, & dormi. 1. Regum 3. 5. Samuel singulariter obediens fuit: quia minore vi eguit, ut extraheretur è lecto; quàm ut ad lectum reduceretur. Nam, ut extraheretur, satis fuit nominari Samuel sine præcepto veni. At verò, ut reduceretur, imperio opus fuit, *revertere*: quò enim promptior erat ad laborem, quàm quietem; eò minore vi ad laborem subeundum, quàm ad quietem repetendam, egebat. Optimus Abrahæ imitator: quem ut Deum ad immolandum filium excitaret, etiam dormientem, nullis clamoribus usus est; sed placida voce dixit ad eum: *Abraham, Abraham.* Gen. 22. 1. Ut autem à jugulando filio revocaretur, etiam ad vigilantem *de cœlo clamavit.* v. 11. minus enim calcar ad difficilia, quàm ad facilia præcepta exequenda requierebat. Mendoza in 1. Reg. 3. 6.

Vocans ab Oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ. Is. 46. 11. Oleaster: qua velocitate debeamus exequi mandata Dei nostri, pulchrè hoc locò admonemur. Gentilis erat Cyrus, non audierat unquam, quis esset Deus Israel; & tamen non ad vocem, sed ad aspirationem, velut avis, volat ad eum.

Ex Novo, & aliis.

Ter apparet Angelus S. Josepho, monens eum de rebus gravissimis, semper in somnis. 1. de altissimo Incarnationis mysterio. Matth. 1. 20. *noli timere accipere Mariam.* 2. de fuga in Ægyptum. Math. 2. 13. & 20. de reversione in terram Israel. Cur semper in somnis, & non aliquando in vigilia? S. Paschas. l. 1. in Matth ut commendaretur obedientia Joseph. Nam, licèt jussa omnem humanum captum transcenderent, obedienti tamen sufficiens fuit levis insinuatio, etiam per somnum; ad captivandum intellectum cum diligenti operum executione. Sylveira in Act. 16. 6.

Euntes in Mundum universum prædicate. Marci 16. 15. Nullus Apostolorum orbis plagas noverat; nullus tamen excusat; omnes obediunt voci Christi. Galfridus in allegoriis: in universum Mundum mittit eos, qui vix unam noverant regionem; nec tamen fuit illis dicere: Babylonem non vidi, & locum nescio. Alvarez in Gen. 37. 13. Illustr. 57.

Illa ut audivit, surgit citò, & venit ad eum. Joan. 11. 29. Non quærit à sorore, quid Christus ab illa vellit? sed vocata *surgit citò*, moxque se in viam dat: nec præfatur ad eos, qui solandi causa ad eam venerant, licèt essent honorati viri. Amore vulnerata oblivescitur urbanitatis; & nacta Christi præsentiam, omnia humana, & temporalia, præterit. Sylveira hìc c. 35.

Lazarus *prodiit* è sepulchro *ligatus manus, & pedes.* Joan. 11. 44. Ut promptiùs obediret, nec priùs nodos solvit, nè moram in obediendo faceret. Jonghen pro Sacr. profess. Exh. 30.

Cùm sonitum pulsantis audierint, ad opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus suis quisque prorumpit: ità ut is, qui opus scriptoris exerceat, quàm repertus fuerit inchoasse litteram, finire non audeat. Joan. Cass. de cœnob. Just. l. 4. c. 12. de obed. Monachor.

Motiva.

Ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Gen. 41. 40. Hebr. *omnis populus ad os tuum osculabitur.* id est, oris tui præceptum exosculabitur, & venerabitur, ac libenter obediet. Cornelius hìc.

Vox dilecti mei ecce iste venit saliens in montibus &c. Cant. 2. 8. Cùm audieris voces ejus, præcepta scilicet, & consilia, veni ad obediendum, & exequendum celeriter sine tædio, saliens, ut caprea, & hinnulus: quia nihil Christo gratius, quàm celer, hilarisque obedientia. De Ponte hìc Exh. 4. §. 5.

Factum est verbum Domini in manu Agei. 1. 1. *Onus verbi Domini in manu* Malachiæ 1. 1. *Quæ locutus est in manu* Jeremiæ 37. 2. *Dominus fecit, quod locutus est in manu servi sui* Eliæ 4. Reg. 10. 10. Pensa, vocem Dei exceptam manu prophetica, non aure. Hieronymus in Malach. manum pro operibus accipe; unde in manu Agæi, & in manu Jeremiæ, factus est sermo Domini. Velloso in Judith. 5. Paræn. 18. mora in obediendo fœda.

Sibillabo eis, & congregabo illos; quia redemi eos. Zach. 10. 8. Stephanus Cant. in Allegor. Godelfridi Tilman: quasi solo sibilo opus sit, non prædicationis tuba. Sylveira in Luc. 18. 27. cap. 31.

Neminem per viam salutaveritis. Luc. 10. 4. Quid est, neminem salutatis in via; quia jussit nos festinanter agere injuncta. Et hoc ita dixit: *neminem &c.* tanquam diceret: omnia prætermittatis; dum, quod injunctum est, peragatis. S. August. l. 1. de Apost.

Oves meæ vocem meam audiunt. Joan. 10. 27. Cur Christus D. in suis ovibus non commendat, quòd lac, vel lanam, præbeant? sed quòd vocem ejus audiant, & ipsum sequantur? R. quia maximè in subditis commendatur obedientia. Et *vocem* meam, inquit, audiunt, non voces: quia non egent duabus, ut sæpius illis quidpiam mandetur. Sylveira hìc q. 6.

Cum quali affectu obedire oportet ei, qui nos ad opus mandati cohortatur? eo affecta, quo esuriens parvulus nutrici obtemperat ad ubera invitanti. S. Basilius Reg. de inst. Mon. c. 46. de perf. subject.

§. XX.

Obedientia quibus mediis reddatur facilis:

Nemo meliùs alicui obtemperat, quàm qui ex charitate obsequitur. S. Ambros. in ep. ad Eph. c. 1.

Obedientia permulta diligens unum, quamvis multa perficiat, propter unum, & diversa injuncta reputat unum, & diversos præceptores, quæ Dei sunt, præcipientes, existimat Dominum unum; & omnia reducit in unum præcepta decem, & duo, reducit in unum: quia una est cum uno, ut in æternum fruatur uno. Sim. Cass. l. 4. c. 1.

Ut profiteretur eum Maria &c. Luc. 2. 5. Si in cardines portæ strepentes, dum aperitur, & clauditur, oleum diffuderis, nihil postea audies. Amor divinus in obedientia omnia reddit facilia. Stella hìc.

§. XXI.

Indifferentia ad locum, & officia.

Num. I.

Symbola.

Ego flos campi. Cant. 2. 1. Flos campi modò tegitur, & regibus blanditur; modò premitur, & vel pecudi pro fœno est. Ad omnia, & omnibus floret. Sic Job butyro modò pedes lavat, modò testa excruciat: & sedet in sterquilinio, qui confidebat in solio. Bernardus modò consiliis præest; modò subest monacho. Oliva. l. 4. Strom. §. Ego flos &c.

Seraphim stabant-& volabant. Is. 6. 2. Obedientiam ad omnia promptam professi illi Seraphini; qui ante Dei solium, stabant, & volabant: non illis alis, quas ad capita habebant; ne ad sublimia tantùm anhelare viderentur: neque illis, quæ ad pedes; nè viderentur ad sola infima determinari: sed illis, quas habebant ad mediam cordis sedem. Ad designandum, inquit Lorinus, quòd Angeli semper sunt parati, & divina ascen-

ascendere, & ad inferiora descendere; secundùm Domini voluntatem. Mendoza in 1. Reg. 3. Annot. 2. Sect. 1.

Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur. Ezech. 1. 12. Non vertebant se ad suaves Orientis ardores; non horrebant septentrionis frigora: non cupiebant zephyros occidentis; ab æstibus austri non cavebant. Illa erat commodissima regio, illud acceptissimum solum; in quo prævidebant obsequium Dei, & voluntatem adimplendam. Oliva t. 2. conc. 10.

Aer & lucis fulgore splendidus sit; & tenebrarum interventu niger, & obscurus. Per se enim nec splendidus, nec obscurus est; sed omni figura, omnique colorum specie imbuitur; & ad omnium rerum, quas suscipit, motum se accommodat. S. Gregor. Nyss. l. hexam.

Num. II.

Exempla.

Moyses autem pascebat oves &c. Ex. 3. 1. Moyses, Iram Pharaonis fugiens, pascebat oves. Jam degit in mapalibus, qui auro micans nuper inhabitabat palatium. Gaudet vel pastoritiis laboribus, quia vita fruitur: nam ejus studium erat, ultrices manus frustrare; non temporales vitæ commoditates ambire. Naxera in Jos. 20. §. 11.

Surge, accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Matth. 2. 13. Nihil ità pati cogitur Virgo, ex quo Mater Domini effecta est; quàm solum vertere, nec diu uno in loco consistere. In domuncula Nazareth JESUM concipit, in specu Betlehem parit, offert in templo Jerosolymis; in Ægypto abscondit. Et hic ex Palæstina in Ægyptum abiturus quot calamitatibus implicatur: puer recens natus, Joseph propè senex, Virgo mirè pulchra, viarum multiplicitas, viatici inopia, aeris inclementia, religionis diversitas. Quodque his durius est, Betlehem deserit, ubi jam cœli reperat, regesque adoratores habuerat: & in Ægyptum mittitur, ubi, idololatria regnante, nulla à civibus spes honoris, aut cultus in Deum affulgebat. Adde, hæc omnia summa nocte imperata, & ante auroram impleta. Et tu Religiose, cum in differentia loca desere tibi chara, & opportuna. Oliva l. 12. Strom. §. surge &c.

Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum &c. Apoc. 12. 14. Desertum petit, ubi nullæ deliciæ, nullæ commoditates; imò horridus locus, spinis ac sentibus, squalens. Olim stellis fulgida; nunc in desertorum caligine abdita. Quia ibi anxia, hic quiescit pacatissimè læta: fugiebat serpentinam iram; nec curabat corporis commodum, dum tuendæ vitæ invenerit refugium. Naxera in Jos. 20. §. 11.

V. P. Iosepho Anchietæ Provincialis liberum fecit, quæcumque sedes ejus animo maximè colliberet, eam sibi extremæ senectutis quietem adoptare. Sed ea uti facultate sibi religioni duxit, de quare ad P. Ignatium Tolosam ità scripsit: P. Provincialis optionem mihi dedit, quamcumque vellem mihi sedem eligendi. Non me libertas tanta delectat: est enim sæpe cum cœcitate conjuncta, & periculo à recto tramite aberrandi; cùm, quid sibi maximè conveniat, dispiciat nemo. Vitæ l. 5.

Num. III.

Indifferentia facit lutum.

Quid timidi estis, modicæ fidei? Matth. 8. 26. Cur sic reprehenduntur? Rz. quia ingressi sunt navim ex Christi mandato. Matth. 8. 18. Et ideo erant in fide timidi, & debiles; qui in loco à Deo iis decreto erant, & damnum timebant. Nullibi enim homo securior degit, quàm si ibi consistat, ubi divina manus eum constituit. Jonas in navi naufragium patitur, & in bellua securus est. Navem elegit voluntate propria. c. 1. 3. cete ipsi Deus præparavit. c. 2. 1. Sylveira hic.

Num. IV.

Malè est propriæ electioni.

Vadam, & videbo illum, antequam moriar. Gen. 45. 28. Jacob senior jam effectus sua sponte descendere voluit in Ægyptum, ut filium suum salutaret. Profectus cum magno gaudio, ecce tibi in ipsa via, nescio quo timore perculsus hæret: adeò ut opus fuerit ab ipso Deo animari, & urgeri. Gen. 46. 2. Unde tantus timor? timuit, quòd Deum ante non consulerit, quòd divinum imperium non expectarit; sed propriam secutus voluntatem, quam suspectam habebat, tradiderit se in viam; ac si ità secum loquatur: quò mea me trahit voluntas? juvenis divinæ semper parvi voluntati, senex audeo parere meæ? Absit hoc à me! hinc ultrà non progrediar, nisi progredi à Deo imperetur: præstat filium non videre, quàm Deo non obsequi. Mendoza in 1. Reg. 3. Annot. 2. Sect. 1.

Gyrat per meridiem. Ecclæ. 1. 6. Hoc dicit Ecclesiastes eo sine, ait Pineda, q. d. non contentus sol motu unius hemisphærii diurno, alias etiam cœli appositas plagas tentat, & percurrit. Sed non ideo quidquam majoris quietis, aut felicitatis adeptus ex annuo labore, quàm ex quotidiano: nihil in meridie, aut aquilone, ampliùs inveniens; quàm in Oriente, aut occidente. In quo repræsentatur humani cordis inconstantia? & illam, velut innatam, loca mutandi & novas semper stationes expetendi cupiditatem, ut meliùs habere possit. Sed frustra: locus enim cupiditatem non minuit, nec internas passiones animi eruit; sed potiùs exulcerat. Cornelius hic.

Inventus à quodam lapis quadratus, in cujus parte superiori scriptum: *latus meum doleo; ideo verti volo*. Vertit in omne latus, & eadem verba. Sic non indifferentes scribunt: mitte me huc: nullibi illis bene. Brogmard. sum prædic. Inconstantia.

Num. V.

Periculosa propria electio.

Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere; & salvabor in ea. Gen. 19. 20. 30. Angelus annuit petitis: At ille urbem ingressus, non se tutum putans; nè & illi, quod Sodomæ, eveniret, *ascendit de Segor, & mansit in monte*. v. 30. In quo ostenditur; nos non posse securitatem invenire in eo loco, ubi nos cogitamus; sed in eo, in quem nos Deus per superiores dirigit, & ire præcipit. Diez Obed. mandator Dei. Videmus male cessisse Loth electionem suam, qui jussus montem conscendere, elegit civitatem. Sic ruunt, qui contra Dei verbum proprio suo sensu, bona etiam intentione sese regere præsumunt. Limpoman. apud Baezam t. 2. l. 6. c. 4. §. 1. qui addit: ut securissimus est locus, ad quem me Deus vocat, & trahit justione sua; sic suspecta sint tibi omnia loca, & mænia, ad quæ voluntate tua trahis Deum ipsum. Bene timuit Loth locum illum, quem ipse sibi arbitratu suo elegerat; & prudenter majorem sibi promittit securitatem in monte, ad quem se recipere jussus erat à Deo.

Assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde. Matth. 4. 8. Ut locus esset occasio consentiendi tentationi: sciens, ex mutatione locorum, frequenter mutari affectum. Dionys. Carthus. hic. Angeli, dum in cœlo resident, in quo creati sunt à Deo; in gratia, & sanctitate, se exercent: at verò cùm affectarunt *exaltare solium suum superastra Dei, & sedere in monte testamenti*. Is. 14. 13. in Infernum ceciderunt. Sylveira hic. q. 24.

Num. VI.

Indifferentia varia motiva.

Invenit in ipso anno (sterilitatis) *centuplum*. Gen. 26. 12. Unde patet, hanc totam messem non per sationem non per agrorum fertilitatem; sed per miraculum Dei beneficio obtigisse Isaaco: ut ex uno modico à seminato meteret centum modios. Nota: Isaac, quia Deo jubente. v. 2. mansit in Geraris, hinc ibi à Deo locupletatus est: ità ubicumque quis manserit Dei voluntate; ibi à Deo benedicetur, & prosperabitur. Cornelius hic.

Confide in Deo, & mane in loco tuo. Eccl. 11. 22. Hoc dici potest Religiosis sollicitè procurantibus mutationem. Cornelius in Ecclæ. 10. 4.

Pasce populum tuum in virga tua in medio Carmeli. Michææ 7. 14. Orat Deum Michæas, ut virga sua pastorali, id est, providentia sua paterna, pascat, regatque Judæos. *In medio Carmeli*. q. d. quasi in horrido, & spinoso saltu ità in Babylone constitutos pasce ità securè, & largiter; acsi essent in Carmelo patrio, herbido: fac ut Babylon eis sit Carmelus; sicut fecisti, ut tribus pueris fornax Babylonia esset hortus, imò paradisus. Dan. 3. 50. Cornelius in Michæam hic.

Nihil interest, ubi sitis in Sæculo, qui extra Sæculum estis. Tertull. l. ad M. M.

Quisque vestrum, ubicumque est, se primùm, deinde alios juvare studeat; inducatque in animum: nusquam se meliùs, quàm ubi à Præposito constitutus sit, operam Deo navare posse. Et simul confidite, Deum, ubi tempus fuerit, hanc iis, qui præsunt, mentem daturum; ut eò vos potissimum mittant, ubi vester labor fructuosissimus sit futurus. S. Xaverius l. 3. ep. 5. Societati Goam Cangoxima.

Miscellanea.

Revertere, & dormi, &c. 1. Reg. 3. 6. Suspicatus Heli, Samuelem vocari à Domino, jubet illum ad lectulum redire, & dormire. Quale hoc præceptum ad puerum, qui expectabat se à Deo vocandum? cur non potiùs monet, ut oret, vel aliud virtutis insigne opus faciat? S. Gregor. l. 2. in Reg. c. 3. redire ad somni quietem Samuel finitur; ut profectò nec ea, quæ sunt minima, contemnamus. Baeza t. 3. l. 14. c. 12. §. 3.

Domine, ecce quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Non dicunt cum Regulo. Joan. 4. 49. *Domine descende, priusquam moriatur*; credentes, quòd absens posset sanare. Nec cum Centurione. Matth. 8. 8. *tantùm dic verbo*; sed modum subveniendi Christo committunt, tanquam sapientiori. Ita & nos facere par est; cùm à Superioribus aliquid postulamus: videlicet, ut modum exaudiendi committamus bonitati, & discretioni eorum; nisi fortè ex hoc immineret periculum. Dion. Carth. hic.

Illum optimum dixerim obedientiæ gradum; cum eo animo injunctum opus recipitur, quo & præcipitur. S. Bern. tr. de præcepto, & dispensatione.

Multùm Achates prodest contra venenum, & maximè viperæ: sic etiam vera obedientia contra inflammativum venenum superbiæ hominem forti defensione tuetur. Alb. M. s. de conv. S. Pauli.

§. XXII.

Inobedientia.

Num. I.

Pœna, & damna.

Cumque cognovissent se esse nudos. Gen. 3. 7. Primus homo, postquam obediens esse desiit, nudum se esse cognovit. B. Eucherius s. in deposit. Sanct. Honorati. Simultaque Deo non obtemperaverunt, ac terra, cinisque facti sunt; simul cum beata illa vivendi ratione Virginitatis decus amiserunt; & unà cum Deo semigravit ab eis castitas virginalis, Nam quamdiu à diaboli servitute liberi fuerunt, ac Dominum suum sunt veriti; fuit penes eos virginitas; quæ majori ipsis erat ornamento, quàm sit diadema regibus, aut aurea vestimenta. Postea verò quàm captivi fuerunt, & regiam ipsam exuerunt stolam; tunc unà successit connubium, mortale hoc, ac servile vestimentum. Sanct. Chrysostom. lib. de virginit.

Non audierunt eum - & scatere cœpit vermibus, atque computruit. Ex. 16. 20. Sola est inobedientia author mannæ in vermes degenerantis, & odoris istius graviter spirantis. S. Antiochus Abb. hom. 38.

Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Num. 20. 12. Quia Moyses bis silicem percussit; cùm juberetur solùm loqui ad petram. v. 8. 11. Didac. Nyss. s. 3. Dom. 2. Quad. §. 3.

Nequaquam regnum tuum ultrà consurget. 1. Reg. 13. 14. Cum Sauli inobedienti non alia pœna, quàm privatio regni infligitur? ratio est: qui parere nescit, indignus est imperio. Sic inobedientes in Scriptura sæpe regis nomine privantur. Nam Abigail de Saule locuta. 1. Reg. 25. 29. *Si surrexerit aliquando homo persequens te*. Et 2. Paral. 26. 18. Sacerdos Azarias sic alloquitur Oziam divinæ legis contemptorum: *non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino*. Sanct. Ambros. s. 10. in Psal. 118. 73. ad illa verba: *manus tuæ, Domine, fecerunt me*, locutus de homine, quem Deus rerum omnium constituit, ait: sed ut possit imperare, debet Deo esse subjectus. Mendoza in 1. Reg. 13. 13.

Iratusque est indignatione Dominus contra Oziam: & percussit eum super temeritate. 2. Reg. 6. 7. Dum sustinebat arcam extinctus est Oza ille Dei Levites: non quia, ut videtur, ad speciem contumaci aliquid mente commiserit; sed ipso officio inofficiosus fuit, qui injussa præsumpsit. Salvianus Ep. l. 5. de provid.

Inobedientia est causa mortis: omnes experimur, omnes morimur, propter eam. Sanct. Bernardus serm. 2. de obedientia &c.

Num. II.

Alia motiva inobedientiam vitandi.

Stultè egisti. 1. Reg. 13. 13. Cùm omnia peccata stultitiæ notam mereantur; nullum majori jure, quàm peccatum inobedientiæ: qui enim suo potiùs judicio ducitur, quàm divino; dum prudentiæ laudem meruisse putat, stultitiæ notam gravissimam incurrit. Mendoza hic.

Dederunt in escam meam fel. Psalm. 68. 22. Qui cum murmure obediunt, felle Dominum pascunt: cibus enim Christi est obedientia opere impleta. Unde Joan. 4. 34. *meus cibus est &c.* Potum autem ejus est obedientia cordis, quàm Dominus profectò sitit. Seligitur Christo in escam datur, cùm fit murmuratio oris: acetum quoque ei ministratur in potum, cùm fit murmuratio cordis. Sanct. Bernardin. s. de obed. Evangelica.

Si ea, quæ tibi præcipiuntur, dura sunt; numquid murmurando illa facere poteris meliora? S. Cæsarius hom. 18.

Sicut membra judicantur paralytica, quæ non moventur ad imperium capitis; sic perversus est religiosus subditus, qui non sentit motum, & imperium P. Spiritualis. V. Bonav. dicet. sal. c. 20. de relig.

TITULUS II.

OBSERVATIO.

§. I.

Observa tua, non aliena.

Peccatum meum contra me est semper. Psal. 50. 5. S. Ambros. hìc: sapiens adversum se judicat esse delictum suum, & tamquam hostiles acies ità lapsus culparum suarum, adversantium modo, sibi arbitratur obsistere. Quidquid dictum aut lectum; in se dictum putat. q. d. de alienis peccatis nec minima mihi cura est; propria semper ob oculos versantur. Pinna in Eccl. 1. Ethol. 9. S. Greg. in Psalm. pœnit. hic. Non posui supra dorsum, quod feci; non intueor alios, oblitus mei; non affecto de oculo fratris festucam ejicere, & trabem quæ in oculo meo est, non considerare. Matth. 7. 4. apud Pinnam in Eccl. 6. Ethol. 69.

Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus, Thren. 3. 1.

Domine non sum dignus. Matth. 8. 8. S. Aug. s. 6. de Verb. Dom. dicendo se indignum, præstitit dignum; non ut in ejus parietes, sed ut in ejus cor Christus intraret. Non ait, servus meus non est dignus, vel domus mea: de sua solùm indignitate meminit. O quàm necessaria hæc indoles hujus sæculi hominibus; ut solùm suam, non alienam imbecillitatem respiciant. Sciebat Centurio, quod Christus ingrederetur Publicanorum, Pharisæorum domos; tamen suam domum dicit indignam: nam justus non alienos, sed proprios, defectus considerat. Sicut, & ipse, cùm multò esset præstantior Senioribus Judæorum, eos misit ad Christum; se indignum ad eum veniendi testatur. Luc. 7. 6. Sylveira in Matth. 8. 8.

Numquid ego sum Domine? Matth. 26. 22. Non quærunt, quis est iste Domine? Vident. Christum illius nomen tacere, ideo nolunt scire ultrà, quàm id, quod Magister manifestat: sed quisque pro quiete suæ conscientiæ affectat Domini judicio se immunem pronuntiari. Paulus dicit: *attende tibi*; & non aliis Sylv. hic q. 6.

Custodientes vigiliam noctis super gregem suum. Luc. 2. 8. Non alienum, de quo non requiritur ratio. Hugo Card. hic.

Hic si esset Propheta; sciret utique quia peccatrix est. Luc. 7. 39. Cur Magdalena non fecit similem discursum? hic si esset Propheta, sciret utique, quis, & qualis est iste Pharisæus? Quia convertit oculos ad propria crimina; Pharisæus verò ad aliena: qualis est mulier, quia peccatrix est. Qui oculos conjicit ad propria peccata, in lacrymas solvitur; qui verò in aliena, in detractiones declinat. Sylv. hic q. 20.

Redde rationem villicationis tuæ, Luc. 16. 2. alienæ. Pinna in Eccl. Ethol. 136.

Cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe fragilitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Sanct. Greg. lib. 5. mor. cap. 30.

De nullo queri possum alio, quàm de me: ego mihi irascor; & ego à me pœnas exigam. Seneca de benefic. lib. 15. cap. 15.

§. II.

Observare aliena, non sua; vitiosum est.

Ex Veteri.

Scrutantique omne tentorium &c. Genes. 31. 34. Laban, qui omnia scrutatur, ut deos suos inveniat, detractor est, juxta Rupertum l. de Trin. cap. 46. qui intentis oculis alienam vitam rimatur: cupitque vitia apud alios invenire, quibus ipse scatet. Nam optimam excusationem vitiis suis obtendere putat: si alios, eisdem infectos, compererit. Pinna in Eccl. Ethol. 136.

Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris. 1. Reg. 14. 44. Gravius ille ipse deliquit contra mandatum Dei. 1. Reg. 15. 9. Scrupulosè punire vult transgressionem alienam; in graviori nullum habeas conscientiæ remorsum. Sylv. c. 3. in Matth. 12.

Famem patientur ut canes; & circuibunt civitatem. Psal. 58. 7. Gilbertus s. 5. in Cant. tales sunt multi, qui omnes perscrutantur professiones; & in illis nulla inveniunt, quæ illos trahant; sed multa, quibus ipsis detrahant, calumniantur: quod in aliis distractio sit nimia, in aliis minima. Quod ingenium à diabolo hauftum puto Job 1. 7. *circuivi terram, & perambulavi eam*. Hunc peregrinationem suscepit diabolus; ut, quæ quisque gereret, oculis suis pervideret. Sylv. addit. in Matth. 15. q. 2.

Viri ergo illi curiosius inquirente, invenerunt Danielem orantem

tem &c. Daniel. 6. 11. Ecce populorum Magistri, quas quæstiones instituant, quæ judicia agant. An mercatorum fraudes, & latrocinia? de his nec verbum faciunt; unam solam Danielis orationis traducunt; hanc regi deferunt. Baeza t. 2. lib. 10. cap. 8. §. 1.

Ex Novo.

Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis. Matt. 12. 2. Athanasius hom. de semente: atqui illi, qui esum in Sabbato pro crimine objiciunt, ipsi cædem in Dominum ipso Sabbato moliuntur.

Si licet Sabbatis curare? Matth. 12. 10. Patentissima est malitia Judæorum; quòd insidias, & laqueos parant, Christo, studio beneficentiæ pleno. Hinc enim sese prodit, & infamat, cujusque Zelus; si beneficentiæ opera mordeat. Quàm amari Zeli sermones illi, qui perditissimos Reip. mores, scelera, gaudia vix tangunt; & religiosorum hominum instituta, studia, virtutis opera cavillant. Baeza antè citatus.

Transgrediuntur traditionem seniorum. Matth. 15. 2. Qui talpæ sunt ad propria peccata, linces ad aliena, familiari dæmonum vitio delinquunt. Didac. Nyss. f. 4. Dom. 3. Quadrag. §. 2.

Quid ad nos: tu videris. Matth. 27. 4. Nihil in se miseri agnoscunt mali; in emptorem transmittentes reatum. Baeza t. 2. l. 7. c. 4.

Dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt. Marci 9. 17. Discipulorum impotentiæ succenset homo hic; nil memorans de infidelitate sua. Baeza t. 2. l. 7. c. 4. de puero lunatico.

Gratias tibi ago; quia non sum sicut cæteri hominum &c. Luc. 18. 11. Sic Pharisæus in templo orans, suorum criminum negligens Publicani pectus lustrabat. Oliva tom. 2. Stromat. §. 384. in meditatione mea &c. ubi, ait: emicat in meditatione flamma: sed si meditatio tua sit, hoc est, si tibi attenderis in meditatione, vulneraque tua curaris. *Concaluit cor meum intrà me.* Aliquorum cor, cùm meditatur, nè in confinio qu'dem sui manet, sed cœterorum centrum pervadit, cumque sua negligat vulnera, alienas pustulas scrutatur in alieno, non dico, vultu, qui patet; sed cordi, quod Deus voluit invium esse, & inscrutabili. Idem. Oliva ibidem.

§. III.

Motiva non observandi alios.

Super pectus tuum gradieris, & terram comedes. Gen. 3. 14. Serpens maledictus est inter omnia animantia, & bestias terræ. Et cur præ cæteris maledictus? subdit causam: *super pectus &c.* Eucherius in Catena Lipom: terram comedere omnibus diebus vitæ suæ, tertium tentationis genus figuratur, quod est curiositas: qui enim terram manducat, profunda & tenebrosa, penetrat. Naxera in Jos. 2. §. 17.

Orate Dominum, ut auferat ranas à me. Ex. 8. 3. & 8. Sciniphum ardentes morsus sustinet. Ex. 8. 17. &c. cur clamores non fert ranarum? Rupertus in Ex. cap. 32. ranæ permolestæ fuerunt, ascendentes, & ingredientes domum regis, & cubiculum lecti ejus, & super stratum ejus, & in fumos ejus, & in reliquias ciborum ejus. Odiosum Pharaoni animal, se importunè insinuans, ut omnia videat. Idem ibidem.

Misit Josue duos viros exploratores &c. Jos. 2. 1. Terram ingressi ab indigenis notantur. Aliorum facta curiosè explorans, aliorum oculos sustinebit. Naxera in Jos. 2. §. 16.

Quis est David? & quis est filius Isai? 1. Reg. 25. 10. Quærit Nabal. Nabal Hebr. stultus. David genere erat regio, vir fortis, gigantis fortissimi victor, virtutibus præstans. Nihil horum memorat Nabal; sed fugitivum servum vocat. Barradius tom. 2. lib. 2. cap. moral. 4. virtutis, & mentis, inops sui oblitus de alio quærit, tu quis es? aliorum vitia carpit.

Ipse cœpit egere. Luc. 15. 14. Juxta Sanct. Ambros. lib. 7. in Luc. egere, est curam sui negligere, non habere proprium virtutum alimentum. Talis cupit implere ventrem de siliquis, rodens aliorum famam; cùm pane possit ali filiorum Dei. Pinna in Eccl. l. 11. Ethol. 136.

Quid ad te; tu me sequere. Joan. 21. 22. His verbis nos erudiens; neque dolendum, neque curiosiùs, præter divinam voluntatem; investigandum. Sanct. Chrysostom. hom. 87. in Joan.

§. IV.

Observet, qui potest corrigere.

Unde venis? & quò vadis? Gen. 16. 8. Lyran. non quærit Angelus ex ignorantia; sed ut ex responsione Agar efficaciùs eam corrigat.

Qui sunt hi sermones? Luc. 24. 17. Commune est documentum: quòd in aliorum opera, & sermones, non sit inquirendum. Cur ergo quærit hic Dominus de Discipulorum sermonibus? Qui valet remedium adferre, æquum est, ut inquirat? secus, qui non potest. Sylv. hic.

§. V.

Observa bona in aliis, & non mala.

Symbola.

Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Matth. 6. 28. Considerare debemus lilia, non lolia; agri: hoc est, laudabilia, non vituperabilia opera proximi. Sanct. Bonav. in Psal. 118.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Matth. 13. 45. Sunt multæ falsæ, & imperfectæ margaritæ. S. Chrysol. s. 47. hic, negotiationem loquitur providentem ornamenta virtutum; non incitamenta vitiorum. Baeza t. 3. l. 14. c. 2. §. 16.

Exempla.

Joseph *recordatus est somniorum, quæ aliquando viderat.* Gen. 42. 9. Oleast. Non dicit eum memorem venditionis, aut mortis sibi intentatæ, sed somniorum.

Ergone Jonathas morietur &c. 1. Reg. 14. 45. Sanct. Gregor. lib. 5. cap. 4. in Reg. 14. in Electorum examine non solùm culparum causæ pensandæ sunt, sed etiam merita personarum; quod apertè his verbis ostenditur: quia non ideo Jonathas non moriturus asseritur, quia erat filius regis; sed quia in Israel magnam salutem fecit. Cùm ergo magni viri cadunt, communi judicio tradendi non sunt: quia priora opera promerentur, ut posteriorum gravitas levigetur; ipsa autem culpæ levigatio non acceptatione personarum decernenda est; sed aspectu prioris vitæ. Oliva tom. 3. conc. 20. die Ven. 6. in Quad.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. Matth. 4. 5. Dicitur civitas sancta, quia ibi erat templum, & cultus Dei. Et licèt ab Is. 1. 21. *civitas meretrix* vocetur, tamen postea dicitur. Num. 26. *vocaberis civitas justi, urbs fidelis.* Et Evangelista consideravit Sanctitatem loci; & non peccata illius. Sylv. hic.

Vos autem quem me esse dicitis? Matth. 16. 15. Hieron. Apostoli nequaquam homines, sed dii appellantur. Cùm enim dixisset: *quem dicunt homines esse Filium hominis?* subjecit: *vos autem &c.* Pulchrè interrogat, *quem dicunt homines &c.* quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt! qui verò divinitatem ejus intelligunt, non homines, sed dii appellantur. Ut Christi divinitatem agnoscant, eamque loquantur, hominum exuunt naturam: nam homines ignorant præclara; cùm norint semper obscura. Naxera in Jos. 2. §. 29.

Nudaverunt tectum &c. Marci 2. 4. Proximi virtutes pondera, & amplia: in defectibus cœcuti, & tace. Vide pulchrum charitatis facinus: ægrum ex aperto tecto dimissum Christo præsentant. Sed quanta præsentium molestia? Non poterat tectum nudari tegulis sine metu, & molestia eorum, qui in domo erant; cogebantur enim pulverem, lapillos deciduos, & lignorum particulas excipere. Hanc tamen factam molestiam tacent Evangelistæ, & multi sunt in charitatis opere explicando. Baeza t. 2. l. 9. c. 1.

Et nuntiaverunt dicentes: quia filius ejus viveret. Joan. 4. 51. Cùm frater ægrotat, nemo morbum non indicat, cùm verò revalescit, silent omnes. Utinam, quàm multi sunt, qui ægrum annuntiant, ita & pauci sint, qui sanitati redditum commendent. Si fortè è Clero unus fornicetur; qui clamores excitantur! si plures è Clero jejunent, nemo laudat. Oliva l. 9. Strom. §. Erat quidam regulus.

Vide manus meas &c. Joan. 20. 27. Ob incredulitatem Christus Thomam non abjecit, non amicitia privavit; sed mira pietate secutus est fugientem; suaviter allocutus, pectus aperuit, latus tractandum præbuit. Cur Deus cum pertinaci tantopere se demittit? Habuit rationem præteritorum, quæ bene egerat. Joan. 11. 16. *eamus & nos, ut moriamur cum eo?* Ob unum delictum non sperne, nec expelle, bene meritos; aut de quibus spes emendationis, ut ex Zizaniis fiat triticum. Oliva t. 1. conc. 26. in festo S. Thom.

Quæris, ubi Abel. ubi Enoch, ubi Jesus Nave, ubi Elisæus, peccaverint? Non est necesse nodum in scirpo quærere: utinam possem manifesta reticere peccata. S. Hieron. lib. 2. contra Pelag.

Bona eligamus vitemusque contraria. Non enim propter doctrinam ejus parva suscipienda sunt dogmata; nec propter dogmatum pravitatem, si quos commentarios in Scripturas Sanctas utiles edidit, penitus respuendi sunt. S. Hieron. ep. 26. ad Tranquillinum de libris Origenis. Idem ait de libris Tertulliani.

Memini me dixisse, quàm sublimi aliquando meditatione Monachus quidam Laicus toto intendit spatio vigiliarum. Etenim summò manè apprehensum me in auditorium trahit; & prostratus pedibus; væ mihi, inquit, quia Monachum in vigiliis unum consideravi, in quo triginta virtutes numeravi; quarum nè unam quidem me invenio. Et fortasse nullam ille tantam habebat, quanta hæc ipsa erat, religiosæ æmulationis humilitas. S. Bernardus s. 1. exhortatorio ad Fratres ne altitudine & lassitudine cordis.

Ego nec culpa careo; nec amicos, qui culpa careant, quæro, nec enim nanciscar. Verùm eos, qui plurimas virtutes habent, pauca autem vitia, in amicorum album adscribo. Nam qui ob exiguum vitium, maximam etiam virtutem parvipendunt; nec res humanas considerant; nec Paulo morem gerunt admonenti: *alter alterius onera portate.* Oliva t. 3. c. 24. die S. Thomæ Ap.

§. VI.

Observantes mala, & non bona, in aliis.

Symbola.

Exploratores estis; ut videatis infirmiora terræ, venistis. Gen. 42. 9. Exploratorum hoc est, ut in civitate quapiam, si fortè hiat murus, si non satis firmæ turres, quaque facilis sit in eam aditus, observent. Hoc dic obtrectatoribus: exploratores estis speculatores communium miseriarum estis. Ad quid enim venitis, cùm vitam, moresque aliorum, indagatis? non ut videatis, quæ apud illos præclara: sed ut in firma vituperetis. Did. Nyss. f. 3. D. 4. quadr. §. 2. maledicus semper lynx est ad ea, quæ vituperare cupit, culpa ad ea, quæ laudare.

Percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus. Daniel. 2. 34. non aurum, argentum.

Super lapidem unum septem oculi sunt. Zachar. 3. 9. id est plurimi. Volunt scilicet explorare, quid in gemma sit vitii. Lapillus est perpolitus affabrè. In lapillo vir bonus, ait Hugo. 3. Reg. 1. 20. *in te oculi respiciunt totius Israel.* Velloso in Judith 5. Paræn. 7.

Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Joan. 7. 15. S. Basilius hom. de invidia: muscæ, sanis corporis partibus neglectis, ad ulcera contendunt-vitæ splendorem, recteque factorum pulchritudinem, nec aspiciunt quidem, ad marcida verò mirandum in modum feruntur.

Sol spectatorem, nisi cùm defecit, non habet: nemo observat lunam, nisi laborantem. Seneca l. 7. quæst. c. 1. Oculati sumus ad aliorum defectus, ad virtutes cœci; ad honesta talpæ, ad errata Prophetæ. Naxera in Jos. 2. §. 29.

Exempla.

Introduxit me Rex &c. Cant. 1. 3. Sed eò se oculi alieni ingerunt; ut inspiciant, quid virgo faciat. Neque enim temere illa queritur v. 5. *nolite me considerare, quòd fusca sim.* Nec id Bernardus miratur s. 24. in Cant. cùm ubique pœnè in choro adolescentularum inveniam, quæ acta sponsæ curiosè observent; detrahendi, non imitandi causa. Velloso in Judith Paræn. 7.

Nolite me considerare, quòd fusca sim. Cant. 1. 5. Sed considerate etiam, quia formosa sum: nolite aspicere idololatriæ præcedentis nigredinem; inspicite magis succedentis fidei eximium decorem. S. Thom. Vill. s. 2. de Nat. D.

Vidi Dominum super solium excelsum. Is. 6. 1. *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus.* Isai. 53. 2. Dei gloriam unicus vidit, isque spiritu prophetico illustratus: patibulatum plures, & referentem speciem solùm peccatoris. S. Bernardus s. 1. de verb. Is. audio prophetæ ejusdem, & ejusdem Domini longè dissimilem visionem. Siquidem Isaias ilte est, qui in alio loco sic loquitur: *vidimus eum tamquam leprosum.* Ubi illud primum considerandum est, quòd communis illa; hæc prophetiæ prærogativæ propria videtur. Quidquid obscurat famam, omnes curiosè investigant, & tenaciter recordantur: verùm quòd gloriam auget; aut oscitanter legunt, aut affectanter ignorant, aut studiosè obliviscuntur. Naxera in Jos. 2. §. 29.

Postea esuriit; & accedens tentator. Matth. 4. 2. 3. Notat Hugo Card. nexum verborum. Priùs jejunavit quadraginta diebus, quòd vim divinam ostendit, & quasi ignorans diabolus filet: nec se prodit. Postea esuriit, quod infirmitatis est; & tum caput exerit, garrit, & congreditur. Sic detractor laude digna filet, fragilitatis errores pandit. Pinna in Eccl. 11. Ethol. 136.

Hi novissimi una hora fecerunt. Matth. 20. 12. Solùm attendunt ad vituperium; non recordantur, quòd absque pactione laborem susceperint. Secundò, quòd una bona tantum fecerunt, quantum alii tota die: quòd constanter tota die conductorem in foro expectarint. Obtrectator non semper spectat virtutes, sed defectus. Sylveira hìc q. 15.

Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier. Luc. 7. 39. Non, quod fuit pœnitens, sed quod est, oportet attendere. Peccavit quis, impiorum judicio semper erit peccator. O impia censura! quasi nullam haberet vim pœnitentia peccata abstergendi. de Castillo Illat. 174.

Videns autem Pharisæus. ib. Ecce Pharisæus veraciter apud se superbus, & fallaciter justus, ægrum reprehendit de ægritudine, & medicum de subventione. S. Gregor. hom. 33. in Evang. In malignis oculis nil purum est à detractione liberum: videt tot præclara pœnitentiæ signa; & adhuc peccatricem reputat. Sylveira hìc.

Hic peccatores recipit. Luc. 15. 2. Pharisæus, non quales venerant, sed quales redibant, videre debuit peccatores. Certè Paulum, quem persecutorem miserant, prædicatorem videant mox rediisse. S. Chrysol. 168. Ubi mala sunt, quæ ostendere possint, & bona, quæ demereri; & ibi consideranda bona, mala obliteranda. Did. Nyss. D. 3. Pent. §. 3.

Postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam, &c. Luc. 15. 30. Videt in fratre suo non conversionem, non humilitatem, *sac me sicut unum de mercenariis;* sed tantùm luxuriam, & dissipationem bonorum. Concitatus erat animus odio, & invidia. Sylveira in Matth. 4. q. 30.

Interrogaverunt eum: quis est ille homo, qui dixit, tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 12. Duo paralyticus dixerat: *qui me sanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum &c.* Illi verò non quærunt, quis est ille homo, qui morbum adeò pertinacem depulit; sed, quis est ille homo, qui dixit tibi, *tolle grabatum tuum.* Salutem impertiisse, beneficii gloriam evulgasset lectum sabbato præcipere tollere, ad speciem virtutem minuebat: illa ergo callidè omittunt, quæ gloriosa; illa sollicitè indagant, quæ videbantur obscura. Naxera in Jos. 2. §. 52.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu? Joan. 8. 48. Cur Judæi Jesum vocant Samaritanum? Rupert. l. 9. in Joan. pro eo, quòd ad Samaritanos biduo mansit, & docuit. Joan. 4. 40. ideò Dominum Samaritanum nuncuparunt. Oculos conjicunt Judæi ad loquelam cum Samaritana; ut inde calumnientur: non tamen considerant mirabilem conversionem. Sylveira in Joan. 8. q. 11.

§. VII.

Observa cum malis etiam bona.

Percussit statuam in pedibus ejus. Dan. 2. 34. Lapis testam tangens, & statuam evertens sunt, qui corrigere nesciunt, nec coercere peccantes. Debueras sanè parcere testæ; quàm ferrum, æs, argentum, & aurum, non solùm tolerandam, sed pretiosam, in statua reddebant. Quis enim in tanta metallorum, copia testam rimetur? Sed esto; testam tange, si displicet in statua; sed ita eam frange, ut non totum pariter simulacrum comminuas: reprehende in iracundo furorem; sed non ideò prudentiam, scientiam, eloquentiam, nihili ducas. Parce tot virtutibus, dum uni non parcis vitio tot virtutibus, coronato. - Putandi palmites in vite; viti parce: excutienda à paleis grana; non verò simul ea exure. Oliva l. 9. Strom. Percussit statuam &c.

Si proximum peccantem videris, non hoc solùm ipsius considerabis; sed & quæ fecit, aut facit probè, animadverte; per omnia expendens, & non particularia contrectans. S. Basilius conc. de humilitate.

Vultis scire vim torcularium nostrorum? ut unum dicam, unde & ipsi murmurant, qui ea faciunt: quantæ, inquiunt, rapinæ temporibus nostris? quantæ pressuræ innocentium? quantæ expoliationes rerum alienarum? ita sanè in amurcam attenditis, quia rapiuntur res alienæ: in oleum non attenditis; quia dantur, & propria. S. August. in Psal. 80. explicans titulum pro torcularibus.

TITULUS III.

OBSTINATIO.

§. I.

Symbola, & similitudines.

Num. I.

Comparatur lapidi, petra &c.

Percutiens virga bis silicem. Num. 20. 11. Heu Domine Deus! quàm durum est cor! non ab homine, sed à Deo; non tantùm bis, sed centies, pecussum est; & non emisit unam guttam, unam scilicet compunctionis lacrymam. S. Bonaventura s. 3. post D. Oct. Epiph.

Altare, altare. 3. Reg. 13. 2. Missus Propheta, ut sacrilegum

gum regem converteret; relicto rege, sermonem convertit ad lapides dicens: *altare*. S. Chrysost. Procem. in Is. cum lapide verba facis? etiam: quando rex est, minùs corpus sensuum, quàm lapis. Et audivit lapis; ipse lapis in scissuras diffractus est, victimam effudit: homo ille non exaudivit, apud Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 38. Eadem verba S. Chrysost. hìc procem. priori in Is. apud Escob. Persecut. Chr. t. 2. l. 11. sect. 1, sic referuntur: lapidem alloqueris? sic: quoniam lapide ipso insensibilior rex. Audi altare. Audis? hæc dicit Dominus. Atque illico altare sciissum est lapisque audivit: fractus est lapis, effudit libamen: quomodo non audivit homo?

Cor ejus induratum tanquam lapis; & stringetur quasi malleatoris incus. Job 41. 15. Incus, quantò magis percutitur malleo, tantò magis stringitur, & induratur.

Auferam eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. Ezech. 11. 19. id est, non cor sine sensu, sed cor eum sensu. S. August. contra Faustum c. 4. Et lib. de gratia & libero arbitrio c. 14. quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum; cui, nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari. Et infrà: cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem; & adversus Deum omnino inflexibile est, apud Cornelium hìc.

Montes Israel, audite verbum Domini. Ezech. 36. 1. Quid vis divine vates! Loquere hominibus, non montibus. Ob Judæorum duritiam ad res insensibiles se contulit; ut homines multò illis insensibiliores esse significaret. Diez Concionis auditor.

Contende judicio adversùm montes. Michææ 6. 1. Citantur hìc montes ut rei; eò quod in montibus errecta fuerint, & culta, idola. Licèt enim populus propriè sit reus; tamen, quia is durus, & rebellis, nolebat audire prophetas, & per eos lites, & judicium Domini; hinc citantur montes, in quibus populus peccaverat. q.d. vos ò montes insensibiles magis sensati estis, quàm sensibiles Israelitæ. Vos enim sentitis vocem, & jussum Dei creatoris vestri; eique obeditis, quem illi non sentiunt. Vos ergo cito, ut incolas vestros, qui rei sunt, repræsentetis; ut ipsi per vos audiant, & cognoscant, justam meam litem, actionem, & querelam; seque reos fateantur, pœniteant, & veniam petant. Cornelius hìc.

Dic, ut lapides isti panes fiant. Matth. 4. 3. Dat mihi homo lapides pro pane, & lutum pro siti. Quid est panis, quem desidero, nisi profectus animarum, contritio cordis, - pro his præstat mihi homo lapides per cordis duritiem. Satiat me luto per impœnitentiam, & vanam confidentiam. Propterea bene conqueri possum, quod quasi mater peperi eos cum dolore passionis meæ in lucem; sed ipsi magis volunt esse in tenebris l. 6. revel. S. Brig. c. 19. verba Christi. Famenti in deserto Christo non nisi lapides in cibum offeruntur. Lapis durus est, & frigidus, alimento ineptus. Sic multi hoc tempore, dum eorum Christus esurit salutem, & conversionem; non nisi ei cor rebelle, durum, lapideum, siccum apponunt. O si cor eorum lapideum fiat carneum! Marchantius D. 1. Quadr.

Alia ceciderunt in petrosa. Matth. 13. 5. Per petram designatur cor durum. Haymo hom. in D. Sexag. Petrosa significat duritiam cordis. V. Beda l. 2. hìc.

Tollite lapidem. Joan. 11. 39. Peccator durior lapide. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 33. Lapis superpositus, qui jubetur auferri, duritia est cordis humani; quæ, nisi præcepto Domini auferatur, resuscitari non potest mortuus in peccatis. Sim. Cass. l. 5. c. 15. hìc de resuscit. Lazari.

Num. II.

Obstinatio comparatur somno.

Heli jacebat in loco suo. 1. Reg. 3. 2. Sept. *dormiebat*. Ostenditur ejus negligentia, & remissio animi; qui tam gravibus minis, velut tonitruis, de cœlo territus non vigilavit Mendoza hìc.

Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt, qui ascenderunt equos. Ps. 75. 7. Non minùs difficile videtur, ut is, qui damnatorum pœnas considerat, peccatis inhæreat; quàm si quisquam indomito equo vectus, magno strepitu auribus insonante, placidos nihilo minus somnos capiet. S. August. in Psal. 75. attendat charitas, rem tremendam dico: increpatio strepitum habet, strepitus expergisci homines solet facere. Ecce quo somno dormitavit ille Pharao, qui ascendebat equos: non enim vigilabat in corde; quia de increpatione durum habebat cor: duritia enim cordis obdormitio est. Pinna in Eccl. 1. Ethol. 8.

Dormiebat sopore gravi. Jon. 1. 5. Inter tonitrua, nec tempestas, nec venti validi, eum excitarunt. Imago peccatoris obstinati.

Num. III.

Alia Symbola ex Veteri, & Novo.

Dedit vobis Dominus, oculos videntes, & aures, quæ possunt audire. Deut. 29. 4. Non quasi Hebræi non haberent oculos, aut non vidissent portenta, & beneficia sibi à Deo præstita; sed quòd videntes, & audientes ea, quasi non viderent, & non audirent: quia ea non æstimabant; nec inde ad amorem obedientiam, & laudem Dei assurgebant. Deus ergo non dedit eis aures, cor, & oculos videntes: quia ipsi ea occluserant illuminationi, & gratiæ Dei. Cornelius hìc.

Ipsi fuerunt rebelles lumini. Job 24. 13. Similes quibusdam Æthyopibus, de quibus testatur Plinius, Herodotus; quòd inimici sint solis; quodque ad ortum, & occasum, maledictionibus ipsum impetant: nigris enim his populis nox nigra perplacet. Joan. 3. 19. *lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*. Marchantius D. Pass.

Descendi in hortum nucum. Cant. 6. 10. Nux, vel fractio nucis, symbolum & perfectæ patientiæ illorum, qui animas Christo lucrari, & despondere satagunt: præsertim illas, quæ callum in perfidia, aut vitio aliquo longa peccandi consuetudine obduxere; ut callus hìc suaviter, & sensim referetur. Hortus nucum est anima sancta, patiens, & perfecta; præsertim quæ assiduè laborat in conversione peccatorum durorum: quales sunt Judæi, hæretici, concubinarii &c. Cornelius hìc.

Surdi audiunt. Matth. 11. 5. Finge aliquem, qui nec maximarum campanarum sonum, nec bellicorum tormentorum boatum, nec turbarum clangorem, audire queat: an non ille littore surdior dicendus est? Hoc ipsum de peccatore quovis sentiendum est; cujus tanta surditas est, ut nec terribiles extremi judicii tubas; nec maximarum cœli campanarum strepitum, misericordiæ, inquam, & justitiæ, omnibus horis auribus nostris insonantium; imò nec divinarum quidem comminationum tonitrua, audire queat: adeò, ut peccator ad Dominum jam conversus illud Ps. 37. 14. meritò usurpare possit: *ego tamquam surdus, non audiebam*. Bessens D. 2. Adv.

Ite in castellum, &c. Matth. 21. 2. Castellum, quod contra Dominum, & ejus Discipulos, est animus obstinatus, propriæ deditus voluntati. Duo discipuli ad eum missi sunt spes, & timor. Petrus Dam. serm. in Dom. Palmar. Quod est hoc castellum, nisi cor humanum? quod, priusquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis folia vellitur, mutoque obstinationis clauditur; atque in interiori latitudine sua Babylonica turre erigitur. S. Bernardus in Ast. B V. f. 5.

Quatriduanus est &c. Joann. 11. 39. Latet in Lazari resuscitatione spiritualis suscitatio peccatoris: Lazarus namque quatriduanus, fœtidus, & sepultus, peccatoris typum gerit, non cujusque; sed obstinati, indurati, corrupti: in quo ratio, mens, sensus, synderesis vitio sepulta sunt. Quatriduanus est: quoniam quatuor dies in peccato habet, scilicet consensum, opus, consuetudinem, & contemptum. S. Thom. Vill. f. 6. D. 4 Quadr.

Secundùm duritiam tuam &c. Rom. 2. 5. Cor durum in Scripturis dici videtur, cùm mens humana, velut cera, frigore iniquitatis obstricta, signaculum imaginis divinæ non recipit. Origines l. 2. hìc.

Ecce sto ad ostium. Apoc. 3. 20. Joachim Abb. quasi ostium quoddam apposita est duritia nostra inter Deum & nos; ut videatur nor valere omnipotens ad corda nostra venire, secundùm illud Evangelii: *non potuit ibi* (id est, in Nazareth) *virtutes multas facere, propter incredulitatem eorum*. Nonne Christus ad Discipulos ingressus *januis clausis*. Joan. 20. 19. cur hìc pulsans stat ad ostium? quis ingressum impedit? duritia, & obstinatio humani cordis in malo, sic ostium claudit: ut ad illud Jesus non habeat ostium. *Quæ conventio Christi ad Belial?* 2. Cor. 6. 15. non enim in una sed morari possunt, Deus, & dæmon. Sylveira hìc.

Ex Variis.

Figulus tenero in luto quamvis superinducit figuram, fingit, refingit, format, obliterat: at postquam exsiccatum induruit, quàm reformet, citiùs franget. Nazera in Jos. 22. §. 17.

Medicorum dogma est: post paroxismum febrientem observandum, quomodo corpus se habeat: an extenuetur vel maneat in priore statu. Si enim permaneat, nec extenuetur; crisis est, febrem fore longam, vel lethalem. Ità Hippocrates l. 2. Aphor. 28. Et quid dices de peccatore, cui Deus per Evangelium, per Concionatores, per lectionem librorum, per internum conscientiæ remorsum, febrem immittit; ut cohorrescat ad memoriam futuri judicii: ad hæc tamen nihil extenuari, nihil remittere de malitia, perseverare in pristino statu vitiosæ vitæ; dicesne hunc sanum, aut laborare paroxismo, qui salutem promittat? Joan. Schonleben Disc. 26. D. 24. Pent.

§. II.

§. II.

Obstinati actus, & effectus.

Surgite, egredimini de loco isto - & visus est eis quasi ludens loqui. Gen. 19. 14. Sicque concremati sunt. Instantissimè conabatur Loth duos illos juvenes generos suos secum Sodomis abstrahere. Sed, ut ait glossa: pravæ consuetudinis amor eos ligaverat. O quot hodie pertinaces in orbe peccatores! qui, quia ex tot concionibus non corriguntur, Inferni ignibus comburentur. Diez conc. 2. in Communi MM.

Amovit lapidem, quo puteus claudebatur. Gen. 29. 10. Grex Rachelis non poterat bibere, priusquam Jacob putei lapidem revolveret: sic, nisi Deus de corde tollat obstinationem, flere nequimus. Holofernes aquæ ductus occludit. Judith. 7. 6. Stella de cont. Mundi p. 1. c. 60.

Noluit intelligere, ut bene ageret. Ps. 35. 4. Monemur nec resipiscimus; terremur, nec timemus; cœdimus, & perimus; morimur, & peccamus. Oliva lib. 9. Strom. §. noluit intelligere &c.

Quæsivit derisor sapientiam, & non invenit. Prov. 14. 6. Jansenius q.d. derisor, idest, qui longo tempore non acquievit sapientum salutaribus monitis; sed etiam inveterata malitia obstitit veritati, & sapientiæ; jusso Dei judicio incidens in tribulationes, & angustias; atque ob id quærens sapiens consilium, quo evadat urgentia mala; frequenter non invenit sapientiam sibi bene consulentem; sed suis consiliis finitur semper in pejora prolabi. Cornel. hìc.

Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum. Prov. 17. 10. q.d. vir prudens ob divinas comminationes corde conteritur, & resipiscit: stultus verò nè fame quidem, aut alia clade pulsatus sentit, aut ad frugem se convertit; sed in malitia obstinate persistit. Ratio hujus sententiæ: quòd prudens sequatur ductum rectæ rationis. Itaque si vera ratione ostendas eum errasse; veritati, & rationi, cedet; erratum agnoscet, & corriget. Stultus verò non sequitur ductum rationis; sed phantasiæ, & concupiscentiæ: cui quia mordicus adhæret, hinc ab ea nonnisi multis verberibus avelli potest. Sicut canis os rodens, ab eo non nisi multis plagis avelli se finit. Tales sunt impii, de quibus queritur Jeremias 5. 3. *percussisti eos, & non doluerunt &c.* Cornelius hìc.

Impius, cùm in profundum venerit - contemnit. Prov. 18. 3. peccare, idest, non curat peccare. Vel contemnit se: quia pro quolibet vili dat se; ut avarus pro obolo, luxuriosus pro momentanea voluptate, superbus pro vanissima laude. Vel, contemnit Deum: quia à peccatis absorptus ipsum nec veretur, nec timet. Hugo Card. hìc. Profundum malorum obstinatio est; induratio, desperatio, contumacia rebellio mentis est: in quod profundum cum quispiam venerit; contemnit Deum, contemnit seipsum, contemnit virtutem, contemnit gloriam, contemnit & pœnam; contemnit monitus salutares; contemnit omnem semitam, & compendia, redeundi. Sim. Cass. l. 13. c. 5.

Peccatum, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati: quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. S. Gregor. hom. 11. in Ezech. c. 3.

Ciconiæ, quæ in turribus, & campanariis Ecclesiarum, nidificantes, cùm quotidie audiant pro mortuis pulsari campanas; nec avolant, nec terrentur: quia illas assiduè audiunt. Sic obstinati peccatores, cùm quotidie pro mortuis audiant pulsari campanas, consuetudine illa sonitus timorem amiserunt. Diez. Mors.

§. III.

Obstinatio deploratur.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur &c. Joan. 3. 4. Mirabile imò miserabile! Ninivitæ ad duo verba Jonæ induerunt se cilicio: & tota die verberant aures nostras sacra verba; & tamen non movemur Hugo Card. in Gen. 9. 13.

Estò quosdam aut stulta præsumptio longæ vitæ, aut spes quandoque agendæ pœnitentiæ, consoletur; nonne novum hoc monstri genus est, esse aliquos etiam in morte vitiosos? Salvianus l. 7. de provid. Dei.

Clamavit Dominus in ligno; & hic clamor tam fortis fuit, quòd petras scidit, monumenta aperuit, terram concussit. Attende, quàm duri sunt filii Adam; qui illum non audiunt, quem insensibilia audierunt. S. Bonavent. f. 10.

O quot sunt indurati filii Adam, ut frangi, vel flecti non possint: quia non movet eos prædicatio, nec frangit eos infirmitas, vel tribulatio; nec emollit charitas, vel devotio; imò nec ipsa Christi passio. Idem f. 46.

§. IV.

Obstinatorum exempla.

Adam ubi es? Gen. 3. 9. Acsi diceret: à quanta gloria in quantam ignominiam lapsus es? Interrogat ergo eum, ut quid peccasti? acsi ipsi innueret, ut responderet: dimitte Domine! Et nusquam, parcè auditur; nusquam humilitas, nusquam pœnitentia conspicitur. S. Dorotheus Abb. de renunt. Doctr. 1.

Orate Dominum, ut auferat ranas à me. Ex. 8. 8. Fecit Moyses, quod poscebat; sed non Pharao, quod promiserat. *Videns autem Pharao, quòd data esset requies, ingravavit cor suum*. v. 15. Data requies obstinationem nutriebat, expertum discrimen ulterioris metum non creabat. Plus audaciæ ad nova delicta sumebat Pharao, quia ranas evasit, quàm timoris caperet, quia sustinuit. Data salus stultam genuit fiduciam. Nazera in Jos. 8. §. 13.

Et ecce unus de filiis Israel intravit - ad scortum. Num. 25. 6. Zambri, cùm passim fornicarii trucidarentur, ad Moabitidem ingressus est, gladio Phinees occidendus. Oliva lib. 9. Strom. §. noluit intelligere.

Consideraverunt, & inspexerunt me. Ps. 21. 18. Ut non aliquid transitoriè, aut casualiter fecisse videantur; dicit eos considerasse, & inspexisse; & cor eorum lapideum tot miraculis non fuisse mollitum. Petræ scissæ sunt, terra tremuit, sol amictu se tenebroso, nè tantum scelus videret, abscondit. Et proh dolor! iniquitas in ipsorum oculis defixa in sacrilegio suo mansit immobilis. Cassiodorus hìc.

Super quo percutiam vos ultrà addentes prævaricationem? Is. 1. 5. Deus humano more loquitur instar parentis, aut heri; qui malè moratum filium, aut servum, verberibus castigatum, & non emendatum; quin potiùs contumacem, & induratum, majora scelera committentem; quasi secum deliberans inducitur: quid faciam eum homine isto? castigatione fit insolentior. Sic loquitur Deus Os. 6. 4. *quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Juda?* Sic interpretatur prædicta verba. S. Hieron. Cyrillus, Basil. Chrysost. Procop. Quorum peccata medicinam possunt admittere, eosdem minacibus verbis castigare solitus, *visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum*. Ps. 88. 33. At iis, quorum deplorata est salus, tanquam de resipiscentia dubitet, atque desperet: *quid ultra*, ait, *percutiemini?* Sic legit cit. v. ex Sept. versione. Arcones hìc Disc. 5.

Tunc jubente rege, indutus est Daniel purpura. Dan. 5. 29. Balthasar funestis characteribus consternatus, ubi à Daniele intellexit, sibi imminere excidium, nè unam quidem profudit lacrymam; & tertium à rege proclamari jussit eum, à quo vita ejus fuerat conclamata. Nulli defumus, vel in funere, nisi nobis: curamus alienum honorem, salutem nostram negligimus. Oliva antè citatus.

Ninive erat civitas magna itinere trium dierum; & cœpit Jonas introire - & clamavit &c. Jon. 3. 3. Remigius hìc. Per hos tres dies ambulavit per vicos, & plateas civitatis: & per quadraginta dies, à rege usque ad minimum, rigidam pœnitentiam subierunt. At Judæis Christus D. per tres annos prædicavit; per quadraginta annos dedit eis spatium pœnitendi. Ezech. 4. 6. *diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi*. Et tanta Christi clementia obturati Judæi manserunt. Sylveira in Matth. 12. c. 24. q. 16.

Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Matth. 26. 24. O saxeum Judæ cor, & proditoris mens, adamante, silice, & ferro, impenetrabilior. quem emollire nequiverunt sermones sapientiæ, æternum væ, & maledictionis irrevocabilis sententia. Sed avertit homicida hìc, & omnium sceleratissimus, faciem suam; nè cœlorum videret Dominum. S. Laurent. Just. de triumph. Chr. ag. c. 5. Seris ferreis, interioris domus obstruxit januas, vectibusque firmavit; quatenus ad salutem ejus cunctorum salus aditum non haberet. Id. ib. Sagaciter perpendamus, quanta sit fragilitas, & malitia, mentis humanæ; eò quòd Judas iste miserrimus, auditis tantis Christi sermonibus, & beneficiis ab eò susceptis, etiam in hac cœna, in communione & pedum lotione; tot visis Christi miraculis; & in tam sancta, & electissima societate Apostolorum, tanto tempore conversatus; ad tantam impietatem dilapsus est; nec à concepto scelerato proposito extitit revocatus. Dionys. Carthus. in Luc. 22. O cœcitatem proditoris! qui, cùm ineffabilibus mysteriis communicasset, idem permansit; & divina mensa susceptus in melius commutari voluit. S. Chrys. hom. 36. in Matth. 26.

Cantavimus vobis, & non saltastis; lamentavimus, & non plorastis. Luc. 7. 32. S. Ambros. Sic explicat: eò quòd videantur Judæi nec Psalmis primò, nec Threnis postea propheticis credidisse; psalmis ad prœmia provocati, Threnis ab errore revocati. Non in triumphis, non in excidiis Judæorum secuta correctio est: qui divinæ indulgentiæ muneribus provocati levare mentem, corpus attollere, terrena deserere, cœlestia quærere debuerunt; & injuriis captivitatis attriti deflere peccatorum

catum ; quòd culpa esset author injuriæ . l. 6, in Luc. hìc . Annuntiamus vobis regni cœlestis gaudium, & minimè corda vestra motu quodam alacritatis exultant : prædicamus triste judicium ; & sensus vestri ad pœnitentiam in lacrymas non prorumpunt. S. Ambros. s. 80.

§. V.

Obstinatio quibus motivis vitandæ.

S*Cripta erant in eo lamentationes , & carmen , & væ.* Ezech. 2. 9. Propter triplicem statum justorum , pœnitentiam reproborum , scripta erant in libro , qui Ezechieli datus erit , carmen, lamentationes , & væ : carmen laudantium , lamentationes confitentium ; væ illorum, qui pœnitentiam respuunt; quos expectat æternæ damnationis supplicium . Blesens. lib. de conf. sacram.

Dies iræ - super civitates munitas . Sophon. 1. 15. 16. Quod scelus est , portas occludere , & propugnaculis se tueri ? Sanct. Gregor. p. 3. past. c. 13. quid per civitates munitas exprimitur , nisi suspectæ mentes, & fallaci semper defensione circumdatæ; quæ veritatis ad se jacula , non admittunt . Oliva tom. 1. conc. 14.

Sicut fulgur exit ab Oriente . Matth. 24. 27. Meritò Judicis supremi adventus fulguri comparatur ? ut enim fulgureo igne non tam perduntur mollia , sed magis dura , & resistentia : sic in judicis adventu majori afficietur plaga , qui durior , & obstinatior in peccatis fuerit . Baeza t. 3. l. 15. c. 12. hìc .

Petræ scissæ sunt . Matth. 27. 51. Saxa scissa loquuntur , & suo modo provocant dura corda hominum , ut scindantur ; & recogitent eum , qui talem pro omnibus sustinuit passionem . Sim. Cass. lib. 13. hìc . Terra mota est, & lapides scissi : ut denotetur , quòd lapidea hominum corda per ejus Passionem deberent scindi : & quòd iste Mundus , debet ad bonum Passionis Jesu morientis virtute moveri . S. Bernardinus t. 2. s. 56.

Ex vobis unus diabolus est . Joan. 6. 71. Diabolus Angelus irreconversibilis est ; homo diabolis obstinatus . Et cùm homo usque ad finem per liberum arbitrium mutabilis maneat, diabolus à Christo non vocaretur ; nisi ab ipso in malo proposito immutabilis præsciretur . Sim. Cass. l. 8. c. 31.

Parcite : obsecro fratres , parcite animabus vestris parcite sanguini , qui pro vobis effusus est . Horrendum cavete periculum ; ignem, qui paratus est, declinate . S. Bernardus l. de Conversione ad Clericos .

Nullus lapis est ità durus , nullum ferrum , non quodcunque metallum ; sicut ille homo, qui , dum Patrem piissimum conspicit sanguine cruentatum ; & compassione non scinditur, nec ulla pietate movetur . S. Bonavent. s. 56.

Non sumus Angeli , possumus & peccare ; & subjacemus pœnalitatibus , & in valle miseriæ habitamus . Non sumus dæmones ; possumus enim errata corrigere , & pœnitentiam agere pro erratis . Ab illis Angeli sunt liberi ; in istis sunt dæmones obstinati . Nos , qui inter eos medii positi sumus ; nec liberi, ut Angeli; nec, ut dæmones, obstinati . Sim. Cass. l. 1. c. 20.

Multi volunt misericordiam , reticendo peccati miseriam : & orant misereri ; sed nolunt emendari . Superbia maxima est, petere misericordiam , & in vitiis velle manere . Id. ibid. c. 26.

§. VI.

Obstinatio quibus mediis molliatur.

Q*Ui dat nivem sicut lanam &c.* Ps. 147. 16. Videmus nivem, nebulam, crystallum; bonum est, ut ille spiret , & solvat . Si enim ille non spiraverit , si non ipse duritiem glaciei hujus dissolverit ; *ante faciem frigoris ejus &c.* Cujus ? Dei . Unde est ejus frigus? ecce deserit peccatorem, ecce non vocat ; ecce non aperit sensum , ecce non infundit gratiam ; S. August. in Ps. 147.

Neque tu times Deum &c. Luc. 23. 40. Vide utrimque gratiam ejus (Christi) effulgescentem : creaturam concussit, petras dirupit ; animam latronis petra duriorem , cera molliorem effecit . S. Chrys. hom. in Crucem .

Oculi ejus tanquam flamma ignis . Apoc. 1. 14. S. Antonius Pad. in fragmento sup. Apoc. hìc : idest , respectus gratiæ Christi , tanquam ignis glaciem , idest , cor peccatoris congelatum , dissolvens . Luc. 22. 61. *Respexit Dominus Petrum* ; oculis scilicet misericordiæ , & *flevit amarè* : quia dissoluta fui glacies cordis ejus in lacrymas compunctionis . Sylveira hìc .

Tanta est vis Sacramentorum eorum , quæ diebus istis recoluntur ; ut possint etiam ipsa lapidea scindere corda ; & pectus omne , licet ferreum , emollire sufficiant . Deniq; videbimus usque hodie , ad Passionem Christi , non solùm cœlestia compati ; sed terram moveri ; & petras scindi & in confessione peccatorum aperiri monumenta . S. Bernardus s. in Cœna D. de Sacr. Altaris.

Nullum cor tam lapideum , tam durum , vel obstinatum ; quod Dominus statim, cum voluerit , ad veram pœnitentiam emollire non possit . Richard. à S. Vict. tr. de potest. lign. atque solv. c. 3.

Miscellanea .

Deus indurat corda , non impartiendo malitiam ; sed non impartiendo misericordiam . S. August. ep. 103.

Obdurare per justitiam dicitur Deus ; quando cor reprobi per gratiam non emollit . At homo dicitur tunc obdurare cor suum , quando resistit inspirationibus , & vocibus Dei . S. Gregor. mor. l. 11. c. 5.

Obdurare dicitur Deus hominem , non ejus faciendo duritiam ; sed non auferendo eam, quam sibi ipse nutrivit . S. Isidorus l. 2. c. 5. sentent.

Quid cor durum? ipsum est, quod nec compunctione scinditur , nec pietate mollitur , nec movetur precibus , minis non cadit, flagellis duratur . Ingratum ad beneficia est , ad consilia infidum, ad judicia sævum; inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana; temerarium ad divina ; præteritorum obliviscens , præsentium negligens , futura non prævidens . Et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar; ipsum est , quod nec Deum timet, nec hominem reveretur . S. Bernardus lib. 1. de consid. ad Eugenium c. 2.

Quatuor sunt hominum genera pertinaciter obstinatorum : scilicet tyrannus in retentione dominii , hæreticus in pravitate fidei , assuetus verbis improperii ; & possessor alienæ rei . S. Thom. Aqu. opusc. 37. c. 4. Vide plura . Peccator . Consuetudo .

TITULUS IV.

OCCASIO.

§. I.

Bona non negligenda.

Ex Veteri .

E*O tempore ierat Laban ad tondendas oves - noluitque Jacob confiteri socero suo , quòd fugeret .* Gen. 31. 20. Nactus est Jacob magis opportunum tempus ad fugam : locus enim ille, in quo Laban occupatus erat in tonsione ovium , remotè distabat . Dionys. Carth. apud Sylveira in Matth. 18. c. 13. q. 3.

Festinavit populus , & transiit . Jos. 4. 10. Cum flumen apertum viderent , & occasionem ad trajiciendum ; mox eam arripuerunt . Diez D. 23 Pent. con. 1. Exsiccatus erat Jordanis alveus , commodaque in terram promissionis transeundi dabatur occasio . Itaque *festinavit &c.* Multæ nobis dantur in cœlum promissum transeundi occasiones: festinemus, & transeamus , Barradius D. 20. t. 2. l. 4. c. 14

Elegit sibi quinque limpidissimos lapides . 1. Reg. 17. 40. Abul. q. 29. hìc: accepit lapides , priusquam iret ad bellum : quia fortè postea, quando pugnaret, non reperiret lapides in loco , & interim posset eum percutere hostis : vel fortè non inveniret lapides convenientes sibi in loco: egebat enim durissimis. Didacus Nyss. D. Sept.

In die bona venimus : quodcumque invenerit manus tua , da servis tuis, & filio tuo David . 1. Reg 25. 8. Abul. hìc: voluit petere tunc , & non alias : eò quòd crederet, eum nunc magis esse dispositum ad dandum , quàm aliàs : quia in illa die tondebantur greges, fiebat lætitia magna , & convivia ; & cùm hinc sint homines hilariores, esset magis dispositus ad dandum . Did. Nyss. l. 4. c. 8. Vit. Abr.

Ex Novo .

Ecce leprosus veniens adorabat eum . Matth. 8. 2. S. Chrysost. quasi festinus occurrit ei . Abul. leprosus quasi ex quodam impetu , & cum quadam præparatione veniebat ad Christum : quia timebat, nè intraret urbem, antequam curaret eum : & si introisset semel in illam , non licebat leproso illuc introire ad petendam curationem : ideo mansit paratus in loco suo , per quem Christus descensurus erat, ut occurreret ei . Age tu in negotio animæ, quod ille circa corpus mortale . Did. Nyss. D. Sept. §. 2.

Et ecce mulier Chananæa clamavit dicens ei : miserere mei &c. Matth. 15. 22. Non dimisit illum ulterius transire , quousque allecuta fuit omnia, quæ desiderabat . Stella in Luc. 7.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi . Matth. 20. 20. Advertendum, matrem filiorum Zebedæi accedere ad petendum, cùm de Passione Christi sermo habitus esset , cùm thesauri sanguinis Christi aperiuntur . Quando tu memoraris Passionis Christi, illamque recogitas, & Patri proponis ; tunc pete , quidquid voles . Ut petas à rege beneficia , expectas temporis opportunitatem, cùm lætus est . Lætitia Christo Passio ; mira dat in Passione beneficia . Osorius s. 4. D. 2. Quadrag.

Quid

Quid molesti estis huic mulieri . Matth. 26. 10. Cur Christus reprehensis Discipulis, Mariam laudat? ℟. ex verbis Christi : quia usa occasione , Christo in propria persona benefaciendi . Sylveira hìc q. 11.

Venit hora . Marci 14. 41. quasi dicat Apostolis : non illam prætereamus . Heu quàm multi horam divinis actionibus aptam prætereunt ; & eos incautos apta hora pertransit ; & in omni vita ipsorum non revocaverunt præteritum ; nec illud bonum , quod se ad agendum præbebat in hora dimissum . Affuit hora exercendæ humilitatis , & absque humilitate transire permiserunt : affuit hora , qua parabatur fluvius lacrymarum , peccata delentium ; & absque lacrymis , imò steriliter , illa hora defluxit ; nec reinvenerunt similem actionem . Præstat aliquando hora orandi facilitatem ; & mora horam deduxit in horam ; & illa in aliam : & sic per incuriam tempora multa vacua defluxerunt . Non ergo prætereamus horam nostram , quia nescimus horam divinam : hora nostra est actionis ; dijudicationis est hora divina . Sim. Cass. l. 13. c. 7. hìc .

Et hæc ipsa hora superveniens . Luc. 2. 38. Supervenit hora, qua Christus advenit, cum quo in templo convenit . Supervenit annus, ista debita hora ; quoniam ante illam venisset in cassum , quia scriptum est: *vanum est vobis ante lucem surgere .* Vanum porrò cunctis viventibus factum erat, ante lucem, quæ Christus est, boni aliquid peregisse : post venisse , protinus ignaviæ adscriberetur . Cœpit hora, convenire posse cum Christo ab eo tempore , quo in Mundo incarnatus apparuit & usque ad sæculi terminum perdurabit . Post mortem verò hæc hora finem sortietur ; ut , qui cum Christo in hac hora , in hoc templo , non convenerint ; post mortem convenire nullatenus possint . Et cùm omnes habeant horam ; væ qui perdiderit conveniendo horam cum Christo : qui omnem semper paratus est ad horam, quando ad ipsum redire decernimus . Sim. Cass. l. 2. c. 17. hìc .

Cùm autem sol occidisset . Luc. 4. 40. Cur post solis occasum adducebantur infirmi ad Christum? ℟. Abul. in Matth. q. 8. quia sequenti die manè recessurus erat de urbe Capharnaum . Marci 1. 35. Luc. 4. 42. Usi scilicet occasione . Sylveira hìc q. 8.

Cùm audisset de Jesu . Luc. 7. 3. Mox ut Christus Capharnaum pervenit , & id intellexit Centurio , nuntios ad illum misit, nè fortè discederet . Si Christus prope te transierit , & audieris famam ejus, vocem, & inspirationem ; nè facias moram, sed citò accurre, antequam discedat, mors veniat . Stella hìc .

Et ecce mulier ut cognovit . Luc. 7. 37. Mota ad cœlestis Doctoris verbum, suorum peccatorum mole contrita , liquefacta dulcedine Christi , tracta decore conversationis ; fida in animo, de benignitate ipsius sperans remissionem peccatorum ; incensa igne charitatis illius ; opportunitatem perveniendi studio impigro quærebat . At ubi tempus , & locus , & quæsitus Christus, conveniunt ; quærens invisibiliter tracta , non sono vocis, sed mente vocata venit . Simon. Cass. lib. 8. hìc de Magdalena . Nota deligentiam : *non interposuit moras* ; non reservavit pœnitentiam ad finem vitæ . Cæsar. Arelat. hom. 7. Dec ipsa se reservavit, ut in fine vitæ pœnitentiam ageret ; sed, dum adhuc poterat peccare , sic voluit peccata deserere, ut illam de adulteriis suis non impossibilitas subtraheret, sed voluntas . Sylveira hìc . Avidè arripit occasionem salutis, alibi forsan non habitura . Tertull. l. de pœnit. c. 4. rape occasionem inopinatæ felicitatis . Id. ib.

Occurrerunt ei decem viri leprosi . Luc. 17. 12. Occurrerunt ei ; nè , si transiret Jesus , ipsi remedio privarentur . Utere occasione salutis , quæ à tergo calva est . Sylveira hìc . qu. 3.

Quòd Jesus transiret . Luc. 18. 37. Cœcus oblatam arripuit occasionem : nam *pertransiit benefaciendo .* Act. 10. 38. Escobar t. 5. Prophet. Chr. l. 12. sect. 2. §. 2.

Domine , memento mei . Luc. 23. 42. O quàm benè occasione tam bona uti scivit, petens gratiam eo die , quo sanguinis sui thesauros Christus fudit ; eo die , quo cum divina justitia genus humanum reconciliabatur ; eo die , quo pro reis innoxius immolabatur . Did. Nyss. s. 2. Dom. Palm. de Convers. boni latro . Latro accessit optimo tempore . 2. Cor. 6. 2. *tempore accepto exaudivi te , & in die salutis adjuvi te .* Dum enim omnia tempus habeant , quænam dies salutis ? quod tempus acceptum ? nisi hora illa , in quo tantum sacrificium Patri oblatum est ; quando Christi charitas summè exarsit ; quando gratiæ pretium tam copiosè effundebatur . Osorius s. 2. D. Palm.

Reliquit ergo hydriam suam mulier . Joan. 4. 28. Quare mulier dum tendit in civitatem , hydriam relinquit ? Ratio hujus germana : nè ipsam hydriam priùs domum portans detineretur ad tantum bonum suis concivibus nuntiandum : ne etiam ipsa mora Christus inventus in itinere elaberetur . Sylveira hìc q. 37.

Secundùm tempus . Joan. 5. 4. Descendit Angelus opportuno tempore , quando Deo visum ; non certò aliquo Paschatis , sed hominibus minimè cognito . Et ideò Angelus , aliquando venit interdiu , aliquando nocte , aliquando frequenter in anno , aliàs raro . Euthymius : non semper fiebat miraculum , sed certis temporibus ; hominibus quidem incognitis ; verùm frequenter , ut opinor , in anno : propter hoc siquidem in porticibus deambulabat languentium magna multitudo . Hoc à nobis Dominus maximè exoptat , ut omnibus horis , & momentis , de nostra salute solliciti simus . Sylveira hìc q. 9.

Ante diem festum Paschæ , sciens Jesus , quia venit hora ejus . Joan. 13. 1. Scilicet Passionis, & mortis . Præoccupavit diem Passionis suæ Dominus ; ut pridie faceret , & ordinaret plurima, ad remedium nostrum spectantia ; quæ postridie per tumultuariam captivitatem tractare non posset ; solatium Discipulorum , lotionem pedum , SS. Sacramentum . Ut disceremus, non differre ad dies mortis, quæ viventes, scientes, & prudentes, facere nos convenit . Si enim Christus summa sapientia ; qui omnia derepente, & ex tempore , facere accuratissimè poterat ; ità se tamen ad diem , & horam mortis composuit , acsi antecedente præparatione eguisset ; quanta præmeditatione se comparare homo debet ad horam mortis felicem , quàm tam multa occurrunt facienda , quæ antè fuisse facta oportet . Did. Nyss. D. Septuag. §. 2.

Ecce aqua . Act. 8. 36, S. Hilarius in Ps. 67. Sacramentum Baptismi adeò impatienter postulavit , ut à Diacono ministerium Apostolici officii salutis suæ cupidus exigeret . Arripuit aquæ opportunitatem Eunuchus, cujus erat in via raritas per desertum . Præsentem , & aptam occasionem noluit omittere . Sylveira hìc .

§. II.

Occasionis bonæ non negligendæ alia motiva .

E*Grediamur foras .* Gen. 4. 8. Oleaster : utinam , qui bona agunt, sic opportunum ad hoc tempus quærerent , quemadmodum peccatores . Norunt peccatores suam opportunitatem magis operibus quærere, quàm boni vix ad opera bona curant . Observavit ergo nequam Cain tempus , quo fratrem solum inveniret in agro ; ubi , qui prohiberet , non inveniretur ; neque, qui accusaret , adesset . Did. Nyss. D. 7. Pent. §. 3.

Qui timet Deum, nihil negligit . Ecclæ. 7. 19.

Vidimus enim stellam - & venimus . Matth. 2. 2. Stella est gratia præveniens ; quæ ducit ad perfectionem , & consummationem . Hugo Card. hìc .

Adhuc modicum tempus vobiscum sum . Joan. 7. 33. Dives in misericordia Dominus peccatoribus his promittit , vel modicum tempus : pretiosa enim temporis particula ad conversionem . Pensa illud *adhuc* . Cur illo modico tempore , quo adhuc donaris , ad conversionem non uteris? pro dolor ! *adhuc* illi misericordis Dei addis , *adhuc* impœnitentiæ , & pertinaciæ . *In omnibus his peccaverunt adhuc .* Ps. 77. 32. Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 6. sect. 1. obs. 7.

In novissimo die magno festivitatis stabat Jesus , & clamabat . Joan. 7. 37. Toletus : eos clamore huc valde admonet suæ ; ne opportunitate tanta neglecta pereant . Id. ib. sect. 2.

Præteriens Jesus vidit hominem cæcum . Joan. 9. 1. Magna transiens operatur . Sic cæco , qui erat juxta Jericho , visum restituit præteriens viam . Luc. 18. 37. Sic Petrum , Andream &c. vocat *ambulans juxta mare .* Matth. 4. 18. Sic etiam Matthæum, *cùm transiret .* Matth. 9. 9. Zachæum &c. ut intelligas , præterire Christum D. Si te vocat , ideò continuò accede , nè omnino pertranseat . Est tibi nunc divina inspiratio , audis concionem , vidisti amicum mori : transit Deus ; responde ei : nè tibi contingat , quod sponsæ , quæ continuò sponso aperire noluit . Cant. 5. 6. Cùm postea surrexit , ait : ille *declinaverat , atque transierat .* Osorius s. 4. D. 4. Quadr.

Væ! væ! Civitas illa magna Babylon - quoniam una hora venit judicium tuum . Apoc. 18. 10. Repentinus tibi superveniet interitus , *& poma desiderii animæ tuæ discesserunt à te .* Poma , idest , opportunitas discessit à te . Escobar . tom. 1. mir. Chris. l. 5. obs. 5.

Ædem Horæ perpetuò apertam Romani voluere , illiusque aditum patere omnibus . Alexander ab Alex. lib. 1. cap. 14.

§. III.

Occasio mala vitanda.

Ex Veteri .

E*T nè tangeremus illud .* Gen. 3. 3. Mendacii ab interpretibus solet argui Eva ; quòd non solùm esum , sed etiam tactum ligni , sibi dicat prohibitum ; quod tamen cap. 2. 17. non exprimitur . Ego tamen non video , cur , qui in negotio minùs periculoso , montis tactum prohibuit , hic etiam tactum ligni non vetaret ; licèt id Scriptura non referat . Quòd si , ut est , probabile putas ; meritò Deus vetuit tactum , nè à tactu veniret ad esum . Oleaster hìc : pius Pater præcepit non tangere , licèt scriptum non sit ; nè contingeret edere . Solet Dominus vias ad peccandum , seu initia , præcludere : nè contingat peccare . Rami-

mirez in ep. 1, Apoc. 2. 2. *prodaxit* Dominus in medio paradisi scientiæ boni, & mali. Quare non in extremo? nè, dum frequenter eam arborem in conspectu cernerent, quasi quibusdam irritamentis, & illecebris, illecti in datam legem committerent delictum. Procopius apud Fernandium in Gen. 2. 9.

Ambulavit Henoch cum Deo, & non apparuit. Gen. 5. 24. Sic enim vitabat homines, ut domi se continerent. Philo l. de Abrah. latere ignotus cupiens, non humanæ societatis odio; verùm quia fugiat vitia, quibus vulgus delectatur. Velloso in Judith. Paræn. 12.

Noli respicere post tergum. Gen. 19. 17. Præceptum hoc, in detestatione sceleratæ gentis, & terræ: & ut docerent, talia flagitia in tantum esse detestanda, & fugienda; quòd etiam usque ad primum conspectum visus, vel memoria, non venirent. D. Thom. Aqu. hic.

Judæis, nè idola colerent, etiam fabricare non licebat. Ex. 20. 4. Nè die Sabati coquerent cibos, etiam ignem accendere prohibebantur.

Concidisti saccum meum. Ps. 29. 12. Mendoza in 1. Reg. 3. peccatum comparat cum habitu saccino, aspero, & abjecto, quo peccatores induuntur. Hunc habitum dicit non exutum, sed conscissum: nam habitum, quem nocturno tempore dormiturus exuis, matutino iterum assumis: at vero quem non modo exuis; sed etiam scindis; nunquam ampliùs recipis induendum.

Liberasti me de portis tribulationum; quæ circumdederunt me. Eccl. 51. 4. 5. Hoc est, peccandi occasionem Deus à justo amovit: qui, si portarum captus esset illicò, sanè scelus non evitasset. Oliva lib. 12. Strom. §. Et de portis &c.

Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam. Jer. 51. 6.

Sepiam viam tuam spinis. Os. 2. 6. Deus sepit, & obstruit vias peccatoribus, cùm eos à peccatis, morbis, ærumnis, odiis, persecutionibus, cohibet; vel ipsas occasiones peccatorum tollit; quæ ingens est Dei misericordia; licèt peccatori, suas delicias concupiscenti, ingrata, & exosa. Sic sepit viam libidinosis lue Gallica: avaris, dum merces per naufragium perdunt: ambitiosis, favorem, & gratiam tollendo. Cornelius hic.

Ex Novo.

Tunc Jesus ductus est in desertum. Matth. 4. 1. Lotus in aquis illicò deserta penetravit, dedicans se totum altissimo, subtrahens se à sæculo: non sibi timens, aut cavens, exilens incorruptibilis ab omni, quod maculare hominum mores posset: sed sequentibus præstrinxit vivendi formam: quàm cauta sit conversatio eorum, qui purgationem acceperunt veterum delictorum; in quocumque sit ordinata purgatio. Sim. Cass. l. 1. c. 18.

Qui viderit mulierem ad concupiscendum &c. Matth. 5. 28. S. Chrysost. hom. 17. in Matth. semel quidem, & secundò, & tertiò sic videns, possit portasse animum continere; si verò frequenter id feceris, fornacemque illam spontè succendas; profectò capieris: neque enim extra naturam, aleamque humanam, consistis.

Statim compulit Jesus Discipulos ascendere in naviculam. Matth. 14. 22. Sub noctem puto confectum epulum v. 15. homines in hoc multi, *exceptis mulieribus*. v. 21. Ideò Magister Christus occasionem sustulit tam nequitiæ, quam infamiæ, Cajet. in Marci 7. quibus cavebat à nocturno mulierem confortio. Velloso in Judith 5. Paræn. 12.

Arefacta est continuo ficulnea. Matth. 21. 19. Athanas. q. 58. arefecit peccati operculum, id est, folia ficus. Instrumenta, & occasiones, peccatorum tollit Deus, quibus irascitur: succidit lucos, templa ipsa, in quibus offunditur. Apud Velloso in Judith 2. Paræn. 21.

Si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire. Matth. 24. 26. S. Chrysost. non dixit: ite, & non credite: sed, non exeatis: magna enim fraus propter signa futura est. Apud Did. Nyss. D. 11. Pent. §. 3.

Apprehendens eum de turba seorsum. Marc. 7. 33. Poterat Dominus hunc ægrum in medio populi, qui sequebatur, sanare; sed quòd illum abstraxit, docere voluit: fugiendum à multis illi, qui vult sanus fieri, & salvari à peccatis. Did. Nyss. D. 11. Pent. §. 3. Qui vult sanari à peccatis, debet tumultum Mundi evitare. Hugo Card. hic. Et Sim. Cass. lib. 5. c. 23. providus medendi archiatrus, primò sanandum retrahit à prohibentibus sanitatem.

Nemineм per viam salutaveritis. Luc. 10. 4. S. Ambros. l. 7. in Luc. fortassis quibusdam hoc durum & superbum videatur malevolis præsertim rerum alienarum censoribus; qui arrogantiæ tribuant, quod Discipuli ejus Domini, qui maximam semper præstulit mansuetudinem, humanitatem, humilitatem; nec salute, nec verbo quidem, dignentur obvios. Sed respondet Ambrosius: ideo honesta prohibentur, nè solemnis gratia obrepat officii, & impediat ministerium, cujus mora culpa sit. Si honesta, tanquam honestarum rerum impedimenta interdicuntur; quàm tu speres in rebus inhonestis, & illicitis securitatem? Si bonum inferius quandoque melioris impedimentum, tunc à deterioribus ad bona tuto facere gradum posse putas? Did. Nyss. ib.

Auferte ista hinc. Joan. 2. 16. Tunc ritè curatur malum, quando omnis relabendi in illud occasio prorsus tollitur. Quæres: cur animantes ejecerit à templo? cùm satis fuisse videatur, exturbasse eos, qui illud usuris, & illicitis negotiationibus, profanabat. Respondet Toletus: Prudenter Christus hominibus ejectis, oves eorum, & boves, etiam ejecit; nè redeundi relicta videretur occasio: tunc enim malo subvenitur perfectè, quando etiam mali occasio amputatur. Did. Nyss. f. 2. D. 4. Quadr. §. 3.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 8. Sanitate donatum languidum jubet Dominus, & portare grabatum, & ambulare. Cur? quia, cùm peccatoris gereret imaginem, à loco, ubi ægrotabat, discedere oportebat. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 5. f. 2. obs. 7.

Lazare veni foras. Joan. 11. 43. Extra sepulchrum Lazarus solvitur: in occasionem enim delinquendi constitutus quomodo potest absolutionis beneficio frui? De egresso dicitur: *solvite eum, & sinite abire*. Escob. t. 1. Mir. Chr. l. 10. sect. 3. obs. 6. Ut Lazarum vita donaret, è sepulcro prodire jussit: ut significaret, qui resuscitari verè cupit, non debere remanere in sepulchro, non hærere intrà occasionem; sed procul ab illa discedere. Did. Nyss. de Lacrymis Petri §. 5. *Egressus foras*. Luc. 22. 62. turpiter fallitur Christianus, qui putat, procul abesse posse à peccato, cùm peccandi vicinam habet occasionem. Id. ib.

Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis. Act. 12. 11. Donec in carcere versabatur Petrus, licèt expeditus vinculis esset, non putabat securam, & certam, suam libertatem, sed judificari se putabat; *existimabat se visum videre*. At cùm è carcere procul inde evassisset, tunc dixit: *nunc scio verò*. Illusio, & fraus dæmonis est, si putas te procul à peccato, dum adhuc in carcere occasionis hæres. Cypr. lib. 1. ep. 11. nemo diu tutus est periculo proximus. Did. Nyss. de lacrym. Petri §. 5.

§. IV.

Exempla.

Ex Veteri.

Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates; & non sunt ausi persequi recedentes. Gen. 35. 5. lege locum. Cur fugientem timent? juxta S. Chrysost. hom. 56. in Gen. spiritualia prœlia hoc factum adumbra; in quibus ille formidini est hostibus, qui fugit, qui pavet, qui pericula cautus vitat. Si fugis, dæmonem fugasti. Pinna in Eccl. Ethol. 108.

Percutiens virga bis silicem &c. Num. 20. 11. Moyses ultimò usus est mirabili virga sua apud Cades; ità ut ampliùs eam in ministerium accepisse non legatur in Scriptura, ut advertit S. Cyrillus: cur ità deinceps abstinuit; virga in Cades occasio fuit, ut Moyses delinquens offenderet Deum. Vide deinceps ut prudens cavit à virga; nè iterum ex ea alia peccandi occasio deveniret. Sylveira in Joan. 21. c. 8. q. 9.

Libavit eam Damino. 2. Reg. 23. 16. Eucherius: qui quondam concupiscere alienam conjugem nequaquam timuit; postea etiam, quia aquam concupiisset, expavit. Sic Sancti ex pristinis periculis fiunt cauti; ut quidquid illius speciem refert, fugiant, & metuant. Baeza t. 1. l. 2. c. 10. §. 12.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de virgine. Job 31. 1. Glossa hic: visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.

Si vidi solem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè. Job 31. 26. Hoc faciebat sanctus vir: quia sciebat, pulchritudinem astrorum illorum plurimis vicinis suis fuisse occasionem idololatrandi; dum ipsa ut deos adorabant. Diez occasio mala fugienda.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua. Ps. 118. 101. Lorinus: ab omni via mala, id est, proclivi, & præcipiti. Escob. t. 3. Coll. Chr. p. 2. f. 4. Obs. 7.

Vide, si via iniquitatis in me est. Ps. 138. 24. q. d. precor, ut attendas, non solùm an in me sit iniquitas, quam misericorditer deleas; sed etiam ulla via, id est, dispositio, aut occasio, à me procedens; avertatur. Mendoza in 1. Reg. annot. 8.

Ex Novo, & aliis.

Ubi est, qui natus est rex Judæorum? Matth. 2. 2. Quoniam per stellas deducti in errorem antè fuerant; eam nunc, qua ducebantur, suspectam habent: utque certiores fiant; quærunt, *ubi est &c.* Did. Nyss. f. 4. D. 1. Quadr. §. 2.

Vade in pace. Luc. 7. 50. Magdalena pœnitens non solùm fugit carnis illecebras; sed & alabastrum unguenti frangit, ac Domino litat. Nec enim sufficit ab impudica vita abstrahi, si cultus superfluitate, & deliciis, rursus allicitur ad scandalum. Escobar. t. 3. Coll. Chr. p. 2. f. 4. obs. 7.

Egressus foras Petrus. Luc. 22. 62. Fugit cadendi periculum. S. Leo s. 9. de Pass. apud Escob. t. 3. Coll. Chr. l. 4. sect. 2. obs. 2.

Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum. Luc. 24. 12. Petrus fœminæ non credens - memor lapsus, in quem à muliere impulsus erat. Did. Nyss. f. 4. D. 1. Quadr. §. 2.

§. V.

In occasione lapsi.

Cui respondit mulier. Gen. 3. 2. Oportebat initio colloquium illius non ferre; sed illi soli loqui, propter quem, & in cujus adjutorium producta fuit. Audiant, qui sine discrimine cum omnibus loquuntur. Oportebat, siquidem prudens fuisset, illum omnino aversari, nihilque ultrà illi loqui, neque audire loquentem. S. Chrysost. t. 1. hom. 16. in Gen. hic. Libera nobis relinquitur facultas asserendi, quòd non serpens, præsertim à diabolo corporaliter invadente possessus in paradiso fuerit. Sed mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat; fortè prospectans, qualis extra paradisum Mundus haberetur; & serpens, utpote astutus, dulcedini terræ propriùs, vel ambitiosiùs innititur, locus diabolo datus est, & occasio porrecta, ut tentaret. Rupertus lib. 3. c. 2. in Gen.

Vidit inter spolia pallium coccineum - & concupiscens abstulit. Jos. 7. 21. Abul. hic q. 69. Archan, quando ivit ad urbem Jericho vastandam, & diripiendam; non deliberaverat furari aliquid de anathemate: sed postea casu vidit hæc, & videns concupivit, atque rapuit. Quàm multi domo sua exeunt, non solùm absque omni offendendi Dei cogitatu; verùm etiam cum firmo proposito confitendi, communicandi; aut aliud quidpiam, quod Deo placeat, faciendi: offenduntque per viam laqueum, incidunt in occasionem, & miserè labuntur. Did. Nyss. Phœn. Græc. l. 1. c. 13.

Surge, & comede. 3. Reg. 19. 5. Dormientem Eliam suscitavit Angelus: Quid verò Elias? de somno expergefactus, *comedit, & bibit, & rursum obdormivit*. v. 6. Cur labitur in soporem? nisi quia è loco non expeditur. Amabat suam juniperum, ab illius umbra discedere nolebat. Quid Angelus? iterum suscitat dormientem. Sed Elias evigilans, & exiliens è loco, nunquam ampliùs dicitur eumdem somnum repetiisse: immò potiùs *ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb*. v. 8. Ità se habuit filia Archi-Synagogi, quam Christus resuscitavit. Marci 5. 42. *Surrexit puella, & ambulabat*. Cur non potiùs in eodem lecto, quo mortua fuerat, quiescebat? quia anima non solùm debet peccata deserere; sed etiam peccandi occasiones. Mendoza in 1. Reg. 13. sect. 2.

Excelsa quoque - polluit rex. 4. Reg. 23. 13. Ex his arguit Abul. 2. Reg. 7. q. 13. Si Salomon verè pœnituisset de peccatis suis, delevisset omnia templa, & altaria, quæ fecerat in terra Jerusalem; tamen ipse non destruxit illa; sed manserunt usque ad regem Josiam: ergo non pœnituit. Majorem sic probat: nam non pœnitet aliquem verè, cùm permanet in peccato: nec aliquis verè pœnitet de fornicatione, dum tenet concubinam in domo: sic etiam nullus de idololatria dolet, dum non destruxit altaria, quæ ædificavit idolis. Nam quem seriò sui sceleris tædet, is omnem relabendi in illud occasionem succidit. S. Chrysol. s. 116. vocat malas occasiones, fumantes occasiones. Post extinctum in domo, quo conflagrabat, ignem, si trabes etiamnum fumant, non satis credis omnem prorsus extinctum ignem. Sic quorum animæ igne culpæ arserunt, extinxerunt illud incendium igne pœnitentiæ, relicta domi occasione. Fuitne hic benè extinctus ignis? non sanè: nonne vides densum ab occasione assurgere fumum? illa sopitos iterum suscitabit ignes. Did. Nyss. f. 2. D. 4. Quad. §. 3.

Funes circumplexi sunt me. Ps. 118. 61. Revera funes, per quos attracti, & complexi sunt peccatores, plerumque sunt peccandi occasiones; quæ dicuntur peccati dispositiones. S. Bonavent. hic.

Erat in civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Verbum hoc addit Evangelista; ut adderet causam, ob quam hæc mulier in tantam miseriam devenerit; quòd in civitate habitaret; ubi multæ peccatorum occasiones se offerunt. Ideo Jer. 51. 6. *fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam*. Diez conc. 1. in festo S. Magd.

Erat autem Parasceve. Joan. 19. 14. Occasio fecit occisores. Matth. 26. 15. *quid vultis mihi dare &c.* Euthym. quamquam ità statuerunt, non tamen expectaverunt; sed invento proditore occasionem rapuerunt. Did. Nyss. Vit. Abr. lib. 7. cap. 5.

§. VI.

In occasione pronum est labi, prodigium non labi.

Venerunt duo Angeli &c. Gen. 19. 1. &c. Origenes hom. 9. in Gen. Loth in Sodomis habitabat; alia ejus bona gesta non legimus. Sed nonne legimus ejus hospitalitatem Gen. 19. 2. dicere vult Origenes: quòd Loth in medio peccatorum illæsus permanserit à mala occasione innoxius, tam verum prodigium fuit; ut alia ejus facinora, licèt præclara, omnia hoc unum obscuret. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 7. c. 5.

Vadam, & videbo visionem hanc magnam. 3. 3. Visiones vidit Isaias, Ezechiel, Daniel, Abraham, Jacob. At invenies, nulli earum concessum nomen *magnæ*; tametsi valde reconditæ, & admirabiles fuerint. Cur ergo sola Moysis visio dici meruit magna? *Videbat, quòd rubus arderet, & non comburetur*. Did. Nyss. l. 1. Phæn. Gr. c. 13.

Faciam mirabilem in die illa terram Gessem, in qua est populus meus: ut non sint ibi muscæ. Ex. 8. 22. Gessem, est *propinquitas*, inquit Glossa interl. Terra enim Gesem vicina erat, & finitima illi, in qua barbarus rex degebat! Quòd verò tota Ægyptus infecta fuit muscis; & tam contagiosæ pestis nihil redundavit in terram Gessem proximè vicinam; hoc tale erat, ut meritò diceret Dominus: *faciam mirabilem &c.* Id. ib.

Ter naufragium feci; nocte, & die in profundo maris fui. Cor. 11. 25. Quærit S. Remigius, quid factum, quòd toties naufragavit Paulus? Respond. qui sæpissimè navigio utebatur, non est mirum, si toties naufragium passus sit. Carolus V. teste Joan. Kochier l. 1. cap. 1. de mari dicebat ò malum hospitium! ò malum hospitium mare! Idem ego occasionibus malis affirmo. Quid mirum, quòd multæ animæ naufragentur? cùm toties malo hospitio se committant. Did. Nyss. f. 2. D. 4. Quadr. §. 3.

Occasio peccati vix non ipsum peccatum. Ægro pomum vetat medicus; ille tamen pomum manu tractare, & olfacere non desistit; ad os adhibet, & comedit: quod satis Evæ fuit; ut se perderet, & Mundum. Da hydropico, ut saltem labia aqua refrigeret; certè, licèt juratus spondeat, se non hausturum vel guttam, tandem bibet. Alvarez in Gen. 39. Illustr. 93.

§. VII.

Occasionem vitandi varia motiva.

Vidit mulierem se lavantem. 2. Reg. 11. 2. S. Chrysost. in Psalm. 50. Audiant curiosi, qui alienas formas contemplantur: audiant, qui insano spectaculorum studio tenentur; qui dicunt, spectemus quidem, sed sine detrimento. Quid audio? David læsus est, & tu non læderis? ille læsus cit, & ego tuæ virtuti confidere queo? is, qui tantam Spiritus S. gratiam habebat, spiculum excepit; & tu sauciari te negas? Nec tantùm respicis, sed etiam audis improba verba, & meretricias, atque obscænas, cautiones, omnique ex parte feritur mens tua; per aspectum nempe, per ea, quæ vides: per aures; per ea, quæ audis. Num tu saxeus es? homo es, communis naturæ; imbecillitati obnoxius. Aude negare, quòd fœnum uratur. Pinna Ethol. 108.

Agnoscamus præcipitia, nec appropinquemus. Hæc maximæ securitatis vobis erit occasio; non tantùm peccata fugere, verùm & quæ videntur media quidem esse; ad peccata verò nos supplantant: quale est, videre, & jocosa dicere verba; non manifestum quidem peccatum esse videtur, sed in manifestum crimen inducit. Nempe sæpiùs ex risu turpia nascuntur verba; à turpibus verbis actiones turpiores. S. Chrys. hom. 15. ad pop. Antioch.

Perfectè renuntiat vitio, qui occasionem evitat in perpetrando peccato. S. Isidorus l. 2. sent. c. 32.

Fuge personam suspectam, locum idoneum tempus aptum, & quidquid est opportunum ad faciendum peccatum: quia sicut est difficile, in igne esse, & non ardere; ità difficile, habere opportunitatem peccandi, & non peccare. Innocentius P. in Ps. 37. 6.

Non habet locum tentatio animam attingendi, nisi tanquam escam quandam, hanc mundanam occupationem pravo hamo avidioribus porrigeret. Sævum, & infestum ex tempestate, atque procellis, sæpenumero mare est; at non procul ab eo remotis. Vim absumptricem habet ignis, sed subjectæ materiæ. Dirum, & atrox, bellum est, sed solis iis, qui prælii participes sunt. S. Gregor. Nyss. de orat. Dom. or. 5.

Veræ compunctionis indicium opportunitatis fuga subtractio occasionis. S. Bernardus s. 1. in die Paschæ, circa finem.

In silice ignis latet, & tamen sine chalybis ictu non comburit digitos, nec extrà egreditur: imò etiamsi percutiatur, & scintillas emittat; sine fomite, aut alia esca, non incenditur rogus, quò domus comburatur. Fateor, in quodlibet corpore humano, tanquam in silice, ignem concupiscentiæ latere; tamen sine tentatione non exeunt scintillæ; nec domus,

mus, idest, animâ comburitur; immò nihil proficit, si desit occasionis esca. Diez Occasio mala.

§. VIII.

Occasionem temerè adiens labitur.

Ex Scriptura.

INsidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Ps. 9. 9. Expectat te, non quærit: discerpet accedentem, devoravit inventum. Quasi leo est scelus, sed in spelunca sua; extrà est lepus. Oliva t. 2. Strom. §. tunc reliquit eum diabolus. Matth. 4. 11.

Qui fodit foveam, incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Ecclæ 10. 8. Hæc pœna justo Dei judicio irrogatur in audaces; qui spontè in pericula incurrunt. Proh temerarium hominem! quid ligonem sumis? quid terram effodis? quid voraginem aperis? Ergo si præceps ruas in barathrum, tibi imputetur. Quid tibi cum sæpè? quid vallum subruis? quid parietes demoliris? an nescis, fieri posse, ut intus lateat serpens? Fernandius in Gen. 2. 9. Sect. 4.

Cor durum habebit malè in novissimo; & qui amat periculum, in illo peribit. Eccl. 3. 27. Ne quis ad cordis duritiam in peccatis perveniat, dat consilium; ut peccatorum occasiones, & pericula, fugiantur. Octavian. Tuffo hic.

Quis miserebitur incantatori à serpente percusso? Eccli. 12. 13. Qui casu incidit in aliquod malum, dignus est compassione: at qui sæpiùs monitus, tamen resipiscere noluit, indignus illa. Magnus Salisburgensis, teste Deltio t. 2. disquis. mag. qu. 13. cùm vi incantationis multos serpentes in unam foveam coegisset; tandem abingenti uno, annoso prosiliente necatus est. Huic, inquit Ecclesiasticus, nemo miserebitur, quia cum serpentibus agit: amasti periculum, quid mirum, si in eo periisti. Id. hic.

Orate, nè intretis in tentationem. Luc. 22. 40. Tentatio flammæ comparatur. Eccli. 51. 6. *à pressura flammæ, quæ circumdedit me*. Ut doceat: non nocere tentationem, nisi iis, qui se conjecerunt in eam. Urit fornax, si te in eam projicias: si in eam injiciaris, solatium habebis, & roris & luminis. Id tibi testantur pueri tres roscidi in fornace. Injecti fuerunt; non se immisere. Dan. 3. 21. l. 13. Strom. hic.

Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret. 1. Pet. 5. 8. Dices: dœmon leo est, quis non pavebit? sed heus tu: leo iste non legitur irruere in caulas, deinde oves lacerare; *sed circuit quærens &c.* Ergo si ovis se intrà septum teneat; tuta erit. Nè foras exeat, nè jugulum offerat, nè leonem in se inviter. Rugit leo, circuit, quærit; hoc tantùm potest: non vi comprehendit; sed fortè invenit; imò accipit se ultrò offerentem. Fernandius in Gen. 3. Sect. 12.

Exempla.

Vidit igitur mulier, & tulit. Gen. 3. 6. Eva coram angue stetit infracta; pomo abstinuit, quamdiu alloquio tantùm Sathanæ fructus colorabatur: obtruserat enim se serpens mulieri; non illa ad serpentem accesserat. Tum cecidit, cùm in arborem conjectis oculis manus extendit. Oliva Dom. 1. Quadr.

Capitur Sampson; sed in sinu dormit insidiantis. Jud. 16. 19. Oliva l. 12. Strom, §. Quoniam tu Percussisti. Ps. 3. 8.

Viditque mulierem &c. 2. Reg. 11. 2. *Egressus est vir spurius de castris &c.* 1. Reg. 17. 4. Felix sucta, in qua hostem non quærimus, sed obvium habemus. Vel gigantem inermis, & pene puer David dejecit; non tam suo robore, sed hostis temeritate. Exibat enim monstrum è castris, & Israel provocabat; & ideo sola funda prostratus, qui refugientibus prœlium occurrebat. At qui gigantem vicit inermis, à fœmina victus est post victorias, nimirum ibi discrimen illi advenerat; hic ipse ad discrimen accessit. Et nè putes, hic casum, ibi triumphum, partum esse, quòd durius sit luctari cum fœmina, quàm gigante: recordare Davidis regressum à pugna. Obvios habuit choros puellarum blandientium sibi, suumque illi triumphum laudantium. Et tamen adolescens victor, triumphator, ex fœminis ornatissimis, seque unum miscentibus, & amantibus, nullam redamavit, nullam concupivit. At ætate grandævus, curis distentus, virtute robustior; solitarius ambulans in solario, vix mulierem unam vidit, & corruit. Itane? qui virginum phalanges salientes inter tympana, & plausus, nè, respexit quidem; uxorem militis videt, nè quidem se videntem & macatur. Nimirum ibi fœminæ occurrerant, hic ipse occurrit fœminæ: Ibi discrimen incurrit & elisit; hic accessit, & periit. Non despera de triumpho, si te impudicitia conveniat; noli triumpho confidere, si tu impudicitiam accersas. Oliva t. 2. Strom. §. Tunc reliquit eum diabolus.

Petrus autem sequebatur eum usque in atrium principis Sacerdotum. Matth. 26. 58. Incidit in mulierem &c. fragilitas casus erat. Judas non incidit in occasionem, sed ipse ad principes ivit, scelestum sanxii pactum. Ambros. de negat. Petri: flevit, quare flevit? quia culpa irrepsit ei - doluit, & flevit, quia erravit ut homo. Naxera in Jos. 16. §. 12.

Qui etiam despoliaverunt eum. Luc. 10. 30. Illud *etiam* vox est, copulativa, quæ præcessisse designat sævitiam, cùm tamen barbaries suum initium fecerit à denudatione. Nisi fortè ærumna gravissima æstimatur, immo calamitatum omnium origo, incurrisse in sicarios. Vix enim effugies, si in peccandi occasionem incideris. Oliva l. 13. Strom. Luc. 10. 30.

§. IX.

In occasione Deus servat incolumes, qui non temerè se ingerunt.

RElisto in manu ejus pallio, fugit, & egressus est foras. Gen. 39. 12. Juvenis pulcher, captivus, servus Joseph evasit dominæ suæ blanditias, & minas. Quantum discrimen! juvenem esse; & à fœmina tentari: servum esse; & rogari à domina: voluptatem offerri; & mortem eligi: pallium dimittere; & compedes incurrere! Secura fuit de victoria castitas, quæ libidinis congressum non quæsierat, at offenderat. Oliva t. 2. Strom. §. Matth. 4. tunc reliquit eum diabolus &c.

Catulus leonis - occurrit ei. Judic. 14. 5. Sampsoni occurrens leo non vitam abstulit, sed triumphum, & delicias peperit. Et tu eris Sampsoni occurrens, sed illud tibi. Id. ib.

Præoccupaverunt me laquei mortis. Ps. 17. 6. Quid inde? *in tribulatione mea invocavi Dominum*. v. 7. Si laquei præoccupant, nihil timendum. Omnia timenda, & væ nobis, si eos præoccupemus. Oliva l. 12. Strom. §. quoniam tu percussisti omnes &c.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me. Ps. 31. 7. Si te hostis circumvenit, habes, à quo juvere: diripiere; si hostem provoces, aut irrites. Id. Dom. 1. Quadr.

Deus refugium nostrum, & virtus. Ps. 45. 2. S. Basilius hic: & refugium, & virtutem, rectè dixit; ut ostenderet, quòd aliquando fugiendo, aliquando stando, & pugnando, vincimus. Refugium est Deus fugientibus periculum; virtus in occasione fortuitæ, non quæsita, pugnantibus. Pinna Ethol. 108. Ubi cernitur mirabilis ordo. Deus nimirum suis Fidelibus primò refugium est, deinde virtus. Primò fugientes, ac timentes, recipit, & fovet; deinde pugnantes tuetur, & adjuvat. Præterea, quod hic advertit S. Chrysost. fugientes, & resistentes, stantesque, vincimus; duoque nobis expetuntur: scilicet & declinare, & contendere. Ità ille. Perpende quoque ultima verba Davidis: Deus enim certum, & abundans nobis suum pollicetur auxilium; non quidem in quocumque tribulationum genere constitutis; sed in iis, *quæ nos invenerunt*: non autem in iis, quas nos ipsi ultrò quærimus, & invenimus; & in quas scientes, & volentes, animus: ubi tamen sufficiens nunquam deest. Fernandius in Gen. 2. 9.

Non illi exusti sunt, qui in fornacem conjecti; illi perierc; qui ultrò eam accessere. Dan. 3. 48. 49. Oliva t. 2. Strom. §. tunc reliquit eum &c.

Tunc reliquit eum diabolus. Matth. 4. 11. Vicit Christus; sed in eremo: ut discas timendos non esse adversarii conatus, & dolos; si ad nos ille accesserit: metuendos verò, si ad eum nos stolidè accedamus. Et *accedens tentator* &c. quia accessit, etiam recessit. Oliva t. 2. Strom. §. eodem. hic.

Scriptum est enim: quia Angelis suis &c. Matth. 4. 6. S. Bernardus s. 14. in Ps. 90. quid malignè Angelis mandavit Deus? nempè quod in Psalmo sequitur: *ut custodiant in omnibus viis tuis*; numquid in præcipitiis? Qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere se deorsum? non est via hæc, sed ruina, & si via; tua est, non illius. Sic Deus, & Angeli custodiunt nos in viis; & occasionibus, quas evitare non possumus; aut boni causa opus habemus adire non item, in quibus periculis nos ultro versamur. Barradius t. 2. l. 2. c. 1. hic D. 1. Quadr.

T I T U L U S V.

O C U L I.

§. I.

Laudes.

OCuli tui columbarum. Cant. 1. 14. Quoties sponsam laudat, dum ad particularia membra laudanda descendit, semper ab oculorum laude incipit. De Ponte hic Exh. 11.

Carcer est totum corpus tenebroso inhorrescens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo sol, & luna, in cœlo; hoc sunt oculi in homine. S. Ambros. hexam. l. 6. c. 9.

Quid mirum, si vultus hominis absque oculis deformis est; quando ipsum cœlum sine sole non habet suum decorem. Tristes sine sole dies ducimus; noctes sine luna non placent: ipsi enim sunt quidam Mundi oculi. S. Ambros. l. de Noè & arca c. 7.

Quod sol in Mundo, hoc oculus in corpore. S. Basil. Seleuc. or. in duos Evang. cœcos.

Quod

Quod mens in animo est, id oculus in corpore. Philo lib. de Mundi opif.

Quæcumque in nobis sunt, divinæ sunt sapientiæ indicium: multò magis oculus, qui totum corpus gubernat, ac regit oculus ornat non os tantùm, sed totum corpus. Oculus lucerna est omnium membrorum: quod enim sol Mundo, hoc, oculus corpori. S. Chrys. hom. 55. in Joan.

§. II.

Oculus periculosum membrum.

VIdit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum. Gen. 3. 6. Validior ad proculcandam legem spe potiundæ divinitatis, alloquioque serpentis, conjectus oculorum fuit: quo donec mulier abstinuit, jejunavit; quo ubi abusa est, capta est. Oliva l. 1. Strom. §. qui viderit mulierem &c. Summè cavendum est, quid homo in corde revolvat: quia omne malum intrat per sensus, & cogitatus: unde ille est janitor diaboli, scilicet oculus, & malus cogitatus; qui introducit bestias Inferni, quæ animas vastant. S. Tho. Aqu. in Gen. c. 3. Ego certè, qui jam senex sum, anus faciem rugis exaratam, ac lippientem, oculorum fluminibus madidam, securus intueor, libenter attendo: à virginibus autem, & fucatis, fit oculos, tanquam pueros ab igne, custodio. B. Petr. Dam. de se l. 7. ep. 18. Sanctus Cardinalis, licèt flagellis assiduis carnem domuerit, & jejuniis? adhuc tamen formosa intueri veretur; & sibi timet ab oculis. Alvarez in Gen. 39. Illustr. 93.

Azyma comedetis septem diebus; & non apparebit apud te aliquid fermentatum. Ex. 13. 7. Cur prohibetur fermentati conspectus? Tanta est connexio inter oculorum visum, & mandati transgressionem; ut idem ferè reputetur. Sylveira in Matth. 6. c. 16.

Vidi inter spolia pallium coccineum &c. Jos. 7. 21. Qua ratione, in tanto fragore cladis, & Arcæ triumpho, potuit latam legem iniquissimè violare? num aliorum provocatus exemplo ad rapinam? nemo quid simile ausus? oculis irritata rapacitas nulli coerceri repagulis potuit. Oliva l. 1. Strom. §. qui viderit mulierem &c.

Ipsi nobis nostri oculi retia sunt: & ideò scriptum est; neque capiaris oculis tuis. S. Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 14.

Resisto seductionibus oculorum, nè implicentur pedes mei. S. August. l. 10. Conf. c. 14.

Oculos esse naturales quosdam animi cuniculos, ait Salvian. l. 3. de Provid.

Velantur oculi ejus contra peccatum, quod in visu commisit Eva. S. Bernardinus t. 2. s. 56.

B. Jordanus II. Gener. Ord. Prædic. cùm ex gravi infirmitate visum unius oculi perdidisset; convocatis fratribus in Capitulum dixit. Fratres, agite Deo gratias: quia ego jam unum perdidi inimicum. Boll. 13. Febr.

§. III.

Oculi illices sunt Veneris.

Ex Veteri.

VIdentes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ. Gen. 6. 2. Norat Noè immissum per oculos virus nullis jam pharmacis medicari posse: & fore, ut tam diu liberet fornicari, quàm diu liceret & vivere. Oliva l. 1. Strom. Quod si oculus tuus.

Quam cùm vidisset Sichem adamavit eam, & rapuit. Gen. 34. 2.

Injecit domina sua oculos in Joseph. Gen. 38. 7. Legati concupiscentiæ oculi sunt, & in amore duces, imò non solùm profanus amor, sed etiam sacer, oculorum fructus, & partus est. Alvarez in Gen. 39. Illustr. 93.

Descendit ergo Sampson in Thaminata, videnſque ibi mulierem - dixit ad patrem suum: hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Judic. 14. 1. 3. Parentes nuptias improbant: hìc virginem ideò solùm deperit, quòd oculos pellexit. Accipite mihi eam uxorem. Cur? an dives? an summo loco nata? an pudica? *oculis meis placuit*. Ergo Nazaræum id movet, quod pardum alliceret? potest optari alienigena, & hostis; si oculis blandiatur. Ut oculos libido occupaverit, cur non potest non dedi. Non ursit parentes, non minatus est; solùm dixit, *placuit oculis meis*. Conclamata res est: oculis laboranti nulla parari medicina potuit. Extrudes Venerem, si per aures irrepsit; pellis, si venit per munera: si vidisti, periisti. Arcem sibi struxit in oculis libido, unde dejici nullis machinis valeat. Oliva lib. 5. Strom. §. descendit ergo Sampson &c.

Vidit (David) *mulierem se lavantem*. 2. Reg. 11. 2.

Sicut regulus venena diffundet. Prov. 23. 32. Meminit basilisci, seu reguli, qui visu venenum diffundit. Ut intelligas, à visu damna carnis diffundi; & ideò ait: nè intueris vinum; id est, nè impudicè oculos conjicias in voluptuosa carnis. De Ponte in Cant. 1. Exh. 13. §. 3.

Docete filias vestras lamentum - quia ascendit mors per fenestras nostras. Jerem. 9. 20. 21. Per sensus in cor tuum libido prorupit; noli comparare malagma, sed rogum exstrue. Nulla jam superest abducendi spes vulneris, sed effodiendum sepulchrum. Oliva l. 1. Strom. Quod si occulus tuus &c.

Species decepit te. Dan. 13. 56. Non alloquio æstuavere senes, sed aspectu. Et tamen Judices erant, leges volvebant, stipabantur lictoribus, & pœnas peccantibus infligebant. Sed tantum terroris apparatum oculi derisere, Vide ergo, nè videas: nam, si videris, nec muneris amplitudo, nec matronæ pudor, nec flagitii dedecus, nec caries ætatis, nec securis impendens, abstrerere te poterunt à flagitio. Utinam Sampson paulò maturius caligasset; nec pudore caruisset, nec libertate. Sed cœcitate sanctior, fortiorque, quando lilium reparare non poterat, rosas saltem suo inserit sepulchro hostium sanguine purpuratas. Oliva l. 1. Strom. §. qui viderit mulierem &c.

Ex Novo, & Patribus.

Qui viderit mulierem - jam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 5. 28. Hinc intelligere planè possumus, quàm castos nos esse Salvator jusserit; qui etiam licentiam visionis abscidit. - quàm pura est pupilla oculi, tam pura est Christiani hominis vita. Salvianus lib. 3. de gubernat. Dei. apud Sylveiram in Matth. 6.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Matth. 5. 29. Nihil poterat edici à Domino severius contra oculorum petulantiam. Jusserat non irasci. v. 22. non dicere raca v. 22. non tamen excindi fel jussit, aut linguam. At ubi videre mulieres vetuit; tum licentiam mysticè sæviendi in oculum, & manum, & pedes; dedit. Vide autem, quàm nobis magis ab oculis, quàm corde caverit: nam cùm mœchia & in mente concrescat; non tamen refigendum cor esse dixit, si urgeamur in preces; sed eruendum oculum, & projiciendum. Et planè actum de castitate est, ubi non in corde fervere libido, sed manare ex oculis, cœpit. Cor enim ardere, naturæ vitiatæ vectigal est; facem oculis ebibere, qua incendare, non corruptionis nostræ appendix est; sed audacia, & protervia voluntatis. Quis enim vel invitus non titillatur interdum? quis, nisi volens, venenum oculis hausit? Oliva lib. 1. Strom. §. quòd si oculus tuus &c.

Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. S. August. ep. 109.

Aperuit (David) in vano oculos, & suscepit ictum sagittæ. Audiant curiosi, qui pulchritudines alienas considerant. Sanct. Chrys. in Ps. 50. apud Cornelium in 2. Reg. 11. 2.

T I T U L U S IV.

O F F I C I U M.

§. I.

Alieno te non immisce in genere.

FAc tibi arcam. Genes. 6. 14. Operis sui mercede accepta non curaverunt, utrùm eam Noè sapienter, an verò inaniter fabricaret. S. August. 9. 5. in Gen. de fabricatoribus arcæ.

Terra in æternum stat. Ecclæ. 1. 4. Unde ei tanta firmitas? Quærit Chrysost. qui fiat, quod terra, peccatoribus nihil tale meritis, non secus ac probis, alimenta ministret? Respondet in Matth. quia terra ministrare jussa est, non judicare. Terræ imperatum est. Gen. 1. 11. *germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum*. Itaque dum hoc agit, quod jussa est, & officio suo fungitur, omnibus ministrat; firma manet, & in æternum stat. Idem dic de stabili cursu, & luce solis; quæ alicubi apud Cornelium vocatur ex Hebr. *minister*, qui oritur super bonos, & malos; minister est, quod agit; judex non vult esse. Did. Nyss. D. 7. Pent. §. 2.

Audivi vocem viri inter Ulai, & clamavit, & ait: Gabriel fac intelligere istam visionem. Dan. 8. 16. Vir ille, qui clamavit ad Gabriel, erat Michael. Ità S. Th. Lyran. Bened. Pereira. Sed cur Michael cùm esset princeps Synagogæ, non explicat Danieli illam visionem? cur clamat ad Gabrielem, ut hoc præstet? Gabriel constitutus erat, ut Danielem immediatè instrueret, eique mysteria explicaret. Et ità ipse Gabriel dixit, observat Theodoretus: dixit Daniel. 10. 14. *veni autem, ut docerem te, quæ ventura sunt*. At esse in adjutorium, ad Michaelem spectabat: *& ecce Michael unus de principibus primis, venit in adjutorium meum*. ib. 13.

Duc in altum. Luc. 5. 4. Cur hoc soli Petro dicitur? & non tantùm illi, sed etiam sociis, mandatur, *laxate retia vestra*. ib. Rc. ministrorum quisque stet in ordine suo. Petrus erat navis gubernator; ad ipsum spectabat eam ducere, & dirigere: ideo ei dicitur, *duc in altum*. Alii verò erant socii, & coadjutores, & ideo eis mandatur; ut suum in laxandis retibus obsequium præstent. Sylveira in Luc. 5. q. 11.

Nesciens quid diceret. Luc. 9. 33. Ex piscatore factus tabernaculorum fabricator, dum Servatorem his compellat verbis: *faciemus tria tabernacula*, S. Proclus s. de transfig. Petrus in piscatoris officio se exercuerat; nunc ædificatorum arti se ingerit, Sylveira in Matth. 17, c. 8,

Pater Sancte; serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Joan. 17. 11. Toletus annot. 9. in c. 17, Joan. aliud in hac similitudine etiam insinuare videtur: ut quemadmodum unitas Trinitatis non confundit ordinem; sed unus est Pater, alius Filius, alius Spiritus S. Filius à Patre, Spiritus S. ab utroque, Pater à neutro, procedit: ità hæc unio charitatis non confundit ordinem Ecclesiæ. Non enim omnes Pastores, omnes Prælati; sed unus est Pastor, alius ovis; unus propheta, alius auditor: sunt enim gradus. Apud Did. Nyss. D. 7. Pent. §. 2.

Et cùm discessisset Angelus. Act. 10. 7. Cur Angelus non explicat Cornelio, quid ei faciendum? R. licèt Angeli summè delectentur, dum cum hominibus agunt de eorum salute; manent tamen intrà sphæram muneris sibi commissi. Destinatus fuit hic Angelus, non ut Cornelium doceret; sed moneret, Petrum vocare. Sylveira hìc.

Si quis vobis evangelizaverit, præter id, quod accepistis, anathema sit. Galat. 1. 8. sed quomodo Paulus audet Angelos anathemate ferire? Angeli ordinati sunt à Deo in ministerium: & dum suum locum relinquunt, & cathedras ascendunt, in maledictionem incurrere possunt. S. Proclus de recta fide: ministrare præceptum est Angelis, non dogma componere; & periculosum nimis est singulis, non in his, quibus ordinati sunt, permanere. Sylveira in Matth. 4. q. 24.

§. II.

Sæculares non immisceant se rebus Ecclesiasticis, & vicissim.

Fecitque Deus duo luminaria magna. Gen. 1. 16. Ailredus: *luminare majus* Sacerdotium, ut præsit diei, id est spiritualibus: *luminare minus Regnum*; ut præsit nocti, idest, Sæcularibus. Contra naturam proinde est; si sol nocti, si luna præsit diei; si princeps ad spiritualia se ingerat; si Sacerdos Sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet. Apud del Castillo Illat. 230.

Et vocaverunt Philisthiim Sacerdotes &c. 1. Reg. 6. 2. Nota: has circa arcam quæstiones fuisse Sacras, & ad religionem pertinentes, adeoque non nisi ad sacrum tribunal deferendas: ideoque Philisthiim, cùm eas superiori capite ad *Satrapas* Sæculares Judices detulerint, graviter errarunt; & à Deo permissum, ut pessimum ab iis consilium acceperint. Nunc prudenter in commodum suum agunt. Mendoza in 1. Reg. 6. 2.

Vide nemini dixeris. Matth. 8. 4. Euseb. hom. in D. 3. Epiph. præcepit ei, ut nemini dicat: prædicare namque, & Dei miracula populis narrare, Sacerdotum est. Leprosus verò, etsi mundus sit, Sacerdos tamen fieri non debet: quoniam illi ad hoc officium eliguntur, ut Apostolus ait, qui sine crimine sunt. Apud Sylveira hic q. 10.

Non est tui officii Ozia &c. 2. Paral. 26. 18. Ait Azaria Sacerdos volenti sacrificare.

Quando miserunt Judæi Sacerdotes. Joan. 1. 19. Cur potiùs hanc legationem mittunt Judæi, quàm Pilatus, & Herodes? R. Hi Judæi, ut vult Baronius, erant ex magno Concilio Sanedrin, ubi negotia tractabantur. Cùm autem adventus Messiæ maximè ad fidem, & religionem spectaret; ideò Pontifices, ac Senes, ex magno Consilio decernunt; ut hæc interrogatio fiat ad Joannem. Pilatus, & Herodes, rebus tantùm sæcularibus intenti. Docemur, ut quisque in suo stet ordine: Ecclesiastici de divinis rebus sint solliciti; & in his Principes Sæculares se non immisceant. Sylveira in Joan. 1. qu. 2.

Mitte gladium tuum in vaginam. Joan. 18. 11. ut vidit Christus, quòd Petrus Sacerdos militem indueret, regemque Pontifex agere inciperet; recondere gladium jussit: quia in illius domo quisque suo fungi officio; & Pontifex, quæ sunt Pontificis; rex, quæ regis, quæ militis, miles; quæ Sacerdotis sunt, Sacerdos agere debet. Anselmus in Matth. 26. datur materialis gladius carnalibus, spiritualis autem ministris spiritualibus. Sed sicut non convenit regibus, quod ad stolam pertinet; sic nec Episcopus, quæ regis sunt, exercere debet: quod quia Petrus quodammodo exercuit, à Domino increpari meruit. Did. Nyss. D. 20. Pent.

Chabanus Comes Ludovici XI. Francorum regis copiis præfectus, cùm haud procul Parisiis abesset; missus lustrandi exercitus gratia, à rege est Joannes Ballus Episcopus Eboracensis. Chabanus haud multò post à rege postulat, ut sibi Eboras transeundi facultatem concedat. Quid verò, inquit rex, tibi negotii ibidem? Sacerdotes lustrabo, ait, ut emendanda corrigant: nam si Castra Sacerdotibus, militibus Ecclesiæ committendæ erunt. Mesenius l. 3. argut. vena 1.

§. III.

Officio tuo graviter intende.

Ex Veteri.

Apparuit ei Dominus in convalle &c. Gen. 18. 1. Cur Abrahæ, qui tam sæpè orabat in montibus, & campis, non apparuere Angeli? sed sedenti ad ostium tabernaculi? Zachariæ visus est Angelus. Luc. 1. 11. in templo, Significat, nihil in patrefamilias æquè mirandum, quàm si domui suæ præsit; ut in Sacerdote plus nihil probatur, quàm si adsit domui Domini; suæ domus non immemor. Sacerdos, si procul sit à domo sua, ab Angelo recreatur; ab Angelis verò invisitur Patriarcha, si sit in ostio domus suæ. Oliva l. 10. Strom. §. apparuit ei &c.

Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Gen. 32. 26. Hanc luctam Jacob exponit Oseas de ejus oratione. c. 12. 4. *flevit, & rogavit eum*. Sed cur præcipit Angelus, ut ab oratione cesset? & ei finem imponat? Jacob amplam habebat familiam. Ut Deum teneat, sat est, noctis silentio orare; at verò de die rei familiari incumbendum. Interlin. hic *dimitte me &c.* q. d. tempus est, ut ab invisibilibus ad temporalia tractanda descendat. Sylveira in Luc. 2. c. 10.

Cùmque minasset gregem ad interiora deserti - apparuitque ei Dominus. Ex. 3. 1. 2. *Cumque Gedeon - excutiebat, atque purgaret frumenta, in torculari - apparuit ei Angelus*. Judic. 6. 11. 12. 3. Reg. 19. 19. *Elias reperit Elisæum* arantem, & tunc eum vocavit ad prophetandum. Ità & tres fratres Matth. 4. 18. Christus ad Apostolatum vocavit, cùm propriis officiis occuparentur. O quantum in Deo servitio proficeremus; si in eo nos tantùm occuparemus, quod muneri nostro convenit; & ad nos non pertinentia negligeremus. Diez Conc. 3. in festo S. Andreæ.

Locuta est Maria, & Aaron, contra Moysen &c. Num. 12. 1. Illa punita lepra, illo indemni. Sed Cur? Levit. 13. 46. *omni tempore, quo leprosus est, solus habitabit extra castra*. Aaron Sacerdos erat: ac ideo animarum curæ semper invigilare, circuire, conversari, debebat: quòd si autem lepra punitus fuisset; fungi officio suo non potuisset. Paoletti c. 11. de S. Marco Evang.

Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat. Ezech. 1. 1. 12. hoc est, qui ad bravium, contendit supernæ vocationis: nihil, & nullum, respiciat, nisi solum bravium. Noli videre, quid alii agant; sed quid te oporteat agere. Petro ad crucem destinato, sed ad Joannem respicienti ait Dominus: *quid ad te, tu me sequere*. Joan. 21. 22. Ambula ante faciem tuam. Magdalenam nullum vidit in epulo lacrymantem; sed & nullam videbat cum Christo peccatricem. Oliva lib. 4. Strom. §. unumquodque eorum. In Ezechielis curru c. 1. 10. *aliud animal simile leoni, aliud aquilæ, aliud bovi, & aliud hominis. Alius quidem sic, alius verò sic*. 1. Cor. 7. 7. Non omnes ad currum aquilæ sunt; unus currum trahat volando, alius arando: bos factus ad laborem, aquila ad volatum. Leo, si rugit, currit; homo, si imperet, trahit. Martha epulum parat Christo, & placet: Magdalena plorat, ut placeat Christum. Id. l. 4. Strom. §. Domine, quid me vis facere? Act. 9. 6. *Unumquodque &c.* hoc est, quodque eorum *sibi* attendebat inter eundum, non vicino ut; officio suo, & trahendi obligationi, diligentius attenderet. Si enim homo cæteris longè superior se constrictum bovi attendisset; quis dubitet? quin exasperatus fuisset, injuriam putasset. Et bos animal tardum, si conjunctum se pernici aquilæ cerneret; malè sentiret de providentia conjugantis. Aquila probro duceret, tardigrado bovi sociari. Did. Nyss. D. 13. Pent. §. 5.

Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem. Habac. 2. 1. Noli transilire de custodia ad custodiam; sed siste in loco tuo; & attende, quid tibi, non autem, quid aliis dicatur. Non enim Deus omnibus eadem imperat. Isajas nudus incedit, Aaron verò insulatus: David ascendere jubetur ad solium; Jechonias descendere in caveam: Judith triumphando; Job putrescendo, lauream meruere. Oliva l. 4. Strom. §. unumquodque ante faciam suam &c.

Ex Novo.

Erant enim piscatores. Matth. 4. 18. Nonnè satis erat dixisse, eos piscari? plurimi sunt, qui piscantur; sed non sunt piscatores. Locus, ubi Christum expectare debes, & munus tuum, & officium. Diez conc. 3. in festo S. Andreæ Ap.

Vos estis sal terræ &c. Matth. 5. 13. Cur de iis non dicit Christus: vos estis sicut sal? quia tam imbibita, & velut intrinseca, debet esse ratio muneris in ministro, ut explicetur, non tanquam adjacens, sed velut quid transformatum in ipsamet natura, & esse rei. Sylveira hìc c. 11. q. 2.

Hora incensi. Luc. 1. 10. Cùm Zacharias ageret, quod sibi ex officio competebat; & populus clamaret orationibus in auribus Domini, *apparuit ille Angelus Domini*. Sim. Cass. l. 3. c. 1. hìc. Quare apparet in templo? Hugo Card. apparuit Angelus illi exequenti personaliter suum officium; ac pro populo oranti. Visione tanta, tantoque nuntio, dignus fuit; dum per se ipsum, & non alium, munus suum adimplevit: hoc enim Deo maximè est gratum. Sylveira hìc q. 13.

§. IV.

Officia humilia libenter exerce.

Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam. Gen. 22. 17. Quid splendidius astris? quid arenis vilius? quàm procul à littore maris firmamentum cœlorum est! & tamen Deus eosdem, & stellas esse vult, & arenas. Optat Deus in alumnis suis eam animi magnitudinem; quæ pro Christo; & summa aggrediatur, nec infima dedignetur. Vult te modò adstare fabro, modò cum regibus considere. Magos per stellam Deus vocat; sed ad stabulum: vult accedentes ad se, & sideri simul assuescere, & præsepi. Oliva l. 4. Strom. §. Multiplicabo &c.

Gregem, ipsa (Rachel) *pascebat*. Gen. 29. 9. Tantum certè merebatur sedulæ custodis ovium humile officium, quod illi pater injunxerat, studiosè exequendo; quantum si aliud honorificentissimum munus obivisset. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 26. apud Deum interest; utrùm quis præsit, an obtemperet. S. Greg. Naz. or. 9. quò vocatus est, in eo gradu quisque maneat; etiamsi alioquin præstantiore sit dignus: plus utique laudis habiturus ex eo, quòd præsenti gradui acquiescit; quàm si eum quærat, quem non accipit. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 2. l. 2. c. 1.

Audite somnium meum, quod vidi &c. Gen. 37. 6. Hæc de causa factum puto, ut Josephi principatus modò in manipulis, modò in sole, & astris adumbraretur, ut scilicet, qui sideribus cingebatur, paleis stipari non erubesceret. Oliva l. 4. Strom. Multiplicabo &c.

Puer autem erat Minister. 1. Reg. 2. 11. Quid agebat? adolebatne incensum ornatus stola? an sacco sordidus ligna convehebat? mitramne, an lucernas curabat? verrebat pavimentum, an conficiebat thymiama? in throno Dei nec Samuel attendebat munerum varietatem; nec Spiritus S. ea distinguit. Servire Deo omnis est dignitas domus Dei: *erat minister*. Samuel hoc tantùm expetabat, ut Domino ministraret. Qua autem ratione nec scopas exhoirunt? nec thuribula ambiit? audi: *puer autem erat minister in conspectu Domini*. Coram Deo videbat, ejusdem esse dignitatis ligna concidere, & gemmas concinnare: hac una Dei præsentis memoria hilaris, impiger redebatur. Oliva l. 4. Strom. §. Puer autem erat minister.

Lampades ejus lampades ignis. Cant. 8. 6. Dei Spiritus iis oblectatur, quibus delectatur & flamma: *hæc non auro, argento, gemmis*; sed stipulis, fœno, ligno vilibus, nutritur. Ut intelligas: in te Dei spiritum non residere, si vilia refugis, & splendidis innutriris. Oliva l. 9. Strom. Lampades ejus.

Vade ad mare, & mitte hamum. Matth. 17. 26. Cur hoc Petro mandatur? piscator erat. Sed si piscatore egebat, præsto erant filii Zebedæi. Cur ergo non Joanni, non Andreæ, sed Petro, id munus delegavit. Ut suspicor: quia c. 16. 19. Petro: *tibi dabo claves regni cœlorum*. Voluit Dominus in eadem manu, & hamum esse, & claves. Oliva l. 4. Strom. multiplicabo.

Venit homo quidam dives ab Arimathæa. Matth. 27. 57. Luc. 23. 50. *erat decurio, vir bonus, & justus*. Joan. 19. 8. *fuit Discipulus Jesu*. Marci 15. 43. *nobilis decurio*. Et quid hic dives, vir bonus, discipulus Christi, nobilis decurio, egit? nihil se indignum, dum *Corpus Domini unxit*. Joan. 19. 38. 39. Sed cur Evangelistæ tam honorificis eum titulis ornant? Quia, si quando nobilis, dives, illustris, dici debuit: tunc certò, quando ad gloriam Dei hoc opus peregis. Et quoties Christianus quisquamque tale quidpiam pro Deo facit; splendorem suum non obscurat, sed plurimum auget. Did. Nyss. D. Sept. §. 5. in domo Dei omnia officia illustria.

Ut cognovit, quòd accubuisset in domo Pharisæi &c. Luc. 7. 7. 37. Non ad caput, sed pedes Christi, accessit. Quis nostrum postremum sibi locum, & munus, in Christi corpore, id est, Ecclesia, deligit? quis non aspirat ad caput, sublimia officia? quis non tabescit in imis? &c. Ecquidem Maria caput aliàs unxit, sed longè studiosior in pedes fuit. *Super caput alabastrum effudit*. Matth. 26. 7. in pedes verò seipsam profudit, comam, vas, oculos, labia, capillos, unguenta infudit. Vide quantò se exhibuit promiorem erga pedes, quàm erga caput Domini. Oliva l. 9. Strom. §. ut cognovit.

Operabatur: erant enim scenofactoria artis. Act. 18. 3. Et hoc miror, jam dignatum Dei alloquio & visionibus, non pertæsum officii sui; nec fastidisse ostiarii munus; cui paruerant arcana Domini. Paulus in cœlum raptus non erubuit texere tabernacula. Oliva l. 10. Strom. §. Puer autem erat minister.

§. V.

De promotione ad officia.

Tu eris super domum meam. Gen. 41. 40. in Joseph non natalis, non genus sed sola sapientia, respicitur. Sylveira in Matth. 25. c. 52. talenta distributa.

Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum. Prov. 31. 19. S. Bruno de laud. Ecclesiæ c. 5. t. 3. in hoc Ecclesiæ sapientia manifestatur, quæ tam bene cuncta disponit. Manum suam, id est, *eos*, qui fortiores sunt, & sapientiores; ad majora negotia mittit; tales Rectores, & Episcopos constituit. Digiti verò fusum apprehendunt: quia illis minora negotia committit, qui imperfectiore, minusque periti. Did. Nyss. D. Epiph.

Cui nomen erat Joanes. Joan. 1. 6. Quare ante officium ponitur nomen Joannes? Joannes significat gratiam; & in ipso nomine Joannis, ut ait hìc S. Thomas, significatur idoneitas, & sufficientia ad officium. Et antequam Evangelista scriberet ejus munus, voluit nobis aperire ejus sufficientiam; quia semper priùs est consideranda. Sylveira hìc q. 32.

Officium ab efficiendo dictum putamus, quasi efficium. S. Ambros. Eth. Chr. l. 1. c. 8.

TITULUS VII.

OPERA BONA.

§. I.

Figura & Symbola.

1.

Manus.

Psallam nomini tuo altissime. Ps. 9. 3. Psallere est opus manuale: & per hoc intelligitur bona operatio. S. Tho. Aqu. hìc.

Omnes gentes plaudite manibus. Ps. 46. 2. Cùm sit consuetudo luxuriantium, elisis manibus personare, & in aurium jucunditatem per eas melos quodam sine officio sermonis exprimere plausum istum spiritualiter debemus accipere; qualem & filii crucis potuerunt dicere, & nos oportet audire. Plaudant ergo manibus, qui eleemosynas faciunt, qui ægrotis pro miseratione serviunt, qui aliquod mandatum probis actionibus operantur. Cassiodorus hìc.

Salvavit sibi dextera ejus. Ps. 97. 1. Sæpius diximus, manum actionem dicere: dexteram verò bonam Actionem. B. Theodoretus hìc; & addit: dicit autem hominum salutem ejus potentiæ opus esse: immensa autem benignitate utens suum quæsitum hominum vitam ducere.

Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Ps. 118. 48. Levare manus significat bonis operibus occupari. Cassiod. hìc.

Tetigit manus ejus. Matth. 8. 15. Non tangit aurem, non tangit frontem, non tangit aliam partem corporis; sed manum tangit. Propterea enim febricitabat, quia bona opera non habebat. S. Chrysost. hom. 6. in Marcum.

Accepit eum in ulnas suas. Luc. 2. 28. Ad salvationem nostram non sufficit videre Christum, per fidem, sed ipsum recipere oportet in manibus per bona opera. S. Vinc. Ferr. s. de Purif. B. V.

Lucernæ ardentes in manibus. Luc. 12. 35. in manibus Sanctorum ipsa bona opera sunt lucernæ. S. Chrysol. s. 24. Lucernæ in manibus opera bona sunt, accensa igne veritatis, & charitatis. Sim. Cass. l. 6. c. 30.

Date annulum in manus ejus. Luc. 15. 22. S. Hieron. annulus est signaculum similitudinis Christi: hoc signaculum in manu datur, quando opera justitiæ Scriptura significat. Apud Fernandium in Gen. 1. sect. 1.

Habentes singuli citharas. Apoc. 5. 8. Citharæ, quæ pulsibus manuum suaviter sonant, aptè opera bona figurant; quæ suis effectibus, quasi, quibusdam sonis, proximos ad cœlestem patriam excitant, & invitant. Rich. à S. Vict. l. 2. c. 3. hìc.

2.

Gressus ambulatio.

Nostrum ambulare, est bene operari. S. Bonavent. s. 129.

In hac vita, ubi per fidem bene vivendo proficimus, bonorum operum quodammodo passibus ambulamus. S. Prosper. l. 1. de vita contempl. Sacerd. c. 1.

Passus eundi ad paradisum sunt bona opera. Si orastis hodie, jam fecistis unum passum; alium, si dedistis eleemosynam; alium, si audivistis Missam. *Ibunt de virtute in virtutem*. Ps. 83. 8. S. Vincent. Ferr. s. 4. D. 3. post Octav. Pasch.

3.

Fructus.

Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum &c. Gen. 1. 11. Quia hoc dignus est aliis non pomiferis. Sic hominum vera laus non à nobilitate, divitijs, dignitate scientia; eloquentia; sed à fructibus bonorum operum. Sicut illæ arbores fructiferæ. Jud. 9. 9. regno fructus suos præstulerunt. De Ponte in Cant. 2. §. 3.

Quod fructum suum &c. Ps. 1. 3. boni operis: fructum non solùm germen cogitationis aut florem propositi, aut folia verborum. Hugo Card. hic.

Fulcite me floribus, Cant. 2. 5. id est, juvate me orationibus: *stipate me malis*. Ib. id est, munite me bonis operibus. Idem hic.

Veniat dilectus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Cant. 5. 1. In hortum Dilectus venit, & fructum comedit, quando Christus mentes visitat, & bonorum operum delectatione se satiat. S. Gregor. hic.

Ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8. 8. S. Remigius: semen fructum facit trigesimum? quando bonam cogitationem inducit in animo: sexagesimum, quando bonam locutionem producit in ore: centesimum verò, quando in fructum boni operis exit. Apud Sylveira hic quæst. 13.

4.

Filii.

Qui sunt isti? respondit: filii mei sunt. Gen. 48. 8. O quàm jucundum est, quando Christus respondet, opera nostra esse filios suos. Profectò opera bona, quæ facimus, & nostri filii sunt, & Christi: sed nostri, quasi matris; Christi autem quasi patris. Hugo Card. hic.

Notas fecit filiis Israel voluntates suas. Ps. 102. 7. Filii nostri sunt bona opera bona; quos per propositum concipimus, per effectum parimus, per consuetudinem nutrimus. Hugo Card. hic.

Mulier salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide. 1. Tim. 2. 15. Quæ est hæc mulier? nisi anima quæ verbum concipit Dei veritatis, & parit opera bona similia Christo: irrationabile enim est existimare de sensibili generatione dictum. Origenes tr. 29. c. 24. hic.

5.

Vestes.

Omni tempore sint vestimenta tua candida. Eccl. 9. 8. Hoc est, actiones, & opera; quæ virtutis normam sequuntur; nec non tradita nobis indumenta per lavacri regenerationem; quæ proculdubio candida asservantur per omne tempus, quò à peccatorum sordibus abstinemus. Olympiodorus hic.

Non habens vestem nuptialem. Matth. 22. 12. Dum vestem audis nuptialem; nè de vestimentis, quibus induimur, id existimes: sed de bonis operibus. S. Ephrem in illud attende tibi ipsi c. 7.

Sicut vestimenta corpus, sic bona opera protegunt animam. S. Gregor. l. 16. mor. c. 22.

Varia alia.

Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam &c. Gen. 27. 28. Toties de rore cœli benedictionem desuper accipimus, quoties per infusionem S. Spiritus de supernis gaudiis in mente aliquid degustamus. Cùm verò bona opera per corpus agimus; de terrena pinguedine ditamur. V. Beda hom. in Lect. Sabb. D. 2. Quadr.

Sacrificate sacrificium justitiæ. Ps. 4. 6. Vocat opera bona sacrificium justitiæ; quia opera justa placent Deo valde, & per ea Deus honoratur. Bellarminus hic.

Sumite psalmum, & date tympanum; psalterium jucundum cum cithara. Ps. 80. 3. Sume & tu citharam; ut pulsata spiritus plectio, interiorum corda venatum boni operis sonum edat. Sume & psalterium? ut harmonia dictorum, factorumque tuorum concinat. Sume & tympanum; ut organum tui corporis spiritus moduletur interior, factisque operantibus dulcis morum tuorum suavitas exprimatur. S. Ambros. l. 6. in Luc. 7.

Exiit qui seminat seminare. Matth. 13. 3. Semina sunt bona opera. S. Bernardus s. 37. in Cant.

Quid est hoc, quod dicitur *vespere, & mane.* Gen. 1. Vespere est finis jam consummati, imò ordinati operis; manè autem incipientis, vel potiùs ordinandi operis. S. Anselmus in Elucidario.

Jacemus in vitiis, & jacemus oppressi: stamus, cùm bonis operibus erigimur ad profectum. S. Chrysol. s. 54.

Ut parum est, exire de Ægypto, nisi terram promissionis intraveris: similiter non sufficit declinare à malo, nisi bonum feceris. Petrus Cellens. l. de pan. c. 4.

§. II.

Opera vel minima, grata Deo, ejusq; Filio incarnato.

Noli timere Abraham &c. Gen. 15. 1. Notat hæc S. Ambrosius l. 1. de Abrah. c. 1. Deum dixisse, postquam oblata sibi dona à rege Sodomorum contempserat, & subjungit: non est serus ad remunerandum Dominus; & citò promittit; & multa largitur; nè infirmos animos ad dilationem mercedis subeat pœnitentia, contempsisse præsentia, &c. Apud de Ponte in Cant. 3. §. 3.

Inutilem in erarium regis. Gen. 47. 14. Id est, in cor Patris; ubi Christus mittit opera nostra; ubi tanquam thesaurus pretiosissimus, custodiuntur. Hugo Card. hic.

Tenui illum. Cant. 3. 4. O quàm tenet illum, & ut ità dicam, cogit Fidelium anima; dum beneplacita illi, & accepta facit. Teneturque operibus virtutis, non manibus armatorum, non divitum pompis, non opulentorum jactantia, non elatorum fastu; non gulæ, somni, luxuriæ, invidiæve, morbo laborantium; sed misericordiæ, pietatis, continentiæ, humilitatis, temperantiæ, benevolentiæ, castitate, & precibus rectorum. Philo Carpathius hic.

Vulnerasti cor meum - in uno oculorum tuorum &c. Cant. 4. 9. *In uno oculorum, & in uno crine*, se saucium clamat: ut ostenderet; non tantùm sibi grata esse opera magna justorum, sed etiam minima. S. Franciscus Salef. prax. spir. p. 3. c. 35.

Veniat dilectus meus in hortum suum. Cant. 5. 1. Ad quos, & quales, fructus edendos horti sui, hoc est, Ecclesiæ gentium, & cujusque Fidelis animæ, invitetur à sponsa sponsus; ipse per se declaret in Evangelio, dum dicit. Joan. 4. 43. *meus cibus est &c.* hoc est, ut quam plurimus ad me convertam, meosque discipulos faciam, & amicos, omnes in me credentes; quorum bona opera tanquam fructus suavissimos virtutis sponsus edit, hisque maximè lætatur. Philo Carpathius hic. *In hortum dilectus venit, & fructum comedit.*

David autem rex. Matth. 1. 6. Cur David solus nominatur *rex*? quia regnum proprio suo labore comparavit. S. August. l. 1. de mirabilib. Script. c. 30. *David autem rex*, ait, *genuit Salomonem*; cui non additur, regem, cùm Salomon patris regno teneret majus imperium. Sed ex hoc intelligitur; patris sui David regnum Salomon hæreditario jure possidere, ad David honorem regni plus pertinere. David obtinuit regnum ex operibus; Salomon hæreditate; & apud Deum honos non ex hæreditate, sed ex meritis comparatus, excellit. Sylveira hic q. 26.

Alii cædebant ramos de arboribus. Matth. 21. 8. Quot bona opera propter Christum facis, tot eum ramis honoras. S. Bonaventura s. 2. D. Palm.

Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. Luc. 5. 29. Qui domicilium Christum recepit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Qui sua domo recipit Christum, convivium magnum exhibet, hoc est, bonorum operum spirituale convivium. S. Ambros. l. 5. hic.

Sitio Joan. 19. 28. Manducare volebat, quando poma quærebat in arbore. Quid esurivit, quid sitivit Christus; nisi bona opera nostra? In illis enim crucifigentibus, & persequentibus, quia nulla opera bona invenerat, jejunabat. Nam quale jejunium ipsius fuit; qui vix invenit unum latronem, quem in cruce gustaret. S. August. conc 2. de parte Ps. 34.

Minima largè remuneratur. Vide Liberalitas §. 10.

§. III.

Opera spontanea Deo gratiora.

Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Eccl. 24. 20. Plin. l. 12. c. 15. myrrha arbor bis per annum inciditur. Sudat autem sponte, priusquam incidatur; quæ vocatur stacte, sive lacryma myrrhæ; eaque myrrha est præstantissima.

Ite in civitatem ad quendam. Matth. 26. 18. Nomen non exprimitur, sicut Magdalenæ, & Marthæ Joan. 12. 2. quia illæ non rogatæ, hic rogatus, excepit. Sylveira hic q. 4.

Angariaverunt ut tolleret crucem Jesu, Matth. 27. 32. Lucas ait c. 23. 26. *imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* Joannes autem c. 19. 17. *bajulans sibi crucem.* Utri credemus? unus Simonem portasse crucem ait, alter Christum. Matthæus dubium solvit: *Angariaverunt &c.* S. August. s. 34. ad fratres in eremo: qui bona faciunt coactè, Deo non sunt accepti; & Simoni Cyrenæo, quem Judæi angariaverunt, ut crucem Christi portaret; optimè comparantur. Ecce enim Simon Cyrenæus portat cum dolore; quia non libenter portat angariatur invitus est, coactus. Quia non libenter tulit, censendus est non tulisse. Paolett. in festo Purif. B. V.

Non quæro voluntatem meam. Joan. 5. 30. Non est opus meritorium, nisi fuerit voluntarium: & quantò opus fit animo promptiori voluntate, tantò est Deo acceptiùs, & præmii amplioris: eò quòd Deus respiciat affectum potius, quàm effectum. Dion. Carth. hic.

§. IV.

§. IV.

Motiva varia ea exercendi.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Ps. 31. 1. Peccata teguntur, cùm bona facta malis actibus superponimus. - Quamlibet enim Sancti viri adhuc in hac vita sunt; habent tamen, quod ante Dei oculos operire debeant. S. Gregor. hom. 1. in c. 1. Ezech.

Da partem septem; partem quoque dato & ipsis octo &c. Eccl. 11. 2. Modestè, inquit, vive in præsenti sæculo, & thesauriza tibi per operum bonorum executionem, quæ ad futuræ vitæ bonum pertineant; atque ita partem ipsis septem dato, & ipsis octo. Olympiodorus hic.

Murænulas aureas faciemus tibi. Cant. 1. 10. Tota erat in osculis, in odore, & in meridie, sponsa; hoc est, cordis tantùm intenta victimis, operum hostias negligens. Ægrè hanc sterilitatem operum in sponsa sua passus sponsus: compturus proinde illam; aureas facturum se dicit murænulas manibus: ut sciat, gratiora Deo gesta fore, quàm vota: & mercedem uberiorem operibus refundi, quàm affectibus; labori manuum, quàm osculo. Oliva l. 1. Strom. §. Murænulas &c.

Voca operarios. Matth. 20. 8. Cur paterfamilias per se non reddit mercedem operariis, sicut per se eos ad vineam conduxit? Negotium laboris, & meriti, utpote rem majoris ponderis, per seipsum exequitur: illius verò mercedem, ut quid inferius, procuratori suo committit. Pluris æstima, laborare pro Deo, quàm prœmiari. Silveira hic q. 13.

Arma nostra sunt, qui nos Salvator instruxit, oratio, misericordia atque jejunium: jejunium enim meliùs quàm murus tuetur; misericordia faciliùs liberat, quàm rapina: oratio longiùs vulnerat, quàm sagitta. S. Ambros. 86. apud Naxera in Jos. 6. §. 11.

Omni tuba clarior est per opera virtutum exhibitio: & ipsa luce splendidior est munda vita; licèt innumeri sint, qui calumnientur. S. Chrysost. hom. 6. in Matth. 5.

Nihil boni facere, hoc ipsum est malum facere. - quid enim proderit, dic quæso, spinas omnes excidere; si bonum semen jactum non fuerit? Idem s. 16. in epist. ad Ephes.

Si parùm laboraveris, parùm accipies; si verò multùm operaberis, multa te merces manet: in tui ipsius commodum. S. Cyrill. Jeros. Catech. 1.

§. V.

Opera præferuntur verbis.

Num. I.

De Deo, & Christo Domino.

In principium creavit Deus cœlum, & terram. Gen. 1. Notat verbum creandi, & operandi, primò esse positum, antequam Deus loqui, & dicere, dicatur: primò dicitur *creavit*, deinde *fiat lux*. S. Ambros. ser. 76. si non loquimur verbis DEI gloriam, factis exequamur ejus gloriam; quoniam dictis facta priora sunt. Apud Fernandium hic. *In principio &c.* Origenes, & alii legunt: *In verbo creavit Deus*: uno verbo amore hominis omnia condidit. Sylveira in Joan. 15. q. 12.

Gloria Dei est, celare verbum. Prov. 25. 2. S. Hieronymus hic: gloria Domini in carne apparentis est, Humanitatis suæ infirmitatem magis, quàm Divinitatis æternitatem mortalium oculis ostendere; & se potiùs operum miraculis, quàm apertis assertionibus, Dei Filium fateri. Unde multò sæpius in Evangelio filium se hominis, quàm Filium Dei appellare consuevit. Mendoza in 1. Reg. 11. Sect. 4.

Renuntiate Joanni, quæ vidistis. Matth. 11. 4. Testimonium, quod à rebus trahitur, certius est, quàm verborum, & absque ulla suspicione. S. Chrysost. hom. 37. in Matth. Calidior est lingua operum, quàm verborum; & efficacior responsio in ostentatione virtutis, quàm in probatione sermonis. Simon. Cass. l. 3. c. 3. Re, non oratione, dat responsa. S. Basil. Seleuc. or. 34.

Non respondit ei verbum. Matth. 15. 23. Parùm solet loqui, qui multùm solet operari. Escobar. t. 3. Coll. Chr. l. 12. Obs. 8.

Non respondit ei ad ullum verbum. Matth. 27. 14. Respondit tamen operibus eclypsi solis, tenebris, terræmotu, petrarum scissione. S. Ambros. l. 10. in Luc. illud præstantissimum, quòd maluit se regem probare, quàm dicere. Sylveira in Joan. 11. cap. 35.

Potens in opera, & sermone. Luc. 24. 19. Bonus ordo: præcedant sermonem opera, ut efficax sit. Sylveira hic l. 9. c. 3.

Exempla alia.

Ex Veteri.

Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri. Ex. 4. 10. Non semel cum Deo jam locutus fuerat Moyses; neque unquam causatus, quòd impeditiore esset lingua. Cùm ad hominem regem orator mittitur, balbutiem prætexit, per quam id muneris rectè curare non possit. Itane verò, ut Pharaoni loqueretur, promptam linguam requirebat, apud Deum ei opus non erat? Noverat Moyses Dei ingenium; noverat, illi manum vel unicam, vel præcipuam esse rationem; opera potissimùm ab eo spectari. Did. Nyss. D. 8. Pent.

Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris linguæ sum. Ex. 4. 10. Si Deus Moysi dedit tantam potestatem, cur non dedit etiam expeditam linguam? Erat multa, & magna operaturus: ideo debebat, ut esset tardioris linguæ, & non multorum verborum. Sylveira c. 22. in Luc. 11. q. 1.

Dicit Dominus: in hoc scies, quòd sum Dominus. Ecce percutiam virga, quæ in manu mea est &c. Ex. 7. 17. At quæ manus hæc? nonne Moysis? ità plane. Cur ergo Deus manum suam vocat? Respondet Cajet. Manum Moysis appellat Deus manum propriam: quia jam cum constituerat Deum Pharaonis. Erat ergo manus Moysis manus Dei, propter admiranda opera, quæ patrabat. Deus vocatur Moyses; non quòd eloquens, sed quia erat vir operum: elegantiùs quidem loquebatur Aron; at diviniùs operabatur Moyses. Fernandjus in Gen. 1. sect. 1.

Quid clamas ad me? Ex. 14. 15. Cujus vox audita ad mare rubrum? an populi clamantis voce? an Moysis operibus? S. Ambros. s. 14. in Ps. 118. Sonum ejus non audio, vocem ejus agnosco: silentium ejus lego, clamorem ejus in operibus deprehendo. Clamabat populus, & non audiebatur; tacebat Moyses, & audiebatur. Oliva t. 1. conc. 5.

Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Ps. 1. 3. Arborum non una fœcunditas: nam aliæ alternis annis germinant, ut medica, & cytria: aliæ annis singulis, ut vitis; aliæ bis in anno; ut thus, & myrrha. Vidit Joannes his feraciorem arborem, quæ singulis mensibus fructibus abundabat. Apocal. 22. 2. *lignum vitæ afferens fructus duodecim per menses singulos.* Ex his, quas debet arbores referre lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum? nullam quo enim Ecclesiæ arbores insitæ sunt cruci, & Christi cruore rigatæ, nullo non tempore fructum ferre debent. Sic enim S. Paulinus ait ad Desiderium: omni tempore sit maturus illi, cum quo vel in quo, mansurus est sine tempore. Id præstitit. S. Bernardus: Prudentia & contemplatio in tyrone, nonne imago autumni in vere est? ille inter æstus curarum orat; nos nec in otio. Ille, dum contemplatur, lacum non videt, & transit; nos, dum oramus, procul à lacu sumus, & tamen nihil videmus, nisi lacus urbes, maria, alpes. Paulus ut placidiùs contemplaretur, raptus est in tertium cœlum; Bernardus equitare poterat, & meditari: & qua cordis tranquillitate inter sidera, & ipse non caret inter fluctus curarum. Oliva l. 3. Strom. §. erit tanquam lignum &c.

Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversùm me. Ps. 38. 2. Ut coronaretur triumphis, abstinendum verbis censuit. Aptior militum latera ambientium custodia, quàm oris taciturnitas contra inimici adsultus videbatur? & David totus est in oris silentio. O bene! quia egregiis factis est opus, David verbis licentioribus parcit; linguam frœnat, ut manus roboret. Naxera in Jos. 7. §. 10.

Laudent eam in portis opera ejus. Prov. 31. 31.

Ex Novo.

Venimus adorare eum. Matth. 2. 2. Cur solam exprimunt adorationem? munera tacent? Hugo Card. Magi plus habuerunt in opere, quàm sermone dixerunt; quia veniebant adorare: & non solùm adorant, sed munera offerunt.

Tetigit fimbriam vestimenti ejus. Matth. 9. 20. Plus apud Deum impetrat opportunitas verborum. Marci 5. 22. 23. Jairus multis orat: *filia mea &c.* serò accipit responsum. Mulier plena modestiæ accedit ad fimbriam; fluxus sanguinis sistitur. Interim filia Jairi moritur. Mulier clamat operibus, ore silet. Princeps multis verbis orat, & de morte filiæ nuntium accipit gratiæ donantur tacentibus, negantur loquentibus. Oliva t. 1. conc. 5.

Bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus &c. Matth. 17. 4. Præstantiam, & bonitatem divini spectaculi laudat simplici, & unico verbo, dicens: *bonum est.* Cur tam paucis verbis? cur non majoræ dicit? Parcit Petrus verbis, ut operam suam impendat: sciens Dei gloriam non extollit verborum laudibus sed factis. Baeza t. 3. l. 14. c. 17. §. 18.

Quid faciendo vitam æternam possidebo? Luc. 10. 25. id est, quibus operibus promereri poterò, & sortiri, beatitudinem æternam? Sciebat enim, quòd non loquendo, sed operibus virtuosis insistendo, obtineatur felicitas. Dionys. Carthus. hic.

Quid faciam? Luc. 16. 3. Potiùs cogitabat, *quid faciam?* quàm quid dicam? sciens; quòd apud justum, & infallibilem, judices plus valeant opera virtuosa, quàm verba pulchra. Id. hic. *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* 1. Cor. 4. 20.

Ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.

Act. 9. 39. Cur advenientem Petrum nemo rogat pro suscitanda Tabitha, sed tantùm ostendunt vestes, & tunicas, quas cisfaciebat? quia efficaciùs urgebant Apostoli benignitatem ostenso opere, quàm lacrymarum voce. Obmutescat oris loquela, cùm opera clamant. Sylveria hic q. 33.

Veniam, & cognoscam, non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem &c. 1. Cor. 4. 19.

Num. II.

Sententia Biblica, & Patrum.

Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos. Judic. 9. Ficus non floret, nec ullis speciosis ornamentis se ostentat, sed fructum edit dulcissimum. Unde repræsentat eos qui pauca dicunt; sed multa magnaque faciunt. Corn. hic.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei &c. Matth. 20. 21. Domino libellum supplicem pes os matris offerunt; accipiunt responsum; primas sedes concedi solùm Candidatorum operibus; quas credebant se his precibus obtinere. Mutate voces in labores, patientiam. *Potestis bibere calicem?* Evangelii gratia patriam, propinquos, chara omnia deserere? Oliva tom. 1. conc. 5.

Res semper æstimo verbis esse præstantiores. Dictio est tamquam vestis in corpore; res autem sunt carnes, & nervi. Clem. Alex. l. 1. Strom.

Qualis sermo, talis est vita. Arbor autem cognoscitur ex fructibus; non ex floribus, & foliis, ac ramis. Id. l. 3. Strom. verba se in modum habent foliorum, opus autem instar fructus. S. Ephrem. de perfectione Monachi.

§. VI.

Opera pauca, ubi multa verba.

Respondeique omnis populus simul: cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Ex. 19. 8. Grandis pollicitatio instabilitatem eorum velut præmonstrabat. Did. Nyss. Dom. 2. Epiph.

Præceperat Josue populo dicens: non clamabitis, neque audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur. Jos. 6. 10. & 21. Sæpius præceptum repliçat, quia interesse ad victoriam silentium noverat. Nec opinio fefellit. *Ceperunt civitatem, & interfecerunt omnia, quæ in ea erant.* v. 20. 21. Non multò post Hai oppidum expugnare tentant; sed statim terga vertentes percussi sunt à viris urbis Hai. Qua Causa? quia Jerico oppugnantes verbis abstinuerunt: Hai invadentes grandiloqua, ac superba verba jactarunt. *Non ascendat*, inquiunt, exploratores, *omnis populus, sed duo, vel tria millia virorum pergant, & deleant civitatem: quare omnis populus frustrà vexabitur contra hostes paucissimos?* Jos 7. 3.

De somno consurgens dixit in animo suo: egrediar sicut ante feci &c. Judic. 16. 20. S. Ambros. ep. 70. tacenti ad opera agilitas aderat; loquenti autem nec vigor, nec gratia manebat. apud Escobar t. 1. Coll. Chr. l. 12. obs. 8.

Non concidar cor cujus quam in eo: ego servus tuus vadam, & pugnabo adversus Philistæum. 1. Reg. 17. 32. Armorum imperitus duellum non timet, quia gigantem supra humanæ naturæ terminos se efferentem plus timore, quàm corpore, vidit. Imbecilla futura opera credidit, cujus superbas minas audivit. Quæ hujus audaciæ causa? S. Basilius Seleuc. or. 15. aderat Goliath altum vociferans. Non timuit vociferantem, quia aut falsus putavit imbellem. Primo ritu prosternitur, qui canibus victos hostes promittebat superbus. Naxera in Jos. 7. §. 10. Sæpe imbeciliora sunt opera, cujus grandiora sunt verba.

Sit sermo vester est, est, non, non. Matth. 5. 37. Ideo bis dicitur, *est, est, non, non*: ut, quod ore confirmas; operibus probes, & quod verbo neges, factis non confirmes. V. Beda l. 1. hic.

Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum &c. Matth. 7. 21. Invocat Deum, qui corde, ore, & opere, Dominum confitetur. Unde non, qui bis, sed qui terdicit Domine, Domine, Domine, invocat; & omnis talis salvus erit. Joelis 2. 32. *omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hugo Card. in Matth. hic. Omnes Christiani dicunt, Domine, Domine, corda credendo, & ore loquendo; sed non *faciunt* opere, obediendo; ideo oportet ter dicere Domine; & sic per obedientiam habebimus regnum cœlorum. S. Vincent. Ferr. s. 2. D. 4. post octav. Paschæ.

Sequar te quocumque feris. Luc. 9. 57. S. Chrysol. s. 19. ad omnia posse sequi, quis promittit? Dixisset cautiùs: sequar te, quocumque jusseris; humanius certè, quocumque volueris. Aderat ibidem alius, qui nec verbum loquebatur? cui Christus v. 59. *sequere me.* S. Ambros. s. 3. de Sanctis cur ergo, cùm ab altero interpellatus fuerit, ut, quocumque iisset, religiosi servitii causa sequeretur eum; alteri magis dixerit, qui eum sequi cunctabatur, *sequere me*; & priore spreto, atque despecto, alium potiùs tacentem delegerit? Respondet: eum elegit, non qui verbis promptus, devotione piger; sed qui est lingua tacitus, menteque devotus. Plinius; qui celeriùs fari cæpere, tardiùs ingredi incipiunt. Natura confirmat, quod dico: dico: quorum solutior ad loquendum properat lingua, ii impeditioribus pedibus, & remissionibus manibus. Did. Nyss. D. 2. post Epiph. §. 5.

Implete hydrias aqua. Joan. 2. 7. Ab eo, qui pauca loquitur, multum expecta: verùm de illo, qui multùm garrit, nihil tibi promitte. Quàm paucis verbis ad hoc miraculum utitur Christus: *Implete hydrias aqua*, inquit, nec quidquam amplius. Id. ib.

Domine, video, quia propheta es tu. Joan. 4. 19. Jam tertiò eum Dominum vocat. v. 11. *Domine, neque in quo hauries, habes*, v. 15. *Domine, da mihi hanc aquam*, & v. 19. *Domine, video &c.* Fatue bis solùm dicunt. Matth. 25. 11. deest tertium Domine, Gregorius, & Hilarius: fide, & spe, bis dicunt, Domine: & quia non habuerunt charitatem, non valuerunt tertiò dicere, Domine. At Samaritana fide credidit Prophetam, & Messiam; spe speravit aquam vivam; charitate cucurrit ad civitatem, & omnes traxit ad Christum; & ideo meruit ingredi ad nuptias agri. Sylveira hic.

§. VII.

Opera supererogatoria suadentur.

Pulla, cui dixero - & illa responderit, bibe, quin & carmelis tuis dabo &c. Gen. 24. 14. Servus Abrahæ petiit signum à Domino, ut cognosceret illam esse, quam elegerat uxorem Isaaco; quæ plura faceret, quàm ipse postularet. Sic est præcipuum signum, quòd illas animas eligit Deus in sponsas Unigeniti Filii sui; quæ non contentæ facere, quod ab eis petitur; multò plura faciunt. Diez D. Palmar.

Abjicite deos alienos &c. Gen. 35. 2. Fecerunt; & insuper inaures obtulerunt: nè minùs pietas faceret pro altari Domino construendo, quàm fecerat pro vitulo conflando amentia: *dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant; & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Rupertus l. 1. de consilio cap. 16. non contenti facere, quod præceptum est, ultrò sese extendunt ad illud quod præcepto majus, & amplius est. Naxera in Jos. 24. §. 15.

Fecerunt ergo filii Israel, sicut præcepit eis Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides. Jos. 4. 8. sed Josue v. 9. *alios quoque lapides posuit in medio Jordanis alveo, ubi steterunt Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, - in illo die magnificavit Dominus Josue coram omni Israel.* v. 14.

Dixerunt Moysi: plus offert populus, quàm necessarium est. Ex. 36. 5. Abulens: Populus ad Deum valde affectuosè movebatur, & faciebat, quod DEUS mandaverat; & aliquid ultrà.

In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii. Prov. 8. 20. Virginem festinantem ad templum quæris? frustrà quæris, si non quæris eum in viis justitiæ. Nota: non in via justitiæ ambulat, sed in viis, id est, sunt, qui justitiæ unam solùm viam esse putent. Quæ sunt semitæ? ea Sanctimoniæ opera; quæ sibi non justitia, sed fervor diligit, & præscribit. Nisi ultra leges tuas aliqua tibi imperes, non ambulas in semitis. Adverte tamen: priùs ambulandum in viis justitiæ; & deinde in semitis judicii. Primò imple, quæ cæteri agunt, quæ tibi religio indicit: mox, cùm ea expleveris, scilicet, singularia perfice, quæ tibi fervor suadet. Oliva l. 4. Strom. §. in viis justitiæ &c.

Docebit nos vias suas; & ambulabimus in semitis ejus. Is. 2. 3. Oleaster hic: Dominus vias docet; sed ipsi in semitis ambulant; quoniam multa, præter leges, homines inspirati fecerunt, quæ consilia dicuntur, & arctiora legibus sunt.

Si vis perfectus esse &c. Matth. 19. 21. Acceptior est Christo, & toti cœlesti curiæ, ille, qui non solùm contentus mandatorum custodia; sed in ampliora suspirat; & operibus nititur ad majora; quàm is, qui solùm graditur illorum suavem viam, cum quibus tenari, possiderique, possunt divitiæ, honores, & potentatus, & commercia exerceri, & participare conjugio. Sim. Cass. l. 9. c. 46.

Non accepistis spiritum servitutis &c. Rom. 8. 15. Servitute deposita in libertatem filiorum transivimus. Sed quæ differentia servitutis, & libertatis? Servi intra legum præscripta toti continentur: non sic filii; qui sic patrem legislatorem amant, eaque libertate leges amplectuntur; ut minimè intra earum observantiam concluſi, ulterius quid intendant, & etiam faciant. Baeza t. 2. l. 6. c. 1. §. 3.

§. VIII.

Tu ipse operare, non per alium.

Ex Veteri.

NArratur Gen. 1. creatio elementorum. Terræ Gen. 1. 1. *in principio creavit Deus cœlum & terram.* Aquas v. 7. Ignis, juxta multorum sententiam, cùm dixit v. 3. *fiat lux.* de

de aere nulla fit mentio. Aer lucet, non propria, sed emendicata à sole luce; aquam emittit in nubibus ex mari: intonat exhalationibus terræ: adeo nihil habens sui expressione indignus videtur. Sylveira Addit. in Matth. 6. 29.

Ipse ad armentum cucurrit &c. Gen. 18. 7. *& tulit inde vitulum*, dum Dominum excepit hospitio. Sed Gen. 24. 2. Agens de uxore filio quærenda famulum mittit. Ubi S. Chrysost. cùm Abraham peregrinos vellet excipere, per se hoc officium præstabat; cùm autem nuptias facturus fuit, servum adhibuit. Cur hoc? quia peregrinorum exceptio ad æternam salutem attinebat, juxta illud: *hospes eram &c.* Escobar. t. 1. mir. Chr. l. 3. obs. 3. Sect. 2. Contemplatus in pauperè Deum, ipse currit ad ministerium immediatè. Idem Escobar. t. 2. Pers. Chr. lib. 10. obs. 4. Cucurrit, nè quis alius charitatis officium præriperet. Lypoman. Nec bonum, quod exercebat, per alios minuit: sed, quasi præda reperta, humanitati solus incubuit; ipse vitulum portavit &c. S. Hieron. ep. 26.

Voce mea &c. Ps. 3. 5. Non aliena tantùm: contra quosdam, qui semper petunt orationes aliorum, & ipsi nec orant, nec faciunt, quare impetrare mereantur. Similiter contra quosdam; qui numquam voce sua clamant in Ecclesia, sed tantùm Voce. Hugo Car. hic.

Ego ad Deum clamavi. Ps. 54. 17. Ego non per Vicarium: sicut Canonici, qui per Vicarios cantant; & fortè per Vicarios salvabuntur. Idem hic.

Date ei de fructu manuum suarum. Prov. 31. 31. Aliorum bona in meritum gloriæ nemini accedunt; se unicuique datur de fructu manuum suarum. Et qui non laudatur ex propriis, ex alienis sordescit. Sim. Cass. l. 6. cap. 30.

Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate; & non dabitur illi. Prov. 20. 4. Cogetur mendicare in egestate decoquentis Judicii, seu in claritate Sanctorum. Sed non dabitur ei de laboribus aliorum, ut refocillet animam suam; neque de aliorum victoria suscipiet ipse coronam. Sed nec justificabitur de justitia in labore agendo vitam suam: nam scriptum est, *juxta opera manuum suarum retribuetur ei.* Prov. 12. 14. Et Prov. 31. 31. *date ei de fructu manuum suarum*; non alienarum: *& laudent eum in portis opera ejus*, non aliena. Sim. Cass. l. 8. c. 49.

Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione victus: alit enim animam suam cibis alienis. Eccl. 40. 30. Syrus: *qui sperat in mensam alienam, nemo reputavit vivum.* Christianus, qui meritis præfidit alienis; qui spem suam in pœnitentiis &c. aliorum positam habet, neque ipsa collaborat; non est vita ejus cogitatione victus, non ille cogitat salvari: aut, si cogitat, stultè, & malè præsumit. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 10. c. 4.

Ex Novo.

Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum, & Pharisæorum &c. Matth. 5. 20. Cur dicit *justitia vestra?* Pungit hoc Scribas, & Pharisæos, qui scelerati maximè de suo patre Abraham gloriabantur. Matth. 3. 9.

Patrem habemus Abraham. Et Joan. 8. 33. *semen Abrahæ sumus.* & v. 39. *Pater noster Abraham est.* Ideo ait, *justitia vestra*, q. d. non intendam alienis meritis, sed vestris operibus. Sylveira hic q. 4.

Nec Salomon omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Matth. 6. 29. Hugo Card. quia in Salomone vestes fuerunt alienæ; in liliis verò propriæ vestes, quas natura dedit eis. Infelix, qui nihil habet ex propriis; sed alienis vult ornari Sylveira hic.

O mulier, magna est fides tua. Matth. 15. 28. Cur Christus non annuit petitioni pro muliere, sed solùm ejus precibus? Euthym. considera, quomodo, cùm Apostoli pro ea deprecati fuissent, nihil effecerint. v. 23. ipsa potiùs perfecit. Hinc enim docemur, quod Deus mavult nos pro nobis ipsis obsecrare. Sylveira hic q. 15.

Quæque fatua. Matth. 25. 3. Fatuitas est aliena justitia in conspectu Domini patrocinium quærere; qui solùm judicabit ex propriis: ut nemo ex aliena, sed ex sua damnetur nequitia; nullus de alterius, sed, per misericordiam Dei, de propria justitia coronetur. *Date nobis de oleo vestro*: id est, oramus vestris meritis adjuvari, quibus propria defuerunt. Sim. Cass. l. 6. c. 28.

Patrem habemus Abraham. Luc. 3. 8. Nemo confidat in prædecessoris justitia, si sibi dominatur iniquitas: nemo sibi de sanctitate alterius blandiatur; sed ipse velit se in virtutibus exercere. Ut incunctanter affirmem: nec Christi misericordia, & omne meritum ejus, ac etiam totius Sanctæ Ecclesiæ suæ, opem non potest hominibus ferre; nisi ab iniquitatibus resipiscant; & quantum permittitur, dignos pœnitentiæ fructus agant. Proinde Joannes hanc præsumptionem interimit, ut filiis merita paterna subveniant: quoniam filii Abrahæ non computantur in semine, sed in fide, ac in imitatione morum, & directione virtutum. Sim. Cass. l. 3. hic.

Lacrymis cœpit lavare pedes ejus. Luc. 7. 38. Cur Magdalena lavata pedes Christi non aqua, sed lacrymis suis? Drogo Ost. s. 1. de Pass. ad lavanda sui Domini vestigia, non alias, quàm oculorum suorum undas attulit, capillis suis pro linteo usa est. Tum verò ubi affectus vehementior incanduit, & uberavit; carbo lacrymarum imbre responsus fortiùs exarsit. Non ex alio fonte, quàm ex propriis oculis, aquam vult haurire. Perfectus amor totum præstare solus, nullam alteri partem patitur impertiri. Sylveira hic q. 13.

Quis vestrum habebit amicum &c. Luc. 11. 5. Cur non mittit alium? & quidem media nocte? In salutis negotio non depende ab alio; sed ipse per te age omnia necessaria, & utilia. Baeza t. 3. l. 15. c. 3. §. 2.

Lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. 12. 35. Lumen ante te: non à tergo feras; si videre cupis, qua via gradiaris; Sunt multi, qui tota vita nec buccellam panis in eleemosynas erogant. Lumen ante te porta, id est, fac bona opera in vita, non à tergo. Mors vitam sequitur; & ità morieris, ut vixeris. Stella hic.

Ut intingat extremum digiti sui in aquam. Luc. 16. 24. Petrus Cellens. de pan. c. 25. plenam itaque manum sanguine Redemptoris, non extremum digitum in aqua tinctum, exsecat conscientia de gravibus confitentis: nec alterius tamen, sed proprio digito velit movere, & amovere pœnam; quam, malè animum movendo, sibi admovit. Apud Baezam t. 1. l. 5. c. 2. §. 5.

Vade ad natatoria Siloe, & lava. Joan. 9. 11. Potuisset Dominus Discipulum mittere, qui ex Siloe aquam afferret ad oculos mendici diluendos; sed cœcum ad ipsum fontem mittit: ut doceret, propriæ salutis nullam particulam alieno ministerio relinquendam? negotii æterni ab unoquovis curam habendam. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 3. § 2. Obs. 3.

Cùm accepisset linteum, præcinxit se &c. Joan. 13. 4. Theophylactus: linteo præcingitur ipse, omnia faciens, lavans, & extergens; mittit item aquam, hoc & ipse faciens, & non aliis committens. Apud Sylveira in Luc. 7. q. 13.

Venit Nicodemus ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libra centum. Joan. 19. 39. Magna fuit unguenti istius copia. Et licèt hæc fecerit ille, nihilominus *Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Marci 16. 1. Petrus Abaylardus ep. 7. paraverunt aromata; nec satis videlicet habentes aromata Nicodemi, nisi adderent & sua. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 10. c. 4.

Magdalena non dicit, dicito mihi, *ubi posuisti eum*, & affer; sed, *ego eum tollam.* Joan. 20. 15. Non refugio laborem, non quæro alienas manus. Baeza t. 1. l. 5. c. 2. §. 5.

Mittebant coronas suas. Apoc. 4. 10. *Habent - phialas aureas plenas odoramentorum.* Apoc. 5. 8. Cur mittentes coronas, non etiam effundunt phialas; Coronæ erant propriæ ait Andreas Cæsar; at phialæ *orationes Sanctorum.* Hinc Deum honoraturi non efferunt aliena opera, sed propria merita. Sylveira hic.

Vocem, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Apoc. 14. 2. Nullus in cœlo auditur cum instrumento non suo. S. Bernardus in Apolog. in Guilielm. væ citharis citharizantibus, non ut illi de Apocalypsi, *in citharis suis*, sed verè, ut hypocritæ in alienis. Suspecta tibi sit spes illa, qua adeò alienis præcibus, & laboribus, fidis; ut nullum laborem proprium exhibeas. Meliore usus consilio Abraham: locum ille sepulturæ etiam gratis oblatum pacta emit pecunia. Gen. 23. 13. Meritò non alienis, sed in suis, volens habere sepulchrum. Qua de causa, quia sepulchrum pertinebat ad requiem æternam; & novit sapiens vir, quàm parum ad æternitatem prosunt, quæ ex alienis, & non propriis sunt. Baeza t. 3. l. 14. c. 11. §. 1.

Ex Patribus, & aliis.

Pensandum est: quòd tutior sit via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi, per alios agat ipse, dum vivit, per se. S. Gregor. dial. l. 4. c. 58.

Non fidamus Patrum virtutibus. Sed, etiamsi celebrem habeas parentem; non putes tibi illud ad Salutem sufficere, aut ad honorem, & gloriam; nisi, & moribus illi cognatus sis. S. Chrysost. s. 19. in c. 11. ep. ad Rom.

§. IX.

Pro uno opere, quod nequis agere, substituere aliud.

Ex Veteri.

A*rietem - assumens obtulit holocaustum pro filio.* Gen. 22. 13. Si vires non suppetunt ad jejunandum, mortificationes &c. extende manus ad eleemosynas &c. Si nequis corporales, impende spirituales. Naxera in Jos. 13. §. 16.

Iste Deus meus, & glorificabo eum. Ex. 15. 2. Hebr. *tugurium ei faciamus.* Ex viridibus scilicet ramis, & floribus; cùm templum in deserto erigere nequeamus. Did. Nyss. D. 1. Pent. §. 3.

Et nunc divide terram. Jos. 13. 7. Putares, post tot ab hostibus reportatas victorias, Josue otio honesto addicendum: verùm

verùm virtus nescit ignaviam. Tremula Josue dextera non poterat præliari, & pacta agreditur tribus partiri. Naxera in Jos. 13. §. 16.

Curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. 3. Exiguum videtur, quod sponsa petit. Cur solo odore contenta, non ipsa petit unguenta? Vult dicere: quia teipsum non datur amplecti, interea odor nominis tui mecum ex desiderio pernoctabit. Did. Nyss. Vit. Ambr. l. 5. c. 1.

Convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum. Is. 38. 2. Angelomus: quia ad templum ire non poterat, convertit faciem ad parietem. Non valuit totum; neque tamen nihil fecit. Did. Nyss. D. 1. Pent. §. 3.

Ponam in deserto ulmum. Is. 41. 19. Deo etiam grata ulmus. S. Greg. hom. 19. in Evang. ulmus vitem cum fructu suo sustentare solet. (loquitur ex more Palæstinæ, & Italiæ) ubi ulmis vites nubunt, maritasque complexe perxeramos earum procacibus brachiis geniculato cursu scandentes cacumina sensim petunt. Ulmus, cùm botros non producat, facit, quod potest; idò Deo grata. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 5. c. 1.

Ex Novo.

Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi &c. Matth. 25. 35. Quò spectat illa operum varietas? cur tam multæ miserationes recensentur? an non unum sat erat? Euthymius: varias humanitatis partes recenset; ut, si quidem possumus, omnes impleamus: sin autem, saltem eas, quas possumus. Qui non potest vestem dare nudo, ei per corporis vires licebit visitare infirmum. Hildebertus Turon. ep. 16. laudat reginam Mathildem, quòd Ecclesiæ illius opulenta ex auro candelabra misit; porrò ex hoc etiam manifestum est, quàm devotè interes Sacramentis: quæ, quia ministrare non potes fœmina; provides instrumenta. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 2. c. 1. maximum consequi non potest, minora pensat.

Apprehensa manu cœci eduxit eum foras exera vicum. Marci 8. 23. S. Chrysol. s. 176. Apprehensa manu cœci eduxit eum, ut homo non horreat hominem; & duce manu, cœcum ludis faciat nescire orbitatem. Nec dicat homo: non habet manus mea, quod det pauperi: det ipsam manum pauperi. Apud Did. Nyss. D. 1. Pent. §. 3.

Exultavit infans in utero ejus. Luc. 1. 41. Fecit, quod poterat; quia non poterat, quæ cupiebat. Saltu vocis supplevit officium: & quia non poterat lingua laudare Dominum, deprædicavit tripudiis. Naxera in Jos. 13. §. 16.

Pestulans pugillarem scripsit &c. Luc. 1. 63. Cur Zacharias scripsit nomen Joannis? Tertull. l. de idolatria c. 23. Zacharias temporali vocis orbatione multatus, cum animo colloquutus linguam irritam transit, manibus suis à corde dictat; & nomen filii sine ore pronuntiat, loquitur in stylo, audiunt in cera, manus omni sono clarior, litera omni ore vocalior. Apud Sylveira in Luc. 1. 63. Mundus Præcursoris, non clamore vocis, sed pedum tripudio, exhibet; officium officio compensat. Ingens amor numquam invenit obstacula, ut se patefaciat: si unum non potest, aliud perficit. Id. Sylveira Addit. in Luc. hic.

Ministrabant ei de facultatibus suis. Luc. 8. 3. Equidem multæ sunt facultates, ex quibus Christo ministrari potest, ut, si sit in una parte defectus, persistat in altera fulcimentum. Ex magnis quidem affectibus, & desideriis ardentibus; ex doloribus, & gemitibus; ex his, quæ corpore secundùm DEI cultum agi possunt, etiam præter exteriorem substantiam Christo ministratur. In angustum esset inclusum ministerium Christianorum; si tantum ageretur pro Christo ex abundantia corruptibilium rerum. Habet pretium unusquisque in seipso, unde Christo meliora, & gratiora, ministret. Proinde inexcusabilis est homo in conspectu ejus, si non ministrat ei de his, & in his secundùm placitum suum, quæ ab ipso gratis accepit. Sim. Cass. l. 9. hic.

Et Lazarum in sinu ejus. Luc. 16. 23. S. Chrysost. ep. 126. In hoc quoque pulchrè se gessit Lazarus: nec enim ulli subvenit pecuniis: qui enim id fecisset, cùm vel necessarium ei deerat alimentum? Non ingressus carcerem: quomodo enim, qui nec erigi, nec se sustinere poterat. Non invisit ægrotum. Et tamen etiam absque his, præmium virtutis accepit: eò quòd omnia tulerit forti, ac generoso animo. Pinna in Eccl. Ethol. 154.

Ex Patribus, & aliis.

In cruce clavi ejus manus, pedesque, ligaverunt. Nihilque à pœnis in eo liberum, nisi cor, & lingua, remanserunt, inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum invenit. Ut juxta hoc, quod scriptum est, corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem. S. Greg. mor. l. 18. c. 23.

Si mors esse non potes, nec prævales; esto vel collis. S. Ambros. in Ps. 118. Octon. 7. v. 1. Apud Did. Nyss. Vit. l. 5. c. 1.

Sanum; justumque propositum nunquid omittendum ex toto fuit, quia ex toto impleri non potuit? S. Bernardus ep. 176. Apud Nyss. Polit. cœl. p. 1. c. 2.

Miles præcisis quoque manibus in prælio invenit, quod paribus conferat; & clamore juvat. Seneca l. de tranquill. c. 3.

§. X.

Opera orationi junge.

Pleraque Symbolicè.

Ex Veteri.

SUmmus Sacerdos. Ex. 28. 33. 35. cùm in Sanctuarium ad orandum, & offerendum thymiama, ingrederetur, vestitus erat hyacinthina toga; à cujus fimbria pendebant multa quasi mala Punica, ex pulchris coloribus contexta, mixtis aureis tintinabulis, quæ in ipso ingesta sonitum ederent. Quò significatur munus dignè orandi, & se præsentandi in conspectu Altissimi, non in solo sonitu precum consistere, ut efficaces sint; sed etiam in consortio malorum Punicorum: quæ insigniores charitatis erga Deum, & proximum, actus referebat. De Ponte in Cant. l. 7. Exh. 28.

Cantabimus, & psallemus virtutes tuas. Ps. 20. 14. Cantare, est verba Domini ore proferre: psallere autem, mandata divina bonis operationibus constanter implere. Hæc enim duo sunt, quæ à nobis omnimodis expetuntur: ut laudes Dei fideliter ore cantemus, & opere nostro ipsius mandata faciamus. Cassiodorus hic?

In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis. Psal. 76. 3. S. Greg. in Ps. ult. pœnit. quid est Deum manibus exquirere nisi operibus. S. Salvatorem invocare.

Cantate, & exultate, psallite. Ps. 97. 4. Cantare, est oris officio laudes Domino personare: exultare cum magna affectione animi vocat declarare: psallere, bonis operibus Domini mandata complere. Cassiodorus hic.

Psallite Domino in cithara, & voce psalmi. Ps. 97. 5. Non vocem solam, sed opera, assumite: ut non tantùm cantemus, sed & manibus operemur. Qui cantat, & operatur; psallit psalterio, & cithara. S. August. s. 222. de temp.

Cantate & psallite ei. Ps. 104. 2. Hoc est, verbo & opere, prædicate: quia ore canitur, manibus autem psallitur. S. Prosper Aqu. hic.

Favus distillans labia tua. Cant. 4. 11. & mox: *& odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. Per vestimenta virtutes, per thus oratio, intelligitur. Cùm autem ait, vestes animæ thus redolere, dicere, voluit; in ea operari & orare, idem esse, propter devotionem magnam, rectamque operationem. Diez conc. 3. D. 3 Pasch.

Levemus corda nostra cum manibus. Thr. 3. 41.

Ex Novo, & Patribus.

Ut incensum poneret &c. Luc. 1. 9. Incensum est devota oratio. Ps. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum &c.* quæ non dici, sed *poni* dicitur: quia sine dubio non valet oratio, quæ manu non poniur ante Deum, est, quæ operibus non juvatur. Hugo Card. hic.

Petite, & dabitur vobis; pulsate, & aperietur. Luc. 11. 9. Fatur clamant: *Domine, Domine, aperi nobis*. Matth. 25. 11. & tamen non admisse: quia manu non pulsarunt. S. Chrysost. hom. 18. in Matth. sicut qui pulsat ostium, non tantum voce clamat, sed & manu; sic, qui bona opera facit, quasi manu pulsare Deum operibus bonis. Sylveira in Apoc. 7. 9.

Quærite, & invenietis &c. Ib. Petere, orantis est, quærere facientis: petere namque ad orationem spectat; quærere factorum est, quærimus enim factis, quando verè quærimus. Cajetanus hic.

Habentes singuli citharas, & phialas aureas &c. Apoc. 5. 8. Citharæ, cùm manibus pulsentur, bona opera denotant; phialæ autem orationes, ut ipse Joannes explicat: sterilis enim oratio sine bonis operibus. Sylveira hic.

Ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantiùs studendum est; ut voces actibus adjuventur: jam inanis fit oratio, ubi prava est actio. S. Greg. l. 9. ep. 45.

Si quis vult orationis virtute superare diabolum, debet elevare manus, id est, actus ad Deum, ut, ejus conversatio sit in cœlis: *nam bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna*. Tob. 12. 8. Innocentius III. P. l. 2. c. 27.

Accedat cibo boni operis orationis, potus, componens in stomacho conscientiæ, quod bene gestum est. S. Bernardus s. 18. in Cant.

§. XI.

Opera semper, & ubique potes exercere.

ESther oravit, flevit; Esth. 14. 2. 3. Sed quem sibi delegit ad sua vota locum? Corpus suum humiliavit jejuniis; omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, cinium laceratione complevit. Speravit, gratiores Deo fore preces suas, si voluptatis sedem in squaloris exedram convertisset: si suo ibi fletu Domino litasset, ubi deliciis perfundi consueverat. Judith. 9. 1. *ingressa in oratorium suum*. c. 12. 7. *& exibat nolitibus in vallem Bethulia*, quibus precibus non confisa suas in conopœo lacrymas, votaque, renovavit c. 13. 6. *stetitque ante le-*

te lectum orans cum lacrymis. In conopœo smaragdis, violisque distincto, quis pro illecebra erupturum crederet luctum à fœmina, præsertim mitrata, & delibuta? Ideo Assyrium alieno pugione confodit, quia alieno loco, & tempore, oravit, & flevit. Oliva l. 6. Strom. §. Non est tibi curæ Luc. 10.

Cùm Sapiens Ecclæ. 3. unicuique rei tempus assignaret, non tamen dixit, tempus bene operandi, & tempus à bono opere cessandi, vel malè faciendi: quia bene semper, malè nunquam facere oportet. Aloys. Novar. Elect. Sacr. l. 2.

Manè semina semen tuum, Eccl. 11. 6. Hoc est in tempore juventutis: quia *bonum est viro &c.* Thr. 3. 27. *Et vespere necesset manus tua*, id est, in senectute. q. d. in omni tempore, & ætate, sine cessatione sunt facienda bona. S. Bonav. hic.

Joannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. 2. Vincitur ab Herode Joannes quid egit in carcere? oravit; passus, innovit, jejunavit, & Præcursoris munere tum maximè defunctus. Quid agat in cruce latro? sui cum criminis pœnitet. Christo se lavandum præbet, socium latronum objurgat, & curam ejus agit. Luc. 23. 41. Nè fortè putares, in templo solùm & flagrarethus, & myrrham legi. Nescis & Samaritem, Luc. 10. 31. & viatorem prope. Jericho seminecì opitulatum; idque in campo advenam præstitisse; quod in templo vix Levitæ conficerent? Sacerdos certè id in agro non præstitit. Oliva l. 5. Strom. §. quæ mulier habens drachmas decem. Luc. 15.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, Luc. 7. 30. Etiam ubi bibatur, scit pœnitentia lacrymari: etiam dimissa in pace charitas nescit otiari. Publicanus in templo cor tundat; Magdalena potest lugere inconvivio, Oliva l. 11. Strom. §. ut cognovit &c.

Accendit lucernam, & everrit domum. Luc. 15. 8. Quærenda domi dracham: non enim in foro amissa est, sed in conclavi tuo. Abesse quisque credit à suo munere drachmam. Audias mercatores telonio imputare, quòd cœlum non respiciant. Aulicus, ad aulæa charitatem florere non posse, vociferatur. Qui lugeam intrà cassidem? inquit miles. Quis non efferveat inter sontes? ait Judex. Verbo nemo drachmæ jacturam non fateatur; quisque verò procul eam à suo nido latere putat. Fallimini omnes: *regnum Dei intra vos est*. Luc. 17. 21. Quòd si regnum; quantò magis drachma. Quæratis oportet, & eam reperire non dubitetis. Sampson in pristino psallit, orat Jonas in ceto, jejunat Daniel in palatio; ignoscit David & filio in fuga, & regi in spelunca, & Semei in via. Zachæus convivium parat, & pœnitentiam agit: Jacob dormit, & cœlum spectat: Judith inter phaleras castior, quàm in cilicio: insulata Esther coronam, ut pannum menstruatæ, fastidit: introductus post cœnam juvenis Tobias ad sponsam thalamum in aram vertit, conficit è rosiis thura. Tob. 8. 4. *exurge, & deprecamur Deum &c.* Oliva l. 5. Strom. §. quæ mulier habens drachmas decem.

§. XII.

Opera eadem sæpius repete.

Ex Veteri, & Novo.

REversusque est per iter, quo venerat, à meridie in Bethel, usque ad locum, ubi priùs fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai. Gen. 13. 3. Vatablus: reversus *per iter* vertit, *per eadem mansiones*. Cur per eadem loca, quibus venerat, reverti voluit? Guilielmus Pepinus Gen. 13. q. 3. respondet: quia novit bona hospitia; & ad illa declinavit redeundo, in quibus honestè locutus fuerat eundo. Quò significavit: quæ felix, & prospera, cujus via accedit, eam constanter ineundam; neque ignota, aut tentanda vada, aut quærenda itinera. Did. Nyss. f. 2. D. Palm.

Et deposuit ea, & tulit baculum suum &c. 1. Reg. 17. 40. Prælaturus cum Goliath David, regia arma ponit; ad pastoralia redit: quia in his leonem, & ursum interfecit. Sylveira in Matth. 26. q. 5.

Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, qui est in Sancto. Ps. 67. 25. Cur ait Propheta, visos ingressus Dei, & non egressus ejusdem? Causa est: quòd Deus, cùm alicubi est, ubi illi benè est, & grata habitatio, nescit egredi: non reperit, quà exeat; sed conquiescit dulciter, & perseverat constanter; Discant id à Deo devotæ animæ. Did. Nyss. f. 2. D. Palm.

Interum secundo abiit, & oravit, tertio eumdem sermonem. Matth. 26. 39. 42. 44. An verborum inops fuit ut nos doceret, repetere verbum quodcumque illud Deo loquimur; quo spiritum nostrum excitari, accendi devotionem, sentimus; nec discedere à mysterio, quòd copiosam meditationis sylvam ministrat. Id. ib.

Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis &c. Joan. 21. 16. Iteratò Salvator interrogat: non quòd ignoret, aut non verum sit, quod Petrus antea respondit; sed ut confitendo sæpiùs mercatur ampliùs: & enim Salvator omnium Christus semper suis Fidelibus parat ordinem plus merendi. Sim. Cass. l. 14. hic.

Exemplum S. Magdalenæ sæpius ad pedes Domini.

Sedens secus pedes Domini, Luc. 10. 39. Ex quo in amore facta ferventior, in humilitate proclivior; semper illos animo & situ sui corporis, repetebat. Postposuerat hæc omnem corporis curam, sibi vocans, sibi attendens: non ad erogandum, sed accipendum sollicita, & propensius avida. Simon Cass. l. 9. c. 33.

Videns eum cecidit ad pedes ejus. Joan. 11. 32. Antiquum suum locum occupat Maria. Ad pedes Christi obtinuit veniam peccatorum; ad pedes ejus sperat impetrare fratri vitam suæ felici viæ instanter adhæret. Sylveira hic. Locum proprium Maria agnovit pedes Jesu; & ità agnovit, ut non faceret, sed caderet; tamquam impotens se continere juxta pedes Jesu, à quibus veniam consecuta fuerat. Cajetanus hic.

Unxit pedes Jesu. Joan. 12. 3. Recta vadit, qui ad profectum animæ contendit per viam, quæ illi felix semper accidit. Magdalena in pedibus Christi invenit, quam suspirabat veniam, & consolationem. Luc. 10. 39. ad pedes Christi *audiebat verbum illius*: hodie eosdem pedes, apud quos tam bene illi fuerat, tota unguenti libra tinxit à quo enim apud Sacrosanctos illos pedes noxarum suarum gratiam invenit, tanta fuit illius erga illos observantia, & fiducia; ut ad illos semper adiret, & accederet. Docuit sic devotos, & contemplationi deditos: ut qua de materia cum fructu animæ semel meditati fuerint; sive ea sit mors, sive Judicium extremum, sive Infernus &c. huc identidem recurrant, & scintilla ibi requirant, ubi semel in meditatione exarsit ignis. Did. Nyss. s. 2. D. Palm.

Magdalena sæpius osculatus pedes Domini, & unxit & quarit.

Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Luc. 7. 45. Verum Dei amatorem describit, qui paucis amoris sui signis non contentus, nescit cessare ab amoris operibus. Baeza t. 2. l. 6. c. 5. §. 29.

Unxit Maria pedes Jesu. Luc. 7. 38. Matth. 26. 7. Marci 14. 3. Joan. 12. 3. In prima unctione quærit scelerum indulgentiam; nec de pretio unguenti curat. At dein gratiarum actioni tota intenta, quia Christus fratrem suscitarat. Iterum Maria ad unctionem venit. Felix auspicium sæpius repetendum. Sylveira in Matth. 26. q. 5.

Dum ergo flevit, inclinavit se, & prospexit in monumentum. Joan. 29. 11. Certè jam monumentum vacuum viderat, jam sublatum Dominum nuntiaverat: quid est, quòd se iterum videre desiderat? sed amanti semel aspexisse non sufficit: quia: vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. S. Greg. hom. 25. in Evang.

§. XIII.

Opera heroica, perfecta.

QUia fecisti hanc rem. Gen. 22. 16. Oleaster hic, in Annotatior. Hic Dominus non solùm opus commendat; sed tanti facit, ut nomen, quo laudet, aut operi imponat, non inveniat. Insigne hoc facinus quædam velut summa est omnium illius præclarè gestorum, quod alia obscuret, & unum plurium instar sit. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 11. c. 1. Excepit Angelos lautè Abraham. Gen. 18. 10. Convivii merces unus vix Isaac fuit, uxore quoque repræhensa: *habebit filium Sara uxor tua*. Sed in monte. Gen. 22. 17. filium immolaturus, suis è lumbis proruptura accepit stella. Unde discrimen mercedis? Ibi saginatus occiditur vitulus; hic aræ filius imponitur. Citò, & facilè, mensi instruitur: at excitanti nocte angelo parere, aram pro filio struere, per quàm arduum. Oliva lib. 2. Strom § Ecce Magi ab Oriente.

Stipate me malis. Cant. 2. 5. quasi dicat: Domine, da mihi labores, & persecutiones. Ex conceptibus divini amoris c. 1.

In portis nostris omnia poma. Cant. 7. 13. Cur in portis? ut furi pateant? Hebræa phrasi in portis esse, est in promptu habere. Significat igitur promptitudinem ad facienda, quæ Deo placent. Fatuit sat erat, oleum in foro esse. Et quia judicia in portis fiebant, sensus est: omnia sua opera deducta esse in rectissimum examen. De Ponte hic Exh. 25. §. 2.

Ecce Magi ab oriente venerunt. Matth. 2. 1. Et apud Evangelistas personarum distinctio est: nam, cum & pastores, & magi, puerum convenissent; de his honorificè, de illis ne per transennam scripsit. *Ecce* vox admirantis est. Pastores quidem à caulis profecti sunt ad antrum; nullis puerum manum operibus: quod sciamus ex Evangelio, honorarunt, de eo clanculum inter se locuti: ideo vix facilitas, bonorum operum jejunicas, eorum apud superos adventum infirmarunt. Quò durius obsequium in numen est, eo largiora ab eo manant munera. Oliva l. 2. Strom. §. Ecce Magi.

Peperit Filium. Luc. 1. 57. Filium, non Eliam, peperit: ut cognoscamus, numquam Angelo revelante, neque supra naturam in conceptu mirabili fœminam esse conceptam, aut pro-

prodiisse de partu; sed semper prædicante virtute superna conceptus fuisse mirabiles, & partus fuisse viriles; ut non effœminatæ, sed fortes fiant hominum actiones. Sim. Cass. lib. 3. hic.

Nè fortè honoratior sit invicatus. Luc. 14. 8. In domo Dei, non qui tempore; sed qui meritis prior, ille prior. Putaram eum, qui prior advenerat, hoc nomine primum etiam locum promeruisse. Sed Christus id negat; adeoque etiam suadet: ut, qui alios præoccupavit tempore, non propterea superiora loca invadat: nè fortè posterior adveniat, cui pro majorum meritorum debito cedere debeat. Did. Nyss. D. 16. Pent. §. 4.

Miscellanea.

Ecce leprosus veniens adorabat eum. Matth. 8. 2. O verbum melle dulcius! eadem exaggeratione, qua regum trium adventum narravit dicens: *ecce Magi ab Oriente venerunt*, nunc pauperis leprosi adventum exaggerat. Hæc est divini ingenii generositas, & amplitudo: tanti namque pauperum, quanti regum, ministeria æstimat: non enim hominis qualitatem; sed ejus potiùs animum, & affectum attendit. Diez conc. 1. D. 3. Epiph.

Prima opera fac. Apoc. 2. 5. Non dicit, primum opus. Baeza c. 2. l. 6. c. 5. §. 29.

Ut annulus cupreus, sive æreus, pretiosissimo adamante ornatus, magni valoris est; non ob metallum, sed ob gemmam annulo inclusam: sic bona opera nostra, in gratia facta, vitam æternam merentur: non quod nostra sint; sed quia fiunt in gratia; & insignita sunt tamquam pretiosissimo adamante; meritò mortis, & Passionis Christi, cui per gratiam adheremus. Diez Meritum.

TITULUS VIII.

OPPRESSIO PAUPERUM.

§. I.

Symbola, Similitudines, Comparantur Piscibus.

ET facies homines quasi pisces. Habac. 1. 14. q. d. cur permitis Domine, ut, sicut pisces majores, & fortiores devorant minores; ità homines potentiores, & tyranni, v. g. Chaldæi: devorent eos, qui sunt imbecilliores. Cornelius hic.

Minor apud illos (pisces) esca majoris est: rursus ipse major à validiore invaditur; & fit esca alterius prædator alieni. Itaque usuvenit: ut, cùm ipse alium devoravit, ab alio devoretur, & in unum ventrem uterque veniat cum voratore proprio devoratus. *In signum facti sunt*, ut in his nostrorum morum vitia videremus, & caveremus exempla, ne quis potior inferiorum invaderet; daturus in se potentiori exemplum injuriæ. Et tu piscis es, qui invadis aliena. Cave, ne, dùm illum sequeris, incidas ipse in validiorem. S. Ambros. l. 5. hexam. c. 5.

Non secus ac pisces, qui sunt potentiores, imbecilliores devorant. S. Chrysost. in Ps. 110.

Ut pisces, qui jam adoleverunt, justa corporis magnitudine ex insidiis imminent nondum per ætatem adultis, quo illos parent in sui alimoniam: ità & ipsi primores, ac Magistratus, nullo suo negotio, injurii sunt imbelles, & opprimunt. Qui, si quid obtinuerint, indemne illis cedit, & impune; neque hinc quidquam sentiunt doloris: ideo ut cùm rapto vivant, rapinam vi à pauperibus extortam suam deputent venationem. S. Antiochus hom. 37. de fide.

Plurimi è piscibus sunt, qui mutuò se devorant; & minor inter illos majoris cibus est. Quod si quando contingat, eum, qui minorem ceperat, fieri alteriùs prædam; ambo sub eundem veniunt ventrem postremi. Quid nos homines aliud faciamus, cùm potentia opprimimus inferiores? Isidorus Clarius l. 1. or. 57.

Comparantur leonibus.

Divites eguerant &c. Ps. 33. 11. In Hebræo Pro: divites, est *leones*, sive *leunculi*: vocat enim Propheta divites impios, leones; quòd aliena rapiant. Bellarminus hic.

Catuli leonum rugientes, ut rapiant. Ps. 103. 21. *Exibit homo ad opus suum &c.* v. 23. Hinc admonemur: bestiis, quæ ratione, & manibus, carent, datum esse à Deo; ut per insidias nocturnas ex rapto vivant: hominibus verò, qui ratione, & manibus, ornati sunt, prohibitas esse rapinas, & insidias: cum possint ex justo labore manuum suarum terram exercendo, vel mercaturam faciendo, vivere. Proinde fures, & latrones, & quicumque insidiando, decipiendo, mentiendo, rapiendo, vitam ducunt; ordinem divinæ providentiæ, quantum in se est, perturbant; & de illis rectè dici potest. Ps. 40. 13. *homo, cùm in honore esset, comparatus est jumentis insipientibus &c.* Idem hic.

Alia Symbola.

Nemorod ipse cœpit esse potens in terra. Gen. 10. 8. *& erat robustus venator coram Domino*. v. 9. Primus cœpit tyrannidem exercere, ait S. Hieronymus: quæ tyrannica violentia significatur hic: *erat robustus venator*. Frequens metaphora in sacris literis ad significandam tyrannidem. Ps. 90. 3. *liberavit me de laqueo venantium*. Thren. 3. 52. *venatione cœperunt me inimici*. Ezech. 32. 30. *princeps Aquilonis, & universi venatores*. Fernandius hic. Nemorod interpretatur *tyrannus*. S. Isidorus l. 7. etym. c. 6. Et Pererius inquit: vox venator significat insidiosum: & violentum oppressorem hominum. Sic & Abulensis: *robustus venator*, id est, per violentiam homines opprimens, tamquam animalia capta in venatione. De Arcones in Is. 3. Disc. 5.

Sicut Camelus &c. Levit. 11. 4. Per gryphes potentum crudelitas designatur, qui ferina rabie in subditos debacchantur. Hugo Card. hic.

Conterebam molas iniqui. Job 29. 17. id est, destruebam violentiæ rapacitatem; ne scilicet posset ulteriùs rapere. S. Thom. Aqu. lect.

Qui devorant plebem meam, sicut escam panis. Ps. 5. Sicut enim panis quotidie comeditur, & semper sapit: ità impii semper & cum delectatione vexant pios, & nunquam satiantur. Bellarminus hic.

Qui devorant plebem meam ut cibum panis. Ps. 52. 5. Quærit S. August. hic, cur metaphoram panis adhibeat? omittatque tam multas, vel fructum, vel ciborum? & respondet: ut significat efficacius ministrorum tyrannidem indefessam in miseris opprimendis. Verba illius sunt: possumus modò illa, & modò ista: non semper olus, non semper carnem; semper autem panem. Quid est ergo, devorant sicut escam panis? sine intermissione devorant. Et quid sequitur? *Deum non invocaverunt*, quia fictilia inopum calcat, & potentiorum tapetia vestigiis premet. Oliva t. 1. conc. 6.

Contribulasti capita draconum in aquis. Ps. 73. 13. Dracones Ægyptios vocat; capita verò draconum eorum Duces, & Centuriones, & Præfectos. Draconem, quem singulariter dixit, Pharaonem nominat; qui multis principibus præerat. B. Theodoretus hic.

Generatio, quæ pro dentibus gladios habet. Prov. 30. 14. Hebr. *cultros habent molares*, id est, dentes molares habent acutos; ut non tam dentes, quàm cultri acutissimi, esse videantur. q. d. devorant, & expilant pauperes tam crudeliter, acsi instar ferarum, dentibus velut cultris eos laniarent. Corn. hic.

Qui opimus in eis est, quasi paliurus. Michææ 7. 4. q. d. qui inter hos optimates injustos, & rapaces, videtur optimus, id est, minùs malus; si cùm cœteris rapacioribus comparetur; is tamen, quasi paliurus spinosus, & asper, pungit, vulneratque proximos. Id. hic.

Crudeles similes canibus; qui percussum canem, & ululantem persequuntur. Ps. 108. 17. *persecutus est hominem inopem, & mendicum*. Geminiani l. 5. c. 30.

§. II.

Oppressionem pauperum cavendi motiva.

Num. I.

Primum.

Quia barbara, fera crudelis.

Ex Veteri, & Novo.

NOluit bibere, sed libavit eam Domino. 2. Reg. 23. 16. Causam dat S. Ambros. priori Apolog. pro David c. 7. intendit David hoc facto ostendere: quàm longè à tyrannorum ingenio absit: hi enim subditorum sanguinem avidissimè bibant. At David: *num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum, bibam?* Pinna in Eccl. 5. Ethol. 62. Prospexit, nè cui regum bibendi usus alienis periculis quæreretur. S. Ambros. in Apol. c. 7. Paternum fuit illud Agamemnonis suspirium; quando pro felici navigatione filiam lituturus ait: ventos sanguine emimus! Et regium erit, quod non horreat, subditorum sanguine ludicras sibi comparare delicias? & bonorum hominum sudores, & lacrymas, in ludis consumere? Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 10.

Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum. 3. Reg. 21. 2. S. Ambros. l. de Nabuthe c. 3. hæc erat omnis insania, hic omnis furor; ut spatium vilibus oleribus quæreretur. Non tam ergo ipsi cupitis (alloquitur divites avaros) quasi utile possidere; sed alios vultis excludere. Major cura vobis est de pauperum spoliis, quàm de vestris emolumentis injuriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione divitis æstimetur &c. Avis avibus se associat, denique ingenti plerumque agminis volatu cœlum obtegitur: pecus pecori adjungitur; pisces piscibus: nec damnum ducant, sed commercium vivendi, cùm plurimum comitatum capessunt; & quoddam munimentum solatio frequentioris societatis affectant.

Solus tu homo consortem excludis, includis feras; struis habitacula bestiarum, destruis hominum; inducis mare intùs prædia tua, nè desint belluæ: producis fines terræ; ne possis habere finitimum, Ramirez in ep. 4 v. 24.

Factus est Dominus refugium pauperi. Ps. 9. 10. Non timeant ampliùs pauperes: quia Dominus in cœlo sedes factus est refugium pauperum. Bellarminus hic.

Dives injustè egit, & fremet: pauper autem lusus tacebit. Eccl. 13. 4. Dives graviora se illaturum comminabitur, si vel pauper ob injuriam mussitet. Leo Symbolum principum, dum gregem invadit; licet oves occidat, reliquæ tamen neque hiscere audent. Pinna in Eccl. hic, Ethol. 250.

Pascua divitum sunt pauperes. Eccl 13. 23. Multi sunt, qui pauperibus non aliter ac fundo suo utuntur: ex horum sudoribus victum sibi, & delicias quærunt; hos, sine ulla mercede, ad labores indebitos cogunt, & verbis durissimis compellunt. Segneri s. 22. D. 4. Quad.

Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Eccl. 34. 27.

Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo ejus marcescet. Is. 17. 4. Ubi divitiæ vocantur carnes pingues. Sic enim vertit, S. Hieron. quis igitur non sine gravi sensu doloris sibi carnes amputari, & viscerum extrahi medullas, ac vitalem pinguedinem exugi feret? Fernandius in Gen. 2. 21.

Violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei &c. Michææ 3. 2, 3. Hinc vocantur opes pellis, caro, ossa; quas qui violenter, & injustè diripit, miserum hominem excoriat, exossat, concidit in frustra, decoquit, devorat. Fernand. in Gen. 2. 21.

Vade ad mare, & mitte hamum. Matth. 17. 26. Cur, ad didrachma solvendum, Petrus ad mare mittitur? Cassiod. l. 10. var. 13. ultra omnes crudelitates est, divitem velle fieri de exigustate mendici; paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecuniam non repellit. Sylv. hic q. 9.

Et missa spiculatore attulit caput ejus in disco. Marc. 6. 27. Cur Baptista decollatus occubit? S. Fulgentius s. 7. multorum jam capita piscium, pecudumque præcesserunt. Sed, quantum est ad regia voluntatem, nihil actum, nihil procuratum esset; si defuisset regio prandio caput humanum. Mundialium principum tyrannis non satiatur tantùm piscium, pecudum, altiliumque, capitibus; quantum suorum sanguine. Sylveira hic qu. 14.

Da mihi bibere. Joan. 4. 7. Mundi principes non situnt suorum sanguinem. Hic veri regis Christi exactiones adverte, quas exigit à suis; nempe parum aquæ, ut ardentissimi siti satisfaciat. Non est ea sitis tyrannorum Mundialium, quam extinguat aqua, sed suorum sanguis. Baeza tom. 2. l. 6. c. 3. §. 10.

Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Luc. 22. 28. Nota, quòd dicit *meis*: omnes enim tribulationes, quæ Fideles Christi sustinent, Christi sunt, Christo inferuntur. Unde qui viduas, vel pupillos, vel pauperes, opprimunt, Christum persequuntur. Unde, & Paulo non dicitur: quid Fideles meos, sed, *quid me persequeris*. Act. 9. 5. S. Bon. l. 3. D. infra oct. Asc.

Ex Patribus, & aliis.

Belluarum est, sibi vivere; nec suas utilitates in commune conferre. Qui opprimendis, ac decipiendis hominibus homines nati persistunt, in mores ferinos, non naturæ, sed vitæ mutatione degenerant. S. Prosper Aqu. l. 3. c. 22.

Est etiam mensa diaboli: in qua non nisi animarum sanguis bibitur; non nisi cruciatus hominum in cibo sumitur. Petrus Cell. l. de pan. c. 1.

Christus semel olim crucifixus in ligno foris; in pauperibus suis crucifigitur, & torquetur in luto. Petrus Bles. in Quærimonia Abbatis sub onere Prælaturæ.

Carnem, & sanguinem, auferunt raptores pauperibus; cùm auferunt eis illa, quæ ipsi acquisierunt labore, ac sudore, & proprii corporis consumptione: quæ etiam proprio corpori subtraxerat; ut in carnem converterentur, & sanguinem. S. Thom. Aqu. l. 6. c. 2. de erudit. principum.

S. Francisco de Paula à rege Franciæ Ludovicæ XI. oblata erat, coram multis nobilibus, plena lanx pecunia, ad Conventum Ordinis Neapoli ædificandum. Sed recusavit accipere Franciscus pretium, ut ajebat, popularis sanguinis, per injusta vectigalia expressi: & arreptum è numis unum diffregit, per medium; ex quo continuò stillavit sanguis. Bolland. 2. Apr.

Ludovicus XII. Rex Franciæ dicere solebat: plebem, & rusticos, esse pascua tyrannorum, & militum: tyrannos autem, & milites, esse pascua diabolorum. Cornel. in Levit. c. 11. 13.

Num. II.

Secundum.

Oppressio pauperum clamat in Cœlum.

Vox sanguinis fratris tui clamat ad me terra. Gen. 4. 10. Quid tunc? exulat victus à clamore: prævaluit adversus Abel, non clamorem. Naxera in Josue 24. §. 20.

Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ, multiplicatus est. Gen. 18. 20. §. Chrysost. hom. 42. in Gen. multas injustitias, quas commiserunt demonstravit; & surrexerunt potentiores, ditioresque contra pauperes. Proinde inquit, *non solùm erant magnus planctus clamoris*; sed & peccata illorum non vulgaria fuisse, sed magna apud Pinna in Eccl. 5. Ethol. 62.

Clamaverunt ad Dominum filii Israel; qui posuit tenebras inter vos, & Ægyptios, & adduxit super eos mare. Jos. 24. 7. Injustè afflicti clamores sunt fortissima contra oppressores mala. Naxera hic §. 20.

Vox in rama audita est. Matth. 2. 18. Rama interpretatur *excelsum*, Unde Jer. 31. 15. *vox in excelsis audita est*: quia in cœlum coram Deo ascendit. Sicut Jacobus c. 5. 4. de pauperibus dicit: *clamor eorum in manus Domini Sabaoth introivit*. Dion. Carth. hic.

Num. III.

Tertium.

Oppressores pauperum Deus odit, vindicat.

Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum &c. Gen. 9. 5. Sanguis animæ lacrymæ sunt, ut dicit Augustinus, quas Dominus vindicat in oppressores pauperum, & viduarum. Hugo Card. hic.

Memento, quæ tibi fecerit Amalec in via. Deut. 25. 17. Iram vult nos Deus deponere, & injuriarum non meminisse: cur ergo hoc populo illatum malum altè mandat animo retineri, & vendicari; Imò verò 1. Reg. 15. 3. jubet Deus Sauli, ut hanc illatam injuriam vindicet. Cur Deus ità irascitur Amalec, ut penitus velit deletos? Deut. 25. 18. *quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit*: Scilicet ob id valde offensus Deus, quod imbelles homines, &, qui se tueri non poterant, sit aggressus. Sic vindicat Deus oppressionem pauperum. Pinna in Eccl. 5. Ethol. 62.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei circumdabit me. Psal. 48. 6. S. Chrysost. hic: quid timebo in die malo? unum tantùm: nè fortè viæ meæ, & vitæ iniquitas, me circumdet. Scit Scriptura fraudem vocare calcaneum. Theodoretus: calcaneum aliqui iter vitæ nuncuparunt: ego verò opinor fraudem significare, ex translatione eorum, qui currunt, qui calcaneo sæpius adversarios dejiciant. Juxta hoc Patres, David super omnes improbitates iniquitatem calcanei, fraudis, & direptionis pauperum adstruit, à principibus, & Dynastis pertimescendam. Arcones in Is. 3. Disc. 2.

Timeo ego Dominum meum regem, qui constituit vobis cibum, & potum. Dan. 1. 10. Prudenter hoc dixit princeps Eunuchorum. Sic timeant omnes principes Regem regum; qui omnibus hominibus cibum, & potum constituit. Is, dum videt alios regiis beneficiis infarcinari; alios spoliari, & despici: sane domnabit caput servorum suorum, etiam regum. Baeza t. 2. l. 6. c. 8.

Audite verbum hoc vaccæ pingues &c. Amos 4. 1. 2. *quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quia ecce dies venient super vos, & levabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis ferventibus*. Qui enim; ut vaccæ pingues impinguebantur de pauperum substantiis, ut amplas ollas sibi coquerent ad suas delicias; meritò talem pœnam suscipiunt; ut & ipsi in ollis coquantur, & à flammis devorentur. Sylv. addit. in Matth. 16. q. 2.

Nihil sic consuevit exacuere iram Dei, ut injustitia per principum violentiam adversus pauperes commissa. S. Chrys. Enarrat. c. 1. Is.

Quod dedistis, dicitis; quod rapuistis, non dicitis? quos pavistis, memoramini; quare non recordamini quos necastis? Sanct. August. hom. 47. ex 50. apud Olivam t. 2. conc. 7. die Ven. post Cin.

Dominus Jesus pauper, & mendicus; pauperum, & egenorum, hominum pauperrimus; cœli, & terræ Dominus à Deo constitutus; ad dexteram Dei sedet pauperum omnium patronus, & fautor. Caveant divites, & potentes, ne supprimant vos: est enim qui quærat, & judicet. Noverint, quia Patronum potentissimum habetis in cœlis; qui pro vobis respondeat: & Judicem severum, qui injurias vindicet hujus Mundi. Timeant offendere defensorem, qui ait Psal. 11. 6. *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dixit Dominus*. O quot judicia occulta, & secreta, quotidie fiunt in terra propter hos in pauperum spoliatores, & vexatores. S. Thom. Vill. tr. de Adv. Dom.

Cùm quidam multis imprecationibus subditos suos miserè afflixisset, & coegisset arcem durissimis laboribus ædificare; eosque

eosque inter laborandum, & aliàs, nullo alio nomine, quàm canes vocaret; nondum ædificio absoluto, in gravissimum morborum incidit: cumque nondum ab imprecando, & convitiis solitis desisteret; elinguis factus, nullam articulatam humanam vocem dedit, sed solùm latratum caninum. Philippus Camerarius Centur 1. hor. succiſ. c. 85. apud Stengelium tr. 2. Judic. div. c. 53.

Motiva alia.

Inclinabit se, & cadet; cùm dominatus fuerit pauperum. Pſ. 10. 10. Cùm enim omnibus superior factus fuerit, minimè tamen effugiet mortis fauces; sed æquè, ac cœteri homines, sepulchro tradetur. B. Theodoretus hìc.

Cùm viro innocente innocens eris. Pſ. 17. 26. Id est, qui nemini nocet, Deus se innocentem præbebit, id est, ci non nocebit, neque noceri ab aliis sinet. Bellarm. hìc.

Sicut liberalitas signum est rusticitatis. Unde aliqui, qui reputantur nobiles, si ità loquendum est, rusticissimi sunt: eò quòd bonis suis spolient pauperes. S. Th. Aq. opusc. 38. de erud. princ. c. 5.

T I T U L U S IX.

O R A T I O.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri.

Vidit que in somnis scalam &c. Gen. 28. 12. Ascensus Angelici sunt illuminationes, & meditationes, ascendentes in cœlum. Descensus verò sunt consideratio nes peccatorum, & miseriarum, omniumque defectuum nostrorum, & condescensivæ compassionem ad proximum. Sanct. Thom. Aqu. hìc.

Pone custodes fontium. Judith. 7. 9. Incidit diabolus aquæ ductum, cùm nos ab oratione avertit: per orationem enim quasi canalem, omnis Dei gratia in nos influit: unde & succisa, diabulus nos superat, & capit. Corn. hìc.

Vox Domini super aquas. Pſalm. 28. 3. Vox orationis, ut à Deo procedit, potestatem habet super omnes aquas gratiarum, quas è cœlo descendere facit. De Ponte in Cant. 2. Exh. 28. §. 2.

Fulcite me floribus. Cant. 2. 5. idest, juvate orationibus. Hugo Card. hìc.

Sicut turris David collum tuum &c. Cant. 4. 4. Collum mysticum animæ sanctæ est oratio, ità Theodoretus. 1. Sicut collum erigitur in altum; sic oratio mentem à terra sustollit ad Deum in cœlum. 2. Sicut per collum spiritus attrahitur ad interiora refrigeranda, & roboranda; sic per orationem attrahimus spiritum Dei, qui æstus concupiscentiæ refrigerat, mentemque animat, corroborat. Unde Pſal. 118. 131. *os meum aperui, & attraxi Spiritum.* 3. Sicut turris urbem communis: sic oratio animam: & sicut turris suis vallatur propugnaculis, clypeis, & armis; sic orationis propugnacula sunt virtutes. Denique in ea est *omnis armatura fortium.* v. 4. Cornel. hìc.

Aperiet os suum in oratione. Eccl. 39. 7. Infantibus, & pullis, non datur esca, nisi os aperiant. Broymard. Oratio.

Ex Novo.

Obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11. Aurum Deo offerimus; cùm per patientiam probati in tribulationibus non deficimus. Thus ei in ara cordis incendimus, cùm interno ejus amore flagrantes, per studium compunctæ, & lacrymosæ orationis ei placere contendimus. Myrrham quoque de nostri cordis arca proferimus; cùm pro ejus amore vigilando, orando, jejunando, petulantiam carnis edomamus. B. Ivo Carnot. ſ. de Epiph. Dom.

Fiat voluntas tuas. Matth. 6. 10. Catenam auream è cœlo pendere finxit Homerus, à Jove emissam; ut cœteri in terra degentes, ad eam appensi, ipsum è cœlo traherent: qui omnes toto conatu, opus aggressi inconsideratè in cœlum sunt tracti. Orationem S. Dionysius affirmat esse catenam auream; qua Deum ad nos trahimus, nosque ad eum trahimur; dum velle nostrum ejus voluntati subjicimus. Cornelius hìc.

Unge caput tuum. Matth. 6. 17. Oratione caput, scilicet Christus, ungitur; quæ ipsum mollificat, & suavem reddit peccatoribus. S. Vinc. Ferr. ſ. in die Cin.

Accendit lucernam. Luc. 15. 8. Lucerna est orationis instantia; drachma verò est gratia divina; quæ, si perdita fuerit, reperitur cum oratione devota. Sanct. Bonav. diæt. ſal. c. 14. de or.

Ascenderunt in templum, ut orarent: Luc. 18. 10. Ad hoc debet quilibet ascendere in Ecclesiam, idest, ad orandum; non ad videndum mulieres; vel prava, & vana colloquia faciendum; quod tamen multi faciunt. Hugo Card. hìc.

Recubuit - super pectus ejus. Joan. 21. 20. Illi recumbunt super pectus Jesu, qui sapientiæ, & scientiæ, dant operam, & qui lectioni vacant, & contemplationi. D. Euseb. Emiſſ. in Nat. S. Joan. Evang.

Habentes phialas aureas &c. Apoc. 5. 8. Anima Jesu phiala aurea est plena odoramentis, quæ sunt orationes Sanctorum. Petr. Cell. c. 19. de pane mercen.

Ascendit fumus incensorum &c. Apoc. 8. 4. Sicut incensum super carbones frigidos non facit fumum ascendere; ità nec oratio. Broym. oratio.

Ex Patribus.

Sicut mendici, & famelici, in civitate per vicos, & plateas, de domo in domum, quærunt panem; ità & nos civitatem cœlestem, nunc per plateam Apostolorum, nunc per plateas Martyrum, nunc Virginum, nunc Confessorum, circuire, meditando quærere, & mendicare, ac orare debemus. S. Bonav. ſ. 6. infra oct. Epiph.

Anima est civitas summi Regis, & dicitur *civitas virtutum.* Pſalm. 47. 9. quia virtutes ibi sunt. Sed Ismaelitæ, Moab, Agareni &c. obsident hanc civitatem: id est, diaboli, & malæ cogitationes. Prudentia autem currit ad arcem sapientiæ, quasi ad dominam virtutum, consilium ab ea quærens: quæ testatur, quærendum summi Regis auxilium. Et cùm quærerent virtutes, quis ibit pro nobis? Respondit consilium: unum de septem donis *oratio*: & ne moram faciat, supra equos Fidei ascendat. Proficiscitur oratio per viam cœli, & currit; donec intret portas Domini: & velut mancipium fidele nuntiat Regi imminens periculum. Hoc audito mittit Rex Charitatem Reginam cœli, & tota cœlestis curia eam comitatur. Charitas autem intrans civitatem omnia illicò exhilaravit, commota composuit, turbata paravit. Redit spes in civitatem, quæ primò pènè effugerat; fortitudo, quæ pènè corruerat, & aliæ virtutes. Hæc videntes inimici dixerunt: *fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eis contra nos.* Ex. 14. 24. Sic civitas virtutum, idest, anima, oratione nuntia, liberatur. Sanct. Bonav. in Pſal. 118.

Orans est sicut ille, qui in obsidione quærit, vel petit, succursum: nam sicut ille, qui tenet arcem regis; si obsideretur ab inimicis, reputaretur infidelis, nisi castrum regi denuntiaret obsessum, vel peteret succursum: sic, cùm hostes visibiles, vel invisibiles, obsident animam tentationibus; statim debemus Regi regum nuntium orationis mittere, & obsidionem denuntiare. Qui orat, debet clamare, sicut clamat parvulus, qui vult ubera: sicut clamat catulus, cùm sentit verbera. *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi.* Pſalm. 119. 1. Sicut clamat populus, cùm videt pericula. In oratione debemus os aperire, sicut infans aperit os nutrici, ad suscipiendum nutrimentum vitæ æternæ, scilicet gratiæ divinæ. Sicut pulliculus, qui, dum sentit venire matrem, aperit rostrum versus cœlum. S. Bonav. diæt. ſal. c. 14. de or.

Sicut incensum, antequam approximet igni, quasi mortuum apparet, igneque contactum quasi spirituale fit, & in altum ascendit: sic meritum orationum nostrarum quasi mortuum est; nihilque valet, nisi dilectionis illius igne, quem Christus pro nobis meruit, in thuribulo cordis ejus vivificetur. S. Bernardin. t. 2. ſ. 1.

Aptiùs quidem orationem dixerim officio legationis insistere: quæ causas malè advenientes novit exponere, atque adversa indicare, quæ patitur author ejus. Hæc existens in terris cœlo se inserit; constituta in imis alta pulsat. Sibi non obsistunt intervalla locorum, & nulla munimenta sibi obicem faciunt. Sim. Caſſ. l. 5. c. 15.

Oratio gerit imaginem Christi cœlum ascendentis: quid enim est orare, nisi mente cœlum conscendere. Hug. Card. in c. 7. Matth.

§. II.

Oratio est necessaria.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8. 24. Non es securus à tempestate, si ità remiges, ut orare negligas. Oliva t. 2. Strom. §. Ipse vero dormiebat.

Ascenderunt in templum ut orarent. Luc. 18. 10. Sicut corpus indiget anima, ut vivat naturaliter; sic anima indiget oratione, ut vivat spiritualiter. Et sicut homo vivere non potest sine respiratione; sic nec sine oratione: orando enim emittit spiritum desiderii ad Deum, & ab eo vicissim recipit spiritum virtutis desideratæ. Proinde ac homo spirando emittit veterem halitum, & novum attrahit, ac immittit. Cornelius hìc.

Sine me nihil potestis facere. Joan. 15. 5. Si ergo sic certissimè constat esse, si volumus bonum cogitare, si bonum dicere, si bonum facere; quid restat? nisi Deum orare. S. Bonav. ſ. 31. D. 1. post oct. Epiph.

Petrus, & Joannes, ascendebant in templum. Act. 3. 1. Cur an-

ante miraculum claudi describitur eorum oratio? S. Basil. Sel. or. 21. id primùm in dictis cognitu necessarium est, quòd in tantam dignitatis celsitudinem evecti Apostoli orationem minimè neglexerint. Nam homines cùm essent, hinc quoque petitio præsidio egebat. Quòd si Apostoli precationis opes non excutiunt; quantum nos crimen incurrimus, qui per incuriam tam salutare projicimus viaticum. Sylv. hìc q. 1.

Quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vita carens, expersque sanæ mentis. S. Chrysost. de orando Deum l. 1.

Cùm video quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida, vehementique cura teneri; continuò mihi palam est, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Id. ibidem.

Admirandus ille David, Goliath illum immanem, cùm veluti dæmon quispiam formidandus irrueret; non armis, neque gladiis, sed precibus dejecit. Id. ib.

Quemadmodum civitas, quæ muris cincta non est, facilè venit in potestatem hostium, propterea, quòd prorsus absit id, quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & animam non munitam precibus diabolus facilè in suam redigit dationem; nec multò negotio omni genere scelerum implet. Idem de precatione lib. 1.

Sicut panis est alimentum corporis, & victus animi; sic spiritualis oratio alimentum mentis est. Sanct. Nilus cap. 95. de oratione.

Satis ibi vacillat humanum studium, ubi non requiritur Dei auxilium. D. Valerianus Cemeliens. Ep. de bono disciplinæ hom. 11.

§. III.

Orationis excellentiæ, variæ laudes.

Num. I.

Est Vicaria Christi.

Species quarti similis filio Dei. Dan. 3. 92. Cur cum iis ambulat Angelus in specie filii Dei? non item cum Paulo, & Sila, incarceratus? Act. 16. 25. *media nocte Paulus, & Silas orantes.* Oratio illis erat Vicaria Filii Dei. Sylv. in Joan. 16.

Si quid petieritis Patrem &c. Joan. 16. 23. Dicitur hoc illis in consolationem, atque documentum: ut Christo absente utantur, ad impetranda omnia à Patre, quibus egent. q. d. nolite tristari de meo discessu: pro mea enim præsentia Orationem in virtute nominis mei, tamquam mei Vicariam, vobis substituo? ut sicut ego mea præsentia in prosperis, & adversis, sui patronus, scutum, requies, & solatium: ità eadem vobis sit Oratio. Id. ib. q. 1.

Discedens Christus à Discipulis, fidelem illis administram, & Vicariam reliquit Orationem, quæ eorum petitiones ad Patrem deferat. Barradius D. 5. Pasch. l. 5. hìc c. 12.

Num. II.

Oratio est Colloquium cum Deo.

Cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur. S. Aug. ſ. 6. D. Paſſ.

Magnum bonum sunt preces: nam si homini quis loquatur virtute prædito, non parvum inde fructum percipiet: quantis bonis fruetur is, cui cum Deo colloquium fuerit. S. Chrysost. hom. 30. in Gen.

Quis non obstupescat tantam benignitatem, ac benevolentiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum honoris largiatur; ut dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus. Id. l. 1. de orando Deum.

Si is, qui cum magno aliquo viro, & admirabili, multùm versatur, ex ejus consuetudine maximum fructum accipit, quantò magis, qui cum Deo perpetuam habet consuetudinem. Id. in Pſ. 4.

Num. III.

Oratio est felix rerum principium.

Osculetur me &c. Cant. 1. 1. Dum Canticum suum à ferventissima prece inchoat; docet, nullum esse felicius operum nostrorum exordium, quàm orationem ignea charitate flagrantem. De Ponte hìc. Exhort. 2.

Ducit illos in montem excelsum. Matth. 17. 1. Lucas sic scribit c. 9. 28. 29. *ascendit in montem, ut oraret; & facta est, dum oraret, species vultus ejus altera.* Lætissimus Salvatori, tribusque Discipulis, elucet dies; cujus gloriam, & felicitatem, Dominus ab oratione matutina auspicatur. Nazianz. or. 1. optimus hìc ordo est, ut qui rem aliam auspicatur, à Deo initium ducat. S. Ambroſ. l. 1. offic. c. 35. numquam David, nisi consulto Domino, bellum adorsus est: ideo in omnibus victor prælii. Escob. Mir. Chr. t. 1. l. 12. ſ. 1. obſ. 6.

§. IV.

Oratio Deo grata.

Inclina Domine aurem tuam. Pſalm. 85. 1. Quod dicit *inclina*, ostendit, quia seipsum extendere non potest humana conditio: nisi ipse suam majestatem piissimus inclinaret. Aurem enim dicit, non istam corpoream; sed auditum illum spiritualem, quo petentium vota cognoscit. Cassiod. hìc.

Inclina ad me aurem tuam. Pſ. 101. 3. Auris Domini pro clementia ponitur, qua preces supplicum benignus exaudit. Nam cùm totos videat; totos illos audire dicitur, quibus præstare dignatur. Id. hìc.

Longanimis. Pſ. 102. 8. Quis dubitet ab illo petere; qui, si non petatur, offenditur. Cassiod. hìc in Conclusione.

Inclinavit aurem suam mihi. Pſal. 114. 2. Deus inclinat aures suas ad nos, quando inspirat nobis orationem. Bellarm. hìc.

Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Prov. 8. 31. Cur divina sapientia non dicit, in Angelis se deliciari, qui natura sua nobiliores, gratia etiam firmiores? quia homo à primæva sua creatione egens, miser, cogitur à Deo auxilia petere. Ità enim Deo jucunda est hominis deprecatio: ut, licèt natura Angelica præstantior sit humana; tamen, quia hæc mendica, periculis obnoxia, opem à Deo petere necesse habet: magis divina sapientia in hominibus, quàm Angelis deliciatur. Cast. Illat. 93.

Vox tua dulcis. Cant. 2. 14. Orationes Sanctorum semper Deo acceptæ. S. Justus Orgel. hìc.

Quia molesti estis, & Deo meo. Iſ. 7. 13. Quam molestiam intulerat Achaz, ut sic objurgaretur? quia abstinuit à petitione signi. Adeò libenter Deus à nobis rogatur. Octavian. in Eccl. 13. v. 5.

Tacentes, & orantes, Dominus ut plurimùm visitare dignatur. S. Laur. Just. de discipl. monast. c. 15.

Vult Dominus noster absque dubio misereri, qui se præcipit exorari: non erit difficilis, ut invocatus exaudiat, qui importunitatem supplicantis expectat. B. Eucherius ſ. 6. de eo: *oportet orare, & numquam deficere.* Luc. 18. 1.

Orationis alia laudes.

Pater! gratias ago tibi &c. Joan. 11. 41. Si Christus verus Deus, quid prece opus? Hilarius in Catena: non prece egut: nobis oravit, nè Filius ignoraretur.

Oratio mortalium viaticum. S. Basilius Sel. or. 21.

Mater orationis est solitudo: oratio autem divinæ gloriæ demonstratio. S. Joan. Damasc. or. de D. transfig.

Oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, Viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus, fatigatorum requies, mœrentium consolatio, nuptias contrahentium corona, natalitii festi celebratio, morientium funus. Sanct. Greg. Nyſs. de orat or. 1.

Oratio corporum robur, rei familiaris administratio, recta Juris legumque constitutio, regni potentia; tropheum, atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum est, fides nuptiarum, Viatorum præsidium, dormientium custos, navigantium salus. Oratio reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, Lætantium jucunditas; lugentium solamen, celebritas festi natalitiis, morientium sepultura. S. Ephrem de or.

Quicumque orandi dono præditi sunt, ingenti privilegio sunt donati. Similes enim iis sunt, quos reges ità familiares habent, ut eorum ingressus numquam prohibeatur. Isid. Clarius l. 1. or. 18.

Dulce vehiculum est in via oratio, fidelis præcursor ad Dominum, præpulans ei adventum ascendentis. Petrus Bles. ſ. 21. in Asc. D.

Qui pecuniam habet, omnia habet, quæ illi necessaria sunt, quia ea data omnia emere potest. Ità oratio est pecunia spiritualis; qua media omnia acquirimus, quæ volumus. Osor. D. 5. Pascha.

Qui dedit vivere, docuit & orare. S. Cyprian. lib. de or. Dom. q. d. videte misericordiam Dei: nam, cùm rebus tam multis indigeamus ad vitam sustentandam; re unica, hoc est, sola oratione opus est, omnia illa parare. Didac. Nyſs. D. 21. Pent. §. 5.

§. V.

Ad orationem exaudiendam promptus Deus.

Ex Veteri.

Constitue mihi, quando deprecor pro te. Ex. 8. 9. Cur optionem temporis dat Pharaoni? Respondet Abulensis hìc q. 5. quia, si diceret se hac die potiùs, quàm alia oraturum; putaret Pharao, Deum non semper promptum. Mendoz. in 1. Reg. annot. 8.

Qui respondit, cras. ib. v. 10. Beneficium odit, dum differri vult: adeoque Deum tractis moris offendit; ut beneficii dilationem aquis, & submersione, vindicarit. Sanct. Amb. l. de

Cain,

Cain, & Abel: cùm deberet in tanta poſitus neceſſitate rogare, ut jam oraret, nec differret; reſpondit: craſtino die; otioſus, & negligens, moræ pœnam Ægypti ſoluturus excidio. Naxera in Joſ. 8. §. 5.

Ità ut tintinabulum ſit aureum. Ex. 28. 34. Sanctuarium ingreſſurus ſummus Sacerdos, tintinabulis aureis perſonantibus cingebatur. Principes viri apud ſe habere ſolent tintinabula, quorum pulſu ſuis famulis præſcribunt tempus ad ſe ingrediendi; ut non intrò famuli, quando volunt, ſed quando jubentur, ingrediantur; at verò Deus non apud ſe hæc tintinabula ſervabat, ſed Sacerdoti committebat: ut oſtenteret, orandi, & ingrediendi ad ſe, tempus non ab ipſo Domino, ſed à famulo præſcribendum. Mendoza in 1. Reg. annot. 8.

Cumque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ. Num. 20. 11. Hic Deus in Moyſen, & Aaron, ità exaſperatus eſt: ut tranſire Jordanem prohibeat, morteque condemnet. *Non introducetis &c.* Mortis luunt pœnas, pro levi, ut multi putant, culpa; cùm Aaron pro ſacrilego vitali opificio pœnas capitales non ſolverit. Beneficium dubitatione tardarunt. Naxera in Joſ. 8. §. 5.

Ne timeas, neque formides. Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum ſurgens diluculo recenſuit ſocios &c. Joſ. 8. 1. 10. Expeditionem accelerat: nè, dum Numinis liberalitatem vel tantillum retardat, iram incurrat: nam ſcit, Deo quàm maximè diſplicere, qui beneficiis ejus vel tantillum reſiſtit. Id. ibidem.

Surge, & comede. 3. Reg. 19. 5. Cujus præſtat beneficium? amici, qui plures; an Angeli, qui unum panem porrexit? dico Angeli: quia non rogatus dedit, & preces prævenit. Deum factis expreſſit; dum dormientem excitavit, & in obliti ſinum donum ingeſſit. Id. in Joſ. 15. §. 35.

Oſculetur me oſculo oris ſui. Cant. 1. 1. Dixerat quaſi ad abſentem. Debuiſſet item dicere, *quia meliora ſunt ubera ejus vino*. Mutat modum loquendi, & præſentem alloquitur. O ingens vis orationis! vix ſunt finita verba, & jam oratio eſt exaudita. De Ponte hìc Exh. 2.

Clamabis, & dices, ecce adſum. Iſ. 58. 9. Cùm nondum ad finem oratio venerit; ipſum orationis filum interrumpet, & *dicet, ecce adſum*. Pinna in Eccl. 2. Ethol. 31.

Vidit, & apertatus eſt, quia non eſt, qui occurrat. Iſ. 59. 16. Pagninus: admiratus eſt, quia non eſſet, qui oraret. Alii: infirmatus eſt, ceu lactis abundans nutrix; quæ, ſi mamillas non exoneret, infirmatur. Sanct. Thom. Chryſoſtom. Hieronym. & Ambr. legunt: vidit Dominus, & depaupertatus eſt: ſicut mercatores, ſi expoſitas merces non vendant, pauperes fiunt.

Quæſierant me - Ecce ego: ecce ego. Iſ. 65. 1. Nota alacritatem noſtra erga Deum; viciſſim Dei alacritatem, & beneficia, in nos provocare. Deus enim munificentiſſimus munificentia ſe vinci non patitur; ſed volentibus ſponte occurrit, eorumque vota implet: immò ſuperat. Hoc ſignificat hæc iteratio: *ecce ego, ecce ego*. Corn. hìc.

Decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Dan. 7. 10. Agnoſco ingentem numerum cubicularium Dei: non tamen puto, eos illic adeſſe, ut arceant ſupplices. S. Aug. ſ. de temp. 171. ſtant Angeli ad januam: ut introducant, non repellant: ut ſuggerant, non ut terreant. Hoc amat janua Salvatoris: ut pulſatoribus ſemper abundet, opportunis, importunis. Propterea ipſe Dominus, videns januam ſuam à petitorum voce, & à pulſantium clamore, ſilere; invitat omnes, omnibus paratus tribuere pietatem: *petite, & dabitur vobis, pulſate*. Luc. 11. 9. Nulla eſt pompa in janua mea; ego ſum janua. Oliva t. 1. conc. 31. quinto die Ven. in Quad.

Ex Novo.

Volo, mundare. Matth. 8. 3. S. Ambroſ. l. 5. in Luc. illud mirabile, quòd eo ſanavit genere, quo fuerat obſecratus. Mira Chriſti bonitas: quæ non ſolùm dat homini ſanitatem, ſed etiam modum, quem is præſcripſerat, in largiendo ſervat. Sylv. hìc.

Tenuit manum ejus. Matth. 9. 25. Præſtitit Chriſtus, & rem, & modum, petita: dixerat enim archiſynagogus: *veni, & impone manum tuam ſuper eam*. Sylv. hìc.

Fiat tibi, ſicut vis. Matth. 15. 28.

O mulier! magna eſt fides tua. ib. Quid hanc fidem adeò commendat? preces, & vota, multiplicat. Ni talis eſſet fidei, Deum haud credidiſſet: videbat enim, diu retinere beneficium, differre vota: quæ omnia divinitatis ingenio ad ſpeciem quodammodo repugnabant. Hominibus enim in more, cùm importunius rogantur, differre beneficia: Deus verò feſtinat antevertere vota. Ergo beneficentiam tardantem aſpicere, & Deum credere, eximiæ erat fidei elogium. Nax. in Joſ. 15. §. 35.

Quis veſtrum habebit amicum &c. Luc. 11. 5. 7. Sanct. Chryſol. ſ. 39. Quàm pulſanti ille geſtiyit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile collocavit ad januam: qui, dormientibus ſervulis, pulſantis neceſſitatem ſolus, & primus audivit. Nota: in eodem cubili cum Domino ſervi dormiunt: quibus incumbebat attendere, quis pulſaret ad januam, nè Domini quies turbaretur. Et tamen ſolus Dominus vigilat; ſervi dormiunt, cùm homo petens panes, pulſat. Pro certo habe: quòd, cùm neceſſitate laborabis, omnes in tui auxilium dormiunt; ſolus Dominus vigilat, & opem fert. Sylv. hìc cap. 20. q. 4.

Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Luc. 23. 42. Dominus reſpondit: *hodie*. Euſebius Emiſſ. hom. de B. latrone: hodie inquit q. d. quid me ò fidelis meus, & unicus tanti teſtis triumphi; quid me tanto tempore exorandum putas, ut in die judicii mei meminerim tui? quid me ad præſentem retributionem paratum longè diſſimulas? quid in futura ſæcula fidem in te perfectam fatigas? Quaſi perfectæ fidei non congruat, & Deum credere, & diu beneficia tracturum putare. Nax. in Joſ. 8. §. 5.

Vis ſanus fieri? Joan. 5. 6. S. Cyrill. Alex. l. 2. c. 124. interrogatio hujuſmodi, ſi vellet rem optatam conſequi, ad intelligendum reducit, quòd ipſe facilè id præſtare poſſit.

Ego ſum oſtium. Joan. 10. 7. Nam ſicut oſtium primum intrantibus domum occurrit, immò excipit; ſic Chriſtus Dom. non modò petentes audit; verùm etiam ad petendum invitat, & laceſſit. Immò dicit Joan. 14. 6. *ego ſum via*: quia licèt oſtium intrantes excipiat; quandoque tamen clauditur, & aditum negat: at via ſemper, diu, noctuque, patet. Pinna in Eccl. 2. Eth. 31.

Ex Patribus.

Mavult D. Jeſus nimio in Diſcipulos amore propenſus, petentibus his, quæ cognitu inutilia judicaret, viderit ignorare, quàm negare. Marci 13. 32. Pluſque amat noſtram utilitatem inſtruere, quàm ſuam potentiam demonſtrare. S. Amb. l. 5. c. 6. de Fide.

Non ambigendum eſt, quin libenter pulſanti aperiat. (Luc. 11. 9.) qui nondum pulſantem hortatur, ut pulſet. Rich. à S. Vict. tr. de grad. char. c. 3.

Suavis Dominus, & mitis, patentem habet januam pietatis: nec recuſat inde pulſantes; ſed accuſat potiùs negligentes. Neque enim aliquid petitur, quod non habeat: ut, cùm non dederit, erubeſcat. Sanct. Fulgentius ſerm. omni tempore dicendo.

Non aſſiſtit miles, qui expellat; non ſatelles, qui tempus interrumpat. Non eſt, qui dicat: non eſt nunc tempus accedendi, veni poſtea: ſed quando veneris, ſtat audiens; etiamſi tempore prandii, etiamſi tempore cœnæ, etiamſi nocte intempeſta. S. Chryſoſt. in Pſal. 4. apud Mendoza in 1. Reg. annot. 8.

§. VI.

Oratio luctatur cùm Deo, tenet eum.

ET *ecce vir luctabatur cum eo uſque manè*. Geneſ. 32. 24. Sicut ille Jacob luctatus eſt cum illo Angelo, in quo ſine dubio Deus erat; qui & victum ſe fatebatur: ità luctari debet verbi Dei amator cum ſermone, vel Scriptura, quæ eſt ex Deo: nec dimittere, antequam vincat vinci volentem; ſenſumque comprehendat utilem in litera latentem. Lucta enim pulcherrima eſt, tam diu perſeverare petendo donec inveniat pulſando; donec ſibi aperiatur. Rupertus l. 7. in Matth. 7. Hæc ſunt duo brachia, ſcilicet oratio, & lacrymæ, quibus Jacob cum Domino luctatus eſt. Hugo Card. in 1. Reg. 1. 3. Si quæras, quare Deus ſic luctabatur, quòd luctantem ſuperare nollet? Ad hoc eſt prima ratio: ad monſtrandum ſcilicet, efficaciam fortis, & fiducialis orationis. S. Thom. Aqu. in Gen. 32.

Dimitte me, & deleam eos. Ex. 32. 10. Quando dicit, *dimitte me*: oſtendit, ſe teneri poſſe, nè faciat, quod minatus eſt: Dei enim potentiam ſervi preces impediebant. S. Hier. ep. 12. ad Gaudentium de Pecatulæ infantulæ educatione. Quaſi victus eſſet Dominus, dicit: *dimitte me*: quia Sancti ſuis orationibus, & deſideriis, tenent eum; nè in peccatoribus, ſuam exerceat juſtitiam. Hugo Card. in Gen. c. 32. *Non eſt, qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te*. Iſ. 64. 7.

Tenui illum, nec dimittam. Cant. 3. 4. Tenetur Deus orationis devotione, deſiderio, importunitate, memoria, prece, fide, & expectatione exauditionis: nec dimittitur, ſi ab intentione non ceſſetur, nec vultus ampliùs in diverſa mutetur. Rich. à S. Vict. hìc.

Tu noli orare pro populo hoc: nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi. Jerem. 7. 16. alii: *nè deprecerìs me*.

Stans Jeſus &c. Luc. 18. 40. Vide, quanta operatur oratio perſeverans. Oratione illa ſtare fecit ſolem Joſue ad occaſum pergentem. Progrediebat Jeſus Jeroſolymam, ut occumberet, & ſumma celeritate viam perurgebat: detinetur verò oratione cœci. Oſor. D. Quinq.

Coegerunt illum. Luc. 24. 29. Sed quomodo cogitur Chriſtus? qui nullis poteſtatibus ſubjacet? penitus piis precibus & orationibus humilibus detinebant. Hoc quippe modo Jacob Angelum detinebat; cùm Angelus diceret: *dimitte me, aurora eſt*. Similibus reſticulis Moyſes Dominum ligaverat: *dimitte me*. Sim. Caſſ. l. 14. hìc.

§. VII.

Oratio fortis victorioſa.

Num. I.

Contra hoſtes viſibiles.

DO *tibi partem unam, &c.* Gen. 48. 22. Paraphraſis Chald. *do tibi partem præcipuam ſupra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, oratione mea, & obſecratione*.

In gladio & arcu meo. Gen. 48. 22. Dices: hunc agrum *emit*. Jacob c. 33. 19. & Joſ. 24. 32. Quomodo ergo dicitur hìc, quod eum acquiſierit *gladio*? Chaldæus, & ex eo Abulenſis, vertunt: quæ tuli gladio, id eſt, oratione, & precibus, hæc enim ſunt arma Sanctorum. Cornel. hìc.

Cùmque appropinquaſſet Pharao - timuerunt valde, clamaveruntque ad Dominum. Ex. 14. 10. Pharao, qui reſtiterat miraculis pervicax, orationi conceſſit triumphum. Naxera in Joſ. 14. §. 24.

Cùmque levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael &c. Ex. 17. 11. Orat Moyſes, & vincit; ceſſat, & vincitur. Didicit Chriſtianus quid gerat; invenit, quid fugiat. Didicit, inquam; unde aut vincatur, aut vincat: quamvis inſtantius Chriſtiano orandum ſit: & quia periculoſior hoſtis eſt, & pro ſeipſo, non altero, pugnat. Unde apparet vires hoſti illi dare, qui ceſſat; & ſeſe ei ſubjicere, qui non orat. Quod totum eſt, odiſſe ſua, & diligere aliena: ſibi ipſi hoſtem exiſtere, dum contra hoſtem nolit jugiter orare. Hoſti enim, dum oras, premitur; dum ceſſas, erigitur. Sanct. Chryſoſt. tom. 1. ſerm. de Moyſe. Moyſes contra hominem, & pro aliis orando, pugnabat. Nec quiſquam poterit excuſari, qui hoſtem vincere nolit, dum orando ceſſavit. Et tamen in Moyſe corpus deficiebat, non voluntas aliquando ceſſabat. Si ergo fragilitatis cauſa in Moyſe, excuſari non potuit, quemadmodum in nobis voluntas poterit excuſari? S. Rupertus l. 3. c. 20. in Exod.

Vociferamini. Job 6. 16. *Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio*. Ex. 5. 14. Lyr. ad adjutorium veſtrum. Ex quibus Joſue auxiliis protegatur. Nihilominus Jericho invadens populum clamoribus cœlum pulſare imperat: *dixit Joſue ad omnem Iſrael: vociferamini*. Omni populo vociferante muri illicò corruerunt. Naxera in Joſ. 6. §. 11.

Sol contra Gabaon ne movearis. Joſ. 10. 12. Cajetanus: primùm elevavit mentem in Deum, ſupplicando pro integra victoria: & Deus inſpiravit ei, ut indiceret ſoli, & lunæ, moram. Dixit Moyſes ad Joſue: *elige viros, & egreſſus pugna contra Amalec*. Ex. 17. 9. Adhuc tyro in hoſtes involavit intrepidus; & modo jam ſtrenuus, totque clarus trophæis, divina adhortatione egebit, nè prœlia detrectet pavidus. Vivente Moyſe pugnam inire non timuit, fretus Moyſis precationis auxilio: at mortuo jam Moyſe, quia deſunt illi orationis arma, timet inire conflictus. Naxera in Joſ. 10. §. 41. oratio inexpugnabile telum.

Vocavitque tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus. Judic. 16. 19. Vidiſti fortiſſimum Sampſonem? quæ ille facinora non egit? quos hoſtes non contrivit? ſed hæc omnia, dum crines ſalvi in capite: verùm, abraſo capite, quàm miſer! Joachimus Abb. p. 1. expoſ. in Apoc. neceſſe eſt, ut mens fortis viri ſanctis, & Deo dignis meditationibus implicetur: alioquin, ut ruat, neceſſum eſt; qui abraſo interiori capite, fortiter ſe poſſe agere, & in toto ſtare præſumit. Baeza t. 1. l. 4. cap. 1. §. 2.

Porrò faber ferrarius &c. 1. Reg. 13. 19. Porrò Deus eluſit cautionem, & prudentiam Philiſtinorum, dum per Samuelem dedit Hebræis victoriam ſine ferro, & armis ferreis. Unde. S. Gregorius: armati ab inermibus victi ſunt: ut totum, quòd vincitur, omnipotentis Dei laudibus tribuatur. Myſticè faber eſt orans, & medicans; qui arma ſpiritualia in igne devotionis cudit. Cornelius hìc.

Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael. 1. Reg. 17. 45. Admirandus ille David Goliath illum immanem, cùm veluti dæmon quiſpiam formidandus irrueret; non armis, neque gladiis, ſed precibus, dejecit. S. Chryſoſt. de orando Deum l. 1. Sinceræ, intentæque precationi deditus perficiebat, quæcumque volebat; & orationibus ſuis bella conficiebat; trophæaque ſtatuens victoriam victoriæ copulabat. Habuit enim invicta arma, ſuperna ſcilicet præſidia; quæ non ſolùm ad humana bella conficienda ſufficiunt, ſed etiam ad dæmonum cohortes perimendas. Id. in Gen. hom. de S. Davide noctu orare ſolito.

Cumque oraſſet Eliſæus. 4. Reg. 6. 17. 18. Licèt Eliſæus pro ſe videret *mortem plenam aquorum, - oravit tamen ad Dominum*. S. Ambroſ. ſ. 86. S. Eliſæus hoſtes ſuos non armis ſuperabat, ſed oratione vincebat. Nam cùm idem miniſtro ſuo, ad depellendum ejus timorem plures adeſſe diceret defenſores, nec metus ab illo poſſet auferri; tunc oravit ad Dominum. Naxera in Iſ. 6. §. 11.

Clamavit omnis populus &c. Judith 4. 8. Iſraelitæ ad Holofernis potentiam repellendam magnis præſidiis ſe munierunt v. 3. *præocupaverunt omnes vertices montium &c.* ſed perinde, ac ſi hæc omnia munimenta inania cenſerent, ad orationem confugerant: *& clamavit &c.* Lyran. fecit primò, quod potuit; nè tentaret Deum, ſed reſiduum, quod facere non poterat, Deo precibus commendabat: Certus omnino, vana eſſe omnia præſidia humana, niſi divinitus firmarentur. Judith ipſa, non modò in periculo precibus incumbebat. cap. 9. 2. ſed & cùm pugna penè confecta, & victoria parta, videbatur (jam enim ſtabat ad lectum Holofernis altum dormientis, jam ejus gladium manu altera evaginaverat, jam nihil aliud ſupereſſe videbatur, quàm victoria) & nihilominus, de ſucceſſu adhuc timida, orat. c. 13. 9. *Confirma me Domine Deus in hac hora*. Mendoza in 1. Reg. 7. annot. 28. ſect. 2.

An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum &c. Matth. 26. 53. Cur non (quod ad ſpeciem opportunius) dixit: an putas me divinitate nudatum, quem velut inermem, & imbecillum, inconſultè defendis? Divinitatem tacet, & rogandi potentiam oſtentat. Eſt enim vel unius juſti, ut profliget hoſtiles copias, oratio validior, quàm armatorum manus; ut orantem, licèt inermem, vincat. Naxera in Joſ. 7. §. 14.

Hiſtoria.

In arctum redactus ab hoſte, accivi, quos Chriſtianos vocamus. Ii perquiſiti multi reperti ſunt. Inſœmui in eos, quod non debueram, ut poſtea cognovi ex mirifica eorum potentia. Qui mox rem aggreſſi ſunt abſque telis, armis, tubiſque: nimirum abſtinentes ab hujuſmodi paratu, & contenti Deo, quem circumferunt ſecum in conſcientia. Credibile eſt igitur, licèt impios exiſtimemus, Deum pro munimento habere in pectore. Proſtrati enim humi non ſolùm pro me deprecati ſunt, ſed & pro præſenti exercitu; petentes opem contra urgentem ſitim & medium. Quintus enim dies erat, in qua aqua carere cœperamus: eramus quippe in hoſtili ſolo, in ipſo meditullio Germaniæ. Confeſtim autem, ut procubuerunt in facies, & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum; deſcenderunt de cœlo, in nos quidem frigidiſſimus imber, in noſtros verò hoſtes grando mixta fulminibus; ut ſine mora ſentiremus præſtò eſſe invictam opem Dei potentiſſimi. S. Juſtinus M. ex epiſtola Marci Aurelii Antonini Imperatoris ad Senatum.

Quis inter Europæ reges aut viribus robuſtior, aut militari arte doctior fuit Luſitaniæ rege Alphonſo Henrico? à nullo unquam victus: precibus tamen cujuſdam ſancti Eremitæ, victorem ſe è bello ſemper redire, non erubeſcebat dictitare. Verba regis refert Petrus Barboſa de invidia, & vera ratione ſtatus: ipſe me adjuvabat ad prœlia ſic bene; quòd, cum oraret, ego vincebam; & uno die, quo fui ſine illo multos milites amiſi, & receſſi cum lazeria, quia rixavi ſine oratione boni viri. Nunius Alvarez Pereira Luſitani regni aſſertor ſub Joanne I. ad bellum non prodibat, quin priùs orationi vacaret, & ſæpè flagellis ſe ipſum cœderet. Alvarez in Gen. 48. Illuſtr. 321.

Num. II.

Contra inviſibiles.

Bonum ſcutum oratio, quo omnia adverſarii ignita ſpicula repelluntur. S. Ambroſ. orat. funebri de obitu Valentiniani Imp.

Preces vocat. S. Chryſoſt. hom. 29. in Gen. inexpugnabilem murum, tutam anchoram, portum fluctuum expertem; per quas omnia difficilia levia, & facilia fiunt. Præſidium animæ inexpugnabile. Id. hom. 26. in acta.

Non leonis rugitus beſtias ſic fugat, ut juſti oratio dæmones. S. Chryſoſt. hom. 53. in act.

Nihil æquè pollet, ac deprecatio: hæc enim eſt, quæ ex impoſſibilibus poſſibilia facit, ex difficilibus facilia, & ea, quæ minùs rectè habent, corrigit. Id. tom. 6. hom. de Anna.

In tentationem vadit, qui ad orationem non vadit. S. Chryſol. ſ. 43.

Novit ſacrilegus impoſtor; ſe in animam; quæ in oratione conſtanter perſeverat, nihil poſſe; deque ea ſubvertenda ſe prope deſperare debere. Ex vita S. Thereſiæ lum. & dogm. ſpir.

§. VIII.

Oratio transfigurat, illuminat, confortat &c.

IGnorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Ex. 34. 29. Ex contemplatione facies fit lucida, & cornuta. De Ponte in Cant. 3. Exh. 23. §. 2.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 17. 2. In oratione facies hominis illustratur: quia, dum facies mentis nostræ ad Deum convertitur, illuminatur, melioratur, & perficitur. S. Bonaventura in c. 9. Luc.

Surgite eamus. Matth. 26. 46. Expende alacritatem, qua obviam hostibus procedit. Paulò antè totus pavebat; modò alacer, omni objecto pavore, occurrit hostibus. Unde tanta alacritas, & animositas? oravit ad Patrem. Et ubi oratio intercedit, nullus timori aditus patet. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 7. intellige, quantum oratio conferat; quæ paventem, & agonizantem recipiens Dominum, illum exhortantem reddiderit, atque intrepidum. Unde ajebat: *surgite eamus*. Baeza t. 3. l. 15. c. 3. §. 2.

Facta est, dum oravet, species vultus ejus altera. Luc. 9. 29. Gilbertus s. 15. in Cant. voluit per hoc in mente sua orationis commendare virtutem: quòd illa sit, quæ te in intimis alterum faciat; & novum commutet in hominem. *Quare in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat*. Act. 9. 11. Mira res! caligabat Saulus, jejunabat, & flebat. Et Dominus, his præteritis, unam in Saulo orationem deprædicat; quàm velut obsidem paventi Ananiæ tradit mutati in ovem lupi. q. d. quid times Saulum? heri spirabat cædes; sed hodie candidatus est fidei, & Apostolatus. Et quale signum tanti prodigii? unde sciam tyrannum in Apostolum evasisse? Orat. Si orat, jam Paulus est. Oliva l. 4. Strom. §. sic non potuistis una hora &c.

Qui cum Deo loqui didicit, ut par est eum, qui cum Deo loquitur, erit deinceps Angelus: ita liberatur anima à vinculis corporis. S. Chrysost. in Ps. 4.

Ora mansuetè, & quietè; ac cane prudenter, concinnet: & eris tanquam pullus aquilæ, quæ volatu in sublime fertur. S. Nilus or. 76.

Angelo efficitur similis Monachus, qui per veram orationem cupit videre faciem Patris, qui in cœlis est. Id. 107.

Animæ tuæ lux est oratio. B. Isaias Abb. or. 4.

§. IX.

Oratio mira impetrat.

SI beatus David, cùm esset rex, & innumeris immersus curis, & undique distractus; septies in die Dominum rogabat: quam nos veniam habuerimus, & excusationem, tantum habentes otii; nec ipsi continuè supplicantes? impossibile enim, impossibile; hominem congruo precantem studio, Deoque continuò supplicantem, unquam peccare. S. Chrysostom. hom. 79. ad pop. Antioch.

Elias autem ascendit in verticem carmeli, & prosus in terram posuit faciem suam inter genua sua &c. 3. Reg. 18. 42. quibus peractis magna supervenit aquarum abundantia. Quid quæso intendebat Sanctus Propheta hoc difficili orandi modo? Amor proximorum sic eum fecit orare. Diez Amor proximorum.

S. Urbanus Ep. Lingonens. in Gallia, oratione non semel imbres repressit, turbines dissipavit, & vires præservavit: unde patronus vinearum; licèt vulgus colat. S. Urbanum Papam, cujus festum 25. Maii. Boll. 23. Jan.

S. Patritio Hyberniæ Apostolo, ædificaturo Ecclesiam obstitit quidam ex magnatibus, cum hac conditione permittens, si transferret ingentem montem, quo obstabat, qui minùs amœnum stagnum ex arce sua videre posset. S. Patritius fusa oratione mox montem fecit absorberi in terram. Inchoanti ædificium pertinaciter rursum obstitit. Sanctus rursus orat ad Dominum: & mons rursus excrevit in pristinam celsitudinem. Boll. 17. Martii c. 13.

§. X.

Oratio semper aliquid impetrat.

IN te speraverunt Patres nostri. Ps. 21. 5. Necesse est, ut ad utilitatem suam audiatur, qui clamat ad Dominum: Dominus enim justos suos semper exaudit; sed quemadmodum illis expedire cognoscit. Cassiodorus hìc.

Confide fili. Matth. 9. 2. Non pro peccatis remittendis, sed pro sanitate corporis, paralyticus inferebatur. Sed Christus semper superbonus, & meliora exhibet parentibus, quàm rogatus; & ex fide inferentium priùs sanavit animam, quàm donasset corpori petitam sanitatem: ut ex peccatis cognosceretur adesse illa turpis infirmitas propriis, aut paternis: & ut ostenderetur, priùs animarum, quàm corporum, quærendam esse salutem. Sed opprimit sæpè mentem tenet hominum sensus: ut cùm conturbatus extiterit, priùs sibi, quàm animæ, quærat adesse medelam. Sed amator hominum Christus conferendo docet, quid in donis primò sit ab eo petendum; cùm sanitati corporis sanitatem animæ prætulit, & remissionem peccatorum. Sim. Cass. l. 5. c. 17.

Tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam. Jo. 4. 10. Orationes nostræ nunquam exeunt à Deo vacuæ: non enim ait, forsitan daret tibi, sed absolutè, *& dedisset tibi*. Dubium est de oratione hominis, non de impetrando aliquo dono à Deo. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 18.

Exauditur homo semper ad meritum, sed non semper ad votum. S. Bonav. c. 74.

Contingit quandoque, quòd Deus hominem exaudit non ad votum, sed ad profectum. Sicut enim medicus non exaudit ad votum, sed ad profectum, infirmum postulantem amoveri medicinam amaram: si medicus eam non removeat, eò quòd sciat, eam esse salutiferam; exaudit tamen ad profectum, quia per hoc sanitatem inducit, quam maximè infirmus desiderat. Ita Deus homini in tribulationibus constituto tribulationes non subtrahit, quamvis deprecanti: quia scit, eas expedire ad finalem ejus salutem. S. Thom. Aqu. in Job 9. lect. 3.

Quoties unum petis aureum, toties ille tibi centum reponit in cœlis. Fieri non potest, ut etiam minima precatiuncula ritè fusa, aut minimus gemitus, minimumve suspirium ad Deum piè emissum grandi fructu careat. Lud. Blosius Concl. an. spir. c. 6. §. 7.

§. XI.

Oratio sæpe bono nostro non exauditur.

EXtende paululum manum tuam, & tange &c. Job 1. 11. Non aliquid injustum petebat Apostolus, quando rogabat. 2. Cor. 12. 8. ut auferretur ab eo stimulus carnis; & tamen rogavit, & non accepit. Petiit Job tentandum diabolus, & accepit. Quid dicam? comparandus diabolus Apostolo? Apostolus rogat, & non accipit: diabolus petit & accipit. Sed non accipit Apostolus propter perfectionem suam; accipit diabolus ad damnationem suam. Denique ipse Job accepit sanitatem in opportunitate. Dilatus est, ut probaretur: & rogabat Deum, ut auferentur ab eo ista; & Deus non auferebat. Citiùs diabolum exaudivit ad eum tentandum, quàm ipsum Job ad sanandum. S. Aug. in Ps. 144.

Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi. Psal. 21. 3. idest, per diem, & noctem clamo; & tu non respondes ad insipientiam petitionis petentis, quod noxium est; sed ad sapientiam tuam; qui scis, salutare mihi non esse, petitis frui. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 12. s. 2. obs. 5. Multi clamant in tribulatione, & non exaudiuntur: ut intelligat homo, medicum esse Deum; & tribulationem medicamentum esse ad salutem; non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris; clamans, non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. S. Augustinus hìc.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem; numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum; numquid porriget illi scorpionem? Luc. 11. 11.

Numquam dedisti mihi hœdum. Luc. 15. 29. An non hœdus Symbolum damnatorum à sinistris? S. Hieron. ep. ad Damasum: numquam Pater deteriora dat munera. Quid hœdum quæris, cui agnus est missus. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 11. s. 3. obs. 3.

Sententia Patrum.

Omnipotens Deus, quid nobis profuturum esse valeat, sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem; ut purgetur vita per pœnam; & tranquillitas, quæ hic inveniri non valeat, alibi quæratur. S. Greg. mor. l. 14.

Prorsus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere, tunc das; & quod debet, hoc das. Itaque aliquando desiderantur ab illo, & non dat: novit horam dandi, qui curat. S. August. in Ps. 144.

Qui non intelligunt, quid sibi prosit, & orant frequenter contraria; expedit eis, ut non exaudiantur à Domino. Unde & in oratione Dominica dicimus: *fiat voluntas tua*. Matth. 6. 10. non voluntas nostra, quæ errare consuevit; sed voluntas tua, quæ futura cognoscit: magnæque interdum felicitatis est, ad præsens misericordiam non mereri. S. Hieron. l. 3. c. 8. Ezech.

Nostrarum medicus animarum, non quæ nobis fraudi postea futura sunt, dare sustinet; neque enim parentes iis quos amant, parvulis adhuc filiolis, vel gladios, vel ignitos carbones, adduci possunt, ut porrigant. S. Chrysost. tom. 6. or. de instit. secundum Deum vita.

Tanta super te cura est Deo tuo, ut, quoties ignorans quæris, quod tibi inutile est; non te audiat super hoc, sed mutet illud utiliori dono. S. Bernardus s. 5. de triplici modo orat.

Sæpe magis est clementiæ parcentis Domini negare ampliora gratiæ dona, quàm irascentis. S. Bonav. de reform. mentis p. 1. c. 18.

§. XII.

Quidam malo suo exaudiuntur.

MIttamus viros, qui considerent terram, & renuntient &c. Deut. 1. 22. Iniquè id petierunt; utpote de divinis promissis dubii, & de providentia Dei diffidentes. Sed quid Dominus ad Moysem? *mitte viros, qui considerent terram*. Num. 13. 3. Cur malè petentibus Deus acquiescit? Lyran. fuit permissio ad malum populi malè petentis: sciebat enim Dominus, quòd per exploratores deciperentur. Et ita factum: regressi exploratores mendaciis eos ad rebellionem impulerunt. Mendoza in 1. Reg. 8. annot. 33. sect. 1.

Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt. Job 1. 12. Diabolus petiit sanctum virum tentandum, & accepit: exauditus est ad voluntatem; sed ad damnationem. Ideo enim concessus est iste tentandus; ut, eo probato, esset ille cruciandus. S. August. tr. 7. in ep. S. Joan.

Audi voces eorum. 1. Reg. 8. 22. Quærit S. Gregorius l. 4. c. 1. cur Deus comendat id, quòd malè petitur? Respondet: quia petenti irascitur; eumque vult sua petitione, quasi justa vindicta plectere. Anastasius Nicænus q. 15. in Script. narrat de Monacho quodam, qui sceleratæ civitatis creatus Episcopus; cùm hoc honore insolesceret, ab Angelo correptus audivit: cur superbis, & magnificè tibi places? ò infelix! non es creatus Episcopus, quòd dignus sacerdotio sis; sed quòd civitas talis tali digna erat Episcopo. Cornelius hìc.

§. XIII.

Oratio cur sæpe serò exaudiatur.

Num. I.

Quia dilata chariora.

MAnhu? quid est hoc. Ex. 16. 15. Semel precanti populo manna datur, Angelorum esca; at citò viluit. Quare non magni habitus cibus, colligatio omnis suavitatis? quia indesideratus obvenit. At aqua de petra profluens sitienti diu Israeli exhibetur dulcissima: quia post multas preces, & desideria, promanavit. Unde Ps. 80. 17. *de petra melle saturavit eos*. S. August. s. 5. de V. D. cùm aliquando tardiùs dat, commendat dona: diu desiderata dulcius obtinentur; citò autem data vilescunt. Escobar tr. Coll. Chr. l. 12. sect. 2. obs. 2.

Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi - & immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro. Ps. 39. 1. 4. Id est, novam mihi lætandi, & laudandi materiam misericordia diu expectata dedit. Diez Misericordia Dei.

Eo quod esset Elisabeth sterilis. Luc. 1. 7 Quare sterilitas horum parentum explicatur? V. Beda hìc: divinitus est procuratum, ut provectæ ætatis, diumque conjugii fructu privatis Joannes parentibus nasceretur: quatenus, inopinato prolis ortu, & ipsis donum gratius efficeret, & cœteros miraculi stupor futuri prophetæ pararet auditui. Nam quantò res desiderata magis est extra spem, tantò majori cum gaudio suscipitur. Sylveira hìc q. 8.

Rogaverunt illum pro ea. Luc. 4. 38. Quòd Dominus vult rogari, nec facilè sua dona impertit, id facit, quòd chariora fore novit, quæ obtinentur ægriùs - Did. Nyss. fer. 5. Dom. 3. Quadr. §. 5.

Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Luc. 11. 9. Derogare videtur generosæ largitati, quòd non antea beneficia sua erogare velit, quàm ea assiduis precibus, & diuturna pulsatione, & operosa inquisitione, tanto scilicet pretio comparaveris. Respondet Faustus Ep. Rhegiens. non vult Deus noster dona sua nimia inveniendi facilitate vilescere. Pretiosa, & concupibilis, mora cupidum amatorem, atque avidum negotiatorem requirit. Did. Nyss. ib.

Quid mihi, & tibi, est mulier? Jo. 2. 4. Cur Dominus tam severè matri respondet? S. Cyrill. l. 2. c. 23. non à se, neque non rogatus, ad actionem miraculorum Dominus solet pervenire; quamvis gratiora sunt, quæ petuntur, si aliquantulum differantur. Hugo Cardin. ista repulsio significat, quòd Deus aliquando non exaudit; nec dat statim, quod petitur; ut avidiùs petatur: & cùm exaudierit, & petitum dederit, diligentiùs custodiatur. Sylveira hìc q. 18.

Tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Joan. 11. 6. S. Basilius Seleuc. hom. 3. de Lazaro: cunctantius ad opus aggreditur: siquidem gratia, quæ statim indulgetur, & quasi obtruditur, non est ita conspicua.

Præcepit, ab Hierosolymis nè discederent, sed expectarent promissionem Patris. Act. 1. 4. Et quando promissum spiritum misit? forsitan mox, ut in regnum suum appulit? Non, sed post decem primùm dies: ut scilicet tantum donum acceptius fieret. Did. Nyss. antè citatus.

Num. II.

Quia expedit.

Et addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Job duplicia. c. 42. 10. Ea jam videbantur Jobi mala; sic auxilium Dei differebatur, ut vel ahenea spes posset deficere. Et tamen Jobi expectatio, & sufferentia, nullis dilationibus labat, nullis ictibus ruit. Baeza tom. 2. l. 6. c. 7. Marth. 15.

Ut quid Domine repellis orationem meam? Ps. 87. 15. Repellere putatur petitionem nostram, & avertere faciem suam Dominus; quando vota nostra distulerit. Et quamvis ille profutura faciat; nos tamen graviter dilata contristant. Sed non tantum prodest audiri, quantum expedit, pro muneris augmentatione differri. Sic ignis flatu venti repellitur; ut vivaciùs animetur. Cassiodorus hìc.

Non respondit ei verbum. Matth. 15. 23. Unum beneficium fœmina à Deo petit; Christus autem tacet; nec unum ei verbum facit; malens perseverantem petere multis dona: dumque ab ejus mente, & à corpore filiæ dæmonem abigit; beneficium exhibet duplicatum. D. Ennodius l. 2. ep. 12. geminantur Dei dona sperantibus; & duplici exuberat superna gratia beneficio. Is. 61. 7. *in terra sua duplicia possidebunt*. Baeza t. 2. l. 6. c. 7. Matth. 15.

Nè petas à Deo imperiosè, quod statim velis impetrare; vult enim diutius te beneficiò afficere in oratione perseverantem. Quid enim excellentius, quàm cum Deo colloqui, & usu ejus detineri. S. Nilus de or. c. 32.

Vide Desideria. Spes.

§. XIV.

Orantium varia commoda.

Num. I.

Contra tristitiam.

ANna tristis oravit ad Dominum. 1. Reg. 1. 10.

Tristatur aliquis vestrum? oret. Jacobi 5. 13.

Oratio est doloris, & mœstitiæ expultrix. S. Nilus de or. cap. 14.

Oratio est & gaudii, & gratiarum actionis, tutelare propugnaculum; tristitiæ verò, & pusillanimitatis amuletum præsentaneum. S. Antiochus Abb. hom. 106.

Num. II.

Plus cum Deo, minus cum hominibus.

Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris sum lingua sum. Ex. 4. 10.

Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remansit virium: sed & halitus meus interclusitur. Dan. 10 17.

Egressus non poterat loqui ad illos. Luc. 1. 22. Hoc solet accidere his, qui elevantur in apicem contemplationis. S. Bonaventura hìc.

Negligit planè curam corporis, qui pabulo orationis intendit: nec hominum colloquium habere volet, qui divinis in oratione saginatur consolationibus. S. Laur. Just. de orat. c. 5.

Num. III.

Alia orationis utilitates.

Quæ est ista? quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris, & universi pulveris pigmentarii. Cant. 3. 6. S. Ambros. præcipuè tamen myrrham redolet sponsa, & thus. q. d. Nota: quòd duorum tantùm in specie odorum meminerint Angeli, myrrhæ puta, & thuris: & quoniam myrrham, & thus, redolebat; omnis boni odoris, & universi pulveris pigmentarii copia affluere illam dicebant. Thus enim orationis Symbolum. Psal. 140. 2. *dirigatur oratio mea sicut incensum*. Did. Nyss. f. 5. D. 4. Quadr. §. 3.

Jesu baptizato, & orante, apertum est cœlum. Matth. 3. 16. Christus suscepto baptismo oravit: ad innuendum, quòd preces nostræ non sunt Deo acceptæ, & meritoriæ; nisi à peccatis mortalibus simus immunes, & charitate decorati. Charitas enim est vita animæ; sine qua nec anima, nec actio ejus, spiritualiter viva est, Deoque placita. Unde cum Dominus per Isaiam dixisset. cap. 1. 15. *cum multiplicaveritis orationem non exaudiam*; adjecit: *lavamini, mundi estote*. vers. 16. Secundò ad innuendum: quòd gratia in Baptismo aliisque Sacramentis, adepta, per orationes continuas indiget custodiri, nè per culpam tollatur. Dionys. Carthus. hìc.

Impossibile, impossibile est; hominem, qua decet, alacritatem precantem, & assiduè Deum orantem, unquam in peccatum incidere; causam addit! quia post orationem manet plerumque aliquis calor fervoris; quo facilè possumus cum-

cumque tentationis resistere. Pergit: sed quia homines cùm sumus, facilè ad segniciem relabimur, exacta una, alterave, aut tertia, post precationem, ora; ubi senseris pristinum illum fervorem paulatim frigescere; recurre quantocius ad preces, frigescentemque autem rursus accende. Id si per totam diem feceris, per intervalla crebris precationibus teipsum accendens; non dabis occasionem diabolo, aut ullum ad tuas cogitationes aditum. S. Chrysost. tom. 6. hom. de Anna.

Medici unicique morbo suum applicans remedium; Sanctorum autem oratio commune malis omnibus est remedium. Et Philotheo Theodoreti cap. 16.

§. XV.

Orandi varia motiva.

Et erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6. 12. Species tibi datur forma præscribitur, quam debeas æmulatio. Quid enim te facere pro salute tua oportet; quando pro te Christus in oratione pernoctat. S. Ambros. in Luc. l. 5. Orat misericordia, & non orat miseria: orat charitas, & non humiliatur iniquitas: orat innocentia, & non orat nequitia. Orat, qui peccatum non fecit, & non prosternit se multis peccatis obnoxius. Orat Judex, & desiderat parcere, & non orat reus, ut indulgentiam mereatur accipere. Orat judicaturus, & orare dissimulat judicandus. B. Cæsar. Arel. hom. 39.

Ecce, quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Meliùs sibi dolentibus (Maria, & Martha) & fratri languenti, providere non poterant; quàm ad eum recurrere, qui supra naturam, & artem, potest conferre subsidia. Et multa in periculis docet necessitas, multa facit opportunitas cogitare; ut, desperantes de humanis, ad divina se conferant. Sim. Cass. lib. 5. cap. 15.

Et orantes dixerunt. Act. 1. 24. Usitatum hoc semper Dei servis, ut, priusquam arduam aliquam rem aggrederentur, à Deo auxilium peterent. Ita rex Josaphat orabat. 2. Paral. 20. 12. *cùm ignoremus, quid agere debeamus: hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Et cùm Jacob fratris timeret occursum, oravit ad Dominum dicens: *Domine, qui dixisti mihi &c.* Genes. 32. 9. Judith, antequam opus illud arduum aggrederetur dixit: *nihil aliud sint, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.* Judith 8. 33. Sic oravit, Daniel 2. 18. antequam Nabuchodonosori somnium interpretaretur. Diez conc. 1. in festo S. Matthiæ Ap.

Recedit à Deo, qui per orationem sese non conjungit Deo. S. Gregor. Nyss. de orat. 1.

Idcirco in vita abundat peccatum, abjectionibus semper in majus augescens, & omnibus humanis studiis implicatum, quoniam oblivio Dei tenet omnes; & orationis bonum rebus seriis ab hominibus non simul adhibetur. Idem ibidem.

Inimicus, cùm sit nobis semper infestus, tunc maximè adsistit infestior; cùm contra se offerre nos Deo preces perviderit. Joan. Cassian. l. 2. de cœnob. instit. c. 10.

Quæritur: cur Sancti Patres fuerunt pastores ab initio? alia ratio potest esse: quia istud officium est aptum solitudini, & simplicitati, orationi, & meditationi. S. Tho. Aqu. in c. 4. Genes.

§. XVI.

Oratio Christi.

Porrò David ascendebat clivum Olivarum. 2. Reg. 15. 30. Ut esset typus Christi; qui in eodem monte Patrem orans cum lacrymis, & sudans sanguinem, inchoavit Passionem, & redemptionem nostram. Corn. hìc.

Et progressus pusillum. Matth. 26. 39. Scribit, V. Beda tr. de locis sanctis c. 6. & ex eo Baronius A. C. 34. petram, in qua Christus orans genuflexit, quasi mollem ceram in se genuum Christi impressa vestigia excepisse ipsum lapidem in Ecclesia asservari. Sylvelra hìc. Orat inter arbores Jesus, quia inter arbores peccavit, & non oravit, Adam. Simon. Cass. lib. 13. c. 8. hìc.

Procidit in faciem suam. Matth. 26. 39. Ut quasi reus, & pœnitens pro nobis se sisteret Patri, eique totum se ad castigationem offeret. q. d. en ego pro hominibus reum me tibi dedero ò Pater! en paratus ad pœnam. Cornelius hìc.

Cujus (Christi) tota vita continua pro nobis, & perpes oratio fuit. Rupertus de div. offic. l. 1. c. 31.

§. XVII.

Exempla Sanctorum.

Vivit Dominus Deus Israel - Si erit annis his vos &c. 3. Reg. 17. 1. Clavis cœli fit sermo Eliæ sanctissimi jubet enim, & clauditur; orat postmodum, & aperitur cœlum. S. Chrisost. f. de Elia.

Vespere, & mane; & meridie narrabo. Ps. 54. 18. Consuetudo ter orandi in die legitur etiam apud Dan. c. 6. Fortassis in honorem SS. Trinitatis, cujus mysterium Prophetis non erat incognitum. Bellarmin. hìc.

Jacobus flexis genibus pro populo deprecabatur in tantum, ut camelorum duritiem tranxisse ejus genua crederentur. S. Hieron. l. de viris illustrib.

Ruffinus in vitis PP. l. 3. n. 194. narrat de Religioso psallente, quòd ex ore ejus per singulos versus fax ignis egressa ad cœlum. Abbas Besarion oravit per quatuordecim dies continuos manibus in cœlum extensis. Id. ib. n. 215.

Isaac Syrus Spoletii templum ingressus petiit ab æditui; liceret sibi preces producendi quantum vellet concessum est. Itaque tribus diebus, ac noctibus continuis in oratione perstitit. S. Greg. l. 3. Dial. c. 31.

B. Helena Vidua, tertii Ord. Erem. S. August. totas novem horas quotidie impendebat orationi. Boll. 23. April.

§. XVIII.

Oratio quæ sit efficax.

Num. I.

Probi servantis præcepta &c.

Ex Veteri, & Novo.

Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Gen. 4. 4 Priùs personam respexit, & ejus innocentiam; deinde munera: quæ ex eo grata maximè fuerunt, quòd à justo procederint. Ad Cain autem non respexit; & munera despexit; quia non erat cordis recti. Psal. 65. 18. *iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Marchantius D. 5. Pasch.

Tu unus pro decem millibus computaris. 2. Reg. 18. 3. Chald. tu potes roborare, sicut nos decem millia; & nunc bonum est, quòd ores pro nobis ex urbe. Plus valet contra hostes unius justi oratio, quàm exercitus. Sylveira in Apoc. 7. 9.

Si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus; si mundus, & rectus incesseris, statim evigilabit ad te. Job 8. 5. 6. Si ergo à Deo exaudiri optamus, si aliquam gratiam specialem adipisci appetimus; non contradicat operatio orationi; nec ostendamus, per opera iniqua nos amare id, quod per orationem dicimus nos odisse. Dionys. Carth. hìc.

Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida. Psalm. 49. 3. Sed quod remedium ad avertendum tantum ignem, ad serenandam illam tempestatem, adhiberi poterit? *Congregate illi sanctos ejus*, vers. 5. idest: si vultis, ut ignis remittat, ut horribilis illa tempestas quiescat; justorum, & sanctorum, virorum exercituum colligite: & videbitis ignem subitò extingui, & tempestatis motus componi. Hugo Card. hìc. *Congregate illi sanctos ejus*, ut illi simul pro nobis intercedant. Quod enim Dominus uni sancto forsitan negaret, omnibus congregatis, & orantibus, non negaret. Sicut in claustris, quando, Conventus totus petit ab Abbate, non est consuetudinis, ut patiantur repulsam. Did. Nyss. Phœn. Gra c. l. 8. cap. 5. Publicæ orationis efficacia.

Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo. Psal. 118. 169. S. Ambros. ser. 22. hìc; volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus spirituales; quibus sanctorum ad Deum evehatur oratio. Mendoza in 1. Reg. 7. annot. 27. sect. 2.

Heu! heu! heu Domine Deus! ergone disperdes omnes reliquias Israel? & dixit ad me: iniquitas domus Israel, & Juda, magna est nimis valde &c. Ezech. 9. v. 9.

Effundam super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum. Zach. 12. 10.

Non possum surgere, & dare tibi. Luc. 11. 7. Quod ait Dominus Deus omnipotens *non possum*; non impossibilitatem, sed difficultatem, exaudiendi designat; non ex parte Dei, cùm Deo nihil sit difficile; sed difficultas est ex parte orantis, propter indignitatem, indispositionemque ejus. juxta Is. 59. 1. *ecce non est aggravata auris Domini, ut non exaudiat: sed peccata vestra abscondunt faciem ejus à vobis, nè exaudiret.* Dion. Carthus. hìc.

Si quis Dei cultor est, & voluntem ejus facit, hunc exaudit. Joan. 9. 31.

Ex Patribus, & aliis.

Quid petitis de indulgentia Domini, quod non impetrare mereamini? qui sic Domini mandata servastis, qui Evangelicam disciplinam sincero fidei vigore tenuistis. S. Cypr. ep. 16. ad Confessores Romanos.

Nihil est homine probo orante potentius. S. Chrysost. hom. 58. in Matth.

Quis unquam intimè, & devotè orare potuit, si vitam suam circumspicere, discutere, disponere postposuit. Rich. à S. Vict. erudit. hom. inter. l. 1. c. 12.

Est

Est oratio infirmâ, quam non firmat dilectio. S. Bonavent. in Ps. 118.

Sol ad preces Josue stetit, & luna contra vallem Achilon non est mota: quia justi precibus obtinetur, ut à corde peccatoris sol justitiæ non recedas; & mens hominis, quamvis in defectum prona sit, virtutum tam stabilitate firmatur. Petrus Bles. ep. 144.

Num. II.

Oratio pœnitentis.

Confitebimur tibi Deus - & invocabimus nomen tuum. Ps. 74. 2. Mortem plerumque generant, vel semel terreno judici crimina confiteri: Deo autem frequentata confessio non parturit periculum, sed salutem. Pulcherrimus currit ordo verborum: priùs se dicit confiteri, id est, peccata deflere; postea invocare nomen Domini. Sic enim dignum est, ut ipsius munere priùs corda nostra confessione purgemus, & sic ad auxilium suscipiendum nomen Domini invocare debeamus. Cassiodorus hìc.

Surge, invoca Deum tuum. Jon. 1. 6. q. d. nisi à peccatis surrexeris, non exaudieris. Sic ille *in se reversus.* Luc. 15. 18. *Surgam, & ibo ad Patrem.*

Adhuc quadraginta dies, - & pervenit verbum ad regem Ninive. Jon. 3. 4. 6. Non legitur, à Jona petiisse preces pro se, aut civitate; sciebat enim rex, sterilem esse orationem sine lacrymis, & pœnitentia. Sylveira in Act. 8. 22.

Cùm Petrus dixisset. Act. 8. 22. *pœnitentiam age - & roga Deum*; respondit Simon. v. 24. *precamini vos pro me.* S. Chrysost. ho. 18. in Acta: oportebat illum toto corde agere pœnitentiam, oportebat orare: ille autem obiter hoc faciebat. Adde: magis confidebat alienis precibus.

Nihil est efficacius ad exorandum Deum, quàm ut homo ipse se judicet; & nunquam desinat à venia postulanda, qui se scit nunquam esse sine culpa. S. Leo s. 1. 5. de jejunio septimi mensis.

Quomodo nos audiet Deus, cùm nos ipsum non audiamus? quomodo faciet ille, quod volumus; cùm nos, quæ ille vult, non faciamus? Origenes hom. 1. in Ps. 37.

Deum colere dicimus nos, & diabolo obtemperamus. Et post hæc volumus, ut bona à Deo accipiamus; cùm mala semper malis addamus. Fieri voluntatem nostram à Deo cupimus, cùm Dei nos facere nolimus: quasi nos superiores Deo essemus, agimus. Salvian. de Prov. Dei l. 5.

Num. III.

Oratio cum lacrymis.

Ex Veteri.

Et ecce vir luctabatur cum eo. Gen. 32. 24. Hæc sunt duo brachia, scilicet oratio, & lacrymæ, quibus Jacob cum Domino luctatus est. Hugo Card. in 1. Reg. 1. 3.

Anna oravit ad Dominum flens largiter. 1. Reg. 1. 10. Sæpiùs Anna à Deo petierat prolem; nec tamen consecuta est: at, cum flevit, fœcunda facta. Pinna in Eccl. 241. Lacrymæ fructiferæ, ut Nilus; qui vehit non modò aquas, quibus tota Ægyptus irrigetur; sed etiam semina, quæ limo obruta, in segetes, & spicas, exurgant.

Indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus. Judith. 8. 14. Cur non dixit, fusis vocibus postulemus? Anselmus: *fusis lacrymis postulemus*, quæ pondere vocis habent; quæ impetrant, non suplicant. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 9. sect. 2. obs. 6.

Exaudivit Dominus vocem fletus mei. Ps. 6. 9. Lacrymæ vim vocis habent. Velloso in Judith. 6. Paræn. 12.

Rugiebam à gemitu cordis mei. Ps. 37. 9. Rugire non hominum, sed leonum est. Cur Propheta non dicit, se loqui, aut clamare; sed rugire. S. Ambros. hìc: rugit, qui gemitum solùm, non verba exponit: q. d. cùm quis voce à Deo petit, loqui dicitur; cùm verò gemitus, & lacrymas, fundit, rugitus emittit. Pinna in Eccl. Ethol. 242.

Exaudi orationem meam Domine - auribus percipe lacrymas meas. Ps. 38. 13. Non nudam orationem, sed lacrymis exornatam offert, ut exaudiatur. Petrus Damasc. opusc. 13. c. 12. lacrymæ magnas habent voces in auribus Creatoris; quas voces ille ad Deum frequenter emiserat; quid ad obtinendum possent, subtiliter noverat, qui dicebat: *exaudi orationem meam.* Sylveira in Act. 8. 22. Petrus Dam. l. 3. de perfect. voces inesse lacrymis manifestè designant. Lacrymæ, cùm in conspectu judicis supplicant, nihil hæsitant; sed impetrasse se, quòd petierant, confidenter exultant. Escob. t. 1. mir. Chr. l. 9. sect. 2. ob. 6.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes. Ps. 118. 82. quid dicentes oculi? nisi flentes. Velloso in Judith 6. Paræn. 12.

Ægrotavit Ezechias. Ps. 38. 1. à Propheta monitus, ut se ad mortem disponeret, *oravit ad Dominum.* Non respondente Domino, *flevit Ezechias fletu magno.* v. 3. Vix prius in lacrymam profudit, cùm Deus inclamat: *audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos.* Galfridus: quàm festinus, & fidelis legatus est supplicantis lacryma. Escob. t. 1. mir. Chr. &c. ut antè.

Neque taceat pupilla oculi mei. Thren. 2. 18. Videte, quod & pupilla oculi nostri non tacet: sed, quotiescumque lacrymas proferimus, toties clamamus ad Deum. S. Hieron. in Ps. 76. Non quod pupilla oculi loqui debeat; sed quia ipsa, cùm compungitur, ex divina inspiratione, magis, quàm loquentis verba, impetrandi effectum habent. S. Paschasius in Thren. 2.

Oculus meus afflictum est, nec tacuit. Thren. 3. 49. Citius nullus clamor ad Deum ascendere creditur, quàm lacrymarum? quia, etsi voces surdæ sunt nonnunquam, coram Deo lacrymæ semper, teste Spiritu S. à maxilla in cœlum cum omni clamore cordis ascendere probantur. S. Pascasius hìc.

Flevit, & rogavit eum. Oseæ 12. 4.

Ex Novo, & Patribus.

Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli. Matth. 18. 3. Cur parvulis non vult similes? ad impetranda omnia per lacrymas, quæ petimus. Si mater minetur, si pater repellat, si nutrix lac neget, bajula cupitis non annuat; ad lacrymas parvulus recurrit, quibus semper victor evadit. S. Chrysol. s. 128. Infantiam dico, fratres, quæ semper totum obtinet; quæ plus lacrymis, quàm virium robore, contendit. Pinna Eth. 241.

Et cœpit flere. Marci 14. 72. S. Ambros. s. 46 rectè Petrus flevit, & tacuit: quia quod fieri solet, non solet excusari. q. d. non erat, cur Petrus aliquid dicere, qui flebat: quia lacrymæ magna vim in dicendo habent; nec est ulla ratio tam potens animos movere. Addit Ambros. quod defendi non potest, ablui potest: q. d. quædam crimina sunt ità magna, ut nulla orationis vi extenuari possint; at lacrymæ etiam fœdissima scelera eluunt. Subdit Ambros. utiliores preces lacrymarum sunt, quam sermonum: quia sermo in precando fortè fallit; lacryma omnino non fallit: sermo enim interdum non totum profert negotium; lacryma semper totum prodit affectum. Pinna Ethol. 242.

Adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. Luc. 14. 32. S Gregor. hom. 37. in Evang. cùm adhuc longè est Rex, legationem mittet lacrymarum: vult enim placari precibus, qui scit, quia portari non possit iratus: quòd adhuc moram facit, venire legationem pacis sustinet. Apud Naxera in Jos. 15. §. 31.

Conversus Dominus respexit Petrum. Luc. 22. 61. Cur Petrus ad eum flexit genibus non accedit, petens veniam; sed *egressus flevit amarè.* S. Ambros. hìc. Cur tacuit Petrus? nè tam cita veniæ petitio plus offendere: antè flendum: & sic precandum. Sylveira in Act. 8. 22.

Et ego flebam multùm. Apoc. 5. 4. Quia credit Joannes magna, ac scitu digna, in libro contineri: flet gemens, & suspirans. Magna vult Deus valdè postulari. Sylveira hìc.

Lacrymæ tacitæ quodammodo preces sunt: veniam non postulant, & merentur; causam non dicunt, & misericordiam consequuntur: nisi quòd utiliores lacrymarum preces sunt, quàm sermonum: quia sermo in precando fortè fallit; lacryma omnino non fallit. S. Ambros. s. 46. de pœnitentia Petri.

Dulciores sunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum. S. August. in Ps. 127.

Neque enim perinde amenium fontes floridos reddunt hortos, ut plantam deprecationis fontes lacrymarum irrigantes faciunt in summam altitudinem excurrere. S. Chrysost. hom. de Anna, & educatione Samuelis.

Non ità fontes aquarum hortos reddunt fertiliores, ut orationis plantam lacrymarum fontes irrigantes ad maximam excrescere faciunt altitudinem. S. Chrysost. hom. 79. ad pop. Antioch.

Non tantum vultus, & sudor fortium; quantum possunt lacrymæ parvulorum: quia ibi corpora, hic corda franguntur. S. Chrysol. s. 128.

Lacrymæ tacitæ quodammodo preces sunt; veniam non postulant, & merentur. S. Maximus ho. 3. de Pœnit. Petri.

Ornamenta petitionis sunt lacrymæ; & nihil tam illam ex arte oratoriam facit. Liniuntur, & delibantur multa intromittenda in aliud; ut faciliùs penetrent: & lacrymæ delibamenta sunt nostrarum petitionum. Sim. Cass. l. 6. de parab. Salvat.

Num. IV.

Oratio cum mortificatione.

Ignis Ex. 27. quo thimiama in altari aureo incedebatur in sancto, deferebatur ex altari holocausti: quia orationis fervor ex carnis, & passionum, jugi mortificatione promanat.

nae. Quare qui orationi incumbit, & negligit mortificationem; perinde facit, atque si quis sine igne vellet aromata accendere. Corn. hic.

Legitur Judic. 7. 19. 20. quòd per tubas sonantes, & per confractas lagenas, hostes fugabantur. In confractione lagenarum mortificatio corporum; in tubis orationes significantur. S. Bonaventura s. 3. D. 2. Quadr.

Geminæ visebantur aræ in Salomonis templo. 1. Paral. 6. 49. una erat incensi, victimarum altera. Præclara orationis, & mortificationis effigies. Neque enim satis est altare, in quo thura incendantur; sed & aliud statuendum est, in quo pecudes, & hostiæ cædantur. Drexelius Rhet. cœl. l. 2. cap. 9. §. 3.

In foraminibus petræ, Cant. 2. 14. Columba nidificare jubetur à sponso; ut quisque sciat, orationis nectar è mortificationis duritie stillaturum. Oliva l. 3. Strom. §. Et erat tribus dieb. Act. 9.

Ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, Cant. 4. 6. Sponsus vadit; quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere; & per mundas, & humiles orationes suaviter redolere perspicit. Sanct. Gregor. hic. Quia in hoc Cantico peculiaris fit mentio adventus sponsi in montem myrrhæ, & in collem thuris; de illis aptè intellige, quod hic ait sponsa, maximè juxta versionem Sept. *ecce ipse veniet saliens super montes, & transiliens super colles*: quia speciali ratione Christus toto peregrinationis suæ tempore saliit in montibus myrrhæ, idest, acerbissimæ mortificationis, & abnegationis propriæ; & in collibus thuris, idest, sublimis orationis. Ut doceret nos, in hoc duplici monte, & colle, semper nobis esse saliendum; si ad verticem sanctitatis aspiramus. De Ponte hic Exh. 4. §. 3. Docet hic Christus, viam ad sanctitatem, esse mortificationem, & orationem; unamqué alteri esse jungendam. Cornelius hic. Cur in colle thus, in monte myrrham, ait crescere? Faciliùs collis, quàm mons, conscenditur; imò collis ad montem via est. Sic oratio ad mortificationem semita est: faciliùs orare, quàm sibi imperare. Drexelius Rhet. cœl. l. 2. c. 9. §. 3.

Duas alas habeat oratio nostra: contemptum Mundi, & afflictionem carnis. S. Bernardus s. 3. in Epiph. D.

Num. V.

Oratio cum humilitate.

Ex Veteri, & Novo.

Minor sum cunctis miserationibus tuis - erue me de manu fratris mei Esau, Gen. 32. 10. 11. Chald. legit: *minora sunt merita mea omnibus miseris cordis, & beneficiis, quæ fecisti cum servo tuo*. Cur ita se deprimit? cur non potiùs commemorat obsequia sua erga Deum? votum, quod ei vovit - lapidem, quem erexit in titulum: oleum effusum? labores perpessos in domo Laban; sed totus humilitati intendit? Sanct. Chrysost. hom. 4. de incomprehensibili Dei natura: modò unum illud persuasum tibi sit, te omnium esse minimum; mirificè tibi animus fidendi, audendique, apud Deum præstabitur. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis*, Gen. 18. 27. Sylveira in Joan. 16. c. 19. q. 8.

Prostraverunt se super terram. Judith 7. 4. quod preces commendat humiles. Quid enim est aliud prostratum in terram, quàm humiliter orare, S. Laur. Just. l. de humilit. c. 17. nequaquam valet repelli deprecatio, quæ est humilitatis sale condita. *Respexit in orationem humilium*. Ps. 101. 18. Velloso in Judith 7. Paræn. 10.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus. Ps. 10. 17. Nè dixeris, sponsam celeriter exaudivit Dominus, quoniam sancta, dilecta; me peccatorem quomodo citò exaudiet? Nota: David non ait, desiderium sanctorum, aut dilectorum, exaudivit Dominus; sed desiderium *pauperum*, qui se pauperes esse agnoscant, nihil se habere boni credunt; & ad Deum tanquam mendici accedunt. De Ponte in Exh. 2.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me. Ps. 85. 1. Inclinat aurem, si tu non erigis cervicem: humiliato enim appropinquat; ab exaltato longè discedit, nihil quem ipse humiliatum exaltaverit. S. Aug. hic.

Oratio humilianti se nubes penetrabit. Eccl. 35. 21. S. Chrysost. in Psal. 9. orationis vehiculum est humilitas, *Ego veniam, & curabo eum*. Matth. 8. 7. Cur Christus D. mox annuit petitioni Centurionis? cùm Chananææ diriusculè respondeat? Matth. 15. 24. & Centurio multa humilitatis signa exhibuerat. Luc. 7. 7. *propter quod, & meipsum non sum dignus arbitratus, ut venirem ad te*. At Chananæa, licèt fervidè oraret, adhuc orationi humilitatis verba non sociaverat: mox ut ad illa descendit, & *cani* se comparat, non ultra differtur. *Secundò*. S. Basil. Seleuc. or. 19. herus pro famulo rogans exoratus fuit; mater pro filia rogitans tulit repulsam. Matrem in filiæ ærumna commoveri, & salutem ejus ambire, res homini ingenita; sed quod homo officio illustris fastum ponat, & pro salute unius pueri æstuat; hoc rarum, & mirum: unde sic attraxit divinam benignitatem, ut illius dotis faveret. Sylveira hic q. 11. Quod assiduo clamore non impetrabat, humili confessione promeruit. S. August. lib. de virgin. cap. 32.

Ex Patribus, & aliis.

Qui didicerunt à Domino Jesu Christo mites esse, & humiles corde; plus cogitando, & orando proficiunt, quàm legendo, & audiendo. S. August. ep. 112.

Nequaquam valet repelli deprecatio, quæ est humilitatis sale condita. S. Laur. Just. l. de humilit. c. 17.

Ubique orationis vehiculum invenitur humilitas: propè enim est Dominus contritis corde. S. Chrysost. in Ps. 9.

Quo se anima magis oratione humiliat, ac dejicit; eo ipso altiùs à Deo evehitur. Ex vita S. Theres. lum. & dogm. spirit.

Num. VI.

Oratio Parvulorum.

Et infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, Judith 4. 9. *Omnis Juda stabat coram Domino cum Parvulis*. 2. Paral. 20. 13. Lyran. ut magis impetraretur divina clementia. Hoc respectu *collectus est ad Esdram* l. 1. c. 10. 1. *cœtus grandis virorum, mulierum, & puerorum, Vocate cœtum, - congregate parvulos*, Joel. 2. 15. 16. Is. 9. 6. *parvulus natus est nobis - & vocabitur nomen ejus, Deus fortis. Pullis corvorum invocantibus eum*. Ps. 146. 9. Quid non concedat redemptis Parvulis bonus Deus. Bene fit, quòd publicis Processionibus Parvuli quoque comittentur. Velloso in Judith 4. Paræn. 5.

Num. VII.

Oratio reverentialis.

Utrumque genu in terram fixerat. 3. Reg. 8. 54. Notent hic nobiles delicatuli, & gloriosuli; qui orant uno genu in terra fixo, altero elevato; quasi pugnaturi cum Deo, ni concedat, quod petunt. Rex regum Salomon orans ecce utrumque flexit, & utrasque manus in cœlum expandit; atque hoc gestu supplex perstitit toto tempore prolixæ orationis suæ. Et nos viles homunculi dedignabimur utrumque genu flectere? Cornelius hic.

Verba mea percipe Domine, - intelligo clamorem meum. Ps. 5. 2. Sæpe clamat David; cur non exaudit Deus? adhuc non præstiterat se adoratorem. *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*. v. 8. Escob. t. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 2. obs. 3.

Mihi curvabitur omne genu. Isa. 45. v. 24.

Procidentes adoraverunt eum. Matth. 2. 11. Maximo reverentiæ signo cadentes adoraverunt; ita quòd non genu flexerunt, sed in faciem ceciderunt. Thomas de Vio, Cajet. Card. Sanct. Xisti hic.

Adorans, & petens. Matth. 20. 20. Ut sint efficaces preces opus adorationis præmittit. S. Chrysost. petit illa opere reverentiæ exhibito, ut impetret. Opera enim pia plus, quam voces impetrant. Escob. t. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 2. obs. 3.

Rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope usque ad terram nos humiliter inclinamus: & à Deo remissionem peccatorum, & æternam requiem, inquirentes, nec capita nostra inclinare dignamur. B. Cæsar. Arel. hom. 30.

Romæ in Ecclesia, dum elevaretur Corpus Christi, quidam juvenis noluit flectere genua: cui diabolus visibilis dedit alapam dicens: ò proditor Christiane! pro quibus tantum fecit Christus. Si fecisset centesimam partem pro nobis eorum, quæ fecit pro vobis; nocte, & die, servissemus ei genibus flexis. Et subitò interfecit eum. S. Vinc. Ferr. s. 6. D. 16. post Trinit.

§. XVI.

Oratio attenta, sine distractionibus.

Ex Veteri.

Abraham, Abraham, Gen. 22. 11. Abraham Sacrificio suo ita intentus, ac attentus erat, ut bis ab Angelo vocari nomine debuerit, ut audiret. S. Ambros. l. 1. de Abrah. cap. 8. ne aut non planè audiret, aut fortuitam esse vocem putaret; reperivit vocem; tamquam veritus, nè præveniretur studio devotionis, & una vox impetum ferientis revocare non posset. Baeza t. 1. l. 1. c. 7. §. 15.

Moyses. Ex. 4. 10. ad loquendum cum Deo non dixit se Balbum; sed cum homine: quia Deus, præter hominum morem, cor magis, quàm verba attendit. Diez conc. 3. D. 5. Pasch.

Præcipitur Moysis. Ex. 19. ut solus Deum allocuturus montem ascendat; neque grex, aut quodvis animal &c. insuper nube ipsa obvolvitur. Omnia dicunt attentionem.

Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te. 2. Reg. 7. 27. Inveniant quoque orantes cor suum, ut bene orent. Vagatur cor curis inanibus distractum à Deo; cùm orare volumus, veluti perditum inveniamus, reddamusque attentum. Berradius D. 5. Pasch. l. 5. c. 14. in Jon. 16.

Tantumque labia illius movebantur. 1. Reg. 1. 13. non oculi, non pedes in oratione; sed tantùm os. Attende miram attentionem. *Operuit vultum suum pallio*. 3. Reg. 19. 13. Mox ut Elias sensit Dominum, qui secum loquebatur; pallio caput obvolvit, quasi sensus omnes colligeret, ne vel minimum distrahere. Incert. Author.

Lauda anima mea Dominum, Psal. 145. 2. Dat sibi Propheta salubre consilium, ut *anima* laudet Dominum, non sonus concrepantium labiorum. Sæpe enim sic meditata proferimus, ut peregrina cogitatione translati, non nos sentiamus, dixisse, quæ loquimur. Ideo animam suam Psalmista hortatur laudare Dominum; ut expulsis cogitationibus supervacuis, in ipso tantum negotio totis viribus occupetur. Cassiodorus hic.

Ne vagari incipiam post greges &c. Cant. 1. 6. Verè in quo Christus non cubat, vagatur: quia mens, quam melle suavis, & ponderosus Christi spiritus non implet, multis cogitationibus dissoluta circumfertur. S. Gregor. hic.

Ex Novo.

Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum. Matth. 6. 6. Quæ sunt ista cubicula, nisi ipsa corda, quæ in salmo etiam significantur, cùm dicitur: *quæ dicitis in cordibus vestris &c.* S. Aug. l. 2. c. 6. de ser. D. in monte.

Miserere mei Domine fili David. Matth. 15. 22. S. Chrysost. hom. in peccatricem, & Pharisæum: Chananæa fortiter clamabat, *miserere mei &c.* at peccatrix hæc clamorem non edebat; sed considerans, quod ipse omnia, ut Deus nosset; silens ore, corde cum cordis inspectore loquebatur: plorans deosculabatur pedes; atque Dominum ad compassionem, indulgentiamque induxit. Illa ore loquebatur, hæc vero corde: & efficaciùs ad Deum cordis inspectorem loquitur cor, quàm os. Sylveira in Luc. 7. q. 11.

Ex Patribus, & aliis.

Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & sæcularis, abscedat; nec quidquam tunc animus, quàm id solùm cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissa fratrum mentes, dicendo *sursum corda*, parat: ut dum respondet plebs, *habemus ad Dominum*, admoneatur; nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere. S. Cyprianus l. de orat. Dom.

Non puto, quod ille, qui clausit cœlum orationi, clausserit animum à cogitatione: ut facilius sit, cœlum obsecrare; quàm animum. Petrus Dam. s. in vigil. Nativ.

Spineam coronam gestat Dominus; ut omnes in servitutem assereret, quò in precibus mentem in convulsam possiderent. S. Athanas. de Pass.

Non levi crimine tenetur astrictus, quisquis cum Deo in oratione loquitur, & subito abstrahitur ab ejus conspectu, quasi ab oculis non videntis, nec audientis. S. Aug. Manuali cap. 29.

Plerumque in oratione genibus fixis corpus prosternis, collum curvas, confiteris peccatum, Deum adoras. Video corpus, ubi jaceat; quæro ubi voliret animus? Video membra jacentia; videamus, si stat conscientia: videamus, si fixa est in eum, quem adorat. Modò si mecum loqueris, & subitò averteres te ad servum tuum, & dimitteres me; non dico, à quo aliquid petebas, sed cum quo ex æquo loquebaris; non mihi injuriam factam deputarem? Ecce quid facis quotidie Deo. S. August. in Ps. 140.

Quomodo obtinebit quis, ut in oratione cor ejus non vagetur? Si certus sit, se assistere ante oculos Dei. Si enim quis judicem suum videns, aut principem; & loquens cum eo, non sibi credit licitum esse vagari oculis, & aliorsum aspicere, dum ipsi loquitur: quantò magis qui accedit ad Dominum, nusquam debet movere oculos cordis? sed intentus esse in eum, qui scrutatur renes, & corda. S. Basilius Regula de Instit. Monachi c. 57.

Quantæ temeritatis, immo quantæ insaniæ est; si forte dum alloquitur nos Dominus Majestatis, nos insensati avertamus aurem; & ad, nescio, quas ineptias convertamur. Quanta est hæc injuria, & quàm graviter vindicanda? cum vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur creatorem universitatis. Sanctus Bernardus serm. de 7. spiritibus.

Apud homines cor ex verbis; apud Deum verò verba pensantur ex corde. V. B. in Proverbiis.

Esto totus orationis tempore, velut cœlestis Angelus. Sic semper orationis hora esto Deo conjunctus, ut Cherubim, & Seraphim. S. Ephrem de Virginit.

Non fieri potest, ut aliquando loquatur cum Domino, qui etiam silens cum toto Mundo confabulatur. Hildebertus Ep. Turon. ep. 37.

Non spectat ad laudem orationis, quanta sit, sed qualis. S. Nilus de orat. c. 145.

Sit anima perinde ac quæ filios vagantes colligit; & castigans dispersas à peccato cogitationes inducat in domum corporis sui. S. Macarius hom. 31.

Vix reperies, sicut quidam dixit, ut oranti cuiquam non aliquid inane cogitationis incurrat obstaculum, & intentionem, qua in Deum mens erigitur declinet, ac frangat. Et ideo certamen magnum, atque saluberrimum est, orationi cœptæ jugiter imminere; & cum adjutorio Dei obsistere vivaciter suggestionibus inimici: quatenus fixa semper ad Deum mens stabili intentione contendat; ut meritò possit dicere. 2. Timoth. 4. 7. *certamen bonum certavi*. Cassiodorus in Ps. 101.

Melius est semel dicere Pater noster cum intellectu bono, & attentione; quàm millesies sine intellectu, & devotione. S. Edmundus Cantuar. speculo Eccles. c. 17.

Si tuum corpus sit in choro, labia tua in psalterio, & cor tuum in foro miserrimè; & divisus est in teipso, ne exaudiaris à Deo. Id. ib.

Vel una oratio Dominicalis, cum sensu, & attentè recitata pluris valet; quàm centum festinanter decursa. S. Franc. Sales. in Philothea p. 2. c. 1.

In oratione conjunguntur duæ manus; quæ significant conjunctionem oris, & cordis. S. Vincent. Ferr. s. 3. D. 1. post oct. Epiph.

Precatio exterior, quæ ore tantum funditur, velut palea est: nam interna oratio, quæ funditur mente, ipsum granum est. Lud. Blos. instit. Spirit. c. 8.

Similitudines.

Luna. Lem. *Unius aspectus*.

Cicada. Lem. *Mihi cicharas pectus*. Sanct. Isidorus de summo bono: oratio est cordis, non labiorum: neque enim verba attendit Deus, sed cor aspicit orantis.

§. XX.

Oratio publica multorum.

Ex Veteri.

Pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel. Jos. 7. 6. Deus multorum precibus exoratus mali medelam docuit, & populum in pristinam amicitiam admisit. Naxera hic §. 18. multorum oratio impetrandi jus est.

Omnis Juda stabat coram Domino. 2. Paral. 20. 13. Ecce hic patet antiquitas Litaniæ, sive orationis publicæ, & communis: quia in publica calamitate publicè omnes cujusvis sexus, & ætatis, conveniunt, ad opem Dei implorandam. Cornelius hic.

Et clamavit omnis populus. Judith 4. 8. Nota hic usum, modum, & vim publicæ orationis, & pœnitentiæ, in publica calamitate Christianis imitandum; ut simili modo calamitates suas avertant. Cornelius hic. Item Judith. 8. 32. 33.

Vade, & congrega omnes Judæos, - & orate pro me. Esth. 4. 16. *Congregate seniores omnes - & clamate ad Dominum*. Joel. 1. 14. *Et socios suis indicavit negotium*. Dan. 2. 17. An sibi soli Daniel precanti non fidit? Lyran. adjungit sibi socios in orando: quia oratio multorum, & maximè bonorum, est multum exaudibilis. Velloso in Judith. 4. 9. Paræn. 5.

Prædicaverunt jejunium. Joan. 3. 5. S. Ephrem in Jon. unusquisque proximum ad preces hortabatur: & effecta est tota civitas velut corpus unum. Unusquisque observabat, ne quis laberetur inter ipsos: nullus ibi precabatur, ut solus redimeretur; verùm ut membra singulis pro se mutuo deprecabantur.

Operiantur saccis homines, & jumenta; & clament ad Dominum in fortitudine. Jon. 3. 8. Fortitudo illa in unitis precibus. Unde Deus ipse proclamat. Jon. 4. 11. *ego non parcam Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plures quàm centum viginti millia hominum*. Imò quia tot sunt millia iniquorum hominum, parcere non deberes. Paucos justos. Genes. 18. 32. requisisti apud Sodomam, ut illis urbibus ignosceres; quomodo tot millibus iniquorum parcis? profectò quia simul orantes in fortitudine clamabant; ut iram Dei vincerent. Escob. t. 1. mir. Chr. l. 4. sect. 3.

Alii gregatim de domibus confluebant publica supplicatione obsecrantes. 2. Machab. 3. 18.

Ex Novo.

Ego veniam, & curabo eum. Matth. 8. 7. Ad Regulum autem asperè loquitur. Joan. 4. 48. *nisi signa - videritis, non creditis*. Uterque rogat; & Centurio pro servo, & Regulus pro filio. Sed cum Regulo nemo rogat; pro Centurione plures. Luc. 7. 3. *misit ad eum Seniores, rogans eum*. Velloso in Judith 4. Paræn. 10.

Domine, salva nos; perimus, Matth. 8. 25. Nullus pro se solo loquitur, sed pro omnibus: nemo enim dixit, salva me. S. Chrysol. ser. 20. revera fratres, si assemus, & humanum corpus & eos, qui pereunt, nostra viscera esse crederemus, afflictione jejunii, precum gemitu, effusione fletuum jugiter clamaremus: *Domine, salva nos; perimus*; & studeremus nobis in nostris fratribus subvenire; nè furente gladio, sanguinis nostri mare videremus in terris; nec tanta corporum, sed animarum jam naufragia sentiremus. Sylveira hic.

Et facta est tranquillitas magna. Matth. 8. 26. Non id obtinuit Discipulorum fides, quæ modica erat; sed eorum concordia, qua singuli pro omnibus præcabantur; *Domine, salva nos*. Baeza t. 2. l. 11. c. 5. §. 12.

Apprehendens eum de turba seorsum &c. Marci 7. 33. Cur miserum hunc Dominus mox sanat sine alloquio, ut supra cum Chananæa. Matth. 15. 24. Et cum duobus cœcis. Matth. 9. 28. R. Chananæa una erat pro filia rogans; hic multi. Oratio multorum efficax. Sylveira hic q. 6.

Par turturum, aut duos pullos columbarum. Luc. 2. 24. Turtur, quæ est solitaria, significat orationum lacrymas: columba vero gregalis significat publicas orationes Ecclesiæ. S. Vinc. Ferr. f. de Purif. B. V.

Sine, quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene? Luc. 4. 47. *Et increpavit illum Jesus dicens: obmutesce, & exi ab eo*. Verte modò oculos ad Luc. 8. 27. & Marci 5. 9. dæmones hominem inhabitantes sepulchris vel ante mortem condebant. Opem laturus adest Christus; & dæmones accurrentes adorant: *quid mihi, & tibi, Fili Dei Altissimi? interrogat Christus: quid tibi nomen est? at ille dixit ei: legio mihi nomen est, nam multi sumus*. Marci 5. 9. *mitte nos in porcos*. Cur his, non illi, annuit Christus? quia ibi unus; hic multi: *nam multi sumus*. Etiam dæmones multi impetrant. Naxera in Jos. 7. §. 18.

Petite, - quærite &c. Luc. 11. 9. Non dixit, pete, quære; ut communitatis commendet orationem. Escobar t. 3. Colloq. Chr. l. 12. sect. obs. 4.

Levaverunt vocem suam dicentes: Jesu Præceptor miserere nostri. Luc. 17. 13. Non clamant singulariter unusquisque, miserere mei; *sed miserere nostri*. Dominus autem eos ad Sacerdotes mittens mox sanavit in via: ut innuat gratam, & efficacem orationem; quæ à pluribus simul fit. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 4. sect. 3.

Herodes occidit Jacobum fratrem Joannis gladio. Act. 12. 2. Petrum vero non occidit. Cur non Jacobus, sed Petrus, evasit? nisi quia non pro Jacobo, sed pro Petro, tota Ecclesia deprecata est. Act. 12. 5. Mendoza in 1. Reg. 7. Publicæ orationes in publicis necessitatibus.

§. XXI.

In oratione quid petendum?

Num. I.

Non vilia, non temporalia.

Dabis servo tuo cor docile. 3. Reg. 3. 5. 9. Rupertus l. 4. de Vict. verbi Dei cap. 24. cùm Dominus dixisset Salomonis: - *postula, quod vis, ut dem tibi*; & tanta sibi oblata gratia, posset æternitatem gloriæ cœlestis una petitione adipisci, quæ summa beatitudo est: ille, temporali gloria delectatus, & apud homines volens gloriosus haberi; leve, seu mediocre, bonum petiit. *dabis &c.* Sed cur non dixit, sicut pater ejus David. Psal. 26. 4. *unam petii - hanc requiram* - videlicet quia cor ejus non erat perfectum cum Domino Deo suo. Baeza t. 2. l. 9. c. 5.

Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis. Is. 1. 15. Tamne inexorabilis Deus? qui invitat. Matth. 7. 7. *petite, & dabitur vobis*. S. Basilius: observa, hic non esse dictum, cùm *elevaveritis* manus, sed cùm *extenderitis*. Manus extendere, idem ac terrena expetere: deberent primùm manus elevare ad bona spiritualia, tum extendere ad temporalia. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 6. sect. 2. obs. 4.

Quemadmodum ad Imperatorem nemo pro veste discissa, nec pro decem obolis ereptis audet accedere; ita etiam tu: atque adeò longè ampliùs cave; nè ad Deum accedas pro rebus vilibus, contemptis, & nihili; ut v. g. Si quis in pecunia tibi fecerit injuriam; aut si quis affecerit te contumelia; sed in iis, in quibus te diabolus injuria afficit; cùm superno maximè auxilio opus est. S. Chrysost. in Ps. 142.

Stultissimum fuerit; si quis accedens ad Deum, à sempiterno temporalia roget, à cœlesti terrena, ab altissimo humilia, atque abjecta: ab eo, qui regnum cœlorum largitur, hanc terrenam, hanc humilem, felicitatem: hoc enim Gentiles faciunt, qui nullam sibi futuri sæculi spem proponunt; non judicii metum, non gehennæ minas. S. Gregor. Nyss. de oratione or. 1.

Est Rex noster maximè studiosus dignitatis: & indignatur si quis eum rem petat exiguam; si quis ab eo postulet; quæ non sunt nobis consentanea. Isid. Clarius l. 2. or. 18.

Num. II.

Petenda utilia bona.

Dic mihi, quo appellaris nomine? Gen. 32. 29. Non obtinuit quia inutilis erat petitio: sed cum petiit benedictionem, obtinuit, quia utilem. Stella in Luc. 2. 26.

De Lacædemoniis scribit Plato, solere eos orantes petere pulchra, & bona, sibi dari; nec plura illos precari quemquam audivisse. Isid. Clarius l. 1. or. 18.

Num. III.

Petenda spiritualia virtutes.

Petite, & dabitur vobis. Luc. 11. 9. Cùm dictum est, *petite*, intellige Spiritum S. *& dabitur vobis*: & similiter *quærite* Spiritum S. *& invenietis* illum; & demum *pulsate* ad ostium Spiritus S. *& aperietur vobis* regnum cœlorum. Spiritus autem Sanctus, propriè loquendo, non est hic nomen tertiæ Personæ Trinitatis, sed participationis illius participationis divinæ spiritualitatis, ac sanctitatis: ut non sit spiritus noster ad carnalia, & mundana, promptus, aut affectus; sed ad spiritualia bona. Cajetanus hic.

Si quid petieritis. Joan. 16. 23. idest, si aliquid, ut explicant Beda, Haymon, Bonaventura, Hugo; quod sit verum; ac solidum; ac proinde conducens ad æternam vitam: nam temporalia tamquam nihil sunt. S. August. tr. 102. hoc quod ait, *si quid*, non quodlibet intelligit, sed aliquid, quod non in beatæ vitæ comparatione, sit nihil - in isto enim bono petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia divina defraudabit: quidquid aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla res est; sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. Sylveira hic.

Talis est Deus noster, cùm nos viderit non affixos rebus sæcularibus, & caducis; tunc ea nobis largitur. Cùm nos viderit spiritualia præponentes; tunc & carnalia donat: ante autem nequaquam; nè quando avellamur à spiritualibus. S. Chrysost. hom. 20. in ep. ad Hebr. c. 10.

Non fieri potest, non potest, inquam fieri, ut, qui postulant à Deo pudicitiam, justitiam, mansuetudinem, ac benignitatem non assequantur id, quod petunt. Idem de orando Deum l. 1.

In oratione levamus dexteram pro bonis spiritualibus, sinistram pro temporalibus. Sanct. Vincent. Ferrer. ser. f. 6. post Oculi.

Num. IV.

Petenda remissio peccatorum.

Et peccavi - Dominus quoque transtulit peccatum tuum: 2. Reg. 12. 13.

Eritque antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam. Is. 65. 24.

Citò proferte stolam primam. Luc. 15. 22.

Num. V.

Petendum regnum Dei, æterna &c.

Dabit tibi petitiones cordis tui. Ps. 36. Petitio, quam ratio format, dicitur petitio cordis; quæ non sensibilia, & transitoria, sed experientia ad salutem, & æterna, quærit invenire. Sim. Cass. l. 6. c. 1.

Quærite primum regnum Dei. Matth. 6. 33. Cùm Deus in oratione non quæritur, citius in oratione animus lassatur: quia cùm illa quisque postulat, quæ fortasse juxta occultum judicium Deus tribuere recusat; ipse quoque venit in fastidium, qui non vult dare, quod amatur. Sed se magis Dominus, quàm ea, quæ condidit, vult amari; æterna potiùs, quàm terrena postulari. S. Gregor. Mor. l. 15. c. 27.

Remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. 2. Sed cur petenti sanitatem peccata dimittit? Hieron. Euthym. Theophylactus: voluit Dominus morbi originem indicare; & priùs, quàm morbum ipsum tollere. Maldonatus ait: ea ratione Christum docere voluisse; quid primo loco paralyticus petere debuerit. Escob. t. 1. mir. Chr. l. 4. sect. 4. hic.

Jesus autem, elevatis sursum oculis dixit. Pater gratias ago tibi. Joan. 11. 41. Unde & nos oculos cordis ad terram non deprimamus, sed elevemus in cœlum; si quod oramus, volumus impetrare. Innocentius III. Papa de Sacro Alt. myst. l. 4. cap. 5.

Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo. Joan. 14. 13. In hoc nomine non petit ille, qui contra Dei dispositionem, & contra suam, vel aliorum salutem, petit (est enim salutis nomen) imò verò, qui aliter petit; contra hoc nomen petere, non dubium est. Euseb. Emiss. D. 4. adv. f. 4.

Petite, - ut gaudium vestrum sit plenum. Joan. 16. 24. Illud gaudium plenum est, quod perfectum & integrum est; quod nunquam finitur, & æternum est. Id. D. 5. Pasch. in quo autem gudium plenum esse poterit? nisi ut veniamus, & appareamus ante faciem Dei. Itaque cùm dicit; *petite &c.* illa tantummodo petenda esse innuit; quæ proficiant ad visionem Dei; in quo solo plenitudo gaudii est. S. Rupertus l. 12. in c. 16. Joan. S. August. petite gaudium cœleste, quod verè plenum est, & perfectum, cui nihil deest.

Num. VI.

Petendum quod vult Deus.

In quæcumque die invocavero te, velociter exaudi me. Ps. 101. 3. Citò obtinentur, quæ bono desiderio postulantur: nec differuntur preces, quæ hoc petunt, quod vult ille, qui petitur. S. Prosper Aq. hic.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo. Joan. 16. 23. Petere in nomine Christi, est petere ea, quæ Christus à nobis cupit, & dare nobis vult: scilicet quæ ad salutem animæ spectant. Hæc oratio est efficax illa nonnullorum: Domine, da mihi hoc, quod Christus Dominus in me desiderat, quod ipse mihi dari cupit; pro quo ipse moriens in cruce oravit. Cornelius hic.

Narrat Alphonsus Salmeron tom. 10. tr. 11. fuisse hominem, qui orationis loco totum ordine alphabetum recitavit, cum hac clausula: Domine, junge tu literas; & quod tibi magis placet, mihique expedit largire.

Num. VII.

Pete ipsum Deum.

Domine non confundar, quoniam invocavi te. Ps. 30. 18. Invocas Deum, quando in te vocas Deum: hoc est enim illum invocare, illum in te vocare quodammodo, eum in domum cordis tui invitare. S. August. hic.

Exquisivi Dominum, & exaudivit me. Ps. 33. 5. Non dixit, inquisivi aurum à Domino, & exaudivit me, inquisivi à Domino hoc, aut illud, & exaudivit me. Aliud est, aliquid inquirere à Domino; aliud est, ipsum Dominum inquirere. S. Aug. hic.

Deum non invocaverunt. Ps. 52. 6. Qui invocat Deum, ut dives fiat, Deum non invocat: hoc enim invocat, quòd ad se vult venire. Quid enim est invocare, nisi vocare in se? Nam cùm dicitur, Deus da mihi divitias, non vis, ut Deus ipse ad te veniat; sed vis, ut divitiæ veniant ad te: quod vis, ut ad te veniat, hoc invocas. Si autem Deum invocares, ipse ad te veniret, ipse esset divitiæ tuæ: nunc autem vis habere arcam plenam, & inanem conscientiam. Id. hic.

Non est, qui clamet in eis ad me. Os. 7. 7. Quidnam est, clamare ad Dominum, nisi desiderare Dominum? Cæterùm si quis orationem multiplicet, quantumvis clamando, & lacrymando; non habens intentionem in hoc, ut ipsum mereatur habere Deum, sed ut aliud quid obtinuit terrenum, sive transitorium; non veraciter potest dici clamare ad Dominum. S. Rupertus lib. 3. hic.

Erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6. 12. Oratio nostra fit in omnibus Dei, ut ab ipso gratiam orandi accipientes oremus ipsum, ex ipso, in ipso, & propter in ipsum. Sim. Cass. l. 4. c. 7.

Omnes, quando oramus, mendici Dei sumus; ante januam magni Patris familias stamus; imò & posternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere; & ipsum aliquid ipse Deus est. S. August. f. 15. de V. D.

Si tibi Imperator diceret; pete, quod vis; quos tribunatus, comitatusve, ructares? quanta tibi proponeres, & accipienda, & aliis largenda? Deo tibi dicente: pete, quod vis, quid perituros es? Excute mentem tuam, exerce avaritiam tuam; protende, quantum potes, & dilata cupiditatem tuam. Pete, quod vis; tamen nihil invenies melius, quàm ipsum, qui fecit omnia. Ipsum pete, qui fecit; & in illo, & ab illo, habebis omnia, quæ fecit. Et nihil magis vult dare, quàm se. Si alia petieris, injuriam facies illi, & damnum tibi; præponendo illi, quod fecit; cùm velit seipsum tibi dare, qui fecit. Id. conc. 1. de prima parte Ps. 34.

Quomodo invocabo Deum meum, Deum, & Dominum meum? quoniam utique in meipsum eum vocabo, cùm invocabo eum. Et quis locus est in me, quo veniat in me Deus meus! quò Deus veniat in me; Deus, qui fecit cœlum, & terram. Id. Confess. l. 1. c. 2.

§. XXII.

Ad Orationem perfectam requisita.

Num. I.

Præparatio.

Præparationem cordis eorum audivit auris tua. Ps. 10. 17. Citharista præparat citharam suam; & moderatur eam priùs, quàm citharizet coram magno Domino. De Rampelogis Oratio.

Dimitte nobis debita nostra. Matth. 6. 12. Qui ad benefactorem accedit, benefactor esto: qui ad bonum, bonus; qui ad justum, justus, patiens item, ac lenis; qui ad lenem, ac patientem, accessurus sit: ad humanum humanus. Ità sibi aditum, atque fiduciam, orationis conficiat. Ut enim fieri non potest, ut malo bonus concilietur; ità sævitia accedentis, seipsum ab Humanitate Dei sejungit. S. Greg. Nyss. or. 5. de or. Dom.

Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus debemus præparare. Joan. Cass. Coll. 9. quæ est in prima Abb. Isaac de orat. c. 3.

Num. II.

Oratio quas virtutes requirat.

Ne irascamini in via. Gen. 45. 24. Nos scilicet monuit, nè, in via orationis constituti, ad Patrem cum ira accedamus. Tertullianus l. de orat.

Summus Sacerdos. Ex. 28. 33. 35. cùm in Sanctuarium ad orandum, & offerendum thymiama, ingrederetur; vestitus erat hyacinthina toga: à cujus fimbria pendebant multa quasi mala punica, ex pulchris coloribus contexta, mixtis aureis tintinabulis, quæ in ipso ingressu sonitum ederent. Quo significatur, munus dignè orandi, & se præsentandi in conspectu Altissimi; non in solo sonitu precum consistere, ut efficacius fit; sed etiam in consortio malorum Punicorum; quæ insigniores charitatis erga Deum, & proximos, actus referebant. De Ponte in Cant. 4. lib. 7. Exh. 28.

Delectare in Domino, & ipse dabit tibi petitiones cordis tui. Ps. 36. 4. Delectari oportet omnem hominem petentem aliquid in eo, à quo petit: aliàs is, à quo petitur denegaret; si aversum petentem ab amore suo conspiceret. Omnis namque delectatio in amore fundatur; & ab ipso, velut à propria radice, procedit: etenim absque amore delectatio nulla perficitur, prohibita, vel concessa; utilis, vel nociva; humana, sive divina, temporanea, vel æterna. Sim. Cass. l. 6. c. 1.

Non sine mysterio priùs dicitur; *ostende mihi faciem tuam*. Cant. 2. 14. deinde verò: *sonet vox tua in auribus meis*: nam, cùm aliquem alloqui volumus, priùs versùs eum faciem vertimus. Sic ante orationem curà, quam conversam habebas sive ad terrena, seu negotia sæcularia, sive ad seipsum, propriaque commoda; ab his avertas, ea contemnens; ut summa attentione Deo assistas. De Ponte hic Exh. 28. §. 1.

Tu autem, cùm oraveris intra in cubiculum tuum. Matth. 6. 6. S. August. in Ps. 35. cubile nostrum, cor nostrum; ibi tumultum patimur malæ conscientiæ, & ibi requiescimus, quando bona conscientia est. Ibi est cubile, ubi nos D. N. J. C. jubet orare. Tentator non cessat pulsare, ut irrumpat; si clausum invenerit, transit. Quid est autem claudere ostium? hoc ostium tamquam duas habet valvas, cupiditatis, & timoris. Aut cupis aliquid terrenum, & hac intrat. Timoris ergo, & cupiditatis, januam claude, contra diabolum; aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? cupiendo regnum cœlorum, timendo ignem gehennarum. Apud Drexelium Rheti cœl. l. 1. cap. 3.

Misericordiam volo, & non sacrificium. Matth. 9. 13. Interiora Deo placent præ exterioribus. Princeps Synagogæ. Matth. 9. 18. quàm officiosus accessit ad Christum, filia *mea modò defuncta est*. Mulier autem hæmorrhoissa *dicebat intra se; si tetigero tantùm fimbriam ejus*, v. 21. *salva ero*. Tangit, & mox sanatur. Tam potens est cordialis affectus. Sedulius l. 1. Paschali c. 11. ò quàm rebus arduis impetrandis plus est confidere, quàm rogare. Quippe venit ex corde fiducia, preces ex lingua: preces sæpius sine corde funduntur; fiducia sine corde non nascitur. Mulier Chananæa Matth. 15. 22. *clamavit* post Dominum: *miserere mei Domine fili David*: tamen semel, ac iterum, repulsam patitur. Consultior Magdalena in domo Simonis Luc. 7. 38. ore tacet, sed rigat lacrymis; corde loquitur, & mox accipit remissionem peccatorum. S. Chrysost. hom. in peccatricem, & Pharisæum: Chananæa fortiter *clamavit, miserere mei fili David*! at peccatrix hæc non clamorem edebat; sed considerans, quòd ipse omnia, ut Deus nosset, silens ore, corde cum curdis inspectore loquebatur; & plorans deosculabatur pedes; atque Dominum ad sui compassionem, indulgentiamque, induxit. Unus cordialis affectus potentior est ad movendum

vendum Deum præ æsternis sacrificiis : & ideo misericordia plus placet, quia plus de corde habet ; imò quia ejus sedes in corde sita est. Unde Daniel. 3. 38. in fornace Azarias sic orat; *non est in tempore hoc princeps neque holocaustum - ut possumus invenire misericordiam tuam ; sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. - Et nunc sequimur te in toto corde.* Nota: quid loco Sacrificiorum offerat; animum contritum, sequela ex corde. Baeza t. 2. l. 7. c. 4. §. 17.

Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi &c. Matth. 26. 37. Cùm orat, Petrum, & Jacobum, & Joannem adhibere socios debet; idest : integram fidem, spem constantem, & ardentem charitatem. B. Isaias Abb. or. 13.

Petitis, & non accipitis &c. Jacobi 4. 3. Malè petere, est si non petis, quod debes ; nec ea intentione, qua debes ; nec tempore, quo debes ; nec perseveranter, ut debes. S. Bonavent. s. 2. de Adv.

Si vis tenere, quod non habes, dimitte, quod habes ; ut amor Christi sit in corde tuo. Ecce petis à Deo : & dicis ; Domine, da mihi. Quid tibi dabit, qui aliunde manus tuas videt occupatas? Ecce Dominus vult dare, quæ sua sunt ; & non habet, ubi ponat. Vide ergo ; dimitte, quod tenes ; & accipis, quod petis. Dimitte temporalia, & caduca, & accipies æternam, & perpetuam vitam : dimitte terrena, & accipis cœlestia. S. Aug. s. 233. de temp.

Omnes sancti in tribulationibus constituti priùs justitiam ejus laudaverunt, & sic beneficia petiverunt. Laudaverunt primò flagellantem, & sic sciverunt cibantem. Id. in Ps. 144.

Loquere cum Deo sicut filius cum patre suo. S. Isaac l. 1. de contemptu Mundi c. 8.

Num. III.

Oratio sit continua.

Sine intermissione orate. 1. Thess. 5. 17. Theophylactus : iter monstrat, quo fiat, ut semper gaudeamus ; orationem nimirum, quæ non cesset ; atque gratiarum actionem : qui enim assuevit cum Deo versari, eique gratias agere in omnibus rebus, tamquam utiliter contingentibus ; planùm est, quòd perpetuum gaudium sit habiturus. Corn. hic.

Quòd si in Scripturis sanctis sol verus, & dies verus ; & Christus ; hora nulla à Christianis excipitur, quò minùs frequenter, ac semper Deus debeat adorari. S. Cyprianus l. de orat. Dom.

Egredientes de hospitio armet oratio ; regredientibus de platea oratio occurrat antè, quàm sessio ; nec priùs corpusculum requiescat, quàm anima pascatur. S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium.

Qui amat Deum, semper cum hoc, tamquam cum Patre, consuetudinem, & sermonem habet. S. Nilus de orat. c. 51. Si Deo semper placita gerimus, semper oramus. Eucherius s. 6.

Sive in Ecclesia fueris, sive domi tuæ, sive in agro : si oves pascas, & si ædificia construas, & si in symposio verseris ; ab oratione cave desistas. Et quandocumque poteris, genua flecte : quando non potueris, mente Deum invoca, & vespere ; & manè, & meridie. S. Ephrem de orat.

Omne, quod agis, oratione obsignato ; id verò maximè, de quo mentem vides dubitantem. S. Nilus cap. paræn.

Quicumque orandi dono præditi sunt, ingenti privilegio sunt donati : similes enim iis sunt, quos reges ità familiares habent ; ut eorum ingressus numquam prohibeatur. Isid. Clarius l. 1. or. 18.

Num. IV.

Oratio sit constans.

Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Gen. 32. 24. Luctare cum Angelo ; ne succumbas : quia regnum cœlorum vim patitur. In multis tentat te Dominus, declinat sæpius, avertit faciem ; sed non in ira : probationis istud est, non reprobationis. Sustinuit te dilectum, sustine, viriliter age. S. Bernardus s. in Nat. B. V.

Josue scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quàm omnis senes Israel. Jos. 7. 6. Abul. q. 15. ante vesperam non jussit, quòd surgerent : ut priùs ibi abundanter orarent. Naxara in Jos. 7. §. 17. Multorum oratio aliquando repulsam tulit ; perseverantia numquam optatis fraudatur.

Elias, ut notat Abul. septem vicibus oravit ut impetraret pluviam : quia volebat eum Deus diutiùs in oratione perseverare 3. Reg. 18. 42. 43. De Ponte in Cant. 2. Exh. 5. §. 3.

Miserere nostri fili David. Matth. 9. 27. *Cùm venisset ad domum &c.* v. 28. Cur Christus non via, sed in domo, cœcos sanavit (Albertus M. ut ostenderet, perseverantiam in oratione ad impetrandum maximè necessariam esse. Sylveira hic c. 30. qu. 2.

Miserere mei Domine fili David! filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22. Quid ad hæc ei Christus? *non respondit ei verbum.* Interim Discipuli Christi mulieris fiunt oratores : *dimitte eam, quia clamat post nos.* v. 23. Apostoli omnes repulsam ferunt : *non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel.* v. 24. Tam magnum quid est perseverantia orationis ; ut uni alienigenæque mulieri, fuerit concessum, quod rogatoribus pluribus, hisque Apostolis, denegatum. Naxera in Jos. 7. §. 17.

Quòd sæpe rogans non impetraveris, tua est causa. Aut enim non ad salutem facientia rogasti : aut, si attentè, minimè perseveraſti. S. Basilius s. quomodo Deus orandus.

Pertinax oratio pertingit ad finem. Et si tibi in initiis sicca, & velut saxea videatur ; oleum tamen gratiarum elicies de hoc saxo durissimo ; tantùm si perseveres. Gilbertus ser. 6. in Cant. 2.

Num. V.

Oratio sit fervens.

Ad me clamat ex Seir &c. Is. 21. 11. Non dicit, orat ; non dicit, supplicat ; sed clamat. Quæ est ista exclamatio ? nisi intenta oratio, nisi devotionis magnitudo. Si cum multo desiderio oras ; clamas. Quantò ferventiùs oras, tantò vehementiùs in Dei auribus clamas. Et quò vehementiùs desiderium excrescit ; eò excellentiùs clamor supplicationis ascendit. Richardus à S. Victore l. de verbo incarnato ad D. Bernardum cap. 1.

Ipse verò multò magis clamabat. Luc. 18. 39. Quomodo, quamvis multi increparent eum, non tacebat, sed ampliùs clamat. Fervor quidam intrinsecus instimulabat eum, idcirco Jesus *jussit illum adduci ad se.* Quòd profectò dignus esset, qui appropinquaret ei. Theophylactus hic.

Quàm multi sonant voce ; at corde muti sunt : & quàm multi tacent labiis, & clamant affectu : quia ad cor hominis aures Dei. Sicut aures corporales ad os hominis ; sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus. S. August. in Ps. 119.

Si vis vocem habere in orationibus efficacem, satage semper, ut te divinus fervor accedat ; ne vocem tuam torpor frigoris intercipiat : frigidæ nempe mentis oratio non admittitur, &, tamquam vox rauciens, non auditur. S. Petrus Dam. ep. 17.

Num. VI.

Oratio sit solitaria.

Leva oculos tuos, & vide. Gen. 13. 14. dixit Dominus ad Abraham, postquam divisus est ab eo Loth. Cur Deus Abraham alloquio suo dignatus non fuit, dum cum Loth erat, viro alioquin probo? Abulensis : id factum, Deum in oratione nos admodum solitarios velle. Did. Nyss. Dom. 2. Quadrag. §. 5.

Apud me oratio. Ps. 41. 9. in secreto, in abscondito : quia per eam, non hominibus, sed soli Deo placere concupisco. Hugo à S. Victore hic.

Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo. Is. 2. 10. Absconditur in petra, qui ingreditur cubiculum suum, & clauso ostio orat Patrem ; ut in terreno corpore constitutus, transeuntis Mundi non sentiat tempestatem. S. Hieron. hic.

Duxit illos in montem excelsum seorsum. Matth. 17. 1. Hanc autem vocem *seorsum* idcirco adjungit Evangelista : ut ostendat, orationis causa in semotum locum secedendum esse : mater enim orationis est solitudo, oratio autem divinæ gloriæ demonstratio. Sanctus Joan. Damascen. orat. de transfig. Dom.

Non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio : animo totus intende ; intrà recessum pectoris tui totus ingredere. S. Ambros. l. 6. c. 3. de Sacramentis.

Num. VII.

Orationis afflictio, patientia.

Exaudivit eam. Gen. 30. 22. Non meminit Scriptura, vocę Rachelem usam, & tamen dicit, exauditam esse. Si non loquitur, quomodo exauditur ? afflicti cordis silentium Deus exaudiebat. S. Cyprianus : Deus non vocis, sed cordis auditor est. Alvarez hic Illustr. 4. Rhetorica optima cordis, & lacrymarum.

Quid clamas ad me? Ex. 14. 15. Nec verbum protulit Moyses ; quomodo ergo clamat ? Dolebat suorum ruinam, si exercitus accederet : afflictum cor divinis oculis sistit, licèt lingua taceat, corde clamat. S. Ambros. clamabat Moyses affectu pio, & sensu profundo, & personabat in cœlo. Id. ib.

Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. Ps. 118. 145.

145. Et quando clamasti, regum disertissime ? dixerat afflictus v. 143. *tribulatio, & angustia, invenerunt me.* Cor contribulatum pro afflicto rege Rhetoris munus egit. Idem ibid.

Bethania. Joan. 11. 1. Primò Hebr. idem est, quod *domus afflictionis.* Secundò Pagninus : domus responsionis, vel exauditionis Domini. Sylveira in Matth. 20. c. 35. q. 1.

§. XXIII.

Orationi omnis locus aptus.

Præcurrens ascendit in arborem. Luc. 19. 4. *hodie in domo tua &c.* Tantane epularum in Christo aviditas, aut in fœneratorem charitas ? Nimirum Jesum ex arbore vir rapax contemplabatur. Novitate est captus scenæ Dominus : ut inde captari ad illecebram umbram consueverat, lux inde vitæ hauriretur. Ea felici importunitate ità delinitus est Dominus ; ut par pari retulerit : quia cùm ille delicias arboris, in aram templi convertisset, vertit quoque mox ipse rapacitatis stabulum in promptuarium largitatis. Ita flagrat oratio, si loco non suo imitatur. Exauditus est latro, quòd in patibulo supplicarit : Placuit Magdalena, quòd in epulo fleverit. Oliva l. 6. Strom. §. Luc. 10. Non est tibi curæ,

Licèt ad Ecclesiam currere non sit commodum, potes in foro, curiæque vestibulo hærens ; nihilominus precari. Suspice cœlum, dic mente : miserere mei Deus ! & absolvisti precationem. Nec talis apud nos est divinus cultus, qualis quondam apud Hæbræos erat ; multum habens sensibilium cæremoniarum. Licet etiam mulieri collum tenenti, aut telam texenti, suspicere in cœlum ; ac ardenti pectore Deum invocare : licet etiam viro in foro versanti ; aut iter facienti, atentè precari : alteri item in officina sedenti, ac coria consuenti, animam ad Deum erigere : licet servo vel in culina, si non vacet adire Ecclesiam, precationem intentam ciere. Non pudet loci Deum : unum postulat ; mentem ferventem, animamque modestam. S. Chrysost. tom. 6 hom. de Anna.

Inducit deinde orantes Paulum in carcere, Ezechiam in lecto, latronem in cruce, Jonam in ceto.

Devotus quisque vix opportunitate fraudatur : Deum enim, quem ex animo quærit, ubique invocans invenit. Ignavus autem, & tepidus, nec in ipso valet oratio orandi affectum invenire, Plorat in convivio Magdalena ; nec præsentia illam impedit convivarum : in ipso autem templo despit Pharisæus. S. Bonaventura in spec. discipl. ad Novit. p. 1.

Cetus, Prophetæ oratorium fuit, naufrago portus, inter undas domus, felix in desperatione subsidium. Cassiodorus in Ps. 129.

§. XXIV.

Orationibus alienis cooperare vita tua.

Ex Veteri.

Exaudivit autem Deus vocem pueri. Gen. 21. 17. Oleaster : flevit mater, & Dominus non vocem matris, sed pueri vocem, audisse dicitur. Ut discamus, quid valeant innocentium voces. Ubi nota : quòd plus nobis valeant ad misericordiam fletus nostri, quàm amicorum, & aliorum pro nobis. Alvarez. In Gen. 37. Illustr. 71.

Recordatus Dominus Rachelis, exaudivit eam. Gen. 30. 22. Honcola : nec dubium, quin Jacob, cùm esset vir bonus, Dominum quoque pro dilectissimæ uxoris fœcunditate summis votis sit precatus. Non sine causa Jacob precatio tacetur. Rachalis autem apertè insinuatur : ut vel hinc constet, quantùm oratio propria præstet alienæ : nam quamvis precibus adjuvemur alienis ; nisi nostris conspiremus ; valde raro expetita consequemur. Apud Did. Nyss. Pol. cœl. p. 2. l. 3. c. 4.

Quid clamas ad me? Ex. 14. 15. Moysis preces audire renuit, quia preces populi admixtas non cernebat. S. Ambros. in Ps. 101. hoc est : cur solus ad me clamas? quid à me speras? Alvarez in Gen. 37 Illustr. 71.

Regnante Ezechia liberavit Deus Jerusalem de manu Sennacherib propter Davidis sanctitatem. 4. Reg. 19. 34. At regnante Sedecia, nec quidem ob sanctitatem David, liberavit de manu Nabucodonosor. 4. Reg. 25. 1. Davidis authoritatem apud Deum unius regis pœnitentia promovebat ; alterius malitia debilitabat. Mendoza in 1. Reg. 7. 9.

Usquequo tu luges Saul? cum ego projecerim eum. 1. Reg. 16. 1. Et cur non exauditus? S. Chrysost. hom. 5. de pœnit. non enim cum justi interventu regis pœnitentia stetit. Did. Nyss. D. 5. Pent. §. 2.

Job servus meus orabit pro vobis. Job 42. 8. *faciem ejus suspiciam &c.* Profuit quidem Jobi oratio amicis suis ; eadem tamen oratio Judæis minimè profuitura dicitur Ezech. 14. 14. *si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job &c.* ratio : quia illi de suo peccato doluerant ; hi verò in suo perseverabant. Mendoza in 1. Reg. 7. 9.

Unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi laborem? Eccl. 34. 28. Quod ipse, ut pius per se, vel per pauperes, & Religiosos, quorum preces per eleemosynas deposcit, orat, & obsecrat, ut fiat ; hoc ipse, ut impius maledicit, & reipsa orat, ut non fiat ; dum Deum suis sceleribus irritat, & ad vindictam provocat. Cornelius hic.

Si steterit Moyses, & Samuel. Jer. 15. 2. Disce : ut alicui preces sanctorum prosint, debere eum simul cum iis conniti, & collaborare : si enim malitia persistat, parum, vel nihil proderunt. Cornelius hic.

Heu-ergone disperdes omnes reliquias Israel? Ezech. 9. 8. mox Deus respondit : *iniquitas domus Israel, & Juda, magna est nimis valde.*

Et pervenit verbum ad regem Ninive. Joan. 3. 6. Non legitur à Jonam petiisse preces pro se, aut civitate : sciebat enim rex, sterilem esse orationem sine lacrymis, & pœnitentia. Sylveira in Act. 8. 22.

Dignus fratribus tuis affectus particeps suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. 2. Machab. 7. 29. S. Cyprianus de exhort. ad Mon. c. 11. magna laus matris in exhortatione virtutis, sed major in Dei timore, & in fidei veritate : quòd nihil sibi, aut filio, de sex Martyrum honore promisit? nec fratrum preces profuturam credidit ad negantis salutem. Persuasit potiùs participem passionis fieri, ut in die judicii cum fratribus possit inveniri. Huc respiciant delicat peccatores ; qui sanctorum patrocinio, & piorum hominum, sive laboribus, sive precibus, sic suam salutem committunt, ut nihil sibi pœnale sumendum putant. Baeza t. 3. l. 14. c. 11, §. 1.

Ex Novo.

Accesse ad eum. Matth. 8. 5. Spes nostræ salutis in nostra potiùs locanda est diligentia, quam in sollicitudine aliena. Communis opinio apud Maldonatum, quòd Centurio primùm patronos submiserit ; tum ipse Christum pro servo supplex adiit. Parum valet patrocinium alienum, cui non accedit industria. Sanct. Chrysost. hom. 79. ad pop. bonum est, sanctorum oratione frui ; sed cùm & nos sumus cooperatores. Quod si non affuerit, nil aliorum prodest auxilium ; verùm & cum illo perimus. Magna est vis precum, quas sancti pro nobis fundunt : si tamen tales sumus ; quales nos cupiunt : si Deum, quod illorum primum pro nobis est votum, diligimus. Did. Nyss. s. in diem Cin. §. 5.

Rogabant eum Domine, dimitte eam. Matth. 15. 23. Magnæ fiduciæ animum parat intercessio electorum. Euge, qui promeruit intercessores habere Apostolos. Sed non omnis, qui interpellat, habet ; nisi qui in virtutibus ipsorum factus est amicus, & unius Domini adorat vestigia. Etenim jam ista meruerat Apostolos habere intercessores : quia de finibus impiorum egressa pro misericordia venerat ad Jesum. Sim. Cass. l. 5. c. 24.

Domine adjuva me. Matth. 15. 25. ajebat Chananæa. S. Chrysost. tu verò diligenter considera, cùm nihil ab Apostolis in re mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse perfectum : mavult enim nostram Deus, qui rei sumus ; quàm aliorum pro nobis, orationem. Id. ib.

O mulier, magna est fides tua. Matth. 15. 28. Cur Christus non annuit petitioni pro muliere ? sed solùm ejus precibus? Euthymius : confidera, quomodo, cùm Apostoli pro illa deprecati fuissent, nihil effecerint. v. 23. ipsa potiùs perficit. Hinc docemur, quòd Deus mavult nos pro nobis ipsis obsecrare. Sylveira hic q. 15.

Mendicare erubesco. Luc. 16. 3. idest, alios ad intercedendum pro me verecundor, nisi & ego ipse aliquid boni agam. Dion. Carth. hic.

Pater Abraham miserere mei. Luc. 16. 24. Neminem magis moribus suis contrarium, poterat invenire : ipse crudelis misericordem invocat in patrocinium. S. Leo serm. 5. in Epiph. Patriarchis, Prophetis, Martyribusque sociamini : unde & illi gaudent, inde gaudere. Horum divitias concupiscite ; & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia : cum quibus enim vobis fuerit consortium devotionis ; erit & communio dignitatis. Baeza t. 2. l. 6. c. 7.

Vinum non habent. Joan. 2. 3. Quodnam efficacius potuit intercedere patrocinium ? certè in terris nullum : & tamen adjungit sanctissima Mater ad ministros : *quodcumque dixerit vobis facite.* v. 5. Etiam Virgo Maria intercedente necessaria est indigentium diligentia. Alvarez in Gen. 37. Illustr. 71.

Positis autem genibus clamavit voce magna dicens : Domine &c. Act. 7. 59. Cur Stephanus pro se orans stat, pro inimicis genu flectit? S. August. serm. 1. de S. Stephano. Quare pro te stans orasti? & pro inimicis genu flexisti? Pro me stans oravi : quia pro me, qui rectè Deo servivi, orando, & impetrando, non laboravi : quia qui pro justo orat, non laborat ; ideo pro se stans oravit. Ventum est, ut oraret pro Judæis : & attendens tam multam esse iniquitatem ipsorum, quæ difficilè donari posset ; genu flexit, & ait : *nè statuas illis hoc peccatum.*

Pœni-

Pœnitentiam age ab hac nequitia tua. Act. 8. 22. Cui Magus: *precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.* Oraverunne Apostoli pro eo? Abulens q. 5. in cap. 5. Reg. subintelligendum, quòd, cùm Apostoli essent viri misericordes, oraverunt pro eo. Sed si oraverunt, cur non exoraverunt? dixerat Petrus: *pœnitentiam age*; & ille: *precamini vos pro me*. Did. Nyss. serm. in die Cin. §. 5. oportebat illum toto corde pœnitentiam agere, oportebat orare: ille autem obiter hoc faciebat. S. Chrysost. hom. 18. in acta.

Necessitatibus sanctorum communicantes. Rom. 12. 13. Manifestum est, quia qui preces suas exaudiri vult, æmulus debet esse vitæ Sanctorum; cùm imitatur enim, communicat; ut hoc sit memorem esse, & communicatorem, imitari actus illorum. S. Ambrs. hìc.

Orate pro invicem, ut salvemini: multùm enim valet deprecatio justi assidua. Jacobi 5. 16. Videtur significare; posse nos securos vivere, dum nos modo justorum precibus commiserimus. Respondet S. Anastasius Synaita de Synaxi: junge clamorem tuum, cum Sacerdote pro te deprecante: da teipsum pro tua salute. Multùm valet deprecatio justi assidua & efficax; sed efficax erit, si & tu cum Sacerdote partes tuas copules, fructusque pœnitentiæ demonstres. Did. Nyss. D. 5. Pasch. §. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus spirituales, quibus Sanctorum ad Deum evehatur oratio. S. Ambros. Octon. 22. in Ps. 118. 169.

Si nos in virtutis studio seduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis: si verò desides fuerimus, nemo nos juvare poterit. S. Chrysost. hom. 1. in ep. 1. Thess.

Audi, quid dicat Propheta: si steterit Noe, & Job &c. Quantùm luxit Samuel, & Saulem non eripuit, quantùm precatus est Jeremias; & Judæos nihil juvit. Quid ergo? suntne supervacaneæ Sanctorum preces? nequaquam: sed magnas vires habent, quando tu quoque eis auxilium tuleris: ità etiam Petrus suscitavit Tabitham, non solùm oratione, sed etiam illius eleemosyna. §. Chrysost. in Ps. 48.

Confugiamus ad Sanctorum preces, & oremus; ut pro nobis intercedant: sed non illorum precibus tantùm confidamus; sed & ipsi nostra, ut oportet, dispensemus rectè, & ad meliora semper convertamur; ut locum demus orationi, quæ pro nobis funditur. Hoc & ad Prophetam dicit Dominus Jer. 7. 17. non vides, quid isti faciunt? incendunt adipem &c. quasi dicens ad eum: pro illis me rogas, qui à peccato non desistunt, qui carent sensu infirmitatis suæ, qua laborant. Nè igitur, ò Propheta, mihi offeras orationem: sed hoc tuo studio facias; ut illorum morbus vincatur, & ad sanitatem reducantur. Id. in Gen. hom. 44.

§. XXV.

Oratio Dominica.

Sic ergo vos orabitis: Pater noster &c. Matth. 6. 9. S. Cyprianus lib. de orat. vocat hanc orationem, Evangelii breviarium, Officium Ecclesiasticum cùm sit compendium totius Scripturæ. Sic & hæc oratio, cùm sit compendium Evangelii, illius breviarium dicitur. In hoc, ut post Augustinum l. 2. de V. D. notant omnes Commentatores, tres primæ petitiones ad honorem Dei pertinent; reliquæ ad nostram utilitatem. Sylveira hìc c. 15.

Pater noster. S. Cyprianus, Chrysost. & Rupertus, accipiunt primam SS. Trinitatis Personam. Meliùs alii totam accipiunt Trinitatem: quia omnes tres Personæ ad extra omnia operantur; ideoque æquæ omnes sunt invocandæ. Cornelius hìc.

Non dicimus Pater meus, nec panem meum, da mihi hodie &c. publica est nobis, & communis, oratio. Et quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo, oramus; quia totus populus unum sumus. S. Cyprianus l. de or. Dom.

De quotidianis, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio. Fidelium satisfacit. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata. S. August. Enchyrid. c. 70.

Oratio hæc comparatur flumini; in quo Agnus possit ambulare, & elephas natare. Hoc est, talis est, ut quilibet eam simplex discere, & intelligere valeat; & cujusque sapientis ingenium superemineat. S. Honorius S. in Nat. D.

Oratio Dominica est cunctarum exemplar orationum: ut quidquid à Patre nostro Deo petere volumus, hic probemus; utrum Deo placitum, vel ad salutem nostram sit idoneum, quod postulamus. Nam si ab astarum qualibet petitionum petentis intentio discordat, nequaquam in nomine Salvatoris postulat. Rupertus in Matth. l. 5. in fine.

De hujus orationis expositione, laude, & efficacia, tanta jam à sanctis Doctoribus dicta sunt; ut penè tædio sit ea perlegere. Veruntamen nec digna, nec sufficientia dicta sunt, nec usquam dicentur. Tanta namque est hujus gloriosæ orationis profunditas in sensu, fœcunditas in mysteriis, efficacia in effectu, artificialitas in processu, seu ordine: ut nemo capere valeat, vel eloqui. Dionys. Carthus. in Matth. 6.

Sanctificetur &c. Petitio, sanctificatio; donum sapientia; virtus pax; beatitudo filiatio Dei; & vitium, contra quod, luxuria. q. d. da nobis spiritum sapientiæ, idest, jucunditatem internam; ut gustemus; quàm suavis sis; & hoc generet in nobis pacem; & hoc contra luxuriam. *Adveniat regnum tuum.* Petitio adventus regni; donum, intellectus; virtus munditia cordis; beatitudo visio Dei, & vitium, contra quod, gula. *Fiat voluntas tua.* Donum consilium; virtus misericordia; beatitudo misericordiæ consecutio; vitium, contra quod, avaritia. q. d. da nobis spiritum consilii; ut faciamus voluntatem tuam, maximè misericordiam, quæ perimit avaritiam, quatenus misericordiam consequamur. *Panem nostrum &c.* Donum fortitudo; virtus esuries justitiæ; beatitudo saturitas; vitium contra quòd, acedia. q. d. da nobis spiritum fortitudinis, qui multiplici pane roborat animam, nè deficiamus in præsenti, esuriendo justitiam; per quam expellentes acediam, plena justitia saturabimur in futuro. *Dimitte nobis &c.* q. d. da nobis donum scientiæ, & virtutem luctus; quo tam nostra, quàm aliena, peccata cogitemus, & defleamus; & ità consolationem habeamus contra invidiam. *Et nè nos inducas &c.* q. d. da nobis spiritum pietatis, & mansuetudinem spiritus; ut per spiritum pietatis vincamur tentationem, & per mansuetudinem iram; ut ità beati possideamus terram viventium. *Sed libera nos &c.* q. d. da nobis spiritum timoris; ut per illum vincamus mala, & per virtutem paupertatis spiritus bona adipiscamur: ut, exclusis viriis, & contemptis terrenis, habeamus æterna. S. Bonaventura in Matth. 6.

§. XXVI.

Oratio Matutina, & vespertina.

Obtulerunt holocaustum Domino manè, & vespere. 1. Esdræ 3. 3. Manè, & vespere, holocaustum offerimus per matutinam, & vespertinam orationem. V. Beda lib. 1. in Esdram c. 3.

Quis sensum hominis gerens non erubescat sine psalmorum celebritate diem claudere; cùm etiam minutissimæ aves solemni devotione & dulci carmine, ortus dierum, ac noctium, prosequantur. S. Ambros. hexam. l. 5. c. 7.

§. XXVII.

Oratio Matutina.

Prævenerunt oculi mei ad te diluculo. Ps. 118. 148. Cassianus dicit, matutinæ solemnitatis officium novo adhuc tempore institutum primitus in Bethelehem monasterio, ubi D. N. J. Christus pro redemptione humanæ salutis ex Virgine nasci dignatus est: sicque ex illo per universum Mundum ejusdem celebrationis invaluit consuetudo. Diluculo oratur, ut Resurrectio Christi celebretur. S. Isidorus lib. 1. cap. 23. de Matutinis.

Cùm sit hora diei tertia. Act. 2. 15. Spiritus S. venit horæ tertia: quia in illa hora homines frequenter sunt jejuni, & sensus puriores; aptiores ad cognoscenda, contemplanda, ac recipienda dona Dei. Sylveira hìc q. 17.

Cùm surgis, manus, & faciem lavas; animam autem immundissimam negligis. Nescis, quòd sicut corpus aqua, ita oratione mundatur anima? S. Chrysost. in Ps 5.

Tempore primitivæ Ecclesiæ ter surgebatur ad divinum officium: circa primum somnum. 2. circa mediam noctem. 3. paulò ante diem: nunc citiùs surgunt pueri, quàm ministri Ecclesiæ, & priùs cantant pastores, quàm Sacerdotes]. Joannes Belethus ration. div. offic.

Unio in concha. Lem: *A rore colorem.* Picinelli.

§. XXVIII.

Oratio nocturna.

Nocte vastata est Ar Moab. Is. 15. 1. Nox habet quietem contemplationis; in qua 1. est ferventis amoris desiderium. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea.* Cant. 3. 1. 2. debitæ confessionis sacrificium. Ps. 118. 62. *media nocte surgebam ad confitendum tibi.* 3. divinæ consolationis silentium. Sap. 18. 14. *cùm quietum silentium contineret omnia.* S. Thom. Aqu. hìc.

Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte &c. Luc. 11. 5. Cur ponitur petens *media nocte*, & non potiùs alia hora? S. Chrysol. s. 39. Ita satis hora est efficax impetrandi. Sylveira in Act. 16. q. 10.

Media nocte Paulus, & Silas, orantes. Act. 16. 25. Nocturna oratio eorum tam Deo grata fuit; ut non solùm eorum, sed aliorum quoque vincula fuerint soluta. Id. ib.

Si studentes doctrinis sæcularibus per parum somno indulgent; quantò magis, qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis impediri, nisi quantùm naturæ satis est. S. Ambros. in Ps. 118. s. 7. Et nè totam noctem sopori existimes deputandam: tunc magis tibi orandus est Dominus. Tunc præsidia postulanda, culpa cavenda, quando videtur habere secretum. Tunc maximè, quando tenebræ in circuitu meo, & parietes me operiunt, considerandum: quia Dominus omnia intuetur abscondita. Id. ib.

Cur fers graviter tempus, quod tibi in requiem concessum est? non accepisset servus à Domino requiem, nisi tenebræ essent inductæ in hanc præscriptam necessitatem. Quomodo autem in die sæpe laborantes noctu requiscimus: & qui hesterno die fuit in laboribus, manè fit robustior, propter noctis quietem. Quid autem est ad sapientiam nocte commodius? in hac enim persæpe de Deo cogitamus in hac lectioni, & contemplationi, divinarum Scripturarum vacamus. Quando autem magis in psalmodiam, & orationem, mens nostra componitur? nunquid noctu: & peccata nostra persæpe noctu in memoriam revocamus. S. Cyrill. Jeros. Cateh. 9.

Nocturnæ lacrymæ quovis rore magis contra concupiscentias, & ardores omnes, demittuntur. S. Chrysost. hom. 26. in Act. Vide hic plura de nocturna oratione.

Si es devotior, imitare luscinian: cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilena decurrit. S. Maximus hom. 2. de non timendis host. carnalib.

§. XXIX.

Orationes jaculatoriæ frequentes.

Orationes jaculatoriæ meræ margaritæ sunt. S. Vinc. Ferr. s. de Fidelib. def.

Exercitium, quod aspirationibus, brevibusque precationibus constat, efficax admodum est, ad vitia extirpanda, charitatemque promovendam. Blosius parad. an. c. 22.

§. XXX.

Ritus orandi.

Cur ad orientem.

Cur ad orientem versi orant Christiani? quoniam nostrorum honorabilissima quæque ad Dei honorem seponimus, & est, hominum opinione solis ortus honorabilior, quàm aliæ partes Mundi: propterea tempore precum spectamus omnes ad orientem. S. Justinus M. lib. quæst. Christianar. ad Gentiles q. 118.

Ex traditione Apostolica orandum est ad orientem. 1. quia ex Ps. 131. 7. adorandum est, *ubistetterunt pedes* Domini; qui Zach. 14. 4. in monte Olivarum in Oriente stare dicuntur. 2. quia Deus est lux vera. 3. ut respiciamus paradisum. 4. ad differentiam Judæorum, qui ad Occidentem orabant; ut ex situ templi Salomonici colligit Anastas. Nicenus q. 18. 5. Tertull. contra Vallent. c. 3. quia in aurora venit ad Apostolos Deus in Pentecoste. 6. S. August. l. 2. serm. D. c. 9. quia monemur convertere animum ad naturam præstantiorem, idest, Deum. Gavantus p. 2. tit. 5.

Invenio in Sacra Scriptura octo modos orandi, primus est, elevando oculos ex confidentia; secundus, deprimendo caput ad terram, ex verecundia; tertiò, extendendo manus in altum ex indigentia; quartus, decussando ulnas ex conscientia; quintus, tundendo pectus ex conscientia; sextus, inclinando corpus ex devotione; septimus, flectendo genua ex subjectione; octavus prosternendo se totum ex defectione. S. Vincent. Ferr. s. 5. D. 16. Trinit.

Quæ causa ritus in oratione levandi manus? 1. quia hic habitus supplicis, petentis, & sperantis auxilium ex alio: sicut submergenti manus extendunt tamquam auxilium petentes. 2. dat Clemens Alex. l. 7. Strom. quòd elevatio manuum significet, & excitet mentis elevationem in Deum. 3. dat Tertull. Apol. 30. quòd extensione manuum nos Deo offeramus, & quasi in manus ejus dedamus. 4. hoc ritu vehementiam affectus designamus, quasi vim Deo inferre; atque, præ magna fiducia, manu, quod petimus, prehendere velimus. 5. Dat. S. Cyprianus de exhort. MM. c. 8 Theodoretus q. 34. in Ex. ut scilicet hoc gestu protestemur merita Christi crucifixi; eaque Patri, quasi efficacissima ad impetrandum medium offeramus. Cornelius in 1. Timoth. 2. 8.

Miscellanea.

Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Matth. 26. 30. Audiant omnes, qui quasi porci, cùm jam comederint, eversa mensa, calcibus mensa, temulenti consurgunt; cùm agere gratias debeant, & in hymnum à mensa devenire. S. Chrysost. hom. 83. hìc.

Scit Dominus, quid velimus; sed vult nos orare vocaliter pro excitanda devotione: quia quod facit flatus carboni, hoc facit pronuntiatio devotioni. Innocentius III. P. de sacro alt. myst. l. 5. c. 17.

Hic versiculus, *Deus in adjutorium meum intende, &c.* omnibus infestatione dæmonis laborantibus inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus. Hunc versiculum meditanti tibi somnus obrepat, donec incessabili ejus exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat; is, te evigilante, cogitationes anticipet universas. Joan. Cass. Coll. 10. quæ est secunda Abb. Isaac.

TITULUS X.

ORATIO MENTALIS.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri.

Formatis igitur Dominus Deus cunctis animantibus terræ, adduxit ea ad Adam &c. Gen. 2. 19. Statuens Deus coram eo tot genera creaturum, potentiæ suæ infinitæ contemplandæ ei præbuit materiam. Et sequitur; *immisit Dominus Deus soporem in Adam*: quem soporem Sept. dicunt quandam *extasim* fuisse. Et credo, extasim illam causatam fuisse ex Bonitatis, ac Majestatis, Dei infinitæ consideratione; quam ostendit in formatione tam diversarum creaturarum. Quod si illa creaturarum diversitas sufficiens fuit, extasim in Adam efficere; multò profectò sunt mirabiliora opera redemptionis nostræ, & efficaciora ad causandam extasim in nobis; si cum cordis puritate, profundæ: ac assiduæ ejus contemplationi incumberemus; ob cujus defectum nec diligimus, nec admiramur, tam stupenda opera, quæ pro nobis fecit Deus. Diez conc. 2. in Com. Virg.

Sume tibi aromata æqualis ponderis; cumq; in tenuissimum pulverem contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii. Ex. 30. 34. Aromata sunt opera, quæ divinus Redemptor noster pro nobis operatus est, lacrymæ, suspiria, sanguis, charitas ardentissima &c. Et sicut aromata, nisi conterantur, & in ignem mittantur, nullum ex se odorem emittunt: sic, nisi reparationis nostræ mysteria ruminentur; parum ex iis fructus, & consolationis, elicietur. Id. conc. 1. D. 2. Epiph.

Duplex genus orationis significant duo altaria in templo: alterum vocabatur holochaustorum, quod in atrio situm erat sub dio; alterum thymiamatis, quòd interiorem partem templi occupabat. Ex. 35. 15. 16. Priùs significat orationem vocalem, alterum mentalem, quæ ad sancta sanctorum propriùs accedit, & Deo proximos reddit, Pinna in Eccl Eth. 170.

Ite, & considerate terram, urbemq; Jericho. Jos. 2. 1. Nec verbum aliud legitur addidisse: cùm tamen Duces tot alia, eaque munitissima, mittendis exploratoribus soleant ingerere: quia agitur de exploranda anima. Richardus à S. Vict. apud Godefr. considerate terram, quam Deus fecit; urbem, quam humana conditio instituit. Discutite bonum, quod Deus creavit ad bonum nostrum; & malum, quòd homo invenit ad malum suum. Si naturæ bonum cognoscimus; scimus quid excolere, quid nutrire, quid multiplicare, debeamus. Si malum morum nostrorum perspicimus, quos hostes cavere, quos adversarios impugnare, quales interficere inimicos oporteat, non dubitamus. Ramirèz in ep. 4. 21.

Gaudentq; vehementer, cùm invenerint sepulchrum. Job 3. 22. Sicut sepulcrum locus est, in quo absconditur corpus; ità divina contemplatio quoddam sepulchrum est mentis, quo absconditur anima. Quasi enim adhuc huic Mundo vivimus, cùm mente in ea foris vagamur: sed mortui in sepulchro abscondimur, cùm mortificati exteriùs in secreto internæ contemplationis celamur. S. Gregor. Mor. lib. 5. c. 4.

Accedet homo ad cor altum. Ps. 63. 8. Illos significat, quires divinas pia intentione perquirunt: cor enim altum tunc est, quando cœlestia cogitat, & terrena devitat. Cassiodorus hìc.

ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Ps. 67. 28. De eo autem prædixit Jacob pater ejus. Gen. 49. 27. *Benjamin lupus rapax &c.* Intellectus contemplativus priùs inquirit veritatem, & pascitur illa; postea verò dividit illam, & impartitur voluntati. De Ponte in Cant. 1. Exh. 9. §. 3.

Tu, & arca sanctificationis tuæ. Ps. 131. 8. Rich. à S. Vict. l. 1. de arca myst. c. 1. ait per arcam sanctificationis rectè intelligi gratiam contemplationis.

Osculetur me. Cant. 1. 1. Insinuatur scientia Dei affectiva: nam Canticum ad scientiam spiritus elevat, quæ cognitionem, & amorem Dei, comprehendit. S. Ambros. l. de Isaac, & an. c. 2. osculatur nos Deus, quando cor nostrum spiritu divinæ cognitionis illuminat, id est: quando infundit supernaturale lumen, quo divina mysteria penetrat, veritates fidei percipit, & affectum simul amoris. De Ponte hìc Exh. 2.

Me-

Meliora sunt ubera tua vino. Ib. Quotiescumque ad legendas, vel meditandas, divinas Scripturas accesseris, cogitare debes, ad ubera Dei te accedere; ut ex illis sugas lac sapientiæ, devotionis, & amoris. Sed oppones: Paulus dicit, lac esse parvulorum nutrimentum. 1. Cor. 3. 1. 1. Hebr. 5. 12. Quorsum ergo sponsa jam matura ubera laudat? Rg. agnoscit parvitatem suam, & infantiam. *Sicut modo geniti &c.* 1. Petri 2. 2. Id. hic Eph. 7. §. 2.

Introduxit me rex in cellaria sua. Cant. 1. 3. Sept. versio apud plures Patres valde recepta: *introduxit me Rex in cubiculum suum*. Id. hic. Exh. 8. Cellaria hæc sunt loca quædam abdita quietis, & refectionis; ut animosiores reddantur ad iterum perniciùs currendum: & repræsentant recondita fidei nostræ mysteria; vel ea, in quibus hæc mysteria continentur; sive sint Scripturæ, sive craturæ, in quibus sunt perfectiones Creatoris. Id. ib. §. 1. Per cellam vinariam cum S. Gregorio, & S. Bernardo, intelligimus studium orationis. Id. in Cant. 2. Exh. 29. §. 1. Cella vinaria est domus orationis, ac studium orandi, & meditandi: in ea enim Deus proponit Fidelibus vinum consolationis, exultationis, amoris, & fervoris divini. Ita S. Gregor. Cassiodorus, Haymo, Bernardus &c. Gregorius ità loquitur: quid per cellam vinariam congruentiùs, quàm ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate Angeli Sancti vino sapientiæ inebriantur, cùm ipsum Deum facie ad faciem videntes omni voluptate spirituali satiantur. Hanc sancta mens, si à sponso introducatur, postpositis omnibus temporalibus, intrat; in qua ex illis Angelicis deliciis, quantum sibi conceditur, gustat. Porrò vinum, quod in cella Dei bibitur, est charitas, & amor, inquit Guilielmus Paris. hoc vino nihil castius, sapidius, calidius. Cornelius in Cant. 2. 4.

Sub umbra illius &c. Cant. 2. 3. Statim addit: *& fructus ejus dulcis gutturi meo*. Nam qui se jactat sedere sub ejus umbra, mysteria Christi meditando, & fructus nudos capit; otiosus sedet: & contemplatio ejus dicenda potiùs sopor, pigritia; aut mera speculatio scientiæ, quæ inflat. De Ponte hic l. xh. 26. §. 4.

Dentes tui sicut greges tonsarum. Cant. 4. 2. Dentes sunt discussiones discretionis, quibus meditationes spirituales, & cogitationes cordis, cernuntur, & comminuuntur, ac discernuntur, an puræ sint, & veraciter bonæ; an sint à Deo vel à spiritu malo; vel à corde humano. Rich. à S. Victor. hic c. 17.

Capilli tui sicut greges caprarum. Capilli sponsæ sunt meditationes sanctæ: quæ, sicut capilli crescunt in capite, ità oriuntur in mente. Qui capilli capris comparantur propter quasdam similitudines. Capræ enim inquirendo pascua alta montium, atque arborum petere solent, & etiam ruminant. Ità meditationes sanctæ semper ad alta tendunt, & ad spiritualia atque cœlestia investiganda, & cognoscenda laborant. Id. ib. c. 16.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon. Cant. 7. 4. Animæ sanctæ bini oculi sunt, meditatio, & contemplatio. Hesebon idem est, quod *cogitatio, ruminatio, computatio, æstimatio*, quia vis, & fructus, meditationis consistit in profunda, & seria ruminatione, æstimatione, ponderatione mysteriorum fidei. Ideò enim multi Fideles, licèt credant cœli prœmia, & gehennæ tormenta: iis tamen non moventur ad abstinendum à peccatis, & ad observandas Dei leges: quia illa non perpendunt, non ponderant. Cornelius hic.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto? Cant. 8. 5. Quasi de deserto animus humanus ascendit, quando super semetipsum mentis elevatione transit: quando semetipsum in imo deserens, & ad cœlum usque pertransiens, solis divinis se totum per contemplationem immergit, & devotionem. Rich. à S. Vict. de arca myst. l. 5. c. 14.

Beatus vir, qui in sapientia morabitur. Eccl. 14. 22. Beatum illum dicit, qui sanctarum rerum meditatione sapidam quandam Dei scientiam curat adipisci. Diez conc. 1. D. 3. Epiph.

Homo sanctus in sapientia, scilicet intellectus, *manet sicut sol*. Eccl. 27. 12. Et de malis Sap. 5. 6. *Sol intelligentiæ non est ortus nobis*. Sicut enim sol Mundum, ità intellectus suis cogitationibus, & notitiis animam illustrat. Et sicut radii solis, quoadusque in aliquo objecto sistunt, debiles sunt: ut in media aeris regione perspicitur: qui, quia illic non sistunt, sed velociter transeunt, nullum calorem gignunt: ut primùm autem ad terram, aut ad quidquam aliud firmum pervenìunt, calorem causant, & aliquando ignem accendunt, si v. g. in speculum reverberent: sic cogitationes ex intellectu, velut radii ex sole prodeuntes, prinsquam in voluntate sistant, debiles exeunt; si verò in ea sistant, ipsaque sit, ut speculum, tersa, & munda; divinum amorem inflammant. Sicut David expertus. Ps. 38. 4. *concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Ideo Christus Fidem sinapi comparat Matth. 13. 31. Sunt alia semina tam parva, & minora etiam grano sinapis, quibus Fidem possset conferre; nisi aliud, quàm parvitatem, respexisset. Ità etiam utcumque parva Fides in intellectu sit, si dentibus conteratur, id est voluntatis affectione, & ruminatione; statim ipsa voluntas inflammatur Rom. 1. 17. *Justus ex fide vivit*; id est, justus ex fide, tanquam principio justificationem suam elicit; & per illam consequitur gratiam, qua vivit. Diez conc. 2. in festo S. Francisci.

Ex Novo.

Mittens duos ex Discipulis. Matth. 11. 2. Hi sunt Discipuli, scilicet intellectus, & affectus; quibus omnis homo, nisi omninò insaniat, sociatur. Proinde inclusus in carceribus peccatorum hujuscemodi Discipulos mittit ad Christum: ab ipso, quid agendum? quidve diligendum? apertè cognoscitur. Sim. Cass l. 3. c. 3. hic.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis &c. Matth. 13. 31. S. Hieron. quis est iste, qui seminat? nisi sensus noster, & animus: qui suscipiens granum prædicationis, & fovens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare. Cùm verbum Dei meditamur, ardens granum sinapis in corde serimus, quod cor incendat, illique medeatur. Sinapi lacrymas ciet. Si non consideras, si non conteras; mirificam hanc vim non experieris. Barradius t. 2. l. 10. c. 6. D. 6. Epiph.

Voca operarios. Matth. 20. 8. Operarii in hanc vineam vocandi: primò manè voca considerationem rerum æternarum. Hic operarius eximius vineæ, qui illam sylvescere non patitur. Barradius t. 3. l. 5. c. 16. D. Septuag.

Osculabatur pedes ejus. Luc. 7. 38. sunt etiam duo labia, quibus Domini pedes premendi sunt; effectus bonus, & intellectus verus; sed quibus Job 8 21. dicitur: *repleantur labia tua jubilo*. Jubilus verò est ineffabilis mentis lætitia, quam lingua explicare non novit: quo repletus affectus bonus; cùm per gratiam, & gloriam, ineffabilem recipit bonitatem; & intellectus verus fulgentissimam suscipit, & ineclypsabilem claritatem: quos semper velut labia quædam aperiri à Domino postulat David Psal. 50. 17. dicens: *Domine labia mea aperies*; ut affectus ad bonum, & intellectus sit apertus ad verum. Sim Cass. l. 8. c. 4. hic.

Venite, & videte. Joan. 1. 39. Totos initiabat fore mentales, & remittebat intursum, ut mente viderent. Nam quid illis corporeis oculis ostensurus erat, qui corporale habitaculum non habebat? Hoc sensu Psalmista ait Ps. 45. 9. *venite, & videte opera Domini*. Ad intelligentiam, & internam consideratione, homines vocat; ut mente intelligant opera magna Dei. Id. l. 9. c. 8. hic.

Collyrio inunge oculos tuos. Apoc. 3. 18. Collyrio cœlestis sapientiæ, ex consideratione divinorum attributorum, Passionis Christi, & futurorum bonorum, tuorumque malorum; ut sic pellas mentis tenebras. Sylveira hic.

Ex Patribus, & aliis.

Est intellectus rerum spiritualium, & invisibilium, verus animæ panis confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Carnalis autem homo, qui non precipit ea, quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia ei videntur, gemat, & lugeat dicens: *aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Ps. 101. 5. S. Bernardus s. 2. in Annunt. B.V.

Quid, vel quale est, aut esse debet spiritualis viri Sabbatum, nisi secreta, & quieta meditatio rerum spiritualium? Rupertus l. 5. in Matth.

Trutinæ similis est animæ consilium; mens verò, quæ ducis vice fungitur, funiculum tenet. B. Theodoretus in Psal. 118. 112. inclinavi cor meum ad faciendas justificationes.

Lapillus in piscinam, aut lacum missus, circulos facit innumerabiles; & hoc idem non facit in flumine: quia omnem figuram fugiens aqua disturbat. Seneca l. 1. qq. nat. 2. Qui fit, quòd sæpe, qui plurimas audit conciones, libros pios evolvit; non devotus efficiatur? nec fructum hauriat? quia omnem figuram fugiens aqua disturbat. Unus solus lapillus, unum salutare verbum, sat est innumeris orbiculis in corde, totidemque sanctis cogitationibus excitandis. Did. Nyss. Polit. cœl. p. 1. c. 6.

Tapetes auro, & bysso intexti pulcherrimasque imagines exhibentes; quamdiu complicati sunt, nè videri quidem merentur, neque etiam ab aliis rebus vilioribus differunt: sed ad parietem extensi inclusam pulchritudinem ostendunt. Sic in Christianæ fidei mysteriis agitur: sancta meditatione latiùs explicata, & in apertum quodammodo prolata, amplitudinem, majestatem, excellentiamque suam manifestant. Psalm. 87. 13. *nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua? & justitia tua in terra oblivionis?* Besseus D. infra oct. Nat. Dom.

§. II.

Orationis mentalis utilitas, & alia motiva.

Immisit Dominus Deus soporem. Gen. 2. 4. 21. Nè ægrè ferret Adam, unam sibi de costis eripi, licèt in ejus utilitatem fieret; immisit Deus soporem, idest, estasim in Adam: ut hoc modo sopitus dolorem non sentiret. Potuisset quidem Deus ei costam etiam non sopito sine dolore eripere; sed docuit nos, quòd, ut homines Mundum sine dolore relinquant, sopiendi sint: iisdem scilicet suadendum, ut divina meditentur: hoc enim cœlesti somno ab humanis rebus sine dolore; immò magna cum voluptate, avellimur. Diez conc. 4. in festo S. Andræ.

Ad meditandum. Gen. 24. 63. Sept. *ad se exercendum*. Periander: sapientis vita est meditatio, & docto cogitare, est vivere. Cornelius hic.

Pater rem tacitus considerabat. Gen. 37. 11. Jacob addictus fuit considerationi æquè ac pater Isaac, *qui egrediebatur ad meditandum in agro*: ideoque in omnibus operibus suis erat circumspectus, compositus, & sanctus, S. Bernardus lib. 1. de Consid. c. 7. mentem purificat consideratio; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, compescit mores, vitam honestat, & ordinat: postremò divinarum pariter, & humanarum rerum, scientiam confert, &c. Cornelius hic.

Meditaberis in eis atque consurgens &c. Deut. 6. 7. Incredibile est, quantum animæ possit meditatio matutina. Experientia quotidiana nos clarè docet, eam esse totius societatis nostræ fulcrum, & fundamentum; omnemque zelum, efficaciam, & fructum omnium actionum nostrarum per diem, ex ea manare. Id. hic.

Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: adsumus. Job 38. 35. Fulgur, & fulmen, ignes subtilissimi, natura petunt sublime. At quia Deus deorsum illa mittit; suæ naturæ oblita, incredibili celeritate ad ima ruunt. Christi fulgura dixeris eos, qui suam voluntatem pessundant, ut pareant divinæ. Aspirarent quidem ad alta, si suos impetus sequerentur; sed quia Deus vult aliud, ad infima se non inviti demittunt, idque alacritate summa. Sicut autem fulgura non ex aqua, vel terra, sed à nube densa, beneque clausa, prosiliunt; ità prompta hæc voluntas provenit à meditatione, quæ nubis instar sublimis volat, sensibus corporis undequaque clausis. Drexelius Heliotr. l. 1. cap. 4. §. 3.

Et erit tamquam lignum &c. Ps. 3. Dixerat, justum non abiisse in consilio impiorum, non sedisse in cathedra pestilentiæ; addiderat, in lege Dei voluntatem ejus repositam; nec tamen de fructu ab illo edendo mentionem fecit. Ut verò dixit: *& in lege ejus meditabitur die, ac nocte*; tum & arborem eum vocat, & feracitatem ejus deprædicat. Meditatio fertilior præ reliquis. Oliva l. 9. Strom. §. Et erit tamquam lignum.

Locutus sum in corde meo. Eccl. 1. 16. Loqui aliquis dicitur in corde suo, cùm mentem ad cogitandum applicans secum disputat, & ratiocinatur. Olympiodorus hic.

Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Cant. 3. 4. S. Ambros. s. 7. in v. 7. Ps. 118. fide eum invenit, meditatione constrinxit.

In curru Ezechielis 1. 10. facies hominis, leonis, bovis, aquilæ. Sed infrà, cùm eadem spectaret c. 10. v. 14. bovem vidit in Cherub mutatum: *facies una, facies Cherub*. Cur non leo quadrupedum primus; non aquila, regina volucrum; non homo, utriusque princeps, mutantur in Cherub? sed solus bos? Piger bos, sed ruminat. Et illa quidem animalia copiosius, & pretiosiùs, vescuntur; sed cibum vix mandunt; glutiunt veriùs. Bos autem obvio faginatur fœno; sed, quod deglutit, iterum commolit, & lentissimè mandit. Ille placet, non qui præclara, & sublimia depascitur; sed qui licèt alta non intelligat, ea tamen, quæ percipit, nunquam satis secum tacitus meditatur. Oliva l. 9. Strom. §. Et erit &c.

Fœnum ut bos comedit. Dan. 4. 30. Nabuchodonosor ut ex superbo humilis fieret, & Deum nosset; fœnum ut bos comedit. Qui superbis, & turges; si carnis fragilitatem comedes ut bos; eam non cursim, sed cunctanter, recogitando, & ruminando; Deo subderis, teque deprimes. Hoc maximè attendit Deus in pœna scelerati regis: nam cum illum quasi in bovem convertit; non tamen eum jugum trahere ut bovem jussit; sed tantùm ut more bonum aleretur, & ruminaret. *Fœnum ut bos comedes*. q. d. ideò superbis, quia non recogitas. Igitur cogeris ruminare; ut discas recogitare: & tunc Domini potentiam agnosces. Consideratio ex bove mutavit in regem. Is. 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Humilitas præsepe tantùm, consideratio Dominum agnovit. Oliva ibid.

Jacob genuit Joseph virum Mariæ. Matth. 1. 16. Quid per Jacob, qui supplantator, appellatur, rectiùs accipitur, quàm luctæ, & supplantatio vitiorum; quod fit in activa, in qua primùm contemplativum exerceri necesse est. Oportet insuper, ut activus ex se gignat meditationem. Est autem meditatio vehemens animi applicatio ad divinum aliquid investigandum, cognoscendum: & degustandum: quæ meditatio rectè per Joseph exprimitur; quia Joseph *prescens* interpretatur. Neque enim potest aliter anima meliùs excrescere spiritualibus augmentis; quàm per meditationem fortem, & salubrem; per quam ascendit anima de virtute in virtutem Gerson s. de Nat. B. V.

Dixit quidam Sanctorum: meditare bona; ut nè mediteris mala: siquidem mens non patitur otium. S. Ephrem adhort. 4. ad Novitium Monach.

Incredibile est nescienti, quàm suave sit, de Deo Opt. Max. ex sacris literis meditari, & loqui. Philo Carpath. in Cant. 5. 13.

§. III.

Orationis mentalis neglectæ damna.

Præcipit-nè tangeremus illud. Gen. 3. 3. Mendax Eva ait, sibi à Deo fuisse imperatum, non manducetis ex eo, neque tangatis ex eo. Immò licuisset tangere priùs, & meditari multis; quid damni, quidque utilitatis, cibus ille posset afferre? 1. Joan. 1. 1. *quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*. S. Ambros. l. de parad. cap. 12. vides, quod antè velut manibus quibusdam perscrutatus sit Dei verbum, & postea annuntiaverit. Et ideo nihil & Evæ fortasse nocuisset verbum, si pertractantibus diligenter quibusdam mentis manibus antè tetigisset. Baeza t. 1. l 1. c. 7 §. 27.

Eruerunt oculos ejus. Judic. 16. 21. Plerumque priùs oculus contemplationis amittitur, & post per carnis desideria hujus Mundi laboribus animus subjugatur. S. Gregor. l. 7. mor. c. 13. prout testatur Sampson ab Allophylla captus; qui postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est.

Quoniam non intellexerunt opera Domini. Ps. 27. 5. Significatur his verbis radix omnium malorum: radix enim est, nolle intelligere opera Dominì; non applicare animum ad consideranda, & cognoscenda, mirabilia opera Dei; quæ fecit in creatione, in redemptione, in gubernatione generis humani. Bellarminus hic.

Qui habent defectum considerationis, inconsideratè volunt, loquuntur, & operantur. S. Thom. Aqu. opusc. 38. de erud. princ. l. 2. c. 3.

§. IV.

Meditandi materia.

Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Job 19. 23. Docemur his verbis sanctè transigere orationis tempora. Scribantur, quæ cogitaveris, sed in silice, & ferreo stylo. Quid est *sermones mei?* hoc est, qui me spectent. Non rarò in meditatione Medici evadimus qui infirmi accesseramus. Invehimur in aliena peccata, qui nostra inexplorata mittimus. Vulneribus scatentes fratrum pustulas religiosè curamus. Oliva t. Strom. §. Quis mihi tribuat &c.

Manè astabo tibi & videbo. Ps. 5. 5. Materia præcipua contemplationis meæ erit, considerare; nihil te magis odisse, quàm peccatum; innocentiam, & justitiam, tibi summoperè gratam esse. Bellarminus hic.

In circuitu, & intus plena sunt oculis. Apoc. 4. 8. Antè: quia Evangelium dat nobis multiplicem cognitionem futurorum, quæ ante nos sunt: aperit oculos, ad expectanda prœmia, quæ Deus justis pollicetur: ut caveamus horrenda mala, quæ impiis minatur. Secundò *plena oculis* retrò: ostendit nobis quod fuimus, ex pulvere terræ: ostendit exempla priorum, plena in circuitu; ad videndum, quæ circa nos sunt, & rectè ordinanda. *Plena oculis intus*, ad videndum interna. Sylveira hic. Hæc spiritualis est exercitii summa, hæc forma studii spiritualis; ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ præterita; futura quoque sollicitè provideamus. S. Bernardus s. 2. in festo SS. Petri, & Pauli.

Sit potior meditatio tua, & affectus frequentior, circa humilia vestigia Jesu; & noli ad alta citò conscendere, nè opprimaris à gloria. Thom. Kemp. Soliloqu. an. cap. 12.

Primum contemplationis genus est in consideratione, & admiratione, rerum corporalium, in omnibus, quæ per quinque sensus corporeos ingrediuntur ad animum, & est quidem omnium infimum, & debet esse incipientium. Rich. à S. Vict. de arca myst. l. 2. c. 1.

TITULUS XI.

ORDO.

Ex Veteri.

IN *principio creavit Deus cœlum, & terram.* Gen. 1. 1. Cùm Dominum legimus cum sapientia, & quodam consilio, & dispositione, fecisse, & ordine: ut primò cœlum fieret, quod est pulcherrimum: oportet; ut eo primùm oculos erigamus, illo nobis contendendum esse arbitremur, illam sedem terrenis omnibus præferendam putemus. S. Ambros. ep. 39. Poterant quidem omnia, tamquam unum aliquid, & subitò existere: verùm idcirco primum quiddam, ac secundum, & tertium, atque ità porrò sequentia, numerantur: ut statim unà cum ipsis creatis ordo induceretur. Ordo cœlestia, terrestriaque, continet. Ordo est jam diei, noctisque, mensuris, & intervallis. Si ordo rerum potiatur, universum hoc venustas est, ac pulchritudo perpetua, & immobilis. Confusio verò, & perturbatio, in aere quidem fulmina, in terra succussiones, in mari exundationes, in urbibus ac familiis bella; in corporibus morbos, in animis peccata; quasi novas res moliendo, introduxit. Quin etiam celebrem illum rerum interitum, quem expectamus, nihil aliud esse putamus, quàm confusionis abundantiam. Etenim ordo colligat, confusio dissolvit. Ordo cunctis etiam animalibus ortum, alimoniam, convenientia singulis loca præscripsit. Etiam in Ecclesiis ordo definivit, ut aliud quidem sit ovile, alii verò pastores: aliud cum imperio præsit, aliud cum imperio subsit: aliud sit capitis instar, aliud pedum, aliud manuum, aliud oculorum. S. Gregor. Naz. or. 7. de spiritu S.

Major pars venit Beniamin; ita ut quinque partibus excederet. Gen. 43. 34. Sed quo ordine accubuerunt? an Beniaminum loco superiori honorarunt? *Sederunt coram eo primogenitus juxta primogenita sua, & minimus juxta ætatem suam.* v. 33. Cur non Joseph illum æquè dignitate loci, ac partis magnitudine, honoravit? Oleaster hic: amabilis fuit Josepho Beniamin: verùm & amabilis est ordo, ut unaquæque res suo loco consistat. Et à principio Mundi primus locus primogenito debitus est: neque est, quod magis homines, quàm ordinem mirantur. Did. Nyss. D. ult. Pent. §. 3.

De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo, adversùs Sisaram pugnaverunt. Judic. 5. 20. Ordini, quem stellæ à Deo præscriptum servarunt, adscribitur victoria. *Divisique trecentos viros in tres partes.* Judic. 7. 16. Ordine disposuit paucos milites; & hostis cœsus. Alvarez. In Gen. 33. Illustr. 12.

In omnem terram exivit sonus eorum. Ps. 18. 5. Secundùm Aquilam: exivit *ordo* ipsorum. Nam nec sermonem, inquit, emittentes, nec verba proferentes; sed regulam, & proprium ordinem, demonstrantes; omnes terram, atque mare, ad divinas laudes decantandas invitant. B. Theodoretus hic.

Attingit à fine usque ad finem. Sap. 8. 1. Non est locus, ubi non imperat Sapientia. Nempe ubi ordo est, ibi imperat Sapientia, quæ orbem universum in æquitate gubernat. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 12.

Ex Novo.

Ubi est qui natus est? Matth. 2. 2. Quanquam Christus infans loqui potuisset tertio decimo die à die Nativitatis; sicut Joanes *exultavit in utero*: sed quia ordinem in ordinatis daturus advenerat, in seipso ante servavit. Sim. Cass. l. 1. c. 15.

Et præcepit turbæ discumbere. Marci 8. 6. Habemus exemplum, quàm Deo placeat ordo. S. Vincent. Ferr. s. 1. D. 7. Trinit.

Facite illos discumbere, per convivia quinquagenos. Luc. 9. 14. idque propter ordinem. Stella hic.

Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant. 1. Cor. 14. 40.

Ex Patribus, & aliis.

In bona voluntate pax nobis est. Corpus pondere suo nititur ad locum suum, pondus non ad ima tantùm est, sed ad locum suum ignis sursum tendit, deorsum lapis: ponderibus suis aguntur, loca sua petunt: oleum infra aquam fusum supra aquam attollitur; aqua super oleum fusa infra oleum demergitur. Minùs ordinata inquieta sunt; ordinantur, & quiescunt: pondus meum, amor meus; eò feror, quocumque feror. S. August. Confess. l. 13. c. 9.

Nihil est ordinatum, quod non sit pulchrum. Id. l. de vera relig. c. 41.

Tantus ordo, tamque singularis dispositio, non ultrò hæc facta declarat; sed causam præcessisse significat, per quam tanti operis Principem, & Creatorem Deum esse datur intelligi. S. Athanas. Alex. de Incarnat. Verbi.

Quod si in rebus Mundanis res decora est ordo, atque scientia; multo profectò magis eam observari convenit in rebus magnis, atque cœlestibus. S. Gregor. Nyss. de Christi Resurr. or. 3.

Ordo, si ulla in re, in Religionis cultu maximè est necessarius. Ex principiis ad veritatem progredimur: qui enim, neglectis initiis, jucundiora præripiunt, ad ea redire coguntur necessariò, & ordinis rationem sequi. Sanctus Nilus lib. Ascet.

Unio iritè fundata in exacta rerum distinctione facit ordinem; ordo convenientiam, & proportionem: hæ autem in rebus, sua integritate, & perfectione constantibus, eximiam pariunt pulchritudinem. S. Franc. Salesi. tr. de am. Dei l. 1. c. 1.

Nihil absque ordine alicubi pulchrum est, nihil placens, nihil stabile. Gerson in Cant.

Ordo Communitatum debet esse sicut situs chordarum in cithara: ubi requiritur, ut quælibet chorda locum suum teneat, ut melodia sit bona, mediæ in medio &c. Sic in Communitate inferior in obediendo; illi in consulendo, isti in regendo. Broymard. Ordo Communit.

TITULUS XII.

OS.

SI *speraveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Jer. 15. 19. Est os quasi lyra animata; in qua dentes sunt quasi chordæ; lingua plectrum. Cornel. hic.

Et aperiens os suum. Matth. 5. 2. Quare additum est *aperiens*? videtur, quòd superfluat. Minimè: docuit enim, etiam non aperiendo os suum. Quomodo? per vitam, & miracula: nunc autem *aperiens os* docet. Theophylactus hic. Perdoctè dictum est, *aperiens os suum*: ad distinctionem faciendam: quia in veteri Lege aperuerat ora Prophetarum. Et ut nulla excusatio valeret hominibus; cùm Dei Filius eisdem in Humanitate more hominum loqueretur. Sim. Cass. l. 10. cap. 3. *Aperiens &c.* idest, per seipsum, & in propria persona loquens, legemque tradens; qui olim per Angelos, & Prophetas loquebatur; & per Moysem legem proposuit. Dionys. Carth. hic.

Januam tuam disce temporibus observare nocturnis: non facilè quisquam patentem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse, cùm pulsat. Janua nostra os nostrum est. Christo propemodum soli debet aperiri. Sanct. Ambros. lib. 3. de Virgin.

Quid est os hominis, nisi quoddam sermonis aclytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis. S. Ambros. hex. l. 6. c. 9.

Mens, sicut os, habere debet duo labia, id est, duas affectiones: unam, qua desiderat cœlestia; etiam, qua contemnit omnia terrena. lib. 4. revel. Sanct. Brig. cap. 82. Verba Christi.

TITULUS XIII.

OSCULA.

FOVea *profunda os aliena.* Prov. 22. 14. Qui verba, vel oscula, meretricis libenter amplectitur; quasi januam jam gehennalis pulsat abyssi: citoque mergetur; si pedem cautus non retrahit. V. Beda lib. 2. hic.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Nota: osculum est Symbolum. 1. reconciliationis: cùm enim quis alium offendit, reconciliatur ei per osculum: sicut pater reconciliatus est filio prodigo. Luc. 15. 20. 2. pacis, & concordiæ. 3. Salutationis, & bonæ apprecationis. 4. Amoris & intimæ conjunctionis. Omnibus hisce de causis Ecclesia, & anima Fidelis, poscit osculum Christi. Cornel. hic.

Venetus quidam nobilis, morti Parisiis adjudicatus, impetravit, ut fratribus suis ultimum vale dicere liceret. Introeuntes illos scrutati sunt custodes curiosè, nè qua, ad fratrem dedecori, & ignominiosæ morti subtrahendum, arma, vel venenum, inferrent. Verùm eorum unus nucem avellenatam, præsentissimi veneni plenam, ceraque obturatam, in ore deferebat: quam inter amplexus, & oscula, fratris ori inseruit: qui paulò post ea dentibus comminuta, ac hausto veneno, interiit. Ejus tamen testulæ fragmina in ore mortui deprehensæ dolum prodidere. Quare mortui cadaver in rotam tractum, & fratricidæ ad necem quæsiti. Doultrem. de am. l. 2. c. 3. sect. 3.

TITULUS XIV.

OTIUM.

§. I.

Symbola, & similitudines.

QUam *cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis.* Ex. 4. 6. Tertull. de resurr. carnis c. 28. Moyses manum in sinum condit, & emortuam profert. Mira lectio Tertulliani: quid lepræ cum morte? ideo manus existimatur mortua; quia in sinum reconditur, ut ibi quiescat, & otietur. Manus ad opus conceditur à natura: ergo, dum otio vacat in sinu; velut in sepulchro sepelitur. Castillo Illat. 39. otiosè vivere non est vita.

Et baptizavit populus &c. Ex. 16. 30. Sabbatizante Israele cœlum non pluebat manna. Quin & aqua putrescit immobilis, & immotus ensis rubigine sordescit, pes quietus obstupescit, & vestem depositum dirus tineæ dens corrodit. Corn. in Eccl. 22. 2.

Stultus complicuit manus suas, & comedit carnes suas. Eccl. 4. 5. Manus homini datæ sunt, ut illis opportuna sibi, & convenientia operetur. Otiosus itaque cessator, manus clausas, & complicatas tenens, cùm subinde pœnitentia tangitur, ac dolore tabescit, dicitur meritò carnes proprias devorare. Olympiodorus hic.

Invenie eam vacantem. Matth. 12. 44. Rabanus: invenit diabolus hominem vacantem in bonis per negligentiam, & otiositatem. Apud Escob. t. 5. Proph. Chr. l. 3. sect. 2. obs. 2.

Nihil inutilius fuerit homine, qui omne tempus in deliciis, & remissione consumit. Rubigo quædam apprehendit otiosam animam, & consumit splendorem, ac alia omnia. Quanam re detergetur rubigo illa? cote tribulationum: illæ utilem animam facient, & ad omnia accommodam. S. Chrysost. hom. 35. in Acta.

Homo otiosus, inutilis, nasci non debuerat. Frustrà natus est; lapis marmoreus est, truncus arboris; ficus sine flore, & sine fructu; solùm aptus ad ignem. Avis, quamdiu volat, secura est; si sedet, & quiescit, sagittariorum insidientium sagitta perfoditur. S. Thom. Vill. D. Septuag.

Horologium. Lem: *Ipsa quies vitium est.*

Aqua Lem: *Servatur motu.* S. Laur. Just. l. 1. de perfect. gr. c. 9. sicut aqua, quæ caret decursu, aut jacet in foveis; putrescit, repleturque animalibus venenatis, & noxiis: ità & corpus, otii labe confectum, concupiscentiarum carnalium parit insaniam. Picinelli.

Argentum. Lem: *Quiescendo nigrescit.* Id.

§. II.

Otium fugiendi motiva.

Ex Veteri.

POsuit *eum in paradiso voluptatis, ut operaretur.* Gen. 2. 15. Cùm omnibus deliciis potirentur (protoparentes) ibi vitam agentes; ut ne immodica prosperitate homo insolescaret (omnem enim malitiam docuit otium) propterea præcepit Deus, ut operaretur illum, & custoditet. S. Chrysost. t. 1. hom. 14. in Gen. hic. Eva in paradiso decipitur. Genes. 3. 6. Vagatur otiosa; &, quæ extra paradisum, prospectat incauta. Naxera in Jos. 13. §. 20.

Festinabat Abraham in tabernaculum &c. Gen. 18. 6. In domo justi nemo otiosus est. S. Carolus Borromæus, cùm amplam haberet familiam: ità cuique per totum diem suas partiebatur operas, easque utiles, ac pias; ut nemo nec quadrantem horæ per diem haberet liberum, & non occupatum. Hac de causa ejus familia tota erat quieta, ordinata, sancta. Cornelius hic.

Cùmque levaret Moyses manus vincebat Israel &c. Ex. 17. 11. Moyses tacendo loquebatur, & otiosus operabatur: sedens in otio dimicabat, & triumphabat. Erat tam otiosus; ut alii manus ejus sustinerent: & tam occupatus; ut manibus otiosis vinceret. Crudelius bellum inferebat Amalecitis confidendo, quàm alii Israelitæ in campo manus conferendo. Stella de van. Mundi p. 3. c. 61.

Factum est, cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, apparuit ei Dominus secundò. 3. Reg. 9. 1. 2. Quis nescit, rectè ac sanctè Salomonem habuisse, fide culta, Religione servata, cùm instaret templo ædificando, & regiam conderet? *Apparet ei Dominus secundò*, dein multa ei promittit; nec reum agit, vel noxæ modicæ. Vacat otio. Ibid. c. 11. v. 4. *depravatum est cor ejus per mulieres.* Velloso in Judith. 3. Paræn. 16.

Ubi non sunt boves, præsepè vacuum est. Prov. 14. 4. Hebr. *mundum est*: hoc est, ait Vatablus: qui laborat, habet, quòd manducet: qui autem otium sectatur, egestatem habet in domo, Bos Symbolum laboris: unde Veteres, teste Pierio, volentes laborem pingere, pingebant caput bovis. Cornelius hic.

Manum suam misit ad fortia; & digiti ejus apprehenderunt usum. Prov. 31. 19. Quid fortitudini cum fuso, & colo? immò de ignavo dicimus, ò strenuum virum! afferte colum, & fusum, ut neat. At verò mulier hæc cùm de fortitudine laudatur, fusum apprehendisse dicitur: Quis dubitet, eleganter, & aptè, utpote à Spiritu S. fuisse dictum? Nam id, in quo plerumque se fœminæ solent exercere; est, nere, texere, acu pingere. Cùm ergo hic quæritur, quæ erit mulier contra dæmonis insidias fortissima? & cujus dextera plurimas comparabit victorias? respondetur: non illa erit, quæ otiosa, iners, & fenestrarum amica est; sed illa, cujus *digiti apprehenderunt fusum*: illa, inquam, quæ in sanctis exercitiis, & bonis operibus continuò occupatur. Diez c. 1, Dom. 4. Pasch.

Nigra sum, sed formosa: quia decoloravit me sol. Cant. 1. 4. Formosam se asserit, cùm à sole exuritur? Certè tunc decoratur animus; cùm corpus, otio ablegato, operi incumbit; velut Jacob, qui die æstu urebatur. Gen. 31. 40. Escob. t. 6. Parab. Chr. l. 9. sect. 4. obs. 4.

Non nocuerunt mihi. Daniel. 6. 22. 3. Reg. 13. 14. 28. invenit Prophetam alium leo in via, & occidit. Uterque propheta, uterque justus. Discrimen: Daniel orans, & jejunans; alter in via sedet otiosus, & mensa lauta epulatus. Naxera in Jos. 13. §. 20.

Præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam. Jon. 2. 1. & devoravit eum. *Et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum*, Tob. 6. 2. non tamen devoravit. Discrimen reddit S. Zeno Veron. s. de Jona: stertebat in navi. Tobias clamat, & orat. Vacas ab oratione? deses, ignavus es? brutum passionis te deglutiet. Nax. in Jos. 13. §. 20.

Ex Novo.

Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent. Matth. 6. 28. S. Chrysost. legit: non seminant, neque nent: & ait: dicendo, non seminant, viros confortat: dicendo autem, neque nent, mulieres: quoniam virorum vita seminationibus, mulierum lanificio sustentatur. Did. Nyss. D. 20. Pent. §. 1.

Quod acceptum mulier &c. Matth. 13. 33. Si vir granum sinapis curæ ferendi dat operum; fœmina interim fermento impendit studium. Sanct. Chrysolog. s. 99. vir in agro sinapis arborem serit; domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ. Quia virum foris expectat labor; intus mulierem domestica cura constringit. An quia Deus indixit Adamo, *in sudore vultus tui vesceris pane.* Genes. 3. 19. putas fœminæ nullum indixisse laborem? Si vir serit, si metit; fœmina triticum actum in farinam fermento admiscet; ut panes faciat viro laboranti. Escobar tom. 6. Parab. Chr. lib. 7. sect. 2. obs. 2. hic.

Quid hic statis tota die otiosi. Matth. 20. 6. In quo ostenditur, quòd vitium otiositatis est contra terrenalem habitationem. Sicut si in optimo horto hortulanus sustineret arborem aliquam infructuosam, diceretur sibi à Domino, ut quid terram occupas? sic in optimo horto Ecclesiæ plantantur homines, velut arbores, in Baptismo; quas Christus rigat sanguine proprio. S. Vinc. Ferr. s. 7. D. Septuag.

Ligatis manibus, & pedibus &c. Matth. 22. 13. Cur manus vinculantur, quarum nullum crimen apparet? quia otio torpentes vestem componi non aptarunt. Cyrillus in procatechesi: jubet ministris, ligate pedes illius confidenter intrantes; ligate & manus ipsius, quæ splendido illum nescierunt ornare vestitu. *Ecce mea tua, quam habui depositam in sudario.* Luc. 19. 20. Naxera in Jos. 8. §. 9.

Nolite solliciti esse, quid manducetis. Luc. 12. 22. Theophylactus hic: non dixit Dominus: nolite laborare; sed potiùs, nolite solliciti esse. Nec enim poterat laborem interdicere; qui nec etiam in paradiso hominem otiosum passus est. Escob. t. 6. Parab. Chr. l. 9. sect. 4. obs. 4.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 8. Paralyticus corpore, & animo sanatus à Domino: præscribens rationem salutis animæ conservandæ ait: *tolle &c.* Jacueras otio torporis; jam noli lecto otiosus addici. Eusebius Emissenus.

Surge &c. idest, non sis otiosus: otiositas enim animæ inimica est, quæ & vitia nutrit, & virtutes necat. Escobar ibidem.

Mulier illa. Apoc. 12. 1. 14. dum micantiùs resplendet, acriùs draconis invidiam exacuit. Mulier clamat afflictatur; assumptisque aquilæ plumis ad desertum tendit. Verte modò oculos ad Babylonicam, auro, gemmisque, refulgentem, otio deditam. Apoc. 17. 3. *vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam.* Utra tibi videtur felicior? Babylonica forsan? sed faberis: plus huic à desidia timendum. Illa periculi metu assumit alas, & alæ, victo dracone, peperere victoriam; hæc, dum torpet, flammis immortalibus perit. Nax. in Jos. 13. §. 27.

Ex Patribus, & aliis.

Omnium vitiorum, quasi magistra quædam, atque origo est otiositas. S. Chrysost. hom. 36. in Matth. c. 10.

Da mihi hominem, qui pinguescit, & laboribus caret, ac jacet, nihilque laborat, sanum; sed non invenies. Nam licèt sexcentorum Medicorum turba adveniat; à morbis illum nequaquam liberare poterunt: neque enim hoc natura finit. Id. hom. 16. in Acta.

Nihil est, quod adeò sit inconcinnum, & alienum à Christiano; atque requiem, & recreationem, quærere: & ad præsentem vitam nimiùm affici, alienum est à professione, & militia nostra. Dominus tuus crucifixus est, & tu requiem quæris? Dominus tuus affixus est, & tu deliciaris? hæccine sunt militis generosi? Id. hom. 13. in ep. ad Philipp. cap. 3.

Quid est otium? nisi perditio irrevocabilis horæ, effusio vitæ, retrogradatio proficientis. Sanct. Cyrill. l. 1. Apol. mor. cap. 14.

Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent; ut nullum absque operis labore suscipiant; non tam propter vitæ necessitatem, quàm propter animi salutem. S. Hieronym. ep. ad Rusticum.

Vagatio, quædam mentis est alienatio, & otium tempestas est cordis. S. Cyrill. Apolog. mor. apud Corderium ex antiquo MS. codice.

Nihil stultius, quàm in præsenti vita, ubi homo debet sibi operari, ut in æternitate vivat, in otio vivere. S. Thom. Dom. Septuag.

Hæc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita sententia operantem Monachum dæmone uno pulsari, otium verò innumeris spiritibus devastari. Joan. Cassianus de cœnob. inst. l. 10. c. 23.

Otium, & deliciæ, prædones sunt castitatis. Th. Kemp. l. 4. ad fratres.

P

T I T U L U S I.

P A N I S.

UT comedat panem. Ex. 2. 20. Panis Hebræis per Synecdochen quemvis cibum significat. Corn. hic.

Auferet - omne robur panis. Is. 3. 1. Hebræi *robur misan*, id est, *fulcrum, baculum, scipionem*, vocant panem, cibum, & omne, quod hominem in vita sustentat. Hinc panis vocatur *virga*, vel *baculus*. Lev. 26. 26. Ezech. 4. 16., 5. 16., 14. 13. Corn. hic.

Panem nostrum quotidianum. Luc. 11. 3. Hoc de duplici pane exponitur. 1. de pane Sacramentali, idest, de corpore, & Sanguine Christi, sicut ait Salvator. Joan. 6. 41. *ego sum panis vivus.* 2. de pane Spirituali, scilicet de habitibus, actibusque virtutum; de consolatione interna, de confortatione mentali, de divinorum sapore - de pane pœnitentiæ. Psalm. 79. 6. *cibabis nos pane lacrymarum.* His itaque cibis oremus quotidie ali divinitus; nè spiritus noster debilitetur, vitiisque succumbat. Dion. Carth. hic.

Panes manu S. Bernardi benedicti ad septem, novem, undecim, annos durarunt; nec colore, nec sapore immutato. Ex vita ejusdem l. 4. c. 4.

S. Euthymius M. Abb. effecit, ut ex paucissimis plurimi panes fierent, quibus 400. viri refecti sunt. Nicephorus Callistus l. 14. c. 52. Bolland. 20. Jan.

T I T U L U S II.

P A R E N T E S.

§. I.

Honorandi.

QUi timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. Eccl. 3. 8. Palacius: quasi diis serviet his: in iis enim Deus repræsentatur, Deique dominium resplendet. Corn. hic.

Stabant juxta crucem Jesu mater ejus &c. Joan. 19. 25. Dominus in cruce pendens Matrem habuit à dextris, quam Joanni commendavit. Ità quicumque ascendit crucem prælationis, vel Religionis; parentes debet habere à dextris: ut eos scilicet diligat ad bona æterna; & gratiæ Dei committat. Sed nota: quod Dominus, licèt compateretur Matri, non tamen voluit de Cruce descendere: ità nos, qui ferimus Crucem Domini, propter parentes nostros non debemus ad carnalia declinare. Hugo Card. in Gen. 1. 19. Crucifixus Matrem suam Joanni commendat. Nota, quæ mox addit Evangelista v. 28. *postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt - & inclinato capite tradidit spiritum.* Luc. 23. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Joannes ait, ubi Matrem commendavit Joanni, tunc omnia consummasse, & inclinato capite tradidisse spiritum. v. 30. quia piam Matris curam ostendit in Cruce, omnia consummata sunt; & nihil ei superest, nisi in Patris manus spiritum tradere. Nam ità Deo grata est erga parentes pietas: ut illam exercens omnia consummasse videatur; & possit sperare confidenter, in æterni Patris manus spiritum traditurum. S. Ambr. l. 10. ep. 79. hoc testamentum Filii est, de Matris integritate: hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis pietatis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum: consummans omne mysterium bono fide pietatis. Castillo in c. 28. Ex. Illat. 5.

Nè vultu quidem lædenda est pietas parentum. Pasce patrem tuum, pasce Matrem tuam. Etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est: non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit; non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit; nè quid, quod tibi noxium esset, ederet; nè quid, quod lacti noceret, hauriret: Tibi illa jejunavit, tibi manducavit; tibi illa, quem noluit, cibum non accepit; tibi, quem voluit, cibum sumpsit. Tibi vigilavit, tibi flevit: & tu illam egere patieris? O fili! quantum tibi sumes judicium? si non pascas parentem. S. Amb. in Luc. 18. Vide tit. Filii §. & 6.

§. II.

Parentibus præferendus Deus, præcepta &c.

QUi dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos &c. - hi custodierunt eloquium tuum &c. Deut. 33. 9. Magis, & primò, dicitur hic de patre, & matre; quàm de fratribus, & filiis: quòd illos in cæde illa idololatrarum non respexerint Levitæ, nec miserti sint eorum. Unde videntur sine discrimine omnes noxios, etiam patrem occidisse. Corn. hic.

Permitte me primùm ire &c. Matth. 8. 21. Audite, quid discipulus discerit, permitte me *primum*. Hoc *primum* ei esse non debuit, sed secundum. Terrenus pater cœlesti postponendus est Patri, Pinna in Eccl. Ethol. 148. Quidam dicunt: hoc non intelligendum, quasi pater hujus discipuli jam defunctus esset, & ipse eum sepelire vellet: quia hoc ei negatum non esset, cùm sit opus pietatis, sed quia tenebatur carnali amore parentum, cum quibus usque ad mortem eorum voluit permanere, eisque sepultis Christo adhærere. Sed Christus ei id negavit, ob periculum moræ: non quia sepelitio mala; sed quia majoris boni impeditiva. Dicit enim Ambrosius: docet Christus, minora bona pro utilitate esse prætermittenda. Majus est enim animas mortuas prædicando suscitare; quàm corpus mortui in terra abscondere. Dion. Carth. in Matth. 8. 21. Non erat hujus pater in infirmitate, ut moriturus in proximo videretur; sed fortassis in senectute: expectare melius ratus, quàm si Christum sequeretur: ignarus adhuc, quòd pietas pro pietate dimittenda esset. Ad plenum peroptimè pius est, qui divinum præfert imperium, etiam omnia obsecundatione denegata parentibus. Præferatur hominibus Deus, Creator creaturæ, parientibus ad mortem vitæ largitor, nutritoribus Redemptor, viventibus cunctis in hac vita mortali: qui, ut omnibus vita beata daretur, immortalis se donavit in mortem. Sim. Cass. l. 9. c. 16.

Dimitte mortuos sepelire mortuos. Matth. 8. 22. Numquid sic Christus negat ultimum pietatis obsequium? verat extremum munus parentibus quod debetur? Non pietatis obsequium negat; sed divinam præponit humanis affectibus servitutem. S. Chrysol. s. 19.

Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare &c. Matth. 10. 34. 35. Perampliùs justitia Christiana progreditur: ut etiam inter patrem, & filium posuerit odium, atque *gladium*, ut ipse Salvator dixit. Luc. 14. 26. *qui non odit patrem, & matrem, non potest meus esse discipulus.* Odium igitur Christianæ justitiæ, non personæ sive naturæ, sed iniquitati debetur, & impedimento virtutis, quod consueverunt præstare parentes. Id. lib. 15. de justit. Christ. cap. 3. Gladius instrumentum justitiæ est, non sævitiæ, ut observavit. S. Hilarius. Suum unicuique jus dividit hic gladius: magnum parentibus amorem, sed majorem Deo. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 8. hic.

Quæ est mater mea? &c. Marci 3. 33. Isthæc non deprimit, quòd matrem ulla prorsus ratione aspernetur, aut fratres contemnat; absit hoc: verùm quò planum faciat, familiarem animæ cum Deo conjunctionem quavis carnis cognatione potiorem se ducere. Victor Antioch. hic.

Pater tuus, & ego &c. Luc. 2. 48. Duo Patres in tali colloquio sonuerunt, unde quodammodo locutio materna confunditur. Dixerat Virgo Patrem, quem habebat socium sponsum. Respondit Christus, se Patrem habere æternum, cujus volità in carne venerat perficere super terram. Illa hominem, iste Deum; illa mortalem, iste protulit immortalem. *Nescitis, quòd in his &c.* Non veretur Christus dolores ex carne maternos, sive paternos; sed Dei Patris obedientiam plus attendit; præferendus est Deus propriis parentibus quantumcumque illustribus, vel honestis. Et hìc Christus pietatem pro pietate condemnat, & reprobat: & divinis actionibus postponit humanas; & divinum omninò humano præposuit. Humanum est, tristitiam non inferre parentibus; & ipsos consolari, opus est pietatis. Et honorem ipsis impendere, debitum est injustitiæ, jussioque Legis. Ubi verò Deus aliud inducit, ab omnibus his absolvit. Proinde ex hujuscemodi Christi verbis decretum firmum accepimus: ut, cùm Deum aliquid velle novimus, cætera omittamus: neque tristitiæ, neque lacrymæ, neque singultus, aut ululatus, dejectiones, aut assumptiones, quorumcumque charorum ad id agendum impediant. Sim. Cass. l. 9. c. 2.

Sine ut mortui sepeliant mortuos suos. Luc. 9. 60. Cùm religiosum humandi acceperimus officium, quemadmodum hic paterni quoque funeris sepultura prohibetur? nisi ut intelligas? humana posthabenda divinis. Bonum studium, sed majus impedimentum: nam, qui partitur studium, derivat affectum; qui dividit curam, differt profectum. Ergo priùs obeunda, quæ maxima sunt. S. Amb. l. 7. in Luc. hìc.

Si quis venit ad me, & non odit patrem &c. Luc. 14. 26. Domini oratio nihil à nobis aliud exigit, quàm ut eos aversemur, qui fidem nostram in Deum impedire: aut ab iis rebus avertere nos student, quæ ad animæ salutem sunt necessaria: tum nè eò unquam nos abduci sinamus, ut propter quemcumque carnalem amorem, eam dilectionem negligamus, aut contemnamus, quam debemus Christo. Sanct. Titus Bostr. in Luc. hìc.

Quid mihi, & tibi est, mulier? Joan. 2. 4. Ut quid sic responderat? utique propter nos: ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum. S. Bern. s. 2. D. 1. post oct. Epiph.

Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pellibus? Ecce de cœlo tuba canit; ecce cum nubibus debellaturus orbem Imperator armatus egreditur; ecce bis acutus gladius, ex regis ore procedens, obvia quæque metit. Et tu mihi de cubiculo ad aciem: tu de umbra egrederis ad solem. Corpus assuetum tunicis loricæ onus non fert; caput opertum linteo galeam recusat; mollem otio manum durus exasperat capulus. Audi edictum Regis tui. Matth. 12. 30. *qui non est mecum, contra me est, & qui non congregat mecum spargit.* Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in Baptismate consepultus in Sacramenti verba jurasti: pro nomine ejus non te patri parciturum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere: ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licèt parvulus ex collo pendeat nepos: licèt sparso crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat: licèt in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Veniet, veniet postea dies illa, quo victor reverteris ad patriam, quo per Jerosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas. S. Hier. ep. 1. ad Heliodorum.

Et Joannes B. sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus, vincebatur: ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. Vivebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere. Id. ep. 4. Rustico Monacho vivendi formam præscribent.

Honora patrem tuum: sed si te à vero Patre non separat. Tamdiu scitu sanguinis copulam, quamdiu ille suum noverit Creatorem. Alioquin David protinus tibi canit. Psal. 44. 11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum &c.* Grande præmium parentis obliti: *concupiscet Rex decorem tuum*, & dicet tibi: *tota pulchra es amica mea &c.* Cant. 4. 7. Id. ep. 10. ad Furiam de viduit. servanda.

Cùm aliquid eorum; quæ Deo probantur, efficimus; quicumque id prohibuerit, sive pater, sive mater, sive quivis; is inimicus, & hostis esto. S. Chrysost. lib. de Virgin.

Utilius est, parentes mœrore afficere, quàm Deum. Joan. Clim. gradu 3. de peregrinat. & somni.

Impius est, qui animæ suæ pro suis parentibus est crudelis: majoremque temeritatem hac nemo habet, quàm ut animam suam ponat ità periculosè quis pro amicis suis. Petr. Bles. ep. 11. ad Clericum ingressum Religionis amore amicorum retardantem.

§. III.

Parentum amor in Liberos.

Num. I.

Sit æqualis.

ISaac amabat Esau. Gen. 25. 28. *& Rebecca diligebat Jacob.* S. Ambros. l. 2. de Jacob c. 2. Accipite bonum certamen inter parentes: mater deferat affectum, pater judicium; mater circa juniorem tenera pietate protendat; pater circa seniorem naturam honorificentiæ servet. Hic magis honoret, illa plus diligat; dum singuli singulos foveant, non in unum uterque conspiret. Apud Baeza t. 1. l. 3 §. 3.

Quare negligitis? Genes. 42. 1. Quæres: qua ratione Joseph tam diu incognitus mansit in Ægypto, putà 23. annis, ità ut de se nihil unquam nuntiarit patri adeò propter se mœrenti? cur hoc ità fieri, & celari voluit Deus? R. quia Deus hoc quasi purgatorium mœroris voluit dari Jacobo, licèt justo, ob levia ejus quædam peccata: tum quia nimis, & cum invidia fratrum amaverat Josephum. Solet enim Deus nimios Sanctorum circa rem aliquam, vel personam, amores hoc modo per adversa, quasi vinum injecta aqua temperare. Ità S. Aug. s. 82. de temp. Cornelius hìc. Amare liberos, dulce; & impensiùs amare, præduleiùs. Sed frequenter ipse amor patrius, nisi moderationem servet, nocet liberis: si aut nimia indulgentia dilectum resolvat; aut prælatio unius cæteros ab affectu germanitatis avertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur: hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Jungat filios æqualis amor, quos junxit æqualis natura. S. Ambr. l. de Joseph. c. 2. apud Alvarez Illust. 30. in Gen. 37.

Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ps. 127. 3. Pater quasi centrum domus suæ; à centro lineæ ducuntur æquales ad circumferentiam. Non est unus in Angulo - Beata domus, in qua servatur æquitas. Mox addit: *ecce sic benedicetur homo.* Hugo: non solùm benedicet tibi Dominus de terra, temporalia bona tribuens; sed etiam benedicet ex *monte sancto suo, & altissimo tabernaculo suo, ut videas bona Jerusalem.* Alv. in Gen. 37. Illust. 30.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei &c. Matth. 20. 21. Quare pia mater filio magis dilecto non peris? prudenter egit honorem illum non in particulari, sed in communi petens. Imitentur eam parentes, nè filium unum præ altero diligant; nec in re familiari alii aliis proponantur; nisi gravis adsit causa: nam alioquin magnæ oriuntur discordiæ. Diez conc. 1. in festo S. Jacobi.

Num. II.

Non plus quàm Deum, & se.

Cumque alligasset Isaac filium suum &c. Gen. 22. 9. Ostendit Abraham, charissimum quidem sibi esse filium; sed multò chariorem filio existere Dominum: totos affectus convertit in Deum; cui jam se noverat mancipatum. S. Chrysost. in Gen. s. de fide Abrah. Quovis igne vehementiorem excitavit charitatem; acutioremque gladio amorem reddidit, nam in ipso vincula præcidit naturæ. S. Ephrem. in Abrah. & Isaac. O spectaculum formidandum! amor in prolem, Deique dilectio, judicio contendunt; & judex ensifer instat Abrahamus, ac ense jus dicit; victoriamque Dei dilectioni tribuit; confignat sanguine, testemque victoriæ sacrificium facit. S. Basilius Seleuc. or. 7. de Abrah. Tentavit Deus Abraham, præcipiens, ut immolaret filium suum: ut in exemplum aliis innotesceret obedientia ejus: ut omnes parentes discant, quantùm præponenda sit obedientia Dei filiorum dilectioni. S. Bernardinus s. de sacrificio Abrahæ.

In me sit ista maledictio. Gen. 27. 13. Ità aliqui parentes, licèt non verbis, attamen operibus idem faciunt: nam illicitæ negationes, & inventiones malæ, quibus filiis suis altas sedes obtineant, idem est, ac si dicerent: filius meus Canonicatum obtineat, ego in Infernum abeam. Diez conc. 1. in festo S. Jacobi.

Si homuncio uxori suæ potuit dicere: *numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filii?* 1. Reg. 1. 8. Et de filio Tobia mater Anna. Tob. 10. 5. *omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere.* Numquid veriùs creator tuus dicet tibi: non melior tibi sum, quàm decem, & mille, non modò filii, sed patres, matres, fratres, sorores, amici, Duces, Episcopi, Magistri, nutritii, sponsi? Numquid & tu cum Sanct. Francisco exclamabis: Deus meus, & omnia! Doultr. de Am. l. 3. c. 3. sect. 4.

Qui amat filium, aut filiam, super me, non est me dignus &c. Matth. 10. 37. Non immittit odium ad proximum, ubi alias præcepit diligere inimicum; nec condemnat jura naturæ creatæ, quam ex amore creavit, quam legibus ad invicem stringit amoris; sed duos amores constituens, hominis, & Dei; amorem Dei creantis, gubernantis, redimentis, & beatificantis; amori hominum voluit prævalere: ut unus non extinguatur ab altero; nec alter impediatur ex altero; sed alter alteri præferatur, alter alteri subjiciatur: ut, servata lege justitiæ, qui per omnia est præstantior, in omnibus ex amore sit potior omnibus creatis, quocumque jure diligendis. Sim. Cass. lib. 8. cap. 21. Perspicuum est, quod non damnet amorem; sed ipso non vult in amore esse posterior, sed præferri. Ordo quidem est naturalis, & originalis justitiæ; ut potiora magis, minor minùs diligantur. Ac per hoc non est dignus Deo, qui quoscumque conjunctos sibi diligendo præfert. Non tollitur charorum amor, sed ordinatur.

Et amoris ordinem habere à sponso suo se fatetur Ecclesia. Cant. 2. 4. *ordinavit in me charitatem*: scilicet, ut non diligenda non diligerentur: ut amarentur amanda; minora minùs, majoraque magis. Nec vita propria dilectioni Dei præferenda est. Sim. Cass. lib. 9. c. 24. *Qui amat &c.* quia bonum creatum caducum, finitum, præfert bono divino, incommutabili, atque immenso. Ordo namque charitatis efflagitat: ut Deus summè, & incomparabiliter, ac sine mensura, diligatur toto corde. Deinde propria anima, deinde proximus, deinde proprium corpus. Inter proximos verò maximè diligendi sunt parentes; nec propter alicujus rei creatæ favorem, amorem, sive intuitum, recedendum est ab amore, & cultu divino. Dion. Carth. in Matth. 10.

Quid est ergo, aut quomodo amandos dicimus filios? quo? absque dubio, nisi quo Deus ipse constituit. Neque enim est ullus melior filiorum amor, quàm quem ille docuit, qui ipsos filios dedit. Neque possunt pignora meliùs amari, quàm si in eo ipso, à quo data sunt, amentur. Quomodo ergo Deus filios amari jusserit, non dico ego: dicat sermo ipse divinus, qui ad patres omnes generaliter ità loquitur, ut tradant mandata Dei filiis suis. Ps. 77. 7. *ut ponant in Deo spem suam &c.* Salvianus l. 3. ad Eccl. Cathol.

Amare, itaque non obsistimus, amate filios vestros; sed tamen secundo à vobis gradu. Ità illos diligite, nè eos ipsos odisse videamini. Inconsultus namque, & stultus amor, & alterius memor, & sui immemor. Id. l. 3.

O miserum parentum gaudium de bono perfunctorio filiorum! ò nefanda parentum amentia, qui sæpe propriis natis causa perditionis existunt, & sæpe simul cum filiis traduntur gehennalibus flammis. O parentes! nolite pro filiis animas ponere: vos obligare ad æternitatem pœnarum pro temporali gloria filiorum. Sim. Cass. de justit. Christ. l. 15. c. 2.

Inordinatus parentum amor efficit: ut sic filiis terrena provideant, ut ipsi amittant æterna. Cùm matri Neronis diceretur: si filius tuus imperaverit, occidet te; respondit: occidat; dum imperet. Joan. Osor. f. 4. D. 2. Quad.

Num. III.

Parentum major amor in filios, quàm filiorum erga eos.

Quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te! 2. Reg. 18. 33. Numquid hoc dixit de Jonatha amico suo? de parricida dici debuit, quia *mors peccatorum pessima*. Pium erat, mori pro impio, ut esset, quem pœniteret; esset, cui misereretur Deus, nè in æternum periret. Aelredus spec. char. l. 1. c. 34. apud Escob. t. 1. mir. Chr. l. 10. sect. 2. obs. 2.

Multa habemus exempla parentum, qui ad Christum supplices veniunt pro filiis: nullum verò, in quo filii pro parentibus. Joan. 4. 46. Regulus pro filio. Matth. 15. &c. Chananæa pro filia. Matth. 20. 20. Mater Zebedæi pro filiis. Luc. 9. 38. filius dæmoniacus. Hinc colligitur, longè majorem esse in proles, quàm harum in illos: immò magis multi afficiuntur hæreditati, quàm patri, & pietati. Non legitur speciale præceptum à Deo datum parentibus, ut filios diligant: quia hoc abundè maximè in temporalibus, facturi. Marchantius D. 23. Pent.

Num. IV.

Parentum in filios amor bonus, & moderatus.

Et nunc rex graditur ante vos. 1. Reg. 12. 2. Samuel Moysem imitatus, non constituit filios suos muneris, ac principatus suis hæredes, quando sciebat patriæ disciplinæ, & Legalis observantiæ exhæredes; sed eos totius populi censuræ judicandos, puniendosque, commisit. Unde D. Hieron. l. 1. contra Jovin, eos, qui filiorum suorum nimio ducuntur affectu, reprehendit: cùm legamus, inquit, Moysem, & Samuelem, filiis suis alios prætulisse; nec putasse liberos, quos videbant Domino displicere. Mend. in 1. Reg. 1. annot. 7. sect. 1. amoris æqualitatis.

In nos ità se gerit Dominus, ut nos in nostros filios. *Filii tibi sunt; erudi, & curva illos*, suadet Ecclesiast. 7. 25. atqui filios nostros, & filias, valde, & supra quodcumque, amamus. Clem. Alex. t. 1. Pædag. c. 9.

Num. V.

Parentum amor malus in filios.

Acerbo luctu dolens pater cirò sibi raptè filii fecit imaginem. Sap. 14. 15. Probat, idola esse nuperum hominis inventum, ex eo, quòd illa adinventa sint à parentibus, ad leniendum dolorem conceptum ex præpropera morte filiorum, vel charorum: quod scilicet, ut eorum memoriam sibi saltem ad aliquale solatium conservarent, fecerint eorum imagines, easque veluti idola cum suis coluerint. Amor enim parentum in filios est cœcus, & amens. Corn. hìc.

O sævi parentes in filios: ò qui eos genuistis in hanc miseriam, & vestra incuria, vestraque malitia, illos disponit ad gehennam! O perversa dilectio! quæ filium temporaliter diligit, & in æternum odit. O perversus parentum affectus, qui taliter beat filios, & Dei facit inimicos. Sim. Cass. de Inst. Chr. l. 15. c. 2.

§. VI.

Parentum imprecatio efficax.

IRrugiit, Gen. 27. 34. Cur Esau tam avidè, & instanter, periit benedictionem? ℟. quia longo usu didicerant illo tempore homines, patris benedictionem, vel maledictionem, plurimùm valere. Eccl. 3. 11. *benedictio patris firmat domos filiorum &c.* Ità Sem, & Japhet, benedicti à Noe. Gen. 9. 26. idipsum à Deo consecuti sunt. Ità Jacob benedictio data Ephraim, & Manasse. Gen. 48. 20. Et alia data duodecim filiis. Gen. 49. Moysis data duodecim tribubus. Deut. 33. 1. fuit efficax, & reipsa completa. Ità benedictio Tobiæ data filio c. 5. 21. Ità Mathathiæ patris benedictione Machabæi fortes, & invicti, evasere in bello. 1. Mach. 2. 69. &c. E contrà Cham à patre Noe maledictus. Gen. 9. 25. talis in omni sua Chananæorum posteritate evasit. Sic & Ruben à Jacobo maledictus; Levi quoque & Simeon. Gen. 49. 4. S. Aug. l. 22. Civ. c. 8. de prolibus decem à matre maledictis; qui mox horribili membrorum tremore percussi sunt, ideoque toto penè orbe Romano vagabantur. S. Ambros. l. 2. de Jacob c. 3. bonus pater, cum duos haberet filios, unum intemperantem, sobrium alterum, quo utrique consideret, intemperanti præfecit sobrium, & insipientem prudenti statuit obedire: ut regentis imperio suum melioraret affectum. Gen. 27. 40. Corn. in Gen. 27. 34.

Fuit hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Juda. Jos. 19. 2. Quærunt interpretes, cur Simeonis tribus, præ aliis, quasi emendicatò vixerit? inter alienos limites collocata? ajunque, hoc fuisse ob maledictum paternum. Gen. 49. 7. *dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel.* Naxera in Jos. 19. §. 9. parentum maledictum miserum sæpe in filiis sortitur effectum.

Et interrogavit patrem ejus: quantum temporis est, ex quo è hoc accidit? at ille ait: ab infantia. Marci 9. 20. Requirit non ut nescius, sed ut prodat causam, ad parentum doctrinam. Quærunt Patres: quomodo dæmoni licuerit divexare innocentiam? Causam dat S. Chrysol. f. 51. patrem scilicet dæmonibus filium obtulisse: interrogatione tali, inquit, tempus aperit, ætatem pandit, revolvit infantiam; ut tanti mali causa non tangat sobolem, sed parentem: quia à Deo sibi datum pignus ad diaboli gratiam, dæmonum retulit ad honorem - replentur dæmone parvuli, quando à parentibus suis offeruntur diabolo. Nax. in Jos. 19. §. 9.

Venerunt aliquando ad S. Parthenium parentes adducto filio, qui graviter à dæmone vexabatur; rogantes, ut filium illum liberarent. S. Parthenius respondit: finite, torqueatur: vobis sæpe molestus fuit, & quam eidem optastis, justam sustinet pœnam. Metaphrast. 7. Febr. Pater filiæ quinquenni, quam deprehenderet lac comedentem, in ira imprecatus est; ut unà cum lacte dæmonem voraret: cum dicto diabolus involavit in puellam, quam usque ad maturam ætatem miserè cruciavit. Cæsar. l. 5. c. 26. apud Stengel. t. 2. div. jud. c. 59.

§. V.

Parentum mala exempla sequuntur filii.

Ex Veteri.

DEscendit Dominus, ut videret civitatem, & turrim, quam ædificabant filii Adam. Gen. 11. 5. ut enim hic in terris esse voluit, sic & nepotes cœlum petebant. Quæris: cur in Sodomis & parvuli perierunt? Gen. 19. 25. Albinus q. 182. nonne prævisum est illis, nè diutius viventes patrum exempla sequerentur? Velloso in Judith. 7. Paræn. 34.

Ejice ancillam hanc, & filium ejus. Gen. 21. 10. quia crimen filii tribuebat matri. Mendoz. in 1. Reg. 1. 1. annot. 4. sect. 3. mala filior. parentibus imputantur.

Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum. Gen. 24. 37. Multæ circum erant nationes, ex quibus sponsam posset deligere servus pro Isaac; aliis verò omissis, cavet, nè ex Chananæis accipiat, qui originem ducebant à Chanaan nepote Noe, qui ab avo maledictus. Gen. 9. 25. ne scilicet filius avitos mores inducat, & in filium, ac nepotes malum grassetur. Qui enim à malo patre malè fuerunt educati, impietatem tam firmiter hauserant; ut vix eam possent excutere. Itàs Ambros. lib. 1. de Abrah. c. ultim. constrinxit autem eum, ut non de semine Chananæorum uxorem accerseret Domino suo, quorum generis author patrem non honoravit: & ideo maledictionis hæreditatem transmisit in suos. Pinna in Eccl. 7. Ethol. 65.

Rachel furata est idola patris sui. Gen. 31. 19. Cùm multa essent in divite domo, quæ Rachel rapere posset; nihil aliud abstulit, quàm paterna idola: quia filii paternas imagines, & idola, secum portant; licèt longiùs discedant; id est, paternos mores imitantur, eadem idola venerantur. Id. in Eccl. 3. Ethol. 34.

Adoptavit in locum filii vocavitque nomen ejus Moyses, dicens: quia de aqua tuli eum. Ex. 2. 10. S. August. in Catena: novum miraculum! genus fecit misericordiæ filia parricidæ. Miraculi instar est, patris mores ad posteros non transmitti. Pharaonis in pueros Israelitarum crudelis filia benigna. Naxera in Jos. 1. §. 21.

Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filii tui. Levit. 10. 9. Nam vix perficient mandatum filii, si priùs pater exemplo suo eos non efformet. Pinna in Eccl. 11. Ethol. 192.

Factum est grande miraculum, ut, Core pereunte, filii ejus non perierint. Num. 26. 10. 11. Cajetanus in eo miraculum ponit, quòd, patre peccante, & luente, filii non peccaverint, nec luerint. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 4. sect. 3.

Cave, ne bibas vinum, quia paries filium. Judic. 13. 4. 5. quia filius Nazaræus abstinebit à vino; mater jubetur abstinere. Lex Nazaræorum matri indicitur; non quia Nazaræa ipsa, sed quia Nazaræum paritura est. Escobar t. 1. Mir. Chr. lib. 3. sect. 1. obs. 7.

Quare calce abjecistis victimam meam? 1. Reg. 2. 29. Patrem alloquitur, qui in hoc non peccaverant, & tamen per pluralem loquitur: quia filiorum crimina etiam patris innocentiam maculant. Pinna in Eccl. 3 Ethol. 34.

Egressa Michol filia Saul &c. 2. Reg. 6. 20. Quando Michol Davidem coram arca Domini saltantem reprehendit, dicta non est uxor Davidis, sed *filia Saulis*: ut, interprete Rabano, illam superbiam à patre suo traxisse significaretur. Mendoza in 1. Reg. 1 annot. 10. sect. 4. Educatio filiorum. Eadem Michol superbæ criminationis pœnas dedit sterilitate damnata, ut eodem cap. v 23. habetur. Cur hac potiùs, quàm illa pœna, punita? Respondet Ambros. ep. 36. illa, quæ saltationem hujusmodi reprehendit, sterilitate damnata, non dedit sobolem regiam; nè superbos crearet. Quasi non possint filii illam matris superbiam non imitari. Id. Mendoza ib.

Ascende calve. 4 Reg. 2. 23. S. Justinus M. lib. ad orthodoxos: cùm ea verba pueri à parentibus suis, qui semper in propheram infesto animo erant, didicissent; idcirco Elisæus cædi puerorum parentes castigavit. Apud Paoletti D. 20. Pent.

Opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me. Ps. 68. 10. Sunt verba Christi ad Patrem. q. d. ille idem populus, qui in te opprobria jecit; ille idem jacit in me: filii patrum mores imbiberunt. Pinna in Eccl. 2. Ethol. 34.

Sub arbore malo suscitavi te &c. Cant. 8. 5. Sed quasi lapsum Virginis excusans addit, matrem fuisse lapsus ducem: *ibi corrupta est mater tua.* Velloso in Judith. 7. Paræn. 34.

Fili mi, miserere mei. 2. Machab. 7. 27. Cur non potiùs dixit puero, tui miserere? an non potiùs pueri causa agebatur, quàm matris? an non puer vel perdendus erat, vel muneradus, & non mater? Quia obligata erat puerum monere, instruere; luitura aliàs ipsa, quidquid puer deliquisset. Baeza t. 2. l. 7. c. 4. §. 7.

Ex Novo, & aliis.

Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Matth. 3. 7. Pungitne, an laudat, hos homines? laudat; sed miraculum reputat, quòd filii à parentibus improbis descisçant in salutem. Cajetanus: ratio admirationis est, quòd vos, qui à patribus, veluti naturali propagatione; infecti estis, acquieveritis demonstratori viæ rectæ. Velloso in Judith. 7. Paræn. 34.

Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui? Matth. 12. 34. S. Chrysost. hom. 34. in Matth. non mirandum, si male loquimini: quia cum à malis parentibus male educati estis, mentem quoque malam possidetis. Apud Pinna in Eccl. 11. Ethol. 162.

Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi. Matth. 20. 20. Dominus non petenti matri, sed filiis respondet: *nescitis &c.* Taxatis filiis mater reprehenditur: quia filii actiones solent parentibus tribui. Escobar t. 5. Proph. Chr. l 5. sect. 2. obs. 1.

Cùm saltasset, & placuisset Herodi Marci 6. 22. placuit saltibus immodestis puella; quia agnovit filiam. S. Chrysol. f. 124. respondit suo turpis generi, dum patri complacet turpiori: de adulterio namque non nisi turpis debuit procreari. Et revera suam tunc credidit Herodes; cùm talem vidit: nam putasset alienam, si pudicam vel aliquamtulum previdisset. Naxera in Jos. 1. §. 21.

Murmurabant ergo Judæi. Joan. 6. 41. Quomodo non murmurarent; quorum parentes fuerunt murmuratores. Ex. 17. 3. & Ps. 105. 25. *murmuraverunt in tabernaculis suis.* S. Cryll. Alex. l. 4. in Joan. c. 3. quasi paternam hæreditatem murmurationem de rebus bonis ad Judæos descendisse comperio. Baeza. t. 3. l. 14. c. 10. §. 16.

Vos semper Spiritui S. resistitis; sicut & patres vestri, ità & vos. Act. 7. 51. Acsi eorum malitia obsistens Spiritui S. & divinis mandatis, à patribus cum natura esset deducta longo tramite: ità ut jam radicata, & congenita esset eorum pravitas. Sylveira addit. in Matth. 23. 27.

Pene omnes parentibus suis filii, non magis in patrimonia, quàm in vitia succedunt: *ne magis facultates* paternas sumunt, quàm pravitatis. Et sic transeuntes semper in mores patrum, antè incipiunt eorum nequitiam, quàm substantiam, possidere. Et est ratio, cur hoc fit: bona enim parentum, non nisi mortuis eis, possident; viventibus adhuc, & valentibus, mores. Salvianus l. 1. ad Eccl. Cath.

Fumus ex camino. Lem; *Claris majoribus ortus degener.* Picinelli.

§. VI.

Parentum bona sequuntur filii.

ASportate ossa mea vobiscum de loco isto. Gen. 50. 14. S. Chrysost. hom. 63. in Gen. vide, quomodo & ille eadem, quæ & pater, curet; volens ut simul auferantur inde ossa. q. d. similia mandantem audiverat patrem. Gen. 49. 29. *Sepelite me cum Patribus meis.* Pinna in Eccl. 9. 10. Ethol. 112.

Parabola Salomonis filii David. Prov. 1. 1. *Verba Ecclesiastæ filii David.* Ecclæ 1. 1. Commendat sapientiam suam à patre; de quo 2. Reg. 23. 8. *sedens in cathedra sapientissimus.* Basilius hìc: ut planè cognosceretur, quemadmodum sapiens erat Salomon ex sapiente patre. Velloso in Judith 5. Paræn. 8.

Præeunte Eleazaro ad martyrium, septem ejus filii parentes vestigiis alacres institerunt. 2. Mach. 7. 1.

Erant justi ambo ante Deum. Luc. 1. 6. Priusquam Luc. 1. 15. Joannem laudet: *erit magnus coram Domino*, parentes fusè laudat v. 5. 6. S. Paulinus ep. 10.

Laudaturus vitam, genus antè laudavit; ut venerabilior existeret, qui sanctis parentibus responderet sanctitate ingenita. Velloso ib.

S. Ambros. hìc: quæ alia intentio S Evangelistæ, nisi ut S. Joannes B. nobilitetur parentibus. Apud Castillo in Ex. c. 28. Illat. 4.

Seipsam quidem, dum vixit; omnis virtutis exemplar liberis tuis proposuit. S. Gregor. Naz. or. 25. in laudem sororis suæ Gorgoniæ.

§. VII.

Parentum educatio bona, & cura prolium.

Ex Veteri.

VIdentes filii Dei &c. Gen. 6. 2. Filii Dei hìc vocantur filii Seth. ob sanctitatem. Ità Chrysost., Cyrill., Rupert., Hilarius, Thedoretus addit: Seth à pietate, & sapientia, Deum esse dictum; hinc ejus filios vocari filios Dei. Cornelius hìc.

Quod in senectute genuisset eum. Gen. 37. 3. Præter hanc amoris causam fuit & alia, eaque præcipua, scilicet vitæ, morumque, innocentia in Josepho. Ad hanc porrò non parum adjuvit senilis tum ætas, tum amor Patris: senes enim, quia frigidi sunt, maturi, sapientes, casti; hinc tales generant, æque ac educant filios. Exemplum in illustri familia Anitia (quæ deinde Frangipani est dicta) quæ ad anu Originem, & nomen, accepit Anitius enim ejus parens, & conditor, ità dictus est, quod à matre anu, id est, vetula, genitus esset. Hæc enim familia in lucem edidit S. Paulinum Nolæ Episcopum, S. Benedictum, S. Scolasticam, S. Placidum, Severinum Boëtium, S. Sylviam, S. Gregorium M. S Thomam Aquinatem, aliosque plurimos castitate, sapientia, omnique virtute conspicuos. Cornelius hìc.

Mittebat ad eos. Job. 1. 5. En sollicitudo erga liberos. Non curabat conviviorum sumptus; non dolebat; quòd patrimonii patrem non modicam in luxum absumerent. Rem permittebat œconomis, nec de ea re conquestus est unquam cum filiis; ut famulos increpuit. Uno anxius erat, an serenas oblectationes culparum nebulæ turbarent. *Nè fortè peccaverint filii mei.* Absumant liberaliter: sed non peccent in benefactorem. S. Gregor. l. 1. mor. intuendum est, quanta pater severitate potuit filiorum opera corrigere; qui tanta sollicitudine statuit corda mundare. Oliva t. 1. conc. 30. die Ven. 4. in Quadragesi. Porrò vir tantarum opum, nusquam de pecoribus solicitus pascendis; quotidie in expiandis filiorum maculis fuisse fertur attentissimus. Quod viri optimi studium ii, velem, observarent patres familias, quos anxietas tanta exagitat augendæ pecuniæ; & tanta in excolendis liberis desidia sopit, ut nec in annos singulos id erga filios bis præstent; quod in natos, natasque, Job diebus singulis exercebat: *consurgens q; diluculo offerebat holocausta pro singulis.* Id. l. 6. Strom. §. Vir erat in terra Hus &c.

Cumque in orbem transissent dies convivii &c. ib. S. Gregor. l. 1. mor. c. 4. ò inæstimabilem paternæ institutionis laudem! & pater dives dicitur, & filii concordes afferuntur. *Et mittebat ad eos Job &c.* Cum dicitur, *mittebat, & sanctificabat illos*; apertè demonstratur, quid distinctionis erga eos præsens ageret, quibus absens sollicitudini non deesset, sed quia sancti Job tanta fuerat disciplina sanctæ institutionis; ut neque per

facta in convivis, neque per verba, deliquerint; apertè demonstratur cum subditur: *dicebat enim, nè forte peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*. Perfectos quippe esse in opere, & sermone, docuerat; pro quibus pater de sola cogitatione metuebat. Vide justi viri erga filios eximiam curam! *sanctificabat illos consurgens diluculo*, Non differebat sanctificationem; sed mox manè advocabant ad sacrificia pro illis oblata: ut pudeat quosdam, qui, cùm totum diem insumpserit in congerendis pecuniis, nihil cum filiis pium congerunt vel sub noctem. Pinna in Eccl. 7. Ethol. 65.

Filia tibi sunt; serva corpus illarum. Eccli. 7. 26. Scilicet curando; nè in publicum prodeant, nè spectaculis interfint; aut viris promiscuè pateat aditus. S. Hieron. ep. ad Demetriadem: nunquam solæ, nunquam sine matre, prodeant. Pullus à gallina segregatus facilè ab accipitre capitur; non sub ala matris. Id. ib. Ethol. 96.

Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, (Syrus: *& idem est, acsi non esset mortuus*) *simile enim sibi reliquit post se*. Eccl. 30. 4. Successio enim filiorum sanctorum, ait Rabanus, qui post Patres suos ex hac vita decedentes, bonum eorum studium in sancta Religione, & bona conversatione, imitantur; mortuos parentes quasi redivivos exhibent; cùm eorum doctrinam, & disciplinam, in suis dictis, & factis omnibus servando manifestè declarant. Hinc filius masculus Hebraicè vocatur *Zachar* à Zacher, id est, *memoria*: quod in filio patris post mortem persistet nomen, & memoria. Vice versa fœmine vocantur *nasca*: id est, *oblitus* est. Quòd in iis, præsertim si molliter, & effœminatè, vivunt, patris nomen pereat, & memoria oblivioni tradatur, Cornelius hic.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Et erit gaudium tibi, Luc. 1. 14, 15. *Erit magnus*, hinc gaudium parenti, & plebi; quòd futurus sit coram Domino magnus. Nulla ergo à filiis expectanda lætitia est; nisi quæ de eorum oritur innocentia. Oliva l. 13. Strom. hic.

Pueri mei mecum sunt in cubili: Luc. 11. 7. Laudo, quòd commune esse voluerit sibi cubile cum pueris; profectò non tot laqueis adolescentum animi implicarentur, si domo pedem efferre non liceret, occlusis valvis, & parente præ foribus excubante. Oliva l. 13. Strom. hic.

Quomodo nunc videat, nos nescimus, Joan. 9. 21. Hæcnè cura filij est? hæc paterna de eo cura, Multis, non Christus, ut felici huic cœco; sed diabolus, oculos aperit; & tamen parentes id non sciunt, nec curant. Sunt filij nimis oculati, & ad omnem nequitiam perspicaces. Grave debitum parentibus incumbit, ut filii primævam, in qua nati sunt, cœcitatem, id est, innocentiam, & simplicitatem retineant; & eorum oculi non ab alio, quàm à Christo, aperiantur. Præstat nullam, quàm pravam, & reprobam prolem habere. Segneris. 25. die Mercurii D. 4.

Quidquid filijs parentes impenderint, repensabit parentibus parens omnium Deus, S. Chrysol. s. 53.

Vos de Matrimonio estis hortulani, qui plantatis arbores in horto Christianitatis. S. Vincent. Ferr. s. 1. D. 3. Adv.

Omnia consilia tua in Deo permaneant. Tunc autem omnia consilia nostra in Deo permanent: cùm nihil fecerimus, præter Domini voluntatem. Si quis autem pater suos filios in talibus non erudit, si novit; aut eruditi per alios non desiderat, si non novit: sciat se filium non diligere, sed odisse: cui mitius, & meliùs foret, habere asinos, quàm filios; equos, quam natos: non enim pro animalibus, sed pro filijs indisciplinatis, tenetur pater reddere rationem. Sim. Cass. de Just. Chr. l. 15. c. 2.

§. VIII.

Parentum educatio mala.

Num. I.

Major cura corporis, quàm animæ.

Filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22. Fuit magna semper pro filijs sollicitudo; sed pauci dolent de filiorum peccatis. Quis pater filium carceri, vinculis, torturæ, traditum non lacrymis, & gemitibus prosecutus est? at filium Sathanæ laqueis irretitum quis pater lacrymatur? Baeza t. 2. l. 6. c. 7. hic.

Si navis periclitetur, quantus labor si animus demergatur in profundum scelerum, quis laborat? Nè filjus exulet, quæ vota? qui discursus? exulat à Dei mensa jam per annum, quis dolet? si moriatur, ejulamus; si peccat, ridemus non rarò, ploramus nunquam. Oliva l. 4. Strom. §. Perversi difficile corriguntur &c.

Misericordia motus super eam dixit: noli flere. Luc. 7. 13. Matris uberibus suam olim vitam adolescens acceptam referebat; jam eam matris oculis debet. Nutritus est lacte parentis ad feretrum; lugentis revocatur lacrymis à sepulchro. *Noli flere; tibi dico, surge*. At ego in fletus erumpo; quòd tantis filij funus à matre lacrymis inundetur; cùm nulli à parentibus morti filiorum veriori luctus impendantur. Quid non agit mater filio febriente? quid verò agit peccante filio nunquam deseritur, licèt jam animam agat; adest de mortuo, elatum comitatur. Ut verò filii pudor expalluerit, desperata velut pudicitia in suo sterquilinio sinitur contabescere. Faciliorem si ego curationem animi, quam corporis, esse ostendero; graviorem tamen, quàm corporis, pestem animi: cogetur mater defunctum non lugere filium, & peccantem nunquam effugere. Oliva f. 5. D. 4. Quadrages.

Num. II.

Parentum absentia noces.

In Absalonis convivio. 2. Reg. 13. 27. nullus principum defuit: sed quia unus defuit patet, pavimentum sanguine maduit. Cùm Joseph spoliatus, vinctus, & venditus est. Gen. 37. 23. &c. adfuere fratres; sed abfuit Jacob: indoluit Judas innocentis injuriam; sed parricidas coercere non potuit. Uno absente Moyse. Ex. 32. 6. & quidem, ut cum Deo ageret populus labitur. Oliva l. 10. Strom. §. Nisi Dominus custodierit civit.

Peregrè profectus est in regionem longinquam, Luc. 15. 13. Noxia, & periculosa, filijs patris absentia. Prodigus instructus opibus à patre discesserat in regionem longinquam. Brevi didicit, eam esse adolescentibus pessimi cœli, & soli regionem; quæ procul à patre eos removeret. Mox uniones in glandes deformati, byssus in lacernam, in sues equi: luxurieri primùm; tum egere cœpit. Absque patre in portu naufragaris, in Jerusalem reperis Babylonem, Jordanis, tibi plenus crocodilis Nilus est. Sed à parente, inquies, Joseph Beatior. Beatior, si spoliatur à fratribus, si ab Agarenis abducitur, si venditur Ægyptio, si prostituitur à domina, si carceri mancipatur? sed regnavit. Principatum quis intrat tantis ludibriis, periculis, & probris? Nolim currulem unco trahi, nec equuleo in thronum: executio diadema, quod è vinculis nectò: nolo Ægyptiis imperare, si primum Ægyptiæ serviendum. *Invidebant ei fratres sui*, Gen. 37. 11. Matres coram patre, & quietus fuit livor; caret ungue, & voce. Producit somnia Joseph nec furor fratrum prodit præsente patre. Imò nec conceptam animo cædem perfecisset Cain. Gen. 4. 8. nisi in dissitum à patre agrum, sui ostiam furoris seduxisset. *Dixitque Cain ad Abel: egrediamur foras*, Oliva. D. 3. Quadr.

Num. III.

De parentum mala educatione varia.

Durè accepit hoc Abraham. Gen. 21. 11. In familia tam seduli Abrahæ non deest Ismael indisciplinatus. At pejus; si in iis studiosa Sara desit, quæ dicat: ejice. Adhibendum fuit spectaculum Angeli, & Dei præceptum; ut ejus domo exularet impius. Qui Abraham non imitatur, timeat pœnam Heli; de quo Hieron. lib. 1. contra Pelag. corripuit, & punitus est; quia non corripere debuit, sed abjicere. Si summus Dei sacerdos *sic* punitus; qui domi suæ filios pravos corripuit quidem, sed non ejecit; quomodo effugient, qui in ædibus suis alunt, non dico affines, non sapientes, sed mercenarios; quibus in summa vitiorum licentia non audeant dicere, corrigite vos. Oliva t. 1. conc. 3. in festo. S. Thomæ Apost.

Appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis suis &c. 1. Mach. 2. 49. His verborum irriguis ager Israel rigatus, hastas undique, militesque, produxit, quos amor Legis concitaret in sacrilegos. Nos quoque si in eadem verba filios alloqueremur; non ganeones Reipulicæ daremus, sed propugnatores. Verùm cùm nihil non imbelle ex nobis plerumque audiant liberi; nihil quoque agunt non vulgare, probrique non rarò plenum. Habet mammas suas mater in pectore; sed habet parens uterque duo in labiis ubera, quibus filii ab illecebris ablectentur, summaque agere doceantur. Oliva f. 6. D. 3. Quadr.

Homo quidam habuit duos filios. Luc. 15. 11. Lugendum sanè est; accuratiùs ovem, quàm filium, quæri: ad illam enim errantem pastor, relictis 99. in deserto, ivit; huic pereunti vix pater occurrit: à quo, nisi ipse rediviset, numquam fortè quæreretur. Adeò studiosius greges curamus, quàm natos; drachmisque perditas animas post habemus. Oliva l. 13. Strom. in Luc. hic.

§. IX.

Parentes puniuntur in filiis.

Maledictus Chanaam. Gen. 9. 25. Filius is fuit Cham, qui pudenda patris sui ostendit fratribus. Si Chanaam innocens, cur in illum maledictio fulminatur? Oleaster: admonet locus iste, quanta diligentia parentes à peccatis cavere debeant; ne in eorum filiis, aut posteris, peccata sua puniantur. Certissimum est; originem nigredinis Æthyopum, non à regione propria, ut hactenus existimatum est, ob solis ardores; sed à stirpe, & sanguine Cham provenire. Paoletti D. 4. Epiph.

Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa. Gen. 17. 14. Quòd puer non circumcideretur, non illius culpa, sed parentum, fiebat. Cur ergo lex non potiùs vindicat in parentes, quàm inpueros in circumcisos. S. Isid. Pelus. l. 2. ep. 81. dicendum erat, qui non circumcideret, exterminandum iri; non autem infantes immaturæ ætatis. Ego verò ne literalem quidem sensum improbo: si quidem parentibus acerbius est supplicium, cùm pueri exitio danatur. Baeza t. 1. l. 1. c. 12. §. 1.

Miscellanea.

Meliùs est, ut filii tui te rogent &c. Eccl. 33. 22. Nota est historia patris: qui, cùm omnia sua in filios distribuisset; ab omnibus despectus, & inops factus, hac arte à filiis alimoniam extorsit: cistam implevit lapidibus, finxitque, se in ea repositisse thesaurum ingentem. Quare, ut ejus hæres fieret, quisque filius parentem beneficiis, & donis, devincire satagebat. Ità lautè vixit parens, & fraudem fraude delusit. Eo enim mortuo filii studiosè scrutantes cistam in ea nihil nisi lapides repererunt. Cornelius hic.

Tibi sexcentis servis imperare, minùs jucundum futurum est, quàm unius filii parentem esse. S. Greg. Naz. or. 13.

TITULUS III.

PARVULI.

§. I.

Amantur à Deo Christo Domino.

Ex Veteri.

Quomodo ego dimittam vos, & parvulos &c. Ex. 10. 10. Viros sine parvulis vult migrare Pharao: quia horum innocentia viros faceret inexpugnabiles. Adeò grata Deo puerorum innocentia; ut ipse eorum custos sit. Ps. 144. 6. *custodiens parvulos Dominus*. Quàm à continuis cæsibus illæsi! Alvarez in Gen. 33. Illustr. 14.

Offerat duos turtures. Levit. 5. 7. Turturis pullos in sacrificium offerri jubet, dum dicit D. Jesus: *sinite parvulos venire ad me*. Matth. 19. 14. Sanct. Prosper de promiss. Dei parte 2. c. 5.

Adhuc reliquus est parvulus. 1. Reg. 16. 11. Quàm diversa sunt judicia Dei, & hominum! Isai enim Davidem ut juvenem, & minimum, ideoque oves pascentem, parvi æstimabat; nec dignum conspectu Samuelis; unde eum non adduxit: Deus autem eum omnibus fratribus prætulit, regemque creavit; cùm esset viginti circiter annorum. Cornelius hic.

Afferte Domino Filii Dei, afferte filios arietum. Ps. 28. 1. Hoc est totum, quod expetit, quod requirit: ovium fœtus, vide terreni pecoris germen, stratos per viam partus, semina effusa per campos, divino Patri, ut divina soboles offerat, admonetur. S. Chrysol. s. 10.

Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam. Is. 60. 22. q. d. Fidelis, præsertim Prædicator, plurimos Fideles, sibique similes, procreabit: uti S. Franciscus humilitate parvulus, & minimus, crevit in familiam numerosissimam. Cornelius Hierogl. in Is. hic. Pagninus vertit: *parva familia erit in mille*. Vatablus *parvulus sobolescet in mille*. q. d. surculus parvus Ecclesiæ plurimos alios germinabit, & producet; sicut unum granum seminatum germinat, & producit multa. Id. hic.

Quia puer Israel, & dilexi eum. Oseæ 11. 1. *Tò quia* proprie, ut causale, accipi potest. q. d. quia Israel in Ægypto erat puer tenellus, sui impos, se regere impotens, neglectus ab omnibus, opis indigus; hac de causa eum dilexi, & enutrivi, quasi mater. Solet enim puerorum parvitas, imbecillitas, & pericula, matres allicere, ad eorum amorem, & curam. Ità Theophylactus apud Cornelium hic.

Ex Novo.

Herodes-mittens occidit omnes pueros. Matth. 2. 16. S. Ambros. l. 2. in Luc. infantes jubet occidi Herodes. Cui alii, nisi Deo, debebatur hac victima? Ut natus infans se Deum manifestent, ubi primùm ingreditur Mundum, statim innocentes ei litantur: nihil enim tam gratum Deo offerri potest, ut innocentia. Sylveira hic q. 6.

Advocans Jesus parvulum &c. Matth. 18. 2. Complectitur parvulum brachiis Christus, & blanditur: quoniam ipse parvulus datus est nobis. Sim. Cass. l. 6. c. 42.

Cùm imposuisset eis manus. Matth. 19. 15. Manus Christi erant vivificæ, & salvificæ. Unde non est dubium, hos parvulos à Christo benedictos evasisse in viros sapientes, & sanctos; qui deinde Ecclesias erexerunt, & fidem Christi propagarunt. Cornelius hic.

Discipuli autem increpabant eos &c. Matth. 19. 13. Juxta Euthymium, Theophylactum, Discipuli indignum putabant, quòd Divinus Magister cum pueris ageret; qui cum Senioribus populi, & Scribis, continuò tractabat. Sylveira add. hic.

Et cùm imposuisset eis manus. Ib. Antiquissima fuit Hebræorum consuetudo, ut testatur. S. Remigius; & colligitur ex Gen. 48. 14. benedictionem dare inpositis manibus; quam consuetudinem etiam Christus retinuit. Luc. 4. 40. Marci 16. 18. & hic. Id. ib. Author Imp. op. hom. 32. Discipuli pueros vetabant ad Christum accedere; ad quorum similitudinem ipsi fuerant invitati. Putabant enim honorem se facere Christo, damnum facientes gloriæ ejus. Apud Cornelium ib.

Nolite eos prohibere ad me venire. Matth. 19. 14. Nemo ergo, quantumcumque sublimis, aut sapiens, pusillos contemnat, & tangere dedignetur; cùm videat Christum, Dominum universorum, & sapientiæ fontem, parvulos tam dignanter, & dulciter, recepisse, tetigisse, ac benedixisse. Dion. Carthus. hic.

Et complexans eos. Marci 10. 16. In quo patet, quantùm Salvator dilexit humanam naturam, dum modo innocentia adornetur. Id. hic.

§. II.

Parvuli amantur ab hominibus.

Extremi Joseph, & Rachel, adoraverunt. Gen. 33. 7. Securus pergat Jacob comite filiolo: ad ejus conspectum iras ponet Esau, & arma; fratrem amanter excipiet. Alvarez hic Illustr. 14.

Diligebat Joseph super omnes filios suos. Gen. 37. 3.

Etiam in Sanctis sunt plerumque quædam amoris teneritudines ad minores, & innocentiores; etiam ad delicatiùs eos secundùm corpus fovendos. S. Thom. Aqu. in Gen. 37.

Miscellanea de parvis.

Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Eccl. 11. 3. *Brevis*. Græcè *parva*. Initium Græce *principatus dulcoris*. Rabanus: sicut apis aculeo pungit, & opera mellis conficit: sic & in brevi corpusculo sæpe ingeniosa inhabitat anima; quæ & acumine viget, & in doctrina sua novit proferre suavitatem sapientiæ. Cornelius hic.

Statura pusillus erat. Luc. 19. 3. Hic si statura pusillus, animo magnus erat, cùm affectavit videre Jesum: argumentum nactus ex arte, atque studio, quod sibi natura negaverat. Sim. Cass. l. 9. c. 48.

In vita S. Gregorii Turon. Ep. ad diem 17. Nov. legimus: eum visitantem limina Apostolorum à S. Gregorio M. tum Pontifice Romano, introductum in Basilicam S. Petri, ac Pontificem ferretam Dei dispensationem admiratum fuisse; quòd in hominem adeò parvum tanta cœlitus gratia profluxisset. Quod cùm ille divinitus persensisset, placido vultu, Pontificem respiciens: Dominus, inquit, *fecit nos, & non ipsi nos*. Ps. 99. 3. idem in parvis, qui & in magnis. Cumque id suæ cogitationi. S. Pontifex responderi cognosceret, magis eum venerari cœpit; eumque aurea cathedra donavit. Idem nuper noster Bellarminus, & ipse parvus, sed bene auritus; cuidam id merenti respondit. Cornelius in Eccli. 11. 3. S. Gregorius Naz. Nicobulum epistola quadam redarguit, quòd Alipianam filiam S. Gorgoniæ sororis suæ, ipsius verò conjugem, ob parvitatem, & curvitatem, despiceret: Alipianam, inquit, apud nos cavillis incessis, ut parvam, ac tua proceritate indignam. O magne, & vaste, ac gigantine, tum forma, tum robore! Nunc demum intellexi, animum mensuræ subjici, & virtutem expendi; ac rupes margaritis præstantiores esse, corvosque lusciniis angustiores. Certè animus in mensuram minimè cadit: atque externum hominem oculos in internum conjectos habere oportet. Cornelius ib.

Cùm ex Nicolao Constantio quidam scisciteretur; cur parvi sæpe homines cæteris essent animosiores? respondit: quia parvum habent corpusculum, quod tueantur; cui se putant defendendo sufficere. Masenius l. 2. Argut.

TITULUS IV.

PARVA.

Mirabilis in iis Deus.

IMitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia; bombycis stamina: sustine, si potes, illas ipsas lecticuli tui, & tegeris, bestias, cantharidis venena, muscæ spicula; culicis & tubam, & lanceam. Tertull. l. 1. adverf. Marcionem c. 14.

Plus formicularum, & apicularum, opere stupemus; quàm immensa corpora balænarum. Sanct. August. de Civ. lib. 22. cap. 24.

Attendat charitas vestra: quis disposuit membra pulicis, & culicis? ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum; Unam bestiolam brevem, minutissimam considera, quà volueris. Pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? quàm tenuis fistula est, qua sorbet! quis disposuit ista? quis fecit ista? Expavescis in minimis, lauda magnum. S. August. in Ps. 149.

Ego sic miror Dominum in elephantis, quomodo & in formica; sic illum prædico in camelo, quomodo & in culice. Vide culicem, quomodo quasi punctum cujusdam corpusculi est; & tamen vide in ipso puncto corpusculi omnia esse membra divisa. Habet sex pedes, habet duos oculos, habet os, habet & ventrem, habet & tubam vocis, habet & alas. S. Hieron. in Ps. 91.

Non tantùm vastitudinem elephanti stupeo, quantùm murem, qui formidolosus elephanto est; ut aculeum subtilissimum scorpii. S. Basilius hexam. l. 9.

Plurima, parvitate molis exigua, granditate virtutis sunt maxima. Sic cæteris virtuosiores sunt lapides minores; & rerum ingentium res parvæ sunt seminales. Quid in membris pupilla minus? qua tamen nihil charius: & navis salus aliquando ab exigua clavo dependet potiùs, quàm ab ingenti malo. Quid plura? aranea parva virum necat; & pulex infestissimus hunc tormentat. S. Cyrill. Ierof. in Apol. mor. l. 1. cap. 18.

Miscellanea.

Cùm Alfonsus Hisp. Rex Vicarium oppidum obsideret; obsessi in hostes plurima alvearium, alvearia, quæ paulò antè ex agris metu hostium intrà castellum congesserant in muros, arrepta in hostes devolverunt; quorum fragore iritatæ apes, os, & oculos oppugnantium infestabant, hoc modo oppidum diu tutati. Jovianus Pontanus de gestis regis Alfonsi. Apud Stengelium t. 2. Jud. div. c. 15.

In Africana expeditione, Barriga Lusitanorum Duce Xiatimenses oppugnante; reque ad ultimum discrimen deducta, innumerabilia alvearia apum, quibus abundabant, incensa, & è mœnibus præcipitata. Itaque Lusitani, & alvearium flammis ambusti, & aculeis apum stimulati, receptui canere, & obsidionem solvere, coacti sunt. Osorius lib. 8. de reb. Afric. & Indicis. Apud Stengel. ib.

Cùm Amurates Turcarum Rex Albam Græcam oppugnaret, oppidani, teste Bonfinio l. 4. dec. 3. apum examina in Turcas emittebant, ut aculeis petiti graviùs angerentur. Henrici Imp. Dux obsessus à Giselberto Lotharingiæ rege irrumpentes equites objectis apum alvearibus inhibuit; quarum aculeis in furorem versi equi sessores vel excussere, vel ad pugnandum inutiles reddidere, ut ait Vitichindus l. 1. gest. Sax. apud Cornelium in Sap. 12.

Novimus mercatore ditissimos; qui famulos magnis clamoribus objurgabant, quod ellychnium densius facerent ad majus lumen, quærentes illud plus olei sugere, & consumere. Rogantes causam, responderunt: se minima ista curando, & cavendo, ad tantas opes devenisse. Cornelius in Eccl. c. 5. 6.

TITULUS V.

PASSIO CHRISTI.

§. I.

Figuræ, Prophetiæ.

Ex Veteri.

PErfectè sunt cœli, & terra. Gen. 2. 1. Terra fuit Christus in Passione; terra infimum locum tenet; & plus non potuit descendere: nec Christus magis potuit humiliari; quàm ut pareretur pro nobis. Item: terra non movetur; & ipse non est motus, quando dixerunt: *si Filius Dei es, descende &c.* Cœlum fuit in Resurrectione, & Ascensione. Hugo Card. hic.

Requievit die septimo ab universo opere. Gen. 2. 2. Tunc Deus requievit in Sabbato ab operibus suis, quando Deus, & homo, Christus, & secundùm animam in secreto Divinitatis, & secundùm corpus in sepulchro terræ, requievit. Nam sicut Evangelica fideliter narrat historia, primo dierum, id est, Dominico, in civitatem Jerusalem passurus introivit: secundo, & tertio, mitis Agnus inter lanistas crudelissimos juges insidias pertulit; quarto à Discipulo suo traditus est: quinto testamentum scribens filiis, hæreditatem corporis, & sanguinis sui, delegavit. Sexto moriendo suum omne tempus acri cum labore consummavit: Septimo in sepulchro requievit. S. Rupertus l. in Volum. 4. Evang. c. 39.

Fac tibi arcam. Gen. 6. 14. Arca Christi humanitas; quæ omnes fluctus persecutionum sustinuit. Hugo C. hic.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac. Gen. 22. 2. Abraham, quando unicum filium suum perduxit ad immolandum, habebat personam Dei Patris, Quis in Isaac, nisi Christus? nam sicut Abraham unicum filium, & dilectum, Deo victimam obtulit; ità Deus Unigenitum Filium suum pro nobis omnibus tradidit. S. Isidorus in Gen. c. 18. *Vidit* (Abraham) *& gavisus est*, diem scilicet Passionis Filii Dei, in suo filio figuratum; quòd unico filio suo non pepercit; quòd velut ad aram Crucis triduo cum insonti victima convolavit; quòd patiens, ac sine voce, similis agno, coram tondente se, filius Patri, ut percuteret, pia colla præbuit. Sanct. Prosper Aquit. de promiss. & prædict. Dei p. 1. cap. 17.

Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni. Gen. 27. 27. Cur non dicit sicut odor hortorum? Item, cur sponsus de se Cant. 2. 1. *ego flos campi.* Cur non horti? Hortensis flos deliciosè seritur, indulgentem habet hortulanum, irrigat, tegit, claudit. Agri flos non colitur, non fovetur; injuriis cœli, hominum, pecorum, expositus. Sylveira in Marci 8. q. 13.

Dormivit in eodem loco. Gen. 28. 11. Somnus Jacob, Passio Christi est. V. Beda hic.

In flamma ignis de medio rubi. Dominus apparuit Moysi, dum Christus in igne Passionis coram Synagoga in cruce pependit. S. Honorius s. de Invent. S. Cruc. Quid Deus in carne, nisi ignis in rubo? an non rubus spinosa caro, quam assumpsit, plena doloribus, plena punctionibus, plena pœnalitatibus? S. Thom. Vill. s. 2. in die Nat. D.

Expoliavit se Jonathas tunica &c. 1. Reg. 18. 4. Tunica Jonathæ conversatio Christi; quam dat Christus amicis suis. Vel, tunica Jonathæ Christi Humanitas, qua expoliavit se die Passionis pro nobis. Hugo Card. in Gen. c. 30.

Ego sum vermis, & non homo. Ps. 21. 7. Christus hodie, sicut in Passione potest dicere: *ego sum vermis &c.* id est: ità vilipensus, & conculcatus à peccatoribus, sicut vermis, quia nec vermi auderent facere, quod mihi faciunt, & in me, & in membris meis. Hugo Card. hic.

Miser factus sum, & curvatus sum usque ad finem. Ps. 37. 7. Afflictus est, non solùm in cruce; sed etiam antequam crucifigeretur; multa ferens, ut agricola, ut nostrum agrum purgaret. *Incurvatus sum autem usque in finem*; quando mortem pro nobis sustinuit. S. Chrysost. hic.

Quæ posuit prodigia &c. Ps. 45. 9. Potest dici prodigium à prodigo. Et hoc modo fecit Deus prodigia super terram: quia quasi prodigus fuit Dominus, cum pro redimendis inimicis suis proprium Filium dedit. Et ideo de Christo dicitur. Ps. 67. 28. *ibi Benjamin in mentis excessu*, ibi in cruce, in mentis excessu, in prodigalitate Patris. Hugo Card. hic.

Qui ascendit super occasum. Ps. 67. 5. Super occasum Dominus ascendit: quia unde in Passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. V. Beda l. 1. in 1. Marci. Occasus solis signat Christi Passionem: quia sicut sol occidit cum certitudine, quòd in crastinum orietur; ità Christus passus fuit cum certitudine Resurrectionis. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. 15. Trinit. Sol iste est Christus; oritur in nativitate ad illuminandum; occidit in Passione ad redimendum. Occidet sol in meridie, id est, in vehementi amore charitatis: ad locum suum revertitur in ascensione; flectitur ad aquilonem in extremo examine. S. Bonaventura in Ecclæ. 1.

Sol cognovit occasum suum. Psal. 103. 19. Christus agnovit Passionem suam. Occasus Christi, Passio Christi est. Sed nunquid sol sic occidit, ut non oriatur? *nunquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?* S. Prosper hic.

Tecum principium in die virtutis tuæ. Psal. 109. 3. Quis est dies virtutis ejus? S. Hieron. hoc est, tempore, quo patiebaris, & dicebas: *Pater in manus tuas &c.* In die virtutis tuæ; alii legunt: *in die triumphi tui.* Arcones in Is. 4. Exposf. 3. Disc. 2.

Sacrificium vespertinum. Ps. 140. 2. Quod in veteri lege vespere offerebatur, quod erat acceptabilius: quia figura erat veri illius sacrificii, quod in fine Mundi in cruce est oblatum. Hugo Card. hic.

Immolavit victimas. Prov. 9. 2. Id est, seipsum in ara Crucis obtulit. Sed pluraliter dicit victimas; quia hæc una victima Christus per multas hostias in lege figurata fuit. Id. hic.

Indica mihi, ubi cubes &c. Cant. 1. 6. Respicit ad locum cru-

crucis, ad quam Christus ascendit *hora quasi sexta.* Joan. 19. 14. scilicet in meridie: hic non pavit verbo, exemplo, oratione. De Ponte hic. Exh. 8. §. 4.

Botrus Cypri dilectus meus mihi. Cant. 1. 13. Id est, considerabo dilectum meum, tanquam botrum electum; oppressum, & contritum ab inimicis suis. Et sicut botrus ità conculcatur, ut liquor separetur à folliculis, qui aridi manent, & deformes: ità, sanguine ab eo toto expresso, aridus mansit sine specie, & decore. Dicitur *botrus Cypri*, quod interpretatur *tristitia*, & *mœror*. De Ponte hic Exh. 6. Qui fuit fasciculus myrrhæ in amaritudine Passionis, ipse est botrus Cypri in dulcedine Resurrectionis. Myrrha tristificat, vinum lætificat. S. Isidorus in Cant. hic.

Ego flos campi, Cant. 2. 1. S. Ambros. lib. 2. de Spiritu S. c. 5. rectè Christum è Virgine incarnatum, dictum florem campi ait: quandoquidem instar floris in Passione contritus, & laniatus, majorem flagravit odorem. Nadasi ex anno Crucifixi.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Ubi lilium istud inter spinas? nimirum in Judæa; quando toleravit tot, & tantas, impiorum blasphemias; sustinuit probra, alapas, flagella; coronatus insuper corona spinea. S. Rupertus l. 1. hic. Chald. vatablus, Vertunt: *sicut rosa*: quia hæc spinosa est. S. Ambros. de instit. Virg. c. 14. Christus erat lilium in medio spinarum, quando erat in medio Judæorum; qui ipsum calumniati sunt, accusarunt, & crucifixerunt, apud Cornelium hic.

Stipate me malis. Cant. 2. 5. Thorus crucis constratus fuit mirus pomis obedientiæ, mansuetudinis, patientiæ, lacrymis, gemitibus, compassionis affectibus, ac precibus pro peccatoribus fusis. Origenes dicit, in Græco haberi: *confirmate me in myrrhis*; myrrhæ autem flores & unguenta, ad amaritudinem Passionis referuntur. De Ponte hic Exh. 38. §. 2.

Tempus putationis advenit. Cant. 2. 12. Nempe tempus Passionis, & mortis Christi; per quam generalis putario facta est omnium peccatorum; cunctorumque, quæ Evangelicam perfectionem impediebat: Sed quomodo putarunt eum auferendo honorem, famam, vestes, sanguinem, vitam. De Ponte hic Exh. 21. §. 3.

Ascensus purpureus. Cant. 3. 10. est sanguineus Christi sudor, passio, mors, martyrium. Rursus *ferculum*; id est, lectica, & quasi currus thriumphalis, Christi fuit crux, ait Aponius. *Columna* crucis fuere humilitas; & obedientia. *Reclinatorium aureum* in victa patientia, & magnaminitas; cui incumbens omnes plagas, injurias, dolores, placidè tulit, & superavit. Cornelius hic. Quid est ascensus purpureus? nisi Martyrum sanguis, & Passio Redemptoris nostri: quia non ascenditur ad epulas vitæ, nisi per mysterium Passionis Christi. S. Isidorus hic. Per reclinatorium aureum requies æterna accipitur, quæ sanctis in Ecclesia promittitur: ad quam tamen ascensus est purpureus, id est, Passio Christi; qui purpura colorem sanguinis imitatur. S. Tho. Aq. hic.

Candidus, & rubicundus. Cant. 5. 10. *Candidus* candore innocentiæ in nativitate; *rubicundus* verò in Passione proprio sanguine. Vel, *candidus* in domo Herodis, *rubicundus* in prætorio Pilati. Hugo Cardinal hic. *Rubicundus* in Passione, *candidus* in Resurrectione. S. Hieronym. in Is cap. 63. *Candidus*, quia sine peccato; *rubicundus* sanguine Passionis Christus, qui solus est mediator Dei, & hominum. Sanctus Isidorus hic.

Opus Domini non respicitis. Is. 5. 12. Passio Domini opus est Domini; opus manuum ejus, opus nostræ redemptionis. S. Rupertus hic.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus? iste formosus in stola sua. Is. 63. 1. En, unde formosus, quia in ipsa Passione formosus fuit. De Ponte in Cant. 1. Exh. 22. §. 3.

Dies ultionis. Is. 63. 4. Dies redemptionis dicitur. Stella in Luc. 3. 22.

Facies autem bovis. Ezech. 1. 10. Sacramentum esse Dominicæ Passionis; ex hoc accipimus; quòd, sicut in exordio meminimus, sacra, & mystica, lex vitulum in figura ejus pro peccato jussit offerri. S. Rupertus l. 10. in Matth.

Et Jesus erat indutus vestibus sordidis. Zach. 3. 3. S. Ambr. in Ps. 118. Stabat Jesus, & habebat vestimenta sordida: mea enim peccata portabat. Sumpsit vestimenta nostra; ut nos splendore immortalitatis indueret. Considera mirum duellum Christi, & diaboli. Stat hostis acerrimus, mucronem intentat; addicit morti. Christus nudum latus, nudum caput, ac corpus. Viderat ad Isaias 51. 9. *Consurge, induere fortitudine brachium Domini.* Quid laceris, cruentisque vestibus cum prœlio? At Dux Christus pro æreo thorace sanguineam clamydem; pro ferreis ocreis, manicisque ferreos, clavos; pro galea spinas; pro militum præsidio solitudinem; pro tubarum clangore silentium, & patientiam, cum hoste congressurus obtendit. Verùm nullus æque potens thorax, ac cruenta caro; nulla præstantior fortitudo contra hostem, quam lacerati corporis infirmitas: quam ut cernit diabolus, debilitatur, & frangitur. Cornelius hic.

Ex Novo.

Facto vespere &c. Matth. 16. 2. Per vesperum, in quo cœlum rubicundum est, Passio Christi significatur, proprio sanguine rubicunda. Matutina serenitas significat gaudium Resurrectionis. Hugo Card. hic.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2. 35. Gladius Christi Passio cruxque fuit; quia antiquus hostis transfixus succubuit. S. Honorius s. in Purif. B. V.

Tetigit fimbriam vestimenti ejus. Luc. 8. 44. Vestimentum Christi est caro ejus. Is. 63. 1. *quis est iste tinctis vestibus.* Fimbria, quæ est finis vestimenti, est passio Christi. Tangere ergo fimbriam vestimenti Christi est credere, & imitari, Passionem Christi; & ex hoc tactu est omnis peccati curatio. Hugo Card. hic.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. 15. 5. Cur Christus D. viti se comparat? ibat ad Passionem, & mortem, quam bene vitis per uvas significat. Sicut enim è calcata uva sub torculari exprimitur vinum; sic ex calcato Christo expressus sanguis pretiosus, quo Mundus redemptus. Sylveira hic q. 1.

Pedes ejus similes aurichalco. Apoc. 1. 15. Dion. Carth. Per pedes accipit extremos annos vitæ Christi, quibus passus est, & crucifixus pedes Christi, ait Rupertus, dicuntur similes aurichalco; quia sicut hoc multis ignium impendiis ex æræ producitur ad auri colorem; ità & illa Humanitas per multas tribulationes Passionis, & mortis, perducta est ad gloriam Majestatis. Cornelius hic.

Signatum sigillis septem. Apoc. 5. 1. Seraphinus Firmanus per septem sigilla, accipit septem secreta Passionis Christi. 1. est summa impotentia in omnipotente. 2. summa pœna in impatibili. 3. summa stultitia coram hominibus in Christo, qui est divina sapientia. 4. Summa paupertas in Deo divitiarum. 5. Summa ignominia in summa Majestate. 6. Summa derelictio Dei in summa cum eo unione. 7. Summa severitas in summo amore Patris erga Filium. Cornelius hic.

Ex Patribus, & aliis.

Singulæ guttæ sanguinis sui, folia sunt rosæ sanguineæ Passionis ipsius. S. Bernardus l. de Pass. D. c. 41.

Sic S. Scriptura penè ubique fidem continet passionis Christi, ut sine illa nullatenus intelligi possit. S. Rupertus l. 3. c. 43. in Exod.

Dicitur Passio Christi cœna: nam sicut cœna in vespere, vel in fine diei sumitur; ità in vespere, scilicet in fine Mundi passus. S. Bonaventura in Ps. 21.

Granadilla florem habet albæ rosæ persimilem, in cujus foliis Passionis Christi figuræ delineatæ conspiciuntur, ut corona spinea, clavi, calix, columna, vulnera, lancea. Nascitur in montibus Peruanis. Nieremberg. hist. nat. l. 14. cap. 19.

§. II.

Passio avidè à Christo desiderata.

DEsiderium cordis ejus tribuisti ei. Ps. 20. 3. Enumerat Propheta Christo D. secundùm carnem, quàm ingentia, quàm gloriosa, collata sunt. Desiderium cordis ejus fuit, sicut Luc. 22. 15. dicit: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Cassiodorus in Ps. 20.

Erue à framea Deus animam meam. Ps. 21. 21. Quæ est ista framea, à qua Christus liberari desiderabat? Lorinus hic possumus accipere deprecationem istam, ne vulnus lateris infligeretur. Sed cur id petit Christus à Patre sitientissimus pro nobis pati, ut à lancea militis liberetur, & crucis non refugit ignominiam? quia lancea non vivus, sed post mortem erat vulnerandus; sed absque dolore. Nam sic D. Jesus pro nobis erat anxius patiendi, ut refugiat vulnus doloris expers. Ob hanc causam forsan vocat Ecclesia in hymno de passione *mucronem dirum lanceæ*; quia intensibile Christi latus perforavit. Et contrà *dulce lignum, dulces clavos*: quia in cruce manibus, pedibusque, transfixis Christus sensit dolorem, non lanceam. Castillo Illat. 201.

Vade post me Sathana. Matth. 16. 23. Quæ hæc verborum asperitas Domine? modò audivit, *beatus es Simon Barjona*; & tunc Apostolum Sathanam vocas? Mundò dicebas, *tu es Petrus &c.* & nunc *scandalum*, ac diaboli organum, appellas? ac quidem Judas non increpatur, etsi vendit, occidit; cum Judæis contra te venit. Vidisti Domine cum militibus, & armis, & fustibus, invadentem; nec dixisti, vade post me Sathana; non verbis pudorem injecisti, non terruisti; quin potiùs ad cœpta hortatus es: *amice ad quid venisti?* opus persequere, nè facinus differas, venditionem affectu firmato. Ac quidem erga Judam talis: Petrus verò amoris prœmium fert contumeliam. Planè inquit per humanus Salvator: ubi enim ulcus est immedicabile ibi pharmacum inutile; autem curationis spes, ut sanem; sectionem adhibeo. S. Basilius Seleuc. or.

de

de dicto Evangelio : ecce ascendimus Jerosol. Scelus Judæ mortem Crucis Christo summè desideratam præparabat ; & ideo divinus amor cum eo rigorem dissimulat , & leniter agit . At ignorantia Petri mortem Christi impedire conatur , licèt ex charitate . Sylveira in Matth. 16. Quomodo Judæ osculum præbuit Christus , atque *amicum* nominavit ; utpote amicorum loco habens ea omnia , per quæ flagella , spinas , crucem & clavos produci, aut parari præviderat: è contra Petrum, alioquin amicissimum , Sathanam vocavit, qui se à supliciis , & morte subeunda, avocare conabatur. Doultreman lib. 2. cap. 12, sect. 3. de amore .

Pater mi - transeat à me calix iste? Matth. 26, 39. Scribit Ambrosius Catharinus in vita S. Cathar. Sen. lib. 2. cap. 28. & 29. ipsi à Deo revelatos esse duos sensus illius orationis Christi in horto: 1. q. d. Pater mi! illico da mihi bibere calicem Passionis ; illum enim avidissimè sitio , Da , ut illico patiar , & moriar . Fac ergo , ut illico transeat ; ac dein à me transeat calix iste : ut per Passionem meam abolita morte , & peccato , mox redimam genus humanum ; itaque ad te revertar, ut te fruar, mi Pater ! Hoc Christus optabat secundùm spiritum : 2. Secundùm carnem tamen optabat contrarium : nimirum *transeat* , id est , auferatur à me calix Passionis . Posterior sensus : videbat , ait illa : Christus D. multos futuros ingratos suæ Passioni , mansuros in peccatis , ac damnandos : hic erat ei summus dolor ; hunc que vocat suum calicem : q. d. amove à me hunc dolorem, id est, hunc numerum damnatorum ! fac , ut omnes meæ Passionis ità fint participes, ut salventur . Cornelius ex Canonib. in Prophetas Minores. Eadem S. Catharina Sen. asserebat divinitus edocta : Christum ab instanti suæ conceptionis portasse crucem in mente , propter excessivum desiderium , quod habebat de humana salute . Cùm enim perfectissimè diligeret Deum, & proximum ; videndo Deum privatum honore suo, & proximum privatum fine suo ; summè cruciabatur ; donec per Passionem suam ; & honorem obedientiæ Deo , & salutem restitueret proximo. Hinc dicebat : quòd in illis verbis , *Pater transfer calicem hunc à me* , viri perfecti non debent intelligere , sicut debiles timentes mortem ; quòd Salvator petierit à se mortem transferri , vel amoveri ; sed , quia semper biberat à Conceptione sua , petebat ut citò perficeretur illud , quod tanto tempore cum tanto desiderio affectabat . Adjunxit: *non mea voluntas &c.* offerens se paratum ad sustinendam dilationem desiderii sui, quantum placaret Patri. Bollandus ex vita S. Catharinæ p. 2. c. 8.

Erant autem in via ascendentes Jerosolymam , & præcedebat illos Jesus , & stupebant . Marci 10. 32. Et tamen Discipulis ait : Joan. 14. 12. *majora horum faciet* . Ibat Jerosolymam tradendus , flagellandus . In miraculis concedit Christus D. suos Discipulos præcedere ; at in cruciatibus pro nostra salute nemini cedit, sed omnes longo intervallo superat. Sylveira in Act. 20. 22. q. 8.

Baptismo habeo baptizari &c. Luc. 12. 50. Significatur per hujusmodi ablutionem mors ejus ; in qua ablutus est proprio sanguine . *Et quomodo coarctor ?* Sub admiratione ponitur modus , *quomodo ?* quia incredibili modo affectabat perfectionem Passionis suæ . Cajetanus hìc . Non ait: quomodo , cùm perficietur , arctabor ? q. d. tunc non arctabor , cùm perficietur . Modò desiderii patitur flammas ; postea sustinebit crucis injurias : sed adeò levius est , patibulo dilaniari , quàm equuleo desideriorum torqueri ; ut desiderans arctetur , patiens quomodo doloribus exsolvatur . Naxera in Jos. 15. §. 34.

Similiter & calicem , postquàm cœnavit . Luc. 22. 20. Cur Christus calicem sanguinis sui dat nobis in cœna ? S. Gregor. Nyss. hom. 6. de resurr. per ineffabilem sacrificii modum præoccupat impetum violentorum ; ac sese id obligationem , & victimam , offert sacerdos simul & agnus . Ante realem crucis exhibitionem mysticam crucem , & Passionem , agebat Christus : incruento modo præoccupat priùs agere, quæ postea cruentissimè erant operanda. Sylveira in Matth. 26. q. 34.

Et factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis &c. Luc. 22. 24. de quo Hildebertus in versibus de Missa, sanguineus sudor crux fuit ante crucem.

Quod facis , fac citiùs . Joan. 13. 27. O amor interminabilis! ò charitas inæstimabilis ! ò dilectio inscrutabilis ! *Quod facis &c.* illud cupio , illud desidero , illud quæro , ad hoc veni in Mundum . *Quod facis &c.* Vis me vendere Judæis ? volo vendi : vis tradere ? volo tradi : Vis , ut crucifigar ? volo crucifigi : vis , ut occidar ? volo occidi : hoc amo , hoc affecto: *quod facis , fac citiùs* . S. Bernardus s. 3. in Cœna D.

Sitio . Joan. 19. 28. Per calicem, quem bibiturus erat , procul dubio Passionem significans , quam erat passurus . Nunc verò eodem calice Passionis jam exhibito, dicit: *sitio* . q. d. quamvis Passio mea tam acerba fuerit ; ut , quantum ad humanitatis sensum illam declinare potuerim ; tamen tua, ò homo ! me charitate vincente , & ipsa tormenta crucis superante, adhuc plura , & majora, si necesse sit , sitio subire tormenta. S. Bernardus l. de Pass. c. 13.

Unus militum lancea latus ejus aperuit . Joan. 19. 34. Cur non vivus transfigitur ? ut sciremus ; magis unitum cum corpore amorem patiendi, quàm ipsam animam. Mors valuit efficere, ut anima separaretur à corpore, ut hoc nec videret, nec audiret &c. sed affectum patiendi ab eo non potuit separare. Sylveira in Joan. 13. q. 24.

Pedes ejus similes auricholco . Apoc. 1. 15. Pannonius : quia Christi desideria sancta erant, & fortissima , ut non cederent morti ; rectè æri comparantur . Sæpissimè in Scriptura per pedes desideria, & affectus, significatur. Ps. 9. 16. Ps. 17. 34. Ps. 25. 12. Prov. 3. 23. Maritò æri fortissimo Christi affectus comparantur quia ejus desideria pro nobis moriendi validissima, & constantissima fuerunt . Sylveira hic q. 58.

§. III.

Passio quàm Christo chara, dulcis.

Ex Veteri.

Ego ostendam omne bonum tibi . Ex. 33. 18. 19. Hebr. *ego transire faciam omne bonum meum super faciem tuam* . S. August. in Exod. q. 154. ità legit : *ego transibo ante te in gloria mea* . Et subjungit : ille quippe intelligitur loqui, & dicere , transibo ante , de quo dicit Evangelium Joan. 13. 1. *quia venit hora ejus , ut transeat &c. de hoc Mundo ad Patrem* : qui transitus etiam Pascha interpretari perhibetur . Hæc itaque magna omnino prophetia est. Hæc sunt divitiæ , & omne bonum Domini , quod ostenditur Moysi Moyses avebat cernere illum candorem Lucis æternæ , *in quem desiderant Angeli prospicere* . Sed denigrata facies ei objicitur , obscurata in Passione , turpata in Cruce , pallescens in morte , in qua *non est species , neque decor* . Ab hac videnda non inhibetur Moyses : nam qui hunc vultum morientis , & lividam faciem mortui , prospectat , non moritur , sed vivit . Passio , & mors omne bonum Jesu est ; à qua vita promanat æterna : omne criminum malum dissolvitur ; & mors ipsa moritur . Bonum, in quo omnia bona naturæ , & gratiæ, Angelis, & hominibus, donare disposuit Deus &c. Arcones in Is. 3. 11. Disc. 6.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabunt eos . Ps. 35. 6. Hesychius in Catena Græca : voluptatis torrente charissimos potat. Torrens voluptatis , fuere Christi pœnæ . *De torrente in via bibet* . Ps. 109. 7. *voluptatis* meritò dictum est : nam Christus in deliciis erat , cùm pro nobis pateretur. Escobar. t. 1. Mir. Chr. l. 1. obs. 4.

Sol cognovit occasum suum . Ps. 103. 19. August. Christus agnovit Passionem suam. Sol exultat, *ut gigas , ad currendam viam suam* . Ps. 18. 6. Sic noster sol , ut gigas fortissimus exultavit ad cruciatus percurrendos. Barradius Dom. Quinquag. tom. 3. l. 6. c. 9.

In die desponsationis . Cant. 3. 11. Id est redemptionis humani generis, quæ fuit dies lætitiæ Christi. S. Isidorus hìc. Dies Passionis fuit dies lætitiæ cordis ejus. S. Justus Orgelit. hìc . Ostendunt filiabus Sion dispensationis dies inter Dei Filium , Verbum, & Ecclesiam , in ejus passione celebratos . Diem verò lætitiæ cordis Christi esse Spiritus S. edocuit diem, qua lugubriter guadebat Judæus , & lætitiæ lacrymas in morte Christi fundebant Apostoli. Aponius l. 5. in Cant.

Egredimini &c. Ib. id est , convertimini ad Christum , & considerate Passionem ejus; in qua, scilicet mater sua, Synagoga coronavit eum: quod fuit in die desponsationis illius, id est Christi: quia in Passione sua univit sibi Ecclesiam , dans sanguinem suum in pretium. S. Th. Aqu. hic Lect. 3.

Veni in hortum meum sponsa . Cant. 5. 1. O qualis est hortus ille sponsi deliciarum ! quàm omnium odoratissimorum florum , & suavissimorum fructuum varietate , copiaque refertus hic hortus, ipsius nex, sive Passio . Philo Carpathius hìc .

Butyrum, & mel comedet . Is. 7. 15. Quando hoc factum? Nota, quòd David dicitur Ps. 80. 17. *de petra melle saturavit eos* . Non legimus, quòd Deus eduxerit mel de petra; sed , ut explicat . S. Chrysostom. (quem vide hoc loco) quod illis pro siti aqua , tanquam mel , dulcis fuerit . Et hoc sapiens dicit . Prov. 27. 7. *anima saturata calcabit favum , & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet* . In hoc sensu dico; quòd Christus ità sitiverit pro nobis dolores pati , ut hi essent ejus mel, & butyrum ; quo magnoperè delectabatur . Diez fer. 3. D. Resurr.

Ex Novo.

Ipse verò dormiebat . Matth. 8. 24. V. Beda l. 3. in Luc. navis crux Christi est: quam cùm Dominus ascendit, in ea dormivit . Requiens enim Domino crux ; passio pulvinar. Apud Escob. t. 1. Mir. Chr. l. 1. obs. 6. hìc.

Transfiguratus est ante eos . Matth. 17. 2. Tribus , ex quatuor dotibus beatitudinis , Christus usus est : subtilitate , cum nascitur ; agilitate , cùm ambulat super aquas ; claritate in Thabor ; nunquam impassibilitate : adeò enim æstimabat illam , ut nec pro instanti , dum vixit , passibilitatem

tem suspenderit ; sed semper, tanquam rem pretiosissimam , sibi retinuerit. Sylveira hìc q. 3.

Ascendens Jesus Jerosolymam , assumpsit duodecim Discipulos secreto . Matth. 20. 17. cùm de morte & passione sua discere vellet . Cur secreto ? Author Imp. quia semper protiosor thesaurus in melioribus vasis includitur. Ità Christus flagra sua , probra & crucem , non apud quosvis , sed apud Discipulos deponit . Did. Nyss. f. 4. D. 2. Quadr.

Potestis bibere calicem? Matth. 20. 22. Calicem , Passionem nominat ; vel propter somnum , quem facit ; vel quòd lætitiæ causa sit , ac nostræ salutis . Theophylactus in Matth. 26. 28. Calicem hoc loco crucem suam , ac mortem appellans : calicem quidem, quoniam cum voluptate illam adibat. S. Chrysost. tom. 6. hom. de petit. fil. Zebedæi.

Poculum dicit martyrium , & suam mortem simul ostendens ; quòd leve sit: & quod oporteat nos tam facile illud aggredi , quàm si bibendum esset poculum. Et declarans, quòd ipse suaviter accedat ad mortem. Sicut enim bibens poculum statim dormit gravatus; sic & qui martyrii poculum bibit, in mortis somnum defertur . Theophylactus hìc.

Dicendo poculum, seu calicem , insinuat mortem dulcem , & desiderabilem in salutem hominum. Id. in Joan. 18. 1.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua &c. Matth. 21. 8. Inde processerat gloriosum illud palmarium festum , quod tibi fieri , & celebrari voluisti tunc , cùm pro nobis passurus abieres: ut Mundo tui cordis alacritatem ostenderes: cùm tot floribus ornatus ad nuptias crucis ire volueris . Mihi videtur, Domine; te non iviffe ad mortem , sed ad sponsalia; cùm tantum sit festum, ut illud in via tibi celebrari præcipias. Stella de amore Dei Medit. 16.

Dicebant excessum ejus. Luc. 9. 31. Quid facitis Moyses, & Elias ? affligentes animam Christi . Quis regi in latissimo convivio triste ferat nuncium ? *Si musica luctu importuna narratio* . Eccl. 22. 6. nonne luctus in convivio quoque erit? R. sicut lætitiæ tempore colloquium misces de iis , quæ maximè læta sunt ? ità res omnium dulcissima Christo Passio est. Petro dixit Matth. 16. 23. *vade post me Sathana* . Bis ex mellifluo ejus ore verbum *Sathana* exivit . Primò illud dixit dæmoni tentanti. Matth. 4. 10. Secundò Petro , quem paulò antè beatum dixerat . Quo verbo dæmonem repulit suadentem , ut , Patris adoratione relicta , eum adoraret ; eodem repulit Discipulum , impedire volentem Passionem , & salutem nostram . Et sicut infinitum Patternæ gloriæ desiderium fecit cum tam acriter tentationem illam excipere : ità in homines flagrantissimus amor effecit ; ut eodem verbo repelleret impedientem Passionem. Osorius Dom. 2. Quadrag.

Et tertia die resurget . Luc. 18. 33. Vide , quem finem fortita est Passio Christi ? sanè lætissimum . Lætissimum habent finem labores, & dolores. Barradius D. Quinq. tom. 3. l. 6. c. 11.

Venit autem dies Azymorum . Luc. 22. 7. Deliciæ Christi sunt, quæ pro nobis pertulit, supplicia. Nam in Phase, & liberantis Dei , & liberati Israel , triumphus recurrit . Quid verò nostram ? quid Dei parat lætitiam ? Israel epulatur , Christus agnus Patris occiditur. Æquè ille in necis anticipatione, ac Israel in libertatis auspicio suæ lætabatur ; suumque duxit triumphum futuræ aliquando mortis in occiso agno vaticinium. q. d. Phase, quod celebratis , commune mihi, vobisque , festum est, gaudium quisque suum degustet ; vos epulando, ego moriendo. Oliva l. 13. Strom. hìc.

Erat autem . Joan. 7. 2. *ego autem non ascendo ad diem festum istum* . v. 8. S. August. q. 78. novi test. ascendit , non quasi ad diem festum, sed quasi ad litem: illi enim omnes læti ascenderunt , quasi ad perfruendas delicias diei festi . Certum est enim , quòd non ascendit ad diem festum: is enim illi fuit dies festus, qua passione sua redemit Mundum. Hic dies festus ejus, in quo vicit mortem. Apud Sylveira hìc q. 4.

Nunquid subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat ? sed saginari voluptate patientiæ discessurus (Christus) volebat. Tertull. l. de Patientia.

Christus venit ad regionem nostram , accipere , quod hic abundat , flagella , colaphos , contumelias , spineam coronam, crucem, mortem ; ad talia commercia venit. S. August. t. 9. fragm. 7. Et s. 13. de temp. mercatus est à nobis, quod hic abundat, nasci , & mori . Resurgere , & in æternum vivere , hic non erat. Invenit hic viles merces terrenas, & pro terrestribus attulit peregrinas, & cœlestes. Apud Did. Nyss. D. 1. Pent. §. 1.

§. IV.

Passionis Domini gloria.

In sole posuit tabernaculum suum . Ps. 18. 6. Qui rem aliquam in sole constituit , is illam per totum , quem sol illuminat , orbem evulgare velle videtur , ut omnes illam videre possent. Quale verò illud tabernaculum , quod Deus in sole posuit ? S. August. testam. vet. q. 71. *in sole posuit tabernaculum suum* , id est , corpus suum , quod à Pilato flagellis cœsum est. Christus enim tanto ornamento sibi ducit; quòd pro omnibus flagra , & probra, passus sit ; ut , cùm alii virgis cœsi , nè innotescant , tenebras sectentur , ipse solem quærat; in quo tabernaculum suum, corpus, inquam, sanctissimum flagris miserrimè concisum statuat : ut omnibus sit conspicuum ; & sol per omnes regiones circumferat famam flagellorum ejus, & gloriam Passionis. Did. Nyss. in die Jovis sancto §. 1.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c. Is. 6. 1. id est : vidi in spiritu Dominum omnium Jesum Christum propter Passionem mortis, gloria, & honore, coronatum. Illud verè excelsum est solium ; & ab humilitate humana , qua pati dignatus est, longè elevatum. S. Rupertus hìc.

Dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam. Is. 46. 13. O magne Deus! quænam gloria fuit, quam Jerosolymis ostendisti; ubi consputus, flagellatus, crucifixus, ac demum mortuus fuisti? Hæc ait, est gloria mea; pati , mori pro hominibus : & quod illis est utilius, hoc ego honestius mihi, & gloriosius duco. Diez f. 6. D. 1. Quadr.

Et erit in die illa, non erit lux - Et erit dies una, quæ nota est Domino; non dies, neque nox . Zach. 14. 6. 7. S. Cyrill. quale est hoc ænigma? dies illa neque dies est, neque nox: quomodo eam vocabimus? Responder: non erat dies: quia non perpetuò ab oriente usque ad occasum sol lucebat ; sed à sexta, usque ad nonam tenebræ factæ sunt. Nominavit autem Deus tenebras noctem. Propterea neque dies , neque nox: non enim tota luxerat, ut vocaretur dies ; neque tota tenebræ , ut vocaretur nox. Et *dies* illa *nota Domino* : hoc est , diem Veneris, quo passus Christus, profundè impressum , & insculptum, memoriæ suæ Deus habet. At num & alios non novit dies? inquit Cyrillus. Respondet: multæ sunt dies ; sed dies illa, dies Passionis Domini , quam fecit Dominus ; & illa dies nota Domino. Nulla dies est, quam nesciat Dominus; sed illa, qua passus est , & mortuus ; majoris pretii , amplioris honoris , illustrioris gloriæ, dies fuit: ut propterea eam Christus tanquam suam agnoscat , illaque sese recreet , pascat, & oblectet. Did. Nyss. die Jovis s. §. 1.

Magister volumus à te signum videre. Matth. 12. 38. *non dabitur ei , nisi signum Jonæ Prophetæ* . v. 39. Cur non potiùs in excellentiæ suæ manifestationem dat eis potentiæ signa ; miracula scilicet , vel futurorum prædictionem ? utpote magnam divinitatis notam? sed multò efficacior vis sanguinis , ac Passionis Christi , ut humana corda emoliantur ad agnoscendam fortitudinem divinitatis. Sylveira hìc c. 24. q. 7.

Exinde cœpit Jesus ostendere Discipulis suis , quia oportet eum ire Jerosolymam . Matth. 16. 21. *Exinde* , quasi ex eo tempore , quo est habitus, & cognitus ut Deus; ad ostensionem suæ bonitatis , pro salute hominum pati , ac crucifigi , quodammodo teneretur. Sylveira hìc c. 5.

Vade retro Sathana - non sapis ea , quæ Dei sunt . Matth. 16. 23. Sed quomodo sapit, quæ Dei sunt? cùm dixerit: *tu es Christus Filius Dei vivi* . q. d. Christus: erras Petre , si majestate mea indignum ducis, quòd pro hominum salute mortem obeam. Incertò author.

Cognoverunt eum in fractione panis. Luc. 24. 31. Drogo Ost. s. 1. de Pass. D. Panis caro tua est ; fregisti manibus corpus tuum ; quia potestatem habebas ponendi animam tuam : fregisti corpus tuum , quòd foris apparebat , & ostendisti medullam , quæ intus latebat: nisi enim patiaris , non cognoceris. Sylveira cap. 24. in Matth. 12. Luc. 11.

Filius hominis , qui est in cœlo . Joan. 3. 13. Albertus M. Christus D. sæpè se dicit Filium hominis : quia in hoc passus est, in quo Filius hominis est . Ita gloriatur Christus de sua Passione , ut nomen usurpare voluerit ab humanitate, in qua sustinuit mortem. Sylveira in Joan. 3.

Ut clarificetur Filius hominis . Joan. 11. 4. dicebat Christus ante Passionem . S. Cyrill. Jerosol. Catech. 11. non quòd priùs non habeat gloriam (glorificatus enim erat ante Mundi constitutionem) sed gloriabatur tanquam Deus semper ; nunc verò glorificatus est patientiæ ferens coronam . Apud Baeza t. 1. l. 4. c. 3. §. 38.

Cœpit lavare pedes Discipulorum . Joan. 13. 5. Passio, Christi gloria . Tantam gloriam se ex Passione sua contraxisse Christus putavit ; ut eam claritatem , ac voluptatem , temperandam existimarit submississimæ humilitatis exercitio . Et propterea non modò Discipulorum pedes laverit ; verùm etiam ad sordidi , & sacrilegi Judæ pedes se dejecerit. S. Cyprianus l. 2. ep. 15. ad Martyres : imitentur Dominum , qui tempore Passionis non superbior , sed humilior factus pedes Discipulorum suorum lavit . Sed quis ille , cùm ad supplicium crucis , aut aliud probrum , educendus est , ob id gaudeat, superbiat , triumphum agat ? Did. Nyss. die Jovis s. §. 2. Hora ejus .

Nunc clarificatus est Filius hominis . Joan. 13. 31. Quando nunc ? inquit Maldonatus : quando Judas jam , ad vendendum illum ad mortem, egressus est . Quærit S. Cyrillus: quomodo nunc demum, cùm Judas cum venalem proponit , clarificatum se Christus dicit ; qui plurimis , & maximis miraculis , in stuporem antehac homines adduxerat ; ut inde

de multò magis sibi claritatem pararit? Respondet: eam claritatem quam miraculis assecutus fuerat, si cum ea comparetur, quam est per crucem assecutus, tenebras fuisse. Did. Nyss. f. 6. D. 4. Quadr. §. 3.

Glorifica filium tuum. Joan. 17. 1. Quid dicis? ad crucem duceris cum latronibus, tumulorumque fossoribus, maleditam sufferre mortem; conspuendus, cædendus colaphis: & hæc gloriam appellas? Ità, inquit, pro dilectis ipse patior; meritoque hæc eadem gloriam existimo. Et paulò post: etiam throno patrio id mihi adjicit gloriæ. Scilicet quòd patiatur. S. Chrysost. hom. 5. de patientia Job in illud: clarifica me Pater. Idem f. 8. in epist. ad Ephes. in hæc verba clarifica &c. ipse ait: quid dicis? ad crucem cum latronibus, & prædonibus ducendus, maledictorumque necem subiturus, deinde conspuendus, & virgis percutiendus es, atque alapis; & ista vocas gloriam? utique, inquit: nam pro dilectus ista patiar; atque ea nunc mihi pro gloria duco.

Quotiescumque manducabitis panem hunc - mortem Domini annuntiabitis. 1. Cor. 11. 26. Cluniacensis: quare mortem Domini? quare non similiter dixisti, ò Apostole, Incarnationem Domini, Nativitatem, Resurrectionem? quare illa, quæ gloriosa sunt, dimisisti? &, quod erat ignominiosus, elegisti? ut ostenderem, inquit, istud opus præponderare omnibus operibus ejus. Apud Sylveira in Joan. 6. q. 31.

§. V.

Passionem Christus vocat suam horam.

Nondum venit hora mea. Joan. 2. 4. hoc est, Passionis tempus superest. S. August. f. 1. D. 2. post Epiph. Quod ait, *nondum venit hora mea*: illam nimirum gloriosissima Passionis suæ horam, atque illud redemptionis nostræ vinum, quòd vitæ omnium proficeret, promittebat. S. Maximus hom. 1. in Epiph. D. Nondum venit hora mea, in qua generi humano daturus sum lætitiam. Sim. Cass. l. 2. c. 25.

Quid mihi, & tibi, est mulier. Joan. 2. 4. Quid tam præpropera est tua suggestio; cum hora Passionis meæ nondum advenerit: qua, perfectis omnibus vel doctrinæ, vel operationum divinarum virtutibus, pro vita Credentium mori disposui. Post Passionem, resurrectionemque meam, cùm ad Patrem rediero, tunc eis donabitur vinum Spiritus Sancti. S. Gaudentius tr. 9. ser. 2. de lectione Evangelii.

Sciens Jesus, quia venit hora ejus. Joan. 13. 1. Passionis hora specialissimè nota Christo, ejus hora vocatur: dulcissima enim tuam egregio amatori hora; in qua pro hominibus liberandis mori debebat. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 3. sect. 1. obs. 1. Hora ejus erat hora mortis: quia nos amabat; pro quibus moriebatur. Amantis enim hora illa est, qua pro amico patitur. Hominum horæ horologii arenarii sunt, terræ, sive arenæ; ex una in alteram partem commutatio illas efficit. Illam enim horam suam homo existimat, qua terreni boni possessio ab altero in ipsum commutatur. At horam Christi non terreni boni commutatio, sed ardens sol, efficit, id est ardens amor. Barradius tom. 4. l. 2. c. 5.

§. VI.

Passionem suam Christus vocat modicum, leve: cupit plus pati.

Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Gen. 29. 20. Laborem leviabat amor. Item videtur malè dixisse; cùm potiùs dicere debuisset: videbantur ei dies multi: quoniam animo desideranti ipsa velocitas tarda est. Solutio: sic intelligendum est: videbantur illi pauci dies, id est, labor dictum parvus comparatione mercedis. Et Christus levia, & brevia, reputavit, quæ pro Electis sustinuit. Hugo Car. hic.

Caput meum plenum est rore. Cant. 5. 2. sputa, flagra, reputat velut minutas roris guttulas. Baeza t. 3. l. 14. c. 22. §. 1.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20. 22. Poculum dicit martyrium, & suam mortem; simul ostendens; quòd leve sit; & quid oporteat nos tam facilè illud aggredi, quàm si bibendum esset poculum; & declarans, quòd ipse suaviter accedat ad mortem. Sicut enim bibens poculum statim dormit gravatus? sic & qui martyrii poculum bibit, in mortis somnum deferitur. Theophylactus hic.

Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me? Matth. 27. 46. Plura pati paratus erat. Eò enim hæc verba spectare autumat V. Beda. q. d. ut quid tam Pater, quàm vires, & vita, me dereliquuntur, graviora tormenta; & diuturniora perpeti non recuso. Drexel. Delic. gent. hum. p. 3. Christus moriens c. 4. §. 1.

Modicum, & jam non videbitis me. Joan. 16. 16. q. d. tempus Passionis meæ, & mortis, breve est; unico triduo concludetur; & mox resurgam. Recipite ergo brevitatem doloris, & de gaudii longitudine consolationem. Sylveira hic cap. 18. Dum vita cœlestis non perditur, parva sunt, & modica quævis alia detrimenta. Sanguineum sudorem, tot opprobria &c. omnia modicum vocat: dum suorum membrorum vita cœlestis conservetur: modica, & parva sunt meo Jesu quævis alia detrimenta. Baeza t. 3. l. 14. c. 22. §. 1.

Sitio. Joan. 19. 28. Quod mulieri uni Samaritanæ dixerat. Joan. 4. 7. *da mihi bibere*; hoc in cruce nunc fixus omnibus ait: *sitio*. Vos, inquit, volo, vos cupio, vos corpori meo unice, vos mihi associare, sitio. Fons vitæ erat, & tamen sitiebat: aquam promittebat, & bibere cupiebat. Sitiebat nos, & dare se nobis desiderabat. Sitis hæc de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine nascitur charitatis. S. Laur. Just. de triumph. &c. cap. 19. Habuit & aliam sitim, puta ampliùs patiendi, atque evidentius suum demonstrandi amorem. Nondum satis factum est cordis mei desiderio; amoris mei flamma neutiquam restincta est. Etenim si fieri posset & Patri gratum foret, vel millies ob salutem omnium vestrum crucifigi, & ad extremum usque judicii diem in hisce miseriis, doloribusque hic pendere optarem: tantùm ut immensum cordis mei amorem testatum reddere, saxeaque pectora, vestra emollire, & ad me amandum accendere possem. Lud. Blosius Margar. spir. c. 18. Sitiebat: quia amor non erat repletus dolore; licèt corpus diversis vulneribus afflictum esset. Stella de amore Dei Med. 11.

Infer digitum tuum huc. Joan. 20. 27. S. Chrysol. f. 35. Thomas Apostolus, ut Christum deum crederet, immisit manus, patefecit vulnera: & ut Christum crederet, interum pati compulit Christum. Si *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*; immò quia jam moriturus non est, quodammodo cogitur rursum pati: quia tanto amatori durum, non posse pro singulis errantibus oviculis toties pati & occidi, quoties à grege separantur. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 3. sect. 1. obs. 3.

Christus non sibi placuit. Rom. 15. 3. Quomodo Christus, cujus Persona divina est, & merito infinita, sibi non placuit? Quid pro nobis non egit? quid non tulit? unum ex ejus operibus, cujus valor est infinitus, sat erat pro nostra salute. Præ amoris flamma in nullo tormento sibi placuit; sed plura voluit sustinere. Et tamen nostra merita exigua ei maximè placere dicit Paulus. Colosf. 1. 10. *Deo per omnes placentes*: & Rom. 12. 1. *exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, Deo placentem*.

Adimpleo ea, quæ desunt Passioni Christi in carne mea. Colosf. 1. 24. pro verbo *adimpleo* Syriacus legit: *suppleo*. Chrysostom. adeò nos diligit Christus, ut, tanquam non sufficiant priores passiones, & afflictiones, post mortem etiam patiantur in meo corpore: non enim contentus est morte; sed adhuc innumerabilia facit. Sylveira in Matth. 27. Joan. 19. cap. 18.

§. VII.

Patientis Christi amor.

Num. I.

Ex Veteri, & Novo.

Quare sic attenuaris macie fili regis? dixitque ei Ammon-amo. 2. Reg. 13. 4. Quære ex Christo in præsepi, in deserto, in cruce, frigore, macie, languore, æstu, siti, cruciatibus confecto: quare sic attenuaris fili regis? cur siles, cur tristaris? aut angeris? cur moreris? respondebit: amo. Doultreman de am. l. 2. amor patiens.

Et exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum. Matth. 26. 53. Ad quid tanta Angelorum multitudo? *plusquàm duodecim legiones Angelorum*? Unus Angelus sufficit ad occidenda centum octuaginta quinque millia in exercitu Sennacherib. 4. Reg. 19. 35. Et in Ægypto unus Angelus interfecit omnia primogenita. Ex. 12. 29. Cur ergo contra unam militum cohortem tot millium Angelorum exercitus proponit? In Sennacherib, & Ægypto, pugnabatur contra potestatem; at verò hic non solùm dimicandum erat contra potestatem, sed potiùs contra amorem; qui totis viribus pro hominum salute decertabat. Hinc ait Petro: *converte gladium in locum suum*. Matth. 16. 52. Cur Domine non finis Discipulo pro te dimicare? Cùm Christus orasset in horto, Pater, *si possibile est &c.* & oratio non fuisset exaudita; apertè declaratum est, quòd amor negotium hominum agebat, & pro illis stabat: ideò ait Petro, reconde gladium. q. d. contra amoris vim nulla arma prævalent, nec lucta orationis meæ. Sylveira hic cap. 3.

Et venerunt in locum &c. Matth. 27. 33. Nota, quòd Dominus passus est in maximo fervore diei: ad innuendum, quod ex maximo fervore charitatis patiebatur; & quòd per hoc maximè accendi debebat terra cordium nostrorum. Hugo Card. in Matth. 27.

Dicebant excessum ejus. Luc. 9. 31. Non videtur commodè factum, quòd Moyses, & Elias, diem tuam lætum rerum tristissimarum commemoratione interpellarunt. Macrobius l. 7. Saturn. c. 1. & 2. docet, locis, & temporibus, aptare sermones. Qui venatibus gaudet, interrogetur de sylvæ ambitu: religiosus si adest, da illi referendi copiam, quibus observationibus meruerit auxilia deorum. Si senex præsens est eum interroga, quæ ad illum pertinent. Christo nil gratius erat, quàm audire de excessu suo. Loquebantur de excessu. Textus Græcus apud Chrys. & Euthym. habet: loquebantur de *doxa*, idest, *gloria*. 1. Cor. 11. 26. *quotiescumque manducabitis mortem Domini annuntiabitis*. S. Chrysol. f. 69. Crucem ascendit, sepulchrum patitur. Ascendere ex Scripturæ usu significat quietem, & gloriam. Ibi se pati existimat, ubi quiescens non patiebatur; & conquiescere, ubi patiebatur. Did. Nyss. D. 2. Quadr. §. 7. Excessum rectè nominat Passionem: quia in ea fuit excessus humilitatis. Philipp. 2. 7. *semetipsum exinanivit &c.* Fuit excessus paupertatis. Thren. 3. 19. *recordare paupertatis &c.* Fuit excessus doloris. Thren. 1. 12. *ò vos omnes, si est dolor &c.* Fuit etiam excessus amoris. Ephes. 2. 4. *propter nimiam charitatem suam*. S. Bonaventura in Luc. 9.

Da mihi bibere. Joan. 4. 7. Mysticè fons iste, super quem ascendit D. N. J. C. est sancta Crux. Super hunc fontem sedebat Dominus: quia Passionem, & mortem, summa mentis tranquillitate portavit. Quanto autem charitatis amore Christus pro nostra redemptione sederit in Cruce, manifestat Evangelista dicens: *hora quasi sexta*. Joan. 19. 14. idest, summo charitatis, ac dilectionis ardore: & in summo æstu Passionis, ac mortis scilicet pro nobis se posuit Filius Dei Christus. S. Bernardinus tom. 2. f. 31.

Quod facis, fac citiùs. Joan. 13. 27. Festinabat ex animo ad redemptionem perditorum, etiam ipsius Judæ tradentis: nisi desperationem posuisset in obicem. Fervebat desiderium Salvatoris velut amor impatiens in humanam salutem. Impatiens est ad amatum amor, cùm pro ipso redimendo festinat ad pœnam; perampliùs amor Christi, qui se accelerabat ad mortem. Sim. Cass. l. 13. c. 4.

Charitas Christi urget nos. 2. Cor. 5. 14. alii legunt: *passio Christi urget nos*. Fernandius in Gen. 10. 11. sect. 10.

Pedes ejus sicut in camino ardenti. Apoc. 1. 15. S. Gregor. hom. 2. in Ezech. expendens illud Is. 31. 9. *dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem*, plus est caminum esse, quàm ignem: quia esse ignis & parvus potest; in camino autem vastior: flamma succenditur. Non sine mysterio pedes Christi non tantùm in igne, sed *in camino* apparent: nam licèt Christus per omnem vitam à primo instanti suæ acceptionis fuerit in igne charitatis erga nos; sicut visus Moysi in rubo. Ex. 3. 2. per quod Incarnationis mysterium denotatur, juxta S. Cyrill. Alex. tamen modò pedes ejus, idest, ultima vitæ periodus, non dicuntur esse in igne, sed camino, seu fornace ardenti. Joan. 13. 1. *cùm dilexisset suos - in finem dilexit eos*. Sylveira hic.

Ex Patribus.

Quid commisisti dulcissime puer? ut sic judicareris. Quid commisisti amantissime juvenis; ut ità tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio damnationis tuæ? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ Passionis livor, tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ conditio! & ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus, & punitur justus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exolvit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quò Nate Dei, quò tua descendit humilitas! quò tua flagravit charitas! quò processit pietas! quò excrevit benignitas! quò tuus attigit amor! Ego enim iniquè egi; tu pœna mulctaris: ego facinus admisi; tu ultione plecteris: ego crimen edidi; tu torturæ subjiceris: ego superbivi: tu humiliaris: ego tumui; tui attenuaris: ego inobediens extiti; tu obediens scelus inobedientiæ luis: ego gulæ parvi; tu inedia afficeris. Ego fruor deliciis; tu laniaris clavis; ego pomi dulcedinem; tu fellis gustas amaritudinem. S. August. l. Medit. c. 7.

Pati pro subjectis, pro servis mori; insigne est charitatis immensæ documentum; singularis est hoc amoris argumentum. S. Chrysost. f. 6. de proditore, & myst. Cœnæ Dominicæ.

Ergo hæc prima causa est Dominicæ Passionis: quia sciri voluit, quantùm amaret hominem Deus; qui plus amari voluit, quàm timeri. Id. ib.

Si non diligeret, non pateretur: & in Passionis rubore maxima, & incomparabilis, ostenditur charitas. S. Bernardinus lib. de Passione c. 41.

Hic maximè apparet charitas ejus; quæ corda nostra totaliter deberet concremare. S. Bonaventura Medit. Vitæ Chr. c. 74.

Tam ardens, & incontinens est Dei amor erga nos: ut si mors, & Passio Christi ad salvandum hominem non sufficissent, etiam Pater cœlestis, & Spiritus Sanctus quoque humanam assumpsissent naturam, ac pro homine mortem subjissent; quàm eum perire sivissent. Lud. Blos. in Appendice.

Tot vulnera, tot ictus in sacratissimum tuum corpus commissi, maximum certè amorem nobis annuntiant, & firmissimè protestantur. Sed non omnem amoris magnitudinem afferunt: nam proculdubio multò major erat amor ille, qui interiùs urebat in corde tuo, quàm exteriùs videbatur. Hæc vulnera saltem sunt scintillæ amoris interiùs inclusi; rivulus ex infinito isto mari originem trahens. Stella de amore Dei Medit. 16.

Num. II.

Patientis amor sibi malè, nobis benè.

Ex Veteri, & Novo.

Lavabit in vino stolam suam. Gen. 49. 11. Demonstrat lætitiam ex Passione procedentem. Oculi ejus gratiosi præ vino: poculum enim Passionis, lætitia est totius orbis. B. Theodoretus q. 109

Tollat unusquisque agnum per familias suas. Ex. 12. 3. &c. Jubet Deus agnum jugulari; pelleque detracta, carnem assam, celeriter manducari; at ossa integra voluit permanere. Paulus ad Eph. 5. 32. scribens explicat illud factum; quando Dominus Evam ex costa Adæ formavit, & ait: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo, & Ecclesia*. Dormiente Adamo Dominus ab eo costam eduxit, *& replevit carnem pro ea*. Genes. 2. 21. Itaque Adamus Evæ os & fortitudinem dedit; Eva autem ei pro compensatione carnem, & infirmitatem communicavit. Mysterium hoc significavit id, quod inter secundum Adam Christum, & ejus Ecclesiam, futurum erat: ipse namque ei fortitudinem largitus est, sicut innumerabilis multitudo Martyrum testatur; Ecclesia autem suo sponso infirmitatem: nam per illam assumpsit carnem humanam, quæ pavere, & tædere cœpit. Vulgo ergo Dominus, ut caro agni torqueatur? ossa verò illæsa maneant: insinuans, carnem illam sanctissimam Unigeniti Filii sui flagellis torquendam esse; & in cruce tormentorum igne affligendam: dummodo homines, quibus ipse fortitudinem suam daturus erat, à divina ira immunes remanerent: nam caro agni carnem Christi significabat; os autem Ecclesiam. Diez Amor. proximorum.

Tulerunt Jonam, & miserunt in mare. Jon. 1. 15. Jonas, columba pulchertima, naufragio suo Passionem Domini præfigurat. S. Hieron. ep. ad Paulinum, apud Cornelium in Jonam in Argumento. *Liber generationis Jesu Christi*. Matth. 1. 1. Nomen Jesu proprium est, idest, *Salvator*; quò, ut ait Rupertus, divinitas indicatur: proprium enim est Dei salvare. Christi cognomen est dignitatis, idest, *unctus*. Reges enim, Sacerdotes, Prophetæ, ungebantur: ut Saul. 1. Reg. 10. 1. David 1. Reg. 16. 13. Salomon 3. Reg. 1. 39. Sacerdotes Ex. 29. 7. Levit. 8. 12. Prophetæ, ut Elisæus 3. Reg. 19. 16. Nomen Jesus sibi retinuit, & nobis nomen Christus communicavit; unde credentes dicti sunt Christiani. Act. 11. 26. Jesus nomen salvandi, & redimendi est; Christus verò cognomen dignitatis, ac regiæ majestatis. Sibi ergo reservabat, quod Passionem, & Crucem importabat; nobis verò id, quod splendorem gloriæ innuebat, communicavit. Sylveira hic q. 8.

Ecce ascendimus Jerosolymam &c. Matth. 20. 18. S. Chrysost. supplicium mihi paratum; salus verò omnium hominum communis est. Apud Did. Nyss. Sabbato D. 4. Quadr. §. 3.

Dormite jam, & requiescite. Matth. 26. 45. O grandis amor! verè in finem dilexit eos; cùm in tanta positus agonia eorum procurat quietem. S. Bonaventura Medit. vitæ Chr. c. 75.

Unus à dextris, & unus à sinistris. Matth. 27. 38. Ecce quomodo S. sanctorum inter facinorosos suspenditur, & reputatur: ut nos scelerati, ac perditi, inter sanctos Dei, & Angelos collocemur. Dion. Carthus. hic.

Ut quid dereliquisti me? Matth. 27. 46. Ideo Christus est derelictus in pœnis, nè nos derelinqueremur in peccatis: ut ipsius derelictio fit nostra liberatio peccatorum. Ideò derelictus in pœnis suis, nè nos derelinqueremur, cùm patimur in nostris. Ideò derelictus in pœnis temporaliter, nè nos æternè in Inferno damnaremur. Simon. Cass. l. 13. hic.

Ego sum lux Mundi. Joan. 8. 12. Christi in nos amor sibi calorem usurpat, nobis lucem relinquit. *Ego sum lux Mundi*. q. d. vobis homines lux sum, mihi ignis; vobis suavis, mihi durus; vobis quietem relinquo, mihi laborem assumo. Olim dicebam: Sabbatum meum calix vester; nunc Sabbatum calix meus. Did. Nyss. Sabbato Domin. 4. Quadr. §. 3.

Quem quæritis? Joan. 18. 7. Timuit Jesus mortem, Judæorum cohortem, Judam proditorem; sed leone animosiorem reddidit amor: in hostiles acies inpavidus irruit, dicens: *quem*

quem quæritis? Velut propugnaculum ante Ecclesiam suam ponsam. Apostolos, seipsum constituens: dum vinculis tradit manus, jubet incolumes Discipulos abire. Arcones in Is. 2. 2. Disc. 4.

Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Joan. 18. 8. Quænam hæc consequentia? Certè amans ardentissimè, quasi consequentiæ vi, cùm ipse patitur, reputat se toti Passioni singulariter addicendum, ad omnimodam dilectorum incolumitatem. Escobar tom. 3. Coll. Chr. lib. 3. sect. 1. obs. 4.

Sitio. Joan. 19. 28. Nonnè ex aperto latere fluxit sanguis, & aqua? quomodo ergo sitit, si aquæ fluenta habet in pectore? Quia his undis homines erant abluendi, Mundus irrigandus, abstergendæ culpæ. Voluit ergo Dominus sitim pati, & ex pectore aquas non haurire: nè, si vel minimam poteret guttam, videretur aquam usurpare, quæ hominum commodo deserviret: pluris faciens subditorum commoda, quàm sua. Castillo Illat. 27.

Ex Patribus, & aliis.

Deformitas Christi te format: ille enim si deformis esse noluisset, tu formam, quam perdidisti, non recepisses. Pendebat ergo in cruce deformis; sed deformitas illius pulchritudo nostra erat. S. August. s. 20. de Verb. Ap.

Ille maledictum in Cruce factus, ut tu benedictus esses in Dei regno. S. Ambros. ep. 47.

Mortuus est, ut tibi immortalitatem donaret: esuriit, ut te sua carne satiaret: sitivit, ut te proprio potaret sanguine: super asinum sedit, ut te super Cherubim sedere faceret. S. Chrys. s. de Cruce Dominica.

Pater! ergo moriar, ut non moriantur omnes. Pater! ego Adæ debitum solvam, ut per me tibi vivant, qui per Adam moriuntur inferno. Pater! propter sententiam tuam ego meum sanguinem fundam; tantùm est, ut ad te tua redeat creatura: pretium chari tibi sanguinis mei redemptio sit omnium mortuorum. S. Chrysol. s. 65.

Solus descendit ad inferos, cum multis indè ascendit. Cyrill. Jeros. Catech. 14.

Illius exinanitio facta est repletio nostra; illius miseriæ, Mundi deliciæ sunt. S. Bernardus s. 4. in Assumpt. B. V.

Rebecca Apostolica, ut sic loquar, animi magnitudine prædita, imprecationem suscipere minimè dubitavit ut ipsius filius benedictionem consequeretur. Atque bonis quidem ipsi cedebat; mala autem ipsa sola sufferre parata erat dicens: *in me sit ista maledictio fili mi.* Gen. 27. 13. S. Isid. Pelus. lib. 2. ep. 58.

Non serviam, inquit homo Creatori: ego igitur serviam tibi, inquit Creator homini. Tu recumbe, ego ministrabo; ego tibi pedes lavabo. Tu quiesce; ego labores tuos feram, infirmitates portabo: utere me in omni necessitate tua; non modo ut servo tuo, sed etiam ut jumento tuo, ut peculio tuo. Si fatigatus, aut oneratus es; ego te, & onus tuum feram: si esuris, aut sitis; & ad manum fortè nihil melius habes; ecce ego paratus immolari, ut carnes meas comedas, & sanguinem bibas. Si in captivitatem ductus es; ecce ego vendo me, teque pretio mei, vel me ipso pretio redime. Si infirmaris, & mori times; ego moriar pro te, ut de sanguine meo conficias tibi medicamenta. Guarricus Abb. s. 1. de ram. Palm.

O verè mira, & miranda dignatio! accepit necem, reddidit salutem: pertulit injurias, tribuit honores: dolorem sumpsit, contulit sospitatem. Et solus, & summè pius; qui dulcia præstitit; cùm amara susceperit. Cassiod. in Psalm. 30.

Constituisti tuum amorem in cruce, felle, & aceto; nostrum verò in melle, & dulcedine. Stella de am. Dei Medit. 6.

Aquæ amaræ omnes sunt in mari, & ex his exeunt omnes aquæ dulces. Sic in Christo fuerunt omnes amaritudines, & afflictiones simul: attamen ex hoc mari mera nobis dulcedo, & consolatio profluxit. Diez Passio Domini.

Anchora. Lem: *Nè mergatur immergor.* Joan. 1. 12. *tollite me, & mittite in mare; & cessabit mare à vobis.* Picinelli.

Num. III.

Patientis amor causa tristitiæ, & agoniæ.

Et quis tristitiam mortis intulit in animam ipsiusmet vitæ, nisi amor? qui excitans commiserationem, per illam traxit nostras miserias in eximium cor suum. Verùm dulce illi est amore mei ferre tormenta: quin & lætus moritur, dum dolore moritur, ut vivam ego. S. Franc. Salef. de div. am. lib. 5. cap. 5.

Hæc tristitia magnitudinem prætendebat amoris: ut in tantum nos sciamus diligi, ut tristetur pro nobis lætitia. Nemo tristatur, nisi de damno dilecti: æqua namque lance appenditur in animabus hominum circa eamdem rem amor, cùm adest; dolor, cùm abest. Licèt plena ratio naturalis non possit reddi de tam stupendo doloris signo ostenso in sudore sanguineo; nihilominus dici potest, quòd aliqualiter dispositivè timor, & amor, bellantes in corde Jesu, quoad suum sensitivum in causa extiterunt. Dum enim attenderet, tam grave bellum super se verissimè imminere; timore concussit sensitivum suum, ex quo sanguineus humor fuit ad interiora reductus. Super hunc autem timorem rejiciendum fortissimus, & ferventissimus amor tanquam miræ magnitudinis malleus repercutiens, & ipsum excludens, omnes poros corporis Jesu Christi, & venam largiter relaxavit: ut sic de toto corpore flueret sanguineus sudor decurrens in terram. S. Bernardinus t. 1. s. 55. art. 1.

Num. IV.

Passio indigna persona, non amore.

Amor, cùm ingreditur in alicujus cor, efficit, ut indigna ipso operante faciat; sed non ipso amore indigna. Ignis suo calore efficit, ut aqua fervens faciat illa, quæ ipsi aquæ sunt contraria; sed non igni: aqua enim, quæ de se frigida est, concepto calore ignis fervet, ebullit, saltat; quæ omnia ipsi aquæ, non autem igni, qui ea operatur, sunt adversa. Sic Deum flagellari, crucifigi, & opprobriis affici, res quidem fuit indigna persona Filii Dei; sed non indigna amore ejus, qui talia patiebatur &c. Diez amor Dei erga hominem.

Num. V.

Pati amoris signum.

Si dederit homo omnem substantiam domus pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Cant. 8. 7. Substantiæ, opum, & divitiarum profusionem nihil æstimat; luculentius sui amoris testimonium requirit. Doultreman de am. lib. 2. amor patiens.

Nullum fortius, evidentiusve, testimonium amoris est, quàm damnum propter amicum. Unde nihil satis fuit diabolo, ut crederet, quòd Job Deum diligeret, nisi ipse sanctus vir in seipso, in carne sua, aliquid pateretur. *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.* Prov. 12. 26. Et Paulus Hebr. 12. 4. *nondum usque ad sanguinem restitistis*; necdum manifesta indicia vestri amoris exhibuistis; cùm adhuc nihil propter amicum passi estis. Multa quidem, & maxima, beneficia à divina bonitate homo acceperat, quæ testimonium dabant divini in illum amoris: sed hæc quid impendii, aut laboris dederunt? *ipse dixit, & facta sunt*; præter verba nullos alios sumptus fecit. At postquam mortali nostra carne indutus dolores, & patibulum tulit, & à planta pedis usque ad verticem capitis percussus fuit; jam majora homo testimonia accepit divini amoris. Diez Contemplatio vitæ Christi.

Num. VI.

Patitur in suis.

Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Is. 53. 7. Flagellatur, & tacet; spinis coronatur, & silet &c. At alapa percussus, modestè præter morem querulus, ait: *si malè locutus sum.* Joan. 18. 23. Cur id? quia major injuria. Unde precor? Philo Carpath. ad c. 5. Cant. genæ Christi, Martyres sunt Ecclesiæ. Illud vulnus patientissimo agno gravius; cùm Martyres dilecti verberantur. Escobar t. 3. Colloq. Chr. l. 11. s. 1. obs. 3.

Primogenitus mortuorum. Apoc. 1. 5. S. Ambros. hic: quomodo Christus primogenitus mortuorum dicitur, cùm ipse in fine temporum sit natus, adventumque ejus innumerabilis, multitudo hominum præcesserit? sed primogenitus propriè mortuorum ponitur; sicut primos in populo eos vocamus, qui non ætate, sed honore, & dignitate, cæteros antecellunt. Primogenitus ergo mortuorum Christus est: quia ipse est primus, & caput omnium Electorum suorum. Auditis Christi miraculis Herodes ait: *quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis surrexit.* Matth. 6. 16. Quid habet Joannes cum Christo, ut rex Joannem à mortuis surrexisse putet? Respondet Chrysol. s. 17. Verum dicit: nam, sicut in Christo sui resurgunt, ità in suis ipse patitur Christus: & sicut honor capitis ad membra pertendit; ità membrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat injuriam. Castillo Illat. 67.

Auditis, Christum *Agnum* vocari; *qui occisus est ab origine Mundi?* Apoc. 13. 8. Quomodo ab origine orbis occidi potuit, qui post sæcula sanguinem fudit? nisi quia in Agno Abele Pastor ipse, & agnus, patitur. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 1. sect. 4. obs. 3.

§. VIII.

Patientis misericordia.

Cum venisset Bethphage ad montem Oliveti. Matth. 21. 1. Cùm ad Passionem Christus venit, per montem transit. olivarum, idest, per summam misericordiam. Osorius Dom. Palm.

In villam, quæ dicitur Gethsemani. Matth. 26. 36. Gethsemam idem est, quod *torcular olei*: in hac enim villa videtur fuisse torcular, ad quod olivæ in oliveto copiosè provenientes deferebantur, ut in eo premerentur ad exprimendum oleum. Ibidem ex agonia expressus est sanguis Christi; quo quasi oleo reficiuntur, ungimur, pascimur. *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. 2. Cornelius hic.

Crucifixus fuit patiens, ut vocaret ad pœnitentiam immanes peccatores. S. Chrys. in Ps. 2.

§. IX.

Dolorum magnitudo, & copia.

Num. I.

Nec quidquam mellis. Lev. 2. 11. Allegoricè, & præcipua causa: ut significaretur, in sacrificio crucis omne mel, idest, omnem suavitatem, & lætitiam defuturam. Cornelius hic.

Ego autem sum vermis, & non homo. Ps. 21. 7. Loquitur David de improperiis, & atrocissima morte, quàm Christus passus est; & ejus nomine conqueritur de malorum crudelitate; & quàm parum æstimarint, illum tot tormentis affligere, & severissima morte interficere. Non comparat se ulli animalium magnorum, & pulchrorum, quæ sunt in terra; quæ cùm homo occidit, videtur pietate commotus eorum mortem dolere. Vermem autem ità pedibus conteritis, ac sine dolore interficitis, acsi nihil feceretis; præsertim si noxius est. Sic à multis hodieque offenditur, quasi vermis impotens se vendicare, quasi nobis noceret &c. Diez s. de Pass. D. Vermis quidem nimia quidem videtur abjectione contemnibilis; sed magna continet Sacramenta. Nascitur absque concubitu, repit humilis, movetur sine sonitu. Quæ si consideres, non immeritò D. Christum vermem appellatum esse cognosces. Vermis ergo, quia mortalis; quia de carne sine permixtione humani seminis natus est; quia viæ ipsius silentiosæ, & humiles extiterunt. Cassiodorus. hic.

Tu scis improperium meum, & confusionem meam. Ps. 68. 20. q. d. non homo, nec Angelus potest tormentorum magnitudinem intelligere. Solus Pater cognoscit: quia solus ipse, quanta sit ejus dignitas, intelligit: eò enim major est contumelia, quò amplior est dignitas patientis. Diez s. de Pass. Dom.

Dura sicut Infernus æmulatio. Cant. 8. 6. quia dum Synagoga Christum ad inferos posse se transmittere putavit, ei usque ad mortem corde immisericordi invidit. Ut Infernus dura æmulatio extitit: quia, sicut Infernus sine misericordia, quæ tenet, cruciat; sic Judaica plebs Christum Apprehendens sine respectu pietatis ad mortem trahebat. V. Beda Cant. hic.

Despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Verè languores nostros ipse portavit. Is. 53. 3. 4.

Magna est velut mare contritio tua. Thren. 2. 13. Tormenta nostra, flumina sunt; non enim omnia simul patimur. Alius inopia premitur; sed valetudine non laborat: alius est æger; sed cubat in viola: alius hærede caret; sed hæreditate abundat: hunc invidia dejicit; sed fortuna evehit. Davidem Saul ejecit; sed Samuel unxit. Solum Jesum in cruce; & dolor, & dedecus, & mœror, & exprobratio, ità oppressere; ut non jam flumen, sed mare dici debeat contritio ejus. Ægris, calamitosis, solatia reis ipsis adsunt, & opitulationes: at Christo latrones, blasphemi, irrisores, milites, adfuere; qui acetum sitienti præberent. Oliva lib. 4. Strom. §. Magna est &c.

Induerunt eum vestimentis ejus &c. Matth. 27. 31. Suis vestibus reinduitur, & cum his minatur ad mortem: ut etiam, quidquid potest esse Christi, cum ipso à Mundo proscripto, proscribatur, & cum ipso damnato damnetur; nec reliquiæ Christi remanerent hominibus super terram. Simon. Cass. lib. 13. hic.

Et adduxerunt ad Annam primùm &c. Joan. 18. 13. &c. Hoc uno consilio Senatores pessimi vi raptum deferunt ad judices plurimos, ab Anna ad Caipham, à Caipha ad Pilatum: ut, quò plures judices ferrent sententiam, gravior Christo D. injuria fieret; & justior in eum censura videretur; quæ tam multis, doctisque viris placuisset. Velloso in Judith 7. Paræn. 23.

Cor Salvatoris, vera Orientalis unio, unicè unicus, & pretii inæstimabilis, jactum in mare incomparabilium amaritudinum diebus ejus Passionis seipsum in se ipso liquefecit, & resolvit in dolorem vi, & vehementia angustiarum mortalium undique prementium. S. Franc. Salef. tr. de am. div. lib. 6. cap. 12.

Nunquam latro, aut sceleſtus quispiam, tàm crudeliter tractatus est, aut turpiter deformatus; ut Jesus Christus Filius Dei; cui nulla unquam peccati macula adhæsit. Blosius marg. spir. p. 3. c. 4.

Num. II.

Super omnes dolores.

O vos omnes, qui transitis per viam &c. Thr. 1. 12. Scio, multos alios gravia passos; plerisque tamen, corpore afflicto, animus à cruciatu immunis; aut patiente animo corpus liberum. Christus D. in utroque passus: ideò meritò antonomasticè *vir dolorum* vocatur. Is. 53. 3. 2. In illo maximè diuturna tormentata à conceptione. Ps. 37. 18. *dolor meus in conspectu meo semper*; idque distinctissimè ad omnes usque minutias. Vidit plagarum, alaparum, ictuum, flagellorum numerum, & auctores, illorum: numerum spinarum, sputorum, ludibriorum: ità ut Christo D. æquè immò magis, doluerit, tormenta hæc eminùs contemplari, quàm nobis dolere possit, illa præsentia intueri. Joan. 18. 4. *sciens omnia, quæ ventura erant super eum.* Minimè miror, Christum D. nunquam risisse: dixit enim de se. Ps. 37. 7. *tota die contristatus ingrediebar*, & Psalm. 30. 11. *defecit in dolore, vita mea, & anni mei in gemitibus.* Perpendite, unquam lætari potuisset rex Balthasar. Dan. 5. 30. pugionibus in lecto trucidatus; si à prima puericia nudos semper pugiones oculis suis obversari vidisset, sua olim inter præcordia mergendos. O miserum Sisaram! Judic. 4. 21. Si clavum illum semper oculis præsentem habuisset, quò ad torrentem Cison caput sibi erat perforandum. Miserum Abimelechum! Judic. 9. 53. si semper intueri coactus fuisset faxum illud, quo illi cerebrum elisum est. Christus autem verè dicere poterat: *dolor meus in conspectu meo semper*, & vigilanti, & dormienti. Multorum Patrum opinio est, quòd illa animi deliquia, tremores, tædia, & conflictus, quos in horto expertus est; non fuerint insoliti, sed frequentes, & usitati: & quidem in tanta intensione; ut semper sudore sanguineo manasset, nisi altissimo suo dominio illum continuisset. Nihil adhuc dixi de tristitia illa, sensuque acerbissimo, quem in eo continuò excitarunt tot divinæ majestati illatæ injuriæ, & gravissimæ calamitates; quæ genus humanum ideo expectabant. Noè in arca manu propria fenestram clausit. Gen. 7. 16. S. Hieron. ut non spectacul tristis aspectu Noemus magis cruciaretur. Soli Jesu omnes aditus & portæ animi relinquebantur apertæ; ut ante tempus stragem charissimorum suorum videret: nec oculum in ullam partem posset defigere; ubi non lacrymarum, sanguinis, mortis, materiam inveniret &c. Segneri die Ven. S. Vide eumdem hic fusissimè de his doloribus discurrentem.

Num. III.

Sine solatio.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23. 46. Sic ex itinere crucis, ac mortis, fatigata Christi anima in Patris tandem manibus requievit, instar illius columbæ; cùm nusquam reperisset, ubi figeret pedem. Gen. 8. 9. ad Noè regreditur, ramum ferens virentis olivæ; fidem videlicet Matris, quæ non aruerat. Defuit Christo D. in Passione ubi requiesceret; & omnia illa, ubi sperare poterat respirationem, & solatium, versa sunt in instrumenta dolorum, & pœnarum. Planè *maledictus homo, qui confidit in homine.* Jer. 17. 5. quippè cùm Jesus omnia spei sibi verti viderit in proditiones, & cruces &c. Oliva t. 2. Strom. §. Pater in manus &c.

Num. IV.

Passionis tempus, dies, hora, locus.

Et emisit eum. Gen. 3. 23. Communiter Patres tradunt, Adamum eodem die, quo creatus est, peccasse, & paradiso ejectum: scilicet feria sexta, immò hora eadem qua Christus mortuus est, & nos paradiso restituit. Cornelius hic.

Eadem die egressus. Ex. 12. 41. Dies Paschæ, sive prima azymorum, qua Hebræi egressi ex Ægypto, fuit dies Veneris: Deo ità disponente; ut significaret diem Veneris, quo Christus Phase nostrum immolatus est &c. Cornelius hic.

Cùm Eva mandatum in paradiso transgressa est, hora erat quasi sexta. Sanct. Chrysostomus tom. 6. orat. in Samaritanam.

Sexta hora crucifixus fuit, ut eadem hora restitueretur homo, qua de paradiso est ejectus. Hugo Card. in Gen. 3.

Qui cecidimus in horto paradisi, vidimus in horto salutarem Passionem sumpsisse initium; & omnia, quæ priùs corrupta, reparata esse. Theophylactus in Joan. 18.

Cùm res paradisi attigimus, miratus sum certè figurarum veritatem. In paradiso *casus in horto* salus: de ligno peccatum; & per lignum salvatio. Post meridiem Domino perambulante occultati sunt; & post meridiem à Domino latro in paradisum introducitur. S. Cyrill. Jeros. Catech. 13.

Ut in paradiso malorum initium factum; sic in horto Christi Passio incipit; per quam à malis liberati in pristinum habitum restituti *sumus*. S. Cyrill. Alex. l. 1. in Joan. 31.

Christus dicitur Act. 8. 32. *Agnus*, & *ovis*. S. Leo s. 7. de Epiph. dispositos sub persecutione inchoavit, & sub persecutione *finivit*: nec puero tolerantia passionis, nec passuro defuit mansuetudo puerilis. Agnus est in tenera ætate, ovis in matura: quia patientiam, qua in puericia sustinuit multas persecutiones, & adversitates, eamdem retinuit ultimo vitæ suæ tempore, in passione, & morte. *In laboribus à juventute mea*. Sylveira hic.

§. X.

Passionis memoria.

Num. I.

Figuræ, & Symbola.

Expressi in calicem &c. Gen. 40. 11. Tunc in calicem uvas exprimimus, quando per memoriam Passionis Christi dilectione afficimur. Hugo Card. hic.

Erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos. Ex. 13. 9. Dicitur hoc de Pascha, in quo Passio Dominica est signata, quasi dicat: cùm converteris cor tuum ad agenda, hoc erit tibi pro signo in manu; si verò ad cogitanda, erit tibi pro signo ante oculos. S. Bonaventura s. de exalt. S. Cruc.

Et ecce piscis. Tob. 6. 2. Moraliter piscis est Christus; fel Passionis amaritudo; cor dilectionis immensitas. Fel ergo, & cordis particulam piscis sibi reponit; qui dilectionis, qua dilexit nos, & amaritudinis, quam in Passione sustinuit, recordatur. Hugo Card. hic.

Fasciculus myrrhæ inter ubera mea. Cant. 1. 12. Si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam; atque hanc myrrhæ tam charum fasciculum de principatu tui pectoris nec ad horam patieris avelli: amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens. Habe illum semper, non retro in humeris, sed antè præ oculis; nè portantes, & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Mementote, quia accepit eum Simeon in ulnis suis, Maria gestavit in utero, fovit in gremio; sponsa sibi inter ubera collocavit. S. Bernardus s. 43. in Cant. Non apposuit, fuit, est, vel erit: quia Dilectus omni tempore debet esse fasciculus myrrhæ: quia, dum vivis, Passionem ejus jugiter debes meditari, & imitari. De Ponte hic Ex. 7. §. 2.

Per fragmen mali Punici. Cant. 4. 3. memoria Passionis accipitur. S. Thom. Aqu. hic.

Comæ capitis tui sicut purpura &c. Cant. 7. 5. Debent affectiones nostræ esse sicut purpura regis, propter memoriam Passionis Christi. S. Tho. Aqu. hic. lect. 2. Cogitationes tuæ, tinctæ in sanguine Dominicæ Passionis, sic affectæ semper fuere, quasi recenter viderent sanguinem de vulneribus profluentem. Hailgrinus Card.

Percussoque latere Petri excitavit eum. Act. 12. 7. Percussio lateris commemoratio Passionis Christi est, de cujus vulnere salus nostra profluxit. Et nobis quoque pressurarum catena retentis tale solatium reddit ipse Apostolus Petrus: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* V. Beda hic.

Num. II.

Motiva.

Beatus, qui intelligit &c. Ps. 40. 1. Beatus, qui intelligit super Christum pauperem, nudum videlicet in Cruce pendentem; idest, qui attentè cogitat Passionem ejus: infinitus enim thesaurus paratus est Christi Passionem, ut par est, intelligentibus, & diligenter meditantibus. Bellarminus hic.

Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Ps. 140. 3. ut nihil aliud, nisi sanguinem Christi loquamur; quo mortem vicimus, quo redempti sumus. S. Ambr. ep. 82.

Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Marci 16. 15. Quid debent prædicare? Eusebius Emiss. s. de Ascens. multa quidem in Prophetis, & Apostolis, & in verbis Dominicis, referuntur, quibus hæc una determinatio sufficere potest, quale est illud: *cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* q. d. prædicate ex Evangelio potissimùm meam necem; & hoc omni creaturæ: quia tantam vim habet hæc prædicatio, ut vel saxa, & quercus emollire, maria rænare, gelu solvere, bruta mansuescere possit. Did. Nyss. Quinqu. §. 1.

Asceta spiritualis amabilem vitam, & Passionem Domini Jesu, tamquam pretiosissimam margaritam in scrinio pectoris sui semper reconditam habeat. Dum corpus cibo, & potu, reficis; buccellas, quas sumit, devota cogitatione intingat in purissimum sanguinem illius; & hauriat potum è roseis vulneribus ejus. Vel unica humilis, atque amorosa, conversio ad dulcia vulnera Salvatoris ipsi Domino gratior est, quàm sit omnis vocum, sonorumque Musicorum harmonia, & suavitas. Meritò singulares Dei amici etiam sanguineis lacrymis deflere deberent, quòd hodie in toto terrarum orbe ità eadem præcellentissima Christi vulnera in oblivionem abierint. Nullus omninò potest aliquid humiliter de Passione tegere, vel cogitare (licèt modicò fortè affectu id faciat) quin eximium salutis fructum inde referat. Quemadmodum fieri inquit; ut is, qui farinam, vel opobalsamum, etiam summis digitis, contingit, non habeat ipsos digitos farina conspersos, aut opobalsami liquore, atque odore, perfusos. Etiamsi imago Crucifixi Jesu inspiciatur tantùm; non erit inanis hæc aspectio. Blosius Instit. spir. c. 6.

Neque scribi, neque cogitatione comprehendi potest; quantum fructum homo bonæ voluntatis, & humilis, referat ex pia meditatione Passionis Dominicæ. Id. ex conclavi an. spir. c. 10. §. 7.

Memoria Passionis est præsens passionum, & affectionum inordinatarum, exterminatio, suave angustiarum refugium, amica laborum requies, verum sanctitatis ostium, dulcis animæ consolatio, indeficiens divini amoris incendium, omnium adversitatum condimentum, omnium virtutum fons. Id. speculo Monachorum.

Num. III.

Antidotum contra vitia.

Nolite me considerare, quòd fuscæ sim: quia decoloravit me sol. Cant. 1. 5. S. Anton. de Pad. s. D. 3. Quadr. sol eclypsim, id est, defectum patiens omnia decolorat. Sic verus sol Christus, qui *cognovit occasum suum*. Ps. 103. 19. eclypsim mortis in cruce patiens, omnes colores, omnes vanitates, omnes glorias fallaces, omnes honores, debet decolorare. Ideò dicit anima pœnitentis: nigra sum, fusca sum, quia decoloravit me sol. Dum enim oculo fidei Deum meum, sponsum meum, Jesum Christum in cruce pendentem, clavis confixum, felle, & aceto potatum, corona spinea coronatum, video; omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis pompa transitoria, in pallorem vertitur, & à me nihili æstimatur. Quis non horreat vestium luxum, cùm videt nudum in sua cruce Jesum? quis contumeliosissimæ Domini sui Passionis, & mortis, spectator, inanem ambiat gloriam? quis non fundat lacrymas, si cogitet, Redemptorem suum toto corpore manantem sanguine: quem oblectet ridere, jocari, nugari, ludere; quando Jesum tantis pœnis afflictatum videt? Did. Nyss. Dom. Quinq. §. 1.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Cant. 8. 6. S. Ambros. in Ps. 118. s. 15. infige pectori tuo, & cordi tuo, imaginem Crucifixi; infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint. Orig. in c. 6. Rom. est tanta vis Christi crucifixi; ut, si ante oculos ponatur, & mente fideliter retineatur; ità ut in ipsam mortem Christi intentis oculis inspiciatur; nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia; sed continuò ad ejus præsentiam totus ille peccati, & carnis, fugatur exercitus. Id. D. 1. Pasch. §. 5.

Ostendit eis manus, & latus. Joan. 20. 20. Christus Discipulis tam gaudioso die cicatrices vulnerum suorum ostendit, ad coercendam omnem lætitiæ intemperantiam. Id. ib.

Nihil est, quod ità ab omnium vitiorum impulsu, & contagione, cogitationem nostram purificet, & in puritate conservet; sicut jugis memoria crucis, ac Passionis Domini Jesu. S. Bernardus de Pass. D. c. 44.

Num. IV.

Oblivio Passionis.

A dæmonio meridiano. Ps. 90. 6. Est dæmonium meridianum, avertens à meridie claritatis; quæ Mundo in meridie obscurato ex morte Salvatoris infulsit. Vexatio quidem non cessat, ut homines arceantur à memoria Dominicæ mortis. Sim. Cass. l. 5. c. 24.

Inimici mei sunt quasi bestiæ ferocissimæ. Horum cor sic est vacuum à charitate mea; quòd nunquam in eo intrat cogitatio Passionis meæ. Nunquam semel adhuc processit de intimo corde eorum hoc verbum: Domine redimisti nos! laus sit tibi pro amara Passione tua. Ipsorum cor plenum est vermibus vilissimis, idest, affectionibus Mundi. In ore eorum posuit diabolus stercus suum; & ideo non placent ei verba mea. l. 1. revel. S. Brig. c. 6. verba Chr.

§. IX.

§. XI.

Passionis Meditatio.

Obscuratus est sol. Luc. 23. 45. Miro modo voluit hunc Deus circumcidere oculos hominum cum tenebris densis; nè visus in objecta forinseca vagaretur; sed ut ingrederetur ad cor, ad considerationem eorum, quæ agebantur Dei Filio, & in ipso agebantur. Et diem verterunt in noctem, ut interior fieret contemplatio arcanorum. Induxit igitur Dominus tenebras super orbem; ut nec aliquid intueretur oculi; nec moveretur, & pedes, ut in quiete corporis, & privatione forinseci luminis sedulè meditarentur hi, qui propè: similiter & qui longè Dei Filii Passionem similiter & omnem mysterii actionem. Sim. Cass. l. 13. hic.

Hoc sentite in vobis, quòd & in Christo Jesu. Philipp. 2. 5. Non dicit, cogitate, contemplamini, aut loquimini, de Passione Domini; sed ut animo, & corde sentiatis. *Sentite in vobis*, id est, transferte in vosipsos dolores, quos sensit Jesus Christus: nisi enim illos in vobis sentiatis, & experiamini, non potestis, quanti, & quàm acerbi sint, cognoscere. Diez s. de Pass. Dom. Cupiebat plantare in cordibus Fidelium continuam Passionis Dominicæ memoriam; & ità insculpere, ut numquam excidere. Non dixit; cogitate de ea; sed *sentite*. Debes considerare cum gustu Passionem Christi; & consideratio sit viva, sensualis. Cùm quidpiam non sentimus, id evenit; vel quia in se est tam exiguum, ut opus sit attentione magna ad percipiendum; vel sensus tam obtusus, ut, licèt res sit magna, egeat ad illud videndum excitatione. Cùm autem Passio Domini sit res maxima, & pretiosissima earum, quæ nobis in Mundo datæ sunt, qua Deus exercuit omnem suam potentiam, scientiam, & charitatem; certum est, quòd illam non percipias: quia tu insensibilior petris existis; quæ eam senserunt, & scissæ sunt. Stella de cont. an. Mundi p. 1. c. 95.

Et intus plena sunt oculis. Apoc. 4. 8. Ostenditur hic Christus non in gloria, ut Ezech. 1. 5. sed tanquam vulneratus, & occisus. Apoc. 5. 6. Tot hic meditanda, ut innumeri oculi requirantur. Sylveira hic.

§. XII.

Ex Passionis meditatione compassio, & lacrymæ.

Sis quasi mulier jam plurima tempore lugens mortuum, & ingredieris ad regem &c. 2. Reg. 14. 3. dicebat Joab Thecuiti. Quis est mortuus ille, quem plurimo, immò toto, vitæ tempore lugere debet anima Christiana; nisi Christus? qui passus, mortuus, & sepultus pro nobis. Jonghen. Nupt. agni p. 1. Exh. 10.

Nolite flere super me &c. Luc. 23. 28 q. d. attendite, quòd causa fletus non est in me, sed in vobis. Hugo Card. in Gen. cap. 45. Sol obscuratur, terra movetur, petræ scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur: solus miser homo non compatitur, pro quo solo Deus patitur. S. Bonaventura hic. Mirum, me vidisse sæpè recolui, audita Christi Passione multos, etiam reprobos, prorupisse in lacrymas: quas tu elicerem ab oculis audientium concionando ad populum, stultè, nescio, an peritè, per pia verba sæpè tentavi: maximè ab illo tempore, sive die quo Ecclesia Christum per sua officia recolit crucifixum. Cumque ad propria remeasse illos aspicerem; Christi Passionibus, & lacrymis, & virtutibus, valedixisse cognovi: & de pristina conversatione nihil mali fuisse ademptum; nec flevisse facinora, propter quæ Passio fuit collata, quam fleverant. Sim. Cass. l. 13. in Luc. 23. 28.

In monte Calvariæ quatuor columnæ marmoreæ perpetuò stillantes aquam: quasi æternis lacrymis Passionem Dominicam commemorantes. Nierembergius l. de mir. nat. terræ sanctæ c. 65. ex Petrus à S. Dominico.

§. XIII.

Passionis suæ vult nos participes Christus.

Transeat à me calix iste. Matth. 26. 39. S. Hilarius can. 31. in Matth. pro his rogat, qui passuri post se erant, dicens, *transeat* id est: quomodo à me bibitur? ità à meis bibatur. Apud Baeza t. 1. l. 1. c. 13. §. 1.

Cùm gustasset, noluit bibere. Matth. 27. 34. Gustavit Christus omnes passiones; sed non absorbuit, quin reliquerit sequacibus posteris. Nec abolevit mortem, quæ originaliter provenit ex parentibus primis. Quanquam enim sua Passione nostra peccata deleret, reconciliaret & Patri: non tamen mortem abstulit, nec passiones, ut non essent, absorbuit. Relinquendæ profectò erant divino, & infallibili decernente decreto, mors hominibus, & passiones, cum quibus humana natura certaret ad prœmium, evaderetque supplicium, & angeretur timore, quæ amore primo non steterat. Et si impassibilis est Christi Passionibus, quòd nullo modo pateretur, aut moreretur; superbisset perampliùs, quæ passibilis manens tantum superbivit; ut divina mandata superbiendo contemneret. Simon. Cass. l. 13. hic.

Sumens reliquias dedit eis. Luc. 24. 43. Quòd ipse priùs comedens Apostolis dedit reliquias; ad similia, quæ passus est, ipse invitat: ut, si fecit nobis expediens, & quod voluit; & nos, quod reliquum est, faciamus. Unum est opus Passionis in Christo, reliquiæ sunt Fidelium cæteræ Passiones. Sim. Cass. l. 14. hic.

Venite, prandete. Joan. 21. 10. Vocat ad esum Jesus suos Discipulos, ut cum ipso in *sua beatitudine* per suam misericordiam, & per meritum Passionis, data nostra operatione quæsita, æternaliter perfruamur. Id. l. 14. hic.

Miscellanea.

Pater clarifica nomen tuum. Joan. 12. 28. id est, teipsum manifesta, tuam bonitatem, majestatem, ac omnipotentiam tuam, per, meam Passionem declara. Virtute quippè, & meritò, Passionis Christi Pater totum Mundum illuminavit, suique nominis notitiam Gentibus per Apostolorum doctrinam patefecit. Ex hoc enim, quòd pater tradidit Filium suum, pro nobis in mortem, ostenditur misericordia, atque dilectio ejus ad nos & justitia ejus; quæ tanta est, quòd maluit Unigenitum suum occidi, quàm peccatum manere inexpiatum, inultum immune. Sapientia quoque jam admirabilem, & convenientissimum, modum invenit. Ità mors Christi fuit glorificatio Patris. Dion. Carthus. hic.

Unde Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur. S. Greg. hom. 2. in Evang.

Passio Christi imago fuit regni cœlestis. Nemo audivit in plateis vocem ejus: quia illo silentio Passionis suæ, clamorem omnem imposterum impiæ vocis abolebat. Nolebat fleri; quia dicebat ad filias Jerusalem: *nolite flere super me.* Ablaturus enim omnes lacrymas suæ beneficio crucis, in Passione propria futuræ instar beatitudinis lætitiam exhibebat; ut nemo fleret, nisi qui Christi beneficia non teneret. S. Ambros. in Ps. 118. Octon. 17.

Ambitur sacrum caput aculeis spinarum; & divinum verticem pœnalis coronæ pompa circumdat. Sed in spinis illis nostra eum peccata pungebant. S. Chrysost. de proditore, & myst. cœnæ Dom. s. 3.

Acetoso, & felleo poculo sibi propinato cum spongia, Joanne, qui presens fuit, attestante, subintulit: *consummatum est*; tanquam si in gutta aceti, & fellis, totius amarissimæ Passionis consumata plenitudo consisteret. S. Bonaventura tr. de ligno vitæ.

Etiamsi codices omnes, qui toto terrarum orbe habentur, intercessissent; vita, & Passio Christi abundè Christianis omnibus sufficeret ad virtutem omnem, & veritatem, perdiscendam. Blosius Concl. an. spir. c. 10. §. 7.

TITULUS VI.

PASSIONES.

§. I.

Symbola.

Qualis est hic? quia venti obediunt ei. Matth. 8. 27. Pugnant quatuor venti, scilicet gaudium, & dolor; spes, & timor, in corde hominum: &, contra definitionem sapientum, aut non sinunt animam esse felicem, sive quietam; aut illam in meliora compellunt. Sim. Cass. l. 4. c. 9. hic.

Si currus est anima, habet equos, vel bonos, vel malos. Boni equi virtutes sunt animæ, mali equi passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit, & revocat; bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Mali equi: iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. S. Ambros. l. de Isaac & anima c. 8.

Affectus omnis, seu perturbatio, quæ mentem vexat, ac de statu dimovet rationis, jure poterit ebrietas appellari. S. Basilius s. 1. de jejunio.

Sumus similes cœlo aereo secundùm partem, hanc inferiorem; in qua generantur tonitrua, & coruscationes, fulgura, & grandines, nives & pluvia. Quid est enim cœlum tonare; nisi potentes contra pauperes verba pomposa proferre? quid fluminibus ferire; nisi factis minores arctare? quid grandinibus percutere; nisi tempestates cordium, & discordias seminare? quid ningere? nisi malis exemplis calida corda frigefacere? &c. S. Bonaventura s. 1. B. V.

§. II.

Passionum victor est rex.

Præsit piscibus &c. Gen. 1. 26. In quo consistit hic principatus? in ratione præstantia. S. Greg. Nyss. or. 1. in ea script. verba: *faciamus hom.*

Myrrha, & gutta - à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ Regum. Ps. 44. 9. Vis domos eburneas spiritualiter acquirere? Magnæ domus, & magna tabernacula Dei, corda sunt Sanctorum. Ipsosque reges regentes carnem; subjungantes sibi turbas humanarum affectionum; castigantes curpus, & servituti subiicientes, accipe: quia inde delectaverunt eum filiæ regum. S. August. hic.

Meritò rex diceris, qui te rectè regere noveris. Origenes in lib. judic. hom. 6.

Qui seipsum regit; quod pluris est, quàm aliis imperare: cor ejus in manu Dei est; quò Deus vult, convertit illud? Non mirum, si convertit in bonum, qui perfectæ bonitatis est. S. Ambros. l. de fuga sæculi c. 6.

Hic demum rex verè est, qui iram, invidentiam, ac libidines, coercere, ac frænare, novit: qui, quidquid agit, id ad Dei legem exigit; qui mentem in libertate conservat; qui animum sub imperium voluptatum venire non sinit. S. Chrysost. t. 6. conc. de imperio, & potestate.

Verè liber, & solus princeps, ac rex regum, ille est; qui passionibus immunis est. Idem hom. 59. in Matth. 18.

Is demum rex est, qui iram, qui invidiam, qui voluptatem cohibens, omnia sub Dei lege agit mentem liberam servans; neque patiens voluptatum dominationem animo suo imperitare. Idem. Libello, in quo confert Monachum cum rege.

Ut piscibus præsis ratione carentibus, perturbationes, & animi motus rationi contrarios supera. *Et præsit bestiis*. Gen. 1. 26. Impera bestiis omnibus, quæ sunt in te. Quid? inquies; egone in me bestias habeo? tu vere bestias habes, & eas quidem innumerabiles. Dic, amabo, parvane est bestia iracundia, quando latrat in corde tuo? nonne ea est quovis cane crudelior? quid? in callido animo tuo dolus latitans nonne quovis urso fraudulento fævior est? Quid? nonne fera est hyprocrisis vel imanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam, nonne scorpius est; qui præceps ad vindictam, ultionemque, fertur; nonne est vipera gravissima? Quid avarus ipse? nonne lupus est rapacissimus? qui fœminarum amoribus insaniunt, nonne furiosi sunt equi? S. Gregor. Ny. or. 1. in illud: faciamus hom.

Majus est corpus proprium subjugare, quàm sibi regna subiicere. S. Bonav. s. 2. de S. Nicolao Ep.

Nonne tibi videtur animus humanus in se reginam quodammodo personam gerere, cùm cœperit affectibus, & passionibus, fortiter præsidere, & cum auctoritate imperare; & illud, quod intrà nos est, regnum cœlorum viriliter vindicare? Richardus à S. Vict. de erud. hom. inter l. 1. c. 1. Vide tit. affectus.

§. III.

Alia motiva Passiones vincendi.

Omnis Galilæa &c. Jos. 13. 2. Nomen Galilææ, quia fluctus illic ventis voluntati ludunt; vel à congestis passim, convolutisque arenarum cumulis. Galilæam cum Josue subjugat; qui carnem domans, passionesque fortiter subjugans, regnorumque revolutiones, procellas, & turbines spernit. Cornelius hic.

Beati pacifici. Matth. 5. 9. Pacifici in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subiicientes rationi, id est, menti, & spiritui; carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ità sunt ordinata omnia; ut id, quod est præcipuum in homine, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestiisque communia. S. August. l. 1. de serm. Dom. in monte cap. 8.

Anima mea. Luc. 1. 46. Toletus: rectè inquit B. Virgo *animæ mea*: quia ipsa sola habebat animam suam in potestate sua, ejusque erat domina: quia illam possidebat per patientiam, & affectuum, passionumque omnium dominium. At nos non possidemus animam nostram, quia possidemur ab ira, superbia &c. apud Cornelium hic.

Servit omnis, qui auctoritatem puræ non habet conscientiæ. Servit, quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore deiicitur: servilis enim est omnis passio. S. Ambros. de Jacob. & vita beata l. 2. c. 3.

Quemadmodum acerba vulnera nec levem quidem manus contractum ferunt; sic & animus perturbatus difficilis est, & morosus; & ad omnia indignatur; quovisque verbo mordetur, & offenditur. S. Chrysost. hom. de fide Annæ.

Nihil æquè affligit, ac si anima obsideatur à perturbationibus. Aliæ enim extrinsecus incidunt; hæ verò intus nascuntur: & hæc est maxima afflictio. Etiamsi nos vexet Mundus, nos autem ipsos non vexamus; nihil nobis fuerit molestum. In nostra potestate situm, ut vel affligamur, vel non affligamur. S. Chrysost. in Ps. 4.

Unusquisque affectus, ac perturbatio, cùm prævalet, ac dominatur rationibus sibi subjugatis; animi nostri tyrannus existit. S. Gregor. Nyss. or. in fun. Pulcheriæ.

Animos ipse sine sarcina est, donec & sperare desinat, & timere. Hildebertus ep. 1.

TITULUS VII.

PASTOR BONUS CHRISTUS.

Eradit quasi pastor gregem suam. Eccl. 18. 13. Christus pluris videtur facere pastoris nomen, quàm regis: hoc aspernatus est; & in morte inclinans caput à titulo regis deflexit; tùm contra seipsum pastorem nominet. Joan. 10. 11. Et licèt habuerit progenitores nobiles, maximè tamen, se à pastore descendere, indicare voluit. *Liber generationis Jesu Christi Filii David*. Matth. 1. 1. de quo Ps. 77. 70. *& elegit David servum suum; & sustulit eum de gregibus ovium*. Is. 40. 11. *sicut pastor gregem suum pascet*. Octavianus in Eccl. 18. 13. *Imponit in humeros suos gaudens*. Luc. 15. 5. Ovis onus videtur; sed corona est. Tertull. l. 3. adv. Marcion. c. 9. novus rex novorum ævorum Christus Jesus novæ gloriæ; & potestatem, & sublimitatem suam, humero extulit. Naxera in Jos. 3. §. 13.

Ego sum pastor bonus. Joan. 10. 11. Ego enim sum, qui, quod infirmum est, consolido; quod ægrotum, sano; quod confractum, alligo; quod errans reduco; quod periit, quæro. S. Basil. Seleuc. or. in prædicta verba. Cur non dicit: ego sum Samaritanus? quia ille magnæ charitatis fuit. Quia *Samaritanus, iter faciens*, casu invenit miserum: at bonus pastor multa cura errantem ovem quæsivit. Sylveira c. 19. in Joan. 10. *Et cognosco meas*. Joan. 10. 14. Theophylactus: mercenarios oves ignorat; rarò enim visitat. Pastor bonus oves agnoscit, quia frequenter visitat. Is. 7. 14. *vocabitur nomen ejus Emmanuel*. En pastoris nostri proprietas. Quid Emanuel? *nobiscum Deus*. Escobar l. 9. sect. 2. obs. 4.

Tamquam ovis ad occisionem, ductus est; & sicut agnus &c. Act. 8. 32. Dicitur ovis, cùm sit pastor bonus, S. Basilius Seleuc. pastor pro ovibus tamquam ovis jugulum præbet. Præclarum boni pastoris insigne est, ut pro jugulandis ovibus ipse sed ad mortem offerat. In nullo discrimine, in nulla actione suos videt, quod ipse in se dissimulet, & in se non assumat. Sylveira hic.

Quis pastor oves proprio pascit cuore? & quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non passus; sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. S. Chrysost. hom. 60. ad pop. Antioch.

Miscellanea.

Fuit autem Abel pastor ovium. Gen. 4. 2. S. Basilius hom. de M. Mamante: nè conveniras virum, ubi pastorem audis: qui Deo primus placuit Abel; pastor fuit. Moyses, magnus ille Legislator, pecudes pavit in monte Horeb Ex. 3. 1. 2. & per pasturam ad colloquium Dei pervenit. Jacob Patriarca pecudes pascendo pro veritate patientiam ostendit. David à pecudum pastura pervenit ad regnum. Sorores quædam sunt, pastura, & regni administratio: quapropter Dominus utraque complexus, & pastor est, & rex. Ps. 22. 1. *Dominus regit me*. Sept. *Dominus pascit me*. Mendoza in 1. Reg. 9. 3.

TITULUS VIII.

PATER.

§. I.

Cœlestis.

Non dixit: *Ascendi ad Patrem nostrum*. Joan. 20. 17. Nè esset communio creaturarum cum Unigenito: sed *ad Patrem*, inquit, *meum, & ad Patrem vestrum*: aliter meum per naturam; aliter vestrum per adoptionem. S. Cyrillus Jerosol. Catech. 11.

Deus dicitur Pater creatione, adoptione. Rom. 8. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum* Instructione Isaiæ 38. 19. *Pater filiis notam faciet veritatem*. Correctione. Prov. 3. 12. *quem diligit Dominus, corripit*. S. Thom. Aqu. in Jer. c. 3.

§. II.

Patris mira, dulcis, appellatio.

Pater noster, qui es in cœlis. Matth. 6. 9. O maximam Dei benignitatem! his, qui defecerunt ab illo, & in extrema inciderunt mala, tantam præstitit malorum oblivionem, & gratiæ participationem; ut Patrem sese appellari voluerit. S. Cyrill. Jerosol. Cathec. Mystag. 5.

Quid

Quid tam auget fiduciam? quid tam inflammat affectum? quid tam lætificat humilem animam? sicut Deum verum, & summum velle à Fidelibus Patrem vocari, eumque fiducialiter Patrem vocare. Dion. Carth. hic.

Qui? cui dicimus, *Pater noster*? nos quondam filii iræ, filii gehennæ, filii mortis, filii diaboli, dicimus *Pater noster*: Patri misericordiarum, Patri cœlestis patriæ, Patri vitæ sempiternæ, Patri D. N. J. C. Dei sibimet coæqualis, & coæterni. Rupertus l. 5. hic.

Quanta Domini indulgentia! quanta circa nos dignationis ejus, & bonitatis ubertas! qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei; ut Deum *Patrem* vocemus; & ut est Christus Dei Filius, sic & nos Dei filios nuncupemus: quod nomen nemo nostrum in oratione attinget; nisi ipse nobis sic permisisset orare. S. Cyprianus lib. de orat. Dom.

O amoris abundantiam! perculso animo inexplicabiles large illius in nos divinæ bonitatis opes admirare; qui talem, ac tantum, vocare *Patrem* es ausus. S. Chrysost. tom. 6. or. de instit. secundum Deum vita.

Frater S. Bernardi Gerardus, ut S. Bernardus refert s. 26. in Cant. cùm ad extrema venisset, & solemnem illam abeuntium formulam à Christo propositam usurpasset: *Pater! in manus tuas commendo spiritum meum*. Luc. 23. 46. regustata ea Patris appellatione conversus ad fratrem adstantem, non satiatus ejus vocis sæpius iterata suaviatione; quanta, inquit, dignatio Dei, Patrem hominum esse! quanta hominum gloria, Dei filios esse, & hæredes! Doultreman de am. l. 5. c. 2.

§. III.

Patris Cœlestis bonitas.

Surgam, & ibo ad Patrem meum. Luc. 15. 18. Qua spe? qua fiducia? qua confidentia? Qua se? illa, qua Pater est. Ego perdidi, quod erat filii; ille, quod patris est, non amisit. Aquod patrem non intercedit extraneus: intus est in patris pectore ipse, qui intervenit, exorat, affectus. S. Chrysol. s. 2.

Vidit illum Pater ejus. Luc. 15. 20. Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus scilicet: tam Pater nemo, tam pius nemo. Tertull. l. de pœnit.

Accurrit, & cecidit super collum ejus. ib. Rogo, quis hic desperationis locus? quæ hic excusationis occasio? hic simulatio quæ timoris? nisi fortè timetur occursus, terret osculum, turbat amplexus. S. Chrysol. s. 3.

Non ità gaudet vocari Dominus, ut Pater; neque sic amat habere servum, ut filium. S. Chrysost. s. 10. in ep. ad Rom. cap. 6.

Ipse quidem Patrem se exhibuit mihi; sed non ego vicissim me illi filium. Quanta fonte attollo jam oculos ad vultum Patris tam boni? tam malus filius! Pudet indigna gessisse genere meo! gaudet tanto Patri vixisse degenerum! S. Bernardus s. 16. in Cant.

§. IV.

Pater carnalis.

Est panes patrem dulcis conditio, libera servitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, secura possessio. S. Chrysol. s. 1.

In filio est substantia patris tota? & ideo nil pater perdidit, cùm recipit. Id. s. 4.

O quid facit vis amoris! quamvis malo filio, non esse nescit, non esse non potest pater. Videt filium degenerasse animo: videt paternæ pietatis, paterni generis, nil habere; & tamen nuncupat filium. Id. id.

Disertus aliquis pater si sit tantus orator, ut lingua illius fora concrepent, & tribunalia concutiantur; si habet parvulum filium, cùm ad domum redierit, seponit forensem eloquentiam, quo ascenderat, & lingua puerili descendit ad parvulum. S. August. tr. 7. in Jon. 1. 50.

Propinquorum quot oculi, tot lucernæ: dies est aspectus matris, sol patris rutilet in vultu. S. Chrysol. s. 1.

Liberis suis pater vice Dei est. S. Gregor. Naz. ad Vitalianum.

TITULUS IX.

PATIENTIA.

§. I.

Figuræ, Symbola, definitio.

Ex Veteri.

Ibo, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Ex. 3. 3. Magna est visio, si vides hominem invidiæ, calumniæ, tribulationum, igne circumdatum, & velut ardentem; non tamen comburi, non ullum vindictæ, aut impatientiæ, promere verbum. Stengelius t. 3. div. Judic. c. 50.

Sacerdos habebit pellem ejus. Levit. 7. 8. Pellis est Symbolum patientiæ, ut patet Job 2. 4. & Job 19. 20. quæ Sacerdotis propria virtus, & vestis est. Ita Ilichius apud Cornelium hic.

Homo quidam erat in regione &c. Job 1. 1. Ità legit Origenes. Erat tanquam rosa inter spinas, tamquam lilium inter tribulos; candidus, ac rubeus: candidus fide, ac sanctitate, rubeus velut rosa plane, quia sustinuit dolores, ac passiones. Origenes hic.

Quoniam ab ipso patientia mea. Ps. 61. 6 S. Bernardus s. 2. in Circumc. D. necesse est ergo, ut illucescat dies patientiæ, per quem omnia dura, & aspera, tacita amplectaris patientia. Apud Pinna in Eccl. Ethol. 258. Bene patientes erunt. Ps. 91. 15. S. Hieron. vertit *frondentes*.

Psallite Domino in cithara. Ps. 97. 5. Omnis patientia dulcis est Deo; si autem in ipsis tribulationibus defecerit, citharam fregisti. S. August. in Ps. 42.

Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Prov. 31. 21. Duplex est vestis, hyemalis, & æstivalis. Vestem hyemalem dico virtutes, quibus protegimur contra pluviam, & grandinem tentationum, & persecutionum: ut est patientia, mansuetudo, humilitas, & hujusmodi. Æstivalem dico virtutes; quibus tempore pacis, & tranquillitatis, vacatur bonis operibus, vel contemplationi: ut est pietas, charitas, sapientia. Hugo Card. hic.

Ædificavi mihi domos. Ecclæ. 2. 4. Quilibet deberet ædificare in seipso domos multas, velut in quadam civitate. Primam domum debet facere hyemalem, id est, domum patientiæ: in qua se tueatur à grandine, & pluvia tribulationum. Debet facere domum æstivalem, velut solarium: scilicet domum spei &c. Id hic.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Tunc amica Dei anima inter amicas est sicut lilium inter spinas: lilium enim, quamvis pugnatur à spinis, candorem tamen retinet? fortiorem emittens odorem, quàm si non pungatur. S. Albertus M. parad. an. c. 4.

Ex Novo.

Obtulerunt ei aurum. Matth. 2. 11. Aurum Deo offerimus, cùm per patientiam probati in tribulationibus non deficimus. B. Ivo Carnot. s. de Epiph. D.

Jesum quæritis &c. Marci 16. 6. Benè quæritis eum, quia Nazarenum, & crucifixum. Multi enim quærunt tantùm Jesum Nazarenum, id est, salutem floridam: volunt enim hic gaudere cum Mundo, & in futuro regnare cum Christo. Sed non invenitur Nazarenus sine crucifixo: *per multas tribulationes &c.* Act. 14. 21. Hugo Card. hic.

Et purgabit aream suam. Luc. 3. 17. Grana ad pedes ventilantis suo pondere cadunt; sed paleas longiùs rapit ventus. Si igitur in tribulatione ad Christi pedes cadis, ejus voluntati subjectis; granum es: palea; si te tribulatio à Christo removet. Christus ventilatus in horto à tribulatione, dum orat; sed *procidit in faciem suam*. Matth. 26. 39. Stella hic.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12. 35. S. Cyrillus Alex. in Cat. S. Thomæ: succingi significat agilitatem, & promptitudinem, ad sustinenda mala; intuitu divini amoris. Apud Sylveira hic.

Calcea te caligas tuas. Act. 12. 8. Calceati sunt patientes in dextero pede per amorem Dei, in sinistro per timorem Inferni. S. Vincent. Ferr. s. de S. Petro ad vincula.

Scientes, quod tribulatio patientiam operatur. Rom. 5. 3. Notat Hugo Card. Paulum hic innuere, patientiam esse velut terram fructiferam, quam tribulatio operatur, id est, colit, arat, exercet; ut fructum ferat meritorum: eo sensu, quo Gen. 2. 15. Adam dicitur positus in paradiso, *ut operaretur illum*. Cornellius hic.

Ut probatio vestra fidei &c. 1. Petri 1. 7. Bene patientia Sanctorum auro assimilatur: quia sicut in metallis pretiosius aliquid auro non est; ità hæc apud Deum omni laude est dignissima. V. Beda hic.

Ex Patribus, & aliis.

Anima petra, terra bona, & fertilis, per multam patientiam. Origenes hom. 4. in Ezech.

Patientia est honestatis, aut utilitatis, causa; rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio. S. August. l. 83. qq. q. 30.

Mirabilis res est patientia: quæ tamquam in tranquillo portu animum constituit; eumque & ab adversis ventis, & fluctibus tempestatum, liberum reddit. S. Chrysost. hom. 83. in Joan. c. 18.

Patientia molestiarum est decoctio. Sicut ergo bonus stomachus concoquit cibos, quantumvis crudos; sic valida patientia quasvis adversitates. E contra sicut imbecillis stomachus car-

carnem falsam conquerere non potest; sic infirma, & debilis patientia acria verba. S. Greg. Naz. in carm. de virt. & vit. Apud Cornelium in Prov. 3.

Philo l. de Cherub. advertit: tonderi homines, tonderi & pecudes; sed hoc discrimine; quòd homines, nunc caput elevando, nunc reprimendo, nunc in alterutram partem, tonsori se accommodent: Pecudes verò invitæ, & retinentes: unde per vim ligantur; ut tondentem sustineant. Sic pii homines &c. Pinna in Eccl.

Bonus cibus patientia pauperum? quæ non peribit in finem: panes lacrymarum, panes doloris. S. Bernardus s. 2. de diversis.

Patiens ante monumentum mortuus est; sepulchrum enim cellulam suam fecit. Joan. Clim. gr. 27.

Si janua in cardina rectè sita est, & posita, licèt millies aperiatur, & claudatur, nunquam à suo cardine exit. Justi januæ sunt cœli; quos licèt vertas, moveas, ac removeas; per infamiam, & bonam famam; cùm benè fundati sint in cardine, qui Christus est; numquam ad impatientiam, vel ad aliquod malum agendum, commoventur. Diez Patientia.

Patientia est sicut pretiosissima gemma carbunculus. Qui de die splendorem suum abscondit, noctu verò mirè lucet. Patientia non apparet die prosperitatis, sed nocte tribulationis. Militis generosa virtus non in pace, sed bello conspicitur. Id. fer. 3. D. 4. Quadr.

Salamandra si casu in igne mergitur, omnis ignea vis tanquam aqua reprimitur, & extinguitur. Patientia reprimit flammivomum hominem à fervore vindictæ. B. Petr. Dam. l. 2. ep. 18.

Patienter sustinere gravia, & non perturbari ex eis, docet nos terra: quæ, secundùm Isidorum, ideo vocatur *solum*, quia est elementum solidum, cujuslibet ponderosi corporis sustinens totam molem; propter quod quævis gravia sursum mota, quousque stabilem tangant terram, manent prorsus inquieta. Sic fortis, & patiens solidum habet animum ad quælibet onerosa, & gravia, æquanimiter ferenda; nec perturbatur, vel inquietatur. Geminiani c. 57.

Sol inter nubila. Lem. *premitur non opprimitur*. Picinelli.

§. II.

Patientiæ dignitas, honor eminentia.

Num. I.

Per patientiam prò miraculis notus Dei Filius.

Ex Novo.

M*Agister, volumus à te signum videre.* Matth. 12. 38. *Non dabitur nisi signum.* Jonæ ib. Cur non potiùs in excellentiæ suæ manifestationem, dat ejus potentiæ signa; miracula scilicet, vel futurorum prædictionem, utpotè magnam divinitatis notam? sed multò efficacior vis sanguinis, ac Passionis Christi ut humana corda emoliantur ad agnoscendam fortitudinem divinitatis. Sylveira hic q. 7. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis: patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Tertull. l. de patientia.

Hic est Filius meus dilectus. Matth. 17. 5. Cur pater specialiter hìc Filium suum declarat? cur non in præsepio, vel circumcisione, vel fuga in Ægyptum, vel in Passione & cruce? quia ipsa patiendi consuetudo vox erat testis ejus divinitatis. Id. hic q. 25.

Multa enim passa sum hodie. Matth. 27. 19. Cur diabolus, qui paulò antè misit in cor Judæ, ut traderet Jesum, nunc mittit in cor mulieres, ut redimat eum? Dicendum, quòd dæmon frequenter vacillavit in notitia Christi: nunc æstimans, eum esse Christum, propter divinitatis insignia; nunc arbitrans oppositum, propter humanitatis infirma. Cum ergo Judam incitavit ad proditionem Christi; putavit, quòd non esse Christus: verùm in ipsa nocte, & deinceps, incredibilem magnitudinem, patientiam, atque constantiam Christi conspiciens? cœpit valde conjicere, quòd ipse esset verus Messias. Dion. Carthus. hìc.

Nihil tibi, & justo illi, ib. Ad quod creditur diabolus illam instigasse, jam quasi pro certo conjiciens, quòd Jesus esset Messias: quia videbat ineffabilem mansuetudinem, patientiam, atque constantiam Christi in omni sui injuriatione, ac passione. Id. in Luc. 22. cap. 22.

Alios salvos fecit. descendat de cruce &c. Matth. 27. 42. O superbi Judæi! non attendentes, quoniam majoris virtutis est, patienter in tormentis usque in finem perseverare, quàm de cruce descendere, & ab infirmitate carnis miserabiliter superari. Si enim nullus salvabitur, nisi qui perseveraverit usque in finem, quomodo Christus Jesus nomine, & re, Salvator diceretur, si in cruce patienter usque in finem non perseveraffet? S. Bonaventura l. 1. D. infra oct. Nat. D.

Verè Filius Dei erat iste, Matth. 27. 54. Quærit S. Paschasius: qui post cætera cœlorum signa, & terræ, movere potuerit Centurionem; ut Dei Filium crederet eum, quem in cruce mortuum videbat? Respondet: quòd Centurio, postquam Christo audiret dictum, *descendat nunc de cruce, & credimus ei*, Matth. 27. 42. & perseveranter ligno, cui semel fixus fuit, hæsisse viderat; talia apud se cogitavit: qui tam lubens in tormentis agit, mortem tam lætus excipit: is Dei Filius est. Verba Paschasii: in vultu ejus tanta erat alacritas, tantaque claritas, ut possent omnes intelligere; quia sua sponte moriebatur. Did. Nyss. D. 1. Quadr. §. 4.

Tu es Christus, Marci 8. 29. Post hanc confessionem Christus *cœpit eos docere, quoniam oportet Filium hominis pati multa.* Victor Antioch. postquam divinitatis suæ sensum illis impressit, doctrinam de cruce, & passione mox subjunxit. Ut scilicet faciliùs ejus divinitas crederetur: nec absque cruce volebat Deus prædicari. Castillo Illat. 243.

Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11. 27. Magnum hic Dominus miraculum edidit in dæmoniaco sanando v. 14. & tunc mulier tacet. At cùm Pharisæi blasphemant: *in Beelsebub &c.* v. 15. & Dominus mansuetè respondet: *omne regnum &c.* tunc mulier exclamat: *beatus venter!* Cur modo, & non antea? viderat miracula, modò patientiam. Et inter injurias patientia major divinitatis Christi index, quàm potestas. Sylveira hìc q. 11.

Memento mei &c. Luc. 23. 42. Hæc est fidei plena devotio: ut cùm de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur: tunc de potestate ejus venia postuletur; cùm videtur ejus humilitas; tunc magis timeatur ejus divinitas: cùm morti additus putatur; tunc regis illi honorificentia deferatur. S. Maximus hom. 1. de S. Latrone.

Cognoverunt eum. Luc. 24. 31. *in fractione panis.* Drogo Ost. s. 1. de Pass. panis caro tua est: fregisti manibus corpus tuum: quia potestatem habebas ponendi animam tuam: fregisti corpus tuum, quod foris apparebat; & ostendisti medullam, quæ intus latebat: nisi enim patiaris, non cognosceris. Sylveira in Luc. 11. Matth. 12. c. 24.

Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel. Joan. 1. 49. Unde Nathanaeli tanta cognitio? Inspexerat Christum secreta scire, & penetrare, noscereque, quæ dixerat contra eum, & suam patriam, *à Nazareth potest aliquid boni esse?* v. 46. quibus dictis Dominus se minimè ostendit iratum: sed eum benignè excipit, laudat. Videns Nathanael tam patientem; eum non plebejum, sed regem; non purum hominem, sed Dei Filium credit, & fatetur. Sylveira hìc q. 15.

Ut clarificetur Filius Dei. Joan. 11. 4. S. Cyrill. Jerosol. Catech. 11. non quòd priùs non habeat gloriam (glorificatus enim erat ante Mundi constitutionem sed glorificabatur tanquam Deus semper) nunc verò glorificatus est patientiæ ferens coronam. Apud Baeza t. 1. l. 4. c. 3. §. 38.

Ex Patribus.

Quamquam omnis Christi actio, ac miraculorum editio præclara, & divina, ac mirabilis est; nihil tamen est ex omnibus, quod tantam admirationem excitet, atque eximia ipsius Crux. S. Joan. Damasc. l. 4. Orthod. fid. c. 12.

Crux omnium miraculorum nobis factorum coronis. Quid hoc admirabilius; cernere Deum in cruce pendentem, & quidem inter latrones. Andreas Cret. or. in exal. S. Cruc.

Num. II.

Patientia etiam hominum pro miraculis.

Tu servasti bonum vinum usque adhuc. Joan. 2. 10. Vinum ex aqua, est lætitia ex perpessione malorum. S. Bernardus ser. 16. ex variis: sic & Apostoli planè vinum aqua factum gustaverunt, quando *ibant gaudentes à conspectu concilii*, quando *digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Quomodo non vinum ex aqua? gaudium ex contumelia? *tristitia vestra vertetur in gaudium*. Pinna in Ethol. 258.

Video Filium hominis stantem &c. Act. 7. 55. *Stantem* Christum videt, licèt jam ad dexteram Patris sederet. Sicut cùm publicis spectaculis ades, proximusque fenestræ sedes, unde omnia, quæ in foro aguntur, facile videas; si forte aliquod accidat mirabile spectaculum; surgis, & stans illud intueris, licet posses sedens intueri: sed rei novitas te compellit stare, ut attentius consideres. Ità &c. Osorius in die Sanct. Steph.

Spectaculum facti sumus &c. 1. Cor. 4. 9. & velut rationem habens ait: *usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus*. v. 11. 12. 13. Cur potiùs hìc, quàm alibi, se dicit spectaculum factum? Palatius ad cap. 5. Matth. spectant Angeli, stupet Mundus, attoniti redduntur homines cum vident Christianum reddentem, non malum pro malo, sed bonum pro malo. Ità Apostolus: *spectaculum facti sumus*

sumus &c. Meritissimè hæc Paulus: quia super omnem naturam est, quod maledicti, afflicti, & blasphemiis prosciss, obsecremus. Sylveira in Matth. 5. q. 8.

Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigiis. 2. Cor. 12. 12. Theodoretus: rectè signis tolerantiam præposuit. Quia omni patientia ornari, ut & inimicorum probra tolerentur, miraculum augustissimum est, communia miracula superans. Escobar t. 8. Coll. Chr. l. 7. obs. 1.

Hæc virtus omnibus populis, & provinciis, & ipsis tortoribus, miraculum maximum præbuit, cùm patientia, crudelitas vinceretur. Lactantius l. 6. div. instit. qui est de vero cultu.

Sine ferro, & flamma, Martyres esse possumus; si patientiam veraciter in mente servamus: nam signis, & miraculis; majorem esse patientiam, non dubitemus. S. Laur. Just. de virt. pat. c. 2.

Num. III.

Continuatio de Patientiæ laude, dignitate &c.

Ex Veteri, & Novo.

Nunquid timens arguet te, & non propter malitiam tuam plurimam? Job 22. 4. 5. Sedenti in sterquilinio, & de incursibus omnibus triumphanti, familiares talia ei dicebant. S. Antiochus hom. 51. hæc quidem commenti adornatio mendacio justo isti contum eliosiùs exprobrant; non quod illum odissent, sed ut asperitate verborum humiliarent. Did. Nyss. f. 6. D. 3. Quadrag. §. 3.

Byssus, & purpura, indumentum ejus. Prov. 31. 22. Byssus est candor, conscientia, & innocentia vitæ; purpura patientiæ, & pœnitentiæ, sunt indumentum Ecclesiæ; quia & hæc eadem fuerunt indumenta sponsi sui. Cant. 5. 10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Hugo Cardinale hìc.

Fecit ascensum purpureum. Cant. 3. 10 Meritò patientia comparatur purpuræ, qua reges induuntur: quia patientia opus perfectum habet, animum præbet regnum, suique ipsius, & omnium dominum facit. De Ponte hìc Exh. 29. §. 4.

Ut portaretur ab Angelis &c. Luc. 16. 22. Non sufficerat ad portandum pauperem unus Angelus; sed propterea plures venunt, ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet unusquisque Angelorum tantum onus tangere. S. Chrysost. homil. de Lazaro. Ut nos sacras reverenter adimus reliquias; sic illi magna cum veneratione ulcerosum corpus attingebant, quanti æstimarent corpus, quod pro gloria Dei multa tulerat. Addit Chrysost. sed in sinum Abrahæ portatus est, ut illum tangeret. Did. Nyss. f. 6. D. 4. Quadr. §. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitatus est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem! Non immeritò; omnia enim placita ejus tuetur; omnibus mandatis ejus intervenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, carnem regit, spiritum servat, linguam frænat, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat, Fidelem delectat, Gentilem invitat, fœminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene; in omni sexu, in omni ætate, formosa est &c. Tertull. l. de patientia capite 15.

Præ virtutibus omnibus est opposita vitiis, & affectibus Lactantius l. 6. instit. div.

Sicut peccati causa vinciri opprobrium est; ità è contrà pro Christo custodiæ vincula sustinere, maxima gloria est. S. Ambros. in ep. ad Philem c. 1.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Ps. 68. 5. Quomodo fiet, ut oderit te Mundus gratis, si nihil cuiquam noceas, & sic odio habearis? hoc est enim gratis, sine causa. Non persecutionem pati, non teneri, non flagellari, non includi, non proscribi, non occidi, laus est; & sed habendo causa bona ilta pati, hæc laus est. Laus enim est in causæ bonitate; non in pœnæ acerbitate &c. S. August. in Ps. 68. 5.

Fundendo sanguinem, & patiendo magis, quàm faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia. S. Hieron. ep. 62. adv. Joan. Jerosol. ad Theophilum.

Nihil hac lingua sanctius est, quæ in adversis Deo gratias agit. Certè non inferior est lingua Martyrum; utraque pariter coronatur: nam & adversùs istam instat lictor, Deum per malidicentiam negare cogens; instat diabolus argutis cogitationum quæstionibus lacerans, & animi angustiis obtenebrans. S. Chrysost. hom. 8. in ep. ad Coloss. c. 3.

Nihil meliùs, quàm malè propter Christum affici. S. Chrysost. in ep. ad Ephes.

Gratia verè maxima, dignum censeri, propter Christum aliquid pati: & corona verè perfecta? & merces futura retributione non minor. S. Chrysost. hom. super orat. Anna.

Magna dignitas, & multa, regno, consulatu, universisque, major; pro Christo ligari. Nihil enim tam clarum est, quàm pro Christo vinctum esse &c. Idem hom. 5. de patientia in illud Ephes. 4. obsecro vos ego vinctus in Domino; ubi fusius de vinculis S. Pauli discurrit.

Nosti, nihil esse, quod patientiam adæquare possit; verùm ipsam potissimùm virtutum reginam esse, rerum præclarè gestarum fundamentum, portum tranquillum, in bello pacem, in tempestate tranquilitatem, in insidiis securitatem; quæ eum, qui ipsam sit consecutus, adamante firmiorem reddit: hancque naturam habet, ut eam nec arma mota, nec instructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus, nec lanceæ emissæ, nec ipsum dæmonum agmen, detrimento ullo afficere possit. Id. ep. 7. Olympiadi Diaconissæ.

Patiens cunctis virtutibus exornatur. S. Ephrem de patientia.

Num. IV.

Patientia facit Martyrem.

Hoc non minus fuerit Martyrio, nihil deprecari pati propter multorum salutem. S. Chrysost. hom. 20. in Acta.

Sine ferro, aut flammis, Martyres esse possumus; si patientiam in animo veraciter conservamus. Idiota lib. 2. Contempl. c. 1.

Num. V.

Patientia grata Deo, Christo.

Cùm vidisset Jesus jacentem. Joan. 5. 6. Primus, in quem Dominus oculos misericordiæ conjecit, fuit hic tot annis infirmus. O beata patientia! tu enim es causa, ut in locum, ubi tu es, oculi dirigantur, O quantum valet patientia erga Deum! Diez f. 6. D. 1. Quadr.

Plus aliquando valet pia flagellatorum Dei sub ejus manu tolerantia, sine murmure? sine reprehensione divinorum judiciorum; sine rancore, vel odio, contra superiores suos, vel alios affligentes se justè: quàm si manens iracundus, & impatiens, nedum flagellaret seipsum ad sanguinem; sed laceraret, & discerperet membratim ad mortem. Gerson. tr. contra sectam flagellantium.

Gratior illi est humilis internarum derelictionum tolerantia, quàm ingens devotionis dulcedo. Blos. par. an. c 9.

§. III.

Patientiæ Passio Christi, motivum.

Ex Veteri.

S*pinas, & tribulos germinabit tibi.* Gen. 3. 18. Ne tamen lædant graviter, suo Christus D. capite spinas gestat. Tertull. de corona c. 14. abstulit virtus crucis omnes aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantia obtundens. Velloso in Judith. 5. Paræn. 30.

Putabam nos ligare manipulos in agro. Gen. 37. 7. Manipulus Joseph est collectio contumeliarum, & passionum Christi; quæ Amos 9. 6. *fasciculus* vocatur: *quia ædificat in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundavit.* Nam Christus per fasciculum passionum fecit sibi gradus ad cœlum. Geminiani l. 7. c. 22.

Sephora circumcidit præputium filii sui. Ex. 4. 25. Cur ad introducendam tam duram legem primus Moysis filius eam subire debuit? Tertull. lib. adv. Judæos c. 2. idcirco filium Moysis futuri Ducis instigat Angelus circumcidi: ut, cùm cœpisset per eum populo dare præceptum circumcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in filio jam Ducis celebratum. Caro, & sanguis, omnem refugit passionem: verùm ut facilè reddatur pati, nec excusare se quisquam possit; Filium suum Unigenitum Pater æternus in cruce suspendit: ut, dum creatura suum Creatorem, & reus insontem, tam indigna tolerare cernit, non recuset cum eo, & pro eo, pati. Did. Nyss. fer. 6. D. 5. Quadr. §. 5.

Fecit Moyses serpentem æneum &c. Num. 21. 9. Serpens hic figura Crucifixi. Cruciantur homines variis morbis; hic inopia, ille opprobriis, injuriis &c. Ut omnes dolore sopito sonantur, majus oculis Deus Filii cricufixi objecit tormentum; ut ejus paupertatem, dolores, injurias, videns quisque sua ferat. Naxera in Jos. 10. §. 18.

Omnesque flebant voce magna. 2. Reg. 15. 23. Fugiebat David Absolonem, fugientem comitati flebant voce magna. Quid has illis expressit lacrymas? Respendet Abulens. totus populus flebat, sicut videbat flere David: q. d. putabant, se subditorum munus non rectè exequi, nisi lacrymanti regi collachrymarentur. Did. Nyss. fer. 6. Dom. 5. Quadragesima §. 5.

Pellem pro pelle. Job 2. 4. id est, patientiam, & imitationem mansuetudinis Agni incontaminati Jesu Christi, repen-

dere debemus. Ejus enim Sacerdotis, qui offert victimam, est hostiæ pellis jure perpetuo. Levit. 7. 8. Petrus Cell. l. 8. panib. cap. 1.

Juda rex meus; Moab olla spei mea. Ps. 59. 9. 10. Quare *olla* quia tribulatio. Quare *spei mea?* quia præcessit *Juda rex meus*: quia enim præcessit te, debes sequi. Quid times? qua præcessit? per tribulationes, per angustias, per opprobria septa erat via; sed antequam transiret: posteaquam transivit, sequere; jam patet via illius. *Singularis ego sum*, inquit; sed quousque *transeam*. Ps. 140. 10. Singulare granum; sed quo adusque transeat: cùm transierit, sequetur fructificatio. S. August. hic. Dominus voluntate passus est, nos necessitate: ille miseratione; nos conditione. Proinde illius voluntaria Passio, nostra est necessaria consolatio: ut, quando talia fortè perpetimur, intueamur caput nostrum; ut ejus exemplo commoniti dicamus nobis: si ille, qui nos? & ; quemadmodum ille, ità & nos. Idem conc. 2. de 2. parte Ps. 34.

Quid retribuam Domino? Ps. 115. 12. *Calicem* &c. Calicem tribulationis, & pœnitentiæ; quem Salvator meus pro me bibit. Hugo Card. hic.

Post te curremus. Cant. 1. 3. Quò curres? quocumque: sed post illum; si enim illum videro, nihil arduum illi videbitur. Jer. 17. 16. *& ego non sum turbatus, te pastorem sequens.* Etsi sequi Christum facilè non sit: cùm ad alapas, flagella, spinas, crucem, ab eo trahimur: tamen post eum ad talia pervenire durum non est. Oliva t. 2. Strom. §. Stantes ante thronum. Apoc. 7. 9.

Egredimini & videte regem. Cant. 3. 11. Richardus à S. Victore hic c. 13. ò filiæ Sion, cùm adversa patimini, egredimini ab imperfectione vestra, & impatientia; ut leviter feratis illata vobis mala. Videte Regem vestrum pro vobis passum, & per Passionem gloria, & honore coronatum. Lætitiam Regis vestri considerate; hoc exemplum vobis proponite. Cornelius hic.

Velabant faciem ejus. Is. 6. 2. S. Hieronymus illud de Cherubinis faciem velantibus ante Deum, quod Joan. 12. de Christo intelligit. Vel ergo, ait Hieron. velabant Dei faciem, vel suam; quia utrumque litera sonare potest. Si Dei facies velata intelligitur, significat, quia absconditus est vultus ejus in Passione: si Seraphinorum facies velata accipitur, significat justorum confusionem, ac verecundiam: qui vident se nihil agere, cùm Christus pro eis mortuus sit. Osorius D. Quinquag.

Ex Novo.

Nè ergo timueritis eos. Matth. 10. 26. Propter injurias, & contumelias, quas possunt vobis infligere; sed potiùs exultate in omni adversitate, quam ab eis patimini: considerantes, quid passus sim ego; & gloriantes in hoc, quòd Domino vestro, ac Magistro, conformari meruistis: cùm hoc sit beneficium ingens. Quid enim tam gloriosum est servo, quàm ut domino suo assimiletur? Sæpe contingit; ut aliquis injuriam passus doleat, & ulcisci se cupiat: cùm verò conspexerit alium multò sublimiorem eadem, vel graviora perpessum; & tamen servare patientiam: incipit consolari, & ab ira cessare, dicens in se: si ille tantus tabia patitur, quantò magis ego? ità & nos, si Christi Passionem, patientiamque, pensemus, patientiam discimus, & cum Apostolo in tribulationibus jucundamur. Dion. Carth. hic.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20. 22. Signanter addit *quem ego bibo*: se enim in ducem addito voluit Christus Discipulos urgere ad patientiam. S. Chrysost. hom. 66. in Matth. perspice, qualiter ipso interrogationis modo, & hortatur, & allicit. Velloso in Judith. 5. Paræn. 40. *Quem ego &c.* ut communicatione laborum cum ipso promptiores redderentur. S. Chrysost. ib.

Audaciter introivit ad Pilatum. Marci 15. 43. Christo D. crucifixo; *antè discipulus Jesu occultus propter metum Judæorum.* Joan. 19. 38. Lyranus: exemplo Christi animatus, ostendit se publicè discipulum esse. S. Gregor. Naz. or. 25. dulce, & decorum est, quidquid injuriarum infert Arrianus; si conferatur cum iis, quæ passus Christus D.

Erat quidam mendicus nomine Lazarus. Luc. 16. 20. Multa sunt, ex quibus gravitatem dolorum hujus mendicabuli æstimare possumus. Vel unum illud ejus ulcera vehementer exasperavit, quòd non poterat alterum videre Lazarum, inquit S. Chrysost. hom. 1. de Lazaro. Nam malorum nostrorum reperire consortes, sive in factis, sive in dictis, multum adfert solatii ingentibus. Ille verò nullum alium habebat, ad quem respiceret eadem passum; immò ne audire quidem poterat, qui majore ipsius ætate tam acerba sustinuisset. Quantum igitur adferre solatii, & levaminis, debet omnibus afflictis ob oculos positum exemplum Christi patientis! Did. Nyss. D. infra oct. Ascens. §. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Quid homo pro se pati debet, si tanta Deus pro hominibus pertulit? S. Gregor. hom. 2. in Evang.

Christi passiones imitandæ; non à Christianis deliciæ conquirendæ. Venit ille pati, venit ille mori, velit ligno crucifigi. Omnia hæc ille propter te: tu nihil pro illo? quia Christianus es, aliquid plus passurus es in hoc sæculo. S. August. l. de pastorib. apud Fernandium in Gen. 4. sect. 22.

Si Passio Redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur. S. Isidorus l. de confl. vit. & virt.

Fel gusta propter gustum; aceto utere, sputa flagita; alapas, & colaphos, accipe; spinea corona, hoc est; piæ vitæ asperitate cingere; coccinum indue, arundinem accipe, simul in crucem suffigere, simul morere. S. Greg. Naz. or. 38. in Chr. Nat.

Omnibus horis, atque agitationibus, nosmetipsos Deo immolemus; omnia pro Christi nomine excipiamus; passionibus passionem imitemur, sanguinè sanguinem ornemus, crucem alacres conscendamus. Dulces sunt clavi, tametsi gravem doloris sensum afferant. Præstat cum Christo, & pro Christo pati; quàm deliciis, voluptatibusque, cum aliis indulgere. Id. or. 42. in Pasch. 2.

Cùm Deus esset, ab hominibus hæc patiens sustinebat; ut homines ab hominibus postea ista patientes, pro ipso ejusmodi perferre nos non puderet. S. Cyrill. Jeros. Catech. 13.

Vult benignus Dux devoti militis vultum, & oculos, in sua sustolli vulnera: ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem. S. Bernardus s. 61. in Cant.

Non decet membrum delicatum esse sub capite crucifixo: nec ad capitis corpus se judicat pertinere membrum, quod capiti compassum non fuit. Id. tr. de Pass. D. c. 3.

§. IV.

Exempla Sanctorum.

Num. I.

Job.

SI filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur, sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudii. Securus sic de Domino, distulit; sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viveret. Adeò satis idoneus patientiæ sequester Deus. Tertull. l. de patientia, de Job loquens cap. 14.

Accepit testam, ut raderet saniem. Dic ò beate Job! ob quam rem hoc facis? meritò, inquit, exaggero, atque commoveo, ipsos dolores: ut per cuncta ostendam nequissimo diabolo; quia ejus malitiam irrideo, quia iniquitatem ejus contemno, quia omnes ejus plagas, atque vulnera, ad nihilum reputo. Ob hoc rasit Job sua vulnera testa; ut nobis patientiæ, atque tolerantiæ normam daret. Origenes lib. 2. in Job.

Quemadmodum, si teneat in manu sua quis adamantem, & alius dicat ad eum, da mihi hunc adamantem in potestatem: & ego illum comminuam in ignem, conteramque ictibus: ille verò, qui eum in manu habet, confidens verè, quia adamas est, dicat: tolle, proba; experire; quia nequaquam huic adamantis prævalebis: sic ergo & omnium cogitor, atque præscius Deus, velut inviolabilem habens adamantem Job, quærenti diabolo, dedit ei in potestatem; confidens verò, quia verus adamans est Job. Orig. l. 2. in Job apud Arcones in Is. 3. Disc. 2.

Unum Job miraturus ascenderam; omnes Job, quos mirarer, inveni. In singulis vobis Job revixit, in singulis sancti illius patientia, & virtus, refulsit. S. Ambros. ep. 33. ad Marcellinam sororem, referens sermonem habitum ad populum de Basilicis tradendis.

B. Job ille pugil pietatis, athleta orbis; sicut adamas quidam omnes impetus ferre potuit. S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Quotquot habuit Mundi tyrannus jacula, movit per ignem per enses, per ruinam, per captivitatem, per sanguinem: hæc omnia retendit, & virilem magis bellatorem effecit. S. Chrysost. hom. 1. de patientia Job.

Num. II.

Exempla aliorum.

Joseph patiens invenitur, cùm è pascuo à fratribus rapitur; patiens cùm in puteum demittitur; patiens in carcere, in regno patientior; patientissimus, desideratos cùm fratres agnosceret. S. Zeno Ver. s. de patientia.

Vincula, & tribulationes, Jerosolymis me manent. Act. 20. 23. Peculiariter facit mentionem de his, quæ passurus erat Jerosolymis, quàm Romæ, & aliis locis: quia ibi Christus passus est; ibi Stephanus; ibi prima persecutio: & cùm iis pati valde gloriosum, & magnum solamen erat. Sylveira hic.

Rogo vos, ut non frustra sit in me dilectio vestra. Sinite me, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri:

ri: triticum enim Dei sum; dentibus bestiarum molar, ut possim panis Dei mundus inveniri. Sanct. Ignat. M. ep. 12. ad Rom.

Possedit patientiam durissimi adamantis instar. S. Ephrem in vitam B. Abramii Syri Eremitæ.

Patienter ab uno ferendum est, quod multis accidit tolerabile. S. Isid. l. 1. soliloqu.

§. V.

Patientia beata, pacifica, quieta.

SI jure beatus creditur, qui ubique invenit, quod amat; justè vigor patientiæ aser, hoc est, beatus nominatur, cui undique obviat, quod desiderat. Rich. à S. Vict. l. qui dicitur Beniamin minor c. 26.

Habet in se remunerationem suam, qui requisitum Jesum, & in suo affectu prœmium, etiamsi dura sustineat. Beatus est suis moribus, beatus ipsis periculis. S. Ambros. l. 1. de Jacob cap. 7.

Hoc justum est, ut qui de pristina felicitate paradisi, propter contumaciem deliciarum appetentiam, dimissi sumus, per humilem molestiarum patientiam recipiamur. S. August. l. de patient. c. 14.

Quemadmodum in abyssum maris scintilla delata huic quidem nihil obest, ipsa extinguitur: sic in animum tolerantem quidquid incidere, maximarum etiam rerum, potest, facilè quidem absumitur ipsum; ille conturbabitur prorsus nihil. S. Chrysost. hom 33. in 1. Cor. 13.

Gratia verè maxima, dignum censeri; propter Christum aliquid pati! & corona verè perfecta, & merces futura retributione non minor. S. Chrysost. hom. de orat. Annæ.

Ad pacem per patientiam pervenitur: tantoque magis pace fruetur homo, quantò erit patientior. Finis patientiæ pax est. S. Laur. Just. de virt. pat. c. 1.

Beatus, qui non pervenit ad gratiam per labores, sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descendit. S. Chrysol. s. 88.

Etsi beata diversis vita virtutibus quæritur, cujus cupidine flagrans humanitas per momenta suspirat; tamen omnes uno, eodemque consensu quasi quendam patientiæ deferuntur in portum. S. Zeno Ver. s. de patientia.

Felix, æternumque felix esto, qui semper te habuerit in se. Id. ib.

Feliciter sunt miseri, quos constat, non meruisse, quæ perferunt. Hildebertus ep. 39.

Nequaquam dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus esse matrem virtutum. Itaque, quidquid illud fuerit, quicumque religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quælibet dura nulli beatiores sunt, quòd volunt. Salvian l. 1. de gubernat. Dei.

Ponat unusquisque se ad patientiam, si vult habere cordis tranquillitatem. Thom. Kemp. p. 2. s. ad Novit. s. 1.

§. VI.

Patientia læta.

Num. I.

Figura, & Symbola.

A *Accepit eam uxorem.* Gen. 24. 67. Honorabile conjugium inter Isaac, & Rebeccam. *Isaac* Hebr. *risus* est. *Rebecca, patientia.* S. Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 5. risus à tolerantia adjuvatur. Ut risum à viro mulier eliciat, patienter agat: risum patientia impetrabit. Velloso in Judith. 7. Paræn. 25. Rabbanus, Isaac, & Rebecca, conjunguntur; id est, risus, & patientia permiscetur. Apud Sylveira in Joan. 16. c. 18.

Locutus est Deus ad Jacob: surge, & ascende Bethel. Gen. 35. 1. S. Ambros. ad Irænum de æmulat. Ægypt. sequamur. S. Jacob vias; ut perveniamus ad eas passiones, ad patientiam (alludit ad Matrem Jacob Rebeccam, quod ipse interpretatur, *patientiam*) matrem Fidelium; & ad patrem Isaac, id est, jucunditatis capacem, lætitia redundantem: ubi enim patientia, ibi lætitia. q. d. sicut conjunguntur Rebecca, & Isaac, sic copulantur patientia, & lætitia. Cornelius hic.

Parvus fons &c. Esth. 10. 6. Hoc est ergo paradoxum Mardochæi somnium: ex aquis sol, id est, ex tribulatione oritur gaudium, ex mœrore lætitia, & humiliatione gloria. Cornelius hic.

Ubi audierit buccinam, dicit vah! Job 39. 25. Vah est interjectio animi gestientis. Guilielmus Paris. l. 1. de morib. tr. de spe: sicut gaudent equi, cùm signum imminentis conflictus audiunt; sic & Dei amici hujusmodi gaudio gaudent; cùm bellum tribulationis consurgere cognoverint. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 1. obs. 1.

Tempus putationis advenit. Cant. 2. 12. Sep. *tempus sectionis* Alii ex Hebr. tempus *cantillationis* advenit. De Ponte hic Exh. 19. §. 1. Princeps agricola Deus palmitem ferentem fructum purgat variis tribulationibus. Cum igitur tribularis; scito, quia tempus putationis advenit: quod potiùs tibi deberet esse tempus cantillationis, dum gloriaris tribulationibus, ut amplius proficias in virtutibus. Id. ib. §. 4. Qui putat vitem; licèt speciatenus videntur malum moliri contra vineta; bono ipsorum in primis consulit: nam, si luxuriari sinatur, sylvescit vitis. S. Clem. Alex. l. 6. Strom. Apoc. 14. 19. *misit falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ.* Pinna in Eccl. Ethol. 139.

Ponam eam desertam; non potabitur, & non fodietur; & ascendent vepres, & spinæ. Is. 5. 6. S. Basilius M. quemadmodum qui vineam potant, obstringunt ejus vites, & externè continent; ut majori cum temperamento procedat ad perferendos utiles fructus: ad eumdem modum contingit animæ, assiduitate tribulationum incurvatæ: quodammodo in se contrahitur, seque humiliter demittit; atque ad sui diligentiorem custodiam retrahitur. E contrario anima, quæ indulgenter, ac remissè, vivere sinitur, perinde, atque vinea quædam neglecta, luxuriat, & sylvescit. Ramirez in ep. 3 16.

Nabuchodonosor *constituit annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, unde bibebat ipse &c.* Dan. 1. 5. Vinum Christi myrrhatum. *Potestis bibere calicem, quem ego &c.* Matth. 20. 22. Jonghen parte 1. pro sacra vestitione. Exh. 3.

Esca autem ejus erat locusta, & mel sylvestre. Matth. 3. 4. Galfridus in Matth. 11. *gloriamur in tribulationibus.* Rom. 5. 3. Hæc consolatio per mel sylvestre meritò designatur: quia nihil magis sylvestre, & à civibus hujus sæculi extraneum; quàm æstimare gaudium, quod ingeritur ad tormentum. Et forsitan hæc est pax, quam Mundus non potest ingruentis tribulationis angustias sustinere. Sylveira addition. Matth. 3.

Non enim erat tempus ficorum. Marci 11. 13. Orig. tr. 16. in Matth. cùm præsentia provocant eum ad tristitiam, vel ad pusillanimitatem; provocatus autem in illo non proficit, ut etiam in tempore tristitiarum gaudeat, & in tempore opprobrii, vel castigationis glorietur; & in tempore periculi memor sit ejus; quod dictum est: *gaudete semper.* Philipp. 4. 4. Beatus est hujusmodi Christianus, fructum gaudii ferens, etiam non in tempore ficorum. Pinna in Eccl. 8. Eth. 29.

Syrenes ajunt sæviente tempestate suavissimè canere; contrà sereno cœlo, & tranquillo mari, tristes obmutescere. Tales, qui in adversis læti, in prosperis suspectam habent malatiam. Authore incerto.

Insignia Caroli Regis Neapolitani: crux supra petram in summitate ejus rosa. Lem. *In patientia suavitas.* Masenius. Rosa illa aurea benedicitur; & balsamo, ac musco ungitur; & patimur. (Dominica Passionis) Et tamen sacrificii principium occupant illa verba: Lætare Jerusalem! gaude in tribulationibus. Nadasi Rosa 28.

Cithara. Lem. *Ex pulsu melos.* Cassiodorus in Ps. 32. citharizamus cùm in passionibus nostris, vel damnis, securi, aut læti dicimus: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Picinelli, Corde musicæ. Lem. *Plus torea, plus musica.*

Num. II.

Patientia læta exempla.

Ex Veteri, & Novo.

Caligaverunt &c. Gen 27. 1. Nota longam patientiam *Isaac*: tulit enim cœcitatem per 44. annos, scilicet ab anno ætatis 137. usque ad annum 180. quo mortuus est. Cornelius hic.

In tribulatione dilatasti mihi. Ps. 4. 2. Tribulatio angustias facit, gaudium dilatat corda. Sed qui gloriatur in tribulatione; huic tristitia vertitur in gaudium; & tribulatio ei non angustias, sed dilatationem, affert. Bellarminus hic.

Calicem salutaris accipiam. Psal. 115. 4. En veram gratiarum actionem. Si vis Deo referre gratias, calicem bibe Passionis ejus. Quid est verò calicem Passionis bibere? ità pati, acsi minimè pateteris; ità dolores sufferre, acsi epulis interesses. Tam forti, & læto animo ærumnæ ferendæ, acsi non doleres, sed biberes: non enim crux, sed calix, vocatur à David. *Et nomen Domini invocabo.* Si vis passionem lætus pati: si cupis inter dolores, tamquam inter calices exultare; invoca nomen Jesu. Quis enim Jesum memisse potest pro se crucifixum, quin crucem, velut calicem suavissimum, amplexetur. Oliva t. 2. Strom. §. Calicem salut. &c.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, &c. Cant. 8. 5. In deserto esse, ubi nulli flores ad solatium; ubi desunt deliciæ corporum; ubi nullus homo, quem alloquaris: non mœrore, non abjici; sed ascendere; cœli meminisse, cùm nemo recordatur tui; Deo frui, cùm nullo fueris; & quidem ascendere exultantem, bonæ spei, & lætitiæ, plenum; verbo affluentem deliciis: magnum profectò est; præsertim, si omni carens solatio, & adjutore, uni sponso innitaris. Quid æquè mirandum, ac delicia-

rum affluentia in eremo, hoc est, inter dolores lætitia. In cella vinaria, in domo cedrina, in argenteo ferculo; cùm à Deo fulciris opibus, & honoribus; Deo fidere, non mirum. Oliva t. 2. Strom. §. facta est multitudo militiæ cœl. Luc. 2.

Tribulationem patimur; sed non angustiamur. 2. Cor. 4. 8. Immò verò non solum nullam angustiam tribulatio illa Sanctorum, sed latitudinem habet. Denique sic dicit justus: *in tribulatione dilatasti mihi*. Ps. 4. 2. De his Deus: *inhabitabo in illis, & inambulabo*. 2. Cor. 6. 16. Origenes l. 2. in c. 2. ep. ad Rom.

Ascendentes in altum. Eph. 4. 8. In altum, id est, in cœlum, inquit Chrysostomus. B. Dorotheus doct. 22. ait: ascendens in crucem voluptate sua; & peccatum, ruinæ nostræ causam, cruci affigens captivam duxit captivitatem. *Altum* hoc Chrysostomo cœlum est, Dorotheo crux. Sed qui istud? cùm à cœlo crux non minùs distet, quàm terra? Sic fortè loquatur, qui nescit, quid sit pro Deo pati: nam qui novit, quid sit boni in cruce; illi crux par cœlo est. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*. Ps. 149. 5. Euthymius: exultabunt sancti *in futuræ gloria*. S. Hieron. exultabunt Sancti in gloria, *in cruce*. Sed quid gloriæ cœlorum, & crucis? si exultabunt Sancti in gloria cœlorum, quomodo in gloria crucis? Æ. justo gloria, & crux, & gloria, idem sunt: tantam nempe ex passione capit voluptatem; ut perinde habeat, sive in cœlum, sive in crucem ire jubeatur. Did. Nyss. D. 20. Pent. §. 3.

Illud sanè erat mirabile: quia quantum ille extrinsecus, multiplici pœnarum genere constrictus arctabatur; tantum intrinsecus exultante interiori homine dilatabatur. S. August. de Sanctis, de S. Vicentio M.

Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicii locum læta successit! gradu festino Virg. processit S. Ambros. l. 1. de Virginib. de S. Agnete.

Num. III.

Textus Scripturæ.

Militia est vita hominis super terram; & sicut dies mercenarii dies ejus. Job 7. 1. Sicut miles optat bella ingruere, ut stipendia habeat: & sicut mercenarii timent, nè desit, qui eos conducat; ità & nobis timendus defectus tribulationum. S. Gregor. l. 8. mor. c. 7. mercenarius sollicitè curat inspicere, nè umquam dies vacuus labatur ab opere; & expectatus finis temporis, nè inanis veniat ad remunerationem: sic qui fide cursus præsentis temporis pensat, dies cum operibus numerat; nè à labore vacua transeat vitæ momenta, formidat. Pinna in Eccl. 4. Ethnol. 53.

Expectatio justorum lætitia. Prov. 10. 28. Symmachus pro *expectantia* habet *perseverantia in re molesta*, seu *patientia*: putà patiens expectatio, qua spe præmii duramus in malis, & nos rebus melioribus servimus. Cornelius hic.

Canet tibi juxta dies juventutis tuæ. Os. 2. 15. Sept. & Syrus: *humiliabitur* ibi. Symmachus: *affligetur* ibi: nam Hæbræorum *ana*, & humiliari, & affligi, & canere significat. Cornelius hic.

Gaudete in illa die, & exultate; ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Luc. 6. 23. Apostoli verò gloriam suam in ipsa passione collocatam habebant: quia crux præsens, & gloria futura, tantam habent similitudinem; ut quodammodo eadem videatur, præsens crucis & futura cœlorum gloria. Did. Nyss. D. 20. Pent. §. 3.

Tollat crucem suam quotidie. Luc. 9. 23. Non dicit, ferat, sed *tollat*. S. Basilius interrog. 6. ferre crucem, & ferre labores à Deo immissos, vel æquo, vel iniquo animo. Sed tollere est animo læto, & avido; non solùm accipere, sed rapere crucem libenter. Stella hic.

Omne gaudium existimate &c. Jacobi 1. 2. Nonne gauderet lapis, si sensum haberet; quòd scalpello poliatur, fiatque statua elegans regis? lignum quod runcina levigetur, atque thronus principis? pannus quomodo lixivio perficietur, & emundetur? &c. ità gaudeat justus in tribulatione. Cornelius hic.

Num. IV.

Ex Patribus, & aliis.

Gaudium sit tibi in tribulationibus: nam coronæ ex variis texuntur floribus. S. Ephrem. Consil. de vita spir. ad Monachum Novit. c. 24.

Qui verè cupit esse homo Christi, æternisque se bonis perfruiturum sperat; paupertatem divitias cum gaudio existimare debet; & afflictionem recreationem, alperitatem victus delicias, improperium honorem, & contumeliam gloriam ducere: hæc enim vera servorum Dei gloria est. Id. de Fide.

Dies festus debet nobis esse, cùm patimur. Hugo Card. in Joan. 13.

Est patientia virtus moralis; per quam homo moderatur, ac frænat passionem tristitiæ: nè scilicet in adversis immoderatè tristetur; imò potiùs gaudeat in eisdem, propter multiplicem fructum indè provenientem. Dion. Carthus. in Luc. 21.

§. VII.

Patientia reddit omnia suavia; mutat fel in mel.

Ostendit ei lignum; quòd cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ex 15. 25. Si vobis fidem Gentilium sitientibus amaritudo aliqua resistentium velut aquarum illarum, quas Israel non potuit bibere, occurrerit; imitata Domini patientia, velut injecto crucis ligno, dulcescant. S. August. l. 50. hom. f. 20.

Ut surgeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Deut. 32. 13. S. Anton. Pad. D. 10. Trinit. petra est duritia adversitatis, vel tribulationis: mel de petra sugit qui adversitatis duritiam in suavitate mentis recipit.

Inundationem maris quasi lac sugent. Deuteron. 33. 19. Quando est charitas patiens longanimis, bona; tunc inundationes maris quasi lac sugit: sicut Laurentius quasi floribus, sic carbonibus gaudebat. S. Bonaventura hexam. f. 18. Inundatio maris est abundantia tribulationis; quæ tunc sugitur, cùm dulcis à justis reputatur. Stephanus in allegor. Godefredi apud Titelman. & addit: denique sicut lac nutrimentum est puerorum; sic tribulatio pabulum sit electorum.

Angelus Domini descendit &c. Dan. 3. 49. S. Chrysost. ep. 3. ad Cyriacum: vides, quomodo patientia Sanctorum ignem in rorem mutavit.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Matth. 10. 16. Ovium patientia armantur Christi Fideles: nullo enim medicamine sopiuntur magis membra, nè percipiant dolores, quàm patientia. Ideo Tertullianus, ubi reprobum Angelum invidentiæ dolore transfossum notat, mox infert; doluerat, quia patienter utique non tulerat. Quasi dolor abesse soleat ab eo, in quo patientia sedem fixerit. Baeza t. 2. l. 12. c. 3.

Neque enim de spinis colligunt ficus. Luc. 6. 44. At Christianam libet mirari agriculturam, quæ legit è rubis uvam, colligit ficus ex tribulis; nam injuriæ, vincula, tormenta, neces nobis pariunt immortales coronas. Oliva l. 13. Strom. hic.

Tu servasti bonum vinum usque adhuc. Joan. 2. 10. Vinum ex aqua, est lætitia ex perpessione malorum. S. Bernardus s. 16. ex variis. Sic & Apostoli planè vinum aqua factum gustaverunt, quando *ibant gaudentes à conspectu concilii*, quando *digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Act. 5. 41. Quomodo non vinum ex aqua, gaudium ex contumelia? *tristitia vestra convertetur in gaudium*. Pinna Eth. 258.

Ex Patribus, & aliis.

Quomodo potest quis gaudere, ubi vincula, ubi tormenta, ubi tribunalia? maximè in hoc gauderi potest. Quomodo autem? disce: nihil ipsi conscius est, plurimum lætabitur. Ità ut, quò majorem dixeri tribulationem, hoc majorem dicas voluptatem. S. Crysost. hom. 15. in act.

Sicut nihil est tam leve, quod ei grave non sit, qui invitus facit; sic nihil est tam grave, quod non ei, qui id libenter exequitur, leve esse videatur. Salvianus de provid. Dei l. 1.

Abi, & quàm fieri potest, ex omni mortalium genere quære natura; & ingenio, asperrimum vitæ & morum tuorum, institutorem; & perseverando apud illum, quotidie subsannationes, & ludibria, velut lac, & mel bibe. Joan. Clim. scala parad. gr. 4.

Patet, quòd homo patiens de felle favum mellis elicit; malum in bonum convertit; mare quasi lac sugit; mœrorem in felicitatis æternæ gaudium commutabit: ut postea jucunditatis redditio subsequatur. B. Humbertus de utilit. pat. c. 42.

Quoties verbum durum, aut factum læsivum patienter sustines; toties rubeas rosas de spinis gignis, & producis. Thom. Kemp. s. 8. de aurea corona in capite S. Agnetis V. M.

Sicut apibus mel præbet thymus, acerrima, & aridissima herba: ità homines cordati à rebus adversissimis conveniens aliquid, & commodum decerpunt. Plutarchus de animi tranquillit.

§. VIII.

Patientia est justis quies, somnus.

Ex Veteri, Pleraque Symbolicè.

Immisit Dominus Deus soporem in Adam. Gen. 2. 21. nè ægrè ferret Adam, unam, sibi de costis eripi, licèt in ejus utilitatem fieret; ut hoc modo dolorem non sentiret. Potuisset quidem Deus ei etiam non sopito sine dolore eripere; sed docuit nos; quòd, ut homines Mundum sine dolore relinquant, sopiendi sint: iis scilicet suadendum; ut divina meditentur: hoc enim cœlesti somno ab humanis rebus sine dolore, immò cum magna voluptate avellimur. Diez conc. 3. in festo S. Andreæ.

Adoravit Israel Deum conversus ad lectus caput. Gen. 47. 31. Sept. *adoravit Israel summitatem virga ejus*. Quid virgæ cum lectuli capite? In capite lectuli cervical ad capitis requiem apponitur; virga labores, tribulationesque, in Scriptura signantur: virga percuti justos, idem est, ac beatè requiescere. S. Hilarius can. 11. in Matth. nunquam dulciùs sancti requiescunt, quàm cùm laboribus fatigantur. Escob. tr. 5. Proph. Chr. l. 8. sect. 2. obs. 3.

Exurge, quare obdormis Domine? Psalm. 43. 23. Somnum patientiam vocat: quemadmodum enim, qui dormit, non sentit ea, quæ fiunt; in idem incidit homo patiens, cum injuria afficitur, & convitis lacessitur. Exurgendi actum motum in vindictam nominat. B. Theodoretus hic.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Cant. 2. 5. Chald. & Hebr. *fulcite me ignibus plurimis*. Non expetit auratam spondam, nec plumeum stragulum; sed pyras, & rogos, stridentium flammarum pro lectisternio: inter ustulata ligna velut inter flores recumbit. Unde Symmachus legit: *requiescere me fecisti in flore*. S. Chrysol. s. 13. de S. Laur. tunc oblata est horrenda & assanda martyrio nobilis illa Laurentii craticula, astrictus est ferro: sed ille, craticulam supplicii lectum quietis, putabat. Arcones in Is. 1. 25. Disc. 3. *Fulcite &c.* Symmach. *recumbere me facite in flore. Ego dormio &c.* Cant. 5. 2. q. d. sic æstimo Mundi fluctus, quasi nullius sensum habeam. Sed, ut benè notat Bernardus; ad hunc somnum priùs præcessit sponsi vox: *bibite, & inebriamini charissimi* v. 1. quasi solus Jesu calix possit talem soporem causare. Baeza t. 2. l. 11. c. 5. §. 8.

Quasi de somno suscitatus sum; & vidi, & somnus meus dulcis mihi. Jer. 31. 26. In captivitatem calamitates patiens dulciter dormiebat. Sed quo medio? dixerat, juxta Hieronymum: inebriavi animam lassam. Id. ib.

Dormiebat sopore gravi. Jon. 1. 5. Rupertus de Jona: futurum erat, ut inter Judaicas tempestates Dominus noster, cùm esset fortissimus Deus, valdè patienter sese haberet; quod dormire quodammodo est. Apud eumdem ib.

Ex Novo, & Patribus.

Beati mites. Matth. 5. 4. Mititas, est in lecto conscientiæ hominis culcitra mollis; ubi molliter, & suaviter anima requiescit. Quæ etiam lapides contumeliarum, detractionum, & injuriarum quarumcumque inflictos sibi amplexatur leviter, & sine sui læsione recipit. Hugo Card. hic.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8. 24. Felix, qui Mundo obdormiens, nihil Mundi curat casus. Dum furit tempestas, navimque videntur fluctus sorbere; Dominus dormit: ut tibi normam præbeat, qua portum felicitatis teneas; si dormias ad Mundi strepitus, & pericula. Baeza ib. Dormitio illia in navi aliquid ostendit insigne virtutis: non solùm in ipso, qui summa est virtus; sed in his quoque, quos suis actibus Salvator ad rectè vivendum informat; ut ad tantam perfectionem quis possit devenire, aut studeat devenire; ut eum quieta non inquietent, & pericula non pavefaciant, neque revocent à quiete, aut tranquillitate Christiferæ pacis. Inquietum erat mare; dormiebatque Salvator: arietabant ex omni parte procellæ; & Dominus dormiebat: irruebant in naviculam venti; & Dominus dormiebat. Proinde si in pace ipsius obdormivisti, atque obdormies; omnino in perturbationibus requiesces. Nec tribulatio, nec angustia, nec algor, nec penuria, & si quod malum possibile deventum; non te divident à quiete, quam es in Christo, & cum Christo, & pro Christo, & de Christo, fortitus. Sim. Cass. l. 4. c. 9.

Dormite jam, & requiescite. Matth. 26. 45. q. d. nunc vobis necessarius somnus, quando omnes hostium furiæ consurgunt. Tunc ait: *surgite, eamus*. Baeza ante citatus.

Nè statuas illis hoc peccatum! & cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino. Act. 7. 59. S. August. s. 9. 2. de div. ò somnus pacis! qui inter lapides inimicorum dormivit, quomodo in suis cineribus vigilabit. Apud Baeza cit.

Percussoque latere excitavit eum. Act. 12. 5. 7.

Si patientiæ incubabo, non dolebo. Tertull. l. de pat.

§. IX.

Patientiæ fortitudo.

Num. I.

Divina.

Dominus patiens, & magnus fortitudine. Nahum 1. 3. Arabicus: *fortitudo ejus maxima*. S. Hieron. Deus magnanimitatis suæ fortitudine iniquitates eorum (Ninivitarum) sustinuit, provocans eos ad pœnitentiam. Deus ideò est magnus fortitudine, quia est patiens. Ps. 7. 12. *Deus justus, fortis, & patiens*. Cornelius hic.

Jesus autem abscondit se. Joan. 8. 59. Cur Christus abiit à lapidantibus, non inflicta aliqua pœna? S. August. tr. 43. cùm Judæi lapides tollerent, quid magnum erat, ut eos continuò terra dehiscens absorberet? & pro lapidibus infernos reperirent? Non erat magnum Deo; sed magis erat commendanda patientia, quam exercenda potentia. Apud Sylveira hic q. 24.

Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam. Rom. 9. 22. quid fecit? an orbis magnam partem dejecit? &c. *sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum*. Did. Nyss. Dom. 19. Pent. §. 3.

Vicit orbem terrarum, subjecit omnes potestates subjugavit reges; non superbo milite, sed irrisa cruce: non sæviens ferro sed pendens in ligno. S. August. s. 63. de diverf.

Rationabilis patientia vincit inimicos Dominus noster Jesus; qui utique in hunc Mundum, ut patiendo vinceret, à Patre descenderat. S. Gaudentius tr. 11. de div. capitulis.

Fortis patientia nobis summè necessaria est in hac fragili vita; quæ non est, nisi quotidiana lucta contra vitia. Thom. Kemp. p. 1. s. ad Novit. s. 5.

Num. II.

Humana.

Misit ante eos virum. Psal. 104. 17. Meritò dixit *virum* quia multa passus, viriliter cuncta sustinuit. Cassiodorus hic.

Leo, fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum. Prov. 30. 30.

Erat quidam homo ibi. Joan. 5. 5. Arab. *erat ibi vir*: quia in tanta miseria virilem habebat animum. Sylveira hic.

Omnis injuria, sive lingua, seu manu inconcussa; cùm patientiam offenderit; eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum, & obtusum. Tertull. l. de pat.

Nihil minus virile, nihil muliebriùs; quàm robur in lingua habere. S. Chrysost. hom. 31. in Act.

Patientia est quasi scutum, quod opponitur sagittis tribulationum, injuriarum, tentationum &c. S. Vincent. Ferr. s. 3. de SS. Trinit.

Virtus fortitudinis ostenditur maximè in tribulationibus. S. Vinc. Ferr. s. 4. D. 4. Adv.

Contra linguæ gladium patientiæ præbe scutum. S. Isidor. l. 2. soliloq. c. 7.

Quidam singulari sanctitate vir dixit: Christianum hominem oportere robur habere, non mallei, sed incudis. Isid. Clarius or. 6. l. 1.

§. X.

Patiens est prudens, sapiens.

Ex Veteri, & Novo.

Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Tob. 2. 10. Eam, quæ impatientiam docet; & in iram animum stimulat, aptè stultam vocat; non iracundam: non rixosam: nam sicut sapientia semper cum patientia conjungitur; ità iracundia cum stultitia. Pinna in Eccl. 2. Ethol. 26.

Doctrina viri per patientiam noscitur. Prov. 19. 11. Ex eo enim, quod prudentia causet patientiam, rectè ex patientia, velut ex affectu, cognoscitur prudentia, ejus causa; ita ut verè inferas: hic homo est patiens, ergo prudens: quia prudentia infallibiliter causat patientiam. Vicissim ex causa colligas effectum: est sapiens, ergo & patiens. Dicit hoc Salomon, ut vulgi errorem confutet. Vulgus enim æstimat eos, qui patienter tolerant probra, & injurias; esse simplices, viles, & abjectos: contrarium ergo hic docet Salomon. Ratio: Sapiens, & prudens, sapienter intelligit, in hac vita adeò misera multa adversa homini esse expectanda: ac proinde ad ea se comparat; ut per patientiam ea facilè ferat. Scit enim, si in iis sit impatiens, malum, malique sensum, se duplicaturum: cruciabitur enim, & sensu mali, & sensu suæ impatientiæ; cùm simplum sit habiturus dolorem; si patiens sit. Cornelius hic. *Doctrina viri &c.* quia tantò quisque minùs ostenditur doctus, quantò convincitur minùs patiens. V. Beda l. 2. hic.

Vir sapiens fortis est. Prov. 24. 5. q. d. Sapientia facit fortes, & validos, ad quævis ardua, vel conficienda, vel sustinenda; licèt corpore infirmi sint. Sept. *melior est sapiens forti*, Hebræi, teste Aldrovando in asino, sapientis Symbolum dant asinum; eò quòd instar asini multa sapienter, id est, patienter, & fortiter perferre debeat. Cornelius hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Philosophi omnem sapientiæ ostentationem de patientia præferunt. Tertull. de pat. initio.

Non *invenit* locum sapientia ubi non est patientia. S. August. s. 4. de Verb. Ap.

Patientia comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ. S. August. l. de pat. c. 5.

Sapientis spiritus in sapientis Christi patientia plenariè requiescit. S. Rupertus l. 2. de oper. S. Spir. c. 3.

Quì est magis patiens, magis est sapiens. S. Thom. Aqu. de condit. principum l. 5. c. 34.

Quò quisque est patientior, eò probatur esse & sapientior. Drogo Ost. de 7. don. Spir. S.

§. XI.

Patere, quia meritus es.

Ex Veteri.

MEritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. Gen. 42. 21. Oleaster: optima consideratio; cùm pœnam senseris, culpæ meminisse. Apud Alvarez hìc Illust. 179.

Dominus præcepit ei, ut malediceret David. 2. Reg. 16. 10. Imitemur Davidem: qui cùm malediceretur à Semei, cogitabat de peccatis suis, quibus id meritus erat: ideoque patienter idipsum tulit. S. Gregor. mor. l. 31. c. 17. tunc illata beneficia bene toleramus; cùm in secreto mentis ad mala perpetranda recurrimus, & majora nos meritos videmus. Cornelius hìc.

Ulciscitur non secundùm peccata nostra. Judith 7. 17. 2. Esdræ 9. 33. Levites: *& tu justus es in omnibus, quæ venerunt super nos quia veritatem fecisti; nos autem impiè egimus*. Da. 3. 28. *in veritate, & judicio, induxisti omnia hæc propter peccata nostra*.

Justus es Domine. Ps. 118. 137. S. Ambros. s. 18. vulgus hominum injustè se putat tolerare, quod patitur. At verò justus vir, qui seipsum statim in exordio sermonis accusat, justitiam Domini prædicat; quòd meritis suis digna patiatur. Apud Mendoza in 1. Reg. 3. annot. 6.

Si ignoras te &c. Cant. 1. 7. Per cognitionem sui cessat omnis querela contra Deum de malis, quæ patimur. Precatio enim sponsæ involvit querimoniam de absentia sponsi; ob quam in tot miserias est prolapsa. Cui respondet sponsus: *si ignoras te*. q. d. si te cognosceres, non quæreris. *Abi post vestigia gregum*; disce obedientiam, subjectionem, & sufferentiam, à gregibus irrationabilibus. Sicut oves percutienti pastori non contradicunt, ab illo se duci sinunt; quo vult, ita tu committe te meæ providentiæ. De Ponte hic Exhort. 14. §. 6.

Nos propter nosmetipsos hæc patimur peccantes in Deum nostrum. 2. Machab. 7. 18.

Ex Patribus.

Leve videbitur, quòd injuria percutimur; dum in actione nostra conspicimus; quia pejus est, quod meretur: sicque fit, ut contumelii gratia magis, quàm ira, debeatur. S. Gregor. mor. l. 30. c. 9.

Quando benè est, lauda misericordiam; quando malè est, lauda justitiam. S. August. in Ps. 98.

Peccator filius dedignatur flagellari; cùm sine peccato videat unicum flagellatum. Id in Ps. 88.

Christianorum propria virtus est, etiam in his, quæ adversa putantur, referre gratias Creatori. Qui sibi sanctiores videntur, solent Deo referre gratias; quòd de periculis, vel miseriis, liberati sunt. Sed juxta Apostolum, hæc virtus est maxima; ut in ipsis periculis, atque miseriis, Deo gratiæ referantur, & semper dicamus: benedictus Deus! minora me vult sustinere, quam mereor: hæc ad mea peccata parva sunt; nihil mihi dignum redditur. S. Hieron. ep. ad Eph. 5. 20.

Non murmures, non blasphemes; non dicas: quare sustineo mala? sed magis dic; peccavi! non sunt tanta supplicia, quanta extiterunt peccata. S. Isidorus l. 1. soliloq.

Laudantur civiles leges, decreta imperialia, & humana judicia; quæ condignam malefactoribus retributionem jubent impendi: & justitiæ Dei detrahimus, judiciaque damnamus; si nos delinquentes insequitur, si nostris; non parcit flagitiis. Quodque deterius est, persæpè, quod in altero æquissimum fatemur, per impatientiam reprehendimus; si perficiatur in nobis. S. Laur. Just. l. de spir. an. resurr.

Quisquis perfectè senserit onus peccati, & animæ læsionem interiorem; utique aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis pœnam: nec reputabit laborem, quo peccata noverit deleri præterita, futura caveri. S. Bernardus s. 3. de altitudine cordis.

§. XII.

Patientia innocens.

Ex Veteri.

ERit autem agnus absque macula. Ex. 12. 5. Agnus requisitus ad immolandum, & ad necem, debebat esse sine macula. Placet Deo innocens victima. Sylveira in Act. 25. q. 1. Innocentiæ maximè patiendum.

Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea. Job 27. 6. patiens Job ait.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates. Ps. 54. 4. id est, quoniam inimici projecerunt in me falsa crimina. *Cor meum conturbatum est in me, & dixi: quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Bellarminus hic.

Dilectus meus candidus, & rubicundus. Cant. 5. 10. Rupertus: unde candidus? & unde rubicundus? Nimirum candidus sanctitate, rubicundus Passione. Dicat aliquis? si ergo candidus, quare rubicundus? si sanctus, quare passus? Did. Nyss. D. 16. Pent. §. 1.

Sicut ovis ad occisionem ducetur. Is. 53. 7. Ideo innocentissimus agnus neci datus, quia velut ovis omnibus ex se beneficiebat Id. ib.

Daniel c. 1. 6. non peccavit; Ananias, Azarias, Misael, à peccato immunes fuerunt; & tamen captivi effecti sunt. Origenes hom. 1. in Ezech.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Ad reges, & præsides, ducemini propter me. Matth. 10. 18. Sanct. Thom. ducemini ad reges: sed magnam deberis habere consolationem, quia propter me scilicet, quem diligitis: Hugo Card. hæc erat eis magna consolatio; cùm scirent, quòd propter Deum patiebantur. Sylveira hic c. 8.

Ecce agnus Dei. Joan. 1. 29. Joannes Passionem non ignorabat; sed hoc primum testatus est, dicens: *ecce agnus Dei*. Agnum vocans, crucem divulgat. S. Chrysost. in Cat. S. Thomæ. Ubi innocentia Christi prædicatur, ibi crux, & mors denuntiatur: inseparabilia crux, & innocentia. Sylveira in Act 25. q. 1.

Existimabat se visum videre. Act. 12. 9. Cur Petrus Angelum non agnoscit? Erat Petrus innocens inclusus in carcere, & erant ibi multi iniqui, & malefactores, videnque se innocentem a vinculis absolvi, cùm maligni remanerent in custodia; scienque Mundi perversitatem, qua innocentes opprimuntur, & parvi salvantur; ideo velut somnium, quòd fiebat, reputabat. Sylveira hic q. 14.

Gaudeo in passionibus. Gloss. 1. 4. Ratio: *nihil mihi conscius sum*. 1. Cor. 4. 4.

Tentatum per omnia absque peccato. Hebr. 4. 15.

Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 1. Petri 4. 15. Hugo à S. Vict. dum expendit illud Pauli Gal. 6. 14. *mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri*, ait: dicunt homines, quando pœnam sustinent: si meruissemus, non erubesceremus; nunc autem injustè pati ignominiosum est nobis. Obloquium videtur: immo si pro culpa pateris, erubescere; si sine culpa, gloriare. Latro magis esse vis, quàm Christus? Sylveira in Matth. 10. c. 8.

Patientia amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentiæ. Cùm ergo videris quenquam patienter aliquid pati, noli continuò laudare patientiam; quàm non ostendit, nisi causa patiendi. Quando illa bona est; tunc ista vera est. S. August. l. de pat. c. 5.

Feliciter sunt miseri, quos certò constat non meruisse. Hinc est, quòd gloriamur in vinculis; quorum causa nobis est pro solatio, non conscientia pro flagello. Hildebertus ep. 39.

§. XIII.

Patientia signum prædestinationis.

Num. I.

Figuræ, & Symbola.

EX omnibus animantibus &c. Gen. 7. 2. Inferiùs bestias, quadrupedia, atque reptilia; superiùs verò aves, & homines, habitasse credendum est. Ibi lata extitit, ubi bestias habuit; ibi angusta, ubi homines servavit. S. Greg. hom. 38. in Evang.

Tolle filium tuum unigenitum &c. Gen. 22. 2. Ismael ad speciem tenerius videtur dilectus: nam, cùm Dei jussu domo illum excluderet, matris scapulis imposuit, & panes largitus est. Gen. 21. 14. Quid fecit Isaaco? *tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum - - cumque alligasset Isaac filium suum*. Dilectus iam præ Ismaele? & quomodo? Ismaeli providit commoda, Isaaco martyria: ille portatur, hic portat; sed incommodis procuratur Isaaco ingens felicitas. Naxera in Jos. 24. §. 7.

Accede huc ut tangam te fili mi; & probem, utrum tu sis filius meus. Gen. 27. 21. Vix aliter Deus. Tangendus es mi fili: calidas manus quidem habeo: sed urunt. Sed si filius meus es, patieris te tangi. Drexelius Gymn. pat. t. 2. P. 1. c. 2. §. 2.

Rachel ultimum filium, eumque charissimum, *Benoni*, hoc est, *filium doloris*. Gen. 35. 18. Sicut Is. 53. 3. Christus *virum dolorum*. Jacob autem eumdem *Benjamin*, id est, *filium dexteræ* nominavit. ib. Quid est hoc aliud? quàm filios Dei, qui persecutionem patiuntur, esse non tantum Benoni, seu filios doloris; sed etiam Benjamin, filios dexteræ: qui scilicet in illa dextera agnorum, non hircorum, statuentur. Stengelius t. 1. Judic. div. c. 31. Formosa illa Rachel Ecclesiæ est typus; quæ magnis angustiis, & doloribus oppressa plurimos enititur filios; quos haud incongruè doloris filios appellare potest; sed eos deinde Pater cœlestis dexteræ filios nuncupat; quod, qui in tribulationibus stabiles sunt, eandem velut, legitimi filii à Deo ad dexteram in regno cœlorum collocandi sunt. Petrus Besseus D. 3. Pasch.

Joseph accusavit fratres suos - crimine pessimo. Gen. 37. 2. Sed non refertur ulla patris objurgatio. Joseph verò referens Patri, & fratribus, somnium de sole, luna, & stellis, arguitur à patre: *quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti?* vers. 10. Reliqui erant filii ancillarum; Joseph verò tenerrimè dilectus, & patri præ cæteris erat charus. *Videntes fratres ejus, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum*. v. 4.

Invenit scyphum in sacco Benjamin. Gen. 44. 12. In sacculo Benjamin vas Joseph inventum est. In habitu & vita Religiosi, reperiri debet calix Jesu Christi, hoc est, Passio ejus, paupertas, & austeritas. In hoc vase augurari solet ipse Dominus: nam ex clarioribus signis prædestinationis est; si libenter bibas sanguinem Passionis Domini. Diez Monachi austeritas.

Duos Cherubim aureos, & productiles facies. Ex. 25. 18. hoc est, ex auro ductili, & mallei opera extenuato: quia in sanctis sanctorum, potissima templi parte, collocandi erant. Barradius tom. 2. l. 8. c. 10. cùm audiisset in vinculis.

Volvite saxa ingentia ados spelunca - vos autem nolite stare. Jos. 10. 18. 19. Quam amaverant, hostibus quietem permittit; milites verò ad bellicos labores cogit: supplicia regibus distulit; durioribus reservans: *eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca*. vers. 23. Milites, quos compulit desudare, gloriosis fecit micare trophæis: quos otio indulgere permisit, infami stipiti dedicavit. Naxera hìc §. 49.

Num. II.

Testimonia ex Veteri.

Nunc - scio, quòd certissimè regnaturus sis. 1. Reg. 24. 21. Unde cognovit Saul? ex persecutionibus, quas ab ipso Saule multis diebus humiliter sustinebat. Patientia in persecutionibus signum est prædestinationis. Diez Patientia.

Frustrà conflavit conflator. Jer. 6. 29. Omnipotens conflat hominem; quem creavit: quia per ignem tribulationis, atque per verba doctrinæ, in unum vult redigere, quem dispersum in multa cognovit; & purgare, qui se propria voluntate infecit. Sed sæpe tribulationis ignis ardet, non purgat: & doctrina suscipitur, & non emendat? non defectu agentis, sed perversitate patientis. Nullum sanè reprobationis signum certius, quàm purgatoriis per Deum ordinatis nolle purgari. Sim. Cass. l. 4. c. 3.

Propter me orta est tempestas hæc. Joan. 1. 12. Navis illa, qua servus Dei Jonas vehebatur, plena erat idololatris, & Infidelibus; quos tamen pro tunc Deus non punivit, & de inobedientia servi sui vindictam tulit. Sic, licèt nos Fideles premamur miseriis; & Turcæ &c. in prosperitate vivant; non putemus Deum nostri oblivisci: quia agit nobiscum tanquam cum filiis sibi valdè dilectis; calligat nos, ut emendemur. Diez conc. 2. in Nat. S. Joan. B.

Ponam te quasi signaculum. Aggæi 2. 24. Mystice: Christus est sigillum Dei: quia sua effigie, putà, sua fide, gratia, virtute, moribus, charactere in Baptismo, aliis Sacramentis, obsignat suos Fideles. Deus enim misit Christum qui voluit nos *conformes fieri imaginis Filii sui*. Rom. 8. 29. ut *sicut portavimus imaginem terreni* Adæ; ità *portemus & imaginem cœlestis*. 1. Cor. 15. 49.

Ducam tertiam partem per ignem. Zach. 13. 9. Tertiam partem Electorum per ignem traducit; ut populum suum. Ideo subjungit: *dicam populus meus es*. S. Cyrill. Alex. ad multas vexationes, & persecutiones, excipiendas vocati sunt. Quæ igitur hinc utilitas? aut quod præmium referent? qui sic afflicti, & prostrati sunt? Domestici, noti, & dilecti Deo, evaserunt. Quocirca hæreditas Dei, & Patris facti sunt. Arcones in Is. 1. 25. Disc. 4.

Ex Novo.

Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Matth. 1. 21. quoniam non salvi fient, qui non sunt de populo Dei. Quem autem appellavit Deus populum suum, nisi populum; circumcisum? ut spirituali circumcisione secernat, qui de populo Dei satagit numerari. Sed quis populus Dei, nisi qui fuit flagellatus in Ægypto? Flagellis erudiri oportet, qui vult esse in populo Dei. Populus Dei est, qui dimisit *spiritualem*, & obscuram Ægyptiacam regionem; qui effugit servitutem invisibilis Pharaonis; qui sequitur Moysen, Aaron; legem, & Sacerdotium; doctrinam, & gratiam; Evengelium, & Sacramenta: qui transit mare sæculi sicco vestigio; nè pedes animarum intingantur mala doctrina, & luto temporalium rerum; qui videt Ægyptios malorum delectationum in littore suffocatos; qui per deserta sequitur Christum. Sim. Cass. l. 2. c. 17.

Cùm audisset in vinculis. Matth. 11. 2. Joannem, quem Angelus Luc. 1. 15. *magnum coram Domino* forte prædixerat, vinculis videmus in carcere constrictum; Herodem verò impium in sublimi throno. Innocens cruciatur, nocens deliciatur: qui enim magnus est, magna tolerat; potentes virtute potenter propter Deum tormenta patiuntur. Virtutis magnæ labores magni comites sunt. S. Chrysost. hom. 8. in Matth. viriliter cuncta sustineas; sciens, tribulationes maximas inseparabiles quosdam comites esse virtutum. Dulcibus in fluviis ingentes ceti, aliique magni pisces, non reperiuntur; sed amaro mari: sic in dulci vita magni coram Domino viri non visuntur. Magnæ naves per profundum pelagus; magni coram Domino viri per profundas tribulationes, in cœlum navigant. Sublimi, conspicuoque ædificii loco statuendi lapides pluribus, quàm alii, percussionibus dolantur: sic sublimiori in throno cœli collocandi homines pluribus, quàm cæteri, cruciatibus poliuntur. Barradius t. 2. l. 8. c. 10.

Hic est Filius meus dilectus. Luc. 9. 35. O cœlestium tempestatum faustissimos turbines! ò nobilum omni jucunditate serenius! Apostoli quidem pavore territi ultimum timebant excidium: cùm ecce tibi è nube aurea effluit vox, qua Christus dilectus Deo Filius renuntiatur. Ergo noli desperare, cùm aer super caput nimbus impenderit: nam licèt te vestimentis gloriæ exuant; licèt Moysem, & Eliam, fuget; licèt tui fulgorem vultus infuscet: filium nihilominus te Dei non declarat tantùm, sed facit. Magis à Deo amaris, cùm nubes te horrida inumbrat. Is. 19. 1. *ecce Dominus ascendet super nubem levem*: nubes sunt persecutiones; sed justitiæ solem non subducunt, ac advehunt. Oliva lib. 13. Strom. hìc.

Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Hebr. 12. 6. Nè te sine flagello speres futurum; nisi fortè cogites exhæreditati. S. August. in Ps. 31.

Ego, quos amo, arguo, & castigo. Apoc. 3. 19. E contrà verò. Jer. 12. 1. *quare via impiorum prosperatur*. Ansbertus hìc. Electi per præsentes tribulationes ad hæreditatem paternam; & reprobi, sine temporali flagello, ad mendicitatem perveniunt æternam. Apud Sylveira in Act. 8. q. 14.

Ex Patribus, & aliis.

Quòd te non vult pati, non pateris; quòd te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis: *ad hæreditatem* sempiternam erudimur, & flagellari dedignamur? S. August. tr. 7. in Joan.

Nonne melius est, ut flagellet te, & recipiat te; quàm parcat tibi, & deferat te? S. Aug. de verb. Dom. serm. 4.

Certa, atque secura est expectatio promissæ beatitudinis; ubi est participatio Dominicæ Passionis. S. Leo s. 9. de Quadragesima.

Quemadmodum continuus successus temporalis indicium damnationis est; ità flagelli eruditio cum patientia in dubium prædestinationis agnoscitur esse præsagium. S. Laur. Just. l. de cont. Mundi c. 19.

Qui bona agit, & mala suscipit; quidquid sibi justæ retributionis in terra subtrahitur, hoc illi in cœlo multipliciùs cumulatur. Porrò medici corporum, quos desperant, ad percipienda passim, quæque petierint, alimenta relaxant: ad quos erigendos esse conspiciunt, cuncta eis noxiæ delectationis minaciter interdicunt; antidota insuper amara propinant. Vites quoque, & fœcundæ arbores, putationibus subjacent: steriles autem, & quæ ignibus sunt tradendæ, ramis evagantibus, quò liberiùs, eò diffusiùs patent. Noli itaque hujus vitæ felicitatem hominibus invidere; sed condole: immò, quia ipsi non dolent, potiùs ingemisce. Qui nimirum velut bruta animantia ad macellum edendo properant, edendo ad gladium lasciviendo festinant. B. Petr. Dam. ep. 6.

Sit mens in prosperis timida, sit in adversitate secura: cumque bona facit, & tolerat? tunc se procul dubio numerari

rati inter Christi membra confidat. Quisquis enim rectè vivens flagellis atteritur; sicut Christi nunc in utroque vestigia sequitur, ità postmodum ejus consortio non privatur, B. Petrus Dam. ep. 31.

Magni amoris, & electionis æternæ, signum est; quando homines redarguit, increpat; neque finit quiescere, donec exeat à peccato. S. Thom. Vill. f. in D. 4. Adv.

Hoc signum amoris, hoc indicium æternæ hæreditatis; si me hic fecerit consortem sui calicis. Id. conc. de S. Jacobo.

Qui exceptum est à Passione, & tribulatione flagellorum, exceptus etiam erit à consortio electorum filiorum; quia scriptum est: *væ vobis, qui habetis hic consolationem vestram*. Idiota l. 2. contempl. c. 1.

§. XIV.

Patientia propria Christianorum.

Ponam illum quasi gregem in ovili. Michææ 2. 12. Sept. & Chald. legunt, *in tribulatione*: ut sciant Fideles; se vocatos esse ad ovile Christi, quasi ad domum tribulationis, & crucis. Cornelius hic.

Nemo moveatur in tribulationibus nostris: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. 1. Thess. 3. 3. S. August. in Ps. 25. si vides malos florere, bonus laborare; tentatio est, fluctus est; & dicit anima tua: ò Deus! Deus! ipsane est justitia tua; ut mali floreant, boni laborent? Dicis Deo: hæccine est justitia tua? Et Deus tibi respondet: hæccine est fides tua? hæccine tibi promisi? aut ad hoc Christianus es factus; ut in sæculo floreres? Apud Marchantium D. 2. Adv.

Christianorum est, pressuram pati in hoc sæculo, & lugere; quorum est vita æterna. Origenes l. 2. in c. 2. ad Rom.

Pati Christianorum est. Philo Carpath. in Cant. 1. 9.

§. XV.

Patientiæ motivum, cœli, & salutis memoria, Symbola.

Fenestram in arce facies, & in cubito consummabis summitatem ejus. Gen. 6. 16. Oleaster: videtur contextus innuere, fenestram fuisse in superiori porta arcæ. Alias fenestras in lateribus, non verò in summitate ædificii ponimus; cur hic superiùs in summitate arcæ? Benedictus Fernandius cap. 7. in Gen. sect. 6. Intelligitur fenestra, per quam lux admittitur, cœlumque suscipitur. Qui enim in funebri illo feretro, velut morte consepulti, tam calamitosam viderent vitam, absque ingenti consolatione, ac levamento, quod cœlum contuentibus præbere solet. Sic Stephano videnti cœlos apertos dulces lapides fuere. Paoletti in festo S. Stephani.

Animalia ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Ezech. 1. 14. Unde illis, præsertim homini, & bovi, lentis, talia celeritas? *Et similitudo super capita animalium firmamentis*. v. 22. Fronti insidens æternitas alas addidit vel bovi. Oliva l. 11. Strom. §. viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum.

Testimonia ex Veteri.

Sedens in sterquilinio. Job 2. 8. Jacebat corpore in sterquilinio; sed animo habitabat in cœlo: consumebatur vermibus, qui spiritus superabat immundos. Parva sunt, si consideres, quæ recepit. Cassiodorus in Ps. 37.

Factus est mihi Dominus in adjutorium spei meæ. Psalm. 93. 22. Nullus invideat perituris; nullus felices æstimet; qui sub æternitate damnandi sunt. Amemus potiùs afflictiones, quæ faciunt perpetuò felices. Nam si amaram Medici potionem non respicimus, ut temporalem suscipiamus tospitatem; quis istud sanæ mentis affectare non debeat, quod se propter æterna gaudia subire posse cognoscat. Cassiodorus hic.

Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, cùm recordaremur Sion. Ps. 136. 1. Nota: super flumina: juxta ripas fluminum sedere nil mirum; sed super flumina sedere, quomodo id fieri potest? *cùm recordaremur Sion*. Quietem cœli Christiani animo volvunt; ideò aquis tribulationum non merguntur. Rupertus; illorum erat hoc dicere, qui recordabantur Sion: Tales nimirum non sub aquis fluminum absorpti erant; sed supersedebant: similes aviculis, quas aquæ imperio Dei produxerunt paratas ad volandum. Didacus Nyss. Sabbato post D. 1. Quadr. §. 1.

Exaltatio oculorum est dilatio cordis. Prov. 21. 4. q. d. inquit Salazar: qui angusti est pectoris inter hujus vitæ adversitates, non figat obturum in calamitates præsentes; sed erigat magis; & sursum aspiciens videat, paratam esse his afflictionibus gloriam. Id. ib.

Videte, si est dolor sicut meus. Thr. 1. 12. Curet quivis discernere inter dolores, & dolores infirmi & videat, an dolores, quos patitur, sint sine salutis utilitate, an verò sint salutí æternæ utiles. Illos putet dolores Inferni, hos amet; & amplexetur dolores Christi. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 14.

Ambulabant in medio flammæ laudentes Deum. Dan. 3. 24. S. Zenon f. 1. de tribus pueris: tres pueri in illo sacro certamine Deum præ oculis sibi præposuere, non flammas, præmium futurum, non pœnam.

Peto nate, ut aspicias ad cœlum. 2. Machab. 7. 28. Infans, gigantibus par, qua ratione siccis oculis fratrum lanienam intueri potuisti? *fratres mei modico nunc dolore sustentato sub testamento æterna vitæ effecti sunt*. v. 36. En currens gigas ad supplicia, sperans æternitatis stipendia. Ea cunctantem Rusticum impellit Hieronymus ad peregrinationem longinquam ep. 4. exi cum Abraham de patria: substantiam, si habes, vende. Durum, magnum, difficile; sed magna sunt præmia. Audeo dicere: morienti in cruce Domino cœlum, solemque subductum, nè lucis spectaculo myrrhæ fasciculus in facem liliorum verteretur. Non enim pœna crux est, si cœlum pateat. Latro certè, cùm regni meminisset, ità patibuli sui oblitus est; ut nec doluisse scribatur; nec illud à se deprecatus. Oliva l. 11. Strom. §. Viri Galilæi.

Ex Novo.

Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Luc. 22. 31. Talis est agitatio justorum. Et triticum, & palea, agitantur; ventilantur in area Mundi. Nullus est justus, seu impius; qui sub malorum agitatione non sit. Injustus doleat, quòd agitatur sicut palea; ut post agitationem mittatur in ignem: justùs gaudeat, qui agitatur sicut triticum; post agitationem servetur in vitam. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 14.

Quem quæritis? Joan. 18. 4. Magna charitas, quæ mortis excludit horrorem! miranda securitas, quæ inimicis sponte se donat. Ad hæc caput nostrum animavit & membra. Sciebat enim ipse impassibilitatem post Passionem? id est, vitam post mortem, gloriam post sepulchrum, indubitanter futuram. Passio nulla deterreat, ad quam impassibilitas vera, & æterna succedit. Frustrà pœna conturbat, de qua delectatio nascitur. Nec tyrannorum gladios paveant, quibus consecrantur ad Christum. Mortis terrore non angitur, qui de morte vitam cognovit prodire supernam: omne asperum non conturbet, si cruciat; cùm infinita sequatur amœnitas. Simon. Cass. l. 13. c. 11.

Video cœlos apertos. Act. 7. 55. Cur S. Stephanus visionem suam non tacet, sed publicat? quia, cùm esset princeps, & dux, omnium Martyrum, eos suo exemplo hortatur: ut fortiter, & constanter, Martyrium subeant, & non timeant: Christus enim adstat ad eos juvandos; & ad januam quasi expectans, ad dandam eis coronam. Sylveira hic.

Ex Patribus, & aliis.

Nihil ejus sentit in nervo, cùm animus in cœlo est. Tertul. l. ad Martyres.

Nonne si minutatim incidi, si innumeras mortes mori; si innumeras animas, & totidem quotidie corpora, traditum iri oporteret; nonne, inquam omnia pro tanta gloria subeunda essent? S. Chrysost. hom. 79. in Joan. c. 17.

Pericula non respicit Martyr, coronas respicit: plagas non horret; sed præmia numerat. Non videt lictores infernè flagellantes; sed Angelos supernè lætis omnibus acclamantes imaginatur: non spectat ad temporalia pericula; sed ad præmiorum æternitatem. S. Basilius hom. de Barlaam apud Did. Nyss. Sabb. D. 1. Quadr.

Sæpè propter Christum afficitur contumelia, & ignominia quispiam. Martyrium imminet, tormenta undique, & ignis, & gladius, & bestiæ, & gurgites. Verùm interea Spiritus S. allequitur: sustine Dominum: parva sunt ista, quæ fiunt: brevi tantùm tempore labora; & in sempiternum eris cum Angelis. S. Cyrill. Jerof. Catech. 16.

Cui vita sua chara est, dura nulla est cura: medicus non fit ingratus, qui per dolorem revocat ad salutem. S. Chrys. f. 167.

S. Franciscus rogatus, quomodo tam tenui veste frigus toleraret? respondit: si supernæ patriæ flamma per desiderium contegeremur, facilè nos ab hoc frigore tueremur. Cornelius in Is. 1. 20.

Statura tua assimilata est palmæ. Cant. 7. 7. Quia palma inferioribus aspera videtur, in summo autem pulchritudinem, & fructus suavitatem ostendit; meritò huic statura assimilatur Ecclesiæ; sive animæ cujusque fidelis, quæ asperos pro Domino portat in terra labores; sed mercedem à Domino gratissimam se accipere sperat in cœlo. V. Beda l. 6. hic.

Gemma gratissima expectatio præstolantis. Prov. 17 8.

Operatur patientia probationem; probatio verò spem. Rom. 5. 3.

Genius, quasi fessus, & sopore lassus, incubat anchoræ. Lem. *Juvat fessos. Habebis fiduciam proposita sibi spes; & defessus securus dormires*. Job 11. 18.

-Spes est dura; sed lenit tamen
Viæ labores. Non solet tranquillitas
In delicati pectoris molli thoro
Secura permanere. Spe dura jacet
Securitas. Spes dura tranquillum facit
Sibi incubantem. Sæviant venti licet;
Dominentur undæ: somnium ex illis tamen
Spes dormienti facere jucundum potest.

Hesius.

Anchora infigitur. Lem. *spes ferit: & tamen una juvat, mente que quietum sola ferit. Fundati, & stabiles, & immobiles à spe*. Coloss. 1. 23. Idem.

Testimonia ex Veteri.

Vidi per somnium quasi solem, & lunam &c. Gen. 37. 9. S. Cyrillus: sic Deus juveni Joseph per somnia significabat; illum aliquando clarissimum, & fratribus suis longe præstantiorem fore: atque ità eum ad virtutes, atque meliora, provocabat; quemadmodum hi, qui præmia Athletis proponunt, facere solent. Apud Naxeram in Jos. 15. §. 18.

Affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem producebant vitam eorum. Ex. 1. 13. 14. In quo hæc asperitas vitæ maximè apparebat? Cyrill. Alex. lib. de ador. in spir. sine mercede hæc, & magno sudore, & laboribus, perficiebantur. Ecce amaritudo: non quia opere lateritio: & sudore magno, laborarent, turres, & civitates, ædificando; sed quia sine mercede, & spe retributionis, hæc perficiebant. Castillo Ethol. 187.

Confortamini, & non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro. Ait Azarias 2. Paral. 15. 7.

Nunquid Job frustra timet Deum. Job 1. 9. Occultat coronam, quo dimicatorem ostendat. S. Chrysost. hom. 5. de patientia Job.

Militia est vita hominis super terram; & sicut dies mercenarii dies ejus. Job 7. 1. Sicut miles optat bella ingruere, ut stipendia habeat; & sicut mercenarius timet, ne desint qui eos conducant: ita & nobis timendus defectus tribulationum. S. Gregor. mor. l. 8. cap. 7. mercenarius sollicitè curat inspicere, nè unquam dies vacuus labatur ab opere, & expectatus finis temporis, nè inanis veniat ad remunerationem: sic

§. XVI.

Patientia ob spem mercedis &c. Symbola,

Tempus veniet, cùm excutias, & solvat jugum ejus de cervicibus tuis. Gen. 27. 40. Ultima benedictionis clausula dolorem sopiebat, & in spe bonas animum consternatum sublevabat. *Tempus veniet &c.* q. d. cum Seneca: omnia tibi fortuna abstulit, sed spem reliquit. Naxera in Jos. 17. §. 19.

Serviam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis. Genes. 29. 18. Si justus ille (Jacob) propter puellæ amorem, septennium servires, ferreque pastoralium laborum ærumnas, decrevit; & non sentit vel labores, vel temporis longitudinem; sed omnia ei levia, & facilia videntur: expectationeque, & spe fructus alitur; ità ut dies paucos longum illud tempus putet: qualem nos habebimus excusationem, qui non pari studio erga Dominum nostrum, & benefactorem, & Curatorem, & qui nobis sit omnia, afficimur? sed quando proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinere volumus. Qualis nobis erit venia, qualisve excusatio, sic negligentiæ deditis; qui neque quantum beatus ille in puellam declaravit amorem, tantam in Deum charitatem habemus; idque cùm tanta possimus numerare in nos beneficia collata, & quæ quotidie conferuntur. S. Chrysost. hom. 55. in Gen.

Qui percusserit Cariath-Sepher, & cœperit eam; dabo ei Axam filiam meam uxorem. Jos. 15. 16. dixit hoc, ut milites ad arduum certamen excitet. Id. hic.

Sed & clavos fecit aureos. 2. Paral. 3. 9. & 3. Reg. 6. 21. *& affixit laminas clavis aureis*. V. Beda l. de templo c. 12. clavi aurei, quibus erant affixæ laminæ, ipsa sunt promissa æternæ claritatis; per quæ in exercitio, studioque virtutis, nè deficiamus, donante Christi gratia continemur. Arcones in Is. 1. 20.

Statura tua assimilata est palmæ. Cant. 7. 7. Quia palma inferioribus aspera videtur, in summo autem pulchritudinem, & fructus suavitatem ostendit; meritò huic statura assimilatur Ecclesiæ; sive animæ cujusque fidelis, quæ asperos pro Domino portat in terra labores; sed mercedem à Domino gratissimam se accipere sperat in cœlo. V. Beda l. 6. hic.

Gemma gratissima expectatio præstolantis. Prov. 17 8.

Operatur patientia probationem; probatio verò spem. Rom. 5. 3.

Genius, quasi fessus, & sopore lassus, incubat anchoræ. Lem. *Juvat fessos. Habebis fiduciam proposita sibi spes; & defessus securus dormires*. Job 11. 18.

-Spes est dura; sed lenit tamen
Viæ labores. Non solet tranquillitas
In delicati pectoris molli thoro
Secura permanere. Spe dura jacet
Securitas. Spes dura tranquillum facit
Sibi incubantem. Sæviant venti licet;
Dominentur undæ: somnium ex illis tamen
Spes dormienti facere jucundum potest.

Hesius.

Anchora infigitur. Lem. *spes ferit: & tamen una juvat, mente que quietum sola ferit. Fundati, & stabiles, & immobiles à spe*. Coloss. 1. 23. Idem.

Testimonia ex Veteri.

Vidi per somnium quasi solem, & lunam &c. Gen. 37. 9. S. Cyrillus: sic Deus juveni Joseph per somnia significabat; illum aliquando clarissimum, & fratribus suis longe præstantiorem fore: atque ità eum ad virtutes, atque meliora, provocabat; quemadmodum hi, qui præmia Athletis proponunt, facere solent. Apud Naxeram in Jos. 15. §. 18.

Affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem producebant vitam eorum. Ex. 1. 13. 14. In quo hæc asperitas vitæ maximè apparebat? Cyrill. Alex. lib. de ador. in spir. sine mercede hæc, & magno sudore, & laboribus, perficiebantur. Ecce amaritudo: non quia opere lateritio: & sudore magno, laborarent, turres, & civitates, ædificando; sed quia sine mercede, & spe retributionis, hæc perficiebant. Castillo Ethol. 187.

Confortamini, & non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro. Ait Azarias 2. Paral. 15. 7.

Nunquid Job frustra timet Deum. Job 1. 9. Occultat coronam, quo dimicatorem ostendat. S. Chrysost. hom. 5. de patientia Job.

Militia est vita hominis super terram; & sicut dies mercenarii dies ejus. Job 7. 1. Sicut miles optat bella ingruere, ut stipendia habeat; & sicut mercenarius timet, ne desint qui eos conducant: ita & nobis timendus defectus tribulationum. S. Gregor. mor. l. 8. cap. 7. mercenarius sollicitè curat inspicere, nè unquam dies vacuus labatur ab opere, & expectatus finis temporis, nè inanis veniat ad remunerationem: sic qui fide cursus præsentis tempora pensat, dies cum operibus numerat; nè à labore vacua transeant vitæ momenta, formidat. Pinna in Eccl. 4. Ethol. 53.

S. Gregorius Nyss. quærit: cur Psalmista tam multis psalmis hæc verba præscripserit: *In finem?* quibus monet, ut intentis semper oculis finem spectemus. Græcus habet: *in victoriam*: tanquam admonens; ut victoriam habeamus ob oculos. Respondet S. Gregor. tr. 2. in Ps. cùm omnis certaminis victoria sit finis, ad quam, qui certamen ingrediuntur, omnia sua referant, eaque freti pugnare incipiant; mihi planè persuadeo, finis nomine velut quadam commonitione, excitari omnes, qui in hujus vitæ stadio per virtutis exercitationem decertant, ut finem respicientes, spe coronæ obtinendæ, certaminum laborem levent, & minuant. Utquisque ardenter pugnet, prœliatoribus omnibus occlamat David: *in finem! in victoriam!* Did. Nyss Sabb. D 1. Quadr. § 1.

Lætentur omnes, qui sperant in te. Ps. 5. 12. S. Franciscí vox: quòd in pœnis me oblecto, facit bonum, quod expecto. P. Rho affectus spei 9. in Caduceatore pacis æternæ.

Credo videre bona Domini in terra viventium, Ps. 26. 13. O bona Domini dulcia! immortalia, incomparabilia, sempiterna, immutabilia! Et quando vos videbo, bona Domini? Credo videre; sed non in terra morientium. S. August. hic.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. Ps. 114. 1. Quia non est pœna, quæ promovet, non est dolor, qui perducit ad requiem; nec durus æstimandus est fletus, qui æterna gaudia subministrat. Intendimus enim, non quod patimur, sed non speramus. Cassiodorus hic.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi &c. Ps. 121. 1. O cordata lætitia regis, non in corona exultantis victi Goliæ, aut delati à Deo imperii; sed tripudiantis in beata spe: *in domum Domini ibimus*. Nisi fallor, spes tanta & condire potest ærumnarum fel, & mel infatuare temporalis felicitatis. Job in sterquilinio vermes mirabatur quasi Smaragdos. Cur? audi: c. 19. 26. *Rursum circumdabor pelle mea*. Oliva lib. 3. Strom. §. Lætatus sum &c.

Clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea. Psal 141. 6. Quando tolerabam, quando tribulabar: *dixi: tu es spes mea*. Spes mea hic, ideo tolero: portio autem mea non est hic; sed in terra viventium. Dat Deus portionem in terra viventium, sed non aliquid à se extra se. Quid dabit amanti se, nisi se? S. August. hic.

Laboravit dives in congregatione substantiæ. Eccl. 31. 3. Et idcirco inexcusabiles sunt, qui propter cœlestes, & perennes, divitias negligunt laborare. Si enim tempestas pelagi nautis; plagæ, & vulnera, militibus; glacies, & frigora, agricultoribus; levia, & portabilia sunt; propter spem præmii temporalis: multò magis, cui cœlum placet, nullum debet sentire periculum; maximè enim labores mitigat, in finem bonum venire. Ne aspicias ergo, quòd via ista aspera est; sed quò ducit: nec aliam, quod lata est; sed ubi desinit. Geminiani c. 21.

Ex Novo.

Jugum meum suave est, & onus meum leve. Matth. 11. 30. Suave est volentibus, durum est nolentibus. Quamvis durum videatur esse ad sanctos, propter corporalem tribulationem; tamen suave est: quia habent spem vitæ æternæ. S. Hieron. in Ps. 16.

Post dies sex. Matt. 17. 1. Sex diebus operatus est Deus, septimo *requievit ab universo opere, quod patrarat*. Gen. 2. 2. Sex dies laboris, & operum, tempus significant: post sex dies; id est, post laborem, & opera, sequetur æterna requies. Barradius D. 2. Quadr. t. 2. l. 10. c. 28.

Portavimus pondus diei, & æstus. Matth. 20. 12. Portant operarii pondus diei, & æstus; sub laboris, & æstus, pondere spe scilicet denarii æterni. S. Gregor. in Job 7. quomodo Paulus remunerationis linteo sudore tanti laboris tergat, ipse denuntiat dicens: *non sunt condignæ &c.* Rom. 8. 18. Barradius D. Sept t. 3. l. 5. c. 17.

Unus de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat. Luc. 23. 39. Alter adeò constanti, & tranquilla mente, patiebatur, ut diceret: *Domine memento mei*. v. 42. ambo æqualibus discruciati doloribus; sed non ambo impatientiæ obscurati blasphemiis. Quod discrimen? quia alter spe carebat; spe alter lenlebat cruciatus. S. Greg. mor. l. 18. 25. spem habuit, qui regni ejus aditum postulavit dicens: *memento mei &c.* Naxera in Jos. 8. §. 6. præmii spes laboris aspera emollit.

Nolite scribere Rex Judæorum. Joan. 19. 21. Quid refert titulus inter acerbissima vulnera spiritum exhalantis? plurimùm sanè: erat enim titulus certaminis præmium; adeoque præmio crucis dolores sopitos hostes credebant; ut, ni titulus deleatur, crucis supplicium non arbitrantur. Hugo Card. titulus triumphalis, qui de triumpho inscribitur, ut in arcu, vel in fornicibus. J. N. R. J. Cajetanus: super crucem sustentabatur titulus, ac per hoc crux terminabatur. Crux per titulum crux esse desinebat; quasi doloribus finem titulus imposuerit: quia de

de præmii honore in desiderium jam vertebantur cruciatus, Naxera ib.

Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Rom. 12. 12.

Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Gal. 6. 9.

Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem; quam sicut anchoram habemus. Hebr. 6. 18. 19.

Ex Patribus, & aliis.

Futurorum spes laborantibus requiem parit: sicut & in agone positis dolorem vulnerum mitigat spes coronæ: Origenes hom. 6. in Exod.

Nullus iis dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. S. Cyprianus lib. ad Demetrianum.

Si quis vult adversa superare; si est persecutio, si est periculum; si mors, si ægritudo gravis; si incursus latronum, si facultatum proscriptio; si quidquid eorum, quæ putantur in isto adversa sæculo facilè superantur; si sit spes, quæ consoletur: nam etsi illa acciderint, tamen gravia esse non possunt dicenti: *non sunt condignæ &c.* Sanct. Ambros. in Ps. 118. oct. 7.

Esto, sint aliquid duri ad labores, firmi ad injurias ferendas; si spem auferas, non potest perpetua esse patientia. Id. ib. Octon. 15.

Si vis sustinere laborem, attende mercedem: nam & operarius in vinea deficeret; nisi attenderet, quid accepturus esset. Cùm autem attenderis, quid sis accepturus; omnia tibi erunt vilia, quæ pateris: nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias. Miraberis, tantum dari pro tanto labore; nam utique fratres pro æterna requie labor æternus subeundus erat; æternam felicitatem accepturus æternas passiones sustinere deberes. S. August. in conc. 2. de secunda parte Psalm. 36.

Nudum Christum nudus sequere: durum, grande, difficile; sed magna sunt præmia. S. Hieron. ep. 4.

Quid futura spectat, cœlestia sperans, & mentis oculos illò dirigens, non sentit quidem malorum præsentium molestiam. S. Chrysost. t. 6. de verb. Ap.

Radix totius bonæ operationis est spes resurrectionis: expectatio enim retributionis excitat mentem in beneficentiam: promotioque fit omnis operarius ad perferendos labores, si præmium laborum prævideritur. Miles expectans præmia alacris est in bellum. S. Cyrill. Jeros. Catech. 18.

Omnia opera, quæ in hoc Mundo videntur, sub spe aliqua fiunt; ad fruendum laboribus suis. S. Macarius hom. 14.

Tribus in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt; id est, in spe, in fide, & in charitate. - Tolle spem, torpet humanitas tota: tolle, spem, artes, virtutesque universæ cessabunt: tolle spem, & interrupta sunt omnia. S. Zeno Ver. s. de fide, spe, & charit.

Ipsa (spes) est baculus necessarius peregrinantibus in via præsentis vitæ. Non enim fatigantur, vel debilitantur, sperantes in Domino: quin potiùs assument pennas ut aquilæ; current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. In præsenti tempore spes est quædam vigilia solemnitatis æternæ. S. Laur. Just. de spe c. 2.

Spes arbor benedicta est, fructus uberes habens; cùm à misericordia Dei abundanter irrigetur. S. Thom. Aqu. opusc. 38. de eund. princip. l. 2. c. 5.

Qui vehementer aliquid sperat, libenter sustinet propter illud etiam difficilia, & amara. Id. in ep. ad Rom. c. 5. lect. 1.

Etsi amara pro Christi inferantur amore; indulcescunt tamen spe futuræ lætitiæ sempiternæ. Aponius l. 3. in Cant. 1.

Nihil est, quod fidelium, amantemque animam magis exhilaret, quàm quòd speret, se, postquam hujus vitæ stadium emensa fuerit, perventuram ad beatum illum sinum æternæ pacis. Blosius parad. an. c. 33.

Omnia tibi fortuna abstulit; sed spem reliquit. Seneca l. 5. declam. 1.

§. XVII.

Patientia per dura ad regnum.

Figuræ, & Symbola.

Nunc scio, quia certissimè regnaturus sis &c. 1. Reg. 24. 21. Elegantèr ostendit immaginem regni Christi in rege David: qui non solùm sceptriger in solio sedit, purpura insignis, & diademate clarus, vel corona aurea splendidus; sed priùs egens, & vagus, profugusque, erravit; & exul omnibus quoque modis priùs amaritudines totius infelicitatis, quàm nectareos, aut mellitos regum populi liquores epotavit. S. Rupertus in 1. Reg. 27. Cùm ergo David Deus elegisset, & prædestinasset ad regnum; noluit & ipsum David antè regnum tenere, quàm primò à persequentibus liberaret: ut etiam in hac vita figuraret nos, id est, corpus ejus, cujus corporis caput Christus. Porrò enim si ipsum caput nostrum sine primò peracto labore in terra, in cœlo regnare noluit; neque levare sursum corpus, quòd deorsum accepit, nisi per tribulationis viam: quid audent membra sperare, capite suo magis se posse esse felicia. Sylveira in Matth. 1. q. 26.

Fecit rex Salamon thronum - & duo leones stabant, & duodecim leunculi. 3. Reg. 10. 18. 19. 20. Ad regnum thronum non ascenditur, nisi multo certamine cum leonibus, arduis &c. Sylveira in Matth. 20. 22.

Mardochæus inductus sacco &c. Esth. 4. 1. Cernes Mardochæum sacco indutum, inspersum cinere caput, & in platea mediæ civitatis, magna voce, animo mœstissimo, ejulantem: sed saccum Deus mutavit in purpuram, cinerem in coronam regiam, ejulatum in gaudium maximum. Ps. 29. 12. *convertisti planctum meum &c.* Barradius D. 3. Pasch. t. 4. lib. 5. c. 11.

Fecit ascensum purpureum. Cant. 3. 10. Meritò patientia comparatur purpuræ, qua reges induuntur: quia patientia opus perfectum habet, animum præbet regium, suique ipsius, & omnium, dominum facit. De Ponte hic Exh. 29. §. 4.

Testimonia Biblica.

Vult, & non vult, piger. Prov. 13. 4. S. Hieron. hìc: rectè pigir nomine denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non vult pati pro eo. Apud Sylveira c. 8. in Luc. 22.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei &c. Matth. 20. 21. *Potestis bibere calicem?* ac si dicat: est thronus laborum fructus, non item rogationis munus. Passio via est: pietatis causa suscepti labores: ii regnum parant. Si dignitatem amas, Passionis te socium exhibe. Videare una crucifixus; inque regni concessu spectaberis. S. Basil. Seleuc. or. in illud: dic, ut sedeant &c.

Nolite timere pusillus grex: quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum. Luc. 12. 32. Quid regno cum grege? num oves aptæ sceptris? Cur non Apostolos, cur non Discipulos, non duces Christiani exercitus vocavit, inauguraturus eos ad regnum? Nimirum non bellando, sed patiendo, regnum cœlorum invaditur: nec milites, sed *oves occisionis*? Ps. 43. 22. tantùm occupant regnum. *Agnus* enim *occisus ab Origine Mundi*. Apoc. 13. 8. *dignus est accipere regnum*. Oliva l. 13. Strom. hìc.

Per multas tribulationes &c. Act. 14. 21. Qui vult inungi in regem regni cœlorum, oportet eum multas tribulationes pati, antequam perfectè inungatur. Hugo Card. in Ps. 26.

Particeps in tribulatione, & regno, & patientia. Apoc. 1. 9. Albertus M. nota, quòd ponitur regnum inter tribulationem, & patientiam: ad denotandum, quòd, nisi tribulatio exercuerit, & patientia defenderit; non poterit regnum possideri. Apud Sylveiram hic.

Ex Patribus.

Tempora patiendi non potest prævenire felicitas regnandi. S. Leo de transfig. Dom.

Nisi tentatio nec corona; nisi certamina, nec præmia &c. S. Chrysost. hom. 4. ad pop. Antioch.

Permittet autem hæc Deus temporibus persecutionum: non quòd tunc Deus prohibere non posset; sed quòd per patientiam, ut consuevit, coronare vult suos athletas. Sicut & Prophetas, & Apostolos, ut breviter laborantes æternum hæreditent regnum cœlorum. S. Cyrill. Jeros. Catech. 15.

Hæc est via vitæ, tribulatio præsens; via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni; secundùm quod clamat latro de cruce: *memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum*. Perveniet & ipse in regnum. Sed vis nosse, quàm compendiosa via? eadem die meruit cum Domino esse in paradiso. S. Bernardus (1. in ram. Palm.) q. d. patientia in doloribus, brevissima in cœlum via est. Pinna in Eccl. Ethol. 6.

§. XVIII.

Post patientiæ laborem quies.

Figuræ, & Symbola.

Requievit Deus die septimo. Gen. 2. 2. Non requievit tanquam fatigatus; sed ut doceat, ante quietem præcedere operationem. Sylveira c. 37. in Luc. 18.

Vidit requiem, quòd esset bona. Gen. 49. 15. Anselmus: vidit requiem æternæ vitæ, quòd esset bona, & terram viventium, quòd optima: *& supposuit humerum suum ad portandum*. Quia, qui promissam requiem invenire desiderat, onera libenter portat. Apud Escobar t. 3. Coll. Chr. lib. 2. sect. 2. obs. 1.

Ascensum purpureum. Cant. 3. 10. Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus ascenditur; ità ut necesse fuerit, etiam sanguis effundi permittatur: ideo *ascensus* rectè *purpureus* esse dicitur. S. Gregor. hìc.

Reclinatorium aureum, æternæ felicitatis fulgor; in qua reclinatur, & ab omni labore quiescitur. Ascensus purpureus est: quia ad claritatem illius quietis non nisi per tribulationem venitur. Corn. hìc. Per reclinatorium aureum requies æterna accipitur, quæ Sanctis in Ecclesia promittitur: ad quam tamen ascensus est purpureus, id est, Passio Christi; quia purpureum colorem sanguinis imitatur. S. Thom. Aqu. hìc.

Adjuro vos nè suscitetis &c. Cant. 8. 4. Multo labore, instantia, & oratione, sponsa dilectum invenit, & tandem in cubiculum introduxit. Unde dignum est, ut post fatigationem tandem requiescat; & dilecto, tot sudoribus, & discursionibus apprehenso fruatur; nec facilè ab ejus amore avellatur. Rich. à S. Vict. hìc.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Matth. 1. 1. Cur ponitur priùs David, quàm Abraham? Palatius. Scriptura docet; finum Abrahæ esse locum refrigerii. Immo Matth. 8. 11. dicitur: *multi venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob, in regno cælorum*. Cùm ergo Abraham designet quietem; innuit Dominus, necesse esse, ut filius sis Abrahæ, id est, quietis; priùs fuisse filium David pugnatoris, angustiis, & laboribus pressi. Sylveira hìc.

Diaconibus supra sinistrum humerum stola imponitur: quia quidquid laboris in hac vita sufferimus, tanquam in sinistra portamus: donec à sinistra transeamus in dexteram, in qua requiem habeamus. Innocentius III. P. de Sacro Altar. mysterio l. 1. c. 5.

Testimonia Biblica.

Ex Veteri, & Novo.

Illic sederunt sedes. Ps. 121. 5. Nunc est tempus laborandi, postmodum erit tempus quiescendi. Michæa 2. 10. *Surgite, & ite: quia non habebitis hic requiem*. Matth. 26. 41. 45. *Vigilate, & orate*, & postea: *dormite jam, & requiescit*. Hugo Card. hìc.

Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. Eccl. 51. 35.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno. Apoc. 3. 21. Huic tepido æterna gloria promittitur nomine sessionis: quia tepidus fugit laborem, & cursum. Hinc si eum amplectatur, promittit ei requiem æternam, & sessionem regalem in cœlis. Cornelius hìc.

Ex Patribus.

Venale est, quod habeo, dicit Dominus; tibi eme illud. Quid habet venale? requiem. Quantum valet? pretium ejus labor est. Quantus labor? æterna requies æterno labore emenda erat. S. August. in Ps. 93.

Si vis sustinere laborem, attende mercedem: nam & operarius in vinea deficeret, nisi attenderet, quid accepturus esset. Miraberis tantum dari pro tanto labore. Nam utique fratres, pro æterna requie labor æternus subeundus erat: æternam felicitatem accepturus æternas passiones sustinere deberes. Id. in Ps. 22. conc. 2. 2. partis.

Quasi sexta feria est tota hæc vita; in qua nunc tanquam morientes vivimus; & in qua crucem quotidie post Jesum portare jubemur. Sabbatum autem, quod requies interpretatur, illud significat spatium, quod est à die, qua morimur, usque ad resurrectionis diem. Dies verò Dominicus illa post judicium æternitas erit, quæ lucis, & gloriæ, terminum non habebit. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 33.

Laboriosa est reformationis tuæ sexta; sed dulcia Sabbata quietis sequuntur. Gilbertus s. 11. in Cant.

Cùm meditatio æternæ requiei capitibus laborantium obumbrat, non solùm ab æstu tentationum refrigerat; sed etiam ad laborem animos innovat. Guarricus s. 3. in Ass. B.V.

§. XIX.

Post tristia læta.

Ex Veteri.

Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores antea tradamus ad nuptias. Gen. 29. 26. Pulchra erat Rachel, & Jacobo dilectissima: Lia lippa; per quam Doctores vitam præsentem lacrymosam; per Rachelem beatam, significant. Robertus Holckot lect. 131. in Sap. 10. cœlestis patriæ juniorem illam Rachelem, id est, beatitudinem, pulchram, & decoram dare ante laborem præsentis vitæ mos non est, & ideo oportet accipere priùs Liam lippam, ut postea habeamus. Rachelem decoram. Sylveira in Joan. 16.

Exploratores estis &c. Gen. 42. 9. Inter cæteras causas, ob quas Joseph fratres duriùs tractavit, dat etiam hanc: ut ex longa suspensione suæ revelationis, sub hujusmodi duritie fortiùs occultatæ, ipsa revelatio pleniori gaudio cumularetur. S. Thom. Aqu. hìc.

Et sub pedibus ejus quasi opus lapidis Saphirini; & quasi cœlum, cùm serenum est. Ex. 24. 10. seu, ut vertunt Sep. *lateris Saphirini*. Ut significaret, lateres luteos, quos in Ægypto fecerant, versos esse in Saphiros; & terrenos labores in præmia cœlestia mutatos. De Ponte in Cant. 1. 1. Exh. 16. §. 2.

Parasti in conspectu meo mensam &c. Psal. 22. 5. Sensus est: Deum opponere tribulationibus magnis magnas consolationes: & sicut ingeruntur ab hostibus amaritudines: sic ingeri à Deo suavitates. Bellarminus hìc.

Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Psal. 29. 6. Mos est sacri eloquii: si quando tristia, lætaque commemorat, tristia lætis in ordine præponere: quoniam læta post malorum experientiam, sive memoriam, magis degustantur. Ego interficiam, & ego vivere faciam. Dolenda semper anteponit, ut gratiæ nobis chariores existant, magisque sapiant. Ad vesperum demoratus est fletus Discipulis Domini; quando in cruce pendentem conspexerunt: & ad matutinam lætitiam; quando post resurrectionem cum gaudio cucurrerunt. Vel vespere sæculum hoc dicitur; in quo qui sanctè plorant, adveniente postea matutino consolabuntur. S. Basilius hìc.

Jam hyems transiit. Cant. 2. 11. Quia temporalis tribulatio finem accepit. S. Justus Orgelit. hìc. Hyems est tempus vitæ mortalis; quod æternæ comparatum rectè hyems imbrifera, & procellosa, nuncupatur, ob ingentes ærumnarum imbres, quibus tam reprobi, quàm electi, opprimuntur. Sicut autem, cùm hyeme vigent imbres, nives, & venti; vel solet esse magis floridum, & tranquillum: si verò hyems placida sit, in vere imber, nix, ac frigus, solet irruere, qui floribus, ac fructibus, nocet; sic nobis cum prospere agitur, cùm in hujus vitæ hyeme variis tribulationibus prœmium; post quas in vere futuræ gloriæ magna nobis felicitas reservatur. Si autem in hac vita cuncta prospere eveniunt; timendum, nè in futuro nos æterna hyems comprehendat. De Ponte hìc Exh. 17. §. 3.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Cant. 4. 6. S. Gregor. Nyss. hom. 6. in Cant. per hoc ostenditur, quòd, qui cum Christo fuerit myrrhæ particeps, omnino erit etiam particeps thuris: nam qui fuerit cum eo passus, simul etiam conglorificabitur. Thus Deitatis Symbolum. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 1. l. 2. c. 3.

Ecce constitui te hodie super gentes, - ut evellas, & destruas - & ædifices, & plantes. Jer. 1. 10. Mœsta, & super quæ charitas ejus dolebat; ut Dei hostes, eos interimendo, ut communiter exponitur, evelleret, destrueret, & perderet. Mox tamen subiciuntur grata: ut ædifices, & plantes novam prolem, novumque populum, qui Deo toto corde serviat. Origenes hìc hom. 1. à tristibus semper, & necessitiis inchoat Deus: veluti *Dominus mortificat, & vivificat*. 1. Reg. 2. 6. ipse dolorem facit, & iterum restituit lætitiam. Sylveira in Joan. 16.

Ex Novo.

Et ecce Angeli accesserunt. Matth. 4. 11. Ecce tibi post nubilum serena jam apparet dies; & post famem, tentationes, affluunt deliciis. Baeza t. 1. l. 3. c. 2. §. 27.

Non sine mysterio Christus D. Evangelicam prædicationem aggressurus primùm *ductus est in desertum*. Matth. 4. 1. dein *abiit per sata*. Matth. 12. 1. tandem *introivit in hortum*. Joan. 18. 1. ut significaret: eos, qui Evangelicam perfectionem aggrediuntur, à desertis, & incultis locis ad uberes, & amœnos ægros sensim pervenire: hoc est, ea, quæ initio difficilia, & aspera judicabant, amore augescente, tanquam facillima subire. S. Ambros. lib. 4. in Luc. videte, quibus itineribus ad paradisum reducamur. Mendoza in 1. Reg. 14. 13. sect. 3.

Abiit trans mare. Joan. 6. 1. Postquam Mundi fluctus tranaverimus, continuo excipiemur in cœlo. Barradius D. 4. Quadr. t. 2. l. 10. c. 2.

Quo vadis? Joan. 16. 5. Discipuli de nece Domini graviter mœrent; quia non interrogant, *quo vadis?* si enim eis quærentibus Christus responderet: vado per crucem ad Patrem, vado ad gloriæ interminabilis thronum; procul dubio Christi Passionem læti prosequeretur. Inde oritur immedicabilis cordis mœror, quod laborum terminum non aspiciamus, quò vadat angustia? Escobar. t. 5. Proph. Chr. lib. 7. sect. 1. obs. 1.

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Joan. 16. 20. Hoc est, aqua vestra vertetur in vinum. S. Bernardus s. 18. de div. affect. an.

Modicum, & jam non videbitis me. Joan. 16. 16. q. d. tempus Passionis meæ, & mortis, breve est; unico triduo concludetur; & mox resurgam. Recipite ergo brevitate doloris, & gaudii longitudine consolationem. Sylveira hìc. Priùs dicuntur tristia de absentia, ut postea jucundior veniat præsentia. Id. ib. Alcuinus: cunctis Fidelibus convenit hic sermo Domini; qui per lacrymas, pressuraque præsentes, ad gaudia æterna contendunt. Apud eundem ib. q. 9.

Mulier, cùm parit, tristitiam habet &c. Joan. 16. 21. Apposite

sitè Christus D. Passionis, ac mortis suæ, tempus comparat parturitioni; resurrectionem verò gaudio post partum: Christus enim in Passione cruciatus fuit doloribus, & angoribus, instar mulieris parturientis; at peracto partu, cùm se meritò mortis suæ resurgentem vidit, nosque similiter resurrecturos cognovit; mirè gavisus est; & magno gaudio Apostolos, & omnes Fideles perfudit. Corn. hìc.

Trans torrentem Cedron. Joan. 18. 1. Volens ire in hortum, per quem paradisus intelligitur, transit per torrentem; id est, per tribulationem, & crucem. Dicitur *torrens*; quia cum impetu, & citò transit. Hugo Card. hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Tota hæc vita feria sexta est: quia videlicet crucem post Dominum bajulare jubemur. Si præposterò ordine nunc sub carnis lege viventes quasi Dominicam diem ducimus; procul dubio postmodum non gaudium, gaudio, sed tribulatione mutamus. B. Petr. Dam. l. 48.

Consolatio temporalis via est ad cruciatum æternum; & è converso cruciatus temporalis via est ad consolationem æternam. Hugo Card. in Gen. 25.

Divina providentia præeunt sæpe tristia, ut gaudiosa sequantur. Sim. Cass. de gest. Salvat. l. 1. c. 7.

Nulla gaudii materia potior, quàm de magna periclitatione salvatio. Id. ib.

§. XX.

Post amara dulcia.

Et azimos panes cum lactucis agrestibus: Ex. 12. 8. Quòd dicit azyma cum amaritudine manducandum, docuit, neminem posse sine tristitia carnis sinceram vitam ducere. Amaritudo videtur jejunium, & omnis abstinentia carnalium deliciarum; sed Pascha Domini non aliter celebratur; sed sinceritatis azyma aliter non editur. Cùm verò exieris de Ægypto hujus Mundi actu, vel corpore; mannæ pabulum manducabis, panem cœli accipies: & in illam terram Sanctorum repromissionis inductus, amœnitate simul paradisi, & æterna suavitate ipsius Domini perfrueris. Dulcis amaritudo est, quam sequitur tantæ retributio suavitatis. S. Gaudentius tr. 7. in Ex.

Venerunt ad Mara. Ex. 15. 23. post v. 27. *venerunt in Elim*. Priùs ad *Mara*, ut teneas dulces fontes cum triumphali palma, priùs per amara eundum. Sylveira in Apoc. 7. 9. *Mara* interpretatur *amaritudo*. Profecti de Mara venerunt in Elim, ubi duodecim erant fontes aquarum, & septuaginta palmæ. Vides, post tentationes amaritudinem, ad quantam deveniunt, & dulcium pomorum, & aquarum profluentium, amœnitatem? Per tentationis itaque pugnam perducuntur ad palmas; & per sitis intolerandæ penuriam ad irriguam veniunt aquarum viventium affluentiam. B. Petr. Dam. l. 2. ep. 7.

De comedente exivit cibus &c. Judic. 14. 14. S. Ambros. l. de Elia, & jejun. c. 11. legens cum nonnullis codicibus Græcis: *de tristi exivit dulce*: subdit: sed & forte laboriosum est: exit enim dulcedo de tristitia, vel labore. Idem de Tobia c. 15. *de manducante exivit esca, & de forti exivit dulcedo*. Græcus *& de tristi* habet. Sic invenimus. Tamen de forti hoc intelligitur: quia leo fortis est ferocitate; & qui ferus, tristis &c. Corn. hìc.

Fasciculus myrrha. Cant. 1. 12. post: *botrus Cypri*: v. 13. quia dolorem mortis secutum est gaudium resurrectionis; ideò sponsa congruè post recordationem mortis subdit de resurrectione dicens: *botrus &c.* q. d. factus est mihi causa lætitiæ in resurrectione, qui fuerat causa tristitiæ in Passione. Hugo Card. hìc.

Veni in hortum meum &c. Cant. 5. 1. Descendendo in uterum tuum, & assumendo carnem; ut verus homo nascerer, qui verus Deus eram; *veni in hortum meum*. Moriendo, atque in Infernum descendendo, *messui myrrham cum aromatibus meis*. Resurgendo *comedi favum cum melle meo*. Ascendendo in cœlum *bibi vinum cum lacte meo*. S. Rupertus hìc.

Virgam vigilantem ego video. Jer. 1. 11. id est, minantem, & agitantem se, ac paratam percutere, ait Rupertus. Sept. vertunt: *ego video baculum mucum*. Theodoretus: ego video *virgam amygdalinam*, quæ prima inter arbores evigilat, id est, sollicita est, ut suos fructus emittat. Advertit Theodoretus: sicut nux, vel amygdalum, amarum habet corticem, sed nucleum suavem; ità castigatio primò molesta est, sed deinde fructum dat suavitatem morum. Cornelius hìc.

Obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Luc. 24. 42. Glossa: qui hìc assantur tribulationibus pro Deo, vera postea dulcedine saturabuntur. Hugo Card. Piscis assus fuit Christus in Passione, assatas in ara crucis igne tormentorum, & dolorum: favus mellis est Christus resurrectione: totus enim suavis, & dulcis apparet. Sylveira hìc q. 11. Favos post fella gustavit: nec ante Rex gloriæ a cœlestibus salutatus est, quàm Rex Judæorum proscriptus in crucem. Tertull. l. de corona milit. De Christo.

Mel dulciùs sapit, cùm primò gustatur aliquid amarum: sic & prospera dulciora sunt, probatis adversis. Nonne sæpe post fortissimas febres, acutosque dolores, jucundior sanitas æstimatur; tantoque gratiosior, quantò præcessit infirmitas gravior. S. Bernardinus t. 1. s. 8. art. 3.

§. XXI.

Post tenebras lux.

Tenebræ erant super faciem abyssi. Gen. 1. 2. *Et facta est lux*; ib. 3. Cur priùs tenebræ, abyssus, deformitas in Mundo, extiterunt, deinde lux; & cum luce, omnis emicuit pulchritudo? Ità molestiæ, præcedere, gaudia subsequi solent. S. Aug. l. 8. conf. c. 3. quantò majus periculum fuit in prœlio, tantò majus est gaudium in triumpho. Jacta tempestas navigantes; omnes futura morte pallescunt: tranquillatur mare, exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Edendi, & bibendi, voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi, & sitiendi, molestia &c. Fernandius in Gen. 1. 3. sect. 3.

Ignorabat, quod cornuta esset facies sua. Ex. 34. 29. Hebr. quòd *radians* esset. Cur ità resplendet? quia priùs in nebula Ex. 24. 18. De caligine pro Deo accepta ad tantam claritatem evehitur. S. Gregor. Nyss. hom. 12. in Cant. Moyses nubem subit, caliginem intrat, in qua Deus erat: fœdus accepit; fit fulgens, dum è vultu lumen emittit. Sylveira in Apoc. 1. qu. 70.

Venit manè, & nox. Is. 21. 12. Unum promittitur ad consolationem, alterum prædicitur ad eruditionem; utrumque ad utilitatem. Si in nocte es; noli desperare, quia veniet mane: si in die es; noli confidere, quia veniet nox. Manè ergo promittitur, nè laborantes deficiant; nox futura prædicitur, ut cauti fiant. Richardus à S. Victor. l. de verbo Incarn. c. 7.

Cuncta, quæ pertulit adversa David, Deus in prospera convertit; cunctamque miseriæ noctem mox succedentis gloriæ dies effugavit. S. Rupertus l. 2. c. 10. in lib. Reg.

Nox ista patientia est, & à sæculo in sæculo fieri tenebrosum, ut velit sæculo displicere, ut possit Christo bene placere, & velit noceri à sæculo, ut juvetur à Christo. Hæc enim *nox sicut dies illuminabitur*. Ps. 138. 12. quia *sicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus*. Hæc nox vertitur in diem, & *post* ejus tenebras. Job 17. 12. lux in spe firma consurgit. Hæc nox matutinum habet lætitiæ. Sim. Cass. lib. 6. de parab. Salv. c. 1.

§. XXII.

Patientia sit sine querela, murmure.

Quid murmuravit homo. Thr. 3. 39. Non habet, quod testa contra figulum respondeat, vel quid dicat: cur me fecisti sic? vel quare ità facis? Quòd bene intelligens Job, licèt multis excruciatus suppliciis, in omnibus jure bene laudatur, quòd *non peccavit labiis suis*. Job 1. 22. S. Paschas. hìc in Thr.

Volo huic novissimo dare, sicut & tibi. Matth. 20. 14. Deus nobiscum nullo pacto constringitur; nullum chirographum donationis ex debito producere possumus cum ipso in judicio. Unde damnata judicia: quare illi, & non mihi? quare in afficientibus sensum mihi, & non illi? quare plus mihi, quàm illi? quare, quod illi, non mihi? quare mihi, quod non illi? Et hujuscemodi querelis humana non cessat præsumptio Deum lacessere. Nonne terrenus rex potest unum malefactorem de lege justa exitio tradere, aliumque in malefacto consimilem de misericordia liberare? Quæ ergo injuria facta est, qui est de justitia interemptus, si alter de misericordia sit liberatus? Sim. Cass. l. 6. c. 21.

Verus patiens injuriam nulli conqueritur: quia ex querela, & excusatione, quantulumcumque mens alleviatur; quam alleviationem minimè curat, sed solus cum Deo molestiam suam portat: donec pius, & fidelis Deus per internam consolationem repellat. S. Albertus M. Parad. an. c. 4.

Si me rectè inspicio, nunquam mihi facta est injuria ab aliqua creatura: unde nec justè habeo conqueri adversùm te: Thom. Kemp. de imit. Chr. l. 3. c. 40. & 41.

Non murmur resonat, non querimonia; sed corde impavido mens bene conscia conservat patientiam. Ecclesia de Martyribus.

§. XXIII.

Patientia laudat Deum.

Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini benedictum: Job 1. 21. Nunquam tam canori cygni, quàm in funere. Iis quàm dissimiles psittaci: quos post epulas audias festivè garrientes, etiam humanis vocibus. Haud in Dei laudibus exultasset Job, nisi eum Sathan contrivisset. Jonas stertebat in navi; in ceto cecinit. Balthasarem imitatur, qui Deum suum inter calices celebrat. Dan. 5. 4. Oliva l. 5. Strom. §. Dominus dedit. &c.

Vir-

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Ps. 22. 4. S. Laur. Just. hìc ipsa me non afflixerunt; sed potiùs consolata sunt: quia in his intelligo, te esse memorem mei. Apud Novarinum in Elect. sacr. l. 3. hìc.

Narrabo opera Domini. Ps. 117. 17. S. Chrysostomus hìc quænam opera; dic quæso: *castigans castigavit me Dominus*. v. 18.

Justi confitebuntur nomini tuo. Ps. 139. 14. Designatur, hoc debere fieri inter quaslibet corporis graves, amarasque pressuras. Tunc enim magna virtus est laudare Dominum, quando se istius sæculi blandimenta subducunt. Bonus enim fuit Job, cùm Dominum dives colebat: sed quantò melior, dum eum sub multiplici afflictione laudabat. Cassiodorus hìc.

Percusserunt me, & vulneraverunt me. Cant. 5. 7. Exarsit inde in amore Dilecti validiùs: *ut nuntietis ei, quia amore languco*. v. 8. Addit laudes dilecti, licèt eam pulsari, & vulnerari passus: *Dilectus meus candidus, & rubicundus*. Velloso in Judith. 7. Paræn. 24.

Accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit &c. Matth. 26. 26. Divisa in Apostolos Eucharistia, obversatur Christo ob oculos tota crucis injuria; quam libenter sustinens *gratias egit*: ut ostendat se in gratiis fractionem sui corporis, idest, occisionem suscipere, ait Theophylactus. Id. ib.

In eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant; boni autem precantur, & laudant. Tantùm interest; non qualia, sed qualis quisque patiatur. S. August. de Civ. l. 1. c. 8.

§. XXIV.

Patientiæ motivum Resurrectio.

Venientes venient cum exultatione. Ps. 125. 6. Venientes utique in Resurrectione venient ad judicium cum exultatione *portantes manipulos* myrrhæ suæ. S. Bonavent in Psal. 118.

Cœterum nos amemus patientiam Dei, patientiam Christi: rependamus illi, quam pro nobis ipse defendit. Offeramus patientiam Spiritus, patientiam carnis; qui resurrectionem carnis, & Spiritus, credimus. Tertullian. lib. de Patientia.

§. XXV.

Patientiæ varia motiva alia.

Dabit percutienti se maxillam. Thr. 3. 30. Patientia humilitatis indicium est. S. Paschas. hìc.

Mitte gladium tuum in locum suum. Matth. 26. 52. S. Leos. 6. de Pass. superfluum erat, ut, qui nolebat præsidio Angelicarum virtutum juvari, vellet se unius Discipuli oppositione defendi. Fugiamus & nos, qui magnalia Mundi abnegavimus, de parvis consolationem quærere; qui plenas mensas abjecimus, ad micas inhiare. Baeza t. 1. l. 1. c. 11. §. 12.

Si sol super iracundiam nostram occiderit. (Eph. 4. 26.) periclitamur. Non licet nobis una die sine patientia manere. Tertull. l. de pat.

Absit à servo Dei tale inquinamentum; ut patientia majoribus tentationibus præparata in frivolis excidat. Id. ib.

Duplex patientiam manet victoria: hominem vicisse, proprios animorum motus; & temperasse mores alienos. S. Valerianus hom. 12.

Quemadmodum incus aliqua, licèt quidem semper verberetur; non tamen dat tergum, neque concavitatis formam in se recipit, sed eadem, semper manet, sibique similis: sic & qui verum se vult gerere Christianum, inter diversas tribulationes, atque tentationes; sive extrinsecus ab hominibus illatas injurias, contumelias, persecutiones, damna, aut alia ejusmodi, sive intrinsecus à spiritibus malignis inductas angustias diversissimas; unus, & idem, manet oportet, fortiter quæcumque obvenientia perferens. S. Ephrem de fide.

Mihi crede: non habet concupiscentia locum, ubi patientia dominatur; ubi vivitur sobriè; ubi mors timetur. S. Zeno Ver. s. de continentia.

Tota vita justi in duobus est: pati malum, & facere bonum, idest, labor, & dolor. Hugo Card. in Gen. 26.

§. XXVI.

Patientia in injuriis.

Nostra est aqua-vocavit Calumniam. Gen. 26. 20. Locum injuriæ vocat Calumniam; & v. 21. *inimicitias*. Sanct. Chrys. hom. 52. in Gen. non oblectatus est; sed in sola fontium appellatione reliquit alienæ malitiæ memoriam indelebilem. Velloso in Judith. 2. Paræn. adv. 5.

Annis, quibus vidimus mala. Ps. 89. 15. En quomodo generosæ animæ inflictas à Deo ærumnas extenuant quovis alio corporis sensu mala si dicerent se expertos, graviùs se faterentur oppressos. At, cùm dicunt, mala se solùm vidisse, vix se testantur afflictos. Cor enim inter ærumnas premitur, auris strepitu quatitur, affligitur memoria recordatione malorum; odoratus oneratur graveolentia: solus oculus solem æmulatus, ærumnas videt, nec sentit; vulnera incruentus spectat, lætus mœsta intuetur, fractionem integer aspicit, sordibus adest immaculatus. Oliva l. 12. Strom. §. annis, quibus vidimus &c.

Non: nè fortè colligentes Zizania &c. Matth. 13. 29. V. Beda: hic nobis patientiæ exemplum præbetur: ut, sicut paterfamilias in dolo inimici patiens fuit, sic in aliqua nos læsione, non statim ad vindictam, sed magis ad tolerantiam, recuramus. Apud Sylveir. in Matth. 13.

Quantas Moyses à populo illatas obsorbebat injurias! quàm mìti sermone post injurias appellabat populum consolabatur in laboribus, deliniebat oraculis, fovebat operibus: meritò æstimatus est supra homines. S. Ambros. l. 2. offic. c. 7.

§. XXVII.

Præparatio ad adversa.

Nuntius venit ad Job 1. 14. &c. Una adversitate nuntiata statim altera anuntiatur: nè; si aliquod intervallum fieret, intus ad cor suum rediret, & se ad patientiam præpararet; & sic sequentia faciliùs sustineret. S. Thom. Aq. lect. 3. hìc. Nuntius, qui tam multas clades Jobo nuntiavit, fuit ipse diabolus, ut vult S. Chrysostomus; vel saltèm diaboli fraude submissus, ut Origenes &c. voluit Jobi aures telo minimè præviso ulnerare: ut repentino dolore consternatus faciliùs ad impatientiam, & blasphemias contra Deum, adigeretur. Mendoza in 1. Reg. 4. 12. sect. 1.

Timor, quem timebam, evenit mihi; &, quod verebar, accidit. Job 3. 25. Inde tantus victor omnium calamitatum: quia jam se ad ea paratat. Sylveira in Apoc. 4. Semper cogitatione spectabat ad illum timorem, operiens eum, & parans, sperans que. S. Chrysost. hom. de avaritia.

Plocus (equus) *odoratur bellum*. Job 39. 25. Sic justus, & sapiens, procul odoratur tentationem; seque præparat ad pugnam. Barradius D. 6. Pasch. tom. 4. l. 5. c. 1.

Paratus sum, & non sum turbatus. Ps. 118. 60. Magna ad patientiam fundamenta præparatio jacit. Quidquid enim ex insperato erumpit, vehementiori semper turbationi animum afficit. S. Cyrill. Alex. l. 9. c. 22. in Joan. Malum enim, quod priùs considerat, atque expectat, tolerabilius efficitur. Euthymius apud Sylveir. in Is. 2. Disc. 7. Bis dicit: *paratum*: quia homo ad ea, quæ occurrere possunt, promptus, cùm sit unus, valet quod duo. Incognitus apud Did. Nyss. D. infra oct. Ascens.

Prepara animam tuam ad tentationem. Eccli. 2. 1.

Ex Novo.

Ecce ascendimus Jerosolymam. Matth. 20. 18. Theophylactus: prædicit Dominus Discipulis eventura; ut mentes eorum præparet: quò priùs audita faciliùs ferant, & non repente percellantur animo. Apud Sylveir. in Matth. 20.

Auditurì estis prœlia, & opiniones Prœliorum; videte, nè turbemini. Matth. 24. 6. Orig. hom. 28. in Matth. *videte*, non dixit, audite: hortans eos, sollicitos esse, ut oculis animæ possint videre, postquam audierint prœlia, singulorum naturam prævidentes, nè terreantur.

Vado parare vobis locum. Joan. 14. 2. & iterum v. 12. *ego ad Patrem vado*. & cap. 16. 5. *vado ad eum, qui me misit*. & v. 7. *expedit vobis, ut ego vadam*. S. Chrysost. hom. 78. eorum animum experitur, & probatiorem reddit: ut & in calamitatibus æquo animo discessum suum & generosè perferant, assuefacit. Minùs enim jacula prævisa feriunt. Sylveira in Joan. 16. q. 4.

Mementote sermonis mei. Joan. 15. 20. Prædixit Christus omnia, quæ ventura erant super Discipulos suos: nè, cùm venissent, reperirentur Discipuli non parati, & eorum animi frangerentur in subitatione malorum. Et suadet, eos esse memores; quia prædixit, quòd sic passuri erant, nè immemoria prædictorum eos per impatientiam conturbaret; magis autem eorum animos solidaret retenta memoria. Sim. Cass. lib. 12. c. 11.

Hæc locutus sum vobis &c. Joan. 16. 2. Cyrill. Alex. l. 10. in Joan c. 34. Nam quod non expectatum præter opinionem subitò ingruit, magnos etiam plerumque animos turbat, quòd autem prævidimus, quamvis gravius inferatur, levis tamen propter præmeditationem videtur. Apud Arcones in Is. 2. Disc. 7. Glossa interlin. ego dixi ne ignaros hæc, & improvisa turbarent; sed prævisa patienter ferantur.

Jesus sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit. Joan. 18. 4.

Ex Patribus, & aliis.

Præmeditari debemur futura; nè, postquam venerint, obstupefaciant corda nostra miraculo. Nam præmeditatus in tali casu dicturus est: sciebam te venturum; non inexpecta-

tus ades: tuum insultum jam antè præsagiebam. Ad eum modum si quis se præparavit, sustinebit sine ruina pericula. At ex improviso turbari, vociferari, interdum & lamentari, est mentis valdè miseræ. S. Justinus M. ad Zenam, & Serenum.

Si id, quod amarum est, antea cognoscas, indues patientiam. S. Ambros. l. de parad. c. 12.

Nullus sit casus, quem meditatio tua non præveniat. S. Isid. l. 2. soliloqu. c. 6.

Sic nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. Tertull. Apolog. adv. Gentiles.

Disponentem se ad futura pericula propter Deum clades prævisa non lædit. Sim. Cass. l. 5. c. 1.

Præcogitati mali molis ictus venit. Seneca ep. 76.

§. XXVIII.

Priori affinis.

Usquequò ebria eris &c. 1. Reg. 1. 14. Mater Samuelis in templo à Sacerdote spreta forti animo tulit contumeliam. Unde sexui fragili tam insignis victoria? S. Chrysost. domi Annam exprobrat æmula: venit in templum, & Sacerdos contumelia afficit. Effugerat domesticam tempestatem; venit in portum, & rursus invenit undas. Verè in patientia exercitata, domi præparata ac perferenda maledicta; æmulæque convitiis exercitata, & in templo multam præstitit humanitatem, viriliter, ac magno animo, scommata ferens, Baeza t. 1. l. 3. c. 2. §. 2.

Non vales resistere. 1. Reg. 17. 33. Risit Saul puerum David inermem contra Goliath profilentem. Cui David unico argumento, & suam fortitudinem, & obtinendæ victoriæ certitudinem, persuadet: *pascebat servus tuus, &c.* v. 34. Etiam qui talibus victoriis in solitudine armatur, nesciet in palestra acies timere armatas. O quàm securus in Mundi palæstram ibis luctaturus cum carne, & palam triumphatus de hostibus; si in solitudine priùs cum vitiis conseruisti manus. Id. ib.

In utero supplantavit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit. Os. 12. 3.

Quotidie ceditis punctioni acus unius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus, quàm viriliter in majori certamine stare possitis. S. Bernardus s. de S. Clemente P. M.

§. XXIX.

Miscellanea.

Pellem pro pelle. Job 2. 4. Intendit Sathan dicere: buòd amissionem possessionum, & natorum, Job patienter toleraverint propter corporis sui salutem; & quòd hoc non erat magnæ virtutis, sed erat humanum, & apud omnes homines consuetum. Et hoc est, quod dicitur: homo quicumque, etiam non virtuosus, dabit de facili pellem pro pelle, id est carnem alienam pro carne sua: sustinet enim homo non virtuosus, ut quicumque alii, etiam quantumcumque conjuncti, potiùs corpore affligatur, quàm ipse S. Thom. Aqu. hic lect. 1.

Calicem salutaris accipiam. Ps. 115. 13. Digna quidem promissio; sed si in humanis viribus ponatur, periculosa præsumptio. Quis enim potest Confessoribus tormentorum patientiam dare, nisi ille, qui pro nobis dignatus est calicem Passionis accipere? Nam ut hoc impossibile humanæ virtuti absolutè monstraret, secutus est: *& nomen Domini invocabo.* Cassiodorus hic.

Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. 2. Cor. 6. 4. S. Chrys. hom. 12. hic: non simpliciter patientia dixit, sed *multa*: neque enim unum aliquod, aut alterum incommodum perferre, magnæ laudi ducendum est apud Did. Nyss. Pol. cœl. p. 2. l. 20. c. 3.

§. XXX.

Impatientia.

Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis; patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Tertull. l. de pat. c. 3.

Omne peccatum impatientiæ adscribendum. Malum impatientia est boni. Id. ib. c. 5.

Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo jam tunc, cùm Dominum Deum universa opera, quæ fecisset, imagini suæ, id est, homini, subjecisse, impatienter tulit. Id. ibid. cap. 5.

Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt, ut à malis eruantur; sed ut mala graviora patiantur. S. August. lib. de pat. c. 2.

Qui tribulanti se irascitur, quasi puer scabiosus est, qui matri lavanti caput irascitur, & convitiatur. Hugo Card. in Prov. 17. 13.

Impatientia est signum privati amoris, & elationis. Dion. Carth. in Luc. 21.

Impatiens homo semper est querulus, sicut currus, qui semper stridet; sive in bona, sive in mala via sit. Geminiani c. 37.

T I T U L U S X.

S. P A U L U S.

§. I.

Figuræ.

Ex Veteri, Novo, & aliis.

Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis. Gen. 2. 8. Nihil prorsus erraverit, qui pratum insigne quoddam virtutum, & paradisum spiritualem, Pauli animum nuncupaverit. Unde & mirabiles nobis subvios genuit: non secundùm paradisi fontes quatuor tantùm; sed multò etiam plures, & quotidie fluentes; nec terram rigantes, sed animas hominum, ad producendum virtutum germina suscitantes. S. Chrysost. hom. 1. de laud. S. Pauli Ap.

Noe quidem Gen. 8. tantummodo legitur se servasse cum liberis; hic autem multò sæviore Mundi inundante, diluvio, non arcam coaptando compagibus tabularum, sed epistolas componendo: non duos, vel tres, aut quinque cognatos; sed universum prorsus orbem mergi periclitantem ex mediis fluctibus liberavit. Id. ib.

At illa veniens portans ramum olivæ. Gen. 8. 11. Potest significari S. Paulus per hanc columbam: quia enim oliva misericordiam significat, congruè per ramum olivæ accipitur nomen Jesu Christi, quod etiam misericordiam significat. S. Thom. Aq. in ep. S. Pauli in prologo ad Rom.

Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis. Gen. 29. 20. Quænam est illa adamantina prorsus anima, quæ Pauli patientiam possit imitari? neque enim bis septem annorum, sed totius vitæ servitium pro sponsa pertulit Christi; non adustus solùm æstu diei, & noctis gelu; sed tentationes mille perpetiens. S. Chrys. antè citatus.

Vidit Beniamin fratrem suum uterinum, & erumpebant lacrymæ. Gen. 43. 29. 30. &c. Vidit Joseph Beniamin fratrem suum ex una matre, & lacrymatus est: vidit Jesus Paulum sævientem in Ecclesiam matrem, & miseratus est. Act. 9. 4. Beniamino minori fratri ampliora Joseph dedit. v. 34. quàm fratribus munera. Hæc prædicat & Beniamin Paulus noster: *abundantius*, inquit, *omnibus illis laboravi.* 1. Cor. 15. 10. Poculum in sacco Beniamin. Gen. 44. 2. Calix Passionis in corpore Pauli. Gal. 6. 17. *ego stigmata &c.* Per Beniamin designatur Paulus, qui ad literam de tribu Beniamin fuit; qui etiam novissimus fuit Apostolorum. S. Thom. Aq. in Gen. 45. *ibi Beniamin adolescentulus.* Ps. 67. 28. per quem intelligitur S. Paulus, qui fuit de tribu Beniamin. Bellarminus hic.

Pulcherrimus ille *velociter* exarantis *scribæ calamus.* Ps. 44. 2. S. Greg. Nyss. or. de occursu Domini.

Quales vas (electionis) fuerit; patet per id; quod dicitur Eccl. 50. 10. *quasi vas auri solidum, ornatum omi lapide pretioso.* Aureum propter fulgorem sapientiæ; solidum virtute charitatis; ornatum omni lapide pretioso, scilicet omnibus virtutibus. S. Thom. Aqu. in ep. S. Pauli in prologo.

Factus est, tamquam Evangelicus ille parvulus, de quo Dominus ait. Matth. 18. 3. *nisi conversi fueritis &c.* S. Bernardus s. 2. in Convers. S. Pauli.

Paulus sagitta fuit Domini; qui postquam ab Jerosolymis usque in Illyricum missus arcu Domini, huc illucque volitavit, ad Hispanias ire festinat; ut velox sagitta sub pedibus Domini sui Orientem, Occidentemque prosternat. S. Hieron. ep. 140.

S. Paulus vas factus est; & quidem phiala, per quam verbum Divinum propinaretur. S. Greg. Nyss. hom. 14. in Cant.

Sol quidam est hominibus Paulus, qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radiis illuminavit: quique, universas circumeundo gentes, cursum omnino solis imitatus est; ac Mundi regiones omnes quasi libero à corpore animo pervolavit. S. Chrys. hom. 8. de laud. Pauli.

Qualem rosam mittet Christo Roma? inquiebat de S. Paulo. S. Chrys. hom. 32. in ep. ad Rom.

Non peccarit quis, si cor Pauli mare etiam, ac cœlum, dixerit; cùm ob puritatem, tum ob profunditatem. Mare est, navigantes non à civitate in civitatem, sed à terra in cœlum vehens. Si quis in hoc mari navigaverit, secunda aura navigat. Non est in hoc mari ventus, sed pro vento Spiritus S. divinus, qui in illo navigantes animas vehit &c. Idem hom. 55. in Acta. Vide plura apud S. Chrysost. de laudibus Pauli Apostoli.

S.

S. Paulus ab Adriano I. ep. ad Episcopos Hispaniæ vocatur Mundi lilium, & rosa Ecclesiæ. Nadasi rosa 37.

§. II.

De nomine S. Pauli.

Cur is, qui Saulus dictus erat in actibus Apostolorum, nunc Paulus dicitur? De qua re quibusdam visum est; quo Pauli pro-Consulum, quem apud Cyprum Christi fidei subjecerat, vocabulum sibi Apostolus sumpserit: ut sicut reges solent, devictis v. g. Parthis Parthici, & Gottis Gotthici, nominari; ità & Apostolus subjugato Paulo Paulus fuerit appellatus. Orig. in ep. ad Rom.

Consuetum erat apud Judæos, ut simul cum nominibus Hebraicis assumerent sibi nomina illarum gentium, quibus serviebant. Nomen autem Pauli celebre apud Romanos: quo nomine non videtur usus; nisi postquam cœpit Gentibus prædicare. S. Thom. Aqu. in ep. ad Rom. c. 1. lect. 1.

Cùm Saulus vocatus esset de cœlo, prostratus, mutatus; ubi cœpit Apostolus, mutavit sibi nomen, & dixit se Paulum. Et hoc quare elegit? quia Paulus *modicus* est, & Paulus *parvus* est. S. August. s. 93. de div.

Nomen Paulus, secundùm quod potest Hebræum esse, idem est, quod *mirabilis*, vel *electus*: Secundùm autem Græcum idem est, quod *quietus*: secundum Latinum verò idem quod *modicus*. S. Thom. Aqu. lect. 1. in ep. ad Rom. c. 1.

§. III.

Conversio S. Pauli.

Cadens in terram. Act. 9. 4. Dubitatur, an Paulus pedestris, an equestris? Prima opinio: fecisse viam pedibus, quia nullius equi, vel equitis, fit mentio: & quia Paulus erat ex Pharisæis, qui, utpote Religiosiores, raro solebant equitare. Probabilius quòd eques: sic pictura ostendit antiquissima. Secundò iter erat longum, & ille vir nobilis, & dux eorum, qui eum comitabantur, ad alligandos Christianos. Sylveira hic q. 7.

Erat ibi tribus diebus non videns. Act. 9. 9. Lyran. scilicet visu corporali: videbat tamen visu mentali: quia secundùm Doctores communiter, in isto triduo fuit raptus usque ad tertium cœlum. Arcones in Is. 2. 4. Disc. 2.

Cadit miles diaboli, ut surgat signifer Christi. S. August. s. 4. in festo SS. Petri, & Pauli.

Vas erat fictile Paulus; sed evasit in aureum. S. Chrysost. hom. 6. in ep. 2. ad Timoth.

Decebat Christi hominem tantùm Moysem superare, quantùm Evangelium præcellit legem. S. Asterius hom. de SS. Petro, & Paulo.

§. IV.

Varia encomia.

Divinus verè vir, communis noster ac præceptoris sol. S. Dion. Areopag. l. de div. nom. c. 7. de S. Paulo.

Paulum recito idoneum Juris divini Consultum: nam & Causi dici habent hodie Paulum dictantem jura litigatorum, non Christianorum. S. August. s. 63. de V. D.

Omnem hominem Paulus exhibebat Deo. S. Chrysost. in 1. Cor. 9.

Cordis illius pulverem videre vellem: quod si quis totius orbis cor dixerit innumerorumque bonorum fontem, & principium, & elementum primarium salutis nostræ, non erraverit. Id. hom. 32. in ep. ad Rom.

Cor Christi erat cor Pauli, tabulaque Spiritus S. atque charitatis volumen. Id. ib.

Idem hom. 3. in Gen. S. Paulum vocat: cœlestem animam, linguam orbis.

Si quis mihi orbem terrarum possidendum daret; solum Pauli unguem omni illo imperio potentiorem esse arbitrarer. Id. hom. 13. in 1. Cor. 4.

Vas dignum, & cœlestibus ferculis repletum; de quo & sanus escam, & infirmus accipit medicinam. S. Bernardus in festo SS. Petri, & Pauli s. 1.

Paulus vas electionis, revera vas aromaticum, vas odoriferum, & refertum omni pulvere pigmentario. Id. s. 12. in Cant.

§. V.

S. Pauli charitas, zelus.

Baptizatus est ipse (custos carceris) *& omnis domus ejus continuò.* Act. 16. 33. Cur portis carceris apertis Paulus; & Silas, non egrediuntur. Ob magnam charitatem: prævidebat enim Paulus, quòd, si cum socio exiret, custos carceris se occideret, ut intentavit v. 27. & baptismum cum familia non susciperet. Elegit permanere in carcere, nè deficeret in charitate. Sylveira hic. q. 12.

Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis. Act. 20. 19. Flebat ex compassione, tum ob Christianorum infirmitatem; tum etiam ob Judæorum, & Gentilium, duritiem; quòd ad veram fidem traduci nolebant. Id. hic q. 5.

Ad tribunal Cæsaris sto. Act. 25. 10. Cur Paulus, qui vehementer optabat mortem: *desiderium habens dissolvi.* Philipp. 1. 23. Nonne occasione data eam differt? Pro sua eximia charitate magis eligebat servire utilitati aliorum, quàm frui optata Dei præsentia. Sylveira hic q. 5. Ista faciebat, ut prædicationi insisteret; cumque multis hinc Credentibus, atque omnibus, coronatus, iret ad Christum. Metuebat profectò, nè pauper hinc, atque inops multorum salutis abscederet. S. Chrysost. hom. 7. de laud. S. Pauli apud Did. Nyss. Sabb. D. 4. Quadr.

Omnes non aliter dilexit, quàm si illos genuisset; immò majorem, etiam quovis patre, affectus paterni benevolentiam ostendit. S. Chrys. præfat. in ep. ad Rom.

De Pauli cervice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda, quàm sanguis. Quæ quidem res in S. Paulo stupenda non est. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ: sicut ipse ad Corinthios ait: *lac vobis potum dedi, non escam.* Quæ Pauli epistola non melle dulcior est? lacte candidior? quæ epistolæ tanquam ubera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. S. Ambros. s. 68. de Natali SS. Petri, & Pauli.

Juges ex eo lacrymarum fontes, non diebus solùm, sed etiam noctibus affluebant; omnique muliere parturiente vehementiùs affligebatur in singulis; propter quod etiam dicebat Gal. 4. 19. *filioli mei, quos iterum parturio.* S. Chrysost. de laud. S. Pauli.

Peto, nè deficiatis in tribulationibus meis. Eph. 3. 13. S. Gregor. mor. l. 30. c. 7. minùs dolebat in tormentis; sed magis de tormentorum suorum tentatione metuebat. Parvipendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis. Ipse patiendo suscipiebat vulnera tormentorum; sed filios consolando curabat vulnera cordium. Pensemus ergo, cujus charitatis fuerit inter dolores proprios aliis timuisse: pensemus, cujus charitatis fuerit, filiorum salutem inter sua detrimenta requirere.

Nutritor pius, nisi totus fuerit redactus in parvulum, nunquam parvulum perfectum perducit in virum. Denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, infirmat viscera, abjicit vires, gressum tardat &c. Hoc reor B. Paulum fecisse, cùm dicit 1. Thess. 2. 7. *facti sumus parvuli in medio vestrum tanquam si nutrix foveat filios suos.* S. Chrysol. s. 62.

Quantam terram sol radiis suis illustrat, tantam curam, & sollicitudinem habuit Paulus. S. Chrys. hom. 11. in Gen.

Paulus charitate succensus totus factus est charitas: qui, quasi totius Mundi communis esset pater, ità in amore omnium ipsos eorum etiam imitabatur parentes; immò cunctos, non carnales tantùm, verùm etiam spirituales patres, sollicitudine, ac pietate, superabat. S. Chrys. hom. 3. de laud. S. Pauli.

§. VI.

S. Pauli patientia, martyrium, labores.

Cur Paulus ad cœlum rapitur. 2. Cor. 12. 2. ad vincula & carceres festinus tendit. v. 13. 14. 15. Rapi ad cœlum, ex suo genuino significato innuit vim: à vinculis, & carcere, in Jerosolymis perpetiendis non potest dimoveri. Mavult, & delicias majores habet, cum Christo, & pro eo, paci; quàm cœli deliciis abundare. Sylveira in Act. 21. q. 2.

Abundantius illis omnibus laboravi. 1. Cor. 15. 10. S. August. in Ps. 130. Paulus plus omnibus laboravit, quia plus omnibus scripsit.

Tunc Paulus civitatis Romanæ *consequitur nativitatem*, cum illic martirii renascitur generositate. Tertullianus cui tit. Scorpiacus contra Gnosticos.

Semetipsum Deo per singulos immolabat: quam hostiam dupliciter offerebat, cùm quotidie moriens, tum corpore suo mortificationem sine intermissione circumferens. S. Chrysost. hom. 1. de laud. S. Pauli.

Tyrannos ipsos, ac populos, spirantes furorem, velut esse quosdam culices existimabat: mortem verò, cruciatus, & mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum; dummodò propter Christum aliquid sustineret. S. Chrysost. hom. 2. de laud. S. Pauli.

Miscellanea.

Quem quotiescumque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. S. Hieron. ep. 50. ad Pammachium Divini salis gratia vocat verba S. Pauli. S. Chrysol. s. 120.

TITULUS XI.

PAUPERTAS.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri.

FEcit rex Salomon thronum - qui habebat sex gradus. 3. Reg. 10. 18. 19. Ex auro puro fusiles sex gradus fecit ad regale solium conscendendum, teste Philone lib. 1. de Monarchia. *& non est factum tale opus in universis regnis*. Solium speramus in cœlo sublime, deliciis plenum, stabile. Ad hoc tutissimè itur per argenteos, & aureos gradus; sed calcatos. Drexelius Rosf. select. vir. parte 2. capite 9. §. 3.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 12. Sola illa anima lilii colorem habet, quæ necessariis tantùm vitæ contenta, ad cœlestem pulchritudinem, candore animi, & corporis munditia, aspirat. Philo Carpath. hìc.

Tempus venditionis advenit. Cant. 2. 12. Religiones, vineæ Christi sunt, ab ipso per earum Fundatores plantatæ. Vites singuli Conventus, palmites singuli Religiosi: quos Christus D. speciali vocatione traxit, & putavit, ut plurimum fructum afferrent. Putatio autem prima facta, cùm omnibus renuntiarunt, quæ possidebant. Et tunc in Novitiatu florescere incipiunt; cùm magno spiritus fervore novam vitam incipiunt, suavem sui spargentes odorem, & ingentis futuri fructus spem non modicam præbentes. De Ponte hic Exh. 23. §. 3. Cùm cernis vitem, quæ sylvescere permittitur, minùs aptam esse ad uvas producendas; doceris, hanc terrenarum rerum nimiam copiam impedimento esse; quò minùs in Evangelica præcepta pleno gradu ingrediamus. Isidor. Clarius l. 1. or. 56.

Pascentur agni juxta ordinem suum. Is. 5. 17. Chald. *pascentur sancti pauperes*.

Lilium inter spinas. Lem. *Inter angusta augustior*. Vel. *Augent indecora decorem*. Picinelli.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Quis ex vobis volens turrim ædificare &c. Luc. 14. 28. Adjungit doctrinam propriam Apostolis, hoc est, Discipulis perfectioris vitæ statum profitentibus, tribus parabolis. Prima de turri. Sumptus autem opportuni, ut ipsemet Dominus declaravit, sunt abrenunciatio omnibus, quæ possidet. Secunda parabola significatur regis nomine, similiter professurus statum perfectioris vitæ; tamquam aliis celsior ducatum belli suscepturus. Bellum adversùs alium regem est perfectior vita ad superandum Mundum, quantum ad licita communiter aliis: putà habere agros, vacare humanis negotiis, & officiis; hominibus quidem licita, Apostolicæ autem perfectioni interdicta. Debet hic similiter quieta mente cogitare, si affectu sui vires (per decem millia hominum significatæ) sufficiunt ad occurrendum Mundo venienti contra ipsum cum viginti millibus, cum dupla fortitudine. Et describitur Mundus duplicata fortitudine. Et describitur Mundus duplicata potentia adversus profitentem vitam perfectiorem: quia & pugnat communi impugnatione, trahendo ad illicita communiter omnibus, & pugnat speciali impugnatione, trahendo ad interdicta Apostolicæ vitæ. Si enim considerata proprii animi dispositione imparem se videt tanto prœlio, sapienter prævenit, antequam bellum inchoet, *rogat ea, quæ pacis sunt*: hoc est, non aggreditur statum perfectioris vitæ, non vult bellum ad superandum licita communiter aliis; sed velut pacem rogans, contentus est statu communis vitæ, &c. Cajetanus hìc.

Luna sub pedibus ejus. Apoc. 12. 1. Signum paupertatis in luna sub pedibus significatur; luna enim temporalium instabilitatem significat. Et sicut à luna intemperies, & turbatio aeris, tonitrui & grandinis generatio, ducitur; ità & turbationis totius Mundi causa sunt temporalia. S. Bonaventura s. 4. in die Pent.

Quid paupertas? nisi quædam macies: & quid rerum abundantia? nisi pinguedo est vitæ præsentis. S. Greg. mor. lib. 12. cap. 22.

Monachus, qui multa possidet, est velut navis oneraria, quæ in structuum tempestate facilè submergitur. Monachus pauper est tanquam aquila in sublime volans; quæ tunc ad escam se demittit, cùm urget necessitas. S. Nilus or. 3. de avaritia.

Magnes inter gemmas positus ferrum trahens. Lem: *Pretiosa relinquit*. Picinelli.

Navis littus radens. Lem: *Altum alii teneant*. Justus Lips. cent. 2. ep. 38. rara navis allisa est, quæ modico velo legit littus. Picinelli.

Paupertas comparatur Angelis.

Beati pauperes. Matth. 5. 3. Audacter dixerim, paupertatem voluntariam aliquid simile habere cum cœlestibus rationabilibus creaturis; eò quòd beata prædicatur in terris. Qui terrena concupiscere, neque possidere, noverunt, Angeli sunt terrestres. S. Bernardinus serm. 2. de octo beatitudinibus.

Nolite possidere aurum &c. Matth. 10. 9. S. Chrys. hom. 33. in Matth. ipsos ad Universi magisterium missurus, ad Angelicam, ut ità dixerim, disciplinam ex humana vita traducit; ab omni cura rerum sæcularium liberos reddens.

Habebant omnia communia. Act. 2. 44. Hæc erat Angelica respublica, nihil dicere sibi proprium esse. S. Chrysost. hom. 7. hìc.

§. II.

Paupertas præfertur opibus.

Ex Veteri.

DEditque Dominus Moysi - duas tabulas Testimonii lapideas. Ex. 31. 18. Philo lib. de decalogo quærit: cur non in civitate, sed in solitudine, Lex data sit? quia oportuit populum, antequam terram promissam caperet, lacte, & melle, manantem, ad cultum Dei informari. Tunc enim animus ad divina excipienda aptior est, cùm egestate premitur: cùm verò opibus affluit, divina addiscere vix potest. apud Pinna in Eccl. 5. Eth. 59.

Sit nomen Domini benedictum. Job 1. 21. Job magis æstimasse videtur paupertatem, quàm divitias. Nec legitur sic gratias egisse, cùm divitias accepit; sicut cum amisit. Diez s. 5. D. 3. Quadr.

Sedens in sterquilinio. Job 2. 8. Faciliùs evolat quis in cœlum de tugurio, quàm de palatio: Adam in paradiso victus; Job in sterquilinio victor. Hugo Card. hìc.

Occidit pingues eorum. Ps. 77. 31. Gaudeant ergo macilentæ pecudes, quia non occiduntur; sed pingues. Id. hìc.

Trahe me post te, curremus. Cant. 1. 3. Antiquis Patribus ambulare fuit præscriptum; Apostolis verò, & Discipulis Christi, currere. Abrahæ dicitur Gen. 17. 1. *Ambula coram me*. Et Salomoni 3. Reg. 3. 14. *Si ambulaveritis in viis meis*. Et toti populo Deut. 8. 6. Zach. 3. 7. De Christi verò Discipulis? *trahe me &c.* Et Paulus de se 1. Cor. 9. 26. *ego sic curo &c.* & v. 24. *sic currite*. Nimirum Patres illi bonis terrenis abundabant; & ideo sarcina gravati, communi potiùs passu ambulare, quàm currere, volebant. Incerto Authore.

Ex Novo.

Pauperes evangelizantur. Matth. 11. 5. hoc est, affertur illis bonum nuntium: & significatur per hoc differentia inter mundanum, & cœleste, regnum; inter mundana, & cœlestia, bona; inter communia bona nuntia mundana, & cœlestia, quantum ad ordinem: quia mundana bona communia annuntiantur magnatibus, & divitibus Mundi; ac deinde derivantur ad reliquos, & pauperes: cœlestia autem bona, communia toti generi humano, annuntiantur pauperibus, piscatoribus, & aliis hujusmodi sequacibus Jesu; & per illos etiam derivantur ad alios, etiam Mundi princeps. Cajetanus hìc.

Si vis perfectus esse &c. Matth. 19. 21. Unde Christus non docebat, quomodo augeretur Pecunia; sed quomodo servaretur inopia. S. Bonaventura hìc.

Et omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Luc. 2. 18. At Magi magno silentio reversi sunt: quia prædicatio Evangelii pauperibus commissa. De Ponte in Cant. 1. 2. Exh. 25. §. 4.

Per totam noctem laborantes &c. Luc. 5. 5. Video vos, ait, cupidos piscium; qui non advertitis; majore damno futuram copiam, quàm inopiam piscationis. Fiat tamen, ut cupitis: *laxate retia vestra*. *Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam*. Statim prædæ gaudium excepit timor jacturæ: *rumpebatur autem rete eorum, & impleverunt ambas naviculas, ità ut pene mergerentur*. S. Ambros. l. 4. in c. 5. Luc. mihi cumulus iste suspectus est, nè plenitudine sui naves pene mergantur. Ecce alia sollicitudo Petri, cui jam sua præda suspecta est. O quàm verum est, res externas, ut juvant, si moderatæ sint; ità multum nocent, si redundant. Oliva t. 3. conc. 9. die Ven. hebd. Pass.

Factum est, ut moveretur mendicus. Luc. 16. 22. Quem modò beatum dicis? qui aquæ guttam æternum sitit? aut qui brevi tempore micam panis petit? &c. S. Chrys. s. 121. en fratres, quàm rerum lamentanda mutatio! pauperem portant Angeli, divitem deglutit Infernus. En fratres, mors pauperis totam vitam divitis vicit; & elatio sola pauperis totam divitis pompam transcendit, & gloriam. Naxera in Jos. 10. §. 52.

Ex Patribus, & aliis.

Longè meliùs est, pauperes, cum virtute, quàm regem esse cum malitia. S. Chrysost. s. 4. in c. 1. ep. ad Rom. Pauperat Lazarus nomine: ubi ergo nomen divitis? nusquam quippe qui nomine careat. Quantæ divitiæ arbor foliis vernans; sed fructu destituta: quærcus in altum protensa, quæ glandem brutis animantibus in cibum suppeditat. S. Chrysost. t. 6. tr. in terræmotum.

Divitias simul, & paupertatem, tamquam materiam quandam, vel instrumenta à rerum opifice nobis proposita, & oblata, dicimus: homines verò, seu fabros quosdam, per hæc, aut virtutis simulacrum effingere, aut malitiæ statuam exculpere, Cæterum per divitias vix aliquis paucula quædam virtutis membra eleganter exculpet; multi verò paupertate adjuti omnia simul fabricare possunt. B. Theodoretus de provid Dei s. 6.

Satiùs est, humi cubantem vivere, & bono esse animo; quàm pertubatum in aureo lecto. S. Nilus Cap Paræn.

O bone Jesu! Quantò beatiores facis pauperes tuos ipsa paupertate tua; quàm Mundus facere possit quantalibet affluentia! ubi, quidquid affluit, defluit; sibique inhærentem perfluere facit. Guarricus s. 1. die Pent.

Pauci divites moriuntur, qui in exitu hujus vitæ non desiderent fuisse pauperrimi. Petr. Blef. ep. 60.

Ad serviendum regi necessariæ sunt vestes, sumptus, & divitiæ; ad serviendum autem Deo sufficit paupertas. Minori ergo sumptu servitur Deo, quàm Mundo. Stella de cont. &c. cap. 94.

§. III.

Paupertas, tuta, Læta.

FEcit ei Levi magnum convivium in domo sua. Luc. 5. 29. Ità Domino cœli, terræque, servitur: non tristes, sed alacres, & epulantes, dimitramus telonium: Deique scias servitutem festivam esse, cujus auspicatur Matthæus tyrocinium ab epulis. Numquam fortè Levi lautius cœnavit, quàm cùm pecuniam abjecit. Avaros enim scimus aurum arcis; hordeum, & olera infundere solitos ventri: adeo ut, gemma eructantibus promptuariis, fabam interdum venter esuriat. Oliva t. 13. Strom. in Luc. 5.

Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis non habentem ubi caput reclinaret Filium hominis, exultate, & dicite: *quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium*. Ps. 90. 3. S. Bernardus s. 3. sup. Ps. qui habitat.

Non audis, quid trito proverbio dicitur? centum simul viros, unum pauperem, atque nudum, spoliare non posse: maxima enim paupertatis propugnatione defenditur; quem nullus rex, nullus imperator vincere possit. Avaro autem universi facilè possunt obesse: neque homines solùm, verùm etiam tineæ, atque vermes, eum aggrediuntur. S Chrysost. hom. 84. in Matth. 26. ad Avarum.

Latrones ab eo quærunt: quid faceres, si latrones ad te venirent? respondit: nudus latrones non timet. S. Hieron. ex vita S. Hilarionis.

Quid paupertate melius? quid securius? quid jucundius? tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi: hæc semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. S. Laur. Just. de paupertate c. 4.

§. IV.

Paupertatis immunitates.

REddite. Matth. 22. 21. Illi Hebræi pueri Ananias, Azarias, Misael; ille Daniel sapientior, qui non adorarunt imaginem regis, qui non receperunt eam; qui nihil de illa mensa regis accipiebant: non tenebantur ad solutionem tributi. Nihil enim eorum, quæ sub rege terreno erant, possidebant. Ergo eorum imitatores non solvunt tributum, quibus portio Deus est. Ideo Dominus ait: *reddite*, id est, vos reddite qui protulistis imaginem Cæsaris, apud quos invenitur: ego autem nihil debeo Cæsari, quia nihil hujus Mundi habeo. Venit enim hujus Mundi princeps, & in me inveniet nihil. Ergo quod divinæ legis est, solvi jubetur, non quod Cæsaris. Nè scandalizarentur, inquit Matth. 17. 26. *vade ad mare, & mitte hamum &c.* S. Ambros. ep. 1. ad Justum.

Si vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere, quæ Mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis nihil regi debere terreno; relinque omnia, & sequere Christum. Id. de imagine denarii in Luc.

Videre licet, pauperes non facilè insanabilibus morbis capi; sed eos passim in divitum corporibus provenire. Certè podagræ, gravedines, dissolutiones nervorum, aut contractiones, delicatos illos magis infestant; eos, qui unguenta olent; non eos, qui laborant & exercentur, & quotidiana opera sibi victum comparant. S. Chrysost. tom. 6. hom. 5. de Anna, seu quid sit festum.

Inopia bonæ valetudinis mater est. B. Theodoretus s. 6. de prov. Dei.

§. V.

Paupertatis, honores, prærogativæ, laudes.

Ex Veteri.

EXcidit duas tabulas lapideas. Ex. 34. 4. Potuissent ex auro laminæ duci, è cedro compingi, è gemmis parari tabulæ, quibus præcepta insculperentur. At iis opulentia tumuisset; quasi pretio tabularum excipiendis characteribus mandatorum, divites, nobilesque, destinarentur. Sculpta verò in saxo lex, quo nihil aut rudius, aut sterilius, aptiores esse significat, & perscribentis, & perferendis vitæ numisque præceptis. Oliva sup. Evang. s. 2. D. 4. Quadr

Deorsum autem ad pedes &c. Ex. 39. 22. &c. Nemo, opinor ambigit, sanctioris amœnitatem vitæ malogranatis. aureisque tintinabulis, designari: hæc enim concentum cœli; illa verò gloriæ delicias, repræsentant. Suspendebantur autem ea ad oræ imas fimbrias: quas nemo non videt quasi in cœnum rejectas, & à gemmis Pontificis usque ad calceos ablegatas. Quæ ergo pars tunicæ putabatur abjector, ea, præ cæteris, comptior, ornatiorque, & renidebat, & sonabat. Id. ib.

Quoniam non cognovi literaturam. Ps. 70. 15. Hebr. *quoniam non cognovi numerum*. S. August. legit: quoniam non cognovi *negotiationem*.

Ex Novo.

Beati pauperes. Matth. 5. 3. Pauperes utilitatis divitum causa facti sunt: ut facta inter utrosque comparatione, faciliùs agnoscant divites Dei erga se beneficentiam. Isid. Car. l. 1. or. 11. Paupertas, & persecutio temporalis, sorores sunt; & eis claves regni cœlorum, non tantùm promissivè, conceduntur. Hujusmodi autem ratio est: quia Evangelica paupertas nihil habet, quod Mundi sit; temporalis autem persecutio potest totum Mundum ab homine auferre. Sed quia providentissimus Creator, & Gubernator, nullam creaturam sine loco fecit; cùm paupertas, & persecutio, in Mundo locum non habeat: ideo eis possessorìè ex nunc cœlicas sedes dedit. S. Bernardinus s. 2. de 8. beat. Inter eximias benedictiones pauperes primi veniunt in Christi sermone: Christo enim est ingenitus proprius, & peculiaris affectus in pauperes. Silveira hìc qu. 13. Dum pauperi defertur regnum cœlorum, creatum in regem. Sed quid paupertati cum regno? Multum: nam sicut regi omnes tributa solvunt; ità pauperi omnes subsidia ferre debent. Id. ib. q. 16. Possessio tua, mens tua est; aurum tuum, cor tuum; argentum tuum, eloquium tuum est. Sanct. Ambros. offic. lib. 1. cap. 3. Imum in rebus, odibile hominibus, despicabile in personis, ante omnia beatitudini Christus adscripsit, & decoravit deforme apparens, non tamen existens. Sim. Cass. lib. 9. cap. 4. S. Chrysost. hom. 2. in *illud Rom. 16. 3.* salutate Priscam, & Aquilam: pauperem vocat cœli municipem.

Pauperes evangelizantur. Matth. 11. 5. Lyran. id est, nuntiantur habere regnum cœlorum, prædicantur beati. Nota: non solùm pauperes Evangelii lætissimum nuntium audiunt; sed etiam illud recipiunt, & viva fide credunt: quia paupertas aptissima ad Evangelium recipiendum. Barradius Dom. 2. Adv.

Sedebitis & vos. Matth. 19. 28. Paupertatis statui facultas judicandi datur propter duo. 1. qui de rebus quibuslibet judicaturus est, oportet, ut sit purus ab illis. 2. quia in judicio de operibus misericordiæ erit disceptatio: *esurivi &c.* Mat. 25. 35. Illi, qui per erogationem omnium bonorum statum paupertatis elegerunt, alios judicabunt; præcipuè qui nihil dederunt. Stella in Luc. 18. 29. *Sedebitis*, & tamen Matth. 12. 42. dicitur: *Regina austri surget in judicio cum generatione ista*. Regina adstat; & humiles, ac pauperes piscatores sedent judicantes. Gloriosor sors, & sublimior Christiana paupertas, omni regali majestate. Silv. hìc in Addit.

Ecce Evangelizo vobis &c. Luc. 2. 10. Non Pontificibus, non Sacerdotibus, non Pharisæis, non Scribis, non Optimatibus: ut hinc percipiamus, quàm chari sint Deo etiam vilissimi homines; utpote ad quos dirigit Angelos; quibus primum manifestat mysterium nati Dei. Cajetanus hìc.

Nihil habentis. Luc. 9. 3. Dat primùm Discipulis legem perfectæ inopiæ: volens, ut non solùm sine suspicione? sed etiam in admiratione sint. Nihil enim ità admirandos reddit, sicut vita frugalis, ac quibuslibet obviis contenta. S. Isidorus Pelus. hìc.

Non licet tibi habere &c. Marci 6. 18. S. Chrysost. hom. 1. de Elia: Nihil præter melotem possidebat. Nihil enim, nihil omnino sic liberè loqui, & in rerum discrimine fiduciam habere; & contra captivitatem satis munitum, & fortem facit: ut nihil possidere, & nullis sæcularibus obrui negotiis. Hinc jam non miror, quòd Gen. 33. 3. progrediens *adoraret pronus in terram septies*. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 2. l. 7. c. 1.

Zachæus dives erat. Luc. 19. 2. Apostoli pauperes. Reddidit ille quadruplum, quod rapuerat; divisitque pauperibus medietatem substantiæ suæ, quæ remanserat: suscepit Christum hospitem; salus facta est domui ejus. Et tamen, quia parvulus erat, & Apostolicæ procerjtati se non poterat extendere; non fuit in duodecim numero Apostolorum. Apostoli autem, quantùm ad divitias, nihil; quantùm ad voluntatem, totum Mundum pariter reliquerunt. S. Hieron. ep. 26. Consolatio ad Pamachium super obitu Paulinæ uxoris.

Argentum, & aurum, non est mihi. Act. 3. 6. Cur Petrus, antequam claudum à sua miseria sublevaret, testatur, se aurum, & argentum non habere? S. Chromatius s. 1. hic ò verè beata paupertas! quæ, cùm nihil de Mundi facultate habeat, tantùm de cœlo largiter: non dat quidem argentum, vel aurum; sed, quod plus est divitiis omnibus, reddit corporis sanitatem. Silveira hic q. 8.

Ex Patribus, & aliis.

Inops ultrò, ac spontè, animus fulget ut aurum, splendet sicut gemma; floret quasi rosa: nulla tinea ibi est, nullus fur nulla cura sæcularis; sed vivit Evangelica vita. Vis hujus animi pulchritudinem aspicere? vis paupertatis opes, quantæ sint, discere? non imperat hæc viris, sed dæmonibus; non assistit regi, sed assistit Deo; non hominis, sed Angelorum, commilito est &c. S. Chrys. hom. 48. in Matth. 13.

Sicut in cœlo sunt novem Ordines Angelorum, sic sunt in hoc Mundo novem modi bonæ vitæ correspondentes novem ordinibus Angelorum. - Septimus gradus cum Thronis. Matth. 19. *sedebitis & vos*. S. Vincent. Ferr. s. 2. post oct. Pasch. D. 1.

De cœlo paupertas ad terras descendit; sicut pro nobis factus egenus de cœlis advenit. Sim. Cass. l. 10. c. 4. Sanct. Hugo Carthusianus Ep. Linconiensis, eorum, quos eleemosyna lauta bene habebat, leprosorum, aliorumque, putridos pedes amanter abluebat; & inter lacrymas, & amplexus pulcherrimè illos ad patiendam hortatus, ac solatus, ajebat: vos estis rosæ paradisi, vos estis lapides pretiosi, quos in suo diademate Christus inseret in æternum. Annal. Eccl. A. C. 1200.

Magnum, & honorificum, est pauperi servo; si ipse fuerit domini sui panno eodem vestitus, & purpura filii regis insignitus; cùm qua meretur ad Regis æterni nuptias introire. Thom. Kemp. Vall. lilior. c. 16.

§. VI.

Paupertas cœlo apta, via ad cœlum.

Joseph, cùm primus esset à regé, non legitur tamen, liberis suis hæreditatem aliquam in Ægypto reliquisse. Cur? ut patefactum haberent aditum ad proficiscendum in terram promissionis. Bona enim, & divitiæ, fuissent iis compedes, quibus in Ægypto detenti fuissent. Diez fer. 6. Dom. 3. Quadrag.

Beati pauperes &c. ib. hoc est: ità securi pauperes esse debent de regno cœli, sicut sunt de una re, quam tenent manibus. S. Edmund. Cantuar. spec. Eccl. c. 16. Paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur mala; non solùm impedimento non esse ad beatam vitam, sed etiam adjumento, evidentissima pronuntiatum est à Christo. S. Ambros. l. 2. offic. c. 4.

Beati mendici. Matth. 5. 3. sic enim exigit interpretatio vocabuli, quod in Græco est: *quoniam illorum est regnum cœlorum*. Tertull. l. 4. adv. Marcionem.

Venit mulier de Samaria haurire aquam. Joan. 4. 7. Toletus: temporales necessitates, & indigentiæ, solent salutis consequendæ dare occasionem; quando divina misericordia, ut peccatores convertat, illis uti disponit. Apud Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 3. p. 1. sect. 1. §. 2.

Magna quædam penna est paupertatis, quà tam citò volatur regnum cœlorum. S. Bernardus s. 4. de Adv. Dom.

Paupertas est manuductrix quædam in via, quæ ducit ad cœlum; unctio athletica; exercitatio quædam magna, & admirabilis; portus tranquillus. S. Chrysost. in ep. ad Hebr. cap. 10.

Facile est iter ad Deum, quoniam exonerando itur: esset autem grave, si onerando iretur. Guigo. Consid. de tranquill. animi c. 2.

Avis paradisi arca. Lem. *sine pondere sursum*. Picinelli.

§. VII.

Paupertas apta lucro animarum.

Neque *turpis lucri gratia*. 1. Petri 5. 2. Audacter dixerim, neque in miraculis Apostoli ità mirabiles apparuerunt, sicut in contemptu rerum; neque in efficacia verbi tam homines commoverunt ad novitatem vitæ, prædicando, quàm bonè externa spernendo. Sim. Cass. l. 9. c. 18.

Non purè valet Dei, vel proximi, quærerè lucra, qui propris non contemserit. S. Bernardus ep. 92.

Quantum fratres declinabunt à paupertate tantum Mundus declinabit ab eis, & quærent, & non invenient. Dicebat S. Franciscus Seraph. teste Luca Vvadingo in Annal. Min. A. C. 1210. n. 59.

§. VIII.

Paupertas apta ad sequendum Christum, & ei obsequendum.

Cum *adorassent eum fratres sui*, Gen. 4. 2. En, quem fratrem despexerant, Dominum adorant, quærentes alimenta. Cùm se nullatenus fratre egere putabant, lima aspiciebant: est modò, cùm ab ejus arbitrio pendent, venerabundi suscipjunt; non tam animus adoravit, quàm indigentia. Rupertus l. 9. in Gen. quàm ob causam adoraverunt? videlicet ut emendi, quæ vellent, haberent licentiam. Ecce enim revera, quomodo manipuli eorum manipuli ejus adorant; dum non ob aliud ignotum principem Ægypti adorant: nisi quia defuerant manipuli eorum; ille autem de manipulis plenum habebat horreum. Naxera in Jos. 9. §. 7.

Tulerunt pallium meum, Cant. 5. 7. Dei amatrix, dum exit quærere dilectum; invenit custodes civitatis, custodes, inquam, Angelos. Quæ ista Angelorum custodia, quæ eripit pallia? custos potiùs servare, & custodire debet. Equidem noverant nobiles custodes divinæ amatricis desiderium, & vita: quærebat tamen eum divite ornatu compta; ideò tollunt pallium, ut inopi citiùs possint Dei copiam facere. S. Ambros. l. 3. de virginit. bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat. Baeza t. 2. l. 11. c. 1. §. 7.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Matth. 19. 27. Nimirum quia exultavit ut gigas ad currendam viam; nec currentem sequi poterat oneratus. S. Bernardus declam. hic.

§. IX.

Paupertas apta omni virtuti.

Paupertas virtutum parens. S. Chrysol. s. 28.

Beati pauperes spiritu, Matth. 5. 3. Gradus quosdam firmissimos ex lapidibus pretiosis sternit quodammodo Dominus Salvator; per quos sanctæ animæ, & fideles, repere possint, & ascendere ad summum illud bonum, idest, regnum cœlorum. S. Chromatius conc. de 8. beatitudin.

Ubi meum, & tuum; illic omne litium genus, & contentionis occasio: ubi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax, & concordia. S. Chrys. hom. 33. in Gen.

Paupertas virginibus in pretio est; & eò amplius, quò ex ipsa major approximatio fit ad sponsum, qui pauperes requirit, sed divites non pellit. Veruntamen virgo pauper propior accedit ad crucem nuda rebus temporalibus. Virgo nudam crucem adstringit ardentiùs; & tantò illius arboris fructus gustat sapidius, quò sibi fructum terrenarum arborum interdixit. Sim. Cass. l. 2. c. 1.

§. X.

Pauperes Deus tuetur, juvat, honorat.

Figura.

Igitur *perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum*. Gen. 2. 1. *& benedixit diei septimo*. v. 3. Sex priores dies, quibus Deus Mundum condidit, magno creaturarum apparatu divites, sola benedictione divina pauperes fuerunt. Septimus autem vice versa rebus vacuus, benedictione dives, feliciter processit, ut S. Chrys. hom. 10. in Gen. notat. Temporales divitiæ benedictionis divinæ expertes fore significantur; spiritualis verò paupertas benedictionis divinæ particeps. Mendoza in 1. Reg. 10. sect. 2.

Tulit de lapidibus - & supponens capiti suo dormivit. Gen. 28. 11. Cœlum patuit cubanti in saxo, dum nunquam magis inops, nec ab avunculo adhuc receptus. Mira in ærumnosos propensio Nominis! *dilatabaris ad Orientem*. v. 14. Oliva fer. 3. D. 4. Quadr.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Deus in rubo? inter spinas. In tali throno considere voluit, Moysem eruditurus ad regimen populi, quem ipsi tradebat. q. d. sicut ego omitto platanos, abietes, stirpes nobiliores, in vepreto quiescò; ità tu magna amoris teneritudine, & sollicitudine singulari, trade te miseris multò amantiùs, quàm beatis: jurisdictionis tuæ influxus immitte in eos potiùs, quos paupertas in rubos fecit, quàm quos potentia in cedros evexit. Scias, te fore similem Deo, quando apparebis cinctus mendicis, qui spinæ sunt. Oliva t. 1. conc. 28.

Altare de terra facietis mihi. Ex. 20. 24. Quis non videt, inopes, & miseros, adumbrari in terra? quos Deus aptiores esse novit amicis hostis litandis. Ut enim non pavonem, aut aquilam, aves grandis prætii; sed turtures, & columbas, sibi adeptavit in sacrificium; ità frequentiùs non consulares, sed turricolas, & remiges, cooptavit in Senatum suum. Id. ib.

Per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea. Cant. 3. 2. Sed qui illi vici? quæ plateæ? ubi quæritur Dominus, & reperitur? an plateæ, ubi divites mercatores? &c. S. Ambros. in Ps. 118. s. 7. ubi quæsivit? inquam. In foro & post quæsivit in plateis; de quibus hi, qui ad Patrisfamilias Evangelici prandium convenirent, collegabantur. Luc. 14. 21. *Exi citò in plateas*. Baeza t. 1. l. 3. c. 22. §. 24.

Testimonia.

Ex Veteri.

Dives non addet ad medium sicli. Ex. 30. 15. 1. ut ex siclis constet populi numerus. 2. nè diviti detur occasio superbiendi: & despiciendi pauperem. 3. quia una est anima omnium hominum, sive Cröesi, seu Iri. 4. quia apud Deum non pluris sunt divitiæ, quàm paupertas. 5. quia pretiosa æquè est Deo uniuscujusque vita, & anima &c. Cornelius hic.

Factus est Dominus refugium pauperi. Ps. 9. 10. Non timeant ampliùs pauperes: quia Dominus in cœlo sedens factus est refugium pauperum. Bellarminus hic. Sicut mater, quæ habet duos pueros, sollicita est de infirmo: sic est Dominus de pauperibus. Hugo Card. hic. Pauperes Christi egent in hoc sæculo; sed sunt locupletes Deo: vitiis vacui, sed virtutibus pleni; despecti hominibus, sed acceptabiles Christo. Cassiodorus in Ps. 101.

Sicut abominatio est super humilitas; sic & execratio divitis pauper. Eccl. 13. 24. Paulus de Palatio, cùm de abominatione, quam habet dives à paupere, differuisset, ait: atqui Deo nostro tam diviti non sumus execratio; immò nimis dilexit nos. Addo, hominum maximè pauperes ei cordi esse: *oculi ejus in pauperem respiciunt*. Octavianus hic.

Ex Novo.

Liber generationis Jesu Christi filii David. Matth. 1. 1. Cur David hic regio titulo non insignitur? ut manifestetur; quòd plus Deus gloriabatur de Davide pastore, & paupere; quàm de ipso rege, & præpotenti: pauperes enim à Deo magni æstimantur. Sylveira hic q. 17.

Ego veniam, & curabo eum. Matth. 8. 7. Quantum, divinæ humilitatis insigne; ut cœli Dominus nequaquam dedignaretur Centurionis servulum visitare. Denique alibi Regulo ait: *vade, filius tuus vivit*: ut scias & potentiam divinitatis, & humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere, nè in Reguli filio videretur magis divitis detulisse: hic ipse perrexit; nè videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse servilem. S. Ambros. l. 5. in Luc. 7.

Confide fili. Matth. 9. 2. O mira humilitas! despectum, & debilem, filium vocat; quem Sacerdotes non dignabantur attingere. S. Hieron. hic.

Et surgens secutus est eum. Matth. 9. 9. Quærit S. Basilius M. quare tantum honoris Matthæo Christus tribuit, ut & Apostolum, & Evangelistam, designarit? qua prærogativa, præter Joannem, aliorum neminem ornavit. Respondet: quòd Matthæus ea dignitate præ cæteris auctus fuit, eò factum; quia plura, quàm alii, pro Christo reliquit. Matthæus, quando è telonio ipse surrexit, & Dominum secutus est, non modò lucra reliquit, sed pericula enim ipsa contempsit, quæ ipsi, totique ipsius familiæ, à civitate, & magistratibus imminebant: quòd receptorum à se vectigalium rationes discedens non consectas reliquisset. Did. Nyss. f. 6. D. 2. Quadr. §. 4.

Vade ad mare, & mitte hamum &c. Matth. 17. 26. Cur tantò miraculo usus? cur non pecuniam ex loculis, quos habebat Judas, dedit? Respondet S. Hieron. quia res pauperum, in suos usus convertere, nefas putavit. Mendoza in 1. Reg. 6. 14.

Tunc duo erunt in agro &c. Matth. 24. 40. Sed dicet aliquis ex his, qui adsunt: pauper sum, & fortassis tunc infirmus in lecto reperiar. Si mulier in mola non relinquetur, numquid nos negligemur? Confide homo! Judex hic non est acceptator personarum; non secundùm opinionem judicat; neque ex sermone redarguit: non præfert prudentes idiotis, neque divites pauperibus. Etiamsi in agro fueris, reperient te Angeli, Non putes, quòd magnates quidem accipient, te verò agricolam relinquent, sive servus fueris, sive pauper; nè metuas. Qui formam servi in se recepit, servum non contemnet. Etiamsi æger in lecto jacueris; scriptum est enim: *erunt duo in lecto uno*. Luc. 17. 34. S. Cyrillus Jeros. Catech. 15.

Ad illud: *quamdiu non fecistis uni de minoribus his nec mihi fecistis*. Matth. 25. 45. Quid ais? si fratres tui sunt, quomodo minimos appellas? Immò verò ideo fratres, quia humiles, quia pauperes, quia abjecti. Hos enim maximè ad fraternitatem convocat suam, qui ignoti, & despirabiles sunt. Sanct. Chrysost. hom. 89. Considera, quòd quamvis rex in sede majestatis tantæ, non dedignatur tamen appellare fratres suos, pauperculos suos. Cajetanus hic. Homo, si ex humili generatur, & Deo præstante, ascenderit ad aliquam dignitatem; erubescit generationem suam audire. Et Christus adhuc gloriatur, fratres suos discendo, sedens in majestate: quia veniens in judicio gloriæ mutavit voluntatem priorem. Auth. imp. op. hom. 50.

Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum. Luc. 2. 12. Quare paupertatem Deus sibi elegit insignum? ut denotaret, quam pretiosa illi erat paupertas. Quisque assumit sibi pro signo illud, quod magis est cordi, & majori gloriæ. Sylveira hic q. 20.

Supra familiam suam. Luc. 12. 42. Non super familiam Episcopi, super nepotes, consanguineos. Familia Christi sunt pauperes, pupilli, infirmi. Super hos constituitur Prælatus. Stella hic.

Pauperes introduc huc. Luc. 14. 21. In justificatione mortalium ut plurimum ignobiles peccatores eligere Dei bonitas videtur, & pauperes. Hinc est, quòd ad nuptiale convivium cœci, debiles, claudi, eliguntur, & inopes: quodque his majus est, etiam introire coguntur. S. Laurent. Just. serm. in solemn. SS. Petri, & Pauli.

Auferte ista hinc. Joan. 2. 16. Cur Dominus columbarum venditores flagello non percussit. Rupertus l. 3. in Joan. non divites, sed pauperes, hujusmodi oviculas vendere solent. Pauperibus ergo parcit, ut non exturbet columbas, quas vendebant; quas, cùm exturbatæ evolassent, ipsi consequi non possent, & aliquando damno affecti angerentur, & jure deplorarent. Sylveira hic q. 12.

Mendicus erat. Joan. 9. 8. Theophylactus non temerè hoc adnotavit Evangelista, quòd *mendicus* fuerit; sed ut ostendat infallibilem Domini misericordiam, quæ se ad infirmos usque dimittat; ita ut mendicum summa diligentia curaret: & ut inde etiam ipsi disceremus, nè contemnamus minimos. Apud Sylveira hic.

§. XI.

Pauperes à Mundo spernuntur, durè habentur.

Symbola.

Tollensque *se Angelus Dei &c.* Ex. 14. 19. Pharao luce percussus, *fugiamus*, ait *Israelem* v. 25. *Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Si virgam illam animatum serpentem Ex. 7. 10. Christi D. figuram despexit; cur Angelum suspicit, & Dominum inclamat; Isidorus in quæstionibus in Gen. cap. 12. virga serpens facta est: quoniam qui erat Filius Dei ex Deo Patre natus, filius hominis factus est: Virga projecta humi serpit deformis: at Angelus nube fulgida micat, & de throni splendore habetur pro Deo. O quoties vir eruditissimus despicitur! si pannosus. Et habetur hebes Appollo, si fortuna aspirante niteat, & habitu externo fulgeat. Naxera in Jos. 17. §. 10.

Percussitque Saul Amalec - & apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii - & pepercitquidquid vero vile fuit - hoc demoliti sunt 1. Reg. 15. 7.

Capilli tui sicut greges caprarum. Cant. 4. 1. - *dentes tui sicut greges tonsarum*. vers. 2. Cur non Capræ, sed oves, referuntur tonsæ? Oves valles, & campos habitant, capræ in montibus vivunt; ergo ab altis nihil præcidit ferrum, ab humilioribus lanam aufert. Certè à capillis caprarum superflua prolixitas præcidenda foret: à dentibus verò cùm carne prope sint nudi, nihil auferri posse videbatur. Et tamen dentes detonsis assimilantur, capilli capitis non detonsis. O nimis verum! à divitibus multa præciderentur utiliter; à pauperibus vel reculæ non innoxiæ auferuntur. Naxera in Jos. 11. §. 12.

Lapis - percussit statuam in pedibus. Dan. 2. 34. Non caput aureum, non pectus argenteum, &c. sed pedet fictiles. Hoc nunc ad litteram agitur: non est ictus ad caput aureum, magnates; in pedes fictiles, plebejos justitia exercetur. Diez fer. 2. D. 4. Quadr.

Percutiens servum principis. Matth. 26. 51. Cur non extendit Petrus gladium ad principes, magistratus &c. Sed solùm pauperculum famulum percutit? Hoc communiter accidit ministris hujus Mundi; qui in potentes timent manum mittere, eos etiam in suis criminibus venerantur; pauperes verò, & miseros opprimunt. Sylveira hic addit.

Homo, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho. Luc. 10. 30. Symbolum pauperis. 1. dicit *homo quidam*. Non eum nominat: quia pauperis nomen nemo scit. Eccl. 13. 29. *pauper locutus est: & dicunt quis est hic?* 2. *descendebat*: qui enim ad altiora ascendunt, sunt divites; pauperes verò semper descendunt. 3. *ab Jerusalem in Jericho*, à quiete in commutationem: pauperi enim non est requies; *in sudore vultus sui vesceris pane suo*. 4. Ex hoc descensu provenit, ut *incidat in latrones*: etiam illud modicum, quod ei residuum est, aufertur; & vix accipit aliquid olei misericordiæ sine acri vino reprehensionis. &c. Diez fer. 5. D. 2. Quadr.

Mitte Lazarum. Luc. 16. 24. Dives ille adhuc divitis mentem respiciens in ipsis tormentis, videns Abrahamum, & Lazarum: & tamen divitem Abrahamum præterit, & ad Lazari digitum respicit. S. Chrysol. s. 122. adhuc divitem malitia non deserit; adhuc in Lazarum sic crudelis. Id. ib.

Et pures unus hic. Joan. 6. 9. Sic principium consiliarii, sic proceres, remedia regni, urbium, exercitus, principi suggerunt de minimorum pauperum reculis; pusillorum panes, & pisciculi, proponuntur. *Oculi ejus in paupere respiciunt*. Ps. 10. 9. Secundùm Hebræum. Significatur divitum confessus, sive comitia, quibus quid magnum tractant ad regni stabilimentum, & rationem status. Sed quid maximè ibi respiciunt? oculi ejus in pauperem respiciunt. Baeza t. 2. l. 11. c. 2. §. 20. Nonne alii ibi aderent, qui necessitati opem ferre *possent*? utique aderant, & quidem quinque millia virorum ut diximus, sed puerum cæteris infirmiorem primo loco aggressi sunt. Semper enim partem imbecilliorem appetit rigor, & pauper luere omnia debet; & vel solus, vel primus, subire, si quid pœnale, aut molestum, occurat. Didacus Nyss. Phœ. Græc. l. 6. cap. 4. Remedia pridem nonnullis urbibus data, quid aliud egerunt? quàm ut divites cunctos immunes redderent, miserorum tributa cumularent. Salvianus l. 4. de gubernatione.

Quò quisque infirmior, prædæ patet. Sunt, qui invicem se devorent, & sua carne pascantur. Minor apud illos esca majoris est. S. Ambros. l. 5. de piscib.

Sic est hodie de justitia, & de ministris illius; sicut de tela aranearum: in qua parvæ muscæ capiuntur, & strangulantur ab ipsis araneis; crassæ autem inde facilè evadunt. Guilielmus Pepinus serm. in fer. 6. D. 3. Quadr. apud. Nyss. ibidem.

Testimonia veteri.

En famuli tui flagellis cædimur. Ex. 5. 16. Quid Pharao? *vocatis otio*. v. 17. Miseri: cùm tot atterantur laboribus, otiosi audiunt. Lippomanus: vide, quomodo mendacium habetur, quidquid pauperes pro se allegant. Naxera in Jos. 9. §. 20.

Persequimini hostes, & extremos quosque fugentium cædite. Jos. 10. 19. Non multò post *precepti Josue*. v. 22. *Aperite os spelunca feceruntque ministri, ut sibi fuerat imperatum*. vers. 23. Hic ministri executi referuntur imperium: cùm ibi non dicantur imperium executi: quia hoc laboriosius, illud facilius; quia ibi contra debiliores, extremosque ferebatur sententia; hic verò in sublimes, & potentes. Naxera in Jos. 10. §. 50.

Judicate egeno, & pupillo humilem, & pauperem justificate. Ps. 81. 3. Justificatio supponit culpam, & delet præcedentem maculam. Dicat ergo, peccatorem justificate; aut, pauperem eripite. Paupertati justificationem prudenter exoptat: quia scit, apud humanos judices, & tribunalia, pauperem semper, uti peccatorem, damnari; cùm dives absolvatur ut justus. Naxera in Jos. 9. §. 20.

Ex Novo, & Patribus.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matth. 4. 9. Auth. imp. op. hom. 5. in Matth. uni dare non poterat omnia, nisi ab omnibus tolleret omnia. S. Chrysol. s. 123. ait, Epulonem artificiosa nuditate vestitum. Cujus nuditate? multorum; quos nudavit; ut vestem sibi texeret. Naxera in Jos. 10. §. 37.

Tollite itaque ab eo talentum. Matth. 25. 28. Didacus de Celada sic rem expendit l. in Judith c. 3. v. 2. §. 4. n. 11. quòd Christus D. hic adumbravit, quod est in communi more: à paupere servo jubetur tolli talentum; & dari ei, qui habet decem talenta, diviti. Miseri emunguntur, ut magis pinguescant divites: habenti dabitur. Sylveira hic addit.

Tunc videns Judas, quòd damnatus esset. Matth. 27. 3. Nondum Christus D. ante Pilatum steterat; nec mortis sententia lata à Præside; penes quem solùm erat vitæ, & mortis jus; & tamen Judas damnatum vidit? scilicet, ut Origenes tr. 31. in Matth. ait: magnam vim habent potentiorum preces, & molimina, contra pauperem, & innocentem; ut judicium vel integerrimum flectant; ut contra fas, & jus, sententiam ferant. *Consilium inierunt principes &c.* Pinna in Eccl. 5. Ethol. 62.

Ipse cœpit egere. Luc. 15. 14. Cur non juvatur ab iis, cum quibus consumpsit substantiam? Quia ubi opes, ibi amici. Sylveira hic q. 5.

Abiit, & adhæsit. Luc. 15. 15. Ut quisque ex opum copia æstimatur, ità censeri in mortuis potest, quem census defecit. Filium prodigum omnes ii, & eæ, quibus cùm facultates suas prodegerat, in pauperie destituerunt: nec pluris fecerunt; quàm si Mundo, & vita, excessisset. Did. Nyss. Sabb. D. 2. Quadr.

Mitte Lazarum. Luc. 16. 24. Cur non dixit ipsi Abrahæ, qui olim peregrinorum pedibus lavandis aquam offerebat? linguæ ardori stillam præbe. Dives poterit præbere undam, pauper stillam: ergò à divite, non à paupere, petat. Dives de sæculi more scit, divites sua se potentia tueri, miserosque ad tributa resolvenda cogi: ideò, nè sibi tardet remedium, relinquit divitem, urget pauperem. Naxera in Jos. 21. §. 12.

Qui prohibant, increpabant eum. Luc. 18. 39. Auth. Imper. op. hom. 36. Videbant sordidas vestes, & non considerabant conscientiæ claritatem. Indignum eis videbatur; ut tales homines vociferarent ad eum. Ecce fatua sapientia hominum. Existimabant injuriam pati magnos viros, si à pauperibus honorarentur. Apud Sylveira hic q. 4.

Hominem non habeo. Joan. 5. 7. *offerebant ei paralyticum*. Matth. 9. 2. Verosimile est, paralyticum hunc divitem fuisse: quia multi ipsius obsequio deputati, tum in deferendo, tum in domo aliena dirupto tecto devastanda; in quo non modicum inquilino damnum inferebant: sed noverant damnum à paralytico resarciri posse. Alter paralyticus triginta octo annis ab omnibus derelictus non habebat, qui illum in piscinam mitteret. Petrus Besseus D. 18. Pent. *Hominem non habeo*: quia pauper erat, ut notat Chrysostomus hom. 36. Beda, S. Thom. Aqu. Bonaventura, Sim. Cass. lib. 5. cap. 27. privatum se fatetur auxilio humano, & à Valentioribus prævenitur in cura. Sylveira hic.

Adducunt mulierem. Joan. 8. 3. Mundi leges solis pauperibus latæ videntur. Quærit Lyranus: cur non & adulterum adduxerint? qui accusari, & puniri, æquè merebatur, ac adultera. Respondet: fortè adulter erat dives; adultera fortè erat paupercula mulier; quæ non habuit, unde illis satisfacere. Did. Nyss. fer. 6. D. 3. Quadr.

In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Joan. 9. 34. Quæ peccata recens natum, & arbitrii impotem, fœdarunt? Origines inficit, actuale non tulit ætas: cur ergo in peccatis natum affirmant? natus est cœcus, & pauper: sicque apud omnes inopia, & miseria audit; ut iis, velut sceleri, insultent. Naxera in Jos. 9. §. 20.

Et ejecerunt eum foras. Joan. 9. 34. Cur mendicus hic Christi mirabilia prædicans, ejicitur de Synagoga? non verò Lazarus. Joan. 11. Lazarus dives, unus à primis: & in Mundo omnis molestia pauperibus infligitur; potentes immunes. Sylveira hic q. 19.

Scio tribulationem tuam, & paupertatem. Apoc. 2. 9. Semper cum paupertate tribulatio, & persecutio, jungitur: immò ipsa paupertas tribulatio. S. Chrys. hom. de divite: habet paupertas martyrium suum; & egestas bene tolerata facit martyrium: sed egestas propter Christum; non propter necessitatem. Sylveira hic.

Clamat ante domum tuam nudus, & negligis: & tu sollicitus es, quibus marmoribus pavimenta vestias. Pecuniam pauper quærit, & non habet: panem postulat homo; & equus tuus aurum sub dentibus mandit. S. Ambros. lib. de Naburthe Jezraelita c. 13.

Aliorum divitiæ, eorum, qui in paupertate sunt, tormenta sunt. S. Chrysost. de divite Luc. 16.

§. XII.

Pauperes honora, non sperne, non afflige, cura, juva.

Propter vos egenus factus est. 2. Cor. 8. 9. S. Ambros. in Ps. 118. cum dives pauper factus est, noli tu contemnere plebejum, quia nobilis es; noli despicere servum, quia potens es; noli pauperem fastidire, quia dominus es. Numquid nobilior? numquid potentior: numquid locupletior Christus est? ille pro te suscepit illa, quæ tu despicis. Admonentur hic divites, & nobiles; non superbire adversùs pauperes, & ignobiles: quia simul dicunt Deo, *Pater noster*. S. August. l. 2. de serm. D. in monte.

An forsan tua te credis habere? res pauperum tibi credita est: etiamsi laboribus justis; etiamsi hæreditate paterna, in te pervenerit. Num putas, non potuisse Deum hanc pecuniam abs te auferre? sed ideò non fecit: quia te dominum esse vult benignitatis erga pauperes. S. Chrysost. hom. 78. in Matth. 24.

Invidiam faciunt, quia aurum erogatur; nec ego hanc invidiam perhorresco. Habeo ærarios: ærarii mei pauperes Christi sunt. Hunc novi congregare thesaurum. Utinam hoc mihi semper crimen ascribatur; quia aurum pauperibus erogatur. Quòd si objiciunt, quòd defensionem ab jis requiram, non nego; sed etiam ambio? habeo defensionem; sed in orationibus pauperum. Cœci illi, claudi, debiles, & senes, robustis bellatoribus fortiores sunt. S. Ambr. orat. in Auxentium de Basilicis tradendis.

Historiæ Indicæ narrant, apud Peruanos Ingas reges, antequam regnum ineant, per dies aliquot laceris indutos vestibus, velut pauperes, & mendicos, per urbem incedere: ut indicent; paupertatem, ac pauperes, sibi cordi esse, & fore. Cornelius in Ecclæ 4. 16.

§. XIII.

§. XIII.

Pauperes sunt in bonum divitum.

Unde ememus panes. Joan. 6. 5. Mundus nulli est obligatior, quàm pauperibus. Urbes, quas videtis tam amplas, domos, quas inhabitatis tam magnificas; basilicas, quas admiramini tam sumptuosas, sunt opera pauperum: qui lapides eruerunt, advexerunt, calcem pararunt, ligna fiderunt, muros construxerunt. Panem vobis dat rusticus, qui seminat, agrum colit. Aurum, & argentum, soli pauperes effodiunt, in clibanis purgant. S. Chrysost. hom. 34. in 1. Cor. perspicuum est, fieri non posse, ut absque pauperibus constet civitas. Aloysius Juglar. conc. 22. horti Quadr. Ideo Deus pauperes in hoc Mundo esse permisit, ut omnis homo haberet, quomodo peccata sua redimeret. B. Cæsar. Arelat. hom. 15.

§. XIV.

Pauperum solatia.

Num. I.

Paupertas Christi. Signum divinitatis.

Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Zach. 9. 9. S. Cyrill. Jeros. Catech. 32. ait. Si Propheta solùm dixisset: *ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator*; dubios nos reliquisset: cum multi sint, fuerintque justi reges, & suorum subditotum sospitatores. Idcirco Prophetam appellat: da nobis signum, quòd alii reges non habeant; da nobis signum proprium regis, cujus regnum annuntias. Respondet vates: ecce vobis signum illud speciale: *pauper, & ascendens* &c. Did. Nyss. D. Palm.

Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Matth. 2. 2. Qua ratione adducti sunt, ut sibi persuaderent, cum, qui recens natus est, esse & Regem Judæorum, & Redemptorem Mundi, & verum Deum? Rationem dant: *Vidimus enim stellam ejus in Oriente*. Si Deus est, ut ajunt, qui recens natus; quid dicunt, agnoscere se ejus divinitatem, quia stellam ejus viderunt? Nonnè faciliùs eum agnovissent, si plures stellæ, quasi totidem famuli facigeri, illis præluxissent? quàm una sola? Minime: nam hinc Dei Majestas, differentiaque illius ab homine, intelligitur; quòd homo cupiditate sua illectus unam pro pluribus stellis promptè relinquet; verùm Deus multas pro una deserit. Did. Nyss. D. Palm.

Invenerunt puerum - & procidentes adoraverunt eum. Matth. 2. 11. Res utique mira, auditu stupenda. Quid potuerunt reges illi tam inclyti dicere, qui de terra tam remota Deum Regem venerant adorare; dum indicante stella intraverunt in stabulum; viderunt infantulum tanta paupertate compressum. Poterant enim dicere: quis rex est iste? Si enim Rex est, ubi regis palatium? ubi regale solium? ubi turba obsequentium famulorum? sed, ut videmus, palatium ejus est stabulum, solium est præsepium; &, si turbam quæris famulorum, invenies bovem, & asinum. O fides admiranda! fides veneranda, fides sollicito corde tractanda! Confundatur infidelitas nostra, stupeat nostra superbia, quæ non timet ad Patris dexteram jam sedentem; quem adoraverunt reges in præsepio vagientem. Sanct. Bonaventura serm. 26. in Epiph.

Vidimus stellam ejus. ibid. Dicite potiùs, vidisse vos ejus solem, lunam, stellas, quorum ille sit Dominus. Nec unius tantùm stellæ dominum facite, quæ ipsum illuminet. S. Chrysol. s. 156. verè, sicut dixit Apostolus; *cùm esset dives, pauper factus est*. 2. Cor. 8. 9. cùm esset in sua Deitate dives, nostra sit pauper in carne, & habere cœpit stellam unam, totam qui fecit, habet, & continet creaturam. q. d. qui in stabulo natus, in præsepio reclinatur; ei una stella satis est; nec major ostentatio necessaria. Quale enim hoc esset; si pauper, cui pro lecto est præsepe, pro domo natali stabulum, plures faces ad suum obsequium adhiberet. Did. Nyss. ib.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17. 2. Immodicam vultus claritatem vult Matthæus indicare; cùm illum ait solis instar resplenduisse. Sed non videtur magna exaggeratio, quando Isaias de beatis ait, eos sole septies splendidiores futuros. c. 30. 26. Quod si ità est; cur Christus tantùm *sicut sol* resplenduit? Ad mensuram conditionis suæ extendit suam ostentationem: nec splendorem protulit majorem, quàm tunc res postulabat. Id. ib.

Sedens super asinam. Matth. 21. 5. Relinquere majus pro minore, proprium est magnificentiæ Dei; quod consuetudo cupiditatis humanæ non habet. Christus sedens super asinam, Jerosolymam triumphator ingreditur, cùm invehi posset curru triumphali. Si purus homo fuisset, magnificos apparatus in triumphi solemnitatem undique accersissset. Idem ibidem.

Hoc vobis signum. Luc. 2. 12. ex quo scilicet cognoscere possitis, esse Deum, quem reperietis natum. *Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio*. Et hæc sunt Dei judicia? Mendicabulum potiùs, quàm Dei Filium, loquuntur pauperes panni, & præsepe. Sed benedicit Angelus: *hoc vobis signum*. Nam quòd elegit vide stabulum, angustum præsepe, pauperes pannos; qui poterat sibi curare sumptuosum palatium, magnificum stratum, pretiosa peristromata. Hoc infantis homine majoris signum est, hoc Deum indicat; qui majora minoribus postponit. Id. ib.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves - nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat. Luc. 15. 4. S. Chrysol. hæc parabola plus divinæ pietatis, quàm consuetudinis humanæ, loquitur, & exprimit veritatem. Magna relinquere, amare minora, Dei potestatis est, non cupiditatis humanæ. q. d. homo unam facilè contemneret, cui ovium nonaginta novem potestas fieret: quia ambabus manibus repellit minora, & arripit majora. Id. ib.

Num. II.

Alia de paupertate Christi.

Ex Veteri, Novo, & Patribus.

Abel. Gen. 4. Abel interpretatur *nihil habens*. Ei Christus Dei Filius nihil omnino habuit. Matth. 8. 20. *vulpes foveas habent* &c. pauper in ingressu, pauperior in progressu, pauperrimus in egressu. Hugo Card. hic.

Lapis ille, quem capiti suo supposuit Jacob. Gen. 28. 11. ut dormiret, hic Christum significat, lapidem angularem. Hunc enim quicumque supponit capiti, idest, cordi suo, dormit securus: quia Mundi divitias contempsit, & ideò Mundi passionibus non perturbatur: nihil habens in sæculo, cur gaudeat, cur timeat, cur speret, cur doleat? S. Rupertus l. 2. in c. 1. Joan. Sicut Jacob, dormire cupiens, ideò lapidem pro cervicali capiti suo supposuit; quia paupere domo patris sui exiit, solo baculo nixus, non habens, ubi caput suum reclinaret: sic pia anima, quæ pulvillos, & cervicalia terrena, ex animo contempsit, non habens ubi caput suum commodè in Mundo reclinet; confugit ad lævam Christi Dei, & hominis; qui pro nobis ità egenus factus est, ut non haberet, ubi caput suum reclinaret. Et super hanc pauperis Christi manum quiescit; totamque suam spem collocat: confidens, quòd ipsius meritis Divinitatis amplexabitur illam. De Ponte in Cant. 2. Exh. 40. §. 2.

Cumque complesset forte dividere terram &c. Jos. 19. 49. Quare Josue, cùm aliis terram dispertiret, sibi non distribuit aliquam portionem; sed urbem accepit à populo? Imitatus est in eo modestiam Domini: *discite*, enim ait, *à me &c.* Matth. 11. 29. Extremam itaque expertus est inopiam; ità ut nè domum quidem haberet. *Filius*, inquit, *hominis* &c. B. Theodoretus in Jos. q. 17. hic.

Videant pauperes, & lætentur &c. Psalm. 68. 33. Quid videant? Christum egentem, Christum mendicantem. Videant, & lætentur: cùm in paupertate sint fratres, & socii Filii altissimi D. N. J. C. S. Bonaventura s. 2. in Converf. S. Pauli.

Videns autem Jesus turbas multas. Matth. 8. 18. *Et accedens unus scriba* v. 19. Qua intentione accedit? Hieronym. Chrysost. Paschal. Euthym. Beda &c. docent: quòd lucri causa Dominum sequi voluerit. Credebat enim, quòd ex tantis operibus, & miraculis, multas divitias esset accepturus; quarum se fore participem sperabat. Sed Dominus ei obiicit suam paupertatem: *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet*. v. 20. Euthymius: vulpibus, & volucribus cœli, sum pauperior: neque enim receptaculum habeo; nec quantum sufficiat ad caput tantùm reclinandum. Tales enim esse volo. & eos, qui me sequuntur. Itaque frustra suspicatus es, & in vanum speraſti. Sylveira hic.

Illum sumens da eis pro me, & te. Matth. 17. 26. Disce paupertatis studium in Christo; utpote qui non habebat domi vel unum siclum, ad solvendum tributum; sed illum per miraculum à pisce acceperit: ut doceret; Deum per pisces, cæterasque creaturas, pauperibus spiritu providere de necessariis; sicut providit Eliæ per corvum. Cornelius hic.

Natus est vobis hodie Salvator. Luc. 2. 11. Pauper mater, pauper filius, inops hospitium, his, qui in forma hujus Scholæ in Ecclesia militant, præbent efficax documentum. S. Cyprianus de Nat. D.

Et hoc vobis signum &c. Luc. 2. 12. Christus semper ideò fuit pauper, ut hoc signo cognoscerentur milites sui. Sed signo huic à multis contradicitur. Hugo Card. in Genes. cap. 40.

Invenietis infantem. Ib. Quæ est ista evangelizatio Angelica; ut ad signandum Jesum Christum D. involutum pannis, reclinatum in præsepio clamet? sunetne ista tria, infantia, pannorum involutio, situatio in præsepio, perfectè signantia Salvatorem? ad ea signa se continuit ostendenda: quæ ostenderent Deum humanis rebus liberum existentem. Et ingressum, & egressum, à Mundo, voluit concordare: ut in paupertate natus, in illa etiam moreretur. In Na-

Nativitate inventus eſt infans; & coram Pilato ſiluit: *ita ut miraretur Præſes*. Matth. 27. 14. Sic natus involutus eſt pannis; ſic mortuus Syndone involutus eſt. Et ſicut reclinatus, & poſitus, eſt in alieno præſepio; ſic poſitus eſt in alieno ſepulchro. Sim. Caſſ. l. 1. c. 7.

Milites acceperunt veſtimenta ejus &c. Joan. 19. 23. Modica veſtimenta Chriſti nobis paupertatem inſinuant: nec aurea, ſeu argentea zona; neque crumenæ plenæ pendentes; nec calceamenta, in iſta diviſione fuerunt: ut ſciatur, Dei Filium non quæſiviſſe talia ſuper terram; exceptis, quibus ſe factum hominem oſtendere oportebat: nec condidiſſe more hominum teſtamentum temporalium rerum; ſed virtutum: ſuper quibus non filios, aut fratres carnis, ſive quoſque propinquos; ſed tantùm ſuos ſubſequos, Mundo mortuos, reliquit hæredes. Id. l. 13. in Luc. 23. 24.

Pauper in nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in cruce: natus enim paſtum habet lac Virgineum, tegmen pannos viles. In vita verò, ſi tegmentum habuit, ſæpiùs in victualibus defecit. In morte & nudum invenies, & ſitientem. S. Bern. tr. de Paſs. D. c. 3. ſup. *ego ſum vitis*.

In hujus ſponſæ (paupertatis) ſtrictis amplexibus animam emiſiſti. Nec iſta ſanctiſſima ſponſa tuæ reſurrectioni defuit: quia in ejus amplexus glorioſè reſurgens, in ſepulchro omne mutuatum, & adventitium reliquiſti. Hanc tecum aſportaſti ad cœlos, Mundanis relinquens omnia, quæ ſunt Mundi. Sanct. Bernardinus ſerm. 2. de 8. Beatitud. alloquens Chriſtum.

Num. III.

Paupertas Sanctorum.

Scidit veſtimenta ſua. Job 1. 20. Origen. hom. 1. in Job: etiam hanc veſtem trado tibi; ut nihil remaneat ex omnibus, quæ tradidit mihi Deus. q. d. Deus omnibus bonis me ſpoliat: ut nihil mihi reſtet, niſi ſola veſtis: Ego autem, ut me totum divino beneplacito conformem, nec ipſam hanc veſtem retinere velim: hoc ſolo contentus, quòd ad majorem adhuc paupertatem redactus ſim, quàm à me Deus requirat. Paoletti in Purif. B. V.

Et fraudavit de pretio agri. Act. 5. 2. Erat hoc furtum, & ſacrilegium, rei Deo dicatæ. Ergo voverat plenam bonorum abdicationem, uti Religioſi voventes paupertatem. Probatur ex verbo *fraudavit*: fraus enim non fit in re propria, ſed aliena. Si enim non voviſſet, fuiſſet tantùm officioſum mendacium, non pernicioſum, utpote in re propria; ideoque veniale. Sicut qui amico daret centum aureos dicens: plures darem, ſi haberem; at non habeo: peccat tantum mendacio officioſo, & veniali: nec dicitur fraudare; multò minùs mentiri Spiritui Sancto. Porrò ſi primævi Fideles, etiam conjugati, vovebant paupertatem; multò magis eam voverunt Apoſtoli, eorum in virtute duces. Cornelius hic.

Ne verbo quidem audet quis dicere aliquid ſuum: magnumque eſt crimen, ex ore Monachi proceſſiſſe, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam; digna pœnitentia ſatisfacturus, ſi caſu aliquo per ſubreptionem, vel ignorantiam, hujuſmodi verbum de ore ejus effugerit. Joan. Caſtianus de cœnob. inſt. l. 4. c. 13.

Nemo tam auri, quàm ipſe cupidus paupertatis: nec theſauri cuſtodiendi ſollicitior ullus, quàm ipſe hujus Evangelicæ Margaritæ. Sanct. Bonaventura in vita Sanct. Franciſci cap. 7.

Multi hoc uno nomine libenter multa habebant, ut multa contemnerent. S. Greg. Naz. or. in Julianum.

P. Andreas Oviedo, à Pontifice creatus Patriarcha Æthyopiæ, ibidem uſque ad mortem vixit in tanta paupertate; ut propriis manibus aratrum duceret, ſereretque fruges, quas comederet. Unde revocatus à Greg. XIII. P. litteras ad eum dedit exaratas in marginibus, quos è Breviario ſuo præciderat; eò quòd aliam ad ſcribendum chartam non haberet. His enixè obſecrabat Pontificem, ut permitteret ſe Eccleſiæ ſuæ, quam ſibi deſponderat, uſque ad finem vitæ aſſiſtere. Viſis his litteris illacrymatus eſt Pontifex, ſuamque illi benedictionem impertiit. Corn. in act. 2.

Num. IV.

Pauper eſt dives, nil ei deeſt, quia habet Deum.

Ex Veteri.

Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Gen. 41. 52. Cùm Joſeph ex multa ſua inopia ad magnas opes evectus, poſteriori filio nomen Ephraim imponit, ideſt, *frugiferum*. Sylv. in Apoc. 2. 9.

Occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum: feceruntque filii Levi &c. Ex. 32. 27. S. Ambroſ. Annot. in Exodum: Sanctiora ad hoc munus eliguntur miniſteria Levitarum, quorum portio Deus eſt. Neſciunt ſuis parcere, qui nihil ſuum norunt: quoniam ſanctis omnia Deus. Spernunt ab amicis proventura bona, qui Deum poſſident. Seneca l. de conſolat. ad Polib. adjice nunc, quod cùm ſemper prædices, chariorem tibi ſpiritu tuo Cæſarem eſſe; fas tibi non eſt, ſalvo Cæſare, de fortuna queri. Hoc incolumi ſalvi tibi ſunt tui: nihil perdidiſti: non tantùm ſiccos oculos tuos eſſe, ſed etiam lætos oportet. In hoc tibi omnia ſunt. Adversùs felicitatem tuam parum gratus es; ſi tibi quidquam, hoc ſalvo, flere permittis. Magis dic animæ, quæ Deum habet: in hoc (Deo) tibi ſunt omnia, quoniam ſanctis omnia Deus eſt. Parum refert amittere omnia, dum non perditur Deus. Did. Nyſs. vit. Abr. l. 4. c. 3.

Tribus Levitica Joſ. 13. 14. propriam poſſeſſionem non habebat; cœteris tamen omnibus ferè opulentior. Nam, ſi tribum Juda excipiamus, nulla fuit alia, quæ quadraginta octo urbes obtineret, ut Levitica. Joſ. 21. 1. &c. Mendoz. in 1. Reg. 1. Annot. 4. ſect. 1.

Ego verò egenus, & pauper ſum. Pſ. 69. 6. Videamus, cùm ſit cœleſti theſauro ditiſſima, ubique ſe egenam, & pauperem dicit glorioſa paupertas. Utique quia Mundanas copias non habet, & intùs, ubi eſt dives, ſemper ambit, ſemper deſiderat, ſemper accipit; ſicut dicit Apoſtolus: *fratres, ego me non arbitror apprehendiſſe*. Philipp. 3. 13. Vides meritò tales dici egenos, qui continuò acquirere gratiam divinitatis exoptant. Caſſiod. hic.

Veniat Dilectus meus in hortum ſuum. Cant. 5. 1. Quid clamas ſponſa? hortus tibi vernat, in quo mel, lac, poma Punica, aromata, crocus; virent lilia, manant aquæ; nihil ad beatitudinem deeſt. Clamo, quia ille deeſt, quo abſente nihil habeo: quo præſente, etſi deſint mihi omnia, deeſt nihil. Ut Jobo nihil defuit in ſumma rerum inopia, quia ei adfuit Deus; ità deſunt mihi omnia in copia frugum, & florum; quia abeſt Jeſus. Veniat Dilectus in hortum: alioquin hortus convertetur in deſertum. Opes, nobilitas, eloquentia, plauſus, deliciæ, hortus ſunt; ſed ſi oratio aruit, ſi Chriſtus à corde abſceſſit; ſolum mihi ſupereſt in ſerico, & gloria, ſepulchrum. Oliva t. 2. Strom. §. Veniat Dilectus.

Ficus non florebit. Habac. 3. 17. & addit: *ego autem in Domino gaudebo &c.* v. 18. Fatetur, ſe licèt ſibi omnia temporalia deſint, dummodo Deum in anima ſua habeat; ſpiritualem lætitiam, & conſolationem, non amiſſurum; ſed ex his omnibus laboribus victoriam reportaturum, ob eamque Deum laudaturum. Diez conc. 2. D. 4. Epiph.

Ex Novo, & Patribus.

Aperto ore ejus invenies ſtaterem. Matth. 17. 26. Ab ore piſcis juſſus eſt Petrus extrahere ſtaterem: ſunt enim omnes creaturæ Chriſti pauperibus pro crumena; quando & piſces noverunt nummos ſuppeditare. S. Bern. ſ. 21. in Cant. non æſtimes Chriſti pauperes ſola cœleſtia poſſidere; quia ea ſola audis in promiſſione: poſſident & terrena, *tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*. 2. Cor. 6. 10. Denique Fideli homini totus Mundus divitiarum eſt; totus planè: quia tam adverſa, quàm proſpera ipſius, æquè ſerviunt ei. Gen. 27. 28. *det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini*. Baeza t. 2. l. 12. c. 1. §. 5.

Scio paupertatem tuam, ſed dives es. Apoc. 2. 9. S. Andreas Ep. Cæſar. ab omnibus facultatibus exutus es; interim ſpiritualibus copiis affluis; utpote theſaurum abſconditum in pectoris agro defoſſum ſervans. Sylv. hic.

Cùm Dei ſint omnia, habenti Deum nihil deerit; ſi Deo ipſe non deſit. S. Cypr. l. de or. Dom.

Sapienti nihil alienum, niſi quod virtuti incongruum. Quocumque acceſſerit, ſua omnia totus Mundus poſſeſſio eſt: quoniam toto eo quaſi ſuo utitur. S. Ambr. ep. 44.

Perfectus ſervus Chriſti nihil præter Chriſtum habet: aut, ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt. S. Hieron. ep. 1. ad Heliodorum.

Quid habet dives, ſi Deum non habet? quid non habet pauper, ſi Deum habet? S. Aug. ſ. 1. D. 5. Trin.

§. XV.

Paupertas lucroſa, & utilis &c.

Symbola, Similitudines.

Oves, & boves. Pſal. 8. 8. Oves electum populum ſignificant Chriſtianum. *Paſce oves meas*. Joan. 21. 17. qui ideò comparantur ovibus; quia Mundi exuvias ſine aliquo ſenſu doloris amittunt. Nam ſicut ovis tondentem ſe non increpat; ità nec juſtus cupiditatem ſe expoliantis accuſat. Caſſiodorus hic.

Dentes tui ſicut greges tonſarum. Cant. 4. 2. *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum*. Matth. 10. 16. Non aſſimilantur ovium dentibus, ſed ovibus ipſis: quia ovium induunt proprietates; nimirum ſimplicitatem, innocentiam, humilitatem, ſuoque paſtori promptam ſubjectionem. Aſſimilantur autem non quibuſvis ovibus; ſed *quæ aſcenderunt de lavacro*, propter duplicem munditiem, quæ in ovibus eſt, cùm tonſæ ſunt ablata lana; quæ immunditiam contraxit, & in lavacro ſunt totæ. De Ponte hic. Exh. 4. §. 2.

Tolle ſuperflua, & ſalubria ſurgunt: utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi: putetur cupiditas; ut virtus roboretur. Sanct. Bernardus ſ. 58. in Cantic.

Chriſtus medetur. ſudoriſero lacrymarum, inciſione venæ, & minutione ſanguinis corrupti; ordinando divitibus damna rerum. S. Vinc. Ferr. ſ. 4. D. 17. Trin.

Vitis. Lem: *Spoliata ditior*. Vel: *Paupertate feracior*. Picinelli.

Littera O. Lem: *E nihilo plurima*. Id.

Aquila ad ſolem pene ipſum evecta. Lem: *Modò fruantur oculi, ardeant plumæ*. Id.

Arcus in arbore appenſus chorda diſrupta. Lem: *Fracta magis feriunt*. Id.

Margarita extra concham. Lem: *Nuda capit pretium*. Bovius.

Teſtimonia ex Veteri.

Ecce univerſa terra coram te eſt: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dextram tenebo &c. Gen. 13. 9. q. d. ſi Occidentem elegeris, ego petam Orientem: ſi ad Meridiem habitare volueris, ego in ſeptentrione ſedem figam. Poſthæc, cùm alter ab altero diſceſſiſſet, ait Dominus Abrahæ: *leva oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & meridiem, ad Orientem, & Occidentem. Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo*. v. 14. 15. S. Chryſoſt. hom. 52. in Gen. iiſdem verbis utitur miſericors Deus, quibus & Patriarcha ceſſionem fecerat. Vidiſti, quantis ceſſit? & quanta eſt aſſecutus? vidiſti dignam divina bonitate munificentiam? Id. ib.

Nec ultrà vocabitur nomen tuum Abraham; ſed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium conſtitui te. Gen. 17. 5. ait Deus Abraham, & ſuis circumciſo. Alcuinus apud Gloſſ. ordin. pro Deo aliquid perdere, lucrum eſt, non damnum. Did. Nyſs. vit. Abr. l. 6. c. 7. qui pro Deo pauca perdit, plura recipit.

Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me &c. Gen. 22. 16. Abraham conſtituitur caput generationis Chriſti. Matth. 1. 1. nam ille filium ſuum Deo obtulit in holocauſtum; ideò Deus, qui dives eſt in miſericordia, in ſuperabundantem compenſationem Filium ſuum illi dare decrevit. Solet enim magnificentiſſimus Deus prœmiis meritò proportionatum dare, & quibus ei obſequia præſtamus, iiſdem dona ſua nobis communicare. Sylveira in Matthæi 1.

Nè deſcendas in Ægyptum; ſed quieſce in terra, quam dixero tibi. Geneſ. 26. 2. Iſaac, cùm habitaret in terra Geraris, &, fame valida ibi urgente, deſcendere vellet in Ægyptum; ut ſibi, ſuæque familiæ: conſuleret, à Deo retinetur. Et nihilominus divinum præceptum proprio commodo præferendum ratus, maluit mendicare in terra Chanaan, quàm in terra Ægypti locupletari. Cæterùm bona temporalia propter divinum obſequium deſerenti neutiquam illa bona defuerunt. Subditur enim: *ſevit autem Iſaac in terra illa, & invenit in ipſo anno centuplum*. v. 12. Mendoz. in 1. Reg. 3. Annot. 2. ſect. 2.

Moyſes autem paſcebat oves &c. Ex. 3. 1. Felix negotiatio, aliquid pro Deo relinquere; quia illud non amittes; ſed potiùs duplicatum recipies. Dei mandato Moyſes tendens in Ægyptum, ſuas, quas in Monte Horeb ducebat, oves reliquit. Quid tunc? an eas amiſit? minimè: ſed potiùs ſexcenta Iſraelitarum millia exceptis parvulis, & mulieribus, ei in oves factæ; & ipſe eorum dux, & paſtor. Sylv. in Luc. 4. c. 22. q. 2.

Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus; ſed multa bona habebimus. Tob. 4. 23. Quàm multa? omnia. Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit patrimonium tuum. Habebimus, inquis, quando hæc erunt? non habemus, ſed habebimus; interim contabeſco. Futurum eſt; ſed eſt omninò futurum: modicum, & cœlum patet. Verùm animalis homo, quidquid ventrem non ſaginat, ſpernit. Habebimus, ſed regnum eſt, ſed cœlum eſt, ſed Deus eſt. Sed nota: *multa bona habebimus; ſi timuerimus Deum*. Audin? non ſat eſt inopia, ut bonis potiare; timor Domini coronam fabricat. Oliva l. 5. Strom. §. *tollite timere puſillus grex*. Luc. 12. 32.

Non confundas me ab expectatione mea. Pſal. 118. 116. Scio, quia non confundes me ab expectatione mea: quia jam *ſubſtantia mea apud te eſt*. Pleniore tamen fiducia, quia tutiore conſcientia, Dominum expectare poteſt; cui dicere datum eſt, ſubſtantia poſſeſſiunculæ meæ, ò Domine, apud te eſt: quia facultates meas, vel tibi erogando, vel pro te contemnendo, in cœlis theſaurizavi, & ad pedes tuos omnia mea depoſui, ſciens; quia potens es depoſitum meum non modò ſervare, ſed etiam in centuplum reſtituere, & vitam æternam adjicere. Quàm beati vos pauperes ſpiritu! qui juxta conſilium admirabilis conſiliarii, theſaurizaſtis vobis theſauros in cœlo: nè, ſi in terra theſauri veſtri remanerent, corda quoque veſtra pariter putreſcerent. *Ubi enim theſaurus tuus &c.* Matth. 6. 21. Guarricus Abb. ſerm. de Advent. D.

Ficus non florebit. Habac. 3. 17. *ego autem in Domino gaudeo* verſ. 18. *Super excelſa mea deducet me victor*. verſ. 19. Ecce tibi media in jactura omnium bonorum: nihil dolet juſtus homo, nullam triſtitiæ vocem promit; quin gaudet, ob gaudia ventura. Sanct. Cyprianus ad Demetriadem: vinea licèt fallat, & olea decipiat, & herbis ſiccitate morientibus æſtuans corpus areſcat; quid hoc ad Chriſtianos? quid ad Dei ſervos, quos paradiſus invitat; quos gratia omnis, & copia regni cœleſtis expectat? exultant ſemper in Domino, & mala, atque adverſa, Mundi fortiter tolerant; dum bona & proſpera futura proſpectant. Baeza tom. 3. lib. 14. cap. 3. §. 19.

Ex Novo.

Illi autem ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum. Matth. 4. 22. Nota: quantum recipiat homo pro illis, quæ Dei cauſa dimittit. Petrus navem reliquit; cujus loco tabernacula totius Eccleſia ſuſcepit, Joannes Patrem: pro quo S. Mariam in matrem accepit. Sylv. hic.

Martha ergo, ut audivit, quia Jeſus venit, occurrit illi. Joan. 11. 20. Dimittit Martha domum, dimittit ſororem, dimittit conſanguineos, & amicos; dimittit, qui humana venerat præſtare ſolamina; & inconſulta venit, cùm ſuperiorem potentiam, & virtutem advenire cognovit. Dimittuntur bona, cùm meliora proveniunt: & ima pro ſummis, terrena pro cœleſtibus, humana pro divinis dimittere, ratio ſic ſana docet. Sim. Caſſ. l. 5. c. 15.

Divitibus hujus Sæculi præcipe. 1. Tim. 6. 17. Sanct. Auguſt. ſ. 25. de temp. *præcipe* &c. quia ſunt divites alterius ſæculi pauperes.

Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis. Hebr. 10. 34. Vellera ſine læſione tolluntur ab ovibus: ſic temporalia à viris ſanctis ſine omni dolore, & triſtitia tolluntur. Hug. Card. in Gen. 38.

Petrus unam domum reliquerat; nunc ubique terrarum erecta ſunt templa in nomine ejus; quæ ſunt claræ domus. Theophyl. apud Did. Nyſs. vit. Abr. l. 6. c. 7.

Ex Patribus.

Venenum charitatis eſt ſpes adipiſcendarum, aut detinendarum rerum temporalium: augmentum ejus, eſt cupiditatis diminutio; perfectio verò, nulla cupiditas. S. Auguſt. q. l. 83. q. 36.

Non eſt ille tibi ablatus, qui dedit; quamvis tibi ablatum fuerit, quod dedit. S. Aug. in Pſ. 32.

Libenter terrena amittamus, cœleſtia tueamur. Totum licèt ſæculum pereat; dum patientiam lucri faciam. Tertull. l. de pat.

Meliùs eſt, rem familiarem minui, quàm ſalutem animæ perire. Meliùs eſt amittere, quod, velimus, nolimus, aliquando periturum eſt. Meliùs eſt, ſponte dimittere; quàm id amittere, pro quo omnia dimittenda ſunt. Sanct. Hieron. ep. 11.

Dei amator mercator eſt optimus, fœnerator egregius: dat, quod non poteſt retinere, ut recipiat, quod non poteſt amittere: dat modicum, ut recipiat centuplum: dat temporalem poſſeſſionem, ut recipiat hæreditatem æternam. S. Laur. Juſt. de char. c. 11.

§. XVI.

Paupertatem ferendi alia motiva, & ſolatia.

Ex Veteri, & Novo.

Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem. Gen. 28. 20. Ante Chriſti adventum major Dei cultus pendebat ex ariſtis: ſi ſpica creverat, litabant alacriùs. Bacchus, & Ceres, victimis militabant: quot manipuli tot hoſtiæ Melchiſedech Jacob eſt: non cùm defert; ſed cùm recipit panem, & vinum. Ut pietatem intelligas Iſraelis, noli templum ſubire: horreum adi; quantum tritici illatum in domum, tantum thuris adolebitur in altari. At quàm ſanctiora Chriſtianorum vota in Eccleſia; ſunt quorum vox non injucunda, nec rara eſt: ſi non dederit mihi panem, erit mihi Dominus in Deum. Franciſcus Benedictus, Ignatius, Deum amabant ardentiùs, cùm arctum panem, & aquam brevem, illis Dominus dabat. Oliva lib. 3. Strom. §. ſi fuerit Deus mecum &c.

Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem. Joſ. 13. 14. Videtur; quòd Moyſes erga Levitas parum affectus. Sed favit, dum non dedit; reliquis abundè largitus: quia ſæpè beneficium, non dare. S. Greg. in Gloſſa: miſericordia Dei hæreditas terrena nobis ſublata eſt, ut hæreditatem quæramus in cœlis. Nax. in Joſ. 13. §. 9.

Factus eſt Dominus refugium pauperi. Pſal. 9. 10. Pauper ille Dei

Dei est, qui, terrena cupiditate vacuus, cœlesti desiderat largitate ditescere. Cassiod. hic.

Si quæsteris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam. Prov. 2. 4. Qui thesauros effodit, ejicit rudus terrestre; facit in altum foveam, donec thesauros attingat. Et qui thesauros sapientiæ invenire desiderat, quidquid sibi terrenum inesse deprehenderit, expurget. V. Beda hic.

Angelus Domini - excussit flammam ignis &c. Daniel. 3. 49. Qui paupertatem cum gratiarum actione suscipiunt, pueris illis tribus similes sunt: qui in ignis fornacem regis imperio missi fuerunt. Sicut pueros illos non incendit ignis, sed dissolvit eorum vincula; sic eorum, qui in paupertate gratias agunt, solvuntur vincula peccatorum, & non incenduntur avaritiæ igne. Nam & illis in igne ros illapsus est, & pauperibus divinæ consolationis ros immittitur. Sanct. Laur. Just. de paupert. c. 3.

Et uni dedit quinque talenta. Matth. 25. 15. Sanct. Greg. hom. 9. in Evangel. nullus est, qui veraciter dicat, talentum minimè accepi; non est, unde rationes ponere cogar: talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quòd vel minimum accepit.

Ex Patribus, & aliis.

Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat: neque enim cum vestimentis nascimur; nec cum auro, argentoque, generamur. Nudos fudit in lucem; egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra, quos edidit. S. Ambr. de Nabuthe Israelita c. 1.

Quid mœres propter pauperiem? quid ploras, cùm festum diem habeas? quid lamentaris, cùm solemnia ducas? solemnis quippè dies, & festus, prudenti pauperies est. S. Chrysostom. hom. 81. in c. 26. Matth.

Paupertas securum præsidium, æreis muris, & expugnatu difficile. S. Chrysost. hom. 13. in Act.

Magna possessio paupertas sapienter illam ferentibus; thesaurus, qui nequeat auferri; baculus firmissimus, inculpabilis possessio, diversorium ab insidiis tutum. Validum telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcussa. Id. hom. 2. ad pop. Antioc.

§. XVII.

Paupertas spiritus.

Beati pauperes spiritu. Matth. 5. 3.

QUæres: cur Christus inter beatitudines Evangelicas primum locum assignet paupertati spiritu? R. quia hæc paupertas evertit cupiditatem, quæ est *radix* omnis *peccati*: 1. Tim. 6. 10. Corn. hic.

Miseri superbi omnes tumido spiritu: beati autem pauperes spiritu; quia sic mendicando grandem eleemosynam, id est, regnum cælorum de manu Regis consequentur. S. Rupertus in Volumen quatuor Evangelior. c. 18.

Hoc est: ità securi pauperes esse debent de gaudio cœli, sicut sunt de una re, quàm terrent manibus. S. Edmundus Speculo Ecclesiæ c. 16.

Pauperes spiritu sunt, qui reliquerunt omnia, quæ habebant voluntate spirituali, & hujusmodi inopia gaudent, timentes sibi non à penuria; sed à sufficientia rerum. Cajetanus hic.

Sancti Patres veteris testamenti pauperes fuerunt terrenis. Non enim afficiebantur possessis; sed alto animo nihili pendebant ea; ut, etiam omnibus perditis, mansissent inconturbati. Et hæc est paupertas spiritus. Abel pauper fuit spiritu: & quamquam sibi aliqua animalia vendicasset; Deo tamen potiora offerebat. Magnus in paupertate Noè; qui per centum annos semetipsum, & suas impensas, dedit in ratem. Abraham locuples fuit, & extitit pauper spiritu, & peregrinus in terra: qui si libens ad sacrificium obtulit, pro quo paterna hæreditas congregatur; ipsam hæreditatem jubente Domino libentius obtulisset. S. Bernardinus tr. de octo beat. s. 2.

Humilitas.

Quæris à me, quid esse pauperem spiritu? Omnis inflatus non est pauper spiritu. Ergo humilis pauper est spiritu. Aug. s. 14. in festo OO. SS.

Ego autem mendicus sum, egenus, & pauper. Ps. 39. 18. Ego autem non dives, quia non superbus. S. Aug hic.

Primam beatitudinem Hieron. August. Chrysostom. exponunt de humilitate, ut sit sensus: *beati pauperes spiritu*, idest, humiles corde; qui non inflantur, non magna de seipsis præsumunt; nec aliquid boni sibi, sed totum Deo attribuunt. Dion. Carthus. hic.

Rectè hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles, & timentes Deum; idest, non habentes; inflatum Spiritum. S. August. l. de serm. D.

De eadem paupertate spiritus varia.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Psalm. 61. 11. Pauper est, qui, quantumvis affluant divitiæ, cor non apponit. Dives, qui divitiis nudus conatibus anxiis quærit. In pannoso, & attrito, habitu pestifera aliquando gliscit cupiditas; in purpura degit non semel vera paupertas. Seneca lib. de paupert. quemadmodum nihil refert, utrùm ægrum in lecto ligneo, aut in aureo colloces: quocumque illum transtuleris, morbum suum secum affert; sic nihil refert, utrùm æger animus in divitiis, vel in paupertate sit. Nax. in Jos. 15. §. 27.

Relictis retibus &c. Matth. 4. 20. Quid uterque dimisit piscator, qui pene nihil habuit. Sed pensare debemus; quia multum reliquit, qui desideria habendi recusavit. V. Beda hic. Nihil spiritu pauper cum dolore animi perdit; quia nihil cum amore possedit. Odium ad auferentem, tristitiam de amissis, sustinere non potest; quià quod non diligebat; imò quòd animo contemnebat, amisit. Simon Cass. lib. 10. cap. 4.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19. 27. Omnia reliquerunt. Omnia sanè dixerim: non tantùm possessiones, sed etiam, cupiditates, & eas maximè: plus enim concupiscentia Mundi, quàm substantia nocet. S. Bern. s. de verbis Petri. Age, qui relinquere universa disponis; te quoque inter relinquenda numerare memento. Id. ib.

Non relinquit omnia, qui retinuit vel seipsum; immò verò nihil prodest sine seipso cætera reliquisse: quandoquidem nullum aliud onus est gravius homini, quàm homo ipse. Quis enim tyrannus crudelior, quæ sævior potestas homini, quàm hominis ipsius voluntas? sola diligitur, cùm sola digna sit odio, principium iniquitatis, mortis infusio, destructio magna virtutum. B. Petr. Damian. serm. de Sanct. Benedicto.

Plures re pauperes; divites verò, ac avari sunt animo, quos non egestas servat, sed animus condemnat. Non enim qui omninò eget, beatus; sed qui omnibus orbis thesauris Dei mandatum præfert, ac potiùs existimat. Sanct. Basilius in Psal. 33.

Quid eis prodest, qui facultates suas abjiciunt, qui voluntates proprias non relinquunt? cùm sit longè præstantiùs voluntatibus propriis abrenuntiare, quàm rebus. S. Prosper l. 2. de Sacerdotibus c. 17.

§. XVIII.

Paupertas ex usu, bona, vel mala.

MEndicitatem, & divitias, nè dederis mihi. Prov. 30. 8. Sanct. Bern. s. 6. de jejunio: nimirum quia utrobique laqueus, utrobique periculum. Id. s. 2. varior: nè fortè aut divitiæ attollerent in superbiam; aut paupertas dejiceret in impatientiam.

Propter inopiam multi deliquerunt, &, qui quærit locupletari, avertit oculum suum. Eccl. 27. 1. q. d. duo sunt scopuli in mari hujus sæculi, ad quorum alterutrum communiter impingunt homines, ruuntque in peccatum: scilicet opes, & inopia. Quare id prævidens Salomon obsecrat: *mendicitatem* &c. Corn. hic.

Utiliùs terrena opulentia tenetur humiliter, quàm superbè relinquitur. S. Aug. ep. 34.

Parum tibi sit, renuntiare divitiis, nisi renuntietur & vitiis: quia minùs periculosum est, esse divitem Christi, quàm pauperem Anti-Christi. Petr. Bles. ep. 137.

TITULUS XII.

PAX.

§. I.

In Genere.

FActus est in pace locus ejus. Ps. 75. 3. S. Hieron. hic. Locus Dei non est nisi in anima, quæ pacem habet. Quæ ergo anima non habet pacem, sciat, se non esse locum Dei. Ubi pax, ibi Deum: nam *in pace factus &c.* Petr. Bles. ep. 138.

Qui posuit fines tuos pacem. Ps. 147. 3. Tunc enim erit perfecta pax, quando voluntas requiescit in plenitudine omnis boni. S. Th. Aq. in c. 1. ep. ad Rom. lect. 4.

Revertere, revertere Sulamitis. Cant. 6. 12. Sulamitis idem est, quod Jerusalemitis, ait Pagninus, & Vatablus. Jerusalem enim olim dicta est *Salem*. Unde Sulamitis idem est, quod *civis Salem*, sive Jerusalem. Hoc est mysticè: *habitas in pace*. Corn. hic.

In terra pax hominibus. Luc. 2. 14. Nomine pacis intelligitur omne bonum: ac proinde pax hominibus, hoc est, omnis felicitas, omne bonum hominibus. Sylv. hic.

Plus

Plus togæ læsere Rempublicam, quàm loricæ. Tertull. l. de pallio circa finem.

Pax corporis, est ordinata temperatura partium: pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum: pax animæ rationalis, ordinata cognitionis, actionisque consensio: pax corporis, & animæ, ordinata vita, & salus animantis: pax hominis mortalis, & Dei immortalis, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax cœlestis civitatis, ordinatissima, & concordissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. S. August. de Civ. l. 19. c. 13.

Custodienda præ omnibus virtutibus pax est: quoniam Deus semper in pace est. S. Chrysol. s. 53.

Inter omnia bona creata, tam temporalia, quàm æterna, pax obtinet principatum; sine qua nulla potest esse vita beata, & qua perfectè habita beata est anima. Unde Augustinus ait: quòd nil est aliud vita beata, quàm pax æterna. Tantum est bonum pacis, quòd eam Dominus commendaverit nascendo, prædicando, moriendo, & resurgendo. S. Bonav. s. 33.

§. II.

Pax cum Deo.

Num. I.

Bellum cum vitiis.

NOmen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi. Ps. 9. 6. Non transit ad summam pacem, ubi summum silentium est, nisi qui magno strepitu priùs cum suis vitiis belligeraverit. S. Aug. hic.

Factus est in pace locus ejus. Psal. 75. 3. Ille pacem probatur habere cum Deo, qui adversum mandata ejus contraria voluntate non litigat; qui sequitur jussa Dominantis, & ad omne præceptum divinum, suum flectit arbitrium. Pax enim vera est, concordjam habere cum moribus, & litigare cum vitiis. Cassiod. hic.

Justitia, & pax, osculatæ sunt. Ps. 84. 11. S. August. hic: fac justitiam, & habebis pacem; ut osculentur se justitia, & pax. Si non amaveris justitiam, pacem non habebis. - Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Tu quare litigas cum justitia? ecce justitia dicit tibi: nè fureris, & non audis: nè adultereris, & non vis audire: inimicus es amicæ meæ. Dicit tibi pax: quid me quæris? amica sum justitiæ: quemcumqne invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedò. Sylv. in Apoc. 1. 4.

Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Joan. 20. 20. Cùm Discipulos pace donat, ostendit eis vulnera belli, quibus acquisita pax: q. d. pacem offero vobis; sed quæ effuso sanguine, diris vulneribus comparata. Monemur: Spiritus nostri pacem bellorum incommodis acquirendam. Escob. t. 3. Coll. Chr. l. 9. sect. 1. obs. 6.

De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. Apoc. 1. 16. Cur Christo gladius in ore, in quo semper pax? Luc. 24. 36. *Pax vobis.* Joan. 20. 21. Joan. 14. 27. Posset hic dici cum Jer. 4. 10. *heu! Domine Deus! ergone decepisti populum tuum dicens: pax erit vobis, & ecce pervenit gladius usque ad animam.* Pax quæ à Deo venit, non inermis est; sed bellicosa debellans peccata. S. Hieron. in citatum Jer. nisi gladius præcesserit, qui desecet vitia; pax non sequitur. Sylv. hic.

Num. II.

Varia de pace cum Deo.

Iniquè non egimus in testamento tuo. Psal. 43. 18. Testamentum Christi, quòd fecit ante mortem suam, est pax inter Deum, & hominem; secundùm quod dicit Joan. 14. 27. *pacem relinquo vobis.* Eccl. 45. 30. *statuit illi testamentum pacis.* Adhoc autem, quòd fiat pax inter aliquos, oportet, quòd uterque flectatur in aliquo à suo proposito. Similiter in pace facienda inter Deum, & hominem, Deus flectitur à sua justitia per misericordiam: & homo quasi ei assurgit, & occurrit, per pœnitentiam. Hugo Card. hic.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Vox Ecclesiæ hæc est, venientis ad Christum in osculo; offensam, quam apud Deum homines peccando contraxerant, resolvi cupientis: & pacem, in qua dum essemus Deo Patri inimici, per ipsum Filium ejus reconciliamur, invenire desiderantis. S. Justus Orgelit. hic.

Vade in pacem. Luc. 7. 50. Consolatorium verbum est; securitatemque tenet ab hostibus celebrata pax. Sim. Cass. l. 9. cap. 29.

Dixit eis: pax vobis. Et cùm hoc dixisset &c. Joan. 20. 20. Manifestè hic illa de pace agitur, quæ est remissio peccatorum: quod primum, & maximum est Spiritus S. donum. S. Rup. l. 14. hic.

Quid est autem dilectissimi, pacem habere ad Deum; nisi vel-le, quod jubet, & nolle, quod prohibet? Sanct. Leo s. 6. in Nat. D.

Nulla nobis utilitas, si cum omnibus pax; cum Deo autem bellum nobis sit. S. Chrysost. hom. 1. in 1. Cor. 1.

§. III.

Pax cum proximo.

CUm his, qui oderunt pacem &c. Ps. 119. 7. Non est omnimodæ pacis signum, aut virtus, cum pacificis; sed cum inimicis pacis esse pacificum, laudabile, atque virtuosum est. Sim. Cass. l. 10. c. 10.

Lauda Jerusalem Dominum. Ps. 147. 1. Cùm Spiritus S. illam cœlestem Jerusalem, idest, congregationem omnium Sanctorum, quæ cùm Christo est regnatura, ad laudandum Dominum provocaret, cum dixisset: *lauda Jerusalem Dominum*, addit: *qui posuit fines tuos pacem.* Ergò, ut ipsi videtis. Beatus David, licèt virtutibus multis fuerit exornatus; nulla tamen actio eum familiarius Deo conjunxit, quam dilectio inimicorum suorum. S. Aug. s. 2. D. 3.

Utinam attendisset mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua. Is. 48. 18. Quid flumini cum pace? multum. Percutiatur aqua baculo, vel gladio; injiciantur saxa: dividetur quidem aqua; mox tamen iterum coibit, sine ullo vulneris signo. *Utinam attendisses mandata mea*: nam ubi observatio est legis divinæ, hic vindicari non solent injuriæ. Drexel. Opusc. 8. Joseph. c. 16. §. 3.

Beati pacifici &c. Matth. 5. 9. Cur in prœmium datur pacificis, quòd *filii Dei* vocentur? S. Cyprianus lib. de unit. Eccl. Christus omnia dona suæ pollicitationis, & prœmia, in pacis conservatione promittit. Si hæredes Christi sumus, in Christi pace maneamus. Si pacificis promittitur nomen filii Dei, promittitur etiam jus ad bona Paterna. Pauperibus, mitibus, & aliis virtutibus, promittitur unum, vel alterum prœmium; at pacificis omnia bona Paterna dantur. Sylveira hic q. 28.

Facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die. Luc. 23. 12. Decebat enim eum, qui Mundum erat pacificaturus, ut priùs etiam ipsos judices suos pacificaret. S. Cyrill. Jerosol. Catec. 13.

Pax vobis! ego sum. Luc. 24. 36. q. d. Spiritus malignus non affert pacem, sed inimicitias, & fugit pacem. S. Vinc. Ferr. s. 3. Pasch.

Pacem relinquo vobis. Joan. 14. 27. ultimum vale dicit Dominus Discipulis charissimis. Nam Judæi accedentes, & discedentes, pacem amicis precabatur. Eluthym. *pacem*, &c. ut pacifici erga vos mutuò sitis, & erga me. Barradius D. Pentec. t. 4. l. 4. c. 5.

Non quomodo Mundus dat. ib. Quia impii pacem precantur sine ullis doloribus: Christus dat pacem cum his conjunctam. S. August. s. 166. de temp. *pacem nobis Christus dedit; concordes*, atque unanimes esse præcepit: hanc suis hæreditatem dedit. Id. ib.

O chara pax! dulcis & res, & appellatio! o chara pax! quæ bonum es, ab omnibus quidem laudatum; sed quòd pauci custodiunt. Qui, quæso, tanto jam tempore nos deseruisti? quando ad nos reditura es? S. Greg. Naz. or. 10. de pace 3.

Suavitas est quies mentis, quæ pacem sequitur: est quasi quietis æternæ, & suavitatis pars, & initium. S. Albertus M. parad. an. c. 13.

Tantum est pacis salutiferæ bonum; ut pro ejus adoptione, neque mundanus honor, neque status, neque gradus, neque propria utilitas, ab ea debeant aliquem deterrere. Ecce quanta sustinuit opprobria summus Pontifex Christus, ut faceret utraque unum; reconcilians in suo sanguine ea, quæ in cælo sunt, & in terra: factus *opprobrium hominum, & abjectio plebis*; & non dicens: servetur honor meus. Joan. Gers. Consid. 4. de pace.

§. IV.

Pacem facientes.

BEati pacifici. Matth. 5. 9. Græcus, & Syrus: *Beati pacem facientes.* S. Hieronym. beati pacifici; qui primò in corde suo, deinde inter fratres dissidentes, pacem faciunt: quid enim prodest? alios per te pacari; cùm in tuo animo sint bella vitiorum. Sylveira hic.

TITULUS XIII.

PECCATOR.

§. I.

Miseriæ illius.

Num. I.

Descendite à Jerusalem.

Incidit in latrones. Luc. 16. 30. Utinam Domine Jesu ad me misericordia motus digneris accedere; qui descendens ab Jerusalem in Jerico; proruens scilicet de summis ad infima, de vitalibus ad infirma, in Angelos tenebrarum incidi: qui non solùm gratiæ spiritualis mihi vestimentum abstulerunt; sed etiam plagis impositis semivivum reliquerunt. Utinam peccatorum meorum vulnera, data mihi recuperandæ salutis fiducia, alliges; nè dereriùs sæviant, si sanari desperent. Utinam oleum mihi remissionis adhibeas, & vinum compunctionis infundas. S. Greg. Naz. in Psal. 50. Descensus ab Jerusalem aversio est à pace, à virtute, à quiete. Malè sibi providet, & ad gehennam separat, qui à pace fecit abscessum. Sim. Cass. l. 6. c. 10.

Quid tibi displicuit, ò descendens, in domo virtutum; ut ab ipsa descenderes, aut egredereris portas pulchritudinis ejus? Displicuit tibi situs? fundata est in montibus sanctis, in altitudine divinorum bonorum. Displicuit tibi habitatio? an in ipsa existens varios ex defectu parietum timebas incursus? *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.* Psal. 124. 1. An displicuit regalis authoritas? expedit tibi anima, ut regaris; sed pacificæ civitatis Rex pacificus est. An non placebant tibi Prophetæ? cautum te faciebant; ut pavidus, atque paratus, divinum expectares adventum. An Sacerdotes tibi faciebant discrimen? nonne Sacramentis sanabant putrida tua? & orationibus, atque sacrificiis, pro te interpellabant ad Dominum? An Prædicatorum declamatio tuis tædium inferebat? sed hoc debebat tibi esse ad gaudium: quia dabant Creatoris notitiam, Redemptoris amorem. An tibi odio erat templum? locus est orationis, & reconciliationis ad Deum. An tibi displicebat propitiatorium? Christum; qui est vera charitas, & propitiatio pro peccatis, non oportebat dimittere. Quid est in domo pacis, in domo virtutum, in Ecclesia Dei, quod tibi displiceat? qualis est, cui displicet visio pacis? &c. Sim. Cass. l. 8. c. 38. vide locum fusissimè desuper.

Incidit in latrones. ib. Latro dicitur, qui aufert invito domino alienum. Hoc omnis peccator facit pro eo, quòd jure creationis omnis homo, velut omnis creatura alia est Dei. Peccantes omnipotenti Deo, nosipsos latrocinamur, atque furamur. Nec non jure redemptionis factæ per sanguinem sibi vendicat nos Salvator, ut vita nostra referatur ad eum. Cùm igitur peccando ab eo avertimur, ad creaturam convertimur; quid aliud facimus, quàm nos ipsos more latronum rapimus ipso invito. Id. ib.

Et plagis impositis. ib. Pessima fit plaga peccati, quæ consuetudine longa infecit, &c. Id. ib.

Proponitur hic multiplex peccatorum miseria. Privant cœlesti gloria: *descendebant ab Jerusalem. Incidit in latrones*; potestatem dæmonum: bonis gratuitis expoliant; vulnera inferunt, quibus integritas humanæ naturæ violatur. Samaritanus Christus: iter ejus Incarnatio: jumentum caro ejus. S. Thom. Aqu. Dom. 13. Pentec.

Num. II.

Peccator est filius prodigus. Luc. 15.

Pro Deo idola colens naturæ bona universa consumpsit: & consumptis omnibus, cœpit egere virtutibus, derelicto fonte virtutum. *Facta est fames valida* per regionem illam. Omnis locus, quem Patre absente incolimus, famis, penuriæ, & egestatis est. S. Hier. ep. 46. ad Damasum de filio prodigo.

Peregrini sumus, quamdiu in hoc Mundo sumus; nam in hoc Mundo est proprietas hominum peccatorum; sed exilium est Sanctorum. Nam mali sunt hic tamquam in propria patria; sed boni sunt tamquam in patria aliena. Hinc Cain *ædificavit* sibi *civitatem*. Gen. 4. 17. Abel verò, quia filius Dei, & peregrinus nullam. S. Bonav. s. 69.

Porci ipsi maligni spiritus sunt: quia in fœtore, & vitiorum stercore, delectantur. Hos autem porcos illi pascunt, qui eorum voluntati obediunt, eorumque desideria complent. Superbia, luxuria, avaritia, & similia, siliquæ sunt; quibus maligni spiritus nutriuntur. His autem ventrem suum peccatores implere cupiunt: quia præ nimio peccandi desiderio his satiari non possunt. Quantò enim ampliùs peccant, tantò ampliùs peccare desiderant. S. Euseb. Emiss. Sabb. Dom. 2. Quadrag.

Surgam, & ibo &c. Profectò se cecidisse cognoverat, qui surrectioni se aptat: & remotum abscessum cognoscit, qui reditum parat. Sub impio tyranno tabuerat, qui redebat ad patrem. Sim. Cass. l. 6. c. 16.

Et surgens venit ad patrem. Duos perniciosos recessus se fecisse cognoverat, duosque reditus fecit. A se recesserat; proinde *in se reversus* optima quæque deliberat. Nec non à patre, cùm ivit *in regionem longinquam*; de qua nunc surgens venit ad patrem. Id. ib.

Et peregrè profectus est. Ecce habes alium malè peregrè. Ille recessit à Jerusalem; iste discessit à patre: ille Jericho; iste regionem longinquam. Sed ò malè peregre fili; quare recessisti a patre? O anima deprayata; quare te elongasti à Deo; Jer. 2. 5. *quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis?* Quid iniquitatis habet altissimus? cùm nemo sit bonus, nisi solus Deus. Estne invidus? neque æqualem, neque superiorem habet. Estne avarus, aut parcus? omnia possidet; & nihil sibi minuitur, cùm largitur. Estne iracundus? nullæ passiones Deitatem attingunt. Dicent fortè: punit, flagellat. Et hoc; ut non discedas ab eo; aut si recessisti, redeas ad eum: sine quo tibi numquam, & nusquam tibi benè; semper, & ubique tibi malè succedit. Id. l. 8. c. 40.

Causam recessus non dedit omnipotens; nos adinvenimus deviationis causam. Non cogit recedere, qui funiculis amoris omnes ad se trahit. Nemini dixit, de domo subtrahe pedem; satiatus sum, odi te. Nemini scandalum displicentiæ præparavit: tua fuit adventio, ut abires in regionem longinquam. Id. ib.

Ubi est triticum, & vinum? Thren. 2. 12. Notandum: quòd parvulus, & lactens, ipsi sunt adolescentior filius, generosæ nobilitatis indoles; sed sua pervagatione, & consumptione rerum, inops. Unde norunt, quibus in domo patris usi sint cibis. Non enim ajunt: ubi est hordeum, vel siliquę, vel talia hujusmodi, quæ famelici gratanter accipiunt; sed *ubi est triticum, & vinum?* Alioquin, si cum patre essent, aut ad patrem redirent, animas fame non exhalarent. Sanct. Paschasius hic.

Aptissimè ad scopum parabolæ, & intentionis Christi. S. Hieronym. ep. ad Damas. Titus, Bostrens. Euthym. Theophylactus, &c. docent: quòd duo illi filii significent justos, & peccatores, sive Gentiles, sive Judæos. Senior notat justos, junior peccatores. Sylveira in Luc. 15. cap. 27. de filio prodigo qu. 1.

Prodigus non dixit omnia reversus ad patrem, quæ decreverat dicere: nam ultima verba, *fac me sicut unum de mercenariis* tacet. S. August. cùm enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat: quod post osculum patris generosissimè jam dedignatur. Escob. tom. 6. Par. Chr. l. 12. sect. 3. §. 2.

Num. III.

Peccatoris alia figura, & exempla.

Adam ubi es. Gen. 3. 9. Velut latenti, & celanti se à divinitate, Adæ dicitur hoc: non quòd Adam conspectum Domini latere potuerit; sed quod peccatrici conscientiæ nullus locus tutus, vel certus sit; dum metuit deprehendi. S. Maximus hom. 3. de pœnit. Petri.

Egressusque Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden. Gen. 4. 16. Non te allicuit Oriens lucis suæ suavior: peccanti enim, exulantique à Deo, nox paratur in luce, occasus in Oriente. Nusquam enim non miser, qui à Dei vultu abit. Filium prodigum respice à patre fugientem ad siliquas: Synagogam intuere, quæ Christi obluctata Evangelio catenis, & gladiis perit. Convivas contemplare. Luc. 14. 19. quibus cum cœna regis invisa esset, bonum quinque juga imposita sunt. Oliva l. 2. Strom. §. Et aliud cecidit inter spinas. Luc. 8. Cumque invenisset eam Angelus in solitudine. Gen. 16. 7. Fugit è domo Abrahæ contumax Agar. At quò evasit? in Carmelum? aut ad Jordanis ripas? Nihil elici commodius ab Angelo potuit, quo Agar ad saniorem frugem reduceret: *unde venis? & quò vadis?* Id. ib.

Ut iret cum eis in Tharsis à facie Domini. Joan. 1. 3. Vitaturus Dei faciem Jonas naulum dedit, & cum Ethnicis navigavit.

Quò vadis infelix? *à facie Domini*. Non hoc rogavi: quo recedas? quæro; non unde? Et quia metam à Deo fugiens non cogitas, monebo te. Naulum primò solves; nè vel ipsa calamitas te gratis elidat. Exhausta arca exhaurietur, & navis: eris piacularis hostia in periculo naufragii: projicieris in mare, haurieris à ceto. En quò evasurus sis à Deo profugus. Noluisti frumento abundare, spinis obrueris: lac noluisti; amarum bibes: ubera noluisti; verbera senties. Idem, ibidem.

Abiit unus de duodecim. Matth. 26. 14. Judas infelix verè abiit, Apostolatum suum dimisit, Episcopatum suum alteri reliquit; *abiit in consilio impiorum*: abiit à Deo, stetit cum diabolo. S. Rup. l. 10.

Et egressus inde Jesus; secessit in partes Tyri, & Sidonis. Matth. 15. 21. Existimandum est; quemque nostrum, ubi peccat, in finibus esse Tyri, ac Sidonis, sive Pharaonis, sive Ægypti, aut alterius cujuspiam; qui sit extra Dei distributionem. Rursus, ubi mutatur à malitia ad virtutem, egreditur à vitiorum finibus; venit autem in fines partis Dei. Orig. p. 2. in c. 13. Matth.

Tunc Discipuli omnes relicto eo fugerunt. Matth. 26. 56. Sim. Cass. hìc: quia reliquerunt, fugerunt: quia relinquens Deum relinquit securitatem; ideo agitur in timorem; ideo fugit, & relinquens vitam fugit in mortem. Relinquit dulcedinem, & intrat in amaritudinem; relinquit fidum amicum, & invenit hostem.

Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos. Luc. 15. 5. Portatur in humeris, quia ipsa non poterat ambulare. Tertull. multùm enim errando laboraverat. Escob. tom. 6. Par. Chr. l. 11. p. altera sect. 5. obs. 4.

Num. IV.

Textus Biblici.

Et ascendebat. 1. Reg. 1. 3. Tota vita justorum est ascensus: è contrario tota vita impiorum descensus. Hugo Cardinal. hìc.

Via impiorum tenebrosa; nesciunt, ubi corruant. Prov. 4. 19. Tenebrosa dicitur propter ignorantiam. Jer. 23. 12. *via eorum erit quasi lubricum in tenebris.* De utrobique Ps. 34. 6. *fiat via illorum tenebra, & lubricum.* Propter immunditiam lapidosa. Eccl. 21. 11. *via peccantium complanata est lapidibus.* S. Bonav. in Ps. 118.

Percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum. Cantic. 5. 7. Non multò post in Dilectum ostendit, & fortiter adeò charitatis brachiis adstrinxit, ut separari non velit. Cant. 3. 4. *tenui eum, nec dimittam &c.* Cur, quæ sponsum adeò arctè tenet, ut eo spoliari nequeat, pallium sixè adeò non tenuit, ut nudari nequiverit? O digna sponsæ cœlestis studia! vulnerari, spoliari, contemni: hoc solum timet; nè à sponso vel tantillum separetur. Naxera in Jos. 17. §. 12.

Ambulavimus vias difficiles. Sap. 5. 7. Mali Christiani lassati sunt triplici via ambulantes: alii quidem viam montuosam vadunt, ut superbi, & ambitiosi: alii viam lapidosam, ut avari, & contentiosi: alii viam lutuosam, ut gulosi, & luxuriosi. Hugo Card. hìc.

Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te. Eccl. 21. 2. S. Chrysost. hom. 8. in ep. ad Rom. Notat Tò *si accesseris*. Non enim, inquit, peccatum ad nos accedit; verùm nos ad illud confugimus. Cornel. hìc.

Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Jer. 21. 8. Tropol. via vitæ, est studium virtutis, & legis Dei: via mortis est peccatum, ac legis, & voluntatis Dei, prævaricatio. Utramque Concionatores sæpe populo ob oculos ponant: ut, cùm multi sint vocati, pauci electi; cumque multi ingrediantur viam mortis, pauci viam vitæ. Quisque amans salutis suæ satagat cum paucis fugere de incendio Sodomæ, & salvare animam suam; ut per viam vitæ ad vitam æternam evadat. Corn. hìc.

Sententiæ Patrum.

Tantò magis quisque deserit Christum, quantò magis diligit, quod improbat Christus. Sanct. August. de Civ. l. 21. cap. 27.

Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. Id. l. 14. 12. de Trinit.

Hinc maximè commendatur, quale bonum sit Deus; quando nulli ab eo recedenti bene est: quia & qui gaudent in mortiferis voluptatibus, esse sine dolorum timore possunt, &c. Id. de Gen. ad lit. l. 11. c. 5.

Quomodo fuga fit à Deo? quemadmodum potest esse, ut procul quis sit ab eo? quomodo fit divisio? voluntate, & animo: loco quippe fieri nequit! Peccator ergo fugit. - Quò fugis miser? quo fugis vitam, & salutem tuam? si Deum fugis, ad quem fugies? si lucem fugis, quò respicies? Si vitam fugis, unde postea vives. Sanct. Chrysostom. s. 11. in c. 1. ad Philippenses.

Peccatum, & iniquitas, non ascendit sursum? sed semper ad ima, & inferna descendit. Origen. homil. 12. super Numeros.

Profectus in regionem longinquam uni civium legitur adhæsisse: quem ego non alium, quàm unum ex malignis spiritibus intelligendum puto. S. Bernardus s. 8. de div. affection. animæ.

§. III.

Peccator est cœcus.

Num. I.

Figuræ.

In tenebrosis collocavit me. Thren. 3. 6. Moraliter anima amisso lumine collocata in tenebris, quasi mortua in sempiternum: nec seipsam, qualis sit, quàm misera, quàm infelix, quibusve oppressa malis, & nudata bonis, videre valet: auferuntur enim judicia Dei ab hujusmodi anima. Hoc semper inimicus gaudet, nè se misera anima de tenebris ad lucem explicare queat. Hinc Philisthæi capto Sampson oculos eruunt. Judic. 16. 21. ac deinde cœcum ad molam mittunt: ut semper in circuitu gyrans viam vitæ privato lumine numquam inveniat. Hinc quoque Sedeciæ capto. Jerem. 39. 7. Nabuchodonosor primùm effodit oculos; deinde vinctum in cavea Babylonem ducit: ne unquam ultra lumen videat. S. Paschasius in Thr. hìc.

Ipsam non videbit. Ezech. 12. 13. Sedecias est schema peccatoris, qui à Nabuchodonosore, idest, dæmone, oculis, idest, consideratione, & intelligentia, privatur; ut in Babylonem, idest, Infernum ducatur. Corn. hìc.

Cœcus iste *sedens viam.* Luc. 18. 35. est Christianus existens in peccato mortali; qui non est in via. S. Vinc. Ferr. s. 1. Quinq. Horrendum malum utraque cœcitas: una, quæ corpus; altera, mentem obtenebrat: una defectum præostendit naturæ, altera gratiæ: una objicit, nè creaturas corporeas; altera ne Creatorem, & ejus bona invisibilia speculemur. Cœcus corpore privatur visibilium gaudiis: *quale gaudium erit mihi, qui lumen cœli non video.* Tob. 5. 12. mente cœcus ab invisibilium lætitia exclusus est. Sim. Cass. l. 5. c. 22.

Peccator assimilatur cœco sedenti ad solem: nam, cùm in sole consistit, ipse radiis solis perfunditur; sed tamen lumen non videt, quo illustratur. Sic peccator, cùm peccat, licèt peccati delectatione, & ardore, cœcatus ipse non videat Deum, neque attendat ad ipsum; Deus tamen, cui omnia patent, bene conspicit illum. Geminiani l. 9. c. 57.

Num. II.

Exempla, & textus.

Ex Veteri.

Abscondit se Adam à facie Domini. Gen. 3. 8. Peccatum ità mentem obcœcat; ut, cùm Adamus in statu innocentiæ esset sapientissimus; post peccatum adeo obcœcatus; ut crederet, locum non deesse, ubi oculos Dei latere posset. Diez conc. 1. D. 7. Pent. Vide., quam insipientes faciat peccatum: abscondere se tentant à Deo, qui ubique præsens est. Talis est peccantium consuetudo; ut tametsi occultari non possunt, occultari tamen velint, & studeant. Sanct. Chrysost. hom. 17. in Gen.

Addidimus universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem. 1. Reg. 12. 19. Persuasit Samuel populo peccati cognitionem. Nam sciebant quidem, se, relicto Deo, novum sibi regem postulasse: sed crassis peccati sui tenebris obcœcatus, se in ea re grave crimen incurisse nesciebat, seu potiùs non curabat. Audito tamen Samuele primùm agnovit dicens: *addidimus* &c. Mendoza in 1. Reg. 12. 19.

Talis est, & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: non sum operata malum. Prov. 30. 20. Talis fuit & Synagoga, ad quam Deus. Jer. 2. 23. *quomodo dicis, non sum polluta, post Baalim non ambulavi. Vide vias tuas in convalle: scito, quid feceris.* Talis Saul 1. Reg. 15. 20. Imò *audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus.* S. Cyprianus l. 1. ep. 3. primus felicitatis gradus est, non delinquere; secundus, delicta cognoscere. Ps. 50. 5. David postulat lavari, dolet &c. *quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Mendoza ib.

Domine, exaltetur manus tua, & non videant, & confundantur. Is. 26. 11. S. Greg. mor. l. 7. c. 20. intellectum quidem reproborum nunc merita obscurant; sed tunc cognitio reatus illuminat, ut & modò sequenda non videant, & tunc eam postquam amiserunt, cernant: q. d. nunc quidem peccatores multa mala perpetrant, nec tamen periculum, aut peccati fœditatem, agnoscunt: sed ubi apud inferos fuerint, videant, & confundantur. Pinna Ethol. 235.

Quis cœcus? nisi qui venundatus est: & quis cœcus? nisi servus Domini. Is. 42. 19. Quamquam loquatur de populo Judæorum; verumtamen ex communione vitiorum transfertur in similes. Atque ubi major cœcitas, quàm ejus, qui se vili pretio diabolo vendidit, & peccati servus in diaboli transivit mancipium? Quis cœcus; nisi qui accepit à Domino, sibi posse servire, cùm in Sathanicum transivit obsequium, & legem vitæ postposuit legi mortis, tyrannum Domino benignissimo prætulit, venundatus dulcedine modica? Sim. Cass. l. 9. c. 10.

Fili hominis, in medio domus exasperantis tu habitas, qui oculos habent ad videndum, & non vident & aures ad audiendum, & non audiunt. Ezech. 12. 2. Diabolus facit peccatores lynces, ad ea videnda, quæ ipse velut; obcęcat verò ad ea, quæ Dei sunt. Habent oculos ad malum, non autem ad bonum, videndum. Diez D. 3. Quad.

Jonas. 1. 3. non obediens præcepto Dei, quo jubetur ire in Ninivem prædicaturus, putavit visum, ac potentiam Dei, non nisi usque ad Judæam extendi. Ideo navem conscendit iturus in Tharsum: existimans se sic à præsentia, & potentia Dei, posse liberari. Id. conc. 1. D. 7. Pent.

Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. Sophon. 1. 17. Quando quis cespitando modò ad terram prolabitur, modò in parietem impingit, modò in præceps ruit; an non eum cęcutire dicemus? ità quicumque modo in avaritiam, modò in libidinem, modò in ambitionem, impingit; an non talpa cęcior est? Besseus Dom. 2. Adv.

Ex Novo, & Patribus.

Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. 23. 34. Quoties delinquo, ignoro, quid facio. Profectò, si scirem, corrigerem me, custodiremque. Quoniam verò semotus à tua cognitione sum, ità pronus ad culpam invenior: ad compunctionem tardus, remissus ad gratiam. Sanct. Laur. Just. de triumph. &c. c. 17. Dici potest, quòd ad quoslibet peccatores dirigebat intentionem: qui, quantacumque malitia offendere videantur: tamen quatuor ignorantias habent. Ignorant enim, quantam Judicis majestatem offendunt; quantam Patris benignitatem contemnunt; quantam turpitudinem animæ suæ infligunt; ac quantum tormentum æterni cruciatus incurrunt. S. Bernardinus t. 1. p. 2. art. 1.

Vidit hominem cæcum. Joan. 9. 1. Ex pretio oculorum corporis æstimare possumus, quàm sit grave supplicium, cùm Deus nobis claudit, & cœcat, oculos mentis. Tob. 2. 12. *hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi; ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Job*. Nota hìc comparari patientiam Tobiæ cum patientia Job: inde collige, quàm gravis sit cęcitas animæ. *In Inferno autem quis confitebitur tibi?* Ps. 66. S. August. Infernum dixit animæ cęcitatem. Did. Nyss. f. 3. D. 4. Quad. §. 3.

Qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat. Joan. 12. 35. Ambulans in mentis tenebris nescit Infernum, quò vadit: si enim sciret Inferni pœnas, multò majori studio caveret, nè iret illuc? quàm cavet à morte corporis, & infamia perpetua hujus Mundi. Cajetanus hic.

Pro sua, & populi, ignorantia. Hebr. 9. 7. S. Thomas, Anselmus &c. per ignorantiam intelligunt quodvis peccatum. Nam ut Prov. 14. 22. *errant, qui operantur malum*. Et Aristoteles l. 3. Ethic. omnis malus est ignorans. Ps. 24. 7. *ignorantias meas nè memineris*. Cornel. hic.

Et cæcus. Apoc. 3. 17. quia seipsum non videbat, & alium se judicabat, quàm erat. Sylv. hic.

Ut visus oculorum, si fuerit vitiatus; quidquid videre non potuerit, adesse non putat (frustrà enim circumstat oculos præsens imago rerum, si oculis integritas deest:) ità etiam Deus, qui nusquam deest, frustrà pollutis animis præsens est, quem videre cęcitas non potest. S. Aug. l. 83. qq. qu, 12.

Quatuor sunt genera peccatorum, quæ homines maximè excęcant; nam cęcat homines humor avaritiæ, cęcat livor invidiæ, cęcat tumor superbiæ, & cęcat ardor luxuriæ. S. Bonav. s. 41. in D. Quinq.

Dum dæmon furari vult, lumen rationis extinguit. In hoc est totus; ut propriam tibi miseriam celet; apprimè sciens, nec momento te in ea mansurum, si illam cognosceres. Juglaris conc. 27.

Vide Avaritia. Libido. Ira.

§. III.

Peccator est stultus, peccatum stultitia.

Ex Veteri.

Da mihi de collione hac rufa. Gen. 25. 30. In statu peccati pessima negotiatio est; ubi pro modica delectatione transitoria datur tota gloria paradisi: & propterea obligat se misera anima pœnæ æternæ. Hugo Card. in Gen. 42.

Hæccine reddis Domino populo stulte, & insipiens? &c. Deut. 32. 6.

Nolite fratres, nolite facere malum hoc, - & cessate ab hac stultitia. Judic. 19. 23. dicebat senex ille Gabaonita, volens cives suos à libidine revocare.

Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus. Job 5. 3.

Intellectum tibi dabo. Ps. 31. 8. Consideremus, quàm aptè, quàm misericorditer, Christus introductus est loquens: ut, ipso Judice promittente, spes pœnitentibus certior appareret. Sed quid dicit? *intellectum tibi dabo*. Vides, quia peccatores non habent intellectum; nisi quando eum Dominus converts propitiatus indulget: intelligere enim est bene agere, & ad mandata Dei vocat convertere. Cassiod. hìc.

Vir insipiens non cognoscet ea, & stultus non intelliget hæc. Ps. 91. 7.

Prosperitas stultorum perdet illos. Prov. 1. 32.

Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. Prov. 24. 8. S. Hier. hìc: nè putares, stultum æstimandum fuisse eum, quem hebetem, tardumque ingenio videres; palam ostendit? quia ille stultus sit vocandus, qui vel cogitatione peccati suggestioni consentit; tametsi acer ingenio videatur existere.

Stultus populus meus me non cognovit. Jer. 4. 22.

Ex Novo, & Patribus.

Stulte, hac nocte &c. Luc. 12. 20. Stultus verissimè est omnis peccator. 1. quia æternæ sapientiæ non consentit, neque obedit; sed potiùs per inobedientiam contrariatur, dum divina præcepta transgreditur. 2. quia illa sapientia, quæ est donum Dei, caret; & stultitia, puerilitatisque vitio, adimpletur: estque similis puero; qui poma, & pyra, auro, & gemmis, præeligit: sic ipse spiritualibus, & æternis, transitoria, atque carnalia præfert. Dion. Carth. hìc.

Dixit adolescentior ex illis patri. Luc. 15. 12. Si erat adolescens ætate, multò adolescentior erat judicio, & moribus. Christus volens ostendere levitatem, & stultitiam, peccatoris, cùm adolescentem vocat: nam plerumque adolescentes parum sciunt, judicii sunt exigui pauca experti. Stella hìc.

Semper malitia cum stultitia conjuncta est. Euseb. Emiss. hom. de S. Blandina.

Nihil tam præter rationem est, quàm peccatum: nihil tam stultum, nihil tam fatuum, nihil tam vehemens: omnia evertit, confundit, perdit &c. Sanct. Chrysostom. hom. 9. in ep. 1. Cor. 2.

Quoties quisque, peccati captus dulcedine, semetipsum perdit; profectò domum valdè necessariam pro nihilo vendit. S. Rup. l. 1. in Levit. c. 42.

Malus numquam non stultus. S. Chrysol. s. 97.

Plus quàm trecenties in Scriptura peccatori nomen stultitiæ imponitur. Quanta stultitia! cùm in peccato est Dei inimicus, ità securum esse, ac si nihil mali egisset. Si quispiam modò domum regis ineraret, regemque impetteret districtò gladio, ut eum jugularet; rex tamen servatus esset. Si post tale facinus non fugeret, non se absconderet, sed per mediam curiam securus incederet; quis insanum negaret? Osorius D. 1. Adv.

§. IV.

Peccator fit jumentum, bestia.

Ex Veteri.

TRia ponit Moyses. Gen. 24. *repetile, bestias, jumenta*. Per quæ significantur illa tria. 1. Joan. 2. 16. *omne quia est in Mundo &c.* Hæc tria de terra oriuntur: quia de amore terrenorum universa malitia ortum habet. Per reptile significantur cupidi, qui circa terram repunt: per jumenta luxuriosi: per bestias superbi. Hugo Card. hìc.

Cùm dixisset Deus: *faciamus hominem*, addidit *ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit &c.* Gen. 1. 26. Quare tantum honori hujus facturæ detractum est, hoc solùm dicente Scriptura, *& factus est homo in animam viventem?* Videlicet, quia qui factus est homo, rationis dono non bene usus est, & honorem suum non intellexit; sed comparatus est jumentis. Rectè illi jám quasi detractum est illud, quo superior est jumentis. Rupert. hìc.

Fecit Dominus Deus Adæ, & uxori tunicas. Gen. 3. 21. Et pellis ibat versùs carnem, & lana ad extra: ad innuendum, quòd homo ex peccatis affectus est similis bestiis. S. Vinc. Ferr. s. 5. D. 3. Adv.

Hic erit ferus homo. Gen. 16. 12. Ex Hebr. pere, *onager*. Cornelius hìc.

Nam & leonem, & ursum; interfeci ego servus tuus. Erit igitur, & Philisthæus hic incircumcisus quasi unus ex eis. 1. Reg. 17. 36. Ubi impium illum, & blasphemum, gigantem bestiis comparavit. Theodoretus quæst. 40. nihil differt à bestiis, qui vivit in impietate. Mendoza in 1. Reg. 13. sect. 2.

Homo quidam, erat. Job 1. 1. Cum hominem illum memorat, ostendit protinus; quòd ille homo fuerit; & non jumentum, neque bestia - Unus erat ex omnibus hominibus secundùm corpus, secundùm corruptionem: sed singulari erat præ omnibus hominibus juxta spiritus instantiam, & animæ sinceritatem, atque justitiæ perfectionem. *Homo quidam erat*. non erat bellua cruenta; non erat serpens nequitiæ: non erat equus, nec mulus luxuriæ; neque petulantiæ; non erat canis spurcitia; neque vulpes dolo, atque astutia; non scorpius; neque veneni lethalis vipera; sed homo erat. Orig. hìc.

Operiet vultum suum. Job 24. 21. Quilibet peccator vultum hominis exuit, induendo faciem lupi per rapacitatem, leonis per superbiam, ursi per gastrimargiam, porci per luxuriam, & sic de aliis; nè cognoscatur à Domino in die judicii. Unde talibus dicturus est: *amen, dico vobis, nescio vos*: & quibus vultum meum, & imaginem, exuistis. Hugo hìc.

Dedistis nos tamquam oves esciarum. Ps. 43. 12. Hugo Card. oves escarum ad aliud non sunt utiles. Sunt autem quædam oves fœtosæ, quæ non libenter occiduntur: sed cùm desinunt fœtus ponere; tunc non curatur de eis; sed occiduntur facilè. Applica peccatoribus.

Homo, cùm in honore esset &c. Ps. 48. 21. Alligati sunt peccatores instar jumentorum illis stultiores. Jumentum, si posset, se solveret: peccator, cùm possit Dei auxilio gravissima peccatorum vincula solvere, in iis vult permanere. Ad præsepe alligatus à dæmone tenetur: abscedere non vult; nè turpissimum, sed sibi dulce pabulum, fœdissimas voluptates, deserat. Barradius Dom. Palm. solvite, & adducite. t. 3. l. 7. c. 8.

Pasce hœdos tuos, Cant. 1. 7. Theodoretus: hœdorum nomine peccatores intelligit divina Scriptura: hos enim Dominus à sinistris ait locatum iri.

Ostende mihi faciem tuam. Cant. 2. 14. Dicit hoc animæ peccatrici, quæ suam faciem, quam ei Dominus creando contulerat, & recreando formaverat, commutavit in faciem porci, vel ursi, vel leonis q. d. depone faciem alienam; & ostende mihi tuam. Hugo Card. hìc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Invenietis asinam alligatam. Matth. 21. 2. Quid est peccator, nisi asinus? qui sicut asinus, stolidus est sensibus, & piger in actibus. Asinum ad Jesum adducit, quicumque peccatorem ad Deum convertit. S. Bonaventura ser. 2. Dom. Palm.

Erat autem ibi grex porcorum. Luc. 8. 32. Qui sunt isti porci? nisi fortè illi, de quibus dictum est: *nolite sanctum dare canibus: neque mittatis Margaritas vestras ante porcos*. Matth. 7. 6. *nè fortè conculcent eas pedibus suis*. Illi scilicet, qui immundorum usu animalium vocis, & rationis, expertes, lutulentis vitæ suæ actibus naturalium conquinaverint ornamenta virtutum. Qui impetu feruntur in præceps: quoniam nullius meriti contemplatione revocantur; sed tamquam de superioribus ad inferiora per improbitatis declive protrusi, suffocantur in aquis; inter fluctuantia Mundi istius strangulatorum in modum interclusо prætereuntis spiritus commeatu. Sanct. Ambros. in Luc. 8. multis enim temporibus &c.

In se reversus: Luc. 15. 17. In se reversus est: in se antè redit, ut rediret ad patrem; qui à se antè recesserat, cùm recessit à patre. A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitores oblitus. S. Chrysol. s. 2.

Peccatores porcis comparantur, qui in peccatis, velut in stercore fœtido, volutantur. Origenes hom. 11. in Genes.

Volucres, qui sunt leves; serpentes, qui deceptores; leones, qui sunt animosi, & ad iram concitati; sues, qui sunt voluptatibus dediti; lupi, qui sunt rapaces. Has omnes immanissimas feras ipse cœlestis cantus in mansuetos homines transformavit. Clement. Alexand. orat. adh. ad Græcos.

Sicut magnum, & venerandum est hoc rationale animal, & maximè, quando in virtutis viam contendit: ità quando in malum declinat, truculentarum bestiarum imitatur crudelitatem. Sanct. Chrysostomus homil. 19. in Genesi.

Et præsit bestiis. Impera bestiis omnibus, quæ sunt in te. Quid? inquies: ergone in me bestias habeo? Tu verò bestias habes; & eas quidem innumerabiles. Dic, amabo, parvane est bestia iracundia, quando latrat in corde tuo? nonne ea est quovis cane crudelior? Quid? in callido animo tuo dolus latitans, nonne quovis urso fraudulento sævior est? Quid? nonne fera est hypocrisis vel immanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam, non scorpius est? qui præceps ad vindictam, ultionemque fertur: nonne est vipera gravissima? Quid avarus ipse? nonne lupus est rapacissimus? Qui fœminarum amoribus insaniunt, nonne furiosi sunt equi? S. Gregor. Nyss. or. in illud: faciamus hominem &c.

Qui non timet Deum, & mandata ejus non custodit, non est homo. Quid ergo est? bestia est. Salonius Vienn. Ep. Explicat in Ecclesiastem.

Qui vivunt secundùm rationem, sunt homines; qui vivunt secundùm sensualitatem, sunt bestiæ. Superbi sunt leones, avaræ vulpes, luxuriosi porci, invidi canes, gulosi sunt lupi, iracundi serpentes, seu viperæ, pigri autem sunt asini. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. 2. Adv.

§. V.

Peccator subit miserabilem servitutem.

Ex Veteri.

M*Aledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus*. Gen. 9. 25.

Ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni. Ex. 1. 11. Regnante peccato Ægyptiis extruimus civitates, in Cinere versamur, & sordibus; pro frumento paleas, pro solida petra luti opera fectamur. Sanct. Hieron. ep. 142. ad Damasum.

Confortamini, & estote viri Philistiim: ne serviatis Hebræis, sicut & illi servierunt vobis: confortamini, & bellate. 1. Reg. 4. 9. Poterant se aliis rationibus ad sternuè dimicandum incitare; hoc tamen solùm dicendum putarunt: *nè serviatis Hebræis &c.* non efficiamini servi eorum, quorum fuistis domini. Abulensis hìc: reputabant Philisthiim pessimam conditionem, viri esse servitutem; nec aliquid pejus fortunam posse inducere: & cum infelicissima fors ista sit; adhuc infelicior est; cùm quis efficitur servus ejus, cujus ante erat Dominus; quia ista servitus est turpior. Tantò enim aliquis vilior est, quantò magis descendit: sed nemo videtur magis descendere, quàm quòd efficiatur ejus servus, cujus Dominus erat. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 1. l. 4. c. 6.

Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum. Ps. 2. 2. Sed numquid Herodes rex, numquid Pilatus princeps? Cum rege Herode peccati quoque regem diabolum estenderunt; & cum principe Pilato dæmonum potestates, & principatus ostenderunt; de quibus dicebat Apostolus: *non regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Rom. 6. 12. S. Chrysost. hìc.

Et annos tuos crudeli. Prov. 5. 9. Peccator quolibet peccato dat honorem suum, idest, gratiam, & adoptionem, alienis, scilicet dæmonibus: *& annos suos crudeli*, id est Lucifero; cui vitæ labores, annosque, impendit. Cornelius. hìc.

Quomodo sedet sola civitas &c. Tren. 1. 1. Mysticè plangitur anima Fidelis hominis; quæ quondam plena fuit numerositate virtutum, & imperabat diversis affectibus, dominans concupiscentiis carnis: postea autem à malignis spiritibus flammis libidinis succensa destituta Angelorum solatio, & carens divino consortio; tot servit sceptris, dedita quot vitiis. S. Hieron. hìc. *Civitas* (anima) *plena populo* (bonarum actionum) *Domina gentium* (vitiorum) *Princeps provinciarum* (sensuum *desolata* bonorum suffragiis) *Vidua* (sponsi amplexibus) *sub tributo* (vitiorum.) S. Thomas Aqu. hìc.

Ex Novo.

Adveniat Regnum tuum. Matth. 6. 10. Nè ampliùs adversùm nos efficax sit malitiæ, vitiositatisque, tyrannis, nè prævaleat adversùm me hostis, nec per peccatum captivum me ducat. S. Greg. Nyss. de orat. Dom. or. 3.

Dico huic, vade, & vadit. Matth. 8. 9. Ut servo herus imperat acerbus: abi, & abit; veni, & venit; fac hoc, & facit. Ad eumdem modum, ac multò impotentius, jubet sub se subjecto peccatum. Loquere fœda, & loquitur: nefaria designa; & designat. B. Theodorus Studia l. 26.

Juga bovum emi quinque. Luc. 14. 19. Christus dicit: *jugum meum suave est*. Matth. 11. 30. Hic autem, nè se subjiciat jugo suavi: humeris suis quinque juga gravissima subit; quorum quodvis gravius est, quàm centum juga Christi. Diaboli quinque sunt juga; quia nullus est sensus, quem sibi dæmon non cupiat subjicere. Stella hìc.

Solventibus illis pullum dixerunt domini ejus. Luc. 19. 33. Non dominus, sed *domini*. Mirum, quòd unus asinus plurium dominorum esset. Pullus hìc peccator est, juxta Chrysost. hom. 11. in Marcum: hìc pullus multorum dominorum est, quia ab uno crimine facilè in aliud ruit. Ideo duo præcipui Apostoli ad solvendum mittuntur: quia solvere peccatorem, res valde difficilis. Ad unum Dominum reducitur: *dicite, quia Dominus operam ejus desiderat*. Pinna Ethol. 45.

Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Joan. 8. 34. specialiter observat Sabbatum Christianus, abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servile? à peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: *omnis*; &c. S. August. tr. 3. hìc. Patet hoc multis rationibus, quòd peccatores sint servi peccati, & diaboli. 1. quia servorum est, multum laborare. Jer. 16. 13. *servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem &c.* 2. quia peccatores, tamquam servi, vilissimis cibis vescuntur: ut filius prodigus siliquis. Luc. 15. 16. Et Thren. 45. *qui nutriebantur in croceis &c.* 3. quia nihil, quod lucratur servus, suum est; sed totum domini sui. Sic peccator nihil facit sibi utile ad vitam æternam: quia diabolus dominus suus semper apponit ali-

quid de ſuo ; propter quod totum ſibi calumniatur, ſcilicet malam intentionem, ſi facit opus bonum. 4. quia, tamquam ſervi, reputantur viles, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Hugo Card. hìc. Ærumna hujus ſæculi, panis eſt ſervi. Petrus Cell. ſerm. 15. de pane ſervorum.

Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Rom. 6. 12. Vides ante quos reges ſtatuaris, ò homo! ante quos præſides peccatorum: ſi culpa regnat. Quot peccata, quot vitia; tot reges. S. Auguſt. in Pſ. 128. S. Chryſol. ſer. 113. non dixit, non veniat ad vos; non dixit, non provocet, non titillet; ſed *non regnet*, non dominetur. Cur ſic loquitur? non videtur S. Paulus inveniſſe frœnum, quo validius homines coerceret à peccato; quàm dicendo; *non regnet peccatum*: quia hoc vi, & meritis, Sanguinis Chriſti, velut ferro, conſtrictum, & mancipium hominis, factum eſt; cujus ille antè miſer captivus erat. Did. Nyſſ. Pol. cœl. p. 1. l. 4. c. 6.

Ex Patribus, & aliis.

Succumbere, & cedere, vitiis, & animi perturbationibus, eſt extrema ſervitus. Clem. Alex. l. 2. Strom.

Juſtis, quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non eſt pœna criminis, ſed examen virtutis. Proinde bonus etiamſi ſerviat, liber eſt: malus autem, etiamſi regnet, ſervus eſt: nec unius hominis; ſed quod graviùs, tot dominorum, quot vitiorum. S. Auguſt. de Civ. lib. 4. cap. 3.

Conditio ſervitutis jure intelligitur impoſita peccatori. S. Aug. de Civ. l. 19. c. 14.

Non erat ullus ſervus olim: Deus enim, cùm hominem formarat, ſervum illum nequaquam fecit, at liberum, - è peccato ſervitus orta eſt. S. Chryſoſt. tom. 6. tr. in terræmotum.

Vitiorum omnium dux, atque imperator, diabolus. S. Greg. Nyſſ. de vita Moyſis.

Abjicere debet habitum ſervitutis, qui ſe regem credit divinitus conſecratum. S. Chryſol. ſ. 23.

Leo eſt rex omnium animalium, & diabolus etiam eſt rex omnium malorum. S. Bonav. in Pſ. 39.

Qui peccat, diaboli juſſum exequitur, & voluntatem. Olympiodorus in Ecclæ. 8. 12.

§. VI.

Peccator eſt vinctus, captivus.

Væ, *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*. Iſ. 5. 18. Peccatum vocat vanitatem: quia ut ait Hieronymus, facientibus peccatum facilè texitur; & adeò inane eſt in ſe, ac futile, ut aranearum tela. Sed, cùm inde exire voluerimus, ſolidiſſimis vinculis nectimur. Peccata ergo ſunt funes. 1. quia fiunt ex filis, ideſt, rebus, & voluptatibus, vaniſſimis, & leviſſimis. 2. quia diſtorta ſunt, ut funes. 3. quia invicem connexa. Sampſon ligatus Symbolum peccatoris. Chaldæus vertit: *qui incipiunt paulatim peccata; augentque, ut creſcant; & fortia fiunt, ut vinculum plauſtri*. Sicut bos, vel equus, dum primùm currui jungitur, ſalit, recalcitrat, jugumque conatur excutere, & manere liber; aut ubi jugum ſubiit, eique aſſuetus eſt, ſponte illud ſubit; imò ex habitu adit, mox ut à præſepio ſolvitur, eſto in illo ipſi ſudandum, & gemendum ſit: ità homo initio peccati onus averſatur; at ubi ei aſſuevit, ſponte illud ſubit, & quaſi in dolore, & gemitu ſuo ridens, ad illud ex conſuetudine procurrit. S. Auguſt. in Pſ. 52. væ his, qui trahunt peccatum ſuum ſicut reſtem longam! quid eſt aliud, quàm væ his, quorum manus connectunt iniquitatem? ſed non vis modò dirumpi vincula tua: quia non ſentis vincula tua; etiam delectant te, & voluptati ſunt. Senties in fine, cùm dicetur: *ligate illi manus, & pedes*. Cornelius hìc.

Quadruplici alphabeto Jeremias deploravit quatuor captivitates: quarum prima ſub Theglathphalaſar. 4. Reg. 15. ſecunda ſub Salmanazar. 4. Reg. 17. Tertia ſub Nabuchodonoſor. 4. Reg. ult. Quarta ſub Tito, & Veſpaſiano in Eccleſiaſtica hiſtoria. Quæ ſignificant quatuor captivitates, quibus diabolus captivat animam peccatricem. Prima eſt in conſenſu, ſecunda in opere, tertia in conſuetudine, quarta in deſperatione. Hugo Card. in 2. Paral. 35.

Nabuchodonoſor. Jer. 52. 10. ideſt, diabolus, victa anima occidit principes Juda, contritionem cordis, manifeſtationem oris, ſatisfactionem operis! Occidit omnes filios regis, merita animæ: excœcatur rex, orationis lumen; peccator ducitur in Babylonem, ideſt, confuſionem, & ignominiam; & vinculis ligatus manet in manu diaboli. De Rampelogis. Diabolus.

Quomodo ſedet ſola &c. Thr. 1. 1. Tropologicè: anima ſola ſedere dignè plangitur, quaſi vidua exuta virtutum bonis; quòd ſe domino ſubjugaverit Chaldæorum: ſponſumque contempſerit pubertatis ſuæ. Chaldæi namque *captivantes* interpretantur. Captiva ergo anima ducitur, cùm à ſolio cœleſtis patriæ virtus ſubacta ſub poteſtate dæmonum redigitur. S. Paſchaſius hìc.

Miſit in carcerem. Act. 12. 4. Carcer ſignat peccati mortalis ſtatum. Eſt tenebroſus, & ſignificat peccatum ſuperbiæ. Secundò eſt ſubterraneus; ecce avaritia. Tertiò fœtet; ecce luxuria. Quartò eſt ſolitarius; ecce invidia. Quintò eſt humidus; ecce gula. Sextò in carcere eſt deſperatio; ecce ira. Septimò in carcere nihil operatur: ecce peccatum acediæ. S. Vinc. Ferr. ſ. de S. Petro ad Vincula. Petrus dormiens ſignificat peccatorem in carcere peccati dormientem inter duos milites, ſcilicet Angelum bonum, & Angelum malum. Id. ibid.

Malitia eſt funis, per quem diabolus peccatores ſuſpendit in Infernali patibulo, & neſciret, per quid ſuſpenderet eos, niſi ipſi apportarent ei funem, per quem ſuſpenduntur. S. Albertus M. ſ. de S. Clem. M.

§. VII.

Peccator miſerè laborat, oneratur, affligitur.

Ex Veteri.

Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum. Gen. 5. 29. Dixit Lamech de filio ſuo Noe. Tantam calamitatem (diluvii) tantaque mala, quietem vocas? Diluvium autem, quia malitiam reſecuit, ideò liberati illi à malitia quieſcere dicuntur. Nam ſi mors viro quies: multò magis his, qui inemendabiles in malitia vivunt, mors quies eſt; liberans eos à laboribus, nec ſinens ulteriùs in iniquitatis conſuetudinem progredi. Non eſt enim gravius, ingeſtabiliuſque pondus, quàm peccati natura: nihilque ità labores, & ærumnas, nobis affert, ut malitiæ ſpecies, & delicta. Et idcirco Lamech diluvium quietem appellavit: eò quòd ſuperveniens malitiæ finem impoſiturum erat. S. Chryſoſt. tom. 1. ſerm. de nomine Abram. Noe interpretatur *conſolatio*, vel *conſolator*: quia homines in diebus Noè conſolati ſunt; dum à peccatis extincti ſunt in diluvio. V. Beda in Gen. 5.

Dies quoque ſeptimus celeberrimus, & ſanctus erit &c. Num. 28. 25. Qui peccat, & agit diem peccati, agere non poteſt diem feſtum. Origenes hom. 23. hìc.

Ducunt in bonis dies ſuos &c. Job 21. 13. Ego contrarium dico: ducunt in laboribus, ſudoribus, & anxietatibus dies ſuos; & in puncto ad gehennalia loca merguntur. Ecce cœcatas hominum mentes, qui labores, quietes; amaritudines, dulcedines; punctiones, unctiones appellant. Ad peragendum malum, quàm bonum, amariùs deſudatur; & toleratum ex tempore malum præparat ad æternum. Quæ perverſitas! ad labores à laboribus pergere? Sim. Caſſ. lib. 6. c. 33.

Ambulavimus vias difficiles. Sap. 5. 7. Mali Chriſtiani laſſati ſunt triplici via ambulantes. Alii quidem viam montuoſam vadunt; ut ſuperbi, & ambitioſi: alii viam lapidoſam; ut avari, & contentioſi: alii viam lutuoſam; ut luxurioſi & ebrioſi. Hugo Card. hìc. *Ambulavimus &c.* in quibus ſol juſtitiæ non ſolùm meridiem non explicat; ſed nè oritur quidem: queque eò deducunt, ubi ejulando ſuſpirent defatigati: *ergo erravimus*! Quantùm caliginis, & fumi, in via vanitatis! quantùm luti, & fimi, in ſemita voluptatis! quantum ſpinarum, & laqueorum, in itinere cupiditatis! quæ rupes, & ſcopuli, in ſemitis ambitionis! Et cùm diu tam arctas triveris vias; vix devenis, quò cupis. Et quot ſemper oberrant in via fruſtrati ſpebus ſuis! Fac deveniant: certè nec civitas erit; vel, ſi erit civitas, non erit urbs habitationis. Ubi enim non plangitur? da huic locum. Omnia tranſeunt; & quoquò accedimus, accedimus abituri. Adde, quòd civitas dici non poteſt, quæ expoſita eſt latronibus, & monſtris. Oliva l. 3. Strom. §. Deduxit eos in viam rectam. Pſ. 107.

Alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ. Iſ. 64. 7. ideſt, propter iniquitatem noſtram. Ità Sanchez. Secundò meliùs: *in manu*, ideſt, *per manum*. q. d. tradidiſti nos peccato, quaſi lictori, cruciandos, & allidendos. Cornelius hìc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Matth. 11. 28. Per hos laborantes, & oneratos, peccatores intelligunt Hilarius, Chryſoſtomus, Auguſtinus. S. Ambroſ. lib. 3. hexam. cap. 12. terrenis cupiditatibus oneratos. Sylveira hìc.

Hœdos autem à ſiniſtris. Matth. 25. 33. Orig. tr. 34. in Matth. hœdi dicuntur omnes mali: quia aſpera, & dura ſaxa malè aſcendunt, & per præcipitia eorum incedunt. Quod ipſi fatentur Sap. 5. 7. *laſſati ſumus in via iniquitatis - ambulavimus vias difficiles*. Pinna Ethol. 7.

Rectas facite ſemitas ejus. Luc. 3. 4. Quomodo rectas? quia nimirum *in circuitu ambulant impii*. Recurvè atque retrogradè, inſtar cancri, illi viam peragrant: qui ad ſeipſos amore proprio tracti continuò reflectuntur; & quocumque pergunt greſſibus affectionum, & extra ſemetipſos non longè exeunt: quia circa palum proprii commodi alligati ſunt catena quadam amoris, & cupiditatis: quemadmodum urſos ligare ſolent hiſtriones, ut ſicut equi circa molam aſſidua agitatione convolvuntur. Joan. Gerſon. lect. 2. ſuper Marcum.

Infremuit ſpiritu, & turbavit ſemetipſum. Joan. 11. 33. Quid eſt; quòd turbet ſemetipſum Chriſtus? niſi ut ſignificetur tibi, quomodo turbari tu debeas; cùm tanta mole peccati gravaris, & premeris. S. Aug. tr. 49. in Joan.

Non fugiamus malè affligi; ſed malè agere: hoc enim eſt verè affligi. S. Chryſoſt. hom. 61. in Gen. Scriptura ſemper malitiam vocat laborem. S. Chryſoſt. hom. 1. in Acta.

Cur comprehenderunt te dolores parturientis, ut parturires iniquitates, & pareres injuſtitias? nullus enim major eſt dolor, quàm, is, qui paccati mucrone vulnerat conſcientiam: neque ullum gravius eſt onus, quàm peccatorum ſarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat uſque ad terram? ne ſe erigere poſſit. Gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera. S. Ambroſ. ep. 18.

Crux intolerabilis, crux mali latronis. Habet enim ſuos Martyres diabolus, qui etiam dicere poſſunt illi: *propter te mortificamur tota die*. Rom. 8. 36. Annon martyr avarus; qui diebus, ac noctibus, in congregando luto laborat? Annon martyr ſuperbus; cui omnis alienus honor, & gloria, cruciatus eſt; S. Thom. Vill. conc. 4. de uno Martyre.

Impietas mare eſt: dulcem ſiquidem aquam facere non poteſt. Sed eſt aqua ejus ſalſa valde, & multum amara; & amaritudo ejus amariſſima. Richardus à S. Victore tr. de exterm. mali &c. c. 2.

Perditæ vitæ homines ſe laboribus torquent, cruciant curis, expenſis eviſcerant. Nonne figuram araneæ gerunt? quæ de ſuis viſceribus telam texit; ut capiat muſcam viliſſimam. Quid eſt inanis gloria? quam venantur; niſi muſca viliſſima, murmuroſa, ſordida, pungitiva? Petrus Bleſenſ. ep. ad Sacellanos aulicos &c.

§. VIII.

Peccatoris hoſtes ſunt creaturæ.

Ex Veteri.

Quemadmodum canis, qui in domo eſt, ei ſervit, qui eum alit, & eum timet, ac reveretur: ſed, ſi eum repentè viderit vultu fuligine atrato, vel perſonatum; aggreditur tamquam alienum, & cogitat eum dilacerare. Ita etiam Adam, quamdiu purum ſervavit vultum, factum ad imaginem Dei; beſtiæ ei, tamquam ſervæ parebant. Quando autem vultum, fœdavit inobedientia. Gen. 3. non agnoſcentes dominum, tamquam alienum cum odio habebant. Servorum itaque inſurrectio eſt peccatorum retributio. Juſtus Daniel. 6. 22. & leones agnoverunt dominum: viderunt eum non guſtaſſe peccatum; & eum ſupplicii expertem reliquerunt. Peccavit propheta 3. Reg. 13. 24. & leo cum in via inventum morte effecit: erat fallaci fulgine atratus, & leo eum non cognovit. S. Chryſoſt. in Pſ. 3.

Ecce ejicis me hodie - à facie tua: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me: Gen. 4. 14.

Venit muſca graviſſima in domos Pharaonis &c. Ex. 8. 24. Vel exiguis facilè vincitur, qui interna malitia pulſatur. Naxera in Joſ. 18. §. 3.

Surgite fugiamus - à facie Abſolon. 2. Reg. 15. 14. S. Chryſoſt. in Pſ. 3. cui titulus: *Pſalmus David, cùm fugeret à facie Abſolon filii ſui*: fugiebat filium ſuum David, quoniam caſtitatem fugerat; fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violarat; fugiebat filium, quoniam legem Dei, quæ dicit, *non occides, non adulterabis*, fugerat.

Vadam, & amputabo caput ejus. 2. Reg. 16. 9. Si filii Sarviæ ſervi David, cum viderent Semei jacere lapides contra David, & maledicta; ira accenſi geſtiebant ei mox caput amputare, & vindicare contumeliam Domini ſui; dubium non eſt, ſanctos Angelos, qui longè magis diligunt Dominum ſuum, multò acriùs indignati, cùm vident eum offendi. Incerto Auth.

Adhæſit caput ejus quercui. 2. Reg. 18. 9. S. Chryſoſt. in Pſ. 3. cœlum eum noluit admittere: ſi enim primum ejecit ſurrectorem diabulum; quomodo inſurrectorem ſecundum admiſiſſet? Terra eum averſabatur, non ferens pollui paſſibus parricidæ. Inimicam habuit quercum Salomon, quia ipſe inimicos Dei. Zachæo arbor amica eſt, quia ipſe amicus Chriſti. Inimicæ ſunt inimicis Dei creaturæ, amicis amicæ. Gen. 7. 18. *arca ferebatur ſuper aquas*. Aquæ mergentes omnia, uni ſe ſubmittunt arcæ, quæ juſtum vehebat. Baeza t. 2. l. 6. c. 8. §. 11.

Deus dereliquit eum; perſequimini, & comprehendite eum. Pſ. 70. 11. Dum quis regis amicus eſt, omnes illum reverentur; quam-primum autem regis amicitia excidit, etiam lapides in eum inſurgunt, etiam plebei, vexant, tamquam omni præſidio deſtitutum. Sic homo, dum eſt in gratia Dei, etiam ab Angelis honoratur, timetur ab hominis: ſed: mortaliter peccanti, omnes creaturæ infeſtæ ſunt. Diez conc. 4. in feſto Nat. S. Joan.

Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum &c. Sap. 5. 18. &c.

Filii ejus percuſſerunt eum gladio. Iſ. 37. 38. Sennacherib, ingenti cinctus eſercitu, apud Jeroſolymam iram Dei incurrit à filiis percuſſus. S. Ephrem ſ. de vita Religioſa: illic miſericordiſſimus ille Abraham immitis, & immiſericors reperietur: &, qui pro Sodomis, ut ſalvarentur, fuerat deprecatus; illic vel pro uno peccatore non ſupplicabit. Baeza t. 3. l. 13. c. 1. §. 1.

Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit Dominus: gladium &c. Jer. 15. 3. Neque enim fieri poterat, ut creatore neglecto; non univerſa creatura inſurgeret in peccatores. S. Hieronym. hìc.

Non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus. Thr. 1. 2. Chari, & amici, Jeroſolymæ hìc vocantur gentes vicinæ, & amicæ antè Judæis? nunc inimicæ, quia cum Chaldæis vaſtarunt Judæos. Tales fuerunt Idumæi, & Ægyptii. Idem contingit animæ peccatrici: hæc enim, cum creaturis, & voluptatibus, fornicata, mox ab iiſdem amarorem, horrorem, nauſeam; alioſque animi, & corporis cruciatus, juſto Dei judicio, patitur; præſertim in morbo, & morte. Cornelius hìc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Pater, peccavi in cœlum, & coram te. Luc. 15. 18. Cur meminit, ſe peccaſſe in cœlum? cur non contentus dicere, peccavi coram te; ut dicebat alius peccator. Pſ. 50. 6. *tibi ſoli peccavi*. Quia, dum ſe ſiſtit tribunali divino, non ſolùm Deum iratum meminit; ſed etiam in cœlo in ſe armatos exercitus metuit. Titus Boſtrenſis: haud ſecus firmamenti faciem metuit, atque accuſatoris cujuſpiam voces. Illa ipſa lumina, quæ modò vitam tibi halant, tunc ſolùm reſponſum mortis dabunt. Nec eſt creatura tam hominis amica, quæ inſtante Dei ſententia, accuſatoris, imò carnificis, perſonam non ſubeat. Baeza t. 3. l. 13. c. 1. §. 1.

Peccatori quidem omnis creatura hoſtis eſt; ſicut de Ægyptiis ſcriptum eſt: terra eos impugnabat, fluvius impugnabat, aer ipſe impugnat. Origenes hom. 4. in librum Jeſu Nave.

Quare patimur multa mala à creatura, quam fecit Deus! niſi quia offendimus Deum. S. Auguſt. tr. 1. in Joan.

Si ſervus à domino ſuo recedat, non ſolùm Dominum ipſum exarcebat; ſed & totam ejus familiam juſtiſſimè irritat. S. Auguſt. de diligendo Deo.

Jus nullum in his, quæ Dei ſunt, juſtè debet habere, qui voluntati ejus non veretur pravis actibus contraire. S. Anſelmus l. de excell. B. V. c. 10.

Clamant contra me, Domine, creaturæ tuæ, & dicunt: venite, diſperdamus illum, qui totus deditus fuit injuriæ Dei noſtri. Unde ſuo modo clamat terra, & dicit: quare tam nequiſſimum ſuſtineo? Dicit aqua: quare ipſum non ſuffoco? dicit aer: quare ei non deficio? Dicit ignis: quare ipſum non comburo? Mala beſtia: quare eum non devoro? & lacero? Infernus: quare eum non abſorbeo? S. Laur. Juſt. de incendio div. am. c. 2.

Propter creaturas relinquis Creatorem; & ideo inſurgunt contra te omnes creaturæ: qui offendendo Creatorem, offendiſti omnem creaturam; ideo creaturæ, quæ factæ ſunt in miniſterium, & utilitatem tuam, convertuntur in vindictam, & pœnam tuam. S. Bernardus ſ. de miſeria humana.

In multis offendimur, quia in multis offendimus omnes. Id. ſ. 34. de div.

Videmus, quòd omnis creatura parata eſt punire, rebelles ſuo Creatori. S. Thom. Aqu. ſ. in D. 2. Adv.

Chare Theotime! cœli attoniti admirantur, eorumque portæ horrore concutiuntur: quin & Angeli ipſi pacis viſa prodigioſa hac cordis humani miſeria obſtupeſcunt; quòd tam amabile bonum derelinquat, ut rebus, omnibus lacrymis deplorandis, adhæreat. S. Franc. Saleſ. tr. de amore Dei l. 4. c. 1.

Si quæris, quis te accuſabit? omnis creatura: quia offenſo Creatore omnis creatura offenditur. S. Bonaventura ſ. 3. de Adventu.

Cogita, ò infelix peccator, plures maledictiones contra te immiti quotidie, quàm ſint capilli capitis tui: nam omnes Eccleſiaſtici in prima hora diei id faciunt; incipiendo à ſummo Pontifice deſcendendo ad Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales: omnes uno ore contra te clamant: *maledicti, qui declinant à mandatis tuis*. Pſ. 118. 21. Incerto Auth.

§. IX.

Peccatoris jactura, damna.

Ex Veteri.

Adam ubi es? Gen. 3. 9. Sanè, qui ultrò nolebat agnoscere, ubinam esset; id est, quantum in malum incidisset; hac saltem percunctatione Dei pulsatus evigilare, & videre, debuerat, ubi esset? Hoc enim benignitas quærentis intendebat; ut is, qui quærebatur, seipsum inveniret, & diceret, quid perdidisset, quid commeruisset. Rupertus l. 14. in Gen.

A facie tua abscondar. Gen. 4. 14. S. Chrysost. & Cajet. id est, cura, favore, & tutela tua, destituat. Cornelius hic.

Nabuzardan princeps exercitus Babylonis, obtenta Jerusalem, expoliavit templum; abstulit candelabrum, &c. 4. Reg. 25. Diabolus, vincens animam, excoecat rationem, surripit altare aureum charitatis, mensas Verbi Dei subvertit; coronam faciei templi removet, quia dolet ruborem peccati. Destruvit vasa incensi, id est orationes devotas; item vasa aquæ sacrificii, id est, lacrymas. Lacerat vestem Sacerdotalem innocentiæ. De Rampelogis. Diabolus.

Qui peccaverit, multa bona perdet. Eccles. 9. 18. Unus, quiscumque is demum sit, dum se peccati sorde commaculat; & bona corrumpit, quæ sibi ex acquisitis virtutibus insidebant; & multos etiam malo exemplo ad imitationem inducit. Olympiodorus hic.

Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni; regionem vestram coram vobis alieni devorant &c. Is. 1. 7. Possumus hæc tropologicè de peccatoribus accipere, qui de sanctitate pristina corruerunt, postquam contrariis fuerint traditi potestatibus; quòd omnia eorum bona veniant ad desertum, & prioris justitiæ Deus non recordetur; & igne diaboli omnia succendantur, & sint pabulum bestiarum. Sanct. Hieron. lib. 1. hic.

Et derelinqueretur filia Sion ut umbraculum in vinea. Ib. v. 8. Juxta anagogen, vinea Dei, & pomorum paradisus; anima nostra appellari potest: cui si mens præfuerit, habet custodem mentis Deum; sin autem vitia nos, quasi quædam bestiæ, fuerint deprædata; relinquemur à custode Deo, & omnia nostra redigentur ad solitudinem. Id. ib.

Audi populo stulte, qui non habes cor. Jer. 5. 21. Reprobi corda sua non habent, quia ea diabolus possidet. Quotiescumque ergo graviter delinquimus, cor nostrum nos non habemus. S. Gregor. l. 2. in Reg. 1.

Quomodo sedet sola civitas! Thr. 1. 1. Mysticè plangitur anima Fidelis hominis: quæ quondam plena fuit numerositate virtutum, & imperabat diversis affectibus, dominans concupiscentiis carnis; postea autem à malignis spiritibus flammis libidinis succensa, destituta Angelorum solatio, & carens divino consortio, tot servit sceptris, dedita quot vitiis. S. Hieron. hic. Nihil aliud fletu, & amarissimo luctu, dignum; nisi cùm offenditur Creator omnium rerum. S. Bernardinus s. de 8. beat. Jerusalem vastata, est anima peccato mortali consentiens; statu justitiæ, & regno Dei privata; dæmonis regnum, jugum, & tyrannidem subjens; & clades longè majores, quam Jerusalem olim eversa, perpeti cogitur. Cornelius Præf. in Thr. Sola flere jure quæritur, cum Dei, & omnium Sanctorum desolata Angelorum auxilio; intus, forisve ab hostibus vastatur. Alioquin, nisi sola esset, plangenda non esset: *quia non possunt lugere filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus*. Matth. 9. 15. S. Paschasius l. 1. hic.

Ex Novo.

Fuit ruina ejus magna. Matth. 7. 27. Ruinam magnam non dixerim, ubi mœnia ruunt. Ruit magna Troja, ruit, Babylon latissima, ruit aurea Roma; ruerunt magnæ in orbe utique civitates, cecidit sublimitas ædificiorum, prostrata est interdum altitudo turrium. Et quod præsenter oculis sæpe videmus, ruunt incessanter in mortem corpora; sed non in ruina magna. Sed illam dumtaxat appellaverim magnam, qua ruunt hominum mores, caduntque virtutes, quia à Deo cadendo recedunt. Sim. Cass. l. 7. c. 14. Idcirco non solùm ruit; sed cum magno etiam fragore collabitur: *& fuit*, inquit, *ruina illius magna*. Nec enim exiguarum, leviumque rerum periculum est; sed de animæ discrimine, & immortalibus suppliciis sustinendum; de cœlestis regni, æternorumque bonorum amissione, res agitur. S. Chrysost. hom. 25. in Matth.

Ascendente (Jesu) in naviculam. Matth. 8. 23. id est, baptismum: Hac navis baptismalis innocentiæ facit naufragia; & rumpitur, impingendo in rupem peccatorum mortalium; scilicet vento diabolicarum tentationum, seu periculis occasionum mundanarum: in tantum; quod tot sunt pericula in mari hujus Mundi, quòd è decem millium animarum non transfretat una cum illa navi innocentiæ baptismalis; quin peccet mortaliter. Ideo ad instar navigantium, si volunt se tenere ad tabulam pœnitentiæ fortiter, adhuc possunt evadere. S. Vincent. Ferr. s. in die Cin.

Et veniens invenit eam vacantem. Matth. 12. 44. Vacua est domus, id est, anima; quia caret Deo, Deique gratia: ac proinde capax est, & apta; ut fiat domus diabolis. Scopis mundata est; quia eversa est ex ea omnis virtus: hæc enim immunda mundities placet diabolo; cui nihil, nisi fœdum, olet. Cornelius hic.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1. 47. Addidit *mea*. Ille solus potest dicere *anima mea*, qui immunem illum habet ab omni scelere. Peccator vendidit; & habet illam res amata. Stella hic.

Vox clamantis in deserto. Luc. 3. 4. Desertum hoc est peccator. Habet deserti conditiones: quia horridus est, & incultus; nulla fruge commoda seminatus; generat spinas, & tribulos; sentibus, & vepribus, densis pravarum cogitationum, & desideriorum, est obsitus undique: & fit habitatio bestiarum sylvestrium, & ferarum, & serpentium, & scorpionum. Denique nullus fructus in eo, nisi glandes porcorum. Quanta solitudo, ubi non est Deus! quanta siccitas! ubi pluvia cœlestis non cadit; quanta sterilitas! ubi deest calor solis, & cultus spiritus. S. Th. Vill. s. in D. 4. Adv. Desertum est cor peccatoris; quod utique desertum est à gratia, & virtutibus. S. Bonavent. spec. B. V. c. 10.

Quæ mulier habens drachmas decem. Luc. 15. 8. Nota: quòd homo in prima creatione creatus fuit innocens; & ideò in prima parabola assimilatur ovi, quod animal innocens est. Fuit etiam creatus ad Dei imaginem; & ideò significatur per drachmam, in qua est imago Regis: per peccatum autem perdit homo innocentiam; & ideò deformat imaginem Dei. Stella hic.

Dissipavit substantiam suam. Luc. 15. 13. & *peccavit in cœlum* filius prodigus: quia dissipatione sua nullam cœlestem mercedem lucratus. Uni civium adhæret, pascit porcos, nulla pacta mercede. V. Beda hic in semetipsum reversus etiam mercenarii statum de mercede jam cogitans, concupiscit. Prodigus est, & à patre; sed & à se, prorsus alienus, quia sua consumit sine lucro, & mercede æterna. Amabilis Deo, qui nec micam panis perdit; nisi ut iterum eam sumat cum fœnore. Baeza tr. 3. l. 14. c. 14. §. 13.

Quis nos separabit? Rom. 8. 35. Joan. Clun. t. 2. s. 67. omnia provocavit; & de solo peccato tacuit. Cùm pro animi sui magnitudine; omnia provocare Paulus ausus fuerit; solum peccatum lacessere timuit: alia enim omnia non habent vires, ut avellere quemquam ab amicitia Dei queant; unum, solumque peccatum eam extinguere momento potest. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 2. c. 9.

Ex Patribus, & aliis.

Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. S. August. in ep. ad Rom.

Quid est vestimentum animæ? virtus: quæ nuditas? peccatum. S. Chrysost. hom. 25. in acta.

Nihil peccante est pauperius. Id. hom. 5. de pœnit.

Si necesse esset, aut totum Mundum, & quidquid Deus non est, perire, & in nihilum redigi; etsi plures essent Mundi, & infinito numero multiplicarentur: aut te facere tam parvam rem contra voluntatem Dei; cùm intueor, quòd sit contra voluntatem Dei, gravissimum quiddam, & nullo damno comparabile intelligo. S. Anselmus l. 1. cur Deus homo c. 21.

Peccatum est fur, sponte introductus in thalamum animæ, pretiosum gratiæ thesaurum exhauriens. S. Bonavent. s. 2. de ingressu ad sapientiam.

Peccator non est Dei.

Vide D. tit. 4. Deus §. 11.

§. X.

Peccatoris insensibilitas.

Symbola, & allegoriæ.

Consumetur velut à tinea. Job 4. 19. S. Gregor. Tinea damnum facit, & sonitum non facit: ità iniquorum mentes quia damna sua considerare negligunt, integritatem, quasi nescientes perdunt. Barradius Dom. 1. Epiph. t. 1. l. 10. c. 16.

Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clavo, & dices: verberaverunt me, sed non doluit; traxerunt me, & ego non sensi. Prov. 23. 34. Hugo Card. in medio mari, id est, in vita præsenti, cujus fluctus curæ, & desideria, multos submergunt; sopitus gubernator amisso clavo, id est, studio sollicitudinis. Verberaverunt me dæmones tentationibus, illusionibus; quæ sunt verbera spiritualia. Sed non dolui, non sensi; vel ignoravi. Traxerunt, me in vitia sæculi, in funiculis vanitatis, & voluptatis. Et ego non sensi; quia omnis peccator, quasi vino ebrius voluptatis palatum cordis omnino amortuum habet; nec spiritualia vulnera, nec delectationem cordis, sentit. Fernandius in Gen. 3. sect. 23.

Supra mortuum plora: defecit enim lux ejus. Et supra fatuum plora: defecit enim sensus. Eccl. 22. 10. Græc. *defecit enim intellectus*. q. d. stultus, putà peccator, non tantùm est dormiens, sed mortuus per peccatum, cui affixus hæret. Quare sicut ploras amici mortem, quia defecit ejus lux; id est vita: *& supra fatum*, id est, sic, vel similiter, luge, & plora fatuum, quia *defecit sensus*, id est, prudentia, & sapientia; quæ est quasi vita, & anima animæ. Rursum *defecit sensus*: quia nullum habet sensum suæ salutis, & rerum divinarum, perinde acsi esset mortuus. Cornelius hic.

Dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini. Is. 51. 20. Scribitur, in Africa dari belluas, oryges dictas, quasi tauros sylvestres; tam stolidas suarum virium fiduciæ; ut, cùm, in retia venatorum inciderunt, dormire præsumant: nec equorum hinnitu, vel canum latratu, excitari se sinant, ut expediti laqueis fugiant. Dormitis, Sampsonis instar; Judic. 16. 19 in sinu scortorum: dormitis in lectis eburneis, pleni indignatione Domini, & periculum non timetis. Segneri s. 1. die Ciner.

Ollam succensam ego video. Jer. 1. 13. Ostensus est miserrimus peccatoris status. Quid peccatrix anima, nisi olla, in qua flammæ, & sulphurei vapores ebulliunt. Quid è contra diabolus? *fervescere facit, quasi ollam, profundum mare; & ponet, quasi cùm unguenta bulliunt*. Job 41. 22. Fœces sic facit apparere, quasi unguenta, placido calore solvantur, & odores suaves exhalent. Gilbertus s. 17. in Cant. qualis unguentorum artifex! qui de mortis olla vitæ vapores exire simulat. Qualis artifex! qui ollæ succensæ faciem quasi ab austro fervere facit: per quam potiùs ab aquilone mala exardescent in terra. Aut filius Prophetæ est aut certè Propheta, qui mortem in olla deprehendit; & vapores ejus ab Aquilone venire. Sulphurei sunt vapores, quos olla carnis tuæ succensa evomit: & tu in illis balsami tibi odores videris sentire? Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 47.

Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor. Os. 7. 11. S. Hieron. in Comment. sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.

Comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit. Ib. v. 9. Comederunt dæmones, & peccata, robur impii, id est, gratiam; & ipse nescivit. S. Bernardus ep. 190. non quærit redimi, qui se nescit captivum. Barradius t. 1. l. 10. c. 16.

Expergesciminì ebrii. Joel. 1. 5. S. Gregor. 33. mor. c. 27. ebrii vocati sunt; qui Mundi hujus amore confusi, mala non sentiunt, quæ patiuntur.

Qui fabrum vicinum habet, in principio non potest ob strepitum dormire; sed ad malleorum sonum assuefactus cum eo dormit. Ità qui novitius est in peccando, audit inspirationes divinas, & cordis pulsum, quo à peccato excitatur. Si verò peccare assuescat; Dei inspirationes, & conscientiæ, haud percipit. Stella de cont. Mundi p. 2. c. 48.

Exempla, & textus.

Ex Veteri, & Novo.

Serpens decepit me. Gen. 3. 13. Satiùs diceret, serpens, dejecit me in peccatum; vel, occasio fuit, quòd Deum offenderim. Arnoldus Carnot. de opere sex dier. deceptam se dicit: ampliùs doleus, quòd promissio diaboli effectu caruerit, quàm quòd ejus suggestioni assensum præbuerit. Baeza t. 2. l. 11. c. 2. §. 4.

Percussit cor suum, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul. 1. Reg. 24. 6. Et post gravia scelera, nè uno quidem digito in doloris signum, pectus delibavit. Oliva t. 3. conc. 8. die 5. Ven. in Quadr.

Dolentes, quærebamus te. Luc. 2. 48. Dolentes de amissione Jesu. Sed heu multi hodie plus dolent de amissione denarii. Hugo Card. hic.

Remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt. Luc. 2. 48. Multi per peccatum Christum amittunt, sed jacturam non agnoscunt. Barradius t. 1. l. 10. c. 16.

Erravi sicut ovis, quæ periit; quære servum tuum. Ps. 118. 176. Hoc interest inter perditionem ovis, & margaritæ: quòd ovis, licet perdita, inter dumeta balet; ad cujus balatum accurrit pastor, & illam liberat. Margarita autem perdita non dicit, hic sum, & sic perdita remanet, quousque veniat ancilla purgatura domum: tum margaritam incisam cùm sordibus in sterquilinium abiicit. Alioqui peccatores sunt velut oves perditæ, balant, suspirant, modosque inquirunt, ut à peccatorum spinis liberentur: ad quorum balatum, & gemitus, venit bonus pastor, & eos à peccatis extrahit. Alii, licèt sint Christiani, à collo, & pectore Dei excidunt, in peccato commorantur; non dolent, nec modum quærunt, quò à peccato exeant: quousque veniat ancilla Dei mors; tum eos in sterquilinium Inferni abiicit. Diez fer. 6. Dom. Pass.

Et ipse avulsus est ab eis. Luc. 22. 41. Hoc loquendi modo ingens Christi in suos amor ostenditur; cùm nec per spatium jactus lapidis absque dolore absentiam patiatur. Et tu à anima à Deo extorris tot annis es, & nihil sentis, & quidem distantia, quæ est inter cœlum, & terram. Stella hic.

Ecce, quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Mundus totus Bethania est, in quo jacent ægri morientes; vel mortui in sepulchro fœrent. Attamen rarissimi sunt, qui se agnoscant obnoxios defectibus, aut cupiditatibus. Illis verbum Dei, quod Lazaro vitam restituit, reddere sanitatem animarum, vel palam è suggestu auditum, vel privatim in correctionibus. Sed cùm nemo velit se ægrum fateri, & sua quisque amet vitia; qui ea velit corrigere, excluditur. In domo Marthæ morbus Lazari cognoscitur, metuitur, aperitur; lugetur mortuus; ideò vocatus, qui sanaret: quem *amas infirmatur*. Veni, & vide; jam fœtet. Quare exoratus Christus exclamat: *Lazare veni foras. Nos verò* contrà, quàm sanctæ sorores, & prudentes, egerunt; aut morbos nostros ignoramus; aut occultamus, & stultè excusamus. Hinc non mirum, tam paucos esse, qui recipiant vitam, & plurimi, qui similes fœtenti cadaveris; computrescunt in malis consuetudinibus. Oliva t. 3. conc. 8. die 5. in Ven. in Quadr.

Nisi videro, non credam. Joan. 20. 25. Thomas, reus mysterii non recepti, & aspernans dogma, quòd sit balis novæ Ecclesiæ, agit totos dies octo, saucius licèt tam lethifera plaga; cum tanta animi tranquillitate, ut sibi videretur solus esse illuminatus inter Collegas delusos; nec in vulnere tam acerbo ullum expertus sit conscientiæ stimulum, aut minimum sensum. Ergo non est signum innocentiæ, quòd aliquem conscientia sua non pungat. Id. t. 3. conc. 25. in festo S. Thomæ.

Cauteriatam habentium suam conscientiam. 1. Tim. 4. 2. Quòd si quis peccator sceleris conscientia non mordetur, de his est, qui *cauteriatam* &c. idest, ait Theodoretus, extremum mentis stuporem. Hæc est illa insensibilitas Esau, qui *comedit, & bibit, & abiit: parvi pendens, quòd primogenita vendidisset*. Gen. 25. 34. Hic est ille stupor Balaam, qui asinam humana voce loquentem intrepidus audiebat. Num. 22. 28. tam familiaribus dæmonum colloquiis belluarum ministerio editis utebatur. Hæc est illa inverecundia Judæ; qui ut ait S. Hieron. in Matth. 26. 23. etiam manum mittit cum Magistro in paropsidem; ut audacia bonam conscientiam mentiretur. Mendoza 1. Reg. 3. annot. 4. sect. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Bonæ mentis est, vulnus sentire peccati: nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem: quod est immedicabilis ægritudinis. S. Ambros. in Ps. 50.

Omne peccatum consuetudinis vilescit; & fit homini, quasi nullum sit. Ob duritiam, dolorem perdidit, & valde putre est; sed pro mortuo computandum est. Quando aliquid pungitur, & dolet; aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis: quando autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet; pro mortuo habendum, ac de corpore præcidendum. S. August. s. D. 4. Adv.

Non quærit redimi, qui se nescit esse captivum. S. Bern. ep. 190.

In animabus dolor, aut bonæ, aut malæ, voluntatis est testis: nam dolor pro amisso bono, pro malo commisso, pro non habendo, quod habendum est, bonam voluntatem insinuat. Sic à contrariis dolor fallacem arguit voluntatem. Bonus erat Virginis dolor. Luc. 2. 48. quia quærens Jesum inter cognatos non inveniebat amissum. Sim. Cass. l. 2. c. 24.

Ex virtute dolet, qui ob peccata conteritur; qui agitur impatientia, quosque bonum, quod amisit, inveniat. Et vehementius est gaudium, cùm invenitur deperditum. Idem ibid.

Multi statim sentiunt defectus corporis; sed non sentiunt mala animæ. v. g. multi statim sentiunt ventum intrantem per fenestram; sed non sentiunt ventos superbiæ, vanæ gloriæ &c. alii statim sentiunt modicum calorem, fortè provenientem ex nimio potu; sed non sentiunt ignem luxuriæ; qui totum comburit: alii statim sentiunt aliquam parvam partem spinæ in digito; sed non sentiunt gladium diaboli, qui totam animam transfodit. Alius statim sentit onus stomachi ex repletione; sed, quando habet stomachum animæ repletum veneno odii, & rancorum; non sentit. S. Vinc. Ferr. s. 4. de SS. Trinit.

§. XI.

Peccator diabolum respiciens.

Num. I.

In peccatore diabolus habitat.

Vulpes foveas habent, Matth. 8. 20. Quanti hodieque sunt, quorum in cordibus, cùm in ore sanctam conversationem confiteantur, maligni spiritus ità cubant, sicut vulpes in foveis, sicut volucres in nibulis. Et locus in eis non est, *ubi Filius hominis caput suum reclinet*. Rupertus hìc.

Dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11. 14. Mutus est, qui peccatum suum confiteri, & in Dei laudibus labia sua aperire nescit: dæmonium autem ille habet; qui in aliquo magno peccato perseverat. S. Eusеb. Emiss. D. 3. Quadr.

Introivit in eum Sathanas. Joan. 13. 27. Significatur, per introitum Sathanæ, tantum augmentum malitiæ in Juda; ut velut habitans in eo fuerit Sathanas: hoc est, ut effectus fuerit Sathanas, utens Juda; sicut habitans in domo utitur illa. Cajetanus hìc.

Qui ejus (diaboli) voluntati subjacti sunt, quasi quieto ab illo jure possidentur, & suspectus eorum rex, quasi quadam securitate, perfruitur; dum eorum cordibus inconcussa potestate dominatur. S. Gregor. mor. l. 4. c. 21.

Non est ità magnum à dæmone liberari, ut eripi à peccato. Dæmon non prohibet regnum cœlorum assequi, licèt cooperaretur, invitus quidem: peccatum autem eiicit. S. Chrysost. hom. 41. in Acta.

Dominici contemptores præcepti, statim avertuntur à Deo, à malignis spiritibus occupantur. Sanct. Isidorus l. 2. sentent. c. 15.

Anima peccatrix possidetur à septem dæmoniis. Primum est immoderata sciendi cupiditas: hoc est dæmonium meridianum. Ps. 90. Secundum: immoderata habendi avaritia; hoc est dæmonium mutum. Tertium: dominandi ambitio; hoc est Asmodæus. Tob. 3. Quartum: carnalium voluptatum delectatio; hoc est dæmonium cœcum. Matth. 12. 22. carnalis concupiscentia, quæ excœcat oculos mentis. Quintum: dæmonium sævum; hoc est nocendi crudelitas. Sextum: detrahendi malignitas; de hoc Apoc. 16. Septimum: desperatio, id est, legio. S. Thom. Aqu. D. 2. Quadr.

Sine dubio eiiciuntur dæmonia, cùm eradicantur è corde peccata. S. Bernardus s. 1. in Asc. D.

Quot vitia habuerit homo, tot habet dæmones. S. Cæsarius hom. 16.

Num. II.

Peccator ipse vocatur dæmon, & filius ejus.

Filii alieni mentiti sunt mihi. Ps. 17. 46. Quia promiserant in Baptismo, se de cætero fore filios Dei: & renuntiaverunt Sathanæ, & omnibus pompis ejus: & modò se fecerunt filios diaboli per peccatum; inveterati sunt per pravam consuetudinem, quæ indurat hominem in peccato. Hugo Card. hìc.

Ex vobis unus diabolus est. Joan. 6. 71. Cujus nomen horrendum est nominare: veruntamen multi nomen exhorrent; sed facta diaboli non abhorrent. Sed tolerabilius esset, diabolum videre, quàm esse; ipsum vexantem pati, quàm fieri. Ac per hoc si Judas proditor à seipso potuit diabolus fieri; quot igitur depravata mente facti diaboli? Quid igitur expedit diabolo spirituali, ut ad culpam homines tentet; si ipsi homines facti sunt dæmones. Nemo causetur adversùs invisibilem hostem, dicens: hoc mihi fecit diabolus; si homo à seipso factus est diabolus. Et sicut primus diabolus à seipso factus, non ab alio; sic homo diabolus non fit, nisi à semetipso. Sim. Cass. l. 11. c. 20.

Vos ex patre diabolo estis. Joan. 8. 44. Diabolus pater est omnium peccatorum. V. Beda in Ex. 20. Cajetanus hìc: in quo ostendit, eos esse obsequentissimos filios diaboli: utpote qui non expectant præcepta patris, sed spontanei sunt ad implendum desideria patris.

Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. 1. Joan. 3. 7.

Omnes, qui adversantur Dei voluntati, Sathanæ possunt dici. Orig. hom. 15. in lib. Jesu Nave.

Voluntarius dæmon est peccatum. S. Chrysost. s. 27. in c. 15. Rom.

Num. III.

Peccator pascit diabolum; est ejus cibus.

Quando dictum est diabolo: *terram comedes*. Gen. 3. 14. dictum est peccatori: *terras es, & in terram ibis*. v. 19. (ità legit S. August.) Datus est ergo diabolo in cibum peccator. Non simus terra, si nolumus manducari à serpente. S. August. lib. de agone Christiano c. 2.

Ut pasceret porcos. Luc. 15. 15. Porci ipsi maligni spiritus sunt: quia in fœtore, & vitiorum stercore, delectantur. Hos autem porcos illi pascunt; qui eorum voluntati obediunt, eorumque desideria complent. Superbia, luxuria, avaritia, & similia, siliquæ sunt; quibus maligni spiritus nutriuntur &c. S. Euseb. Emiss. Sabb. D. 2. Quadr.

Dæmonum cibus est ebrietas, luxuria, fornicatio, & universa vitia. S. Hieron. ep. 146. ad Dom. de filio prod.

Omnis homo, charissimi fratres, in convivio cordis sui, aut Christum, aut diabolum, pascit. Qui superbiam, malitiam, invidiam, luxuriam, & his similia, amare voluerit; diabolum se reficere, & desiderabiles illi talibus malis delicias non dubitat præparare. S. Cæsarius Arelat. hom. 16.

Num. IV.

Varia.

Exultabunt, si motus fuero. Ps. 12. 5. Sicut enim *gaudium est in cœlis super uno peccatore &c.* ità gaudium est dæmonibus super una anima peccatum perpetrante. Hugo Card. hìc.

Caput suum movebit, & plaudet manu. Eccli. 12. 19. Hæc obvenient peccatori in hora mortis, & judicii: tunc enim diabolus, qui in hanc vitam blanditur, ei insultabit; eumque accusabit, & à Christo damnatum lætus, plaudens, subsannans, abripiet in tartara. Cornelius hìc.

Homicidium, adulterium, diaboli pecunia est. Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia; hæc omnia diaboli census sunt, & diaboli thesaurus. Orig. hom. 6. in Ex.

Umbra diaboli sunt omnes iniqui: qui, dum imitationi ejus iniquitatis inserviunt, quasi ab ejus corpore speciem imaginis trahunt. S. Gregor. moral. l. 33. c. 4.

Sicut peccatores equi sunt diaboli; ità & sancti equi sunt Christi: quia diabolus in peccatoribus sedens instigat eos per deserta facinorum, idest, per fornicationes, & avaritias. Ergo equitatus diaboli perditio est? &c. S. Chrysost. hom. 23. in Matth. 21.

Peccare mortaliter, est seipsum vendere diabolo: ideo oportet redimi tribus siclis, si volumus salvari: idest, operibus pœnitentiæ; contritione cum proposito; confessione: afflictione, restitutione injuriarum remissione. S. Vinc. Ferr. s. de Purif. B. V.

Quidam dixere: Luciferum, & Leviathan, præesse superbiæ; de quo Job 41. 25. *ipse est rex super universos filios superbiæ*: Mammon avaritiæ, Asmodæum luxuriæ, Belphegor gulæ, Sathanam iræ, Behemot acediæ, Beelsebub invidiæ. Marchantius D. 3. Quadr.

§. XII.

Peccator timet.

Num. I.

Exempla ex Veteri.

Adam.

Adam ubi es? Gen. 3. 9. Velut latenti, & celanti se à Divinitate, Adæ dicitur: *ubi es?* non quòd Adam conspectum Domini latere potuerit; sed quod peccatrici conscientiæ nullus locus tutus, vel certus sit; dum metuit deprehendi. S. Maximus hom. 3. de pœnit. Petri.

Vocem tuam audivi in paradiso, & timui. Gen. 3. 10. Peccat primus mortalium, & statim latitat, timore correptus. Leonibus, tygridibus, & bestiis omnibus, hactenus circumseptus, non modò non timebat, sed securus imperabat: & jam timet, jam latebras quærit. Admissa culpa timet. Alvarez in Gen. 40. Illustr. 134. S. Chrysost. hom. 17. in Gen. quare, dic oro? quoniam sibi videbat trucem stare accusatorem, conscientiam dico: neque enim alium habebat objurgatorem, & testem peccatorum.

Cain.

Omnis, qui invenerit me, occidet me. Gen. 4. 14. Quid times Cain? *omnis* &c. Pater, & mater, soli. Sed potuit Deus in Cainum belluam irritare. Sic Ambrosio visum lib. 2. de Cain c. 9. potuit quidem, & morsus bestiarum timere; qui divinæ jura legis violaverat. Velloso in Judith. 1. Præen. 9. quid deprehensus timet incultus iste agricola? Ecce, inquit, *eiicis me hodie à facie terræ; & omnis &c.* hoc timet, nè agricolari sibi non liceat; ne terram, quam solam amat, vel præsentem vitam, pro admisso facinore perdat. Rupertus l. 4. c. 7. in Gen.

Vagus, & profugus eris super terram. Gen. 4. 12. S. Ambros. cum Sept. *gemens, & tremens eris*. S. Chrysost. l. 1. de prov. Dei: primum parricidium Cain inaudito scelere patravit; imò verò facinus parricidio longè sceleratius: parentes enim incredibili dolore confodit, ac Deo mentitus est. Et pro his omnibus solo timore, & tremore cruciatur.

Ædificavit civitatem. Gen. 4. 17. inter tremores conscientiæ. S. Rupertus l. 4. in Gen. quia occiderat fratrem suum, & ob hoc omnibus odiosus; vagus, & profugus, erat: idcirco civitatem, qua se tutàretur, ædificavit. At quem timebat, cùm nemo, à quo occideretur, superesset? timebat in primis ipsum agrum, in quo peccarat, tamquam sui sceleris conscium, & oculatum quasi testem: & ideo se ab illo in urbem colligebat.

Posuitque Dominus Cain signum. Gen. 4. 15. Quale? communi sententia: tremorem capitis; mentis, & vultus; consternationem. Cornelius hìc.

Alii.

Et scrutatus es omnem supellectilem meam. Gen. 31. 17. Ex. cutiente Laban res Jacob, cùm quæreret idola, Jacob timuit; cùm autem ea non reperiret, resumpto animo eum acriter reprehendit. Hinc collige, quàm timidum faciat culpa; quàm magnanimum innocentia. Stella de cont. van. p. 2. c. 3.

Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. Gen. 42. 21. Oleaster: optima consideratio, cùm pœnam senseris, culpæ meminisse. Theodoretus: inde constare potest apertè, conscientiæ judicium esse inevitabile: refricat enim memoriam sceleris ante duos, & viginti, annos admissi. Alvarez hìc. Illust. 194.

Quos scrutatus, incipiens à majore usque ad minimum, - at illi scissis vestibus &c. Gen 44. 12. Paventibus fratribus invento scypho, solus Beniamin nil metuit. Theodoretus: apertè ostensa est conscientiæ testimonii potestas. Alii enim fratres, licèt non hujus, aliorum tamen criminum, conscii sibi erant. Mendoza in 1. Regul. 12. Annotation. 10. sect. 3.

Quo mortuo, timebant fratres ejus, & mutuò colloquentes: nè fortè memor sit injuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus; mandaverunt ei dicentes: pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, &c. Gen. 50. 15. &c.

Non intres in judicium cum servo tuo. Ps. 142. 2. Sic rogat Deum timens David. Mirandus Job, qui judicium non videtur exhorrescere. c. 13 18. *si fuero judicatus, scio, quòd justus inveniar*. Quæ causa diffidentiæ in rege, & fiduciæ in Jobo? Arguebat David conscientiam de adulterio, & homicidio; ideo timet judicium: Job verò innocens vixit à puero: *neque reprehendit me cor meum in omni vita mea*. c. 27. 6. Alvarez in Gen. 39. Illustr. 114.

Fugit impius nemine persequente. Prov. 28. 1.

Cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me. Dan. 4. 2. *Erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus*. Act. 12. 6. Sed Nabuchodonosor dormit in molli lectulo. Petrus vinculatus, & in periculo mortis, securus dormit; & rex in lectulo perturbatur? *cogitationes capitis*. conscientiæ stimuli &c. Sylveira in Matth. 8. c. 24. q. 8. Quis potentior, & arrogantior, Nabuchodonosore? sed, cùm ex uno Daniele captivo suorum scelerum pœnas audisset; *cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit*. Dan. 2. 46. Mendoza in 1. Reg. 3. 18. Annot. 4. sect. 2.

Recessit somnus &c. 1. Machab. 6. 10. *Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem*. v. 12.

Num. II.

Ex Novo.

Discipuli tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud. Matth. 14. 12. Nicephorus l. 1. c. 19. Herodias, Joannis reprehensionem, etiam post capitis refectionem, verita, conjungensque illud reliquo corpori, timens; apud se sepelliendum remotis arbitris, in abstrusiore regiæ locò duxit. Idem asserit V. Beda, Ruffinus l. 11. hist. c. 28. Vide hìc panicos timores malæ conscientiæ: Herodias enim verebatur; si caput Joannis corpori jungeretur, quòd resurgeret; rursusque animaretur, & contra incestas suas cum Herode nuptias detonaret: sicut Herodes putabat Joannem resurrexisse in Christo, in eumque transisse. Cornelius hìc.

Simon dormis? Marci 14. 37. *non potuistis una hora vigilare mecum?* Matth. 26. 40. Cur Petrus, qui solitus erat respondere? hìc, cùm arguitur, tacet? Petrus à sua constantia agnovit se defecisse; cùm nec vigilaret, nec oraret: & ideo, dum arguitur de somno, conscientia urgente, expavit; qui anteà multa cum confidentia loquebatur. Silveira hìc.

Arescentibus hominibus prè timore &c. Luc. 21. 26. Non putes, parva esse pœnam impiorum timorem hunc. Imò, licet ignis deesset; vel hic solus timor impios vehementissimè vexaret. S. Paulus Hebr. 10. 26. 27. inter ingentes impiorum dolores hunc numerat: *voluntariè peccantibus terribilis autem quædam expectatio judicii*. S. Anselmus hìc: etiam timor judicii resurgentibus malis est pœna inenarrabilis, & gravior, quàm gehenna. Baeza t. 3. l. 13. c. 1. §. 10.

Num. III.

Sententia ex Veteri.

Dabo pavorem in cordibus eorum, in regionibus hostium; terrebit eos sonitus folii volantis, & ità fugient quasi gladium; cadent, nullo persequente &c. Levit. 26. 36.

Dabit tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore &c. Deut. 28. 65. 66. &c.

Num. IV.

Sententia Patrum.

Quod corpori frigus est, hoc est animæ mala conscientia: unde & timiditas nascitur. S. Chrysost. 7. in ep. 2. Corinth. cap. 3.

Peccatori neque somnus suavis; sed terrore, & formidine plenus; neque cibus voluptatem præbet; neque amicorum colloquia talem refocillare, aut liberare de anxietate possunt. S. Chrysost. hom. 20. in Gen.

Timor eorum est, qui offenderunt. S. Basilius Seleuc. or. de sanctiss. Dei genetrice &c.

Qui suam conscientiam non timet, is est, qui Deum non timet. S. Zeno Ver. s. de fide.

§. XIII.

Peccator est in tenebris, odit lucem, est nox.

Ex Veteri.

Divisit lucem à tenebris. Gen. 1. 4. Jam tunc Deus juxta præscientiæ gratiam, divisit justos, idest, filios Dei, & lucis, à peccatoribus, tamquam à tenebris: istos vocans diem, illos noctem. S. Isidorus Comm. in Gen. c. 2.

Cùm audissent vocem Domini ad auram post meridiem. Gen. 3. 8. Sept. *ambulantis ad vesperam*. S. Ambros. ad Ps. 89. denique in paradiso, ubi semper matutinus erat dies, vesper est factus; quoniam omnia peccata tenebrosa sunt. Escobar tom. 1. Mir. Chr. l. 3. sect. 1. ob. 6.

Ingressi sunt in Ægyptum. Ex. 1. 1. Ægyptus, quod *tenebra* dicitur, peccata sunt; quæ malè agentes ad tenebras exteriores ducunt. S. Honorius s. D. Palm.

Fiat via illorum tenebra, & lubricum. Ps. 34. 6. In contrarium peccatoribus verti omnia postulavit: ut via propria, quæ illis videtur lucida, vel fixa; cùm in eadem delectabiliter commorantur; fiat illis tenebrosa; quam horreant: & lubrica; ut in eadem diutius stare non possint. Cassiodorus hìc.

Timor, & tremor, venerunt super me; & contexerunt me tenebræ. Ps. 54. 6.

Convertentur ad vesperam. Ps. 58. 15. An non ad vesperam se convertere congruè memorantur; qui, deserta luce veritatis, soleque justitiæ, delictorum sectantur tenebras? &, qui lucis filii antè nuncupabantur, nunc noctis esse dicantur? Ad vesperam se convertit Adam; quando contra præceptum Conditoris, vetitum comedendo, deliquit. Proinde Dominum inter paradisi ligna latitantem non manè, neque meridiè, sed post meridiem, sacra eloquia illum reperisse testantur. S. Laur. Just. l. de vita solit. c. 9.

Via impiorum tenebrosa: nesciunt, ubi corruant. Prov. 4. 19.

Occidit sol cùm adhuc esset dies. Jer. 15. 9. Occidit homini sol, cùm peccatum mortale prolabitur: tunc enim Christum, solem justitiæ, gratiam, & vitam animæ, deperdit; & in horrendas tenebras, quin & in mortem præsentem, & æternam, corruit. Ità S. Hieron. apud Cornelium hìc.

Ex Novo, & Patribus.

Lux in tenebris lucet. Joan. 1. 5. Noli cadere in peccatum, & non tibi occidet hic sol: si tu feceris casum, tibi faciet occasum. S. August. tr. 2. in Joan.

Omnis, qui malè agit, odit lucem. Joan. 3. 20. Deus in luce operatur. Cùm orbem condidit, prima die dixit: *fiat lux* Lux, est & lucis amicus. At diabolus initio operum suorum dicit: fiant tenebræ. Barradius tom. 2. l. 9. cap. 3. Dom. 5. Epiph.

Abiciamus opera tenebrarum. Rom. 13. 12. Dicuntur opera tenebrarum opera peccatorum. Primò, Quia in seipsis privata sunt lumine rationis, quo illustrari debent humana opera. Eccla. 2. 14. *sapientis oculi in capite ejus; stultus in tenebris ambulat*. Secundò in tenebris aguntur. Job 24. 15. *oculus adulteri observat caliginem*: Tertiò quia per eas homo ad tenebras ducitur. Matth. 22. 13. *mittite eum in tenebras exteriores*. Sanct. Thomas Aqu. lect. 1. in cap. 13. Rom.

Quid est peccatoris vita, nisi nox? Unde & per Paulum conversis peccatoribus dicitur Eph. 6. 8. *Eratis aliquando tenebræ*. Sanctus Gregorius lib. 6. Exposit. in 1. Regul. 15.

Quid peccatores, nisi nox? Idem in Psalmo pœnitent. 50. Non sunt tales tenebræ *noctis*, quales illæ sunt, quæ de confusione veniunt peccatorum. Sanctus Chrysol. sermone 3. Quid peccatum dixerim: nisi tenebras, per quod intellectus noster obtunditur, & obumbratur; nè veritatis lumen aspiciat. S. Laur. Just. ligno vitæ de virt. fidei c. 1.

Tentatio diabolica noctem ingerit; inspiratio divina diem facit. Toties verò noctis tenebras incurrimus, quoties per ignorantiam, vel per malitiam peccamus. Richardus à S. Vict. l. de verbo Incarnat. c. 14.

§. XIV.

Peccator obnoxius infamiæ, proditur.

Similitudines.

Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. Ps. 21. 14. In hoc leone, qui primùm rapit, tum rugit, sceleris imago adumbrata: non enim perstrepit, cùm prædatur; sed cùm rapuerit. In silentio peccas; sed non tacebit iniquitas, cùm te prostraverit. Cain Gen. 4. 8. clam occidit fratrem: nullus homicidii testis, nullus Judex: in agrum exiit; ut secretò fæviret. Sed, patrato scelere, ipse sanguis iniquè profusus clamare cœpit de terra. David qui non egit, ut scelus occultissimè peractum obtegeret? adhuc prædicatur super tecta. Ut fulmen non antè, sed post stragem, perstrepit; ità flagitia tonant, cum sævierint. An non in mari occultissime mergeris? ad imum usque descendis: ubi verò perieris, ab imo ad summum egrederis: ut, qui nullo teste periisti, teste Mundo periisse cognoscaris: prostabit cadaver, qui demersus est vivens. Quid? quod etiam in corde tuo leo rapit sine rugitu; sed, ut rapuerit, in horrendam vociferationem erumpit. Tam occultè sol è sterquilinio elevat vapores, ut à nullo vilis rapina deprehendatur. Sed coacta in nubem præda, nubibus, imbribus, fulguribus, tonitruis, raptorem, furtumque prædicat. Oliva l. 11. Strom. §. aperuerunt super me os suum &c.

Despoliaverunt eum. Luc. 10. 30. Denudant, priusquàm vulnerent: ut & innocentia, & fama, eodem temporis puncto, se privari peccator intelligat. Diripit involucra peccatum, ut prostet crimen. Frustrà ergo occultari speras, quæ clam flagitia patras. Oliva l. 13. Strom. hìc.

Candelam extinctam fœtor validus comitatur; peccatorem infamia. Berengarius similitud.

Exempla, & textus.

Ex Veteri, & Novo.

Consueverunt folia ficus. Gen. 3. 7. Primi peccatores, ut pudorem peccati tegant, confugiunt ad folia ficus; quæ potiùs notæ, & signa peccati fuerunt, quàm velamen. S. Basilius Seleuc. tales dæmonis sunt machinationes: cum voluptate fanciat, & accusat pudendum in modum: ad ruinam impellit; & cadentes publicis ignominiæ notis consignat. Baeza t. 3 l. 13. c. 1. §. 7.

Sin autem egeris malè; statim in foribus peccatum aderit. Gen. 4. 7. Hugo Victorinus hìc: peccatum, quod est in foribus, ut exeat, prava voluntas est; quæ non potest celari, quin aliquando exeat, & appareat aliquo signo. Ibidem.

Quidquid masculini sexûs natum fuerit, in flumen proicite. Ex. 1. 22. ut sic latenter omnium sanguinem effunderet. Ex. 7. 20. in pœnam *elevans* Aaron *virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, - quæversa est in sanguinem.* Theodoretus q. 29. in Ex. fluvius ille mutatus in sanguinem conqueritur de cœde puerorum. Aquæ rubentes ejus savitiam accusabant, & scelus coram populo divulgabant. Castillo Illat. 116.

Tu fecisti absconditè. 2. Reg. 12. 12. David tam solerter culpam absconderat; ut famæ securissimus viveret: persuasus, facinus notum esse uni domestico, quem miserat ad matronam. Sed adeò non tecta est lascivia regii lecti siparo; ut in totam Palæstinam divulgata sit, & omnes populos Judææ; immò & ad eos, qui Israelis Deo maledicebant: *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini.* Ecce quò pervenit illud: *fecisti absconditè.* Non juvit ad occultandum fides domestici, mulieris deceptæ silentium, occisi sepulchrum, conclavis unius parietes, nec sollicitudo regis. Oliva t. 3. conc. 23. de Imm. Concept.

Ingrediere uxor Jerobeam; quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius. 3. Reg. 14. 6. Latere non potuit regina; licèt ostiariæ similior, quàm reginæ. Ea est improbitatis virulentia; ut tegi nequeat. Sicut aureis tintinnabulis Pontifex. Ex. 28. 34. 35. noscebatur templi adyta ingressurus; ità ferreis proditur tintinnabulis pravitas animi: quæ silens quoque vocalis est, & in probrum suum, non sonora tantùm, sed & strepera. Oliva D. 2. Quadr.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia. Ps. 139. 3. Viden, ut abstrusum præcordiis scelus ità erumpat; ut belli se fragoribus prodat: explicatisque signis adesse se non fateatur solùm, sed reboet. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis.* v. 4. Solus serpens linguam semper vibrat: animantes reliquæ, licèt feræ, raro rictum deducunt. Linguam serpens eventilat: quasi absconditam pestem vel invitus prodere cogatur. Id. ib.

Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus: dolores parturientis venient ei. Os. 13. 12.

David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ. Matth. 1. 6. Nihil ità procuravit David, quàm nè conceptum cum Bethsabea scelus detegeretur, & usquam non eminet. Nam hic quoque, ubi ex nupta jam sibi fœmina Salomonem genuit, Urias erumpit; nunquam satis oppressus, & nunquam non paratus patrati à Davide criminis, aut delator, aut vindex. Oliva lib. 6. Strom. §. David autem genuit &c.

Væ prægnantibus &c. Matth. 24. 19. Euseb. Emiss. prægnantes sunt illæ animæ, quæ per hypocrisim peccata sua abscondere volunt. Gravida non potest dissimulare uteri onus. Did. Nyss. D. 5. Quadr. §. 1.

Peccavi, tradens sanguinem justum. Matth. 27. 4. Drogo Ost. de Pass. D. quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotuit. Quid non fecit Judas, ut suum celaret scelus? oris amicabili osculo cordis virus celabat; sed, loquente nemine, seipsum prodidit. Castillo Illat. 117.

§. XV.

Peccator deseritur à Deo, Deum deserit.

Ex Veteri.

Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso. Gen. 3. 8. Dion. Carth. Deus deambulavit; quasi suo motu designans, se recessisse ab eis, in quibus antè per gratiam mansit.

Dimitte me-non dimittam te. Gen. 32. 26. Rupertus l. 8. in Gen. c. 6. Jacob cum Deo luctatur, & victor benedictionem extorquet; quasi invito, & nolenti, ac dicenti: *dimitte me*: quia videlicet sic futurum erat; ut comminaretur Deus, sese à femine ejus recedere, propter peccata ejusdem gentis rebellis, & incredulæ. Hinc fugam meditantem stringit manibus, brachiis ligat, devincit lacrymarum nexibus. Arcones in Is. t. Disc. 4.

Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? iratusque conteræ eos abiit; nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum. Num. 12. 8. 9. &c. Magna ira, quòd ab Aaron, & Maria, fugiat Deus, & nubes protectionis à tentorio recedat. Id. ib.

Arca Dei cum Dagon non sociatur. 1. Reg 5. 3. nec Christus cum diabolo; nec virtus cum vitio. Mendoza hìc Annot. 16. sect. 1.

Quid interrogas me? cùm Dominus recesserit à te. 1. Reg. 28. 16. q. d. quid belli exitum habere cupis exploratum? cui, ut se Deus subtraxit, ità feliciter nihil evenire potest. Seu enim victus occumbas; quid victoriæ jacturam cures, qui Deum perdidisti? Seu triumpho potiaris; quid magnum referas à Deo destitutus? Quidquid tibi sinistrum accidat, minus malum erit; quàm, quod te maximè premit; Dei derelictio. Did. Nyss. D. 12. Pent. §. 5.

Hæc dicit Dominus: vos reliquistis me; & ego reliqui vos in manu Sesac. &c. 2. Paral. 12. 5.

Si quæsieritis eum (Dominum) invenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. 2. Paral. 15. 2.

Domine nè declines in ira à servo tuo. Ps. 26. 9. O sanctum timorem! quo Deum, etiam iratum, à se declinare metuebat: equidem dum adest Deus, non debet esse timori etiam divina ira: unum solùm timendum malum; nè Deus absit, nec ab ejus præsentia excidamus. Baeza t. 1. l. 1. c. 2. §. 1.

Qui dat nivem sicut lanam &c. Ps. 147. 16. Videmus nivem, nebulam, crystallum: bonum est, ut ille spiret, & solvat: si enim ille non spiraverit, si non ipse duritiem glaciei hujus dissolverit; *ante faciem frigoris ejus &c.* Cujus? Dei. Unde est ejus frigus? ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam. S. August. hìc.

Væ soli! Ecclæ. 4. 10. Solus namque est, qui à Deo relinquitur. Hunc certè cadentem nullus erigit: quia relictum à Deo sanctorum aliquis non assumit. S. Greg. in 1. Reg. 10.

Vivemus in conspectu ejus. Os. 6. 3. Abstrahatur Deus; fugam cum ipso arripiente vita mors premet delinquentem. S. Hieron. *vivemus in conspectu ejus*, qui illo absente mortui jacebimus. Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 11. sect. 3. Obs. 2.

Væ eis! cùm recessero ab eis. Os. 9. 12.

Ex Novo, & Patribus.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Matth. 23. 38. Quare deserta? quia deservit. Iuhæret nobis Deus, si sibi adhæserimus. Neque portus, & civitates deserunt naves, immobiles enim sunt; sed versa vice naves vento commissæ, aut remis agitatæ recedunt. Sim. Cass. l. 8. c. 37.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. 15. 5. Unum è duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit. V. Beda in Joan. 13.

Si quis in me non manserit, mittetur foras &c. Joan. 15. 6. O tremenda sententia! ò horrificas minans pœnas! Nimirum mitti foras extra Ecclesiam, extra Dei protectionem, & curam, & extra meritorum Christi participationem: quia in eo per charitatem manere noluerunt. De Ponte in Cant. 2. Exh. 19. §. 3.

Quod facis, fac citiùs. Joan. 13. 27. S. Ambros. l. 2. de Abel, & Cain cap. 4. ut, quia introierat in illum Sathanas, ipse à Christo abiret. Ejicitur itaque, & excluditur: eò quòd jam cum Domino Jesu esse non possit; quia cœperat esse cum diabolo. Nulla enim communicatio Christi ad Belial.

Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illicò fugamus diabolum: si peccaverimus, & per peccatis januam ingressus fuerit diabolus; protinus Christus recedit. S. Hier. l. 2. advers. Jovin.

Quocumque iero, tu me Domine non deseris; nisi prior ego te deseram. S. August. soliloq. c. 14.

Numquam priùs Deus deserit hominem, nisi priùs ab homine deseratur. S. August. s. 1. fer. 4. D. 3. Quadr.

§. XVI.

Peccator est vilis, pulvis terræ, &c.

Ex Veteri.

Pulvis es. Genes. 3. 19. Sicut de protoplasto, qui legem transgressus est, gloriam, qua tegebatur amisit, mortisque pœnæ obnoxius fuit factus, dicebat: terra es, & in terram ibis: ita & hic, quia plurimùm invaluerant peccata, inquit: *corrupta erat terra.* S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Videntes filii Dei &c. Gen. 6. 2. Filii Dei vocantur hic filii Seth, ob sanctitatem. Ita S. Chrysost. Cyrillus, Rupertus, Hilarius. Secundò est phrasis Hebræa: Hebrei omnia fortia, magna, egregia, dicunt esse Dei: montes Dei, cedri Dei. Sic vocantur filii Seth: quia robusti, viribus forma, statura eximij. E contra filii, & filiæ Caini vocantur filii, & filiæ hominum: quia erant perversi, & terræ affixi. Corn. hìc.

Adducant ad te vaccam rufam. Num. 19. 2. Rufus, sive sanguineus color, symbolum est peccati. Significabat rufa vaccâ, peccatorem reum esse sanguinis, & mortis; æque ac combustionis in igne gehennæ: hæc enim vacca comburebatur. Cornelius hìc.

Tanquam pulvis. Ps. 1. 4. Hìc notantur tria sub uno membro; quæ faciunt hominem miserum. Primum est inconstantia: quia, sicut pulvis est levis, & mobilis; sic peccator. Secundum ariditas. Tertium sterilitas. Hugo Card. hìc. Peccatores pulvis, quia multi. 2. Reg. 1. 21. *Montes Gelboe &c.* quia viles. Jer. 2. 36. *quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas.* Hugo Card. in Ps. 29. 4.

Capilli tui sicut greges caprarum. Cant. 4. 1. Hæc capillorum laus intelligenda, quamdiu capiti suo inhærent: cùm ab eo separantur, non amplius crescunt, nec æstimantur, & omnis laus vertitur in contrariam ignominiam: quò enim altiorem habebant locum, tantò viliorem postea sortiuntur; cùm mittuntur in sterquilinium, & conculcantur. De Ponte hìc l. 7. Exh. 2. §. 4.

Si non peccaverimus; scimus, quoniam apud te summus computati. Sap. 15. 2. Dicuntur boni esse computati, sicut dilecti, & electi: & bene possunt computari, quia pauci. Mali autem non computantur à Deo: sicut nullus computat monetam reprobatam. Jer. 6. 30. *argentum reprobum vocate eos.* S. Bonavent. hìc.

Descende, sede in pulvere filia Babylon, sede in terra. Is. 47. 1. Ita & Jerusalem nostra quoties in confusionem peccatorum venerit, non est ei solium, neque thronus, neque ulla dignitas celsitudinis; sed in terræ pulvere sedere jure perhibetur. S. Paschas. l. 1. in Thr. 1.

Ollam succensam ego video. Jer. 1. 13. Anima peccatrix dicitur olla, propter concupiscentiæ fervorem, propter maculæ nigredinem. Nahum 2. 10. *facies omnium sicut nigredo ollæ.* Et prædicta olla succenditur igne inordinati amoris, iræ, & contentionis. S. Thom. Aqu. hìc.

Quomodo obscuratum est aurum. Thren. 4. 1. Anima se jure deplorat; & fuit priùs per fontem Baptismi nive candidiùs dealbata; per infusionem Spiritus S. auro pulchris colorata: nunc verò, aut hæresi est infecta; aut vitiis, & sceleribus, obfuscata. S. Paschasius hìc.

Ex Novo, & Patribus.

Digito scribebat in terra. Joan. 8. 6. ad significandum, quòd ipsi, & omnes mali, in terra scribuntur in terra, non in cœlo. Hug. Card. hìc.

Peccatum hominem parvum facit, & exiguum: virtus eminentem præstat, & magnum. Sicut enim ægritudo corporis exile, & exiguum facit corpus hominis; sanitas verò lætum reddit; & validum, ita intellige; quia & animam ægritudo quidem peccati humilem facit, & parvam; sanitas verò interioris hominis magnam. Origenes homil. 12. in Levit.

Ubicumque in Scripturis sanctis legitur, *habitator*, aut *habitatores terræ*; si priora, & sequentia spectemus; liquidò Scripturarum poterit comprobari hæc regula; plerumque habitatores terræ peccatores appellari. Sanct. Hieron. epist. ad Dardanum.

Innocentia decerpturos alimenta ex arboribus, adhuc sibi bene conscios homines, ad superna subvexit: & commissum delictum, ad conquirenda frumenta, homines terræ, soloque dejecit. Tertull. ep. de cibis Judaicis.

Nihil est viro vilius (etsi rex sit) quando est vitio deditus, quemadmodum nihil est vel captivo regalius, ac magnificentius; quamdiu virtutem possederit. S. Chrysost. in Ps. 6. 8.

Jacemus in vitiis, & jacemus oppressi: stamus; cum bonis operibus erigimur ad profectum. S. Chrysol. s. 54.

Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo; quare sic honoratus à Deo teipsum taliter inhonoras? Idem ser. 148.

Cecidit homo per suggestionem, delectationem, consensum; ab illa summa, & pulchra trinitate: scilicet potentia, sapientia, puritate; in quandam contrariam, & fœdam, trinitatem, infirmitatem, cœcitatem, immunditiam. Drogo Ost. lib. de creat. & redempt. primi hominis.

Peccatum est sicut putredo in pomo: sicut enim putredo aufert pomo decorem, valorem, colorem, odorem, & saporem; sic peccatum aufert animæ decorem vitæ, odorem famæ, valorem gratiæ, & saporem gloriæ. Sanct. Bonaventura Diæt. sal. cap. 2. de vitiis in speciali.

§. XVII.

Peccator fit nihil.

Ne tradas Domine Sceptrum tuum his, qui non sunt. Esth. 14. 11. id est, peccatoribus; qui sunt, tamquam non sint. Sylveria in Joan. 16. q. 8.

Cor mundum crea in me. Ps. 50. 12. *Crea* dicit, quasi ex nihilo: quia esse morale perdiderat; secundùm quod peccatori dicitur. Ezech. 28. 19. *nihil factus es.* Psal. 72. 22. *ad nihilum redactus sum.* Jer. 5. 21. *audi populo stulte, qui non habes cor.* Hugo Card. hìc.

Emittes spiritum tuum, & creabuntur. Ps. 103. 30. Dices: nonne creati sumus? Dico, quò creare, secundùm Theologos, est, ex nihilo aliquid facere: & cùm in peccato estis, nihil estis, juxta 1. Cor. 13. *si charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde recipiendo Spiritum S. homo esse gratuitum recipit per gratiam, qui nihil erat per peccatum. Diez conc. 4. fer. 2. Pent.

Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihil. Jer. 4. 23. & v. 25. *intuitus sum, & non erat homo.*

Patres nostri peccaverunt, & non sunt. Thr. 5. 7. Non vacat ab intellectu, quomodo non sint, qui omnino & jam, & post mortem, esse non creduntur. Omnis enim peccator ex eo, quod delinquit, & peccat, ad nihilum redigitur, & non est. Et ideo non est; quia ab eo, qui semper est corruit. S. Paschasius hìc.

Homo, non sum. Luc. 22. 58. Non ait, non sum Discipulus Jesu; sed, *non sum.* Jesum negans, se quoque negat. S. Ambros. l. 10. in Luc. quia videbatur negare societatem Christi, utique se negavit. Sylveira in Joan. 16. q. 8.

Peccatum nihil est; & nihil fiunt homines, cùm peccant. S. August. tr. 1. in Joan.

Toties nihil factus sum, quoties à te separatus sum. Id. soliil. c. 5.

§. XVIII.

Peccator inveteratus senex.

Inveteravi inter omnes inimicos meos. Psal. 6. 8. Bene dicitur homo inveterari per peccatum, propter multas causas. Una est: quia sicut senes amittunt visum, sic peccatores amittunt spiritualem visum. Item amittunt dentes; sic peccatores dentes dilectionis. Item amittunt virtutem gustandi; sic peccatores spiritualiter. Item auditum amittunt senes; sic peccatores. Item fiunt tremuli; sic peccatores. Item infatuantur. Hugo Card. hìc.

Nihil facit adeò inveterare, ut natura peccati, Quando ergo à peccato inveteraveris, renova teipsum per pœnitentiam. S. Chrysost. in Ps. 6.

Pecuniæ amor, absurdarumque concupiscentiarum servitus; atque simpliciter omne peccatum, operatorem suum, putrem, ac vetustum reddere solet: quod verò vetustum, senioque confectum, propè est ad interitum. Sanct. Chrysost. serm. 10. in Rom. 6.

Animæ nostræ senescunt de peccato mortali: quia omnes defe-

defectus, quos senectus dat corpori naturaliter, peccatum dat animæ spiritualiter. *Primus est*, dealbatio capillorum capilli animæ sunt variæ cogitationes. Persona existens in gratia habebat capillos nigros, idest, cogitationes humiles cogitando proprios defectus; quos peccator non cognoscit. Secundus: obturatio sensuum: humores enim grossi abundant in senibus. 2. Reg. 19. 35. *numquid vigent sensus mei &c.* sic peccator nihil sentir de malis animæ; cùm mala corporis optimè sentiat. Tertius corrugatio pellis: plena pellis in juvene est conversatio exterior. Et sicut pellis cœperit carnem, sanguinem, & ossa; ita conversatio: persona enim sancta talis est intra, qualem se ostendit exteriùs. Quando autem cadit in peccatum, verecundatur ostendere; & aliter ostendit extrà, quàm sit intus. Quartus incurvatio capitis. Ratio naturalis: quia sicut ignis emittit flammam in altum; ità cor hominis juvenis est ita ardens, ut faciat ire rectè: sed quando calor cordis minuitur, caput inclinatur. Persona sine peccato habet caput animæ, scilicet, cogitationes, erectum, cogitando Deum, cœlestia &c. Peccator non delectatur respicere cœlum &c. His dicitur. Luc. 21. 28. *respicite; & levate capita vestra*. Quintus debilitatio membrorum. ideo baculo sustentatur. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*. Thr. 1. 8. Quando persona est in gratia, habet genua, manus, & omnia membra firma ad orandum; secus in senecture peccati. Sextus appropinquatio mortis. Licèt moriantur æquè juvenes, quàm senes; naturaliter tamen plus juvenis distat à morte: *quod antiquatur, & senescit, propè interitum est*. Hebr. 8. 13. S. Vinc. Ferr. s. 4. D. 19. Trinit.

§. XIX.

Peccatoris variæ miseriæ.

Erat vir unus. 1. Reg. 1. 1. Vide si non hoc ipsum pertinet ad laudem justi, quod dicitur de eo, *erat vir unus*. Nos qui adhuc peccatores sumus, non possumus istum titulum laudis acquirere: quia unusquisque nostrum non est unus, sed est multi. Intuere namque alicujus vultum nunc irati, nunc iterum tristis, paulò post rursum gaudentis; & iterum turbati, & rursum lenis. Vides, quomodo ille, qui putatur unus esse, non est unus; sed tot in eo personæ videntur esse, quot mores. Origenes hic.

In circuitu impii ambulant. Ps. 11. 9. Ut pacem Ægyptii exprimerent, centri punctum pinxerunt. Quidquid non quiescit in puncto immobili, pax non est. Ergo impossibile, peccatores pace potiri: quia non in puncto quiescunt, sed *in circuitu ambulant*: idest, ait Cajetanus, in circumferentia, procul à centro veritatis, & virtutis. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 9. sect. 2. obs. 1.

Vox Domini concutientis desertum. Psal. 28. 8. Cor peccatoris dicitur desertum propter quatuor: sterile est propter otiositatem: incultum est per negligentiam: à feris inhabitatum per monstruosorum peccatorum adinventionem: infructuosis arboribus est consitum per pravorum morum consuetudinem. Hugo Card. hic.

Quæ est ista - de deserto. Cant. 8. 5. Desertum est cor malum: quia cultum non est; & germinat inopia, & in eo bestiæ habitant. Hugo à S. Victore hic.

Nihil est infelicius felicitate peccantium; qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur. S. August. ep. 5.

Omnis malus est miser. S. Gregor. Nyss. lib. 8. de provid. cap. 5.

§. XX.

Peccator non dolet, non flet, quia peccata sua nescit.

Ex Veteri.

Peccavi Domino. 2. Reg. 12. 13. David peccatum suum non considerabat; & ideò minimè flebat. At ubi à Propheta propositum vidit; in lacrymas, & contrictionem prorupit. Barradius t. 3. l. 7. c. 9. D. 9. Pent.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Psal. 37. 5. Hæc est causa, cur sensum doloris, quàm persset, ex peccatis suis pauci percipiant: quia peccati magnitudinem pauci in statera seriæ cogitationis appendunt. Bellarminus hic.

Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole: & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus. Eccl. 1. 14. Sub sole est vanitas, super solem veritas. Anima ergo, quæ est sub sole per amorem temporalium; & non est super solem, per contemplationem supernorum; quid aliud habet facere, nisi flere, & gemere? Et bene conjunguntur *vanitas, & afflictio spiritus*; ubi est vanitas felicitatis terrenæ, ibi afflictio mortis æternæ. Ramirez in ep. 7. Apoc. 3. v. 17.

Qui addit scientiam, addit & laborem. Eccl. 1. 18. quia quantò meliùs homo agnoscit bona, & mala; tantò magis affligitur, quando errat. Job 42. 56. *nunc oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere*. S. Bonaventura hic. S. August. l. de spir. & anima cap. 49. quia & quantò homo magis sua mala intelligit; tantò ampliùs suspirat, & gemit.

Salonius hic: quantò quisque plus in sapientia proficit, tantò magis irascitur sibi de malis operibus, quæ gessit; & contristatur, & dolet de peccatis suis; ideoque addit & laborem: quia, quantò amplius cœlestia, & æterna cognoscit; tantò magis dolendo, & flendo laborat; ut errorum laqueos evadere possit, & liberari valeat de hujus sæculi molestia. S. Laur. Just. lib. de triumph. &c. cap. 19. uno Jesus tempore fruebatur Dei visione, & intolerabili passione gemebat; ut tota divinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam. Nam quemadmodum omnes cognitione antecessit; ita etiam & mœrore. Apposita illi est scientia, appositus est, & dolor. Baeza t. 2. l. 12. c. 5.

In tenebrosis collocavit me. Thr. 3. 6. Moraliter: anima amisso lumine, collocata in tenebris, quasi mortua in sempiternum: nec seipsam, qualis sit; quàm misera, quàm infelix; quibusve oppressa malis, & nudata bonis, videre valet: auferuntur enim judicia Dei ab hujuscemodi anima. Hoc semper inimicus gaudet, ne se misera anima de tenebris ad lucem explicare queat. S. Paschas. hic.

Ex Novo, & Patribus.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Quia sua peccata clarè advertit, dignè pensavit; seipsam profundissimè humiliavit, ineffabiliterque contempsit. Ideo non solùm non verebatur confundi, despici irrideri: immo omnia ista optavit; ut Deo, quem ipsa inhonoravit, aliquam recompensationem, honoremquè faceret. Dion. Carthus. hic.

Videns civitatem flevit. Luc. 19. 41. Quia vidit, flevit: nos verò, quia non videmus, non flemus. Si videremus nostræ civitatis, idest, animæ nostræ mala fleremus. Videre, & flere, oculorum est: iisdem, quibus videmus, oculis flemus. Solus homo plorat, qui ratione præstat; reliqua animantia rationis expertia etiam carent fletu. Quamdiu in utero latet infans, non plorat; prodiens in lucem plorat. Sic, quamdiu in utero ignorantiæ est homo, mala sua non deflet; lucem veritatis intuens lacrymatur. Heu! quot homines instar infantium, suorum malorum obliti, malè securi, læti, absque lacrymis. Postquam verò scelera, quibus se inquinaverunt, gravissima; Dei majestatem, quam læserunt; justitiæ divinæ rigorem, pœnarum cernunt æternitatem; lacrymis, & contritione cor perfundunt. Sol vapores è terra elevat, ex quibus fit pluvia: sic intellectus, sol noster, ex conspectis malis vapores quosdam elevat; ex quibus pluvia salutaris oritur lacrymarum. Barradius t. 3. l. 7. c. 9. D. 9. Pent. Nota ista duo, *videns flevit*. O anima! si videres, fleres: Sed quia non vides, ideò non fles. Ramirez in ep. 7. Apoc. 3. 17. *& nescis, quia tu es miser*. Quis non fleret super Jerusalem, qui illam, & fines ejus, perfectissimè videret, ut Jesus vidit. Nemo sic potest lapidescere; qui si res videret, & bene cognosceret, quæ circa se sunt, aliud nollet, quàm copiosas lacrymas fundere. Flens ajebat Christus, *si cognovisses & tu*; quasi ideo secum non fleant, quia secum non cognoscunt. Baeza t. 2. l. 12. c. 5. Perversa anima, rebus præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta abscondit sibi mala sequentia: quia videre futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbant: dumque in præsentis vitæ delectationibus se deserit; quid aliquid, quàm clausis oculis ad ignem vadit. Sanct. Gregor. hom. 39. in Evang.

Si cognovisses & tu. Luc. 19. 42. Subaudi eversionem, quæ tibi imminet; & tu fleres, quemadmodum ego. Sanct. Greg. hom. 39. Si cognovisses mala, quæ imminent: & tu quoque fleres. S. Paschas. in Thr. 3.

Initium salutis est, sua intelligere, & flere peccata. S. Hieron. in Is. 15.

Citò culpa, quæ citò cognoscitur, corrigitur. V. Beda hom. die Ciner.

Et legimus, & experientia probatum est: si quem Deus permitteret videre peccata sua, sicut ipse ea videt; mox præ dolore rumpendum cor illius, aut sensibus eum destituendum: ubi aspiceret, quanta injuria, & contemptu affecerit Creatorem, ac Redemptorem, Deumque, ac Dominum suum: & quàm indignè, turpiterque deformaverit nobilem, speciosamque animam suam. Blosius p. 3. marg. spir. c. 2.

§. XXI.

§. XXI.

Peccatori omnia cedunt in malum.

Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite. Ex. 1. 22. Non timet inauditum patrare delictum, ut vitet periculum, quod fuerat stultè suspicatus. Moyses parvulus immergitur aquis; sed Dei jussu fluvius parcebat infanti; ut Pharaoni à fluvio tristis emergeret casus. Regis filia &c. Ex. 2. 10. *vocavit nomen ejus Moyses*. Hujus pueri opera usus est postea Deus, ut refractarios puniret. A fluvio, quem contra legem puerorum constituerat carnificem, emergere debebat damnum: quia à fluvio gestiebat Pharao mutuari subsidium; ut per ipsa, quæ sibi putabat commoda, ascisceret detrimenta. Naxera in Jos. 23. §. 26.

Si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere - jam nunc scitote &c. Jos. 23. 12. 13. Quæ homo contra legem, ut vitæ exambit subsidia; esse solent certissima detrimenta. Stupidus est, quia ab igne exigit glaciem, qui à nive ardorem: nec minùs stultus, qui à vitio mutuatur commodum; & à virtute salutis putat oriri dispendium. Hanc veritatem docet Josue; dum, quæ commoda ab allicitis conjugiis, ab improborum consortiis, emergent, populo pandit. *Si volueris &c.* Naxera hic.

Venistis ad mare: persecutique sunt Ægyptii &c. Jos. 24. 6. Mare Hebræis videbatur infaustum, Pharaonis persecutioni commodum: verùm adeò contrarius fuit humano judicio eventus, ut mare Hebræos securè transmiserit, & digna strage absorbuerit Ægyptios. Idem hic 28.

David præcepit pueris suis, ut interficerent eos. 2. Reg. 4. 8. 10. Per quæ quærebant lucrum, invenerunt damnum. Id. in Jos. 23. §. 26.

Me expectaverunt &c. Ps. 118. 95. O infelices expectatores! nescitis quid expectetis. Prosperitatem quæritis; sed adversitatem invenietis. Expectant claritatem, suavitatem, tranquillitatem; sed invenient pro temporali claritate æternalem caliginem, pro suavitate amaritudinem, pro tranquillitate turbinem. De his tribus. Is. 59. 9. *expectavimus lucem; & ecce tenebræ*. Job 30. 26. *expectabam bona, & venerunt mihi mala*. Jer. 14. 19. *expectavimus pacem, - & ecce turbatio*. S. Bonaventura hic.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium. Joan. 11. 47. Consilium ineunt, ut inferant mortem; non unde poterant accipere vitam. Mortuum quatriduanum revocavit ex mortuis. Et ob idipsum venantur ad necem, quia mortis imperium destruebat. Et, quod eis, cæterisque Judæis, debuit esse causa fidei, occasio perfidiæ fuit. Semper enim divino, justoque judicio agitur, ut perversis recta vertantur in malum. Sim. Cass. l. 11. c. 45.

Sicut, secundùm Apostolum. Rom. 8. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; ita non diligentibus Deum omnia cooperantur in malum. S. Bernardinus t. 1. s. 9. art. 1. *Diligentibus Deum &c.* in tantum omnia, ut etiam aliena mala. Odientibus autem Deum è contrario omnia cooperantur in malum ipsorum; & in tantum omnia, ut etiam bona. Guigo consid. de tranq. animi c. 13.

Cùm gallina mille immunditias in sterquilinio manducet, omnes ei in bonam substantiam convertuntur, quia bonæ complexionis est. At verò accipitri, qui pectuscula gallinarum edit, omnia in malam carnem, & prorsus ad manducandum inutilem convertuntur. Justus omnia in bonum, peccator omnia in malum convertit. Diez Peccator.

§. XXII.

Peccator pœnæ suæ author, & origo.

Ex Veteri.

Maledicta terra in opere tuo. Gen. 3. 17. *Benedixisti Domine terram tuam*. Ps. 84. 2. Si terra habuit benedictionem à Deo, unde contraxit maledictionem? Non à Deo; sed à peccato: *in opere tuo*. S. Hieron. in qq. Hebr. in Genes. opera hic non ruris colendi, ut plerique putant; sed peccata significant, ut in Hebræo habetur: & Aquila non discordat dicens: *maledicta humus propter te*. Rupertus l. 3. in Genes. *maledicta terra in opere tuo*, idest, propter opus, quod est peccatum tuum. Sylveira addit. in Matth. 23.

Clamor Sodomorum &c. Genes. 18. 20. 21. Pulchrè clamorem dixit in se habere peccata. Grandis absque dubio peccantium clamor est, qui à terra ascendit in cœlum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? scilicet quia cædi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, ut non differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor, est; quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur; ut peccantes punire cogatur. Salvianus de Provid. Dei l. 1.

Dominus pluit sulphur, & ignem. Gen. 19. 24. Nubes, quæ aquas submittunt, nonne vapores sunt? qui è terra exurgentes aeris superiorem regionem petunt, ibique densantur quousque resoluti in aquas recidant eò, unde ascenderunt. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 8. cap. 8. *Pluit*, cur non dicitur, *cecidit ignis Domini*, ubi super holocaustum. 3. Reg. 18. 38. Dicitur ille ignis pluvia; quia ex peccatorum vaporibus excitata. Sylv. in Matth. 24. q. 15.

Deus tuus ignis consumens est. Deut. 4. 24. Verùm quid consumit ignis iste? quid pro fomento habet? nihil Moyses assignat. Scilicet Deus ex se vim habet urendi, & puniendi; sed, nisi tu teipsum fomentum ignis efficias, nihil omnino nocebit: ut te lignum, fœnum facis; ut habet Paulus 1. Cor. 3. 12. Pinna Ethol, 34.

Maledictus eris in civitate, maledictus in agro &c. Deut. 28. 16. &c. Non dicit, à Deo maledicendum; quia licèt ille judex sit, qui contra peccatorem pronunciet; non tamen causa est suppliciorum. *Possidete paratum vobis regnum: discedite in ignem æternum*. Matth. 25. 34. 41. Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 1. l. 7. c. 2.

Si acuero ut fulgur gladium meum. Deut. 32. 41. Judicium, & Dei vindicta, vocatur fulgur; & gladius, qui acuitur. Ex Philosophia habes; fulguris materiam à terra vaporante in altum efferri: quasi cœlum ipsum rugiens dicere posset; extraneum sibi, & peregrinum opus tonandi, & fulgorandi; cùm ad illud materiam terra ipsa in se generet, & cœlo in altum subministret. O terra! ò arbor! à te securis oritur, quæ te succidit: tuis armis peris; tuo flagras incendio, quod tibi excitas. Deinde ut Deus judicium, & gladium acuit. Ubi vides moram vindictæ tarditatem supplicii. Satis enim lentè lapidea moles in multos evolvitur orbes, prinsquam poliatur ferrum, & acies splendescat. *Perditio tua Israel*. Os. 13. 9. Fernandius in Gen. 1. sect. 1.

Non maneat arca Dei Israel apud nos. 1. Reg. 5. 7. Videntes Azotii morbos, & mures, quibus vexabantur; cœperunt ratiocinari, undenam hæc plaga proveniret? an ab astro aliquo? an ab arca Dei? Peccatis suis hanc pœnam adscribere oportebat. Dicunt: *quoniam dura est manus ejus*. Ratio hujus decreti, Arcæ à se removendæ, fuit dolor pœnæ. Non dicunt; quoniam eam injustè cœpimus, quia irreverenter cum Dagone collocavimus; sed quia *dura est manus ejus*. De culpa nihil, de pœna maximè dolebant. Mendoza in 1. Reg. 5. 1-7.

Vos fecistis universum malum hoc. 1. Reg. 12. 20. De malo pœnæ id aliquì interpretantur. q. d. vos hanc procellam excitasti, dum illi vestris sceleribus occasionem præbuisti. Idem hic.

Ecce omnes vos accendentes ignem &c. Is. 50. 11 Quid querimur, quòd durè agit nobiscum Deus? multò nos duriùs cum Deo agimus. Vim, ut ita dixerim, facimus pietati suæ; ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ. Quid ergo de pœnarum acerbitate conquerimur? unusquisque nostrum se punit. Et ideo propheticum hoc ad nos dicitur: *ecce omnes &c.* Salvianus de Prov. Dei l. 4.

Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma, quam accendistis. Is. 50. 11. Non est ignis alterius, nisi vester; qui ligna, qui stipulam, qui materiam futuro incendio coacervastis. Deus non facit pœnas; sed ea, quæ patimur, ipsi nobis præparamus. Origenes hom. 2. in 13. Ezechiel.

In momento indignationis abscondi faciem meam. Is. 54. 8. Nota: absconsio, vel aversio, faciei Dei in Scriptura, significat, & reipsa inducit, omne malum: sic, ut illuminatio, vel ostensio, vultus ejus; omne bonum. Sicut enim sole absente, vel ob nebulas se abscondente, omnia occupant tenebræ; at eo redeunte omnia apparent lucida, læta, & vivida: ita multò magis se res habet in Deo, qui increatus est, & Mundi immensus sol. Hujus solis deliquium inducunt nebulæ, idest, peccata nostra. Cornelius hic.

Ignem succendisti in furore meo. Jer. 17. 4. idest, ignem furoris mei accendisti; qui te acri, & ignita vindicta persequetur. Corn. hic.

Quæ respicit ad Aquilonem. Ezech. 9. 2. scilicet ubi peccarant idololatria. cap. 8. 5. *sex viri*, idest, sex dæmones, ait Hieron. Sex Angeli, Theodoretus. Nota: eadem porta, qua Deum eliminamus, intrant ipsi lictores. *Intravit per peccatum mors*. Rom. 5. 12. Ita hic per eandem portam intrarunt Chaldæi in urbem, per quam intraverat idololatria. Cornel. hic.

Hæc dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam. Ezech. 21. 26. Privatus est utraque dignitate; Pontificia, quam usurpavit, & regia; quæ erant hæreditaria: nec aliena manu, sed suamet, suis peccatis. Quia nullæ crudeliores manus inveniri poterant, quàm sui ipsius. Philo l. de Confus. linguar. ita est profectò insipiens, non aliunde accipit; sed ipse sibi quærendo mala invenit. Sylveira in Act. 1. 18.

Producam ignem de medio tui. Ezech. 28. 18. Ex peccatis faciam, ut pœna nascatur, qua consummaris: sicut domus igne in ea exorto consumi, & conflagrare solet. Did. Nyss. D. infra Oct. Nat. D. §. 2.

Et

Ex Novo, & Patribus.

Increpavit illum Jesus. Matth. 17. 17. idest, juvenem; ut docent Hieron. Beda, Theophylactus, &c. Videtur non juvenis, sed tortor increpandus. S. Hieron. increpavit puerum: quia propter peccata sua à dæmone fuerat oppressus. Sylveira in Luc. 11. c. 22.

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus. Matth. 24. 30. Cur venturus sedens super nubem? quia nubes generantur ex vaporibus terræ: quia rigor illius judicii ex terra, & nostrorum peccatorum exhalationibus provenit. Sylveira hic quæst. 15.

Et arundinem in dextera ejus. Matth. 27. 29. Græc. *calamum*. quia etiam pennam scriptoriam significat, juxta Ps. 44. 2. *lingua mea calamus scribæ*. Chrysost. dederunt ipsi calamum in manu, ut peccata eorum conscriberentur. Did. Nyss. D. infra Oct. Nat. D. §. 2.

Et rogabant eum, ut permitteret eos in illos (porcos) *ingredi*. Luc. 8. 32. An non satiùs Christus fecisset, si porcos occupare ipse jussisset, qui sua virtute ab homine illos exegerat? S. Ambros. clementiam Domini debemus advertere; quòd nullum priùs ipse condemnat; sed unusquisque sibi author est pœnæ. Did. Nyss. ser. 6. D. 2. Quadr. §. 3.

Erat Jesus ejiciens dæmonium. Luc. 11. 14. Cur non dicitur, quòd Christus sanaverit mutum; sed quòd ejecerit dæmonium mutum? quia dæmonium erat in causa, quòd esset mutus. Et Christus Dominus, ut bonus medicus, radicem pellit. Sylveira hic.

Ecce sanus factus es, jam noli peccare &c. Joan. 5. 14. Sanct. Chrysost. non tibi, dicit, quid deterius facias; sed nè deterius aliquid tibi contingat. Salvianus l. 8. de Provid. ipse sibi parat peccator quisque, quod patitur: nos calamitatum nostrarum auctores sumus: nos ergo adversùm nos omnia facimus. Nihil itaque nihil est in nos crudelius nobis. Nos inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus. Dei censuram nos inardescere facimus, & peccatis nostris jugiter commovemur: nos cœlestis iræ ignem accendimus; & excitamus incendia, quibus ardeamus. Did. Nyss. ib.

Secundum duritiam tuam, & impenitens cor, thesaurizas tibi iram. Rom. 2. 5. Sanct. Chrysost. tu tibi thesaurizas, non Deus tibi: etenim ille omnia præstitit, quæ oportebat: qui, si inflexus manes, tu tibi thesaurizas iram. Apud Did. Nyss. Vit. Abr. l. 8. c. 8.

Multi frequenter dicunt, malo loco esse rerum, & civitatis, statum; causamque ex imprudentia dominantium esse perhibent. Ego verò dico, non Magistratus imprudentia, sed nostrum peccatum; illud omnia subvertit, illud omnes calamitates invexit: nec aliunde rerum tristium examina nobis superfusa sunt. S. Chrysost. tom. 6. hom. de peccato. Apud Sylveiram cap. 18. in Joan. 9.

§. XXIII.

Peccator ipse, & peccatum, sibi pœna hostis.

E*Duxisti ab Inferno animam meam*. Ps. 29. 4. Peccatum dicitur Infernus. Num. 16. 33. *descenderunt vivi in Infernum*, idest, in mortale peccatum. Quod benè dicitur Infernus propter multas rationes. Quia in peccato, sicut in Inferno, algor, & calor sentitur: scilicet parvus timor, & concupiscentia ardens, & inflammans. Job 24. 19. *ad nimium calorem &c.* De peccato exit fumus infamiæ, vermis conscientiæ; fidis, & exuries; in peccato nulla requies. Hugo Card. hic.

Eripe me Domine ab homine malo. Ps. 139. 2. S. Aug. hom. 32. ex 30. tac, tibi Deum respondisse, à quo? quando dicis, eripe me. Dicturus es à Cajo, à Lucio, à nescio quo; quem pateris. Et respondet tibi Deus: de te nihil mihi dicis? si ab homine malo liberem te, priùs es liberandus à teipso. Apud Pinna Ethol. 85.

Allixisti nos in manu iniquitatis nostræ. Is. 64. 7. idest, propter iniquitatem nostram: ita Sanchez. Meliùs; in manu, idest, per manum. q. d. tradidisti nos peccato quasi lictori, cruciandos, & allidendos. Cornelius hic.

Libera nos à malo. Matth. 6. 13. S. August. s. 30. de verb. Ap. quid est, quod clamasti, *libera nos à malo*? responde illi: ego sum malus: & si liberavit me à malo; ero de malo bonus. q. d. libera nos à peccato; fac, nè in peccatum cadamus: nemo enim tam hostis alteri est, quàm sibi ipsi, dum peccat. Pinna ib.

Clamans & concidens se lapidibus. Marci 5. 5. Ad cumulum mali meriti omnino accedit, quòd homo seipsum confodiat: nemo enim malus ab alio, quàm à seipso, ampliùs læditur. Sim. Cass. l. 5. c. 16.

Suspensus crepuit medius. Act. 1. 18. S. Leo ser. 20. de Pass. meritò tibi sua pœna est commissa: quia in supplicium tuum nemo sævior potuit inveniri.

Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expiravit. Act. 5. 5. Nullus hic fragor elementorum; nulla judicantis aut majestas, aut sedes; nec in valle Josaphat, sed in domo fidei morabatur. Petrus assidebat aræ, non Christus inter fulgura considebat; nullum in eum convitium jacebatur; aut parabatur pœna: sola illi fraudatæ pecuniæ objiciebatur turpitudo. Et tamen fœditas ipsa peccati inermis, & nuda, virum primarium inter hostias, & thura, ita consternavit; ut mox corruerit victima pudoris, & pœnitentiæ. Oliva ser. 2. D. 1. Quadr.

Quæ nullus unquam hostis in eos perpetravit; ea libentissimè, & promptissimè amplectuntur: & quod nullus unquam Judex supplicium in eos statuerit, ii illud in se ipsos attrahunt. Theodoretus ad 1. Rom.

Mens odiosa, cupida, curis tantummodo sæcularibus dedita, libidinis igne succensa; nonne tibi videtur Infernus? in quo videlicet & diabolus habitat, & concupiscentiarum ignes æstuare non cessant. Inde enim de luxuria sulphureus fœtor oboritur; & de cogitationum crebrescentium tenebrosa caligine, tamquam terrimi fumi volumina generantur. Nam, dum hoc amat, illud timet: in aliis gaudet, hoc odit: illud avidè concupiscit, fit infelix mens, suspecta semper, & vaga, curiosa, anxia simul, atque sollicita; quæ curis impellentibus in multa dividitur, diversarumque passionum morsibus laceratur. Hæc igitur flebilis anima, gehenna facta est, tartarus, & Infernus: quam & cruciant tormenta curarum, vitiorum vastat incendium. B. Petrus Dam. lib. 2. ep. 5.

Intrinsecam pœnam malefactorum pertulit, dum deliquit: cùm eo ipso quisque puniatur interius, quo consentit facere, aut perficit facinus. Sim. Cass. l. 15. de just. Christ.

§. XXIV.

Peccatoris mala securitas.

Symbola, & similitudines.

Comparatur somno, & lecto.

H*Eli jacebat in lecto suo*. 1. Reg. 3. 2. Sept. *dormiebat*. Ostenditur ejus negligentia, & remissio animi; qui tam gravibus minis, velut tonitruis, & cœlo territus non vigilarit. Mendoza hic.

Projecit se, & obdormivit. 3. Reg. 19. 5. Miraris, quòd Elias reginæ persecutione jactatus, in aperto campo dormire potuerit; aut Petrus in carcere. Act. 12. 6. Sancti erant: Mirare potiùs, dormire potuisse Saulum, Holofernem, Sisaram: & tamen hodie dum innumeri lethali noxa polluti somno se credunt, quasi securi de vita. De quibus. Is. 51. 20. *dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini*. Scribitur: in Africa dari belluas, Oryges dictas, quasi tauros sylvestres, tam stolidæ suarum virium fiduciæ; ut, cùm retia in venatorum inciderunt, dormire præsumant, nec equorum hinnitu, vel canum latratu, excitari se sinant; ut expediti laqueis fugiant. Dormitis Sampsonis instar. Judi. 16. 19. in sinu scortorum; dormitis in lectis eburneis *pleni indignatione Domini*, & periculum non timetis. Segneri s. 1. die Cin.

Verbum iniquum - numquid, qui dormit, non adjiciet, ut resurgant? Ps. 40. 9. q. d. qui in somnum lethalem per peccatum mortale incidit, nonne ille evigilare ab illo somno ad vitam gratiæ potest? nonne peccator converti? Apud Hug. Card. alia versio habet: *verbum diaboli constituerunt adversùm me*. Cur id vocatur verbum diaboli? Hugo: verbum diaboli fuit: *nequaquam morte moriemini*. Genes. 3. 4. & modò per adulatores, qui sunt organa ejus, dicit, nequaquam adhuc moriemini: potestis modò bibere, & comedere: vos estis adhuc juvenes; quando senueritis, tunc facietis pœnitentiam. Dominus verò inclamat: *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Psalm. 94. 8. Did. Nyss. Pol. cœl. part. 2. lib. 4. c. 5.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris. Ps. 87. 6. Non dicit, eos dormire in lectis, in quibus dormiunt vivi; sed *in sepulchris*, ubi dormiunt mortui. Jonas in tempestate dormitat. Tot in periculis, horæ mortis incertus, securus dormis? somnians non formidat; quæ formidare debet; sed vana. Si astet ei quis gladio evaginato, quo illum perimat, non metuit. Somnians autem, se esse in periculo timet; licèt securissimus in lecto jaceat. Multi timent ærumnas hujus vitæ, tamquam vera mala: quæ nihil sunt, nisi phantasma; & non perhorrescunt tormenta Inferni, in quem in perpetuum præcipitabuntur. Stella de cont. &c. p. 2. c. 43.

Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam; & in fine narrationis dicit: quis est hic? Eccl. 22. 9. q. d. sicut dormiens audiens se excitantem, dicit, quis est, qui me excitat? quid loquitur? quid vult? ac mox rursum somnolentus indormit: ita & fatuus, audiens sapientiam à sapiente, quasi cupidinibus suis indormiens, dicit: quis est hic, qui mihi molestus est? quia dicit: cur me à somno delictorum meorum avo-

vocat? non audio, non attendo, non capio: quia non delector sapientia, & virtute; sed omnis meus gustus, & delectatio, est in voluptate &c. Appositè stultus, putà peccatorem, comparat dormienti: 1. quia uti hic somno, ità ille peccato, id est, voluptati suaviter, & deliciosè indormit. 2. sicut in dormiente ligatur mens, & ratio; sic in fatuo funibus concupiscentiæ ligata est ratio, & prudentia. 3. sicut dormiens vivit vitam animalem, non rationalem; sic & peccator. 4. sicut dormiens variis luditur, & illuditur, phantasmatibus; sic & peccator luditur specie creaturarum, & quod amat, umbræ, somnia sunt; non res, non veritas. Denique sicut pueri altum dormientes flagellis, & verberibus, à somno excitandi sunt; sic & stulti, putà impii, à veterno peccatorum plagis evellendi sunt. Cornelius hic.

Dormiebat sopore gravi. Jon. 1. 5. Sensit Jonas remorsus conscientiæ de fuga sua, quasi Deus illum persequeretur, puniretque: unde, ut hos remorsus evaderet & sopiret; dedit se sopori. Mala enim conscientia parit mœrorem, mœror somnum. S. Hieron. tropologicè: sopor Jonæ gravissimus hominem significat erroris sopore torpentem; cui non sufficerat fugere à facie Dei; nisi quadam vecordia mens illius obruta ignoraret iracundiam Dei; & quasi securus dormiret. Apud Cornelium hic. Excutite somnum, pellite soporem. Hæc auditis in Evangelio, & dormitis? hora est, corrigendi vitam, emendandi mores, expellendi vitia; nè nos incautos inveniat tantum malum. S. Thom. Vill. conc. 1. de judicio. Minatur Deus ignem gehennæ, spiritum Procellarum; nec attendit peccator, quàm propinquus sit æternæ damnationi. His jure dicas, quod nautæ Jonæ; *quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum*. Diez Jonas.

Cùm dormirent homines. Matth. 13. 25. Dormire hominum, quod Salvator omisit exponere, inadvertentia est periculorum, & incautela contra insidias invisibilium hominum. Sim. Cass. l. 6. c. 3. Aristoteles l. de somno & vigilia: est ligamentum omnium sensuum externorum. Somnum vocat Euripides oblivionem malorum. Hæc est natura peccati frequentius admissi; quòd hominem ligat, eumque in noxia quadam securitate constituit, ac oblivisci facit malorum impendentium. Est ligamentum omnium sensuum, omnium facultatum, memoriæ, intellectus, & voluntatis. Advertit hoc sapiens Prov. 5. 22. *iniquitates suæ capiunt impium: & funibus peccatorum suorum constringitur*. Hilarius pro *funibus* ponit vocem *fasciis*: vel quia peccator est instar infantis, qui nihil de futuro cogitat; vel quia mortuorum est, ligari fasciis. Schonleben Disc. 2. D. 2. Adv. Spiritualis obdormitio, est obtenebratio sensuum, suffocatio intellectus, perditio memoriæ, voluntatis oppressio, orationis carentia, inconsideratio infallibili judicii, contra dæmones incautela, periculorum improvisio, insensibilitas animæ. Sim. Cass. l. 13. c. 13.

Petrus dormiens. Act. 12. 6. Significat in carcere peccati dormientem, *inter duos milites*, scilicet Angelum bonum, & Angelum malum. S. Vinc. Ferr. s. de S. Petro ad vincula.

Ecce mittam eum in bellum. Apoc. 2. 22. id est, in Infernum, ait Rupertus, Beda, Rich. à S. Vict. Ansbertus & Primasius: lectus, inquiunt, est securitas, & impunitas peccandi; in qua peccator, quasi in molissimo lecto quiescens, ex uno scelere in aliud, & tandem in damnationem ruit. Hæc securitas signum damnationis. Cornelius hic.

Est quidam somnus, qui est somnus culpæ; somnus malus, & ad statum pessimum inductivus. Nam in somno est quædam infrigidatio, quædam semi elevatio, quædam animalis virtutis oppressio, & mœrum quinque viarum sensus oppilatio. Sic suo modo culpa facit in anima: nam infrigidat per avaritiam; fumum elevat, & perturbat, per superbiam; sed sensum oppilat, nè videnda videat per carnis lasciviam. S. Bonavent. serm. 5. de adv.

Alia Symbola.

Orate Dominum, ut auferat ranas à me. Ex. 8. 8. Fecit Moyses, quod poscebat; sed non Pharao, quod promiserat. *Videns autem Pharao, quòd data esset requies, ingravavit cor suum*. v. 15. Data requies obstinationem nutriebat; expertum discrimen ulterioris metum non creabat. Plus audaciæ ad nova delicta sumebat Pharao, quia ranas evasit; quàm timoris caperet, quia sustinuit. Data salus stultam genuit fiduciam. Naxera in Jos. 8. §. 13.

Divisque est aqua, & ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris. Ex. 14. 22. cœperuntque Ægyptii temerariò ausu subsequi; de quo Abul: magna audacia Ægyptiorum, immò maxima dementia; tanto se periculo exponere; ut mare intrare non formidarent, quod ad eorum internecionem apertum fuerat; quod Hebræi, ad suam evasionem paratum, ingredi extimuerunt. Did. Nyss. Phœn. Græc. l. 8. c. 1.

Jotne electa triginta millia virorum fortium misit nocte; præcepitque eis dicens: ponite insidias post civitatem. Jos. 8. 3. 4. Copiosus adeò exercitus, licèt lente incederet, iter sine ingenti strepitu peragere nequibat: verùm Hajenses sic immersi jacebant somno, sic exoculati dormiebant; ut nec strepitum audierint, nec mortem sibi imminentem conspexerint. Naxera ib. §. 10.

Cumque exierint contra nos, sicut anteà fecimus; fugiemus, & terga vertemus. Putabunt enim nos fugere, sicut priùs. Jos. 8. 5. Tale est peccatorum ingenium; ut, si imminentia mortis, aut calamitatis, discrimina effugerint, iniqua iterum non caveant consilia. Id. hic §. 13.

Egrediar, sicut anteà feci; nesciens, quòd recessisset ab eo Dominus. Judic. 16. 20. Sampson, quia pericula sæpius evaserat incautus meretricis artes non timuit. Tertull. l. de pœnit. c. 6. ille præsumptor, cùm sibi repromitteret, securus scilicet timere non potuit; sic nec pœnitentiam implevit: quia instrumento pœnitentiæ, id est, metu caruit: præsumptio inverecundiæ portio. O quot meretricum domos frequentat! ò quot pericula provocare non timent! quia ægritudo semel depulsa, quia hostis superatus, quia discrimen elusum. De triumpho suo calamitatibus suffragantur, pœnitentiam non implent: quia instrumento pœnitentiæ, id est, metu carent. Naxera in Jos. 8. §. 13.

Venerunteque in Lais ad populum quiescentem, atque securum; & percusserunt eos in ore gladii. Judic. 18. 27. Viri de tribu Dan nullo negotio urbem Lais cœperunt; quòd sine omni timore viveret. Magna securitas, est periculosissima animæ tempestas. Stella de cont. &c. p. 2. c. 43.

Tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò Amasa non observavit gladium &c. 2. Reg. 20. 9. 10. Diabolus blanditur, ut fallat. Hoc significatur in principe Joab, qui Amasam osculando interfecit. Osculum diaboli, falsa securitas peccatoris. S. Bonav. s. 2. D. 3. Pasch.

Bibit quasi aquam iniquitatem. Job 15. 16. Lyran: iniquitatem, sicut aquam bibit, qui committit peccata absque fræno timoris. Ille enim, qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè; sed bibens aquam hoc non timet. Apud Novarinum in Elect. Sacr. l. 3.

De monte abscissus est lapis sine manibus. Dan. 2. 45. contritus est spiritus ejus, & somnium ejus fuit ab eo. v. 1. Excidium intuens, illius oblitus est: casus illum invasit horror; & horrorem comitata est horroris oblivio. Cyrill. Jeros. Catech. 16. Daniel illi indicavit visionem imaginis: ipse viderat eam, & nesciebat. Dic, inquit, mihi visionem, quam ego vidi; & quæ sit, nescio. Simulacrum in favillam levi lapidis ictu conversum, regnorum celerem finem, gloriæ, pompæque, citissimè fore portendebat excidium: ait ea Nabuchodonosoris est cœcitas; ut mortem intueatur, & nesciat. Naxera in Jos. 8. §. 10.

Væ prægnantibus, & nutrientibus, in illis diebus. Matth. 24. 19. August. in Ps. 39. in Hilar. Chrysost. Hieron. putant, væ illis dici: quia illæ uteri, hæ verò lactantium, onere gravatæ, fugere non poterunt: quod confirmatur illis verbis Matth. 24. 20. *orate ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato*. Cur non potiùs, væ claudis, cœcis, ægris; cùm fugere minùs possint? Maldonatus: prægnantes, ac nutrientes, solent in maxima securitate nuptiis, ac liberis, operam dare, quasi dicat: væ illis, qui in deliciis, & securitate, versantur: cùm enim irruerit calamitas, fugere non poterunt. Sylveira in Luc. 16. Hyemem peccata vocat, & Sabbatum securitatem. Dicit ergo væ animæ in peccati securitate, vel socordia constitutæ. S. Athanas. q. 83. Judæi in Sabbato ab omni infortunio se liberos putabant. Sylveira in Matth. 24. q. 8.

Catus cum mure capto priùs ludit; tum occidit, & edit. Sic ludit cum peccatore dæmon; ostendens peccatum esse leve, Deum misericordem, impossibile non peccare, facilem pœnitentiam &c. Et ubi sic illusit trahendo ad opus, spiritualiter occidit. Geminiani l. 5. c. 39.

Exempla ex Veteri.

Consuerunt folia ficus. Gen. 3. 7. Ab hac infelici, & maledicta ficu folia, quibus se tegant, colligunt peccatores; cùm vana spes (folium spei Symbolum est) longioris vitæ animo concipiunt; ut interim sine ullo timore mortis in omni scelerum genere volutentur. Fernandius hic.

Duo, & duo, ingressa sunt ad Noe. Gen. 7. 9. Quis ad Noe adduxit animantia? forsan ex nimia felicitate, & abundantia fructuum, ad calamitatis præsagium, quasi duce natura ducebantur. O quàm stulta hominum in serenitate calamitas! Alcuinus l. 4. de diluvio:

Tunc justæ accurrunt volucres, dum bestia quæque
Deposita feritate venit, sesque tenendam
Ingerit occurrens; & libertate relicta,
Occludi gaudet. Tantum decreta futuri
Vis valet! occultus brutis in sensibus ardet
Terror, & expectans agitat formidine mentem.
Ast homines, quos sors certi discriminis urget.
Vicina nec morte pavent.

Rogatus Polemon, cur canis, accepto osse, properetè loco mensæ? respondet: ex abundanti annona præsagit verberum irru-

irruptionem, O inefabillor cane! qui ex abundantia voluptatum non præsagit verbera. 1. Reg. 17. 43. *Nunquid ego canis sum?* ajebat Goliath: quasi ad canem existi cum lapidibus, & virga. S. Chrysost. hom. de David, & Goliath: si canis fuisses, nunquam dimicantem contra te Dominum provocasses, sed ut canis interitum futurum, & dignum supplicium metuisses. Pejor es cane, qui nec virgam metuis; nec lapidem, quo moriturus es, pertimescis. Escobar tr. 5. Proph. Chr. l. 9. dect. 1. obs. 4.

Una tantùm gradu ego, morsq; dividimur. 1. Reg. 20. Peccator potest dicere, sicut David: non enim est nisi unus gradus, scilicet mors corporis inter peccatorem, & mortem animæ. Hugo Card. in Ps. 15.

Percussimus fœdus cum morte. Is. 28. 15. q. d. sic vivitis, & sic secure futuram Dei ultionem ridetis; ut ipsa vestra securitate clamare videamini: *percussimus fœdus &c.* hoc est, securi sumus à morte, & inferno; acsi cum eis fœdus iniissemus. Cornelius in Hierogl. hic.

Ista est dies, quam expectabamus. Thren. 2. 16. Suam hic diem habet anima perversa, qua & transitoriis lætatur bonis; cui ea, quæ sunt, *ad pacem* sunt. Luc. 19. 42. quia, dum ex rebus temporalibus gaudet, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum nulla venturæ iræ formidine terretur; pacem habet in die sua: quæ grave damnationis scandalum habebit in die aliena; cum pro suis iniquitatibus tradetur adversariis, qui suis eam pœnis circumdabunt, & cruciatibus. Nec jam tunc juvabit aliquid quidquid in præteritis de terræna felicitate habuit, sed ibi affligenda, ubi justi lætabuntur. Et cuncta, quæ modò ei ad pacem sunt, tunc in amaritudinem tormentorum, vertuntur: tuncque rixari secum incipiet, cùm damnationem, quam patitur, non expaverit, cur à prospiciendis malis sequentibus oculos mentis clausit. Unde dicitur ei: *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Luc. 19. 24 quia mens voluptatibus resoluta abscondit sibi mala sequentia; dum videre futura refugit, quæ perturbant præsentem lætitiam. S. Paschasius hic.

Audiunt sermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt &c. Ezech. 33. 31. Expectate: & hora, quam non putatis, erit suprema. Quando Balthasar fatalis in pariete manus indicio mortis nuntium accepit? nonne, cùm minimè putaret? Dan. 5. 5. Nabuchodonosor quando vocem cœlitus lapsam audivit, qua ad bestias, & sylvas damnatus est? Dan. 4. 28. nonne dum minimè timebat, & inter assentatorum turbas regni sui magnificentiam superbè jactaret? Antiochus quando morbo execrabili purcussus, & in desperationem actus? 2. Machab. 9. 4. 5. nonne cùm sui securus, fastuque tumens, conscenso curru Jerosolymæ immineret, & excidium minaretur? Quando Sennacherib 4. Reg. 19. 37. Jezabel 4. Reg. 9. 32. 33. quando intentas sibi à Deo minas, quòd à canibus devoranda esset, adimpleri experta est? nonne cùm, excluso omni Dei timore, ad palatii sui fenestras compta, & superba consisteret? Segneri s. 6. f. 2. D. 1. Quadr.

Ex Novo.

Mitte te deorsum. Matth. 4. 6. Timenti homini ruinam tuta omnia tentator promittit: *in manibus portabunt te.* Misericordiam Dei ob oculos ponit, quæ in manibus è peccato illum tollat; nè fortè æterno igni mancipetur. Barradius t. 2. l. 2. c. 11 D. 1. Quadr.

Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Luc. 12. 19.

Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, &c. Luc. 19. 42. quorum verborum hic sensus est: si prævideres jam, dum pacem habes, dum indulgenter tractaris, quæ tibi eventura sunt; etiam tu fleres, & pœnitentiam ageres. S. Gregor. hom. 39. in Evang. perversa anima rebus præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta; abscondit sibi mala sequentia: quia prævidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbant. Dumque in præsentis vitæ delectationibus se deserit, quid aliud, quàm clausis oculis ad ignem vadit? Apud Schonleben Disc. 11. D. 9. Pent.

Qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat. Joan. 12. 35. Ambulans in mentis tenebris nescit Infernum, quò vadit. Si enim sciret Inferni pœnas, multò majori studio caveret, nè iret illuc; quàm cavet à morte corporis, & infamia perpetua hujus Mundi. Cajetanus hic.

Cùm dixerint pax, & securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient. Thessal. 5. 3.

S. Paulus Hebr. 11. 7. Duas præcipuè virtutes in Noe laudat fidem, ac justitiam. Fide *Noe responso accepto* in primis Deo fidem habuit; deinde fide plenus timuit: fides enim principium timoris. Eccl. 25. 16. Fernandius in Gen. 6. 11.

Ex Patribus, & aliis.

Peccatoribus sæpe accidit; ut, si quando unum quodlibet bonum vel minimum faciant, à malis suis omnibus respectum mentis avertat, & ex eo sese jam quasi sanctos aspiciant; obliti malorum omnium, quæ commiserunt. Sicut evenire contrà electos solet: ut, cùm multarum virtutum gratia polleant, unum eos vel tenuissimum vitium valdè defatigat, pulset. S. Gregor. l. 34. mor. c. 17. Apud Nyssenum Phœn. Græc. l. 8. c. 1.

Nihil est infelicius felicitate peccantium; qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur. S. August. l. epist. ep. 5.

Expedite redentes, vela suspendite: tranquillitas ista tempestas est. S. Hieron. ep. ad Heliodorum.

Luge peccatorem felicem: gladius enim justitiæ ipsi imminet. S. Nilus Abb. Cap. Parænet.

Negligentia in graviori periculo, non tam securitatis est, quàm desperationis, indicium. S. Bernardus s. 10. in Ps. *qui habitat.*

Quid tam timendum, quàm potestas, cui non potes resistere? quàm sapientia, cui abscondi non potes? Poteat minus timeri Deus alterutro carens. Nunc autem perfectè oportet timeas illum; cui nec oculus deest, videns omnia; nec manus, potens omnia. S. Bernardus l. 5. de consid. ad Eugen.

Una securitas est, nunquam esse securum: quatenus timor se observans reddat semper paratum; donec securitas succedat timori, non timor securitati. Guarricus s. 3. de adv. Dom.

Ecce ardet Infernus sub pedibus inhians, atque ad devorandam miseram animam apertus: & jam peccator ipse deputatus est ad illum; & solùm pendet ex tenui filo vitæ præsentis, quod tam facilè rumpitur. Et miser ridet, comedit securus, & gaudet; neque est sibi cura de remedio. S. Thom. Vill. s. D. 3. Quadr.

Clamat Jesus voce magna: *Lazare veni foras.* Joan. 11. 43. quia non nisi magno terrore aspirantis Dei, & de futuro judicio comminantis, exterritus, malè securus peccator ad cor suum reducitur. S. Rupertus in Joan. 11.

Terreat te timor judicii terribilis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores Inferni, ignis urens, vermis mordens, sulphur fœtens, flamma tartarea, & tandem omnia mala; ut tandem clames: in æternum non peccabo. Hugo à S. Vict. l. 3. de anima.

Gravissimum peccatoris periculum, quòd ante portam Inferni dormiat, comedat, ludat: quia nihil est inter animas peccatorum, & Infernum; nisi porta fragilis, scilicèt corporis: qua per mortem fracta in puncto ad inferna descendunt. Broymard. Peccatum.

§. XXV.

Peccatorum mala lætitia.

Pleraque Symbolicè.

Ex Veteri.

Cur ignorante me, fugere voluisti? Gen. 31. 27. ait Laban. Diabolus vult peccatorem securum, lætum; nè advertat pericula sua. Stella in Luc. 6.

Tristemque delinivit blanditiis. Gen. 34. 3. Hoc summopere curat diabolus; ut salubrem tristitiam amoveat ab anima peccatrice. Hugo Card. hic.

Et surrexerunt ludere. Ex. 32. 6. saltando, canendo, &c. Vide carnalium hominum cœcitatem, qui in peccatis suis securi deliciantur, ludunt, & exultant, cùm eis imminet vindicta Dei. Cornelius hic.

Non mittet in eam oleum. Levit. 5. 11. Vetatur oleum in sacrificio pro peccato: quia peccator expers est lætitiæ, & lucis. Oleum enim lætitiæ, & lucis, est symbolum. Cornelius hic.

Lætantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt, ut vocarent Sampson, & ante eos luderet. Judic. 16. 25. Sampson cœcus ductus est inter Philistæos, ut saltaret. Qui serviunt Mundo, cœci sunt, nec miserum suum statum agnoscunt; itaque tripudiando descendunt ad Infernum. Saltant ad numeros citharæ, ad modulos dæmonis, Mundi, affectuum &c. Stella de cont. &c. p. 2. c. 73. Philistæi captum Sampson, & cœcum volunt tripudiare. Id. in Ps. 136.

Sic in tenebris, quasi in luce ambulant. Job 24. 17. Acsi dicat: ità gaudent in nocte peccati, acsi eos lux justitiæ circumfundat. Vel: in præsenti cœcitate ità læti sunt; acsi jam æternæ patriæ luce perfruantur. Hugo Card. hic.

Illic interrogaverunt nos, hymnum cantate nobis de Canticis Sion. Ps. 136. 3. Sicut Babylonii volebant, ut Hebræi in captivitate concinerent, & hilares essent: ità diabolus plurimis modis curat; ut peccator in miserrima peccati servitute delectetur, & quiescat: ut illum sub sua potestate securiùs ducat. Sed responde: *quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* v. 6. Diez D. 3. Quadr. Inimici animæ suadent, ut in hoc sæculo, & valle lacrymarum, hilares simus: nè forsan meditantes miseram captivitatem ad patriam aspiremus. Stella in Ps. 136.

Lætantur, cùm malè fecerint. Prov. 2. 14. Tales similes sunt illis, quos in Apulia videmus, morsos à tarantulis, continuò saltare, tripudiare, & tripudiando emori. Sic Turcæ in honorem sui Mahomet solent se in orbem gyrare; donec, deficiente spiritu, & mente corruant: illamque vocant choream Angelorum. Quibus aptes illud, Psal. 11. 9. *in circuitu impii ambulant.* Corn. hic.

Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Is. 9. 2. Qui malè agit, & de malo dolet, is in tenebris est; & nondum sedet, sed ambulat adhuc. At, qui lætatur, cùm malè agit; is sedet in tenebris: quia peccatis assuescit. Hic status est planè mortis, & Inferni. Stella in Luc. 2. 9.

Nabuchodonosor Dan. 3. 5. statuam voluit adorari; dum plurima instrumenta musica resonarent. Stella in Luc. 6. 21. Statuam adorari inter sonum musicæ cupit: ut sensibus attoniti pericula nostra non videamus. Id. in Ps. 136.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Cùm vidisset tibicines, & turbam tumultuantem. Matth. 9. 23. Principis Synagogæ filia erat mortua, & domum defunctæ cantores, ac magnus populi strepitus, compleverunt. Christus autem non priùs intravit, ut illam suscitaret; quàm tibicines exissent. Cave, nè in peccato mortuus huic vanæ Mundi lætitiæ locum tribuas; & mala tua, vani gaudii dulcedine inebriatus, non sentias. Stella de cont. p. 2. c. 75.

Ut homines ægri, cùm multis febribus aguntur; si in aquas semetipsos frigidas immerserint, ad præsens quidem aliquid videntur quæsisse solatii; multiplicatas verò febrium flammas sibi reparant. Sic & nos agimus, cùm conscientiæ stimulis agitamur; si merè externas gaudii, & lætitiæ causas quæramus. S. Chrysost. hom. de compunct.

Anceps ex omni parte vita, certissima mors: certa dijudicatio de jam actis, infallibilis sententia judicis: & finalis terminus omnino sub ignorantia est. Quis ergo aget diem festum sub tanta trepidatione malorum? quis invenire sataget Mundi risum? quis exultabit in festo, Deo infesto? nisi amens; aut aliam vitam desperans; seu qui somniantium semper similitudinem gestat. Sim. Cass. l. 11. c. 25.

Sicut cantus oloris signum est imminentis mortis; sic, cùm peccatores exultant ob peccatum, præsagium est, supplicium eorum instare. Diez D. 20. Pent.

Atratum cœlum est, & terra lascivit? thronus pallet, & patibulum vernant? in regia filii contabescunt; & in carcere perduelles epulantur, & cantant. Numquam tetriùs mortales delirarunt. Adhibitas quis non miretur citharas in naufragio? periclitaris non capite, sed æternitate; & tripudias? Oliva l. 11. Strom. §. Erunt signa, &c. Luc. 21. 25.

S. Thomæ Aq. teste Ribad. 7. Martii, mirum videbatur, posse hominem alicujus culpæ lethali conscium, eo damnationis æterno periculo, ridere umquam, & lætari.

Philippus III. Hisp. rex dixit: mirari se, quomodo mortalis peccati reus dormire aliquando posset. Ita refert Hieron. à Florent S. J. qui accepit ab ejus ore.

§. XXVI.

Peccatoris difficilis pœnitentia.

Ex Veteri.

Recessui, quæcumque fecit Amalec Israel &c. 1. Reg. 15. 2. Amalec significat vitium post baptismum; Pharao ante baptismum. Hinc observat Origenes hom. 11. in Exod. sicut Pharaonem, & Ægyptios, non Israel debellavit, sed Deus ipse. Ex. 14. 14. *Dominus pugnabit pro vobis! & vos tacebitis.* Sic peccata, ante baptismum contracta, à solo Deo in baptismo abluuntur. Contra verò, sicut Amalecitas, Josue pugnando, & Moyses orando superavit; Ex. 17. 10. 11. ita peccata post baptismum facta, magno nostro labore, confitendo, pœnitendo, satisfaciendo, remittuntur. Mendoza hic.

Media pars juvenum faciebat opus, & media parata erat ad bellum. 2. Esdræ 4. 16. Innocentiæ domum struimus; sed cum Esdra collapsam aliquo modo reparamus: non modò strepitus ferre oportet, sed & pugnas: simulque milites esse decet, & fabros; æque hostibus expositos, ac operi intentos. Nimirum non instauratur sine sudore semel collapsa innocentia. Oliva t. 2. Strom. §. Domine quid multiplicati &c. Ps. 3.

Eduxit me de lacu miseriæ. Ps. 39. 3. idest, de peccato; quod dicitur lacus: quia; sicut de facili cadit homo in lacum, sed non de facili exit; sic in peccatum de facili cadit, & per se; sed non de facili; nec per se resurgit. Hoc significatum est in hoc, quòd filii Israel de facili ingressi sunt in Ægyptum, sed cùm maxima difficultate exierunt: & non per se, sed Dei auxilio. Hug. Card. hic.

Psalmus 50. habet titulum *in finem.* Theodoretus ex Græco vertit *ad victoriam.* In quo maximè psalmo deflet peccata; ideo aptus titulus *ad victoriam*: quia nulla major victoria, ut illa, quam per pœnitentiam obtinet homo à peccatis. Sylveira Addit. in Matth. 1.

Expoliavi me tunica mea. Cant. 5. 3. Etsi vocatio peccatoris ad pœnitentiam tam suavis sit, totque rationibus fulta, ut mox illi oporteret parere; non desunt tamen, qui renuant: quorum nomine dicitur, *expoliavi me* - idest, gratia, charitate, & virtutibus mihi concessis; exui me tunica bonorum operum; *quomodo induar illa? Lavi pedes meos*, assuescens rebus suavibus, & mollibus; *quomodo inquinabo illos?* nolo eos iterum sordidis, & austeris, pœnitentiæ operibus inquinari. De Ponte hic Exh. 10. §. 1.

Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Is. 5. 18. Peccatum vocat vanitatem: quia, ut ait: S. Hieron. facientibus peccatum facilè textitur; & adeò inane in se est, ac futile, ut aranearum tela: sed, cùm inde exire volutimus, solidissimis vinculis nectimur. Peccata ergo sunt funes. 1. quia fiunt ex filis, idest, ex rebus, & voluptatibus vanissimis, & levissimis. 2. quia distorta sunt, ut funes. 3. quia invicem connexa. Chaldæus vertit: *væ qui incipiunt paulatim peccata; augentque, ut crescant, & forcia fiant, ut vinculum plaustri.* Cornelius hic.

Descendit itaque in cœnum. Jer. 38. 6. Quis non putasset actum de Jeremia, cum communi regis, & principum, consensu in lacum projectus est? at Deus ei affuit, ut promiserat c. 1. Jeremias gerit personam peccatoris, qui in lacum peccati lapsus est, & ex eo resurgere nequit; sed extrahendus est. Cornelius hic.

Aquila grandis magnarum alarum. Ezech. 17. 3. Sub diversis figuris proponitur Nabuchodonosor: nam etiam. Dan. 4. 30. *fœnum ut bos comedit.* Si aquila, cur & bos? Dicitur aquila à rapacitate. Venit ad Libanum, idest, Jerosolymam, ut explicant Hieronym. Rupert. Hugo, Carthus. diripiens sacra vasa, Species vero bovis in eo cernitur, cum pro superbia sua ad pœnitentiam adducitur. En hominis genium ad malum: ad rapinas, ut aquilam; ad pœnitentiam tardigradum bovem. Sylveira addit. in Matth. 4. q. 2.

Ex Novo, & Patribus.

Tetigit eum, dicens. Matth. 8. 3. Lepra corporis vel levi attactu divinæ manus fugatur: non sic maculæ animæ; egent ferro, & igne. Recedunt jussu Domini sæpe morbi è corpore; sine cooperatione hominis non sic morbi animæ. Ut Is. 6. 6. Os purum redderetur, quid opus? qui labor? accessit unus è Seraphim, & forcipe tulit prunam de altari. Baeza tom. 2. l. 9. c. 4.

Et ecce terræmotus factus est magnus. Matth. 28. 2. ut homo caderet à felici statu, serpens invitat, paradisus allicit, pomum lenocinatur; aura, tellus & omnia, se placidè exhibent aspectui: ut verò homo resurgat à sepulchro, magnus fit terræmotus, multæ difficultates. Sylveira hic q. 9.

Erat efficiens dæmonium. Luc. 11. 14. Graves authores hoc ajunt denotare aliqualem moram. Diabolus, & vitium, momento ingreditur; cum mora, & ægrè ejicitur. Sylveira hic q. 1.

Faciliùs inveni, qui innocentiam servarint; quàm qui congruè egerint pœnitentiam. Sanct. Ambros. l. 2. de pœnitent. cap. 10.

Meliùs est, peccatum cavere, quàm emendare: faciliùs enim resistimus hosti, à quo nondum victi sumus; quàm ei, à quo jam superati, ac devicti agnoscimur. S. Isidorus lib. 2. sent. c. 23.

Infirma ad bonum est humana natura, posteaquam semel per vitiositatem enervata est: non enim ita facilè à malo rursus ad bonum homo convertitur: ut à bono ad malum accessit. S. Gregor. Nyss. or. 5. in or. Dom.

Difficilis prorsus res, & soli divinæ virtuti possibilis; susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere. S. Bernardus s. de triplici miseria &c.

Quantò gradus altior, tantò casus deterior. Hinc est enim, quòd multò difficilius renovatur ad vitam: ad unius criminis lapsum quilibet Christianus, quàm qualiscumque Infidelis, quorlibet criminibus obnoxius. Rich. à S. Vict. l. de Verbo Incarn. c. 14.

Divinam potentiam evidentiùs nihil manifestat, quam justificare impium. Idiota l. 3. de contempl. c. 1.

Quilibet actus peccati aliquid adimit de fortitudine, & habilitate ad bonum. S. Bonav. in Thr. 1. 4.

§. XXVII.

Peccator est brevioris vitæ.

Impius, antequam dies ejus impleantur, peribit. Job 15. 32. Et c. 22. 16. *iniqui sublati sunt ante tempus suum.*

Quomodo facti sunt in desolationem; subito defecerunt; perierunt propter iniquitatem suam. Psalm. 72. 19. Morte subitanea Pharao, Israelitæ cupientes carnes; terræ promissæ detrahen-

hentes. Ipsa vitia mortem accelerant gula, libidine, maledicentia ab inimicis, cura ambitionis. Segneri s. 1. die Cineris.

Anni impiorum brevibantur. Prov. 10 27. Nolite fidere: licèt enim mortem videatis insidentem equo strigoso, pallido, macilento, ut Joannes vidit, Apoc. 6. 8. armata tamen venit calcaribus; quibus sonipedem suum ad velocissimum cursum stimulat. *Stimulus mortis peccatum.* 1. Cor. 15. 56.

Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius; sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini, Eccl. 8. 13. Quod ait, non prolongabit diem in umbra, ita intellige: peccator diu non erit in vita; quia videlicet totum tempus vitæ suæ, quantumvis longum sit, non reputabit esse umbram; sed sollicito studio sibi comparare studuit, quæ fluxa, & temporaria sunt; tamquam essent perpetuò duratura. Olympiodorus hic.

Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos. Is. 38. 5. Sicut Deus Ezechiæ ob pietatem adjecit quindecim annos vitæ; ita eosdem impiis regibus dempsit, & demit. Ita Anastasius Imp. ait Zonaras, vidit virum terribilem cum libro, qui ei dicebat: ecce ob perversitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ deleo. Cumque oraculo didicisset, sibi igne percundum; cisternam multis meatibus in palatio aperuit; ut ea ignem, si ingrueret restingueret. Sed frustra: nam igne cœlesti, puta fulmine, est ictus. Cornelius hìc.

§. XXVIII.

Dubium magnum, an peccator recepturum sit gratiam.

Dimisit corvum & non revertebatur. Gen. 8. 7. Corvus avis tenebrosa, imago peccatoris, uti Tertull. August. Ambros. Clem. Alexandrinus. Multi peccatores non revertuntur ad arcam quomodocumque invitati. Incerto Auth.

Corvus dimissus, & non reversus, figuram peccatoris tenet ad regnum Dei non revertentis. V. Beda hìc.

Mulier quid ploras? quia tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum. Joan. 20. 13. Cùm Deus nobis per peccatum aufertur, summè timendum: eò quod ignoremus, an non æternum ablatus sit. Hæc in Magdalena justi planctus causa: non solùm, quòd ablatus sit; sed quod ignoret, ubi positus? an eum sit receptura? Divini spiritus mores hi sunt. Joan. 3. 8. *Spiritus, ubi vult, spirat, sed nescis, unde venit; aut quo vadit.* Nescis, unde veniat? an ab austro amoris? an Aquilone odii? an misericordiam, an justitiam, tibi præstituros. Nescis & quò vadat? an ad tam parvam viciniam, ut reversurus sit? an tam longè à te recedat, numquam ad te denuò reversurus? sapientissimè monet Gregor. Naz. or. in S. baptisma, perpendens resuscitatum Lazarum: cavè, nè rursus emoriaris, funibusque peccatorum constringaris: incertum est enim, an rursus ad vitam excitandus sis. q. d. cave, iterum peccatis vitalem spiritum Christi abigere: incertum est enim; an in te red turus sit per sanctam cogitationem; forsan in æternum te derelinquet. Ponite vobis ob oculos fallax illud consilium, quo nixus Sampson, misere in manus hostium devenit. Judic. 16. 20. qui, Dalilæ lenociniis captus, in ejus gremio, à somno, & laqueis, securè semel, & bis, & ter se dedit; & toties incubante crinibus sui spiritu, à somno, & laqueis, se facilè expediebat. Factum tandem est; quòd dum iterum fallaci gremio se dormiturus committeret, ejus crines abraderentur. Tunc inimicorum clangore excitatus à somno consurgens dicebat in animo suo: *egrediar, sicut antè feci, & me excutiam; nesciens, quòd recessisset ab eo Dominus.* O communis hominum perditio! eò, quòd aliquoties se à laqueis mortis liberaverint, dante Domino; non dubitant iterum illaqueari: nescientes, quòd Dominus recesserit; & an velit iterum reverti. Baeza t. 1. l. 5. c. 2. §. 3.

§. XXIX.

Peccatori nec sacra loca prosunt; ejusdem varia pericula.

Et arca Dei capta est. 1. Reg. 4. 11. Arca spoliati sunt: ut intelligant peccatores, nullum sibi fore, etiam in sacris locis, contra Dei iram, munimen. Jer. 12. 7. *reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Levit. 10. 2. Nadab, & Abiu, in sacris locis mulctantur. Num. 16. 31. Chore, cum seditiosis, ante tabernaculum igne perit. 1. Reg. 4. 18 Heli Sacerdos in loco sancto fractis cervicibus expirat. 1. Reg. 6. 19. Bethsamitæ in conspectu arcæ damnantur. Mendoza in 1. Reg. 4. 11.

O quàm horreret homo serpentem habere in ventre! & certè periculosius est, unum peccatum in corde, quàm mille serpentes in corpore. S. Bonaventura s. 4. D. 3. Quadr.

Qui diu male vivendo, usque ad extremum vitæ fine pœnitentia perseverant; tales duodecim pericula digno Dei judicio, incurrunt: ex quibus difficillimum, & quasi impossibile est, animam evadere cum salute. S. Bernardinus t. 1. s. 13.

§. XXX.

Peccator respiciens alios peccatores.

Peccator homo vitabit correptionem; & secundùm voluntatem suam inveniet comparationem. Eccl. 32. 21. q. d. fugiet objurgationem; &, ut pertinaciam suam tueatur, mille conquiret exempla, quibus se excuset, & defendat. Sed hæc illi parum proderunt: nam; ut ait S. Hieron. ep. 36. culpam numerus peccantium non minuit; & in personis, non rebus, est accusatio. S. Chrysostom. hom. 29. ad pop. Antioch. aquarum venæ, etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen: & fontes, quamvis hauriat nemo, scatebras emittunt. Quod sui muneris est, fundunt libenter, & liberaliter aquam; neque cogitant, utrum alii eas hauriant. Didacus Nyssen. Vit. Abr. l. 1. c. 3.

Manebat in monumentis. Luc. 8. 27. Scilicet mortuorum imitatus exempla. Semper enim depravatus homo sic quærit exempla malorum; ut liberiùs agat, quod malè disposuit: ut sibi socios invenisse videatur; nè singularis appareat in peccatis. Quærit malus exempla malorum, quibus possit esse deterior; non bonorum, quibus possit resiliens à malis ad meliora converti. Sim. Cass. l. 5. c. 16.

Scio, quia quærentes licentiam malefaciendi quærunt sibi exempla malè viventium; & multos infamant, ut socios invenire videantur. S. Aug. s. 2. de vita Clericor.

Nè tibi de multitudine peccantium similium blandiaris, & dicas: non solus hoc ego egi; multos habeo socios: sed recogita, quia multitudo sociorum impunitatem non facit criminum. Nam in Sodoma, & Gomorrha; in totis quinque civitatibus, innumerabiles utique habitabant populi; & omnes pariter, qui libidinosè corpora sua tractaverunt, igneis imbribus conflagrarunt. S. Ambros. c. 9 ad virg. lapsam.

Quid proderit multitudo, ubi singuli judicabimur. S. Eucherius ep. 1. paræn.

Esse jam inter nocentes innoxium, crimen est: malos, quisquis non imitatur offendit. Consensere jura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum est. S. Cyprianus ep. 2.

§. XXXI.

Peccator infert sibi gravissima damna.

Abscondit se. Gen. 3. 8. Nota quinque peccati effectus, primis aperti sunt oculi. 2. Nuditas, 3. pudor, 4. vermis conscientiæ, 5. metus divini judicii. Cornelius hìc.

Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ps. 10. 6.

Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. Eccl. 9. 18. Hebr. *peccator unus multa bona perdet.* Arab *cùm peccaverit unus, perdet bonum plurimum.* Greg. Thaumat. Stultitia unius. Alii sic exponunt: parvus error in principio, nisi statim corrigatur, in multos deducit, juxta illud: clavus unus perdit equi soleam, sola equum, equus equitem, eques castra, castra Rempublicam. Adam unus homo uno inobedientiæ peccato totam posteritatem perdidit. Achan tota castra Israel. Jos. 7. 13. Stulta duritia unius Roboam perdidit decem tribus. 3. Reg. 12 14. 20. Cornelius hìc. Unus, quisquamque is demum sit, dum se peccati sorde commaculat; & bona corrumpit, quæ sibi ex acquisitis virtutibus insidebant: & multos etiam malo exemplo ad imitationem inducit. Olympiodorus ibidem.

Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Matth. 5. 29. Genuinè hæc metaphora petita est à Chirurgo. q. d. sicut læsi, & ægri, curant; ut chirurgus membrum etiam nobilissimum, & summè necessarium, quale est oculus dexter, & manus, exscindat; si inde pendeat totius corporis salus; ita & vos, ò Fideles mei, moneo; ut quodvis damnum priùs subeatis, quam culpam, præsertim lethalem, committatis: ut scilicet, quidquid vobis est offendiculo, trahitque ad peccatum; licèt tam charum sit, & necessarium, quàm dextra manus vel dexter oculus; id planè resecetis, quantumvis doloris, & incommodi, vobis inferat. Cornelius hìc.

Joannem ego decollavi. Luc. 9 9. Joannes est vir justus, in quo est gratia: caput ejus est Christus. Joannes ergo decollatur, quando mortale peccatum perpetratur; per quod Christus ammittitur. Hugo Card. hìc.

Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione. Apoc. 17. 4. Quicumque enim per pulchritudinem, & delectationem, creaturam allicit ad peccatum; quasi de auro bibit venenum. S. Bonav. s. 2. D. 3 Pent.

Dæmoniacus rex Saul furiosum peccati regnum, David autem pacatum justitiæ regnum significat. In singulis hominibus, quamdiu non liberantur gratia Christi, peccatum regnat, & tamquam furiosus sessor equum subactum calcaribus urget, flagellis diverberat. S. Rupertus in 1. Reg. 21.

Habet & anima suos noxios cibos; quibus impinguata, etiam sine escarum abundantia, ad luxuriæ præruptа devolvitur. Detractio cibus ejus est, & quidem persuavis. Ira etiam cibus ejus est, licèt minimè lenis. Invidia cibus est mentis,

tis, virulentis eam succis corrumpens &c. Cassianus de cœnob. Instit. l. 5. c. 21.

Peccati perpetratio est sicut extinctio lucernæ: lucet enim peccator, antequam peccet, salutari cognitione, & vitali ardore, seu vivifica dilectione altissimi Conditoris. S. Bernardinus t. 2. s. 32.

§. XXXII.

Peccator etiam aliis noxius.

Ex Veteri.

Spinas, & tribulos, germinabit tibi. Gen. 3. 18. Post violatum mandatum spina quoque, juxta Domini sententiam, è terra enata, atque amœnitati rosæ conjuncta est: nimirum ut contempti præcepti nobis memoriam refricet: & quod terra hac pœna mulcta est, ut spinas, & tribulos, nobis proferre necesse habeat. S. Joan. Damasc. l. 2. orth. fid. cap. 10. Rosa illo tempore sine spina fuit: nam postea pulchritudini ejus adjuncta est: ut esset videlicet voluptati sollicitudo contigua, reminiscentibus nobis peccatum; cujus gratia dumos, & vepres, generare terra damnata est. S. Basilius Cæsar. l. 5. hexam. Propter unum *malum* multi boni patiuntur, Quare volatilia, natantiaque, quæ quinta die plasmata sunt, benedictione donantur? non autem terrestria animantia, quæ sexta die? Respondet Strabus, ideo fortè, quia inter ea erat serpens. Novatinus Agn. Euch. Ex peccato Adæ sol, & luna, perdiderunt multùm de claritate. S. Vinc. Ferr. s. 6. D. 1. ad.

Delebo hominem, quem creavi; à facie terræ. Gen 6. 7. *Tactus dolore cordis* hoc dixit. Sed cur à Deo reptilia, & volatilia, cum homine peccante pariter delentur, aquatilibus illæsis? Lyran. quia peccata hominum non fuerunt facta in aquis; unde nullam contagionem contraxerunt. Creaturæ insensibiles, dum peccatoribus serviunt, pœnas peccatorum participant. Mendoza in 1. Reg. 15.

Sicut paradisus Domini. Gen. 13. 10. Annot. 21. Illa terra, quæ antè erat *sicut paradisus Domini*, postea horrida, ut Infernus facta est. Id. ib.

Usurpaverunt ve anathemate. Jos. 7. 1. id est, de sopliis Jericuntinis; quæ anathemati; id est, excidio, & incendio, à Deo erat addicta. Nota: unus Achan id fecerat; illius tamen unius peccatum toti corpori tribuitur. Ut ostendatur, quàm Deo res exosa, & invisa, sit peccatum: utpote quòd, ab uno admissum, tam multos iræ, & vindictæ divinæ, subjecerit. Cornelius hìc.

Percute Amalec & demolire universa ejus. 1. Reg. 15. 3. &c. Percuti jubetur Amalec, in exemplum divinæ justitiæ; quæ, sine ulla personarum acceptione, dignitatum discrimine plectit; & severè, etiam res insensibiles, & inanimes, quæ ullum peccatoribus auxilium ad peccatum præbuerunt. Mendoza in 1. Reg. 15. Annot. 21.

In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum. Is. 6. 1. Cur Isaias mortui Oziæ tempus evulgat; Vult exprimere populi commoda, quæ ex Oziæ morte profluxere. Vivente rege, peccante leproso, & non extra urbem excluso, cœlum omnibus clauditur, Deus nulli Prophetæ apparet, Verbi Dei fames invalescit: quia unius delictum omnibus erat exitium. Rex moritur, & cum ipsis peccata sepeliuntur: Deus statim Prophetas excitat &c. Escobar tr. 3. Coll. Ch. l. 8. sect. 1. Obs. 1.

Liberabo lanam meam, & linum meum. Os. 2. 9. Creaturæ, dum suo fine, ad quem conditæ sunt, privantur; imò contra Deum assumuntur ad superoiam, & luxum; naturaliter idipsum aversantur, captivantur, & vim patiuntur. ac reipsa dolorent, gemerent, & de injuria protestarentur; si sensum haberent. Deus ergo creaturas, sic gementes sub hac servitute, liberat; dum impiis eas aufert, & piis eas tradit. Cornelius hìc.

Et timuerunt viri timore magno. Joan. 1. 10. Timebant, nè & ipsi quasi receptatores Jonæ, cum eo pariter à Deo comprehenderentur, ac punirentur. Nam Deus subinde etiam in populo innoxio peccata aliquorum occulta punit: ut furtum occultum Achan punivit in toto populo Hebræorum inscio, & innoxio; permittens eum cœdi à Chananæis: quia *Anathema in medio tui est Israel.* Jos. 7. 13. ità S. Hieron. apud Cornelium hìc.

Ex Novo.

Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum, Matth. 13. 29. Cur paterfamilias tritico timet? quia, cùm zizania supplicio afficiuntur, necesse erat etiam socium triticum pati. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 4. sect. 2. obs. 10.

Ascendens in unam navim, quæ erat Simonis. Luc. 5. 3. Non turbatur ista, quæ Petrum habet: turbatur illa, quæ Judam habet. Etsi multa illic Discipulorum merita navigabant; tamen ea adhuc perfidia proditoris agitabat. Caveamus igitur perfidum; caveamus proditorem; nè per unum plurimi fluctuemus. S. Ambros. hìc.

Præceptor perimus. Luc. 8. 24. Sicut navis illa, propter Jonam fugientem à facie Domini, erat in periculo; sic & ista propter præsentiam proditoris. S. Bonav. hìc.

Pater, peccavi in cœlum, & coram te. Luc. 15. 31. q. d. delinquens omnibus exitialis extiti: cœli influxus turbavi, excitavi pestem; & in cœlum peccans in omnes peccavi. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 8. s. 1. obs. 1.

TITULUS XIV.

PECCATORIS MALITIA.

§. I.

Peccator injurius in Deum, inhumanus.

Ex Veteri.

Vocem tuam audivi. Gen. 3. 10. Adam inurbanus. Similiter Eva Gen. 2. 13. *Serpens decepit me.* Cain Gen. 4. 9. *Nescio; num custos fratris mei sum?* Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 10. sect. 4.

Adam ubi es? Ib. Quid Adam? *vocem tuam & timui.* Nota discrimen: Deus hominem vel culpa ignobilem compellat humanissimè, & proprio vocabulo onorat: *Adam ubi es?* Adam è pulvere ad summam repentè dignitatem evectus, Deo, non præmisso titulo honoris, respondet. *Audivi vocem tuam*, Advertit Lippomanus: aliter piissimus Pater, non duriùs alloquitur; sed vocat brevi verbo: *Adam ubi es?* Adam jam coram Domino peccator, sine honoris præfatione, & cognomine, sine digno epitheto, Deum alloquitur. Naxera in Jos. 5. §. 25.

Tactus dolore cordis intrinsecus. Gen 6. 6. Deus tristari dicitur super peccatoribus, quando eorum scelera aversatur, atque punire destinat. Cornelius in Is. 9. 17. Hinc Apostolus ait Eph. 4. 30. *nolite contristare Spiritum Sanctum.*

Pœnitet me fecisse eos. Gen. 6. 7. Si tristis agricola ingemiscat, caput fricet, & dicat: utinam meum semen possem recipere! pœnitet me, quòd vel unicum granulum huic agro inseminaverim! expectati fœnoris nihil recipio. Hæc pœnitudo satis ostendit, agrum sterilem votis non respondere; aut certè jam stantem, lætamque segetem grandine jugulatam. Deus hunc Mundum velut agrum conservit: cœperunt *homines multiplicari super terram.* Cùm autem expectaretur messis; ager hic urticis, & spinis, obsitus solam vitiorum ubertatem exhibuit. Hic mœstus agricola negatis fructibus ingemiscens; *pœnitet me*, inquit, & jacti seminis, & operæ consumptæ in sterilissimum hunc agrum. Drexelius Opusc. 6. Noe c. 4.

Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum. 1. Reg. 2. 12. Duplex Dei notitia, practica, & speculativa. Priori caruerunt: nam, ut Orig. ait ho. 1. in lib. Judic. erant nescientes Dominum; non quòd ignorarent Dominum, qui utique & Doctores erant cæterorum: sed quia sic agebant, ut agunt illi, qui nesciunt Dominum. Os. 4. 1. *non est scientia Dei in terra.* Chald. *non sunt, qui ambulant in timore Dei, in terra.* Mendoza in 1. Reg. 2.

Contra omnipotentem roboratus est. Job 15. 25. Scelerati odere divinam potentiam. Agnoscite Dei potentiam cum timore, & tremore; & unam summam peccatoris temeritatem; qui audet se Deo opponere. Segneri serm. 5. die Lunæ Dom. 1. Quadr.

Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum. Ps. 49. 22. ⊙ negligentia non ferenda! oblivisci Deum, qui animam dedit, carne pascit, & Fideles ab omni adversitate custodit. Amentia est certè; illius memoria carere, quem præsentem semper constat existere. Sed qui obliviscuntur Deum? nisi qui præcepta ipsius iniqua præsumptione contemnunt. Cassiodorus hìc.

Servire me fecisti in peccatis tuis. Is. 43. 24. Peccator quasi cogit Deum servire, id est, obsequi, & concursu suo generali cooperari suis concupiscentiis, & peccatis. Rursum laborat, & quasi servit, Deus in tot, tantisque hominum peccatis, tum sufferendis, tum corrigendis: multi enim peccatis suis patientia Dei, quotidie fatigant. Cornelius Hierogl. hìc. *Servire me fecisti; &c.* id est, non ego te mihi in victimis servire feci: sed tu me servire fecisti: hoc est, peccatis tuis me gravasti, molestia affecisti; & quasi servus tuus essem, aut mancipium, oneraſti. Id. hìc.

Vos estis onus Domini. Jer. 23. 33. Addit Lyran. onus importabile, propter peccatorum vestrorum pondus. Quid proinde dicit Dominus? *proiiciam quippe vos*; proiiciam vos sicut importabile onus. Did. Nyss. s. 2. D. 2. Quadr. §. 4.

Vade, sume tibi uxorem fornicationum. Os. 1. 2. Recedere à Creatore, & servire creaturæ, fornicari est. Ps. 72. 27. *perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* S. Rupertus de oper. Spir. S. hìc. Perversa est dilectio animæ fornicantis à Deo, diligentis rem Dei, neglecto Deo. Id. in Os. 9.

Ex Novo, & Patribus.

Stans retro. Luc. 7. 38. *secus pedes ejus*, sequelam præmittens vestigiorum ejus; quæ per leges peccati antecesserat leges ejus. Præit omnis peccator Deum in suis legibus, non sequitur. Sim. Cass. l. 8. c. 40. hic.

Incidit in latrones. Luc. 10. 30. Latro dicitur, qui aufert invito domino alienum. Hoc omnis peccator facit, pro eo, quòd jure creationis, omnis homo, velut omnis creatura alia, est Dei. Peccantes omnipotenti Deo, nos ipsos latrocinamur, atque furamur. Nec non jure redemptionis, factæ per sanguinem, sibi vendicat nos Salvator, ut vita nostra referatur ad eum. Cùm igitur peccando ab ipso avertimur, ad creaturam convertimur; quid aliud facimus, quàm nos ipsos, more latronum, rapimus ipso invito. Sim. Cass. l. 8. c. 30.

Quid magis impium? quid magis potest esse injuriosum? quàm contra tantæ pietatis Dominum; & eum, qui vivit in æternum, illud improbè committere; quod, quantum in te est, non possis in æternum corrigere. Richardus à S. Vict. tr. de pot. lig. &c. c. 4.

Peccasti, hoc est, avertisti te à Deo summo, unico, & infinito Bono. Aversio autem ab omni bono, necessariò summum unicum, atque infinitum, est malum. Aversio ab omni dignitate, summa abjectio est; ab omni pulchritudine, summe deformitas; ab omni sapientia, summa insipientia; ab omni bonitate, summa est malitia. Conjunge omnes injurias, & contumelias, quæ ab universis creaturis per mille sæcula tibi possent inferri; easque singillatim, & universim gravissimas; nec umbram quidem ad hanc, quam Deo tuo intulisti, adferes. Masenius Dux vitæ die 2. med. 2. puncto 1.

§. II.

Peccator blasphemat nomen Dei.

Nomen Dei per vos blasphematur in Gentibus. Rom. 2. Petimus, ut nomen Dei actu nostro sanctificetur in nobis: nobis enim benè agentibus benedicitur nomen Dei; nobis malè agentibus blasphematur. S. Chrysol. s. 71.

Nullum penitus majori spiaculi crimen est, quàm blasphemandi causam gentibus dare. Salvianus l. 4. de Prov. Dei.

Ego puto, quòd non solùm ille maledicat Christo, qui sermonem adversùs eum maledicum profert; sed & ille, qui sub nomine Christiani malè agit, & turpiter conversatur, & inhonestis verbis, vel actibus suis, facit nomen ejus blasphemari inter Gentes. Orig. hom. 17. in Num. 23.

§. III.

Peccator negat Deum.

A Abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Ps. 52. 2. id est, voluntatibus suis; dicunt *in corde suo non est Deus*. v. 1. iste in corde suo negat Deum: nam, si verè in Deum crederet, nulla in eum pravitate peccaret. Cassiodorus hic.

Confitentur, se nosse Deum; factis autem negant. Tit. 1. 16. S. Hieron. existimant quidam, in eò tantùm Deum negari, si in persecutione quis à Gentilibus comprehensus, se renuerit esse Christianum. Sed ecce Apostolus omnibus, quæ perversa sunt, factis Deum asserit negari. Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo: negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et, quoties vincimur in vitiis, atque peccatis, toties Deum negamus. Escobar tom. 2. Pers. Chr. lib. 1. section. 1. obs. 5.

§. IV.

Peccator spernit Deum.

Fac nobis deos, qui nos præcedant. Ex. 32. 1. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam &c.* Ex. 13. 21. Aberat Moyses in Sinai, diu cum Domino versatus; populus Aaronem urget, Deum sibi conflari: Si Dominus præcedit eos, quid dicere opus? fac nobis &c. sequantur Dominum in columna præcedentem. Petunt vitulum, qui ad illorum ducatur nutum; non qui ad proprium placitum eos ducat &c. Naxera in Jos. 24. §. 5.

Violabant me, - propter pugillum hordei, & fragmen panis. Ezech. 13. 19. q. d. Audi cœlum, & terra! ecce ille populus meus tam dilectus, tot eximiis à me favoribus auctus; acerbissimis in me sevit injuriis. Et ob quæ sua emolumenta? an forsan victi exercitus immensa spolia sibi rapuit, ut Saul 1. Reg. 15. an civis innocui vineam? 3. Reg. 21. 2. ut Achab? an forte aurum, ut Giezi 4. Reg. 6. 23. Ob quod ergo commodum me offendit? *propter pugillum hordei*. Segneri s. 33. die Ven. D. Past. 2.

Regnum promittit Deus, & contemnitur, gehennam apparat diabolus, & honoratur. S. Chrysostomus hom. 6. in acta.

Quid sibi vult dictum illud Apostoli? Rom. 2. 23. *per prævaricationem legis Deum inhonoras*. R. quem admodum, qui regi literas accipit, & in iis versatur; si omni cura, honore, atque timore, & studio, eas suscipiat, revereatur, & complectatur; & expeditè sibi præscripta, atque mandata, expleverit; in regem gloria, & honor redundat: quòd si rejecerit, atque contempserit literas; & tabellarium contumeliis, & ignominia affecerit; in regem ipsum contumelia vergit. Ad eumdem modum violantes scripta magni Regis, immaculatum videlicet ipsius Evangelium, sua ipsi transgressione præcipientem Christum contemnunt. S. Ephrem lib. Interrogat. q. 2.

Si nos, qui homunculi imbecilli sumus, contemni tamen à servis nostris omnino nolumus; quos, etsi nobis servitutis conditio infirmiores, humana tamen fors reddit æquales: quàm iniquè cœlestem Dominum contemnius! Salvianus l. 3. Prov. Dei.

Omnia amamus, omnia colimus; solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est. Denique, præter alia, quæ id probant, indicat etiam hos res ipsa, quàm dico; si quando enim usu venerit, quod scilicet sæpe evenit; ut eodem die, & festivitas Ecclesiastica, & ludi publici agantur: quæro ab omnium conscientia; quis locus majores Christianorum virorum copias habeat? caveanè ludi publici, an atrium templi? & templum omnes magis sectentur, an theatrum? verba vitæ, an verba mortis? verba Christi, an verba mimi? Non est dubium, quin illiud magis amemus, quod anteponimus. Salvian. ib. l. 6.

Christus sub horribili specie ostendens Brigittæ deformitatem cujusdam peccatoris, inter reliqua ait: habet canninas aures. Nam sicut canis neque nomen Domini sui, neque alterius tantùm curat, quantùm nomen suum proprium, si hoc nominari audierit: ità etiam iste, non tantùm curavit de honore nominis Dei, quantùm de honore nominis proprii. Revel. S. Brig. l. 4. c. 52.

§. V.

Peccator impudenter præsente Deo peccat.

Corrupta est autem terra coram Deo. Gen. 6. 11. *Coram Deo* hunc habet sensum: tam procaciter, & impudenter, peccabant homines; ut nihil vererentur oculos Dei cuncta videntis: Quin immò scientes, Deum purum, & justum, & vindicem; nihilominus gravissimis illum afficiebant injuriis, & blasphemiis. *Coram Deo*, ut vult Abul. id est, publicè, quasi in conspectu Dei, cœli, & terræ. Peccabant enim sine ullo, aut timore, aut pudore: quæ duo à natura homini data sunt; nè in vitiorum prærupta temerario ausu rapiatur. Fernandius hic sect. 6. Peccare, seu corrumpi in oculis Dei, nihil aliud esse puto, quàm memorem Dei, ipsum offendere. Omnia enim vident oculi ejus; sed nos peccantes non semper illius memores sumus. Sperat autem ipse, quòd nemo ejus memor possit peccare: cùm enim meminerit plasmatoris benefici, & Redemptoris munifici; quomodo non ratiocinabatur, nè eum offendat? Oleaster hìc apud Ramirez in ep. 3. Apoc. 2.

Sodomitæ passioni erant, & peccatores coram Deo nimis. Gen. 13. 13. *Fuit quoque Her primogenitus Judæ nequam in conspectu Domini*. Gen. 38. 7. *Fecerunteq; filii Israel malum in conspectu Domini*. Judic. 2. 11. *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* 2. Reg. 12. 9. Hæc summa est improbitas; peccare per summam impudentiam; nec videntem, æquè ac reprobantem, vereri Deum. Hac impudentia peccasse se dolet David, illud ingeminans: *malum coram te feci*. Ps. 50. 6. S. Chrysol. s. 1. Sensit David, quantum sit sceleris; malì quantum, in ipso peccare Dei conspectu: ideo clamat, & *malum coram te feci!* Unde & adolescentior. Luc. 15. 21. similiter vociferatur: *peccavi in cœlum, & coram te*. Velloso in Judith. 5. 21. Paræn. 43.

Et malum coram te feci. Ps. 50. 6. Quia illum ubique esse noverat, jure, coram ipso malum fecisse deplorabat: arguens dementiam suam; qui non expavit tanto judice præsente peccare. Cassiodorus hic. Exaggerat culpæ gravitatem: quia si in quemvis alium regem delinquere præsentem offensam aggravat; insolentissima invericundia est, coram suprema illa majestate impudenter agere. Orig. hom. 11. in Exod. *Tibi soli peccavi!* Quid ergo plus habet, qui *malum coram te* facit? illud profectò, quòd continuò pœnitet; & dicit, *peccavi*. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 6. c. 2.

Erant filii Israel, & filii Juda, jugiter facientes malum in oculis meis. Jer. 32. 30.

Faciet omnes - liberos, & servos, habere characterem. Apoc. 13. 16. *in frontibus suis*, scilicet characterem bestiæ. Nota sanè improbitas, quàm effrontes peccatores ostendunt ipso vultu; ut scelera patrent publicè, rectè gerunt characterem bestiæ. Non tulit Deus impudentiam Oziæ 2. Paral. 26. 16. &c. in Dei oculis peccantis, *statimque orta est lepra in*

in fronte ejus. v. 19. S. Chrysost. hom. 3. in Is. immisit illi Deus lepram in frontem, hoc modo impudentem faciem puniens. Velloso in Judith. 5. Paræn. 44.

§. VI.

Peccator injurius est in Christum.

Num. I.

Spernit Christum.

Nolumus hunc regnare super nos. Luc. 19. 14. Perversi, & fallaces, etiam Christiani, terrenis rebus illecti, hujus vitæ labentis æternitatibus delectati; nolunt regi à Crucifixo Rege: nè motus carnis cruci pœnalitatis affigat; & cruce paupertatis divitias tollat, & auferat honores patibulo vilitatis, & cogat patienter omnia mala ferre, usque ad ignominiam mortis. Sim. Cass. l. 6. c. 29.

Nos Moysis Discipuli sumus. Joan. 9. 28. Eligunt Moysen in Magistrum, abiiciuntque Christum. Id. l. 6. c. 33.

Cùm jam Diabolus misisset in cor. Joan. 13. 2. Dæmon ad cor Judæ nuntium misit: quasi dedignatus fuerit Sathan adire ipse per se animam proditoris. Christus verò ipse adivit, & ad pedes ejus se abjecit, & mille benevolentiæ significationibus illum à scelerato proposito avocabat, & ad se invitabat. Dæmon verò solo nuntio, quem submisit, tantum apud Judam promovit ut in flagitiosissimum, & atrocissimum scelus illum impelleret. Christus verò spretus, licèt coram adesset. Did. Nyss. D. 2. Pent. §. 5.

Veteres, quòd est apud Pierium Valer. ut hominem exprimerent, qui pro ex grave magnam reliquisset, quam arctissimè tenuerat; polypum pingebant, cui dulcis aquæ guttula effundebatur, cum leniunare; *Discesso subita*. S. Greg. Naz. si quis polypum de cubilibus trahere per vim velit; aut è petris aliquid evellet, aut certè è carne ipsius petris affixum aliquid relinquet. At aqua dulci superinfusa protinus resilit; obliviscitur petræ, cui tam validè adhæsit. Sic multi *Petra* Christo 1. Cor. 10. 4. arcto amoris nexu obstricti, qui protestantur, malle se mortem potiùs millies oppetere, quàm illius amicitiam violare; ad unum tamen fortuitum mulierculæ occursum, & aspectum, sic emolliri, & dissolvi, ut resiliant ab illa petra. Did. Nyss. D. 3. Pasch. §. 5.

Num. II.

Peccator contristat, affligit Christum.

Ego autem sum vermis, & non homo. Ps. 21. 7. Non comparat se ulli animalium magnorum, & pulchrorum, quæ sunt in terra: quæ cùm homo occidit, videtur pietate commotus eorum mortem dolere. Vermen verò ità pedibus conteritis, ac sine dolore interficitis, acsi nihil fecerètis; præsertim si noxius est. Sic à multis hodieque Christus offenditur, quasi impotens vermis se vindicare; quasi nobis noceret &c. Diez ser. de Pass. Dom.

Retribuebant mihi mala pro bonis sterilitatem animæ meæ. Ps. 34. 12. q. d. faciunt ut anima mea, quam pro eis dedi, sterilis sit, quantum ad eos: afferret enim eis fructum vitæ æternæ, si vellent. Hugo Card. hic.

Fatigatus ex itinere. Joan. 4. 6. Jesus fatigatur tripliciter: onere, clamore, & itinere. Onere peccatorum nostrorum, portando, & expectando. Is. 1. 14. *laboravi sustinens*, & Is. 46. 3. *qui portamini è meo utero*. Item fatigatur clamore, nos revocando: *revertere, revertere*. Cant. 6. 12. *Laboravi clamans*. Ps. 68. 4. Prov. 1. 24. *vocavi & renuistis*. Item fatigatur ex itinere: quia multas, & longas vias vadit, ut nos inveniat, & ad se convertat. Hugo Card. hic.

Salvator meus luget etiam nunc peccata mea. Salvator meus lætari non potest, donec ego in iniquitate permaneo. Quare non potest? quia est advocatus pro peccatis nostris ad Patrem. 1. Joan. 2. 1. Quomodo ergo potest ille, qui advocatus est pro peccatis meis, bibere vinum lætitiæ, quem ego peccando contristo? quomodo potest ille, qui accedit ad altare, ut repropitiet me peccatorem, esse in lætitia, ad quem peccatorum meorum mœror semper ascendit? Est ergo tamdiu in mœrore, quamdiù nos persistimus in iniquitate. Sanct. Cyrill. Alex. lib. 7. in Levit. Apud Mendoza in 1. Reg. 11. 4.

Cur hostem in patriam revocamus, quem Christus tanto sudore relegavit? Tantis lacrymis, doloribus &c. infirmitates nostræ extinctæ sunt; cur illas renasci patimur? Stella in Luc. 2. 21.

Num. III.

Peccator renovat Passionem Christi.

Ex Veteri.

Ego sum Joseph. Gen. 45. 4. id est, ejusdem naturæ vobiscum, quem vendidistis pro modica delectatione peccati. Quoties peccas mortaliter toties vendis Christum. Sed sicut deletactione peccati venditur, sic contritione redimitur. Hugo Card. hìc. Joseph Christum significat, cui fratres sunt Christiani. Hi toties Christum vendunt, quoties ipsum pro aliquo temporali relinquunt. Joseph autem suos venditores osculatur flendo, quando Christus suis peccatoribus reconciliatur plurimùm miserando. S. Bonaventura s. 4. D. 5. Pent. O quam parvi te facimus Domine! pro argenteo nummo, pro momento delectationis, pro modica voluptate oblata à dæmone, facilè te tradimus. Accusamus Judam; & idem facinus committimus quotidie. S. Thom. Vill. conc. de Purif. B. V.

Quando inventum fuerit in terra hominis cadaver occisi, & ignorabitur cædis reus; egredientur majores natu ad interfectum, *& dicent: manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt: propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine; & nè reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel*. Deut. 21. 1. 7. 8. Videte in montem Calvariæ pendens de cruce exanime corpus. Quis tam crudeliter occidit? Si estis innocentes, & innocui, à sanguine justi hujus, dicite: *manus nostræ non effuderunt sanguinem*, oculi *nostri non viderunt* quis flagellarit &c. *Vox sanguinis fratris tui clamat*. Gen. 4. 10. Sententiam fert æternus Pater in peccatores: illi sunt rei mortis Christi. Is. 53. 8. *propter scelus populi mei percussi eum*. S. Hieron. ex Græco legit: *ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem*. Incerto Auth. A nobis, qui eramus longè, sed facti sumus propè aufertur reatus sanguinis; & alieni sumus ab innocentis cruore, qui fusus est (diceremque possumus: *manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem*) cùm fecerimus, quòd præcepit Dominus. Cæterùm non faciendo hoc, & non credendo in eum, qui occisus est; eis, qui occiderunt, consentiremus: atque idcirco sanguis ejus justé à nobis exigeretur. S. Rupertus Abb. l. 1. in Deut. c. 7.

Conculcaverunt me inimici mei tota die. Ps. 55. 3. *Quanto magis putatis - qui Filium Dei conculcaverit*. Hebr. 10 29.

Dederunt in escam meam fel &c. Ps. 68. 22. Datum est ei fel in escam, & acetum in potum: fel peccati amaritudo, obstinatio acetum. Bellarminus de 7. verbis l. 2. c. 9. Probabile est, escam istam fellis intelligendam spiritualiter; ut per escam fellis intelligatur amaritudo peccatorum, quæ Christo in Passione jejunanti loco cibi ingesta est. Id. hìc.

Repleta est malis anima mea. Ps. 87. 4. Malis, ait S. Hieron. hìc, populi pereuntis s. q. d. Christus, quod vidit Isaias, id describit: ego id ploro, quod sentio. Ille luget mea vulnera; ego peccata Mundi. Utinam possemus oculis pervidere plagas occultas, quas molestiore Judæis ei intulerunt culpæ innumeræ. S. August. s. 67. de templ. cur me graviora criminum cruce, quam illa, in qua perpenderam, affixisti? gravior enim apud me peccatorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in qua tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Apud Oliva t. 1. conc. 21. de Pass. Dom.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Ps. 128. 3. Nonne satis pro te vulneratus sum? nonne satis pro iniquitate tua afflictus sum? cur addis afflictionem afflicto? Magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. S. Bernardus s. 2. Pasch.

Ex Novo.

Dormite jam, & requiescite. Matth. 26. 45. Amor tuus, & iniquitas nostra, sic te imbecillem fecerunt. Maledicta sit tanta iniquitas, pro qua tantum affligeris. S. Bonaventura Medit. Vit. Chr. c. 75.

Clamabant dicentes: crucifigatur. Matth. 27. 23. Jesum crucifigis, quandocumque mortaliter peccas. Hugo Cardin. hìc.

Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Matth. 27. 34. Porrigitur acetum malitiæ, quia vinum sapientiæ, quod à Christo acceperant, peccando perdiderunt. Potatur acerbitate malorum nostrorum, daturus dulcedinem bonorum suorum. Sed & nunc quotidie, quando peccatis, contristatur, exacerbatur: aceti quodammodò illi potus, & cibus fellis, ingeritur. S. Cæsarius Arel. hom. 6.

Collegerunt - concilium. Joan. 11. 47. Quando potentiæ inferiores animæ cum superioribus deliberant de vita Christi, plerumque is morti addicitur. Christum, quantùm in se est, rursum in crucem agit, & omnia ejus vulnera renovat; qui illum mortaliter offendit. Hebr. 6. 6. *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes*. Drogo Ost. de Pass. Dom. in domo Caiphæ colaphizatus est Petrus. Quoties verò negavit Petrus, toties suum colaphum accepit Christus. Illa verò innovatio Passionis Domini fit, quando potentiæ infe-

inferiores animæ cum superioribus ad deliberandum conveniunt. Tentat dæmon Christianum quempiam; proponit illi voluptatem, quam percipiet, dum illi tentationis obsecundat. Ergo ad consilium coeunt potentiæ inferiores, ac superiores; & inquirunt, an sit bonum facere, quod dæmon vellet fieri? quod idem est, ac deliberare, an Christus crucifigendus? an non? Potentiæ superiores negant expedire; eò quòd satius sit, carere aliqua oblectatione temporali, quàm mortem æternam incurrere, aut rursus crucifigere Christum. Potentiæ inferiores, quæ voluptatis tantùm suæ rationem habent, sic pronuntiant: *expedit, ut unus homo moriatur*, Gal. 1. 16. *continuò non acquievi carni, & sanguini*. Syr. *non patefeci carni, & sanguini*, non aperui illi consilia mea. Occumenius vertit: *non consului carnem, & sanguinem*. Did. Nyss. ser. 6. D. 5. Quadr. §. 7.

Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori. Joan. 19. 7. Nam lex concupiscentiæ judicat eum mori in carne, lex avaritiæ in corde, lex superbiæ in mente. S. Antonius de Pad. s. 3. in Quadr.

Inclinato capite, Joan. 19. 30. Inclinavit in cruce caput, ut ostenderet gravitatem: consuevit enim homo præ nimio onere agravatus suum inclinare caput. Sic Christus, aggravatus pondere peccatorum nostrorum, inclinavit caput. Unde 1. Patri 2. *peccata nostra ipso portulit in corpore suo super lignum*. S. Bernardinus t. 2. s. 56.

Ex Patribus, & aliis.

Cavendum est, & vigilandum; nè, dum incusamus Judæos, eadem, quæ illi, faciamus adversùs Dominum. Multi siquidem adorantes Dominum, sed vitam illo indignam viventes, non animadvertunt, se reos esse mortis Servatoris. *Quicumque enim comederit panem, aut biberit calicem Domini, indignè; reus est corporis, & sanguinis Domini*. 1. Cor. 11. 27. Qui negligit pauperem, esurientem, sitientem, aut nudum; similis est Judæis, qui Dominum exuerunt; quique illi in potum dederunt acetum, & fel. Item qui accipit munera adversùs innocentes, non differt ab eo, qui vendidit Dominum, videlicet Juda. Nam & hic justitiam, quæ est Christus vendit; quemadmodum ille vendidit Dominum. Et, qui non judicat pro orphano, neque jus reddit viduæ; idem est cum his, qui struxerunt insidias Domino; quique falsò criminati sunt eum. S. Athanas. Alex. l. de Cruce, & Pass. D. N. J. C.

Proh dolor! Ambitur sacrum caput aculeis spinarum; & divinum verticem pœnalis coronæ pompa circumdat. Sed in spinis illis nostra eum peccata pungebant. S. Chrysost. s. 3. de proditore, & Myster. cœnæ Dom.

Peccator, quantùm in se est, dat occasionem, ut iterum Christus crucifigatur: & sic contumelia fit Christo. S. Thom. Aqu. in ep. ad Hebr. c. 6.

Peccatum est quodammodo occisio Dei. Ex quo sequitur, quòd, quantum ex se, culpa mortalis occidendo Deum, aufert esse omnibus creaturis: naturæ humanæ aufert esse, & gratiam; naturæ beatæ aufert esse gratiam, & gloriam; Humanitati Christi aufert esse gratiam, gloriam, & Deitatem. S. Bernardinus t. 2. s. 12.

§. VII.

Peccator est idololatra.

Quod dixit: *gratias ago Deo meo*. Rom. 1. 8. non est otiosè accipiendum: non enim vox ista potest esse, nisi sanctorum, quorum Deus dicitur; (sicut Deus Abraham, vel Isaac, vel Jacob) Non potest Dominum Deum suum dicere is, cujus Deus venter est; aut cui avaritia Deus est; aut cui gloria sæculi, & pompa Mundi; aut potentia rerum caducarum, Deus est: quidquid enim unusquisque super cætera colit, hoc illi Deus est. Orig. hic lib. 1.

Quæ quisque pulcherrima animadverterat, ea sibi, tanquam deos præstitit. Si qui autem affectionibus, & morbis animi, plus equò dediti erant; has ij sas, sive perturbationes, sive morbos, deos esse putarunt; vel diis saltem eos consecrarunt: iracundiam scilicet, cœdes, lasciviam, ebrietatem &c. S. Gregor. Naz. or. 2. de recta ratione differendi de Deo.

Omne lethale peccatum ad spiritualem idololatriam pertinet; dum spreto Deo, quem unum finem nobis statuere debemus, aliud quidpiam, quod satis apperitionibus nostris faciat ipsius Dei amori anteponitur. Nam qui, in gratiam uxoris, Deum offendit; Deum abnegavit, & uxorem pro Deo coluit: qui in gratiam regis, & principis, spoliat pupillos, ac viduas, aut aliud patrat scelus; principem pro Deo veneratur. Isid. Clarius l. 1. or. 27.

Sicut bonus habet unum Deum, quem colit; ità mali multos habent Deos, & idola: quia multas scilicet voluptates, multa desideria vana, passiones diversas, quibus serviunt. Idiota in Ps. 15.

§. VIII.

Peccator impudens arguitur.

Nescio num custos fratris mei sum? Gen. 4. 9. Quàm impudens Cain! exosa nimis Deo delinquentis pervicacia, aut impudentia. Arçones in Is. 3. 9. Dis. 4.

Statimque orta est lepra in fronte ejus. 2. Paral. 26. 19. Regem Oziam, ad sacrilegium impudentem, & effrænem, nulla persuasione potuit Sacerdos Azerias coercere: hinc à Deo punitur in fronte, à qua verecundiam abraserat. Mendoza in 1. Reg. 6. 2.

Neque inveniat in te locum latendi clamor meus. Job 16. 19. Non omnis iniquitas clamor dicitur; sed magna, professa, publica. Nam cùm adhuc quodammodò verecundatur, atque cunctatur; & vel timore, vel pudore, reprimitur; nondum dicitur clamor. Cùm verò, ingentis cupiditatis impetu, omnia præceptorum, & legum, monumenta rumpuntur; & malè concepta secreta, evictis omnibus reprehensionibus, atque terroribus, in impudentissimos atque audacissimos mores, tanquam in diluvium consuetudinis confluunt; jam clamor vocatur. V. Beda hic.

Frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisti erubescere. Jer. 3. 3. Sæpe quidem damnati homines in tantam impudentiam veniunt, ut neque propter Deum omnium inspectorem, quem latere nihil potest; nec propter Angelum nostræ custodiæ deputatum, intus in conscientia; nec propter homines exterius, pudeat detestanda mala committere. Sim. Cass. l. 5. c. 16.

Abominatione fecerunt, - confusione non sunt confusi. Jer. 6. 15. Cùm nulla amplius in peccatore tristitiæ, aut verecundiæ, indicia, sed potiùs in perturbata animi quies, & lætitia deprehenditur; tum sanè audacter dicite, & credite; illum mali summam attigisse. Segneri s. 12. die Martis Dom. 2. Quadr.

Vestimento non induebatur. Luc. 8. 27. Hanc nuditatem, agitatione dæmonis factam, illam impudentiam dixerim, qua homo peccare non erubescit. Sim. Cass. l. 5. c. 16. Quid autem est non indui vestimento? nisi non frænari pudore, spoliari decore naturæ, nudari gratia, exui honore inditæ rationis, similem bestiis fieri; quæ agent omnia sine rubore. Id. ibid.

Et nummularios sedentes &c. Joan. 2. 14. Hæc est, quod supra modum offendit, & irritat Dominum; quod illum quispiam sedens, hoc est, velut per quietem, & ex otio, ostendat; tam impudenter provocet, audacterque leges ejus violet nec quidquam curet, quantumcumque flagitia patret. Qui velut ad ostentationem peccat; & ibi turpiùs provocat, ubi colore reverentiùs debebat. S. Chrysost. hom. 8. ad pop. cùm Deus provocetur, nos oscitamus; & relabimur, & gaudemus: peccare enim, & peccantes non dolore, magis eum indignari facit, & succendere. Ps. 72. 8. *cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt*. Author incogn. vult, posse hunc psalmum intelligi de Christo; qui ex ore Davidis dicat æterno Patri: quosdam peccatores designasse animo improbitatem; neque hoc contentos, etiam, per summam inverecundiam, palam prolocutos, quod turpiter conceperunt; & quidem malitiam suam in excelso proclamasse. S. August. non solùm locuti sunt iniquitatem; sed etiam clarè audientibus: ego facio, ego ostendo. q. d. non tam de his sanctus Propheta conqueritur, qui pectore condunt malitiam; quàm de iis, qui abjecto omni pudore impudenter, audacter, & pervicaciter, in medium forum producunt, & passim evulgant sua crimina.

Balthasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille, - præcepit ut afferentur vasa aurea, &c. Dan. 5. 1. 2. Quærit Hieron. cur Deus non puniverit Nabuchodonosorem, quòd sacra vasa è templo abstulerit; sicut Balthasarem ejus filium mulctavit, quòd ex eis biberit? Discrimen dat S. Hieron. ex sacro textu: *asportavit ea in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri sui*. Dan. 1. 2. Addit Hieron. quamdiu vasa fuerunt in idolio Babylonis, non est iratus Dominus: videbantur enim rem Dei, secundùm pravam quidem opinionem, tamen divino cultui consecrasse. At Balthasaris facinus morte vendicavit; qui inde cum optimatibus, & concubinis suis, bibens ea palam profanavit impudenter, & insolenter. Ps. 101. 8. in persona peccatoris: *similis factus sum pelicano solitudinis; factus sum sicut nycticorax in domicilio*. S. Gregor. in Ps. 5. pœnit. pelicanus venenatis animalibus vescitur: & ideo per eum peccator designatur, qui veneno delectatur diabolicæ persuasionis. *Factus sum sicut nycticorax*, qui solet nocte tantùm cantare: per quod notantur hi, qui in tenebroso tripudiant opere, & in suarum mentium exultant destructione. Did. Nyss. ser. 2. D. 4. Quadr. §. 2.

Et faciet omnes, pusillos, & magnos; & divites, & pauperes; & liberos, & servos, habere characterem in dexerta manu sua, aut in frontibus suis. Apoc. 13. 16. In manu imprimet characterem, ut homnes faciat ad peccandum audaces; in

in frontibus, ut impudentes', qui pudorem retinet, licèt graviter delinquat, non desperet. S. Ambros. l. de parad. c. 4. adhoc in his remedium sanitatis est, qui audiunt Dei verbum, Deinde habent remedium; quia se abscondetur: erubescit, convertitur; sicut scriptum est. Ps. 6. 11. *convertantur, & erubescant valde velociter*. Mendoza in 1. Reg. 6. 2.

Verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum. S. Greg. in 7. Ps. pœnit. Ps. 6.

§. IX.

Peccatori gloriatio de peccato, affinis priori.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Ps. 51. 3.

Usquequò peccatores, Domine, usquequò peccatores gloriabuntur? 93. 3.

Non misertus est illis, gentem totam perdens; & extollentem se in peccatis suis. Eccl. 16. 10. Quæres: cùm totam gentem perdiderit Deus; an aliquis ex iis pœnitens veniam peccatorum meruerit? an cum corpore simul animam perdiderit? Communis est omnium opinio; omnes æternis pœnis mancipatos. Vide Cornelium hic. Subita enim flamma illos corripuit, & obstupefecit; ut nec sensum, nec tempus, haberent pœnitendi. Secùs accidit in diluvio: sensim enim, & lentè increscens, spatium dedit pœnitendi. Ratio illorum: quia extollebant se in peccatis, quæ publicè, & glorianter patrabant. Octavianus in Eccl. hic.

Peccatum suum - prædicaverunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum! quoniam reddita sunt eis mala. Is. 3. 9. Sed cur Propheta dicit, *quoniam reddita sunt &c.* qui enim minas intentat, mala futura annuntiat. Dicendum ergo esset, quia reddentur eis mala. Quia supplicium, quod scandalizantibus imminet, adeò certum est, & indubitatum; ut de eo non aliter loqui liceat, quàm si executioni jam esset mandatum. Segneri s. 12. die Martis D. 2. Quadr.

Tu ergo noli orare pro populo hoc. Jer. 11. 14. S. Hieron. præcipitur Jeremiæ, nè velit pro eis Dominum deprecari, in quos est jam, consummata sententia. Cur consummata? respondet ibidem Dominus: *nunquid carnes sanctæ &c.* v. 15. Nimirum sacrificia, & precationes, frustrà fient, non quidem propter malitias quascumque; sed propter illas, utpote diviniam justitiam maximè irritantes? videlicet *in quibus gloriata es*. Fernandius in Gen. 10. sect. 6.

Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Jer. 15. q. d. frustrà sunt victimæ; nec sufficiunt holocausta ad me placandum: Tollere illa quidem potuissent iniquitates tuas, meamque iram mitigare; si cum pudore, dolore, & lacrymis, ea fuisses detestata. Sed quia frontem meretricis induisti, & de injuriis meis gloriata es; nullum superest remedium, ò infelix civitas! sed certo lues excidio. Id. ib.

Elevatum est cor tuum in decore tuo. Ezech. 28. 17. Si pœnas dedit gigas: qui robur virium suarum superbè jactavit; Absalon, qui concinam cæsariem ostentavit; Sennacherib, qui militum numero, & potentia intumuit; Aman, quem dignitas gradui inflavit, Antiochus, quem triumphi elevarunt. Herodes, qui eloquentia sua evanuit; Nabucodonosor ædificiorum mole fastuosus, Ezechias vana thesaurorum suorum gloria elatus: quodque magis mirandum, Pharisæus ipse sibi in jejuniis suis complacens. Quid de vobis statuetur? qui gloriæ vobis ducitis; obscœnitates vestras, fraudes, mendacia, per juria, & cætera vitia; quæ cùm studiosè occultanda forent, ut opprobria; ea, velut res bene gestas, & magnifica, jactatis. Segneri antè cit.

Balthasar rex fecit grande convivium, &c. Dan. 5. 1. Vide §. præcedentem.

Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Damasci, & super quartum non convertam eum. Amos 1. 3. Quærit S. Hieron. quod sit illud flagitium quartum, quòd indulgentiam Domini non admittat? & respondet: primum peccatum est, cogitasse, quæ mala sunt: secundum, cogitationibus acquievisse perversis: tertium, quod mente decreveris, opere complere: quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, & suo sibi complacere delicto. Sed nonne Deus infinitè misericors? quis benignitatis fontes obstruit? pervicaciam, impudentia, & in ipso scelere gloriatio. Non convertit Deus, nisi eum, cui exosum est crimen; non cui placet. Arcones in Is. 3. 9. Disc. 4.

Christi temporibus hypocrisis vigebat, præsertim in Pharisæis; & ideò jure contra eam sæpius agebat Christus. Sed nunc tanta multorum impudentia, ut de peccatis glorientur, ea publicè perpetrent, ut peccatores habeantur. Laudant se de peccatis, quæ nunquam fecerunt. Incitandi modo homines, ut sint hypocritæ. Contenti sitis, ut soli in Infernum vadatis. Stella in Luc. 12. 1.

§. X.

Peccator ex malitia peccans.

Ex Veteri.

Descendens in paradisum Deus protoparentes lapsos interrogat? si quid allegarent, unde pœna infligenda minueretur. Serpentem tamen Gen. 3. 14. in quem miseri totam culpam devolverant, nihil interrogat: quia, quidquid dæmon, ex mera malitia tentans, responderet, numquam excusabilis, nunquam venia dignas haberetur. Oleaster hic. Ad serpentem nihil dicitur, nihil interrogatur: quoniam peccatum, quod ex malitia procedit, nihil habet, quod illud possit excusare. Ramirez in ep. 3. Apoc. 2. 13.

Maledicta terra in opere tuo. Gen. 3. 17. Caino dicitur: *maledictus eris super terram*. Gen. 4. 11. Cur gravior Caini pœna? quia, præmeditatus necem, fratrem duxit in agrum: *egrediamur foras*. Eva à serpente decepta est, Adam ab Eva Cain facinoris occasionem sibi excogitavit. Ergo severiùs puniendus. Naxera in Jos. 16. §. 12.

Videns Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra. Gen. 6. 5. Cajetan. describitur visa in voluntate hominum malitia; non imbecillitas, non passio: sed quod in voluntate pessimum est, malitia; nec ea parva, aut una; sed *multa*. Ut hinc intelligamus, homines usque adeò declinasse in malum, quòd peccabant ex malitia; ac per hoc incorrigibiles erant. Fernandius hic.

Percussit autem de viris Bethsamitibus. 1. Reg. 6. 19. Non peccaverunt Bethsamitæ, quod vidissent Arcam tectam, sed nudam: hoc enim tantùm, & non illud, vetabatur: quia forsan eam denudarunt, ut curiosiùs inspicerent: quod esse non potuit, nisi ex malitia, occasionem ad peccandum inquirentium. Mendoza hic.

Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos. 3. Reg. 12. 28. Peccatum non ex ignorantia, non ex infirmitate, non ex repentina, & vehementi passione; sed ex pleno consilio susceptum, gravissimum in sacris literis. Regem Jeroboam idololatram divina ultio graviùs, quàm cæteros reges, exagitavit. Hic enim & seipsum, & totum regnum Israel, Deo fecit exosum: quod proinde innumeris cladibus exposuit; ac tandem in extremum; extitum unde nunquam amplius revixit, præcipitavit. Credo, quia idololatriam non ex ignorantia, non ex fragilitate, sed *ex cogitato consilio*, commisit. Mendoza in 1. Reg. 5. 11.

Excepto sermone Uriæ Hethæi. 3. Reg. 15. 5. Dicitur quòd David: *fecisset rectum in oculis Domini, & declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto, &c.* hoc est, homicidio. An plura peccata commisit? cùm alienum thorum violavit. 2. Reg. 11. 4. populum recensuit. 2. Reg. 24. 2. contra Miphibosetch iniquam sententiam tulit. 2. Reg. 16. 4. Cur igitur unum tantùm Uriæ homicidium illi vitio tribuitur, acsi à reliquis culpis facilè absolvatur? Theodoretus: David in aliis peccatis, non ex mali animi instituto, sed fortuito, & quodam casu, vulnus acceperat: negligentiæ peccata erant, non malignitatis, ut homicidium. Peccatum verò ex consilio adeò erat grave, ut cætera præ illo, nulla viderentur. Hominem in culpam lapsum Deus ad pœnitentiam revocavit; Angelum verò peccantem sine remedio perire passus est. Angelus ex consilio peccavit. Is. 14. 13. *dicebas in corde tuo*: homo ex præcepit affectu in conjugem. Id. ibid.

Ex Novo, & Patribus.

Væ homini illi. Matth. 26. 24. Prædicitur proditio Judæ, & negatio Petri: illi additur *væ*, non huic, quia ex fragilitate, illius ex malitia. Sylveira hic.

In hac nocte antequam Gallus cantet. Matth. 46. 34. Orig. tr. 35. in Matth. notat, Petrum sub noctem Christum negasse. Nisi corticem abiicias, nihil mysterii verba continere videbuntur. Quid enim, si Petrus vel sub noctem, vel sub diem, deliquerit? Illi nocte dicuntur peccare, quibus adhuc veritatis lux non affulsit. Hic si peccaverit, facilè surgit; hunc vel gallus excitat, Dominus respicit, mox subit pœnitentia. Ille verò sub lucem dicitur peccare, qui, postquam aliquandiu virtuti adhæsit, tandem ad vitia recidit. Pinna in Eccl. Ethol. 66.

Manè autem facto consilium inierunt omnes principes Sacerdotum, &c. Matth. 27. 1. Paulò antè Matthæus Petri negationem noctu factam præmisit. En tibi, quomodo utrumque peccatum conjunxit, noctu, & manè factum: alterum statim venia sequitur ad pœnitentiam; alterum nunquam deletum est; quia data opera factum, Orig. suprà: Christi quidem Discipuli in nocte scandalizantur, *omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*: qui autem consilium accipiunt contra Jesum manè facto, in lumine peccant, id est scientes. Id. ib.

Exprobravit incredulitatem eorum. Marci 16. 14. Non ex-

probravit eorum fugam in Passione: quia hæc erat fragilitatis; illa obdurato animo. Sylveira hic.

Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. 23. 34. Misericorditer iis subvenit gratia Salvatoris; & omnis culpa est mitior; faciliusque meretur veniam, quæ ab ignorantia, quàm quæ à malitia sumit exordium. Sim. Cass. hic.

Tanto consensu omnes peccata sequimur, quasi summi consilii conspiratione peccemus. Salvianus l. 4. de Prov.

§. XI.

Peccantium malitiosè varii actus.

Num. I.

Peccator excusat, tuetur, peccatum.

Proteguntur umbræ umbram ejus. Job 40. 17. (scilicet Behemoth.) S. Gregor. l. 33. mor. c. 5. umbram umbræ ejus protegunt, dum nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur. Sed tales quique, tantò apertiores hostes Dei se exibent, quantò majores sunt patroni vitiorum. Pinna Eth. 216.

Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se præmentibus. Job 41. 6. Corpus diaboli est congregatio malorum; quæ sunt occupationes ortæ à primo homine: quem cùm Deus reprehenderet, se excusavit, dicens, *mulier, quam dedisti mihi &c.* Gen. 3. 12. Act. 9. 18. de S. Paulo dicitur; quod in ejus conversione *ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, & visum recepit*. In quo significatur, culpam suam agnovisse, nec mala sua vanis excusationibus texisse. Ut pisces bene condiantur, priùs squamis nudantur: sic oportet animas squamis excusationum mundari, quæ in pœnitentia condiendæ sunt. Hinc rogabat David: *non declines cor meum in verba malitiæ; ad excusandas excusationes in peccatis*. Ps. 140. 4. Quot rationes inquirit peccator, ut perpendit S. Bernardus, ad excusandum se! Primùm dicit, non fecit. Quòd si se convictum advertit dicit: feci; sed bene feci. Si verò malè fecisse convincitur, dicit: si multum malè feci, non feci mala intentione. Tandem se excusat: diabolus me decepit; ille homo mihi persuasit. Semper scuta quærit, quibus se defendit. Diez 2. p. Quadr. D. Septuag.

Os eorum locutum est superbiam. Ps. 16. 10. Benedixit, tantum ore, non etiam corde, locuti sunt: quia sceleratorum mors est; illa frequenter sermone defendere, quæ noscuntur conscientia teste damnare. Cassiodorus hic.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat tempora profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Ps. 68. 16. Nullum in humano genere malum perniciosioris est criminis, quàm defensio pravitatis. Offensio quippe Dei meretur iram, excusatio provocat ad vindictam. Hoc sanè præcavebat David virium, cùm dicebat: *non me demergat &c.* Nam, cùm peccat homo, quasi in puteum labitur: cùm verò peccata defendit, os putei super eum, nè pateat egressus urgetur. B. Petrus Dam. l. 1. ep. 18.

Dabis eis scutum cordis. Thr. 3. 65. Cùm verba prædicationis audiunt, nulla correptionis jacula penetrare permittunt: quia in omni peccato, quod faciunt, scutum superbæ defensionis, aut pravæ negationis, sibi opponunt. Nam dum quis talium de reatu suæ iniquitatis arguitur; non mox cogitat, quomodo culpam corrigat; sed quid in adjutorium suæ opponat defensionis. Nulla igitur veritatis sagitta penetratur; quia verba sanctæ correptionis in scuto excipit pravæ defensionis. Hoc scutum primus homo tenuit; qui requisitus, cur lignum veritum contigisset? ad se culpam retulit, sed ad mulierem, Gen. 3. 13. quam Dominus ei dederat: & reatum suum obliquè ad authorem dati iniquè retorsit, quod ei mulierem dederat. Hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, neq; ipsa ad se culpam inflexit; sed serpentis persuasionibus replicavit: volens & ipsa reatum suum in Creatorem inflectere; quòd illic intrare serpentem, persuasurum talia permisisset. S. Paschasius hic.

Lavit manus. Matth. 27. 24. Christum morte condemnat, sententiam profert; & se innocentem in morte Christi dicit. Etiam Sacerdotes v. 4. innocentes esse volunt: *quid ad nos, tu videris*. Pretium obtulerunt, & solverunt proditori; accusant coram Pilato; cogunt, ut crucifigatur: & tamen adeò innocentes se indicant, acsi nihil deliquissent. Quivis delinquentium se reputat innocentem, quia non commisit crimina omnium. Alvarez in Gen. 37. 22. Illustr. 62.

Num. II.

Peccator innocentem se dicit; affinis præcedenti.

Manusque vestros servare innoxias. Gen. 37. 22. Hæc Ruben, ut fratres à cæde servaret. Sed audi Ruben: si Joseph fame oppressus in cisterna pereat, quomodo innoxii erunt fratres? Ea est impiorum fiducia; ut, qui minùs sæviunt, reputentur innocentes; eò quòd non sint atrociores. Alvarez antè cit.

Gratias tibi ago, quia non sum &c. Luc. 18. 11. Qua fiducia se coram Deo innocentem jactat, si tumet superbia; dùm omnium hominum vitia in se uno non videt, omnibus carere asserit. Id. ib.

Num. III.

Peccat ob rem vilem.

Verò mendacium possederunt - vanitatem, quæ eis non profuit. Jer. 16. 19.

Venatione caperunt me, quasi avem inimici mei, gratis. Thren. 3. 52. Loquitur in persona peccatoris, & erubescit, similemse fuisse avi, ab aucupe miserè deceptæ? & quo illico? *gratis* unius milii grano inescatæ. Quid sunt terrena omnia, malo æterno, quod peccando incurritis, nisi granum milii? Segneri s. 1. die Cinerum.

Violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis. Ezech. 13. 19. Vide hoc titulo superiùs §. 4.

Num. IV.

Delectatur peccato.

Bibit quasi aquam iniquitatem. Job 15. 16. Lyran. iniquitatem, sicut aquam, bibit, qui committit peccata absque fræno timoris: ille enim, qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè; sed bibens aquam hoc non timet. *Quasi aquam &c.* id est, qui pro nihilo, & absque aliqua observatione, iniquitatem committit: qui enim bibit vinum, cum aliqua observatione bibit, nè inebrietur. S. Thom. Aqu. lect. 2. hic.

Comedunt panem impietatis. Prov. 4. 17. id est, impietate delectantur, & pascuntur quasi pane: & *vinum iniquitatis bibunt*. ib. id est, ità delectantur in iniquitate, sicut in vino. Hugo Card. hic. In actione scelerum iniqui quasi epulis delectantur. V. Beda hic.

Num. V.

Peccator præsumit.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Ps. 30. 20. Orig. t. 1. in Ezech. notat, abscondi dulcedinem hanc non diligentibus, id est, perfectis viris, sed *timentibus*, id est, qui parum in virtute profecerunt. His utiliter absconditur; nè præsumptionem ingerat: & manifestatur justitia; ut utiliter timeant. Parvuli, ait Origenes, non possunt cum emolumento suo discere, quòd amentur à patre; nè dissolvantur, & despiciant bonitatem Dei. Pinna Ethol. 64.

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth. 20. 15. id est, quia ego punire homines differo, & peccantibus pœnitentiæ spatium concedo; tu me peccatis lacessis? Id. Ethol. 43.

Et osculatus est eum. Matth. 26. 49. Theophylactus: cùm scirer bonitatem Domini, audebat illum osculari. Ex summa bonitate arripuit audaciam: quia Jesus bonus, ille malus. Sylveira hic q. 7.

Num. VI.

Peccator docens peccare.

Beatus vir, qui non abiit &c. Ps. 1. In processu malorum tria consideranda sunt. 1. deliberatio de peccato; & hoc in cognitione. 2. Consensus, & executio. 3. Introductio aliorum ad simile; & hoc est pessimum. S. Thom. Aqu. hic.

Homo occiditur in hominis voluptatem: & ut quis possit occidere, peritia est, usus est, ars est. Scelus non tantùm geritur; sed & docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius dici? S. Cyprianus Carth. ep. 2.

Num. VII.

Peccator odit juvare volentes.

Magna est velut mare contritio tua; quis medebitur tui? Thr. 2. 13. Furentes fluctus, tempestate commotum mare, quis Neptunus audeat componere? accipiet pro mercede naufragium. Baeza t. 2. l. 7. c. 2. §. 2.

Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes. Matth. 8. 28. Summa miseria illius peccatoris, qui in eos exurgit, à quibus medela ei porrigebatur. A dæmonibus obsessi miseri homines, nudi, ab omnibus deserti, sine omni auxilio inter fœtida sepulchrorum cadavera cubabant. Et quis illorum miseretur, dum omnes auxilii vias sibi præcludunt, in omnes transeuntes crudeles, & hostiliter sævientes. Quot etiamnum sunt tales dæmoniaci, homines peccatorum fœtoribus incubantes, quasi æternæ jam morti deputati, qui feritate sua eos persequuntur, à quibus medelam deberent sperare. Baeza ib.

Num. VIII.

Peccator delinquit admonitus.

Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? vadam, & amputabo caput ejus. Et ait rex-dimittite eum &c. 2. Reg. 16. 9. 10. Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus. Cassiodorus 4. var. 29. Semei graviter injurianti à Davide parcitur; non item dum 3. Reg. 2. 46. monitus non egredi ex urbe, egressus est. Naxera in Jos. c. 22. §. 21.

Num. IX.

Peccator solatia quærit.

Resurrectionis dogma lædit vitæ improbitas, dilacerat immortalitatem animarum, & judicium, & multa alia: inducit fatum, necessitatem, negationem providentiæ. Anima enim multis malis immersa has sibi consolationes excogitare attentat; ut nè, cogitans esse judicium, contristetur; & situm esse in nobis, facere malum, aut facere bonum neget. S. Chrysost. hom. 7. in Acta.

Qui sibi conscii sunt turpissimarum actionum, quibus graves pœnas meriti sunt; odio judicii tollunt Resurrectionem; & pro eo, quod cupiunt, varias cogitationes sibi fingunt. S. Greg. Naz. or. 3. de Resurr.

Nonnulli æternitatem pœnarum Inferni negarunt; ut suis perditis moribus hanc pollicerentur impunitatem. S. Aug. de Civ. l. 21. c. 18.

§. XII.

Peccator palliat mala specie boni.

Ex Veteri.

Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis? Genes. 3. 1. Curatoris ad speciem studia imitatur, cùm osoris animum gerat. S. Basil. Seleuc. or. 3. humanitatem simulat, cùm ad cædem accurrat; & commiserationis obtentu conatur servum cum Domino committere. Evæ, ad speciem, cupit divinitatem; sed quærit imperium sibi. Naxera in Jos. 4. §. 24.

Egrediamur foras. Gen. 4. 8. In agrum. Qua causa? animi, & recreationis, & colloquii fraterni gratia. Marchantius D. 7. Pentec.

Nosti Domine mi, quod parvulos habeam teneros &c. Gen. 33. 13. Parvulorum causam videtur agere, & tardare gressus: non suì commodi studio, sed alienæ salutis desiderio. Sed patet, sibi consuluisse. Cur non ait? vides, quòd claudicem. O quàm nostros defectus legimus, & ignoramus, quàm aliorum, etiam occultos scimus. Parvulorum imbecillitatis colore sibi indulget, & specie charitatis laborem celeritatis refugit. Cajetan. claudicabat enim; & propterea moderandum censuit iter ad commodum proprium; & non solùm ad commodum gregis, & filiorum. Naxera in Jos. 4. §. 24.

Non possumus facere, quod petitis; nec dare sororem nostram homini incircumciso. Gen. 34. 14. Corripit hypocrisis in domo Jacob Patriarchas; & ex his eum diligit, qui Levitarum propugnando generi destinatur: nec uni necem intentat; sed urbis excidium molitur. Non hic jejunat hypocrisis; sed sacrificat, ut fæviat. Nihil in illo fidei rudimento apud Patriarchas sanctius circumcisione. Et ea potissimum abuti audet hypocrisis in libidines suas. Mactentur adulteri; sed telo, non cultro; Caini gladio, non Abrahæ. Oliva fer. 4. D. 3. Quadr.

Filii Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israel. Jos. 4. 12. Putares, exercitus occupasse frontem, ut fratrum vitæ, & saluti, etiam proprio detrimento consulerent. Moysen orant; ut uberrimam ante Jordanem regionem illis in hæreditatem largiatur; utque votis annuat, promittunt. Num. 32. 17. *nos ipsi armati, & accincti, pergemus ad prælium ante filios Israel; donec introducamus eos ad loca sua*. Naxera hic §. 24.

Pepercit populus melioribus. 1. Reg. 15. 15. Et cur? ut immolarentur Deo. Personata virtus est, quæ sordidam obtegit avaritiam honesto velo Religionis. Velloso in Judith. 1. 12.

Saul *fecit eum* (David) *tribunum super mille viros*. 1. Reg. 18. 13. addit animos v. 17. *esto vir fortis; & prœliare bella Domini*. Honestum sanè pallium odii, quo v. 11. *putans, quòd configere possit David*. Sed quia propudium erat, præmi à rege insontem militem; tribunatu donat, ut scelus tegat. Dicebat enim v. 17. *sit super eum manus Philistinorum*. Velloso in Judith. 2. 3.

Congrega religuam partem populi. 2. Reg. 12. 28. Ita Joab, urbe Rabath obsessa, regem Davidem monet, civitatem obsideat; quò omnis illi victoriæ gloria adscribatur. Quid ad speciem modestius; Joab de triumphi plausit nihil sibi adscribi velle videtur? sed omnem in David victoriæ gloriam transferri. Sed audi Carthusianum hic: hoc Joab denuntiavit ex quadam versutia, adulatione, & ambitione: quia ambitiosus erat; & regi complacere desiderans, gratiam ejus captavit; ut in suo firmaretur officio. Naxera in Jos. 4. §. 24.

Quis me constituit Judicem super terram? 2. Reg. 15. 4. Studium, & animum subveniendi Reipublicæ ostendebat: at verò inaudita quadam regni cupiditate conflagrabat. Paoletti D. 17. Pent.

Prædicate jejunium. 3. Reg. 21. 9. Hujus tenoris Jezabel expedivit literas, cùm Achab vineam Naboth obtinere non posset. Rupertus: quantum fuit in cœlo spectaculum, dum tam crudelem cruorem sitiendo callidi simulatores prædicarent jejunium. Paoletti Dom. 17. Pent.

Juravit, - quòd defenderet se. Judith 1. 12. Injuriam tegit honesto nomine defensionis. Velloso hic.

Virum sanguinum, & dolosum, abominabitur Dominus. Ps. 5. 7. S. Basilius M. truculentum dicit eum, qui, prætextu æquitatis, internam malitiam celat. Apud Did. Nyss. f. 2. D. Palm. §. 5.

Ex Novo.

Pallium malitiæ Judæorum.

Dicebant autem: non in die festo. Matth. 26. 5. Statuerunt id, non ob festi religionem, sed populi metum. S. Hieron. non stupent devotioni, sed facinori. Theophylactus: non timebant Deum, sed plebem. Sylveira hic.

Ut eum morti traderent. Matth. 27. 1. Inquierebant testimonia, ut zelo justitiæ puniretur, quem ipsi zelo invidiæ sectabantur? & justitiæ velamento invidiam, & animi crudelitatem, palliare tentabant. Sim. Cass. l. 13. hic.

Non licet eos mittere in corbonam. Matth. 27. 6. Notant S. Hieron. & Paschas. Sacerdotum hypocrisis: ficto religionis studio timent mittere illam pecuniam in commune oblationum ærarium; & audacter summum omnium nefas devorabant, Filium Dei occidentes. Sylveira hic.

In sepulturam peregrinorum. Matth. 27. 7. Hoc fecerunt, misericordiam simulantes; sed, secùndum Hieronymum, eorum intentio fuit, Christum diffamare: quatenus ex occasione illius agri, & sepulturæ, semper maneret memoria venditionis, atque turpissimæ mortis Christi. Sed divina ordinatione hoc factum est ad memoriam impiæ venditionis, & justæ ultionis Judæ; ac innocentis traditionis, Passionisque Christi. Dion. Carthus. hic.

Ut non remanerent in cruce. Joan. 19. 31. Pessima superstitio Judæorum; qui opinabantur contaminari diem Sabbatum, si starent in patibulo corpora damnatorum: sed contaminationem mentis, sed non videbant, qui Christum injustè damnaverant. Sed ipsi allegabant Præsidi reverentiam Sabbati: corde tamen magna malitia tenebantur; nè propter signa facta Christo moriente, in Sabbati quiete tumultus in populo nasceretur; & ex viso in cruce corpore turba facilè mobilis moveretur: & præcavebant ad illud corpus reverentiam fieri propter signa terrentia. Sim. Cass. lib. 13. hic.

Judæ.

Quid vultis mihi dare? Matth. 26. 15. Cajetanus hic. Rationi consentaneum est, ut Judas se scandalizatum dixerit de Magistro suo: & quòd hactenus putaverit ipsum esse spiritualem virum; sed quod nunc perdidit bonam famam de illo: quia videt illum in tanta sensualitate; quod unguento pretiosissimo mulieribus manibus usus est; non solùm in capite, sed etiam in pedibus. Naturale siquidem est hominibus sub aliquo colore palliare factum iniquitatis propriæ; & præcipuè talis; scilicet offerendo proditionem proprii Magistri. Sylveira hic q. 8.

Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis? Joann. 12. 5. Si unguentum effundatur, honorat magister; sed aliquid lucri Judas ammittit. Theophylactus ad Marci 14. Adversùs mulierem indignabatur, propter avaritiam, & turpe lucrum. Naxera in Jos. 9. Paragr. 24. Avarus misericordiæ viscera in pauperes fingit; ovina veste se contegit lupus; cordis rabiem ex lucri occasione amissa zelo exteriori charitatis vestivit. Unguentum, ò miser! trecentis æstimas denariis; & Magistrum triginta tradis argentis? Escobar t. 2. Pers. Chr. lib. 10. sect. 2. Nunquam virtus magis lacessitur, quàm cùm suis armis oppugnatur. Ut suam avaritiam sordidus Judas palliaret, causam pauperum prætexit. Non invenit, quò meliùs illam religiosam piæ mulieris actionem oppugnaret; quàm alterius mentitæ virtutis fucato colore. Did. Nyss. fer. 2. D. Palm. §. 5.

Sed quia fur erat. Joan. 12. 6. Rupertus: furtum inferebat honesto nomine? id est, egenorum palliavit cura. Sylveira hic. tom. 5. l. 7. c.

Herodis, & Caiphæ.

Ite, & interrogate diligenter de puero. Matth. 2. 8. Glossa hìc: Herodes devotionem promittit, sed gladium acuit: malitiam depingens colore humilitatis, finxit se vultu, & verbis, adorare eum, quem invida mente cogitabat occidere. Eccl. 19. 23. *est, qui nequiter humiliat, se, & interiora ejus plena sunt dolo.*

Cùm inveneritis, renuntiate mihi. ib. Sacrificare cupit; sed infantem, non infanti. Unam advocat hypocrisim Herodes, ut Christum occidat; ratus reliquorum scelerum futurum irritum apparatum. Oliva fer. 4. Dom. 3. Quadr.

Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo. Joan. 11. 50. Cajet. palliatur judicium specie communis boni præponendi bono particulari, nulla facta mentione de justitia, deque innocentia. Nihil iniquius, nihil lethale magis Reipublicæ, aut communi bono, quòd simulas; quàm sub prætextu, aut simulatione justitiæ, uti potestate ad affectus animi explendos: sicut Caiphas boni prætextu usus potestate ad Christum de medio tollendum, propter invidiæ propriæ satietatem. Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 9. sect. 2. obs. 5.

Aliorum.

Absit à te Domine: non erit tibi hoc. Matth. 16. 22. S. Chrysost. hom. de negat. Petri: ut Jerosolymam non ascenderet, orabat: quòd Judæorum minas non ferret. Miserationis larva ignaviam suam texit: benevolentiam simulavit esse; quòd timor erat. Et ità benefactori suo tum præsentibus satisfecisse, & officii partes explevisse, putavit; cùm suum metum celavit. Didacus Nyssenus Pol. cœl. p. 1. l. 8. c. 8.

Quid facitis, quod non licet in Sabbatis? Luc. 6. 3. Hi pharisæi sub fuco, & zelo observantiæ legis, suam tegunt malitiam, & invidiam. Stella hìc.

Rogo te Pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei. Luc. 16. 27. Semel pro se, bis pro fratribus, supplicat putares, non tam gravi flammarum incendio, quàm zelo, aliena salutis aduri. Sed audi Cajetanum: non proveniunt istæ preces ex bono affectu ad salutem fratrum. Quoniam damnati habent voluntatem firmatam ad malum; sed proveniunt ex affectu superbiæ. Videbat enim divites multos salvari; & propterea appetebat suos fratres evadere miseriam: ut vel sic in suis fratribus exaltetur. Naxera in Jos. 4. §. 24.

Saule, Saule, quid me persequeris? Act. 9. 4. Nonne alii quoque tunc Christum persequebatur? inquit Chrysostomus; cur ego tota in Saulum congeritur injuria? quasi is, untis, solusque, Christum petat? Respondet Chrysost. medio zelo vehebatur, nondum satiatus, cæde Stephani, q. d. quòd Christus suas, suorumque injurias, præcipuè in Saulum referebat, causa erat; quia ille zelo virtutis, ut videbatur, ad inferendum exitium virtuti, invehebatur; hoc verò est, quod Christum ægrè habebat. Did. Nyss. fer. 2. D. Palm. §. 5.

Cùm mala sit omnis malignitas; pessima tamen est hujusmodi mala species; quæ sub specie sanctitatis suæ exercet injurias; sæpe enim quando sævit in proximum ex vitio iracundiæ, vel veneno invidiæ, fingit sibi cogitatio, quòd faciat illud pro zelo justitiæ. Richardus à S. Vict. in Ps. 25.

Peccatores scrupulosè in parvis, non verò magnis.

Vide tomo 1. C. tit. 27. Conscientia §. 4.

§. XIII.

Miscellanea.

Venerunteque duo Angeli Sodomam vespere. Gen. 19. 1. Ipsum tempus, vel hora, visitationis tristissimæ, peccatorum causæ congruit. Abraham meridie visitatus est. Rupertus l. 6. c. 6. in Gen.

Non resurgent impii in judicio. Ps. 1. 5. Non dixit, non resurgent impii; sed in judicium non resurgent; verùm in condemnationem: neque enim redargutionibus indigent, cùm eorum impietas manifesta sit; sed supplicium solum expectant. Quemadmodum enim homicidas in flagranti crimine captos, non ut redarguantur, judices in judicium trahunt; sed ut sententiam legibus congruentem contra illos pronuntient; eodem modo etiam, qui impietati assuevere, statim post resurrectionem pœnam sustinent; non in judicium adducti, sed ut judicii sententiam accipiant. B. Theodoretus hìc.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Ps. 5. 7. Non dixit, qui operati sunt: quia tantum in judicio damnabuntur, qui usque ad finem vitæ suæ crimine se nefando commaculant. Cassiodorus hìc.

Tu ò dilecte, quando in aliqua fueris calamitate, nè dicas: Deus mei oblitus est; sed quando fueris in peccatis, & omnia tibi feliciter succedunt. S. Chrysost. in Ps. 12.

Innumeros dies deflent homines familiarium obitus, pecuniarum damnum: quòd autem animam singulis diebus amittamus, nè cogitamus quidem. Idem hom. 8. in 1. Corinth. 2.

TITULUS XV.

PECCATUM.

§. I.

Symbola.

Ne unquam obdormiam in morte. Ps. 12. 4. id est, in peccato. Dormitat in morte, id est, peccato, qui frequenter labitur, & frequenter resurgit. Dormit, qui, cum cecciderit, non resurgit, Obdormit obstinatus; qui peccatum suum defendit; nec de facili excitatur. Hæc tria notantur Eccl. 43. 22. *frigidus venitus Aquilo flavit, & gelavit crystallus ab aqua.* Aqua dormitationem, glacies dormitionem, crystallus obdormitionem, significat. Hæc est triplex mors, scilicet delectationis, consuetudinis, obstinationis; quæ notatur Thr. 3. 53. *lapsa est in lacum vita mea; & posuerunt lapidem super me.* In lapsu notatur delectatio, in lacu consuetudo, in lapide obstinatio. Hugo Card. hìc.

Hi in curribus, & hi in equis. Ps. 19. 8. Currus malus superbia. Ex. 15. 4. *Currus Pharaonis &c.* Equi: divitiæ, nobilitas. Ira Nahum 2. 3. *ignea habens curras.* Equi rixa, contumelia, avaritia. Judic. 1. 19. *falcatis curribus abundabant.* Equi amor parentum, ambitio dignitatum, Luxuria. Jos. 11. 9. *currusque combussit igni.* Equi ventris ingluvies, vestis mollities. Hugo Card. hìc.

Crinibus (Vulgata *funibus*) *peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Prov. 5. 22. Capilli pro vitiis accipiuntur. S. Isidorus de offic Eccl. 2. c. 16.

Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Is. 1. 15. Sanguine, id est, sceleribus. Sanguis in Prophetis est Symbolum peccati, ut patet v. 18. Et Os. 4. 2. *Sanguis sanguinem tetigit.* Ubi S. Greg. mor. l. 13. c. 3. sanguis sanguinem tangit, cùm culpa culpam cumulaverit. Tum quia sanguinis effusio, seu homicidium, gravissimum est peccatum; tum quia sanguinis esus Judæis erat vetitus, & detestabilis. Levit. 7. 27. Cornelius hìc.

Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Jer. 21. 8. Tropologicè via vitæ est studium virtutis, & legis Dei; via mortis est peccatum, ac legis, & voluntatis Dei, prævaricatio. Utramque Concionatores sæpe populo ob oculos ponant: ut, cùm multi sint vocati, pauci electi; cumque multi ingrediantur viam mortis; quisque amans salutis suæ satagat cum paucis fugere de incendio Sodomæ, & salvare animam suam; ut per viam vitæ ad vitam æternam evadat. Cornelius hìc.

Opposuisti nubem tibi. Thren. 3. 44. Peccata vocantur nubes 1. quia sunt quasi atri vapores ascendentes ex pravo corde, quasi ex palustri terra. 2. quia solis, id est Dei, aspectum, & gratiam adimunt. 3. quia, sicut ex nubibus grandines, tonitrua, & fulmina prodeunt; ità ex peccatis profilit, ira & pœna Dei. 4. quia sicut nubes dispescunt cœlum à terra; ità peccata separant hominem à Deo, cœlo, & Angelis. Cornelius hìc.

S. August. s. 25. de Verb. D. secundùm Matth. & S. Gregor. mor. l. 32. c. 12. docent: *Undecim* esse Symbolum peccati: quia hìc numerus unitate transgreditur Denarium legis divinæ. Cornelius in Matth. 18. 22.

Pannos, quibus Christus in præsepi obvolutus fuit, fuisse peccata carnis nostræ, ait S. Chrysost. hom. de Nat. S. Joan. in loca quædam S. Lucæ.

Binarius, quia secundus est, & primus ab unitate recedit. Peccatum significat, quo à primo bono deviatum est. Richardus à S. Vict. tr. Exposit. l. 2. c. 5.

§. II.

Peccatum fuge, quia illud Deus infinitè odit; quod cognoscitur.

Num. I.

Ex pœnis.

Post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus &c. Gen. 7. 4. Quid in hoc (diluvio) maximè intendit Deus? hoc scilicet: ut scirent ventura sæcula; quantum ille peccatis adversetur. Rupertus l. 9. cap. 16. in Gen.

Nihil posset cogitari, quin Deus fecerit propter odium peccati: ipse enim propter peccatum fere dissipavit omnia opera sua, scilicet totum Mundum per diluvium. Alii reges, & potentes, in præjudicium, odiumque suorum inimicorum, depopulant terras eorum: Deus autem dissipavit terram propriam: quia peccatum intraverat terram suam. S. Bonaventura l. diæt. fat. c. 1.

Justitia, & ira Dei, est causa omnium ferè bonorum, quæ fiunt in Mundo: si enim non esset vindicta peccatorum,

rum, pauci præstarent se dignos cœlo. Primum opus divinæ justitiæ, strages Angelorum; nulla habita ratione multitudinis, pulchritudinis, excellentiæ; boni, quod ex eorum salute provenisset; visionis beatæ, amoris, laudis perpetuæ: malorum, quæ sciebat ex damnatione eventura, æternas blasphemias, lapsum humani generis. Poterat omnia mala ista præcavere, & omnia supra dicta bona salvare; si vel unius horæ spatium ad pœnitentiam illis concessisset. Sed tam vehemens, & velox ira fuit Dei; ut nè quidem momentum illis concesserit. S. Hieron. l. 2. contra Jovinianum: si altissima illa sublimitas cecidit; quis cadere non possit? *Vidi impium superexaltatum, & elevatum, sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Ps. 36. 35. 36. Secundum opus punitio peccati Adami. 1. cum tota posteritate sua spoliatus fuit gratia divina, jure regni, cœlo immortalitate, paradiso. Si ob crimen perduellionis principes virum nobilem, & omnes ejus posteros, privaret suo favore, nobilitate, dignitate, honore, officiis; & mitteret in exilium miserabili; egestate, & mutis calamitatibus conficiendos; gravis pœna videretur. 2. evertit totum illum providentiæ ordinem, & gubernandi rationem; quàm ex se Mundo constituerat: longè enim alia fuisset rerum gubernatio, si peccatum non extitisset. 3. permisit Deus ob hoc peccatum totum ferè genus humanum tyrannidi diaboli. Unde factum; ut toto ferè orbe, per aliquot annorum millia, tanquam principes Mundi cultus sit. Justum est enim; ut, à quo quis virtus est, ejus servituti subiici sinatur. 4. permisit infinitam hominum multitudinem ruere in æternum exitium. Tertium Cateclysmus: quo totus Mundus exceptis octo hominibus, deletus; & unà omnes hominum labores, opesque eversæ. Magna vindicta, cum civitas aliqua opulenta funditus evertitur, ædibus incensis, & incolis, omnibus deletis. Erant homines omnibus naturæ donis ornatissimi, proceri, fortes, longævi. Maxima multitudo; ut credibili est, tunc longè plures homines extitisse, quàm hoc nostro sæculo. Cùm autem diutissimè viverent, & corpore essent firmissimo; omnesque propagationi intenti, & multi plures acciperent uxores; fiebat, ut intrà trecentos, vel quandringentos annos, in multas diffunderentur myriades, & singuli magna implere possent regna. Si enim ex uno Jacob Ex. 12. 37. intrà trecentos annos tot procreati fuerunt, ut exercitum sexcentorum millium virorum à viginti annis, & suprà, confecerint; præter mulieres, & parvulos, quorum numerus facilè duplo major erat? cùm tamen homines vix septimam partem illius prioris ætatis attingerent: quanta sæculo illo primævo per annos 1656. procreata. Deus tamen infinitam hanc multitudinem, & omnia illa ornamenta, nihili fecit. Quartum: Gen. 19. 24. *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorram, sulphur, & ignem de cœlo.* 1. ignis sulphureus, vel ipso aspectu terribilis, odore teterrimo, ardore maximè penetrabili. Unde Scriptura ignem Inferni sulphereum multis insinuat. Apoc. 14. 10. Is. 30. 33. Ps. 10. 7. 2. subitò oppressi, cùm adhuc in lectis suis, vel somno sopiti, vel impuritatibus dediti. Nam manè, sole oriente, clades illata: cùm eadem nectè tota civitas, à minimo usque ad maximum, ut ait Scriptura Gen. 19. 4. ad ædes Loth congregata, nefandum crimen in hospites ejus patrare conata fuisset. Itaque valdè verisimile est: nullos, vel paucissimos, ex illis salvatos. 3. non solum adultos, viros, fœminas; sed infantes quoque, & animantia, absumpsit ignis ille. 4. incendium tam vastum, ut per 72. miliaria in longum, & 19. in latum, quod ex Josepho, & aliis colligitur, se extenderit, & intrà terram penetraverit; eaque profundè exusta magnum sinum, velut maris alveum, in ea effecerit: qui mox aquis confluentibus impletus, ingentem lacum constituit. Nihil in eo potest vivere; unde & mare mortuum vocatur: regio antea instar paradisi amœnissima. Gen. 13. 10. Leonardus Lessius de perfect. div. c. 22. de div. nom.

Num. II.

Nec templis Deus ob peccatum parcit.

A sanctuario meo incipite. Ezech. 9. 6. Deus præcepit Angelis occidere quoscumque Jerosolymis: nè quis putaret, habiturum se in divino sanctuario asylum. S. Isidorus Peluf. lib. 1. epist. 73. Mirari te, dixisti qui fiat, ut Deus, qui terræmotum immittit, templis suis minimè parcat. Certam hujus rei in divinis libris declarationem habes: nam ut sanctæ arcæ minimè perpecit; verùm eam unà cum ipsis: Sacerdotibus, qui deliquerant, barbaris dedidit; & urbem sanctificationis in conculcationem Gentibus addixit. 1. Reg. 4. 11. ità nè nunc quidem ab omni labe puris mysteriis parcit. Ut, dum suis aulis minimè parcit; terrorem iis, qui peccant, iniiciat; atrociorem videlicet pœnam, ob ea, quæ agunt, expectantibus. *Ulula abies, quia cecidit cedrus.* Zach. 11. 2. 4. Reg. 25. 9. permisit Deus conflagrare templum Salomonis. Rupertus l. 6. de vict. verbi c. 25. non poterat Deus templum suum illæsum custodire - qui tres pueros custodivit, planè poterat: sed erudiendus erat Mundus; ut sciret, quòd Deus excelsus non pulchris lapidibus, aureisque parietibus templi manu facti delectetur; sed fide, charitate, & mundis cordibus: & ille ei est optabilis locus. Mendozain 1. Reg. 4. 11.

Num. III.

Peccati gravitas ex persona offensa.

Debebat ei decem millia talenta. Matth. 18. 24. S. Chrysost. hom. 62. in Matth. quantum centum denarii à decem millibus talentis tantum, immò verò multò plus ea, quæ in hominem peccata distant ab his, quæ in Deum committuntur.

Et tam tremendam Majestatem audet irritare vilis pulviculus, uno levi flatu mox dispergendus, & minimè recolligendus. S. Bernardus s. 16. in Cant.

Una gutta divinæ offensæ est major omni offensa contra temporalem principem: quia iste momentaneus, ille verò princeps æternus. Gerson Alphabeto div. am.

Excessus est peccatum. Attende, quis Deus? tu quis tu? & agnosces peccati excellum. Osorius D. 2. Quadr.

§. III.

Peccati gravitas.

Num. I.

Ex vulneribus Christi, eiusque Passione.

Vulneratus est propter iniquitates nostras. Is. 53. 5. Vide S. Bernardum s. 3. Nat. Ex iisdem cognoscere poteris peccatorum tuorum multitudinem. Sufficiebat quidem ad totius Mundi delenda peccata minimum Christi vulnus, sicut & minima ipsius sanguinis gutta: ut quid ergo tot suscepit vulnera? nisi ut ex illis agnoscères tua contra eum innumera delicta. Nam quia *à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas; sed vulnus, & livor, & plaga tumens.* Is. 1. 6. ideò etiam in corpore ipsius à planta pedis nihil mansit invulneratum. De Ponte in Cant. 2. Exh. 24. §. 1.

Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. 1. Petri 2. 24.

Sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum; sed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrænibus; quæ etiam Christi vix cohibent passiones; quæ vix scelerates animos à voluptatum fæce avellunt. Vulneri sanè tam putrido, & antiquarum cicatricum fœtori, non inveniebatur medicamentum conveniens, nisi unguento sanguinis hujus plaga vetus sinirerur, & mala natæ carnis in cruce extensæ siccarentur venena; quæ calcaneo primi hominis, & omni posteritati ejus, serpens ille seductor antiquus insuderat. S. Cyprianus de Pass. Christi.

Ex consideratione remedii periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam (malum meum) & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei Altissimi, & jubetur occidi: ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, ò homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus, secundùm divinæ sapientiæ ordinem, necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. S. Bernard. s. 3. in Natali Dom.

Gravis animæ casus, qui non nisi Christi cruce potuit repararì. S. Bernardus ep. 54.

S. Laurentius Just. l. de ligno vitæ c. 4. enumerans, quæ sint illa, quæ humano cordi possint incutere timorem, ait: primò consideratio vehementissimæ Passionis Christi. Ex qualitate remedii facilè cognoscitur vehementia languoris.

Quatenus aliter salvare nos posset; voluit tamen per crucis patibulum reconciliari nos Deo: quatenus ex medicinæ difficultate pondus ægritudinis nosceretur: atque grati efficeremur de munere, quod tanti Redemptoris gratia condonasset. Id. de triumph. &c. c. 25.

Nesciebam contumelias, & terrores, & colaphizantem me incessanter Sathanam; nisi viderem artem medicinæ tuæ similia similibus curantem; & appenderem in statera hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam &c. Drogo Ost. de Sacr. Pass.

Idcircò lignum adversùs lignum, & manus adversùs manum: illæ in quam, fortiter, extensæ adversùs incontinenter extensam. Illæ clavis affixæ, atque constrictæ, adversùs remissamque solutamque: illæ, orbis fines conjungentes, adversùs eam, quæ Adamum paradiso exturbavit. Idcircò sublimitas adversùs lapsum, & fel adversùs gustum, & spinea corona adversùs perniciosum imperium, & mors adversùs mortem, & resurrectio propter resurrectionem. S. Greg. Naz. or. 21.

Qui videns Dominum gloriæ, non sui, sed nostris propriis sceleribus sic graviter vulneratum, auderet iterum scelera perpetrare? S. Bonav. stim. am. p. 2. c. 5.

Quantùm dilexit æternum Patrem, tantùm doluit de qualibet offensa ejus: & quantum dilexit æterni Patris gloriam, tan-

tàntùm doluit peccati contra eum ignominiam. S. Bernardinus l. 2. c. 56.

Quia homo per pœnitentiam peccatum superare non potuit; nec possit, etiamsi mala omnia in unum conflata pateretur: ideo infinitus Deus, per assumptam carnem, pro omnibus in cruce pœnitentiam egit; ut tantus esset dolor animi, quanta fuit delectatio commissi peccati. Sim. Cass. l. 3. in Luc. 3. 8.

Num. II.

Ex Morte Christi.

Moriatur anima mea cum Philisthiim &c. Judic. 16. 30. In multis antea ostenderat odium contra eos, cùm maxilla mille viros occidit in combustione segetum. Sed hic nec vitæ propriæ pepercit. Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi, in sacrificio ostendit, quàm oderit peccatum. Incerto Auth.

Mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta. Job 1. 5. Quæ verba sic transferunt Sept. Origenes, Olympiodorus, *offerebat sacrificium, & vitulinas pro ipsis juxta numerum eorum, & vitulum unum pro peccato.* Orig. l. 1. in Job: propter vitulum illum coram filiis suis pro peccatis jugulavit; ut videntes filii ipsi, quòd pro alienis peccatis ille vitulus jugulatus moreretur; metuentes essent, & paventes, ab omnibus peccatis, quæ animas perimunt, & dilacerant. Quid fortius proponi potest ad peccati odium, & horrorem, quàm innocentissimus agnus pro nobis occisus? Sylveira in Luc. 23. q. 12.

Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum. Rom. 3. 25. Christus mortuus est, non tantùm pro præcedentibus, sed etiam præsentibus, & futuris. Cur ergo Paulus solùm meminit præcedentium? Cornelius à Lap. jam ampliùs non est peccandum, post tantum amorem, & pretium nobis exhibitum. Id. ib.

Gravi damnatione iterantur crimina, postquam Christi sanguine sunt redempta. Inexcusabile malum est, post mortem Redemptoris nostri Domini servum maculari peccatis. B. Cæsarius Arel. hom. 2. de Pascha.

Mors Christi exemplum fuit, ut peccato moriamur, Innocentiùs P. III. de Sacro Alt. myst. l. 4. c. 35.

Grandis pudor est, ubi talis reconciliatio facta est; ubi inimicitias inter Deum, & homines, non sermo peccatoris, sed sanguis intercessoris absolvit; iterum nos converti ad inimicitias; & agere ea, quæ odit ille; quem nobis, nisi effusio Sanguinis Sacri, reconciliaverat nemo. Origenes l. 4. in c. 5. ad Rom.

Hoc est terribile, hoc extremum; cùm jam non corrigimur delinquentes. Id. hom. 8. in Ex.

Pro te Dei Filius jugulatus est; & iterùm peccare te delectat. Id. hom. 2. in Levit.

Peccatum commissum tali remedio curandum erat, quo homines maximè à peccando deterrerentur; &, si peccare contingeret, citiùs sublevarentur. Hoc super omnia, quæ fieri, aut excogitari possunt, facit mors Christi. Quid enim magis peccati horrorem homini incutere potest, quàm videre Filium Dei pro peccato in crucis patibulo morientem, & terribilem Passionis pro reatu hominis satisfactionem reddentem? O grande malum peccatum! pro quo talis ultio fit. Non mihi inundantem Mundum, flagrantes civitate, absorptos homines; non Inferni, & omnes ejus pœnas objicias: nam si mille proponas gehennas; non sic expavesco, & contremisco; sicut videre Deum pro peccato morientem, & peccati reatum morte solventem. Nihil me ita Domine deterret, nihil me sic à peccato detinet; sicut videre Filium tuum dilectissimum Unigenitum, propter peccatum clavis affixum, latronibus associatum, & crudelissima morte mulctatum. O infinitam audaciam peccatoris! qui post tale spectaculum peccare non formidat? S. Th. Vill. tr. de Adv. Dom.

Deus in tantum peccatum odit; quòd propter peccata Mundi innocentem Unigenitum interfecit. Unde dicitur Is. 53. 8. *propter scelus populi mei percussit eum.* Et ipsemet Dei Filius, ut peccatum interficeret, *tradidit in mortem animam suam.* v. 12. S. Bonav. diæt. sal. c. 1.

Nunquam planè cognitum fuisset, quanta sit ira Dei adversùs peccatum; nisi expiari Deus illud voluisset mortem Unigeniti Filii sui. Bellarm. in Ps. 84.

§. IV.

Peccati gravitas ex bonitate Dei, beneficiis.

Ex Veteri.

Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum. Gen. 9. 3. Ante diluvium non legitur carnis esus permissus, sed post diluvium. Gennadius in Catena: à diluvio majori usus est liberalitate: ut sic homines afficeret, ut majores culpas vitarent.

Ecce Dominus meus &c. Gen. 39. 8. Joseph bona, quæ assecutus fuerat, repentè memoriæ intulit; & malum, quod se pulsabat, ejecit: & quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit. S. Gregor. mor. l. 30. c. 8.

Vivit Dominus, quia non occidatur. 1. Reg. 19. 6. Juravit Saul placatus voce Jonathæ: Beneficii memoria excussit iram. Uter majora contulit beneficia, David Sauli? an Christus nobis? David in conflictu propter Saul nec unum vulnus accepit, nec minimam Sanguinis guttam effudit. In conflictu autem, quem Salvator tuus aggressus est, quot ictus? quot verba? quot vulnera accepit? effudit totum sanguinem, mortuus est: propone ergo firmissimè illum ultra non offendere. Diez fer. 4. D. 2. Quadr.

Filius enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt. Is. 1. 2. En, qua excandescat flamma fulgur Dei sævientis: inter blanditias munificentiæ meæ peccaverunt? pereundum illis est. Clamat in Sionitas Isaias 2. 9. *ne ergo dimittas eis.* Et unde crimini spes veniæ interclusa? audi: *repleta est terra argento, & auro.* v. 7. In auro peccavere? dispereant! tantis Dei opibus in injuriam legis abusi. An non Ahias telum, quò in Jeroboam, intorsit, cote acuit munificentiæ Domini? 3. Reg. 14. 7. 9. 10. *quia exaltavi te de medio populi sed operatus es mala-idcirco ecce ego inducam* &c. Oliva l. 1. Strom. §. ipse verò claudicabat.

Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro &c. Is. 45. 1. Cumque plura alia ejus encomia retulisset, concludit: *vocavi te nomine tuo.* v. 4. *assimilavi te, & non cognovisti.* q. d. ut explicat S. Hieron. assimilavi te mihi in nomine, quod imposui tibi; & tamen adoraſti idola tua, me relicto &c. De Ponte in Cant. 1. 2. Exhor. 22. §. 3.

Cum bestiis, & feris, erit habitatio tua. Dan. 4. 29. Tam levis piaculi supplicium tantum? Quid levius, quàm principem, ob extructam à se urbem exultasse in corde suo? nimiùm. Nemo liberalior Deo in sua eroganda pecunia; sed nullus ità æs suum cum usuris reposcit. Minimum sanè crimen de urbe gloriari. Sed stipatum prophetis principem post receptos è clibano pueros, post visum in camino Deum, post visiones, & somnia; in crimina etiam labi minima; facinus est nulla sat expiandum pœna. Oliva lib. 11. Strom. §. cum bestiis &c.

Ex Novo, & aliis.

Absit à te Domine. Matth. 16. 22. Mox audit: *vade post me Sathana.* v. 23. Mira erga amantissimum Discipulum austeritas Salvatoris: cùm præsertim eum paulò antè divinitatem suam professum tantopere honorarit. Ego autem non miror, post Claves Sathanam vocatum: immò maximè ob hanc causam credo duriùs eum increpitum. Non enim decebat, post datam à Patre divinitatis scientiam, erumpere è Petri ore pavidum illud verbum *absit.* Quò enim uberiùs mentem nostram ros cœli perfundit, eò graviùs premitur; si vel labrusca in horto cordis nostri pullulet. *Ubi abundat gratia, superabundat & dilectum.* Rom. 5. 20. Oliva lib. 11. §. Cum feris &c.

Unus est Pater vester. Matth. 23. 9. S. Hieron. ep. ad Demetriadem: non est hortatio vehementior, quàm qua nos Scriptura Filios Dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat, tanto Patre agere aliquid indignum: ut, qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitii servus?

§. V.

Præsentia Dei absterret à peccato.

Ex Veteri.

Ambula coram me. Gen. 17. 1. Abul. id est, sic ambula in tua conversatione morum, ac si me coram te semper videres. Et illud est præcipuum, quod hominem tollit à peccatis; scilicet continua memoria de Deo in actibus nostris. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 6. c. 2.

Risit (Sara) *occultè.* Gen. 18. 12. Tanquam totus intra abdita pectoris risus non peractus pervenerit ad oculos. Vix ità risit, quando Dominus ait: *quare risit Sara?* v. 13. Mox in risum Saræ Dominus inquisivit: qui, licèt secretissimus fuerit, scientiam tamen Dei effugere non potuit. Id. ib. l. 7. c. 6.

Facies candelabrum ductile de auro mundissimo. Ex. 25. 31. *fa-iss lucernas septem, & pones eas super candelabrum.* v. 37. Philo Judæus ait, tabernaculum illud vetus fuisse figuram mundi, qui quodammodo Dei domus est. Oleaster hìc: ad quid Domine vis in domo tua candelabrum cum lucernis septem habere? Nè putares homo, posse malè conversari, & occultari: sive enim in die, sive in nocte, impiè egeris, ab eo videris. Id. ib.

Accipiens (Moyses (*vitulum, quem fecerant, combussit; & contrivit usque ad pulverem.* Ex. 32. 20. Miror, populum terrorem perculsum, & attonitum. Moysis voce, quasi ictu quodam terrifici fulminis exanimatum. Unde hic pavor? Respondet Abul. q. 30. licèt Deum illum diligerent, quem colebant; pro quo fabricando spoliaverunt se auro suo: tamen ad præsentiam Moysis vitulum illum conculcantis, & in corum

rum confusionem maximam, destruentis, nullus aliquid faciebat: quia invaserat eos timor, & tremor. Arcones in Is. 3. 13. Disc. 1.

Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies, illuminabitur. Ps. 138. 12. *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Marcus Antonius Flaminius: neque tenebræ habent tenebras apud te; & nox sicut dies illuminant. Similes sunt tenebræ, & lux, Psalmo eodem v. 2. *tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* Flaminius: omnia tibi nota sunt, quæ sedens, stans ambulans, cubans, cogito, atque ago. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 7. c. 6.

Sume tibi laterem, & pones eum coram te. Ezech. 4. 1. Magistri facultatem Deus ostendit Ezechieli, docens, quos, ex quibus, discipulos debere ut constituere. *Fili hominis, sume tibi laterem &c.* Quibus verbis declararat, opus, esse, ut Magister ex luto discipulos faciat templum Dei. *Et pones eum coram te.* Sic enim discipulus repentè melior fit, si in conspectu Magistri semper versetur. Assiduæ enim præstantium exemplorum actiones similes in animis non prorsus asperis, ac duris imagines imprimunt. Ideò Jezi, & Judas furto ille; hìc proditione ceciderunt: quoniam ex Magistrorum oculis se subduxerunt. S. Nilus lib. Ascet.

Melius est mihi, absque opere incidere in manus vestras; quàm peccare in conspectu Domini. Dan. 12. 23. Vicit generosè in lucta: non enim à scelere se cohibuit, aut metu viri, aut infamiæ: nec famæ meminit, nec viri; sed Dei. O verbum! nolo assentiri. Cur? an quia dedecet, matronam, suo sanguini notam inurere? an quia scelus in vulgus pessimè oblocuturum erumpet? non his abducitur rationibus à scelere. Audi: *quàm peccare in conspectu Domini.* Ideò vicit; quia non humanis, sed divinis armata telis monstra repressit: apud Deum se ream futuram. Discamus in lucta cum vitiis hoc tantùm telo uti: nempe Dei timor; rejectis humanæ prudentiæ scutis, & gladiis. Is enim non ruit, qui non arundineo humani timoris baculo, sed Deo innititur. Oliva lib. 10. Strom. §. Melùs est mihi &c.

Ex Novo.

Inimicus homo hoc fecit. Matth. 13. 28. S. Chrysol. s. 97. qui malus nunquam non stultus. Quid hic egit inimicus? Esto, quòd dormirent servi; nunquid Dominus dormiebat? esto, quòd oculos servorum sopor clauserit post laborem; nunquid dormitantis oculos ulla vicerat lassitudo? Planum erat, quòd super rem suam magis Dominus vigilet, quàm servus, & operarius: & tamen putabat, se etiam à Domino, quem reputabat absentem, non videri. Sanct. Cyrill. Jeros. catech. 4. de idololatris: quidam solem ponebant; ut, occidente sole, noctis tempore sine Deo essent. Alii verò lunam; ut in die Deum non haberent. Ezech. 9. 9. *Et dixit ad me: iniquitas domus Israel, & Juda magna, & nimis valde - dixerunt enim: dereliquit Dominus terram; & Dominus non videt.* Sylveira hìc q. 8.

Accepit autem omnes timor-quia Propheta magnus. Luc. 7. 16. Immò erat maximus omnium, quia omnia viderat, omnia noverat. Sed utinam hoc mortales homines expavescerent, atque mediarentur, cum deliberant perperam agere. Quòd si humanos devitant oculos, istius aspectum devitare non possunt: quoniam *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos.* Prov. 15. 3. Sim. Cass. l. 5. c. 12.

Quo erat ipse venturus. Luc. 10. 1. Cur hoc additur? An Discipuli Christo absente languerent in officio, ut meminisse oporteat Magistrum affore? sic putat Cajetanus: scienres enim Discipuli, quòd subsequeretur Magister; cogebantur omni cura injuncta exequi. Vell. in Judith. 1. Paræn. 17.

Hydropicus ante eum. Luc. 14. 2. Hydropicus est omnis, qui per dissolutam vitam, & lubricam, anima sua graviter ægrotat; qui & Christo indiget. Et sanabitur plane, si ante Christum fuerit: nam qui ante Christum fuerit, cogitans semper, quomodo ab ipso videatur, minimè peccabit. Theophylactus hìc.

Peregrè profectus in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam. Luc. 15. 13. Cur in patria non sectatus delicias? cur ibi non dissipavit substantiam? nativo in solo major peccandi, quam in peregrino occasio. S. Chrysol. ser. 1. quæramus, quæ res filium rapuit hos ad ausus? Respondet cupit vivendi libertate gaudere. Sed ea pareino aspectui inerat vis, & quodammodo præpeditus cupiditatibus non posset indulgere. Naxera in Jos. 18. §. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Hac solùm ratione fit, ut quis nunquam labatur; si Deum sibi ipsi semper adesse existimet. Clem. Alex. lib. 3. pædag. cap. 5.

Quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris; Deus lumen est. Tertull. l. de pœnit.

Hominem veteris præsentem; Dei Patris, & Filii, non vereris præsentiam? S. Ambros. in Ps. 118. s. 1.

Si peccare vis, quære, ubi te non videat; & fac quod vis. S. August. Serm. 96. de Verb. Dom.

Ità peccatum declina, quasi celare non posses; ibi pecca, ubi Deum esse nescis. S. Isidorus l. 2. solil. c. 11.

Difficilè profectò à via justa aberrare, qui in corde suo Dei non obliviscitur. S. Basilius Cæsar. s. quòd Deus non est auctor malorum.

Ubi Deus, peccatum nullum; ubi peccatum, non ibi Deus. S. Chrysol. s. 44.

Aversamini vitia, colite virtutes. Magna vobis indicta est necessitas probitatis; cùm ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis. Boetius l. 5. de consol. prosa 6.

§. VI.

Oblivio præsentiæ Dei est origo peccati.

Egressus Cain à facie Domini. Gen. 4. 16. Orig. qui discedit à conspectu Dei, nescit converti, & peccatum pœnitendo purgare. Apud Did. Nyss. Vit. Abr. l. 6. c. 2. Cum, futuro facinori viam sternens, fratrem in solitudinem trahit, secretis patrocinantibus scelus peragit, iniquissimus pariter, & stultissimus qui ad perpetrandum maximum nefas sufficere sibi credidit, si aspectus vitaret hominum; fratricidium Deo teste facturus. Unde puto, quòd hæc in illo hæc jam tunc opinio fuerit, quæ nunc in multis est; Deum terrestria non respicere, & actus sceleratorum hominum non videre. Salvianus l. 1. de provid. Dei de Cain.

Non est Deus in conspectu ejus. Ps. 10. 5. Istius nequitiæ reddita est causa conveniens, quia in conspectu suo non habet Deum. O quàm profunda cœcitas, Deum ante oculos non habere. Nam si ultimum malum creditur, solis lumina non videre; nunquid apud superos inferna patiuntur, qui auctorem sacri luminis pro sua minimè cœcitate respiciunt. Cassiodorus hìc.

Egressus autem servus &c. Matth. 18. 28. Si regem præsentem, omniaque cernentem, cogitasset, tam horridum facinus non patrasset. Ideo conservum suffocat quia se egressum à Domini præsentia putat. Escob. t. 5. Parab. Chr. lib. 2. Sect. 2. §. 3.

§. VII.

Peccatum solum est malum.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi. Joan. 1. 29. S. Bernardus s. de triplici adventu. Joannes B. clamat: *Ecce Agnus Dei &c.* Non dicit, morbos corporis, non molestias carnis; sed peccatum, quod est morbus animæ, & corruptio mentis. Poterat & morbos, reliquasque miserias tollere: peccatum enim solum est malum, & comparatione illius aliud nullum. Sylveira hìc q. 8.

Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Hebr. 4. 15. q. d. passus similiter, ac nos patimur, dolores, labores, famem, sitim, pro similitudine, id est, quæ tamen omnia similitudinem habent mali: quia solum peccatum malum; reliqua solùm speciecenus mala. Pinna in Eccl. Ethol. 85.

Scimus, nos lædi posse à nemine, nisi deprehendamur in sceleribus, aut maleficiis: occidere potestis; lædere non item. S. Justinus M. Apol. 2 pro Christianis ad Antonium Pium.

Jam non novimus malum, nisi offendere Deum: nec novimus bonum, nisi promereri Deum; & perduci ad illa, quæ promittit. Quid illa bona Mundi hujus, & mala Mundi hujus, indifferenter habeamus: quia jam suscepti ab utero matris nostræ indifferenter ea habentes dicimus: *sicut tenebræ ejus, ità & lumen eius.* Psal. 138. 12. Nec felicitas hujus Sæculi nos beatos facit, nec adversitas miseros. S. August. in Ps. 138.

Nihil est, quod lædat hominem, nisi solum peccatum: eò autem sublato omnia sunt facilia explicata, atque tranquilla: quemadmodum, si id adsit, sunt omnia scopuli, tempestates, & naufragia. S. Chrysost. in Ps. 139.

Unum, idque solum, quod infert homini dedecus atque contumeliam peccatum. Ut enim universus orbis te male tractet contumeliis; modò nè fueris tibi contumeliosus; nulla adicere injuria, aut dedecore. Proditio tantum est à conscientia pendens. Cave prodas tuam conscientiam; & nemo te prodit. S. Chrysost. in Ps. 44. hom. ad Eutropium, & illud. Ps. 44. Assistit regina.

In Mundo unicum malum est peccatum. S. Chrysost. ep. 1. ad Olympiod.

Malum solum peccatum est: quia creaturæ rationali, præter peccatum, nihil nocere potest. Sanct. Rupertus lib. 12. in Joan. 16.

Nihil malum esse dicendum est nisi peccatum solum; quod à Deo nos separans, malo diabolo nos facit copulari. Joan. Cass. Collat. 6. Abb. Theodori c. 3.

§. VIII.

Peccatum summum malum, magis malo.

Homo, qui maledixerit Deo, portabit peccatum suum, & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Levit. 24. 15. Cur vanè assumens nomen Domini morte mulctatur, & blasphemus jubetur tantùm manere sub peccato? Cyrill. Alex. l. 14. multò gravius est accipere peccatum, & habere secum; quàm morte mulctari. Mors purgatio est peccati ipsius, pro quo jubetur inferri. Ubi verò quis accipit peccatum, & permanet cum ipso, nec aliquo supplicio diluitur; transit cum ipso etiam post mortem: & quia temporalia hic non persolvit, ibi expendit æterna supplicia. Baeza t. 1. l. 3. c. 7. § 9.

Hic est omnium bonorum vertex, & omnis spei caput, finis totius beatitudinis: nimirum ut creatura non turbetur ampliùs à malitia; sed ut omnis iniquitas procul ablegetur. S. Gregor. Nyss. tr. in Ps. c. 8.

Pro toto universo non deberet homo peccatum mortale committere, peremptivum nobilissimæ vitæ. S. Bonaventura f. 2. de ingressu ad Sapientiam.

§. IX.

Peccatum est malum majus Inferno.

Eruisti animam meam ex Inferno inferiori. Ps. 85. 13. Verè tam magna misericordia Dei est ea, qua nos ex injustis justos facit: quàm magna est gehennæ perpetuæ pœna, à qua liberamur: & quàm magna est felicitas sempiterna, ad quam jus accipimus, & aditum apertum habemus. Bellarminus hic.

Mentem habenti gehenna quoque formidolosius est, Deum offendere; & omni regno desiderabiliùs, Deo placere. S. Chrysost. hom. sup. orat. Annæ: dilatatum est os meum.

Etsi multi gehennam omnium malorum supremum, atque ultimum, putat; ego tamen sic censeo, sic assiduè prædicabo; multò acerbius esse, Christum offendere, quàm gehennæ malo vexari. Hortor vos, vos atque oro, ut mecum hac in re sentire velitis. S. Chrysost. hom. 37. in Matth. 10.

Si Christum diligeremus, quemadmodum illum diligere oportet, agnosceremus utique, graviùs esse gehenna ipsa Christum offendere dilectum. Id. s. 5. in c. 2. ad Rom.

Si huic peccati pudorem, & illinc cernerem Inferni horrorem; & necessariò uni illorum deberem immergi: priùs me in Infernum mergere, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato, & innocens, gehennam intrare; quàm peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere. S. Anselmus lib. de similitud. c. 190.

§. X.

Peccatum solum time, & dole.

Ruben primogenitus meus-tu principium doloris mei ascendisti cubile patris &c. Gen. 49. 3. 4. Hoc principium doloris ejus extitit: non quòd in nullo antea doluerit; sed quia verus dolor de plaga peccati primùm in domo ejus de isto accidit. Novarinus Elect. fact. l. 3.

Potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Job 6. 6. Sicut nemo mortiferum quid comedit, ut vitæ suæ ipse sit inimicus; ità ego peccatum contingere pertimescebam; ità ego ante Deum benè mihi conscius incedebam: nè velut gustu lethifero offensionem mortis incurrerem. V. Beda hic.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. Ps. 48. 6. Una est iniquitas, quam jure timere debemus. Pueri, ut in hunc Ps. Chrysost. ait, ea timent, quæ nullum timorem merentur; utpote larvatos homines: ea verò impavidi tractant, quæ jure deberent terrere; ut aciem gladii vel flammam ignis. Pinna Ethol. 85.

Astitit regina. Ps. 44. 10. Qui vult, cervicem defecet; qui vult, lapidum jactu obruat me: qui volet, oderit; non sunt mihi timori adornatæ insidiæ. Unum est, & id solum, quod metuo; nempe peccatum. S. Chrysost. in illud Ps. 44. astitit regina. Servo Dei nulla res debet displicere præter peccatum. S. Francis. Seraph. Exhort. ad omnes fratres.

Non est timendum, nisi quod potest, & quod expedit, vitari, id est, peccatum. Guigo consid. & tranquill. animi c. 4.

Panthera omnibus animalibus est amica, soli draconi inimica. Sic omnis homo sit tibi amicus, soli peccato sis inimicus. Geminiani l. 5. c. 41.

§. XI.

Peccatum præ pœna time, & dole.

Ex Veteri.

Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Gen. 39. 9. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Dan. 13. 23. Unum in Ægypto Josephum, & unam Babylone Susannam, spectamus, quos à flagitio sola Numinis reverentia abduxit. Hic Christus non diceret: *noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat.* Joan. 5. 14. nam teterrima pati statuunt, quàm peccare. Oliva f. 6. D. 1. Quadr.

Peccavi Domino. 2. Reg. 12. 13. Dixit David ad Nathan. Non ità Cain, quem pœne impendentis, non à se patrati sceleris tedebat. Gen. 4. 14. *ecce ejicis me hodie à facie tua.* Sicarium in se sæviturum timet, & sicarium fratris fuisse non horruit. Nisi timeret occidi, non pœniteret occidisse. Id. ib.

Miserere mei Deus! Ps. 50. 1. Non curat pœnas effugere, sed recuperare innocentiam. Nusquam non mundari precatur: *ampliùs lava me: asperges me: lavabis me: dele iniquitatem meam: cor mundum crea in me Deus.* Oliva l. 9. Strom. §. miserere mei Deus.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Psalm. 37. 18. S. Gregor. M. in Ps. 2. pœnit. malo enim occidi, quàm vinci; flagella libenter patior, persecutiones amplexor, visitationes desidero, correptiones concupisco.

Venite adoremus-quia ipse est Dominus Deus noster. Ps. 94. 4. 6. Lacrymarum vides hic mustum nullo torculari expressum, solo Divinitatis respectu destillare. Ploremus, iniquit; nos quia fulminat; sed quia Dominus, quem læsimus, ipse est Deus. Quod non, cecinisse tantùm, Davidem gratulor, sed & præstitisse: nam cœdis, & adulterii à Nathan admonitus doluit, horruitque, flagitii fœditate non atrocitate supplicii. Oliva f. 6. D. 1. Quadr.

Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui. Ps. 118. 120. Si timuisti, quid timere petis? nimirum timori timor prælusit: timor enim judiciorum timor pœnarum est, non timor Dei. Ergo tuo timore confige me, quem jam transfixit judicii tui timor. Te cupio timere, non pœnas tuas: timor ille durus est, & ossibus debetur; iste verò, quem sitio, delicatus est, & hæret in carne. Oliva t. 2. Strom. §. Confige.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Ps. 118. 136. unde tantus fletus? an quia à regno, & patria, exulabat? an quia Saulis tyrannidi subjacebat? an quia persecutus eum filius? absit, sed *quia non custodierunt legem tuam.* Ubi S. Ambros. s. 17. à sancto viro plus culpa, quàm ærumna deflectur. Mendoza in 1. Reg. 1. annot. 8. Non dixit, quia affligor, quia flagellor, quia maledicor, & opprobrio dejicior; sed quia non custodivi legem tuam: quandoquidem à sanctis viris plus culpa, quàm ærumna plangitur. S. Paschas. in Thr. 3.

Væ mihi, quia vir polluti labii ego sum. Is. 6. 5. Tabescit, & tristatur, solo horrore peccati; viso, non telo, sed Deo.

Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et quidem uri calculo sine gemitus tulit; sed oris contagium sine ejulatu pati non potuit; Intuenti Deum, si vitii sui sanies pro lictore, cruceque, non est; aut lippit, aut penitus cœcutit. Oliva f. 6. D. 1. Quadr.

Væ nobis, quia peccavimus: propterea mœstum factum est cor nostrum. Thr. 5. 16. Dixerat antea: *hæreditas nostra versa est ad alienos.* v. 2. nihil autem horum dixit *væ nobis*; nisi ad *peccavimus*. Diez conc. 2. D. 4. Epiph.

Ex Novo.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Cùm multa sint lacrymarum genera, istæ istius tenuerunt optimam partem. Sunt enim aliquæ prodeuntes ex pœnali miseria; & quædam proveniunt ex miseria culpabili, & iniqua; & utiliores, immò necessariæ sunt. In his hæc mulier exordium fecerat. Sunt, quæ effundentem non respiciunt, eò quod sit pœna mulctandus ex crimine; sed tantùm quia offensus est Deus. Sim. Cass. l. 9. c. 29.

Quanti mercenarii &c. Luc. 15. 17. Sprevit glandes appetitu filiginis: verum, ut patrem vidit, mercenarii oblitus, & annonæ: uno sceleris squalore tabuit. Puduit illum non nuditatis, & famis, sed criminis. *Pater peccavi in cœlum!* Cur accessisti è regione longinqua? quia *peccavi*: cur patri advolveris? quia *peccavi*: quid ab eo flagitas pro te? quia *peccavi*, totius veniam peccati. Oliva f. 6. Dom. 1. Quadr.

Tristitia vestra &c. Joan. 16. 20 Displicere sibi patienti ex pœna, proprium est omnium sensibilium, etiam ratione carentium: displicere sibi ex culpa, tantùm est verè ratione utentium; maximè verò omnium virorum Fidelium ac per hæc incunctanter tristitia de peccato, non de supplicio, vertetur in gaudium. Sim. Cass. l. 6. c. 33.

Alii

Alii quidem omnes ob terræmotum timore correpti erant; ego verò propter causam terræmotus. Causa enim terræmotus est ira Dei: porrò causa divinæ iræ nostra sunt peccata. Noli unquam supplicium timere sed supplicii parentem peccatum. Quandoquidem & in morbis, ac vulneribus, non eos lugemus, qui curantur; sed qui insanabili morbo laborant. Quod est morbus, & vulnus; hoc est etiam peccatum: quod est sectio, & medicamentum; hoc est etiam pœna. S. Chrysost. tom. 6. tr. in terræmotum.

Philippo II. Hisp. regi, Jobum morbis juxta, ac patientia, referenti, cùm genu novacula chirurgus dissecuisset; ejusque filius ex eo percunctaretur; numquid ab eo vulnere graviter doleret? respondit: multò magis mihi dolent peccata mea. Doultreman l. 4. de am. c. 4. Sect. 10.

§. XII.

Magis pœnam, quàm peccatum, timentes.

Ex Veteri.

Vocem tuam audivi in paradiso, & timui; eò quòd nudus essem. Gen. 3. 10. Rupertus l. 3. in Gen. non dixit, timui, eò quòd præceptum prævaricatus essem; sed timui, *quòd nudus essem*. Perversus timor, qui non facti sui gerit pœnitudinem; sed solùm pœnæ suæ fatetur habere confusionem. Sylveira in Matth. 10. q. 10.

Ecce ejicis me hodie à facie terræ &c. Gen. 4. 14. Quid deprehensus inculpus hic timet agricola? hoc timet; nè agricolari sibi non liceat; nè terram, quam solam amat, vel præsentem vitam, pro admisso facinore perdat. Rupertus l. 4. c. 7. in Gen.

Clamorem ejus audivi, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus. Ex. 3. 7. Israelitæ non Ægyptum pertæsi clamaverunt ad Dominum; sed virgas, & compedes, horruerunt: &, si non eos Pharao cæcidisset, libentius subeo, quàm sub Moyse militassent. Raro scelus displicet, nisi strangulet. Filius Jacob sceleris tantùm tæduit, cùm ob scelus in gravibus angustiis. Gen. 42. 21. Oliva l. 4. Strom. §. Eripe me.

Virga versa est in colubrum. Exod. 4. 3. Credo, ideò non in fidus mutatam Moysis virgam, cùm regno suæ gentis destinaretur; sed in serpentem. Ut sciret legislator, non blanditiis cœli, nec Numinis amore, abducendum vulgus à peccato; sed metu solùm supplicii: cui non sat irrogando esse virga, nisi efferaretur in anguem. Oliva f. 6. D. 1.

Quòd si audire noluveris vocem Domini. Dei tui- percutiat te Dominus egestate, febri &c. Deut. 28. 15. 22. Quam integritatem vitæ vox imperantis Numinis non impetraret, eam mina febrium extorquebit. Dabitur tertianæ, quod Trinitati non daretur. Id. 16.

Luxitque populus. 1. Reg. 6. 19. Cur luxit? an ab sacrilegia? an ob arcæ injurias? an ob alia peccata? *eò quòd Dominus percussisset plebem clade magna.* Mendoza hic.

Filios vestros tollet? &c. 1. Reg. 8. 11. Tumescentis in solium oceani impetus fabulo meliùs, quàm margaritis, corallioque compesces. Nolim eis spretum Numen, sed regem sæviturum, nuntios. Oliva f. 6. D. 1.

Quare non audisti vocem Domini? &c. 1. Reg. 15. 19. quibus ille tanquam rupes, nihil motus. Quid Samuel? pœnam minatur: *pro eo, quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, nè sis rex*; v. 23. & illicò perterritus, *peccavi*, inquit, *quia prævaricatus sum sermonem Domini*. v. 24. Ubi Lyranus: timuit Saul, nè Samuel ad electionem alterius regis procederet, & sic ipse regnum perderet; ideò fictè se humiliavit. Et paulo interiùs: hoc dixit Saul magis timore pœnæ, quàm amore justitiæ. Mendoza in 1. Reg. 2. veniam, non culpam reformidant peccatores.

Evagina gladium tuum, & percute me. 1. Reg. 31. 4. Saul, cùm irruisset super gladium suum, queri cœpit cum Amalecita: non quòd parricida sui moreretur, sed quòd dolores non evaderet, & probris hostium pateret. Timuit præda hostium fieri; non timuit fieri carnifex sui. Oliva l. 9. Strom. §. Illic trepidaverunt.

Peccavi Domino. 2. Reg. 12. 12. 13. Davidi cum proponitur culpa, & pœna; solùm de culpa dolet. S. August. tr. 49. in Joan. mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci: pro morte carnis, quæ sine dubio ventura est, curant omnes, nè veniat: non laborant, nè peccet homo æternum moriturus. Sylveira in Matth. 26.

Ex Novo.

Pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: dicite quia discipuli ejus nocte venerunt &c. Matth. 28. 12. 13. Milites cùm renuntiassent Christum resurrexisse, mox Pharisæi tremuerunt: non quòd hoc accidisset; sed ne vulgaretur. Redivivum timere debuerant, nè illos perderent: atqui de hoc non solliciti, toti in eo sunt, nè Domini resurrectio credatur. Oliva l. 9. Strom. §. illic trepidaverunt.

Miserere mei. Luc. 16. Cùm damnati in vitiis sint obstinati, nec unquam pœniteant; quomodo hi petunt, & cupiunt, misereri? Dicendum: quòd de peccatis suis non pœniteant. in quantum sunt Dei offensiva, turpia, & injusta; sed ut sint eis causa tanti supplicii. Sed & dives iste petiit misereri sibi; quantum ad pœnæ mitigationem; non quoad culpæ ablationem, Dion. Carthus. hic.

Jam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat. Joan. 5. 14. Nec propter Deum abstinemus peccato, nec propter Deum pœnitet peccati. Euphrates Babylonem limosus alluens aggeribus coercetur, non è lauro, aut olea, sed taxo, non smaragdis, paralysi, lepraque, cohibetur à scelere nuper incolumitati ager restitutus: quem Christus, non amore, ac reverentia, Numinis; non amore mercedis, sed majoris mali minis, stabilivit in Lege. Jumentis, ut video, comparatus est homo; quem tantùm camo, frœnoque circumagas. Oliva f. 6. D. 1.

Precamini vos pro me. Act. 8. 24. Hæc dixit, non amore justitiæ, sed timore; nè morte periret, sicut Ananias, & Saphira. Act. 5. 5. 10. Et postulat, *precamini pro me*: non ut culpa mihi remittatur; sed ut nihil harum pœnarum, quas dixistis, super me veniat. Sylveira hic.

Age pœnitentiam-sin autem moveho candelabrum tuum. Apoc. 2. 5. Et Episcopis hoc frœno opus est. Horret animus tanta indolis nostræ ignobilitate. Christus ergo, ut nos officii nostri moneat, non sua nobis vulnera objiciet, quibus confossus vitam peperit morituris; sed nostras nobis ostendet plagas; quibus subdemur, nisi nos flagitii pœniteat. Oliva f. 6. D. 2. Quadr.

§. XIII.

Ex peccato uno ruitur aliud.

Ex Veteri.

Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus. Genes. 4. 5. Dioscorides de veneno scribit: quòd, cùm quis à serpente mordetur, statim sequantur ista: vulnus repletur pure & sanie; os, & lingua, fit tota sicca, oculi caligant, auditus debilitatur, sequitur capitis dolor, tandem incidit homo in febres, quæ cum ratione privant. Apud Mathiolum l. 6. c. 47. Hæc sequuntur etiam ex peccato, Cain primò invidit, deinde odium, ex odio homicidium, ex homicidio desperatio. Incert. auth.

Venite, occidamus eum. Gen. 37. 20. Non omnium consilium hoc fuit. Salvianus hæc verba tribuit Simeoni, & Levi. Cur hi de nece fratris cogitant? magnam cædem perpetrarunt in Sichem; ex aliorum occisione pejus lapsi. Sylveira in Apoc. 9. 18.

Nullum satuitatis dedere vestigium, sed simili mario, & squalore torpebant. Gen. 41. 21. Quia vitia nunquam saturantur, sed semper sui famem patiuntur. Hugo Card. hic. *Comedent, & non saturabuntur.* Os. 4. 10. Huic ratio est, quia venter eorum, id est, Infernus, impleri non potest. Id. ib.

Hi sunt dii tui Israel. Ex. 32. 4. Cùm unus esset vitulus, cur ait: *hi sunt dii tui?* Quia hoc est peccantium ingenium, ut nunquam unum idolum colant; sed uno adorato, multa colant, & pluribus vitiis subjaceant. Ita observat Chrysost. hom. 5. de pœnit. Pinna Ethol. 200.

Quia non obedisti voci Domini &c. 1. Reg. 28. 18. Dixit apparens post mortem Samueli Sauli, annuntians ei cladem, & eversionem totius familiæ. Mirabile est; quòd cùm plura alia, & atrocia, & majora hoc peccato, admiserit (nam 1. Reg. 22. 18. Octuaginta quinque Sacerdotes jussit occidi: urbem Sacerdotalem innocentem Nobe combussit) solius hujus inobedientiæ meminerit Samuel? Causa erat: quia ob illam primam inobedientiam meruit, ut cum Deus è manu sua dimitteret: hæcque fuit omnium reliquorum malorum causa. Time primum mortale peccatum: quia hoc aliis januam aperit. Diez conc. 2. in festo nat. B. V.

Pluet super peccatores laqueos. Ps. 10. 5. id est, sinet eos quotidie involvi pluribus, & majoribus peccatis: percutiendo eos cœcitate, & tradendo eos in reprobum sensum: quæ est pœna horrenda, & gravissima Bellarminus hic.

Ab scintilla una augetur ignis. Eccli. 11. 34. Sic peccatum, nisi initio extinguatur, majores indies vires sumit. Pinna Ethol. 200.

Ex Novo.

Si ejicies nos hinc, mitte nos in greges porcorum. Matth. 8. 31. Cùm plura dæmonia ab obsessis corporibus depulerit Dominus, nulla tamen unquam, præter hæc, mitti in porcos rogarunt; causam petit S. Chrysol. s. 16. ex verbis Evangelistæ: *de monumentis exeuntes.* Scilicet dæmones: hi inter putrida cadavera morabantur. Assueti ergo putredini cœnum adamabant: unde potiùs mitti in porcos, quàm in alia munda animalia petebant: facilè enim ab uno fœtore, & cœno, in similia pertrahuntur. Sic peccato uni assueti facilè in alia labuntur. Pinna Ethol. 45.

Et iterum negavit cum juramento. Matth. 26. 72. S. Gregor.

pec-

Peccatum, quod pœnitentia non deletur, mox suo pondere in aliud trahit. Tum quia conscientiam deprimit, & debilitat; tum quia peccator, videns se peccasse, jam cogitat, se lapsum esse; ac parvi referre, si rursum in idem peccatum labatur. Sicut, qui lapsus est in lutum? parum curat, si secundò labatur: sic vel maximè fornicarii dicunt, labamur iterum, & voluptate eadem fruamur; quia eadem confessione simul omnia abolebimus. Sed errant, tum quia secundum Peccatum nova est Dei offensa; novumque vulnus priore nocentius animæ infligit; tum quia difficilior est pœnitentia, post iteratum peccatum. Cornelius hic.

Interrogavit illum Jesus: quod tibi nomen? at ille dixit: legio. Luc. 8. 30. Unum dæmonium interrogat Christus: quia eùm dæmon ingreditur, aliis viam pandit. Pinna Eth. 220.

Cogitaverunt ut & Lazarum interficerent. Joan. 12. 10. adiciunt peccata peccatis; & student seriò, ut omnem iniquitatem perficiant. Nec est eis satis ad crimen, injustè justum damnasse; nisi & injustum amicum, & amicandi aliis causam aboleant. Sim. Cass. l. 11. c. 46.

Qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis. 2. Tim. 3. 6. Taxat hic leones, qui mulierculas ad malum trahunt. Sed quas trahunt, & seducunt? *oneratas peccatis*, id est, eas, quæ prius peccarunt: facilè enim ex uno ad plura trahuntur. Pinna Ethol. 200.

Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Apoc. 22. 11.

Ex Patribus, & aliis.

Peccatum, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est, & causa peccati: quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. S. Gregor. ho. 11. in c. 3. Ezech.

Sæpè peccatum alterius peccati causa est, quod committitur; cum aliud ex ipso, quasi sua soboles oritur. S. Isidor. l. 2. sent. c. 19.

Peccator, postquam in prima delicta inciderit, ceu fune, primo peccato reliquas consequenter iniquitates attrahit. S. Asterius Ep. serm. in Dam. & Susann.

Unum peccatum potest esse causa alterius indirectè, & directè. Directè quidem, in quantum ex uno peccato inclinatur in aliud: indirectè; quia meretur exclusione gratiæ, qua subtracta ruit homo in aliud peccatum. S. Thom. Lect. 7. in c. 1. Rom.

Vix invenitur peccatum, quod aliud annexum non habeat: colligatæ sibi namque sunt squammæ Behemoth una uni conjungitur, & spiraculum vitæ non incedit per eas. Petrus Blesens. lib. de Confess. Sacram.

Sicut lapis, projectus in flumem, facit circulum; ille alium, & iterum alium, format; dum ad terram, vel scopulum, allidat: sic peccatum unum vocat aliud; & ità consequenter, donec ad terram, sepulchrum, per mortem allidatur. Stella de cont. &c. p. 2. c. 70.

§. XIV.

A peccatis minoribus ruitur in majora.

Num. I.

Symbola, & similitudines.

Ex Veteri.

Vende mihi primogenita tua. Gen. 25. 31. S. Thomas: potest dici, quòd Jacob ab initio non seriò, sed quasi joco, vel modo tentativo, dixerit; sic tamen; quòd occulto instinctu Dei ad hoc dicendum fuerit impulsus. Sed quid ex illo joco secutum? *juravit ei Esau, & vendidit primogenita.* v. 33. Galenus lib. de theriaca, pestis, tanquam & ipsa existat quædam bellua, haud paucos interimit? verùm civitates quoque depascens malè conficit: parva quædam, & prava, ad corruptionem prompta, mutatio efficitur; & homines, cùm respirationis periculum evitare nequeant, ipsum aerem, veluti venenum quoddam ad se per os attrahunt. S. Dorotheus s. 3. ut pernoscatis, quòd ex minimis his, & natura vilibus, ad magna, & prægrandia, contemnenda perfacilè dilabimur; cùm cœperit quispiam dicere, quid refert, si verbum hoc dixero? quid refert, si in rem hanc intendero? Ex hoc enim, quid est hoc? & quid est illud? quid refert hoc, quid refert illud? mala, ac perversa, & amara, consuetudo admittitur, & imbibitur; & datur initium, ut magna, & graviora contemnamus. Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 2. l. 8. c. 5.

Scyphum meum argenteum pone in sacco juniores. Gen. 44. 2. Rupertus: hoc calicis ad speciem furtum indubiam asserit prophetiam, quòd Hebræi in exitu, auro, & argento, Ægyptios essent spoliaturi. Cùm aliquid Hæbreis concessit, reliqua Ægyptiorum bona habituros non dubia prophetia ostendit. O quoties cupiditati parum pernittis; & illo modico accensa vivaciùs omnes virtutes miserabili incendio adurit. Naxera in Jos. 7. §. 23.

Mi Domine Deus! quid dicam? &c. Jos. 7. 8. Paucis Israelitis ab Hajensibus cæsis, timet Josue. Vidit reges à populo eversos: Jericho voce tantùm expugnatam: & modò, quia in paucos suorum hostes prævalent, se, populumque penitus delendum lamentatur? Metuit prudenter, cùm aliquid hostibus vitiorum imaginibus in Israelitas nonnullos licuisse intuetur, ftragem omnium: quia scit, vitia in reliqua frequenter extendere, si jus semel in aliqua obtineant. Id. ib.

Agros quoque vestros, & vineas vestras. 1. Reg. 8. 14. &c. Hei mihi! etiam animi solidissimi obnoxii affectionibus; & ubi minùs putatur, emolliuntur ad res capiendas, quibus everituntur! Et quidem ferrum ab uno solùm magnete domatur, à nullo alio; aurum, & gemmas, spernit; sed homines, cum uni vitio cesserint; statim incidunt in multorum tyrannidem facili transitu ab uno vitio in aliud. Id significavit Samuel; cum ambitiosis Judæis, & principibus tribuum, prædixit onera iis imponenda a regibus, quos tantopere cupiebant: decimas ovium dabitis regi. Qua re cùm vulgus non moveretur, putantes regem raptis pecudibus conquieturum; adjunxit Samuel: post armenta rapiet vestra corpora, *vosque eritis ei servi.* Coronam danti libertas tollitur. Hæ rapinæ funesta sunt Symbola animi debellati: qui, ut incipit à deformitate tolerabili, ità mox prorumpit in atrociter humanitatis expertes. Oliva tr. 3. conc. 14. die S. Thomæ.

Nunc quia scio, quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel. 1. Reg. 24. 21. Cur modò regnaturum agnoscit, quem, nè imperaret, pertinaciter insectabatur? Videt manum purpuræ regiæ particula coronatam; & in reliquam vestem jus jam habere præsentit: nam si hosti aliquid est permissum; in reliquum audet, & jura extendit. Naxera in Jos. 7. §. 23.

Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. 3. Reg. 18. 44. Mox v. 45. *Cœli contenebrati sunt; & nubes, & ventus; & facta est pluvia grandis.* Joan. Clu. tom. 3. f. 43. en mirum! quod ferè in Mundo peccatoribus accidit. Pacatus Latinus in panegyrico Theodosii: ò quàm parvis veniunt summa mala principis. Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 2. l. 8. c. 5.

Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Psalm. 90. 13. S. Gregor. Naz. ho. 5. in Cant. similiter conculcantur leo, & draco, qui eminent atque serpens, & scorpius, qui videntur inferiores: in omnes ex æquo plantam immittit; hæc & fugans, & ab his ad alia transiliens.

Dies mei sicut umbra declinaverunt. Ps. 101. 12. Viam justorum componit cum horis matutinis; viam verò peccatorum cum vespertinis. Manè lux crescit; hæc via est justorum, semper in melius proficit: & via impiorum, ut vesper, in luce decrescit & majores sensim fiunt umbræ. Talis enim natura peccati est, ut nunquam quiescat; sed paulatim in densissimas noctis tenebras perducat. Pinna Ethol. 45.

Et comedit omne fœnum in terra eorum; & comedit omnem fructum terræ eorum. Ps. 104. 35. Hæc in Ægypto fecit bruchus; parvum animal, & ab olere vastitatem inchoat. Sed cave: nam qui comedit fœnum, hoc saginatus, comedet omnem fructum campi tui. Iracundia, quæ in te ebullit, bruchus est: initio contenta est fœno. Satis est illi, ut hosti non blandiaris, ut eum non invisas, ut singularia ei beneficia non præstes; periisti. Bruchus tuus, qui fœnum comedit, comedet fructus: cogeris de eo malè loqui, de quo nunc tantum non benè loqueris: cogeris hostiliter insequi, quem tantùm non singulariter amas. Quod de ira dixi, dic de quovis alio vitio, paulatim à minimis ad summa progrediente. Oliva t. 2. Strom. §. Et comedit.

Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Is. 5. 18. ordinem observa: à funiculis ad vinculum plaustri. Novarinus El. sacr. l. 3. signac. spir.

Filii Sion inclyti, & amicti auro à primo: quomodo reputati sunt in vasa testea. Thr. 4. 2. Nemo ex nobis est, quin puer expertus sit, quàm diligens novæ vestis custos fuerit: non audebamus eam admovere rubo, nè laceraretur; vel pici, ne inficeretur. Quæ vestis quovis modo inquinata si esset, aut detrita, mox peribat illius cura; nullo meu in luto fiximus pedem: inter spinas ingressi, ad aquam per ludum inspersimus. Oliva t. 3. conc. 14. die S. Thomæ.

Ex Novo.

Qui viderit mulierem ad concupiscendum, &c. Matth. 5. 28. Semel quidem, & secundò, & tertiò, sic videns, possit fortasse animum continere. Si verò frequenter id feceris, fornacem illa sponte succedens, profectò capueris: neque enim extra naturam, aleamque humanam, consistis. S. Chrysost. hom. 17. in Matth.

Videns ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi, clamavit. Matth. 14. 30. Non expectat implorare auxilium, donec aqua humeros superante, versetur in proximo mortis periculo; sed fluctibus paulò validiùs agitatis, ubi primùm pedes

des mergi incipiunt, talis nondum totis immersis, invocat Christum; & mox sentit opem. *Continuò Jesus extendens manum apprehendit.* Certè timetur pudentissimè extrema submersio animæ ex prima concussione, ab immodicis affectionibus. Oliva tractatu 3. concil. 14. die festi Sanct. Thomæ.

Erunt signa in sole, luna, & stellis. Luc. 21. 25. Mirabile est: sole tantum obscurato lunam lumine destitui; ac stellas cœlo cadere. Nimirum vitium semper in deterius crescit; quoque magis à fonte recedit eo magis in perversitate invalescit. Musca quidem initio est; antequam verò ad finem pervenerit, elephantem superabit: quique in exotu gutta erat, in oceanum tandem excrescit. Quod initio non nisi instar vermiculi erat, in crocodilum tandem evadit. Philosophorum axioma: parvus error in principio, maximus est in fine. Besseus D. 1. Adv.

Vis sanus fieri? Joan. 5. 6. Humanum genus, cùm primùm à cultu Dei defecit, heroibus divinitatem attribuit: nec alii in altaribus positi sunt, præter viros de Republica optimè meritos. Deinde victimas immolarunt mortuis, qui chari fuerunt; licèt nulla gloria, aut re gesta, claris. Non multò post invocarunt aquilas, & falcones: à quibus transgressi ad bubones, & noctuas. Post hæc tauri, & arietes, in deos admissi sunt. Tandem serpens, lacertus, araneus, ad cultum lecti. A Romano senatu divinus honor febri, pesti, decretus. Rom. 1. 23. *mutaverunt gloriam Dei in similitudinem imaginis corruptibilis, hominis & volucrum; & quadrupedum, & reptilium.* Adeò in ima devolvimur quando ab optimo deflectimus immediocre; & à divino ad humanum. Primùm adoratur Phœnix, dein vespertilio: à rhinoceronte fit ad simiam transitus; dracorum cultu ad scorpiones honorandos. Oliva t. 2. conc. 8. die ven. post D. 1. Quadr.

Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum - & mittam manum. Joan. 20. 25. Parva sunt nobis initia, finis immodicus est: ab aspectu transit ad tactum digiti, à digito ad totam manum. Ità infidelitatis tragœdiæ, cujus prologi, ut putantur, amici, & tolerabiles; præcipitantur in extremo actu in horridas defectiones &c. Oliva ante citatus.

Ex Veriis.

Si velimus passionum vires experiri, eveniet idem, quod Jordani, de quo Hegesippus l. 3. 15. plurima circumnavigatus deserta, Asphaldite suscipitur lacu, atque in eum conditur: itaque duos victor egressus in tertio hæret. Jordanis ex Libano inter candidas nives, & odoras frondes, oritur; & ad montis radices in speciosum amnem intumescens, vehitur inter oras fugiferas Samariæ, & Palæstinæ: post aliquod spatium infertur in lacum Semeconitim: eumque tanto impetu pervadit; ut prætergressus, illibata unda, atque pesicna, ex eo exeat, qualis intraverat. Pergit deinde in suo cursu per multa miliaria; donec ad caput Genezareni lacus perveniat; & hunc subit superiore multo ampliorem: victor tamen erumpens omnem aquam, quam infuderat, recipit. Ob has victorias relatas, quasi omnis periculi securus, decurrit ad mare mortuum: & non dubius, quin eadem habeat felicitatem, quam in aliis missionibus expertus; in sinum illum irruit totus: è quo nusquam emittitur, sepultus in vasta ista voragine; in qua jacent obrutæ infames illæ urbes cœlesti igne consumptæ. Hæc eveniunt audenti congredi cum perniciosis cupiditatibus: vincunt aliquoties, sed tandem vincuntur &c. Oliva t. 3. conc. 14. die S. Thomæ.

Qui intendit findere lignum prægrande, priùs ponit in illa fissura, quam facit, cuneum parvum; & ille locum aperit ad alium majorem: & sic lignum paulatim finditur, donec omnino per medium separetur. Sic diabolus omni studio contendit; ut peccata venialia, tamquam cunei in animam ingrediatur, quo paulatim ipsa pervertatur, & tandem per mortale peccatum confringatur. Diez peccatum veniale.

A cuniculis suffossum in Hispania oppidum, à talpis in Tessalia; à ranis civitatem in Gallia pulsam, à locustis in Africa. Plinius l. 8. c. 29. refert.

Serpentes ex capillis muliebribus, & jubis equinis, exoriuntur. Niercmbergius hist. nat. l. 1. c. 16.

Num. II.

Peccatum simile somno, & continuatio materiæ.

Si dedero somnum oculis meis &c. Ps. 131. 4. S. Agust. hic: sunt quidam, qui non dormiunt, sed dormitant: aliquantulum se retrahunt ab amore temporalium, & rursus revolvuntur in eum quasi dormitantes sæpe caput inclinant. Evigila, somnum excute: dormitando casurus es. Non vult Psalmus, oculis suis dare somnum, nec palpebris suis dormitationem, cum, qui vult invenire locum Domino. Expende illud; dormitando casurus es. *Si dedero*, id est, non dabo, nec somnum, nec dormitationem; abstinebo & à repore, ac negligentia: quia, si dormitavero, dormiam. Sylveira in Ap. 3. q. 36. Nonne sat, negatis somnum oculis, ut vigiles? cur nec daturus *requiem temporibus?* si requies temporibus detur, per subjectum cervical in oculos somnus obrepet. Docet; hostem longiùs arcendum esse: si enim quies concedatur temporibus, quiescent & oculi. Coerce oculum, nè cor pereat: *spei aures spinis &c.* Oliva l. 12. Strom. §. Si dedero &c.

Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes, & dormierunt. Matth. 25. 5. De crimine lethali particulam, *dormierunt* Doctores exponunt. *Ly dormitaverunt*, de veniali; quia dormitatio proxima est ad dormitionem dispositio. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 5. sect. 1. Obs. 4. Cajet. dormitando incurrerunt dormitionem; expectantes sponsum.

Si non dormitassent, non dormivissent. Castillo illat. 85. Dormire, mori est; ante somnum verò dormitare, est ante mortem à salute languescere. S. Greg. hom. 22. in Evang.

Num. III.

Exempla ex veteri.

Vidit Eva, Gen. 3. 6. Concupivit, *comedit*. Bernardus apud Godefridum ad c. 3. Gen. ò Eva! quid tam intentè tuam mortem intueris? quid spectare libet, quod manducare non licet? oculos quidem intendo, nam manum: non est interdictum, nè videam, sed nè comedam. Apud Castillo Illat. 85.

Cùmque vidisset Sara filium Agar Ægyptii ludentem cum Isaac filio suo &c. Gen. 21. 9 Lusus ille, ut ait Lyr. Tostatus, Oleaster non erat alius, quàm quòd Ismael fingebat è luto parvula idola; ut parvulus Isaac ea venerari disceret. Quod tunc quidem per ludum fiebat; sed post hæc seriò fieri poterat, cùm ambo adolevissent: quare Sara citum attulit remedium. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 10 c 8.

Fratres Joseph, ad moliendam ei necem, non raptim, sed suis gradibus, processere. Gen. 37. 4. 8. 11, 18. Liventes primùm, dein alieni, multique, tandem rabidi ad infligenda nece, consultarunt. Infans iniquitas mori potest; adulta vix potest; matura omnino mori non potest. Flumen flagitium est, crescit eundo: & cùm illud desisse putas, mare est. Oliva f. 6. D. 2. Quadr.

Absalon occiso fratre 2. Reg. 13. 19. patricidium molitur. Cain. Gen. 4. 8. 13. occiso fratre in disperationem incidit. Hebræa plebs, dum largiùs cibis, & poculis, indulget, idola colit. Ex. 32. 6. Judas, dum avaritiæ studet, magistrum vendit. Petrus ex uno lapsu negationis in tertium cadit. Pinna Ethol. 45.

Pepigi fœdus cum oculis meis &c. Job 31. 1. Glossa hic: Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.

Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl. 19. 1. Si enim parva curare negligimus; insensibiliter seducti audentes etiam majora perpetramus. S. Greg. mor. l. 10. c. 10.

Nabuchodonosori ambitionis ejus vastitas objectu simulacri ostensa. Dan. 2. 31. deinde arboris ramosæ, & proceræ designata rapacitas. Dan. 4. 8. Fingitur statua, nec crescere potest; & lapide sternitur. Arbor suo cresci succos, extendi ramos, & frondes; securibus exscindenda. Cùm primùm peccamus, quasi statuæ alia manu fingimur, multumque hominis retinemus: nec sequeremus penitus; & quasi inviti, & coacti, peccamus; nec multò conatu crimen evertitur. Sed si secundò à rectò aberraris non jam statua, sed arbor eris: nec tantùm tuo vives succo, sed iniquis dux eris, & horrenm. Haud verò lapillo dissolveris; sed vel impactis iscuribus vix concides: tandem cum feris erit diversorium tuum. Quæ omnia & Assyrio regi contigerunt audaciùs prævaricanti: & tibi evenient; nisi currentis in deteriora sceleris cursum sistas. Oliva f. 6. D. 2. Quadr.

Ex Novo.

Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Mtth. 4 3. Non percipio, quomodo vafer hostis, cupiens macula gulæ jejunii gloriam contaminare, non perierit, ut lapides in perdices, & phasianos, mutaret? S. Gregor. Naz. or. 40. si hoc evicerit, nequaquam hic consistet; ad omnia grassatur: hæc est illius pugnandi ratio, si vicerit. Non vicit tentator; nihilominus duxit ad pinnas, ad persuadendum præcipitium. Regna terræ ostendit, ut eorum cupiditatem in eo excitaret. Et eò desinebat penis; ut dæmonem adoraret Christus. Cogitari potest saltus magis lethifer, aut transitus minùs prævisus? dum à reconveniente magis, quàm vitiosa sperarit Sathan, cum, qui abjectionis desiderio natus in præsepi erat, desideraturum omnia Mundi regna. Quòd si hostis etiam debellatus, non se continet, quin suadet Christo, primæ tentationis victori, pejora, præcipitium, idololatriam: quid non perficiet, cum ad primum impetum se dedit anima? Hildebertus ep. 47. vix de cupiditate triumphat, &c. Oliva t. 3. conc. 14. die S. Thomæ.

Qui irascitur fratri suo. Matth. 5. 22. Glossa: qui non irascitur, non occidit; sed non è contrà. Licentia irascendi causa homicidii: tolle iram, & homicidium non fit. A radice cu-

ra

ra mali inchoanda: qui secus facit, in ramis curandis vanè occupatur. Did. Nyss. D. 1. Pent. §. 3.

Verberantur filium meum. Matth. 21. 37. Ruitur à minoribus ad majora scelera. Qui servos occidunt, domino non parcent: injuriæ à ministris illatæ inopi, & derelictæ plebeculæ, desinunt in perditionem imperantium. Oliva t. 1. conc. 6.

Alium ceciderunt, alium occiderunt. Matth. 21. 35. A fuste transitur ad telum; & à servorum cæde fit gradus ad jugulum hæredis, & Domini. Non statim cœlum fulminat: obducitur primùm, mox micat; tandem cum fragore regum turres ferit. Libavere agricolæ cruorem famulorum; quo fuso, cùm elementa stare hactenus sensissent, nullo posse periculo sanguinem hæredis exsugi statuerunt. Oliva ser. 6. Dom. 2. Quadr.

Nescio quid dicis. Matth. 26. 70. Nota: quia primùm ait, *nescio quid dicis*: secundò *cum juramento negat*; tertiò *cœpit detestari, & jurare*. Perseverare quippe in peccato, dat incrementum scelerum. Did. Nyss. D. 5. Pent. §. 4. Diligenter considera, quòd perditus peccator nequaquam repentè; sed per incrementa malitiæ, & à justitiæ descensu, huc usque devenit. Priùs quippe Christum simpliciter negat dicens: *ò homo non sum*. Luc. 22. 58. Deinde, ex priore delicto effectus debilior, cum juramento Veritatem se nescire fatetur. Postremò tamquam sine resurrectioris spe mortuus, sub anathematizatione Dei Filium spernit, & abjicit. S. Laur. Justin. de triumph. &c. cap. 9.

Tenuit Joannem & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem. Marci 6. 17. Herodes Joannis sanctitatem miratus; & Herodiadis perversis instigatus consiliis, nec audet omnino violare virtutem; nec vult nefariis prorsus incestæ contraire. Joannem non vult de medio tollere, nè Sanctitatem læserit; sed ligatura constringit; ut aliquid concedat libidini. Cùm jus dedit, ut placaret; facultatem concessit ad jugulum. Naxera in Jos. 7. §. 23.

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Joan. 11. 47. Columbarum is gemitus est, timentium Tiberii, quasi accipitris, lanienam. Dubitant de sua fortuna, caventque à Romanis. Cæterùm de Christo honorificè loquuntur: *multa signa facit*. Non carpunt, non accusant. Sed mox audies: *expedit, ut unus moriatur: blasphemavit; quid vobis videtur? reus est mortis. Tunc expuerunt*. Mors hic flagitii est, ut ludat in cunis, quò fasciis incautius evolvatur: sed eas edet strages adultum, quas nec concepturum illud putasses robusta ætate. A quibus initiis progressa crudelitas Pharaonis? Ex. 1. 11. 16. 22. Oliva s. 6. D. 2.

Crucifige eum. Joan. 19. 15. S. Leo s. 10. de Pass. Dominum Jesum diversis contumeliis affici, aut permisit Pilatus, aut jussit: ut satiata iniquitas de innocentis injuriis ulteriùs non sæviret. Sed pertinax malitia propriis crescebat incrementis; & in quæ obtinuerat jus illusionis, exigebat & mortis.

Ex Patribus, & aliis.

Qui peccata minima devitare negligit, à statu justitiæ non quidem repentè, sed partibus totus cadit. S. Greg. 3. p. cur. past. Apud Paoletti D. 6. post Epiph.

Qui sunt parvuli Babyloniæ? Ps. 136. 9. nascentes malæ cupiditates. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo; elide illam, cùm parvula est. S. August. in Ps. 136.

Numquam in majora incidemus peccata, si à parvis nobis caverimus. S. Chrysost. hom. 11. in Gen.

Nihil facit adeò inveterare, ut natura peccati. Quando ergo à peccato inveteraveris, renova teipsum per pœnitentiam. S. Chrysost. in Ps. 6.

Primùm tibi importabile videbitur aliquid; processu temporis judicabis; non adeò grave; Paulò post & leve senties; Paulò post etiam delectabit. Ità paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in aversionem. S. Bernardus l. 1. de consid.

§. XV.

Peccatorum pœnæ.

Num. I.

In Genere.

Et misit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram. Gen. 3. 23. Jussit Deus Adam è regione paradisi agere, ut pristinam vitam, dolore carentem, revocans in memoriam, odio prosequeretur peccatum, tamquam authorem laboriosæ vitæ. B. Theodoretus q. 40.

Tulit illico Sephora acutissimam petram &c. Ex. 4. 25. Vide prudentiam Sephoræ inter Angeli minas. Illa cùm viderit adactum pœnæ ferrum in viri pectus; non expalluit, non flevit, non ejulavit; sed ad remedia confugit: ut calamitatem evertat, non Angelum orat; sed reatus fontem obstruit filio circumciso. O sapientem fœminam! quæ citò didicit, erumnarum nostrarum scaturiginem in nobis esse. Oliva l. 3. Strom. §. Occurrit ei Dominus &c.

Cessavitque plaga. Num. 25. 8. Hæc est septima plaga, quæ in hoc libro Num. Hebræis, ob peccata, immissa narratur. Prima fuit in sepulchris concupiscentiæ. Num. 11. 33. Secunda in Core &c. Num. 16. 33. Tertia ibidem v. 35. Quarta die sequenti. Num. 16. 41. Quinta Num. 21. 6. Sexta hic v. 4. Septima v. 8. Cornelius in Num. 25. 8.

Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium &c. 2. Reg. 11. 15. Pudoris vis miranda laniena suffusi cruoris: quam ut David evaderet mitissimæ licèt mentis, Uriam tamen telis hostium objecit: timuit enim, nè in suum probrum timeret Bethsabeæ uterus. Ergo alienum effundi, quàm suum suffundi sanguinem maluit. Nè haberetur adulter, sit David sicarius: & ruboris, aspersionem cruore alieno tegere voluit. Oliva s. 2. Dom. 1. Quadr.

Tu fecisti abscondite &c. 2. Reg. 12. 12. 14. Agnoscit reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet; gemmas regias abdicat, purpura exuitur, totum regem cum ornatibus suis abjicit &c. Et tamen rex tanti nominis; sanctitate major, quàm potestate; prærogativis meritorum antecedentium supereminens; cum tanto habitu supplicat, non evadit. Salvian. de Provid. Dei l. 2.

Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam. Eccl. 40. 1. Bellarminus l. 6. de amissione gratiæ c. 15. decem miserias, quasi pœnas humanæ naturæ, ob peccatum originale inflictas recenset. 1. est ignorantia in mente. 2. malitia in voluntate. 3. concupiscentia. 4. calamitas, labor, & dolor in corpore. 5. mors. 6. ira Dei. 7. captivitas sub diabolo. 8. lites, rixæ, seditiones, & bella. 9. inimicitia, & rebellio bestiarum. 10. omnia mala, quæ è Cœlo, terra, mari, vel antè prævisa, vel omnino inopinata hominibus accidunt. Cornelius hic.

Ego video volumen volans. Zach. 5. 2. Sept. *ego video falcem volantem*. Quàm visio hæc sibi contraria! quid volumini cum falce? Ad primum anhelant Academiæ, ut ad fontem uberrimum scientiarum; ab altera docti, & indocti, se subtrahunt, ut instrumentum mortis. Qui ergo visio liber simul fuit, & ferrum? Hieron. pugnantia jungit in cap. 5. Volumen volans ostenditur, in quo omnia peccata descripta sunt; ut unusquisque recipiat secundùm opera sua. q. d. qui dicit, Zachariæ falcem visam, declarat effectum scelerum; liber causam pœnarum. Oliva tr. 1. conc. 15. die Ven. 2. hebd. in Quadr.

Num. II.

Peccata tradunt hostibus.

Depopulati sunt urbem in ultionem stupri. Gen. 34. 27. Miror necari cives urbis integræ à paucis viris: sed scelerati erant. Isidorus Pelusiota l. 1. 294. injustitia nostra hostium est auxilium. Scio, quo murorum septo munita perstet civitas. Is. 54. 14. *in justitia fundaberis*. Velloso in Judith. 5. 19.

Cur fœminas reservastis? nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel &c. Num. 31. 15. 16. Quid doli struit Balac contra Israel, ut vincatur? mittit meretriculas Theodoretus q. 45. ut propter impietatem, divino denudati auxilio, faciliores captu fierent. S. Chrysost. hom. 14. ad pop. quos arma, & equi, & milites, capere non potuere; hos peccati natura vincto hostibus tradidit. Velloso in Judit. 5. Paræn. 39.

Judæi, quotiescumque deos alienos coluerunt, à Deo castigati, hostibus objecti, & servituti objecti sunt: quoties autem pœnituerunt; Deus egregium ducem suppeditavit, qui eos ab hostibus liberaret; quod intrà quingentos annos, cùm sub Judicibus essent, septies illis evenit, &c. Stengelius t. 3. div. Judic. c. 60.

Non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui. Judit. 5. 17. Deum offendens coram hoste stare non potest. Velloso hic Paræn. 40.

Non crediderunt reges terræ &c. Thren. 4. 12. Quamdiu hæc civitas vallata fuit auxilio Dei, & munita præsidio angelorum quando fuit in ea judicium, & justitia; quando virtutem replebatur bonis: nullus regum credere poterat, quòd ingrederetur hostis in ea: quia *confortaverat Dominus seras portarum ejus*. Psalm. 147. 2. *& posuerat fines ejus pacem*. Cùm autem ipsi aversi sunt ab eo, cujus beneficio muniebantur; recessit ab eis omne præsidium Dei, & facti sunt inter hostes præda. S. Paschasius hic.

Non ab extraneis est nobis, quàm à nobis ipsis majus, periculum. Intus est adversarius, intus author erroris, &c. S. Ambrosius hexam. l. 1. c. 8.

Num. III.

Peccatorum pœnæ ferè. Peccatum ipsum sibi pœna.

Scyphus, quem furati estis, ipse est pessimam rem fecistis. Gen. 44. 5. Josephi fratres insontes erant, cùm in carcerem mittendi traherentur ex itinere, quòd scyphum argenteum fuissent furati. Sed furtum longè gravius commiserant: nam ipsum fratrem suum parenti furati sunt. Et hoc furtum ante annos vi-

viginti, & aliquot, commissum, vel serò tandem fuerat puniendum. Drexelius Gymn. Pat. p. 1. c. 6. §. 9.

Ergo erravimus à via veritatis. Sap. 5. 6. Robertus Holcot: non dicunt: ergo hic in æternum punimur; *sed erravimus &c.* Quia ipsum erratum pœna est. S. Cyprianus rogatus: an ad pœnitentiam admittendi essent, qui timore pœnarum Christum negassent? respondet ep. 53. sit satis talibus, gloriam perdidisse; & quòd triennio jugiter, ac dolenter, ut scribitis, cum summæ pœnitentiæ lamentatione planxerunt. q. d. eorum peccatum abundè nunc illo plectuntur, quòd ea gloria, & voluptate destituti sunt; quam haberent, si rectè egissent, & diuturno nunc sui errati; dolore torquentur. Did. Nyss. D. infra octav. Ascens.

Intrinsecam pœnam malefactor pertulit, dum deliquit: cum eo ipso quisque puniatur interiùs, quo consensit facere, aut perficit facinus. Sim. Cass. l. 15. de just. Christ.

Num. IV.

Peccatum pœna sequitur impleta mensura.

Necdum completæ sunt iniquitates &c. Gen. 15. 16. Vas fictile vacuum super aquas constitutum; cùm vacuum est, & semiplenum, non absorbetur ab aqua, sed supernatat; & jam huc inclinatur, jam illuc: cùm impletum, descendit. *Implete mensuram patrum vestrorum*. Matth. 23. 32. Osorius Domin. 5. Epiph.

Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Gen. 15. 16. Disce, gratiam Dei esse, ubi citò peccata punit: aliàs enim augetur cumulus pœnæ. 2. Deum impios, & Respublicas, tolerare ad certum terminum; quem transgredi non possunt sine Dei punitione. Corn. hic.

Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate. Is. 1. 4. Sept. *populo pleno peccatis*. S. Cyrillus l. 1. in Is. in cumulo, ac plenitudine, suorum peccatorum hæserunt. Quod etiam Christus illis dixit Joan. 8. 24. *moriemini in peccatis vestris*. Etenim expleverunt & ipsi mensuram patrum suorum. Ad aliquod enim tempus, & mensuram, tulit Deus contemptum delinquentium: cùm autem ad plenitudinem peccati pertigerint, supplicium irrogat. Arcones hic.

Appropinquavit finis noster. Thr. 4. 18. Completi dies planguntur; quia compleverant illi scelera, & mensuram patrum suorum: qui dies peccandi cùm completi fuerint, venit finis. S. Paschasius hic.

Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum. Amos 1. 3. Illud sentire nos convenit: tamdiu unumquemque à Dei patientia sustineri, quamdiu nondum suorum peccatorum terminum, finemque compleverit: quo consummato eum illicò percuti; nec ullam illi veniam jam reservari. S. August. de vita Christiana c. 3.

Hæc est amphora egredientis. Zach. 5. 6. Amphora est mensura peccatorum; qua completa Deus ea castigat. Oculus omnium impiorum in eam respicit: quia impii non nisi ad suas cupedias, & scelera, respiciunt. Itaque eam sensim implent, qua impleta talento plumbi ipsa obtegitur. Quo significatur gravis Dei ultio, quæ impietatem amphoræ, idest, mensuræ, pœnarum culpis parium adæquat, & includit. Cornelius hierogl. hic.

Confestim percussit eum Angelus Domini. Act. 12. 23. Cur solus Herodes tam rigidè punitur? & non etiam illi, qui applaudentes dicebant; illius voces non esse hominis, sed Dei? Oecumenius: utrique sanè supplicio degni erant: verùm, cùm nondum tempus sit judicii, is punitur, qui maximè obnoxius est crimini. Herodis scelerum mensura impleta erat, ut Dei iram concitarent; non illorum. Sylv. hic q. 22.

§. XVI.

Peccati fœditas.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. Is. 6. 1. Mox clamat: *væ mihi quia tacui: quia vir polluti labii ego sum*. v. 5. Luce cœlesti donatus nihil priùs, quàm peccatorum fœditatem videt, ut ad pœnitentiam excitetur. S. Greg. Naz. or. 7. Isaias, priusquam Domini lucem conspexisset, nihil hujusmodi loquitur, nec animo languet &c. Postea verò quàm hæc vidit, velut seipsum agnoscens; me miserum, inquit, quia compunctus sum. Escob. tr. 3. Coll. Chr. l. 5. sect. 1. obs. 1.

Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis &c. Thr. 4. 8.

Abominabilem fecisti decorem tuum. Ezech. 16. 25.

Et ecce vir plenus lepra. Luc. 5. 12. Morbus lepræ designat rectè peccatum mortale: quia, sicut lepra inficit, & deformat carnem; sic peccatum maculat, & deformat animam. S. Bonav. hic. Nulla lepra deterior, quàm peccatum est. S. Chrysost. hom. 3. in ep. ad Titum.

Sicut virtute nihil prius, sic improbitate nihil turpius, atque obscœnius est: illa enim sole splendidior est; hæc fœtidior cœno. S. Chrysost. hom. 28. in 2. Cor.

Mihi servus est, quisquis turpiter, ac flagitiosè vivit. S. Greg. Naz. in nobilem malè moratum.

O quàm gravis esset illi mulieri infirmitas, per quam sic deformaretur, ut à patre non cognosceretur, à sponso contemneretur, & vilissima à tota sua vicinia haberetur. Talis est anima infelix, deformata per culpam; quæ à spirituali Patre non cognoscitur, à sponso Christo contemnitur, & vilis à sanctis omnibus reputatur. S. Bonav. s. 122.

Peccante nil est tertiùs; nil tam leprosum, aut putridum: cruda est cicatrix criminum, oletque ut antrum Tartari. Prudentius Poeta Christianus hymno de S. Laur.

§. XVII.

Peccatum pungit, gravat &c.

Num. I.

Comparatur spinis.

Spina est omne peccatum: quia, dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem. S. Greg. mor. l. 10. c. 12.

Rosa illo tempore sine spina fuit: nam postea pulchritudini ejus adjuncta fuit: ut esset videlicet voluptati sollicitudo contigua, reminiscentibus nobis peccatum; cujus gratia dumos, & vepres, generare terra damnata est. S. Basil. Cæsar. hexam. l. 5.

Spinæ, quæ pedibus infixæ, non solùm retinent, retardantque; verùm etiam enecant, peccata sunt; à quibus durities calceorum defendit, continentissima videlicet, tenuis, ac dura vita. S. Greg. Nyss. l. de vita Moysis.

Spinæ peccata designant; quæ animam pungunt, ac lacerant: nam & propter peccatum homini datæ sunt, dicente Domino ad Adam: *cùm operatus spinas, & tribulos, germinabit tibi*. S. Rup. in Joan. c. 19.

Num. II.

Peccati amaritudo.

Radix germinans fel, & amaritudinem. Deut. 29. 18. Peccatum, & aversio à Deo, hic dicitur fel, amaritudo, &c. quia lethaliter fauciat animam; quia eam amaricat per remorsum conscientiæ. Corn. hic.

Amara potio. Is. 24. 9. Potio peccati est amara. 1. propter conscientiæ remorsum. Prov. 5. 4. *novissima illius amara*. 2. propter mortis metum. Eccl. 41. 1. *ò mors, quàm amara est memoria tua*. 3. propter divinæ dulcedinis defectum. Jer. 2. 19. *scito, & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum*. 4. propter pœnitentiæ planctum. Is. 38. 15. *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. S. Thom. Aqu. hic.

In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis, video te esse. Act. 8. 23. Dixit S. Petrus Simoni Mago.

Accipe librum, & devora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Apoc. c. 10. 9. Cùm Evangelista vir magnæ sanctitatis esset, improba facta per experientiam non gustaverat: verùm ubi librum, qui improborum, & nequam hominum, facta continebat, devoraverat; edoctus est, dulcedinem, quam peccatum initio offert; post opus patratum in amaritudinem, idest, in pœnam, & cruciatum, verti S. Andreas Cæsar. s. 10. hic.

Recolite, recolite, & sedula mente pensate; quàm sit amarum, ab ipso separari, cui vos promisistis, ac nupsistis; cui vos in omni sanctitate vovistis. S. Bern. tr. de lamentat. B. Mariæ.

Num. III.

Venenum.

Habuit mulier illa *poculum aureum in manu plenum abominatione &c.* Apoc. 17. 4. Quicumque enim per pulchritudinem, & delectationem, creaturarum allicitur ad peccatum; quasi de auro bibit venenum. S. Bonav. s. 2. D. 3. Pent.

Morsus serpentium peccata sunt, quibus plagatum est humanum genus; ex quo primum hominem per serpentem decepit diabolus. S. Rup. l. 3. in c. 3. Joan.

Scorpio ore lingit, brachio stringit, & demum cauda pungit. Sic mortalis culpa primò delectat, deinde illaqueat, demumque per remorsum conscientiæ pungit. S. Bernardinus s. de tripl. an. statu.

Ante reatum hominis nil noxium terra protulit, nullam herbam venenatam, nullam arborem sterilem: cùm manifestè dictum sit, quòd omnis herba, & universa ligna, data sint hominibus, ac volatilibus, terræ quoque animantibus cunctis in escam. V. Beda l. hexam.

Num. IV.

Gravat.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave, gravatæ sunt super me. Ps. 37. 5.

Quid autem vides festucam-trabem autem &c. Matth. 7. 3. Per trabem hic significatur peccatum mortale, quod est in anima. Rectè dicitur, trabem esse in oculo: quia, quàm incapax est oculis trabis, tam anima peccati mortalis: & tantum eam gravat, acsi ingens esset trabs posita super oculum. Sylveira hic quæst. 5. Dum autem peccatum comparatur trabi, & festucæ: ostenditur, quàm impatiens illius anima esse debeat. Nam, cùm oculus sit res tenerrima; minutissima re læditur; ut in lacrymas solvatur, quoad à se festucam projiciat: ità anima in se non debet etiam minutissimum ferre peccatum; sed in lacrymas solvi, dum ab eo mundetur. Id. ib.

Num. V.

Vulnerat.

Vulnus animæ peccatum est; de quo dicitur. Is. 1. 6. *vulnus, & livor, & plaga, tumens; non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* S. Greg. in Ps. pœnit. Ps. 6.

Incidit in latrones. Luc. 10. 30. Quæ sunt plagæ? quæ vulnera? quibus vulneratus est homo? vitia, atque peccata. Orig. hom. 34. hic.

Num. VI.

Est morbus, febris.

Vidit socrum ejus febricitantem. Matth. 8. 14. Unusquisque nostrum febricitat: quando irascor, febricito: quot vitia, tot febres sunt. S. Chrysost. in Marcum hom. 6. c. 1. Febris mortale peccatum præmittit frigus negligentiæ bonorum operum. S. Vinc. Ferr. Febris ex frigore oritur, & desinit in calorem. Sic febris animo, idest, peccatum, sæpè oritur ex negligentia, & tepore: inde enim cupiditas, ardor luxuriæ, gulæ, superbiæ accenditur. Febris gustum vitiat, quia ipse pravo humore infectus est. Sic febris animæ facit, ut res divinæ, conciones, lectiones spirituales, colloquia pia, monita sancta eis desipiant. Cornel. in Matth. 8.

Erat autem quidam homo ibi, triginta, & octo annos habens in infirmitate sua. Joan. 5. 5. Rectè quidem hic homo, tanto tempore languidus, peccatorem significat, scelerum suorum enormitate pressum: cui quia dilectio Dei, & proximi, deest, & idcirco per pœnitentiam convalescere non potest, bene hujus infirmitas 38. annos habet, & à quadragenario numero, qui pœnitentiæ dicatus est, binario differt. S. Rupertus l. 5. in c. 5. Joan.

Peccatum est morbus quovis dæmonio sævior. S. Chrysost. hom. 5.

Gravis est res peccatum, & morbus animæ acerbissimus iniquitas, quæ & nervos illius omnes præcidit, & æterno igni obnoxiam facit. S. Cyrill. Jerosol. Catech.

Omnis corporalis morbus aliquid nobis innotescere facit mali culpæ: cujus tanta malitia est, ut una infirmitate, & malo, declarari neutiquam possit, & ideò pluribus manifestatur. Cecitas ostendit tenebras peccati, lepra maculam, paralysis ineptitudinem ad bona opera. Osorius D. 3. Epiph.

Fortassis etiam in typo mulieris illius Socrus Simonis, & Andreæ, variis criminum febribus caro nostra languebat, & diversarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quàm caloris. Itaque illa animum febris, hæc corpus inflammat: febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. S. Ambros. l. 4. in Luc.

Peccatum est infirmitas, qua Mundus dissipatur. Et nota, quòd peccatum est febris tertiana, propter triplicem concupiscentiam, scilicet divitiarum, deliciarum, & honorum; de quo dicitur. 1. Joan. 2. 16. *omne, quod est in Mundo &c.* Quartana est, propter quadruplicem gradum peccati, scilicet cordis, oris, operis, & consuetudinis. Contra quæ dicitur. Cant. 6. 12. *revertere, revertere Sulamitis*, idest, anima misera. Quater dicit *revertere*, propter alia quatuor prædicta. S. Bon. diæt. sal. c. 1.

Num. VII.

Hyems, & frigus.

Qui dat nivem sicut lanam &c. Ps. 147. 16. Videmus nivem, nebulam, crystallum bonum est, ut ille spiret, & solvat: si enim ille non spiraverit, si non ipse duritiem glaciei hujus dissolverit; *ante faciem frigoris ejus &c.* Cujus? Dei. Unde est ejus frigus? ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam. S. August. hic.

Caput meum plenum est rore. Cant. 5. 2. nocturno, quasi gelidum; dum non amatur à te, nec à multis fidelibus meis; sed videor esse in Mundo, velut nocte, rore, & gelu frigido. De Ponte hic Exh. 8. §. 4.

Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam. Jer. 6. 7. Notandum; quòd peccatum dicitur frigus, quia extinguit calorem dilectionis. Matth. 24. 12. *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas.* Quia congelat humorem devotionis. Eccl. 43. 22. *frigidus ventus Aquilo flavit, & gelavit crystallus ab aqua &c*, quia retardat motum operationis bonæ. Prov. 20. 4. *propter frigus piger arare noluit.* S. Thom. Aqu. in Jer. hic.

Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme. Matth. 24. 20. Hyems est status culpæ; ver est status pœnitentiæ. Cant. 2. 11. *jam hyems transiit.* Æstas status perfectæ justitiæ. Autumnus status mortis: tunc enim colligit homo, quæ seminavit. Hugo Card. in Gen. 35. S. Athanas. q. 63. hyemem peccata vocat & Sabbatum securitatem. Dicit ergo, væ animæ, in peccati securite, vel socordia, constitutæ.

Hyems est cura rerum temporalium, atque hyeme tristior: neque enim hic rigor, aut pluvia nascitur, aut lutum gignitur, & profundus limus; sed quod est his omnibus gravius, gehennam gignit hæc hyems, ac gehennæ mala. Et quemadmodum in vehementi rigore congelascunt membra, suntque mortua; itidem in peccatorum hyeme horror animæ nihil officiorum suorum peragit, concreta velut à rigore conscientia: Quod corpori frigus est, hoc est animæ mala conscientia, unde & timiditas nascitur, S. Chrysost. hom. 7. in 2. Cor. 3.

Nox est peccatum, instar nivis frigidum, idest, infrigidans dilectionem. Obscurum, idest, obscurans rationem; ineptum faciens ad bonam operationem. S. Bonav. diæt. sal. in Prologo.

Qui legem derelinquit, ignem derelinquit: & ideò refrigescit. Id. in Ps. 188.

Quantum frigus sit peccatum, ex eo vel maximè ostenditur; quòd nec imminensæ inferni flammæ, per omnem æternitatem peccato uni admotæ illud consument. Fernand. in Gen. 3. sect. 21.

Miscellanea.

Homo quidam erat dives. Luc. 16. 19. Dives ille, quando *quotidiè epulabatur, splendidè*, benè secum facere putabatur: cùm autem cœpit ardere apud inferos; tunc inventum est malè, quod putabatur benè. Quod enim manducaverat apud superos, hoc digerebat apud inferos: iniquitatem dico, fratres, quam epulabatur. Manducabat pretiosas epulas ore carnis; ore cordis manducabat iniquitatem. S. Aug. in Ps. 48.

Pessimus animæ cibus est, velle, quod non licet. S. Leo s. 9. de jejunio septimi mensis.

Cur comprehenderunt te dolores parturientis; ut parturires iniquitates, & pareres injustitias? nullus enim major est dolor; quàm is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque ullum gravius est onus; quàm peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram; nè se erigere possit. Gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera. S. Ambr. ep. 18.

Dæmoniacus rex Saul, furiosum peccati regnum; David autem pacatum justitiæ regnum significat. In singulis hominibus, quamdiu non liberantur gratia Christi, peccatum regnat: & tamquam furiosus sessor equum subactum calcaribus urget, flagellis diverberat. S. Rup. in 1. Reg. 21.

Peccatum est crudelis fera, & non uno capite in hominum genus sævire contenta. S. Chrysol. s. 111.

Homo peccat, & Deus convertitur? ità fratres: quia juxta Prophetam, iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet. *Convertere.* Ps. 6. 5. Unde? ubi? de Deo in hominem; de Domino in servum; de Judice in Patrem. Id. s. 45.

Feræ sunt atroces, fœda, immansueta vitia; quæ si, subjuganda carne, & obediente vita, capistremus; cum Daniele triumphabimus. B. Theodorus Studita s. 28.

§. XVIII.

Peccatum causa, & Origo mortis.

Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. Rom. 5. 12.

Inobedientia est causa mortis, omnes experimur; omnes morimur propter eam. S. Bern. s. 2. de obedientia &c.

Peccatum est arbor mortis: gratia est arbor vitæ. S. Bonav. s. 2. de ingressu ad Sapientiam.

Mortalis à Deo factus est homo. Meritò: quoniam, quod Deus noluit, fecit; subjiciatur morti, quam ipse non fecit. Scriptura dicit, quòd *Deus mortem non fecit.* Sap. 1. 13. Et qui prætergreditur, quod Deus vult; fiet ei: quod ipse non vult. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

§. XIX.

Peccatum mors animæ.

Symbola.

Ne unquam obdormiam in morte. Psal. 12. 4. Idest, peccato. Dormitat in morte, idest, peccato, qui frequenter labitur, & frequenter resurgit; dormit, qui, cùm ceciderit, non resurgit. Obdormit obstinatus, qui peccatum suum defendit, nec de facili excitatur. Hugo Card. hic.

Ossa arida audite verbum Domini. Ezech. 37. 4. Ossa peccatores: quia neque gratiæ vitam, neque charitatis conjunctionem habent. Campus sepulchrum afforis dealbatorum, intus verò plenorum ossibus mortuorum, est Mundus. De Ponte t. 1. de perfect. hom. Chr. tr. 1. c. 11. §. 2.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7. 12. Quid aliud, nisi quasi in quodam feretro, hoc est, supremi funeris instrumento, jacemus exanimes; cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quædam terreni, corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concreta nostri spiritus labe puræ lucis vacuus mentem alit? hi sunt nostri funeris portitores. Quis est tumulus tuus, nisi mali mores? tumulus tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est. S. Ambros. l. 5. Quatuor portant peccatorem ad sepulturam Inferni: duo ante, & duo retrò. Primus est mala consuetudo; secundus mala societas; tertius vana confidentia de longa vita; quartus falsa spes de misericordia. S. Vinc. Ferr. serm. s. 5. post Lætare.

Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Luc. 10. 18. Significavit non solùm impetum, quo præcipitatus cecidit; sed etiam detrimentum, quod in anima operatur. Sicut fulgur in gladium incidit, ferrum in cinerem vertit, vagina illæsa; sic cadens dæmon cum sua malitia animam per peccatum occidit: nec tamen hæc mors exteriùs apparet in carne. Diez Dom. 3. Quad.

Testimonia ex Veteri, & Novo.

Morte morieris. Gen. 2. 17. Statim namque, ut prævaricatus est mandatum, mortua est anima, quæ peccavit. Orig. hom. 15. hic.

Ascendit mors per fenestras. Jer. 9. 21. & domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Id. mor. l. 21. 2.

Domine, filia mea modò defuncta est. Matth. 9. 18. Filia tua, est anima tua, defuncta per culpam; cui manus Christi imponitur per gratiam. S. Bonav. s. 1. D. 23. Pent.

Non est puella mortua. Matth. 9. 24. Fortè hæc puella non fuit mortua morte culpæ, quamvis fuerit mortua morte naturæ: ut ideo quoque dictum sit: *non est mortua, sed dormit.* Dion. Carth. hic.

Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. Apoc. 2. 11. Mors enim prima est separatio animæ à Deo per mortale peccatum: mors verò secunda est recessus Dei ab anima per æternum supplicium. S. Bernardinus tom. 2. s. 11.

Ex Patribus.

Umbra mortis mors carnis accipitur: quia, sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo: ità umbra mortis est, qua caro separatur ab anima. Unde rectè voce Martyrum dicitur. Ps. 43. 20. *humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperit nos umbra mortis.* Quos enim constat, non spiritu, sed sola carne, mori; nequaquam se vera morte, sed umbra mortis, dicunt operiri. S. Greg. mor. l. 4. c. 17.

Sicut anima est vita corporis, sic vita animæ Deus. Sicut exspirat corpus, cùm animam emittit; ita exspirat anima, cùm Deum amittit. Deus amissus mors animæ, anima amissa mors corporis. S. Aug. s. 6. de verb. Dom. s. 6.

Mors animæ fit, cùm eam deserit Deus: sicut corporis, cùm id deserit anima. Id. de Civ. l. 13. 2.

Mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ omnino ventura est, curant omnes, nè veniat: non laborant: nè peccet homo æternum moriturus. S. Aug. tr. 49. in Joan.

Qui tibi recusat vivere, mortuus est. Idem Manuali c. 4.

Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses; ingemisceres dolenter, & fleres: facit inculta, veste mutata, resecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris ostenderes. Animam tuam miseram perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans fumus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? S. Cyprianus l. de lapsis.

Anima moritur, dum deserente Deo, de bono in malum mutatur. S. Isid. l. 1. sent. c. 1.

Quàm terribiliùs canis putridus fœtet hominibus, quàm anima peccatrix Deo! quàm infeliciùs ista Deo, quàm ille hominibus! heu! non hominem, sed opprobrium hominis, vilius pecore, pejus cadavere. Sanct. Anselmus lib. de miseria hominis.

In peccatis miseriam vitam agentes nihil à mortuis differunt: immò verò maximè differunt: cùm sint illis multò deteriores. Nec enim mihi dices, clausisse hunc oculos, nec sepulchro jacere, nec insitis ligatum detineri, nec postremò vermibus esse projectum; cùm multò pejoribus hic, quàm qui obierunt, vexetur. Non devorant scelestum hominem vermes; sed perturbationes animi; omni feroci bellua truculentiùs exagitant, atque dilacerant. Quòd si aperti sint oculi; id multò deterius est, quàm si clausi essent: clausi enim mortuorum oculi nihil mali vident &c. S. Chrysost. hom. 28. in Matth.

Carnem, quam non possumus suscitare, plangimus: & mortuam animam non plangimus, quam possumus ad statum pristinum revocare. S. Cæsar. Arel. hom. 8.

Fœtet corpus ab anima separatum, fœtet anima à Deo sejuncta. Putrescit corpus, putrescit anima: vermes procreat corpus, vermes conscientia, ac morsus procurat animæ. S. Chrysol. s. 19.

Corpora peccatorum quid sunt? nisi sepulchra mortuorum. Guarricus s. de script. sacrar. utilit.

Quod majus homicidium, quàm ut seipsum interficiat homo? Quoties voluntariè, & ex studio, peccatum perpetrat, quid aliud, quàm seipsum jugulat? Drogo ost. s. de Sacr. Pass.

§. XX.

Peccatum vitandi varia motiva.

Ex Veteri.

Aperiantur oculi vestri. Gen. 3. 5. Nullum non lapidem movet diabolus, ut religiosam vitam impugnet, & obedientiam: qua nihil sublimius si minùs abolere, certè imperfectam reddat: quò enim obedientia minùs habet oculorum, & plus cœca est; eò generosior, & illustrior habetur. Fernandius hic.

Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Gen. 39. 9. Hebr. *quomodo faciam malum grande?* Impossibilitatem in seipso agnoscit, ferendi tam grande onus; ut annotat Oleaster: hoc malum peccatores, dum peccare volunt, habent; quòd, cùm peccare cupiunt, peccatum attenuant. Justi verò omnes nervos ejus extendunt, & tam grave, ac magnum, faciunt: ut vires eorum omnino excedat, & sic dimittant; nec se posse, aut scire, fatentur. Arcones in Is. 1. 4. Disc. 5. Impotens sibi quodammodo esse videbatur. Nec enim dicebat, nolo sed non possum: fieri enim non posse videtur: ut, qui Deum timet, in illum peccet. Octavian. de Tuffo in Eccl. 1. 27.

Ponderabat (Absolon) *capillos capitis sui pondere publico.* 2. Reg. 14. 26. Idest, æstimabat peccata sua secundùm publicum judicium hominum: qui non attendunt peccati damnum, sed tantùm præsentem peccati delectationem. Dolosum est pondus: deberet enim Deus poni in una lance, & peccati delectatio in alia: & sine dubio præponderaret Deus. Hugo Card. in Gen. 27.

Exenterat hunc piscem. Tob. 6. 5. Peccatum, quod te devorare vult, exentera: cogita, quid voluptati illi, quid honori, quid divitiis, subsit? hoc animæ tuæ oculos curabit. Dicit David: *in circuitu impii ambulant*, idest, externa tantùm peccati spectant; quod intus est, negligunt. Diez conc. 2. in die S. Andr.

Visitans speciem tuam non peccabis. Job 5. 24. Speciem hic, pulchritudinem animæ dixit. Animæ tuæ speciem sæpius introspicias; & ità, custoditus protectione misericordiæ illius, non peccabis. V. Beda hic.

Confige timore tuo carnes meas. Psal. 118. 120. S. Ambrosius legit: confige clavis à timore tuo carnes meas, & addit hic: qui diligit Domini testimonia, configit clavis carnes suas; sciens, quòd vetus homo crucifixus est. Confige ergo te clavis, & destrue fomenta peccati: moriatur in te illecebra omnium delictorum; libertatem vagandi cupiditas non habeat cruci affixa. Nadasi anno Crucif.

Cecidimus, quasi folium, universi; & iniquitates nostræ, quasi ventus, abstulerunt nos. Is. 64. 6. Folium deciduum non curamus levare: ventus non videtur. Oleast. hìc: ventus sunt iniquitates nostræ; neque reputantur, quoniam non videntur, quemadmodum neque ventus sed maximo impetu homines ad inferos impellunt. Novarinus Elect. Sacr. l. 3.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Ducite cautè. Marci 14. 44. Quod impiè dixit proditor, nos piè dicamus. Teneamus Deum nostrum, amoris vinculis constringamus, & ducamus cautè, hoc est, caveamus peccata omnia, nè à nobis recedat. Sylv. c. 3. in Matth. 26.

Cum morte suscepta exemplum dedit hominibus, usque ad mortem resistere adversùm peccatum. Origen. in ep. ad Rom. l. 4. in c. 5.

Quid potest Mundus promittere? quidquid libet, promittat; fortassis crastino morituro promittit. Et qua fronte ad illum,

illum, qui manet in æternum, exiturus es? sed minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam. Quid minatur? carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias? numquid ignem æternum? Exhorresce, quod minatur omnipotens; ama, quod pollicetur omnipotens: & vilescit omnis Mundus, sive promittens, sive terrens. S. Aug. in ep. S. Joan. tr. 3.

Vitium momentaneam habet voluptatem, dolorem verò perpetuum. S. Chrysost. t. 6. hom. de Anna.

Fecit quisquam peccatum, ut aliquam caperet voluptatem: remanet, quod damnat; præterit, quod delectat. S. Cæsarius Arel. hom. 4.

Diabolus nulla præcedentis peccati vindicta superbiens peccavit: ego, visa ejus pœna, non continens ad peccatum properavi. Ille in innocentia constitutus; ego verò restitutus: ille perstitit in malitia, Deo reprobante; ego verò Deo revocante: ille contra non requirentem se; ego verò contra morientem pro me. S. Ansel. l. de casu diaboli.

Terreat te timor Judicii terribilis, metus gehennæ, laqueï mortis, dolores Inferni, ignis urens, vermis mordens, sepulchrum fœtens, flamma tartarea, & tandem omnia mala: ut tandem clames: in æternum non peccabo. Hugo à S. Vict. l. 3. de anima.

Diabolus angelus malus: diabolus homo iniquus: diabolus, angelus iræ conversibilis est; homo diabulus, obstinatus; & cùm homo usque in finem per liberum arbitrium mutabilis maneat, diabolus à Christo non vocaretur; nisi ab ipso in malo proposito immutabilis præsciretur. Joan. 6. 71. *ex vobis unus diabolus est*. Sim. Cass. l. 8. c. 31.

§. XXI.

Peccatorum origo, & radices.

Num. I.

Liberum arbitrium.

Non accedet ad te malum. Psal. 90. 10. Loquitur de malo, quod in nobis est, & extra nos esse non potest. Et tale est malum culpæ, quod nonnisi intrà nos, idest, in libero nostro arbitrio esse potest. Cum additur: *& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, loquitur de malo, quod potest locum habere in rebus nostris, in servis, in domo, in agris, in substantia reliqua: & tale est malum pœnæ. Bellarm. hic.

Quod propriè malum est, ex commissis liberi arbitrii capit exordium. S. Basil. Cæsar. l. 2. hexam.

Num. II.

Oblivio Dei.

Oblivio Dei est radix omnium peccatorum. Bellarminus in Psal. 9.

Idcirco abundat in vita peccatum, adjectionibus semper in majus augescens, & omnibus humanis studiis implicatum: quoniam oblivio Dei tenet omnes, & orationis bonum rebus seriis ab hominibus non simul adhibetur. Sanct. Greg. Nyss. de Orat. orat. 1.

Oblivio Dei conciliatrix peccati est. B. Theodoretus in Ps. 49.

Num. III.

Ignorantia Dei.

Vastata est omnis terra, quia stultus populus meus, me non cognovit. Jer. 4. 20. 22.

Omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. 1. Joan. 3. 6.

Num. IV.

Varia.

Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo: non requiret. Psal. 10. 13. impii, dum sperant se impunè apud Deum habituros, audaciùs contra eumdem peccant. Besseus D. 1. Adv.

Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. Marci 6. 25. S. Basilius Seleuc. or. 18. proferatur ocius, dum fervet computatio. Nè fortè, ut inquit Abul. in c. 14. Matth. q. 29. decocto vino, digestis epulis, & digressis testibus, refrigesceret, & à promissione resiliret Herodes. In suis suggestionibus non vult diabolus pati moras; nè homo consideret gravitatem criminis. Sylv. hic.

Duo sunt, quæ in peccata homines aut alliciunt, aut impellunt: voluptas, aut dolor; voluptas illicit, dolor impellit. Contra voluptates necessaria est continentia; contra dolores patientia. Dulcis est voluptas; sed dulcior Deus: malus est dolor temporalis; sed pejor est ignis æternus. S. Aug. s. 42. de divers.

Hinc peccata omnia; aut cupiendo, aut timendo. S. Aug. in Ps. 38.

Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas, & timor. Proponitur tibi præmium, ut pecces; idest, quod te delectet; facis, propter quod cupis. Sed fortè non induceris donis; terrenis minis; facis, propter quod times. S. August. in Ps. 78.

Hæ sunt causæ peccandi: vinum, mulieres, prospera corporis habitudo, & divitiæ. S. Isaac. l. 1. de cont. Mundi c. 11.

Quatuor sunt, quæ ad delictum hominem impellunt: scilicet lucrum, timor, spes, & amor. S. Thom. Aqu. opusc. 37. cap. 4.

Ad casum impellunt nos. 1. debilitas virium: sicut cadunt pueri, decrepi, infirmi. 2. onus peccatorum. 3. multitudo trahentium. 4. lubricitas viarum. 5. varietas offendiculorum. 6. ignorantia agendorum. 7. exempla cadentium. Id. in 1. Cor. 10. Lect. 3.

§. XXII.

Nos ipsi causa peccati.

Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te. Eccl. 21. 2. S. Chrysostom. hom. 8. in ep. ad Rom. notat si accesseris: non enim, inquit, peccatum ad nos accedit; verùm nos ad illud transfugimus. Cornelius hic.

Ego plantavit te vineam electam, omne semen verum; quomodo ergo conversa es mihi in pravum, vinea aliena; Jer. 2. 21. Plantatio, quidem bona; sed fructus ex voluntate malus. Atque ideò plantator quidem in culpa non est; vinea autem comburetur: quoniam in bonum plantata est, & in malum fructificavit. S. Cyrill. Jeros. Catech. 1.

Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam. Matth. 21. 33. Deus non misericordiæ tantùm, verùm justitiæ quoque suæ, existimationem tuetur: peccator enim ipse sibi suas pœnas procurat. Did. Nyss. f. 6. D. 2. Quad.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Rom. 6. 12. Notat Sanct. Chrysostom. & Theodoretus; non dici, non tyrannizet, quasi invitis vobis, peccatum: quia peccatum in nobis regnare non potest, nisi nobis volentibus, illudque sponte acceptantibus; ac consequenter nobis tyrannizare non potest. Alii non improbabiliter capiunt hic peccatum pro fomite concupiscentiæ. Unde notant S. August. in Psalm. 35. & Greg. l. 14. mor. c. 9. non dicere Apostolum, non sit, non habitet; hoc enim est impossibile: sed non *regnet* in vobis peccatum; ut scilicet ei vos subjiciatis, ejusque desideriis obediatis. Corn. hic.

Excusatio tibi nulla in die Judicii superest, cùm secundùm tuam sententiam judiceris, & quòd feceris, hoc & ipse patiaris. S. Cyprian. l. de or. Dom.

Reprobatio mali, & electio boni, sic animæ rationali infixa sunt divinitus, ut de hac nemo rectè causetur: quia nulli ad harum rerum persecutionem deest scientia, sive potentia: quia, & quod agendum est, scimus, & quod scimus, facere possumus. Id. de Baptismo Christi.

Cùm suadet nobis peccatum, quodammodo exigit à nobis; ut præstemus ei arma nostra, quibus nos occidat. S. Bonav. de reform. mentis p. 1. c. 3.

In nobis est omne, quod peccamus: cogitationes enim, & mentis affectiones, & voluntates, & membra corporis nostri, sunt, in quibus meremur, & demeremur. Id. ib.

§. XXIII.

Peccatorum remedia.

Remedium primum.

Radicem, viam, causam, tolle.

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri.

Ejecitque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim. Gen. 3. 24. Nè scilicet rursum adeat locum, ubi deliquerat. Ib. *ad custodiendam viam ligni vitæ*. Cur non dixit, ad custodiendam etiam viam ligni scientiæ boni, & mali? Ut amputaretur omnino recidendi occasio. Ad paradisum, ubi deliqui, ubi adest lignum vetitum, recurro; non ut comedam ex vetito fructu, sed ut vitali cibo reficiar. Meretricis domum adeo; non ut peream; sed ut eleemosynam inopidem. Peribis miserè: non enim solùm apponenda custodia viæ ligni vetiti, sed & ligni vitalis; si intrà eandem domum existat utrumque. Joan. Clim. de fuga inanis vitæ gr. 3. solent diu sopita vitia reviviscere. Eva, & Adam, à paradiso inviti exulant: rursus enim ad concupiscendum inobedientiæ lignum pertracti fuissent. Escob. tr. 1. mir. Chr. l. 4. sect. 2. obs. 7.

Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis. Gen. 9. 4. In sanguine prohibetur homicidium; nè scilicet, propter delectationem edendi sanguinem, delectemur effusione humani sanguinis. Hugo Card. hic.

Abra-

Abraham, ut à spoliis Sodomorum abstineret, etiam *à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ* abstinebat. Gen. 14. 23.

Eice ancillam hanc, & filium ejus. Gen. 21. 10. Non est satis filium, idest, peccatum, animo pellere; matrem quoque pelle, idest, occasionem, peccati genitricem. Barradius t. 3. l. 2. c. 16. D. 12. Pent.

Si masculus fuerit, interficite eum. Ex. 1. 16. Pharao mares Hebræorum vix natos suffocari curavit. Prævidebat scilicet bellum sibi ineundum non cum infantibus, sed cum tot futuris viris bellicosis. Auth. Incert.

Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus. Ex. 3. 18. Non in Ægypto, non propè, sed longè, Ægypto, sacrificia petit, via trium dierum. E contrà Ægypti rex id agit, ut vel in Ægypto sacrificent, vel non longiùs discedant; vel saltem greges, & supellectilem, in Ægypto relinquant: quarumcumque enim rerum ratione discedat populus, spem habet, iterum redigendi populum in captivitatem. Ex. 10. 24. Sic agit dæmon, ait Orig. hom. 4. in Ex. vult nos esse sibi aliqua parte vicinos; vult nos à suis finibus non longius discedere. Ps. 102. 12. *quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras*. Vide, qua ratione iniquitates Deus repelli velit, cùm pœnitemus. Ortus, & occidens; pro longissima distantia posuit: q. d. nisi longissimè discedas ab iniquitate, iterum in eam recides. Pinna Ethol. 238.

Devoravit virga Aaron virgas eorum. Ex. 7. 12. Cur virgæ illæ præstigiis non iterum instauratæ? nec deprælianæ cum virga Aaron? Rationem dat expresè textus: *devoravit virga &c.* non solùm occidit, vel in frusta dispersit; sed penitus deglutivit, & consumpsit: nihil virgarum remansit. Naxer. in Jos. 11. §. 19.

Cum parvulis nostris pergemus cum ovibus, & armentis non remanebit ex eis ungula. Ex. 10. 9. 26. Abscindat pœnitens non peccata solùm, sed affectus, propensiones, & occasiones ad illa. Mendoza in 1. Reg. Si doles de concubinatu; nec lænam domi tuæ contineas, nec monile, nec calceum, nec annulum ipsius; quæ possint in tuam mentem earum iterum adducere. Stella in Luc. 11. 42.

In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Ex. 12. 15. Fermentati panis usum inhibuit Deus in agni celebritate. Cur à domibus ipsis abesse debuit? Rupertus l. 2. in Ex. 15. nè dum præsens est, eò faciliùs possit quis in prævaricationem labi. S. Cyprianus ep. 62. nemo diu tutus est periculo proximus.

Tunc cecinit Moyses. Ex. 15. 1. Cur non antea? cur non post necem primogenitorum? cur non mox ab egressu? Respondet Nyssenus: quia tunc plena reportata est victoria. Antea plures Ægyptii occisi; sed persequentium plures superstites: jam adeò radicitur omnes sublati; ut nec unus manserit vivus. Naxera in Jos. 10. §. 54.

Qui tetigerit montem, morte morietur. Ex. 19. 12. Montem nè vel solùm tangi, præcipit, & primò pede calcari: sciebat enim; eos, cùm semel montem tetigissent, eumdem & ascensuros: peccandi enim occasiones fugiendæ sunt. Besseus Dom. sexag.

Usque ad pulverem, quem sparsit in aquam. Ex. 32. 22. S. Ambros. hic. Moyses comminuit vituli caput, atque in pulverem redegit: ut omnia impietatis aboleret vestigia.

Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contrivit, usque ad pulverem. Ex. 32. 20. Oleaster: adverte prudentiam, & pietatem Moysis: priùs in idolum, quàm in peccatores sæviit, ut peccati radicem extirparet.

Et sus. Lev. 11. 7. Suilla carne abstinere Deus jussit; ut se à peccatis, atque immunditiis, abstinerent: Est enim lutulentum hoc animal, & immundum; nec unquam cœlum aspicit; sed in terra toto, & ore, & corpore projectum; ventri semper, & pabulo servit, nec ullum alium, dum vivit, præstare potest usum; sicut cętera animantia, avæ vel sedendi vehiculum præbent &c. Interdixit ergo, nè porcina carne uterentur, idest, nè vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur. Item, nè se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus, quæ se ingurgitat cœno, vel nè terrenis serviant simulacris, ac se luto inquinent: luto enim se oblinunt, qui deos, idest, qui lutum, terramque, venerantur. Lactantius l. 4. div. instit.

Mandat Deus Lev. 14. 43. non solùm domum leprosi destrui, sed etiam erui lapides, & pulverem eradi, eumque projici extra civitatem in locum immundum. Quàm studiosè Deus vult vitari omnem occasionem, & periculum peccati; quod omni lepra, & peste faciliùs inficit. Orig. hom. in Jerem. oportet quippè penitus interire malitiam. Pinna Ethol. 238.

Uvas recentes, siccasque, non comedent. Num. 6. 3. Nazaræi etiam acinis abstinere debebant: nè videlicet ab acinis ad uvas, ab uvis ad vinum transirent. Ità Religiosi omnem, etiam minimam, & remotam occasionem gulæ, & peccati, præscindere debent. Corn. hic.

Equos eorum subnervabis, & currus igne combures. Jos. 11. 6. Cur hoc præcipit Deus? cùm usui esse possint Israelitis? Abulens. q. 3. & 4. censet, equorum præcisos nervos; ut omninò ad bella redderentur inutiles: nè, si iterum in Amorrhæorum potestatem venirent, illi, recuperatis equis, bella instaurarent, feliciore forsan successu. Naxera hic.

Quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus, ac pedum. Judic. 1. 6. Abul. q. 7. summitates manuum præcisæ sunt, vel pollices, ne possent arma manu tenere: extremitates verò pedum, seu digitorum; quia illis abscissis nemo potest pedem in terra figere. Naxera in Jos. 11. §. 19.

Ego eduxi Israel de Ægypto, & erui vos de manis Ægyptiorum. 1. Reg. 10. 18. *Eduxi & erui*. Forsitan ab arbore sumpta est metaphora: quæ tunc solùm eruta dicitur, cùm radicitus extirpatur: Ut ergo perfectam suam Deus de Ægyptiis adornaret victoriam; non tantùm eductos testatur, sed erutos: nè vel aliquas in vitio deinceps radices agant. S. Bern. s. 2. de assumpt. an aliud est, quàm fictio execranda, si peccata superficietenus radas, non intrinsecus eradices? Certus esto, quoniam pullulabit ulteriùs, & emundatam, sed vacantem domum cum nequioribus septem, qui ejectus fuerat hostis malignus intrabit. Naxera in Jos. 11. §. 24.

Percute Amalec, & demolire universa ejus. 1. Reg. 15. 3. Non enim sufficit demoliri peccatum; nisi & omnis ejus circumstantia, & adjacentia, & occasio destruatur. Unde, si amasti aliquam, non debes postea commorari, vel colloqui illi, etiam de bonis, propter recidivam. Hugo Cardinal. in Gen. 19.

Halitus ejus prunas ardere facit. Job 41. 12. Quamdiu nulla sub carbonibus glisci scintilla; licèt omnes sufflent dæmones, ignem tamen non concipient, quousque occasio ignem excitet. Juglar. conc. 4. hor. Quadr.

Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram Ps. 136. 9. Non parvuli vapulant, sed ad petram alliduntur. Orig. hom. 15. in Jos. 10. 37. loco illius: *non reliquit in ea ullus reliquias*, legit: *non remansit ex eis respirans*. Ità agendum est discipulo JESU, ut nihil omnino vitiorum in corde ejus respiret: nè fortè, si parvi alicujus vitii, aut consuetudo, aut cogitatio, relinquatur in corde; processu temporis convalescit, & paulatim vires latitando exquirat, atque ad ultimum revocet nos ad vomitum nostrum: *& fiant novissima hominis illius*, cui hæc acciderit, *pejora prioribus*. Luc. 11. 26. Hoc erat, quod & Propheta prospiciens in psalmis præmonet dicens: *beatus qui tenebit &c.* Babylon scilicet parvulos, qui nulli alii intelliguntur, nisi cogitationes malæ; quæ cor nostrum confundunt, & conturbant. Quæ cogitationes, dum adhuc parvulæ sunt, & initia habent, tenendæ sunt, & allidendæ ad petram, quæ est Christus, & ipso jubente, jugulandæ, ut nihil in nobis residęat, quod respiret. Naxera in Jos. 11. §. 24.

A scintilla una augetur ignis. Eccl. 11. 34. S. Chrysol. s. 116. vocat malas occasiones, fumantes occasiones. Post extinctum in domo, quæ conflagrabat, ignem, si trabes etiamnum fumant; non satis credis omnem prorsus extinctum ignem. Sic, quorum animæ igne culpæ arserunt; extinxerunt illud incendium aqua pœnitentiæ, relicta domi occasione. Fuitne hic bene extinctus ignis? non sanè. Nonne vides densum ab occasione assurgere fumum? Illa sopitos iterum suscitabit ignes. Did. Nyss. f. 2. D. 4. Quad. §. 3.

Ex Novo.

Jam securis ad radicem arborum posita est. Matth. 3. 10. Non solùm frondes arborum detondendæ, sed radices exscecandæ. Inc. Auth.

Colligite primùm Zizania. Matth. 13. 30. Priusquam colligatur triticum, evellantur Zizania; idest, antequam quis virtuti incumbat, pericula vitet. Nota item: *ad comburendum*: Non satis Zizania evellere, & à tritico separare; sed exurenda, nè remaneat, quod iterum sata potest lædere, & inimicus homo superseminare tritico. Orig. hom. in Jer. eradicatum est quippiam; invenit etiam adversarius interea, quæ eradicata sunt, aliquam sementem, quam iterum seminet. Propter hoc jubet Dominus: *colligite, & comburite*: scilicet ut eradicatio quoque, & ipsa subversio consumatur. Pinna Ethol. 238.

Serpentes collone. Marci 16. 18. Non dicit, morsus serpentum: Origo enim mali eradicanda. Paulus Act. 28. 5. non solùm manum servavit incolumem à morsu viperæ, sed etiam viperam, morsus causam, in ignem excussit. Sylv. hic.

Erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11. 14. Cur non dicitur, quòd Christus sanaverit mutum! sed quòd ejecerit dæmonium mutum? quia dæmonium erat in causa, quòd esset mutus. Et Christus D. ut bonus medicus, radicem pellit. Sylveira hic q. 5.

Testimonia ex Veteri, & Novo.

Cur fœminas reservastis? nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel? Num. 31. 15. 16. q. d. licèt aliis fœminis ob naturæ imbecillitatem parcendum; in has tamen, quia peccandi occasionem præbuerunt, priùs animadvertere oportebat. Mendoza in 1. Reg. 5. 11. sect. 2.

Porrò Judith universa bellica obtulit in anathema oblivionis. Judith. 16. 13. De spoliis Holofernis nihil voluit acceptare. Chrysost. reliquit omnia vestimenta, nè succumberet. Quid? nè succumberet? illa bellicosa virago? quæ Holofernis potentiam non timuit, metuet spolia? voluit hæc sanctæ vidua significare: quis scit, an non ad conspectum horum spoliorum mentem invadet vana gloria; dum heroica gesta considero: possent mihi esse occasio incurrendi in sublimem æstimationem de meipsa. Apage ergo; abeant ex oculis meis: nolo ea videre, nec retinere. Paoletti D. 18. Pent.

Viam iniquitatis amove à me. Psal. 118. 29. Cur non rogat, ut ipsam iniquitatem ab ipso removeat? prudenter: via, quæ ducit ad iniquitatem, occasio est, immunis ab hac, certè securus erit à peccato. Id. ib.

Quia irascitur fratri suo, reus erit judicio. Matth. 5. 22. Non irasci, absolutio est, & supplementum; per quod præceptum, *non occides*, custodiri queat. Qui enim in iracundiam non efferitur; quanto longiùs ab homicidio abstinebit: radix quippè homicidii iracundia est. Qui igitur radicem abscindit, multò faciliùs ramos ejus poterit amputare: immò nè germinare quidem eos patietur. S. Chrysost. hom. 19. in Matth.

Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te. Matth. 5. 30. Non loquitur de manibus, & oculis, materialibus; sed iis, quæ sunt occasioni, scandalo, offendiculo, in via virtutis. Euthymius: non dixit, percute, sed amputa, manifestans omnimodam separationem. Dicens quoque amputa, non ibi permisit, sed ulteriùs sermonem extendit, addens, *& projice abs te*; nè in proximo remanens fiat rursus familiaris. Did. Nyss. Phœn. Græc. l. 1. c. 13.

Vide Occasio, Tentatio.

Remedium secundum.

Judicii memoria.

Dixi iniqui: nolite iniquè agere-quoniam Deus Judex est. Ps. 75. 58. *Ero immaculatus coram eo & observabo me ab iniquitate mea. Quo modo? quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo*. Ps. 17. 24. Quando fortè ad aliquid peccatum videris te paratum; illud horribile mandatum, & Christi judicium cogita: in quo Judex in alto sedens tribunali circumfusos undique populos coram habebit. S. Basil. in Ps. 33.

Alia remedia.

Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum vivet. Num. 21. 8. Oleast. hic, expendens, cur à serpentibus, ictì serpentem æneum aspicere debeant, ait: ut serpens, qui antea mordens occiderat: conspectus vivificaret. Quantumcumque à serpentibus sis morsus; si postmodum ea quadam animi pœnitudine consideres; facillimè sanaberis. Novarinus Elect. Sacr. l. 3.

Nulla res sic nos ab omni peccato servat immunes, sicut timor supplicii, & amor Dei. Sanct. Chrysost. l. 8. c. 10. de virt. & aliis.

Ira vincitur lenitate, mansuetudine extinguitur furor, crudelitas pietate prosternitur, impatientia patientia punitur, superbiam humilitas sternit. S. Chrysol. s. 38.

Vide amor Dei, Judicium. Memoria Dei.

§. XXIV.

Promptitudo, celeritas humana ad malum.

Ex Veteri.

Consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum. Gen. 4. 8. Cain cædem facit, cùm nondum didicerit. S. Basil. Seleuc. or. 4. laboriosus auditor inquirat, à quo Cainus cædem facere sit edoctus? unde sciverit, plagam mortem inferre? hominem mortuum, conspexerat nullum: nullius cædis audaciam suam antegressæ spectaculum, quod ad imitandum invitaret, hausit. Cædis igitur evasit, perpetratur, qui nondum fuerat inspector. Quisque vitia sine doctore novit. Naxera in Jos. 9. §. 18.

Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel. Gen. 4. 25. dixit Adam genito Seth. Natus est autem Adæ hic restaurator perditi Abelis post 130. annos Gen. 4. 17. Filii Cain flagitiosi in tantum subitò excrevere numerum; ut necesse fueris, illis construere civitatem, in qua habitarent. Quantùm Zizania crescunt? Et Seth, quàm tardat venire! quàm facilè nascuntur mala; quàm difficilè adveniunt bona! Did. Nyss. s. de fili Christi. §. 5.

Recesserunt citò de via. Ex. 32. 8.

Formavit opere fusorio, & fecit vitulum conflatilem. Exod. 32. 4. Aaron non didicit ab exemplari fabricare vitulum; sed ipse exemplar ingenio molitus est; sine magistro idololatriæ artifex. Nax. in Jos. 9 §. 18.

Cucurrit adversus Deum erecto collo. Job 15. 26. Hieron. abruptam, & præcipientem superbi indicat mentem; qui contra Deum insanus audacia, non lentis gressibus processit. Apud Vellos. in Judith. 7. 1.

Si videbas furem; currebas cum eo. Psalm. 49. 18.

Ecce constitui te hodiè super gentes, & super regna; ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Jer. 1. 9. 10. Nota: pluribus verbis usus est Dominus in iis, quæ pertinent ad destructionem, quàm ad ædificationem. Ex quo disce: duplo majore labore dejici rem malam, quàm excitari bonam. Did. Nyss. D. Pasch. §. 3.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Dico huic vade, & vadit. Matth. 8. 9. B. Theodorus studia Catech. 26. ait, peccatum posse commodius uti tali sermone ad obsequentes sibi; nam ad eumdem modum inquit, ac multò potentiùs jubet sub se subjecto peccatum: loquere fœda, & loquitur: nefaria designa, & designat.

Vox ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Joan. 8. 44. Cajetanus hic: in quo ostendit; eos esse obsequentissimos filios diaboli; utpote qui non expectant præcepta patris, sed spontanei sunt ad implendum desideria patris.

Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Joan. 19. 28. 29. Ut Christo fel, & acetum, propines; omnia semper in promptu reperies. Did. Nyss. D. 2 Quad. §. 2.

Facilè, & pronum est, esse malum: & hoc sine magistro, sine exemplo, doctrina, statim à pubescentibus annis imbuimur, & docemur. S. Cyprianus in præfat. lib. de cardinalibus operib. Christi.

Infirma ad bonum est humana natura, posteaquam semel per vitiositatem enervata est: non enim ità facilè à malo rursus ad bonum homo convertitur, ut à bono ad malum accessit. S. Greg. Nyss. or. 4. in or. Dom.

Nihil minoris negotii, difficultatisque est, quàm malum fieri; etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat. S. Greg. Naz. in apolog.

Properanti ad nefas tarda sunt cuncta; festinanti ad facinus videntur remorari disposita. S. Chrys. de Absalon.

Magna est cœcitas nostra, magna socordia: non reperitur apud nos compunctio; sed tota mens nostra conversa est ad voluptates. Et sæpè fit, ut in theatris, & reliquis diaboli operibus, occupati non defatigemur: at in Ecclesia Dei nè unam quidem horam adstare volumus. Et si de divino Evangelio longior instituatur recitatio; & si Sacerdos preces paulò diutius protrahat, tristitia afficimur. Et, si is, qui incruentum sacrificium offert, paululum cunctetur; fastidimus, & oscitamus: utque ad vanas actiones, voluptatesque, nos recipiamus, à diabolo impellimur. Anastas. Sinait. or. de sacra synaxi.

Hæ communiter assignantur causæ, quare homo pronior sit ad malum, quàm ad bonum. *Prima* causa est: quia ut dicitur Sapiens 9. 15. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*. *Secunda*: quia naturaliter facilius est descendere, quàm ascendere. *Tertia*: quia communiter ea, quæ nos ad malum incitant, & inducunt, præsentia sunt; finis verò, & prœmium virtutis nobis absens est. *Quarta*: quia continuò ad nostrum principium, idest, ad nihil tendimus. Gerson compendio Theologiæ.

Levis, & unica causa satis ad valetudinem lædendam: ad reparandam opus magno artificio, medico, pharmacis, & curatore. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 1. l. 2. c. 4. ad peccandum facilè magisterium.

§. XXV.

Peccata quæ reliquis graviora.

Num. I.

Contra Religionem, & Deum immediatè.

Dissimulavit DEUS rebellionem Hebræorum de Moyse lapidando cogitantium, juxta ejus querelam. Ex. 17. 4.

Adhuc paululum; & lapidabit me. At verò Bethsamitas, oculos in arcam irreligiosus elevantes, tam acriter punivit; ut *septuagintà viros de populo, & quinquaginta millia plebis* interfecerit. 1. Reg. 6. 19. Quasi gravius peccatum DEO videretur, oculos erigere in ipsum Deum sine debita religione; quàm lapides jacere in hominem cum magna crudelitate. Mendoza in 1. Reg. 2. Peccatum contram Religionem gravissimum.

Sedecias, qui Prophetæ Michæ alapam impegit. 3 Reg. 22. 24. vivus superfuit: at verò Oza, qui extensa manu arcam tenuit, nè de plaustro laberetur, percussus à Deo est *super temeritate sua, qui mortuus est ibi juxta arcam DEI*. 2. Reg. 6. 7.

Præter David, & Ezechiam, & Josias, omnes peccatum, commiserunt. Eccl. 49. 5. Quo jure dicet aliquis, saltem David & Ezechias, à peccantium numero excludunter? Si ille adulterando. 2. Reg. 11. 4. hìc autem superbiendo. 4. Reg. 20. 14. gravissimè peccarunt? Literalis responsio est, ut Lyranus, Hugo, Dionysius, Jans. &c. observant; quia licèt hi reges aliàs peccaverint; numquam tamen peccatum contra Religionem commiserunt. Acsi hoc solùm peccatum sit; ut per antonomasiam peccatum dicatur. Id. ib.

Duo

Duo illi conservi regis peccaverunt; unus contra ipsum regem, alter contra suum conservum. Matth. 18. 24. Peccatum prioris comparatur debito decem millium talentorum; quæ est immensa quædam pecuniarum summa, sexaginta auri milliones, ut dicitur communiter. Peccatum verò posterioris comparatur debito centum denariorum. v. 28. decem tantùm aureos includens. Unde hæc diversitas peccatorum? S. Chrysost. hom. 62. in Matth. quantùm centum denarii à decem millibus talentis distant: tantùm, imò verò multò plus, ea, quæ in hominem peccata, distans ab his, quæ in Deum committuntur. Id. ib.

Num. II.

Peccata altioris Status.

Peccatum viri cum Madianitide. Num. 25. 6. DEUS ægerrimè tulit. 1. quia totus populus illud ubertim deflevit. 2. in ejus vindictam *occisi viginti quatuor millia hominum*. v. 9. 3. Phinees utrumque sceleris complicem confodit, & ob id à Deo laudatur. Cur hæc tam gravis offensa? Erat uterque peccati reus nobilissimis ortus parentibus. Vir, Israelita, dux de cognitione, & tribu Simeonis: Mulier Madianita, filia principis Madianitarum. Mendoza in 1. Reg. 1. Principum, & nobilium, peccata graviùs puniuntur.

Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni, & Phinees, Sacerdotes Domini. 1. Reg. 1. 3. Triplex filiorum Heli commendatio premittitur: à loco, quia erant in templo: à genere, quia erant Filii Heli summi Pontificis: à dignitate, quia erant, & ipsi Sacerdotes Domini. Sed quorsum hæc commendatio; nisi ut ignominiosior eorum vituperatio. Mendoza hìc annotat. 6. sect. 3.

Filii hominum! usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem? & quæritis mendacium? Psalm. 4. 3. Sept. *usquequò inclyti mei ignominiosè diligitis vanitatem?* Chald. *usquequò honor meus ad vituperium?* Aquila, & Symmachus: *usquequò gloriosi mei, seu gloria mea?* Vatablus: *usquequò potentes, ac principes;* Quò magis extollitur dignitas, magis exaggeratur iniquitas. Id. ib.

Tu signaculum similitudinis peccasti, & ejecito de monte Dei. Ezech. 28. 12. &c. Præcedunt laudes, ut culpa gravior habeatur. Id. ib.

Quantò gradus altior, tantò casus deterior. Hinc est enim, quòd multò difficiliùs renovatur, ad vitam, ad unius criminis lapsum quilibet Christianus, quàm qualiscumque. Infidelis quotliber criminibus obnoxius. Rich. à S. Vict. l. de verb. incarnato c. 12.

Num. III.

Peccatum pejus in opere, & tempore sancto.

Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oves, puerosque consumpsit. Job 1. 16. Ex ovibus fiebant victimæ, & sacrificia. Ut ergo summam à DEO derelictionem confingeret; ipsas oves ait, idest, victimas, quibus placari debuerat DEUS, factas esse materiam divinæ iræ. Baezat. 3. l. 14. c. 17. §. 28.

Iniqui sunt cœcus vestri-solemnitates vestras odivit anima mea. Is. 1. 13. 14.

Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata ejus. Thr. 1. 7.

Maledicam benedictionibus vestris. Malach. 2. 2.

Væ qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum. Matth. 23. 29. Religiosum hoc per se opus est; sed in ipsa ædificatione peccabant, quod indicat comminatio. *væ*.

Pœnitentia ductus. Matth. 27. 3. S. Leo s. 5. de Pass. tam perversa impii conversio fuit, ut etiam pœnitendo peccaret.

Quousque animam nostram tollis &c. Joan. 10. 24. Christo novas fraudes, & insidias, moliuntur, eò potissimum tempore quo divinis officiis magis intenti esse debebant; scilicet die encœniorum. S. Cyrill. Alex. l. 7. in Joan. c. 9.

Nescis, quàm grave sit, in oratione contrahere peccatum, ubi speras remedium? certè Dominus per Prophetam docuit, hoc grave esse maledictum, dicens, *& oratio ejus fiat in peccatum*. Ps. 108. 7. S. Ambr. l. 1. de Abel, & Cain.

Num. IV.

Peccatum ex majori scientia.

Ab altitudine diei timebo. Psal. 55. 4. idest, à profunditate scientiæ: quia, sicut dicit Gregorius, ubi majus est donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ. Hugo Cardin. hìc.

Quò quisque meliùs sapit, eò deterius delinquit. V. Beda in Marci 9.

§. XXVI.

Peccata Capitalia.

Num. I.

Symbola.

Septem peccata capitalia sunt *septem Gentes*, quæ terram promissionis occupaverunt. Deut. 7. 1. Bonav. de reform. mentis p. 1. c. 30.

Septem dæmonia in Marco 16. 9. de Maria Magdalena per Christum ejecta. Id. ib.

Septem criminalia, quæ septem nominibus dæmonum repertis in sacra Scriptura conveniunt, quæ sunt Diabolus, Behemoth, Leviathan, Asmodæus, Sathanas, Exterminator, Dæmon, Hugo Card. in Luc. 8.

Septem capitalia vitia sunt *septem capita Draconis*, de quo Apoc. 12. 3. S. Bonav. cit.

Septem simulacra adorabant Gentiles, ad honorem septem planetarum, quæ significant septem vitia, quæ adorant in Mundo falsi Christiani. Primum erat simulacrum Saturni, & significat invidiam: quia dicitur esse malevolus, quia frigidus. Sic Mundus in charitate. Matth. 24. 12. *refrigescet charitas multorum*. Secundum simulacrum Jovis, qui significat Gulam: qui patrem de regno repulit; sic Gula Adam: quia planeta humilis. Tertium Martis, Iram: quia DEUS bellorum; igneus. Quartum Solis, superbiam: quia solus lucet. Luc. 18. 11. *non sum sicut cæteri*; obscurat alia lumina. Quintum Veneris, Luxuriam: quia calidus, & humidus planeta: quia pulcherrimus: pulchritudo causa luxuriæ, Sextum, Mercurii, avaritiam: quia Deus mercatorum, & avaritia maximè in mercatoribus exercetur. Prov. 26. 8. *qui mittit lapidem in acervum Mercurii*; Quia sic turbatur computatio. Est frigidus: Avarus friget per carentiam fraternæ charitatis. Septimum Lunæ, Acediam, propter mutabilitates, propter pigritiæ frigiditatem. S. Thom. Aq. D. 10. Pent. ex Epistola.

Vitia capitalia assimilantur septem planetis. Primò in sole præ cæteris gloriosiùs incedente superbia, quæ semper appetit gloriosa. Ps. 120. 6. *per diem*, scilicet prosperitatis, Sol scilicet superbiæ, *non erat te*. Secundò in Mercurio, qui est colore argenteus, & semper juxta Solem incedit, accipe Avaritiam; quæ argentum quærit, & propè superbiam est. Tertiò in Luna inspissante aerem, Acediam. Quartò in Marte sanguinem circa cor accendente, Iram, quæ est accensio sanguinis circa cor, ut ait Aristoteles. Quintò in Jove, qui prodest, cùm sit benevolus, Gulam, quæ de se necessaria est omnibus ratione vitæ: nec ulli inventur obesse; si eam sciverit debitè cohibere. Sextò in Venere, quæ ad Luxuriam disponit, vitium carnis. Septimò, in Saturno, qui est colore plumbeo, sive livido, Invidiam. Geminiani l 1. c. 89.

Hora septima reliquit eum febris. Joan. 4. 52. Peccatores laborant septem febribus. Prima est Continua, quæ est Luxuria. Os. 4. 10. *fornicati sunt, & non cessaverunt*. Secunda quotidiana, idest, Gula; in qua peccatur quotidie. Is. 22. 13. *comedamus, & bibamus &c.* Tertia Tertiana, quæ significat Iracundiam ex accessione caloris. Quarta Quartana, quæ significat acediam, quæ provenit ex melancholia. Quinta Ethica, quæ est Avaritia, quæ difficilè ut curetur. Hieron. cùm cætera vitia senescant in homine, sola avaritia juvenescit. Sexta Ephemera, quæ est superbia, quia citò deficit. Job 24. 24. *elevati sunt ad modicum, & non subsistent*. Septima Putrida, quæ est Invidia. Prov. 14. 30. *putredo ossium invidia*. S. Thom. Aqu. D. 21. Pent.

Superbia comparatur leoni, Invidia cani, Ira lupo, Acedia asino, Gula urso, Luxuria porco, Avaritia ericio. Gers. de 7. vitiis Capit.

Num. II.

Opposita peccatis Capitalibus.

1. *Septem virtutes.*

Dicitur 3. Reg. 9. 15. quòd septem munitiones ædificavit Salomon. Prima fuit *Maggedo*, quod interpretatur *fructus cœnæ*, & significat *Jejunium*, sive parcitatem in cibis: parca enim cœna valdè fructuosa est contra vitium gulæ, & exercitium ejus. Secundum præsidium *est Mello*, quod interpretatur *plenitudo*, sive *adimpletio*. Hæc est *Eleemosyna*: & est contra avaritiam, & exercitium ejus. Tertium est *Gazer*, quod interpretatur *robuste consurgens*, vel *fortiter vigilans*. Hæc est strenua operum multiplicatio, & est contra acediam. Quartum est *Bethoron*, quod interpretatur *domus iræ*, vel *domus Magistri*: & significat disciplinam: & est contra luxuriam, & exercitum ejus. Quintum est *Palmira*, sive *Emath*, quod idem est, & interpretatur *formidans eos*: & significat pavorem de propriis operibus, & est contra superbiam, & inanem gloriam. Prov. 28. 14. *beatus homo, qui semper est pavidus*. Job 9. 28. *verebar omnia opera mea*. Sextum præsidium est *Baalath*, quod interpretatur *lugens eos*: & significat miseri-

cor-

cordiam, & compassionem, de damnis proximorum, & est contra invidiam, quæ ridet de damnis proximi. Septimum est *Eyer*; quod interpretatur *fortitudo*; & significat Patientiam, vel Mansuetudinem; quæ omnia fortiter vincit: & est specialiter contra Iram, & exercitum ejus. Prov. 16. 32. *melior est patiens viro forti*. Hugo Card. in Jan. 4. 6.

2. Vita, & Passio Christi.

Christus ab Incarnatione, usque ad ascensionem, omnia opera fecit, ad expellenda vitia. Primum Incarnatio, ad expellendam superbiam. Secundum Nativitas, quando de utero virginali voluit nasci, ad expellendam Luxuriam. Tertium conversatio in summa paupertate; ad expellendam avaritiam. Quartum magnis amoris, laborando pro nobis, prædicando, ut procuraret nostram salutem; contra Invidiam. Quintum jejunium, contra Gulam. Sextum Passio, orando pro crucifixoribus; contra iram, & vindictam. Septimum Resurrectio contra Acediam: quia multi mortui sunt per peccata, qui nolunt resurgere per pœnitentiam. S. Vinc. Ferr. s. 3. D. 3. post oct. Pasch.

In Cruce fecit septem opera; & in quolibet opere dedit nobis exemplum, & instructionem, vitandi unum peccatum mortale. *Primum* denudatio contra avaritiam. Antequam ponas te in lecto per infirmitatem, denuda te, ut Christus, satisfaciendo, & restituendo. *Secundum* conclavatio. Quæstio: quare voluit tot dolores sustinere? Resp. quòd hoc fecit; ut daret nobis exemplum vitandi peccatum luxuriæ. *Tertium* propitiatio: *Pater ignosce illis!* ad dandum exemplum vitandi peccatum iræ, sive vindictæ. *Quartum* coronatio, contra peccatum superbiæ. Is. 28. 1. *væ coronæ superbiæ*. *Quintum* potatio, contra Gulam. *Sextum* spiritualis occupatio, contra peccatum acediæ. *Septimum* lanceatio contra peccatum Invidiæ. Id. s. 1. 3. D. 1. post oct. Pasch.

Vitia Capitalia devota, ac frequenta, Passionis Christi meditatione curantur. Nam Capitis in Cruce humillima inclinatio curat superbiam: Sacri lateris apertio invidiam: Oratio pro inimicis iram, portatio crucis Acediam: traditio sui Spiritus, Patri, sui corporis cruci, suæ Matris Discipulo, & vestium crucifixoribus, Avaritiam potatio aceti, & fellis, gulam: flagellatio Luxuriam. Gerson. de 7. vitiis Capit.

3. Dona Spiritus S.

A fame Gulæ liberat Dominus per donum intellectus: à bello Luxuriæ per donum sapientiæ: à flagello Iræ per donum Consilii: à calamitate tristitiæ per donum Fortitudinis: à vastitate Avaritiæ per donum Pietatis: à fame superbiæ per donum Timoris: à bestia invidiæ per donum scientiæ. Hugo Card. in Job 5. 19. Officium Donorum Spiritus S. est, dissipare omnes vitiorum obliquitates. Primò enim Timor propulsat reliquias superbiæ: Pietas reliquia Invidiæ: scientia reliquias Iræ: ira enim quasi quædam insanis est. Eccles. 7. 10. *Ira in sinu stulti requiescit*: Fortitudo reliquias Acediæ: Consilium avaritiæ: disponit enim Consilium ad Spiritus paupertatem. Matth. 19. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende &c.* Intellectus reliquias Gulæ, quæ mentem brutalem facit: Sapientia reliquias Luxuriæ: quia gustato spiritu desipit omnis caro. S. Bernardinus t. 3. s. in die Pent.

Septem vitia capitalia sunt septem Donis opposita: opponitur enim sapientiæ Luxuria, Intellectui Gula, Consilio avaritia, Fortitudini Acedia, scientiæ Ira, pietati invidia, Timori superbia. S. Bonav. in Luc. 12. 9.

Timor, quia per quis se deprimit, nè super alium se extollat, excludit superbiam; quæ super alios se extollit. Pietas, quæ sibi illatas remittit injurias; expellit Iram; quæ vindicare quærit. Scientia, quæ mentem illuminat, evacuat Invidiam; quæ mortem excœcat. Fortitudo, quæ excellit in arduis, pellit Acediam, quæ torpet in imis. Consilium, quod docet pro transitoriis æterna mercari, removet Avaritiam, quæ in terrenis, & pro terrenis, tantùm quærit negotiari. Intellectus, quo verè delectamur in rebus spiritualibus, exscindit Gulam; quæ vanè, & miserè, delectatur in carnalibus. Sapientia, per quam purè delectamur in Deo, extirpat Luxuriam. Gers. de 7. Don. Spir. S.

4. Oratio Dominica.

In prima petitione cohibetur superbia: superbi enim non sanctificant nomen Dei, sed nomen suum proprium. In secunda eliditur invidia, quæ est dolor alieni boni: unde non desiderat, ut proximo adveniat bonum, sed potiùs malum: & è contrario in ista petitione petitur commune omnium bonum. In tertia resecatur ira; quæ voluntatem Dei non sequitur, sed proprium impetum. In quarta expellitur Acedia: ibi enim petitur robur tam spirituale, quàm corporale; quod confertur in pane corporali, & spirituali. In quinta eliditur avaritia; quæ est immoderatus amor congregandi, & retinendi, temporalia: unde & debita semper exigit, nec dimittit. In sexta extirpatur Gula, ex qua ortum habuit primaria hominis tentatio: cùm ibi petatur amotio tentationis futuræ. In ultima resecatur Luxuria; quæ specialiter semper secum habet malum tam corporis, quòd ipsa debilitat, quàm spiritus, cujus vires enervat. Gerson 2. p. tr. de or. Dom.

Prima petitio est contra peccatum blasphemiæ: multi enim non sanctificant, sed blasphemant nomen Dei benedictum. Rex Franciæ S. Ludov. fecit in regno suo ordinationem, ut blasphemus signaretur in lingua, vel fronte; ferro calido. Parisiis Magnus Burgensis blasphemavit; captus, signatus, necquicquam amicis pecuniam ingentem spondentibus. Et dixit rex; velle portare signum illud, ut hæc mala consuetudo tolleretur de regno meo. Secunda petitio contra avaritiam: quia avarus terram, non regnum cœlorum respicit. Tertia contra superbiam, omnes Christiani dicunt, *Domine, Domine*. Matth. 7. 21. corde credendo, & ore loquendo; sed non faciunt opere, obediendo; ideò oportet dicere ter *Domine*; & sic per obedientiam habebimus regnum cœlorum. Quarta contra Gulam. Quinta contra peccatum Iræ. Sexta & septima contra Acediam: quia otiosi semper tentantur. S. Vinc. Ferr. s. 2. Dom. 4. post oct. Pasch.

Num. III.

Miscellanea de peccatis Capitalibus.

Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & de sulphure. Apoc. 9. 18. idest; de igne avaritiæ, fumo superbiæ, sulphure idest, fœtore luxuriæ. Subdit. v. 19. quòd *potestas equorum in ore eorum est*; scilicet principum præcipientium, aut suadentium: sive exemplis post se trahendo. Et ideo subdit: *& in caudis eorum*, idest exemplis. Gemin. l. 7. c. 6. Tria sunt principalia peccata, Dei, & proximi, charitatem extinguentia: quibus totus Mundus infectus est: scilicet superbia, qua offenditur Deus per animam; luxuria, qua offenditur Deus per corpus, & avaritia, qua offenditur Deus per substantiam temporalem. S. Bernardinus t. 2. s. 18.

Per superbiam cor inflatur, per invidiam arescit, per iram crepat, per tristitiam conteritur, & quasi in pulverem redigitur; per avaritiam dispergitur, per gulam inficitur, & quasi humectatur, per luxuriam conculcatur, & in lutum redigitur. Hugo à S. Vict. de quinque Septenis.

§. XXVII.

Peccatum veniale.

Num. I.

Victor majorum sæpè à parvis vincitur.

De *ligno scientiæ boni, & mali nè comedas*. Gen. 2. 17. Basilius, & Nyssenus: sciendum; mandatum, quod obedientiam hominis probaret, datum fuisse. Verùm si Deus Adami experiri vult obedientiam; cur non rem majoris momenti precipit? parum in pomi contemptu obedientia laborat; quando paradisi deliciis exundat. Si voluisset reliquas omnes, una tantùm concessa, alacris obsequii agnosceretur devotio; at, tot pomiferis concessis arboribus, una abstinere, nec cultus obsequium, neque obedientiæ videtur studium. Minima præcipit, ut obedientiæ virtutem examinet: nam vel indevoti est, magis obtemperare præceptis, est perfecti, parere & minimis. Naxera in Jos. 8. §. 4.

Digitus Dei est hic. Ex. 8. 19. Manui adversantur, & succumbunt digito. Scyniphes educere incantamentis non possunt, qui virgas dracones fecerant apparere. Theodoretus digitum Dei dixit, non manum; huic tamen digito succubuerunt non manui. Lethali non infici, justorum est; ast non apicem Legis præterire, perfectorum. Id. ib.

Tolle secum omnem multitudinem pugnatorum, & consurgens ascende in oppidum Hai. Jos. 8. 1. Cur omnem secum multitudinem tollit, non muratam, nec copiosam urbem; sed oppidum invasurus? fors quia oppidum: sæpè enim exiliora, & minora, majorem virtutem, & fortitudinem exigunt. Id. ib.

Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum, contriti sunt, inquit Eliphaz. Job 4. 10. Sed quid mirum? catulorum fractos dentes; quando discerptos leones, & leænas, præmisit? stylum invertat, & à catulorum deptibus inchoet, ut exaggeratio debitis gradibus ad summum ascendat. Leones vincere, virtutis elogium est; sed nonnumquam, qui leonem, & leænam, in frustra laceravit, catulorum sustinuit morsus. Id. ib.

Num. II.

Peccata venialia vitandi motiva.

Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis. Psal. 67. 22. Reseravit nobis, inquit, mortis januas, cùm capita inimicorum confregisset, qui inquirunt hominum peccata; quique nè capillum quidem capitis inexploratum relinquunt. Dicit autem per capillum minimum peccatum. B. Theodoretus hic.

Attendite à falsis prophetis. Matth. 7. 15. S. Maximus ità intelligit: docuit Dominus supra v. 14. viam cœli esse arctam, & angustam: nunc subdit cavete *à falsis propheris*; qui dicunt, viam cœli esse latam, & laxam, & extenuant peccatum; veniam facilem promittunt; & vos in tartara ducunt. Sylveira hic c. 19.

Pueri parvi magna non desiderant, vilia solent admirari 3. currus, equos, aurigas, rotas luto factas. Tales nonnulli nunc viri reperiuntur: nulla his cœlestium cura; sed ad lutum tamquam pueri, obstupescunt: & terrenis divitiis blandiuntur; & gloriam, & voluptates, hujus sæculi magni pendunt; quæ ità puerilia sunt, ut illa, Sanct. Chrysost. hom. 8. in Joan. 17.

Res nullius momenti sæpe magnorum malorum causa efficitur: & ex parva negligentia, ingentia, atque incurabilia, fiunt vulnera. S. Ephrem de perfect. Monachi.

Quibus peccatis (venialibus) licèt occidi animam non credamus; tamen ità eam, velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentem, deformem faciunt; ut eam ad amplexus illius cœlestis sponsi, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. B. Cæsarius Arel. hom. de Verb. Ap. 1. Cor. 3. *cujus opus &c.*

Si necesse esset, aut totum Mundum, & quidquid Deus non est, perire, & in nihilum redigi; etsi plures essent Mundi; vel infinito numero multiplicarentur; aut te facere rem parvam contra voluntatem Dei: cùm intueor, quòd sit contra voluntatem Dei; gravissimum quiddam, & nullo damno comparabile, intelligo. Sanct. Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 21.

Sicut mors separat animam à corpore; sic, qui verè diligit, recedit ab omni eo, quod possit displicere dilecto. Magdalena ergo, quæ multùm Dominum amavit, omnes carnis delicias dereliquit; & quidquid scire potuit, esse contrarium Christo. S. Bonav. s. 2. in festo S. Magd.

Stultum esse nullatenus ambigatur; nec dubitetur; transisse in reprobum sensum, qui quod Deum offendit, leve dixerit peccatum. Penitus nè leve dixeris, quod in divinam transit offensam. Non enim est leve, pro quo dimittendo quotidie oportet orare. Sim. Cass. l. 8. c. 43.

Num. III.

Peccata venialia punita à Deo, & Angelis.

Eris tacens, & non poteris loqui. Luc. 1. 20. Non reliquit peccatum veniale Zachariæ impunitum: & putas, quòd tua mortalia manebunt impunita? Stella hic.

B. Veronica de Binasco V. narravit sororibus, quòd in Missa semel sororem curiosiùs aspexerit; ob id in raptu eam Angelus tanta severitate increpuerit; ut diem extremum clausura fuerit, si corpori mens juncta fuisset talia patiens. Heu! quàm ingens fuit horror ille arguentis Angeli! quàm dura verba! quàm terribilis vultus! Rediens ad se tribus diebus innumeras fudit lacrymas. Quando deinceps Sacrificio intereat, nec quidem caput movere audebat, metuens divinæ Majestatis ultionem. Bolland. 13. Jan.

S. Francisca Romana, cùm in frequenti mulierum cœtu vanus esset sermo illatus; ipsaque eum interturbare humano respectu nollet; maxilla ejus, audientibus cunctis, gravi alapa percussa fuit. Factum id ei sæpius ob leves defectus ab Angelo. Boll. 9. Martii. Internum animæ suæ statum Patri Antonello exponens; quia ex humilitate reticebat dona quædam cœlestia; tam vehementem humeris illius ictum inflixit Angelus; ut ad pedes attoniti Confessarii corruerit. Ib. Ex altera vita c. 3.

TITULUS XVI.

PECCATA ALIENA.

§. I.

Luge, defle.

Symbola.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Glossa Angelica: eorum improbitate pungeris, quos in filiorum numero gaudebas te accepisse. Did. Nyss. fer. 2. D. 4. Quadr.

Super mortuum plora; defecit enim lux ejus: & supra fatuum plora; defecit enim sensus. Eccl. 20. 10. Græc. *defecit enim intellectus*. q. d. stultus, putà peccator, non tantùm est dormiens, sed & mortuus, per peccatum, cui affixus hæret. Quare, sicut ploras amici mortem, quia defecit ejus lux; idest vita: *& supra fatuum*, idest, sic, vel similiter luge, & plora fatuum; quia defecit sensus, idest, prudentia, & sapientia, quæ est quasi vita, & anima animæ. Rursum *defecit sensus*: quia nullum habet sensum suæ salutis, & rerum divinarum; perinde acsi esset mortuus. Cornelius hic.

State super vias, & videte. Jer. 6. 16. Lugent ergo viæ, quia Sancti lugent; dum cultum Dei contemni considerant: Deum enim colere; & pœnitentiam agere, hoc est Deo solemnitatem facere. S. Bonav. in Thren.

Sume tibi sartaginem ferream. Ezech. 4. 3. Sume tibi in tuum cruciatum: ut, dum de peccatis Jerusalem doles, in ea frigaris. Audi Sanct. Gregor. hom. 12. in Ezechia quia ferrum forte metallum est, & in sartagine cibus frigitur; quid per sartaginem ferream, nisi spiritualis zeli fortis figura signatur? omnis quippe spiritualis zelus Doctoris animam frigit: quia valde cruciatur; dum infirmos quousque æterna deferere, & rebus temporalibus delectari, conspicit. Psalm. 118. 139. *tabescere me fecit zelus meus*. Alii legunt apud Lorinum: *contristavit, oppressit, consumpsit, enecavit*. Arcones in Is. 1. 4. Disc. 2.

Signa Tau super frontes virorum gementium, & dolentium, super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Ezech. 9. 4. S. Hieron. hic: gementes, dolentesque, salvantur: qui non solùm malis non consenserunt operibus; sed & aliena planxere peccata. Id. ib.

Exempla.

Ex Veteri.

Inclusit eum Dominus deforis. Gen. 7. 16. Chrysost. nam, si expendisset secum atrocissimam illam tempestatem, descripsissetque mente humani generis perditionem; mæstitia correptus, & valdè turbatus fuisset. Did. Nyss. fer. 2. Dom. 4. Quadr.

Det Loth. Gen. 9. ait S. Petrus. 2. 2. 8. *habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant*. Examinat verbum *cruciabant*. S. August. in titulo Ps. 69. neque enim Loth ille sanctus in Sodomis ab aliquo corporalem perfectionem patiebatur; aut dictum illi erat, ut non ibi habitaret: persecutio ejus facta mala Sodomitarum erant. Arcones in Is. 1. 4. Discursu 2.

Fornicatus est populus. Num. 25. 1. Quid Moyses? quid Aaron? quid reliqui pii senes? *flebant ante fores tabernaculi*. v. 6. Velloso in Judith. 6. 15. Paræn. 9. Oleaster hìc: hoc enim debet esse munus piorum, cùm peccata vident: flere scilicet pro peccatoribus.

Sic Samuel luxit Saulem 1. Reg. 15. 35. Jeremias Jerusalem 13. 17. Daniel populi sui captivitatem c. 9. 3. &c. *Ægrotavit in illis diebus Ezechias usque ad mortem*. 4. Reg. 20. 1. & Is. 38. 1. Quid illi hanc lethalem ægritudinem attulit? Forerius hic: ex mœrore, & animi angustia; qua per totum illud tempus laboravit: obque scelera populi; ob quæ tradebatur Judæa in potestatem gentium; ægritudinem contraxit pius rex. Did. Nyss. f. 2. D. 4. Quadr.

Tunc Tobias ingemuit. Tob. 3. 1. Vide hic, quàm verum sit illud Eccles. 7. 8. *Calumnia conturbat sapientem*. En tibi cœcitas non turbavit Tobiam, sed conturbavit calumnia uxoris: magis enim offensa Dei, quàm injuria propria, eum cruciabat. Cornelius hic.

Domine Deus cœli, & terræ! Jud. 6. 15. Dolore tactus Hebræus deflet Holofernis insaniam; Dei injuriam; & vide excitat pietatem. *Domine Deus!* Dominus colens non friget ad aspectum improbitatis alienæ; sed vehementiùs acenditur ad pietatem. Lacrymas ei movet impietas aliena. Velloso in Judith. 6. Paræn. 9.

Vidi prævaricantes, & tabescebam. Ps. 118. 16. Non possunt servi Dei sine dolore hominum delicta aspicere. Escobar. t. 6. Parab. Chr. l. 2. sect. 2. §. 3.

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Ps. 118. 53. Hic pietas sanctæ conversationis exponitur; ut dolore se defecisse dicat, quia peccatores legem Dei deserere videbantur. Necesse est enim, ut sanctum virum alterius culpa contristet; dum animus pius salvos fieri desiderat universos. Unde sancta cohors (Martyrum scilicet) non tantum pœnis suis, quantum tyrannicis torquebatur excessibus. Cassiodorus hìc.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Ps. 118. 136.

Quomodo sedet sola civitas. Thr. 1. 1. Flebat, non saxa, & ædificia; sed ruinam hominum. S. Paschas. hic l. 1.

Deposita est vehementer. Thr. 1. 9. Tripliciter illam plangit: quia tanta contra Deum gens illa commisit piacula; quia pro his in præsentiarum, sine fructu pœnitentiæ, tam nefanda pertulit discrimina. Deinde, quod gravius est, post flagella quia noluit ad Deum redire, attrociora sibi attraxit supplicia. Id. hìc.

Ego plorans - quia longè factus est à me consolator. Thr. 1. 16. Non abductum se Propheta de terris suis esse dolebat; sed à Christo populum relinquendum; consolationemque vitæ futuræ cernebat amissam. Et hæc est, inquit, dolenda captivitas, qua æterna libertate privetur. Id. hìc.

Signa Thau super frontes virorum gementium, ac dolentium. quid dolent? *super cunctis abominationibus*. Ezechiel. 9. 4.

Ex

Ex Novo.

Exemplum Christi Domini.

Jesus ductus est in desertum. Matth. 4. 1. Puto equidem, quod ibidem Mundi peccata copiosè defleverit, ut pro nostra salute jugiter fuderit preces. Dion. Charth. in Luc. 4.

Jerusalem! Jerusalem! Matth. 23. 37. Auth. Imp. Op. hom. 46. recordabatur sanguinem sanctorum suorum, qui effusus est ab illis; & qui adhuc postmodum erat effundendus: sed non tamen dolebat de injuria Sanctorum suorum; sciens, qualem illis gloriam præparaverat pro morte temporali. Sed de illorum interitu flebat; quibus & in isto sæculo mala ventura erant, & in alio pejora. Sylveira c. 47. hìc.

Flevit. Luc. 19. 41. Plorat super civitatem ut misericors: nolens perdi eos, qui in ea. Ostendit viscera misericordiæ per fletum. Quod enim miserebatur eis, & non solùm ante crucem, sed & post crucem etiam, conversionem eorum sitiebat manifestum est ex eo, quòd post 35. annos Romanis traditi sint nam propter nihil aliud distulit supplicium, quàm quòd cupiebat eos converti. Theophylactus hìc. Nos sumus Jerusa lem, quæ defletur. Quòd si quis post mysteria veritatis, post sermonem Evangelii, post doctrinam Ecclesiæ, post visionem Sacramentorum ejus, aliquis è nobis peccaverit; plangitur, atque fletur, Origenes hom. 29. in Luc.

Turbavit seipsum. Joan. 11. 33. Turbetur planè animus Christianus, non miseria, sed misericordia. Timeat, nè pereant homines Christo: contristetur, cùm perit aliquis Christo: lætetur, cùm aquiruntur homines Christo. Timeat & sibi, nè pereat Christo. Istæ quatuor, quas perturbationes vocant; timor, & tristitia; amor, & lætitia: habent eas justis de caussis animi Christiani. V. Beda hìc. Non timet crucem, non mortem: horret Judæ peccatum. Euthym. præ nimia compassione turbatur: vehementer enim super eo dolebat. Velloso in Judith. 6. Paræn. 9.

Exemplum S. Pauli.

Incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. Act. 17. 16.

Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis. Act. 20. 19. Flebat ex compassione, tum ob Christianorum infirmitates; tum etiam ob Judæorum, & Gentilium duritiam; quòd ad veram fidem traduci nolebant. Sylveira hìc q. 5.

Scripsi vobis per multas lacrymas, 2. Cor. 2. 4. S. Chrys. hom. 66. ad pop. quoniam de suis non habebat, quid lugeret; hoc pro alienis agebat.

Quis infirmatur &c. 2. Cor. 11. 29. Peccata proximiora sunt amaritudo justorum. Hugo Card. in Job 23. 12.

Exempla alia, & motiva.

Beati, qui lugent. Matth. 5. 5. propria; vel proximorum, peccanda deflendo; & ad patriam suspirando: vel Christo passo, ac crucifixo compatiendo cordialiter. Dion. Carth. hìc.

Beati, qui persecutionem patiuntur. Matth. 5. 10. Non est solùm persecutio attendenda in illatis corporaliter pœnis; & in his malis, quæ possunt lingua proferri: sed justis pati à virtute dissimiles mores, etiam nullis illatis, corporaliter pœnis, aut dictis adversis, magna persecutio est. Cruciatus est Amatori Dei, videre quod sibi displicet, & divinam habet offensam. Non enim potest verus Dei cultor sine persecutione transire, videns quippiam divinæ Majestati ingratum. Amor ad dilectum injurias dilecti suas persecutiones facit, etiamsi esset ipse circumquaque pacatus. Sim. Cass. l. 10. c. 11.

Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum. Matth. 13. 49. S. Chrysol. s. 47. portate justi, portate; imò inducias justi date: brevis ista mixtura longa separatione pensabitur. q. d. masculo animo tolerate cruciatus, quos numinis offensæ vobis afferunt? æterna gloria vobis dolor iste compensabitur. Did. Nyss. ser. 2. Dom. 4. Quadr. §. 4.

Contristati sunt valde. Matth. 18. 31. Non possunt servi Dei sine dolore hominum delicta aspicere. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 2. sect. 2. §. 3.

Nunc dimittis servum tuum Domine. Luc. 2. 2. 29. Græc. *nunc dimitte*, q. d. ex mente Timothei Jerosolymitanior. de occursu Dom. *nunc dimitte*: etenim Spiritus S. qui in me est, palam ostendit, quæ in te futura sunt. Dimitte me nunc, obsecro, ne videam coronam ex spinis contextam; nè videam servum alapam infligentem; nè videam lanceam in te adactam: nè te videam clavis cruci affixum. Sic justus mavult vita excedere, quàm videre, denuo à peccatoribus Filium Dei crucifigi Did. Nyss. f. 2. D. 4. Quadr.

Plorabitis, & flebitis vos. Joan. 16. 20. Veri Christi Discipuli plus cruciantur in animo ex corruptis hominum moribus, quam si quæque flagella in propriis corporibus paterentur. Major plorandi causa, quòd convitia jaculabantur in Christum, quàm ex his, quæ in propriis corporibus tolerabant. Sim. Cass. l. 12. c. 14.

Verè Christus finis est dolendi, atque gaudendi: offensus, vel amatus; perditus, vel inventus. Id. ib.

Vos contristabimini ampliùs pro his, quos videbitis inaniter exultare; quàm pro malis cogemini tolerare. Ampliùs ingerit tristitiam charitas proximi, cùm delinquit; quàm pœna proprii corporis cùm configit. *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Non omnis tristitia in gaudium vertitur; Sed multorum augebitur in perpetuum; ut hic incipiat pœna in Inferno æternatura. Sed vestra, qui pro veritate patimini, qui pro Dei fletis injurias; de proximorum malo ex charitate doletis. Id. ib.

Ex Patribus, & aliis.

Pia est ista tristitia; &, si dici potest, beata miseria, vitiis alienis tribulari: non implicari mæmore, non habere: dolore contrahi, non amore attrahi. Hæc est persecutio, quam patiuntur omnes, qui volunt in Christo piè vivere. Quid enim sic persequitur vitam bonorum, quàm vita iniquorum? non cum cogit imitari, quòd displicet; sed cùm cogitet dolere, quod videt. S. Aug. ep. 145.

Quisquis Dei cultui seipsum addivit; tædio, anxietate, & mœrore afficitur, ob multorum hominum improbitatem, atque interitum. Cujusmodi erat ille, qui dicebat. Micheæ 7. 1. 2. *Væ mihi quia periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est*. S. Chrysost. in Ps. 101.

Extraneum se esse à charitate fatetur, qui peccanti non compatitur proximo. S. Laur. Just. in fasc. amor. c. 14.

Compassio vera, & perfecta, ad Deum est, incessanter in corde tristitia vulnerari in omnibus injuriis Deo illatis, & adhuc inferendis in se, & amicis suis. Albert. M. Parad. an. capit. 12.

Tristitia vera, est dolor proprii cordis pro omnibus injuriis, quas patiens Deus innocenter toleravit à creaturis suis à principio Mundi, & usque in finem sustinebit, tàm à spiritualibus, quàm à sæcularibus hominibus. Iste dolor innumerabiles lacrymas sanguineas elicere debet ab oculis gloriosorum amantium Deum. Id. ib. c. 24.

O quanta compassione dignus est nunc ferè totus Mundus, considerata in quolibet statu paupertate divinæ cognitionis, dilectionis, & timoris. Quis non debet præ compassione cum Apostolo infirmari? 2. Cor. 11. 29. Bernardinus tom. 2. ser. 4. in Dom. Quinquag.

§. II.

Ob aliena peccata time, cave, corrige.

Symbola.

Visitans speciem tuam non peccabis. Job 5. 24. Rich. à S. Victor. in c. 4. Cant. Species nostras est proximus noster; in quo inspicimus, quid nos sumus. Speculum infirmitatis propriæ, sit infirmitas aliena. Hugo Card. in c. 1. Gen. 24.

Lætabitur justus, cùm viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Ps. 57. 11. Quomodò justus gaudet ex intuitu pœnarum impii? S. Chrysost. ep. ad Philemonem: non gratulando insultans; absit! sed metuens, nè patiatur eadem; emendare intima sua, vitamque omnem corrigere studet. Did. Nyss. Phœn. Græc. l. 3. c. 2.

Ulula abies, quia cecidit cedrus. Zach. 11. 2. Fortibus cadentibus imbecilliora erudiantur. Isidor. Pelus. lib. 1. epistol. 73.

Cecidit secus viam, & conculcatum est. Luc. 8. 5. Damnosa illa negligentia cauti facti auditores verbi divini, *in corde bono, & optimo audientes verbum retinent*. v. 15. Aliorum lapsus sint tuæ columnæ.

Gratioso sit pro libro Aman, avaro epulo, præsidenti David, sapienti Salomon, forti Sampson &c. Did. Nyss. Pol. Cel. p. 1. c. 7.

Ob lapsum Luciferi.

Ipse est principium viarum Dei. Job 40. 14. Cur? aut quomodo dicitur initium Viarum Dei? aberrationum potiùs à Deo principium dici meretur. Respondet. S. Greg. l. 4. c. 1. in 1. Reg. 8. de illa Angelorum curia legimus, quia de apostata primo Angelo scribitur: *ipse est principium viarum Dei*. Sed quia ante omnia conditus est; per superbiam cecidit: & in ejus ruina Sancti didicerunt, qua virtute stare potuissent. Magnæ enim misericordiæ est, cùm vindictam Deus irrogat: quia, dum reprobos punit, Sanctos erudit; ut, unde illi deficiunt, isti in suis profectibus adjuventur. Apud Did. Nyss. antè citatum.

Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem. Luc. 10. 18. Quid Sathanæ casum refert, cùm Apostoli Sathanæ expulsionem commemorant? S. Gregor. mor. lib. 23. cap. 4. nè de hac miraculorum singularitate gauderent; illico eis respondebat Dominus dicens: *videbam Sathanam &c.* Ipse quip-
pe

pe singulariter elatus dixerat: *supra astra Dei exaltabo solium meum &c.* Is. 14. 13. Et mirè Dominus, ut in Discipulorum cordibus elationem premeret, mox judicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit: ut in auctore superbiæ discerent; quid de elationis vitio formidarent. Naxera in Jos. 11 §. 6.

Si altissima illa sublimitas cecidit, quis cadere non possit? si in cœlo ruinæ; quantò magis in terra. S. Hieron. l. 2. adv. Jovin.

Si sic actum est cum Angelo, quid de me fiet terra, & cinere? ille in cœlo intumuit; ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quàm in paupere, ducat? Væ mihi! si tam durè in potente illo animadversum est, pro eo quod elevatum est cor illius. S. Bernardus s. 54. in Cant.

Ille plangit utiliter, qui spiritu humili perscrutatur, & perpendit; quid sibi faciendum sit; cùm summus ille Angelus, tam sapiens, terribiliter projectus est. S. Rupertus. lib. 2. c. 3. de vict. v. 3.

Ob lapsum aliorum.

Multus fuit olim Deus in Josue animando, cùm eum Moysis loco substituit: nam uno, eodemque c. 1. 9. ter inculcavit: *confortare, & esto robustus*. v. 6. & quidem ultimo loco v. 9. validiùs: *ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus: noli metuere, & noli timere*. Arguit tam vehemens adhortatio; fuisse Josue ingenti metu perculsum. Sed unde? Lyranus: viderat Josue, quòd Moyses sanctissimus peccaverit in aquis contradictionis. Deut. 34. 4. propter quod privatus fuerat ingressu terræ promissionis: & ideò meritò timebat; nè sibi aliquid simile accideret. Mendoza in 1. Reg. 3. 11. sect. 3.

Peccavi Domino. 2. Reg. 12. 13. Magna hujus tam magnæ turris ruina! magnum spectaculum! in quo quisque nostrum videat; quia nunquam, dum vivit, de statu sui firmitate securus esse debet. S. Rupertus l. 2. c. 33. in 2. Reg. 11.

Cadent à latere tuo mille. Ps. 90. 7. S. Chrys. hìc: quid est, *cadent &c.* hoc Propheta Christo dicit. Multoties videmus Eremitas, vel bonos Christianos, jam sic perfectos esse; ut pro sancta vita sua, qua perseveraverunt in solitudine, & in sancta Religione, lateri Christi sint applicati: sed sub elatione aliqua decepti, vel illusione diaboli perturbati, faciunt lapsum, & quasi à latere Christi cadunt. Ergo isti, qui jam propè sunt, ut perveniant ad Christum, subitò in exitu vitæ suæ transeunt ad aliqua nefaria, & impudica; & cadunt à latere ejus mille, Arcones in Is. 2. 2. Disc. 3.

Nè glorieris in crastinum. Prov. 27. 1. Hodie gratus es Numini? nè glorieris inaniter; qui crastina die potes à dextera Dei deturbatus ipsum Dominum, avaritiæ, aut libidinis, vili pretio tradere. Orig. hom. 11. in Matth. adhuc Judas forsitan dignus erat cum cœteris seorsim accipi, & audire, quæ passurus erat Magister adhuc nesciebat Judas, quid esset facturus: sed nec aliquis nostrum scit: nam & omnibus dictum est: *ne glorieris in crastinum*; nec enim scis, *quid superventura pariat dies*. Escob. t. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 5. Obs. 1.

Error Petri doctrina justorum est; & titubatio Petri omnium petra est. Ambros. lib. 10. in Luc. 22. de negatione Petri.

Inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Jo. 8. 6. Cùm peccantem conspicimus alium, mox inclinemur deorsum: id est, quàm dejecti ex nostræ conditionis fragilitate simus; si nos non divina pietas sustentet, humiliter inspiciamus. V. Beda hìc.

Quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus. Apoc. 11. 8. Nemo de sua virtute præsumat; sed timeat, nè cadat: cùm sanctissima quondam civitas in tot lapsa sit scelera, ut Sodoma vocetur. Sylveira hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Sit casus majorum tremor minorum. S. August. in Ps. 50.

Ad hoc peccata illorum hominum (magnorum virorum) scripta sunt; ut Apostolica illa sententia ubique tremenda sit, qua ait: *itaque qui existimat se stare, videat nè cadat*. 1. Cor. 10. 12. Nulla enim ferè pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet, quòd *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. S. August. de doctr. Chr. l. 3. c. 23.

Nimium præceps est, qui transire contendit, ubi conspexerit alium cecidisse. Vehementer infrœnis est, cui non incutitur timor alio pereunte. S. August. lib. de singularit. Cleric.

Unusquisque, tremit, cùm alterum videt exiisse: tanquam ex illius exitu dicatur illi: *quapropter qui se putat stare, videat, ne cadat*. Id. in illud Psalm. 106. *seduxit eos in invio. &c.*

Aliorum ruinæ exempla justorum sunt; dum omnes infirmo, & imbecillo statu, fluctuantique vestigio, in isto sæculo commoramur; & nunquam est nostra certa, securaque, victoria. S. Hieron. in Ezech. 26.

Quid in alterius ruina exultas? nunquid, si ego cecidero, tu stabis? Licèt ruina mea sit, ruina fratris; timor tuus esse debet, non exultatio. Id. in Ps. 99.

Nè insultetis cadentibus: & alienam ruinam vestram ædificationem putetis. Id. in 2. Micheæ.

Monstrat insuper divina scriptura, & justos sæpè lapsos; & peccatores magnam agentes pœnitentiam: quo utrinque sufficiens nobis esset remedium: & neque, qui stetit, præfidentior sit, videns & justos cecidisse: neque qui in peccatis est, desperet; visis tot, qui resipuerunt, & ad summum virtutis apicem pervenire potuerunt. S. Chrys. hom. 21. in Gen.

Heu! quanti post gloriosos agones, de ipso principe Mundi legitimè triumphatos, fugienti terga dederunt, & victores jam victo se sponte curarunt. S. Bernard. s. 11. in Cœna Dom.

Dum cadunt, qui nobiscum stare videbantur; nos qui adhuc stare videmur, similem nobis casum evenire posse humiliter consideremus. S. Rupertus l. 7. in c. 6. Joan.

Compendiosum est felicitatis genus, alterius periculo discere, quid debeas vitare. S. Zeno Veron. s. 6. de Isaja.

O quanti derelicti sunt, & perierunt; qui innocentiores me fuerunt! Thom. Kemp. solil. an. c. 16.

TITULUS XVII.

PECUNIA

§. I.

Symbola. Vocabula varia.

Luminare majus & luminare minus. Gen. 1. 16. Argentum, & aurum sunt duo magna Mundi luminaria. Argentum luminare minus; majus aurum. Solem, & Lunam adorabant Ægyptii, Persæ, & Græci; argentum, & aurum, nemo non. Drexelius Ros. select. virt. p. 2. cap. 9. §. 2.

Centum agnis. Gen. 33. 19. Pro agnis Hebr. est *Kescita*, quod RR. *nummos* vertunt. Possunt enim cum Pineda per agnos, vel oves centum, accipi centum nummi; qui dicantur agni, vel oves: quòd ovis effigiem insculptam haberent. Cornelius hìc.

In gladio, & arcu meo &c. Gen. 48. 22. Dices: hunc agrum emit Jacob c. 33. 19. & Jos. ult. 32. Quomodo ergo dicitur hìc, quòd eum acquisierit gladio? S. Hieron. *in gladio, & arcu*, idest, in fortitudine, putà pecuniæ, quam multò labore, & sudore, acquisivi. Hebr. *Kescat* ambiguum est, significatque nummum, sicut latinis sagittarius. Hinc dictum Agesilai: se ex Asia pulsum triginta 1000. sagittariorum; cùm Persarum Rex ea nummorum summa, corruptus per Timocratem Atheniensibus, effecisset, ut è provincia discederet. Cornelius hìc.

In manu forti eduxit te Dominus de Ægypto. Ex. 13. 9. *Et armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti* ib. v. 18. quod explicatu difficile est; cùm eos constet, ab Ægyptiis, nè contra illos insurgerent, antea esse exarmatos. Non aliò recurrendum censet Hieronymus, quàm ad ea Ps. 104. 37. verba: *eduxit eos cum argento, & auro*. Horat. l. 3. od. 16. aurum per medios ire satellite, & perrumpere amat saxa, potentiùs igne fulmineo. Doultreman de am. lib. 2. Amor pat. c. 1. Sect. 1.

Adhæsit caput ejus quercui. 1. Reg. 18. 9. Crinis Absolon, quo suspenditur, radix omnium malorum avaritia est: ubi hæc radicaverit; omnium malorum cæsaries abundabit. Drogo Ost. de Sacr. Pass. Dom.

Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia. Ecclæ. 7. 13. Hebr. *sicut in umbra sapientiæ, sic in umbra pecunia*, scilicet confidit, & conquiescit, & securè obdormit homo. Cornelius hìc.

Pecuniæ obediunt omnia? Ecclæ. 10. 19. Id est, propter pecuniam fiunt omnia. Magna Abbatissa est pecunia; & magnum Conventum habet; cui omnia obediunt. Hugo Card. hìc.

Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream. Dan. 3. 1. Nunc aurea imago (ut olim statua aurea Nabuchodonosoris) proposita est, pecunia scilicet: in qua tyrannica quædam mammonæ formatur effigies, & ad serviendum sibi subditorum corda sollicitat. Hanc statuam adorare nolentes dicit, mitti in fornacem paupertatis: est enim terribilior pauperies igne; & ampliùs ferire consuevit. Sanct. Chrysost. hom. 4. in cap. 1. Matth.

Fluxum, & inconstans, hujus lucis aurum est; & quasi sphæra luxoria: ab alio statim ad alium transit. S. Asterius Ep. hom. in festum Kalendarum.

S. Franciscus Seraph. nummos vocabat muscas: musca enim semper molesta, & importuna est; sive comedas, bibas, studeas, legas, dormias; faciem infestat, ut sanguinem sugat: abacta redit ad sugendum, & vexandum. Sic curæ de divitiis. Diez Avaritia.

§. II.

Pecunia quantum ametur, æstimetur, & valeat.

Vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis. Gen. 37. 28. Mirum est: cùm de occidendo Joseph agitur, aut mittendo in cisternam; patronos habet, qui defendant: at cùm
de

de vendendo concluditur, nemo mussitat, tacent omnes, & consentiunt. Judas pondus addidit: *quid nobis proderit?* quod inde commodum? venundari præstat; denarios inter nos partiemur. *Acquieverunt* omnes *sermonibus illius*. S. Chrysol. s. 29. sic proprii lucri cupiditas cœcavit mentes eorum, sic corda depressit; ut non offensam Dei, non Sancti Patris dolorem non proprii sanguinis sensum, meminisse permiserit. Paoletti. D. 3. Adv.

Pecuniæ obediunt omnia. Eccl. 10. 19. Hebr. *humiliat, & subjicit sibi omnia*. Vel, *exaudit omnia*. Vel, *respondet omnibus*. Alius vertit: *argento humiliant se omnes*. Aptè Poetæ Jovi dederunt imperium cœli, Neptuno maris, Plutoni inferorum: quia opes ex imis terræ visceribus eruuntur; & avaros ad Infernum deducunt. Cornelius hic.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6. 24. Nummus est terræ omnipotens Deus. Tertul. l. 4. Adr. Marcionem: injustitiæ cultorem, & dominatorem totius sæculi, nummum scimus omnes: duos enim dominos nominavit, Deum, & mammonam; Creatorem, & nummum. Hic tyrannus potestate sua quodammodo exæquat verum, & legitimum Dominum, qui est Deus. De quo Prov. 21. 1. *cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud*. Et quid dominus nummus? dicat Ecclesiasticus 8. 3. *multos perdidit aurum, & argentum, & usque ad cor regum extendit, & convertit*. Quid extendit? Pineda in Eccl. 10. 19. extendit dominatum, & imperium, & convertit illorum corda, quocunque volet. Apoc. 19. 16. *in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium*. De nummo Ecclæ. 10. 19. *pecuniæ obediunt omnia* Cajet. *argentum humiliat omnes*. Did. Nyss. D. 14. Pent. §. 2.

Retulit triginta argenteos, & projectis argenteis in templo. Matth. 27. 3. 5. Vide, quàm magni faciebat illos: non projecit eos in sterquilinio, sed in templo: nimirùm talibus semper diis templum suum devoverat. Drogo Ost. de Sacr. Pass.

Ubi pecunia, ibi Rex; Drogo Ost. de Sacr. Pass.

§. III.

Pecuniam spernendi motiva.

Non est factum tale opus in universis regnis. 3. Reg. 10. 20. Salomon è puro auro fusiles sex gradus fecit ad regale solium conscendendum, teste Philone lib. 1. de Monarchia. Solium speramus in cœlo sublime, deliciis plenum, & stabile. Ad hoc tutissimè itur per argenteos, & aureos gradus; sed caleatos. Drexelius Ros. sel. virt. p. 2. c. 9. §. 3.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam. Matth. 10. 9. Cur hoc solùm prohibentur? cur non etiam greges, & armenta boum, & ovium? Christus D. informabat eos in omni perfectione: & hoc maximè consistit in auri & argenti contemptu. Sylveira in Act. 20. 33. q. 11.

Ponebant ante pedes Apostolorum. Act. 4. 35. S. Hieron. ep. 8. ad Paulinam, quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in cedentibus fides; vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes? ut ostenderent, pecunias esse calcandas, nihilque faciendas.

Argentum, aut aurum - nullius concupivi. Act. 20. 33.

Quid homini pecunia sua? nisi quoddam viaticum est. Multa oneri, moderata usui: viatores sumus vitæ hujus. S. Ambros. ep. 44.

Pecunia servis DEI nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber venenosus. S. Bonaventura c. 7. n. 5. vitæ. S. Francisci, fratribus usum pecuniæ interdicens ajebat.

Fœnus pecuniæ, funus est animæ. S. Leo de jejunio decimi mensis.

TITULUS XVIII.

PERFECTIO.

§. I.

Symbola.

Numeri Varii.

Mille clypei. Cant. 4. 4. Mille hic pro perfectione ponitur: quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur. S. Gregor. hic.

Centenarius numerus plenus in omnibus, & perfectus, ostenditur. Orig. hom. 2. in Gen.

Perfectionis signum denarius numerus est. S. Cyrill. Alex. in Joan. l. 4. c. 51.

Quaternarium numerum perfectioni sacratum penè nullus ignorat. S. Prosper l. 3. c. 18.

Quadragesima quatuor decades, quadratam fidei continent disciplinam: quia semper est quadrata perfectio, Chrysol. s. 1.

Alia Symbola.

Psalmi quatuor cantantur in Completorio ad significandam perfectionem. Belethus Rat. div. off. c. 53.

Psalterium est homo consummatus in Christo: in quo, sicut arte concinentium fila chordarum; ità convenientium resonant opera canora virtutum. S. Ambros. in Ps. 40. ad finem.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Ps. 115. 15. Mors Sanctorum dicta pro perfectione in Sanctitate. Dion. Areop. l. de Eccl. Hierarch. c. 3. p. 3.

Fulcite me floribus, stipate me malis. Cant. 2. 5. Per flores teneri quique, & incipientes; per mala verò perfecti Fideles designantur. S. Greg. In floribus tenera adhuc virtutum primordia; hic in malis perfectio significatur. V. Beda hic.

Descendi in hortum nucum. Cant. 6. 10. Quid per nuces nisi perfectos quosque intelligimus? qui, dum divinam Sapientiam intrà corpora sua retinent, quasi nucleum in fragili testa portant. S. Gregor. hic.

Similitudo autem vultus eorum, facies hominis &c. Ezech. 1. 10. Quoniam justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suæ vitulus, per fortitudinem securitatis, leo per contemplationem verò efficitur aquila; rectè per hæc sancta animalia signari unusquisque perfectus potest. S. Greg. hom. 4. hic.

Cœlum in continuo motu Lem. *Indefessus agendo*. Perfectionis Christianæ Symbolum. Picinelli.

§. II.

Perfectionis motiva ex parte Dei.

Accidit, ut peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis Ægypti, & pistor, domino suo. Iratus contra eos Pharao misit eos in carcerem. Gen. 40. 1. 2. 3. Abulensis ex Rabbinis refert: peccatum istud fuit, quod pistor negligenter dimisit unum lapillum in pane; & quòd Rex fortè dentes offendit. Et pincerna peccavit; quòd in vino regis cecidit musca. Docuit Pharao, ea reverentia regiam Majestatem debere coli; ut peccatum nullum possit ab ejus oculis reperiri. Naxera in Jos. 17. §. 17.

Circuite terram, & describite eam, ac revertimini ad me; ut hic coram Domino in Silo mittam vobis sortem. Jos. 18. 8. Descriptio ad Josue, examen ad Dominum, & ejus obtutum revocatur: ut omni solerti a invigilent metatores; nec patiantur principis oculos offendere erratum! Id. ib.

Non vadam, donec ablactetur infans & ducam eum, ut apparent in conspectum Domini. 1. Reg. 1. 22. Cùm vir Annæ Alcana, totaque domus, ad immolandum solemnem hostiam ascenderet; Anna ubera fugentem timuit divinis oculis præsentare; domique mansit, perfectionem pueri præstolata ætatem. Gestivit puerum omnibus priùs imperfectionibus defœcare. Id. ib.

Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas &c. 1. Paral. 22. 14. Dices: quomodo ergo David hoc versu ait, hæc se collegisse *in paupertate*? Resp. quia hæc omnia pro Dei dignitate, & majestate, erant, & parva, & pauca. Corn. hic.

Si offeratis claudum, & languidum: nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei. Malach. 1. 8. Vitiosas victimas immolabant Sacerdotes; sibique retinebant illas, quæ sanæ essent, & integræ; & plus videbantur utilitatis habituræ. Interlinearis: offert illud Duci tuo: potiùs respueret, & sibi injuriam factam putaret: & offers Deo, quod non auderes homini offerre. Naxera in Jos. 21. §. 16.

Maledictus - qui immolat debile Domino. Malach. 1. 14. *quia Rex magnus ego*. ib. Et proinde magna mihi conveniunt, & debentur; eximia scilicet, & perfectissima. Cornelius hic.

Non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Matth. 8. 8. Non dicit domum, sed tectum, quod est quid minus, & solùm defendens ab injuriis aeris. Ità enim præ humilitate omnia sua ad suscipiendum Christum ei parva videbantur. Sylveira hic.

Effudit super caput ipsius recumbentis. Matth. 26. 7. Murmurabant Discipuli de pretiositate unguenti. Respondet Dominus, apud mulieris illius animum non esse unguentum hoc pretiosum; sed si pretiosius habuisset, pretiosius effudisset: tanti me facit; sed quia non habuit pretiosius, quòd habuit, hoc fecit. Arcones in Is. 4. Disc. 3.

Quid molesti estis huic mulieri! Matth. 26. 16. Sciens Jesus, quam bene mulier ista fecisset; & quàm injustè Judas indignaretur; vel etiam alii, qui adhuc rudes erant; nec Magistri sui dignitatem pensabant: cujus erat tanta nobilitas, ut totius Mundi unguenta minus pretiosa essent ad ejus contactum, & perfusionem, ait illis: *quid molesti* &c. Dionys. Carth. hic.

Erant justi ambo ante Deum. Luc. 1. 6. Hebræa phrasi *coram Domino* est; quod undequaque absolutam haberent virtutem. Cùm enim Scripturæ aliquid magnum, & excellens, significare volunt, usitata phrasi dicunt: *coram Domino*. Stella hic.

Quos

Quos benefaciens deduces dignè Deo. 3. Joan. 1. 6. *Dignè Deo*, id est, tali modo, qui dignus censeatur Deo. q. d. divinè, regiè, largiter. Moraliter, examinet se quisque Fidelis; an opera ejus sint plena perfecta; & tam præstantia, ut sint digna Deo? an agat, & vivat dignè Christo. Donum, quod regi offers, non quale, quale; sed eximium, & regium, esse decet. Hoc ergo tibi in in omni opere, ut id excellenter facias, sit stimulus: fac hoc *dignè Deo*. Et ut ait Eccl. 33. 23. *in omnibus operibus tui præcellens est*. Colos. 1. 10. *ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes*. Cornelius hic.

Quoniam magnum habes Dominum, sis tu quoque celsus; & te explica à rebus, quæ ad hanc vitam pertinent. Sume Spiritus, qui superent præsentium rerum humilitatem. S. Chrys. in Ps. 144.

§. III.

Nihil age vulgare, quod plerique.

Ex Veteri.

Erat vir ille magnus inter omnes Orientales. Job 1. 3. Sanct. Gregorius mor. 1. c. 3. 4. Magnus non inter Occidentales, sed *Orientales*. Orientales viros esse prædivites, quis ignorat? *Magnus* verò inter Orientales extitit; ac si apertè diceretur: quia & divitibus ditior fuit. Did. Nyss. Phœn. Gr. l. 7. c. 8.

Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Ps. 44. 13. Nomine vultus, juxta Basil. Chrysost. Theodoret. Euthym. significatur Christus. Quærit Jacobus de Vorag. serm. 42. de Quadragesc. cur non dicitur, pauperes deprecabuntur? illi verbo Incarnato supplices tendent manus, ut illorum inopiæ sua largitate subveniat? Resp. ut Christi ostendatur potentia, & largissima affluentia; ideo dictum, quòd *omnes divites*, non pauperes plebis, ad eum venturi essent. Hæc enim excellens opulentia est, esse tam abundantem; ut ditissimi, si cum illo conferantur, videantur pauperes, & mendici. Idem ibidem.

Si ignoras te &c. Cant. 1. 7. Si nihil egregium post hæc omnia, quæ in te collata sunt, agis; neque temetipsum cognoscens à conversatione gregali sequestraveris; eris non solum in grege, sed in vestigiis gregum. Ultimus enim fiet & novissimus; qui primatus suos non intellexerit. Orig. hom. 2. hic.

Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Cant. 4. 10. S. Chrysost. in Catena Græca: maximum est, minores virtutis partes expleviſse; verùm multò majus est, in eo, quod summum est, summè curetis antecellere.

Non est inventus similis illi - qui conservavit legem Excelsi. Eccles. 44. 20. Non dicit quòd fuerit Legis diligentissimus observator &c. sed quòd *non est inventus similis illi*. Innuit: quòd ab ipsa singularitate justi probitas maximè nobilitetur. Carthus. nemo tempore suo, quo Deo in sanctitate servivit, fuit ei equalis in præclaritate virtutum, ac meritorum; sicut illud à multis exponitur: *numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* Job 1. 8. Sylveira in Matth. 10. 31.

Ex Novo.

Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Matth. 2. 2. Unde Regem noscunt? *Vidimus stellam ejus*. Lucebat sole lucente; quia aliarum stellarum splendorem luce sua fugat. Si stella illa nocte luxisset, non hæc tanta magnificentia fuisset. S. Isid. Pel. l. 3. ep. 30. qui non ob adversariorum imbecillitatem, victoriam assequitur; sed ob virium suarum magnitudinem, fortes viros superat; clarus, atque illustris est; dignusque, qui publico præconio celebretur: nam tum denique victor prædicaberis, si summa virtute præditos superes. Quòd pigmæum gigas sternat, nec mirum id, nec magnum; sed si gigantem pigmæus vincat gloriosum. Justinus hist. suæ l. 14. c. 4. de Antigono: tantò pulchrior hæc Antigono, quàm Alexandro, tot victoriæ fuere: ut, cùm ille Orientem vicerit, hic etiam eos, à quibus Oriens victus fuerat, superaverit. Did. Nyss. D. 2. Epiphan. §. 3.

Multis passeribus meliores estis vos. Matth. 10. 31. Luc. 12. 7. *multis passeribus pluris estis vos*. Tertull. l. de resur. carnis c. 14. multis passeribus antestare nos Dominus pronuntiavit: Si non & phœnicibus; nihil magnum. Homines semel interibunt, avibus Arabiæ de resurrectione securis. Si enim phœnice non essemus præstantiores; nihil magnum: in actibus enim eroicis non solùm debemus excedere vulgus; sed etiam eos, qui rari sunt, ut Phœnix. S. Hieron. ep. ad Pamach. de eodem: antequam Christo tota mente serviet, notus erat in senatu; sed multi alii habebant infulas singulares. Totus orbis hujuscemodi honoribus plenus erat. Primus erat; sed inter primos. Quamvis clarus honor, vilescit in turba: latent in multitudine laureæ. At nunc omnes Ecclesiæ Pamachium loquuntur. Sylveira in Matth. 10.

Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. Matth. 14. 28. Veni, noli trepidare; sed curre: nihil enim te dignius, nihil Christo gratius, quàm si ambules audacter super undas, quas cœteri navigio transmittunt. Hoc enim omnibus præstandum, qui Apostolos sectantur: præstantior nobis inenuda via, quam vulgus non atterat. Eluxit hoc in Dei militibus. Sampson maxilla. Judic. 15. 15. David funda contra hostes triumphavit. Si Deo militas, audeas necesse est, quod cæteri non solent. Cohors Gedeonis tota imbellis cogitur, inermis pugnat; non gladiis, sed lagenis, delet Madianitas. Judic. 7. 20. tubis Jericho corruit. Judic. 6. 20. 2. Machab. 1. 20. 21. *Sacrificia, quæ imposita erant, jussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua accensus est ignis magnus*. v. 22. Mos Dei hic est; ex aqua ignem elicit &c. Oliva l. 5. Strom. §. Domine, si tu es &c. Vide hic plura in hanc materiam.

Resplenduit facies ejus sicut Sol &c. Matth. 17. 2. Tunc Pater æternus v. 5. *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipsum audite*. Cur non simul illum *videri* jussit? Certè talis erat; ut non minùs videri, quàm audiri mereretur: Vult, ut in filio admirentur, quo excidit reliquos. *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*. Joan. 7. 46. Ut viderent Filium, non præcipiebat, quia, quæ in illo tunc, eadem in sole, in nive, videri poterant: quasi, indicare volens; non expectandos applausus, si hæc solùm facias, quæ plerumque vel ab omnibus, vel à pluribus fieri solent. Did. Nyss. D. 10. Pent. §. 2.

Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Matth. 25. 6. Itane verò concubia nocte venit Sponsus? media nocte, quando sopor profundissimus, inquit Hieronymus: nonne commodiùs venisset ad horam octavam, aut nonam; quando Virgines etiamnum pervigiles Sponso alacres occurrere potuissent? Cur tam intempestivus advenit iis horis, quibus plerique stertere solent? Reperisse in excubitu Virgines tunc; cùm omnes pervigilant, nihil hoc magnum, nihil eximium fuisset; sed insomnes invenire, cùm cœteri somno indulgent, id laude dignum. Id. hic.

Non sum sicut cæteri hominum. Luc. 18. 11. Levis gloriosa est, sibi de hoc placere, quod communiter habent omnes. Si se sic Pharisæus supra alios extulisset; & meliorem, sanctioremque, iis prædicasset; tolerari laus hæc potuisset; si tamen vera fuisset: sed quod de hoc solùm gloriatur; quòd non esset adulter, raptor; inanis jactantia fuit. Id. ib. Audi, præ quibus unctum se gloriatur? non magna gloria, non super aromata; sed super sulphura cœterorum. Gilbertus s. 38. in Cant. Qualis gloria? si dicerem, quòd rosa florum imperatrix fragrantia sua suderet ardentem picem, ferventem resinam; vel sulphur, cùm fumat. Did. Nyss. l. 7. Phæn. Gr. c. 8.

Ascendit in arborem. Luc. 19. 4. Nisi supra turbam te erigas, non videbis Christum. Multi è via Christum viderunt transeuntem; illi viciniores, quàm Zachæus: quibus spretis, unum Christum Zachæum elegit; quòd generosè in turba supra turbam se quærit. Oliva l. 13. Strom. hic.

Petrus affixus Cruci martyrio coronatus est; at in sublime pedibus elevatus crucem resupinus ascendit. S. Hieron. l. de Script. Eccl. si quæras, cur Petrus contrà, ac alii solebant, crucifigi voluerit? Respondebit S. Ambros. ut ipse sibi exacerbaret supplicium. Nihil singularis erga Christum amoris ostentare se Petrus existimabat, si more, & morte, communi occumberet: itaque resupinus, quod inusitatum, crucem ascendit; ut faceret plus aliis, nam hoc facere, quod vel omnes, vel plerique faciunt, non est gloriosum. Did. Nyss. D. 10. Pent. §. 2.

§. IV.

Perfectionis motiva varia.

Creavit Deus hominem ad imaginem suam. Gen. 1. 27. Habet homo in creatione sua, ut sit imaginem, fiat ad similitudinem. Ubi tibi gratia? quamobrem coronaris? Si Creator omnia dedit; quomodo tibi patet ascensus ad cœlum? Unum igitur dedit, alterum inchoatum reliquit: ut te ipse perficiens dignus fias, qui à Deo prœmium, & mercedem consequeris. S. Greg. Nyss. orat. 1. in *faciamus hom.* &c.

Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus &c. Jos. 14. 12. Glossa: nihil humile, nihil dejectum. Sanctus requirit; sed montem excelsum; in quo sunt civitates magnæ, & munitæ. Naxera hic §. 25.

Decet nos implere omnem justitiam. Matth. 3. 15. Syrus: *omnem rectitudinem*. Hoc est, quidquid justum est, & rectum, sanctum, & DEO gratum; neque quidquam tale recusare; etiamsi humile sit, nec ulla lege cautum; sed solùm consilium, quale hic est, ut ego Christus baptizer à te Joanne. Cornelius hic.

In magna domo non solùm sunt vasa aurea &c. 2. Tim. 2. 20. Nos operam demus; &, quantùm possumus laboremus; ut vas aureum, vel argenteum simus. S. Cyprianus ep. 51.

Non invenio opera tua plena coram Deo meo. Apoc. 3. 2. Plena, id est, perfecta. Idque 1. quia, ut arbor florida, sed infructuosa, pietatis habes speciem; non fructus, & opera, &c. quia non est constans in bene agendo &c. Cornelius hic.

Si-

Sicut corpus ad ea, quæ sunt excelsa corporum, idest, ad cœlestia, naturaliter erectum est; sic animus, qui substantia spiritualis est, ad ea, quæ sunt in spiritualibus excelsa, erigendus est; non elatione superbiæ, sed pietate justitiæ. S. August. l. 11. c. 5. de Trinit.

Is Domini nostri mos est; ut, quoties videt animam aliquam multo desiderio, promptitudineque intenta spiritualibus inhiantem; liberaliter illam gratia, & opulentis suis donis locupleteet. S. Chrys. hom. 4. in Gen.

Talis in foro esto, qualis & in Ecclesiis: talis in rebus, talis in cogitationibus, talis in operibus, talis in verbis; qualis in confessionibus, accuratus, & perfectus. S. Ephrem de pœnit.

Cogita iis animi affectibus justitiam inquirere, & ejus vestigiis ea alacritate insistere; qua venatores insistere solent. Isidorus Clarius l. 2. or. 10.

§. V.

Perfectio quid sit? in quo consistat.

Fuit vir unus. 1. Reg. 1. 1. Perfectio viri in præconio ponitur unitatis: ut, qui sæculum potenter despicit, mentem non dividat; Solis superis inhiet; ad ea tantùm, quæ de visione conditoris sunt, æterna gaudia suspiret. S. Greg. hic.

Perfecta vita est mortis imitatio. Id. mor. l. 13. c. 7.

Illi perfectè diligunt Deum, qui volendo, quod vult Deus; & nolendo, quod non vult, acquiescunt. S. Prosper lib. 3. cap. 15.

Tunc perfectum est unumquodque, cùm finem ultimum suum fuerit assecutum: sicut ex opposito omne illud, quod fine suo caret. Gerson. in Cant.

§. VI.

Perfectionem consequendi media.

Primum.

Pedetentim.

AD thronum suum Salomon aliis gradibus leunculos statuit, in summo verò leones. 3. Reg. 10. 19. 20. Celsiora nempe majore semper cura custodiuntur. Primum gradum tenere volenti, cum leunculis confligendum; ambienti summum, cum leonibus. Putarim, non omnes leunculos æqua statura conflatos; sed pro graduum discrimine, inæquali gradatim constare mole. Naxera in Jos. 14. §. 35.

Neque mittunt vinum novum in uteres veteres. Matth. 9. 17. Per hoc Christus insinuat: quòd sicut debilia vasa ferre nequeunt nova vina; sic rudes, & fragiles Discipuli sui nondum disposici erant ad sustinendum magnum rigorem jejunii: sed innovandi erant per infusionem spiritus S.; quatenus fervorem perfectionis, & abstinentiæ rigorem utiliter possent sufferre. Sed paulatim ad perfectionem ducendi sunt: sicut novitiis in religione conceditur annus probationis; in quo vires proprias experiantur, & pederentim ad perfectiora exercitia extendantur. Dion. Carth. hic.

Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22. 21. Priùs Cæsari, deinde Deo: quia etiam natura ab imperfectiori ad perfectius procedit. - Priùs Jacob accepit Liam, quàm Rachelem Gen. 29. 23.

Secundum.

Quasi semper incipiens.

Factum est vespere, & manè, dies unus, Gen. 1. 5. Matutinum tempus antecedit vespertinum: videtur ergo potiùs dicendum, factum est manè, & vespere. Stephanus Cant. in Alleg. Tilimanni: bene post vesperum sequitur manè; quia vesper significat perfectionem operis, manè autem inchoationem. Licèt sis in virtutis perfectione, tamen sic te habeas, ac si tunc inchoares. S. Leo s. de jejun. quantumlibet quisque justificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quò probatior, & perfectior, esse possit. Sylveira c. 31. in Joan. 10.

Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem. Ex. 33. 11. Nihilominus ait v. 13. *si inveni gratiam in conspectu tuo; ostende mihi faciem tuam*. Ut jucundissimam visionem ulterius protrahat; & visionis producit desiderium: sciebat, divina securiùs possidere, qui ardentiùs possessa ambit. Naxera tr. de B. V. §. 31.

Ad distinctum persequor. Philipp. 3. 14. Senior ille in vitis PP. rogatus, quid perfectionis studiolo agendum esset? respondit: eum imitari debere canes venaticos. Sicut enim illi leporem velocissimè, totoque conatu, persequuntur; non respectant, quæ in via sunt, aut offeruntur; sed oculis, sensibus, & viribus omnibus; etiam per saxa, & vepres, in leporem feruntur; nec quiescunt, donec eum cœperint: ità & virtutis studiosum circa virtutes facere debere. Cornelius hic.

Alia media.

Accenso, ac inflammato animo, nec ulla re alia, nobis opus est: ut eximii, ac mirabiles efficiamur. S. Chrys. hom. 68. in Matth. 21.

Si quis Deum semper haberet antè oculos pro regula omnium operationum suarum; & in omnibus operationibus suis, nec propriam utilitatem, nec gloriam, nec voluptatem, quæreret; sed solùm, ut Deo placeret; brevi perfectus evaderet. Idiota in Ps. 15.

Quicumque vult perfectè vivere, nihil aliud faciat, nisi ut contemnat, quæ Christus in cruce contempsit; & appetat, quæ Christus appetiit. Nullum enim exemplum virtutis abest à cruce. S. Thom. Aqu. Opusc. 3. c. 6.

§. VII.

Perfectionis desiderium.

BEati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Matth. 5. 6. Videtur sat fuisse, si diceret, beati, qui desiderant justitiam. Respondet Chromatius s. 8. de beatitudinibus: quia si justitiam unusquisque nostrum esuriens, ac sitiens, desiderans concupiscat; non potest aliud, quàm justitiam quærere: quia esuriens, ac sitiens, necesse est id, quod sitit, concupiscere. Did. Nyss. D. 2. Quadr. §. 5. Cur esuriei, & siti potiùs, quàm alii appetitui, aut desiderio, comparavit curam animæ? Cajetanus: non dixit Dominus: beati, qui desiderant, aut appetunt, sed, *qui esuriunt, & sitiunt justitiam*: describitur, non solùm magnitudo, sed etiam prævalentia appetitus: esuries namque, & sitis, prævalent reliquis nostris appetitionibus. Imperii siquidem, gloriæ, & reliquorum, desideria posthabet esuriens, ac sitiens, justitiæ; quo nomine omnis virtutum species continetur. Did. Nyss. D. 14. Pent. §. 5.

Si quis ædificat super fundamentum hoc &c. 1. Cor. 3. 12. Non potes pretiosus esse lapis? esto aurum. Non potes esse aurum? esto argentum. *Alia claritas solis &c.* 1. Cor. 15. 41. Non potes esse sol? esto luna. Non potes esse luna? esto stella. Non potes esse eximia quædam, ac prælustris stella? esto vel una de minoribus: tantùm sis in cœlo. S. Chrys. in illud Ps. astitit regina. Ps. 44.

Si non potes sol fieri, fias stella duntaxat: tantùm ascende super terram, incipe æmulari sideribus. Id. hom. 22. ad pop.

Etsi totum consequi nequeas; tamen in rebus omnibus, quæ natura bona sunt, non parvum est lucrum, vel partem earum aliquam consequi. S. Gregor. Nyss. l. de vita Moys.

Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit: & in eò quisque perfectibilem se probat; quòd ad majorem tendit perfectionem. S. Bernardus in Epistolis.

Miscellanea.

Tribulatio patientiam operatur &c. Rom. 5. 3. Ecce, quibus ætatibus justus perfectum roboratur in virum: in tribulatione, patientia probatione, spe. Tribulatio velut prima justi viri concutit, & conturbat infantiam. Sed cùm insenuerit ista patientia; ad majora adolescentem, jam bonæ indolis tunc erudit.

Tribulatio patientiam operatur. Patientia est, quæ Christi juvenem aptum probat esse virtutibus. Spes est, quæ virum perficit, & ad mensuram Christi plenitudinis indefessa perducit. S. Chrysol. s. 110.

Verum lumen jam lucet. 1. Joan. 1. 8. *Verum*, idest, perfectum, plenum, divinum. *Erat lux vera*. Joan. 1. 9. idest, perfecta, & essentialis. *Ego sum vitis vera*. Joan. 15. 1. id est, perfecta. Joann. 6. Eucharistia vocatur *panis verus*, id est, perfectus; plenè cibans & satians. Cornelius in 1. Joan. 2.

T I T U L U S XIX.

PERSECUTIONES.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Dominus in flammâ ignis de medio rubis. Ex. 3. 2. Filius Dei in utero Virginis. Persecutio in Ecclesia Dei. Tribulatio in anima justi. Hugo Card. hic.

Nigra sum. Cant. 1. 4. in pressuris persecutionum: sed formosa in decore virtutum. S. Isidorus hic.

Nolite me considerare, quòd fusca sim. Cant. 1. 5. idest, nolite me constitutam in persecutione despicere: æstus enim tribulationem sustinui; & quasi decorem temporalis jucunditatis amisi. S. Justus Orgel. hic.

Ignem veni mittere. Luc. 12. 49. Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 29. Maldonatus, per hunc ignem intelligunt, odia, dissensiones, tribulationes, & persecutiones ab Infidelibus. Cornelius hic.

§. II.

§. II.

Persecutiones incrementum Ecclesiæ.

Num. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

AQua elevaverunt arcam in sublime à terra. Gen. 7. 17. Quia Ecclesia per tribulationes exaltatur, proficiens, & numero, & merito. Hugo hic.

Quanto opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur. Ex. 1. 12. Vide, quàm crescat adversis agitata virtus; quæ in prosperis languet, & marcescit. In Hebr. pro *multiplicabuntur*, est *erumpebant*: sicut aqua, vel fluvius; quò magis arctatur, & concluditur; eò majori copia eluctatur; aggeres, obicesque, perfringit, & erumpit. Cornelius hic.

Dixit Sion: dereliquit me Dominus &c. Is. 49. 14. *nunquid oblivisci potest mulier* &c. Non est dubium, quin congregatio Sanctorum, quæ priùs fuerat in Judæis, & à Domino derelicta est, ista commemoret; & voce lacrymabili conqueratur, se esse desertam. Cui respondit Deus, naturali utens similitudine: si potest fieri, ut mater sui obliviscatur infantis, & ad partum viscerum suorum non flectatur misericordia & ego obliviscar tui. Plus aliquid dicam: *& si illa oblita fuerit*, vincens mentis duritia jura naturæ; *ego tamen non obliviscar* creaturæ meæ; & Sanctorum animas semper in meo corde retinebo. S. Hieron. hic l. 13.

In Idumæam extendam calceamentum meum. Ps. 59. 10. Ecclesia loquitur: perveniam usque in Idumæam. Sæviant tribulationes, bulliat scandalis Mundus; *extendam* &c. usque ad eos ipsos, qui terrenam vitam diligunt; quoniam interpretatur *terrena*. Cujus rei calceamentum? nisi Evangelii: *Quam pulchri pedes &c.* Is. 52. 7. S. August. hic.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. Ps. 128. 3. Aquila, & Theodotion, transferunt: *araverunt peccatores*. Cur dicuntur arare, qui persequuntur? quia sicut ex oratione lætæ segetes, ità ex illis multiplices virtutes oriuntur. Unde D. Chrysost. hom. ad pop. Antioch. vocat malos honorem agricolas. Mendoza in 1. Reg. 1. 6. Annot. 6.

Viduam ejus benedicens benedicam. Ps. 131. 15. Vidua Christi dicitur Ecclesia: quia omni auxilio destituta mundano, solam spem suam ponit in Domino; patitur, quod vidua, improbitates malorum, direptiones crudelissimas impiorum; & tamquam maritali auxilio destituta, semper mœret, semper atteritur. Cassiodorus hic.

Filii Matris meæ pugnaverunt contra me; posuerunt me custodem in vineis. Cant. 1. 5. Una erat Christi vinea Jerosolymis, ipsa videlicet Ecclesia primitiva. At postquam persecutione facta temporibus B. M. Stephani, dispersi sunt omnes, per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apostolos; contingit, ut plures essent vineæ, idest, Pluribus in locis Ecclesiæ essent Christi, prædicantibus Verbum eis qui fuerunt huc, illucque dispersi. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam, non custodivi*. Acsi apertè diceret: hoc mihi acerbitas persequentium attulit; ut plurimarum essem custos vinearum, Ecclesiarum videlicet Christi. Non custodisse autem vineam, non ad mentem, sed ad locum referendum est. V. Beda l. 2. hic.

Audite insulæ, & attendite populi de longè. Is. 49. 1. Post vocationem reliquiarum Israel, & abjectionem in incredulitate populi permanentis, transit ad Ecclesias de gentibus congregatas; & eis, sub insularum nomine loquitur: quæ ità persecutionum insidiis, quasi maris fluctibus, patent; & ex omni parte sæviente naufragio, tunduntur potiùs, quàm moventur. S. Hieron. hic l. 13.

Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos fecit; & orate pro ea ad Dominum. Jerem. 29. 7. hæc Jeremias Hierosolymis commoratus scribit Dei nomine ad Hebræos, qui Babylone exulabant; ut pro ipsius Babylonis incolumitate Deum orent. Et rationem dat: *quia in pace illius erit pax vobis*. q. d. dum habueritis hostes incolumes, qui vos affligant; veram pacem possidebitis. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 8.

Ex Novo, & Patribus.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8. 24. Jesus, quamvis non dormiat, dormire tamen videtur, quanto tyranni sæviunt, quando lupi in bonos insurgunt, quando boni vincuntur, & mali vincunt. Et quia non statim adjuvat, quia non citò laborantibus subvenit dormire putatur. S. Euseb. Emis. Dom. 4. Epiph.

Simile est regnum cœlorum grano Sinapis. Matth. 13. 31. sicut granum Sinapis prima fronte specie sui est parvum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suavitatem. At ubi teri cœperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat; & tanto fervoris calore succenditur, ut mirum sit in tam frivolis granis tantum ignem fuisse conclusum: ità & Fides Christiana prima fronte videtur esse parva; vilis, & tenuis; non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans: at ubi diversis tentationibus teri cœperit; statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ crudelitatis aspirat: & tantò divini ignis ardore jactatur; ut & ipsa ferveat; & participantem sibi ardere compellat. S. Ambros. s. 1. hic de grano Sinap. S. Mater Ecclesia Spiritu S roborata, per illatam persecutionem, & Fidelium suorum necem; minimè decrimentum sustinuit: sed, more sinapis, quò magis atterebatur, magis augmentum accepit. Rich. à S. Vict. l. 2. c. 6. in Apoc. 6.

Cùm autem creverit &c. Matth. 13. 32. Sicut hoc granum, quantitate permodicum, crescit in altum; sic Ecclesia in principio sui contempta, & numero parva, crevit in populum infinitum, seu Ecclesiam toto orbe diffusam; quando *in omnem terram exivit sonus*, idest, prædicatio Apostolorum. Dionys. Carth.

Vidi septem candelabra aurea &c. Apocal. 1. 12. Subtiliùs discutiendum videtur; cur ipsæ Ecclesiæ candelabris aureis comparentur? Aurum per ignem probatur, malleis extunditur; & in candelabri formam producitur; & instrumentum ignis, & luminis efficitur. Et Ecclesiæ tentationibus probatæ, tunsionibus persecutionum extenuatæ, ardent igne sapientiæ cœlestis, & lucent opera charitatis. Rich. S. Vict. lib. 1. c. 4. hic.

Solet generosa prudentia violentiæ resistere; non secus ac flamma à vento agitatur, tantò plus accenditur, quantò vehementiùs inflatur. Et hoc non solùm consideratione didicit propria; sed etiam ex prioribus cognoscere potuisset persecutionibus; quæ Christianissimum honoratiorem ferè, quàm imbecilliorem, reddidere: quoniam jis animæ magis in pietate sunt obfirmatæ, & per discrimina tamquam ferrum candens aquæ vi temperatæ, ac solidiores redditæ. S. Greg. Naz. or. 1. contra Jujan.

Quemadmodum ignis interdum consopitus, suisque cineribus obrutus, flatu agente recandescit; & quantò vehementiùs urgetur, tantò efficaciùs convalescit: sic novæ Ecclesiæ bona indoles, quantò plures, & majores adversantium lites pertulit; tantò magis profecit. S. Rupertus lib. 5. in c. 5. in Joan.

Sicut frumentum seminatum, & in terra mortuum, in multiplicem resurgit fructum; ità persæpè paucis, pro testimonio Fidei morientibus, multa millia, rationabilem patientiam illorum considerando, in Christum crediderunt. De quibus certè dicas; quia priores illi morientes istorum patres, sive matres, fuerunt; eosque tamquam filios, & filias suo sanguine pepererunt. Rupertus Abb. l. 2. c. 17. de glorific. Trinit. &c.

Num. II.

Testimonia ex Novo.

Absque Synagogis facient vos. Joan. 16. 2. Glossæ ambæ: q. d. sed nè timeatis solitudinem: quia tot acquiretis, ut pro eis videamini ad gloriam Dei occidendi. Ejectis è Synagoga Discipulis, hoc vult Dominus esse solatio; quòd à Judæorum consortio exclusi innumeros in Ecclesiam adducturi sint. Did. Nyss. D. infr. Oct. Asc. §. 3.

Et Multiplicabatur numerus Discipulorum in Jerusalem. Act. 6. 7. Vide, oro, quomodo creverit multitudo: post tentationes tunc crevit, non anteæ. S. Chrys. ho. 14. hic. Cur in prima concione convertit Petrus tria millia. Act. 2. 41. Act. 4. 4. verò quinque millia? Resp. in prima solùm quidam obmurmurantes dixerunt: *quia musto pleni sunt isti*. Act. 2. 13. At hic totus senatus. Se opposuit contra Apostolos; Seniores, & Magistratus, injecerunt in eos manus, in carcerem tradiderunt. Quia, quò plures persecutiones, tantò magis crescunt Christiani. Sylveira in Act. 4. q. 2.

Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia. Act. 8. 1. Nisi à cæde Stephani populus Judæorum in Apostolos seviisset, forsitan solis Jerosolymis Evangelii gratia inclusa esset: nunc verò agitati à Judæis, alius aliò gentium per orbem dispersi sunt. Sanct. Gregor. Nyss. orat. de Sanct. Stephano.

Divina agente providentia, ipsa dispersio Ecclesiæ Jerosolymitanæ occasio fuit plures construendi Ecclesias. Unde quod nostri Codices habent: *dispersi sunt*, Græcè, *disseminati sunt*. Act. 8. 1. V. Beda l. 2. in Cant. 1.

Ex Patribus.

Plures efficimur, quoties metimur à vobis: Semen est sanguis Christianorum. Cùm damnamur à vobis, à Deo absolvimur. Tertull. Apol. adv. gent. in fine.

Augetur Religio Dei, quantò magis premitur. Lactantius l. 5. instit. div.

Nulla pars Mundi ab Evangelio vacat Christi, ex omni gen-

gente, ex omni conditione, adoptantur quotidie millia fenum, millia juvenum, millia parvulorum; & effectibus gratiæ Christianæ etiam ipsa, quibus Mundus atteritur, arma famulantur. S. Ambros. l. 1. c. 10. de vocat. gent.

In tribulationibus fundatur Ecclesia, in tempestatibus, & procellis; in sollicitudinibus, & mœrore; in rebus adversis? & in fluminibus præparatur. Id. in Ps. 48.

Fundendo sanguinem; & patiendo magis, quàm faciendo, contumelias, Christi fundata est Ecclesia. S. Hieron. ep. 62. ad Theophilum adv. Joan. Hieros.

Lapidati, occisi, fugati sunt. Et cum inde, tanquam ex uno loco, fugarentur, quasi ligna ardentia igne divino totam Mundi Sylvam accensam, fervere Spiritus, & lumine veritatis, impleverunt. S. August. in Ps. 30. de Apostolis.

Sparsus est Sanguis, justus: & illo sanguine, tamquam seminatione, per totum Mundum facta, seges surrexit Ecclesiæ. Id. in Ps. 39.

Quomodo manifestum est, quòd meliorem omnibus sub cœlo Fidem nos Christiani credimus? Primùm, quòd non invenimus ab initio Sæculi gentem aliam inter omnes gentes, tot, & tantis, temporibus impugnatam, & tamen non deletam; præter hanc solam Christi fidem. Secundùm, quòd nullus Rex Christianorum aliquibus barbaris infidelibus traditus est in mortem; etiam tot nationibus, ac gentibus adversùs Regnum bella gerentibus. Quin immò non solùm Regem non opprimere, sed nec imaginem suam de monetis, & numismatis, delere cum cruce valuerunt. Et hoc ipsum, quod in omni genere creditur Evangelium Christi, est testimonium infallibile; quòd non sit alia Fides verior sub cœlo. S. Athanasius Alex. lib. Quæst. q. 40.

De terrenis cœlestia prodeunt, de pœnis magna gignuntur; & temporale donum in præmium transit æternum. S. Leo P. s. 2. de jejun. Sept. mens.

Sicut plantæ rigatæ magis crescunt; ità & fides nostra oppugnata magis floret; & seditione agitata incrementa majora sumit. Neque horti aquis irrigati ità germinant, & fœcundi sunt; ut Ecclesiæ; si Martyrum irrigentur sanguine. S. Chrys. s. in Juventinum, & Maximum MM. Tyranni, Ecclesiam, insectando, firmiorem etiam ipsam reddiderunt triumphis magis magisque compactam, & corroboratam. S. Greg. Naz. carmine ad Episcopos.

Fremebant gentes irascebantur populi; sæviebant reges, & Potestates contradicebant; superstitionis, & totius Mundi, reluctabantur errores. Sed de resistentibus, furentibus, persequentibus, populum suum Christus augebat: ac per mortem Sanctorum roborabatur Fides, vincebat veritas. P. Prosper Aquit. l. 2. c. 15. de vocat. gent.

Ecclesia novit beneficio Domini triumphare de suis cladibus, ingravata persecutionibus: siquidem afflictionibus semper augetur, sanguine Martyrum rigatur, tristitia magis erigitur, angusta dilatur, fletibus pascitur, jejuniis reficitur: & inde potiùs crescit, unde Mundus deficit. Cassiodorus, Prologo in Ps.

§. III.

Persecutiones justus præ impio patitur.

Num. I.

Figuræ, & Symbola.

Descenderuntque volucres super cadavera &c. Gen. 15. 11. Nunquam Abrahæ aut epulanti, aut nubenti, aut coacervanti ex gregibus opes, adversati sunt accipitres. Ubi verò triennem vaccam Domino sacrificavit in ara, mox vultures adfuere. Quoties in domo Abrahæ saginatos putas vitulos, ad epularum delicias jugulatos? quot occisos pullos? nulla volucrum invasione. Semel litat cum ariete pullum; & statim lucta initur cum volucribus. Oliva l. 5. Strom. §. Surrexi, ut aperirem dilecto.

Oderant filios Israel Ægyptii. Exod. 1. 13. Causa præcipua ex disparitate cultus. Ægyptii enim colebant suum Apin, seu bovem: Hebræi adorabant verum Deum. Sylveira in Act. 7. 19.

Congregati igitur ascenderunt quinque reges &c. Jos. 10. 5. Quinque reges concitarunt contra se Gabaonitæ; quia transfugerunt ad Israel. Orig. hom. 11. in Jos. cùm anima humana verbo Dei se sociaverit, dubitari non debet, statim se inimicos habituram: & eos, quos habuerit antè amicos, in adversarios esse vertendos. Idque non solùm pati ab hominibus se speret, verùm etiam de contrariis virtutibus, & spiritualibus nequitiis, id omnimodè pro certo sciat. Et ità fit; ut qui amicitias expetit Jesu, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas: oppugnantur ergo etiam nunc Gabaonitæ cujuscumque modi sint, propter amicitias Jesu. Apud Naxera in Jos. 10. §. 19.

Si communicabit lupus agno aliquando; sic peccator justo. Eccl. 13. 21. Lyran. dicitur peccator lupus; quia semper insidiatur justo.

Aquila grandis magnarum alarum - venit ad Libanum. Ezec. 17. 3. Quid actura; ut rapiat, & depopuletur. Væ myricis! væ buxo! & elleboro! Falleris; has ales arbores non violabit. Cedrus laceratur; nec cedri truncus eroditur, sed medulla. Summitatem frondium ejus evulsit. Præstat oleastrum esse, quàm cedrum: quo fueris putridior, sterilior, & nocentior; eò ejus securior ab injuria. Viret taxus in Libano, discerpitur cedrus. Oliva f. 3. D. Pass.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8. 24. Cur illi, qui Christum sequuntur, exagitantur? ratio est: quia, quicumque Christum in aqua, & alto Religionis mari, sequi desiderat; tacitè carpat, & coarguateos, qui in terra sunt desides. Besseus D. 4. Epiph.

Num. II.

Exempla, & testimonia.

Ex Veteri.

Iratusque est Cain vehementer. Gen. 4. 5. Vide, quàm sit homini scelesto gravis, & molesta virtus, probitas, pietas, & innocentia bonorum; quàm oderint impii pastorem Abelem, Doctorem scilicet; qui magis vita, quàm lingua, illorum improbitatem coarguat, & frangat exemplo illorum cupiditates. Ideò ait S. Ambros. l. 1. de Abel c. 6. Ægyptiis abominationi erant pastores ovium. Omnes enim, qui corporis dediti passionibus, & voluptatibus indulgent suis, disceptatorem Verbi Dei, doctoremque virtutis, quadam execratione declinant. Fernandius hìc sect. 6.

Collidebantur in utero ejus parvuli. Gen. 25. 22. Nondum nati, & jam bellatores. Quæ dissidii causa? Esau scilicet vitii, Jacob virtutis personam agebat. Non potuit virtus sine certamine concipi, nec sine victoria nasci. Nax. in Jos. 10. §. 19.

Oderat semper Esau Jacob pro benedictione &c. Gen. 27. 41. Quemadmodum Esau persequebatur Jacob; sic filii sæculi hujus persequuntur filios Sæculi illius. Auth. Imp.

Vacant enim. Ex. 5. 8. Pharao in Israelitas tunc sæviit immaniùs, cùm illi de victimis cogitare cœperunt. Oliva f. 3. D. Pass.

Dixerunt ad Joas: perduc filium tuum huc, ut moriatur: quia destruxit aram Baal, & succidit nemus. Judic. 6. 30. Ecce cur in Gedeonem nimbus odii se exoneret. Si scortaretur adolescens, nemo mutiret: in illum conspirarunt Madianitæ innumeri; quòd monstra sustulerit. Judic. 7. 12.

Saul, cùm mitis, & dejectus in oculis suis esset; & virtutum præstantia à Deo, tum lauro, tum sceptro, destinaretur, audivi. 1. Reg. 10. 27. *num salvare nos poterit iste? & despexerunt eum.* Ubi verò flagitiorum omnium sentina effectus est, obsequentem sibi Israel à melle prohibuit. 1. Reg. 14. 24. Oliva lib. 5. Strom. §. Surrexi ut aperirem &c.

Et ait Achitophel ad Absolon: ingredere ad concubinas patris tui: ut, cùm audierit &c. 2. Reg. 16. 21. Quò ejus scelestior, eò ejus cohortibus gratior. Oliva f. 3. D. Pass.

Similis factus sum pelicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Psalm. 101. 7. Pagninus, & alii vertunt; *factus sum sicut bubo.* Scilicet postquam animum adjeci ad pœnitentiam; & Mundo renuntiare cœpi; omnes me, ut bubonem, persequuntur. Did. Niss. f. 2. Dom. Palm. §. 4.

Abominantur impii eos, qui in recta sunt via. Prov. 29. 27.

Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham. Cant. 5. 5. I. pernega, iis persecutionem impendere, quibus placet sequi Jesum. Necdum sponsa ostium domus suæ Christo reseraverat; & jam manus ejus myrrham exsudant. Quid illa fiet, si non exurgat tantùm, ut excipiat sponsum; verùm & circumcurset, ut eum exploret? jam non è digitis myrrha, sed è vulneribus cruor, emanabit. Oliva l. 5. Strom. §. Surrexi &c. Daniel ad leones damnatur; cur? oravit. Susanna saxis destinatur; quam ob rem? pudori oppignoravit fidem. Abimelech ad necem poscitur; quo crimine? Davidem pavit. Abel mactatur; quid flagitii admisit? litavit. Exulat Elias; qua sceleris invidia? expiatæ à sacrificalis Samariæ. Id. ib.

Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. Sap. 2. 12.

Et remigabant viri &c. Jon. 1. 13. *cognoverunt enim viri quòd à facie Domini fugerat.* v. 10. Tunc placuit, cùm se Numinis transfugam dixit. Misereri sunt ejus, qui peccavit: & quem fortè insontem mesissent, authorem tanti discriminis servare conantur. Oliva f. 6. D. 4. Quadr.

Ex Novo.

Magdalena.

Quid molesti estis huic mulieri. Matth. 26. 10. Dilt peccat Magdalena; & nemo adversatur: convertitur; & nemo non de ea loquitur. Prosternitur ad pedes Jesu, & adversarios patitur: accurrit ad caput ejus, & laceratur: plorat; peccatrix

trix dicitur. Seu lacrymas, seu unguenta, effundat; compescere non potest susurrones; Pharisæos, & Apostolos, infestos habet. Oliva t. 2. Strom. §. quid molesti &c.

Magdalena fœtere tum nardo cœpit, cùm illo Jesum unxit. Quamdiu se unguento obliniit; ornata, non prodiga, habebatur. Præstabat in cœna Simonis inebriari, quàm obsequi. Id. fer. 3. D. Pass.

An non Magdalena sumptus majores, & vanissimos quidem fecit in unguenta, liquores, & odores, quos sibi ipsi, ut idolo adolevit? ad hæc certè trecenti denarii satis non erant. Quantum de Moscho, ambra, & balsamo; quantum succi odoriferi, in solos cincinnos insumpsit? quanta auri copia, gemmarum luxus? an tamen ullus contra eam infremuit? an in faciem prodigam vocavit? Cùm autem exiguum vanitatis suæ tributum Christo in donum offerret; en tibi subitò calumniæ, & fremitus. Segn. ser. 8. die Jov. Dom. 1. Quadr.

Videns Pharisæus &c. Luc. 7. 39. Et regione mala bonis obsistunt; & semper è vestigio contra bonum aliquid mali consurgit, non tamen gratis, atque sterilitter; sed sæpè ut bonum elucceat peramplius, cùm superaverit, probetur ex pugna. Sim. Cass. l. P. c. 29.

Num. III.

Alii.

Caput Joannis Baptistæ. Marci 6. 24. Addit *Baptistæ* qui prædicabat baptismum pœnitentiæ. Solent iniqui inde odisse Sanctos, unde maximè obligantur: quia scilicet eis viam salutis ostendunt, scelera arguunt &c. Sylveira hìc c. 32.

Eiecerunt eum extra civitatem. Luc. 4. 29. Non patitur impietas pios, iniquitas justos non sustinet: & quietem non suscipit, quemque abjecerit, quod sibi videbatur adversum. Exilium patriæ justus ab impiis; & extra reprobrum conventum semper expellitur bonitas. Et, ut agendorum cura sit liberior, propellitur, qui vellet arguere. Simon Cass. l. 9. cap. 13.

Cœcus secus viam. Luc. 18. 35. Et Christianus existens in peccato mortali, quia non est in via. Quando autem peccator, idest, cœcus, reducit se ad viam, idest, ad Christum, qui dicit: *ego sum via*, & incipit clamare; statim reprehenditur. Iste defectus est hodie in Mundo: quamdiu homo est secus viam, idest, in peccatis, mendicans Mundana, & temporalia; nullus curat illum reprehendere; sed magis applaudunt illi: sed si dat se devotioni, & bonæ vitæ, Statim redarguitur. Et, quod fortius est, dicit textus: *& qui præibant.* Non dicit, qui sequebantur, vel comitabantur; quia majores in scientia, dignitare, & officio, sunt primi ad reprehendendum eos. S. Vinc. Ferr. s. 1. Dom. Quinq. Aures viatorum clamoribus cœcus obtundebat, stipem mendicans; quod cùm semper ageret, nemo objurgavit. Transtulit à cupiditate vocem ad salutem, imploratque semel tantùm pro luce Jesu: *Fili David miserere mei!* mox eum viatores compescuere. *Et qui præibant.* Cur silere eum nunc jubetis, quem scitis semper clamasse? Clamabat olim, sed mammonæ; nunc Christum inclamat: non clamoris tædet, sed implorati. Oliva lib. 1. Strom. §. Deest panis &c.

Sabbatum est; non licet tibi tollere grabatum. Joan. 5. 10. Trigintaocto annis jacuit paralyticus in lecto, quem non aspicere dignabantur Judæi: cùm primùm autem sanitatem recepit ajebant: *Sabbatum &c.* Miser hic homo nec unum habuit hominem accurrentem, dum in lecto jacebat; sanatus à Domino nullos invenit non juvantes, sed impedientes. Did. Nyss. f. 2. D. Palm. §. 4.

Adducunt eum ad Pharisæos. Joan. 9. 13. Quamdiu hic homo cœcus existebat, nemo cum eo contendit: ut autem ejus oculi aperti sunt, omnes eum persequuntur; omnes eum supplantare conantur. Diez f. 4. D. 4. Quadr.

Quia de Mundo non estis - propterea odit vos Mundus. Jo. 15. 19. Quare odit? quia *totus in maligno positus.* 1. Joan. 5. 19. Vos autem in via bonitatis electi. A dissimilibus bonis est odium; à dissimiliter viventibus infertur persecutio. Simon Cass. l. 12. c. 11.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. 1. Cor. 3. 18. Salvianus l. 6. de Provid. hæc est dicere: si quis vult esse sapiens, sit bonus: quia nemo verè sapiens, nisi verè bonus. Cur Salvianus bonum vocat, quem Paulus stultum? Si Mundi audias stylum, soluta difficultas. Mundus enim probos stultos vocat, & velut insipientes contemnit: nam idem est bonus apud Deum, ac stultus apud Mundanos. Castillo Illat. 215.

Mihi Mundus crucifixus est. Galat. 6. 14. Qui cum Deo pacificus est, nullius inimicitiam metuit: tutus enim est in protectione, & misericordia Dei; quæ promissa est, & manet super Israel Dei. S. Ambros. hìc. Non solùm inquit mortuus Mundo, sed & crucifixus. Omnia, quæ Mundus amat, crux mihi sunt: delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes.

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. 1. Petri 4. 14. Si quis unquam cachinnos, & ludibria, passus est, Noe fuit. S. Chrysost. hom. 3. in Gen. verisimile est, eum subsannatum, & irrisum ab omnibus. Habitabat in medio populi scelerati, & protervi. Licèt fortè initio territi sint nonnulli, cùm novus propheta Noe vicinum Mundi interitum ex Dei mandata nuntiaret. Cùm autem viderent unius, duorum, trium, immo centum annorum serie evoluta, minas diluvii in cassum recidere, & successu carere; Noe verò nihilominus fabricæ suæ strenuè insudare; arcæ certatim circumfusi in quot non cachinnos prorupere: ò, inquiebant, te senem bis puerum! ò prophetam mendacem! Cùm verò illum postea sudo, ac sereno die navim ingredi videret; tantò animalium, & bestiarum, exercitu præeunte; tunc irrisiones, & ludibria crevere. Ecce, clamabant, senem delirum! qui cùm aura libera, cœloque sereno, frui possit, seipsum voluntario carceri mancipat. Pulchrum sanè consortium lupos inter, & ursos! quæ catenæ tot belluas continebunt, nè impetu facto miserum discerpant? O fatuum! timet undas! tigrides non metuit nè suffocent. Cùm verò post septem dies, laxatis cœli cataractis viderent delabi pluvias, intumescere alveos, inundare flumina, effundi maria, valles abscondi, montes aquis æquari; ò quàm subitò alia rerum facies successit. Fluctuabat in novo Oceano secura, & gloriosa Noe arca, inter mersorum ejulatus, & clamores. Noe verò in hac miserorum clade non insultabat illusoribus, nec eorum interitu exultabat; sed pereuntibus intimè condolebat. Talis etiam erit sors vestra, si maledicas linguas æquo animo tuleritis. Nunc quidem vos rident, & dicteriis lacessunt &c. Segneri ser. 8. die Jov. D. 1. Quadr.

Et blasphemaris. Apoc. 2. 9. Rich. à S. Vict. quoniam cœtui malorum semper est odiosa bonorum vita; & quem Deus commendat, ferato parvorum blasphemat; rectè subjungit: *& blasphemavit ab his.*

Ex Patribus.

A primordio justitia vim patitur: statim, ut coli cœpit Deus, invidiam religio fortita est. Tertull. lib. Adv. Gnost. cap. 8.

Perversorum derogatio vitæ nostræ approbatio est: quia jam ostenditur; nos aliquid justitiæ habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo. S. Gregor. hom. 9. in c. 2. Ezech.

Sancta anima, divini amoris spiculo vulnerata, cùm anhelare in Deo cœperit; cùm ad supernam se patriam, per desiderum extendi; ad tentationem ei vertitur, quidquid in hoc sæculo amicum antea, blandumque putabatur: quia, qui peccantem amare consueverant, rectè viventem crudeliter impugnant. Id. in Ps. pœnit. Ps. 31. 7.

Qui domesticus Dei est, exul est Mundo: qui conversatur in cœlestibus, peregrinus est terris. S. Ambr. in Ps. 118. Act. 7. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ.

Quemadmodum justus lætificat cor innocentium, cùm videtur; ita & impii justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides. Id. ibid. Octon. 10. Manus tuæ fecerunt me. Ante finem.

Cùm cœperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pati linguas adversantium. Quicumque illas nondum passus est; nondum proficit: quicumque illas non patitur; nec conatur proficere. S. August. in Ps. 118.

Bonos Christianos, volentes facere præcepta Dei, Christiani mali, & tepidi prohibent: clamant tamen illi non deficientes. Cùm enim quisque Christianus cœperit benè vivere, Mundumque contemnere; in qua sui novitate patitur reprehensores frigidos Christianos. Sanct. August. serm. 18. de Verb. D.

Non potest accidere, omnino non potest; ut, qui virtutem diligenter exequitur, numquam plurimos acquirat inimicos. S. Chrysost. hom. 15. in c. 5. Matth.

Furi lux inimica est, molestus est justus, peccantibus etiam solus apparens; gravis etiam si spectetur. Non enim ferunt illius radios: sicut nec solis jubar, qui oculorum morbo tenentur. Quin gravis est multis malis, etiamsi audiatur solùm. Id. hom. 28. in ep. 2. Cor. 12.

Non potest bonus non esse, qui bonis placet: nec minùs validum argumentum mihi videtur, quòd bonus sit, si malis è regione displicet. Bernardus ep. 248.

Gratulamur, iisdem nos displicere, quibus & Deus non placet. S. Paulinus ep. 6. ad Severum Mundus.

Mundus Deo contrarius, cœlo dissimilis, virtutibus oppositus, sanctitati inimicus, & piis mentibus onerosus. S. Laur. Just. opusc. de inter. conflictu c. 1.

§. IV.

Persecutiones ferendæ, quia breves.

NOn *relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas*. Ps. 124. 3. q. d. non sinet Providentia Dei justos à tyrannis diu vexari. Rupert. l. 7. de glor. Filii hominis: quid est, non relinquet? nisi, diu durare non permittet. Recordamini priorum, ac novissimorum, quicumque virgam suam, idest, potentiam suam elevaverunt super sortem justorum, ad affligendos eos, qui ad vitam æternam prædestinati sunt; non diu durarunt. Nolite timere: quia non tamdiu durabit virga hæc, ut necessariò extendant justi, quasi auxilio destituti, ad iniquitatem manum suam; sed citò frangetur, & in ignem mittetur, ut ardeat. Sylveira in Act. 16. q. 12.

Quasi tempestas transiens non erit impius. Prov. 10. 25. q. d. impius est similis procellæ, & turbini transeunti: quia licèt ad tempus, instar tempestatis, terribilis sit hominibus; non diu tamen subsistit; sed subitò è vita tollitur. Sic de Nabuchodonosor. Jer. 4. 13. *ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus ejus*. Et de Antiocho. Dan. 11. 40. *quasi tempestas veniet contra illum Rex Aquilonis*. Et de Cyro. Is. 21. 1. *sicut turbines ab Aphrico &c.* Cornelius hìc.

Cùm venerit (Antichristus) *oportet illum breve tempus manere*. Apoc. 17. 10. Rupertus l. 10. in Apoc. terret nos magnitudine adversitatis; & refovet de brevitate temporis.

§. V.

Motiva alia.

Ex Veteri, & Novo.

E*Gressum est cornu unum modicum, & factum est grande &c.* Dan. 8. 9. Ecce ibi *cornu modicum, & magnum*, dicitur idem tyrannus: nimirum inferens parva, & magna damna: parva, dum sævit in corpora, illæsis animabus; magna, dum vitam æternam eripiebat aliis, miserè trahens in idololatriam. Baeza t. 3. l. 14. c. 22. §. 1.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Matth. 5. 10. Multi propter suos excessus castigantur: qui volentes seipsos excusare, & quasi beatificare; allegant istam Scripturam; cùm ipsi condignam luant disciplinam propter suam malitiam. Verumtamen, si quis excessit, & pœnam sibi inflictam pro culpa sua æquanimiter tolerat; etiam ipse quodammodo beatus esse videtur. Quamvis enim non patitur propter justitiam suam, tamquam propter causam, videlicet alios ad persequendum merentem; patitur tamen propter causam finalem; videlicet, ut sua culpa per pœnam ordinetur; & Dei injuria vindicetur, amissaque gratia reparetur. Dionys. Carthus hìc. Isidorus Clarius l. 2. orat. 17. quærit, cur hæc octavo loco sit posita? & respondet: hìc illud accidisse videtur, quod in Musicis: ut, cùm ad septem voces progressum est, non possit nova vocis accessio fieri; sed, quæ octava additur, cum prima ita conveniat, ut non duæ, sed una vox esse videatur. Paupertas, & persecutio temporalis sorores sunt; & eis claves regni cœlorum, non tantùm promissivè, sed possessivè conceduntur. Hujusmodi autem ratio est: quia Evangelica paupertas nihil habet, quod Mundi sit: temporalis autem persecutio potest totum Mundum ab homine auferre. Sed quia providentissimus Creator & Gubernator, nullam creaturam sine loco fecit; cùm paupertas, & persecutio, in Mundo locum non habeant; ideo eis possessoriè ex nunc cœlicas sedes dedit. S. Bernard. f. 3. de 8. beatit.

Disputans in schola tyranni cujudam. Act. 19. 9. Idest, juxta Lyranum, Cajetanum, principis, aut viri nobilis. Cùm multi, & magni, insurgunt contra Paulum, ipse se recipit ad aulam principis. Nam, si dantur aliqui magni, qui Sanctos persequuntur; præbet Deus alios principes, qui eos protegant. Fuerunt principes, qui Jeremiam c. 37. 14. cæsum miserunt in lacum; providit alios principes, qui eum de carcere tulerunt. c. 39. 13. Sylveira hìc q. 4.

Noli timere: ego sum primus, & novissimus. Apoc. 1. 17. Christus hìc significat, opus Ecclesiæ à se inchoatum per quasvis tribulationes, & persecutiones, tyrannorum consummaturum: Ut ita Fideles in eis forti, & constanti animo sint, nihil timentes: scientes, quòd Christus, qui est primus, & novissimus, eis tàm initium, quàm finem dabit. Sylveira hìc.

Fui in insula &c. Apoc. 1. 9. Rupertus: cui negabatur terra, cœlum apertum est. Exemplum est ergo omnibus Sanctis, quòd, quantò magis in freto præsentis sæculi affliguntur, tantò ampliùs illis secreta cœlestia manifestantur. Apud Sylveira hìc.

Ex Patribus.

Cùm ex prœlio hujus vitæ æternæ gloriæ victoria nobis præbeatur; qui contra nos ea bella innovant, quibus ad æternam requiem ducimur; profectò nobis magna servitia impendunt. S. Gregor. l. 4. Expos. in 1. Reg. c. 8.

Citò fides inexercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis. S. Ambros. s. 11. in Ps. 118. Octon. 11. omnia præcepta tua veritas &c.

Recusas esse in corpore, si non vis odium Mundi sustinere cum capite. S. August. tr. 87. in Joan.

Propter Deum ista perpeteris; quia scilicet legem ejus audisti. Hoc quo tandem diguo honore pensandum est? quibus diadematis conferendum? Mihi verò magis proveniat inimicitias sustinere propter Deum, atque contemni, quàm vel à cunctis regibus honorari. S. Chrysost. hom. 28. in c. 5. Matth.

Verùm è civitate ejicient. At non etiam ex ea, quæ in cœlo sita est: hoc si potuerint efficere hi, qui nos invisos habent, verè bellum inferent. Quamdiu autem minimè potuerint; guttulis aquæ nos petunt, aut ventis feriunt, aut insomnis ludunt. S. Gregor. Naz. or. 18.

Nisi diabolus Christianos persecutus fuisset, ac adversùs Ecclesiam, bellum suscepisset; nullo haberemus Martyres: iis autem non extantibus, mœsta, ac nihil hilaris, festaque vita nobis ageretur. Quid enim solemnibus hisce conventibus comparari queat? S. Asterius Ep. Encom. in SS. MM.

Miscellanea.

Surrexit interea Rex novus super Ægyptum. Ex. 1. 8. Rex vetus est Deus; novus, diabolus: qui Fideles afflixit. 1. violenter per decem Romanor. Imperatorum persecutiones. 2. Sapienter, per Philosophos, & hæreticos. 3. astutè, & blandè, per illecebras, & voluptates; ut jam facit. Cornelius hìc.

Tradet autem frater fratrem. Matth. 10. 21. Domesticam persecutionem post illam annuntiat affuturam; quæ cunctis videtur esse crudelior, & difficilior ad cavendum, & pœnosior ad tolerandum. Sim. Cass. l. 9. c. 20.

S. Augustinus scribit l. 2. c. 3. de Civit. vulgare fuisse proverbium: pluvia defecit, causa Christiani.

Cupiditatibus, ac voluptatibus, blanditur caro, ut sæculi sectemur illecebras; quod est dirum persecutionis genus. Omnibus quippe his, pro amore divinitatis, repugnare viriliter, Martyrii perducit ad palmam. S. Laur. Just. l. de cont. Mundi c. 6.

Persecutores perniciosissimi sunt, Caro, Mundus, dæmon. Isid. Clarius l. 2. or. 17.

Roma subterranea, & substructiones à primis Christianis factæ, ob persecutiones. Aringo in Roma subterr. de persecutionibus primæ Christianitatis.

T I T U L U S XX.

S. P E T R U S.

§. I.

Laudes, honor, gloria.

S*Eraphim stabant super illud*. Is. 6. 2. Iste unus de Seraphim Petrus Apostolus extitit: qui gratiæ pennis advolans dixit: *pœnitentiam agite*. Rupertus lib. 1. in c. 29. Isai.

Alii Joannem Bapt. &c. Matth. 16. 14. De singulis vulgi opinionibus omnes disputante verum ubi Dominus, non quid alii sentiant, sed quid ipsi Discipuli; tunc omnes tacent. Unus Petrus pro omnibus loquitur: *tu es Christus Filius Dei vivi*. Cur modò non omnes, sed unus loquitur? quia modò verus sensus Ecclesiæ requirebatur, qui debuit tradi à Pastore uno: quia ad securitatem doctrinæ maximè conducit singularitas Pastoris. Baeza tom. 3. lib. 14. cap. 14. §. 12.

Beatus es Simon Bar-Jona. Matth. 16. 17. Sanct. Anselmus hìc: quandoquidem tam perfectæ fidei confessione pollet; ego, cujus dicere facere est, dico tibi: O Simon! *beatus es*! Simon dico Bar-Jona; id est, qui tali confessione: ac pia simplicitate, vocari debes filius columbæ, vel filius divinæ gratiæ; qui in specie columbæ dicitur super ipsum descendisse - filius quidem Spiritus S. fuit, ab eo tempore, quo ab ipso illuminatus gratiam divinæ cognitionis accepit. Arcones in Is. 2. 2. Disc. 5.

Simon, ecce Sathanas &c. Luc. 22. 31. Commune erat omnibus periculum de tentatione formidinis; & divinæ protectionis auxilium pariter indigebant: quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis Petri à Domino cura suscipitur; & pro fide Petri propriè supplicatur: tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro igitur omnium fortitudo munitur; & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium; ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferat. S. Leo s. 3.

Ecce Mater tua. Joan. 19. 27. Sic inter Petrum, qui plus diligebat; & Joannem, qui plus diligebatur, hæreditatem suam Christus divisit: ut Petrus sortiretur Ecclesiam, Joannes Mariam. Guerric. Abb. s. 4. de Assumpt. V. Cùm tota Ecclesia Christo committitur, & Maria sit Ecclesiæ pars præcipua, ipsa quoque Petro concreditur. Arcones in Is. 2. Disc. 5.

Simon Joannis diligis me? Joan. 21. 15. Dominus non dubitabat, qui interrogabat: non ut disceret; sed ut doceret, quem elevandus in cœlum amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat. S. Ambros. in Luc. 24.

Ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quempiam illorum. Act. 5. 15. Tunc Petrus umbra corporis sui visibiliter allevabat infirmos; qui etiam nunc invisibili suæ intercessionis umbraculo Fidelium infirma roborare non cessat. V. Beda hìc. Cur Petrus umbra facit miracula, & sanat? quod de nullo alio Apostolo legitur. Lyran. ponitur differentia Petri ad alios Apostolos in operatione miraculorum: nam alii Apostoli curabant infirmos per tactum manuum; sicut dicitur suprà. vers. 12. *per manus Apostolorum &c.* Petrus autem, non solùm per tactum, sed etiam per umbram; quod est majus. Quod fiebat, ad ostendendum, quòd erat principalis Apostolus. - Sanat Petrus umbra, quod à Christo D. factum non legitur. Cœcum digito. Joan. 9. 6. Puellam mortuam manu. Matth. 9. 25. Vocem filium viduæ suscitat. Luc. 7. 14. Insufflationes dat Apostolis Spiritum S. Joan. 20. 22. Hoc modo Christus operatur; ut ostendat se Filium Patris. Hic operatus est digito in Ægypto. Ex. 8. 19. Manu in Mundi opificio. Psalm. 18. 1. Voce in productione lucis, Genes. 1. 3. Insufflatione in hominis animatione. Gen. 2. 7. Et ita Christus, ut Filius æterni Patris, habet similem illi operandi modum. At verò Sanctus Petrus; cùm sit Spiritus S. juxta illud Christi D. Matth. 16. 17. *vocaberis Bar-Jona*, idest, *filius columbæ*; Spiritus autem Sanctus præclarissima mysteria umbra operatus est. Luc. 1. 35. Matth. 17. 5. *nubes lucida obumbravit eos*, quæ, juxta Chrysost. erat Spiritus Sanct. Sylveira in Act. 5.

Imperator venit Romam, quò festinat? ad templum Imperatoris? an ad memoriam Piscatoris? S. August. in Ps. 140.

Ecce totus orbis undique Romam confluit ad urbem, propter Petrum Piscatorem; non propter Augustum Mundi Imperatorem. Quilibet investigat sepulchrum Piscatoris; nullus inquirit tumulum principis Neronis. Insuper toto Mundo imperans vivus quilibet Augustus, ante mortui Piscatoris, jamque putrefacti, ossa procumbit, lacrymas cum fletu fundit: & suppliciter ornat Imperator; ut sibi propitius sit Piscator. S. Honorius s. de S. Petro in Vinculis.

Petrus omnium Apostolorum os, vertex consortii totius. S. Chrysost. hom. 55. in c. 16. Matth.

Claves cœli lingua est Petri: quia singulorum merita censendo Apostolus, unicuique regnum cœlorum, aut claudit aut aperit. S. Maximus in Natali SS. Petri, & Pauli.

§. II.

Virtutes.

D*omine, si tu es &c.* Matth. 14. 28. Ferventissima Petri erga Christum charitas erat: desiderabat enim statim pedes illic esse. Theophylactus hìc.

At illa amplius loquebatur. Marci 14. 31. Quantò Christus Petri casum magis affirmabat, tantò Petrus, certæ prædictioni illius obtinens, fortiori pectore officium se deserturum negabat. At unde quæso, hæc tanta vis animi illi proveniebat? non aliunde, quàm ab incensa charitate. Victor Antiochen. hìc.

Nec Mundi dominam times Romam, qui in domo Caiphæ expaveras Sacerdotis ancillam. Vincebat materiam formidinis vis amoris: nec æstimabas timori cedendum; dum horum saluti consulis, quos susceperas diligendos. S. Leo s. 1. in Natali SS. Petri, & Pauli.

Nemo Co-Apostolorum in amore sui Jesu fervidior. B. Ivo Carnot. s. in Cathedra S. Petri.

Humilitas.

Matthæus 16. 17. fusè narrat Petri confessionem, & ejus præclara encomia. At Marcus cap. 8. 29. breviter. Cur id; Marcus scripsit Evangelium, juxta sibi relata à Petro, ut testatur Tertull. l. 4. contra Marcion. cap. 5. Cùm in enarranda historia Evangelica. S. Petrus incidisset in suas laudes, eas omninò silet; illas alteri, scilicet Matthæo reservat. S. Chrysost. hom. 49. in Matth. Marcus, qui Petri discipulus fuit, quæ ad Magistri laudem pertinent, forsitan ipso deprecante, ne magnificè de eo diceret, omnino siluit. Sylveira in cap. 11. Matth. 25. cap. 20.

Beatus es Simon Bar-Jona. Matth. 16. 17. Has laudes Marcus 8. 29. non ponit Petri discipulus; cùm hoc ad magnam ejus gloriam spectaret. Marcus scripsit, quod à Magistro suo Petro percipiebat: Petrus autem supprimebat, quidquid propriam laudem redolere videbatur. Sylveira hìc.

Da eis pro me, & pro te. Matth. 17. 26. Vide, quanta philosophiam utitur Petrus: hunc enim locum Marcus, qui Petri discipulus fuit, ideo non scripsisse videtur; quoniam ingens hìc honor magistro deferebatur. Sed negationem quidem ille quoque diligentissimè scripsit. Hæc verò, quæ ad magistri laudem pertinent, ipso forsitan deprecante, nè magnifica de eo diceret, omnino siluit. Id. hìc.

Pœnitentia.

Egressus foras flevit amarè. Matth. 26. 75. Prodit Petrus foras, & se contulit, ut Adrichomius, & alii tradunt, in quandam speluncam, inter Jerusalem, & montem Sion; ibique usque ad diem resurrectionis jugiter flevit. In quo loco postea erecta est Ecclesia in Petri honorem; & perpetuam lacrymarum, & pœnitentiæ memoriam. S. August. s. 121. de temp. flere cœpit amarè, quia Dominum suum cœpit amare. Sylveira hìc.

Trinam negationem trino amore dolet.

Non solùm eum semel; sed iterum, & tertiò, interrogasti: ut trina confessione amoris deleret trinum peccatum negationis. S. Aug. s. 50. de Verb. D. secundùm Joan.

Impletur numerus dilectionis; ut deleat numerum negationis. Id. s. 2. f. 4. Pasch.

Redditur negationi trina confessio; nè minùs amori lingua serviat, quàm timori; & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium, pascere Dominicum gregem; si fuit timoris indicium, negare Pastorem. Id. tr. 128. in Joan.

Petrus, qui audaciùs secutus fuerat, ita adhuc longè erat; ut interrogatus, & perturbatus, ter negaret Dominum; cum quo se moriturum esse promiserat. Qui postea, ex longinquo ut propinquus fieret, audivit post resurrectionem: *Amas me?* & dicebat: *amo*. Et dicendo propinquabat, qui negando longè factus erat; donec trina voce amoris solveret trinam vocem negationis. Id. in Ps. 37.

Alia Virtutes.

Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. Matth. 14. 28. S. Hilarius can. 14. in Matth. quòd respondere Petrus solus audet, & juberi sibi, ut super aquas ad Dominum veniat precatur: passionis tempore voluntatis suæ designat affectum.

Faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17. 4. Quare non dixit: faciamus sex? fortè ideò: quia putabat in illis tribus tabernaculis se, & duos condiscipulos recipi posse, & commorari; sic tamen, ut ipse esset in tabernaculo sui charissimi Magistri. Dion. Carth. hìc.

In verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 5. 5. Quàm alta, & præclara, dixit Petrus hac una voce! 1. eximiam fidem ostendit. Bonavent. Petrus, dum dicit: *in verbo tuo laxabo rete*, confortatus est fide plenissimè. Et hìc primò accepit illam magnam promissionem. v. 10. *ex hoc jam homines eris capiens*. Petrus erat valdè peritus piscandi; & sciebat bellè, nocte faciliùs capi pisces, quàm per diem: quia nocte natant super aquam, die verò ad ima transeunt. Et cùm per noctem Petrus in illo stagno nec unicum piscem cœperit; tamen plus fidei tribuit verbo Christi, quàm naturali experientiæ. 2. Petri spes, quæ ideò perfecta: ut ait. S. Bonaventura; quia habuit confidentiam non in suis meritis; sed in verbo Dei; copiosos pisces prehendit. Sylveira hìc q. 12.

§. III.

Petri fragilitas, lapsus, negatio.

N*olite me considerare, quòd fusca sim*. Cant. 1. 5. *quia decoloravit me sol*. S. Ambros. lib. de poster. Apol. David. c. 8. ea sic legit: *nolite aspicere me, quia obfuscata sum, quia non est intuitus me sol*. Ergo fuscamur, quando non videmur à Christo; sed, quando videmur, albescimus. Si Petrum percunctemur: quid hoc rei Petre? qui factum, quòd Magistrum ter negasti? unde illas tam fœdas maculas contraxisti? posset respondere: non est intuitus me sol. At si rursum quæres: unde nunc tam pulcher factus? unde ista tibi tam dicens venustas? respondet: à sole se visum: *conversus Jesus vidit Petrum*. Quando à Christo videmur, albescimus. Did. Nyss. s. 2. D. Palm. §. de lacrymis Petri.

Et si omnes scandalizati fuerint in te. Matth. 26. 33. S. August. s. 24. de temp. Petrus, non addito adjutorio Dei, promiserat se pro Deo moriturum. Sed quid est homo sine gratia Dei? nisi quod fuit Petrus, cùm negaret Christum. Et ideò Petrum paululum Dominus subdeseruit; ut in illo totum humanum genus posset cognoscere; nihil se sine Dei gratia prævalere. Sylveira hìc.

Petrus sedebat foris, in atrio. Matth. 26. 69. Primum Petro præcipitium objectum, quòd sederet, ad ostium foris. Drogo Ost. l. de Pass. D. propterea negabat, quia intus esse nolebat. Heu! quanto se exponunt periculo, qui sui cordis arcana

cana non lustrant; qui intrà se, aut nunquam, aut raro, volunt esse. Baeza t. 1. l. 4. c. 3. §. 4.

Cur Petrus permissus labi? S. August. s. 124. de temp. ut in clavibus esset fidelis janitor, in sententia clementissimus despensator.

Ob hoc Petrus hæsitare permissus est; ut in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur. S. Leo s. 9. de Pass.

Non humiliter, neque constanter, ut debuit, ingressus est. Et fortasse ideò cecidit: quoniam, non ut pugnaret; *sed ut finem videret*, accessit. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 8. de Petro.

Dominum, ignarus sui, passione timidus, & frigidus charitate, solo corpore sequebatur. Si enim dilectione fervuisset; ad ignem minimè accessisset. Id. ib.

Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum tota contremuit. Ubi est illa promittentis audacia? & de se plurimùm præsumentis? Ubi sunt verba illa, quando ait: quare non possum sequi modò? animam meam pro te ponam. Hoccine est, sequi Magistrum, se negare Discipulum? siccine pro Domino anima ponitur? ut, hoc nè fiat, vox ancillæ formidetur? S. August. tr. 113. in Joan.

TITULUS XXI.

PETRUS, & PAULUS.

Discurrunt per universum Mundum duo splendidissimi negotiatores; portantes coram gentibus, & regibus, & filiis Israel, pretiosa Fidei mercimonia: circumferunt aromata justitiæ, thura divinæ venerationis, incensum compunctionis, balsamum castitatis. S. August. s. 5. in festo Apost. Petri & Pauli.

Petrus, & Paulus, jugati boves Ecclesiæ, qui orbi terrarum insignem operam navarunt; qui pro jugo crucem, sustulerunt? ac professore Salvatorem: pro jugi nexu Scripturarum utrumque Testamentum, pro stimulo Spiritus S. gratiam. Pennaria Dominica, publica totius Mundi hospitia, spiritus receptacula. Petrus spiritualis meus amor; Paulus vas electionis meus baculus. Petrus templum Dei; Paulus es Christi, lyra spiritus: qui tricubitalis est, & cœlum attingit. Cursor velocissimus, in cœlum aquila volans. - Sed de Petro quid dicemus? qui dulce spectaculum est Ecclesiæ, splendor totius Mundi, solutuba castissima, Apostolorum Doctor, Apostulus ardens, spiritu fervens; Angelus, & homo. - qui ob puritatem beatus & filius columbæ, ex Dominico ore audivit. - Vos estis regum protectio, Christianorum muri, barbarorum adversarii. S. Chrysost. orat. encomiastica in principes Apostolor.

Reverendissimos Patres vocat S. Maximus hom. in Nat. Ss. Petri, & Pauli.

Martyrum Duces, Apostolorum Principes. S. Bernardus s. 1. in festo SS. Petri, & Pauli.

Isti sunt, Petrus, & Paulus, duo magna luminaria. Id. ib.

Qui pulchrius hac duorum oppositione fratrum spiritualium, contra duos fratres, qui urbem illam (Romam) fundaverunt: duo namque fratres Romulus, & Remus, illam fundaverunt; malo nimirum auspicio, ut numquam deesset civilis discordia. Nam ut nobis Auctor ait: fraterno primi maduerunt sanguine muri; Romulus quippe Remum interfecit per impatientiam consortii. Pulchro igitur spectaculo contra germanos discordes missi sunt hi duo spiritu fratres, spirituali germanitate concordes: ut supra vetera discordiæ fundamenta novum concordiæ fundamentum Christum ponerent; novamque novo Regi Deo civitatem struerent cum sui profusione sanguinis: quæ pro magna firmitate Apostolicæ Fidei veraciter dici meruit justitiæ sedes, Fidei domus, aula pudoris; cum antea fuisset superbiæ solium, avaritiæ, profundum, vorago sanguinis, & puteus homicidiorum. S. Rupertus de oper. Spiritus S. l. 6. c. 9.

Ambo Christi Discipuli, cùm inspicerentur, Divinum quiddam præseferebant, Spiritu Sancto, & divina gratia, ità refecti: ut, qui non viderent Fideles, ex aspectu solùm arcanam quandam, & latentem exciperent gratiam; moresque, & vitam unà cum Fide conformarent, & in melius converterent. Nicephorus l. 2. c. 37.

TITULUS XXII.

PŒNÆ DIVINÆ.

§. I.

Symbola.

Manus Domini frequenter sumitur in Scriptura pro potentia divina ad puniendum. Exod. 7. 4. immittam *manum meam super Ægyptum*. Job 13. 21. *manum tuam longe fac à me*. Ps. 31. 4. *gravata est super me manus tua*. Ezech. 6. 14. *extendam manum meam super vos*. Hebr. 10. 31. *horrendum est incidire in manus Dei viventis*. S. Ambros. in Ps. 37. manum Dei virtutem intelligimus, puniendi.

Pœna militant in me. Job 10. 17. Militantes dicuntur: quia per quendam malorum ordinem succedentes, officium sibi commissæ crudelitatis exercent. V. Beda hic.

Virgam vigilantem ego video. Jer. 1. 11. Id est, minantem, & agitantem se, ac paratam percutere, ait Rupertus. Sept. vertunt: *ego video baculum nucum*. Theodor. *ego video virga amygdalinam*, quæ prima inter arbores evigilat, id est, sollicita est, ut suos flores imittat. Advertit Theodoretus; sicut nux, vel amygdalum amarum habet corticem, sed nucleum suavem; ità castigatio primò molesta est, sed deinde fructum dat, suavitatem morum. Viegas in Apoc. c. 15. Comment. 1. Sect. 1.

Vigilantem exponit *oculatam*; vel oculos apertos, & vigiles, habentem. Significat enim Dei Providentiam, & justitiam; quæ tota oculata est, nec per errorem supplicium infert; sed maximo judicio, & examine, verberat. Hæc virga vigilans peccatores terrendo excitat, & à somno peccatorum evigilare facit. Unde aliqui, pro *virga vigilantem*, vertunt: *virgam vigilare facientem*. Cornelius hic.

Ollam succensam. Jer. 1. 13. Orig. Rupert. & Ambros. in Ps. 38. priùs Deus hic pœnitentibus exhibet virgam correctionis; quam si nolent, impœnitentibus reservat ollam gehennæ.

Omnis laguncula implebitur vino. Jer. 13. 12. Symmachus, *crater*. Theodor. *vas* q. d. sicut laguncula impletur vino; ità ego implebo vos ebrietate; non bonorum, & voluptatum; sed malorum, & dolorum. 2. laguncula vini, est mensura furoris, & vindictæ; quam propinabit, & qua inebriabit vos Deus. Laguncula sunt ipsi Judæi, qui excipiunt vinum furoris Dei. Cornelius hic.

Transivi super pulchritudinem colli ejus. Oseæ 10. 11. Transit Deus, cùm plagas infligit. Hinc *transit* in Scriptura, significat *punire*. Ità transivit per domos Ægyptiorum occidens primogenita eorum; indeque nuncupatum Pascha. Ex. 12. 12. Ità Hieron. Cornelius hic.

§. II.

Pœnas Deus prænuntiat, ut vitemus &c.

Figura. Symbola.

Arcum meum ponam in nubibus. Gen. 9. 13. Arcus in nubibus est signum duorum: scilicet Judicii præteriti per aquam, nè timeatur; & futuri per ignem, ut timeatur. Inde est, quòd habeat duos, colores: cæruleum, qui aquosus est, & exterior? quia diluvium jam præteriit: & rubeum, qui est igneus, & exterior; quia Judicium ignis venturum est. Hugo Card. hic. Quærit Alcuinus: cur illud, signum diversi coloris datur omnibus? & respondet: in arcu idem color aquæ & ignis ostenditur; ex parte cœruleus, ex parte rubicundus. Est utriusque testis Judicii; unius facti, & alterius faciendi, propter timorem. Si non terret diluvium, terreat æterna gehenna, nè pecces. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 5. Sect. 2. Obs. 9 Addo, in medio viridem cerni, quo, intermedio temporis, misericordia designatur. Quin & ipsa cœlestis arcus figura nobis simul Dei clementiam, & severitatem, ante oculos ponit: severitatem, quia arcus instrumentum est ad feriendum; clementiam, quia caret sagittis, quibus impetat. Et inversus est: nec choardam ad terram, sed ad cœlum, directam habet. Doultreman de amore l. 1. cap. 1. Sect. 6. S. Ambros. l. de arca, & Noè. c. 27. iris est clementia Dei, quæ quasi arcus contentus; sed carnes sagitta; per adversa, quæ immittit, magis terrere nos vult, quam ferire, ut vitia corrigamus. Unde S. Joan. Apoc. 4. 3. vidit thronum Dei circumdatum iride, id est, misericordia.

Ægyptii per omnes fere creaturas puniti sunt: scilicet per terram, aquam, aerem, ignem; per mixta, grandinem, & sanguinem; per animalia, ranas, muscas, sciniphes, locustas: per solem, & astra, cùm se subducendo tenebras induxerunt: per homines, Moysen, & Aaron; per Angelos, & Deum. 2. in omnibus pene bonis puniti sunt: scilicet in fructibus agri, in animalibus, id est, primogenitis; in auro, & argento, in corporibus per ulcera. 3. in omnibus sensibus puniti sunt: in visu, per tenebras, & spectra; in auditu per tonitrua; in gusto, per sitim, & potum sanguinis; in odoratu, per fœtorem ranarum; in tanctu, per dolorem ulcerum, & morsum sciniphum; denique in phantasia, & mente, per continuum mœrorem, ac multiplices terrores. Hæ plagæ fuerunt typus, & præludium pœnarum gehennæ. Cornelius in Ex. c. 7.

Semper, quasi tumentes super me fluctus, timui Deum. Job 31. 23. Cur timorem, ex divina justitia ortum, cum timore, orto ex procella comparavit? Credo duplicem ob causam: unam tradit. S. Gregor. mor. l. 21. c. 17. quia, sicut tempestas cogit ad merces in mare proiiciendas, ut vita serveur, ità divinus timor impellit ad bona temporalia abiicienda, nè spiri-

spiritualia amittantur. Secunda causa: quia sicut coorta tempestate omnes in preces, & vota, ac lacrymas, solvuntur; omnes præterita crimina adjurant, nova vivendi exordia promittunt, divinam gratiam humiles precantur; ita timore divino perculsi, etiam sancti viri, hæc omnia exequuntur. Mendoza in 1. Reg. 12. Annot. 2. sect. 1.

Gladium suum vibravit, arcum suum tetendit &c. Ps. 7. 13. Propterea intendit, propter paravit, propterea sagittas imposuit, propterea se parat ad supplicium, nè veniat ad supplicium. - Nè ergo conturbemur: est enim terror verborum maximæ clementiæ: &, quò dicit intolerabiliora, eò illa ex majori dicit mansuetudine. S. Chrysost. hic.

Arcum suum tetendit. Ib. Ps. 10. 3. de homine: *ecce peccatores intenderunt arcum; paraverunt sagittas suas in pharetra; ut sagittent obscuro rectos corde*. Titelmannus hic: cùm Deus arcum tenens describitur, sagittæ minimè occultantur, ob hoc arcum suum quasi in propatulo gerit, sagittas ostentat, earumque terrorem denuntiat peccatoribus ad cautelam. Impii, cùm arcum tensum gestent; tamen sagittas in pharetra absconditas habent, cupiditate nocendi. Did. Nyss. f. 2. D. 1. Quadr. §. 1.

Tetendit arcum suum. Thr. 3. 12. Per arcum extensum jus divini Judicii exprimitur: quod diu venire differtur: quia mavult Christus invenire, quos remuneret; quàm quos feriat. Hinc David ait: *dedisti metuentibus te significandum, ut fugiant à facie arcus*. Ps. 59. 6. S. Paschasius hic. Dei supplicia vocat arcum: quia sicut sagittarius, priusquam emittat sagittam, priùs sibi pectus ferit: sic Deus, antequam puniat. Genes. 6. 7. *tactus dolore cordis, delebo, inquit, hominem*. q. d. opus hoc, quod præcipua rarione meum est, quod tantopere amo, ejus peccatis cogor, ut destruam. Diez conc. 4. Dom. 1. Adv.

Fulgura in pluviam fecit. Ps. 134. 7. S. August. hìc: minas ad misericordiam flexit: quando tibi minatur Deus per Prophetam, & per Apostolum, & times; nonne coruscatio terruit te? sed cum pœnitendo corrigeris, & agnoscis, hoc misericordia fieri; in pluviam vertitur fulguris terror. Pinna Ethol. 57.

Fac tibi vincula. Jer. 27. 2. Jussit Deus Jerem. gestare vincula, ut iis ad vivum repræsentaret vincula, & captivitatem, Judæorum; sicut Isaias c. 20. 2. jussus est ambulare *nudus*; ut præsentaret eorum expilationem. Gestavit hæc vincula, vel continuò vel per intervalla, per annos quindecim. Cornelius hic.

Dominus de Sion rugiet. Amos 1. 2. Leonis natura est, quamdiu prædam non invenerit silere; inventa autem præda rugire: ut, quodcumque illud sit animal, rugitu tremefactum, & attonitum, concidat; & in prædam fortiori, non tàm patienter, quàm impatienter cedat. Porrò leo, per similitudinem, Deus fortissimus est; cujus iræ resistere nemo potest: præda verò ejus est omnis electus; qui, ubicumque sit, ab ipso Deo requiritur; ut ad vocem ejus, sive per Angelum, sive per Prophetam, sive per scripturas auditam, ille contremiscat; diemque Judicii, vel pœnam gehennalem, pavescens totus humilier succumbat, pœnitentiam apprehendat; sicque in partem ejus cedat. S. Rup. l. 2. hìc.

Succide illam: ut quid etiam terram occupat? Luc. 13. 7. Vineæ cultor rogat: *Domine, dimitte illam etiam & hoc anno &c.* S Augustinus s. 31. de Verb. D *in futurum succides eam*, quando? scilicet cùm in Judicio venies judicare vivos, & mortuos: interim modò parcitur. Verum unde Augustinus colligit missum in sequentem annum excidium, usque ad extremi Judicii spatia prorogandum? quia, quod statim fieri opportunè poterat, in ulterius tempus reservatur. Naxera in Jos. 7. §. 30.

De ore ejus gladius-exibat. Apoc. 1. 16. quia sententia finalis ab ore: *ite maledicti*. Nota cum Viega, Christum triplici modo gestare gladium. 1. accinctum. Psal. 44. 4. *accingere gladio tuo*. 2. in ore, ut hìc: *& de ore ejus gladius*. 3. in manu. Ps. 7. 13. *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*. Hic est puniendo Dei progressus: Accinctus ostendit potentiam, ut terreat: in ore, ut deterreat: in manu, ut percutiat. Ex. 15. 9. *evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea*. Sylveira hìc.

Habebat in dextera sua stellas septem. Apoc. 1. 16. In manu potiùs gladius, quàm stellæ esse deberent. Stellæ beneficia; quia ea actu dat: in ore gladius, quia pœnas minatur. Sylveira hìc.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Omnis pulvis terræ versus est in sciniphes. Ex. 8. 17. Philo Jud. l. 1. de vita Moys. cur Deus Ægyptios per sciniphes potiùs, quàm per ursos, pardos, leones coercuerit? ait: discere, Deum voluisse Ægyptios castigare; non è medio tollere. Sic Azotii 1. Reg. 5. 6. per mures potiùs à Deo puniuntur, quàm per leones: quia hi mox lacerant; illi violentius torquent: & ideò per mures datur locus pœnitentiæ; per leones tolleretur. Mendoza in 1. Reg. 5. 6.

Sagittæ Domini in me sunt; quarum indignatio ebibit Spiritum meum; & terrores Domini militant contra me. Job 6. 4. Duplicium malorum meminit. 1. quæ jam patiebatur; quoniam *Sagittæ*, q. d. multis malis impetivit me Dominus, & velut sagittis me vulneravit; scilicet amissione bonorum omnium, orbitate filiorum, morbis corporis. Aliorum verò malorum: *& terrores Domini* &c. idest, alia mala sunt, quæ nondum expertus sum: illa timeo, quæ multò his graviora sunt. Pinna Eth. 187.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Jon. 3. 4. Propheta, Iratas Dei minas præsentiens, fugam arripit; nè vates mendax inveniatur. Theodoretus: prædictionem ejus falsam videri, turpe sibi existimavit; seque Prophetam vocari mendacem. Unde Jonas conjicit eludenda supplicia? Theodoretus: in hanc opinionem eum impulit ipsa ruinarum ultionis pœnæ declaratio: Consideravit enim, non Deum præsignificare, si punire vellet. Naxera in Jos. 7. §. 30.

Et debitum dimisit ei. Matth. 18. 27. Quàm facili debitum remittit, qui tam iratus jussit venundari peccatorem! Jussit venundari; ut peteret veniam; Vexamur à Domino; ut ad pœnitudinem alliciamur. S. Chrysost. Rex cœlestis non ex crudelitate jussit servum venundari uxorem, & filios; sed quia incredibili cura illius devictus, hac comminatione ad supplicandum nè venderetur, deducebatur. Theodoretus in Jon. c. 3. quoniam conservare Deus gaudet, minatur tristia; nè tristia in nos invehat. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 2. sect. 1. §. 3.

Cùm venerit Filius hominis. Matth. 25. 31. Propterea se Judicem venturum minatur, ut non inveniat, quos puniat, cùm venerit. Si damnare vellet, taceret. Nemo volens ferire dicit, observa. Totum fratres, quod audivimus per Scripturas, vox est dicentis DEI: observa. S. August. s. 199. de temp. Et serm. 38. de Sanctis: Si nos Deus noster punire vellet; non nos tot ante sæcula commoneret. Invitus quodammodo vindicat: qui, quomodo evadere possimus, multò ante demonstrant. Non enim te vult ferire, qui tibi clamat: observa.

Ex Patribus, & aliis.

Propterea Deus gehennam minatus est; non ut eam infligeret, sed nè infligeret. Et illam quidem paravit diabolo. *Ite*, enim inquit, *in ignem æternum, qui paratus est diabolo*. Matth. 25. 41. Regnum autem hominibus: ostendens; se nolle hominem trudere in gehennam. S. Chrysost. in Ps. 144.

Ipsa etiam gehennam propterea condidit; ut metus pœnæ, intolerabilisque cruciatus, ad regnum nos cogat. S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus. Cassiodorus 4. variar. 29.

Ante Jerosolymæ excidium supra urbem astrum stetit gladio simile; cometa per annum apparuit. Zonaras tom. 1.

In regno Hispaniæ, in oppido Villila nuncupato, campana quædam per aliquot menses, antequam aliquid adversi in Christiana Republica contingat, ex se ipsa pulsatur. Nieremb. l. 1. de mirac. nat. in Europa c. 8.

§. III.

Pœnæ sunt beneficia Dei nos amantis.

Symbola.

Grando, & ignis, mista pariter ferebantur. Ex. 9. 24. Mirabile! grandinem simul cum igne descendisse. Unde tam pacificum consortium inter calida, & frigida; humentia & sicca? Stephanus Cantuar. *Ignis, & grando, mixta pariter sunt*: quia dum Deus hominem punit; etiam signum sui amoris impendit: in igne enim fervor divini amoris exprimitur. Castillo Illat. 96.

Manus Domini tetigit me. Job 19. 21. Hæc manus habet quinque digitos: pollex potentia divina: Index, discretio Dei in puniendo; quia numquam punit ultra condignum: Medius benignitas divina: Medicus; quia adversitas medicina: auricularis, exauditio orationum. S. Vinc. Ferrer. s. 8. D. 16. post Trinit.

Ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur; & ascendent vepres, & spinæ. Isa. 5. 6. S. Basilius M. quemadmodum qui vineam putant, astringunt ejus vites, & externè continent; ut majori cum temperamento procedat ad perferendos utiles fructus: ad eumdem modum contingit animæ, assiduitate tribulationum incurvatæ; quodammodo in se contrahitur, seque humiliter demittit, atque ad sui diligentiorem custodiam retrahitur. E contrario anima, quæ indulgenter, & remissè vivere finitur; perinde atque vinea quædam neglecta, luxuriat, & sylvescit. Apud Ramirez epist. 3. Apoc. 2. v. 16.

Consolamini-populus meus-suscepit de manu duplicia Domini. Is. 40. 1. 2. Consolamur interdum multis modis: consolamur, & ex Dei misericordia; & alio consolationis genere; quando

do delictorum graves persolvimus pœnas ; ut habes in Isaia : *Consolamini* &c. Consolamur quàm sæpe flagellis : quia non obliviscitur Deus misereri, Unde, decursis suppliciis, quæ propter peccata culimus frequenter, certi sumus in spe; quòd ad veniam pertingamus. Numquam flagellis, ac tentationibus, abest consolatio Spiritus S. si non impedierit duritia, & impœnitudo cordis. S. Paschas. in Thr. 3.

Sume calicem vini furoris hujus de manu mea. Jer. 25. 15. En potio amara contra malos humores, Velloso in Judith. 6. 23. Paræn. 45.

Super eum visitabo. Amos 3. 14. Hier. hìc : pulchrè dicit, *visitabo*, & non percutiam : quia Dei plaga visitatio est, & curatio.

Non parcet oculus meus, & non miserebor. Ezech. 5. 11. Non parcit, ut parcat ; non miseretur ; ut magis misereatur. S. Hieron. hìc.

Septem phialas aureas. Apoc. 15. 7. Ira Dei, & ultio, est res pretiosa : hinc servatur in phialis aureis. Phialæ sunt aureæ : quia ultio Dei in hac vita procedit ex amore, non ex odio, Cornelius hìc.

Testimonia ex Veteri.

In dolore paries. Gen. 3. 16. Remunerationem ex pœnâ invenit ; ut per filios, per quos affligitur, liberetur ; factaque est gratia ex injuria, salus ex infirmitate. Scriptum est enim, *quia salvabitur per filiorum generationem*. 1. Timoth. 2. 15. S. Ambros. l. de instit. Virg. cap. 4. Gratia enim est fœcunditas ; cùm sit pœna sterilitas. Et quando hinc afflictatur doloribus ; illinc levamen ; & solatium capit ex fructibus. Did. Nyss. ser. 3. D. 5. Quad. §. 3.

Diu vixit Jacob in terra Chanaan, orbatus filio suo Joseph ; quem præ cœteris diligebat ; quin ipse Joseph ex Ægypto quidquam de sua felicitate parenti renuntiaret : quòd facilè fieri poterat ob locorum vicinitatem. Imò Simeonem vinculando, Beniamin evocando, angustias cumulavit. Cur ita factum sit, inquit S. Augustinus s. 84. de temp. & respondet ; quia sine minimis peccatis Jacob esse non potuit ; voluit Deus ipsa parva peccata in hoc sæculo tribulationis igne consumere - ut in eo ignis ille arbiter, quod exureret, invenire non posset. Mendoza in 1. Reg. 1. 6. annot. 8.

Nè in furore tuo arguas me. Ps. 6. 2. Hic me potiùs argue ; dum tempus est misericordiæ, corripe ; dum dies salutis est, exerce. Quisquis in hac vita flagellis atteritur, in mansuetudine corripitur : quia correptionibus emendatur. In illo autem tremendo examine iniquus omnis in furore arguitur ; quia pœnam interminabilem venia nulla comitatur. S. Greg. in Ps. pœnit. hìc.

Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum. Ps. 98. 8.

Miserere secundùm eloquium tuum. Ps. 118. 58. Hoc dicere potest etiam prudens ægrotus Medico : ut scis, medicinam adhibe ; & ut ars præcipit. Sæpe enim per animadversionem salutem procurat ; & pœna fit benignitas. Sic etiam Medicus, & secat, & comburit ; laboranti sanitatem tractans. Sic etiam nos decet misericordiam petere : nam aliquando per paupertatem misericordiam impertit, & per ægritudines benignitatem largitur. B. Theodoretus hìc.

Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum quoniam in æternum misericordia ejus. Ps. 135. 10. David supplicia divina refert non ad justitiam divinam, sed misericordiam. Versus hi sic terminandi videntur, quoniam in æternum justitia ejus : quia misericordiæ est punitionem maturare, nè dilata augeatur. Mendoza in 1. Reg. 15. sect. 2.

Et dices in illa die : Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi. Isa. 12. 1. Oleaster : noverat, Dominum non minùs beneficere iratum, quàm mansuetum : ideo priùs cantat iratum, quàm mansueto. Si expenderemus punitiones Domini ; cognosceremus, vera esse bona, non mala ; quemadmodum salutiferæ potiones. Escobar t. 1. Pers. Chr. l. 5. sect. 1. obs. 3.

Et enim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultionem adhibere ; magni beneficii est indicium, &c. 2. Machab. 6. 13. 14. &c.

Ex Novo, & Patribus.

Mitte nos in gregem porcorum. Matth. 8. 31. Cur dæmones petunt ingredi porcos ? Rupertus putat ; Cives illos fuisse Judæos, qui contra Legem pacis utebantur. Eorum ergo jactura punientur ; ut ita tollatur ejus peccati occatio. Sic sæpe fit, ut id, quod videtur jactura, sit Dei beneficium. Sylveira hìc q. 10.

Ecce, quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3.

Deus tunc maximè magnus, cùm homini pusillus : & tunc maximè optimus ; cùm homini non bonus. Tertull. l. 2. adv. Marcion. c. 2.

Qui te flagellat in isto Sæculo ; ad emendationem, non ad damnationem facit ; sicut Patrem erudientem, nè sentias Judicem punientem. S. Aug. tr. 12. in Joan.

Deus Pater est : numquid amandus est blandiens, & respuendus corripiens ? Cogita quoslibet cruciatus ; extende animum in quaslibet in hac vita pœnas humanas ; compara gehennas : & leve est omne, quod cogitas. Et paulò post : quidquid hic passus fuerit homo, si corrigatur, emendatio est ; si non corrigatur ; duplex damnatio est : & hic enim luit pœnas temporales ; ibi experietur æternas. S. Chrysost. hom. de Job.

Blandiri, ut noceat, diaboli est ; corripere verò, ut prosit Dei. Id. hom. 13. in c. 4. Matth.

Illud potiùs expetendum, ut peccantes castigemur ; quàm ut in peccatum labentes, nostra pœna coerceamus. S. Gregor. Naz. or. 26. in plag. grand.

Ira Dei non est, cùm temporaliter punit ; sed cùm damnat æternè. Sim. Cass. l. 2. Joan. 3. 36.

Quid miraris, si cædimur ? quid miraris, si castigamur ? si in jus hostium tradimur, si infirmiores omnibus sumus ? sive miseriæ nostræ, sive infirmitates, sive eversiones, sive captivitates, & pœnè improbæ servitutes ; Testimonia sunt mali servi, & boni Dei. Quomodo mali servi ? quia patior scilicet, vel ex parte, quod mereor. Quomodo boni Dei ? quia ostendit, quid mereamur. Etsi non irrogat, quæ mereamur. Clementissima enim, ac benignissima castigatione mavult nos corrigere, quàm perire. Salvianus de Prov. Dei lib. 4.

§. IV.

Pœnæ faciunt frugi, absterrent peccare.

Possedi hominem per Deum. Gen. 4. 1. Mulier, quæ in paradiso ad peccatum virum impulerat, hunc, jam de paradiso ejecta, melior effecta est. Hoc ipsum dedit disciplina : Deo enim adscribit filii sui creationem : quæ priùs despiciebat Deum ; nunc eum Dominum agnoscit, & ad eum, ut Dominum confugit. Quæ antea fraude circumvenit virum, filium decenter, & piè instruit. Fernandius hìc. *Quis est Dominus ?* Ex. 5. 2. Orig. hom. 3. in Ex. vides, quid agat cruda superbia ? donec in laboribus hominum non est, ut cum hominibus non flagellatur. Denique videbis eum paulò post, quantum proficit in flagellis, quantò melior verberatus efficitur. Iste, qui modo dicit, nescio Dominum, postea, cùm vim senserit verberum, dicturus est : *orate pro me Dominum*. Ecce Pharao durissimus ; tamen proficit verberatus. Sylveira in Apoc. 8. 2.

Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto ; si erit annis istis ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba. 3. Reg. 17. 1. ait Elias. Quis non miretur Prophetæ tam asperas minas ; qui pro more B. Moysis, intercedere apud Deum, & iram ejus mitigare debebat ? Respondet Abulens. quia Israelitæ erant magni peccatores, & non corrigebantur, Deo dante eis prospera, idcirco consulens coercitati eorum, petivit, ut non plueret super terram aliquanto tempore : ut sic, cognoscentes à Deo pœnam inflictam, propter iniquitates suas emendarentur. Et sic oravit. Did. Nyssen. ser. 2. Dom. 3. Quadr.

Virga atque arreptio, tribuit sapientiam : puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. Proverb. 29. 15.

Cùm feceris judicia tua in terra : justitiam discent habitatores orbis. Is. 26. 9. q. d. ex Zelo, quo desiderio, ut nomen tuum, ò Domine, ab omnibus sanctificetur, opto ; ut subindè judicium aliquod, & vindictam publicam, in impios in hac vita exerceas ; per quam illi te, tuamque justitiam cognoscant. Cornelius hìc.

Visitabit Dominus in gladio suo duro. Is. 27. 1. In Græco pro duro gladio, *gladio sancto*, Procop. volunt alii gladium sanctum appellari à Propheta ; partim ut minarum horrorem molliat ; partim tu demonstret ; non perituros, quos ultrò apprehenderit : neque enim, ut perdat, castigat Dominus ; sed ut resipiscentes purget, & sanctificet. Velloso in Judith 5.

Virgam vigilantem ego video. Jer. 1. Vide in hoc titulo §. 1.

Nolite metuere Daniel. Dan. 10. 12. *Princeps autem Regni Persarum restitit mihi viginti, atque uno diebus*. Angelus Persarum restitit non pugnando, sed ista dicendo. Propriam habitare patriam Israel fecundis rebus, sæpè ad idololatriam effecit ut converteretur. Nunc autem piè vivit, regionem aliam inhabitans. Escob. l. 1. Mir. Chr. l. 5. sect. 1. obs. 3.

Tetigit loculum. Luc. 7. 14. Inflictæ pœnæ nos à crimine revocant. Ex Augustini mente corpus tetigit. Dum manu Dei tangeris ; stant portitores, seu peccata ; quæ te celeri cursu portabant ad tartarum. Barradius t. 2. l. 8. c. 7. Dei tactus medicina est, cum impium tangit : cum pœnam infert ; sanat. Id. l. 10. sect. 5. obs. 4.

Gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Jo. 11. 15. Toletus : gaudere licet in malis, quæ hominibus à Deo imminuntur ; non propter eorum malum, sed propter eorundem, aut aliorum spiritualem salutem, aut profectum ; quan-

quando per ea ad Deum convertuntur, aut in melius proficiunt. Apud Escob. l. 1. Mir. Chr. l. 10. p. 1. Sect. 1.

Quemadmodum putrefactiones cedunt amaris potionibus, usturis, & sectionibus sic ; & supplicio arcetur improbitas. S. Chrysost. in Psalm. 7.

§. V.

Pœnas accepta humiliter, libens ; quia eas meritus.

En omnes servi sumus Domini mei ; & nos, & apud quem inventus scyphus. Gen. 44. 16. Josephus multis modis explorare nitebatur ; utrum aliqua culpa in suis fratribus hæreret ? an fortè Beniaminum absentem læderent ? an præsenti, & magis honorato in convivio inviderent ? an convicto de furto scyphi, & in vinculis detento subvenirent ? sed cùm tandem vidit eos, sortitum tradimur, si infirmiores omnibus sumus ? sive miseriæ nostræ, sive infirmitates, sive eversiones, sive captivitates, & pœnè improbæ servitutes ; Testimonia sunt mali servi, & boni Dei. Quomodo mali servi ? quia patior scilicet, vel ex parte, quod mereor. Quomodo boni Dei ? quia ostendit, quid mereamur. Etsi non irrogat, quæ mereamur. Clementissima enim, ac benignissima castigatione mavult nos corrigere, quàm perire. Salvianus de Prov. Dei lib. 4.

Adoravit Israel (moriturus) *Deum conversus ad lectuli caput*. Gen. 47. 31. Seu, ut Paulus transcripsit. Hebr. 11. 21. *adoravit fastigium virgæ ejus*. Nam, cùm in illa Josephi virga divinam ad flagellandum potestatem recognosceret, ei se posterorum nomine percutiendum submittebat : ut ostenderet ; quæcumque à Deo supplicia infligantur, libenti animo amplectenda. Cornelius in Apoc. 3. 19.

Dominus est ; quod bonum est in oculis suis faciat. 1. Reg. 3. 18. Dion. Carthus. art. 7. ex hac tum patienti, & humili responsione Heli, eliciunt aliquid ; quòd acceptando super se, & super suos, divinæ sententiæ æquitatem meruit, mediante sua contritione, peccatorum suorum remissionem ; & pro eis temporaliter est punitus, non æternaliter damnatus. Sic & Lyranus, Abulensis, Cajetanus, apud Mendoz. in 1. Reg. 3. 18.

Levansque David oculos suos vidit Angelum Domini stantem, & evaginatum gladium in manu ejus. 1. Paral. 21. 16. Quid remedii contra hunc gladium ? *Ceciderunt ràm ipse, quàm majores natu, vestiti ciliciis proni in terram*. En humilitas : & quid inde factum ? *& convertit gladium suum in vaginam*. v. 27. Octavianus in Eccl. 38. 21.

Justus est Dominus. 2. Paral. 12. 6. responderunt Roboam Rex, & cœteri regni proceres ; audientes à propheta Semeia, fore, ut Sesac Regi Ægyptio in servitutem traderentur. Et subdit statim Deus : *qui humiliati sunt, non disperdam eos*. v. 7. Cùm enim humana voluntas humanæ morigeratur. Mendoza in 1. Reg. 2. Pœnæ à Deo impositæ &c.

Et tu justus in omnibus, quæ venerunt super nos : quia veritatem fecisti ; nos autem impie egimus. 2. Esdræ 9. 33.

Ulciscetur nos secundùm peccata nostra. Judith 7. 17.

Tunc Esther *placuit oculis ejus*, quando *extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu*, ipsaque *accedens osculata est summitatem virgæ ejus*. Esth. 5. 2.

Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, Job 1. 20. cùm suorum armentorum rapinas, servorum clades, filiorum cædes ; quibus incredibiliter commoveri poterat, audivisset. Orig. l. 1. in Job conscidit vestimenta sua ; sine mora semetipsum ad ipsas præparans plagas ; ecce, inquiens corpus nudum, ecce corpus detectum. Vos flagellate inimici, tanquam Dei satellites. Ego autem sufferam : vos verberate ; ego autem sustinebo. Mendoza in 1. Reg. 2. Pœnæ à Deo &c.

Dicet : peccavi, & verè deliqui ; at, ut eram dignus, non recepi. Quid inde factum ? *liberavit animam suam, nè pergeret in interitum*. Job 33. 27. 28.

Ego in flagella paratus sum. Ps. 37. 18. S. Ambros. hìc : si servulum tuum vides peccata propria confitentem, ultro offerre se pœnæ inflecteris, ignoscis, & de Domini miseratione diffidis ? Amicus Dei, Propheta Dei, Rex ab ipso electus Deo, spontaneus se flagellis offerebat ; & tu erubescis ? Mendoza in 1. Reg. 6. 2.

Væ qui dicitis malum bonum. Is. 50. 20. ac per hoc bonum dicunt malum, qui in aliquo judicant Patrem omnium Deum : qui de sua providentia murmurant : qui, cùm justè punit, ei sævitiam, sibi innocentiam tribuunt : qui abyssum judiciorum ejus non intelligentes, & improvidum, aut acceptorem personarum opinantur. Sim. Cass. l. 2. c. 1.

Bonum verbum Domini. Is. 39. 8. idest, placet mihi sententia Domini punientis meam vanitatem. Cornelius hìc.

In veritate, & in judicio, induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Dan. 3. 28.

Peccavimus, & iniquè fecimus. Dan. 3. 29. Dicunt homines, quando pœnam sustinent : si meruissemus, non erubesceremus ; nunc autem injustè pati ignominiosum est nobis. Obsequium videtur : imò si pro culpa pateris, erubesce ; si sine culpa gloriare : latro magis esse vis, quàm Christus ? Hugo à S. Vict. in illud Pauli. Gal. 6. 14. mihi absit gloriari &c.

Videamus, cur tantorum criminum reus tam citò à Salvatore paradisum prometeretur ? Magna, & multiplex, causa est : primùm, quòd devotione fidei tam repente mutatus est ; ut præsentem pœnam despiceret, ac de futura veniam precaretur : & magis crederet, utile sibi esse, de æterno judicio petere, quam de temporali supplicio postulare. S. Ambros. s. 44. de latrone.

Quid miramur, si peccantes nos Deus verberat ; cùm ipsi peccantes servulos verberemus. Salvianus l. 4. de Prov. Dei.

§. VI.

Pœnas ferendi alia motiva.

Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. 1. Reg. 24. 5. *Vide & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea*. v. 12. q. d. vide ò Saul : uno eodemque labore, te jugulare potuissem, quo vestimenti limbum præscindere. Idem inter Deum, & peccatorem, intercedere videtur. Quis eo ipso, quo peccamus, à Deo nos neci corporali, & spirituali, dari posse ignorat ? nihilominus, in gratiam misericordiæ, præscissione oræ chlamydis, afflictione, morbo, incarceratione, opum jactura &c. contentatur. Paoletti D. 6. Pent.

Stillavit super nos maledictio. Dan. 9. 11. *stillavit* : quia Deus iram suam, misericordia temperans, guttatim effundit. Cornelius hìc.

Nunc majore, & mirabiliore, gratia Salvatoris in usus justitiæ peccati pœna conversa est. Tunc enim dictum est homini : morieris, si peccaveris : nunc dicitur Martyri, morere, nè pecces. - Sic per ineffabilem Dei misericordiam, & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutis ; & fit justi meritum etiam supplicium peccatoris. S. August. de Civit l. 13. c. 4.

Verùm his multò acerbiora divinæ iræ thesauri apud se continent ; quæ utinam nobis experiri numquam contingat : Nec verò experiemini, modò ad Dei miserationes confugiatis ; eumque, qui vult misericordiam ; lacrymis permoveatis ; ac morum emendatione, quidquid deinceps iræ sequitur, advertatis. Adhuc lenitas, & clementia, est ea calamitas, in quam incidimus, mitisque correptio, plagæque elementa teneram ætatem coercentis : adhuc iræ sumus, suppliciorum præludium. Nondum ignem exurentem sensimus, hoc est, concitatissimam Dei iracundiam, non succensos carbones, id est, extremas pœnæ acerbitates. S. Greg. Naz. or. 26. in plag. grand.

§. VII.

A pœna non meliorari, usitatum est.

Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Genes. 7. 12. Quæ inde secuta emendatio ? Gen. 11. 4. *faciamus nobis civitatem*. S. Chrysost. hom. 30. in Gen. vide, oro ; quantùm invaluerit malitia ; Habentes adhuc recentem memoriam generalis in diluvio interitus ; in tantam inciderunt insaniam. Mirabiliùs est, quod addo : à Noe, usque ad Abraham, spatio plurium centenorum annorum, neminem in Scriptura veræ pietatis, & religionis, cultorem reperiri. S. August. de Civ. l. 16. c. 1. post Noe non invenimus, usque ad Abraham, cujusquam pietatem evidenti divino eloquio prædicatam. Mendoza in 1. Reg. 5. 11. annot. 18. sect. 1.

Orate Dominum, ut auferat ranas à me. Ex. 8. 8. Fecit Moyses, quod poscebat ; sed non Pharao, quod promiserat. *Videns autem Pharao, quod data esset requies, ingravavit cor suum*. v. 15. Data requies obstinationem nutriebat ; expertum discrimen ulterioris metum non creabat. Plus audaciæ ad nova delicta sumebat Pharao, quia ranas evasit ; quàm timoris caperet, quia sustinuit : data salus stultam genuit fiduciam. Naxera in Jos. 8. §. 13.

Arripiensique vitulum, quem fecerant, &c. Ex. 32. 20. Unum vitulum in deserto conflarunt Israelitæ : Moyses, qua potuit severitate scelus vindicavit ; ipsos vituli conflatores, & cultores, ad viginti tria millia, per Levitas obtruncavit. v. 28. aptissima videbatur hæc severitas ad tantum nefas in totam posteritatem abdicandum. Sed quid factum ? 3. Reg. 12. 28. Jeroboam *excogitato consilio fecit duos vitulos aureos*. Imò nec propriis pœnis correctus, sed pejor. 3. Reg. 13. 5. 33. Mendoza in 1. Reg. 5. 11. Ann. 18. sect. 1.

Cùm exierunt contra nos ; sicut ante fecimus, & terga vertemus. Jos. 8. 5. *putabant enim nos fugere, sicut priùs*. Tale est peccatorum ingenium ; ut, si imminentia mortis, aut calamitatis, discrimina effugerint, iniqua iterum non caveant consilia. Naxera in Jos. 8. §. 13.

Quàm acerba illa fames Samariæ, cùm totis tribus annis nè tenuis quidem ros è cœlo stillavit. 3. Reg. 17. 1. arescentibus non solùm agris præ siccitate ; sed etiam gregibus, & hominibus, præ fame tabescentibus. Sed quæ virtutum fruges ex tanta frugum inopia ? S. Chrysost. ser. 2. de Elia ; proh nefas ! nulla ex pœna correctio. Et quasi adversis hominum malitia provocetur ; succrescit quotidie, quod puniatur -- perseverat in populum fames, malis perseverantibus populi. Universi deficiunt

ficiunt victu, & ab idolorum non deficiunt cultu. Et quasi diversitas ista invicem concertaret; sic sese ista superare contendunt; ut putarent dementes sceleribus famam vincere, facinoribus necessitatem avertere peccatis inopiam superare. Mendoza antè cit.

Propè erit interitus Ninive. Tob. 14. 6. Quomodo id tam certò asserit? Sciebat, urbem illam pœnitentia eversionem prædictam evasisse; quia videbat relapsos. Lyran. quoniam ad verba Jonæ Ninivitæ egerunt pœnitentiam, ideò subversio illa fuit dilata. Postea verò Ninivitæ reversi ad vitia consueta; propter quod destructionem ejus iterum dixit Dominus per Nahum prophetam; quam appropinquantem prædixit hic Tobias. Sylveira in Joan. 5. 14. l. 5. c. 1.

Defecimus in ira tua. Ps. 89. 7. q. d. Domine tu iratus es nobis, propter peccata nostra, & flagellasti nos; sed non correximus nos; sed *in ira tua defecimus*, murmurando, impatienter sustinendo, à peccatis non cessando. Jer. 5. 3. *percussisti eos, & non doluerunt &c.* Prov. 3. 11. *ne deficias; cùm ab eo corriperis*. Hugo Card. in Ps. 89.

§. VII.

Non correctum per pœnam sequitur alia, & plerumque major.

Tolle virgam tuam. Ex. 7. 9. Moyses ingressus cum virga ad Pharaonem, *quæ versa est in colubrum*. Ex. 7. 10. S. Bruno apud Godelfridum: venit Moyses ad Pharaonem non cum gladio, sed cum virga. Unde, si pœnitere voluisset; facilem ad ignoscendum Deum per hoc cognoscere poterat. Sed quia pœnitere noluit; in colubrum virga convertitur; ut majoribus dignus suppliciis minis correctionis tormenta se expectare intelligat. Et ideo, quia virga non corrigitur, draconi idest diabolo, traditur puniendus.

Aggravata est manus Domini super Azotios. 1. Reg. 5. 6. Non respiuerunt ad primam plagam; sed induruerunt ad majorem culpam. Non Dagonem divinitus de suo loco dejectum non spreverunt; sed magis coluere: nam antè illius aram colebant, post illius januam. v. 5. Pessimi homines; qui pœnis non emendantur. Mendoza in 1. Reg. 5. 6. annot. 17. sect. 2.

Va Assur! virga furoris mei, & baculus, ipse est. Is. 10. 5. Assur, virga furoris, est Turca, & quivis tyrannus. Assur dicitur virga respectu filiorum teneriorum; baculus autem respectu peccatorum obstinatorum. Dictus virga furoris; quia Deus ea non utitur, nisi valde iratus. Cornelius hic.

Videns civitatem, flevit super illam. Luc. 19. 41. Scis, Jerosolymam Tito Duce punitam graviùs, quàm sub Chaldæo; ut patet ex longiori calamitate, quæ hodiedum durat. Nam pœna Hebræo illata per Chaldæum, stilla est. Ezech. 21. 2. & Dan. 9. 11. *Stillavit super nos maledictio*. Cùm verò Jeremias exponit cladem à Tito inferendam post Christi D. necem ait Thr. 2. 4. *tetendit arcum suum; effudit, quasi ignem, indignationem suam*. S. Paschas. hìc: quantò magis ex Dei patientia tempus extenditur; tantò vindicta durior accumulatur. Velloso in Judith. 5. Paræn. 28.

Jam noli peccare. Joan. 5. 14. Theophylactus: qui enim priori supplicio non est emendatus, ad majora tormenta ducetur, tamquam insanus, & contemptor.

Sciendum est nobis, quia pœna præsens, si animum afflicti convertit, finis est culpæ præcedentis. Si autem ad timorem Domini minimè convertit, initium est pœnæ sequentis. S. Greg. l. 9. ep. 25.

§. IX.

Pœna temporali non correctus, time æternam.

Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula. Ps. 80. 16. Mentiti sunt in promissis suis: & ideo non punientur pœna temporali; sed *erit tempus eorum in sæcula*. S. August. hìc: erit tempus eorum, non ad tempus, sed in æternum. Sylveira in Joan. 5. 14.

Virgam vigilantem &c. Jer. 1. 11. Quibusdam gradibus peccantibus tormenta tribuuntur; ut paulatim veniant ad salutem. Qui noluerint percutiente virga emendari, mittuntur in ollam æneam, atque succensam &c. S. Hieron. hìc. Pœna hujus vitæ est virga correctionis, misericordiæ, & paterna. Alterius erit ignea, ad tormentum, & pœnam. In olla coquentur carnes. Stella de cont. Mun. p. 3. c. 97. Orig. Rupert. & S. Ambrosius in Ps. 38. priùs Deus hìc pœnitentibus exhibet virgam correctionis: quàm si nolint; impœnitentibus reservat ollam gehennæ. Quærit S. Ambros. cur post virgam olla? respondet: quia, qui baculo non corripitur; in ollam mittitur, ut ardeat. Apud Doultreman de an. l. 4. c. 3. sect. 5.

Quidquid hic passus fuerit homo, si corrigatur, emendatio est; si non corrigatur, duplex damnatio est. Et hic enim luit pœnas temporales, ibi experietur æternas. S. Chrysost. hom. de Job.

§. X.

Correctionis alia motiva.

Surge, invoca Deum tuum. Jon. 1. 6. Nautæ omnes, & peregrini, exorta gravissima tempestate perculsi, properarunt vela demittere, exonerare navim; urgere remos, ligare rudentes, plangere, clamare, suspirare. Quid interea Jonas verè reus? in fundo quassatæ navis altum; & tranquillè, dormiebat: nec undarum mugitu, nec tonitruorum, remigum clamoribus excitatus. *Dormiebat sopore gravi*, adeò, ut Navarchus ipse cogeretur compellare dormientem. *Surge* &c. si quis illi similis irato cœlo stertit, ob delicta non conteritur, peccata peccatis accumulat; edocete me: ego mox accurram, eumque zelosi illius, & prudentis, navarchi verbis excitabo: *quid tu sopore deprimeris; Surge* &c. Segneri s. 15. die Ven. D. 2.

Nequaquam grave est, plagis affici; sed plaga meliorem non fieri, graviùs, & acerbiùs est. S. Greg. Naz. or. 26. in plag. grand.

§. XI.

Ex pœna aliena time corrigere.

Num. I.

Exempla, & testimonia.

Omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Gen. 4. 15. S. Chrysost. hom. 19. in Gen. *nequaquam ità fiet*: relinquam te posteritati magistrum; ut tui spectaculum illi sit admonitio, & castigatio; nullusque exemplum tuum sequatur. Ista in toto vitæ tuæ decursu resolutio nervorum posteritati utilis erit: & id, quod solus, nullo præsente, operatus es, hoc discant omnes, qui gementem, & trementem videbunt; & quasi per corpus tremorem clamantem, & omnibus dicentem: nullus talia audeat, qualia ergo; ne in eandem pœnam incidat. Paoletti D. 20. Pent.

Viderunt Ægyptios mortuos - timuitque populus Dominum. Exod. 14. 31. Vides Israel, Deum esse tuum protectorem, hostes mersos, & times? gaude potiùs. Oleaster: qui propter nos destruit inimicos, nos etiam suffocabit; si ex amicis inimici fiamus. Sylveira in Joan. 16. 11.

Lapidibus eum obruet (filium contumacem) *populus civitatis*. Addit rationem: *ut auferat is malum de medio vestri; & universus Israel audiens pertimescant*. Deut. 21. 21.

Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam: qui mortuus est ibi juxta arcam Dei - Extimuit David Dominum in die illa. 2. Reg. 6. 7. 9.

Pestilente flagellato stultus sapientior erit. Prov. 19. 25. Cœditur canis, ut pavescat leo: & qui sua injuria exasperatur coercetur aliena, alteriusque exemplo frangitur. S. Ambros. l. 2. de Abel, & Cain. Tradit Albertus M. l. de animalib. in serpente; quod si quis serpentem occidat, vel comburat; ejus fœtore percepto fugere reliquos serpentes; quasi timentes, nè idem sibi contingat; & hoc esse singulare remedium, ad purgandum locum serpentibus infestum. Sic nos sapere jubet Salomon: ut dum flagitiosus à Deo plectitur; flagitium omne caveamus. Cornelius hìc.

Factus est timor magnus. Act. 5. 10. 11. mortuo Anania, & Saphira.

Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. 1. Tim. 5. 20. sicut meliores sunt, quos dirigit timor; S. Aug. ep. 50. ad Bonifacium.

Aliorum tormenta aliorum remedia sunt: cumque punitur recipit quidem ipse quod fecit; sed alii deterrentur à scelere. S. Hieron. in c. 3. Jerem.

Consideremus admirabilem operum DEI dispositionem; qui quasi ædituum terribilem, posuit timorem, ad custodiendum introitum, & exitum, operum suorum; ut, quisquis ad cognoscendum Deum ingreditur, & in introitu inveniat, cur valdè timeat, & in exitu audiat, quid multò maxime contremiscat. S. Rupertus de operib. Spir. S. In introitu puniti; in exitu punientur mali homines.

Num. II.

Non correcti aliena.

Nunc igitur maledictus eris super terram. Gen. 4. 11. Major pœna infligitur Caino, quàm Adamo: quia & illius peccatum longè gravius; & quia debuisset, malo parentum edoctus, Dei legem non prævaricari; quos noverat idcirco paradiso exclusos. Fernandius hìc.

Cùm audisset Jobin Rex Asor. Jos. 11. 1. post plures civitates à Josue expugnatas, bella nihilominus movet. *Misit ad Jobab regem, Madon &c.* O imprudentem, qui alieno damno non sapuit. Naxera hìc §. 6.

Vicisti Sorores tuas peccatis tuis. Ezech. 16. 52. ait Deus ad Soly-

Solymam. Quomodo Solyma Deo sacra peccavit graviùs, quàm Samaria & Sodoma? nonne Sorores à Fide semper alienæ? Non item Judæa; sed à sororum calamitatibus sanam Solyma non hausit mentem. Sic Theodoretus hìc: cùm noris, quæ illi ausi sunt, & illatas ipsis calamitates; nihilominus delinquere perseveras. Velloso in Judith. 3. 1. Paræn. 1.

Num. III.

Pœna aliena non correctus metuat graviores.

Omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Gen. 4. 15. quia primi homicidæ punitione tam gravi à cæde est absterritus. Cornelius hìc.

Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero septuagesies septies. Gen. 4. 24. Cur Lamech pœna majori se dignum reputat? Cain primus homicida fratris justi, & Sancti; Lamech hominis iniqui, abjecti à facie DEI, & tantùm consanguinei. S. Chrysost. hom. 20. in Gen. licet cædem Cain patraverit, idque fratris; attamen ullo antè conspecto, qui hoc fecerat; neque alio viso, qui pœnam dederat hujusmodi facinoris, & tantam iram fuerat expertus; quæ utraque mihi pœnas augent: quia & ante oculos habens; quod ab illo perpetratum; & pœnam videns sic immedicabilem esse; cautior factus non sum. Propterea, licèt Septuagesies septies magis, quàm ille, puniret; attamen neque sic dignam lueren pœnam. Sylveira t. 4. l. 6. c. 3. q. 2. Justus est metus, ait S. Greg. Naz. or. 44. quia, post legem, & condemnationem, cædem perpetravit.

Va nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius. 1. Reg. 4. 8. Philisthini ex eo possunt judicari duriores Pharaone; quia ex majore scientia peccarunt: audierant enim Ægyptiorum plagas. Nam qui visis aliorum pœnis à suis culpis non revocatur, durior censetur, & pœna majori dignus. Mendoza in 1. Reg. 6. 5.

Idcirco ab eo missus est articulus manus &c. Dan. 5. 24. Balthasar, ob profanata vasa templi, eadem hora divina sententia mulctatur, & tamen pater ejus Nabuchodonosor gravior sacrilegus fuit. Nam, multa crudelitate facta in Regem Sedeciam, templum Dei destruxit, solo æquavit, omnia vasa templi tulit secum in Babylonem. 4. Reg. 25. 13. Et tamen nec vita privatus est, nec regnum amisit: & licèt ab eo fuerit ejectus, tamen in illud rediit. Dan. 4. 33. Quæ disparitas? Theodoretus in Dan. 5. quia Nabuchodonosor alterum impietatis pœnas luxisse non conspexerat, idcirco dignus venia justo Dei judicio existimatur. Sed iste Balthasar, summum patris supplicium suspicatus, nihil inde percepit utilitatis: jure itaque illi justus Judex supplicium præscripsit, nullaque venia dignum censuit, Sylveira addit. In Matth. 23. q. 10. Pater tuus de solio regni depositus est &c. Dan. 5. 10. *tu quoque filius ejus non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia.*

Ut veniat super vos omnis sanguis Justus &c. Matth. 23. 35. Euthym. Lucas dicit: *ut inquiratur omnis sanguis prophetarum, qui profusus est à constitutione Mundi*. Docet autem quiddam tremendum sermo iste: qui enim peccatorum novit pœnas, & nihilominus eos imitatur; reus est, ut ab eo exigantur omnium supplicia; hoc est, pro unoquoque pœnam luat; eò quòd exemplo ejus sese non refrænaverit.

De Judicio autem. Joan. 16. 11. De Judicio Mundus jam tunc arguebatur: quia, videns prodigiosas vindictas impiorum, ab impietate non recedebat. Rupertus l. 1. in Nahum.

§. XII.

Pœna inevitabilis.

Servate mihi puerum Absalon. 2. Reg. 18. 5. Absalon ubi fratrem Amnon trucidavit, Deus ad facinus tantum obdormiscere visus est; post fugam revocatus, restitutus fortunis omnibus, Sed clementia Dei abutitur, à quo occisus non fuerat; & Davidis, à quo exceptus tam benignè. Nam, regnandi libidine incensus patrem è regia expulit, & persecutus. David, licèt præceperit Ducibus, juvenis miseratus amentiam, & militibus omnibus. Sic in terra David præcipiebat: sed in cœlo aliud statuit divina justitia in tot culparum reum. &c. Oliva t. 2. conc. 15. die Ven. 2. hebd. Quadr.

Porrò Rex Israel (Achab) *mutavit habitum suum*. 3. Reg. 22. 30. Fecit hoc ex timore Prophetiæ Micheæ, præsertim accedente præcepto Regis Syriæ: quo jusserat; ut omnes sui in unum Achab arma converterent. v. 34. *Vir autem quidam &c.* Fuit hic casus fortuitus respectu militis Syri, sagittam ex arcu jacientis; at respectu Dei destinatus ictus. Cornelius hìc.

Civitas peccatis plena, jamjam obsidenda à potenti rege, misit ad magnum principem, offerens magno pro præsidio; simul civitatis robur per legatos exponens, muros, cives, turres &c. quos Princeps interrogavit: estne coopertura superiùs, nè ira DEI super illam descendere possit? Peccata civitatis fugillans. Broymard Pax.

§. XIII.

Pœna Talionis.

Ex Veteri.

Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ dixit ad mulierem &c. Gen. 3. 1. An scitis animal, quod verbis capitur? Aves visco, ac retibus, animalia bombardis, pisces hamo ac nassis, capiuntur; sed serpens energia vocis. S. Aug. l. 1. in Gen. ad lit. divino consilio fit; serpentes magis moveri carminibus hominum, quam ullum aliud genus animalium: etenim non parva testificatio est, naturam primitus hominum serpentis seductam esse colloquio: Paoletti D. 21. Pent.

Omnis, qui invenerit me, occidet. Gen. 4. 14. Cur hoc timebat? quia lex naturalis ei dicebat: *per quæ peccat quis &c.* Sap. 11. 17.

Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Gen. 9. 6.

Præcepit ergo Pharao quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite. Ex. 1. 22 Theodoretus: justissimus Judex Pharaonem, unà cum universo exercitu, in aquis interire voluit. Ex. 14. 27. propterea, quòd per aquam tot Hebræorum interfecit. Apud Alvarez Illust. 75.

Versa (aqua) *est in sanguinem*. Ex. 7. 20. Quòd aquæ fluminis vertantur in sanguinem, satis convenienter aptatur; ut is fluvius, cui Hebræorum parvulos crudeli nece tradiderant, authoribus sceleris poculum sanguinis redderet. Origenes hom. 4. in Ex. Aquæ in sanguinem mutantur, quia sacrificantes filios, & filias suas, dæmoniis, effuderunt sanguinem innocentem. S. Prosper Aquit. p. 1. c. 36. de promissionibus &c. Justo Dei judicio factum est, ut de illo fluvio sanguinem biberent; in quo infantium Hebræorum sanguinem fuderant. S. Aug. q. 9. in Ex.

Sicut feci ità reddidit mihi Deus. Judic. 1. 7. Judæi, Judic. 1. 6. pollices manuum, pedumque amputabant Adonibezec; justo Dei judicio, & instinctu ad pœnam talionis reddendam: ipse enim septuaginta regibus pollices amputabat. v. 7. Cornelius hìc.

Nè forte dicatur &c. Judic. 9. 54. Abimelech, qui tota vita gloriam regni quæsierat, justè in gloria morte punitus est; occisus à fœmina. Justè lapide percussus intentit, qui super lapidem septuaginta fratres occiderat. v. 56.

Tulit gladium ejus & interfecit eum. 1. Reg. 17. 51. Gladio suo Goliath à David est interfectus. *Uriam Hethæum percussisti gladio: quamobrem non recedet gladius de domo tua*. 2. Reg. 12. 9. 10. Ubi S. Chrysost. in Ps. 3. non aliunde, non foris; sed ex domo tua. Unde est fons peccati, illinc est plaga supplicii;

Hæc dicit Dominus: occidisti insuper & possedisti - in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 3. Reg. 21. 19.

Eodem ense, quo Holofernes volebat Hebræos interficere, caput ejus abscissum est. Judith. 13. 8.

In eadem furca, qua volebat Aman Mardochæum suspensum, ipse pependit. Esth. 7. 10.

Locum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit. Ps. 7. 16.

Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt. In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Ps. 9. 16.

Gladius eorum intret in corda ipsorum; & arcus eorum confringatur. Ps. 36. 15.

Justus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo. Prov. 11. 8. Hebr. *veniet impius pro eo*. q. d. Deus justum sæpe liberat à malo, quod illi impius struit: facitque ut impius pœnam talionis luat; ac in malum, quod justo struxit, incurrat. Cornelius hìc. Sept. *Justus à venatione liberatus est; pro eo autem tradetur iniquus.*

Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui volvit lapidem, revertetur ad eum. Prov. 26. 27.

Viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis, Dan. 3. 22. Fornax, quæ puerorum putabatur supplicium, fuit ministrorum incendium. Naxera in Jos. 8. §. 19.

Sicut fecisti, fiet tibi. Abdias v. 15. Sicut tu Idumæa afflixisti Judæos, ità affligeris, & vastaberis tu à Chaldæis, Cornelius hìc.

Ex Novo.

Venisti huc ante Tempus torquere nos. Matth. 8. 29. Injustè quis queritur de illata sibi pœna illa, quam ipse alteri dat. Nihil novit diabolus loqui, nisi injustitiam. Ecce ipse ante tempus sepelit hominem, illum vivum tradens sepulchro; & tamen queritur de Christo, quòd ante tempus adveniat puniturus. Baeza t. 2. l. 7. c. 2. hìc.

Tradidit eum tortoribus. Matth. 18. 34. *Tenens suffocabat eum* (conservum) v. 28.

Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Matth. 26. 52.

Justum

Justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant. 2. Thess. 1. 16.

Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Apocal. 13. 10.

In poculo, quo miscuit, misceto illi duplum. Apoc. 18. 6. Quo meretrix scypho miscet fœces idololatriæ ad perdendum homines, venenum bibit. Velloso in Judith. 5. Paræn. 26.

Ex Patribus, & aliis.

Nihil amarius, quàm idipsum pati, quod feceris aliis. Tertull. l. 2. adv. Marcion.

Consumentur fame. Deut. 32. 24. videlicet in die solemni Paschæ. Jerosolymis congregati; quos tricies centena millia Josephus dicit fuisse. Scilicet justo Dei judicio, tempore hoc ultionis electo: ut, qui in diebus Paschæ Salvatorem suum D. J. C. cruentis manibus violaverant, in ipsis diebus, velut in unum carcerem, omnis multitudo conclusa, feralis pœnæ exitium, quod merebatur, exciperet. S. Rupertus Abb. l. 3. c. 7. in Deut. 32.

§. XIV.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. 11. 17.

Ex Veteri.

V*ersa est in statuam salis.* Gen. 19. 26. Abulensis hìc: quare versa sit in statuam salis, dicunt Judæi, causam esse: quia præcedenti nocte in sale peccaverat, quia Loth petente salem ad condiendum epulas hospitum, non dedit: ipsa enim hospitalitatem non diligebat. Paoletti D. 21. Pent.

Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum &c. Ex. 9. 8. Alphonsus Tostatus: assumptus fuit Ignis de camino; ad significandum causam, ex qua illa plaga infligebatur. Erat enim hujusmodi plaga in elemento ignis; cùm ipsi cineres de igne sumpti essent: ad correspondentiam afflictionis Hebræorum in decoctione laterum. Did. Nyss. Phœn. Græc. l. 1. c. 6.

Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Num. 16. 35. Igne perenni, qui ab ara ignem excipiunt; ut thure incenso Pontificatum rapiant. Velloso in Judith. 5. 13. Paræn. 26.

Offerentes coram Domino ignem alienum. Levit. 10. 1. Erat in atrio tabernaculi, putà in altari holocaustorum, ignis sacer è cœlo lapsus, quem Deus jusserat foveri; ut eò solo uterentur ad sacrificia, & thymiamata. Vide præcedens c. v. 24. Erat in eodem atrio ignis profanus, & communis, quo utebantur ad conquendas carnes hostiæ pacificæ, & hostiæ pro peccato; quibus vescebantur in atrio partim Sacerdotes, partim Laici offerentes. Hoc usi Nadab, & Abiu. *Egressusque ignis à Domino devoravit eos; & mortui sunt coram Domino.* v. 2. Justè puniuntur igne, qui igne peccaverant. Cornelius hìc.

Eruerunt oculos ejus. Judic. 16. 21. Congrua pœna Sampson privatur oculis: quia eis lascivè aspexerat, & concupierat Dalilam; quæ proinde justo Dei judicio ejus captivitatis, & cœcitatis, causa fuit. S. Gregorius mor. l. 7. c. 13. plerumque priùs oculus contemplationis amittitur; & post, per carnis desideria, hujus Mundi laboribus animus subjugatur; prout testatur Sampson ab Allophyla captus, qui, postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est Cornelius hìc. Quærit Abulensis, cur visum illi admerint? Respondet: quia Sampson parentibus dixit, certum sibi esse de alienigena: *hanc mihi accipe; quia placuit oculis meis.* Judic. 14. 3.

Et nati sunt mures. 1. Reg. 5. 6. Cur Azotii per mures à Deo puniuntur? quia mures tamquam Deos adorabant, ut Cyrillus Alex. Clemens Alex. August. testantur. Mendoza hìc.

Adhæsit caput ejus quercui. 2. Reg. 18. 9. Capillis appensus malè periit Absalon; quibus gloriam captasse, & lucrum, visus est. 2. Reg. 14. 26. Drogo Ost. tr. de Pass. crines suos ponderabat ducentis siclis; unde eodem crine suspensus ad arborem interiit. Velloso in Judith. 5. Paræn. 26.

Ubi Salomon tria idola coluit, statim tres hostes acerrimos, Adad, Razon, & Jerobeam, expertus est. 3. Reg. 11. 5. 26.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Eicienzur in tenebras exteriores. Matth. 8. 12. Quia multì in tenebris fœdissima perpetrant, torquentur tenebris, quibus servierunt ad spurcas delicias. Paoletti. D. 25. Pent.

Ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22. 13. Ligate pedes illius confidenter intrantis; ligate & manus ipsius, quæ splendido illum nesciernnt ornare vestitu. Vides, quid tum illi acciderit? cave ergo tibi. S. Cyrill. Jeros. in præfat.

Erat JESUS eiiciens dæmonium; & illud erat mutum. Luc. 11. 14. Multorum opinio habet, miserum hunc hominem Demn injurium fuisse, & lingua, per verba otiosa; & oculis, per illicitorum visum; & auditu, auscultando, quæ proximo perniciosa. Ut intelligat peccator, quomodo justitia divina iisdem rebus utitur ad vindictam, quibus ille abusus fuit ad offensam. Did. Nyss. D. 3. Quadr. §. 1.

Ut refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma. Luc. 24. Quare plus cruciabatur in lingua, quàm in reliquo corpore? sciendum est, quia solet in conviviis loquacitas abundare; Et quia iste dives splendidè epulabatur quotidie; superflua ideò verba, & inania, loquebatur; ubicumque enim plus peccavit, ibi plus cruciabatur. Haymo Ep. hom. D. 1. post Trinit. Cruciabatur dives iste in lingua; scilicet pro loquacitate: quia in mensa loquacitati operam dedit. Hugo Cardin. hìc.

Quia plus lingua sua, & ore peccaverat. S. Cyprianus l. 1. ep. 3.

§. XV.

Pœna juxta mensuram, & qualitatem, peccati.

I*N dolore paries filios.* Gen. 3. 16. Tu, cùm fructu interdicto te non abstinueris, fructu uteri tui miserè torqueberis. S. Basil. Seleuc. apud Did. Nyss. Phœn. Græc. l. 1. c. 6.

Multiplicabo ærumnas tuas. Gen. 3. 16. Hæc pœna Evæ triplex; totidem illa noxas commisit. 1. Serpenti potiùs, quàm Deo credidit: *non morieris.* 2. Legem esu fructus à Deo vetiti violavit. 3. Maritum in idem scelus traxit. Ità Rupert. l. 3. in Gen.

In sudore vultus tui vescaris pane tuo. Gen. 3. 19. S. Thom. Aqu. hìc: ista pœna sibi optimè competit: quia de ligno vetito gustavit deliciosè, ideò debet vivere laboriosè.

Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab. 4. Reg. 21. 13. S. Chrysost. in Ps. 95. neque enim mensura caret divina vindicta; sicut Salvator loquitur. Matth. 7. 2. *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

Potens potenter tormenta patientur. Sap. 6. 7. Nam quantò magis aliquid suo contrario resistit, eò postea, si superetur, operatio contrarii sui, quod vicit, est efficacior. Magis resistit ignis ferro, quàm ligno: sed cùm igni vincat utrumque, intensior est calor ferri, quàm ligni. Stella de cont. Mundi van. c. 99.

Sume calicem vini furoris hujus. Jer. 25. 15. In calice signat pœnam, quam Dominus propinavit Judæis, secundùm mensuram culpæ. Hugo Card.

Cogitavit Dominus dissipare murum. Thren. 2. 8. Hæc Deo mens Jerosolymam evertere funditùs. Quid indè? *tetendit funiculum suum.* S. Paschas. quatenus secundùm delictorum mensuram pœna procederet ultionis. Metitur potiones, & pilulas ponderat Medicus: sic Deus, cùm punit, pœnas ex dimensò propinat. Velloso in Judith. 7. Paræn. 9.

Numeravit Deus regnum tuum-appensus es in statera. Dan. 5. 26. Rupertus de vict. V. D. c. 3. sicut *omnia in mensura, & numero, & pondere, posuit.* Sap. 11. 21. Sic & regnum illud numeravit. S. Chrysost. in Ps. 95. cùm punit, in trutina librat ultionem; pro delictorum modo vicem rependens; nè major, sed congrua sit commissis.

Nota: quòd sicut tria sunt peccata generalia; quæ regnant in Mundo; ita sunt tres punitiones: scilicet humilitas contra superbiam; sterilitas, & fames, contra avaritiam; pestilentia contra luxuriam. S. Bernardinus tom. 4. s. 14.

§. XVI.

Pœna, lenta, dilata.

F*actum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.* Gen. 5. 5. Primo die, quo ex ligno vetito comedit, mortem meruit; quam tamen non incurrit, nisi post 930. annos. Mendoza in 1. Reg. 15. 2.

Non permanebit spiritus meus in homine-eruntque dies illius centum viginti annorum. Gen. 6. 3. Mundus cùm primùm *corrupit viam suam*, meritus est diluvio involviquæ tamen ultio non statim infertur; sed ad annos centum viginti differenda pronuntiatur. Mendoza in 1. Reg. 15. 2.

Aaron colligetur, & morietur ibi. Num. 20. 26. Aaron primo anno peregrinationis in deserto culpam contraxit, permittendo vitulum constari in idolum. Ex. 32. 2. nec tamen, nisi ultimo anno, pœnas dedit, Sacerdotalibus vestimentis exutus, & in monte mortuus. Id. ib.

Fractis cervicibus mortuus est. 1. Reg. 4. 18. Heli, cùm initio Pontificatus sui filios licenter vivere permisit; mox & præfectura populi, & usura lucis, indignus fuit: & tamen non nisi post quadraginta annos utraque denudatur. Id. ib.

Saul 1. Reg. 13. 12. anno secundo Regni sui, divina præcepta, spernens statim de regno debuit deturbari; in quo tamen finitur annum vigesimum explere. Id. ib.

Recensui, quæcumque fecit Amalec. 1. Reg. 15. 2. Nemo inaniter speret, se impunè abiturum, cùm divina supplicia cunctari experitur: differuntur, non auferuntur. Id. ib.

Expro-

Exprobravit incredulitatem eorum. Marci 16. 14. Apostoli die resurrectionis duri, & increduli erant: & tamen Christus Dom. non nisi in die Ascensionis *exprobravit &c.* Idem ibid.

§. XVII.

Pœna dilata gravior.

D*edisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.* Ps. 59. 6. Supplicia vocantur arcus: quia, sicut in arcu, quò magis retrahitur sagitta, & nervus intenditur, eò major est ictus; ità pœna Dei, quò magis differtur. Diez conc. D. 1. Adv.

Tetendit arcum suum. Thren. 3. 12. In arcu, quantò longiùs trahitur chorda, tantò de eo districtor exibit sagitta: sic extremi Judicii dies, quantò longius differtur; tantò, cùm venerit, de illo districtior sententia procedit. S. Ambrosius l. 2. de Cain. c. 9. longævitas, Caino indulta, vindicta est, Cornelius in 1. Reg. 15. 2.

Cùm audieritis prœlia, & seditiones, nolite terreri. Luc. 21. 9. Inter fruentia prœlia jubentur Discipuli non timere: quia, licèt æviant creaturæ, non tamen statim finis est, non instat ultimi Judicii pugna; solum illud timendum, Baeza t. 2. l. 12. l. 4. §. 10.

Qui multùm peccant, magis timere debent, si non puniantur: crescit enim ipsorum pœna ex eo, quòd Deus longanimis non ulciscitur. S. Chrysost. hom. 12. in Act.

Multa fiunt nunc, quæ in diluvio; sed diluvium non accidit: gehennæ enim pœna nunc inter minas est. Multi peccant, qualia hi, qui in Sodomis; sed ignis pluvia non descendit: igneum enim flumen paratum est. Multi ea, quæ Pharao, ausi sunt; sed non eadem passi sunt, quæ Pharao: neque submersi sunt in mari rubro: expectat enim illos pelagus abyssi. Multi, quæ Israelitæ, ausi sunt; sed non devoraverunt illos serpentes: manet enim illos vermis immortalis. Id. ib.

Miscellanea.

Posuitque Dominus Cain in signum. Gen. 4. 15. Quod signum fuit tremor capitis: ut sciretur à Domino punitus, & judicatus; & ità non occideretur ab aliquo: inhumanum est enim afflicto afflictionem addere. S. Thom. Aqu. hìc.

Quia, homo amore visibilium ab invisibili amore cecidit; sola jam visibilia ex peccati pœna cognoscit; eaque diligit, solis eis inhæret; & invisibilia, quasi non sint, postponit. S. Bonavent. de reform. mentis p. 1. c. 16.

T I T U L U S XXIII.

PŒNÆ HUMANÆ.

§. I.

In sceleratos suadentur.

M*alos malè perdet.* Matth. 21. 41. Magni faciendum iniquorum supplicium. Vix scelus ullum tam Deo invisum, quàm iniquitas impunita. Plenus sceleribus erat Saul; & tamen mortem illi Samuel minatur, solùm quòd Agag pepercerit. 1. Reg. 28. 17. &c. Achab damnatur, & cum eo Israel: non ob mala innumera, quæ patrarat in Samaria; sed quòd regem Syriæ Benadab, à se devictum, sibi in sacco, & cilicio, per legatos supplicantem, abire permiserit. 3. Reg. 20. 34. 42. *quia dimisisti virum dignum morte.* Oliva l. 6. Strom. §. Malos malè perdet.

Pugnabo cum illis. Apoc. 2. 16. Hugo Card. hìc: idest, puniam eos; si tu non punis: & parcam; si tu non parcis.

Bonorum salutem custodit, qui malos punit. Lactantius l. de ira Dei.

§. II.

Potentioribus non parcendum.

N*um vidistis virum hunc, qui ascendit?* 1. Reg. 17. 25. O lepores! hæc stupentes de gigante mussitabant: & cùm nemo non intelligeret, castra Dei viventis in circumcisi vocibus proscindi; nullus tamen consurgebat in Goliam: omnes ei obloquebantur, nullus occurrebat. Scandala, & scandalosos, videmus quotidie: & parcimus. Nemo-non queritur; sed nullus ferit: *Num vidistis?* quid inde? *Omnes Israelitæ stupebant, & metuebant nimis.* Cur timetis? ocreatus, galeatus est; hastam gestat; & loquitur grandia. Maximus est; sed minimis prosternetur: dummodò adsit David, non loricatus; sed Dei nomine munitus; lapillo moles illa æris, & iræ, cadet. Statua illa Babylonica. Dan. 2. 34. tam splendida, & magna, lapillo uno in favillas redacta est. Audeamus tantùm; sed in nomine Domini; & vicimus. Quis potentior Amano? Si tamen audet Esther; pendebit in patibulo damnatus ab ipso rege. Esth. 7. 10. Oliva l. 9. Strom. §. Num vidistis.

Vide L. J. t. Judex.

T I T U L U S XXIV.

PŒNITENTIA.

§. I.

Symbola.

Num. I.

Resurrectio.

Q*UI erat mortuus, & cœpit loqui.* Luc. 7. 15. Signum certum resurrectionis est, loqui discretè: quia nec spiritus malignus ingressus corpus mortui, posset discretè loqui. Quia requiruntur ad loquendum sex membra corporis, & sex potentiæ animæ; labia, dentes, lingua, palatum, guttur, pulmo: intellectus, voluntas, memoria, imaginatio; visus, auditus. Ergo etiam requiritur unio corporis, & animæ. Resurrectionis ad vitam gratiæ signa, sibi ipsi loqui dolorosè per contritionem. S. Vinc. Ferr. s. 3. D. 13. Trinit.

Epulari, & gaudere, oportebat: quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. Luc. 15. 32.

Surrexit Dominus verè. Luc. 24. 34. Resurrectionis triplex genus. 1. ficta Samuelis. 1. Reg. 28. 14. Videbatur enim redivivus, & non erat. Quàm multi fictè resurgunt sacrilegè confessi. Apoc. 3. 1. *nomen habes, quòd vivas, & mortuus es.* 2. Lazari, & aliorum, qui verè resurrexerunt; sed rursus mortui sunt. Tales sunt, qui relabuntur. Jos. 4. 18. *reversæ sunt aquæ ad alveum suum & fluebant, sicut ante consueverant.* 3. Christi Rom. 6. 9. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultrà non dominabitur.* Did. Nyss. f. 2. Resurr. §. 6.

Beatus, qui habet partem in Resurrectione prima. Apoc. 20. 6. Prima illa est, quam Dominus enuntians Judæis: *Amen, Amen,* inquit Joan. 5. 25. *quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; & qui audierint, vivent.* Hac resurrectione mulier hæc prima (Magdalena) omnia respiravit: quia, cùm esset *in civitate peccatrix*; fœtentior malæ famæ patoribus; quàm fuerat frater suus Lazarus corpore; quatridianus audivit in monumento malo consuetudinis vocem Filii Dei: &, quia audivit, protinus exivit. Secunda resurrectio corporum est. S. Rupertus l. 14. in c. 20. Joan. Sicut sunt duæ mortes, altera animæ; & altera carnis. *Beatus, qui habet partem in resurrectione prima.* Id. de oper. Spir. S. l. 4. c. 4. Cùm homo peccat, anima moritur: quia à vita, Deo, deseritur; & in corpore, quasi in sepulchro sepelitur. Cùm verò per pœnitentiam ad Deum, qui est vita, redit, quasi à morte resurgit. S. Anselmus in Elucidario. Quoties homo voluntariè peccat, moritur: at verò si gemit ex corde, ipsumque verè pœnitet deliquisse, resurgit. Laurent. Just. l. de cont. Mundi c. 12.

Num. II.

Pascha.

Nota quadruplex Pascha. Primum in Ramesse, quod est in finibus Ægypti. Ex. 12. Secundum in deserto ad montem Sinai. Num. 9. Tertium trans Jordanem in Galgalis. Jos. 5. Quartum in Jerusalem, quod fecit Josias. 4. Reg. 23. Primum est gratiæ justificantis; secundum pœnitentiæ purificantis; tertium justitiæ promoventis, sive perficientis; quartum gloriæ indeficientis. Hugo Card. in Num. c. 9.

Erat proximum Pascha, dies festus Judæorum. Joan. 6. 4. Tunc enim præcipuè confluunt homines ad confessionem, & transeunt de vitiis ad virtutes. Et dicitur *Pascha dies festus Judæorum*, quia soli Judæi, idest confitentes peccata sua, faciunt istum transitum, de membris diaboli, in corpus Christi, de culpa ad gratiam, de vitiis ad virtutes, de servitute diaboli in libertatem regni, de exilio vitæ præsentis ad patriam æternæ felicitatis. Hugo. Card. hìc.

Pascha Hebraicè *transitus* dicitur, vel *profectus*: scilicet, quia per hoc mysterium de pejoribus ad meliora transitur. Bonus transitus est, transire de peccatis ad justitiam, de vitiis ad virtutes, ad infantiam de senectute. S. Maximus ho. 4. in festo Paschæ.

Quis est ergo, qui Pascha in spiritu celebrat; qui de vita, & mala consuetudine, in novæ devotionis statum resurgit. Thom. Kemp. conc. 32. de Paschate.

Num. III.

Flores, lilia.

Pro his, qui commutabuntur. Ps. 44. Alii Interpretes habent: *pro floribus.* Alii *pro liliis.* Tunc enim flos prodit, cùm hyems in ver mutatur: quod significat transitionem à malitiæ ad vitam ex virtute actam. At lilii aspectus monet, ad quid oporteat mutationem fieri. Eum enim, qui mutatione splendidus effectus est, liquet ex atro, & tenebricoso,

ad

ad nivem transmutatum esse. S. Greg. Nyss. tr. 2. de inscrip. Psalmor. c. 4.

Nardus mea dedit odorem suum. Cant. 1, 11. Nardus amara, est pœnitentia, inquit Aponius. Unde, quasi ad litteram, locum tunc facto suo exposuit S. Magdalena; dum in signum pœnitentiæ *unxit pedes Jesu* accumbentis in mensa Simonis. Ac rursum *attulit alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi*; illudque effudit in caput Jesu recumbentis in domo sua. Ideoque Magdalenæ hunc locum applicant Origen. Nyss. Beda, & Aponius. Cornelius hic.

Flores apparuerunt in terra nostra &c. Cant. 2. 12. Notantur hic tres actus pœnitentiæ: contritio, per flores; confessio, per vocem turturis; satisfactio per putationem. Cornelius hic.

Flores apparuerant in terra nostra. Cant. 2. 12. Serenitas conscientiæ. Cant. 1. 15. *lectulus noster floridus*, Pœnitentia. Hugo Card. in Ps. 27.

Num. IV.

Arbor.

Facite fructum dignum pœnitentiæ. Matth. 3. 8. Arbor, est ipsa pœnitentia; radix, contritio cordis, rami, opera bona, folia, confessio integra; fructus, satisfactionis pœna. Hugo Card. hic.

Pœnitentia salutis est arbor; propterea, quòd multos in peccatis mortuos resuscitat. S. Ephrem de pœnitentia.

Num. V.

Vinum.

Potasti nos vino compunctionis. Ps. 59. 5.

Vinea facta est dilectio. Is. 5. 1. Vinea Fidelis animæ. Cant. 2. 13. *vineæ florentes &c.* Hujus vineæ est vinum pœnitentiæ. Luc. 10. 34. *alligavit vulnera ejus fundens vinum*. S. Thom. Aqu. hic.

Gustavit - aquam vinum factam. Joan. 2. 9. Fit miris, & occultis modis quotidie mutatio in mentibus hominum; quæ præfertur mutationi aquæ in vinum. Sim. Cass. l. 5. c. 1. hic.

Num. VI.

Aves.

Sumet-duos pullos columbarum. Levit. 12. 8. In columba enim habet gemitum pro cantu. S. Bonaventura s. 2. D. 2. Epiph.

Similis factus sum pelicano solitudinis. Ps. 101. 7. Homo pœnitens est pelicanus solitudinis: qui pœnitentia, sicut pelicanus sanguine, pullos, opera à serpente Inferni venenata resuscitat. S. Vinc. Ferr. s. 5. de S. Dominico.

In lege erat statutum, ut divites mulieris purgandæ, in Sacrificio darent agnum; pauperes verò duas columbas immolarent. Per agnum vitæ innocentia; per turtures verò mœrentium designatur pœnitentia. Quia ergo non possumus Deo offerre agnum innocentiæ, offeramus turtures pœnitentiæ. S. Honorius Augustod. s. in Purif. Mariæ.

Num. VII.

Numeri.

Principem super quinquaginta. Is. 3. 3. Quinquagesimus numerus semper refertur ad pœnitentiam: principesque pœnitentium, & caput eorum, qui salvantur per pœnitentiam, Christus est. - Unde & David in quinquagesimo numero Psalmum scribit pœnitentiæ. S. Hieron. l. 2. hic.

Discubuerunt in partes per centum, & quinquagenos. Marci. 6. 40. Oportebat enim eos, qui requieturi erant in Jesu cibariis, aut esse in ordine centum, qui numerus sacer est, ac Deo, propter unionem, consecratus: aut in ordine quinquaginta; qui numerus continet remissionem, juxta mysterium Jubilæi. Origenes p. 2. hic.

Sed citò, scribe quinquaginta. Luc. 16. 6. Novimus, quòd sedere humiliationem, citò festinationem, scribere firmitatem, quinquaginta pœnitentiam, designet &c. Sanct. Bern. D. 10. Pent.

Num. VIII.

Mors.

Dominus mortificat &c. 1. Reg. 2. 6. Occidimur quodammodo, cùm definimus esse, quod fuimus: novo enim pietatis genere in uno, eodemque homine impius, & adulter, occiditur; ut misericors renascatur, & castus. Fornicator, & ebriosus, extinguitur; ut continens, & sobrius, procrectur. Sic ergo mortificat Dominus, ut vivificare faciat. S. August. l. 17. c. 4. de Civit.

Veniat mors super illos. Ps. 54. 16. Hoc spiritualiter accipiendum est: quia more suo, emendationem magis, quàm consumptionem, venire postulat inimicis. Mors enim dicitur vitæ finis: &, qui in meliorem partem convertitur; occasum prioris conversationis meritò reperisse judicatur. Cassiodorus hic.

Pœnitentia, per quam homo moritur peccatis, assimilatur morti corporalis. Mors, juxta Isidorum, septem utilitates inducit. *Prima*: potentiam tyrannorum absolvit: sic pœnitentia solvit potentiam dæmonum, quam habent super animam propter peccatum. *Secunda*: voluptatibus, & peccatis, finem imponit: sic pœnitentia per mortificationem. *Tertia*: mors est terminus omnis miseriæ: pœnitentiæ peccatum excludit, miseriæ causam. *Quarta*: mors est confirmatio gratiæ: pœnitentiæ, dum à culpa per firmum propositum præservat. *Quinta* mors est acquisitio veniæ. *Sexta*: mors est reparatio innocentiæ: pœnitentia restituit merita; multi etiam ferventes pœnitentes æquiparant, vel superant, in merito, vel gratia, multos innocentes. *Septima*: mors est collativa æternæ felicitatis. Geminiani s. 6. c. 54.

§. II.

Varia alia Symbola.

Ex Veteri.

Videtque scalam. Gen. 28. 12. Scala, quam vidit erectam in cœlum, est pœnitentia, per quam ad cœlum ascendit. Huic scalæ Dominus innixus est: quia pœnitentes expectat, & vocat. Angeli ascendentes, & descendentes, sunt cogitationes pœnitentium; quæ ad pœnas Inferni descendunt; nunc ad paradisi gaudia scendunt. Hugo Card. in Sap. c. 10. Quid per scalam significatur, quam vidit vir plenus gratia, Dormiens super petram, idest, super Christum; qui dictus est petra, quasi firma, & solida, nisi pœnitentia? Hujus gradus sunt contritio, confessio, & satisfactio, Hæc incipit in terra; sed perducit ad cœlum, immò ad ipsum Dominum, quem desuper vidit innixum. S. Bonav. s. 5. de Adv.

Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. Gen. 32. 28. Qui non solùm Jacob, verùm etiam Israel, veraciter dici, vel esse, vult; similiter in fortitudine sua, idest, in fide sua, dirigatur cum Christo, magno consilii Angelo, & invalescat ad Angelum hunc: videlicet & agendo pœnitentiam, & faciendo dignum pœnitentiæ fructum. Nam quod ait: *& confortatus est*, subjungens *flevit, & rogavit eum*; Os. 12. 4. rectè dicas de fortitudine pœnitentium: quia revera fortes sunt, flendo instanter, & rogando perseveranter remissionem peccatorum; juxta illud: *à diebus Joannis regnum cœlorum vim patitur*. In Bethel luctatus est, quod interpretatur *domus Dei*. S. Rupertus l. 5. in Os. c. 12. 1.

Die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est. Gen. 34. 25. Sic se habet dæmon in circumcisione pœnitentiæ; quæ tribus constat diebus: primus est contritio, secundus oris confessio, tertius satisfactio. Et hoc tertio die plus nos hostis aggreditur. Diez conc. 4. in festo Corp. Chr.

Non sine mysterio undecim velis cilicinis tabernaculum desuper operitur. Ex. 26 7. quo reum esse ostendat totum Mundum Deo ac sub pœnitentia degere. S. Prosp. Aqu. de promiss. &c. p. 2. c. 2.

Facies & labrum æneum &c. Ex. 30. 18. Quod potest exponi de pœnitentia; quæ dicitur mare, pro amaritudine contritionis, labrum pro confessione. Dicitur etiam *æneum* pro constantia, & fortitudine, in labore satisfactionis. Illud labrum ponitur inter tabernaculum, & altare. Altare est Ecclesia militans; in qua nos debemus offerre Deo priùs lotos per pœnitentiam. Rom. 12. 1. *obsecro vos &c.* Tabernaculum est vita æterna, sive cœlestis patria. *quod nequaquam transferri poterit*, ut dicitur Is. 33. 20. Qui ergo à militante Ecclesia voluit ire ad triumphantem; oportet, quòd per mediam transeant pœnitentiam: hæc enim est via. Aqua ponitur in labro; quando pœnitentia fit cum lacrymis, vel cum gratia. Tunc Aaron, & filii, debent lavare in eo manus, & pedes. Ex. 30. 19. idest, peccata operis, & affectionis, per pœnitentiam diluere; maximè *quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii*. Ità & nos oblaturi, & reddituri Deo animas nostras in morte, tamquam thymiama redolens suave, debemus prius animam à peccatis omnibus abluere. Hugo. Card. in cap. 5. Joan.

Vesper finis est diei, & initium noctis: sic & pœnitentia finis est vanæ lætitiæ, & principium tristitiæ salutaris. Vid. Beda in c. 15. Levit.

Dies primitivorum, quando offeretis novas fruges &c. Num. 28. 26. Dies primitivorum, status pœnitentium est, qui primitias bonæ vitæ offerunt: novæ enim fruges, novæ virtutes sunt. S. Bonav. s. 1. in Vigil. Nat. D.

Sicut transitus prior Hebræorum, quo, Duce Moyse, transierunt mare rubrum, Jos. 4. 24. 25. repræsentat Baptismum; sic posterior, quo, Duce Josue, transierunt Jordanem,

nem, figurat pœnitentiam. Et sicut Hebræi, post transitum Jordanis, celebrarunt Pascha; sic post pœnitentiam sumitur Eucharistia. Præterea *Jordanis* idem est, quod *fluvius judicii*. Talis est pœnitentia; in qua pœnitens est accusator sui; & Sacerdos judex. Sicut *Jordanis conversus est retrorsum*; sic pœnitens vitam commutat. Sicut Hebræi transito Jordane cum Chananæis assiduè bella gesserunt, donec, iis expulsis, terram possederunt; sic & nos, post mutationem vitæ, assiduè cum vitiis conflligamus oportet. Cornelius hic.

Est pœnitentia una munitissima civitatum, quas Dominus Moysi mandavit segregari in salutem fugitivorum. Num. 35. 11. Deut. 19. 2. Jos. 20. 2. 21. S. Laurent. Just. l. 4. de casto conn. c. 7.

Novacula non ascendet super caput ejus. 1. Reg. 1. 11. De ipso Domino intellige: ipse enim solus, quia sine peccato vixit in carne, omnes dies vitæ suæ Domino dedit, ut nil in se omnino, quòd pœnitendo resecaret, invenit. Ven. Beda hic.

Venit-scissa veste &c. 1. Reg. 4. 12. Scindebant vestes; quando Deum per pœnitentiam ad misericordiam flectere nitebantur. Ut Jos. 7. 6. Achab 3. Reg. 21. 27. Josias 4. Reg. 22. 11. Mardochæus Esth. 4. 1. Joel. 2. 13. *scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*. Mendoza hic.

David ascendebant clivum olivarum - sed omnis populus &c. 2. Reg. 15. 30. Via olivæ pœnitentia est: per pœnitentiam enim venitur ad misericordiam. Per hanc viam incedere debent, qui volunt sequi David, id est, Christum. Oliva exteriùs in cortice amaritudinem habet; sed intus in fructu habet dulcedinem: sic pœnitentia amara est; sed fructus ejus dulcis. Hugo Card. hic.

Ecce currus igneus. 4. Reg. 2. 11. Currus igneus Eliæ pœnitentiam significat: quæ debet esse ignea per amorem; cujus sunt quatuor rotæ, contritio, satisfactio, confessio, restitutio. S. Bonav. s. 2. D. 4. Adv.

Lavit in Jordane septies - & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli. 4. Reg. 5. 14 ut significaret eos, qui scelera abjiciunt, in puerorum vigorem renovandos. Mendoza in 1. Reg. 13. 1. Annot. 13. Sect. 1.

Fel valet ad ungendos oculos. Tob. 6. 9. Cœcitas animæ humanæ curatur felle, id est, amaritudine pœnitentiæ: nullum enim tam grave peccatum est, quod non cordis amaritudine abstergatur; & quod non fletibus deleatur. Sanct. Bonaventura serm. 41. Dom. Quinquag. Inter cœtera, quæ animam illuminant, est amaritudo pœnitentiæ. S. Thom. Aqu. D. Quinq.

Job interpretatur *dolor*, sive *ululans*; & signat pœnitentiam dolentem de peccatis suis. S. Bonaventura serm. 1. D. infra Oct. Nat. D.

Utinam appenderentur peccata mea; quibus iram merui &c. Job 6. 2. Peccata trahunt ad Infernum; sed calamitas pœnitentiæ præponderans elevat ad cœlum. Hugo Card. in c. 4. Gen.

Carbones succensi sunt ab eo. Ps. 17. 9. Peccatores dicit, qui velut carbones mortui in Mundi istius cœcitate tenebantur; sed iterum pœnitentia inflammante reviviscunt; & ex mortuis prunis vivi incipiunt esse carbones. Cassiodorus hic. Lem. *Afflante micamus*. Picinelli.

Vox Domini super aquas. Ps. 28. 3. Baptismus. *Vox Domini in virtute*: Confirmatio. *Vox Domini in magnificentia*: Eucharistia. *Vox Domini confrigentis cedros*. Pœnitentia, &c. S. Vinc. Ferr. s. 1. Dom. Oculi.

Confitebor tibi in cithara. Ps. 42. 4. id est, sic faciam pœnitentiam, ut tu Deus glorificeris in operibus meis. Cithara enim significat pœnitentiam: quia sicut cithara extendit chordas; sic & pœnitentia debet extendere omnia membra hominis plectro præceptorum; ut singula membra castigentur. Hugo Card. hic.

Inscripto Psal. 95. *Quando domus ædificabitur post Captivitatem. Cantate Domino canticum novum*. Ps. 95. S. Hieron. felix pœnitentia! licet rueris; tamen, si egeris pœnitentiam, nova domus Dei diceris. Nova domus novum meretur canticum. Arcones in Is. 1. 18.

Justorum semita, &c. Prov. 4. 18. Aurora vapores resolvens ex iis rorem omnibus optatum producit: unde dicitur aurora, quasi aurora rorans, vel quasi aurea hora. Sic pœnitentia, qua peccator fit justus, adducit ei rorem doloris, & lacrymarum fœcunditatem bonorum operum. S. Gregor. in Cant. 6. Ecclesias in incipientibus est aurora: quia è tenebris peccatorum luce sanctæ operationis splendere incipiunt. Cornelius hic.

Oritur sol. Ecclæ. 1. 4. In Baptismo, & occidit per peccatum: *& ad locum suum revertitur* per pœnitentiam. Hugo Card. hic.

Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. Ecclæ. 1. 7. Qui à virtute in vitium, atque malitiam, decidunt; torrentum, ac fluminum, more ex alto quodam loco in præceps, concavumque, ac terrestre delabuntur. Possunt tamen, & cùm ad ipsum jam vitium pervenerint, resipiscere, ad pœnitentiam redeuntes; & per conversionem iterum reverti in viam, quæ perducit ad paradisum, unde homo primus erectus fuit. Olympiodorus hic.

Tempus plangendi. Ecclæ. 3. 4. Est tempus pœnitentium, peccata perpetrata plangentium. S. Bonaventura in Ps. 118.

Adolescentulæ dilexerunt te. Cant. 1. 2. Adolescentulas dicit animas, quæ in Christo renatæ, sordes veteris hominis abjecerunt. V. Beda l. 2. hic.

Capilli tui sicut greges caprarum. Cant. 4. 1. Quia capilli imperfectissimæ sunt corporis partes, aptè repræsentant peccatores pœnitentes; quos Ecclesia non reiicit. Et assimilantur gregibus caprarum; quæ etiam sunt Symbolum peccatorum. De Ponte hic l. 7. Exh. 2. §. 1.

Pro ære afferam aurum &c. Is 60. 17. In instauratione spiritualis Jerusalem ligna vertentur in æs, & lapides mutabuntur in ferrum: id est, bruti quondam, & insensibiles, homines, in eas materias mutabuntur; quæ utilitatem aliquam præbeant civitati. Ipsumque æs, & ferrum, per augmenta virtutum, in aurum, argentumque, mutabuntur: ut nequaquam utilitatis speciem, sed pretium quoque habeant, & decorem. S. Hieron. hic.

Tonde tuum capillum, Jerem. 7. 29. Cur sanctimoniales tondentur? quia assumunt pœnitentiæ lamentum, Religionem intrantes. S. Thom. Aqu. in 1. Cor. 11. Lect. 2.

Omnem, super quem videritis Thau, nè occidatis. Ezech. 9. 6. Thau est ultima in alphabeto, & formam crucis habet: unde significat finalem pœnitentiam, quæ solvat. Hugo Card. in c. 13. Marci.

Ex Novo.

Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam. Matth. 1. 20. id est, amaritudinem pœnitentiæ. Accipienda enim est pœnitentia in uxorem: quia pulchra, quia dives, quia nobilis: soror enim Regis cœlorum est. Hugo Card. hic.

Invenerunt puerum cum Maria. Id est, amaritudine pœnitentiæ. Matth. 2. 11 Hugo Card hic.

Aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11. Aurum offerunt Doctores, sapientiam; thus Martyres, & Confessores; myrrham pœnitentes peccatores. Euseb. Emiss. in Epiph. D.

Per aliam viam reversi sunt. Matth. 2. 12. Auch. Imp. qui à diabolo venit ad Deum, nunquam debet per illam viam ambulare; per quam venit ad diabolum. Venisti per viam fornicationis; ambula de cætero per viam castitatis &c. S. Gregor. hom. 10. qui à paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocemur. Cornelius hic.

Ad Joannem, ut baptizaretur ab illo. Matth. 3. 13. JESUS nulla indigens pœnitentia, quia absque peccato omni erat; sicut suscepit carnem similem carni peccati, ità suscepit baptismum similem baptismo pœnitentium; facit professionem similem professioni pœnitentium. Cajetanus hic.

Ascendente eo in naviculam. Matth. 8. 23. Hæc navicula est pœnitentia, propter officium transfretandi. Navicula dicitur: quia pœnitentia nostra modica est respectu peccatorum, quæ facimus; & pœnarum, quas meruimus; & præmiorum, quæ expectamus. S. Vinc. Ferr. s. D. 3. Epiph.

Cùm appropinquassent Jerosolymis &c. Matth. 21. 1. Via Christi in ingressu Jerusalem. 1. manè recessit de Bethania; à qua recedimus, quandocumque præcepta Dei violamus 2. venit Bethphage, quæ interpretatur *domus oris*. Ecce confessio, postquam recessisti de Bethania: Bethphage erat villa Sacerdotum. 3. Ascendit in montem Oliveti: ecce operis satisfactio. 4. discendit in vallem Josaphat, quæ interpretatur *Domini judicium*: ecce debitorum remissio. 5. venit in Jerusalem, quæ interpretatur *pacifica*: ecce hic injuriarum remissio. Id. s. 3. D. Palm.

Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme. Matth. 24. 20. Hyems est status culpæ; ver est status pœnitentiæ. Cant. 2. 11. *hyems transiit*. Æstas status perfectæ justitiæ: Autumnus mortis. Tunc enim colligit homo, quæ seminavit. Hugo Card. in c. 35. Gen.

Scitis, quia post biduum Pascha fiet. Matth. 26. 2. Christus in Passione sua, typum gerit peccatoris, & pœnitentis. Hugo Card. hic.

In syndone munda. Matth. 27. 59. JESUM involvit, qui pura mente eum suscipit. Linteum lavatur, torquetur, siccatur. Jer. 4. 14. *lava à malitia cor tuum*. Per opera pœnitentiæ debes torqueri; per fervorem divini amoris à carnalium desideriorum humore deficcari. S. Bernardinus t. 2. s. 57.

Quoniam ex eis longè venerunt. Marci 8. 3. De longè ad Christum veniunt; qui ex peccato mortifero per pœnitentiæ iter veniunt. Est enim peccatum regio illa longinqua, in quam prodigus, patrem deserens, proficiscitur. Luc. 15. 13. S. Gregor. hom. 21. in Ezech. quantò quisque plus in pravo opere erravit, tantò ab omnipotente Domino longiùs recessit. Ideò, qui de longè veniunt, in via deficiunt: quia Divini verbi lectione, & meditatione, se non pascunt. Pœnitentiam quidem agunt; postea verò nihil de æternis flammis, nihil de perpetuis cœli gaudiis, nihil de Christi Passione, mor-

motte, Judicio, cogitant. Barradius t. 2. lib. 10. cap. 18. hic.

Tollat crucem suam. Marci 8. 34. Crux pœnitentiæ, ad instar crucis Christi, habet quatuor brachia, idest, quatuor opera pœnitentiæ. Brachium inferius, quod figitur in terra, significat cordis contritionem; quæ est secreta intus in corde, Brachium superius est emendandi propositum, juxta voluntatem Dei vivendo; altè ad Deum respiciendo. Dextrum significat confessionem oris. Sinistrum injunctæ pœnitentiæ observationem. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. 2. post Oct. Epiph.

Offerebant ei parvulos. Marci 10. 13. Parvuli sunt pœnitentes, qui, more parvulorum, sæpe plorant. S. Bonaventura s. 1. D. 18. Pent.

Multi in nativitate ejus gaudebunt. Luc. 1. 14. Tunc nascitur Joannes, cùm peccator pœnitentiam agit. *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*. Luc. 15. 10. Hugo Card. in Luc. hic.

Consummati sunt dies octo; ut circumcideretur puer. Luc. 2. 21. Toties circumcidit homo, quoties post peccatum ad pœnitentiam redit. Euseb. Emiss. in Circum. D.

Post triduum invenerunt illum. Luc. 2. 46. Post triduum pœnitentiæ, idest, contritionem, confessionem, satisfactionem, inventur Jesus. Hugo Card. hic.

Vidit duas naves. Luc. 5. 2. Duæ naves, sunt duæ viæ eundi ad Deum, scilicet innocentia, & pœnitentia. Et qui non fuerit ingressus in unam istarum, peribit in mari. Hugo Card. hic.

Nemo mittens manum suam ad aratrum. Luc. 9. 62. Aratrum est pœnitentia: quia, sicut aratrum frangit terram ad fructificandum; sic pœnitentia colit terram corporis; ut faciat fructus spirituales. Non respicere retro, potest intelligi duplicitet: scilicet redire ad officium, quod includit, vel inducit peccatum; vel ad officium, quod fieri potest sine peccato. S. Vincent. Ferr. s. fer. 4. Pasch.

Cùm invenerit eam (ovem) Luc. 15. 5. Perditur rationalis ovis, cùm à Divinis præceptis longiùs separatur: invenitur autem, cùm per pœnitentiam respiscit, & in illis reponitur. Euthymius Zigabonus hic. Quilibet peccator agens pœnitentiam, est ovis centesima; quæ post multos errores humeris pii Pastoris reportata est ad ovile. Hæc est drachma perdita, sed inventa: hic est filius prodigus: hic est Lazarus ulceribus plenus: hic est Lazarus quatriduanus: hæc est socrus Petri febricitans: hæc est mulier peccatrix: hæc sanguinaria: hic est servus Centurionis: hic est publicanus: hic est pullus asinæ. Hugo Card. in c. 10. Levit.

Si perdideris drachmam unam, nonne accendit lucernam? Luc. 15. 8. Dracham Evangelicam, quam acceperas, & qua dives effectus fueras, ignavia tua perdidisti. Pœnitentiæ lucernam accende; inclinate diligenter. S. Greg. Nyss. or. in eos, qui acerbiùs alios judicant.

Est autem Jerosolymis probatica piscina. Joan. 5. 2. Piscina est pœnitentia, qua lavamur à sordibus peccatorum. Angelus autem est Doctor, qui movet aquam, dum movet ad cumpunctionem, vel ad lacrymarum gratiam. S. Bonaventura s. 2. D. 4. Pent.

Vidit (Petrus) *cœlum apertum &c.* Actor. 10. 11. Quæ visio pœnitentiam signat, & mortificationem: quæ, si perfectæ sint, homini aperiunt cœlum, eumque à pœnis Purgatorii liberant. Linteum ex lino conficitur: hoc autem aquis mergi, tundi, decorticari, & torqueri debet; ut linteo conficiendo aptetur. In eum modum multis tribulationibus probari necesse est, ut pœnitentiæ perfectæ meritum, atque peccatorum expiationem, assequamur. Per bestias illas peccata designantur; quæ nos in belluas convertunt: in quadrupedia concupiscentia carnis; in serpentia, terram comedentia, concupiscentia oculorum; in volatilia verò superbia vitæ, animas transformat. Illas bestias occidere jubetur Petrus, & post eum Sacerdos, potestate sibi tradita: quâ cunctis cœlum claudunt, & aperiunt. Nec occidunt illas belluas tantùm, & monstra peccatorum; sed & ea comedunt. Os. 4. 8. *peccata populi mei comedent*. Soli pisces deerant: quia ad Sacrificia non adhibentur, nec mactantur: quia muti, & elingues, procul ab eo mysterio arcentur. Doultremau de am. l. 4. c. 3. Sect. 8.

Petrus dormiens. Act. 12. 6. Signat peccatorem in carcere peccati dormientem *inter duos milites*, scilicet Angelum bonum, & malum. Una catena, est longa consuetudo; secunda, mala societas. Primum opus illuminatio; secundum percussio, idest, compunctio; Tertium erectio Petri; idest, propositum; quartum *ceciderunt catenæ*, confessio; quintum *præcinctio*, restitutio; sexum, *calcea te*, injuriarum remissio; septimum, *circumda tibi vestimentum*, hoc est, honesta conversatio. Sanct. Vinc. Ferr. s. de S. Petro ad Vinc.

Vimenti dabo edere de ligno vitæ. Apoc. 2. 7. Rupertus: vincere, est pœnitentiam agere, quæ illi Episcopo suasa: per pœnitentiam enim vincit homo hostes suos, seipsum, carnem omni hoste crudeliorem. Sylveira hic.

Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis. Apoc. 3. 5. Anselmus, Beda, Haymo &c. victores intelligunt pœnitentes; qui à culpis resurgunt. Ramirez in ep. 5. hic.

Collyrio inunge oculos. Apoc. 3. 18. Collyrio pœnitentiæ inunge oculos tuos, ut intellectus purgetur ab errore, vel ignorantia. Albertus M. apud Sylveira hic. Collyrium est amaritudo pœnitentiæ quæ per compunctionem clarificat sensus cordis; sicut collyrium per effusionem lacrymarum oculos carnis. Ricard. à S. Vict. l. 1. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Eam tu peccator ità invade, ità amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit. Tertull. l. de pœnit.

Myrrha, & aloe propter suam amaritudinem, significant pœnitentiam; per quam aliquis in seipso Christum conservat absque corruptione peccati. S. August. l. 3. de doctr. Chr. c. 2.

Avertere, avertere ab Occidente convertere; ad Orientem. Occidunt ibi peccata, oritur inde justitia; in occidente vetus, in Oriente novus: in occidente Saulus, in oriente Paulus. S. Augustinus hom. 14. inter 50.

In faciem cadere, est in hac vita suas unumquemque culpas agnoscere, easdemque pœnitendo deflere. Retrò verò, quò non videtur, cadere, est ex hac vita repentè decidere, &, ad quæ supplicia ducatur, ignorare. Sanct. Isidorus c. 31. in Gen.

Meritò tamen Sacramentum quoque pœnitentiæ dici potest balneum lacteum. S. Gregor. in c. 5. Cant.

Operam demus, ut in pœnitentiæ præsidio consistamus, fugamusque lacte sanctis ejus uberibus; quibus humanas destruxerat infirmitates. B. Isaias Abb. or. 25.

Pœnitentia est sicut aqua calida contra canes; & maximè quantùm ad contritionem: sicut enim cum aqua calida eiicitur canis de coquina; sic cum aqua lacrymarum eiicitur diabolus, & peccatum de anima, &c. S. Bonavent. diæt. Sal. 2. c. 1. Vide ibidem plura.

Sicut puer rumpit vestem veterem, ut citiùs habeat novam: sic bonus pœnitens lacerat saccum carnis; ut citiùs animæ suæ acquirat stolam felicitatis æternæ Ps. 29. 12. *concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia*. Id. ib.

Dolor Christi in cruce pendentis significat contritionem, quam debemus habere de peccatis in morte, inclinando caput in confessione. S. Vinc. Ferr. s. de exalt. S. Cruc.

Mare significat pœnitentiam: quia sic dicitur, quasi amarum. Contritio, propositum, confessio, satisfactio, amara sunt. Id. s. 1. D. 4. Quadr.

Boni faciunt hic vigiliam in luctu pœnitentiæ, & ideo pervenient ad festum jucunditatis æternæ. S. Bernardinus l. de contr. Mundi.

Pœnitentia similis mari. 1. quia mare est nauseæ, & vomitus ciborum provocativum: sic pœnitentia generat peccati abominationem: nam quod priùs peccatori videbatur pretiosum, & delectabile, videtur pœnitenti ignominiosum, abominabile. 2. mare sordes reiicit & se purgat; cadavera non tolerat: sic pœnitentis confessio. 3. mare dura, & pretiosa, generat; licèt sit liquidum: ut patet in gemmis, & lapidibus. Sic pœnitens, licèt mollis, & liquidus in lacrymis; tamen durissima tolerat in Satisfactione. 4. mare non transgreditur littus; nec pœnitens præcepta. Geminiani l. 1. c. 60.

Cereus in inverso candelabro deficiens. *Vertatur, & vivet*. Bovius.

§. III.

Pœniteptiam quantopere Deus, & Christus, expectat.

Ex Veteri.

Ac tibi aram. Gen. 6. 14. Volebat illos, qui tam graviter peccaverant, fabricatione Arcæ admoneri, ut secum cogitarent, quæ fecissent; respiscendoque indigniationem non experirentur. S. Chrysost. hom. 24. in Gen. Centum annis fabricata Arca: ut homines aspectu longo illius Arcæ, ad talem usum deputatæ, magis timerent; & à suis peccatis, per aspectum Arcæ, & ad prædicationem ipsius Noe, resilirent. S. Thom. Aq. in c. 7. Gen.

O si quis mihi daret potum aquæ &c. 2. Reg. 23. 15. Sitio, ait, aquam Bethlehem! & continuò tres eorum irrumpunt per medios hostes, eique potum desideratum deferunt. Modò sitit David noster conversionem nostram: irrumpamus per medios hostes, omnes vincamus difficultates; ut ei pareamus. In hoc, ait Elezer Gen. 24. 14. agnoscam, quæ sit futura sponsa Isaac? cui petiero potum, & illa libenter dederit. In hoc agnosces, ò anima; an futura sis sponsa Christi, si potum petenti tibi libenter das, Osorius fer. 6. D. 3. Quadr.

Extendi manum meam. Prov. 1. 24. Manus extendere, est pacisci, & reconciliari, volentis. q. d. Deus: ego injudiciarum, mihi à vobis illatatur, oblitus, prior extendi dexteram, invitans vos ad reconciliationem meam: utque vos vicissim, in signum renovati fœderis, dexteram vestram meæ consecretis. At vos me, extendentem manum, rapuistis; vestram extraxistis. Cornelius hic.

Surge amica mea &c. Cant. 2. 13. Surge à delicto, & veni in fiduciam; surge à peccato, & veni ad pœnitentiam; surge ab infidelitate, & veni in fide. Id. ib. hic.

Ostende mihi faciem tuam. Cant. 2. 14. idest, converte ad me faciem tuam, quam à me aversam habes: averte illam à terrenis rebus, quas plus, quàm me, amabas, ut deinceps tu me respicias, & ego te. De Ponte hic. Exh. 26. §. 3.

Aperi mihi soror mea &c. Cant. 5. 2. Ponit his verbis rationes ad suadendum peccatori, ut aperiat Deo. Cùm ait, aperi *mihi*, insinuat, aperuisse peccatorem aliis; vel aperire solere. Etenim ad januam cordis stat etiam diabolus pulsans; sed alio modo, quàm Deus. Sicut enim in palatiis regum sunt plures ordines portarum, antequam perveniatur ad secretum cubiculum; ità cor hominis plures continet ordines portarum. Quinque sensus sunt portæ, magis intimæ, sensus interni, phantasia, appetitus sensitivus; per quas etiam intrat diabolus; & vehementius pulsat, cùm fœdas cogitationes excitat, & immittit: quas David Ps. 77. 49. *vocat immissiones per angelos malos*. Et sic *misit diabolus in cor Judæ*, traderet Christum. Joan. 13. 2. Diabolus quidem immisit; sed Judas admisit, & consensit: & ideo ad possidendum cor ejus intravit; cùm tamen illam immissionem potuisset repellere. Universa enim potestas diaboli non ampliùs se extendit; quam ad pulsandum per has januas: at ulteriùs est intimior cordis janua ad superiorem Spiritus partem; ad quam solus Deus immediatè pulsare potest, immittendo in intellectum, vel voluntatem, pias cogitationes, & ferventes affectus. *Aperi mihi* q. d. aperuisti januam cordis tui diabolo, & hosti, qui tuum sitiebat interitum; cur ergo non aperis mihi Creatori, Redemptori, Protectori tuo, qui tuam cupio salutem. Aperuisti tyranno; aperi legitimo Domino: Aperuisti lupo, qui intravit, ut perderet, & mactaret; aperi proprio Pastori, qui intrare cupit, ut te pascat, & tueatur. *Aperi mihi soror mea* q. d. mille titulis es mea; eisdem teneris aperire mihi. Non enim pulso ad januam alienæ domus, sicut diabolus; sed propriæ. Facta es mea soror per Incarnationem, amica per Passionem, qua reconciliavi te Deo; columba per missionem Spiritus S. quam tibi merui; & tandem facta es immaculata &c. De Ponte hic. Ex. 8. §. 1. Mirabilis est hic Glossa Hebræorum edita à Galatino l. 8. c. 8. filii mei, aperite mihi aperturam unam pœnitentiæ, sicut est foramen acus, & ego aperiam vobis aperturas misericordiæ, per quas intrabunt quadrigæ, & currus. Cornelius in ep. Jacobi c. 5. 16.

Revertere. Cant. 6. 12. Non abs re quater dicitur, ut revertatur; per veram scilicet cordis contritionem, per integram confessionem, per condignam satisfactionem, & tandem per morum correctionem. De Ponte hic Ex. 8. §. 1. Idcirco tam crebo ei *revertere* dicitur: ut, etiamsi conversa deliquerit, in desperationem non decidat; sed à peccandi consuetudine spe indulgentiæ resipiscat. S. Justus Orgelit. hic *Laboravi rogans*. Jer. 15. 6. q. d. toties rogavi, ut converteremini: laborassem, si possibile fuisset. Isa. 43. 24. *præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. S. Thom Aqu. in Jer. hic. *Laboravi rogans*. Hebr. *laboravi rogans, pœnitere*. Id est, laboravi rogans, & invitans te per prophetas; ut pœniteres, teque converteres. Maldonatus vertit: laboravi pœnitendo: aut, ut Sanchez, miserendo q. d. sæpius decrevi punire vos; sed ductus pœnitentia & misericordia, revocavi sententiam; sperans vestri emendationem, sed nihil obtinui, tantùm fatigavi me. Cornelius hic.

Ex Novo.

Intrate per angustam portam. Matth. 7. 13. Inter vias, quas nos docuit Christus, prima est pœnitentia. S. Thom. Aqu. D. 23. Pent.

Venite ad me omnes, Matth. 11. 28. Nota: clementissimum Jesum in probatica piscina unum tantùm sanasse. Joan. 5. 5. In domo Pharisæi uni soli Magdalenæ pepercisse. Luc. 7. 47. Ex omnibus adulteris unam solùm, quam Judæi lapidare volebant, defendisse. Joan. 8. 7. Ex latronibus uni tantùm dixisse: *hodie mecum eris in paradiso*, Luc. 23. 43. Ac denique ex omnibus divitibus soli Zachæo dixisse: *hodie domus huic salus facta est*. Luc. 19. 9. His autem verbis, *venite ad me omnes*, cunctos vocat. Diez conc. 2. D. 20. Pent.

Et invenit eos dormientes. Matth. 26. 40. Quoties & redis ad nos, & invenis dormientes, & tamen benignè suscitas nos. Venis in secunda, & tertia vigilia; sed beatus ille servus, quem tunc inveneris vigilantem. Evigila, tandem, evigila, miserabilis anima; si non amore, saltèm timore. Drogo Ost. de sacr. Pass.

Tetigit loculum &c. Luc. 7. 14. Tangit loculum, sistit portitores, & mortuum suscitat; dum suæ visitationis attactu ad pœnitentiam hominem reducit. Euseb. Emiss. fer. 5. D. 4. Quadr.

Adolescens, tibi dico, surge. Luc. 7. 14. Hoc quotidie dicit Dominus unicuique peccatori: surge, qui hactenus jacuisti in vitiis; surge ad pœnitentiam agendam. Haymo D. 16. Trinit.

Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15. 7. Non solùm super multis, sed etiam super uno. Id autem ostendit. Deum vehementer sitire cujusvis peccatoris pœnitentiam. Euthymius Zigabonas hic.

Da mihi bibere. Joan. 4. 7. q. d. citò convertere, & me potabis. q. d. tu sitis ad culpam, & ego sitio te ad gratiam: tu sitis tuam damnationem, & ego tuam salutem. Hugo Cardin. hic.

Ego cibum habeo manducare. Joan. 4. 32. ò inæstimabilis nostri Salvatoris amor! flagrans in corde amorosi JESU! nam lassatus ex itinere, æstu fervente, jejunus, & sitibundus, jam hora sexta instante, sitiens vehementer, non videtur bibisse, nisi mulieris fidem: & quasi ex ejus conversione refrigeratus in animo, sitis sui corporis non curat angustias. S. Bernardinus. t. 2. s. 31.

Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo; reconciliamini Deo. 2. Cor. 5. 20. Singula verba multo pietatis nectare stillant. Non quavis legatione Paulus pro Christo fungitur, sed hac obsecrativa: quasi Christus per ministros suos quotidie obsecrator accedat. Nec satis habet optimus Salvator monere, suadere; sed rogat: Mediator enim est, & pariter cum bono nostro sanguinis sui fructum sic carpit suavissimum. Remirez in ep. 4. Apoc. 2. 21.

Ecce sto ad ostium, & pulso. Apoc. 3. 20. Suaserat Christus D. Episcopo pœnitentiam; nè putaret, difficilem fore, ut è tanto tepore in ferventem pœnitentiam posset venire: paratissima gratiæ suæ auxilia ei ostendit, & pollicetur: idque sub figura hospitis benevoli; qui, ab alio durissimè expulsus, ad ostium anhelus perseverat, & sollicitè pulsans, admitti rogat: ut intrans veterem, exhibito charistiorum epulo, redintegret amicitiam. Id hic in ep. 7. Ubi voces illæ Ps. 49. 12. *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ*. Cur ergo, cùm tua sint omnia, excubas ante hominis ostium; ut cœnes cum eo? Jactaret illud in veteri Testamento, quando Filium suum adhuc retinebat in solio gloriæ suæ: postquam verò dedit Filium; *etiam cum illo omnia nobis donavit*, ait Paulus Rom. 8. 32. Sed dicamus verùs: antequam Verbum caro fieret, delicias pœnitentiæ non plenè gustaras Deus: vescebatur enim angelorum amore, & licèt ei apponerentur lacrymæ pœnitentium, haud eis nutriebatur. At ubi descendit in hortum nostrum, & manducare cœpit panem doloris; lacrymarum ità captus est dulcedine; ut reversus in cœlum, suis ipse manibus abstergat omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. Quibus non abundè refectus in terram revertitur, pulsat ostium; & deferens manna, lacrymas, & pœnitentiæ fercula; esurit. Cur enim pulsat ostium? audi, quid præmittat: *æmulare ergo, & pœnitentiam age*. Apocal. 3. 19.

§. IV.

Pœnitentia Deo grata, sacrificium, festum &c.

Tolle hircum pro peccato. Levit. 9. 3. Hircus est pœnitentia. Hugo Card. hic.

Oblationem offerte per tempora sua. Num. 28. 2. Origenes legit; Offeritis mihi in diebus festis meis. Habet ergo Deus dies festos suos? habet: est enim ei magna festivitas humana salus. Quomodo putas, lætificat eum; cùm is, qui fuerat impudicus, fit castus, & qui fuerat impius, efficitur pius. Istæ omnes singulorum quorumque conversiones, festivitates generant Deo. Origenes hic. hom. 23.

Manducemus, & epulemur. Luc. 15. 23. Commune convivium, communisque lætitia Patri, filio, & servis, deliribitur; quia fructus Passionis Christi in pœnitente, materia est gaudii; non solùm ipsi pœnitenti, & Ecclesiæ Pastoribus; sed etiam ipsi Deo: perinde enim gratum habet, acsi ipse pasceretur. Cajetanus hic.

Erat dies festus Judæorum. Joan. 5. 1. Potiùs dies festus Jesus poterat vocari, quo paralyticus sanatur. Nullus enim dies solemnior Deo, quàm cùm peccator à nequitia recedit. *Erat autem Sabbatum in die illo*. Quam verè Sabbatum in die! Non dixit, Sabbatum erat dies ille; *sed Sabbatum erat in illo*: in illo enim die, quo peccator mundatur, verè Sabbatum Dei requies est. Escobar tom. 1. Mir. Chr. l. 5. sect. 1. obs. 1.

Non sic insanus amator dilectam suam, amat; ut Deus pœnitentem animam. S. Chrysost. hom. 22. ad pop. Antioch. Nihil est, quod Deum ità exhilaret; atque conversio nostra, atque peccato ad virtutem regressus. Id. hom. 25. in Gen.

Nulla re perinde Deus delectatur ut homine, propter quem

omnis doctrina, atque omnia mysteria, concessa sunt, resipiscentia, & salute. S. Greg. Naz. or. 39. in sancta lumina.

Peccavimus; agamus pœnitentiam millies peccavimus; millies quoque pœnitentiam. De omni opere bono gaudet Deus; præsertim verò super anima pœnitentiam faciente. S. Ephrem de variis tormentis Inferni.

Multitormis, & copiosa, est pœnitentia; ideoque varia fercalurum genera Deo apponit. Id. de pœnit.

Festum excitat Deo pœnitentia: quoniam & cœlum movet ad epulas, & Angeli utantur, dum pœnitentia ipsos invitat ad prandium; cumêtique cœlestes ordines epulantur, per pœnitentiam sese recreantes. Id. ib.

Dei altare est pœnitentia: nam per ipsam peccantes eum placant. Id. ib.

Celebritas bona, ac pulchra, & Deo grata, est pœnitentia cum lacrymis, & à peccatis abstinentia, Deique cognitio, atque æternum bonorum desiderium. Id. s. in prætiosam, & vivificam Cruc. Dom.

Magni pretii sacrificium offerte, pœnitentiam agite. - Non enim reperitur malitia, quæ pœnitentiam superet; nullum est virus, quod vim hujus mellis possit extinguere. S. Hesychius Presb. or. in S. Andream Ap.

Tanta utilitas, tantaque gratia pœnitentiæ; ità ut Deo, præteritis facinoribus offenso, jamque justissimam pœnam pro tanti criminibus inferenti, si dici fas est, quodammodo obsistat; & quasi inviti, ut ità dixerim, dexteram suspendat ultoris. Joan. Cassian. Collat. 20. Abb. Pinufii c. 4.

§. V.

Pœnitentia cibat, potat, recreat Christum.

Afer mihi duos hœdos optimos. Gen. 27. 9. sic Ecclesia bona mater ex hœdis idest peccatoribus. Marchantius D. 1. Quadr. Eucherius l. 2. in Gen. in omnibus scripturis hædi pro peccatoribus accipiuntur; carnes autem hœdorum, ex quibus Isaac præparatus est cibus, peccantium intelligenda est conversio.

Messui myrrham meam. Cant. 5. 1. Metit Myrrham: quia ut ait Ambros. de bono mortis c. 5. delectatur eo, si quis mortificet peccatum suum, obliteret culpam suam, sepeliat iniquitates suas: myrrha enim est sepultura mortuorum. De Ponte hic Exh. 2. l. 8.

Sumes aurum & argentum; & facies coronas, & pones in capite Jesu filii Josedech Sacerdotis magni. Zachar. 6. 11. De Jesu verò Redemptore, capienda verba nemo ambigit. Rupertus in Apoc. 19. 11. Imponuntur coronæ sumpto argento, & auro, à transmigratione; sive ab iis, qui venerant de Babylone: quia nobis proficientibus, & reversis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur; imò nobis per virtutem pœnitentiæ coronatis, Salvator in singulis coronam accipit. Eadem habet. S. Hieronymus hic. Ramirez in ep. 3. Apoc. 2. 13.

Discumbente eo. Matth. 9. 10. Per corporale convivium, quod Christo Matthæus exhibuit, mysticè intelligitur spirituale convivium, quod ei in anima sua paravit, præbendo delicias cordis per hoc, quòd eum in anima toto recepit affectu; aperiens ei ostium mentis: de quo convivio ait Salvator. Prov. 8. 31. *deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, Dion. Carth. hic.

Gaudet super eam magis quàm super nonaginta novem. Matth. 18. 13. Non quòd absolutè loquendo, peccator pœnitens melior, aut magis dilectus sit; quàm multi justi perseverantes in bono; imò comparando statum statui, meliores sunt innocentes, quàm pœnitentes: sed hæc ideò dicta sunt, quia de peccatore pœnitente habet Christus quoddam speciale gaudium. Id. hic.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Pharisæi domum Christus intravit non accepturus Judaicos cibos, sed divinam misericordiam largiturus, Neque accubuit, pocula saporata melle, floribus odorata, sumpturus; sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. - Deus delinquentium gemitus audit, sitit lacrymas peccatorum. S. Chrysol. s. 93. - Venit, pietatis illa, non voluptatis, exhibitura convivium. Demque & pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensura: & ad delicias Deitatis totam pulsat cordis sui, & corporis, symphoniam. Organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam: & dum pectus, ipsam conscientiam arguens, sæpe percutit; facit placitura Deo cymbala personare: dumque tandem appottat divinis oculis cibos; totas misericordiæ copias sic reportat. Id. ib.

Da mihi bibere. Joan. 4. 7. Sitiebat spiritualiter conversionem fœminæ hujus, omniumque animarum errantium. Dion. Carth. hic.

Ego cibum habeo manducare. Joan. 4. 32. Hinc discimus, quanta sit erga homines charitas: quasi enim cibum suum putat perditorum hominum conversionem. S. Cyrill. Alex. l. 2. c. 103. hic.

Meus cibus est. Joan. 4. 34. Hoc est, ut quàm plurimos ad me convertam, meosque Discipulos faciam, & amicos, omnes in me credentes: quorum bona opera, tamquam fructus suavissimos virtutis, sponsus edit, hisque maximè lætatur. Philo Carpathius in c. 5. Cant.

Si manum ejus (Christi) tangere non possumus, advolvamur pedibus: si non possumus ad caput pervenire, saltem pedes ipsius lachrymis lavemus. Nostra pœnitentia unguentum Salvatoris est. Vide, quanta sit misericordia Salvatoris. Peccata nostra mali odores sunt; putredo sunt; tamen, si agamus pœnitentiam, propter peccata si ploramus; peccata nostra putrida unguentum efficiuntur Domini. S. Chrysost. hom. 6. in c. 1. Marci.

Cibus ejus pœnitentia mea, & cibus ejus salus mea: cibus ejus ego ipse. An non cinerem, tamquam panem, manducat: ego autem, quia peccator sum, cinis sum; ut manducer ab eo Mandor, cùm arguor; glutior, cùm instituor; decoquor, cùm immutor; digeror, cùm transformor; unior, cùm conformor. Bernardus s. 71.

§. VI.

Pœnitentia honoratur, fovetur à Deo, & Christo.

Num. I.

Figura, & Symbola.

Cumque immolaverit eum in loco, ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est. Levit. 4. 24. Holocaustum omnis sanctitatis, & innocentiæ, fuit signum; in quo integra Domino hostia cremabatur; nullam inde partem accipientibus hominibus; sicut perfectus, totum se Deo consecrat. Et in eodem loco mactari jubetur hostia pro peccato, in quo offertur holocaustum. Scilicet qui per pœnitentiæ sacrificium cum Deo in gratiam redit; per omnia similis est ei, qui numquam deliquit, & eodem loco habetur apud Deum. Orig. ho.n. 5. in Ex. in loco, ubi jugulantur holocausta, ibi etiam hostiæ pro peccato: quo scilicet intelligat, qui peccavit, & pœnitet, & conversus ad Dominum, contribulati Spiritus hostiam jugulat; in loco Sancto stare, & sociari his, qui pertinent ad Deum. Pinna Æthol. 214. Theodoretus quæst. 4. ad demulcendos oblatores: ut cognoscant, se non esse alienos à Sanctis cùm per pœnitentiam sanantur.

Illa radet cæsariem &c. Deut. 21. 12. Præcepit Dominus filiis Israel, cùm, hostibus devictis, inter captivos vidissent aliquam mulierem pulchram, quam vellent in uxorem ducere. Sic Sponsa Christi debet prius deponere vestem, in qua capta est, idest, pristinos mores, quos sub diaboli captivitate habebat. Radere novacula abnegationis propriæ cæsariem, idest, omnes terrenas curas: circumcidere ungues, tollendo omnem affectum rapacitatis: sedere uno mense, idest, quietè, & tranquille, pristinam vitam recogitare; perpendendo, quem patrem habuerit, nempe diabolum &c. De Ponte tom. 2. l. 6. Exh. 37. §. 3. in Cant. 3.

Ponens in thesauris abyssos. Ps. 32. 7. idest, peccatores faciens lapides pretiosos per pœnitentiam. Hugo Card. hic.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum; qui numerat multitudinem stellarum &c. Ps. 146. 3. 4.

Quæ consequentia juxta literam; *& alligat contritiones eorum, qui numerat multitudinem stellarum?* illos, qui anteà contriti fuerant, & postea sanati, vertit in stellas. Arcones in Is. 1. Disc. 6.

In manu ejus calculus, quem forcipe sulerat de altari. Is. 6. 6. Calculus hic Symbolum est pœnitentiæ, & contritionis. Carbo hic fuit carbunculus. Obiicies: quomodo ignis altaris nutriri potuerit carbunculis: Resp. in ignem immissos fuisse carbones; sed vi ignis conversos fuisse in carbunculos: ut significaretur vis nostri altaris holocausti, pœnitentiæ scilicet: per quam peccatores, qui erant, instar carbonum, frigidi, & nigri, in carbunculos, gemmasque, evadunt; puta fiunt carbunculi per charitatis ardorem, vel Smaragdi per castitatem, vel adamantes per patientiam, & fortitudinem. Hinc Ps. 17. 9. *Carbones succensi sunt ab eo*: nec tantùm succensi, sed & in gemmas divinitus conversi. Ità legimus S. Vincentium Ferr. duos reos: cùm ad supplicium ducerentur, sua exhortatione ad tantum dolorem accendisse; ut facies eorum in carbones quasi versæ fuerint, itaque expirarint. Cornelius hic. *In manu ejus calculus*. Hebr. *carbo*. Hieron. *carbunculus*; & subdit: ex quo intelligimus, altare Dei plenum esse Carbunculis. Cornelius hic.

In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami. Isa. 35. 7. An non S. Magdalena cubile fuit draconum, cùm possessa fuit mente & corpore, à septem dæmoniis? sed iis à Christo ejectis, quantæ lacrymarum aquæ ex hoc deserto prodierunt? quantus viror charitatis, orationis &c. Cornelius hic.

Erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ. Zach. 14. 20. Lebetes erant ollæ, in quibus coquebantur carnes victimarum DEO oblatarum. In phialis adolebatur thimiama; libabatur, excipiebatur sanguinis victimarum. Ecclesia de S. Magdalena: fit est lebete phiala, in vas translata gloriæ, ex vasæ contumeliæ. Cornelius hic. Ostendit, animos carnales, in quibus plurima ebulliebant vitia, Evangelii tempore ità immutandos, ut solum amorem Dei, & proximi, aliasque virtutes Christianas, spiraturi sint. Besseus D. 21. Pent.

Imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15. 5. Ovis errans pastorem vicit; ut relictis nonaginta novem, unam sequeretur; inventamque gestaret, non ageret. S. Chrysost. hom. 31. in 1. Cor. Numquam Pastoris humeris frueretur, si à Pastore non aberrasset. Quid gestas, bone JESU! in dorso tuo. Ovem? num lana sua te texit? num lacte copiosius pavit? num fœtu geminato gregem auxit? num te sequendo fatigata est? Imò fugiendo à me, & mihi, & gregi, obfuit. Sed apud Pastorem bonum non erravit; si se finit reperiri, quæ diu erravit. Oliva lib. 10. Strom. §. Nigra sum, sed formosa.

Sicut papyrus ex immundis, veteribus, & in sterquilinio collectis, pannis conficitur; sic DEUS ex peccatoribus Sanctos eximios efficit; in quorum mentibus, velut in alba papyro singulares format characteres, id est, cœlestia dona, & gratias speciales. Diez conc. 2. D. 10. Pent.

§. II.

Exempla.

Primùm. *David*.

Ex illis duobus filiis Davidis, Amnon, & Salomon, senior erat Amnon; ad quem proinde regnum spectaret: junior Salomon. Et nihilominus Deus ità rem disposuit; ut junior potiùs regnaret; ut patet 3. Reg. 1. 39. Ratio forsan esse potest: quia Amnon filius erat Davidis adhuc innocentis; at verò Salomon filius Davidis jam pœnitentis. Mendoza in 1. Reg. 3.

Lavabo per singulas noctes lectum meum. Ps. 6. 7. Lavat per singulas noctes lectum: ideo meruit David, ut ex ejus familia Virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet. S. Ambros. l. 2. de pœnit. c. 8.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Ps. 31. 2. Licèt secundùm cor Dei non esset, quòd ille peccavit; tamen secundùm cor Dei fuit, quòd pro peccatis suis congrua pœniteut a satisfecit. S. Aug. hic.

Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei. Ps. 51. 10. Cujus vox hæc tantæ plena fiduciæ? an Abelis? an Enos; an Enoch? an Jeremiæ in utero matris sanctificati? Davidis est: & quidem non innocentis, sed adulteri; non luctantis cum Goliath, sed fœminæ succumbentis. Psalmus iste primus est post quinquagesimum. Tu olea? & quidem fertilis, in domo Dei es? & ubi *voces illa, miserere mei Deus?* scit David, Dei misericordiam ad delicias usque, & decora, peccatoribus indulgere: scit, post scelus, non tantùm non abjectum se esse à Domino, sed erectum altius. Et quidem nusquam se, ante peccatum, tam splendido vocabulo ornavit: doctus, clariores nos fore post culpam. Si pœniteat culpæ. Dices tu: sed quidsi, post innumera beneficia à Deo accepta contra eum rebelavi; qui fluvii sufficient ad mundandum me? quomodo ignoscat Deus post adoptionem rebellanti? Imò quia plurima præstitit, præstabit plura: dedisse causa erit, ut debimus. Vanus ergo timor eorum, qui Deum infestiorem sibi fore putant; qua indulgentiore in se sunt experti. Oliva t. 2. Strom. §. Ego autem sicut Oliva.

Liber generationis Jesu Christi filii David. Matth. 1. 1. David propter peccati sui confessionem, meruit, ut inter alios Reges Israel; in catalogo primogenitorum Christi, ipse solus Rex semel, atque iterum, diceretur: *Jesse genuit David Regem; David autem Rex genuit Salomonem*. Matth. 1. 5. 6. Mendoza in 1. Reg. 3. speciales favores Dei erga pœnitentes.

Ex ea, quæ fuit Uriæ. Matth. 1. 6. Delicti meminit; non ut laudat Regem, sed pœnitentem laudet. Nam Evangelista totus est hic in Davide sublimando: ideo priùs dicit Christum filium Davidis, quàm Abrahæ: deinde, inter omnes Reges descriptos, solum Davidem dicit regem; & quidem bis; ob duplicem pœnitentiam duplicis peccati: adulterii; & homicidii. Licèt Abraham *sit Pater omnium credentium*. Rom. 4. 11. David est Pater, & Princeps pœnitentium. Sylveira hic in additionibus. Sed cur Manasses v. 10. Regis titulo non honoratur? cùm verè fuerit pœnitens? Resp. quia primus David in pœnitentia: imò David pœnitens in genealogia præponitur innocenti Abrahæ. Velloso in Judith. 5. Paràn. 47. Non veretur adulterium meminisse; ut legitimam, & regiam prolem narret. Et quid magis suspectum ad regiam prolem, & legitimam, quàm adultera conjux? Tamen hoc adulterium tot lacrymis expiatum, adeò obliteratum fuit, quasi numquam extitisset; sic nihil nocuit, quò minùs legitimam, & regiam familiam inde David stabiliret: Jam David quasi Joseph habetur, & Bersabee Susanna. Baeza tom. 2. l. 8. c. 3. §. 7.

De domo David. Luc. 1. 27. Quid fuit necesse, Evangelistam Joseph justum, virum Mariæ, *de domo David* adulteri, & homicidæ fuisse dicere? Ratio: ut ostendat: quod Dominus peccatores non respuit; sed recipit pœnitens. Hugo Card. hic.

Secundùm. *Petrus*.

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Luc. 24. 34. Redivivus Dominus quem alloquitur? Joannem? an Petrum. Oliva l. 5. Strom. §. Ascendens in altum.

Pasces agnos meos. Joan. 21. 15. Quas Christus claves Petro promiserat. Matth. 16. 19. hic tradidisse videtur. Jam Petrus pœnituerat; *flevit amarè*. Matth. 26. 75. Petrus Dam. l. 56. respectum Christi sequitur flentus Petri; & lacrymarum amaritudo antiquæ dignitatis dulcedinem instaurat. Aptior visus est exhibendæ misericordiæ, ex quo magis illa eguit. Ut enim virga Moysis abhiberi cœpit ad prodigia, ex quo anguis facta. Ità Petro oves traduntur post lapsum. Id. lib. 11. Strom. §. Saulus adhuc spirans.

Domine, hic autem quid? Joan. 21. 21. Non vanè Joannes, qui solitus describere seipsum ad una conditione; scilicet *quem diligebat Jesus*, modo describit seipsum à casu super pectus in cœna, & actu interrogandi de proditore. Sed usus est tot præcipuis benevolentiæ, familiaritatis, ac fiduciæ indiciis: ad significandum; in qualem gradum post Christi negationem Petrus ascitus fuerat: ut scilicet ipse Petrus interroget pro Joanne tam dilecto, tam domestico ipsi JESU: qui Petrus, antequam negaret Christum, interpellabat Joannem; ut interrogaret JESUM: ut intelligamus, in magis internam amicitiam DEI adscribi quandoque homines post crimina, quàm antè habuerant. Cajetanus hic. S. Thom. Aqu. 3. p. q. 89. a. 3. ad 3. quia tunc innocens erat; at nunc post negationem pœnitens. Nescio enim, quo pacto, qui ad pœnitentiam redit, majorem ad Deum accedendi fiduciam acquirit.

Ut veniente Petro saltem umbra illius &c. Actor. 5. 15. Cur Petrus umbra facit miracula, & sanat? quod de nullo alio Sancto legitur. Lyranus ponitur differentia Petri ad alios Apostolos in operatione miraculorum: nam alii Apostoli curabant infirmos per tactum manuum, sicut dicitur suprà v. 12. *per manus Apostolorum*: Petrus autem non solùm per tactum, sed etiam per umbram; quod est majus. Concessum hoc illi privilegium, quia pœnitens. Sylveira hic q. 12.

Tertiùm. *Paulus*.

Spirans minarum. Act. 9. 1. Ecce Paulum, infensissimum Christi nomini, gloriæ doctrinæ; cujus conabatur evertere domum, Ecclesiam, Evangelium, existimationem, barbara crudelitate incensus. Et tamen, cum in furoris apicem pervenisset; eum Christus in malitiam suam invitat; damna, & injurias condonat; confert titulum, & dignitatem Apostoli, excepta Pontificia jurisdictione, cum Petro adæquat miraculis, gloria & doctrina. Oliva t. 1. conc. 15.

Magna quidem Petri, & Joannis, testimonia: sed suspiciosus aliquis dixerit, quòd erant domestici. De illius autem (Pauli) qui hostis antea fuit, deinceps verò pro illo moritur, quis dubitet ampliùs, illius verum esse testimonium? Miratus sum certè Spiritus S. dispensationem, quòd aliorum quidem epistolas parvo numero circumscripsit; Pauli autem, antea, sui persecutoris, quatuordecim esse concessit. Non enim eò, quòd minor esset Petrus, aut Joannes; præcidit gratiam, absit: sed quòd dubia non esset gratia illius, qui antea esset inimicus, & persecutor, plura concessit eum scribere. S. Cyrill. Jerosol. Catech. 10.

Quartùm. *Matthæus*.

Remittuntur tibi peccata. Matth. 9. 2. Quare Publicanus, qui major videtur in crimine, major habetur in munere? Nam mox Apostolatus præditus dignitate, non solùm ipse accepit, sed etiam aliis tribuit, indulgentiam peccatorum; totum orbem splendore Evangelicæ prædicationis irradiat. Et paralyticus sola dignus venia vix habetur. Vis nosse, quare plus consecutus sit Publicanus? quia, juxta Apostolum. Rom. 5. 10. *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*. S. Chrysol. s. 30.

Nota; solùm S. Matthæus, & Joannes, simul Apostoli, & Evangelistæ. Si tantum donum datur Joanni ob suam virginitatem, & puritatem; hoc concessum Matthæo ob suam pœnitentiam. Sylveira in Apoc. 4. 7.

Quintùm. *Magdalena*.

Videns hanc mulierem? Luc. 7. 44. Cum Christus D. laudat Magdalenam in præsentia, cùm Baptistam non laudaverit, nisi abeuntibus discipulis? Ostendit Christus, quanti æstimet

pœniteentes; quantumque efficiatur; ut in eorum laudibus immoretur. Sylveira hic.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Luc. 7. 47. Laudatur mirè Magdalena; sed laudibus adverte mixtum vituperium. Et v. 37. expressiùs hoc ipsum declaratum: *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Cur, si mulieris egregia facinora, & ardentissimi amoris excessus, referuntur; transactæ vitæ, peccatis plenæ mentio fit? Quia, cùm Magdalena ad tantum sanctitatis, & amoris erga Christum, pervenerit culmen, oportuit præteritorum criminum iterare memoriam; ut tanta felicitas præteritæ infelicitatis temperaretur gravamine. Castillo Illat. 189.

Domine, non est tibi curæ? Luc. 10. 40. q. d. Domine tuæ curæ, & cogitationes, non in me, sed in sorore mea, maximè defixæ sunt. Sed cur tanta ei cura in Mariam? erat peccatrix, conversa, & pœnitens. Sylveira hic c. 16. q. 12.

Maria Magdalena, & Maria Jacobi &c. Luc. 24. 10. Hoc primum valde notandum est hic, quòd referens S. Evangelista nomina harum mulierum sanctarum, priùs ponit Magdalenam peccatricem, quàm alias sanctas: ut cognoscamus, quæ sit pœnitentiæ efficacia; quæ facit peccatores justis anteponi. Diez D. Resurr.

Magdalenæ, postquam conversa est ad pœnitentiam, facta est à Domino tanta gratia, ut post B. Virginem, non inveniatur mulier, cui in Mundo major exhibeatur reverentia, & in cęlo majorem habere gloriam credatur. B. Humbertus s. 100.

B. Margarita de Cortona interrogabat Christum, an inter Virginum choros in cœlesti gloria collocaverit Magdalenam? cui respondit: excepta Maria Virgine, ac Martyre Catharina, nulla inter Virginum choros major est Magdalena. Bolland. 22. Febr.

Tres Sancti sunt, qui mihi pro cæteris placuerunt: Maria mater mea, Joannes, & Maria Magdalena. l. 4. Revel. c. 10. 8. S. Brigittæ Verba Christi.

Sextum. *Filius prodigus.*

Ecce tot annis servio tibi, & numquam dedisti mihi hœdum. Luc. 15. 29. Cur tot dona impenduntur prodigo reverso: non verò filio fideli? tantum ille ferventi pœnitentia promeruit, ut etiam innocenti prælatus sit. Sylveira hic c. 26.

Citò proferte stolam primam. Luc. 15. 22. Non respondet pater filio verbis, sed factis, quibus suam benignitatem erga eum declarat; ostendens; se injuriarum immemorem. Ad servos suos simul convertit sermonem; & non ad unum solum, sed ad omnes. Ad cœnam magnam invitat per unum servum. Luc. 14. 17. Sylveira hic. Prima & primaria stola non datur seniori, & justo; sed pœnitenti juniori. Ità Deus exaltat pœnitentes. Id. ib.

Date annulum in manus ejus. ib. Annulus Symbolum nobilitatis, & libertatis; per quem Equites à plebeis, & servis, distinguebantur. S. Chrysol. s. 5. posuit annulum in manu ejus; annulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus Spiritus, signaculum fidei. Sylveira hic.

Surgam, & ibo ad patrem meum. Luc. 15. 18. Aliter Sponsa, in florido conscientiæ mundissimæ lecto requiescens: *surgam, & circuibo civitatem per vicos, & plateas, quæram, quem dilexit anima mea.* Cant. 3. 2. Prodigus it, quasi viæ certus: circuit Sponsa viarum dubia: ille, quasi, inveniendi tutus, rectà pergit; hæc per circuitum solùm quærendi studium manifestat. Nec imprudens utriusque cogitatio: illi quippe obvius pater occurris; hic sponsus diu quæsitus non invenitur. Unde unius, ejusdemque Dei tam diversus tenor? ut amanti lateat, peccatori tam facilè reveletur? quia prodigus petebat veniam; sponsa amorum delicias captabat: illud misericordiæ in propatulo est, mox obtinetur; hoc amoris manna in lateribus delitescit. Gilbertus s. 3. in Cant. vide, si non in præsenti hæc possit observari distinctio: quoniam patris exposita est, & parata cunctis, indulgentia; deliciæ verò fugaces, & reconditæ, & latibulis gaudentes: ideò ille dicit, *surgam, & ibo*, istà verò *surgam, & quæram*. Denique & pater occurrit pœnitenti; Sponsus se abducit diligenti. Misericordia sui profusior est, dilectio parcior. Ramirez in ep. 3. Apoc. 2. 17.

Septimum. *Latro pœnitens.*

Heu me! ajebat diabolus: duos latrones dedi, ac unum amisi; nec amisi tantùm, sed & paradisus apertus est. Annos quique millia clausus manserat, ipsumque aperuit latro. Q. i. jam de salute desperaturus est? innumerabiles hic effodit parietes; in supernis latro, itemq; in infernis. S. Chrysost. or. in Sancta lumina.

§. VII.

Pœnitentia præ innocentia Deo chara.

Symbola.

IN die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israel. Jos. 4. 14. Non extollitur gloria Josue, dum miracula insuita operatur dum prophetando cum Moyse sociatur; sed dum fluenta Jordanis pertransit. Josue figuram gerebat Christi Domini: cujus gloria non tam grandescit, dum mirabiliter fulget, quàm dum unda Jordanis peccatores sanctificat. Sylveira in Joan. 1. 4.

Corvi deferebant ei panem, & carnes manè. 3. Reg. 17. 6. Cur corvus vorax eligitur, & qui Noe infidus fuit? cur non mittitur columba? Corvus peccatoris Symbolum. Deus etiam elegit peccatores in Apostolos. Sedulius l. 1. operis Paschalis cap. 23. nunc Eliæ corvus bonus, ac fidus, qui Noe quondam perfidus; in terris abluit culpam in aquarum inundatione contractam. Sylveira in Luc. 23. c. 16.

Moab lebes spei mea. Ps. 107. 10. *Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?* Cur non ais, quis deducet me in Sion, ubi Prophetæ, & Patriarchæ florent? non, inquit, impios esurio; non justos. Si impii convertentur, opiparè epulabor. Oliva l. 10. Strom. §. Nigra sum.

Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum. Isa. 19. 1. Cur non fidus infidet, sed nubem? Certè Eliæ igneam demisit rhedam, cui non absimilis fuisset currus astris compactus: Nimirum iis oblectatur Dominus, qui vilioris olim conditionis. Ex septentrione nubes subsiliit, & concrevit: propterea gratior Domino est, qui aptior fidere. Mavult Dominus olim impios, quibus ad quævis uti possit; quàm fatuum innocentiam, cujus nihil non remissum, nihil non mediocre. Oliva lib. 11. Strom. §. Saulus adhuc spirans.

Magna erit gloria domus istius novissima, plus quàm prima. Aggæi 2. 10. Tropologicè: major est virtus pœnitentiæ post lapsum, quàm innocentiæ ante lapsum. Major est Paulus, quàm Saulus: major est Magdalena lapsa, & pœnitens, quàm virgo, & innocens. Major Petrus negans Christum, & plorans; quàm eum confitens. Cornelius hic.

Vidit cœlum apertum. Act. 10. 11. Quid in vase erat? nectar, an mel? an agni, columbæ? quibus justorum expressa imago est? immò *in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ*; tigrides, angues, vultures, & omne ferarum genus. Expavit Petrus, & exclamavit: *absit Domine.* v. 14. O Petre, noli fastidire fercula portentosa: inter ea monstra tu quoque lates. Modò oras; sed recordare, quòd olim pejerasti. *Quod Deus purificavit, tu commune nè dixeris.* Nota: non Angelorum, ut manna; sed manu Dei, monstra. Illa condita sunt, & perpurgata. Non dixerunt angeli: quia à Petro rejecta sunt bestiæ, projiciantur in cloacas; sed in cœlum vas recipitur: ut, quod Petrus repudiarat, Trinitati sanctissimæ apponeretur. Oliva l. 10. Strom. §. Nigra sum &c.

Sicut Sol post pluviam clarior fulget: Sic Christus post lacrymarum irrigationem benignior apparet. Hugo Victorinus de claustro animæ c. 7.

Luna, Lem. *In reditu gratior.* Luc. 15. 7. *Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente. In se reversus dixit: surgam.* Luc. 15. 17. S. Chrysol. s. 2. in se antè rediit, ut rediret ad patrem; qui à se ante recesserat, cùm recessit à patre. Picinelli. Luna Lem. *Conversa lucidior.* S. Gregor. mor. 25. c. 7. dum commissa attentiùs lugemus, in justitiæ splendorem membra deauramus. Id.

Testimonia.

Gaudium erit in cœlo &c. Luc. 15. 7. Sæpe accidit, quòd ii, qui à maximis peccatis surgunt per pœnitentiam, postea ferventiores fint in amore divino, quàm qui nunquam ceciderunt. Ferrum enim ignitum ferventius est ligno accenso: quia, quantò substantia est magis frigida, & igni contraria; si ignitur, tantò calidior efficitur, & calorem diutius conservat. Stella hic.

Citò proferte stolam primam. Luc. 15. 22. Cur non alia, quàm prima petitur? Per pœnitentiam reversus æstimatur à patre, tanquam semper bonus fuisset, & nunquam abiisset. Sylveira in Matth. 26. q. 3.

Zachæe festinans descende. Luc. 19. 5. Avidior interdum Dominus est surgentis ex iniquitatis cœno animæ, quàm coruscantis in serico innocentiæ. Oliva l. 5. Strom. §. Ascendens in alum.

Vita erat lux hominum. Joan. 1. 4. Cur non dicitur lux creaturarum, vel Angelorum? quia Angeli sancti semper perseveraverunt in gratia, homines ab ea exciderunt. Et Deus plus gloriatur, quòd sit eorum lux, qui à salute deperdita revocati sunt ad vitam; quàm eorum qui semper in charitate perstiterunt. Sylveira hic q. 26.

Fit pleruniq; gratior Dei amore ardens vita post culpam, quàm securitate torpens innocentia. S. Laur. Just. de spe c. 4.

§. VIII.

§. VIII.

Pœnitentia post lapsum fortior.

CUmque pugnassent contra Madianitas, atq; vicissent; omnes mares occiderunt. Num. 31. 7. Unde tanta Hebræo virtus? Num. 25. 18. Dolebat Moyses, pœnitebant & alii, *flebant ante fores tabernaculi.* Profuit Hebræo pœnitentia ad vires colligendas: qua peracta occisa sunt viginti quatuor millia hominum. Orig. hom. 25. in Num. qui priùs à mulieribus victi sunt, nunc, expiatione habita, & gesta pœnitentia, etiam reges vicerunt. Velloso in Judith. 5. Paræn. 43.

Sampson multò plures occidit moriens, quàm antea vivus occiderat. Judic. 16. 31. Pœnituit turpiter victum à muliere. Id. ib.

Dolor speciem ignis gerit: quia dum plus tegitur, plus ignescit. Blesensis. ep. 49.

Ampliùs placet miles, qui post fugam hostem duriter ferit; quàm, qui nunquam terga vertit, & tamen nunquam fortiter facit. Haymo in Is. 1.

§. IX.

Pœnitentia solatiosa, læta.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri.

Vlditq; post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Gen. 22. 13. Præcepit Abraham Dominus, ut filium Isaac immolaret: mutata immolatio est; non Isaac, sed aries, immolatus est, & periit. Sic non perit Isaac id est, *risus*, & sancta delectatio hominis ad Deum conversi, sed perit bruta delectatio. S. Bernardus s. de verbo Petri: *ecce nos reliquimus omnia.* Securus esto: non Isaac, sed aries morietur: non peribit Lætitia, sed contumacia. Barradius t. 4. l. 5. c. 8. D. Pent.

Confitebor tibi in Cithara. Ps. 42. 4. Ipsa debet dolorosa confessio non carere lætitia. Vel in confessione requirit Dominus æque planctum, ac cantum. Quid est confiteri in cithara? est plorare sine timore; & lacrymas spei emittere ex oculis: est in ipso gaudere dolore. Volo pluviam, sed cum iride. Oliva lib. 14. Strom. Quamdiu ponam consilia in anima mea Ps. 12.

In convertendo Dominus &c. Ps. 12. 5. 1. Hanc ineffabilem consolationem verè experiuntur, qui seriò convertuntur ad Deum; & contempta spe sæculi, atque, rerum omnium terrenarum cupiditate deposita, dirigunt pedes suos in viam pacis. Bellarminus hic.

De profundis clamavi ad te domine. Ps. 129. 1. Nota: Omnis Psalmus pœnitentialis incipit à lacrymis, & terminatur in exultatione. S. Bonaventura hic.

Petrus Cypri dilectus &c. Cant. 1. 13. Tu si peccata luxisti, bibisti amaritudinem: si autem jam respirasti in spem vita sanctiori; mutata est tibi myrrhæ amaritudo in vinum, quod lætificat cor hominis. S. Bernardus s. 44. in Cant.

Mel, & lac, sub lingua tua. Cant. 4. 11. Per mel prædicatio pœnitentiæ. Philo Carpath. hic.

Consolabitur Dominus Sion, & ponet desertum ejus quasi delicias; & solitudinem ejus quasi hortum Domini. Isa. 51. 3. solatur Spiritus S. Paraclitus Sion, id est, animam ad se toto conatu conversam: & quam peccatum in desertum redegerat, in hortum deliciis plenum commutat. Inventur deinceps in ea gaudium, & cęlestis voluptas, ubi terrestrem repudiavit. Barradius t. 4. l. 4. c. 8.

Lactabo eam. Os. 2. 14. Est omnis anima, quæcumque ad Dominum convertitur. S. Rupertus de oper. Spir. S. hic.

Ex Novo, & aliis.

Habitavit in Capharnaum. Matth. 4. 14. Capharnaum ex Hebræo interpretatur: *ager jucunditatis*, & delectationis; vel *villa pulcritudinis*, ait S. Hieronymus. Alii: *ager pœnitentiæ*; aut *propitiatio pœnitentiæ*. Cornelius hic. Capharnaum est compositum ex duabus dictionibus, *Caphar*, id est *villa*, seu oppidum; & *Naum*, id est, *pœnitentia*. Juxta Rupertum *consolatio*; juxta Albertum M. *pinguedo*. Ubi enim pœnitentia, ibi pinguedo, & animæ consolatio. Sylveira in Joan. 2. 12. c. 2.

Infundens oleum, & vinum. Luc. 10. 34. Oleum lætitia est. Ps. 44. 8. *unxit te Deus tuus oleo lætitiæ.* Et vinum lætitia est. Ps. 103. 15. *Vinum lætificat cor omnis.* Ac per hoc duplici lætitia conversus peccator confunditur: quia evasit Infernum; & regni superni accepit promissionem. Sim. Cass. l. 8. c. 38. hic.

Post hæc erat dies festus Judæorum. Joan. 5. 1. In fine præcedentis capituli habetur de sanatione infirmi; hic agitur de die solemni. Primò igitur fit sanatio à peccato; postea sanatus debet festum agere, id est, gratias agere: & post hæc feriari, & vacare; nè de cætero agat opus servile, id est, peccatum. Hugo Card. hic.

Canimus Alleluja post Graduale; Canticum lætitiæ post luctum pœnitentiæ: volentes exprimere magnitudinem consolationis, quæ reposita est lugentibus. Innocentius P. III. de Sacr. alt. c. 28.

Testimonia ex Veteri, & Novo.

Erit enim necessarium. Tob. 11. 4. Et recordatio amaritudinis Passionis Dominicæ necessaria est: quia omnem amaritudinem pœnitentia dulcem reddit; quod significatum est Ex. 15. ubi aquæ Marath, per lignum positum in eis, in dulcedinem versæ sunt. Et 4. Reg. 4. 9. per farinam, quæ amaritudinem ollæ dulcoravit. Hugo Card. hic.

Laboravi in gemitu meo. Ps. 6. 7. Benevolentia in exordio diligentissimè comparata, venit ad narrationem actuum suorum; asseres, pœnitentiam suam magnis cruciatibus fuisse completam. Gemitus amaritudo dulcis, lacrymæ felices, salutaris afflictio. Cassiodorus hic.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes. Ps. 41. 4. S. August. notat: non dixisse, factæ sunt mihi lacrymæ potus; sed *panes*. Nunquid aquæ nomen lacrymis aptius? Respondet: aqua sitim mitigat? panis eam non modò non sedat; sed etiam magis accendit. Panes, inquit Augustinus mihi factæ sunt: namque manducando lacrymas suas plus sitit. Did. Nyss. ser. 5. D. 5. Quadr. Cujus similitudini pœnitentiam comparemus; sic est quomodo ager fructifer, aut vinea fœcunda, aut etiam arbor fructifera: fructus ejus edit peccator famelicus. S. Chrysost. s. de pœnit.

Beati, qui lugent. Matth. 5. 5. S. Chrysost hom. 22. ad pop. non mortuum, non jacturam; sed peccatum. Hic luctus perfectè exponitur à S. Gregorio Nyss. lib. de beatitudinibus, S. Remigio, Alberto M. &c. qui præ tædio hujus vitæ, & vehementi desiderio cœlestis patriæ, ac eximio amore Dei, lugent in hoc corpore suum incolatum. Sylveira hic.

Beati qui lugent. Ib. id est, pœnitentiam agunt. *Quoniam ipsi consolabuntur*: ipsi enim sunt, quibus promittitur, & datur, Paracletus, id est, Consolator S. Spiritus. S. Rupertus in Volum. 4. Evang. c. 18.

Ascendente eo in naviculam. Matth. 8. 23. Tria hic sunt spiritualiter attendenda. Primum est animæ conversio; quæ designatur in ascensu naviculæ. Secundum est tentatio; quæ designatur in impetu procellæ. Tertium est animæ consolatio, quæ designatur in sedatione tempestatis. S. Bonaventura in c. 8. Luc.

Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. Luc. 5. 29. Theophylactus: fecit illi convivium, ut diem natalis sui gaudio concelebraret. Illa dies Matthæo verè natalis fuit, quia Christo natus. Alvarez. Illustr. 145. in Gen. 40. 20.

Excepit illum gaudens. Luc. 19. 6. Matthæum. Luc. 5. 29. & Zachæum, ambos Publicanos, Salvatorem domi gaudentes excepisse, Lucas refert: quam exultationem nè in domo, quidem Marthæ innocentis. Luc. 10. 38. floruisse refert. Quid hic mysterii? fortè insolens adeò est diviti exultatio, ut velut miraculum habitum fuerit, potuisse illos, excepto domi Christo, gaudere. Adde: pœnitentiæ, & verò dolori de peccatis, non deesse gaudia, & solatia; nec debere ad Deum revertentes tristari anxiè, diffidere de Dei bonitate. Oliva l. 13. Strom. hic.

Vincenti dabo manna absconditum. Apoc. 2. 17. Manna absconditum est JESUS, qui pœnitentes, & agonixantes, in solitudine Mundi, & in certamine carnis, prælibatoria quadam, & dispositoria suavitate reficit, & oblectat. S. Bernardinus s. 49. art. 3.

Ex Patribus, & aliis.

Nulla melior est voluptas, quàm emendatæ gratia conscientiæ. S. Ambr. l. 2. de Abrah. c. 11.

Omni homini converso ad Deum mutatur delectatio, mutantur deliciæ: non enim subtrahuntur, sed mutantur. S. August. in Ps. 74.

O quàm suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum; ut, quæ modò amittere metus erat, jam dimittere gaudium foret. Id. l. 9. Conf. c. 1.

Nulla res adeò jucunda, ut luctus secundùm Deum. Sanct. Chrys. s. 24. in ep. ad Eph.

Bonum est, semper flere, maximè autem tempore noctis; quando nullus est, qui hanc admirabilem voluptatem excutiat? sed licet volenti ea liberrimè expleri, qui ejus, quod sciunt, dico, fecere periculum; quantam lætitiam habeant hi fontes lacrymarum. S. Chrysost. in Ps. 6.

Securus esto: non Isaac, sed aries, morietur: non peribit lætitia, sed contumacia. S. Bernardus s. de verbo Petri: ecce nos reliquimus omnia.

Sit suavis, & dulcis, affectui tuo D. Jesus, contra malè utique dulces vitæ carnis illecebras; & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavum clavus expellit. Id. ser. 20. in Cant.

Multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam; crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem. Vos, qui experti estis; ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est; & per gratiam Spiritus S. adjuvantis, suavis, & delectabilis; est pœ-

nitentia nostra; &, ut ità dicam, amaritudo dulcissima. Idem l. 1. in Dedic. Eccl.

Quantum in se dulcoris habet pœnitentia! quam est suavis! eò maximè, quia suavis est Dominus noster; malè à nobis commissorum facilè immemor, benignus, miserator humani generis; imò animarum nostrarum amantissimus, modis omnibus prospiciens nostræ omnium saluti &c. S. Antiochus Ab. hom. 77.

Nulla in hac vita dulcedo nobilior, quam deflere peccata. Et miro quodam modo agitur, quòd fletus dulcis est miseris: & pœnitentibus verè lacrymis guttulæ sint dulcedinis. Sim. Cass. l. 13. c. 1. de Pass. Salvat.

§. X.

Pœnitentia grata Angelis.

G*Audium erit coram Angelis*. Luc. 15. 10. Gaudium ex tua conversione afferre velis cœlesti exercitui. S. Ephrem s. 1. de pœnit.

Festum excitat Deo pœnitentia; quoniam & cœlum movet ad epulas, & Angeli lætantur, dum pœnitentia ipsos invitat ad prandium; cunctique cœlestes ordines epulantur, per pœnitentiam sese recreantes. S. Ephrem de pœnit.

Gaudent in conversione ex pœnitentia peccatorum salutem hominum sitientes: lacrymæ pœnitentium vinum eorum. S. Bernardus s. 30. in Cant.

§. XI.

Pœnitentiæ motiva ex mysteriis Salvatoris.

Num. I.

Incarnatio. Nativitas.

QUid prodest, si in illa tantùm carne, quàm de Maria suscepit, dicam venisse Christum; & non ostendam etiam in hac mea carne, quòd venerit. Ostendo autem ista demum; si, quemadmodum priùs exhibui membra mea servire iniquitati ad iniquitatem, nunc eam convertam, & exhibeam servire justitiæ ad Sanctificationem. Orig. hom. 3. in Gen.

Age pœnitentiam: hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe clamat, hoc membra illa infantilia manifestè loquuntur; hoc lacrymæ, & vagitus evangelizant. S. Bernardus s. 3. in die Nat.

Num. II.

Eucharistia.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Matth. 2. 12. Ex Bethlehem domo panis. Naxera in Appendiculo de Sacr. Euch. §. 2.

Notandum est, quòd cùm irrationalis creatura, scilicet panis, per Verbum Dei, & spiritum ejus, in melius convertitur; quanta sit peccatoris duritia, qui multis verbis, & Sp. S circa se operationibus, ad conversionem non reducitur. S. Albertus M. s. 12. de Euch.

Num. III.

Passio, mors, Christi.

Consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum. Gen. 4. 8. Ajunt Judæi, protoplastes non deflevisse peccatum suum, quoad ipsi Abelem mortuum viderunt: tunc enim verò in tam deformis filii sui, olim speciosissimi, cadavere, sceleris sui, quo mortem induxerant, gravitatem pensasse. Mors Christi vel eo nomine deflenda; quòd per peccatum nostrum inducta sit: & eam nos commemoramus; dum Sacrosanctum Christi Corpus in pectus nostrum, velut in sepulchrum, immittimus. Doultreman de am. lib. 1. c. 4. sect. 11.

Tollat crucem suam. Matth. 16. 24. Nam meam non poterit: gravissima est enim; & quam nullius puri hominis humerus portare sustineat. Non meam injungo, sed tollat suam, levem, facilem, portatilem. Non peto sanguinem à te, ò Christiane miles; non vulnera, non tormenta, non spinas, & verbera, quæ pro te ipse passus sum: age pœnitentiam pro peccatis tuis, & sufficit mihi. Sanct. Thom. Vill. conc. 3. de uno M.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26. 38. S. Hieron. in Ps. 108. hoc dolebat mihi, & contristabar pro persequentibus me; quia nolebant pœnitentiam agere. Ego in cruce pendebam, & sanguine meo lavabam sordes eorum; & ipsi nolebant agere pœnitentiam. Hæ erant lacrymæ meæ, hæc compunctio; quoniam persequentes me non potui salvare. Apud Fernandum in Gen. 4. sect. 19.

Velum templi scissum est. Matth. 27. 51. Magis ad præsens mihi placet, videre te oculo mentis, laniatum, conspurum; quàm transfiguratum. Et si non sum tamquam velum nobilissimum in templo, ut in morte tua scindar; sum tamen fœdissimum monumentum, ut ad apertionem tui lateris aperiri debeam. Quid in me quæris Domine? Si in morte tua petræ scissæ sunt, ego sum durior omni petra. Si terra mota est; & ego terrenissimus sum. Si cœlestis non sum, ut tibi compatiendo cum sole nequeam obscurari; tamen infernalis convesationis sum; ut à te debeam in hoc triduo mortis tuæ visitari. S. Laur. Just. de incend. div. am. c. 4.

Terra mota &c. ib. & lapides scissi sunt; ut denotetur, quòd lapidea hominum corda per ejus Passionem deberet scindi; & quòd iste Mundus debet ad bonum, Passionis Jesu morientis virtute moveri. S. Bernardinus t 2. s. 56.

Imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15. 5. Cur humeris ovem perditam imponit? S. Ambros. ideo cervicibus, crucis ligno detritis, tulisse ait: ut ovis, dum crucem aspicit, errores antiquos facilè abjuret. Ovis illa, inquit, quæ perierat in Adam, levatur in Christo: humeri Christi crucis brachia sunt: illic peccata mea deposui; in illa patibuli nobilis cervice requievi. Naxera in Jos. 16. §. 6.

Fatigatus - sedebat. Joan. 4. 6. Nisi fatigatus Jesus sederet expectans, nullam mulieri utilitatem suus de fontem adferret adventus. Toletus. Vide, quos paret Dominus laqueos ad fontem, ut mulierem venetur: nam labores, & fatigationes, validissima arma sunt ad convertenda humana corda. Baeza tom. 2. l. 6. c. 3. §. 7.

Crucifixus fuit patiens, ut vocaret ad pœnitentiam immanes peccatores. S. Chrys. in Ps. 2.

§. XII.

Pœnitentia dolet peccata, mundat &c.

F*Acies & atrium tabernaculi*. Ex. 27. 9. Mysticè significabat *atrium* Fideles incipientes Deo servire; *Sanctum* proficientes; *Sanctus Sanctorum* perfectos, & beatos. Unde in atrio erat *labrum*, sive lavacrum, id est pœnitentia, & *altera holocausti*, id est, mortificatio vitiorum. V. Beda Cornelius hic.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix - lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. 37. &c. Tela è manu, textrino, nigra exit; & sic necesse est, eam sæpe aqua perfundi, & solis radiis opponi; postea, quasi nix, alba efficitur. O quam nigra, & obscœna, tela erat hujus mulieris vita; in qua Mundus, diabolus, & caro, quidquid eis libuit texuerunt. Attamen plurimis lacrymis perfusa, & juxta solem justitiæ collocata, super nivem dealbata est. Diez f. 5. D. Pass.

Unus autem de his &c. Luc. 23. 39. *Idipsum & latrones - improperabant*. Matth. 27. 44. Quia alter facti pœnitens, ità pœnitentia peccatum abolet, quasi id non fecisset. Velloso in Judith. 5. Paræn. 41.

O pœnitentia! quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia soluta referas, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pœnitentia! rutilantior auro, splendidior sole; quam non vincit peccatum; nec defectio superat, nec desperatio dolet. S. Chrysost. s. de pœnit.

§. XIII.

Pœnitentia liberata pœnis, solvit debita.

I*Taque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite*. 3. Reg. 21. 27. Sicque comminatas pœnas evasit.

Homines, & jumenta, & boves, & pecora, nec gustent quidquam &c. Joan. 3. 7. &c. Similiter comminatas pœnas evaserunt. *Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus*. ib. S. Ephr. hæc porrò Ninivitæ nec opinantes prophetabant. Et quidem Prophetæ erant veritatis: nam pœnitentia prophetas eos effecerat.

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. 18. 26. Sed unde inops homo vim tantam pecuniæ, decem millia talentorum, solvet? Palatius: adeò confidenter promittebat, iste satisfactionem operum; quia novit, per pœnitentiam applicari sanguinem Christi: qui cum infiniti valoris sit, profectò omnia talenta valebat. Sylveira hic.

Amaritudo præsentis pœnitentiæ extinguit supplicia sequentis iræ. Gregor. mor. l. 9. c. 23.

Tanta est pœnitentiæ medicina; ut mutare Deus videatur suam sententiam. In te est igitur, ut evadas: vult rogari Dominus; vult de se sperari, vult sibi supplicari. Homo es, & vis rogari, ut ignoscas; & putas Deum tibi non roganti ignoscere? Ipse Dominum Jerusalem flevit: ut, quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertineret &c. S. Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 6.

§. XIV.

§. XIV.

Pœnitentia facit formosum.

C*Onfessio, & pulchritudo*. Ps. 95. 6. Confessionem bene sequitur pulchritudo: quia nemo potest esse speciosus; nisi qui Domini fuerat miseratione mundatus. Fœdos nos peccata nostra faciunt; sed pœnitentiæ reddunt lavacra decoros. Cassiod. hic.

Nigra sum. Cant. 1. 4. Seu fusca propter delicta; *formosa* ob pœnitentiam. Philo Carpath. hic. Nigra ob superiorem impietatem, pulchra propter pœnitentiam. B. Theodoret. l. 1 hic.

Quærimus, quomodo nigra, & sine candore sit pulchra? pœnitentiam egit à peccatis: speciem ei largita est conversio; & ideo speciosa cantatur. Orig. hom. 1. in Cant.

§. XV.

Pœnitentia cœlo apta; eidem vim infert.

T*Empus flendi, & tempus ridendi*. Ecclæ. 3. 4. S. Hieron. nunc flendi tempus est; in futuro ridendi. Beati qui nunc fletis; quia ridebitis. Luc. 6. 21. Plangendum est in præsentiarum, ut postea saltare valeamus, illa saltatione, qua saltavit David ante Arcam 2. Reg. 6. 14. Quia qui in præsenti Sæculo sua plangit peccata, ridebit postea in futuro, juxta illud Malach. 4. 2. *egrediemini, & salietis sicut vituli de armento*. Cornelius hic. *Laudate Dominum in Sanctis ejus*. Ps. 150. 1. Liber iste Psalmorum per quinquagenos, si per ipsos quinquagenarios articulos interogetur, magnum aliquid, & valde dignum consideratione respondet. Non enim frustra mihi videtur Quinquagesimus esse de pœnitentia; Centesimus de misericordia, & Judicio; centesimus quinquagesimus de laude Dei in Sanctis ejus. Sic enim ad æternam, beatamque, tendimus vitam: primitus peccata nostra damnando, deinde bene vivendo: ut post condemnatam viam malam, gestamque bonam, mereamur æternam. - Pœnitentiæ vox est, *miserere mei Deus &c.* hinc offert sacrificium Deo, spiritum contribulatum, cor contritum, & humiliatum; quod Deus spernit. Justitiæ Christi vox est in electis suis: *Misericordiam, & Judicium, cantabo tibi Domine*, Ps. 100. 1. *Psallam, & intelligam, in via immaculata quando venies ad me*: per misericordiam quippe adjuvamur ad faciendam justitiam; ut securi ad Judicium veniamus. Vitæ æternæ vox est: *laudate Dominum in Sanctis ejus*. S. August. hic.

A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur &c. Matth. 11. 12. Quia, qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud, quàm Regno cœlorum fieri violentiam docuit? - Vult à nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti: nam regnum cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. S. Gregor. hom. 20. hic. Quid aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia regni cœlorum. - Noli disperare; constanter age felix anima, quæ cum Deo luctari cœpisti: amat utiq; vim abs te pati; desiderat à te superari. Absit, ut fortis adversùm vos sit, qui pro vobis infirmari usque ad mortem voluit. Tot vulneribus confossus est, toto corpore crucifixus est; unde, quæso, ei virtus esse potest ad resistendum illi charitati; quæ veluti victum, & captum; per omnia genera infirmitatum usque ad mortem, mortem autem crucis perduxit. Guarricus s. 2. die Pent. Cur potiùs à *diebus Joannis*, quàm antè: Joannes primò sic legitur prædicasse: *pœnitentiam agite*. Sed pœnitentiam agere, est sibi ipsi bonam violentiam facere, affligendo, & reprimendo seipsum: nam antè non docebatur apertè, quòd regnum cœlorum taliter acquireretur. Violenti sunt ergo, qui, desiderio patriæ, quotidie seipsos mortificant, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis, crucifigentes: qui dicere possunt cum Ps. 16. 4. *propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*. Dion. Carth. hic. Hæc violentia fit per pœnitentiam; quia omnia opera pœnitentialia requirunt violentiam. Primò: conteri de his, ad quæ naturaliter inclinatur: odisse, detestari, quæ amavit, violentiam requirit: quæ tanta aliquando est; ut ex illa violentia moriantur. *Scindite corda vestra*. Joel. 2. 13. Secundò: habere propositum, non redeundi ad peccata; quæ fortè jam sunt conversa in naturam ex consuetudine. Tertiò: recedere à mala societate, à persona tam dilecta &c.

Confessio etiam, violentiam habet, ob verecundiam. Idem de restitutione bonorum, famæ &c. S. Vincent. Ferr. fer. 6. D. 2. Quadr.

Magna super terram est pœnitentia: quoniam Scala animabus fit eò ascendendi, unde per peccatum deturbati sunt. S. Ephrem de pœnit.

§. XVI.

Pœnitentiæ parcitur sibi non parcenti.

D*ixi, confitebor adversus me in justitiam meam - & tu remisisti*. Ps. 31. 5. Sequitur de accusatione propria salutare remedium, quando pepercit Judex, cùm sibi non parceret reus. Cassiodorus hic.

Iniquitatem meam ego cognosco. Ps. 50. 5. Iratus est potiùs sibi; qui se cognovit justa objurgatione culpari. Tam ingentium populorum rector sibi erat vehementissimus tortor, exigens à se pœnas, quas jussione vix ferre poterat aliena. Vulgò mos est, peccata sua callidis allegationibus excusare. Rex autem potentissimus, in conspectu omnium, se potiùs elegit addicere, constituens se reum, cujus consueverat populus formidare judicium. Ideò à Domino absolvi meruit, quia sua vitia non defendit. Idem hic.

Lætentur, & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate. Ps. 66 5. Quærendum nobis est, quare moneat gentes lætari, & exultare; cùm judicium Dominum dicat facturum? Metuere enim potest rea conscientia, cùm audit, veracem Dominum judicaturum. Sed de illis dicit, qui jam confessi peccata, formidare nequeunt ventura judicia: illis enim non Judex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt. Id. hic.

Misericordiam, & Judicium, cantabo tibi Domine. Ps. 100. 1. Nemo in melius commutatus exhorreat Judicium Dei, quia præcedit misericordia Dei. S. August. hic.

In quantum non pepercerís tibi; in tantum tibi Deus, crede, parcet. Tertull. l. de pœnit.

Gemamus modicum; nè semper gemamus, ploremus modicum; nè in æternum ploremus: non parcamus nobis; ut parcat ipse. Quò enim quisque districtior fuerit in seipsum peccatorum vindex; eò illi mitior tunc apparebit Judex. S. Thom. Vill. conc. 1. D. 1. Adv.

§. XVII.

Pœnitentiæ varia bona, & gratia.

I*Niquè non egimus in Testamento tuo*. Psal. 43. 18. Testamentum Christi, quod fecit ante mortem suam, est pax inter Deum, & hominem; secundùm quod dicit Joan. 14. 27. *pacem relinquo vobis*. Et Eccl. 45. 30. *statuit ei testamentum pacis*. Ad hoc autem, quòd fiat pax inter aliquos, oportet, quòd uterque flectatur in aliquo à suo proposito. Similiter in pace facienda inter Deum, & hominem, Deus flectitur à sua justitia per misericordiam; & homo quasi ei occurrit, & assurgit per pœnitentiam. Hugo Card. hic.

In lectulo meo &c. Cant. 3. 1. Quid est in lectulo Deum quærere; nisi eum velle cum vita suavi invenire? non invenitur Deus in quiete mundana; sed in aspera pœnitentia. S. Bonavent. s. 30. Dom. infra Oct. Epiph.

Qui incipit pœnitere; tunc primò potest dicere: *Domini ego sum*. Is. 44. 5. Hugo Card. in Gen. 2.

Invenerunt puerum cum Maria. Matth. 2. 11. id est, amaritudine pœnitentiæ. Hugo Card. hic.

Miserere mei Domine! filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22. Cur non petit preces Discipulorum? At ipsa, dum in se dolorem sensit, non alio putavit opus patrocinio. Orig. hom. 7. in divers. non petivit Jacobum, non rogavit Joannem, non accessit ad Petrum; sed suscepit in se pœnitentiæ patrocinium; & sola cucurrit ad Dominum. Baeza t. 2. l. 11. c. 3. §. 2.

Misertus - dimisit eum, & debitum dimisit ei. Matth. 18. 27. Vide pœnitentiæ robur, & misericordiam Domini. Pœnitentia enim fecit servum cadere à malitia, qui firmiter in illa stabat; nec venia dignus erat. Misericordia autem Dei dimisit omninò debitum; tamersi servus non omnia remitti; sed prorogari tempus peteret. Disce ergo, quòd Deus plura dat, quam petimus. Theophylactus hic.

Jussit illi dari manducare. Luc. 8. 55. Post pœnitentiam peccatorum, post primam resurrectionem, post virturis exercitium; jubetur, ut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi apponantur. Sim. Cass. l. 5. c. 14.

Deus autem pacis conteret Sathanam sub pedibus vestris velociter. Rom. 16. 20. Cùm Deus pœnitentiam docet, Deus pacis dicitur: quia pœnitentia pacem in animum inducit. Secundò dicit conterat; non tantùm petit fetiri, aut vulnerari, sed conterendum; quia per pœnitentiam funditus deletur. Tertiò *sub pedibus*. q. d. non erit opus gladium exerere, lacertis luctari; sed vel calce solùm dæmonem facilè conterit pœnitens. Quartò *velociter*: nec longo opus tempore; sed brevi rem perficies. Pinna Ethol. 56.

Nisi esset pœnitentia, jam dudum humanum periisset genus. S. Ephrem. de pœnit.

Si vultis intrare per portam justitiæ; defendite culpam: si per

si per januam misericordiæ; agite pœnitentiam. Sanct. Eulbertus epist. 77.

Continuatio Patrem respiciens.

Et venit ad patrem suum. Luc. 15. 20. Quomodo venit? nisi pœnitentiam, & corde contrito, & spiritu contribulato: hac enim via redeunt peccatores ad Dominum. S. Eusebius Emiss. Sabb. D. 2. Quadr.

Quòd si in terris nequam pater, offensus graviter à filio peccatores, & malo; si tamen eundem postmodum viderit reformatum; & depositis prioris vitæ delictis, ad sobrios, & bonos mores, & ad innocentiæ disciplinam pœnitentiæ dolore correctum; & gaudet, & gratulatur, & susceptum, quem antea projecerat, cum voto paternæ exultationis amplectitur: quantò magis unus ille, & verus Pater bonus, misericors, & pius, immò ipsa bonitas, misericordia, & pietas, lætatur in Pœnitentia filiorum suorum: nec iram pœnitentibus, aut plangentibus pœnam, comminatur, sed veniam magis, & indulgentiam pollicetur. S. Cyprianus Carthag. ep. 62.

O felix humilitas pœnitentium! quàm potens es apud omnipotentem; quàm facilè vincis invincibilem! quàm citò tremendum Judicem convertis in piissimum Patrem! Guarricus Sabb. 2. hebd. Quadrag. de parab. filii prodigi.

§. XVIII.

Pœnitentium exempla.

Fecitque Adam. Gen. 3. 24. Nunquid non statim potuit in illum mortem inducere? Sedvide, quid agat benignissimus Dominus: ejicit ipsum è paradiso; neque enim erat dignus illo loco propter peccatum. Constituit autem illum è regione paradisi: ut videat, unde exciderit; & à quibus in quæ delapsus sit, deincepsque per pœnitentiam salvetur. S. Cyrill. Jerof. Catech. 2.

Peccavi. 2. Reg. 12. 13. Hoc verbum pœnitentis David sic explicatur: litera prima *Pœniteo, Erubesco, Confiteor, Cito.* Ago pœnitentiam, humiliter recipiendo, quod confessarius imponit. *Voluntariè. Integrè.* Progmard. Peccatum.

Curvatus sum usque in finem. Ps. 37. 7. Hoc dicens, velut affectum ipsum, & animum, pœnitentis exponit dicentis: ex quo peccavi, nunquam risi, nunquam lætatus sum, nunquam mihi ipsi aliquid jucunditatis indulsi; sed semper in mœrore fui, semper in pœnitentia, semper in luctu. Orig. hom. 1. hic.

Peccatum meum contra me est semper. Ps. 50. 5. Lapsus est David semel, semper flevit: hæc enim pœnitentiæ vis est, quæ hominem ità à se rapit; ut unam tantum meditetur, & moliatur, sceleris ultionem. Oliva l. 5. Strom. §. Peccatum meum.

Ninive subvertetur &c. Jon. 3. 4. 5. Mirabile; immò miserabile est: Ninivitæ, ad duo verba Jonæ, induerunt se sacco: & tota die verberant aures nostras sacra verba; & tamen non movemur. Hugo Card in Gen. 9.

In se reversus. Luc. 15. 17. Extra se iverat, qui ad se revertebatur. *Redite prævaricatores ad cor.* Is. 46. 8. Redit ad cor, qui per compunctionem malè actorum in seipso revivisci, & discutit contientiam suam: quia propria voluntate sua, atque perversa, recessit à Deo; & pœnam, quam justè meretur, agnovit. Sim. Cass l. 8. c. 40.

Surgam, & ibo ad patrem meum. Ib. v. 18. Qua spe? qua fiducia? qua confidentia? Qua spe? illa, qua Pater est: ego perdidi, quod erat filii; ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus: intus est in patris pectore, ipse, qui intervenit, & exorat affectus. S. Chrysol. l. 2.

§. XIX.

Pœnitentiæ motiva varia.

Ex Veteri.

Ut det gentibus pœnitentiam. Eccl. 44. 16. Rabanus, & alii legunt: *Sapientiam*: vera enim peccatoris Sapientia, est pœnitentia. Cornelius hic.

A planta pedis, usque ad verticem, non est in eo sanitas. Is. 1. 6. Tanta ulcerum commemorata fœditate, nulla tamen de scalpro, mentio: Unguenti meminit: fasciarum, & olei. Arguebatur à famulis suis Naaman, quòd periculum facere recusaret imperari ab Elisæo lavacri. 4. Reg. 5. 13. *Si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* Et tantùm nudari princeps jubebatur, mergique septies perfrigida, & absente Elisæo. Tibi Christus adest; qui, nè mergare in stagnum ignis ardentis, jubet, te tuam solùm fastidire saniem; & piget expiari. Alabastro opus est, non camino; mensa est, non lanicna, pœnitentia. Et cunctaris? & non evolas? Audi Ezech. 24. 12. 13. *non exivit de ea nimia rubigo ejus. Immunditia tua execrabilis; quia mundare te voluì*, & noluisti. Oliva fer. 5. D. Pass.

Candidiores Nazarei ejus nive &c. Thr. 4. 7. Anima se jure deplorat; quæ fuit priùs, per fontem Baptismi, nive candidiùs dealbata; & per infusionem S. Spiritus, auro pulchriùs colorata: nunc verò, aut hæresi est infecta; aut vitiis, & sceleribus obfuscata. S. Paschasius hic.

Ex Novo.

Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Matth. 3. 10. id est, de proximo imminet vobis interitus mortis, atque æternæ damnationis; nisi pœnitentiam dignam egeritis: sicut arbori propinqua instat ruina, quando securis applicatur radicibus arborem amputet, funditusque evellat. Dion. Carth. hic.

Jesus ductus est in desertum à spiritu. Matt. 4. 1. Marci 1. 12. *Spiritus expulit eum: agebatur à spiritu in desertum.* Luc. 4. 1. In quo significatur: quòd ad desertum pœnitentiæ venitur tripliciter. Scilicet timore severitatis, cujus est, expellere à malo ad bonum. *Timor Domini expellit peccatum.* Eccli. 1. 27. Splendore veritatis; cujus est ducere. Amore bonitatis; cujus est agere. *Quicumque spiritu Dei aguntur.* Rom. 8. 14. S. Bonaventura in Luc. 4.

Exiit primò manè &c. Matth. 20. 1. Nulla enim non ætas hominum apta conversioni. Prudentissimè prima hora, id est, in pueritia, ad propriæ vineæ culturam properabis: quia præcoces fructus expetit, qui ait. *Sinite parvulos venire ad me.* Matth. 19. 14. At, si pueritiam possedit otiositas, adolescentia ligonem accipiat. Flores ætatis immaturos, & acidos, fructus parturiere? virilis ætas maturos exponat. Maturi, ais, fructus maturam decent ætatem: saltem ergo in senectute ad operationem vineæ perge. An putas, patremfamilias circa undecimam horam exiturum fuisse; si inepta ad conversionem vel decrepitæ ætatis infirmitas? *Ite & vos in vineam meam.* Strabus: q. d. vel in in ultimis resipiscite. S. Fulgentius ep. 7. cap. 10.

Si aliquam ætatem judicaret Dominus conversionis remedium ineptam, non diversis temporibus operarios vocaret ad vineam: in diversitate enim horarum accipitur ætatum diversitas. Id. c. 9. Semper Deus delectatur conversione nostra: nec tempus hujusmodi, quamdiu in hac vita est, posuit: quo propitiari non possit converso. S. Chrysost. hom. 2. in Ps. 50. Occidisti? pœnitere: vulneratus es? adhibe tibi curam, dum vivis, dum spiras; etiam in ipso lecto positus, etiamsi dici possis exanimatus. - Non impeditur temporis angustia misericordia Dei. Escob. t. 6. Par. Chr l. 9. Sect. Obs. 1.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Ligatis manibus &c. Matth. 22. 12. 13. Cui rex tam iratus, præsertim cùm servi tam celeriter adesse coegerunt, quos invitabant; ut curandi vestitus honestioris non permitterent otium? Respondet Euthymius: in corruptibilibus nuptiis respondere quispiam posset; quòd digna stola, difficilis inventu foret: in his autem incorruptibilibus nuptiis oblata est omnis occasio: in proximo namque est ornatus, ac inventu facilis; si modò illum verè quæsierimus. Justè itaque illum ejicit, qui ornatus non erat, tanquam segnem, & negligentem. Did. Nyss. D. 3. Pasch. §. 5.

Memor esto, unde excideris. Apoc. 2. 5. Nihil est, quod tam summo dolori sit, quàm si unusquisque positus sub captivitate peccati recordetur; unde lapsus sit eò quòd ad corpora atque terrena, ab illa speciosa divinæ cognitionis intentione deflexerit. S. Ambros. l. 2. de pœnit. c. 11.

Ex Patribus, & aliis.

Pœniteat amasse, quæ Deus non amat: quando nè nos quidem ipsi servulis nostris ea, quibus offendimur, non odisse permittimus. Tertull. l. de pœnit. c. 3.

Inquinati, post aquas salutis, renascamur ex lacrymis. Itaque *sicut modò geniti infantes lac concupiscite.* 1. Petri 2. 2. Redite parvuli filii ad sinum Matris vestræ, æternæ sapientiæ; fugite larga ubera pietatis Dei: transacta plangite, imminentia vitate. S. Gregor. hom. 25. in Evang.

Proh nefas! orbis terrarum ruit! in nobis peccata non ruunt. S. Hieronymus ep. 12. ad Gaudentium. Dicis, perfectam non possum agere pœnitentiam. Si non potes sol fieri, fias stella. S. Chrysost. hom. 22. ad pop. Antioch.

Florida est rosa; sed mihi tristitiam inducit: quotiescunque enim video florem, peccati mei recordor; ob quod terra ad spinas, & tribulos ferendos, damnata est. S. Basilius s. de parad.

Festivitas pulchra est, & divina; pœnitentia cum lacrymis. S. Ephrem de festis dieb.

Cuncta series veteris, & novi Testamenti, pœnitentiam pro peccatis agendam, quod est, lamentari; regnum cœleste quærendum, ubi est carmen; & fletus infernalis, ubi est væ; præmonet esse fugiendos. S. Rupertus l. 4. de operibus. Spir. S. c. 13.

Parcite, obsecro, fratres, parcite animabus vestris; parcite sanguini, qui pro vobis effusus est. Horrendum cavete periculum; ignem, qui paratus est, declinate. S. Bernardus ser. de conversione ad Clericos c. 30.

De

De mea misera vita suscipe obsecro iresiduum annorum meorum: pro his verò, quos videndo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum, & humiliatum Deus non despicias. Id. s. 20. in Cant.

Si Joannes, qui ex utero sanctus, tam asperam pœnitentiam faciebat; quid facere debent peccatores impii peccatis omnibus pleni? S. Bonav. s. 20. de S. Joan. Bapt.

Ubi est pœnitentia? quis hodie dolet, si Deum offendit? Verè plus dolet, si asinum perdidit: quia, asino perdito, mox eum quærit; sed Deo perdito, & per tempora longissima, non requirit. Idem s. 2. de S. Agnete V M.

Duo maximè sunt recogitanda animæ, quæ vult veraciter pœnitere: primum est, beneficia recepta; secundùm mala commissa. S. Bernardinus s. 15. de vera Conf. Art. 1.

Peccavimus fratres: aut pœnitendum, aut ardendum. Quantò meliùs modicum pœnitere; quàm perpetuò ardere. S. Thom. Vill. conc. 1. de Judicio.

Sumus homines, & non dæmones: ergo aliquando mala commissa plangenda, & non continuò peccata augenda. Juglaris conc. 21.

§. XX.

Pœnitentia matura, velox.

Num. I.

Symbola, & Similitudines.

Versa est in statuam salis. Gen. 19. 26. id est, vix respexit, imò actu respiciens obriguit in lapidem salis. Mirum, tam citò punitam à Deo; cùm tamen alias supplicia in longum tempus protrahat: ut fecit sodomitis ipsis sceleratissimis, & Loth uxorem, minùs peccantem, sine mora punivit; nè quis scilicet putet, differri tutò posse pœnitentiam; cùm sæpè supplicium peccatum ipsum propè comittetur. Scilicet omnibus hominibus, quacumque ratione peccantibus, sive magis, sive minùs, incertum est tempus pœnitentiæ: atque ideo nemo differat, ut intercipiatur morte, & debito supplicio. Pinna Eth. 234.

Festinavitque populus, & transiit. Jos. 4. 10. Ut exsiccatus erat Jordanis alveus, commodaque in terram promissionis, transeundi dabatur occasio. Multæ nobis dantur in cœlum promissum transeundi occasiones: festinemus, & transeamus. Barradius t. 2. l. 4. c. 14. Dom. 20 Pent.

Exclamavit Abner ad Joab & ait: num usque ad internecionem tuus mucro deseviet? - Et ait Joab: vivit Dominus, si locutus fuisses, manè recessisset populus persequens fratrem suum. 2. Reg. 2. 26. q. d. Serò sapuisti: jacta jam est alea. Tempus hoc non in tui commodum, sed perniciem insumendum. Ita loquitur Deus ad peccatorem contra se tota die bellantem; vespere mortis ab eo petit inducias. Incerto Auth.

Surge, propera. Cant. 2. 13. Surge à peccato ad justitiam; propera quia mora periculosa est. *Flores apparuerunt in terra nostra*: flores citò corrumpuntur. Hugo Card. hic.

Filia mea modò defuncta est. Matth. 9. 18. Prudens princeps, qui mortuam filiam quatriduanam esse non expectavit, sed mox currit à Domino ad vitam revocari. Si peccato anima moriatur, non differenda cura resurrectionis. S. Chrysol. s. 34. *modò* filia mea defuncta est, modò, id est, adhuc vitæ manet calor, adhuc animæ vestigia videntur. Faciliè fax flamam resumit; si, postquam extincta est, dum adhuc calidum fumum exhalat, ignem admoveas. Escobar tom. 1. Mir. Chr. p. 4. Obs. 3.

Qui prior descendisset, sanus fiebat. Joan. 5. 4. Ad motum piscinæ probaticæ, qui prior descendisset, unus tantum curabatur. In hoc, quòd unus, & primus sanatur; commendantur nobis duo in pœnitentia: strenuitas, & unitas: ut homo sit strenuus in se; & velox: & unus, id est; concors ad alios. Eccl. 31. 27. *in omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret ibi.* Hugo Card. hic.

Num. II.

Exempla Pœnitentiæ maturæ.

Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & uxor ejus. Gen. 3. 8. Cur eodem die, & priùs, quàm sol occubuisset, advenit Dominus; ut Adamum de patrato scelere argueret? cur non vel in diem alterum objurgationem suspendit? Quia novit, quantùm periculi habeat procrastinatio remedii post perpetrationem peccati. Did. Nyss. D. 23. Pent. §. 2.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Joan. 3. 4. Et Ninivitæ, habentes tot dies superfluos vitæ, statim egerunt pœnitentiam, diem sequentem non expectantes. Tu eorum exemplum cur non sequeris; cùm nec de una hora sis certus? Stella de cont. p. 1 c. 96.

Ut cognovit. Luc. 7. 37. Nota diligentiam: non interposuit moras, non reservavit pœnitentiam ad finem vitæ Cæsarius Arelat. hom. 7. nec ipse se reservavit, ut in fine vitæ pœnitentiam agere; sed dum adhuc poterat peccare; sic voluit peccata deserere; ut illam de adulteriis suis, non impossibilitas subtraheret, sed voluntas. Sylveira hic.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. Cùm enim hodie vocem meam audisti, & non obtursti cor tuum; celeriter tibi gratificor: tu hodie obedisti fidei; hodie quoque tibi Salus. S. Cyrill. Jerof. Catech. 12.

Reliquit ergo hydriam suam &c. Joan. 4. 28. Non promittit Christo, se ad meliorem frugem recepturam; sed facto ipsam vitam mutat. Anselmus: nota facilitatem, seu agilitatem, peccatricis fœminæ ad pœnitentiam: & duritiem, & procrastinationem nostram. Escobar tom. 3. Coll. Chr. p. 1. sect. 2. Obs. 4.

Num. III.

Motiva ex Veteri.

Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum. Ps. 49. 22. Studiosè, inquit, unumquodque ex his, quæ dicta sunt, intelligite. Et vos, qui Deum obliti estis (oblivio enim Dei conciliatrix peccati est) pœnitentiæ medicamentis vulnera curate, antequam mors rapiat: quæ quidem leonis more in homines grassatur; cùm res nulla vehementem illius impetum cohibere possit. B. Theodoretus hic.

Hodie si vocem ejus audieritis &c. Ps. 94. 8. Utilius namque, & multò salubrius est; hodie audire eum consulentem, admonentem, docentem, & ut multùm arguentem, increpantem, corripientem: quàm in die illa tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa; audire illum judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. S. Bernardus s. de verbis Abac. sup. custodiam meam stabo.

Septies cadet justus, & resurgit. Prov. 24. 16.

Ex Novo.

Exiit primo manè. Matth. 20. 1. Periculosus error; tunc velle edoriri vineæ culturam; quando fiendus labor ad decursum diem. Exiit primo manè, pervigilat, solem prævenit: ut doceat, quàm diligenter tractandum negotium salutis, tempestivè res componendæ. Omnis enim in hoc periculosa cunctatio: vita brevis; occasiones, & tentationes validæ, pericula gravia, hostis vaferrimus. Did. Nyss. D. Sept. §. 2.

Manè autem revertens in civitatem esurit. Matth. 21. 18. Manè esurit Dominus, & ante tempus ficus fructus requirit: qui enim prevenit in maturitate, & cùm vix per tempus licèt, jam virturis prefefert fructus; is sanè attigit punctum divini gustus. Baeza t. 2. l. 11. c. 8. §. 2.

Postquam consummati sunt dies octo. Luc. 2. 21. Christus octavam diem à Nativitate sua vix expectat, ut suum tibi sanguinem impendere incipiat: ut post, non dico, octo dies, sed nec post octoginta menses, imò & octoginta annos, solam non rependis voluntatem. Ille vix natus sanguinem tibi effudit: tu jam moriturus voluntatem tuam non refundis. Bonus profectò Jesus, qui etiam in quarta vigilia venientem servum suscipit pœnitentem: dedisti robur annorum juvenilium hosti Christi? Christo saltem misericorditer expectanti infirmam tribue voluntatem. S. Bernardus tr. de Pass. c. 2.

Permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt. Luc. 9. 61. Summa vitæ humanæ incertitudo nec minimam morulam admittit: quo tardes ad Deum venire. Quid agis homo? Deum sequi vis; & priùs domum abis? Unde scis, an revertendi tempus aderit? vis domesticus res disponere: habesne diem crastinum? Isaiæ 38. 1 Ezechias jubetur domui disponere propter instantem mortem: ille autem, domum oblitus, hoc agit, ut Deum oret. v. 2. Baeza t. 2. l. 6. c. 4. §. 7.

His fieri incipientibus. Luc. 21. 28. Hoc est, statim post delictum respiciamus ad pœnitentiam: nam ipse peccati actus signum est judicii Escobar t. 5. Par. Chr. l. 1. sect 2. Obs. 2.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Joan. 7. 33. Dives in misericordiis Dominus peccatoribus promittit vel modicum tempus: pretiosa enim temporis particula ad conversionem; Pensa illud *adhuc*: cur illo modico tempore, quo *adhuc* donaris, ad conversionem non uteris? Proh dolor! *adhuc* illi misericordis Dei addis *adhuc* impœnitentiæ, & pertinaciæ tuæ. *In omnibus his peccaverunt adhuc.* Ps. 77. 32. Escobar t. 2. Per. Chr. l. 6. sect. 1. Obs. 7.

In momento, in ictu oculi &c. 1. Cor. 15. 52. Resurrectionem corporum differt Deus in extremum Mundi diem; resurrectionem verò animarum nec puncto quidem temporis differri vult. Si pœnitentiam peccator agit, statim Deo excitante resurgit. Resurrectioni animarum unam tantùm diem tribuit; resurrectioni corporum totum tempus tribuit, quo Mundus stat. Pendet autem resurrectio corporis maximè ex resurrectione animæ: si anima ante mortem non resurgit, resurget quidem corpus; sed ut torqueatur æternum. Barradius t. 4. l. 8. c. 5.

Ecce nunc tempus acceptabile. 2. Cor. 6. 2.

Antonius M. teste S. Hieron. suos ad virtutem exhortatus, jugi meditatione, ajebat, retinendum esse illud Eph. 4. 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram*: neque tantùm super iracun-

cundiam, solem occidere non debere; sed super peccata alia omnia. Joan. Alex. &c. Sol ad occasum est; Ità quisquis peccati mortalis conscius sibi est, vesperi revolvat. Sol ad occasum tendit; forsan & vita tua: atque, sic hac nocte moriaris, quod non rarum est; in qua te futurum putas æternitate? divorum? an damnatorum? Quotquot corpori sunt, non dicam sensus, sed & potentiæ; tot & mortis sunt fenestræ, per quas irrepat, & jugulet. *Nescio*, ait Job 32. 22. *quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus &c.* Drexelius de Ætern. Consf. 7. §. 3.

Ex Patribus.

Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. S. Greg. hom. 12. in Matth. 25.

Qui malus fuit heri, bonus sit hodie. Malus fuit heri, & non est mortuus: si mortuus esset, & malus esset; isset, unde non rediisset. Prosit illi, quòd vivit; non malè vivat. Quare ergo diei hesterno hodiernum vult addere malum? quis longum ferat malum vel prandium. S. August. hom. 25. ex 50.

Quia antiquorum morborum difficilis, & tarda, curatio est; tantò velociùs adhibeantur remedia, quantò recentiora sunt vulnerna. S. Leo s. 1. de Resurr. Dom.

Ostio tibi aperto, ingredere, unde es egressus; & nè tardes: nè, si fortè mors inciderit, ea tibi obstruat aditum. Caput jam canescit, propè est æstas vitæ: in nos fortè falx acuitur; & timeo, nè, nobis dormientibus, & in vana spe occupatis, repentè accedat messor terribilis. S. Greg. Nyss. Orat. contra differentes Baptismum.

Postquam in domo aliqua parum stupæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus: non enim attendimus initium, sed finem; sed ex initio finem considerantes, movemur, & concurrimus; ut totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementiùs animam excedit vitium; oportet itaque prævenire: nam, si fuerimus negligentes, id correctu evadet difficilius. S. Chrys. in Ps. 26.

Currite ad medicum, cùm potestis; nè, cum velitis, non possitis. Id. in Ps. 26.

Peccatum, si ad animam tuam divertit, hospes sit, non incola: quia justi illicò peccatum expellunt, & ad statum gratiæ redeunt. Id. hom. 12. in 1. ad Corinth.

Ecce ostium pœnitentiæ apertum est; festina peccator, priusquam illud occludatur. S. Ephrem de pœnit.

Sic pœnitentiam agas, quasi de vita desperares; ut per mortem corporis animæ mortem extermines. Id. ib.

Currat pœnitentia, sententia nè præcurrat: quia Dominus, quòd non venit adhuc, quòd expectat, quòd moras facit; nos sibi redire desiderat, non perire. S. Chrys. s. 167.

Stylo ferreo, & ungue adamantino, scribendum; quòd tempus pœnitentiæ concessum est: tempus breve, & est tempus instabile, & est tempus irrevocabile: & quia breve; ideo utiliter expendendum. S. Bonavent. s. 44.

Quis moraretur in culpa, qui non est certus de die crastina. in Regim. conscientiæ.

§. XXI.

Pœnitentia sera, procrastinata.

Ex Veteri.

Qui respondit, cras. Ex. 8. 10. Ad Pharaonem Moyses: *constitue mihi, quando deprecer pro te, & pro servis tuis, & pro populo tuo; ut abigantur ranæ.* Cùm debuerit in tanta positus necessitate rogare, ut jam oraret, nec differret; respondit, crastina die. S. Ambros. hexam. l. 1. de Cain & Abel c. 9. Noli desperare; promissa est indulgentia tibi. Deo gratias, inquit, quia promissa est; teneo promissum Dei. Ergo jam benè vive. Cras, inquis, bene vivam, Indulgentiam tibi Deus promisit; crastinum diem tibi nemo promisit. Si malè vixisti, benè vive jam hodie. S. August. in Ps. 101. Fratres, non tardetis converti ad Dominum: sunt enim qui præparant conversionem, & differunt; & fit in illis vox corvina, cras, cras. Corvus, de arca misus, non reversus. Non quærit Deus dilationem in voce corvina: sed confessionem in gemitu columbino reversa est. Quàm diu cras? cras? Observa ultimum cras: quia ignoras, quod sit ultimum cras. Sufficiat, quòd vixisti usque ad hodiernum peccator. Id. in Ps. 102. Noli dicere, cras me convertam; cras Deo placebo: & omnia hodierna, & hesterna, dimittuntur mihi. Verum quidem dicis: quia Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit; sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. Id. in Psal. 144. Ipsa res est, quæ multos occidit, cùm dicunt: cras, cras, & subitò ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina; quia non habuit gemitum columbinum. Id. s. 16. de Verb. Dom. Corvus est, qui procrastinat conversionem suam ad Deum. Hugo Card. in Lev. 11. 15.

Accederisque manè singuli per tribus vestras. Jos. 7. 14. Abulens. q. 42. hic: quæret aliquis circa Achan, cùm audivit, quòd Deus dixerat esse anathema in Israel; & quòd sequenti die erat declarandum; eratque sibi conscius hujus sceleris; quare non fugit? Resp. quia in futurum videbat differri, quod statim facilè potuisset inquiri. Quamquam, inquit, audisset verba de declarando peccatore, non credidit futurum. Naxera in Jos. 7. §. 30.

Quæso te, ut hodie hic maneas. In Judic. 19. 6. Hæc est vox diaboli, semper pœnitentiam procrastinantis. Facit cogitare hominem: adhuc poteris parum expectare, & postea facere pœnitentiam. Hugo Card. hic.

Et annos tuos, id est, tempus tibi datum ad pœnitentiam, *ne des crudeli.* Prov. 5. 9. id est, diabolo, demorando in peccatis. Hugo Car. hic.

Ex Novo.

Succide illam; ut quid etiam terram occupat? Luc. 13. 7. &c. Vineæ cultor rogat: *Domine, dimitte illam & hoc anno: & si quidem fecerit fructum: sin autem; in futurum succides eam.* S. August. s. 31. de Verb. Dom. *in futurum succides eam*, quando? scilicet cùm in Judicio venies judicare vivos, & mortuos; interim modo parcitur. Verùm unde Augustinus colligit missum in sequentem annum excidium, usque ad extremi Judicii spatia prorogandum? quia quod statim fieri opportunè poterat, in ulterius tempus reservatur. Naxera in Jos. 7. Parag. 30.

O stulti, & tardi corde. Luc. 24. 25. Abjicienda est tarditas, quæ vitium non festinat expellere, nec nititur adhibere virtutem. Vituperanda mos ad expediens, ubi mos, nec sua molimina tardat, & natura tempore, ac vita propere procedit in finem: & nihil sistit in rebus, quod, suis legibus à Deo positis, velocitate non pergat. Sim. Cass. l. 14. hic.

Quæretis me, & non invenietis. Joan. 7. 34. Quinam Christo carebunt? torque mala incurrent? Non qui quærunt Christum, sed qui *quærent*. Licet Christum amplexari; & te piget amplexuum? Salus non occurret iis, qui eam quæsituri sunt; sed iis; obviam processura, qui eam *quærunt*. Oliva s. 2. Pass.

Ego vado, & quæretis me &c. Joan. 8. 21. Ille Christum non quærit, qui salutem animæ suæ per pœnitentiam non quærit. *Quærite Dominum, dum inveniri potest*: qui misericordem, dum habet, non quærit; inveniet eum iratum. V. Beda hic.

Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ. Judic. v. 12. Sic vocat peccatores pigros, & lentos; qui de salute sua nullam curam habent. Sicut enim arbores, quæ in autumno florere incipiunt, cùm cœteræ jam maturos fructus ferunt, serò veniunt, & rarissimè maturescunt, propter frigus superveniens; sic sera pœnientia rarò vera. Diez fer. 5. in Cœna Dom.

Ex Patribus, & aliis.

Quid in crastinum differs? potes & hodiernum diem lucrari. Cavendum est etiam, nè & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel unius horæ. Et una hora totius vitæ portio est. S. Ambros. ep. 82.

Ista est peccati pœna justissima: ut, qui rectè facere, cum possit, renuit; amittat posse, cùm velit. S. Aug. l. 13. de lib. arbitr. c. 18.

Væ nobis! qui tam diu dissimulavimus, & negleximus, quærere vitam; quærere eum, qui bonus est quærentibus se; animæ speranti in se. S. Bernardus s. 2. exhortatorio ad FF. de altitudine & lassis cordis. Obsecro te, charissime pater, per omnipotentem JESUM, per sanctos Angelos ejus, per thronum Majestatis ejus igneum; in quo judicaturus est vivos, & mortuos: nè temetipsum decipias, nè ulteriùs differas, nè salutis tuæ remedium, de die in diem procrastinando, animam tuam seducas: sed intrà citò, dum licet, in portum conversionis; nè te tardantem repentini opprimant casus; nè te inopinatæ mortis absorbeat fluctus; & æstuantis gehennæ deglutiat barathrum. B. Petr. Dam. l. 4. ep. 4. ad Episcopum Auximanum.

Cùm caput cum omnibus sensibus agitatur in senibus, quasi agitatione capitis continnò insinuat de vita præsenti recessum: vel, si malè vixerint, quasi capite negant, se non posse tunc faciliter emendare. At si benè; jam non faciliter à bonis moribus declinare. S. Bernardinus s. de calamitatibus senectutis. Qualificatus vitiis adolescens vinum claræ juventutis propinavit dæmoni; Deo autem seniles reservavit fœces. Redolentem & rubentem rosam portavit in manibus & olfecit sedulè; putentem verò applicavit manibus Christi. Sim. Cass. l. 8. c. 38.

§. XXII.

Pœnitentia in morte.

Ex Veteri.

Fugiamus Israelem; Dominus enim pugnat pro eis. Ex. 14. 25. Cùm fluctibus obruerentur, & nulla esset spes salutis, tunc dixerunt, fugiamus. O homines stultos, qui sæpiùs admoniti acquiescere noluerunt; in ultimis vitæ peccata fugere cupiunt. Pinna Ethol. 174.

Inter cœteras aves, quas Deus olim, ut immundas, ab altari suo rejiciebat, erat cygnus. Levit. 11. 18. cujus ratio esse videtur; quòd non nisi moriens cantet; reliquo tempore mutus, & quasi in otio stertat. Illi à DEO cygnorum instar reprobandi, qui ætatis florem Deo non consecrant; omnemque cantum, vitæ, inquam, emendationem, otiosi in senium, & mortis tempus differunt. Besseus D. 1. post Epiph.

Illo (Absolone) *suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insidebat, pertransivit.* 2. Reg. 18. 19. Abulens. hic qu. 12. notat: multa acciderunt Absoloni hic, à quibus posse liberari videbatur. Nam potuisset tenere equum, nè introivisset subter quercum ramosam: & etiam, postquam introivit, & alligati sunt capilli ejus, poterat ipse tenens mulum silvere illos & fugere. Poterat abscedente mulo, capillos amputare. Vel si non habebat gladium, poterat, manibus tenens arborem, illos solvere, vel rumpere; sed nihil horum fecit. Cur non fecit? quia inopinatò in vitæ periculum adductus, & trepidans, non potuit in illa improvisa perturbatione deliberare de remedio. Nunc, si Absoloni tam præsens, ut facilè poterat, non occurit remedium, quomodo tu, ò cœce, miser peccator vitam, & conscientiam, tam longis annis, ac multis modis intricatam; implicatamque evolves? cum te in illa hora suprema tam justis timoribus undique videbis impugnari. Did. Nyss. f. 5. D. 5. Quadr. §. 2.

Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat. Jer. 13. 16. Tropol. ante diem mortis, & Judicii, nè offendant pedes nostri ad montes caliginosos, id est, dæmones; agamus hic pœnitentiam, ad Hieron. tunc enim nullus dabit precem, laudem, & gloriam Deo. Qui enim in tempus mortis procrastinant pœnitentiam, quasi tunc viam salutis inituri; perinde faciunt, atque qui noctu in tenebris, pro loca obscura, dubia, prærupta, & latronibus circumfesta, proficisci festinant. Cornelius hic.

Ex Novo.

Circa undecimam verò exiit &c, Matth. 20. 6. Dominus hora 12. nullum vocavit ad vineam.

Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme. Matt. 24. 20. Quæ ultima pars anni; *aut Sabbato*, quod ultima hebdomadæ dies. Pinna Ethol. 174.

Date nobis de oleo vestro. Matth. 25. 8. Tunc primùm Virgines fatuæ de esse sibi oleum cognoverunt; cùm adveniret sponsus. Scilicet tunc demum, quantum sibi faciendum superfit, quàm sit utilis pœnitentia homines agnoscunt, cum mors imminet; cùm occasio calva. Id. Ethol. 43.

Ut cognovit. Luc. 7. 37. Genus quoddam desperationis est, differre pœnitentiam in finem vitæ. Did. Nyss. f. 4. D. 5. Quadr. §. 2.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. Nihil magis suspectum, quàm sera, sub mortis horam pœnitentia: angores enim, quos peccator in extremo illo discrimine patitur, magis oriuntur à futuris pœnis, quas pertimescit; quàm à præteritis culpis, quas patravit. Did. Nyss. s. de conversi. latronis §. 6.

Quid faciam. Luc. 16. 3. Ait intrà se, quid faciam modò? semper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit. S. Chrysol. s. 125.

Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. Rom. 12. 1. Vivam offert, qui adhuc sanus, ac vegetus corporis voluptates frœnat: ille mortuam, qui multa ætate effectum Deo corpus suum offert. Pinna Ethol. 43.

Ex Patribus.

Stulti sunt, qui expectant pœnitentiam agere, quando non possunt de ea aliquid cogitare. Anima enim nostra hujusmodi est, ut principaliter ad unum sit: & dum uno aliquo intensè afficitur, reliqua minùs moveant. Quare sit ut minùs de peccato dolore possit, dum sensibili dolore pulsatur in carne. S. Bonav. s. 30. Dom. infra oct. Epiph.

§. XXIII.

Pœnitentiam pest mortem sterilis.

Symbola.

Ex Veteri.

Non est in loco nostro consuetudo, ut minores antè tradamus ad nuptias. Gen. 29. 26. Duas filias habet Deus, scilicet duas Ecclesias: thriumphantem, quæ est pulchra Rachel; sed sterilis est, quia ibi merendi locus non est; alteram militantem, lippam Liam: quia nihil hic rerum Divinarum, & spiritualium, videmus; sed tantum credimus: est tamen fœcunda, & plurimos parit filios. Priùs Liæ nubere debemus, id est, in Fide vivere; tunc Rachaele fruemur. Diez conc. 3. in festo S. Thomæ.

Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ &c. Gen. 41. 26. &c. Septem præcedentes anni fertiles, tempus vitæ præsentis: quibus adeò Deus implet terram misericordia; ut copia ejus neqeat exhauriri. Psalm. 118. 64. *misericordia tua Domine plena est terra.* Sed postea tanta erit egestas; ut næque pretio, neque dono, reperienda sit. De Rampelogis. Misericordia Dei. Joseph sapientissimus habitus est, quòd consilium Pharaoni suggessisset, ut fertilitatis tempore omnia regni horrea frumento compleret, quod tempore sterilitatis usui forent. Ipse Rex eum laudavit. *Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus est?* v. 38. Et sane plenus ille Spiritu Dei dicendus est, qui sibi ipsi priùs consulit interea, dum magna apparet in Mundo fertilitas, terraque misericordia repleta est. De virtutibus, bonisque operibus: ut iisdem, dum maxime opus habuerit, in tempore angusto, gratiorumque inedia; in qua de sola justitia agetur, utatur. Besseus D. 8. Pent.

Sexto die parent, quod inferant. Ex. 16. 5. Sex diebus vitæ nostræ cibaria comparanda sunt in septimum diem æternitatis ut iisdem in æterna quiete cœlesti vivamus. Ità Orig. Rupert. &c. apud Cornelium hic. Est parasceve nomen Græcum, & interpetratur *præparatio*. Unde sextam feriam sic appellabant. Judæi, quia ea, quæ Sabbato erant necessaria, præparabant. Parasceve vitam præsentem significat; in qua præparari debent necessaria vitæ futuræ. Hugo Card. in Marci 15. *Eadem similiter edetur die.* Levit. 7. 16. Eodem die hujus vitæ consummanda, & peragenda, omnia Fidei, & bonorum operum sacrificia; nihilque in tertium Resurrectionis, & æternitatis servandum. Quidquid tertius dies invenerit, ignis absumet. Cornelius hic.

Si ceciderit lignum ad Austrum - in quocumque loco ceciderit ibi erit. Ecclæ. 11. 3. Homines sicut arbores vidit aliquis. Exciditur autem arbor in morte; & quocumque ceciderit, ibi erit: quia ibi te judicabit Dominus, ubi invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter. Videat, quo casura sit, antequam cadat: quia postquam ceciderit, non adiiciet, ut resurgat; sed nec ut se vertat. Quò verò casura sit arbor, si scire volueris, ramos ejus attende. Unde major est copia ramorum, & ponderosior; inde casuram non dubites; si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri desideria nostra sunt; quibus ad Austrum extendimur, si spiritualia fuerint; si carnalia, ad aquilonem. S. Bernardus s. 49. ex parvis.

Ex Novo.

Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Matth. 3. 10. Vide autem, quod non ad ramos posita dicitur esse securis, sed ad radices, ut irreparabiliter extirpentur. Auth. Imper. hom. 3. in Matth. Ad radicem posita, ut in æternum non revivescat. Cajetanus hic.

Ligatis manibus, & pedibus &c. Matth. 22. 13. id est, operativis ejus virtutibus. In sæculo enim præsenti operari possumus in futuro autem sæculo ligantur omnes virtutes animæ operativæ; & non potest aliquid fieri boni in ablutionem peccatorum. Stridor autem dentium pœnitentia est; quæ tunc stultè, & inutiliter fit. Theophylactus hic. *Ligatis manibus*; nè possit operari ad bonum morale: *& pedibus*, nè possit affectum habere ad bonum morale. Cajetanus hic.

Quinque fatuæ. Matth. 25. 2. Meritò fatuæ: quia, quod eis futurum erat, prævidere nescierunt, illectæ terrenis illecebris, sed tardè sibi providere voluerunt, quoniam ampliùs tempus non erat. Simon Cass. l. 6. c. 28.

Dum autem irent emere, venit sponsus, &c. Matth. 25. 10. Non enim post Judicium patet precum, aut meritorum, locus. S. August. s. 21. de verb. Dom. S. Hieron. excesserat emendi tempus: nec adveniente die Judicii locus erit pœnitentiæ.

Non poteris vilicare. Luc. 16. 2. Quia post hanc vitam non restabit possibilitas ad merendum. Sylveira hic.

Fodere non valeo. Luc. 16. 2. Glossa: post hanc vitam non est locus fodiendi compunctione terram animæ nostræ ad ferendum fructum. Est tunc etiam confusibile mendicare; ut fecerunt fatuæ virgines: imò inutile, & impossibile. Sylveira hic.

Pater Abraham miserere mei! Luc. 16. 4. Fruſtrà agis pœnitentiam in loco, ubi non eſt pœnitentiæ locus. Tormenta te cogunt agere pœnitentiam; non mentis affectus. S. Chryſoſt. hom. de divite.

Deſcende, priuſquam moriatur filius meus. Jo. 4. 49. Quam prudenter hoc petit, antequam moriatur: nam poſt mortis momentum deſcendit JESUS ad omnes homines ut Judex ſeveriſſimus. Secundò, quia poſt mortem omnia, quæ neglecta, irreparabilia. Baeza t. 2. l. 10. c. 5. §. 3.

Teſtimonia ex Veteri.

Remitte mihi, ut refrigeror, priuſquam abeam, & ampliùs non ero. Pſ. 38. 14. Refrigerari, priuſquàm abeam, hoc eſt, antequam hinc proficiſcar: ſi enim hinc receſſerimus; non accepta per pœnitentiam refrigeratione; non poterimus eam ampliùs accipere. Quare? quia non ſumus ampliùs. Non quòd ab eo deveniamus, ut non ſimus, & ab eſſentia excidamus; ut nonnulli exiſtimant; ſed ampliùs non ero, hoc eſt, non poſſum mutari. S. Chryſoſt. hìc.

Confitemini Domino, quoniam bonus. Pſ. 105. 1. Quoniam in iſto ſæculo tantùm miſericors eſt. Hic miſereri poterit pœnitenti; quia ibi Judex eſt; non eſt miſericors. Hic porrigit manum cadenti, ibi ſedet Judex. S. Hier. hìc.

Qui congregat in meſſe (Chald. *qui operatur in æſtate*) *filius ſapiens eſt.* Prov. 10. 5. Æſtas, & meſſis, Symbolum præſentis vitæ; hyems verò ſtatus futuri ſæculi; ubi nullum eſt laborandi, & merendi tempus. Cornelius hìc.

Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, id eſt operandi, & merendi locus, & tempus; *nec ratio.* Campenſis vertit, *nihil conſilii.* Alii *nulla computatio, nec ſapientia, erunt apud inferos.* Eccl. 9. 10. Cornelius hìc.

Memento paupertatis in tempore abundantiæ. Eccl. 18. 25. Sic Joſeph providit in annis fertilitatis ſterilitati futuræ. Gen. 41. 47. Unde Rabanus: ne perdamus otium nobis conceſſum: quia veniet tempus, quando jam non licet operari: hoc enim hìc tempus paupertatis, & diem neceſſitatis nominat. Hinc Græc. & Syr. ſic habent: *memento temporis famis in die ſaturitatis, paupertatis, & egeſtatis, in diebus divitiarum*; juxta illud Eccl. 11. 27. *in die bonorum nè immemor ſis malorum.* Cornelius hìc.

Memento noviſſimorum, noli obliviſci; neque enim eſt converſio &c. Eccl. 38. 22. Rabanus: nunquam oblivioni tradas noviſſimæ horæ exitum; ſed ſemper paratus eſto: quia poſtquam hinc exieris; nequaquam ultra huc revertens ſpatium bene operandi habebis.

Ex Novo.

Ut ſcias, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: ſurge tolle lectum tuum, &c. Matth. 9. 6. Theophylactus: vide, quòd ſuper *terram* remittuntur peccata: quamdiu enim ſuper terram ſumus, poterimus delere peccata noſtra.

Erunt ligata & in cœlo. Matth. 18. 18. Salutis negotium in hac vita peragi debet. Nihil in cœlo fit circa hominum ſalutem; niſi ea, quæ in terris videntur peracta: hinc debes ferre, ſive liberationem, ſive vincula. Dum Chriſtus è Mundo receſſurus erat, in terris cœli claves reliquit: ut ſcirent homines; quòd niſi ex hac vita ſecum claves ferant, minimè poterunt in cœlum introire. Baeza t. 3. l. 14. 13. §. 8.

Ubi vermis eorum non moritur. Marci 9. 43. Vermis dicit ſeram ſceleum pœnitentiam; quæ nunquam in tormentis conſcientiam afflictorum mordere ceſſabit. V. Beda hìc.

Dimittere confractos in remiſſionem. Luc. 4. 19. Confracti ſunt quorum voluntas per peccatum infirmata eſt ad bonum. *Cor ſtatui quaſi vas confractum &c.* Eccl. 21. 17. Hæc autem confractio eſt reparabilis, dum hic vivimus; ſed irreparabilis efficitur in morte. Iſ. 30. 14. *comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli &c.* quia non erit ſuſceptibilis gratia. Pſ. 2. 9. *tunquam vas figuli confringes eos.* S. Bonav. hìc.

Venit nox &c. Joan. 9. 4. Præſens vita dicitur dies; & mors dicitur nox, vel futurus ſtatus: quia dies dati ſunt ad operationem, & noctes ad quietem. Hugo Card. hìc. Hoc dicit de illo tempore, quod erit poſt hoc ſæculum; quo unuſquiſque pro malis ſuis recipiet pœnas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, cùm jam nemo poteſt operari aliquid; ſed unuſquiſque tunc paſcitur ex operibus ſuis, quæ hìc poſitus operatus eſt. Orig. hom. 3. Pſ. 36.

Inclinans ſe, digito ſcribebat in terra. Joan. 8. 6. Peccata Phariſæorum: ut ſignificaret; quàm facilè iis remitterentur, ſi veram pœnitentiam agere vellent. Jer. 17. 1. dicit Deus: *peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo.* Quæ verba aliqui intelligunt de Judæis jam damnatis q. d. ſcriptum eſt indelebiliter & irremediabiliter: quia nullo unquam tempore delebitur. Peccata verò peccatorum, quandiu in hoc ſæculo vivunt, ſunt quaſi characteres in terra deſcripti, qui facilè delentur. Dele igitur illa, dum potes. Diez Sabb. Domin. 3. Quadrag.

Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Joan. 12. 35 Per lucem vita per tenebras mors, intelligitur. Dum igitur vivimus, & ſani ſumus; ad pœnitentiam, & ſatisfactionem curramus; nè, tenebris noctis præventi, velimus & nequeamus. S. Honorius ſ. in Quad.

Venit Princeps hujus Mundi, & in me non habet quidquam. Joan. 14. 30. O illum felicem? qui ſic debita ſolvit, ut veniens in morte Mundi princeps in eo non habeat quidquam. Debita habemus omnes; ſed ſolvere illa poſſumus ex theſauris Domini, per pœnitentiam, & ſancta opera. Qui ità ſolvunt, ut nihil in eis diabolus reperiat, mox ad Patrem vadunt. Barradius t. 4. l. 4. c. 9. D. Pent.

Ex Patribus, & aliis.

Hic, dum tempus eſt, quidquid poteſt anima, agat pro ſe, ubi locus eſt miſericordiæ: nam ibi, quod pro ſe agat, non habebit; quia juſtitiæ ſolius locus erit. S. Auguſt. l. 3. de Symbolo c. 8.

Triſte, ac miſerum eſt; cùm nundinæ effluxerint, tum demum negotiationem quærere. Miſerum eſt, cùm manna præterierit, tum cibum appetere. S. Gregor. Naz. orat. 40. in Baptiſma.

Mercaturam hanc vitam exiſtima: ſi negotiatus fueris, quæſtum facies; parva magnis, caduca ſempiternis, commutans. Quòd ſi nundinarum tempus tibi fluere ſinas; nullum aliud es poſtea habiturus. Idem in ſententiis.

Quemadmodum fons neminem ab aqua ſua arcet ità gratiæ theſaurus nullum prohibet hominem, cur minùs particeps illius reddatur. Modò igitur voluntas accipiendæ gratiæ adfuerit, illicò totus theſaurus gratiæ patebit. Haurite ex hoc fonte, chariſſimi, cœleſtium donorum rivos, atque fluenta, dum licet. Tempus enim veniet, & hora, quando ex eo bibere; ac ſitim extinguere, planè nemini licebit. S. Ephrem de timore Dom.

Rapiamus de præſenti ſæculo ferventi devotione, quod poſſumus. Citò tranſeunt dies noſtri: utinam bene tranſeant! rapiamus ergo, quod poſſumus, de hoc ſæculo. S. Cæſarius Arel. hom. 1.

O quàm luctuoſa, quàm lugubris, eſt ſera, & infructuoſa, illa pœnitentia; cum peccatrix anima jam incipiens carnis carcere, quo incluſa renebatur abſolvi; reſpicit poſt ſe, dirigit oculos ante ſe; Videt poſt ſe velut anguſtiſſimum, atque breviſſimum, ſtadium vitæ mortalis emenſum; videt ante ſe interminabilem longitudinem ſæculorum. Perpendit quaſi momentum temporis celeriter evolaſſe, quod vixit; contemplatur prolixitatem temporum inſtare, quam incipit. B. Petr. Dam. l. 5. ep. 3.

Penſandum eſt, cùm jam peccatrix anima à vinculis incipit carnis abſolvi; quàm amaro terrore concutitur, quantis mordacis conſcientiæ ſtimulis lacetatur. Recolit vetita, quæ commiſit; videt mandata, quæ complere contempſit. Dolet indulta pœnitentiæ tempora ſeſe inaniter perdidiſſe; plorat immobilem diſtrictæ ultionis articulum inevitabiliter imminere. Manere fatagit, ire compellitur; recuperare vult perdita, non auditur. Poſt terga reſpiciens totius tranſactæ vitæ curſum, velut unum breviſſimum deputat itineris paſſum. Ante ſe oculos dirigit, & infinitæ perennitatis ſpatia deprehendit. Id. l. 7. ep. 19.

§. XXIV.

Pœnitenria non ſit remiſſa, brevis, tepida &c.

Num. I.

Figuræ. Symbola.

Ex Veteri.

Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus ſtante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in ſiccum. Ex. 14. 21. O quàm vehementis Spiritus argumentum! nec remanſiſſe limum, nec humorem; inter medios vertices nullum antiqui liquoris ſpectatur ſignum. Sic in melius animus transformandus; ut nullatenus extet veſtigium vetuſtatis. Naxera in Joſ. 14. §. 45.

Ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris. Ex. 14. 22. Filii Iſrael, iuraturi terram promiſſionis in deſertum, tranſierunt per mare rubrum: ut per mare notet amaritudinem pœnitentiæ, ſed per ruborem maris magnitudinem amoris: quia dolor debet procedere ex amore. S. Bonaventura ſ. 49. Per mare notatur ſtatus pœnitentiæ: quia quamvis ſit mare valde amarum, & proceſſoſum; nihil tamen retinet ſordidum, & immundum; ſed omnia projicit extra ſuum alveum. Sic & pœnitentia: videtur amara; ſed per eam projiciuntur omnia ſordida; & remanet anima tota munda. Id. ib.

Lavare ſepties in Jordane. 4. Reg. 5. 10. Lavit, & ſenio, poſito

ſito novam juventutem induit. Non cùm primùm aquis ſe immergit; ſed cùm ſepties lavat, mundatur. Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 35.

Non invenerunt ignem, ſed aquam craſſam. - Utque ſol refulſit, accenſus eſt ignis magnus. 2. Machab. 1. 20. 22. O quàm refulſit verus ſol, dum aqua tranſivit in ignem! Divina coruſcat gratia, dum aqua tranſivit in ignem; dum proprium adeò nudavit ingenium; ut inducrit prorſus contrarium. Jam flamma levis, quod unda gravis; jam tendit ſurſum, quod nuper deorſum: jam ardet, quod antea frixit; ſplendet, quod obſcurum erat. Naxera ante citatus. Accenſus eſt ignis magnus poſt aſperſionem aquæ: quia, cùm pœnitens bene recordatur peccati, accenditur in eo fervens dilectio Dei. Bene autem dicitur *ignis magnus*: quia, *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Rom. 5. 20. Stephanus Cantuar.

Ex Novo, & aliis.

Invenit ſcopis mundatam. Matth. 12. 44. id eſt, leviter: ornatam, hoc eſt, ſuperficialis ornatus. Mundatio perfecta debet cum igne fieri. S. Thom. Aqu. hìc.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Luc. 3. 3. Euthymius: dicunt aliqui, quòd unumquemque baptizatorum in aquam ad collum uſque immiſſum detinebat Joannes, quouſque peccata confiteretur ſua; & poſt confeſſionem aſcendebat de aqua. Nonne ſufficeret levis intinctio ad peccatorum remiſſionem, ſicut in baptiſmo? Joannis ablutio pœnitentiam, non baptiſmum, præſignabat; & ideò non levi lavacro erat perficienda. Ad collum uſque immergatur oportet, qui de multis gravibus criminibus pœnitentiam vult agere. Eſcobar tr. 3. Coll. Chr. l. 4. ſect. 2. Obſ. 3.

Ut intingat extremum digiti ſui in aquam. Luc. 16. 24. Petrus Cell. l. de pan. c. 15. in divite contemplatur peccatorem, qui tartareo vitiorum igne ardet. Parum, inquit petiit; & ideo fortè non impetravit: parum, inquam, petiit, quia non in aquæ ſtilla, ſed in ſanguine, flamma hæc infernalis extinguitur. Non enim levi, & momentanea, compunctione gravis culpa detergitur; ſed eò uſque penetrare debet vis doloris; quouſque penetravit iniquitas. Id. ib. Plenam manum, non extremum digitum, in aqua tinctum, expoſcat conſcientia de gravibus confitens: nec alterius temen, ſed proprio digito. velit movere, & amovere, pœnam, quam malè animum movendo ſibi admovit. Petrus Cell. l. de panib. c. 25. Tingat digitum in locum clavorum, & mittat manum ſuam in latus Salvatoris: ut, ſicut animam ſuam pro nobis poſuit moriendo ipſe Dominus; ſic iſte conſcientiam ſuam pro ſe exponat confitendo, & pœnitendo. Id. ib. c. 15.

Infremuit Spiritu, & turbavit ſeipſum. Joan. 11. 33. Ante ſuam Paſſionem Lazarum reſuſcitaturus quatriduanum, flevit mortuum, infremuit Spiritu, & volens turbavit ſeipſum: ut nobis ſignificaret, quomodo flere, fremere, & turbari, debeamus; cum peccatis mortui eorum nimia mole premimur; ſi reviviſcere defideramus. S. Eligius Novar. hom. 4.

Niſi videro - & mittam digitum meum. Joan. 20. 25. Quo lavacro abluenda tanta iniquitas? Dominus, expoſuit; *infer digitum tuum huc - & affer manum tuam.* v. 27. Mundaberis ò Thoma, à crimine, ſi non ſolum digiti extremo aquæ ſtillam accipere ſtudeas; ſed è pelago profundiſſimo Deifici ſanguinis cures manus impleri ex abundantia compunctionis. Eſcobar ante citatus.

Magna fornax eſt pœnitentia, chariſſimi: æs accipit, & illud in aurum commutat; plumbum tollit, & argentum reddit. S. Ephrem. de pœnit.

Pœnitentia eſt renovatio baptiſmalis: pœnitentia eſt corporeæ conſolationis perpetua, & jugis, repudiatio. Pœnitentia eſt, ſeipſum ſemper condemnans cogitatione, ſecuraque cujuſque ſui cura. Joan. Clim. gradu 5. de pœnit.

Baptizari iterum non poſſumus; & tamen vice baptiſmatis contra quotidiana peccata fontem lacrymarum habemus. Et ſi ſæpius baptizari prohibemur per aquam; numquam prohibemur per pœnitentiam. Hugo à S. Vict. in Pſ. 41.

Num. II.

Exempla Job, & David.

Peccavi! quid faciam tibi? Job 5. 20. S. Auguſt. l. de vera, & falſa pœnit. q. d. adeò doleo peccaſſe, quod non velim contra me te non vindicare: quæro enim in me, quid ſupplicii poſſim excogitare, quod tibi poſſit ſufficere.

Peccavi! Ait Saul 1. Reg. 15. 24. Sed & David idem ait 2. Reg. 12. 13. S. Cæſar. Arel. hom. 29. Et Saul dicebat, *Peccavi*, ſed non obtinuit illam veniam, quam David una pœnitenti voce promeruit. Et hoc quare? quia confeſſionem illam nuda magis verba, quàm veri gemitus, exprimebant: quia non compenſabat magnitudinem criminis levis humiliatio ſupplicantis. Non levi agendum eſt contritione, ut debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur: nec tranſitoria opus eſt, ſatisfactione pro malis illis, propter quæ paratus eſt ignis æternus. Baeza t. 2. l. 12. c. 2. §. 2.

At ille noluit bibere. 2. Reg. 23. 16. Licebat ei bibere, ſi voluiſſet; ſed quia illicita ſe feciſſe meminerat, laudabiliter & à licitis abſtinebat. S. Gregor. l. 9. regiſtri ep. 39. Qui illicita perpetraſſe ſe meminerat, contra ſemetipſum jam rigidus, etiam à licitis abſtinebat. S. Gregor. hom. 34. in Evang.

Laboravi in gemitu meo: lavabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Pſal. 6. 7. David una nocte peccavit; & quotidie lacrymatus eſt. S. Ephrem de pœnit. Quid faciunt nunc peccatores? peccant noctibus plurimis, offendunt Deum diebus multis; & hora una, unoque momento, volunt expiare peccata, abolere offenſas, eradere maculas, compenſare tot annorum injurias. Jugibus lacrymis diluendum, quod ſemel actum malè. Did. Nyſſ. ſer. 5. D. 5. Quadr. Non contentus tamen, oculos vertiſſe in flumina lacrymarum, ait Pſ. 37. 18. *quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* q. d. Deus meus! ſi lacrymarum, quas pro dolore immanium ſcelerum meorum effudi, copia minor eſt, quàm ut eorum fœdas maculas diluere queat; ecce me promptum, paratumque; ut, tamquam abjectiſſimum Mundi mancipium, in dies ſingulos afflictim cædas. Quid porrò addit? *Et cogitabo pro peccato meo.* Hebr. apud Genebrardum, *anxius ero, ſollicitus ero pro peccato meo.* Hoc eſt: poſt tot lacrymas, gemitus, opera pœnalia; cogitabo anxius, & ſollicitus; qua animadverſione præterea, quove ſupplicio, me plectere, & peccata mea expiare deinceps debeam. Did. Nyſſ. ſer. 2. D. Palm. §. 2.

Laboravi &c. Pſ. 6. 7. id eſt, tam ingenti fletu peccata mea deflevi; ut fatigatus ſim. In quo ſpeculo ſe intueri deberent, qui plurima, & graviſſima peccata committunt; & vix paucas lacrymæ guttas emittere valent; cùm remiſſionem à Deo quærunt. Bellarminus in Pſ. 6.

Amplius lava me. Pſ. 50. 4. Studioſè debet dilui, qui criminum veneno obfuſcatus eſt. Ampliùs, id eſt, uſquequaque, undique, ab omni parte. Caſſiodorus hìc.

Et peccatum meum contra me eſt ſemper. ib. 5. Lapſus eſt David ſemel; ſemper flevit: hæc enim pœnitentiæ vis eſt; quæ hominem ita ad ſe rapit, ut unam tantùm meditetur, & moliatur, ſceleris ultionem. Oliva l. 5. Strom. §. Et peccatum meum &c.

Cinerem, tamquam panem manducabam. Pſal. 101. 10. Cinerem novimus exuſtorum reliquias eſſe carbonum: quas meritò dicimus peccatis comparari: ut ipſa quoque tenuitas delictorum, afflictionum doloribus abſumatur. Nam, quamvis exiguum de peccato remaneat, non perducit ad vitam. Meritò ergo & ipſo cineres peccatorum ſanctiſſimus pœnitens conſumare feſtinabat; ne quid eſſet reſiduum, quod eum promereri non fineret regna cœlorum. Caſſiodorus hìc.

Num. III.

Ex Novo.

Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Matth. 3. 8. Eſt fructus pœnitentiæ dignus, perſeverare in operibus pœnitentiæ, nihil contra pœnitentiæ profeſſionem admittere; facere Deo ſatis pro peccatis commiſſis. Cajetanus hìc. Dignos fructus pœnitentiæ facit; qui converſus tanto ſtudio ſervit veritati, quanto antè ſervivit vanitati, & diabolo: ac tam ferventer amat Deum, quàm ante amavit carnem, & Mundum; juxta Rom. 6. 19. *Sicut exhibuiſtis &c.* Alium pœnitentiæ fructum dignum judico; ſi virtutis amor prævaleat amori, quem quis habuit in his, quibus antea peccavit; & delectatio bonitatis delectationem nequam exſuperet. Sim. Caſſ. l. 3. Luc. 3.

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Matth. 26. 38. In quo, quid pœnitens debeat facere, demonſtratur: debet enim eſſe triſtis uſque ad mortem veteris hominis. Hugo Cardinal. hìc.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Luc. 7. 47. Licèt Magdalena abundanter fleverit, pedes lacrymis laverit, capillis terſerit, pedes oſculata fuerit, & unxerit; tamen iſtis non attribuitur remiſſio; ſed ſoli dilectioni: quia ſine dilectione parum valuiſſent. Idiota l. 1. de am. Dei. O quot Magdalena pœnitens Domino præſtat obſequia! lacrymis pedes abluit, coma tergit, ungit, oſculatur. Addit S. Chryſoſt. hæc quidem agebantur exteriùs; ſed, quæ interiùs revolvebat, multò erant his ferventiora. Quò tot affectus? tot obſequia? quia reſtauratio gratiæ non ſine ingenti labore perficitur. Pœnitentia aptè vocatur tabula poſt naufragium, quia reſtauratio gratiæ laborioſior. Qui vehitur navigio vento ſecundo, nulla operatione diſturbatur: at qui tabula poſt naufragium utitur, magno labore afficitur, ut ad littus perveniat. Baptiſmus navigium tabula pœnitentia. Eſcobar t. 3. Coll. Chr. 2. ſect. 3. Obſ. 10.

Date annulum in manum ejus. Luc. 15. 22 Annulus in manu, fides eſt in operibus. Nec decet converſum peccatorem, cui gratis eſt indultum, à pigritia detineri; magis autem operari

rari ardentiùs, quò sceleratiùs se fœdavit. Calceamenta pedum ex rebus mortuis, non ità humanorum affectum sunt, quibus mortis infixa memoria, evocantur à turpibus, & ejus metu à malis voluptatibus absterrentur. Sim. Cass. lib. 6. capite 16.

Maria accepit libram unguenti. Joan. 12. 3. Non otiosè notata est libra unguenti; ut ostendatur, quàm æqualis, & justa debeat esse satisfactio pro culpis commissis. Baeza t. 2. l. 12. c. 2. §. 2.

Fides tua te salvam fecit. Luc. 7. 50. Visa est pœnitens mœstissima absolventis verba non percepisse: nam, quasi Christus illi bellum indixisset, non pacem dedisset, ab eo tempore in sese immisericors sæviit; & ætate meliore lugendo consumpta in Bethania, & Calvario, in speluncam Massilienfem sese abdidit: ubi per totos tringinta annos omni martyrii genere se cruciavit. S. Gregor. hom. 33. in Evang. confideravit, quod fecit; & noluit moderari, quid faceret. Oliva t. 2. conc 2. in festo Imm. Conc.

Ex Patribus, & aliis.

Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres; facie inculta, veste mutata, resecto capillo: vultu nubilo, ore dejecto, inditia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti; spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti; & non aciter plangis? non jugiter ingemiscis? S. Cyprianus l. de lapsis in fine.

Ne patieris, quòd cum hæc semel fecisset, deinceps se quieti tradiderit, & laxamento usus sit; sed hoc assiduè fecit per totam vitam: non sicut nos, qui uno die ut plurimum laborantes; atque adeò nè uno quidem, nosipsos risui, voluptati, & otio, tradimus. S. Chrysost. in illud Ps. 6. 5. *lavabo per singulas noctes &c.* Toto corde debet respiscens pœnitentiam agere, semperque eundem se exhibere, ut incœperat. S. Ephr. de pœnit.

Continuanda nobis est Quadragesima cuncti diebus miseræ hujus vitæ; dum per auxilium gratiæ (quæ in quatuor Evangeliis commendatur) necesse est nos decalogum legis implere. Errant planè, qui pauciffimos dies istos ad pœnitentiam sufficere credunt: cùm certum sit; totum vitæ hujus tempus non nisi ad pœnitentiam institutum. S. Bernard. s. 3. in capite jejunii.

Erubescat anima conversa ad Dominum minori affectu sectari justitiam, quàm iniquitatem antea sectaretur. Pudeat proinde negligentiùs nunc in vitam, quàm priùs in mortem ire, & minori studio salutis acquirere, quàm perditionis, augmentum. Id. ep. 341.

Quomodo solet mater super mortuum filium unicum lamentari; sic oportet super unicam animam nostram, criminis gladio interfectam, totum pondus doloris effundi; si fortè possit lacrymarum fomentis, calore fidei suscitari. B. Cæsar. Arel. hom. 10.

Ad contritionem invitavit Jeremias 6. 26. *luctum unigeniti fac tibi planctum amarum*. Amaro quidem luctum configitur cor mulieris; cum unicum filium perdit: quanto magis homo, qui solùm unicum spiritum habet, pro quo alterum nequaquam ponere potest, amaro luctu lacrymari debet: quem utique perdit, cùm mortaliter Deum offendit. S. Bernardinus t. 1. ser. 12. art. ejusd. serm.

§. XXV.

Pœnitentia sit constans, sine relapsu.

PEr quadraginta annos errat populus in deserto, ut priorem iram non inveniat; ne ad Ægyptios revertatur. In Oseæ 6. 2. quoque sepiuntur semitæ Jerusalem, & clauduntur spinis; nè sequatur amatores suos; & necessitate compulsa, revertatur ad virum suum pristinum. S. Hieron. in Jer. 63.

Lavamini, mundi estote. Isa. 1. 16. Monet, ut perstent in pœnitentia. S. August. s. 66. lavatur, & mundus est; qui & præterita plangis, & iterum non admittit. Velloso in Judith. 5. Paræn. 42.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Matth. 16. 24. Nemo potest ire post Christum, nisi denegaverit se. Denegat autem seipsum, qui priorem vitam suam malam bona conversione relinquit. Origenes tr. 8. hic.

Debet quisque abnegare semetipsum; non quòd homo sit, non quòd Fidelis, & Christianus: sed, si idololatra fuit, si Infidelis; si adulter, & fornicator; si cupidus & avarus; talem se non esse neget, talem se non esse ostendat. Ostendat autem non voce tantùm, sed operatione. S. Euseb. Emiss. hom. 1. in Natali unius Martyris. Tunc nos abnegamus, dum vitamus, quod per vetustatem fuimus; & annitimur, quò per novitatem vocamur. V. Beda lib. 3. c. 16. in Matt.

Ut cognovit &c. Luc. 7. 37. Post lacrymas illas, quibus lavit pedes Filii Dei; post illam solutionem capillorum suorum, qua pedes eosdem exteriit; post oscula, quæ infixit; post effusionem unguenti, quo illum unxit; jam nec oculos ad concupiscendum aperit; nec ut amatoribus placeat, capillum comit; nec, os suum à fræno pudicitiæ solvit; nec odoribus aromaticis fœtorem luxuriæ pascit. S. Rupertus l. 10. in c. 11. Joan.

Et ambulabat. Joan. 5. 9. Peccator interiori sanitate respirans, non ampliùs ferias in spiritualibus agat. Ambulet; sed in lege Domini. Sim. Cass. l. 5. c. 27.

Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessariò vana. Tertull. l. de pœnit. c. 1.

Agere pœnitentiam, nihil aliud est, quàm profiteri, & affirmare, se ulteriùs non peccaturum. Lactantius lib. 6. div. instit.

Pœnitentiam agere, est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. S. Gregor. hom. 34. in Evang. ante finem.

Perfecta autem est pœnitentia, præterita deflere, & futura non admittere. S. Isidorus Originum l. 6. c. 19.

Labor sine fructu est, & spes vanissima; sic peccata plangere, ut non definatur peccare. Id. Exhort. ad pœnit.

§. XXVI.

Pœnitentia publica.

A*Biicite deos alienos, qui in medio vestri sunt; & mundamini, ac mutate vestimenta vestra*. Gen. 35. 2. Dicebat Jacob, devastata Sichem, convocata omni domo sua. Hoc est, ut explicant Carthus. Abul. Corn., pro vestibus induite saccum, sive cilicium; in signum pœnitentiæ, ac resipiscentiæ. Ad veram pœnitentiam sat erat cordis contritio; cur vult vestimenta mactari? Lyranus: ut per mutationem vestis exterioris intelligatur mutatio vitæ interioris, ad statum vitæ melioris. Sylveira in Luc. 7. c. 15. q. 7.

Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini. Hoc est, de tota provincia, & circumstantiam peccati: *& estote quasi hædi ante gregem*. Jerem. 8. 8. id est, sicut fuistis prævii in peccato; sic duces sitis aliorum in via justitiæ, per bonum exemplum. Hugo. Card. in Gen. 19.

Vade in pace. Luc. 7. 50. Flevere peccata sua copiosè Magdalena, & David; sed exitu dispari: nam illi dicitur, *vade in pace*. David antem, in expiationem sui criminis prœlio lacessitur, petitur lapidibus Semel. 2. Reg. 16. 13. & jaculis Absolonis. Num graviùs peccator, quàm peccatrix, erravit? aut hac ille parciùs flevit? quin dies omnes suum scelus deflevit. Cur ergo illa flendo pacem consequitur? hic in ferrum incidit? scilicet palàm lacrymatur Magdalena: rigat David suis fletibus per noctes singulas lectulum suum; non aulam Pharisæi. Oliva lib. 1. Strom. §. Lectulus noster floridus.

Ut cognovit &c. Luc. 7. 37. Non illo die conversa est, quo pedes Domini unxit; sed ante aliquot dies per famulos exploravit frequenter; quò Dominus abiisset. Audivit, in templum ivisse: non occurit; dixit enim intrà se: qui in templo luget, laudatur. In Sylvam cum suis secississe intellexit; non ivit: peccatrix enim in solitudine lugere potest, rubere autem non potest. Residere Christum in domo Matris suæ nuntiavere servi: absit, inquit, ut illuc eam: plorantem enim me MARIA non modò soleretur, sed & oscularetur: atqui ego clavos quæro, non oscula. Ubi verò accubuisse Christum percepit in domo Pharisæi, hominis de genere malitioso; exclamavit: ecce nunc dies salutis! non enim lugebo tantùm, sed & rubebo: quantum effundam unguenti in pedes Domini, tantum ephebi, famulique in me profundent injuriarum. Nullus incuset locum, quia Maria in domo leprosi & lugere novit, & purgari. Oliva l. 10. Strom. §. ut cognovit. Eligo jacturam pudoris, nè subeam dedecus non amantis: sciens, facilìùs posse sarciri frontis damna, quàm fidei. S. Ennodius l. 7. epist. 27. Quia sua peccata clarè advertit, digne pensavit; seipsam profundissimè humiliavit, ineffabiliterque contempsit. Ideo non solùm non verebatur confundi, despici, irrideri: immò omnia ista optavit; ut Deo, quem ipsa inhonoravit, aliquam recompensationem, honoremque, faceret: dum, sicut ipsa Deum maxime inhonoraverat per peccata, sic propter illum honorem recompensandum, seipsam probet maximè confundendam. Dion. Carth. hic. Cur Christum non invitat in propriam domum? quia publica peccatrix, publicam egit pœnitentiam. Sylveira hic.

Et descenderunt uterque in aquam. Act. 8. 38. Eunuchus magnam familiam habeat; nec tamen coram illis se nudare, ac lavare erubuit; dum coram Deo de propriis verecundabatur peccatis. Dion. Carth. hic.

Vide Pudor.

§. XXVII.

§. XXVII.

Pœnitentia impedit Deo, virtuti, quæ priùs peccato.

F*Ecit & labrum æneum - de speculis mulierum*. Exod. 38. 8. Vide priscam devotionem, & ritum, quo sanctæ mulieres, præsertim cùm se totas DEI obsequio dicebant, sua specula, & ornamenta; per quæ antea vanitati, & Mundo, servierunt; jam conversæ secum pariter DEO consecrabant &c. Cornelius hic.

Judic. 6. 25. 26. præcipitur Gedeoni, destruere aram Baal, & nemus, quod ejus culti dicatum erat; & offerre sacrificium super struem lignorum, quæ de nemore succidisset. Voluit DEUS, ut nemus, quod antea Baal inservierat, jam nunc DEO incipiat deservire. Rom. 6. 19. *Sicut exhibuisti &c.* Osorius ser. 2. Dom. Pass.

Lavabo per singulas noctes lectum meum. Psal. 6. 7. S. Basil. Seleuc. or. 17. per oculos contrà jaculatus est, & lacrymis diabulum convulneravit. Pugnat; ut lacrymis ab offensione se vindicet: lamentando victoriam acquirit; & gemitibus gratiam trahit, luctum luctu medicatur. Vindicabat lacrymis concupiscentem oculum. S. Cyrill. Jeros. Catech. 2.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Ps. 118. 136. Genebrardus: quia peccavi oculis; & oculorum concupiscentia; per oculos satis - feci, copiosè lacrymando. Apud Sylveira in Luc. 7. q. 13.

Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Isa. 2. 4. Quando id factum, ut gladii, qui sunt ad perdendam vitam, convertantur in aratrum, & instrumentum alendæ vitæ? Et lanceæ, quæ sunt ad occidendum, sint prometendis alimentis? Hoc totum videmus in Paulo impletum, ait Tertull. 1. adv. Gnost. c. 13. Paulus Apostolus de persecutore, qui priùs Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, & convertens machæram in aratum; lupus rapax Beniamin, Dein afferens ipse escam: Sylveira in Actor. 9. q. 2.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Quod sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat; sed hos jam, per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat; sed jam capillis lacrymas tergebat &c. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum criminum: ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. S. Gregor. in Evang. hom. 33. de pœnit. Magd.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 8. Animus miser diu ad voluptates corporis ferculo portatus fuit; mutatis vicibus jam animus sit ferculum corporis; illud ad mandatorum Dei præscripta deportaturus. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 5. Sect. 2. Obs. 8.

Petiit ab eo epistolas in Damascum. Act. 9. 2. Cur Saulus à Pontifice non petit mandata, sed epistolas? non decreta, provisiones? Perpende profundam Dei sapientiam: postulat illas ad Ecclesiam Dei destruendam. Ordinat Deus, ut ipse scribat, & nobis det epistolas divina sapientia plenas? ad fundandam, & illustrandam Ecclesiam. O mutatio dexteræ Excelsi! qui sic rerum ordinem, ac stylum, immutat? qui sic hostilia arma convertit in auxilia, & patrocinia. Et sic manus armata cum epistolis ad repugnandam Ecclesiam, fit manus armata cum epistolis ad fortiter pugnandum pro defensione ipsius Ecclesiæ. Sylveira hic q. 2.

Ità levia peccata plangebat; ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cùmq; à nobis crebriùs moneretur, ut parceret oculis, & eos servaret Evangelicæ lectioni; ajebat. turpanda est facies, quam, contra Dei præceptum, purpurisso, & cerussa, & stibio, sæpe depinxi. Affligendum corpus, quod multis vocavit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicii commutanda. S. Hieron. ep. 27. ad Eustoch. Epitaph. Paulæ!

Quibus rebus provocasti Deum, per has rursum facito propitium. S. Chrysost. orat. de B. Philogonio.

§. XXVIII.

Pœnitentiæ satisfactio.

C*Onfugit ad Dominum, pavens periculum - cumque deposuisset vestes regias &c.* Esth. 14. 1. 2. Hæc bona erat dispositio ad misericordiam Dei impetrandam. Diez fer. 5. D. Pass.

Irascimini, & nolite peccare. Psal. 4. 5. Quid est homo pœnitens, nisi sibi ipsi irascens. Glossa hic.

Sicut fragmen mali Punici, ità gena tua. Cant. 4. 3. Gilbertus s. 25. in Cant. bona equidem hæc fractio, per quam interior cœpit virtus eminere; & quæ in carnis cortice continebatur, erumpere gratia: per hæc fragmenta salutis se nobis ubertas effudit. Audiant hæc peccatores ii, qui sibi blandiuntur de intima animi contritione, cùm nihil patiantur in splendore vultus in ornatu corporis, in abundantia convivii, in risu, in hilaritate, non esse integrum. Baeza t. 3. l. 15. c. 7.

Odit animam suam. Joan. 12. 25. qui abhorret, qualem fuisse meminit, præteritam vitam suam; qui conversus ingemiscit, & seipsum punit per pœnitentiam. *Ipse in vitam æternam custodit animam suam*. S. Rupertus Abb. l. 1. in Deut. 24.

Qui pœnitentiam agit, paratus esse debet ad opprobria perferenda, injuriasque subeundas; nec commoveri, si quis ei peccati sui crimen objiciat. - Ergo qui pœnitentiam agit, offerre se debet ad pœnam, ut hic puniatur à Domino, non ad supplicia æterna servetur! nec expectare tempus; sed occurrere divinæ indignationi. S. Ambros. in Ps. 37. in initio.

§. XXIX.

Pœnitentia semper, etiam in morte, bona.

E*T missa aqua lavabunt in ea Aaron, & filii ejus, manus suas, ac pedes; quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii*. Ex. 30. 18. 19. 20. Tunc Aaron, & filii ejus, debent in eo lavare manus, & pedes, id est, peccata operis, & affectionis, per pœnitentiam diluere; maximè *quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii*. Ità & nos oblaturi, & redditurì, Deo animas nostras in morte, tanquam thimiama redolens suave, debemus priùs à peccatis omnibus abluere. Hugo Card. in Joan. 5.

Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Ps. 140. 2. Elevatio manuum significat opera pia, quæ in eleemosynis exercetur. Sacrificium verò vespertinum illam oblationem significat, quam in fine vitæ Domino solet offerre religiosa devotio, cùm pœnitentiam gerimus. Vespera enim nostra est, quando istam lucem morte veniente deserimus. Cassiodorus hic.

Parabola vineæ. Matth. 20. 1. Docet nos quòd in senectute etiam liceat respicere, & regnum cœlorum assequi: hæc enim *undecima hora* est. Theophylactus hic.

Bene beatus planè, qui vel in senectute correxit errorem. Beatus, qui vel sub ictu mortis animum convertit à vitiis. S. Ambros. orat. funebri de obitu Valentiniani Imp. sub initium.

Christus in paradisum de cruce latronem intulit. Et nè quis aliquando seram conversionem putaret, fecit homicidii pœnam Martyrium. S. Hieron. ep. 58.

§. XXX.

Pœnitentia aliis suadenda, prædicanda.

Q*Uandocunque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam &c.* 1. Reg. 16. 23. Saul in eo, quòd, David citharam percutiente, refocillabatur, & levius habebat, & recedebat ab eo spiritus malus; inimicos Dei significat, pro parte illorum, qui audita dulcissima prædicatione Christi, ad pœnitentiam invitantis, ad fidem ejus convertuntur; & refocillantur, depositis peccatorum oneribus: & per confessionem recedit ab eis diabolus. S. Rupertus l. 2. in 1. Reg. c. 2.

Erubescant, & conturbentur &c. Ps. 6. 11. Intuere, quàm sancta est conscientia pœnitentis. A peccatis suis facta libera, mox pro suis inimicis, ut convertantur, exorat: ut, sicut ille suscepit veniam, ità & inimicos ejus ad Domini gratiam redire contingat. *Avertantur retrorsum*; ut non permittantur ire, quò tendunt; sed cùm redeunt, ab inferni fovea liberantur. *Et erubescant valde velociter*. O desiderium sanctæ mentis eximium! quis enim in causa sua ampliùs petere potuit? Talium itaquæ Dominus miseretur, qui misericordiæ momenta non negligunt: *beati misericordes!* Cassiodorus hic.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Ps. 50. 15. David gemino notatus, audiverii, cædisque stigmate; inusam criminum infamiam abolendam sibi statuit peccatorum curatione, aut certè cura. Ratus scilicet, tutiorem sibi ad veniam aditum patere nusquam, quàm si non caveam sibi ad lugendum, sed cathedram ad docendum extrueret. Oliva lib. 1. Strom. §. Tu aliquando conversus &c. David, cùm in expiationem criminis sui charitatem Patris flagitaret; non ea usurum se in cultum Numinis protestatur, sed in culturam iniquorum. *Redde mihi lætitiam salutaris tui &c.* Psalm. 50. 14. Quò te convertes? ubi te Spiritus Dei, qui amor est, insederit ad salutem? quibus Deum hostiis honorabis? nullis. *Si voluisses, dedissem utique*. Quid ergo amore plenus Domino exhibebis? *docebo iniquos vias tuas*. Ergo paracleto inundatus David, non figendis Deo osculis vacabit, sed extergendo scelestorum puri, manus, spongiasque admovebit: non ignorans, amantiorem tum se fore Nominis; si fratri diligentius, quam Deo famuletur. Oliva l. 2. Strom. §. filiæ Jerusalem nolite flere &c.

Vox turturis audita est in terra nostra. Cant. 2. 12. id est, Chri-

Christi Salvatoris nostri dicentis: *pœnitentiam agite; appropinquavit &c.*

Facies leonis &c. Ezech. 1. 10. Leonis gerit imaginem, ob rugitum vocis suæ; qua docet pœnitentiam agere, deserere vitia, repugnare diabolo, futurum devitare Judicium. S. Laur. Just. s. in festo S. Marci Evang.

Et factum est, cùm accumberet in domo illius multi publicani, & peccatores, simul discumbebant cum Jesu. Marci 2. 15. Magno mox convivio in domo sua instructo, cùm Christum ipsum, tum cœteros omnes familiaritate conjunctos, benignè ad illud invitat. Fecit id autem, nè solus beneficium accipiat; sed reliqui omnes, qui ad epulum vocati venerant. Victor Antioch. hic de S. Matthæo.

Misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis &c. Luc. 14. 17. Dum cuilibet perversum agenti dicimus; convertere, Deum sequere, Mundum relinque; ubi hunc, nisi ad Dominicam cœnam vocamus? S. Greg. hom. 36. in Evang.

Et calceamenta in pedes ejus. Luc. 15. 22. Per hæc significatur promptitudo, & cursus, ad actus virtutum, præsertim prædicationem Evangelii: pœnitentes enim maximè sitiunt aliorum pœnitentiam, & salutem. Ità S. Hieron. Ambros. August. l. 2. Evang. qq. apud Cornelium hic.

Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Luc. 22. 32. Piscina tua fratris vomica est, in eam si descenderis primus, licèt Naaman sis, Angelus emerges. Quære peccantem: utque fratris ex vulnere exsuxeris mortem; vives. Lepræ tuæ nolo Elisæum quæras, sed Naamanum. *Confirma fratres tuos*: nolo Joannem adeas lilio coronatum; Thomam consequere. Paulus, cùm visum recepisset, non ad Apostolos Jerosolymam profectus est; sed cicatricem plagis suis obdocturus, Synagogam, Judæorum Damasci irrupit. Act. 9. 20. Velamen eorum ex oculis detracturus; ut eò vulnus suum obligaret. *Et continuò in Synagogas prædicabat Jesum.* Judæos convenit, non Apostolos; ratus ità barbaricem suam eradi posse, traductis ad Christum contribulibus suis. Oliva l. 1. Strom. § Tu aliquando &c. Theodoretus orat. de charit. sicut ego te non despexi & cùm fluctuares, & laborares; ità tu sis quoque sustentaculum fratribus, qui circumagantur; & id, quod es assecutus, imperti auxilium.

Cornelius expectabat illos convocatis cognatis suis. Act. 10. 24. Præ gaudio: quia drachma animæ suæ inventa, adveniente Petro: ut illa mulier præ gaudio *convocat amicas*. Luc. 15. 9. S. Chrysost. hom. 23. in Acta: hoc amici officium, hoc pii est; in tantis bonis amicos facere socios. Sylveira hic.

S. Chrysostomus eo ipso, quo in cathedram Constantinopolitanam sublimatus est, die, coram Imp. Arcadio, & universa nobilitate, magnaque Episcoporum multitudine, ità concionem primam exorsus est: Nos, qui ineffabilibus Dei rationibus ideo ad vos venimus, ut voluntatem ejus testificaremur; hoc primum verbum à Christo, & divino ejus Præcursore, accipientes, vobis annuntiamus: *pœnitentiam agite; appropinquat enim regnum cœlorum*. Matth. 3. 2. Hæc autem vobis in memoriam revocare non gravabor, nulla difficultate impediar; quin eandem vobis perpetuò inculcem.

§. XXXII.

Miscellanea.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Non temerè assurgat anima ad os Serenissimi Sponsi; sed ad pedes severissimi Domini mecum pavida jaceat; & cum publicano terram tremens, non cœlum, aspiciat: nè confusa in luminaribus cœli facies, assueta tenebris, obruatur à gloria. S. Bernardus s. 3. in Cant. Longus saltus, & arduus est, de pede ad eos; sed nec accessus conveniens. Quid enim? recenti adhuc respersus pulvere ora sacra continges? Heri de luto tractus, hodie vultu gloriæ præsentaris. Id. ib.

Nisi conversi fueritis &c. Matth. 18. 3. Tunc pœnitentiæ fides habetur, cùm humilitati conjuncta est. S. Basilius Seleuc. orat. hic illud: nisi conversi.

Stans retro. Luc. 7. 39. Stabat retro, quia ejus vestigia imitari proponebat. S. Anton. Pad. s. 5. D. Pass.

Cùm in se reversa cognosceret, quàm malè ambulasset, à tergo Domini se constituit; ut jam non suum instinctum, sed Domini ductum, & vestigia sequeretur. Sylveira hic.

Vis sanus fieri. Joan. 5. 6. Eadem imagine affatur in interiori sensu quemlibet peccatorem. Quid ista interrogatio sentire videtur? nisi, visne infirmus ore proprio confiteri peccatum? Affectas sanitatem; adesse te oportet infirmitatem. Placetne tibi sanitas? ergo displiceat infirmitas. Sim. Cass. l. 5. c. 27.

Cadens in terram. Act. 9. 4. Ceciditne in faciem? an retrorsum? S. Gregor. hom. 8. in Ezech. putat in faciem ceciditse: quia pœnitentes, ac justificandi, per humilitatem, ac pœnitentiam, in faciem cadunt; reputantes se indignos cœlum videre. Impii autem retrorsum cadunt, tanquam nunquam erigendi. Sic Judas, & Judæi comprehendentes JESUM, *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram*. Joan. 18. 6. Sylveira hic. In faciem cadere, est in hac vita suas unumquemque culpas agnoscere, & pœnitendo deflere. Retrò verò, quò non videtur cadere, est ex hac vita repente decedere; & ad quæ supplicia ducatur, ignorare. S. Gregor. mor. l. 31. cap. 10.

Est nobis spes magna pœnitentibus: quia Advocatus noster factus est Judex noster. Id. hom. 34. in Evang. in fine.

Quis tam malitiosus; ut non pœniteat his diebus? S. Bernardus s. de Pass. D

Vasa figuli probat fornax, & tribulatio verè pœnitentes discernit. Id. tr. de gradib. superbiæ gr. 8.

Quia hæc Dominicæ cœnæ sacra festivitas multa in se habet mysteria; ideo in ea specialiter pœnitentibus confugium unum videtur esse ad Dominum; & non solùm publicè pœnitentibus; sed etiam omnibus Christianis. S. Eligus Noviom. hom. 6. in Cœna Domini.

Hac die pœnitentibus per indulgentiam subvenitur; discordes ad concordiam hodie redeunt; pacificantur irati judices, & jam latronibus parcunt; patescunt carceres in toto orbe; dant indulgentiam principes criminis; servis malis indulgent Domini. Id. hom. 10. de Cœna Dom.

Pœnitentia indigna admodum est patientiæ; citra cujus operam perfici neutiquam potest. S. Antiochus Abb. hom. 78.

§. XXXII.

Impœnitentia.

Spiritus autem blasphemia non remittetur. Matth. 12. 31. Hæc omninò impœnitentia non habet remissionem neque in hoc sæculo, neque in futuro. S. August. s. 11. de Verb. D. secundùm Matth.

Thesaurizas tibi iram in die iræ. Rom. 2. 5. Dum ad pœnitendum tempus accipit, & ad peccatum expendit; ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Sanct. Anselmus.

Non dolere, quia peccaveris, magis indignari, atque irasci facit Deum, quàm illud ipsum, quod antea peccaveras. Propter quod in ipsam jam dignum erat demergi terram, & nè solem quidem istum videre, non respirare prorsus. S. Chrysost. hom. 14. in Matth. 4.

Fuit Toleti juvenis, ab ineunte ætate corruptis moribus: qui cùm cœpisset ægrotare, ab accedente Confessario de pœnitentia monitus, negavit tunc esse necessitatem confessionis. Idem Medicus, idem sodales, & amici cum invisentes, sed frustrà, suadebant. Denique Medicus, deprehensis signis instantis mortis, seriò urgere ad pœnitentiam, prædicere post pauculas horas mortem; sed frustrà. Tandem prosternit, se Confessarius, & orat ante Crucifixum Ps. 129. 1. *De profundis clamavi ad te Domine &c.* cumque perveniret ad illa verba: *fiant aures tuæ intendentes &c.* mirum dictu! refigit crucifixus brachia de cruce, & manibus aures suas obturat cum ingenti horrore astantium. Illicò audita vox: *quia vocavi, & renuisti; ego quoque in interitu tuo ridebo*. Georg. Raab. in reg. prud. c. 11.

T I T U L U S XXV.

POTENTIA DEI.

§. I.

Testimonia.

In principio creavit Deus cœlum, & terram. Gen. 1. 1. Deus præpter humanum morem, suum perficiens ædificium, priùs cœlum extendit, postea & terram substernit; prius culmen, & postea fundamentum. In hominum sanè operibus nihil tale unquam fuit: sed, jubente Deo, voluntati ejus parent, & cedunt omnia. Sanct. Chrysost. t. 1. hom. 2. in Gen.

Factus est homo in animam viventem. Gen. 2. 7. Cald. *in animam loquentem. Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Hebr. *plasmavit Deus hominem pulverem, vel lutum, de terra. Insufflavit*: ut ostenderet, ait Theodoretus, tam facile esse Deo animam creare, quàm homini insufflare. Cornelius hic.

Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem? Ex. 3. 11. Sæpius se Moyses apud Deum excusavit de adeundo Pharaone. Ad quem Dominus: *ego ero tecum; & hoc habebis signum, quòd miserim te.* v. 12. &c. Quærunt Interpretes, quodnam fuerit hoc signum à Deo exhibitum; ex quo Moyses intelligeret, se aptum fore tantæ legationis ministrum: an prodigium aliquod? quale dedit Gedeoni Judic. 6. 37. quale dedit Ezechiæ. 4. Reg. 20. 9. quale promisit Achaz. Is. 7. 11. Nullum simile in litera profertur. Aptè Burgensis: inhabilitas, seu debilitas Moysis, quam Deo ostendebat ad excusationem suam, erat intenta à Deo, ut esset signum manifestum de hoc:

hoc: quod ista eductio fieret à solo Deo. Mendoza in 1. Reg. 14. 7. hic.

Percutiens virga bis silicem. Num. 20. 11. Silex est petra dura, sicca; inepta ad aquam, sed prompta ad ignem; ut notat Abulens. ut sic reluceret magis divina virtus. Sylveira Addit. in Joan. 2. c. 6. q. 2.

Omnisque populus per arentem alveum transibat. Joan. 3. 17. Celebrant Historici. Euphratis divisionem; quam primò fecit Semiramis, secundo Cyrus, tertiò Alexander M. Cyrus enim Babylonem expugnavit, Euphratem, qui eam interluit, in fossas plurimas dividendo; ac per siccum Ephratis alveum in urbem milites immittendo, teste Herodoto l. 1. At quot mensibus in his fossis effodiendis laboratum est? quantis impendiis? quot hominum millibus? Josue verò Jordanem, inserendo in eum solùm Arcam, illicò divisit, siccavitque; ac per eum tricies centena millia hominum, cum tot millibus gregibus ovium, bovum, asinorum, camelorum, equorum, currum &c. paucis horis traduxit. Similiter Elias, pallio suo percutiens Jordanem, eum divisit, ac per divisum sicco pede transivit. 4. Reg. 2. 8. Idem fecit Elisæus. 4. Reg. 2. 14.

Aperuit itaque Dominus molarem dentem &c. Judic. 15. 19. Deus per eandem maxillam sitis remedium præbuit, eliciens ex ea aquæ fontem perennem. Disce, quàm magnus Deus, per res viles, & parvas, uti per maxillam, magna operetur. Quare nemo desperet, se ejus ope magna facturum; dummodò ei strenuè cooperetur. Cornelius hic.

Hoc est vel maximè potentiæ Dei munus, hoc imprimis ostendit ejus vires; quòd in mediis malis, & periculis, non finit dejici animum. S. Chrysost. in Ps. 137.

Quis videns differentes hominum in tot millibus formas, & nunquam secundùm omnia convenientes, non mirabitur opus. S. Greg. Nyss. l. 8. de provid. c. 1.

Ut ex linea unica Apellis inimitabilem in pingendo peritiam luculentè deprehendit Protogenes; ità certè, tametsi scarabæum, aut muscam dumtaxat, condidisset Deus; abundè potentiam, ac magnificentiam suam, testatus esset; & gloriam eo mereretur infinitam, quòd de nihilo, & solus, adeoque facilè id procreasset: quòd Angelorum omnium nullus intellectus, nulla hominum brachia, nulla opificum instrumenta, nulla sapientum industria, nulla regum potentia attentare auderet, nedum valeret perficere. Doultreman de amore l. 3. cap. 5. sect. 1.

§. II.

Potentiæ divinæ omnia facilia.

Dixitque Deus. Gen. 1. 3. id est, mente concepit, voluit, imperavit efficaciter; atque imperando reipsa effecit: Dei enim velle, est facere, inquit S. Athanas. s. 3. contra Arrianos. Cornelius hic.

Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt. Psal. 148. 5. Cùm universum conderet terrarum orbem, & omnia, quæ in illo sunt, à principio *dixit, & facta sunt*. Non aliter Angelorum naturam, quàm cujuscumque vermiculi creavit; non ampliùs laboravit. At verò, cùm hominis naturam plasmare vellet; ut ostenderet, qualis esset, quem facere volebat, quantumque illum diligeret, ait: *faciamus hominem ad imaginem &c.* Gen. 1. 26. S. Laurent. Just. de discipl. monast. convers. c. 11.

Ludens coram eo omni tempore &c. Prov. 8. 30. *Ludens*: quia creationem, conservationem, propagationem, & gubernationem, tam facilè, & jucundè, peregi, ac perago; acsi luderem. Porrò lusum hunc perago maximè in orbe: ubi continuò produco nova animalia, pisces, aves &c. Sed tamen *delicia meæ, esse cùm filiis hominum*. q. d. in aliis ludo; sed cum hominibus delicior, præsertim in templo. Unde Deus templum vocat suam voluptatem, juxta Ps. 26. 4. *ut videam voluptatem Domini*. Cornelius hic.

Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Luc. 1. 37. Hebr. *non erit impossibilis apud Deum omnis res*. Et licèt idem sit sensus cum nostra Vulgata, ipsa tamen meliùs retinet: *non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Rationem dat S. Bernardus hom. 4. sup. Miss. non ait Angelus, omne factum; sed omne verbum. An idcirco posuit verbum, quia quem facilè possunt homines loqui, quod volunt, etiam quod nullatenus possunt; tam facilè, immò incomparabiliter faciliùs, valet Deus opere complere, quidquid illi valent verbo exprimere. Sylveira hic.

Universum Deus, simul ut cogitavit, perfecit id: quod cogitavit; & simul ac voluit, & cogitat hoc, quod voluit; tunc cogitans, cùm vult; & tunc volens, quod cogitat: cùm sit totus cogitatus, & totus sensus, & totus oculus, & totus auditus, & totus fons omnium bonorum. S. Irenæus l. 1. Adv. hæres. c. 6.

Ignis naturali motus in altum ferri consuevit, quemadmodum aqua flux deorsum vergente labitur. Nec possibile est, aquam, ut à montis radice exorta, cacumen versùs sursum feratur dirigere; vel igni flammam suam deorsum emittat, persuadere. Creatori autem facilia factu sunt omnia. Equidem solem, & lunam, unà cum toto illo stellarum cœtu, cœlo terga vertisse; & radios suos deorsum emittere, videmus. Similiter & aquarum naturam, cùm fluida, & fluxa, sit, sublimen tamen in altum subvehit idem opifex; & eximis Mundi patribus ia altum subductam, mediam inter cœlum, & terram, extendens constituit. B. Theodor. de provid. Dei s. 1.

§. III.

Potentia sua utitur Deus in bonum.

Et erant valde bona. Gen. 5. 31. Benè omnia fecit, qui primam creationem aspiciens, cuncta, quæ fecerat, *erant valde bona*. Nescit ab ista potentia, præterquam bonum, egredi; sed ipsa creatura se trajicit in vitium. Sim. Cass. l. 5. c. 25.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine. Ps. 88. 9. Unde hoc colligis vates sancte? *Tu*, ait, *dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* v. 10. Audin? potentior Deus habetur cæteris; non quòd ciere possit maris fluctus; sed quòd comprimere, & cohibere illos soleat: sedare, non excitare, tempestates, indicium est omnipotentiæ. Oliva l. 12. Strom. §. Domine Deus &c.

Domine, si vis, potes me mundare. Matth. 8. 2. Non aptè leprosus de voluntate Domini dubitat, qui sanandi potentiam profitetur. Potest mundare? ergo vult, si ab homine obstaculum non fuerit positum. Seneca l. 4. de benef. c. 26. de Deo: æquali tenore bona sua per gentes, populosque, distribuit; unam sortitus potentiam, prodesse. Philo de migrat. Abrah. liquet, apud Deum esse potentiam, quæ ad opem nobis ferendam excubat. Escob. t. 1. mir. Chr. l. 4. sect. 1. obs. 3.

Scio, cui credidi; & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. 2. Tim. 1. 12. quodnam illud depositum? Ambros. propriam salutem. Anselm. bona opera, cum spe æternæ remunerationis facta. Chrysost. ipsos Fideles. Cur non dixit: potens est servare, & vult servare? superfluum esset. Escobar. ib.

Divinam potentiam evidentiùs nihil manifestat, quàm justificare impium. Idiota l. 3. contempl. c. 1.

§. IV.

Appendix.

Omnipotentiæ divinæ majestas cuncta potestatis suæ immensitate concludit; nec evadendi potentiam ejus quisquam aditum invenire poterit: quia ille omnia circumquaque constringit. S. Isidorus l. 1. sentent. c. 2.

T I T U L U S XXVI.

POTESTAS.

Ea in bonum, non malum, utere.

In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea. Gen. 49. 6. Abhorret talem gloriam; quia eorum tota potestas, & fortitudo, se ostendit in destructione Sichimitarum, nulli parcentes &c. Sylveira addit. in Joan. 2.

Etiamsi dividiam partem regni mei petieris, impetrabis. Esth. 5. 6. *Quidquid petieris, dabo tibi.* Marci 6. 23. Utrique idem promittitur. Sed Esther, potestate à rege accepta, utitur in libertatem totius populi Hebræorum morte condemnati: hæc verò capite Joannis B. amputando abutitur. Potestas probis data in aliorum bonum cedit; iniquis, damnum justis, & toti Mundo infert. Sylveira in Marc. 6. 2. 32.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. sed potiùs timete eum, qui potest & animam &c. Matth. 10. 28. Nota cum Ambrosio l. 1. de pœnit. c. 2. Cùm de tyrannis agit, dicit, *qui occidunt corpus*; cùm verò de Deo, non ait, *qui occidit*, sed *qui potest*; Homines non modò possunt mala inferre, sed sæpè verè inferunt: at verò Deus, contentus sua potentia castigandi, & damnandi, eam non producit in actum. Pinna Ethol. 260.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: mox sequitur: *venite ad me omnes*. Matth. 11. 27. 28. Insinuat causam potestatis, ut omnibus scilicet benefaciat. Sylveira hic c. 20.

Data est mihi omnis potestas euntes ergo docete &c. Matth. 28. 18. 19. Novarinus, qui verborum nexus, quæ consecutio ista est? *data est mihi omnis potestas, ergo docete omnes gentes*. Injuriarum memor dixisset: potestas mihi data est: ergo pœnas luens, qui in me sævierunt. Non dixit illud Christus injuriarum oblitus, quærit omnium salutem. Didac. Nyss. Phgn. Græc. l. 7. c. 6. Cur non etiam ait in

in Inferno ? ut homines magis ad se trahèret cœlesti præmio, quàm metu pœnæ gehennalis. 2. ut declaret, potentiam suam maximè esse in beneficiendo, & nemini nocendo. Sylveira hic c. 9.

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus. Joan. 13. 3. Sciebat enim, quòd in manu sua ipsos etiam persecutores haberet; ut ipsos in se ad usum pietatis introqueret, quidquid eorum malitia contra se permissa fæviret. S. Gregor. mor. l. 6. in Cat. S. Thomæ. Data ei potestas, non ut destrueret; sed ut omnia in bonum, & salutem converteret. Sylveira hic.

Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te. Joan. 19. 10. Potestas ejus priùs ad nocendum: è contra divina potentia. Marc. 16. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*. Mala potestas, licere, quod noceat: potestas ista tenebrarum est. S. Ambros. in Ps. 110. s. 20. Sylveira Addit. in Joan. 19.

T I T U L U S XXVII.

P R Æ C E P T A D E I.

§. I.

Symbola.

Q*uærent hominem scientem psallere cithara*. 1. Reg. 16. 16. Decachordi positio Decalogi legis est observatio. S. Rupertus Abb. in 1. Reg. 28.

In psalterio decem chordarum psalite illi. Ps. 32. 2. S. August. hic: per psalterium decem chordarum intelligit decem præcepta. Sed cur Legem psalterium vocat? Quia lex, ut ait Aug. cum jubilo, & lætitia, implenda est, non timore. Pinna Ethol. 23.

Sicut pisces capiuntur hamo. Ecclæ. 9. 12. Rete malum est è multiplici vitio, ac iniquitates contextum. Est & rete bonum; sagena scilicet è præceptis Salvatoris nostri contexta. Olympiodorus hic.

Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Ecclæ. 10. 8. Sepes animæ, lex est divina. Qui ergo legem DEI contemnit, & divina prævaricatur mandata; qui falsa cognitione deidit in peccatum, cujus opifex est ipse callidus serpens; iste incautus, ac divina cassus gratia, morsus serpentis perpetietur. Idem hic.

Poma nova, & vetera, servavi tibi. Cant. 7. 13. Quia nova, & vetera, poma sunt Decalogi, & Evangelii mandata; hic docemur servare mandatum, sicut pomum. S. Bonaventura in Ps. 118.

Panem nostrum supersubstantialem. Matth. 6. 10. Intelligit S. Augustinus spiritualem, præcepta scilicet divina; quæ quotidie oportet meditari, & operari hic. Item V. Beda hic.

Data sunt decem præcepta mortalibus omnibus; & ad ea observanda quisque compellitur. Sunt hæc vectigalia annua Regi debita. Quis igitur persolvens debita hæc vectigalia Regi mulctam effugit? S. Dorothæus Abb. de renuntiatione doctr. 1.

§. II.

Præcepta omnia servanda.

Ex Veteri.

A*narhema in medio tui est Israel*. Jos. 7. 13. Poterat reus Achan furti accusatus defendere se, & exclamare: ego, Domine, accuratè observo quietem Sabbati; decima persolvo, nihil detrahens; æquè ac vestrum quivis circumcisus sum; tam sæpe, ad tuendam Arcam pugnavi. Sed nihil horum dicit: quia advertit, sic non excusari furta. S. Athanas. orat. ad Ep. contra Arrian. Achan furti accersitus, non suam imbellis fortitudinem pro excusatione obtendit; sed convictus de crimine, ab omnibus lapidatus est. Non enim alterius criminis purgatio in alio scelere documentum innocentiæ suppeditat. Oliva tom. 2. conc. 7. die Ven. post Cineres.

In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. 1 Reg. 11. 2. Notandum, quòd impius rex non duos inimicis eruere, sed unum duntaxat oculum flagitat; ut eos in opprobrium Israel ponat: quia sæpe malignus hostis consentienti sibi potiorem partem sanctitatis adimit; minorem verò artificiosa quadam industria derelinquit: ut in eo, quod tollitur, sit occasio damnationis, ut pereat; in eo verò, quod remanet, de spe fiduciæ præsumatur. Petrus Dam. l. 6. ep. 5. apud Did. Nyss. D. 5. Pent.

Justitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento &c. Job 29. 14. S. Gregor. M. vestimento utique, cùm vestimur, ex omnia parte circumdamur. Ille ergo justitia, sicut vestimento, vestitur; qui se ubique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ, peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit. Nec jam bona sunt opera, quæ subortis aliis pravis operibus inquinantur. Apud Did. Nyss. D. 5. Pent.

Tota pulchra es amica mea. Cant. 4. 7. In hoc capite decem corporis partes in sponsa ex ordine laudantur: oculi, capilli, dentes, labia, eloquium, genæ, collum, ubera duo; & ea, quæ intrinsecus latent. Ab illis tota pulchra dicitur; quòd nullius transgressione mandati contraxit maculam. Did. Nyss. antè citatus.

Ex Novo.

Sic decet nos implere omnem justitiam. Matt. 3. 15. Plurali numero se posuit: quod in aliqua Evangelii parte simile genus loquendi numquam reperimus; sed, propter membra cohærentia sibi, Christus tali loquendi genere usus est: *Sic decet nos*. Nec solùm hæc referuntur ad Christum, & ad solum Joannem; sed ad Christum, & ad corpus sibi denuo coaptandum, quam, Christo in se implente, subsequentia membra, quæ salvanda erant, sic omnem justitiam, virtutis, & operis impleverunt. Sim. Cass. l. 9. c. 3.

Superseminavit Zizania. Matth. 13. 25. Quod tritico in commodum à Zizanio venit, hoc ei herbæ aliæ complures adferre possunt, ut testantur Cato, Varro, Theophrastus. Scit dæmon, ad charitatem ab anima tollendam, tantùm valere unum peccatum, quantum omnia simul possunt: ideo solerter agit, ut vel unum cordi penitius infideat; ut sic rem suam, quò dissimulantiùs, eò securiùs, ac certiùs agat. Did. Nyss. D. 5. Epiph. §. 3.

Domine, Domine, aperi nobis. Matth. 25. 11. S. Basilius M. miratur, quòd quinque virgines non intraverint ad nuptias; cùm tam prope essent ad fores, ad quas clamabat. Respondet, parum quidem abfuisse ab ostio, & ab introitu; sed illud parum, quòd aberant, tantundem fuisse, acsi plurimorum dierum itinere abfuissent. Qui ferè, inquit, ingressus est, non est ingressus, ut quinque illæ Virgines. Apud Did. Nyss. D. 10. Pent. §. 3.

Docet omnes gentes; docentes eos, servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Matth. 28. 19. 20. S. Basilius in prolog. regul. fus. disput. *servare omnia*; non hæc quidem observare, illa autem negligere; sed omnia observare, *quæcumque* præcepi vobis. Quid prodest alicui ab aliquibus data libertas, si is vel uni modò serviat: *qui facit peccatum, servus est peccati*. Joan. 8. 34.

Herodes audito eo (Joanne) *multa faciebat*. Marci 6. 20. Verùm, quia non omnia fecit, ideo condemnatus est: unum enim ex præcipuis omittebat; videlicet adulteram domo dimittere. Non nimis dolet diabolus, quod peccator aliquot bona opera faciat; dummodo ipsius cor aliquo vitio maneat illaqueatum. Contingit, lanium indomitum bovem ad macellum fune vinctum ducere; qui eum huc, & illuc, digredi sinit, certus non elapsurum. O infelix peccator! cùm diabolus voluntatis pedem sensuali amore, sive proximi odio, devinxerit; aut effrænata pecuniæ cupiditate ligarit; teque sic certum sibi esse ducat: nihil penitè habet, etsi aliquot opera bona facias, & quolibet curas; dummodo peccato isto firmiter vinctus sis: sic enim te in Infernum deducet, sicut Herodem. Diez conc. in decoll. S. Joan. B.

Incedentes in omnibus mandatis sine querela. Luc. 1. 6. Cur hoc dicitur? an, qui legem implet, cum querela vivet? Immò rara hæc felicitas, & paucis concessa; sanctum esse, & detractorum morsibus non peti. Quò justor quis, eò sæviùs impiorum dentibus laceratur. Ideò sine querela erant, quia in omnibus mandatis incedebant. Nam nonnulli sanctitatem bifariò secant: non rarò, qui abstinent cibis; auro se ingurgitant: qui Mundum fugiunt, gloriam sectantur: qui calcant superbiam; calcantur à gula. Hinc populorum querimoniæ; hinc vulgi sales execrantis claudicantem sanctitatem. Oliva l. 13. Strom. in Luc. hic.

Jejuno bis in Sabbato. Luc. 18. 12. Non curat dæmon, licèt fores omnibus aliis peccatis obstruas, dum uni soli aditum permittas. S. Gregor. ecce Pharisæus ad exhibendam abstinentiam, ad impetrandam misericordiam, ad referendas Deo gratias, oculum habet. Et quid prodest, si tota civitas custodiatur; & unum foramen, per quod hostes intrant, relinquatur. Per unam superbiæ portam omnia illa, de quibus se jactabat, effundebantur. Non affligit dæmonem, quòd novem ex dei præceptis observes, dum unum modo violes. Did. Nyss. D. 10. Pent. Pharisæus ille, qui in templum oraturus ascendit; civitatem mentis suæ quanta munitione, vallaverit, audiamus: *Jejuno bis in Sabbato &c.* Sed videamus, ubi insidianti hosti imminutum foramen reliquit; quia civitatem cordis sui per elationem aperuit, quam frustrà per jejunium, & eleemosynas clauserat. In cassum munita sunt cætera, cùm locus unus, ex quo hosti pater aditus, munitus non est. S. Gregor. mor. l. 19. c. 12.

Pro-

Prophetam voci Domini non obedientem leo interfecit in via: nec sibi pepercit divina justitia pro eo, quòd alias obediverat, cùm in uno deliquit; cùm omnia sunt facienda, quæ jubet. Sim. Cass. l. 5. c. 1.

Quodcumque dixerit vobis, facite. Joan. 2. 5. Prophetam voci Domini non obedientem &c. vide Superiùs hoc §. Ex Veteri.

Offendat in uno, factus est omnium reus. Jacobi 2. 10. Non eatenus; ut quasi pro eorum prævaricatione puniatur in Inferno; eatenus tamen, ut illa in corruptionis mercede privatur, quam pro cæterorum conservatione habiturus erat in cœlo. Richard. à S. Victore. l. de Verbo Incarn. c. 14.

Ex Patribus, & aliis.

Ergone ista sana tot membra non valent ad ejus vitam, & illud unum vulneratum valet ad ejus mortem? S. Aug. l. 1. de Bapt.

Plurimis licèt signis, & miraculis, claruisset Moyses; ubi modicè lingua lapsus, expers terræ promissionis extitit. Magnum, & horrendum, mare ei viam præcludere non potuit; sed verbum unicum iniquè ab eo prolatum, velut murus aliquis, ei obstitit, nè ulteriùs progredi posset. S. Ephrem. de vitio linguæ.

§. III.

Præcepta sunt facilia, suavia.

Num. I.

Testimonia ex veteri.

D*E ligno autem scientiæ boni, & mali, nè comedas*. Gen. 2. 17. Posuerat Deus justum edictum in ligno: nec velut de re mala parentes primos ab esu ejus voluit abstinere; sed Dominus illa cognosci, & meritum obedientiæ in re modica fieri; ut æterna præmia sequerentur: quæ contempta tanto fuit majoris demeriti, quantò potuit faciliùs custodiri. Sim. Cass. l. 13. Luc. 23. Magna hujus præcepti facilitas est; sed dilecte, grave malum desidia est; facitque, ut facilia omnia videantur difficilia: sicut studio, & vigilantia, etiam omnia arduæ, & difficilia, facilia nobis fiunt. S. Chrysost. t. in Gen. hom. 14.

Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Gen. 3. 1. Constat, Deum concessisse Adamo, & Evæ, ut liberè vescerentur de omni arbore paradisi, excepta una tantùm. Contra verò diabolus dicit, Deum omnem vetuisse. O impudens mendacium! hæc communior ejus tentatio, qua homines à virtutis studio detarret; immò in virtutis, Deique ipsius, odium peccatores instigat: nimirum difficiliorem ostendere, quàm sit, Dei legem, jugumque portatu impossibile. Fernandius hic sect. 3.

Ex cunctis animalibus universa carnis bina induces Arcam. Gen. 6. 19. Difficile videtur præceptum; ut unus homo, & senex, venetur tam diversa animalia; tot volucres ex hac, & illa regione; tot ferocia animalia, leones &c. Qui subjugandæ? Radix Hebræa habet: *bina de omnibus ingredientibus ad te*. Facilis jussio; non animalia quærere, sed venientia non prohibere. S. August. de Civ. c. 15. non animalia capta intromittebat Noè; sed venientia, & intrantia, permittebat. Ad hoc enim valet, quod dictum est, *ingredientur tecum*: non scilicet hominis actu sed Dei nutu. Lypoman. in Cat. sine fatigatione tua intrabunt. Sylveira c. 6. in Luc. 6.

Egredere de terra tua. Gen. 12. 1. Obedientia, & virtus, in facilibus rebus exercita, est quædam prælusio ad difficiliora. Abrahæ Deus multa præcepit leviora, antequàm juberet Isaac immolari. Ut egrederetur de domo sua. Ut nepoti suo Loth potiores terræ partes cederet. Gen. 13. 9. Ut pugnaret contra reges Assyriorum. Gen. 14. 15. Ut de illorum præda nihil sibi reservaret. Ib. Ut se, & familiares suos, circumcideret. Gen. 17. 10. Ut filium Ismaelem cum matre ejus Agar ejiceret. Gen. 21. 12. & alia: quæ, licèt per se ardua, tamen, cum præcepto jugulandi filium unigenitum comparata, facillima videbantur. Tandem eò processit, ut ipsum, quem unicè diligebat, unigenitum sacrificandum juberet. Gen. 22. 2. Mendoza in 1. Reg. 3. Annot. 2. sect. 2.

Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Gen. 17. 12. Ante octiduam vitæ usuram noluit Deus circumcidi infantem: quia periculum esset puero de vita, si statim egressus de utero matris circumcideretur. Lyran.

Non arabis in bove, simul & asino. Deut. 22. 10. Quàm Deus creaturas etiam viles curat! Quid refert, bovem asino ad aratrum jungi? Occurrit dubio Philo. quia non pollent paribus viribus, infirmiori consulitur; nè cum fortiori contendens succumbat negotio. Si Deus tantopere curat bruta, ut nolit ea labore viribus majore onerari; durusne, & austerus, erga homines erit? Did. Nyss. f. 6. D. 1. Quadr.

Latum mandatum tuum nimis. Ps. 118. 96. Ideò latum, quia tuum. Dominus dixit? hoc sufficit ad condimentum cineris, ad dulcorandas lacrymas, ad inaurandum saccum. Oliva t. 2. Strom. §. Latum mandatum.

Juravi, & statui, custodire justitiæ tuæ. Ps. 118. 106. Si metueret, non juraret: si trepidaret, utrùm divina posset custodire judicia, non eum jurisjurandi statueret Sacramento. S. Ambros. hic Octon. 14.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Sancta Ecclesia, quot præcepta ejus prædicatione cognovit, quasi tot oris ejus oscula accepit. S. Gregor. mor. l. 14. c. 20.

Ex Novo, & Patribus.

Tollite jugum. Matth. 11. 29. Inquit Salvator; non impono, non gravo, non cogo, non in vestris cervicibus ligo; sed præparo, & offero: libertatem habetis, liberi creati fuistis. Inest vobis ratio descernendi: sub quo Domino laboratis agnoscitis: fortè videtis & præmia. Nec fortè ignoratis, quid à vobis exactor improbus exegit; qualia sunt præmia, quæ speratis. Sim. Cass. lib. 7. c. 22. Suave jugum præceptum amoris: nihil enim suavius cordibus, quàm amare. Leve onus; quoniam juxta naturam conditum est, quod imponitur: minus enim onerator noster imponit, quàm portare possumus. Id. ib. Jugum ejus amor est: nihil amore suavius, quo Deus amatur, & proximus. Onus, quod Christus imponit, penitus levissimum est; quando neminem gravat onere suo supra virtutem, & facultatem; supra debitum expediens, & necessarium; supra impossibile, supra consentaneum ipsi naturæ. Id. l. 9. c. 28. Si jugum Christi suave est, & onus ejus leve; quomodo ait Matth. 7. 13. *intrate* per *angustam portam*. Et: *regnum cœlorum vim patitur*. v. 12. Ut quod unum, & idem, est angustum, laboriosum, & grave, incipienti, imperfecto, & spiritualem consolationem nondum experto; quod tamen latum, jucundum, & leve, est exercitato, perfecto, & habituato in bonis. Denique mandata, & consilia Christi, ex sua natura dulcia sunt, & levia; licèt per comparationem ad nostram fragilitatem, & pravitatem ad malum difficulter in principio impleantur. Dion. Carth. hic.

Jugum meum suave est. Matth. 11. 30. S. August. in Ps. 59. alia sarcina pondus habet; Christi sarcina pennas habet: nam & avi, si pennas detrahas, quasi onus tollis: & quò magis onus abtulisti, eò magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, jacet, non volat; quia tulisti onus: redeat, & volat. Talis est Sarcina Christi: ferant illam, qui volunt; & invenient, quàm levis sit, quàm rapiens in cœlum, & à terra eripiens. Sylveira hic q. 15. Jugum meum leve est, & sarcina mea levis est. Alia sarcina premit, & aggravat te: Christi autem sarcina sublevat te. Alia sarcina pondus habet; Christi sarcina pennas habet &c. Id. ib.

Omnis vallis implebitur. Luc. 3. 5. Christus colles æquabit vallibus; & obliqua diriget in rectitudines, & campos: quia omnes legis difficultates, & æquitates convertet. Tertull. l. 5. contra Marcion.

Et descendens cum illis stetit in loco campestri. Luc. 6. 17. Turba, ob suam imperfectionem, & debilitatem, montem ascendere non valet, ipse in planitie ad eam descendit: nec enim à nobis plus exigit, quàm quòd facilè, & suaviter præstare possumus. Solùm vult, turba ejus audiat. Sylveira hic c. 6.

Implete hydrias aqua. Joan. 2. 7. Ut vacuæ sint, non vult Dominus; ut impleantur, jubet Dominus: ut autem aqua in vinum vertatur, hoc facit Dominus. S. Bernardus s. 19. in parvis. Nihil mandat, quod quis nequeat præstare. Did. Nyss. Polit. Cœl. l. 8. c. 2.

Impleverunt duodecim cophinos. Joan. 6. 13. Ego autem non panis modò copiam, & multiplicationem admiror; sed quòd tantùm, quæ duodecim sportulæ caperent, fragmenta superfuerunt; quòd præviderit, quantùm essent consumpturi. S. Chrysost. hic. Nihil ampliùs superesse voluit, quàm unde cujusque Apostoli cophinus expleretur: nè quisquam gravius oneraretur. Did. Nyss. f. 6. D. 1. Quadr.

Mandata ejus gravia non sunt. 1. Joan. 5. 3. Hinc erue: si leges Dei videntur rigidæ, & mandatorum illius jugum grave; mentitur appetitus, qui hoc dicit; fallitur caro, quæ conqueritur; nescit, quid dicat, concupiscentia: ratio enim, testis incorruptus, affirmat, onus ejus leve esse, & mandata ejus gravia non esse. Did. Nyss. D. 4. Adv.

Levia Deus jubet, & in æternum vivamus; & obedire negligimus. S. August. tr. 49. in Joan.

Difficultatem non natura præceptorum, sed multorum solet secordia efficere. S. Chrys. in Ps. 111.

Ala. Lem. *Onus leve*. Vel: *Aggravat, & allevat*. S. Bernardus ep. 72. Lex Christi onus est allevians, aut jugum liberans, similis gennis avium. Picinelli.

Num. II.

Præcepta Deus juvat servare.

Germinet terra herbam virentem - & lignum pomiferum faciens fructum. Gen. 1. 11. Miris Deus terram pensionibus onneravit; ut hominibus, & brutis omnibus, de habitatione commodaret, quod pia hospes facit. Jussit sua cuique elementa ministrare. Cur tantis oneribus terram gravat? quomodo ea feret? Respondet S. Basilius in hexam. hom. 5. qui jussit; ut hæc terra educeret, is ipse præstitit facultatem. Idque adeò verum est; ut etiam Angelos terra ad imperium Dei produceret: nam si hoc juberet, facultatem faciendi una præberet. Did. Nyss. Sabb. post Cineres §. 2.

Dedit illi coram præcepta, & legem vitæ &c. Eccl. 45. 6. Antiqua Biblia sic habet: *dedit illi cor ad præcepta &c.* q. d. dedit Moysi legem vitæ, & disciplinæ; dedit cor ad præcepta; id est, animum, ac robur, ut servare posset. Id. ib.

Sancta lex vocatur jugum, quod solet portari à duobus animalibus. Si te submittas jugo Domini, non incedes solus: sed Dominus in portando te sublevabit. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 15.

Num. III.

Præcepta Dei faciliora, quàm hominum.

Deus puerorum circumcisionem præcipit. Gen. 17. 12. Pharao submersionem. Ex. 1. 16. Quàm leviora sustinent parentes, cùm Deo obsequuntur; & quàm immania, dum Ægyptiis inserviunt. Sub Dei legibus filios circumcidunt ad vitam, sub Pharaonis legibus filios generant ad funera. Naxera in Jos. 3. §. 17.

Præcipe Sacerdotibus qui portant arcam fœderis, dic eis, cùm ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea. Jos. 3. 8. Durum ad speciem præceptum: sed quid Pharao suis imperat? Ex. 14. 23. *Persequentes Ægyptii ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis.* Durius, & periculosius est, marinis vorticibus se cœca temeritate objicere, quàm fluviales undas Deo dante transire. Naxera in Jos. 3. §. 17.

Num. IV.

Præceptis Dei duriora sunt diaboli.

Quia fecisti hanc rem &c. Gen. 22. 16. *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Ps. 105. 37. Sola voluntas Abrahæ quàm Deo placuit! dæmon nullo saturari potest filiorum, & filiarum sanguine Did. Nyss. D. 6. Pent.

Plurima sunt in libris Deut. Levit. Exodi, Num. loca; in quibus Deus, cùm populo leges proscripsit, aut cærimonias, passim ità pronuntiavit: *Ego Dominus Deus vester*; vel *Ego Dominus* Causa est, quam S. Chrysost. hom. 6. in Acta tradit: per præcepta solùm Deus, diabolusque, monstrantur. Et qualis quibus sit, leges eorum loquuntur. Deus enim ut est summè discretus, & mitis; etiam cùm imperiosissimè mandat; superiora viribus nostris non præcipit. Verùm dæmon, cùm sit ferox; suos intolerabilibus oneribus obruit. Did. Nyss. D. 4. Adv.

Vade, & lavare septies in Jordane. 4. Reg. 5. 10. Quo audito Naaman spernit remedium; & iratus patriam repetit. Cur id? nonne sæpe pro deliciis homines in fluminibus? abluuntur? nam ut quidam ex servis ejus dixit, *si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras &c.* Cur sis difficilis ad suave balneum; cùm sciamus, Sacerdotes Baal pro illius cultu se proprio sanguine abluisse. 3. Reg. 18. 28. *incidebant se juxta ritum suum cultris &c.* Naaman, ex Dei jussione per os Prophetæ, mandatur se abluere in flumine; Sacerdotes Baal dæmonis impulsu se cultris dilacerant. Ità Dei mandato suavi pro sanitate habenda voluntas humana tenuit; & ad mundanum obsequium, etiam cum dolore, & cruore, faciliùs currit. Sylveira c. 40. in Luc. 19.

Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantùm &c. Matth. 10. 24. De dæmone Job 40. 18. *Ecce absorbebit fluvium, & non mirabitur; & habet fiduciam, quòd influat Jordanis in os ejus.* Christus scypho contentus, dæmon nec fluvio. Did. Nyss. D. 5. Pent. §. 4.

Num. V.

Præcepta Dei amanti facilia.

Diliges Dominum Deum tuum. Deut. 6. 5. Et rursus Sap. 6. 12. *concupiscite sermones meos, diligite illos*: quia lex non servatur, nisi ametur. Unde David Ps. 118. 167. *Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.* Ubi ly & causalis videtur, ut sæpe aliàs: custodivi, quia dilexi. Mendoza in 1. Reg. 3. 9. Annot. 3. sect. 2.

Beatus vir, qui timet Dominum; in mandatis ejus volet nimis. Ps. 111. 1. q. d. quantumcumque Deo placere studeat; magis magisque placere, & servire cupit. Did. Nyss. f. 2. D. Resurr. §. 4.

Quomodo dilexi legem tuam Domine. Ps. 118. 97. Dilexit legem, non timuit: quia per dilectionem, non per timorem mundanum præceptum Domini viros sanctos decet operari. Cassiod. hìc.

Vineam suam locabit aliis agricolis. Matth. 21. 41. Christus respondet v. 43. *ideo auferetur à vobis regnum Dei.* Quomodo Christus Legem suam modò *Regnum* vocat, quàm antea *Vineam* appellavit? Ei, qui non amat Lex Dei vinea est; in qua multùm laborare, & sudare necesse est. Sed amanti Lex eadem Regnum est, in quo quiescat & lætetur. Psalm. 149. 8. ubi de mirabilibus agit, quæ tempore Legis Evangelicæ futura erant, etiam prædixit fore: ut *reges alligarentur in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* q. d. illos Evangelicis præceptis, tanquam vinculis constringendos. Sed cur vocantur ferrea? Augustinus: si ferrea sunt, quàmdiu timent; ament & aurea erunt. Did. Nyss. ser. 6. post in fin. §. 6.

Si diligitis me, mandata mea servate. Joan. 14. 15. Si diligitis Regem, custodite Legem: quoniam ideò constituitur Rex, ut regat: nullus autem Rex justè regit, nisi Leges æquitatis edicat. Non igitur satis; Regis personam dilectionis oculo intueri; nisi lex ejus servetur in moribus. Sim. Cass. l. 12. c. 1.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Joan. 14. 23. Nescit seriari dilectio, in actione tota est, ubi dilecti noverit veritatem; otio caret; acediam, & tædium, procul pellit: servat in memoria, servat in opere, qua de dilecti pendet arbitrio. Non examinat decretum, non discutit verbum; non patitur tædium in sermone, non contradicit imperio, nec grave judicat: amarum in dulce vertit! qui veraciter diligit, difficile in facile trajicit. Sim. Cass. ib. c. 4.

Qui non diligit me, sermones meos non servat. Joan. 14. 24. Qui non diligit Regem, odio habebit & Legem; quam si aliquando servabit, non amore justitiæ, non formidine pœnæ: non amore Regis, quem non diligit, sed timore; quo sibi cavet, ne prævaricans tormenta patiatur. Id. ib.

Facilè omnia præcepta veniunt in effectum? quando gratia prætendit auxilium, & charitas tenet affectum. S. Laur. Just. l. de Charit. c. 6.

§. VI.

Amanti præcepta omnia unum sunt.

De fructu ligni, quod est in paradiso, præcepit nobis Deus, nè comederemus &c. Gen. 3. 3. Eva serpenti dixit, te jussisse, Domine, nè comederet de arbore vitæ; & non tangeret: cùm tamen ei præceperis solùm, nè comederet. Sed quia non amabat unum solum præceptum. E contrario David in Psalmo ampliùs, quàm sexcentas leges enumerat, quas populo Israelitico dederas, & unum vocat: *quomodo dilexi legem tuam.* Ps. 118. 97. Stella de amore Dei Medit. 48.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Joan. 14. 23. Cùm verò de illo, qui non diligit, loquitur, ait: *qui non diligit me, sermones meos non servat.* v. 24. Cur hoc? ei, qui diligit, tota lex unum verbum videtur & unum tantùm præceptum. Hæc est amoris proprietas; facere omnia suavia. Unde Ps. 98. 7. de Moyse, & Aaron: *custodiebant testimonia ejus, & præceptum, quod dedit illis.* Et David de seipso: *quomodo dilexi legem tuam Domine.* Sexcenta tredecim præcepta, secundùm Galatinum, unum præceptum appellat. Sancti etiam Prophetæ, quæcumque à Deo eis præcipiebantur, unicum verbum vocabant; ut in principio visionum patet: *factum est verbum Domini* &c. Diez conc. 1. die Pent.

Primum quidem sermonem. Actor. 1. 1. Græc. *Verbum.* Non dicit Lucas Evangelium, sed *sermonem*: nam amanti Deum omnia præcepta, dogmata, ob amoris magnitudinem, videntur pauca, unum, breve. Sylveira hìc.

Permulta diligens unum, quamvis multa perficiat; propter unum, & diversa injuncta reputat unum; Et diversos præceptores, quæ Dei sunt, præcipientes, Existimat Dominum unum; & omnia reducit in unum; & passiones innumeras unam reputat propter unum: desideria coacervat in unum: præcepta decem, aut duo, reducit in unum. Quia obedire solum dicit suum esse officium in unum: quia una est cum uno, ut in æternum fruatur uno, Sim. Cass. l. 4. c. 1.

§. IV.

Præcepta Dei omnibus præfer.

Ex Veteri.

Unum offeretis manè, & alterum ad vesperum, &c. Num. 28. 4. Præcepit Deus, nè cui voluntarium sacrificium, ante matutinum, & vespertinum sacrificium, liceret offerre: hæc enim sub præcepto offerenda erant. Diez Dom. in ram.

In

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. Ps. 11. 8. Id est delectatus sum ambulare in via testimoniorum tuorum; sicut delectantur avari in copia divitiarum. Magnus sanè affectus, & rarus apud homines cum è contrario soleant plerique pro teneri lucro contemnere omnia mandata Dei. Bellarminus hìc.

Desiderabilia super aurum &c. Ps. 18. 11. Quàm longè remota est hæc veritas à sensu carnalium hominum, quotusquisque carnalium est, qui pro parvo lucro, vel exigua delectatione, non contemnat omnia divina præcepta? Et tamen verissimum est; utiliorem, & jucundiorem, esse legis observationem omnibus thesauris, atque omni voluptate. Bellarminus hìc.

Benedicam Dominum in omni tempore. Ps. 33. 2. Plures re pauperes, divites verò, ac avari sunt animo; quos non egestas servat, sed animus condemnat. Non enim, qui omnino eget, beatus; sed qui omnibus orbis thesauris Dei mandatum præfert, ac potiùs existimat. S. Basilius hìc.

Ex Novo.

Tollite jugum meum super vos. Matth. 11. 29. non subtus vos, nec juxta vos; sed *super vos*, suscipite Evangelium: non despiciendo, non æstimando, tamquam legem humanam; sed ut rem divinam, superiorem omnibus vobis. Cajetanus hìc.

Et adduxerunt asinam. Matth. 21. 7. Priùs Domini præceptum impleverunt, deinde etiam plura alia fecerunt, jumenta palliis suis exornantes &c. Priùs ea, quæ sub præcepta facere tenemur, diligenter exequamur; postea verò alia opera bona ex voluntate nostra. Diez Dom. in ram.

Herodes metuebat Joannem. Marci 6. 20. Quid conferebat Herodi, quod multa faciebat audito Joanne; cùm de quo ab eo arguebatur, non recedebat; bona quæ faciebat. Nemo sibi de bonis operibus blandiatur, si ad prohibita sponte prolabitur. Sim. Cass. l. 3. c. 3.

Cùm transisset Sabbathum. Marci 16. 1. Pro illo tempore observatio Sabbathi erat ex præcepto; ungere corpus, devotionis opus: & sanctæ mulieres præceptum præferunt devotioni. Sylveira hìc.

Ut circumcideretur puer. Luc. 2. 21. Unigenitum Filium suum misit æternus Pater legi subjectum, ut legem commendaret & honoraret: nos docens, quanti æstimanda sint mandata Dei. Stella hìc.

Neminem per viam salutaveritis. Luc. 10. 4. Non salutationis officium, affectus; sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur: ut quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana. Pulchra est salutatio; sed eò pulchrior, quò maturior, executio divinorum; quæ per moram sæpe traxit offensam. S. Ambros. l. 7. hìc.

§. V.

Præceptorum Dei utilis observatio.

Num. I.

In genere.

Egredere. Gen. 12. 1. Hebr. *Vade tibi de terra tua.* Lyran. & Cajet. significatur, quòd ad ipsius Abrahæ utilitatem præcipitur egressus de terra sua. Nihil Deus jubet, quod sibi prosit; sed illi, cui jubet: ideo verus est Dominus, qui servo non indiget, & quo servus indiget. Did. Nyss. Vit. Abr. lib. 1. cap. 4.

Pax multa diligentibus legem tuam. Ps. 118. 165. Qui divino amore flagrant, & pacem cum ipso per observantiam mandatorum possident; licèt ab hominibus bello petantur, placidam transfigunt vitam. B. Theodoretus hìc.

Accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis. Sap. 6. 27.

Ut describeretur universus orbis. Luc. 2. 1. Hoc DEUS Pater omnipotens, atque potens, apud quem sunt omnia jura regnorum, ad mysterii Filii sui, quem pro nobis incarnari mandavit, & nasci, dignitatem; & futurorum præsagium fieri providentia summa permisit. Siquidem hìc futurus erat monarcha in assumpta Humanitate; unus imperaturus omnibus, unus non solum mortalibus, sed etiam supernis substantiis: non ad suam, sed ad subjectorum dumtaxat utilitatem, edicta proponens: ut ex eo cognoscatur perfectissimus, & summus per omnia, & super omnia Dominus: non quòd servo, sed quia ipso pœnitus indiget servus. Qui non indiget, investigatione, aut descriptione, ministrorum calculando scire subjectos: quoniam angelorum, & hominum; bonorum, atque malorum, sibi soli est cognitus certus numerus; qui etiam *novit multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: nec ignorat numerum capillorum, & foliorum arborum, & animalium, atque ferarum; & arenam maris ipse dinumerat. Sim. Cass. de gest. salvat. l. 1. c. 2.

Mandata ejus gravia non sunt. 1. Joan. 5. 3. Quis igitur causabit Christi non servare mandata? cum nil prohibeat, nisi quod est ipsi conditæ naturæ contrarium, moribus absonum, animæ corporique nocivum. Quis se continere non poterit? ruina, cum continendi per existentiam, quam habemus in Christo, sit donata facultas. Quis se proteget; excusationis suffugio? non perficere mandata naturæ consentanea, & ipsam; ultrà quàm sit condita, decorantia? Quomodo impossibile dicitur, quod est de sui natura bonum, quod est utile, quod est pulchrum, quod est aptum, quod gratum omnium Creatori, quod ipsum Servatorem provehit ad superna? in quo ad Christum posita, & probata dilectio: quia servans mandata mea, ipse est, qui diligit me: cui tanta vicissitudo dilectionis à tanto Domino redditur. Id. l. 12. c. 1.

Nobis prodest colere Deum; non ipsi Deo. Cùm ergo inspirat, & docet, quomodo colendus sit; non solùm nulla sua indigentia facit, sed nostra maxima utilitate. S. August. ep. 49.

Deus nihil præcipit, nisi ducat nos ad summum bonum, & nihil prohibet, nisi abducat nos à summo malo. S. Bonav. de gradib. virtutum c. 2.

Quisquis Deo satisfecerit, animæ necesse est jam consuluerit. Et rursus: qui animæ consuluerit, necesse est, Deo jam satisfecerit quia ineffabili benignitate divina ipsa utilitas sit Dei sacrificium. S. Eucherius ep. Paræn. ad Valerianum cognatum suum.

Num. II.

Præcepta observans Deo amicus charus &c.

Ascendens montem Moyses. Exod. 24. 16. Sex diebus nube, & gratia Domini tegitur: ut infunctur mysticè, quia, quicumque mandata Domini operibus justis exequitur, divina utique protectione dignus existit. V. Beda l. 1. de tabernaculo c. 1.

Obediente Domino voci hominis. Jos. 10. 14. Portentum est, quòd Deus obediat homini, sicut obedivit Josue in omnibus obedivit Deo. Vis ut Deus te audiat; audi tu Deum, eique obedi. Sic faciet tibi omnia obedire à se creata; tibique quasi omnipotentiam suam communicabit. Corn. hìc.

Factus est in pace locus ejus. Ps. 75. 3. Ille pacem probatur habere cum Deo, qui adversùs mandata ejus contraria voluntate non litigat: qui sequitur jussa dominantis: & ad omne præceptum divinum suum flectit arbitrium. Pax enim vera est, concordiam habere cum moribus, & litigare cum vitiis. Cassiodorus hìc.

Tuus suum ego. Ps. 118. 94. S. August. hìc: non leviter transeundum est, quod ait David: *tuus sum ego*: Quid non est Dei? cùm ipse dicat Psal. 23. 1. *Domini est terra, & plenitudo ejus.* Quid est ergo, quòd iste modò quodam familiari se Deo commendandum putavit? ut diceret: *tuus sum ego*; nisi intelligi volens, quod malus malo suo suus esse voluerit: quod est obedientiæ primum, & maximum malum. *Tuus sum ego, quoniam justificationes tuas exquisivi*; non voluntates meas, quibus fui meus. Deus non præcipuè nostra, sed nos, vult; ut Paulus 2. Cor. 12. 14. *non quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Quintus Fabius Max. cùm ad eum auri, & argenti, munera per legatos cives ex quadam provincia misissent; ut eum placarent, respondit: Populus Romanus non aurum, sed dominos, ac possessores auri sub suo vult esse dominio. Sic Deus non nostra, sed nos, & cor, quod dominatur eorum, sibi donari petit. *Præbe Fili mi cor tuum mihi.* Prov. 23. 26. *In me sunt, Deus, vota tua.* Psal. 55. 12. hoc est, in meipso, quæ tu Domine vis: cor, & anima. Diez Obedientia mandatorum Dei.

Amici. Cant. 5. 1. illi nuncupantur, qui timoris divini lege constricti, conditoris sui conantur obtemperare mandatis. *Charissimi* verò sunt dicti: qui, spreto sæculo, calcatis carnis illecebris, toto mentis annixu, perfectionis itinera gradientes, cœlestis sponsi castis fruuntur amplexibus. S. Laur. Just. s. in festo Corp. Chr.

Quid tibi vis faciam? Luc. 14. 41. Certant inter se hoc verbum Christi, quod cœco dixit, & Pauli, quod ipse Christo dixit. Act. 9. 6. *Domine, quid me vis facere?* sed vincit illud: *quid tibi vis faciam*: & non vincitur, *quid me vis facere*, immò coronatur, & glorificatur. Dic tu, ò homo, cum Paulo ex toto corde tuo: *Domine, quid me vis facere?* & audies, *quid tibi vis faciam.* Diez Obed. mandat. Dei.

Non reliquit me solum. Joan. 8. 29. Causam subjicit Christus: *quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Si volumus à Deo deferi, id agamus, quod divinus noster Magister: ut in omnibus Patris æterni voluntatem, & beneplacitum faciamus. Did. Nyss. D. 2. Quad. §. 5.

Quid petitis de indulgentia Domini, quod non impetrare mereamini? qui sic Domini mandata servastis, qui Evangelicam disciplinam sincero fidei vigore tenuistis. S. Cypr. ep. 16. ad Confess. Romanos.

Num. III.

Præceptorum observatio prodest œconomiæ in temporalibus.

Ex Veteri.

Quidquid ipse vobis dixerit, facite. Gen. 41. 55. q. d. Si alivultis, mandatis Josephi parete. Hoc nobis Deus Pater præcipit, ut filii monitis obediamus. Hoc & MARIA Joan. 2. 5. At quid JESUS? *Si volueris & audieritis me, bona terræ comedetis.* Isa. 1. 19. & Levit. 26. 3. *Si in præceptis meis &c.* Alvarez hìc Illust. 179.

Custodi præcepta ejus atque mandata, & quæ ego præcipio tibi; ut bene sit tibi, & filiis tuis post te; & permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus daturus est tibi. Deut. 4. 40.

Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & custodiant universa mandata mea in omni tempore, & bene sit eis, & filiis eorum, in sempiternum? Deut. 5. 29.

Custodite igitur, & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: ut vivatis, & bene sit vobis, & proferantur dies in terra possessionis vestræ. Ib. v. 32.

Audi Israel, & observa, ut facias, quæ præcepit tibi Dominus; & bene sit tibi, & multiplicieris amplius &c. Deut. 6. 3. 17. 18. 24. Vide Deut. 10. 13. c. 12. 25. &c.

Colligebat spicas post terga metentium. Ruth. 2. 3. illa Moabitis paupercula; pulchra, sed pudica. An ex libidine quæstum fecit? spicas reliquas lugebat. Pro mercede illam Deus ad Booz conjugium adduxit, ut regum parens fieret. Escob. t. 6. par. Chr. l. 12. p. 1. sect. 2. Obs. 2.

Surge & vade in Sarephta Sidoniorum, &c. 3. Reg. 17. 9. cùm in omni terra esset fames maxima; viduæ tamen Deo cura non defuit; atque ad alendam eam Propheta directus est. - Ubique fames erat; & tamen adhuc hæc vidua non egebat. S. Ambros. l. de viduis ante medium.

Narique sunt ei septem filii, & tres filiæ. Job 1. 2. Omnes simul decem, secundùm decem verba legis. Ergo quia ea, quæ in decem verbis legis sunt scripta, omnia adimplevit Job, & ante legem, & extra legem: idcirco & ipsi decem liberi dati sunt. Orig. hìc.

Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Is. 1. 19.

Audite vocem meam; & ero vobis Deus - ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis. Jer. 7. 23.

Audi, quæso, vocem Domini, quam ego loquor ad te; & bene tibi erit. Jerem. 38. 20.

Filii Sion exultate - quia dedit vobis doctorem justitiæ; & descendere faciet ad vos imbrem matutinum. Joel. 2. 23. Quæ consequentia est: *dabit doctorem vobis, & redundabunt torcularia vino.* Monitos nos vult: justitia meliùs, quàm cultura, seri arbores, messemque comparari. Non enim Cereres, sed Astræa, campis excubat; quos libra feliciùs sarrire, quàm rastro, potes. Cœlum agri tui sanctitas, aut scelus est: Si æquus es; rorasti; si perfidus, fulgurasti. Oliva lib. 1. Strom. §. Exultate &c.

Ex Novo.

Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus &c. Matth. 6. 33. In promissis veritatis nemo dubitet. Sit homo, qui esse debet; & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia. S. Hieron. hìc.

Amice, commoda mihi tres panes. Luc. 11. 5. Qua fiducia, hora importuna sub medium noctis, dormienti persirepit? S. Chrysol. s. 39. hanc fiduciam refert ad illa verba: *media nocte.* Nam obsecutus fuerat Domino dicenti Matth. 6. 34. *noliti solliciti esse in crastinum.* Ergo hìc homo, in diem vivens, omnem curam futuri diei abjecerat: & quia Deo mandanti obedierat; securus, & cum omni fiducia, Deum adit, etiam tempore importuno. Jure enim à Deo ad vitam expectat necessaria, quia priùs virtuti incumbit gnaviter. Pinna Eth. 149.

Facta est fames valida in regione illa. Luc. 15. 14. Qui non audet delinquere ad paupertatis sublevationem, numquam famem patitur. Testor filium seniorem, qui patris semper voluntati obsecutus. Escob. t. 6. Par. Chr. l. 12. p. 1. sect. 2. Obs. 2.

Num. IV.

Præceptorum observationi promittitur merces.

Abraham Genes. 22. 8. accepit à Deo legem immolandi filium: &, dum legem observat, futuras felicitates prophetat. Ad filium dicit: *Dominus providebit sibi victimam.* Ad servos: *postquam adoraverimus revertemur ad vos.* Unde tanta præsumit bona? quòd Isaac non cadet, & secum reversurus sit? S. Ephrem in Jonam: Abraham, cùm putaretur mentiri, prophetavit: non tamen mendax erat; quoniam veritatis patrocinium gerebat. Baeza t. 3. l. 14. c. 9. §. 32.

Benedicentur in semine tuo omnes gentes: eò quòd obedierat Abraham voci meæ. Gen. 26. 4. 5. Congerent in te cœli munera plena manu; non quòd ductus in montem sis, sed quòd voci meæ Abraham sit obsecutus: Deus enim voce sua hostias non anteponit. Oliva l. 5. Strom. §. Oves meæ, &c.

Si audieritis vocem meam eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens Sancta. Ex. 14. 5. 6. Deut. 28. 1.

Et nunc Israel audi præcepta, & judicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea, vivas, & ingrediens possidens terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. Deut. 4. 1. Oleast. hìc: considera, quàm sapienter legibus promissiones adjungit: quoniam optimè novit, nos nihil sine mercede velle facere.

Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias, atque custodias omnia mandata ejus faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra &c. Deut. 28. 1.

Jon. 3. 8. 9. in Ninive personabat hoc decretum: *convertatur vir à via sua mala quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus.* Deus dicit illos perituros; illi autem dicunt sententiam Dei revocandam quò fundamento? S. Ephrem hìc: hæc porrò Ninivitæ nec opinantes prophetebant; & quidem prophetæ erant veritatis; nam pœnitentia prophetas eos fecerat. Baeza antè cit.

Hæc est enim lex, & Prophetæ. Matth. 7. 12. Inseparabiles hi sunt duo comites, lex & Prophetæ: ubicumque lex viget, ibi prophetia est bona annuntians. S. Basilius in cap. 8. Isa. vis certo persuaderi, quæ sint futura? provide sedulò; ut, quæ tibi lex præscripsit, opere expleas diligenter; & certus operitor jucundissimam fruitionem repositorum tibi bonorum. Baeza antè cit.

Num. V.

Præceptorum observatio dat Intellectum.

Nè declines ad dextram, vel ad sinistram: ut intelligas cuncta, quæ agis: Jos. 1. 7. Cajetanus: ecce fructus observationis legis donum intelligentiæ.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Ps. 110. 10. Intelligit utiliter, qui operatur; & frustrà intelligit, qui non agit. Sim. Cass. l. 11. c. 27.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Psal. 118. 1. addit v. 2. *beati, qui scrutantur testimonia ejus.* Nota pulchrum ordinem: priùs posuit legis præcepta, postea incrementa doctrinæ, ut mentem sapientia illustret; virtus velut dispositio, præcedit. S. Ambr. hìc; quam pulcher ordo; quam plenus doctrinæ, & gratiæ! non priùs, *qui scrutantur testimonia ejus*, dixit; sed potiùs, *beati immaculati in via.* Ante enim vita, quàm doctrina, quærenda est. Naxera in Jos. 2. §. 36.

Factum est Verbum Domini in manu Aggai. c. 1. 1. Ad intelligentiæ alta perveniunt, qui agere, quæ intellexerunt, vel minima, nulla contemnunt; & dum sensibus manum adjuvant, sese ultra altitudinem ingeniosorum levant. S. Gregor. moral. l. 6. c. 5.

Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina. Joan. 7. 17. S. Chrysost. hom. 48. in Joan hoc est: si quis amator virtutis, meorum verborum vim intelliget. S. August. tr. 29. in Joan. Si non intellexisti, crede: intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quærere intelligere, ut credas; sed crede, ut intelligas, quoniam *si non credideritis, non permanebitis.* Is. 7. 9. Sylveira hìc.

Num. VI.

Præcepta Dei observans non eget rege, nec lege alia.

Si solus Deus diligeretur, non essent dissensiones & bella: cùm scirent homines unius se Dei filios esse; ideoque divinæ necessitudinis sacro, & inviolabili vinculo copulatos. Nullæ fierent insidiæ: cùm scirent, cujusmodi pœnas Deus animarum interfectoribus præparet; qui clandestina scelera, & ipsas etiam cogitationes prævidet. Denique ad regendos homines non opus esset tam multis, & tam variis legibus; cum ad perfectam innocentiam Dei lex una sufficeret: neque carceribus, neque gladiis præsidium, neque terrore pœnarum; cum præceptorum cœlestium salubritas, humanis pectoribus infusa, ultrò justitiæ opera homines erudiret. Lactant. l. 5. div. instit. de justitia.

Tanta est sublimitas doctrinæ Christi: ut custoditio illius in agenda tota humana vita rege non indigeat, judicem non requirat, forum causarum refugiat; nec ponendis tribunalibus locum præstet. S. Bernardinus tr. de 8. beatit. s. 1.

Num. VII.

Præcepta Dei observantium varia commoda.

Ex Veteri.

Fecerunteque Moyses, & Aaron, sicut præceperat Dominus. Exod. 7. 20. Bonitatem Dei Conditoris intelliges; si voluntati ejus obtemperes, si legem ejus sequaris, ipse tibi elementa, etiam contra suam naturam, servire compellit. Orig. homil. 5. in Ex.

Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino. Exod. 23. 17. idest, coram Arca, vel tabernaculo Domini. Nota: cùm viri omnes civitates suas defererent his temporibus; nullus tamen eis metus fuit ab hostibus, nè fortè diriperent civitates sic desertas, & inermes. Quia promissum jis erat. Exod. 34. 24. *cùm tulero gentes à facie tua, & dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Marchantius D. 1. Epiph.

Confortare, & esto robustus. Jos. 1. 6. dixit Deus Josue. Ad quid sum confortandus Dominus? Non ut hostes vincas: hos enim ego sub tuam potestatem redigam: *nullus poterit resistere vobis cunctis diebus vitæ tuæ?* v. 5. Cur ergo confortandus sum? *ut custodias, & facias, omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus.* v. 7. Ad hoc oportet nos confortari, in hoc oportet omnem curam adhibere de cætero quia poterit nobis resistere. Diez fer. 3. D. 4. Quadr.

Tollite Arcam fœderis, & procedite populum. Jos. 3. 6. Arcæ sanctitati videtur hoc jussu detrahi: nam Jordanem intrare, erat baptismum subire. Ast ubi obsequentior, ibi honoratior: vortices illam curvatis fluctibus adorarunt; & proximare veriti ejus confessi sunt sanctitatem. Naxera tr. de B. V. §. 32.

Complacuerunt Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Prov. 16. 7. Mysticè: si per obedientiam te planè subjeceris Deo, ejusque legi, & voluntati; ut ei per omnia placeas; fiet, ut sensus quoque, tui, appetitus, tentationes, subdant se menti, & voluntati tuæ: uti dominatus est eis Adam in paradiso quamdiu obedivit DEO. Imò Deus magnis Sanctis, & amicis suis, subjicit summos inimicos, id est, dæmones. Luc. 10. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes* &c. Cornelius hìc.

Ex Novo Patribus, & aliis.

Non in solo pane vivit homo. Matth. 4. 4. Auth. Imp. hìc: non in usu rerum solo vivit homo perfectè: & si vivit, secundùm corpus vivit, non secundùm animam. Plenissimè autem vivit observatione mandatorum Dei. Sylveira hìc.

Vidi Bethaniam &c. Joan. 12. 1. Per hoc significatur, quod ubi est obedientia vel obediens anima, est JESUS ibi, & gratia. Item per hoc, quòd Christus priùs venit in Bethaniam, antequàm iret in Jerusalem, significatur: quòd via cœlorum est custodia mandatorum. Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hugo Card. hìc.

Dei præcepta, quia simplicia, & vera sunt; quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus: paucissimis Dei verbis tam placidum quàm ovem, reddam. Da cupidum, da avarum tenacem: jam tibi eam liberalem dabo; & pecuniam suam plenis manibus largientem &c. Lactantius l. 3. div. instit.

Præceptum Domini est revera fons vitæ; facit declinare à laqueo mortis. Clem. Alex. Strom. l. 2.

Visne Theologus aliquando, divinitatisque dignus fieri? mandata servato, per præceptiones ambulato. S. Greg. Naz. or. de recta doctrinæ sententia.

Gloria Christianorum Dei præceptum est; gloria Christianorum, Apostolorum, & Prophetarum, doctrina. S. Eph. de amore pauperum.

Salvatorem osculari, est illi obedire, mandata ejus servare, voluntatem ejus exequi. S. Franc. Salesi. in Philothea p. 4. cap. 13.

Sicut castrum custodientes se custodit; ità mandatum Dei servat servantes se. Geminiani l. 9. similit. c. 46.

§. VI.

Præceptorum Dei violatio est noxia.

Nunc igitur maledictus eris super terram: cùm operatus fueris eam non dabit tibi fructus suos. Gen. 4. 11. 12. Videntur oppressioni innocentis aratrum hebetatum? neque enim siderum observatio, sed præceptorum custodia, serendis novalibus est opportuna. Oliva l. 1. Strom. §. Exultate filiæ Sion.

Si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, - jam nunc scitote &c. Jos. 23. 12. 13. Quæ homo contra legem, ut vitæ exambit subsidia, esse solent certissima detrimenta. Stupidus est, qui ab igne exigit glaciem, qui à nive ardorem. Nec minùs stultus, qui à vitio mutuatur commodum, & à virtute putat salutis oriri dispendium. Hanc veritatem docet Josue; dum, quæ incommoda ab illicitis conjugiis, ab improborum consortiis emergent, populo pandit. Naxera in Jos. 23. §. 26.

Nolite declinare post vana, quæ non proderant vobis. 1. Reg. 12. 21. S. Gregor. l. 2. in 1. Reg. qua in re cautè notandum est; quia eis temporalia bona non proderunt, qui post hæc declinare prohibentur. Post bona temporalia declinare, est in eorum oppositum defluere, amorem illorum divino amori præferre. Meritò ergo his vana non proderunt: quia eo ordine, quo condita sunt, habere noluerunt.

Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ps. 10. 6.

Posuit flumina in desertum - terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. Ps. 106. 33. 34. Miraris, aruisse latices, campoque lapidescere? scito, non severiorem naturam esse; sed eam nostris nos sceleribus ex matre novercam convertisse. Oliva l. 1. Strom. §. Exultate &c.

Deum time, & mandata illius observa: hoc est enim omnis homo. Eccl. 12. 13. Acsi perspicuè dicat: qui non studuerit cavere prohibita, qui neglexerit implere præcepta, quia ratione caret; vocabulum quidem hominis habet, sed hominis esse non habet: quia non veraciter utitur virtute nominis, quo censetur. Ille nimirum veraciter sed credat hominem, qui hominum recognoscit authorem. B. Petrus Dam. l. 1. ep. 17. ad Alexandrum II. Pont. Rom. Qui non timet Deum, & mandata ejus non custodit; non est homo. Quid ergo est? Bestia est. Salonius Ep. Explicat. in Ecclesiasten.

Dormiemus in confusione nostra - quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos, & non audivimus vocem Domini Dei nostri. Jer. 3. 25.

Deum colere dicimus nos, & diabolo obtemperamus. Et post hæc volumus, ut bona à Deo accipiamus cùm mala semper malis addamus: fieri voluntatem nostram à Deo cupimus, cùm Deo nos facere nolimus: quasi nos superiores Deo essemus, agimus. Salvianus de Provid. l. 5.

§. VII.

Exempla præcepta Dei observantium rationalium, & irrationalium creaturarum.

Congregentur aquæ. Gen. 1. 9. dictum est, & congregata est; Et frequenter dicitur, *congregetur populus*, & non congregatur. Non mediocris pudor est, imperio Dei insensibilia elementa parere; & homines non obedire. S. Ambros. l. 3. hex. c. 1.

Ubi est victima holocausti. Gen. 22. 7. Mandatum acceperat de mactando filio: verùm nè uxori quidem, de hac re quippiam dixit, neque cum ea rem communicavit; valde utiliter agens; neque enim tutum, neque utile sibi esse putavit, fœminam in consilium adhibere. - Nihil tale recensuit ipsi, ut in nullo impediret opus, quod præ manibus habebat. S. Ephrem in Abrah. & Isaac.

Præceptum posuit &c. Psalm. 148. 6. Præceptum soli posuit. Ecce per tantos annos præceptum Domini nunquam præteriit. Lunæ præceptum posuit, ut per triginta dies crescat atque decrescat: nunquid cursus suos aliquando mutat? In cœlo præceptum Dei servatur; & in terra non servatur. Mari præceptum posuit, ut littora sua non egrediatur; & præceptum Dei meminit. Totus Mundus Deo servit, & præceptum ejus meminit; & homo solus non meminit. S. Hieron. hìc.

Ignis, grando, nix, glacies - quæ faciunt verbum ejus. Psal. 148. 8. Ergo voluntas Domini ancillantes sibi procellas spectat! & quam glacies, & grandines reverentur, dum ruunt; homo spernit, & stat? Porrò cùm audis, quòd Spiritus procellarum, etiam dum sæviunt, parent Deo; noli quamcumque sævitiem damnare. Licet furere, & ferocire; licet & sævire. Oliva l. 4. Strom. §. Ignis grando &c.

Vas castrorum in excelsis &c. Eccl. 34. 9. q. d. stellæ sunt quasi vasa, idest, arma bellica Dei, *non deficient in vigiliis suis*, v. 11. quia quasi milites, & vigiles Dei, perpetuò excubant ad omnem ejus nutum. Cornelius hìc.

Imperavit ventis, & mari. Matth. 8. 26. Jubet mari, & non contemnit: dicit ventis, & tempestatibus; & mox compescuntur: jubet & omni creaturæ; & non supergreditur jussionem ejus. Et unum hominum genus; & unum, quod secundùm similitudinem Dei honoratum est; cui verbum, & prudentia data est; hi soli homines resistunt; hi tantùm inobedientes sunt, hi soli contemnunt. Ideoque & hi in Judicio damnabuntur, & à Justitia punientur, velut deteriores mutis animalibus. Origenes hom. 6. in diversos. Imperat ventis, & mari: imperat homini, & inobediens est. 3. Reg. 13. 3. venit vir Dei, & ait altari: *ecce altare scindetur; & effundetur ignis, qui est in eo.* Obedit altare. Loquitur ad Jeroboam, & non audit. Imperat Deus igni Babylonico; non comburas tres pueros; non combussit. Præcepit leonibus famelicis, nè tangerent Danielem. Dixit Jordani, recede; similiter mari. Hanc hominis inobedientiam offendit Deus in creatione: cœteras creaturas uno verbo *fiat*, condidit; in creatione hominis, *faciamus*, quasi viribus, & lacertis, id facturus. Osorius D. 4. Epiph.

Nè fortè fremitus, & cursus aquarum, cum dispendio possessoris humani, alienum occuparet elementum; fines littoribus inclusit. Quò cùm fremens fluctus, & ex alto sinu spumans

mans unda venisset; rursum in se rediret, nec terminos concessos excederet; servans jura præscripta: ut divinas leges tantò magis homo custodiret, quantò illas etiam elementa servassent. Tertull. l. de Trinit. c. 1.

Non mediocris pudor est, imperio Dei insensibilia elementa parere; & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est Authore. S. Ambros. l. 3, hexam. c. 1.

Infirmissimo omnium vilis sabuli pulvere vis maris in tempestate cohibetur; & velut habensis quibusdam cœlestis imperii à præscripto sibi fine revocatur, violentique æquoris motus in sese frangitur, atque in reductos sinus suos scinditur. Id. l. 3. hex. c. 2.

Mirum est, quomodo res omnium, quæ in terris habentur, infirmior arena jussu Dei violentiam maris frænat? S. Basilius Cæs. l. 4. hex.

Omnes res creatæ Dei mandato parent: homo autem illi, per quem facta sunt, non obtemperat. S. Nilus Instit. ad Monachos.

Mare, quod tantò commotionis suæ vertice fertur, & elevatur ad nubes, frænant tenues arenæ: ut videamus, potestatem non pulveri cedere, sed præcepto. S. Chrys. s. 101.

Considera universam hanc cœlestium gloriam corporum incessanter legibus obtemperare divinis; nec unquam sibi positas in tam continuis motibus, metas excedere; temporum, aut locorum, terminos transgredi constitutos. S. Bernardus s. in festo S. Martini.

§. VIII.

Præcepta Dei quàm parum, & pauci, servant.

Num. I.

OLim serpens mulierem venenum effudit in virum, & ipsum seduxit. Gen. 3. 6. Veniens Dominus in Mundum omnia restaurans, ut virum reformaret ad vitam, per mulierem vult trahere. Sed hic nota: quòd, ut mulier alliceret virum ad peccatum, absque alicujus mandato ipsa ut *comedit, dedit que viro*. Gen. 3. 6.

At ut Samaritana maritum ad salutem pertrahat, ei mandatur à Domino: *voca virum tuum*. Eva dabat pomum ad mortem, Samaritana invitabat ad vitam: nam ad malum nos proni spontè nostra; ad salutem mandato compelli opus habemus. Sylveira in Joan. 4.

Qui percusserit &c. Jos. 15. 16. Quid tunc? *cœpit eam Othoniel*. v. 17. Dum puella offertur in prœmium, quisque aggredi molitur periculum; licèt Ducis urgeret præceptum, varias excusationes prætenderent, causarentur duram præceptionem. Naxera in Jos. 15. §. 21.

Saul pepercit Agag. 1. Reg. 15. 9. Lyranus hìc: cupiditate ductus, sperabat de eo habere magnam redemptionem; vel per eum occulti thesauri revelationem. Divinum mandatum ob aurum contempsit. Sylveira in Matth. 2. c. 4. q. 18.

Num. II.

Nitimur in vetitum,

O *si quis mihi daret potum aquæ!* 2. Reg. 23. 15. Non constat, David hanc aquam appetiisse, nisi Philisthæo ad eam posito. v. 14. Quo Philisthæus magis aquam negat, eò David magis cupit. Quod siti David, in fame probat Esau, qui à Jacob pultes petit. Gen. 25. 30. Cunctatur Jacob, & negat; nisi sibi vendat primogenita. Quò Jacob id negando tenacior, eò frater in expetendo importunior: ut mori se credat, nisi fruatur optatis. Velloso in Judith. 7. Paræn. 17.

Auget prohibitio desiderium operis illiciti; quando justitia non sic diligitur, ut peccandi cupiditas ejus dilectione vincatur. S. August. de Civ. l. 13. 5.

Nescio, quomodo hoc ipsum, quod concupiscitur, fit jucundius, dum vetatur. Id. l. de spir. & litera.

Desiderii prohibiti fructus dulcior est: unde etiam, quæcunque peccata occultè fiunt, dulciora sunt; quamvis mortifera ista dulcedo sit. Id. in ep. ad Rom. Exposit. 39.

Num. III.

Præcepta humana præ divinis servantur.

Aperi mihi Soror mea. Cant. 5. 2. Sed illa excusationes opponit: *expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Samuel verò 1. Reg. 3. 4. quàm promptè surgit ad vocem, ut putabat, Heli! *Ecce ego! vocasti enim me*. S. Gregor. in 1. Reg. 4. Puer, qui loquentem Dominum esse Magistrum putavit, vocem corpoream audivit. Sponsa verò à Domino cognovit juberi *vox dilecti mei pulsantis*. Naxera in Jos. 18. §. 30.

Maximus error est iste, cùm sic observentur leges humanæ, sic civitatum ordinationes, sic antiquæ consuetudines; & sic esse in divinis legibus negligentes. S. Bonaventura s. 67.

O summa fatuitas, & cœcitas detestanda! quia observantur ad unguem statuta civitatum; servantur leges Imperatorum, ac Regum; servantur decreta Præsulum; servant ægri præcepta Medicorum: sed non est, qui legem servet regis regum, Dei Deorum, & Domini Dominorum. Id. s. de S. Luca.

Nullus dominus Mundi est, qui habeat minorem subjectionem in subditis, quàm Deus. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. 2. post octav. Pasch,

§. IX.

Præcepta Dei servandi varia motiva.

Ex Veteri.

S*Ume vas unum, & mitte ibi Manna*. Exod. 16. 33. Deus præcepit Moysi, ex Manna impleri Gomor, & custodire in futuras generationes; *posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum*. Nota: Manna simul cum Legis tabulis asservatum in Ara fuisse; quia manna eximium erat beneficium, quod ad gratitudinem obligat, adest ergo juxta manna Lex; ut eam observent Hebræi tanti beneficii obstricti memoria. Castillo Illat. 90.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te &c. Ex. 20. 2. ait Deus initio Legis dandæ Hebræis. Et subdit. v. 3. *non habebis deos alienos*. Memoriam beneficiorum ponit in motivum Legis servandæ. Diez Conc. 1. in festo S. Joan. Evang.

Non facies tibi sculptile &c. Ex. 20. 4. Deus hìc præcepta dat omnibus hominibus: cur ergo non ait, non *facietis* &c. Ità Deus amat unum, suam legem observantem, ut omnes eam custodientes. Unde ibidem ait v. 20. *ego sum Dominus Deus tuus*. Non ait, *vester* sed *tuus*. Ità gloriatur esse Deus unius, acsi esset omnium. Sylveira c. 23. in Luc. 14. q. 7.

Ex Novo.

Tollite jugum meum super vos. Matth. 11. 29. Non dicit: venite, imponam jugum meum super vos; sed vos *tollite*. Cajet. hìc *tollite*, idest, Evangelicam Legem meam voluntariè suscipite. Neque enim inveniretur requies, tamquam corona, ubi in tollendo jugo non esset meritum: nec meritum esse poterat, si non liberis, sed coactis imponeretur. Ramirez in ep. 7. Apoc. 3. v. 20.

Dirigite viam Domini. Joan. 1. 23. Via Domini ad cor dirigitur, cùm ad præceptum vita reparatur. V. Beda hìc.

Qui habet mandata mea, & servat ea. Joan. 14. 21. Quia magni momenti est, mandatorum observatio; iterum, iterumque illam commendat Dominus extremo vitæ tempore. Barradius t. 4. l. 4. c. 5. hìc Dom. Pent.

Ex Patribus, & aliis.

Quisquis ad observationem mandatorum Dei, virtutumque studio, te revocat; is tibi sit execrabilis, ac detestandus: cum ejusmodi enim ne cibus quidem est capiendus. S. Nilus lib. ascet. instit. ad Monachos.

Magnificatur Deus in nobis apud incredulos, & Infideles; si secundùm præcepta Dei vivamus, si bonis operibus luceamus. S. Chromatius conc. in 5. Matth.

Quid est credulitas, aut fides? Opinor hominem fideliter Christo credere, id est, Fidelem Deo esse; hoc est fideliter Dei mandata servare. Salvianus de Prov. l. 3.

Non est melior sempiternæ mortis cautela, quàm supernæ Legis sequela. S. Bonav. in Ps. 118.

Quid voluntate liberius? quid ligatione charitatis astrictius? Deus enim, qui libera voluntate plasmavit hominem sibi libera voluntate conformem, dictavit legem charitatis ad ligationem liberæ voluntatis: nè fortasse libertas voluntatem gravaret, si eam charitas non juvaret. Id. in illud Psal. 118. 92. nisi quòd lex tua &c.

Nihil ità obligat hominem ad reddendam possibilem vicem, & ad ejus servanda mandata; quàm quòd seipsum Deus hominibus tradidit humanatum. Sim. Cass. l. 2. c. 21.

T I T U L U S XXVIII.

PRÆDESTINATIO.

§. I.

Prædestinatorum paucitas.

N*umera stellas si potes, - sic erit semen tuum*. Gen. 15. 5. Et Gen. 13. 16. *faciamque semen tuum sicut pulverem terræ*. An stellæ terræ pulveres exæquabunt? minimè. In tota Abrahæ progenie, seu Christi prosapia, tota Christicolarum multitudo repræsentatur; quorum quidam stellæ; quidam pulveris, seu Arenæ, grana. Stellæ, id est, prædestinati, numerabiles sunt. Deus enim Psal. 146. 4. *numerat*

rat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. At reproborum innumera caterva. Hinc Rupertus l. 5. in Gen. 10. Benè pulveri terræ comparati sunt; quem dinumerare nobis quidem impossibile, Deo autem judicatur superfluum; apud quem soli Electi noti sunt. Escobar tom. 1. Mir. Chr. l. 4. sect. 1. Obs. 6.

Va mihi! quia factus sum, sicut qui colligit in Autumno racemos vindemiæ. Michææ 7. 1. id est, post vindemiam. q. d. ego Michæas fui quasi pauper recemator. Hic enim post vindemiam sperat, se saltem aliquos recemos, qui vindemiantes fugerunt, in vinea inventurum. *Sed non est botrus*, id est, non unum, & vix unum, qui se converterit, invenio. Quocirca gemo, & ploro: heu mihi? oleum, operamque perdidi &c. Cornelius hìc.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 20. 16. Cur electi dicuntur pauci? cùm Joannes Apoc. 7. 9. dicat: *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, &c.* Carthus. pauci electi sunt comparativè ad reprobos; vel etiam ad Christi voluntatem; qua vult omnes salvos fieri. Sic intelligo illud Apoc. 12. 9. *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, - qui seducit universum orbem*. S. Thom. quod dicitur, quòd universum orbem seducit, intelligitur quantùm ad reprobos, qui sunt major pars orbis. Sylveira hìc c. 34. q. 18.

Nunquid ego sum Domine? Matth. 26. 22. Cùm Discipuli audiunt: *unus vestrum me traditurus est*, contristantur. Quia, ut ait S. Chrysost. hom. 71. in Joan. quòd ad unum perditio referebatur, hoc formidinem minuebat; sed quod addiderat, *unus ex vobis*, simul omnes perturbat. Dicit Christus Matth. 7. 13. *multi sunt, qui intrant per eam*. Et quàm pauci cum timore quærunt: *nunquid ego sum Domine?* S. Chrysost. s. 1. de fer. 5. Pass. ò beati Apostoli! faciliùs vestra innocentia contristata, quam pœnalis Judæ audacia; quæ non est confusa. Sic plerumque probi magis timent perditionem, quàm scelerati. Sylveira hìc.

Ut quid dereliquisti me! Matth. 27. 46. Origenes putat, queri Christum de paucitate salvandorum, & multitudine damnandorum; qui fructu Passionis, & mortis ejus exclusi sunt. Sylveira hìc c. 18.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 22. id est, in familia Jacob, quæ est congregatio electorum; in quibus regnat hìc per gratiam, in futuro per gloriam. Per hoc, quod dicitur, *in domo*, notatur paucitas. Multi vocati. Hugo Card. hìc.

Aliud cecidit &c. Luc. 8. 5. 6. 7. Igitur tres partes eorum sunt, qui pereunt, una autem eorum, qui salvantur. Theophylactus hìc.

Et qui prior descendisset in piscinam. &c. Joan. 5. 4. Ex ægrorum multitudine unus sanabatur: ut exprimeretur prædestinatorum paucitas, reproborum multitudo. Escobar tom. 1. Mir. Chr. l. 5. sect. 1. Obs. 6.

Habes paucos nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua. Apoc. 3. 4.

Quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? Infestum quidem est, quod dicturus sum; dicam tamen: non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur. Quin & de his dubito. Quanta enim in juvenibus, quæso, malitia! quantus in senibus torpor! filii curam gerit nemo, nemo zelum habet, ut senem respiciens imitetur. Exemplaria deleta sunt: propterea neque juvenes evadunt laudabiles. S. Chrys. hom. 40. ad pop. Antioch.

§. II.

Unicuique propria voluntas est causa suæ damnationis, vel salvationis.

Ex Veteri.

I*Mpii in tenebris conticescent*. 1. Reg. 2. 9. Quia non habebunt quidquam excusationis, quod culpæ suæ, & gehennæ, obtendant: quia convicentur, & convicti silebunt. Hinc *gehenna* vocatur Hebr. *dumæ*; id est, *silentium*, & loco silentii. Cornelius hìc.

Apud te est fons vitæ. Ps. 35. 10. DEI domus ubertas, & divinarum torrens voluptatum ideo nos implet, quoniam apud Dominum est fons vitæ. Si quis alio divertat? vitæ fontem non inveniet, sed famem, & ariditatem. S. August. tr. 25. in Joan. quoniam apud te est fons vitæ, & non apud nos; ideò intrare debemus, ut vivamus. Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 10.

Lætatur cor quærentium Dominum. Psal. 104. 3. Gaudium est de re præsenti, quam jam habemus, cur jubet lætari, qui quærunt? Lyranus: quærens aliquid, habet materiam lætitiæ, quando est certus de inventione: quærentes autem Dominum fideliter inveniunt eum ineffabiliter, secundùm illud. Matth. 7. 8. *omnis, qui quærit, invenit*. Ideo in Psalmo subditur: *quærite Dominum, & confirmamini*, v. 4. id est, certis sitis de inventione. Mare quis incusat, quod infidum tanta absorbeat; imò Deum ipsum, qui id creavit. S. Ambros. lib. de Elia & jejun. c. 19. clementum innocens nihil delinquit; meritas humana ipsa est sibi discrimini. Denique, qui non navigat, nescit timere periculum. Dominus dixit: *dominamini piscibus maris*. Gen. 1. 29. non dixit, navigate in fluctibus. Piscibus dedit, non hominibus; *perambulare semitas maris*: ad escam tibi datum est, non ad periculum. Did. Nyss. Dom. Sexag. §. 4.

Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ. Sap. 1. 12. q. d. nolite zelare, id est, vehementer appetere, & studiosè affectare, & accersere vobis perditionem, per opera linguæ, & manuum vestrarum. *Neque acquiratis*, ib. Græc. *attrahatis, perditionem in operibus manuum vestrarum Τὸ attrahatis* notat, Deum elongasse à nobis mortem, & perditionem; eamque quasi in orco religasse: sed impios magna vi eam inde, solutis ejus vinculis, sibi attrahere: imò majori vi, quàm sancti sibi è cœlo quasi attrahant felicitatem, & gloriam cœlestem: quæ ingens est impiorum amentia, & furor. Cornelius hìc.

Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. Os. 13. 9.

Ex Novo.

Ædificavit domum suam suprà petram &c. Matth. 7. 24. sapiens, *stultus super arenam*. Iisdem fluminibus, pluviis, ventis, utraque concutiebatur. Domus sapientis steriit; stulti collapsa est. Quis causa lapsus; non venti, non flumina, non pluviæ; alioquin etiam domus sapientis corruisset. Causa igitur fuit arena, in qua domum suam stultus ædificator malè fundavit: non cecidisset, si firmum fundamentum posuisset. Strengelius t. 4. Judic. div. c. 56.

Angusta porta. Matth. 7. 14. Paradisi voluntas Dei est: ad istam oportet se adstringere, qui paradisum vult intrare. *Lata porta* est voluntas propria. S. Vinc. Ferr. 6. Dom Sept.

Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista. Matth. 12. 42. Frequens est Dei gratia; rarus per humanam voluntatem usus gratiæ. Ergo Ninive ex rea fit repentè arbitra, judexque Palestinæ; & suis lacrymis obruit Jerosolyman. Nobis imputanda est duritia nostra: qui, si occasione uteremus, felicitatis nostræ essemus proculdubio non alga in limo, sed palmites in carmelo. Quàm inter se dissentiunt Herodes, & Magi! & tamen unius occasione Salvatoris excitti omnes sunt; sed affectu dispari. Non est, unde cœlum ad latres, nam ubique tui dissimiles animos invenies, in causa, vitæque genere, planè consimili &c. Oliva sup. Evang. Quad. fer. 4. Dom. 1.

Nolebat venire. Matth. 22. 3. Quod præter regis, & servorum, expectationem fuit. Non ab bellum, non ad crucem; sed ad nuptias vocantur. Et tamen noluerunt venire. Sylveira hìc.

Omnia parata. Matth. 12. 4. In Ecclesia est prandium, in cœlo cœna, ubi nihil occisum, sed omnia æterna vita vivunt. Nihil est, quod prærogatum non sit, atque paratum, pro communi salute mortalium. Nostrum est, quòd spirituali fame perimus: non accendentes, repetitis vocibus cùm vocamur. Sim. Cass. l. 6. c. 24.

Duo erunt in argo, unus assumetur, & unus relinquetur. Matth. 24. 40. Duo erant in agro, iisdem parentibus nati, Cain, & Abel; unus assumptus, alter relictus: quia disparia utriusque fuere fundamenta. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Rom. 9. 13. Unus assumptus, alter relictus: quia diversum fundamentum. Esau in fundamentum posuit amorem proprium, & sensum carnis; Jacob supra Petram domum posuit; fiduciæ in Deum innixus. Corruit domus, non stetit, Saulis; non corruit domus, sed stetit regnum David. Uterque rex, & quidem ejusdem populi: ille propriæ voluntati innixus; David cor suum secundùm cor Dei direxit: Non in eodem agro tantùm, sed etiam in eodem templo, fuerunt Pharisæus, & Publicanus. Luc. 18. 10. Unus assumptus, alter relictus, omnia illius jejunia, decimæ, eleemosynæ, perierunt in superbiæ scopulos allisæ. Cecidit Petrus, cecidit Judas, uterque Apostolus, Petrus in Petra ædificavit, Judas in crumena. Latronum unus eodem die cum Christo fuit in paradiso, alter in Inferno: quia unus lucem gratiæ divinæ acceptavit, alter repudiavit. Stengelius antè citatus.

Venite benedicti Patris mei. Matth. 25. 34. E contra, quibus dicitur, *maledicti*, non dicitur, maledicti Patris mei: nam benedictionis quidem ministrator est Pater; maledictionis autem sibi quisque est author, qui maledictione digna operatur? Origenes tr. 34. in 25. Matth. Propterea Deus gehennam minatus est; non ut eam infligeret, sed nè infligeret. Et illam quidem paravit diabolo: *ite*, enim inquit, *in ignem, qui paratus est diabolo*. Matth. 25. 41. Regnum autem hominibus: ostendens, se nolle hominem trudere in gehennam. S. Chrysost. in Ps. 144. *Ibunt?* non mittentur.

Va homini illi. Matth. 26. 24. O saxeum Judæ cor! ò proditoris mens adamante, silice, & ferro, impenetrabilior! quam emolire nequiverunt sermones sapientiæ, æternum væ, & maledictionis irrevocabilis sententia. Sed averit homicida hìc, & omni-

& omnium scelerissimus, faciem suam; nè cœlum, cœlorumque videret Dominum. Lautent. Just. de triumph. &c. c. 5. Seris ferreis interioris domus obstruxit januas, vectibusque firmavit; quatenus ab salutem ejus cunctorum salus aditum non haberet. Id. ib.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi &c. Luc. 1. 38. Noluit Deus carnem sumere ex B. Virgine, sine ejus consensu; sicut Eva formata est ex costa Adami. Gen. 2. 21. ipso dormiente. Ut significetur: quòd aliter se Deus habet in creatione, aliter in restauratione, ac salute nostra: nam in creatione utitur potentia sua independenter à nostra voluntate; at in salute nostra non vult ità effici, nisi cooperantibus nobis, & consentientibus. Sylveira hic.

Viderunt oculi mei salutare tuum; quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem gentium. Luc. 2. 30. Lumen illuminans positum ante conspectum hominum: ut, si non rectè ambulatur; non adscribatur Lumini, sed errare volenti, & oculos claudenti ad splendorem ejus. Sim. Cass. hìc. *Ipsi sibi erant graviores tenebris.* Sap. 17. 20.

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam. Luc. 8. 5. Sibi soli homo adscribat suam perditionem. Theophylactus: *aliud cecidit.* Non dixit, quòd projecerit. Did. Nyss. Dom. sexag. §. 4.

Aliud cecidit inter spinas. ib. Cur bonus Sator tres partes facit; ubi sciebat, non esse fructum allaturas? Respondeo cum communi PP. Augustino, Ambrosio: ut manifestatur summa DEI bonitas; quæ, quantum ex se est, omnium salutem vult; etiam eorum, qui mandata non sunt servaturi: ut nulla sit excusatio ex parte hominis, qui dicat, se non credidisse, quia ei non est prædicatum Evangelium. Sylveira hìc q. 2.

Paratæ sunt omnia. Luc. 14. 17. Omnia saluti nostræ, atque refectioni animæ necessaria, in regno Ecclesiæ sunt parata. De quo Paulus 1. Cor. 1. 4. 5. *gratias ego Deo meo quòd in omnibus divites facti estis-ita ut nihil vobis desit.* v. 7. sed parans omnia divina bonitas ad illa invenit homines imparatos. Sed nescio, quæ major perversitas, quàm ad præparationes divinas reddere imparatum. Hinc invitati se excusare cœperunt; plus intendens præparationibus, & directionibus propriis, quàm divinis. Deroganda, & nihil pensanda sunt omnia; ubi adest præparatio æternorum, & divinorum magnalium. Sim. Cass. l. 6. c. 19.

Nunquam dedisti mihi hœdum. Luc. 15. 29. Queritur senior filius eo ipso tempore, quo munificum convivium, & vitulus saginatus apponitur. Cur ex illo nihil accepit? an id effecit parcitas patris? Absit! causa fuit ipse filius; qui non introivit, & fortis manere voluit. Divinæ mensæ largitas in promptu est: tu illa te privas, quia non vis intrare, quia non accedis. Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 10.

Non misit Deus Filium suum, ut judicet &c. Joan. 3. 17. Pius, benignus, & misericors Deus est; qui vult homines salvos fieri: sed peccatores increduli eum ad judicandum trahunt. Iniquitas tribunal judiciale constituit; Salvare vellet, non judicare. Sim. Cass. l. 11. c. 6.

Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Joan. 5. 40. Nulla excusatio iis est, qui tantùm de pertinacia voluntatis propriæ arguuntur. Excusat sæpe homine in toto, vel in parte, invincibilis ignorantia; excusat in ferta fragilitas: cum verò sola voluntate dissentiente agitur, nulla excusatio suffragatur. Id. ib. c. 9.

Gratia ejus in me vacua non fuit. 1. Cor. 15. 10. Multos haberet Ecclesia Paulos, si à multis plenitudo gratiæ non projiceretur. Verùm, quò copiosius in nos influit divina liberalitas; eò sterilior est cordis nostri sensicolus ager. Oliva l. 9. Strom. §. gratia ejus &c.

Habeo adversum te: quod charitatem tuam primo reliquisti. Ap. 2. 4. Blasius Viegas: notandum est verbum illud *reliquisti*: nec enim dictum est, *relictus es* à charitate; sed tu charitatem *reliquisti*: quia videlicet nos sumus, qui Deum primi relinquimus. Did. Nyss. Dom. sexag. §. 4.

Ex Patribus, & aliis.

Unicuique propria voluntas est causa suæ damnationis, vel salvationis. S. August. Man. c. 25.

Nihil aliud Deus à nobis requirit, præter voluntatem bonam. Nè dixeris, quomodo mea delebuntur peccata? ego affirmo tibi: quòd volendo, & credendo. S. Cyrill. Jeros. præfat. in Catech.

Multimoda sanè relicta est ratio consequendæ vitæ æternæ, propter illius Passionem: Benignus enim cùm sit Dominus, non unam, neque alteram tantum, sed multas æternæ vitæ januas aperuit; ut omnes, quantùm in ipso est, absque impedimento illa potiri possunt. Id. Catech. 18.

Quæ post hac nobis erit excusatio? si, cùm tot adjuvant salutem nostram, in rebus inutilibus nos occupamus, sola negligentia nostram omittentes salutem? S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Unde alii quidem vasa iræ? alii autem misericordiæ? à propria voluntate. Id. hom. 16. in ep. ad Rom.

Dominus, qui potest, quæcumque vult; nullum alium salvare vult, nisi eum vult salvari ab eo. Eusebius Emis. in Nat. S. Steph.

Quàm pauci post te, ò Domine Jesu, ire volunt, cùm tamen ad te pervenire nemo sit, qui nolit. S. Bern. s. 31. in Cant. Apud Baezam t. 1. l. 4. c. 3. §. 17.

Qui per suam liberam voluntatem, non necessitate, omnia condidit, ita per nostram liberam voluntatem, non necessitatem, bonos gratia, beatos in gloria petit. Suæ igitur potestatis, & voluntatis, est dare: nostræ verò est recipere voluptatis. Sim. Cass. l. 1. c. 24.

TITULUS XXIX.

PRÆLATI.

Num. I.

Figura, Symbola.

Ecce constitui te Deum Pharaonis. Ex. 7. 1. Factus in Deum regi Pharaoni: hæc est potentia sanctitatis. Et tu, si vis peccatoribus tamquam Deus terrori esse, regibus reverentiæ; ut tamquam Deo videantur esse subjecti; contemne, quæ sæculi sunt; & Dominicæ Passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis. Oliva t. 3. conc. 31.

Si oculus tuus fuerit simplex &c. Matth. 6. 22. Extincto oculo, & pedes, & manus, & totum corpus, inutile redditur. Quorsum hæc? nempe quia Magister quoque Ecclesiæ oculus est. S. Isidorus Pelus. l. 2. ep. 112. Alia ratione titulus oculi Prælati competit. In corpore omnia membra, præter oculum, sensim, & cum mora formantur: lingua sub infantiæ initio balbutit, manus longo tempore non pingit, pedes moveri nesciunt, dentes lentè crescunt: oculi soli in teneris annis æquè perspicaces sunt, ac in adulta ætate. Sic Prælatus, non debet decursu temporis melior formari; sed primis diebus, quibus ad illum honorem ascendit, esse idoneus, & sanctus. Oliva tom. 2. conc. 2. in festo Im. Conc.

Num. II.

Prælatus qualis erga suos esse debeat.

Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animalium-quæ erant cum eo in Arca. Gen. 8. 1. Sint Antistites similes Arcæ Noe, pereuntibus in naufragio gratiæ, & violentiæ. Illa, sicut se objecit procellis, ventis, bacchanarum collisionibus, fluctibus, imbribus; ità, quotquot sinu suo recepit, protexit, & incolumes servavit; ex tam immenso diluvio nè una quidem gutta influente in vestes hominum, aut pelles pecorum. Et quæ metebatur monocerotes, & elephantes, eadem defendit cuniculos lana destitutos, & passerculos; Defendite eos; qui ad vos confugiunt; audite, qui implorant; custodite ab inimicorum jaculis: licèt oporteat, ad veritatis defensionem, Aquilonum furorem, persecutiones ferre. Oliva t. 3. conc. 11. in festo S. Andreæ.

An non vides, quanta comedat, & bibat, quotidie? Dan. 14. 5. Ergo ideò maximè colitur Bel, quòd plurimum noceat? minoris fieret, si viliùs esuriret. Nollem in Ecclesia ideo primates magnos nominari, quòd in curruum, villarum, & mensarum, sumptus patrimonium Christi effundant. Id. l. 11. Strom. §. Annon vides &c.

Factus est Ephraim quasi columba seducta. Os. 7. 11. Cur illa tribus fædis erroribus inquinata non comparantur serpentibus, basiliscis? S. Hieron. hic: aves cæteræ pullos suos, etiam cum periculo vitæ suæ, protegere solent: Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit. Et ideo huic rectè comparatur Ephraim; quòd vastatum per partes populum non sentiat; sed negligens sit salutis. Id. l. 2. conc. 2. de Pass. Dom.

Exulta satis filia Sion &c. Zach. 9. 9. Exultat meritò Sion in regis adventu. Cur? quia rex ejus *illi* venit, non *sibi*, hoc est, non ut se ditet, sed ut illam soletur, eam convenit. Justus quidem; sed Salvator, non expilator. Et unde sciam, quòd mihi, non sibi, adveniat? quia equitare novit super asinam. Ubi luxui, & pompæ, non studetur, ibi Prælatorum & Profectorum, pacificus est ingressus: ibi justitia ad salutem est, non ad excidium. Oliva l. 10. Strom. §. Exultata &c.

Ingrediuntur aliqui in navigium Petri, ut piscentur, non anima, sed margaritas. Oliva l. 2. in festo S. Andreæ.

TITULUS XXX.

PRÆSENTIA DEI.

§. I.

Probatur.

Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Psalm. 13. 8. 7.

Pater! peccavi in cœlum, & coram te. Luc. 15. 18. Quòmodò coram patre, si in regione longinqua? Sanct. Chrysol. serm. 2. peregrè profectus est iste, & in regionem longinquam fugit; sed accusatores suos, sed testes suos, divini Patris oculos, non effugit. In regionem longinquam peregrinatus est filius adolescens: tanquam si crederet, oculos posse devitari pater nos, & agere enormiter non argutus. Sim. Cass. l. 6. c. 16.

Quid hoc audio de te? Luc. 16. 2. Nemo malè agens dicat, quis me videt? rarò inter homines actio mala tegitur, quia in publicum veniat; apud Deum autem nunquam. Id. ib. c. 13.

Sic gressus meos, semitasque meas, consideras; & diu, noctuque, super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans speculator perpetuus: velut si totius creaturæ tuæ, cœli, & terræ, oblitus, tantùm me solum considereres, & nihil sit tibi curæ de aliis. S. August. Soliloq. c. 14.

Multùm laboravi, quærens te extra te; & tu habitas in me: si tamen ego desiderem te. Id. ib. c. 31.

Cùm aberraverint quidam ab uno Deo, diversimodè multi sentiebant. Ac alii quidem solem ponebant; ut, occidente sole, noctis tempore sine Deo essent. Alii verò lunam, ut in die Deum non haberent. S. Cyrill. Jeros. Catech. 4.

Lothardi, Lothardo Vvalthero duce, docere ausi sunt: ea scelera, quæ sub terra fiunt, fugere divinos oculos, aut certè ultionem; hinc exercebant impudicitias suas sub terra. Puella flammis addicta, Gisla nomine, cùm inter ipsos ignes ex ea quæreretur, virgone esset? respondit, super terram virgo sum, non sub terra. Stengelius div. Judic. in Procœmio.

Nihil Deo clausum est: interest animis nostris; & cogitationibus mediis intervenit. Seneca ep. 84.

Non sunt ad cœlum elevandæ manus; nec exorandus æditus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat; Prope est à te Deus, tecum est, intus est. Ità dico Lucilli: Sacer intrà nos spiritus sedet, malorum, bonorumque nostrorum, observator, & custos. Bonus vir sine Deo nemo est; in unoquoque nostrorum (quis Deus? incertum est) habitat Deus. Id. ep. 41.

Sic certè vivendum, tanquam in conspectu vivamus: sic cogitandum, tanquàm aliquis in pectus intimum inspicere possit & potest. Quid enim prodest, ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est. Id. ep. 10.

§. II.

Præsentia Dei necessaria, utilis, jucunda.

Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te, Gen. 30. 27. *Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph.* Gen. 39. 5. *Benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.* 2. Reg. 6. 11. Si Josephi, Jacobi, & arcæ fœderis, præsentia Benedictionem divinam, sub qua omnium bonorum affluentia signatur, etiam in domos Ethnicorum intulit: quem bonorum cumulum divina præsentia in populum Fidelem non inducet? Mendoza in 1. Reg. 3. 21. Annot. 7. sect. 2.

Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est. Deut. 20. 1.

Aperite portas: quoniam nobiscum est Deus. Judith. 13. 13. Non illa sic de Holoferne triumphare potuisset, & totum exercitum ejus convertere in stuporem; nisi Deus cum illa fuisset. Sed nec Ecclesia, & singularis anima, de adversariis posset habere victoriam; nisi quia nobiscum est Christus. Sim. Cass. l. 14. Matth. 28. 20.

Revertere! Similis esto &c. Cant. 2. 17. & mox c. 3. 1. incipit: *in lectulo meo per noctes quæsivi.* Quis eam à montibus ad lectulum retraxit? Gilbert. ser. 1. in Cant. de montibus illis ad convallem lacrymarum, ad lectum doloris, relapsa. Quid ni sic si recidat ipsa, ut sic recedit dilectus suus? Ideo recedente illo ipso, illa recedit ad lectulum doloris, & infirmitatis. Baeza t. 2. l. 11. c. 6. §. 1.

In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea. Cant. 3. 1. Gilbert. s. 1. nocles ejus frequenter interpellantur absentia sponsi. Cùm adest, lux est; cùm abest, nox est. Ideò multæ sunt noctes sponsæ, quia multi sunt elapsus sponsi. Beata planè! quæ adhæret sponso tota die.

Pulchra es amica mea-sicut Jerusalem. Cant. 6. 3. In ea reges Juda morabantur. 1. Reg. 3. 5. Quia urbis regiæ pulchritudo ex præsentia regis derivatur; ità spirituale Ecclesiæ decus ex præsentia Dei illi benevolè faventis. Pone in oppidulo aulam regiam, mox in emporium excrescet: tolle eandem ab emporio, mox deficiet in oppidum. Mendoza antè citatus.

Primus. Matth. 8. 25. Quòd dicunt *primus*, non est fidei: illo enim simul navigante non erat formidandum. Theophylactus hìc.

Compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam. Matth. 14. 22. Ut significaret, quàm indivulsi essent discipuli à Domino, dixit, *compulit*: semper enim ei adesse volebant. Id. hìc.

Domine, si tu es, &c. ib. Ferventissima Petri erga Christum charitas erat: desiderabat enim statim propè illum esse; & præ aliis. Id. hìc.

Modica fidei, quare dubitasti? Matth. 14. 31. Benè arguuntur, qui presente Christo timebant: cùm utique, qui ei adhæret, perire non possit. S. Ambros. in Luc. 8.

Ecce ego vobiscum sum. Matth. 28. 20. Sine causa dubium, sine ratione timor, in nobis est; si ipse nobiscum, & cum singulis nostrum. Quid trepidamus in utroque certamine, si nobiscum est, qui triumphavit de morte. Quare cor nostrum phantasias patitur, & pavet, ubi deficit pavor; si pollicitationem illam firmam tenemus, quòd semper sit noscum; & volumus sub ipsius militare vexillis. Sim. Cass. l. 14. hìc.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. Quì cum Christo est; timere non poterit. Adam cum Christo non fuit, quando deceptus est: nam, si cum Christo fuisset; in ejus præceptione mansisset; nec perire utique potuisset. Vis scire, quare cum Christo Adam non erat? dixit ei Dominus: *Adam ubi es?* quem utique quasi absentem requirit. S. Ambros. in Ps. 39.

Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dexteris Dei. Act. 7. 55. Eusebius Emiss. hom. de S. Steph. incunctanter offert sanguinem suum, qui præ oculis habet Regem suum, simul & bravium suum. Vidit stantem: quia stare, inquit Lyran. proprium est adjuvantis in prœlio.

Solus non est, cui Christus in fuga comes est: solus non est, qui templum Dei servans, ubicunque fuerit, sine Deo non est. S. Cyprian ep. 56.

Aquila in solem intenta. Lem. *Sic vivam.* Oseæ 6. 3. *vivemus in conspectu ejus.* Picinelli. Aquila. Lem. *Alit aspectus.* Levit. 26. 9. *respiciam vos, & crescere faciam.* Id.

§. III.

Præsentiæ Dei memoria.

Ambulavit Henoch cum Deo. Gen. 5. 22. q. d. ità sanctè vixit, quasi Deum semper præ oculis haberet. Sept. vertunt: *placuit Deo.* Cornelius hìc.

Noe cum Deo ambulavit. Gen. 6. 9. Non potuit errare: bonum directorem habuit. S. Thom. Aqu. hìc.

Non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Ps. 53. 5. Ille proponit Deum ante conspectum suum, qui credit, eum ubique esse præsentem; & facilè agnoscere, quæ voluntas nititur humana complere. Cassiodorus hìc.

Magnus in medio tui Sanctus Israel. Is. 12. 6. *Onus Babylonis.* Is. 13. 1. Cùm dixisset propheta, adesse Deum in medio Israelis, statim Babylonis excidium prædixit. Ut scias, nihil ità hostes nostros profligare, quàm Dei in mente præsentiam. Oliva l. 4. Strom. Magnus &c.

Servus Dei nunquam debet, nec aliud, nec aliter, cogitare, loqui, & operari; quasi si Deum suum facie ad faciem semper videret. S. Bonav. Stim. am. c. 12.

Sæpè hæc verba apud se repetat. Dominus adest. Dominus me videt. Blosius Instit. spir. c. 3.

PRÆSUMPTIO.

Vide tit. Misericordia Dei §. 16.

TITULUS XXXI.

PRINCIPES.

§. I.

Vocantur Pastores.

Dormitaverunt Pastores. Nahum 3. 18. (principes, & duces) *tui rex Assur.* S. Hieron. semper diaboli studium est, vigilantes animas consopire.

Ego sum pastor bonus. Joan. 10. 11. Pastor *bonus.* Non dixit, honoratur, & colitur; sed *animam suam dat pro ovibus suis.* Hoc est principatus, hoc est pascendi scientia, sua negligere; & eorum, quos regit, curam gerere. Quod est enim medicus, hoc est princeps; vel potiùs plus, quàm Medicus: Medicus enim arte salutem comparat; princeps autem propriis periculis. S. Chrysost. in Ps. 113.

Pasce agnos meos. Joan. 21. 15. Pascere in Scriptura significat

eat regere; & principes vocantur Pastores. *Dominus regit me.* Ps. 22. 1. Hebr. *Dominus est Pastor meus.* Cornelius hìc.

§. II.

Principes sunt Patres.

Filii Hemor &c. Gen. 33. 19. Nota: Hemor erat princeps Sichimorum: unde Sichimitæ vocantur ejus filii, idest, subditi: veri enim principes suorum sunt Patres. Sic servi Naaman dominum suum vocant Patrem. 4. Reg. 5. 13. Cornel. hìc.

Super Patres vestros. 1. Reg. 12. 15. idest, principes vestros: princeps enim Pater patriæ, teste Aristotele l. 8. Eth. cap. 11. Cornelius hìc.

§. III.

Principum propria clementia.

Audi nos Domine: Princeps Dei es apud nos. Gen. 23. 6. Dicunt filii Heth ad Abraham. Quid Abrahæ tam gloriosum titulum apud barbaros peperit? Gen. 21. 33. *Abraham plantavit nemus in Bersabee &c.* Lipomannus: Abraham hortum plenum optimis fructibus plantavit, & peregrinos suscepit hospitio; quibus gratis necessaria omnia suppeditabat. Arcones in Is. 3. 6. Disc. 9.

Factus est principatus super humerum ejus. Is. 9. 6. Principatus, vel sceptrum, gestatur humero: ut significetur; principem debere esse quasi humerum populi; ut eum, ejusque onera, instar humeri ferat: sicut Atlas dicitur, humeris suis cœlum sustentare. Hinc princeps Hebr. dicitur *Nasi*, id est, *portitor*, & *bajulus* sui populi, ac Reip. Hinc Elisæus Eliæ acclamabat: *Pater mi! currus Israel &c.* 4. Reg. 2. 12. Cornelius hìc. Clementissimus princeps regnum suum super humerum gestat; piissimus pastor lassam ovem humeris suis ad ovile reducit. S. Th. Vill. s. de S. Stephano.

Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Luc. 22. 25. Alludit Dominus ad nomen Principis, quod Hebraicè dicitur *Nadhib* à radice *Nadhab*; quod *liberaliter*, & *sponte dare*, significat. Doultreman de am. l. 3. c. 2. sect. 3.

Solis profectò partes sunt, illustrare radiis orbem: Principis verò virtus est, egenorum misereri. Porrò sole ipso clarior est Imperator pius. Agapetus Diaconus ad Imp. Justinianum de officio principis.

Duo in optimo principe requiruntur: ut scilicet adversùs seipsum nulla utatur venia, sed severum se judicem exhibeat: erga subjectos autem mitior, & ad dandam pronior veniam sit. S. Chrysost. hom. 73. in Matth. 23.

§. IV.

Miscellanea.

Deus deorum locutus est. Ps. 49. 1. Quosnam significat per hoc nomen? & quosnam hìc dicit deos? Principes. S. Chrysost. hìc.

Abjetes quoque lætatæ sunt super te, & cedri Libani. Is. 14. 8. Per abjetes, & cedros Libani, Principes gentium intellige. S. Hier. hìc.

Cùm principes monetæ falsarios graviter puniant; quid faciet Princeps summus de illis principibus, qui seipsos falsificant. S. Th. Aqu. opusc. 38. de erud. princ. c. 7.

Ad hoc sunt instituendi Principes; ut illi, qui amore virtutis non provocantur ad vitandum malum, & faciendum bonum; cogantur ad hoc timore pœnæ. Id. in ep. ad Rom. c. 13. Lect. 1.

TITULUS XXXII.

PROFECTUS IN BONO.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri.

Crescite. Gen. 1. 28. in gratia; *multiplicamini* in bono. Hugo Card. hìc. Crescite, videlicet virtutum dignitate; & multiplicamini numerosa quantitate. Crescite, subauditur, usque ad cœli regnum, certumque numerum; qui utique solius ejus scientiam non latet, cui capilli quoque capitis nostri omnes numerati sunt. Rupertus in Gen. lib. 2. cap. 9.

Porrexitque Abraham vadens, & ultra progrediens ad meridiem. Gen. 12. 9. Meridies significat perfectionem. Bene ergo progredi dicitur ad meridiem, qui ab hac aurora fidei suæ ultra vadens, & progrediens de virtute in virtutem, sine dubio ad plenum, & æternum pervenit perfectionis diem. Id. ib. l. 5. c. 6.

Ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. Gen. 26. 13. De Isaac testimonium statura prodit; quòd proficiens crescebat, donec magnus effectus est. Crescebat virtutum studiis, & officiis. Crescebat justitia, & pietate. S. Gregor. Nyss. or. 2. in homini procreationem.

Vidit in somnis scalam. Gen. 28. 12. Ego pietatis exercitationem scalæ Jacob visæ rectè comparaverim: cujus pars terram, pars verò cœlum attingebat. Ex quo eos admonere opus, qui ad virtutem ducendi sunt; ut primis admoveant gradibus vestigium; & inde paulatim ascendendo, progrediendoque, ad comprehensibilem humanæ naturæ altitudinem perveniant. Quemadmodum autem in gradibus prima est ascensio, ab humo recessus; sic in exercitatione laudabilis operis discessus à malo. S. Basilius in Ps. 1. Beatitudo consummata comparatur Luc. 22. 30. Thronis, & sedibus, quæ sunt ad quietem deputata: quia est ultimus terminus, & quies beatorum: cessavit enim jam via, peregrinatio, ascensus. At beatitudo hujus vitæ assimilatur scalæ, ad ascendendum, vel descendendum. De Ponte in Cant. 1. 1. Exh. 17. §. 3.

Rachel concepit, & peperit filium; dicens: abstulit Deus opprobrium meum. Et vocavit nomen ejus Joseph, dicens: addat mihi Dominus filium alterum. Gen. 30. 23. 24. Cùm sibi de fœcunditate blandiri debebat, ambitiosior appetit fœcunditatem. Ipso Josephi possessio novum ingessit studium; & ipsa, quo finiendum putabatur, fœcunditatis amplius auctum est desiderium. Naxera tr. de B. V. §. 25.

Egressique de Cades castrametati sunt in monte Hor. Num. 33. 37. De Cades castrametati sunt in montem Hor, qui interpretatur *mons*: quasi legeretur, ascendit in montem montis, vel in verticem montis. Per quod significatur, quòd de virtutibus non debemus esse securi; sed semper in excelsiori gradu ad virtutum culmina festinemus. V. Beda hìc.

Et ascendebat. 1. Reg. 1. 3. Tota vita justorum est ascensus; è converso tota vita impiorum descensus est. Hugo Card. hìc.

Ascendit autem Jonathas, manibus & pedibus, reptans. 1. Reg. 14. 13. Jonathas viam arduam ingressus, & in ea nunquam regressus, sed semper progressus; exemplum præbet iis, qui virtutis viam aggrediuntur, ut semper progrediantur. Mendoza hìc. Annot. 20. Sect. 1.

Da mihi paululum aquæ &c. 3. Reg. 17. 10. Elias Christus; mulier quælibet Fidelis anima. Primò Dominus petit aquam; per quam minora opera significantur; deinde panem, qui difficilè masticatur; id est, majora opera. Primò vocat Dominus ad impletionem præceptorum; deinde invitat ad supererogationem consiliorum. Hugo Card. hìc.

Ascensiones in corde. Ps. 83. 6. Prima incipientium, secundæ progredientium, tertia perfectorum. Prima est, in Mundo bene vivere; secunda est, Mundum contemnere; tertia, supra Mundum in Deo per contemplationem quiescere. Hæc est via tridua, de qua Ex. 5. 3. Hoc est triplex Pascha: primum in Ægypto Ex. 12. secundum in deserto. Num. 9. tertium trans Jordanem in Galgalis. Jos. 5. Hoc est triplex osculum sponsæ: primum ad pedes, secundum ad manus, tertium ad os. Juxta hunc triplicem ascensum Salomon triplicem librum composuit: Proverbia, Ecclesiastem, Cantica: in primo docet bene uti Mundo, in secundo contemnere Mundum, in tertio sponsi amplexibus, & osculis anhelare. Hugo Card. in Prologo ad Ecclesiastem.

Sicut cedrus Libanis multiplicabitur. Psal. 91. 13. De hac arbore Apponius l. 3. in Cant. semper crescere fertur, nec aliquando finitur ire in senectam. S. Leo s. 8. de Pass. D. quantumlibet quisque justificatus sit, habet tamen, dum in hac vita est, quò probatior esse possit, & melior.

Viam mandatorum tuorum cucurri. Ps. 118. 32. S. Ambros. hìc: ut bonus equus. Dion. Cassius Utic. l. 6. agric. c. 2. boni equi hæc nota est, quando stans impatienter tolerat quietem? & terram pedibus pulsans, cursum meditatur. Clem. Alex. apol. mor. l. 1. c. 1. nihil organorum nostrorum natura post, sed antè, tantùm composuit (verum est in oculis, olfactu, gustu, auditu, manibus, pedibus) Cyrillus: ut in virtutis actibus non retrocedentes, immò semper procedentes, crescamus. Did. Nyss. Vita Abr. l. 6. c. 1.

Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit, usque in perfectam diem. Prov. 4. 18.

Surge, propera, veni. Cant. 2. 10. Cuncta quæ intus loquitur, ad hæc tria tendunt: ut sit felix initium, fervor in progressu, & perseverantia usque in finem; ad quam sequitur adoptio gloriæ. Exhortatur enim: ut anima surgat à malo in bonum, à bono in melius, à meliori ad optimum. Et in hoc discernitur divina locutio à diabolica. Vox enim inimici est: ut, qui stat; cadat à majori bono in minimum, à minori in malum, à malo in pejus; properans in deteriora usque ad obstinatam, & pessimam consummationem. Unde vox diaboli est: *mitte te deorsum.* Matth. 4. 6. De Ponte hìc Exh. 13. §. 3.

Sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro: omnes gemellis fœtibus; & sterilis non est inter eas. Cant. 4. 2. Justi in lavacro baptismi sunt sicut oves tonsæ: quia terrena veteri hominis indumenta exuunt, & cœlestis Adam candorum induunt. Inde verò ascendunt; quia semper ascensiones in corde suo

suo disponunt; semperque gaudent gemellis fœtibus: quia continuò binis gaudent operibus; vel amoris Dei, & proximi; vel justitiæ, & misericordiæ. De Ponte hìc Exh. 10. §. 4.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens. Cant. 6. 9. Non solùm exorta dicitur, sed progrediens ultrà. *Pulchra ut luna, electa ut sol.* Tam citò aurora ituerat; jam luna radiat, jam sol effulget. Nimirum timuit periculum, si *manè* illi suo adhæreret, ascendit sedula, meridiem sollicitat. Ramirez in ep. 4. Apoc. 2. v. 28.

Quàm pulchri sunt gressus tui. Cant. 7. 1.

Statura tua assimilata est palmæ. Cant. 7. 7. Joan. de S. Gemin. palma, quò annosior, tantò fructuosior: arbores aliæ cum ætate proficiunt, sterilescunt.

Videamus si floruit vinea, si flores frullus parturiunt. Cant. 7. 12. O quot flores parturiunt nihil! floruit? non est satis: debent flores ad majora niti. Oliva l. 4. Strom. §. Quæ est ista.

Quæ est ista, quæ ascendit? Cant. 8. 5. Ea demum Christi sponsa est, quæ semper ascendit. Nisi seipsa quotidie major sit, sponsa non est. Id. ib.

Simon Onie filius quasi stella matutina & quasi luna plena, & quasi sol refulgens. Eccl. 50. 1. 6. Tria astra; aliud alio perfectius, & clarius commemorantur. Ut significetur: bonum illum principem defecisse numquam; sed à claritate in claritatem in dies profecisse. Mendoza in 1. Reg. 14. Annot. 20. sect. 1.

Gradus autem ejus versi ad orientem. Ezech. 43. 17. Nihil ferè erat in Augustissimo illo templo Ezechieli objecto, quod certo pondere, numero, & mensura, non clauderetur, nihilominus gradus, quibus propitiatorium ascendebatur, nullo certo numero continebantur. S. Hier. hìc: propterea graduum numerus incertus relinquitur: ut, quantocumque studio ad altiora scandere poterimus, in inferioribus nos putemus collocatos, & cogitemus illud psalmistæ: *ibunt de virtute in virtutem.* Mendoz. ib.

Ex Novo.

Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua &c. Matth. 3. 16. Baptizatus à Joanne Jesus in Jordane, ascendit de aqua Jordanis, ad majora se tollens: ut virtus sequatur ad virtutem, & bonis meliora nectantur. Et morum disciplina præstruitur in omnibus actionibus, & sermonibus ejus: ut sequamur vestigia ipsius. Sim. Cass. l. 1. c. 19.

Nisi efficiamini sicut parvuli. Matth. 18. 3. Quid in parvulis reperitur, sine quo regnum cœlorum non attingitur? Hoc habent naturalissimum, quòd omni tempore, sive dormiant, sive vigilent, semper tacitis augmentis corporis accrescunt, & proficiunt. Tertull. l. 4. in Marcion: ecce Christus diligit parvulos, tales esse velint. Baezat. 1. l. 5. c. 1. §. 18.

Amen dico vobis: ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium &c. Matth. 26. 13. Cur huic unctioni in Bethania promittitur prædicatio in toto Mundo: non reciprocè. Luc. 7. 38. Orig. hom. 35. si volumus, ut & de nobis dicatur, quod facimus in Jesu, effundentes pretiosum unguentum in caput ipsius; proficiamus ab unctione pedum ejus, ad effundendum pretiosum unguentum super caput ejus. Meritò non in prima Magdalenæ conversione, & virtutum incunabilis, id promittitur; sed quando perfectior sublimioribus virtutibus verticem Domini ungit. Sylv. hìc q. 14.

Incedentes &c. Luc. 1. 6. Rectè, postquam dixit *justi*, dicit *incedentes*: in quo profectus est operis. Sic Psalmista: *beati immaculati in via, qui ambulant &c.* Hugo Card. hìc.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49. Nullum ex elementis Christus venit mittere, nisi ignem. S. Ambr. l. 7. in Luc. Dominus ideo promittit se venturum in igne; ut vitia consumat, & homines ad cœlestia perpetuò erigat. q. d. ignis semper sursum tendit, nec unquam quiescit; sed innata quadam vi ad superiora se erigit. Hanc igitur naturam omnibus hominibus Christus venit in terram indere. Pinna Ethol. 78.

Ambulate, dum lucem habetis. Joan. 12. 35. Ambulare, proficere est. Ambulabat Apostolus, qui dicebat: non *arbitror me comprehendisse.* Non ambulantem, sed sedentem, à mortis tenebris comprehendi periculum est. Et qui sedens? nisi qui non curat proficere. S. Bern. s. 49. Cant.

Qui lotus est, & non indiget &c. Joan. 13. 10. Lavat pedes, postquam mundi erant: quoniam gratia Dei transcendit necessitatem, & sicut dicit Joannes, mundus mundificetur adhuc. Orig. hom. 22. in Joan.

Pueri, numquid pulmentarium habetis? Joan. 21. 5. In hac lectione pueros alloquitur, ut festinent crescere. Quid est enim crescere? proficere. Infans avidè inhiat uberibus matris, & citò crescit. S. Aug. tr. 3. in ep. Joan.

Ascende huc. Apoc. 4. 1. Qui jubetur ascendere, cùm Spiritu jam fuerit in cœlo: c. 1. 10. Erat in via, in quæ non sistendum. Sylv. hìc.

Sicut in pecuniis, qui duos lucratus est aureos, proclivis est ad decem, & duodecim, colligendos; sic usuvenit in virtute: qui fecerit bonum opus, officiumque præsiterit; extimulationem sumit, ut quoquo modo benefacere cumulet. S. Chrysost. or. 4. contra Judæos.

§. II.

Motiva proficiendi.

Primò.

Sic faciebat Job cunctis diebus. Job 1. 5. Olympiodorus: neque interdum actiones virtutis suscipiebat, aliquando verò prætermittebat; sed justi vita adeò semper apta erat: virtutum enim, bonarumque rerum, cessatio reditus est ad improbitatem.

Semper tibi displiceat, quod es; si vis pervenire ad id, quod nondum es: nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, & periisti. Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via remanere. S. Aug. s. 15. de verb. Ap.

Hæc est perfectorum vera justitia, ut numquam præsumant, se esse perfectos: nè, ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. Quia ergo nemo nostrum, dilectissimi, tam perfectus, & sanctus est, ut perfectior, sanctiorque, esse non possit; omnes simul sine differentia graduum, sine discretione meritorum, ab iis, in quæ pervenimus, in ea, quæ nondum apprehendimus, pia aviditate curramus. S. Leo s. 2. de Quad.

Qui non proficit, deficit, & qui nihil acquirit, nonnihil perdit. Id. s. 8. de Pass. Dom.

Cave, numquam in via virtutis subsistas, tibi enim, qui à vitiosa vita excessisti, perinde esse puto consistere, acsi in imum vitii gurgitem labereris. S. Greg. Naz. in sent.

Nullus gradum bonæ vitæ, quem jam conscendit, custodire sufficit, qui semper ad altiorem proficere non appetit. Semper igitur necesse est, ut nitatur ad profectum, qui semper vult vitare defectum. S. Ansel. l. 2. ep. 37.

Dum quisquam ad altiora non currit, ad inferiora descendit. S. Pasch. l. 5. in Thren. c. 5.

In via vitæ non progredi, regredi est. S. Bern. s. 2. in Purif. B. V.

Nulli in eodem statu diu esse conceditur servo Dei, aut semper proficiendum, aut deficiendum est; aut sursum nititur, aut inferiora urgetur. Id. ep. ad FF. de vita solit.

Vidit Jacob in scala Angelos descendentes, & ascendentes. Numquid stantem quempiam, sive sedentem; aut ascendas, necesse est, aut descendas. Si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. Id. ep. 91.

Qui non studet ad proficiendum, est in periculo deficiendi: videmus enim, quòd, nisi remiges conantur ascendere, navis semper descendit. S. Thom. Aqu. in 2. Cor. 13. Lect. 3.

Secundò.

Exempla.

Ego verò egenus, & pauper sum. Psalm. 69. 6. Videamus, cùm sit cœlesti thesauro ditissima, ubique se egenam, & pauperem dicit gloriosa paupertas: utique quia mundanas copias non habet: & intus, ubi est dives, semper ambit, semper desiderat, semper accipit; sicut dicit Apostolus Philipp. 3. 13. *fratres, ego me non arbitror apprehendisse.* Vides, meritò tales dici egenos, qui continuò gratiam divinitatis acquirere exoptant. Cassiod. hìc.

Dixi, nunc cœpi. Ps. 76. 11. dixit David; postquàm plurimos annos sanctis exercitationibus consumpserat. Nos vix duos dies jejunamus, vix duas horas oramus, vix duos obolos &c. jamque in apice perfectionis nos putamus. Diez conc. 2. in Nat. B. V.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Psal. 118. 66. Cur adhuc petit doceri, quod jam se superiùs accepisse, confessus est? scilicet, quoniam bonarum rerum nulla satietas est: quæ, more flagrantis incendii, quantò ampliùs per arida ligna cucurrerit tantò copiosiùs æstuabit. Nam & Apostoli fidei calore ferventes dicebant. Luc. 17. 5. *adauge nobis fidem.* Cassiod. hìc.

Fuge Dilecte mi &c. Cant. 8. 14. Fuge nobis cautus, ac providus; nè unquam, dum vivimus, nos comprehendisse arbitremur; sequentes, ut comprehendamus. S. Rupertus l. 7. in Cant. hìc.

Nemo esse bonus plus, quàm oportet, potest. Bonus erat jam Paulus: & tamen, nequaquam contentus, libenter se ad ea, quæ ante se sunt, extendebat, posteriora obliviscens, & seipso semper melior effici studens. S. Bern. ep. 91.

Ter-

Tertiò.

Proficere semper potes.

Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. Psal. 106. 32. Seniorum cathedræ non usitatæ in universitatibus: nam, cùm quispiam inter docendum consenuit, rure donatur, & quiescere jubetur. Sed longè alia statuta Scholæ Dei; in qua non dantur emeriti, nec feriatorum Lycæum. Nullum decet dicere, satis Deo servivi, volo esse emeritis; *bonum est nos hìc esse*. Nequaquam, inquit David, sed *in cathedra seniorum laudent eum*. Did. Nyss. D. 2. Quad. §. 8.

Fasciculus myrrhæ. Cant. 1. 12. Cur non vocatur *fascis*, sed *fasciculus*? quia, quantumvis conemur in hac vita Deum, & Christum, eorumque perfectiones, & opera colligere; quidquid colligitur, fasciculus parvulus est comparatione ejus, quod restat colligendum. De Ponte hìc lib. 4. Exh. 3. §. Fasciculus &c.

Bonum est nos hìc esse. Matth. 17. 4. Nè dixeris cum Petro; nam oportet semper proficere. & non permanere in vnu gradu virtutis, & contemplationis; sed ad alia transire. Theophilactus hìc.

In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei Discipuli. Joan. 15. 8. Quomodo Discipuli efficiendi, si jam sunt? Cajet. notat: quòd de existentibus jam Discipulis suis ait, *efficiamini mei Discipuli*: ut intelligamus, perseverantiam manendi in JESU consistere in continuo effici ejus Discipulum; hoc est, continuo profectu sub disciplina ejus. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 6. c. 1.

Transformamur à claritate in claritatem. 2. Cor. 3. 18. Tenuiter micans stella assuefacit ad lucem; & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis, & dierum. S. Chrysol. s. 87. à manè sereno gradere ad meridiem, à stella ad solem, à charitate in charitatem. Baeza t. 2. l. 7. c. 1. §. 11.

Et opera tua novissima plura prioribus. Apoc. 2. 19. Lyran. plura prioribus, procedendo scilicet de bono in melius. Rupertus hìc: opera illius novissima plura vel meliora, sunt prioribus: quia, cùm timore opus bonum inchoaverit, pervenit ad charitatem; quæ perfecta foras mittit timorem.

Nemo tam sanctus, ut non sanctior; nemo tam devotus, non debeat esse devotior. S. Leo s. 11. de Quadr.

Quisquis in Schola Christi non proficit, ejus indignus est Magisterio. S. Bernardus ep. 341.

§. III.

Proficiendi alia motiva varia.

Ex Veteri.

Germinet terra herbam virentem. Gen. 1. 11. ait Deus in Mundi fabrica. Postea ait v. 20. *producant aquæ reptile*. Tandem, productis brutis, ait v. 26. *faciamus hominem*. Vide ò homo, quomodo ab exordio rerum te divina Sapientia doceat; ut in tuis operibus semper ad altiora procedas. Sylveira in Luc. 7.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Prov. 8. 22. quia ità currit, ità terminum viarum attingit; ut semper sit principium viarum. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 4. sect. 2. Obs. 2.

Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis, perfectionis, *advenit*. Cant. 2. 12. q. d. mox ut flores apparent, & initia viræ florescunt; jam fere adest tempus secandi per mortem: ideo *surge, propera, & veni*, ad studiosè operandum. De Ponte hìc Exh. 21. §. 2.

Cum consummaverit homo, tunc incipiet; & cùm quieverit, aperiabitur. Eccl. 18. 6. Quomodo incipiet cùm consummaverit? quia cùm verticem virtutis attigisse videbitur, quasi vacuum se reperiret, debet principium arripere ad vias difficiliores. S. Gregor. nescit mens per torporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 4. sect. 2. Obs. 1.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Beati, qui esuriunt &c. Matth. 5. 6. Nemo ità saturari bonis agendis se credat, ut non semper apponat: nam si cessaret esuries, aut fastidio fieret, aut quia crederet se attigisse, quod perfectum in virtutibus est. Et utrobique periculum: quia negligens negligetur; &, qui se putat alta ascendisse, dejicietur. Proinde nemo ad hanc esuriem adjiciat satietatem; nemo ad hanc sitim apponat extinctionem. Sed quid est esurire, atque sitire justitiam? nisi se insatiatum, & insatiabilem reddere ad omne, quod paratur ad regnum; ad corrigendum omne perperam factum, ad vindicandum in seipso delictum, & puniendum amare peccatum: ad rependendum pro gratia, ad debita persolvenda, ad custodiendum immaculatè deposita, & ad perficiendum sine contradictione injuncta, & ad patienter portandum quæcumque nostræ sensualitati contraria. Sim. Cass. l. 10. c. 7. *Jam saturati estis, jam divites facti estis.* S. Chrysost. hìc; & rectè illud jam ex tempore ostendens, esse improbabile, quod dicitur, & esse à ratione alienam eorum opinionem. Si puerum à domo, quantùm jactus est lapidis abducas; vel mox fatigatur, vel Mundi se finem putat attigisse. Qui una eleemosyna, uno jejunio putat in supremum liberalitatis, vel pœnitentiæ, cacumen se pervenisse; nè ille puerili est animo. Did. Nyss. vit. Abr. l. 6. c. 1.

Date mihi de oleo vestro. Matth. 25. 8. Non extinctas dixerunt, sed *extinguuntur*; quasi aliquid lucis haberent adhuc. Cur ergo non præsumunt properanti jam Christo obviam ire? cur non sperant breviculo illo spatio lucem duraturam? Salvianus l. 2. ad Eccles. ex quo intelligimus, id, quod parum est, quasi nihili esse: nequaquam omnino prodest, illico extinguendum lumen accendi; nec juvat, aliquid elucescere, quod in ipso ortu habet occasum, & ad hoc habere tantumodo initium viventis, ut possit finem habere morientis. Ramirez in Apoc. 2. 28. ep. 4.

Nemo mittens manum suam ad aratrum &c. Luc. 9. 62. Quæ à tergo sunt, jam confecta; quæ verò ante faciem, restant facienda. Quisque consideret, non quid fecerit, sed quantum ei superest, quanta agrorum spatia aranda ei incumbat. Ezech. 1. 12. *Ubi erant impetus Spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cùm ambularent.* Sylv. hìc c. 9.

Principium, qui & loquor vobis. Joan. 8. 25. Edocet justos; numquam sistere in perfectionis via; sed in vertice collocatos novas perfectionis via inchoare. Escob. t. 5. Proph. Chr. lib. 4. sect. 2. obs. 2.

Tamquam à Deo, & rege nostro, vocati curramus alacriter; nè si fortè pauco tempore vixerimus, in die mortis infructuosi inveniamur, & fame pereamus. Joan. Climac. gr. 1. de inanis vitæ fuga.

§. IV.

Profectus praxes, & adjumenta.

SI de virtute in virtutem, & de profectu ad profectum, vultis ascendere; semper timete in singulis minimis Deum offendere. S. Ansel. ep. 6. Monachis in Cistere. Cœnob.

Comparanda est dies instans diei præteritæ, ut ex eorum collatione suum deprehendere possit Monachus vel profectum, vel defectum. S. Bern. in spec. Monachor.

Impossibile est, pervenire ad perfectionem cujuscumque gratiæ, vel virtutis, aut cujuscumque devotionis, vel gustus dulcedinis Dei; nisi multa æstimatio altitudinis ejus præcedat. Rex enim neglecta, & parvipensa, non multùm curatur haberi. Quid enim est negligentia, nisi quædam neglectæ rei parvipensio, & contemptus? Sanct. Bernardinus serm. 56.

Hodie aliquid inchoare, & cras modicum addere, & sic diebus singulis virtutem virtuti proposito jungere; perficit hominem virtuosum, devotum, purum, sanctum DEO, & hominibus charum. Gerson ep. incitatoria ad spiritual. prof. Id. habet Thom. Kemp. Cohort. ad spir. prof.

Miscellanea.

Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem. 2. Reg. 19. ait Berzellai v. 34. ad Regem: *quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem? obsecro, ut revertar servus tuus, & moriar in civitate mea.* Ità dicunt multi, quando verus David vocat eos ad ascensum melioris vitæ: sufficit nobis status noster; bene sumus, bene possumus sic mori. Hugo Card. in Luc. 5.

Mos mihi est, ad meipsum singula quæque referre: præcipuè si quies mihi sit, si vacet animi moribus adaptare, quod videtur in oculis. Unde & oculorum visio est mihi mentis eruditio. S. Greg. Naz. in Apolog. de seipso.

Promissa. Vide tit. Fidelitas.

TITULUS XXXIII.

PROPOSITA BONA.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Conceptio.

Peperit filium. Luc. 1. 57. Non concepisse quid proderit, si partus defecerit: nec enim boni agendi sufficit desiderium, nisi, cùm possit, succedat effectus. Sim. Cass. l. 3. hìc.

Non omnes sunt, sicut MARIA; ut dum de Spiritu Sanct. concipiunt, Verbum pariant. Sunt autem, qui abortivum excludant verbum, antequam pariant. S. Ambrosius, apud Naxeram in Jos. 18. §. 16.

Si non

Si non potes Filium carne concipere, saltem mente concipias per bonum propositum, per bonum cogitatum: forma eum per bonum affectum, & parias, per actum perfectum, nè fortè possit dici de te, quod de malis. Is. 37. 3. *venerunt filii usque ad partum, & virtus, non pariendi.* S. Bonav. s. 39. de Nat. B.V.

Flos.

Fulcite me floribus. Cant. 2. 5. Quid sunt flores? nisi animæ bonum jam opus inchoantes, & desiderium cœleste redolentes. Quid mala de floribus? nisi perfectæ jam bonorum mentes: quæ ad fructum jam perveniunt, boni operis de initio Sanctæ propositionis. Anima ergo sancta, amore languida, floribus, malisque fulciatur; ut requiescat in bono opere proximi, quæ adhuc contemplari non valet vultum Dei. S. Greg. hom. 15. in Ezech.

Videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. Cant. 5. 12. Florent vineæ, cùm mentes Fidelium bona opera proponunt. Sed fructus non pariunt, si ab eo, quod proposuerant, aliquibus terroribus infirmantur. Non ergo intuendum est, si vineæ florent; sed si flores ad partum fructuum convalescant. Quia mirum non est, si quis bona inchoet; sed valdè mirabile, si intentione recta in bono opere perduret. V. Beda in exposit. Job l. 12.

Ascendit Joseph - de Nazareth in Bethlehem. Luc. 2. 4. De odore floris in refectionem panis. Sic de flore ad fructum ascendere debemus; idest, de proposito ad opus. Hugo Cardin. hìc.

Qualis sermo, talis vita: arbor autem cognoscetur ex fructibus; non ex floribus, & foliis, ac ramis. Clem. Alex. l. 3. Strom.

Alia.

Væ prægnantibus, & nutrientibus, in illis diebus. Luc. 21. 23. Maturiùs igitur absolvatur hìc partus, & cogitationes nostræ bonorum operum processibus explicentur: ut nihil imperfectum finis noster inveniat nihil inexplicatum terminus vitæ nostræ offendat. S. Ambros. l. 2. de Cain, & Abel c. 1.

Quando bona proponimus, quasi manè in initio diei sumus: quia boni claritatem jam aspicere cœpimus, quam sequamur. Sed hoc manè in plenum diem crescit, quando is, qui magna bona agere; ad, quod proposuit, in magna exhibet luce virtutis. S. Greg. l. 4. in 1. Reg. 9.

§. II.

Propositæ exequendi motiva.

Dixitque Deus: fiat lux, & facta est lux. Gen. 1. 3. in Mundo inter *dixit*, & *factum est*, multa solent intercedere, ut etiam aliquando, si dicta promissa, diuque expectata, veniant; tam serò tamen desperato animo intempestiva sint. Ferdinandus hìc.

Sed in lege Domini voluntas ejus. Ps. 1. 2. Nè ipsam voluntatem putares otiosam, sequitur operationis effectus, qui Sancto proposito non sufficiebat tantùm bona velle: nisi etiam desiderium suum continuò, pioque labore satiaretur. Cassiodorus hìc.

Exiit, qui seminat, seminare. Luc. 8. 5. Parum refert oculis, ac desiderio pergere, nisi & pedibus propediaris. Si jam seminat, quid exiit seminare? Joan. Cluniac: qui seminat desiderio, exiit opere seminare, ut nostræ salutis viam doceret. Did. Nyss. D. Sexag. §. 2.

Surgens venit ad patrem. Luc. 15. 20. Unde surrexit? à voluptatum, & deliciarum, cathedra & peccatorum fovea: siquidem bono voluntatis proposito adjunxit opus. Oportet enim non ea solùm, quæ Deo sint grata & accepta, velle; sed bono animo desideria per bona opera quoque ostendere. Titus Bostr. hìc.

§. III.

Propositæ non servantur.

ANtiochus in angustiis multa promittit. 2. Machab. 9. 15. 16. &c. *Templum etiam sanctum &c.* Sed qui tot, tantaque, pollicetur imposterum; tunc, cùm instaret exactio divina, nihil facit. Promittit omnium sacrificiorum sumptus imposterum, & nec agnum offert. Promittit se DEI præconem futurum omni loco; sed tunc nec minimum religionis actum facit in domo sua. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 37.

Magister, sequar te, quocumque jeris. Matth. 8. 19. Ad omnia posse quis promittit? dixisset cautiùs, sequar te, quocumque jusseris, humaniùs certè, quocumque volueris. S. Chrysol. s. 19.

Fuit, ut in comitiis provincialibus varia esset consultatio, & nulla ferè conclusio. Id homo ingenii faceti observans, chartam puram, sine scriptura, in literarum formam convolvit, & fronti hoc unum inscripsit: *Comitiorum acta*. Nostra proposita comitiorum sunt acta: de multis consultamus &c. Drexelius Rosæ Select. virt. p. 2. c. 1. §. 3.

Arriaga tr. de act. hum. Disp. 16. sect. 4. Hispanico proverbio dicitur: à dicto ad factum magnum est spatium.

Bonum propositum, quod in aurora prodiit, in meridiè jam occubuit. Est, qui manè calentissimam fundat orationem, ac totus ignitus devotissimè communicet; dicit cum Ps. 29. 7. *non movebor in æternum*. Sed ante meridiem jam gratia privatus est, & dicere potest. Psal. 129. 1. *de profundis*. Juglar. conc. 13.

TITULUS XXXIV.

PROSPERITAS.

§. I.

Symbola.

Vidi stultum firma radice &c. Job 5. 3. Comparat prosperitatem hominis in divitiis firmati pulchritudini arboris, quam maledicit, idest, malam esse pronuntiat. S. Thom. Aqu. hìc Lect. 1.

Nè declines ad dexteram. Prov. 4. 27. S. Aug. in Deut. q. 48. & alii, per dextram accipiunt prospera.

Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris. Job 29. 3. idest, quando prospera utebar fortuna, quando dives eram. Cornel. hìc.

Panis mendacii. Prov. 20. 17. est felicitas temporalis; quæ se panem esse mentitur, cùm non sit; sed siliquæ porcorum; quæ non sanant, sed instant. Hugo Card. hìc.

Non erit eis matutina lux. Is. 8. 20. q. d. nil eis erit prosperum, nil lætum, nil lucidum; sed omnia obscura, tristia, adversa. Cornel. in Adagiis hìc.

Eris quasi hortus. Is. 58. 11. propter prosperitatem, vel omnium bonorum indeficientiam. S. Thom. Aqu. hìc.

Expectavimus lucem, & ecce tenebræ. Is. 59. 9. lucem, idest, prosperitatem. Corn. hìc.

Diem hominis non desideravi. Jerem. 17. 16. Dies hominis prosperitas est temporalis, quæ nihil est. Hugo Card. hìc in Esth. 9. Dies hominis est ille, quo homo prosperatur, potens est, honoratur, laudatur. Cornelius hìc. Hanc prosperitatis diem Propheta respexerat, cùm dicebat, *diem hom. &c.* S. Greg. mor. l. 4. c. 15. quasi dies quædam est, cùm hujus Mundi prosperitas arridet. Sed dies iste in noctem desinit: quia sæpe temporalis prosperitas ad tribulationis tenebras perducit. Ibid.

Facto vespere &c. Matth. 16. 2. Præsens afflictio futuræ serenitatis initium est: & è contrario, præsens jucunditas futuræ desolationis signum est. Unde Matth. 16. *Facto vespere dicitis, serenum erit; rubicundum est enim cœlum, & manè: hodie tempestas: rutilat etiam triste cœlum.* Nunc cœlum Sanctorum, qui pro Christo affliguntur, rubicundum est; sed crastino serenum erit. E contrario malorum cœlum modò rutilat; sed tempestatem futuram promittit. Hugo Cardin. in Sap. 11.

Stans à dextris alterris. Luc. 1. 11. à dextris, quia prospera, & bona, nuntiaturus advenerat, ait Euthymius.

Neque altitudo, neque profundum &c. Rom. 8. 39. Possunt altitudo, & profundum, ad prospera, & ad adversa referri. S. Thom. Aqu. hìc Lect. 7.

Creaturæ, seu beatitudo temporalis, sunt ollæ fervens: cui si quis nimiùm adhæserit per amorem, timeat, nè se comburat. S. Vinc. Ferr. s. de Commem. S. Pauli.

§. II.

Prosperitas noxia origo peccatorum, periculosa.

Num. I.

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri, & Novo.

FActumque est diluvium. Gen. 7. 17. Rupertus lib. 4. in Gen. c. 25. ait: eo tempore diluvium orbem obruisse, verè scilicet, quo pluviæ, imbresque rariores; desiisse verò mense Novembri; quando ineunte hyeme imbres magis solent sævire. Ex hoc noveris, voluptates, quæ verno tempore frequentius capi solent, diluvium, & tempestates, consequi. Pinna Ethol. 7.

Prodiit, quasi ex adipe, iniquitas eorum. Ps. 72. 7. Adeps felicitatem, & prosperitatem significat. B. Theodoretus hìc.

Occidit pingues eorum. Ps. 77. 31. Scilicet pingues epulones. Gaudeant ergo macilentæ pecudes; quia non occiduntur, sed pingues. Hugo Card. hìc.

Nomen impiorum putrescet. Prov. 10. 7. In æstate, idest, prosperitate, faciliùs putrescit virtus est fama, per vitia, quàm in

in hyeme, idest, adversitate. Similiter in tempore potiùs, quàm in fervore; atque in quiete potiùs, quàm in motu, quo fertur ad bona opera. Ex putredine nascuntur vermes, & serpentes. Sal autem sua salsedine, & mel sua dulcedine, corpora à putredine præservat. Corn. hic.

Locutus sum ad te in abundantia tua, & dixisti non audiam. Jer. 22. 21.

Dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum solis. Ezech. 8. 16. adorabant ad ortum solis, idest, ad ortum prosperitatis; prosperitas enim per solem intelligitur. Hugo Card. hic. Unde Job 31. 26. *Si vidi solem, cùm fulgeret.*

Ventus Auster contrivit te in corde maris. Ezech. 27. 26. Non sævus aquilo, sed lenis, & suavis, Auster contrivit tantam navim. Baeza tom. 1. lib. 1. cap. 7. §. 30. In aquilone adversa Mundi, in Austro blandimenta designantur. S. Isidorus tua in Cant. 4.

Cùm introisset Capharnaum, Matth. 8. 5. Juxta Hugonem, *villa consolationis*; ubi ad nutum omnia succedunt; ubi consolamur, animus jacet paraliticus, & vitiis malè torquemur. Pinna Ethol. 134.

Vespere autem facto, cùm occidisset sol afferebant ad eum omnes malè habentes. Marci 1. 32. Ut ex hoc cognoscamus, per ipsam Christi mortem Mundo fuisse redditam sanitatem. Nec non, cùm advesperascit terrena prosperitas, aut cùm humana claritas obscuratur; tunc est tempus percipiendæ salutis. His splendentibus desuper, male se habentes ad Christum non veniunt. Sim. Cass. l. 5. c. 10.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam, Luc. 5. 6. Excessus noxius; aurea mediocritas. Noxia fuit copia piscium piscatoribus: *rumpebatur rete eorum; impleverunt ambas naviculas, ità ut penè mergerentur.* Paoletti D. 4. Pent.

Filius infirmabatur Capharnaum. Joan. 4. 46. quod interpretatur villa consolationis, vel pinguedinis. Et in hoc notatur causa morbi, idest, peccati abundantia, scilicet temporalis sanitas, & fortitudo corporalis, & cætera hujusmodi bona naturalia; quæ Dominus dat ad consolationem, & gratiarum actionem; sed nos vertimus in corruptionem. Hugo Card. in Joan. hic. Amor ejus ægrotaverat in pinguedine Mundi: Ager quippe pinguedinis Capharnaum interpretatur. In abundantia rerum temporalium habita vel quæsita, infirmatur hominum amor: qui, dum habet abundè quod habendum est, temperatè, ipsa intemperantia est ægrotus. *Incrassatus est dilectus &c.* Deut. 32. 15. Id. ib. c. 18.

Circumfulsit eum lux de cœlo; aperiisque oculis nihil videbat. Actor. 9. 3. Non ille obscuritate tenebrarum, sed luminis nimietate, excæcatus est. S. Chrysost. hom. 4. de S. Paulo.

Ex Variis Authoribus.

Sicut luna, dum plena est, longiùs à sole distat, & in hac plenitudine tergum, seu modicum arcus, ad Orientem vertit; cornua verò occidentem versùs, aperta habet, acsi ipsum amplecti vellet: cùm autem propinquior est soli, magis vacua est, & tunc nova dicitur, vertique tergum ad occidentem, cornua ad orientem. Sic quando homo plenus est divitiis, ac bonis temporalibus; ejusque fama, & honor, per orbem fulget; tunc magis à sole justitiæ distare solet, tergaque per oblivionem divino Orienti vertere &c. Diez Amor hominis erga Deum.

Peccata sæpè oriuntur ex bonis temporalibus: sicut de grano puro palea; de argento stannum, de igne fumus, de frumento furfur, de purpura vermis. Broymard. Peccata causa infelicium bellorum.

Prosperitas similis fumo. Primò, quia fumus domos denigrat; sic prosperitas multis peccatis deformat. Secundò, fumus non diu durat; citò ascendit, & deficit; sic est prosperitas peccatorum. Psal. 36. 20. *deficientes quemadmodum fumus defecient.* Tertiò, oculos lædit, sic prosperitas excœcat oculos mentis; ut non consideret, neque videat, quid sequatur. Gemin. l. 1. c. 66.

Prosperitas temporalis similatur fabæ; quæ humorem grossum, & inflationem gignit, stomachum lædit, grossum sanguinem facit; fumum, qui caput offendit, & somnia tristia. Sic prosperitas inducit inflationem superbiæ, voracitatem gulæ, noxiam stomacho; fumo vanæ gloriæ caput, idest, mentem replet, gignit terribilia somnia, ut frequenter timeant, qui in prosperitate sunt, quæ non sunt timenda, sicut somniantibus accidit. Psal. 13. 5. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Id. l. 3. c. 64.

Ligna, quæ in plenilunio cæduntur, vel plantantur; quia tunc humor in corporibus abundat, corrumpuntur, & generant vermes, à quibus corroduntur. Humor talis est prosperitas-vitiorum vermes gignens. Id. l. 5. c. 58.

Num. II.

Exempla, & Testimonia.

Ex Veteri.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. Hebr. *Spiritus Dei incubabat aquis*, sicut aves ovis insident. Cur non æquè terræ incubasse fertur? Aquæ, juxta Petrum Berchorium, Pierium Valer. Anton. Ricciardum, &c. sunt Symbola divitiarum, & terrenæ felicitatis, juxta Psal. 61. 11. *divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Terra* verò, eorumdem sententia, est symbolum hominis abjecti, & infimi; quem filium terræ vocamus: *terra autem erat inanis & vacua.* Gen. 1. 2. Insinuatur ergo: licèt omnibus sit necessarius Spiritu S. opulentos tamen in aquis adumbratos, imprimis egere ejus fomento, & auxilio, ut qui gravioribus periculis sunt expositi. Did. Nyss. vit. Abr. l. 4. c. 1.

Memento mei, cùm benè tibi fuerit. Gen. 40. 14. Vox Christi est ad quemlibet: nihil enim ità oblivionem Domini facit, sicut opulentia. Deut. 8. 13. cùm dederit tibi Dominus Deus terram: *cave, nè obliviscaris Domini Dei tui.* Hugo Card. hic.

Manhu! quid est hoc? Exod. 16. 15. clamavere præ gaudio Hebræi, viso manna. Angelorum est panis, Hebræorum venenum erit. Primùm vermes concupiscentiæ ebulliet. vers. 20. tum nauseam serpentibus obruet. Glandibus feliciores essetis, quàm manna. Oliva l. 2. Strom. §. Unicuique secundùm propriam virtutem.

Vocavit Josue omnem Israelem dixitque ad eos: estote solliciti: ut custodiatis cuncta &c. Jos. 23. 2. 6. Dixit hæc, postquam pacem dederat Dominus Israeli. Timuit prudenter; nè tranquilla pace fruentes, ac delitiis exundantes, prævaricarentur. Naxera in Jos. 23. §. 3. Indiget monitores felicitas.

Osculatusque est Rex Absolon. 2. Reg. 14. 33. Quid eum putas ex ore hausisse? Psalmorum fragrantiam? humanitatis candorem? Pacis iridem? Superbiit, arsit, rebellavit. 2. Reg. 15. 1. *igitur post hæc fecit sibi Absolon currus est equites &c.* Beatior fuisset serpentis morsu, quàm regis osculo, quique vixisset fortè post pœnam, post amplexum periit, & perdidit. En fatum murmur in manna. Num. 21. 5. *cur eduxisti nos de Ægypto?* En fragrans in veneno thus! *misit Dominus in populum ignitos serpentes.* ibid. Irrigatum sibi ad incolendam regionem delegit Loth. Gen. 13. 10. *quæ universa irrigatur, sicut paradisus Dei.* Noli fidere ubertati, captivitatem tegit. Sulphur, non lac, emulsit; uxoris funus, non gregum fœtus, respexit. Exceptus à Jahele Sisara videbatur sibi nactus in naufragio portum. Judic. 4. 19. 21. *Domine mi, intrà; nè timeas.* Cùm sitiret aquam, recreatus est lacte. Quid felicius? Sed Lachesis latebat in lacte. Quo triumpho advecta putas vasa templi aurea in Regis palatium? Mors in phialis, non triumphus. Ut primùm iis usi Chaldæi, eversi sunt à Medis. Dan. 5. 2. 30. Oliva l. 2. Strom. §. Unicuique secundùm propriam virtutem.

Videns autem Regina Saba & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini; non habebat ultrà spiritum. 3. Reg. 10. 4. 5. Saà: quidam illam particulam, *& holocausta* vertunt sic: *& ascensum, quo ascendebant in domum Domini.* Non habebat ultrà Spiritum, idest, erat diu extra se præ stupore. Unde tanta admiratio? quod felicitas non attrahat piacula, quod in tanta felicitate Deo holocausta immolent. Escob. tom. 6. Parab. Chr. l. 9. sect. 2. obs. 3.

Observo, ut fiat in me duplex Spiritus tuus. 4. Reg. 2. 9. Ad quid duplicem petit? an ei non satis Eliæ Spiritus unus, & simplex? Mendoza in 1. Reg. 1. Sciebat Eliæus, Eliam inter labores vixisse; se inter favores: Eliam perfectionibus Achabi vexatum; se donationibus Naamani honorandum. Et quia sciebat duplo graviora certamina à prosperitate, quàm adversitate; ideo duplicem, quo illi resistat, petit. Paoletti Dom. 5. Epiph.

Scidit vestimenta sua. 4. Reg. 19. 1. Ezechias, cùm esset in tribulatione, vide, qualia faciebat pro salute sua: saccum induit, & in terra sedit. Ubi autem in deliciis esse cœpit, cecidit præ altitudine cordis sui. Quando tribulantur Israelitæ, multò plures fiebant, quando autem illos dimisit, tunc omnes peribant. S. Chrysost. hom. 16. in Act.

Indulsisti genti Domine, indulsisti genti: numquid glorificatus es? Isa. 26. 15. Est sensus: sæpè misertus es gentibus, idest, humano generi, & exercuisti in eas incredibilem clementiam. Numquid cognoverunt? numquid glorificaverunt nomen tuum? Numquid è contrario longè à te recesserunt? Securitas enim negligentiam, negligentiam contemptum parit. S. Hieronym. in Is. 26.

Vitis frondosa Israel; fructus adæquatus est ei. Secundùm multitudinem fructus sui multiplicavit altaria; juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris. Os. 10. 1. Damnanda fertilitas, qua religio sterilescit! quot pampini, tot scelera, quot vites, tot idola. Malo esurire, quàm perire. September apud Hebræos.

Hebræos. *Ethanim* dicitur, idest, *mensis asperitatum.* Aliqui ità vocatum putant; quòd tunc, transacto æstu, & imbres, & fulmina, ruant. Ego verò puto; quòd, ubi abundantia, & vindemia exundat; scelera, & calamitates non desint. Eccli. 11. 10. *Si dives fueris; non eris immunis à delicto.* Oliva l. 9. Strom. §. Vitis frondosa.

Ex Novo.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matth. 4. 9. Nihil vicinius bonis temporalibus dæmon invenit, quàm casum, quàm ruinam. Baeza t. 1. l. 3. c. 22.

Apprehensis servis ejus. Matth. 21. 35. Agricolæ, post uberes vineæ fructus perceptos, insolentes fiunt ad omnia patranda. Et quando non felicitas homines à divino deturbavit obsequio? S. Chrysost. per singulos gradus munificentiæ Dei Judæorum malitia crescebat. Escob. tom. 6. Parab. Chr. l. 9. sect. 2. obs. 3.

Ex Patribus, & aliis.

Hic (Salomon) bonis initiis malos exitus habuit. Quippè fecundæ res, quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quàm profuit ipsa sapientia. Sanct. August. de Civ. l. 17. 20.

Nihil est infeliciùs felicitate peccantium; quam pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur. Id. ep. 5.

Putatis tunc esse ventum contrarium, quando est hujus sæculi adversitas? Quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuique hominum privata evenit calamitas; tunc putatur ventus adversus; ibi putatur invocandus Deus. Quando autem temporali felicitate Sæculum arridet; quasi non est ventus contrarius. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari; nè illiciat, nè corrumpat, nè ipsa subvertat felicitas. Magnæ felicitatis est, à felicitate non vinci. Id. s. 11. de Verb. Dom. apud Olivam t. 3. conc. 9. die vener. in hebdomada Passionis.

Meritò fortiter flagellatur hic Mundus: cognovit enim jam verba Domini Mundus &c. S. Aug. s. 12. de Verb. Dom.

Cùm prosperitas adest, tunc maximè tempus orationum est, lacrymarum, & compunctionis, & cautelæ. S. Chrysostom. hom. 17. in tribulatione namque ipsa tribulationum malum vel invitos nos corripit, & modestos facit. Ablato verò tali fræno timendum, nè ad torporem declinemus; nè de nobis Psalmista dicat: *cùm occideret eos, quærebant eum, & diluculo veniebant ad eum &c.* Psal. 77. 34. Stengelius div. Judic. t. 1. cap. 14.

Prosperitas facit hominem oblivisci futuræ gloriæ, & mortis, & Inferni: prosperitas replet hominem vitiis, & peccatis, usque ad summum. S. Thom. Vill. conc. 3. de multis MM.

§. III.

Prosperitatem sperne, quia datur, & impiis.

Ex Veteri, & Novo.

Noli æmulari in malignantibus &c. Ps. 36. 1. Admonet Propheta, tamquam spiritualis Medicus, Fideles; ut si videant impios prosperè agere, non provocentur ad eos imitandos; nec irascantur, aut indignentur, adversus Deum, quasi injustum. Bellarm. hic.

Anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris &c. Luc. 3. 1. Vide, an non parvi faciat Deus orbis regna; quibus hominibus dignitates conferat? Tiberio, Pilato, Herodi &c. cùm interim illum, quo major inter natos mulierum non surrexit, in spelunca eremi, sine honore, opibus, privatum vivere patiatur. S. Aug. in Ps. 62. non ad hoc sumus Christiani, ut terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerumque habent & latrones, & scelerati. Barradius D. 4. Adv. t. 2. l. 1. c. 2.

Epulabatur quotidie splendidè. Luc. 16. 19. Si Deus tam indulgenter habet eos, à quibus offenditur; quid faciet his, à quibus amatur, & colitur. Did. Nyss. s. 5. D. 2. Quad. §. 2.

Recepisti bona in vita tua. Luc. 16. 25. S. Chrysost. t. 6. tr. in terræmotum: non dixit, cepisti, sed *recepisti.* Qui recipit, debita recepit: recepisti, quæ solvenda erant, quæ debebantur. Attendite quæstioni: Si justus fuit Lazarus, ut nimirum fuit, & Abrahæ sinus indicavit, corona, prœmia, patientia; iste verò peccator, planè improbus, & inhumanus; cur ait illi, *quia recepisti?* Num enim illi debebatur quidpiam? Fieri non potest, ut homo ità sit penitus justus, ut à peccato sit mundus: neque rursus fieri potest, ut nullus ità malus sit homo, quin habeat aliquod saltem exiguum bonum. Quoniam ergo & Lazarum peccata quædam habere contigerat, & divitem aliquod bonum habere; propterea dicit Abraham: nihil quæras; bona illic tua recepisti, & Lazarus mala sua.

Ex Patribus, & aliis.

Quia præsens sæculum eorum est, qui futuræ beatitudinis non habent spem, & ideò patienter feramus illos, his successibus prosperis agere, percipere bona in vita sua: donec veniat, & nostrum, ad quod invitati sumus, & cujus nobis repromissa sunt bona; ad quod respicimus, in quod speramus: cujus bona, non sicut in hoc sæculo tamquam umbra præteruent, sed permanent in æternum. Impossibile autem est, in præsenti sæculo bona consequi, & in futuro. Orig. hom. 2. in Psal. 36.

Quod bonum (pulchritudo corporis) Dei quidem donum est; sed propterea id largitur etiam malis, nè magnum bonum videatur bonis. S. Aug. de Civ. l. 15. c. 22.

Beneficentissima providentia omnipotens Deus terrenam felicitatem concessit, & impiis; nè pro magno quæreretur à bonis. Id. ep. 120.

Multa naturæ commoda adsunt etiam sceleratis. An non erat pulcher, & formosus Absolon? & usque ad capillos capitis porrigebatur ejus corporis species? quid autem? an erat calvus Elisæus; ut etiam videretur à pueris? sed nec illum quidquam juvit forma, nec hunc læsit deformitas. S. Chrysostom. in Psal. 140.

Nempè hujusmodi, cùm intuentur peccatores florere; honoribus, facultatibus, abundare; & temporalibus bonis pacificè frui; nequaquam Dei reprehendunt sapientiam; neque felici eorum invident prosperitati: quin potiùs contemnunt, atque despiciunt illa, tamquam exigua bona transitoria, periculosa, atque vilissima, quæ profectò, ut plurimùm iniquis, quibus in regione vivorum nulla est portio, pro suorum tribuuntur mercede meritorum. S. Laur. Just. de inst. & regim. Prælator. c. 5.

Nihil sanè infeliciùs felicitate peccantium: quibus tamquam desperatis ægrotis, quamquam contrarium, & morbo incongruum, nil negatur, quod libeat. Id. lib. de spir. an. resurr.

Noli hujus vitæ felicitatem hominibus invidere; sed condole; immò, quia ipsi non dolent, potiùs ingemisce: qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, ad gladium lasciviendo festinant. B. Petr. Dam. ep. 6.

Ratio, quare boni non accipiant retributionem in hoc Mundo, est, quia, servire Deo in bonis operibus est sanctitas: bona autem hujus Mundi sunt vanitatis. Non competit autem Deo, pro sanctitate dare vanitatem, pro auro dare lutum. S. Vinc. Ferr. s. 2. D. 2. post Trinit.

§. IV.

Prosperitas reprobationis signum.

Ex Veteri, & Novo.

Non multiplicabit sibi equos &c. Deut. 17. 16. Tum nè in bello confidet, in multitudine equorum; tum nè erigatur in superbiam magnoque fastu incedat: itaque populo gravia onera ad suam pompam sustinendam imponat; uti fecit, & peccavit Salomon; qui habuit quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum, equitumque duodecim millia. 3. Reg. 10. 26. Unde multi, & meritò, metuunt Salomonis saluti: videtur enim illi Deus gloriam terrenam concessisse, ut privaret eum gloria cœlesti. Corn. hic.

In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Ps. 25. 10. Ad tempus floret impius; ad tempus emendatur bonus. Sed flos illius sicut fœnum arescet; emendatio illius transiet. Ille accipiet pœnam perpetuam; quia hic flagellatus non est, & ad tempus floruit: ille autem, qui tentationem sustinuit, in æternum vitæ perpetuæ retributionem accipiet. S. Chrysost. hic.

Est via, quæ videtur homini justa. Prov. 14. 12. Salazar, & alii, per viam hanc accipiunt felicitatem terrenam; cui multi applaudant, putantque esse viam rectam ad plenam beatitudinem. Cùm animalia omnia, à leone ad antrum invitata, certatim ingrederentur; sola vulpes restitit. Rogata causam, dixit: quia cerno vestigia animalium adversa omnia, nullum adversum: nimirum omnia ingredi video, nullum regredi. Corn. hic.

Date florem Moab, quia florens egredietur. Jer. 48. 9. Sequitur: *& civitates ejus desertæ erunt, & inhabitabiles.*

Ex Patribus, & aliis.

Præsentis vitæ prosperitas innocentiæ testis non est: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, & plerique ad infinita supplicia perducentur sine flagello. S. Greg. mor. lib. 25.

Luge peccatorem felicem: gladius enim justitiæ ipsi imminet. S. Nilus cap. Paræn.

Prosperitas laqueus est: culter, incidens hunc laqueum, adversitas. Guigo. Carthus. consid. de tranquill. an. c. 14.

Qui

Qui omne voluptatis impleverit desiderium, quasi per gramineam viam ducitur ad equuleum. S. Honorius s. de Sanct. Cæcilia.

O quàm miserum est, in hujus Sæculi prosperitate modico tempore vivere, & ad æterni ignis incendium quotidie clausis oculis, velut in lectica positum, properare! B. Petrus Dam. l. 4. ep. 13.

In hac vita prosperari, est signum pessimum. S. Bonav. s. 96. Dom. 6. Pent.

Accipiunt unum ex captivis ad mortem, collocantque in Regis thronum, & eundem illi dant vestitum, sinuntque illum deliciari illis regni diebus, & nemo illum vetat quidquam facere, quæ vult. Post hæc autem exutum, virgisque cæsum, suspendunt. S. Chrysost. or. 4. de Persis.

§. V.

Prosperitas suspecta sapientibus.

Noli timere Abraham: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Gen. 15. 1. Abraham cognoscens, continuum bonorum successum, magnum reprobationis signum esse; ut cùm sibi Deus contra quatuor reges victoriam concessisset. Gen. 14. 15. veritus est; nè fortè hoc eum donans præmio Deus, æterno excluderet. Cùm autem eum Deus tantopere diligeret; statim voluit eum illo timore liberare: *noli timere &c.* q. d. non time: præmium tuum præcipuum non temporale, sed æternum erit. Diez conc. 4. in Nat. B. V. Abraham ex victoria tam solemni, quam Deus dederat ei, timuit, nè in hoc accepisset totam mercedem justitiæ suæ à Domino: & ideò Deus assecuravit eum de contrario. Lyranus.

Sancti viri, cùm sibi suppetere prospera hujus Mundi conspiciunt, pavida suspicione turbantur, Timent enim, nè hic laborum suorum fructus recipiant: timent, nè quod divina justitia latens in ejus vulnus aspiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans, ab intimis repellat. S. Greg. moral. lib. 5. cap. 1.

§. VI.

Prosperitas definit in luctu.

Ut universa irrigatur sicut paradisus Dei. Gen. 13. 10. Irriguam sibi ad incolendam regionem delegit Loth. Noli fidere ubertati; captivitatem tegit. Sulphur, non lac, emulsit, uxoris fumus, non gregis fœtus, aspexit. Oliva l. 2. Strom. §. unicuique secundùm propriam virtutem.

Pharao post vaccas pingues videt macilentas, quæ illas devorant. Gen. 41. 2. 3.

Domine mi, intrà; nè timeas. Judic. 4. 18. 19. Exceptus à Jahele Sisara, videbatur sibi nactus in naufragio portum. Cùm sitiret aquam, recreatus est lacte. Quid felicius? sed Lachesis latebat in lacte. Oliva l. 2. Strom. §. unicuique &c.

Amanum videbis lætissimum, à rege summè honoratum, omnibus principibus antepositum; sed conversa est lætitia in mœrorem maximum. Esth. 3. 1.

Defecerunt sicut fumus dies mei. Ps. 101. 4. Quid habent dies Davidis commune cum fumo? dies triumphatoris, semper victoris, regnantis per quadraginta annos; videntis filium Salomonem super solium suum. 3. Reg. 1. 48. Fumus, res atras denigrat lacrymas excitat. Omnis humana prosperitas tandem luctum movet. S. Chrysost. hom. 2. in Matth. nonne vides, etiam corporeos oculos, cùm in fumo remorantur, lacrymas semper effundere? talis est profectò & mentis oculus; si in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus; ad innumera prorsus mala lacrymabitur. 1. Timoth. 6. 9. *qui volunt divites fieri inseruerunt se doloribus multis.* v. 10. Sylv. c. 21. in Luc. 12. 9. q. 2.

Antiochus. 1. Machab. 6. 11. *in quantam tribulationem devenì.*

Successus continuus temporalium certum est futuræ calamitatis indicium. S. Laur. Just. de virt. pat. c. 3.

Vide. Gaudium. Lætitia. Vanitas. Voluptas.

§. VII.

Prosperitas instabilis est, & fugax.

Num. I.

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri, & Novo.

Fiat lux, & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona. Gen. 1. 3. 4. idest, grata, utilis, jucunda. S. Hieronym. lux humanæ felicitatis Symbolum est. Vidisti solem emicantem, terram radiis complentem? transeundo lucet, pervolando placet. Lux ostentatur matutina, crescit usque in perfectam diem: sed incrementa illa, quæ placent aspicienti, fugiendo efformantur. Si stat aliquando felicitas, miraculum est; sicut sol sterit jussu Josue: vel, si non est miraculum, somnium est Joseph. Escob. t. 5. Proph. Chr. l. 12. sect. 1. obs. 2.

Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur. 2. Reg. 14. 14. Euseb. Cæsar. l. 11. de præparat. Evang. c. 7. quemadmodum aqua manibus hausta, quantò magis premitur, tantò citiùs diffluit: sic mutabilia cuncta; quantò magis ratio persequitur, tantò magis amittit. Mendoza in 1. Reg. 10. Annot. 6. sect. 1.

Ejant sicut fœnum tectorum. Ps. 128. 6. Talis est prosperitas eorum, qui vivunt in scelere. Talis jucunditas rerum, quæ ad hanc vitam pertinent: simul enim, & cernitur, & interit: ut quæ nec habeat fundamentum aliquod, nec potentiam. S. Chrysost. hìc.

Oritur sol, & occidit. Eccl. 1. 5. Oritur sol præsentis prosperitatis, & occidit, idest, statim ad occasum tendit. Et hoc, ut nemo de ortu hujus solis gaudeat; cui tam inevitabilis, tamque velox succedit occasus. Insensatus est igitur, qui solem in ortu suo semper nititur detinere, & ab eo prohibere occasum: hic vult facere miraculum, sicut Jos. c. 10. Hug. Cardin. hìc.

Flores apparuerunt in terra nostra. Cant. 2. 12. sed mox, subdit: *tempus putationis advenit*: quia humana felicitas vix efflorescit; cùm statim exarescit. Mendoza in 1. Reg. 10. Annot. 6. sect. 1.

Tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Sap. 5. 15. Prosperitas temporalis per hospitem unius diei designatur: nam, sicut hospes hodie venit, & cras recedit; ità prosperitas temporalis modò venit, & modò recedit. Hugo Card. hìc.

Date florem, Moab. Jer. 48. 9. Sanchez, & alii explicant: quantumcumque in amœno, & irriguo, loco sit Moab, floreatque, ac niteat, ab ubertate patriæ; florens tamen, ac nitidus, abripietur in alienum solum. Ex eo discimus: tunc maximè vicinas esse urbes cladi, & homine tribulationi, cùm maximè gloria, opibus, & deliciis florent. Ratio: quia fortuna similis rotæ; quæ, cùm in culmine est, tunc rotando descendit, & tendit ad finem. Ità poma, cùm maturrima sunt, putrescunt: flores, cùm plenissimi, marcescunt. Sol, cùm in meridie est altissimus, mox declinat ad occasum: cùm est in solstitio æstivo, declinat ad hyemem. Idem est imperiorum, regnorum, urbium principum, hominum, circulus, periodus, terminus, & occasus. Corn. hìc.

Si vis, faciamus hìc tria tabernacula. Matth. 17. 4. Non dixit, faciamus hìc domos, *sed tabernacula*. Domus ædificatur, ut permanens, & fixum, domicilium: tabernaculum autem, seu tentorium, ad breviter manendum. Cùm illa gloria esset quidem quædam particula cœlestis beatitudinis; quia tamen in terra appareret; etsi nescius, quid diceret Petrus in hoc tamen cautè loquitur. Sylv. hìc q. 19.

Ab arbore fici discite parabolam. Matth. 24. 32. Ficus, cùm sit dulcis, sumitur in parabolam ad orbis exterminium: nimia enim prosperitas excidii est præsagium. Id. hìc.

Magni animi est, magna contemnere; ac mediocria malle, quàm nimia: illa enim utilia, vitaliaque sunt, atque hæc: eò quò semper fluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur. Ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit, qua non tantùm in aliorum injuriam; sed etiam in suam utuntur. Naxer. in Jos. 22. §. 9.

Num. II.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Videbam coram me vitem. Gen. 40. 9. 10. Pistorum, magister se tria canistra vidisse ait, & ad omnium ecclesius, ciborum deliciis plenum, aves involare. Cur ex somniis Joseph adeò disparem conjicit eventum? Quia vitem paulatim crescere in gemmas vidit, & aves citò ad cibos involare. Nec enim, sic felix esset auspicium, adeò celer esset volatus: nec, si vitis infausta portenderet, lentè adeò crevisset. Nam calamitates aligeræ properant; felicitates accedunt tardigradæ. Nax. in Jos. 6. §. 19.

Dæmon in Job facultates, Dei permissu, desæviens, ignem de cœlo adducit, ventos invitat, hostes inflammat, & brevissimo intervallo, quæ multis annis composita, dissipantur. Job 1. 12. &c. Josue milites Jericho capiunt; sed post plurium dierum obsidionem in septimi diei fine: at sine mora ab Hajensibus profligati *statim terga vertentes percussi sunt.* Jos. 7. 4. 5. Moyses, ut per aquas iter populo terrenum panderet, virga mare percutit, percussæque vitreos in muros eriguntur; sed vento tota nocte acriùs spirante. Ex. 14. 21. *cùm extendisset Moyses manum &c.* sed, ut Ægyptios absorbeat citiùs, & præcipitatiùs, ruit. *Reversum est primò diluculo ad priorem locum.* Longo spatio pacta felicitas, brevissimo advolavit adversitas. Naxera in Jos. 6. §. 19.

Dies mei transierunt. Job 17. 11. Dies hi præteritæ felicitatis possunt intelligi. V. Beda hìc.

Succi-

Succidite arborem. Dan. 4. 11. Nabuchodonosoris arbor, cujus altitudo nimia, succidi jubetur. De eo dicere potuisset Seneca, quod de Cajo Cæsare, ep. 94. quid Cajum Cæsarem in sua fata pariter, ac publica immisit? gloria, & ambitio, & nullus supra cœteros eminendi modus. Naxera in Jos. 1. §. 40. *Altitudo ejus nimis.* Dan. 4. 7.

Erant ibi lapideæ hydriæ sex. Joan. 2. 6. Cur tàm exactè scribit hydriarum numerum, & capacitatem? videbatur majus miraculum dare vinum absque numero, & mensura. Valdè suspecta est felicitas: si modum nesciat; per se ruit. Sylveira Addit. in Joan. 2.

Præterit figura hujus Mundi. 1. Cor. 7. 31. S. Theodoretus Studita: quid est, *præterit &c.*? idem, quod labitur, præterequirat: nec vel diuturnam stabilitatem obtinens; sed, qui heri nitidus, hodie squalidus: qui heri in re splendida, hodie in miseria est. Nunc extollitur ille; nunc alter dignitate ruit: hic è paupere fit dives; alius è divite pauper milleque mutationibus, atque vicibus, ærumnosa nostra subjecta vita est, nihil possidens constans. S. Chrysost. Theophylactus, vertunt illa verba sic: *præterit scena hujus Mundi.* In Comœdia, cùm quis regem, vel principem, repræsentat, &c. Quàm parui facimus illa! quàm parum invidemus tali gloriæ. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 9. c. 1.

Venti citiùs fidere possumus, aut literis in aqua scriptis; quàm hominum felicitati. Quod quidem, mea sententia, ideo fit; ut harum rerum inconstantiam, inæquabilitatemque, perspicientes, concitatiore cursu ad Deum, & futura, properemus. S. Greg. Naz. ep. 18.

§. VIII.

Cur bonis hic malè, malis benè?

Quare ergo impii vivunt? sublevati sunt, confortatique divitiis? &c. Job 21. 7. Justus quidem tu es, Domine; verùtamen justa loquar ad te: *quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt.* Jerem. 12. 1. *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias &c.* Ps. 72. 12. Cùm bonis hic malè est, & malis benè; hoc fortasse deprehenditur: quia & boni, si quæ deliquerunt, hic recipiunt, ut ab æterna plenius damnatione liberentur: & mali bona, quæ pro hac vita faciunt, hic inveniunt, ut ad solam imposterum cœmenta pertrahantur. S. Greg. mor. l. 5. c. 1.

§. IX.

Miscellanea.

Lætantur, cùm malè fecerint. Prov. 2. 14. Tales similes sunt illis, quos in Apulia videmus morsos à tarantulis, continuò saltare, tripudiare, & tripudiando emori. Cornel. hìc.

T I T U L U S XXXV.

PROVIDENTIA DEI.

§. I.

Figuræ, Symbola, definitio.

Vidit scalam stantem. Gen. 28. 12. Dico cum Theodoreto, Pierio; scalam hanc, esse Symbolum Providentiæ, & gubernationis divinæ. Unde Deus illi innititur, quasi prima causa, & primum movens omnium. Angeli ascendunt, & descendunt, quasi ministri, & executores Providentiæ divinæ. Hæc scala à cœlo in terram pertingit: quia Deus inferiora per superiora; homines per Angelos gubernat. Duo scalæ latera sunt suavitas, & fortitudo. Varii modi Providentiæ sunt gradus. Sic Homerus Providentiam describit per catenam auream, à Jove de cœlo demissam in terram, qua Jupiter omnia comprehendit, constringit, & ad se trahit. Cornelius hìc.

Quando splendebat lucerna ejus. Job 29. 3. Scilicet Providentia ejus. S. Thom. Aqu. hìc.

Ne projicias me à facie tua. Ps. 50. 13. Faciem hic gubernationem appellavit. B. Theodoretus hìc.

Ut quid destruxisti maceriam ejus? Ps. 79. 13. Maceriam tutelam vocavit: nam quod est maceries vineæ, hoc est Dei cura his, qui illa digni effecti sunt. Cœterùm prætergredientes viam hostes nuncupavit: quemadmodum enim viatores vineam, quæ sine sepe, & custodia est, tuto vindemiant; sic, qui divina providentia privatus est, expugnabilis quibuslibet lædere volentibus fit. B. Theodoretus hìc.

Introduxit me rex in cellaria sua. Cant. 1. 3. Modus contemplandi in creaturis providentiam Dei erga nos. Quid sunt maria, & flumina, piscibus referta, nisi quædam Dei cellaria ad reficiendum? Quid aer volatilibus, aut terra animalibus, & plantis, abundans; nisi quædam promptuaria ad tuam nutritionem? Quid mineralia, ubi aurum &c. nisi thesauri Dei ad te locupletandum. De Ponte hìc. Exh. 10.

Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi. Cant. 2. 3. Propriè, & genuinè, umbra Christi est ejus providentia, cura, & protectio Ecclesiæ, & animæ Sanctæ, velut sponsæ suæ; juxta illud Is. 51. 16. *sub umbra manus meæ protexi te.* Ità Orig. Nyssen. Cassiodor. Ambros. Thren. 4. 20. *in umbra tua vivemus in gentibus.* Ps. 56. 2. *in umbra alarum tuarum sperabo.* Cornelius hìc.

Pasce populum tuum in virga tua in medio Carmeli. Michææ 7. 14. Orat Deum Michæas, ut virga sua pastoritia, idest, providentia sua paterna, pascat, regatque Judæos. Cornelius hìc.

Circumdedit spem. Marci 12. 1. hoc est, divina cura, & providentia, munivit illam. Victor Antioch. hìc.

Sol. Lem: *Omnibus sufficit.* Picinelli.

Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes apte, congruenterque gubernat. S. Joan. Damasc. l. 2. orth. fid. c. 29.

§. II.

Providentia Dei asseritur, & probatur.

Ex Veteri.

Fac tibi arcam. Gen. 6. 14. Cur non vocatur potiùs navis? Respondet Paulus s. 57. tom. 6. ut securissima custodia Noe intelligeretur, non navis, sed arca vocatur. Ut intelligeret Noe, se tamquam in arca servatum inter tot aquarum imminentia pericula. Did. Nyss. l. 3. c. 10. Phœn. Græc.

Et ingressus est Noe in arcam propter aquas diluvii. Gen. 7. 7. Perditum erat genus humanum; scintilla nostri generis Noe restabat; scintilla in medio mari; nec tamen extinguebatur, neque naufragium faciebat: quippe quæ gubernatores haberet universitatis: non enim afferes illum servarunt, sed robusta Dei manus. S. Chrys. t. 6. tr. in terræ motum.

Vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ &c. Gen. 28. 2. Jubetur Jacob abire peregrè; solum pro culcitra, baculum pro rheda, habens. Theodoretus q. 12. Hac de causa Jacobus aufugit, & solus peregrinatur; ut locupletissimus redeuns & ipse experiretur quanta sit Dei providentia. Eadem ratio de Abraham. Gen. 12. 10. & 13. 1. Velloso in Judith. 5. Paræn. 28.

In qua erat dipsas. Deut. 8. 15. Isidorus l. 12. etymol. 4. dipsades, serpentes nocentissimi: morsi ab eis continuò inardescunt, & siti ardent. Quare incessanter haurientes tandem crepant, & dissiliunt. Magna ergo fuit Dei providentia erga Hebræos, quòd ipsi per quadraginta annos ab his serpentibus, qui in deserto abundant, non sint læsi. Cornelius hìc.

Libri Job tota intentio in hoc versatur, ut per probabiles rationes ostendatur, res humanas divina providentia regi. S. Thom. Aq. Prologo in Job.

Militia est vita hominis super terram &c. Job 7. 1. *& sicut dies mercenarii &c.* Ex utroque exemplo datur intelligi; præsentem vitam divinæ providentiæ subdi; nam milites sub duce militant, & mercenarii à patrono operis mercedem expectant. Id. hìc Lect. 1.

A domino diriguntur gressus viri. Prov. 20. 24. fortis, & strenui, qui magna, & ardua molitur: hunc enim Hebr. *gemer* significat. Directio hæc DEI multiplex. 1. dirigit actiones nostras, cùm ab æterno eas destinat, & præordinat; ut in tempore ad eas excitet, & dirigit, mentem illuminando, & voluntatem ad eas impellendo. 3. cùm modum, eas ordinatè, & feliciter, exequendi, suggerit. 4. cùm obstacula, & obsistentes studiis nostris, amovet &c. Cornelius hìc.

Ex Patribus.

Divina providentia pulchrè omnia moderante, ità universa generationum series ab Adam usque ad finem sæculi administrantur, tamquam unius hominis à pueritia usque ad senectutem temporis sui tractum ætatis gradibus terminantis. S. Aug. l. 83. quæst. q. 53.

Si navigium sine gubernatore non persisteret, sed facilè submergeretur; quomodo subsisteret Mundus tantùm temporis gubernante nemine? Et nè quid plus dicam: navigium Mundum esse puta; temonem, suppositam terram; velum, cœlum vectores, homines, mare, subjectam abyssum: quomodo ergo tanto naufragium tempore non esset factum? S. Chrys. hom. 10. ad pop. Ant.

Corporum, quæ generationi, & corruptioni, obnoxia sunt; compositio, quæ semper custoditur, providentiam esse magnopere ostendit: siquidem in omni particula corporis providentiæ præmeditatio apparet. S. Greg. Nyss. l. 8. de provid. c. 1.

Si perfecta omnia, si robusta, si nullius indigna, gigneret? & pro-

& proferret natura; profectò aboleretur pietas, ingenium deficeret, ars periret &c. S. Chrysol. f. 132.

Sicut, si aliquis videret sagittam directè tendere ad certum signum, quamvis sagittantem non videret, cognosceret statim, quòd dirigeretur à sagittante. Ità cùm videamus res naturales absque cognitione tendere ad certos fines; possumus pro certo cognoscere, quòd operantur ex voluntate alicujus dirigentis, quem dicimus Deum. S. Thom. Aqu. in ep. 1. Cor. 15. Lect. 5.

§. III.

Nihil fit casu, aut fortuitò.

Ex Veteri.

P*Uella, cui ego dixero &c.* Gen. 24. 14. Hæc secum loquebatur servus; & ecce apparet virgo Rebecca. Putas, hæc casu fiebant? absit. Veniebat Rebecca ad fontem, ad servum Isaac; qualem, qui ex illa, & Isaac, nasciturus erat, venire præscripserat. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 8.

Non casu Moyses Ex. 2. 3. 6. in viminea fiscella expositus, à filia Pharaonis inventus, & adoptatus est. Non casu fiebat, quod maximè casu factum videbatur 4. Reg. 13. 21. ut cadaver metu latronum proiiceretur in sepulchrum Elisæi, cujus ossa cùm attigisset, homo ille sepeliendus revixit. Nec casu rex Achab. 2. Paral. 18. 33. inter cervicem, & scapulas, læsus est: *accidit autem & unus è populo sagittam in incertum jaceret*. Certissima Dei manu ferebatur hoc telum. Non casu hirundines Tobiæ 2. 11. domum involabant, virum optimum visu privabant: *hanc tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ.* v. 12. Drexelius Heliotr. l. 5. c. 4. §. 2.

Omnia in sapientia fecisti. Ps. 103. 24. In iis, quæ à Deo proficiscuntur, nihil à ratione alienum, nihil inordinatum, aut fortuitum animadvertitur. Sanct. Gregor. Nyss. lib. in hexam.

Ex Novo.

Non casu factum Luc. 2. 1. ut Christo nascituro universus orbis ab Augusto describeretur.

Ascendit & Joseph &c. Luc. 2. 4. DEUS mirabilis & omnium Artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens. Quando peritus artifex templum sublime, aut domum, vult construere; priùs modellum efficit; postea verò lapides, & ligna aptari jubet, & à rustico portari lapides. Quòd si ab eo roges, quid portas? respondebit, ad talis domus, vel templi ædificium. Quòd si quæras, quomodo iste lapis aptandus est? respondebit, id ego ignoro; operis autem præfectus explicabit. Ità Deus permittit hanc descriptionem fieri per manus Octaviani, & Cyrini, quam Dominus dirigit ad utilitatem universi: quia prædictum fuerat. Michææ 5. 2.

Et tu Bethlehem &c. Ut hoc adimpleatur, fit descriptio; ut Dominus nascatur in Bethelehem. Interroga Octavianum, ut quid hæc descriptio? in meum commodum. Stella hic.

Non casu *pastores erant in regione illa*, non casu vigilabant. Luc. 2. 8 Alto Dei nascentis consilio ibi positi erant. Baeza t. 2. l. 6. §. 8.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7. 12. Nihil improvisum Christo accidebat; longè habebat antè omnia prævisa. Non accidit occursus hic inopinatus: in urbem Naim ideo venit; ut tanto miraculo fidem, nomenque suum illustraret. Barradius t. 2. l. 8. c. 6. Dom. 15. Pent.

Ad fontem Sichar non casu consedit Christus, cum Samaritana colloquturus. Joan. 4. 5.

Ex Patribus.

Non tibi videantur casibus moveri, quæ verbo Dei in omni motu suo deserviunt. Quò vult Deus, illuc lucet ignis: illuc fertur nubes; sive pluviam, sive nivem, sive grandinem, portet. Et quare aliquando montem percutiunt fulmina, & non percutiunt latronem? - quia fortè adhuc latronis conversionem quærit: & idcò percutitur mons, quia non timet; ut mutetur homo, qui timet aliquando. Et tu, cùm das disciplinam, terram feris, ut infans expavescat. - Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere, nisi voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius. S. August. in 148.

Si intrares in officinam fortè fabri ferrarii; non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Artifex novit quare etsi ego non novi. In officina non audet vituperare fabrum; & audet in hoc Mundo reprehendere Deum? Ergo, quemadmodum *ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus:* Sic omnia, quæ vanis videntur in rerum natura temere fieri, non faciunt, nisi verbum ejus: quia non fiunt, nisi jussu ejus. Id. ib.

Nihil aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio, & causa, secreta est: nihilque seu commodi, seu incommodi, contingit in parte, quod non conveniat, & congruat Universo. Id. l. 1. contra Academicos c. 1.

Fratres, non rogata venit illa, sed justa: ipse sic fecit eam fisti sibi, qui illam cœlesti sententia jussit absolvi. S. Chrysol. f. 93. de Magdalena.

Historia.

Lusitanus miles alea ludens sexcentos aureos amiserat. Tristis, & inops consilii, ad Franciscum confugit. Ille ex veneno medicinam petendam ratus, aleam ab eo poscit, suaque manu permistam reddens, repetere lusum jubet, amissa recuperaturum. Non fefellit repentè mutata sors; secundo usus ludo recuperavit cuncta. Suo recepto ludere pergentem Franciscus inhibuit; nec miles abnuit: sed beneficii memor salubribus ejus præceptis impense paruit; quin etiam ultrò promisit, se impostorum numquam alea lusurum & extitit promissi fides. Quis in hac alea non agnoscat Domini manum, sicut & in aleæ lusu Horatius Turselinus lib. 6. c. 2. in vita S. Franc. Xav. Vide mirabilem divinæ Providentiæ dispositionem apud Stengelium t. 1. div. Judic. c. 28. fusiùs relatam.

De puerulo memorat Olaus l. 9. c. 28. cui casus, & Deus, insignem gloriam peperit; quando hoste Groningam, Frisonum urbem obsidente, artem parentis imitari volens filius, igne in tormentum immisso, caput illustrissimis Ducis in obsidione foris milites exhortantis, ferreo globo expulso, avulsit, & obsessis quietem peperit. Lusit tunc puer; sed Deus seriò egit, qui pueri manum in hostem direxit. Sicut 3. Reg. 22. 34. vir quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel &c. Sagittarius casu, Deus consilio, regem percussit. Stengelius t. 1. Judic. div. c. 25. Plura similia invenies apud Stengelium hic.

§. IV.

Nihil sine causa.

N*On est dicere, quid est hoc? aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur.* Eccl. 39. 26. Græc. *omnia enim in usus suos creata sunt. Tò quærentur* per metalepsim accipi potest cum Jansenio, pro *cognoscentur*, vel *declarabuntur*, ac *cognita comprobabuntur*, ut ait v. 40. solent homines ignorantes, & superbi, mirari, & judicare, nonnulla Dei opera; quorum ipsi causam, usum, & finem; non intelligunt; quasi inutilia, supervacua, imò impertinentia. Unde dicunt: *quid est hoc? aut quid est istud?* q. d. quis est hujus, vel illius rei, usus? & finis? quid commodi hoc, illudve, adferret? Retundit eorum ignorantiam, & eorum fastum; causamque subdit: *omnia enim in tempore suo quærentur, & cognoscentur, & cognita probabuntur.* Cornelius hic.

Videmus, nihil esse in omni Mundo, quod non habeat in se maximam mirabilem rationem. Lactantius l. de ira Dei.

Nemo ex me quærat, cur quidque fiat? Satis est, nihil fieri, nihil gigni; quod non aliqua causa genuerit, atque moverit. S. August. l. 1. de ord. c. 6.

§. V.

Malè astris adscribuntur bella &c.

V*idete, nè quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm ele menta Mundi; & non secundùm Christum.* Colosf. 2. 8. S. Ambros. l. 4. hex. c. 4. quomodo Dominus aut bonis proemia proposuit, aut improbis pœnas; si facit necessitas disciplinam? & conversationem stellarum cursus informat? Quàm multos videmus, ereptos criminibus, atque peccatis, in meliorem statum esse conversos: S. August. de Civ. l. 5. c. 7. fatum ponentes, nolunt advertere, quòd electo ad seminandum agrum die, tam multa grana in terram simul veniunt, simul germinant, & extorta segete simul herbescunt: & tamen inde spicas, cæteris coævas, alias rubigo interimit, alias aves depopulantur, alias homines avellunt. Quomodo, istis alias constellationes fuisse, dicturi sunt; quos tam diversos exitus habere conspiciunt? Id. de Civ. l. 5. c. 34. de geminis hominibus plurima, plurimumque diversa, monstremus. Nati enim sunt duo gemini. Gen. 25. 25. veterum Patrum memoria, sic alter post alterum; ut posterior plantam prioris teneret. Et tanta in eorum vita fuerunt, moribusque, diversa; tanta in actibus disparilitas; tanta in amore parentum dissimilitudo; ut etiam inimicos eos faceret inter seipsa distantia. Unus à matre diligebatur; unus honorem amisit, alter adeptus est.

§. VI.

§. VI.

Providentia Dei extendit se ad omnia.

Ex Veteri.

F*ecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus, tunicas pelliceas, & induit eos.* Gen. 3. 21. Quid per vestes pelliceas intelligendum? admirari oportet perennem ejus bonitatem: quippe qui etiam delinquentium curam gerat; nec vestimentis necessariis carere nudos permittat. B. Theodoretus q. 39. in Gen.

Mansuncular in arca facies. Gen. 6. 14. Sept. *nidos facies arcam.* Symbolicè S. Ambros. l. de Noe c. 6. omne corpus nostrum attextum est, sicut nidus: nidi quidam sunt oculi nostri, quibus se visus inserit. Nidi sunt nostrarum sinus aurium - nidus est narium &c.

Vidit scalam. Gen. 28. 12. Per hanc intelligit B. Theodoretus q. 82. divinam providentiam, quæ cœlum & terram attingit. Sed nota, quòd scala hæc priùs fit super terram, & postea cœlum tangat. Cur non primò nominatur cœlum, utpote nobilis, & sedes spirituum? sed priùs terra; in qua serpentes, & bruta? Adeò sollicita est divina providentia circa minima &c. S. August. ad illud Sap. 8. 1. *attingit à fine usque ad finem.* l. de gratia, & lib. arb. à cœlo usque ad inferiores partes terræ; à maximo angelo usque ad minimum vermiculum. Sylveira in Matth. 6. 25. q. 7.

Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Ps. 146. 9. Traducit apud sacros Scriptores corvus, ut animal pullorum odio laborans: nam, cùm fatum exclusérint, repudiant, neglecta nutricandi cura. Sed, quæ creaturam omnem pervadit divina providentia, pullis ipsis corvorum, occulta quadam ratione, à minutis quibusdam animalibus escam parat. S. Basilius Seleuc. orat. in S. Eliam.

Attingit, à fine usque ad finem, fortiter, & disponit omnia suaviter, &c. Sap. 8. 1. Functiones illius, creatio, gubernatio, conservatio, cooperatio. Dicitur provisor: quia per ipsius providentiam omnia in suis speciebus, & naturis individuis, cum suis ornamentis, & proprietatibus, & functionibus, existunt. Cujus creaturæ dedit vires, & instrumenta congruentissima, ad suas functiones: ut apparet etiam in vilissimis vermiculis, & eorum partibus; in plantis, & floribus. 2. nihil in toto universo fieri potest, quod ipse antea, in luce infinitæ sapientiæ suæ, exactissimè non consideravit; & quasi deliberaverit, an conveniat illud velle ut fiat. Quidquid enim modo inordinatum videtur, ipse postea ad pulcherrimum ordinem revocat. Quid est aliud cujusque rei ingenium, & nativa propensio, quam providentiæ ejus vestigium, & impressio? Considera venatum aranearum, apicularum artificia, avicularum nidos, stupendam bombycum indolem, formicarum industrias. Numquam ejus providentia ordo, ac dispositio, proprio sibi commenso fine frustratur; sed hunc semper assequitur. Quod etsi modò nondum appareat, durante adhuc Mundi cursu, & termino, quo tendunt omnia, nondum adducto: ubi tamen, decurso stadio suo, ad metam pervenerit; tunc se vis providentiæ divinæ aperiet, & clarè perspicietur; quàm sapienter, quàm suaviter, & congruè naturis rerum, & saluti mortalium; quàm convenienter divinæ gloriæ, omnia ab ipso fuerint administrata. Itaque nihil omnino prudentiùs præstare possum, quàm si me totum sapientissimæ Dei providentiæ committam. Leon. Lessius de 50. Dei nominib. c. 30. Providentia l. 11. c. 1.

Ex Novo.

Respicite volatilia cœli. Matth. 6. 26. Proponit Dominus non leones, elephantos, & ursos; sed minima animalium: ut doceamur, quòd providentia Patris non solùm ad magna se extendit, sed etiam ad minima; ut omnibus provideat. Sylveira hic q. 11. E scholis avium venio; à quibus præclaram lectionem de fiducia in Deum audivi. Hanc repetam. Noveris: non pulcherrimis tantùm, & maximè canoris; sed etiam passerculis, granariorum depeculatoribus, à Deo prospectum; nec sine ipsius nutu quidquam deesse. Satis ei provisum est, qui vivit sub cura Dei: non deseret ille nos homines, qui prospicit avibus. Joan. Rho in Caduceatore Aff. 47.

Si autem fœnum agri &c. Matth. 6. 30. idest, si, quæ citò decidua concremantur igne, artifex omnium tam venusta ornat specie; quantò magis vos procurabit in necessariis, qui ad æternam hæreditatem pertinetis. Beda l. 1. hic.

Rogabant - mitte nos in gregem porcorum. Matth. 8. 31. Possum dicere, porcorum quoque setas tunc numeratas apud Deum fuisse, nedum capillos Sanctorum. Tertull. de fuga in persecutione.

Nonne duo passeres &c. Matth. 10. 29. Est sensus: si parva animalia, & vilia, absque Deo authore non decidunt, & in omnibus est providentia; & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt: vos, qui æterni estis, non debetis timere, quòd absque Dei vivacis providentia. S. Hieron. l. 1. hic. Miror, Christum, in confirmationem divinæ providentiæ, passeres allegare: qui, cùm familiares domibus sint, facilè se nutriunt. Mirarer magis profugas, solitariasque, aviculas à Deo ali. Sed difficiliùs ostendit, passeres in urbibus pasci posse, quàm in agris reliquas volucres: his enim plures tenduntur laquei, quàm escæ præbeantur; magisque iis aditus omnis ad cibum obstruitur. Oliva lib. 13. Strom. Luc. 12. nonne quinque passeres.

Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Matth. 10. 30. Non est hyperbolica hæc locutio, sed verissima, ut ait Cajet. cùm verè capillorum numerus notus sit Deo. Nam, ut ait Euseb. Gallic. in Nat. plur. MM. non est autem ei difficile capillos numerare, cui difficile non fuit creare. Sylveira hic q. 12.

Ex Patribus, & aliis.

Qui non solùm cœlum, & terram; nec solùm angelum, & hominem; sed nec exigui, & contemptibilis, animantis viscera; nec avis pennulam, nec herbæ fiosculum, nec arboris folium; sine suarum partium convenientia, & quadam veluti pace, dereliquit: nullo modo est credendus regna hominum, eorumque dominationes, & servitutes, à suæ providentiæ legibus alienas esse voluisse. S. August. de Civ. l. 5. c. 11.

Attendat Charitas vestra: quis disposuit membra pulicis, & culicis; ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem, minutissimam, considera, quam volueris - pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos. Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sorbet? Quàm tenuis fistula est, qua sorbet! Quis disposuit ista? quis fecit ista? Expavescis in minimis, lauda magnum. S. Augustinus in Psal.

Bengalenses, dici nequit, quantopere tigres reformident. Cœterùm providentia Dei creavit bestiolam; catelli magnitudinem non superantem; quæ conspectam semel tigridem mox aggreditur, & latratu suo in fugam convertit: ut hominibus æquè, ac aliis animantibus, tempus sit, abdendi se in latebram. Ex epistola Nicolai Pimenta de statu rei Christianæ in India Orientali.

§. VII.

Providentia Dei de alimentis.

Ex Veteri.

P*Rimum hominem in horto collocavit.* Gen. 2. 15. Jacobo in fame per Joseph alimenta providit. Gen. 45. 11. In eremo panem de cœlo. Ex. 16. 14. potum de terra dedit.

Invenit in ipso anno (sterilitatis) *centuplum.* Gen. 26. 12. Unde patet, hanc messem, non per sertionem, non per agrorum fertilitatem; sed per miraculum, Dei beneficio, obtigisse Isaac: ut ex uno modio à se seminato meteret centum modios. Cornelius hic.

Gomor per singula capita. Ex. 16. 16. Hoc primum, illudque ingens, miraculum in manna; quòd scilicet & tanta copia quotidie deplueret; quæ tribus hominum millionibus alendis sufficeret: & quod singuli domum venientes, cùm manna à se collectum metirentur, sive plus, sive minus, collegissent; omnes tamen unum, idemque, gomor reperirent: Angelo scilicet invisibiliter addente; si minus, quàm gomor; demente, si amplùs, collegissent. Hinc sequitur; omnes tunc quotidie ex manna comedisse unum gomor, parvulos, robustos, viros, fœminas, senes, Deus enim cuique in stomacho, & corpore, ità concoquebat, & dispertiebat suum manna; ut æqualiter omnes satiaret: ut in debili stomacho esset facilis digestionis, in stomacho robustiore validis. Cornelius hic. Dignum inquisitione est: cur Domine non dedisti eis panem ad mensam; aut quem ad hebdomadem saltem servare possent; sed ad singulos dies? Vult Dominus nos semper ab ejus providentia pendere; quoniam novit; non aditurus nos eum, nisi indigeremus. Qua in re melior est pauperum, quàm divitum, conditio: sunt enim singulis diebus pauperum oculi ad Dominum, ut eorum misereatur, & necessaria, saltem ad illum, tribuat diem: ut etiam nullus transeat dies, quo Dei circa se non sentiant beneficia. Oleaster. hic.

Pones super mensam panes propositionis. Ex. 25. 30. Voluit semper coram se panem habere; ut continuæ nostræ indigentiæ memor esset. Oleaster hic. Causa, quare ponebantur isti panes, exprimitur Levit. 24. scilicet in memoriam filiorum Israel, ut Deus recordaretur eorum. Abul. q. 28. hic.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Facite homines discumbere. Joan. 6. 10. Discamus ex hoc miraculo, nè pusillanimes simus in angustiis, & paupertate; neque timidi simus in hospitalitate, & communione: sed credamus, quòd, etiamsi unum tantùm panem habeamus,

illum multiplicaturus sit; qui ex quinque panibus tantum superesse fecit. Theophylactus. hic.

Nemo debet de vita ista desperare; nemo timeat; nemo debet dicere: si senuero, unde habeo vivere? si infirmus factus fuero, unde vivo? Christum habes; & times? si volatilia cœli pascit, dubitas, quod possit te pascere? diabolus pascit suos homines; & Christus non pascet suos servos? S. Hieron. in Ps. 107.

Bonus, & pius Dominus qui promisit æterna, non negabit temporalia. Thom. Kemp. conc. 18.

In promissis veritatis nemo dubitet: sit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia. S. Hieron. in c. 6. Matth.

§. VIII.

Providentia Dei specalis de Sanctis.

Ex Veteri.

Donec ingrediaris illuc. Gen. 19. 22. Urget hæc Dei verba, *non potero facere quidquam*. Prado in c. 9. Ezech. 6. ò divinæ bonitatis pelagus! nonne satis erat, fidem astrinxisse suam, Dei Angelum erepturum Loth de Sodomæ incendio? quorsum tanta cunctatio? Videlicet acceperat Angelus à Domino mandatum, non modò salvandi Loth, sed etiam ipsum sospitem, tutum, & securum conservandi. *Non potero*, inquit, *facere quidquam*. At peccata Sodomorum multa sunt nimis: *non potero &c.* At impleta sunt scelera eorum: *non potero &c.* At clamant in cœlum: *non potero &c.* Quorsum tam insolita providentia? quò nepotem Abrahæ nec tangat, nec olfaciat, nec percellat, percutientium calamitas. Apud Cornelium hic.

Reversæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cunctli exercitus &c. Ex. 14. 28. S. Basilius hom. 9. quærit cur Deus, cùm divisisset aquas maris, & iter præbuisset Hebræis, reducens aquas oppresserit Pharaonem cum Ægyptiis? respondet: seipsum præcipitem dedit; dum cordis arrogantia fretus, iter justorum ausus est ingredi.

Erit anima Domini mea custodita quasi in fasciculo &c. 1. Reg. 25. 29. Pulcherrimè comparatione statum justorum à reprobortum sorte discernit: hos lapidi fundæ assimilat, illos fasciculo. Fasciculus enim constringitur, ut integer maneat, & conservetur; lapis in funda expeditus ponitur, ut abjiciatur. Sic enim in hoc sæculo electi pressuris tribulationum coangustantur; ut, his admoniti, arctiùs se ad invicem mutua charitate connectant, & coadunati ad invicem manu sui Redemptoris in perpetuum conserventur. At verò reprobi, quantò licentius in hac vita voluptatibus propriis, veluti liberi, dimittuntur; tantò longiùs in futuro à divinæ visionis gloria proficiuntur; ut de eis meritò dicatur: *ipsi de manu tua expulsi sunt*. Mirè autem omnipotentem providentiam describit superni Protectoris; cùm dicit, animam viri sancti quasi fasciculo apud eum custoditam. Sicut enim facillimum est cuilibet fasciculum herbæ, vel fœni, sua manu retentum conservare; ità virtus Domini omnes per orbem electos, nè qui ex eis pereant, sine labore tuetur. V. Beda l. 30. quæst. in lib. Reg. q. 6. hic.

Sub umbra alarum tuarum protege me. Psal. 16. 8. Alas habere dicitur Deus pro eo, quòd, more avis, electos suos, tanquam pullos, sub se jungit, fovet; & ab insidiis diaboli, & malorum hominum protegit. S. Anselmus lib. de vestim. & alis Deo attributis. Alas.

Dominus regit me. Ps. 22. 1. Ut dux viatorem, nè deviet; ut lux in tenebris ambulantem, ne exorbitet, ut pastor gregem, nè à lupis pereat. Dominus regit me ut navem, ut regnum, ut exercitum ut cœcum, ut equum fræno, & stimulo. Regit me ut scholas. *Qui sedes super cherubim*; idest, plenitudinem scientiæ. Hugo Card. hic.

Timete Dominum omnes Sancti ejus quoniam non est inopia timentibus eum. Psal. 33. 10. Pascebat te Dominus contemnentem se; & deseret te timentem se? S. August. hic.

Justorum animæ in manu Dei sunt. Sap. 3. 1. idest, in peculiari Dei cura, providentia, tutela, directione. Moraliter portatur justus manu Dei. 1. sicut puer manu matris, vel nutricis, juxta illud Os. 11. 3. *& ego, quasi nutritus Ephraim, portabam eos in brachiis meis*. 2. sicut charta est in manu scriptoris; ut in ea scribat, & pingat, quidquid velit, juxta illud Is. 49. 16. *Ecce in manibus meis descripsi te*. Sic Christus crucifixus in manibus suis inscripsit dilectos suos, non calamis; sed clavis; non atramento, sed sanguine: ut amorem suum eximium in nos testaretur. 3. sicut anulus est in manu regis: atque enim pretiosa est anima justi in manu, & oculis Dei. Vide Jerem. 22. 24. Eccl. 49. 13. Aggæi 2. 24. 4. sicut æger debilis est in manu confortantis, juxta illud Ezech. 3. 14. *manus Domini erat mecum confortans me*. 5. sicut materia, vel instrumentum, est in manu artificis: ut eas tunsionibus, pressuris, patientia, omnique virtute, & gratia expoliat. Cornelius hic.

Serve Dei, tolle prandium. Dan. 14. 36. Talem enim discophorum inopia meruerat hebdomadis. S. Hier. l. 2. contra Jovi.

Ex Novo, & Patribus.

Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Luc. 12. 7. Non quicumque capilli numerantur, sed hærentes capiti. Obediens, suoque adhærens capiti, Dei in se curam provocat. Oliva l. 13. Strom. hic.

Nolite quærere, quid manducetis. Luc. 12. 29. *Pater vester*. Cajet. & hæc sola ratio sufficit ad confidendum. Nicetas in or. 44. Naz. ait: parata rerum copia creatum ultimò Adamum esse; ut Mundum ingressus inopia minimè laboraret.

Servum Christi non custodia temporalis, sed Domini providentia, sepire consuevit. S. Ambros. orat. in Auxentium de Basilicis tradendis.

§. IX.

Providentia Dei de uno, ut de omnibus, quasi de te solo.

Vidit Dominum innixum scalæ. Gen. 28. 12. 13. Nota, Deum suos, præsertim virtute præstantes tanta cura per se, & Angelos, curare; ac si iis totus incumberet, nec quicquam aliud curaret in toto Mundo, Juxta illud Cant. 2. 16. *dilectus meus mihi, & ego illi*. Cornel. hic.

Ego sum Deus Abraham &c. Exod. 3. 6. Quæres, cur hic ter, purà ad singulos, repetatur nomen Dei. R. ut ostendat Deus; quantam singulorum habeat curam: quòd unum curet, sicut omnes; & quòd singulorum sit totus. Cornelius hic.

Sic intendunt divina judicia super unam animam, sicut super unam urbem; sic super unam urbem, sicut super unam gentem, sic super unam gentem, sicut super universam humani generis multitudinem: quia & sic intendit Dominus singulis, acsi vacet à cunctis; & sic simul intendit omnibus, acsi vacet à singulis. S. Greg. mor. l. 25. 13.

Sic gressus meos, semitasque, consideras; & die, noctuque, super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus; velut si totius creaturæ tuæ, cœli, & terræ, oblitus, tantùm me solum consideres, & nihil sit tibi curæ de aliis. S. August. solil. c. 14.

O tu bone omnipotens! qui sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures; & sic omnes, tanquam singulos. Id. lib. 3. Conf. c. 11.

Ità tibi intendit Deus, ità tui curam jugiter habet; quasi tu solus in toto terrarum orbe viveres. Blosius parad. an. c. 2.

§. X.

Providentia Dei è malis physicis, & moralibus, elicit bona.

Ex Veteri.

Ecce somniator venit: venite occidamus eum. Gen. 37. 19. Tolle malitiam fratrum ejus, tolle invidiam, tolle illud omne parricidiale commentum, quo sævierunt in fratrem, usquequo venderent eum. Si hoc auferas, vide quantam simul peremeris dispensationem Dei: simul enim abscindes cuncta illa, quæ apud Ægyptum per Joseph pro salute omnium gesta sunt. Orig. hom. 14. in Num. 23. Quia mutari Dei consilium non valet: quem ideo vendiderunt, ne adorarent; adorarunt quia vendiderunt. S. Greg. h. 21. in Ezec. Quidquid in contrarium moliaris, resistente licèt Universi creatura, pugnantibus tenebrarum potestatibus: per eas ipsas contrarietates justus vadit, secundùm quod scriptum est de eo. Baeza t. 1. l. 3. cap. 6. §. 6. Per ipsos insidiatores ei contexebatur diadema, & comparabatur purpura; & ab infamiæ occasione, honoris, & regni, ei causa processit. S. Chrysost. in Ps. 138. de Joseph. Pensemus, quomodo sapientes in ipsa sua astutia vis divina comprehendat. Ideo ab eis venditus erat Joseph, nè adoraretur: sed ideo est adoratus, quia venditus. Astutè namque aliquid agere ausi sunt, ut Dei consilium mutaretur, sed divino judicio, quod declinare conati sunt, renitendo servierunt. Sic divinum consilium, dum devitatur, impletur: sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur. S. Gregor. mor. l. 6. c. 12.

Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum. Gen. 50. 20. *Misit ante eos virum*. Psalm. 104. 17. Meritò dixit *virum*: quia multa passus viriliter cuncta sustinuit. Considerandum est etiam, quod dicit, eum *Dominum* misisse; qui fratrum suorum iniquitate distractus est. Novit enim Deus bene uti malis alienis: sic enim illi omnia adversa feliciter contigerunt; ut missio facta sit Domini Joseph dolosa venditio; sicut & ipse suis fratribus dicit. Gen. 45. 5. *pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægypto*. Cassiodorus in Ps. 104.

Præce-

Præcepit ergo Pharao-quidquid masculini sexus natum fuerie, in flumen projicite. Ex. 1. 22. Cur parentes potuerunt abscondere Aaron, non Moysem? S. Chrysost. ho. 14. in Acta semper, quæ videntur esse contra nos, pro nobis fiunt. O mirabile est, quòd non per ea, quæ videntur, securitatis esse; sic planè per contraria, omnia pro nobis fiunt. Jussit Pharaoni flumen proiici pueros. Nisi pueri fuissent projecti, non fuisset servatus Moyses; non in aula educatus fuisset. Quando expositus est, tunc factus est in honore. Altissima Dei providentia id, quod erat mandatum ad interitum, ordinat ad salutem, vitam, & exultationem. Sylveira in Act. 7. 21.

Idcirco posui te; ut ostendam in te fortitudinem meam; & narretur nomen meum in omni terra. Ex. 9. 16.

Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Ps. 110. 2. & tam sapienter exquisita; ut, cùm Angelica, & humana, creatura peccaslet, idest, non quòd ille, sed quod voluit ipsa, fecisset; etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod creator noluit, implevit ipse, quod voluit: bene utens & malis tamquam summe bonus. S. August. Enchir. c. 100.

Radix sapientiæ cui revelata est? Eccli. 1. 6. Qua ratione Deus bonum è malo eliciat, radicis similitudine explicatur. Radices enim, licèt fœtidis, & immundis, aquis riges; ex illis tamen arbor humorem elicit, quo flores, & fructus, ramis subministrat; & quibus idem, qui cœnosas aquas immiserat, nutriatur. Octavianus hic.

Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Isa. 2. 4. Quando id factum? ut gladii, qui sunt ad perdendam vitam, convertantur in aratrum, & instrumentum alendæ vitæ? & lanceæ, quæ sunt ad occidendum, sint pro metendis alimentis? Hoc totum videmus in Paulo impletum, ait Tertull. l. Adv. Gnost. c. 13. Paulus Apostolus, de persecutore, qui priùs Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, & convertens machæram in aratrum; Lupus rapax Benjamin, deinde afferens ipse escam. Sylveira in Act. 9. 2.

Ex Novo.

Filia mea modò defuncta est. Matth. 9. 18. Moriebatur ista duodennis puella; nec Christus ante mortem voluit subvenire: ut per revocationem à morte attolleretur miraculum; et fides scientium perampliùs firmaretur. Sim. Cass. l. 5. c. 14.

Et Judas Iscariotes, qui & tradidit eum, Matth. 10. 4. Habuit Christus inter Apostolos unum; quo malo utens bene, & suæ Passioni dispositum impleret, & Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum. S. August. de Civ. l. 18 c. 49. Non Judæ traditio, sed sapientia Christi, atque potentia, salutem peperit universis. Christus enim improbitate aliorum ad utilitatem nostràm usus est, S. August. hom. 82. in Matth. 26.

Filia mea malè à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22. Ut quid malè? nunquid aliquando benè vexare quempiam volet? minimè sua intentione duntaxat, sed divina providentia, quæ benè malis utitur; dæmonum malorum hominum, voluntatibus sunt secutæ coronæ. Clamat hoc Martyrum exercitus, vexantibus dæmoniis, tyrannorum terrore, & suppliciis, consecratus. Hæc filia, materno judicio, malè à dæmonio vexabatur: sic enim intentione Sathanica; sed ad profectum utriusque, benè vexata fuit: nam ambæ, in anima liberæ à culto aversæ Gentilium, in Christi familiam transierunt. Sim. Cass. l. 5. c. 24.

Filius hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Matth. 26. 24. Non obfuit proditoris insania, sed servivit Domini viis, & inter inimicorum rabies contrariantes viam invenit, qua citiùs perveniret ad gloriam præparatam Baeza t. 1. l. 3. c. 6. §. 6. Si auferas malitiam Judæ, proditionemque ejus perimas; absturleris pariter Crucem Christi, & Passionem ejus &c. - Et propterea puto, in divinis voluminibus scripta esse bonorum gesta, & malorum; & ex sinistris, & dextris actibus scripturas divinas esse contextas: ut intelligamus: quia apud Deum otiosa non sunt, nec malorum opera, nec bonorum. Orig. hom. 14. in Num.

Infer digitum tuum huc. Joan. 20. 27. Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem: quàm fides credentium Discipulorum, profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur; nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solidatur. S. Gregor. hom. 26. in Evang.

Vexatos à spiritibus immundis. Actor. 5. 16. Hic, & in Evangeliis, crebra fit mentio possessorum à dæmone, quos curavit Christus, & Apostoli; immò crebrior, quàm in toto Testamento veteri: quia vigebat tempore Christi hæresis Sadducæorum negans esse Spiritus. Ad hanc refutandam, permisit Deus dæmoni homines possidere; in eisque se, & vim suam, ostendere: idque aliquando sine culpa, aliquando ad puniendam culpam, vel obsessorum, vel parentum. Simili de causa permittit DEUS tot sagas, & magos; contra Atheos? qui negant omnem Spiritum, immò omne Numen. Corn. hic.

Petiit ab eo epistolas. Actor. 9. 2. Cur Saulus à Pontifice non petit mandata, sed epistolas? non decreta, provisiones. Perpende profundam DEI sapientiam. Postulat eas ad Ecclesiam Christi destruendam: Ordinat DEUS, ut ipse scribat, & nobis det epistolas divina sapientia plenas, ad fundandam, & illustrandam, Ecclesiam. O mutatio dexteræ Excelsi, qui sic rerum ordinem, ac stylum, immutat; qui sic hostilia arma convertit in auxilia, & parrocinia. Et sic manus armata cum epistolis, ad expugnandam Ecclesiam, sit manus armata cum epistolis ad fortiter pugnandum pro defensione ipsius Ecclesiæ. Sylveira hic. q. 2.

Forsitan enim ideo discessit ad horam à te, ut æternum illum reciperes. Scribit. S. Paulus ad Philemonem v. 5. de Onesimo. S. Hieron. si dominum non fugisset, nunquam venisset Romam, ubi Paulus erat vinctus in carcere. Si Paulum in vinculis non vidisset, non recepisset fidem in Christum. Si Christi non habuisset fidem, nunquam Pauli effectus filius in opus Evangelii mitteretur. Ex quo paulatim, & per gradus suos minister Evangelii est factus Onesimus; quia fugit à domino. Apud Did. Nyss. D. 4. Pasch. §. 3.

Videbunt corpora eorum per tres dies, & dimidium. Apoc. 11. 9. Anti-Christiani eo consilio non sinent Sanctos sepeliri, ad majorem ignominiam. At providentia DEI ordinavit; ut eorum malitia inserviret ad majorem gloriam. Albertus M. Vult DEUS insepultos esse; ut major sit eorum gloria, ut evidens fiat eorum resurrectio: quia, si sepulti essent, non esset ità clarum de eorum resurrectione. Sylveira hic.

Ex Patribus, & aliis.

Dicimus, dispositione quadam, & sapientia DEI, ità in hoc Mundo esse disposita, ut nihil prorsus otiosum sit apud DEUM; etiamsi malum illud sit, etiamsi bonum. Orig. hom. 14. in Num. Sensus est, non ipsa verba.

Si homo ad imaginem, & similitudinem DEI factus in suæ honore naturæ mansisset; nec diabolica fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset; Creator Mundi creatura non fieret; neque aut sempiternus temporalitatem subiret; aut æquali Deo Patri Filius Deus formam servi, & similitudinem carnis peccati assumeret. S. Leo s. 3. in Pentecoste.

Neque DEUS nilum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciisset; nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret: atque ità ordinem sæculorum, tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi anthithedis, honestaret. S. Aug. de spir. l. 11. c. 18.

Sicut iniqui malè utuntur bonis operibus Dei; sic contra Deus benè utitur malis operibus iniquorum. Id. tr. 27. in Joan.

DEUS permisit hominem tentari, quem sciebat esse casurum: quia simul videbat, eo casu se uti posse ad misericordiam, & justitiam, declarandam: dum ex damnata massa alios justè puniet, alios misericorditer liberabit. S. August. de grat. &c. c. 10.

Est maximum divinæ providentiæ argumentum; non sinere, ut vitium, quod ex voluntaria defectione ortum est, inconducibile maneat, & inutile; sed nec sit omnino noxium. &c. Clemens Alexand. l. 1. Strom. c. 8.

Multi adhuc, Deo dispensante, cadunt; ut fortitiores resurgant: & qui priùs ante lapsum habuerunt solummodo gratiam adjuvantem, post ruinæ reparationem accipiunt simul & gratiam confirmantem. Rich. à S. Vict. de erud. hom. inter. l. 2. c. 50.

Diabolus prodest.

Permissus est ad probandum Job Sathanas. - Nescit diabolus; quanta bona de illo fiunt, etiam cùm sævit. Sæviens intravit in cor Judæ, sæviens tradidit Christum, sæviens crucifixit: & crucifixo redemptus est orbis terrarum. S. August. in Psal. 130. Ecce sævitia diaboli diabolo obfuit; nobis autem profuit. Sæviendo enim, quos tenebat, amisit, redemptos sanguine Domini; quem, cùm sæviret, effudit. Ib.

Diabolus sibi ipsi, non nobis, est malus: nos enim, si velimus, plura etiam commoda per illum, perque illius nequitias consequimur; illo etiam invito, ac renuente: quod est profectò mirabile. Et in hoc divinæ bonitatis magnitudo conspicitur. S. Chrysost. de provid. Dei l. 1.

Ubique voluntas est in causa, ubique nostrum arbitrium est auctor: quandoquidem diabolus etiam utilis nobis est; si eo, prout oportet, utamur. S. Chrysost. tom. 6. serm. cur è medio non sit sublatus diabolus. Ex quo cecidit de cœlo superbus hic Angelus; & ad laudem, vel gloriam, justi Judicis factus est diabolus. Quidquid unquam egit, vel agere voluit; totum ad obsequium, & honorem Dei profecit; & proficere non desinit usque in finem Sæculi. S. Rupertus l. 2. de oper. Spir. S. c. 25.

Vide Diabolus. Infernus.

TITULUS XXXVI.

PRUDENTIA.

§. I.

Symbola.

Dividant diem, ac noctem. Gen. 1. 14. Prudentia, quasi diei quarti lumen, erumpat; per quam inter facienda, & non facienda, quasi inter diem, & noctem dividamur. Aelredus Abb.

Nomine Jachin. 3. Reg. 7. 21. *Jachin.* Hebr. idem, quod *directio, & rectitudo, Booz*, idest, *in eo fortitudo*. Tropol. quilibet Fidelis, & Sanctus, eget columna duplici; ut fiat templum DEI: scilicet *Jachin*, idest, prudenti, rectaque directione, ad decernendum id, quod agendum est: & *Booz*, idest, fortitudine ad illud exequendum. Prudentia enim præit quasi lux, viam virtutis, & sanctitatis, ostendens: unde dexteram occupat. Cornelius hic.

Prudentia comparatur astutiæ serpentis. Deludit enim incantatorem obturando unam aurem cum terra, & aliam cum cauda. Sic viri Sancti, & prudentes, deludunt incantatorem, idest, tentationem diaboli: quia unam aurem obturant cauda, idest, memoria mortis, & aliam obturant terra, idest, consideratione propriæ fragilitatis. S. Bonaventura diæt. Sal. c. 28. de prudentia.

Serpens lippientibus oculis feniculi succo medetur; ità & tu veræ prudentiæ pharmaco discute omnes inconsiderationis nebulas. S. Basilius hom. 9. hexam.

Prudens vir assimilatur hyacintho. Nam sicut dicit Diosc., Hyacinthus aeri se maximè conformat, ut sit in nubilo nubilosus, & in sereno serenus: similiter homo prudens conformat se decenter statui aliorum, cum quibus habet convenire. Geminiani l. 2. c. 28.

§. II.

Prudentiæ definitio.

PRudentia, est rerum bonarum & malarum, & neutrarum, scientia: partes ejus memoria, intelligentia, providentia. S. August. l. 83. Quæst. q. 30.

Vera hominis consulti prudentia, discretio est rerum, quæ faciendæ sunt, & non faciendæ: & velut probus nummularius; quod probum est, retinet, & ab omni mali specie cavet. S. Basilius in princip. Proverb.

Prudentia, est virtus electiva boni, & fugitiva mali. Hugo Card. in Prov. 17.

§. III.

Prudentia futura prospicit.

NUm invenire poterimus talem virum, qui Spiritu DEI plenus sit? Gen. 41. 38. Joseph sapientissimus habitus est, quod consilium Pharaoni suggessisset; ut fertilitatis tempore omnia regni horrea frumento compleret, quod tempore sterilitatis usui foret. Ipse Rex eum laudavit. Et sane plenus ille Spiritu DEI dicendus est, qui sibi ipsi priùs consulit interea, dum magna apparet in Mundo fertilitas, terraque misericordia repleta est (*misericordia tua Domine plena est terra.*) Psal. 118. 64. de virtutibus, bonisque operibus; ut iisdem, dum maximè opus habuerit, in tempore angusto, gratiarumque inedia, in qua de sola justitia agetur, utatur. Besseus Dom. 8. Pent.

Utinam saperent, & intellegerent, ac novissima providerent. Deut. 32. 29.

Comparatus est jumentis insipientibus. Ps. 48. 13. Sicut pecudes solùm præsentia, & quod in oculis est, spectant, futuri non sollicitæ; ità homo vanus; æternitatis, & vitæ melioris oblitus; in res præsentes se immergit. Drexel. Daniel c. 12. §. 1.

Vade ad formicam. Prov. 6. 6. Si enim tantillum animal, duce carens, rationis expers; tantùm natura duce sibi providet in futurum; multò fortiùs homo ad imaginem DEI factus ipsum habens ducem, debet in præsenti fructus bonorum operum congregare; quibus vivat in futura vita, quæ nunquam deficiet. Comparatur autem vita præsens æstati: quia nunc, inter ardores tentationum, tempus est colligendi merita futurorum præmiorum. Dies verò Judicii hyemi comparatur: quia tunc nulla relinquetur facultas laborandi pro vita habenda: immò quilibet cogetur comedere de hoc, quod recondidit in horreo suo. Hugo Card. hic. Et apud ratione carentia animalia aliquis de futuro sensus est; ut & nos non præsenti vitæ inhiemus, sed ad futurum sæculum omni studio aspiremus. Non in præsenti sæculo repones, quod in futuro tibi requiem paret, formicæ exemplum spectans? quæ per æstatem hybernum cibum sibi recondit; neque, quia nondum adest tristis hyems, inerter tempus deducit. Clarius l. 1. or. 56. Formicæ sunt prænuntiæ mortis. Ità eandem prænuntiavere Cimoni, teste Plutarcho in ejus vita, & Neroni. Cùm enim hic somniasset, se pennatarum formicarum multitudine opleri; concitata in se multitudine mortem paulò post sibi conscivit, teste Suetonio. Causam dat Aldrovandus: formicas, inquit, esse mortis indicium, asserunt; quòd terræ filiæ sint, & in subterraneis caveis habitent; quò etiam mortuorum cadavera inferuntur. Ità sapiens semper prospicit imminentem mortem. Cornelius hic.

Formica cùm hyeme eductum de caverna frumentum siccaret, cicada esuriens rogabat; ut aliquid frumenti concederet. Cui formica: quid fecisti æstate? cecini, inquit illa. Si æstate, respondet formica, cantasti, hyeme salta. Masenius Argut. l. 1. c. 4.

Qui congregat in messe. Prov. 10. 5. *Chald. qui operatur in æstate, filius sapiens est.* Æstas, & messis, Symbolum est occasionis, sive temporis idonei ad rem bene gerendam. Est etiam æstas Symbolum præsentis vitæ; hyems mortis, & status futuri Sæculi; ubi nullum est laborandi, & merendi tempus. Cornelius hic.

Ubi non est scientia animæ, non est bonum. Prov. 19. 2. Scientia animæ, est sapientia, prudentia, & providentia; qua anima non solùm præsentia, sed & præterita, & futura prospicit: ut actiones suas ità perfectè componat; ut eas in Judicio Christi tueri possit. Scientia ergo animæ, est prudentia, quæ consulit animæ. Id. hic.

Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat &c. Sap. 8. 8.

Ex Novo.

Tu es, qui venturus es? Matth. 11. 3. S. Hieron. non ait, tu es, qui venisti? sed; *tu es, qui venturus es?* Et est sensus: manda mihi, qui ad infernum descensurus sum; utrum te & inferis debeam nuntiare, qui nuntiavi superis? Omne Joannis studium in eo versatur; ut quid post mortem futurum sit, sciat. Nullam ad Judices, aut patronos, legationem adornat: in vinculis solutionem non curat; sed, quid post mortem illi conveniat, exambit. Quàm aliter plures se gessissent! Naxera in Jos. 16. §. 15.

Priùs sedens computat. Luc. 14. 28. Sedere illud, est considerare intrà se conscientiæ suæ secreta. *Sedebit solitarius, & tacebit*, Thr. 3. 28. Computare, est prævidere per sollicitam consideationem. Unde Glossa: omne, quod agimus, prævenire per studium considerationis debemus. Prov. 4. 26. *Oculi tui recta videant; & palpebræ tua præcedant gressus tuos.* S. Bonaventura hic.

Laudavit Dominus villicum, quia prudenter fecisset. Luc. 16. 8. Non quia donavit alienum, fecit prudenter; Sed quia sibi providit in posterum. Pars enim prudentiæ ipsa prudentia dicitur; de qua optativè Moyses in suo Cantico loquebatur: *utinam novissima providerent.* Deut. 32. 29. Sim. Cass. l. 6. c. 3. Non laudat Dominus, ut inquiunt Euthym. Theophylactus, Beda; dispensatoris furtum, sed ejus ingenium; quo suo commodo in futurum prospexit; sibi procurans amicos de bonis Domini sui. Sylveira hic.

Ex Patribus, & aliis.

Prudens, quasi porro videns: perspicax enim est, & incertorum prævidet casus. S. Isid. l. 10. Ethym. c. 15. Propter quod sancta animalia Ezech. 1. 18. & 10. 12. *plena dicuntur oculis*, antè & retrò, intus & in circuitu: ut præterita, futura, & præsentia, circumspicerent, & præcaverent. Apud de Ponte in Cant. 6. Exh. 15.

Quia homo amore visibilium ab invisibili amore cecidit, sola jam visibilia ex peccati pœna cognoscit: eaque diligit, solis eis inhæret; & invisibilia, quasi non sint, postponit. S. Bonaventura de refor. ment. p. 1. c. 16.

Nunc dum tibi Mundus arridet, dum carnis sanitas fervet, dum prosperitas terrena demulcet: quæ post ista sequuntur, excogita; & jam quasi transactis, quæ præsto sunt, illud prudentia vestra solerter examinet, quæ præsentibus futura succedant. B. Petrus Dam. l. 4. ep. 5. ad quendam Episc.

Mitte cogitationem in futurum ævum, quando non eris. S. Asterius hom. adverf. avaritiam.

Quatuor sunt, quæ prudentia nos edocet: scilicet præterita recordari, disponere præsentia, futura prævidere, & dubia disponere. S. Thom. Aqu. opusc. 37. de vit. & virtut.

Quisquis prudentiam sequi desiderat, tunc per rationem rectè vivat; si omnia priùs existimet, & perpenset. Si prudens esse cupis, in futurum prospectum intende. S. Martinus Bracar. Ep. de vera virt. c. 1.

Prudentia vera, & perfecta, est, semper niti ad agnitionem divinæ naturæ, & profunditatem humanæ miseriæ. - Ille verè prudens est, qui frequenter pensat quid bonis, quid malis futurum sit? quanta delectatio sit bonis, uniri summo bono æternaliter; quanta amaritudo malis, separari à summo bono æternaliter. S. Albertus M. parad. an. c. 8.

Roma-

Romam veteres prudentiam pinxerunt vultu triplici: ut quæ tria potissimum, tempora, præteritum, præsens, & futurum, complecteretur. Drexelius Ros. sel. virt. p. 2. c. 1.

§. IV.

Prudentiæ alii actus.

EGo dixi in excessu meo. Psal. 115. 11. Magna prudentia geritur, ut sibi aliquis imprudens esse videatur. Cassiodorus hic.

Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Luc. 14. 18. Insipientes homines, voluptates, honores, cœteraque bona, sic emunt: emunt, antequàm ea videant, explorant, considerent; quantum in iis periculi sit, & vanitatis. Contra verò de prudente illa domina Prov. 31. 16. legitur: *consideravit agrum, & emit eum.* Barradius tom. 3. l. 3. c. 14. D. 2. Pent.

§. V.

Prudentia major in caducis, quàm æternis.

IN hoc feriam vobiscum fœdus &c. 1. Reg. 11. 2. Cur diabolus dextris oculis potissimùm insidietur? Dexter oculus significat prudentiam spiritualem, sinister carnalem. Non curat ergo diabolus carnalem prudentiam in nobis extinguere, sed spiritualem. Nam Rom. 8. 6. *Prudentia carnis mors est; prudentia autem Spiritus vita, & pax.* Mendoza hic. Annot. 8. Sect. 1. Petr. Bles. epist. 14. omnes, qui militant in castris ambitionis, capti sunt à Naas Ammonite, dextrosque oculos amiserunt: perspicaces enim sunt in acquisitione temporalium; jacturam verò vitæ, quæ præterit, & imminentia mortis æternæ supplicia; non attendunt. Cœcutientes sunt ad bonum, sed perspicaces ad malum.

Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis; quasi si quis consuleret Deum. 2. Reg. 16. 23. In iis tamen, quæ salutis, & animæ erant, bruto erat brutior: nam, desperatione agitatus, infami laqueo sibi vitam intercluſit. Hunc imitantur magni illi Consiliarii status, & rerum mundanarum periti; qui in negotiis gerendis, & consiliis aliis dandis, oracula quædam sunt; at pecora sunt in rebus conscientiæ: aquilæ, & lynces in terrenis; talpæ in cœlestibus. Besseus Dom. 12. Pent.

Si oculus tuus fuerit simplex. Matth. 6. 22. Hugo Card. ex S. Chrysost. sicut, qui graves habet oculos, si ponas eum in loco tenebroso, meliùs videt; si autem ponas in sole, nihil videt; quia oculis non suffert solis candorem: sic & homo mundialis; qui oculum, idest, mentem desideriis terrenis sordidam habet, & turbulentam. Si ponas eum in rebus mundialibus sapit, & astutus est: si autem trahas eum ad spiritualia, nihil sapit. Pinna. Ethol. 102.

Filios hujus sæculi. Luc. 16. 8. dicit eos, qui laudant omnia, quæ in terra lucrosa sunt: *Filios*, verò *lucis* eos, qui debent piè spirituales divitias comparare. Theophylactus hic. Vix inveniuntur aliqui Sancti, qui tantam prudentiam habeant in acquirendis bonis æternis, quantam calliditatem filii Sæculi habent in acquirendis bonis temporalibus. Eusebius Emiss. Dom. 9. Pent. Eos vocat consuetudo prudentes, sive sapientes; qui incommoda, & noxia, ab utilibus, in rebus humanæ vitæ, discernere curant, juxta dictum Evangelii, *filius hujus sæculi &c.* Non enim absolutè prudentes, sed secundùm conversationem, & consuetudinem hujus vitæ, quæ in carne agitur. Hi namque villici iniquitatis dicuntur: quia prudenter consulunt dispensandis suæ ipsorum vitæ commodis. S. Basilius in Psal. 48.

§. VI.

Miscellanea.

Ut intelligas universa, quæ facis. 3. Reg. 2. 3. hoc est, ut intelligenter, & prudenter agas, quæcumque ages: Chald. *ut prospera reddas omnia, quæ feceris*: qui enim prudenter sua agit, prosperè ea perficit. Cornelius hic. Basilius Imp. instituens filium Leonem, cognomento Philosophum, hoc ultimum ei dat præceptum; Revolve JESU Sirach documenta; è quibus multum civilis, & regiæ, prudentiæ haurire poteris. Cornel. in Ecclesiasticum Prolegom. c. 5. Prudentia sine simplicitate calliditas est: simplicitas sine prudentia stultitia est. S. Albertus M. parad. an. c. 30.

Quatuor sunt hominum genera summa egentium prudentia: Sacerdos in pœnitentia injungenda: Index in sententia, Medicus in ægroto, dives in thesauro. S. Thom. Aqu. opusc. 37. de vit. & virt. c. 3.

TITULUS XXXVII.

PSALMI.

EXurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus. Psal. 67. 2. Qualem orationem, aut quod verbum ex omnibus orationibus, plus timent dæmones? Narraverunt nobis spiritualium studiosi, homines fide digni; quod aspectu ipso, & de facie, aliquando apparuerit eis Diabolus; & petitus ab eis hanc quæstionem responderit: non exsistit in toto tam veteri, quàm novo testamento verbum terribilius, atque magis nostram disperdens potestatem, quàm initium 62. Psalmi quamprimum enim verbo dicto, *exurgat DEUS &c.* mox ululans evanescit, & disparet Diabolus. S. Athanasius Ep. Alexan. lib. Quæst. q. 12.

Communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus est. S. August. tr. 8. in Prolog. de libro Psalmorum. Plures ibidem laudes.

Nec cervi ità tela fugiunt, ut Psalmos David dæmones. S. Chrysost. in Ps. 14.

Si te ira extimulat, mansuetudinem indue, & ad Psalmorum decantationem perfuge. S. Joan. Damasc. in fragmento sentent.

Psalmus ex lapideo etiam corde lacrymas excutit. Psalmus Angelorum opus est in censum spirituale. Ubi Psalmus adest cum compunctione, ibi & DEUS, unà cum Angelis. S. Ephrem Encomio in Psalm. Verè corusus liber, cura sauciati cordis, favus interioris hominis, consolatio magna lugentium. Cassiodorus in Prologo Psalterii.

TITULUS XXXVIII.

PUDOR.

§. I.

Pudorem, propter Deum, & virtutem, vince, seu, publicè benefac.

Num. I.

Victores ex Veteri.

CIrcumcidetur ex vobis omne masculinum. Gen. 17. 10. Voluit Deus, ut Abraham circumcideretur, ut figuraretur amicus ejus signo exteriori. Non enim vult, ut solum interiùs ejus amici simus, sed ut etiam exteriùs nos ejus amicos esse ostendamus. Stella in Luc. 2. 21.

Saltum est autem, cum sedisset Rex in domo sua &c. 2. Reg. 7. 1. Qua machina hostes vicit? lyra & saltu. Saltavit coram arca palàm: nam mox post saltum coram arca addit textus pacem regni: ut hanc, non armis, sed publico partam seniemus obsequio. Oliva. l. 1. Strom. Tit. 2.

Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te. Ps. 21. 23.

Lectulus noster floridus. Cant. 1. 15. Quid sponsus? an mox advolavit ad latebras? quin eas pertesus à cubili secreto in patentem campum abiit. *Ego flos campi.* Cant. 2. 1. nolo intrà septa humanitatem meam stagnare. Ergo si me optas; tibi germino, sed in agro; ut omnibus te à me diligi, constet. Oliva l. 1. Strom. tit. 2.

Sicut fragmen mali Punici genæ tuæ. Cant. 4. 3. Habet ruborem mali Punici in genis anima, cùm erubescentiam non refugit pro Christo objectionis, paupertatis, contumeliarum, afflictionum, & laborum. Richardus à S. Victore c. 20. in Cant. hic. Malum Punicum, quia roseci coloris est, Passionis Dominicæ mysterium non inconvenienter insinuat. - Quia ergo sancta Ecclesia non erubescit Crucem Christi, sed & ipsa gaudet in contumeliis, ac passionibus pro Christo; vexillumque crucis ejus gestare solet in facie: meritò genas instar mali Punici habere memoratur. V. Beda l. 4. in Cant. hic.

Ut inveniam te foris. Cant. 8. 1. Emineat amor, seque ostentet foris; non in latebris occultetur. Oliva l. 1. Strom. Tit. 2.

Num. II.

Ex Novo.

Christus Dominus.

Nemini dixeritis visionem. Matth. 17. 9. Christus mandavit sileri visa, non audita. *Loquebantur de excessu.* Celat gloriam, non amorem; & magis amore, quàm spe gloriæ, vult nos ad se trahere. Sylveira hic.

Et deridebant eum. Luc 8. 53. Frequenter legitur Christus à reprobis irrisus; non tamen ob hoc ab operibus pietatis cessavit. Non igitur ægrè feramus, si à quibuscumque irrideamur; nec ob illorum irrisiones à bono inchoato cessemus. Dion. Carth. hic.

Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Hebr. 12. 2.

Num. III.

Alii ex Novo.

Ubi est, qui natus est, Rex Judæorum? Matth. 2. 2. Civitatem ingressi, fervido animo, disserta lingua, sine timore, de rege mirè nato incipiunt percontari; non autumantes displicere regentibus, & habitantibus civibus; sed congaudentes cum eis, quos de mirè nato gaudere putabant; tamquam de glorioso Domino, qui regnum Israel restitueret, & eriperet à tyrannide Romanorum. Sim. Cass. l. 1. c. 12.

Quædam mulier de turba dixit illi: beatus venter &c. Luc. 11. 27. Grata fuit Christo hæc mulieris proclamatio: quia, cùm circumstantes Discipuli tacerent, illa publicè Christi laudes proclamat. Sylveira hìc.

Non est inventus, qui rediret &c. Luc. 17. 18. Unde tantum illi à Christo præconium? *regressus est cum magna voce magnificans Deum.* v. 15.

Qui præibant, increpabant eum. Luc. 18. 39. Bonos Christianos, volentes facere præcepta Dei, Christiani mali, & tepidi, prohibent: clamant tamen illi non deficientes. Cùm enim Christianus quisque cœperit benè vivere, Mundumque contemnere, in qua sui novitate patitur reprehensores frigidos Christianos. S. Aug. s. 18. de verb. Dom. Tantò ejus affectio in se ipsa incendebatur, & fortior, calidiorque fiebat; atque in valentiorem vocem erupit, quantò majorem contrarietatem, ac resistentiam sentiebat. Dion. Carth. hìc.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. Cur non etiam Petro? S. Chrysost. Petrus negaverat in atrio; latro confessus est in cruce.

Discipulus occultus, propter metum Judæorum. Joan. 19. 38. de Joseph ab Arimath. At ut vidit illum crucifixum, & mortuum; audenter se manifestat, & sepulturæ honorem ei procurat. Lyran. exemplo mortis Christi animatus, ostendit se publicè Christi Discipulum esse. Sylveira hìc.

Non erubesco Evangelium. Rom. 1. 16.

Num. IV.

Sententiæ ex Veteri.

Accedite ad eum, & illuminamini. Ps. 33. 6. Rubor ille, quo ad opprobrium Christi perfundimur, ex distantia nascitur à DEO nostro. Quis enim propiùs ad Christum accessit; eumque vel in stabulo natum, vel in officina enutritum, vel in cruce defunctum, aspexit; quin pompas Sæculi horruerit, & crucis decolorem nigredinem concupierit? Nigrescit sanè crucis opprobrium nobis, noctisque instar squalet; quòd procul à cruce sine lumine caligemus. Ideò ait Propheta *accedite &c.* q. d. vis paupertatis pannos fulgere? in crucis lumine eos colloca. Nonne, dum tenebræ regnarent, propior cruci latro in luce erat? qui etiam cruore fœdatam, involutamque Christi divinitatem agnovit. Ergo accedite ad eum cognitione primùm, tum imitatione; *& facies vestræ non confundentur.* Oliva l. 12. Strom. §. Accedite &c.

Pone me ut signaculum &c. Cant. 8. 6. Ut non tantùm interiùs coram Deo, sed etiam exteriùs coram hominibus, profitearis, te meam esse; in me credere, sperare, amare, & me solum habere Deum, Dominum Sponsum, ità ut nec in corde, nec in brachio, ponas signaculum Diaboli, aut alicujus creaturæ. De Ponte hìc Exh. 6. §. 2.

Ne accipias faciem adversùs faciem tuam. Eccl. 4. 26. adversùs vitiosum pudorem auditorem armat; ostendendo nihili faciendo omnia, dum bono pudori, & animæ consulatur. S. Ephrem de mala converf. vit. ne acceptor sis personæ contra animam tuam. Vatablus: nè cedas ulli faciei, quod animæ tuæ damno fiat. Paulus de Palatio: nemo tibi pretiosior fit. Octavianus hìc.

Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum nè metuatis. Isa. 51. 7.

Num. V.

Ex Novo, & Patribus.

Omnis qui confitebitur me coram hominibus &c. qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Matth. 10. 32. 33.

Qui me confessus fuerit &c. Marci 8. 38. Cur Christus suis proponit cavendam solam verecundiam; quasi ea sit validissima omnium tormentorum ad negandam fidem. Cur non potiùs meminit ardentes fornaces, ungulas ferreas, inauditas lanienas, rotas, bestias? cur maluit, illis omissis, solius verecundiæ meminisse? Lunæ 9. 26. *qui me erubuerit, & meos sermones; hunc Filius hominis erubescet.* Sanè prima & præcipua vis diaboli contra humana corda in verecundia nimia consistit. O quot percunt, quia non contemnitur pudor, & confusio. Hebr. 12. 2. *sustinuit crucem confusione contempta:* nisi eam contempsisset, totus Mundus periisset. Baeza t. 2. l. 6. c. 5. §. 19.

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis &c. 1. Petri. 4. 14.

Scio, quòd multi nos risuri sint, atqui melius est, nos nunc rideri, quàm olim deplorari. Rideat, qui voluerit; subsannet, qui voluerit. In hoc posti sumus, ut videamur scilicet, ac subsannemur, ut omnia patiamur. *Purgamenta hujus Mundi facti sumus* secundùm B. Paulum 1. Cor. 4. 13. Si quis noluerit præceptum hoc perficere, quemadmodum tuba quadam per verbum denuntio; abstineat à liminibus Ecclesiasticis illis, sive princeps sit, sive alius diademate cinctus. S. Chrysost. hom. 8. in Act.

§. II.

Pudoris origo, & causa.

Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo. Gen. 37. 2. Pater nihilominus dissimulavit. Non dicitur illos vel verbere, aut verbo, castigasse. Credo, quia ingenuos juvenes illa suorum criminum ad patrem delatio tanto pudore affecerat; ut parens indicaret, illos tanto pudore satis castigatos. Mendoza in 1. Reg. 6. 1.

Pudor plerumque corrector est nostri. Et dum incipit nos pudere commissi, nè diutius pudeat, deserere, quæ erubescenda sunt, admonemur. S. Ambros. in Ps. 118. Octon. 10.

Videtur pudor esse valida, & potens, armatura ad effugienda peccata: qui ideo, ut puto, est nobis à Deo indutus, ut ejusmodi animi affectio sit nobis aversio à deterioribus. S. Gregor. Nyss. hom. 3. in Ecclesiasten.

Dicunt Physici, quòd natura pudore tacta ità sanguinem ante se pro velamento tendat. Unde videmus, quemque erubescentem manum sibi ante faciem opponere. Macrobius l. 7. Saturn. c. 11.

§. III.

Pudor magna afflictio.

Erimus in opprobrium universæ terræ. Judith. 5. 25. Non timet Achior necem, & interitum: Pudor enim viris magnis intolerabilis est; sperni, opprobriis impleri. Minùs de reliquis malis queritur David; unum oculis opprobrium est. Psal. 43. 16. *tota die verecundia mea contra me est &c.* Isa. 1. 2. *audite cœli, & auribus percipe terra: ipsi spreverunt me.* Quæ Hebræus egit improbè, pandit Judex Angelis, & hominibus, ut inde reus pudefiat. Zeno Ven. s. 35. apud sapientes honestosque, homines graviùs est aliqua nota confundi, quàm mori. Obsessus ab hoste Chaldæo Sedecias, non tantùm crucem, & necem timet, quàm turpe opprobrium. Jerem. 38. 19. *nè forte tradar in manus eorum, & illudant mihi.* Quid Sedecia? si Chaldæus tuos coram te filios necet? quid si tibi oculos eruat? non timet. Quid si gravissima cruciet? non timet: unum timet derisum hominum. Abul. q. 3. in 4. Reg. 25. Viri, qui sunt in magno honore, potiùs vellent sustinere mortem, quàm illudi. Matth. 27. 5. Judas *laqueo se suspendit.* Theophylactus: non ferens ignominias subsecuturas, seipsum è vita subduxit. Velloso in Judith. 5. Paræn. 48.

T I T U L U S XXXIX.

P U R G A T O R I U M.

§. I.

Asseritur, & probatur.

Spiritu S. & igni. Matth. 3. 11. Origens hom. 24. in Luc. accipiunt ignem purgatorii. q. d. Christus suos Fideles cum peccatis venialibus descendentes expiabit igne purgatorii. Cornelius hìc.

Qui in Spiritus S. peccaverit, non remittetur. Luc. 12. 10. Natthæus addit c. 12. 32. *non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex quo apertè colligitur, purgatorium esse; & peccata in alio sæculo remitti. Nam si nullum peccatum in futuro sæculo remitteretur, superfluo sermone usus fuisset Christus, apponendo, *nec in futuro.* Stella hìc.

Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis &c. 1. Cor. 15. 26. Baptizantur, scilicet metaphoricè baptismo afflictionum, lacrymarum, precum &c. ut suffragentur animabus purgatorii. Hoc sensu sæpe alibi accipitur baptismus: ut Marci 10. 38. Luc. 12. 50. Ps. 31. 6. Cornelius hìc.

Deinde pro defunctis SS. Patribus, & Episcopis; denique pro omnibus, oramus, qui inter nos vita functi sunt: maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio, sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. S. Cyrill. Jeros. Catech. myst. 5.

§. II.

§. II.

Purgatorii pœna.

Ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest pœnarum in hoc sæculo, aut cogitari, aut videri, aut sentiri. S. Cæsarius Arel. hom. 1.

Pœna purgatorii, quantum ad pœnam damni, & sensus, excedit omnem pœnam istius vitæ. Sanct. Vincent. Ferr. ser. 3. D. 1. Adv.

Sicut Mundus debuit mundari, & purificari, per aquam tempore Noe, sic etiam Deus ordinavit duo diluvia ad purificandum animas: scilicet diluvium aquæ baptismalis, ad refrigerandum fomitem culpæ originalis, secundum diluvium ignis purgatorii: quia post baptismum refrigeramur, & efficimur negligentes. Ubi anima baptizatur ab Angelo bono, ut determinat. S. Thomas: quia Diabolus jam victus est per illum, qui ducitur ad purgatorium; ideò victus non debet incarcerare victorem. Id. s. 1. Dom. 4. Adv.

B. Veronica de Binasco V. febri laboravit ex visione purgatorii. Bollandus 13. Jan.

§. III.

Motiva juvandi animas purgatorii.

Ex Veteri, & Novo.

Benedictus sit à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit & mortuis &c. Ruth. 2. 20. dixit Noemi de Booz.

Da partem septem, nec non & octo. Eccl. 11. 2. Nonnulli per septenarium accipiunt pauperes viventes; per octonarium defunctos degentes in purgatorio. q. d. da eleemosynam pauperibus viventibus in septimana hujus vitæ; da & defunctis, qui ex hac vita transierunt ad purgatorium; ubi expectant octavam felicitatis æternæ. Cornelius hìc.

Facta collectione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. &c. 2. Mach. 12. 43.

Adveniat regnum tuum. Matth. 6. 10. Et in ista eadem petitione pro illis oramus, qui sunt in purgatorio. S. Edmundus Cant. Spec. Eccl. c. 17.

Ubi duo, vel tres, congregati fuerint in nomine meo. Matth. 18. 21. Tunc Clerici congregati sunt in nomine JESU; quando procurant honorem DEI, & salvationem animarum viventium, & defunctorum. Sanct. Vinc. Ferrer. ser. 7. Dom. in Alb.

Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Marci 16. 1. Fœminæ ferentes unguentum ad ungendum Christum mortuum, mortuorum meminisse nos docent. Illæ corpus ungere volebant unguentis corporalibus; nos animas in purgatorio unguentis spiritualibus, idest, precibus, eleemosynis, sacrificiis ungamus. Imitemur Pammachium, de quo Hieron. in consolat. ad eundem: Cœteri mariti, super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos: Pammachius ossa veneranda eleemosynæ rigat balsamo. Barradius t. 4. l. 8. c. 6.

Tulerunt ergo lapidem. Joan. 11. 41. Posset Christi virtus, ut Lazarum à sepulchro, sic & sepulchri lapidem simul tollere; sed maluit id operis aliis mandare, quod & ipsi fecerunt. Cur hoc maluit Dominus? quia defunctorum levamen possunt, ac debent, vivi homines procurare. Et sanè parvis laboribus nostris ingentes defunctorum labore possumus tollere. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 37.

Ex Patribus, & aliis.

Sic plena misericordia ostenditur, si non solum vivis in hoc Mundo, verùm etiam morte oppressis, & in tenebrosis abyssi recessibus sedentibus, dimissionem prædicaverit. Sanct. Cyrill. Alex. l. 11. c. 3.

Latius debet &c. cor Christiani, quàm cœlum & terra, in benevolentia: quia recipere debet vivos, & mortuos, de paradiso, & purgatorio. S. Vinc. Ferr. s. 7. Dom. 16. Trinit.

Exempla.

B. Catharina Bonon. dicere solebat, quando cupio ab æterno Patre gratiam aliquam impetrare, recurro animas purgatorii, ut meo nomine apud ipsum legatione fungantur; atque interventu earum me exaudiri sentio. Boll. 9. Martii c. 12.

Post mortem B. Lidvvinæ V. sub capite ipsius positus est sacculus quidam cum lacrymis ejus sanguinis, quas ex commiseratione erga animas purgatorii effuderat, à frigore condensatis. Bolland. 14. April. c. 13.

Religiosus solebat cœmiterium obire orans pro sepultis. Illo dein infirmato vidit ad mansionem ejus procedere processionem pulchram in albis. Uno illorum vocato, rogavit, qui essent? respondit: sumus animæ, quarum corpora in hoc jacent cœmiterio; adjutorio illius infirmi de pœnis liberatæ: ob id nunc ei gratæ occurrimus. Broymard. orare pro defunct.

§. IV.

Media, & praxes, eas juvandi.

Munus absconditum extinguit iras. Prov. 21. 14. S. Thom. Aqu. opusc. 58. c. 25. iras Dei, pœnas purgatorii. *In sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu.* Zach. 9. 11.

Scala cœli, dictum Romæ B. Mariæ templum. Origo nominis hinc est, quòd in eo, S. Bernardus, pro defunctis celebrans, in raptu viderit à terra usque in cœlum scalam porrectam, per quam multæ animæ comitantibus Angelis ascendebant. Paulus Aringi de Roma nova.

Monentur parvæ Israelitarum familiæ. Ex. 12. 4. quòd si pauciores fuerint, quàm par est, ad integri agni esum, assumant vicinum. Nonne reliquias poterant igne absumere? Lex illa cœlestis agni esum respiciebat: quo ita implendi erant Fideles, ut aliis communicare de plenitudine cogerentur, nimirum in purgatorio detentis. Hinc ille mos receptus in Sacris, quo hostia in tres partes à Sacerdote dividitur: quasi ipse non possit totam divini epuli virtutem sustinere, nisi cum vicinis dividat, quibus alias partes tribuat. Theodoretus: *assumene vicinum.* Hoc præcipit Deus, ut fraternum amorem, atque erga pauperes misericordiam, illos doceret. Baeza t. 1. l. 3. c. 8. §. 33.

Esuriit Daniel in lacu leonum. Dan. 14. 33. Cetus videlicet Fidelium in purgatorii lacu mersorum. Fer prandium messorum, laborantium in Ecclesia viatorum. Refocillabit eos cibus tuus iste: portabitur in momento, & hoc in cincinno uno capitis tui, qui cincinnus est unica mentis ad eorum refectionem intentio. Gerson. tr. 9. sup. Magnif.

Antequam comedo, suspiro, ait S. Job 3. 24. Ex quo verbo, pietatis, & compassionis, inuitur opus; ut numquam cibum corporalem sumas, nisi priùs Fidelibus defunctis aliquam spiritualem eleemosynam mittas. Id. ep. de pia mem. def.

Cœmeteria sunt juxta templa; ut transeuntes mortis, & mortuorum, memores simus. De nobis nè conqueri possint verbis. Ps. 128. 8. *& non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos.* Marchantius Dom. 15. Pent.

§. V.

Purgatorium evadendi media, & praxes.

Ante obitum tuum operare justitiam. Eccl. 14. 17. Vult, ut contractum apud divinam justitiam pœnarum debitum voluntaria corporis castigatione expungamus, antequam nos mors occupet, & divinæ justitiæ ministris nos tradat. Segneri s. 9. D. 1. Ven.

Et portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ. Luc. 16. 22. Non purgatorium, sed in Abrahæ sinum deportatur. Mirum, veteris legis observatorem tam perfectum extitisse, ut nullo piaculo fœdaretur, quod esset purgatorio igne expiandum. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 3. sect. 2.

Recepisti bona in vita tua. Luc. 16. 25. in qua si aliquid de genere operum bonorum egisti, mercedem tuam ultra condignum fortitus es: nullum enim bonum Deus irremuneratum relinquit. Et Lazarus similiter in vita sua recepit mala, idest, mala pœnalia, paupertatem, infirmitates, famem, opprobria, copiosè perpessus est: per quæ culpæ ejus quotidianæ quasi per ignem purgatæ sunt. Dion. Carth. hìc.

Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. Joan. 4. 15. Mulier utilitate aquæ adducta, aquam petit, ob duplex commodum, ut ait Carthus. Primò ut à pœna sitis sit libera, *ut non sitiam.* Secundò, ut labore hauriendi eripiatur: *nè veniam huc haurire.* Sylveira hìc. Applica purgatorio.

O filii hominum! tempus purgationis advenit, quando mater summæ puritatis, de cujus purgatione die festus est nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis, quo debeamus purgari. Satiùs est, ò fratres, & suavius, fonte purgari, quam igne. Guarric. s. 4. de purif. Mar.

Quoniam dilexit multùm. Lucæ 7. 47. Dulce purgatorium, tolerabileque præter asperum sensum contra tenerum sensum; amœnum, atque suave; possibile adhibendum, inexcusatè non habitum. Commune omnibus est dilectio; cujus virtute non solùm peccata purgantur, pœnaliter, sed dulciter remittuntur. Sim. Cass. l. 9. hìc.

Miscellanea.

S. Francisca Romana, ostenso sibi divinitùs purgatorio, vidit in introitu hanc inscriptionem: hoc est purgatorium, spei locus; & animæ hìc existentes habent intervallum pro desiderio. Vitæ l. 3. c. 3.

TITULUS XL.

PURITAS.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Qui omnibus scatere facit vitam, & vult omnes esse salvos; neminem vult eorum, qui salvi fiunt, expertem esse hujus osculi: est enim ejus osculum, purgamentum cujusvis sordis. Quamobrem mihi videtur Dominus hoc exprobrare Simoni leproso, *osculum mihi non dedisti*, Luc. 7. 45. Revera enim fuisset mundatus ab ægritudine, si ore attigisset Puritatem. S. Greg. Nyss. hom. 1. in Cant. hic.

Nihil quietius, nihil purius, nihil denique pulcrius, ea mente debet esse, quæ in Dei habitaculum præparanda est: quem, non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta, delectant: sed anima ornata virtutibus. Sanct. Hieron. ep. 14.

Non solùm effusio sanguinis in confessione reputatur; sed devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis, & violis plectitur; ista de liliis. Id. ep. 27. epitaph. Paulæ.

Purum esse dicitur, quando est suo contrario impermixtum. S. Bonav. s. 12. in Nat.

Valdè est mirabile, & detestabile, quòd toto posse homines laborant lavare córpora, mundare à vermibus capita, à sordibus vestes: quærunt in lectis munda linteamina, munda fercula, munda vina &c. & non curant, si immunda habeant corda. Quid stultius? quid detestabilius? quid inordinatius? Vis habere omnia munda; & animam cœlo nobiliorem non curas esse immundam. Id. s. 4. de Sanctis Apostolis.

Q

TITULUS I.

QUADRAGESIMA.

§. I.

Figuræ.

Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram. Genes. 7. 17. Legimus in veteri testamento, cùm omne genus hominum scelerata iniquitas occupasset, tot dierum numero patefactis cataractis cœli aquarum pluvias defluxisse; & mysterio quodam Quadragesimæ inundatione orbis terrarum facta non tàm diluvium, quàm baptismum contigisse. Ita ergo & modò nobis Dominus illius temporis Quadragesimam dedit; ut constituto dierum numero patefactis cœlis pluvia nos misericordiæ cœlestis irroret; & inundatione facta per baptismum lavacri salutaris nos imber illuminet. Sanct. Ambros. ser. 34. de Quadragesima. Cùm Mundi faciem iniquitas hominum possideret, tot dierum curriculo Deus, effusis de cœlo imbribus, universam terram diluvio superfudit. Vides ergo, jam illo tempore mysterium in figura dispositum. Nam, sicut tunc quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum. Sanct. August. ser. 1. f. 4. Post 1. Dom. Quadrages. Per quadraginta dies, & noctes, pluit Dominus super terram: quantò nunc clementius cum præsenti agit pius restitutor ætate. Illis quadraginta diebus reus Mundus, naufragio orbis exundatione consumitur; nunc patet precibus. Sanct. Eucherius ser. 6. de eo; oportet orare &c.

Dominus - circumduxit eum per desertum quadraginta annis. Num. 32. 13. Legimus in veteri testamento, cùm Sanct. Moyses filios Israel de jugo Ægyptiacæ captivitatis erueret, ut in terram eos promissionis induceret, quadraginta & duorum dierum eum ad memoratam terram mansionibus pervenisse. Eodem numero Moyses pervenit ad requiem; quo & nos per jejunia properamus ad cœlum. Jejunia enim nostra mansiones quædam sunt; per quæ iter spiritualiter facientes, animæ virtutibus ambulamus: & diurno profectu repromissæ nobis terræ viciniores efficiamur: ita ut citiùs perveniat, qui devotius jejunarit. Sanct. Ambros. serm. 23. de jejun. Quadrages.

Goliath, qui principem tenebrarum significat, provocat filios Israel quadraginta diebus. 1. Reg. 17. 16.

Tempus putationis advenit. Cant. 2. 12. Quadragesima est tempus putationis, quia institutum, ut in eo tempore amputentur omnia peccata: dein ut etiam putentur superflua, & voluptuosa in cibo & potu, somno, & joco. Idque alacriter præstandum; quia, ut dictum, est tempus cantilationis. De Ponte hic Exh. 21.

§. II.

Laudes.

Ecce nunc tempus acceptabile. 2. Cor. 6. 2. Unde & ego testificor vobis - hoc esse tempus cœlestis quodammodo medicinæ: in quo omnium vitiorum nostrorum labem, & universa vulnera peccatorum, sanare poterimus; si Medicum animarum nostrarum fideliter exoremus. S. Ambros. s. 27. de jejuniis.

Cæteri occisi sunt gladio. Apoc. 15. 21. Probabile est, diem resurrectionis generalis fore eundem, quo resurrexit Christus, putà diem Paschæ. Suppositis his principiis: scilicet primò à nece Anti-Christi usque ad diem Judicii, & resurrectionis, præcisè fore quadraginta dies. Secundò, resurrectionem fore ipso die Paschatis; sequitur, Anti-Christum occidendum finitis Bacchanalibus primò die Quadragesimæ; ac dein quadragesimam totam dandam lapsis ad pœnitentiam, ut se præparent ad ultimum Pascha. Cornelius hic.

Jucundi sunt jejuniorum dies, spirituale animarum ver, & fidissima tranquillitas animorum. S. Chrysost. serm. de jejuniis, & lectione Genesis.

Hodie dilectissimi sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Sanct. Bernardus in capite jejunii.

Dicite fratres, quomodo nunc pugnetis: nam hoc tempus Quadragesimæ tempus est belli, & certaminis, cum diabolo. S. Thom. Vill. D. 1. Quad.

Scilicet unumquemque vestrum, quasi quendam mercatorem in Quadragesima opibus coactis spiritualibus, velut in portum ad Sacrum Pascha venisse, multis comparatis eximiis mercibus virtutis. B. Theodoretus Studita s. 4.

Credibile est, quòd Deus, qui tot bona largitus est nobis, in istis diebus modò gratiam abundantiùs effundat. Tho. Aqu. D. 1. Quadr.

Miscellanea.

Quadragesimam nolite pro nihilo habere: immitationem enim continet Dei conversationis. S. Ignat. M. ep. 5. ad Philippens.

Cùm autem jejunatis &c. Matth. 6. 16. Cur Ecclesia cum hoc Evangelio prima die Quadragesimæ adjungit memoriam mortis? R. nostrorum malorum origo ex triplici radice pullulavit. 1. ex oblivione mortis. Gen. 3. 4. nequaquam moriemini. 2. ex gula ib. 3. ex immoderatione oculorum: *vidit mulier, quod esset bonum.* Volens Ecclesia origini malorum efficax adhibere remedium, oblivioni mortis opponit certam illius assertionem: *pulvis es, & in pulverem reverteris.* Adam gulam antidoto jejunii excludit: *cùm jejunatis.* Immoderationi oculorum opponit visus cautelam: *si oculus tuus fuerit simplex.* Sylveira hic q. 16.

Tota vita Christi erat Quadragesima: non comedebat, nisi semel in die. S. Vinc. Ferr. s. de SS. Sim. & Juda.

TITULUS II.

QUÆRENDUS DEUS.

§. I.

Facilè invenitur, promptus adest.

Exultavit, ut gigas, ad currendam viam. Psal. 18. 6. Non enim tardavit, sed cucurrit; clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu: clamans, ut redeamus ad eum. Et discessit ab oculis, ut redeamus ad cor, & inveniamus eum. Abscessit enim; & ecce hic est. Noluit nobiscum diu esse; & non reliquit nos: illuc enim abscessit, unde nunquam recessit: quia Mundus per eum factus est, & in hoc Mundo erat &c. S. August. l. 3. Conf. c. 10.

Quærite Dominum, & confirmamini. Ps. 104. 4. Jubet Propheta Dominum quærere; nec tempus assignat, quo id faciamus. Hic quando cum rege loquendum, horam prærequirimus, & tempus opportunum, ut cum illo res nostras pertractemus. Respondet Gregor. Nyss. hom. 7. in Eccl. quod est tempus quærendi Dominum? breviter dico, & compendio, tota vita. In hoc enim solo studii tempus, est totum studium. Did. Nyss. f. 6. Dom. 3. Quadr. §. 4.

Quæsierunt me &c. Is. 65. 1. *Ecce ego, ecce ego.* Nota: claritatem nostram erga Deum vicissim Dei alacritatem, & beneficia, in nos provocare. Deus enim munificentissimus munificentia se vinci non patitur; sed volentibus spontè occurrit, eorumque vota implet, immo superat. Hoc significat hæc iteratio: *ecce ego, ecce ego.* Corn. hic.

Multùm laboravi quærens te extra me: & tu habitas in me; si tamen ego desiderem te. S. August. solil. c. 31.

Quantò magis colligis animum tuum ad eum quærendum, tantò magis ipse compellatur à propria misericordia, atque benignitate, ut veniat ad te, & te refocillet. Sanct. Macarius hom. 31.

Infans, licèt nihil possit proficere, aut propriis pedibus accedere ad matrem nequeat; nihilominus evolvitur clamat, & plorat, inquirens matrem. Erga quam summa afficitur misericordia mater; & gaudet de infante quærente eam cum labore, & clamore, & cùm non possit infans ad eam pervenire, nihilominus, ob multam pueri inquisitionem, ipsa mater abit ad illum, amore pueri capta, & amplectitur, circumfovet, atque alimentum profert summa cum dilectione. Hoc ipsum benignus quoque Deus facit in anima ad eum accedente, & ejus desiderio detenta. Id. hom. 46.

§. II.

Quærendi Deum varia alia motiva.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis. Ps. 76. 3. S. Hieron. hic acsi apertè dicat: filium perdidi; incensa est domus mea, ad mendicitatem veni. Non quæro illud, quod perdidi; sed Dominum quæro, si enim istum invenero, in isto invenero omnia.

In lectulo meo per noctes quæsivi &c. Cant. 3. 1. quæsivi infirma infirmiter. *Surgam, & circumibo civitatem*, totam creaturæ universitatem. O anima mea, si sapienter, & diligenter, quæreres; hoc tribus signis attenderes. 1. lumen peteres, nè tenebris impedireris. Ps. 66. 1. *Illuminet vultum suum super nos &c.* 2. scienter interrogares, ut ad inveniendum expedireris. *Ubi est, qui natus est &c.* Matth. 2. 2. *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* Cant. 3. 3. in nullo, quod à requisito aliud est, sisteres; sed sine mora transiens ad aliud oculos projiceres; donec tandem quæsitum invenires: ut illa, quæ inclinavit se, & videns in monumento etiam Angelos, nec alloquitur ipsos, nec diu intuetur; sed, respondens interrogantibus breviter, ab ipsis se avertit, & sequitur. Joan. 20. 14. S. Th. Aq. opusc. 16. de decem grad. amor. 2. gradu, in quo facit quærere incessanter. Dulcissimus, & suavissimus somnus est, Christum quærere. Id. hic.

Surgam, & circuibo civitatem. Cant. 3. 2. Ad hæc statim sponsus: *nè suscitetis, neque evigilare facietis dilectam.* v. 5. S. Tho. Aq. Si requirebat sponsum, quomodo quiescebat? quia dulcissimus &c.

Ubi est, qui natus est. Matth. 2. 1. Video Magos Jerosolymis, audiente tyranno, recens natum Judæorum regem impunè prædicare. Cur tamquam authores rebellionis, non puniuntur? cur vel illis silentium non præcipitur? Quia confitentes Deum quærebant. O si nobis hæc esset cura, ut in omnibus Deum quæramus! qua securitate, quo triumpho, per media mala incederemus. Baeza t. 1. l. 2. c. 8. §. 1.

Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire. Matth. 14. 28. Non ait Petrus, veni ad me, ut volunt Mundani, quòd Deus eos quærat: sed ait, *jube me ad te venire.* Sylveira hic.

Primum est scientiæ studium, quærere Deum; deinde honestatem vitæ cum innocentiæ opere. S. Isidorus l. 2. c. 1.

Quid cunctamur? relicta spe sæculi, conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam? Sanct. Aug. Conf. l. 6. c. 11.

Ideo te ineffabili pietate quæsivit, ut tu illum disceres, & desiderares inquirere. S. Eucherius s. 6.

§. III.

Deus absconditus dulcius invenitur. Ubi? & in qua specie quærendus?

Quæsivi illum, & non inveni. Cant. 3. 2. 3. Abscondit se sponsus, cùm quæritur; ut non inventus ardentiùs quæratur. Et differtur quærens sponsa, nè inveniat: ut tarditate sua capacior reddita, multipliciùs quandoque inveniat, quòd quærebat. S. Gregor. mor. l. 5. c. 4.

Si ignoras te, ò pulcherrima &c. Cant. 1. 7. Ideo quæris me absentem, & dicis, *ubi pascas &c.* id est, quia ignoras te: nam, si te cognosceres, quæreres me in te ipsa. Notandum est, quòd nominat Ecclesiam pulcherrimam: quia Deus quærendus est in anima, ut anima est imago ejus. S. Tho. Aqu. hic Circuire possum, Domine, cœlum, & terram; nec te possum invenire, nisi in cruce. Ibi pascis, ibi cubas in meridie. Id est hoc est, quod Propheta dicebat. Ps. 131. 7. *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Sed ubi steterunt pedes illi beati, nisi in cruce confixi. S. Bonav. s. 27. in Epiph.

In lectulo meo per noctes quæsivi &c. Cant. 3. 1. Anima, quæ Deum quærit, & ad Dei dilectionem, & cognitionem, pleniùs pertingere cupit; in lectulo hunc quærere debet, idest, quiete mentis. Vacare enim debet, & quiescere ab occupationes, & inquietatione rerum terrenarum. *Per noctem &c.* id est, per adversa tentationum & laborum; & in pugna virtutum, & vitiorum. Richardus à S. Vict. in Cant. 2. Et ipsius erat dilectus super montes, quasi hinnulus vagus, & volitans: & ipsa ad se relapsa de montibus, illis, in quibus mirabiliter illuminata erat, & illustrata visione dilectio. De montibus illis, ad convallem lacrymarum, ad lectum doloris relapsa, & ad noctem de montibus luminosis. Quid nisi recedat, ipsa, ubi sic recedit dilectus suus? Ipse enim sponsæ suæ salus, & illuminatio: ideo, recedente ipso, illa recedit ad lectulum infirmitatis, & ignorantiæ noctem. Gilbertus s. 1. in Cant. In circuitu ambulat; sed intus ambulat per vicos, & plateas civitatis. Sapientia enim in his viis se ostendit hilariter; & in plateis dat vocem suam. Id. s. 4. in Cant. Quid est in lectulo Deum quærere, nisi eum velle cum vita suavi invenire. Non invenitur Deus in quiete mundana; sed in aspera pœnitentia. S. Bonav. s. 30. Dom. infra Oct. Epiph.

Jesum quæritis &c. Marci 16. 6. Bene quæritis eum, quia quæritis Nazarenum, & Crucifixum. Multi enim quærunt Jesum tantùm Nazarenum, idest, salutem floridam: volunt enim hic gaudere cum Mundo, & in futuro regnare cum Christo. Sed non invenitur Nazarenus sine Crucifixo. *Per multas tribulationes &c.* Act. 14. Hugo Card. hic.

Accepit eum in ulnas suas. Luc. 2. 28. Si quis egreditur è Mundo, si quis è carcere, vinctorum domo dimittitur; ut ad regnandum vadat: sumat Jesum in manibus suis, & circumdet eum brachiis suis, totum habeat in sinu: & tunc exultans ire poterit, quòd desiderat. Origenes hom. 15. hic.

Quid quæritis viventem cum mortuis? Luc. 24. 5. Quærendæ enim res sunt suis locis Christus ibi non erat, ubi eam fœminæ quærebant. Quærebant inter mortuos; erat inter vivos, quærebant in domo mortis; erat in domo vitæ: quærebant in sepulchro jacentem: cùm quærere deberent in domo gloriæ triumphantem. Sic tu quære divitias, gloriam, gaudia: hic in Mundo non sunt. Barradius t. 4. l. 8. c. 6.

Tulerunt Dominum meum. Joan. 20. 13. Non potuit amor tantus, Christo etiam moriente, mori. Fugientibus, & latentibus viris, hoc est, Apostolis, mulier imperterrita, *stabat ad monumentum plorans.* Non habebat vivum; & tota super mortuum ardebat, - quò plus de oculis, & manibus, auferebatur, eò ardentiùs animus insequebatur. Drogo Ost. ser. de Sacr. Pass.

Inter corpora Deus quærendus non est: ad quærendum Deum ultra omne corpus eundum est. Sanct. Bonavent. s. 18. de Sanct. Joanne.

§. IV.

Deus quibus mediis quærendus.

In lectulo meo per noctem quæsivi. Cant. 3. 1. Non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus. S. Bernardus s. 84. in Cant.

Ego vado, & quæretis me. Joan. 8. 21. Ille Christum non quærit, qui salutem animæ suæ per pœnitentiam non quærit. *Quærite Dominum, dum inveniri potest.* Qui misericordem Deum, dum tempus habet, non quærit, inveniet eum iratum. V. Beda hic.

Quem quæritis? - ego sum. Joan. 18. 8. Veni, ait, desiderator bone; veni, & vide. Ego sum Jesus, quem quæris. Si ergo me quæris, sine omnia alio abire. Thom. Kemp. Conc. 10. de Incarnat.

TITULUS III.

QUIES.

§. I.

Quies Dei.

Quievit Deus ab omni opere, quod patraverat. Genes. 2. 2. Cùm Angelorum innumeras differentias creasses; cœlos, astra, terram, maria, corporumque varias naturas, condidisses; in his omnibus non quievisti: sed homine condito, ut Scriptura ait: *quievit &c.* In homine quievit Deus; non in Angelo, non in cœlo: quia benefaciendi, innotescendique, sufficientem, affluentemque, sibi in eo materiam dari prospexit. S. Thom. Vill. s. 3. in Nat. D. Cùm in die septimo requievit Deus ab omnibus operibus suis, & sanctificavit eum; nequaquam est accipiendum pueriliter, tamquam Deus laboraverit operando: qui dixit, & facta sunt verbo intelligibili, & sempiterno; non sensibili, & temporali. Sed requies Dei requiem significat eorum, qui requiescunt in Deo: sicut lætitia domus lætitiam significat eorum, qui lætantur in domo; etiamsi non eos domus ipsa, & alia res aliqua, lætos faciat. S. August. de Civ. l. 11. c. 8. Idem de Gen. ad lit. l. 4. c. 9. postquam de requie diei septimæ egisset, subdit: quid restat ut intelligamus, nisi fortè creaturæ rationali, in qua & hominem creavit, in seipso requiem præbuisse, post ejus perfectionem, per donum Spiritus S. per quem diffunditur charitas in cordibus

dibus nostris ; ut illuc feramur appetitu desiderii : quo cùm pervenerimus, requiescamus, idest, nihil ampliùs requiramus. Sicut enim recte Deus dicitur facere, quidquid, ipso in nobis operante fecerimus ; ita rectè Deus dicitur requiescere, cùm ejus munere requiescimus. *Requievit*, idest, rationem creaturæ in se requiem dedit : ut illuc scilicet toto desiderio feramur, quo requiescamus. Hugo Card. hìc.

En lectulum Salomonis. Cant 3. 7. Incipientes dicuntur *lectulus*, quia in eis quiescit Christus: non tamen sunt *feretrum*; quia non ferunt Christum ad alios ; generando ipsum in cordibus aliorum. S. Thom. Aqu hìc Lect. 2.

Ecce sedes &c. Apoc. 4. 2. Per hanc sedem Christi in sanctis requies designatur : siquidem in illis, veluti throno quodam, insidet. S. Andreas Cæsar. c. 4. hìc.

Requies Dei rectè intelligentibus ea est, quæ nullius indiget bono. S. August. in Gen. ad lit. l. 4. c. 16.

Gratias Domino Deo nostro, qui hujusmodi opus fecit, in quo requiesceret. Fecit cœlum ; non lego, quòd requieverit, fecit terram ; non lego, quòd requeverit : fecit solem, lunam, & stellas; nec ibi lego, quòd requieverit. Sed lego, quòd fecerit hominem : & tunc requievit, habens, cui peccata dimitteret, aut fortè tunc jam futuræ Dominicæ Passionis præcessit mysterium, quo revelatum est, quia Christus requievit in homine, qui requiem sibi prædestinabat in corpore pro hominis redemptione. S. Ambros. hex. l. 3. c. 10.

Summæ dignitatis est homo. Vide, quantum sit cœlum, terra, sol, & luna : nec tamen placuit in iis Domino, nisi in solo homine requiescere. S. Macarius hom. 15.

Homo sit Sabbatum Dei, & Deus Sabbatum hominis: cùm & ipse in Deo, & Deus requiescit in eo. B. Petrus Dam. l. 3. ep. 5.

In nulla alia sic divinum illud Numen quiescit, ut in Sanctis. S. Gregor. Naz. or. 6. de Spiritu S.

§. II.

Quies hominis.

Columba Noe, extra arcam, nullum locum ad quiescendum commodum reperiebat. Gen. 8. 9. Nullam requiem invenies, ò columba mea, extra manus veri Noe. Jesu Christi. Quamobrem ad ipsum, in quo consistit omnis requies, revertaris. Jonas Christum deserebat cap. 1. 3. & separatus ab eo nihil, præter miseriam experiebatur. At verò, cùm resipisceret, requiem assecutus est. Stella de am. Dei Med. 21.

Grex perditus factus est populus meus : pastores eorum seduxerunt eos, fecerunteque vagari in omnibus : de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. Jer. 50. 6. Cubile, in quo anima nostra securè dormit, & quiescit, est Deus. Cœca autem mens hominum, securitatis, & quietis, cubili derelicto; per montes errabunda vagatur, varia hujus Mundi bona consectans ; in quibus quierem se, & felicitatem adepturam putat. Diez Amor hom. erga Deum.

Fecisti nos ad te ; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. S. Aug. l. 1. Conf. c. 1.

Quies est apud te valdè, & vita imperturbabilis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui : & non timebit, & habebit se optimè in optimo. Defluxi abs te ego, & erravi, Deus meus ! nimis de via à stabilitate tua, in adolescentia ; & factus sum mihi regio egestatis. Id. ibid. lib. 2. cap. 10.

Mens in Deo, non in patinis, dum editur existas. S. Basil. f. quod corpus instrum. an.

Allois Abbatis monitum: non habebit homo requiem, nisi dixerit in corde suo : ego, & Deus, soli sumus in Mundo.

R

TITULUS I.

RATIO.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veterè.

Per Adam rationem, per Evam intellige affectionem, sive sensualitatem. Ad rationem cognitio, ad affectionem pertinet dilectio. Priùs Adam formatus est, quàm Eva : quia præcedit veri cognitio ; sequitur justi dilectio. S. Bonav. in Ps. 121.

Lumen vultus tui. Ps. 4. 7. *posuit oculum ipsorum super corda illorum*. Vultus Dei dicitur ratio : quia, sicut per vultum homo hominis assimilatur, & homo cognoscit hominem: ita per rationem similes sumus Deo, & Deum cognoscimus. Vel : vultus Dei dicitur ratio ; & lumen hujus vultus est gratia. Quia, sicut moneta est informis, donec imago regis ei imprimatur : ita ratio nostra deformis est, donec per gratiam Dei illustretur. Ratio enim est imago creatoris ; sed gratia Dei est imago recreationis. Hugo Card. hìc.

Completa est iniquitas tua Sion. Thren. 4. 22. Per Sion, quæ interpretatur specula, vel speculatio, rectè notatur ratio : quæ, dum ad consensum inclinatur, iniquitas consummatur. Sanct. Bonav. Psalm. 118.

Ex Novo.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Matth. 6. 22. Dominus ad interiorem oculum transfert sensum ; & intendit, per internum oculum, naturalem rationem scientia prædita. Hæc enim pars animi est velut lucerna in homine. Integram hujus mentis rectitudinem, ac scientiæ, appellat simplicitatem dicendo ; *si fuerit simplex* : ut intelligamus, omnem abusum, omnemque malitiam spectare ad admixtionem alicujus contrarii. Nam tàm naturale lumen, quàm adjunctum per virtutes intellectuales, sua simplicitate tendunt ad bonum. Et, si conformitas ad eorum simplicitatem uteremur eis, non nisi rectè uteremur illis, non nisi lumen essent. Cajetan. in Luc. 11. 34.

Lucernæ ardentes. Luc. 12. 35. Theophylactus : adsit vobis lux rationis, & discretionis ; ut dignoscatis, quid, & quomodo agendum sit.

Da mihi portionem substantiæ. Luc. 15. 12. Quæ est ista portio ? quæ est habitus, ratio &c. quæ hominem præ cæteris animantibus in terrena habitatione contingunt. Sanct. Chrysol. s. 5. Rationalis, ad quam subsequitur liberum arbitrium, substantia est hominis. Dat nobis Dominus rationem ; ut ea liberè, tanquam nostra substantia utamur. Theophylactus hìc.

Lux in tenebris lucet. Joan. 1. 5. Scilicet discretio rationis lucet in tenebris ; idest, in conscientia illorum, qui malè agentes tenebræ facti sunt. S. Rupertus hìc.

Voca virum tuum. Joan. 4. 16. Quare, dum mulier petit aquam, præcipitur ei vocare virum suum? Sanct. Aug. tr. 15. in Joan. ad sensum moralem recurrit ; quem sequitur Euseb. Emiss. hom. de Samarit. Beda, Albertus M. S. Thom. Bonavent. per virum intelligunt intellectum, per quem dirigi debet ; ut intelligas, quæ dico spiritualiter, & non sentias carnaliter. Sylveira hìc.

Erat quidam regulus. Joan. 4. 46. In sensu morali. Simon Cass. l. 5. cap. 18. ait : quòd regulus intellectus est rationalis ; qui regere debet amorem, tanquam filium imperitum, & ab eo removere noxia ; procurare utilia, Sensualitas fœminæ comparatur, ratio verò viro, per quam sensualitas regi debet. S. Thom. Aqu. in 1. Cor. 11.

§. II.

Usus bonus sequela rationis.

Nec adipem, nec sanguinem, omninò comedatis. Lev. 3. 17. Omnis ratio, & intellectus animi, quem sanguis significat, sunt Deo consecranda : anima enim in Sanguine est. Quia in ratione, & intellectu, vita animæ consistit ; sicut vita corporis in sanguine. Hugo Card. hìc.

Ecce magi. Matth. 2. 1. Quare magi non appellantur reges ? quia testimonium de Christo Domino à Sapientibus, in quibus ratio prævalet, illustrius erat, quàm à regibus ; in quibus voluntas ostentatur, & potentia. Et gloriosius erat, quod Christo subigeretur ratio, quæ in sapientibus prædominatur, quàm quòd potentia, quæ in regibus eminet. Sylveira hìc quæst. 2.

Qui autem unum (talentum) *acceperat*. Matth. 25. 18. Commissum est homini rationis talentum : quod si benè expenderit, ipse remunerabitur ; si autem in terram defoderit, auferetur ab eo, & ipse punitur. Rupertus c. 21. in Gen.

Erat autem homo ex Pharisæis. Joan. 3. 1. Cur Nicodemus vocatur homo ? Rupertus l. 3. in Joan. hìc homo, non tam pro natura, quàm pro ratione, dici æstimandus est: siquidem & illi, quibus Jesus non credebat semetipsum, omnes quidem natura homines erant; sed quia non rationabiliter quærebant ea, quæ nesciebant, quodammodò homines non erant.

Esto imitator Dei. Quomodo imitator ? numquid potes facere terram, aut mare ? non utique : sed ut omnia per verbum facias, nihil sine verbo : omnia cum ratione, nihil sine ratione. S. Ambros. f. 22.

Philosophiam definiunt studium rectæ rationis. Non est ampliùs particeps rationis, qui peccant præter rationem. Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 13.

Quòd autem primum tempus humanæ sapientiæ, quando egredimur pueritiam, & ad rationalem venimus ætatem, *manè* in scripturis intelligatur, multa testimonia docere nos poterunt, de quibus exempli causa ponenda sunt pauca. Jer. 7. 13. Manè mittebam Prophetas. Manè assistam tibi, & videbo. Psal. 29. 5.

Omnis homo, cùm sit dotatus prærogativa rationis, debet uti ipsa, ad discernendum inter bonum, & malum ; inter bona præsentia, & futura ; inter mala præsentia, & futura ; inter bona corporis, & animæ ; inter Creatorem, & creaturam : ut, quod melius est, eligat. B. Humbertus p. 1. c. 1. ad omnes homines.

Illud homo dicitur operari, quòd ratio operatur : quia homo est id, quod est secundùm rationem. S. Thom. Aqu. in c. 7. Rom. Lect. 3.

Ratio debet regere cogitationes, sicut domina regit ancillas, & familiam. Nam videmus, sicut dicit. S. Gregorius, quòd absente domina familia deordinatur : quin ancillarum linguæ perstrepunt, deputata officia negligunt. At ubi repentè domina venerit, mox silent ; & laborem repetunt. Geminiani lib. 9. cap. 65.

§. III.

Ratione non utentes, vel abutentes.

Egressi sunt omnes cum turmis suis. Jos. 11. 4. Jabin, qui, teste Origene hom. 14. in Jos. interpretantur *sensus*, vicinos reges ad pugnam contra Israel excitat. Exactè obeditur concupiscentiis, & sensibus ; rationi negligenter. In delectationibus sensualibus nullus excusationes prætendit, nullus differt : verùm si ratio virtuti consentanea, honestati debita saluti imperet proficua ; aut non audimus, aut morosè exequimur. Naxera hìc §. 3.

Melius est, prospicere oculis, quàm ambulare juxta voluntatem animæ suæ. Eccl. 6. 9. Est animalis homo, qui traditus appetitui sensitivo semitas rationis egreditur. Olympiodorus hìc.

Propriè barbari dicuntur, qui ratione non utuntur. Sanct. Thom. Aq. in 1. Rom. Lect. 5.

TITULUS II.

RECOLECTIO SPIRITUS.

§. I.

Symbola.

Benedixit diei septimo, & sanctificavit illum. Gen. 2. 3. S. Chrysost. hom. 10. quid est, & *sanctificavit illum* : ab aliis illum segregavit. Statimque adjecit causam istius Sanctificationis : eo quod *in illo requieverit ab omnibus operibus suis*. Jam hìc ab initio doctrinam hanc nobis insinuat Deus, erudiens, in circulo hebdomadis diem unum integrum segregandum, & reponendum in spiritualem recollectionem. Fernandius hìc.

At illæ venit ad eum ad vesperam. Gen. 8. 11. Mira columbæ comitas ; quæ jam secundò dimissa, non integrum extra arcam transfigit diem ; sed alacri volatu ad Dominum, & Curatorem suum revertitur. Viros justos non remuratur diutius sæcularium rerum occupatio ; quin expeditius ad Domini sui arcam, secretum scilicet contemplationis studium revertantur. Id. hìc.

Maneat unusquisque apud semetipsum ; nullus egrediatur de loco suo septimo. Ex. 16. 29. Abul. q. 13. Manere apud semetipsum est, cùm homo extra seipsum non vagatur ; & se totum collocat, cogitando de Deo.

Quoniam amicus meus venit de via ad me. Luc. 11. 6. Per amicum istum, secundùm quosdam intelligitur animus, seu spiritus noster ; qui dum per terrena, vana, atque carnalia distrahit, oblectatur, & evagatur ; à nobis recedit juxta. Psal. 39. 13. *cor meum dereliquit me*. Cùm autem ad interiora sua regreditur, & salutaria meditatur : de via lata perditionis ad nos ipsos revertitur. Dion. Cart. hìc.

Profectus est in regionem longinquam. Luc. 15. 13. S. Gregorius explicans, quid sit habitare secum : quoties per cogitationis motum nimirum extra nos ducimur ; & sumus, & non sumus nobiscum : quia, nosmetipsos minimè videntes per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimur, qui in longinquam regionem abiit : Qui tamen, cùm postmodum cœpit cogitare bona, quæ peruidit, scriptum de illo est : *in se reversus dixit &c.* Hunc ergo venerabilem virum (Benedictum) secum habitasse dixerim : quia in sua semper custodia circumspectus, ante oculos conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non divulgavit. Sanct. Gregor. M. in vita Sanct. Benedicti cap. 1. apud Bolland. 21. Martii.

Somnus animæ est, cessare à negotiis sæcularibus, & contemplari de alio Mundo. Sanct. Vincent. Ferrer. ser. 4. D. 17. Trinit.

Domino domi manente omnes faciunt officium, eo absente nihil minus. Sic, cùm ratio se colligit, & consulit conscientiam ; omnia perturbantur. Stella de cont. &c. part. 3. cap. 38.

Terra. Lem. *Immota, nec iners*. Sanct. Bernardus de vita solitaria : otiosum non est, vacare Deo ; imò negotium negotiorum omnium. Seneca epist. 8. mihi crede qui nihil agere videntur, majora agunt ; humana, divinaque simul tractant. Picinelli.

§. II.

Recollectionis motiva.

Ex Veteri.

Dimisit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur. Genes. 8. 7. Corvus emittitur de arca, quando aliquis vagatur à conscientia sua : & sæpe, vel aquis concupiscentiæ intercipitur, vel cadavere luxuriæ illectus retinetur ; ideo dicit Dominus cuilibet, qui est in arca, idest, in Ecclesia. Is. 26. 20. *ingredere in domum tuam, & intra in cubiculum tuum*. Hugo Card. hìc.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Qui compungitur intus syncera pœnitentiæ spinis, reperit in deserto, & in rubo, Deum suum instar Moysis. Ibi de spinis contritionis flammam excitat amoris ; & monet egredi ex Ægypto tenebrosa, ex se-virtute peccati ; & tendere in terram promissionis. Adjunge te socium : bonum est in solitudine cum solo Jesu esse. Marchantius Dom. 1. Quadr.

Estne Dominus in nobis ? an non ? Ex. 17. 7. Quærebant olim Israelitæ. Quærat id quisque Christianus : estne in me rex meus dilectissimus? an non? an tyrannus sævissimus? Barradius t. 4. l. 4. c. 7.

Vacate, & videte. Ps. 45. 11. Si vacare volumus, soli Deo vacemus. S. Paschasius in Thr. 1.

Hæc dicit Dominus Deus : si quiescatis, salvi eritis. Is. 30. 55. Maximè enim conducit ad salutem, quiescere à negotiis, ac perturbatione mundana. Sylveira in Joan. 4. 52.

Redite prævaricatores ad cor. Id. 46. 8. Debet homo redire ad cor. 1. Quasi ad judicii solium, ut se discutiat. Psal. 76. *meditatus sum nocte cum corde meo*. 2. Quasi ad vitæ principium, ut se custodiat. Prov. 4. *omni custodia &c.* 3. Ad divinæ locutionis auditorium. Os. 2. *loquar ad cor ejus*. Sanct. Thom. Aqu. hìc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Ductus est Jesus in desertum: Matth. 4. 1. Prima ratio itineris in desertum fuit, ut pœnitentiæ exemplum daret, in solitudine orando, jejunando, vigilando, patiendo, & affligendo. 2. Ut doceat te tempus seligere, in quo solitudinem cordis tui ingrediaris : ut ibi audias, quid loquatur in te Deus tuus. Marchantius D. 1. Quadr.

Heri hora septima reliquit eum febris. Joan. 4. 52. Quare hora septima signatur tempus quieti conveniens : nam Dominus *septimo die requievit ab universo opere, quod patrarat*. Gen. 2. 2. Sylveira hìc.

Quamdiu te somnus? quamdiu te sæcularia, tenent? quamdiu sollicitudo istius vitæ ? quamdiu terrena ? divide saltem Deo, & sæculo, tempora tua. Vel quando non potes agere in publico, quæ sunt istius Mundi, & tenebræ prohibent noctis ; Deo vocato, indulge orationibus. Sanct. Ambr. in Psal. 118. ser. 19.

Qui toto anno nobis viximus, saltem vel paucos dies vivamus & Domino. S. Aug. s. 2. D. 1. Quad.

Deputentur tempora, distribuantur horæ, pro salute animæ. Id. Conf. l. 6. c. 11.

Eligatur tibi opportunus, & aliquantum à familiæ strepitu remotus locus ; in quem tu, velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum, te recipias ; & excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas. Tantùm ibi sit divinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices ; tam firma, & pressa, de futuris cogitatio : ut omnes reliqui temporis occupationes facilè hac vacatione compenses. Sanct. Hieron. ep. 14. fortè Paulini Nolani Ep. ad Celantiam.

Amet homo, amet sanctum otium ; in quo exerceat animæ suæ negotium. S. Prosper de vita cont. c. 8.

Eja nunc homuncio ! fuge paululum occupationes tuas, absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis abjice nunc onerosas curas, & postpone laboriosas distensiones tuas. Vaca aliquantulum Deo, & requiesce aliquantulum in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ ; exclude omnia, præter Deum, & quæ te juvent ad quærendum eum. Dic nunc totum cor meum ; dic nunc Deo : quæro vultum tuum, *vultum tuum, Domine requiro*. Psalm. 24. 8. S. Anselmus Prologii cap. 1.

Me-

Memento, non dico semper, non dico sæpe, sed interdum reddere te ipsum tibi. S. Bernardus Consid. l. 1. c. 5.

Quàm facere potes sæpissimè, spiritum tuum per diem Deo præsentem siste. Sicut aves nidos in arboribus habent, in quos sese recipiunt, cùm opus est: & cervi dumos, & cunabula, sub quibus sese abdunt, & occidunt, dum umbram in æstivis caloribus captant. Sic, ò Philothea, corda nostra aliquem sibi locum quotidie capiant, & seligant, oportet, vel in Monte Calvariæ, vel in vulneribus Salvatoris nostri. S. Franc. Salesf. Philoth. p. 2. c. 12. de recollectione.

Quòd foris est, miserabile est: quod intus est, mirabile est. Intus ergo vide, & non miraberis, quidquid foris apparet. Hugo de S. Vict. in Ps. 67.

Gentiles etiam Sinæ nonnulli ad prædium suburbanum conferre, animi colligendi, commentandi, sui ipsorum reformandorum gratia solent: ut in primævum, in quo initio conditi fuere, statum, ut ajunt, se restituant. P. Petrus Janicus in thes. rer. Indic. tom. 2. l. 2. c. 20.

Chinensium libris sigillatim commendatur continuum sui ipsius, actionumque suarum; ac præcipuè earum, quæ in aliorum oculos non occurrunt, examen. Eam ob causam magni faciunt secessum ad villas, & loca solitaria: quod nonnulli faciunt, ut diligentiùs vacent contemplationi luminis naturalis; & seipsi reforment, revocando se ad pristinum statum, in quo, ut ipsi loquuntur, de cœlo conditi sunt. Ex. lit. P. Nicolai Longobardi 1598. ex China.

TITULUS III.

RECREATIO.

Erat autem populus jucundus secundùm faciem Sanctorum. Judith 16. 24. hoc est, ad modum, quo gaudere sancti solent: qui, cùm oblectationem aliquam capiunt, modestiæ regulam, temperantiæ perpendiculum, cautionis normam, frugalitatis frænum, attentionis lineam, semper ad manum habent: ad quam relaxationis suæ suavitatis exigant. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 1. l. 7. c. 7.

Cantate Dominum canticum novum. Ps. 97. 1. & v. 4. *Cantate, & exultate, & psallite.* Quid est cantare Domino? servire, gratificari. In cantu dantur pausæ: lassabit continuus concentus, & tenor. Fieri non potest, ut perpetuò quis oret, aut corpus flagellet; aut tamquam mutus, nunquam loquatur; aut omnes jejunet dies. Est hìc nimis altus tonus. Id. ib.

Hortus conclusus Soror mea. Cant. 4. 12. Sim. Cass. l. 13. cap. 8. in Evangel. sunt deliciæ Paganorum, & Infidelium; sed non conclusæ: sunt deliciæ peccatorum; sed non conclusæ: sunt verorum Christianorum; sed conclusæ. Deliciæ Christianorum certos fines habent, certis limitibus concluduntur. In cursis dæmonum patet, qui non stat in horto concluso.

Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Marc. 6. 31. Pius Magister, ac Dominus, Discipulorum labori, & fatigationi compassus, concessit eis respirationem, recreationem, & quietem: verumtamen non magnam, nec longam; sed brevem, & modicam: ostendens, non diu cessandum esse ab opere bono; nec ultra necessitatem indulgendum esse corporali quieti: sed usque in finem invicto animo perseverandum esse in opere virtuoso. Dionys. Carth. hic.

Jesus fatigatus ex itinere sedebat super fontem. Joan. 4. 6. Instruit te, quid agere debeas, cùm à labore desistis, & qualis sit recreatio appetenda. Neque enim, si diutiùs laborare nequeas, docet intendere fabulis, aut somno delectari; sed quid? super fontem sedeas, solatium Spiritus quæras: Scripturæ sanctæ fluentis intende. Thom. Kemp. conc. 19.

Gaudete in Domino semper. Philipp. 4. 4. *modestia vestra nota sit omnibus hominibus* v. 5. S. Thom. Aqu. hic: ita sit moderatum gaudium nostrum, quod non vertatur in dissolutionem.

Caveamus; nè dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam; quasi concentum quendam bonorum operum. S. Ambros. Eth. Christ. l. 1. c. 20.

TITULUS IV.

REDEMPTIO.

§. I.

Vocatur Justitiæ.

Sion in judicio redimetur. Isa. 1. 27. Christi redemptio, licèt opus fuerit summæ clementiæ, & misericordiæ; hìc tamen vocatur judicium, & justitia: quia Christus ex Justitia soluto lytro, puta pretio sanguinis sui, nos redemit. Cornelius hic.

Non tantùm erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis justitia: non tantum nos peccavimus, quantum ille justè egit, qui animam pro nobis posuit. S. Cyrill. Jeros. Catech. 13.

§. II.

Redemptio major creatione.

Hæc cum dixisset, insufflavit. Joan. 20. 22. Hæc insufflatio significat novam dignitatem homini concessam. Gen. 2. 7. *inspiravit Deus in faciem Adæ spiraculum vitæ; & factus est homo in animam viventem.* Nunc verò iterum in hominem sufflavit. Et sicut antea limum in hominem viventem suo flatu mutavit; sic modo eodem Spiritu hominem in Deum certo quodam modo convertit: Deus enim est qui Spiritu Dei plenus existit. Ex quo apparet, nos Deo propter redemptionem multò plus, quàm propter creationem debere. Nam, quia nos creavit, esse hominis quia verò redemit, esse divinum ei debemus: cùm ejus gratiæ participes facti simus. Diez conc. 2. Dom. in Alb.

Gratias tibi agimus, Jesu Christe, quòd creasti nos: sed creatos feris bestiis, mutis animantibus præfecisti. Majora sunt visitationis tuæ munera. Visitatos majestatis tuæ consortiis honorasti, dicens: *narrabo nomen tuum fratribus meis.* Psal. 21. 23. Susceptò enim corpore fratres es factus; nec Dominus esse desisti. S. Ambros. Octon. 20. in Ps. 118. Vide humilitatem meam &c.

Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per totos triginta annos operatus est salutem in medio terræ. S. Bernard. s. 9. in Cant.

Urget ratio, & justitia naturalis, ut totum me per amorem tradam tibi, à quo me totum habeo. Et si totum me debeo tibi, quia me fecisti; ad magis amandum sum obligatus, quia me refecisti: nec tam facilè me refecisti, quam fecisti. Nam semel dicendo me fecisti, sed reficiendo, & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura: nec tantùm dura, sed indigna. S. Idiota de am. div. c. 10.

§. III.

Redemptio beneficium maximum, opus Dei.

Quinquagesies, nec sæpius, minusve, reperitur in Scriptura Sacra mentio liberationis, & egressionis filiorum Israël ex Ægypto. Ad denotandum verum Jubilæum nostrum sive Pentecostem, in quo Spiritus Sanctus diffunditur; sed non sine prævia; frequentique redemptionis nostræ recordatione, atque gratiarum actione. Doultreman. de am. l. 1. c. 3. sect. 10.

Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filii tui: quia liberasti nos de manu Madian. Judic. 8. 22. In illo, & unico conflictu, Gedeon nè guttam quidem sanguinis effudit; nec vulnus ullum, aut ictum, accepit. Et tamen adeò grati sunt filii Israel: ut ei, filioque, & nepoti, subjiciant. Quid nos superno Duci nostro facere debemus; qui tot, tantisque expensis nos liberavit &c. Diez f. 4. D. 2. Quadr.

Domine opus tuum. Habac. 3. 2. Opus intelligit liberationis Judæorum à Babylone: & mysticè redemptionis generis humani è captivitate Diaboli, & peccati, per Christum. Cornelius hic.

Fecit potentiam in brachio suo. Luc. 1. 51. Ea, quæ exiguas vires requirunt, digito solemus efficere: ut si palea ex humo tollendo est, digitis tollitur; traens verò brachio, ob pondus, tollenda est. Cætera omnia opera Dei, comparata operi redemptionis, vocantur exigua. Et ideo de iis David: quoniam videbo cœlos opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti. Ps. 8. 4. At redemptionis opus ait sanctissima Virgo brachii divini opus fuisse. Diez conc. 1. de Incarn. D.

Recogitate eum, qui talem sustinuit &c. Hebr. 12. 3. Quantum sit redemptionis beneficium, non potest in hac vita penitus cognosci. Nam ad hoc beneficium plenè cognoscendum, oportet intelligere, quid nobis propter id datum fuerit: scilicet cœlestis beatitudo, & liberatio ab Inferno. Quibus igitur oculis Electi sanctissima illa Christi vulnera respicient, è quibus tanta illis bona profluxerunt. Diez in Pass. Dom.

Miscellanea.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Matth. 9. 6. Sanctus Hilarius Can. 7. in Matth. ait tribus illis verbis, *surge, tolle lectum, vade*, denotari totam redemptionem per Christum factam. *Surge*, significat remissionem peccatorum per gratiam: *tolle lectum tuum*, corporum resurrectionem: per eam enim homo iterum reassumit carnem suam: quæ jam non est nota infirmitatis, sed signum perennis salutis. *Vade in domum tuam*, ingressum in regnum cœlorum. Sylveira hìc.

Qui-

Quibus modis mors in sæculum venerat, iisdem modis vita sæculo pervenit. Lignum enim per Adam operatum est mortem; lignum per Christum operatum est vitam: &c, quem diabolus persuadendo dejecit, eum Dominus liberando salvavit. Sanct. Chrysost. s. de interdictione arboris ad Adam.

TITULUS V.

REGNA.

§. I.

Regnum Christi Domini.

Ex Veteri, & Novo.

Parvulus natus est nobis. Is. 9. 6. *factus est principatus ejus super humerum ejus.* Clementissimus Princeps regnum suum super humerum gestat. S. Thom. de Vill. ser. de S. Steph.

Adveniat Regnum tuum. Matt. 6. 10. Regnat in terra cupiditas, caro, mundus, diabolus: cupimus in homine Deum regnare; & propterea *adveniat regnum tuum*, ad destructionem horum regnorum. Quantum enim in nobis regnat avaritia, aut luxuria, aut quodvis aliud vitium tantum subtrahitur regno Dei in terra. Cajetanus hìc. O venerabilis ordo regni Dei! ò rationabilis, & opportuna consolatio regis Dei! Non venit hoc regnum cum festinatione; quemadmodum regnum hujus mundi; de quo rectissimè dictum sit: *hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimis suis benedictione carebit.* Prov. 20. 21. S. Rupertus in Ezech. c. 1.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13. Regnum Nabuchodonosoris comparatur arbori magnæ: regnum Alexandri Cedro magnæ: Romanorum regnum monti: Christi verò regnum, quod universa illa comminuit, grano Sinapis. Osorius D. 6. Epiph.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. Cur non dixit regnabit in domo Abraham, aut Isaac? si Abraham, & Isaac, Patres Domini vocantur, ℞. Salmeron: non in domo Abraham, in qua Ismael pugnat cum Isaac: nec in domo Isaac, ubi Esau persequitur Jacob: sed in domo Jacob, quæ cæteris sanctior. Escobar tom. 3. Coll. Chr. t. 3. l. 9. sect. 1. Obs. 2. Super omnes beatos, & reprobos, æqua, & una potestate regnabit: beatificè super bonos; horrendè atque terribiliter, super malos; tam æternè, quàm æternus est Deus; ut infinitatis infinitas nulla succedat. Sim. Cass. l. 2. c. 6. Cur in domo Jacob? non Abraham, aut Isaac? Primò in domo Abraham duo nati sunt filii: unus tantùm scilicet promissionis obtinuit benedictionem. In domo Isaac duos peperit Rebecca; unus tantùm assecutus est benedictionem. At in domo Jacob duodecim progeniti filii, & *omnes* propriis benedictionibus ditati sunt à patre. Gen. 41. 1. &c. In hac ergo domo præfiguratur regnum Christi; cujus dona non unus, vel alter possidet, sed ad omnes se extendunt. Secundò, Jacob moriturus transpositis manibus benedixit nepotibus. Gen. 48. 13. Quo crucis figuram expressit. Meritò igitur dicit regnare in domo Jacob, ubi Crucis figura apparet; qui regnum suum in cruce, & laboribus, quibus nos redemit, collocavit. Tertiò, Jacob, cùm audisset filium suum Joseph in Ægypto regnare; dixit. Gen. 43. 28. *sufficit mihi, si Joseph filius meus vivit.* In hac ergo domo, ubi non terrena, sed vita Jesu, qui in Joseph figurabatur, quæritur; & ipsa sufficit nobis, licèt amici omnes mortales sint, dum JESUS auxiliator noster sit, ubi regnare dicitur Christus. Sylveira hìc.

Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris &c. Luc. 3. 1. Cœlorum regnum Joannis tempore appropinquabat; Judæorum verò regnum desinebat. Tunc enim cœlum appropinquat, cùm terræ desinuit. Romanum imperium fuit illis *virga ferrea.* Ps. 2. 9. Virgam aliam auream Messiæ postea misit, cui subjicerent caput. Psal. 109. 2. *virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* At miseri ferream auræ prætulerunt *non habemus regem, nisi Cæsarem.* Joan. 19. 15. Ferrea virga eos confregit Ps. 2. 9. tamquam vas figuli confringes eos. Barradius t. 2. l. 1. c. 7. Dom. 4. Adv.

Porrò unum est necessarium. Luc. 10. 42. Hoc scilicet est regnum Dei; quo habito nihil deest. *Quærite primum regnum Dei &c.* Matth. 6. 33.

Pervenit in vos regnum Dei. Luc. 11. 20. Regnum Dei, ubi regnat Deus, per virtutem, & gratiam. Regnum Dei Ecclesia sancta Dei, libertas à vitiis, habitusque virtutum. Regnum Dei amor est ejus. Sim. Cass. l. 5. c. 23.

Donec impleatur in regno Dei. Luc. 22. 16. Aliquid magni, atque insigne, innuit Jesus, cum desiderabat Pascha transitus manducare cum Apostolis: nam omnia suis spatiis transeunt sub sole. Transivit innocentia in cœlo aliquorum Angelorum; transivit illa primorum parentum. Transivit diluvium, transierunt Patres antiqui, transierunt Reges Judæorum, transivit Synagoga; transierunt, & transeunt regna Gentilium. Unde Ecclesiasticus dicit: *Regnum à gente in gentem transferetur.* c. 10. 8. Transierunt tempora non reditura; transeunt Mundi bona. Transierunt Apostoli, Martyres, & Confessores; transierunt Pontifices, & succedunt. In æternum verò stat, & numquam transit regnum Dei æternum, beatitudo Sanctorum. Sim. Cass. l. 13. c. 4.

Fecit nos Deo, & Patri suo, regnum, & Sacerdotes, &c. Apoc. 1. 6. Fecit nos regnum: ut, qui primo eramus regnum diaboli, modò simus regnum Dei: & in quibus priùs regnabat diabolus, in eis modò regnet Deus. Fecit nos regnum: ut in nobis destruamus mala, ædificemus bona; vitia deprimamus, virtutes erigamus. Fecit Sacerdotes: ut, qui priùs dæmoniis immolavimus, Deo deinceps immolemus: & qui antè obtulimus diabolo sacrificia peccatorum, amodo offeramus Deo Sacrificia bonorum operum. Richardus à S. Vict. l. 1. hìc.

§. II.

Regnum Cœlorum.

Appropinquavit Regnum Cœlorum. Matth. 3. 2. Durante statu veteris testamenti annuntiatum est à Lege, & Prophetis, regnum terrenum opulentia rerum temporalium: à tempore autem Joannis Baptistæ evangelizatur regnum Dei; regnum cœlorum, non terrenum. Cajetanus in Luc. 16.

Simile est Regnum Cœlorum grano sinapis. Matth. 13. 31. Illud regnum singularitate potens, æternitate felix, divinitate fulgens, diffusum toto cœlo, tota terra dilatatum; in grani sinapis coarctat, & concludit angustias. Spes ista est credentium tota? expectatio ista est Fidelium summa? ista est felicitas Virginum longis continentiæ laboribus comparata? ista est gloria Martyrum totius acquisitione sanguinis conquisita? Hoc est, *quod nec oculus vidit* &c. hoc est, quod ineffabili Sacramento diligentibus Deum promittit Apostolus, esse præparatum? S. Chrysol. s. 98. de grano sinapis.

Fuit in diebus Herodis. Luc. 1. 5. Cur fit mentio de diebus Herodis? Hugo Vict. l. 4. instit. mon. venit Herodes, qui non erat de Israel; & arripuit sceptrum dominationis in populum: ut ad exordium cœlestis imperii carnale regnum deficeret; & promissus à sæculis Rex Israel, cùm non esset sceptrum de Juda; æternum reciperet, quod temporale transierat. Ut sciatur, quod ad præsentiam regni cœlestis omnia bona temporalia disparent. Sylveira hìc.

In Regnum Dei vocati sumus: dignè regno ambulemus. Clem. Alex. l. 3.

Dignum valdè est, & omninò exigit ratio æquitatis, ut quibus à constitutione Mundi regnum paratur, ipsi etiam regno parare non negligant: nè parato regno forsitan inveniantur, qui regnaturi fuerant imparati. Quærimus ergo, quemadmodum regno parato parari debeant reges futuri. S. Bernardus serm. de eo, quod legitur in Job in sex tribul. &c.

Dignum omnino est, & omnino exigit ratio æquitatis; ut quibus à constitutione Mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant. Guarricus serm. de Scripturar. Sacrar. utilitate.

§. III.

Regnum animæ.

Adduxit ea ad Adam. Gen. 2. 19. Neque illi quidquam vel nocere audebat, vel insidiari: quippe quod in eo videbant regiam relucentem imaginem. Simul ac verò speciem illam peccati tenebris obscuravit, DEUS hominem de imperii statu dejecit. S. Chrysost. lib. de Virginit.

Adveniat regnum tuum. Matth. 6. 10. id est, regnum tuum nobis adveniat; ut tu regnes in nobis in hac vita per gratiam; & nos in te in alia per gloriam. S. Edmundus spec. Eccl. c. 17.

Regnum DEI intra vos est. Luc. 17. 21. Advertimus, in nobis regnum cœleste solidari cùm Christus, explosò Mundani principis regno, fugatisque deliciis sæcularibus, intrà nostrorum regnat secreta animorum. Sanct. Ambros. l. 5. in Luc. hìc.

Regnum DEI vocati sumus; dignè regno ambulemus. Clem. Alexand. l. 3. pædag. c. 11.

Verum regnum istud est, posse nos optima vita propitium, & clementem nobis facere Deum. Sanct. Chrysost. hom. 23. in Gen.

§. IV.

Regna Mundi.

Num. I.

Figura, & Symbola.

Quid est, quod tenes in manu tua? Exod. 4. 2. Hac virga, ejusque metamorphosi significabantur vices Hebræorum, sive tres eorum status in Ægypto. Hebræi enim virgam, id est, sceptrum, & principatum tenebant; vivente, & regente Josepho. Eo vita functo virga hæc in terram projecta, & versa in colu rum, quia Hebræi priùs chari, post mortem Joseph exosi fuere Ægyptiis. Rursum hic coluber in virgam versus est in manu Moysis: quia populo suo rursus sceptrum, libertatem, & dominationem attulit. Cornelius hìc. In ora vestimenti malogranata. Ex. 39. 23., quibus regna notantur, ut ait S. Cyrillus Alex. l. 11. de Ador. in spir.

Aqua Siloe, quæ vadunt cum silentio. Isa. 8. 6. Symbolum sunt regni, & stirpis Davidis, ob ejus humilitatem, modestiam, & pietatem: & quia ex ea prognatus est Christus, Rex mansuetissimus, & modestissimus. Cornelius Hieroglyph. hìc.

Et in medio ejus similitudò quatuor animalium. Ezech. 1. 5. Currus hic, seu quadriga, adumbrat quatuor Monarchias, inquit Lyran. Maldonatus, S. Justinus, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum. Totus enim Mundus est quasi currus, quem moderatur auriga Deus. Cornelius hic.

Residuum erucæ comedit locusta &c. Joel. 1. 4. Illius eversio populi per quatuor hæc facta est erucam, locustam, bruchum, & rubiginem: id est, per quatuor regna hæc Babylonicum, Persicum, Macedonicum, atque Romanum. S. Rupertus l. 4. de oper. Spir. S. c. 4.

Erexit cornu salutis. Luc. 1. 69. Cornu signatur regia potestas: quoniam in veteri Testamento oleum, quo ungebantur reges, ferebatur in cornu. Juxta quod dictum est Samueli 1. Reg. 16. 1. *imple cornu tuum oleo.* Proinde cornu erectum in domo David, est regia Christi potestas. Sim. Cass. l. 3. hic Cornu in Sacris literis modò pro regno, modò pro robore, modò pro potentia usurpatur. S. Titus Bostr. hic.

Num. II.

Regna Mundi instabilia, vana, &c.

Pleraque Symbolicè.

Ex Veteri.

Obtulieque munera Eglon Regi Moab. Judic. 3. 17. Eglon rotam nomine protulit, & rotæ vertiginem suo casu, ac morte, repræsentavit. Origenes hìc.

Cùm abieris hodie à me, invenies duos juxta sepulchrum Rachel. 1. Reg. 10. 2. Samuel Propheta postquàm Samuelem in regem unxit, mox præcepit ei abire versùs Rachelis sepulchrum. Regnare & mori, connexionem inter se habent. Incerto Auth.

Saul ungitur in Galgala, 1. Reg. 11. 14. quod interpretatur *rota.*

Imple cornu tuum oleo. 1. Reg. 16. 1. Saul inunctus fuit oleo lenticulæ fictilis. 1. Reg. 10. in signum, quòd regnum suum citò frangendum erat. David autem ungitur oleo cornu: quia regnum ejus duraturum erat in æternum. Hugo Card. hic.

Et statuit duas columnas in porticu templi - vocavit eam nomine Joachim: similiter erexit columnam secundam, & vocavit nomen ejus Booz. 3. Reg. 7. 21. Joachin *firmitas*, Booz *robur*. Optat Salomon, ut regno salvo salvum staret templum, sic Lyranus. Sed repugnant columnarum fastigia, liliis ornata. v. 22. Super capita columnarum opus in modum lilii posuit: quasi insinuans regna, ut lilium evanescere. Velloso in Judith. 3. Paræn. 9.

Ego Salomon fui Rex in Jerusalem. Eccle. 1. 12. Cur non dicit, ego sum Rex? vivebat enim dum hoc diceret. Hugo à S. Victore: fui, jam non sum: quia, etsi sum; idipsum vanitatem, & nihil esse agnosco, quod sum.

Omnis potentatus vita brevis. Eccli. 10. 11. Reges Chaldæi, teste Herodoto l. 1. gestabant sceptrum, in quo rosa, aut similis flos, erat insculptus: rosa autem, quia frigida, ebrietati resistit. Igitur sceptro, quod homines fittu inebriat, & dementat, incidebant rosam: quæ licèt sit speciosa, subitò tamen marcescit: ut cogitantes sua sceptra brevi corrumpenda, fastum ponerent. Cornelius in Eccl. 7.

Date florem Moab. Jer. 48. 9. Hebræum textus florem, alam, & coronam valet. Addit textus: quia *flores egrediuntur*; scilicet ad honores funebres. Nec flores à tumulo diffident: constat enim defunctos, floribus, & herbis olentibus coronatos, efferri in tumulum. Velloso in Judith. 3. Paræn. 9.

In Ezechielis quatuor animalibus quatuor Mundi Monarchias nonnulli interpretes agnoscunt: ubi rotæ instabilitatem exprimunt. Et insuper c. 1. 16. *aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris*; quo nihil turbulentius. Dan. 7. 2. Quatuor venti pugnabant. Mendoza in 1. Reg. 2.

Fecit transire Samaria regem suum quasi spumam &c. Os. 10. 7. de excidio regis Samariæ.

Quatuor quadrigis, quatuor Mundi imperia comparantur. Zach. 1. 6. quia non minor in his, quàm in illis, volubilitas reperitur. Mendoza in 1. Reg. 2.

Hoc est sepulchrum, quod fecit in Modin. 1. Machab. 13. 30. Simeon Dux Machabæorum ædificavit super sepulchrum patris sui columnas magnas, juxta arma naves sculptas. Regiæ majestatis insignibus naves junguntur, regnorum inhabilitatem significantia. Unde & veteres olim Imperatores, teste Strabone l. 7. pictis navibus pro regia corona utebantur: ut videlicet Imperatoria majestas, non firmo solo stabilita, sed fluctuante solo exagitata, ostenderetur. Incerto Auth.

Ex Novo, & aliis.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matth. 4. 9. Quàm nihili Sathanas omnem Mundi gloriam, opes, regna, æstimat: cùm illa omnia se daturum promittat pro una unius hominis (non enim certò Deum esse agnoscebat) submissa corporis inclinatione. Tales Herodes de imperii gloria tulit judicium, cùm puellæ saltatrici dimidiam sui regni partem sub juramento pollicitus est. Sic advertit Sanct. Ambr. l. 3. de Virginib., vide quemadmodum sæculares ipsi de Sacerdotibus suis judicent; ut pro saltatione etiam regna donentur. Fernandius in Gen. 2. Sect. 8.

Et arundinem in dextra ejus. Matt. 27. 29. Calamus ille, (seu arundo, qua percussus Christus) mysterium fuit sceptri vani, & fragilis; super quod incumbebamus omnes, priusquam crederemus sceptrum maligni. Confidebamus enim in virga calamina Ægypti, vel Babylonis, vel cujuscunque regni contrarii contra regnum Dei. Orig. tr. 35. cap. 29. in Matth.

In via inter se (Discipuli) disputaverant, quis eorum major esset? Marci 9. 33. Ubi D. Hieronym. rectè in via tractabant de principatu: similis enim est hæc tractatio loco. Principatus enim sicut ingreditur, sic deseritur. Et quamdiu renetur, labitur, & incertum est, in qua mansione, id est, die finietur. Mendoza in 1. Reg. 2.

Ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis. Luc. 4. 5. Benè in momento temporis sæcularia, & terrena demonstrantur: non enim tam conspectus celeritas indicatur, quàm caduca fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt: & sæpe sæculi honor abiit, antequam venerit. S. Ambrosius l. 4. hic. Ideò vafer hostis in præaltum montem Jesum transtulit, ut eminus intuens regna terrarum illiceretur eorum fuco: quem certò ridendum sciebat cominus intuenti. Quàm liberalis est Mundus in suarum exhibendo pompa dignitatum! at solos oculos fallaci spectaculo detinet. Semper ostendit, semper se clamitat daturum, rarò confert. In momento temporis omnem ambitionis supellectilem expromit. Haud igitur grandis pompa hujus Mundi, quæ tam brevi temporis puncto exponi potest. Oliva lib 13. Strom. hìc.

Verbum divinum choreas in orbem ducit. Philo Hebr. lib. quòd Deus sit immutabilis. An non singulorum hominum, urbium, populorum, provinciarum, cùm status varios, & innumeras vicissitudines intueris, ab ipso Deo choreas agi putas? Volente enim Deo, & movente in spatiosam Mundi aream, Medorum, Græcorum, Chaldæorum, Romanorum imperia educuntur; ibi gestire, & tripudiare videntur, dum dominantur. Sed subinde volente Deo, iterum receptui capitur; quiescunt, disparent, atque illis in orbem, in choreas, & gaudia succedunt. Fernandus in Gen. 1. 1. Sect. 1.

S. Ludovicus Tolosanus Ep., Caroli Siciliæ Regis filius, terrenum regnum vocabat splendidam servitutem, & honestum ergastulum. Doultreman. l. 1. c. 5. Sect. 6.

Carolus V. senescens onerum, & curarum Reipub. pertæsus, cùm Bruxellæ principatum Belgii in filium Philippum Secundum transferret; illacrymans dixit: ò fili! magnum tibi onus impono: ego enim toto tempore principatus mei nunquam quadrantem horæ magnis curis, & anxietatibus vacuam habui. Cornelius in Num. c. 11.

Num. III.

Regna quomodo conserventur.

Domine Deus! unde scire possum, quod possessurus sum eam? Gen. 15. 8. 9. amplam scilicet hæreditatem desiderabat Abraham pro se, suisque posteris, certam felicitatis tesseram; tunccque sacrificium Domino offerre jubetur. *Et respondens Dominus: sume mihi vaccam triennem, & capram trimam &c.* Naxera in Jos. 18. §. 4.

Con-

Congregati sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii. Jos. 18. 1. Quid tunc? *Et fuit eis terra subjecta.* Pacatum possident regnum, dum figunt Numinis tabernaculum: hostibus terribiles fecit religio. Masius hìc: laudanda profectò est populi religio; cui ante omnia curæ est Dei sacrarium, & cultus divinus. Tunc enim demum feliciter succedunt res humanæ, quando divinæ præcesserunt. Naxera ib.

Dederuntque in manu tenendam legem, & constituerunt eum regem. 2. Paral. 23. 11. Nota: priùs legem manu regia exceptam; deinde regem pronuntiatum: quasi jam ad regnum solidandum foret legis observatio. Isidorus Pelusiota l. 4. ep. 142. quibus legitimum contigit imperium, iis bene procedet; ubi obtinuerit pietas. Velloso in Judith. 6. Paræn. 48.

Ciconia in pinnaculo templi. Lem. *Hic tutior.* Isid. Pelus. l. 2. epist. nam regni quoque basis erga Deum pietas est. Picinelli.

Miscellanea.

Venient Romani. Joan. 11. 48. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Psal. 13. 5. August. hìc: trepidaverunt in damno temporalium, ubi non erat timor. Timuerunt regnum terrenum amittere, & amiserunt regnum cœlorum, quod timere debuerant. Pereat Mundi lucrum, nè fiat animæ damnum. Escobar. t. 2. Pers. Chr. l. 9. sect. 1. obs. 1.

Tunc magis dominorum exercitus contra hostes crescit, quantò Dei exercitus ad orationem creverit. S. Gregor. ep. 51. Remota justitia, quid sunt regna? nisi magna latrocinia. Quin & ipsa latrocinia quid sunt? nisi parva regna. S. August. de Civ. l. 4. c. 4.

TITULUS VI.

RELAPSUS IN PECCATA.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri.

Habitavitque in deserto Pharàn. Gen. 21. 21. Bis Agar Domini sui domum deseruit. Primò Gen. 16. 9. at tunc restituta est in domum ab Angelo. Iterum eandem domum deseruit. Genes. 21. 21. verùm non ultrà in domum rediit. Scilicet, qui primò delinquit, veniam meretur, & in pristinam habitationem ab Angelo restituitur: qui verò diutius in peccato hæret, dignus est, qui deseratur. Pinna. Ethol. 174.

Surgite, & egredimini &c. Exod. 12. 31. Cùm teræiti Ægyptii urgerent Israelitas, ut discederent; nihilo tamen minùs mutatum est cor Pharaonis; & juncto curru, coactoque non parvo exercitu, rursus eos in servitutem agere conabatur. Ex. 14. 23. Ità nunc diabolus quem figurabat Pharao, contra vos agit. Etsi enim capitalia peccata, veluti diaboli primogenita, per exomologesim extincta à vobis sint; non deest tamen recens exercitus; quo vos totis viribus expugnare conabitur. Danda igitur opera est, ut hic exercitus obruatur, tanquam marinis fluctibus, novitate vitæ. Isid. Clarius lib. 1. or. 21.

Acetum ex vino non bibent. Num. 6. 3. Acetum bibunt, qui à vitæ sanctitate in vetustatem præteritorum vitiorum labuntur, & corruptione veteris nequitiæ delectantur. V. Beda hìc.

Constituamus nobis duces, & revertamur in Ægyptum. Num. 14. 4. Judæa semper Deo infensa, divinisque beneficiis inimica: postquam enumerasset beneficia illis collata: mare divisum 5. columnam nubis & ignis manna, aquam ex petra, vestes quadraginta annis integras, solem stantem, cedentem Jordanem, cadentem Jericho: addit: horum quæ gratia? *constituamus &c.* S. Basilius Seleuciensis orat. in illud Luc. 18. *ecce ascendimus Jerosolymam.* Applica de relapsu.

Imprecatus est Josue &c. Jos. 6. 25. Destruit Jericho, qui abrenunciat Sathanæ, & Mundi pompis: reædificat verò, qui revertitur ad vitia. V. Beda apud Cornelium hìc.

In circuitu impii ambulant. Ps. 11. 9. Quia in eadem semper peccata relabuntur. *Circuivi terram.* Job 1. 7.

Et pedes eorum recti. Ezech. 1. 7. Hi pedes rectos non habent; qui ad mala Mundi, quæ reliquerunt, reflectuntur. S. Gregor. hom. 3. hìc.

Facti sunt principes Juda, quasi assumentes terminum. Super eos effundam, quasi aquam, iram meam. Os. 5. 10. Sept. *facti sunt, quasi transferentes terminos.* Dilatata fuit principum Juda iniquitas, teste Moyse Deut. 32. 15. *incrassatus est dilectus, impinguatus, dilatatus.* Post supplicia innumera, terminum iniquitati dante Domino posuerunt. At ingrati facti sunt post veniam; *quasi transferentes terminos*: sicut solet agricola ultra terminos alienam terram aratro sibi addicere; sive lapides terminantes amovere, ut hæreditas valeat dilatari. Pharao, post tantam duritiem, tandem terminum posuit, Hebræos dimittens. Sed transtulit terminos, ut vinctos retraheret. Ex. 14. 5. &c. Theophylactus: ira Dei meritò super talem prorsus effunditur; perinde ac maris rubri aqua super Pharaonem: quia fuit mentitus. Escobar t. 1. Mir. Chr. lib. 5. sect. 3. obs. 1.

Ex Novo, & aliis.

Ave Rex Judæorum. Matth. 27. 29. Pilati milites Christo Domino, ut regi, purpureum circumdederunt vestimentum, & flexo genu salutabant eum. Sed tamen non hoc ardore fuit, sed illudere: etenim expuebant mox in eum, & arundine caput percutiebant. Sic isti, qui post reconciliatam cum Deo, & Christo ejus amicitiam, sine ullis retinaculis ad eadem quotannis, & graviora interdum peccata relabuntur; illudunt potiùs Christo, quàm eum adorent: præbentque satis apertam significationem; se nè tum quidem, cùm redire cùm Christo in gratiam arbitrati sunt, id fuisse assecutos; cùm hoc factum ex animo non sit. Isid. Clar. l. 1. or. 1.

Erant ibi lapides hydriæ sex positæ secundùm purificationem Judæorum. Joan. 2. 6. Non possum parcere purificationi Judæorum immundæ: lavant polluta corpora; abluta statim polluunt: semper lavant; semper impuri sunt. Quin imò, porcorum more, de aqua in cœnum redeunt. Isti sunt porci, quos iratus Dominus legioni dæmonum tradidit. Matth. 8. 32. ut mitterentur in lacum, morte necandi perpetua. S. Gaudentius tr. 9. seu secundo de lectione Evang.

Ablutì semel estis baptismo salutari, nolite de fonte in cœnum regredi: servate donatam munditiam. Idem ibid.

Videmini potiùs, cùm ad exomologesim relinquendorum peccatorum gratia accessistis; non deposuisse peccata, ut capitalem hostem; sed ut charissimum amicum; quo diutius carere non potestis: atque ob hanc causam ad eundem, quàm ocyssimè potuistis, estis reversi. Isid. Clar. antècit.

Qui peccata peccatis addunt, similes per postam properantibus; qui, fatigato uno equo, alterum accipiunt. Sic isti, ut citiùs ad Infernum properent, pedes eorum ad malum currunt. Broymard. Peccatum.

Lulligo habet societatem cum avibus, quandoque cum piscibus; de quo Vincentius in speculo naturali: quandoque cum piscibus profunda maris scrutatur; cùm autem aquas fastidiens, elevat se cum avibus in aera. Sed quia ventos non patitur, iis orientibus ad aquas revertitur. Sic peccator in tentatione, *Ascendunt ad cœlos*, & *descendunt ad abyssos.* Ps. 106. 26. Ezech. 1. 17. Animalia peccata non revertuntur. Id. Relapsus.

§. II.

Relapsum vitandi motiva.

Num. I.

Gravius punitur.

Venerunteque duo Angeli Sodomam vespere. Gen. 19. 1. Ipsum tempus, vel hora, visitationis tristissimæ, peccatorum causæ congruit. Abraham meridie visitatus est. Gen. 18. Rupertus l. 6. in Gen.

Respiciens solùm uxor Loth, non rediens Sodomam, punita est. Gen. 19. 26. Ita adversa Deo recidida. Pinna Eth. 1. 14.

Percussit eum plaga magna nimis. Num. 11. 13. Hebræi in Ægypto commorantes nullis à Deo suppliciis plectebantur. Sed ab Ægypto regressi; dum in Ægyptum redire moliuntur, capitali à Deo supplicio damnantur. Cyrill. Alex. l. 5. in Joan. c. 17. profligati sunt ab hostibus: illorum gerentes typum; qui virtutis iter ingressi à præteritæ vitæ tenebris pedem retrò ferre laborant. Incerto Auth.

Adhuc carnes erant in dentibus eorum - & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Num. 11. 33. Si post perfectam vitam voluntates pristinas voluerimus apetere, vocabimus nauseam: statim Domini igne torquebimur. Desiderium nostrum verteur in tumultum, ut simus sepulchra dealbata. V. Beda hìc.

Invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini. 1. Reg. 5. 4. &c. Bis percutitur Dagon ab arca Domini: primò solùm ab altari deijcitur, & in terra pronus jacet; sed nullum accipit vulnus. Secundò & deijcitur, & jacet, & totus conteritur, abscisso capite, & manibus. Baeza t. 3. l. 15. c. 12.

Aggravata est manus Domini super Azotios. 1. Reg. 5. 6. Non resipuerunt ad primam plagam; sed indurnerunt ad majorem culpam. Nam Dagonem divinitus de suo loco dejectum non spreverunt; sed magìs coluere? nam antea illius aram colebant; post illius januam v. 5. Pessimi homines, qui pœnis non emendantur. Mendoza hìc.

Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in sæcula. Psal. 80. 16. Mentiti sunt in promissis suis, & ideo non punientur pœna temporali: *sed erit tempus eorum in*

ſecula. S. Auguſt. hìc: erit tempus eorum non ad tempus, ſed in æternum. Sylveira in Joan. 5.

Operuiſti in furore. Thr. 3. 43. Adjutorium juſtè aufertur ab eis, qui & multa de præteritis aggregata non plangunt; inſuper, & nova veteribus addentes, pium Judicem ad iracundiam provocant; & quotidie delinquendo inexorabilem reddunt. S. Paſchaſius hìc.

Et pervenit verbum ad regem Ninive. Joan. 3. 6. Ex dictis apparet, quòd Sardanapalus, audiens Jonæ oracula, & minas, converſus ſit, egeritque pœnitentiam cum ſuis Ninivitis. Sed eo redeunte paulò poſt ad ſolitas delicias, & vitia; ad eadem redierint Ninivitæ. Unde tunc Deus excitavit Arbacem, qui Sardanapalum, & Ninivem invaderet; eumque cogeret ad palatii ſui incendium; ac Monarchiam transferret ad Medos. Cornelius hìc. *Prope erit interitus Ninive*. Tob. 14. 6. Quomodo id tam certò aſſerit? Sciebat urbem illam pœnitentia everſionem prædictam evaſiſſe: quia videbat relapſos. Lyran. quoniam ad verbum Jonæ Ninivitæ egerunt pœnitentiam, ideò ſubverſio illa fuit dilata. Poſteà verò Ninivitæ reverſi ad vitia conſueta: propter quod deſtructionem ejus iterum dixit Dominus per Nahum Prophetam, quam appropinquantem prædixit hic Tobias. Sylveira in Joan. 5. *In diluvio prætereunte conſummationem faciet loci ejus*. Nahum. 1. 8. Videtis ſignificare inundationem ſignis, qua obruta fuit Ninive, 90. anno poſt Jonæ prædicationem. Cornelius hìc.

Cùm feciſſet quaſi flagellum &c. Joan. 2. 15. Quæritur, an ſit una, eademque, ejectio, quam Joannes hìc & Matthæus 21. 12. narrant? Diſtinctas eſſe, docent Chryſoſt. hom. 22. Theophylactus, Sanct. Thom. Bonav. Secunda apud Matthæum ſeverior, quàm prima; de qua hìc Joannes. Sylveira hìc.

Auferte iſta hic &c. Joan. 2. 16. Cur Chriſtus D. mitiora hic verba profert, quàm Matth. 21. 13. in ſimili facto? S. Thom. hìc: hoc, quod hic factum dicitur, primò factum fuit. Unde in principio non latrones, ſed negotiatores, eos vocat. Sed quia ex eorum duritia adhuc à tali negotiatione, non ceſſabant; id eo Dominus, alia vice eos expellens, durius eos increpat, vocans latrocinium, quod primò vocaverat negotiationem. Ob relapſum in diem crimen duriùs cùm eis agit. Sylveira hìc.

Num. II.

Relapſus malitia.

Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via, &c. Matth. 21. 8. Plerique poſt ſacram communionem redeunt ſubitò ad vomitum præteritarum culparum, & contumelioſè à ſe ejiciunt Dominum Jeſum Chriſtum. Tales ſimiles ſunt populo Judæorum: qui cum olivarum, & arborum, ramis in Jeruſalem Dominum ſuſceperunt; ſed, vix paucis elapſis diebus, eum de Jeruſalem contumelioſè ejicientes in cruce crudeliter affixerunt. Sanct. Bernardinus t. 1. ſerm. 53. art. 3.

Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei &c. Hebr. 6. 6. Lapidatus in obduratione, præcipitatur in deſperatione, gladio perimitur in blaſphematione. S. Bonaventura in Luc. 4. ſpiritualiter crucifigitur in relapſione. Id. hìc.

Nonne, quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem etiam proferendum eſt, diabolum Domino præponit? comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiaſſe: eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit. Tertullianus l. de pœnit.

Grandis pudor eſt, ubi talis reconciliatio facta eſt: ubi inimicitias inter Deum, & homines, non ſermo peccatoris, ſed ſanguis interceſſoris abſolvit; iterum nos converti ad inimicitias, & agere ea, quæ odit ille: quem nobis, niſi effuſio ſanguinis ſacri, reconciliaverat nemo. Orig. lib. 4. in Rom. c. 5.

Noli peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam. Cogita, ò homo, graviorem eſſe culpam poſt veniam; renovatum vulnus pejus dolere poſt curam; moleſtiùs hominem ſordidari poſt gratiam. Quare indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat: Sanitate indignus eſt; qui ſemetipſum, poſtquàm curatus eſt, vulnerat: nec mundari meretur, qui ſeipſum poſt gratiam ſordidat. S. Chryſoſt. ſ. de lapſu primi hom. in Gen.

Sanitatis indignus eſt, qui ſemetipſum, poſtquàm ſanatus eſt, vulnerat: nec mundari meretur, qui ſeipſum poſt gratiam coinquinat. S. Laurent. Juſt. de ſpec. 5.

Num. III.

Relapſus timendus.

Egrediar, ſicut antè feci &c. Judic. 16. 20. Qui Dalilæ lenociniis captus, in ejus gremio, & ſomno, & laqueis, ſecurè ſemel, & bis, & ter, ſe dedit; & toties incubante crinibus ſuis ſpiritu, à ſomno, & laqueis, ſe facilè expediebat: factum tandem eſt, quòd dum iterum fallaci gremio ſe dormiturus committeret ejus crines abraderentur. Tunc inimicorum clangore excitatus, de ſomno conſurgens dicebat: *Egrediar &c. neſciens, quòd receſſiſſet ab eo Dominus*. O communis hominum perditio! eò quòd ſe aliquoties à mortis laqueis liberaverint dante Domino; non dubitant iterum illaqueari: neſcientes, quòd Dominus receſſerit; & an velit iterum reverti. Baeza t. 1. l. 5. c. 2. §. 3.

Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Pſ. 101, 8. Loquitur de pœnitentiæ ſuæ ſtatu. S. Greg. hic: eſto ſicut paſſer ſolitarius in tecto; quæ avis eſt querula, & cauta. Paſſer omnia ſuſpecta habet; ab omnibus ſe impeti timet. q. d. licèt delicti veniam accepiſſem, relabi tamen poſſe cogitabam. Did. Nyſs. f. 6. Dom. 4. Quadr. §. 8.

Lazare veni foras. Joan. 11. 43. Peccata condonata non ſolùm ſecuritatem adferre non debent; ſed etiam metum incutere: quòd pronum ſit in eadem relabi. Sepulchrum Chriſti clauſum manſit: quia tumulo iterum inferendus non erat: *Chriſtus jam non moritur*. Rom. 6. 9. Lazari verò relinquitur patulum: quia denuò ſepeliendus. Poſt veniam cogita, patere etiamnum ſepulchrum, peccari denuò poſſe. Eccl. 5. 5. *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu*. Id. ib.

Quatuor animalia plena oculis antè, & retrò. Apoc. 4. 6. Cur tam oculati? quærit Rupertus; cur tam circumſpecti? Ubi enim tutiùs verſetur, quàm coram throno Dei, qui omni malo eſt inacceſſus? Reſpondet: per ea animalia ſignari ſervos Dei; qui throno Dei in hac vita officioſi aſſiſtunt. Addit. *Oculis plena retrò*. Pœnitudinem gerendo de malis præteritis: *plena oculis antè*, cavendo de futuris. Id. ib.

Cave, nè rurſus emoriaris, funibuſque peccatorum conſtringaris, incertum eſt enim, an rurſus ad vitam excitandus ſis. S. Gregor. Naz. or. in S. Baptiſma perpendens ſuſcitatum Lazarum.

Num. IV.

Relapſus Chriſto D. adverſus, gratus non relabens.

Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem. Pſ. 29. 10. Quæ verba communi uſu Eccleſiæ, & Sanctorum, tribuuntur Chriſto deprecanti corruptionem corporis ſui divini; nè corruptum redigatur in pulverem. Et nota; qui libenter primam corruptionem admiſit, ſcilicet mortem; tam anxiè deprecetur hanc corruptionem ſecundam. S. Gaudentius tr. 12. itaque conſervemini; nè author malarum cupiditatum diabolus iterum principetur in vobis: ejus crudeli regno iterum vos ſubjicientes in contumeliam Redemptoris. Unde meritò conqueritur exprobrans: *quæ utilitas in ſanguine meo?* ſine cauſa meus pro vobis ſanguis effuſus eſt; ſi ità vos geritis. Baeza t. 3. l. 14. c. 4. §. 2.

Vos eſtis ſal terræ. Matth. 5. 13. Quod ſemel à ſale recipiunt eſcæ condimentum, nunquam amittunt: ſemel enim ſalita caro nunquam à inſipidatis redigitur, ut egeat nova ſalis aſperſione. Nam ad vitia relabi, ſemper Chriſtum valde offendit. Ait enim: *quæ utilitas in ſanguine meo &c.*

Stans retro ſecus pedes ejus. Luc. 7. 38. Cur ad pedes acceſſit? Ambroſ. quæ diu malè ambulaverat, veſtigia recta quærebat. Nihil magis timet Magdalena pœnitens, quàm à via veritatis ad viam ſcandali ulteriùs prolabi. Eſcob. t. 3. Coll. Chr. p. 2. ſect. 4. Obſ. 5.

Vade in pace. Luc. 7. 50. Anſelmus: q. d. nè à via veritatis in viam ſcandali ampliùs labaris.

Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Joan. 14. 23. De verè pœnitente ait Chriſtus. S. Greg. hom. 30. in Evang. in quorundam corda venit, & manſionem non facit: quia per compunctionem quidem Dei reſpectum percipiunt; ſed tentationis tempore, hoc ipſum, quod compuncti fuerunt, obliviſcuntur: ſicque ad perpetranda peccata redeunt, acſi hæc minimè planxiſſent.

Manete in me. Joan. 15. 4. O peccatores! ſi convertiſtis vos ad me, cur vultis rurſum à me averti? ſuſcepit vos in gratiam; cur vultis me iterum inimicum? Concluſi vos intrà cor meum, eſtis mihi per gratiam uniti; cur properatis ad mortem? ſum dulcedo, &c. Stella concil. 2. in Pſalm. 136.

Num. V.

Religioſus iteratus pejor.

Circumædificavit adverſum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum. Thr. 3. 7. Semel elapſos, & iterum captos, dæmon fortiùs, & arctiùs tenet. Segneri ſ. 37. Ovis de domo quæ ardet, vix ejici poteſt: & ſi ejecta fuerit, niſi vi teneatur, in ignem recurrit. Sic multi à mala conſuetudine. Braymard. Relapſus.

Ecce ſanus factus es; jam noli peccare, nè deterius &c. Joan. 5. 14. quia jam ſano peccanti ira cœleſtis uberior imminet: quia peccatorem recidentem permittit Deus in graviora crimina

mina relabi. Theodoretus ad cap. 1. Rom. quæ nullus umquam hoſtis in eos perpetravit, ea libentiſſimè, & promptiſſimè amplectuntur: & quod nullus unquam judex in eos ſupplicium ſtatuerit, ji illud in ſe ipſos attrahunt. Eſcobar t. 1. Mir. Chr. l. 5. ſect. 3. Obſ. 1. & 3. Qui enim priori ſupplicio non eſt emendatus, ad majora tormenta ducetur; tamquam inſanus, & contemptor. Teophylactus apud Sylveira in Joan. 5.

Vade, & jam ampliùs noli peccare. Joan. 8. 11. Legimus, Salvatorem verbo remiſiſſe peccata, & nullam adjeciſſe pœnam ultricem. Sed futurorum cautelam: quaſi tota pœnitentia præteritorum in cautelam tranſeat futurorum. Simon. Caſs. l. 4. c. 10.

Si alicui crus frangatur, aut manus; cum labore ſolet ad priſtinum revocari officium. Si verò ſecundò, aut tertiò, eodem loco membra ipſa frangantur; poteſt intelligère charitas veſtra, cum quantis doloribus, & cruciatibus, vulnera ipſa curanda ſint. Et tamen, poſt multos, & longos labores, vix erit unquam, ut ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis exiſtimanda eſt. Si ergo ſemel aliquis, aut ſecundò, capitalia crimina admiſerit, & ad pœnitentiæ fructum confugerit; incolumitatem, quam perdiderat recipiet: ſi verò crimina criminibus cœperit addere, & animarum vulnera tegendo permiſerit putreſcere; timendum eſt mirum in modum, nè in illo impleatur illud Prophetæ. Joel. 1. 17. *computruerunt jumenta in ſtercore ſuo*. Sanctus Eligius homil. 15.

§. III.

Relapſum cavendi alia motiva.

Ex Veteri.

Corvus egrediebatur, & non revertebatur. Gen. 8. 7. S. Ambroſ. l. de Noe c. 17. egreſſus corvus (vitium) non revertitur ad juſtum.

Pax vobiſcum: nolite timere &c. Gen. 43. 23. Joſeph honorando præ reliquis fratribus Beniaminum, ſchyphumque ejus ſacco imponendo, reperit conſtantiam pœnitentiæ, quòd non ampliùs inviderent, quod in charitate profecerit. Incerto Auth.

Cum parvulis noſtris pergemus, cum ovibus, & armentis non remanebit ex eis ungula. Ex. 10. 9. 10. 26. Libenter olim Pharao permittebat Hebræis, ut viri tantùm de ſervitute exirent, dummodò filii in ſervitute relinquérentur. Sed cùm Moyſes novis plagis inſtaret, etiam pueros dimittendos, promittit tandem Pharao: dummodò greges, & armenta, in Ægypto retineantur. v. 24. Cur, filius, aut gregibus, relictis, facilem abeundi facultatem concedebat? ratio videtur opportuna: quia exiſtimabat Hebræos ſine filiis, vel ſine pecudibus egreſſos paulò poſt, vel charitate filiorum, vel pecudum cupiditate, in Ægyptum redituros. Quod Moyſes ſubodoratus pactionem non admiſit. Mendoza in 1. Reg.

Hauſerunt aquam, & effuderunt in conſpectu Domini. 1. Reg. 7. 6. Lyran. ad ſignificandam peccatorum abjectionem ſine recediva.

Eripe me de manu inimicorum meorum. Pſ. 30. 16. Da mihi, qui ſcelus hoſtem putet: faciliùs ab ubere divellimur, quàm à ſcelere. Plerique culpam deſerunt, non ut inimicam, ſed ut ſponſam. Ità à peccato recedimus, ut Loth uxor à Sodoma. Gen. 19. 26. Recedebat; ſed reſpiciebat. Deſerebat patriam, ſed, niſi immineret incendium, non abſcederet. Vaccæ illæ, 1. Reg. 6. 12. quæ arcam trahebant, ſtabulum deſerebant; ſed cum mugitu. Et nos, licèt arcæ hereamus, à vitiorum ſtabulo abimus; ſed gemimus, non exultamus. Iſraelitæ, non Ægyptum pertæſi, clamabant ad Dominum. Ex. 3. 7. ſed virgas, & compedes horruerunt. Et ſi non eos Pharao cecidiſſet, libentius ſub eo, quàm ſub Moyſe militaſſent. Rarò ſcelus diſplicet, niſi ſtrangulet. Filios Jacob ſceleris tunc tæduit. Gen. 42. 21. cùm ob ſcelus in gravibus anguſtiis. Oliva l. 4. Strom. §. Eripe me.

Spiritus principali confirma me. Pſ. 50. 14. *Confirma me*, dixit, nè iterum peccem, nè à te animæ mutabilitate diſcedam. Caſſiodorus hìc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Exi ab eo; & ampliùs non introeas in illum. Marc. 9. 24. Præcepit egreſſum, prohibuit regreſſum: non enim ſatis depuliſſe malitiam, ſi repeteretur continuò. Signum evidens receptæ ſanitatis in utroque homine; cùm non infirmitas in corpore, neque in anima, & moribus reiteratur iniquitas. Sim. Caſs. l. 5. c. 28.

Plerique naufragio liberati, exinde repudium & navi, & mari dicunt: & Dei beneficium, ſalutem ſuam ſcilicet, memoria periculi honorant. Laudo morem, diligo verecundiam: nolunt iterum divinæ miſericordiæ oneri eſſe. Tertull. de pœnit. c. 7.

Si dixerit mihi Jeſus, dimittuntur tibi peccata tua: niſi ego peccare deſiero, quid proderit? *Exui tunicam meam*; ſi reinduero eam, quantum profeci? S. Bernardus ſ. 3. in Cant.

Si purum habes veſtimentum, caves, nè peſſumdes omninò, nè quomodo ſordidetur. Si primam, ſecundam, & tertiam contempſeris maculam; jam velut ſordidum habes veſtimentum. S. Chryſoſt. hom. 22. ad pop.

Væ tibi, quicumque es; qui deliberas redire ad lutum. Putaſne, pacatos habebis in Judicio, quos tanto, & tam ſperato, privare vis gaudio? Exultaverunt, cùm nos ad pœnitentiam venimus, tamquam ſuper his, quos ab ipſa Inferni porta cernerent evocari. Quid nunc erit, ſi ab ipſa paradiſi janua reverti viderint; & abire retrorſum eos, qui jam pedem alterum in paradiſo poſuerunt. S. Bernardus ſer. 2. in vigil. Nat.

Cogita, in quo periculo peccatum habens fueris ſi in eo mortuus fuiſſes. Anima tua ad Infernum deſcendiſſet, antequam corporis ſanguis frigidus fuiſſet. Broymard. Relapſus.

Corpus in die Judicii excitatum in æternum non morietur: animus in hac vita ex peccato in vitam gratiæ revocatus non moriatur, vitam ſervet; mos peccati illi ultrà non dominetur. Barradius tom. 4. l. 8. c. 16. Dom. 1. poſt Paſcha.

§. IV.

Contra relapſum amuleta.

Inclina ad me aurem tuam. Pſal. 101. 2. Ad nova vitia non trahuntur, qui ſe de præteritis plurima debere cognoſcunt. Caſſiodorus hìc.

Fortis, ut mors, dilectio. Cant. 8. 6. *dura, ſicut Infernus, æmulatio*. Sicut mors victos nunquam patitur rebellare, & cadavera exedit ſuis latebris condita: ità charitas jugulata à ſe vitia non ſinit emergere: & peſtes animi ità ſepelit; ut obrutis nulla ſpes ſubſit recuperandæ libertatis. Id cauſæ fuerit, cur Moyſes non everterit vitulum; ſed exuſſerit, tritumque calicibus miſcuerit: ut hauſto ſpes nulla ſupereſſet reſumendæ figuræ damnatæ. Ex. 32. 20. Periit ità vitulus, ut Pharao in aquis. Oliva Dom. Paſch.

Vade, & jam ampliùs noli peccare. Joan. 8. 11. Magdalena laudatur, & in pace dimittitur. Luc. 7. 50. Adultera verò vix abſolvitur; cùm monetur, nè relabatur in ſcelus. Nimirum hæc rariùs peccaverat; ſed & frigidiùs doluerat. Illa peccatrix fuerat, ſed multùm diligebat. Oliva l. 4. Strom. §. Domine, quid me vis facere?

In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi, Deo crede, parces. Tertull. de pœn.

Corvum non redire ad nidum, ſi in eo ponatur cinis, aut pulvis vitri, docet Albertus M. lib. de vegetabilibus: ſic dæmon fugit à nido cordis noſtri, ſi in ea poſita ſit memoria pulveris, ac cineris noſtri; in quem convertendum eſt vitrum, id eſt, homo fragilior vitro. Cornelius in Thren. 1. 7.

TITULUS VII.

RELIGIO,

Seu Religioſus ſtatus.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Plantaverat Dominus Deus paradiſum voluptatis in quo poſuit hominem. Gen. 2. 8. Juxta ſententiam cordis mei, ſi in hac vita præſenti paradiſus eſt, in clauſtro eſt. Bleſenſis ep. 13. ad Monachum Novitium. Vidi paradiſum quatuor Evangeliorum fluentis irriguum; imò totidem ſpiritualium rivis exuberare virtutum. Vidi hortum deliciarum, diverſas roſarum, ac liliorum, gratias germinantem; ut de illo verè valeat Deus omnipotens dicere. Geneſ. 27. 27. *ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. B. Petrus Dam. ep. 4. laudans Cluniacenſe monaſterium. Cluniacus præterea ſpiritualis quidam campus eſt, ubi cœlum, & terra congreditur: ac velut arena certaminis; ubi, ſpiritualis moræ paleſtræ, caro fragilis adversùs poteſtates aereas colluctatur. Idem ibid.

Requievitque arca. Gen. 8. 4. Hæc arca eſt Religio ſacra, & præcipuè Religio Evangelica; habens tria principalia vota. S. Thom. Aqu. hìc.

Det mihi ſpeluncam duplicem. Gen. 23. 9. Spelunca hæc myſticè eſt Religio ſacra, in qua Sancti mundo morientes, mundo abſconduntur, & ſepeliuntur. Eſt autem duplex, propter corpus, & animam, ibi locandam; vel propter activam vitam, & contemplativam; vel propter prælatos, & ſubditos. Idem hìc.

Vidit Scalam. Gen. 28. 12. S. Antoninus in ſumma Theol. p. 3. tit. 26. c. 10. bonum Religionis ſignificatum eſt nobili illa ſca-

la scala Jacob; cujus gradus nulli alii sunt, quàm lectionis, orationis, mortificationis, aliarumque exercitationum; quibus Religio constat. In hac ascendunt Angeli ad opera hæc offerenda, & descendunt ad deferenda ad religiosas animas varia munera, & beneficia.

Tuloruæ tunicam ejus. Gen. 37. 31. Agnoscit in eamdem tunicam Joseph: non illius, qui liberavit Ægyptum; sed qui salvavit mundum: notissima quippe est, quia polymita id est, pulcherrima varietate distincta. Sed, & sanguine apparet intincta. S. Bernardus Apolog. ad Guilielmum Abb.

Quo & Sanctuarium, & Sanctuarii Sanctuaria dividentur. Ex. 26. 33. Monasteria olim, in quibus Monachi semoti à terrenis cœlo inhiabant, dicta Sanctuaria. Cornelius hic.

Quadruplex erat *Pascha*. 1. in Ramesse, quod est in finibus Ægypti. Ex. 12. 2. in deserto ad montem Sinai. Num. 9. 3. trans Jordanem in Galgala. Jos. 5. 4. in Jerusalem, quod fecit Josias 4. Reg. 23. Primum significat egressum è Mundo. Secundum, ingressum in claustrum, tertium, egressum è vita; quartum, transitum ad gloriam. Hugo Card. hic.

Oleumque de saxo. Deut. 32. 13. Hoc aliqui adaptant Religioni, & Religiosis: hunc enim constituit Deus super excelsam terram, putà Religionis statum: ut fructus cœlestes carpant, ut divinæ consolationis melle pascantur, oleoque cœlesti perungantur. Religio enim est terra excelsa fluens lacte, & melle: est *mons coagulatus, mons pinguis*. Ps. 67. 16. *Hortus conclusus*. Cant. 4. 12. *fons signatus*. Corn. hic.

Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi. 3. Reg. 2. 36. Quis nolit mortem promeritus tolerabilis clausuræ custodiam acceptare? Lyran. hic: per Semei, qui clausuram intrà Jerusalem acceptavit, significatus professus clausuram Religionis. Jonghen de Sacr. Profess. Exh. 11.

Elias ascendit in verticem Carmeli. 3. Reg. 18. 42. Carmeli nomen aptè significat statum Religionis: tum quia hic piis institutis, & monitis abundat; sicut Carmelus frugibus, & fructibus: tum quia *Carmel* Hebr. idem est; quod *scientia circucisionis*; scilicet mortificationis passionum, cupiditatum, & affectuum terrenorum. Cornelius hic.

Ambulavit usque ad montem Dei Horeb. 3. Reg. 19. 8. *Jezabel* interpretatur *sterquilinium*, & significat Mundum: à cujus facie Levitæ cum Elia fugere debent ad montem Horeb, id est, ad claustrum. Hugo Card. hic in c. 20.

Lætentur insulæ multæ. Ps. 96. 1. Religiosi ordinis insulæ, ob persecutiones, & separationem ab aquis. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 8.

Ædificatur ut civitas Dei. Ps. 121. 3. Religio à statu sæculari differt, sicut civitas à campo. Religiosi sunt cives, *& domestici Dei*: quia talis communitas *ædificatur ut civitas*, propter sequentes rationes. 1. Quia sicut in campo licet homini ire quò vult, in omnem partem; sed in civitate oportet per certos vicos: sic in Mundo liberè agunt, sed in Religione arctantur ad certas vias arctiores. 2. in civitate nituntur homines honestius incedere, quàm in campis: ità in Religione tenentur ad majorem honestatem. 3. in civitate major securitas. Broymard Religio.

Melius est ire ad domum luctus &c. Eccl. 7. 3. Verè lugendi domus est Monasterium, ubi saccus, & cinis, & solitudo: ubi risus non est, non sæcularium turbela negotiorum. S. Chrysost. hom. 59. ad pop.

Lectulus noster floridus. Cant. 1. 15. In Ecclesia quidem lectum, in quo quiescitur, Claustra existimo esse, & Monasteria, in quibus quietè à curis vivitur sæculi, & sollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonstratur; cùm exempli, & institutis Patrum, tanquam quibusdam bene olentibus floridus, fratrum conversatio, & vita refulget. S. Bernardus s. 46. in Cant.

Tempus putationis advenit. Vineæ florentes deberunt odorem suum. Cant. 2. 12. 13. Religiones vineæ Christi sunt, ab ipso per earum Fundatores plantatæ. Vites singuli Conventus; palmites singuli Religiosi: quos Christus D. Speciali vocatione traxit, & putavit; ut plurimum fructum afferrent. Putatio autem prima facta est; cùm omnibus renuntiarunt, quæ possidebant. Et tunc in Novitiatu florescere incipiunt; cùm magno spiritus fervore novam inchoant vitam; suavem sui spargentes odorem, & ingentis futuri fructus spem non modicam præbentes. De Ponte hic Exh. 23. §. 3.

Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Cant. 2. 14. Religio similis cavernæ: immò diversæ cavernæ, diversæ Religione sunt. Sic homines, qui volunt esse tuti ab accipitre, &c. Sæculum relinquunt, & ad Religionem, tamquam ad tutas cavernas confugiunt. Geminiani.

En lectulum Salomonis. Cant. 3. 7. Religio singulariter vocari potest lectulus Salomonis, ab ipso principe pacis Christo erectus; tanquam peculiaris locus suæ quieti destinatus: *quem ambiunt sexaginta fortes*, id est, perfectionis studiosi. De Ponte hic Exh. 25. §. 2.

Quasi aurora consurgens &c. Cant. 6. 9. Religio in Novitiis est *quasi aurora consurgens*: in provectioribus subditis *pulchra ut luna*; quæ à sole lumen recipit; & ipsi à superioribus diriguntur: in Prælatis verò *electa ut sol*; qui præest diei, & subditos regit: in omnium verò colectione *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Propter quæ Religio sibi vendicat illud juxta Sept. *& vexillum ejus super me charitas*: nihil enim in Religiosa regula ità commendatur, quàm charitas Dei, dilectio Christi, fraternus amor, & mutua concordia. Id. in Cant. 2. 4. Ex. 36. §. 2.

Ex Novo, & aliis.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Matth. 13. 45. Quæ est ista tam pretiosa margarita (pro qua universa dare debemus, id est, nosmetipsos? quia totum Deo dedit, qui seipsum obtulit) ut possimus eam habere? Nonne hæc Religio? Sancta, pura, & immaculata: in qua homo vivit purius, cadit rarius, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosius. O Religio habitaculum Dei, & Angelorum ejus. O Religio vita beata, vita Angelorum! S. Bernardus hom. de verb. Dom.

Ducit illos in montem excelsum seorsum. Matth. 17. 2. Religio est locus, quem Dominus elegit in habitaculum suum: qui mysticè per montem transfigurationis monstratus est. Tres discipuli, tria Evangelica vota. S. Bernardinus s. 16. de Sacra Religione.

Duo erunt in agro &c. Matth. 24. 40. Salvator ait: ex duobus qui sunt in molendino, vel lecto vel agro, unum assumendum: & alium relinquendum: quia inter sæculares, qui negotiis terrenis attendunt; & inter Religiosos, qui vitæ quieræ vacant; ac inter Sacerdotes, & Prælatos, qui aliorum culturæ insudant; quidam sunt mali, & nigri; quidam verò boni, & formosi. De Ponte in Cant. 1. Exh. 24. §. 1.

Haceldama. Matth. 27. 8. id est, ager, pretio sanguinis Christi pro peregrinis comparatus. S. August. s. 114. de temp. Est status Religiosorum: qui se peregrinos æstimant, ac cives cœli domesticos Dei: ideoque Christi sanguinis fructum, id est, gratiam, & gloriam participant. De quibus S. Petrus 1. 2. v. 11. *obsecro vos, tamquam advenas, & peregrinos &c.* Et Paulus Coloss. 3. 3. *mortui estis; & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo*. Cornelius hic.

Venerunt ad monumentum. Luc. 24. 1. Restat ergo, ut vadam ad monumentum, id est, ad Religiosorum Claustrum. S. Bernardus hom. de duob. discip. in Emaus.

Idèo sunt ante thronum Dei. Apoc. 7. 15. Tropologicè hæc Fidelibus in hac vita Deo in spiritu, & veritate, ex toto corde, servientibus, ac præsertim Religiosis, accommodari possunt. Hi enim inchoant vitam cœlestem, beatam, ac angelicam. Unde 1. Deo, quasi in templo, jugiter assistunt: etenim Religio est quasi cœlum quoddam terrenum, ait Climacus gr. 4. ac templum, ait S. Bernardus s. 1. de dedic. Eccl. 2. de his verè dici potest, quòd latria jugiter serviunt Deo. Sunt amicti stolis albis; habent palmas &c. Cornelius hic.

Claustrum Monasterii vivarium est animarum: ibi quippe vivunt pisces, qui juxta legis edicta, pennulas habent; atque, ut in corpus Christi transferantur, Israelitarum mensis delicias præbent. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 18.

Ossa non possunt flecti; nec Religiosi à Regula sua. Ossa abscondita sunt in carne: sic Religiosi in Claustro. Hugo Card. in Ps. 34. 10.

Platanus. Lem. *Obumbrat, & recreat*. S. Laur. Just. de discipl. & perfect. Monast. est etiam mysterium hoc quasi ingens arbor, virentibus referta foliis: sub quam quicunque fugiunt laborantes, & peregrinantes; proteguntur in ipsius umbraculo ab æstu dici. Picinelli.

§. II.

Religionis etymon.

Religio appellata: quòd per eam uni Deo *religamur* animas nostras ad cultum divinum. S. Isidorus originum l. 8. c. 2. Unde etiam à religando Religio dicitur. S. Bernardus de natura, & dignit. amoris c. 15.

§. III.

Religionis laudes ex Patribus.

Paulisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem: speculare inde rerum infra te jacentium facies; & oculis in diversa porrectis, ipse à terrenis contactibus liber, fluctuantes Mundi turbines intuere. Jam sæculi & ipse misereberis, tuique admonitus, & plus in Deum gratus, majore lætitia, quòd evaseris, gratulaberis. S. Cyprianus ep. 2.

Tot exercitus habet Deus in terra, quot sunt ordines in Ecclesia. Innocentius P. III. de sacro myst. alt. l. 2. c. 63.

Verè domus luctus monasteria sunt; ubi cinis, atque cilicium; ubi solitudo; ubi risus nullus, nullus negotiorum sæcularium strepitus; ubi jejunia, ubi terrenorum duritia lectulorum; ubi munda sunt omnia. Nullus ibi nidoribus locus; absunt procul sanguinis rivi, perturbationes, curæ, tumultus;

tus; tranquillo in portu navigant; ac velut luminaria sunt, sublimi de loco navigantibus fulgore suo iter aperientes. In littore placido sedent, omnes ad quietem suam invitantes, ac pertrahentes; neque naufragium pati finentes eos, qui se intuentur: non permittunt in tenebris degere eos, qui suas aspiciunt sedes. Pergere itaque ad illos, quære, hospitio suscipe; accede, tange sacros pedes. Longè enim honorabiliùs est illorum pedes, quàm aliorum caput attingere. - Quasi de terra in cœlum, ità ad sancti cujuslibet viri monasterium, de propriis domibus itur. S. Chrysostomus hom. 14. in Tim. 5.

Quòd si quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lacrymæ; sed perpetuæ funduntur preces. Non ibi medicorum operatur manus; sed fides sæpè sola sanavit infirmum. Non adstat solutis crinibus uxor, non parvi pupillaris incommodi, quæ nondum contiget mala, desistentes: non familia expirantem importunis precibus pulsans; ut se cuiquam toto commendet. Sed, his impedimentis omnibus exutus, animus unum inspicit solum; quo pacto majori cum gratia extremum Deo spiritum fundat. Id. ib.

Mundus assimilatur pelago; portus verò est vita Religiosa. S. Ephrem Adhort. 4. ad Novitium Monach.

In humanis rebus, & in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cœlestis patriæ, quàm Monastica conversatio, & congregatio divino cultui dedicata. S. Laur. Just. de discipl. Mon. c. 7.

Altissima est professio vestra; cœlos transit; pars Angelis est; Angelicæ similis puritati. S. Bernardus ep. ad fratres de vita solit.

Religio portus quidam est publicus salutis. B. Theodoretus Studita s. 131.

Nulla major consolatio, nulla delectatio gratior; quàm servire Deo. Vita Religiosa, vita quieta, pacifica, secura, delectabilis, jucunda, rationabilis, amicabilis, & gratissima. Vita sæcularis, vita sollicita, laboriosa, inquieta, periculosa, amara, curis, & anxietatibus plena. S. Th. Vill. ser. 2. Do. Quadr.

Monacho nullus labor imponitur, nisi ut non laboret: imò ut quiescat cum Deo suo; & tota die delectetur in eo. Id. conc. 3. de Ass. B. V.

Credo, quòd magis ad inflammationem affectus, quàm eruditionem solam intellectus, Religio statuta est; si rectè manet instituta. Gerson de OO. SS.

§. IV.

Ad Religionem vocatio.

Vox Domini concuientis desertum. Psal. 28. 8. Non quodvis desertum concutit; sed desertum *Cades*: quod interpretatur *Sanctitas*, vel *Sanctificatio*: quia vox Domini vim habet retrahendi, & segregandi homines à Sæculi tumultu; & perducendi eos ad desertum sanctum: ubi sanctitati operam navent, & contemplationi Dei. De Ponte in Cant. 2. l. 5. Exh 1. §. 4.

Vox Domini præparantis cervos. Ib. v. 9. Vox Domini non tantùm facit viros contemplativos quietis, & solitudinis, amatores; sed etiam præparat, ac perficit instar cervorum sublimia quærentes: & in excelsis montibus Evangelicæ perfectionis commorantes: qui serpentes ex latibulis trahunt, & absumunt; bellum contra diabolum, & peccata gerunt. De Ponte in Cant. 2. Exh. 1. §. 4.

Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pellibus? Ecce de cœlo tuba canit: ecce cum nubibus debellaturus orbem imperator armatus egreditur: ecce bis acutus gladius ex ore regis procedens, obvia quæque metit. Et tu de cubiculo ad aciem; tu de umbra egrederis ad solem. Corpus assuetum tunicis loricæ onus non fert; caput opertum linteo galeam recusat: mollem otio manum durus exuperat capulus. Audi edictum Regis tui: *qui non est mecum, contra me: & qui non congregat mecum, spargit*. Matth. 12. 30. Recordare tyrocinii tui diem, quo, Christo in baptismate consepultus, in Sacramenti verba jurasti, pro nomine ejus non se patri parciturum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere: ecce donativum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirat. Licèt parvulus ex collo pendeat nepos; licèt, sparso crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licèt in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem; siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hoc non esse crudelem. Veniet, veniet, postea dies ille; quo victor revertaris ad patriam; quo per Jerosolymam cœlestem, vir fortis coronatus incedas. S. Hieron. t. 3. ep. 1. ad Heliodor.

Nunc tibi blandis vidua soror hæret lacertis: nunc illi, cum quibus adolevisti, vernulæ ajunt: cui nos ferituros relinquis? Nunc & regula quondam, jam anus, & nutricius, secundus, post naturalem pietatem, pater clamitat: morituros expecta paulisper, & sepeli. Forsitan & laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquam referens mammæ lallate congeminet. Dicant, si volunt, & Grammatici; in te omnis domus inclinata recumbit. Facilè rumpit hæc vincula amor Dei, & gehennæ timor. At contrà Scriptura præcipit, parentibus obsequendum. Sed quicumque eos supra Christum amat, perdit animam suam. Gladium tenet hostis, ut me perimat; & ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem militiam Christi deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo. Id. ib.

§. V.

Religionis ingressus, probatio.

Hic talis est primus Religionis introitus, sicut in Mundum primus Christi ingressus: ut, quicumque piè vult vivere, humiliter de se sentiat; neque suprà se in mirabilibus ambulare præsumat. Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas; nec in cœlo stare potuit superba sublimitas. S. Cyprianus de Nat. Chr.

S. Bernardus Abbas jam adventantibus Novitiis dicebat; si ad ea, quæ intus sunt festinatis; hic foris dimittite corpora, quæ de sæculo attulistis. In vita ejusdem l. 1. c. 4.

Ambiens quis intrà Cœnobii recipi disciplinam, non antè prorsus admittitur, quàm diebus decem, vel eo ampliùs pro foribus excubans, indicium perseverantiæ, ac desiderii sui, pariterque humilitatis, ac patientiæ demonstraverit. Cùmque omnium prætereuntium fratrum genibus provolutus, & ab universis de industria refutatus, atque despectus, injuriis quoque, ac exprobrationibus multis, affectus, experimentum dederit constantiæ suæ; diligentia summa perquiritur, nè de pristinis suis facultatibus inhæserit ei vel unius nummi contagio. Cassianus de Cœnob. instit. l. 4. c. 3.

§. VI.

Religionis perseverantia.

Jesus clamans voce magna emisit spiritum. Matth. 27. 50. Quid in hoc cruce (Religionis) nobis faciendum? Utique, quod Christus fecit in sua; moriendum est in ea: quia Christus mortuus est in sua. Si perstrepat Mundus; si dæmones; si caro propria; & dicat: *descende de cruce*; dic ei; nihil certius morte, nihil incertius hora mortis: vigilabo, & stabo in cruce; donec inclinato capite tradam spiritum. Blesens. s. 9. in Purif B. V.

Descende de cruce. Matth. 27. 40. Qui suadent crucis descensum, propter asperum sensum; similes sunt diabolo; quia similia diabolo dicunt. Hoc enim Christo diabolus dixerat in deserto: *si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*. Matth. 4. 3. Cass. l. 13. hic.

Carthusianus, vir in sæculo dives, tentatus ad exitum; jamque recessurus aviculam emisit è cavea apertis fenestris: vola, inquiens, liberè, quò volueris; mox sequar te. Hæc, clausuræ semper impatiens, nusquam voluit de cella migrare. Ille divino hoc adscribens dono, passus est se ab ave doceri; perseveravit in monasterio. Dion. Carth. Exhort. ad Novit.

§. VII.

Religionum benefactores.

Quatuor reliquias permitto vobis in sementem, & in cibum familiis, & liberis vestris. Gen. 47. 24. Beneficus Joseph non multum æstimaret beneficium, nisi esset perpetuum. S. Ambros. offic. l. 2. c. 16. ò virum magnum! qui non largitatis superfluæ temporalem captat gloriam, sed perpetuam commoditatem constituit providentiæ. Bæza t. 3. l. 14. c. 10. § 8.

Facies & saga cilicina undecim ad operiendum tectum tabernaculi. Ex. 26. 7. Possunt per saga, quæ byssum, & purpuram, hyacinthum & coccum, nè procellarum injuriis pateant, subtegunt, sæculares intelligi divites; qui in Ecclesia sunt: qui sanctis, vel in sancto proposito Deo servientibus, nè ullam habeant necessitatem vagandi foris, quod non expedit animabus eorum, necessaria vitæ de facultatibus suis subministrant, pro redempione peccatorum suorum. S. Rupertus l. 4. hic.

Et cedri Libani &c. Ps. 103. 16. 17. Nobiles, atque sublimes, propter excellentiam suam, dicuntur cedri. *Illic passeres nidificabunt*. In istis cedris Libani, quas gratia Dei plantat, & satiat, *nidificabunt passeres*. Hi scilicet, qui elegerunt humilitatem; & relictis, quæ habebant, aut venditis, nihil sibi in hoc sæculo reservarunt: sed divitum Christianorum domibus, agrisque, susceptis necessariis solatiis adjuvantur. S. Prosper Aqu. hic.

Illic passeres nidificabunt. ib. Passeres Monachos significat: qui in cedris Libani, id est, in patrimonio potentium Christianorum, velut in quibusdam ramis, monasteria sibi, quasi nidos aliquos, ædificare monstrantur. Cassiodorus hic.

Cum universis lignis Libani, Cant. 4. 14. Ligna Libani sunt quidam amici nostri, potentia sæculi grandes, atque facultatibus dilatati: ità ut ex eleemosynis illorum sustententur parvuli nostri; quemadmodum in ramis lignorum Libani nidificant passeres - sic qui spiritualibus abundant minùs, carnalia spiritualibus communicant, ut jure spiritualium illorum participes fiant. S. Ruperius hìc.

Crura illius columnæ marmoreæ. Cant. 5. 15. Isti sunt, qui rebus suis Religiosos sustentant; qui bona temporalia illis impartiuntur; ut spiritualia ab eis recipiant. Richard. à S. Vict. c. 39 in Cant. hìc.

Non Moyses dedit vobis panem de cœlo: sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Joan. 6. 32. Cur dicitur *dat*? illa opera munificentiæ sunt digna Deo, quæ non finiuntur tempore, sed quotidie continuantur. Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 8.

Qui facit justitiam, justus est. 1. Joan. 3. 7. Qui spiritualia bona habentibus temporalia subsidia tribuit; in ipsis donis spiritualibus cooperator existit. V. Beda hìc.

Miscellanea.

Amice, quomodo huc intrasti &c. Matth. 22. 12. Rex, cùm pannosum in epulo deprehendisset, nec illum præteriit, quòd solus sorderet; nec alios ejecit, propter consortium ejus. Hunc projici jussit in tenebras, illis dapes apponi mandavit: pannosque plectitur, paludari epulantur. Ut intelligas: non unius scelere Religionem totam plectendam; nec ob Religionis nitorem indulgendum sordenti. Oliva l. 9. Strom. §. Intravit autem Rex.

Fur erat. Joan. 12. 6. Quale Collegium, qualis domus, qualis societas, qualisque congregatio, munda erit, sine iniquitate manebit; si Christi Collegium saltem habuit unum reum: qui velamento virtutis tendebat in vitium, specie misericordiæ augebat miseriam: aliis videbatur intendere, qui seipsum ex toto deseruerat. Sim. Cass. l. 9. c. 34.

Nolite, propter amurcam, qua oculi vestri offendunturr, torcular detestari; unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur. S. Aug. ep. 137. q. d. fugite, quidem vitia eorum, qui Religione abutuntur: ipsam tamen Religionem, ex qua tam uberes fructus proveniunt, colite, & observate. Mendoza in 1. Reg. 7. 4.

Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, Paradiso prorsus omnem illam videbit eremum digniorem; & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus; & populos Martyrum, & choros Virginum & omnem quidem tyrannidem diaboli dissolutam; Christi autem regnum coruscans. S. Chrysost. hom. 8. in Matth. 2.

Non ità variis astrorum choris cœlum refulget; ut Ægyptus innumeris Monachorum, ac Virginum, distinguitur, atque illustratur habitaculis. Id. ib.

Nusquam est securitas, fratres; neque in cœlo, neque in paradiso, multò minus in Mundo. In cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia divinitatis; Adam in paradiso de loco voluptatis; Judas in Mundo de schola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim; nè quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur: locus iste sanctus: quia non locus homines; sed homines locum sanctificant. S. Bernardus serm. de ligno, fœno, & stipula.

Christus divisus non est, sive in alba, sive in pulla veste; in omni professione, & in Ordine, in omni gente. Quicunque operatur voluntatem Domini, acceptus est illi. Attendi Dominus mentem, non vestem; merita, non colorem. Blesens. ep. 97.

T I T U L U S VIII.

R E L I G I O S I.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Num. I.

Nazarei.

Nazarei. Num. 6. 2. Apud Judæos erant viri Religiosi: qui, ut liberiùs vacarent legi, & meditationi rerum divinarum, aliorum commercio se abdicabant, vel semper, vel ad tempus; & totos se Domino dedicabant. Nomen Nazaræus significat. 1. separatum Deo. 2. consecratum. 3. coronatum. 4. comatum. Religiosorum nostrorum sunt figura; ut docet. S. Gregor. Naz. orat. in laudem S. Basilii. Greg. moral. l. 32. c. 17. Sunt separati à communi hominum vita; coronati in capite, quasi reges, & Cæsares, tam cœli, quàm terræ. De quibus Thren. 4. 7. *candidiores* &c. in nive, & lacte, castitas; in ebore antiquo jugis, & fortis obedientia: in Saphyro, qui cœlestis est coloris paupertas; qua spem in solum Deum figit. Cornelius hìc.

Ista est lex Nazarei &c. Num. 6. 21. Glossa ordinaria in c. 30. Num. leguntur diversa vota in Scripturis. Anna vovit Deo fructum ventris sui. 1. Reg. 1. 11. & Samuelem consecravit in templo. Jephte Judic. 11. 30. quodcunque sibi post victoriam occurrisset: & occurrente filia, vota lacrymabunda absolvit. Alii vitulos, & arietes. Nazaræus verò seipsum. Jongen. in Sacr. profess. Exh. 4.

Candidiores Nazarei ejus nive. Thren. 4. 7. Nazaræi sunt hieroglyphicum Religiosorum; cùm è sua sanctitate, & gloria, in vitia, & probra, Dei, hominumque corruunt. Cornelius hìc in hierogl.

Non sunt cogniti in plateis. Thren. 4. 8. Gilbertus s. 47. in Cant. de religiosis, qui crebris per plateas, & domos, discursionibus vitæ regularis splendorem perdunt: quàm admirabile nomen eorum, quando vix erant visi in plateis. Nunc autem nullo religionis discrimine distincti, & signati sunt à cœteris - ideoque non sunt cogniti, sicut Nazaræi, in plateis. Frequentia platearum dedecorat Nazaræos, & speciem peregrinam inducit.

Num. II.

Alia symbola, & figuræ.

Issachar asinus fortis. Gen. 49. 14. Hebr. *asinus ossuus*. Chaldæus: *dives in substantia*. Deut. 33. 18. *lætare Issachar in tabernaculis tuis*. Issachar Religiosus, qui jugum religionis, & laboris, alacer subit; dicereque potest: *ut jumentum factus sum apud te; & ego semper tecum*. Triplex solvit tributum religiosi cultus amoris, & obedientiæ Deo: proximo justitiæ, dilectionis, subjectionis, continentiæ, mortificationis. Cornelius hìc.

Loquebatur Dominus ad Moyses facie ad faciem. Ex. 33. 11. S. Hieron. in Psal. 133. Habet Dominus Jesus, qui quasi ad faciem suam ministrant, putà Monachos, & Virgines. Cornelius hìc. B. Jordanus secundus Generalis Ord. Prædic. dicebat: Religiosos Deo servire tanquam cubicularios principis, qui ab ipso intimè & familiarissimè adhibentur. Jonghen p. 1. Exh. 4.

Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum. Num. 4. 18. Tria sunt genera Religiosorum: primi boni, secundi meliores, tertii optimi. Hi signantur per tres familias Levitarum, Gersonitas, Meraritas, Carathitas: qui præ cæteris filiis Israel deputati erant ad cultum sanctuarii; sicut Religiosi præ aliis Fidelibus, in Ecclesia specialiùs videntur divino cultui mancipati. Primi Religiosi designati sunt per Gersonitas, qui in profectione castrorum portabant cortinas, & tectum tabernaculi, & vela, & quæcunque tactu mollia. Tabernaculum est vita Jesu Christi, & *morum ejus* conversatio. Primi igitur Religiosi sunt; qui refugiunt ardua, & austera, studia sanctitatis; & leva sibi assumunt exercitia, & magis laxam vitam servant. Secundi Religiosi designantur per Meraritas, qui interpretantur *amari*: qui portabant tabernaculi tabulas, & vectes, & illa, quæ maximè erant media inter cortinas, & sanctuarium. Hi sunt, qui duram vitam in corporali exercitatione servant. Tertii Religiosi, & optimi, qui designati possunt per Carathitas; qui portabant ipsum Sanctuarium, id est, arcam, & altare, & mensam propositionis, obvoluta tamen, & cooperta. Sunt hi, qui student interiorem hominem, id est, mentem, in qua Christus inhabitat, per fidem componere, & ad veras virtutes exercere; & vitia carnis, & spiritus extirpare. - Prioribus duabus familiis jussit Dominus dari plaustrum ad subvahenda onera; filiis autem Cahad non dedit plaustrum, qui serviunt in Sanctuario; sed onera propriis portabant humeris: quia tam in humanis ordinationibus, quàm in castigationibus corporis, permittitur aliqua remissio: sed in virtutum studio nulla remissio debetur. S. Bonaventura de reformat. mentis p. 1. c. 4.

Tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes &c. Jos. 9. 4. 5. *induti veteribus vestimentis &c.* Viri Gabaon interrogati, cur tali forma, & habitu, ad castra venerint? Josue responderunt: *nuntiatum est nobis - & disperdet cunctos habitatores terræ. Timuimus igitur valde, & providimus animabus nostris*. v. 24. Candidat. considerans Mundi pericula, quàm multi in iis pereant, providebo, inquit, animæ meæ: volo toto vitæ meæ tempore degere in ministerio altaris Domini, cædens ligna passionum mearum; & aquas comportans lacrymarum; quibus lavetur inquinatum animæ meæ holocaustum. Jonghen. p. 1. Exh. 6.

Jerunt ligna. Judic. 9. 8. id est Clerici sæculares, vadunt, ut faciant regem super se; idest, eligant Prælatum. Per olivam, ficum, & vitem; qui eliguntur, & non recipiunt; significantur contemplativi, sive Religiosi esse oliva per suavitatem conscientiæ; ficus per dulcedinem, quam sentiunt in devotione mentis; vitis per hilaritatem spiritualis lætitiæ; Cùm ergo contemplativus non vult dimittere, pinguedinem charitatis, quam habet in contemplatione; neque dulcedinem, quam habet in devotione; neque hilaritatem conscientia: tunc ligna

signa sylvarum, id est, mali, & infructuosi, præficiunt sibi rhamnum, id est, Prælatum; qui in principio mollis est, & postea indurescit, & aculeatus, & spinosus efficitur: & tamen de se emittet ignem perversæ conversationis; & se, & subditos, comburit incendio infernali. Hugo Card. hìc.

Omnia ossa mea dicent &c. Ps. 34. 10. Ossa non possunt flecti; nec Religiosi à regula sua. Hugo Card. hìc.

Quàm dilecta tabernacula Ps. 83. 1. *pro torcularibus*. Uva pendet in vitibus, & oliva in arboribus: his enim duobus pro fructibus solent torcularia præparari. Et quamdiu pendent in frutetis suis, tanquam libero aere perfruuntur; & nec uva vinum est, nec oliva oleum, ante pressuram. Sic sunt & homines. - Antequam accedant ad servitutem Dei, fruuntur in hoc sæculo tanquam delitiosa libertate, velut uvæ, aut olivæ pendentes. Sed quoniam dictum est Eccli. 2. 1. *fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore; præpara animam tuam ad tentationem*; accedens quisque ad servitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat: contribulabitur, conteretur, comprimetur: non ut in hoc sæculo pereat, sed ut in Apothecas Dei defluat. S. August. hìc.

Equitatui meo - assimilavi te. Cant. 1. 8. Religiosi, equitatus Dei. Conjugati sunt velut pedites; qui pedes suorum affectuum terræ figunt negotiis. At Religiosi sunt instar equitum, qui à terra sunt elevati, &c. De Ponte hìc Exh. 21. §. 1.

Sicut greges tonsorum &c. Cant. 4. 2. Quam bene Monachi tonsis ovibus comparantur! quia revera tonsi sunt; quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum, in proprietate relictum est. S. Bernardus s. 63. in parvis. Apud Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 8. Religiosi Nazarei.

Dentes tui. Cant. 4. 2. Monasticæ custodiæ professio per dentes significatur. Bernardus: dentes clausi sunt labiis, nè videantur: indecens enim est, cùm videntur, nisi ridendo. Sic & nos materialibus circumcingimur, nè sæcularium oculis, & accessui, pateamus. Indecens est, si appareant; nisi interdum fortè ad risum: quia nihil turpius, quàm Monachus per urbes, & castella discurrens; nisi cum illa cogit, quæ operit multitudinem peccatorum: charitas enim risus est, quia hilaris est: læta quidem; non tamen dissoluta. De Ponte hìc. Exh. 5. §. 2. Religiosi assimilantur dentibus, 1. quia dentes in carne radicati sunt; & tamen terminos carnis excedunt. Sic Religiosi, licèt in carne sint positi, tamen præter carnem vivere debent. 2. Cor. 10. 3. *in carne ambulantes non secundùm carnem militamus*. 2. dentes inter se nihil esse patiuntur. Sic Religiosi nihil inter se pati debent, quod charitatem, vel unionem dividat. 3. Dentes, licèt non ex se, tamen ex adjunctis, patiuntur: nam, licèt substantia eorum ossea, & insensibilis; de se sit impassibilis, tamen dolorem trahit ob societatem carnis, vel nervi vicini. Sic Religiosi, ob amorem consanguineorum, vel sæcularium, de eorum malis dolorem sentiunt, quem per se non haberent. Geminiani l. 6. c. 53.

Calathus unus ficus bonas habebat nimis: Jer. 24. 2. Duo hi calathi, ait Lyr. sunt Religiosi, boni, & mali. Columella l. 3. scribit: ficus, quæ non maturuerunt, nec dulcescunt, ex arbore excutiendas esse; nè arbor depraveturr, aut exarescat. Ita à religione excutiendi sunt, qui genuinum ejus spiritum non sugunt; alioquin Religioni detrimentum afferent. Cornelius hìc.

Non bibemus vinum. Jer. 35. 6. Rachabitæ fuerunt de primis Religiosis, qui hoc dixerunt ad Jeremiam invitantem eos ad potum vini. Hugo Card. hìc.

Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus. Apoc. 12. 1. Hæc est animæ Religiosæ figura: amicta Christo justitiæ sole; Luna, vanitates, sub pedibus ejus. Jonghen p. Ex. 29.

§. II.

Religiosorum encomia, felicitas, honor.

Quo ascendente jerunt cum eo omnes senes &c. Gen. 50. 7. Cùm Jacob domesticis stipatus, divitiis potens, Ægyptum ingressus fuit; non legimus illi senes obviam prodiisse, & honore excepisse. Modò defunctum comitantur omnes, dum sine opibus egreditur. Sic magis honoratur, qui, Mundo contempto, exit ad Religionem, & domui Religiosæ sepeliendum se tradit: Alvarez hìc Illustr. 338.

Audi filia, & vide &c. Ps. 44. 11. Persona Religiosa dicitur *filia*: quia, sicut filia in summa subjectione tenetur, & de ejus custodia magna cura habetur; & circa ejus instructionem sollicitè studetur: ita fit circa Religiosum. B. Humbertus s. 4. ad omnes Religiosos.

Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis. Joan. 4. 38. Quot agricolæ, quot operarii, diu, noctuque, laborant, & sudant; ut pensionem, & census, Monasteriis exolvant: nosque Religiosi sine ullo manuum labore, in labores eorum introimus. Liberaliorem se nobis Dominus, quàm Adæ, exhibet. *In sudore vultus tui vescaris pane tuo* Gen. 3. 19. Nos verò panem, cibosque sumimus sudore alieno: ut scilicet, abjecta omni cura temporalium, solis cœlestibus adhæreamus. Alvarez Illustr. 292.

Religiosus vera moneta est, quæ à Deo formata, vel expressa est. S. Ignatius M. ep. 3. ad Magnesianos. Admirandum spectaculum in cœlis est Monachus super terram angelicam vitam agens. Lignum aridum, ex mandato Elisæi, ferrum securis de profundo aquæ extraxit: corpus autem Monachi, quod jejunio exaruit, anima de profundo sursum attollit. S. Ephrem Paræn. 1. ad Monachos.

Si dicis, non soli Monachi ad salutem perveniunt; verum est. Sed qui certiùs? qui altiùs? illi, qui Deum solum conantur amare? an illi, qui amorem Dei, & amorem sæculi, volunt copulare? Sed forsitan dicit aliquis; *quia & in ordine Monachorum est periculum*. O rationalis creatura! an est hoc rationabile consilium? ut, quia ubiq; est periculum, ibi eligas manere, ubi est majus periculum. S. Anselmus ep. 3. ad Henricum amicum suum.

Qui in sancta congregatione usque in finem perseveraverit; etiamsi imperfectus fuerit, propter multorum orationes, & merita perfectorum; ad beatum finem, Deo propitio, perveniet. Thom. Kemp. s. 2. ad Novit.

Deus Religiosos, quasi thesaurum pretiosum, securitatis causa, Claustro Ordinis includit, & custodit. Unde de Religione dici potest illud Jerem. 51. 3. *ponam desertum ejus, quasi delicias; & solitudinem ejus, quasi hortum*. Broymard. Religio.

Cor Christi sunt Religiosi, qui sunt intimi in corpore Christi, quod est Ecclesia. Hugo Card. in Ps. 21. Christum in sponsum admittimus, dum professionem facimus. Ex conceptibus divini amoris S. Theresiæ c. 2.

§. III.

Religiosorum finis, officium, virtutes.

Loquere filiis Israel. Levit. 1. 2. etiam Levitis. Nota: quando in Scriptura nominantur filij Israel; si sit sermo de re temporali, excluduntur Levitæ; si de spirituali, comprehenduntur. Ut patet Deut. 27. 12. Apoc. 7. 7. Levitis enim, & personis sacris incumbit; non temporalia curare & sapere, sed spiritualia. Cornelius hìc.

Ego autem tamquam surdus non audiebam &c. Psal. 37. 14. Tria hæc in congregatione necessariò custodienda sunt tibi: ut scilicet, secundùm Psalmistæ sententiam, velut surdus, ac mutus, & cœcus, incedas. Cassianus de cœnob. instit. l. 4. cap. 41.

Ficus protulit grossos suos. Cant. 2. 13. Primi Religionum Fundatores erant, sicut ficus primi temporis, bonæ valde, & Deo gratæ. Jerem. 24. 1. Quibus aptes Os. 9. 10. *quasi prima poma ficulneæ - vidi Patres eorum*. De Ponte in Cant. 2. Exh. 22. §. 4.

Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum. Cant. 4. 9. id est, ab unitate eorum, qui *oculi* sunt Religionis: quos summoperè unitos inter se esse decet, ob bonum commune. Figura Ex. 25. 18. 20. Cherubin, respicientes se mutuò, versis vultibus in propitiatorium. Tales sint Prælati: nunquam odii causa à se vultum avertant; sed se diligant: non titulo carnali; sed quia se intuentur unum in eodem Christo omnium propitiatore. Alia figura Cherubini, quos fecit Salomon ex lignis olivarum omnino similes. 3. Reg. 6. 23. 25. *in mensura pari &c.* Præsulibus sit par mensura, & unum opus, unum cor, idem animus. Hoc est, quòd alæ eorum in medio templi se contingant, & quasi amplexentur; mutuum sibi auxilium præstantes. Ezech. 1. 9. & 3. 13. animalia alata percutiebant se invicem; ad laudes Dei mutuò cohortantes. Psal. 132. 1. *quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum*. Ultimo versu: *quoniam illic mandavit Dominus benedictionem &c.* De Ponte hìc Exh. 25. §. 2.

Vos estis sal terræ. Matth. 5. 13. Non monet, sitis; sed *estis*: ut, quod sunt, perpendant; & necessitatem incumbendi proprio officio agnoscant. Universa, quæ à terrenis - hominibus appetuntur, (sive naturalia, ut proles, & delectabilia tactus, aliorumque sensuum; sive divitiæ, honores, imperia, & gloria; sive scientiarum, & artium notitiæ) indigent condimento vestro, ut salubriter appetantur; salubriterque iis homines utantur. Cajetan. hìc.

Idcirco nos ille elegit, ut simus quasi luminaria; ut veluti fermentum evadamus; ut magistri cœterorum efficiamur; ut velut Angeli cum hominibus versemur in terris; ut tanquàm viri cum infantibus, quasi spirituales cum animalibus: ut ex contubernio nostro ingentia illi lucra conquirant, ut semina simus; ut fructum lætissimum afferamus. Nihil opus esset verbis, si in hunc modum vita nostra sanctitatis luce fulgeret. Nihil Magistris opus esset, si virtutis probos actus proferremus. Nemo profectò gentilis esset, si ipsi, ut oportet, Christiani esse curaremus. &c. S. Chrysost. hom. 10. in ep. ad Thessal. 3.

Noli virtutem negligere; sed totis viribus sanctificationem procura: quoniam ideo egressus es è Mundo. S. Ephrem. de virtute c. 9.

Monachus est perpetua naturæ violentia; sensuumq; vigilantissima, & indefessa custodia. Joan. Clim. gr. 1. de ina. vitæ fuga.

Non satis est, quòd istum locum expetivimus; si tales sumus, quales in sæculo esse poteramus. S. Zeno Ep. hom. 27.

Non te fallat, quicunq; ille es, numerus dierum, quos hìc. relicto corporaliter sæculo, consumpsisti. Illum tantùm diem vixisse te computa; in quo voluntates proprias abnegasti, quem sine ulla regulæ transgressione duxisti. Id. hom. 31.

Scimus Monachi officium esse, non docere, sed lugere, S. Bernardus s. 64. in Cant.

S. Bernardus dicebat identidem: Bernarde! Bernarde! ad quid venisti? Vitæ c. 3. l. 1.

Laboriosa est reformationis tuæ Sexta; sed dulcia Sabbata quietis sequenter. Gilbertus s. 11. in Cant.

Monacho nullus labor imponitur, nisi ut non laboret: immò ut quiescat cum Deo suo, & tota die delectetur in eo. S. Thom. Vill. conc. 3. de Ass. V.

S. Thomas Aqu. admirabatur plurimùm, quòd frequenter ex ejus ore auditum: quomodo quis & præcipuè Religiosi, possent de alio, nisi de Deo, loqui; aut de his, quæ ædificationi animarum serviunt. Boll. 7. Martii.

Verè quidem dixit: Religiosus sit turtur in cella, accipiter in Schola, in mensa passer; ut communia comedat: in ambulacro pavo, ut quietè incedat: nè quem turbet, aut excitet. Cornelius in Sap. 11. 21.

§. IV.

Religiosorum Regulæ.

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Prov. 22. 28. q. d. nè transgrediaris limites morum, quos Patres fixerunt; ut aliter agere velis, quàm ab illis sanctum est. Cornelius hìc.

Religiosus debet respicere Regulam, ut mulier vana speculum. S. Vinc. Ferr. de S. Franc. Seraph.

Verè optimum exemplum bene vivendi reliquit nobis omnibus JESUS Christus: ipse Magister omnium; ipse liber, & Regula Religiosorum. Thom. Kemp. s. 3. ad Novit.

Multis monitis opus non est: tota perfectionis idea in Regulis nostris expressa est: ibi eam oculis mentis intueri potes: Vitæ P. Lessij c. 16. in ep. ad amicum.

§. V.

Religiosis pudor, vinci à Sæcularibus.

Ponam hoc vellus lanæ in area &c. Judic. 6. 37. Serarius: Ecclesiastici (Religiosi) qui more velleris Domino sunt conjuncti; & esse debent molles, humiles, & benigni; solebant esse rore divinæ gratiæ, præ cæteris madefacti. Area verò, id est, populi sæculares, respectu eorum erant indevoti, aridi & duri. Sed verè hodie videmus contrarium: area magis est arida, quàm vellus. Sæculares devotiores sunt, quàm Regulares, Laici, quàm Clerici; Subditi quàm Prælati. Cornelius hìc.

Nùnquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra? homo simplex &c. Job 1. 8. S. Ambros. in Ps. 37. quærit: cur ad dæmonem magis, quàm ad sanctos filios suos, conversus fuerit Dominus? cur laudes S. Job enumerare voluit. Respondet, id factum: ut uteretur invidus, & humani generis adversarius: laus enim inferioris condemnatio ejus est, qui de statu superiori dejectus est Did. Nyss. ser. 2. D. 3. Quad. §. 5.

Erubesce Sidon, ait mare. Isa. 23. 4. In Sidone figuratur stabilitas in lege positorum; in mari autem vita gentilium. *Erubesce* ergo *Sidon, ait mare*: quia ex vita gentilium redarguitur vita sub lege positorum: atque ex actionis sæcularium confunditur vita Religiosorum. S. Gregor. in Lib. Job in prof. c. 2. Vide plura ibidem.

Ubi est? Apertis thesauris suis &c. Matth. 2. 11. Ecce Reges homines sæculares, regni negotia intermittunt, & Deum quærunt: quem tamen multi literati, & aliquando Religiosi, negligunt. Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me. S. Bonaventura s. 2. in Epiph.

Vos autem, quem me esse dicitis? Luc. 9. 20. V. Beda hìc: non sunt enim Discipuli Christi de turba. Proh pudor! si Religiosus ità vivat quasi de turba esset. Angelorum vitam profitetur: ergo ut Angelus vivat. Alvarez in Gen. 47. Illustr. 292.

Utinam, fratres, nos sic essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum sæculares homines pecuniæ temporalis! Debuimus, certè vincere in bono malum: & tanto ampliùs desiderare, quantò pretiosius est, quod desideramus. Sed utinam vel æquales esse possemus! Magna enim confusio, magna valde; quod ardentius illi permitiosa desiderant, quàm nos utilia: citiùs illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam. S. Bernardus s. 1. de altitudine, & lassit. cordis.

Verè magna confusio est Sacerdotum, & omnium Clericorum (Religiosorum) quando Laici inveniuntur Fideliores ejus, aut justiores. S. Chrysost. s. 4. in Matth.

Religiosus debet differre à Sæculari, sicut rosa domestica à sylvestri: quia sylvestres rosæ habent folia pauciora, quàm hortenses. Sic virtutes debent plus abundare in Religioso, quàm Sæculari. Item Religiosi debent differre à sæcularibus, sicut arbores hortenses à sylvestribus. Arbores sylvestres, id est, sæculares, licèt faciant plures fructus, id est plures eleemosynas, quàm Religiosi pauperes; tamen fructus, scilicet opera spiritualia hortensium, id est, Religiosorum, sunt majoris pretii, & meriti, propter obedientiam. Geminiani l. 3. c. 67.

Ab Hispania Reccaredus, illarum gentium Rex, nuntium misit ad S. Gregorium III. quo significabat, feliciter tandem, post multas ærumnas, Visigothos, priùs Arrianos, ad Christum adductos. Lecta epistola S. Gregorius suavissimas lacrymas fundebat, gaudio totus liquefcens. E contrà, æmulatione tanti successus dolebat, Zelo animarum à Rege se vinci. Sic enim scribit l. 7. ep. 126. hæc me etiam contra me excitat; quòd piger ego, & inutilis, tunc inerti otio torpeo; quando in animarum congregationibus pro lucro cœlestis patriæ Reges elaborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine Judici venienti dicturus sum; si tunc illuc vacuus venero, ubi tua Excellentia greges post se Fidelium ducet? Et tamen tunc in Basilicis concionabitur, nudis pedibus solemni supplicatione iram Dei placabat: increpabat Constantinopolitanos Patriarchas; quòd arrogantia tartarea in Christianos, Orientis Primatum raperent: Cæsares abducebat ab usurpata Apostolica jurisdictione: sacros ritus in Europa, Asia, Africa, promovebat: alebat patrimonio suo Cœnobitas omnes, & mendicos Romæ. Nihilominus, non contentus sanctimonia tanta, flebat scribens: piger ego, & inutilis nec acquievit, donec Reccaredo assimilandus Deo Anaanos offerret, sua industria ereptos idololatriæ naufragio. Oliva t. 3. conc. 22. in festo S. Andreæ.

§. VI.

Religiosus non sit delicatus, non quærat commoda.

Ejice ancillam hanc, & filium ejus. Gen. 21. 10. Ajebat Bernardus: Ismaelem, nempe delicias carnis à servis Jesu ejici; Isaacum verò, cordibus mentisque, voluptates non facilè immolari. Gen. 22. 10. Nunc verò lacrymas suas sistere ipse potest, & nos nostras inhibere nequimus. Quàm facilè enim Isaac immolatur, tam difficilè Ismael extruditur. Quis enim orationes, victimas, lectiones, aut non imminuit, aut non omittit, levi de causa? Si nugatirus accedat quis, abrumpuntur quietis nocturnæ spatia: si exeundum in agrum sit; sacrificii hora coarctatur in quadrantem at Ismaelem quis expellit? ausim dicere: nec in Parasceve, qua Christus felle potatus, passuros nos vinum; non dico si ascescat; sed si mellè non æquet, & nectar. Oliva l. 3. Strom. §. Communicantes Christi passion.

Ecce Esau nunc ergo fuge ad Laban fratrem meum. Gen. 27. 43. Quanta ibi amore vitæ passus? Gen. 31. 40. *die noctuque, æstu urebar &c.* Cur Jacob, adeò delicatè nutritus, apud Labanum adeò anxios non recusat labores? quia retendit, ut persecutoris evaderet iram, non ut in deliciis viveret. Naxera in Jos. 2. §. 11.

Supponens capiti. Gen. 28. 11. Hic crub escere possunt Religiosi, qui cervicalia mollia tanta ambitione quærunt; & etiam dorsalia femoribus, & lumbis substernunt: ut, si videas, putes sponsas, non Monachos, ibi sedere. Hugo Card. hìc.

Moyses pascebat oves. Ex. 3. 1. Iram Pharaonis fugiens. Jam degit in mapalibus, qui auro micans nuper inhabitabat palatium: gaudet vel pastoritiis laboribus; quia vita fruitur. Nam ejus studium erat, ultrices manus frustrare. non temporalis vitæ commoditates ambire. Naxera cit.

Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Num. 11. 4. *anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Num. 21. 5. Israelitæ in Ægypto piscibus vescebantur; totaque mensa porri, & cœpæ erant: & in deserto carnibus ardentet inhiant. O quoties, quod tunc Hebræi semel; virtutis, austeritatisque, professoribus contingit! Naxera in Jos. 7. §. 27.

Deest panis, non sunt aquæ &c. Num. 21. 5. Quid clamatis audacissimis vocibus in atrio domus Domini? *deficimus*. Num sacra, num oratio, num cinis, luctusque, desunt? qui ea ad fastidium suppetunt. At plausus, theatra, libertas, desunt. Ergo, in morem Hebræorum, cœlestis vos tædet annonæ? Quòd si fluente manna illis non licuit panem, frigidamque, optare, quin morerentur; licebit vobis in Azymo furfur esurire? Qua ratione, quin cœli pane faginaris, flagrare cupiditate gaudium potes? Orat, & luges? litas, & ureris? lacrymaris, & psallis? Doceat te Syrus Naaman peregrinos latices fastidire: nam si ille Jordanem Abanæ præfesse recusabat; cur tu Jordanem Nilo posthabeas? Oliva l. 1. Strom. §. Deest panis.

Achan

Achan Jos. 7. 1. 21. Inter Ægypti vincula nuper pannosus, in terra promissionis coccineam ambit vestem. Naxera in Jos. 7. §. 27. Vide S. Bernardum homil. 4. sup. Miss. tom. 2.

Suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum. Jos. 20. 4. Carebant illi peregrini pretiosa suppellectili; locus, arctus, nec cibus lautus: immò gaudebat profugus vel augustissimum in civitate refugii invenisse habitaculum, quo evaderet vitæ periculum. Miror, dum cogito, me, ut ultrices peccatorum meorum effugerem flammas; confugisse ad Religionis asylum; ibique eas corporis commoditates cupere, quas vix in sæculo habuissem. Naxera in Jos. 20. §. 11.

Vas ergo erat positum acero plenum &c. Joan. 19. 29. Oblatum est Domino in cruce fel cum amaritudine, spongia, & aceto: & hoc modo cuilibet Religiosæ offeruntur. Nam fel est amaritudo ex carne; arundo est rigor disciplinæ; acetum est severitas Prælatorum; in spongia cibi, & pannorum vilitas. S. Bonavent. in Ps. 137.

Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum &c. Apoc. 12. 14. Desertum petit, ubi nullæ deliciæ, nullæ commoditates; immò horidus locus; spinis, ac sentibus, squallens. Olim stellis fulgida; modò in desertorum caligine abdita: quia ibi anxia, hic quiescit pacatissimè læta. Fugiebat serpentinam iram; nec curabat corpori commodum, dum tuendæ vitæ invenerit refugium. Naxera in Jos. 20. §. 11.

Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano; qui vix milio, & cibario pane, rugientem saturare ventrem poteram: nunc similam, & mella fastidio. Novi & genera, & nomina, piscium, in quo littore concha lecta sit, calleo; saporibus avium discerno provincias? ac ciborum me raritas, ac novissimè damna ipsa delectant. S. Hieron. ep. 2. ad Nepotianum de vita Clericor.

Cur Mundo renuntiasti charissime, si Mundana adhuc oblectamenta quæris? Ad tribulationem vocatus es: & tu requiem quæris: ad nuditatem, atque inopiam; & tu vestium ornatum sectatis? ad sitim perferendam; & tu vinum potitas? ab bellum? & tu sine armis in cœleste regnum ingredi cupis? S. Ephrem de pœnit. ac respiscentia.

Omnes nimirum, ex quo Monachi sumus, infirmos stomachos habemus: & tam necessarium Apostoli de utendo vino consilium meritò non negligimus: modico tamen, quod ille præmisit, nescio cur prætermisso. S. Bernardus Apologia ad Guilielmum Abb.

Ideò vinum, carnes, conjugia, & multa his similia, Monachis postponenda perpendimus; ut, abstinendo à creaturis, Creatori arctiùs placeamus. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 23.

Noli frater, noli gulæ, vel carnis deservire libidini, qui te militem spopondisti subrictatis authori. Pudeat te carnalium voluptatum esse vernaculum; nec collum tuum, ingenuo Christi jugo submissum, vinculis se subiiciat barbarorum. Non Eglon Rex Moab. Judic. 3. 17. 21. sub sua te ditione possideat; sed tecum simul Aoth illum inopinato pugione confodiat. Nec Agag Rex Amalec cum terreno Israel. 1. Reg. 15. 14. sub suo te imperio comprimat; Sed cum Samuel te per artus in frusta concidat. Non te destructor ille Jerusalem. 4. Reg. 25. 10. delectet: qui quoniam illecebrarum fugerit oblectamenta carnalium, super coquos habere dicitur principatum. Id. ep. 24. ad quendam Monachum.

§. VII.

Religiosus magna sperans, non vincatur minoribus.

Convertere gladium tuum in locum suum. Matth. 26. 25. S. Leo serm. 6. de Pass. superfluum erat, ut, qui nolebat præsidio angelicarum virtutum juvari, vellet se unius Discipuli oppositione defendi. Fugiamus & nos, qui magnalia Mundi abnegavimus, de parvis consolationem quærere, qui plenas mensas abjecimus, ad micas anhelare. Baeza t. 1. l. 4. c. 11. §. 12.

Cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem; fugit iterum in montem ipse solus. Joan. 6. 15. Expende, quòd à populorum regno fugiens, etiam à Discipulis fugit, & solus abiit. Cur & Discipulos relinquit? Nec videretur paucorum ducatu teneri, qui populorum regnum tam facile dimittit. Fœdum est, magna reliquisti, illigari parvulis, & frivolis: qui ignitas diaboli excussit sagittas, cedere fulgentibus Mundi scintillis. Id. t. 2. l. 6. c. 5. §. 15.

Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis; sed ut mercedem plenam accipiatis. 2. Joan. 8. Fervor noster, ut hedera Jonæ, ideò maturè crescit; ut, quò festiviùs Jonam recreaverit amœnitate foliorum, eò duriùs illum ad mortem usque cruciet; in lucis ortu miserum passus occasum. Nimirum gigantes nascimur, & vivimus pusiones. Meridiem expandimus in aurora, noctem meridici invecturi. Quis Monachorum non *exultavit ut gigas ad currendam viam*? Psal. 18. 6. prorsus *à summo cœlo egressio ejus*. At, ubi carceres excesserit, non unus in medio stadio oblitus bravii obrigescit in lapidem &c. Oliva l. 4. Strom. §. Videte vosmetipsos. Vide hìc plura.

Absit à servo Dei tale inquinamentum, ut patientia, majoribus tentationibus præparata, in frivolis excidat. Tertull. de patientia.

Nullus magis illicita vitare debet, quàm qui respuit, quod licebat. S. Cæsar. Arel. hom. 16.

Multi in Religione non pubescunt, media licèt æstate: quòd reculis opacati ad frugem coqui non possint. Doleo, tantillis nos rebus à consecutione summi boni disturbari. Ut gigas, non mola, sed lapide. 1. Reg. 17. 50. ut simulacrum Babylonicum non monte, sed lapillo. Dan. 2. 34. conciderunt: ità maxima minimis evertuntur: qui fluminibus innatant, stillicidio pereunt. Oliva lib. 6. Strom. §. Jam hyems transiit.

Ego sanè vix ullum in Monasteriis novi, qui præcipua, & essentialia Religionis, non ultrò subeat. Pater dimittitur, patria deseritur, patrimonium abdicatur, purpuræ valedicitur, vota Deo litantur: at minima non facilè, aut abdicantur, si placent; aut, si despiunt, tolerantur. Purpuram nolumus; sed lucernam odimus: fastidimus palatia; sed angulos horremus. Nullus non Hebræorum mare transmisit; Jordanem verò non omnes transiere. Num. 32. 5. Id. l. 10. Strom. §. Hoc sentite in vobis &c.

§. VIII.

Religiosus non amet Sæculum, Cognatos &c.

Ecce sagittæ intrà te sunt, - ut veni ad me &c. 1. Reg. 20. 22. dicebat Jonathas ad David. Si intus sagittæ; si Dei amor recludit te in cellula; nec affectio ad Sæculum trahit; *pax tibi est securitas*, atque signum electionis. At si *ultra te* sunt: si affectio tua ad propinquorum obsequium, ò Religiose, exierit, & ad Sæculum; *dimisit te Dominus*. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 6. obs. 2.

Expoliavi me tunica &c. Cant. 5. 3. Tunica occupationes hujus Sæculi figuratè denuntiat. V. Beda hìc.

Vos estis sal terræ. Matth. 5. 13. Sal extracta maris aqua, & congelata solis calore fit. Ità Monachi, qui ex Mundo erepti, orationis calore in salem convertuntur. Si autem salem in mare projeceris, dissolvetur in aquam. Ità Monachus, in monasterio factus sal; si iterum Mundum ingreditur, & cum sæcularibus conversatur; Mundanus fit, ut ante fuit. Stella in Luc. 2.

Quemadmodum vincula, & catenæ aquilæ; ità & Monachio sollicitudines Mundi. S. Ephrem Paræn. 50.

Quemadmodum turpe est, virum, ætate provectum, in cinere, aut pulvere, confidentem, puerilia describere: ità turpe, immò longè turpius est, eos, qui de rebus æternis perfruendis deberent esse solliciti, in rerum terrenarum pulvere volutari; & studiorum turpitudine professionis suæ fœdare perfectionem. S. Nilus lib. ascet.

Monachus pauper, est tanquàm aquila in sublime volans: quæ tunc ad escam se dimittit, cùm urget necessitas. Id. or. 3. de avarit.

§. IX.

Religiosus vitet commercium Sæcularium.

Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum; terribilis nimis. Judic. 13. 6. ait mater Sampsonis ad virum suum. Ubi autem secundum ejus annuntiavit adventum, ait: *ecce apparuit mihi vir, quem ante videram*. v. 10. Ecce quomodo imminuta est authoritas sæpiùs redeuntis ad mulierem: prima vice *vir Dei* Angelo propior, quàm homini, vocatur, in secundo adventu *vir* tantùm dicitur. Si tertiò apparuisset; timeo, nè spectrum vocaretur. Si semel mulieri apparueris, vir Dei, & Angelus Domini habeberis: si sæpiùs compareas, vix homo habeberis. Adeò nihil non vile est, quod frequens & obvium est. Oliva lib. 10. Strom. §. Vir Dei.

Exultavit in gaudio infans in utero. Luc. 1. 44. In toto Evangelio nullibi legitur S. Joannes exultasse; nisi in ventre matris inclusus. Religiosus extra cubiculum, & monasterium, non exultet, & leviter lætetur. Diez conc. 2. in Visit. B. V.

Venit in omnem regionem Jordanis. Luc. 3. 3. Fugiamus civitatum, & vicorum celebritates: ut, qui in civitatibus, & civis habitant, ad nos concurrant. Amemus solitudines: ut, qui nos in præsentia fugiunt, ad nos pelliciamus. Joannes quidem Baptista in solitudine versabatur; & civitates ipse cum hominibus ad eum confluebant. S. Nilus lib. ascet.

Errat, Pater, errat, qui confidit se simul & Monachum esse, & curiæ deservire. Quàm male mercatur, qui Monachorum

rum præsumit claustra deserere, ut Mundi valeat malitiam bajulare. Undis erutus sanus est piscis, non ut sibi vivat, sed ut alios pascat. Vocamur, attrahimur; sed ut alios pascat. Vocamur, attrahimur; sed ut vivamus aliis, moriamur nobis. Amator venator cervum; sed ut sibi faciat cibum: persequitur capras, lepusculos insectatur; sed ut ipsi benè sit illa nihil sint. Ament & homines nos; sed non nobis, sibimet diligunt; in suas nos vertere delicias concupiscunt. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 17. ad Desiderium Abb.

Apud Sæculares Religiosus quisque veluti pictura est: pictura siquidem, si procul assistat, inhiantes & cum aviditate prospicitur; si juxta sit, contemptibilis judicatur. B. Petrus Dam. opusc. 12. c. 26.

§. X.

Religiosi mali.

Fugit Adonibesec: quem persecuti comprehenderunt; cæsis summitatibus manuum ejus, ac pedum. Judic. 1. 6. *Adonibesec* interpretatur *dominator egestatis*. Et Prov. 10. 4. dicitur: *egestatem operata est manus remissa*, id est, pigra. Reges dicuntur viri Religiosi, juxta illud. Eccl. 48. 8. *qui ungis reges & pœnitentiam*, Religiosi deberent quidem se & alios regere, per vitam, & doctrinam: sed aliqui habent manus, & pedes, amputatos per acediam. S. Bonaventura Diæt. Sal. c. 7. de Acedia.

Multitudo fortius aquarum, vocem dederunt nubes. Ps. 76. 18. Nihil mitius nubibus, nihil delicatius, nihil mollius. Verùm, quæ aquam, roremque terris blandè instillant; ut cœperint inter se collidi, ignes vomunt, fulgetra pariunt, mortem parant, fulmina ei aculantur. Quis credat? adolescunt inter rores flammæ; undarumque fulminumque, eædem sunt canæ. Nimirum nulla discordia feralior, quàm piorum. Ex aquis conflatæ nubes, si secum ipsæ luctentur, flammas evomunt, & fulmina. Quantum terroris è sinu quàm blando prodit! Quid ràm frigidum, quàm silex, & ferrum? si verò concurrant, flammas edunt. Ex Angelis dæmones; ex Ecclesia hæreses: Judas ex Apostolis; ex manna vermes; ex pane vitæ mortis præjudicium: denique ex optimis pessima emergere solent; ut cœperint depravari. Oliva t. 2. Strom. §. Multitudo sonitus &c.

Bonum est Sal. Luc. 14. 34. Sal vulnus acerbat; sed sanat: carni integræ non nocet. Sic correptio molesta non probo, sed improbo. Stella hic.

Dixit ergo unus ex Discipulis ejus. Joan. 12. 4. In Marco 14. 4. leguntur Discipuli communiter murmurasse, & dixisse: *ut quid perditio ista?* Sed major quantitas non excludit minorem. Et consuetudo Scripturæ est, immò & usus loquentium; ut toti communitati, vel Societati adscribatur, quod à parte ejus emittitur. Dion. Carth. hic.

Quomodo difficilè sum expertus meliores, quàm qui in Monasteriis fuerunt; ità non sum expertus pejores, quàm qui in Monasterio. S. August. ep. 137.

Illud velim, nè ignores: rugam unam tibi turpiorem esse; quàm maxima, vulnera iis, qui in Mundo vivunt. Neque enim tam notabilem, ac conspicuum in sordidis; quàm in puris unius coloris vestibus, labes aliqua fœditatem habet. S. Greg. Naz. orat. de fuco.

Vidit Jacob in scala Angelos descendentes, & ascendentes. Gen. 28. 12. Nunquid stantem quempiam, sive sedentem? aut ascendas, necesse est, aut descendas. Si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et ubi incipis nolle fieri melior; ibi etiam desinis esse bonus. S. Bernardus ep. 91.

Expedit ei, si quis est, qui scandala suscitat in hac domo; in hac sancta, Deo placita; & Angelis ejus admodum grata, ac familiari congregatione; *ut suspendatur in collo ejus mola asinaria* &c. pro suavi jugo, ac levi onere Salvatoris; gravi mole terrenæ cupiditatis humeris ejus imposita, demergatur in profundum maris hujus; quod est sine dubio sæculum nequam. S. Bernardus s. 2. in festo S. Michaelis.

Si fortè aliquorum negligentia ad perfectionem non assurgit; ipsi viderint, quid excusationis possint afferre: quoniam Apostolicam omnes nos vitam professi sumus. Apostolicæ professioni nomina dedimus universi. S. Bernardus ser. quomodò voluntas nostra divina &c. Monachi, qui habent de Religione, præter solum habitum; sunt sicut tunica Josephi sine corpore. Gen. 37. 33. *Tunica filii mei est; sed fera pessima devoravit eum*. Et sicut simulacrum David sine eo. 1. Reg. 19. 13. Et sicut linteamina sine corpore JESU. Joann. 20. 5. B. Humbertus s. 18. ad Monachos nigros.

Religiosus indevotus, juxta panem moritur fame, juxta fontem moritur siti, juxta ignem moritur frigore. Sicut, quando vinum proclamatur in villa, per vinum, quod potatur in scypho, judicat homo de toto vino, quod est in dolio: Sic Mundus per conversationem, quam videt in uno Religioso, judicat omnes alios, qui sunt in Monasterio. S. Bonaventura Diæt. Sal. cap. 20. de Religione.

Quod cancer ostreo, facit plerumque diabolus Monacho: cancer enim, quia ostreis delectabiliter vescitur; & quia prospicit periculum (si enim chelas immiserit, relabente testa coarctatur) solerter explorat; quando ostreum se contra solis radios aperiat: tunc clanculum immittit, & conclusionem ostrei impedit: sicque, hiantia claustra repetiens, interiora ostrei chelis decerpit, ac depascitur. Quid ostreum congruentiùs significat, quàm Monachum? qui nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur: perit autem, cùm ad loquendum immoderatiùs aperitur. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 18.

S. Jordanus dicebat Prælato: cum dissolutis accidere, sicut pastori: cui molestior custodia unius hirci, quàm centum ovium. Bollandus 13. Febr. Apophtegmatum ejusdem cap. 8. Utinam Mundus hos sibi servasset! ut quid enim Monasteria incolunt? Ut quid terram sanctam calcant? quare eleemosynas justorum devorant? quare Angelica spiritualis exercitii gymnasia deliciis carnalibus contaminant? Si sordescere volebant, in loco sordium permanere, non ad loca pietatis transire debuerunt. Simplicem gehennam in Sæculo malè viventes sibi comparassent; duplicis gehennæ supplicio in Monasteriis negligenter viventes se reos faciunt. Blosius in spec. Monach. divis. 2. de malis Monachis.

Ecclesiastici (Religiosi) multi similes Saturno; qui est planeta cœlo propinquissimus; & ideo cœli influentiam maximè deberet participare: est tamen planeta malevolus, tardus, terreus, ponderosus, frigidus, pallidus. Stella in Luc. 15.

§. XI.

De Religiosorum vestitu.

Israel diligebat Joseph super omnes filios suos - fecitque ei tunicam polymitam. Gen. 37. 3. Sic Deus juveni, dilectionis causa, præ reliquis, tunicam facit, & induit, Religionis. Jonghen. p. 1. pro sacra vestitione Exh. 3.

Edultum de carcere Joseph toroderunt, ac veste mutata obtulerunt ei (Pharaoni) Gen. 41. 14. Rei in carcere comam, & barbam, alebant; quasi lugentes, & squallentes, teste Plutarcho de Milone: absoluti verò comam, & barbam, deponebant, vestesque mutabant, in signum lætitiæ. Vocati ad Religionem liberati sunt è miserabili servitute. Idem ib. Exh. 4.

Expoliavit se Jonathas tunica. 1. Reg. 18. 4. Viator calore æstuans tunicam exuit, Jonathas amore flagrabat. 1. Reg. 18. 1. *diligebat* Jonathas *eum* David *quasi animam suam*; ideo expoliavit se. Sic Candidatus amore erga Christum æstuans. Quæres: *cur Jonathas vestimenta potiùs dederit*, quàm aliquid aliud? dare poterat, in signum amoris, pecuniam, &c. Respondet Tostatus Abulensis in 1. Reg. quia Jonathas tunc non dabat *donum* aliquod ut ditaret David; sed ut ei amorem suum ostenderet: cùm seipsum ei dare non posset, dedit omnia illa, quæ erant ipsi immediata. Dare ergo omnes vestes, erat quasi seipsum dare totum. Dedit quoque arma sibi charissima. Id. ib. Exh. 9.

Misit Elias pallium suum super illum. 3. Reg. 19. 19. Dicebat ei Elias, *quod meum erat, feci tibi*. v. 20. Sed non satis hoc sibi ratus est Elisæus; Spiritum quoque ejus expetebat. 4. Reg. 2. 9. Non sat tibi sit, vestem Sancti Fundatoris portare; indue quoque Spiritum illius Patres Carmelitæ in vestitione suorum sic orant: oramus ut ministerium, quod per nos exteriùs exhibetur, tu Deus interiùs per donum S. Spiritus exequaris. Id. ib. Eph. 7.

Rex Ninive abjecit vestimentum suum à se &c. Jon. 3. 6. Laured. in Sylva mortit. humilitas. n. 6. Nic. Piccininus, Dux exercitus Philippi Ducis Mediolanensis, in agro Brixiano conclusus à Francisco Sfortia Duce Venetorum; cùm ad suos tutò venire non posset, se in sacco impositum bajulo tradidit portandum. Bajulus rogatus, quid portaret? Respondit, panem. Ità per medios hostes securus effugit: quia parvus erat; inclusus in sacco facilè latuit. Et quia abjecta gloria consueta, qua solebat procedere, humilis sacco inclusus delatus vice rhedæ, vel equi generosi; liberatus est ab hoste. Sic Rex Ninive, obsessus & conclusus divinarum comminatione plagarum; ut immunis evaderet, indutus est sacco, sicque liberatus. Achab Regi scelerato plurima mala comminatus fuerat Elias: ille, ut malorum obsidionem, qua veluti conclusus detinebatur, evaderet; *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam; jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite*. 3. Reg. 21. 27. sicque comminatas pœnas evasit. Id. ib. Exh. 21.

Induit novum hominem &c. Eph. 4. 24. Democritus ridens. Doctor quidam togam holosericam lacinias pretiosis Zobelinis, interiora verò, ad sumptus vitandos, ovillis subduci mandavit. Ei quidam obvius ait: bona fortuna te in tam pulchra veste comitetur. Sed, quæso, dic mihi: an interiora exterioribus his respondeant? Cui Doctor? non ausim hoc dicere: prætextas, quales sint, vides; at reliquæ sunt ex eo genere, quo tuæ. Si quempiam Religiosorum Sæcularis interroget: an interiora respondeant exterioribus? cogetur cum verecundia respondere: non ausim hoc dicere. Prætextas, quales sint, vides; sanctus nempe habitus Religionis: at reliqua, cogitationes, opera, &c. sunt ex eo genere, quo tua, indisciplinata nimirum, & sæcularia. Id. ib. Exh. 27.

Vestis mutatio interiorem cordis, atque animi, mutationem significat: idq; monet, quantum habitus ille à vulgari habitu differt; tantum etiam vitam, & mores, discrepare debere. S. Dionysius lib. de Eccl. hierarch. c. 6.

Cùm Angelicum feramus habitum, unà cum diabolo militiam gerimus. Habitus quidem est angelicus; at vita mundana. S. Ephrem. ad correct. eor. qui inclusi vivunt.

T I T U L U S IX.

RELIQUIÆ SACRÆ.

§. I.

Honorandæ, æstimandæ.

Quid est, quod tenes in manu tua? Ex. 4. 2. Hac virga, ejusque metamorphosi, significabantur vices Hebræorum, sive tres eorum status in Ægypto. Hebræi enim virgam, id est, sceptrum, & principatum tenebant; vivente, & regente, Josepho. Quo vita functo virga hæc in terram projecta est, & versa in colubrum: quia Hebræi priùs chari, post mortem Josephi exosi fuere Ægyptiis. Rursum hic coluber in virgam versus est, in manu Moysis: quia populo suo rursus sceptrum, libertatem, & dominationem attulit. Hujus virgæ Mosaicæ partem inventam esse anno Christi 1008. ad eamque ex Gallia, Italia, aliisque provinciis, confluxisse plurimos, narrat Baronius anno dicto. Cornelius hic.

Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum. Exod. 13. 19. Procopius hic: Hebræi, quia carnalia sectabantur, jussi sunt mutuò accipere aurea, & argentea vasa. Exodo 11. 2. Moyses eligit justi viri ossa, quæ præfert immensis Ægyptiorum thesauris.

Portaretur ab Angelis. Luc. 16. 22. S. Chrysostomus homil. de Lazaro: non suffecerat ad portandum pauperem unus Angelus; sed propterea plures veniunt; ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet unusquisque Angelorum tantum onus tangere. Ut nos sacras reverenter adimus reliquias, sic illi magna cùm veneratione ulcerosum corpus attingebant. Significabant, quanti æstiment corpus, quod pro gloria Dei multa tulerat. Addit Chrysostomus, sed in sinu Abrahæ portatus est, ut illum tangeret. Did. Nyss. f. 6. D. Quadr. § 2.

Venit in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar. Joan. 4. 5. Citò illuc pergit, ut eam sua præsentia honoraret. In illo prædio jacebant sepulta ossa Joseph. Jos. 24. 32. ibi tanta bona præstat. Nam ob Sanctorum reliquias in aliquo loco commorantes, multa habitatoribus illis bona Dominus largitur. Sylveira hic.

Vidi suotus altare &c. Apoc. 6. 9. Alluditur hic ad antiquum, & communem Ecclesiæ ritum, quæ, ex sanctione Felicis P. I. mandat, corpora Martyrum sepeliri sub altari, ut docent S. August. ser. 11. de Sanctis Anselmus, Richardus, &c. Quia Martyres Deo immolati instar holocausti: ut sepulchra eorum orantibus ad altare esset continuum excitamentum devotionis, virtutis, spiritualis. Hinc Sacerdos accedens ad altare & osculans, dicit: *oramus te, Domine, per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt*. Sylveira hic.

Nos, qui suspicimus reliquias Sanctorum, à Vigilantio appellamur cinerarii, & idololatræ; qui mortuorum hominum ossa veneremur. S. Hieron. epist. 53. adv. Vigilantium ad Riparium Presbyt.

Quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit; basilicas Martyrum intrare non audeo: ita totus, & corpore, & animo contremisco. Id. ib.

S. Hieronymus in vita S. Hilarionis narrat: eum in Cypro prope urbem Paphum objisse, indeque post decem menses Hesychium, Hilarionis discipulum, clam furatum fuisse corpus Sancti; & in Palæstinam, ubi primum ejus monasterium fuerat, transtulisse; quòd cum fœmina sancta, Constantia, quæ in urbe Papho morabatur, audisset; statim præ mœrore ex tristi nuntio mortuam. Alterum è duobus signum illud, quod nobis in bonum factum est, persuadet; quod aut placitus Deo sit locus, aut ubi placitum facere velit; ad quem, tantæ sanctitatis virum, à finibus terræ, moriturum, sepeliendumque, perduxerit. S. Bernardus in transitu S. Malachiæ.

Dicere tibi volo de alio thesauro, qui nondum est in cœlis; sed est vobiscum in terra. Hic thesaurus est, reliquiæ, & corpora amicorum; sive putrida sunt, vel recentia; sive conversa sint in cinerem, & pulverem, sive non: ipsa sunt certissimè thesaurus meus. Revel. S. Brig. l. 7. c. 4. Verba Chr.

Pragæ allatio prima reliquiarum, quas Carolus IV. in diversis mundi partibus magnis obtinuit precibus; easque auro, argento & gemmis; pretiosissimè ornatas, donavit Ecclesiæ Pragensi. Inter illas Deiparæ Virginis cingulorum duorum partes duæ allatæ 2. Febr. S. Petri Apostoli baculi pars. S. Gregorii M. caput. S. Philippi Ap. brachium. S. Crucis partes duæ. S. Joannis Evang. pars tunicæ. S. Pauli Apost. pars baculi. S. Annæ digitus. S. Petri Ap. catenæ pars. Deiparæ pepli pars. S. Lucæ Evang. caput. S. Clementis Papæ M. catena. S. Stephani Protom. caput. Bolland. addit. ad 2. Jan.

In translatione reliquiarum S. Faustæ V. M. cùm cereos, & candelas, ad locum, unde transferendæ, populus ferret: antequam levarentur, divinitus lumen in cunctis accensum: nec ullo vento ulla extincta, donec ad locum depositionis ventum esset. Boll. in addit. ad 4. Jan.

Caput unius Martyrum frequenter in ignem projectum, nec in capillis ullum combustionis signum sensit. Nullus audebat intrare locum ubi sacræ reliquiæ servabantur, quem alicujus facinoris vel sola conscientia urgebat. Fornicarius, cum contingere eas vellet, sublevaverunt se in altum, ut tangere non possit: Pœniteus attigit. Boll. 16. Jan. de SS. MM. Ord. S. Francisci.

Corpus S. Vincentii M. in campo projectum corpus protegebat; aves, lupum etiam, fugavit. A Daciano projectum in mare alligatis lapidibus, divina virtute ad littus refertur; à Christianis piè sepelitur. Robertus Rex Gall. immensa munera auri, atque argenti, & pretiosarum gemmarum, Henrico Imp. obtulit: at ille suscepit tantùm librum Evangelii aureis lapidibus pretiosis insertum; ac phylacterium simile, continens dentem S. Vincentii Levitæ & M. Boll. 22. Jan. Phœnix: Lem. *Viget in cinere virtus*. Picinelli.

§. II.

Reliquiæ Sanctorum protegunt.

Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum. Ex. 13. 19. Sic armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti. Ejus merita, & reliquiæ, pro muro, gladio, custodia. Alvarez Illustr. 370.

Sanctorum corpora quovis adamantino, & inexpugnabili, muro nobis urbem communiunt, & hostium impetus propulsant. Neque verò tantùm adversùs hominum insidias, aut adversùs fallacias dæmonum, utilis est nobis hæc possessio: sed & si nobis communis Dominus, ob peccatorum multitudinem, irascatur; his objectis corporibus continuò poterimus cum propitium reddere civitati. S. Chrysost. tom. 6. Laudatio MM. Ægyptiorum.

Antiochena urbs ad Leonem Imp. inter alia scribit, ut refert Evagrius: quoniam civitas nostra muros non habet (sunt enim illi per indignationem dejecti) sacrosanctum corpus hoc S. Simeonis Stylitæ adduximus; ut nobis murus sit, & munitio. Rageus Virid. Ss. p. 3. c. 4.

Petrus I. Aragonum Rex in prœlio contra barbaros, ad propitiandum Numen, corpus S. Victoriani in castris habuit. Cæsa ex hostibus quadraginta millia. Boll. 12. Jan.

§. III.

Reliquiæ salubres animæ, & corpori.

Dum corpus S. Simeonis Stylitæ ad funus portarent, quinque circiter milliaribus ad Antiochia, constiterunt mulæ, quæ Sanctum portabant. Ad dextram enim viæ illius erat monumentum, in quo habitabat vir quidam. Perdite quippe amaverat matronam conjugatam, viginti integros annos; neque ea valuerat potiri. Matrona tandem obiit, inque illo monumento sepulta est. At ille in mortuo corpore in monumento libidinem explevit. Nec mora: ocyùs à dæmone possessus, quasi compedibus constrictus fuit, & detentus in monumento. Assiduè igitur sedens in gradibus monumentis à multis viatoribus, visitabatur, ciboque fovebatur. Cùm S. Simeon ad eum locum delatus, repentè stante rheda, ex monumento cursim ascendit, vociferans: miserere mei S. Simeon! & prehensa rheda statim inde se moverunt mulæ: omnesque Deum laudaverunt, ipse factus eremita. Bollandus 5. Jan.

Varii cęci, aqua, quà S. Eduardus Conf. Rex Angliæ, manus laverat, vel attactu ejus, visum receperunt. Bolland. 5. Jan.

Febricitantibus multis terra, quæ circa S. Gerlaci Eremitæ ossa

ossa in tumulo jacuit, in potum data; plurimique sanati. Mulier quædam de sepulchro ejusdem Sancti pulverem furtivè sustulit, & in peplo ligavit, & in usus probabiliter non bonos convertere cogitavit. Ecce virtus divina terram illam in speciem sanguinis commutavit, ut per pepli fimbrias cruor destillaret. Boll. 5. Jan.

In templo Residentiæ in oppido S. Spiritus, par est reliquiarum S. Mauritii Thebææ legionis Ducis: has Brasilii magno honore prosequuntur, earumque opem sæpe in suis necessitatibus experiuntur. Nunquam enim illæ in supplicatione ad pluviam petendam deferuntur, (deferuntur autem sæpius) quin copiosa cœlo descendat pluvia. P. Janicus thes. rer. Indic. t. 2. c. 30.

S. Felicis Presbyteri Nolani exuviæ salutarem exsudant liquorem; quem Nolani manna vocant. Præcipuè oculis medetur. Ex ejus copia futuræ ubertatis præsagium sumunt: adversa metuunt, si tenuior. Boll. 14. Jan.

S Joannis eleemosynarii reliquiæ salutiferum unguentum sudarunt. Boll. 23. Jan.

§. IV.

Reliquiæ Christum D. concernentes.

Constantinus maximam columnam Romam advectam statuit, & sub basi duodecim cophinos, & septem sportas, nec non reliquias septem panum, quibus Christus multitudinem pavit. Nicephorus Caliatus lib. 7. cap. 49. Anno 1013. Monachi quidam ab Jerosolymis particulam lintei, quo pedes Discipulorum Salvator lavit; attulerunt: plurimis non credentibus eam in ignem imposuerunt; &, remotis carbonibus, integra retraxerunt: argento, auro, gemmisque, nunc includitur; eaque populus reverens adorat, & exosculatur. Leo in Chronico Cassin. l. 2. c. 34.

Inter thesauros S. Patricii, baculus auro rectus, gemmis pretiosis adornatus: quem Jesus ipse manibus tenuerit, & formarit. Ex vita S. Malachiæ Ep.

Catinus ille, in quo Agnus Paschasius mensæ illatus, ex Smaragdo confectus, colitur devotè Genuæ. Sylveira in Matth. 26. c. 4.

Tunica Christi inconsutilis Treviris magna veneratione colitur. Sylveira in Joan. 19. c. 14.

Spongia Christo porrecta religiosè servatur Romæ in Basilica Lateranensi. Idem ibid. cap. 18.

Miscellanea.

Justorum reliquiæ virtutes sunt. S. Ambros. in Ps. 26.

Grata quidem contentio multorum de reliquiis Sanctorum: utinam de eorum virtutibus imitandis per foret contentio. Alvarez Illustr. 352.

T I T U L U S X.

RENOVATIO SPIRITUS.

§. I.

Figuræ, & Similitudines.

Ex Veteri.

Ablactatus est: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis. Gen. 21. 9. Meritò quæritur: cur Abraham, nec die, quo natus est ei filius; nec die, circumcisus, sed die, quo ablactatus est, epulum fecerit? Quod, nisi ad aliquam spiritualem significationem referatur, nulla solutio quæstionis est. Tunc scilicet debere esse magnum gaudium spiritualis ætatis, quando fuerit homo factus novus spiritualis. S. August. lib. 1. quæst. Sup. Gen.

Mensis iste Nisan. Ex. 12. 2. id est, Aprilis, verna temperies, cùm tellus reflorescit, totusque, post hyemem quasi post senium, rursus juvenescit orbis; nonne sensatum hominem docet; quatenus renovatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, & charitate floridus, Paschalis Agni epulis intersit spiritualibus? S. Rupertus Abb. l. 2. in Ex. 5.

In Calendis autem offeretis holocaustum Domino &c. Num. 28. 11. Neomeniæ festivitas appellatur cùm luna innovari cœperit, & soli proxima fuerit, penitusque conjuncta. Sol justitiæ Christus est: huic si luna, id est, Ecclesia sua, quæ lumine ipsius repletur, conjuncta fuerit, & penitus ei adhæserit; tunc festivitatem Neomeniæ agit. Tunc enim nova efficitur, cùm abjecerit veterem hominem; & induta fuerit novum; qui secundùm Deum creatus est. Orig. hic. Quæres: cur Deus istituerit Neomeniam? Nota: Calendæ erant prima dies mensis, quæ & Neomenia, sive Novilunium, dicitur. Quartam causam dat Cornelius: ad legem Dei, & ea, quæ illo mense agenda erant, in tabernaculo audiendum. Hac de causa, & apud Romanos in Kalendis conflucbant in urbem: ut quisque disceret, & intelligeret; quid eo mense in divinis, humanisque rebus, faciendum incumberet. Hæc commodè applica primæ Dominicæ mensis; qua Christiani religiosiores solent spiritum innovare, confiteri, communicare; Deo pro beneficiis mense elapso gratias agere; eique auspicia mensis, totumque mensem, offerre, & prospera in eo petere. Cornelius hic in Num. 28.

Facite plaustrum novum unum. 1. Reg. 6. 7. Cur novum? cùm festinationem requirerent, potiùs vetus aliquod assumendum. Respondent Dionys. Lyran. Abul. ità factum, propter reverentiam arcæ; nè Christianus in animam multis vitiis inveteratam, Christum inducat. Mendoza hic.

Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Ps. 103. 30. quæ inveteratur in hyeme propter frigus; sed in fervore æstatis, id est, charitatis renovatur. Renovari dicitur terra, quando herbæ pullulant: herba est propositum bonum. Item renovatur per flores, id est, per orationes, & operationes contemplativas. Item renovatur, quando gelicidium resolvitur in aquas, id est, in lacrymas flante austro. *Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.* Ps. 147. 19. Item renovatur, quando aquæ, occupantes agros deficcantur, id est, delectationes carnales. Gen. 8. 1. *adduxit* Dominus *spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Hugo Card. in Joan. 13. 34.

Cantate Dominum canticum novum. Ps. 149. 1. Admoniti sumus, Domino cantare canticum novum; Homo novus novit canticum novum. Canticum res est hilaritatis: &, si diligentiùs consideremus, res est amoris. Qui ergo novit novam vitam amare, novit canticum novum cantare. S. August. serm. 2. de diversis. Vetus homo, vetus canticum; novus novum canticum. Quisquis terrena diligit, vetus canticum cantat: qui vult cantare canticum novum, diligat æterna. S. August. hic. Redempti à Domino cantate ei canticum novum. Ille novum canticum resonat, qui, relectis peccatis, novam vitam bonis operibus inchoat. S. Honorius s. in die Paschæ.

Hortus conclusus soror mea. Cant. 4. 12. Hæc de quavis anima intelligit Hugo Card. Haylgrinus, Justus Orgelit. Sim. Cass. l. 13. in Evang. hortus ab *oriendo* dictus est. Quantacumque enim diligentia hortum cures, semper in illo videas lolium, & urticas oriri: ut necesse sit ad manus habere forficem, sarculum, ligonem, &c. Did. Nyss. Vit. Abr. lib. 6. c. 8.

Ossa arida audite verbum Domini. Ezech. 37. 4. 5. *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis &c.* Cur ex putridis ossibus viventes homines excitantur, & non potiùs de novo efformantur? Dei potentiam non magis illustrat, ex vetustate novitatem excitare; quàm de nihilo adstruere novitatem. Escobar t. 2. Persec. Chr. l. 12. sect. 1. Obs. 2.

Ex Novo, & Patribus.

Accepit eum in ulnas. Luc. 2. 28. Per hoc, quod senex accepit infantem, instruimur, quod, deposita vetustate, debemus induere novitatem. Hugo Card. hic.

Implete hydrias aqua. Joan 2. 7. An non faciliùs, sine aqua apposita, conditor vinum præberet? Rupertus in aqua infirmitatem nostram; ac spiritus corruptionem agnoscit. Non igitur fit de novo merum, sed ex aqua generosum vinum: ut innuatur; aqueam infirmitatem nostram, diligentia adhibita, studioque innovationis, posse ad ferventissimam charitatem accendi. Escobar cit.

Facta sunt encœnia. Joan. 10. 22. Theophylactus, & Euthymius asserunt, in hoc solemni Encœniorum celebrari non templum, aut altare innovatum, sed, exersum omnino, primæ gloriæ restitutum. Escobar t. 2. Persecut. Chr. l. 12. sect. 1. obs. 2.

Vides cœlum hoc, quàm pulchrum, quàm amplum, magnificum sit, quantum edurare potuerit temporis. Jam enim quinque millia annorum, atque etiam plus servatur, & constat; nec tamen longo temporis spatio effectum est, ut senescat: sed ad corporis modum adolescentis robusti, floret, vigetque, ætate: &, quàm principio fortitum est pulchritudinem, eandem integerrimam servat; nulla ex parte factum deterius tanto spatio temporis. S. Chrysost. hom. 2. de incomprehensibili natura Dei.

Vestrum quilibet peccatum, velut serpens senectutem exuens; sic affectibus spoliatus, justitiamque indutus, redeat, alius ex alio factus. S. Basilius Cæsar.

§. II.

Renovationis motiva.

Ex Veteri.

Egredere de terra tua, & de cognatione tua &c. Gen. 12. 1. Denuo Deus Abraham compellat, & invitat ad egrediendum, de patria sua Ur Chaldæorum jam egressum. Gen. 11. 31. Ut priorem effectum posteriori affectu cumularet: q. d. interprete Ruperto: lib. 5. in Gen. c. 3. Sicut de terra Chaldæorum corpore egressus es, animo quoque sic egredere. Nec aliter S. August. q. 24. in Gen. egredi jubetur; non ut corpus inde ejiceret, quod jam fecerat; sed ut animam evelleret. Mendoza in 1. Reg. 2.

Veni, & mittam te ad Pharaonem. Ex. 3. 10. Deus cum Moyse familiariter locutus dixit. Sed, si Moyses coram Deo præsens aderat; quò ulteriùs evocatur? Lyran. licèt, inquit, præsentialiter esset coram Deo; tamen dixit, *veni*: per hoc significans; ut deberet esse promptus mente, sicut erat præsens corpore. Mendoza ib.

Ascende ad Dominum tu, & Aaron. Ex. 24. 1. *Ascenderunt Moyses, & Aaron & viderunt Deum Israel.* v. 9. 10. Sed jam in montem consistentem, iterum Deus in montem vocat: *ascende*, inquit, *ad me in montem.* v. 12. Id.

Audiens populus sermonem hunc pessimum, luxit; & nullus ex more induitus est cultu suo. Ex. 33. 4. Gravissima comminatio fuit illa Dei in populum: *non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es.* Lautiores vestes, quibus in illa celebritate Pentecostes, sive legis divinitus acceptæ, ornabatur, deposuit. Sic pœnitentium ritu exutum Deus alloquitur: *jam nunc depone ornatum tuum.* Et statim: *deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum.* v. 5. 6. Cur denudatus denudari jubetur. Respondet Burgensis addit. 3. non inculcari à Deo novam spoliationem, jam enim se omnes spoliaverunt; sed novam spoliationis præteritæ approbationem; ut, quod bene fecerant, fecisse gauderent; ac de suo sibi facto complacentes exultarent. Id.

Dies primitivorum, quando offeretis novas fruges &c. Num. 28. 26. Dies primitivorum status pœnitentium est; qui primitias bonæ vitæ offerunt: novæ enim fruges novæ virtutes sunt. S. Bonaventura s. 1. in Vigil. Nat. D. Acceptissimæ Deo erant illæ oblationes, quæ novæ fruges primitivorum dicebantur. Seu, ut vocat S. Ambros. l. 2. de Cain, & Abel c. 6. nova novorum. Hoc est enim, ait, sacrificium primitivum, quando unusquisque se offert hostiam, & à se incipit; ut postea munus suum possit offerre. Mendoza in 1. Reg 6. 7.

Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini. Num. 31. 17. Israelitæ contra Madianitas decertantes, juxta Moysis imperium, *omnes mares occiderunt.* v. 7. Et nihilominus, cùm ex prœlio victores reverterentur, Moysem audiunt imperantem: *ergo cunctos &c.* Nonne jam omnes erant interfecti? Dici potest, ne Israel suis facti peniteret; sed integrum adhuc propositum ulciscendi Dei hostes, non modò conservarent, sed etiam renovarent. Mendoza in 1. Reg. 3.

En panes, quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus; nunc ficci facti sunt. Jos. 9. 12. Gabaonitæ ab ingenuitate filiorum Israel exclusi, perpetuæ servituti mancipati, rationem ipsi insinuant: *en panes &c.* Non poterant in domo Dei placere, quorum bona laborabant vetustate, nec de innovatione curabatur. Origenes hom. 5. in Levit.

Gabaonitæ illi condemnantur, & ligni cæsores fiunt, vel aquæ gestatores: quia panes veteres ad Israelitas detulerunt; quibus lex spiritualis jubebat, semper uti recentibus, & novis. Baeza t. 2. l. 7. c. 1. §. 12.

Fecistis omnis, quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis. Jos. 22. 2. ait Josue ad populum jam in amicitiam cum Deo restitutum. Et tamen paulò post: *auferte*, inquit, *deos, quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamia, ac in Ægypto; & servite Domino.* Jos. 24. 14. Si jam falsis aliis renuntiarunt; quorsum iterum, renuntiare jubentur? Credo, ut, quod opere compleverant, novo animi decreto firmum, ratumque haberent. Mendoza in 1. Reg. 3.

Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ps. 2. 7. Sic generatur Filius Dei à Patre, ut non possit veterascere; sed semper appareat, quasi recens, & novus in vita. Hanc æmulare juventam; hanc procura tibi novitatem, qui divino saturaris convivio. 1. Petri 2. 2. *sicut modò geniti infantes.* Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 33.

Concupiscet Rex decorem tuum. Psal. 44. 12. Excutiendum, quidquid in nobis resederit vetustatis; rugæ insuper omnes, ac maculæ, & labes, abluendæ: nosque ita excolendi, ornandique erimus; ut nostri decoris, & cultus, desiderio vel princeps ipse, & Dominus capiatur. S. Chrysost. serm. quòd nulla resideat apud nos vitior. & malor. memoria.

Emittes spiritum, & creabuntur &c. Ps. 103. 30. Toties nos Dominus creat, quoties de vetustate peccati in novum hominem instaurare dignatur. Ps. 50. 12. *cor mundum crea in me Deus.* Cassiodorus in Ps. 103.

Innova dies nostros. Thren. 5. 21. Quia conversio initium est reparationis antiquæ vitæ. Porrò innovatio dierum perceptio est æternitatis. S. Paschasius hic.

Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Ezech. 18. 31.

Ex Novo.

Abneget semetipsum. Matth. 16. 24. Tunc nos abnegamus, dum vitamus, quod per vetustatem fuimus, & annitimur, quò per novitatem vocamur. V. Beda l. 3. hic. Qui deponit veterem hominem cum operibus suis, denegat semetipsum, dicens: *vivo autem jam non ego.* Gal. 2. 20. S. Hieronym. in Matth. 16.

Facta sunt encœnia in Jerosolymis. Joan. 10. 22. Nulla tam perfecta imago virtutis, ac sanctitatis; ut non penicillum, scalprumque, quotidie requirat. Nota: Jerosolymis fiunt encœnia, & renovationes: Nam encœnia, ex S. August. hic, idem sunt, quod renovatio. Si in Ægypto, vel Babylone, fierent encœnia, vel innovationes; nihil novum putarem: ubi enim confusiones, id est, Babylon; ubi tenebræ, id est, Ægyptus; ibi non tam mira, quàm necessaria innovatio. Sed non mirare: nulla enim talis Jerusalem, nulla talis pacis visio; nulla, inquam, tam sancta anima, quæ nihil habeat innovandum, purgandum, perficiendum. Celebrare enim encœnia. Theophylacto idem est, quod ascensiones ponere Davidi. Ps. 83. 6. Ascensiones autem ponit anima, quæ de virtute in virtutem quotidie assurgit, innovaturque, & expolitur. Did. Nyss. fer. 4. D. 5. Quadr. §. 6.

Renovamini in spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem. Ephes. 4. 23. 24. Per novum hominem, interprete Salmerone, Christus intelligitur, juxta illud Roman. 13. 14. *induimini Dominum Jesum Christum.* Mendoza in 1. Regum 6. 7.

Expoliantes vos veterem hominem. Coloss. 3. 9. Quale portentum, ut nemo non libentissime veterem vestem exuat; si melior præsto sit: & nullus non cunctetur exuere veterem Adam; cùm novo, optimoque, mox indui, ornarique queat? Vestes non amamus, nisi novas: & cariosam ità mentem retinemus; ut malimus perire, quàm renovari. Oliva l. 3. Strom. §. Expoliantes.

Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te. 2. Tim. 1. 6. Resuscitare in Græco propriè est, ignem cineribus conditum, ac sopitum, flatu, folle, aut flabello suscitare, ut reardescat, q. d. gratia, quam accepisti, sensim languescit, sopitur, & restinguitur. Vide ergo, ut eam suscites, ut charitatis flammam reaccendas, ejusque ardorem continuò foveas. Ad id flabella, & folles, tibi sint oratio, meditatio, lectio &c. Cornelius hic.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Apoc. 2. 7. Victorinus, & Beda, per hoc lignum intelligunt Christum; qui in Ecclesiæ paradiso omnibus fruendus proponitur; idque in Eucharistia, ait Rupertus, & Anastasius Sinaita l. 1. hex. Paschas. l. 1. de corp. Chr. c. 7. & 8. Alcazar addit: Christum promittere hic suam opem iis per Eucharistiam; qui fortiter apud se statuerint, vota, ac desideria instaurare; & antiquum studium reperere; nec in virtutum exercitatione languescere. Cornelius hic.

Vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen novum. Apoc. 2. 17. S. Hieron. ep. 83. legit *calculum novum*; quem interpretatur esse *cor novum, & spiritum novum.* Ezech. 36. 26. Calculo novo nomen novum inscribitur: ut significetur, novum Jesu nomen non nisi novo cordi, & novo spiritui inscribendum. Mendoza in 1. Reg. 6. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Nescit mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. S. Gregor. mor. l. 22. c. 2.

Similis similem quærit: & Deus profectò similitudinem suam diligit. Vis & tu diligi à Deo tuo? Salvatore tuo? Reforma in te imaginem suam, & amabit te: repara similitudinem suam; & desiderabit te. Richardus à S. Victor. in Ps. 118.

Ad novum pertinet, habere novam animam, quoad novas affectiones, & novas cogitationes, juxta illud Ezech. 36. 26. *dabo vobis cor novum*, scilicet quoad affectiones; *& spiritum novum ponam in medio vestri*, scilicet quoad cogitationes. Similiter linguam; ut, recedentibus veteribus de ore, lingua nova loquatur; juxta illud Marci ult. 17. *linguis loquentur novis.* Item novam conversationem, juxta illud Rom. 6. 4. *in novitate vitæ ambulemus.* Item nomen novum: ut, qui erat malæ famæ, jam sit bonæ; juxta Is. 62. 2. *vocabitur tibi nomen novum.* Item novum gaudium: ut de nulla re sæculari gaudeat; sed solùm de divinis. B. Humbertus s. 7. ad Novitios in quocumque Ordine.

Quinque renovabuntur, terra, aquæ, aer, ignis, cœlum: ità nos modò debemus in quinque renovari; si tunc cupimus salvari, & renovari gloriosè. Renovandus est homo primò in corpore per continentiam; ecce terra. Secundò in anima, per claram benevolentiam; ecce aqua. Tertiò in ore, per veram eloquentiam; ecce aer. Quartò in opere, per diligentiam; ecce ignis. Quintò in intentione, per cœlestialem eminentiam; ecce cœlum. Debemus renovari in ore per ve-

veram eloquentiam; ad instar aeris post Judicium: quia tunc erit ità clarus, quòd nullam habebit obscuritatem nubium, tempestatem, vel fulgura: sic modo renovandum est os nostrum; ut non sint in eo obscuritates mendaciorum; nec tempestates verborum superborum; nec fulgura minarum; nec tonitrua juramentorum. Debemus renovari in intentione per cœlestialem eminentiam ad instar cœli, quod post judicium accipiet qualitates altas, & claras: sic nos in operibus nostris debemus ordinare intentionem, ut sit alta propter Deum, & non sit bassa propter Mundana, scilicet laudem, vel vanam gloriam. S. Vincent. Ferr. s. 6. D. 2. Adv.

Qui fugat à se tepiditatem, & novum concipit fervorem; celebrat in spiritu novum Pascha cum Christo; & canit cum illo jucundum alleluja. Stella de cont. p. 3. c. 17.

Ego sum quasi avis illa, quæ nihil desiderat comedere, nisi recens cor avium; & nihil vult bibere, nisi sanguinem purum cordis avium. Ego nihil desidero, nisi cor recens; id est, animam hominis, bonis operibus, & affectionibus divinis, recentem; cujus charitatis sanguinem bibere desidero. Hæc est enim refectio mea: Charitas fervens ad Deum, & anima à vitiis emundata. In revelat. extravagantibus S. Brigittæ, c. 50. Verba Chr.

Tu nova sponsa mea, venisti in ignotum locum. Oportet ergo te habere quatuor. Primò scire loquelam Dei; secundò habere vestes debitas; tertio scire disponere dies, & tempora, juxta dispositionem loci, quartò novis cibis assuescere. Sic tu, quia de Mundi instabilitate, venisti ad stabilitatem; ideo oportet te habere novam loquelam, id est, abstinentiam ab inutilibus verbis & quandoque etiam à licitis, propter gravitatem silentii. Vestes tuæ debent esse humilitas interior, & exterior. Tertiò moderatio temporis tui est: ut, sicut ad corporis necessitatem habuisti plura tempora; sic nunc unum tempus habeas ad animam: ut scilicet contra me nunquam velis peccare. Quartò novus cibus, est abstinentia à gula, & delectationibus, cum omni descritione l. 1. Revel. S. Brig. c. 34. Verba Chr.

Vide Recollectio. Juventus, Senectus.

§. III.

Renovationis praxes.

Renovamini spiritu, mentis vestræ, supple interiùs; *& induite novum hominem*, exterius Ephes. 4. 23. Ille est ordo debitus ut sicut vita naturalis incipit in interiori homine, id est, corde, & à corde extrà derivatur: ità etiam vita incipiat spiritualis. Sed quidam habitum interiorem mutant, ad modum, quo divites sereno aere pretiosis se induuntur; orta pluvia vilibus, & antiquis, quas bajulas sequens portat Broymard.

T I T U L U S XI.

RESPECTUS HUMANUS.

Motiva spernendi.

Quare dereliquisti pauculas illas, oves in deserto? ego novi superbiam tuam &c. 1. Reg. 17. 28. David, desertis ovibus in deserto, descendit in castra, pugnaturus contra Goliath; fratres ei exprobant superbiam, & nequitiam cordis: ille propterea non destitit à proposito. Non est declinandum à via recta ob caniculum allatrantem. Conculcandus est *colubber, & ceraستes, in semita; qui mordere conatur ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrorsum.* Gen. 49. 17. Marchantius D. Quinqoag.

Ludam, & ero humilis in oculis meis. 2. Reg. 6. 22. Michol irridet maritum suum David, & increpat, quòd coram Arca saltet. Ille sciens, se id fecisse ex amore Dei, non desistit. Id. ibid.

Ipse verò multò magis clamabat. Luc. 18. 39. Quomodò, quamvis multi increparent eum, non tacebat; sed ampliùs clamabat? Fervor quidam intrinsecus instimulabat eum. Idcirco & Jesus *justit illum adduci ad se*: quòd profectò dicturus esset, qui appropiaret ei. Theophylactus hìc.

Magister vocat te: illa, ut audivit, surgit citò, & venit ad eum. Joan. 11. 18. 29. Contra urbanitatem egisse videtur nobilis fœmina: quia relictis amicis, velut ex abrupto surrexit, & abiit. S. Basilius Seleuc. c. 2. de Lazar. resuscit. non verita est turbam, non sinistram opinionem, quam de Christo habebant. Aderant enim multi inimici, qui inter cætera dicebant: *non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur?* v. 37. Verùm Præceptore præsente, humana omnia posthabuit; totaque in unum hoc incubuit, ut Magistro suus constaret honor. De Castillo Illat. 278.

Sæpe agenda aliqua bona proponimus: sed, si unicus contra nos, vel levissimus, sermo ab ore irridentis eruperit, ab intentione actionis nostræ fracti protinus, & confusi, resilimus. S. Greg. hom. 3. in Evang.

In his ad conscientiam redeo, ad mentis meæ secreta recurro: certus, quia, nisi pro Amore Christi, cujus ego malus servus sum, nullius iracundiam pertimesco. B. Petrus Dam. ep. 4. ad Leonem IX. Papam.

Scitis, qualiter est de obloquentibus, & desistentibus à bono incepto? sicut de parvo, puero, qui à matre mittitur aliquo: qui ex latratu caniculi timet, nec audet transire: imò revertitur: cùm tamen caniculus ei nocere non possit. Talis stultitia est eorum; qui ex locutionibus hominum non volunt vitam continuando transire. Pater noster Christus, & Mater Ecclesia, mittit nos; ut vadamus ad civitatem paradisi, &c. S. Vinc. Ferr. s. 2. D. 3. Adv.

Vide Pudor. Timor hominum.

T I T U L U S XII.

RESTITUTIO ALIENI.

§. I.

Agrè fit.

Ego faciam, quod jussisti. Et ille: jura ergo mihi. Gen. 47. 30. Petit à filio pater, ut post mortem cadever suum deferat ex Ægypto, illudque sepeliat in terra Chanaan. Spondet filius: ità se facturum; & adhuc jurejurando obstrictum cupit Josephum. Oleaster hìc: parum curant filii, quidquid parentes injunxerint, noveratque hoc prudens senex: ideo filium jurare cogit; ut sollicitus sit implere, quæ vult. Esse mihi, hic amplus locus arguendi filios, qui nihil minùs curant, quàm quæ parentes in morte præcipiunt Æquisque judiciis Dei parentibus hoc evenit: qui, propter filios evehendos, aliena surripere non cessant; ut nihil emolumenti ab eis post mortem recipiant. Alvarez Illust. 309.

Fuit Arca Domini in regione Philistinorum septem mensibus. 1. Reg. 6. 1. Cur tandiu? quia peccatores ad restituenda debita difficilè adducuntur. Mendoza hìc.

Noli attendere ad possessiones iniquas. Eccli. 5. 1. Nihil est, quod æquè multorum conversionem retardet, quàm nolle restituere ablata: ut enim retia amplam habent portam, in quam pisces ingrediantur; angustam autem, ut egrediantur: sic avari, ad accipiendum os habent latum; ad reddendum angustissimum. Octavianus hìc.

Væ ei, qui multiplicat non sua! usque, & aggravat contra se densum luteum? Habac. 2. 6. Nota: non ait contra alios, *sed contra se*: ut enim alteri benefaciat, amore crudeli perdit seipsum &c. Segneri ser. 13. die Mercurii Dom. 2. Quadr.

Quatuor sunt hominum genera pertinaciter obstinatorum: scilicet tyrannus in retentione dominii, hæreticus in pravitate fidei, assuetus verbis improperii, & possessor alienæ rei. S. Thom. Aqu opus. 37. c. 4.

Peccatum paralysi simile, quoad pulsum: nam pulsus paralytici est tardus, rarus & debilis. Pulsus autem, cùm procedat à corde, & derivetur ad manum, designat bonum propositum cordis. Tarde, rarò, venit in opus, maximè in usurariis: quia, licèt aliquando compungantur, & restituere proponant; rarò tamen bene restituunt, aut differunt usque ad mortem. Geminiani l. 6. c. 52.

Usurarius moriens hortanti ad pœnitentiam respondit: nimis tardè est; jubensque sibi afferri pecuniam, ait: heu eum quanta solicitudine vos acquisivi! & nunc propter vos animam perdam! nec tamen restituit. Broymard. Restitutio.

§. II.

Restituentium exempla.

Et replevit carnem pro ea. Gen 2. 21. Quàm bonus Dominus, nostrique amans; nostra, quæ sua potiùs sunt, expoluit; & in nostram, non suam utilitatem; & tamquam debitor mox exolvit: docens, solvenda esse debita, restituendumque ablatum. Persuasum mihi habeo, nullum adhærere tenaciùs animo; nullum sanari difficiliùs; quàm vitium eorum, qui alienis potiuntur, & reddere in vita, imò nec in morte patiuntur. Fernandius hìc.

Surgite, & egredimini à populo meo &c. Ex. 12. 31. Pharao, obstinatissimus tyrannus, qui Deum nescit, qui abs se nunquam dimittendum Israel testatus est; uno filii funere ità mollitur; ut suo edicto lituras inducat, emittat subjectos, armenta abire permittat cum prolibus, spoliari opibus urbs patiatur. Tu verò, non Nilo, sed Jordane, inundatus; qui Deo militas: qui inter Israelitas novæ legis es cooptatus: non frigente cadavere filii, sed putrescente corpore tuo, alienam pecuniam domi retines; quæ oppressisti non relevas; animam agis, & rem tuam agis, non quasi senex moriturus, sed quasi modò genitus infans: lac opum exugis,

gis, & spiritum efflas; ut tecum sit pecunia, plane non tua, in interitum? Duriores jam Pharaone fumus: & si Nilo innatant crocodilli, harpyæ lasciviunt in Jordane. Oliva f. 6. D. 4. Quardr.

Oves vestras assumite. Ex. 12. 32. dicebat Pharao: & Christianus, ut oves retineat, deputari non veretur inter hœdos. Quænam, rogo, hæc navigandi ars? conflictata oneraria, nè jacias merces, navarchum dejicere in profundum? Nè domo aurum efferatur, tu te inferes orco? cœlo exclusus, quòd rapinas domo non excluseris. Id. ib.

Videte, nè fortè furtivus sit. Tob. 2. 21. Tobiæ unicus filius erat, spes una stirpis: quem licèt tenerrimè amaret; nihil tamen minùs cogitabat; quàm illicitis eum artibus ditare. Cùm hœdum aliquando domi suæ balantem audiret, mox exclamavit: *videte &c.* Quidquid præterea necessario familiæ victui subtrahere poterat, summa charitate in egenos, incarceratos, pupillos largitus. Curas filio de se ut eximeret, vocatum ità solatus, *noli timere, fili mi- pauperem quidem vitam gerimus &c.* Tob. 4. 23. An inania hæc promissa? Brevi filius selectissimam sponsam, dotem largam, affinitatem honoratam, hæreditatem amplissimam, nactus. Sic monere filios deberent parentes. *Meliùs est modicum justo super divitias peccatoris multas.* Ps. 36. 16. Segneri s. 13. die Merc. D. 2. Quad.

Retulit triginta argenteos. Matth. 27. 3. Suspecta salus illius est, qui injustè pecuniam acceptam non in præsenti restituit; sed protrahit, usque dum mortuus sit. Heu! quàm mihi ferè faliuntur? cùm ab ipso Juda, omnium avarissimo, condemnentur: qui nihil priùs ante mortem statuit; quàm pecuniam refundere. Baeza t. 1. l. 4. c. 3. §. 6.

Reddo quadruplum. Luc. 19. 8. Non dixit, dabo dimidium, & reddam quadruplum; sed, *ecce do, & reddo*. Audierat enim Salomonis admonitionem: *nè dicas, rediens redi, & cras dabo.* Christus evangelizat ei salutem: hodie das; hodie tibi & salus. Theophylactus hìc. *Reddo*, non in longa tempora cogitationem differo; non ad testamentum remitto; sed jam solvo, & restituo. Baeza ante cit. Quis docuit Zachæum, alienæ pauperum fortunæ raptorem, restituere? S. Chrysost. s. de publ. confitetur fraudes: ipse se judicat, ipse se condemnat: non vult apud se rapinarum quidquam residere; ut possit Judici Christo placere. Formidabat districtam examinationem Domini fraudulentus egenorum exactor: ideo hìc donis placatum inveniri cupit Judicis vultum. Arcones in Is. 3. 13. Dis. 2.

Pauperi mulieri cùm unicum porcellum lupus rapuisset, confestim accurrit S. Blasium, ut illum à lupo sibi restitui præciperet: quod & factum. O duritiam nostram! virtus S. Blasii novit cor lupi ferocissimi ad restituendum porcellum; & tu fur, latro, non ex præcepto Blasii, sed Dei, non vis restituere furtum? S. Vinc. Ferr. s. de S. Blasio.

Narrat author vitæ S. Annonis Ep. Colon. Surius tomo ult. l. 2. c. 14. muscam, dum S. Antistes ad aram faciebat, particulam hostiæ consecratæ furatam evolasse. Verùm illam precibus, & lacrymis S. Annonis compulsam, cum stridore revolantem, super patenam retulisse; &, in temeritatis suæ pœnam, seorsum super altare exanimem corruisse.

§. III.

Non restituere, noxium, periculosum.

Achan-tulit aliquid de anathemate. Jos. 7. 1. Illicitis artibus ditare suos volebat Achan; dum, contra Dei vetitum, aurum inter spolia Jericho sublegit: unde & ipse, & familia tota flammis absumpta est. v. 25.

Vinea erat Naboth Jezrahelitæ &c. 3. Reg. 21. 1. Iniquis modis ditare suos voluit Achab, dum vineam. Nabotho injustè rapuit. Propterea violenta morte periit, stirpe ejus tota excisa quindecim annorum spatio. 4. Reg. 10. 17. *percussit qui reliqui fuerant omnes de Achab.* Cur ergo ad amplificandas familias vestras: iis artibus utimini, quibus eas destruitis? An creditis, illas irato Deo stabilem ætatem laturas; qui familias tam copiosas, & potentes, in nihilum redegit? Cùm fabricam molimini; non hyeme ædificatis sed ver, æstatem, expectatis: quia ædificia hyeme erecta ætatem non ferunt: frigore enim calx enervatur; unde lapides firmiter hærere non possunt. Eccl. 21. 9. *qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* Segneri s. 13. D. 2. Quadr.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. Ps. 48. 6. S. Chrysost. hìc: qui timebo in die malo? unum tantum: nè fortè vitæ meæ, & vitæ iniquitas me circumdet, scit, Scripturam fraudem vocare calcaneum. Theodoretus: calcaneum aliqui iter vitæ nuncuparunt: ego verò opinor, fraudem significare: ex translatione eorum, qui currunt; qui calcaneo sæpius adversarios deiiciant. Juxta hos Patres David, super omnes improbitates, iniquitatem calcanei, fraudis, & direptionis pauperum, adstruit, à principibus, & dynastis, pertimescendum. Arcones in Is. 3. 13. Disc. 2.

Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo &c. Dan. 4. 34. Cur nihilominus ejus dubia salus est; quem, post actas Deo gratias, peccasse nescimus? imò plerique affirmant, cœlo exclusum? audi causam Dan. 5. 2. - *quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo.* Cantica facilè concinnantur; sed injustè ablata non facilè redduntur. Etiam Achab 3. Reg. 21. 27. respersus cinere jejunavit: non tamen Nabothi vineam, quam innocentis cruore rapuerat, restituit hæredibus. Sic etiam Antiochus fatetur, se mori ob sublata è templo vasa. 1. Machab. 6. 12. non tamen ea reddi curavit. Cinis, & saccus, etiam in rege spectantur; at rapinæ nec in favilla, & cinere expiantur. Oliva libr. 3. Strom. §. Nunc igitur.

§. IV.

Restituendi motiva varia.

Ejice ancillam hanc, & filium ejus. Gen. 21. 10. Plerique negotiari desinunt, quòd illinc infectos se videant rapinis, & dolo. Mercatura abrupta est, gaudeo, quòd Agar exulet; Ismael verò cur non exulat; lucrum illud, imò rapina illa, cur in arca concluditur? Zachæus non modò desiit esse publicanus; sed & fraudes in quadruplum reddidit. Oliva l. 4. Strom. §. Ejice.

Mane Thecel Phares. Dan. 5. 25. Vigili si mente notares; rapta restaurares, & meliora dares. Broymard. Rapina.

Filiæ Sion exultate - quia dedit vobis doctorem justitiæ, & descendere ad vos faciet imbrem matutinum. Joel. 2. 23. Quæ consequentia est? *dabit doctorem vobis, - & vino torcularia redundabunt?* Monitos nos vult: justitia meliùs, quàm cultura, seri arbores, messemque comparari. Non enim Ceres, sed Astræa, campis excubat: quos libra feliciùs sarrire, quàm rastro, potes. Cœlum agri tui, sanctitas, aut scelus est. Si æquus es, rorasti; si perfidus, fulgurasti. Oliva lib. 1. Strom. §. Exultate.

Beati, qui esuriunt justitiam; beati misericordes. Matth. 5. 6. 7. Nota ordinem verborum: priùs nos ad justitiam accingit, & ad ea reddenda, ad quæ ex justitia obligamur, dum mandat misericordiam. S. Chrysost. hom. 35. in Matth. par erat, ipsum, qui injuriam passus est, misericordiæ opere juvare: nunc verò alios cædis; & quos non cædis, curas: cùm æquum sit, illos curare, quos sauciasti. Pinna Eth. 222.

Meliùs est, rem familiarem minui, quàm salutem animæ perire. Meliùs est sponte dimittere; quàm id admittere, pro quo omnia dimittenda sunt. S. Hieron. ep. 11.

Vide Avaritia.

T I T U L U S XIII.

RESURRECTIO CHRISTI.

§. I.

Figuræ, Vaticinia, Symbola.

Ex Veteri.

Putabam nos ligare manipulos. Gen. 37. 7. S. Ambros. l. de Joseph cap. 2. in quo Resurrectio Domini revelata est, quem & in Galilæa cùm vidissent, undecim adoravere Discipuli; & omnes Sancti, cùm resurrexerint, adorabunt, fructus bonorum operum proferentes.

Quærit Isidorus Clarius, cur quadraginta diebus post Resurrectionem Christus in terris manserit? & respondet: quia & ipse suum Pascha habuit, sive transitum. Sicut ergo post exitum ex Ægypto Ex. 16. 35. populus Hebræorum, priùs quàm in terram promissam, qua in cœlum ingressus per credentes in Christum faciendus significabatur, ingrederetur, quadraginta annis in deserto moratus est: sic Dominus, cujus mors, atque resurrectio ex mortuis, exitus è Mundo, quasi ex Ægypto, fuit; ut figuræ responderet, diem pro anno, qui mos scripturæ est familiaris, accepit l. 1. or. 3.

Et messueritis segetem &c. Levit. 23. 10. Manipulus spicarum significat Christi Resurrectionem. Unde & altare Sabbati paulò post immolatum Phase offertur: quia duo hi fuere Christi dies; unus Passionis, alter Resurrectionis. Cornelius hìc.

Invenit germinasse virgam Aaron. Num. 17. 8. Virga post ariditatem virescens, Christus post mortem resurgens: ipsum enim florem, ipsam virgam intelligimus; ut in virga potestas regnantis, & in flore pulchritudo monstretur. V. Beda hìc. Christus in Paschate instar amygdali primò floruit, id est, primò resurrexit: ipse enim, primitiæ Resurrectionis. S. Gregor. mor. l. 14. c. 29. Apud Cornelium hìc.

In Josue gloriam resurgentis, cœlumque ingressi triumphum sumus celebraturi; qui nos in terram viventium introduxit; ubi prior ingressus jam non moritur. S. Rupertus Abb. l. in Jos. 1.

Dor-

Dormivi, & soporatus sum &c. Ps. 3. 6. S. Ambros. s. 57. tridui tantùm temporis spatio, non tam in sepulchro Christus jacuit mortuus; quàm, velut in lectulo dormiens, requievit. Ipsa enim temporis brevitas declarat; somnum potiùs fuisse, quàm mortem. S. Leo s. 1. de Resurr. tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo, quàm mortis. Barradius t. 4. l. 8. c. 4. Dom. Pasch.

Ego autem sum vermis. Ps. 21. 7. Titulus hujus Psalmi: *in finem pro suscepcione matutina.* S. Hieron. ep. 139. & q. 9. ad Helvidiam legit: *pro assumptione matutina*, & addit: matutina assumptio Resurrectionis Dominicæ, & Ascensionis ad Patrem, significat Sacramentum. De Phœnice Petrus Dam. opusc. 52. c. 11. scribit: quòd Sacerdos Heliopolcos, post phœnicis ferale bustum, cineres curiosè perscrutans; invenit vermiculum valdè pertenuem, sed eximii odoris suavitate flagrantem. Secundo die rediens, reperit eum, aviculam, per plumas, & alarum remigia figurantem. Applicat hæc Christo, qui priùs reperitur esse vermiculus, deinde phœnix plumefacta, & in aerem, alarum remigiis armata, sustollitur. Arcones in Is. 4. 2. Disc. 1.

Ad vesperum demorabitur fletus. Christo scilicet moriente; *& ad matutinum lætitia*, ipso resurgente. Ps. 29. 6. Sim. Cass. l. 14. de Resurr. Salvat.

Exurge gloria mea! exurge psalterium, & cythara. Psal. 56. 9. Quid sumus nos, nisi magni Musici Dei quædam instrumenta? unde & in citharis, & in organis, quæ profectò corda, & corpora nostra sunt, Dominum laudare jubemur. Ipse quoque Dominus noster Musicum Dei Patris maximè instrumentum est; cui dicit idem Pater, dum secundùm corpus in sepulchro jacet: *exurge &c.* S. Rupertus Abb. l. 1. in c. 1. Joan. Quod erat illud psalterium, vel quæ cithara? unum, idemque, corpus in sepulchro quiescens erat Psalterium, erat cithara. Erat cithara, quam distentis charitatis fidibus personantem, dulcesque prædicationis sonos modulantem, Judæi confregerunt. Rupertus de Vict. Verbi Dei lib. 12. cap. 27.

Renovabitur ut aquilæ juventus tua. Ps. 102. 5. Unam, & solam, aquilam Christum rectè dixerim, cujus juventus renovata est tunc, cùm à mortuis resurrexit. S. Maximus hom. 5. in festo Paschæ.

Tria sunt mihi difficilia &c. Prov. 30. 18. *Via aquilæ in cœlo fuit* Christus in Ascensione. *Via colubri in* Resurrectione; quia coluber in petra renovatur. *Via navis in mari*; in Passione. *Via viri in adolescentia*; in Incarnatione. S. Bonaventura in hexam. serm. 8.

Botrus Cypri. Cant. 1. 13. Qui fuit *fasciculus myrrhæ* in amaritudine Passionis; ipse est *botrus Cypri* in dulcedine Resurrectionis. Myrrha trisificat; vinum lætificat. S. Isidorus hìc. Ideo intelligitur hìc Resurrectio: quia *viso Domino* post Resurrectionem *quasi sunt* Discipuli. - Tu dilectus Meus, non solùm es mihi botrus Cypri, lætificans animam per Resurrectionem; sed etiam es mihi botrus in vineis Engaddi, id est, botrus balsami: quia, secundùm Glossam, in Engaddi sunt odores balsami crescentis in modum vinearum &c. S. Thom. Aqu. hìc.

Sicut lilium. Cant. 2. 2. Eucherius in l. 3. Reg. Christus lilium, propter gloriam Resurrectionis: foris candidum, propter gloriam corporis; intus verò aureum, propter fulgorem animæ.

Revertere, similis esto &c. Cant. 2. 17. id est; diluculo resurge, valde manè, plena luce reparationis nostræ; inclinatis, atque destructis, umbris mortalitatis nostræ. S. Rupertus hìc l. 2. Quasi diceret: eja dilecte mi! qui à Mundo isto visibili per mortem recessisti, revertere citissimè ad vitam; resurge à mortuis &c. De Ponte hìc. Exhort. 29. §. 1.

Vadam ad montem myrrhæ. Cant. 4. 6. Ascendam Jerosolymam; & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt de me: tradar enim gentibus &c. Hoc erit *ire ad collem thuris*. S. Rupertus hìc l. 3.

Dilectus meus candidus, & rubicundus. Cant. 5. 10. Rubicundus in Passione, candidus in Resurrectione. S. Hieron. in Jer. 63.

Ex Novo.

Facto vespere &c. Matth. 16. 2. Per vesperum, in quo cœlum rubicundum est, Passio Christi significatur, proprio sanguine rubicunda: matutina serenitas significat gaudium Resurrectionis. Hugo Card. hìc.

Obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Luc. 24. 42. Piscis assus fuit Christus in Passione; assatus in ara crucis igne tormentorum, & dolorum: favus mellis est in Resurrectione: totus enim suavis, & dulcis apparet. Hugo Card. hìc.

Mulier, cùm parit, tristitiam habet &c. Joan. 16. 21. Appositè Christus Passionis, & mortis suæ, tempus comparat parturitioni; Resurrectionem verò gaudii post partum: Christus enim in Passione cruciatus fuit doloribus, & angoribus, instar mulieris parturientis; at, peracto partu, cùm se merito mortis suæ resurgentem vidit; nosque similiter resurrecturos cognovit; mirè gavisus est, & magno gaudio Apostolos, & omnes Fideles perfundit. Cornelius hìc.

Stella splendida, & matutina. Apoc. 22. 16. Christus lucida illa, & matutina, stella est: ut qui, post triduanam mortem, manè nobis exortus fuerit: nec non, post præsentis vitæ noctem, in matutina communis Resurrectionis hora, Sanctis omnibus conspicuum sese exhibebit; diem, qui nunquam habiturus est finem, certò adducturus. S. Andreas Cæsar. s. 27. hìc. Christus vivus apparens post mortem, matutina nobis stella factus est: quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequentem indicavit. S. Gregor. mor. l. 29. c. 17.

Sol.

Sampson interpretatur *sol eorum*: & significat Christum: quia etiam corpore sole clarior fuit in Resurrectione. S. Bonavent. s. 5. in Resurr. Dom.

Valde manè - orto jam sole. Marci 16. 2. Fortè Marcus solis nomine, literali hoc sensu, Christum intellexit, id est, post veri solis Christi resurrectionem. Barradius hìc tom. 4. lib. 8. cap. 1.

Sol. Lem. *Occidit oriturus.* Vel: *Vadam, ut revertar.* Oritur ex Deipara Maria secundùm carnem; occidit autem, ad Inferni ima descendens: sed & rursus exoritur à mortuis resurgens. Olympiodorus in Ecclæ. l. 5. de Christo mystico sole. Picinelli.

Leo.

Facies leonis. Ezech. 1. 10. Significat fortissimam, & invictam virtutem Resurrectionis Christi. S. Rupertus lib. 13. hìc.

Christus significat in homine, vitulo, leone, aquila. Apoc. 4. 7. Est homo nascendo; est leo resurgendo; est vitulus patiendo; est avis alta petendo. S. Bonavent. s. 5. in Resurr. Dom.

Qui agnus extiterat in Passione, leo factus est in Resurrectione. S. Bernardus s. 14. ex brevibus.

§. II.

Resurrectio Christi Mundo læta, solatiosa.

Fiat lux; & facta est lux. Gen. 1. 3. Die Dominico dixit Deus. Eadem die dixit: fiat lux in corpore meo mortuo; & facta est vitæ lux in illo. Dixit quoque, fiat & lux lætitiæ in cordibus meorum Discipulorum; & facta est lux lætitiæ in cordibus eorum; quæ omnes depulit mœroris tenebras. Hac item die dixit: fiat lux gratiæ in animabus, peccata sua ritè confitentibus: & facta est; fiatque gratiæ lux super eos, qui delicta sua confessione expiant: nam die Dominica confessionem, delictorum expiatricem instituit. Joan. 20. 22. Barradius t. 4. l. 8. c. 4.

Nuntiaverunt ei dicentes: Joseph filius tuus vivit. Gen. 45. 26. *quo audito &c.* Nuntiaverunt mihi dicentes Jesus Deus meus vivit &c. Sufficit mihi, si Jesus vivit: si vivit, vivo; cùm de ipso pendeat anima mea; immò ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid enim mihi deesse poterit, si Jesus vivit? Immò desint alia; nihil interest mea; dummodò Jesus vivat. Guarricus s. 1. de Resurr.

Tempus flendi, & tempus ridendi. Eccl. 3. 4. Tempus gaudii, & tempus mœroris, ait Ecclesiastes. Mœror abiit; gaudii tempus advenit; verum gaudium, quod de Christi Resurrectione provenit. S. Amedeus Ep. h. 6.

Surgam, & circuibo civitatem, per vicos, & plateas; quæram, quem diligit anima mea. Cant. 3. 2. Sponsum, mortis victoria, ac inferorum, strage, gloriosum sponsa, amoris stimulis agitata, diligenter perquirit; & absentiam non ferens, prodit in publicum. Sed cur in vicis, & plateis, quærit? quem toto credit Resurrectionis splendore perfusum? S. Bernardus in Cant. 5. arbitrata est, egressum de tumulo, publicum mox petiisse: ut solitò doceret populos, ac sanaret infirmos; & ut manifestaret gloriam suam in Israel. Naxera in Jos. 7. §. 19.

Ego sum resurrectio, & vita. Joan. 11. 25. Syr. ego sum *consolatio*, & vita. Syri enim resurrectionem vocant consolationem: quia illa hominibus in hujus vitæ desolatione summa est consolatio animæ, & corporis. Cornelius hìc.

In Resurrectione Christi elementa omnia gloriantur: nam & solem ipsum arbitror in hac die esse solitò clariorem. Necesse est enim, ut sol in ejus Resurrectione gaudeat; in cujus Passione contulit: & tanquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ, modò corruscet in Resurrectionis obsequium. S. Ambros. s. 52. in die S. Paschæ.

Per suam Resurrectionem Jesus populo requiem comparavit: requies enim in cœlo, non in terra est. Requies nostra Dominus est Jesus; qui ait: *hodie mecum eris in paradiso*. Luc. 23. 43. S. Ambros. ep. 39.

Chri-

Christus resurgens, afflictos, oppressos, & constrictos, non dimittet. Pauperes amplectimini vestram nutricem. S. Greg. Nyss. or. 3. de Resurr.

Verisimile est, animas ex limbo eductas, in paradiso terrestri permansisse, Christumque in eodem dies, noctesque, transegisse. Sic Anselmus in Elucidario, & S. Bonav. in vita Christi c. 81.

Sol, qui per tres horas, ut Domino compateretur, abscesserat; claritate, cùm resurgeret Dominus, ante tempus occurrit. S. Chrysol. s. de Resurr.

§. III.

Resurrectio Christi causa, & spes nostræ resurrectionis.

Veniunt ad monumentum, orto jam solo. Marc. 16. 2. Hora Resurrectionis Christi fuit in aurora; Resurrectio enim Christi est initium universalis resurrectionis omnium corporum; sicut aurora initium est diei. Cajet. hìc.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. 15. 5. dixit Christus; cùm jam propè esset, ut ex hoc Mundo transiret ad Patrem. Et siquidem hæc vitis gloriosa apparuit, certissimè glorificabuntur cum ea veri, & virides ejus palmites. Diez Dom. Resurr.

Primitiæ dormientium. 1. Cor. 15. 20. factus: ut omni carni ad resurrectionem iter aperiret. S. Greg. Nyss. de perfectione Christiani.

Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. 1. Petr. 1. 3. Mortuus est, nè nos mori timeremus: resurrexit ex mortuis, ut & nos per eum resurrecturos esse speremus. V. Beda hìc.

Dominicæ Resurrectionis sacra dies, bonorum dierum mater. S. Thom. Vill. l. de die Resurr.

Non tantùm ad fidem plantandam; sed etiam ad spem nostram erigendam, decuit Christum resurgere: ut, quod in Christo jam factum credimus, in nobis aliquando futurum, non dubitemus: si enim radix vivit, vivificabuntur, & rami. - Resurrectio Christi, resurrectionis nostræ exemplar, & causa est. Id. s. 2.

§. IV.

Resurgentis Christi apparitiones.

Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Matth. 28. 4. Drogo Ost. potestas tenebrarum lucem non sustinens, ad nuntium vitæ *facti sunt velut mortui*. q. d. cùm vita resurgit, cùm immortalitas mortalibus nuntiatur; tunc morti traduntur miseri: & vitalis lucis aspectu, lethalibus infausti tenebris involuntur. Scilicet impii erant, dæmonis milites, & in potestate tenebrarum. Ramirez Apoc. 2. in ep. 3.

Maria stabat ad monumentum foris plorans. Joan. 20. 11. Prima huic bono (apparitionis post Resurrectionem) digna justificata est quondam peccatrix Maria: quæ nimirum crucem, & pœnarum ejus insignia memori mente gestabat: & vel talem videre sitiens, qualem sepulchri locus susceperat; eo non invento flebat; Discipulisque recedentibus ipsa non recedebat; sed plorans stabat. Prima ergo hæc digna æstimata est, quæ flentibus oculis gaudium videret, gaudium tristibus Apostolis annuntiaret. Sanct. Rupertus lib. 2. de oper. Spir. Sanct. c. 27.

§. V.

Resurrectionis dies festus.

Cum esset dies festus. Tob. 2. 1. Scilicet Resurrectionis. Dicet aliquis: nonne dies nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Pentecostes, sunt dies festi Domini? Dico, quòd sic: sed dies Resurrectionis est magis propriè dies Christi: quia dies quietis; dies Nativitatis fuit dies laboris. S. Vinc. Ferr. s. 2. Dom. 20. Pent.

S. Ignatius M. ep. 3. ad Magnesianos, Dominicam Resurrectionem vocat Regalem, eminentissimam omnium dierum.

Inter omnes dies, quos multis modis honorabiles habet Christiana devotio, nullus est excellentior festivitate Paschali. S. Leo s. 10. de Quad.

Hæc nobis festivitatum festivitas, & celebritatum celebritas; tantò cœteris omnibus antecellens, quantò sol stellis antecellit. S. Greg. Naz. or. 42. in Pasch.

Hæc dies vocata sancta; hæc una Sabbatorum; regina, ac domina, festorum festum, & celebritatum celebritas. S. Joan. Damasc. de Dom. Pasch.

§. VI.

Varia in Resurrectione Christum concernentia.

Filius hominis tradetur &c. Matth. 20. 18. quasi dicat ò mea caro! quàm atrociter habebis ab hominibus! at *tertia die resurget.* Perfer ergo, & obdura: triduo enim, postquam hæc sustinueris, tam elegans suscitaberis, tam pulchra prodibis; ut sis horrori inferis, tormento dæmoniis, stuporis tuis hostibus, solatio meis Discipulis, gaudio cœlis, jubilo terris, levamini afflictis futura. Did. Nyss. in festo Resurr. D. § 3.

Non bibam de hoc genimine vitis &c. Marci 14. 25. Patris regnum, suam appellat Resurrectionem, per hanc enim, & ipsi regnum obvenit, & cœteris hominibus ejusdem regni societas obtigit. Vict. Antioch. hìc.

Resurrectionis gloriæ sepelivit morientis injuriam. S. Chrysol. s. 75.

Veris tempore Deus condidit Mundum - Filius Dei, per quem facta sunt omnia, eodem die, eodemque tempore, prostratum Mundum propria resurrectione resuscitat; quo eum priùs creaverat ex nihilo: ut omnia reformarentur in Christo, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra. S. Gaudentius tr. 1. in Exod.

§. VII.

Varia in Resurrectione homines concernentia.

Avete. Matth. 28. 9. Oportebat primùm muliebrem sexum ab Angelo bonum Resurrectionis accipere nuntium, & Dominum videre, & primam ab eo vocem audire, *avete*: quoniam mulier prima quoque audiverat fraudem serpentis. S. Greg. Nyss. or. 2. de Resurr. Ambigere aliquis non injuria poterit: quamobrem Discipulis; Petro, dico, atque Joanni; Angeli non apparuerunt? mulieri autem, & apparent, & loquuntur: Resp. Discipulos rerum exitus Scripturæ, Christique prædicationibus conveniens, ad firmissimam fidem induxit. Supervacaneum igitur erat, firmiter credentes voce Angelorum doceri. Mulieri autem penitus necessarium, quæ nec litteras sciret, nec alio modo, sublime Resurrectionis mysterium percipere posset. S. Cyrill. l. 12. c. 46. in Joan.

Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi. Act. 4. 33. *vendentes offerebant pretia.* v. 34. Ad unum evibratum Resurrectionis jubar, pecuniæ mox omnes projectæ, & conculcatæ. Miraberis ferrum non timeri: plus miror, aurum non amari. Jerosolymis & cædi optabant, & ditari negligebant Christiani: facti, exemplo Christi, de sua resurrectione securi. Mors auri resurrectio est. Oliva s. 3. Pasch.

Moriendum est diabolo, & vivendum Deo: deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur. Occumbant vetera, ut oriantur nova. S. Leo s. 9. de Pass. D.

Mors Christi exemplum fuit, ut peccato moriamur: & Resurrectio ejus exemplum fuit, ut justitiæ vivamus. Innocentius P. III. de Sacr. alt. myst. l. 4. c. 35.

T I T U L U S XIV.

RESURRECTIO HOMINUM.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Florete flores quasi lilium. Eccl. 39. 19. Anagogicè noster Pineda lib. 6. de reb. Salom. cap. 5. hæc verba Syracidis refert ad gloriam, & jubilum beatorum in cœlo. Lilium enim est symbolum stolæ candidæ, resurrectionis, & dotis claritatis. Unde Angeli post Resurrectionem Christi, ut eam sua specie adumbrarent, apparuerunt in vestibus liliatis, id est, candidis, & splendidis. Matth. ult. v. 3. & Marci ult. cap. 5. Hinc Sanct. Hilarius in Matth. 6. 28. docet, lilia esse Symbola Angelorum, & Angelicæ claritatis. Hinc & in officio Ecclesiastico Martyribus accinit Ecclesia: *Sanctorum velut aquilæ juventus renovabitur; florebunt sicut lilium in civitate Domini.* Et tempore Paschali: *Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te. Alleluja.* Cornelius hìc.

Evomuit Jonam in aridam. Joan. 2. 11. Jonas non verbis Dominum prædicavit, sed passionibus imitatus expressit: non vocibus sepulchrum Dominicum prænuntiavit; sed in ceto sepultus, & post triduum sine noxa redditus, cunctos docuit mortales, immortalitatis januam esse mortem; ac de sepulchro vitam erumpere. S. Basil. Sel. or. 2. in Jon.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Matth. 9. 6. Anagogicè: dicet in Resurrectione Dominus: *surge* à mortuis; *tolle lectum*, idest, corpus gloriosum, *& vade in domum tuam*, idest, æternam mansionem. Corn. hìc.

In re-

In regeneratione, cùm sederit Filius hominis &c. Matth. 19. 28. Si carnis nostræ resurrectio quasi quædam nativitas non esset; de ea veritas non dixisset: *in regeneratione &c.* S. Greg. mor. l. 4. c. 21.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua &c. Matth. 21. 8. Beatus ille introitus designatur per pueros Hebræorum: designatur per eosdem resurrectio dormientium beatorum. Quid denuntiant egressi de domibus pueri? nisi Fideles egressuros de sepulchris? Quid occursu eo declaratur? nisi quod ait Apostolus: *nos, qui vivimus &c.* 1. Thessal. 4. 14. Erimus quidem cum Domino; sed si nos Dominus, non Spiritu, sed malitia, pueros invenerit; si palmas in manibus, si flores inspexerit. Rami palmarum signum victoriæ sunt; in floribus virtutum jucunditas ostenditur. Hildebertus Turon. s. de Resurr. humana.

Postquam consummati sunt dies octo. Luc. 2. 21. Per octavam diem resurrectio figuratur. Sanct. Laur. Justin. s. de Circumcis.

Ut gustavit - aquam vinum factam. Joan. 2. 9. Cùm ex illa vili aqua vini optimi saporem voluit gustare convivas, magis voluit ex hac vili carne Resurrectionis cœlestis sapientiam gustare Credentes: nam hoc signum totum utique Resurrectionis mysterium continet. Aqua enim vilis, pallens, & frigida, in vinum versa, scilicet pretiosum, rubrum, vel ignitum, hoc significat: hominis substantiam conditione vilem, imbecillitate pallentem, morte frigentem; in Resurrectionis gloriam commutandam: quæ est æternitate pretiosa, gratia colorata, Spiritu immortalitatis ignita. S. Ambros. s. 19. de Epiph.

Lazare veni foras. Joan. 11. 43. Magna vox Salvatoris, qua Lazarum suscitat, symbolum est magnæ tubæ, quæ sonatura est in communi resurrectione. Theophyl. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Dormire morti simile est; evigilare resurrectioni simile est. S. Aug. s. 120.

Videbis corporeum hoc amiculum, quòd cùm morte dissolutum fuerit, ex iisdem rursus contexi, atque componi, non hac crassa, gravique textura, sed aeream tenuitatem, atque subtilitatem, filo reconcinnato, atque refecto: ut & adsit tibi, quod diligis, & in meliori, atque amabili magis, pulchritudine denuò restituatur. S. Greg. Nyss. dial. de anima, & resurrect.

Tempus, ut cùm ver Dominici adventus arriserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas vitalem resurgat in messem, nescituram jam finem, nescitura canitiem, non passura falces, nec flagella censuram. S. Chrysol. s. 130.

Inter omnia Resurrectionis Symbola, quæ vera sunt, nullum similius argento vivo: hoc enim, si manu deducas in minutissimas partes, mox ut eas rursus manu conjungis, in pristinam formam redeunt. Corn. in Ezech. 37. 3.

Miscellanea.

Multa corpora Sanctorum, qui dormierant &c. Matth. 27. 52. Quæres, an hi sancti, post resurrectionem rursum sint mortui? & ad sua monumenta redierint? an verò manserint vivi, & gloriosi perpetim? Aliqui censent eos rursum esse mortuos. Ità Theophylactus, Euthymius &c. Veriùs alii censent, Sanctos hos non ampliùs mortuos, sed resurrexisse ad vitam immortalem: tum quia hoc decebat Christum; ut fructum mortis, ac resurrectionis suæ, statim ostenderet in beata hac Sanctorum resurrectione: tum quia animæ horum jam erant beatæ; ac proinde par erat, eas non uniri corporibus, nisi gloriosis, & immortalibus. Porrò quinam hi Sancti fuerint, qui cum Christo resurrexerunt, non planè liquet. Verisimile est imprimis eos fuisse, qui peculiarem ad Christum relationem, vel parentelæ, vel promissionis sibi factæ, vel typi, & figuræ habuere: uti fuere Adam, Abraham, Isaac, Jacob, Melchisedech, David, Job, Jonas, Moyses, Josue, Samuel, Isaias, Jeremias, Ezechiel, aliique Prophetæ. Cornelius hic.

Viderunt juvenem. Marci 16. 5. Vident juvenem; ut cernerent nostræ Resurrectionis ætatem: vident juvenem, quia nescit Resurrectio senectutem; neque ætates recipit æterna perfectio. S. Chrysol. s. 82.

Tabitha surge. Act. 9. 40. Cùm Deo sint omnia præsentia; ille, qui moritur, si iterum suscitandus ad vitam, non accipit sententiam finalem: nec est in cœlo, nec in inferno, nec in purgatorio: sed ejus anima, tamquam in deposito est, in certo loco à Deo ordinato. Sylv. hic.

Canet tuba. 1. Cor. 15. 52. Quæ est ista tuba? quæ inferis infert bellum, sepulchrorum resolvit moles, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem perpetem dat triumphum: quæ est? illa, quam Dominus dixit Joan. 5. 25. *mortui audient vocem Filii Dei.* S. Chrysol. s. 103.

Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum. Tertull. l. de resurr.

Excitabimur, æterna habentes corpora; omnes autem similia. Sed si quis est justus, corpus accipiet cœleste, ut possit cum Angelis dignè conversari. Si verò peccator est, accipiet corpus æternum, quo sufferre possit pœnas peccatorum: ut perpetuò in igne ardeat, & numquam dissolvatur. Et justè utrisque his ordinibus Deus hoc præbebit: nihil enim sine corpore à nobis gestum est. Blasphemamus per os, oramus per os; expiamus per os: luxuriamur corpore; casti sumus per corpus: rapimus per manum: eleemosynas damus per manum &c. Cùm igitur in omnibus cooperetur corpus, etiam in futuris fructum ejus percipiet. S. Cyrill. Jerof. Cat. 18.

T I T U L U S XV.

R E X.

§. I.

Christus D. Rex noster.

Ex Veteri, & Novo.

Cumque sederem quasi Rex. Job 29. 25. Quasi Rex sedet Dominus in corde: quia præsidentem mentibus electorum circumstat eum turba virtutum. Hugo Card. hic.

Intende, prosperè procede, & regna. Ps. 44. 5. actutum subjunxit: *propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam.* Manifestè per hæc docens veritatem, mansuetudinem, & justitiam, ejus esse pulchritudinem, potentiam, arma, & victoriam. B. Theodoretus hic.

Neminem diligit nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. S. Aug. legit. anima justi sedes sapientiæ. Sap. 7. 28. Omnes homines, qui benè vivunt, qui benè agunt, secundùm charitatem piam conversantur; nonne Deus in illis sedet, & ipse jubet? Obtemperat anima sedenti in se Deo, & ipse jubet membris. Anima enim tua jubet membro tuo, quò auris, & jubet ipsa membris tamquam famulis suis; sed & ipsa servit interiùs insidenti sibi Domino suo. S. Aug. hic.

Spiritus Domini super me &c. Isa. 61. 1. Ubi? vel quando, Dominus unxit me? quando concipiebar; in matris utero unxit me Dominus. Illic Dominus in Regem unxit me; in Regem, inquam, & in Sacerdotem quoque illic Dominus unxit me. S. Rup. hic.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. Idest, in familia Jacob, quæ est congregatio electorum; in quibus regnat hic per gratiam, in futuro per gloriam! Hugo Card. hic.

Tu es filius Dei, tu es Rex Israel. Joan. 1. 49.

Regem vestram crucifigam? Joan. 19. 15. Offerebat ille (Pilatus) Regem Filium Dei: *ecce Rex vester*: illi ad hominem recurrebant: *non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Digni, qui illum haberent, & istum non haberent. S. Aug. in Ps. 63.

Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Joan. 19. Novus Rex, nova lex: novus Dux, nova lux. Fractis prioribus tabulis, & silice ad silicem comminuto, novis subscriptionibus figit titulum, & dictat pietas, & discernit omnia charitas. Scribitur tribus linguis insignibus, Hebraica, Latina, & Græca, Regnum Christi: & dominatio ejus emanatura in gentes, Cruci insculpitur; nec corrumpere Pilatus, quod scripserat voluit. Jam ad hanc sculpturam, latro crucifixus pertinebat, ut eum intrà se illæ literæ colligebant. Arnold. Carnot. tr. de 7. verb. in Cruce.

Ex Patribus.

Tam Filio Dei, quàm Anti-Christo, regnandi studium est. Sed Anti-Christus regnare desiderat, ut occidat, quos sibi subjecerit: Christus ad hoc regnat, ut salvet. Duo ergo Reges certatim regnare festinant: peccati Rex peccatoribus diabolus; Justitiæ Rex justis Christus. Origenes hom. 30. in Luc.

Hoc est maximum, & maximè regium, Dei opus; humanam servare naturam. Clem. Alex. pedag. l. 1. c. 12.

Quasi Rex Dominus sedet in corde: quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. Sive certè quasi Rex sedet circumstante exercitu: quia præsidentem illum mentibus electorum circumstat turba virtutum. S. Greg. mor. l. 20. c. 7.

Quomodo de interiori palatio, quidquid jusserit Imperator, per imperium Romanorum emanat; quidquid videtis agi per provincias: quantus motus fit ad unam jussionem Imperatoris intus sedentis. Movet solùm ille labia, cùm loquitur; & movetur, omnis provincia; cùm fit, quod loquitur. Sic & in unoquoque nostrum intus est Imperator; intus in corde sedet. Si bonus bona jubet; bona sunt: & si malus mala jubet, & mala fiunt. Cùm ibi sedet Christus, quid potest jubere, nisi bona? Cùm possidet diabolus, quid potest jubere, nisi mala? In tuo autem arbitrio te Deus esse voluit; cui pares locum; Deo, aut Diabolo. Cùm paraveris, qui possidebit, ipse imperabit. S. Aug. in Ps. 148.

Re-

Regnet Christus in nobis; non regnet peccatum in corpore nostro. Cor regis in manu Dei. Simus reges; imperemus corpori nostro, & subjiciamus illud, & cor nostrum sit in manu Dei. S. Hieron. in Psal. 145.

Venit avaritia, & vendicat in me sibi sedem: jactantia cupit dominari mihi: superbia vult in me esse Rex: luxuria dixit, ego regnabo: ambitio, detractio, invidia, & iracundia, certant in meipso; cujus ego potissimum esse videar. Ego autem, quantùm valeo, resisto; renitor, quantùm juvor; Dominum meum Jesum reclamo, ipsi me defendo: quia ipsius me juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico: non habeo Regem, nisi Dominum Jesum. S. Bern. hom. 4. sup. Miss.

§. II.

Sancti tres Reges.

Alia venerunt via Magi, alia redeunt. Qui enim Christum viderant, Christum intellexerunt: meliores utique, quàm venerant, revertuntur. Duæ quippè sunt viæ: una, quæ ducit ad interitum; alia, quæ ducit ad regnum. Illa peccatorum est, quæ ducit ad Herodem; hæc Christus est, qua reditur ad patriam. S. Ambros. in Luc. 2.

Postquam anima istum dulcissimum Puerum per gratiam spiritualiter concepit, peperit, & nominavit; tres Reges, idest, tres animæ vires, quæ bene reges dicuntur; quæ jam carni principantur, sensibus dominantur, in solis divinis studiis, sicut decet verè Reges occupantur: Puerum jam per effectus multiplices ejus revelatum, in civitate regia, hoc est, in totius Mundi machina, æstimant esse quærendum. Quærunt igitur Meditationibus, requirunt affectionibus, interrogant devotis cogitationibus: *ubi est, qui natus est? Vidimus stellam ejus in Oriente.* Vidimus claritatem ejus in devota mente: vidimus splendorem ejus radientem in intimis animæ: audivimus ejus vocem, quæ est dulcissima; gustavimus dulcedinem ejus, quæ est dulcissima, suavissima. Jam Herodes redde respondsum, ostende Dilectum, monstra Infantulum desideratum. Propter tuam gloriam videndam non venimus; propter tuam gratiam obtinendam non properavimus; propter tuam gratiam adorandam non festinavimus. Ubi est ergo longitudo brevis, magnitudo levis, altitudo subdita, latitudo angusta? ubi lux lucens, aqua sitiens; panis esuriens? dic nobis ubi potentia regitur, sapientia instruitur, virtus sustentatur, Verbum Patris lactatur? Dic nobis, ubi, æternus Dei filius, infans inveniatur? ubi splendor paternæ gloriæ pannis involutus cernitur? ubi audiemus in cunabilis vagientem, qui est miserorum consolatio? O dulcissime, ò amantissime Puer æterne, Infans antique! quando te videbimus? quando te inveniemus? Tædet gaudere sine te; delectat gaudere tecum, & flere tecum! tuum beneplacitum est nostrum. indeficiens gaudium, & desiderium! S. Bonav. tract. lign. vit. quarta solemn. de Magor. ador.

Cùm recessissent Magi, & reliquissent Judæos; *ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Matth. 2. 9. Hinc manifestè datur intelligi: quoniam, humanum flagitantes consilium, divinum amisere ducatum, & conversos ad terrenum documentum, signum cœleste deseruit. S. Bernardus serm. 3. in Epiph.

Reges tres sancti, nec in pulchritudine civitatis Jerosolymæ, neque in magnificentia aulæ Herodianæ, neque demum in claritate apparentis stellæ complacere sibi poterant: eorum cor, & animus, quærebat parvam speluncam, & infantem Jesum in Bethlehem. Sanct. Franc. Salef. tr. de div. am. l. 5. c. 7.

Procidentes adoraverunt eum. Matth. 2. 11. maximo signo reverentiæ adoraverunt; ità quòd non genuflexerunt, sed in faciem ceciderunt. Cajet. hic.

§. III.

Reges terreni.

Num. I.

Figura, & Symbola.

Ex Veteri.

Fiant luminaria dividant diem, ac noctem. Gen. 1. 14. Symbolum Innocentii III. P. scribens ad Imperatorem Const. l. 1. de decural. tit. 33. c. solidæ. Ad firmamentum cœli, idest, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, idest, duas instituit dignitates: quæ sunt, Pontificalis, authoritas, & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, idest, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor: ut, quanta est inter solem, & lunam; tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur. Corn. hic.

Apprehendit summitatem pallii ejus, quæ & scissa est. Et ait ad eum Samuel-scidit Dominum regnum Israel à te hodie. 1. Reg. 15. 27. 28. Vestes, ut notat S. Cyprianus lib. de unit. Eccl. in Scriptura sacra regiæ dignitatis Symbolum sunt. Unde per vestium scissionem regni scissio Sauli hic, & Jeroboamo. 3. Reg. 11. 31. præfigurata fuit. Eæ autem in terram ad pedes ejus abjectæ, ejus in regnum electionem portendebant. Ità quod in Jehu antè factum erat. 4. Reg. 9 13. Christum D. asino vectum. Matth. 21. 8. Ejusmodi vestium prostratione agnoverant Judæi & proclamarant, Regem Israel, filiumque Davidis. Hoc ritu solebant profiteri, sua omnia bona, uti pedibus, sic & arbitrio Regis se submittere. Doultrem. l. 2. c. 1. sect. 4.

Ne extinguas lucernam Israel. 2. Reg. 17. idest, regnum, aut regem. Cornelius in Prov. 20. 20. Lucerna Symbolum est dominatus, opum regni, & imperii: quia sicut ignis est Rex elementorum: ità princeps hominum. Ideò lucernæ, faces, & ignes, regibus præferri solebant. Id. ib.

Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum. Cant. 4. 13. Malogranatum regis typum gerit. Primò dum suam in granis purpuram, suam in cortice coronam, præfert; nihil magis, quàm regem coronatum, ac purpuratum, adumbrat. Secundò, quia, dum multa grana sub uno cortice complectitur; vel significat multitudinem negotiorum, & consiliorum, quæ à regibus fido silentio occultantur: ut Sanct. Ambros. lib. 3. hex. cap. 13. insinuat: vel concentum omnium virtutum, quibus æquum reges exornari: ut Sanct. Hieronym. lib. 1. contra Jovinianum interpretatur: vel significat animorum charitatem, quam reges in regno suo maximè curare, & conservare debent. Theodoretus hic: pro malo Punico charitas intelligitur: quandoquidem sub uno ejusdem mali cortice multa sunt grana; ità mutuò inter se conservata, ut se vicissim non comprimant, neque corrumpant: sed integra conserventur; nisi aliqua in medio putredo nascatur. Tertiò, sicut malogranatum pulchrius apparet, cùm fatiscit: nam tunc interna grana, quæ sub vili cortice latebant, pyropos imitata, expanduntur. Ità reges, quò majoribus difficultatibus scinduntur, ac distrahuntur, in suorum præsidium: eò clariora præbent exempla virtutum. Hinc Christus Dom. Ecclesiæ suæ: *sicut fragmen mali Punici: ità gena tua.* Cant. 4. 3. Hinc Hispan. Rex Henricus IV. hoc pomum sibi pro insigni regio delegit, cum lemmate: *acre, dulce.* Ut significaret, in bono rege ità severitatem, & humanitatem, temperandam: ut numquam sine severitate ignavus, aut sine humanitate crudelis videatur. Mend. in 1. Reg. 14. 2.

Unicornis. Is. 34. 7. significat potentes Monarchas. S. Tho. Aqu. hic.

Reges vocantur aquilæ. Jer. 48. 40. Ezech. 17. 3. Dan. 7. 4. Os. 8. 1. Aquilæ figura regiam potestatem, supera petendi, celeriterque volandi vim, - declarare putanda est. S. Dion. Areop. l. de cœl. Hierarch. c. 15.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Vidimus stellam ejus. Matth. 2. 2. Appositè stella ducit tres Magos, & Reges, ad Regem Christi: quia habet speciem coronæ regiæ: atque ideò stella est Symbolum Regis, & Regni. Corn. hic.

Apibus Rex naturæ cláris formatur insignibus, ut magnitudine corporis præstet, & specie; tum, quod in Rege præcipuum est, morum mansuetudine. Nam, etsi habet aculeum; tamen eo non utitur ad vindicandum. S. Ambros. hex. lib. 5. cap. 21.

Diei præfecit Pater ille Solem, tanquam magnum regem. Philo Jud. lib. de Mundi opif.

Reges, ut fulmina esse, didici: dura frangere, mollibus plerumque illæsis. Lipsius Centur. 1. ep. 4.

Num. II.

Regis officium, clementia &c.

Dormiebat super stratum suum meridiè. 2. Reg. 4. 5. Chaldæus hunc somnum vocat *somnum Regum*, dicens: & ille (Isboseth) *dormiens somnum Regum.* Reges enim vigilantes, qui sæpè noctu pro salute, & negotiis, regni excubare coguntur, somnum captant à meridie. Sicut Epaminondas Dux Thebanorum, iis festa, & convivia, celebrantibus, indeque dormitantibus, excubare solebat, dicens: ego contra hostes pervigilo, ut vos securi conservemini. Cornelius hic. *Noctem illam duxit Rex insomnem*: Esth. 6. 1. Brissonius lib. 1. de regno Pers. illud numquam satis laudatum institutum apud Persas viguit; ut, sicut refert Plutarch. lib. ad imperitum principem, quotidie cubiculariorum unus eam ad rem constitutus, manè cubiculum Regis intrans clamaret: surge ò Rex, & negotia cura, quæ te Mesoromasdes curare voluit. Est autem Mesoromasdes sol, ut ait Laertius. Constantinus M. ait Euseb. l. 4. vitæ ejus c. 13. suam ipsius mentem quodam quasi afflatu, & instinctu, rerum divinarum, exaggerans totas noctes sæpè sine somno traduxit: &, cùm per otium liceret, orationes scribebat; idque ad summam usque senectam.

Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis. Psalm. 24. 22. Hæc deprecatio Deo oblata Regi convenit: decet enim eum,

eum, qui in imperio constitutus est, de subditis omnem curam gerere. Propterea B. David, non tantùm pro se preces obtulit, verùm etiam pro populi utilitate sibi commissi. B. Theodoretus hic.

Ut ædificentur muri Jerusalem. Ps. 50. 20. Vocat muros Jerusalem seipsum; qui instar murorum totum populum custodiebat. Bellarm. hic.

Solvamus bono Principi stipendiarias lacrymas: quia ille nobis solvit etiam mortis stipendium. - Omnes, non tamquam Imperatorem sibi; sed tamquam parentem publicum, objisse, domestico fletu doloris illacrymant; suaque omnes funera dolent. - Flet Ecclesia pignus suum, & *lacryma ejus in maxillis ejus*: Quid sit maxilla, audi, *Qui te percusserit in maxillam, præbet ei, & alteram*, Luc. 6. 29. eò quòd in dolore sit patiens, ut pœniteat verberantem. Percussa eras Ecclesia in maxilla tua, cùm amitteres Gratianum: præbuisti, & alteram; quando tibi Valentinianus ereptus est. S. Ambros. or. fun. de obitu Valentiniani Imp. Regis debitum, ac legitimum, est officium; ut subditis danda, vel data, præcepta prior ipse actibus impleat: nè, dum militibus laboriosam mandat militiam; ipse in deliciis sua potestate abutendo, causam præbeat eorum murmurio, proculdubio dicentium: deliciosum esse Ducem, qui subditis ea præcipiat, quæ facere fugiat, aut non possit. Igitur & hoc dignum fuit, ut ea, quæ præceperat, vel præcepturus erat ut Deus, ipse præcipuè opere impleret ut Rex, videlicet omnimodæ humilitatis opus. Rupert. de div. offic. l. 11. c. 18.

Nihil aliud tam peculiare Imperiali Majestati est, quàm clementia, & humanitas; per quàm solùm Dei servatur imitatio. Justinianus Imp. lib. ultim. Cod. de donat. inter virum, & uxorem.

Hannibal hoc unum studuit in principio rerum; ut clementiæ famam colligeret. Livius lib. 21.

Carolus M. sanxit, ut omnes domini clementer tractarent subditos; scientes, inquit, fratres suos esse; & unum secum Patrem habere Dominum; ad quem clament omnes: *Pater noster, qui es in cœlis*. Cornel. in Is. 42. 3.

Joannes I. Rex Lusitaniæ morti proximus, cùm impexam, & sylvestrem barbam adverteret, tonsorem acciri jussit, dicens: Rex nec mortuus horrorem subditis incutere debet. Alvarez Illustr. 265.

Carolus M. dicere solebat: optimus ille princeps, cui nomen Adamus, cognomen Abrahamus: idest, laboriosus, ut Adam; pius ut Abraham. Incert. Auth.

Num. III.

Regis unctio.

Unxerunt eum (Salomonem) Domino in Principem. 1. Paral. 29. 22. Cur Domino inungitur? Abul. q. 25. quasi ad utilitatem Dei. Dion. Carth. unxerunt Salomonem in Principem ad honorem Dei.

Princeps à tempore Christi non ungitur in capite; sed in brachio, seu humero; in quibus principatus congruè designatur. *Factus est principatus super humerum*. Durandus rat. div. off. c. 8.

Cùm S. Remigius Clodovæum in Regem Franciæ ungeret, columba è cœlo detulit ampullam olei, quo eum unxit: quæ etiamnum Rhemis asservatur. Indeque Reges Franciæ uncti à Deo nanciscuntur facultatem curandi strumas; ut asserunt rerum Gallicarum Scriptores; & testantur, qui præsentes fuerunt. Corn. in 1. Reg. 10. 1.

Num. IV.

Reges mali.

Nequaquam regnum eum ultrà consurget. 1. Reg. 13. 14. Ratio est: qui parere nescit, indignus est imperio. Sic inobedientes Reges sæpè in Scriptura Regis nomine privantur. Nam Abigail de Saule locuta 1. 25. 29. *Si surrexerit aliquando homo persequens te*. Et 2. Paral. 26. 18. Sacerdos Azarias alloquitur Oziam divinæ legis contemptorem: *non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino*. Mendoza in 1. Reg. 13. 13.

Quasi tempestas transiens non erit impius. Prov. 10. 25. q. d. impius est similis procellæ, & turbini: transeunti: quia licèt ad tempus, instar tempestatis, terribilis sit hominibus, non diu tamen subsistit; sed subitò è vita tollitur. Sic de Nabuchodonosore. Jer. 4. 13. *ecce, quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus ejus*. Et de Antiocho. Dan. 11. 14. *quasi tempestas veniet contra illum Rex Aquilonis*. Et de Cyro. Isa. 21. 1. *sicut turbines ab Aphrico &c.* Fernandes noster in Gen. cap. 31. sect. 8. num. 8. sic explicat versum citatum: cœlum aliquando tenebris obducitur, deinde maligno fulgore intermicant fulgura, reboat æther, immugiunt tonitrua, furit tempestas. Quid ergo? pavor, terrorque in terris. Benè: sed, soluta demum in pluvias nube, tempestas silet, redit cœlo serenitas, terras lux alma revisit. Quievit tandem fragor, qui gentes terruerat. Sola in terris videnda restant lutum, & sordes. Sic habent filii hujus Mundi: dum vivunt; honorum, dignitatumque, nominibus, ac titulis, pomparum vanissimarum strepitu, auri, argentique tinnitu reboant: audiuntur, sciuntur, celebrantur; mortalibus sunt admirationi, ac terrori. Tempestas est, Cæterum, mortis interventu sepultis illorum cadaveribus, pariter illorum superbia, & memoria sepelitur. Corn. hic.

Inter Reges Judæorum omnes se malè habuerunt, exceptis tribus. Eccl. 49. 5. *Præter David, & Ezechiam, & Josiam*. Jerem. 5. 5. *Ibo ad optimates &c.* & subditur: *ecce magis hi confregerunt jugum*. S. Thom. Aqu. opusc. 38. de erudit. princ. c. 1.

Nulla prorsus est erecta potestas, nisi erigatur super vitia, nisi ad cœlestia subleverit. Nempe depressa erit omnis potestas, in moribus nequiter subjecta dæmonibus; post hanc vitam suis includenda carceribus. Simon. Cass. l. 3. Luc. 3. 69.

Miscellanea.

Abimelech, Gen. 26. 1. Nomen commune Regum Palestinæ; uti Pharao, Ptolomæus, regum Ægypti, & Cæsar Romanorum. Abimelech Hebraicè significat *Patrem Regem*, quasi diceret, Pater patriæ. Corn. hic.

Omni tempore sint vestimenta tua candida. Eccl. 9. 8. Græcè *splendida*. Vestis Regum erat candida. Talis fuit Salomonis, de qua Josephus l. 8. antiq. cap. 2. at Salomon regio curru invectus, amictus veste candida. Unde ei inspersa fuisse lilia, insinuat Christus. Matth. 6. 28. 29.

T I T U L U S XVI.

R I S U S.

§. I.

Sit moderatus.

Tempus flendi. Eccl. 3. 4. est in vita præsenti; *tempus ridendi* in vita futura. Salonius hic. S. Hieronymus: nunc flendi tempus est, in futuro ridendi. Beati enim flentes, quoniam ipsi ridebunt. Luc. 6. 21. Plangendum est in præsentiarum, ut postea saltare valeamus; illa saltatione, qua saltavit David ante arcam. 2. Reg. 6. 14. quia, qui in præsenti sæculo sua plangit peccata, ridebit postea in futuro; juxta illud Malach. 4. 2. *egrediemini, & salietis, sicut vituli de armento*. Corn. hic.

Vir sapiens vix tacitè ridebit. Eccl. 21. 23. S. Basil. Reg. 17. filio spirituali ità præscribit: noli dissolutis labiis risum proferre: amentia namque est, cum strepitu videre: sed subridendo tantummodo mentis lætitiam indica. Nec in modum parvulis velis jocari assiduè: quia non convenit ei, qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, & vix perfectus in sensu: nullum enim habet accessum cordis compunctio ubi fuerit immoderatus risus, & jocus.

Quænam oculos ità frænavit? quænam risum ità irruit? adeò, ut vel leviter subrisisse, nimiùm penè ipsi videretur. S. Greg. Naz. or. 11. de sorore sua.

Agnoscamus præcipitia, nec appropinquemus. Hoc maximæ securitatis vobis erit occasio, non tantùm peccata fugere, verùm & quæ videntur media quidem esse. Ad peccata verò nos supplantant, quale est, ridere, & jocosa dicere verba. Non manifestum quidem peccatum esse videtur; sed in manifestum crimen inducit: nempe sæpius ex risu turpia nascuntur verba; à turpibus verbis actiones turpiores. S. Chrysost. hom. 15. ad pop. Antioch.

Ridere solùs neutiquam iis permissum est, qui sunt germanè Christiani. Omninò minimè convenit Monachis; qui se jam crucifixerunt Mundi istius vitiis. Quid, quæso, possibile sit, hunc crucis Christi dulcibus clavis esse transfixum, qui sic solet profusiore lætitia diffundi, & ridere solutiùs. S. Antiochus Abb. hom. 95.

Ad mortem veheris à quatuor humoribus, velut equis; ad judicum, & rides? Reus es mortis; sententia lata forsan hodie executioni mandanda, & rides? Meliùs est lugere in solitudine, quàm ridere in aulis principum. Stella de cont. p. 1. c. 58.

§. II.

Numquam ridentes.

Christus. Flentem quidem Dominum frequenter invenias; numquam verò ridentem; sed nec leviter saltem subridendo gaudentem: nullus enim Evangelista hoc memoravit. Nam quòd & Paulus fleverit quidem, & per triennium noctibus id fecerit, ac diebus; & alii de illo, & ipse de seipso testa-

testatur. Quòd verò riserit; neque ipse unquam, neque de illo quispiam alius ostendit. Sed nec ullus Sanctorum, vel de seipso, vel de alio quopiam, tale quid aliquando significasse, narratur. De sola sanè Sara legimus hoc dictum; sed illicò voce Dei correpta est: & de filio Noe; sed propter illum risum servus factus est ex libero. S. Chrys. hom. 8. in Matth. 2. Plura hic habet contra risum.

Firmum, ait S. Bernardus, est mihi propositum, numquam ridendi; quousque audiam ex ore Dei illa verba: *venite benedicti*. Neque à fletu desistam, donec liber sim ab illa sententia: *discedite maledicti in ignem æternum*. Matth. 25. Cornel. in Thren. 3.

Serenabat quidem vultum suum assidentium gratia, ne fieret onerosus; sed risum integrum, si benè recolitis, non admisit. S. Bern. s. in obitu Humberti Monachi.

S

T I T U L U S I.

S A C E R D O S.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Melchisedech, Rex Salem proferens panem, & vinum. Gen. 14. 18. Melchisedech, qui occurrit Abrahamo victorioso, significat *Rex justitiæ*. Probabile est, illum fuisse aliquem è Regulis Chananæorum, qui inter impios Chananæos pius, & sanctus vixit. Fuit typus Christi Sacerdotis. Corn. hic.

Tu es Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech. Psal. 109. 4. S. Hieron. in Ps. 74. non dixit, secundùm ordinem Aaron, sed Melchisedech: Aaron victimas obtulit, bestiarum sanguinem fudit: Melchisedech nihil horum fecit, sed tantummodo *panem, & vinum* obtulit. Gen. 14. 18. Hoc fecit Melchisedech; & propterea dicitur, *secundùm ordinem Melchisedech*, q. d. Hieron. Mactare animalia, dividere, sanguinem fundere, discordiarum erant insignia: panis, & vinum; pacis, concordiæ; quæ Melchisedech *Rex Salem*, vel *pacis*, obtulit. De Castill. Illat. 238.

Omne caput languidum. Is. 1. 6. Quia nullus est idoneus ad succurrendum alteri, propter propriam infirmitatem. *Omne cor mœrens*. Quantum ad personam Sacerdotis: cor enim primò recipit vitam ab anima, & transfundit in corpus; quasi medium inter animam, & corpus. Ità Sacerdos est medius inter Deum, & populum. S. Thom. Aqu. hic. *Caput* accommodari potest Principibus, *Cor* Sacerdotio, *Pedes* populo Principi subjecto. Corn. hic.

Ex tribu Levi. Apoc. 7. 7. Levi *assumptum* significat: quo nomine denotantur ii, qui, per conversationem Sacerdote dignam, à Christo assumpti sunt. S. Andreas Cæsar. s. 7. hic.

§. II.

Sacerdotis encomia, dignitas.

Num. I.

In genere.

Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit &c. Lev. 4. 3. Jubet Sacerdotem, qui in Legem aliquid commiserit, vitulum immaculatum sacrificare. Quod si populus universus tale crimen admiserit, similem hostiam offerre statuit: docens, quanta sit Sacerdotii dignitas; quam universo populo pacem facit. Theodoretus q. 1. in Lev.

Filii autem David Sacerdotes erant. 2. Reg. 8. 18. Tanto olim in honore erant Sacerdotes Hebræis, Græcis, & Romanis, ut illustres viros Sacerdotes dicerent. Sic intellige illud. 2. Reg. 8. 18. & 1. Paral. 18. 17. *Filii David Sacerdotes erant*. Nec enim fungebantur munere Sacerdotis: quia tribui Judæ id vetitum, teste Paulo Hebr. 7. 14. Vocat ergo Scriptura Sacerdotes Filios Dei, quòd essent excellentes, & in magna æstimatione: sicut eloquentes vocamus Cicerones &c. Diez Conc. 3. Dom. in Alb. Quæris: cur filii David Sacerdotes fuisse dicantur? qui nullam cum filiis Aaron consanguinitatem, nisi sicut cœteræ tribus, habuisse noscuntur? Sed sciendum est, quia dum Sacerdotes venerabiles, ac Magistri, constituantur in populo; aliquando nomine Sacerdotum designantur Principes, vel Doctores. Ità quoque, cùm dicitur: *Filii autem David Sacerdotes erant*, sic intelligendum est, acsi dicat: quia Magistri erant fratrum suorum, vel certè Principes inter cœteros; sicut habet vetus translatio: *Filii David Principes erant ad latere ejus*. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 20.

Sacerdotum summa est omnium bonorum, quæ in hominibus consistunt. S. Ignatius M. ep. 7. ad Smyrnenses.

Murus est Ecclesia, turres ejus sunt Sacerdotes. S. Ambros. 6. hexam. c. 8.

O Sacerdotes! ò Mundi fundamenta! Christianæ Fidei columnæ, immortalis vitæ Doctores, Christiferi. S. Greg. Naz. Carmine ad Episcopos.

O miraculum stupendum! ò potestas ineffabilis! ò tremendum Sacerdotii mysterium, spirituale, ac sanctum, venerandum, & irreprensibile. S. Ephrem de Sacerdotio.

Per hanc dignitatem humana natura, licèt humilis, atque abjecta cum virtutibus incorporeis adæquatur. Excedit intellectum, & rationem, omnemque cogitationem, donum altitudinis dignitatis Sacerdotalis. Id. ib.

Tunc mens Sacerdotis est phiala aurea, atque odoramentis spiritualium aromatum plena: cùm orationibus, ac piis operibus, est vigilanter intenta. B. Petrus Dam. opusc. 4. de dignit. Sacerdotii c. 3.

Mirabile reputatur in Moyse, qui fecit descendere manna. Exod. 16. 15. Et de Elia, qui fecit descendere ignem. 4. Reg. 1. 10. Magis mirabile, quòd Sacerdos de cœlo facit descendere Christum. Quando B. Virgo dixit: *Ecce ancilla*, in ultimo verbo cœlum fuit apertum, & Filius Dei descendit in uterum B. Virgo dixit octo verba, Sacerdos quinque, & quolibet die aperit cœlum. S. Vinc. Ferr. s. 1. in festo Corp. Chr.

Est Sacerdos Coadjutor Redemptoris, Consiliarius Sabaoth: cujus consilio offensi redeundi in gratiam Dei sui. Hic est dapifer mensæ Christi. Blesensis s. 47.

Num. II.

Sacerdos est major Regibus.

Fecitque Deus duo luminaria magna. Gen. 1. 16. Aelredus: luminare majus Sacerdotium, ut præsit diei, idest, spiritualibus: luminare minus Regnum; ut præsit nocti, idest, sæcularibus. Contra naturam proindè est, si sol nocti, si præsit luna diei, si Princeps ad spiritualia se ingerat; si Sacerdos sæcularium negotiorum tenebris conscientiæ suæ serenum obnubilet.

Ita ut tintinnabulum sit aureum, & malum Punicum. Exod. 28. 34. Olim in vestis Sacerdotalis ora apponebantur juxta tintinnabula, etiam malogranata. Sunt hæc multis Symbolum Regum. In fimbria ponuntur: quia Reges Sacerdotibus subjecti. Novarinus Agn. Euch.

Saul morabatur in extrema parte Gabaa sub malogranato. 1. Reg. 14. 2. Sed cur hanc potiùs, præ aliis, elegit arborem? ut ostenderet, Sacerdotis infima Regum suprema excellere. E tunica hyacinthina Sacerdotis malogranata pendebant. Exod. 28. 34. hæc in Sacerdotis ornatu infimum locum obtinebant. Ut ergo indicaret Saul, seu potiùs Dei sapientia per illum, quanti æstimandi sint Sacerdotes, quantumque excedat Regum dignitatem; malogranatum super caput posuit, quod Sacerdos habebat in pedibus, & sic honoratissimum haberet diadema, si Sacerdotis infimo coronaretur ornatu. Malogranatum enim, teste S. Greg. p. 2. pastorum cap. 4. Beda, & Ambros. l. 7. in Luc. Regis typum gerit: quia suam in granis purpuram, in cortice coronam præfert. Castill. Illat. 237.

Non est tui Officii Ozia. 2. Paral. 26. 18. Sciebat Ozias regno se, ac sceptro valere: v. 16. adhuc tamen captat honores Sacerdotum; acerram capit, ut thurificet. S. Chrysost. hom. 4. ad Is. 6. quiddam affectavit sua dignitate augustius. Vellos. in Judith. 3. Paræn. 5.

Habet in vestimento, & in fœmore suo scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium. Apoc. 19. 16. At verò summus Sacerdos, qui Christi D. typus erat, suæ sanctitatis insigne in fronte portabat, juxta illud. Exod. 28. 36. *facies & laminam de auro purissimo, in quo sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino, & erit super tiarum imminens fronti Pontificis*. Mendoza in 1. Reg. 2. 1.

Vulgò dicitur, quòd Imperatores Sacerdotium magis optaverint, quàm Imperium Sacerdotes. Christus fugit, nè Rex fieret. Habemus tyrannidem nostram. Tyrannis Sacerdotis infirmitas est. *Cùm infirmo*, inquit, *tunc potens sum*. S. Ambr. ep. 33. ad Marcellinam sororem.

Alii sunt termini Regni, alii termini Sacerdotii: hoc regnum illo majus est. Ille quidem ea, quæ in terris, fortius est administranda; cœterum Sacerdotiis jus è supernis descendit. Regi ea, quæ hic sunt, commissa sunt; Sacerdoti cœlestia. S. Chrysost. Regi corpora commissa sunt Sacerdoti animæ. - Major hic principatus: propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis. Ib. hom. 4. in Isaiam.

Num. III.

Sacerdos comparatur, præfertur, Angelis.

Caro hominis non ungetur. Exod. 30. 32. Itane? Si Pontifex ungatur, homo non ungitur? Profectò, ait Lyranus, Sacerdotes, quantùm ad officium, sunt supra homines. Vellos. in Judith. 4. 7.

Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur. Lev. 16. 17. Quomodo Moyses excludit homi-

nem, qui Sacerdotem admittit? S. Cyrill. Alex. l. 4. in Levit. ego sic accipio, quòd qui potuerit Christum sequi, & penetrare cum eo interius tabernaculum; jam non erit homo; sed, secundùm verbum ejus tamquam Angelus Dei. Primus à Deo Sacerdos est. Eccl. 7. 31. *in tota anima tua time Deum Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica*: similia v. 33. Unde habes, secundum à Deo principem Sacerdotem esse. Velloso in Judith. 4. Paræn. 5.

Angelus Domini exercituum est. Malach. 2. 7. Omnes, qui Sacerdotii nomine censentur, Angeli vocantur, Propheta attestante, qui ait: *labia Sacerdotis custodiunt scientiam &c. quia Angelus &c.* S. Greg. hom. 6. in Matth. 11. Angelus, idest, Dei nuntius, Sacerdos Dei verissimè dicitur: quia Dei, & hominum sequester est; ejusque ad populum nuntiat voluntatem. Et idcirco in Sacerdotis pectore *Rationale* est. Ex. 28. 30. & in Rationali doctrina, & veritas ponitur, ut discamus, Sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis. S. Hieron. hic.

Sedebitis, & vos. Matth. 19. 28. Propter Sacerdotalem scilicet dignitatem. Cajet. in Matth. ecce prœnunium dignitatis, & honoris, gloriosa sessio: eritis participes gloriæ meæ in tantùm, quòd, me sedente in Majestate, vos non stabitis, sed vos quoque sedebitis. - Dignitati adjungit officium, ut in dignitate sedendi, & in officio Judicis, assimilentur Christo. De Angelis sæpissimè legitur, eos adstare in conspectu Domini. Is. 6. 2. Dan. 7. 10. Tob. 12. 15. Castillo Illat. 230.

Licèt Angelus de cœlo. Gal. 1. 8. Non temerè dixit *de cœlo*: quoniam Sacerdotes quoque dicti sunt Angeli. S. Chrysostom. apud Vellos. in Judith. 4. Paræn. 5.

Sacerdotalis potestas superat potestatem etiam Angelorum. Licèt enim unus Angelus possit unum cœlorum movere; tamen minimè potest unum ipsorum cœlorum de cœlo ad terram tam citò transferre, sicut radius solis emittitur ab ipso sole. Sacerdos verò suo ministerio transfert verissimum Corpus Christi de Empyreo cœlo ad ipsum altare Sacrum. —— Sacerdotalis potestas superat potestatem Archangelorum: quemadmodum enim Archangeli ad terram possunt mittere Angelos: sic Sacerdos potest evocare ad terras; cùm Dei visibilia celebrat Sacramenta. S. Bernardinus tom. 1. s. 20.

§. III.

Sacerdotes honorandi.

Motiva.

Num. I.

Sacerdotes à Deo honorantur.

SPiritu prudentiæ replevit Deus Beseleel, & Ooliab; ut faciant vestes Aaroni. Ex. 31. 1. &c. Cur Deus tantam curam geri in harum vestium artificio? Respondet Tostatus hic: q. 2. ista vestis erat, ut ipse Aaron appareret pulcher in ea, & honorabilis, & reverendus.

Pellem verò, & omnes carnes &c. Lev. 4. 11. significatur hic, non licere peccata Sacerdotum in publicum jactare; neque in locum immundum, idest, in detractorum conventicula, in profanas, ac maledicas linguas: sed curandum esse, ut taceantur; & omnes eorum reliquiæ charitatis igne consumantur. Ribera l. 4. de templo c. 7.

Observa diligenter, nè incurras plagam lepræ &c. Deut. 28. 8. Deus disertè minatur lepram iis, qui Sacerdotibus obedire nolunt. Et hæc fuit causa, cur Deus lepræ judicium, & expiationem, detulerit Sacerdotibus; curque voluerit leprosos se Sacerdotibus sistere; ut ab eis lepra vel mundati, vel adhuc coinquinati, pronuntiarentur: nimirum ut cogerentur se Sacerdotibus humiliare: contra quos superbierant. Cornel. in Lev. 13. 2.

Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus. Jos. 13. 33. Interpretes autumant, possessionem non dedisse, ut supplicium illud à Jacob prædictum. Gen. 49. 5. impleretur. *Simeon, & Levi, fratres &c. dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel*. v. 7. Verùm hęc dispersio non videtur tam culpæ punitio, quàm honoris exhibitio: erant enim dispersi ut sanguis, ut anima, in corpore. Punitur culpa; sed eo modo, ut nulla splendoris videatur offensa. Naxera in Jos. 13. §. 52.

Ratus Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate. 2. Reg. 6. 7. In quo ejus peccatum? ob quod tam severè punitus? Gravissimorum Doctorum est sententia: quia ad ipsos pertinebat asportari arcam, & attendere, nè aliquam injuriam pateretur. Num. 4. 15. Sylv. in Act. 21. q. 6.

Super cathedram Moysi &c. Matth. 23. 2. Non dixit sederunt Sacerdotes, aut Pontifices, propter reverentiam ordinis Sacerdotalis. Lege Evangelium: numquam invenies Jesum nominasse Sacerdotes, aut Pontifices arguendo: instruendo Prædicatores, ut non prædicent contra Sacerdotes, aut Pontifices, in specie; propter reverentiam ordinis. Cajet. hic.

Nunc dimittis Servum tuum Domine. Luc. 2. 29. Cur Dei sapientia non ordinavit, ut Simeon veniret in Bethlehem ad præsepe, sicut pastores, & Reges? Galfridos in alleg. Titelm. hic. *Venerant priùs pastores ad Dominum*; venerant & siderum contemplatores. Simeon forsan venire non poterat: ipse ad eum venire dignatus est, & prævenire eum in benedictione dulcedinis. Forsan Sacerdotem honorare voluit. Sylv. hic q. 22.

Posuit dexteram suam super me. Apoc. 1. 17. Primasius: utique propter Sacerdotium, quo Ecclesiæ Præpositos novimus ordinari: Reliquos tetigit, ut Daniel. 8. 18. reliquos Apostolos in Thabor. Matth. 17. 7. Majus dextera apprehendere, quàm solo digito tangere. Illi tunc Sacerdos non erant. Disce, quanto pretio, & honore, Sacerdotes habendi sint. Sylv. hic.

Num. II.

Sacerdotes ab Angelis honorantur.

Et responso accepto in somnis &c. Matth 2. 12. Magi, postquam adoraverunt; non jam stella eos, sed Angelus suscipit: quia scilicet adorando facti sunt Sacerdotes, cum supplicatione, & muneribus oblatis. S. Chrysost. hom. 7. in Matth.

Angelus Domini stans à dextris altaris. Luc. 1. 11. Quare Angelus erat stans hic; cùm apud sepulchrum sederet? Resp. in monumento erat cum sanctis mulieribus: hic in templo cum Sacerdote, illi soli plus reverentiæ tribuens, quàm tribus aliis piis fœminis, ac amore ferventibus. Sylv. hic.

Ecce eris tacens, & non poteris loqui &c. Luc. 1. 20. Egreditur Pontifex, in ore gestans incredulitatis indicium: pectore tamen prolis felicissimæ testimonium. Et quia non poterat mysteria explicare verbo; se loqui non posse, indicavit omnibus nutu. Quid tunc? *cognoverunt, quòd visionem vidisset in templo*. v. 22. Cur non agnoscunt incredulitatis pœnam? sed quod gerat pectore prophetiam? O bonam doctrinam! sic Angelus punivit culpam, nè ullam dignitati inferret injuriam: sic est punitum silentio delictum: ut silentium populus putarit mysterium. Nax. in Jos. 13. §. 32.

Et cognoverunt, quòd visionem vidisset in templo. Luc. 1. 22. Disposuit Divina Providentia, ut esset suspicio de visione facta, & non de pœna inflicta ob Zacheriæ incredulitatem. Non enim vult Deus, ut defectus, ac delicta, Sacerdotum populus agnoscat. Sylv. hic q. 32.

L. 4. vitæ S. Francisci Salesi. c. 48. recenset de Pœnitentiario suæ diœcesis, plerumque suum Angelum tutelarem intuitum; qui antecedere illum solebat, antequam esset Sacerdos: sed, ut primum factus est Sacerdos, illum *honorem* Angelus recusavit; semperque priorem locum Sacerdoti detulit.

Num. III.

Sacerdotes ab hominibus honorantur.

Ferdinandus II. auditus est dicere: occurrentibus sibi eodem loco, ac tempore, Angelo, & Sacerdote; se primùm Sacerdoti, deinde Angelo, honoris officium persoluturum. Lamormaini vitæ c. 9.

Regina Æthiopiæ, Achatolica licèt, Patrem Paezium oravit; ut in festo Apostolorum Petri, & Pauli coram se de rebus divinis haberet sermonem: quod ille non invitus obivit, Regia etiam præsente. At, quòd cathedra careret, in pedes stetit. Quod conspicatus Rex, è solio se proripit, & scabello insidens, Patrem in thronum invitat, ut ex illo concionem haberet. Rarum profectò exemplum; quodque Optimates omnes in admirationem rapuit. Quà reverentia Sacerdotes etiam à Magnatibus sint colendi, manifestè ostendit P. Janicus thes. rer. Indic. t. 3. c. 24.

Num. IV.

Etiam Sacerdotes mali honorandi.

Heu! heu! mi frater! cumque planxissent eum, dixit ad filios suos &c. 3. Reg. 13. 31. Scis, de quo loquatur Propheta Bethel? De Elia, seu Abrahamo, eum loqui putatis. Loquitur de propheta, ob inobedientiam occiso in itinere à leone. v. 24. quem ipse coegerat contra præceptum Domini copulari. En quomodo vel Dei Prophetæ coli debeant. Tu quidem illum funestissimis nominibus dehonestasses: hic autem, etiam cum ab eo sperare, aut metuere, nihil posset; & licèt eum à Deo damnatum videret ad bestias, ob violatum præceptum Domini, *fratrem* tamen vocat, *& virum Dei*; suaque ossa cum ejus ossibus, componi jubet, v. 30. Adeò non spernere, sed venerari debemus viros Dei; licèt labantur interdum, Deoque jubente plectantur. Peccat Moyses ad aquas contradictionis. Num. 20. 12 & à Domino damnatur, sublata illi spe in terram lactis. Num ideò despici eum passus? Imò damnatum frequenter alloquitur, non solùm visionibus recreat, sed ejus ad preces ignitos angues repressit. Num. 21. 8. 9. Oliv. l. 4. Strom. §. Heu! heu!

Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Joan. 18. 23. S. Cyprianus ep. 65. ad Rogationum: quæ omnia ab eo facta sunt humiliter, & patienter; ut nos humilitatis, & patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim Sacerdotes veteres legitimè, & plenè, honorari; dum erga falsos Sacerdotes ipse talis extitit.

Sacramentum septem stellarum &c. Apoc. 1. 20. Nonnulli horum

tum Episcoporum perditi erant; & vitiorum caligine obscurati; & tamen, inter alios bonos, in stellis repræsentati, speciosò nomine vocantur: quia in iis manus magis, quàm personæ mores; dignitatis potius officium, quam hominis opera attendenda. Rupertus hic: Ecclesiarum Præsules, quamvis aliqui pro vita propria reprehensibiles sint; & angelos, & stellas, appellare maluit &c. Et rectè quidem: quia Sacerdotes, sive Præsules, quamvis interdum pro suis actibus sint obscuri; pro officio tamen lucent. Ramirez in ep. 1.

Qui piè Sacerdoti afficitur, longè majori pietate Deum reverebitur. Etsi cùm malus fuerit Sacerdos quispiam, attendit Deus, quod sua gratia etiam illum, dignus honore non est, obsequiis fovet; ipsique sibi prœmia exolvet. - Nam si per asinæ os, Num. 22. 28. si per Balaam, scelestum hominem, populi causa locutus est; multò magis loquetur per Sacerdotem plebis suæ gratia. Quid enim non agit Deus salutis nostræ causa? quid non loquitur? per quem non operatur? S. Chrys. hom. 2. in 2. Timoth.

Propter bonos Sacerdotes etiam malos honorate; nè propter malos, etiam bonos contemnatis: frequenter enim, & de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra pretiosum aurum producit: numquid propter vilem terram pretiosum aurum contemnitur? non: sed aurum eligitur, & terra contemnitur. Sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Nam ut apibus herbæ non sunt necessariæ, sed flores herbarum, flores enim illæ colligunt, herbas relinquunt: sic & vos flores doctrinæ colligite, & conversationem relinquite; ut quasi inutilis herba arescat. Author Imp. hom. 43. in Matth.

§. IV.

Sacerdos sit Sanctus.

Ex Veteri.

Nec quidquam est - quomodo ergo possum hoc malum facere. Gen. 39. 9. Dicebat Joseph dominæ. Similiter dic Sacerdos: non est quidquam, quod non tradidit mihi Dominus in manibus meis, quomodo ergo in tam magnificum Benefactorem peccare potero; Majora in manibus tuis, quàm posuerit Putiphar in manibus Josephi. Diez Conc. 4. in festo Corp. Chr.

Expectate hìc, donec revertamur ad vos. Ex. 24. 14. Separavit Sacerdotes à populo, & postea ipsum Moysem intrà nubem introire præcepit. Vides divisiones? nihil in Sacerdotibus plebejum requiri, nihil populare, nihil commune cum studio, atque usu, & moribus inconditæ multitudinis. Sobriam à turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim potest observari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat; si quæ in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat? S. Ambros. ep. 6. ad Irenæum.

Tunica hyacinthina. Ex. 28. 31. est Sacerdotum vita, quæ tota debet esse cœlestis. Hugo Card. in Ps. 131.

Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus. Lev. 1. 5. Addit *Sacerdotes*: ut in sola oblatione sanguinis, Sacerdotis dignitatem, & munus discerneret. Arcones in Is. 1. 5. Disc. 7.

Introibo in potentias Domini: Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Ps. 70. 16. Egone ità abjectus sum, ut inter holocausta privatæ utilitatis meminerim? ut delicias Sacramentis antetferam? in gazophylacio telonium cogitem? Oliva t. 1. conc. 2. in festo S. Luciæ V. M.

Sacerdos Domini Eliachim. Judith. 4. 7. Nota honorem Sacerdotis Domini: quasi textus velit, esse Sacerdotes, qui nomen inane habeant. 1. Reg. 1. usque ad c. 4. nusquam Heli vocatur Sacerdos Domini: nam indulgens liberis officium Pontificis deseruerat. Sacerdos enim Domini ille est, qui Deo addictus ut servus, ac totus Dei homo. Inde nomenclatura nobilissima, *vir Dei, homo Dei*. 1. Reg. 2. 27. 4. Reg. 1. 9. S. Hier. in Ezech. 18. homo peccati, & filius iniquitatis, non vocatur homo Dei; sicut servus, & famulus Dei; *à quo enim quis superatus est, hujus & servus est*. 2. Petri 2. 19. Velloso hic.

Mundamini, qui ferris vasa Domini. Is. 52. 11. Quantò mundiores esse oportet, qui in manibus, & in corpore, portant Christum? Blesensis epist. ad Richardum Londonensem Episc.

Ex Novo.

Et Spiritus S. erat in eo. Luc. 2. 25. Laudat Simeonem: quia Christum erat in manibus gestaturus. Quàm sanctus debet esse Sacerdos, qui Christum quotidie manibus tractat. Si Deus Ex. 19. 10. præcepit filiis Israel, ut lavarent vestimenta sua ad suscipiendam Legem; quanto major puritas requiritur ad suscipiendum in se ipsum Legislatorem? Stella hic. Quæritur: an Sanct. Simeon fuerat Sacerdos? negant Euthymius, Theophylactus, Jansenius, Barradius: quia cùm Sanct. Lucas eum tot titulis exornarit, non videbatur honorificum Sacerdotis nomen prætermissurus, si illi congrueret. Quod benedixerit Virgini, & Josepho; hæc non fecit tamquam Sacerdos; sed ut vir magnæ authoritatis; sicut Jacob Pharaoni benedixit. Gen. 47. 10. Communis tamen, & vera sententia est, quòd fuerit Sacerdos ex Aaronis filiis. Ità D. Epiphanius, Cyrillus Jeros. Athanasius, Nyssenus, Carthus. Lyran. Cajet. Quòd Lucas Sacerdotis nomen tacuerit, non multum pugnat: quia etiam, ut tenet Sanct. Hieronym. cum communi sententia Græcorum Patrum, Job fuit Sacerdos, & tamen Sacerdotium ejus non explicatur; sed tantùm dicitur: *vir erat in terra Huss, nomine Job* c. 1. 1. Et eleganter Lucas in Simeone non exprimit dignitatem, sed virtutes: clarior enim erat animi dotibus, quàm Sacerdotali præeminentia. Sylveira hìc q. 17.

Ex Patribus, & aliis.

Vestes Sacerdotis, virtutes significant; quibus debent Sacerdotes ornari, secundùm illud Psalmi 131. 9. *Sacerdotes tui induantur justitiam*. Innocentius III. P. de sacr. alt. myst. lib. 1. c. 9.

Induebat Sacerdos talarem: significans, quòd debet induere perseverantiam. Id. ib. c. 16.

Provideat diligenter Episcopus; & attendat Sacerdos studiosè; ut signum sine significato non ferat; ut vestem sine virtute non portet: nè fortè similis sit sepulchro deforis dealbato. Id. ib. c. 63.

Grave est pondus Sacerdotii: priùs quippe est Sacerdoti necesse, ut cæteris ad exemplum vivat; ac deinde servandum, ut mentem per ostensa exempla non elevet: de prædicationis semper ministerio cogitet; intensissimo timore considerans, quò recessurus ad percipiendum Regnum Dominus, & talenta servis distribuens, dicat: *negotiamini, dum venio*. Luc. 19. 13. Quod profectò negotium verè nos agimus, si vivendo, & loquendo, proximorum animos lucramur &c. S. Greg. l. 2. ep. 39.

Si, qui ad sanctissimum sacrificium veniunt, expiati esse debent etiam ab extremis animi visionibus; atque illius similitudine, quoad ejus fieri potest accedere. S. Dionysius Areop. l. de cœl. hier. p. 2. c. 3.

Clerici sacri Ordinis esse debent typus, & imago, cœlestium. Episcopus quidem debet esse typus Dei: Presbyter tenere debet sedem, & locum Seraphicum; Diaconus verò Cherubicum. Doctrina Nicæna de Clericis sacri Ordinis.

Quanta inter sese differentia homines rationis usum habentes, & bruta ratione carentia, diffident; tantum sanè discrimen inter eum, qui pascit; atque eos, qui pascuntur, esse velim; ut nè majus etiam exigam. S. Chrys. lib. 2. de Sacerdotio.

Quasi communis quidam totius orbis Pater Sacerdos est. Dignum igitur est; ut omnium curam agat, omnibusque provideat: sicut & Deus, cujus ministerio servit, & fungitur vice. Id. hom. 6. in 1. Timoth. c. 2.

Sacerdotem facit intelligentia; & vitæ, & morum integritas. S. Nilus in paræneſi.

Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. Salvianus ad Eccl. Cathol. l. 2.

Dispensator divini verbi, & cœlestis doctrinæ prorogator, qui ante Dominum stat jugiter, versatur inter altaria semper, neque à Dei oculis recedit unquam: qui peccatorum causas, dolores populi suscipit, offert, ingerit preces; accipit, refert, restituit impetrata: ex homine totus in Angelum substitutus, non potest, nisi in ipsa Dei facie, inter Sanctorum sancta, peccare; ut inde sibi sumat crimen, unde aliis veniam consueverat reportare. S. Chrysol. s. 26.

Hic est panis Sacerdotum, gloria Dei. Gloria Dei, ò anima sacerdotalis, panis tuus est. Si extra gloriam Dei aliquid quæris, oblita comedere panem tuum, siliquis porcorum vesceris. Petr. Cell. de pane Mercenariorum c. 20.

Sacerdos idest, sacer Dux, populum per bona exempla ad vitam æternam ducendo. Vel sacra dans, vel sacra docens. S. Th. Aqu. de S. Nicolao.

Verè humana voce explicari non potest, cum quanta devotione confici, cum quanta cautela dispensari, cum quanta devotione suscipi, debet corpus Christi. Blesens. ep. ad Richard. London. Ep.

Sacerdotem hoc sentire oportet, quod & in Christo Jesu: non solùm, ut se per humilitatem exinaniat; sed ut crucifixionem Domini repræsentans, stigmata ejus portet in corpore suo, in ara cordis seipsum Domino crucifigat. Id. ep. 123.

Considerandum est, quare populus differenti modo resalutat: non enim dicit, *Dominus sit tecum*, vel aliquid hujusmodi, sed dicit, *& cum spiritu tuo*: quia Sacerdos stans ante altare totus debet esse in spiritu: stans enim ad aram, nihil debet esse, nisi spiritus, & nihil sentire de corpore, vel sollicitudine sæculi. S. Alb. M. tr. 2. de Missa c. 2. lit. F.

Omnia, quantò plus appropinquant suo principio, tantò sunt puriora, & perfectiora; sicut angeli præ corporibus cœlestibus: sic rivulus propinquior fonti: sic, qui plus Christo appropinquant Sacerdotes. Broymard. Sacerdos.

§. V.

Sacerdos sit castus.

ANte omnia sacerdos, qui divinis assistit altaribus, castitate debet accingi. Orig. hom. 4. in Lev. oportet omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse. S. Chrysost. hom. 2. de pat. Job.

Qui Dominicum Corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Jesum particeps esse convincitur. B. Petrus Dam. opusc. contra inscitiam Cleric. c. 2.

Si mundis attingi manibus volebat positus in præsepio, quantam Corpori suo nunc vult adesse munditiam jam in paternæ majestatis gloria sublimatus; Et qui prædicator constitutus es castitatis, non te pudet servum esse libidinis? Veniet, veniet profectò dies, imò nos, quando libido ista tua vertatur in picem; qua se perpetuus ignis in tuis visceribus inextinguibiliter nutriat, & medullas tuas, simul & ossa, indefectiva conflagratione depascat. B. Petrus Dam. ep. 6. ad Nicolaum II. P.

Qui puritatis authori impuro corde, & corpore, ministrantes, non verentur stare angelum Domini, qui secet medios, & disperdat; sed omnino audent agni immaculatis sacras contingere carnes, & intingere in sanguine Salvatoris manus nefarias; quibus paulò antè carnes, proh dolor! meretricias attrectarunt. Sanct. Bern. de verbis Petri: ecce nos reliquimus omnia.

Sicut membra, quæ sunt in capite, si pulchra fuerint, cœterorum membrorum, quæ vestibus conteguntur, fœditatem excusant: ità & illi, qui per sacerdotalem honorem membra capitis Ecclesiæ esse noscuntur, plebis negligentiæ fœditatem sua castitate decorant. Et è contrario, nihil tam deforme, tam abjectum, Ecclesiæ corpore, nisi cùm supradictis membris turpissima vita, vel fama cernitur. Aponius lib. 3. in Cant.

§. VI.

Sacerdotum aliæ virtutes.

Sacerdos habebit pellem ejus. Lev. 7. 8. Pellis est symbolum patientiæ, ut patet Job 2. 4. & 19. 20. quæ sacerdotis propria est virtus, & vestis. Ità Isychius apud Corn. hic.

Mille clypei pendent ex ea. Cant. 4. 4. Clypei arma sunt defensiva, non offensiva Denotant: sacerdotes ad sacerdotium non esse vocatos, ut quem offendant; sed omnes defendant. Besseus Dom. 3. Pent.

Arborem fici habebat quidam &c. Luc. 13. 6. Qui agricola intercessor? audi Sanct. Greg. Nyss. Or. in mulierem peccatricem: alienus à cædendi acerbitate sacerdos esse debet; tamquam promptus, & paratus, ad excolendam humanitatem: ut, etiamsi Dominus aliquem, uti plantam inutilem, excindere jubeat; ipse tamen insitor debeat supplicare: ut ignoscat parumper, ac sententiam differat. Noli esse tam facilis ad amputandum, & excindendum, tu: qui Dominum, nè id faciat, debes obsecrare. Diligentiam adhibeto, reprehensionibus circumfodito cohortationibus foveto, tamquam sinu. Tuum est placare Judicis animum. Demus operam, ut eodem nomine, quo Dominus appellemur. Arcones in Is. 1. Disc. 8. Unguntur manus Presbyteris, ut opera misericordiæ pro viribus ad omnes debeant exercere. Innoc. III. P. de sacr. alt. myst. l. 1. c. 9.

Volens numquam jus deseram, coactus repugnare non novi. Dolere potero, potero flere, potero gemere; adversus arma, milites. Gothos quoque, lacrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt Sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. S. Ambr. or. in Auxentium de Basilicis tradendis sub initium. Exhibes robore, vigilantia, prosperitate, principem; mansuetudine sacerdotem. Ennodius Panegyrico dicto clementissimo Regi Theodorico.

Sacerdotum manus inunguntur, in signum, quòd nihil deberet remanere in manibus suis, quod pauperibus non darent. Hugo Card. in Ps. 58.

Humilient se sacri altaris ministri; non præesse, sed subesse, desiderent; atque sanctitate, non honore, cæteros præire. Meminerint, se æterni regis vocatos esse ad nuptias; proinde superioris discubitus in se appetitum supprimant, novissimumque cum patientia locum teneant, quatenus cum honore superiùs ascendere queant. Israeli est prælatus Saul; non quia staturæ inventus est proceræ. Sed quoniam repertus est humilis. *Cùm parvulus esset in oculis tuis &c.* 1. Reg. 15. 17. S. Laur. Just. s. in festo Corp. Chr.

§. VII.

Sacerdotes fugiant vitia.

Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus. Malach. 2. 7. non nugas profectò vel fabulas. Consecrasti os tuum Evangelio; talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est. S. Bernardus l. 2. de Consid. ad Eugenium.

Inter sæculares nugæ nugæ sunt; in ore sacerdotis blasphemiæ. Id. ib.

Si Sacerdotis examinaveris vitam, invenerisque redolentem unguentis, ac rosis; bisso, ac purpura, florentem, ac mensis pinguibus inhærentem: in qua non adhibentur, nisi defœcata, & clarissima vina, & unguenta pretiosissima, & quæcumque alia suavia iis gustatu videntur: rectè in hunc Evangelicis utens verbis, fructum video, sacerdotalem arborem non recognosco: alius est enim sacerdotii fructus ab isto. S. Greg. Nyss. l. de vita Moysis.

Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium. S. Chrysol. s. 26.

§. VIII.

Sacerdos qualis erga oves esse debeat.

Sculpes in eis nomina filiorum Israel. Ex. 28. 9. Significabatur, sacerdotem ex officio debere orare pro singulis populi tribubus; eosque quasi humeris suis portare. Corn. hic.

Vos estis sal terræ. Matth. 5. 13. Quid animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus? quæ ad hoc sunt conditæ: ut in ejus corpore trajiciantur, idest, ut in æternum Ecclesiæ augmentum tendant. Si cibus Dei est populus; condimentum cibi Sacerdotes esse debuerunt. S. Greg. hom. 17. in Evang.

Pasce oves meas. Joan. 21. 17. S. August. tr. 123. in Joan. quid est aliud, *si diligis me, pasce oves meas*, quàm si diceretur: si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas: sicut meas pasce, non sicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam; Dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua: nè sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa seipsos amantes.

Seniores, qui in vobis sunt, obsecro-pascite-neque turpis lucri gratia. 1. Petri 5. 1. 2. Gubernate animas velut Pastores, non Domini: stipendium vestrum sit propriæ utilitatis neglectus. Non jubeo mulgere oves, non tondere; multò minùs rapere, & vorare; sed illas curate, pascite, & nihil præterea. Oliva l. 1. conc. 20.

Coci sacerdotes sunt: quia dum electis Fidelibus in fervore spiritus loquuntur, cibos mentis veluti per ignem coquunt. S. Greg. l. 4. in 1. Reg. 8.

Cibus Sacerdotis est in peccatorum remissione. Unde ait Princeps Sacerdotum Joan. 4. 34. *meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus &c.* Quæ est voluntas Dei, nisi ea: cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris. S. Ambr. ep. 3.

Inclinet se Sacerdos, condescendendo infirmitatibus lapsorum; sicut & Christus inclinans se digito scribebat in terra. Petrus Cell. l. de pan. c. 19.

§. IX.

Sacerdotes mali.

Bibebant vinum, & laudabant deos suos. Dan. 5. 4. Hæc agebantur, non in cœnacula Religiosi, sed in regio convivio Balthasaris. O quàm religiosior est interdum superstitio, quàm religio. Impii in convivio deorum recordantur ligneorum; nec recordantur solùm, sed eos laudant: Christi Sacerdotes nonnulli utinam Deum laudare non fastidiant vel inter choros Psallentium Deo! Illi meminerunt idolorum in mensis; nos mensarum recordamur in aris. Oliva l. 9. Strom. §. Bibebant.

Peccata populi mei comedent. Os. 4. 8. Triplex hic affertur sensus. Primus q. d. Sacerdotes comedent, idest, luent pœnas peccatorum populi; quorum causa fuere sua dissimulatione. Secundus q. d. peccata, idest, hostias, pro peccato oblatas comedunt, sacerdotes, in iisque epulantur. Tertius, peccata populi comedunt; qui precibus, & victimis suis ea abolent, & consumunt. Verùm hæc est laus sacerdotis, non probrum, de quo hic agitur. Dico ergo, sensus est: Sacerdotes peccata populi comedunt, ea laudando, dissimulando, & in se, suamque conscientiam, ea suscipiendo. Ità enim agendo, quasi absorbebant peccata populi, eranque causa ut multiplicarentur. Dicebant enim adulando; illud nullum, vel leve esse peccatum: Deus scit, nos esse fragiles, infirmos. Tales ergo sciens tolerat, iisque compatitur. Non ergo sitis anxii &c. S. Greg. hom. 17. in Evangelia: cur peccata populi comedunt? nisi quia peccata delinquentium fovent; nè temporalia stipendia amittant. Cornel. hic.

Ingressus templum cœpit ejicere &c. Luc. 19. 45. Attendendum,

dum, quòd Dominus statim post annuntiationem excidii Jerusalem intravit ad templum purgandum: ut ostendat, quòd maxima causa destructionis ejus fuit peccatum Sacerdotum. S. Bonaventura hic.

Grandis dignitas Sacerdotum; sed grandis ruina eorum, si peccant. Lætemur ad ascensum; sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. S. Hieron. in c. 44. Ezechielis.

Nulla re Deus magis offenditur, quàm si quis indignus sacerdotii dignitate præfulgeat. S. Chrysost. hom. 41. in Matth. 12.

Pro universo, qui peccaret, populo, tantum offerebatur sacrificium, quantum pro solo sacerdote: id autem significat; quòd major est authoritas, eò est gravius eorum, qui peccant, supplicium. S. Chrys. in Ps. 6.

Clerici ambiunt quidem ad sacerdotium pervenire; sed non student digni sacerdotio fieri. Præesse inhiant, prodesse non curant. B. Petrus Dam. l. 1. ep. 2.

Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus. S. Bernardus ep. 42.

Solebat dicere S. Bonifacius M. & Ep. Ultrajectensis: quondam aurei sacerdotes utebantur ligneis calicibus; nunc lignei sacerdotes aureis calicibus. Gavantus p. 2. tit. 1.

Magis loquuntur centum verba pro Mundo, quàm pro meo honore unum: magis darent centum marcas auri pro Mundo, quàm unum denarium pro me: magis centies laborarent pro propria utilitate, & Mundi, quàm semel pro honore meo. Revel. S. Brig. l. 1. c. 47. verba Chr. de malo sacerdote.

Miscellanea.

Fac mihi inde pulmentum. Gen. 27. 3. 4. Cur Isaac petiit ab Esau carnem ferinam ex venatione potiùs, quàm pullorum, vel agnorum; cùm ea domi haberet, antequam ei benediceret? Docuit Isaac, dantes spiritualia, exigere posse temporalia, nimirum sacerdotes; qui docent, orant, & benedicunt populo, à populo ali debere. Cornelius hic.

Propterea vocantur Clerici: vel quia de sorte sunt Domini; vel quia Dominus ipse sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet; talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. S. Hieron. ep. ad Nepotianum de vita Clericor.

Haud planè sacerdotium dominatio est; quin potiùs, ut quis intelligat, servitus. S. Asterius hom. in SS. Petrum, & Paulum.

TITULUS II.

SACRAMENTA.

Vox Domini super aquas. Ps. 28. 3. Baptismus. *Vox Domini in virtute*, Confirmatio. *Vox Domini in magnificentia*, Eucharistia. *Vox Domini confringentis cedros*. Pœnitentia. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, Matrimonium. *Vox Domini præparantis cervos*, Extrema unctio. *Vox Domini concutientis desertum*. Ordo. S. Vinc. Ferr. s. 1. Dom. Oculi. *Vox Domini super aquas*. Hæc est vox, quam Dominus proferre jussit in Baptismo: *ego te baptizo &c. Vox Domini in virtute*, qua fit Sacramentum confirmationis. *Vox Domini magnificentia*, qua fit munificentissimum Sacramentum Eucharistiæ. *Vox Domini confringentis cedros*, qua Sacramentum Pœnitentiæ perficitur. *Vox Dom. intercidentis flammam ignis*, qua conficitur Sacramentum extremæ unctionis, & tolluntur reliquiæ peccatorum, & concupiscentiarum. *Vox Dom. concutientis desertum Cades*, id est, Sanctum, qua conficitur Sacramentum ordinis, & consecrantur sacerdotes, ac ministri Ecclesiæ, segregantur que à cœtu populi in sortem Domini, ut Sancti sint. *Vox Dom. præparantis cervos*, seu, ut Hieron. ex Hebræo, *vox Dom. obstetricantis* cervas, id est, adjuvantis ad partum; qua conficitur Sacramentum Matrimonii, quo gratia confertur conjugibus ad dignè filios procreandos. De Ponte in Cant. 2. Exh. 8. §. 1.

Ungebant oleo multos agnos, & sanabantur. Marci 6. 13. Ex hoc elicitur, quod extrema unctio infirmorum fuit ante Passionem instituta à Christo. Dion. Carthus. hic.

Linivit lutum super oculos ejus. Joan. 9. 6. Cùm Christus sola voluntate, aut verbo, aut tactu manus, & solo sputo, absque luto, visum potuisset restituere cœco nato; quid est, quòd ex saliva capitis, & pulvere, unguentum fecit? posteriora dixerim potiùs, quàm priora signari. Facta quidem erat Incarnatio; sed nondum condita sacramenta; quæ fiunt ex rebus imis, & corruptibilibus, per imperium verbi Dei. Nam vilis, & corruptibilis est aqua; tamen consecratur verbo: in qua intincto corpore anima lavatur à sordibus. Ima, & marcessibilis est lingua humana; & per verbum Dei consecrat, & benedicit; absolvit, & ligat; & docet utilia, & divina, & dirigit in vitam æternam. Pulvis est homo, & per verbum sacerdos efficitur, divinam virtutem habens; etiam angelos excedens: ut ex corruptibilibus, atque mortalibus, Christi substantiam faciat. Liquor olivarum procedit ex humoribus terræ; attamen per verbum efficitur Sanctum crisma, & oleum Sanctum; ad ungendum frontem, & sensus humanos. Sim. Cass. l. 5. c. 33.

Bona pascua divina sacramenta sunt. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit Resurrectionis. Carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis. Carpis rosam, hoc est, Dominici Corporis sanguinem. His pascuis grex Domini saginatur. S. Ambros. Octon. 14. in Ps. 118.

Quòd latus lancea percussum, in terra sanguinem, & aquam manavit; procul dubio sacramenta sunt, quibus formatur Ecclesia. S. August. l. 77. de diversis.

Quando fabricata est Eva? dum dormiret Adam. Quando de latere Christi sacramenta fluxerunt? cùm dormiret. in Cruce. Id. in Ps. 40.

Sacramenta instituta sunt propter necessitatem vitæ spiritualis. Et quia corporalia sunt quædam similitudines spiritualium; oportet sacramenta proportionari eis, quæ sunt necessaria ad vitam corporalem. In qua primò invenitur generatio, cui proportionatur Baptismus, per quem regeneratur aliquis in vitam spiritualem. Secundò ad vitam corporalem acquiritur augmentum; per quod aliquis perducitur ad quantitatem, & virtutem perfectam. Et huic proportionatur sacramentum confirmationis, in quo spiritus S. datur ad robur. Tertiò requiritur alimentum; similiter vita spiritualis per Sacramentum Eucharistiæ reficitur. Sanct. Thom. Aqu. in 1. Cor. 11. Lect. 2.

TITULUS III.

SACRIFICIA.

§. I.

Sacrificia, & Oblationes, veteris testamenti.

Factum est, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui. Gen. 4. 4. Abelis est hæc vox: Sacrum pingue dabo; non macrum sacrificabo. Cain ex adverso: sacrificabo macrum, non dabo pingue sacrum. Cum Cain offerunt, qui proles stupidas, turpes, mancas, dant Religioni; pulchras, & ingeniosas, conjugio. Cornelius hic. Cain sua rectè, cui debebat, Deo obtulit; sed retinuit sibi seipsum: & cor suum, auferens Deo, malè divisit. Abel autem acceptum Deo justus in corde obtulit holocaustum: quia non se sibi retinuit; sed Deo se totum subdidit, impendit. Priùs *respexit ad Abel*, & postea *respexit ad munera*: quia non offerens placuit à muneribus, sed munera placuerunt ab offerente. Innocentius III. P. de sacr. alt. myst. l. 5. c. 3.

Et odoratus est Dominus odorem suavitatis. Gen. 8. 21. At non ità est de ingratis Judæis. Audi Prophetam Is. 1. 13. incensum abominatio est mihi. Quasi ostendat voluntatis offerentium malitiam. Quemadmodum hic justi virtus fumum, & nidorem, fecit odorem fragrantiæ: sic apud illos offerentium nequitia bene olens thymiama in abominationem convertit. Igitur ubique studeamus mentem afferre incorruptam: ista enim causa est omnium bonorum. S. Chrysost. hom. 27. in Gen. Nusquam Dominus odoratus fertur odorem suavitatis, nisi in hac oblatione Noe. Obtulit Aaron thymiama; nec odoratus est Dominus. Obtulit Salomon hostias optimas innumeras; obtulit Nehemias, Machabæi: nec grati odoris mentio habetur in scripturis. Nimirum non ditius, non sanctius, holocaustum Noe, sacrificiis aut Abel, aut Abraham; sed præ omnibus inexpectatum. Quis enim in tanta orbis orbitate de sacrificio cogitasset? quis armenta tunc mactasset, quando tam erant numero imminuta? Vivere vix licet, habitare omnino non licet? & aras ædificare, immolare licet, habitare omnino non licet? & aras ædificare, immolare licet pecudes. Hinc Noe victimæ placuere, quas iridis apparatu splendidè remuneratus est Deus. *Arcum meum ponam in nubibus*. Gen. 9. 13. Quod minimè expectatur, maximè expetitur: insolita gratiora sunt. Oliva lib. 3. strom. §. quæ est ista?

Tolle filium tuum unigenitum &c. Gen. 22. 2. Non contristat frontem devotissimus Abraham: nec dolor patri lacrymas persuasit; sed exultat, & gaudet. Nec timuit, nè parricidium ei imputaretur; sed magis, ut devotioni pareret; lætabatur, hoc jussisse Deum. S. Zeno Veron. lib. de Abrah. O! qui servum Domini ità se esse meminerat, ut patrem se esse nesciret! Quid est pater? ecce sub oculis jacet filius vinculis astrictus! Ubi sunt lacrymæ? ubi dolor? qui in humanis sensibus versari consuevit? In tantis filii casibus lætatur, & gaudet; & se Dominum promeruisse, triumphat. A filio ad agnum transtulit dexteram; semper lætatus, & gaudens. Id. ib.

ibid. Charissimi membra, quæ osculis premere consueverat, armatus gladio jubetur occidere. Id. l. 3. Meliùs servavit filium, dum non pepercit. Id. ibid. De filii Isaac immolatione hæc possumus attendere ad difficultatem operis pertinentia. 1. Quòd amicissimum voluit occidi. 2. Quòd coram se, & propriis manibus. Aliquis enim sustineret, quòd filius ejus occideretur; tamen non posset hoc aspicere, vel propria manu facere. 3. Quòd unigenitus. 4. Quòd eum habuerit miraculosè. 5. Quòd magna promissio facta Abrahæ de ipso. 6. Quia solatium matris. 7. Quòd non solùm occidi, verùm etiam *incendi*: *offer eum in holocaustum*. 8. Quòd voluit eum Deus *duci* per triduum ad locum immolationis: ut longitudine temporis tentatio augeretur, & curis crescentibus paterna viscera cruciarentur. 9. Quòd non apparebat aliqua præcepti utilitas; damnum verò manifestum. 10. Quòd non excusasset eum authoritas præcipientis, cùm nullus testis affuerit. 11. Quòd erat rationi contrarium; nec præcesserat hujus obedientiæ exemplum. 12. Quòd omnium, ad quorum notitiam pervenisset, imminebat scandalum. Abraham verò nec se excusavit, nec causam præcepti quæsivit. S. Thom. Aqu. lib. 5. de erudit. princ. c. 36. *Vade &c.* Exaggeratio doloris, & tentationis. Si enim statim occidi præciperet, quasi ex impetu, sustinendum esset: sed per tres dies ducere jubet filium, ut visu, & societate, & colloquio, filii retardari possit. Per triduum crescentibus curis paterna viscera cruciantur: & prolixo spatio pater filium intuetur, cibum cum eo sumit; tot noctibus pendet puer in amplexu patris, cubat in gremio; & per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filii cumulatur. *In holocaustum*. Ut nihil de illo remaneret ad solatium patris. Hugo Card. hic. Dicet quis: cur Abraham moriturus Gen. 25. 7. non Isaacum item eo modo, quo & Isaac Jacob, & Jacob filios suos benedixit? Videlicet: quia Isaac, jam ex quo in holocaustum Deo oblatus est, benedictionem hæreditate possedit: neque opus fuit illum sermone consecrari; qui reipsa, in typum Salvatoris, sanctum sacrificium, & hostia viva esse meruit. Rupertus in Gen. l. 9. c. 21. Trium dierum itinere venit ad montem. Cur non domi, non statim, jubetur immolare? Ut gratum Deo sacrificium peracturus, priùs per tres dies à domesticis curis, & conjugalibus negotiis vacaret. Mendoza Annot. 1. in 1. Reg. 1. sect. *Cùmque alligasset*. Abraham filium suum oblaturus, etsi libenti, ac invicto, animo se devoventem, nihilominus cautè, fortiterque ligavit. Nil notius patri, quàm filii sui alacris, & devota, voluntas, qua se morti tradebat. Credibiliùs hebetandam ignis, & gladii, aciem; quàm Isaac fugiturum. Et tamen filium ligat. Cajet: ratio ligandi non fuit timor, nè Isaac fugeret; aut nè exiliret ab altari: sed nè involuntarii motus, utpote naturales in actu jugulationis existentes, ordinatum, compositumque, situm exturbarent in nonnullam indecentiam sacrificii. Ramirez in Apoc. 3. ep. 7. Abraham sacrificio suo ità *intentus*, & *attentus*; ut bis ab Angelo vocari nomine debuerit, ut audiret. S. Ambros. l. 1. de Abraham c. nè aut non planè audiret, aut fortuitam esse vocem putaret; repetivit vocem: tamquam veritus, nè præveniretur studio devotionis; & una vox impetum ferientis revocare non posset. Baeza t. 1. l. 1. c. 7. §. 15.

Oblatus est Domino &c. Ex. 29. 18. Hebr. *ola*, id est, holocaustum: quod dicitur *ola*, id est, *ascensio*: eo quòd in illo tota victima, per ignem, & fumum, ad Deum ascendat. Cornelius hic. *Hostiæ* apud veteres dicebantur sacrificia, quæ fiebant, antequam ad hostem pergerent. *Victimæ* sacrificia, quæ post victoriam devictis hostibus immolabantur. *Holocaustum* illud est; ubi totum igne consumitur, quod offertur. S. Isidorus Orig. l. 6. c. 19. Differentiam hostiarum, & holocaustorum, in Levitico, pleniùs discimus. Holocausta sunt, quæ super altare integrè concremantur: victimæ, & hostiæ, quarum pars altari offertur, pars sacerdotibus traditur. S. Hieron. in Is. 56.

Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino &c. Levit. 1. 2. Sacrificium est oblatio rei sensibilis, à legitimo Ministro facta Deo, per realem immutationem: ad testandum supremum illius dominium, & nostram subjectionem. Ubi nota: res inanimæ, quæ sacrificabantur; vel erant liquidæ, ut sanguis, vinum, oleum: hæc effusione offerebantur. Vel erant solidæ: ut panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum: hæc levabat sacerdos in altum, varieque conficiebat, & immutabat; in qua immutatione consistebat ratio sacrificii. Nam panis in frusta dissecabatur; simila sartagine, clibano, vel craticula coquebatur; sal urebatur; thus adolebatur; manipulus spicarum torrebatur; triticum conterebatur. Cornelius hic. Deus nullum piscem sibi selegit in sacrificium: quia boves, oves, &c. magis sunt in communi hominum usu; præbentque homini sua carne, & lacte, cibum; suo vellere, & corio, vestitum; boves etiam arant: pisces etiam vix vivi adduci, ideoque nec immolari potuissent. Adde: pisces esse ignaviæ, & luxuriæ, symbolum; & imperfecta animalia. Philo lib. de constit. Mundi: Primi inter cœtera animalia pisces creati sunt; quòd eorum anima sit ignobilissima. Cornelius in Levit. 1. 2.

Quòd si hostia pacificorum &c. Levit. 3. 1. In hac hostia habebat suam partem Deus, offerens, & sacerdos: Et si hæc hostia singulos pacificabat, id est, singulis, quod suum erat, reddebat. Hugo Card. hic.

Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum. Levit. 5. 7. Par turturum, aut columbarum, par oculorum, cordis, & corporis; hoc est sacrificium pauperum; id est, peccatorum: accedentes cum hoc duplici gemitu à Domino consequuntur indulgentiam. De Rampelogis. Compunctio.

Populus immolabat in excelsis. 3. Reg. 3. 2. Id fecerunt, quia excelsa viciniora cœlo, ideoque plus venerationis apud rudem populum obtinent. Altare dictum ab altitudine, quasi *alta ara*. Sic Gedeon in excelsa petra sacrificium Deo obtulit. Judic. 6. 26. Idem fecit Samuel in excelso. 1. Reg. 9. 19. Et Salomon hic. Elias in monte Carmelo. 3. Reg. 18. 20. 23.

Contigit autem & septem fratres unà cum matre sua apprehensos &c. 2. Machab. 7. 1. O sacrificium illo Abrahæ majus, præstantiusque sacrificium! ille enim unicum tantùm alacri animo obtulit; quamquàm unigenitum, & divinitùs promissum: hæc autem populum universum filiorum Deo consecravit. S. Gregor. Naz. Orat. de Machabæis.

§. II.

Sacrificia novi testamenti.

Num. I.

Figura, Christus.

In holocaustum. Gen. 22. 2. Cœteri sancti dicuntur sacrificia: quia partim pro se passi sunt. Sed Christus dicitur holocaustum: quia nihil pro se; sed pro nobis totus incensus est. Hugo Card. hic.

Super unum montium. Gen. 22. 2. Iste mons est charitas: super quem totum negotium Incarnationis, Prædicationis, Passionis consummatum est. Id. hic.

Memor sit omnis sacrificii sui. Ps. 19. 4. Dicit *omnis*: quia plura sunt ejus sacrificia; videlicet per totam vitam suam ab initio; scilicet ab Incarnatione usque ad mortem. Hugo Card. hic.

Et accipiens calicem &c. Matth. 26. 27. Cur Christus caliceni sanguinis sui dat nobis in cœna? S. Gregor. Nyss. hom. 6. de Resurr. per ineffabilem sacrificii modum præoccupat impetum violentorum; ac sese in obligationem, & victimam, offert sacerdos simul, & agnus. Ante realem crucis exhibitionem, mysticam crucem, & passionem, agebat Christus: incruento modo præoccupat priùs agere, quæ postea cruentissimè erant operanda. Sic in horto sanguinem fudit Luc. 22. 44. de quo Hildebertus Turonensis in versib. de Missa; sanguineus sudor crux fuit ante crucem. Sylveira in Luc. 22. q. 34. Sacrificium, quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua virtute consistit: ut non minùs hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax; quàm ea die, qua de sacro latere sanguis, & aqua exivit. S. Cyprian. de Baptismo Christi.

Tota vita Christi in sæculo quasi una solennissima Missa fuit; in qua ipse fuit altare, & templum; sacerdos, & hostia. Dion. Carthus. ib. de vita Curatorum Act. 16.

Num. II.

Sacrificium incruentum altaris.

Figura.

Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt. Gen. 22. 14. Pulcherrimum, atque sanctissimum est, persentiscere, quemadmodum & usque hodie in monte visionis, id est, in sancta Catholica Ecclesia offeratur jugiter idem Filius Deo Patri; tamen immortalis perseveret, atque impassibilis. Etenim huic immolationi jure assimilatur sacrificium Patriarchæ pij, ac fidelis: quia videlicet, sicut illic, ità & hic, non sanguis funditur filii trucidati manibus crudelium; sed vivus, atque integer, permanens, Deo Patri Filius idem, & manibus præsentatur, & ore sumitur Fidelium. Rupertus lib. 6. c. 32. in Gen.

Veni ad montem oliveti, hoc est, ad Missam: quia est ibi multum olei. S. Vinc. Ferr. S. Sabb. post oculi.

Illius æstimatio, pretium.

Non accipiam de domo tua vitulos - quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum si esuriero, non dicam tibi. Ps. 44. 9. &c. Ergo David, si vis sacrificium tuum gratum Deo esse, aliquid quære, quod non sit Dei: siquidem dicit, omne, quod est in Mundo, suum esse; nec quicquam illorum fore sibi gratum. Quid igitur inveniri potest, quod Dei non sit? Dicam vobis: ipsemet Deus non est suus, si dici fas est. Quomodo suus dicetur, quando per Sanct. Joannem c. 3. 16. dixit: *sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret?* Et ità sacrificium hoc æterno Patri offerentes, rem nostram illi offerimus; quam ille nobis dedit; ut ei offeramus donum tanta majestate dignum. Diez Conc. 3. in festo Corp. Christi.

Omnia Divinis (in sacrificio) plena sunt mysteriis; ac singula cœlesti dulcedine redundantia. Innocentius III. P. de sacr. alt. myst. in Procemio.

O liberalis gratia! liberalitas gratiosa! quod Deus dedit in donum, hoc accipit à nobis in munus: eadem enim sacrificia, dona sunt simul, & munera: dona sunt nobis collata; munera sunt à nobis oblata. Id. ib. l. 3. c. 3.

Sacrosanctum altaris Ministerium idcirco Missa dicitur: quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum, & homines, sola valens, & idonea, mittitur legatio. Rupertus de div. offic. l. 2. c. 23.

Missa vox Latina est, à vulgo potiùs introducta. Ab Hebræis aliquam habet originem *Missah* spontanea oblatio. Græcis *Liturgia*, publicum opus. Vel *Mystagogia*, summum Ministerium. Missa à missione precum populi per sacerdotem ad Deum; tum Christum, qui missus à Patre ad nos. Primam Missam celebravit S. Petrus in die Pentecostes; ex diversis authoribus. Gavantus thesauro sacror. rit.

Immolata pro nostra redemptione Caro Christi, totius Trinitatis lætitia est. S. Eligius Novion. hom. 8.

In hoc (quòd scilicet consecratio fiat à sceleſtis etiam sacerdotibus) summæ dignationis, divinæ pietatis, & Fidei nostræ, certitudo, & veritas demonstratur. Quia, si non posset verè consecrari corpus Christi, sive tangi, nisi à justis hominibus; numquam possemus in hoc Mundo scire, quando esset veraciter Corpus Christi. Sicut ergo Christus corporaliter se portari permiserat à diabolo supra pinnaculum templi, & à peccatoribus crucifigi; ità adhuc se permittit tangi, comedi, & contrectari à peccatoribus. S. Thom. Aqu. Opusc. 2. de sacr. Euch.

Qui Filium recepit in cruce oblatum per manus Judæorum, eundem Filium recipit per immundas manus pessimorum Sacerdotum consecratum. Broymard. Sacrificium.

Nondum tibi de exercitiorum spiritualium sole, & principe, locutus sum, de Sacratissimo Missæ sacrificio, & sacramentis. Hoc quippe Religionis Christianæ centrum est, devotionis cor, pietatis anima; quodque divinæ charitatis abyssum in se comprehendit. Sanct. Franciscus Salesi. Philoth. p. 2. cap. 14.

Num. III.

Sacrificii celebratio, celebrans.

In templo S. Praxedis repertum ligneum altare, prope quod lignea tabula cum hac inscriptione: in hoc altari S. Petrus pro vivis, & defunctis, ad ungendam Fidelium multitudinem, corpus, & sanguinem, Domini offerebat. Aringus de Roma subterranea, & vetere.

S. Lucianus Presbyter, & Martyr, in carcere celebrat, pectore usus pro altari. Boll. 7. Jan.

Num. IV.

Missæ votivæ, ritus, &c.

Ab Albino, institutore missarum votivarum, alius decretus fuit ordo. Nam in Dominica dicebatur Missa de SS. Trinitate, feria 2. de Sapientia, fer. 3. de Spiritu S. fer. 4. de Charitate, fer. 5. de Angelis, fer. 6. de Cruce, Sabbato de S. Maria. Nunc verò, feria 6. & Sabbato, immutatis, in feriam 2. translata est Missa de SS. Trinitate. Feria 3. data angelis. Feria 5. Spiritui S. & SS. Eucharistiæ. Illi quidem forasse: quia die quinto creationis aquæ, super quas Spiritus S. ferebatur, omne reptile, & omne volatile, produxerunt. Huic autem: quia ea die instituta. Missæ de Charitate suffecta est Missa Apostolorum Petri & Pauli, flagrantium præ aliis amore. Gavantus tit. 4.

Albus color significat gloriam, gaudium, & innocentiam. Albo utimur in sacrificio de Sponsa, & Sponso: quia supponitur in sponsa benedicenda carnis integritas. Unde viduæ nuptias non benedicimus. Rubeus color seu purpureus, indicat dignitatis gradum aliis excellentiorem: igneam refert naturam. Id. tit. 18.

Crux in altari est tamquam signum Regis in regia, ut Passionis memoriale. Id. tit. 20.

Cur Sacrificium Christus in forma potiùs panis, & vini, instituerit? quàm alterius cibi? quia scilicet hæ duæ res valde aptæ sunt ad institutum, quod Dominus intendebat: ut scilicet incrementum ejus Passionis sacrificium, & fructus, referrent. Nulla enim res plus perfert, antequàm ad nostrum nutrimentum perveniat, quàm frumentum: metitur enim &c. Eandem ob causam sanguinem suum texit accidentibus vini: quod, ut in nostrum potum cedat, calcatur in torculari, premitur; deserens botrum, seu racemum, in quo ante continebatur. De Ponte tom. 4. de Christi perfect. tr. 2. cap. 2.

Introibo ad altare per dilectionem, in montem, ut altiora crederem; in tabernaculum, ut fortiora facerem: introibo ad altare, ut me immolem. Sanct. Bonaventura: in Psalm. 42.

Quid significat vinum aqua mixtum.

Quando in calice vino aqua miscetur Christo populus adunatur; & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & jungitur. Sanct. Isidorus lib. 1. de offic. Eccl. cap. 18.

Ob id sacramento vinum miscetur aquæ, quæ unà cum sanguine ex ejus latere salutariter fluxit; ut Christo populos fide, & charitate, jungendos daretur intelligi. Philo Carpatus in Cant. 4.

Dum in Sacramento vino aqua miscetur, Christo Fidelis populus incorporatur, & jungitur. Sanct. Cæsarius Arel. hom. 7.

Parum aquæ miscetur: ut significetur fluxus sanguinis, & aquæ, ex latere Christi. Vel, quòd populus uniatur Christo. Vel, ut fateamur in una Persona Christi duplicem naturam. Ex Nicephoro l. 1. c. 53. Tum, ut significetur introitus in vitam æternam. Ex Ambrosio apud. S. Thomam q. 74. a. 7. Quia verè pauci sunt electi: ideo etiam modicissimum aquæ vult infundi. Concilium Florentinum in instruct. Armen. Aqua in Missis defunctorum non benedicitur: quia significat hoc loco populum Purgatorii, qui jam est in gratia. Gavantus tit. 7.

Ideò aqua vino miscetur, & sic Sacrificium acceptabile Deo offertur: quia tunc gratam Deo Passionis Christi hostiam immolamus; quando & ipsi Passionibus ejus simul patiendo communicamus. Franco Abb. tom. 10. de gratia Dei.

Dum in Sacramentis vino aqua miscetur, Christo Fidelis populus incorporatur, & jungitur. Et quadam ei copula perfectæ charitatis unitur; ut possit dicere cum Apostolo: *quis nos separabit à charitate Christi?* Rom. 8. 35. Sicut ergo separari grana ab illius confecti panis adunatione non possunt; & sicut aqua ad propriam redire substantiam vino permixta jam non potest, sic & Fideles quique, atque sapientes: qui redemptos se Christi sanguine, & Passione, cognoscunt, ità debent, quasi inseparabilia membra capiti suo, Fidei conversatione, & ardentissima religione sociari: ut ab eo non voluntate, non necessitate sejungi; non ulla terrenæ spei ambitione; non ipsa denique possint morte divelli. Eusebius Emissenus hom. 5. de Pasch. In vini itaque, & aquæ, mixtura, quam dissolubilem unitatem exoptet Jesus, exprimit. Arcones in Is. 3. Disc. 3.

§. III.

Sacrificium morale.

Num. I.

Teipsum offer.

Ex Veteri.

Respexit Dominus ad Abel &c. Gen. 4. 4. Unde horum sacrificiorum discrimen? ex differentia offerentium, inquit Rupertus. lib. 4. hic. Quia Abel priùs cor suum, deinde rem ipsam, obtulit. Cain autem Deo obtulit rem suam, & retinuit sibi cor suum. Seu, ut loquitur Cassiodorus in Psalm. 65. quia Cain creaturam creatori obtulit; sed se, quod charius est, subtraxit. Franciscus Quaresimo.

Egredere de terra tua. Gen. 12. 1. Si quæ es anima, quæ cupis sequi vestigia fidei Patris nostri Abraham; exi de terra tua &c. Sed cùm omnia ista feceris; si virtus charitatis, quæ omnia credit, est in te; adhuc tentabit te, & probatum coronabit te, & expetit à te sacrificium dilecti tui. Tibi dicit sapientia: *præbe fili mi cor tuum mihi.* Prov. 23. 26. Ipse est di-

dilectus unicus. S. August. Dom. 4. post Octav. Epiph. de 4. virt. char.

Ista est lex Nazarei &c. Num. 6. 21. Glossa ord. in cap. 30. Num. leguntur diversa vota in scripturis. Anna vovit Deo fructum ventris sui, & Samuelem consecravit in templo. 1. Reg. 1. 11. Jephte quodcumque sibi post victoriam occurrisset; & occurrit filia, vota lacrymabunda persolvit. Judic. 11. 30. Alii vitulos, vel arietes. Nazaræus autem seipsum. Jonghen sacr. Prof. Exh. 4.

Reverente autem Jephte occurrit ei unigenita filia. Judic. 11. 34. Unusquisque nostrum debemus esse Jephte; qui, devictis inimicis cupiditatum nostrarum; & voluptate carnis nostræ, offeramus unicam animam nostram; quæ est singularis, & unica. S. Chrys. hom. de Jephte.

Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, infirmus ero. Judic. 16. 13. Cum esset Nazaræus, tota ejus cæsaries consecrata erat Deo, eique fortitudo divina inerat alligata. Septem solùm crines offert, mox *defecit anima illius, & ad mortem usque lassata est.* v. 16. Qui enim integram divini obsequii mensuram non servat; sed partem dividit cum Deo, partem cum Mundo; timeat, nè partem cum Deo perdat. Sylveira addit. in Luc. 11.

Sacrificate sacrificium justitiæ. Ps. 4. 6. Nam si ipse pro nobis immolatus est Christus; quantò magis convenit sacrificium ei nosmetipsos offerre; ut possimus regis nostri imitatione gaudere. Sacrificium justitiæ id est, rectè vivite, & corda vestra divinitati munda semper offerte. Addit: *& vesperate in Domino*, ut vitam bonam spes felicior subsequatur. Cassiodorus hìc.

Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ. Eccl. 12. 1. Hebr. *tempore electionum tuarum.* Sensus est: q. d. juxta Sanct. Hieron. Hugon. Dion. Carth. adolescens, qui in flore, & vigore, es ætatis; blanditur tibi voluptas, sollicitat venus, instigant socii, impellit diabolus. Quare nè illis succumbas, & teipsum perdas, memento Creatoris tui: quòd scilicet sit Deus tuus Creator, tu ejus creatura: quæ totum suum esse, quantum quantum est, debet creatori: ab eoque tota pendet, tam in esse, quam in conservari, sicut radius à sole. Si igitur homo creatura Dei es; memento, te totum, quantùs es, Dei esse; non tuum, non parentum, non alterius creaturæ. Redde ergo Deo, quod suum est; redde teipsum. Itaque *Creatoris* nomen habet emphasim; qui titulus exposcit à creatura; ut Deo Creatori suo, velut absoluto sui Domino, præstet omnem submissionem, reverentiam, & amorem. Cornelius hìc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Matth. 4. 20. Quare Petro, & Andrea, minùs dimittentibus Zachæo; tamen non huic, sed illis, confertur hominum piscatio? Resp. quia seipsos obtulerunt; & minimis, quæ habuerunt, sed exuunt, Christum sequuntur, eique individualiter adhærent. At Zachæus adhuc cum sua supellectili retinebat domum, in eaque mansit. Sylveira hìc.

Si offer munus tuum. Matth. 5. 23. S. August. s. 16. de verb. D. te quærit Deus magis, quàm munus tuum. Offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus quærit Christus, quem redemit sanguine suo; quàm quod tu invenisti in horreo tuo.

Obsecro vos per misericordiam DEI. Rom. 12. 1. Græc. *miserationes Dei*: hoc est, beneficia divina. Dedit seipsum; da te. Bellarminus c. 15. de 7. verb. Chr.

Qui sic operantur ea, quæ Dei sunt, ut tamen & quædam, quæ sunt sæculi, non relinquant, sacrificium, & non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta, quæ Mundi sunt, deserunt, & totam mentem igne divini amoris incendunt; hi nimirum omnipotenti Deo sacrificium, & holocaustum fiunt. Sanct. Gregor. hom. 12. in Effect. 3. circa finem.

Nos ipsos totos Deo in munus offeramus, ut nos totos recipiamus. S. Gregor. Naz. Orat. 4. in S. Baptisma.

Non satis Deo charus est, immò Deo indignus est, qui rem suam quidem illi offert; seipsum autem retinet sibi. S. Rupertus Abb. l. in Levit. c. 46.

Christo Jesu debes omnem vitam tuam: quia ipse vitam suam posuit pro vita tua. Cùm ergo ei donavero, quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est, sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? S. Bernardus s. 22.

Non tam res nostras, quàm nosipsos, desiderat Deus. Et quia nos scit multùm amare terrenam substantiam; ideo vult sibi offerri, quod amamus: ut, secundùm illius præceptum, ubi præcesserit thesaurus noster, illuc sequatur & cor nostrum. S. Eligius Noviom. hom. 8.

Num. II.

Offer DEO optima.

Factum est, ut offerret Cain de fructibus terræ. Gen. 4. 3. Nota: quòd oblatio Cain dicitur nomine communi, non enim dicitur, de optimis terræ frugibus. Unde ex hoc colligitur, quòd ex cupiditate, & avaritia, optimas fruges retinuit, & minùs bonas Deo obtulit. Sicut multi faciunt; qui Deo nunquam offerunt, nisi deterius, & quod est corruptum, vel consumptum, & quo non possunt uti. S. Thom. Aqu. hìc. S. Ambros. l. 1. de Abele: obtulit Cain à fructibus terræ; non à primis fructibus, primitias Deo: hoc est, primitias sibi priùs vendicare, Deo autem sequentia deferre. Ideò respexit Deus in munera Abel; quia à primitivis obtulit. Arcones in Is. 4. Disc. 3. Cur Deus non respexerit munera Cain, sicut Abelis; Cajetanus, cum S. Chrysostomo, assignat hoc discrimen: oblatum à Cain absque ulla electione describitur; nihil tamen detrimenti in eodem narratur: ut intelligamus, penes electionem à Cain neglectam disparitatem fuisse. Fortè prima fortuitò in humum decidua, putrida obtulit; aut, si malis, placentulam aliquam malè coctam; aut spicas macriores. Hinc vide, quàm parvi Cainus æstimarit Deum, ejus honorem, & amicitiam: quia pro Deo colendo, & ejus gratia promerenda, nullum putavit sibi damnum subeundum. Fernandius hìc sect. 4.

Igitur Abraham de nocte consurgens &c. Gen. 22. 3. Non est perfecta amicitia, & obedientia nostra ad Creatorem; nisi actualissima promptitudine nos, & omnia nostra amantissima sibi medullitùs offeramus. Sanct. Thomas hìc.

Audi Israel-Dominus Deus noster, Dominus unus est. Deut. 6. 4. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Deut. 6. 5. Cùm in Lege tua, Domine jussisti, ut te diligeremus, adjunxisti, te nostrum Dominum esse, unum, & solum. Si forsan aliquo casu Deus solus non esses, sed plures dii; aliquam te non toto corde meo amandi excusationem habere possem; quia cor meum in varias partes divisum esset. Sed, cùm solus sis, & unus; te diligere facillimum est toto corde. Stella medit. 55.

Dividatur. 3. Reg. 3. 26. In judicio Salomonis non germana mater jussit infantem dividi, quem germana mater integrum, & vivum voluit. Mundus fallax vult, ut per medium in duas partes cor meum dividam; ut ille mediam partem accipiat; & tibi Domine alteram dem. Stella medit. 55.

Omne masculinum. Luc. 2. 23. Magnum sacramentum prorogat signatè distincta locutio; ut masculinum primogenitum, non fœminum Domino sisteretur: quoniam omne, quod virile, & forte, & firmum esse cognoscitur, est Domino consecrandum: quod verò est contrariæ actionis; Domino in suo templo deferre non convenit. Sim. Cass. l. 2. c. 21. Deus à nobis cor masculum requirit: quia optima Deo offerenda. S. Cyrillus l. 15. de adorat.

Ex abundanti sibi miserunt in munera Dei. Luc. 21. 4. Id est, ex copiosa substantia sua posuerunt aliquid in gazophylacium inter oblata, quæ dicuntur munera Dei. 1. Quia à Deo hominibus sunt collata; sicut David loquitur Domino 1. Paral. 29. 14. *Tua sunt omnia; & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quia Deo ab hominibus offeruntur; ideò viliora non sunt Domino offerenda, sed meliora. Sicut Gen. 4. 4. Abel *obtulit de primogenitis gregis sui.* Cain verò de fructibus terræ. v. 3. Malach. 1. 8. *Si offeratis claudum, aut languidum; nonne malum est? offer illud Duci tuo, si placuerit ei*; q. d. terrenus princeps tuus tibi indignaretur, si offerres, quod villiùs est. Dion. Carth. hìc.

Nostro ævo, in novo illo orbe terrarum, qui nuper repertus est, inventi sunt populi; qui pro summa pietate habebant, magnum hominum numerum jugulare, & eorum cor à reliquo corpore avulsum Deo offerre. Clarius l. 1. or. 25.

Deus voluit sibi offerri primitias fructuum, & primogenita hominum. Sed quare hoc? nisi ut omnia prima, & maximè omnia meliora, & chariora Deo offeramus. Ludolphus Carthus. p. 1. c. 12.

Num. III.

Offerentis utilitas sine damno.

Tolle Filium tuum unigenitum. Gen. 22. 2. Et postea v. 12. Angelus de cœlo: *non extendas manum tuam super puerum.* Sed cur Isaac, dum litandus Deo, vocatur filius Abrahæ, *tolle filium tuum*; dum verò vivus recipitur, vocatur *Puer*? quod nomen sæpè in Scriptura significat servum. Quia magis filius reputabatur Abrahæ, dum Deo in sacrificium offerretur; quàm dum vivens in potestatem patris reddebatur. Sylveira in Matth. 2. q. 15. S. Chrysost. hom. de Job, & Abrah. dixit Deus Abraham: *nè extendas manum tuam super puerum.* Quare non dixit, filium? vilior erat. Sylveira in Matth. 2.

Illi autem statim, relictis retibus, & patre, secuti sunt eum. Matth. 4. 22. Nota: quantum recipiat homo pro illis, quæ Dei causa dimittit. Petrus navem reliquit; cujus loco gubernacula totius Ecclesiæ suscepit. Joannes patrem; pro quo S. Mariam in Matrem accepit. Sylveira hìc.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Scit, obsequium Christo delatum, totum in seipsum redundare; & nullo modo posse sibi melius parare lavacrum, quàm illud exhibendo Christo. S. Paulinus ep. 4. ad Severum: ad pedes Christi cucurrit; seque in illis abluit, & cibavit. Sylveira hìc q. 12.

Fides tua te salvum fecit. Luc. 7. 50. Cùm sit Fides magnum, & speciale, Dei donum, cur mulieri dicitur, *fides tua*? S. Paulinus ep. 4. quidquid Christo impedimus; nobis potiùs conferimus. Denique illa perfundendo Christum, se abluit; pedes illius tergendo, sua peccata mundavit; illum diligens se dilexit. Et ideo meruit audire: *fides tua te salvam fecit.* Sylveira hìc q. 29.

Videmur quidem Domino negotiari; Sed nobis cedunt negotiationis lucra: & videmur Domino offerre hostias; sed nobis, quæ offerimus, redonantur. Deus enim nullius indiget; sed nos vult divites esse, nostrum desiderat per singula quæque profectum. Origenes hom. 8. in Gen.

Bonum mihi, longeque gloriosius, atque utilius, est, ut tibi magis offerar; quàm deferat mihi ipsi. S. Bernardus l. 3. in Purif. B. V.

Num. IV.

Deus pensat magis affectum pro munere.

Ex Veteri.

Respexit ad Abel. Gen. 4. 4. Nota: quòd dicitur, priùs respexisse super Abel, quàm super ejus sacrificium, quia Deus magis acceptat sacrificium cordis, quàm exterioris operis. Sanct. Thomas Aqu. hìc. Quare respexit Deus Abel, & munera ejus? pro eo, quòd respexit Deum recto animo, & in omnibus moribus suis; Deumque honorabat sine fraude de muneribus suis. Cur autem Cain non est respectus? & munera ejus? quia perversa agebat in animo. Quòd Deus ad te, & ad munera tua, non respiciat; non fecit bonitas fraterna; sed hoc tua malitia meruit. Respexisset utique, si respexisses. Nam si diligentes se diligit; & respicientes se respicit. Inæqualitatem irradiantis solis non facit lucis natura, sed corporum dispositio major, vel minor, ad susceptionem ejus. Sim. Cass. l. 15. c. 4.

Odoratusque est Dominus odorem suavitatis. Gens. 8. 20. 21. Ex carnibus crematis dicitur is odor manasse Deo gratissimus. Isa. 1. 3. tamen ait Dominus populo: *nè offeratis ultrà sacrificium frustrà; incensum abominatio est mihi.* Unde diversitas? nisi ex offerentium animo. Noè obtulit puro corde, Judæi immundo. S. Chrysost. hom. 27. in Gen. animus offerentis, & nidorem, & omne, quod inde nascitur, in suavitatem multa fragrantia replevit. Justi virtus fumum, & nidorem, odorem fecit fragrantiæ; sic apud illos offerentium nequitia benevolens thymiama in abominationem convertit. Sylveira in Apoc. 3. q. 10.

Et pilos caprarum &c. Ex. 25. 4. Ut primitiæ sint, quæ offeruntur; non oblationum quantitas, sed offerentium bona efficit voluntas. Multum enim ab auro, & argento; pili caprorum in pretio differunt; & tamen suo eodem vocabulo primitiarum positi sunt. Nec dubitandum, pilos caprarum, & pelles arietum, interdum auro, & argento, lapidibusque pretiosis, priora fuisse apud cordium inspectorem Deum. S. Rupertus Abb. l. 4. in Ex. 4.

Omnis æstimatio sicli Sanctuarii ponderabitur. Levit. 27. 25. Sicut fiebat in illo mystico, ità fit in hoc vero, quod præfigurabatur, Sanctuario: omnia donaria siclo amoris ponderantur. S. Thom. Vill. s. 1. Dom. 17. Pent. Et quæ offerebantur in templo, ad pondus Sanctuarii librabantur: Sanctuarii autem pondus charitas est. Sim. Cass. l. 9. c. 34. Duplex apud Hebræos pondus erat. Levit. 5. 15. & Ex. 30. 24. publicum, & sanctuarii, quod erat exactius. In Mundo duo ponderis genera; publicum, id est, communis hominum æstimatio; & aliud Sanctuarii, quòd est amor, secundùm quod Deus actiones nostras ponderat. Quot hodie jejunia, eleemosynæ, preces, pœnitentiæ fiunt; quæ pondere quidem publico, id est, communis hominum judicio, æquum habere pondus videntur: at si trutinæ Sanctuarii imponerentur, instar plumæ levia forent: quòd coactè & non ex charitate divina, facta sint. Amor instar numeri arithmetici; qui nullis additus numerum auget. Did. Nyss. Dom. 12. Pent.

Tulit Samuel agnum lactantem. 1. Reg. 7. 9. Miror tam parcum Samuelem cum Domino, quando prodigus esse debuerat. Itane, imminente jam hoste, cùm oves, & boves, immolandi erant, ut Dominus pugnantes juvaret; agnus unus, & quidem lactans, in holocaustum offertur. Noverat sanctus Vates, à Domino non tam victimarum multitudinem, quàm litantis affectum, expendi; & vel minimam placere victimam, si oratio magnarum sit virium. Unde licèt agnum solum obtulit; clamasse tamen fertur ad Dominum: & ideo exilis hostia hostes fugavit; quam ardens oratio succendit, & validam reddidit. Agnus, in quam, satis est; sed si in holocaustum offeratur, hoc est, si, quod Domino litas, totum Deo, & nihil gloriæ, nihil tuis commodis militet. O utinam plerique, qui, ut Philisthæos à finibus arceant, toti sunt in coacervandis undique victimis, flagellorum, jejuniorum, peregrinationum; his vel parcè prælibatis, uni orationi, Samuelis exemplo, vacarent. Oliva l. 10. Strom. §. Puer autem erat minister.

Saltavit totis viribus ante Dominum. 2. Reg. 6. 14. Quantum potest, laborat, currit, saltat, pugnat; qui totis viribus, serioque amat. S. Bernardus: David saltando placuit Deo; non propter saltum, sed propter affectum. Drexelius opusc. 12. David Rex c. 20. §. 1.

Spirituum ponderator est Dominus. Prov. 16. 2. Per spiritum accipe mentis cogitationem, & voluntatem; quam Deus solus ponderat; an sit bona, an mala. q. d. homo videt actionem externam, eamque probat quasi bonam: at Deus videt volitionem internam; quæ sæpè vitiosa est. 2. Spiritus significat operis intentionem. 3. Affectum, amorem, intentionem, fervorem, Zelum. Unde Sanct. Thom. 1. p. qu. 21. a. 4. ad 3. ait: temerarium esse, definire, uter sanctior fuerit. Sanct. Petrus, an S. Joannes? nam spirituum ponderator est Dominus. Pondus spiritus, & animæ, & amor, juxta S. August. quantus ergo est amor in anima, tantum est ei pondus. Cornelius hìc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Stans retrò secus pedes ejus &c. Luc. 7. 38. Mulier Chananæa clamat post Dominum: *miserere mei fili David.* Matth. 15. 22. & tamen semel, ac iterum, repulsam patitur. Consultior Magdalena in domo Simonis ore tacet, sed rigat lacrymis; corde loquitur, & mox accipit remissionem peccatorum. S. Chrysost. ho. in peccatricem, & Pharisæum: Chananæa fortiter clamabat, *miserere &c.* A peccatrix hæc non clamorem edebat; sed considerans, quòd ipse omnia, ut Deus, nosset; silens ore, corde cum cordis inspectore loquebatur, & plorans deosculabatur pedes, atque Dominum ad sui compassionem, indulgentiamque induxit. Unus cordialis affectus potentior est ad movendum Deum, præ externis sacrificiis. Et ideo misericordia plus placet, quia plus de corde habet; immò quia ejus sedes in corda sita est. Hinc Dan. 3. 25. 38. &c. In fornace Azarias sic orat: *non est in tempore hoc princeps - neque holocaustum - ut possimus invenire misericordiam tuam; sed in animo contrito, & spiritu humilitatis, suscipiamur. Et nunc sequimur te in toto corde.* Nota: quòd loco sacrificiorum offerat animum contritum, & sequelam ex corde. Baeza t. 1. l. 6. c. 4. §. 17. Amor cœteros affectus in se ducit, & captivat. Idiota de div. am. cap. 1. Licet. Magdalena abundanter fleverit, pedes lacrymis laverit, capillis terserit, pedes osculata fuerit, & unxerit; tamen istis non attribuitur remissio, sed sol dilectioni: quia sine dilectione parum valuissent. Idiota l. 51. de am. Non tam pretio munerum, quàm obsequii placuit affectu. Sanct. Paulinus ep. 4.

Vidit-quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Luc. 21. 2. Plus omnibus misit, quia plus omnibus dilexit. Et Deus noster non respicit quantum, sed ex quanto affectu ponderat, non censum. Hic est ille siclus Sanctuarii, quo omnia ponderantur. S. Thom. Vill. s. 1. Dom. 17. Pent. Pariter acceptatur, si par sit affectus offerentium. Hildebertus ep. 61. Et pauper, & dives, munera offerebant, plus, vel minus; prout erat eis in voto, aut facultate. Affectum Jesus appendebat, non censum. Omnes terrena sapientes censum, non affectum ponderabant. Sedet nunc Jesus ad Paternam dexteram, affectus, & hominum operationes, aspiciens: in omni tempore, & loco, bonos, & malos, contemplatur; quid, quale, quantum, quoties, quo fine, qua religione, quo ordine, quanto amore agant. Igitur unusquisque apud semetipsum, non quantitatem pro Deo exhibiti census, sed affectus, quàm magnus, seu parvus fuerit, investiget. Monstravit hoc in vidua Jesus; quàm duo minuta offerentem solùm, divitibus, plura, & majora offerentibus prætulit: affectum magnum in parvis muneribus librans; & magna munera ex parvis affectibus parvipendens. Sim. Cass. l. 9. c. 52.

Hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Sanct. Gregor. hom. 35. in Evang.

Qualis intus animi viget affectus, tale foris producitur opus. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 8.

Dico, posse fieri, ut perexigua virtus habeat plus valoris in anima aliqua, in qua sacer amor ferventer regnat; quàm martyrium ipsum in una alia anima, quam inhabitat amor languens, debilis, & lentus. S. Franc. Sales. tr. de amore Dei l. 11. c. 5.

Dives

Dives affectus operum omninò supplet defectus. Simon. Cass. l. 3. de gestis salvat.

Num. V.

Munera spontanea meliora.

Ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas. Ex. 25. 2. Nam divinæ rei faciendæ libens animus indicitur. Tertull. Apologet. 28.

Spontè sua obtulerant se ad faciendum opus. Ex. 36. 2. Olcaster: non coegit quemquam; sed qui spontè accedebat. Ubi simul docemur; ad opera Domini non coactè, sed spontè currere.

Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus. 1. Reg. 1. 11. Quæres: an Abraham, quando hilari, & obedienti animo filium obtulit. Gen. 22. fuerit liberalior, quàm Anna Samuelis Mater? Pro Abrahamo stat ratio: quia non quomodolibet obtulit filium, sed jugulandum; immò intentione ut Patres docent, immolavit. Anna dedit filium non mactandum; sed ut Deo in tabernaculo deserviret. At, hoc non obstante, liberaliorem existimo Annam, quàm Abraham: quia si hic filium offerebat, id non à se præstitit; sed quia eum Deus petiverat: illa verò Deo non postulante obtulit. Discrimen hoc attigit S. Chrysost. s. 24. in ep. ad Ephes. ipsa erat Abrahæ filia: ille, postquàm petitus erat, filium suum dedit: ista verò etiam ante petitionem dedit. Castillo Illat. 29.

Nunquid hostias, & Sacrificium, obtulistis mihi in deserto? Amos 5. 25. Sed an justè quæritur? Certè Moyses in Horeb aram extruxit. Ex. 24. 5. *Misiteque juvenes, & obtulerunt holocausta.* Similiter Num. 7. 2. S. Hieron. benè est; sed quòd eos legimus Deo obtulisse, non voluntate, sed metu fecerunt. Viderunt Ex. 20. 18. fumare montem, micare ignes, mugire tonitrua; ex hoc pavidi sacra fecere: sed quæ necessitate potiùs, quàm voluntate fiunt; perinde est apud Deum, acsi non fiant.

Datum est illi, ut, quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur. Apoc. 13. 15. Vi sæva trahet in servitutem. Rupertus l. 8. in Matth. in hoc palam faciet; quòd verè sit Anti-christus, quòd verè non Christus: verus enim Deus non coacta, sed spontanea vult servitia.

Nemo invitus benè facit; etiamsi bonum est, quod facit. S. August. l. 1. Conf. c. 12.

Num. VI.

Deo sua offerimus.

Quid retribuam Domino &c. Ps. 115. 12. Quæsivit David, quid Deo redderet pro acceptis beneficiis? Et cùm se, suaque omnia, discussisset, nihil prorsus proprium invenit, quod Deo redderet. *Quid habes, quod non accepisti?* 1. Cor. 4. 7. Unde ab ipso Deo mutuo accipere coactus est, quod eidem pro collatis beneficiis referret. Pinna in Eccli. 1. Ethol. 1.

Ex abundanti sibi miserunt in munera Dei. Luc. 21. 4. Id est, ex copiosa substantia sua posuerunt aliquid in gazophylacium inter oblata; quæ dicuntur munera Dei &c. Vide superiùs §. 3. Num. 2. circa finem. Nemo suum aliquid offert Deo; sed, quod offert, Domini est: & non tam sua quis offert; quàm ipsi, quæ sua sunt, reddit. Orig. hom. 23. in Num.

In Missæ Canone: *offerimus præclaræ Majestati tuæ, de tuis donis, ac datis, hostiam puram.* 1. Cor. 4. 7. *quid habes, quod non accepisti?* Job 35. 7. Eliu: *si justè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* Ps. 49. 10. *meæ sunt omnes feræ sylvarum. Omnis hæc copia - de manu tua est, & tua sunt omnia.* 1. Par. 29. 16. Mendoza in 1. Reg. 6. 1.

Miscellanea.

Factum est autem; post multos dies, ut offerret Cain. Gen. 4. 3. Culpa est, quòd post dies obtulit: sacrificium enim celeritate commendatur. S. Ambros. l. 1. de Abel & Cain c. 7.

Sanctum Sanctorum est. Levit. 6. 25. Sanctum à sancio venit: sancire enim propriè est, consecrare aliquid sub sanguine hostiæ: unde sanctum dicitur, quasi sanguine consecratum. Id. hic.

Non vadam, donec ablactetur infans. 1. Reg. 1. 22. Cur statim non vult deferre puerum Deo suo? Erat equidem puer donum oblatum à matre in Dei cultum; sed expectabat, & ejus profectui prospiciebat. Baeza t. 3. l. 14. c. 5. §. 7.

Si offers munus tuum ad altare. Matth. 5. 23. Quod semel munus Deo offers, teneris illud omni ex parte perficere. Non jubetur quis, ut oblatum Deo munus tollat, & abeat reconciliari fratri suo; sed ut abeat reconciliari, relicto ibi coram Deo munere. Cur relicto, & non secum lato? ut, ibi manente munere, ostendat obligationem, qua tenetur homo perficere munus, quod Deo semel obtulit; nè ex aliqua deficiat parte. Id. ibid.

Reddite, quæ sunt Cæsaris &c. Matth. 22. 21. Nè ob hoc quispiam causetur, idcò non posse reddere vota sua, quòd censum dedit in fiscum Cæsaris: quoniam Deus talia exigit, quæ non possent impedire censores; propterea dictum est: *quæ sunt Dei, Deo.* Unusquisque habet apud se, quod, ex mandato sancto, ab ipso faciendum accepit. Sim. Cass. l. 11. c. 5.

Ministrabant ei de facultatibus suis. Luc. 8. 3. Non de alienis, sed de suis. Sed heu! multi offerunt aliena! non de suis facultatibus, sed de alienis, Christo ministrant. Id. l. 9. c. 29.

Hæc tria sunt necessaria ad hoc, ut sacrificium nostrum placeat Deo: scilicet fides vera, opera bona, intentio pura. Hugo Card. in Ex. 3.

Nemo suum aliquid offert Deo, sed, quod offert, Domini est: & non tam sua quis offert, quàm ipsi, quæ sua sunt, reddit. Origenes hom. 23. in Num.

T I T U L U S IV.

S A L T U S.

§. I.

Bonus.

Tempus flendi, & tempus ridendi. Eccl. 3. 4. S. Hieron. nunc flendi tempus est, in futuro ridendi. Beati enim flentes, quoniam ipsi ridebunt. Luc. 6. 21. Plangendum est impræsentiarum, ut postea saltare valeamus illa saltatione, qua saltavit David ante Arcam. 2. Reg. 6. 14. quia, qui in præsenti sæculo sua plangit peccata, ridebit postea in futuro; juxta illud Malach. 4. 2. *egrediemini, & salietis, sicut vituli de armento.* Cornelius hic.

Quid videbis in Salumite nisi choros castrorum? Cant. 7. 1. Chori castrorum, sunt choreæ, tripudia, & saltus, militum triumphantium. Cornelius hic.

Tempus saltandi erit in alio Mundo. Unum saltum, sive choream faciunt sancti Patres, & Patriarchæ; cum quibus tripudiant personæ, quæ fuerunt misericordes. Alium saltum faciunt Prophetæ; cum quibus tripudiant devoti. Alium Apostoli cum charitativis. Alium Martyres cum patientibus. Alium Virgines cum continentibus. S. Vinc. Ferr. l. 4. Dom. Septuag.

Probabile est, vera olim instituta in natalitiis, translationibusque Sanctorum, tripudia, sed modesta, imò religiosa. Ità etiamnum Prumiam, & Epternacum, celeberrima in ditione Trivirensi Cœnobia, certis anni diebus, vetere more, peregrini saltantes deducuntur. *Epringende Deiligen*: quæ res magnum in spectantibus ciere sensum pietatis solet. Sic Herbipoli S. Kiliani solemne olim tripudium ejus natali die. *S. Kilianzanb.* Alibi quoque apud Belgas, ut Hallis, oppido nobili miraculis Deiparæ, consuevere peregrini, absolutis divinis officiis, circum templum, in foris, & compitis, tripudia agitare; pias unà cantilenas concinentes, festivè interea sonantibus campanis. Bollandus in notatis.

§. II.

Profanus.

UBi saltes lascivus ibi diabolus certè adest. S. Chrys. hom. 40. in Matth.

Saltationis, & cantuum, nullus exitus est; sed in semetipsa operatio tota consumitur. S. Basilius Cæsar. l. 1. hexam.

Ubi citharæ, ac chori, & plausus manuum; ibi virorum tenebræ, & mulierum perditio; Angelorum tristitia, & diaboli festum. Quid frustrà turbaris, ò homo! unico febris impetu tuæ saltationes, atque lasciviæ, finem capient. Una hora, te ab iis, quibuscum tripudiare solebas, separabit. Una nox intercedet; & caro tibi marcescet pedesque ad malum cursum dispositi deficient; manus tibi dissolventur, oculi tui tabescent, lingua ex improviso quiescet, & incomposita tua vox deficiet. S. Ephrem quòd ludicris rebus abstinendum Christianis.

Unde suas didicere choreas? quis talia Christianus edocuit? non sanè hæc eos docuit Petrus, non Joannes, nec quis alius divino Numine afflatus; verùm ista draco antiquus suis voluminibus docuit. S. Ephrem ibid.

Tripudia, choreæ &c. Plerumque vitia attrahunt. S. Francisc. Salesi. Philoth. p. 3. c. 33.

Choreæ, sunt congregatio Parochianorum diaboli: pulsans campanam ad congregandum populum, tibicines &c. Sacerdotis locum tenet, qui cantilenam incipit; Clericorum, qui prosequuntur &c. Tales etiam sunt jumenta venalia, quæ in lignum ornantur. Sicut subulcus, qui volens omnes porcos congregare, facit unum clamare; sicut diabolus facit unam cantilenam incipere &c. Broymard. Choreæ.

T I T U L U S V.

SALUS ANIMÆ.

§. I.

Quàm Deo chara, desiderata.

Num. I.

Dicit suam, ea sibi opus esse.

Ex Veteri.

Salutare tuum expectabo Domine. Gen. 49. 18. ait Jacob, & Luc. 2. 30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et alibi sæpe. Vide Concordantias. Christus Dominus, qui salutare nostrum est, vocatur *salutare Dei*: quia Pater æternus, propter nimiam charitatem suam, suum salutare vocat, quod nostrum est. Ipse ait Is. 49. 6. *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea &c.* O benedictus, & glorificatus sit talis Deus! qui ità nos diligit; ut salutem nostram, suam dicat. Diez. Amor Dei erga hominem.

Est enim phase id est, transitus Domini. Ex. 12. 11. In amicis suis quodammodò ad patriæ libertatem transibat Dominus. Sic suum Phase, sive Pascha vocat Christus; dum nos educit morte sua à captivitate. Ramirez in Apoc. 2. ep. 3.

Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum. 1. Reg. 13. 14. *Sibi* emphaticum est: quasi David totus ad utilitatem, voluptatemque divinam pertineret. Hanc enim vim habent sæpe hæc prænomina. Act. 9. 15. *Vas electionis est mihi iste.* Act. 13. 2. *Segregate mihi Saulum, & Barnabam.* Is. 49. 5. *Formans me ex utero servum sibi.* Is. 59. 16. *Salvavit sibi brachium suum,* Et passim alibi. Ubi Deus dicitur *sibi* facere, quod in nostram utilitatem facit. S. Basilius ad illa verba Ps. 97. 1. *Salvavit sibi dextera ejus*: non dixit, salvavit eos, sed *salvavit sibi*: immensa enim benignitate usus, mortalium vitam suum dicit emolumentum. Mendoza in 1. Reg. 13. 14.

Et super salutare tuum exultabo vehementer. Ps. 20. 2. Id est, quòd per eum salvasti homines, Filius tuus, qui Salvator est, exultabit. Addit quoque: *vehementer*: ut, quanta est copia in beneficio tanta sit & gaudii magnitudo. Cassiodorus hic.

Salvavit sibi dextera ejus. Ps. 9. 7. 1. Sæpius diximus, manum actionem dicere; dexteram verò bonam actionem. Dicit autem hominum salutem ejus potentiæ opus esse: immensa autem benignitate utens, suum quæstum hominum vitam ducere. B. Theodoretus hic.

Tenui eum, nec dimittam; donec introducam illum in domum matris meæ &c. Cant. 3. 4. Gilbertus hic: in cubiculum genitricis, in illam cœlestem Jerusalem; quæ mater est omnium nostrum. Gal. 4. 26. Sed numquid non jam ascendit ad Patrem? numquid non jam præcessor introivit pro nobis? quomodo tu introduces, quo ipse prior ascendit? tu magis indiges, ut ipse te ducat; cui dicitur Ps. 118. 35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Quomodo ergo introduces illum, quo jam ipse ascendit? ascendit quidem per se; sed adhuc in te fons existit, in te introducitur, quò per se prior ascendit. Ramirez in Apoc. 3. ep. 3.

Vadam mihi ad montem myrrhæ. Cant. 4. 6. Hugo de Sanct. Vict. sibi vadit: quia singularis amor est, quo homines prosequitur.

Non fœneravi; nec fœneravit mihi quisquam. Jerem. 15. 10. Sive: non profui; nec proficit mihi quisquam: nullus enim voluit tantum accipere, quantum ego tribuere desideravi. Salus enim creaturæ lucrum est creatoris. Sanct. Hieronymus hic.

Ex te exiet mihi dux. Mich. 5. 2.

Ex Novo.

Oportet eum ire in Jerusalem, & multa pati. Matth. 16. 21. Et Luc. 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum.* Nota ly, *oportet*: non ait: oportet vobis Discipulis me pati. Tam immensa ejus bonitas! ut ex nostra miseria eliceret necessitatem. Sylveira c. 42. in Joan. 12.

Dominus his opus habet. Matth. 21. 3. Solvitur pullus; quia Dominus necessarium eum habet. Vos estis pullus asinæ: quid vestri Filius Dei necessarium habet? quid à vobis expetit? Salute vestra opus habet; cupit, vos solvi vinculis peccatorum. Origenes hom. 37. in Luc. Necessariusne homuncio unus Creatori? tanti ducit Deus unum hominem, ut cum ipso quodammodo omnia possidere videatur; sine ipso nihil. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 8. sect. 1. obs. 3. Nulla re, nisi hominibus, Deus opus habet. Sicut sol opus habet aere; ut illum illuminet; fons agro, ut irriget: sic Dominus opus habet hominibus; ut eos beneficiis afficiat, ut dona eis summa munificentia largiatur, ut Ecclesiam suam ex illis construat, ut cœleste regnum illis compleat. Barradius tom. 3. lib. 7. cap. 8. Dom. Palm.

Ecce Rex tuus venit tibi. Matth. 21. 5. Nota particulas, dicite filiæ, *tuus, tibi.* Cur non dixit: venit omnibus? ut suum cuilibet homini ostendat affectum: cuilibet homini se totum dat; quia quilibet Deo omnia esse videtur. Escobar antè cit.

Intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. 21. Non dicit, intra in gaudium tuum, quod tibi est paratum; sed in gaudium tamen multo majori lætitia in ea Electis danda ipse Dominus afficitur. Sylveira c. 22. in Luc. 12.

Cùm illud bibam vobiscum. Matth. 26. 20. Non vult solus in Regno Dei bibere vinum; nos expectat. Nos sumus igitur, qui vitam nostram negligentes lætitiam ejus demoramur. Origen. hom. 7. in Levit.

Viderunt oculi mei salutare tuum. Luc. 2. 30. Id est, Christum Salvatorem; qui dicitur *salutare tuum*, quia per eum decrevisti Mundum salvare. *Notum fecit salutare suum.* Ps. 97. 2. Dion. Carthus. hic,

Videbit omnis caro salutare Dei. Luc. 3. 6. Dicitur *salutare Dei*: quia nostram Jesus operatus est salutem; quam Deus reputat suam. Sylveira hic.

Congratulamini mihi. Luc. 15. 6. *Mihi* dicit, non ovi: ex quo apparet; quantùm de hominis reparatione gaudeat: & propterea salus nostra gaudium ejus est. Hugo Card. hic.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Luc. 15. 6. S. Gregor. hom. 34. sub initium notandum, quòd non dicit, congratulamini ovi; sed *mihi*: quia videlicet ejus gaudium est vita nostra; & cùm nos in cœlum reducimur, solemnitatem lætitiæ ejus implemus.

Congratulamini mihi, quia inveni drachmam. Luc. 15. 9. Notabile est: quòd omnes angelos convocat ad congratulandum; non drachmæ, non homini; sed sibi: quasi homo Dei Deus esset, & tota salus divina in ipsius inventione dependeret; & quasi sine ipso beatus esse non posset. S. Thom. Aq. 13. opusc. 73. 67.

Manducemus, & epulemur. Luc. 15. 23. Quia salus nostra Patris est gaudium, in quo nostrorum est remissio peccatorum. S. Eligius Noviom.

Quia omnia dedit ei Pater in manus. Joan. 13. 3. S. Chrys. hom. 69. in Joan. traditionem hoc loco Fidelium salutem appellare mihi videtur. Theophylactus: *omnia dedit ei Pater in manus*, hoc est, quòd credidisset ei salutem Fidelium. Adeò adamavit salutem nostram, acsi hæc ei *omnia* esset. Sylveira hic.

Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Joan. 17. 11. Richardus à S. Victore cap. 10. in Cant. charitas circa eorum salutem tanta fuit; quòd cùm eos pretio suæ mortis redemisset; non tam redemptos à se, quàm à Patre sibi datos, commemorat. In tantum de eorum redemptione exultat; ut non putaret magnum id, quod pro eis pertulit; sed videatur, eos, quos accepit, datos sibi potiùs in munere, quàm emptos pretio, vel recompensatione.

Num. II.

Deus, & Filius, charissima saluti animæ nostræ postponit.

In te speraverunt Patres nostri. Ps. 21. 5. Nè duritiam quispiam putaret Patris, quòd se Filius profitetur non auditum, tanguntur ab ipso breviter illa, quæ gesta sunt. Eripuit enim populum Israel de terra Ægypti; eruit tres pueros de camino, liberavit Danielem de lacu leonum. Sed cùm hæc tanta supplicantibus sive præstiterit, sive præstet, tamen *Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: ut implerentur videlicet scripturæ; & salus Mundi ipsius Passione proveniret. Cassiodorus hic.

Quid faciam tibi Ephraim. Os. 6. 4. Parentis in filios perditos monstrat affectum, ait S. Hieron. juxta illud Is. 5. 4. *quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Dion. Carthus. mallet Christus animarum amator denuò crucifigi, quàm sineret quempiam, quantùm in se est, condemnari. Cornelius hic.

Circuibat Jesus totam Galilæam. Matth. 4. 23. Christus quòd transfretat Maria, quod loca circuit; non est res humani desiderii, sed causa est salutis humanæ. Ambulat Christus, non ut videret loca, sed ut homines, qui variis casibus perierant, inveniret. S. Chrysol. s. 16.

Jesus stetit ante Præsidem. Matth. 27. 11. Quomodo steterit? ut reus ante Judicem exactus. Quo animo? immobili, forti, constantissimo, imperturbato; ad excipiendam sententiam, non ad liberationem: parato, gliscenti, condemnari potiùs, quàm absolvi: qui omnia retro, ad dumtaxat salutem nostram, posuerat. Sim. Cass. l. 13. c. 8.

Quid est, quòd me quærebatis. Luc. 2. 49. Unum à Patre commendatum salutis humanæ negotium Christus D. habebat; cui sic incumbebat, ut præ amore animarum, cætera omnia nihili haberet. Ardentissimè amabat Matrem; sed salutem humanam eo amabat ardentiùs, ut à Patre imperatam: quibus verbis, animæque, dulces ad invicem exprimerentur

sermones, quemadmodùm sponsus, & sponsa. Una utriusque hæreditas, una domus, una mensa. Denique propter hanc *relinquet* ille *Patrem suum, & Matrem; & adhærebit uxori suæ.* Gen. 2. 24. Baeza t. 1. l. 2. c. 11. §. 10.

Mulier, ecce Filius tuus. Joan. 19. 26. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine? quid differs? jam venit hora. Mater tua coram te est, & Joannes, quem diligis. Latroni loqueris; & Matri non loqueris? intuetur te illa in mulieribus benedicta, & confixis in te oculis vulnera tua materna pietate considerat. Tanti scilicet Christo est salus animæ; ut priùs de ea agat cum latrone, quàm cum matre de clientela. Arnoldus Carnot. tr. 7. verb. Dom.

Deo sua gloria tantæ non est curæ, quantæ salus hominum. S. Chrys. in Ps. 113.

Quod sæpe numero dixi id, & in præsentia repetam: Deum scilicet non adeò suam spectare dignitatem, ut nostram salutem. Id. hom. 63. ex c. 11. Joan.

Num. III.

Plura de Dei amore salutis nostræ.

Ex Veteri.

Non facies omne opus in eo. Ex. 20. 10. Tertull. l. 4. adv. Marcion. c. 12. ità ille legit Dicendo *tuum*, de humano opere definit, non de divino: opus autem salutis, & incolumitatis, non est hominis, sed Dei proprium. Pende illas particulas, opus salutis, & incolumitatis: quàm aptè opus salutis proximi cum incolumitate copulavit. Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 8. sect. 3. obs. 1.

Tollite summam universæ cognationis filiorum Israel. Num. 1. 2. Oleaster: non est, Domine, impletus annus, quos eos numerari præcepisti; & jam iterum eos supputari vis? Quid est quòd eos tam sæpe numeras? Certè Deus, diligens Hebræorum animas, omnium expetit salutem; nè vel unica ovicula erronea à numero recedat. Oleaster: nam quemadmodum, qui siti pecuniarum agitur, & eas diligit, continuò eas supputat: ità & Deus eos, quos diligit: supputare non desinit. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 3. sect. 1. Obs. 2.

Unus est, & secundum non habet: non filium, non fratrem: & tamen laborare, non cessat; nec satiantur oculi ejus divitiis. Eccle. 9. 8. Hoc de Christo D. accipit S. Ambros. l. de instit. Virg. c. 10. *Ego sum pauper & dolens.* Ps. 68. 30. Si constitutus Rex super orbem, si in ipso omnes thesauri: quomodò pauper? S. Chrysost. inops, & pauper erat, quia nos esuriebat. Quia paucas animas ad se trahebat. Sylveira in Apoc. 7.

In die lætitiæ cordis ejus. Cant. 3. 11. Id est, redemptionis humani generis; quæ fuit dies lætitiæ Christi. Sanct. Isidorus hìc.

In die lætitiæ. ib. Lætitia enim, & gaudium Christi, salus est, & redemptio humani generis. S. Thom. Aq. hìc.

Ut faciat opus suum: alienum opus ejus &c. Is. 28. 21. Bene salutem nostram, & Passionem illius Isajas contemplatus. Opus etenim Dei est, animas, quas creavit, colligere, & ad æternæ lucis gaudia revocare. Flagellari autem, atque sputis liniri, crucifigi, mori, atque sepeliri; non hoc in sua substantia opus Dei est, sed opus hominis peccatoris; qui hoc omnia meruit per peccatum. S. Greg. hom. 16. in Ezech. 3. circa finem.

Non est, qui sustentet eam &c. Is. 51. 18. Hinc intellectu fidei opus est; ut sciamus, quàm necessarius Mundo fuerit. Christi Filii Dei adventus. Rupertus hìc.

Gaudebit sponsus super sponsam; & gaudebit super te Deus tuus. Is. 62. 5. Hoc est, ut Sept. & Chaldæo, & S. Hieronymus: *sicut lætatur sponsus super sponsam; sic gaudebit super te Deus tuus:* & tibi maritatus magnas, & clarissimas proles ex te procreabit; scilicet magnam copiam SS. Martyrum, Confessorum, Virginum &c. Nota cum Forerio: Deus, qui felicissimus est, & immensa majestas; suas voluptates, gaudia, & delicias, in homine collocat: homines enim sibi desponsat, in iis sibi complacet, illis gaudet, & fruitur, ut sponsus sponsa. Cornelius hìc.

Ex Novo.

Fiat voluntas tua. Matth. 6. 10. Petimus substantiam, & facultatem, voluntatis suæ subministret nobis; ut salvi simus & in cœlis, & in terris: quia summa est voluntas ejus salus eorum, quos adoptavit. Tertull. l. de Orat.

Non omnis, sed qui fecerit voluntatem Patris mei. Matth. 7. 21. Voluntas autem Patris est, ut Spiritum Sanct. homo suscipiat: & inaudito, novoque modo regeneratus cœlorum civis efficiatur. S. Cyrill. Alex. l. 2. c. 40.

Cùm appropinquasset Jerosolymis &c. Matth. 21. 1. Triumphalis Christi ingressus hìc. In Jericho duos cœcos illuminavit. Matth. 20. 30. In itinere Zachæum cum tota familia convertit. Luc. 19. In festivissimi causa triumphi Christi; quòd magnis ditatus sit mercibus, salute humana. Sylveira in Luc. 19. c. 40.

Gloria in altissimis Deo. Luc. 2. 14. Gloria utique, qui desperatis mortalibus munus æternæ saluti exhibuit. S. Greg. Naz. hom. in Nat. D.

Ut cognovit, quòd accubuisset in domo Simonis. Luc. 7. 37. Etiam ipsum sanare cupiebat, ne gratis apud eum panem comederet. Ipsum pascentem esuriebat: ipsum emendare, ipsum mutare, ipsum manducare, ipsum in suum corpus trajicere, volebat. Sanct. August. lib. 50. hom. s. 23. Cibus Christi est salus nostra: reficitur cœlestibus epulis, profectibus nostris. B. Eucherius in natali Ecclesiæ hom. 1. Cibus ejus pœnitentia mea, & cibus ejus salus mea - cibus ejus ego ipse. An non cinerem, tamquam panem, manducat? Ego autem, quia peccator sum, cinis sum, ut manducer ab eo. Mandor, cùm arguor; glutior, cùm instituor; decoquor, cùm immutor; digeror, cùm transformor. S. Bernardus s. 71. in Cant.

Ecce anni tres sunt, ex quo venio. Luc. 13. 7. Dicitur Christus quærere, nec invenire: non quòd infecunditatem malorum ignoret; sed ut suam ad nos diligentiam, providentiamque, demonstret. Et ut humanam declaret ignaviam; seque pro nostra salute probet sollicitum, & examinatorem totius vitæ nostræ. Dion. Carth. hìc.

Misit servum suum. Luc. 14. 17. Quò se non conjicit Deus, ut aliquam procurandæ salutis, & utilitatis nostræ, occasionem inveniat! S. Cyrill. Alex. in Cat. S. Thomæ: iste servus, qui missus est, ipse Christus est: qui, cùm esset naturaliter Deus, & verus Dei Filius, *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Did. Nyss. D. 2. Pent. §. 4.

Da mihi bibere. Joan. 4. 7. Fatigatus est; sed in te: quia diu te quæsivit. Tua illum tam diu incredulitas fatigavit. Non offenditur tamen: si modo venias petit bibere, daturus. Bibit autem non aquam prætermeantis rivuli; sed salutem tuam: bibit affectum tuum; bibit calicem, hoc est, passionem, illam tuorum criminum redempticem; ut tu sitim istius Mundi sacri potus cruore restinguas. S. Ambros. l. 1. de Spir. S. cap. 20. *Da mihi bibere.* q. d. citò convertere, & me potabis. Tu sitis ad culpam; & ego sitio te ad gratiam: tu sitis tuam damnationem; & ego tuam salutem. Hugo Card. hìc.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus. Joan. 4. 34. Esuriebat Jesus salutem illorum: voluntas autem Patris est, ut convertant se peccatores. Theophylactus hìc.

Ego cibum habeo manducare &c. Joan. 4. 32. Hinc discimus; quanta sit erga homines charitas: quasi enim cibum suum putat perditorum hominum conversionem. S. Cyrill. Alex. lib. 2. c. 103.

Ego sum via, veritas, & vita. Joan. 14. 6. Joannes Raulinus s. 23. de SS. attende, Christus dejiciat amore animarum. Via hominem in terminum ducit; sed quanto sui quod Christus se non Ductorem viæ, sed ipsam viam, appellaverit: ut videas; quò se dispendio? ab omnibus calcator, proteritur.

Sitio. Joan. 19. 28. Sitiebat Christus: sitiebat planè, non potum hominum, sed salutem sitiebat: non aquam mundi, sed redemptionem generis humani. Sanct. Maximus hom. 1. de eleemos.

Sitio. Joan. 19. 28. Sacramentalem hanc sitim intelligo: in qua non tam desideratur potus, quam hominum salus. Arnoldus Carnot. tr. de verb. Dom. Domine, quid sitis? Ergone plus cruciat sitis, quàm crux, de cruce siles, & de siti clamas. Sitio! quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium: plus animarum vestrarum, quàm corporis mei, cruciatus me tenet. Drogo Ost. de sacr. Pass. Expressit per corporis vocem, vehementem animæ suæ nostræ salutis affectum: sitiebat enim salutem omnium animarum. Nec non sitis Christi aspiciebat in mortem; ut etiam mori pro humano genere vehementissimè affectaret. Et illius ineffabilis desiderii vox illa *sitio* erat indicium; quo voluntatem Paternam citò proficere nitebatur. Sim. Cass. l. 13. hìc.

Ecce sto ad ostium, & pulso. Apoc. 3. 20. Cordis ostium pulso, promptè aperienti super salute sua gratulor; illamque opiparæ, cœnæ loco duco; siquidem iis rebus præcipuè capior, & pascor, quibus ipsi spiritum alunt, famemque audiendi verbum Dei sedant, ac erroris tenebras propulsant. S. Andreas Cæsar. in Apoc. hìc s. 3. c. 8.

Ex Patribus, & aliis.

Major cura salutis erga homines Deo est, quàm Diabolo perditionis. Numquid non sufficiebat Angelorum diligentia adversùs insidias dæmonum? Et adversùs eos, qui ad peccandum homines trahunt? Ipse unigenitus, ipse inquam, Filius Dei adest, ipse defendit, ipse custodit, ipse nos ad se trahit. Orig. hom. 20. in Num. 25.

In Calendis quæ offeratis mihi in diebus festis meis. Nu. 28. 11. Ità legit Orig. Habet ergo Deus dies festos suos? habet: est enim ei magna festivitas humana salus. Quomodo putas lætificat eum, cùm is, qui fuerat impudicus, fit castus; qui fuerat impius, efficitur pius. Iliæ omnes singulorum quorumque conversiones festivitates generant Deo. Id. hìc hom. 23.

Tantus, Domine, tuus in me amor fuit; ut non per angelos, aut ullam aliam creaturam, salutis meæ negotium obieris:

ris: verùm ut primam fictionem, sic etiam instaurationem ipsemet efficiendam duxeris. S. Joan. Damasc. or. 1. de B. Mariæ Nativ.

Nulla re perinde Deus delectatur, ut hominis, propter quem omnis doctrina, atque omnia mysteria concessa sunt resipiscentia, & salute. Sanctus Gregorius Naz. or. 39. in sancta lumina.

Tu verè solus es Dominus, cujus dominari super nos, hoc est salvare nos; nostrum verò servire tibi, nihil est aliud, quàm à te salvari. S. Bernardus l. de amore c. 6.

Si diligenter advertas quantum bonum tibi fecit, undique & ex omni parte; ità invenies illum circa tuum profectum occupatum, quàm si nihil aliud faceret, quam nisi tibi soli intenderet, & ad tuam salutem. S. Edmundus Cantuar. speculo Eccles. c. 5.

Voluit esse infans, puer, adolescens, juvenis, vir: ad ostendendum, quòd venerit pro salvatione omnium. S. Vinc. Ferr. l. 4. D. infra Oct. Epiph.

Ità tibi intendit Deus; ità tui curam jugiter habet, quasi tu solus in toto terrarum orbe viveres. Blosius Parad. an. capit. 2.

Comprehendi non potest, quanta charitate, quàm paternis visceribus, ubique nostram salutem ipse desideret, ac procuret. Nulla unquam mater tam tenerè dilexit filium uteri sui, quàm tenerè ille nos diligit. Fasciculus stuparum in ingentem ignem missus; non ità repentè incenditur, quàm repentè Deus peccatis nostris propter ineffabilem pietatem, & misericordiam suam ignoscit; dum verè nos pœnitet vitæ malæ actæ. Id. ibid.

Tam ardens, & incontinens est Dei amor erga nos: ut si mors, & Passio Christi ad salvandum hominem non sufficissent; etiam Pater cœlestis, & Spiritus S. quoque humanam potiùs assumpsissent naturam, ac pro homine mortem subiissent; quam eum perire finissent. Id. p. 3. spir. marg. in Appendice.

Quæcumque Dominus facit, pro salute nostra facit. Isid. Clar. or. 18.

§. II.

Exemplo Dei, Christi; & tu ama, cura salutem tuam.

Num. I.

Eam omnibus terrenis præfer.

Non comedam donec loquor sermones meos. Gen. 24. 33. Eliezer, fidelis Abrahæ servus, itinere difficili perfunctus, ut è domo Bathuelis Isaaco sponsam adduceret, exceptus summa benevolentia; *appositus est ei in conspectu ejus panis.* Quid ad hæc Eliezer? *non comedam &c.* Ità stans longum sermonem orditur, in quo commissi sibi negotii seriem explanat. Verbo in hoc primo congressu non cœpit solùm, sed planè absolvit conjugii tractatum, & futuras nuptias stabilivit. Et tum primùm loqui cessavit cùm audiit: *en Rebecca coram te est; tolle eam, & sit uxor filii domini tui.* v. 51. Quid opus erat, ò Eliezer, tanta festinatione? an timebas nè opportunitas intercidat? aut nè parentis alteri Rebeccam despondeant? cur non priùs fessus ex itinere vires reficis, hospitalitate frueris, & tum demum mandata exequeris? absit! *non comedam &c.* Liranus hìc: in hoc ostendit habere se negotium impositum sibi cordi. An vos curam animæ non solùm necessariæ corporis refectioni, sed cujusvis recreationi, & ludis anteponitis? quem loquentem audivimus? hodie me peccato fœdavi; igitur *non comedam*, nisi toxicum hac confessione evomuero &c. Quis ità agit, & loquitur? an potiùs hæc animi negotia in ultimum locum ablegantur? quàm longè aliter Mundi negotia tractantur! &c. Segneri s. 7. die Merc. D. 1. Quadr.

Divisitque filios Liæ, & Rachel &c. Gen. 33. 1. Jacob reversens in patriam, ut iram Esau obviam venientis vitaret armati; familiam partitus in turmas; in frontes posuit servas Balam; & Zelpham-agmen clausit Rachel cum Joseph. Quorsum hic ordo? Videns se imparem resistendo esse; id solùm egit, ut si pereundum foret, non omnem simul familiam periculo objiceret, sed chariora tutiori collocaret loco. Oleaster in Gen. 37. posuit ancillas in principio, ut scilicet ira fratris minùs dilectæ excederent priùs. Quo docuit: minùs dilecta pro conservatione earum, quæ magis diliguntur esse periculis objicienda. Quid dicam, aut cogitem? dum video vos primo omnium animam vestram periculo objicere, eamque in agminis fronte poni? nunquid illa ancillæ loco à vobis habetur? pereat illa; modò dignitas familiæ, bona fortunæ; actiones, & negotia profana; filii, & filiæ; parentes, & amici; quin & scorta equi, & canes sint salvi. O amentiam! ò brutalitatem. Id. ib.

Salvum fac dextera tua. Ps. 59. 7. S. Aug. hìc: non salutem temporalem quæro; de hac fiat voluntas tua: sed salvum me fac dextera tua. Transacta nocte tribulationum ad dextera mi in veniar inter oves.

Ut detur parvulis astutia. Prov. 1. 4. *Estote prudentes sicut serpentes.* Matth. 10. 16. Serpens pro capite totum corpus objicit fustibus, & gladiis: ita & tu, ò Christiane, pro salute animæ tuæ, totum corpus, opes, & famam objice. Cornelius hìc.

Si oculus tuus dexter scandalizat te, pes, manus profice abs te. Matth. 18. 8. 9. Ità legit S. Hieron. nulli parcas, ut soli parcas animæ. S. Hieron. ep. 4. Cur non ait si finister? ut fieri potest. S. Thomas: quia dum jubentur amputari, quæ sunt majora, & chariora; à fortiori & minora. Et ut notat Cajetanus, meminit Dominus oculi, & manus, ut omnia genera utilium comprehendat. Quidquid enim nobis utile, vel ad ea, quæ sunt notitiæ, quæ per oculum; vel ad quæ ea sunt actionis, quæ per manum significantur, utile est. Sylveira in Matt. 5. cap. 13. qu. 2. Quid dexter oculos, ac manus significant? S. Hieronym. per dextrum oculum, ac manum intelligit affectus, & vitia animæ, quæ dum nocent, amputanda sunt. Apud eundem hìc.

Quantò meliùs est salutem habere sine pecunia, quàm pecuniam sine salute. S. Ambros. l. 2. offic. c. 17. Et iis etiam, qui sunt in connubio, id Evangelium scribitur: *si vis perfectus esse, vende omnia, & da pauperibus.* Dic quæso, cùm Deum orasti, ut natos susciperes; addistine illud: da liberos, ut causa sint nè regnum tuum assequar; nonne cunctis liberis tibi conjunctior est anima tua? nonne omnium familiarissima? Huic tu primas da partes divitis hæreditatis, vitæ videlicet; æternæ materiam; deinde filiis distribue. S. Basilius Cæsar. s. 2. in divites avaros.

Impius est, qui animæ suæ pro suis parentibus est crudelis, majoremque hanc temeritatem nemo habet; quàm ut animam suam ponat ità periculosè quis pro amicis suis. Blesens. ep. 11. ad Clericum, ingressum religionis amore amicorum tardantem.

Num. II.

Salus animæ negligitur, postponitur rebus vilibus.

Nescierunt Sacramenta Dei, id est secreta securi sæculi; *neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.* Sap. 2. 22. B. Humbertus s. 91.

Si sciret paterfamilias, qua hora fur &c. Matth. 24. 43. Hæc ad erubescentiam desidiæ mihi dicta videntur: majorem enim diligentiam habent furem expectando; quàm vos salutis animæ; vigilant enim tunc, nè aliquid sibi surripiatur. S. Chrysost. hom. 78. hìc.

Stulte. Luc. 12. 20. Pro imprudens. Et verè imprudens, quia non providit sibi de necessariis ad salutem animæ. Cajetanus hìc.

Summa amentia est, ut cùm diabolus animarum nostrarum perditioni tantoperè invigilet; nos contrà pro nostra ipsorum salute non eamdem adhibeamus diligentiam. S. Chrysostom. hom. 21. in Joan. 2.

Multos equidem novi, qui etiam cùm in morbo cubant, pecuniam salute sua magis ament, & æstiment. S. Asterius homil. adv. avaritiam.

§. III.

Salutem animæ curandi varia motiva.

Ex Veteri.

ITerum venio. *Appendit funiculum coccineum in fenestra.* Jos. 2. 21. Rahab, digressis exploratoribus, mox appendit funiculum coccineum in fenestra in signum; licèt exploratores cuperent illud primum in adventu suo reperiri. Cur tam citò pactum fecit? cùm vix ab illa abierunt, & post hoc iturì sint ad populum suum? Item priùs de bello habendum consilium; Jordanis ab innumerabili multitudine transeundus, ordinandus exercitus, civitas obsidenda, & tandem expugnanda. Cur in opportunis tempus non differt funiculum appendere? Novit sapiens mulier, quòd religatio funiculi ad fenestram erat suæ salutis medium: ideò non distulit, nullum æstimavit aptius tempus, quàm præsens. Baeza tom. 3. l. 14. c. 17. §. 7.

Animam meam porto in manibus meis. Job 13. 14. Id est, nulla est ratio, quare salutem animæ meæ parvipendam. Illud enim, quòd in manibus portatur de facili amittitur. Unde videtur, quòd ejus amissio non multùm timeatur: quæ enim aliquis amittere timet, diligenter abscondit. S. Thom. Aquin. hìc Lect. 2. Ecclesiastes c. 3. 1. &c. Omnibus rebus assignat suum tempus rectum, circa animæ salutem habendam planè silet. Ad lucrum salutis nullum in futurum expectandum tempus, præsens opportunitate sua omnia futura vincit. S. Greg. Naz. or. in S. Baptisma: sere, cùm serendi tempus fuerit, & fruges comporta, & horrea solve; cùm

tempus hoc postulaverit: & tempestivè planta, & uvam maturam detonde. Quin tibi & belli, & pacis tempus sit, & amicitiæ, ac dissidii; atque omnis denique rei. At verò salutis tuæ negotium semper age. Baeza antè cit.

Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia. Eccl. 4. 33. Verbum passivum *agonizare* quasi deponens, sumitur activè pro agoniza, certa, conflige, pugna, q. d. pro anima tua, scilicet ut eam salves omnes vires exere, totoque conatu certa pro justitia: scilicet ea contentione, & agone, quo moribundi in agone cum morte luctantur, In his enim natura, ut se suamque vitam tueatur, omne suum robur expromit: unde multi è periculo mortis eluctantur, & vitæ restituuntur. Aut potiùs *agonizare*, id est, acerrimè certa pro justitia, æquè ac olim pugiles in agone pro corona certabant usque ad mortem. Cornelius hic.

Ex Novo, & aliis.

Numquid ego sum Domine? Matth. 26. 22. Cùm Discipuli audiunt: *unus vestrum me traditurus est*, contristantur: quia, ut ait S. Chrysost. hom. 71. in Joan. quòd ad unum perditio referebatur, hoc formidinem minuebat: sed quòd addiderat, unus ex vobis, simul omnes perturbabat. Ideò anxiantur unus reus, unus damnandus erat, & omnes timent. In Mundo multi damnandi sunt, & vix est unus, qui timeat. Dixit Christus Matth. 7. 13. *multi sunt, qui intrant per eam*: & quàm pauci cum timore quærunt; *numquid ego sum Domine?* S. Chrysost. ser. 1. de fer. 5. Pass. ò beati Apostoli! faciliùs vestra innocentia contristata, quàm pœnalis Judæ audacia, quæ non est confusa. Sic plerumque probi magis timent perditionem, quàm scelerati. Sylveira hic.

Nemo mittens manum suam ad aratrum &c. Luc. 9. 62. Tam ineffabiliter magnum est salutis nostræ negotium, ut omnia vana, & frivola sint sine dilatione spernenda: nec aliqua temporis portio est infructuosè, seu negligenter expendenda. Dion. Carthus. hic.

Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. 2. Petri 1. 10.

Exultat omnis creatura; collætatur, & applaudit his, qui salvandi sunt. Orig. hom. 1. in Ezech.

§. IV.

Salutem tuam, tu ipse tuo labore cura.

Tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas. Ex. 12. 3. Cur unusquisque agnum tollere jubetur? Nonnè magis ad festum conduceret, si unus agnum sumeret, & cœteris omnibus pararet convivium? Etenim in tanto discrimine, ubi sacrificia agebantur salutis optimum, ut quisque sibi agnum provideret; nec dependeret ab aliorum, etiam fratrum convivio. Ita Naz. or. de Pascha mirandum non est, quòd maximè quidem per singulas domos agnus requiritur: quandoquidem optimum, sibi unumquemque ad perfectionem sufficere; seque hostiam sanctam, vivamque vocanti Deo offerre. Baeza t. 2. l. 10. c. 3. §. 13.

Nos ipsi faciamus opus. 2. Esdræ 4. 21. S. Bonavent. in spec. Virg. c. 11. benè ajunt ædificantes, *nos ipsi faciamus opus. Quod opus?* nisi de quo Apostolus ait: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Gal. 6. 10. Benè autem dicunt, *nos ipsi*, non nostri sicarii. Unde alibi ait: *in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros.* 2. Cor. 6. 4. Sed oppones illud Jacobi 5. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini: multùm enim valet deprecatio justi assidua.* Videtur significare: posse nos securos vivere, dum nos modò justorum precibus commiserimus. Respondet Sanctus Anastasius Sinaita de synaxi: junge clamorem tuum cum Sacerdote pro deprecante: da te ipsum pro tua salute. *Multùm valet deprecatio justi assidua*, & efficax; sed efficax erit, si & tu cum Sacerdote partes tuas copules, fructusque pœnitentiæ demonstres. Didac. Nyss. Domin. 5. Pasch. §. 2.

Ego ad Deum clamavi, & Dominus salvabit me. Ps. 54. 17. Hugo Card. ego non per Vicarium clamavi, sicut Canonici, qui per Vicarium cantant, & fortè per Vicarios salvabuntur. S. Ephrem de resurr. mortuorum: felix regio, felix civitas, felix generatio, quæ in se continet multitudinem justorum! feliciores autem justi ipsi.

Videns Jesus fidem illorum, dixit paralitico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. 2. Sanato dixit: *surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam: & surrexit, & abiit.* v. 6. Quærit Haymo, cur sanatum à se dimiserit? respondet: quia ipse non fuerat deprecatus pro salute, sed alii pro eo intercesserunt, noluit habere eum secutorem. Id. ser. de siti Christi.

Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15. 7. Non gaudet cœlum, quando peccator sola ope precum alienarum vivit, sed dum ipse pœnitet &c. Did. Nyss. Dom. 5. Pent. §. 2.

Mitte Lazarum &c. Luc. 16. 24. Preme *digitum suum, & linguam meam.* Si tua est lingua refrigeranda, cur ejus digitum expectas, & non potiùs tuum exeris? Hæc est stultitia peccatoris: alienis operibus nati ad salutem suam propriam, alienum caput ad propriam elevare redemptionem. Petrus Cell. lib. de panib. conscientia de gravioribus confitens, non alterius, sed proprio digito, velit amovere pœnam. Id. ib.

Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra, Luc. 21. 28. Quia nostra est salvatio, nostra sit pœnitentia. Non nitere alienis operibus, dum propriæ salutis negotium agitur. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 1. sect. 2. Obs. 3.

Vade lava in natatoria Siloe-abii, & lavi. Joan. 9. 7. 11. Felix homo, cui datum est, ut salutis suæ negotia ipse per seipsum perficiat; nulli illa committat. Quod insanissimum reputatur in discrimine vitæ temporalis, quotidie ab hominibus fit in summo æternæ salutis discrimine. Remittunt infelicissimi negotia animæ suæ in id tempus, quando vel ipsi morbo correpti vix verbum facere possunt; nec aggredi opus ullum, vel defuncti in purgatorio nihil prorsus salutare sibi possunt efficere; sed omnia salutaria in aliorum diligentia fallibili, & incerta constituunt. Baeza t. 2. l. 12. c. 3. §. 13.

§. V.

Salutis media.

Num. I.

Facilia multa in promptu.

Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? ad cujus confugietis auxilium? Is. 10. 3. S. Basil. M. intelligamus sanè, cur sic dicat *de longè?* R. salus nostra non à longinquo, sed è vicino nobis adest. Scriptum est enim: *propè est Dominus omnibus invocantibus eum.* Ps. 144. 18. Did. Nyss. D. 1. Pasch. §. 4.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? &c. Matth. 22. 12. Cur Rex tam iratus, præsertim cum servi tam celeriter adesse coegerunt, quos invitabant; ut curandi vestibus honestioris non permitterent locum? Respondet Euthymius: in corruptibilibus nuptiis respondere quispiam posset, quòd digna stola difficilis inventu foret: in his autem incorruptibilibus nuptiis ablata est omnis occasio: in proximo namque est ornatus, ac inventu facilis, si modò illum verè quæsierimus. Justè itaque illum ejicit, qui ornatus non erat, tamquam segnem, & negligentem. Didac. Nyss. D. 3. Pasch. §. 5.

Joseph accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesus. Matth. 27. 58. gratis scilicet. At Jesus triginta argenteis venditur Judæis à Juda. Matt. 26. 15. Cur illic gratis, hic verò data pecunia? Joseph corpore Jesu negotiatur æternam salutem, Judæi verò perditionem: salus autem gratis, perditio multis sumptibus comparatur. Sylveira c. 30. in Luc. 18.

Ut cognovit. Luc. 7. 37. Unde hoc illa intellexit? Cajetanus: nacta commoditas huic mulier significatur ex accubitu Jesu in domo Pharisæi, aut ex vicinitate, aut quòd in eadem domo, in alia tamen cognatione habitaret. Hinc æstima, quàm propinqua sit homini salutis suæ occasio; quando Magdalena non procul exire necesse habuit, ut opportunum morbo suo antidotum reperiret. Sanctus Chrysologus ser. 93. Dominicos pedes lavat lacrymis crinibus tergit. Vacat ergo ab excusatione paupertas, quia in totum sibi natura sufficit ad obsequium Creatoris. Didac. Nyss. Dom. 1. Pasch. §. 4.

Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus. Luc. 16. 20. Quo consilio Dei Providentia ordinavit, ut is mendicus proximus esset foribus domus divitis illius gurgitis? Respondet Sanctus Chrysologus ser. 121. purpura, bysso, delicatis vestibus, epulis blandis, ferrea viscera crudelis anima nutriebat. At quid egit Dominus? humanæ, inquit, salutis avidus inquisitor, illum emollire cupiens; non tam Lazarum, quàm ipsum pietatis conflatorium, ejus projecit ad januam. Conflatorium dixi propter ferrea viscera. q. d. ad ipsum vestibulum ædium illius, ob ipsos adeò oculos, posuit Dominus occasionem remedii, & fornacem; in qua ferrum immanium viscerum suorum coquere, & transfundere in aurum pietatis, & misericordiæ possit. Did. Nyss. ib.

Jejunio bis in Sabbato &c. Luc. 18. 12. At Publicanus: *Deus propitius esto mihi peccatori.* v. 13. Pharisæus vanitatis, & elationis, ventos emebat, & in perditionem suam sumptus faciebat. Sanct. Chrysost. hom. de David & Saul: quot labores subeundi erant Pharisæo, jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua pauperibus elargiendo: At publicanus, cùm nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit iniquitatem; idque sine sudoribus, & absque longi temporis mora. Sylveira c. 21. in Marci 15.

Hic venit in testimonium. Joan. 1. 7. Cur Christus Dominus voluit habere testimonium à Joanne? S. August. tr. 35. in Joan. talis venit Christus, ut oporteret ei lucernam testimonii perhibere. Nunquid opus erat, ut Joannes tamquam lucerna perhiberet testimonium diei, si dies ipse infirmitates nostras posset videre? Secundò respondet Orig. tom. 2. in Joan. ut abundans esset via ad credendum: nam ad salutem non solùm dat media necessaria, sed etiam cumulata exhibet. Fecit Christus Dominus tot miracula & signa; voluit tamen testimonium Joannis. Sylveira hic q. 33.

Stetit in medio. Joan. 20. 19. Quàm propinquum, & ad manum habet homo bonum sui remedii, & remedium omnis mali. *Stetit in medio*: ut doceret, quàm facilè habere copiam illius possimus, qui semper in medium cœtum se nostrum ingerit. Sic enim solemus dicere in medio quidquam esse, quod promptum, & facilè obtentu indicare volumus. S. Ephrem lib. de linguæ malo: cuncta Deus suo disposuit ordine, ut ad manum cuique sint, quibus ab inimicis se defendat. Instructus es ergo armis ò homo, adversùs quoscumque hostes. Hæc tibi ad salutem concessa, si neglexeris, victus in die Judicii, quomodo teipsum excuses non habebis. Didac. Nyss. D. 1. Pasch. §. 4.

Corde creditur ad justitium, ore autem confessio fit ad salutem. Rom. 10. 10. Magnum, filioli, per hoc Fidei nostræ videmus compendium, quando inter cor & linguam, totum salutis humanæ versatur, & geritur Sacramentum. S. Chrysol. s. 56.

Alia aliis præfinita est tempestas, alia est enim sementis, alia messis, alia pacis, alia belli, alia quæstus, alia feriarum animæ saluti nulla non idoneus; omnisque commodus dies si velimus. B. Theodorus Studita s. 130.

Deus salutem Electorum suorum sæpè promovere solet ex his, quæ ipsi omnino contraria saluti suæ esse arbitrantur. Blosius Instruct. spir. c. 8.

Num. II.

Pessimum iis abuti.

Habitavit in civitate illa. Jos. 20. 6. Refugium habuit, qui extra civitatem deliquit: verùm si quis in ipsa civitate homicidium perpetrasset; jam illa civitas non erat immunitatis tessera, sed discriminis causa. Naxera hic §. 13.

Arca Dei capta est, duo quoque filii Heli mortui sunt Ophni, & Phinees. 1. Reg. 4. 11. Et cur, cùm tantò antea nimis percelluerit sententia à sacrificiis non requirunt tutamen? Minatur Jonas Ninivitis c. 3. 8. illi tamen adversus Numinis iras opponunt pœnitentiæ lugubrem habitum. 2. Reg. 24. 25. Dei minister stricto gladio peste populum absumebat, David pestis corruptionem sacri victimarum ignibus purgat: *Obtulit holocausta, & pacifica; & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israele.* Cur Heli filii ad avertendam Numinis iram, non quæque sacrificia offerunt? David non peccarat sacrificio; at filiis Heli sacrificia adulterata sunt in scelera: nam violenter auferebant aræ, quod offerrent avaritiæ. 1. Reg. 2. 15. *veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanti &c. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* v. 17. Id. ibid.

David psallebat manu sua, nisusque est Saul configere David lancea in pariete. 1. Reg. 19. 9. 10. Cur dæmon invidum contra unum Davidem commovet, ut de medio tollat? quia David cantu afferebat morbo medelam: remedium ergo nititur callidus dæmon in ægroti vertere damnum, ut exinde nulla ei supersit spes salutis. O quoties in scelerum auxilla virtutis vertuntur arma! Id. ib.

Est & hæc perversitas hominum salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quæque medicamenta vitare, mori denique citiùs desiderare: nam & medicinæ præsidium plures refugiunt, plures stulti, plures timidi, & malè verecundi. Tertull. adv. Gnost. c. 5. Sed nondum hæc tota malignitatis vix explicatur: non solùm medicina respuitur, sed in morborum fomentum convertitur. Sic medela transit in venenum, & salus omninò desperatur. Id. ibid.

§. VI.

Salutis impedimenta tolle.

Nudaverunt tectum. Marci 2. 4. Matt. 9. 2. Permittit Christus, ut per tectum paraliticus ad se descendat: quo doceat, nullum debere esse impedimentum quod accessum salutis impediat. Sylveira in Matth. hic.

Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur; hac eadem qua nutritur, mora roboratur. S. Greg. mor. l. 21. 7.

Si illi qui in mari navigant, sæviente tempestate merces negligunt, & propriis manibus opera in mare projiciunt, & fortunis vitam anteponunt; ac nè navis pondere oppressa submergatur, eam sublevant, & pretiosissima quæque vel in profundum jaciunt: cur non etiam nos, propter vitam præstantiorem ea despicimus, quæ animam in profundum detrahunt? cur idem non potest Dei timor, quod potest timor maris? S. Nilus lib. ascet.

Miscellanea.

Ingredere tu, & omnis domus tua &c. Gen. 7. 1. Nam licèt multùm à virtute justi illius abfuerint, alieni tamen erant à gravioribus sui sæculi peccatis. Alias quoque ob duas causas salute potiti sunt. Una in honorem justi: consuetudo enim misericordis Dei est honorem hunc dare servis suis, ut propter eos salventur & alii &c. S. Chrysost. hom. 24. in Gen.

Novit Dominus viam justorum, & iter impiorum peribit. Psalm. 1. 6. Quia Dei agnoscere, servare est; Dei agnoscere, custodire est: non agnoscere, damnare est. Sanctus Augustinus in Psalm. 141.

T I T U L U S VI.

S A L U T A T I O N E S.

Heva. Gen. 4. 1. Sept. *vita.* Ex Hebræo have, id est *vive*; quæ vox est salutantis. Pro have Latini dicunt ave. Cornelius hic.

Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth &c. Luc. 1. 41. Charitas proximi salutationibus, & aliis charitativis locutionibus semper fovenda est. Unde Angelus salutavit Mariam, Maria salutavit Elisabeth; Filius Mariæ salutavit Marias euntes de sepulchro dicens illis: *avete.* Matt. 28. 9. Væ eis, qui propter odium salutationem proximo negant. Væ & illis, qui dolosè proximum salutant, sicut Judas cùm dixit: *ave Rabbi.* Sanctus Bonaventura spec. B. V. c. 4.

In orientali Ecclesia, ubi quis per dies Paschales alteri fit obvius pro salutatione dicit: Christus surrexit à mortuis; salutatus respondet: verè surrexit Dominus. Isidor. Clar. Or. 21. lib. 1.

Tota Paschali septimana æquum foret hoc pacto invicem salutaremus: resurrexit Dominus; & salutatus responderet: Deo gratias. Belethus rat. offic. div. c. 116.

Quorumdam salutatio Sanctorum hæc fuit, ut cùm sibi occurrerent, prior salutando diceret: moriendum est; alter responderet: nescimus quando. Cornelius in Gen. 3. 3.

T I T U L U S VII.

S A N C T I.

§. I.

Etymon.

Sanctum sanctorum est. Levit. 6. 25. Sanctum à *sancto* venit. Sancire enim propriè est consecrare aliquid sub sanguine hostiæ: unde sanctum dicitur, quasi sanguine Consecratum. Cornelius hic.

Sanctus. Psal. 10. 5. Id est, sanguine tinctus. Hugo Card. in Psalm. 10.

Cogitaverunt adversus sanctos tuos. Psal. 82. 4. Symmachus, pro *sanctis tuis contra occultum tuum.* Aquila: *contra absconditum.* Hebr. *adversùs absconditos tuos.* Rectè Fideles Dei dicuntur absconditi; qui sub umbra alarum suarum protegit eos. Et quia *vita nostra abscondita est.* Colossens. 3. 3. Bellarminus hic.

§. II.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Plantaverunt Dominus Deus Paradisum voluptatis. Gen. 2. 8. Est Paradisus vita beatorum: quatuor flumina, quatuor virtutes. S. Isidorus hic.

Numera stellas - sic erit semen tuum. Gen. 15. 5. Isidorus Pelus. l. 3. ep. 296. Notat posteros Abrahæ hic comparari stellis cœli: quia ex iis alii futuri erant sapientes, & sancti, cœlestes, sublimes, & illustres instar stellarum cœli.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus. Psalm. 101. 15. Lapides Sion sunt Fideles militantis Ecclesiæ; firmi, & stabiles in Christiana Fide: & nihilominus spe solidi, & persistentes in charitate. Hi nimirum placuerunt servis tuis, hoc est sanctis Ecclesiæ triumphantis. Gerson. hic.

Frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum. Prov. 1. 17. Qui sunt isti pennati? Sancti, & electi viri, qui habent pennas fidei, spei, & charitatis, cæterarumque virtutum; quibus ad cœlestia contemplanda volant. Salonius hic.

Indica mihi - ubi cubes in meridie? Cant. 1. 6. S. Aug. ep. 48. per meridiem accipit justos, in quibus luce fulgentibus, & charitate ferventibus, quasi in meridie requiescit,

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum? Cant. 3. 6. Arab. *ex deserto*. Angeli, inquiunt Nyssenus, Theodoretus, Ambr. &c. Et homines talem animam cernentes, quasi admirantes dicunt: quænam est ista, quàm strenua, quàm fortis! quæ cùm descendere deberet, eò quòd ex Adæ terra compacta est; origenisque pondere per ima scelerum præcipitem se dedit; nunc vi nova, planèque mira in virtutis ardua conscendit? ascendit, inquam, de deserto Mundi, ubi solitudo est virtutis, & sanctitatis. *Sicut virgula fumi*. Cassiodorus, & S. Greg. anima sancta vocantur virgula fumi: quia gracilis est, & delicata, disciplinis Spiritus Sanctus attenuata; subtilis non habens grossitudinem carnalium desideriorum. Cornelius hic.

Cum universis lignis Libani. Cant. 4. 14. Cassiodorus: ligna Libani, pulchritudine, proceritate, & robore præeminent: ideoque sanctos Doctores, & perfectos quosque in Ecclesia significant. Cornelius hic.

Comæ ejus sicut elatæ palmarum. Cant. 5. 11. Comæ capitis Dilecti catervæ sunt Sanctorum, quæ Deo fideli famulatu adhærent. V. Beda hic l. 4.

Sancti comparantur stellis. 1. Propter numerum, Psalm. 146. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum*. 2. Propter situm, Philipp. 3. 20. *Nostra conversatio in cœlis est*. 3. Propter gradum. 1. Cor. 25. 41. *Stella à stella differt in claritate*. 4. Propter splendoris rutilum. 5. Propter ordinatum motum. Judic. 5. 20. *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo*. S. Thom. Aqu. in Is. 14.

Olivam uberem-vocavit Dominus nomen tuum. Jerem. 11. 16. Sanctus dicitur oliva propter pinguedinem, in quo devotio. Rom. 11. 17. *Socius radicis, & pinguedinis olivæ factus es*. Propter olei nitorem, in quo contemplatio. Zachar. 4. 14. *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ*. Propter foliorum virorem, in quo virtus est mentis. Gen. 8. *reversa est columba ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis*. Propter fertilitatem, in quo abundantia bonorum operum. Psalm. 51. 10. *Ego autem sicut oliva fructifera*. Propter pulchritudinem, in quo Sanctorum gloria. Eccl. 24. 19. *Quasi oliva speciosa in campis*. Os. 14. 7. *erit quasi oliva gloriæ ejus*. S. Thom. Aqu. hic.

Capilli capitis ejus, quasi lana munda. Dan. 7. 9. Capillos ejus capitis sanctos angelos, seu universos electos, typicè accipi oportet. S. Anselmus lib. de vestim. membr. &c. Dei attributis.

Ex Novo Patribus, & aliis.

Vidimus stellam ejus. Matt. 2. 1. Quicumque in Ecclesia piè vivit, & castè; *qui ea, quæ sursum sunt sapit, non quæ super terram*. Coloss. 3. 1. Cœlestis quodammodo instar est luminis. Et dum ipse sanctæ vitæ nitorem servat, multis viam ad Dominum, quasi stella demonstrat. S. Leo s. 3. in Epiph.

Pater noster, qui es in cœlis. Matt. 6. 9. Id est in sanctis, & justis: non enim spatio locorum continetur Deus. Sanct. Aug. de serm. D. in monte l. 2. c. 9.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. ibid. 10. Quid per cœlos nisi justos? Et quid per terram, nisi peccatores accipimus? Videlicet voluntas nostri conditoris, sicut in omnibus justis perficitur, ità & in nobis quoque peccatoribus impleatur. S. Greg. mor. l. 15. 19.

Sancti sunt tamquam stellæ in firmamento Ecclesiæ, quæ noctem hujus sæculi sanctitate sua discutiunt, & illustrant. S. Greg. præfat. in Job.

Poma sunt viri justi, in quibus est sapor contemplationis, color sanctitatis, odor bonæ operationis. S. Antonius Pad. Dom. 4. Epiph.

§. III.

Sanctum esse vera laus.

Magnificasti super omne nomen sanctum tuum. Psal. 137. 2. Cur non dixit, nomen tuum Deus? nomen tuum omnipotens, nomen tuum misericors? sed nomen sanctum tuum? Dion. Areop. l. de div. nom. c. 13 nomen sanctum tuum, tamquam omnium nominum pretiosissimum. Sylveira in Luc. 1. q. 5.

Sanctus! Sanctus! Sanctus! Dominus Deus exercituum! Is. 6. 3. Clamant Seraphim. Sed cur sanctitatem primo laudant; & hoc non semel, sed ter; cum tamen semel tantum Dominum Deum nominent? S. Ambrosius lib. 3. de Spir. Sanct. cap. 18. illam solam prædicant sanctitatem Cherubim, & Seraphim, indefessis vocibus laudant, & dicunt: Sanctus &c. *Dominus Deus Sabaoth*. Nos quoque nihil pretiosius invenimus, quo Deum prædicare possimus; nisi ut *sanctum* appellemus: quodlibet aliud inferius est Deo, inferius & Domino. Idem hic. Ergo nihil aliud viderunt in tanta majestate Seraphini, quod mirarentur, & laudarent, quam solam sanctitatem non poterant prædicare sapientiam, omnipotentiam? &c. Respondet S. Ambr. ante cit. nihil pretiosius &c. Did. Nyss. D. 12. Pent. §. 1.

Erant justi ambo ante Deum. Luc. 1. 6. Justum esse ante Deum, id demum solidæ, perfectæque laudis est. Solus namque Deus est, qui hominum corda exactè perspecta habet. Etenim secundùm externam faciem, multi coram hominibus habentur justi; qui tamen propter latens in pectore venenum non sunt ejusmodi. S. Titus Bostr. hic.

Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Luc. 1. 35. Quare priùs dicit angelus de Christo, quòd erit *sanctus*? quàm quòd Filius Dei vocabitur? Quia tam excellens est sanctitatis; ut etiam ab ipsa maximè Dei Filius magnificetur. Sylveira hic q. 50.

Nihil aliud est quilibet Sanctus, nisi Evangelium vivum. Et evangelica institutio perfectiùs videtur in sancto, quàm legitur in libro. S. Thom. Vill. s. 2. D. 2. Quadr.

§. IV.

Sancti à Deo honorantur, proteguntur.

Et ait. Gen. 8. 21. Hebr. *dixit ad cor suum*. Delrio, id est, ad Noe, qui erat corculum Dei. Cornelius hic.

Dixit Dominus ad Abraham: egredere de terra tua, &c. Gen. 12. 1. Eo respectu Deus Abrahamum è Charris in Chananeam, è Chananea in Ægyptum manu duxisse, multisque hominibus ostentasse visus est, ut Ægyptiis patefaceret tanti viri pietatem, & religionem. Theodoretus hic q. 76.

Ecce vir Dei. 1. Reg. 9. 6. In scriptura dicitur esse Dei, quidquid habet in genere suo excellentem aliquam commendationem. Sic Gen. 32. 2. Dicuntur *castra Dei*. 1. Paral. 12. 22. *Exercitus Dei*. Ezech. 1. 1. *visiones Dei*. Psalm 79. 11. *cedri Dei*. Psalm. 35, 7. *montes Dei*. 1. Thess. 4. 15. *tuba Dei &c.* Cùm enim Hebræi superlativis careant, defectum adjecto nomine Dei supplent. Sed maximè in ordine morali dicebantur homines Dei, vel viri Dei; qui ad Deum proximè accedere videbantur: vel quia, quod est Dei proprium divinabant: vel quia sanctitate vitæ ipsam divinitatem exprimebant: vel quia totos se in Dei obsequium mancipabant. Homines, seu viri Dei, vocantur Moyses Jos. 14. 6. David 2. Paralip. 8. 14. Elias 3. Reg. 17. 18. 4. Reg. 1. 9. Gen. 23. 6.

Princeps Dei es apud nos. Tu autem homo Dei hæc fuge. 1. Tim. 6. 11. Notat Theodoretus, Chrysost. in scriptura viros eximiè sanctos, Deoque familiares, vocati *homines Dei*: quòd imaginem Dei, ad quam creati sunt, puram à peccatis conservent. Cornelius hic. 1. Tim. &c.

Novit Dominus dies immaculatorum. Psalm. 36. 18. Id est, multam curam gerit Deus temporis, in quo viri pii degunt, & tanquam rem sacram veneratur. Tantæ dignitatis, & excellentiæ sunt apud Deum sancti viri; ut vel temporibus ipsis, quibus vixerunt, summam adhibeat reverentiam. Pinna Ethol. 122.

Sicut divisiones aquarum, ità cor regis in manu Domini. Prov. 21. 1. Cor regis, id est, cor justi: quia quod Lucas ait cap. 10. 24. *multi Prophetæ, & Reges, voluerunt videre, quæ vos videtis*, Matt. 13. 17. dicit: *multi Prophetæ & justi*. Ubi significatur, justos esse reges. Diez conc. 2. in festo Ss. Innocent.

Manus illius plenæ hyacinthis. Cant. 5. 4. Quia sanctos, & electos suos in manibus habet; illos protegit, adjuvat, & nè pereant firmiter tenet. Frequenter enim scriptura dicit: justos esse in manibus Dei. Sap. 3. 1. Is. 59. 16. ac singulos esse velut annulos, in quibus gemmæ pretiosissimæ sunt inclusæ. Jerem. 22. 24. *Si fuerit Jechonias annulus in manu dextera mea*.

In capite ejus diademata multa. Apoc. 19. 12. Imò singulæ virtutes sanctorum sunt corona Christi. Figuræ Zach. 6. 11. *Facies coronas, & pones in capite Jesu*. Philipp. 4. 1. *gaudium meum, & corona mea*. De Ponte in Cant. 3. Exh. 38. §. 1.

Omnibus, & præcipuè sanctis, appropinquat Deus, quomodo si vestimentum adhæreat cuti. S. Hieron. in Jerem. 23.

§. V.

Sancti amantur, honorantur ab hominibus.

Recti diligunt te. Cant. 1. 3. q. d. licèt non desint, qui malè te carpunt; id tibi tamen solatii, quòd multæ, bonæque discipulæ, tuam probant vivendi rationem. S. Bernardus s. 24. in Cant. propter murmurantes, & blasphemantes dicitur ab his, quæ bona, quæ simplices, quæ humiles sunt; ab his, inquam, dicitur consolandi gratia: *recti diligunt te*. Velloso in Judith. 7.

Sanctorum non tantùm verba, sed & ipsi aspectus, spirituali gratia pleni sunt. S. Chrysost. hom. 3. ad pop. Antioch. Nemo

Nemo veniebat ad urbem (Venetias) qui non vel in primis spectaculis cuperet hunc Patrem videre. Boll. 8. Jan. de S. Laurentio Justin.

S. Benedictus Totilam, ipsum accedentem timore sancti in terram prostratum erigit. Boll. 21. Martii.

§. VI.

Sancti sunt patroni, intercessores.

Joseph prima vice fratribus sine Benjamino venientibus, duriùs locutus est. Gen. 42. 7. illo comitatis, benigniùs. Genes. 43. 16. &c.

Accessit ad eum Centurio. Matt. 8. 5. Priusquam rogaret Centurio, priùs amicos misit rogaturos. Patroni nobis necessarii. Escobar tr. Coll. Chr. l. 11. sect. 1. obs. 5.

Si Moysen, & Aaron, & Samuelem haberet hodie Ecclesia; cùm invocarent, exaudirentur: & orantibus Job, & Noè, & Daniele, populo parceretur. S. Cyprianus de jejun. & tentationib. Christi.

Aquæductus regalis indulgentiæ, aulicorum preces. Cassiodorus l. 2. var.

§. VII.

Sanctorum cultus, & invocatio.

Domine omnipotens - audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te. Baruch 3. 4. Ergo etiam mortui orant? utique: sed ii, qui vivunt in cœlo. Drexelis Trism. l. 2. c. 2.

Quæ est spes nostra &c. 1. Thess. 2. 19. Nota contra Novantes: Si S. Paulus hic Tessalonicenses, sine ulla Dei, aut Christi injuria, vocat suam spem, suum gaudium, immò suam coronam gloriæ; cur non possimus vocare, & invocare B. Virginem, quæ Mater Dei est, spem nostram, Matrem misericordiæ, vitam, dulcedinem nostram. Cornelius hic.

Gratia vobis, & pax &c. Et à septem spiritibus &c. Apoc. 1. 5. Asseritur hic invocatio Sanctorum. Non cùm Joannes ait: *gratia vobis à septem spiritibus*; hoc ipso rogat hos septem Angelos, ut gratiam illis à Deo impetrent. Ergo eos invocat. Cornelius hic.

Nullus homo est, qui aliquem specialem sanctum, speciali devotione habere non deberet; cui se quotidie commendaret, & pro cujus honore aliquid speciale faceret. S. Bonav. s. 97.

§. VIII.

Sanctificare.

Sanctificetur nomen tuum. Matt. 6. 9. A quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? sed quia ipse dixit: *sancti estote, quoniam ego sanctus sum*; id petimus, & rogamus: ut qui in Baptismo sanctificati sumus in eo, quod esse cœpimus perseveremus. S. Cyprianus lib. de Orat. Dom. Petimus, ut nomen Dei actu nostro sanctificetur in nobis: nobis enim benè agentibus benedicitur nomen Dei. S. Chrysol. s. 71.

Tolli de gentibus, & congregari de universis terris Credentes in Christum, & baptizari eos in remissionem peccatorum: hoc sanctificari est nomen tuum, ò Deus Pater omnium! quia sic sancti fiunt hi, super quos invocatur nomen tuum. Etenim sanctificatio hæc, revera nominis tui sanctificatio est: quia non tam ipsis datur, quàm tuo nomini, juxtà illud Psal. 113. 1. *non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*. Rupertus l. 5. in Matt. Pro eo, quod est glorificetur, hoc est: fac vitam nostram in tuam esse gloriam. Nam sicut nomen Dei propter malos blasphematur; ità propter eos, qui bonam agunt vitam, glorificatur. Theophylactus in Luc. 11. Sicut homines virtuosi Deum sanctificant, dum sanctè viventes Deum, cui ità deserviunt Sanctum esse demonstrant, ejusque sanctitati fideliter attestantur. Dionys. Carth. in Luc. 11.

TITULUS VIII.

SANCTITAS.

§. I.

In quo consistat.

Sancti, id est mundi, *estote*. Levit. 11. 44. Sic sanctus pro mundo capitur. Deut. 23. 14.

Et sint castra Josue ad populum: sanctificamini. Jos. 3. 5. Hebr. *preparate vos*. Sept. *purificamini in crastinum*.

Conjungere Deo. Eccl. 2. 3. Græc. *conglutinare Deo*. Omnis sanctitas sita est in amore, & conjunctione cum Deo. Quare sicut Deus extremè odit peccatum, & tentationem; sic & is, qui Deo conjunctus est: sanctitas enim est puritatis. Sicut autem impuritas nascitur ex contactu inferiorum (ut cùm facies, aut vestis luto aspergitur) vel cùm anima per affectum inferioribus inordinatè inhæret: ità puritas oritur ex contactu superiorum cùm affectus ad sublimiora, & nobiliora assurgit, & iis inhæret; Supremum autem omnium, & simplicissimum, ac purissimum est Deus. Unde summa puritas consistit in adhæsione cum Deo. Cornelius hic. Sanctitas est bonitas moralis, & est perfectio morum in actu, vel habitu; quæ etiam in scriptura *justitia* vocari solet. Denique ratio sanctitatis consistit in puritate aliena ab omni contagione, & labe peccati, ut docet S. Dion. Areop. c. 12. de div. nom. Lessius de perfect. div. Sanctus l. 8. c. 1.

Tantum quisque sanctus est, quanta ejus Deum voluntas magna est. Blosius sacello an. fid. §. 4. Sanctum idem est, quod non terrenum: unde sancti qui in cœlo sunt, nullum habent affectum terrenum. S. Th. Aq. Opusc. 10. c. 4.

§. II.

Sanctitatem præfer, junge sapientiæ.

Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte. 3. Reg. 3. 5. Quæres: cur hæc visio Salomoni nocte exhibita? Symbolica causa fuit, quia Deus licèt in se sit lux infinita; mens tamen creata, præsertim humana ad eam caligat.

Quare Deus sanctis, præsertim veteris testamenti, ut Abrahæ, Moysi, Jacobo apparebat noctu, vel in caligine. Rupertus carpit Salomonem, quòd sapientiam, non sanctitatem petierit. Tamen in eo reprehensibilis est, quòd data sibi optione, tam prona ad dandum largitate Domini bonum illud, quod verum, & summum est, non postulavit. Verùm hoc bonum includitur in sapientia, quam postulavit. Unde addit: *ut sciam, quid acceptum sit apud te*. Sap. 9. 10. Sapientia enim in libris Sapientibus præcipuè practicam, sive Ethicam significat: quæ docet nos sapienter, id est justè, sanctèque vivere. Quæ proinde Sap. 10. 10. vocatur *scientia sanctorum*. Et Luc. 1. 17. *prudentia justorum*. Cornelius hic.

Finxit duas columnas æreas. 3. Reg. 7. 15. Duæ columnæ Salomonis significant sanctitatem, & sapientiam jungenda in Ecclesia. Sylveira in Apoc. 3. 12.

Qui non præfert sapientiæ sanctitatem, nunquam prosperabitur. S. Bonaventura hexam. s. 19.

§. III.

Sanctitatis laudes, dignitas.

Ecce constitui te Deum Pharaonis. Ex. 7. 1. Quæ causa? cur Moyse tam graviter, & tam frequenter Ægyptum verberante, increpante Pharaonem tam sæpè; nunquam ausi sint, vel percussit Ægyptii, vel Rex objurgatus eum occidere, vel regno pollere? &c. Id nemini in mentem venit: quia spes abjecta obtinendi imperii è regia fortis egressio, & ipsa dominationis fuga, sic venerandum faciebant, & afflictis subditis, & irato principi; ut nemo eum ferire, vel verbo percellere ausus. S. Ambr. Oston. 8. Ps. 118. factus in Deum regi Pharaoni. Hæc est potentia sanctitatis. Et tu, si vis, tamquam Deus, peccatoribus terrori esse regibus reverentia; ut tamquam Deo tibi videantur esse subjecti: contemne, quæ sunt sæculi, & Dominicæ Passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis. Oliva t. 3. conc. 31.

Sanctificavit. Jerem. 1. 5. Id est, ut aliqui explicant ad rem magnam, & eximiam selegi te. *Sanctum* enim subinde, significat *magnum* quid, & eximium: quia sanctitas in Deo, & creaturis est dos magna, & eximia. Cornelius hic.

Exercendis ad sanctimoniam mentibus, atque corporibus, ipsa quoque elementa Mundi famulantur. V. Beda in cap. 9. Amos. Idem habet S. Leo s. 6. de jejun. sept. mensis.

Uberiorem fructum præbet audientibus sanctorum virorum mirabilis vita, quàm ostensa miracula. Illa siquidem exigit imitationem; ista solam ingerunt admirationem. Miracula docent, quomodò illi sancti fuerunt; vita verò insinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant sancti. B. Petrus Dam. ep. 19. ad Alexand. II. P.

Laudabilius est fortia peregisse, quàm nova. Unde David cùm præmisisset Ps. 67. 36. *mirabilis Deus in sanctis suis*. Mox addit: *ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ*. Non ait signa, seu prodigia, sed *ipse dabit virtutem, & fortitudinem*. Id. ibid.

Excedit sanctificatio beatificationem prioritate: nisi enim illa præcederet, ista non sequeretur. Sim. Cass. l. 12. c. 18.

§. IV.

Sanctitas in vultu lucet.

Lux vultus mei non cadebat in terram. Job 29. 24. Tacitè insinuans virtutum internarum splendorem exterius emicantem, non inanem, aut inutilem esse; sed proximos recreare;

recreare, atque ad amorem Dei accendere. Doultreman. l. 3. c. 3. ser. 4.

In facie prudentis lucet sapientia. Prov. 17. 24. Et Eccl. 19. 26. *Ab occursu faciei cognoscitur sensatus*. Quibus docet Spiritus Sanctus viri justi esse interna, & exteriori sanctitate prædictum esse; & ità vivere, ut vultu ipso, & aspectu, virtutem præseferat. De S. Joseph legitur Gen. 39. 4. cùm Putyphar servus esset, ità vixisse, ut Dominus idololatra Dei amicum eum agnosceret. Act. 6. 15. de Sancto Stephano: *viderunt faciem ejus, tamquàm faciem Angeli*. Diez conc. 4. in Invent. S. Crucis.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris? Cant. 3. 6. Non thus est virginitas, sed compacta è thure virga: illud enim si non uratur, potest non sentiri. Fumigantem verò ex aromatibus virgam, quis ità premat quin fragret? Oliva Dom. 2. Quadr.

Resplendunt facies ejus sicut sol. Matt. 17. 2. Innocentiæ residentis in mente proles est nitor, quis oris habitu, verbisque profunditur. Oliva ibid.

Viderunt faciem ejus tamquàm faciem Angeli. Act. 6. 15. Abundantia cordis transierat decus corporis, & in facie pulchritudinem candor, splendorque animi exundabat. S. Hilarius Arel. hom. de S. Stephano.

Abundantia cordis transit in decus oris, in exterioris gloriam candor interioris redundat: habens intrà se Spiritum Sanctum os per se gestat Angelicum. S. Fulgentius de Sancto Stephano. Puritas, & sanctitas in interiori non erat hominis, sed Angeli: inde vultus in exteriori non apparebat hominis, sed Angeli. Sylveira hic.

§. V.

Sanctitatem consequendi motiva.

Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam &c. Matt. 5. 6. Nulla enim res implere potest desiderium animæ; nulla alia, præter justitiam beatificare eam potest. S. Bernardus ser. 4. in festo OO. SS.

In omni conversatione sancti sitis. 1. Petri 1. 15. S. Petrus plenam, & universalem à Fidelibus requirit sanctitatem: aliqui enim in templo videntur Angeli, sed in domo sunt diaboli. In templo sitis ardentes ut Seraphim; in Schola, & cubiculo, speculantes ut Cherubini; in judicio placidi, & æqui ut Throni; in cupiditatibus frænandis excelsi, ut Dominationes; in regimine prudentes ut Principatus; in tentatione Mundi calcanda fortes, ut Potestates; in luctâ cum dæmone fortes, ut Virtutes; in officio, & opere publico fideles, ut Archangeli; in mensa, platea, foro, lecto &c. Honesti, pudici, compositi, sancti, ut Angeli. Cornelius hic.

Noli virtutem negligere, sed totis viribus sanctificationem procura: quoniam ideo egressus es Mundo. S. Ephrem de virtute c. 9.

§. VI.

Sanctitati omnis locus idoneus.

Ex Veteri.

Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida. Gen. 1. 9. Non dixit, appareat humefacta terra. Aridæ nomen retinet, licèt aquis tota perfusa fuerit. Ut significetur hominem probum id sibi de auxiliis Dei efficacibus promittere posse, quòd in mediis aquis populi, occupationum suam retinebit quietem, qualem in Monasteriis maximè solitarii; dummodò secum habitet. Did. Nyss. Domin. 2. Adv. §. 2.

Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te &c. 1. Reg. 17. 46. Theodoretus qu. 40. hic; Propheta autem cùm esset in acie, prædicit universi orbis terræ Dei cognitionem, q. d. nihil impedimento fuit Davidi militia, quò minùs Propheta esset. Did. Nyss. ante cit.

Lavabo per singulas noctes lectum meum &c. Ps. 6. 7. Davidem miror stratum sibi deligere; ut ibi fletum suum libaret Domino. Cur non sylvas, & antra? quid lacrymis cum lecto? diffidium summum; & ideò in lectulo lacrymetur. Scit ibi gratiorem fore luctum suum, ubi exarescere potuit. Oliva l. 3. Strom. §. quæ est ista.

Jubilate Deo omnis terra. Ps. 65. 1. Omnis Judæa jubilet, in qua natus Christus? Æthiopia verò cur non jubilet? quæ tam longè abfuit à vera luce? quàm propior soli est. Jubilet omnis terra: non enim felicior est, quæ felicior videtur. Natus in Judæa Christus; sed in Judæa quoque crucifixus est. Quid illi profuere salvatoris cunæ, quas patibulo funestavit? O si audissem Jesum! inquit nonnemo, peccator non forem. Judas audivit, & vendidit; Herodes vidit, & sprevit; Caiphas agnovit, & damnavit; Longinus adfuit morituro, & confixit. Non Jesum audivisse, sed Jesum dilexisse; optandum est. Licet verò Jesum diligere etiam Sodomis. Oliva l. 2. Strom. §. Jubilate.

Ex Novo, & Patribus.

Joannes cùm audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. 2. Non est sanctitas loco astricta. Did. Nyss. D. 2. Adv. §. 2.

Nihil interest ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis. Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur; omnia spiritui patent. Tertull. lib. ad Martyres.

Sicut licèt quis margaritam luto obruat, nihilominus nativam retinet pulchritudinem: sic & virtus, quocunque eam projeceris suam vim exerit; etiam in servitute, etiam in carcere, etiam in afflictione, etiam in prosperitate. S. Chrysost. hom. 65. in Gen.

Si Deum benevolum habeas, licèt in fornacem incidas, ne desperes. Sicut si succenseat; licèt in paradiso sis, nè confidas. S. Chrysost. hom. 4. ad pop.

Miscellanea.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. Ps. 44. 14. Ecclesia siquidem, vel quæque fidelis anima, quæ & ipsa sanctorum Apostolorum est filia; non extrinsecus enitescit, sed ornata gaudet in occulti Judicis obtutibus apparere. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 14.

Sperat justus in morte sua. Prov. 14. 32. Septuag. *sperat justus in sanctitate sua*.

Rem familiarem industria, & solertia, juxta leges mulieri forti à Salomone præscriptas, ità vixit quasi pietatem colere nesciret: Deo rursus, divinisque rebus; ità sese totam adjunxit, tamquàm à rerum domesticarum procuratione plurimùm abesset. Neque ab alterutro horum quidquam impedita est, quò minùs alterum impleret: quin potiùs utrumque alterius ope fulcivit, & confirmavit. S. Greg. Naz. or. 28. de funere Patris.

Docta sanctitas sanctam rusticitatem præcellit. S. Rupertus l. 7. in Joan. 1.

Duo sine pluribus, faciunt hominem sanctum; videlicet cognitio, & amor: hoc est, cognitio veritatis, & amor bonitatis. S. Edmundus Cant. spec. Eccl. c. 3.

TITULUS IX.

SANGUIS CHRISTI.

Percutiens petram, & exibit ex ea aqua. Ex. 17. 6. Aqua, quæ de petra egressa est, typum sanguinis Salvatoris præsefert B. Theod. q. 27. in Ex.

Oleum effusum nomen tuum. Cant. 1. 2. Sanguis Christi effusus pro me, est oleum infusum in me; ut mea lethalia vulnera sanet, & peccata remittat. De Ponte hic Exh. 28. §. 2.

Introduxit me in cellam vinariam. Cant. 2. 4. Alii per cellam vinariam accipiunt altare; in hoc enim sacerdotes consecrant, hauriunt, & distribuunt vinum Eucharisticum, putà sanguinem Christi. Ità Nyssenus hom. 4. Rupert. & Paschasius apud Cornelium hic.

Singulæ guttæ sanguinis sui folia sunt rosæ sanguineæ Passionis ipsius. S. Bern. de Pass. Dom. c. 41.

Fuit Jesus totus floridus: quia circumdatus rosis, id est, guttis sanguinis. S. Thom. Aqu. in festo Resurr. conc. 2.

Sanguis defluens de venis misericordiæ, venena extinguit malitiæ, & nequitiæ. Petrus Cell. de pane mercenar. c. 23.

TITULUS X.

SAPIENTIA.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Sol.

Solem in potestatem diei. Ps. 135. 8. Præcipuum fidelium cordium lumen est, veniens ab ipso justitiæ sole sapientiæ; secundum autem lumen est scientiæ: quæ inter sæculi hujus obscura, dat quodammodò lunare solatium. Sanctus Prosp. Aqu. hic.

Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. Sap. 7. 29. Hugo Cardin. prior, id est, dignior. hic.

Et vidi alterum Angelum & facies ejus sicut sol. Apoc. 10. 1. Quinque Angelos viderat Joannes, nulliusque faciem solis æmulum prædicavit, nisi hujus. Cur? *habebat in manu sua libellum apertum*, v. 2. Librum in manu habet, eumque apertum studii, & sapientiæ testimonium præfert. Alvarez in Gen. 37. 3.

Ut

Ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Lactantius l. 2. instit.

Lux.

Fiat lux: Gen. 1. 3. Lux est scientia, & sapientia. S. August. l. 1. de Gen. ad lit. c. 17. primò creata est lux, id est, prior omnium creata est sapientia. Cornel. hic.

Vidi, quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris. Eccl. 2. 13. Nota appositè sapientiam, id est, prudentiam, sanctitatem conferri luci; stultitiam verò, & imprudentiam, & vitium tenebris; ob multas analogias. 1. Quòd sicut lux est vera qualitas, habens solidam assentiam, & existentiam; tenebræ verò nil nisi lucis sunt privatio: sic & sapientia; id est, virtus, solidam habet subsistentiam; tenebræ verò, id est, vitia, virtutis sunt privatio. 2. Sicut lux fugat tenebras, & tenebræ lucem: Sic sapientiam pellit insipientia, ac virtus vitium. 3. Summa est antipathia lucis, & tenebrarum, qua fit, ut nullam habeant societatem loci, temporis aut subjecti, juxta illud Gen. 1. 4. *divisit lucem à tenebris &* 2. Cor. 6. 14. *quæ societas luci ad tenebras*. 4. Lux est qualitas nobilissima, cœlestis, & divina: talis est sapientia, & virtus; tenebræ verò sunt caligo horrida, infernalis diabolica: tale vitium, & insipientia. 5. Lux dirigit omnes hominis gressus, & actiones; tenebræ verò utrumque impediunt. Sic sapientia dirigit omnes hominis operationes; quas insipientia perturbat, & evertit. Notat etiam Pineda: per lucem accipi posse solem, & diem: quia sol efficit lucem, & lux diem: per tenebras verò, noctem, & caliginem; quia eam causant. Sapientia ergo, & virtus, similis est soli, & diei; insipientia verò, & vitium simile est noctis. Cornelius hic.

Proposui pro luce habere illam. Sap. 7. 10. Significat Salomon, se vice lucis non alio lumine usurum, quàm ipsa sapientia. Sapientia enim est lux lucidissima; quæ mentem illuminat ad omnia cognoscenda, & ritè peragenda. *Lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia*. Ibid. 12. quasi dux deducens me ad omnia bona recensita. Cornelius hic.

Alia Symbola.

Lignumque scientiæ boni, & mali. Gen. 2. 9. Allegoricè arbor vitæ est sapientia. Prov. 3. 18. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam &c.*

Issachar asinus fortis. Gen. 49. 14. Hebræi, teste Aldrovando in asino, sapientis Symbolum dant asinum: eò quòd instar asini multa sapienter, id est, patienter, & fortiter perferre debeat. *Vir sapiens fortis est*. Prov. 24. 5. q. d. sapientia facit fortes, & validos ad quævis ardua, vel conficienda, vel sustinenda; licèt corpore infirmi sint. Sept. *melior est sapiens forti*. Cornelius in Prov. 24.

Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, id est, prudentiam, *multam nimis; quasi arenam, quæ est in littore maris*. 3. Reg. 4. 29. Philo l. de somn. progenies sapientiæ cum arena confertur: quia marinas undas littoralis arena objecta repercutit.

Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cant. 2. 6. A sapientia doceamur, à gratia juvemur: hæ sunt duæ manus tuæ, hæc duo brachia tua, JESU! Petrus Cell. de pane lug. c. 13.

Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Eccl. 15. 3. A cibo incipiendum est, non à potu: nisi enim homo exerceatur in dono intellectus non proficit in potu sapientiæ. S. Bonaventura ser. 3. de dono intellectus.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Eccl. 24. 17. Sanctus Hieronym. in c. 14. Os. arbores Libani, quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt; ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. Cedro convenit immortalitas, inquit Palacius, cupresso rectitudo, palmæ victoria, platano jucunditas umbræ, olivæ pretium olei, rosæ odoris gratia. Hæc igitur universa adscribit sibi sapientia: scilicet cum sit rerum omnium celsissima, sibi convenit melior immortalitas, quàm cedro; melior rectitudo, quàm cupresso; melior vincendi potestas, quàm palmæ; melior umbra, id est, protectio, favor, & auxilium, quàm platano; odor jucundior, quàm rosæ; majus misericordiæ suæ pretium, quàm olivæ. Sapientia comparat se cedro: quia cedrus inter arbores eminet primò *altitudine*. Amat montes: sic altissima est sapientia; quia ad cœlos, & Deum pertingit: docet enim cœlestem, & divinam doctrinam, quæ homines faciat angelos, & deos quosdam terrestres; immò eos ad cœlum evehat, ibique faciat reges, & hæredes regni Dei. Secundò *rectitudine*. Rectissima est sapientia: quia nihil dat favori, gratiæ, timori, respectui humano, sed rectissimè ad æternam veritatem, legem, voluntatem Dei, quæ omnis rectitudinis est forma, se adaptat, & conformat. Tertiò *soliditate*: cedrus enim solidissima est, & quasi ossea; sic & sapientia solida est: quia docet sequi rationes stabiles, & æternas; non tempora-

les, & caducas. Insuper cedrus folia non abjicit, sed perpetua coma viret; medulla rubet, & odorata est. Ità virat jugiter, & suavissimè fragrat sapientia, corque sapientis, & sancti: quia sanguine Christi respersum rubet, & ardet. Quartò *incorruptione*: cedrus enim cariem, tineam, & vetustatem non sentit; immò res aliæ, perunctæ oleo cedrino cariam, aut tineam non sentiunt, ait Plinius. Quintò *duratione*: cedrus enim diutissimè durat; unde *æterna* indigitatur. Hinc cedro digna vocantur, quæ æternitatem merentur. Sextò *fructu*. Fructum ferunt cedri, ait Plinius l. 13. c. 5. myrti magnitudine dulci sapore. Sic fructus sapientiæ, & disciplinæ, licèt initio amarus, & asper videatur; mox tamen dulcescit, ac tandem dulcissimus evadit. Septimò *odore*: quo fugat, & occidit serpentes: eaque de causa in domibus accendi solebat. Hinc quoque libros perungebant oleo cedrino; quia tineis illæsi integri durabant per multa sæcula. Tales fuisse libros Pythagoricos, qui defossi in terra post 535. annos integri reperti sunt; eò quòd cedrati essent, tradit Plinius l. 13. c. 13. Odorata pariter est sapientia: odor ejus est fama, & celebritas. Christi bonus odor sumus. 2. Cor. 2. 15. Octavò *medicina, & vi medicandi*: cedrus enim resinam habet laudatissimam, quæ variis morbis medetur, teste Plinio lib. 24. 5. *Tropologicè*, & mysticè: sapientia omnes has suas dotes sapientibus sui studiosis, præsertim Doctoribus communicat; facit illos altos, rectos, solidos, incorruptos, æternos, dulces, odoratos, medicos. Cornelius hic.

Vinum, & musica, lætificant cor: & super utraque dilectio sapientiæ. Eccl. 40. 20. Appositè confertur, & præferitur dilectio sapientiæ, vino, & musicæ: quia ipsa est spirituale vinum, mentem inebrians; & spiritualis musica, animum oblectans. Nota: dilectio sapientiæ proprè est dilectio virtutis: inter virtutes autem primas tenet charitas, juxta illud Eccl. 1. 14. *dilectio Dei honorabilis sapientiæ*. Cornelius hic.

Velut salis loco sapientia mihi cætera condit. S. Bernardus ser. 18.

§. II.

Sapientia, in quo consistat ejus definitio.

Qui congregat in messe, filius sapiens est. Prov. 10. 5. Dicitur sapiens, cui sapiunt res prout sunt. Hugo Card. hic. Est sapiens, cui quæque res sapiunt, prout sunt. Cui verò ipsa jam in se, prout est sapientia sapit; is non modò sapiens, sed etiam beatus est. S. Bernardus ser. 1. de verb. Apost. *non est regnum Dei esca & potus*. Rom. 14. 17. Forrè sapientia à sapore denominatur: quod virtuti accedens, quoddam velut condimentum sapidam reddat; quæ per se insulsa quodammodo, & aspera sentiebatur. S. Bernardus ser. 85. in Cant. Tunc est vera sapientia, quando operatio intellectus perficitur, & consummatur per quietationem, & delectationem affectus: unde sapientia dicitur, quasi sapida scientia. S. Thom. Aquin. in 2. Cor. 13. Lect. 3.

Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus. Is. 11. 2. spiritus sapientiæ, est donum, sive virtus Christiana; qua contemplamur divina, & æterna; & secundùm ea de rebus omnibus judicamus. Cornelius hic.

Primus sapientiæ gradus, est falsa intelligere; secundus, vera cognoscere. Lactantius l. 1. de falsa relig. Quid est enim initium sapientiæ? nisi sæculo renuntiare: quia sapere sæcularia, stultitia est. S. Ambros. Octon. 5. in Ps. 118. Statue servo tuo. Nihil aliud prudentiæ, ac sapientiæ, munus accipitur; nisi inquisitio, & comprehensio veritatis. S. Prosper Aqu. l. 3. de virt. & vit. c. 29.

Invenisti planè sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas; si hujus sæculi desiderabilia parvi pendas; si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Invenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt, prout sunt; ut hæc quidem amara, & omnino fugienda; ista quoque, velut caduca, & transitoria contemnenda: illa verò, ut perfecta bona totis appetenda desideriis. S. Bernardus s. 15. de div.

Scientia omnium bonarum, & licitarum artium, est scientia; sapientia verò unius tantùm rei, id est, Dei. S. Rupertus de oper. Spir. S. l. 7. c. 1.

Prima sapientia, est vita proba, & honesta. S. Greg. Naz. orat. 26. in plag. grand.

Ars artium est servire Deo: suprema sapientia, scire bene vivere. Si hanc nosti etiamsi cætera nescias, sapientissimus es: qui hanc nescit, quidquid sciat, ignorantissimus est. S. Thom. Vill. ser. 2. D. 2. Quadr.

Sapientia dicitur, sapida scientia: scilicet, quando quis in scientia, quam habet de Deo, invenit saporem devotionis: talis dicitur habere sapientiam. S. Vinc. Ferr. ser. 2. Pent.

Potes quærere, quæ est divina sapientia? multi enim sunt simplices, qui nesciunt, nisi unum Pater noster, & hoc vix rectum. Alii sunt magnæ literaturæ, & profundæ scientiæ. Nunquid est divina sapientia? nequaquam. Divina enim sapientia non est præcisè in litteratura, sed in corde, & bona vita: quicunque cogitat sedulò viam ad mortem, qualitatem

ipsius mortis & Judicium post mortem; hic sapiens est. Revel. S. Brigittæ l. 2. c. 25. verba Chr.

§. III.

Sapientiæ præstantia.

Timor Domini principium sapientiæ. Prov. 1. 7. Pro principium Hebræum est *rescit*; quod tam principium quàm caput, & principatum significat. Unde vertas principatus sapientiæ est timor Domini. *Ut addatur gratia capiti tuo.* v. 9. Sept. *ut addatur corona gratiarum.* Quòd corona, & torques, olim fuerit præmium sapientiæ, liquet ex Dan. 5. 16. ubi ei Balthasar promittit: *purpura vestieris, & torquem auream circa cellum tuum habebis.* Sic & Pythagoram, ob insignem sapientiam, aurea corona rediniri solitum, eamque publico suffragio illi decretam, narrat Ælianus l. 12. var. hist. c. 32. Cornelius hic.

Civitas parva, & pauci in ea viri; venit contra eam Rex magnus. Eccl. 9. 14. *inventusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam.* v. 15. Testis Archimedes, quem tantopere verebantur syracusas oppugnantes Romani; ut si vel funiculum, exiguumve lignum, ex muro conspicerent, machinam aliquam in ipsos moveri suspicarentur; & archimedem vociferantes, terga verterent, fugerentque; & cogerentur conflictu, & oppugnatione, prætermissa in obsidione longa spem ponere. Ita Plutarchus in vita Marcelli. Sic Judith liberavit Bethuliam occiso Holoferne c. 13. 10. Jahel Sisara Judic. 4. 18. 21. æquè ac Debora ib. v. 14. Unde Gregor. Thaumat. sic vertit: parvam civitatem à paucis habitatam; magnam, & frequentatam existimem; si vel pauperem unum sapientem civem habeat. Cornelius hic.

Melior est sapientia, quàm arma bellica. Eccle. 9. 18. Gregor. Thaumat. sapientia ferro ipso fortior est. Olympiod. melius est consilium cujuscumque prudentis, quàm omne consilium, quod ab armis sperari potest.

Prior omnium creata est sapientia. Eccl. 1. 4. q. d. sapientia præfecta est omnibus. Donata est hac dignitate, ut esset prior, & Princeps omnium; ut ipsa scilicet esset idea, & exemplar, & architecta omnium rerum creandarum. Verbum enim *creo* subinde idem est, quod præficio; ut cùm dicimus: Rex creat Principes, Duces, Magistratus. Sic illud Prov. 8. 22. *Dominus creavit me initium viarum suarum.* juxta Sept. S. Athanasius ad decreta Nicenæ Synodi sic exponit; Dominus præfecit me operibus suis incipiendis, rebusque inchoandis. Cornelius hic.

Non quàm facilè oculis ista lux, tam facilè mentibus, sapientiæ sidus oboritur. Sanctus August. l. 2. contra Academicos c. 1.

Alphonsus Arag. Rex à familiaribus rogatus: qui fieri posset; ut tantarum opum Rex ad paupertatem aliquando deveniret? respondit: Si sapientia venderetur. Matth. Tymp. p. 2. Mensæ Theolo-Philosophi.

§. IV.

Sapientiæ fructus.

Num. I.

Pax, concordia.

Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. Eccl. 51. 35. Nam, ut ait Clem. Alex. l. 2. pæd. medicina medetur corporis morbis; sapientia autem perturbationibus. Ratio est: 1. Quia ut dicere solebat S. Bernardus: sapiens est, cui quæque res sapiunt prout sunt. 2. Quia semper est solutus, semper sui juris: habet animum terra celsiorem in Deo fixum. 3. Quia sapiens futuris prospicit longè, antequam eveniant; malis partim assuescit, partim providet. Cornelius hic.

Junctaque erant penna eorum alterius ad alterum. Ezech. 1. 9. in signum pacis & concordiæ; ait de Cherubinis, qui creatæ sapientiæ sunt exemplar. Cornelius in Jacobi 3. 17.

Habete in vobis sal; & pacem habete inter vos. Marci 9. 49. Sal significat sapientiam. Vult Christus, ut, quæ dicent Apostoli, pacatè explicent; non tumore Pharisæo, nec bile hæretica. Vellosо in Judith. 5. Prææn. 49. Sal est symbolum sapientiæ; hujus comes est pax. Unde & Sal priscis symbolum erat amicitiæ. Cornelius in Jacobi 3.

Quæ autem desursum est sapientia - pacifica. Jacobi 3. 17. Syrus: *plena pace*: quia vera sapientia est donum Spir. S. qui pacis est author. Sic sapientissimus mortalium fuit Salomon pacificus. Cornelius hic.

Summus sapientiæ finis est; ut simus mente tranquilla. Sanct. Ambros. Octon. 21. in Ps. 118. Septies in die.

Num. II.

Alii fructus.

Nudum formavit hominem Deus, & inermem; ut eum sapientia & muniret, & tegeret. Munimenta, & ornatum ejus non foris, sed intus; non in corpore, sed in mente constituit. Nisi ergo essent mala, quæ caveret; quæ à bonis utilibusque distingueret; non esset ei sapientia necessaria. Lactantius l. ... div. instit.

Sapienti nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum. Quocumque recesserit sua omnia, totus Mundus possessio est: quoniam toto eo, quasi suo utitur. S. Ambros. ep. 44. post initium.

§. V.

Sapientia sit practica, jungatur pietati &c.

Ad sciendam sapientiam. Prover. 1. 2. Sapientiam hic non speculativam; sed practicam accipe, quæ est cognitio Dei; ac ultimi finis, ac mediorum eò ducentium: putà legum divinarum; earumque desiderium, & amor. Disciplina verò vocatur passionum, vitiorumque correctio, & castigatio: hæc incipientibus, illa provectis competit. Cornelius hic.

Posside sapientiam. Prov. 4. 5. Dicitur possessio, quasi pedis positio: quia in sapientia pes affectus ponendus est, non solum oculus intellectus. Sat multi habent sapientiam, sicut arca thesaurum: qui re vera non possidet; sed qui utitur, ille possidet. Hugo Card. hic.

Sapiens timet, & declinat à malo. Prov. 14. 16. S. Ambros. lib. 2. offic. nullum sapientiæ contubernium cum vitiis. Apud Tuffo in Eccl. 3. 32.

Sapiens cor, & intelligibile, abstinebit se à peccatis. Eccl. 3. 32. Præcipuum sapientiæ munus vitare peccatum. Tuffo hic.

Et duabus volabant. Is. 6. 2. S. Bernar. ser. 4. in verba ita ego opinor, non incongruè, pennas istas agnitionem & devotionem intelligi posse; quibus in eum, qui supra ipsos est Seraphim rapiuntur.

Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus scientiæ, & pietatis. Is. 11. 2. Utrumque conjunxit: quia unum sine altero captare non possumus. Apes ceram, & mel conficiunt; cera apta lumini scientiam; mel pietatem signat. Utroque labio ad efformanda verba opus est. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Psal. 44. 3. Sapientia, & pietate loquere. Pinna Ethol. 25.

Non glorietur sapiens in sapientia sua - sed in hoc glorietur - scire, & nosse me. Jer. 9. 23. 24.

Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat, & colat. Lactantius l. 3. div. instit.

Vera sapientia semper virtutem habet comitem: quia hoc magis expetit scire, quod magis expedit esse. Hugo à S. Vict. quòd virtus, & veritas simul esse volunt.

Sicut sol super flores odoriferos lucens, majorem causat odorem: ità sapientia increata radium sapientiæ creatæ ad bonos, & humiles, mittens ipsos facit meliores, & humiliores. Sol verè super fimum; & alia fœtida lucens; quantò plus participant caloris plus fœtent; sic mali superbi &c. Quantò plus sapientiæ participant, tantò fœdiores. Broymard scientia.

§. VI.

Sapientia vult aliis communicari.

Sapientia ædificavit sibi domum. Prov. 9. 1. Sapientia extruit quidem palatia, & convivia parat; non tamen sibi soli: imò videtur ea omnia constituere in aliorum commodum: dum in ædes vocat, & epulas sequitur enim: *misit ancillas suas - si quis est parvulus, veniat ad me.* v. 3. 4. Puto reginam illam ità lætari in benefaciendo egentibus, vel implorantibus: quia putat sibi proprium esse, & suum maximè bonum, quod communicat cum omnibus. Oliva t. 3. conc. 5. die Merc. hebdom. 1. Quadr.

Sapientia abscondita, & thesaurus invisus; quæ utilitas in utrisque. Eccl. 41. 17.

Dabo vobis os, & sapientiam. Luc. 21. 15. Sed quare non os sine sapientia? quare non sapientiam sine ore? sed simul utrumque os, & sapientiam se daturum esse promittit. Nocet enim multoties os sine sapientia: inutilis est aliquando sapientia sine ore. Unde scriptum est: *sapientia abscondita &c.* Eccl. 41. Qui intelligit, loquatur; qui non intelligit, melius est ut taceat; quam ut nociva, & fidei non convenientia loquatur. Propter hoc enim ad tabernaculum construendum. Ex. 25. 3. *aurum* simul, *& argentum & æs*, Dominus offerri præcepit: in auro namque sapientia, in argento eloquii puritas, in ære verò loquendi facundia intelligitur. S. Euseb. Emiss. hom. in Natali plurimorum MM.

Alii datur sermo sapientiæ &c. 1. Cor. 12. 8. Quia sapientia & scientia, à Deo nobis sic donatur, ut in alios derivetur. S. Ber-

S. Bernardus s. 113. in parvis: cætera charismata nobis dantur ad aliorum utilitatem. Unde Apostolus, cùm de distributione donorum loqueretur, non ait simpliciter, alii datur sapientia, alii scientia; sed addidit dicens, *sermo sapientiæ*: ut eò tenderet, quòd hujusmodi dona propter alios dantur; scilicet ut alii ædificentur. Sylveira in Apoc. 10. 1.

Si mercedem suam non perdet, qui calicem aquæ frigidæ sitienti porrigit; quantam mercedem recipiet, qui animæ perpetuò victuræ salutaris sapientiæ aquam scribendo ministrat? quot enim literas debitè formas, tot Deo laudis hostias offers. Thomas Kemp. conc. 20.

Nubes. Lem: *congregata dispergit.* Seneca ep. 5. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec annuntiem; rejiciam. Picinelli.

Conchilia. Lem: *abscondita inutilia.* Claudianus: vile latens virtus. Id.

Luna à sole illustrata. Lem: *acceptum communicat orbi.* Id.

§. VII.

Sapientia libenter interrogat, & discit.

Manhu! quid est hoc? Exod. 16. 15. Ipsa vis nominis ad discendum invitat; ut cùm audis Legem Dei recitari; inquiras semper, & dicas Doctoribus: *quid est hoc?* Orig. hom. 8.

Et interrogavit eum. 1. Reg. 3. 17. Ut quisque sapientissimus est, ità se facillimum præbeat ad interrogandum ea, quæ ignorant. Quis Deo sapientior? & tamen sæpe dicitur interrogasse. Interrogabat Adam, *ubi esset?* Gen. 3. 9. Cainum, ubi esset frater ejus? Gen. 4. 9. Abraham, ubi esset uxor ejus Sara? Gen. 18. 9. Moysen, quid teneret in manu? Exod. 4. 2. Isaiam, quem mitteret? 6. 8. Jeremiam, quid videret? c. 1. 11. Eliam, quid ageret? 3. Reg. 19. 9. Diabolum, unde veniret? Job 1. 7. Si Deus scientiarum Dominus, etiam notissima sibi interrogat; quis nos inurbanus pudor ab interrogandis, quæ ignoramus avocabit? Angeli interrogant Is. 63. 1. quis est iste, qui venit de Edom? Gen. 32. 27. interrogat Angelus Jacobum: quod nomen est sibi? Mendoza in 1. Reg. 3. 17.

Venit Maria Magdalena annuntians discipulis &c. Joan. 20. 18. Quis sapientior Joanne? qui è latere Christi divinæ sapientiæ fontes potavit; & tamen mysterium resurrectionis ab una fœmina didicit. Id. ibid. sect. 2.

Vir eloquens & potens in scripturis. Act. 18. 24. &c. Apollo, qui floruit in Ecclesiæ initiis. *Docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu.* Additur autem v. 26. *quem cùm audissent Priscilla, & Aquila; assumpserunt eum & diligentiùs exposuerunt ei viam Domini.* S. Hieron. ep. 140. Apollo, vinum Apostolicum, & in lege doctissimum Aquila, & Priscilla erudiunt, & instruunt eum de via Domini.

§. VIII.

Sapientia spectat æterna cœlestia; non terrena.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus; & non respexit in vanitates, & insanias falsas, Psalm. 39. 5. Beatus vir, qui non ab omni insania debet esse alienus, sed à falsa: qua temporalia æstimantur, & æterna spernuntur: ab hac cavet vir justus, & aliam prudentissimam insaniam tenet; terrena spernens, cœlestibus intendens. Sylveira additam in Marci 1. q. 3.

Si quæsieris eam, quasi pecuniam; & sicut thesauro effoderis illam. Prov. 2. 4. Qui thesauros effodit, ejicit rudus terrestre, facit in altum foveam; donec thesauros attingat. Et qui thesauros sapientiæ invenire desiderat; quidquid sibi terrenum inesse deprehenderit, expurget. V. Beda hic.

Cor sapientis in dextera ejus, & cor stulti in sinistra illius. Eccl. 10. 2. Per dexteram bona, per sinistram mala dextera dat intelligere bona æterna; sinistra temporalia. Vult ergo dicere: quòd sapientes cogitant bona æterna, & ea cupiunt; & stulti temporalia. Sanct. Bonaventura hic. S. Hieron. hic; ille æterna, & cœlestia sapit & amat; hic temporalia, & æterna. Cor omnibus hominibus est in medio pectoris, ad terram tamen vergens, ut docet Galenus, & omnes Physici. Per cor ergo, non corporis; sed mentem, rationem, voluntatem, affectum, ejusque operationes accipe. Sensus est: sapiens cor habet in dextera, idest, omnia sua promptè, expeditè, agiliter, sapienter, feliciter facit; stultus è contrà. Nam in dextera corporis parte, ac manu, plus est virium, & agilitatis, quàm in sinistra. Hieron. qui sapiens est, semper de futuro sæculo cogitat, quod ducit ad dexteram. Qui verò insipiens est, de præsenti, quod positum est in sinistra. Cornelius hic. Si temporalia cupis, & negligis æterna; stultus omnino es. Alii gemmas proiiciunt hilariter; lutum verò, & stipulas, festivissimè coacervant. Quibus addas eos, qui umbras timent ut pardos; & pardis, ut agnis occursant. Oliva l. 4. Strom. §. Perversi difficilè.

Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam. Sap. 9. 4. Non qualemcumque Sapientiam petit, sed illam assistricem sedium Dei, scilicet Cherubinorum, ut notat Lorinus, juxta illud Ps. 79. 2. *qui sedes super Cherubim.* Hæc autem Sapientia in gubernatore debet solum Deum, & cœlum attendere, non verò terram; ut erat in Prophetis Dei: ut nos docet ipse rex sapiens Salomon; petens talem Sapientiam, *quæ novit opera tua; quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres.* Sap. 9. 9. Non quamvis sapientiam petit; sed specialiter illam, quæ affuit in prima creatione. In hac primò cœlum creatum. Gen. 1. 1. Hanc sapientiam postulat Salomon: ut priùs meus ejus respiciat cœlestia, dein terrena. Sylveira addit. in Matth. 23. 34.

Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus. Is. 11. 2. Spiritus sapientiæ, sive sapientia est donum, sive virtus Christiana; qua contemplamur divina, & æterna; & secundùm ea de rebus omnibus judicamus. Cornelius hic.

Ecce Magi ab oriente. Matth. 2. 1. Magi, non reges dicuntur: Magi, idest, sapientes: quia insigniter hic magnam sapientiam ostendunt: regna, patriam derelinquentes; ut solum Jesum quærant, & adorent. Non aurum, pompam, purpuram optant; sed invisibilia: quo ostenditur vera sapientia. Sylveira Addit. in Matth. 2. q. 1.

§. IX.

Sapientia est memor mortis, novissimorum.

Sapientis oculi in capite ejus. Stultus in tenebris ambulat. Eccl. 2. 14. Chald. *sapiens contemplatur in principio, quod futurum est in fine.* Cajet. vident oculi sapientis caput, idest, principium operis, qui finis est; & consequenter, media congrua. Olympiodorus: sapiens oculos habet in capite: quia excelsa, cœlestia, & divina spectat; eoque omnem cogitationem, actionem, studium, & intentionem dirigit. Stultus verò oculos videtur habere in pedibus: quia nonnisi terrena, vilia, exilia, cogitat, & amat. Cornelius hic.

Stulte, hac nocte &c. Luc. 12. 20. Hæc est maxima Sapientia, & maximum donum, scil. Sapientia moriendi; quæ non datur non bene viventi. Hugo Card. in Ps. 71.

O utinam saperes, & intelligeres, ac novissima provideres! Saperes, quæ Dei sunt, quæ Mundi sunt; provideres, quæ Inferni sunt: profectò inferna horreres; Suprema appeteres; quæ sunt ad malum, contemneres. S. Bernardus ep. 292.

Est magna Sapientia frequenter cogitare de morte. Idiota Contempl. l. 5. c. 5.

Onerosi satis mihi est; quòd omnes coætanei vestri in montem eminentioris scientiæ ascenderunt; & vos in cœno crassioris intelligentiæ cum asino remanistis. Gen. 22. 5. Priscianus, & Tullius, Lucanus, & Persius, isti sunt dii vestri. Utinam Magister saperes, & intelligeres, ac novissima provideres. Deut. 32. 29. Hæc Philosophia tibi jam decrepito pernecessaria esset. Blesensis epist. 6. ad quendam Ludi-Magistrum.

§. X.

Sapientiæ acquirendæ media.

Sapientia ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ? abyssus dicit, non est in me; & mare loquitur, non est mecum: nec invenitur in terra suaviter viventium. Job 28. 12. &c. Quid per mare tumultuosum, & periculosum; nisi cor? quod semper superbia est tumidum. Quid per abyssum? quæ sine base est, idest, absque fundo est nominata? nisi corda avara, quæ sunt insatiabilia. Quid est suavis terra? nisi vita lasciva. S. Bonaventura s. 30. Dom. infra Oct. Epiph.

Perfruere vita cum uxore &c. Eccl. 9. 9. Mysticè S. Hieronymus: sapientiam sequere, & sapientiam scripturarum: & hanc tibi in conjugium copula; de qua in Prov. 4. 6. dicitur: *dilige eam, & conservabit te.*

Quem docebit scientiam? ablactatos à lacte. Is. 28. 9. q. d. Deus docere solet scientiam, & sapientiam, cor, qui avulsi à deliciis puerilibus, à vita imperfecta, & carnali: quasi veri capaces sunt solidi cibi, idest, scientiæ. Judæi autem hisce deliciis vini, & ebrietatis, gaudent: nec supernas, & solitas, capiunt. Ergo quasi pueri indociles sunt doctrinæ, & monitionis divinæ. Corn. hic.

Sapientia emi non potest terreno numismate: nec in foro, sed in cœlo venditur. Clem. Alex. pædag. l. 2. c. 3.

Si, dicendo te sapientem esse, stultus factus es; dic te stultum, & sapiens eris. S. August. de Verb. Dom. s. 8.

Philosophus quidam in foro proclamabat, se intellectum, & sapientiam, venditurum emere volentibus. Quod cùm princeps regionis illius intellexisset, misit ad eum nuntios cum nummis. Philosophus autem detexit illis schedulam, in qua hæc sententia exarata: *in omnibus, quæ facturus es, semper cogita, quid tibi possit accidere.* Quod responsum, licèt risu exceperint nuntii, rex tamen magni æstimavit, & illa verba aureis literis in ostio palatii sui inscribi jussit. Cogita & tu in omni actio-

actione, quid tibi possit accidere? præsertim cùm id, quod intendis facere, peccatum est. Quid si in eo moriaris? quid si non contineri possis? quid multis acciderit, perpetrato etiam unico peccato mortali? Diez fer. 6. Dom. Pass.

§. XI.

apientia Dei, Christi.

Figura.

Duos quoque Cherubim aureos. Ex. 25. 18. Hi Cherubini significant Angelos, qui sunt quasi stipatores Dei. Hinc gestant quatuor stemmata, & insignia, Domini Ezech. 1. 10. species aquilæ significat Dei sapientiam. Homo bonitatem, mansuetudinem, & clementiam. Bos justitiam religionem, & cultum ei debitum; quòd scilicet bobus, aliisque victimis fit colendus. Leo fortitudinem, & potentiam. Cornelius hic. Aquila sapientiæ Symbolum: aquilæ enim, ut ait Plinius l. 36. c. 3. clarissima est oculorum acies.

De eadem sapientia.

Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius. Ex. 4. 10. Etsi enim *eruditus esset omni sapientia Ægyptiorum*. Actor. 7. 22. tamen ab heri, & nudius tertius, postquàm Deum loquentem audivit, intellexit ruditatem suam. Stengelius t. 1. judic. div. c. 21.

Devoravit virga Aaron virgas eorum. Ex. 7. 12. Sic & sapientia Dei devorat, & consumit omnem sapientiam hominum. Stella de contemptu &c. p. 1. c. 36.

Diviserunt sibi vestimenta mea. Ps. 21. 19. Vestimentum ejus, quod non erat consutum, sapientiam ejus cœlestem possumus approbare. Nostrum enim consuitur: quia quæritur, & per partes acquiritur. S. Ambros. hic s. 3.

Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum. Prov. 8. 30. 31. Quem alium arbitrari possum ludum in eo, nisi dilectionis gaudium? Ludus enim erat amabilis Deo Patri; videre in sapientia sua, quæ facturus erat. Primò beatam cœli curiam, pulchramque Rempublicam denis Angelorum ordinibus distinguendam: deinde visibilem Mundi hujus architectam, sphæricam cœli cameram &c. Nam de his omnibus ait Evangelista Joannes 1. 4. *quod factum est, in ipso vita erat*. Quid verò est, quod addit? *& deliciæ meæ, &c.* Nisi quòd jam tunc in eadem sapientia provisum, & hoc erat, in humana acquiesceret natura; & caput hominum effecta, sanctorum, & sapientium, sibimet consociaret sibimet in suis deliciis agmina? Hæc, inquam, videre, antequam fierent, ludus erat Deo, & sapientiæ ejus; ludus festivus, & ludus jucundus, ludus deliciosus. At verò de hujusmodi gaudere, hæc omnia spectare cum hilaritate, in cordis amplitudine, amor est sapientiæ; amor studiosus, amor sanctus; quem suprà Spir. Sanct. esse diximus. Rupertus div. offic. l. 11. c. 8.

Meliora sunt ubera tua vino. Cant. 1. 1. q. d. tua tantùm divina ubera cupio: nam terrena, & mundana respuo. Nam, ut ait Philo Carpath. doctrina sacra præstat cuicumque doctrinæ humanæ. Illa procedit à sapientia, quæ de sursum est; velut lac ab uberibus Dei fluens: hæc verò ex imo est terrenæ sapientiæ; instar vini, quòd è terrena nascitur; mentem exturbat, noxios vapores in capite efficit. De Ponte hìc Exh. 7. §. 3.

Quantumcumque sapiamus; quam diu in corpore sumus ad illam Dei sapientiam infantulis abcedariis similes sumus: & nobiscum bene agitur, si vel prima ejus elementa consequamur. S. Rupertus l. 4. c. 30. in lib. Reg.

Omnes artes subserviunt divinæ sapientiæ, & inferior scientia rectè ordinata ad superiorem conducit. Richardus à S. Victor. l. 2. c. 4.

Liber vitæ est sapientia Dei; in qua rectè omnes electi dicuntur scripti, & ad vitam æternam sunt prædestinati: ipsa namque prædestinatio, ipsa est sapientia. Id in Apoc. l. 1. c. 9.

Eadem sapientia, qua cuncta ex nihilo creata sunt, ne redeant in nihilum, gubernantur. Sim. Cass. l. 1. c. 1.

§. XII.

Sapientia Mundi in rebus malis terrenis.

Bubonem, & mergulum &c. Levit. 11. 17. Noctua in nocte volat, & diem odit; quam non videt propter visus debilitatem. Et significat sapientes Mundi; qui cœci sunt in spiritualibus, videntes in temporalibus clarè. Hugo Card. hìc.

Filii insipientes sunt, & verordes &c. Jerem. 4. 22. *Sapientes sunt, ut faciant mala; bene autem facere nesciunt*. Pisces in aqua velociter se gyrant, & movent; ab aqua extracti velut mortui sunt. Sic filii sæculi in vanitate prudentes, astuti, & agiles sunt: extrahe illos ad spiritualia; torpent, languent, velut mentis inopes. Vespertilio nescit die volare, nisi nocte. Diez Sabbato D. 4. Quadr.

Nos autem non spiritum hujus Mundi accepimus. 1. Cor. 2. 12. Spiritus Mundi potest dici sapientia hujus Mundi, & amor Mundi; quo impellitur homo ad agendum ea, quæ Mundi sunt. S. Thom. Aqu. hìc Lect. 3.

Fratres, nolite fieri pueri sensibus; sed malitia parvuli estote. Deus enim vult vos ad res terrenas stultos esse; sed ad cœlestia prudentes. S. Athanasius Alex. lib. de virginit.

Quantò magis foris es sapiens, tantò magis intus stultus efficeris. S. Bernardus s. de miseria hum.

Noctuarum oculis similes habentur sæcularis sapientiæ possessores: nam & illarum aspectus noctibus quidem acrior est; exorto autem sole cœcatur: sicut istorum, cùm sit acutissimus ad contemplandam vanitatem sensus; erga inquisitionem veræ lucis habescit. S. Basilius Cæsar. hexam. l. 8.

Appendix.

Filii sapientia Ecclesia justorum. Eccl. 3. 1. Nota: vox *filius* apud Hebræos cum jungitur Genitivo præmii, vel pœnæ; idem est, quod *dignus*: ut filius gehennæ, est dignus, & reus gehennæ: filii regni, sunt digni regno cœlesti. Cùm verò vox *filius* jungitur Genitivo virtutis, aut vitii; idem est, quod studiosus, & discipulus; qui studet virtuti, aut vitio. Hic enim ex virtute virtuosum, vel ex vitio vitiosum, se efficit, se efformat: ut ex virtutis, aut vitii institutione, vel illecebra, quasi ex semine, prognatus censeri possit. Filii ergo sapientiæ sunt, qui student sapientiæ; qui sapientiæ dictamina avidè hauriunt. Cornelius hic.

T I T U L U S XI.

S C A N D A L U M.

§. I.

Quid sit?

Illud scandalum dicitur, ubi recto itinere ambulanti deceptio aliqua instruitur ad peccandum. Causam præbere peccati, hoc est, scandalizare. Orig. hom. 25. in Num.

§. II.

Scandalis malitia, gravitas, nocumenta.

Num. I.

Sathanas, ejus cooperator.

Quid mihi, & vobis, filii Sarviæ? ut efficiamini mihi hodie in Sathan? 2. Reg. 16. 10. Angeli Apostatæ appellatione censentur, qui verbis blandis ad illicita quasi diligenter trahunt. S. Greg. mor. l. 1. c. 13.

Vade post me Sathana. Matth. 16. 23. *Scandalum es mihi*. Adversarium vocat eum, qui se conabatur amicum ostendere. Sathanæ, & adversarii nomen merentur, qui à duris, asperisque nos avocant; ea consulunt, ad quæ caro ipsa inclinat. Did. Nyss. Phœn. Græc. l. 5. c. 1.

Ille homicida erat ab initio. Joan. 8. 44. Homicida dicitur diabolus; non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit: verbum malum seminavit, & occidit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades. Si fratri tuo mala persuades, occidis. V. Beda hìc. Quicumque pravo exemplo, vel suggestione pestifera, aut alio modo hominem inducit ad peccatum mortale, homicida vocatur: præsertim cum anima principalior sit pars hominis. Dion. Carth. hìc.

Non differt à Sathana, qui scandala ponit, & quibuscumque modis à recta sententia homines seducit. Cyr. Alex. l. 12. c. 28. in Jo.

Quemadmodum divinæ est voluntatis, ut homo per hominem servetur; ità Sathanas magnoperè contendit per hominem in laqueum protrudere perditionis. S. Antioch. Abb. hom. 28. Uti sacrificium nullum adeò Deo gratum est, quemadmodum animarum Zelus; ità nihil sic ei displicet, quàm salutem earum impedire. Matth. 16. 23. Christus vocat Petrum Sathanam, quia salutem animarum impedire volebat. Canis es dæmonis gregem custodiens; si quod pecus ad Christum vult accedere latratibus, & morsibus persequeris. Stella de contemptu &c. p. 1. c. 10.

Quo alio modo apertiùs profiteri potestis, nullum vobis cum Deo commercium fore; quàm cùm fœdus cum capitali ejus hoste sancitis? eique arma contra Deum subministratis? Dæmon parum, aut nihil potest; si, solus nos aggrediatur: Jacobi 4. 7. *resistite diabolo, & fugiet à vobis*; adeò meticulosus est. Tum verò primùm formidandus cùm virum, aut fœminam, nancisciturquæ opem illi porrigat. Sicut ergo divinorum divinissimum est, cooperari in salutem animarum; ità diabolicorum diabolicissimum est, cooperari diabolo in interitum animarum. Quid enim hoc aliud est? quàm perfidos illos aucupes imitari, de quibus Deus ore Jeremiæ queritur c. 5. 26. *inventi sunt in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas, ad capiendos viros*. Reliqui aucupes aerem suis incolis; vos verò cœlum suis civibus poliatis &c, Segneri s. 29. D. Pass.

Num. II.

Scandalosus est homicida, persecutor.

Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Gen. 4. 10. O quàm horrendum deberet esse homini considerare, animam proximi sui perpetuis Infernis tormentis sua causa esse cruciandam! Si sanguis Abel sic ad Deum vociferabatur contra eum, qui corpus occidit; quantò magis clamabit infelix anima contra illum, à quo fuit occisa, & cujus causa gratiæ vitam perdidit. Diez conc. 1. in Dedic. S. Michaelis. O quomodo conqueruntur? quomodo vociferantur, ò quomodo maledicunt, & imprecantur omne malum apud Dei justitiam in eos; qui eis tanti mali, & miseriæ, causa fuerunt. S. Thom. Vill. conc. 2. in festo S. Mich.

Tribulatio proxima est. Ps. 21. 12. Propinqua est à dæmonibus, qui turbant pacem, & bella procurant, & propior ab hæreticis, qui Fidem violant: proxima est à falsis Christianis, qui mores corrumpunt, hoc est bellum intestinum. Hugo Card. hìc.

Occidit omnes pueros. Matth. 2. 16. Herodiana malitia est, nascentem velle extinguere religionem. Si quid ergo ad salutem pertinens, si quid religionis oritur; quicumque resistit, cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. Hugo Card. in Luc. 13.

Væ Mundo à scandalis! Matth. 18. 7. Non ait, væ Mundo à bellis, væ Mundo à tyrannis: nam nocentiora Mundo scandala esse, quàm tyrannorum sævitiem, indicabat. S. August. in præfat. ad Ps. 69. illi jam coronati sunt, nos adhuc periclitamur: non quia nos tales persecutiones urgent, quales ipsos urgebant; sed fortasse pejores in omnimodis generibus tantorum scandalorum. Nostra enim tempora magis abundant illo væ, quod clamavit Dominus: *væ Mundo à scandalis!* Fremunt dentes impiorum adversùs pacem Christianorum. Et quia non habent, quid agant sæviendo, saltando, blasphemando, luxuriando, non impellunt corpora Christianorum, sed lacerant animas. Baeza t. 2. l. 8. §. 5.

Si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum; non tibi videtur, graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas, quas redemit; quàm à Judæo, qui sanguinem illum fudit? agnoscite dilectissimi, & expavescite consortia illorum; qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt &c. S. Bernardus s. 1. de conversione S. Pauli.

Multi sunt Catholici prædicando, quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciunt plures hodie per mala exempla: seducunt, scilicet, populum, & inducunt in errorem, & tantò graviores sunt hæreticis, quantò prævalent opera verbis. S. Bernardus ad Pastores in synodo congregatos.

Num. III.

Varia.

Animam pro anima &c. Ex. 21. 23. Ex quibus sequitur animam ejus, qui causa fuit, ut proximi anima, pretioso Christi sanguine redempta periret; justo Dei judicio perituram, nisi veram agat pœnitentiam. Diez conc. 3. in Comm. Conf.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Ps. 13. 3. Aut voracitas significatur inhiantis gulæ; aut in allegoria qui occidunt, & quasi devorant interfectos eos, quibus suorum morum perversitatem persuadent. S. Aug. hìc.

Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ. Eccl. 7. 3. Lyranus, & Dionysius, per sulcos intelligunt pusillorum corda; quibus, vel per improbam doctrinam, vel mores scandalum dant. Hugo Card. non facias opera mala, nec doceas perversa; quæ sunt semina injustitiæ. Sicut enim bona doctrina, & bona opera, sunt semina justitiæ; sic mala doctrina, & mala exempla, sunt semina injustitiæ. Pinna Ethol. 85.

Et propinabile Nazaræis vinum. Amor. 2. 12. Accusat Judæos. Quòd si is, qui Nazaræis vinum miscet, tantum subibit pœnarum; quo supplicio dignus erit, qui in animas simplicium hominum turbidam infundit potionem? S. Chrysost. lib. de virginit.

Sinite illos; cæci sunt, & duces cœcorum. Matth. 15. 14. Euthymius hìc: grande malum est, aliquem esse cœcum: eum verò, qui cœcus ducatum cœco præstat, duplex certè malum est.

Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Matth. 16. 18. Certum est; Infernum, nec ferreas, nec ligneas portas habere: sed portas hic iniquos homines appellat, hæreticos, & infideles; qui non contenti, malis sibi solis esse, etiam alios avertunt: ideò quasi portæ sunt, per quas perversi Infernum intrant. Diez conc. 1. fer. 3. Pent.

Claudetis regnum cœlorum ante homines, &c. Matth. 23. 13. Omnes, qui mala conversatione suadent exemplum in populo: & qui faciunt injuriam eis, qui adhuc pusilli in Christo, & imperfecti; occludere videntur ante homines regnum cœlorum: & nec ipsi intrant, nec alios introire permittunt. Origenes tr. 25. hìc.

Quasi dissipasset bona illius. Luc. 16. 1. Pretiosissima Dei bona sunt animæ rationales, Christi sanguine redemptæ: quas dissipat, qui pravis exemplis, falsis doctrinis, aut negligentia, eas ad vitia trahit; aut trahi permittit, nec revocat. Dion. Carth. hìc.

Domine, jam fœtet. Joan. 11. 39. Fœtor peccatorum, qui percipitur, & sentitur, est utique mala fama, & detestabilis actio, & exemplaris infectio proximorum; cùm exemplo unius perperam agentis multi corrumpuntur. Sim. Cass. lib. 5. c. 15. hìc.

Ideò irremissibilis fuit culpa diaboli, & inventa est iniquitas ejus ad odium: quia in malitia, quam, nullo suggerente, commisit, fuit subversio, & ruina multorum. Blesens. l. de Confess. Sacram.

§. III.

Scandalum Deo exosum.

Erat peccatum puerorum grande nimis; quia retrahebant homines à sacrificio Domini. 1. Reg. 2. 17. Deus tam ægre fert alienas injurias, præsertim quæ in damnum cedunt spirituale animarum; unde de illis potiùs, quàm de suis, conqueratur. Unde Sacerdotum peccata exaggerari vult; non tam ex eo, quòd divinum honorem, & cultum, violabant; quàm ex eo, quòd homines à sacrificio Domini retrahebant. Mendoza hìc.

Plus decies quater inculcat Scriptura, quod Jeroboam peccare fecit Israel. Did. Nyssenus s. 3. D. 1. Quadr.

Cathedras vendentium evertit. Matth. 21. 12. Omnia peccata aversatur Deus; sed nulla æquè, ac flagitia cathedræ, id est, docentium peccata, & ad illa invitantium. Id. ib.

§. IV.

Scandalum præ aliis punitur.

Ex Veteri.

In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. Gen. 2. 17. Cur justus Deus tam leve delictum tam gravi luendum supplicio indicit? quia primum, & radix omnium postea committendorum. Nam graviore dignus est pœna, qui primus malum aggreditur, dux præit aliis; sicut Judas, *qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum*. Act. 1. 16.

Qui debuisset reliquis virtutis esse exemplum, scandalum extitit, & ruina. Errata Prælatorum, Doctorum, Patrum, Dominorum; licèt in se considerata levia videantur; propter delinquentis tamen authoritatem, ex qua pusillorum, & infirmorum, ruinæ consequuntur, pro gravissimis computari, & puniri solent. Fernandius in Gen. 2. sect. 8.

Maledictus eris. Gen. 3. 14. *Multiplicabo erumnas tuas*. Gen. 3. 16. Gravius, quàm mulier, punitus est serpens. Tu quoque, si cæteris perditionis causa fueris, acerbiora patieris, quàm ii, qui à te fuerint supplantati. Sicut gravius punita est mulier, quàm vir. Et Jezabel 4. Reg. 9. 33. acerbiores pœnas, quàm Achab dedit; qui vineam eripuerat. S. Chrysost. t. 6. orat. in secundum adventum D. N. J. C. Mulieri, quæ persuasor extitit, multiplicationem gemituum, ac dolorum, promeruit. Serenus apud Cassianum coll. 8. c. 11.

Obruerunt lapidibus, & mortuus est. Num. 15. 36. Theodoretus q. 37. in Gen. considerandum est, quòd primis Legum transgressoribus sine venia supplicia infliguntur: ut alii, punitione perspecta, transgredi non ausint. Ob eandem causam tam rigidè Ananias, & Saphira puniti. Act. 5. 5. 10. Vellosio in Judit. 3. Paræn. 14.

Jabin Rex Asor misit ad Jobab &c. Jos. 11. 1. Unam tantùm Asor munitissimam flamma consumpsit. Et cur, præ reliquis civitatibus, una Asor experitur victoris iram? cur flammis tradidit opulentissimam civitatem? cùm minùs nobiles flammis non tradiderit. *Jabin Rex Azor misit ad Jobab Madon &c.* Lyran. unam Azor munitissimam flamma consumpsit de illis, quas ceperat Josue; quo fecit: quia Rex Azor induxerat alios reges ad pugnandum contra filios Israel Naxera hìc §. 25.

Aver-

Aversio parvulorum interficiet eos. Prov. 1. 32. Aversio hæc tum passivè; qua scilicet impii avertuntur à Deo: tum activè; qua scilicet ipsi parvulos seducunt, & à Deo avertunt; accipi potest. Cornelius hic.

Ex Novo,

Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus &c. Matth. 18. 7. Bonum est ei, si lapis molaris &c. Quare non lapis, sed lapis molaris? quia lapis molaris, dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurem dum secernit; panem piè laborantibus subministrat. Benè ergo illi, qui eligit minister scandali magis esse, quàm pacis, ad collum alligatur lapis molaris: ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam: quia sensus ad vitam datos mortis convertit in scandalum; suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere; quàm erat in Christo, quàm erat in scientia salutari. S. Chrysol. s. 27.

Va Mundo à scandalis. Matth. 18. 7. Ratio, quare tanta pœna debeatur scandalizanti, est, quia aufert Christo illud, quod amat maximè, scilicet animam. Sap. 11. 27. *Tua sunt Domine, qui amas animas*. S. Bonavent. in Luc. 17.

Sol obscurabitur. Matth. 24. 29. Deus enim hujus impietatis gentes arguet, damnabitque æternum; ac deinde in solem ipsum invectus; quòd occasio gentibus fuerit illius amentiæ (licet sine sua culpa, ob mirabilem sui speciem & fulgorem) caliginoso tectum velamine ad vindictam obscurabit. Quantò verò severiùs Dei vindicis ira in eos desæviet; qui verè causa, & grandis occasio, multis fuerunt ad patranda enormia scelera. Feriantur nunc miseri fulguranti Domini voce. Matth. 18. *Va homini illi, per quem scandalum venit!* ut perteriti nunc resipiscant, & conterantur; nè æternis gehennæ cruciatibus torqueantur. Fernandius in Gen. 1. sect. 6.

Projectus est. Apoc. 12. 9. Hoc de dracone bis dicitur. Naxera in Jos. 11. §. 25.

Cùm parvas quaslibet res nobis injustè sublatas districtè dijudicet Deus; credendum est, quòd hominem sibimet subtrahit, pretiosam scilicet substantiam, æquanimiter feret? B. Petr. Dam. l. 5. ep. 16.

§. V.

A scandalizando absterrentia motiva alia.

Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel. Ezech. 44. 6. Perditio nobis privata sufficiat. S. Greg. l. 2. Pastor.

Videte, nè contemnatis unum ex his pusillis. Matth. 18. 10. Multi ideò non curant, nec metuunt, alios scandalizare: quia parvi pendunt eorum personam; nec attendunt dignitatem naturæ ad Dei imaginem factæ, ac pretium sanguinis Christi pro eis effusi. Consideremus ergo dignitatem animæ rationalis, & beatitudinem, ad quam condita est, & quanta pro ejus salute tota Trinitas fecit, quanta Christus sustinuit, quanta beneficia contulit: inter quæ est superdignissimum corporis, & sanguinis sui Sacramentum. Et sic fiet, ut neminem aspernemur. Dion. Carth. hic.

Ecce viri quatuor portantes in lecto hominem. Luc. 5. 18. Marcus 2. 3. ait, *à quatuor* portatum. Quatuor homines paralytico huic fuerunt adjutorio, ut ad Christum tenderet, & salutem animæ, ac corporis consequeretur. At nunc quatuor non invenies, qui te ad Christum adducant: immò quadringentos, qui te ab eo semoveant, & in infernum ducant. Stella hic.

Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. 1. Cor. 8. 11. Non est amplius, quo possit vel ipse B. Apostolus, qui audivit arcana Dei causam proximi magnificare: nec sic terret aliquid aliud; quàm quod pro fratre nostro mortuus est Christus: ut sciamus, quantum sit malum, eum pervertere. Diez Amor proximorum.

Ad te clamamus exules filii Evæ. Cur non Adam? Non enim sufficiunt nobis mala nostra: sed sicut Eva Adam; sic nos alios maculamus ad malum. S. Bonaventura Stim. am. p. 3. c. 19. q. d. omne flagitium, benignissima Domina, dignum est lacrymis: sed illud maximè deplorandum, quod Evæ peccato est simile. Did. Nyss. Dom. 5. Epiph. §. 5.

Sicut parvus lapis solus cadit, & non præcipitat alios; sic nec personæ parvæ. Sed magni lapides, idest, personæ notabiles, exemplo malo multos præcipitant. S. Vinc. Ferr. s. 3. Dom. 20. Pent.

§. VI.

Scandalosos rejice.

Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, euge! euge! Ps. 39. 16. Per eos, qui dicunt, *euge! euge!* intelligere oportet eos, qui ad res turpes agendas incitant, & hortantur: qui statim pudore afficiuntur, quando eorum in probum consilium declinaverimus. S. Chrysost. hic.

Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te. Matth. 5. 30. Non loquitur de manibus, & oculis materialibus; sed iis, quæ sunt occasioni scandalo, offendiculo in via virtutis. Euthymius non dixit, percute; sed amputa: manifestans omnimodam separationem. Dicens quoque amputa, non ibi permansit, sed ulteriùs sermonem extendit, addens, *proiice abs te*: ne in proximo remanens fiat rursus familiaris. Did. Nyss. in Phœn. Græc. l. 1. c. 13. Etsi tantum aliquem diligas, ut eo oculi utaris vice; aut ità tibi quempiam utilem esse putes; ut eum dexteræ manus ducas loco, & hi tamen animæ tuæ fortassis incommodent; etiam istos, inquit, à te abscinde. Et diligentiùs vim ipsam sermonis examina: non enim dixit, à talium societate discede; sed maximam separationem indicens, *erue*, inquit, *ac projice*. S. Chrysost. hom. 17. hic. Quòd si membrum malè conjunctum abscindendum est, nonnè longè magis pravi amici? Id. hom. 56. in Joan.

Quisquis te observatione mandatorum Dei, virtutemque studio revocat; is sit tibi execrabilis, ac detestandus: cum ejusmodi enim nè cibus quidem capiendus est. S. Nilus inst. Monac.

Præcidamus ergo à nobis quasi manum, vel pedem, vel oculum; patrem, aut matrem; volentes nos agere contraria pietati: aut filium, vel filiam; qui quantum ad se faciunt nos recedere ab Ecclesia Dei, & Christi dilectione. Sed etsi uxor gremii nostri, vel amici unanimes, facti fuerint scandala nobis; præcidamus eos ab anima nostra, quasi non amicos, sed adversarios salutis nostræ. Orig. tr. 5. in Matth. 18. Genuine hæc metaphora petita est à Chirurgo q. d. sicut læsi, & ægri, curant, ut chirurgus membrum, etiam nobilissimum, & summè necessarium, quale est dexter oculus, & manus, exscindat, si inde pendeat totius corporis salus: ità & vos, ò Fideles mei, moneo, ut quodvis damnum priùs subeatis, quàm culpam, præsertim lethalem, committatis: ut scilicet quidquid vobis est offendiculo, trahitque ad peccatum; licèt tam charum sit, & necessarium, quàm dextera manus, vel dexter oculus, id planè resecetis, quantumvis incommodi, & doloris vobis inferat. Cornel. hic.

Vide Societas mala.

T I T U L U S XII.

S C I E N T I A.

§. I.

Laudes, æstimatæ &c.

Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Is. 5. 13. scilicet spiritualium. S. Thô. Aqu. in 1. Cor. 12. Lect. 1.

Lux animæ est eruditio. Philo Sacr. legis alleg. l. 2.

Lapidibus quoque insensibilior est homo, qui est tinctus ignorantia. Clem. Alex. adhortat. ad gentes.

Tu orbis lumen, magna vox, & tuba; doctrinæ palatium. S. Gregor. Naz. de S. Basilio ep. 10.

Illud quidem inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror; eruditionem inter mundana bona primum locum tenere. S. Greg. Naz. or. 30. in laudem Basilii.

Scientia, gladius spiritualis est in manu potentis. Hæc est pera, in qua David tres limpidissimos lapides posuit, quibus Goliath prostravit. 1. Reg. 17. Hæc est asinæ mandibula, quæ Sampsoni mille hostium stragem fecit. Judic. 15. 15. Hic est vomer ille aratorius, quo Sagamar sexcentos Philisthæos occidit. Judic. 3. 13. Blesens. ep. ad Octavianum E. R. Card.

Alphonsus Rex Arag. divites sine cultura litterarum, aureum vellus appellare solitus est. Suetonius l. 3.

Litteræ, magnum in paranda virtute adjumentum, vel in parata ornamentum. Lips. ep. 8.

Joannes Casimirus Princeps elector Palatinus, dicere solitus: plùs se unius docti calamo, quàm decem indoctorum gladio posse. Masenius l. 2. arguiar.

§. II.

Scientia vera, & sancta, quæ?

Sequere me. Matt. 8. 22. Summi consilii est sequi Christum. Ars est artium, & scientia scientiarum infallibilis est simpliciter sequi, nemine requisito. Sim. Cass. l. 9. c. 16.

S. Laurentii Justiniani Axioma erat: veram scientiam esse, scire hæc duo; Deum esse omnia, & se nihil. Bollandus 8. Januarii.

Primum est scientiæ studium quærere Deum; deinde honestatem vitæ cum innocentiæ opere. S. Isidorus l. 2. sent. c. 1.

§. III.

§. III.

Scientiæ origo, & media consequendi eam.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam dosce me. Psalm. 118. 66. Quia scientia non habetur, nisi præcedat disciplina: nec disciplina, nisi præcedat bonitas: & sic per bonitatem, & disciplinam, inest nobis scientia. S. Bonav. hic.

Si quis voluerit voluntatem ejus facere. Joan. 7. 17. Amplissima Schola ad cognoscendum omnibus patet sola bona voluntas. Sicut bona dispositio gustus aut gustui discernere differentias saporum; sic bona dispositio voluntatis dat intellectui discernere doctrinam ex Deo, à doctrina, quæ non est ex Deo. Cajetan. hic.

Quamvis cræsos quis spiret, & Darios; litteræ marsupium non sequuntur: sudoris comites sunt, & laboris: sociæ jejuniorum, non saturitatis; continentiæ, non luxuriæ. S. Hieron. ad Pammichium, & Marcellinum Apol. advers. Ruffinum l. 1.

Absque munditia animi, & vita sanctitatis æmula, possibile non est, sanctorum dicta intelligere. S. Athanas. Alex. de Incarnatione verbi.

Non potes nosse verba Pauli; nisi habeas spiritum Pauli. S. Bonaventura hexam. l. 22.

S. Augustinus lib. de ordine, loquens de virtute unitatis, quam inquirit, & facit amicitia; non dubitat ponere quamlibet scientiam ex amicitiæ, & unitatis appetitu manasse. Gerson tr. de Cant. originali ratione.

§. IV.

Scientiæ abusus.

Alii sunt, qui scientia non utuntur ad utilitatem proximi, sed ad nocumentum; studentes diligenter in his, quæ possunt turbare electiones; appellare contra majores, prælatos suos; & similia multa: abutentes jure ad injuriam. B. Humb. l. 69.

Ut in pluribus; quantò sunt majoris scientiæ, tantò sunt pejoris conscientiæ. S. Vincent. Ferr. s. 3. D. 2. Adv. sicut non est proditor pejor, quàm qui plus dicit de secretis ejus, quem perdere vult: ità non sunt Christi, Ecclesiæ, veritatis, pejores proditores; quàm qui per scripturas, vel ingenium, plura sciunt. Broymard. Scientia.

§. V.

Scientia vana; mala &c.

Quid prodest, clavem habere auream, idest, intellectum bonum, vel scientiam magnam; si januam non aperiat? S. Aug. de doctr. Christ. l. 4.

Scientia sanctorum est, hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum, & in contrarium, scientia malorum relabitur. Alia est scientia Mundi, quæ docet vanitatem, & alia scientia carnis, quæ docet voluptatem: illa tamquam pater, ista tamquam mater nobis est. Sicut enim mater filio suo semper optat quietem, & omnem prorsus laborem claudit à filio suo; sic caro incrassata, impinguata, dilatata recalcitrat; nec minimis saltem digitis permittit se contingi. Et sicut pater vult filium suum huc, illucque, discurrere; ut addiscat, unde aliquando magnificetur: sic & Mundus vult hominem multis laboribus intricari; ut habeat unde superbiat, unde inflectur; & desipiat de vanitate in idipsum. S. Bernardus s. de libris Sapientiæ c. 10. *dedit illi scientiam sanctorum*.

Pessimus mons, inflata scientia: in quem tamen videas usque hodie tanta concupiscentia plurimos repere filiorum Adam; ac si non noverint, quantùm illorum pater in illius montis ascensu descenderit; immò quàm graviter ceciderit. Id. s. 4. in Ascens. D.

Proh dolor! filia regis pulcherrima offertur nobis in sponsam: & magis eligimus copulari meretriculis scenicis, scilicet humanæ, & mundanæ philosophiæ. S. Bonaventura in Ps. 118. 66.

Nihil egentius illa mente; quæ de Deo extra Deum philosophatur. S. Diadochus Ep. de præfect. Spir. c. 7.

Scientia Philosophorum dicuntur tabernacula Jacob; quia mobilia; tunc enim in fine Mundi Astrologia non erit opus; quia non erit motus cœli; medicina, quia nullus infirmus &c. S. Vinc. Ferr. s. in Octav. S. Joan. Evang.

Xenocrates, ut ad calculum Syllabas revocaret, sudavit: & reperit ex litteris quo quomodo connexis, atque ordinatis, decem milliones, & ducenta Syllabarum millia, confici posse. Quàm vanum, & ridiculum studium! Doultreman l. 1. c. 3. sect. 10.

§. VI.

Scientia curiosa, inquirens inutilia.

Licetne censum dare Cæsari? an non? Matth. 22. 17. Pessimi Herodiani se simulant legis inquisitores, ut operiant nequitiam. Justorum enim proprium est, circa legis præscripta excitare quæstiones, Dei viam requirere. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 10. sect. 1. obs. 6.

Herodes interrogabat eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat. Luc. 23. 9. Dionys. Carthus. ait, eum tacuisset: quia Herodes curiosa, & inutilia scire voluit. Paoletti D. 15. Pent.

Tu quis es? Joan. 1. 19. Quot quæstiones hi Sacerdotes, & Levitæ excitarunt? de Joanne omnes, de se nullam. Superarunt illos turbæ illæ, quæ Luc. 3. 10. eundem Baptistam de se interrogant, *quid faciemus?* & militum. Cùm Joannes diceret, *medium vestrum stetit &c.* quærendum erat quid faciemus? ut illum reperiamus. Nos similiter multa quærimus, sed omnia de aliis rebus: de nobis pauca, aut nihil. Sanct. Bernardus ep. 139. Abailardus nihil nescit omnium, quæ in cœlo, & in terra sunt, præter seipsum. Barradius t. 2. l. 2. c. 14. morali 2.

Hunc autem nescimus. Job. 9. 26. Ecce quot nescientes, seu nescientiæ sunt de Christo: *ubi est ille?* respondit, nescio. Interrogantur, & parentes: *quis ejus aperuit oculos? & dicunt nescimus*. Omnes loquuntur de nescientia veritatis. Verum potrò erat, quòd ipsi nesciebant, sed aliqui extra culpam, aliqui cum culpa. Sim. Cass. l. 5. c. 33.

Non est vestrum, nosse tempora, vel momenta. Act. 1. 6. 7. Erant hic solliciti de restitutione temporalis regni Israel, ut tradunt Justinus, Irenæus, Beda. Debebant autem agere de regno Dei: de temporali regno ad eos non pertinebat. Sylveira in Joan. 4. q. 36. Erant solliciti de temporali restitutione regni; ideò curiositatem eorum reprehendebat, quia negligebant proprium negotium. Id. in Act. 1. 4. Inutiliter quærenti Discipulo Magister sapiens non respondet. Non scisciteturmiles castrensis, quòd tantum scire spectat regiam majestatem. Plus novit docere, quàm nos discere valeamus; & docet utilia etiam non rogatu. Hinc per Is. 48. 17. dicitur: *ego Dominus Deus tuus, docens te utilia*. Multa suis Vatibus revelavit, quæ providit in utilitatem hominem vergere. *Sed accipietis virtutem*. Plus est gratia, seu præsentia Spiritus Sanctus, quàm quælibet præscientia futurorum. Hinc quoque novimus, quòd Spiritus S. Apostolos non omnia docuit; sed quæ in eorum, & Ecclesiæ cesserunt utilitatem, quod Paulus 1. Cor. 12. 7. refert unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Sim. Cass. l. 14. Act. 1.

Hic autem quid? Joan. 21. 21. *Operam detis, ut quietis sitis, & vestrum negotium agatis*. 1. Thess. 4. 11. Notat otium, & curiositatem aliquorum Thessalonicensium: hæc enim duo connexa sunt; indèque oritur inquietudo vana desideria invidia. Dictum sibi putet quisque à Christo: *quid ad te? tu me sequere*. Cornelius 1. Thess.

Stultas autem, & sine disciplina quæstiones de vita; sciens quia generant lites. 2. Tim. 2. 23.

Melius est nihil omnino scientem quempiam, nè quidem unam causam cujuslibet eorum, quæ facta sunt, cur factum sit credere Deo, & perseverare in ejus dilectione, quàm hominem vivificat; nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Jesum Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est: quàm per quæstionum subtilitates, & multiloquium in impietatem cadere. S. Irenæus adv. hæreses l. 2. c. 45.

Curiositas est studium perscrutandi ea, quæ scire nulla est utilitas. S. Anselmus lib. similit. c. 26.

§. VII.

Scientia utilis.

Me dereliquerunt fontem &c. Jerem. 2. 13. *Foderunt*: quia cum labore magno scientias addiscunt curiosas, vanas, & lucrativas. Cùm majori labore acquiruntur hæ scientiæ, quàm scientiæ salutis animæ, ad quam gratis accipiendam invitamur. Is. 55. 1. *omnes sitientes venite ad aquas &c.* Plus valet habere arborem, & usumfructum ejus, & nescire altitudinem, naturam, & ejus proprietates: quàm hæc omnia scire, & non habere fructum. Ità plus est habere finalem utilitatem de Deo, & salutem animæ; quàm scire omnia attributa Dei, & iis non frui. Broymard. Scientia.

Vobis datum est, nosse mysteria regni cœlorum. Matth. 13. 11. Sed cur Apostolis præ turba? Theophylactus ille accipit, qui quærit: ideoque Discipuli soli, quæ interrogaverant acceperunt. Mendoza in 1. Reg. 3. 17. sect. 2.

Quis putas major est in regno cœlorum? Matth. 18. 1. Et Petrus de Joanne interrogat. Joan. 21. 21. *Domine, hic autem quid?* Et ipse Joannes ib. v. 20. *Domine, quis est, qui tradet te?*

in

in hac autem occasione nullus audet interrogare. Quare, respondet S. Chrysost. hom. 32. quoniam illic res sua agebatur, ideò necessario percunctati sunt: hæc autem res nihil ad eos pertinebat. Sylveira in Joan. 4. q. 36.

Sedes super currum suum, legensque Isaiam Prophetham. Act. 8. 28. Tantus amator Legis, divinæque scientiæ fuit; ut etiam in vehiculo legeret literas sacras. S. Hieron. ep. 103.

Nihil ex eo ampliùs requirendum; quàm ut quis ejus noverit voluntatem; sine qua ei nec legitimè servire poterit, nec placere. S. Zeno Veron. s. 2. de Nat. Dom.

Tria sunt homini necessaria ad salutem: scilicet scientia credendorum, scientia desiderandorum, & scientia operandorum. Primum docetur in Symbolo, secundum in oratione Dominica, tertium in Lege. S. Th. Aq. opusc. 14. c. 4.

Tu quis es? Breve thema; sed magnum pelagus. Utinam scires! utinam intelligeres! tu quis es? plus tibi prodesset, quàm cire omnes scientias Mundi, & omnes bibliothecas. Quid enim tibi prodest, scire motus cœlorum, & influentias astrorum? virtutes herbarum, proprietates animalium, & ut totam naturam scias? & nescire teipsum. Ecce curam habes de domo, de hæreditate, de negotio, de familia; de mula, quam habes in stabulo, & teipsum solùm negligis? omnibus tuis das operam aliquam diei, & curæ; tibi nullam. Teipsum tam vilem æstimas, & sic parvi pendis; ut non digneris de te curam habere! O anima misera! quid extra te vagaris? effusa, & divisa, per Mundum; à te alienata, & exul. S. Thom. Vill. s. Dom. 3. Adv.

§. VIII.

Priori similis. Indaga, & scrutare utilia.

Quæsivi illum, & non inveni. Cant. 3. 1. Ut inveniret, egressa domo, circuit plateas; sed muta semper putans se perspicacissimis oculis, ubinam esset? exploraturam. At labor irritus fuit. Tandem incurrens in milites, quærit: *num, quem diligit anima mea, vidistis?* Magnum mysterium! ubi id percontata est; Christus se ei spectandum dedit: illa cum eo locuta, eum adoravit, amplexata est. *Paululum cùm pertransissem eos*. Modò sic ratiocinor. Quis ad Christum inveniendum aptior, quàm ipsa Christi sponsa? Quis imperitior ad dignoscendum, ubi habitet Deus, quàm miles otiosus, & mercenarius? Et tamen sponsa, nisi demississet se ad vigiles compellandos, aberrabat. Oliva t. 2. conc. 10.

Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Eccl. 2. 19.

Hæc dicit Dominus: state super vias; & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona; & ambulate in ea. Jerem. 6. 16.

Venerunt autem & Publicani, & dixerunt - Magister, quid faciemus? Luc. 3. 12. Non dixerunt, quid sciemus? sed *quid faciemus?* quia *non auditores legis, justi sunt apud Deum, sed factores*. Rom. 2. 13. Et scientia, sine vita virtutum, obest magis, quàm prodest. Dion. Carthus. hìc.

Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Luc. 10. 25. Non inutilis hæc quæstio. Utinam nostra colloquia eo tendant, ut scire possimus; quid requiratur, ut salvi fiamus. De impertinentibus quærimus: an Salomon salvus? quomodo opes cumulemus? Pauci Religiosos de sua salute interrogant. Stella hìc.

Et interrogavit eum quidam princeps dicens: Magister bone: quid faciendo vitam æternam possidebo? Luc. 18. 18.

Quid Deus facere possit, quid non possit? discutimus, & quid nos oporteat facere? non attendimus. Inutilibus disciplinis plenus est Mundus: quibus dum bona implicantur ingenia, necesse est, ut in necessariis, & utilibus, minùs valeant. Motus cœli dinumeras, & motus tui cordis ignoras. Influentias astrorum discutis, & passionum tuarum influentias non discernis. S. Thom. Vill. s. 1. in Ascens. Dom.

§. IX.

Scientia sit practica: fac, quæ scis, bona &c.

Num. I.

Symbola, & Similitudines.

Cujus obturatus est oculus &c. Num. 24. 3. Aliqui per oculum accipiunt intellectum practicum. Licèt enim Balaam in prophetia apertum haberet oculum intellectus, speculativum ad cernendum futura; clausum tamen habebat oculum practicum, qui eum dirigeret ad rectè agendum: erat enim homo impius. v. 4. *qui cadit*. S. Gregor. hom. 9. in Ezech. cadens Balaam apertos habuit oculos: qui rectum, quod diceret, vidit; sed rectè agere contempsit: cadens videlicet in perverso apertos habens oculos in sancta prædicatione. Cornel. hìc.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Ps. 118. 105. Ephrem. quid ais Propheta? lucerna nonne oculis lucet? nunquid pedes habet? quo igitur pacto omissis oculis, visum pedibus attribuis? Sed bene ait: *lucerna pedibus &c.* nam pedes animæ, sunt intellectuales oculi. Tunc anima feliciter progreditur; quando lux oculorum ad pedes transit: parum enim prodest, multa videre, & scire; nisi ad eadem pedibus contendas. Nyss. Dom. Sexag. §. 2.

Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Prov. 31. 21. Beda: Ecclesia, & anima fidelis, vestitur duplici veste: scilicet 1. doctrina, & virtute. 2. Sapientia, & patientia. 3. fide, & operibus. Apud Cornelium hìc.

Et manus hominis sub pennis eorum. Ezech. 18. Sub pennis manus habere dicuntur: quia operationem speculationi adjungunt. S. Gregor. Naz. or. 1. in Julianum: fieri non potest; ut scientiæ sit particeps, qui vitam non sapienter instituit. Octavianus de Tuffo in Ecclesiastici c. 6. 33.

Cui non prastò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans. 2. Petri 1. 9. Oculus scientiam, manu operationem designat. V. Beda hìc.

Quantumcumque habeat homo alias scientias; nisi habeat virtutes, non habet vitam. Sicut, quantumcumque habeas stellas; nisi habeas solem in duodecim signis, numquam habebis diem. S. Bonaventura s. 6. de virtutib. Card.

Struthio immundum erat animal in veteri lege. Levit. 11. 16. licèt pulcherrimas habeat pennas: sed quæ ad capitis tantum ornamentum sint; non usui manibus adscribendum. Sic nec Deo placent illæ scientiæ, quæ solùm mentem exornant; nec manui conducunt ad operandum. Tuffo in Eccl. c. 6. 33.

Annulus sine gemma. Lem: *Deest optimum*. Denotat scientiam sine virtute. Masenius in Symb.

Num. II.

Motiva.

Ex Veteri.

Beati immaculati in via-beati, qui scrutantur testimonia ejus. Ps. 118. 1. 2. Quàm pulcher ordo! quàm plenus doctrinæ, & gratiæ: non priùs, *qui scrutantur testimonia ejus*, dixit; sed priùs, *beati immaculati in via*. Antè enim vita, quàm doctrina quærenda est: vita enim bona, & sine doctrina habet gratiam: doctrina sine vita integritatem non habet. Sanct. Ambr. Octon. 1. hìc.

Mitte illam, ut mecum sit, & mecum laboret. Sap. 9. 10. Hanc scientiam expetivit Salomon; ut in ea fieret laboriosus, & activus. Sim. Cass. l. 13. c. 5.

Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. Sap. 13. 1. Qui enim Deum practicè noscit, hìc verè sapiens est: verè magnus, & beatus; etiamsi cætera nesciat. Qui verò Deum practicè nescit, nihil scit; etiamsi cœtera sciat. Cornelius in Sap. 9. 6.

Ut sciam, quid acceptum sit apud te. Sap. 9. 10. Sapientia in libris Sapientialibus præcipuè practicam, seu Ethicam, significat: quæ docet nos sapienter, idest, justè, sanctèque, vivere. Quæ proinde vocatur. Sap. 10. *Scientia sanctorum*. Et Luc. 1. *prudentia justorum*. Corn. hìc.

Creavit illis scientiam spiritus. Eccl. 17. 6. Propriè & genuinè, scientia spiritus est, scientia rerum spiritualium: puta cognitio Dei, Angelorum, virtutum, gratiæ, gloriæ. Talis scientia est fides, sapientia, Theologia, ac præsertim sacra Fidelium Ethica; quæ Spiritum hominis docet, dirigitque ad Dei cultum, & ad beatitudinem cœlestem. Cornelius hìc.

Requiescet super eum-Spiritus scientiæ, & pietatis. Is. 11. 2. Utrumque conjunxit: quia unum sine altero captare non possumus. Pinna in Eccl. Ethol. 26.

Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia. Is. 48. 17. Ob hoc autem docet; ut fiat, quod docetur. Non enim Theologia aliquem beatum facit; nisi reducta fuerit in actu: nec enim Paulus summus Theologus, beatus factus est, quia scivit; sed quia fecit, quod scivit, & docuit. Sim. Cass. l. 8. c. 18.

Convertimini unusquisque à via sua pessima, & bona facite studia vestra. Jer. 35. 15. q. d. sic in studiis multùm proficietis. Pinna ibid.

Ex Novo.

At illi dixerunt: in Bethlehem Judæ. Matth. 2. 5. Sacerdotes illi, qui dixerunt Herodi, ubi Christus natus est, erant apprimè docti; sed non iverunt eum adoratum, neque cognoverunt. Simplices, & illiterati, aliqui pastores eum adoraverunt: superbi verò, & docti, Jerosolymis manserunt, non viso Dei Filio. Stella de contemptu &c. p. 1. c. 30.

Abscondisti hæc à sapientibus. Matth. 11. 25. Cur mysteria absconduntur sapientibus? Theophylactus hìc. Deus, propter magnam misericordiam suam, non revelat aliquibus plura mysteria; ut nè magis puniantur. Apud Sylveira hìc. q. 5.

Accepit autem omnes timor. Luc. 7. 16. Si timor eos apprehendit, cur non mutaverunt vitam? cur non sunt ad meliora conversi? Cognitio, quam de Propheta perceperant, ipsorum est condemnatio: sicque fit; ut, qui novit, cùm possit adhibere diligentiam per doctrinæ veritatem, & negligit; quòd ipse spernatur ab eo, quem novit. Sim. Cass. l. 5. c. 12.

Et ipse princeps Synagogæ erat. Luc. 8. 41. Jairus est, cujus filia infirmatur, & moritur; & *illuminatio* interpretatur, & officio insignis, quia princeps in Synagoga erat. Ex quo timor incutitur: quòd neque lumen scientiæ, neque dignitas sufficiunt ad tantam animæ infirmitatem, neque peccatorum prolapsum, declinandum. Virtute opus est, ut non peccemus; gratia facit, ut non deveniatur in mortem. Qui verè illuminatus erat, dicebat: *Dominus illuminatio mea*. Ps. 26. 1. Sim. Cass. l. 5. 14.

Vadit ad illam, quæ perierat &c. Luc. 15. 4. Cur bonus Pastor quærit *ovem*, non autem Pater *filium* perditum? Resp. quia filius intellectu, & ratione, pollet, ovis verò insipiens animal. Deus sapientes & insipientes, salvat: à sapientibus tamen majorem diligentiam acquirit, quam in insipientibus supplet. Justis, & sapientibus, ait David; *quærite Deum, & vivet anima vestra*. Ps. 68. 33. At de seipso ait: *erravi sicut ovis, quæ periit; quære servum tuum*. Ps. 118. 176. Sylveira hìc qu. 14.

Jesus fatigatus ex itinere. Joan. 4. 6. Christus longo itinere quærit Samaritanam. At Magdalena, *ut cognovit, quòd accubuisset in domo Pharisæi*. Luc. 7. 37. Samaritana plena erroribus; at Magdalena Deum noscebat. Sylveira in Luc. 15. q. 14.

Ego sum Pastor bonus; & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Joan. 10. 14. S. Basilius hom. 26. *oves*, inquit, *meæ vocem meam audiunt*. Ecce quomodò cognoscatur Deus ex eo, quòd præcepta illius audimus; ex eo, quòd ea audientes opere implemus. Satis sit scire, Pastorem esse bonum, animam suam posuisse pro ovibus. Terminus sit hìc divinæ cognitionis. Quantus verò Deus sit, & quæ illius mensura, & qualis essentia: talia scisciranti sunt periculosa ei, qui rogatur perplexa: talium remedium est silentium. Pinna Ethol. 25.

Surgens à cœna. Joan. 13. 4. Surgite ad actionem, qui comeditis intelligentiæ panem. Frustrà est intelligentia sacrarum Scripturarum; quæ fidenter, & debitè reduci debent, & possunt; si non reducantur ad actum mentis, & corporis, aut alterius reliquo præpeditio. Sim. Cass. l. 13. c. 5.

Si hæc scitis beati eritis, si feceritis ea. Joan. 13. 17. ut scientia reducatur omnino ad actum: quia non beatus, qui novit; sed qui; quod noverit, fecerit. Quia non dixit Salvator; beati eritis, si scitis; sed beati eritis, *si feceritis*. Hanc scientiam expetivit Salomon, ut in ea fieret laboriosus, atque activus. Inquit enim: *mitte illam-ut mecum sit, & mecum laboret*. Sap. 9. 10. Id. ib.

Ex Patribus, & aliis.

Utile est, & multa scire, & rectè vivere. Quòd si utrumque non valeamus; meliùs est, ut bene vivendi studium, quàm multa sciendi, sequamur. Sanct. Isidorus Sententiar. l. 2. c. 1.

Tunc scientia magna est, & sibi utilis; si charitate humilietur, ut ampliùs crescat: temperatur enim à dilectione, ut non satis mera sit, & inebriet scientem, ut se extollat. Sicut enim vinum non temperatum admixtione aquæ, mentem alienat; ità & scientia superbum facit; nisi fuerit temperata. S. Ambr. in 1. Cor. 8. 1.

Non sit mora in faciendo, quòd intus sapitis intelligendo. Et ille Beatissimus est, qui divinas Scripturas vertit in opera. S. Aug. s. 112. de temp. apud Cornelium in Procemio in Evangelia.

Dum tempus habemus, obsecro, ut saltem id studii impendamus spiritualibus mercibus comparandis, quòd alii in perituris collocant. S. Chrysost. t. 1. hom. 11. in Gen.

Nihil nobis proderit, implenda didicisse; nisi ea, quæ didicimus, studeamus implere. S. Prosper Aqu. de virt. & vit. l. 3. cap. 27.

Non est vera scientia boni, nisi ad hoc cognoscatur, ut agatur. Id. in Ps. 118.

Multi prorsus multa facienda sciunt; pauci, quæ noverunt, consumare conantur. S. Laur. Just. s. in festo S. Bartholomæi.

O quantò utilius tibi esset, aurum scientiæ, & argentum eloquentiæ non habere; quàm inde tibi idolum facere! Scientia sanctitatis, sine intentione bona, quid aliud est, quàm imago sine vita? Scientia sola sine sanctitatis effectu, & bonitatis affectu, quid aliud est, quàm simulacrum vanum sine motu, & sensu? Richardus à S. Vict. de erudit. hom. inter. l. 1. c. 38.

Multi quærunt scientiam, pauci verò conscientiam. S. Bernardus tr. de inter. domo.

Multi scire volunt, pauci autem facere; ut priùs per studium boni operis mundetur conscientia. Primùm disce, quid facias; postea quære, quid scias. Hugo à S. Vict. de duab. scholis.

Conscientia est cordis scientia: cor enim & se novit sua scientia, & multa alia. Quando novit se, appellatur conscientia; quando præter se alia, nominatur scientia. Petrus Cell. lib. de consc.

Inutilis, immò noxia, scientia omnis, prudentiaque est, secreta à probitate morum. Lipsius Centur. 1. ep. 22.

§. X.

Scientiam junge amori divino.

Osculetur me &c. Cant. 1. 1. Insinuatur scientia Dei affectiva: nam Canticum canticorum ad scientiam spiritus elevat; quæ cognitionem, & amorem, comprehendit. Hebræum verbum *נשק*, non tantùm osculari significat, sed etiam erudire. Interpres tamen dixit: *osculetur me*, quàm erudiat me: quia amans Deum non quærit solam scientiam, quæ *inflat* 1. Cor. 8. 1. sed charitatem, quæ *ædificat*. Nec cupit erudiri, nisi ut vehementiùs possit amare. Et quam scientiam magis sitit, est scientia amoris. Sicut supremi Angeli, qui alios scientia, & charitate, superant, non denominantur *Cherubim* à plenitudine scientiæ; sed *Seraphim*, ab amore charitatis. S. Ambr. l. de Isaac, & anima c. 2. Osculatur nos Deus, quando cor nostrum spiritu divinæ cognitionis illuminat: id est, quando infundit supernaturale lumen, quo divina mysteria penetrat, veritates Fidei percipit, & affectum simul amoris. De Ponte hìc Exh. 2. Petit sponsa, sub metaphora osculi, adventum Filii Dei in carne: sub eadem etiam petit adventum Spiritus Sancti. S. Bernardus s. 8. in Cant. Spiritus S. jure optimo Patris, & Filii, vocatur osculum, quo se invicem osculantur, & quasi signum illius æterni amoris, quo se invicem semper amant. Id. ib. Exh. 8. *Osculetur me*. Ebriane est? ebria prorsus. Et fortè tunc, cùm adista prorupit, exierat de cella vinaria; quò se nimirum introductam postmodum gloriatur. S. Bernardus s. 7. in Cant.

Scientia inflat. 1. Cor. 8. Cùm Apostolus dicit, scientiam inflare, illicò addit charitatem, quæ scientiæ valorem tribuit. Sicuti aqua vinum, ità charitas temperat scientiam, nè inflectur. Cibus indigestus malos generat humores, & non priùs naturali calore concoctus corpus non nutrit, sed frangit: sic scientia ad intellectum, tamquam ad animæ stomachum, transmissa, charitatis igne non digesta, superbiæ flatus generat. Stella de contemptu &c. p. 1. c. 30.

Dicis; quòd dives sum. Apoc. 3. 17. Aliqui divitem exponunt, quia se divitem putat scientia, & sublimi ingenio: sed scientia sine charitate vera miseria est. S. Diadochus ep. de perfect. Spir. c. 7. nihil egentius illa mente, quæ de Deo extra Deum Philosophatur. Sylveira hìc.

Si adhibeatur scientia, tamquàm machina quædam, per quam structura charitatis adsurgat, quæ maneat in æternum; etiam cùm scientia destruetur: quæ ad finem charitatis adhibita multùm est utilis; per seipsam autem, sine tali fine, non modò superflua, sed etiam perniciosa, probata est. S. August. ep. 119.

Cibus indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ità & multa scientia, ingesta stomacho animæ, qui est memoria; si decocta igne charitatis non fuerit, nonne reputabitur in peccatum; tamquam cibus conversus in pravos, noxosque humores? S. Bernardus s. 36. in Cant.

Usque hodie arbor scientiæ complures privat arbore vitæ. Pretiosior namque est drachma scientiæ charitati conjunctæ; quàm mille pondo sine divino amore. S. Bonaventura apud Diez conc. 1. in festo S. Francisci.

Multi habent legem in corde, sed non cor in lege. Legem in corde habent, qui cognoscunt veritatem: cor in lege habent, qui diligunt veritatem. Qui verò legem in corde habent, neque cor in lege: hi portant legem, non portantur à lege: onerati sunt, non adjuti. Quia scientia, ubi non est charitas, gravat, non allevat. Hugo à S. Vict. apud Did. Nyss. Dom. Sexag. §. 2.

Mercurius. Lem. *Numquam procul à sole*. Tullius lib. 1. offic. scientia, quæ est remota à justitia, calliditas potiùs, quàm sapientia est appellanda. Picinelli.

§. XI.

Scientia charitati postponitur.

Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem. Psalm. 103. 4. Non dixit lucem, sed *ignem*: quia aptiores ad hominum magisterium sumus, ex charitatis, & virtutis igne; quàm ex illustrati intellectus fulgore. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 4. obs. 6.

Volavit unus ad me de Seraphim. Is. 6. 6. Non Cherubim. Qui ergo tacuerat, nec proximorum saluti intenderat; jam clamat: *ecce ego, mitte me*. Id. ibid.

Scio, quis sis sanctus Dei. Marci 1. 24. Non tam scientiæ de Jesu, quàm amori, da operam. Quis jam totum se expendat Scholæ; cùm & diabolum gloriantem audiat: *scio &c.* Plus sape-

ſaperes, ſi amares. Scientiam remittamus in æternitatis diem; quando clara viſione perſpicax animus Jeſum comprehendet: quamdiu in hac nocte ſumus, amori demus operam. Baeza t. 2. l. 7. c. 1. §. 7.

Et ſi habuero omnem ſcientiam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. 1. Cor. 13. 2.

Ad hoc ſolùm Deus per totam nobis ſacram ſcripturam loquitur: *ut nos in ſuum & proximi amorem trahat.* S. Gregorius hom. 10. in Ezech. 3. Non procul ab initio.

Una *vetula*, quæ habet modicum hortum (ſcientiæ, de qua *hic loquitur*) & quia ſolam charitatem habet; *meliorem fructum* habet, quàm unus magiſter, qui habet maximum hortum, & ſcit myſteria & cauſas rerum, ſine charitate. S. Bonaventura ſ. 18.

Vis aliquando Thologus evadere, & divinitate dignus? Serva mandata: actio enim ad ſpeculationem aſcenſus eſt. Interea excellentiorem vobis viam oſtendo: amare ſtudeamus potiùs, quàm intelligere: nam per amorem ad intelligentiam pervenitur. Iſidorus Clarius l. 1. or. 47.

Sicut deteriùs eſt, odiſſe Deum, quàm ignorare: ſic meliùs amare, quam noſſe. Id. ibid. or. 67.

Purus amor deplorat doctorum hominum miſeram tot in ſcientias abſorptorum curioſitatem, qui iis plus nimio afficiuntur: non ignari interim, quantæ ſint in conſpectu Dei vilitatis; qui eas etiam juratis ſuis inimicis dæmonibus non eripuit. Oſorius ſolus Deus Reg. 7.

Arſenius, dum poſt ſenatoriam, & aulicam dignitatem; poſt multas in ſæculo literas, conſuluiſſet Patrem eremicolam ſine literis; ſuis mirantibus, quid tantus vir literis Græcis, & Latinis eruditus cum idiota ſermonem protraxiſſet; ſuſpirabundus ait: in veritate dico vobis: quia nondum ad Alphabetum hujus ſenis attigi. Fuerat enim ſermo ejus, non de ſcientia, quam didicerat ſolam; ſed de charitate; quæ ædificat: quam ideo neſciebat, quia non tranſierat in affectum cordis. Gerſon tom. 3. de Canticordo.

Miſcellanea.

Eritis ſicuti dii ſcientes, Gen. 3. 5. Cur non dixit, eritis immortales, potentes, regnantes? S. Thom. Aq. opuſc. 2. c. 183. ut in tranſgreſſionem præcepti faciliùs inclinaret diabolus; illa promiſit, quæ homò naturaliter appetit, ſcilicet vitationem ignorantiæ, dicens: *aperientur oculi veſtri*. Et perfectionem ſcientiæ, cùm dixit: *ſcientes bonum, & malum*. Homo enim ex parte intellectus naturaliter fugit ignorantiam, & ſcientiam appetit. Sylveira in Joan. 4. 15.

Plerumque uſuvenit; ut, quod homines adulta ætate fugit; hoc puer inveniat: & quod eruditos præteriit; indoctis in mentem veniat: & quod Magiſtros fefellit; diſcipulis occurrat. S. Joan. Damaſc. orat. quòd ii, qui cum fide ex hac vita excedunt &c.

TITULUS XIII.

SCRIBA, SEU SCRIBERE.

Ipſe ſcriba velox. 1. Eſdræ 7. 6. q. d. Eſdras Legis Moſaicæ eræ peritiſſimus: in eaque docenda, & explicanda promptiſſimus. Scriba ergo idem eſt, quod Legis peritus, vel Legis Doctor. Sicut Græci olim ſuos ſapientes vocabant Philoſophos, Chaldæi Magos, Galli Druydas, Indi Brachemanes Gymnoſophiſtas; ità Judæi ſuos Doctores vocabant ſcribas. Cornelius hic.

Lingua mea calamus ſcribæ. Pſ. 44. 2. Quare linguam ſuam dixit eſſe calamum ſcribæ? quia quod lingua dicitur, ſonat, & tranſit; quod ſcribitur, manet. S. Auguſt. in Pſ. 44.

Et arundinem in dextera ejus. Matth. 27. 29. Arundinem, ſive calamum, ab illudentibus accipere non recuſavit; ut ſacrilegium ſcriberet Judæorum. Sanct. Rupertus lib. 13. in *Jo.* 19.

Et in calculo nomen novum ſcriptum. Apoc. 2. 17. An non ſat erat, ore enuntiari? cur inſuper ſcribitur? ſcriptum nomen Joannis, ob indelebilem firmitatem: quia nomen ejus ſcriptum in libro vitæ.

Sì utilitatem hujus operis, ſcilicet manu ſcribendi, rectè perpendis; profectò fateris, decere, vel decuiſſe, Deum Majeſtatis, quòd figurarum hujuſmodi, ſcilicet literarum, non alius; quàm ipſe, primus author extitit. Quid enim eſt in omni Mundo, in univerſa multitudine rerum, vel ſignorum viſibilium; quod humanæ menti ad cognoſcendum Creatorem ſuum, tam efficax, tam utile; tamque certum præbeat argumentum? Rupertus de victoria verbi l. 3. c. 23. & c. 25. Ecce, quàm parvo auxilio, quantùm Deus, & Verbum ejus, ſubvenit generi humano! Viginti duæ tantùm, ſicut jam dictum eſt, literæ ſunt: ecce, de impenſis tam parvis, quàm magnum exctructum eſt ædificium!

TITULUS XIV.

S. SCRIPTURA.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

In principio creavit Deus cœlum, & terram. Gen. 1. 1. Terra eſt ſcriptura, quæ produxit omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave. S. Bonaventura ſ. 16.

Ipſe autem tenebit aquas amariſſimas. Num. 5. 18. Aqua amara divina ſcriptura dicitur: quia peccantibus non parcit; & juſtis dulcis, quibus æterna prœmia repromittit: & ità aliis aqua benedicta eſt, aliis maledicta. V. Beda hìc.

Lingua mea calamus ſcribæ. Pſ. 44. 2. Calamus fiſſus eſt, duoſque vertices gerit, in unius acuminis tenuitate digeſtos; unam literam utroque conficiens: cui ſi unum adimas, alterius eſt inanis uſus. Unde rectè Teſtamenta ſunt duo. S. Zeno Veron. ſ. de ſomnio Jacob.

Extendens cœlum ſicut pellem; qui tegis aquis ſuperiora ejus. Pſalm. 103. 23. Quid cœli nomine, niſi S. Scriptura, ſignatur? de qua nobis & ſol ſapientiæ, & luna ſcientiæ, & ex antiquis Patribus ſtellæ exemplorum, atque virtutum, lucent? Quod ſicut pellis extenditur: quia per ſcriptores ſuos carnis lingua formatum, ante oculos noſtros & per verba Doctorum exponendo diſplicatur. Quid verò aquarum nomine, niſi ſanctiſſimi Angelorum ſignantur chori? S. Gregor. hom. 9. in Ezech. circa finem.

Levavi oculos meos ad montes; unde veniet auxilium mihi. Pſalm. 120. 1. Oculos noſtros cùm levamus ad ſcripturas, quia per homines miniſtratæ ſunt ſcripturæ; levamus oculos noſtros ad montes, unde veniat auxilium nobis. S. Auguſt. tr. 1. in Joann. Scriptura ſacra mons quidam eſt, de quo in noſtris cordibus, ad intelligendum Dominus venit. Richardus à S. Vict. Prologo in Cant.

Terra autem in æternum ſtat. Eccle. 1. 4. Sacra ſcriptura terra appellatur: inſtar enim terræ immobilis eſt, fructus gignit, omnibus patet, ac omnes accipit. Olympiodorus hìc.

Meliora ubera tua vino. Cant. 1. 1. Duo ubera, duo Teſtamenta intellige, à quibus lactentur Eccleſiæ filii; lingua, atque mente; corde, & ore. Philo Carpath. hìc.

Introduxit me Rex in Cellaria ſua. Cant. 1. 3. Quid per hujus ſponſi, qui Rex eſt cellaria intelligimus? niſi ſanctæ ſcripturæ arcana, quæ rimamur? niſi ſanctæ contemplationis myſteria, quorum deliciis ſi reficimur, mox convaleſcimus. S. Greg. hìc.

Favus diſtillans labia tua. Cant. 4. 11. Hunc favum congerit anima de diverſis ſcripturæ floribus: hos perquirit, his inſidet; de eis ſuavitatem ſpiritualis dulcedinis extrahit, & elicit. Richardus à S. Vict. hìc.

Ex Novo, & Patribus.

Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. Matth. 13. 44. Videtur ager eſſe ſcriptura, confuſa manifeſtis hiſtoriæ verbis, & legis, & Prophetarum. Porrò theſaurus in agro abſconſus; ſunt reconditi, & ſub manifeſtis verbis latentes, ſapientiæ in myſterio reconditi ſenſus. Origenes. hìc.

Divina ſcriptura, Mundus quidam eſt intelligibilis ſuis quatuor partibus, velut quatuor elementis conſtitutus: cujus terra eſt velut in medio, imòque inſtar centri hiſtoria: circa quam aquarum ſimilitudine abyſſus circumfunditur moralis intelligentiæ: circa quas hiſtoriam dico, & Ethicam, aer ille naturalis ſcientiæ circumvolvitur, quam Græci dicunt Phyſicam. Extra autem omnia, & ultra, æthereus ille igneus ardor empyrii cœli, hoc eſt ſupernæ contemplationis divinæ naturæ, quàm Græci Theologiam nominant, circumglobatur. Origenes hom. 2. de diverſis.

Mare eſt ſcriptura divina, habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum; in quod mare plurima introierunt flumina &c. S. Ambroſ. ep. 44.

Harum molarum operatione, id eſt novi, ac veteris Teſtamenti, hoc agit S. Eccleſia cura pervigili: ut peccatorum aſperitate diſcuſſa, ex occultis cogitationibus medullam mundi cordis eliciat, & cœleſtibus mandatis mundata, ex intimis ſpiritualia alimenta producat. S. Greg. Naz. hom. 2. de adv.

Eſt quidem ſacra pagina pharetra quædam ſpiritualis, in qua ſagittæ acutæ, & ignitæ latitant. Hanc nemo Deo militans derelinquat. Juſt. de caſto connub. c. 6.

Quid ſunt aliud divina eloquia, niſi quædam lilia emanantia candorem puritatis, & gratum puritati ſpirantia odorem ſuavitatis? S. Amedeus Ep. hom. 6.

Tota ſcriptura eſt quaſi una cithara. Et ſicut corda per ſe non facit harmoniam, ſed cum aliis: ſimiliter unus ſcripturæ locus dependet ab alio; immò unum locum reſpiciunt mille loca. S. Bonaventura ſ. 19.

§. II.

S. Scripturæ dignitas, laudes.

Diſce arcana Dei in verbis Dei. S. Gregor cor. M. ep. 329 his verbis Theodorum medicum invitat ad ſtudium ſacrarum literarum.

Deus iterum ſuam erga illos (homines) amicitiam innovare volens, quaſi longè abſentibus literas mittit, conciliaturus ſibi univerſam hominum naturam. S. Chryſoſt. hom. 2. in Gen.

Nihil in S. Scriptura invenire licet, quod abſque ratione aliqua ſit ſcriptum. Id. hom. 28. in Gen.

S. Baſilius in Pſalm. 59. Libros ſacros appellat dona divinitus miſſa, & cibum animarum.

Eſt ſacra pagina ſapientiæ verbi ſpeculum, divinitatis armarium. S. Laur. Juſt.

Sunt ſacri libri arma Clericorum, Eccleſiarum divitiæ, & theſauri doctorum; tubæ ſacerdotum; ſolatia Religioſorum, epulæ devotorum, teſtamenta ſanctorum, organa Spiritus Sancti. Thom. Kemp. conc. 20.

§. III.

S. Scripturæ utilitas.

Num. I.

Cibus.

Scriptura ſacra, cibus, & potus, eſt. S. Gregor. l. 1. hom. 10. in Ezech. 3.

Bona paſcua ſunt libri ſcripturarum cœleſtium; in quibus quotidiana lectione paſcimur; in quibus recreamur, ac reficimur: cùm ea, quæ ſcripta ſunt, deguſtamus; vel ſummo ore libata frequentiùs ruminamus. His paſcuis grex Domini ſaginatur. S. Ambr. Octon. 14. in Pſ. 118. ſub initium.

Bibitur ſcriptura divina, & devoratur ſcriptura divina; cùm in venas mentis, ac vires animæ, ſuccus verbi deſcendit æterni. Sanct. Ambroſ. in Pſalm. 1. ſed in lege Domini ante finem.

Scriptura divina, convivium ſapientiæ eſt; ſinguli libri, ſingula ſunt fercula. Sanct. Ambroſ. offic. c. 32.

Eſt ſcriptura menſa Domini puriſſima. Petrus Cell. l. de panib. c. 9.

Num. II.

Medetur.

S. Auguſtinus in Prologo ſuper Pſalmos, ait, ſcripturam divinam hac de cauſa à Spiritu Sanct. contraſcriptam, *ut*, velut ex communi quodam ſanitatis fonte, omnes nobis ex hac remedia propriis paſſionibus aſſumamus. Ad ſcripturarum ſcripturarum gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina eſt, ubi dolorum certa remedia. S. Hieron. in Joan. 11.

S. Athanaſius divinos libros appellat variam medicinalium librorum ſapientiam.

Nulla eſt tentatio, nulla adverſitas, nullum infortunium, nulla calamitas; cui non Sacra ſcriptura medeatur; ſuccurrat conſolatione, conſilio; vel alio quopiam remedio. S. Thom. Vill. ſ. D. 1. Quadrag.

Num. III.

Ejusdem varia utilitas.

Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Prov. 8. 34. Fores ſuas, & poſtes oſtii ſui, ſcripturas ſanctas, & earum Doctores nuncupat: ſine quibus ad vitam, quam pollicetur, non valeamus ingredi. V. Beda hom. in Purif. B. V.

Scriptum eſt: non in ſolo pane &c. Matth. 4. 4. Diſcamus hinc omnes, arma noſtra ſacras eſſe ſcripturas: ideò namque Jeſus omnes has tentationes ſolis ſacris ſcripturis vicit: ut doceret nos ſic pugnare, & vincere. Nulla enim poterit nos ſuaſio ad malum trahere; ſi conſultis ſacris ſcripturis actiones, & omiſſiones, noſtras direxerimus. Cajetanus hìc.

Nihil ità parvum in ſacris ſcripturis invenitur, quod magnam nobis utilitatem non pariat. S Cyrill. Alex. c. 102. in Joan.

Sunt in ſcripturis ſanctis profunda myſteria; quæ ad hoc abſconduntur, nè vileſcant; ad hoc quæruntur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut paſcant. S. Aug. in Pſ. 140. Præf.

Non parvus eſt fructus, ſi aliqua obſcura, & incerta, quæ comprehendere non valeamus: clarum ſaltem, certumque ſit, nobis eſſe quærenda: & quod *unuſquiſque vult diſcere*, putans prodeſſe, ſi ſciat; diſcat, non obeſſe, ſi neſciat. S. Auguſt. lib. de cura pro mortuis habenda.

Quidquid ſalubriore mente concipitur, vel ore profertur, vel de quolibet divina pagina exſculpitur; non habet finem, niſi charitatem. S. Auguſt. in Pſalm. 140. Sacra ſcriptura nitidiſſimum ſpeculum eſt; talem reddens vultum hominis, qualis eſt. Quem pagina ſacra redarguit, etiamſi ab omnibus commendetur, deformis, & fœdus, purandus eſt. S. Thom. Vill. S. in octava Paſch.

Via regia, qua itur ad inveſtigationem veri. S. Baſilius ep. 1. ad Gregor. Naz.

Quidquid homines, alter alteri, vel dicere verentur, vel ignorant; hoc ſacræ literæ & ſanctiſſimè audent, & uberrimè noverunt. Philo Carpath. in Cant. 5. 1.

Tota ſacra ſcriptura hæc tria docet: ſcilicet Chriſti æternam generationem, & incarnationem; vivendi ordinem; & DEI, & animæ unionem. S. Bonaventura libello de reductione artium ad Theologiam.

§. IV.

Sacra ſcriptura delectat; ſimilis horto.

Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis: carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis: carpis roſam; hoc eſt, Dominici corporis ſanguinem. Sanct. Ambroſ. Octon. 14 in Pſalm. 118. Deambulat in paradiſo Dominus, quando divinas ſcripturas lego. Paradiſus eſt Geneſis liber, in quo pullulant virtutes Patriarcharum. Paradiſus Deuteronomium; in quo germinant legis præcepta. Paradiſus Evangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit. S. Abroſ. l. 4. ep. 31.

Non tantumodò pratum, ſed & paradiſus eſt, divinarum lectio Scripturarum: non enim fragrantiam nudam habent ejus flores, ſed & fructum, qui animam nutrire poſſit. Sanct. Chryſoſt. hom. 1. ad Populum Antioch.

S. Cyrillus l. 4. in Gen. vocat agrum fertiliſſimum. Iſidorus Peluſiota l. 3. ep. 388. prata feliciſſima.

Vos, ni fallor, eſtis, qui in hortis habitatis: qui ſcilicet in lege Domini meditamini die ac nocte: & quot libros legitis; tot hortos perambulatis: quot ſententias legitis; tot poma carpitis. Guarricus ſ. de S. ſcripturæ utilitate.

S. Carolo Borromæo ſuadebant amici, compararet ſibi hortum juxta Palatium Archiepiſcopale, quò fatigatus ſe conferret. Reſpondit: Epiſcopi hortus ſacra ſcriptura eſt. Joan. Petrus Tuſanus in vita ejusdem.

§. V.

Sacræ ſcripturæ lectio, cognitio.

Oculi tui columbarum. Cant. 1. 14. Quòd oculi ejus comparantur columbis, ob hoc profectò contingit: quia divinas ſcripturas, non jam ſecundùm literam, ſed ſecundùm ſpiritum intelligat: & aſpiciat in eis ſpirtualia myſteria. Columba enim indicium eſt ſpiritus Sanctus. Origenes hom. 3. in Cant.

Habent Moyſem, & Prophetas; audiant illos. Luc 16. 29 An Moyſis, aut Prophetarum, tempore hæc acciderunt. Minimè; ſed, nomine Moyſis, & Prophetarum, eorum ſcripta intelliguntur. Cur non dixit? eos legant, ſed illos *audiant*? quia imperitorum non eſt ſacras ſcripturas intelligere; ſed à Doctoribus earum expoſitionem audire. Audiant libros Moyſis, & Prophetarum, à legis peritis: ex illis, quæ ſunt ad conſequendam ſalutem neceſſaria, cognoſcant. Eſcobart. 6. Par. Chr. l. 3. ſect. 3. §. 2.

Quomodo in his noſtris literis non poteſt quis ad legenda verba, texendaque, procedere; niſi priùs ad elementis cœperit: ità in ſcripturis divinis non valemus ea, quæ majora ſunt, noſſe; niſi ab Ethica in ipſas habuerimus exordium. Sanct. Hieron. Procem. in Lament. Jer.

Nihil præclarius, nihil animarum ſaluti conducibilius, eſt quàm divinas ſcripturas perſcrutari. S. Joan. Damaſc. l. 4. c. 18.

Dum divinam ſcripturam aggrederis, tanquam qui relaturus ſis, quæ audieris, meditare. S. Ephrem de perf. Monachi

Miſcellanea.

Angelis ſuis mandavit de te. Matth. 4. 6. Secundùm Hieron. Bedam, &c. Pſalmus iſte non eſt ad literam ſcriptus de Chriſto; ſed de quocumque homine vivente, & viatore, Angelorum cuſtodia indigente; qua Chriſtus non eguit. In quo patet dolus diaboli, ſcripturam mendaciter, & tamen veriſimiliter multùm apparenter explicantis. Dionyſ. Carthuſ. hìc.

T I T U L U S XV.

SENECTUS SENES.

§. I.

Symbola, descriptio.

Et revertantur nubes post pluviam. Eccl. 12. 2. Franciscus Vales, Sacr. Philosoph. c. 66. per nubes post pluviam accipit catarrhos, ex jugibus stomachi vaporibus generatos, quibus senes laborant, ex defectu caloris. Apud Cornelium hic.

Florebit amygdalus. Eccl. 12. 5. Glossa, *canescet caput*. Ad litteram, amygdalus citissimè, & densissimè, candescens repræsentat senectam pilis candidis subitò candescentem. Ità S. Hieron. Cani, ait Hugo Card. sunt flores mortis, illam, quasi fructum, in propinquo esse denuntiantes: quia, sicut flores in fructum; sic cani in mortem desinunt. Cornelius hìc.

Venient aboriente, & occidente. Luc. 13. 29. Ab oriente juventutis, & occidente senectutis. S. Vinc. Ferr. s. 5. in Epiph.

Videte, regiones, quia albæ sunt jam ad messem. Joan. 4. 35. Cavillantur quidem lepidè senes videri regiones, quòd albæ sint ad messem, propter canos scilicet, & messem mortis. Theophylactus hìc.

Cùm sibi homines optant senectutem, quid aliud optant? nisi longam infirmitatem. S. August. l. de catechizandis rudib. cap. 16.

Senectus mortis præludium est. B. Theodoretus de Provid. Dei s. 8.

Manè tempus est Juventutis, vespere senectutis: manè ascensionis; vespere descensionis. Sim. Cass. l. 14. Luc. 24.

Solon rogatus, quid esset senectus? respondit: est hyems vitæ. Apud Cornelium in Eccl. 12. 1.

§. II.

Senectus pietati apta.

Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti. Matth. 20. 12. Juxta S. Chrysost. hom. 55. in Matth. qui de Patrefamilias murmurant, hi sunt, qui adhuc juvenes viam pietatis ingressi, ad ultimum usque senium decurrerunt. *Amice, non facio tibi injuriam*. v. 13. q. d. nulli facio injuriam; sed pro cujusque meritis mercedem rependo: quia hi senes una hora tantùm laborarunt, quantum vos toto vitæ spatio. Ex quo patet: senectutem aptissimam esse humanæ vitæ portionem ad studium pietatis: adeò, ut in senectute facilè resarcire possis, quod reliquis vitæ partibus neglectum. Pinna Ethol. 82.

Si venerit in secunda vigilia: & si in tertia vigilia venerit. Luc. 12. 38. Hebræi noctem in quatuor partes secabant, quas *vigilias* vocarunt. Per has significat pueritiam, juventutem, virilem ætatem, & senectutem. Pueritia prima, senectus quarta. Secundæ, & tertiæ vigiliæ meminit: quia his majori studio urgebantur custodes. Cùm infantes sumus, sine usu rationis, nec mereri, nec demereri possumus: in quarta homines pietati invigilant; nec opus habent admonitore ad virtutem. Pinna ibid. Pueris admonitione non est opus; quia ad hoc incapaces doctrinæ, & culpæ sunt. Senes item monitis non videntur indigere: quia senectus ipsa pro admonitione est; & veluti quoddam *memento homo*. Alvarez Illust. 290.

Audientes autem unus post unum exibant, incipientes à senioribus. Joan. 8. 9. Objecerat accusatoribus conscientiam scelerum cùm digito scribebat in terra. Doctrinam senes faciliùs excipiunt. S. Ambros. ep. 51. qui priores vim intellexere sententiæ, quasi prudentiores; & cœperunt sua magis deflere peccata. S. Hieron. in Joel 2. 16. quorum ætas vicina morti, maturæque sententiæ, magis timorem, ac Dei cultum suscipit. Velloso in Judith. 6. Paræn. 8.

a. III.

Senes honorandi.

Vides, quòd senuerim - sume arma &c. Gen. 27. 2. 3. Ut hoc Isaaco Esau præstaret obsequii poterat alias obtendere causas: scilicet jus paternum, educationem, &c. Omnibus autem aliis præceritis, solùm meminit senectutis: *vides, quòd senuerim*. Hoc satis sit, ut mihi obsequaris, ut laborem injunctum suscipias: *quòd senuerim*. Pinna Ethol. 142.

Junior fui; etenim senui: & non vidi justum derelictum. Psalm. 36. 25. Intendit evincere, justum semper feliciter incedere, & omnia ei, ad votum evenire. Quod sanè difficile est creditu: cùm contraria nobis ob oculos obversentur. Et tamen, cùm multa congerere posset, quæ sibi dicenti fidem facerent, & authoritatem sibi conciliarent; id unum adducit: *junior fui, etenim senui*. Mihi seni, inquit, credite, qui multa expertus sum. Vide, quanto honore, & fide, digna sit senectus, Id. ib.

Senior Cajo charissimo. 3. Joan. 1. Vide, quem titulum sibi præfigat Joannes, ut benevolentiam, & authoritatem, sibi conciliet; nimirum *senior*. Poterat sibi tot alios titulos scribere; sed hoc uno contentus est. Idem ib.

Multam fiduciam habens in Christo Jesu - cùm sis talis, ut Paulus senex. Philem. 8. 9. Laudat Philemanem, ut eum cogat refugum servum Onesimum excipere: quòd sit *senex*, maximum ad persuadendum motivum. Id. ib.

§. IV.

Senes non spernant juvenes.

Fiat lux. Gen. 1. 3. Prima die dixit Deus: quarta die dixit: *fiant luminaria, fecitque Deus duo luminaria magna*. vers. 16. An Deus primæ diei luci dedit splendorem, utpote antiquiori omnem? minimè: immò & majorem posterioribus Luminibus contulit. Non semper, quod antiquius, id præstantius. Sylveira in Act. 17. q. 6.

Det tibi Deus de rore cœli &c. Gen. 27. 28. Citiùs natus est Esau, sed primogenituram cessit Israeli. Ultima maturescit in agro olea; sed pretiosior fructu. Postremus inter membra oculus formatur; sed præstantissimus dignitate tarditatem compensat. Aurora sole velocior; sed obscurior. Virtum splendet in cunis; nec dum plenè in lucem editum lucet: cùm adamantem summo labore erudiri necesse sit ad fulgorem. Verùm illud, quàm facilè splendet, tam facilè frangitur: hoc verò, quàm tardè lucem emittit, tam serò amittit. Ranæ nesciunt vocis infantiam, pipientibus in nido luscініis: at coaxant illæ vel in senio; harum verò cantus, quò tardior, eò dulcior, &c. Oliva t. 2. Strom. §. sicut unguentum in capite. *Et Baldad Suhites*. Job 2. 11. S. Greg. mor. l. 13. c. 17. Baldad interpretatur *vetustas sola*: quò notantur, qui sola corporis senectute gloriantur; & ex hac una honorem sibi parant.

§. V.

Senes vix arrigibiles.

Seniorem nè increpaveris. 1. Tim. 5. 1. Nam doceri senem, res est, aut difficilis, aut supervacua. Diogenes, dicebat: mortuo mederi, & senem docere, idem esse. Mendoza in 1. Reg. 3. 15.

§. VI.

Sanctus ex moribus æstimanda.

Ex Veteri, & Novo.

Erant autem ambo senes &c. Gen. 18. 11. An non Adam, &c. Seniores? Primus tamen senex vocatur Abraham: quia primus virtuti à pueritia vacaverat. In Dei catalogo non numerantur anni: sed ponderantur. Alvarez Illustr. 287.

Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel; quos tu nosti, quòd senes populi sint, ac magistri. Num. 11. 16.

Quid mihi daris consilium? 3. Reg. 12. 9. S. Hieron. ad Is. 3. talis fuit Rex juvenis Roboam, filius Salomonis, qui secutus est juvenum consilia: non quòd ætate esset juvenis, sed sapientia; alioqui quadraginta, & amplius, annorum regnum accepisse narratur. Et è contrario Salomon duodecim annorum erat, quando suscepit imperium. Et quia habebat sapientiam, propterea non est appellatus juvenis.

Et dabo pueros principes eorum. Is. 3. 4. S. Basilius hìc: non is, qui per ætatem est juvenis sugillatur; sed qui moribus præfert adolescentiam. Non enim per ætatem ullus venit culpandus; sed qui vitiosè vivit: cujusmodi erat Roboam, de quo scriptum est. 3. Reg. 12. 8. 2. Paral. 13. 7. *Roboam erat junior, & corde pavido*. Ità legit S. Basilius.

Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui. 3. 14. Cum senioribus, id est, sanctis: quia, licèt multi eorum juvenes fuerint; tamen gubernarunt se, ut senes. S. Vinc. Ferr. s. fer. 6. post Ascens. D.

Triginta, & octo annos habens in infirmitate sua. Joan. 5. 5. Ærumnarum dies integri, & completi, apud Deum sunt. Ecce, quàm exactè, & integrè, enumerentur infirmitatis anni. E contrà de Saul, qui quadraginta annis regnavit, dicitur 1. Reg. 13. 1. *duobus annis regnavit super Israel*, cæteris omnibus oblivioni traditis triginta, & octo, evanuerunt apud Deum; & ex annis ærumnarum, ac laborum, integri enumerantur. Baeza t. 2. l. 9. c. 2. §. 13.

Dixit Jesus: pueri, nunquid pulmentarium habetis? Joan. 21. 5. Cur barbaros viros pueros vocat? S. Chrysol. ser. 78. quia eos fidei virtute repererat destitutos, & à virili robore invenerat dejectos; arguit tales, pueros nuncupando. Ibi enim

enim erat Petrus, qui negaverat; Thomas, qui dubitaverat; Joannes, qui fugerat: non ergo, ut fortissimos milites, sed pueros compellat, ut timidos.

Cùm senueris, extendes manus tuas. Joan. 21. 18. Ecce venerabilis Petri senectus, & dierum plenitudo, unde censetur? ex vinculis, & laboribus. Sanct. Ambros. in Ps. 36. ante certamen *junior* dicitur, in certamine *senex*; quod omne certamen impleverit. Id. ib.

Cùm sis talis, ut Paulus senex; nunc autem & vinctus Jesu Christi. Philem. 9. Tunc ætatis senium audet numerare, cùm patitur vinculæ, & carceres, pro Domino. S. Ambros. in Psalm. 35. ibi se senem esse gloriatus est, ubi jam in vinculis tenebatur. Idem ibid.

Ex Patribus, & aliis.

Quid votis opus est, ut ævi maturitas consequatur, si mihi meritum regni cœlestis demptura est? S. Ambros. in Luc. 18. sub initium.

Nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morum: nullus pudor est, ad meliora transire. Id. ep. 31.

Verè senectus illa venerabilis est, quæ non canis, sed meritis albescit. Et est enim reverenda canities, quæ est canities animæ in canis cogitationibus, & operibus effulgens. Quæ est enim verò ætas senectutis? nisi vita immaculata; quæ non diebus, aut mensibus, sed sæculis propagatur. Id. ep. 60.

Nihil longum est, quod finem habet: & omnis retrò temporum series transacta non prodest; nisi fortè bonorum operum viaticum præparaverit. S. Hieron. Proœm. in l. 3. c. 8. Ezech.

Moribus canus à juventute: cui secundas post Apostolos partes tempus solùm dat. Temporis enim natura in præterito, & futuro. Quod ad virtutem, & vitium attinet; eodem modò sese habet; in libero enim arbitrio, atque proposito voluntatis, non in tempore bonum consistit. S. Gregor. Nyss. orat. funebri de S. Basilio fratre suo.

Hos graves, & honestos servos dico; non minùs virtutis, quàm senectutis, nomine venerandos: quorum ut corpota temporis diuturnitate debilitantur; ità animæ Deo juvescunt. S. Greg. Nazianz. orat. 24. in laudem. Cæsarii Fratris.

Demum indormiscit plena, non humanorum dierum, quos nè in votis quidem habebat; sed dierum secundùm Deum exactorum: ità plena, ut haud sciam, an perinde quisquàm eorum, qui in locupletissima senectute mortem objerunt; ac multos annorum orbes, conversionesque numerarunt. Id orat. 25. in laudem sororis suæ Gorgoniæ.

Expers timoris Domini securitas cogitationem puerilem facit. Et timor Domini etiam juvenes senes reddit. S. Ephrem. s. de tim. Dom.

Cana consilia in annis puerilibus meditabatur. Ennodius de Epiphania in ejus vita.

Agebat senem moribus annis puer. S. Bernardus in vita Malachiæ Ep.

Sicut sapientia dat canos; ità, quidquid viri est, tollit insipientia. Hunc ergo juniorem (filium prodigum) mores præstitere, non æras: seniorem illum, non tempora fecerunt esse, sed sensus. S. Chrysol. s. 5.

Non magnum est, immò magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus; cùm puer centum annorum sit moriturus, & peccator centum annorum maledicendus. Is. 65. 20. Guarricus s. in Purif. B. V.

Melior est senectus morum, quàm annorum; meritorum, quàm temporum. Richard. à S. Vict. de differ. Sacrif. Abrahæ, & B. V.

§. VII.

Miscellanea.

Qui dudum infans, subitò puer; qui puer repente juvenis, & usque ad senectutem per spatia mutatur in certa, & ante se senem intelligit quàm juvenem non esse se miratur. S. Hieron. in Is. c. 40. v. 2.

Ut æqualium usus dulcior, ità senum tutior est: qui magisterio quondam, & ductu vitæ, colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Sanct. Ambros. offic. lib. 1. 43.

T I T U L U S XVI.

SENSUS.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Quinque reges Gen. 14. 2. quinque sensus corporis nostri sunt. Meritò reges dicuntur: quia habet sua culpa dominatum, habet regnum grande. S. Ambr. de Abrah. l. 2. c. 7. Per quinque Reges Sodomorum designatur regnum carnale quinque sensuum, in quibus præest concupiscentia gulæ. S. Th. Aq. hìc.

Quando commovebuntur custodes domus. Eccl. 12. 3. Pro *commovebuntur*. Cajet. Tigur. vertunt, *trement*. Campens. *debilitati fuerint*. Qui sunt hi custodes domus, id est, corporis? hæc enim est domus, in qua habitat anima. Lyran. Titelm. & Vales. Sacr. Philos. c. 66. accipiunt omnes sensus: præsertim oculos, & aures; qui quasi custodes, & vigiles excubant; nè quid in corpus noxæ ingrediatur. Hi in senibus commoventur, debilitantur, & deficiunt. Cornelius hìc.

Dicet aliquis, quoniam Tactus est in prima vocatione; propterea, quòd dictum: non manducabitis nec tangetis. Gen. 3. 3. Odoratus autem misericordia; propterea, quòd dictum est de Noe. Gen. 8. 21. *odoratus est Dominus odorem suavitatis*. Gustus autem est in Abrahæ vocatione; quòd Angelos pavit. Auditus in Moyse; quando de cœlo audita vox Dei. Visus autem, qui super omnes sensus honorabilior est, in adventu Christi significatur; quando oculi beati Christum viderunt. Orig. tr. in Matth. 20. de vocatis ad vineam.

Sensus corporum quasi equi sunt, sine ratione currentes: anima verò in aurigæ modum, retinet fræna currendum. Et quomodo equi absque rectore præcipires ruunt; ità corpus sine ratione, & imperio animæ, in suum fertur interitum. S. Hieron. l. 2. adv. Jovin.

Sicut apes in floribus, sic sensus in delectationibus, vagantur. S. Bonav. s. 3. D. 9. Pent.

§. II.

Sensus frænandi, & mortificandi, & motiva.

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Gen. 2. 7. S. Ambr. ep. 42. Nunc intellige, qua causa Dominus Deus insufflavit in faciem hominis: ibi enim sensus omnis; ibi sedes, atque illecebra delectationis; in oculis, in auribus, naribus, atque in ore: ut sensus nostros adversùs delectationem fortiores faceret.

Vade, & proficiscere in Mesopotamiam in domum Bathuel. Gen. 28. 2. Bathuel *sapientia*, dicitur, interpretatione Latina *filia Dei*. In domum ergo sapientiæ mittitur Jacob, & accipere jubetur uxorem è filiabus Laban, qui habitabat in Charran, quod significat *cavernas*: in quibus species est sensuum, qui sunt tanquam in cavernis corporis: auditus in auribus, odoratus in naribus, in ore sapor unde ei dicit Rebecca, habitaturum paucos dies cum illo, non multo tempore; nè corporeis coloretur voluptatibus, & sæculi capiatur illecebris. S. Ambros. l. de fuga sæculi c. 4.

Curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. 3. Nunc interim, ut videtur, sponsa consociatis sibi adolescentulis multis, ab uno solo sensu, id est, odoratu tantummodò capta; currere se in odorem unguentorum sponsi commemorat. Quid, putas agent; cùm & auditum earum, & visum, & tactum, gustumque, occupaverit verbum Dei? & singulis quibusque sensibus, virtutes ex se competentes naturæ earum, capacitatique præbuerit: ità ut oculus, si videre potuerit gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti à Patre; aliud ultrà jam videre nolit: neque auditus aliud, quàm verbum vitæ, & salutis audire. Sed & cujus manus palpaverit de verbo vitæ; nihil ultrà materiale, nihil fragile, caducumque palpavit. Nec Gustus cùm gustaverit bonum verbum Dei, carnemque ejus, & Panem, qui de cœlo descendit; aliud quid post hæc gustare patietur. Præ dulcedine namque illius, & suavitate, omnis reliquus ei sapor asper videbitur, & amarus: & ideò hoc solo vescetur. Origenes hom. 1. in Cant. hìc.

Ascendit mors per fenestras. Jerem. 9. 21. Et domum ingreditur; cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. S. Greg. mor. l. 21. 2.

Quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat; carnales tamen sensus puerile quiddam exteriùs perstrepunt: & nisi interioris gravitatis pondere, & quasi juvenili quodam vigore refrænentur; ad fluxa quæque, & levia, mentem enervem trahunt. Id. ib.

Si sciret Paterfamilias, qua hora fur venturus esset, &c. Matth. 24. 43. Paterfamilias est spiritus rationalis, videlicet anima nostra; cujus familia sunt cogitationes, affectiones, & ope-

& opera: domus verò ejus, corpus hoc est corruptibile: fur verò est tentator. Debet ergo spiritus noster incessabiliter vigilare; nè diabolus per fenestras corporis, id est, per sensus exteriores, introeat habitaculum animæ; neque perfodiat illud, inducendo laqueos tentationum per corpus. Dion. Carth. hic.

Quis inter tot passiones hujus corporis, inter tantas illecebras hujus sæculi; tutum, atque intemeratum servare potest vestigium? Respexit oculus, & sensum mentis evertit; audivit auris; & intentionem flexit: inhalavit odor; & cogitationem impedivit: os libavit: & crimen reddidit: tactus contigit, & ignem adolevit. S. Ambros. l. de fuga sæculi c. 1.

Quid autem amo, cùm, te amo non speciem corporis, nec decus temporis, nec dulces melodias non manna, & mella; non hæc amo, cùm Deum meum amo. Et tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum; cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum, intentionis hominis mei; ubi fulget anima mea, quod non capit locus; & ubi sonat, quod non rapit tempus; & ubi olet, quod non spargit flatus; & ubi sapit, quod non minuit edacitas; & ubi hæret, quod non divellit satietas. Hoc est, quod amo, cùm Deum meum amo. S. August. Conf. l. 10. c. 6.

Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova! serò te amavi! Ecce intus eras, & ego foris; & ibi te quærebam; & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longe à te, quæ, si in te non essent, non essent. Vocasti, & clamasti; & rupisti surditatem meam. Cotruscasti, splenduisti, & fugasti cœcitatem meam. Fragrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustavi, & esurio, sitio. Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam. Id. ib. c. 27.

Animus magis amandus, quàm corpus. Quid huic adversatur? Sensus. Resistendum ergo sensibus totis animi viribus reliquet. Quid si sensibilia nimiùm delectent? fiat, ut non delectent. Unde fit? consuetudine iis cavendi, appetendique meliora. Id. ep. 151.

Et oculos, & os, & auditum, propterea posuit in nobis Deus: ut omnia ipsi membra servirent: ut, quæ ipsius sunt audiamus; quæ ipsius loquamur; quæ ipsius semper operemur; eique laudes canamus assiduas, & gratias per cuncta referamus. S. Chrysost. hom. 2. in Matth. c. 1.

Non sensus accepimus ad mortem, sed ad vitam sempiternam. Ob id enim dati sunt oculi; ut cœlestia, atque terrena contemplantes, inde gratias immortales Deo maximo ageremus. Ob id aures affixæ; ut, quæ honesta, & laude digna; nobisque, & cœteris, profutura sunt, auscultaremus. Ob id os efformatum, dentibus, & labiis, duobus veluti claustris obseptum; nè quidquam temerè effutiremus; sed graviter, graviter omnia, atque prudenter eloqueremur, ad summi illius omnium Conditoris præconium, & laudes. Philo Carpath. in Cant. 4.

Si oculos tuos avertis, nè videant vanitates, nè mulieris aspiciant pulchritudinem in peccati laqueum; neque concupiscibilia quæque intueantur; oculos circumcidisti tuos. Si obturas aures, nè audiant obtrectatores, obscœnaque carmina: si à nitore & odoramentis voluptuosis odoratum amoves: si à potatione superflua, & à lautioribus ferculis, atque ab omni abundantia ciborum, cohibes appetitum: si ab universis muneribus, contractationibus impudicis, & percussionibus, manus excutias: procul dubio in his omnibus, aures, nares, os, & manus, carnis spirituali er circumcidisti. S. Laur. Just. in Circumc. D.

Anima nec se, nec Deum cognoscit; nisi se retrahat ab omnibus sensibus carnis, tanquam eam impedientibus. S. Bonaventura s. 9.

Quisquis foris sensus suos per timorem Dei à delectatione carnis non restringit; quæ sit interni boni dulcedo, gustare non poterit. Hugo à S. Vict. in Ps. 13.

In vesperis cantantur quinque Psalmi, propter quinque sensus: ut videlicet, quod per quinque sensus corporis commissum est, per quinque Psalmorum cantionem dimittatur. Belethus oration. div. offic. c. 52.

Obstrue quinque fenestras; ut luceat domus, & habitans eam. Proverbium Arabicum centur. 1. n. 9.

Sensus animi.

Sicut in corpore quinque corporei sensus sunt, ità in anima sunt quinque sensus spirituales: Visus est Fides: Auditus obedientia: Gustus amor: Olfactus spes: Tactus patientia. Anima in peccato jacens, hos omnes sensus ligatos habet: ità enim credit, acsi non crederet; ità sperat, acsi non speraret, absque obedientia, patientia, & amore. S. Bernardus l. de quinque Sensibus.

TITULUS XVII.

SEPULCHRA.

§. I.

Propriè nostrum.

A*Duena sum, & peregrinus apud vos: date mihi jus sepulchri*. Gen. 23. 4. dicebat Abraham ad habitatores Heth. Sciant divites, nobiles, principes, reges, speciali jure, præ omni possessione, vocare sepulchrum suum, quod diutissimè possidebunt. Alvarez Illustr. 309.

Confirmatus est ager &c. Gen. 23. 17. Abraham in Chanaan non habuit domum, non agrum proprium, sed tantùm sepulchrum proprium: quia volebat, Dei monitu, esse peregrinus in vita, tendereque in cœlum. In morte autem, quasi in termino, ac confinio cœli, proprium sibi, suorumque fidelium, poposcit locum: nè cum infidelibus requiesceret. Cornelius hic.

Repositus est in loculo. Gen. 50. 25. Abul. Loculus dicitur parvus locus; & significat sepulturam, quæ parva est, quia ad mensuram hominis fit. Alia autem loca, in quibus homo vivus manere solebat, spatiosa sunt, ut domus. Eadem arcula, quæ Pro-reges, & reges claudit; claudet ossa mendici, vel miseri servi. Urna Joseph aularum compendium, & adhuc locus est pro hospitibus vermibus. Alvarez Illustr. 368.

Sepulchra eorum domus illorum. Ps. 48. 12. Nam, amplissima licet palatia, superbaque alia ædificia, non domus sunt, sed hospitia; in quibus paucos annos habitant: in sepulchris verò manent usque ad Judicium. Barradius l. 4. l. 5. c. 11.

§. II.

Sepulchrum Adami sub Cruce Christi.

CHristi sanguine conspersa creditur calvaria; qui sub loco, quo crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis. S. Cyprianus de Resurr. Chr.

S. Ambrosius ep. 19. in monte Golgotha sepultum ait Adamum.

Antiquorum relatione refertur; quòd Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus: & ideo Calvariæ locum dictum esse; quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè non incongruè creditur: quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus &c. S. August. ser. 6. D. 1. Quadr.

Communis Patrum sententia est, cranium Adæ sepultum esse in monte Calvariæ; ut ibi Crucifixi sanguine rigaretur. Cornelius in Gen. 5. 2.

§. III.

Miscellanea.

M*Ortuus est Moyses servus Domini, & non cognovit homo sepulchrum ejus*, Deut. 34. 5. 6. Et cur latet tanti viri tumulus? cur non splendidum ei erigitur marmor cum insculpta virga, tot prodigiorum patratrice? S. Ambros. l. de Cain, & Abel: Sepulchrum Moysi nemo novit, quia vitam ejus omnes noverunt. En amplissimum Mausoleum; quòd nulla vetustas, nullus imber, non aquilo, diruere poterit. Alvarez Illustr. 354.

Et circumibunt in platea plangentes. Eccl. 12. 5. Propriè accipias hunc circuitum: quia solebant circuire sepulchra; tam Gentiles, quàm Christiani. Unde S. Hieron. in c. 40. Ezech. dum essem Romæ, solebam cum cœteris ejusdem ætatis, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum, & Martyrum, circuire. Cornelius hic.

Efferebatur filius unicus matris suæ. Luc. 7. 12. Efferebatur extra urbem humandus. Hic enim Judæorum mos erat, non in urbe, sed extra, sepelire mortuos. Unde & Jesu sepulchrum extra urbem jacuit in horto. Escobar t. 1. mir. Chr. Parte 2. sect. 4.

§. IV.

Sepulchrum Christi Domini.

Figuræ, & Symbola.

R*Equievit die septimo ab universo opere*, Genes. 2. 2. Tunc Deus in Sabbato suo requievit ab operibus suis; quando Deus, & homo, Christus, & secundùm animam in secreto divinitatis, & secundùm corpus in sepulchro terræ, requievit. Nam, sicut Evangelica fideliter narrat historia, primo diertum, id est, Dominico, in civitatem Jerusalem passurus introivit. Secundo, & tertio mitis agnus inter lanistas crudelissimos juges insidias pertulit. Quarto à discipulo suo traditus est. Quinto testamentum scribens filiis, hæreditatem corporis, & sanguinis sui delegavit. Sexto moriendo omne suum opus acri cum labore consummavit. Septimo in sepulchro requievit. S. Rupertus in Evangelia c. 30. Requies Dei, non laboris remedium; sed cœptorum finis est operum. Requievit tunc etiam Filius Dei ab omnibus operibus suis, quæ cœperat Deus facere; quando, consummatis mirabilibus universis, & impleto sexto die omni opere Passionis, die septima, id est, die Sabbati, requievit sepultus. Sed quoniam Dei operosa quies est, ipsa requies otiosa esse non potuit: nam, corpore in sepulchro posito, Divinitas cum anima hominis ad inferna descendens, vocavit de locis suas animas Sanctorum. S. Gaudentius Brix. tr. 10. sen. 8. de Exodo. Consummavit Creator omnium Deus opera sua sexta die, & die septima quievit ab omni opere, quod patrarat. Sic & Christus in Cruce sexta die opera sua recreationis perfecit, & requievit Sabbato in sepulchro. S. Bernardinus p. 2. art. 1.

Fasciculus myrrhæ &c. Cant. 1. 12. Dilectus Ecclesiæ, fasciculus myrrhæ factus est; quando Dominus myrrha, & aloe, perlitus, linteis involutus est. V. Beda l. 2. hic.

En lectulum Salomonis. Cant. 3. 7. Lectulum intelligo sepulchrum Jesu; quia omnia pace replevit per propriam suam necem, atque resurrectionem. Philo Carpath. hic. Lectulus tuus, Jesu, plus quàm Salomon, sepultura tua est: in qua Sabbato requievisti ab omni opere, quod patrasti. Drogo Ost. de Sacr. D. Pass.

Descendit in hortum &c. Cant. 6. 1. Bene in hortum suum descendisse dicitur: nam in horto sepeliri voluit. Joan. 19. 41. Et primùm Magdalenæ in horto apparuit. Sanct. Thom. Aquin. hic.

In horto monumentum novum &c. Joann. 19. 41. Ut quid ei propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? ut quid ei sepultura, qui tridui tantùm temporis spatio, non tam in sepulchro mortuus jacuit, quàm velut in lectulo dormiens conquievit? S. Maximus hom. 3. de Pass. D.

Varia de eodem Sepulchro Christi Domini.

Et erit sepulchrum ejus gloriosum. Is. 11. 10. Scribit S. Augustinus ex Gregorio Turon. de gloria MM. c. 7. terra ipsa insuper, quæ Domini adjacet sepulchro, divinam quandam ex Dominico corpore proximè posito virtutem hausit; ut meritò fideles illuc peregrinantes avidè solerent ex ea accipere; quatum ad morbos curandos, tum etiam ad dœmones fugandos, uti consueverunt.

Quid molesti estis huic mulieri? Matth. 26. 10. Nè mihi ritus sepulchrales invideas; licèt vita spoliaveris. Nam mulier hæc sepulchrali ritu mortem, cujus tu author fuisti prævertit. Honorem puto sepulturæ meæ hunc esse; & si cædem paras, tumulum sanè concede. S. Basilius Seleuc. orat. 31.

Posuit illud in monumento suo novo. Matth. 27. 60. Joseph hortus flosculorum erat diversis odoribus plenus; sed necdum in eo tale germen inseverat. Fragrabat quidem specialis animæ ejus hortus varia suavitate virtutum; sed necdum Christum cum aromatibus in cordis sui secreto posuerat. Ità dum Salvatorem in hortuli sui monumento sepelit, magis illum in animæ suæ intimis collocavit. S. Ambros. s. 2. de grano sinapis. Christi corpus in sepulchro, sicut & in cruce, ita collocatum fuit; teste Beda, & Adrichomio, ut capite, & facie, ab oriente, & Judæa, aversa occidentem respiceret. Cornelius hic.

Et ecce vir nomine Joseph &c. Luc. 23. 50. Quid sibi vult? quòd non Apostoli, sed Joseph, & Nicodemus, Christum sepeliunt? unus justus, & constans; alter, qui erat Magister in Israel. Talis enim Christi est sepultura; quæ justitiam, magisteriumque habeat. S. Ambros. hic.

Accepit sententiam Adam, *maledicta terra in opere tuo*. Gen. 3. 17. Et ideo sepultus est in terra: ut maledicta terra, pro maledictione, recipiat benedictionem. S. Cyrill. Jerosol. Catech. 13.

Inter sancta, ac desiderabilia loca sepulchrum (Christi) *inter loca devotionis* tenet quodammodo principatum: & devotionis nescio quid plus sentitur, ubi mortuus requievit, quàm ubi vivens conversatus est: atque amplius movet ad pietatem mortis, quàm vitæ recordatio. S. Bernardus c. 11. ad milites templi.

Est illud nunc gloriosum, in media licèt barbarie; nequidquam frementibus dæmonibus, obluctantibus Judæis, ejusque eversionem licitantibus. Ii enim sub annum 1600. quotquot ex illa colluvie per orbem sparsi erant; collata stipe, conflarunt summam 500. millium aureorum, eamque Turcarum tyranno obtulerunt; ut Christi sepulchrum diruret: sed irrito conatu. Doultreman l. c. 4. sect. 7.

§. V.

Sepulchra Sanctorum honorata, salutaria.

V*ocatus est ager ille Haceldama*. Matth. 27. 8. De hoc agro sanguinis scribit Brochandus M. Nicephorus, Bredenbachius, Adrichomius in descriptione Jerusalem num. 216. est hujus terræ virtus mirabilis; quòd defunctorum corpora vigintì quatuor horarum spatio in pulverem redigat: quam virtutem etiam in alias partes devecta minimè perdit. Nam, cùm jussu Imperatricis Helenæ, de hoc agro, quantum terræ plures naves capere poterant, Romam avectum; ac juxta montem Vaticanum, in eum locum exoneratum sit, quem incolæ campum sanctum vocant: licèt cœlum mutarit, eandem tamen vim quotidiana experientia docet. Romanos enim respuens, sola peregrinorum corpora ad sepulturam admittit: quorum etiam hìc carnem intrà viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tantùm residuis. Sæpiùs Romæ invisi Campum Sacrum; ac ita se rem habere, ab ipso loci Parocho, ejusque assecliis, & Romanis cœteris audivi. Corn. hic.

Sepulchra servorum Crucifixi regiis aulis sunt splendidiora, non ædificiorum amplitudine ac splendore, (hac enim parte excellunt) sed quod multò amplius est, convenientium studio. S. Chrysost. hom. 26. in 2. Cor. 12.

Hic quoque (Constantinopoli) Constantinum M. filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet. Quodque Imperatoribus in aulis sunt Janitores, hoc in sepulchro Piscatoris sunt Imperatores. Id. ibid.

Quid est, quòd sancti Patriarchæ in Chananæorum terra corpora sua quiescere tantò desiderio concupiscunt? nisi quòd humanæ salutis authorem illic noverant de suo semine nasciturum. B. Petrus Dam. ser. de translat. corpor. S. Hilarii.

Hac de causa tam sollicitè Patres curarunt sepeliri in terra Israel: ut, qui videre Christum non poterant, saltem ab eo calcarentur. Osorius in Vigil. Nat. Dom.

Corpora SS. Martyrum Frontani, Severini, Severiani, Silani, abscissis capitibus, cùm impii satellites temerè abjecissent, divinitus se in pedes erexerunt; acceptisque in manu capitibus, per alveum fluminis siccis pedibus, in Ecclesiam B. V. ubi S. Fronto orabat, pervenerunt: & capita sua flexis genibus ante pedes ejus deponentes, corpora sua in modum crucis extenderunt, honorificè conditi. Bollandus 2. Jan.

S. Vvithburgæ V. corpus dum transfertur, stella illud comitatur. Bolland. 17. Martii.

E Sepulchro S. Raimundi de Pennafort salubertimus pulvis enascitur: qui licèt magna copia inde exportetur; nunquam tamen deficit; ac multæ, magnæque infirmitates eo curantur. Bolland. 7. Jan.

Ad S. Sulpitii Pii Ep. Bituricensis sacrum corpus assiduus fons olei redundat: & licèt ignis juge capiat pabulum; liquor tamen divinitus sumit augmentum. Bolland. 17. Jan.

Terra circa sepulchrum S. Kuneguendis Imperatricis V. à Fidelibus collecta, in speciem lucidissimi thuris frequenter conversa pulvis sepulchri vulneri medetur; in frumentum sæpiùs mutatur. Bollandus 3. Martii.

Pulvis pavimenti circa sepulchrum S. Remigii serpentes fugat. Et in omnibus Ecclesiis Sanct. Remigii, circumiacentibus atris, vel cœmeteriis, coluber nunquam solet inveniri. Nierembergius l. 2. de miraculosis naturis Europæ c. 63.

TITULUS XVIII.

SEQUELA CHRISTI.

§. I.

Figuræ.

D*ixitque ei armiger suus - perge, quò cupis; & ero tecum, ubicumque volueris*. 1. Reg. 14. 7. Jonathæ armiger, quem ad hanc irruptionem elegit, fuit valde obsequens, fidelis, & fortis: nam & vocanti Jonathæ ad pugnam sedulus paruit; & contendenti in præruptos scopulos individuus adhæsit; & irruenti in medio hostis irruens & ipse præsidium attulit singulare. Talem te exhibe Christo sub ejus vexillo militans. Mendoza hic. Animosus juvenis erat iste, quia non formidabat totam aciem Philisthinorum. Abul. q. 2. Ex amore tamen nimio faciebat: diligebat enim Jonatham sicut animam suam; ideò gratissimum erat sibi, eum quocumque euntem comitari, etiam in morte certissima.

Cùm David fugeret à facie Absolonis, & Ethai sibi in fuga adhærentem observaret; *cur* inquit, *venis nobiscum?* 2. Reg. 15. 19. 21. *revertere, & habita cum rege &c.* Quid verò Ethai? *vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex: quomam in quocumque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita; ibi erit servus tuus*. Non minorem fidem erga David præbuit Chusai 2.

Reg. 15. 32. Nam cùm David adversa impellente fortuna, Jerusalem deseruisset, *ecce occurrit ei Chusai Arachites scissa veste, & terra pleno capite*. Non occurrit triumphanti; sed exulanti: ut suam in eum fidem testaretur, in adversis eum sequebatur. S. Chrysost. in Ps. 7. Chusai vir probus, Davidis amicus, suam in eum amicitiam perpetuò conservavit: &, cùm nihil aliud posset, lacrymarum affert consolationem: non enim erat amicus temporum, nec potentiæ, sed virtutis. Mendoza in 1. Reg. 14. sect. 2.

Dixitque Elias ad Elisæum: sede hic; quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Elisæus: vivit Dominus & vivit anima tua; quia non derelinquam te. 4. Reg. 2. 2. Et cùm iterum Elias diceret ei: quia Dominus me misit *in Jeritho*; iterum sic respondit. v. 5. Hic igitur, qui firmissimo animo sequitur Eliam; hæres sit duplicis spiritus ejus. Non durum, aut difficile erat, quod Elias Elisæo dicebat; immò quietem offerebat: *Sede*. Sed maluit Elisæus laborem itineris assumere, quàm quietem sessionis; ut à magistro suo non separaretur. Nobis autem dicit Dominus. Matth. 16. 21. *qui vult post me venire, abneget semetipsum*. Quid homini, & carni gratum? sedere, quiescere, ridere, dormire, & epulari: hoc denega, ut Christum sequaris. Diez sequaris Christi.

Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit: rem difficilem postulasti: attamen, si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti. 4. Reg. 2. 9. 10. Ecquid conditio hæc significat? quid intererat Elisæi, Eliam à se discendentem videre? Petiit, quod præcedere visionem illam oportebat: scilicet inseparabilem quamdam discipuli cum magistro societatem. Unde dicente ei Elia: *sede hic; quia Dominus misit me in Bethel*; respondit Elisæus: *vivit Dominus &c. quia non derelinquam te*. Diez conc. 1. in Comm. unius M.

§. II.

Motiva.

Ex Veteri.

Secutusque est Seba filium Bochri, & separatus est omnis Israel à David. 2. Reg. 20. 2. 3. Vocat Mundus, ut decipiat, vocat caro, ut fœdet; dœmon, ut perdat: accurritur undique. Vocat Christus, ut salvet; & pauci sequuntur. Stella in Luc. 9. 23.

Vanitas vanitatum. Eccl. 1. 2. Sanct. August. l. de quant. animæ c. 33. & de vera Relig. c. 21. & 33. Et alibi, legit: *vanitas vanitantum*, id est, vanitati servientium: sunt enim facti, sicut ea, quæ dilexerunt. Aquila, Symmach. &c. Vertunt: *vapor vaporum, & omnia vapor*. Syr. *inanitas inanitatum*. Alii: *nihilum nihil, & omnia nihil*. Vanitas ergo opponitur rei velut umbra. Res enim, putà corpus, est ipsa veritas; cujus vanitas est ejus umbra: Quare, sicut umbra sequitur suum corpus, sic creatura sequatur suum Creatorem; nè evanescat, & in nihilum abeat. Omnis enim res creata, in fieri, esse, & conservari, pendet à Deo, sicut radius à sole. Quare, sicut, sole se subducente, radius evanescit; sic Deo manum, id est, operationem, & conservationem suam subducente, res creata redit in suum nihilum. Cornelius hic.

Trahe me post te. Cant. 1. 3. Cur trahi petit, quæ potiùs ducenda; immò & ultrò itura, & properatura videbatur? Nota: non dixit trahe me ad te, sed *post te*: quia nondum cœlestis unionis deliciis idoneam se agnovit; altioris virtutis semitam, qua ad illa disponeretur, postulavit. Mutavit igitur vota; cùm priùs sub sacri osculi petitione, unionem cum Christo suspirarat. Sciebat, non nisi calcatis Christi vestigiis, perfectionem illam consequendam. S. Bernardus s. 21. an hoc dicit (osculetur me) cupiens dissolvi, & esse cum Christo? Hoc sentirem, si dixisset, trahe me ad te: nunc autem quia dicit, *post te*; magis illud postulare videtur; ut conversationis ejus valeat vestigia sequi - in his quippe maximè opus adjutorio; quo valeat abnegare semetipsam, & tollere crucem suam; & sic sequi Christum. Hic prorsus trahi necesse habet sponsa, quàm pauci post te, Domine Jesu, ire volunt; cùm tamen ad te pervenire nemo sit, qui nolit, hoc sentientibus cunctis; quia *delectationes in dextera tua usque in finem*. Psalm. 15. 11. Et propterea omnes volunt te frui; & non ità & imitari: conregnare cupiunt; sed non ità cupiunt compati. Ramirez in Apoc. 2. ep. 4. Magnus amor, amantem sequi. Nos quidem, si vel parum dilexerimus, dilectum post nos sequi volumus: non enim ejus voluntatem implere studemus; sed nostræ illum cupiditati subservire, non ore, sed votis expetimus. Oliva t. 2. Strom. §. Trahe me.

Ex Novo.

Ascendente eo in navicullam, secuti sunt eum Discipuli ejus. Matth. 8. 23. Ingressus est Dominus mare, secuti sunt eum Discipuli, sociique fuerunt procellæ. Fidelium amicorum est, Christum, non per terras solùm, sed etiam per fluctus sequi. Barradius t. 2. l. 5. c. 15.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Luc. 9. 23. Galfridus apud Godefridum: *si quis vult*; quasi nullus hoc velit, aut rarus. Omnes ad beatitudinem cupimus pervenire; quam nunquam invenire possumus sine ipso. Ergò ad eum omnes pervenire volumus; sic utinam post eum. Ramirez antè citatus.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves &c. Luc. 15. 4. Ovicula illa læta pascua relinquit exerrans; sylvas, & montes, obit, & per inaccessa vagatur, lupis futura præda. Venit Pastor bonus, amore, non cupiditate, inflammatus; ovem perquirit anxius, felix invenit, & lætus humeris imponit. Ecce ovis errans turni timorem concutitur, aspero itinere fatigatur, irriguis pascuis privatur, inedia urgetur; Pastori approximat, quærenti adhæret: quid tunc? inscendit humeros, & ad læta pascua, sine fatigatione defertur. Sanct. Basilius Seleuc. orat. 26. qua ratione erroribus ejus finem faciam? tantum se reddat oculis nostris, humerosque inscendat. Pastorem secuta, non graditur, sed fertur: recedens non fertur, sed errat. Is. 40. 31. *assument pennas, sicut aquilæ; current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient*. Naxera in Jos. 3. §. 36.

Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Luc. 19. 6. Duplex illecebra festinantis ad Jesum tum quòd descendit; tum quòd non è rupe per salebras; sed ex arbore per frondentes ramos ad CHRISTUM mollibus gradibus desiliit. Et clamas adhuc, ad Innocentiam per dumeta, & scopulos, duci homines? Oliva fer. 5. Dom. Passion.

In principio erat verbum. Joan. 1. 1. Et, qui verbum videt, qui particeps verbi est; utique & ipse est: quia verbum Dei semper est. Et sermo, qui de ipso est, non est, est, & non; sed est, & manet in eo, qui sequitur Deum. Qui autem nescit verbum, non est: quia non adhæret ei, qui dixit: *ego sum, qui sum*. Qui autem adhæret ei, unus spiritus est. S. Ambros. in Ps. 36. Et transivi, & ecce non erat &c.

Ecce Agnus DEI. Joan. 1. 29. Subest hic fortè urginè, ferrive suspicio? times, nè te agnus concerpat? Non te nudabit; sed sua vellera vestiet: Fœno; non carne, non sanguine; sed lacte saginatur. Immò, si agnus est; non procul à se ovem; id est, Matrem suam abesse testatur; quæ te suis uberibus enutriet. Oliva fer. 5. Dom. Pass.

Sequere me. Joan. 1. 43. Unius sequela excludit à cœteris, maximè Christi; quæ ab omnibus aliis absolvebat: In sequela Domini factus, ab omni imperio factus est liber; si adversa præciperet. Primam viæ secundam patriæ dicimus esse sequelam. Una virtutis, alia gloriæ viam tenet. Generat prima secundam; & secunda primæ se prœmium facit: qui primam abhorret, secundæ speciem non habebit. Sim. Cass. l. 9. cap. 9.

Sequebatur eum multitudo magna. Joan. 6. 2. Utilitate corporis magis, quàm animæ, ista multitudo concurrebat. Toletus hic.

Ante eas vadit & oves illum sequuntur. Joan. 10. 4. Non antecedunt Dominum oves Domini, sed sequuntur: non Dei imperium ad sua vota deflectunt; sed voluntatem suam divinæ pedissequam voluntatis faciunt. Oliva l. 10. Strom. §. ante eas vadit.

Eamus & nos, ut moriamur cum illo. Joan. 11. 16. Ecce bonus commilito: qui ad probitatem & socios animat; & velut ignitus carbo alios extinctos nititur facere redivivos: & à mortis pavore jam factus extraneus, alios invitat ad mortem. Dignum omnino ratus, omnes milites, si expedit, mortem subire cum Duce; maximè illam modicam caterÿam, post cœlestis Ducis mortem, vita judicabat indignam. Propterea omnes hortatus est ad mortem, si ipse mori decreverit. Acsi diceret: quid nobis vita post Ducem? estne pretiosior vita omnium nostrum, quàm Ducis, & Domini omnium? Quid eum sequi cunctamur, si vult ad bella procedere; ubi nos non ante præmittit; sed ipse primus vult habere congressum. Cur sibi adhæsimus, si sequi retradamur? cur ei fidem dedimus; si terga vertimus sine bello. Magna nobis adscriberetur ignavia; si ipso jubentes, nollemus præcedere, nondum sequi Dominum præuntem. Magna fidei, & amoris, adhæsio erat in Thoma, qui timori mortis repudium dederat; animabatque suetos hujuscemodi timorem abjicere. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Joan. 12. 26. Observatio Burgensis: attendendum est, quòd de justis, & perfectis, qui fuerunt ante adventum CHRISTI, sæpe dicitur in scriptura, quòd *ambularit coram DEO*: ut dicitur Gen. 17. 1. 4. Reg. 20. 3. Dei justis autem, qui fuerunt post adventum CHRISTI, non dicitur, quòd ambulaverunt coram Deo; sed potiùs, quòd sequuntur Deum. Quod discrimen? Deus passus à non passo differt. Cùm tu quempiam cupis ire socium, dubitasque, an constans sit comes futurus? curas, ut juxta te vadat, aut præcedat. Sed cùm certum habes, quòd non te destituet; securiùs pergis, licèt ille te à tergo sequatur. In vetere testamento, quia Deus nondum passus, coram se, & ob oculos habebat servos suos: ut cui dubium erat, num obsequentes eos habiturus esset? quocunque illos duceret. At postquam pro hominibus passus; cùm tanta sit hujus exempli efficacitas, & plenum hiantibus vulneribus illius tergum; *venite post me*, inquit non semel; & sequi sæpius jubet, velut certus, facilè secuturos: quos & lingua illius invitabat, & quot vulnera, tot quasi ora, multò potentiùs inclamabant. Did. Nyss. D. 1. Pasch.

Sequere me. Joan. 21. 19. Sollicitum ostendit, ac familiarem, quo erga ipsum afficeretur affectum; Christum autem sequi hic intelligo, operum in omnibus, ac verborum impletionem. Theophylactus hic.

TITULUS XIX.

SERMONES.

§. I.

In genere.

Sermo fructus est cogitationis. Clem. Alex. pædag. l. 2. 5. Qualis sermo, talis est vita: arbor autem cognoscitur ex fructibus; non ex floribus, & foliis, ac ramis. Idem l. 3. Stromat.

§. II.

Sermones boni, spirituales.

Ex Veteri.

Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. 1. Reg. 3. 19. Id est, non loquebatur de terrenis; sed tantùm de cœlestibus. Hugo Card. hic.

Vena vitæ os justi. Prov. 10. 11. Os justi est vena, & fons vitæ: quia jugiter eructat verba vitalia, quæ audientibus aspirant vitam gratiæ. Docet enim eos rectè vivere, ut à Deo vitam beatam, & æternam consequantur. Cornelius hic.

Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum. Cant. 4. 9. Alter eorum, qui divina contemplatur, qui philosophatur de Deo, qui recondita mysteria contuetur, cor meum stupore afficit. B. Theodoretus hic.

Butyrum, & mel comedet. Is. 7. 15. Origenes hom. 2. in Is. Emmanuel butyrum & mel manducat; & quærit ab uno quoque nostrum butyrum manducare. Opera nostra dulcia, sermones nostri suavissimi, & utiles, mella sunt, quæ manducat Emmanuel. Si verò sermones nostri amaritudine pleni sunt, ira & turpiloquio, contentione, dedit in os meum fel; & non comedit ab his sermonibus Salvator. Apud Cornelium hic.

Ex Novo.

Si oculus tuus dexter &c. Matth. 5. 29. In tanto cruore perstat lingua incruenta. In illis membris, teste Hieronymo, impii amici designantur. Quòd si quis vice linguæ fungatur, & offendiculo sit; erui Dominus non jubet. Ea enim est divinorum eloquiorum utilitas; ut, qui sanctè loquitur, licèt non sanctè agat, licèt in lapsum te videatur gestis nefariis impellere; erecturus te tamen sit è luto in cœlum sanctorum machinis verborum. Oliva l. 5. Strom. §. Qui sunt hi sermones.

Ubi duo, vel tres, &c. Matth. 18. 20. Similitudo est ratio attractionis, seu conjunctionis. Modò videamus, quam similitudinem habet Christus cum verbis spiritualibus. Dico, quòd magnam: quia ipse est verbum, non corporale, nec transitorium; sed spirituale, & æternum. Si ergo simile attrahitur à suo simili, cùm Christus sit verbum spirituale, rationabiliter trahitur, & retinetur à loquentibus verba spiritualia. S. Vinc. Ferr. s. 2. fer. 2. Pasch.

Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem? de Jesu Nazareno. Luc. 24. 17. Mira res! semen Jesu Nazareni, est sermo de Jesu Nazareno. Adeò abesse non potest Dei Verbum à Verbo Deo: ut, licèt fides peregrinorum vacillaret; comitem se tamen viæ obtulerit colloquentibus de se Magdalena quàm diu luxit, ut Jesum attraheret? hi, ut locuti sunt, gavisi. Quid? quòd lugenti Magdalenæ attactum pedum suorum negavit. Joan. 20. 17. loquentibus verò Discipulis non modò non interdixit osculum pedis, sed totum obtulit corpus. Adeò ei etiam, quæ dilexit multùm, quæ multùm flevit, quæ stetit ad crucem, quæ aderat sepulchro; Discipuli duo profugi, & dubii anteferuntur; quòd de Domino colloquantur. Oliva l. 3. Strom. §. Qui sunt hi sermones.

Ex Patribus, & aliis.

Proximus est innocentiæ; qui Sanctorum meretur colloquia. Ennodius l. 3. ep. 4.

Et oculos, & os, & auditum, propterea posuit in nobis Deus; ut omnia ipsi membra servirent: ut, quæ ipsius sunt, audiamus; quæ ipsius loquamur, quæ ipsius, semper operemur; eique laudes canamus assiduas, & gratias per cuncta referamus. S. Chrysost. ho. 2. in Matth. 1.

Deo ità disponente, accidit, ut ego, & ipsa (Mater mea) soli staremus incumbentes ad fenestram, unde prospectus ad hortum. Colloquebamus ergo soli valde dulciter; & præteritorum obliti, quærebamus inter nos: qualis futura esset vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Dicebamus talia, etsi non isto modo, & his verbis; tamen, Domine tu scis; quòd illo die, cùm talia loqueremur; & Mundus iste nobis inter verba vilesceret, cum omnibus delectationibus suis. S. August. Confess. l. 1. c. 10.

Ut pyxides cinamomo plenæ, vel sacculi Pæstanis rosis turgidi, cùm primùm aperiuntur, odorem spirant suavem: sic animus Deo plenus Deum, & divina loquitur. Drexelius Orb. Phaet. c. 54. §. 1.

Florentio Episcopo Paulinus ep. 30. dicebat: sermo tuus expressit nobis saporem gratiæ, quæ tibi data est; & de stillicidii labiorum tuorum gustavimus, quàm suavis sit in te Dominus.

Quanquam propositiones vestræ totum tempus nocturnæ quietis ità nostris fruentur obtutibus, ut appropinquantis auroræ nequaquam viciniam sentiamus &c. Cassianus Coll. 7. Sereni Ab. cap. 34.

§. III.

Sermo sit discretus, consideratur.

Ex Veteri, & Novo.

Superponite digitum ori vestro. Job 21. 5. Quia digitis quæque discernimus; non incongruè per digitum discretio designatur. S. Greg. mor. l. 15. c. 22. hic.

Os justi meditabitur sapientiam, lingua ejus loquetur judicium. Psalm. 36. 30. Præter naturam, & ordinem rerum, justi ori meditationem attribuit: cùm mentis propria sit, & oris pronuntiare quæ meditatus es: quia non temerè loquendum; sed verba præmeditanda. Deinde os hic mentem significat: sicut nomen cor, etiam pro mente, & intellectu accipitur. Pinna Ethol. 68.

In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum. Eccl. 21. 29. Quasi dicat fatui, quidquid habent in corde, id ore effutiunt: nesciunt enim censa sua celare. Hinc videntur, cor non intrà viscera, reconditum habere, sed in ore, omnibusque patulum, & expositum. E contrà sapientes ore nihil proferunt, nisi quod priùs in corde bene expenderunt, juxta Ps. 36. *os justi meditabitur sapientiam &c.* quia scilicet justus os habet in corde. Hinc Ps. 51. 4. *tota die in justitiam cogitavit lingua tua*. Ubi Origenes: cor fatuorum in superficie situm est, non in profundo; ad labia exilit. Sic olim dictum est. Græcis sermonem & labiis ore; Romanis è mente, & corde proficisci. Cornelius hic.

Cogitabat, qualis esset ista salutatio? Luc. 1. 29. Docemur, nunquam loqui, dum animum aliqua perturbatio subit, in qua contingit loqui, de quibus gravis oritur pœnitendo. Psal. 76. 5. *turbatus sum, & non sum locutus*. Stella hic.

Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Jacobi 1. 19. Sic tardus erat Moyses; quod opponit, ut legationem abnuat. Ex. 4. 10. *impeditioris, & tardioris linguæ sum*. Non quòd loqui ad regem non posset copiosè, qui erat potens in verbis, ut notat Orig. hom. 3. in Exod. sed ut tutiùs, & cautiùs loqueretur. Vellosio in Judith. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Alliga sensum tuum fide, taciturnitate alliga sermones tuos, impones jugum ori tuo: nè indomita cervice verborum sæjactet. Impone pondus, ut cauto omnia, quæ loquimur, trutinemus examine. S. Ambros. Oct. 22. in Psal. 118. Loquetur lingua mea verbum tuum.

Alliga sermonem tuum, nè luxuriet &c. Sit restrictior, & ripis suis coerceatur. S. Ambros. lib. 1. offic. c. 3.

Laqueus adversarii est sermo noster: sed etiam ipse non minùs adversarius est nobis. Loquimur plerumque, quod excipiat inimicus; & quasi nostro gladio nos vulneret. Id. ib. c. 4.

Dum quidpiam enarras, noli multùm adseverare; sed potiùs dubitationem significat: nec facilè in verbis reprehendi poteris. S. Ephrem de perfectione Monachi.

Natura dedit pluribus animalibus aditum; loquelam non dedit, nisi homini animali rationali: ut ex hoc ostenderetur, quòd locutio debet esse rationalis. S. Thom. Aq. D. 3. Pasch.

In locutionibus vestris, non cor in lingua; sed linguam potiùs in corde teneatis. B. Humbertus de ordinatione hominis in se c. 52.

Videtur mihi, quòd homo deberet habere collum ad instar gruis; ut quasi per multos nodos transiret verbum, antequam ex ore progrederetur. Dicebat B. Ægidius, tertius socius S. Francisci Seraph. Boll. 23. Aprilis.

Rex quidam volebat hæredem unum de tribus filiis, qui sa-

sapientiùs ad interrogationem respondisset. Interrogatus senior: si optio daretur, ut avis esset, qualis esse vellet? respondit: aquila; quod altiùs volet, & aliis dominetur.

Secundus respondit: falco; quòd delicatè nutriatur. Tertius: grus longi colli; ut verba cum deliberatione matura ad os è corde venirent. Huic adjudicata hæreditas. Broymard. Lingua.

Anceps in ardearum venatu non dimittit falconem, nisi priùs viderit ardeam, venator fune tenet canem, dum conspexerit feram. Et nos incauti evolare verba permittimus, antequàm utilitatem ullam cernamus: aeri, & ventis loquimur; cùm sciamus, non perinde ad nos redire verba, uti ad suos dominos mansuefacta animalia. Ad aucupem revolat falco; ad venatorem recurrit canis; verbum semel emissum, nullis artibus ad authorem revocari potest, volat æternum, irrevocabile verbum. Drexelius Orb. Phaet. c. 41. §. 4.

Sanctum præceptum Philosophiæ: Sic loquendum cum hominibus, tanquam dii audiant. Macrobius Satirn. l. 1. c. 7.

Dicebat Zeno cuidam juveni in academia de ineptis rebus loquenti; Lingua in mentem intincta loquere. Stobæus s. 3.

Horologium. Lem. *Non sine pondere sonus*. Eccl. 21. 28. *labia imprudentium stulta narrabunt; verba prudentiam statera ponderabuntur*. Picinelli.

Sagitta. Lem. *nescit emissa reverti*. Pœnitet quidem omnino, tam incautè noxia protulisse; sed remedium non accurrit: quia, quod semel emissum est, non possumus revocare. Petr. Dam. s. 74. de vitiis linguæ. Picinelli.

§. IV.

Sermones mali, vani.

Ex Veteri, & Novo.

Inimicitias ponam inter te &c. Gen. 3. 15. S. Basilius hom. 9. putat, pro remedio loquacitatis mulieri indictam inimicitiam: nè ampliùs cum hoste serpente loqueretur.

Non sum eloquens ab heri. Ex. 4. 10. Qui cum Deo multa locutus, cur tardiorem se ad loquendum ait? Philo lib. quòd potiori deterius insidietur: tardæ linguæ se dicit ad profanas, & Ægyptiacas voces; qui tamen patriam, & sanctam linguam optimè norat, & expeditè loquebatur. Ut discamus ab eo; veloces esse ad pios sermones; ad turpes elingues. Pinna Ethol. III.

Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba proferris. Job 6. 26. S. Greg. moral. l. 7. c. 24. In ventum verba proferre, est otiosa dicere. Dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia percurrimus. Apud Pinna in Eccl. 6. Ethol. 68.

Super seminavit Zizania. Matth. 13. 25. In toto Mundo Filius hominis seminavit bonum semen; malus autem ille Zizania: quæ sunt sermones pravi, qui sunt ex malitia nati, mali filii. Orig. hic.

Qui est terra, de terra est, & de terra loquitur. Joan. 3. 31.

Nolite seduci; corrumpunt mores bonos colloquia prava. 1. Cor. 15. 33.

Ex Patribus.

Nullus sit nobis sermo otiosus: ex otioso quippe sermone incidimus & in absurdos. Præsens tempus non effundendi gaudii, sed luctus est; tribulationum, & lamentationum. Tu verò leviter urbanis facetiis jocularis? Quis athletarum stadium ingressus, relicta sollicitudine cum adversario certandi, facetiis utitur? Instar diabolus, circuit rugiens, ut rapiat omnia; movet, & tentat; omnia adversùs caput tuum invertit; extraque nidum eicere te molitur; dentibus stridet, ac fremit; ignem spirat adversùs salutem tuam: & tu sedes, facetias effundens; &, quæ stulta sunt, & ad rem non conveniunt effutiens? Ludimus dilecti, &c. S. Chrysost. s. 17. in ep. ad Eph. c. 5.

Mordere scommatis, procul est à Christianis. Linguam habes; non ut alios salibus tuis mordeas: sed ut Deo gratias agas. Id. ib.

Si quis verba pronuntiat inutilia, audire noli; nè perdat animam tuam. Quòd si ea re offenditur; non sit tibi curæ. Dic: animus meus hoc ferre non potest; omitte ea, obsecro: neque enim major ego sum primo illo homine, quem manibus suis formavit Deus, & pravis colloquiis corruptus est. B. Is. Ab. or. 8.

Lapis in aquam projectus, eam perturbat: & hominis mentem sermo malus. S. Nilus lib. ascet. or. 4. de ira.

Qui pravum sermonem suscipit, is per fenestras mortem admittit. B. Theodorus in Ps. 28.

Nil sic dissolvit mentem, compunctionem dissipat, & interioris gustus dulcedinem tepefacit; sicut inanis loquacitas. S. Laur. Just. de discipl. monast. c. 15.

§. V.

Sermones fœdi.

Hujusmodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti &c. Gen. 39. 10. Adulterinus sermo juvenculæ, nudus adolescentium est: verba adolescentis vincula sunt amoris. Vidit hunc ignem Joseph, quando eum adulterii cupida mulier allocuta est, voluit eum capere sermone, misit laqueos labiorum suorum; sed pudicum virum ligare non potuit. Solvit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo gravitatis, habena cautelæ, fidei custodia, castimoniæ disciplina. Capere ergo eum retibus suis impudica non potuit: misit manum, & apprehendit vestem ejus; ut nodum stringeret. S. Ambr. l. 1. de pœnit. c. 13.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Ps. 5. 11. Ex quorum ore procedit turpiloquii fœtor. S. Thom. Aq. in 3. ad Rom. lect. 2.

De ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur. Apoc. 9. 17. A turpiloquio nos omnino abstinere oportet; & eis, qui illo utuntur, os obstruere; & aspectu severiore, & vultus aversione, & subsannatione, & sæpe etiam asperiori oratione. Clem. Alex. pædag. l. 2. c. 6.

Non aberraverit quispiam, si eorum, qui obscæna verba loquuntur, ora, sepulchra appellaverit: ille enim fœtor est sensili multò gravior, qui quidem ex animæ putredine oritur. S. Chrys. in Ps. 5.

Veneris equi, arma, & sella, verba turpia sunt. Id. hom. 71. in Matth. 22.

Si quis, qui habet vas aureum, eo ad vilem usum uti nunquam in animum induxerit, propter pretium materiæ: multò magis cum auro, & margaritis, habeamus ora longè pretiosiora; non par est, ut ea polluamus verbis turpibus, & impudicis, maledictisque, & contumeliis. Idem in Ps. 140.

Undarum impetu navis malè instructa periclitatur: & verborum impudicorum vi mens imperata pervertitur. S. Nilus or. 2. de gula.

Crabrones ab apibus ad convivium invitati, spreto melle, & floribus cum indignatione recesserunt. Apes alia die à crabronibus invitatæ, fœtidis rebus spretis avolarunt. Casti amant sermones castos, impuri obscœnos. Broymard. Sermones.

Lingua est rubicunda, ut verecundetur proferre verba inhonesta. Geminiani l. 6. c. 75.

T I T U L U S XX.

S E R P E N T E S.

§. I.

De serpente Paradisi.

Quia hoc fecisti, maledictus es inter omnia animantia. Gen. 3. 14. Fortè dixerit aliquis: cùm diabolus serpentis opera usus, malum attulit consilium; cur bestiæ illi pœna infligitur? Est & hoc ineffabilis Dei misericordiæ opus nam sicut clementissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit & gladium, & ensem, per quæ filius suus occisus destruit, & in multas partes dividit. Eodem modo Deus egit: quippe serpens, quasi gladius quidam, diabolicæ servivit malitiæ; unde & perpetua ipsi pœna intentata est. S. Chrys. hom. 17. in Gen.

Quia serpens quoque illi (homini) familiaris erat, ut qui præ cœteris animantibus ad eum accederet, blandisque motibus, cum eo velut colloqueretur. Ex quo etiam factum est; ut ille, mali omnis author diabolus ipsius opera uteretur, cùm scelerratissimum facinus primigenis parentibus suaderet. S. Joan. Damasc. l. 2. orthod. fid. c. 10.

Cur diabolus non in forma minùs horribili, quàm serpentis, hominem tentavit? Resp. hoc non illius electione, sed divina providentia, fuisse dispositum: ut scilicet homo tam fœdo animali dedignaretur fidem potiùs adhibere, quàm Deo: & ut, post lapsum, majorem pudoris, & confusionis haberet occasionem; quod, contra infallibile Dei verbum, tam vili animali crediderit. Diez con. 3. D. 5. Epiph.

§. II.

De aliis serpentibus.

Serpentium vivida virtus hyberno tempore mortificatur; ac menses sex in cavernis delitescunt penitus immobiles. Cùm autem statutum tempus advenerit, & tonitrua in Mundo exaudita fuerint; quasi quoddam signum fragorem accipientes, celeriter exiliunt, & longo intervallo consueta agunt. S. Greg. Nyss. or. 3. de Christi resurr.

Ex quo tempore viperam Sanctam. S. Pauli manum invadere

dere ausa fuit, omnia animantia venenifera venenum innoxium in illa insula habent. Nierembergius lib. 2. de mirac. nat. Europæ c. 64.

Mirandum Hibernia benedictionem accepit à S. Patritio, ejectis inde baculo (qui Christi fuisse creditur) omnibus venenatis reptilibus: nec tolerat quidem ejusmodi animalia, etiam aliunde allata. Et omnia ferè, quæ insula illa progignit, efficax sunt antidotum contra venena. Caret serpentibus, & colubris, bufonibus, & ranis, scorpionibus, draconibus. Habet tamen araneas, sanguisugas, lacertas; sed prorsus innocuas. Terra adeò inimica veneno; ut, si aliarum regionum, seu viridiaria, seu quælibet alia loca, pulvere ipsius aspergantur, venenosus inde verines procul exterminet. Nierem. ib. c. 62.

T I T U L U S XXI.

S E R V I H O M I N U M.

§. I.

Non serviant ad peccatum.

Noluerunt servi regis extendere manus suas in Sacerdotes Domini. 1. Reg. 22. 17. Timentes Deum renuerunt parere tam iniquo mandato; dando exemplum ministris principum. Cajetanus hic.

Dico huic: vade, & vadit. Matth. 8. 9. Si jusserit, ut innocentem occidat miles; ibit miles? ibit. Si servo præceperit, ut faciat rem illicitam; faciet? ità An, quia Absalon servis præcepit ignem mittere in Joabi segetem, 2. Reg. 14. 30. ideo manserunt immunes à culpa? Joab, exponendo Uriam innocentem periculo peccavit. 2. Reg. 11. 16. Alvarez in Gen. 44. 2.

Et ministri Judæorum &c. Joan. 18. 12. Iniquis præceptoribus, ut dominis, obsequentes, iniqui censendi sunt; cùm jussa iniqua perficiunt: & eò iniquiores, quò paratiores ad malum. Sim. Cass. l. 13. hic.

§. II.

Servi boni, fideles, &c.

A facie Sarai domina mea ego fugio &c. Gen. 19. 8. Vide, quomodò non negat dominam; sed confitetur verè omnia. Non est, inquit, homo, qui interroget, ut possit, decipere. Primum dixit nomen meum, & dominæ meæ meminit; congruum est, ut & ego vera dicam. *A facie Sarai &c.* Vide, quomodo circa odium meminit dominæ. Non dixit malè afflixit; non dixit, gravia mihi fecit, non possum ferre molestiam ejus, & ideo fugam inii: nihil asperum locuta est; sed solùm se ipsam ut fugitivam accusavit. S. Chrysost. hom. 38. in Gen. *A facie domina mea*. Mirum est, quod non dixerit vetulæ illius. Hugo Card.

Non vibebo morientem puerum. Gen. 21. 16. O potentiam lacrymarum! Licet rea Agar, & relapsa, Deique jussu in exilium acta, & tamen ut flevit, Angelorum non alloquio solùm, sed & ministerio recreatur: Ne diutius sitiret, aquæ puteum indicavit ei Dominus, vel etiam elicuit. Quàm felicior in exilio serva, quàm domi herus: nam Abraham juxta tabernaculum suum ministrat angelis. Gen. 18. 2. Agari autem in solitudine ab angelis ministratur. Oliva l. 11. Strom. §. Non videbo morientem.

Omnem pecuniam congregavit & intulit eam in erarium regis. Gen. 47. 14. Ad laudem ejus spectat; qui è fisco regione obolum quidem abstulerit; & opus perquam rarum. Vellosо in Judith. 7. Paræn.

Et tu nosti, quia servus tuus, fuit timens Dominum. 4. Reg. 4. 1. O tempora planè aurea; quando ad flectendos dominos, ut pupillorum misererentur, & viduas alieno ære exolverent; satis erat, commemorare defunctorum servorum, non in dominos merita, sed erga Deum cultum, & timorem. En mulier, ut Elisæum moveat, non dicit: en vir meus tot adiit pro te pericula, tot tibi servivit annis; sed, *fuit timens Dominum*. Hoc enim in servis suis attendebat Elisæus: non enim ab aliis certior reddi volebat, quòd servi timerent Deum; sed hoc ipse exquirebat, & norat. Nunc verò domini sciunt optimè, & indagant, servorum genus, avos, patriam, artes; hoc uno excepto, an timeant Deum? Quidvis in servo examinas præter conscientiam. Oliva l. 10. Strom. §. Et tu nosti.

Vir, imus, & colligimus ea. Matth. 13. 28. Fideles servi illi patrisfamilias: de agro expurgando satagunt, nè quid pereat è rebus domini: non expectant jussa; ultrò se ad labores offerunt; nec pretium petunt. Vellosо in Judith. 7. Paræn. 16.

Servus ille qui *abscondit pecuniam Domini sui*. Matth. 25. 18. male audit v. 26. *serve male, & piger*; nihil de lucro domini satagebat. Quid si pecuniam prodegisset. Id. ib.

Jam autem eo descendente servis occurrerunt ei. Joan. 4. 51. Servi sollicitè circa filii languorem, patrisque dolorem, nuntiant filii convalescentiam: ut patris mœstitia mitigetur. Optima servorum conditio, cùm Dominorum satagunt removere dolorem. Sim. Cass. l. 5. c. 18.

Optimus ille tuus minister est, quid non hoc à te audire desiderat, quod ipse voluerit; sed hoc velle, quod à te audiet. S. Anselmus l. de mensuratione Crucis.

Bonum servum pingebant Ægyptii, undique manibus, & oculis plenum; ut ad nutus domini sui vigil, totus oculus, totus Argus videretur: & ad exequendum, quidquid ei jussum totus manus foret. Linguam sub pedibus tenebat: tum, ut verbis parcus esset; tum, nè ad excusationes linguosus. Alvarez Illustr. 89.

§. III.

Serpi mali, pigri.

Habens ancillam Ægyptiam nomine Agar. Gen. 16. 1. Servi, & ancillæ, arceantur ab otio: quo morbo laborasse legitur ancilla Saræ; quæ vel ipso nomine ignaviam, & otium, præferebat: Agar enim, ut quibusdam placet, vertitur *somnians fessa*. Fernandius in Gen. 2. sect. 1.

§. IV.

Erga servos herorum obligatio.

Num. I.

Merces.

Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea. Ex. 12. 35. Duro opere latere afflictus Hebræus Ex. 1. 11. 14. nihil inde iis datum mercedis: ideo, Deo rerum domino, scelerumque censore, abstulit Hebræus ab Ægypto aurum, & argentum, & suppellectilem reliquam, nè quis eos furti reos censeat. Tertull. l. 2. contra Marcion. c. 2. qui villas & urbes, & operati fuerant Ægyptiis, digni utique mercedi operarii; non ad fraudem sunt instincti, sed ad mercedis compensationem; quam alias à dominatoribus non poterant exigere. Vellosо in Judith. 2. Paræn. 17.

Quid pro hac fide honoris, ac præmii, Mardochæus consecutus est? dixerunt ei servi illius, ac ministri: nihil omnino mercedis accepit. Esth. 6. 3. Assuerus erubuit; pertesus plurimùm, quòd suo in regno viveret, nulla mercede; qui ipsum tanto periculo eripuisset. Ideo mox, correcturus ingratum animum, jubet Hebræum triumphare in civitate. Scribantur charactere aureo actiones præclaræ subditorum, & ministrorum; scribantur eorum incommoda, & pericula, itinera, detrimenta valetudinis, rei familiaris, libertatis, patriæ oblectationum. Si hæc omnia in Diariis scriberentur, & legerentur tempore à negotiis vacuo; Mardochæi multi, qui jacent ad limina conculcati, obnoxii Amanorum insidiis; donarentur supremis honoribus. Sed, quia facta præclara in aqua scribuntur; ideò adulatores triumphant, & bene meriti cruciantur. Conservantur in tabulis reorum crimina, signata charactere publico; nec unum foliolum reperitur, in quo notentur vel apice sudores ubere laborantium pro bono communi, aut domini sui. Oliva t. 3. conc. 5. hebd. 1. Quadr.

Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Eccl. 34. 27. Si vobis, divites tam durum accidit, aliena restituere; quàm longè difficilius erit illis, eo, quòd proprium habent defraudari? Segneri s. 1. die Ven. Dom. 3. Quadr.

Voca operarios, & redde illis mercedem. Matth. 20. 8. Non sperent Domini in ministris mercedis incuriam, quam in Evangelio non exigit paterfamilias; quem Christus, ut imaginem regiminis sui, describi voluit. *Conventione facta*. Displicet nobis, quod Christo placuit? detestamur spem mercedis in servis; quam Deus in suis non solùm tolerat, sed etiam offert. Oliva t. 2. conc. 27. 2. die Ven. Quadr.

Num. II.

Servorum habenda cura.

Fueruntque ei asini, & servi, & famulæ. Gen. 12. 16. Nulla in domo divitum bonum à famulis segregatio: uno censentur elencho asinæ & famulæ; imò hæ illis postponuntur. Oliva s. 5. D. 2. Quadr.

Projecit mandibulam de manu. Judic. 15. 17. En, quò deveniunt instrumenta principum: ut iis fuerint usi, ea plerique projiciunt. Sampson mandibulam nec auro inclusit, nec gemmis ornavit, nec theca inclusit, nec è tholo suspendit; sed projecit. Oliva l. 9. Strom. §. nolite confidere in principibus.

Constituit ei Rex annonam de cibis suis. Dan. 1. 5. Discamus curam agere servorum. Oliv. l. 1. Strom. hic.

Puer meus jacet. Matth. 8. 6. Quid in mentis abdito dignum volvens Centurio iste ajebat? mihi hic servus est, & ego Creatoris. Iste me super terram; & ego magnum in cœlis habeo Dominum. Si ergo ejus non misereor; quomodo ille mei misere-

re-

rebitur? Si ego huic non subvenio; quomodo ille mihi subveniet? Sic debent omnes, qui famulos, & famulas habent, cogitare; sic misereri, & condolere eis, supplicare, & curam habere de servis, vel de ancillis suis; sicut ille beatus Centurio fecit. Orig. hom. 5. in diversos.

Qui illi erat pretiosus. Luc. 7. 2. Author Imp. hom. 22. Centurio iste, inter servum, & dominum, nullam differentiam æstimabat: sciens, quomodo, etsi dignitatis in hoc sæculo diversa sit inter eos; una est tamen natura illis: ideo magis Dei naturam honorabat in homine, quàm opus captivitatis contemnebat in servo. Secundùm dilectionem Domini mensurate fidem servi: nec enim possibile erat, ut, sine pretio bonorum morum tantam sibi dilectionem Domini comparasset. Id. ibid.

Noli dicere: ego cibum, & potum, eis præbeo; debita eis stipendia solvo: de animabus suis ipsi viderint, non sum Episcopus, non sum Prælatus: nam pro eis Domino tuo, & illorum communi, in die Judicii magnam rediturus es rationem. S. Thom. Vill. tr. de Adv. Domini.

§. V.

Servi inscripti caractere Domini.

Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Gal. 6. 17. Cajetanus: ad similitudinem servorum gestantium in facie impressam notam dominorum, inustione fieri factam; describit S. Paulus, se portare manifestè in corpore suo non unam, sed multas impressas notas Domini Jesu. Hoc est manifestum signum, quòd sum servus D. Jesu.

Charactere Domini inscribuntur & servuli; & nomine Imperatoris signantur milites. S. Ambros. de obitu Valentiniani Imp.

Servi domini sui nomen, aut stigma, inustum in corpore, ac præsertim in fronte gestabant, teste Rhodigino l. 5. c. 31. Et inde Inscripti, vel Literatis, servi dicti.

§. VI.

Servitus fœda.

Ne serviatis Hebræis. 1. Reg. 4. 9. Plurimi vitam, quàm libertatem perdere maluerunt. Mendoza in 1. Reg. 4. 9.

Melius est, ut viventes serviamus. Judith. 3. 2. Sciebat, servitutem, & extremis hominibus fœdam esse, qui Hebræum fame pressum gravi, servire non est passus ad septennium usque. Ex. 21. 2. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi*. Tempus utcumque tolerandæ signat Moyses, nè ad septennium usque proferatur. Quòd si Hebræus manumissus libertatem abnueret, magno Domini deceptus amore. Ex. 21. 6. *applicabitur ad ostium, perforabitque aurem ejus subula, & erit ei servus in sæculum*. Multæ sunt notæ, quibus Moyses premit sordidum hominem: utpote, qui servire malit, quàm vita frui libera. Cur enim ad postes exponitur? Theodoretus q. 46. ut intelligat: nè limen quidem egredi licere invito domino. Subula auris perforatur; in dedecus ejus, qui, libertate postposita, servitutem amplectitur, signum hoc jubetur accipere, &c. Rupertus l. 3. in Ex. c. 35. Ut semel dictæ professionis suæ delere, vel abscondere, non possit monumentum. Addo ego: moneri servum aure perforata: meminerit, se vel auribus trahendum esse, in quascumque dominus partes voluerit. Velloso in Judith. 3. Præen. 2.

Ferrum pertransiit animam ejus. Ps. 104. 18. Sed quomodo ferri vis animum hominis pervadat? S. Ambros. Oct. 12. in Ps. 118. quæ potuit nobilis prosapiæ puero gravior esse tentatio, quàm ut tantò familiæ splendore dejectus, serviret apud Ægyptios. Id. ib. Apud Vellos. in Judith. 3. Præen. 2.

§. VII.

Miscellanea.

Magna consolatio ancillarum, quòd Mater Dei, Angelorum regina, Domina totius creaturæ, se vocarit ancillam. Luc. 1. 38. B. Humbertus s. 98. ad famulas divitum.

Dictus est servus à servando: quia victis hostibus capti servabantur ad vitam. S. Thom. Aq. in Gen. c. 9.

T I T U L U S XXII.

S E R V I D E I.

§. I.

Gloriosus Titulus.

Ex Veteri.

Mortuusque est ibi Moyses servus Domini. Deut. 34. 5. hic est titulus Moysis legislatoris, & Ducis Hebræorum; iis longè nobilior, quos sepulchris antiquorum mortalium superbia inscribit. Potuissent & illi splendida vocabula insculpere lapidi sepulchrali, v. g. mortuus est Moyses Deus Pharaonis, Dux populi, Salvator Hebræorum, Legislator rituum, Dei interpres. Sed his omnibus abstinuere titulis, *Deique servum* dicere maluerunt, quàm Deum Pharaonis. Et optimo jure: nam reliquorum nominum pompa, si cum titulo *servi Domini* componatur, evanescit, penitusque dissolvitur. Oliva l. 12. Strom. §. Mortuusque est ibi &c. Grandis dignitatis est, & meriti esse servum Domini. S. Hier. in Ps. 15.

Mortuus est Josue filius Nun, servus Domini. Jos. 24. 29. Augustissimus ille Josue, post egregia gesta, post solem, & lunam obsequentem; post innumeras hostium copias extinctas; post fidem Dei nominis propagatam obiit. Porrò conatur sacer textus eum posteritatis tradere laudibus exornatum: *mortuus est &c.* Epitaphii loco elogium hoc: *Servus Domini*, quæque egregia complectens. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 10. sect. 1. Obs. 2.

Vade, & loquere ad servum meum David. 2. Reg. 7. 5. Cur non vocat amicum, vel regem Israel? sed servum suum? certè hoc nomine, quidquid David infamiæ contraxerat, ob non ædificandum templum, facile toleratu erat. Theodoretus hic q. 22. delinit eum appellatione servitutis; est autem summus honor, nominari servum Dei. Sylveira in Apoc. 1. 1.

Erant enim principes Sanctuarii, & principes Dei. 1. Paral. 24. 5. dicitur de Sacerdotibus, & ministris. *Principes Dei*, id est, magni principes more Hebræo. S. Hieron. in traddit. Hebr. idcirco dicuntur principes Dei, principes Sanctuarii; quia ibi ministrabant. Velloso in Judith. 4. Paræn. 18.

Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis &c. Job 1. 8. Respondit invidus: *nunquid Job frustrà timet Deum?* Cur diabolus privat Job *servi* titulo? Orig. lib. 1. in Job: hanc vocem diabolus nequaquam audire patitur: non tolerat nequissimus, ut aliquis Deo servus sit, vel omnino nominetur, quid hoc majus est? quid superius? ut quis sit Creatoris servus, atque cœlestis Regis famulus; non est hac major gloria.

Psalmi 35. titulum: *in finem servo Domini ipsi David*. S. Hieronymus grandis dignitatis est, & meriti; esse servum Domini.

O Domine! quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Ps. 115. 16. Non solùm se servum iteratò appellat; sed etiam matrem suam Dei ancillam: acsi nihil sibi gloriosiùs duceret; quàm suam, & majorum suorum servitutem erga Deum. Mendoza in 1. Reg. annot. 8.

Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini. Ps. 133. 1. Audisti servum: & nè aliquid putares abjectum, addit *Domini*: ut de potentia summi Principis dignitas cresceret servientis. Hoc se nomine Paulus honorabilem Gentibus fecit: *Paulus servus Jesu Christi*. Rom. 1. 1.

Revertere, revertere Sunamitis &c. Cant. 6. 12. *Pulchri sunt gressus tui filia principis*. Cant. 7. 1. Id nomen, & decus, sibi parit, quæ servire Deo studet. Rupertus hic: quia jam reverteris; te appello filiam principis. Quidquid præstiteris, licèt obsequio humili, ut Deum colas, eique servias; magnum id est. Scivit hoc Maria, quò se erigeret majestatis; si pingi se faceret cum puero Jesu in ulnis: quod patet ex S. Lucæ inconibus. Deinde tradit Lucas minutè; quid Virgo fecerit Christo nato. Luc. 2. 7. *Pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio*. Ratio S. Bernardi s. 7. in Ps. 90. cui servire regnare est; gestare hunc, non onerari, sed ornari est. Velloso in Judith. 4. Paræn. 18.

Servi Dei egredimini. Dam. 3. 93. Suavissima voce eos appellavit; & hoc ipso blandiendo illos veneratus est. S. Chrysost. hom. 8. in ep. ad Ephes. Non ità gavisi fuissent, si vel reges eos, vel orbis dominos vocasset; atque quod dixit: *Servi Dei*. Baeza t. 1. l. 3. c. 5. §. 11.

Ex Novo.

Paulus servus Jesu Christi. Rom. 1. 1. S. Chrysost. hom. 8. in ep. ad Eph. Paulus, cùm scriberet urbi adeò magnæ, orbis videlicet dominum gerenti, & de magnis dignitatibus glorianti; tanquam quod ad illius dignitatem responderet, imò & quod

& quod esset multò majus incomparabiliter, & Consulatum excederet, & regnum, & orbis principatum; hoc posuit, nempe *Paulus servus Jesu Christi*.

Jacobus Dei, & Domini nostri Jesu Christi, servus. Jacobi c. 1. 1. Sufficit nobis ad omnem dignitatem, talis, ac tanti, Domini servos nos appellari. Sanctus Basilius orat. 2. de principatu.

Simon Petrus servus, & Apostolus Jesu Christi. 2. Petri 1. 1.

Mittens per Angelum suum servo suo Joanni. Apoc. 1. 1. In exordio sui libri præclarissimos titulos de se Joannes poterat vulgare; illis tamen omissis, solùm se servum Dei vocat: acsi hoc nomine nihil sit illustrius. Sylveira hic.

Ex Patribus.

Libertate nobilior est servitus Christi. Orig. l. 1. in cap. 1. Roman.

Nulla major est dignitas, quàm servire Christo. S. Ambros. lib. de Vid.

Quem regnare delectat, uni omnium Regnatori Deo subditus hæreat; plus eum diligendo, quàm se ipsum. S. Aug. l. de vera Relig. cap. 48.

§. II.

Servorum Dei utilitas.

Num. I.

Præmium.

Ex Veteri.

Solve calceamentum de pedibus tuis. Ex. 3. 5. Lippoman. sic explicat: solve calceos; ut hoc symbolo cedas ovibus, & pecudibus tuis, eosque tecum in Deum transferas: ut totus deinceps in Dei jus & obsequium transeas. Olim enim, cum quis jure suo caderet, illudque in propinquum transferret: exuebat calceos, ut patet Ruth. 4. 7. Cornelius hic.

Ex quibus Daniel unus erat. Dan. 6. 2. Theodoretus hic: Regnante Nabuchodonosor Daniel splenduit, & à maximè horribili rege adoratus est. Regnante item Balthasar floruit: nec minùs illustris fuit Dario regna tenente: regumque successiones nihil de ejus gloria immutarunt; sed illi morte extincti sunt: at Daniel æqualem illis omnibus splendorem obtinuit. q. d. quis credet, amicum regis cum rege non perire? prodigiosum id videtur. Convenite huc, qui regum amicitias ambitis, qui stabilem statum in regiis favoribus amatis. Unus est, qui volubilem fortunæ rotam stare faciat clavus; nimirùm quo inusti Dei servitutem profitentur. Baeza t. 1. l. 1. c. 9. §. 12.

Hebræus ego sum; Deum cœli ego colo. Joan. 1. 8. juxta Sept. *Quod est opus tuum?* ib. interrogant nautæ. Theophylactus: quæ est negotiatio tua? Quasi ille, ut cœteri, quia una navigabant, esset mercator; & per mare negotiaretur quæstus gratia. Quibus ipse respondit: *servus &c.* Bene ad interrogantium mentem respondit: quia ejus negotia scire cupiebant, optimam, & ditissimam omnium, negotiationem suam explanans his solùm verbis: *Deum cœli ego colo*. Quasi dicat, inquit Theophylactus: hoc studium meum, hæc mea negotiatio est, servire Deo vero per mea opera. Baeza t. 2. l. 10. c. 3. §. 23.

Ex Novo, & Patribus.

Abraham genuit Isaac. Matth. 1. 1. Quare hæc sacra generatio incohatur in Abrahamo? R. Abraham constituitur caput hujus generationis: nam ille filium sum Deo obtulit in holocaustum. Ideo Deus, qui est dives in misericordia, in superabundantem compensationem filium suum illi dare decrevit. Gen. 22. 16. Solet enim magnificentissimus Deus præmium merito proportionatum dare: & quibus ei obsequia præstamus, iisdem dona sui nobis communicare. Sylveira hic qu. 20.

Triduo sustinent me. Marci 8. 2. Enumerat dies, quibus ei servimus; imò horas obsequio suo impensas. *Quasi mercenarii dies ejus*; cujus dies, & horæ annotantur ob mercedem. Marchantius Dom. 6. Pent.

Vos amici mei estis. Joan. 15. 14. Amici Dei dicuntur servi, ut ex scripturæ testimonio claret: ut nomen servitutis non adimat amicitiam; & amicitiæ nomen non excludat utilem servitutem. Nam Abraham appellatus est amicus, & servus Dei. *Credidit Abraham Deo, & amicus Dei appellatus est*. Jacobi 2. 23. Et alibi: *Abraham, Isaac, & Jacob, servorum suorum fidelium*. 2. Machab. 1. 2. Servitus in merito, amicitias in præmio. Servus custodit imposita; secreta sentit amicus: foris servus expectat, cubiculum amicus ingreditur. Sim. Cass. l. 12. c. 10.

Scio tribulationem tuam. Apoc. 2. 9. Albertus M. nota, quòd dicit, *scio*: in quo innuit, quòd bonum est tali Domino servire, qui non dat oblivioni servitia famulorum.

Videmur quidem Domino negotiari; sed nobis cedunt negotiationis lucra: & videmur Domino offerre hostias; sed nobis, quæ offerimus redonantur. Deus enim nullius indiget; sed nos vult divites esse: vestrum desiderat per singula quæque profectum. Orig. hom. 8. in Gen.

Quare fecit Deus hominem? Non quasi indigens Deus hominis psalmavit Adam; sed ut haberet, in quem collocaret sua beneficia. Nec nostro ministerio indigens, jussit, ut eum sequeremur; sed ut nobis ipsis attribueret salutem: sequi enim Salvatorem participare est salutem; & sequi lumen, participare est lumen. Propter hoc exquirit Deus ab hominibus servitutem: ut quoniam est bonus, & misericors; benefaciat eis, qui perseverant in servitute ejus. In quantum enim Deus nullius indiget, in tantum homo indiget Dei communione. S. Irenæus Adv. hæres. l. 4. c. 28.

Bono Creatori secundùm animam, & per invisibiles actiones, & invisibilia placita, servimus; quia hoc exigit à nobis; non suo, sed nostro, commodo: quoniam nostrorum ipse non indiget; in seipso, & ex se ipso, & per seipsum, existens perfectus; à nobis pro nobis perfectiones in anima, & corpore sua benignitate requirit. Sim. Cass. Prologo super Ev.

Num. II.

Servis Dei omnia cooperantur in bonum.

Pugnavit contra Amalech. Ex. 17. 10. Sed quibus armis? Egressi quidem cum aureis, & argenteis vasis, non cum gladiis, lanceis, aut scutis. Unde ergo eis arma contra Amalech? Theodoretus hic: his nempe, quæ cum Ægyptiorum cadaveribus ad littora devoluta sustulerant. Arma iis servierunt hostilia in bonum suum, & internecionem hostium Baeza t. 2. l. 10. c. 3. §. 5.

Venistis ad mare; persecutique sunt Ægyptii Patres vestros. Jos. 24. 6. Mare Hebræis videbatur infaustum; Pharaonis persecutionis commodum: verùm adeo contrarius fuit humano judicio eventus; ut mare Hebræos securè transmiserit, & digna strage absorbuerit Ægyptios. Naxera hic §. 28. Dei servis quæ imminere videbantur pericula, vertuntur sæpe in auxilia.

Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazarænus, id est, consecratus Deo sum. Judic. 16. 17. Illum mirabile robur Sampsonis, quo vincula facilè rumpebat, in capitis crinibus statuit Deus: quia Nazarænus erat, id est, Deo consecratus: cujus externum signum erat, quòd novacula non transibat per caput ejus; nec erat rasum tempore separationis suæ. Num. 6. 5. *Sanctus erit crescente casariæ capitis ejus*. Sampson capillis obsequium Deo deferebat; ideo etiam in iis à Deo honorabatur. Sylveira in Matth. 2. q. 20.

Cùmque gladium non haberet in manu David cucurrit. 1. Reg. 17. 50. Deum vides Philisthæum Goliath horrendo præcingi ense, quò præcinctus in arenam descendit contra inermem puerum; ad quid gladium acuit? ad quid fortè strinxit? an ut periret David? absit; imò ut David haberet, quo possit hostem trucidare. Baeza t. 2. l. 10. c. 3. §. 5.

Ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Tob. 6. 2. Ex formidato periculo experitur auxilium, nam piscis fel oculos patri restituit. Naxera in Jos. 24. §. 28.

Fecit lutum ex sputo. Joan. 9. 6. Servos Dei etiam adversantia mala juvant. Quis à luto cœcitatem speraret pelli, quod oculi cantrarium est. Baeza cit.

Rationalis anima, si Creatori suo serviat, à quo facta est, per quem facta est, & ad quem facta est; cuncta ei cœtera servient. S. August. l. de vera Relig. c. 44.

§. III.

Servire Deo suave, & facile.

Tribui Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus. Jos. 13. 33. Divina tractantes carebant labore, non fructu; populus enim iis decimas fructuum solvebat. Naxera hic §. 49.

Tollite jugum meum super vos. Matth. 11. 29. Non dicit, venite, imponam jugum meum super vos; sed vos illud tollite. Cajetanus hic: tollite, id est, Evangelicam Legem meam voluntariè suscipite. Neque enim inveniretur requies, tanquam corona, ubi in tollendo jugo non esset meritum. Nec meritum esse poterat; si non liberis, sed coactis, imponeretur. Ramirez in Apoc. 3. ep. 7.

Jugum meum suave &c. Matth. 11. 30. Portare jugum Christi, suave est, si ornamenta putes cervicis tuæ esse, non onera. Erige cervicem: redimicula, non vincula geris. S. Ambros. Oct. 3. in Ps. 118. Suave est volentibus, durum est nolentibus. Quamvis durum videatur esse ad Sanctos, propter corporalem tribulationem; tamen suave est: quia habent spem vitæ æternæ. S. Hieron. in Ps. 16.

Fecit ei convivium magna Levi in domo sua. Luc. 5. 19. Ità Domino cœli, terræque servitur. Non tristes, sed alacres, & epu-

& epulantes, dimittamus colonium: Deique scias servitutem festivam esse; cujus auspicatur Matthæus tyrocinium ab epulis. Nunquam fortè Levi lautiùs cœnavit; quàm cùm pecuniam abjecit. *Oliva* l. 13. Strom. hic.

Nulla major consolatio, nulla delectatio gratior, quàm servire Deo. Vita religiosa, vita quieta, pacifica, secura, delectabilis, jucunda, rationalis, amicabilis, & gratissima. S.Th.Vill.s.2.D.Quadr.

§. IV.

Servire Deo suavius, & utilius; quàm Mundo, & diabolo.

Ex Veteri.

INfans octo dierum circumcidetur. Gen. 7. 12. Deus puerorum circumcisionem præcipit; Pharao submersionem. Ex. 1. 16. Quàm leviora sustinent, parentes, cùm Deo obsequuntur; & quàm immania, dum Ægyptiis inserviunt. Sub Dei legibus filios circumcidunt ad vitam; sub Pharaonis legibus filios generant ad funera. Cùm aliqua dura lex divina injungere videtur; cogita, quàm ferè impossibilia amor mundanus imperet: quanta brevis dignitas, ambitio, cumpiditas, Naxera in Jos. 3. §. 17.

Jacob in domo Dei quiescit, &c. Gen. 28. 12. In domo Liban Gen. 31. 40. æstu uritur, & gelu.

Præcipue Sacerdotibus, qui portant arcam fœderis; & dic eis: cùm ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea. Jos. 3. 8. 17. Durum ad speciem præceptum. Sed quid Pharao suis imperat? Ex. 14. 23. *Persequentes Ægyptii ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis &c.* Durius, & periculosius est, marinis vorticibus se cœca temeritate objicere; quàm fluviales undas Deo duce tranare. Tertullianus l. 7. ad MM. c. 5. hæc non sine causa Dominus in sæculum admisit; sed ad nos, & tunc exhortandos, & in illo die confundendos; si formidaverimus pati pro veritate in salutem, quæ alii aspectaverunt pro vanitate in perditionem. Naxera cit.

Misitque Saul ad Isai dicens: stet David in conspectu meo: invenie enim gratiam in oculis meis. 1. Reg. 16. 22. Et tamen 1. Reg. 17. 55. quærit: *de qua stirpe descendit hic adolescens?* Unde tanta oblivio in rege? Assentior Lyrano, qui putat, eam profectam fuisse à diabolica perturbatione. Hoc habent Mundus ingenium, acceptum à diabolo; ut suorum penitus obliviscatur, & minimè suos noscat. Quis magis absconditus ab oculis mortalibus, quàm Judith. c. 8. 5. *hæc in superioribus domus suæ fecit sibi secretum, in quo cum puellis suis causa morabatur.* An ideo incognita? ait textus: *& erat hæc in omnibus famosissima; quoniam timebat Dominum valde.* v. 8. Baezat. 1. l. 7. c. 1. §. 4.

Servient ei. 2. Paral. 12. 8. Roboam, ac Juda, principes delinquentes Deus in manus Sesag, regis Ægypti tradidit. Quo consilio? *servione*, inquit, *ei*. Ut sciant distantiam servitutis meæ, & servitutis regni terrarum. Lyran.: quia servitus Dei suavis est, & consolabilis: servitus autem humana dura, & quasi importabilis. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 5. sect. 2. Obs. 6.

Pedes habent, & non ambulabunt. Ps. 113. 7. Non tamen ait, dentes habent, & non edent. Vitulus enim pasci volebant; sed non ambulare ad juvandum. Naxera in Jos. 24. §. 9.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini, qui statis in domo Domini. Ps. 133. 1. *Qui statis*, non jecetis: stant servi tui; hominum servi jacent. S. Chrysol. s. 15.

Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis: ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis & præ contritione spiritus ululabitis. Is. 65. 13.

Si quis non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Dan. 3. 6. An non sat erit, adorare submisso capite? non: debent se prosternere, & toto in terram projecto corpore adorare. Non tam profundam sibi Deus, sub pœna ignis, adorationem poscit; vel sola cordis humilitate contentus. Alvarez Illustr. 185.

Impendebantur in eo per dies singulos &c. Dan. 14. 2. Ecce quanta idolo solvere quotidie opus! quid autem juvit suos cultores? audi Danielem v. 6. *nè erres Rex; iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus.* Gradi non poterat ære onustum; nec manum porrigere, quia luteum. Et tamen vivens videbatur, ut illi penderentur tributa; mortuum, ut ipse præberet auxilia. Attentè videant, qui magnatum domos frequentant; quos sibi patronos deligant. Sunt, qui *sanguisugæ* instar Prov. 30. 15. nihil aliud ore versent, quàm *affer, affer*, cùm tamen benefacere prorsus ignorent. Naxera in Jos. 24. §. 9.

E Novo.

Beati pauperes spiritu. Matth. 5. 3. Ad serviendum regi, necessariæ sunt vestes, sumptus & divitiæ: ad serviendum autem Deo sufficit paupertas. Minori ergo sumptu servitur Deo, quàm Mundo. Stella de cont. p. 3. c. 94.

Puer meus jacet. Matth. 8. 6. Quomodo hic Centurio, qui sic agnoscit Dominus, puerum *suum* ausus est profiteri? *puer meus.* Meum dico, quia jacet. Si tuus esset, Domine, non jacet. Probat hoc Propheta cùm dicit: *ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini! qui statis in domo Domini.* Puer meus, qui jacet, ut tuus sit, surgat: meus, quia paralyticus; ut tuus sit, jam sanctur. Sanct. Chrysol. s. 15. q. d. qui Mundo servit, jacet in lecto bonorum temporalium, & non quiescit; sed *malè torquetur.* Sylveira in Joan. 4. q. 11.

Jugum meum suave est &c. Matth. 11. 30. Unicum est Christi jugum; at hominum jugum multiplex. Escobat t. 1. mir. Chr. l. 5. sect. 2. Obs. 6. *Quinque juga boum emi.*

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19. 27. S. Bernardus hic: stolidior bestiis homo, quòd juga necessitatis earum propria ipse habeat voluntate. Quid juga emit boum. Luc. 14. 19. cui jugum suave gratis offertur; sed etiam copiosa his, qui tulerit illud, remuneratio est.

Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum. Luc. 12. 36. Cur non aptiùs? & vos similes hominibus expectantibus Deum. O Domini sapientiam! Mundiales dominos expectantibus cupit similes alacritati obsequi: quia scit, attentius humanis dominis famulari: optimumque religiosæ servitutis exemplar, sæculi esse servitutem. Naxera in Jos. 11. §. 21.

Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: pater, peccavi in cœlum, & coram te &c. Fac me sicut unum de mercenariis. Luc. 15. 18. Sed inter amplexus paternos, solùm se meminit filium oblitus mercenarium. Cur non prodidit cogitata? Desiderabant solari famem: & cùm remotior, labore acquirendum novit; ideo subire labores mercenarii decrevit, *fac me sicut unum de mercenariis.* Postea verò vita excutiens, quia novit, Deo proximiores carere sudore rustico: inter brachia charitatis oblitus est servitutis. Et quidem prudentiam comprobavit effectus: statim namque ingressus domum mensam dapibus refectam invenit; nec ad labores mercenariorum missus. Vide Religiosos: videbis arctè Deo conjunctos; quibus divina providentia; Eliæ ad instar, alimentum ministrat, nullis sudoribus comparatum. Naxera in Jos. 13. §. 49. *Fac me, sicut unum de mercenariis tuis.* S. Chrysol. s. 2. hoc petit: quia, qui penes extraneum servam sensérat libertatem; penes patrem credidit sibi futuram liberam servitutem.

Impleverunt duodecim cophinos. Joan. 6. 13. Qua ratione duodecim cophinos Christus implevit: nisi illud populi Judaici solverent: *quia manus ejus in cophino servierunt.* Ps. 80. 7. Hoc est, populus, qui antea lutum in cophinis colligebat, hic jam per crucem Christi vitæ cœlestis operatur alimoniam. S. Ambros. l. 6. in Luc. Servientes Mundo lutum, sudorem, labores, colligunt; servientes verò Christo cœlestem alimoniam reportant. Sylveira hic q. 24.

§. V.

Servitia plura, & duriora, exigit diabolus, quàm Christus.

QUia fecisti hanc rem. Gen. 22. 16. Rem alieno, sed fœcundo, nomine vocat, ut magnitudinem operis verborum gravitate indicaret. Sed nota: Abraham tantopere laudatur à Deo, pro uno filio, quem neci dare pro illo paratus erat; cùm Psalmista Ps. 105. 37. 38. dicat de Hebræis, qui permixti Gentibus mores eorum induerant: *immolaverunt filios suos, & filias suas, dæmonis; & effuderunt sanguinem innocentem.* Dæmonum causa, vanitatis Mundi graves jacturæ nil pensi habentur: prodigii loco est, si Deo vel unum immoles. Did. Nyss. fer. 6. Dom. 2. Quadr. §. 4.

Tadere cœpit populum itineris, ac laboris. Nu. 21. 4. Quemnam populum tœdebat? Eumne, qui paucis antè mensibus excoquendis lateribus opprimebatur? servitute, virgis, fame, tantùm non enectus in Ægypto? Ex. 5. 16. *paleæ non dantur nobis &c.* Ad Dei jussum piget vel regnare in libertate; quibus liber sub Pharaone, non premi tantùm, sed mori. Proh jugi divini impatientiam! etiam manna fastidimus, si pluat è cœlo. Num. 11. 5. Esurimus pepones, & cucumeres, si eos Ægyptus præbeat. Ergone sub Deo panis cœlitum non sapit; & cæpa sapit sub Pharaone? &c. Oliva lib. 1. Strom. §. Deest panis.

Vade, & lavare septies in Jordane. 4. Reg. 5. 10. Quo audito Naaman spernit remedium, & iratus patriam repetit. Cur id? nonne sæpè pro deliciis homines in fluvis abluuntur? Nam ut quidam ex servis ejus dixit: *Si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debuerat.* v. 13. Cur sis difficilis ad suave balneum? cùm sciamus Sacerdotes Baal pro illius cultu se proprio sanguine abluisse? 3. Reg. 18. 28. *incidebant se, juxta ritum suum, cultris.* Naaman, ex Dei jussione, per os Prophetæ mandatur, se abluere in flumine; Sacerdotes Baal, ex dæmonis, se cultris dilacerant. Ita Dei mandato suavi pro sanitate habenda voluntas humana renuit; & ad Mundanum obsequium, etiam cum dolore, & cruore, facilis currit. Sylveira in Luc. 19 q. 11.

Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei. Is. 5. 4. ait Dominus. Quid causæ est: quòd inimico meo, vestroque, libet servire; quàm mihi? neque enim ille creavit nos; sed nec pascit quidem. Si parva hæc videntur ingratis: non ille, sed ego redemi vos. S. Bernardus s. de verbis Petri.

Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantùm &c. Matth. 10. 42. De dæmone Job c. 40. 18. *Ecce absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd influat Jordanis in os ejus.* Christus scypho contentus; dæmon nec fluvio. Did. Nyss. D. 6. Pent.

Qui habet duas tunicas, det non habenti. Luc. 3. 11. Theophylactus: non dixit, qui habet unam tunicam; sed qui habet *duas*. Nec enim Deus vult, ut nobis necessaria largiamur aliis. Luc. 11. 41. *quod superest, date eleemosynam.* Dæmon è contra quid imperat veneris mancipio? forsan ut solùm facultatum suarum partem det hinc; nequaquam: totas in illam vult profundi opes. Did. Nyss. Dom. 4. adv. §. 4.

O quam suave est, Christo servire! qui non præcipit gravia; non sibi, sed servitori, utilia. Mirum igitur valde est; quomodo sic servitis diabolo decipienti, sic Mundo deficienti; & non vultis servire Christo reficienti, nostram salutem desideranti? S. Bonav. s. 2. de adv.

§. VI.

Serviendi Deo varia motiva.

ERit mihi Dominus in Deum. Gen. 28. 21. Videtur votum otiosum. Non idem est, habere Creatorem pro Domino, & habere illum pro Deo. Qui pro Domino illum habent, nec tamen ei serviunt, pro Deo non habent. Did. Nyss. Polit. Cœlor. p. 2. c. 9.

Servite Domino in lætitia. Ps. 99. 2. Illi sub lætitia Domino serviunt; qui eum supra cuncta diligunt, & invicem se fraterna charitate conspiciunt. O libera servitus! ò servitium supra cunctas dominationes eximium: quibus talis lætitia tribuitur, qualis in regnorum gloria non habetur. Cassiodorus hic.

Serva eos in nomine tuo. Joan. 17. 11. Notanda verbi proprietas; dum dicit, *serva*. Servari namque propriè dicuntur, qui capti in bello, cùm jure belli possint occidi, victoris miseratione vita donantur. Sic nimirum cum isto Mundo Dei inimico justè damnandi fuimus; sed victoris Dei gratia servamur. Unde & juxta rei veritatem servi sumus; licèt, propter abundantiam gratiæ, filii nominemur, & simus. S. Rupertus hic.

Quodcumque aspexeris ædificium, tuum est, vides cœlum, vides solem, vides stellas, vides lunam, hoc ædificat te. Debes enim cogitare, & dicere: si sol, & luna, & cœlum, & stellæ Deo serviunt; quare ego non serviam? Cœlum servit, & terra servit, & infelix homo non servit. S. Hieron. in Ps. 91.

Serviamus Deo bono, ut non malis Gentibus, & potestatibus iniquis serviamus. S. Chrysol. s. 20.

Utinam vel tantum Deo, quantum Mundo; quando tantum cœlo, quantum terræ; quando tantum virtuti, quantum vitiis humana fragilitas famulatur? Id. s. 114.

Magnum quidem est pretium, quod impendit pro te. Sed parabile est, & ad manum habes, quod postulat à te. Postulat enim, nè auferas ei jus suum; postulat, nè alieno domino assignes servum suum. Hildebertus Turon. s. de redemptione hum.

Mihi credite fratres: nihil est præstantius, quàm servire Domino. S. Laurentii Just. ultimæ voces in morte. Bollandus 8.

Propter tria maximè debemus esse ministri Christi; & ei servire. 1. Quia quidquid sumus, & possumus; ipse dedit creando. 2. Quia servivit nobis, nos redimendo. 3. Quia iterum serviret in glorificatione. S. Thom. Aqu. Dom. 3. adv.

§. VII.

Servire duobus non potes.

Ex Veteri.

IN *die, quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram.* Gen. 2. 4. Non priùs Deus in Scriptura dictus est *Dominus*, ut observat Tertullianus; quàm postquam hominem condidisset. Rationem reddit: ostenderem Deum voluisse, se dominium in cœteras res inferiores nihili facere; at in solum hominem velle dominari. Vel potiùs: ut homo nullum alium Dominum agnoscat, quam solùm Deum. Bessens Dom. 14. Pent. Cùm omnia crearet Deus, scriptura commemorat; quod in omni producendo, Deus, non Dominus, nominatur. Cùm verò ad hominem creandum venitur, Deus, & Dominus dicitur: ut monstretur, nullos alterius creaturæ, sed tantùm hominis; non solùm ut aliorum creaturarum esse, sed & vocari *Dominum* voluisse: cujus proprié proprium est sub cœlo rationabilem obedientiam recipere. Sim. Cass. l. 4. c. 1.

Abjicite deos alienos. Gen. 35. 2. Ex hac abdicatione, præter alias utilitates, habemus id solatii; quòd facilè uni Deo servire possumus. Videbis homines, qui in aliquibus domibus pro exigua mercede servire malint, ubi unus tantùm dominus; quàm in aliis, ubi solarium multò majus, sed plures domini. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 2. l. 9. c. 5.

Immolabis Deo super montem istum. Ex. 3. 12. Fas non est Domini servum, præterquam in Domini servitio implicari. Populus autem Dei à Pharaone in Ægypto pro suo servitio implicabatur. Voluit ergo Dominus populum suum explicari ab Ægyptiaco servitio, & ad sacrificandum *sibi* fieri liberum in deserto. Sim. Cass. l. 4. c. 4.

Audi Israel, & observa; ut facias, quæ præcepit tibi Dominus - audi Israel; Dominus Deus noster, Dominus unus est. Deut. 6. 3. 4. An non aliud erat, quo validiùs obligare Israelitas ad servanda præcepta Moyses poterat? quam ut diceret: *Dominus noster, Dominus unus est?* Poterat pro ponere æternitatem, immensitatem, omnipotentiam. Oleaster hic: considera, à quot laboribus nos Deus eripuit. Difficilè est, multis dominis servire; quantò magis diis? Nè ergo labores, ò homo; in multorum deorum, tam diversa petentium cultura; ostendit tibi Deus tuus suam unitatem.

Usquequò claudicatis in duas partes? 3. Reg. 18. 21. 4. Reg. 17. 33. *cum Dominum colerent, diis suis quoque serviebant.*

Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum. Cant. 4. 9. Gilbertus s. 30. in Cant. oculus tuus unus est, si purus est. Unus est, si quodammodo simplificatus, & strictus, & directus, in unum est: non fissus, non divisus, non sparsus, in multa. Oculus tuus unus est si intendis, & intueris, semper in unum. Denique, si amoris oculus est, unus est.

Ne accesseris ad eum duplici corde. Eccl. 1. 36.

Horologium solare. Lem. *uni soli servio.* Nulli alteri luci, nec lunæ, nec stellarum.

Ex Novo.

Illi soli serviens. Matth. 4. 10. *Intellectum tibi dabo in via hac, qua gradieris.* Ps. 31. 8. quæ porrò illa doctrina? *nolite fieri, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* v. 9. S. Gregorius: equus, sicut dominum suum ad portandum recipit; ità etiam, sine discretione, alios, qui volunt ascendere, sessores admittit.

Nemo potest duobus dominis servire. Matth. 6. 24. In executione mandatorum, non dominorum dualitas, aut numerositas; sed præceptorum diversitas, multiplicitatem facit: nec unitatem unus Dominus, sed unitas præceptorum. Sim. Cass. l. 10. c. 36. Intellige, cum Chrysostomo, de contraria imperantibus, & sibi non subordinatis. Nam pater, & filius, uxor, & vir; multi etiam subordinati domini, qui idem jubent, pro eodem reputantur domino. Barradius t. 2. l. 7. c. 26. hic. Non possumus simul servire Deo, & divitiis: quia unum sustinebimus, & alterum contemnemus: Deum scilicet postponemus amori divitiarum. Judas, ut serviret marsupio, Christum adeò sprevit, ut vili venderet. *Ut quid perditio hæc?* Matth. 26. 8. Hieron. infelix Judas, damnum, quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult Magistri pretio compensare. *Quid vultis mihi dare?* Non postulat certam summam, paucis contentus. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 6. Obs. 3.

Crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi. Matth. 6. 34. Sollicitum esse in illum diem crastinum, est servire Mammonæ, servire cupiditatibus; diligere Mundum & ea, quæ in Mundo sunt. Quod idcirco rectè prohibetur: quia sicut profectò nemo potest utrumque, præsentem, & crastinum diem simul videre; ità nemo potest Mundum, simul & Deum diligere; Deo servire simul & Mammonæ, quam ob causam? *crastinus enim dies*, inquit, *sollicitus erit sibi ipsi.* Quid est, *crastinus erit sollicitus sibi ipsi?* nempe diabolus. Mammon, sive princeps hujus Mundi; nihil Deo de sua sollicitudine communicabit, nihil cum Deo commune habebit. Rupertus hic.

Ut sine timore. Luc. 1. 74. Porrò, nisi à dæmonum dominatu liberemur, Deo in veritate servire non possumus. Priùs enim à dæmonibus habenda est libertas; antè sunt solvenda vincula peccatorum; quibus voluntariè nosmetipsos innexuimus. Prius è carceribus oportet dimitti, quàm justum famulatum Deo exhibere possimus. Sim. Cass. l. 3. hic. Nemo se fallat, nemo se decipiat. Dominus, & diabolus, ab uno pariter amari non possunt: aut enim diabolus oditur, ut Dominus diligatur; aut, si diligitur diabolus, necesse est, ut contemnatur Dominus. Sanct. Chrysostomus s. in Gen. 3. 15. Duo domini, quibus non potest simul serviri, sunt vitia, vir-

virtutes; cœlestia, & terrena, Deus & diabolus; vera gloria, & vana gloria, caro, & spiritus. Multi tamen sunt, qui utrisque servire laborant; de quibus dicitur 4. Reg. 17. 41. *Fuerunt gentes, Deum timentes quidem Dominum, sed nihilominus idolis suis servientes*. Eccl. 2. 14. *væ duplici corde! & peccatori terram ingredienti duas vias*. Istis dicitur 3. Reg. 18. 21. *usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus &c. Si Baal &c.* Hujus autem impossibilitatis quatuor sunt rationes. *Prima* est, contrarietas officiorum: quia Dominus vult sibi serviri dispergendo. Ps. 111. 9. *dispersit, dedit pauperibus*: diabolus verò, & Mundus, vult sibi serviri congregando. Luc. 12. 18. *destruam horrea mea &c.* Item servitium Dei, est exercitium virtutum. Luc. 1. 74. *ut sine timore serviamus illi in sanctitate, &c.* Servitus autem diaboli est in opere vitiorum. Luc. 15. 15. filius prodigus *adhæsit uni civium &c. Secunda* ratio, est diversitas locorum. Diabolus enim in loco immundo habitat. Job 40. 16. *in locis humentibus &c.* Sicut porcus: Dominus verò in altis, Ps. 112. 5. *qui in altis habitat. Tertia* ratio est unitas temporis: quia uterque Dominus vult sibi serviri toto tempore. De diabolo dicitur Jerem. 16. 13. *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die, ac nocte*. De Domino Luc. 1. 74. *in sanctitate, & justitia, coram ipso omnibus diebus*. Hugo Card. in Luc. 16. 6.

Nemo servus potest duobus dominis servire. Luc. 16. 13. Non dixit, non potestis Deo servire, & mammonam habere; sed non potestis *servire*; quoniam contraria jubent! Deus enim vult præponi spiritualia omnibus rebus; divitiæ autem volunt se præponi spiritualibus. Cajetanus hic. Ratio quadruplex, cur quis non possit simul servire duobus dominis. *Prima*: appositio ministeriorum: nam servitium Dei est in exercitio virtutum. Luc. 1. 75. *serviamus illi in sanctitate &c.* Servitium diaboli est in exercitio vitiorum. De filio prodigo dicitur, quòd misit illum in villam ad pascendos porcos. Luc. 15. 15. *Secunda* est dissimilitudo ministrorum: quia Dominus vult habere servientes oculatos. Ezech. 10. 12. *animalia erant plena oculis*. Diabolus vult suos monoculos. 1. Reg. 11. 2. *in hoc ferium vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dexteros*. Dominus vult humiles. Psalm. 160. 7. *non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam*: diabolus arrogantes. Job 41. 25. *ipse est Rex super universos filios superbiæ. Tertia* est elongatio locorum. Dominus vult esse in loco sublimi, & mundo. Psalm. 122. 1. *ad te levavi oculos meos &c.* Diabolus in locis immundis. Job 40. 16. *Quarta* discretio temporum: quia diabolus vult, quòd sibi serviatur omni tempore. Jerem. 16. 13. Similiter Dominus Luc. 1. 75. *omnibus diebus*. S. Bonavent. hic.

Ex Patribus, & aliis.

S. Augustinus l. 1. de conf. Evang. c. 17. quærit; cur Romani colentes deos omnium Gentium, non coluerint Deum Hebræorum? cùm Hebræos, æquè ac alias Gentes subjugasset? ac respondet: nihil restat, ut dicam; nisi quia solum se voluerit coli. Cornelius in Eccl. 34.

Ausi sunt nonnulli impiè unum Deum dividere sermone: & aliquid dicebant, alium esse animæ opificem, & dominum; alium verò corporum; absque ratione, simul & absque pietate docentes. Quomodo enim duorum dominorum unus homo servus esset? cùm Dominus dicat in Evangelio: *nemo potest &c.* S. Cyrill. Jeros. Catech. 4.

Exeundum nobis est de Ægypto, relinquendus est Mundus; si volumus Domino servire. Orig. hom. 3. in Ex.

Animo vacare non potest, qui de corpore sollicitus est. Quemadmodum nemo potest oculum unum in cœlum attollere, & alterum humi defigere, ità mens nequit, quæ Dei, & quæ Mundi sunt, simul curare. B. Isaias Abb. orat. 15.

Duplex corde, aut animo est; & terram duabus viis ingreditur, qui de his, quæ agit, temporalem & æternam vult captare mercedem; & Deum quærit, & homines hujus Sæculi, pariter oblectare. Sim. Cass. l. 7. c. 8.

§. VIII.

Servitia spontanea Deo gratiora.

Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum, esse hominem solum; faciamus ei adjutorium simile sibi. Gen. 2. 18. S. Thom. hic: dixit Deus non tantùm intrà se; sed etiam illustratæ menti ipsius Adæ. Fuit enim conveniens præexigere ejus consensum: quia nulli debet dari uxor, sine ejus proprio consensu aliquali.

Vox Dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea &c. Cant. 5. 2. Guillelmus parvus, seu Neoburg: Vox, inquiebat Deipara, Dilecti mei pulsantis facta est ad me; quando impleto tempore dispositionis suæ, placuit incarnari ex me. Quæ autem fuerit vox illa, confestim addit: *aperiri mihi soror mea*. Poterat Dilectus, non aperiente ipsa, ipse introire in virginalem uterum; sed ad matris gloriam, quam maluit spontè, & hilariter aperire; stetit ad ostium, & pulsavit.

Quem mittam? & quis ibit nobis? Is. 6. 8. Cui Isaias: *ecce ego, mitte me*. Dominus autem: *vade, & dices populo huic &c.* S. Ambros. in Psalm. 118. Servulo suo poterat imperare; quem dignum, qui mitteretur, invenerat: sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede; qui, ut ipse se offerret, præstolatus est. Et quamvis ejus sciret affectum, expectavit tamen vocem, ut cumularet gratiam. In Romana militia Volones præcipuè commendati; quia voluntarii procedebant ad campum. Escobar t. 1. mir. Chr. lib. 8. sect. 1. Obs. 3.

Tollite jugum. Matth. 11. 29. Inquit Salvator: non impono, non gravo, non cogo, non invitè vestris cervicibus ligo; sed præparo, & offero: libertatem habetis, liberi creati fuistis. Inest vobis ratio discernendi: sub quo Domino laboratis, agnoscitis. Fortè videtis & prœmia; nec fortè ignoratis, quid à vobis exactor improbus exegit; qualia sunt prœmia, quæ speratis. Sim. Cass. l. 7. c. 22.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum &c. Matth. 16. 24. Vide, quomodo nullam his verbis necessitatem imponat: non enim dixit, sive velitis, sive nolitis, hoc vobis ferendum est. Sed quomodo? *Si quis vult venire post me*. Non affero vim, non cogo; sed quemlibet dominum voluntatis suæ constituo: ea de causa dico, *si quis vult*. S. Chrysost. orat. de ador. Crucis.

Si vis ad vitam ingredi. Matth. 19. 17. *Si quis vult post me venire*. Matth. 16. 14. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*. Joan. 7. 17. S. Hieron. ep. 25. non tibi imponitur necessitas; ut voluntas prœmium consequatur.

Nihil tuleritis in via, neque virgam. Luc. 9. 3. Virgam aufert, nè metum inferant. S. Ambros. l. 7. in Luc. eos emisit seminandam viam, qui non cogerent, sed docerent. Sed nonne Marci 6. 8. præscriptum à Christo est, *nè quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*! An contrarius sibi Dominus? solvit nodum. Rupertus l. 9. in Matth. ad mentem Ambrosii: virgam regum negat, virgam pastorum concedit. Velloso in Judith. 2. 4.

Vis sanus fieri? Joan. 5. 6. Cur eum interrogat; non quia de ejus dubitaret voluntate; sed ut ejus aliquomodo excitaret arbitrium; & ad tantum beneficium recipiendum disponeret. Significat Dominus, se arbitrio hominis libero uti in salute conferenda. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 5. sect. 2. §. 1.

Nunquid & vos vultis abire? Jo. 6. 68. q. d. Meum fuit vos recipere venientes; venire vestrum: meum retinere Discipulos; vestrum est, manere penes Doctorem; aut abire, liberi, ut venistis. Non cogo, non aufero libertatem: vidistis, quæ feci; audistis, quæ dixi. Sim. Cass. l. 11. c. 20.

Si quis sitit, veniat ad me. Joan. 7. 37. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam*. Matth. 5. 6. Auth. Imp. op. esurire, & sitire justitiam, est desiderare justitiam Dei: ut, sive faciant homines justitiam Dei, sive audiant; non quasi inviti audiant, vel faciant, justitiam Dei; sed ex desiderio cordis: quoniam omne bonum, quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est ante Deum. Unde Dominus per Joannem, non omnes simpliciter vocabat ad potum, sed tantummodò sitientes.

De virginibus ait Apostolus, *præceptum Domini non habeo*. Cur? quia & ipse, ut esset virgo, non fuit imperii, sed propriæ voluntatis. Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? quia majoris est mercedis, quod non cogitur, & offertur: quia si fuisset virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ: & durissimum erat, contra naturam cogere; angelorumque vitam ab hominibus extorquere. S. Hieron. ep. 22. de custod. virg. ad Eustochium.

Quidquid fit necessitate, citò solvitur: quod voluntate arripitur, perseverat. Idem in Oseæ 7.

Quod spontè non fit, non etiam durabile est: illorum fluminum, & arborum, instar; quæ vi retinentur. S. Greg. Naz. or. 6. de Spirit. Sancto.

T I T U L U S XXIII.

S I L E N T I U M.

§. I.

Symbola.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Ps. 5. 11. Taciturni, sunt sepulchrum Christi, cui advolvunt ingentem lapidem. S. Ambros. l. 10. in Luc. quicumque in se bene humaverit Christum, diligenter custodiet eum, nè perdat; neve perfidiæ sit ingressus. Pinna Ethol. 91.

Hortus conclusus soror mea. Cant. 4. 12. Hic hortus conclusus est sera silentii. Cogitationum terrenarum multitudo, si hortum hunc irruperit, bestialiter conculcat. Rich. à S. Vict. c. 29. in Cant.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4. 19. Eos homines maximè Apostolici viri piscantur, qui silentium colunt: garrientes difficilè ad pictatem trahuntur. Pinna Ethol. 272.

Pythagoræ discipuli, ob silentium, pisces in honore habebant. Unii Plutarchus in sympositacis, Pythagoricos ait à piscium esu abstinuisse ex reverentia; quòd hos quasi disciplinæ suæ domesticos agnoscerent. Cornelius in Eccl. 41. 26.

Altissima quæque flumina minimo sono labuntur. Cornelius Comment. in li. 8. fluvii, qui placidè, & silenter fluunt. sunt profundissimi: ità corda silentum profundæ sunt sapientiæ.

Flumen. Lem. *Mutum, sed altum*. Curtius l. 7. altissima quæque flumina minimo sono labi. Picinelli Grues volantes cum injecto in os lapillo. Lem. *Tuta silentia*. Masenius.

§. II.

Silentii laudes.

Post hæc aperuit os suum. Job 3. 1. Septem diebus taciturnus. S. Basilius in regulis fusiùs disputatis c. 13. vocat silentium, gymnasium benè loquendi.

Os suum aperuit sapientiæ. Prov. 31. 26. Vox *aperuit* notat, eam clausum habere os, & obsignatum silentio; quod nil, nisi clavis sapientiæ reseret. Rursum os *aperuit sapientiæ*, innuit, sapientiam habitare in corda ejus: illudque quasi animare movere, & regere: ut non tam virago, quàm sapientia ipsa per os ejus loqui, & per manus ejus operari videatur. Ità S. Mechtildis adeò arctè servavit silentium, ut eam mutam putares. Sin loqueretur; tanta id gratia faciebat; ut cum angelo colloqui existimaret, ait Engelhardus in ejus vita c. 5. Cornelius hic.

Tempus tacendi, & tempus loquendi. Eccl. 3. 7. Hugo à S. Vict. instit. mor. c. 16. Non ait Salomon, tempus loquendi, & tempus tacendi; sed, tempus tacendi, & tempus loquendi: quia priùs in silentio forma loquendi sumitur; quæ postmodum loquendi tempore in voce teneatur.

Loquebatur rectè. Marci 7. 35. Muti lingua sanata loquebatur rectè: mutum silentium linguam in bonos solvit sermones. S. Gregor. l. 30. in Job: ille scit rectè dicere, qui ordinatè novit tacere. Hac arte probatur vox illa clamantis in deserto. Ut enim munus vocis præcursor Domini inculpabiliter exercere posset; non aliter, quàm silentii beneficio in lucem prodiit. Luc. 1. 20. *eris tacens, & non poteris loqui*. Et mater ejus Elisabeth continebat se mensibus quinque. Baeza t. 2. l. 10. c. 9. §. 6. Priori loco collocatum est tempus tacendi; & post silentium dedit tempus loquendi. Gregor. Nyss. hom. 8. in Ecclesiastem.

Solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè. ib. Post ligatam diu linguam, ipsa soluta, mutus rectè loquitur: nec enim rectè loqui sciet, qui non scivit tacere. Ecobar t. 1. mir. Chr. l. 7. sect. 4. Obs. 1.

Ecce eris tacens, & non poteris loqui. Luc. 1. 10. Pater tacet ex pœna, ò quanto silentio, vox nascitur! ò quanta taciturnitate tuba sæculis inclamatura generatur! Notent maximè Religiosi, quòd vates, mutus existens, vocem Domini, id est, Joannem generavit: ut significaretur; quàm sit proficuum silentium. Diez S. Joannes. Non vocat à mysterio, quòd mutus pater Joannem genuit, qui vox clamantis fuit: semper enim meliùs vox in silentio generatur; & spiritualis otii quiete sapientia foris proferenda percipitur. Galfridus lib. allegoriar. sup. Luc.

Ille loqui veraciter novit, qui priùs benè tacere dedicerit: quasi enim quoddam nutrimentum est verbi, censura silentii. Hinc etiam per Salomonem dicitur: *tempus tacendi, & tempus loquendi*. Eccl. 3. Non enim ait, tempus *loquendi* & tempus *tacendi* sed priùs *tacendi* præmittit tempus, & postmodum subdit *loquendi*: quia non loquendo tacere, sed tacendo debemus loqui discere. S. Gregor. hom. 11. in c. 3. Ezech. Mea certè sententia? qui didicerunt loqui, etiam silere didicerunt. Philo lib. de silentio.

§. III.

Silentium sapientiæ amicum.

Ecce Magi. Matth. 2. 1. Magi, id est, sapientes; ut exponit S. Anselmus, S. Th. Beda, S. verò Basilius orat. de Chr. ortu: *silentes* vocat: quia Philosophi olim ab hominum conversatione vivebant separati. Sylveira hic.

Non est æternæ sapientiæ verus amator, qui procaciter loquitur. S. Laur. Just. discipl. monast. perfect. c. 15.

Quàm speciosa, quàmque opportuna, & accommoda est nobis virtus silentii: aliud prorsus nihil, quàm sapientissimarum cogitationum mater. S. Antiochus Abb. hom. 103.

Sapientiæ est plena res opportunum silentium, omnique præstantior sermone. Plutarch. de instit. liber.

§. IV.

Silentium orationi, & contemplationi, amicum.

Malleus, & securi, & omne ferramentum, & non sunt audita in domo cùm ædificaretur. 3. Reg. 6. 7. Dum strepitus humani cessat alloqui, constituitur in te per silentium templum Spiritus Sancti. Templum quippè Dei per silentium crescit. B. Petrus Dam. l. 7. ep. 6.

Sedebit solitarius & tacebit: quia levavit se super se. Thr. 3. 28. Solitarius, dum tacet se elevat super se: quia mens humana, dum intrà silentii claustra undiquè circumcluditur, in superiora sublimis erigitur; ad cœlum per cœleste desiderium rapitur; & in amore ejus per amoris spiritum inflammatur. Idem. ibid.

Factum est autem post hæc verba fere dies octo; & assumpsit Petrum & Jacobum &c. Luc. 9. 28. Ut magis taciturnos, & silere valentes. Theophylactus hic.

Tacentes, & orantes, Dominus ut plurimùm visitare dignatur. S. Laur. Just. de discipl. monast. c. 15. Tacentibus hominibus, loquitur Deus. Sim. Cass, l. 4. in Matth.

§. V.

Amantes silentii.

Acepsemas sexaginta annis domuncula inclusus, non visus, neminem videns, nec loquens, per exiguam fossam alimentus accipiens. B. Theodoretus histor. PP.

S. Flavianus Anachoreta cellulæ inclusus fuit sexaginta annis, neminem videns, cum nemine loquendus. Boll. 16. Febr.

§. VI.

Alia motiva.

Tardus autem ad loquendum. Jacobi 1. 19. Deus ipse per æterna sæcula, in sua sapientia, & contemplanda, & fruenda conquievit: & tardè, puta initio Mundi, & temporis, cœpit loqui; unicoque verbo Fiat, creavit cœlum & terram. Rursus Deus per quinque millia annorum, quibus stetit Mundus, paucissima locutus est: nimirum ea solùm, quæ in Bibliis continentur; adeò, ut plerique homines plus loquantur uno anno, quàm Deus locutus sit per tot annorum millia Deum imitantur, qui multa audiunt pauca dicunt. Verbum incarnatum infans, & elingue, factum est, usque ad annum ætatis trigesimum: multa audivit pauca locutus est: anno verò trigesimo cœpit docere, sed quàm pauca sunt ejus verba quæ Evangeliis continentur; si cum abysso sapientiæ, quam in se continebat, conferamus. Cornelius hic.

Dic voce tenui, & age actu grandi. S. Cyrill. Jerof. Apol. mor. l. 1. c. 16.

Silentium, omnium virtutum matrem, custodem, nutricem vocat. S. Bernardus ep. 89.

Nemo ad Religionis habitu blandiatur, qui adhuc linguam suam non didicit religare, Religa linguam tuam, si vis esse Religiosus: quia sine linguæ religatione religio vana est. Idem de Pass. D. c. 27.

Si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium. Idem ep. 1.

Vix evenit mihi inire cum aliquo colloquium, quin pœniteat me aliquorum. Et, quid profecerim alteri, sum ignorans: quid autem obfuerim mihi recognosco. Propterea conor in dies Domino propitio mecum morari. Gerson. ep. ad fratrem.

Pone Domine ori meo custodiam, & ostium circumstantiæ labiis meis. Psalm. 140. 2. Ostium dixit, & non murum: si enim murus poneretur, loquendi licentia, omnino negari videretur. Sed ostium ponitur: quod tempore, & loco, clauditur, & aperitur. Hugo lib. de duodecim abusionibus claustri.

Hoc modo age in terris, quod sancti Angeli servaverunt in cœlis. *Factum est silentium in cœlo*. Apoc. 8. 1. Hoc Lucifer quia non tenuit, propterea cum omni comitatu suo de cœlo cecidit. *Dixit enim, in cœlum conscendam &c.* O miser! quid loqueris? in illo sanctissimo Monasterio, ubi perpetuum silentium ab omni malo, statutum est ab illo supremo Abbate. Tu quomodo loqui non timuisti, &c. Meritò proinde expulsus es, qui silentium in cœlesti monasterio confregisti. Thom. Kemp. serm. 8. ad Fratres.

Hebræorum adagium est: lagena plena nummis non sonabit: unicus, & alter, si in ea fuerit sonum edet, & tinniet. Sic sanè, quò quis doctior, eò est modestior, & taciturnior: quò indoctior, eò loquacior; ut suam sapientiam ostentet. Cornelius in Prov. 17. 27. *pretiosi spiritus vir eruditus*.

Charilaus apud Lacedæmonios celebratissimus Philosophus rogatus; cur Lycurgus tam paucas leges Lacedæmoniis sanxisset? respondit: ideò factum, quod silentio assueti, & verborum parci, & non egerent multis legibus. Drexelius orb. Phaet. c. 61. §. 1.

Lu-

Lumen in conclave illatum necessariò extinguitur, si cereus accensus imponatur mensæ? fenestras autem utrinque patulas ventus permeet. Applica Id. ib.

Pauca loquentibus paucis legibus opus est. Plutarchus l. de educ. liber.

§. VII.

De garrulitate silentio contraria.

APeriens os suum docebat. Matth. 5. 2. De homine semper loquente non est, cur dicatur, aperuit os suum: quia illud ferè semper apertum habet. Diez conc. 3. in festo OO. SS.

Sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem; sic nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare; cujus os non fuerit janua silentii reclusum. S. Bernardus de Pass. D. c. 27.

Nil sic dissolvit mentem, compunctionem dissipat, & interioris gustus dulcedinem tepefacit; sicut inanis loquacitas. S. Laur. Just. de discipl. mon. conversat. c. 15. Vide plura ibidem.

Horret Christus magis asperitatem morum, linguæ stimulos; quàm aculeos spinarum: in his præsertim, qui in silentii vocati sunt simplicitatem, in charitatis negotium, in humilitatis scholam, & vinculum unitatis. Gilbertus s. 20. in Cant.

Silentium mater est sapientissimarum cogitationum. Ut, si balnei ostium nimis frequenter aperias, calor abit: sic nimis os loquendo aperiens, devotionem amittit. Diadochus in ascet. de perfect.

Ex lapide quidem, ac ferro, excutitur ignis; ex loquacitate verò, ac jocis, mendacium nascitur. Joan. Climacus gr. 12. de mendacio.

Loquacitas ignorantiæ certum est argumentum, mendacii opifex, compunctionis desolatio, somni præcursor. Contrà verò taciturnitas in cogitatione mater est orationis, ignis divini amoris conservatio, specula hostium, suppliciorum pictor, scientiæ adjectio. Joan. Climacus gr. 11. de loquacitate.

§. VIII.

Varia alia.

MAsma Duma, & Massa. Gen. 25. 4. Sunt nomina propria Filiorum Ismaelis. Hebræi ea conjuncta proverbialiter usurpant, dicentes: *Masma, Duma, Ramassa*. Quò significant; multa audienda, tacenda, & ferenda esse. Massa enim Hebraicè *auditum* significat; Duma *silentium*. Massa *tolerantiam*. Quod Itali dicunt: audi, vide, tace; si vis vivere in pace. Cornelius hic.

Sileat omnis caro à facie Domini. Zach. 2. 13. Sept. *timeat omnis caro à Persona Domini, Sileat à facie ejus omnis terra*. Habac. 2. 20. Sept. *Revereatur*. *Silete à facie Domini Dei*. Sophon. 1. 7. Sept. *timete*.

Si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium. S. Bernardus ep. 1.

Silentiarii erant officiales intimi regis; qui quietem, & silentium in aula procurabant; ac tumultus famulorum, rerumque omnium, compescebant, nè regis aures obtunderent. De quibus Justinianus c. de silentiariis, & Procop. l. 2. belli Persici. Cornelius in Eccl. 2. 5.

Fuere inter Palatinas dignitates silentiarii: qui silentium, & quietem, populo invicebant; tum majores, qui senatores erant, & secretis præerant Imperatoris, inter Clarissimos numerati. Bollandus 23. Jan.

Loquendi magistros habemus homines, tacendi deos. Plutarch. libello de garrulit.

§. IX.

Silentium in calumniis, ærumnis, injuriis.

Exemplum Christi.

JEsus autem tacebat. Matth. 26. 63. Benè tacet, qui defensione non indiget. Ambiat defendi, qui metuit superari; festinet loqui, qui timet vinci. Christus autem, cùm condemnatur; & superat: cùm judicatur; & vincit. S. Ambros. s. 49. de accusato Dom. apud. Pilat. Taceat lingua necesse est, ubi ipsa veritas sibi adest. Scivit enim Salvator; quomodò silendo vinceret; quomodò non respondendo superaret. S. August. s. 118.

Et convenientia testimonia non erant. Marci 14. 56. Sustinet patienter Salvator, nec ad objecta respondet. Causa innocentis magis silentio, quàm clamore agitur. Sim. Caff. lib. 13. hic.

Cùm diabolus vult rumpere silentium nostrum, statim memores simus silentii, quod Christus tenuit ante Pilatum; diabolum repellimus tacendo, auxilio Domini. Unde Ex. 14. 14. *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis*. Hugo Card. in 1. Reg. 17.

Ex Veteri.

Producant aquæ reptile. Gen. 1. 20. Cassiodorus lib. de amicitia, componit septem virtutes cum primis septem diebus creationis, unicuique virtutem unam accommodando. Diei quintæ, in qua creati pisces, fortitudinem assignat. An non aptior dies, quo ferocia animalia creata? Rt. pisces aptissimum fortitudinis symbolum, & virorum sub aquis tribulationum, injuriarum, calumniarum, contumeliarum, silentium. Verba illius sunt: furtitudo sit dies quintus, per quem in hoc mari magno, quasi pisces spirituales, procellosa fluctuum molimina toleremus; & cohibeamus linguæ lubricum sub censura silentii. Hinc Plutarchus libro de profectu ab inimicis capiendo; silentium in maledicto res gravis; & Socratica; vel potiùs Herculea.

Tradiditque Joseph in carcerem. Gen. 39. 20. Nec verbum opponit; nec querelam miscet, licèt innocens, Joseph. certus, Deum innocentiæ suæ fore defensorem. De verbis Christi D. non lego Pilatum miratum fuisse; miratus tamen de silentio. Matth. 27. 14. Alvarez Illustr. III.

Num salvare nos poterit iste? 1. Reg. 10. 27. Dicebant aliqui, electo Saul in regem. *Ille verò dissimulabat se audire*. Sylveira in Act. 28. 4.

Urget Achabus Michæam mitti in carcerem. 3. Reg. 22. 27. Regem quidem pungit oraculo. *Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus*. De sua injuria non agit, sed addit: *audite populi: omnes &c.* v. 28. Sed intermisso sermone tacet, contumeliam refutans filientio. S. Greg. ho. 18. in Evang. gloriosiùs est injuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Velloso in Judith. 6. Paræn. 1.

Si expavi ad moltitudinem nimiam & dispectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egressus sum ostium. Job 31. 34. Quidnam hoc in loco ostium, nisi os debemus accipere? Hi coguntur ostium egredi, qui pulsati contumeliis, quàm magni apud se lateant, loquentes denuntiant Dumque per impatientiam victi, quædam de se, quæ nesciebantur produnt; tanquam per oris ostium egrediuntur. Unde B. Job dicturus, quòd oris ostium non fuisset egressus; benè præmisit, tacui &c. S. Greg. mor. in Job hic.

Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversùs me. Ps. 38. 2. Ut coronaretur triumphis, abstinendum verbis censuit. Aptior militum latera ambientium custodia, quàm oris taciturnitas contra inimici astultus videbatur; & David totus est in oris silentio. O benè! quia egregiis factis est opus, David licentioribus parcit; linguam frænat, ut manus roboret. Naxera in Jos. 7. §. 10.

Cùm se subduceret David ab oculis Saul, & fugam meditaretur, huic celebri fugæ occinit Ps. 55. præfixo hoc titulo: *in finem pro populo, qui à Sanctis longè factus est*. Sanct. Hieronymus legit: *Victori pro columba muta*. Glossa hic: columba, quia fuit sine felle amaritudinis: quia Saulem, persequentem ad mortem, bis salvavit à morte. Vatablus hic. David columbam taciturnitatis, & mutam appellat; quod Dei voluntati omnia commiserit; nihil suis adversariis respondens. Arcones in Is. 2. 4. Disc. 3.

Exaudivi te in abscondito tempestatis. Ps. 80. 8. Quando non palam tribulationem circumfers, ut solatia mendices ab hominibus; tum à Deo audiris: qui cum iis versatur, à quibus ærumnæ in sinu continentur; nec auribus hominum, oculisve patefaciunt. Oliva l. 12. Strom. §. Paratum cor meum.

Et gloria ejus est iniqua prætergredi. Prov. 19. 11. Scut peregrini, dum in longinquam regionem abeunt; ibi à pueris, & incolis, subinde ridentur, ac probris impetuntur, ob peregrinum habitum, linguam, & mores: isti tamen scientes, se esse peregrinos, omnia illa dissimulant; & taciti, quasi ad se non pertinerent, prætergrediuntur; ac suo itinere pergunt, anhelantes ad optatum viæ terminum. Sic sapiens, sciens se peregrinum in terra, civem verò cœli, & domesticum Dei; omnesque injurias, probra, & adversa, prætergreditur; dissimulat, non curat; quasi ad se non pertinerent; dixitque *ego tanquam surdus non audiebam &c.* Ps. 37. 14. Cornel. hic.

Percussit Phassur Jeremiam Prophetam, & misit eum in nervum. Jerem. 20. 2. Advertenda Prophetæ patientia; quòd missus in carcerem tacet, & silentio vincit injuriam. Sanct. Hieron.

Ponet in pulvere os suum. Thren. 3. 29. Quod ait, juxta aliam interpretationem, dabit *in sepultura os suum*, vel *in fossura*; ostendit patientiæ taciturnitatem, ut, tanquam sepultos, non loquatur: immò quodam virtutum aggere obstruat vocem; nè doloris emittat querimoniam: ut vocem ipsam velut quodam busto, ac tumulo, sepeliat, atque includat; quam nulla extorquere, nullaque excitare possit injuria. S. Paschasius hìc. Thodoretus hìc: *ponet in pulvere os suum*, hoc est, in terra. Tacebit scilicet, & animo generoso feret convitia, & probra; perinde, acsi haberet os plenum terra. S. Ambros. in Psalm. 118. Octon. 10. in littera Jod legit: *dabit in sepulturam os suum*. Non quocumque pulvere patiens oppilabit os suum, sed terra sepulchri, se existimans Mundo mortuum, & tumulatum, cùm audit convitia. A mortuis accipit silentii, & patientiæ documentum. Arcones in Is. 2. 4. Disc. 2.

Flens suspexit ad cœlum. Dan. 13. 35. S. Ambros. offic. l. 1. cap. 3. est magnum, & negotiosum silentium; ut erat Susannæ: quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo: nec ullum majus indicium suæ castitatis invenit, quàm silentium. Conscientia loquebatur, ubi vox non audiebatur: nec quærebat pro se hominum judicium, quæ habebat Domini testimonium.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Beati mites. Matth. 5. 4. Et mutitas corporis ex defectu naturæ; nec non ex voluntate se mutum aliquis facit; cùm sectatur sacra silentia ex amore virtutis; Spiritu Dei actus, intendit, & vacat, sanctæ taciturnitati. Sic est & mititas in similitudinem mutitatis; qua se homo mutum facit; non habens ad opprobria, & ad convitia, & ad quælibet maledicta, redargutionem, aut repunctionem. Sim. Caff. lib. 10. hic.

Utique homicida est homo hic. Act. 28. 4. Audiebat Paulus calumniam; tacet tamen: quia, ut ait S. Gregor. hom. 18. in Evang. gloriosiùs est, injuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Sylveira hic.

Contumeliam iratus intulit; vince, & amove silentio malum. Certè, si despexeris, acrius illum vindicas. S. Basilius hom. de ira.

Fatigetur improbitas patientia mea; plus improbum illum cædis sustinendo. Tertull. de pat. c. 8.

Nihil minus virile, nihil muliebrius est; quàm robur in lingua habere. S. Chrysost. hom. 31. in Acta Apost. Convitiatus est quispiam? vituperavit? Tu claude os tuum: si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus, quando è regione, & directè duæ januæ appositæ sunt, & flatus vehemens irruerit; si alteram clauseris, & respiratio prohibita fuerit; quomodo nihil valeat efficere flatus; sed plurimum de robore illius præcidatur. Ità & hìc. Duæ sunt januæ: os tuum, & os illius, qui te vituperat, & probro afficit. Si tuum occluseris, & spirationem non dederis; omnem flatum istum extingues: si verò aperueris, effrænis reddetur. Sanct. Chrysost. hom. 10. in c. 5. ad Thessalonic.

Si quis te reprehendit propter rem aliquam, quam fecisti, vel non fecisti; si taces, Jesu te similem præbes. B. Isajas Abb. or. 8.

In spirituali prœlio, cùm inimicus perictus ira; plenas conviiis, & maledictis, vociferationes profundit, tempus est silentii: silendo vinces. S. Diadochus l. de perfect. cap. 10.

Ciconia Symbolum eorum, qui multa patiuntur. Hæc enim avis serpentes devorat, & illis pascitur; sed linguam non habet. Tuffo in Eccl. 1. 29.

TITULUS XXIV.

SIMPLICITAS.

§. I.

De Simplicitate opposita astutiæ, amatur, docetur à Deo &c.

Ex Veteri.

EGressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysis, *obtulerunt mente promptissima, atque devota, primitias Domino &c.* Ex. 35. 20. Postea *principes obtulerunt lapides onychinos &c.* ib. Nota, humilis plebs, & celeritate, & voluntate, suos principes ad religionem anteivit, priùs enim obtulit, & mente promptissima, ac devota; quod in principum oblatione non exprimitur. Mendoza in 1. Reg. 6. 5.

Quem videns asina junxit se parieti, & attrivit sedentis pedem. Num. 22. 25. Non vates Balaam, sed asina, angelum Dei videt. Cœlestia & divina, non dedignantur rudes, & simplices: dedignantur profanos sapientes; quibus amiciora sunt, & chariora mundialia, & dæmoniaca. Baeza t. 3. l. 14. cap. 2. §. 9.

Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ? & volabo. Psalm. 54. 7. Cur non potiùs aquilæ? cùm hæc multò altiùs, & velociùs, quàm columba volet? Columba typus est simplicitatis: *estote simplices sicut columbæ*, ad volandum in altum, non pennas aquilæ, id est, superborum, petit; sed columbæ, humilium, simplicium. Sylveira in Matth. 16.

Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani. Psalm. 103. 16. S. August. hìc: satiata sunt priùs ligna campi; priùs humiles satiati sunt; deinde etiam cedri Libani, sed quas plantavit ipse.

Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. Prov. 30. 28. Cur tam alta occupat stellio pennis orbatus; quando plures aves in dumetis nidificant? S. Gregor. mor. lib. 6. cap. 5. plerumque aves, quas ad volatum penna sublevat, in vepribus resident: & stellio, qui ad volandum pennas non habet, nitens manibus ædificium regis tenet. Quia nimirum sæpe ingeniosi in pravis actionibus remanent: & simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda mœnia virtus operationis levat. Stellio igitur, *dum manibus nititur*, in regis ædibus moratur: quia illò simplex per intelligentiam recti operis pervenit; quò ingeniosus minimè ascendit.

Oculi tui columbarum. Cant. 4. 1. Cur oculos columbinos laudat? si perspicaciam celebrat, cur aquilæ non comparat? quia ad ipsum contemplandum, & mysteria ejus cognoscenda, non prævalet acies aquilæ, sed simplicitas columbæ. Sylveira in Joan. 7.

Ex Novo.

Et procidentes. Matth. 2. 11. Flectant genua Mundi sapientes ante puerum parvulum; ut omnis Mundi sapientia ante Christi simplicitatem incurvetur. Sim. Caff. l. 1. c. 15.

Et circuibat Jesus totam Galilæam. Matth. 4. 23. Perambulat oppidula, & vicos: quia in his locis major necessitas cœlestis doctrinæ; quàm in civitatibus, ubi sunt multi Doctores. Sylveira hic. q. 1.

Cùm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Matth. 8. 1. Nota cum S. Chrysost. hom. 26. Euthymio, &c. quod turba sequatur; quæ erat erga Christum devota; non autem principes, scribæ & Pharisæi. Nam hi, sua falsa scientia inflati veram, & solidam Christi sapientiam spernebant. Sylveira hic.

Quem dicunt homines esse Filium hominis? Matth. 16. 13. Theophylactus: non interrogat, quem me dicunt Pharisæi? sed *homines*? de simplici multitudine dicens. Luc. 9. 18. scribit: *quem me dicunt esse turbæ*? Interrogat de simplicibus: hi enim valde apti ad divina Mysteria ediscenda. Sylveira hìc. q. 3.

Tu es Christus Filius Dei vivi. Matth. 16. 16. Quò tendunt longissimæ studiorum noctes? quo tanta frequentia populi, & sapientiæ lumina? quando rudis Piscator, sapientibus oculatior, abstrusa divinitatis dogmata manifestè insinuat. Baeza t. 3. l. 14. c. 2. §. 9.

Omnis turba veniebat ad eum. Marci 2. 13. Dum omnem turbam ad eum venisse scribit, qui illum sequebantur; non Scribas, aut Pharisæos, extitisse insinuat; sed homines simplices; omnisque fuci, & astutiæ, expertes; nec non sano, incorruptoque judicio præditos. Victor Antioch. hìc.

Est pastores erant in regione. Luc. 2. 8. Tres pastores erant sicut & Magi tres, ut Beda habet lib. de locis sanctis c. 8. Cur ad tantum mysterium non proceres, vel regio sanguine nati sed viles homines, assumuntur? quia pastores sunt homines simplices sine dolo; quique veritatem fucare non solent; & ideò valde apti ad fidem eis dandam. Prov. 3. 32. *cum simplicibus sermocinatio ejus*. Sylveira hic. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, quòd vilis sit persona pastorum. Certè quò vilior ad prudentiam, eò pretiosior ad fidem. Non gymnasia, choris referta sapientum; sed plebem Dominus simplicem requisivit; quæ phalerare audita, & fucare, nesciret. Sanct. Ambros. l. 2. in Luc. Ob id quoque, præ cæteris, pastoribus his beneficium hoc obtigit: quia præ cœteris simplices erant, dolique expertes. Titus Bostrensis.

Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11. 27. Illa doctrina Christi, quæ præcessit, non in malevolis scribis, & Pharisæis; sed in una simplici, & devota muliere fructum edidit. Clamat de turba: mulier enim plebeja erat. Sylveira hic.

§. II.

De simplicitate opposita duplicitati; & simulationi.

Ex Veteri.

CUr precepit vobis Deus? Gen. 3. 1. Cur dæmon, cùm callidè cupiebat Evam vincere, non in columbæ mansuetæ specie, sed in colubri formidabilis, paravit insidias? illam citius, & libentius, quàm colubrum auscultaret. Hugo à S. Vict. venit ad hominem in serpente callidus hostis: qui, si permissus fuisset, in forma columbæ venire maluisset. Sed hoc vas sibi Spiritus S. reservavit: quia profectò dignum non erat, ut Spiritus malignus illam formam homini, odiosam faceret; in qua postmodum eidem Spiritus S. apparere debuisset. de Castillo Illat. 115.

Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino. Ex. 8. 26. Oves quippe Ægyptii dedignantur edere: quod autem abominantur Ægyptii, hoc nos offerimus: quia conscientiæ simplicitatem, quam sapientes hujus Mundi fatuitatem putant; hanc justi Domino in sacrificium immolant. V. Beda hic.

Oculi tui columbarum. Cant. 1. 14. Sponsæ decorem sponsus maxime ab oculis dilaudat; quòd eos habeat non vulpinos, non lupinos, non vulturinos, id est, non obliquos, non fraudulentos, & simulatos, non invidos, & rapaces, spectan-

ctantes ad prædam; sed columbinos, id est, simplices, candidos, ingenuos, pudicos, rectos, amabiles, mansuetos. Sept. vertunt: *Oculi tui columbæ*; in Nominativo plurali. q.d. oculi tui adeò belli, candidi, amabiles, sunt; ut non tam columbini, quàm columbæ ipsæ esse videantur. Cornelius hìc. Oculi cordis tui simplices, & mundi; atque ab omni duplicitate fallendi, ac simulandi, prorsus immunes. V. Beda l. 2. hìc.

Ego flos campi. Cant. 2. 1. id est, simplicium. Hugo Card. hìc.

Dilectus meus candidus, & rubicundus. Cant. 5. 10. En, unde sit sponsi sui laudes exorsa Ecclesia! Nam & ipsemet, decoris sui pompam explicaturus in Thabor, nullas gemmas advexit, nulla sparsit aromata; non aurum vultui, aut vesti, imposuit; unum non neglexit candorem. Matth. 17. 2. *resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix:* Gemino frontis, vestisque candore; quem è luce, & nive, hausit, pompam omnem gloriæ inclusit. Et cunctaris etiamnum in amplexum volare sinceritatis? Idem ib.

Veni de Libano-coronaberis. Cant. 4. 8. An nescis, candere præ nive Libanum? Quid porrò in candore designatur nivium, nisi animi candor ingenui? Nusquam non candet, cùm placet. *Una est columba mea, perfecta mea,* Cant. 6. 8. Oliva lib. 1. Strom.

Ex Novo.

Et simplices, sicut columbæ. Matth. 10. 16. Quid opis in conflictu simplicitas afferet pugnantibus in feras? quid columbæ. cum lupis? age, videamus, ut animi ingenuitas, & lorica, & gladius sit; eaque validiùs, quàm ferro, contra omnes hostes muniamur. Nemo Esau lupum esse negabit, & Jacob columbam; vel in utero matris conflixere. Sed ter supplantatus à Jacob Esau, modò pede retinetur, nè nascatur; modò lente in mercimonium adigitur principatus; modò patina deluditur, speque sua cadit. Et quibus pugnavit armis columba contra lupum; candore suo. Gen. 25. 27. *Factus est Esau vir gnarus venandi, Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Prov. 2. 21. *qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebunt in ea: impii verò de terra perdentur.* En, ut sua stet mole simplicitas: cùmque fugæ aptior columba videatur, quàm constantiæ; stabilitur tamen pennis in bases obduratis. Fortè, inquies, nullis oppugnatur adversariis: immò *deridetur justi simplicitas.* Job 12. 4. Et Prov. 29. 10. *viri sanguinum oderunt simplicem.* Et tamen, licèt probro sit candor, & odio; triumphat de astutia. *Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet, & simplices possidebunt bona ejus.* Prov. 28. 10. Qua freti armatura penetrabunt simplices in possessionem, prædiaque astutiæ? nulla, sed inermes ipsa simplicitas levabit. *Simplicitas justorum diriget eos; & supplantatio perversorum vastabit illos.* Prov. 11. 3. Oliva lib. 1. Strom. §. Et simplices sicut columbæ.

Talium est regnum cœlorum. Matth. 19. 14. Nè ministri Christi obnoxii essent duplicitati, & simulationi; Christus Evangelium condidit in perpetuis, sinceritatis, & candoris, pronuntiatis: modò è cœlo evocans simplices columbas; modò infantes sine dolo sibi in gremium admovens; mox suos, oves simplices vocans. *Talium est enim regnum cœlorum.* S. Hieron. lib. 3. Matth. significanter dixit, *talium*, non aliorum: ut ostenderet, non ætatem regnare, sed mores: & his, qui similem habent innocentiam, & simplicitatem, proemium repromitti. Oliva t. 2. conc. 31.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei; & non in sapientia carnali-conversati sumus in hoc Mundo. 2. Cor. 1. 12.

Ex Patribus, & aliis.

Cordis simplicitas, dies est; quam fraus non obnubilat, non obtenebrat mendacium, non obscurat invidia, non obfuscat dolus: quam lux veritatis illuminat, præsentiæ divinæ claritas illustrat. S. Gregor. in Psalm. 5. pœnitent. In quacumque die &c.

Habet & Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non novit, referire non audet; ità & Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædentibus non repugnat. S. Maximus hom. 4. in festo Pasch.

Persea. Lem: *Concordia cordis, & oris.* Fructus arboris Perseæ formam cordis repræsentat; folium autem cum lingua similitudinem habet. Plutarchus. Picinelli.

§. III.

De simplicitati opposita duplicitate, & simulatione.

Ex Veteri, & Novo.

CAin Abelem deambulatum duxit: *egrediamur foras.* Gen. 4. 8. Absolon Ammonem ad epulum lautum invitavit. 2. Reg. 13. 16. Jahel Sisaræ conciliavit somnum. Judic. 4. 19. Sampsonem Dalila blanditiis irretivit. Judic. 16. 19. Trypho Jonatham honorato hospitio excepit. 1. Machab. 12. 42. S. Chrysost. hom. 16. ad pop. decipientium maximè hoc opus est; priùs suavia proponere, quò mox inserant tristia.

Et levavit Saul vocem suam, & flevit; dixitque ad David: justior tu es, quàm ego &c. 1. Reg. 24. 17. 18. Nihilominus David tunc magis timet, & cum suis in verticem montis paulatim recedit. Cur? Carthusianus: David, & viri ejus, conjecerunt, quòd brevi eos insequerentur. Alvarez Illust. 41.

Magister, scimus, quia verax es &c. Matth. 22. 16. *Cognitas autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?* Amorem verba sonant; cor infectum est nequitia. Lyran: dum voce aures demulcet, ad scopulos trahit, ut allidat. Prov. 27. 6. *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta osculatio odientis.* Alvarez Illustr. 41.

Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei &c. Luc. 16. 27. S. Chrysol. s. 123. dives Lazarum ad domum patris sui non misericors, sed miserandus, invitat; quem toto tempore substantiæ miseratione suis incumbentem januis non excepit: & sub specie pietatis, ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus, Lazarum vult redire.

Motiva duplicitatem hanc vitandi.

Ex Veteri.

Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel. Ex. 12. 15. Cur? Abulens. abhorruit Dominus semperà mixturis.

Arum tuum non seres diverso semine &c. Levit. 19. 19. Voluit DEUS hac ceremonia, scilicet simplicitate seminis, & vestis, quàm duplicitate, ut simplicitatem commendaret in omni re. Deus enim, cùm sit simplicissimus, amat simplicia; & adulterinas mixtiones, sive carnis, sive spiritus in suo cultu odit, & vetat. Ità Theodoretus apud Cornelium hìc.

Non indueris vestimento, quòd ex lana, linoque, contextum est. Vetat Deus Deut. 22. 11. non gestandam vestem ex lana, & lino textam. Cur? voluit nos simplices esse, & simpliciter apud proximos conversari. Oleaster hìc.

Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus. Ps. 11. 1. Qui olim ursos, & leones, laceravit, quid nunc timet ab hominibus? *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* v. 3. Euthymius: aliam intrà animum sententiam servant; & aliam verbis exprimunt. *In corde, & corde locuti sunt.* Homini Deus unum cor præbuit, illi duplex habent: ergo impii sunt. Alvarez Illustr. 41.

Verba bilinguis &c. Prov. 18. 8. Hugo Card: dicitur bilinguis, qui duabus linguis loquitur; bona hìc, mala illìc; unum in aure istius, aliud in aure illius; qui bona dicit in præsentia, mala autem in absentia.

Capite nobis vulpes parvulas. Cant. 2. 15. An ibi nullum ferum genus, exceptis vulpibus? immo pardi, & leones, & dracones, sæviebant. Cant. 4. 8. *de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cur ergo, incuria leonum, vulpes insectatur? Quia scit Ecclesia, desperatiùs lacerari viscera sua glisccente politica, quàm debacchante crudelitate. Leonum unguibus, quasi aratro proscissa, germinavit Ecclesia. Quot Martyres sub Nerone? At repentibus vulpibus nusquam Martyres; sed ubique excuculati, schismatici, hæretici, athei. Oliva l. 3. Strom. §. Collegerunt Pontif.

Sentite de Domino in bonitate; & in simplicitate cordis quærite illum. Sap. 1. 1. *Abominatio Domini est illusor, & cum simplicibus sermocinatio ejus.* Prov. 3. 32.

Susurro, & bilinguis, maledictus: multos enim turbabit pacem habentes. Eccl. 28. 15. Hugo Card. Sic serpens habet linguam bifurcatam.

Visitabo-super omnes, qui induti sunt veste peregrina. Sophon. 1. 8. Qui scilicet, interprete Hieron. in uno corpore plures gestant animos, in uno ore plures personas gerunt. Mendoza in 1. Reg. annot. 4.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Cùm gustasset, noluit bibere. Matth. 27. 34. Acetum bibitur; vinum cum felle non bibitur: non quia fel; sed quia admixtæ vino amaritudines recusantur. S. Ambros. in Luc. 23. unus autem de his &c.

Si autem nequam fuerit &c. Luc. 11. 34. Duplex corde est, qui

qui agit versutè, cum quibus loquitur, & obversatur: nam unum est in corde, aliud in ore; cum ore blanditur, cum corde decipere tentat. Sim. Cass. l. 7. c. 6.

Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia agni; & loquebatur sicut draco. Apoc. 13. 11. Hæc bestia significat insignem pseudo prophetam, principalem, & Ducem Antichristi. Sed corpus discrepat à voce. Ecce idea iniqui Magistri: præsentia agnum ostendit, ut se facilè aliis valeat insinuare; sed voce deglutit. Ansbertus: assumit agni speciem, ut draconis exerceat operationem: agnum fingit, ut agnum invadat. Sylveira addit. in Luc. 8.

Cave simulatam mentem habere ò homo, propter illum, qui scrutatur corda, & renes. S. Cyrill. Jerof. Catech. 1. Illuminatorum.

Malum est iniquitas; sed pejus est, simulare justitiam, Malum est invidia; sed pejus est, simulare amorem: Malum est superbia; sed pejus est, simulare humilitatem, &c. Semper simulator se contegit verbis; nec amico loquitur recta, decipit eum ore; ostendens amorem, quem non habet; offerens obsequium, quod facere non intendit: dicit, se gaudere de prosperis, de quibus dolet; de adversis dolere, de quibus gaudet in corde. Sim. Cass. l. 8. c. 3.

T I T U L U S XXV.

SINGULARITAS.

Motiva vitandi.

Primum.

Exemplum Christi.

T*Unc venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Joannem.* Matth. 3. 13. Transit Evangelista ab infantia Christi ad ætatem perfectam trigesimi anni; tacet autem conversationem, & opera ejus, intermedio tempore: quia communis fuit illius conversatio; & habebatur tunc sicut cœteri homines. Cajetanus hìc.

Cùm jejunasset quadraginta diebus. Matth. 4. 2. Cur elegit ad jejunandum numerum quadragesimum? Nè excessus jejunii pariat admirationem; & quid inauditum introducat. Poterat enim Christus jejunium Moysis & Eliæ transcendere: sed, pro singularitate vitanda, noluit, Sylveira hìc. Noluit Christus diutius jejunare, quàm ministri ejus, Moyses & Elias; ut singularitatem doceret vitandam. Dionys. Carth. in Luc. 4. 2.

Alii Joannem Baptistam, alii Eliam &c. Matth. 16. 14. Nemo in Jesu cernebat, quod non permanens, non veterum moribus conformatum. Baeza t. 2. l. 10. c. 5. §. 3.

Aperto ore ejus invenies sterterem. Matth. 17. 26. Pro seipso Salvator solvi voluit; nè Reipublicæ contrarius videretur, aut conturbare publicos bonos mores. Non enim spectat ad aliquem prudentem; ipsos, etiam in modico, conturbare. Placent nempe Christo mores publici, si sunt justi: nec decebat eum contentionibus deservire in allegatione juris suæ altissimæ libertatis. Sim. Cass. l. 4. c. 9. hìc.

Ut circumcideretur puer. Luc. 2. 21. Circumciditur, propter communitatis, & uniformitatis commendationem: ut nos singularitatem vitemus; nè pro peccatis nostris puniri spernamus. Dion. Carth. apud Sylveiram hìc.

Unguento ungebat. Luc. 7. 38. Nè peregrinæ adinventionis studeas superinducere novitatem. Nam & ipse, qui est Magister Angelorum in cœlo, morem in terra tenuit, quem invenit. Nec dedignatus est, terrenam servare consuetudinem: nam cur sibi caput, & pedes, unguento conspergi, mulicbri ministerio passus est? nisi quia Palæstinæ, atque Judaicæ regionis mos erat; ut ejus accolæ crebriùs ungerentur. B. Petrus Dam. ep. 106.

Post hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam. Joan. 5. 1. Celebritatem celebrat homo cum hominibus. Interlin.

Secundum.

Alia exempla. Item quàm noxia, periculosa, singularitas.

Seraphim stabant super illud. Is. 6. 2. Lucifer singularitatem affectans. Is. 14. 13. ait: *sedebo in monte testamenti.* S. Bernard. s. 5. de verbis Is. væ tibi superbe spiritus; solitudinis & solitariæ præsumptionis amator. Non stetisti in veritate, expulsus es. Pes superbiæ stare non potuit: solus sedere volens, tamquam fulgur, cecidisti de cœlo.

Cùm cœpisset mergi. Matth. 14. 30. Cur Petrus permissus est sic timere, aliquantulum mergi, & in fide refrigescere; quia poterat postulare communem modum accedendi ad Christum: ut vel ipse Dominus ad eos accederet; vel ut ejus divina virtute Apostolorum navicula ad ipsum appelleret. Sed Petrus extraordinario, non communi modo, super aquas ambulando, ad eum voluit pervenire. Etiam virtus cum singularitate periclitatur. Sylveira addit. hìc.

Jam non amplùs in æternum ex te fructum quisquam manducet. Marc. 11. 14. Cur inter cœteras arbores una maledicitur ficus? S. Ambros. ad 13. Luc. si diligenter inquiras; discretam ab usu arborum cœterarum consuetudinem naturæ hujus invenies. Namque aliæ florem ferunt, antequam fructum; pomaque ventura prænuntio sui flore designant. Hæc sola ab initio germinat poma pro floribus; in aliis flos decutitur, & poma nascuntur; in hac poma decidunt, ut poma succedant.

Ite ostendite vos sacerdotibus. Luc. 17. 14. Ama communia, vita singularitatem. Penes Sacerdotes erat judicium de lepra sanitate, & munditiæ: quod ut communissimum erat in populo, sic observandum proponitur leprosis à Domino. Baeza t. 2. l. 9. c. 5. §. 6.

Non erat cum eis. Joan. 20. 24. Semper mulctationem patitur, à communitate secerni; & communitati debita proemia singularitate gradiens non accipit. Sim. Cass. l. 1. hìc.

Romæ medicus insignis mihi assuerit, se per 28. annos variis in monasteriis medicum egisse; ac continua experientia deprehendisse: in illis miserrimos esse; corpore & animo, continuò affligi; qui valetudinis, alioque prætextu, à communi vita se subducunt; & in victu, vestitu &c. Singularia appetunt. Unde concludebat: optima morborum omnium, tum corporis, tum animi medicina est humilitas. Cornelius in Prov. 17. 19.

T I T U L U S XXVI.

SOCIETAS.

§. I.

Bona.

Symbola.

P*Hison, ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum.* Gen. 2. 11. Phison ditescit ex tellure proxima. Nilus sordescit ex nigra. Naxera in Jos. 13. §. 24.

Separate urbes fugitivorum. Jos. 20. 2. Has urbes, ad quas homicidæ, tamquam ad asylum, confugiebant, ait Philo lib. de Cain, & Abel, ad Sacerdotes, & Levitas spectasse: ut homicidæ illi consortio, & familiaritate, Sacerdotum, & Levitarum, ad pœnitentiam converterentur, & plangere peccatum discerent. Pinna Ethol. 83.

Ne forte-eradicetis simul & triticum. Matth. 13. 29. Quod triticum? ipsa Zizania in triticum convertenda. Non quia modò sunt; sed quia de tritici societate proprium exuent, & tritici ingenium induent. S. August. in Catena S. Thomæ: primo Zizania sunt & postea triticum fiunt. Itaque si avulsi fuerint (scilicet mali à bonorum collegio) simul eradicetur & triticum, quod futuri essent. Naxera in Jos. 7. §. 31.

Carbo extinctus habet emolumentum à vivis. Sicut patet 4. Reg. 13. 21. de mortuo resuscitato per societatem ossium Elisæi. Candela accensa, cum multis aliis copulata, in vento conservatur, & virga à fractione. Broymard. societas bonorum.

Solis radii derivati in vitrum ustorium. Lem: *Unius splendor incendium alterius.* Picinelli.

Carbo. Lem: *Aliis junctus.* Scilicet accenditur. Id.

Testimonia.

Ex Veteri, Novo, & Patribus.

Num & Saul inter Prophetas? 1. Reg. 10. 11. Disce, quàm utilis sit societas bonorum: hæc enim aliis suam bonitatem appricat. En tibi Saul in societate Prophetarum fit Propheta; & prophetat. Deus enim suum spiritum afflans prophetis; etiam Saulo afflavit. Cornelius hìc.

Prophetare cœperunt etiam ipsi. 1. Reg. 19. 20. Disce; quantùm valeat bonorum societas; æquè ac sanctorum virtus, & merita: nam hi nebulones, vel ministri impii Saulis inter prophetas facti sunt Prophetæ. Idem hìc.

Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno. Psalm. 143. 10. Malignus est gladius diaboli; quia dividit à bonis: benignus est autem gladius Domini, quoniam separat à malis. Cassiodorus hìc.

Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Cant. c. 15. vocatur sponsa. Libanus interpretatur candidatio. *Tota pulchra es amica, & macula non est in te.* Cant. 4. 7. Ideò non nisi fons hortorum dicitur, fons deliciarum. Gilbertus s. 37. in Cant. Plurimùm ad decorem, aut ignobilitatem conducit; quibus conversis. Extra rosas, lilia, & violas, fontem suum sponsus non finit evagari. Naxera in Jos. 13. §. 24.

Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. Eccl. 48. 11. Moraliter hìc disce, quàm salutare, & beatum sit, versari cum viris eximiis; sapientia, & Zelo, pleuis.

plenis. Hi enim suum Zelum, & Spiritum, sibi familiaribus appricant, & quasi inhalant. Ità Elisæus, & filii Prophetarum, versantes cum Elia, *ejus* Zelum, & heroicos animos, imbiberunt; & factis expresserunt. Sic, qui cum S. Paulo, & Apostolis, tractabant, eorum igneos animos induebant. Sic Isajas c. 6. agens cum Angelis, & Seraphinis, ab Angelicus, & Seraphicus, effectus est. Cornelius hìc.

Vos estis lux Mundi. Matth. 5. 14. Lux non ad seipsam, sed ad alios, est creata. Sim. Cass. l. 8. c. 16. Luci adhærentes lux esse meruerunt. S. Paschas. l. 3. in Matth. Tantum de bona societate percipitur. Sylveira hìc.

Necesse est, ut talis efficiatur homo, quales sunt, cum quibus conversatur. S. Laur. Just. de discipl. mon. conv. c. 4.

§. II.

Inter bonos malum esse, pessimum.

Ex Veteri.

ET *ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum*. Num. 25. 6. Procopius: hic scortator impudicitiæ suæ atrocitate ad justam iram provocavit Phinees: quòd videlicet in conspectu Moysis, & principum, libidinem exercuit; nihil etiam reveritus eorum lacrymas, quas ante tentorium effuderunt.

Quoniam prævaricatus est pactum Domini, & fecit nefas in Israel. Jos. 7. 15. Abul. q. 45. majori pœna mulctatus est, quàm si fecisset in alio populo; quia iste populus est Sanctior.

Posuit te in monte sancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulasti. Ezech. 28. 14. In Luciferi confusionem hoc dictum est. Magna hæc reprehensio; ut inter tot Angelos sanctos perverteretur. Diez conc. 3. in festo S. Thomæ.

Ex Novo.

Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Matth. 22. 12. S. Maximus hìc poterat minùs displicuisse, si in consortium justorum minimè se dedisset. Cur in tantis gaudiis tam rigida fertur sententia? quia convivæ reliqui pretiosis charitatis, cæterarumque virtutum, vestibus ornati erant: his se immiscere peccatorem, & talem permanere; summa impudentia est. Perrimescat Christianus Quadragesimæ præsertim tempore; cùm Fideles plerique corpora castigant inedia, flagris, & ciliciis; indulgere sibi, dedere se voluptatibus, &c. In societate enim justorum talem non esse, maximè irritat furorem Dei. Baeza t. 2. lib. 1. c. 8. conc. 3. An ignorabas, quali amictu ingrediendum esset ad convivium? Sit ità sanè. Sed cùm jam intraveras, vidisti splendida discumbentium vestimenta: nonne te oportuit vel ex his, quæ cernebas, discere? S. Cyrill. Jeros. in Præfat. Ligates pedes illius confidenter intrantis: ligate & manus ipsius; quæ splendido illum nescierunt ornare vestitu. Vides, quid tum illi acciderit; cave ergo tibi: aspice venerandum hoc Ecclesiæ institutum; circumspice ordinem, & disciplinam, scripturarum lectionem, Regularium præsentiam, & doctrinæ seriem: revereris locum, & erudiaris ex his, quæ apparent. S. Cyrillus Jeros. Præfat.

Fuit in diebus Herodis - Zacharias. Luc. 1. 5. In diebus ejus fuit Zacharias: quia semper Dominus, malis regnantibus, aliquos bonos suscitat, ad eorum malitiam reprimendam. Sic Elias tempore Achab. Hugo Card. hìc.

Erat in civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Ex aggerat facinus mulieris, ut indulgentiam accumulet Salvatoris, nam malè egisse in civitate, præsertim Jerosolymis, ut quidam volunt; ubi ad manum habebat tot adjumenta respiscendi; ubi præstò erant tot homines, tam pii, & eruditi, qui verbo, & exemplo, revocare poterant errabundam: id gravius erat; quàm si in eremi inhospita solitudine corruisset. Did. Nyss. D. 3. Pent. § 5.

Vides hanc mulierem? Luc. 7. 44. Periculosum, inter bona exempla non corrigi. Tunc Dominus Simonem reprehendit; quando inter Magdalenæ amoris plena officia, ille adhuc ingratus, & murmurator perseverat. Nam videns, à Magdalena lavari, ungi, & osculis honorari, non inde injuriæ suæ pœnitet, non verecundatur, se victum fuisse in obsequiis Christo præstandis. Baeza t. 2. l. 6. c. 5. §. 27.

Succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? Luc. 13. 7. Gilbertus serm. 27. in Cant. siculneam illam sterilem, quam Dominus jussit succidi, ferèiles de vicino vineæ condemnabant.

Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit. Act. 5. 5. Graviter punitur Ananias, ob bona exempla primæ Christianitatis, inter quæ vivebat. Sylveira hìc.

Consideremus invicem, in provocationem charitatis, & bonorum operum. Hebr. 10. 24. q. d. homines vitiosi considerent vitiosa aliorum exempla, ut ea imitentur: vos verò ò Hebræi Christiani considerate mutua Christianorum exempla charitatis, aliorumque bonorum operum; quæ vos provocent ad imitationem. Cornelius hìc.

Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. Apoc. 3. 1. Cornelius per septem spiritus intelligit Angelos Ecclesiæ Rectores per stellas Episcopos quasi dicat. O Episcope Sardensis! versaris inter sanctos Angelos, & Episcopos: pudeat ergo te unum, non sanctè vivere! pudeat te officium Episcopale; in quo alii fervent, & diligentes sunt, negligere. Sylveira hìc.

Habes pauca nomina in Sardis. Ib. 4. S. Bernardinus: pauci proponuntur Episcopo; ut exemplo eorum benè viveret. Et Richardus à S Vict. cùm mortuus fuerit per peccatum, dicitur ei, quòd habeat aliquos in Ecclesia sua innocentes. eorum exemplo tu munda conscientiam tuam; nec patiaris te à subditis tuis sanctitate vinci.

Ex Patribus, & aliis.

Erranti homini data est lex, erranti verò etiam sub lege adducitur testimonium eorum, qui extra legem sunt: ut, quia conditi, conditionis nostræ ordinem servare noluimus, præceptis admoneremur: & quia præceptis obedire contempsimus, exemplis confunderemur: nec, ut dictum est, eorum exemplis, quos lex astringeret; sed quos lex à peccato nulla cohiberet. Circumscripsit nos divina providentia, circumvenit excusationem nostram; undique conclusus est aditus tergiversationis humanæ. Homo Gentilis, homo sine lege, ad medium adducitur: ut eorum, qui sub lege sunt, pravitas confundatur. Quòd benè per Prophetam, ac breviter dicitur: *erubesce Sidon; ait mare*. Is. 23. 4. in Sidone quippe figuratur stabilitas in lege positorum; in mari autem vita Gentilium. *Erubesce* ergo *Sidon, ait mare*: quia ex vita Gentilium redarguitur vita sub lege positorum; atque ex actione Sæcularium, redarguitur vita Religiosorum. Sanct. Grægor. in Job Præf. cap. 2.

Vir erat in terra Hus. Job 1. 1. &c. Idcirco sanctus vir ubi habitaverit, dicitur: ut ejus meritum virtutis exprimatur: Hus namque quis nesciat, quòd sit terra Gentilium? Gentilitas autem eò obligata vitiis extitit, quò cognitionem sui conditoris ignoravit. Dicatur itaque, ubi habitaverit; ut hoc ejus laudibus proficiat, quòd bonus inter malos fuit. Idem hìc.

Quemadmodum justus lætificat cor innocentium, cùm videtur; ità & improbi justorum cognitione torquentur: quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas nocentem, avaritiam liberalitas, impietatem fides. S. Ambros. s. 10. in Ps. 118.

Si ad boni incitamentum divina, quibus admonemur, præcepta deessent pro lege nobis Sanctorum exempla sufficerent. S. Isidorus l. sent. 2. c. 11.

Infelix planè, qui quidam inter lilia positus sanctæ congregationis, ubi variæ undique virtutes redolent, nihil tamen suave, nil liliorum simile novit odorare. Gilbertus s. 28. in Cant.

§. III.

Societas mala.

In ea permane probus.

Symbola.

VAdam, *& videbo visionem hanc magnam*. Ex. 3. 3. Visiones vidit Isajas, Ezechiel, Daniel, Abraham, Jacob, at invenies, nulli earum concessum nomen *magnæ*; tametsi valde reconditæ, & admirabiles fuerint. Cur ergo sola visio Moysis dici meruit *magna? videbat, quòd rubus arderet, & non comboreretur*. Did. Nyss. Phœn. Græc. l. 1. c. 13.

Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua est populus meus; ut non sint ibi musca. Ex. 8. 22. *Gessen* est *propinquitas*, inquit Glossa interlin. Terra enim Gessen vicina erat, & finitima illi, in qua barbarus Rex degebat. Quòd verò tota Ægyptus infecta fuit muscis, & tam contagiosæ pestis nihil redundavit in terram Gessen, proximè vicinam; hoc tale erat, ut meritò diceret Dominus: *faciam mirabilem &c.* Id. ib.

Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris. Ex. 14. 22. Et tu, si filius Israel es, potes ambulare per siccum in medio maris si fueris in medio nationis pravæ: sicut lumen solis continens verbum vitæ ad gloriam. Orig. hom. 6. hìc.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Sic debet Ecclesia timere malorum cohabitationem, sicut lilium spinarum circumvallationem: quanto enim periculo lilium est inter spinas, tanto discrimine vivitur inter malos. Hugo Card. hìc. Non mediocris titulus profectò virtutis, inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem. S. Bernardus s. 48. Spina falsus frater pina vicinus est malus. Idem ib. O candens lilium! ò tener, & delicate flos: increduli, & subversores sunt tecum vide, quomodo cautè ambules inter spinas. Naxera in Jos. 14. §. 22. Procedit nunc filiarum Babylonis in medio chorus: quid eas dixerim? nisi vepres, & spinas? quot curis punguntur, quot solicitudinibus discerpuntur, quantis libidinibus ulcerantur? in harum medio sponsa (puritas) nascitur, & versatur? velut rosa vernans inter spinas, & ab illarum punctionibus aliena. Sanct. Thomas Vill. cap. 2. in Cant. Cum fœno, cum silice, cum dumis, aconito, viret flos in campo. Et cùm undique, aut noxiis, aut decoloribus, stipetur oleribus; suum ipse & colorem servat, & pudorem: nec à silice vilitatem ebibit, nec cum dumis pungit, nec à cicuta venenum fugit. Sic Noè inter impios pius Joseph pudicus cum nefariis, non solum dominabus, sed etiam fratribus: sic Samuel inter filios Belial, Dei filius, & minister, adolevit. Ità Bernardus inter aulicos Monachus, cum regibus abjectus, floruit, plenè ad Job exemplum, *frater draconum, & socius struthionum*. Job 30. 29. Oliva lib. 4. Strom §. Ego flos campi.

Quæ est ista, quæ ascendit &c. Cant. 3. 6. Si laudabile est, ascendere qualitercumque; laudabiliùs tamen est, ascendere per desertum; ubi sunt spinæ, & impeditiva: quia summæ laudis est, benè conversari in medio nationis pravæ. S. Th. Aqu. hìc Lect. 1.

Calathus unus ficus bonæ habebat &c. Jerem. 24. 2. Vidit in templo duos calathos plenos ficis: & unus habebat *ficus bonas, bonas valde*; & alter *malas, malas valde*.

Serpentes tollent. Marci 16. 17. Serpentes tollit, qui diabolicas suggestiones, & venenatas tentationes supplantat. *Mortiferum* sine nocumento bibit, cui omnia, etiam mala, præparantur in bonum; vel qui aliorum pravis exemplis non inficitur, nec pervertitur cum perversis. Dion. Carth. hìc.

Exempla, & Testimonia.

Ex Veteri.

Noè vir justus. Gen. 6. 9. Cogita, obsecro, quantæ virtutis fuerit ille justus; quomodo in tanta multitudine, quæ multo impetu in malum ruebat, solus ipse diversa ambulavit via, virtutem malitiæ præferens. Justus, quasi scientilla in medio mari, versans, non solùm non extinctus est; sed quotidie fulgidiore luce prodibat. S. Chrys. ho. 22. in Gen. *Noè vir justus*. Magni meriti, præconium illi est, in tanta plenitudine, sive, multitudine, cœlestis iræ gratiam invenisse: eò quòd justus, atque perfectus fuerit in illis talibus, tamque corruptis generationibus suis. Rupertus c. 16. in Gen.

Loth in Sodomis pius valde. Gen. 19. Verè admirari licet vehementer justi hujus virtutem; quòd conversans in medio tam impiorum, non solùm non fuit indè negligentior factus, sed & majorem virtutem præstulit: & cùm omnes, ut ità dicam, in præceps ruerent; ipse solus in tanta multitudine rectè ambulavit viam. S. Chrys. hom. 43. in Gen.

Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies. Ex. 23. 2.

Porrò filii Heli filii Belial. 1. Reg. 2. 12. Et nihilominus, cum abominationes eorum pessimas in longum facer textus recensuisset tandem ait: *Samuel autem ministrabat &c.* O puerum, non puerum! ò puerum viris parem immò senibus grandiorem! ab ubere transit ad tabernaculum & ibi, cùm incidat in filios Belial, non recedit ab aris, ut impios evitet; nec recedit à proposito, ministrandi Domino. Oliva l. 10. Strom. §. Puer autem erat minister. Samuel apud Heli permanebat, & simul cum filiis ipsius versatus est: illi ceciderunt; hic autem salvatus est: quia in veritate dilexit Dominum. S. Ephrem Paræn. 31.

Puer autem Samuel ministrabat ante faciem Domini. 1. Reg. 2. 18. q. d. inter sentes, & lappas viola germinavit: inter vultures pullus turturis à suo gemitu non cessavit. Vides margaritam? non in lacte concrevit, sed in æquore. Oliva ser. 4. D. 1. Quadr.

Cum irent omnes ad vitulos aureos - hic solus fugiebat consortia omnium. Tob. 1. 5.

Vir erat in terra Hus nomine Job. cap. 1. 1. Columba in medio accipitrum, ovis in medio luporum, stella in medio nubium, lilium in medio spinarum, germen justitiæ in oppido iniquitatis. Sanct. Chrysostomus hom. 2. de patientia Job Dicatur, ubi habitaverit? ut hoc ejus laudibus proficiat; quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valdè laudabile est, bonum esse cum bonis sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est, inter bonos bonum non esse; ità immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse. Sanct. Gregorius hìc. Erat tamquam rosa inter spinas, tamquam lilium inter tribulos, candidus, ac rubens: candidus fide, ac sanctitate; rubens velut rosa plane; quia sustinuit dolores, ac passiones. Erat tamquam columba inter raptrices aquilas; tamquam agnus in medio luporum diripientium tamquam stella in medio nubium terrimarum. Cùm inter tales esset, non talis fuit, quales & illi. Orig. l. 1. hìc.

Frater fui draconum, & socius struthionum. Job 30. 29. Id est, habitavi cum superbis, & dolosis & tamen ab illis nihil mali didici. De Ponte in Cant. 2. Exh. 22. §. 3.

Quasi stella matutina in medio nebulæ - quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ. Eccl. 50. 6. 8. de Simone Oniæ filio Sacerdote magno.

Ascendet sicut virgultum coram eo; & sicut radix de terra sitienti. Is. 53. 2. En ratio germana germinandi vel in sabulo; *coram eo*. Non fœnum, sed *virgultum*, ascendet etiam de terra arida. Oliva l. 10. Strom. §. Puer autem erat minister.

Ut doceret eos literas, & linguam Chaldeorum. Dan. 1. 4. Tres illi pueri, ac Daniel, curiosam, & supervacaneam disciplinam minimè didicerunt. Hinc liquet; quòd hic leonibus, illi autem igni, venerationi fuerunt. S. Isidorus Pelus. lib. 3. ep. 139. Cùm hi sancti pueri cum aliis de semine regio ducti essent in Babylonem; constituit eis Rex Magistrum, *ut doceret eos &c.* à moribus tamen eorum non inquinati. Sylveira in Act. 13. 1.

Cadentes omnes populi, tribus, & linguæ; adoraverunt statuam auream. Dan. 3. 7. Postquam ceciderunt omnes, & victi sunt; tunc in medium pueri soli aguntur: ut sic quoque victoria fiat clarior; cùm in tanta multitudine ipsi vincant, & prædicentur. Hoc autem maximum, & admirabile est; quòd cadentium multitudo ipsos non terruit, non solvit. S. Chrysostomus hom. 4. de patientia ad pop.

Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt - ego, & filii mei, & fratres mei, obediemus legi Patrum nostrorum &c. 1. Machab. 2. 19. 20.

Ex Novo.

Tu es Petrus. Matth. 16. 18. Publica voce Profitetur Petrus Christum *Filium Dei*; Unde à Domino laudatur. Nathanael etiam fatetur Christum *Filium Dei*: *Rabbi, tu es Filius Dei*. Joan. 1. 49. Et tamen à Domino non laudatur. Respondet. S. Chrysost. hom. 55. in Matth. Nathanael id facit, quando odium Pharisæorum nondum erat exacuatum in Christum: At Petrus fatetur Filium Dei, quando in Christum sæviebant. Sylveira in Matth. 5. q. 10.

Turba autem increpabat eos, ut tacerent. Matth. 20. 31. Turba ipsa, quæ cum Domino est, compescebat clamorem, prohibet clamantes. Clamant illi, nec deficiant; neque ducantur quasi authoritate turbarum. Non dicant; quomodo isti vivunt tam multi, sic vivamus. Quare vis vivere secundùm increpationem turbæ prohibentis, & non secundùm vestigia Domini transeuntis. S. August. s. 18. de Verb. Dom.

Reus est mortis. Matth. 26. 66. Josephus ab Arimathia inter septuaginta duos Senatores confederat; qui omnes in Christi caput pronuntiarunt, *reus est mortis*. Solus dixit sententiam, non est reus mortis: *non enim consenserat consilio, & actibus eorum*. Luc. 23. 51.

Manahem, qui erat Herodis collactaneus. 13. 1. Theodoretus legit: *educatus*. Theophylactus: Manahem, qui erat cum Herode educatus. Ecce tibi mores uniuscujusque, non à pueris educatio, salvos facit. Herodes quidem pessimus; Manahem munus Prophetæ consecutus.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? 2. Cor. 11. 29. Non dicit, ego non scandalizor, Joan. Cluniac. s. 2. in Dom. Sexag. prudenter sociat se Apostolus infirmitati alienæ, & non scandalo; sed dicit, quòd uritur, quando alius scandalizatur. Ratio hujus est: quia homo cupidus lucri libenter se sociat lucro, & non damno.

Scio, ubi habitas: ubi sedes est Sathanæ; & tenes nomen meum &c. Apoc. 2. 13. Ansbertus: ò quàm magna laus electorum est, quòd inter malorum pravitatem boni persistant; quòd inter bestiarum sævitiam, agni innocentiam custodiant; quod inter accipitrum venandi astutiam, columbæ simplicitatem retinent; quòd inter spinarum punctiones odorem floris emanant; quòd inter peccatorum tenebras luce justitiæ splendent.

Ex Patribus, & aliis.

Quantum boni virtus habeat, vitia demonstrant: clariusque fit lumen comparatione tenebrarum. S. Hieron. ep. 46. ad Rusticum. Bene agere inter virtutis hostes, & inter eos, qui virtutem prohibent; majus semper virtutis pondus testatur. Sanct. Chrys. hom. 23. in Gen.

Si quis est, aut esse creditur, fluvius per mare dulcis fluens; aut animal in igne, quo omnia consumuntur, saliens: hoc ipsi inter æqualium greges eramus. S. Gregor. Naz. orat. 20.

Inter bonos bonum esse, salutem habet; inter malos verò, & laudem: illud tantæ felicitatis est, quantæ & securitatis: hoc tantæ virtutis, quantæ & difficultatis. Sanct. Bernardus ep. 25.

Palpabant quondam tenebras Ægyptii; cùm tamen de populo Dei scriptura dicat: *ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat*. Ex. 10. 23. Quæ tanta gloria? quàm dicere posse, *cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus*. Psalm. 119. 7. Id. ib.

Angelorum virtus est, vivere cum vitiosis; nec eorum corrumpi vitiis. Guigo consid. de tranquill. an. c. 16.

§. IV.

Societas mala nocet, pervertit.

Symbola.

Et vidit Deus lucem, quòd esset bona. Gen. 1. 4. Laudatur in prima sui creatione. *Et divisit lucem à tenebris.* S. August. l. 10. de Civ. c. 80. non hoc loco additum est, & vidit Deus, quòd esset bona. Illud consortium cum tenebris nocuisse videtur luci; ut jam illam gratiam non videatur habere, quam habebat à principio. Jam tunc Deus, juxta præscientiæ suæ gratiam, divisit justos, id est, filios Dei, & filios lucis, à peccatoribus, tamquam à tenebris: istos vocans diem, illos noctem. S. Isidorus hìc.

Creavitque Deus cete grandia - bene - dixitque eis. Gen. 1. 21. 22. Non benedixit æquè terrestribus animantibus, ac aquatilibus. Serpentis consortium tanti damni causa. Sylveira in Matth. 22. q. 27. Glossa hìc: an ideo fortè animalibus sexta die non benedixit Deus; quia inter ea erat serpens; cui post paululum ipse erat maledicturus. Vel unius serpentis aliquando maledicendi vicinia impedimento fuit, quin reliqua animantia benedicerentur, licèt munda, Deo grata, hominibus jucunda. Si in communitate aliqua serpens fuit, in causa erit, ut tota communitas, licèt justorum, divina careat benedictione. Alvarez Illustr. 198.

Est civitas hæc juxtà, ad quam possum confugere. Gen. 19. 20. dicebat Loth Angelo. Postea tamen, cùm jam civitates deflagrarent, civitate illa relicta, montem conscendit: *timuerat enim manere in Segor.* Gen. 19. 30. Cajetanus: ratio timoris fuit; nè flamma accensæ planitiei extenderetur ex Segor. Et rationabilis fuit timor, propter propinquitatem ad terram ardentem. De improbo vicino sæpe totus vicus obturbatur; mulier impudica amplæ domus inquilinos infamat. Vesuvii vicinitas sic arvis noxia, ut cineribus marcescant. Ardor alienus, si non adurit, obfuscat. Naxera in Jos. 13. §. 24.

Invenitque eum vir errantem in agro. Gen. 37. 15. S. Ambros. l. de Joseph. c. 3. non immeritò errabat, qui quærebat errantes. q. d. vel pia intentio associandi se errantibus fat est inducere in errorem. Castillo: Illat. 14.

Non arabis in bove simul, & asino. Deut. 22. 10. Bos juxta legem, animal est mundum; quid utiliter cibis, & sacrificiis, servit: asinus immundum quod lex à sacris arcet. Mala societas vitanda. Pinna Ethol. 23. 7.

Misit Adonisedec Rex Jerusalem ad Oham regem Hebron &c. Jos. 10. 3 Quàm infaustus fœderis hujus eventus! *conturbavit eos Dominus à facie Israel, contrivitque plaga magna in Gabaon.* v. 10. Miseram subjerunt reges stragem; quia improbum amicum sortiti. Naxera in Jos. 10. §. 26.

A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum. Jos. 13. 3. Unde turbidus? Tostatus q. 4. cùm creverit, implet terram; & totum alveum pulvere, & luto commaculat.

Pereat dies, in qua natus sum; & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Job 3. 3. Orig. l. 3. in Job Porrò, quando natus es, ò beate Job? per diem? an per noctem? Si in die natus es, nocti quid irasceris? ℟. ubi dies, illic & nox & quod diei, hoc etiam nocti. q. d. diuturna conjunctio noctis, & diei, inseparabilem utrique maledictionem præstitit. Castillo Illat. 14.

Aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. Ps. 148. 4. 5. Juxta Sanct. Augustinum, supra cœlos veræ aquæ. Passim dicitur, planetam Saturnum esse frigidissimum. Quæritur ergo, ait Sanct. August. de Gen. ad lit. cap. 3. unde frigida sit, quæ tantò debet esse ardentior, quanto sublimior, & cœlo propinquior? ℟. facit frigidum aquarum supercœlestium frigiditas. Videte, quid consortium operetur. Stella enim, quæ tantò debebat esse ardentior, quantò sublimior, quòd propè habeat frigidas aquas, friget, & algeat. Did. Nyss. D. 13. Pent. §. 2.

Citiùs exiguum vitium uberrimè largissimèque cuipiam impertiri queat, quàm vel copiosissimas virtutes parcè communicari. Nam & exiguum absinthium amarorem suum melli celerrimè impertierit; mel contrà nè duplo quidem majus dulcedinem suam absinthio infuderit. S. Gregorius Naz. or. 21.

Cypressus - Lem: *Nil mihi volisenum est.* Dioscorides tradit, cypressum ob suam acrimoniam: tineas repellere: deoque olim ex iis simulacra fiebant. Picinelli.

Laurus. Lem: *attrita concipit ignem.* S. Cyprianus de spectac. vitiorum exempla expugnant animam, impellunt, immutant, transformant. Miraculo erit, inter incendia, vel non consumi; vel certè non calescere. Picinelli.

§. V.

Testimonia.

Ex Veteri.

Elegit sibi Loth regionem circa Jordanem; & recessit ab Oriente. Gen. 13. 11. Electionis pœnas paulò post dedit; qui non indigenarum virtutem, sed regionis attendit fœcunditatem, armati irruunt hostes. Lothque facultatibus spoliatum captivant. Gen. 14. 11. *tulerunt omnem substantiam.* Naxera in Jos. 10. §. 26.

Noli timere Abraham: ego protector tuus sum. Gen. 15. 1. Indiguit Abraham protectione divina: quoniam in medio idololatrum, ac pessimorum, tunc morabatur; nè cum perversis perverteretur. Dion. Carth.

Egressique sunt Moyses, & Aaron. Ex. 8. 12. naturi exeunt à Pharaone: quia commendabilem reddit orationem sequestratio à malis. Hugo Card. hic.

Usurpaverunt de anathemate. Jos. 7. 1. id est, de spoliis Jerichuntinis; quæ anathemati, id est, exitio, & incendio, à Deo erant addicta. Nota: unus Achan id fecerat: illius tamen unius peccatum toti corpori tribuitur. Ut ostendatur, quantum valeat bona, vel mala societas; in qua vitiorum, & virtutum communio. Cornelius hìc.

Cum sancto sanctus eris. Ps. 17. 26. Vide quàm multa necessaria, ut sis sanctus & perfectus & te multorum innocentium, & electorum, societate indigere, ut sis electus; cum dicit, *cum Sancto, cum innocente, & cum electo*; hoc est: necessarium est conversari cum optimis, & valde sanctis, ut bonus, & sanctus sis? Ut autem quis malus fit; sufficit unius perversi societas. *cum perverso perverteris.* Diez Misericordia Dei.

Convertit cor eorum (Ægyptiorum) ut odirent populum ejus. Ps. 164. 25. si antea mutuo amore, & reciproco commercio, Hebræi pariter, & Ægyptii, se tractabant; quæ modo causa odii? ut scilicet, amore in odium verso, Hebræi mores Ægyptiorum abhorreant. S. Chrysost. in Psalm. 3. non datum esset à Deo odium, nisi prius malè amassent: quibus amicitia comparabat exitium, iis odium erat occasio virtutis. Alvarez Illustr. 271.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Prov. 13. 20. Majus est contagium mali, quàm vis boni: faciliùs enim affricatur, & discitur vitium; quàm virtus. Unde ovis una scabiosa inficit cœteras; unus gulosus multos. Sic modicum fellis, myrrhæ, & absinthii, totum lactis, vel vini; quin & mellis vix vitrum myrrhæ, vel absinthii, edulcoret. Cornelius hìc.

Cùm stulto nè multum loquaris. Eccl. 22. 14. Longè magis noxia est societas malorum, quàm salutifera sit societas bonorum: tum, quia ad malum procliviores sumus, quàm ad bonum; tum, quia bonum difficile est, & arduum; malum verò facile, & in promptu. S. Augustinus contra Fulgent. donat. c. 16. facilius sanctus, qui junctus fuerit genti huic pessimæ, pessimatur; quàm gens ista in melius commutetur, quia proclivius ad imitationem malorum curritur; quàm ad virtutes bonorum animus excitatur. Sicut mellis plurimo parum absinthii injectum velocem amaritudinem trahit; mellis vero, etiamsi duplum injiciatur, non poterit ejus obtineri dulcedo. Cornelius hìc.

Vir pollutis labiis ego sum. Is. 6. 4. Causam: *in medio populi polluta labia habentis ego habito.*

Ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit: hæc est impietas. Zac. 5. 7. 8. ubi dominatur impietas, mox allicit plures: *Ecce duæ mulieres egredientes - & habebant alas.* v. 9. Citò advolant ad augendam impietatem. Velloso in Judith. 7. Paræn. 4.

Ex Novo.

Excutite pulverem de pedibus vestris. Matth. 10. 14. Cajetanus: ad testificandum tali signo; quòd nihil commune relinquitur vobis cum eis. q. d. quia Discipuli Deum diligebant ex toto corde; gens verò illa, quæ eos respuebat accipere, idololatriæ dedita erat; vetantur discipuli vel tenuissimum pulverem ex inimica terra secum reportare; nè vel in pulvere communicent cum infidelibus. Castillo Illat. 13.

Mittent eos in caminum ignis. Matth. 13. 42. 43. Mox subdit, malis, remotis: tunc justi fulgebunt sicut sol. Joachimus Ab. in Apoc. 21. separatis injustis de medio justorum, *fulgebunt justi sicut sol*: quia nimirum non potest dies esse in perfecto splendore, quamdiu pars aliqua tenebrarum hujus crepusculum obscurando denigrat. Sed quomodo, discedentibus tenebris, dies clarus effulget ità, detrutis impiis in inferno, fulgebunt justi.

Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus. Matth. 14. 24. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas &c.* Joan. 21. 2. Felix piscatio. Quæ diversæ fortunæ causa? S. Ambros. ad cap. 5. Luc. non turbatur ista, quæ Petrus habet turbatur illa, quæ

quæ Judam habet. Etsi multa ibi Discipulorum merita navigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus; sed, qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caveamus igitur perfidum, caveamus proditorem; ne per unum plurimi fluctuemus.

Iterum negavit cum juramento. Matth. 26. 72. Quàm nociva pravorum colloquia. Petrus ipse inter infideles vel hominem se nosse negavit; quem inter condiscipulos jam Dei Filium fuerat confessus. Vide Bedam in Marci 14.

Modicum fermentum totam massam corrumpit. 1. Cor. 5. 6. Inde evidenter agnoscimus; etiam unum sæpissimè malum hominem, perditorem esse multorum. Salvianus de Provid. Dei lib. 6.

Ex Patribus, & aliis.

Proclivius est malorum æmulatio; &, quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. S. Hieron. ep. 7. ad Lætum.

Sicut malus aer assiduo flatu tractus, inficit corpus; perversa locutio assiduè audita infirmantium inficit animum; ut tabescat delectatione pravi operis, assidui iniquitate Sermonis. S. Greg. hom. 9. in Ezech. circa finem.

Quidvis ex rerum natura sic se habet; ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur: diversitas enim rerum numquam potest habere consortium. S. Chrysost. hom. 12. in c. 7. Matth. varios locos.

Si in civitate aliqua scis habitaturus, de aere curiosè inquiris; an non sit salubris? non temperatus? non siccus? de anima autem rationem inturus; non es sollicitus de eorum consuetudine; qui cum ea sunt congressuri; sed temetè, & inconsideratè, eam omnibus permittis. S. Chrys. in Ps. 4.

Quemadmodum qui in aere pestilenti versantur, in morbos incidunt necessariò: Sic qui temete cum quibuslibet vivunt, in vitia illorum incurrunt. S. Nilus l. ascet.

Non evadet peccatum, qui socius esse voluerit peccatorum. S. Laur. Just. de inter consl. c. 2.

Nihil æquè exitiale, nihil æquè noxium est; atque pravorum hominum consuetudo. Nam quidquid vis, aut necessitas, potest, hoc ipsum quoque valet amicitia, & familiaritas: idque tam in rebus turpibus, ac flagitiosis; quàm in honestis, & salutaribus. Victor Antioch. ad c. 9. Marc.

S. Hugo Ep. Grationop. dicere solebat: non à mulierum tantùm, sed à virorum quoque vultibus Religiosæ mentis avertendum intuitum: fieri enim, ut affectiones conspecti frequenter ad conspicientem inæstimabili velocitate pertranseant; & de irato iratus, de tristi tristis, de lascivienti fiat lascivicus. Bollandus 1. Apr.

Quærat qui sapiens est, à malis hominibus secretum. Et si aliquando expedit; potius cum animalibus, quàm cum sceleratis hominibus, exhilarationis captet compendia. Sim. Cass. l. 4. c. 4.

§. VI.

Societatem mala fugientium Exampla.

Timuit ergo Elias &c. 3. Reg. 19. 3. Non mulierem fugiebat Propheta tantus; sed sæculum. An mortem timebat, qui se obtuleat, requirenti, & qui dicebat ad Dominum: *recipe animam meam*: tædium vitæ istius sustinens, non cupiditatem: sed fugiebat sæcularem illecebram, & conversationis maculosæ contagionem. Sanct. Ambros. lib. de fuga sæculi cap. 6.

Domine, nè in furore tuo arguas me &c. Psalm. 6. 2. Quo motivo petit? *discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* v. 9. q. d. hoc te moveat ad misericordiam, quòd malorum societatem fugi. Pinna Eth. 249.

Sana me Domine. Ps. 6. 3. ubi Propheta inquisivit, quibus modis possit hanc spiritualem sanitatem adipisci, subdit v. 9. *discedite à me omnes &c.* id est, ut animæ sanitatem consequar, unum mihi faciendum reor; quo peracto omnia expedita erunt: scilicet malorum consortia vitabo. Basilius hìc: non contemnenda via ad virtutem malorum fuga: fructus enim hìc est resipiscentiæ, & lacrymarum lucrum. Pinna ib.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Ps. 6. 9. Emendationis ingreditur partem: ut, qui malorum collegio peccaverat, fugatis à se talibus, mandatis Domini devotissimus adhæreret. Cassiodorus hìc.

Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus. Ps. 11. 2. id est, cùm multi essent justi, quorum amicitia utebar, & societate: non erat ità necesse à te fulciri: nam bonorum amictus me ad pietatem adducebat. At postquam defecit sanctus, & de medio sublati viri pii; & in contubernio malorum dego: nisi gratia tua sit mihi pro fulcro; omnino decidam. Ità Basilius apud Pinna cit.

Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Ps. 25. Unde ei tanta innocentia? subdit v. 4. *odivi Ecclesia malignantium; & cum impiis non sedebo.* v. 5. q. d. id unum me in hac securitatem inducit; quod iniquorum consortia vitavi. Pinna ante cit.

Quærebat videre Jesum &c. Luc. 19. 3. Sed *non poterat pra turba.* Qui igitur vult videre Jesum, exeat de turba, vitet malorum consortia. S. Euseb. Emiss. in Dedic. Eccl.

Hoc est murus, hoc propugnaculum, hoc virtutis incrementum; malos fugere, coactum, & constipatum apud se consistere toto vitæ tempore; & ab iis, quæ corrumpunt, sejunctum habitare. S. Chrys. in Ps. 140.

TITULUS XXVII.

SOL.

Laudes.

Fecit duo luminaria magna. Gen. 1. 16. Philosophus interrogatus ab Adriano Imp. quid est Sol? respondit: cœli oculus. Docent Astronomi, solem in se continere quantitatem terræ centies & sexagesies; eumque distare à terra quatuor millionibus milliarium. Una hora percurrit unum millionem, centum quadraginta millia milliarium. Cornel.

Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Ps. 18. 6. Sol Hebræis *scemes*, hoc est, *sponsus*, dicitur: terræ videlicet, quàm amat, & fœcundam reddit. Doultreman l. 1. capit. 1. sect. 4. Ipse pulcher est, ut sponsus, velox, & ingens, gigantis instar. Oculis lucem ipse largitur, ut menti Deus. Rerum, quæ sub sensum cadunt, omnium Sol pulcherrimus est, ut Deus eorum, quæ mente percipiuntur. S. Greg. Naz. or. 2. de recta rat. differendi de Deo.

Oritur Sol, & occidit &c. Ecclesiasticæ 1. 6. Sol Hebr. dicitur *Scemes*, id est, *minister*. quòd quasi minister subserviat Deo, & naturæ, in rerum generatione: quòdque nobis operantibus ministret, & quasi facem præferat. Cornelius hìc.

Lustrans universa in circuitu pergit spiritus. Ecclæ 1. 6. Literali sensu, spiritum vocat Solem, propter motus velocitatem. Olimpiodorus hìc.

Non occidet ultra Sol. Is. 60. 20. id est, interprete Oleastro: non amittes lætitiam tuam.

Et sanitas in pennis ejus. Malach. 4. 2. Hebr. *in alis ejus.* Poeticè pennas vocat radios: quia vestiunt, & ornant solem; sicut pennæ avem. 2. quia Sol celerrimè movetur, & quasi volat, ut avis. Cornelius hìc.

Diei præfecit Pater ille solem, tamquam magnum regem. Philo Jud. l. de Mundi opificio.

Veluti discum aureum, tamquam in mensa solem in cœlo posuit Deus. S. Chrys. in s. 13.

Hic prætereundum non est, quæ de hoc magno præside hujus cœli eleganter prædicare solent Physici: quòd sit fons ignis ætherei; cor cœli, sive mens, & temperatio Mundi. Rupertus l. 1. in Gen. c. 41.

Miscellanea.

Sampson. Judic. 13. 24. Hebr. idem est, quod *Sol lætitiæ*; vel potius parvus Sol, soliculus, solillus. Chaldaicè *minister*. Cornelius hìc.

Sol obscurabitur. Matth. 24. 29. Aliqui dicunt, quod luminaria ista non obscurabuntur, nisi comparatione veræ lucis: quia tanta erit claritas Judicis venientis, ut ejus respectu omnia obscurari dicantur. Ità dicit Hieron. apud Dion. Carth. hìc.

Tenebræ factæ sunt &c. Matth. 27. 45. Sol planè fuit obscuratus; ità ut in toto orbe, juxta Chrys. Theoph. Euth., &c. densæ essent tenebræ, quales in Ægypto Ex. 10. 23.

S. Deicolus Abb. fessus ex itinere chlamydem deponere voluit - Servis illam officiosè servare volentibus, ipse eam ad radium solis per fenestram ingredientem suspendit, trium horarum spatio pependit. Similem miraculum fecerunt S. Goar Presbyter 6. Julii, S. Florentius Ep. Argent. 7. Novemb. S. Amabilis Presbyt. 19. Oct. & alii. Bollandus 18. Jan.

TITULUS XXVIII.

SOLATIA.

§. I.

Symbola divinorum.

Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas &c. Gen. 1. 7. Firmamentum anima rationalis, Aquæ superioris, sancta desideria, & mundæ cogitationes: inferiores, terrena desideria, & immundæ cogitationes. Hugo Card. hìc.

Terra, ad quam ingredieris possidendam, &c. Deut. 11. 10. Ægyptus terrestribus aquis Nili; terra promissionis cœlestibus pluviis irrigatur. Sic Mundani terrenis solatiis, viri autem spirituales cœlestibus perfunduntur. Barradius tom 4. lib. 5. cap. 7.

Creabit Dominus nubem per diem. Is. 4. 5. Symbolicè, nubes hæc in nocte lucens significat consolationem; qua Christus Sanctis tenebras, & calamitates lenit. Cornelius hìc.

Fecit Angelus medium fornacis, quasi venenum roris flantem, Dan. 3. 50. Sic Paraclytus tribulationis fornacem consolatione sua, quasi vento roris, perflat. Barradius t. 4. l. 5. c. 4.

Ros in flores illabens. Lem. *Tolerata præmia noctis*. Bovius.

§. II.

Solatia extra Deum nulla aut, falsa.

Ex Veteri.

A*Bscondit se Adam*. Gen. 3. 8. Deliciis abundabat Adam, socia formosissima, mensa lautissima. Inter hæc tamen tanta solatia, ecce tibi trementem, fugientem, inter arbores se abdentem. Quid agis Adam? epulare, oblectare gaude. Arnoldus Carnot. de opusc. sex, dierum, non statim post prævaricationem ejectus est homo de paradiso voluptatis: sed conscio sceleris nihil deliciæ paradisi conferebant. Abierat unus Deus ejectus ex animo; & nihil omnes aliæ deliciæ ad solatium conferebant. Baeza t. 2. l. 8. c. 2. §. 6.

Verbosi amici mei. Job 16. 21. q. d. verba inania mihi promittunt: non enim in temporalibus recuperandis est consolatio mea; sed in Dei fruitione adipiscenda. S. Thom. Aqu. Lect. 2. hìc.

Cùmque sederem quasi rex, circumstante exercitu; eram tamen mœrentium consolator. Job 29. 25. Cùm sedeat ut Rex regum, & Dominus dominantium; & circumstet eum exercitus Angelorum, lugentium tamen, atque mœstorum, consolator esse non definit. V. Beda l. 2. in Job. 2.

Invoca me in die tribulationis. Ps. 49. 15. nè quis spem haberet in terreno solatio, ubi caduca sunt universa, & penitus infirma solatia. Cassiodorus hìc.

Ego flos campi. Cant. 2. 1. Bernardus, flos campi est, non horti. In campo flos non rigatur statis horis; nec cœli siccitatem hydria temperat agricolæ. Uno rigatur rore, aut demissis cœlo pluviis fœcundatur. Nimirum solatium non aliunde, quam à Deo sperat, expectatque Bernardus. Clamat cum Davide Psalm. 76. 3. 4. *renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum &c.* Oliva lib. 4. Strom. §. Ego flos campi.

Renuit consolari anima mea &c. ib. Tum dulcedinem sensit divinæ voluptatis, cùm calcavit terrenas. Oliva t. 2. Strom. §. Renuit &c. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. S. Bernardus l. 4. in Ps. qui habitat.

Læva ejus sub capite meo &c. Cant. 2. 6. Petierat sponsa fulciri floribus, stipari malis; quia amore languebat: nunc autem, quasi seipsam corrigens, vel quid sublimius præsentiens, ait: *læva &c.* q. d. ut quid mihi flores, & mala? pro floribus & læva ejus; & pro malis dextera. De Ponte hìc Exh. 40.

Ego, ego ipse consolabor vos. Is. 51. 12. Non legatus veniet, aut Angelus: sed *ego, ego ipse consolabor vos* consolatione propria, qua nemo alius potest consolari vos. Paracletum, id est, consolatorem, ego habeo; Paracletum Spiritum S. ego vobis dabo. S. Rupertus l. 2. hìc.

Ex Novo.

Noli flere. Luc. 7. 13. Solus Deus veram lætitiam, & solatium, malis affert. Multa civitatis turba funus, & matrem defuncti, comitabatur, ut daretur afflictæ qualecumque solatium. Sed nec amicorum luctus, nec creaturarum chorus, miseræ matri afferebant solamen. Unus Deus, qui fluctibus imperat, sic jubet cessare lacrymas, & gaudia revolare. Baeza t. 2. l. 8. c. 2. §. 6. Copia civitatis sequebatur viduam; non ut dolorem minuerent, sed augerent. Multa quidem hominibus suppetunt ad mala complenda; sed qui venerat obviare periculis, fletum revocavit in gaudium. Simon. Cass. lib. 5. cap. 13.

Numquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer. Luc. 15. 29. Vana querela, noxia ignorantia: gaudia, quæ frater cum patre habebat malè inter amicos cupiebat. Non amici, non omnes creaturæ; sed cœlestis Pater potest afferre solatia. S. Hieron. ep. 146. erras Israel! dic potiùs: ut tecum epularer. Non potest tibi esse aliqua jucunditas, nisi Patre tecum celebrante convivium. Baeza t. 2. l. 8. c. 2. §. 6.

Deficiente vino. Joan. 2. 3. Penè omnis Evangeliorum textus Dominum Christum inter homines conversantem, desperatis rebus opem contulisse insinuat, & quàm maximè mæroribus adfuisse. - Quid est, quòd Evangelii lectio festivitati nuptiali interfuisse Dominum perhibet invitatum? nisi quod ibi vinum, id est, virtus lætitiæ spiritualis, defecerat; & languebant fitientium convivarum ora vini lætificantis inopia: quoniam *vinum lætificat cor hominis*. S. Gaudentius tr. 8. seu Lect. 1. de lect. Evang.

Dum floret. Joan. 20. 11. Rigabat ora Magdalena lacrymis nec consolationem ab Angelis, neque à complicibus Apostolis, nec à Matre dilecti, penitus capiebat. Habet hoc proprium ex toto inhærens amor; ut ab alio, præterquam ab eo, cui inhæsit, solamen omninò non capiat. Sim. Cass. l. 14. de Resurr. Salv.

Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. 2. Cor. 1. 3. Si totius; ergo nulla pars in creatura. Novarinus Electa sacr. l. 2.

Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Apoc. 21. 4. Non creatura aliqua, non Angelus; sed Deus ipse officium lacrymas abstergendi sibi reservat. Alia alias credidit: *Angelis enim suis mandavit de te*. Mendicus portatur ab Angelis in sinum Abrahæ Luc. 16. 22. ad ipsum Christum consolandum mittitur Angelus. Sanct. Bernardus in declamat: felices lacrymæ, quas benigna manus Salvatoris absterget. Idem Sanct. Bernardus ep. 104. illud verum solùm gaudium est, quod non de creatura, sed de Creatore, concipitur. Cui comparata omnis aliundè jucunditas, mœror est; omnis suavitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum fœdum; omne postremò quodcumque aliud delectare possit, molestum. Baeza suprà cit.

Ex Patribus, & aliis.

Justum est, ut amittat te, quicumque in aliquo alio magis consolari eligit, quàm in te. Sanct. August. soliloq. cap. 22.

Est maximè Dei proprium, recreare animos in afflictionibus. - Hoc est vel maximè potentiæ Dei munus, hoc imprimis ostendit ejus vires: quòd in mediis malis, & periculis, non finit dejici animum. S. Chrys. in Ps. 137.

Est enim Dei munus & hoc est ejus proprium: eos, qui sunt dejecti, & afflicti, consolari. Id. in Ps. 146.

Deo exhortante, & consolante nos, quamvis mille hominum molestaverint, haud in re sanè vel minima offendere potuerint. Nam cùm ille in solido cor posuerit, nemo id vel moveri coegerit. Id. hom. 4. de pœnit.

Omnis anima Deo devota, & vulnerata charitate, & amore languida; nihil invenit sub sole, in quo consoletur. Sola memoria Dei eam delectat: cujus omne desiderium est ut sit ante Dominum. Richardus à S. Vict. de superexcellenti Baptismo Christi.

Si libet conqueri; quidquid querimoniarum velles apud homines deponere; id humiliter depone apud ipsum Dominum: pertractans cum eo, tamquam cum ipsissimo Patre, præsentissimoque adjutore, quidquid te tangit. Blosius parad. an. cap. 9.

§. III.

Solatium divinum adest, absente, aut spreto. humano.

Ex Veteri, & Novo.

E*Cce ego pluam vobis panes de cœlo*. Ex. 16. 4. Manna non datum, priusquam farina ex Ægypto delata defecisset. Quamdiu in te est farina Ægypti, manna cœleste non gustabis. Stella de cont. &c. p. 1. c. 1.

Cùmque plena fuissent vasa &c. 4. Reg. 4. 6. Vidua ad præceptum Elisæi in vasa vacua à filiis sibi illata, oleum à Deo miraculosè multiplicatum infudit. Quod & vasis deficientibus, stetit. Si vis, ut divinam suam gratiam. Deus animo tuo infundat; ipsum à Mundi amore vacuum illi offer. Quòd si cessat divina consolatio, ideo fit, quòd cessas dare vas vacuum; Mihi crede: si Deus tibi non largitur gratias, quas magnis suis donavit amicis; id non fieri, quòd modò non sit liberalis, sicut tunc; sed quia voluntatem non disponis, sicut illi suam disponebant. Stella ib.

Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus. Ps. 45. 11. S. Remigius: vacate, id est, vacui estote, unde pleni estis; implemini, unde vacui estis. q. d. evacuate saccos vestros palea, & implete eos granis. Sylveira c. 10. in Matth. 5. q. 7.

Exaudivi te in abscondito tempestatis. Ps. 80. 8. Quando non palam tribulationem circumfers, ut solatia mendices ab hominibus; tunc à Deo audiris: qui cum jis versatur, à quibus ærumnæ in sinu continentur; nec auribus hominum, oculisve, patefaciunt. Plorat Jonas in navi. Jon. 2. 3. plorat in ventre ceti, affligitur ubique, ubique Deum invocat. Et quidem fortiùs se vicit in navi, ubi & se peccatorem fassus est publicè; & naufragium suum non tulit modò, sed & suasit. Nihilominus tamen non exauditus in navi, auditur in ventre monstri: hinc redditur littori; inde deditur ceto. Scilicet in navi palam miser erat, occultè ærumnosus latebat in bellua. Ibi lacrymas nautarum multorum compassione calamitatem suam temperabat; hic verò omni destitutus amicorum luctu, in abscondito tempestatis auditur à Deo. Cujus divinæ consuetudinis non ignarus David dolores suos comprime-

primebat in corde; quò faciliùs à Deo liberaretur. Psalm. 88. 51. *memor esto Domine opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium*. Oliva l. 12. Strom. §. Exaudivi te.

Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. Ps. 146. 9. Cur non corvos dicitur pascere? quia corvi arrodendis, & devorandis cadaveribus incumbunt, & propterea indigni sunt, qui à Deo peculiari providentia nutriantur: at verò pulli corvorum, ait Cassiodorus, qui adhuc paternas escas, idest, fœtores cadaverum, beneficio ætatis, ignorat; digni sunt, qui sustententur. Sic, qui operibus mortuis, terrenis voluptatibus pascuntur; indigni divina consolatione. Mendoz. in 1. Reg. annot. 8.

Deficiente vino. Joan. 2. 2. Naturale defecit, ut supernaturaliter factum apponeretur. Deficiente vino humanæ lætitiæ, apponendum erat vinum lætitiæ spiritualis, & ad defectum summus erat adventurus profectus. Cum creatura voluntariè Mundo deficit, profectus divinus advenit. Simon. Cass. l. 5. c. 1. Christus vinum suum suavissimum tunc propinavit, cùm nuptiarum vinum defecit. Tunc solatia sua, omni vino suaviora, nobis Deus præbet, cum Mundi solatia deficiunt. Barradius t. 2. l. 3. c. 6.

Erat festus dies Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam &c. Joan. 5. 1. Ad malè habentes, qui festivitatibus vacare non poterant, se convertit misericors miseris factus homo. Semper Christus tradidit se ad solamen, qui Mundi solatia despexerunt; aut quos ipse Mundus abhorret; si velint se in bona Christi transferre. Sim. Cass. l. 5. c. 27.

Martha occurrit. Joan. 11. 20. Dimittit Martha domum, dimittit sororem, dimittit consanguineos, & amicos; dimittit, qui humanè venerant præstare solamina, & inconsulta venit, cùm superiorem potentia, & virtute, advenire, cognovit. Dimittuntur bona, cùm meliòra proveniunt. Et ima pro summis, terrena pro cœlestibus, humana pro divinis, dimittere, ratio sic sana docet. Summa Christus est causa, ut omnia fiant repudio, cùm advenit. Et humana consolatio dimittatur, ut se promittit adesse divina. Simon Cass. l. 5. cap. 15.

Quod est interpretatum, filius consolationis. Act. 4. 36. Meritò filius consolationis dicitur, qui præsentia contemnens, spe futurorum consolatur. Nam Spiritus S. ideo Paraclitus cognominatur: quia in Mundo præsuram habentibus per internam sui muneris infusionem, paraclisin, idest, consolationem cœlestium præstat gaudiorum. V. Beda hìc.

Fuit in insula, quæ appellatur Patmos. Apoc. 1. 9. S. Antoninus tit. 6. de Ecclesiastica militia c. 1. p. 1. ob insuperabilem evangelizandi constantiam à Domitiano Imp. relegatus in insulam Patmos; in qua, destitutus humanæ consolationis consortio, divinæ invenit allocutionis consolationibus relevari.

Vincenti dabo manna absconditum. Apoc. 2. 17. Contemnenti carnalem consolationem dabo spiritualem: respuenti terrena & exteriora bona, ostendam cœlestia, & interiora charismata; quæ meritò sui excedunt omnia alia delectamenta. Gers. ep. in vit. ad spiritualem profectum.

§. IV.

Solatia divina non miscentur humanis.

F*iat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*. Gen. 1. 6. S. Chrysost. legit: fiat *paries*. Intercedat murus, qui secernat aquas, ne aliæ cum aliis communicent. Hugo de S. Vict. ait: ex his aquis, alias esse Symbolum voluptatis, alias typum consolationum Spiritus S. Fiat ergo paries, & dividat aquas ab aquis: quia fieri nequit, ut deliciis Spiritus S. fruatur, qui nimis diligens procurator est sui corporis. Did. Nyss. D. 2. Quad. §. 3.

Seorsum. Matth. 171. Qui gaudere vult favoribus, & deliciis Dei, necesse est, ut illum solum quærat. Id. ib.

Deficiente vino. Joan. 2. 3. Sicut Christus D. non tribuit suum novum vinum, ac miraculosum, donec vinum nuptiale deficeret, defectusque à ministris agnitus fuisset: sic ordo charitatis exigit; ut antè deficiat in corde vinum carnalis amoris, quàm tribuatur vinum spiritualis dilectionis. De Ponte in Cant. 2. Eph. 35. §. 3.

Quem Mundus non potest accipere. Joan. 14. 17. Mundum hìc appellat amatores Mundi. Quare autem Paracletum hunc spiritum veritatis non possunt accipere immundi amatores Mundi? videlicet quia consolationem suam habent, quia non lugent; quia de peccatis suis, quorum hic Paracletus remissor est, non dolent. S. Rup. l. 11. hìc.

Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Joan. 16. 7. Si Apostoli, adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta (quia Sancti Sanctorum erat) Spiritus S. repleri nequiverunt; donec tolleretur ab eis, tu carni tuæ (quæ sordidissima est, & diversarum spurcitiarum phantasiis repleta) adstrictus, & conglutinatus, illum meracissimum spiritum te posse putas suscipere; nisi carneis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris. S. Bern. s. 3. in Asc. D. Si Christi humanitas impedimento perfecto amori; quid cæteræ creaturæ facient, si eas inordinatè ames. Did. Nyss. D. 4. Pasch. §. 4.

Delicata est divina consolatio, & non datur admittentibus alienam. S. Laur. Justin. de Continentia c. 4. Sicut vas plenum aqua non potest capere vinum, nisi priùs effundatur aqua: sic cor humanum, dum plenum est vanis cogitationibus, & desideriis pravis, non potest recipere Christi consolationes. Hugo Card. in Gen. 45.

Flamma, juxta quam aqua. Lem: *Non miscentur*. S. Bern. ep. 2. quomodo ignis, & aqua, simul esse non possunt; sic spirituales, & carnales, deliciæ in eodem se non patiuntur. Picinelli.

§. V.

Solatiis etiam divinis disce carcere.

N*Avicula autem in medio mari jactabatur fluctibus*. Matth. 14. 24. Nunc rursum Discipuli fluctuant, ac periclitantur, sicut, & priùs. Verùm tunc quidem cùm essent imperfectiones, aderat, & ipse ad consolationem; quamquam dormiebat. Nunc verò, cùm jam profecissent, aberat: ut, nusquam habentes consolationem, efficiantur fortiores. Theophylactus hìc.

Nondum ascendi ad Patrem meum. Joan. 20. 17. Instruitur Ecclesia militans, ut nec in hac vita in Christo prœmia beatitudinis quærat, neque consolari; sed tribulari, affligi, crucifigi, & privari amœnitatibus sensualibus: decorari virtutibus appetat super terram; beatificari verò cum Christo in cœlestibus apud Patrem. Sim. Cass. l. 14. de Resurr. Salvat.

Vera paupertas spiritus, in eo sita est, & nullam in oratione consolationem, aut gustum; sed dumtaxat in laboribus, & doloribus, idque ex amore ejus, quo perpetuò in iisdem vixit, quærat. Ex humin. S. Theres. c. 22.

§. VI.

Miscellanea de divinis solatiis.

E*Gressus Cain à facie Domini habitavit profugus in terra Eden*. Gen. 4. 16. idest in *locum deliciarum*, Miseri homines, perditis spiritualibus consolationibus, quærunt solatium in vanis, & caducis. Hugo Card. in Gen. c. 11.

Loquimini ad cor Jerusalem &c. Is. 40. 2. Loqui ad cor Jerusalem, idioma scripturarum est: qui enim mœrenti loquitur, & blandiens consolator est; ad cor loqui dicitur. Sanct. Hieron. hìc.

Solatiis opus habemus. Et quidquid nobis nunc exhibet Deus, cùm prospere exhibet; non est gaudium beatorum, sed consolatio miserorum. S. Aug. in Ps. 143.

Statuamus æquè, tam in monte Calvariæ, quàm in Thabor dicere: bonum est me tecum esse Domine; sive in cruce moriaris, sive gloria. S. Franc. Salesf. Philosf. p. 4. c. 13.

§. VII.

Solatia humana, & terrena, non quære.

V*Enite, & sub umbra mea requiescite*. Judic. 9. 15. Contra rationem sibi cupiunt umbram, & inveniunt dignissimè flammam. Naxer. in Jos. 23. §. 26.

Quisquis in se gaudere appetit, eo ipso jam in luctu est, quò à vera lætitia recessit: vera quippè lætitia mentis, Creator est. Dignum itaque est, ut in se homo semper mœrores inveniat; qui, derelicto Creatore, in se gaudium quærebat. S. Greg. mor. l. 12. c. 14.

Universos, qui Deum non habent, pecunia, amicitia, gloria, facultates Mundi, servi, & quæcumque bona sunt corporalia, non possunt consolari intrinsecus. S. Aug. conc. 2. de 2. p. Ps. 36.

Quibus assimilabimus homines generationis hujus? aut quibus comparabimus illos? quos videmus, à terrenis, & corporalibus consolationibus avelli, separatique non posse. Profectò similes sunt his, qui submersi periclitantur in aquis. Nimirum videas eos tenentes tenere; nec ulla ratione deserere, quod primum occurrit manibus, quidquid sit illud: licèt tale sit aliquid, quod omnino prodesse non possit. S. Bern. de Adv. Dom. s. 1.

Grave est, & vix ferendum: invenire pro consolatoribus calumniatores. Isid. Clar. l. 1. or. 19.

TITULUS XXIX.

SOLLICITUDO VANA.

§. I.

Symbola.

D*Imisit corvum - & non revertebatur*. Gen. 8. 6. 7. Corvus non redit à negotiis corporalibus, & sæcularibus; quasi ab aquis, & cadaveribus. S. Th. Aqu. hìc.

Ecce ego immittam in te -- omne genus muscarum. Ex. 8. 21. Muscis Ægyptus percutitur: quia eorum corda, qui hoc sæculum diligunt, desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur. Sanct. Isid cap. 14. hìc. Musca insolens, & inquietum, animal est: in qua quid aliud, quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? V. Beda hìc. Musca canina significat curam Sæculi. Unde Gregorius: nihil laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare; nihil inquietiùs, quàm in Sæculo nihil appetere. Ideo Israel custodiam Sabbati accipit in munere; Ægyptus percutitur muscarum multitudine. Hugo Cardinal. hìc. E pulvere Ægypti Moysis virga percusso, innumerabiles sciniphes geniti sunt. Ex. 8. 17. Qui Ægyptios die, ac nocte, vexando pungebant. Hoc terrenarum possessionum pulvis habet, quòd innumerabiles curas pariat. Diez. Divitiæ.

Defecerunt sicut fumus. Ps. 101. 4. Fumo sunt humana negotia comparanda: nihil enim ità oculos animæ contristat, ac turbat; ut sæcularium conditio curarum, S. Chrysost. hom. 2. in Matth.

Expoliavi me tunica mea. Cant. 4. 3. Exui me curis, & occupationibus istius Sæculi. S. Th. Aqu. hìc.

Tunica occupationes hujus sæculi figuratè denuntiat. V. Beda hìc.

Videns autem Jesus turbas. Matth. 8. 18. Turbæ sunt multitudo curarum temporalium, quæ turbant animam ex omni parte. *Circum se*; sollicitudo enim temporalis turbat à parte anteriori: ut non quærat æterna, quæ sunt anteriora; sicut dicit Apostolus Philipp. 3. 13. Posteriorum oblitus ad anteriora me extendo, & parte posteriori; ut non recogitet vitam præteritam; pro qua dolere deberet, quia malè vixit. A parte dextra; nè cogitet de gaudiis cœli: à parte sinistra; nè cogitet de pœnis Inferni. Hugo Card. hìc.

Transibat per mediam Samariam, & Galilæam. Luc. 17. 11. *Galilæa* interpretatur *rota*. Est autem triplex rota. *Prima* est sollicitudo mundana, quà rotantur avari de prosperis in adversa, de summis ad ima, de lætis ad tristitia, & è contrario relabentes &c. Hugo Card. hìc.

Unaquæque Mundi hujus actio, mola est; quæ, dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit: atque ex se quasi farinam projicit: quia, seducto corde, semper minutissimas cogitationes gignit. Sanct. Greg. moral. l. 6. cap. 11.

Hyems est, cura rerum temporalium, atque hyeme tristior. Neque enim hic rigor, aut pluvia, nascitur, aut lutum gignitur, & profundus limus: sed quod est his omnibus gravius; gehennam gignit hæc hyems, ac gehennæ mala. Et quemadmodum in vehementi rigore congelascunt membra, suntque mortua: itidem & in peccatorum hyeme horror animæ nihil suorum officiorum peragit; concreta velut à rigore conscientia.

Quod corpori frigus est, hoc est animæ mala conscientia. Unde, & timiditas nascitur. Chrysostom. hom. 7. in 2. Cor. 3. 2.

Quomodo telæ aranearum vim venti non susceperint; ità nec anima, hujus vitæ curis dedita; nec homo animalis poterit unquam suscipere gratiam spiritus: ab illis enim nihil distant nostræ cogitationes. Sanct. Chrysostom. hom. 34. in ep. ad Ephes.

Sicut piscis bonus, pia est fides; quam qui pati à Domino, nequaquam serpentem infidelitatis accipit: ità, & piscis nequam infima est cogitatio, quæ curis hujus Mundi de ultra modum solet immergere. V. Beda Quæst. lib. 3. cap. 36.

§. II.

Sollicitudines vanas dimittendi, temperandi &c.

Motiva.

Ex Veteri.

I*N sudore vultus tui vesceris pane*? Gen. 3. 19. Cur non addidit, in sudore vultus tui, & in sollicitudine cordis tui? quia laborem vult Deus pani acquirendo impendi; sollicitudinem autem totam spirituali pani acquirendo reservavit. S. Hieron. in Cat. ad Matth. 6. præcipitur nobis, nè solliciti simus, quid comedamus: quia in sudore vultus præparamus nobis panem. Ergo labor exercendus est, sollicitudo evellenda. Escob. t. 3. Coll. Chr. l. 6. sect. 2. obs. 3.

Vidit scalam. Gen. 28. 12. Per hanc intelligit Theodoretus q. 82. divinam providentiam: quæ cœlum, & terram attingit. Sed nota: quòd scala hæc priùs sit super terram: at postea cęlum tangat. Cur non primò nominatur cęlum, utpote nobilius, & sedes spirituum? sed priùs terra, in qua serpentes, & bruta? adeò sollicita est divina providentia circa minima, &c. S. Aug. ad illud Sap. 81. *attingit à fine usque ad finem*: lib. de gratia, & lib. arbitr. idest, à cœlo usque ad inferiores partes terræ: à maximo Angelo usque ad minimum vermiculum. Sylv. in Matth. 6. q. 7.

Perquire, quò modo ad eum pervenias, &c. Tob 4. 22. Tobias senex, oculis orbatus, cœpit de familiæ, & filii sustentatione sollicitari: & tota sollicitudo est, per virum fidelem pecunias depositas apud Gabelem recipere. Nihil aliud, nec sibi, nec filio meminit. Et quidem, præter pecunias, multa alia erant necessaria: cęcitatis sanitas, filii nuptiæ. Et dum pater mercenarium hominem pro pecuniis comparandis quærit; cęlestis Pater providet Angelum, qui, & pecunias, & sponsam, & sanitatem afferat. Baeza tom. 3. lib. 14. cap. 9. §. 22.

Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus? Job 1. 10. Et Sathanas queritur, se impeditum à divitiis Job. Causa est, *vallasti eum*: quia non in corde fixæ erant; sed exteriùs pro valle, pro sepe. Id. t. 1. l. 4. c. 3. §. 34.

Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini. Psalm. 70. 15. 16. Hebr. pro literatura, *libros, catalogos*, computos. Sept. *negociationes*: q. d. quia non cognovi literas sæculares, computos, & negotia hujus sæculi, quæ mentem à Deo distrahunt; hinc accedam ad penetrandam, & celebrandam Dei potentiam, & beneficentiam erga me. Cornelius in Matth. 1.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. De animo justi dicitur: hoc namque illum inter curas tranquillè degentem indicat. *Lilium*, inquit Matthæus 6. 28. *non laborat, neque net*; & tamen majore, quàm Salomon, gloria circumdatur. Sanct. Nilus lib. ascet. Lilio eum comparat: quoniam eorum, quæ ad victum pertinent, nulla premitur sollicitudine; sed rebus obviis satisfacit corporis necessitati. Quod etiam in Evangelio docens: *de vestimento*, inquit, *quid solliciti estis? Considerate lilia agri &c.* Ostendit: eos, qui tranquillam vivendi rationem propter regnum cęlorum complectuntur, liliis esse similes, quæ naturalis gloriæ nitore Salomonis purpuram superant. Animas verò, carnis voluptatibus effęminatas, ac propterea diaboli filias, ut in Evangelijs rursum declarat, *vos inquiens, ex patre diabolo estis*, spinis assimilat; qui omnem curam in eas conferunt res, quæ ad vitam nunc spectant. Sanct. Theodor. hìc.

Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in cubiculum genitricis meæ. Cant. 3. 4. Quæcumque sponsa Christi cor suum à sollicitudinibus Mundi purgat, ac vacuat; divinoque amore replet; cubiculum parat sponso suo Jesu Christo. Philo Carpath. hìc.

Fili, nè in multis sint actus tui: & si dives fueris, non eris immunis à delicto. Eccl. 11. 10. Adhuc panem petis in oratione Dominica, & jam sollicitus es de remittendis debitis: quasi non liceret ad hæc temporalia bona respicere, quin sentiamus laqueos peccati. Tertull. de or. Dom. consequens erat, ut, obsecrata Dei liberalitate, in postulato pane, etiam clementiam ejus precaremur. Quid enim alimenta proderunt, si illis reputamur revera quasi taurus ad victimam? Baeza t. 2. l. 9. c. 2. §. 11.

Ex Novo.

Nè solliciti sitis animæ vestræ. Matth. 6. 25. Superflua sollicitudo circa temporalia vocatur, quando homo in tantum circa talia adipiscenda occupatur, quòd à spiritualibus debitis impeditur: vel talia abundantiùs quærit, quæ necessaria sint. Porrò sollicitudo ordinata, & rationalis vocatur; qua homo secundùm exigentiam sui status, quærit necessaria vitæ præsentis, in ordine ad spiritualia: talisque sollicitudo est pars prudentiæ. Dion. Carth. hìc.

Considerate lilia agri. Matth. 6. 28. Tota hominum sollicitudo, & cura, circa nos, & nostra, non exæquat Dei sollicitudinem, & curam. Compone lilia agri, & Salomonem; illa omni cultu, omnium hominum labore vacuata; hunc ingenti ministrorum exercitu septum: illis nullus inservit, solus Deus providet. Huic serviunt terrenæ aurifodinæ, maris gemmæ, avium plumæ, hominum ingenia, servorum curæ. Uter pulchrior, spectabilior, perfectior in ornatu? an Salomon, mediis curis, & vigiliis, tot servorum? an lilium agri? habes sensum ipsius divinæ Veritatis. Baeza tom. 3. l. 4. c. 9. §. 22.

Dico autem vobis, quoniam nec Salomon, &c. Matth. 6. 29. Quia ars non dat tam vivos colores, ut natura. Secundò, ut ait Sanct. Chrysostom. Salomoni homines ministrabant vestes; liliis Deus. Hugo in Salomone fuerunt vestes alienæ, in

in lilio propriæ, quas natura ei dedit. Sylveira hìc. Cur adducuntur in motivum fiduciæ lilia? quia lilium, præ reliquis floribus, spei symbolum, teste Pierio Valeriano l. 55. de lilio. Id. ibid. Dixit *lilia agri*: ad ostendendam minorem sollicitudinem. Nam si essent lilia hortorum, quæ nascuntur per humanam culturam; dici poterat, quòd humanus labor conferret aliquid ad illorum pulchritudinem. Dicit etiam, *non laborant*, propter viros; *neque nent*, propter fœminas: ut utrisque auferat superfluam sollicitudinem. Stella in Luc. 12. 27.

Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Matth. 6. 32. Cajetanus hìc: Gentilis erroris circa divinam providentiam est, inquirere dubia, & timida cura hæc omnia: q. d. apertè: Gentilis erroris participes vos facitis; si solliciti de istis fueritis circa victum, & vestitum. Gentiles pro his nimis solliciti: quia adorant deos lapideos, ferreos; æreos; qui non possunt compati: nec habent aures, ut voces aliorum audiant: nec oculos, ut eorum necessitates videant. Ergo, qui nimiùm sollicitus est, Deum cogitat ferreum, vel lapideum, sine hominum cura. Sylv. hìc.

Quærite primum regnum Dei. Matth. 6. 3. Non dicit, solliciti estote; sed *quærite*: quia nec etiam circa regnum cęlorum vult nos dubiam adhibere curam, sed securam, utpote innixam fidei, ac spei infallibili. Cajet. hìc.

Nolite solliciti esse in crastinum. Matth. 6. 34. Crastinum in scripturis futurum tempus significat. Sanct. Hieronym. epistol. 47. ad Amandum. *Crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi*. ibidem. Juxta Anagogen, dies crastinus, dies malus, & maledictus est, diei præsenti oppositus; diei, quem benedixit Dominus. De quo in David loquitur Spiritus Sanct. Psalm. 94. 8. *hodie si vocem ejus, &c.* Dicitur autem dies ille crastinus; eò quod inveniente iniquitati nocte, ab ipso die hodierno sit omnino separatus. Rupertus in Matth. hìc.

Quid faciam? Luc. 12. 17. Ubi recondam? iisdem cruciatibus pro sollicitudine facultatum, quibus pauper pro egestate torquetur. Sanct. Ambros. sermon. 81. de homine divite.

Erat inclinata; nec omnino poterat sursum respicere. Luc. 13. 11. Sanct. Ambros. lib. 2. hexam. cap. 3. nil mentem magis onerat, quàm istius Mundi sollicitudo, & cupiditas, vel pecuniæ, vel potentiæ. Quod tibi demonstratur in Evangelio, cùm legis: quia illa mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis, inclinata erat, ut sursum respicere non posset, curvata enim erat anima ejus, quæ inclinabatur ad terrena compendia, & cœlestem gratiam non videbat. Apud Sylveiram addit. in Luc. 12.

Ex Patribus, & aliis.

Indecorum est, homines curare de cibo, qui militant regno. Novit Rex, quemadmodum familiam suam pascat, alat, vestiat: & ideo dixit: *jacta in Dominum cogitatum tuum, & ipse te enutriet*. Psalm. 54. 23. Sanct. Ambros. in Luc. 12. Ità ille legit.

Pura conscientia, & spiritu charitatis, adhæreamus Deo nostro, & divinum nobis conciliemus favorem, precantes: ut sæcularibus curis, tamquam ab immitibus, & agrestibus, dominis, possimus absolvi, atque exui. Id. lib. 2. de Cain, & Abel c. 2.

Si nobis curæ fuerint divina, & ipse quoque Deus pro nobis sollicitus. S. Chrys. hom. 14. in Gen. t. 1.

Cur miserè solliciti sumus de incertis? cur curis futurarum rerum affligimur, atque vexamur? Qui diem tibi dat: etiam ea, quæ ad diem pertinent, tibi dat. Quis efficit: ut sol oriatur? quæ corvorum arva sunt? quæ aquilarum horrea? an non una omnibus victum suppeditat divina voluntas? S. Greg. Nyss. or. 4. de orat. Dom.

Vigilanti corde fiducialiter dormitur, quando, remotis curis sæcularibus, & repressis vitiorum motibus, solum Deum libera per gratiam Dei anima suaviter contemplari delectatur. S. Rup. in Oseæ 2.

Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant; summasque sibi sollicitudinis partes, salus, quæ summa est, vindicet: Sanct. Eucherius ep. paræn. ad Valerianum cognatum suum.

Quemadmodum turpe est, virum, ætatem provectum, in pulvere, & cinere confidentem, puerilia describere: ità turpe, imò longè turpius est, eos, qui de rebus æternis perfruendis deberent esse solliciti, in rerum terrenarum pulvere volutari, & studiorum turpitudine professionis suæ fœdare perfectionem. S. Nil. l. Ascet.

Idcirco Dominus Jesus factus est homo; nè solliciti simus, nè Mundi curis distrahamur; sed ipsum pro viribus imitemur. B. Isaias Abb. or. 11.

Miscellanea.

Multos salvavit Deus mediis in fluctibus negotiorum, qui littus otiis tenentes naufragassent. Gerson. tr. 11. super Magnific.

Thesaurum fortuitò invenit agricola arans, domum portat: curisque mox torquetur, quomodo tanta pecunia uti debeat? quin thesaurum vicini odorentur. Adeò verò miser se curris immersit, ut earum pondere oppressus perierit. Alvarez in Gen. 40. Illust. 134.

Curia dat curias. Ergo, si vivere curas, & benè, securè; non sit tibi curia curæ. Doultr. l. 1. c. 5. sect. 6.

Cura, quòd cor urat. M. Terent. Verronis de lingua Latina, & verborum origine ad Cic.

TITULUS XXX.

SOLITUDO.

§. I.

Symbola.

Ex Veteri.

I*Nclusit eum Dominus deforis*. Gen. 7. 16. Tantum clausura profecit cętus ille hominum, & ferarum: ut non tantum à naufragio ereptus sit, verùm, & morum feritatem posuerit, lupus enim cum agno sine cruore divertit; consedit prope leonem cervus sine vulnere, vulturi ficedula accinuit. Oliva lib. 2. Strom. §. Matth. 12. 40. Ergone sepulchrum Christi, &c.

Reversa est ad eum in arcam. Gen. 8. 9. Multæ sunt insidiæ libenter extrà vagantis animæ, & magnæ tutelæ citò revertentis columbæ. Th. Kemp. soliloq. an. c. 10.

Sumpsit fiscellam scirpeam &c. Ex. 2. 3. Suffecit Moysi contra regem, & fluvium cistula; nequiitque infans in sinu mortis perire; fiscella, quasi cella obseptus. Oliva citatus.

Per noctem in columna ignis. Ex. 3. 21. Sicut per deserta gradientibus lux ignea inter nocturnas tenebras insulgebat; sic etiam commorantes in spiritualibus claustris supernæ lucis sæpe radiis illustrantur. Fugiendus est ergo Mundus. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 5.

Facias, & saga cilicina undecim, &c. Ex. 26. 7. Dei servus sit, ut arca testamenti: quæ numquam ab interiori, & secretiori, templi parte exibat, & cùm per desertum gestabatur, quàm plurimis integumentis occultabatur. Ità, cùm necessitas te extra domum compellit, sint timor, & pudor sensuum tuorum integumenta, nè distrahantur. Diez conc. 2. de Incarn. D.

Claude ostium tuum, cùm intrinsecus fueris &c. 4. Reg. 4. 4. Quando vidua illa replevit vasa oleo, fores ei claudendæ erant jussu Elisæi. Si Deum cupis animæ tuæ communicare magnas gratias, recede à rebus hujus Mundi, solitudinem pete. Stella de cont. &c. p. c. 40.

Introduxit me Rex in cellaria sua. Cant. 1. 3. Sept. *in cubiculum suum*. S. Thom. in ep. ad amicum: cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci.

In lectulo meo per noctes quæsivi &c. Cant. 3. 1. Lectulum sibi sancta anima in nocte facit; dum, omnes perturbationes Mundi fugiens, secretum comparat, in quo requiescit. Sanct. Gregorius hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Amet homo, amet sanctum otium, in quo exerceat animæ suæ negotium. S. Prosp. l. 1. de vita contempl. c. 8.

Animosi accipitres, aquilæ venatrices, & supra omnes alites acutiùs videntes, volatus solitarios concupiscunt. Cassiodorus 8. var. 31.

Sicut piscis extra aquam citò moritur; ità Monachus extra cellam leviter distrahitur, & inquinatur. Et prudens apis, mel ex floribus colligens, statim indè evolat, & secretum gaudens repetit: & hoc in alveario cautè abscondit; ut habeat, unde in hyeme latenter vivat. Thom. Kemp. Vallis lilior. c. 18.

Disce pericula peccatorum fugere ab apibus; quæ in hyeme, & tempestate, consciæ suæ imbecillitatis, in alveari, aut in cavernis lætent; nè ab aere rapiantur, vel pluvia suffocentur. Quare, & tu contra tempestates angulum, in quo vitam agas tranquillam; ut de te illud. Is. 32. 2. dicatur: *& erit vir, sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate*. Diez conc. 1. D. 11. Pent.

Sicut cortex est ad decorem, & conservationem pomi, fractio verò corticis est ad pomi putrefactionem: aer enim intrat, & pomum corrumpitur. Sic ordinata conversatio est ad magnum vitæ decorem; negligens sui custodia vitam bonam, & conscientiam arrumpit. Broymard. Convers.

Statua sub sipario. Lem: *Celatur, donec cælatur*. Bovius.

§. II.

§. II.

Solitudinis variæ laudes, & motiva.

Det tibi Deus de rore cœli &c. Gen. 27. 28. Esau venator dum esset foris, Isaac benedictionem amisit: Jacob autem benedictionem recepit, quia domi residebat. Hugo Card. in Luc. 1.

Ædificant sibi solitudines. Job 3. 14. Oportet nos esse, sicut principes: qui præter palatia, & regias, domos, quas habent in urbibus, *ædificant sibi solitudines*; idest, alias pulchras domos in agris, & locis solitariis: ubi à strepitu negotiorum sileant, & requiescant. De Ponte in Cant. 1. Ex. 17. §. 3.

Jesus ductus est in desertum, - ut tentaretur à diabolo. Matth. 4. 1. Ista est una causa, non tàmen tota, nec sola, neque præcipua; sed aliæ quoque: prima, ut solitariam vitam commendaret, & eremiticæ vitæ exemplum præberet &c. Dion. Carthus. hìc.

Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Coloss. 3. 3. Hi sunt sicut mortui, qui absconduntur ab hominibus usque ad diem resurrectionis. Sic hirundines hyeme latent, ut in æstate appareant: sunt etiam sicut animalia sylvestria in sylvis degentia, quibus libenter vescitur Isaac. Gen. 27. 4. B. Humb. s. 23. ad Eremitas.

O desertum Christi floribus vernans! ò solitudo: in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis extruitur. O eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis frater in sæculo, qui majores mundo? quamdiu te rectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit? &c. S. Hieron. ep. 1. ad Heliod.

Cœli, & cellæ, habitatio cognatæ sunt: quia sicut cœlum, & cella, ad invicem videntur habere aliquam cognationem nominis, sic & pietatis. A celando enim cœlum, & cella, nomen habere videtur. Et quòd celatur in cœlis, hoc & in cellis; & quod geritur in cœlis, hoc & in cellis. - Sancti Angeli cellas habent pro cœlis; & æquè delectantur in cellis, ac in cœlis. S. Bernardus ep. ad H. de vita solitaria.

Experto corde aliquid amplius invenies in sylvis, quàm in libris. Ligna, & lapides, docebunt te, quod à Magistris audire non possis. An non putas, posse te sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo? an non montes stillant dulcedinem, & colles fluunt lac, & mel? & valles abundant frumento? Id. ep. 106.

O sancta anima, sola esto: ut soli omnium serves teipsam, quam ex omnibus tibi elegisti: Fuge publicum, fuge, & ipsos domesticos: secede ab amicis, & inimicis; etiam ab illo, qui tibi ministrat. - De cætero sola tibi indicitur mentis, & spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias, quod multi suspiciunt; si fastidias, quod omnes desiderant &c. Idem ser. 40. in Cant.

Est cella sponsi reclinatorum, virtutum custos, tranquillitatis portus, - medela vitiorum, - tabernaculum fœderis, nuptialis thalamus, paradisus deliciarum, cœli janua. S. Laur. Just. l. de vita solit. c. 12.

Ego illa sum vita solitaria, quæ de terrenis hominibus cœlestes; de carnalibus spirituales constituo. Gerson tr. 11. sup. Magnif.

Verè in solitudine aliquid magni latere videtur; quæ à plerisque sanctis tàm ardenter est amplexa. Thom. Kemp. lib. 7. ad fratres.

Solitudo quasi locus, & paradisus voluptatis est, & tanquam hortus deliciarum amœnissimus. Id. 16.

§. III.

Solitudo deliciosa.

Cum minasset gregem Moyses ad interiora deserti, - apparuit ei Dominus. Ex. 3. 1. 2. Plures consolationes fecit Dominus populo suo in solitudine, quàm in alio loco: ibi enim locutus est eis, ibi apparuit gloria ejus, ibi misit eis manna. B. Humbert. s. 23. ad Eremitas.

Elias pascitur in solitudine à corvis pane, & carnibus. 3. Reg. 17. 4. sed ibid. v. 9. in civitate à vidua solùm buccella panis.

Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Ps. 149. 5. Non in theatris, non in amphitheatris, non in circis, non in nugis, non in foris; sed in cubilibus suis. S. August. hìc.

Quamdiu in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso; varia Scripturarum poma decerpe: his utere deliciis, harum fruere complexu. S. Hieron. ep. 4.

Idoneus ad philosophandum locus solitudo. Aliquando Christus solus montem ascendit. Luc. 6. 15. & pernoctat, & orat: ut ostendat, qui Deo vult frui; eum ab omni cura, & sollicitudine vacare; & quietum locum quærere oportere. S. Chrysost. hom. 41. in Joan.

Carolus V. dicere solebat: se, resignato imperio, plus voluptatis in sua monastica solitudine percepisse, uno die; quàm ex omnibus suis victoriis, & triumphis. Cornelius in Exh. 3. 2.

§. IV.

In solitudine videtur, auditur, Deus.

Ex Veteri.

Factus est sermo Domini ad Abraham in visione noctis. Gen. 15. 1. Quare in nocte? ut in silentio, & quiete, meliùs, quæ dicuntur accipiat. S. Chrysost. hìc. Ità ille legit.

Rebecca diligebat Jacob. Gen. 25. 28. Singulariter quemque nostrum tantò hæc Rebecca (cœlestis sapientia) plus diligat, quantò simplicior quisque habitat in tabernaculis. Nam è contrà, quantò quis habet Esau, tantò minùs à Rebecca diligitur, idest, quantò ampliùs foras evagatur, tantò minùs S. Scripturæ lactatur uberibus, intusque reposito pane cibatur. Rupertus l. 9. in Gen. c. 7.

Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Moyses, cùm ingrederetur ad interiora deserti, vidit Dominum in rubo; velut ignem inflammantem consolationem accepit in animo, quàm antè numquam legitur suscepisse; notitiam habuit divinorum, & revelationem secretorum Dei. Sim. Cass. l. 4. c. 4.

Invenimus eam in campis sylvæ. Psal. 131. 6. Sylvæ, loca sunt inculta, & agrestia. In inculta, & agresti, via rationabiliter assumpta Christus Dominus invenitur. Non enim in campis deliciarum, sed sylvarum, qui se obtulit, requisitus: Quærantur loca remota, & nemorum campi; qui sunt amici, meroribus, contemplationibus, apti, à strepitu alieni: & inibi invenietur, qui inter delicias, & turbas, sæpe perditus est. Sim. Cass. l. 6. c. 7.

Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Cant. 5. 2. Quis tibi renuntiavit, immaculatam esse, & amicam? si intus est, sine macula, sine nævo est: amica sponsi, si amica solitudinis. *Vox Dilecti pulsantis: aperi mihi.* Oliva lib. 2. Strom. §. Matth. 12. 40. Ergone sepulchrum Christi &c.

Vox clamantis in deserto. Isa. 40. 3. Primò omnium considerandam arbitror gratiam deserti, beatitudinem eremi; quæ ab initio gratiæ quieti sanctorum meruit consecrari. Consecravit nobis planè habitationem deserti. *Vox clamantis in deserto:* quamquam, & ante ipsum quibuscumque sanctissimis Prophetarum, velut auditorum spiritus, amica semper fuerit solitudo. Guarricus lib. 4. de Adv. Dom.

Ex Novo.

Assumpsit duodecim Discipulos secretò. Matth. 20. 17. Ut Christus Discipulos suos mysteria suæ sanctissimæ Passionis doceret, eos à turbis segregat. Nam, ut quis divina percipiat; necesse est à Mundana turba fugere. Sylv. c. 37. hìc.

Statim spiritus expulit eum in desertum. Marci 1. 12. Spiritus S. non libenter habitat, ubi turba, & frequentia, & dissensiones, & rixæ sunt; sed Spiritus S. propriè sedem habet solitudinem. S. Chrysost. hom. 3. hìc.

Factum est verbum Domini super Joannem in deserto. Luc. 3. 2. Non in aula Herodis, non in frequentia hominum. Ut suavis citharæ concentum audiamus, populi perstrepentis tumultum fugiamus. Non in Ægypto, sed in deserto Sinai, cum populo Israel locutus Dominus. Barradius tom. 2. lib. 1. c. 7. morali 1.

Rabbi, - ubi habitas? Joan. 1. 38. Cur volunt hi duo Discipuli scire Christi habitationem? quia non transcursu, nec in via, nec in publico, volebant discere, sed in secreto, & magna deliberatione desiderabant instrui de rebus Domini. Sylveira hìc.

Solus erat Petrus, & totum per orbem consecrandarum gentium cognovit mysteria. Act. 10. 1. Sanct. Ambrosius epistol. 41.

Fuit in insula, quæ appellatur Patmos. Apoc. 1. 9. Ubi talia videre, ac tanta promeruit? numquid in urbibus? numquid in regum ædibus? numquid in locis sublimibus? non: sed in insula Patmos à Domitiano relegatus. Ansbertus. Insula hæc valdè remota, & solitaria; ibi tanta ei mysteria revelata. Sylveira hìc q. 37.

In noctis silentio, quando secretè cum illa Deus est in cubiculo suo; quando pacata, & quieta sunt omnia; quando pax habetur intus à vitiorum perturbatione, & foris ab omni inquietudine, & occupatione; quando silent vitia, & peccatorum omnium recordatio: sensus quoque exteriores sopiuntur, & Mundanorum memoria. Cùm itaque tanta quies fuerit, & jam silent omnia; tunc jam audiri poterit vox Dei: quæ non

non tantùm loquitur, sed susurrat; idest, tenuiter, & occultè, aliquid humanæ menti manifestat. Richardus à S. Victore c. 7. in Cant.

§. V.

Solitudo meretur Angelorum consortium.

Sola erat Agar. Gen. 16. 6. 7. Elias solus. 3. Reg. 19. 5.

Et ecce Angeli accesserunt. Matth. 4. 11. Angelorum non carebat consortio, qui hominum consortia devitabat. Sim. Cass. l. 4. c. 4. hìc.

Ad monumentum foris plorans. Joan. 20. 11. Ut intelligamus: quòd quamvis sola non esset; sodalibus tamen, aut sedentibus, aut quasi vagantibus quærendo, ipsa sola juxta ostium monumenti foris non sedebat; sed stabat, & flebat. - *Et vidit duos Angelos.* Cajetanus hìc.

§. VI.

Solitudo extra peccata, apta pœnitentiæ.

Solus erat Adam, & non est prævaricatus. Gen. 2. quia mens ejus adhærebat Deo. Postquam verò ei mulier adjuncta est, non poterat inhærere mandatis cœlestibus: & ideò se abscondebat. S. Ambr. ep. 41.

Cumque recessissent à civitate - dixit Dominus ad Josue: leva clypeum. Jos. 8. 15. 16. 18. Extra urbem Hayenses cœsi. Cur Deus hostes non tradit in ipsa civitate: Orig. hom. 8. in Jos. Hanc interpretatur *chaos*: chaos autem locum, vel habitaculum, esse noverimus contrariarum virtutum; quarum rex, & princeps diabolus est. Ut vitia, & diabolum vincas in deserto, & solitudine, cum Christo pugna. Naxera hìc §. 21.

Conclusit Vagao ostia cubiculi, & abiit. Judith. 13. 1. Malè meritus es de domino tuo leno: armasti enim pudicitiam valvarum occlusione. Egressa Dina violatur à Sichem. Gen. 34. 1. obsepta Judith triumphat, & jugulat Holofernem. Oliva l. 2. Strom. §. Ergone sepulchrum Christi.

Sepem circumdedit ei. Matth. 21. 33. Solicitus Dominus de vinea. Ecclæ 10. 8. *qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Id. ibid.

Imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum. Luc. 10. 34. Quid curationi cum stabulo? Eductos è via, in qua sauciamur, clausura ità fulcit; ut etiam sine unguentis, duobus tantùm denariis, absolvi curatio possit seminecis. Id. ib. Valetudinarium tuum, ò ægrote, ò languide, cella tua est. S. Bern. ep. ad fratres de vita solit.

Nonne dimittit 99. in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat? Luc. 15. 4. Si desertum relinquit, ut ovem perditam quærat; non in deserto perdita fuit; sed in urbibus, & oppidis: ut eam reducat; in desertum vult humeris suis deferre. Vide, quò miseriarum deveniat ovis, ubi ad frequentiam populorum divertit. Alvarez in Genes. 45. Illustr. 271. Ovem errantem requisivit pastor bonus, relictis 99. in solitudine, hoc est, in superno loco cœlesti. Solitudo enim est cœlum, & à mundano tumultu sequestratum, plenumque omni tranquillitate, & pace. Theophylactus in Luc. Mirabat. pastorem 99. oves sine custode derelinquere, ut unicam invenire posset. Charitone illi unius hominis, quàm 99. salus? minimè. Ità enim pastor perditur oviculæ studet inventioni; ut reliquas oves nulli discrimini objiciat. Cuinam ergo reliquas commisit? certè Deserto; quod solet homines accuratissimè custodire. Escobar tom. 6. Parab. Chr. lib. 11. p. altera, de ovicula.

O solitudo beata! ò eremo, mors vitiorum, vita virtutum. Sanct. Bernardus hom. de verb. Dom. in illud, simile est reg. cœlor. homini negotiatori.

§. VII.

Solitudinis derelictio sordes trahit, nocet.

Afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros. Gen. 18. 4. Idem dicebat Loth. Hinc illa Religiosorum tam celebris consuetudo (quod Glossa ordinaria, seu Strabo Fuldensis in cap. 28. Gen. notavit) ut venientibus de via fratribus pedes lavarent. Alludit hæc consuetudo ab illud. Joan. 13. 10. *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet:* hoc est, qui mundus est, non propterea tam mundos ex omni parte habet pedes, quin aliquæ apud illum maneant imperfectiones, & nævi. Religiosi ergo foris redeuntis pedes lavantur; ut intelligat, se non tàm perfectum revertisse, quàm abierat: & fortè de terra, quam calcavit, labeculam quampiam contraxisse. Did. Nyss. Pol. Cœlor. p. 1. l. 5. c. 5.

Semei vetitam egressionem carò luit. 3. Reg. 2. 37. 42. 46.

Sordes ejus in pedibus ejus. Thren. 1. 9. *deposita est vehementer, non habens consolatorem.* ib. Ecce tota tibi civitas luctui, fletui, tradita sine consolatore. Sed unde hi fletus? & sine consolatore lamenti causa? *sordes ejus in pedibus ejus.* Si non ad terrena, & lutea bona egrederetur; si gloria ejus esset ab intus. Baezat. 1. l. 5. c. 2. §. 2.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho. Luc. 10. 30. Qui ab Jerosolymis recedit ad Jericho, id est, qui à cella egreditur ad hominum diverticula, incidit in latronum manus. Sanct. August. contra Pelag. Jerusalem paradisus, ubi pax, & lætitia, Jericho Mundus, in quo omnia orta occidunt sicut luna. Escobar tom. 6. Parab. Chr. lib. 11. sect. 2. obs. 2.

Quantò quis latiùs foris extenditur, tantò intus minoratur. Thom. Kemp. s. 3. ad Novit.

Fluvius exundans omnem in se infert immunditiam, & sic turbidus, & obscœnus fluit. Talis est homo, qui, solitudine relicta, vagatur foras. Diez Dom. 3. Quadr.

§. VIII.

Solitudo dat pretium, æstimationem.

Posuit velamen super faciem suam. Ex. 34. 33. Moyses cum Domino collocutus faciem ostendit corruscantem, quo viso filii Israel fugati: velo idcirco radios obnubilavit. Vel apud sæculum plus fulget, cùm à creaturis remotior, numinique propinquior. De creaturarum accessu lumen obfuscatur, & splendoribus velum obducitur: fulgentior in tabernaculo, obscurior in populo. Naxera in Jos. 14. §. 43.

Ibat in desertum locum, & turba requirebat eum. Luc. 4. 42. Vis à sæcularibus quæri, eos noli quærere. Joannes in solitudine, sed turbis vallatur. Petrus arcessitur à Cornelio, dum in solario domus orat. Act. 10. 22. Oliva lib. 13. Strom. hìc.

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est. Luc. 8. 5. Granum juxta viam, virtus in publico conculcatur; proficit in recessu, & honorabilis ostenditur. Escobar tom. 6. Par. Chr. lib. 8. sect. 1. obs. 4. Fugiamus civitatum, & vicinorum celebritates: ut, qui in civitatibus, & vicis habitant, ad nos concurrant. Amemus solitudines: ut, qui nos in præsentia fugiunt, ad nos pelliceamus. - Joannes quidem Baptista in solitudine versabatur, & civitates ipsæ cum hominibus ad eum confluebant. Luc. 3. 3. Sanct. Nilus lib. ascet.

§. IX.

Solitudinis aliæ utilitates, & motiva.

Thesauro abscondito in agro. Matth. 13. 44. Cur invenit in agro, non in civitate? in quo negotiator reperit margaritas? Resp. instruimur: ut ad comparandum thesaurum, qui est regnum cœlorum, egredi debemus è domo, urbe, ac tumultu. Secundò plus donorum cœlestium reperitur in solitudine, quàm turba. Sylv. hìc q. 3.

Jesus autem plenus Spiritu Sanct. &c. Luc. 4. 1. Pleno Spiritu Sanct. pleni non sunt, sed vanitate humidi, qui per plateas aguntur: nam Christus Deo plenus fugit in eremum. Thesaurum in Evangelio. Matth. 13. 44. homo qui invenit; vadit, & abscondit. Ità tu, qui largiùs divino rore compluveris; eò magis recede ab hominum consuetudine. Oliva l. 13. Strom. hìc.

Quidam, cùm senem interrogasset, unde hoc fieret, quòd sibi molestum esset in cella sedere? accepit: quia nondum prospexisti in futuram requiem, vel afflictionem: si enim hæc animo diligenter inspicias, & mediteris; etiamsi cella tua vermes scaturiat, ut ad collum usque immergaris in illis; sustineres utique absque molestia ulla, & difficultate. S. Dorotheus Abb. Doctr. 12.

§. X.

Solitudo in turba.

Duæ gentes sunt in utero tuo. Gen. 25. 23. *Et duo populi ex ventre tuo dividentur.* Una erat, & populos internè gestabat. Fors in domus abditis degebat abscondita, & tamen ibi populari tumultu afflictabatur. Plures in solitudine degentes populos animo gerunt, & tumultibus perturbantur. Naxer. in Jos. 24. §. 15.

In urbibus, quasi in solitudinibus versans: quòd hominum congressus illius virtutem nihil læderet. S. Greg. Naz. or. funeb. de S. Basilio fratre suo.

Sine turbatione versabatur in turbis: sine otio tempus, quod otio dederat, transigebat. S. Bernardus vitæ Sanct. Malachiæ Ep.

Ad orandum etiam in turba solitudinem reperiebat. Vitæ S. Bernardi l. 1. c. 4.

Miscellanea.

Urbis conversationem, & mille malorum occasiones, reliqui; meipsum relinquere nondum potui. S. Basilius ad Greg. Naz. de vita solit.

Solitudo vera est, abstrahere mentem à sollicitudine, & occupatione, actionum exteriorum, ab omni delectatione creaturarum: omnes affectiones, voluntates, intentiones, unanimiter, in quantum potest dirigere in Deum. S. Alb. M. parad. an. c. 32.

S. Franciscus dicebat: corpus est cella, & anima est eremita, quæ moratur in cella, ubicumque sit, etiam inter homines, ad orandum Dominum, & meditandum de ipso. Ità Lucas Vvadingus in annal. Min. Ag. 1212.

T I T U L U S XXXI.

S O M N I A.

Somnium vidimus. Gen. 40. 8. Sancti etiam in somno cœlestia tractant, peccatores in vigilia dormiunt ad cœlestia procuranda: justi etiam somno sopiti, vigilant ad cœlestia. Alv. hic Illust. 134.

Videbam coram me vitem. Gen. 40. 9. Somniavit pincerna, habere se in manu calicem regis, & in eum exprimere uvas: pistor videt canistrum. Lipom. sollicitudo causa est somniorum: quisque somnium vidit de suo negotio.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Cant. 5. 2. Terrena meditantur, & somniant, qui terram sapiunt. At, qui soli Deo vacant, etiam dormientes Deo vigilant, & cœlestia intuentur. Tetra, tristia, & gravia somnia experitur: qui gulæ deditus, cibo, potuque ventrem onerat. Vis somnia, non solùm levia, sed vel divina gustare; modum cibo, & potui adhibe; terrena despice, salutem animæ cura, & vel dormiens videbis cœlestia. Jacob peregrinus, rebus omnibus destitutus; cibo, potuque, carens fessos nuda humo artus projicit; dumque dormit, apertum cœlum, & appositam inspicit scalam. Gen. 28. 12. Lipom. vides, ut somnia sancta sunt eorum, qui corpus negligunt, & parvo cibo nutriuntur. Alvarez Illustr. 143.

Multa passa sum hodie per visum. Matth. 27. 19. Hoc somnium immissum alta providentia Dei, non Pilato, sed ejus uxori, ut notant Chrysostom. Euthym. Theophylactus: nam si Pilato factum fuisset; illud apud se retinuisset. Manifestatur ergo uxori, ut illa marito Pilato, adstantibus Judæis, talia revelet: ut omnes audiant, Jesum esse innocentem. Somnium hoc à dæmone fuisse immissum, jam agnoscente Christum Messiam, ejusque mortem impedire volente, docent. S. Cyprian. Bernard. Lyran. Beda, Carthusianus, Verior, & communior sententia est, à Deo immissum per angelum. Ità Origenes, Hieronymus, Hilarius, Chrysostom. &c. quia, si diabolus volebat Christum liberare, Judæos potiùs, quàm mulierem, talibus visionibus in commiserationem Christi inflexisset. Sylv. hic c. 9.

Et visio per noctem: Act. 16. 9. Hæc visio fuit somnium, Paulo à Deo immissum per Angelum; qui in imaginatione Pauli formavit virum Macedonicum, ejusque vocem, ut videretur Macedonicè dicere: *transiens in Macedoniam adjuva nos*. Cornelius hic. Sicut equi viam à se sæpe initam, & tritam ineunt; etiam dum auriga dormit: sic idem facit sensus, caro, & phantasia, etiam dum mens sopita est, & ratio dormit. Id. ibidem.

Qui somniis credit, similis est ei, qui post umbram suam currit, & eam apprehendere nititur. Joan. Clim. gradu 3. de somniis.

T I T U L U S XXXII.

S O M N U S.

§. I.

Imago mortis.

Dormientis hominis nullus usus, quemadmodum nec mortui. Somnus, non secùs ac Publicanus, dimidium vitæ tempus nobiscum dividit. Clemens Alexandr. lib. 2. caput 9.

Dormire mortui simile est; evigilare resurrectioni simile est. S. Aug. s. 120. de diversis.

Mors nihil aliud est, quàm mors temporaria, & unius diei interitus. S. Chrysost. hom. 2. de David. & Saul.

Somnus imago est mortis, imago consummationis. S. Chrysost. hom. 26. in acta.

Quoties dormis, & evigilas; toties moreris, & resurgis. S. Chrysol. s. 59.

Revera plus vigilare, plus vivere est: nam quid tam morti simile, quàm dormientis aspectus? quid tam vita plenum, quàm forma vigilantis? Indulgendum somno est, ut corpus reparet, non resolvat. Id. s. 24.

Somnus est imago mortis, sensuum ferire. Joan. Clim. gradu 18. de somno.

§. II.

Somni moderati motiva.

Dormitaverunt Pastores. Nahum 3. 18. S. Hieron. semper diaboli studium est, vigilantes animas consopire. Denique & in Passione Domini Apostolorum oculos gravi sapore premit, quos Salvator suscitans ait: *vigilate, & orate, nè intretis in tentationem*. Cornelius hic.

Semper diaboli studium est, vigilantes animas consopire. S. Hieron. apud Cornelium in Nahum 3. 18.

Somnus multus oblivionis opifex; vigiliæ verò memoriam emundant. Joan. Clim. g. 19. de vigiliis.

Manè summo surgere, & sanitati, & sanctitati, mirè conducit. S. Francisc. Salesf. Philothea p. 3. c. 23.

Vigilia, status antè peccatum: non enim somnus ante peccatum obrepsisset in homines. Assimilat vigilia supernis civibus. Mortis habeat similitudinem membra saporis in tempore: vigilia verò resurrectio est membrorum. A similitudine mortis fecit divortium, qui studuit vigilare, & socium se fecit non dormienti vitæ. Sim. Cass. l. 4. c. 4.

In charta perditarum expensarum tempora somni scribe: ad fiscales introitus districtas pone vigilias; qui novit vigilare, novit orare. Idem ibidem.

§. III.

Somnus incommodus molestus.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8. 24. Euthymius, & Theophylactus, ajunt, cervical, super quod dormiebat, fuisse ligneum.

S. Eustrathius Thaumaturgus &c. Monachus factus, fertur numquam supinus jacuisse; neque totis 75. annis, quibus cursum vitæ peregit, dormiturus in sinistrum latus corpus deposuisse. Bollandus 9. Jan.

Miscellanea.

Homines, qui populis præsunt, si quando de rebus fortuitis consulturi sunt; die non contenti, noctes etiam vigilando adhibent: nos verò, qui pro ipso cœlo certamen habemus, ipso quoque die dormimus. S. Chrysostom. serm. 27. in Epist. Rom.

Somnus ex magna parte ebrietati similis. - Nil temporis tam deperit de vita nostra, quàm quod somno deputatur. S. Bernardus Ep. ad fr. de vita solit.

T I T U L U S XXXIII.

S P E S.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Fiat firmamentum in medio aquarum. Genes. 1. 6. Sit spes nobis quasi dies secundus; per quam in cœlestibus habitantes; ab his, qui terram sapientes, & à Deo sola terrena flagitantes, sub cœli firmamento, aquarum instar dilabuntur, & fluitant; Deo promovente discernitur. Aelredus Abb.

Tenentes baculos in manibus. Ex. 12. 11. Per baculum spes indicatur, & fortitudo, tendentium in terram promissionis. B. Isaias orat. 22. Baculus, quo & feras repellimus, & nonnunquam sustentamur, spes est. Sanct. Gregor. Nyss. in vita Moysis.

Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. Deut. 11. 24. Pes vester, utique spes vestra est: & quantumcumque illa processerit, obtinebit. Si tamen in Deum tota figatur; ut firma sit, & non titubet. Sanct. Bernardus serm. 15. in Psal. qui habitat. Spes vocata, quod sit spes progrediendi, quasi est pes. Unde contrarium desperatio: deest enim ibi pes: nullaque progrediendi facultas est. Sanct. Isidorus originum lib. 8. cap. 2.

Consecuti sunt eum viri sagittarii, & vulneratus est vehementer à sagittariis. 1. Reg. 31. 3. Clypeus fortium, spes est divinæ protectionis, quò ignita diaboli jacula repelluntur; quibus graviter vulneratus est Saul à sagittariis in tantum; ut seipsum desperatione interfecit. Drogo Ost. de Sacr. Dom. Passion.

Statuit duas columnas in porticu templi. 3. Reg. 7. 21. Salomon duas columnas effinxit æreas, octodecim cubitorum altitudinis: alteram Jachim vocavit alteram Booz. Jachin *confirmatum*, Booz *in fortitudine*, significat. Ad quid hæ columnæ, quæ nomine, & re fortitudinem signabant? ad sustentanda lilia: hæc enim erat opus capitellorum. v. 19. Duæ igitur æreæ columnæ figuntur, ut lilia solùm sustineant. Lilium spei Symbolum est. Pierius l. 55. in numismate. Antonini Pii lilium cum Lem. *Spes publica*. Et aliud Adriani eadem forma: Lem. *Spes populi Romani*. Addo, non solùm spem, sed longam spem, denotare: omnium enim longissimus flos est lilium, teste Plinio, & Pierio. Verùm, ad sustinendam spem longam, quæ in longum tempus extrahitur, duabus opus æreis columnis, idest, maxima virtute. Tuffo in Eccl. 2. 3.

Super Sion montem sanctum ejus. Psal. 2. 6. Nomen hoc modò significat Ecclesiam, modò ipsum D. Salvatorem, modò Jerusalem futuram. Hic Sion Ecclesiam debemus accipere; quam montem appellat, propter eminentiam honoris, & firmitatem fidei. Sion enim Hebraicè dicitur *specula*; quæ, competenter aptatur Ecclesiæ: quæ, ad futuras spes sufficienter instructa, promissiones Domini mentis providentia induetur. Cassiodorus hic.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. Ps. 124. 1. Qui hic fuerint in vera religione constantes, & spem suam in Domini defensione posuerint: sicut Sion Jerosolymæ mons, ità firmissima soliditate consistunt. Cassiod. hic.

Ædificavi mihi domos. Eccl. 2. 4. Quilibet deberet in seipso ædificare domos multas, velut in quadam civitate. Primam domum debet facere hyemalem, idest, domum patientiæ; in qua se tueatur à grandine, & pluvia tribulationum. Debet facere domum æstivalem, velut solarium; scilicet domum spei &c. Hugo Card. hic.

Flores apparuerunt in terra nostra. Cant. 2. 12. Flos est spes fructus. Hugo Card. in Ps. 27.

Manus illius plenæ hyacinthis. Cantic. 5. 14. Manus Domini plenæ sunt hyacinthis: quia omnis ejus operatio nos ad spem, & desiderium supernorum excitat. Sanct. Thom. Aqu. hic.

Benedictus vir, qui confidit in Domino. Et erit quasi lignum. Jer. 17. 7. 8. q. d. sperans in Deo, erit quasi arbor felix, & Deo sacra. Hic similes lauro. Sicut enim fulmen, quidquid invenit in terra ferit, præter laurum, ut ait Plinius l. 2. c. 55. sic magna calamitas omnia potest auferre, sternere, præter firmam Deo nixam virtutem. Corn. hic.

Quis est ex vobis homo &c. Matth. 7. 9. In ovo indicatur spes. Huic contrarium posuit scorpionem, cujus aculeus venenatus retrò timendus est: quia mortifera desperatio in fine est formidanda. V. Beda hic. Spes, quantum mihi videtur, ovo comparatur: spes enim nondum pervenit ad rem. Et ovium est aliquid, sed nondum est pullus. S. Aug. de Verb. D. secundùm Luc. s. 29.

Galeam salutis assumite. Ephes. 6. 17. Galea militis Christiani, est salus allata à Christo, & sperata à Christianis; hoc est spes salutis. Sic enim se explicat Paulus 1. Thess. 5. 8. *induti loricam fidei, & charitatis, & Galeam spem salutis*. Sicut enim Galea principalem corporis partem, idest, caput ipsum, à quo altera membra, totusque homo pendet, tuetur, ità spes salutis, & gloriæ cœlestis communit, & servat caput, idest, hominis cogitationes, fines, & intentiones. Corn. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Spes velut anchora, quantò minùs in arenis fragilibus, & fluidis humani auxilii figitur, tantò solidiùs, & certiùs, supra firmam petram, quæ Christus est, defixa stabilitur. Joan. Gers. de consol. Theologiæ l. 1.

In ovis gallinarum, sive aliarum avium, nihil videmus de carnibus, nihil de sanguine, nihil de ossibus, nihil de pennis, nihil de his, quæ futura sunt, & ex eis pulli, avibus incubantibus fiant: sed quadam spe. Hoc idem in jactis terræ seminibus accidit, & speratur. Sic in his, qui salvandi sunt, nihil apparet illius beatitudinis, quam possidebunt; sed totum agitur in spe. Sim. Cass. l. 7. c. 32.

In Germania superiori moris, & juris est alicubi: unicum è gallina ovum currui impositum ad loci dominum devehere. Ille pro ovo dolium vini dat revehendum. Toparchæ illi gratius est tale ovum, quàm plaustrum vini: siquidem non ovum; sed jus suum, & spem utendi juris, sub ovo considerat. Spes beatitudinis unicum in plaustro grandi est ovum; idque longè charius, quàm mille optimi vini plaustra. Drexelius de Cœlo l. 1. c. 4. §. 3. Spes arbor benedicta est, fructus uberes habens; cùm à misericordia Dei abundanter irrigetur. S. Thom. Aqu. opusc. 38. de erudit. princip. l. 2. c. 5.

Spes in præsenti tempore, est quasi quædam Vigilia solemnitatis æternæ: ipsa in hyeme præsentis exilii habet quasi tempus vernum, & floridum. Id. ib.

Sicut per tubum opticum remotissima quæque, velut præsentia, & ob oculos posita visuntur; idem spem facit, ac cœlum nobis exhibet in terra, ut eo nos recreet. Joan. Rho affect. spei 17.

Anchora infixa intrà petram. Lem. *Aspera spem firmant. Probatio spem operatur*. Rom. 5. 3. 4.

Lucerna, licèt extincta, si modò adhuc spirat, flammam in se lapsam ex alto sperat, & accipit. Lem. *Dum spero. Post tenebras spero lucem*. Job 16. 12. Hesius.

Conchæ in littore ad orientem solem panduntur. Lem. *Spes dilatat. Bonus Dominus sperantibus in eum, anima quærenti illum*. Thren. 3. 25. Hesius.

Ignis sub cinere. Lem. *Spes clauso tuta sepulchro est. In me omnis spes vitæ*. Eccl. 24. 25.

Spes abit in cineres; sed abit, mansura sub illis
Spes satis hic semper, quo foveatur, habet. Id.

§. II.

Spes in solo Deo.

Ex Veteri.

Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Job 19. 23. scilicet, quos dicturus sum de spe, quam in Deo firmavi, nè oblivione deleantur. Solent autem ea, quæ atramento scribuntur, per longinquitatem temporis deleri. Sunt autem hi sermones, quos tanta diligentia vult servari: *scio, quod Redemptor meus vivit*. Sanct. Thomas Aquin. Lect. 2. hic.

Sperantem in Domino misericordia circumdabit. Psal. 31. 10. Hoc est spei, quæ in Deo collocatur, singularissimum privilegium; quo caret omnis spes humana. Nam ad consequendam à rege dignitatem, quando inter homines unquam auditum est, ut inter merita numeretur spes? quando illius in supplicibus libellis unquam facta est mentio? Quis unquam Principi dixit? hoc mihi largire, quia speravi. Rideretur ejusmodi postulatio, & in aulis fabula fieret, qui in spe sua rei caput poneret. O liberalissime Deus! quanto melior est conditio servorum tuorum? ipsa spes donorum tuorum eis reputatur pro merito: sperare est meruisse. Rho affection. spei 36.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te. Ps. 32. 22. Theodoretus hic: fermò fiduciæ: metire misericordiam spe mea.

Ponere Domino Deo spem meam. Psal. 72. Exponit verbum, quod priùs dixit: ille enim adhæret Deo, qui spem suam ponit in Domino: quia nihil potest esse beatius, quàm illi omnia committere, qui novit suis cultoribus congrua profutura præstare. Cassiod. hic.

Qui habitat in adjutorium altissimi. Psal. 90. 1. Habitare permanentis est, non discedentis: qui totam spem suam, non in propriis viribus ponit, sed in altissimi voluntate constituit. Cassiod. hic.

Sub pennis ejus sperabis. Psal. 90. 4. Plutarch. Symopos. reliquarum avium pennæ, si cum aquilarum pennis componantur, pereunt; defluentibus ob putredinem plumis: Id habet quoque Aristot. animal l. 9. c. 2. Dei pennæ, aquilæ pennæ sunt. Deut. 32. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos*. Si illius ergo pennis nos, ac nostra, credere velimus; necesse est, ut defluant pennæ aliarum avium, idest, ut uni illi adhæreamus. Is. 40. 31. *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, &c.* Octavianus in Eccl. 2. 9.

Meliora sunt ubera tua vino. Cant. 1. 1. Ratio, cur non comparet ubera botris, vel lac vino; sed ubera vino: quia in ubere, & botro, solùm est lac, & vinum in spe: extrà verò, est in re, & possessione: quia melior est spes divinæ providentiæ, & lactis ejus, quam possessio quarumcumque rerum terrenarum. Unde meritò à Religiosis contemnuntur, propter solam spem futurorum, quæ divinæ providentiæ, & promissioni, innititur. De Ponte hic Exh. 18. §. 3.

Ego flos campi, & lilium convallium. Cant. 2. 1. Quia illis mentibus meam præcipuè gratiam tribuo; quæ, nullam spem in se habentes mihi se humili devotione committunt. S. Thom. Aqu. hic.

Respicite filii nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Eccl. 2. 11. Quod ratione hucusque efficere conatus est, ut homines, ad collocandam in Domino spem suam, alliceret; nunc inductione conatur eorum, qui sperantes in Dei misericordiam, spei suæ fructum uberem receperunt. Eodem argumento usus est Mathathias filios exhortans. 1. Mach. 1. 51. *mementote operum Patrum*. Et post enumeratos Abraham, Joseph &c. ait: *& ita cogitate per generationem, & generationem; quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur*. v. 61. Idem habet David Ps. 113. 9. & Ps. 21. 5. Octavianus hic.

Nullus speravit in Domino, & confusus est. Eccl. 2. 11. Confundi, est spe frustrari: maximè enim confunditur, qui, quod petit, non impetrat. Psal. 24. 2. *Deus meus, in te confido, non erubescam*. Id. ib.

Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus, & antemurale. Isa. 26. 1. sufficiliet, quòd Salvator murus pona-

natur; cur etiam antemurale? Nè unus quidem lapis sit, præter ipsum, in quo humana spes nitatur. Et non solùm *oculi septem*, juxta Zachariam; sed omnes oculi, sint *super lapidem unum*. Baeza t. 2. l. 9. c. 2. §. 19.

Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum. Joan. 3. 5. Nemo est in tota Ninive, qui Jonam conveniat, ei vel verbum faciat; sed omnes, relicto Propheta, ad unum Deum confugiunt. S. Ephrem in Jon. videbant. Ninivitæ Prophetam durum, ac sævum; relictoque duro, ad Deum misericordem confugerunt. Id. ibid.

Qui tu mons magne coram Zorobabel? Zach. 4. 7. Mons hìc, omnes æmuli, & potentes adversarii Judæorum, qui volebant, aut certè facilè poterant impedire fabricam templi. Chaldæus? *quid tu reputaris regnum solidum coram Zorobabele? nonne quasi vallis?* q. d. quid sunt Monarchæ Persidis, qui videntur esse montes excelsi; ut se tibi, ò Zorobabel opponant in fabrica templi? Ecce ego eos in planitiem deducam, idest, humiliabo coram te. - Spes ergo in Deum omnes montes complanat. Corn. hìc.

Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. Malach. 4. 2. ut oriente sole, nemo est, qui ad stellas aspiciat; sic, oriente Christo, & stellæ, & quævis alia fallacia auxilia, eripiuntur homini. Id. ib.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Modica fidei, quare dubitasti? Matth. 14. 31. Quantùm in nobis confidentia in Deum crescit, tantùm etiam augetur divinum auxilium: pari enim passu utrumque recedit, & procedit. Octavianus in Eccl. 2. 15.

Respicite, & levate capita vestra. Luc. 21. 18. hoc est, corda ad Deum erigite; in ipso confidite, atque per spem animas vestras exhilarate. Dion. Carth. hìc.

Quemadmodum nec quidquam aliud, præter Deum, colere oportet: sic nec in alio sperare, quàm in Deo omnium Domino fas est. S. Basilius in Ps. 7.

Quemadmodum infans non novit seipsum curare, vel ornare; sed solùm oculos convertit ad matrem flens; donec misericordia commota illum suscipiat: sic fideles animæ in solo Domino spem habent perpetuò. S. Macarius hom. 31.

§. III.

Motiva alia.

Ex Veteri.

Altare de terra facietis mihi. Exod. 20. 24. Altare de terra Deo facere, est in nostri Redemptoris Incarnatione sperare. Tunc quippe à Deo nostro munus accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, idest, super Dominicæ Incarnationis fidem posuerit, quidquid operatur. B. Petrus Dam. l. 2. epist. 5.

Adhæreatis Domino Deo vestro. Jos. 23. 8. Masius hìc: adhærere Domino est, omnem spem in eo solo collocatam habere; nihilque opis aliunde, sive ex cœlo, sive terra expectare; cujus ipse non sit fons, & auctor.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Ps. 15. 1. Hæc una res est, quæ facit à Deo impetrare, quod petimus: cum scilicet, nos impetraturos speramus. Idiota hìc.

Spes mea ab uberibus matris meæ. Ps. 21. 10. Qui depingunt imagines virtutum, scitissimè arbitrantur se facere, si spem juvenili forma effingant. Ego tamen aliter sentio: nam velim efformari, quàm maximè potest canam; elegantem tamen, spiritu, ac robore, plenam. Fida nobis est comes jam à tot lustris. Psal. 70. 18. *Usque in senectam, & senium Deus non derelinquas me*. Rho aff. spei 62.

Ecce oculi Domini super metuentes eum. Psalm. 32. 18. Bene est; sed, quod sequitur, adde: *& in eis, qui sperant super misericordia ejus*. In sperante oculi Dei sunt; super metuentem autem figuntur tantum: trementem ideo aspicit, ut servet; speranti ideo commodat, ut gaudeat. Oliva l. 13. Stiom. Quamdiu ponam consilia.

Quare tristis es anima mea, - dum affligit me inimicus? spera in Deo &c. Psal. 42. 2. 5. Quin non solùm, dum oppugnaris, timere non debes; sed etiam juberis lætus esse. v. 4. *confitebor tibi in cithara*. Ipsa debet dolorosa confessione requirere Dominus æquè planctum, ac cantum. Quid est confiteri in cithara? est plorare sine timore, & lacrymas spei emittere ex oculis: in ipso gaudere dolore. Volo pluviam, sed cum iride. Id. ibidem.

Non accedet ad te malum. Psalm. 90. 10. *Si habitaveris in adjutorio altissimi*; non in te, non in meritis tuis. Gerson tr. 8. sup. Magnif.

Lætetur cor quærentium Dominum. Ps. 104. 3. Gaudium est de re præsenti, quam jam habes. Cur jubet lætari, quærunt? Lyranus: quærens aliquid, habet materiam lætitiæ, quando est certus de inventione. Quærentes autem Dominum fideliter inveniunt eum infallibiliter, secundùm illud Matth. 7. 8. *omnis, qui quærit, invenit*. Ideo in prædicto Psalmo additur v. 4. *quærite Dominum, & confirmamini*, idest, certi fitis de inventione. Did. Nyss. Dom. Sexag. §. 4.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Ps. 121. 1. Ut flumina decurrentia in mare, quo magis ad illud accedunt, eo majora fiunt, & majorem aquarum copiam volvunt: sic spes, cùm, in possessione vicinæ beatitudinis, in eo jam sit, ut absorbeatur omnino; celeriùs ab ipsa velut propinquitate movetur. Rho affectu spei 26.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Psalm. 144. 13. Hæc vox *sanctus*, non solùm rem sacram, & religiosam; sed etiam firmam, stabilem significat. Psalm. 36. 4. *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Sanct. August. in tit. Psal. 47. si nondum habes petitiones cordis tui, unde delectaris in Domino? (gaudemus rebus præsentibus; futuram expectamus, ac speramus, felicitatem) Respondit Sanct. August. quia certam tenes promissionem ejus, qui se effecit promittendo debitorem. Did. Nyss. f. 2. Dom. Resurr.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Qui ædificat domum suam supra petram. Matth. 7. 24. sic ædificat, qui omnem suam spem collocat in Christo; qui petra est. Et benè dicitur domum ædificare: cùm enim sperat firma, & permanentia bona Christi, jam quasi possessionem illorum habet, & habitat in illis. Baeza tom. 3. lib. 15. cap. 9. §. 4.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8. 24. Dormitio Christi est, cùm permittit experiri sequaces sui, cujus animi, cujusve potentiæ, cujusve scientiæ, cujus promptitudinis sint, cujusve virtutis: ut, cùm seipsos cognoverint, à virtute deficere; de seipsis humiliter diffidentes recurrant in eum, de quo nemo malè diffidit aliquando; qui confidentibus in eo nunquam defuit, sperantibus in se nunquam defecit. Simon. Cass. lib. 4. cap. 9.

Epulabatur quotidie splendidè. Luc. 16. 19. Si Deus tam indulgenter habet eos, à quibus offenditur; quid faciet his à quibus amatur, & colitur? Cui non videatur, fuisse hanc Lazaro acerbi mœroris occasionem; cùm & se tam crucialiter à Deo flagellari cerneret, cui placere studebat; & diviti tam commode esse, qui illum offendebat? At magno hoc solatio Lazaro erat; cùm ità secum reputaret: si is, qui Deum offendit, tam lautè, indulgenterque tamen ab illo habetur in hac vita; quas ego non ab eo gratias in futurum expectem, qui Domino tam sancto, justo, & recto servio? Did. Nyss. f. 6. D. 2. Quadr. §. 2.

Domine, nè statuas illis hoc peccatum. Actor. 7. 59. Quid Stephanum, post exemplum Christi, ejusque legem, movere potuit; ut pro tam perfidis Judæis Deo supplicaret. Respondet Eusеb. Emiss. hom. de Sanct. Steph. dum pro Judæis supplicat, spem nostram, & fiduciam nutrit: nam dum pro persecutoribus deprecatur, manifesta cultoribus suffragia pollicetur.

Magnæ sunt vires spei in Dominum; præsidium, quod non potest superari; portus tranquillus; turris, quæ nequit pati; arma insuperabilia, vires invictæ. Sanct. Chrysostom. in Psal. 10.

Omnem creaturam sensibilem Deus armatam, & munitam, creavit alias veloci pedem cursu; alias ungulis, alias pennis, alias cornibus, alias denique dentibus. Hominem solum sibi disposuit (inermen scilicet) ut virtus illius sit ipse Deus. S. Chrysost. f. 31. in festo S. Michaelis in Matth. 7. Quercus altis defixa radicibus ventos, & imbres non timet: assumit hinc plus virium, quò plus in imo se locat. Sic spes. Gerson de consol. Theol. lib. 1.

Navis flantibus ventis. Lem. *Spes omnis ab alto est. Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei*, Tit. 2. 13. Hesius.

§. IV.

Sperandum non in homine, & cæteris creaturis; nec in se.

Ex Veteri.

STuduit astutus Esau se confirmare in adepta gratia patris. Gen. 27. Blandiens maximè per ea obsequia, quibus bonus senex caperetur. Sed Deus eum repulit: quia in hominum gratia spem ponens: de bona vita, & justis operibus, sollicitus non erat. S. Chrysost. hom. 9. in Matth. vitia voluntatis vicerunt privilegia naturæ: & quia pravis moribus erat; nihil ex his omnibus adjutus est: sed & juxta naturæ ordinem prior, & de patris voluntate securior: quia displicebat Deo, omnia, quæ jam tenere videbatur, amisit. Oliva t. 3. conc. 16. 2. die Ven. Quadr.

Tantum memento mei, cùm benè tibi fuerit. Gen. 40. 14. Errayit Joseph, ab hominibus subsidium sperando: cùm in solum Deum sperare debuerit. Sanct. August. hom. 82. de temp. cum in

in omnibus Dei gratiam meruisset, subreptum est illi, ut ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere. Tanquam diceret ei Deus: ego tibi ostendo, quòd magis à me, quàm ab homine debeas auxilium postulare. Joseph etsi sanctus, & contra jus incarceratus; quia spem suam posuit in Pharaonis pincerna; permisit eum Deus illius oblivisci, & longo tempore captivum detineri. Stella de cont. &c. p. 3. c. 5.

Omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium dicens: nè fortè & nos terra deglutiat. Num. 16. 13. 34. Cùm sibi viderentur Core, Dathan, & Abiron, Moysem ducatum affectare, in defensionem, & immunitatem, populi conjurant: ecce tibi supplicium adest; terra dehiscens absorbet eos. Quid tunc familiares? quid propinqui? an miseris auxiliari student? nec unus. *Omnis Israel* &c. Baeza t. 2. l. 5. c. 1. c. 5.

Tolle cunctos principes, & suspende eos contra solem in patibulo. Num. 25. 4. Cajetanus: principes isti solem adorabant. Sic spes vestras in sole posuistis. Cajetanus.

Tu venis ad me cum gladio, & hasta - ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum. 1 Reg. 17. 45. Etiam Saul in Philisthæos insurgit apud montes Gelboe; sed Saul 1. Reg. 31. 4. *arripuit gladium, & vincit super eum*. Saul proprio gladio trucidatur. David alieno ad victoriam munitur. Discriminis causam dat. S. Basilius Seleuc. orat. 15. non hisce meis manibus, sed divinis obarmatus sum; tibique cum vita caput adimam. David à Domino auxilium speravit, Saul in armis confidebat. Ita Drogo Ost. de Sacr. Pass. *clypeus Saul*. 2. Reg. 1. 21. propriæ virtutis confidentia est, quæ non valet resistere sagittis incircumciforum. Væ autem his, qui amiserunt sustinentiam, hoc est, clypeum fortium: & maledictus in homine, quod est clypeus Saul. Naxera in Jos. 23. §. 1.

Sub umbra illius &c. Cant. 2. 3. Intuens sponsa innumera Sylvarum ligna procera, umbrosa; horum tamen spreta umbra, solius Dilecti umbram quærit Mundanorum enim umbra noxia inutilis. De Ponte hic Exh. 26.

Vana spes, & mendacium vino insensato. Eccl. 34. 1. Simillimæ sunt aliquando herbæ, licèt non ejusdem virtutis: unde herbarius, nisi apprimè sit peritus; facilè decipitur. Sic erras, dum, pro spe divina uteris humana: unde non mirùm, te sperando nihil proficere. Herbarum illæ robustiores habentur, quæ in campis, aut montibus, sine humana cultura nascuntur, quàm quæ satæ, & plantatæ in hortis. Rho aff. spei 53.

Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam. Isa. 30. 3. omnis umbra mundana hedera Jonæ 4. 6. De Ponte cit.

Maledictus homo, qui confidit in homine. Jer. 17. 5. Hebr. in *Adam*, qui ex adama, idest, ex terra terreus est, carneus, & infirmus. *Et ponit carnem*, idest, hominem carneum, & fragilem, *brachium suum*; ut scilicet eo, quasi brachio potenter se tueatur. S. August. de gratia & lib. arbitr. c 4. brachium pro potentia posuit operandi: in nomine autem carnis intelligenda est humana fragilitas. Ac per hoc firmat carnem brachii sui, qui potentiam fragilem, idest, humanam, ad bene operandum sibi sufficere putat; nec adjutorium sperat in Domino. Cornelius hìc.

Erit enim, quasi myrica. Jer. 17. 6. Teste Plinio lib. 24. c. 9. & Dioscor. l. 1. 99. duplex myrica: una hortensis, fructum habens asperum; secunda Sylvestris, de qua hìc quæ humilis est. Hæc dicitur maledicta, & ut ait Plinius, infelix: quia sterilis est & in solitudine sola nascitur; vilis, & depressa. Unde myrica Hebræis Symbolum est hominis humilis, & nullius pretii. Sic peccator, qui, Deo relicto, in homine spem ponit, non habebit bonum successum, nullum fert fructum; cœlestis gratiæ, & sapientiæ, pluvia destituitur. Solus erit à Deo, & hominibus derelictus. Cornelius hìc.

Neque justificationibus nostris prosternimus preces, - sed in miserationibus his multis. Dan 9. 18.

Percussit hederam, & exaurit. Joan. 4. 7. Hedera Symbolum est vanitatis Mundi, omnisque rei, & spei mundanæ. De hac enim hedera in Hebr. hìc v. 10. dicitur: *filia noctis erat, & filia noctis periit*. Idest, una nocte nata est, una etiam nocte periit. Cornelius hìc. Media nocte, & candidante aurora, cùm sol nondum incanduit, hedera tegit prophetam; & expansi flores solis radios vice clypei repellunt. Verùm cùm acrior æstus, hedera exsiccatur; & prophetam omni nudatum auxilio deserit. Naxera in Jos. 6. §. 18.

Ex Novo.

Vidimus stellam ejus. Matth. 2. 2. Magis Jerosolymam ingressi stella ad tempus disparuit: dicuntque aliqui, quòd idcirco disparuit; quoniam Magi recurrentes ad humanum præsidium, perdere meruerunt divinum ducatum. Dion. Carthus. hìc.

Similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. Matth. 7. 26. Tropol. stultus, & Mundanus, ædificat super arenam, idest, super creaturam, ut ait Salmeron, quæ instar arenæ sterilis est ad bonum, & fluida. Cornelius hìc.

Nescio vos. Matth. 25. 12. Exclusæ virgines fatuæ pulsabant ad prudentum ostium; & frustra clamabant, nihil, quæ intraverant respondentibus; nedum de infelicitate earum condolentibus. Cur ita? nonne illis notæ? nonne paulò antè familiariter convivebant? Ita est, ait S. Chrysost. in Psal. 40. notæ erant virgines virginibus; sed nil eas juvit ea familiaritas. Baeza t. 1. l. 5. c. 3.

Facta est fames valida in regione illa; & ipse cœpit egere. Luc. 15. 14. Ad medelam *civi regionis illius adhæsit*. v. 15. Sed ait ipse: ego hic *fame pereo*! Hic fame perit, ubi famis remedia requirit. S. Chrysol. f. 1. sic invenit, qui se negat patri, qui se committit extraneo: ut sentiat severum judicem, quem fugit indulgentissimum provisorem. Ubi in patre collocavit spem, invenit plenam optimis cibis mensam. Naxera in Jos. 23. §. 21.

Hominem non habeo. Joan. 5. 7. Hominum spe relicta, ad Dei opem confuge. Æger ad piscinam, incassum expectata per tot annos hominum benevolentia, repentè sanatus est à charitate divina: quod fortè impetrasset jam ante annos triginta septem, si nullum hominem in desiderio cordis habuisset. Oliva t. 3. conc. 16. 2. Ven. Quadr.

Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. Hebr. 10. 23. S. Anselmus: indeclinabilem, idest, quæ deorsum non inclinetur, ut detrudatur ad cupiditatem opum, rerumque terrenarum; sed semper, quasi ignis, tendat ad desiderium bonorum cœlestium, & æternorum. Cornelius hìc.

In spem vivam. 1. Petri 1. 3. S. Gregor. mor. 31. c. 34. vel 18. arentia corda sunt hominum, quæ in hujus sæculi peritura spe plantata, æternitatis fiduciam non habent. Vivent autem, quæ illi hæreditati inhærent.

Ex Patribus, & aliis.

Nec ideo Troja perilt, quia Minervam perdidit? Quid enim priùs ipsa Minerva perdiderat, ut periret? an fortè custodes suos? hoc sanè verum est: illis quippe interemptis potuit auferri. Neque enim homines à simulacro, sed simulacrum ab hominibus servabatur. Quomodo ergo colebatur, ut patriam custodiret, & cives; quæ suos non valuit custodire custodes? S. August. de Civ. l. 1. c. 2.

Propheta dixit: *maledictus omnis, qui sperat in homine*. Jer. 17. 5. nihil enim est ea debilius: est enim vel tela araneæ, imbecillior. S. Chrysost. in Ps. 117. Ita ille legit.

Jacens anchora cum funibus nauticis in orbe positis. Lem. *In immensos spes ultima desinit orbes. Spes (justorum) immortalitate plena est*. Sap. 3. 4.

Lux copia tenebrosum cubiculum illuminans. Lem. *Spe insperata pusillos* - excitat, & medio facit exultare sereno. *Gloriamur in spe filiorum Dei*. Rom. 5. 2. Hesius.

Vapor è face ardente sequens, in altum flammam. Lem. *Quò vivens spiravit; eodem*. Spirat adhuc moriens, speratque invisere cœlum. *Propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis*. Coloss. 1. 5.

Super astra fax ascendit, ascenditque vapor.
Moriens eodem. Vile sit, sit horridum,
Sit lucis expers corpus humanum: tamen
Quò casta mens præcedit, inveniet viam,
Cœloque purum fidus ardebit suo.
Animare spes extrema morientem potest.
Hesius.

Genius bullas flat. Lem. *Spes rebus affixa fugacibus uno frangitur afflatu. Disperiet tanquam aqua supervacua*. Sap. 16. 29. Idem.

§. V.

Speret peccator veniam, quia aliis data.

Num. I.

Symbola.

CUrremus. Cant. 1. 3. Propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu! audientes, quòd non spernas pauperes, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem Publicanum, non negantem Discipulum, non persecutorem Discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. S. Bernardus s. 22. in Cant.

Pone veteres pannos &c. Jer. 38. 12. S. Gregor. mor. 35. c. 8. oportet interfint panni veteres, cum quibus meliùs tenentur funes, idest, oportet, ut præcedentium confortemur exemplis; nè infirmos nos, ac timidos, præcepta subtilia vulnerent; dum levant. Et Baccharius ep. ad Januarium: mittamus lapsos pannos veteres, id est, reducamus in memoriam ejus exempla antiquorum, qui collapsi in peccatum; post-

modum de profundis majorum per pœnitentiam ad superna relati sunt; nè desperent. Cornelius hic.

Num. II.

Exempla.

David.

Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fœcis, & statuit super petram pedes meos &c. Ps. 39. 3. Priùs de luto pravitatis educitur; ut ejus pedes per fidem in petra solidentur. Sed quia rectam fidem recta subsequi debet operatio; gressus ejus directi sunt: ut post directionem gressuum, idest, post perfectionem boni operis, in ore acciperet etiam Canticum prædicationis. S. Gregor. hom. 9. in Ezech. 2.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Psal. 50. 15. David gemino notatus, adulterii, cœdisque, stigmate; inustam criminum infamiam abolendam sibi statuit peccatorum curatione, aut certè cura: *docebo &c.* Ratus scilicet, tutiorem sibi ad veniam aditum patere nusquam; quàm si non caveam sibi ad lugendum, sed cathedram ad docendum, extrueret. Oliva l. 1. Strom. §. Tu aliquando conversus &c. David, cùm in expiationem criminis sui, charitatem Patris flagitaret; non ea usurum se in cultum Numinis protestatur; sed in culturam iniquorum. Psalm. 50. 14. *redde mihi lætitiam salutaris tui.* Et quo te convertes? ubi te Spiritus Dei, qui amor est, insederit ad salutem? quibus Deum hostiis honorabis? Nullis. *Si voluisset, dedissem utique.* Quid ergo amore plenus Domino exhibebis? *docebo iniquos &c.* Ergo Paracleto inundatus David, non figendis Deo osculis vacabit; sed extergendo scelestorum puri manus, spongiasque admovebit; non ignarus, amantiorem tum se fore Numinis, si fratri diligentius, quàm Deo famuletur. Id. l. 3. Strom. Luc. 13. nolite flere super me.

Liber generationis Jesu Christi, Filii David. Matth. 1. 1. Ut peccatores, ad agendam pœnitentiam, & spem veniæ, excitaret; priùs Davidis, quàm Abrahæ, filius voluit vocari. Accidit, pauperes ostiatim eleemosynas mendicare; ingressumque in aliquam domum pauperem alium panem in sacculum, pecuniamque in crumenam imponere vident; mox dicunt: hic oportet nos eleemosynam petere: nam ubi tam larga eleemosyna huic pauperi data est, nobis etiam magna donabitur: nam liberalis aliquis dominus in hac domo videtur habitare. Idcirco voluit Dominus, ut S. Evangelista peccatorem David initio genealogiæ Christi poneret; & tantum hoc beneficium, & eleemosynam, coram nobis reciperet; qualis est, cum Sanctis Patriarchis Abrahæ, Isaac, & Jacob anteponi: quò hinc nobis miseris, egenisque peccatoribus confidentia oriatur, ad supernam, similemque misericordiæ eleemosynam accipiendam. Diez conc. 1. in Nat. B. V.

Tres Reges.

Ecce Magi. Matth. 2. 1. Graves Patres tenent, fuisse maleficos. S. August. s. 2. de Epiph. S. Ambr. in Luc. S. Hieron. in c. 19. Is. S. Chrysost. hom. 1. ex var. in Matth. tacitè respondet objectionis, quare isti falsæ religionis cultores sunt vocati? nè aliquis desperaret, inquit, posse sibi salutem Credenti donari: quia jam conspiceret, Magis esse donatam. Syiv. hic.

Matthæus.

Vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine. Matth. 9. 9. Cæteri Evangelistæ, propter verecundiam, & honorem, Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt *Levi*; duplici quippe vocabulo fuit. Ipse autem Matthæus Matthæum se, & Publicanum nominat: ut ostendat legentibus; nullum debere salutem desperare, si ad meliora conversus sit; cùm ipse de Publicano in Apostolum sit repentè mutatus. S. Hieron. hic.

Et factum est, cùm accumberet in domo illius, multi Publicani, & peccatores simul discumbebant cum Jesu. Marci 2. 15. Magno mox convivio in domo sua intructo, cùm Christum ipsum, tum cæteros omnes familiaritate conjunctos, benignè ad illud invitat. Facit id autem; nè ipse solus beneficium accipiat; sed reliqui omnes, qui ad epulum vocati venerant. Victor Antioch. ad c. 2. Marci.

Jesus divertit ad unum Publicanum, & peccatorem; & multos ex uno trahit, & ad se venire invitat; incentivum cunctis tribuens veniendi. Recipit ad verbum, recipit ad discubitum: sed nec mirum, si eos venatur ad regnum æternum. Sim. Cass. l. 9. c. 17.

Per corporale convivium, quod Christo Matthæus exhibuit, Mysticè intelligitur spirituale convivium, quod ei in anima sua paravit, præbendo delicias cordis per hoc; quòd eum in anima toto recepit affectu, aperiens ei ostium mentis; de quo convivio ait Salvator. Prov. 8. 31. *deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Et Apoc. 3. 20. *ecce sto ad hostium.* Sed & dum exemplo Matthæi graves transgressores convertuntur, & corriguntur; facit Matthæus Christo solemne convivium. Dion. Carthus. in Matth. 9. 9.

Zacharias.

Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu S. & prophetavit. Luc. 1 67. Vide, quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis. Non solùm ablata restituit, sed etiam non sperata concedit. - Nemo ergo diffidat; nemo veterum conscius delictorum præmia divina desperet: novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. S. Ambros. l. 2. in Luc. de resolutione linguæ Zachariæ.

Magdalena.

Arcum meum ponam in nubibus cœli. Genes. 9. 13. Materia arcus, nubes aquosa, radiis solis percussa. Nubes aquosa Maria lacrymosa: sol Christus, radius gratia Christi: quæ nubem aquosam percussit, cùm Mariæ lacrymanti gratiam infundit. Color cæruleus, ejus humilitas; rubeus charitas. Brachiorum usque ad terram extensio est magna, quam habet ad peccatores, misericordia. Est enim ipsa, sancta interventrix peccatorum; & adjutrix eorum: didicit enim ex experientia peccatorum misereri. Est autem illa signum fœderis inter Christum, & peccatorem; benignæ receptionis, familiaritatis, defensionis, remissionis &c. S. Thom. Aqu. in festo S. Magdalenæ. Arcus fit ex repercussione radiorum solis in nube aquosa. Nubes fuit Magdalena, peccatorum scilicet multitudine obscura. Aquosa fuit, quando lacrymis pedes Domini lavit. Radiis solis fuit repercussa, id est, gratia Dei respersa, & sic facta est arcus bicolor: igneus, per gratiæ repercussionem; aqueus, per lacrymarum effusionem. Et sic ponitur in nubibus cœli, id est, inter Sanctos; ut sit fœdus inter nos, & Deum. Quis igitur jam valeat desperare, qui videat arcum istum: cùm peccatrix tam ignominiosa, effecta est inter Sanctos tam gloriosa. Hugo Card. hic.

Moab olla spei meæ: Ps. 59. 10. id est, magni peccatores; qui veniam habuerunt, mihi præstant fiduciam. Et posset esse thema de B. Magdalena, quæ fuit olla Moab: erat olla intus ardens, & extra sordens. Hugo Card. hic.

Dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem. Os. 2. 15. Magnam possunt spem habere omnes homines; quando vident tantam peccatricem ad tantam gratiam, & gloriam pervenisse. In valle, ad quam confluunt sordes, significatur B. Magdalena secundùm statum peccati: per Achor, quod interpretatur *turbatio*, significatur status ejus, secundùm quod per pœnitentiam turbata est. Et hæc data nobis est ad aperiendam spem: ut, si peccatores simus, non desperemus: si justi, confidenter speremus: quia, qui tantam peccatricem salvavit, & nos non repeller à salute. Hugo Card. hic.

Unguento ungebat. Luc. 7. 38. Quid per hoc vas, nisi Magdalenæ lapideum, idest, firmissimum cor, candidum per propositum innocentis vitæ. Hoc alabastrum. Luc. 7. 37. plenum erat unguento amarissimæ pœnitentiæ, & mœroris -- Tu speculum peccatorum, tu gaudium Angelorum, tu pœnitentiæ forma, tu Apostolorum Apostola, tu divini amoris fornax &c. S. Bernardinus t. 2. s. 46.

Infirmitas hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei. Joann. 11. Permissus est Lazarus amicus mori, non ad mortem, sed pro gloria Dei. Oportebat nihilominus quempiam electorum spiritualiter mori itidem pro gloria Dei: ut scilicet per conversionem ejus glorificaretur Filius Dei; dimittendo illi peccata multa. Permissa est itaque hæc mulier, dilecti Lazari soror, mori in peccatis, & esse famosa peccatrix; non ad mortem, sive ad interitum æternum; sed pro gloria Dei, pro testimonio justi, & justificantis nos Dei, & hominis, Jesu Christi Filii Dei. Rupertus de op. Sp. S. l. 2. c. 28.

Beatus, - qui habet partem in resurrectione prima. Apoc. 20. 6. Illa est, quam Dominus annuntians Judæis, *amen, amen*, inquit Joan. 5. 25. *quia venit hora, & nunc est; quando mortui, audient vocem Filii Dei: & qui audierint vivent.* Hac resurrectione mulier hæc prima omnium respiravit: quia cùm esset *in civitate peccatrix*, fœtentior malæ famæ puroribus, quàm fuerat frater suus Lazarus corpore quatriduanus; audivit in monumento malæ consuetudinis vocem Filii Dei: & quia audivit; protinus exivit. Secunda resurrectio corporum est. S. Rupertus l. 14. in Joan. 20.

Petrus.

Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Luc. 22. 32. Nolo Joannem adeas, lilio coronatum; Thomam consequere. Oliva l. 1. Strom. §. Tu aliquando conversus. Theophylactus: tu Petre conversus bonum exemplum eris omnibus; ut nullus Credentium, in te respiciens desperet: qui, cùm Apostolus fueris, & negaveris; iterum tamen receperis primatum omnium, & præfecturam orbis per pœnitentiam. S. Ambros. in Ps. 30. & V. Beda: infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ, nè de venia fortè desperent: confortare memento.

Latro.

In amplitudine sinus sui mater charitas prodigios suscipit revertentes. Ipse Dominus noster derelictorum personam gerens in cruce, se queritur derelictum. Et nè desperarent, etiam in ultimis constituti, festinans in adjutorium illicò adest latroni: & re in certo posita non differt beneficium; sed repentè indulgentiæ cœteris documentum ejusdem statuit ad exemplum, latroni inquiens: *hodie mecum eris in paradiso.* S. Cyprianus de cœna Dom.

O quanta latronis fiducia! omnis mali, nullius boni, conscius sibi, transgressor legis; vitæ simul, & substantiæ, raptor alienæ; positus in januis mortis, in fine vitæ, desperatus de vita præsenti; spem vitæ futuræ, quam toties demeruerat, nunquamque meruerat concipere, eam requirere non formidat. Quis hic desperet, latrone sperante? S. Bern. de Pass. Dom. c. 9.

Pulcherrimum affectandæ conversionis exemplum: quia tam citò latroni venia relaxatur; & uberior est gratia, quàm precatio. S. Ambros. in Luc. 23.

O verbum totius dulcedinis, & veniæ! *Pater ignosce illis.* O verbum totius amoris, & gratiæ! *hodie mecum eris in paradiso.* Respira nunc in spem veniæ animam quantumcumque peccatrix. Si tamen patientis pro te Domini tui vestigia sequi non abhorres. S. Bonaventura de ligno vitæ.

Heu me! ajebat diabolus: duos latrones dedi, ac unum amisi; nec amisi tantùm, sed & paradisus apertus est. Annos quinque millia clausus manserat, ipsumque aperuit latro. Quis jam de salute desperaturus est? innumerabiles hic effodit parietes, in supernis latro, itemque in infernis. S. Chrysost. or. in sancta lumina.

Dum tantum reum benignè relaxat; dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem; humano generi conscripsit securitatem: ut consolatio, ac spes, fieret totius populi absolutio unius desperati; & privatum donum in publicum crescret beneficium. S. Aug. hom. 120. de temp.

Cùm inspicio ad mala opera mea, quæ operatus sum; si me judicare vis, secundùm quod merui; certus sum de perditione mea. Cùm verò respicio ad mortem tuam, quam pro redemptione peccatorum passus es; non despero de misericordia tua. Latro verò ille, qui pro suis tecum sceleribus crucifixus est, usque ad ipsius animæ singultum semper in peccatis fuit. Sed tamen in ipsa hora suæ expirationis, quia sua mala confessus est, misericordiam invenit. Cernens ergo te pro redemptione peccatorum esse mortuum: manus tuas, & pedes tuos, clavis confixos; latus tuum lancea militis apertum; undam sanguinis, & aquæ, de eodem tuo latere currentem; desperare debeo? S. Anselmus Medit. 7.

Nicodemus.

Hic venit ad Jesum nocte. Joan. 3. 2. Rupertus l. 3. ignoscendum est illi; & expectanda ejus lactens, & edentula fides, donec crescat, & proficiat. Is. 42. 3. *calamum quassatum non conteret; & linum fumigans non extinguet.* S. Hieron. hic: calamum quassatum, sive confractum, non conteret: cunctis enim placabilis erit, & veniam dabit peccatoribus, dicens: *confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. 2. *& linum fumigans non extinguet:* qui vicini erant extinctioni, Domini clementia servantur. S. Amb. in c. 23. Luc. Veni & tu, vel serò, vel nocte, vel quacumque hora, veneris; invenies Jesum ad suscipiendum paratum; nec minorem seriùs venientibus mercedem pia largitate solventem. Nam & qui sexta hora venit, non est mercede fraudatus; & qui undecima, plenitudinem mercedis accepit. Sed & Nicodemus nocte venit.

Paulus.

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea. Ps. 147. 18. Non desperatur de crystallo, quantò minus de nive, vel nebula. Audi vocem quamdam crystalli, qui priùs fuit blasphemus 1. Tim. 1. 13. *persecutor, & blasphemus.* Sed quare solvit crystallum Deus? nè de se nix ipsa desperet. *Trahe me post te; curremus.* Cant. 1. 3. Cur non dixit, trahe nos post te, curremus? Omnes enim egent excitante gratia: ipsa sola attrahitur; & omnes excitantur ad cursum, exemplo unius excitatæ. Arcones ib.

Apprehende brachia ejus, & trahe, eum ad te. Tobiæ 6. 2. 4. Radulphus Flav. l. 4. in Levit. c. 4. piscis ille immanis quilibet sævus persecutor intelligitur; qui Christi membra, pedes suos lavantia, id est, operum sordes abluentia, ad pravitatis suæ consortium trahere conatur. Talis erat blasphemus ille, cui de cœlo clamatum est: *Saule! Saule! quid me persequeris?* Act. 9. 4. Hunc Tobias ab aquis suis extraxit: quia Christus gratia sua à carnali conversatione eum separavit. Extractus autem palpitare cœpit: quia, cœlesti illa voce audita, ipse cordis contriti sacrificium Deo offerebat dicens: *ego sum minimus Apostolorum, &c.* 1. Cor. 15. 9. Hujus cordis particulam, quisquis à dæmone oppressus, sibi assumpserit; imponat illam prunis ardentibus; & pessimum invaforem fumo ejus exturbare valebit. Si enim peccati pondere pressus, & inimici laqueis irretitus, humilitatem hujus quondam sævi persecutoris; & cordis contritionem, ipse quoque, ardentibus intus æstuans cogitationibus, imitari potueris; virtutem fumi istius inimicus experietur: quia compunctionis tuæ mœrore, & pœnitentiæ amaritudine fugabitur. Arcones ib.

Ideo misericordiam consecutus sum; ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt &c. 1. Tim. 1. 16. Anselmus in Paulum; ut nemo jam desperare posset, remitti sibi quæcumque peccata; cùm ego tantorum scelerum indulgentiam accepissem; sed unusquisque peccator sibi diceret: si Saulus Sanctus est, ego quare despero? si à tanto Medico tam desperatus æger sanatus est; ego vulneribus meis illas manus non festinabo? Ut hæc dicerent homines, ideo Saulus de persecutore factus est Apostolus. -- Cùm venit Medicus, volens sibi famam comparare infirmum quærit sibi aliquem desperatum, & ipsum sanat. Etsi pauperrimum inveniat, non ibi quærit mercedem, sed commendat artem. Ità & Christus potentiam specialis medicinæ suæ spiritualis suæ ostendit in Saulo: ut omnes deinceps nossent, eum sanare posse cunctas infirmitates omnium confugentium ad se. Arcones in Is. c. 4. Disc. 3.

Multos ab hac radice ramos prodisse videmus. Conversus Paulus, conversionis Minister factus est universo Mundo. S. Bern. s. 1. in Conv. S. Pauli.

Cadit miles diaboli, ut surgat signifer Christi. S. August. s. de S. Paulo.

Qualis erat carbo Apostolus, *qui priùs fuit blasphemus, & persecutor.* 1. Tim. 1. 13. & injuriosus, niger, & extinctus. Misericordiam verò consecutus accensus est de cœlo: vox Christi accendit illum; periit in eo tota nigredo, cœpit fervens spiritu, quo accendebatur, accendere. S. Aug. in Ps. 119.

Num. III.

Plures alii.

Cùm cœpisset rationem ponere; oblatus est unus, qui debebat decem millia talenta. Matth. 18. 24. Quærit Eucherius Emiss. s. in D. 22. Pent. quare cum hoc priùs Dominus rationem ponere voluit? Respondet: omnes enim numeri in hoc numero continentur: cùm enim usque ad decem numeramus, nisi iterum ab uno incipiamus, nihil habemus, quod dicamus: hoc igitur debito majus debitum non est. q. d. eo numero adumbratam summam malitiam, ad quam homo, offendendo Deum, evadere in hac vita possit. Sed cur hunc præ reliquis introduxit? Respondet Eusebius: ut hujus exemplo cœteri intelligerent; quantam spem habere potuissent. Did. Nyss. de Convers. latr. §. 3.

Quanti mercenarii - Abundant panibus, Luc. 15. 17. in domo largissimi, ac benignissimi Patris nostri! Quantis scilicet peccatoribus conversis ipse pepercit, & mensam suæ bonitatis apposuit! quot miseri misericordiam receperunt! quot profugi, cùm reversi fuerint, recepti. Sim. Cass. l. 8. c. 40.

Erat autem Philippus à Bethsaida, civitate Andreæ, & Petri. Joan. 1. 44. Hoc opus divinam maximè commendat gratiam: quòd de civitate peccatrice tres isti vocati sunt, magni Patres justorum, atque credentium; Bethsaida namque peccatrix erat civitas in tantum; ut & illi Dominus exprobret: *væ tibi Corozain! væ tibi Bethsaida!* Matth. 11. 21. S. Rupertus l. 2. in Joan. 1.

Quærere misericordiæ fontem debuimus, etiamsi clausus esset. Patet; & neligimus. Mittamus oculos fidei in Mundum universum; consideremus, quanti peccatores diebus, ac noctibus, per lamenta, in hoc fonte misericordiæ lavantur; quanti post tenebras ad lucem; quanti post maculas ad munditiam redeunt. S. Greg. hom. 20. in Ezech. in fine.

Ecce, psalmator meus, multa rogavi, cùm nec pauca promeruì. Fateor, heu! fateor, non solùm, quæ postulo, non debentur dona; sed multa, & exquisita supplicia. Animant tamen me Publicani, meretrices, & latrones; qui, è faucibus hostis momentanee eruti, finibus excipiuntur Pastoris. Tu enim factor omnium Deus; licèt in universis operibus tuis sis mirabilis; mirabilior tamen esse crederis in operibus pietatis. Unde de temetipso per quendam servum tuùm dixisti: *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Psal. 144. 9. August. l. medic. c. 2.

Quis sibi esse clausum regnum cœlorum putet, qui cognoscit Publicanos, & meretrices, imitatos esse Filium Dei? S. Aug. l. de agone Christiano c. 11.

Si Publicanus es; potes fieri Evangelista: si blasphemus es; potes fieri Apostolus: si latro es; poteris Paradisi colonus esse: si magnus es; poteris Dominum adorare. Nec est ulla malitia, quæ pœnitentia non solvatur. S. Chrys. h. 14. in Matth. 9.

Ob hanc utilitatem scribuntur Sanctorum ruinæ, & reparationes; ut spem faciant salutis humanæ. S. Isidorus Hispal. 2. sent. c. 11.

§. VI.

Sperandæ veniæ, & Salutis, alia motiva.

Ex Veteri, & Novo.

Ad meipsum anima mea conturbata est; propterea memor ero tui de terra Jordanis. Ps. 41. 7. Tristatur peccator ob sua scelera; utque se soletur, Jordanis meminit, diei scilicet baptismi sui. q. d. si ignovit, & abluit, me in baptismo non cupientem ablui; & nescientem. Quid agerem. an abjiciet me, tot gemitibus parantem illi aquam, qua me lavet? Oliva t. 2. Strom. §. Ad meipsum &c.

Factus est Dominus quasi inimicus; præcipitavit Israel. Thren. 2. 5. Solam umbram, & imaginem, inimici sumpsit. S. Paschas. l. 2. mira dispensatione temperat sententiam severitatis; dum *quasi*, & non ex toto, inimicus dicitur: quia, etsi videatur civitatem dimittere in manibus hostium, & affligere aliquoties, in tantum, ut penitus destituta credatur: non de crudelitate inimicitiarum fortè venit; sed de providentia pietatis: ut ad eum flagellata redeat.

Sic locuti estis, dicentes: iniquitates nostræ super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus; quomodo ergo vivere poterimus? Ezech. 33. 10. Aug. s. 18. de temp. ò homo, quicunque illam peccatorum multitudinem attendis; cur & omnipotentiam cœlestis Medici non attendis?

Verumtamen germen radicum ejus in terra sinito. Dan. 4. 12. Cur & radices non jubet evelli? Non est ea ire Dei, quæ radicitus destruit; percutit, succidit, confodit; verùm radices relinquit: ex quibus, dum in hac terra sumus, possint per pœnitentiam damna reparari. Richardus à S. Vict. l. 2. de erud. inter hom. p. 1. c. 24. jubet germen radicum ejus in terra sinere; unde possit iterum reparari, & ad pristinam plenitudinem reformari. Baeza t. 3. l. 15. c. 2. §. 4.

Si sciret paterfamilias; qua hora fur venturus esset. Matth. 24. 43. Non metuitur ab hoc fure eversio, sed effossio domus. nam Deus, etiam iratus, non solet extremam perditionem inducere. Id. ib.

Erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11. 14. Ponitur ante Christum homo dæmoniacus, cœcus, mutus, & ut quidam dicunt, etiam surdus. Solent peritissimi Medici optare ab aliis desperatos infirmos; ut in eorum curatione ipsi maximè gloricentur. Solent strenui Duces desiderare adversariorum fortitudinem; ut ea ratione se fortissimos ostendant; cùm eos superaverint. Solet sapientissimus Doctor argumenta adversariorum fortia optare: ut in eorum solutione peritissimum se ostendat. Si magnis peccatis teneris, accede ad Christum; hoc est, medicum honorare, ab eo sperare salutem. Osorius D. 3. Quadr.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joan. 14. 2. Sed Matth. 22. 14. *multi sunt vocati, pauci electi.* Quærit S. Hilarius: si pauci sunt electi, cur multæ mansiones? Ut in mansionum abundantia spes omnium augeatur; agnoscentes, Deum velle omnes homines salvos fieri. Paoletti D. 2. Pasch.

Ex Patribus, & aliis.

Sed metus est, nè Judex severior sit. Considera, quem Judicem habeas; nempe Christo dedit Pater omne judicium. Poterit te ergo ille damnare, qui redemit à morte, pro quo se obtulit, cujus vitam suæ mortis mercedem esse cognoscit? Nonne dicet: *quæ utilitas in sanguine meo*, si damno, quem ipse salvavi? S. Ambros. l. 1. de Jacob, & vita beata c. 6.

Qui nos tanto pretio redemit, non vult perire, quos emit: non emit, quos perdat, sed emit, quos vivificet. S. Aug. s. 1. f. 3. post Dom. Pass.

Cùm Deus velit misereri, quia bonus est, & possit, quia omnipotens est: ipse contra se divinæ bonitatis januam claudit; qui Deum sibi misereri, ut nolle, aut non posse credit. S. Aug. s. 18 de temp.

Noli mihi dicere, perii; quid mihi restat? Noli dicere, peccavi, quid faciam? Medicum habes, qui morbum potest vincere, medicum habes, qui sanat omnem languorem: medicum habes, qui potest, & vult sanare. S. Chrys. de Chananæa.

Vide plura Bonitas, Misericordia, Salus.

§. VII.

Contra desperationem motiva.

Ex Veteri.

Stans super eum, occidit illum: sciebam enim, quòd vivere non poterat post ruinam. 2. Reg. 1. 10. Hinc miserum occisorem Saulis mox interfecit David: quia debuerat percusso regi suam prius præstare diligentiam: ut illum à morte eriperet; quàm desperasse de remedio, dicens: *sciebam, quòd vivere non posset.* Nunquam desperandum de peccatoris vita; dum licèt aliquam adhibere diligentiam, ut vivat. S. Cyprianus s. de cœna Domini in eodem articulo temporis, cùm jam anima festinat ad exitum; & egrediens ad labia spiritus emerserit; pœnitentiam clementissima Dei benignitas non aspernatur; nec sensum est, quod verum & quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem; nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à venia. Baeza t. 2. l. 9. c. 1. §. 3.

Me expectaverunt peccatores, ut perderent me. Ps. 118. 95. Mira diaboli spes de casu nostro: licèt armeris, licèt viceris, & triumphes: victoriam sperat. Eluxit id in viro sanctissimo Job: quem, licèt sciret probatum per omnia, omnibusque virtutibus ante certamen exercitum: ipse enim nèc filios profusè diligebat, nec uxorem: fœdus inierat cum oculis, ab omni cupiditate purus cap. 31. 1. nihilominus blasphemias ab ejus ore exortum in credidit; si eum liberis, & fortunis, spoliaret. S. Chrysost. hom 34. in Matth. quare in mentem diabolo venit, exercitationes ipsius non ignoranti; tot, tantosque, adversus ipsum excogitasse labores? Truculentissima est certè bestia; nec unquam solet desperare victoriam, quod ad condemnationem nostram spectat; nam ille nunquam nostram desperat perditionem; nos de salute nostra desperamus: Oliva t. 2. Strom. §. Me expectaverunt &c.

Revertere, revertere. Cant. 6. 12. Idcircò tam crebro ei *revertere* dicitur; ut, etiamsi conversa deliquerit, in desperationem non decidat; sed à peccandi consuetudine spei indulgentia resipiscat. S. Justus Orgelit. hic.

Major est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum. Thren. 4. 6. Major iniquitas nostra certè plangitur, quàm eorum, qui non cœpere in fide Christi aliquid boni agere. Hinc & supplicia pertimescamus atrociora; quàm ejus fuere, quæ subversa est in momento. S. Paschasius hic.

Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii &c. Ezech. 33. 11. Jurasti hominum amator optimè, pro tuis miserationibus; te mortem peccatoris nolle; sed potiùs *ut convertatur, & vivat.* Misserere igitur mei peccatoris, qui adjuro te per misericordiæ tuæ viscera; ut mihi propitius sis, atque ignoscas. S. Ephrem. de timore animi.

Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime. Dan. 4. 24. Bonus consiliarius: etiam sententia lata non desperat omnino; sed diligentiam consulit, qua depelli possit. Et quid tandem factus? S. Hieron. hic fecit Nabuchodonosor: juxta consilium Danielis, misericordias in pauperes; & idcircò usque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia. v. 26. Sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur, & dicit: *nonne hæc est Babylon magna &c.* v. 27. Bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ. Baeza antè cit.

Ex Novo.

Accipe puerum, & fuge in Ægyptum. Matth. 2. 13. In illam terram jubetur fugere, quæ tam atrociter infectata fuerat populum hujus pueri. Cur non tutiora loca? Author Imp. op. ò mutatio dexteræ Excelsi! ut populus, qui antè fuerat persecutor populi primogeniti, posteà fieret custos Unigeniti. Did. Nyss. s. de converf. latr. §. 3.

Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, alia autem ceciderunt in petrosa, alia autem ceciderunt in spinas &c. Matth. 13. 4. 5. &c. Mirum est, tam sapientem agricolam, tam consideratè, ut videtur, semen suum profundere inter saxa, tribulos, spinas, juxta viam. S. Joan. ho. 45. respondet: possibile est enim, ut lapis in terram fertilem convertatur; & ut via conculcetur, nec præteruntibus cunctis proposita jaceat, sed & in uberes agros traducta; nec vepres emittat, & semina foveat. Nemo scilicet in hac vita desperare debet, quantuscumque sit peccator. Tametsi enim sit rigidum saxum; lacrymis, è contrito corde natis, emolliri potest. Sic licèt spina, in rosam verti potest. Sic licèt tribulus, potest fieri vitis. Et si, vel quale, iter publicum sit, quibusvis cogitationibus pervium; ità obstrui illud, & concludi potest, ut soli Christo pateat, cæteris rebus omnibus sit in accessum. Did. Nyss. ib.

Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Matth. 26. 21. Cur, infelix Juda! tanta benignitate non uteris? Ecce parcit auribus tuis Dominus: nulli te, nisi tibi, indicat Christus; nec nomen, nec persona detegitur; sed veritatis, & misericordiæ, verbo cordis tui tantùm arcana tanguntur. Non Apostolici ordinis honor, non Sacramentorum tibi communio, denegatur. Redi in integrum, & deposito furore, resipisce. Clementia invitat, salus pulsat, ad vitam Vita te revocat. S. Leo s. 7. de Pass. D. Cur de ejus bonitate diffidis? qui te à corporis, & sanguinis sui communione non repulit: qui tibi, ad comprehendendum se, cum turbis, & armatorum cohorte veniente, pacis osculum non negavit. Id. ib. serm. 3.

Laqueo se suspendit. Matth. 27. 5. Quod fecit Judas in corpore suo, hoc factum est in anima ipsius: quomodo qui sibi collum ligant, inde se occidunt; quia non ad eos intrat spiritus aeris hujus. Sic illi, qui desperent de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant; ut eos Spiritus S. visitare non possit. S. August. lib. 50. homiliar. hom. 27. S. Hieron. in Ps. 108. pro clementia Domini hoc dico: quia magis ex hoc offendit Dominum, quòd se suspendit, quàm quia Dominum prodidit.

Et arundinem in dextera ejus. Matth. 27. 29. Qui de misericordia Dei desperant, magnam ei injuriam faciunt, Arundo est symbolum inanis spei: quia, qui arundini innititur, facilè cadit. Sic Rabasces Asyrius Ægypti potentiam vocavit 4. Reg. 18. 21. *An speras in baculo arundineo? &c.* Qui ergo de misericordia Christi desperant, arundineum ei sceptrum præbent: judicantes, quodammodo ejus imperium ad instar arundinis; cui inniti sperando haud quis possit. Octavianus Eccl. 11. 26.

Si malè locutus sum &c. Joan. 18. 23. Alapa gravis injuria: facies Christi ejus misericordia. De nullo alio peccatore sic queritur Christus; ut de desperantibus misericordiam. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 1. l. 8. c. 3.

Ex Patribus, & aliis.

Si desperat humana fragilitas, Unigeniti sanguinem consideret, & in pretio suo conspiciat; quàm magna est, quæ tanti valet. S. Gregor. mor. l. 27. 8.

Omnipotenti Medico nullus languor insanabilis occurrit: tantùm tu curari te sine; manus ejus nè repellas; novit, quid agat. Non tantùm delecteris; cùm foveat; sed etiam toleres, cum secat. Tolera medicinalem dolorem; futuram cogitans sanitatem. S. August. in Pas. 102.

Nullum animæ vulnus insanabile; sicut in corpore multa sunt talia. S. Chrysost. hom. 24. in Act.

Verum est, quia sola apud Deum desperatio perdit errantem. Ennodius l. 4. ep. 3.

Qui pretiosum sanguinem suum effudit pro nobis, ipse nos à peccato liberabit. Non desperemus in ipso, fratres, non abjiciamus nos ipsos in statum desperationis. Grave enim scelus, non credere spem pœnitentiæ. Si potest serpens deponere senectutem; cur nos peccatum non deponamus? Terra quoque spinosa, cum fuerit benè exculta, in frugiferam transmutatur: nostra autem non restaurabitur salus? Natura itaque est capax salutis; sed requiritur deinceps voluntas. Non vincunt peccata tua multitudinem miserationum Dei: non superant vulnera tua summi illius Medici experientiam; fidelem modò teipsum præbeas edissere Medico affectionem tuam. S. Cyrill. Jeros. Catech. 2.

Passio tua ultimum refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, justitia non sufficiente, Sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit. S. Bernardus s. 22. in Cant.

Homo Deum magis inhonorare nequit, nec majorem illi irrogare injuriam; quàm si, ob multitudinem, aut gravitatem criminum suorum desperet de ejus misericordia. Blosius Sacello an. tid. §. 1.

Deus S. Catharina Sen. ait tr. 3. c. 132. div. doctr. peccatores, qui in mortis extremitate desperant de misericordia mea, multò graviùs me offendunt, & magis mihi displicent hoc peccato; quam omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiserunt. Qui enim desperat, contemnit apertè ipsam misericordiam meam. Blosius ib. p. 2. c. 1.

§. VIII.

Spei junge opera, virtutes, &c.

Ex Veteri.

Seth natus est filius, quem vocavit Enos. Gen. 4. 26. Juxta Philo. l. quod deterius potiori insidietur: Seth vir justus, & sanctus, genuit Enos, inest, *spem*: quia, licèt spes esse possit in peccatore, potiori tamen jure ad justum pertinet. Qui enim diutius in peccatis persistit, potiùs præsumit, quàm sperat: ille verò in Deum sperat, qui ad Deum convertitur. Pinna Ethol. 234.

Tolle arma tua, pharetram, & arcum &c. Gen. 27. 3. 4. Lyran. quærit: aut Isaac à filio cibos noluerit, priusquam illi extremam benedictionem daret? Respondet; quia filius recipiens benedictionem, debebat patri facere obsequium, & servire in mensa. Vana est sine meritis vitæ bonæ, spes gloriæ beatæ Isaac in confinio mortis positus, & supremam benedictionem primogenito suo impertiri cupiens, dixit: *tolle arma &c.* Did. Nyss. D. 7. Pent. §. 5.

Afferamus ad nos de Silo arcam. 2. Reg. 4. 3. Cùm deberent peccata ex animis extirpare, arcam Dei in castra afferebant; putantes, ex absentia hujus, calamitatem inductam. Cajetanus: devota intentio, ac commendanda spes; si facta respondissent intentioni. Fiducia enim in arca Domini, quamvis bona in se; insufficiens tamen est, nisi bonis operibus comprobetur. Recurrerunt isti ad externam cæremoniam, omittentes internam pœnitentiam peccatorum suorum: & in hoc peccaverunt, relinquentes veram causam percussioni. Mendoza hic.

Da manum tuam, & ille levavit eum ad se in currum. 4. Reg. 10. 14. Cùm in cœlum subvehi petes, dicet tibi Deus, quod Jehu ad Jonadab filium Rechab. Quid est, quod vult homo? gloriam, quietem, beatitudinem. Ergo da manum, ait Dominus; opera volo, & labores; ut pro his tibi impetriam, quæ rogas. Did. Nyss. D. 7. Pent. §. 5.

Sacrificate Sacrificium justitiæ. Ps. 4. 6. idest, rectè vivite; & corda vestra divinitati semper munda offerte. Addit: *& sperate in Domino*: ut vitam bonam spes felicior subsequatur. Cassiodorus hic.

Redimet Dominus animas servorum suorum; & non delinquent omnes, qui sperant in eo. Ps. 33. 23. *spera in Domino, & fac bonitatem.* Ps. 36. 3. Sunt plerique, qui sine bonis operibus, immò cum multis criminibus, dicunt, se sperare in Deo: quod utique non est spes, sed præsumptio de misericordia Dei. Unde ad veram spem hortatur: *spera in Domino &c.* S. Bernardinus tr. de 8 beatit. s. 5. Navigatio spei, non velis tantùm, sed & remis, agenda est. Vides Cherubim, & Seraphim, dictante Scriptura depictos cum alis, & manibus. Qua de causa? nisi ad exprimenda verba Davidis: *spera in Domino &c.* Rho. aff. spei 26.

Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei. Ps. 51. 10. Cujus vox hæc tantæ plena fiduciæ? an Abelis? an Enos? an Enoch? an Jeremiæ in utero matris sanctificati? Davidis est: & quidem non innocentis, sed adulteri: non luctantis cum Goliath; sed fœminæ succumbentis. Psalmus iste primus est post quinquagesimum. Tu olea? & quidem fertilis, in domo Dei es? Et ubi voces illæ? *miserere mei Deus!* Scit David, Dei misericordiam ad delicias usque, & decora, peccatoribus indulgere: scit, post scelus non modò non abjectum se esse à Domino; sed erectum altius. Et quidem nusquam se ante peccatum tam splendido vocabulo ornavit; doctus, clariores nos fore post culpam, si pœniteat culpæ. Oliva t. 2. Strom. §. Ego autem &c.

Et filiis ejus erit spes. Prov. 14. 26. Beda, &c. pronomen *Ejus* referunt ad timorem Domini: idest, iis, qui summè timent Deum: adeò, ut ex timore Domini, velut è matrice sati, concepti, & geniti videantur, erit spes, tutela, & protectio. Cornelius hic.

Bonus est Dominus sperantibus in eum. Thren. 3. 25. Et, nè otiosa sit spes, addidit: *animæ quærenti illam.* S. Paschasius hic.

Misericordiam, & judicium, custodi; & spera in Deo tuo semper. Os. 12. 6. q. d. si hoc cares, vana est tua spes. Diez conc. 4. in Comm. Virg.

Ex Novo, & Patribus, aliis.

Memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Luc. 23. 42. Videbat se jam latro Christi gratia victorem de Mundo, & diabolo; multa patientia se Deo in holocaustum obtulerat; & inde ab eo sperat regnum. Ps. 4. 6. *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino.* Sylveira hic.

Expectantium aqua motum. Joan. 5. 3. In omni expectatione bonorum sperandorum patientia opus est. Hinc Jacobus ait sub similitudine in spe agricolæ; *patientes estote-ecce agricola expectat.* cap. 5. 7. Sim. Cass. lib. 5. c. 27.

Supervacuè in Deo sperare convincitur, qui, sine operum bonorum exercitatione, divina se credit posse fruitione lætari. S. Laurent. Just. s. in festo Corp. Chr.

Spes sine vita virtutum, & devotionis dulcedine, non est spes, sed præsumptio. S. Bernardus. S. sup. Salve.

Spes ad modum fumi ex igne, idest, charitate, provenit; in altum ascendit, in fine deficit, idest, in gloria. S. Thom. Aqu. prologo in ep. Eph.

Conchæ in littore ad Orientem solem panduntur. Lem: *spes dilatat. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Thr. 3. 25. Hesius.

Anchora infixa, sed fune rupto, quo alligata erat Lem: *Tolle fidem; spes nulla futura est. Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo; ut abundetis in spe, & virtute Spiritus S.* Rom. 15. 13. Id.

§. IX.

Spera, & time.

Num. I.

Symbola.

Ex Veteri.

Viditque in somnis scalam. Gen. 28. 12. S. Hieron. ep. ad Geront. Ascendebant Angeli, & descendebant: ut nec peccator desperet salutem; nec justus de sua virtute securus sit. Sunt, qui quandoque Angelica puritate nitentes, conversationem suam in cœlo habere videbantur, miserè ceciderunt.

Sic è contra plures, qui à terrena, & bestiali vita, pœnitentiæ pennis, ad angelicam, & cœlestem, vitam ascendunt. Ramirez in 3. p. 5.

Per diem in columna nubis; & per noctem in columna ignis. Ex. 13. 21. Docemur, inter timorem, & spem, incedere, in columna nubis lucida, & ardente, qua populus Hebræus ducebatur. Sic intelligit S. Clem. Alex. Orat. ad Græcos: hoc simul est gratiæ, & timoris indicium. Si obedieris, lucem; si non obedieris, ignem. Fernandius in Gen. 1. 1. sect. 1.

Dominus Deus tuus ignis consumens est. Deut. 4. 24. Et tamen dicitur Cant. 1. 2. *oleum effusum?* Cur? ignis est, ut peccator timeat; oleum, ut speret misericordiam. Ps. 146. 11. *benè placitum est Domino super timentes eum; & in eis, qui sperant super misericordia ejus.* Sylveira in Luc. 5. q. 16.

Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram. Prov. 4. 27. Nè præsumas ad regnum de justitia tua; ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei: ab utroque te revocat præceptum Domini divinum; & ab illis altitudine, & ab ista profunditate. S. August. in Ps. 31. Justus declinat ad dexteram, qui de sua justitia, & viribus præsumit: injustus declinat ad sinistram, qui, propter carnis fragilitatem, salvari se posse desperat. Salonius in Ps. 4. 27.

Læva ejus sub capite, meo, & dextera illius &c. Cant. 2. 6. Læva sponsi justitia est, quæ per timorem fulcit Ecclesiam, nè corruat in peccatum: dextera sponsi est misericordia, quæ per spem amplexatur, & consolatur Ecclesiam, nè desperet: *sperantem in Domino misericordia circumdabit*, Hugo Cardinal. hic.

Surge Aquilo, & veni Auster. Cant. 4. 16. Aponius per Aquilonem intelligit metum; per Austrum verò spem. Hi venti, licèt opposita è regione perflent, mirè conspirant, hortum sponsæ ut ventilent, & odorem flores exhalare faciunt. Pinna Ethol. 17.

Ex Novo.

Non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato. Matth. 24. 20. Hyeme à Deo fugit, qui, considerata severitate justitiæ suæ, nimio terrore concussus, in desperationis barathrum ruit. Fugit autem Sabbato, qui nimis de Dei bonitate præsumit. S. Bernardinus s. 30. Act. 2.

Erat aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. Matth. 28. 3. S. Gregor. hom. 21. in Evang. in fulgure terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris. Quia verò omnipotens Deus, & terribilis peccatoribus, & blandus est justis; rectè testis resurrectionis ejus Angelus, & in fulgure vultus, & in candore habitus, demonstratur: ut de ipsa sua specie & terreret reprobos; & mulceret pios. Unde rectè quoque populum per deserta gradientem, columna ignis in nocte, & columna nubis præibat in die. In igne terror est, in nube autem nivis blandimentum: dies verò vita justi; & nox accipitur vita peccatoris. Sylveira Marci 16. q. 11.

Habebat in dextera sua stellas septem, & de ore ejus &c. Apoc. 1. 16. Cur gladium jungit? Richardus à S. Vict. postquam dixit, quòd habebat septem stellas in dextera sua, ut hoc eis esset ad consolationem; statim addit, quòd gladius ex utraque parte acutus de ore ejus exibat; quod esset ad correptionem: & illud conferret fiduciam de gratia; istud incuteret terrorem de negligentia: ut inde sumerent securitatem, nè desperarent; hinc cautelam, ut semetipsos emendarent. Stellis ingerit spem, gladio timorem: ut cum spe, ac timore, viventes cautos se habeant; ut timore pœnas fugiant, spe ad prœmia animentur. Sylveira hic.

Iris erat in circuitu sedis. Apoc. 4. 3. Iris, quæ thronum Dei cingebat, ex Ruperto, misericordiam denotabat. Et quidem ex instituto pacis Symbolum fuit: audito tamen iridis nomine serenitatem in aere concipis. At subdit: *& de throno procedebant fulgura & voces & tonitrua.* Octavianus in Eccl. 2. 7.

In peccatoris pectore debet spes, & formido conjungi: quia in cassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat: in cassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidit. Mola superior, & inferior, ità sibi necessario junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. Ità S. Rupertus Abb. l. 1. in Deut. 29.

Tunica tua est spes ad Deum: quia sicut tunica habet duas manicas; sic in spe sit misericordia, & justitia: ut sic speres de Dei misericardia, quòd non negligas justitiam ejus: & sic cogites justitiam ejus, ut non obliviscaris misericordiam. l. 1. Revel. S. Brig. c. 7. V. B. Virg.

Vide plura Misericordia, Justitia.

Num. II.

Motiva.

Ex Veteri.

Deducit ad inferos, & reducit. 1. Reg. 2. 6. S. Gregor. hìc: Ut mortificet, ducit ad inferos, & ut vivificet, reducit ab inferis. Omnipotenti enim Deo ad inferos ducere est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Et quoque ab inferis reducere, est territas pœnitentium, atque commissa lugentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Apud Pinnaam. in Eccl. Ethol. 17.

In manibus portabunt te. Ps. 90. 12. Vultis scire, quas intelligam duas manus? duplicem utique demonstrationem: dum scilicet hinc tribulationum brevitas, inde æternitas tribulationis, demonstratur. S. Bernardus hic. q. d. duæ hæ manus (non enim dicitur, in manu) sunt spes, & timor; quibus custodiunt, & protegunt, Angeli clientes suos. Pinna Ethol. 17.

Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ. Ps. 97. 3. In uno communet, ut misericordem Dominum quæramus; in altero, ut futurum Judicem formidemus. Sic ista salutaris, pretiosaque, conjunctio; & spei nobis causas tribuit, & timoris. Cassiodorus hìc.

Consilium meum placeat tibi; & peccata tua eleemosynis redime-forsitan ignoscet delictis tuis. Dan. 4. 24. Cur dubiam fecerit indulgentiam? *forsitan ignoscet.* S. Chrysost. hom. 25. in Act. hoc dixit, non ambigens; sed volens regem ampliùs terrere. Si enim affirmando dixisset; negligentior factus esset: metus enim à dubitatione profectis magis impellit; & propter hoc certum, & manifestum non fecit. Did. Nyss. fer. 6. D. 4. Quadr. §. 6.

Ex Novo, & Patribus.

Accessit retrò. Matth. 9. 20. Audiens beneficia in suos populares sperat attactu vestis salutem. *Accessit* tamen *retrò.* Cur non ante faciem? Timore, qui immunda, & indigna. S. Chrysol. s. 34. agebat mulier, ut sibi, & rediret sanitas, & verecundia non periret: curabat, nè cura sua ad curantis redundaret injuriam: providebat, ut redderetur sibi salus, salva reverentia Salvatoris. Sylveira in Apoc. 1.

Simile-homini regi. Matth. 22. 2. Vive inter spem, & metum. Quot perierunt, qui Deum hominem tantum cogitarunt, dum viverent; & in Deum Regem incurrerunt in morte: qui in vita nimis profisi de misericordia Dei, in morte inciderunt in illius justitiam. Did. Nyss. D. 19. Pent. §. 5.

Tunc abiit unus de duodecim. Matth. 26. 14. S. Chrysost. hom. de proditione Judæ: quando prostituta lupunar exivit, Discipulus gehennam intravit. Non ergo, videndo meretricem, de tua liberatione desperes: sed & Judam cogitando, non debes esse securus! utrumque enim periculosum est, & confidentia, & desperatio. Vide, licet frequenter, & spem, & timorem, Deus conjungit; quibus homines à peccatis eruat: timorem ex ruina recedentis Judæ, & spem ex accedentis Magdalenæ conversione, facit. Pinna Ethol. 17.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Matth. 26. 41. Timorem, & spem, Deus nobis indidit in ipsa hominis formatione. Nam, ut notat S. Chrysost. hom. de humilit. animam condidit spiritualem, & Angelis affinem; quæ nos in spem erigeret patriæ cœlestis. Corpus verò animale; quod nos ad ima traheret, & timorem incuteret: ut inter superna, & inferna, suspensi, speremus, & timeamus. Pinna. Eth. 17.

Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Luc. 5. 8. Ex hoc duo notantur: timor de peccatis, *exi à me &c.* spes de misericordia. *procidit ad genua Jesu.* S. Antonius s. D. 5. Trinit.

Ecce mulier. Luc. 7. 37. Non contemplatur facies epulantium; id solùm agere intenta, qua parte possit adire Jesum. Non interrogat, non interrogatur; omnia in silentio sunt. Inter spem, & metum, consistebat. Impellebat spes, repellebat metus, ne propelleretur à voto. Sim. Cass. l. 9. c. 28.

Stans retrò secus pedes ejus. Luc. 7. 38. Goffridus Abb. s. 9. hæc peccatrix, dum dilectio dat ei spem, & memoria suorum peccatorum incutit timorem; dubitavit penè, quid faceret? quoniam ad Christum accedere propriùs, recordatio criminum, & timor, eam retardabant: & ab illo abstinere diutiùs spes, & dilectio, prohibebant. Timore tandem bonæ spei concorditer sociato, ambo duces peccatricis mulieris fiunt. Beati tales duces! quia semper ad Christum ducunt. Sylveira hìc.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. O res novas; & admirabiles! latro cum Christo, cum diabolo Discipulus Judas! Lux est in tenebras conversa; tenebræ sunt in lucem commutatæ: Agnus lupus, & lupus agnus. S. Chrysost. tom. 6. orat. in descensum Christi ad inferos. Sed, nè fortè, charissimi, aliquem nimis securum faciat, aut remissum, tam nova felicitas crudelitatis; nè fortè dicat aliquis in corde suo: non me usque adeò conturbet, & cruciet, rea conscientia. Video sub momento, video sub exiguo spatio, latroni crimina sua donata; & mihi resoluta, mente concipiuntur. Primùm considerandum in latrone illo, non solum credulitatis compendium, sed devotio: sed temporis illius, sub quo hæc agebantur, occasio; quo justorum legitur titubasse perfectio. - Immittit diabolus securitatem, ut inferat perditionem: neque dinumerari possunt, quantos hæc inanis spei umbra

umbra deceperit. Deterreant, quæso, nos ab hac persuasione innumerabiles populi, sub tali securitate nudi, & vacui, bonis, & malis pleni, ex hac luce prærepti. Ipse se seducit, & de morte sua ludit, qui hoc cogitat: potest mihi extremi temporis indulgentia subvenire. Non est hoc: primùm, quia periculosissima est in ultimum diem promissa securitas: deinde stultissimum est; ut causa, qua de necessitatibus agitur æternis, inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. - ille autem beatus latro vitæ prædam subitò rapiens, nec salutis tempora scienter distulit, nec remedia status sui in momenta ultima infelici fraude posuit. S. Aug. s. 120. de temp.

Infremuit. Joan. 11. 33. Lazari resuscitatio typus est resuscitationis peccatoris à morte culpæ ad vitam gratiæ. Multa egit in resuscitatione Lazari Christus; docens; difficultatem resuscitationis spiritualis. *Infremuit*: nè putemus, illum fore perpetuò bonum, dulcem, suavem. Sed cogitemus, illum scire etiam leonis instar fremere. Dæmon facit contrarium: ante peccatum facilem promittit veniam, misericordiam extollit, minuit justitiam. At, post peccatum, dum redire vis ad pœnitentiam; vertit folium. S. Greg. Nyss. hom. 5. in Cant. Sathanam vocat dæmonium improbum, & Lunare, hoc est, Lunæ simile: quia sicut illa suas habet, per intervalla, accretiones, & diminutiones: sic dæmon de justitia diminuit ante peccatum, eandem post peccatum auget. Did. Nyss. fer. 6. Dom. 4. Quadr. §. 6.

Ex utroque homines periclitantur; & sperando, & desperando. Sperando quis decipitur; qui dicit, bonus est Deus, misericors est Deus; faciam, quod mihi placet, quod lubet: laxabo habenas cupiditatibus meis, implcam desideria animæ meæ. Spe isti periclitantur &c. Metuendum est, nè te occidat spes; &, cùm multùm speras de misericordia, incidas in Judicium. S. August. t. 33. in Evang.

Nemo præsumat de meritis suis; nullus desperet de malis suis. S. Chrysost. in Ps. 41.

§. X.

Spes longanimis.

Ex Veteri.

Concepitque, & peperit filium in senectute sua. Gen. 21. 2. Ubi Abrahami devotio plus emicuit? expectatione? an oblatione filii sui? Zeno Veron. s. 1. de Abrah. Abraham Patriarcha noster exploratus à Deo, in senectute suscepit filium. Nihil tamen sollicitum patri -- Ecce prima devotio, libenter excipere, quod serò datur. Magna devotio, quæ filium immolat; sed prima, quæ expectat. Naxera in Jos. 10. §. 40.

Deprecatusque est &c. Gen. 25. 21. Hebr. *Jethar*, idest, multùm, & instanter precatus est. Unde S. Chrysost. ho. 49. censet, Isaac per viginti annos orasset pro sterilitate Rebeccæ tollenda; ac vigesimo demum anno impetrasse. S. Justus ille, inquit, ità virtute præditus, & tantam apud Deum gratiam habens, tantam præ se tulit constantiam, & studium, continuò Deum orando, ut solveretur Rebeccæ sterilitas. Quid dicemus nos qui tantis peccatorum oneribus premimur: sed, etsi parvo tempore studium aliquod exhibuerimus, torpescimus & resilimus; nisi statim exaudiamur &c.

Imple cornu tuum oleo; & veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem. 1. Reg. 16. 1. Dicitur Deus Davidem, cùm adhuc puer esset, in regem elegisse: sed, priusquam illud impleretur, multum temporis præteriit, plurimosque labores David perpessus fuit. Quibus exactis possessionem regni suscepit. Diez conc. 3. D. 2. Epiph.

Asael cursor velocissimus. 2. Reg. 2. 18. Asael, dum nimis currit in victoria, occisus est. v. 23. S. Paschas. l. 5. in Thr. Asael cursor erat velocissimus, tamquam unus ex capreis; nesciens veloces animi motus patientia, & gravitate, temperare. Unde, dum velociùs sequitur hostem, ictus vulnere periit. Baeza t. 2. l. 2. c. 9. §. 3.

Salomon statuit duas columnas in portico templi. 3. Reg. 7. 21. vide hoc titulo §. 1. sub initium.

Posuistis vos tempus miserationis Domini, &, in arbitrium vestrum, diem constituistis ei &c. Judith. 8. 13. *Expectemus humiles consolationem ejus.* v. 20. &c.

A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino. Ps. 129. 6. *De manè usque ad vesperam finies me.* Isa. 38. 12. idest, consummabis me. Non in solo manè visitationis, aut tantùm in vespera tentationis; sed in utroque simul erit perfectio mea. Stultus ego, qui tantùm sperabam usque ad manè; cùm David dicat: *à custodia* &c. S. Bernardus serm. de Cantico Ezechiæ Proph.

Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus. Eccl. 2. 7. Horologium, quod in pectore gestatur holoserico obductum, silet quidem; sed suo tempore, cùm opus erit, vocem dabit. Dabit etiam suum auxilium Deus expectanti, & sustinenti, misericordiam ejus. Octavianus hìc.

R. P. Spanner Poly. Tom. II.

Va qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Isa. 5. 18. *qui dicitis, festinet, & citò veniat &c.* v. 19. Ecce in trahenda iniquitate, & vanitate, quàm longos trahant funes, quàm longa consistunt pertinacia; ut sine fine funis efficiatur. Verùm ut Deum trahant, dicunt: *festinet, & citò veniat.* Nulla Dei moram ferunt; nihil à Deo volunt: non festinantem illum repellunt, si tantisper retardet. Baeza t. 2. l. 5. c. 3. §. 7.

In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ. Isa. 28. 5. Sept. *erit Dominus corona spei ornata gloria.* Licèt Deus omnia benefacta liberalissimè muneretur; cumulatioribus tamen remunerat spem, & desiderium gloriæ: non est enim martyrium par flagranti desiderio. Did. Nyss. fer. 6. Dom. 1. Quadr. §. 1.

Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Habac. 2. 3.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Nolebant venire. Matth. 21. 3. 4. invitati ad nuptias. Iterum mittit Rex servos cum tali mandato: *prandium meum paravi; tauri mei, & altilia, occisa sunt, & omnia parata; venite ad nuptias.* Cur monet, in promptu esse omnia; nec aliud reliquum, quàm venire, & instructæ jam mensæ assidere? Causa hæc est: vocabantur primo nuntio ad nuptias, & ad prandium: cùmque invitati putarent, moras fore in celebritate nuptiarum, nolebant venire. Nam homines omni voluptati renuntiare malunt, quàm diu illam expectare. Plus enim ponderis habet dolor desiderii præsentis, quam gaudium boni futuri. Itaque Rex, ut certò illos convivas habeat, monet; invitasse illos non ad expectandum, sed ad prandendum. Did. Nyss. antè cit.

Et vos similes hominibus expectantibus. Luc. 12. 36. Vel expectantibus assimilari sic arduum, ut beatitudinis prœmio expectationis laborem molliat. *Beati sunt servi illi*, S. Chrysol. s. 24. nè quis longæ expectationis fatigatione succumberet, perseverantibus beatitudinem cœlestem, cœleste promittit obsequium. Naxera in Jos. 10. § 40.

Triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Joan. 5. 5. Pudeat nos, pudeat, dilectissimi, & incredibilem socordiam nostram deploremus: Octo, & triginta, annos hic expectaverat, expectabatque; neque ejus impletum est desiderium, que negligentia sua non sanabatur; sed præventus ab aliis: neque propterea desperavit. Nos autem, si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam repescimus. S. Chrysost. hom. 53. in Joan. 5.

Cùm serò esset die illa. Joan. 20. 19. Deus licèt mille modis fidem, ob spem, amicorum suorum probet; ut plurimùm tamen serò, & circa vesperam, in rebus adversis opitulatur; cùm nullum aliunde auxilium expectatur. Quem probandi modum si Deus non usurparet, plurimæ, quæ jam splendent, virtutes obscuræ in Mundo laterent. Si enim præceptum, quò volebat, ut Abraham filium immolaret, ille ad hoc patrandum domo egressum revocasset; admirabilem Isaaci obedientiam nempe omnino cognitam habuisset. Gen. 22. 1. Si diluvium. Gen. 8. 5. non nisi triduo, aut quattriduo, durasset, sinceritas, pietas, & magnanimitas Noemi nemini cognita fuissent. Si calamitates Job 1. 13. &c. ad primæ claudis nuntium finem habuissent, quis unquam patientiam illius deprædicasset? Si Laban tempus servitutis Jacobo non prorogasset. Gen. 39. 27. nemo cognitum haberet, quo amore Rachelem afficeret. Bessens Dom. in Alb.

Ecce prima devotio, libenter excipere, quod serò datur: nam & risit Sara, manus juventutis subiens in senecta. S. Zeno Ver. s. 5.

Verbum in uterum Virginis descendit; ut spem daret laborantibus, peccantibus indulgentiam, diligentibus pacem, atque expectantibus mercedem. S. Laur. Just. s. de Annunt.

Nihil aliud est longanimis, quàm qui arduum aliquod ex spe semper, ac diu dilatum, patienter expectat, & hoc à Spiritu S. S. Th. Aq. Lect. 2. in 2. Cor. 6.

In his, quæ ab omnium largitore quæruntur, oportet, immò expedit, expectare tempus, locum, donationis, modum, quantum, & quale. Sim. Cass. l. 6. c. 1.

Genius quasi fessus, & sopore lassus, incubat anchoræ. Lem. *Juvat fessos. Habebis fiducian, propositam tibi spe, & defossus securus dormies.* Job 11. 18.

Spes est dura; sed lenit tamen
Viæ labores. Non solet tranquillitas
In delicati pectoris molli toro
Secura permanere. Spe dura jacet
Securitas; spes dura tranquillum facit
Sibi incubantem, sæviant venti licèt,
Dominentur undæ; somnium ex illis tamen
Spes dormienti facere jucundum potest.
Hesius.

Genius erectam amplexatur anchoram. Lem. *Constantem spes summa coronat. Singulariter in spe constituisti me.* Psal. 4. 10.

Idem.

Anchora infigitur. Lem. *Spes fortè & tamen una juvat, mentemque quietem sola facit. Fundati, & stabiles, & immobiles à spe*, Coloss. 1. 23.

Idem.

§. XI.

Spes maximè floret in arduis; diffidentia sui &c.

Ex Veteri.

F*Aciam te in gentem magnam*. Gen. 12. 2. Abraham adhuc juvenis erat, cùm ei Deus promisit multiplicationem seminis; præteriitque multos annorum numerus, & mortua ejus natura: & tamen nihil fluctuat fide. Et ætate quidem senescebat, spe verò juvenescere videbatur. Isidorus Clarius l. 1. or. 18.

Egressi sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis, sicut arena, quæ est in littore maris; equi quoque, & currus, immensa multitudinis. Jos. 11. 4. Vides ingentem Chananæorum potentiam; Josue vero equos, aut currus, non audies. *Venit Josue & omnis exercitus cum eo adversus illos ad aquas Merom*. Cur nullus bellicus Josue apparatus refertur? Lyran. apparatus belli ex parte Josue magis erit in confidentia Dei, quàm in confidentia armorum. Unde subditur: *dabo omnes istos vulnerandos in conspectu Israel*. v. 6. Ps. 19. 8. *hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri speravimus*. Naxera in Jos. 11. §. 17.

Equos eorum subnervabis, & currus igne combures. Jos. 11. 6. Aptiùs videbatur, uti capitis contra hostes, equis, & curribus uterentur. Imò ut Israelitis augeat triumphos, bellicos exterminat apparatus. Si equis, & curribus, abundent, fors de armis sperabunt victoriam: & quanto humana creverit confidentia, divina minuetur fiducia. Ac sic duplex obstabit reportandis triumphis causa: nempe, & mundialis potentiæ superbia; & imbecillior divini auxilii fiducia. Abulens. q. 4. Erat (præceptum) ad utilitatem illorum; qui, si ipsi haberent currus, & equos, videntes esse fortissimam armaturam; inciperent confidere viribus suis, & non tantum attenderent ad Deum: unde consequenter Deus non attenderet ad eos, & caderent in manus hostiles. Cùm autem nihil armaturæ fortis haberent, in qua confidere possent; ad Deum se convertebant, qui eriperet eos. Naxera ib.

Responderunt Filii Joseph: non poterimus ad montana conscendere. Josue 17. 16. Josue, dum honeste timidos, suisque viribus haud innitentes, agnoscit; fortitudinem laudat, & securum de hostibus triumphum promittit: *populus multus es, & magna fortitudinis. Non habebis sortem unam; sed transibis ad montem, & poteris ultrà procedere*. Naxera in Jos. 17. §. 27.

Dixitque ei Gedeon - ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt Patres nostri &c. Respexitque ad eum Dominus, & ait: vade in hac fortitudine tua &c. Judic. 6. 13. 14. Theodoretus q. 12. in Judices: quoniam memor erat mirabilium Dei, firmamque de Deo tenebat opinionem; illum, si vellet, facilè liberare posse à calamitatibus, quibus detinebantur: meruit, ut audiret ab Angelo: proficiscere in robore fidei hujus, & vinces. Neque damnet quisquam ea, quæ sequuntur; non enim velut diffidens de eo dixit: *familia mea minima est in tribu Manasse; & ego minimus in domo patris mei*; sed ut de se modestè sentiens. Judic. 6. 15.

Non vales resistere Philisthæo isti &c. 1. Reg. 17. 33. Quid David? *nunc vadam, & auferam opprobrium populi*. v. 36. S. Basilius Seleuc. or. 15. qua ratione avertere conatus es à proposito certamine, acriùs ò Rex, ad pugnam exacuisti. Hic quidem bellator, ego verò belli inexpertus; quæ res animos mihi facit: neque enim viribus meis fretus, sed gratiæ, in aciem prodeo. Naxera in Jos. 3. §. 27. humana imbecillitas, non ignaviæ suffragium, sed sollicitudinis sit fomentum.

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Job 13. 15. Quàm omnino ab omni confidentia sui dejectus fuit ille, qui inter omnes orientales magnus apparuit. *Desperavi*, inquit, *nequaquam ultrò jam vivam*. c. 7. 16. Desperasse se dicit: sed dubitas fortè, de quo? de Domino? an de seipso? Audi ergo, quid alibi dicat, & agnosces, quàm fortiter in Domini confidentia nixus manebat: *etiamsi occiderit, &c.* Richardus à S. Vict. de erudit. hom. inter.

Deus noster refugium, & virtus. Ps. 45. 1. Remaneas inermis, non habes ullum adjutorem tuum: & quantò magis infirmus es, nulla tua arma habens tantò magis te suscipit, de quo dictum est: *susceptor noster Deus Jacob v.* 8. Omnia arma sua perdiderat, tamquam fortitudinis suæ, qui dicebat: ego autem non *gloriabor* nisi *in infirmitatibus meis*. S. August. hic.

Dabo ei - vallem achor, ad aperiendam spem. Os. 2. 15. Idest, constituam eum in profunda valle turbationis, & tribulationis, ut portæ spei: quæ ei clausæ videbantur, aperiantur ei videnti; quàm mirabiliter cum à cunctis malis eripio. Ideò sequitur requies in ipsis tribulationibus: ut quæ antea causa erant tribulationibus, incipiant esse causa quietis; ut sub illis cubent, qui priùs illis torquebantur, juxta vaticinium Is. 65. 10. *erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum, dum gloriantur in tribulationibus*. Rom. 5. 3. *& omne gaudium existimant* &c. Jacobi 1. 2. De Ponte in Cant. 1. 6. l. 3. Exh. 1.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Invenerunt lapidem revolutum à monumento. Luc. 24. 2. Vident revolutum lapidem: quia ubi humana virtus diffidit, virtus superna perficit de cœlo; præstat auxilium his, qui piè de humanis, atque terrenis, diffidunt. Sim. Cass. l. 14. de Resurr. hic.

Cùm infirmor, tunc potens sum. 2. Cor. 12. 5. 10. S. Paulus infirmitate non gravaretur, fortè superbiret, & superbia rueret, palma hosti concessa. Naxera in Jos. 3.

Fore idoneum me ad ista desperavi; sed ipsa mea desperatione robustior, ad illlum spem protinus erexi, per quem aperta est lingua mutorum, qui *linguas infantium facit disertas*. S. Greg. in Job ep. ad Leonardum c. 2.

Magna fides, est velut *granum sinapis*. Matth. 13. 31. quantitate minimum, sed virtute maximum: nam quantò minùs de se præsumit; tantò majora in Deo audet, petit, & recipit. De Ponte in Cant. 1. 1. Exh. 2. licèt infinitis gladiis igneorum telorum, & malitiæ passionum; nec non absurdarum, atque pravarum, cogitationum quotidie unumquemque fratrem malignus impugnet: licèt etiam impetum faciat, ut à via justitiæ nos avertat, relaxetque, ac in desperationem inducat; tantò magis ad Deum confugere oportebit, & spem in eo defigere. Nam sic animas vult probari; quæ ad ipsum recurrunt: ut verè constet, se omnia odio habentes, solum Deum dilexisse. S. Eprem. s. ad pietatem.

Alia. Lem. *Abjecta non eversa. Tribulatio patientiam operatur; patientiam autem probationem; probatio verò spem. Spes autem non confundit*. Rom. 5. 3. 4. 5. Hesius.

Genius è dura anchora silice ignem elicit. Lem. *Spes è duris micat edita rebus. Per patientiam spem habeamus*. Rom. 15. 4.

Vide Fiducia.

Miscellanea.

Tribus in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt, idest, in spe, in fide, & in charitate: Tolle spem, torpet humanitas tota: tolle spem, artes, virtutesque universæ cessabunt: tolle spem, & interrupta sunt omnia. S. Zeno Veron. s. de fide &c.

Si Moyses fraudatus est à desiderio suo, cujus spes non pendeat in dubio? quasi puero porrigis pomum, & retrahi manum. Fortè non tam fortiter doleret, si non videret. Crescit aviditas scintillata ex visione, ardentiùs flavescit anima in muneris oblatione. Sed quò uberiùs concepta spes gaudet, desperata acriùs dolet. Cui es parciturus? Si Moysi non parcis. Petrus Cell. l. de panib. c. 11.

T I T U L U S XXXIV.

S P I R I T U A L I A.

§. I.

Præfer corporalibus.

A*Pparuit Dominus Deus Abraham, & dixit ei: semini tuo dabo terram hanc: qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei*. Gen. 12. 7. Hebr. *quia apparuerat sibi*. Altaria statuit, & victimas Deo immolavit; non propter sceptra promissa; sed quia dignatus ipsum invisere. Tanto in pretio gratias spectantes ad spiritum habuit. Gratus fuit offerendo, non ob promissam terram: sed quia apparuerat sibi. Caducis rebus, quæ ad parandam æternitatem non juvant, noluit tribuere pretium, quod revera non habent. Oliva tom. 2. conc. 19. die Ven. 6. Quadr.

In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. 1. Reg. 11. 2. Dexter oculus, bona spiritualia, sinister corporalia, significat. S. Bernardus in Ps. 40. s. 7. inducens illud Ps. 15. 8. *Dominus à dextris est mihi, nè commovear*: hæc gratia, & misericordia Dei, in servos suos, ut in eorum sinistram, velut dissimulans dexteræ, semper studiosus assistat protector, juxta illud: Dominus *à dextris est mihi*. Mendoza hic.

Regina austri venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis. Matth. 12. 42. Poterat ante egressum cogitare: si regno excedo, in id prorumpent proditio, discordia, rebellio: vicini reges in regnum facient impressionem: orientur civiles discordiæ; fiscus gravia damna patietur, exercitus dissolventur; populus impatiens regi à pluribus regem novum eliget. Unde ego, quæ regina nunc ex eo; regrediar, vel privata, vel captiva. Vivat Deus, qui tam illustris regina documenta Spiritus non postposuit securitati Imperii. Auth. Imp. Op. non dixit illas: cui commendo gubernationem; nè fortè, dum vado, & redeo, aliqua contra Imperium Reum adversa nascantur. Cùm esset gentilis, & mulier, tantam longitudinem itineris conficere non est impedita. Oliva ibid.

An non extremæ dementiæ, & iniquitatis est; non tantum studii, ac sollicitudinis in rebus spiritualibus ponere, quantum circa temporalia, & fluxa monstramus? S. Chrysost. lib. 3. adv. vituperatos vitæ Monasticæ.

§. II.

Spiritualia obscura sunt carnalibus.

M*Ichol vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino, & despexit in corde suo*. 2. Reg. 6. 16.

Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Joan. 16. 25. De rebus spiritualibus apud eos disserere, quibus nulla Spiritus cura, tantundem est; ac mera ænigmata iis proponere. Non erant semper nimis, vel difficilia, vel obscura, quæ Christus Discipulis suis dicebat; in proverbiis tamen loqui ajebat: quia ad intellectum eorum non penetrabant: nondum enim planè consumptus erat in illis omnis terrenorum affectus; à quo fiebat, ut cognitionem spiritualium satis assequi non possent. Did. Nyss. D. 5. Pasch. §. 5.

Infans in tenebroso natus carcere, ludit, jocatur, lætatur: quia, quid sit lux, ignorat. Mater autem, cui lucis suavitas nota fuit, lamentatur tristis. Sic quia parum scimus, de spiritualibus, & æternis; ut parvuli in servitute, & obscuritate enutriti, sensibilia amplectimur, vanis gaudemus; quia bona æterna non gustamus. Sancti, qui animo in cœlis erant, suspirabant, & flebant. Stella de cont. &c. p. 1. c. 56.

§. III.

Spiritualis vitæ signa.

ARgumentum veræ spiritualis vitæ habet, cujus Spiritus carni penitus dominatur: qui tam citò, & tantum sentit incommodum spirituale, sicut & corporale: & tantum vitat locum, tempus, & homines; ubi & per quos lædi potest in spiritu, sicut ubi lædi potest, & offendi in corpore. Et qui tam citò studet mederi spiritui, quàm corpori qui tantum delectatur in cibis spiritualibus. Albertus M. parad. an. c. 28.

Vita spiritualis est, plus curare de Spiritu, quàm de corpore. S. Vinc. ferr. f. 3. Pent.

§. IV.

Varia.

O*Culi tui columbarum*. Cant. 1. 14. Cassiodorus, Origenes, Beda, Theodoretus, & S. Bernardus s. 45. per oculos columbæ accipiunt intuitum spiritualium: quo scilicet anima in res non carnales, sed spirituales aspicit; easque appetit, & intendit. Cornelius hic.

Et surgentes eadem hora. Luc. 24. 33. Obliti sunt corporalium, spiritualibus jam refecti: repudiarunt corporis mensam, pigritiam abjecerunt. Regressi sunt Jerusalem: bona scilicet nuntiare, quæ viderant: ut consolatio, quæ illis per hujuscemodi visionem erat propria, fieret cum cœteris, ipsorum relatione communis. Sim. Cass. l. 14. hic de Resurr.

Dignum protinus est, cùm spiritualia intenduntur, quòd corporalia remittantur. Sim. Cass. l. 1. c. 10.

T I T U L U S XXXV.

S P I R I T U S.

NOsti, *quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis*. Gen. 27. 11. Moraliter per Jacob, qui lenis fuit significatur Spiritus; qui lenis, & mitis naturaliter est creatus: per Esau pilosum significatur caro, quia superflua quærit. Hugo Card. in Sap. 10.

Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur. Ezech. 1. 12. Sic Sanctorum corda illuc gradiuntur, quò impetus divini spiritus fert. Impiorum corda impetus carnis Mundi, dæmonis rapit. Igneo curru raptus est Elias. 4. Reg. 2. 11. igneo spiritu rapiuntur viri Eliæ similes. Barradius t. 2. l. 2. D. 1. Quadr. c. 7. morale.

Charissimi, nolite omni spiritui credere. 1. Joan. 4. 1. S. Aug. s. 13. de Verb. Ap. repeto, quia necesse est, ut repetam, & hoc mentibus vestris vehementer inculcem: *Charissimi, nolite &c.* In temporalibus commodis confidite, quibus libuerit; & auscultate quemlibet erudientem; sed ubi in rebus gerendis periclitari potest, vel justitia, vel divina lex, neminem audite, nisi Spiritum peritissimum. Olivat. 3. conc. 29.

Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur; omnia spiritui patent. Tertull. lib. ad MM.

De vita tua cum natura non deliberas; minùs attendens quid caro possit, quàm quid spiritus velit. Hildebertus ep. 1. ad amicum Religiosum.

Solet à doctis inter alia unum utriusque Spiritus prænotari discrimen: quòd Angelus in principio terreat, & dulcescat in fine; Diabolus è converso. S. Thom. Vill. conc. 2. de Annuntiat.

Nulla consonantia est Spiritus Dei, ad spiritum hujus Mundi. Blesensis de institut. Episc. c. 4. voluit Dei sapientia spiritum rationalem conjungere materiæ; quatenus nos ista connexio doceret spiritum nostrum cum Deo, qui Spiritus est faciliùs conjungi posse. Gerson. tr. 9. sup. Magnif.

Desideria tua parvo redime: quia hoc tantùm curare debes, desinant: atque quasi ad exempla compositus divinum à corpore ad spiritum, quantùm potes te festina reducere. S. Martinus Bracar. de vera virt. c. 3.

T I T U L U S XXXVI.

S. S P I R I T U S.

§. I.

Figuræ.

Ex Veteri.

S*Piritus Dei ferebatur super aquas*. Gen. 1. 2. Sanctus Hieronymus ait, verbum Hebræum propriè significare, *incubare*, sive *confovere*, sicut volucres ova suo calore fovent. De Ponte in Cant. 1. Exhort. 10. §. 4. *Ferebatur*. Arabica Biblia: *volitabat*, ut ales se gerebat, alis se movebat; sicut interprete S. Basilio, & Hieronymo, volucres dum super ova, & pullos, quasi pendulæ, læviter se alarum agitatione librant; iisque deinde incubant, calorem aspirant, fovent, & animant. Ità Spiritus Sanctus potentia, & voluntate sua aquis vim prolificam indebat; ut reptilia, volatilia, pisces, & germina, imò cœli omnes ex aquis producentur. Allegoricè hic significatur Spiritus S. aquis Baptismi quasi incubans, iisque nos parturiens, & regenerans, inquit Sanctus Hieronymus ep. 83. Cornelius hic.

Emisit quoque columbam. Gen. 8. 8. Arca fuit Ecclesia, Noe Christus, columba Spiritus S. oleæ folium Dei benignitas. S. Chrysost. tom. 6. tr. in terræ motum. Spiritum Sanctum in sua maximè persona illa columba significavit, quàm de arca Noe sanctus emisit. Rupertus in Gen. lib. 4. cap. 23. Noe, id est Deus; de arca, id est de cœlo; mittit columbam, id est Spiritum Sanctum: & venit ad palatium dominorum temporalium; & invenit eos plenos injustitia, rapina; non inveniens, ubi requiescat pes ejus. Venit ad Prælatos, & invenit eos plenos Simonia, &c. S. Vinc. Ferr. serm. in Vigil. Pent. Per diluvium designatus: per columbam, quæ detulit *ramum olivæ virentibus foliis in ore suo*, signatur Spiritus Sanctus, quo confirmantur Credentes ab Episcopis per unctionem sacri chrismatis post gratiam Baptismi. Per arcam, quæ de lignis imputribilibus est fabricata, designatur Ecclesia, Haymo in hom. D. 2. Epiph.

Per diem in columna nubis. Exod. 13. 21. Quod nubes erat Israeli, id nobis est Spiritus auxilium. B. Theodoretus l. 1. in Cant.

Ut sugeret mel de petra &c. Deut. 32. 13. id est, ut dilectioni Creatoris assuefactus, tandem dulcedinem cœlestis doctrinæ caperet de petra, Virga Crucis, & Passionis percussa; scilicet de Christo præsentialiter prædicante ore mellifluo; *oleumque de saxo durissimo*, id est Spiritum S. de eodem Christo. S. Rupertus Abb. l. 2. in Deut. c. 7. hic.

Ascendit ignis de petra. Judic. 6. 21. *Petrus autem erat Christus*. 1. Cor. 10. 4. Ignis de petra ascendit, quando Spiritus Sanctus in igne à Christo missus fuit Discipulis. Et benè dicitur ascendere, quia nos facit ascendere. Considerandum autem, quòd de petra aquam, oleum, ignem, mel, legimus ministrata; quibus Spiritus Sanctus figuratur: qui per effectum gratiæ suæ aqua est incipientibus, oleum proficientibus, ignis consummantibus, mel regnantibus. *Petra fundebat mihi rivos olei*. Job 29. 6. *De petra melle* saturavit eos. Psal. 80. 17. *Spiritus meus super mel dulcis*. Eccl. 24. 27. S. Bonav. ser. 4. in die Pent.

Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ &c. Psal. 44. 8. Quid est oleum lætitiæ? atqui Christus nusquam unctus est oleo, sed Spiritu Sancto. Oleum enim erat signum Spiritus; res autem principalis, & necessaria erat Spiritus. S. Chrysostomus hic. *Unxit te &c.* id est Spiritu Sancto. S. Thom. Aq. in Cant. 1.

Eructavit cor meum &c. Psal. 44. 2. Cor Deus, os Pater, lingua Filius, calamus Spiritus Sanctus. S. Bonav. s. 12. de subtilitate fidei.

Lingua mea calamus scribæ. Ps. 54. 7. Linguam Dei Patris, Spiritum S. promptum est intelligi: quia sicut lingua carnis admi-

administrat verba hominis; ità Spiritus S. animæ credulæ suggerit verba Dei. Rupertus l. 11. c. 23.

Concupiscet Rex decorem tuum. Psal. 44. 12. Loquens de desponsatione humanæ naturæ, sibi eam accommodat. Quid dat ei? annulum: Quemnam? Spiritum S. dicit Paulus 2. Cor. 1. 22. *qui signavit vos, at dedit pignus Spiritus.* S. Chrysost. hìc.

Quis mihi dabit pennas sicut columbæ? Ps. 54. 7. Non orat, ut corporales pennas accipiat columbæ, sed pennas columbæ Spiritus S. Origenes hom. 6. in Isa.

Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, &c. Psal. 132. 2. Humiliato, exaltato, pio Jesu, defluxit unguentum Spiritus S. à capite, idest, à Christo, idest, uncto, in barbam, idest, in eos, qui viriliter egerunt, & confortati sunt, ut sperarent in Domino. Et non solùm in barbam Aaron, non solùm Christi Apostolis datum unguentum hoc, quod liquefactum fuit igne Passionis Christi; ut daret odorem bonæ opinionis per omnem terram: sed quod *descendit in oram vestimenti*, idest, in infima membra Ecclesiæ, quæ est tamquam Christi vestimentum. S. Bernardus tr. de Pass. D. c. 43.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Per osculum intelligit Spiritum Sanctum, quem Ecclesia petit sibi dari. S. Bernardus s. 8. in Cant. qui est osculum, idest, amor Patris, & Filii. Desiderat gustare dulcedinem gratiæ, quæ appropriatur Spiritui S. participando ejus bona, & suam gratiam. S. Thom. Aqu. Lect. 1. in Cant. hic.

Sub umbra ipsius. Cant. 2. 3. Umbra Christi est Spiritus S. S. Gregorius apud Cornelium hìc. Umbra Christi protectio est Spiritus S. Spiritus quippe Sanctus mentem, quam replet, obumbrat: quia omnium tentationum fervorem temperat. S. Gregor. hìc.

Introduxit me Rex in cellam vinariam. Cant. 2. 4. Annon tibi cella videtur fuisse vinaria illa domus, in qua *erant Discipuli pariter congregati, cùm factus est repentè de cœlo sonus, &c.* Nonne unusquisque eorum exiens inebriatus ab ubertate domus illius, & torrente voluptatis tantæ potatus, dicere meritò quibat: quoniam *introduxit me &c.* S. Bernardus s. 49. in Cant.

Surge aquilo, & veni auster. Cant. 4. 16. S. Gregorius: quid per aquilonem, qui in frigore constringit, & torpentes facit, nisi immundus Spiritus designatur; qui reprobos omnes, dum possidet, à bono opere torpere facit. Per austrum verò calidum scilicet ventum, Spiritus S. signatur; qui, dum mentes Electorum transit, ab omni torpore relaxat, & ferventes facit. Apud Cornelium hìc. *Surge &c.* Ut videlicet Spiritus malignus ab Ecclesia, vel unaquaque electa anima, discedat; & Spiritus S. adveniat. S. Gregorius hìc. Austro veniente, aquilo surgens recedit; cùm adventu S. Spiritus expulsus antiquus hostis, qui in corpore mentem constrinxerat, deserit; atque hortum sponsi auster perflat, ut aromata defluant. S. Greg. moral. l. 9. c. 6.

Visio Isaiæ. c. 1. 1. Lex, te Patrem Legislatorem repræsentat, Evangelium te Filium incarnatum, Prophetia te Spiritum S., qui locutus es per Prophetas. Patri ascribitur æternitas, Filio veritas, Spiritui S. charitas. Patri providentia, Filio Sapientia, Spiritui S. Ordo & unio. Patri creatio, Filio gubernatio, Spiritui S. conservatio. Patri prædestinatio, Filio Redemptio, Spiritui S. sanctificatio. Patri vocatio, Filio justificatio, Spiritui S. glorificatio. Patri via purgativa, Filio illuminativa, Spiritui S. unitiva. Patri præterita, Filio præsentia, Spiritui Sanct. futura. Patri principium, Filio medium, Spiritui S. finis, & terminus. Sicut memoria parit intellectionem, intellectus amorem: & sicut fides parit spem, spes charitatem: ità Pater generat Filium, Filius cum Patre spirat Spiritum. S. Cornelius Comment. in quatuor Proph. Major. Dedic. ad Ss. Trinit.

Adducet urentem ventum Dominus. Os. 13. 15. Ventus urens Spiritus S. ascendens de deserto, idest, de cœlo, disiccans venas concupiscentiarum. Hugo Card. in Gen. 8.

Deus ab austros venet. Habac. 3. 3. Sicut auster nubem pluviarum dulcium, ità charitas Spiritus S. Christum cum pluvia gratiarum, venire cogit. S. Bonav. serm. 7. Dom. 1. Adv.

Ex Novo.

Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium. &c. Matth. 4. 23. Opera hujusmodi pietatis portendebat signum illud, sive significatio præsentiæ Spiritus Sancti; quæ super illum apparuit, scilicet species *columbæ*. Matth. 3. 16. quæ nimirum avis naturaliter mitis est, & septem habet insignia pietatis; quæ numerare solent Physici: quia sine felle est; & gemitum pro cantu habet; & in foraminibus petræ, sive caverna maceriæ, nidificare solet; & nihil vivum comedit, & grana candidiora eligit; pullos alienos nutrit; & juxta fluenta plenissima insidiosum prævidet, atque effugit accipitrem. Rupertus l. 3. in Matth.

Nubes lucida obumbravit eos. Matth. 17. 5. Forte Spiritus S. est lucida illa nubes, obumbrans Sanctos. Origenes tr. 3. hìc.

Redde illis mercedem. Matth. 20. 8. Decimo die post ascensionem Domini missus est Spiritus Sanctus: quia in mercedem Denarius promittitur operariis perseveranter in vinea Domini laborantibus. B. Ivo Carnot. s. in Pent.

Et navigantibus illis &c. Luc. 8. 23. Navigantibus Discipulis, idest, Fidelibus quibusque, sæculi fluctus calcantibus, & ad portum æternæ beatitudinis tendentibus, ventus est flatus Spiritus S. gratia ejus pro velo, liberum arbitrium pro remo. Hugo Card. hìc.

Si in digito Dei ejicio dæmonia. Luc. 11. 20. Digitus Dei singulariter Spiritus S. accipitur. S. Anselmus l. de vestim. membris &c. Dei.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49. Spiritus Sanct. est ignis, quem Dominus venit ut mitteret in terram; qui in specie linguarum dividebatur Discipulis. S. Gregor. Nyss. hom. 10. in Cant. Altare nostrum Christus est; ignis, qui ex eodem altari est. Levit. 3. 11. Spiritus Sanct. est: quem utique ignem ille venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi. Porrò holocaustum nostrum, cor nostrum est, totum incensum, idest, totum divino amori deditum; & propter illum ab omni carnis amore separatum. S. Rupertus Abb. l. 1. in Levit. c. 28. Christiani cœlestem illum ignem habent vice alimenti: ille ipsis est requies; ille expurgat, lavat, sanctificat cor illorum: ille præbet eis augmentum; ille est eis aer, & vita. S. Macarius hom. 14.

Date annulum in manu ejus. Luc. 15. 22. Annulus in manu, pignus est Spiritus S. propter gratiæ participationem; quæ digito Dei benè significatur. S. August. Quæst. Evang. q. 33.

Hic est, qui baptizat in Spiritu S. Joan. 1. 33. Nota: quòd Spiritus S. apparuit in triplici specie scilicet in columba in Baptismo; in nube, in transfiguratione; in igne super Discipulos. Et respondet hæc tribus statibus: *Incipientibus* enim illabitur ut columba: quia reddit eos gementes, & meditantes. *Proficientibus* ut nubes: quia conamine mentis facit eos sursum ascendere de virtute in virtutem. *Profectis* in igne: quia illos inflammat, ut sursum tendant, per desiderium, & etiam proximos accedant per benefacta. S. Bonaventura in Luc. 3.

Si scires donum Dei. Jon. 4. 10. Quia ipse sitiebat fidem ejus; eidem sitienti Spiritum S. dare cupiebat. Hanc enim rectè intelligimus aquam vivam; quod est donum DEI. S. August. l. 83. Q. q. 64. Spiritus S. est fons, cujus aquæ, idest, effectus, saliunt in vitam æternam. Joan. 4. S. Th. Aqu. Lect. 4. in Rom. c. 8.

In uno Spiritu potati sumus. 1. Cor. 12. 13. Potest hìc potus intelligi de interno refrigerio, quod Spiritus S. humano cordi præbet, extinguendo sitim carnalium desideriorum, & concupiscentiarum. S. Thom. Aq. hìc Lect. 3.

Ex Patribus, & aliis.

Ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, nubes irrorat; ità se Spiritus cœlestis infundit. S. Cyprianus ep. 2.

Ignis & oleum meritò superiora semper appetunt; quia per ipsorum figuram superferri universæ creaturæ Spiritus S. probatur. S. Isidorus l. 1. Sent. c. 8.

Mittam tibi Spiritum Paracletum, qui tibi donet pignus &c. Paracletus donat pignus salutis, scientiæ lumen, & robur vitæ: ut, quod per naturam tibi est impossibile, per ejus gratiam fiat non solùm possibile, sed & facilè. S. Bernardus s. 2. de Pent.

Sicut intrà pectus consistit cor à quo procedit vita corporalis; sic à Spiritu S. procedit vita spiritualis. S. Vincentius Ferr. s. 3. D. 23. Trinit.

Clavis est Spiritus S. qui cor tuum aperiat, prout mihi placuerit, ad honorem meum, & hominum utilitatem. l. 4. Revel. B. Brig. c. 110. V. C.

Molendinum alatum, quod auram expectat. Lem. *Ni spirat, immota.* Masenius.

§. II.

S. Spiritus varia nomina & laudes.

Spiritum rectum innova in visceribus meis &c. Ps. 50. 12. Plerique *Spiritum rectum* ad Dominum referunt Jesum, qui peccatum Mundi abstulit, & omne hominum genus sui sanguinis effusione renovavit: Et ideo dictum est, *Spiritum rectum* &c. - Spiritum autem sanctum, de quo dicit: *Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me*, Spiritum intelligunt veritatis. Spiritum verò *principalem*, Deum Patrem arbitrantur. S. Ambros. hìc.

Factus est repentè de cœlo sonus &c. Act. 2. 2. Sonus igitur de ore Domini procedit, cum substantialis ei Spiritus ad nos per Filium veniens surditatem nostræ insensibilitatis rumpit. S. Gregor. mor. l. 27. cap. 10. In testamento veteri passim dicitur *Spiritus Dei*, *Spiritus Domini*; solum in novo testamento dicitur *Spiritus Sanctus*: quia in Lege nova maximè ejus Sanctitas manifesta est. Singulariter in Incarnatione; quæ est fons, & origo totius Sanctitatis. Sylveira hìc quæst. 12.

Spiritus S. est Patris, & Filii, amor, & connexio: ad ipsum pertinet societas; qua efficimur unum. Corpus hominis multis constat membris, & vegetat omnia membra una anima; faciens in oculo, ut videat; in aure, ut audiat; & sic in cæteris. Ità Spiritus S. membra Corporis Christi, quod est Ecclesia, continet, & vegetat. S. August. l. de gratia novi testamenti.

Facies Filii Spiritus Sanctus est. S. Cyrill. Alex. lib. 9. c. 24. in Joan.

Omnes linguas Spiritus Sanctus intelligit. S. Pacianus Ep. ep. 2.

Spiritus Jesus, spiritus bonus, Spiritus S. spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus principalis; quidquid in hoc sæculo nequam videtur difficile, & angustum; leve facit, & latum. S. Bernardus s. 3. in Ascens. Dom.

Dulcissimum quiddam in Deo Spiritus S. est. Est benignitas Dei, & idem ipse Deus. Proinde, si celebramus Sanctorum solemnia; quantò magis ejus, à quo habuerunt, ut sancti essent, quotquot fuerunt sancti. Idem s. 1. in festo Pent.

§. III.

S. Spiritus amor bonitas, liberalitas, in nos.

Ex Veteri.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. Quid putamus esse hunc spiritum? nisi bonitatem, amorem, Dei. Hic nempe ferebatur super aquas, nihilominus & super aridam, quæ sub aquis latebat. Quia videlicet magno super creaturam suam Creator affectu ducebatur: ut, quia non poterat esse, quod ipse creaverat; tales ex ea faceret formas, in quibus Creatori conjungeretur, conviveretque. Rupertus Ab. l. 1. c. 7. in Gen. Priùs quam Mundi creaturam ornari cœptum esset, & *Spiritus Dei*, inquit Scriptura, *ferebatur super aquas*, & exinde, septiformi ornatu exemplo, *requievit Deus*, ait, *ab universo opere*. Gen. 2. 2. videlicet, quòd illam efficaciter creaturam in opere actis suis esset affectus, super quam requiesceret Spiritus ejus; qualem facere, vel invenire, gestiens, antè *ferebatur super aquas*. S. Rupertus l. 1. in Gen. c. 1.

Venerunque duo Angeli. Gen. 19. 1. Duo scilicet, qui ab Abrahamo recesserunt, tertio cum ipso remanente. Symbolicè: Angelus unus è tribus, repræsentans Deum Patrem, manserat cum Abrahamo; ut ejus domum benedicat, eumque Patrem efficeret ad generandum Isaac. Unde videtur hìc Angelus, fuisse medius, & primarius inter tres, putà Michael; qui duos socios, Gabrielem, & Raphaelem misit ad exscindendam Sodomam Gabriel enim, juxta ethymon suum, est *fortitudo Dei*; putà fortis executor divinæ justitiæ: hicque repræsentat secundam in Trinitate personam. *Raphael* verò videtur esse Angelus, præsens castitatis, & ultor incestus: hìc repræsentat Spiritum S. qui est tutor, & vindex castitatis, summusque osor libidinis. Addunt nonnulli: Filio additum Spiritum S. (*neque enim Pater judicat quemquam*. Joan. 5. 22.) quia Deus Pater judicium, & vindictam, bonitate, & clementia, quæ appropiatur Spiritui S., temperat, & mitigat. q. d. mitto Filium, ut vos judicet, & perdat: sed addo ei Spiritum S. qui vos invitet ad pœnitentiam; quàm si capitis, Spiritus S. judicium, & vindictam, Filii sistet. Cornelius hìc.

Videbant descendentem ignem. 2. Paral. 7. 3. Ignis hìc figura Spiritus S. ut ait Lyranus. *Vidi Dominum sedentem, &c.* Is. 6. 1. Pater, cùm omnipotentiam denotet, ostenditur in throno excelso: at Spiritus S. cùm sit amor, descendit; ut suos cœlestibus donis repleat. Matth. 3. 16. *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.* Sylveira in Joann. 13. q. 8.

Eructavit cor meum verbum bonum. Ps. 44. 2. Bonum illud verbum, ipsam boni verbi substantiam tota plenitudine edidit in uterum Virginis; & Regi, idest, homini, quem formabat de ejusdem utero Virginis, opera sua sic indidit; ut sit & ipse opifex, seu artifex, non dissimilis. Rupertus l. 11. c. 24.

Ego, ego ipse consolabor vos. Is. 51. 12. Non legatus veniet, aut Angelus; sed *ego, ego ipse consolabor vos.* Consolatione propria; qua nemo alius potest consolari vos. Paracletum, idest, consolatorem ego habeo; Paracletum Spiritum S. ego vobis dabo. S. Rupertus hìc.

Effundam spiritum meum super omnem carnem. Joel. 2. 28. Quod dicit *effundam*, abundantem denotat Spiritus donationem: nam hìc non ad mensuram Deus dat Spiritum S. Cyrillus Jeros. Catech. 17. Verbum effusionis ostendit muneris largitatem. V. Beda in Act. 2.

Ex Novo.

Inventa est in utero habens de Spiritu S. Matth. 1. 18. Cur non dicit Matthæus in utero habens de Patre æterno, aut de Filio? sicut dicit de Spiritu S.? Bz. id æquè verè dicere potuisse: opera enim SS. Trinitatis ad extra omnibus tribus Personis sunt communia. Sed maluit dicere *de Spiritu S.* quia sicut potentia appropriatur Patri, Sapientia Filio; ita amor, bonitas, gratia, quæ in Incarnatione maximè elucent, attribuitur Spiritui S. Sanct. Thomas 3. p. q. 32. a. 1. & seq. docet, Tò *de Spiritus S.* significare, ex puro amore Dei, & Spiritus S., sine meritis hominum, peractam esse Verbi Incarnationem. Cornelius hìc. *Inventa &c.* virtute, & operatione Spiritus S.; qui ex purissimis Virginis Sanctissimæ sanguinibus corpus Christi formavit, organizavit, & anima rationali denotavit. Quæ omnia facta sunt in instantia tota super beatissima Trinitate: quamvis adscribantur Spiritui S. eò quòd ad misericordiam, bonitatemque Dei pertineat, tamquam effectus ineffabilis clementiæ Dei: clementia autem, & bonitas, appropriantur Spiritui S. Dion. Carthus. hìc.

Sedet à dextris Dei. Marci 16. 19. Maldonatus: animadverte, in litteris sacris, nunquam Spiritus S. sed solum Patrem, & Filium, dici sedere. Patri tribuitur potentia, Filio Sapientia, Spiritui S. Amor. Etsi Potentia, & sapientia, valeant quiescere, & sedere; amor minimè, sed semper operativus est. Sylveira hìc. Didacus Celada in benedict. PP. bened. 4. Spiritus S. qui amor infinitus est, meritò nunquam dicitur sedere: magnus enim amor otia sessionis nescit; semper actuosus est, nunquam otiosus. Act. 2. 3. *Sederique supra singulos eorum.*

Spiritus S. replebitur. Luc. 1. 15. Cui adest spiritus gratiæ, nihil deest: & cui spiritus infunditur, magnarum plenitudo virtutum est. S. Ambros. l. 1. c. 1. in Luc.

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam. Luc. 16. 24. Barradius t. 4. l. 4. c. 7. appellamus Spiritum S. dexteræ Dei digitum. Habet digitus, hac cœlesti aqua intinctus, vim ad consolandum maximam.

Spiritus, ubi vult, spirat; & vocem ejus audis. Joan. 3. 8. Cur Spiritus Dei magis Spiritus, sive aeris, ac venti, quàm ignis, & aquæ; nomine describitur? ut instruamur, quàm communis velit esse. Nam cœtera elementa, quidem ad unius pertinere dominium possunt; ut dicat, mea est hæc aqua, meus ignis, mea terra: verum, meus est hìc ventus; meus aer; nemo verè dicere potest: cùm hæc nullius privatæ jurisdictioni subsint. Did. Nyss. D. 1. Quadr. §. 6.

Sederique supra singulos eorum. Act. 2. 3. Mirum est, quòd dicatur ignis *sedisse*; cùm ejus proprietas sit semper moveri, & sursum tendere. Quomodò ergo sedet, & est mobilis? Immò, quia cupit sedere, semper movetur: quia valdè exoptat quiescere, semper sursum tendit: amor enim Dei nunquam potest esse otiosus. De Ponte in Cant. 1. Exh. 8. §. 4.

Ipse Spiritus postulat pro nobis &c. Rom. 8. 26. Genuinè: Spiritus S. postulat, idest, desideria amicorum suorum, eorumque gemitus, in Consistorio SS. Trinitatis, quasi Advocatus noster, exponit magna instantia, pondere, & authoritate: quasi ipse præsit omnibus postulationibus; sitque quasi Præfectus libellorum supplicium nostrorum apud Deum. Cornelius hìc.

Nescitis, quia amicitia hujus Mundi inimica est Dei? An putatis, quia inaniter Scriptura dicat, ad invidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis; majorem autem dat gratiam. Jacobi 4. 4. 5. 6. q. d. ædes animæ nostræ concupiscit Deus, idque ad invidiam, quasi zelo laboraret; quòd sibi tam diviti, & munifico hospiti non concedatur domus: cujus usum largissimè remuneratur; cùm dæmoni semper patea qui tam improbè rependit. Si princeps, unaque è fœce quispiam, eandem sibi domum locatam cuperent; atque ea principi negaretur, addiceretturque plebejo: nonne hoc principi gravi probro esset? maximè si hìc censum majorem offerat? Animæ domum vult sibi Spiritus S. vult & Spiritus nequam. Et quid homo? dæmoni eam, eheu! nimis sæpe tradit: cùm tamen, ut ait Jacobus, Spiritus S. *majorem det gratiam*. Did. Nyss. D. 2. Pent. §. 5.

Ex Patribus, & aliis.

Spiritus Sanctus omnium viventium anima quasi sol omnia calefaciens subjecta, omnia nutrit. S. Cyprianus de Spiritu S.

Implet Spiritus S. organum suum, & tamquam fila chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum. S. Ambros. ep. 84. circa finem.

In donis Dei nihil majus est charitate: & nullum majus est donum Dei, quàm Spiritus S. Sanct. Isidorus orig. l. 7. c. 3.

Spiritus S. idcirco in columbæ specie venisse scribitur; ut natura ejus per avem simplicitatis, & innocentiæ declaretur. - Hæc enim avis corporaliter ipso felle caret; habens tantùm innocentiam, & amorem. Id. ib.

Pretiosum sanè donum est Spiritus Sanctus ille bonus. S. Cyrill. Jeros. Catech. 16.

Spiritus S. illa Paterni cordis benigna vena est; de qua usque ad nos miseratio larga, tamquam flumen inundans, procurrit. Rupertus de div. offic. l. 7. c. 10.

Per Passionem Christi hoc actum est, quòd gratia Paracleti spiri-

ſpiritus in nos effuſa eſt: nam ſi Chriſtus non paſſus in cœlum aſcendiſſet; profectò iſte Spiritus gratiæ, qui per ſanguinem ejus peccata remittit, datus non fuiſſet. S. Rupertus l. 12. in c. 16, Joan.

Per Spiritum S. quem accepimus à Deo, ſumus de cœleſti habitatione adipiſcenda certi, ſicut per pignus de debito recuperando. S. Thom. Aqu. Opuſc. c. 9.

§. IV.

S. Spiritus bonitas, & miſericordia, erga peccatores.

Figuræ, Symbola.

Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Gen. 1. 2. Quia, quocumque fluant homines per peccata, ſemper ſuperfertur Dominus: ſicut avicula ſuper nidum, cùm pulli ejus rapiuntur clamitans: *tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere, dicit Dominus, ego ſuſcipiam te.* Jer. 3. 1. Hugo Card. hìc. *Super aquas:* utique ſuper cor noſtrum fluidum, & tenebroſum; V. Beda hìc.

Emiſit columbam. Gen. 8. 8. Ut in Arca Noe columba non defuit, ità nunc quoque Spiritus S. in columbæ ſpecie, non in aſſumpto corpore, advenit, ſuoque adventu Dei miſericordiam orbi annunciavit. Victor. Antioch. in Evang. S. Marci c. 1.

Altare de terra facietis mihi. Ex. 20. 24. Altare, in quo ignis, imago divini Spiritus, non ex auro, immò ne quidem ex lapide; ſed ex terra, conſtruitur. Vides, peccatoribus maximè delectari Spiritum S.; qui rejectis gemmis, ardere in terrà voluit ignem, ſimulacrum ſui. Oliva l. 10. Strom. §. Emitte Spiritum &c.

In terra deſerta, & in via. Pſ. 62. 3. En, quò Spiritus S. deſcendat; unde ſcilicet aſcendit nihil. *In terra deſerta* emicat gloria Domini; nec deſerta tantùm, ſed & *in via*, quò cultor accedere nequit; deſertum commutaturus in hortum, Dominus ignem ſuum non palmæ, ſed rubo injecit. Ex. 3. 2. cùm Moyſi apparuit. In *oſſa arida* irrumpit. Ezech. 37. 5. quæ non adipe, non medullis impinguantur; ſed arida proſtabant in agro inſtar ſilicum. Oliva l. 3. Strom. §. In terra deſerta.

Vox turturis &c. Cant. 2. 12. Quare non turturum à fortè Apoſtolus id ſolvit, cùm ait: quia *ipſe ſpiritus poſtulat &c.* Rom. 8. 26. *Vox turturis*, ideſt, vox Spiritus S. ut Gloſſa exponit: num *ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus &c.* Rom. 8. 26. S. Thom. Aqu. Lect. 2. hìc.

Et in manu ejus calculus &c. Iſ. 6. 6. Hebr. *carbo*, vel *pruna ignea* Calculus hìc ignitus Symbolum erat Spiritus S. gratiæ; quæ à peccatis ſajæ, & cujuſvis pœnitentis animam purificat, & ſanctificat. Ità S. Ambroſ. l. 1. de Spir. S. c. 9. Cornelius hìc.

Tu petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. Joan. 4. 10. Aquam porrò vivam, vivificantem Spiritus S. gratiam, appellat; per quam humana natura ab ariditate, inſœcunditateque, qua diaboli actibus infecta erat, depulſa; ad priſtinam pulchritudinem, ac viriditatem, irrigata recurrit; magno virtutum numero florens, & charitate erga Deum ſuaviſſimos fructus producens. S. Cyrill. Alex. l. 2. c. 82. in Joan.

Teſtimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem &c. Deut. 20. 10. Sic oppugnat Spiritus S. velut urbem rebellem, peccatorem: pacem primùm illi offert: ſi vitam corrigat, & pœnitentiam agat. Si pacem recipit, portaſque Deo aperit, ſervatur; ſervitque Deo ſub felici tributo amoris. S. pacem reſpuit; gladio divinæ ſententiæ percutitur, &c. Barradius t. 4. l. 5. c. 7. D. 4. Paſc.

Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis coronaſti nos. Pſ. 5. 13. Impoſſibile eſt, quidquam boni à nobis peragi; nec perturbationes animi ſuperari, nec acres diaboli laqueos evitari; niſi gratia Spiritus S. muniti, ipſum hac de cauſa in nobis habeamus. Hinc Pſalmiſta cantabat: *ut ſcuto &c. bonæ voluntatis* ſcutum nihil aliud appellans, quàm protegentem nos ſpiritum; & ineffabili ſua virtute ad id nos convertentem, atque in eo conſervantem; quod Deo penitus placet. S. Cyrillus Alex. l. 9. c. 45. in Joan.

Et ſanguinem laverit in Spiritu judicii. Iſ. 4. 4. Genuinè: Spiritus S. eſt Spiritus judicii: quia facit 1. ut noſtra videamus, judicemus, & damnemus peccata. 2. diſcernit Fidelem ab infideli, pium ab impio. 3. quia mentem illuminat per fidem, tribuens remiſſionem peccatorum; faciensque, ut pia, ſancta, cœleſtia, judicemus, ideſt, æſtimemus, diſcernamus, & amplectatur, præ vanis. Cornelius hìc.

Spiritus eſt, qui vivificat. Joan. 6. 64.

Dixit eis: pax vobis. Et cùm hoc dixiſſet. &c. Joan. 20. 19. 20. Manifeſtè hìc illa de pace agitur, quæ eſt remiſſio peccatorum: quod primum, & maximum eſt Spiritus S. donum. S. Rupertus l. 14. hìc.

Accipietis virtutem &c. Act. 1. 8. Alii legunt, potentiam, robur, fortitudinem, Spiritus S. Hugo Card. ut, quod non poteſtis ex infirmitate, poſſitis ex virtute Spiritus S. Sylveira hìc.

Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis. Act. 2. 3. At ſuper Chriſtum D. deſcendit ut *columba.* Matth. 3. 16. Rationem dat S. Gregorius hom. 30. in Evang. quia peccata noſtra, quæ piè Dominus per manſuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus cautè conſpicere; & ardore ſemper pœnitentiæ cremare. Mendoza in 1. Reg. 11. 12. Annot. 10. Sect. 2.

Ex Patribus.

Remiſſio peccatorum, ſive per baptiſmum, ſive per alia Sacramenta, donetur; propriè Spiritus Sancti eſt: & ipſi ſoli hujus efficientiæ privilegium manet. S. Cyprianus de Baptiſmo Chriſti.

Quoſcumque acceſſerit Spiritus S. eos pro luteis reddit aureos. S. Chryſoſt. hom. 4. in Act.

Propria, pariter & eximia, peculiariſque Sancti Spiritus virtus, & efficacia eſt; ut & purificet, & remittat peccata. S. Gregor. Nyſſ. de orat. Dom. or. 3.

Quærat aliquis: cùm & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater ſanctus, & Filius ſanctus; quam ob cauſam vocabulum hoc, quod eſt *Spiritus Sanctus*, proprium adſcribatur Perſonæ huic & ſola hæc Perſona ſic vocari debuit? Ad hoc, inquam: nimirum, quia tota Perſonæ hujus operatio, non aliud, niſi Sanctificatio eſt. Hæc operationum diſtinctio diligenter animadvertenda eſt: quia Deus omne, quòd factum eſt, per Filium fecit, & omne, quod ſanctum eſt, Spiritum ſuum ſanctificavit. Quid enim eſt Spiritus ejus, niſi amor ejus? Et quomodo creatura quæcumque rationalis aliter, niſi amando Creatorem potuit unquam, vel poteſt, ſanctificari? Sine quo nec Angelus ſanctus, nec homo ſanctus? quem non habens Angelus, diabolus eſt: quem non habens homo, Anti-Chriſtus, vel membrum diaboli eſt. Rupertus l. 1. in Matth. 1.

Nemo mundatur à ſordibus delictorum, ſine Spiritus S. gratia. S. Laurent. Juſt. de triumph. &c. c. 1.

Officium donorum Spiritus S. eſt, diſſipare omnes vitiorum obliquitates. Primò enim *Timor* propulſat reliquias ſuperbiæ; *Pietas* reliquias invidiæ; *Scientia* reliquias iræ: ira enim quaſi quædam inſania eſt. Eccl. 7. 10. *ira in ſinu ſtultè requieſcit. Foreitudo* reliquias acediæ; *Conſilium* avaritiæ: diſponit enim Conſilium ad ſpiritus paupertatem. Matth. 19. 21. *ſi vis perfectus eſſe &c. Intellectus* reliquias gulæ; quæ mentem brutalem facit. *Sapientia* reliquias luxuriæ: quia guſtato ſpiritu deſipit omnis caro. S. Bernardinus. ſ. in die Pent.

§. V.

S. Spiritus reſpiciens pœnitentes.

Beati, qui lugent. Matth. 5. 5. ideſt, pœnitentiam agunt; *quoniam ipſi conſolabuntur:* ipſi enim ſunt, quibus promittitur, & datur Paracletus, ideſt, Conſolator Spiritus S. S. Rupertus lib. in Evang. c. 18.

Vidit ſpiritum, tamquam columbam. Marci 1. 10. Spiritus S. in ſpecie columbæ deſcendit: nam ubi reconciliatio cum Deo intercedit, ibi columba præſtò eſſe conſuevit. Victor Antioch: hìc.

Spiritum Veritatis, quem Mundus non poteſt accipere. Joan. 14. 17. Mundum hìc appellat amatores Mundi. Quare autem Paracletum hunc Spiritum veritatis non poſſunt accipere immundi amatores Mundi? Videlicet, quia conſolationem ſuam habent, quia non lugent; quia de peccatis ſuis, quorum hìc Paracletus remiſſor eſt, non dolent. S. Rupertus l. 11. hìc.

Accipite Spiritum Sanctum. Joan. 20. 22. In ſolo Sacramento Pœnitentiæ dixit: ad ſignificandum, hoc eſſe ſingulare in Sacramento Pœnitentiæ; quòd actio Sacramentalis requirit in Miniſtro, Spiritum S. dirigentem, & moventem; requirit judicium internum ſecundùm Spiritum S. qui eſt Spiritus Sapientiæ. &c. Cajetanus hìc. Dupliciter Spiritus S. datus. Primò in cœnaculo poſt Reſurrectionem; quando leniter, & ſuaviter, Jeſus *inſufflavit, & dixit, accipite Spiritum S.* Joan. 20. 22. Secundò cum impetu *vehementi* Act. 2. 2. Quæ differentia? Poſt Paſcha leni flatu ſe habet, dabatur enim ad dimittenda peccata: *quorum remiſeritis peccata.* Nunc verò validò impetu venit; quia ad peragenda negotia regni Dei inſtigabat. Cùm peccatoribus contritis leniter, & affabiliter, ſe habeat miniſter: at in negotio regni Dei exequendo, vehementi conatu ſe exhibeat. Sylveira c. 13. in Joan. 14. q. 12.

Factus eſt repentè de cœlo ſonus &c. Act. 2. 2. Spiritus S. eſt repentinus in feſtina converſione; neſcit tarda molimina. *Ne tardes converti ad Dominum.* Suſcipiamus ergo nunc repentinum Spiritum ad converſionem; nè accipiamus repentinum interitum ad damnationem. S. Bonaventura ſ. 5. in Pent.

Væ illis, qui rebelles huic lumini, & reſiſtunt Spiritui S.; nec

nec acquieſcunt veritati, quam intelligunt: & ſicut lutum ex calore ſolis, ita ex bonitate, & beneficiis Dei, duriores fiunt: Audacter etiam provocantes eum; cum ipſe dederit omnia in manibus eorum. Guarricus ſ. 1. die Pent.

Primum ſignum, quòd animam inhabitet Spiritus S. eſt contritio, & lacrymoſa compunctio cordis.

Profectò, quamdiu animal gemit, tamdiu perpenditur, in eo eſſe Spiritus vitæ. S. Bernardinus ſ. in fer. 6. Pent.

§. VI.

S. Spiritus reſpiciens lacrymas.

Qui dat nivem ſicut lanam &c. Pſal. 147. 16. Videmus nivem, nebulam, cryſtallum; Bonum eſt, ut ille ſpiret. Si enim ille non ſpiraverit; ſi non ipſe duritiem glaciei hujus diſſolverit; *antè faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?* Cujus? Dei. Unde eſt ejus frigus? Ecce deſerit peccatorem; ecce, non vocat, ecce non aperit ſenſum, ecce non infundit gratiam. Sequitur: *emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea.* Non deſperet nix, non deſperet nebula, non deſperet cryſtallum. De nive, tanquam de lana, conficietur & tunica: nebula illa in pœnitentia invenit ſalutem: *quia quos prædeſtinavit, illos & vocavit.* Sed, licèt ſint inter Prædeſtinatos duriſſimi, & multo quaſi tempore congelaverint, & cryſtallus facti ſuerint; non erunt duri miſericordiæ Dei. *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea.* S. Auguſt. hìc.

Flavit Spiritus ejus, & fluent aquæ. Pſ. 147. 18. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terræ.* Pſ. 103. 30. Renovatur terra, quando gelicidium peccati reſolvitur in aquas, id eſt, lacrymas flante auſtro. Hugo Card. in Joan. 13.

Et vidit Spiritum Dei deſcendentem. Matth. 3. 16. Fletu trahitur divinus Spiritus. Jordanem dum attigit Chriſtus; ecce columba divina advolat ad rivos aquarum. Guarricus ſer. 2. de Pent. Neſcio, ſi Spiritui S. qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior ſit. Puto, quia neque in Apoſtolis locum inveniſſet Paracleti conſolatio; niſi quia lugebant ſe delatos. Elias 3. Reg. 18. 32. holocauſta aquis rigavit, quo ignem de cœlo traxit, Oſeæ 12. 1. de Jacob. *flevit, & rogavit eum.* Baeza t. 1. l. 5. c. 8.

His autem auditis compunctis ſunt. Act. 2. 37. Vide Prophetiam Joel impletam, *ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi*; carnem poſt ignem Spiritus S. vaporem ſequi compunctionis: fumus enim excutere lacrymas ſolet. Sanguinem Dominici lacteris, ignem Spiritus S., vaporem compunctionis, & fletum. V. Beda in Act. hìc.

Spiritus S. dicitur Auſter propter calorem, propter ſplendorem. Habac. *Deus ab Auſtro veniet:* propter pluviæ multiplicationem. Pſ. 125. *ſicut torrens in Auſtro:* propter arborum fructificationem. Cant. 4. *veni Auſtr perfla hortum meum.* S. Thom. Aqu. in Jerem. 13.

§. VII.

S. Spiritus docet, illuminat.

Ex Veteri.

Lingua mea calamus Scribæ velociter ſcribentis. Pſ. 44. 2. Linguæ pernicitatem laudat. Non ſat apta videtur metaphora: quis enim ſcriba æquet linguæ velocitatem? Baſilius hìc: calamus ea ſcribit, quæ magnus, qua tenetur, ſcribere juſſit. Per velocem autem ſcribam, gratiam oſtendit: qui namque de ſuo loquitur, tardius eſt meditando, & componendo; quando verò Spiritus mentem movet, nihil, quod remoretur. Pinna Ethol. 111. *Scribæ*, id eſt, Spiritus S. q. d. quod loquor, à meipſo non loquor. Sicut enim calamus non ſcribit, quod vult, ſed quod ſcribens vult; ſic homo non prædicat à ſe, ſed à Spiritu S. dictante, & ſcribente in corde Prædicatoris, & in cordibus audientium. Hugo Card. hìc. Scriba Spiritus S., quoniam ſapiens, & præter omnes velociter ſcribit: velox enim Dei motus eſt. S. Baſilius hìc.

Vox Dilecti mei. Cant. 2. 8. *Factus eſt repentè de cœlo ſonus.* Act. 2. 2. Ideo hìc ſonus, vel vox, dicitur de cœlo facta: quia Spiritus S. veniebat virtute, & meritis Chriſti; qui paulò antè in cœlum aſcenderat. Et quia vox illa, & adventus, Spiritus S. excitat nos ad contemplanda dona cœleſtia, ut præparemur ad recipiendum illa: cùm enim aliquem repentinum, & vehementem ſonum audimus; illicò faciem vertimus, & oculos levamus ad locum, unde ſonus venit. De Ponte hìc. Exh. 6. §. 2.

Et ſanguinem Jeruſalem laverit - in Spiritu judicii. Iſ. 4. 4. Spiritus S. eſt Spiritus judicii: quia mentem illuminat per fidem, tribuens remiſſionem peccatorum; faciensque, ut pia, ſancta, cœleſtia judicemus, id eſt, diſcernamus, & amplectamur, præ vanis. Cornelius hìc.

Similitudo autem vultus eorum &c. Ezech. 1. 10. S. Macarius heremita hom. 1. comparat animam cum Ezechielis curru: videbat enim myſterium animæ, quæ Dominum ſuum amplexura, & thronus gloriæ futura erat. Anima ſiquidem, quæ cum Spiritu S. præparante illam ſibi in ſedem, & habitationem; participare lumen ejus dignata, & pulchritudo inenarrabilis gloriæ ejus illuſtrata eſt: tota ſit lumen, tota facies, & tota oculus: nec ulla ejus pars, quæ oculis ejus ſpiritualibus luminis plena non ſit. Quatuor autem illa animalia, curum ferentia, typum præſeferebant præcipuarum animæ rationalis partium. Dico autem, voluntatem, conſcientiam, mentem, & diligendi vim.

Ex Novo.

Procidentes adoraverunt eum. Matth. 2. 11. Vide, quanta ſit diſtantia in modis diſcendi; quantùm diſtet inter eruditionem illius, qui per Angelum, ſive per hominem; & illius, qui per ſolam Spiritus S. revelationem, meretur erudiri. *Paſtores* Judæi quippe, *qui in regione eadem erant, vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregem ſuum*; non per hominem, ſed, quod majus eſt, per Angelum, natum ſibi eſſe Salvatorem Chriſtum Dominum, didicerunt. Et tamen non adeò docti, ſive eruditi fuerunt, *ut procidentes adorarent*, aut munera offerent. Sed tantummodo venerunt, & *cognoverunt de verbo: quod dictum erat illis de puero hoc, & reverſi ſunt glorificantes & laudantes Deum.* Luc. 2. 9. Iſti primitiæ gentium, neque per hominem docti, neque per Angelum; ſed per Spiritum S., modo, de quo jam dictum eſt, laudem perfecerunt. Rupertus l. 2. in Matth.

Si in digito Dei ejicio dæmonia. Luc. 11. 20. Matth. 12. 28. *in Spiritu Dei.* Spiritus S. vocatur Digitus, quia digito indicamus: unde quidam digitus *Index* nominatur. Spiritus S. Sancta nobis: & ſalutaria, per ſuas indicat inſpirationes: quidquid demonſtrarit, ut amplectaris. Amplectere; quidquid oſtenderit: ut caveas, & fugias; cave, & fuge. Barradius t. 2. l. 8. c. 16. Dicitur Spiritus S. digitus Dei: quia ſicut per digitum entia indicantur; ita per Spiritum S. divina hominibus demonſtrantur; juxta Joan. 16. 13. *cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Dion. Carthuſ. hìc.

Huic oſtiarius aperit. Joan. 10. 3. Oſtiarius dicitur Spiritus S.; in quo Scripturæ, quæ oſtendunt nobis Chriſtum, aperiuntur. Theophylactus hìc.

Ille vos docebit eum. Joan. 14. 26. Paraclitus conſolatorem, & exhortatorem ſignificat. Ille Apoſtolos docuit: nos quoque docet, exhortatur; verba ſuggerit, & inſpirat. Barradius tom. 4. l. 5. c. 8. Dom. 6. Paſch.

Ille docebit vos omnem veritatem. Joan. 16. 13. Omnis veritas dicitur hoc loco non abſolutè; ſed illa, quæ ad fidem, & mores attinebat, ad Eccleſiam regendam, & Scripturas intelligendas. Non enim docuit Apoſtolos Mathematicas ſcientias, aut Philoſophiam; ſed ſcientiam Chriſtianam. Idem tom. 4. l. 5. c. 5.

Acta Apoſtolorum S. Chryſoſtomus nominat hunc librum: dogmata Spiritus S. œcumenius, Evangelium Spiritus S. Nam, uti, inquit, quatuor Evangeliſtæ ſcribunt Evangelia, Actaque Chriſti; ſic Lucas hìc deſcribit Evangelium, Actaque Spiritus S.; quæ ſcilicet ipſe geſſit per Apoſtolos. Cornelius Argumento in Acta Apoſt.

Domine, ſi in tempore hoc &c. Act. 1. 6. Inutiliter quærenti Diſcipulo Magiſter ſapiens non reſpondet. Non ſciſcitetur miles caſtrenſis, quod tantùm ſcire regiam ſpectat majeſtatem. Plus novit docere, quàm nos diſcere valeamus; & docet utilia, etiam non rogatus. Hinc per Iſaiam dicitur: *ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* c. 48. 17. Multa ſuis Vatibus revelavit, quæ prævidit in utilitatem hominum vergere. *Sed accipietis virtutem &c.* Plus eſt gratia, ſeu præſentia. S. Spiritus, quàm quælibet præſciencia futurorum. Hinc quoque novimus, quòd Spiritus S. Apoſtolos non omnia docuerit; ſed quæ in eorum, & Eccleſiæ futuræ, ceſſerunt utilitatem, quod Paulus ad Cor. refert. 1. 12. 7. *unicuique datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.* Sim. Caſs. l. 14. hìc.

Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ. Act. 2. 3. Cur Spiritus S. in figura linguarum venit? Voluit hoc viſibili ſigno oſtendere, quod prædictum in Scriptura, & à Chriſto promiſſum. Nam de Doctoribus Canonicis dicitur Pſ. 44. 2. *lingua mea calamus Scribæ &c.* quia eorum linguæ ſunt tanquam calamus, qui à Spiritu S. ſcribente dirigitur. Chriſtus dixit Matth. 10. 20. *Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et Luc. 21. 15. *ego dabo vobis os, & ſapientiam.* Et Marci 16. 17. *linguis loquentur novis.* Voluit oſtendere Spiritus S. virtutem promiſſam, ſcilicet doctrinam Apoſtolorum, eorumque verba, eſſe ab ipſo dictante & dirigente, Sylveira hìc q. 5.

Ex Patribus, & aliis.

O qualis eſt artifex iſte Spiritus! nulla ad diſcendum mora agitur in omne, quod voluerit, mox enim, ut tetigerit mentem, docet; ſolumque tetigiſſe, docuiſſe eſt. Nam humanum animum ſubitò ut illuſtrat, immutat: abnegat hoc repente, quod

quod erat; exhibet repentè, quod non erat. S. Gregor. hom. 30. in Evang. circa finem.

O quàm velox est sermo sapientiæ, & ubi Deus Magister est, quàm citò discitur, quòd docetur. S. Leo s. 1. de Pent.

Spiritus S. *omnia* ad bonum, & ad salutem dirigit: primùm enim mansuetus illius adventus, fragrans progressus, onus levissimum; ante suum accessum radios lucis præmittens, & cognitionis. Venit illuminare mentem primùm quidem ejus, qui *recipit illum*: deinde per ipsum & cœteros. S. Cyrillus Jeros. Catech. 16.

Quòd si fortè sedenti tibi, de castitate, & virginitate, subeat cogitatio; illius est ea doctrina. Nonne persæpe puella, jam ad sponsi thalamum constituta, effugit, Spiritu S. de virginitate eam docente? Nonne sæpe splendidus aliquis homo aulicus contempsit divitias, probè instructus à Spiritu S.? Nonne juvenis sæpè videns pulchritudinem, compressit oculos; & nè ampliùs videret, aufugit, pollutionemque vitavit? Quæris, unde id contingat? Spiritus S. certè sic erudivit animum adolescentis. - Tot sunt avaritiæ cupiditates in Mundo; & tamen nihil possidere eligunt Christiani. Qua de causa? propter Spiritus S. annuntiationem. Id. ib.

Magnum igitur commilitonem, & auxiliatorem, apud Deum habemus; magnum Ecclesiæ Doctorem: magnum protectorem nostrum. Non metuamus ergo dæmones: major enim est, qui certat pro nobis; modò illi ostia aperiamus. Obambulat enim ille, qui digni sunt, quærens; & quibus bona conferat. Id. ib.

Clavis tibi Psalmorum, omnisque Prophetiæ, est Spiritus S.S. Andreas Cæsar. s. 3. c. 8. Apoc.

Proprium erat opus Patris, facere; opus Filii, redimere; proprium Spiritus S. opus illuminare, & ad similitudiem Dei hominem producere. S. Rupertus l. 1. de ob. Spiritus S. c. 11.

Omne bonum consilium de salute hominum est à Spiritu S. S. Thom. Aqu. Opusc. 10. c. 8.

Sol est Spiritus S., illuminans corda Prophetarum: qui quandoquè sub nubibus apparet, quandoque sine nubibus. Idem Prologo in Psalmos.

§. VIII.

Spiritus S. inflammat, dat Dei amorem.

HOdie, juxta Prophetæ verbum, *ignis à facie ejus exarsit*, Ps. 17. 9. *carbones*, idest, Apostoli sancti, atque discipuli, *succensi sunt ab eo*. S. Bernardinus s. in die Pent.

Comedite amici, & bibite, & inebriamini, Charissimi. Cant. 5. 1. Multi legunt ex Hebræo: *inebriamini amoribus*, idest, Spiritu S.; & omnibus affectibus, & operibus illius; ut nihil in animo vigeat, nisi amor Dei. De Ponte hic Exh. 2. §. 5.

Et Sanguinem Jerusalem laverit in Spiritu judicii. Is. 4. 4. Spiritus S. dicitur Spiritus ardoris: vel, ut Vatablus vertit, Spiritus incendii, idest, charitatis tum divinæ, tum nostræ, nobisque infusæ; qua nos ipse accendit, carnisque vitia adurit. Cornelius hic.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49. Per hunc ignem intelligit Spiritum S. S. Ambrosius. Sed cur voluit Christus mittere Spiritum S. ut ignem? S. Bernardus serm. 3. de verb. Is. vult Seraphim fabricari, ut ibi stet, ubi tu corruisti: ut tabescas ampliùs, & livore proprio torquearis. Seraphim ab incendio nomen: ideo Spiritus S. venit, ut Seraphinos plures faciat. Sylveira Addit. in Joan. 14. Luc. 12.

Apparuerunt illis dispertitæ linguæ. Act. 2. 3. Cœlestis Spiritus congregatis Discipulis, quos ad officium publicationis suæ Legis deputarat, dedit dispertitas linguas; tamquam ignem: hoc modo apertè ostendens, quòd prædicatio Evangelii tota esset ad corda hominum inflammanda. S. Franc. Salesf. tr. de div. am. in Præf. ad Lector.

Omnium viventium anima quasi sol omnia calefaciens subjecta, omnia nutrit. S. Cyprianus de Spiritu S.

Hic prætereundum non est, quod de hoc magno Præside hujus cœli eleganter prædicare solent Physici: quòd sit fons ignis ætherii, cor cœli, sive mens, & temperatio Mundi. Rupertus l. 1. c. 41. in Gen.

Spiritum S., qui est amor Patris, & Filii, dari nobis; est, nos adduci ad participationem amoris, qui est Spiritus S.: à qua quidem participatione efficimur amatores Dei. S. Thom. Aqu. Lect. 1. in Rom. 5.

Nullam aliam virtutem sanat Spiritus S. in corde humano sic illi connaturalem; sicut amorem, & charitatem. Cùm Deus creavit animam, *ad imaginem & similitudinem suam, creavit illam*: scilicet ad imaginem charitatis; quia *Deus charitas est*. 1. Joan. 4. 16. S. Bernardinus tom. 2. s. 3.

§. IX.

S. Spiritus respiciens patientiam, tribulationes.

Ex Veteri.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. Neglecto firmamento aquis incumbit. Cur mare prætulit non terræ solùm, sed & cœlo? Adamavit aliqua in æquore, quæ in homine amaret. Mare ventorum vi concutitur quidem, & fervet; sed littus non excedit, suisque se continet finibus; legis memor vel in furore. Imitare & tu mare, ut æquus sis. *Turbatus sum, & non sum locutus*. Psal. 76. 5. Job 1. 20. *scidit vestimenta*, sed *labiis non peccavit*. v. 22. Oliva l. 9. Strom. §. Spiritus Dei &c.

Bibi vinum meum cum lacte meo. Cant. 5. 1. Hoc vinum meum oblivionem mihi fecit laborum præteritorum, juxta illude *date siceram mœrentibus*. Bibe, & bibendum dedi his, qui amaro mecum fuerunt animo. Biberunt, & obliti sunt egestatis, atque doloris. Denique Spiritum S. dederam illis, Spiritum Paracletum; qui unus, idemque est, & vinum meum, & lac meum. *Vinum meum*, quia gaudium de præsentibus bonis: *lac meum*; quia consolatio de præteritis malis. *Vinum meum*, quia dilectio Dei: *lac meum*, quia dilectio proximi. S. Rupertus l. 4. in Cant. hic.

Ex Novo.

Ipse nos baptizabit in Spiritu S. & igni. Matth. 3. 11. Duplex est sensus: alter significans solemne principium ablutionis totius humani generis, celebratum in die Pentecostes &c. Alter significans baptismum tribulationis. Cajetanus hic. *In Spiritu S. & igni*. idest, tribulationis, vel purgativo, vel tentationis. S. Bonaventura in Luc. 3. Quis hic ignis? Auth. Imp. op. intelligit tribulationes; quibus; quasi igne, suos affligit Christus, & mundat.

Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me? Matth. 27. 46. Non deest, qui putet, geminata illa repetitione, Patris, & Verbi, significari Personas: sicut Ps. 66. 7. *benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus*. juxta Genebrardum, tres divinæ hypostases designantur. Trina repetitio nominis Dei non caret mysterio Ss. Trinitatis. Hinc inquiro: Cur Christus D. non conqueritur de Spiritu S.? quia hic est Amor, quo Pater, & Filius, mutuo amore se diligunt. Æquum erat, ut de eo non quereretur, quando patiebatur Christus in cruce. Nam de amore tum conqueri, cùm occasionem ei dedit patiendi; injuria reputaretur amoris. Castillo Illat. 43.

Ignem veni mittere in terram. Luc. 12. 49. Ignis in terram mittitur, cùm per ardorem S. Spiritus afflata terrena mens à carnalibus suis desideriis concrematur. S. Gregorius hom. 2. in Ezech. 1. Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 29. Maldonatus, & Franc. Lucas, per hunc ignem intelligunt odia, dissensiones, tribulationes, & persecutiones ab Infidelibus.

Vos autem sedete in civitate &c. Luc. 24. 49. Vas igni appositum citò comminuitur, si vacuum sit; quod tamen plenum conservatur. Et quia vasa Apostolica debebant conjici in ignem tribulationum; priùs repleta sunt Spiritu S., nè comminuerentur. Stella hic.

Apparuerunt illis-tamquam ignis. Act. 2. 3. Ignis portendit tribulationem magnam, & multiplicem; quam passuri erant Apostoli, & Fideles: sed superaturi per ignem amoris divini, quem idcirco hic eis dedit Spiritus S. Cyrill. Jeros. Catech. 17.

Ex Patribus.

Cùm Spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum. Si nos cum Spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper. Immò nescio, an diutius perseveret sine sua comite, & ministra. Tertullian. lib. de pat. in fine.

Sæpe propter Christum afficitur contumelia, & ignominia, quispiam: Martyrium imminet; tormenta undique, & ignis, & gladius, & bestiæ, & gurgites. Verùm interea Spiritus S. alloquitur: sustine Dominum: parva sunt ista, quæ fiunt: brevi tantùm tempore labora, & in sempiternum eris cum Angelis. S. Cyrill. Jeros. Catech. 16.

Via Christianæ religionis sic se habet: ubi Spiritus S., ibi illic sequitur, velut umbra, persecutio, & pugna. S. Macarius hom. 14.

Sicut mare, cùm turbatur, oleo infuso, cedit natura sua tempestas, lenitate olei procellam extinguente: sic anima nostra, cùm lenitur gratia Spiritus S. jucundè tranquillatur. S. Diadochus Ep. de perfect. Spir. c. 35.

Repleti sunt omnes Spiritu S. idest, inebriati sunt omnes divino amore. Talis ebrietas in hoc consistit: quòd homo tanto amore erga Deum continuè inardescat; ut non solùm fastidiat creaturæ solatium; sed etiam quærat; & delectetur, invenire tormentum; pro solatio sibi reputans omnem pœnam, opprobrium, & flagellum. S. Bernardinus s. in die Pent.

§. X.

S. Spiritus respiciens charitatem, pacem.

Symbola.

Ex Veteri.

Columba.

RUrsum dimisit columbam ex Arca. *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo*. Gen. 8. 10. 11.

Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam. Matth. 3. 16. Columba animal est, quod, præ omnibus volatilibus cœli, homines amat; & contubernale est, ac mansuetum, innocensque, & fœcundum, & domesticum: quod versatur, quiescit, & habitat in domibus nostris. Sicut & Spiritus S. dicit de nobis: quia habitabo, & conversabor cum eis. S. Chrysost. s. in Pent. de S. Spir. Tunc Spiritus venit super ipsum in specie columbæ: quia tunc inchoabat officium suum spiritu animalis Mundi, volantis non longè à terra: sua conversatione mansueti, sine armis extrà, sine felle intus; nec solùm mansueti, sed fœcundissimi: quia Pater futuri Sæculi veniebat, universo Mundo utilissimus. Cajetanus hic. Spiritus S. idcirco in columbæ specie venisse scribitur, ut natura ejus, per avem simplicitatis, & innocentiæ declaretur. Hæc enim avis corporaliter ipso felle caret; habens tantùm innocentiam, & amorem. S. Isidorus Orig. l. 7. c. 3. Idcirco in columba venit Spiritus S.: simplex animal, & lætum est; non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratique violentum. S. Cyprianus de unit. Eccl. Columba animal est mite, & nostra familiaritate gaudens. S. Chrysost. hom. 26. in Gen.

Alia Symbola.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. 3. Sub cœlestes aquæ, oportebat, ut congregarentur in unum; proinde, quia *Spiritus Dei ferebatur super aquas*. Ut intelligamus, aquas dispositas ad operationem divinam; hominum voluntates, super quibus fertur spiritus voluntatis divinæ, quas in unum jubet congregari divina voluntas; in unum Baptisma; in unum corpus Ecclesiæ, atque fidei, & virtutis; in unum velle; in unum amorem; in unum; quem ante suum adventum omnia proclamaverunt, unum Redemptorem omnium Christum. Sim. Cass. l. 8. c. 37.

Accesserunt ossa ad ossa. Ezech. 37. 7. Quæ indicant, dispositionem Adventus Spiritus S. esse concordiam, & charitatem. De Ponte in Cant. 4. Exhort. 25. §. 2.

Testimonia.

Ex Novo.

Sedete in civitate. Luc. 24. 49. Decebat, cos donum æternæ pacis in pacifica civitate recipere; ut mores fierent cum æterno dono concordes. Sim. l. 14. hic.

Ab Jerosolymis nè discederent. Act. 1. 4. Cur hæc civitas præ aliis eligitur ad adventum Spiritus S.? Quia Jerusalem interpretatur *visio pacis*; quæ à Spiritu S. inter Christianos fundanda. Sylveira hic.

Erant omnes pariter in eodem loco. Act. 2. Nonne super congregato. Discipulos descendit Spiritus? annon in cœnaculo ipso Resurrectionis die fidelibus adunatis apparuit Christus? diligit unitatem; nec à fraternitatis elongari potest Collegio. S. Laurent. Just. in festo. OO. Ss. In scriptura nullum otiosum verbum. Illud *pariter* videtur superfluum. Hugo Card. pariter concordia voluntatum, & in eodem loco. S. Bernardus lib. de modo vivendi: nihil prodest, si nos contineat una domus, & separet voluntas diversa. Plus diligit Deus unitatem animi, quàm loci. Naxera in Jos. 18. §. 10.

Sederique super singulos eorum. Act. 2. 3. idest, super eorum capita. Cùm autem ornamentum capitis sit corona; non incongruum erit, illam formam ignis super caput, coronam capitis appellare; sicut vocat S. Cyrillus Catech. 17. dicens: in specie linguarum ignearum sedit super Apostolos: ut novæ coronæ spirituales, per linguas igneas, imponerentur capiti illorum. Dies Pentecostes fuit dies desponsationis ejus cum Ecclesia; quæ facta est per exhibitionem legis gratiæ, & charitatis, cordibus Fidelium impressæ; multò excellentiùs; quàm per collationem legis veteris; de qua tamen dicit Jer. 2. 2. ad Jerusalem: *recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ; quando secutæ es me in deserto*: De Ponte in Cant. 3. Exh. 38. §. 2.

Erat cor unum, & anima una. Act. 4. 32. Psal. 4. 7. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, & mox in singulari: *dedisti lætitiam in corde meo*. Consequenter videbatur dicendum in cordibus nostris. Ubi primùm vultus divini flamma irradiat pluribus, destruit pluralitatem, & in unum cor omnium corda coadunat. Rupertus de glorificatione Trinit. l. 6. c. 15. de multitudine credentium cùm dixisset, *signatum est super nos*, protinus uti maluit singulari numero, dicens ex persona: *dedisti lætitiam in corde meo*; Et rectè: quia *multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*. Quam quoque unitatem cordis, & animæ, illud quoque adverbium pulchrè exprimit: *quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*. Ps. 4. Dixerat enim v. 8. *à fructu frumenti vini, & olei multiplicati*. Quot amor inter se in unum connectit; sub una eadem spe omnes cohibet; ut non multiplex, sed unica sit expectatio. Sylveira hic q. 18.

Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus-& omnes in uno spiritu potati sumus. 1. Cor. 12. 13.

Fructus autem Spiritus est charitas. Galat. 5. 22.

Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Ephes. 4. 3.

Ex Patribus, & aliis.

Spiritus S. est Patris, & Filii, amor, & connexio: ad ipsum pertinet societas, qua efficimur unum. Corpus hominis multis constans membris, & vegetat omnia membra una anima; faciens in oculo, ut videat; in aure, ut audiat; & sic de cæteris. Ità Spiritus S. membra Corporis Christi, quod est Ecclesia, continet, & vegetat. S. August. l. de gratia novi Testam.

Sicut spiritus humanus numquam vivificat membra, nisi fuerint unita; sic nec Spiritus S. nos vivificat, nisi in pace uniti fuerimus. S. August s. 2. ad Fr. in eremo.

Mens Spiritus S. templum effici omnino non potest, iracundiæ in nobis Spiritu commorante. Joan. Cassian. de Cœnob. instit. l. 8. c. 21.

Non habitat Spiritus S., ubi furor. S. Chrysost. hom. 17 in Act.

Est Spiritus ipse indissolubile vinculum Trinitatis: per quem, sicut Pater, & Filius unum sunt; sic & nos unum sumus in ipsis. S. Bernardus s. 1. in Oct. Paschæ.

Qui ab unitate dividitur; nè dubitas, quin ab eo recesserit Spiritus vitæ. Idem s. 1. in festo S. Michaelis.

Quàm admiranda, quàm amplectenda, illius gratia; perquam ità moderatur in nobis omnia opera nostra, ut sint tam sua, quàm nostra; dona sua, & merita nostra. Superiùs jàm assignamus, quàm sint multiplices humani cordis affectus Hos itaque ille divinus Spiritus quotidie in Electis suis paulatim contemperat, & in unam harmoniam conformat; & gratiæ suæ plectro, quasi citharædus doctissimus; hos extendendo, illos relaxando, & concordem quandam consonantiam coaptat: donec reboet eo his in auribus Domini Sabbaoth melodia quædam melliflua, & super modum dulcis, tamquam citharædorum multorum citharizantium in citharis suis. Richardus à S. Vict. de Arca myst. l. 3. c. 24.

Si ego non morior pro Mundo, Paracletus non veniet. Quomodo enim adveniet; si inimicitiæ non solvantur? Theophylactus in Joan. 16.

Ubi charitas, ibi Spiritus S. S. Thom. Aqu. Opusc. 14. c. 2.

Conditio necessaria ad habendum Spiritum S. est concordia fraternalis: Ratio naturalis: quia sicut Spiritus humanus, ad hoc, ut vitam det corpori, requirit conjunctionem membrorum; ità etiam est de Spiritu S. S. Vincent. Ferr. s. 1. in die Pent.

§. XI.

S. Spiritus gratia.

Figuræ, & Symbola.

FOns *ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ*. Gen. 2. 6. Quis ille fons? Rupertus: gratia Spiritus S. ante copiar rigans massam generis humani; ut omnem terram faceret aptam frugibus alendis. Apud Escob. Pers. Chr. t. 2. l. 6. sect. 2. Obs. 8.

Det tibi Deus de rore cœli &c. Gen. 27. 28. Est rationali creaturæ nos cœli non aliud, quàm gratia Spiritus S., quæ peccata remittit. ----- Rupertus l. 7. c. 17. in Gen. hic. Spiritus S. vera, & sola benedictio est Dei. Id. ib.

Spiritus Domini induit Gedeon. Judic. 6. 34. Et dicitur Spiritus Domini, idest, gratia Spiritus S., indumentum contra frigus timoris malè humiliantis: vel contra calorem amoris malè accedentis. Hæ sunt enim duæ portæ Inferni, ex quibus omne malum. Hugo Card. hic.

Cala-

Calamus scribæ velociter scribentis. Psal. 44. 2. Spiritus enim S. non paulatim, & cum mora, gratiam suam infundit, sicut acquiritur scientia per longum studium; sed subitò, & citò. Unde Act. 2. 2. *factus est repentè sonus &c.* Ps. 106. 29. Auram appellat Spiritus gratiam; quæ rectis cogitationibus, quasi malo, animam divino portui appellit; gubernacula ratione tenente, & ad navigationem dirigente. Dicit enim: *deduxit eos in portum voluntatis eorum*. S. Gregor. Nyss. tr. in Ps. c. 8.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Desiderat gustare dulcedinem gratiæ, quæ appropiatur Spiritui S.; participando ejus bona, & suam gratiam. S. Th Aq. hic.

Tenuit eum donec introducam illum in domum matris meæ. Cant. 3. 4. Mater nostra, est gratia Spiritus, quæ spiritualiter nos regnerat: cujus domus est humana mens; in qua eadem gratia suscipitur. Richardus à S. Vict. in Appendice in Cant.

Quæ lacte sunt lotæ. Cant. 5. 12. Lactis nomine gratia Dei intelligitur; quæ per Spiritum S. Ecclesiæ tribuitur. Id. hic.

Flumina à ventre ejus fluent aquæ vivæ. Joan. 7. 38. Aqua Spiritus est gratia, ut Evangelista docet, Figulinum autem vas cor, quod facilè confringitur, ac conteritur. Theophylactus hic.

Miscellanea.

Abiit in montana cum festinatione. Luc. 1. 39. Quò enim jam Deo plena, nisi ad superiora, cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina S. Spiritus gratia. S. Ambros. in Luc. l. 2. c. 1.

Amen dico tibi. Luc. 23. 43. Admiranda prorsus Spiritus S. gratia in corde hujus latronis agnoscitur Apostolus Petrus negat: Discipuli in Emaus euntes dicunt; *nos autem sperabamus*: hic autem confidenter loquitur, dicens *memento mei &c.* Bellarminus de 7. Verb. l. 1. c. 4.

Nisi quis renatus fuerit &c. Joan. 3. 5. Cur in hac generatione aliquod homini non datur adjutorium, sicut in prima ejus creatione? S. Chrysost. hom. 24. in Joan: quemadmodum in principio totum formavit; ità nunc totum creat. Et tunc, *faciamus*, inquit, *ei adjutorium*; hic minimè: quippè, qui Spiritus S. gratiam accipit, nulla re indiget; qui in Christo corpore perficitur, quoniam alio opus est auxilio? Sylveira hic.

Spiritus S. non est acceptor personarum: non enim quærit status amplitudinem, sed animæ probitatem. Neque divites efferantur, neque pauperes animum dejiciant: tantummodo unusquisque separet ad cœlestis gratiæ susceptionem. S. Cyril. Jeros. Catech. 17.

§. XII.

S. Spiritus dona.

Figura, & Symbola.

SEptem dies (creationis) possunt assignari reparationis; quæ fit in anima per septem dona Spiritus S. Prima dies Sapientiæ comparatur; Sapientia enim animam illuminat. Secunda Intellectu enim verum bonum à non vero bono dividimus. Tertia Consilio. Quarta Fortitudini; & sic de aliis. Hugo Card. in Gen. 1.

Levavit pallium Eliæ. 4. Reg. 2. 13. Elias quidem ascendens, pallium reliquit Elisæo; Jesus autem ascendens gratiarum dona in Discipulos dimisit; quæ non unum Prophetam, se infinitos Elisæos efficiunt; atque multò, quàm ille erat, majores, & illustriores. S. Chrysost. tom. 6. s. 2. in Asc.

Quòd autem *puer oscitavit septies*, septiformis gratia S. Spiritus ostenditur. 4. Reg. 4. 35. S. August. Dom. 5. Trinit. s. 2.

Fuerunt ei septem filii. Job 42. 13. septem filii nobis nascuntur, cùm per conceptionem bonæ cogitationis. S. Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem Propheta dinumerat, cùm Spiritus mentem fœcundat, dicens: *requiescet super eum Spiritus Sapientiæ, & Intellectus: Spiritus Consilii, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini*. Is. 11. 2. S. Gregor. moral. l. 1. c. 13. in Job.

Fragrantia unguentis optimis. Cant. 1. 2. Unguenta optima, sunt dona Spiritus S., quibus ubera Christi fragrant. V. Beda hic.

Stipate me malis. Cant. 2. 5. Patres apud Theodoretum, Philo Carpath, & Nyssenus, per flores, & mala, accipiunt virtutes, & dona Spiritus S.; ac præsertim donum fortitudinis, quod animam labantem corroborat. Cornelius hic.

Et requiescet super eum Spiritus Domini &c. Is. 11. 2. Ista septem dona dicuntur radii ignei: quia Spiritus S. per ea, quasi ad modum ignis amorosi humiliat alta per donum timoris: liquefacit dura, per donum pietatis; illuminat obscura, per donum scientiæ: consolidat mollia, per donum fortitudinis: restringit fluida, vel dirigit deviantia, per donum consilii: clarificat metalla, per donum intellectus: ignit frigida, per donum Sapientiæ. S. Bonaventura tr. de 7. don. S. Spir.

Haurietis aquas. Is. 12. 3. Quas haurietis aquas? nisi Spiritus S. dona quàm plurima. S. Rupertus hic.

Septem dona Spiritus S. Dominus dedit per septem apparitiones. In prima Apparitione Matth. 28. 2. Spiritum timoris: cùm Angelus mulieribus apparuit, & *factus est terræmotus*. In secunda Joan. 21. 15. Spiritum pietatis, quando Petro apparuit: magna enim pietas fuit, ut neganti se singulariter appareret. In tertia Luc. 24. Spiritum scientiæ, duobus euntibus in Emmaus. In quarta Joan. 20. 20. Spiritum fortitudinis, quando januis clausis intravit ad Discipulos, ostendens eis vulnera: sicut solent in sinum fortitudinis foramina clypei ostendi. In quinta Joan. 21. 6. Spiritum consilii frustrà piscantibus. In sexta Luc. 24. 45. spiritum intellectus, quando apparens in medio eorum *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas*. In septima Marci 16. 14. Spiritum Sapientiæ, scilicet in die Ascensionis. S. Bonav. in Ps. 144.

Miscellanea.

Ductus est Jesus in desertum à Spiritu. Matth. 4. 1. sicut virtutes morales efficiunt hominem promptè mobilem à ratione, ut ejus sequatur judicium: sic dona Spiritus S. reddunt cùm facilitate mobilem à Spiritu. S. Dion. Carthus. hic.

Esuriit. Matth. 21. 8. Esurit Jesus semper in justis, volens manducare fructum, Spiritus S., in eis: & sunt ejus escæ, utità dicam, ficus; quas esuriens edit, idest, charitas est ejus, qui eam fructificavit, qui primus fructus est Spiritus S., & gaudium, & pax, & patientia, & reliqua. Orig. tr. 16. hic.

§. XIII.

S. Spiritus effectus, & operationes.

Num. I.

Mutat, renovat.

MUtaberis in virum alium. 1. Reg. 10. 6. Natura nostra per lapsum primi hominis sic damnata est; ut quotidie labendo deficiat, & deficiendo veterascat. Sed qui in nobismetipsis deficimus, cùm in nos ille spiritus insilit, renovamur; quia statim, quòd non eramus, efficimur. Tepidus erat quis; sed repentè visitatus à spiritu fervens efficitur &c. S. Greg. hic circa medium. S. Greg. hom. 36. in Evangelia, loquens de Spiritu S. implet citharœdum puerum; & Psalmistam facit. 1. Reg. 16. 23. Implet pastorem armentarium, & Prophetam facit. Amos 7. 14. Implet abstinentem puerum, & Judicem senum facit. Dan. 13. 45. Implet piscatorem, & Prædicatorem facit. Matth. 4. 19. Implet persecutorem, & doctorem gentium facit. Act. 9. 15. Implet Publicanum, & Evangelistam facit. Luc. 5. 27. O qualis artifex iste spiritus? - humanum animum subitò, ut illustrat, immutat.

Spiritus S. ipse nostræ imaginis est reformatio, mentis perfectio, animæ instauratio. S. Chrys. s. in Pent.

Ad hoc de cœlo Spiritus S. missus est, ut Mundum, bene quidem, & sapienter conditum; sed peccatis hominum malè fœdatum; sua iterum virtute reficeret, innovaretque; & ad prioris formæ speciem, similitudinemque, quantum fieri poterat, redigeret; juxta illud Ps. 103. 30. *emittes spiritum tuum & renovabis faciem terræ*. S. Thom. Vill. s. 2. in die Pent.

Num. II.

Disponit ad arduæ.

Ductus est Jesus in desertum à Spiritu. Matth. 4. 1. Marc. 1. 12. *Spiritus ejulit eum*. Ubi vox *expulit* significat vim, efficaciam, & alacritatem spiritus, quæ erat in Christo; ac futura erat in Apostolis, cæterisque Christianis: quos ad heroica virtutum opera acturus erat Spiritus S. juxta Rom. 8. 14. *quicumque Spiritu Dei agunur, ii sunt filii Dei*. ità S. Hieron. & S. Hilarius apud Cornelium hic.

Num. III.

Facit amare cœlestia, terrena spernere.

Ab Jerosolymis nè discederent. Act. 1. 4. Cur hæc civitas præ aliis eligitur ad adventum S. Spiritus? Jerusalem erat valde celebris civitas, frequentia omnium nationum, admirabili templo, divitiis &c. Ut præsentia Spiritus S. pompa, & vanitas Mundi vilesceret: cùm enim divina apparent, mox omnia terrena disparent, ac pro nihilo habentur. Sylveira hic qu. 8.

Cùm esset plenus Spiritu S. intendens in cœlum &c. Act. 7. 55. B. Petrus Dam. s. de S. Stephano: intellige consecutionem verborum: *plenus* est *Spiritu S.* & sic *intendit in cœlum*: quia, qui spiritu divinitatis afflantur, conculcatis terrestribus, cœlestibus

stibus inhiant, & æternis. Velit, nolit: cedit Spiritui S. vanitas spiritus humani. Id. ib.

Ascendit in superiora, ut oraret. Act. 10. 9. Deus humanas mentes in sublime erigit. Alta semper quærat, qui igneo Dei spiritu agitur. Quo recepto igne Petrus, qui alias sæpe mare descendebat in navibus, *ascendit in superiora &c.* Jam, propter divinum ignem mente clausum, non placebant illi ima loca, sed totus in superiora ferebatur. S. Cyrill. Alex. lib. 9. in Levit. Petrus, quæ sursum sunt quærebat: non quæ super terram. Illuc ascendebat, ad illa tecta, ad illa fastigia: de quibus Dominus. Matth. 24. 17. *qui in tecto est, non descendat aliquid tollere de domo sua*. Hinc est, quòd Christianos suos Dominus renasci fecit ex aquis: ut cœlestium corporum naturæ associentur: eorumque proprietatem, & cognationem bibat. S. Zeno Veron. s. de Judæis: genitalis unda submergit, ut cœlestes effecti, terram desiderare non norint. S. Chrys. hom. 22. ad pop. si non potes sol fieri, fias stella dumtaxat. Tantùm ascende super terram: incipe æmulari fideribus. Baeza t. 1. l. 1. c. 8. §. 2.

Mentem, quam S. Spiritus replet, in amaritudinem temporalium delectatio æternorum commovet. S. Greg. hom. 10. in Ezech. 3. propè finem,

Num. IV.

Alii præclari affectus.

Cœpitque Spiritus Domini esse cum eo. Judic. 13. 25. Etiam ipsius corporis vires à Spiritu Sanct. sunt expectandæ: quòd enim fortissimi illius Sampsonis vires ab hoc spiritu profectæ sint, apertum est ex historia Judicum. Isidorus Clarius lib. 1. or. 4.

Comburet igni. Ps. 45. 10. Dura corda mollit igne Spiritus S. Hugo à S. Vict. hic.

Tamquam ignis. Act. 2. 3. Spiritus S. in igne, & linguis, apparuit: quia omnes, quos impleverit; ardentes pariter, & loquentes facit. V. Beda hic.

In columba, & igne, Spiritus S. ostenditur: quia, quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt, ut contra culpam delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur. S. Greg mor l. 1. c. 2. in Job.

Missus est Spiritus S. ut amorem faceret, & solveret à timore. Timor legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, & non impleverunt; amaverunt & impleverunt. Quomodo timuerunt, & non impleverunt; amaverunt, & impleverunt? Timebant homines, & rapiebant res alienas; amaverunt, & donaverunt suas. S. Aug. in Ps. 90.

Justitia prima fuit in rudimentis, natura Deum metuens: dehinc per legem, & Prophetas promovit in infantiam: dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem: nec per Paracletum componitur in maturitatem. Tertullianus lib. de veland. Virgin. c. 1.

Venit super Discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent. S. Bernardus s. 1. in die Pent.

Habitare in corpore animam, probat vitalis motus corporis: habitare in anima spiritum, probat vita Spiritualis. S. Bernardus s. 1. in Dedic. Eccl.

Etsi cessavit, & requievit die septimo Pater: cujus erat proprium condere rerum naturam, non cessavit Spiritus S. naturam cujus est opus proprium meliorare. S. Rup. de oper. S. Spir. l. 1. c. 2.

Per verbum Patris esse sumpsit, per Spiritum S. verò bene esse sumit, creatura rationalis. Id. ib. c. 3.

§. XIV.

S. Spiritui perfectè obediendum.

TUnc Jesus ductus est &c. Matth. 4. 1. Effectum Spiritus S. perspice. Non ivit vel sola utens humana ratione, sed ductus est à Spiritu S. inspirante, & agente, ipsum. Cajetanus hic. Ductus Syrus: *à Spiritu Sanctitatis. Et statim Spiritus expulit*. Marc. 1. 12. idest, promptè, ac fervidè duxit, & movit Christum in desertum. Christus enim secundùm assumptam humilitatem, in omnibus promptissimè, & celerrimè, obedivit instinctui Spiritus S. Dion. Carth. hic.

Sederique supra singulos eorum. Act. 2. 3. Quòd sedisse dicitur, regiæ est potestatis indicium. V. Beda hic.

§. XV.

Dispositiones ad S. Spiritum recipiendum, & conservandum.

Ex Veteri.

AT columba, non inventa requie pedibus suis, rediit ad ipsum in arcam. Gen. 8. 9. Sanct. Chrysostom. hom. 26. hic quærit: quomodo non invenerit requiem; siquidem, te-

ste scriptura, *cacumina montium* fuerit visa? Respondet: quia cacumina limo adhuc plena erant. Columba non sedit in terra lutosa, vel cadaveribus: quia Spiritus Sanctus non intrat carnalem, & malevolam animam. Sanct. Ambros. lib. de Noe cap. 17.

Exaudi me Domine. 3. Reg. 18. 34. 37. Oratio primum requisitum ad impetrandum à cœlo ignem Spiritus S. Efficacia hujus ignis, quo combusta idola Gentilium. Aquæ sæpius effusæ vim ignis impedire nequiverunt: quia *aqua multa, &c.* Cantic. 8. 7. Quin potiùs, sicut Scriptura ait, *ignis lambit aquam*: lambere autem proprium est linguæ ea, quæ sibi dulcia sunt, & sapida, lingentis, & degustantis. Sic linguæ illæ igneæ amaras tribulationum aquas lambebant, innundationem maris sicut lac sugentes. Deut. 33. 19. Si autem hunc ignem è cœlo tibi vis trahere; præpara imprimis cum Elia holocaustum teipsum, mactando, & abnegando cuncta vitia, affectus passiones. De Ponte in Cant. 2. Exh. 32. §. 3.

Quoniam ad te clamavi, lætifica animam servi tui. Ps. 85. 3. 4. *quoniam ad te Domine animam meam levavi*. Qui verè, & ex corde, Deum amat, cogitando, & desiderando Deum, animam suam ad Deum levat. Contrà qui terram amat, cogitando, & concupiscendo terram, animam suam ad terram deprimit. Itaque ille solus verè cum Propheta dicere potest, *ad te Domine animam meam levavi*, & jure suo petere potest consolationem Spiritus, ac dicere: *lætifica animam servi tui*, qui nulla tenetur concupiscentia rei creatæ, nec ullo terreno luto affixus hæret. Bellarminus hic.

Ossa arida &c. immittam in vos spiritum. Ezech. 37. 4. 5. Ossa arida, sunt personæ abstinentes à deliciis, viciis: in istis mittit Deum Spiritum S. S. Vinc. Ferr. s. 1. in die Pent.

Ex Novo.

Vinum, & siceram, non biber. Mox subditur: *Spiritu S. replebitur*. Luc. 1. 15. V. Beda: cui vini ebrietas tollitur, S. Spiritus gratia cumulatur.

Si non abiero, Paracletus non veniet. Joan. 16. 7. Acsi apertè diceretur: si corpus non subtraho, quis sit amor Spiritus, non ostendo. Et nisi me desieritis carnaliter amare; numquam me discetis spiritualiter amare. S. Greg. Dial. l. 2. c. 38.

Mittam eum ad vos. Ib. v. 7. idest: mittam eum in vos. Non enim de loco in locum mittitur, qui ubique est, Deus Spiritus S. neque parietibus comprehenditur; sed sensibus mentis, & fide suscipitur. S. Rup. l. 12. hic. Si Apostoli, adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta (quia Sancti Sanctorum erat) Spiritu S. repleri nequiverunt, donec tolleretur ab eis: tu carni tuæ (quæ sordidissima est, & diversarum spurcitiarum phantasiis repleta) adstrictus, & conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te posse suscipere putas: nisi carneis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris. S. Bernard. s. 3. in Asc. Dom.

Replevit totam domum, ubi erant sedentes. Act. 2. 2. Divina virtute, speciem ignis præferente, repleti sunt, qui in cœnaculo, idest, in superiore domus parte commorabantur. Nemo enim Spiritus S. particeps fieri potest, qui non excelsa hujus vitæ parte versatur. Nam qui ea, quæ sursum sunt, sapiunt; quique consuetudine sua: à terra in cœlum translata, sublimem illam Rempublicam colunt; Spiritum assequuntur. S. Greg. Nyss. or. in Pent.

Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Act. 2. 17. Lyran. super illos venit Spiritus S. qui habent cor tenerum ad modum carnis, & lapideum, ac obduratum in peccatis.

Ex Patribus, & aliis.

Peccantes contristamus Spiritum S. justè verò agentes, & sanctè, requiem ei paramus in nobis. Orig. hom. 6. in Num.

Ejice spiritum diaboli, & spiritum Mundi hujus, & accipies Spiritum Dei. S. Aug. Manc. c. 27.

Gaudium vanitatis facit vas rimosum. Ejice ergo, quod malum est: ut, quòd bonum est, percipere possis: effunde amaritudinem, ut dulcedine implearis. Spiritus S. gaudium est, & Spiritus S. amor est. - Ejice spiritum Mundi, & spiritum diaboli: ut accipere possis Spiritum Dei. Hugo à S. Vict. de spiritu Mundi, & Spiritu Domini.

Hæc duo certissima signa sunt Spiritus S. justa mansuetudo animi in proximum, & vera cordis humilitas in Deum. Philo Carpath. in Cant. c. 7.

Numquam Spiritus S. in corde recipitur, nisi culpa antea expellatur. S. Bonav. s. 79. in Pent.

Dispositio multùm necessaria ad habendum Spiritum S. est audientia doctrinalis. Declaratur per similitudinem de ignili; in quo percussio lapidis ad ferrum excutit ignem. Lapis est Christus; ferrum est lingua Prædicatoris; materia nigra est populus, qui est niger ex peccatis; ignis spiritus. S. Vinc. Ferr. s. 1. in Pent.

§. XVI.

S. Spiritus impedimenta.

Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. Is. 40. 5. Hebr. *revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro, quos os Domini locutum est. Omnis caro*; juxta phrasim scripturæ, carnis nomine intelligitur homo. *Omnis caro fœnum*. Is. 40. 6. Et non dicitur omnis homo, sed *omnis caro*, ut notat S. Hieron. hìc: quia propterea appellabatur caro; quia priùs scilicet ante Christi adventum, Spiritum S. non habebat. Sylv. in Luc. 13.

Spiritum nolite extinguere. 1. Thess. 5. 19. spiritum, idest, dona, gratias, lumina, Spiritus S. qui est quasi lampas refulgens in nocte hujus sæculi. Sic parentes spiritum in filiis extinguunt, cum desideria castitatis, religionis, aut vitæ perfectioris, suffocant per vitam licentiorem; qua cogunt eos studere tripudiis, conviviis aliisque Mundi vanitatibus. S. Chrys. spiritus, æquè, ac lucerna, extinguitur; si aut olei parum habuerit, aut foramen non obturaveris, vel ostium non occluseris. Quòd verò est hoc foramen? Quemadmodum in lychno habet, ità & in nobis. Foramina sunt oculi, & aures: nè sinas istis occurrere validum malitiæ flatum; alioquin lychnum extingueret: sed obtura foramina timore Dei. Janua os est: claude; ità scilicet occlude; ut & lucem exhibeat, & externum impulsum repellat. - Fit autem sæpenumero, ut etiam nullo extero impulsu incumbente, extinguatur fax; quando videlicet oleum deficit: quando misericordiam non facimus, extinguitur Spiritus: etenim ex misericordia Dei venit ad te spiritus. Corn. hìc.

§. XVII.

Miscellanea.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu S. Eph. 5. 18. Præclara est hæc ebrietas: hac spirituali crapula animam sopora. Non dixit, participes estote spiritus, sed *implemini spiritu*: ad summum usque mentem, tamquam calicem, imple spiritu; nè quidquam deinceps injicere possit diabolus. S. Chrys. t. 6. or. contra ebriet. & de resurr.

In specie ignearum linguarum sedit super illos: ut novæ coronæ spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum. S. Cyrill. Jeros. Catech. 17.

Recedente Spiritu S. à tabernaculo mentis, evacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine: nullusque locus est ei in cœlo, quia alienum se fecit à bonitate. Efficitur cubile draconum, & habitatio immundorum spirituum. S. Martialis ep. ad Burdegalenses c. 7.

TITULUS XXXVII.

STELLÆ.

§. I.

Vocantur militia, castra &c.

Militia cœli. Deut. 17. 3.

Vas vestrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens gloriosè. Eccl. 43. 9. stellæ sunt, quasi vasa, idest, arma bellica Dei. *Non deficient in vigiliis suis*. v. 11. quia, quasi milites, & Vigiles Dei, perpetuò excubant, intenti ad omnem ejus nutum. Cornel. in Gen. 1. 16.

Qui educit in numero militiam eorum. Is. 40. 26. Militiam vocat stellas, & astra. Sept. vertunt: *ornatum eorum*. Cornelius hìc.

§. II.

Stellarum magnitudo, celeritas, &c. laudes.

Stella quælibet in firmamento longè major est tota terra. Distinguunt Astrologi stellas in sextæ magnitudinis differentias; tradunteque, illas, quæ primæ, & summæ magnitudinis sunt, continere magnitudinem terræ centies, & septies. Quæ secundæ magnitudinis, nonagies: quæ tertiæ, septuagies bis: quæ quartæ, quinquagesies quater: quæ quintæ, triginta novies: quæ sextæ, & infimæ, decies octies. Cornel. in Eccl. 43.

Docent Astronomi, quamvis stellam, in æquinoctiali positam, singulis horis conficere quadraginta duos milliones milliarium, & insuper tertiam partem millionis; hoc est, tantum, quantum eques, quadraginta milliaria quotidie conficiens, posset 2904. annis conficere. Docent insuper, nullam stellam esse in firmamento, quæ non decies octies major sit toto globo terræ. Cornel. in Gen. 1. 16.

Deus stellas tot astris distinctas, tanta varietate motuum, tanto sonorum concentu, insignes, educit, & movet; ut nulla creatura admirari satis possit. S. Aug. ep. 28. ad S. Hieron.

Suum jam ex se cultum terra acceperat, propriis convestita germinibus: acceperat & cœlum; nempè siderum flores roseos. S. Basil. hom. 3. in hexam.

Per lunæ, stellarumque, fulgorem cœlum velut quibusdam floribus coronatum, ità ignitis luminaribus micat; ut paradiso putes vernante depictum, spirantium rosarum vivis monilibus retinere. S. Ambros. l. 4. hexam. c. 2.

Quarto autem die, cœlum picturis exornavit. Philo Jud. de Mundi opificio.

§. III.

De Stella trium Regum.

Stella illis, tanquam lingua cœlorum. S. August. s. 2. in festo Epiph.

Quid erat illa stella, quæ nec unquam antea inter sidera apparuit, nec postea demonstranda permansit? nisi magnifica lingua cœli, quæ narraret gloriam Dei. Id. ib. s. 3.

Quando audis stellam; nè talem putes illam, quales videmus; sed divinam virtutem, & angelicam, in figura sideris apparentem. Theophylactus in Matth. 2.

Descendit stella à summitate, & terræ proprior fasta, ostendit eis locum: nam si ex summitate apparuisset, quomodo certiores fieri potuissent de loco, in quo esset Christus? Id. ib.

Appositè stella duxit Reges ad Christum Regem regum: quia stella habet speciem coronæ regiæ. Cornelius in Matth. 2.

Magi cognoverunt Christum natum ex stellæ indicio. *Primò* quia id prophetabat Balaam. Num. 24. 17.

Magi autem fuere posteri, vel successores, Balaam. Secundò ex instinctu, & revelatione Divina. Tropologicè: Stella hominis Fidelis est fides, prudentia, præcepta, consilia Evangelica, ac præsertim obedientia, ductusque Superioris; item sanctæ Dei inspirationes. Id. ib.

Quæ in orientali regione promicando apparens, ostendit; quòd ille, qui natus est, *Oriens est nomen ejus*: & ad Occidentem vadens, quòd omnia mala occisurus erat occisus. Et contra Occidentem, culpam, sive maculam occidendam, & occidentales tenebras depellendas illuxerat: perampliùs illustratura humanæ mentis meridiem, & calefactura Septentrionem. Sim. Cass. l. 1. c. 11.

Fortè nec digni erant videre novam stellam homines perducentes ad verbum carnem factum; quod non credentes patibulo affixerunt, pro quo sol antiquus obscuratus est. Id. ib. cap. 12.

Miscellanea.

Fatum ponentes nolunt advertere, quòd, electo ad seminandum agrum die, tam multa grana in terram simul veniunt, simul germinant, & exorta segete simul herbescunt: & tamen inde spicas cæteris coævas, alias rubigo interimit, alias aves depopulantur, alias homines avellunt. Quomodo, istis alias constellationes fuisse, dicturi sunt, quos tam diversos exitus habere conspiciunt? S. Aug. de Civ. l. 5. c. 7.

TITULUS XXXVIII.

S. STEPHANUS PROTO-MARTYR.

§. I.

Figuræ.

Tenuerunt sinistris manibus lampades, & dexteris sonantes tubas. Judic. 7. 20. Vide, quàm benè sibi conveniant, prælium Proto-Mart. Stephani, & prœlium Gedeonis. Si enim per tubas Prædicatorum voces significantur, tunc B. Stephanus tuba sonabat, quando incredulos Judæos arguebat. Quando verò prodigia, & signa magna faciebat; tunc utique lampades in manu tenebat. Tunc autem Judæi sævientes Proto-Martyris lagunculam fregerunt, quando eum lapidaverunt. D. Eusebius Emiss. in Nat. S. Stephani.

Vicit David Goliath lapidibus. 1. Reg. 17. 49. vicit & Stephanus iis quoque diabolum: ille nihilominus quibus percussit; hic autem quibus percussus est. S. Asterius Laudatione S. Stephani.

§. II.

S. Stephani charitas.

Fortis est ut mors dilectio. Cant. 8. 6. Dilectio illius fuit, ad similitudinem mortis, fortis: quia sicut mors animam à corpore sibi dilectissimo dividit; sic amor Stephanum à Mundanis omnibus separavit, & soli Christo eum conjunxit. S. Bonav. s. 16. de S. Steph.

Neque, fratres, existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse, cùm pro eis oraret, & non dilexisse, cùm, eorum incredulitatem arguendo, corriperet. Absit hoc ab anima Martyris ad cœlum festinantis. S. Fulgentius s. de S. Stephano. Quia, cùm

cùm ad cœlum festinat, omnes vult habere socios: reprehensio ergo illa fuit ex vehementi charitate erga hostes suos. Sylv. in Act. 7.

Per charitatem pro lapidantibus orabat, nè punirentur. Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem: & quem in terra habuit persecutorem, in cœlo meruit habere consortem. Ipsa scivit charitas desiderando acquirere, quos nequivit moriendo convertere. S. Fulgentius s. de S. Steph. Oecumenius hìc: putat, non solùm Saulum, sed multos alios ex lapidantibus, per Stephani preces, ad fidem conversos, gratiam, ac salutem consecutos. Sylv. hìc.

Stephanus, ut nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipsam ubique vincebat. Id. ibid.

Vide, quantum agat in pectoribus fervorum suorum divinæ charitatis ardor: quod sperabatur desideriis, oculis demonstratur. Necdum explet famulus ministerium, & jam Dominus aperuit regnum suum. Euseb. Emiss. hom. de S. Steph.

Vera fortitudo numquam sine charitate est, & tunc verè in spiritu fortitudinis res agitur: quando fortissimæ charitatis societate ipsa fortitudo vallatur. Verè constans, & fortis: quem tot lapides depellere non potuerunt ab arce charitatis: in quo dilectio fortis, ut mors; immò & plus quàm mors. Plus enim apud animam morientis eodem momento valuit fortitudo dilectionis, quàm fortitudo mortis. S. Rup. de Aper. S. Spir. l. 6. cap. 6.

§. III.

S. Stephani amor inimicorum, & oratio pro iis.

Domine, nè statuas illis hoc peccatum. Act. 7. 59. Hoc in ipsa cæde, & furore, lapidantium præstare numquam potuisset; nisi multò antè ista animo percepisset, & in tota vita his cogitationibus versari consuevisset. Isidorus Clarius or. 6. de S. Steph.

Pro se quidem stans oravit, pro inimicis genuflexit: quia ipsorum major iniquitas majus supplicandi remedium postulabat. V. Beda hìc.

Positis genibus: quia vera, & humili, simplicitate pro se orans stat, & erigitur; pro lapidantibus flectit genua. Quis audivit unquam talem? & quis vidit huic similem? Plus dolet persequentium peccatum, quàm sua vulnera; illorum iniquitatem, quàm suam mortem. S. Bern. s. de S. Steph.

Quare pro te stans orasti? & pro inimicis genuflexisti? Pro me stans oravi: quia pro me, qui rectè Deo servivi, orando, & impetrando, non laboravi: quia, qui pro justo orat, non laborat; ideo pro se stans oravit. Ventum est, ut oraret pro Judæis: & attendens, tam multam esse iniquitatem eorum, quæ difficilè donari posset, genuflexit, & ait: *nè statuas illis hoc peccatum*. S. Aug. s. 1. de S. Steph.

In illa lapidum ruina, quando alius oblivisci poterat etiam charissimos suos; ille Domino commendabat inimicos. S. Maximus hom. in Nat. S. Steph.

Lapides lapidem percutiunt, sed lapidem molliorem: de quo fluit oleum charitatis, & tinnitus redditur pietatis. B. Petrus Dam. s. de S. Steph.

Illi lapides mittebant, & S. Stephanus orationes fundebat. Magna pietas, magna clementia! prorsus qualia in mensa Domini sui comedit, talia & ipse in suo convivio præparavit. S. Aug. s. 1. de S. Steph.

Cur non vel pauculas horas superstes fuit tam insigni orationi? sed eodem momento, & preces Deo, & animam obtulit? Respondeo: videtur Stephanus jam plura, & gloriosiora, facere non potuisse, quantumcumque diutius viveret, quàm dum pro inimicis oravit. Quasi hoc solùm Deus ad apicem sanctitatis ejus expectasset. Did. Nyss. s. 3. D. 3. Quad. §. 1.

§. IV.

S. Stephanus cur Christum videat stantem?

Uno loco stantem ad dexteram Dei Jesum Stephanus vidisse dixit. - Cur ubique ad dexteram sedere ostenditur, uno legitur in loco stare? Sedet quasi Judex vivorum, & mortuorum: stat quasi Advocatus suorum. Stabat ergo quasi Sacerdos, quando Patri hostiam boni Martyris offerebat. S. Amb. l. 3. de fide c. 7. circa.

Non jacentem, non sedentem, vidit Dominum; sed stantem: paratum videlicet ad sibi impendendum suffragium. S. Laurent. Just. in festo S. Steph.

Stantem Christum videt; licèt jam ad dexteram Patris sederet. Sicut, cùm publicis spectaculis ades, proximusque fenestræ sedes, unde omnia, quæ in foro aguntur, facilè videas: si fortè aliquod accidat mirabile spectaculum; surgis, & stans illud intueris, licèt posses sedens intueri: sed rei novitas te stare compellit, ut attentiùs consideres. Ità &c. 1. Cor. 4. 9. *spectaculum facti sumus &c.* Osorius de eodem.

§. V.

S. Stephani variæ virtutes, & laudes.

Tua dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit. S. August. soliloq. c. 22.

Lætabatur Proto-Martyr egregius propulsari à sæculo, & in patentis cœli introducendus palatium, vilissimæ carnis gratanter tentorium deserebat. S. Laur. Just. s. de eod.

O Christi milites! hujus propugnatoris fortissimi provocati exemplo, viriliter pro Domino etiam nos pugnare non pigeat. Id. ib. ad finem.

Extra civitatem lapidabant: non enim habuit hic manentem civitatem, sed futuram tota mente quærebat. V. Beda in Act. 7.

Nulla perinde, ac Christi Passiones, voluptas delectabat: una quies, ac refectio, mori pro pietate, gaudebat periculis. O terrestris Angele! ò homo cœlestis: ò sidus manè exoriens! S. Basil. Seleuc. or. in laudem S. Steph.

Viri fratres, & Patres. Act. 7. 2. Prudens exordium; optimum concionis ad populum ira exæstuantem principium. - At, ubi vidit obfirmatam malitiam, - artificium omne, quod blandè animos demulcere, conciliareque potuisset, omittens; nullis verborum ambagibus vocat eos *dura cervice &c.* v. 51. S. Asterius Laudatione de eodem.

Jungitur gratiæ fortitudo: quia infusio spiritu libertatis ignitus animus in lucem veritatis erumpit. B. Petrus Damian. s. de eod.

Cùm B. Stephanus fuerit Proto-Martyr, & Martyrium Sanctorum sit eorum Natalis in cœlis; meritò statim post Natalem Domini Natalis S. Stephani celebratur. Durandus rat. offic. div. l. 7. c. 21.

Diaconus mensis præfectus est, & prodigiorum effector redditus. S. Chrysost. s. de eodem.

In loco martyrii S. Stephani ædificatum templum magnificum ab Eudoxia Augusta: in quo ostendebatur lapis, super quem S. Stephanus expirans, cadens retrorsum oculis in cœlum reclinavit caput; in quo signa, & effigies capitis, ac scapularum, tamquam molli ceræ manserunt impressa. Simulque cum alio lapide, in quo B. Virgo cum S. Joanne orabat pro Stephano, toto lapidationis tempore. S. Stephanus ergo coronam sui martyrii debet B. Virgini; sicut S. Paulus conversionem suam Stephano oranti. Hæc omnia ex gravissimis authoribus referunt Lorinus, Cornelius, Sylv. in Act. 7. 59.

TITULUS XXXIX.

STULTITIA.

§. I.

Stultitia est, futura non prævidere.

Esau parvi pendens, quòd primogenita vendidisset. Gen. 25. 34. Jacob futura curavit, & quò æternum postea luceret, famem patienter tulit. Esau verò futura despexit, ut fami, præsentique cibi aviditati serviret. Naxer. in Jos. 16. §. 15.

Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. Eccl. 10. 15. Est metaphora in mancipiis damnatis ad labores, vel in ergastulis, vel in agris, vel in fodinis metallorum: qui, cùm ibi viam laboriosam degant, ignorant viam in urbem, ut in ea vitam civilem, facilem agant, aut à viatoribus, & peregrinis; qui, cùm viam rectam, & compendiosam, in urbem, in quam tendunt, ignorant, per circuitus, & anfractus, vel serò, vel nunquam ad urbem destinatam perveniunt. Simili modo stultus laborat, ut sapienter, & feliciter vivat; sed frustrà: quia viam in urbem, idest, rationem, & methodum Sapientiæ ignorat, nescit sapienter res suas exequi; nescit, qua in re sita sit sapientia: quærit enim eam in libertate, gula, luxuria &c. cùm sita sit in prudentia, & virtute. Corn. hìc.

Visi sunt oculis insipientium mori. Sap. 3. 2. qui *oculos suos statuerunt declinare in terram*, idest, qui solùm confiderant præsentia, nec futura. Sed oculis sapientium videntur nasci. Propter quod abitus Sanctorum vocatur *Natalis*, secundùm Job. 11. 17. *cùm te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer*. Sanct. Bonav. hìc.

Et quinque fatuæ. Matth. 25. 2. Propterea Virgines fatuæ sunt appellatæ; quoniam circa fatuas Mundi curas vacabant; hìc congregantes, ubi minimè est reponendum. S. Chrysost. hom. 51. in Joan. Meritò fatuæ: quia, quod eis futurum erat, prævidere nesciverunt, illectæ terrenis illecebris: sed tardè sibi providere voluerunt; quoniam ampliùs tempus non erat. Magis autem præter omnem rationem, si de alienis bonis se fulcire satagebant, fatuitas est, tempus non prævenire per tempus, ut possibilitas ipsa permittit. Sim. Cass. lib. 6. cap. 28. Qui rectè credunt, & justè vivunt, assimilantur quinque prudentibus: qui autem proficentur quidem fidem Jesu, non autem præparant

rant se bonis operibus ad salutem: reliquis quinque Virginibus fatuis: S. Greg. hom. 22. in Evang. Lampades animæ nostræ, & unius cujusque mens lampas est, quæ tunc accenditur, quando habet oleum virtutum, & misericordiam. Fatuæ autem virgines ideo, quod tunc requirant oleum, cùm non sit negotiandi tempus. Theophyl. hic.

O insensata mortalium cura in vanis! cum quanta solertia, & diligentia, annuatim rationes suas revident, & prævident, & calculant, & discutiunt, sæculi mercatores! animæ verò suæ stolidi peccatores, per plurimos annos peccatis obrutæ, ac submersæ, rationes cum Domino negligunt, cùm tanto periculo revidere. S. Bernardinus s. 15. de vera Confess. Artic. 1.

Vide Prudentia.

§. II.

Miscellanea.

Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva. Job 2. 6. idest, tantummodo cum amentem non facias. Abbas Serenus Collat. 7. c. 12.

Stultissimus sum virorum. Prov. 30. 2. Cur Salomon tali, tantaque Sapientia, tali munere divinitus ornatus, omnium se stultissimum appellat? Nimirum quòd prudentiam, qua pollebat, ex seipso profecta non esse statuebat. S. Greg. Naz. or. 3. de recta doctrinæ sententia.

Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. 1. Cor. 3. 18.

Sapiente uno invento, reperitur fatuorum multitudo innumera. Philo l. 1. legis alleg.

Sanct. Theodorus Salus propter Christum stultus. Bollandus 25. Febr.

Infernus est hospitale stultorum. Sanct. Vincent. Ferr. s. de Sanct. Laurentio.

T I T U L U S XL.

S U D O R.

Christi Domini Sanguineus.

Ecce nubecula parva ascendebat de mari, & facta est pluviæ grandis. 3. Reg. 18. 44. 45.

Aperi mihi &c. Cant. 5. 2. *caput meum plenum est rore.* Antequam copiosus imber defluat, tenuis è cælo delabitur pluvia.

Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Eccl. 24. 20. Myrrha arbor bis per annum inciditur. Sudat autem spontè, priusquam incidatur, quæ vocatur lacte, sive lacrymæ myrrha, eaque myrrha est præstantissima: sicut inter aliarum arborum resinas, lacryma, quæ spontè fluit, est optima. Ac inter vina lacryma, quæ ex uvis maturrimis spontè destillat, est sapidissima. Sic balsamum. Cornel. hic.

In villam, quæ dicitur Gethsemani. Matth. 26. 36. Gethsemani idem est, quod *torcular olei*: in hoc enim villa videtur fuisse torcular; ad quod olivæ, in oliveto copiosè provenientes, deferebantur, ut in eo premerentur ad exprimendum oleum. Ibidem ex agonia expressus est: Sanguis Christi: quo, quasi oleo: reficimur, ungimur, pascimur. Cant. 1. 2. *oleum effusum nomen tuum.* Corn. hic.

Licèt plena ratio naturalis non possit reddi de tam stupendo doloris signo, ostenso, in sudore sanguineo: nihilominus dici potest, quòd aliqualiter dispositivè timor, & amor, bellantes in corde Jesu, quoad suum sensitivum in causa fuerunt. Dum enim attenderet, tam grave bellum super se verissimè imminere: timore concussit sensitivum suum, ex quo sanguineus sudor fuit ad interiora reductus. Super hunc autem timorem rejiciendum fortissimus, & ferventissimus amor: tamquam miræ magnitudinis malleus repercutiens, & ipsum excludens: omnes poros corporis Jesu Christi, & venas largiter relaxavit, ut sic toto corpore fueret sanguineus sudor decurrens in terram. S. Bernardin. *l. 55. Act. 1.*

Et factus est sudor ejus &c. Luc. 22. 44. Sicut vehementia ignis facit, ut in distillatione aqua è rosis emanet; sic vehementia amoris fecit, ut ex Corpore Christi sanguis stillaret. Corn. hic.

Notant nonnulli ex Egesippo Apostolorum discipulo, natam ex hujus sanguinis aspergine arborem, quæ in solis hanc præferat Scripturam: ò mors! quàm amara est memoria tua! Drexelius delic. gent. hum. p. 2. c. 2. §. 4.

Visus est aliquando Parisiis, teste Maldonato nostro in c. 26. Matth. vir aliquis robustus, accepta mortis sententia, coram Judicibus toto corpore sudasse sanguinem. Doultreman lib. 2. c. 3. sect. 7.

Sanguineus sudor crux fuit ante crucem. Hildebertus Turon. in verlib. de Missa.

Sudat, sudore sanguineo; ut, supra naturam communem hominum, suum dicat esse amorem, quando aquam in oratione pro omnibus fudit, & sanguinem. Sim. Cass. l. 13. hic.

T I T U L U S XLI.

S U P E R B I A.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Aves.

Sicut aves laqueo comprehenduntur: ità capiuntur homines in tempore malo. Eccl. 9. 12. Illi, qui opinione vana scientiæ superbiunt, atque efferuntur, cùm sibi videantur excelsi esse, atque aerambuli, velut volantes aves; dæmonum laqueis facilè capiuntur, & incidunt in malum tempus infernorum suppliciorum. Olympiodor. hic.

Volucres cœli nidos. Matth. 8. 20. Volatilia cœli habent nidos in corde tuo, quoniam elatus es. S. August. s. 7. hic de Verb. Dom.

Nè laudibus inflatus extollaris, nè te ipse jactites, aut magnum aliquid esse putes: alioquin eris volucrum similis, quæ natura leves, & instabiles, hùc, illùc, assiduè feruntur, & volitant. S. Greg. Nyss. or. 1. in illud: faciamus hominem.

Alia Symbola.

Ex Veteri.

Producat terra jumenta, & reptilia, & bestias terræ. Gen. 1. 24. Tria ponit Moyses: reptile, bestias jumenta: per quæ significantur illa tria. 1. Joan. 3. 16. *omne, quod est in Mundo &c.* Hæc tria de terra oriuntur: quia de amore terrenorum universa malitia ortum habet. Per reptile significantur cupidi, qui circa terram repunt: per jumenta luxuriosi: per bestias superbi. Hugo Card. hic.

Turris Babel. Gen. 11. 4. Superbia hujus Mundi est. S. Isid. c. 9. in Gen. Turris Babel superbia Mundi, quæ contra Deum erigitur, sed confusa dejicitur. Hugo Card. hic.

Currus Pharaonis. Ex. 14. Currus malus superbia: equi divitiæ nobilitas &c. Hugo Card. in Ps. 19.

Rhamus. Judic. 9. Symbolum superborum, teste Augustino, Hieronym. Cassiodoro in Psalm. 57. quia aculeis asperrima; terret, quidquid attingit; ignem emittit, cęteraque igne consumit.

Veniebat leo, vel ursus &c. 1. Reg. 17. 34. Per leonem superbia. S. Bonav. s. 3. D. 1. Quad.

Lepra Naaman. 4. Reg. 5. 1. Syriæ principis infecti sunt Magnates superbi. Marchantius D. 2. Adv.

In diebus illis ægrotavit Ezechias. 4. Reg. 20. 1. Est superbia ægritudo, non quorumcumque membrorum, sed capitis. Hugo Card. hic.

Numquid mare ego sum, aut cetus? Job 7. 12. Per mare fervens, & fluctuans, intelligitur superbia. Id. hic.

In cathedra pestilentiæ non sedit. Ps. 1. 1. De Christo: noluit regnum terrenum cum superbia: quæ ideo cathedra pestilentiæ rectè intelligitur: quia non ferè quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Pestilentia enim est morbus latè pervagatus: & omnes, aut penè omnes involvens. S. Aug. hic.

Conturbati sunt montes in fortitudine ejus. Ps. 45. 4. Montes appellat eos, qui propriæ confidunt potentiæ; Dei magnitudinem, vimque, ignorantes, sese contra Dei scientiam extollentes. S. Basil. hic.

Non veniat mihi pes superbiæ. Psal. 35. 12. Si in lucta unus de luctatoribus possit levare pedem alterius, dejicit ipsum: sic si dæmon possit levare pedem, idest, hominis affectionem per superbiam: dejicit eum in damnationem æternam Dejecistis eos, dum allevarentur. Sanct. Bonavent. diæta salcap. 3.

Prodiit, quasi ex adipe, iniquitas eorum. Psalm. 72. 7. Sicut ex abundanti cibo adeps, ità ex abundantia rerum superbia nascitur; quæ impinguat mentem divitis, dum elevatur animus superbientis. Superbia quippè cordis, quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde, quia plerique ex abundantia peccata perpetrant, per Prophetam dicitur: *prodiit &c.* S. Greg. moral. l. 15. c. 33.

Qui in altis habitat, & humilia respicit. Psal. 112. 6. Superbiam super omnia detestatur. Hæc est illa sanguinaria meretrix, quæ de calice Babylonis aureo propinat hominibus spiritum vertiginis. Hæc est turris in Siloe, quæ suos ædificatores interemit. Luc. 13. 4. Hæc est elephas, qui Eleazarum sua mole occidit. 1. Machab. 6. 46. Petrus Blesensis ep. ad virum nobilem.

Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te; locum tuum nè dimiseris. Ecclæ 10. 4. Sanct. Greg. mor. lib. 3. cap. 13. Malorum locus superbia est: sicut est è contra humilitas locus bonorum.

Ex

Ex Patribus, & aliis.

Rectè superbia inflationi comparatur: nam id, quod inflatur, non habet solidam magnitudinem, sed apparentem: ità superbi videntur quidem sibi esse magni: cùm tamen vera magnitudine careant. S. Thom. Aqu. in 1. Cor. 15. Lect. 2.

Tumefactus aer de latitudine corporali, & claritate substantiali, & sublimitate loculi: spernendo terram, eidem locutus est, dicens: ut quid tu punctum opacum semper deorsum manes? cur non interdum erigeris? quare non dilataris? Respondit illa: fateor, sum punctum; sed hac modicitate punctuali in sempiternum quiesco: cùm tua tu semper magnitudine fluctues. Pretiosissimis gemmis sum ornata: rivis, herbis, brutis, hominibus exornata. Nulli unquam molesta; nisi cùm à te mea viscera subintrante, terræ motu concutior. Tu verò densis nubibus fulmina emittis: grandines, &c. Nimirum emissiones tuæ superbiæ gravissimæ sunt tempestates. S. Cyrillus in Apol. l. 2. c. 1.

Ut arborum ramos exuberans copia fructuum deorsum versus inflectit: ità & accessio dives virtutum sensum hominis se possidentis demittit, atque humiliat. S. Antiochus hom. 70.

Grandis, & grossa trabs est superbia: qua te putas esse aliquid; cùm nihil sis. Sanct. Bernard. Apol. ad Guilielm. Abb.

Quid dicemus de superbia? nimirum quia palea ipsi sunt, humiles autem, & qui timent Dominum, ipsi sunt triticum. Luc. 3. 17. Verbum autem Domini pro similitudine illis est, & erit venti vehementis: quod tam facilè, immò & multò faciliùs, reprobos omnes exterminabit, quàm vehemens aura paleam de area cujuspiam eliminare possit. Rupertus lib. 2. in Matth.

Comparatur superbia vento propter tria. Quia ventus extinguit lucem, & exsiccat rorem, & exsufflat pulverem: sic superbia extinguit lucem sapientiæ, exsiccat rorem gratiæ, exsufflat pulverem vanitatis mundanæ. Secundò superbia comparatur fumo, quia, sicut fumus ascendendo deficit; sic superbus, plus exaltatus, plus evanescit. S. Bonav. dicet. Sal. c. 3. de superbia.

Malus mercator est, qui se decipit: qui se appretiat plus, quàm valet. Sed alios appretiare, & se despicere, hoc est principalissimum studium sapientiæ. S. Bonav. s. 19. hexam.

Superbia velut fœminea derelicta, regina, non sociata oculi regimine; nec suam aspiciens viduitatem, proprio delectata dominio, socias sibi similes, & criminosas assumit; cum quibus confabulatur in verbis mendacii, & provisionis dignæ. Plurimùm se palliat tegumento virtutis, ubi aliter se consurgere posse præcognoscit, & nè vilescat, suam æmulam, humilitatem scilicet, sæpe vocat. Antequam obtineat, ut regnet, blanditur ut catula; dum obtinere concertat, cum vulpina pelle progreditur; cùm obtinuerit, leonis assumit aspectum. Sim. Cass. l. 8. c. 45.

Ut in aera extollitur pallea super granum; non quòd sit dignior, sed quia levior: sic in hac vita superbus fertur super humilem; non ob merium, & veram virtutem; sed ob vanitatem, & falsam de se opinionem. Diez. Superbia.

Superbi similes montibus: mons enim, juxta Isidorum, est tumor terræ. Conservat etiam diutius nives: sic de frigore malitiæ superbus non facilè resolvitur. Geminiani c. 76. l. 1.

Superbire est contra naturam hominis: quia est naturæ terrestris, tam origine, quàm resolutione. De terra est, & in terram redit: terræ autem, cùm sit gravis, non est ascendere, sed descendere. Eccl. 10. 22. *non est creata hominibus superbia.* Id. 75. l. 1.

Superbi similes locustis, quæ in saliendo se erigunt; sed mox cadunt. A vento australi generantur: Sed in aquilone moriuntur. Sic, post ascensum superbiæ, subitus casus. Oriuntur ex austro prosperitatis; sed in aquilone adversitatis deficiunt. Geminiani l. 4. c. 84.

§. II.

Superbia diabolum respiciens.

Philisthæus 1. Reg. 17. 1. interpretatur *potione cadens.* Significat diabolum, qui superbiæ veneno ebrius moto pede cecidit; expulsus est, stare non potuit. S. Rup. l. 2. hic.

Repleta est terra scientia Domini. Is. 11. 9. Quæ est scientia Domini? quæ mira hæc effecit; nisi humilitas Domini. Sicut è contrario stultitia Assur, idest, diaboli, superbia est diaboli. Idem hic.

Beati pauperes Spiritu. Matth. 5. 3. Miseri, & detestabiles sunt, qui spiritu divites, & elato animo sunt: nam eorum est regnum diaboli. Ex Theologia Germanica Anonymi Equit. Teuton.

Multæ quidem animam passiones, atque vitia, seu agmine quodam circumdant: at superbia, ægritudinum arx; quæ Deum bello petat, diaboli morbo laborat. Si vel omnem virtutum chorum in medium adduxeris, dum caput superbia inferat, illarum lumina omnia extinxit. S. Basilius Seleuc. or. in Public. & Pharis.

Omnis, qui superbiam diligit, diabolo plenus est. S. Cæsarius Arel. hom. 23.

Quemcumque superbum videris; diaboli filium esse non dubites quemcumque humilem conspexeris; Dei esse filium, confidenter credere debes. Id. hom. 11.

Quid tu superbis, terra, & cinis? si superbientibus Angelis Deus non pepercit; quantò magis sibi, putredo, & vermis? Fugite superbiam fratres mei; quæ non modò Angelum; sed Angelorum primum, in diabolum commutavit. S. Bern. s. 1. de Adv. Dom.

Omnes superbi, discipuli sunt diaboli; qui est Rex, & magister, super filios superbiæ. Rich. à Sanct. Vict. serm. in die Paschæ.

Supurbia similem facit diabolo. S. Thom. Aqu. Dom. infra oct. Epiph.

Sunt duorum Principum vexilla duo distincta: humilitas, & superbia: humilitas Dei, & superbia diaboli. Joan. Gerson tr. 8. sup. Magnif.

Diaboli uxor superbia est: quia ab initio duxit eam, cùm dixit Is. 14. 13. *Ascendam &c.* Hugo Card. in Marci 6.

§. III.

Superbia deprimitur, descendit, cadit.

Num. I.

Symbola.

Gigantes autem erant super terram: Gen. 6. 4. Pro gigantibus alii, *cadentes*, alii *violentos*, transtulere ex Hebræo. Cadentes autem rectè dicuntur, idest, superbi: nam hoc ipsum superbire, cadere est. Rup. in Gen. l. 4. c. 14.

Ascendentes, & descendentes. Gen. 28. 11. Non aliud, sine dubio, descensus ille, & ascensus, à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere. Scala verò ipsa erecta est vita in hoc sæculo; quæ humiliato corde à Deo erigitur in cælum. Latera ejus scalæ dicimus, nostrum esse corpus, & animam. Id. l. 7. c. 21. in Gen.

Non veniat mihi pes superbiæ. Ps. 35. 12. Non pedes: quia facilè cadit superbus. Eodem Psal. v. 13. *expulsi sunt; nec potuerunt stare* Lucifer. Joan. 8. 44. *in veritate non stetit.* Hinc timens imbecillitati suæ ait: *sedebo in monte testamenti.* Is. 14. 13. S. Bern. s. 85. in Matth. ideo fortassis sedere voluit, quia stare non potuit. Mendoza in 1. Reg. 1. 6. Annot. 8. Sect. 1. Non vacat mysterio, quòd pedem hic singulari numero posuit: certum est enim, in uno nos pede continuè stare non posse; qui convenienter superbiæ datus est: quoniam elatum hominem diutius non prævalet continere. Cassiod. hic.

Descendebat ab Jerusalem in Jericho. Luc. 10. 30. Non dixit solummodò: *homo quidam incidit in latrones*; sed *descendebat &c.* & tunc demum incidit in latrones. Nisi enim descenderet, non incidisset: quia videlicet, nisi mente superbiret, dati præcepti prævaricationem non incurrisset. Descendebat, quia mente tumebat: tumore namque ascendere, veraciter descendere est. Quia videlicet, ubi mens elevatur, ipsa elevatione dejicitur. Unde Ps. 72. 18. *dejecisti eos, dum elevarentur.* Rup. l. 3. c. 1. in Gen.

Sicut in statera materiali, una parte depressa, altera elevatur; & è converso: sic in statera divinæ justitiæ decretum est; ut, qui in præsenti elevatur per superbiam; in futuro deprimatur per confusibilem pœnam. Et è converso: qui se humiliat in præsenti propter Deum; in futuro ab eo elevabitur in gloria sempiterna. S. Bernardin. s. Dom. 10. Pent.

Superbi similes sunt pietatis, quia sicut planeta habet in auge sua ascensum, & exaltationem; sic in opposito augis descensum, & depressionem. Alii dicunt; quòd quivis planeta, sicut in aliquo uno signo habet regnum, & gloriam suam; sic in aliquo alio abjectionem, & tristitiam. Sol habet gloriam suam in decimo nono gradu arietis, & casum in eodem gradu libræ. In sole intellige mundana sapientia refulgentes; qui extolluntur in Ariete, in aliorum ducatu, quòd consilia sua multi sequantur. Aries enim apud pastores solet esse dux gregis. Sed hæc gloria annihilatur in libra, idest, in divina Sapientia, omnia recto pondere librante. 1. Cor. 3. 19. *Sapientia hujus mundi stultitia est, apud Deum.* Luna erigitur in Tauro tribus gradibus, & totidem cadit in Scorpione. Per Lunam intellige terrestrem potestatem: quæ, sicut Luna terrestribus dominans, in Tauro erigitur, dum per superbiam in tyrannidem convertitur: sed in Scorpione dejicitur; quia omnis tyrannus in fine malè deprimitur. Geminiani l. 1. c. 28.

Num. II.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

In circuitu impii ambulant. Ps. 11. 9. Legimus de eorum principe: *circuit, quærens, quem devoret*. Quod & ipse fateri cogitur in præsentia Majestatis, cùm inter filios Dei astans, & unde veniat? requisitus, *circuivi*, ait, *terram, & perambulavi eam*. Job 1. 7. Semper superbia ejus ascendit, semper humiliatur. Numquid non circuitus iste? qui enim in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed proficit nihil. S. Bern. s. 11. in Ps. qui habitat.

Vox Domini conterens cedros. Psalm. 28. 5. Vox Domini contritione cordis humilians superbos. Sanct. August. hic. Ità ille legit.

Spiritum ponderator est Dominus. Prov. 16. 2. idest, superborum, qui altos gerunt spiritus: spiritus enim sæpe sestum, & superbiam significat. Ponderat, idest, deprimit onere tribulationis, humiliationis. Corn. hic.

Ante ruinam exaltatur spiritus. Prov. 16. 18.

Prima bestia, quasi leæna, & alas habebat aquilæ. Aspiciebam, donec evulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei. Dan. 7. 4. Talis est honoribus, & opibus inflatus. Sanct. Chrysostom. hom. 54. ad pop. cùm in secundis rebus sunt, plures efficiuntur inflati; omnibus inimici, iracundi, cùm adest potentia. Cùm verò fuerit ablata; mansueti fiunt homines, & humiles, & in propriæ naturæ cognitionem veniunt. Leæna alata erat Nabuchodonosor; evulsæ sunt prosperitatis alæ, dejectus regno &c. & Deum agnovit. Dan. 4. 31. Sic Antiochus 2. Machab. 9. 22. Barradius tom. 1. lib. 10. cap. 16. Dom. 1. Epiph.

Ut præcipitarent eum. Luc. 4. 29. Noluit sic mori: ut daret nobis instructionem, virandi mortem præcipitii, quæ fit ex peccato superbiæ. Sanct. Vinc. Ferr. serm. 1. de Invent. Sanct. Crucis.

Ex Patribus, & aliis.

Inter omnes lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est gravior, quàm superborum ruina. - Malum superbiæ maximè virtutibus est cavendum: quia nullis opportuniùs insidiatur, quàm quibus laus justa debetur. S. Ambr. ep. 84. S. Virg. Demetriadi, post initium.

Væ homini, cujus auriga superbia est: necesse est enim, ut præceps eat. S. Aug. tr. 8. in ep. S. Joan.

Audeo dicere: superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum: unde sibi displiceant; qui jam sibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando flevit; quàm sibi placuit, quando præsumpsit. S. Aug. de spir. l. 14. c. 13.

Semper superba cogitantes repentina humilitate obruuntur: nihil enim superbia detestabiliùs, nihil arrogantia crudeliùs reperitur. Propter hanc tentationes, propter hanc dolores, propter hanc gemitus, propter hanc mortale corpus est; propter hanc cordibus sollicitudines ingeruntur, ut anima undique tormentis obsessa, & crebris refrænata supplicii, superbiæ cacumina derelinquat. Sanct. Chrysostom. in Ps. 122.

Superbia est descensus ad inferiora. S. Greg. Nyss. l. de vita Moysis.

Desine grande loqui; frangit Deus omne superbum, alta cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur. Prudentius in Psychomachia.

Duo ædificia, & duæ civitates, à Mundi initio construuntur: unam ædificat Christus, alteram diabolus: unam ædificat humilis, alteram superbus: una humiliatur, ut firmiter surgat; altera erigitur, ut infeliciter cadat. S. Cæsarius Arel. hom. 18.

Castigatur sæpe ex casu superbia, & præsumptio ex ruina. Pulsatur sanctitas, nè extollatur: & ut exerceatur, vexatur ad tempus: in modico derelinquitur: & in magnis miserationibus denuò congregatur. Arnoldus Carnot. tr. de ult. 7. Verb.

Qui propriæ confidit virtuti, non aliter, quàm si araneæ telum conscendat, humi delapsus affigitur. S. Nilus lib. Ascet. or. 8. de Superbia.

Superbi conculcantur à diabolis: & quantùm voluerunt esse super alios, tantum in Inferno sunt sub pedibus dæmonum. S. Vinc. Ferr. s. 2. D. 17. Trinit.

§. IV.

Superbi à fœminis humiliati.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Gen. 3. 15. Non inter te, & virum. Abulensis: magna hæc pœna diaboli, quia superbus est. Superbi enim dolent valde, quando aggrediuntur, & vincuntur; præsertim à sexu fragili. Vellolo in Judith. 5. Paræn. 24.

Dux Sisara à muliere prostratus. Judic. 4. 21. Abimelech fœmina percussit. Judic. 9. 53. Assyriorum acies vidua opitulante cæsæ. Judith. 13. 9. 10. Simili modo Attila rex Hunnorum superbissimus, qui se appellebat flagellum Dei, & in aciem educebat 700000. armatorum; adeoque Theodosium Imp. sibi tributum pendere cogebat; ac spe totius orbis imperium devorabat; à Deo, superbos humiliante, per fœminam cultro occisus est, teste Baronio A. C. Cornelius in Judith. caput 13.

§. V.

Superbi humiliati per parvulos.

Surge, & interfice. Judic. 8. 20. Mandat Gedeon Jethero, ut reges interimat. Sensere reges, ab Hebræo se spretos, ac doluere; proinde rogarunt v. 21. *tu surge, & irrue in nos*. Abul. q. 17. propter honorem: quia magis horrebant mori per manum pueri. Vellos. in Judith. cit.

Emitte Agnum Domine. Is. 16. 1. Agnina mansuetudine diaboli superbia propulsanda erat: nec videretur potentia solùm humanæ naturæ vicisse victorem. Quasi ad excusationem suam assumeret callidus hostis, quòd non æquo certamine esset devictus; sed superioris violentia suscepisset conflictum. Contra quem ut agnus, emissus est Dei Filius inire certamen: qui eum vicit passus, & peccata tulit occisus. Sim. Cass. l. 3. Joan. 1.

Rex Angelorum indixit bellum adversùs regem superbiæ filiorum: qui humilis, & parvus, civitatem tyranni, scilicet Babyloniam hujus Mundi, intravit; mox exercitum Christianorum parvulorum congregavit: quia venit humiles eligere, atque per eos superbos dispergere. S. Honorius s. de Innocentibus.

§. VI.

Superbi à vilibus animalibus, & bestiolis, humiliati.

Quis est Dominus? Ex. 5. 2. Origenes hom. 3. in Ex. vides quid agat cruda superbia? donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur. Denique videbis eum paulò post, quantum proficit in flagellis; quantò melius verberatus efficitur. Iste, qui modò dicit, *nescio Dominum*, postea, cùm vim senserit verberum, dicturus est: *orate pro me ad Dominum*. Ecce Pharao durissimus; tamen proficit verberatus. S. Chrysost. grande Spectaculum Deus universo orbi præstitit; cùm superbiam Ægyptiorum. S. Rupertus l. 1. c. 34. in Ex. Potentia Dei contra superbiam Ægyptiorum plagis ostensa est per muscas. Ex. 8. 24. & locustas. Ex. 10. 14. & præcipuè scyniphes. Ex. 8. 17. qui tam parvi sunt culices, ut vix cernantur oculis. Id. l. 1. in Johel c. 2.

Percussit pulverem terræ, & facti sunt scyniphes. Ex. 8. 17. Tangens Aaron unam partem pulveris, convertit eam in toto Ægypto in scyniphes. Potuisset Deus facere, ut omnis terra in leones, pardos, vel dracones converteretur; sed noluit eos, nisi tam parvulis, vilibus creaturis, ad majorem eorum confusionem compungere. Diez s. 4. Cin. Tamerlanes, volens vi capere Jerusalem, impeditus per bruchos; qui ejus exercitum adeò vexarunt; ut versus eamdem civitatem ulteriùs ire non potuerit. Rainaldus ad A. C. 1403.

Aperuit Dominus os asinæ. Num. 22. 28. An non poterat Deus ad eum mittere Moysen, qui severè puniret tantam audaciam, & magicam ejus artem falsitatis convinceret? Origen. hom. 14. in Ex. aperuit os asinæ, ut argueretur per eam Balaam, & muti pecudis vocibus confunderetur is, qui divinus videbatur, & sapiens. Castillo Illat. 121.

Quid erigis in cœlum? & cogitatio tua transcendit cœlum? ecce à pulice vulneraris. S. Hieron. in Ps. 91.

§. VII.

Superbus confunditur libidine.

Baltheum regum dissolvit. Job 12. 18. S. Greg. mor. l. 11. c. 8. qui membrorum suorum motus bene regere sciunt, non immeritò reges vocantur. Sed cùm de ipsa continentiæ elatione mens tangitur, plerumque omnipotens Deus, ejus superbiam deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit. Regum itaque baltheum dissolvit; quando in his, qui benè sua membra regere videbantur, propter elationis culpam, castitatis in eis cingulum destruit.

Ego dixi in abundantia non movebor in æternum. Psal. 29. 7. Existimo, Davidem huic maligno spiritui (adulterii) fuisse derelictum, propter unam illam vocem: *ego dixi &c.* Tam elati enim fuisse animi; ut ejusmodi proferret verbum, quòd numquam moveretur. Maneret autem in successu suo immutabilis, & impassibilis; erat nimis superbum, & insolens. - quamobrem statim relinquitur à Domino, & ei conjungitur spiritus malus. Anastasius Ep. Nicænus in quæst. additis q. 8.

Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum. Os. 12. 1. Ventum pascere; est superbiæ Spiritu inflari: sequi verò æstum; luxuriæ conjungi. Quæ peccata, vel vitia, consequentia sunt; ità ut, cùm superbia spiritum erexit, carnem quoque corrumpat Spiritus fornicationis. S. Rupertus l. 5. hic.

Nè magnitudo revelationum datus est mihi stimulus carnis &c. 2. Cor. 12. 7. Castitas adeò nobilis, & generosa; ut ex nulla alia possit quis superbiùs gloriari: sicut ex nullo alio vitio ex opposito castitatis, major humilitatis occasio consurgit. Mendoza in 1. Reg. 1.

Multis sæpe superbia luxuriæ seminarium fuit. Occultam videlicet culpam sequitur aperta percussio: ut malis exterioribus interiora puniantur, & cor publicè corruat, quod latenter tumebat. - Proinde per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Si enim piè spiritus sub Deo premitur; caro illicitè super spiritum non levatur. Habet quippe Spiritus commissum sibi dominium carnis: si tamen sub Deo recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam, si Authorem suum superbiendo contemnit, jure à subjecta carne prœlium suscipit. S. Greg. mor. l. 26. c. 13.

Qui detinetur superbia, & non sentit; labitur in carnis luxuria, ut per hanc humiliatus, & à confusione surgat, & à superbia. S. Isid. l. 26. c. 38.

Concupiscentia carnis pœna est peccati, qua præcedentis punitur superbia mentis. Rupertus l. 2. c. 40. in Gen.

§. VIII.

Superbia non durat, citò perit.

Saul duobus annis regnavit. 1. Reg. 13. 1. Arbor magna, & fertilis, valde citò inveteravit? quæ tantùm duobus annis fructificandi gratiam retinens, statim corrupta radice, frondium venustatem, simul & fructuum honorem perdidit. Qualis, putas, vermis intrinsecus radicem ejus momordit? utique vermis superbiæ, quo & ille vitiatus, de quo Ezech. 31. 3. *ecce Assur quasi cedrus &c.* S. Rupertus in l. 1. Reg. c. 20.

Et gloriam meam in pulverem deducet. Psal. 7. 6. Iste est ille pulvis, *quem projicit ventus à facie terræ*: superborum scilicet vana, & inepta jactantia, & inflata, non solida; tamquam vento elatus pulveris globus. S. Aug. hic.

In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me. Ps. 101. 3. Unde invocas? de qua tribulatione? de qua egestate? - Audiamus istam egestatem; in illa & nos ipsos inveniamus. Audi, & agnosce; si potes. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei*. v. 4. O dies! si dies ubi enim dies auditur, lux intelligitur. Unde sicut fumus? nisi propter elationem superbiæ. Videte fumum, superbiæ similem; ascendentem, tumescentem, vanescentem: meritò ergo deficientem: non utique permanentem. Id. hic. Superbia comparatur fumo: quia sicut fumus magis ascendendo deficit, sic superbus plus exaltatus, plus evanescit. S. Bonav. diæt. sal. c. 3. de superbia.

Floruit virga, germinavit superbia. Ezech. 7. 10. Floris in morem nascitur superbus? ergo, dum floret, interit. Cadit, ubi nascitur: à cunis, & sepulchro, simul excipitur. S. Isidorus l. 2. sent. c. 38. ait: ibi superbiam cadere ubi, & nascitur non fit superbis aliud culpa, aliud pœna; sed ipsa culpa sit illis, & pœna. Escob. t. 6. Par. Chr. l. 6. sect. 2. obs. 2.

Videbam Sathanam sicut fulgur cadentem. Luc. 10. 18. quia fulgur superbiam, vanamque gloriam significat: quæ claritatis aliquantulum spargit, sed subitò pertransit. Cornelius in Judic. 1.

Citò turgens spuma dilabitur: & quamvis grandis tumor: contrarius sanitati est. S. Hieron. ep. 26.

Pulvis, quantò plus erigitur, tantò magis dispergitur: & fumus, quò magis extollitur, ampliùs annullatur: vapor quoque altus ab æstu consumitur. S. Cyrillus in Apolog. c. 14.

Humilis ædificat super petram; superbus super arenam. Richard. à S. Vict. s. in die Paschæ.

Superbia, arbori excelsissimæ, sed putridæ, similis est: cujus undique facilè confringuntur rami: in quam si quis ascenderit, celeriter in profundum corruit. S. Ephrem de recta riv rat.

Superbia solet depingi singulariter cornuta, & uno pede: aggreditur enim Deum, & proximum; sed non habet, nisi unum pedem: unde citò corruit. De quo pede Ps. 35. 12. *non veniat mihi pes superbiæ*. Hugo Card. in Judic. c. 3.

Vidi ego vesicam modico turgescere flatu, quæ pisis sonuit quatuor impositis. Hanc puer unus acu pupugit; displosa repentè, vilis; & absque sono flaccida detumuit. Gerson s. in cœna Dom.

§. IX.

Superbia vilis.

Si cadens adoraveris me. Matth. 4. 9. Cur diabolus, ad Evam tentandam, unum tantùm pomum ostendit; ad Christum verò omnia regna Mundi in medium affert? Tentatur Eva, ut ab omnibus tamquam Deus honoretur: *eritis sicut dii*. Gen. 3. 5. Christus verò provocabatur, ut dæmonium adoraret. Facili, & vili, re decipitur homo: ubi primùm ei in mentem venit, quòd ab aliis supremo honore colendus sit: at, ut ipse homo se submittat, ac alium adoret: multum per omnem modum requiritur. Sylv. hic.

Tantò fit quisque vilior Deo, quantò pretiosior sibi: tantò pretiosior Deo, quantò propter eum fit vilior. S. Bern. s. Dom. 10. Pent.

Superbia, ut pusilli cordis, & puerilis, & stulti; parvissimis inhiat, capitur, afficitur, & vexata torquetur. Gerson s. in Cœna Dom.

§. X.

Superbiæ pœnæ variæ.

Humilia valde spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impii, ignis, & vermis. Eccl. 7. 19. Innocentius III. de contemptu Mundi, citans v. 19. Uterque duplex; interior, & exterior. Interior, qui rodit, & urit cor: exterior, qui rodit, & urit corpus. Appositè autem in remedium superbiæ, mentionem facit ignis, & vermis; qui eos in Inferno depascet. Ignis fumum consequitur: fumus superbiæ tollitur, ignis succedit.

Qui dicunt, recede à me: non appropinques mihi, quia immundus es. Is. 65. 5. En superbia, qua alios despiciunt. Hebr. *quia sanctior sum te*. Quid sequitur? *isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die*. Octavianus in Eccl. hic.

Herodem superbientem *percussit Angelus Domini; eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expiravit*. Act. 12. 23.

Nota: quòd sicut tria sunt peccata generalia, quæ regunt in Mundo; ità sunt tres punitiones: scilicet bellum contra superbiam: sterilitas, & fames contra avaritiam: pestilentia contra luxuriam. S. Bernardinus de Amore s. 14.

§. XI.

Superbia cœli incapax.

Nolite pueri effici sensibus; sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. 1. Cor. 14. 20. Qua malitia maximè? nisi superbiæ. Ipsa enim, de vana granditate præsumens, non sinit hominem ambulare per arctam viam, & intrare per angustam portam. Pueri autem facilè intrant per angustam portam: & ideò nemo, nisi ut puer, intrat in regnum cœlorum. S. Aug. in Ps. 112.

Quia Sathanas per superbiam cœlum perdidit, quod tenebat; homo superbiens nequaquam valet invenire, quod sperat. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 9.

§. XII.

Superbia exosa Deo, & hominibus.

Deus superbis resistit. Jacobi 4. 6. Tamquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversùs superbiam speciale certamen. S. Ambros. in Psal. 188. c. 7. Superbi iniquè agebant &c.

Altus est Deus; erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus, & humilia respicit, & alta de longe cognoscit. Sanct. Augustin. serm. 2. in Ascens. D.

De nulla te sic irascitur Deus, quomodo si peccator superbiat: & *erectus*, ac rigidus, non flectatur in fletum; nec misericordiam postulet pro delicto. Sanct. Hieronym. in epist. ad Eph.

Deo, sicut humilitas, vel spiritus contribulatus, sacrificium est in odorem suavitatis; sic è contrà superbia fœtor horribilis est. Rupertus l. 4. c. 42. in Gen.

Ille, qui in altis habitat, & humilia respicit, superbiam super omnia detestatur. Petrus Blesens. ep. 3.

De superbis quidam facetè dixit: gustui displicere eas dapes, quæ fumum saperent. D. Stephanus Guazzi de civili conversat.

Vide Humilitas.

§. XIII.

Superbia Inferno mancipata.

Quoniam ipsi possidebunt terram. Matth. 5. 4. Festivè quidam vir Sanctus dixit, ait Salmeron: humilibus datur cœlum, mitibus terra. Quid superest superbis, nisi infernalis miseria? Corn. hic.

Plenitudo nihil recipit, nisi quod nihil est: ideò superbia, quæ sui reputatione est aliquid, cœlo non potuit capi; quia illud jam impleverat gloria Domini. Sed nec in terra locum invenit, quia & illam impleverat gloria Domini. Jer. 23. 24. *cœlum, & terram, ego impleo*. Et Is. 6. 3. *plena est omnis terra gloria ejus*. Non ergo restat Superbiæ locus, nisi Infernus. Is. 14. 11. dicitur de superbo Lucifero: *detrusa est ad inferos superbia tua*. Hugo Card. in Matth. 5.

Superbia, via est Inferni. S. Vinc. Ferr. s. 14. de morte quadruplici.

§. XIV.

Superbiæ frænum, & remedium.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13. 31. Seipsum pulcherrimè exponens grano sinapis assimilavit. Sinapi autem, & bilem diminuit, hoc est, iram, & phlegma exscindit, hoc est fastum, ac superbiam. Clemens Alex. l. 1. pædag. c. 11.

Sedens super asinam. Matth. 21. 5. Ascendit, in contemptum superbiæ sæculi maximè gloriantis in curribus, & equis. Rupertus l. 6. in c. 14. Os.

Erubescat homo esse superbus: quoniam factus est humilis Deus. S. Aug. s. 41. de Verb. D.

Princeps tuus humilis, & tu superbus? caput humile, & membrum superbum? Absit! non vult esse de corpore Capitis humilis, qui amat superbiam. S. Aug. s. 53. de Verb. Dom.

Sicut ille, qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria; sicut frigidum calido, vel humidum sicco. - Sic, quia per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. S. Aug. de Doctr. Chr. l. 1. c. 14.

Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? S. August. l. de agone Christiano c. 11.

Erubesce superbe cinis. Deus se humiliat, & tu exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Authori? - quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo. S. Bernard. hom. 1. sup. Missus.

Intolerabilis imprudentiæ est, ut, ubi sese exinanivit Majestas, vermiculus inflatur, & intumescat. S. Bernardus s. 1. in Nat. Dom.

Quia originem perditionis nostræ se præbuit superbia diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. S. Greg. l. 4. ep. 37.

Humiliavit se usque ad nostrum pulverem Deus, & in cælos os suum ponit, & super terram lingua pertransit pulvis humanus, & non erubescit: non meruit extolli homo putredo, & filius hominis vermis. Id. ib.

Adhuc tu superbis, terra, & cinis; postquam Deus factus est humilis? adhuc tu magnus es in oculis tuis? ille semetipsum exinanivit, ut penè videretur esse nihil, sine quo factum est nihil, & tu in immensum inflaris, extolleris? existimans te aliquid esse, cùm verè sis nihil. Guarricus s. 1. de Nat. D.

Vilis est pars illa, & abjicienda, quæ, capite dejecto, videri appetat gloriosa. Confundatur, vilipendatur, abjiciatur humana superbia, quando sic est humiliata Majestas divina. S. Bon. s. 11.

§. XV.

Superbiæ damna, inopia.

Montes Gelboe &c. 2. Reg. 1. 21. Montes, super quos, nec ros misericordiæ, nec pluvia gratiæ, descendit: sunt diversæ species superbiæ: per quas fortissimi quique dejiciuntur in mortem. S. Bonav. s. de S. Agatha.

Jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. S. Aug. ep. 56.

Quid tam opus habens misericordia, quàm miser? & quid tam misericordia, quam superbus miser. S. Aug. de lib. arbitr. l. 3. c. 10.

Vas, quod uno liquore plenum est, alium capere non potest: unde, qui superbia plenus est, capax divinæ scientiæ non est. S. Bonav. s. 86.

Justus cùm sit Deus, superbos deserit: ut relicti non extolli doceantur. Joan. Clim. gradu 20.

Superbia, est animæ suprema inopia; dum illa divitias imaginatur, lucemque esse in tenebris existimat. Id. gr. 22.

O pestifera superbia! quid agis? cur suades rivulo: ut se à fonte dividat? Cur suades radio: ut se à sole avertat? cur? nisi ut, & ille, dum infundi desinit, arescat, & iste, dum ab illuminante se avertit tenebrosus fiat. Hugo à S. Vict. de 5. Septenis.

Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat. S. Bernardus l. 2. de consid. ad Eugenium.

§. XVI.

Superbiæ miseriæ, afflictio, pericula.

Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Psal. 63. 8. O Superbia, quæ ab Altissimo recedis, cùm altiùs erigeris! Incredibile dictu est, quàm miserè torqueatur ambitio, quamque saucietur graviter minimis quibusque rebus. Quid exilius salutatione mancipii? confodit, & penitus trajecit pectus *Amani*. Esth. 5. 9. Planè, cui Deus maximus subducitur, minima necesse est maxima videantur. Sufficit vox una, & deductio, quæ uno passu fit brevior, ad discerpendum cor arrogantis. Sagittæ parvulorum, non armatæ ferro, aut cuspide, umbratili tantùm certamini destinatæ; sunt elati cordis vulnera lethalia. Oliva t. 2. Strom. §. Accedet &c.

Væ soli. Eccle 4. 10. Quia, cùm instabili pede superbiæ ventilatus ceciderit, societate privatus, sublevans adjutorium non habebit. S. Cyrillus in Apol. c. 8.

Herodes rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo. Matth. 2. 3. Ecce jacentem in præsepio pertimescit armatus, contremiscit humilem rex superbus, obvolutum pannis metuit purpuratus. S. Aug. s. 2. de SS. Innocentibus.

Sinite illos, cæci sunt. Matth. 15. 14. Superbi Pharisæi ab ipsa Veritate cæci nominantur, quæ ad Discipulos ait: *cæci sunt, & duces cæcorum*. Quæ utique cæcitas specialiter libidinosis adscribitur: quia nulla sunt vitia, quæ spissiores tenebras menti ingerant, quàm libido. S. Greg. l. 6. ad 1. Reg. 2.

Omnis ascensus in labore est, descensus in voluptate. S. Greg. mor. l. 7. c. 10.

Non potest esse superbus, qui fatuus non sit: stultitia verò plenus est superbus. S. Chrysost. hom. 39. ad pop.

Navis inflatis nimiùm ex vento velis mergitur. Lem. *Si tumeas, timeas*. Masenius.

§. XVII.

Superbia origo vitiorum.

Hæreticorum locus *ipsa est superbia*: quia, nisi priùs in corde intumescerent, ad pravæ assertionis certamina non convenirent. Ità namque malorum locus est superbia. S. Greg. moral. l. 3. c. 13.

Ubi præcedit inflatio, continuò sequitur æmulatio: quoniam superbia mater est invidentiæ. Diabolus igitur, & Angeli ejus, à *luce*, atque *fervore charitatis* aversi, & nimis in superbiam, invidiamque progressi, velut glaciali duritia torpuerunt. Et ideo per figuram tamquam in Aquilone ponuntur. S. Aug. ep. 120.

Si ex animo superbiam exemeris, occasionem innascendi vitium iracundiæ non habebit. S. Greg. Nyss. or. 2.

Sicut turbo pulverem in campis excitat; ità Monachus superbus rixas, & contentiones in Monasterio. S. Ephrem Paræneſi 1. ad Monachos.

Difficilè, qui humilitate caret, contentiones evitat. S. Laur. Just. opus. de inter. confl. c. 2.

Non revertitur fulgur in superiora, cum ad ista inferiora cadendo deveneric: sic non revertitur apostata virtutis, cùm in ipsa superbit. Sim. Cass. l. 7. c. 21.

Hæreses non aliunde sumunt originem, quàm ex superbia, & inobedientia. Blosius parad. an. c. 27.

§. XVIII.

Superbiæ frænum vilitas nostra.

Creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Gen. 1. 27. Hoc de Angelis non leges; cùm tamen, juxta Augustinum, Chrysost. &c. homo dicatur Deo similis ob intellectum, & voluntatem; sed Angelus his potentiis multò excellentior homine. S. Chrysost. hom. 3. in ep. ad Colost. qua ratione Angelus, vel imago, vel filius Dei, non vocatus est, sed homo? quoniam illic naturæ sublimitas plures in impietatem conjecisset: hic verò tenuitas, & humilitas, securitatem præstat. Dictum est homini: *pulvis es, & in pulverem revertaris*. Gen. 3. 19. Sylv. c. 20. in Matth. 11. Luc. 10.

Facit lutum ex sputo. Joan. 9. 6. Superbiæ cœcitas luto humanæ terminationis exterminatur. Vidisti pelagus horribiliter infremens, cùm undis tumescit? Circa ripæ arenam tota ejus superbia submittitur. Superbo affectui objice propriæ infirmitatis arenam. Escob. t. 1. mir. Chr. l. 3. sect. 1. obs. 4.

Sicut mare, dum undis erigitur, veniens ad arenam confringitur: sic spiritus, dum in superbia elevatur, considerata sua miseria dissipatur. S. Bonav. s. 93. Dom. 5. Pent.

§. XIX.

§. XIX.

Superbiam vitandi motiva alia.

Mirabiles elationes maris. Psalm. 92. 4. q. d. mirandum sanè est, aquam, elementum à teò grave, tantillo turbine in altum librari, & centrum suum deserere. At multò mirabilius est, hominem, qui non nisi è terra compositus, quæ longè aqua est gravior, exiguo honoris, & gloriolæ, ventulo, ad nubes usque sustolli. Besseus D. 3. Adv.

Exaltare, qui judicas terram; redde retributionem superbis. Ps. 93. 2. Superbia est regina vitiorum; & , ea debellata universitas vitiorum debellata erit. Bellarminus hic.

Tu ergo fili hominis, assume super Tyrum lamentum, &c. Ezech. 27. 2. Ille revera utiliter plangit; ille planctum rationabilem levat super regem Tyri; qui contrito corde, & humili spiritu, scrutatur, & perpendit, quid sibi faciendum sit pulveri & cineri: cùm ille sumnus Angelus, tam sapiens, tam speciosus, ità terribiliter projectus sit pro eo, quòd Creatori suo subditus esse noluit tamque vilis, tam fatuus, tam deformis, sit effectus ut juxta veritatem Propheticam: omnes, qui viderint eum, obstupescant super eo. Rupertus l. 2. c. 1. de Victoria Verbi Dei. Nè sibi existimet parci superbia dura mortalium de superborum supplicio terrenda est Angelorum. S. August. tr. 15. in Joan. Consideret homo, quid elatus in terra mereatur, si & prælatus Angelis Angelus in cœlo prosternitur. S. Gregor. mor. l. 32. c. 18.

§. XX.

Superborum malitia, & actus.

Num. I.

Vult esse solus.

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Gen. 1. 26. Arguit locus iste hominum superbiam, qui nolunt sibi similem, aut æqualem habere. qui, si vident vicinum crescere; non solùm invident, sed deturbant elevatum, si possunt. Ramirez in Apoc. 2. ep. 4.

Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Psal. 21. 22. Superbi similes unicornibus, qui numquam gregatim, sed singulatim evagantur. S. August. hic: à sublimitatibus superborum, se singulariter erigentium, consortesque non ferentium, salvam fac humilitatem meam. De hoc grege fuit Antiochus rex, de quo Psalm. 79. 4. *singularis ferus &c.* Lyran. *ferus*, propter sævitiam; *singularis* ob arrogantiam. Mendoza in 1. Reg. 12. 6.

Singularis ferus depastus est eam. Psal. 79. 14. S. August. hic: ipse aper, qui devastavit eam, singularis ferus: quia superbus: hoc enim dicit omnis superbus, ego sum, ego sum, & nemo.

Erraverunt in solitudine in inaquoso; viam civitatis habitaculi non invenerunt. Ps. 106. 4. Solitudo hæc superborum est: quia solos se reputant, solos appetunt reputari. Literatus est; odit socium: astutus in negotiis sæcularibus; neminem vellet sibi similem inveniri. fortis est, aut formosus; da ei parem, & contabescit. Solitarius est; sed erroneus S. Bernardus s. de nimia fallacia præsentis vitæ.

Anager solitarius sibi. Os. 8. 9. Qui se solum præ aliis putat excellere, hominem exuit; & fit ferus solitarius onager. Sylveira in Apoc. 2. 1.

Superbi dicuntur propter superandi desiderium. S. Bonav. in Ps. 118.

Num. II.

Superbus spernit reliquos.

Fuit Moyses vir magnus valdè in terra Ægypti coram servis Pharaonis, & omni populo. Ex. 11. Sed magnusne etiam coram Pharaone? Oleaster: reges neminem magnum arbitrantur, nisi seipsos. Sennacherib 4. Reg. 18. 19. *loquimini Ezechiæ: hæc dicit rex magnus*. Velloso in Judith. 3. Paræn. 6.

Dicite mihi, quis sit populus iste? Judith. 5. 3. Superbia hominum contemptrix. Id. ib.

Lex Persarum. Esth. 4. 11. nè quis regem adeat, nisi accitus. Rupertus l. 8. de vict. verbi c. 10. hoc venerat ex nimia ventositate miseræ vanitatis; ut rex magni imperii plus quàm homo putaretur habere aliquid; nè vilior fieret ex usu visionis publicæ. Id.

Vani sunt omnes homines &c. Sap. 13. 1. Cultores idolorum sunt omnes superbi; qui nihil, nisi quod ipsi faciunt, reputant; aliorum autem omnia facta, aut dicta, vilificant, & contemnunt: quidam adorant idolum aureum sapientiæ suæ; alii idolum argenteum eloquentiæ suæ. Hugo Card. hic.

Num. III.

Superborum varii alii actus.

Hoc nunc os ex ossibus meis. Gen. 2. 23. Videtur è contrario dicere debuisse; hæc nunc ossa ex osse meo: nam, ut sacer textus narrat, Adam ex suis nonnisi unicam costam ad construendam Evam contulit v. 21.

Humanum aliquid passus; plus sibi, quàm erogavit. Did. Nyss. D. 5. Pent.

Os eorum locutum est superbiam. Ps. 16. 10. Benè dixit tantùm *ore*, non etiam corde, locuti sunt: quia sceleratorum mos est; illa frequenter sermone defendere, quæ noscuntur, conscientia teste, damnare. Cassiodorus hic.

Sedebo in monte testamenti. Is. 14. 13. aliis stantibus Dan. 7. 10. Superbus spiritus sessionem sibi arrogat, tamquam plus meritus. Did. Nyss. D. 10. Pent. §. 4.

Nisi - efficiamini sicut parvuli &c. Matth. 18. 3. Quantum homo habet tumoris, quantum habet superbiæ; tantum habet aversionis à regno cœlorum. Cajetanus hic.

Rogo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei, &c. Luc. 16. 27. Non proveniunt hæ preces ex bono effectu ad salutem fratrum; sed ex affectu superbiæ. Superbus enim videns se dejectum in miseriam, quamvis omnes vellet esse miseros similes sibi, aut miseriores se, videns tamen aliquos evasuros miseriam, appetit suos esse, qui evadant miseriam; ut vel sic, hoc est, in suis exaltetur. Cajetanus hic. Sicut rarus est, aut nullus, qui de se mala dici æquanimiter ferat; ità rarus est, qui non benè de se velit sentiri; & se, si rectè vivit, stantem in vitæ rectitudine non diligat æstimari. S. Cyprianus de jejun. & tentationibus.

Qui acceptis virtutibus extollitur; non gladio, sed, ut ità dixerim, medicamento vulneratur. Quid est enim virtus, nisi medicamentum? & quid est vitium, nisi vulnus. S. Gregor. moral. l. 33. c. 11.

Quid est superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus? perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri, atque esse, principium. S. Aug. de Civ. l. 14. c. 13.

Videte, quanta opera faciat superbia, Ponite in corde vestro, quàm similia faciat, & quasi paria charitati. Pascit esurientem charitas; pascit & superbia: jejunat charitas; jejunat & superbia: sepelit mortuum charitas; sepelit & superbia. Facit superbia id, quod facit charitas; sed fine maximè diverso facit. Charitas facit, ut Deus laudetur; superbia, ut ipsa laudetur &c. S. August. tr. 8. in ep. Joan.

§. XXI.

Superbiæ qui præ aliis obnoxii?

Num. I.

Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum, & sinistra. Ex. 14. 22. *Steterunt aquæ descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescentes*. Jos. 3. 16.

Jordanis montis altitudinem ostentat, murorum solùm altitudinem mare. Naxera in Jos. 3. §. 35.

Similis ero Altissimo. Is. 14. 14. In cœlo Lucifer æqualitatis ambivit honorem; verùm ad ima dejectus jam inhiat excellere. Matth. 4. 9. *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Id. ib.

Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus; & in capite ejus corona stellarum duodecim. Apoc. 12. 1. Eminentiorem sibi delegerunt locum stellæ, sole, lunaque, ignobiliores. Id. ibid.

Superbia vilitatis est vitium, & indicium ignobilitatis: nescit autem extolli nobilitas mentis. D. Valerianis Ep. hom. 14. de bono disciplinæ.

Spicæ Lem. *Exaltantur inanes*. Vel. Lem. *Pendent onustæ*. Picinelli.

Ovium putridum aquæ supernatat, integrum mergitur. Lem. *Haud sidit inane*. Masenius.

Qui minus virtutis habent, ambiunt supereminere, & aliis dominari.

Num. II.

Superbia non patitur æqualem.

Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major? Luc. 22. 24. Non magni cupierunt esse Apostoli, sed majores. Hoc maximè cavendum in domo Christi: nam magnus quis esse possit? ubi nullæ insulæ, nullus honor, nullum dignitatis, nec omen, nec nomen. Major verò quis esse non cupit? non minimos nos esse tædet, sed minores. *Sedebo in monte testamenti*. Is. 14. 13. Ait superborum coryphæus. Cur vis ibi sedere? an Deus esse cupis? num Deo imperium optas eripere? Nec Deus esse volo, nec Deum regno carere: nolo inferior esse Deo, nolo Deum superiorem me esse; *similis ero Altissimo*.

Is.

Is. 14. 14. non sit ille me major, & minimus esse non recuso. Sim pulvis, dummodo non videar dissimilis Altissimo. Oliva t. 2. Strom. §. Facta est contentio.

Quantò excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tantò majores habent causas formidinis, & tremoris; nè de ipsis probitatis argumentis mens sibi bene conscia, & laudis avida, in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. S. Amb. ep. 85.

Superbia, natione cœlestis, sublimes appetit mentes; & velut ad proprios ortus revolans, in gloriam, & puritatem, irrumpit hominum. Prima hæc, & ultima, pernicies, ante omnia vitia superavit, post omnia superatur. Hildebertus Turon. ep. 31.

Non tam vinum rusticos; ut superbia potentes, inebriat. Alvarez Illustr. 50.

§. XXII.

Superbiæ origo.

Et gloriabatur quasi potens. Judith. 1. 4. Nascitur è magnis honoribus superbia; ut teredo è ligno, è panno tinea. De Sedechia Ezech. 7. 10. *floruit virga*. Lyranus: sceptro florere visus est. Quid inde? *germinavit superbia*: regni floret superbiæ fructum peperere. Quòd sibi malum ut caveret Gedeon, sceptrum recusat. Judic. 8. 22. *dominare nostri tu*. v. 23. *non dominabor vestri*. firmusque est in repudiando sceptro; cautus, teste Abul. q. 20. ut non superbiret, principatum non accepit. &c. Velloso in Judith. 14. Paræn. 7.

Exaltatio, est inflatio, & arrogans, ac superba jactantia; non de Christi magisterio, qui humilitatem docet; se de Anti-Christi Spiritu nascitur. S. Cyprianus ep. 55.

Pulchritudo florum, & decor varius herbarum, ipsumque omnino fœnum, amictu nostro invenitur pretiosius. Cur ergo ex his in superbiam mentis erigeris; in quibus perfacilè de te obtinet etiam herba victoriam. S. Chrys. ho. 23. c. 6. in Matth.

In cœlo nata est superbia; sed velut immemor, quà inde via ceciderit; illuc ultrà redire non novit. Hildebertus Turon. ep 36.

Ipsæ etiam sordes vestium, & cilicium, aliquando superbiæ vermem mendacissimum generant, & nutriunt.

T I T U L U S XLII.

S U P E R F L U A.

Et dederit mihi panem ad vescendum. Gen. 28. 20. Petiit, nec nimis parum, nec nimis multum; sed tantum panis, quantum fami sedandæ sat esset; & tantum vestium, quod sat esset corpori tegendo. Paoletti D. 4. Pent.

Colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit. Exh. 16. 16.

In flumine pertransibunt pede. Ps. 65. 6. Hugo Card. hic: flumen vocantur deliciæ, quæ fluunt, & deficiunt. Duo pedes necessitas, & voluptas. Dicit pedem in singulari: quia unum tantùm pedem debemus mergere in aquis hujus fluminis; ut sumamus de rebus transitoriis tantùm ad necessitatem, non ad voluptatem. Hoc flumen pertransseunt multi duobus pedibus: quia accipiunt bona transitoria ad necessitatem, & ad voluptatem.

Vidimus stellam ejus. Matth. 2. 2. Dicite potiùs, vidisse vos ejus solem, lunam, & stellas; quorum ille sit Dominus: nec unius tantùm stellæ dominum facite, quæ ipsum illuminet. S. Chrysol. s. 156. verè, sicut dixit Apostolus, *egenus factus est, cùm esset divites*. 2. Cor. 8. 9.; cùm esset in sua Deitate dives, nostra fit pauper in carne: & habere cœpit stellam unam, totam qui fecit, habet, & continet, creaturam. q. d. qui in stabulo natus, in præsepio reclinatur; ei una stella satis est, nec major ostentatio necessaria. Quale enim hoc esset, si pauper, cui pro lecto est præsepe, & pro domo natali stabulum, plures faces ad suum obsequium adhiberet. Did. Nyss. Dom. Palmar. §. 6.

Dic ut lapides &c. Matth. 4. 3. Non dixit, ut lapis hic, panis fiat; sed *lapides*; volens Christum ad superflua instigare. Esurienti enim unus panis sufficit: & propter hoc Christus non audivit eum. Theophylactus hic.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17. 2. Immodicam vultus claritatem vult Matthæus indicare, cùm illum ait solis instar resplenduisse. Sed non videtur magna exaggeratio, quando Isaias 30. 26. de beatis ait, eos sole septies splendidiores futuros. Quod si ità est, cur Christus tantùm sicut sol resplenduit? Ad mensuram conditionis suæ extendit suam ostentationem: nec splendorem prætulit majorem; quàm tunc res postulabat. Erat eo tempore in carne passibili, & vita mortali; nec plus splendescere voluit, quàm status, in quo degebat, requirebat. Did Nyss. Dom. Palm. §. 6.

Sufficit. Marci 14. 41. Christus post aliquantulam quietem continuò intulit. Sufficientiæ verbum omne superfluum abrogat, & condemnat. Difficilè semetipsum, propter inhærentem passionem, homo cognoscet; nisi extra se discretum habeat provisorem. Veruntamen longa experientia custodita, & dissoluta compassio ad animale corpus, insufficientia, & superfluo, discretum hominem fecit. Sim. Cass. lib. 13. cap. 8. hic.

Conclusserunt piscium multitudinem copiosam. Luc. 5. 6. *Rumpebatur autem rete. Impleverunt ambas naviculas, ità ut penè mergerentur*.

Quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos. Luc. 12. 17. Non gaudet, quòd domi omnia repleantur; sed pungitur animo, ex affluxu divitiarum. S. Basilius apud Paoleti D. 4. Pent.

Dividebatur singulis, prout cuique opus erat. Act. 4. 35. Bombarda periclitatur, si instructor plus, quàm opus sit, immittat pulveris: nam illam disrumpit. Oliva t. 3. conc. 24.

Circumfulsit eum lux de cœlo, - apertisque oculis nihil videbat. Act. 9. 3. 8. Non ille obscuritate tenebrarum, sed luminis nimietate, excœcatus est. Sanct. Chrysost. ho. 4. de S. Paulo.

Quæstus magnus, pietas cum sufficientia. 1. Tim. 6. 6. Sufficientiam quærite; quod sufficit, quærite: plus nolite. Cœtera gravant, non sublevant; onerant, non honorant. S. August. s. 105. de temp. Quidquid superfuerit honestæ sustentationi, id totum, quod mannæ fiebat. Ex. 16. 20. abibit in vermes mordentis conscientiæ, & pacem turbantis. Oliva t. 3. conc. 24.

Tunc Petrus velut vinctum illum (Simonem Magum) de sublimi verè deposuit, & quodam præcipitio in saxa elidens ejus crura confregit. Et hoc in opprobrium facti illius: ut, qui paulò antè volare tentaverat; subitò ambulare non posset: & qui pennas assumpserat; plantas amitteret: S. Maximus hom. 5. de SS. Petro, & Paulo. q. d. Simon nimis temerarius erat, dum non contentus velut homo per terram gradi; sed instar avis in aere volare voluit: ideo justè, & alis, & pedibus, privatus est. Paoletti cit.

T I T U L U S XLIII.

S U P E R I O R E S.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Quid per Noè. Gen. 8. qui Arcam in undis rexit, nisi Præpositorum ordo, designatur? S. Gregor. mor. lib. 1. cap. 6.

Facies & saga. Ex. 26. 7. Legitur quòd saga cilicina superposita fuerint tentorio pretioso, ex quatuor coloribus pretio sis facta. Neque enim, ut honorarentur saga, aut propter valorem suum, ità elevata sunt; sed ut protegerent tentorium: & sustinerent imbrem, & impetum ventorum. Sic Prælati non se reputent honoratos, quia in alto positi sunt; immò potiùs expositos ventis, & pluviis, & curis temporalium: ut aliis sit quies, & pax sub eis. Hugo Card. in Ecclæ 10. Ut in interiori tabernaculo byssus fulgeat, coccus coruscet; hyacinthus, & purpura; pulchris itidem coloribus resplendeant: desuper pelles, & cilia, imbrem, ventos, & pulverem, portant. Qui igitur magnis virtutibus in S. Ecclesiæ sinu proficiunt, Præpositorum suorum vitia despicere non debent; cùm vacare eos rebus exterioribus vident: quia hoc, quod ipsi securi intima penetrant, ex illorum adjumento est; quia contra procellas hujus sæculi exteriùs laborant. S. Rupertus l. 4. cap. 11. in Ex.

Audite cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei. Deut. 32. 1. Agellius hic: neque verè putandum est, illum cum cœlo, ac terra, tamquam anima, sensuque, præditis loqui; sed quia populi seniores, ac principes, convocarat; illos figuratè cœlos appellat: terram contrà plebem, ac reliquum vulgus.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans &c. Deut. 32. 11. Si aquila super pullos volitat, quomodo in humeris portat? O bonam regiminis formam! principis non impleret officium, si alia sublimior non volaret, & fortior non sustineret. Glossa: pullos ad volandum provocat, & alis lassos sustentat. Naxera in Jos. 4. §. 12.

Pater mi; currus Israel, & auriga ejus. 4. Reg. 2. 12. Si Elias est currus Israel, qui aurigæ gaudet functione? Drogo Ost. de Sacr. Pass. currus Israel, & auriga ejus: portas, & regis; sustines, & gubernas. Castillo Illat. 75.

Facies mea intumuit à fletu. Job 16. 17. Facies S. Ecclesiæ sunt hi, qui in locis regiminum positi apparent primi; ut ex eorum specie fit honor fidelis populi, etiamsi quid in corpore latet deforme. S. Gregor. mor. l. 13. 7.

Tria sunt, quæ benè gradiuntur &c. Prov. 30. 29. Princeps in Republica, Episcopus in diœcesi, Abbas in Monasterio. Paterfamilias in domo sit leo, propter fortitudinem, & magnitudinem;

dinem; ut contra feras, hæreticos, sceleratos rugiat. Sit gallus per vigilantiam; ut omnes ad laborem excitet. Sit aries per mansuetudinem, gravitatem, & modestiam; qua subditis virtutis exemplo præeat. Sit rex per sapientiam; qua justè, & sapienter, subditos regat. Cornelius hic.

Manum suam misit ad fortia &c. Prov. 31. 19. In hoc Ecclesiæ sapientia manifestatur quæ tam benè cuncta disponit. *Manum suam*, id est, eos, qui fortiores sunt; & sapientiores, ad meliora negotia mittit; talesque Rectores, & Episcopos constituit. *Digiti* verò *fusum apprehendunt*; quia illis minora negotia committit, qui imperfectiores sunt, minusque periti. S. Bruno de laudib. Eccl. t. 3. c. 5.

Oculi tui columbarum. Cant. 4. 1. Oculi sunt omnes illi, qui ad populum ducendum ordinati sunt. Quid enim inter membra nostra præstantius oculis? S. Gregor. Nyss. hom. 7. in Cant. Oculi sponsæ, id est, Ecclesiæ sunt Prælati. S. Bonaventura s. 1. Dom. 19. Pent.

Quasi aurora consurgens &c. Cant. 6. 9. Religio in Novitiis est *quasi aurora consurgens*; in provectioribus subditis, *pulchra ut luna*, quæ à sole lumen recipit, & ipsi à superioribus diriguntur. In Prælatis verò *electa ut Sol*, qui præest diei, & subditos regit. In omnium verò collectione, *terribilis ut castrorum acies ordinata &c.* De Ponte hic Exh. 46. §. 2.

Cherubim quatuor habebat vultus. Ezech. 1. 6. Erat Pastoris imago; qui quadrupliceem præferat: bovis, ad dignitatis onera sustinenda: aquilæ, ad negotia prævidenda, & sagaciter disponenda: hominis, ut dulcedine, & benignitate, peccatores ad pœnitentiam alliciat: faciem leonis, quoad castigationem errantium; ut luporum quoque, & hæreticorum, rabiem refrænet. Besseus D. 2. Pasch.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

In circuitu, & intus, plena sunt oculis. Apoc. 4. 8. In circuitu, & aliis bono exemplo lucerent, scilicet Pastores; & intus, quantum ad seipsos. Sanct. Anselmus apud Sylveira hic.

Prælatus est sicut sol; quantùm ad documenta veritatis: luna; quantùm ad exempla virtutis. Vel sol sapientiæ, luna scientiæ. Vel sol, in quantum judicat, luna, in quantum miseretur. S. Bonavent. s. 13. in hex.

Spiritualem domum ædificat, qui domus Dei curam habens, subditorum mentes, pro officio suo, doctrinæ verbo informat. S. Rupertus l. 1. c. 16. in Deut.

§. II.

Superiores Deus honorat, tuetur famam.

Ex Veteri.

Terra autem erat inanis, & vacua. Gen. 1. 2. Certè adhuc cœlum sine luce, sole, sideribus, caligabat: & cur non item dicitur, quòd cœlum erat obscurum, & deforme? Cœlum supra Mundi creaturas, sublime potentes adumbrat: ac horum defectus nemo audet propalare. Vulgentur defectus humilium; dicatur de terra, de vulgo, quòd sit inanis, & vacua; de cœlo tamen, de dynastis, cœlo caput tollentibus, defectum, quem omnes sciunt, taceant. Alvarez. Illustr. 215.

Audivit enim murmur vestrum. Ex. 16. 7. Nota: quàm grave sit murmur populi contra Magistratus: est enim contra Deum, qui eos constituit. Hinc Deus alia peccata Hebræorum in deserto ferè dissimulavit; murmur autem penè semper illicò punivit. Cornelius hic.

Educ eum, qui maledixit, extra castra; & lapidet eum populus universus, juxta sepe. Levit. 24. 14. Sic respondit Deus, cùm blasphemus ille in Deum, & maledicus in Moysen, apud hunc accusatus; & ille de ejus supplicio Deum consuleret. Isidorus Clarius: Deus, cui sui curæ sunt, magis voluit ulcisci injuriam Moysis, quàm propriam contumeliam. Ideo dixit: educ *maledicum*, & non dixit, educ blasphemum, Apud Mendozam in 1. Reg. 3. Annot. 2.

Aaronem, contra Deum peccantem ad aquas contradictionis, paulò post egressum ex Ægypto, Num. 20. 10. ferò divina ultio compressit, nimirum quadraginta post annis, paulò ante ingressum in terram promissionis. Num. 33. 38. Dathan verò, & Abiron, & reliquos, Prælatis suis detrahentes, subita punitio coercuit. Num. 16. 32. Cur in illum tarda? in hos velox? quia ille in Deum; hi in suum Prælatum, rebellarunt. Mendoza in 1. Reg. 3. 9. Annot. 1. Sect. 1.

Mortuusque est ibi Moyses jubente Domino - & non cognovit homo sepulchrum ejus. Deut. 34. 5. 6. Hac de causa mortis ejus, & sepulchri, nemo conscius erat: quatenus illam faciem, quæ consortio sermonis Domini rutilaverat, mortis mœrore repressam nemo videret. S. August. l. 1. de mirab. Script. de Moyse.

Non te abjecerunt, sed me. 1. Reg. 8. 7. Disce hic, quòd, qui Prælatum spernit, Deum spernit. Cornelius hic.

Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die - sicut dereliquerunt me; & servierunt diis alienis &c. ib. Una injuria Deus Superiori illata sic iratus est; ut præterita scelera refricarit. Did. Nyss. fer. 6. D. 5. Quadr. §. 6.

Extendit Oza manum ad arcam Dei. 2. Reg. 6. 6 Per Arcam Prælati intelliguntur; per Ozam subditi: per inclinationem Arcæ casus intelliguntur Prælatorum; per illum, qui manum adhibuit, intelliguntur reprehendentes, vel accusantes, vitam Doctorum: qui à Domino percussi intereunt; scilicet cùm id faciunt detrahendo; charitatis, ac reverentiæ, ordine non servato. S. Bernardinus t. 1. s. 20. Artic. 3.

Percussit quoque Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriæ David. 2. Reg. 12. 15. Davidis etiam infamiam, ex adulterio contractam, Deus abolendam curavit: nam filium ex adulterio natum diutius vivere non permisit, etiam ad multas ejus preces; nè diutius viveret adulterii memoria. Theodoretus q. 26. quamobrem infantem recens natum morti tradidit Deus? vivus erat futurus argumentum sceleris, & iniquitatis. Pii ergo regis, qui erat etiam Propheta, curam gerens Dominus, non sinit eum vivere. Mendoza in 1. Reg. 6. 8. Annot. 20. sect. 2.

Ex Novo.

Qui seminat bonum semen, & Filius hominis &c. Matth. 13. 37. Theophylactus hic: non est interpretatus, qui sint dormientes homines; sed illos prætermisit. Cur autem Dominus, qui cœteras parabolæ partes sigillatim enucleavit, hoc unum præteriit, quinam illi agrorum custodes constituti dormierint? Qui sunt agrorum custodes? August. Gregor. Beda ajunt esse Superiores, & Prælatos: illos siluit; ut moneret nos, quòd cùm in neglectus, & vitia, superiorum incidimus, ea silentio tegere debeamus. Did. Nyss. in Phœn. Græc. l. 7. c. 2.

Ecce nubes lucida obumbravit eos. Matth. 17. 5. Petrum, in monte Thabor sui non compotem; nescientem, quid diceret. Velo pulchro casus, & ineptiæ, Pontificis, à Deo occultantur. Fernandius in Gen. 3. 13.

Ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Luc. 22. 31. Cur Dominus, non pro omnibus, sed specialiter pro Petro, suas preces applicare testatur? si inimicus contra omnes insurgebat; cur pro omnibus non oravit? Erat ille positus ut caput, & fundamentum; ut alios confirmaret, & instauraret, in fide; ideò Christus specialiter pro ipso orat: quia ex ejus constantia alii erant roborandi. Sylveira in Joan. 1. cap. 6.

Cùm fecisset quasi flagellum. Joan. 2. 15. In his templi mercatibus Sacerdotum crimina innuuntur; quæ ut puniat Dominus, non Discipulorum circumstantium utitur auxilio; sed ipse solus flagellum arripit, & delinquentes plectit. Eucherius l. 2. in lib. Reg. quia Rectores habent judicem suum; magna cautela subditorum est, non temerè vitam judicare regentium. Neque enim frustrà per semetipsum Dominus æs numulariorum effudit: nimirum significans, quia per Magistros quidem judicatur vita plebium; sed per semetipsum facta examinat Magistrorum. Baeza t. 2. l. 11. c. 7. §. 3.

Cùm esset Pontifex anni illius. Joan. 11. 49. Superiores plurimùm semper honorandi: eò quòd sint imagines Dei, licèt fortè rudi manu pictæ. Caipham, licèt iniquum, Deus dono Prophetiæ honorare voluit. Dum videmus imaginem Christi, sufficit hoc, ut à nobis adoretur, licèt imperitum habuerit pictorem: non enim figuram spectamus; sed eum, quem refert, veneramur. Did. Nyss. fer. 6. D. 5. Quadr. §. 6.

Dominus, - qui tibi apparuit. Act. 9. 17. Cur non dicit Ananias: Dominus, qui te obcœcavit? Occumenius: ut improperium declinaret. Destinavit Deus Paulum Ecclesiæ Principem; ideo cum eo honorificè agi ordinat. Nam, quæ defectus notabant, occultat: honorificum autem, & illustre, nempe Filii Dei è cœlo descensum, in prima fronte ponit. Sylveira hic.

Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. Apoc. 2. 1. Cur Episcopus Ephesinus, & illi, Angeli vocantur? cùm tamen ejus commendetur pœnitentia, quæ peccatum supponit? R. Licèt haberent aliquos defectus; tamen Angeli vocantur: quia etiam Præsules mali honorandi. Sylveira hic.

§. III.

Superiores quoque à nobis honorandi.

Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis. 1. Reg. 2. 11. Mirùm, Samuelem non reliquisse templum tot sacrilegiis pollutum: nec parentibus scripsisse, ut se domum revocarent. Perstitit immobilis. cur? audi: *puer autem &c.* Deum solum attendebat; & ab initio ministerii sui, in Heli non senectutem, non Judicis dignitatem, non servorum copiam; sed tantùm respexit Sacerdotium. Et sanè sapienter: nam si vel probitatem in eo attenderet, citò eum sprevisset; quem in filiis coercendis desidem novit. Oliva l. 10. Strom. §. Puer autem erat minister.

Duas vaccas fœtas - jungite in plaustro. 1. Reg. 6. 7. Non erubescat subditus vili, & improbo, subdi Prælato. Arca testamen-

menti, humeris imposita Sacerdotum, victorias mille parturiebat, mille miracula patrabat. Præcedebant populum Sacerdotes portantes arcam, cujus motum diligenter populus observabat: exclusit tandem Deus Sacerdotes, & elegit vaccas, quæ arcam portarent, & Israel salvum facerent. S. Chrysost. hom. 2. in ep. 2. Timoth. per vaccas in arca operatus est Deus; cùm populum salvare vellet. Num Sacerdotis vita? num Sacerdotis virtus, tantum conferre potuisset? Ubi Dei sequeris nutum, & oraculum; nil cures de illius præstantia, qui præstat ducatum, sit pius, vel impius, sit sapiens, vel fatuus; sit homo, vel bos. Per bovem operabatur Deus salutem tuam: nec ullius hominis sapientia tibi conferet tantum, quantum bos, quantum fatuus. Baeza t. 2. l. 4. c. 3. §. 16.

Propitius sit mihi Dominus, nè faciam hanc rem. &c. 1. Reg. 24. 7. Moralibus nos instruit disciplinis, nè Præpositos nobis, eos maximè, qui sacris Ordinibus insigniti sunt, quamvis nos justè persequentes, verbi austerioris ense fœdare & vel ultimæ superfluæ actionis eorum, quasi fimbriam, vituperando decerpere præsumamus. V. Beda. lib. 4. in Samuelem c. 3.

Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis; nè forte lætentur filiæ Philisthiim. 2. Reg. 1. 20. Lamentatur David mortem Saulis; sed multò magis, mortem ipsam, annuntiari, queritur. *Nolite annuntiare &c.* ruinam principis, sciri, evulgari, doleo. Cecidit unctus Domini! ah nemo id resciat: montes ipsi cum ossibus pariter ignominiam obruant principum. Fernandius in Gen. 3. 13.

S. Catharina Bononiensis, quoties murmurantem contra Superiores audivit contradixit: væ, inquiens, illi animæ, quæ non reverenter, ac piè, sentit de suis Prælatis non expectet à Deo ullam benedictionem. Bollandus 9. Martii.

§. IV.

Superiorum dignitas, grave onus.

Tolle Josuè, filium Nun; virum, in quo est Spiritus. Num. 27. 18. Dixit Deus Moysi postulanti à Domino populo Præfectum. Cur usus hoc verbo *tolle*? & non assume? quia vocabulo tollendi aliquem, significatur, eum ad necem deduci. Gen. 22. 2. *tolle filium unigenitum. Tolle, tolle, crucifige eum.* Joan. 19. 15. Sic Abulensis: *tolle Josue*: significat enim quandam deductionem, non voluntariam. Scilicet ad necem. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 9. Sect. 2. Obs. 1.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 16. 18. Ædificii fundamenta totum molis pondus patiuntur. Naxerà in Jos. 4. §. 12.

Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Matth. 18. 10. Cur dixit Christus, quod custodes animarum Deum perpetuò sic ob oculos habeant, ut ab illius intuitu numquam deflectant? Respondet S. Gregor. mor. l. 2. c. 14. si Conditoris aspectum executes amitterent nec jacentes erigerent, nec ignorantibus vera nuntiare possent; fontemque lucis, quem ipsi perderent, cœcis nullatenus propinarent. S. Angelus, ut unum hominem rectè custodiat, tantis auxiliis eget; & necesse habet. Deum semper intentis oculis intueri; atque in illo, quidquid circa hominem, sibi creditum, agere debeat, videre? quomodo homo, tot subjectus erroribus, tot expositus dolis non timeat, ac tremat; sed multis? Did. Nyss. Dom. 2. Pasch. §. 1.

Hoc ipsum Rectoribus valde timendum est, quòd Dei servantur examini: quia tantò subtiliores rationes vitæ, ac doctrinæ suæ parare debent; quantò sapientior est Judex, quem sustinent. S. Gregor. in 1. Reg. c. 3.

Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo Pastoribus pastorale magisterium in magna temeritate suscipiuntur; quoniam ars est artium regimen animarum. Sanct. Gregor. lib. past. curæ p. 1. cap. 1.

Vos Imperatores purpuram reverenter habete; quantum sit illud, quod creditum vobis est, agnoscite. Superna Dei solius sunt, inferna vobis cum Deo communia. Dii subditis vestris estote: dicam enim aliquid audaciùs: sacris est præscriptum literis, & à nobis creditur: *cor Regis in manu Domini esse.* Prov. 21, 1.

Hic vestra sita sit potentia; non in auro, & exercitibus. S. Gregor. Naz. Orat. 2. de seipso.

Haud quaquam idem existimabam; ac nè nunc quidem existimo: gregi, aut armento præesse, & hominum animas moderari. Idem orat. 21. in qua rationem dat suæ fugæ.

Hominibus præesse, res est omnium maximè laboriosa: nam qui animalibus ratione expertibus imperant, ea omnibus in rebus reperiunt obedientia: ideoque ferè semper illis prosperè cedit imperium. Qui verò homines gubernant, & regunt; propter morum diversitatem, rationisque solertiam; provinciam difficilem experiuntur. S. Nilus lib. Ascet.

Rex est homo, regens suos: si benè rexerit, accipiet coronam vitæ. S. Bonaventura s. 3. fer. 3. Pasch.

§. V.

Superior fulgeat sanctitate, virtutibus &c.

Ex Veteri.

Faciamus hominem ad imaginem, &c. & præsit &c. Gen. 1. 26. q. d. facturi hominem præcessione aliarum creaturarum, priùs ad imaginem, & similitudinem efformemus: ut, hac virtute & sanctitate præditus, facilè possit omnibus animantibus imperare, & leges ferre, ac in officio continere. Pinna Ethol. 232.

Vt. Quid est, quod tenes in manu tua &c. Ex. 4. 2. 4. Si te Deus ad Prælaturam vocat, per caudam accipe; finem considera. Finis officiorum, & dignitatum, est arcta ratio, quam Prælatus debet exigere de animabus sibi commissis. Stella in Luc. 12.

Ecce constitui te Deum Pharaonis. Ex. 7. 1. Vide, quo nomine vocetur ille, quem Deus præficit; non Imperator, non Dux, sed *Deus*: quia nihil humanum sapere debet, qui aliis præest. Pinna ib.

Currus Israel, & auriga ejus. 4. Reg. 2. 12. S. Gregor. hom. 21. in Ezech. l. 2. Quid est, quòd Elias, currus Israel, & auriga, dicitur? nisi quia auriga agitat, currus portat. *Politicè*: currus Israel, & auriga ejus, est princeps, qui sustinet, quasi currus, onera Reip & populi; ac dirigit, ut auriga, jugales. Hinc princeps Hebr. dicitur *nasu*, q. d. portitor, bajulus; qui populi onera levat. *Moraliter* significatur: quòd, si te totum divino imperio subdideris; facilè à tuis subditis debita obsequia impetrabis. Currum appellat, simul & aurigam: Currum, qui regitur, & aurigam, qui regit. Ut ostenderet: eum optimi principis munia expleviße; quòd non solùm suos prudenter regeret, sed seipsum à Deo regi facilè pateretur. Cornelius hìc.

Gladius super brachium ejus. Zach. 11. 17. Super femur gladium gerunt, qui adversùs propria vitia rationis aciem stringunt: super brachium verò, qui ad punienda aliorum peccata sunt promptiores. S. Nilus lib. Ascet.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Non potest civitas abscondi supra montem posita. Matth. 5. 14. Meritò comparantur Prælati civitati in monte positæ, Primò, quia est in omnium conspectu, deinde, quia instrui debet omnibus virtutibus. Stella de cont. &c. p. 1. c. 25.

Obscuratus est sol. Luc. 23. 45. Christo Domino adhuc vivente, sol obscuratus est: *hora erat ferè sexta.* v. 44. *terra* autem *mota est* post Christi mortem, hora 9. jam exacta. Matth. 27, 51. Serò terra commovetur ad necem Domini; citò solem tristi velo tectum video. Salmeron t. 10. tr. 47. nobiliora citiùs vim Divinitatis, ac ejus radios, senserunt: tenentur enim, qui præstant genere, præstare pietate. Vel Sardanapalus Ethnicus officio principis se obstrictum vidit, ut præiret jejunio, & cilicio. Joan. 3. 6. S. Maximus hom. de Jona: necesse est enim; ut, qui potentior cunctis fuerat, devotior fieret. Velloso in Judith. 3. Paræn. 10.

Epistola nostra estis vos, scripta in cordibus nostris. 2. Cor. 3. 2. Cur eos vocat suam epistolam? Quia, sic ut epistola ab aliquo scripta, si elegantiam, aut errores contineat, auctori tribuuntur: sic si Corinthii, quorum Præsul erat Paulus, quos verbo, & opere, regebat, in via virtutis proficiebant, aut ab illa aberrabant; Paulo hoc attribuebatur, veluti Authori epistolæ. Castillo Illat. 76.

Non debet temerè ducem se aliis divini luminis præstare is, qui non omni statu suo, & habitu, similimus Deo evaserit, divinoque instinctu, ac judicio, declaratus sit Rector atque moderator. Dion. Areop. l. de Eccl. hier. c. 3. parte. 3.

Prorsus arbitror, præsidentibus aliis fore necessarium, se interdum ab exteriorum fragoribus, elongare, orationique devotè instare; quatenus liberi ipsi in se, liberè utilitatibus inserviant proximorum: atque de limpidissimo, atque pacatissimo, interioris hominis fonte saluberrimam divinorum eloquiorum, ad se confluentibus, aquam valeant propinare, rectè consulere, agendaque judicare prudenter. S. Laur. Just. l. de instit. & regim. Prælat. c. 6.

Decet in præfectura constitutos, majorem quidem, quam alii, laborem suscipere; submissiùs verò, quàm subditi, se gerere; ac pro servi imagine, exemplove, vitam suam aliis exhibere: dum illos reputant, depositum esse Dei, qui fidei suæ commissi sunt. S Gregor. Nyss. de scopo Christiani.

Omnis Christi actio est Prælatorum: & licèt sit instructio omnium Christianorum; est tamen potissimum instructio Prælatorum. S. Thom. Aqu. in Cant. 2. Lect. 2.

§. VI.

§. VI.

Superior vincat suos sanctitate, virtute &c.

Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. 1. Reg. 10. 24. Eum, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere; ut, instar solis, cœteros, veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret. S. Chrysost. hom. 10. in ep. 1. Tim.

Caput in tribubus Israel sublimes es. 1. Reg. 15. 17. Sicut in corpore naturali caput, sive facies, majorem ostendit naturalem decorem; diligentiùs etiam faciei maculas tergimus: ità caput in corpore mystico majorem ostendere debet decorem spiritualem; dicens illud Ps. 118. 133. *non dominetur mei*, quo aliis dominari debeo, *omnis injustitia*. Broymard Domini, & Superiores.

Ante eas vadit. Joan. 10. 4. Hæc boni pastoris egregia nota est, ante oves ire, hoc est, omnibus virtute præcellere. Barradius t. 3. l. 2. c. 7.

Diligis me plus his? Joan. 21. 15. Quoniam erat à Christo super omnem Ecclesiam in capite constitutus, ubique traditæ claves; decebat eum alios dilectione præire. Sim. Cass. l. 14. hìc.

Habes pauca nomina in Sardis. Apoc. 3. 4. S. Bernardinus: pauci proponuntur Episcopo; ut exemplo eorum bene viveret. Sic & Richardus à S. Vict. cùm mortuus fuerit per peccatum, dicitur ei, quòd habeat aliquos in Ecclesia sua innocentes: eorum exemplo tu munda conscientiam tuam; nec patiaris te à subditis tuis Sanctitate vinci. Apud Sylveiram hìc.

Tantùm debet actionem populi actio transcendere Præsulis; quantùm distare solet à grege vita pastoris. S. Gregor. lib. past. curæ p. 2. c. 1.

Qui gradu honoris excellit, merito virtutum æquè transcendere alios debet. Petrus Cell. l. de pan. c. 20.

Debet cunctos præcellere excellentia, virtute, & claritate morum; qui omnes excellit dignitate: & quantò eminentior dignitate, tantò debet esse sublimior virtute super homines? & quodammodo plus quàm homo debet esse, qui præest hominibus. S. Thom. Vill. Dom. 19. Pent.

§. VII.

Superior exemplo bono præluceat.

Ut custodias &c. Jos. 1. 7. Intelligit Legem generatim datam toti populo à Moyse in Sina; dicit tamen speciatim, *quam præcepi tibi*: ut sciat Josue legem communem sibi, præcipuè ut duci impossibilem & commendatam à Deo; ut eam ipse primus servet, ac deinde ab aliis servandam curet. Cornelius hìc.

Igitur Josue de nocte consurgens movit castra. Jos. 3. 1. Mirificam illis verbis proponi nobis Josue vigilantiam, dubium non est; atque ostendi; magis eum actuosa, quàm imperiosa, sollicitudine populares in officio continuisse: neque minùs exemplo, quàm jussibus, Imperatorem egisse. Surrexit ergo ipse diluculo; ut nemini suorum excusationem ignaviæ ullam faceret reliquam. Naxera hìc §. 1.

Quod me facere videritis &c. Judic. 7. 17. Discat Prælatus subditos præire exemplo; eoque magis docere, quàm verbo. Ità fecit Christus Act. 1. 1. *cœpit Jesus facere, & docere.* Cornelius hìc.

Currus Israel, & auriga ejus. 4. Reg. 2. 12. Auriga est, qui ducit, & viam ostendit; currus verò, qui supra se pondera suscipit; illa faciens, quæ aliis præficit facienda. Diez Prælatus.

Ecce dedi eum Ducem, & Præceptorem, gentibus. Is. 55. 4. Priùs ducem futurum, ait; quia Dux præire solet, & primus omnium hostium incursus excipere: deinde vocat Præceptorem. Idem in Circumc. D. conc. 3.

Annulus in manu dextera mea. Jer. 22. 24. Prælatus debet esse annulus, alios sigillando exemplo suo. Ugo Carens. hìc.

Assumam te, Zorobabel, - dicit Dominus; & ponam te quasi sigillum; quia te elegi. Aggæi 2. 24.

Et transfretavit ad illos prior. 1. Machab. 5. 43. Judas, videns suos timere transitum fluminis, ob hostium copiam; prior ipse flumen transiisit: ut reliqui eum quasi ducem suum generosè sequerentur. Quare hac audacia hostes percussit, in fugam egit, cæcidit, contrivit. Cornelius hìc.

Sequebatur eum multitudo magna. Joan. 6. 2. Christum præeuntem ad deserta, turbæ sequuntur imitatrices: exemplum enim verbo est efficacius. Difficile impetum, pelagum tranare, in deserto constitui, tolerare famem. Præcurrat Præsul; facilia reddet omnia. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 8. Sect. 1. obs. 2.

In omnibus respiam præbe exemplum bonorum operum. Tit. 2. 7. Qui te viderint, legant in operibus tuis, velut in libro, quid agere debeant. S. Anselmus apud Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 2. Sect. 1. Obs. 4.

Neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 1. Petri 5. 3.

In Dei timore, populum, quemadmodum vivere possit, tui mores instituant. Operibus exerce, quod subjectos doces, & prædicas. Actus tui in aliorum correptionem proficiunt, in adjutorium sibi vitæ tuæ imitationem assumant. Sicque te in cunctis operibus exhibe, ut scripturam conscriptionemque, in te habeat, quicumque aut negligit, aut non potest, lectione formari. S. Gregor. l. 1. ep. Agnello Episcopo.

Lux gregis flammam est pastoris: decet enim pastorem, decet Dominicum Sacerdotem, moribus, & vita, clarescere: quatenus in eo, tamquam in vitæ suæ speculo, plebs commissa, & eligere, quod sequatur; & videre possit, quod corrigat. S. Gregorius l. 7. ep. 32.

Vide Exempla.

§. VIII.

Superior amet suos, æstimet, honoret.

Ex Veteri.

Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia. Gen. 2. 20. Primus homo, caput, & pater omnium; animalia divinitus ad se adducta, excipere manu, ut par est credere, blandè palpare, nominibus propriis vocare, non dedignatur. Eruntque fortasse hodie complures, qui servos suos ità fastidiant; ut eos rectis oculis aspicere, aut etiam nomine compellare, indignum putent. Sed heus tu; si vel princeps, aut rex, in Mundo sis; sane inferior multò es Patre tuo Adam: nec te de limo terræ manus Domini efformarunt; nec te Mundi totius dominum constituit; nec in paradiso te collocavit. Deinde, servi tui pecudes non sunt; alius naturæ, quàm tu: homines sunt, atque apud Deum, ut bene advertit S. Chrys. hom. 35. ad pop. Antioch. omnium visibilium nihil par homini. At, inquies, princeps sum; ille servus: ego de regibus natus, ille de mancipiis. Vox ea quidem profana est, non Christiana. Fernandius, hìc.

Sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel. Ex. 28. 9. Summus Sacerdos, jussu Dei; nomina filiorum Israel insculpta gemmis gestabat: ut æstimet subditos, tamquam lapides pretiosos. Oleaster hìc: in lapidibus pretiosis adumbratum cerno; quam pretiosa debeant esse nomina ovium apud Antistitem. Nota etiam in his lapidibus sculpta fuisse non solùm nomina filiorum Jacob ex uxoribus dominabus genitorum; sed etiam eorum nomina, qui ex ancillis sunt geniti: quia Præsul nobiles, & ignobiles æstimare debet. Castillo Illat. 7.

Portabitque Aaron nomina super pectus suum. Ex. 28. 29. Bene, & suo in loco, oves erant, scilicet in amoris sinu, in Pastoris affectu; quod Arnoldus Carnot. monet tr. de 7. Verb. hoc enim intimatur; ut, qui sunt in Rectoratu, semper affici debuerint pro his, qui ad eorum curam pertinent.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris. 2. Cor. 3. 2. In cordibus nostris: non quia Paulus plura habebat corda: nam licèt unum cor diviti, aliud pauperi, videretur habere; tamen omnibus tribuebat suum cor. Secundò dicit; eos in corde se habere: ut declaret; quanti illos æstimet, & amet. Castillo Illat. 76.

Habentes singuli citharas. Apoc. 5. 8. Hi Seniores erant reges coronati, ut patet c. 4. v. 4. cur citharas? non lanceas, gladios? Gladius terribilis; cithara suavis animos allicit. Habeant reges potiùs citharas, quàm gladios: ut suos magis devinciant amore; quàm terrore compellant. Sylveira hìc.

Pastores, & amatores, eisdem literis Hebraicè scribuntur, ut testatur S. Hieron ep. 125. ad Damasum: pastores enim dicuntur Roghin: amatores verò Reghim: quia totum pastoris munus, sicut & amatoris, est. Ideo S. Petro non priùs potestas in oves, agnosque, committitur, quàm ab eo charitas exigatur. Joan. 21. 15. ruit enim potestas, quàm charitas non sustentat. Mendoza in 1. Reg. 3. 6.

Vera dominatio est ipsa; quæ amore imperat, non timore; quæ per affectum sibi, & corpora subdit, & corda; quæ amando non invitam, sed voluntariam, sibi instruit servitutem. S. Chrysost. hom. 6. de myst. cœnæ Dom.

Ubi Deus Dominum mutavit in Patrem, voluit charitate magis, quàm potestate, regnare; & amari maluit, quàm timeri. S. Chrysol. s. 7.

Quem missurus es Rectorem Gaoni Collegii, omnino nè is sit, qui timeri se, quàm amari, malit: atque id agat; ut per severitatem, atque terrorem, socios sibi commissos, tamquam servos in potestate habeat. Ejusmodi enim acerbitas multis exitum, paucis aditum, ad Societatem parefaceret. Sanè, ut mihi videtur, Societas Jesu, nihil aliud est, nisi societas amoris, atque concordiæ; à qua profectò acerbitas, atque timor servilis, longissimè ab horret. S. Xaverius ep. 9. S. P. Ignatio.

Quidam Episcopus sumpsit sibi in muneris sui tesseram, sive Symbolum, cor, in cujus medio ovicula dormiebat, cum hac epigraphe: *cubiculum gregis.* Doultreman l. 5. c. 2. sect. 2.

§. IX.

§. IX.

Superior æqualiter amet, curet, puniat.

Figuræ, & symbola.

Dentes ejus lacte candidiores Gen. 49. 12. Jacob de Juda. Verba, ad quæ proferenda dentibus opus, in principe lacti comparantur: quia lac, non ut reliqui liquores, rerum imagines referunt. Pinna Ethol. 88.

Fuerunt autem filii Saul, Jonathas, & Jessui, & Melchisua. 1. Reg. 14. 49. Melchisua, juxta S. Gregorium, idem, est, ac *Rex meus*. Rex meus dicitur Prælatus, non rex noster, illius, aut alterius: quia tam facilem, & affabilem, se præbere debet erga quemvis eorum, qui sibi parent; ut singulis dicere liceat, *rex meus*. Idem ib.

Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum (David) in medio fratrum ejus. 1. Reg. 16. 13. Quia, qui præest, medius debet esse; nec plus uni, quàm alteri, adhærere. Id. ibidem. S. Gregorius hic: in medio ungitur, ut se privato amore non diligat; sed ex omni, quod præeminet, lucra aliorum quærat. Unde & Saul solus in *extrema parte civitatis* unctus fuisse perhibetur. 1. Reg. 9. 27. & cap. seq. v. 1.

Quid est enim, quod solus à solo ungitur? nisi; quia de culmine potestatis per amorem privatum debeat intumescere? In medio fratrum David ungitur; ut tantæ unctionis fieri participes omnes possint; qui enim in medio ponitur, ab omni parte videtur. Sylveira in Joan. 11. 13.

Indica mihi - ubi pascas - in meridie. Cant. 1. 6. Cur justitiæ sol non expetitur à sponsa cubans in matutino, aut in occasu; sed *in meridie*? Vidisti solem, dum oritur, plena luce proximam orientalem plagam complentem; dum occasus vix se adhuc à tenebris expedivit. Sic de occidente. Princeps, ut sol justitiæ meridianus æqualiter cunctis subditis illucescat. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 1. obs. 3.

Collum tuum sicut monilia. Cant. 1. 9. Sicut collum est flexibile, & facilè ad superna erigitur, vel ad infima deprimitur; & nunc ad dexteram, nunc ad sinistram partem convertitur; quasi deferens oculos, & aures; ut cuncta videat, & audiat: Sic Prælati flecti facilè debent, prout necessitas, & occasio, subditorum exigit; magnos, & parvos, intuentes, & audientes; eorum necessitatibus se aptantes; contra superbos se erigentes, humilibus verò se demittentes &c. De Ponte hic in Cant. l. 3. Exh. 27.

Aliud cecidit secus viam &c. Luc. 8. 5. Cœlestis agricola in petram, in viam, in terram spinosam, & in terram bonam, beneficiorum grana misit; bonos, & malos, donis affecit. Escobar t. 6. Parab. Chr. l. 8. sect. 1. Obs. 3.

Vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu ejus. Luc. 16. 22. Omnes justi dicuntur recumbere in sinu Abrahæ: quia unus æquè cordi vicinus, ac alter. Pinna Ethol. 88.

In medio septem candelabrorum. Apoc. 1. 13. Rectores in Collegio, Patres in familia, se exhibeant omnibus indifferentes, & æquos; ad arcendam invidiam, & promerendam charitatem, & concordiam. Cornelius hic. Christus D. cernitur in medio candelabrorum aureorum, hoc est in medio Ecclesiarum: ut ostenderet, interprete S. Thoma, se omnibus esse communem, à nemine recedere longiùs, ad neminem accedere propriùs; sed omnibus æqualiter adesse, & prodesse &c. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 7. sect. 1.

Testimonia.

Ex Novo.

Assumpsit duodecim Discipulos suos. Matth. 20. 17. Omnes advocantur Apostoli: nec Judas excluditur, quando Dominus se Ducem, ac Præsulem ostendit: quia princeps debet indifferentem erga omnem subditos benignitatem exhibere. Escob. t. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 1. obs. 3.

Stetit in medio. Joan. 20. 19. Qui est in medio, æqualiter ab extremis distat: quia divinus Magister docuit, regem suo regno, Prælatum monasterio, ac Patrem domui suæ, pacem non posse dare, nisi sit in medio constitutus; nè sit personarum acceptor. Sit libra justa; non in aliam partem magis propendeat, vel amore, vel odio. Diez D. in Alb.

§. X.

Superior sit clemens, condescendat &c.

Ex cunctis animantibus universa carnis bina induces in arcam. Gen. 6. 19. Noe vivens inter animantia solatio sit ad patientiam probis cum improbis degentibus; præsertim Prælatis, qui sub eodem tecto, intrà eandem arcam familiæ religiosæ versantur cum subditis; in quibus adhuc sylvescit animalis homo, qui non sapit, quæ Dei sunt. Fernandius hic sect. 3.

Quomodò portaverim vos super alas aquilarum. Ex. 19. 4. Erudit Prælatos; ut non in unguibus, instar aliarum avium, subditos, sed super alas, ut aquila regia, portent. Castillo Illat. 75.

Ab humero, & sursum eminebat. 1. Reg. 9. 2. Per *humerum* intelligitur patientia; per *sursum* intelligitur charitas: quæ omni virtute excellentior est. In his duobus debet Prælatus super alios præeminere; scilicet in patientia, & charitate; ut bona sua aliis libenter communicet. Hugo Card. hic.

Et stabat super duodecim boves. 3. Reg. 7. 25. Boves in templo pelvim sustinentes, significant eos, qui subeunt onus ejusmodi, nihil respuere, aut adversari, debere; sed & onera, & sordes inferiorum perferre; quòd sine periculo fieri possit. S. Nilus lib. Ascet.

Pater mi, currus Israel, & auriga ejus, 4. Reg. 2. 12. Abul. q. 19. Currus Israel vocatur, quia ad currum pertinet, sustentare. Sic enim Elias sustentavit Israel; supportando defectus eorum, & providendo eis in necessitatibus.

Isti sunt duo filii olei. Zach. 4. 14. Scilicet vel Zorobabel, & filius Josedech, Jesus, ut sentit Lyranus; sive potiùs Henoch, & Elias, ut docet Hieron. Nam Prælati ex oleo, hoc est, ex misericordia, nati esse debent. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 8. Addunt aliqui, *splendoris*; id est, splendidi. Filii olei, id est, uncti oleo, sunt Jesus filius Josedech, qui unctus erat Pontifex; & Zorobabel, qui princeps populi. Chaldæus vertit: *isti sunt duo filii principum*. Cornelius hic.

Angelus autem Domini descendebat. Joan. 5. 4. *Descendebat*: quia, ut curentur, & adjuventur inferiores; necesse est, ut superiores se inclinent, & condescendant. Sylveira hic.

Exempla, & Testimonia.

Ex Veteri.

Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum Gen. 11. 7. Ecce divina discensio ad impediendum; nè tantum procedat, quantum fuerat antè provisum. Providentiæ noscitur esse descensio; nè mala incepta progrediantur in amplius: misericordiæ descensio ista prænoscitur, nè malum initiatum ultrà procedat: nè Judex aliquem inveniat, in quem puniendo desæviat. Sim. Cass. lib. 4. c. 9. Ad liberandum à malo subjectos, oportet omnino descendere in aliquo culmine constitutos, exemplo Conditoris; qui omnes vult liberare, quos condidit. Id. ib.

Descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum. Ex. 3. 8. Humili dignatione descendat, in aliqua celsitudine constitutus, ad eos; qui à diabolo, & tenebroso Ægyptiorum populo, affliguntur, ad eripiendum eos de manibus eorum. Id. ibidem.

Josue scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram, coram Arca Domini usque ad vesperam. Jos. 7. 6. Vel semel victos paucos milites luget, qui tot hostium triumphis clarus. Quid interest, desiderentur triginta, tot jam hostium copiis cæsis? In suorum ærumnis minùs Imperator purpuratus fulgeret, quàm nudus: aliquid de populi detrahebatur fortuna. Josue non timoris signa protulit, sed doloris: scidit vestes; nam integra manere nequibat Ducis gloria, quando integra non manebat populi lætitia. Naxera hic §. 19.

Porrò David desperabat, se posse evadere à facie Saul. 1. Reg. 23. 26. Non desperabat pro sua persona; sed quia timebat de morte suorum virorum. Lyranus. Similiter solves illud. 1. Reg. 27. 1. *Aliquando incidam una die in manus Saul*. Sicut enim non minus suorum vitam, quàm propriam, curabat; ità non minùs suorum morte, quàm sua propria tristabatur. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 8.

Ex Novo.

Vos estis sal terræ. Matth. 5. 13. Ut Sal munus suum obeat; necesse, ut non maneat integer in sua magnitudine; sed necesse est, ut conteratur, & liquefiat; ac in carne imbibatur; ità ut ait Paulus; *omnibus omnia factus sum*. 1. Cor. 9. 22. Prælatus, ut suum officium impleat, non debet esse totus integer in sua authoritate, & magnitudine; sed liquefiat, condescendat subditis; in eorum animis insinuetur, & imbibatur. Sylveira hic q. 5.

Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 16. 18. Petra insensibilis, & doloris expers est; sive prematur alio lapide, ferreo, vel igne; patienter sustinet. Inauguratur hic Petrus in Christo Caput Ecclesiæ: inde ei intimatur; induere debere naturam insensibilis petræ; ut eximia patientia sufferat multas contrarietates à subditis, adversariis, & æmulis. Sylveira Addit. in Matth. 16.

Patientiam habe in me. Matth. 18. 26. Cùm alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus: considerata quippe fragilitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quid fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. S. Greg. mor. l. 5. c. 30. Apud Escobar t. 6. Parab. Chr. l. 2. sect. 1. obs. 5.

Descendens cum illis. Luc. 6. 17. Docturus Dominus suos discipulos, cum ipsis ascendit in montem, & cum eis sedet.

Matth.

Matth. 5. 1. Hic autem, ut erudiat turbas, *descendens stetit in loco campestri*. Cur hoc? S. Bonaventura: perfectis discipulis fecerat sermonem in montis cacumine: istis verò, tamquam imperfectis, *descendens*, sermonem fecit in descensu montis. Dominus ascendit ad montem; ad turbas verò descendit, & eas excipit in loco campestri. Optimus princeps; qui sibi reservat aspera; suis plana, & facilia. Sylveira hic quæst. 4.

Quem constituit Dominus super familiam suam. Luc. 12. 42. Non super familiam Episcopi super nepotes consanguineos. Familia Christi sunt pauperes, pupilli, infirmi, &c. super hos constituitur Prælatus. Stella hic.

Videns civitatem, flevit super eam. Luc. 19. 38. 41. Christus D. sæpe Jerusalem est ingressus, numquam tamen super eam flevit; nisi dum cum pompa, & palmis, exceptus, & Rex salutatus est: ut doceat; regibus, & Prælatis, subditorum necessitates deplorandas esse. Diez conc. 1. Dom. 9. Pent.

Confirma fratres tuos. Luc. 22. 32. Exurge, & bibe de fonte misericordiæ; & *aliquando conversus confirma fratres tuos*; & in eadem mensura, quâ propinatum est tibi, remitte eis; & ad formam tuam, qui ceciderit, adjiciat, ut resurgat. Arnoldus Carnot. tr. de Verb. Chr.

Perrexit Jesus in montem Oliveti. Joan. 8. 1. Cœlestis hominum Princeps aptè in vertice Oliveti frequenter commoratur: agnatum enim egregio principi, miseris subvenire. Sidon. Apoll. l. 6. epist. 12. ego illum præcipuè puto suo vivere bono, qui vivit alieno: quique calamitatibus subditorum, indigentiaque miseratus, facit in terris opera cœlorum. Escobar t. 2. Perfec. Chr. l. 4. sect. 1. Obs. 1.

Jesus inclinans se deorsum. Joan. 8. 6. Inclinet se Sacerdos condescendendo infirmitatibus lapsorum, sicut, & Christus *inclinans se digito scribebat in terra*. Petrus Cell. de panib. c. 20.

Lacrymatus est Jesus. Joan. 11. Disce à Christo Domino teneram miserationem in aliorum miseriis; ut eas sentias paterno affectu efficaci; quasi tuæ forent. Hæc dos primaria Præsidis; suos reputare dolores suorum subditorum: fleant illis lacrymantibus, sicut Christus, *ut vidit eam plorantem*, lacrymatus est, Olivæ t. 3. conc. 19.

Consolamur pro vestra consolatione. 2. Cor. 6. 1. Prælatis, ac Patribus familias, nihil magis curæ debet esse, quàm subditorum consolatio. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 8.

Timotheo dilecto filio, gratia, misericordia, & pax. 1. Tim. 1. 2. Theophylactus: nusquam alibi in epistolarum primordiis misericordiam est comprecatus, nisi in hoc loco: ut ostendat: qui alios instruunt, clementiores ut sint oportere. Rupertus: quia Timotheus, ut fertur, ferventioris erat zeli; insigne autem Prælatorum est misericordia. Apud Fernandium in Gen. 2. 23.

Posuit dexteram suam super me. Apoc. 1. 17. Lyranus: quia sicut subditus debet Prælatum revereri, sic versa vice Prælatus debet subditum solari. Viso angelo, Christi personam gerente, cecidit Joannes ad pedes ejus; sed mox imponit ei dexteram cum solatio: *noli timere*. Sylveira hic.

Ex Patribus, & aliis.

Studeamus cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendere qui hyemales noctes, imbribus; geluque, constricti, ducunt sæpe pervigiles; nè vel una ovis, & non fortè utilis, pereat. S. Greg. l. 2. ep. 33.

Si præceptores hujus sæculi non respuunt molestias infantium animarum; neque recusant cum pueris conversari, propter mercedem, quam ab hominibus expectant: quantò magis oportet perfectos propter Dominum tolerare imbecilles. S. Ephren. paren. 16.

Medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit, & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem. S. Chrysol. s. 50.

Quos amamus, in ipsis profectò requiescimus. A quibus autem amamur, ipsis nos in nobis requiem paramus. S. Bernardus ep. 90.

Vide plura Lit. C. Correctio lenis.

§. XI.

Superior præest, ut prosit; sit liberalis &c.

Num. I.

Symbola.

Luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Gen. 1. 16. Princeps non solum sibi; sed etiam interiorem lucem habet. Castillo Illat. 11. Sicut sol in medio planetarum, ut prosit, & illuminet non ut præsit: sic si *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis*. Eccl. 32. 1. Cor in medio corporis, ut vitam membris omnibus influat. Broymard superioribus honores fugiendi.

Posuit velamen super faciem suam. Ex. 34. 33. Cur Moyses locuturus ad populum faciem radiantem tegit? quia, cùm esset princeps populi, dedecori sibi vertendum putavit, lumine illo frui, quo subditi carebant. Castillo Illat. 11.

Numquid possum deserere pinguedinem meam? Judic. 9. 9. Quod oliva, ficus, & vitis, uno ore respondent; non convenire sibi, ut deserant pinguedinem, & vinum suum, ut in reges promoveantur; significat quòd personæ privatæ sibi, suæque perfectioni, & commodis vacare possint: at publicæ, quæ aliis præsunt, ità publicis curis, & rebus, distineantur; ut sibi, suisque, vix vacare liceat. Rursum, *reges*, & principes, debere omnem suam pinguedinem, dulcedinem, & lætitiam transfundere in subditos; & se quasi depauperare, ut eos ditent; si verè reges boni esse volunt. Cornelius hic. Reges, si benè regunt, non debent intendere suis, sed aliorum utilitatibus. Velloso in Judith. 2. Paræn. 9.

Quasi stella matutina in medio nebulæ; & quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol refulgens. Eccl. 50. 6. Innocentius III. s. 2. de Assumpt. luna lucet in nocte, aurora diluculo, Sol in die. Meritò Antistes his comparatur. Sol lucet die & nocte deserit: luna è contrà Præsul omni tempore suis luceat doctrina, & exemplo; numquam eos deserat. Sit sol ardens charitate erga suos; sit aurora, seu stella matutina; radiis suæ doctrinæ cunctos ad Christum ducat, ut stella magos. Sit etiam ut luna plena; quæ nocte, quando cuncta disparent, ac te deserunt, te comitatur, & illuminat. Sylveira in Apoc. 3. q. 3.

Vos estis lux Mundi. Matth. 5. 14. Qualis hæc lux? an ex oleo? vel cera? non quia talis lux ad sui fulgorem consumit oleum, aut ceram. Lux autem Evangelica, sine alicujus dispendio, ad sui splendorem neminem minuit. Sicut solis lux, quæ se omnibus communicat. Sylveira in Apoc. 3. q. 3.

Num. II.

Testimonia, & Exempla.

Ex Veteri.

Tulit unam de costis ejus. Gen. 2. 21. Potuisset Deus formare mulierem, quin homo illius formationi costam ministraret; cur ergo ad eam ædificandam tulit costam de viro? quia vir futurus erat mulieris caput, rectorque; mulier autem, ut obediret. Ut ergo Deus ostenderet, Præsulem, & Principem, subditorum saluti, etiam proprio dispendio, debere consulere, ex viri costa mulierem ædificavit. Castillo Illat. 103. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ*. Gen. 2. 7. *Tulit unam de costis ejus &c.* Cur diversa conditorum materia? Eva in Adæ sociam efformata est; Adamus in totius creaturæ principem: ideo ab ipsa origine dignitatis leges edisceba t, & subditorum commodis vivere docebatur. S. Ambros. l. 3. offic. c. 3. considera, ò homo, unde nomen sumpseris: ab humo utique, quæ nil cuiquam eripit, sed omnia largitur, & diversos in unum omnium animalium fructus ministrat. Naxera in Jos. 1. §. 44.

Videntes filii Dei &c. Gen. 6. 2. Possunt *filii Dei* accipi filii potentum, uti vertunt Symmachus, Chaldæus, & Pagninus *filii hominum* plebei. Cùm enim Deus, teste Damasceno, à providendo, & providentia, sit dictus; hinc Rectores, & Potentes, quorum est aliis providere, vocantur dii. Cornelius hic.

Putabam, nos ligare manipulos. Gen. 37. 7. *Vidi quasi solem &c.* ib. v. 9. Joseph suæ magnæ dignitatis indicium prævidit. Sed quid planetis cum manipulis? Princeps, si fulget ut sol, ut suos illuminet; etiam providus sit, ut sui non fameant sed pane, & alimento abundent. Sylveira in Act. 4. 4.

Vidit Pharao somnium. Gen. 41. 1. quod designabat futuram sterilitatem, & abundantiam. Cur somniat de bono communi? quod de die egit, somniavit de nocte. Oleaster: reges debent sic publicis rebus invigilare, ut ex curis multis, quas in die habent, nocte somnient, quæ curanda sunt in Republica. Non enim solent homines somniare, nisi quæ animo sæpiùs revolvunt. Unde signum evidens est, Pharaonem frequentissimè de providendis necessitatibus suorum cogitasse in vigilia, quod de eis nocte somniavit. Sylveira in Matth. 8. 24. qu. 9.

Obedivi voci Domini Dei mei; & feci omnia, sicut præcepisti mihi. Deut. 26. 14. dixit Moyses ætate confectus ad Dominum. At videamus, qualem pro tam fideli obsequio remunerationem poscat? *Respice de Sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo; & benedic populo tuo Israel, & terræ, quam dedisti nobis*. Iste bona fecit, Deique sui præcepta implevit; & tamen præmium bonorum suorum operum, non tam sibi, quàm populo suo à Domino postulat. Did. Nyss. Dom. 2. Pasch. §. 4.

Diligenter agnosce vultum pecoris tui &c. Prov. 27. 23. Pro, *tuosque greges considera*, Sept. vertunt: *& applicabis cor, tuum armentis tuis*. Aquila, & Theodotion, *pone cor tuum in armentis*; & quasi tota cordis tui intentio sit in armentis. Per cor accipe mentem, & voluntatem: mentem, ut intentè consideres,

res, quid gregibus utile, & proficuum sit: voluntatem, ut illud eis singulari amore, & cura procures, Cornelius hìc.

Ex Novo.

Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade &c. Matth. 8. 9. Diversa mandata eandem nacta sunt servulorum obedientiam: illę indicat, & illi properant. Quæ hujus obedientiæ tam prompta causa? Non ob stipendia, &c. sed quia bonus Centurio subjectorum commodis invigilabat. Naxera in Jos. 22. §. 4.

Supra familiam suam - ut det illis. Luc. 12. 42. Ecce quorsum Superior constituitur: non ut accipiat ab illis; sed *ut det illis*. Cajetanus hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Non vixit, nisi nobis, & pro nobis. S. Bernardus in obitu S. Humberti.

Ità præsis, ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves. Præsis, ut prosis, ut fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? des illis escam in tempore, hoc est, ut dispenses, non imperes. Sanct. Bernardus l. 3. de consid. ad Eugenium.

Non debet præesse, qui non potest prodesse. Guaricus in dieb. Rogat.

Num. III.

Exemplum Christi Domini.

Exuentes eum clamydem coccineam &c. Matth. 27. 28. Christo crucifigendo auferuntur cœtera regalia ornamenta; corona spinea manet: ut rex numquam ponat curas (quarum Symbolum corona spinea) circa subditos. Sylveira in Matth. 8. 24.

Tu es Rex Judæorum? at ille respondens ait illi: tu dicis. Marci 15. 2. Satiato populo Christus sprevit diadema. Joan. 6. 15. non apud Pilatum sui Sanguinis, & vitæ propriæ, dispendio saluti hominum consulebat. Castillo Illat. 103.

Ecce Agnus. Joan. 1. 29. Cur Christus D. vocatur à Joanne Agnus, cùm ab Is. 40. 11. vocetur Pastor? R. quia cum sit bonus Pastor, est verus ductor, princeps; & ideò Agnus: nam ut Pastor regit, ac pascit oves; ut verus Agnus Paschalis eos carne sua nutrit; & proprio sanguine ab omni peccato liberat. Sylveira hìc. q. 4.

Oves vocem ejus audiunt. Joan. 10. 3. Quæ tantæ promptitudinis causa? quia bonus Pastor. Luc. 15.

Oves certatim vocem Pastoris audire contendunt; quia sollicitam ejus de se curam clarè agnoscunt. Vide Tertull. l. de pœnit. c. 8. Naxera in Jos. 22. §. 4.

Num. IV.

Superior procuret suis bona corporalia, & spiritualia.

Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi? Gen. 3. 1. His verbis subdolè serpens virus instillat, & ab amore Dei parentes avellere intendit, & odia seminat. Hoc ut faciat, Deum nimis severum seriam corporis alimoniam, aut parcè præbeat. Pinna Ethol. 123.

Facta est Judæa Sanctificatio ejus &c. qui convertit petram in stagna aquarum. Ps. 123. 2. 8.

Quæsivit lanam, & linum. Prov. 31. 13. S. Ambros. hìc: lanificam, & linificam matronam hanc sanctus sermo describit. Quæritur modò à nobis; quid sit lana? quid sit linum? lanam, carnale quid puto; linum spirituale: nam interiora vestimenta sunt linea, exteriora lanea. Sic Superior in subditis spiritualia curet, & temporalia non negligat. Pinna citatus.

Da partem septem, nec non & octo. Ecclesiastæ 11. 2. S. Gr. mor. l. 35. c. 7. asi apertè diceretur; sic dispensa temporalia; ut appetere non obliviscaris æterna. Hinc est, quòd quindecim gradibus templum ascenditur. Ezech. 40. 26. 31. ut ex ipsa ejus ascensione discatur, quatenus per 7. & 8. temporalis dispensetur actio & providè mensura æterna requiratur. q. d. per septenarium intellige temporalia; per octonarium spirituali a, & cœlestia: nam Christi resurrectio octavo die facta est. Ergo, qui præes, da septem; nec non & octo. Idem ib.

§. XII.

Superior non quærat se: suorum commodum suo præferat.

Ex Veteri.

Rogato Dominum Deum vestrum, ut auferat à me mortem istam. Ex. 18. 17. Vatablus: *ut auferat à me dumtaxat mortem ista, m.* Orat Moysen, ut ab ipso mortem, non à subditis, depellat. O hominem throno indignum! qui subditorum clade propriam nititur procurare salutem; quando propria morte debuisset subditorum pellere cladem. O quàm aliter egit David! 2. Reg. 24. 17. *ego sum, qui peccavi, &c.* O quam pauci Davidem imitantur! quàm Pharaonem plures sequuntur! De alienis incommodis suam multi procedunt felicitatem: & aliquorum præfectura est populorum laniena. De his Ezech. 34. 2. *væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Naxera in Jos. 19. §. 29.

Vade, descende; peccavit populus, quem eduxisti de terra Ægypti. Exod. 32. 7. Mox addit v. 10. *dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos; faciamque te in gentem magnam.* q. d. non mihi precibus tuis constringas manus. Sine verò, ut sceleratos pro meritis mactem: quibus sublatis, non ideo absque hominibus eris, quos ducere possis: ego enim tibi, & plures, & meliores submittam, quibus imperes. Audiebat hæc Sanctus Princeps; & nihilo secius orabat ad Dominum suum. Cur Dominus hac ratione illum à precando, & obtitendo, revocare voluit; quòd copiosioris principatus spem fecit, inquiens, *faciam te in gentem magnam?* Oleaster: Ducem suum summè tentare voluit ut experiretur; an pro privato bono sineret commune perire? Did. Nyss. 2. Pasch. §. 4.

Aut dimitte ejus hanc noxam; aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Ex. 32. 31. 32. q. d. nulli privato commodo studeo: subditorum commodum mea causa est. Si delentur subditi, me necesse simul è vitali codice deleri: pereuntibus enim commodis subditorum, mea quoque commoda perierunt. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 6. sect. 1.

Cùmque complesset forte dividere terram, &c. Jos. 19. 49. Quare Josue, cum aliis terram dispertiret, sibi non tribuit aliquam portionem; sed urbem accipit à populo? Imitatus est in eo modestiam Domini: *discite enim* ait, *à me &c.* Matth. 11. Extremam itaque expertus est inopiam, ità ut nè domum quidem haberet: *Filius*, inquit, *hominis non habet, ubi caput reclinet.* Matth. 8. 20. Cùm autem ejusdem nominis Josue typus esset ipsius, partem sibi non impertivit; sed eam, quæ ablata est, accepit: docens eos, qui in aliquo Magistratu sunt constituti, non suis commodis, sed utilitati subditorum inservire debere. B. Theodoretus in Deuter. q. 17. c. 16.

Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi. Cant. 1. 5. Exponitur hoc in bono, in persona boni Prælati: qui non quærit, quæ sua sunt; neque quod sibi utile; sed quod multis. Hugo Card. hìc.

Ex Novo.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Matth. 6. 22. S. Gregor. Naz. ait: Prælatos esse oculos, quibus corpus politicum regitur. Sed cur oculi conferuntur? S. Basilius in hexam. quia oculi, cùm cœtera videant, se non vident. Sic Prælati sui nè memoriam quidem habeant; subditorum curam magnam. Did. Nyss. D. 4. Quadr. §. 4.

Mittens duos de discipulis suis. Matth. 11. 2. Missus in carcerem, non de suo periculo sollicitus erat; sed de aliorum salute cogitabat, id est discipulorum suorum. S. Chrys. apud Did. Nyss. D. 2. Adv. §. 4.

Et rogaverunt illum pro ea. Luc. 4. 38. Expectavit Petrus, quousque Dominus prædicationem absolveret, cœterosque omnes, qui tunc ad eum confugerant, curasse. Et tunc demum, cùm intrasset, pro ipsa jacente rogavit. Si enim ab ipsis statim initiis, aliorum commoda suis ut postponeret, institutus erat. S. Chrys. hom. 28. in Matth.

Simon Joannis, diligis me plus his? - dicit ei; pasce agnos meos. Joan. 21. 15. Quid est aliud, si diligis me, pasce oves meas; quàm si diceretur: si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas: sicut meas pasce, non sicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam; dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua. S. August. tr. 123. hìc. Tertiò dictum *pasce*; nec mulge, seu tonde, vel semel additum est. S. Bernardus s. de verb. Petri: ecce nos reliquimus omnia.

Tremefactus procidit Paulo, & Sila, ad pedes. Act. 16. 29. Quærit S. Chrysost. hom. 8. in cap. 4. Ephes. quid moverit custodem carceris, ut se tam subitò ad pedes Pauli, & Silæ, dejecerit, & Dei servos illos arbitratus fuerit? & respondet: vidit, quòd non solùm effugerant, sed & prohibebant eum, nè seipsum occideret: nam si hoc proprii commodi gratia fecissent, intus certè non mansissent; sed primùm seipsos exemissent.

Ex Patribus, & aliis.

Hic spiritualis omnis præfecturæ finis est, nimirum, privata utilitate neglecta, commodis aliorum inservire. S. Greg. Naz. Orat. 21.

Præes, & singulariter, ad quid? numquid ut de subditis crescas? nequaquam; sed ut ipsi de te. Principem te constituerunt; sed sibi. S. Bernardus l. 4. de consid. ad Eugen.

Hi solùm debent in Ecclesia tenere principatum, qui renuunt habere primatum: & hi sunt ab ejus regimine repellendi,

di, potiùs verò non assumendi; qui propria emolumenta requirunt. Sim. Cass. l. 10. c. 4.

Nec enim, tamquam ad nundinas, & lucellas eundum est iis, qui sibi gubernacula committi volunt. Plutarchus in Politicis.

§. XIII.

Superior non-velit sibi benè, dum suis malè.

Posuit velamen super faciem suam. Ex. 34. 33. Cur Moyses, locuturus ad populum, faciem radiantem tegit? Quia cùm esset princeps populo, dedecori sibi vertendum putavit, lumine illo frui, quo subditi carebant. Castillo Illat. 11.

Melius mihi est, ut incidam in manus Domini &c. 1. Paral. 21. 13. Ex tribus propositis pœnis pestem elegit David. Commune sibi cum populo voluit esse periculum: quia, si populus fame premeretur, regi non deesset, alimonia: in bello facilis foret fuga. Sed à peste, nec purpura, nec diadema, defendit. Elegit ergo pestem; nè in tali periculo populum derelinquere videretur: imò pro ipso vitam obtulit. ib. v. 17. *ego peccavi, &c.* Castillo Illat. 11.

Accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Matth. 2. 13. Cur non potiùs in Persidem, ubi sunt Magi, qui eum reverenter adorabunt, & suscipient? Relinquebat Dominus pueros suos in Bethlehem à nefario tyranno trucidandos. Alienum ergo ab illo erat inter regales delicias vivere, dum sui in ultimo discrimine erant. Sylveira in Luc. 2. q. 16.

§. XIV.

Superior sit suis pater, & mater.

Ex Veteri, & Novo.

A Filiis Hemor, &c. Gen. 33. 19. Hemor erat Princeps Sichimorum: unde Sichimitæ vocantur ejus filii, id est, subditi: veri enim principes, suorum sunt patres. Sic servi Naaman, Dominum suum vocant Patrem. 4. Reg. 5. 13.

Pater mi! pater mi! currus Israel, & auriga ejus. 4. Reg. 2. 12. Bis eum vocat Patrem, dein currum. Prælatus sit pietate pater, auriga gubernatione, currus ad vehenda onera subditorum. Diez conc. 3. D. 2. Pasch.

Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te memores uberum tuorum. Cant. 1. 3. Quid Regi cum uberibus? si regem verum ostendere curat; quomodo possit ab uberum memoria abstinere? Verus rex est? ergo mater subditorum. Escobar t. 6. Parab. Chr. l. 9. sect. 1. Obs. 1.

Omnes gemellis fœtibus. Cant. 4. 2. Ob fœcunditatem. Et consultò non comparantur gregibus arietum, sed ovium: ut intelligant, non tam debere se esse Patres, quàm Matres subditorum. De Ponte hìc Exh. 4. §. 3.

Pater noster, qui es in cœlis - adveniat regnum tuum. Matth. 6. 9. 10. Si Rex est, cujus regnum ad nos advenire postulas, cur non potiùs Regem, quàm Patrem, vocas? Quia, si Rex verus; debet se Patrem hominum exhibere. Escobar t. 6. Parab. Chr. l. 9. Sect. 1. Obs. 1.

Confiteor tibi Pater, Domine cœli. Matth. 11. 25. Priùs Patrem, quàm Dominum vocat. Sit priùs Pater, qui Dominus esse desiderat. Castillo Illat. 16. Idem habet Sylveira in Matt. 11.

Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam. Matth. 21. 33. Si vinea Domini regnum est, juxta illud v. 43. *auferetur à vobis regnum Dei*; aptiùs dixisset; erat rex, qui plantavit vineam. Sed ò quàm apte! homo erat Pater. Quia, si Rex est, nihil sic Regis optimi explicat proprietates; quàm se Patrem gerere subditorum. Escobar antè citatus.

De Pauli cervice cum eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda, quàm sanguinis. Quæ quidem res in S. Paulo stupenda non est. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ? sicut ipse ait ad Corinthios: *lac vobis dedi potum, non escam.* S. Ambrosius serm. 68.

§. XV.

Superiores sunt ministri suorum.

AT custos carceris tradidit eos Joseph, qui & ministrabat eis. Gen. 40. 4. Pagninus legit: *præposuit princeps lanionum Joseph illis.* Quæ versio Oleastro non placet, dum ait: non enim benè choærent, ut præposuerit eum illis; & quòd ministraret eis; ut scilicet esset præpositus, & minister. Sed, bona cum venia mei Lusitani Oleastri, dico: optimè convenire, & præpositum simul esse, & ministrum; immò diem pene esse; constitui in præpositum, & in ministrum, servumque addici. A Spiritu S. vocatur Paulus, & eligitur, ut gentium omnium Doctor sit, & Pastor; & tamen sic ait 1. Cor. 9. 19. *cùm liber essem ex omnibus, omnium servum me feci.* Idem de Episcopatu scribit Timotheo 2. 4. 5. *ministerium tuum imple.* Jure Summus Pontifex in diplomatibus subscribit: *servus servorum Dei.* Alvarez III. 128.

Sciens Jesus, quia omnia - cœpit lavare pedes. Joan. 13. 3. 5. Sciens, se omnibus hominibus esse præpositum, cœpit subditis ministrare. Præsulum enim proprium est, servire subditis. Munus ergo præsulatus servile est: qui non servit subditis, haud scit se præpositum esse. Escobar t. 3. Colloq. Chr. sect. 2. Obs. 2.

Si ego Dominus, ac Magister vester &c. Joan. 13 14. Nullibi hæc nomina Christus assumpsit, quàm dum servi munus obivit; dum Discipulorum pedes lavit: quo ostendit; Prælati nomen non mereri, qui subditis non inservit. Pinna Ethol. 94.

Si Christus te misit, æstimabis, te non ministrari, sed ministrare venisse; & ministrare, non solùm substantiam, sed ipsam quoque animam. S. Bernardus ep. 237. ad Eugen.

Illi, qui sunt super alios constituti, tantum de illa prælatione glorientur, quantum si essent in abluendis pedibus fratrum deputati. S. Franciscus Seraph. Exhort. ad omnes fratres.

§. XVI.

Superior sit tanquam unus ex subditis.

VAdam, & revertar ad fratres meos. Ex. 4. 18. Mira Moysi moderatio: qui cum Deo egerat, *portans virgam Dei in manu sua*, v. 20. adhuc fratres vocat. Velloso in Judith. 7. Paræn. 39.

Æquo animo estote fratres. Judith. 7. 23.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi. Matth. 22. 1. Regnum cœlorum, seu S. Ecclesiæ communitas, reges homines; seu Præsules requirit humanos. *Homini regi*: qui se hominem, in cunctis subditorum fratrem, agnoscit. Escobar t. 6. Parab. Chr. l. 1. Obs. 2.

Ite, nunciate fratribus meis. Matth. 28. 10. O confusionem humanæ superbiæ! Jesus effectus immortalis; accepta omni potestate in cœlo, & in terra; servos suos (eos piscatores) quos olim humilis vocarat amicos, modò appellat fratres. Et nos elevati ad superiorem gradum; quos priùs habebamus fratres, dedignamur habere amicos. Cajetanus hìc.

Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Luc. 22. 32. Vide, quod non subditos, sed fratres, vult haberi aliquos à Petro. Cajetanus hìc.

Ecce Agnus. Joan. 1. 29. Cur hic Agnus & Is. 40. 11. Pastor? Christus D. ità est Dux, ac princeps noster; ut ipsa suprema dignitate non extollatur. Sed ità se gerit, ut Agnus, ac ut quivis ex minimis subditis suis. Sylveira hìc q. 4.

§. XVII.

Superior non sit imperiosus; roget suadeat.

Ex Veteri.

FAciamus hominem. Gen. 1. 26. Deus in creatione hominis non usus est imperandi verbo *fiat*, quo ad alia creanda usus; sed verbo suavi *faciamus*: quia in rationali propria, & rigorosa inventur obedientia. Ut ergò Deus hominem ad suum obsequium liberum alliceret, non imperiali verbo *fiat*, sed suavi *faciamus*, produxit. Docens, cùm ingenuis, & ratione præditis, non vi, aut imperiali voce agendum, sed blando, & suavi alloquio. Castillo hìc Illat. 16.

Ingredere tu - te enim vidi justum coram me. Gen. 7. 1. Noe libenter se in Arca includi passus est, quasi in angusto carcere, inter bestias, & pecudes: quia Deus eum leniter, & honorificè allocutus est. Castillo Illat. 16.

Si inveni gratiam in conspectu tuo &c. Gen. 27. 29. Jacob obedientem Joseph rogat, ut se in terra promissa sepeliat. Prælatus prudens, cùm subditos obedientes reperit, ab imperiis abstinet; solis precibus impellit. Mend. in 1. Reg. 3. 15.

Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor; mittamus ad fratres nostros. 3. Paral. 13. 2. ait David ad omnem populum Israel. Carthusianus: ecce: quàm humiliter loquitur subditis: non pertinaciter jubet, nec per se Absolutè determinat; sed sub conditione loquens, inferiorum judicio verba sui committit Propositi.

Misit Moysem servum suum &c. Ps. 104. 26. Ideo ad Pharaonem, quasi quosdam testes, constat à Domino destinatos, ut populum sibi placitum abire permitteret illæsum. O inæstimabilis pietas omnipotens! ab homine fragili petebat fieri, cujus ordinationi à nulla creatura poterat obviari: ut revera nos infirmos doceat; qua moderatione vivere debeamus quando voluntates suas Creator Sanctus sub tanta clementia peregisse legitur. Cassiodorus hìc.

Cum magna reverentia disponis nos. Sap. 12. 18. Cui debetur reverentia nisi superiori? sic tamen Deus se gerit erga homines, quasi metuat eos offendere. Marchantius D. 4. Pent.

Et audivi vocem Domini dicentis, quem mittam? Is. 6. 8. Nota humilitatem Dei, Principibus, Prælatis, & cuivis superiori bene regere volenti necessariam. Poterat Deus imperare Isaiæ: ecce jam te consecravi prophetam; adsum, & adero, ibi: quare mitto te ad Judeos, vade. Sed noluit eum ad rem tam arduam, suo præcepto cogere. Unde eum invitat; propo-

nens ei solùm suum desiderium: quod Isaias statim amplectitur, seque ultro offert. Cornelius hìc.

Ex Novo.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Matth. 5. 44. Non dicit, ut aliàs, mando vobis: quia nutus, & insinuatio, superioris efficaciùs obligat subditum, quàm mandatum: nam ipsa suavitas proponendi fortius eorum attrahit voluntatem; quàm dura jubent verba. Sylveira Addit. in Matth. 5.

Habens sub me milites. Matth. 8. 9. Quo loco illos habet? *Dico huic vade, & vadit.* Non inquit jubeo severo vultu; sed moneo civiliter. Et unde ei tanta comitas? *Nam & ego homo sum.* Sylveira Addit. hìc.

Si quis vult me sequi, abnegat semetipsum. Marci 8. 14. Non dicit, etsi vos non volueritis, ego nihilominus pati vos volo; sed, *si quis vult*, quasi dicat: ad bona, & honesta, provoco; non ad mala, & odiosa: nec quemquam huc compello sed amicè tantùm invito. Hæc autem dicens magis attrahit: qui enim affert, decorum non servat: qui autem auditori libertatem facit, validiùs allicit. Delinitio enim, & obsequium quavis violentia fortiora sunt. Victor. Antioch. hìc.

Rogavit eum à terra reducere pusillum. Luc. 5. 3. Poterat Christus imperare Petro; *rogavit*: quia non tyrannico imperio ad suam nos redigit servitutem: sed quia salutis nostræ amantissimus, quibusdam vult precibus inducit, rogat; dum nos eum rogare deberemus. Marchantius D. 4. Pent. Ex hoc ostenditur maxima Christi dignatio, mansuetudo, & pietas; quòd Petrum, pro tam parva re, modestè, humiliterque, rogavit; cui præcipere habuit: docens Prælatos, ut proniores sint ad monendum, quàm ad præcipiendum proclives: magisque cupiant diligi, quàm timeri. Dion. Carthus. hìc. Sicut qui vim affert, plerumque avertit, sic qui liberos audientes constituit, multò magis attrahit. S. Chrysost. hom. 56. in Matth.

Multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet; propter charitatem magis obsecro. Philem. v. 8. 9.

§. XVIII.

Superior sit suavis, lenis, non rigidus.

Num. I.

Figuræ, & Symbola.

Solve calceamentum de pedibus tuis. Ex. 3. 5. Cur non potiùs mandat denudare caput? deformabat Deus principem in optima methodo gubernandi. Capitis operimentum fit ex lana ovium; quæ tondendo, absque ulla oppressione, desumitur: calceamenta verò ex animalibus vi multa excoriando detrahuntur. Bonus gubernator à subditis exquirat, quæ levi, ac suavi tonsione haberi possunt; ea verò, quæ excoriando fiunt, procul à se abjiciat. Sylveira in Act. 7. 33.

Loquimini ad petram. Num. 20. 8. Moyses autem *bis virga percussit silicem.* v. 11. *Dixitque Dominus: quia non credidistis mihi &c.* v. 12. Quid diliquerunt, ut sic reprehendantur? Doctores Hebræi dicunt; peccatum eorum fuisse, quòd petræ non sunt locuti, sicut eis præceperat Dominus: cùmque sufficeret, eos loqui ad petram, ut aquas produceret; Moyses gemino ictu percusserit: ideoque Deus queritur: quia illum eorum populo non sanctificarunt. Mirabiliùs enim esset, petram solis verbis, quam virgæ ictu, aquas producere; sicque Deum magis à populo glorificaretur. Volit Dominus hìc docere, cùm Præsides mitibus verbis damna, mala, culpasque emendare possint; ne virga, & asperis reprehensionibus utantur. Diez conc. 2. in Comm. Doctor. Ad implendum miraculum inde fecit currere humidos liquores, ubi erat sicca durities. Cassiodorus l. 4. var. ep. 3. Nota. *Ad implendum miraculum.* Et quo caput illud mirum? ex eo quòd lapis flagellatus virga aquas emitteret. Non enim solet subditus ad obsequium adduci, cùm Præsul rigidè extorquet, quod suavitate verborum efficeret. Escobar t. 3. Colloq. Chr. l. 2. sect. 1. obs. 1.

Concrescat ut pluvia doctrina mea &c. Deut. 32. 2. Aqua, quæ læniter fluit, terram penetrat, & in ejus venas insinuat se, magno cum terræ emolumento. At, si magno cum tumultu feratur, statim præterlabitur, vix superficie madefacta. Sic correctio, si ad instar aquæ lenis sit, cor audientis penetrat. Octavianus in Eccli. 11. 7.

Da mihi filium tuum: tulitque eum (Elias) de sinu ejus, & portavit in cœnaculum. 3. Reg. 17. 19. Ex sinu matris mortuus in cœnaculum adducitur. Profectò & matris sinus, & cœnaculum, & Profectæ actiones, amoris sunt documenta. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 8. sect. 1. obs. 4.

Tolle baculum meum. 4. Reg. 4. 29. 31. &c. Elisæus misit baculum per manum Giezi servum suum, ad resuscitandum filium Sunamitidis; famulus autem resuscitare non potuit, donec ipse Propheta se eo contulit, & se cùm puero mensus est; ponens os suum cum ore ejus, manus cum manibus; & sic resuscitavit. Dum Prælatus erga delinquentem baculo utitur, rigore justitiæ, non resuscitat; imò facit contumaciorem. Quid remedii? metiatur se, & dicat intra se: si ego occasiones peccandi, quas iste habuit, haberem, forsan illo essem deterior. Sic metiens fragilitatem cum fragilitate, rigorem temperabit, & corriget. Eccl. 31. 18. *intellige, quæ sunt proximi tui ex teipso.* Diez Prælatus.

Meliora sunt uberatua vino. Cant. 1. 1. Si vino meliora; cur, dimisso lacte, subdito, puro lactis vino? non quidem vino, quod cor eorum lætificet, sed quod bilem accendat, & iram excitet? Vos *Patres*, ait Paulus Eph. 6 4. *nolite ad iracundiam provocare filios vestros &c.* Disciplina necessaria fiat cum amore, provocante solatium, & emendationem. Ità subditi dicent: *exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum.* De Ponte hìc. Exh. 19.

Aqua Siloe, quæ vadunt cum silentio. Is. 8. 6. Symbolum sunt regni Davidis, ob ejus pietatem. Cornelius hierogl. hìc.

Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Is. 11. 1. aliter loquitur de virga, & de flore: virga solùm egredietur, non ascendet. Augusta est virgæ severitas, & humilis, & quasi repens; florida autem beneficentia sublimis est; & ingentes sibi comparat ascensus. Baeza t. 3. l. 8. c. 3. §. 40.

Stabunt super illas piscatores. Ezech. 47. 10. Nota: Apostoli vocantur Piscatores potius, quàm Venatores: quia ipsi non violentis cædibus, sed dulcibus sermonibus, & moribus suaviter traxerunt homines ad Christum; ac sensim eos in retia Ecclesiæ compulerunt; ut vivos caperent ad meliorem vitam. Cornelius hìc.

Unge caput tuum. Matth. 6. 17. Capita inungebantur: & Prælatus assimilatur Capiti. In quo significatur; quòd Prælati debeant esse pii, oleo misericordiæ uncti. Geminiani c. 60.

Si quem fortè non, ut poscebat, audivi; si quem tristiùs, quàm opus erat, aspexi &c. me fateor debitorem. Nam pullos, quos fovet, sæpe in angustiis, sed non toto pedibus pondere, calcat, & mater; non ideò desinit esse mater. S. August. l. 50. humiliar. s. 24. in Anniversario Episcopalis Ordinis.

Sicut corpus non potest esse perfectum, nisi duo brachia habeat, ità qui potest, non potest rectè gubernare; nisi & faveat probis, & improbos coerceat. Et sicut dextero plus brachio utimur, quàm sinistro; sic gloriosiùs est, virtutibus favere, quàm vitia punire. Diez. Potestas.

Ut, qui vasa vitrea contaminata mundare volunt, non debent duriter applicare manus; ne, dum volunt sordes abstergere, vasa frangant: sic Presules, qui volunt subditos corrigere, niti decet, ut id efficiant moderatè, nè illos perdant. Diez. Prælatus.

Num. II.

Testimonia, & motiva.

Ex Veteri.

Factus est Esau vir gnarus venandi - Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Gen. 25. 27. Jacob pascebat oves, Esau feras venabatur, sed Jacob benedicitur à patre. Gen. 27. 28. 29. An non aptior ad regnum, qui arcu, & sagitta utitur; quàm qui gramine oves trahit? S. Ambr. l. de Jacob l. 2. cap. 2. vicit mansuetudo duritiem, dum alter venatu aspero prædam quærit agrestem; hic teneræ mansuetudinis, atque pietatis pio patri dulces epulas ministravit. Sylveira in Apoc. 5. 7.

Nosti quòd frater meus homo pilosus sit, & ego lenis. Gen. 27. 11. Habet Superior cum Jacob in puniendo manus lenes, non pilosas cum Esau. Besseus D. 2. Pasch.

Moyses pascebat oves Jethro &c. Ex. 3. 1. Per quadraginta annos, quibus in Madian vixit, fuit pastor ovium; totidem deinde annis pastor, & Dux populi. Est enim pastoralis ars, inquit Philo, præludium ad regnum, hoc est ad regimen hominum, gregis mansuetissimi. Quadraginta annis vixit in aula Moyses, quadraginta annis dux populi in deserto. Quæres: quid his quadraginta annis, dum pascebat, egerit Moyses? respondet Philo eum, pascendo oves, dedicisse pascere, & regere populum. Oves pascit, ut qui ad pastoralem principatum priùs erudiretur. Ei enim, qui mansuetissimo hominum gregi est præfuturus, est præexercitatione ovium pascendarum scientia. Clem. Alex. l. 1. Strom.

Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus. 4. Reg. 2. 9. Respondit Elias: *rem difficilem postulasti.* q. d. si spiritus mei rigor duplex in te fiat, quis poterit ferre? Theodoretus: dixit hoc, non invidens gratiam discipulo; sed curam gerens aliorum hominum. Si enim ex simplici Eliæ Spiritu tot calamitatibus afflictata fuit terra; quid fieret, si duplicaretur in Elisæo? Alvarez Illustr. 278.

Lingua placabilis lignum vitæ? quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Proverb. 15. 4. Quidquid in hac vitali arbore foliorum est; medicinam promittit, & sanitatem: quidquid in homine miti verborum est; virtutis stimulus est.

Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Gal. 6. 1. Drexelius Orb. Phaet. capite 42. §. 1. Nihil adeò efficax ad correctionem multorum repertum est, quemadmodum est lenitas. Gerson. tratt. de parvulis ad Christum trahendis.

Ex Novo.

Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua; & ecce aperti sunt ei cœli &c. Matth. 3. 16. Cur ad præsentiam Arcæ testamenti aquæ Jordanis fugiunt? non verò ad tactum Christi baptizati? S. Chrysol. s. 160. quid est, quod Jordanis, qui fugit ad præsentiam Legalis Arcæ, ad totius Trinitatis præsentiam non refugit? quia pietati obsequitur; incipit non esse timori. Hic Trinitas exercet gratiam totam, totam sibi loquitur charitatem: ibi clementa corripit, ut servulos instituat ad timorem. q. d. coram Legali Arca, ubi lex, quæ rigidas pœnas hominibus imponebat, inclusa, aquæ fugerunt: at coram Christo baptizat, quando tota Trinitas charitatem loquitur, unde Jordanis maximè inter le coadunantur: nam quos severitas terret & dissecat? benignitas trahit, & unit. Sylveira.

Resplenduit facies ejus sicut sol; vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Matth. 17. 2. Sed cur non eodem fulgore irradiant vestimenta, & vultus? Apoc. 12. 1. *Mulier* illa apparet *amicta sole.* Sol minutissima videt, & valde recondita penetrat; at verò nix cooperit. In illo monte Christus agebat personam principis, & Doctoris: *ipsum audite*, qui cuncta quidem debet videre; aliqua tamen ut nix cooperire, & dissimulare. Sylveira cap. 33. in Marci 6. q. 15.

Moyses, & Elias, cum eo loquentes. Matth. 17. 3. Cur priùs ponitur Moyses, quàm Elias? Potior sit Rectoribus mansuetudo, quàm rigor. Sylveira hìc q. 15.

Quoties volui congregare filios tuos &c. Matth. 23. 37. Hac gallinæ comparatione decet divinus Magister; quàm suaves, mansueti, & benigni Prælati esse debeant erga subditos; ut gallina erga pullos. Diez conc. 2. de S. Steph.

Surgens increpavit ventum, & tempestatem aquæ; & cessavit, & facta est tranquillitas. Luc. 8. 24. S. Basilius Seleuc. or. 22. verbo minaci mare continet Deus; & modica voce ingens elementum frænabatur. Modica erat vox, mitis, blanda; qua frænabatur elementum. Escobar tr. 6. Par. Chr. l. 2. sect. 1. obs. 1.

Nihil tuleritis in via; neque virgam. Luc. 9. 3. Virgam aufert, nè metum inferant. S. Ambros. l. 7. in Luc. eos emisit ad seminandam viam; qui non cogerent, sed docerent. Sed nonne Marci 6. 8. præscriptum à Christo est, nè quid tollerent in via, *nisi virgam tantùm.* An contrarius sibi Dominus? solvit nodum Rupertus l. 8. in Matth. ad mentem S. Ambrosii: virgam regnum negat, virgam pastorum concedit. Velloso in Judith 2. 4.

Ducenterum denariorum panes non sufficiunt &c. Joan. 6. 7. Discipulis objicientibus difficultatem, non habemus, nisi quinque panes. Et quid hæc inter tantos? Et tamen eos Dominus non arguit, ut Matth. 8. 26. *modicæ fidei.* Quia Prælatus non debet semper arguere, & objurgare; sed quædam quandoque dissimulent. Sylveira hìc q. 15.

Principium, qui & loquor vobis. Joan. 8. 25. Cùm Christus sit principium, seu Princeps omnium, loqui comiter, & suaviter, subditis, vel impiis, non dedignatur. Escob. t. 3. Proph. Chr. l. 4. sect. 2. Obs. 1.

Ego sum lux mundi. Joan. 8. 12. Velle lucere, ut ardeas, & uras; non est lucere ad morem Dei, qui non lucet, ut ustulet; sed ardet, ut luceat. *Ego sum lux Mundi.* Cur non dicit? ego sum sol Mundi. Immò nunquam Evangelistæ illum solem vocant, sed semper *lucem*: & sic semper ille, tum seipsum, tum Discipulos suos vocat. Cur lux, non sol, amat vocari? R. Sol duo habet; illuminat, & urit: quod lucet, blandum est, & gratum; quod adurit, asperum. Docuit Præsides; ut se Patres, non Dominos exhibeant. Sic Christus, quantùm in illo est, semper sibi à sole mutuatur, non ardorem, sed splendorem; non quod rigidum; sed blandum, non quod amarum, sed dulce. Matth. 28. 18. *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. - Docete ego omnes gentes.* Nam, si docere, est lumen ministrare; si baptizare, est gratiam conferre; talibus rebus vult occupari vestram potestatem; ut sitis soles, qui lucem præbeant, non adurant. Potestas Christi semper in suave, nunquam in rigidum. Did. Nyss. fer. 6. D. 4. Quadr. §. 2.

Ecce vicit leo de tribu Juda. Apoc. 5. 5. Semel tantùm in Apocalypsi vocatur Christus leo; sed in eadem uno, & triginta, vicibus vocatur agnus: quia longè plura signa humanitatis, quàm severitatis exhibet; magis de mansuetudine agni, quàm de fortitudine leonis gloriatur. Mendoza in 1. Reg. 12. Annot. 10. sect. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Sic in fratre tuum inquirito, ut qui & ipse iisdem modis judicandus sis. Propterea celeriter nè absciderìs, neve membrum aliquod rejeceris; cum incertum sit, anne per hoc etiam pars sana lædatur. Sed admoneto, objurgato, hortator. Habes medendi normam: mitis illius, humanique, Christi discipulus; qui nostras imbecillitates tulit. Etiamsi primò repugnet; tolerans esto: idem, si secundò faciat; nè desperaveris; adhuc sanandi tempus est. Quin etiam si tertiò; humanus esto agricola: Dominum adhuc obsecrato, ne vel exscindat, vel oderit, sterilem, & inutilem ficum: sed ut redeat, eamque curet circumjecto fimo; quæ est manifestæ turpidinis, & ignominiosæ vitæ, facta per confessionem correctio. Quis scit, an immutetur, fructumque ferat, ac Jesu Bethania redeuntem pascat. S. Gregor. Naz. orat. 7.

Objurgationi semper aliquid blandi admisce: faciliùs enim penetrant verba, quæ molli vadunt via, quàm aspera. S. Martinus Bracar. Ep. in Maximis de moribus.

Religionis Major, si dubitet probabiliter de periculo personæ quærentis auxilium; agit securiùs, condescendendo interim ipsius fragilitati, quàm timore relaxationis in ordine cum securitate neget auxilium. Poterit itaque faciliùs fieri provisio circa rigorem ordinis servandum in eo postmodum, & circa alios; quàm repararetur ad sanitatem, ut vitam, talis ægrotus, si lapsus est. Consonat pium dictum; meliùs est de nimia pietate, quàm de nimia severitate redargui. Gerson. Opusc. de Religionis perfectione Considerat. 15.

Rudolphus I. dictabat: severum, & immitem, fuisse me, aliquando pœnituit; lenem, & placabilem nunquam.

§. XIX.

Superior audiat benignè opposita.

Quis sum ego, *ut vadam ad Pharaonem?* Ex. 3. 11. Quinque objectiones, & replicæ, à Moyse Deo oppositæ in uno colloquio; & benignè omnes acceptæ. Putatis Deum ad justam iram provocatum, Moyse opponente tam multa, nè mandata impleret? Forsan è rubo disparuit? forsan ipsas flammas in rubo ardentes, in repugnantis labra contorsit? forsan dimissum ad ovile privatum duxit honoratissima legatione? *Iratus* quidem *Dominus in Moysen.* Ex. 4. 14. ira tamen ejus eò desit, ut voluntati repugnantis accideret: *Aaron frater tuus &c.* Quis unquam, vel per somnium, cogitasset tantam patientiam in audientis objectionis repetitis? nisi Deus suo quasi digito scripsisset. In eo tamen, quod præcipiebat Moysi, nullo prorsus modo errare, aut decipi potuit: quantò magis ergo convenit, ut nos audeamus decretis nostris contradicentes; cùm, ut homines, obnoxii simus infinitis erroribus. Oliva t. 3. conc. 13.

Etiam Domine: nam & catuli edunt de micis. Matth. 15. 27. Origenes hom. 7. in Evang. ò mulier violenta! Dominus dicit, non licèt; & illa respondit: *etiam Domine*: potes, si velis. Canem me vocas, canis sum; sed non recedam à te. Non quæro panem filiorum; da mihi micas, quas catuli manducant. Ad tantam audaciam adeò se Christus D. non commovit; ut fœminæ oppositionem admiserit, ejusque precibus subscripserit. Id. ibidem.

Quomodo fiet istud? Luc. 1. 34. Nullus unquam Legatus in orbe visus est, aut dotibus clarior, aut, missus à majori principe, aut acturus de negotiis gravioris momenti; quàm Archangelus Gabriel, unus ex primis Assessoribus divinitatis. Nec unquam inter mortales vixit, ut vivet, mulier sanctior, quàm Maria Virgo, Regina Angelorum. Nihilominus anima tam considerata, tam modesta, verecunda discutit legationem divinam: & cœlesti legato non statim assentitur; immò contrà objicit: *quomodo fiet istud?* Miror magis, tam illustrem Dei Patris nuntium tolerare, & admittere, hujus Puellæ objectationem. Attamen minimè turbatus dubium admisit, & ambigenti planè satisfecit. *Spiritus S. superveniet te.* Hinc infero: non solos arrogantes, aut temerarios, opponere se aliquando viris magnis, allatis rationibus; cùm Virgo prudentissima, & silentii amantissima, difficultates proponit divino nuntio. *Secundò*, virorum esse sublimium, benignè audire eum, qui à se stabilita refutat; cùm Angelus tam sublimis intelligentiæ auscultat humaniter, quæ objectat Virgo; nec increpat. Oliva t. 3. conc. 13.

§. XX.

Superior sit suavis, & severus.

Num. I.

Figura, & Symbola.

Ex Veteri.

NUnquam Deus severior apparuit Mundo, quàm in diluvio; quod fuit in vere: ut terræ fructus omnes testarentur summi Judicis mansuetudinem, & beneficentiam. Ità notavit S. Ambrosius l. de Noe c. 14.

Non antea cataractas cœli severus peccatorum ultor aperuit; quàm gratiarum fontes præmitteret: quæ justissimum testarentur Judicem; qui post mansuetudinem exhibitam post multam misericordiam, reorum pertinaciam castigat. Baeza t. 1. l. 1. c. 2. §. 4.

Cumque tuleris de sanguine, qui est super altare, & de oleo unctionis; adsperges Aaron, & vestes ejus &c. Ex. 29. 21. Unguntur oleo, & sanguine; ut sciret olei misericordiam cum rigore sanguinis temperare. Oleaster hìc.

Invenit germinasse virgam Aaron - & turgentibus gemmis eruperant flores. Num. 17, 8. Moderatoris virga sit instar Aaronicæ virgæ; quæ flores, fructusque produxit. Sit suavis, fructu plena, & amore. Barradius t. 1. l. 10. c. 19.

Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph. Deut. 33. 16. Non alia benedictio, non alius mos, decet principem, quàm *benedictio illius, qui apparuit in rubo.* Hujus indolem imbibant, quicumque homines regunt. Ignis in rubo judicem inter spinosos peccatores agebat. Ex. 3. 2. Ignis rubo adhæret, & rubus viret correptus igne; judex inter reos agit, & adhuc non cadit reus ullus. Quæ rei causa? S. August. quæst. 42. vet. test. lex statim vindicare non venerat; sed priùs ostendere, ideò ignis rubum non combussit. Baeza t. 1. l. 1. c. 2. §. 4. Nihil est, quòd æquè in admirationem rapiat viros etiam magnificè educatos; ac ubi inspectant ignem, principem elementorum considere in rubo, nè una quidem spina ambusta. Lucebat ille, non urebat. Ità ad Præsidum documentum, igni Moysaico splendor permittitur, incendium perit. Quàm amanter advolaret orbis ad solia Primatum, si in iis miracula Horebi deprehenderet; & in iis spectaret majestatem Sacerdotis, & suavitatem Patris. *Vadam*, vadam, diceret, *& videbo visionem magnam.* Oliva t. 3. conc. 7. Ignis in rubo docet Moysem, qualis Rector populi esse debeat: scilicet ut sit ignis per sapientiam, charitatem, compassionem, conjuctis tamen spinis severitatis. Cornelius hìc.

Jerunt ligna &c. Judic. 9. 8. Per ficum accipe viros blandos, mites, suaves; per vitem, ferventes, arces, efficaces in agendo: hi enim apti sunt ad regendum. Imitatur enim Dei sapientiam, omnia gubernantem, quæ *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Sap. 8. 1. Corn. hìc.

Jonathas extendit summitatem virgæ - & intinxit in favum mellis. 1. Reg. 14. 27. Jonathas interpretatur *columba.* In arca virga, & manna.

Leones, & boves. 3. Reg. 7. 29. Non sine mysterio Salomon in templo leones, & boves, sculpi jussit: nam, ut Beda hìc, Sanctorum mentes habent cum leonibus boves; quando inventionem correctionis cum spiritu mansuetudinis exhibent. Mendoza in 1. Reg. 2. 17.

Subter leones, & boves, quasi lora ex ære dependentia. ibid. Super leones, & boves, lora dependent; quando Sancti Doctores, & in severitate districtionis, qua peccantes judicant; & in mansuetudine lenitatis, qua pœnitentibus remittunt; judicium sui timent Auctoris: nè fortè injustè ligando, ipsi justè ligari ab eo, cujus judicium errare nequit, mereantur. V. Beda l. de templo Salomonis c. 10.

Oculi ejus sicut columbæ. Cant. 5. 12. *Oculi ejus tamquam flamma ignis.* Apoc. 1. 14. Columba quid mitius? flamma quid sævius? falleris. Nil sævius columba, quæ osculando corda perfidorum pervadit, mollitiaque ad se convertit. David non balistis, non hastis, non fuste, malum spiritum compressit; sed lyra. 1. Reg. 16. 23. Oliva l. 3 Strom. §. stantes ante thronum.

Labia ejus lilia. Cant. 5. 13. Et tamen Apoc. 1. 16. *de ore ejus gladius utraque parte acutus.* Uter horum hallucinatus? ea ne, quæ florem spectavit in labiis Domini? an quierem in ore ejus suspexit: Neuter: non quòd uno ex ore flos, & ensis, prodire possit; sed quòd ipsum lilium simul sica sit: una, eademque clementia, dum fragrat, ferit. Oliva l. 3. Strom. §. stantes ante thronum.

Guttur illius suavissimum. Cant. 5. 16. Sed qualiter potest esse guttur suavissimum, cùm labia, ut dictum est, distillent myrrham primam? Responsio: quia sub acerbitate verborum latet mira suavitas. Hugo Card. hìc.

Egredietur virga de radice Jesse, & flos &c. Is. 11. 1. Vestro Zelo non ensem Propheta porrigit, sed virgam: virgam dico, non fustem. Imò cùm virga in manu Prælati nimis aspera videatur Isaiæ, extremam flore vestit. S. Hilarius in Ps. 2. *Egredietur virga.* At nè tyrannicam in eo severitatem, per virgæ nuncupationem, auderet quispiam opinari; continuò propheticus sermo subjunxit: *& flos de radice ejus ascendet*: ut virgæ severitatem floris suavitas temperaret. Oliva t. 1. c. 4.

Assumpsi mihi duas virgas &c. Zach. 11. 7. id est, duos baculos pastorales; ut pastoris habitum, atque officium, assumerem; unde subdit: *& pavi gregem. Unam vocavi decorem.* Hebr. *noam*, id est, *species, jucunditas*; gratia, amabilitas, suavitas, mansuetudo. Hæc virga significat regimen suave, per amorem, & beneficia. *Et Alteram vocavi funiculum.* Arab. *funem.* Significat regimen durum, severas leges: quibus populus, quasi funibus colligatur, & si peccet flagellatur. Discant superiores à Deo modum regendi: regant decore, & amore. Cornelius hìc.

Ex Novo.

Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta - sicut nix. Matth. 17. 2. Non sine causa flammantis de solis radiis faciei Domini additur vestis; ut nix candida: ut discant Prælati, inter ardentes radios, & nives, temperare zelum ad suos regendos. Baeza t. 1. l. 3. c. 4. §. 12.

Et ecce apparuerunt eis Moyses & Elias. Matth. 17. 3. Quibus perfectus superior adumbratur. Moyses mansuetus ponitur primus; ut dicat, quæ virtus initiet optimum principem. Baeza t. 1. l. 1. c. 2. §. 4. Cùm Dominus suam legem novam ordinaret, ostendit Apostolis suis Moysem, & Eliam. *Moyses vir mitissimus.* Num. 12. 3. Elias severus in peccatoribus puniendis. 3. Reg. 19. 10. Docentur Rectores justitiam clementia temperare. Sylveira hìc.

Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. Matth. 28. 3. In fulgure terror timoris est; in nive autem blandimentum candoris. S. Greg. hom. 32. in Evang.

Infundens oleum & vinum. Luc. 10. 34. Priùs oleum, dein vinum, Oleum blandè fovet, tumorem demulcet, & austeritatem nescit; vinum acriùs urit, vivaciùs mordet. Naxera in Jos. 19. §. 20. Per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Miscenda est lenitas cum severitate; faciendum quoque temperamentum ex utroque: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi; neque nimia benignitate solvantur. S. Gregor. past. p. 2. c. 11. Arboreæ primò olivæ imperium deserunt. Judic. 9. 8.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & bysso. Luc. 16. 19. *Byssus, & purpura, indumentum ejus.* Prov. 31. 22. Purpura, vestis est regia, & sanguine muricis tingitur; ideo significat clementiam. Hugo Card.

In qua urna aurea, habens manna; & virga Aaron, quæ fronduerat &c. Hebr. 9. 4. Miscenda est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utroque temperamentum: ut nec multa asperitate &c. vide Paulò antè. In mente Rectoris debet esse virga districtionis, & manna dulcedinis: ut severitas immoderatè non sæviat, & pietas plus, quàm expedit, non indulgeat. Innocentius III. de Sacro alt. myst. l. 1. c. 62.

Primò audita est *vox lenis tamquam aquarum multarum.* Apoc. 1. 15. Non tonitruorum. Deinde septem stellæ visæ in manu; & tum gladius ex ore. Ut priùs sit lenitas in voce, & verbis; dein largitas septem stellarum, seu donorum gratiæ; & tandem rigor pœnæ in correctione subditorum. Sylveira in Apoc. 1. q. 66.

Similis erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis. Apoc. 4. 3. Vigeas, Pererius: jaspide virente significatur Dei misericordia; sardo rubente justitia. His optimè gubernatio omnis fulcitur. Sylveira hìc.

Et alium Angelum fortem amictum nube, & iris in capite ejus. Apoc. 10. 1. Nubes tempestates generat; iris indicium clementiæ, & serenitatis. Pinna Eth. 126.

Ex Patribus, & aliis.

In columba, & igne, Spiritus S. ostenditur: quia, quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt; ut contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur. S. Gregor. moral. l. 1. c. 2.

Rosa cum spinis. Lemma: *Cum lenitate asperitas.* Picinelli.

Num. II.

Testimonia, & exempla.

Ex Veteri.

FUit Deus Pater Hebræi populi. Ex. 4. 22. *filius meus primogenitus Israel.* Leges condit Ex. 20. 3. sed nihil hic pœnarum contra peccantes. Levit. 20. 8. autem urget, *custodite præcepta mea.* Audit filius sæpius: *morte moriatur.* Nihil in Exodo, aut parum, minarum, multum in Levitico. S. Cyrillus Alex. l. 11. Levit. primùm provocari ut filius: quòd si, ut filius obediens esse non vis; contemptor plecteris ut servus. Velloso in Judith. 5. Paræn. 3.

Moy-

Moyses locutus est omnia verba Cantici hujus in auribus populi. Deut. 32. 44. Quærit S. Chrysost. in Is. 1. Cur Canticum hoc vocet, canatque Moyses? cùm potiùs sit acris populi objurgatio? Respondet: sapienter id eum facere: ut cantu leniat asperitatem objurgationis. Cornelius hìc.

Filimi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere. Jos. 7. 19. Achan auri reum, anathemate pollutum, blandis verbis alloquitur Josue. Blanda reprehensio culpis medicatur. Naxera hìc. S. Josue, vir discretus, & non turbulenter; sed piè, ac initè, primò alloquitur reum: nè ex dura allocutione perterritus, aut ex acerbatus, non acquiescat veram dare responsionem. Dion. Carth. hìc.

Diffusa est gratia in labiis tuis. Ps. 44. 3. Post egregiam formam decoris, post gratiam diffusam in labiis, - imperatur à Patre; ut accingatur gladio suæ fortitudinis, ad ultionem inimicorum. S. Paschasius hìc.

Ex Novo.

Vade Sathana. Matth. 4. 10. &c. Ad duas primas tentationes Dominus leniter dæmoni respondet: tandem, cùm de ejus patientia diaboli augeretur malitia, asperis verbis à se abegit. Bis patienti, semel rigidus. Naxera in Jos. 19. §. 20.

Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Matth. 6. 6. Mox sequitur: *Beati misericordes.* Nè Zelus immoderatior in vitium feratur, sequitur misericordia, qua temperetur. Guarricus de omn. SS.

Homini Regi. Matth. 22. 2. Homo primùm, dein Rex vocatur Deus. Homo humanitatem, & mansuetudinem significat; Rex potestatem, & majestatem. Priùs ergo clementiæ, quàm rigoris, nomen sibi indit: ut principes doceat; austeros esse posse, cùm res non ferunt aliud; clementes verò, & misericordes, usque dum non possint ampliùs. Did. Nyss. D. 19. Pent. §. 2.

Amice, quomodo huc intrasti? Matth. 22. 12. A dulcissimo incipit res ille verbo convivam illum amicum vocans. Joan. Cluniac. tomo 5. serm. 57. Quid verò illud mei verborum secutum? *ligatis manibus &c.* Did. Nyss. l. 2. Phœn. Græc. cap. 10.

Qui intingit mecum. Matth. 26. 23. In his pensandum est; quàm modestè, ordinatè, & piè; quàm demum terribiliter, Christus admonuit Judam. Primò enim dicebat: *unus vestrum me traditurus.* Secundò, *qui intingit mecum*, & pœnam adjecit: *væ homini illi.* Dion. Carthus. hìc.

Gratias ago Deo meo semper &c. 1. Cor. 1. 4. Nisi enim verecundæ mentes fuerint palpando reprehensæ; ità ut ex aliis rebus audiant, quod in consolationem sumant; per increpationem protinus ad desperationem cadunt. S. Gregor. hom. 11. in Ezech. 3.

Quid vultis? in virga veniam ad vos? 1. Cor. 4. 21. Ut scias, mitem esse Doctorem; eorum ipsorum, quos arguit, consulit voluntatem. S. Ambros. l. 7. in Luc. 10.

Laudem autem vos fratres &c. 1. Cor. 11. 2. Est hæc præmunitio ad admonitionem, quia enim mox sequenti versu carpere incipit Corinthiorum abusus; hinc correptionem suam pro more præmollit: ut quasi pillulam saccharo oblitam faciliùs capiant, & hauriant. Cornelius hìc.

Argue, obsecra, increpa. 2. Tim. 4. 2. Quàm pretiosa nectuntur fibula ferrei increpationum annuli: *argue, obsecra, increpa.* Verùm, quod medium inter hæc regnare vult Paulus, non sejungantur. Argue, sed *obsecra.* Condiatur reprehensionis fel obsecrationum melle. Oliva l. 12. Strom. §. Argue &c.

Sed habeo adversùm te. Apoc. 2. 4. Superiùs præmisit laudem, hic subjungit increpationem. In qua evidenter edocemur; ut, si quem nostris verbis edocere volumus, priùs, si quæ habet bona, ei commemorare debemus: nè, si cum primùm per increpationem exasperemus, non ad recuperandum bonum amissum erigamus; sed in barathrum desperationis præcipitemus. Richardus à S. Vict. l. 1. c. 5. hìc.

Non est exasperandus proximus, si in aliquod peccatum sit lapsus; sed est à tristitia relevandus, & cum dulcedine corrigendus. Quis tu? qui tristitiam in facto prætendis, & sub pallio zeli crudelitatem abscondis? non est justitia, quam non comitatur clementia. Quare non attendis, Christi clementiam, quam ostendit cum muliere in adulterio deprehensa, &c. Joan. 8. 6. S. Bonav. s. 7.

Non est admonitio accepta in oculis Altissimi, quæ non fit ex charitatis intimo, & in spiritu lenitatis. Blesensis ep. 24.

§. XXI.

Superior non sit sibi lenis, aliis rigidus.

Ex Veteri.

Faciamus hominem - ut præsit piscibus maris &c. Gen. 1. 26. Cibos dein apponit Deus: *dedi vobis omnem herbam &c.* v. 29. In hac mensa Adam est, & leo subditus. Consultò Deus homini, & brutis, communem mensam apponit: nè putet princeps, se delicatis alendum, domesticis miserè cibatis. Velloso in Judith. 6. Paræn. 21.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem; sicut tabernaculæ Ce-

dar sicut pelles Salomonis. Cant. 1. 4. Cur non dicit, se formosam, ut Salomonem; sed ut pelles Salomonis? quia ille, quod filius ejus Roboam confessus, sibi blandus, & molliculus; subditis durus. 3. Reg. 12. 11. *Pater meus posuit super vos jugum grave, pater meus cecidit vos flagellis.* Et quid discipulo Salomon dicit? *magnificavi opera mea; ædificavi mihi domos &c.* Mihi, mihi meæ voluptati, & commodo. Dicit ergo sponsa, se formosam, non ut Salomonem, qui sibi blandidulus, subditis austerus: sed *sicut pelles Salomonis*; quæ fœdabantur, ventis, pluviæ, pulveri expositæ; ut illæsa, & munda servarent, quæcunque operiebant. Hæc deformitas pulchritudo sponsæ erat: nihil enim plus ornat Superiorem, quàm cùm se asperitatibus, & jejuniis, deformat; ut subditis commodat afferat; cùm sibi leones sunt, subditis agni. Did. Nyss. ser. 3. D. 2. Quadr. §. 5.

Ponam eam in possessionem ericii. Is. 14. 23. q. d. reges, & dominos eorum, futuros similes ericiorum. Ericius obarmatus sentibus; quibus non se compungit, sed alios; sibi partem pelliis interioris levem, mollemque usurpat. Id. ibidem. S. Gregorius per hoc animal intelligit homines, aliis truculentos; cùm sibi omnia suavia velint. Ericius enim, cùm ad ipsum accesserit carnem, quæ mollis est, in seipso recondit; aculeos tamen & spinas, tibi soli ostendit. Sic invenies homines sibi molles, aliis asperos. Diez Mansuetudo.

Fecit sibimet tumbraculum ibi &c. Jon. 4. 5. Tam delicatus, ut umbraculo destructo, mirè doleat; sed Ninivitis immitis. S. Basilius or. 12. Dei nomine: ò propheta! adversus peccatores immisericors es; quos sui pœnitet, eorum te non miseret? sententiam non mutas? nunquid flosculi deplorabis exitium? & tot hominum myriadas pœnæ dedam? Naxera in Jos. 1. §. 25.

Ex Novo.

Alligant onera gravia &c. Matth. 23. 4. Malus Prælatus, qui sibi blandus, cœteris durus. Did. Nyss. antè citatus.

Descendens stetit in loco campestri. Luc. 5. 17. Dominus ascendit in montem; ad turbas verò descendit, & eos excipit in loco campestri. Optimus Princeps, qui sibi reservat aspera, suis plana, & facilia. Silveira hìc q. 4.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. 15. 5. Insinuatis, ut si boni præsules esse velint, vitem imitarentur, quod ille faciebat Vitis planta est omnium cœterarum maxime rudis, & informis; sed germina quàm formosa, & elegantia! Itaque se omni decore exuit; ut, quidquid ornamenti habere poterat, palmitibus suis cedat. Did. Nyss. ser. 3. D. 2. Quad. §. 5.

Dum comedit, suo pater, alieno ventri esse vitricus perhibetur. B. Petrus Dam. opusc. 1. de fuga dign. Eccl. c. 2. de pseudo præside.

§. XXII.

Superior facilem det suis accessum.

THronus ejus sicut Sol. Ps. 88. 38. Ideo soli collatum solium, quòd omnibus patere debeat; nec difficilis esse aditus ad Imperantes; quin intrare prohibitos invitet, & ad se trahat. Oliva l. 12. Strom. §. Thronus ejus &c.

Decies millies centena millia assistebant ei. Dan. 7. 10. Stant Angeli ad januam, ut introducant, non repellant? ut suggerant, non ut terreant. Hoc amat janua Salvatoris, ut pulsatoribus semper abundet, opportunis, importunis. Propterea ipse Dominus videns januam suam à petitorum voce, & à pulsantium clamore, silere: invitat omnes, omnibus paratus tribuere pietatem: *petite, & dabitur; pulsate, & aperietur.* Luc. 11. 9. Nulla est pompa in janua; ego sum janua. S. August. s. 171. de temp.

Nudaverunt tectum. Marci 2. 4. Permittit Christus ut per tectum paralyticus ad se descendat: quo doceat, nullum debere esse impedimentum, quod accessum salutis, vel subditi, ad principem prohibeat. Sylveira in Matth. 9.

Descendens cum illis stetit in loco campestri. Luc. 6. 17. Plano, & communi, ut omnes possent accedere ad audiendam sapientiam ejus. S. Bonaventura. *Sapientia foris prædicat.* Prov. 1. 20.

Proprias oves vocat nominatim. Joan. 10. 3. Ecce tibi boni Prælati notionem, immò obligationem. Scilicet, quòd non ipse primò audiat ovium balatus, & gemitus, vocantium pastorem; sed ipse primò audiatur, & primò vocet ad se singulas oves, singularumque dispiciat necessitates, & voces illarum diligentia sua præveniat. Baeza t. 3. l. 15. c. 6. §. 5.

Ego sum, quem quæritis. Act. 10. 21. Discant Rectores non se recondere à subditis. Sylveira hìc.

§. XXIII.

Superior visitet suos; sit præsens, vigilet, attendat.

Num. I.

Figura, & Symbola.

V*Ade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora; & renuntia mihi, quid agatur.* Gen. 37. 14. Hebr: *vide pacem fratrum tuorum*. Oleaster hìc: tenentur parentes explorare filiorum gesta; quemadmodum & Superiores subditorum opera; rectane sint, an perversa? ut malè gesta possint in eis arguere; præcipuè pacem; sine qua corpus Reipublicæ non potest consistere.

Posuisti tenebras, & facta est nox; in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. Ps. 103. 20. Tenebræ in belluis augent feritatem, & rapiendi audaciam; ut sub velamento noctis oves invadant: sed orto sole receptui canunt. Princeps incessanter illuminet aulam, pastor caulam; feræ antris egredi non audebunt. Arcones in Is. 5. Disc. 5.

Non sum medicus; nolite constituere me principem populi. Is. 3. 7. Quid connexionis inter medicum, & principem? sicut medicus omnium domos adit, lectis assidet, morbis invigilat; ità &c. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 4. Sect. 1.

Sepem circumdedit ei. Matth. 21. 33. Primum patrisfamilias studium, vineam septo circumdare, ad honorem custodiæ, non ad suspicionis vituperium. Nec enim indicium suspecti animi in Præsule, subditum custodire; sed æstimationis: quod enim magni habetur, solet custodiri. Quercus, fructibus suis immunda animalia pascens, sine septo excrescit in Sylva: at vitis dulcium botrorum mater arcto custoditur in septo. Gen. 2. 15 *tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut custodiret illum.* S. August. l. 8. in Gen. c. 10. ut Deus custodiret hominem. Job 9 7. *qui stellas claudit quasi sub signaculo.* Escob. t. 6. Parab. Chr. l. 9. Sect. 1. Obs. 4.

Cùm fortis armatus custodit atrium suum. Luc. 11. 21. Omnia in tuto fore Christus D. asserit. Si tamen non bracteatus intersit atrio, sed loricatus; nec balneo, aut triclinio, aut ædium recessibus, se contineat; sed in foribus prostet, nulli custodiam subdeleget, nullum non observet subeuntem. Ipse præsis atrio tuo. Oliva D. 3. Quadr.

Ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum. Act. 5. 15. Petri umbra docet, Prælatos debere residere; ut, præsentes subditis suis, eos curent, obumbrent, tegant, & regant. Cornelius hìc.

In medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia. Apoc. 4. 6. Qui poterant in medio simul esse, & in circuitu? Quatuor animalium nomine Doctores, & Curatores animarum, intelliguntur; qui tam præstò absunt omnibus, acsi in medio, & in circuitu; intus, & foris, ubique, semper, in salute animarum excubant. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 4. Sect. 1.

In medio seniorum agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Apoc. 4. 6. Agnus Superioris emblema, ferè occisus, totus oculus, subjectis invigilat. Oculos habuit vel in morte ad videndum expansos. Naxera in Jos. 22. §. 20.

Num. II.

Testimonia, & Exempla.

Ex Veteri.

C*Um vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac filio suo.* Gen. 21. 9. Credibile est, famulas id peccatum dominæ sæpius retulisse; illa tamen rem in ludum habuit. Tandem in pueros incidit, videt cum idolis ludentes; quod domum illam sanctam planè dedecebat. Sara mox ad Abraham currit, petit statim perniciem filii pelli. Sed Abraham ad relatum adeò non exarsit ut durè acceperit. Quid rei est? uno in facinore congelascit illa? an Sara studiosior divinæ gloriæ præ Abraham? aut hac ille molior? Nolite mirari: Abraham audit, Sara inspexit. *Vidi prævaricantes, & tabescebam* Ps. 118. 158. Sint accuratæ relationes: nihilominus superior minùs afficietur, detrimentis relatis voce, vel literis; quàm afficeretur iisdem inspectis. Oliva t. 1. conc. 8.

Vade, descende: peccavit populus. Ex. 32. 7. 8. *Fecerunt sibi vitulum.* Quo ardet odio, & zelo, Moyses in idololatras? fit advocatus, qui judex severus esse debuit. *Cur Domine irascitur furor tuus?* v. 11. Potes hoc Deo dicere, cùm Deus tibi dixerit, *fecerunt sibi vitulum?* Quid majus expectas? Si, ob fragilem carnem, Dei ira totum orbem aquis mersit; ob idololatriam crimen læsæ Majestatis non castigabit rebellem populum? Venia impetrata descendit Moyses gestans tabulas decalogi: *cùmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros.* v. 19. Quo viso vir mitissimus in furoris Æthnam mutatus; fumum & ignem, spirans zeli inflammati; tabulas, nulla reverentia Dei seu dictantis, sive scribentis, doloris, inexplicabili sensu, projicit ad petram, & in frustra comminuit; vitulum infamem prosternit: minutim concidit, igne in pulvere vertit, & vorandum sacrilegis in ora intrudit. Et stans in porta castrorum ait: *occidat unusquisque &c.* v. 27. Quæ causa tam flagrantis zeli? *vidit vitulum, & choros.* Id quidem antea fidelissimè, & certissimè Deus manifestavit. Vidit suis oculis: hi folles ignem zelo excitarunt segniùs irritant animos &c. Qui sepulchrum Lazari non inspicit, vel Christus ipse, nec ejus mortem luget, non suscitat. Et qui audit idololatriam admissam in populo; licèt à Deo audiat, & sit ipse Moyses, nisi crimen intueatur; neque id detestatur, neque extirpandum se accingit. *Domine, veni, & vide.* Joan. 11. 34. Oliva t. 1. conc. 8. Sisaræ dormienti cerebrum perforatum. Judic. 4. 21. Dormienti Sauli erepta hasta, & scyphus. 1. Reg. 26. 12. Isboseth Saulis filio dormienti caput revulsum. 2. 7. Joas rex in lectulo interfectus. 2. Paral. 24. 25. Holofernes à Judith. obtruncatus. Judith. 13. 10. Balthasar in crapula ab ostibus obrutus. Dan. 5. 30. *Simon dormis?* Marci 14. 37. Meminerint Pastores sui officii negligentes, & dormitantes.

Pecora tibi sunt, attende illis. Eccli 7. 24. Circa res domesticas nos instruit sententia hac: scilicet si quis habeat armenta, non totam pastoribus curam committat; sed frequenter ea adeat, quid de illis agatur, oculis lustret. Pinna hìc Ethol. 94.

Dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt. Zach. 3. 7. Remigius Altisiodorensis legit: dabo tibi ministros, seu Prælatos.

Ex Novo.

Ego veniam, & curabo eum. Matth. 8. 7.

Cùm cœpisset rationem ponere &c. Matth. 18. 24. Cùm rex cœpisset rationem ponere cum servis suis, inventus est, qui ei debebat decem millia talenta. Tanti æris reus tamdiu delituit quamdiu rex suis rebus non intendit. Vix cœpit rationem ponere, cum illicò tam immane debitum emersit, quod servorum nemo deprehenderat. Oliva l. 9. Str. §. Intravit autem rex, &c.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei. Matth. 20. 21. Respondet Christus: *nescitis, quid petatis:* non vult enim Deus in regno suo superiores desides; & qui subselliis, non nisi ad quietem, & otium utantur. Did. Nyss. s. 2. Dom. Resurr. §. 3.

Intravit autem rex; ut videret discumbentes. Matth. 22. 11. Sapiens planè rex, qui vigilat super servos suos. Equidem, nisi ipsemet convivium lustrasset, pannosus ille pro supplicio delicias fortitus esset. Nullus ministrorum sordentem; aut vidit; aut si vidit, accusavit. Nisi superior ipse suis oculis omnia circumspiciat, scelesti, aut latebunt, aut tolerabuntur. Regius oculus sordes videt, quas ministrorum oculi non vident. Oliva antè citatus.

Vidit ibi hominem &c. Ib. Solutus rex vidit hominem veste nuptiali non indutum; ministri, & convivæ, non viderunt. Ad solum enim regem, seu Præsulem, pertinet, subditorum defectus aspicere, ut corrigant. Escobar t. 6. Parab. Chr. lib. 1. sect. 2. obs. 2.

Pastores vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Luc. 2. 8. Nato Domino pastores super gregem vigilantes, Angelos aspiciunt: quia his, qui piè, ac sollicitè, conservandis gregibus invigilant, sublimia, ac divina innotescunt. Hildebertus Turon.

Appropinquans ibat cum illis. Luc. 24. 15. Bonum caput esse non potest, qui non est bonis pedibus. Did. Nyssen. s. 2. D. Resurr. §. 3.

§. XXIV.

Superior consulat suorum bono spirituali; corrigat, non sit mollis.

Ex Veteri.

Q*Uia audisti vocem uxoris tuæ.* Gen. 3. 17. Quia Adam, cùm esset totiùs orbis Præsul, quando audivit vocem uxoris cibum vetitum suadentem, acriter eam non reprehendit; ideo dignus fuit pœna. Castillo Illat. 78.

Ubi est, Abel? Gen. 4. 9. Hæc quæstio proponitur Prælatis, & Clericis, omnibus negligentibus in correctione minorum q. d. attendite, ubi est Abel? id est, anima subditi tui, per negligentiam tuam damnata in luctu æterno. Hugo Card. hìc.

Viginti annis fui tecum: oves tuæ, & capræ steriles non fuerunt &c. Gen. 41. 18. 40. Beatum Jacob, qui pro uxoribus suis diù servierat, dixisse meminimus. Si sic laborat, & vigilat, qui pavit oves Laban; quanto labori, quantisque vigiliis, debet intendere, qui pascit oves Dei? S. Greg. l. 7. ep. 47.

Accidit, ut tonderetur grex ejus in Carmelo. 1. Reg. 25. 2. Oves in Carmelo tondere, subditos per scientiam ab amore temporalium separare. Hugo Card. hìc.

Virga directionis, virga regni tui. Ps. 44. 7. Non regit, qui non

non corrigit. S. August. hìc. Necesse est, quòd, qui regit, habeat virgam. Ad hoc enim necessarii sunt reges, ut virgam habeant disciplinæ, quà puniant delinquentes. S. Thom. Aq. in Ps. 2.

Ignis, grando, nix, glacies &c. Ps. 148. 8. Ergo voluntas Domini ancillantes sibi procellas spectat: & quam glacies, & grandines reverentur, dum ruunt, homo spernit, & spectat? Porrò cùm audis, quòd spiritus procellarum, etiam dùm sæviunt, parent Deo; noli quamcumque sævitiem damnare. Licet furere; & fervere; ferire licet; & sævire. Certè Phinees, cùm ferit, litat. Num. 25. 8. in peccatorum sanguine non fœdat dexteram, sed sacrat. Placet ira; sed si concrescat in cœlo. Fulmen percellit, grando ruinat, procellæ evertunt; sed de cœlo desiliunt. Orastine, antequam plecteres? Cave, nè non fulmen, sed flumen sis: exundasti, non quòd agri sitierent; sed quia intrà te cohibere nequisti undas tuas. Petrus obruit; sed fulminis instar, non fluvii, Sapphiram, & Ananiam. Act. 5. 3. &c. Sed zelus ejus concrevit in cœlo. Quòd mentiti Spiritui S. eos confodit. Oliva l. 4. Strom. §. Ignis, grando &c.

Non sum medicus &c. Is. 3. 7. Cornelius à Lap. ait, ex Hebræo verti: *non sum chirurgus.* q. d. Magistratum nemo feliciter geret, qui chirurgi ignarus. Quod illud Chirurgi officium? cauterium adhibere, licèt saucius clamet: nec lacrymas, aut clamores curare; dummodo remedium adferre malo possit. Did. Nyss. D. 4. Pasch.

Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Eccl. 42. 14. Plus nocet Prælatus misericors, & abjiciens rigorem disciplinæ; quàm Prælatus rigidus sine misericordia: & ità intelligitur illud Eccl. 42. melior est iniquitas &c.

Ecce constitui te super gentes, & super regna. Jer. 1. 10. Potest dari diploma illustrius, quàm hoc, quo Propheta super regna Mundi constituitur? Nunc audito, quod actionum genus præcipiat Rectori tam illustri, & dignitati tam speciosæ: *ut evellas, & destruas.* Estne in campis Latii rusticus, aut Romæ in humili tecto artifex; qui magis in laborando contendat; quàm sit laboraturus Jeremias, licèt authoritate tanta conspicuus? Unde attonitus Bernardus l. 2. de consid. exclamat: *ut evellas, & destruas?* rusticani laboris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur, ut multùm sentiamus de nobis; impositum senserimus ministerium, non dominium datum. Disce exemplo prophetico te præsidere, non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum; quod tempus requirit, nam & Propheta, cùm elevaretur, audit, *ut evellas, & destruas.* Disce, sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ. Et ille quidem non regnaturus ascendit, sed extirpaturus. Oliva t. 2. conc. 25. die Ven. Sexag.

Portæ ejus destructæ sunt. Tren. 1. 4. Portæ, Prælati sunt; per quas subditi habent intrare: ipsi enim debent viam subditis aperire salutis. Istæ portæ destructæ sunt: quia de portis vitæ fiunt portæ gehennæ. S. Bonav. hìc.

Quod abjectum est, non reduxistis; &, quod perierat, non quæsistis. Ezech. 34. 4.

Revocabo errantem, requiram perditam; velis; nolis, id agam. Etsi me inquirentem lanient vepres sylvarum; per omnia angusta me coarctabo; omnes sepes excutiam. Quantum mihi virium Dominus donat, omnia peragrabo, revocabo errantem, requiram pereuntem. S. Aug. s. de Pastorib.

Ex Novo.

Veniamus adorare eum. Matth. 2. 2. Christus recens natus non fugit, ut rex adorari; cùm in monte à turbis pastis noluerit ad regale solium extolli. Joan. 6. 15. *Jesus ego cùm cognovisset, quia venturi essent, ut facerent eum regem, fugit.* Rex salutatur, dum inspirat virtutes, ad finem illuminat; rex vocari non vult, cùm corporales depellit necessitates. Gloriosius est Dei ministro, proximo prospicere in his, quæ ad animam, quàm quæ ad corpus pertinent. Naxera in Jos. 20. §. 9.

Converte gladium tuum in locum suum. Matth. 26. 52. Alterum, quod in ferro Petri oculos Christi læsit; illud est, quòd à semisomni evaginatum sit. Petre, vigilare non potuisti una hora; & gladium evaginas? Furor est, quem fervorem putas: ideo Malchum vulneras; quia ante pugnam dormivisti. Non benè vulnus aperit, qui malè clausit oculos. Jeremias vigilantem in cœlo videt virgam. c. 1. 11. Si vigilasses, & orasses; vel non ferires, vel sapientius ferires. Agag in frustra conciditur à Samuele; sed *coram Domino.* 1. Reg. 15. 33. Oliva l. 4. Strom. §. Converte gladium &c.

Quid hoc audio de te? Luc. 16. 2. Quatuor hinc dantur documenta Prælatis, ut notat Carthusianus. *Primum,* ut suorum peccata non dissimulent. *Secundum,* ut veritatem famæ inquirant. *Tertium,* ut accusatores non prodant: non enim ait, hic mihi dixit; sed absolutè, *quid audio? Quartum,* ut accusatio specificetur, *quid audio.* Sylveira hìc.

Pasce agnos meos. Joan. 21. 16. Sermo vivus, & efficax, exemplum est operis, facile faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile, quod suadetur. S. Bernardus ep. 200.

Pasce, inquit, mente, pasce opere; pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. Idem s. 2. in die Pasch. Pascere in Scriptura significat regere; & principes vocantur Pastores. Cornelius hìc.

Conversi estis ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. 1. Petri 2. 25. Verè Pastor, qui nisi fastiditos, pascere non desistit: & Episcopus superintendens negotiis vestris; ut consummato Mundi mysterio, pascat suos electos in sublimissimis locis. Sed Pastorem, & Episcopum *animarum,* non corporum, Petrus ostendit. Nam, quamvis omnipotens corpora omnium viventium pascat; quamquam etiam resuscitaturus sit corpora omnium hominum; attamen in hac vita mortali solùm animabus superintendit: ut alat in gratia, ut pascat in cœlesti doctrina, ut præservet à peccatis; etiam sæpè corporibus in pœnis, & cruciatibus derelictis. Hoc exemplo studeant, qui volunt esse Pastores: ut curam animarum, non corporum, in suis ovibus priùs intendant: quomodo curentur à vitiis, qualiter caveant à peccatis, qualiter intendant virtutibus, qualiter bonis omnibus assuescant. Sim. Cass. l. 7. c. 38.

Dilexit nos, & lavabit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Apoc. 1. 5. Huc adeste animarum Pastores, qui dilectionem jactatis, & vos subditorum patres profitemini. Si non abluitis à sceleribus; non diligitis. Oliva l. 17. Strom. §. Dilexit &c.

Ex Patribus, & aliis.

Sumus locus bene tegitur, cùm is, qui præest, vitiis potiùs, quàm fratribus dominatur: cunctos quidem natura æquales genuit; ut autem alii ad regendum, aliis committantur; non eos natura, sed culpa postponit. S. Gregor. mor. l. 26. c. 19.

Quisquis leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle: omnis enim, cui legum custodia mandata est, metu vacare debet. S. Gregor. Naz. Adv. mul. ambitiosè se ornantes.

Non potes nosse verba Pauli, nisi habeas spiritum Pauli. S. Bonaventura s. 22. in hexam.

Noli dicere: ego cibum, & potum, eis tribuo (scilicet famulis, & familiæ) debita eis stipendia solvo: de animabus suis ipsi sibi viderint; non sum Episcopus, non sum Prælatus: nam pro eis Domino tuo, & aliorum communi, in die Judicii magnam redditurus es rationem. S. Th. Vill. tr. de Adv. Dom.

Tu Præsul optime animarum saluti omnia postpone: tantò enim dignores sunt animæ corporibus, & universis, quæ humana ambitio concupiscit; quantum dignitate præeminet cœlum terræ. Blesens. tr. de instit. Episcop. c. 4.

§. XXV.

Superioratus non appetendus.

D*Ixitque Moyses ad Deum: quis sum ego &c.* Ex. 3. 11. Hinc, disce, cunctanter, cum tremore, non nisi vocante Deo, suscipiendum esse munus regendi, pascendique alios; minimè verò ambiendum. Cornelius hìc.

Quid tam insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti? Et tamen non desperamus, neque deficimus: quia non de nobis sed de illo, præsumimus, qui operantur in nobis. S. Leo l. 2. in anniversario de assumpt. ad Pontif.

Altiorem locum sortitus es; sed non tutiorem: sublimiorem; sed non securiorem. S. Bernardus ep. 237. ad Eugenium.

§. XXVI.

Superiores mali.

Num. I.

Figura, & Symbola.

L*Igna Sylvarum.* Judic. 9. 8. id est, mali, & infructuosi, præficiunt sibi rhamnum, id est, Prælatum; qui in principio mollis est, & postea indurescit, & aculeatus, & spinosus efficitur; & tandem de se emittit ignem perversæ conversationis; & se, & subditos comburit incendio infernali. Hug. Card. hìc.

Holofernes. Judith 13. 10. Interpretatur *vitulus saginatus*, id est, Prælatus impinguatus; cui mulier, id est, Caro, amputat caput, id est, rationem. Hugo Card. in Luc. 21.

An non vides? quanta comedat, & bibat, quotidie. Dan. 14. 5. Ergo ideò maximè colitur Bel, quòd plurimum noceat? minoris fieret? si viliùs esuriret. Nollem in Ecclesia ideo primates magnos nominari, quòd in curruum, villarum, & mensarum, sumptus patrimonium Christi effundant. Oliva l. 11. Strom. §. An non vides &c.

O Pastor, & idolum. Zach. 11. 17. His dicitur; qui non sunt dii, id est, veri Prælati; sed similitudines Prælatorum. Hugo Card. in Ecclæ. 10.

Sicut infecunda arbor, si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subjectis vitibus umbram, inimica non soli sibi, sed etiam palmitious sit fœcundis: ità homo deses ignavus; si præsit populis; non sibi soli sit noxius, sed multis; dum sequentes se suo vitiat, & perdit exemplo. S. Chrysost. s. 106.

Sol nunquam ecclypsatur sine damno terræ, & fructuum: Capite languente reliqua membra relinquunt officium suum. Broymard. Prælati mali similes statuæ in tritico, habenti arcum fictum, & sagittam in manu sua: quam volucres primùm timent, & fugiunt; dein, opera vitæ in ea non videntes, paulatim appropinquant capiti insident. Idem Prælati mali.

Num. II.

De Superioribus malis varia.

Ex Veteri.

Vocavitque Dominus Deus Adam. Gen. 3. 9. Cur non Evam? Dion. Carthus. vocavit Deus magis Adam, quàm Evam. quoniam principalior fuit: ad insinuandum, quòd Superiores, dum peccant, specialiter fiant reprehensibiles apud Deum.

Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis. Num. 25. 4. Quid est, quòd populus in luxuriæ voraginem labitur; & in eorum Præpositos vindicatur? Subditi delinquunt, & Principes in patibulis suspenduntur? scilicet alius est, qui peccat; alius ille, qui vapulat. Cur hoc? nisi quia culpa subditorum in Præpositorum redundat opprobrium: & quod ab ovibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribitur. Vade, quàm formidosa sit conditio Præsidentium; ut non modò pro suis, sed etiam subditorum, puniantur offensis. B. Petrus Dam. l. 4. ep. 15. Origenes sic legit: *ostende illos Domino contra solem*. Populus peccat, & Principes ostentantur contra solem; iidem ad examinandum producuntur, ut arguantur à luce. Vides, quæ sit conditio Principum populi: non solùm pro suis propriis arguuntur delictis, sed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem; nè ipsorum sit culpa, quod populis deliquit: nè fortè non docuerint, nè fortè non monuerint. - Hæc si cogitarent homines, nunquam cuperent, nec ambirent, ad populi principatum. Sufficit enim mihi pro meis, propriis argui delictis: sufficit mihi, pro memetipso, & peccatis meis, reddere rationem. Quid mihi necesse est etiam pro populi peccatis ostentari? & ostentari contra solem? ante quem nihil potest abscondi, nihil obscurari. Orig. hic hom. 20.

Rex Roboam fecit duos vitulos aureos. 3. Reg. 12. 28. Unum populus in deserto vitulum conflavit; sed hunc mox Moyses combussit usque ad pulverem. Ex. 32. 20. Et tamen Roboami nemo ausus fuit demoliri: nam peccata populi facilè corriguntur; sed à regibus impune fiunt. Mendoza in 1. Reg. 8. Annot. 31. sect. 1.

Percuties domum Achab domini tui. 4. Reg. 9. 7. Cur jussus à Deo Jehu percutere domum Achab; cùm non ille occiderit Prophetas, sed Jezabel? Abulens. hic q. 11. Achab sciebat ista, & videbat: & quanquam ipse non videret ea fieri, tamen permittebat ea facere uxori suæ Jezabel. Et quia poterat prohibere, & non prohibebat; videbatur ipse agere potissimè: quia ad officium suum pertinebat corrigere vitia, & prohibere omnia mala in regno.

Non pecces in multitudinem civitatis - neque alliges duplicia peccata. Eccli. 7. 78. id est, nè gravissimè pecces. Rectoris enim crimina duplicia sunt, id est, gravissima: neque enim in uno eris immunis. Nam qui privatus vix pœnam evades; quomodò personam gerens publicam pro peccatis vitabis pœnas? *miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam*. Ps. 50. 1. Non quamcumque consuetam misericordiam sibi adesse poscit; sed *magnam*: acsi ad abluendas maculas Prælatorum eximia divinæ misericordiæ copia requiratur. Pinna Ethol. 7. & 8.

Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus Judicibus, qui videbantur regere populum. Dan. 13. 5. Rectè de presbyteris peccatoribus, & desidibus, non ait, qui regebant populum; sed qui *videbantur regere*: qui enim bene præsunt populo, regunt populum: qui autem nomen habent Judicum, & negligenter præsunt populo; regere *videntur* populum magis, quàm verè regere. S. Hieron. apud Escobar l. 6. Par. Chr. l. 1. Sect. 2. Obs. 4.

Ex Novo.

Motus magnus factus est. Matth. 8. 24. dormiente Jesu in navicula. Jesus in navi dormit, ubi Judex, & Rector, torpent, & negligenter agunt. Verè periculosus est somnus negligentiæ Rectorum, & Principum. S. Bonaventura s. Dom. 5. Epiph.

Simon dormis. Marci 14. 37. q. d. ille Pontificis, & custodis, nomine indignus est; qui ità somno indulget. Besseus D. 5. Epiph.

Virtutes cœlorum movebuntur. Luc. 21. 26. Quidam hoc loco Magistratus, & Rectores, intelligi volunt virtutes cœlorum. Haymo: commoveri autem virtutes cœlorum dicuntur; quia in illo districto Judicio Præsules rationem exolvent, non solùm pro suis artibus, sed etiam pro commissis sibi subditis. Apud Escobar t. 5. Prochr. l. 1. Sect. 1. Obs. 6.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Joan. 13. 6. Tropolog. indicat hìc Christus, visitationem, à Capite, & iis, qui præsunt, inchoandam esse. Corn.

Ex Patribus, & aliis.

Detrimentum pecoris, Pastoris ignominia est. S. Hieron. epist. 10.

Multùm nocet infirmis in Ecclesia Dei opinio alicujus vitii; sive falsa sit, de aliquo homine; & maximè de eo, qui sic est in Ecclesia Catholica constitutus; ut & verbo, & exemplo vitæ, aliis debeat, & possit, prodesse. S. Anselmus ep. 9. ad Falconem Ep.

Medici sumus vitiorum; at ipsi nos scatemus jugibus morbis. Duces viarum sunt præcipitium. S. Gregor. Naz. Poem. de vita sua.

Indignus lacte, & lana convincitur, si non pascit oves. Si non vigilat in custodia gregis, judicium sibi manducat, & vestit. Væ! væ tibi Clerice! mors in ollis carnium, mors in hujusmodi deliciis est. S. Bernardus s. de verbis Petri: ecce nos reliquimus &c.

Cùm Phocas Imp. quasi tyrannus sæviret in innocentes, Monachus quidam cum Deo expostulabat: cur, Domine, fecisti cum Imperatorem? responsum illi cœlitus: quia non inveni pejorem. Anastasius Nicænus q. 15. in Script. Idem. Monachus quidam hypocrita scelestus, Angeli monitu, creatus Thebaldis corruptissimæ Episcopus; cùm ex honore insolesceret, audivit ab Angelo: cur superbis ò infelix? non es creatus Episcopus, quòd dignus Sacerdotio sis; sed quòd civitas tali digna erat Episcopo. Cornelius in Os. 13.

Ubi, mutato habitu, illusus est Christus? nonne in domo Herodis regis, & Pilati Præsidis? Jam attende palatia Præsulum. - In plateis itaque Præsulum malè viventium, & in Ecclesia temporalia lucra quærentium, ac Superbiæ fastu tumentium, mysticè Christus in purpura illuditur. S. Laurent. Just. de triumph. &c. c. 14.

Antistes Ecclesiæ, qui virtutibus, & Sapientia, fulgere debuerat, auro nitet, & serico: & animarum ornatus hodie in corporis cultum permutatus est. Favore, non meritò, Ecclesia regitur: & ad curam gregis, non sapiens Pastor, sed potens quæritur; non innocens, sed dives; & qui populum Dei magis potentia opprimat, quàm vita ædificet. S. Thom. Vill. s. 1. in die Nat. Dom.

Prælatis nostri temporis potiùs debet poni in manu falx, quàm baculus pastoralis: quia ad merendum sunt electi, subditos metunt. Hugo Card. in Joan. 15.

Væ his, qui præsident hominibus, nisi præsideat eis Deus, Blesensis tr. de instit. Episcopo c. 3.

Privato peccanti sæpe parcitur. Sed si Prælatus deliquerit; in ejus infamiam linguæ omnium acuuntur. Blesens. ep. 15.

Prælatis, & Clericis, ignavis in quodam regno simul congregatis, dæmones eos sic salutarunt: Principes tenebrarum Principibus Ecclesiarum salutem: quas vobis referemus gratias? quia, quot vobis comissi, tot sunt nobis missi. Broymard Prælatis &c.

T I T U L U S XLIV.

S U S P I C I O.

Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis &c. Genes. 39. 13. In argumentum fidei retentum pallium ostendit.

Dominus nimiùm credulus, iratus est valde. Vestis retenta erat potiùs indicium violentiæ muliebris. Nazera in Jos. 7. §. 21.

Hoc proclivius homo suspicatur in alio, quod sentit in seipso. S. August. in Ps. 118.

Natura - ad improbitatem mobilis, observat omnia; & opportuna respicit: at animi honesti ab improbis sibi haud cavent; ad suspicandum non proni, sed desides. Quo fit, probi sint ut captu facillimi. S. Gregor. Naz. Poem. de vita sua.

Ad vitium impulsu difficilis natura, tarda est ad malum de alio suspicandum. S. Gregor. Naz. or. 21.

Qui ad vitium minimè proclivis est, is nec facilè ad malum de alio suspicandum movetur. Id. or. 31.

T.

T I T U L U S I.

TEMPERAMENTA.

Tulerunteque Philisthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon; & statuerunt eam juxta Dagon. 1. Reg. 5. 2. Philisthæi non plane volebant habere Arcam contumeliosè, neque omnino venerari. In templo Dagonis eam reposuerunt: ubi profani Sacerdotes una manu suo veteri. Numini thus adolebant, altera novę Deitati Cultus illa permissio Dei ità displicuit; ut, qui priùs captivitatis infamiam dissimulaverat, tunc novi cultus authores pœnis cumularit: *aggravata autem est manus Domini*. 1. Reg. 5. 6. Petrus Cellens. l. 1. ep. 21. quamvis in fronte duos habeat oculos; tamen eos ab uno officio disjungere non valet; ut altero cœlum, altero terram contueatur. q. d. nulla est spes, una actione satisfieri Christo posse, & Mundo; canonibus sacris, & politicis legibus; commodis Religionis, & cupiditatis commodis. Si frons una duobus oculis inspicere non potest. Orientem, & Occidentem; quomodo poterit anima una, & indivisa, una simul operatione satisfacere naturæ corruptæ, & sanctissimæ gratiæ; justitiæ utilitates suas abdicanti, & rapacitati insatiabili; Ecclesiæ rebus, & familiæ suæ incremento. Oliva t. 2. conc. 28.

Vade, & percute Amalec. 1. Reg. 15. 3. Profectus, quò mittebatur, regnum morti addictum invasit: at, cùm implendum fuit divinum præceptum; molestum visum est, triumphatori regem Agag captum occidere, pretiosam ejus gazam concremare, & mactare armenta pinguium. Ideò temperamentum volens invenire; cùm esset cupidus animi grati in Deum exhibendi, cui acceptam referebat victoriam; & cupidior gloriæ magnæ triumpho suo comparanda: in qua victus rex duceretur: plebeios omnes, qui capti in prœlio erat, occidit; at regi vitam donavit. Similiter, ut justis Samuelis pareret, boves macilentos occidit; & ut satisfaceret avaritiæ, secum abduxit pingues. Dici non potest, quantopere succensuerit Deus temperamento illi sacrilego, & temerariæ illi confusionis; quo miscebatur obsequium præceptis suis, & obtemperatio utilitati propriæ. Idem ibidem.

Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos, à signis tuis. Psal. 64. 9. S. Hilarius hic: qui terminos inhabitant? qui scilicet nec à carne absunt, nec in totum interna carnis exercent cæterùm timentium trepidatio ex ambiguę habitationis incerto est. q. d. hos specialiter Deus detestatur, qui habitant in confinio justi, & injusti; boni universalis, & privatæ utilitatis; quo non totos se spiritui tradunt, nec omnino rapiuntur à sensibus. Verbo, qui temperamentis utuntur laudatis politicæ; sed execrandis divinæ potentiæ. Oliva ib.

Qui non est mecum, contra me est: Luc. 11. 23. qui aperta fronte non declarat se defensorem oppressi, recensendus est inter opprimentes: quia, qui à calamitate non sublevat, infert. Idem ibidem.

Emendatum ergo illum dimittam. Luc. 23. 16. Pilatus, cùm non auderet dimittere quem fatebatur innocentem; nec vellet furori insanæ multitudinis accommodare se; columnam posuit, ad quam Christus, nec dimissus, nec nécatus, laceraretur verberibus. *Emendatum ergo &c.* Consequentia pessima, & Tartarea deformitas media conditionis; quæ semper est noverca justorum decretorum, & mater perniciosorum consiliorum. Si cum declaras innocentem, cur verberibus plectis? mox advertes futurum malum levius; ad primos plebis clamores tradidisset Christum vinctum impietati. Sed quia inimicorum perfidiam interjunxit temperamento, Christus sex millibus verberibus est laceratus, illusus arundine, consputus, septuaginta spinis caput confixum, purpura illusus, coactus humeris ferre crucem: quarum immanitatum ne unum quidem vel Sacerdotum livor somniavit, vel Pharisæorum dolus contexuit, vel vulgi ferocia expetiit; sed quas omnes confecit temperamentum. Nunquam audietis ex ore Tartareo hæreticorum alias propositiones, quàm mediæ conditionis. Admittunt illi Scripturas; sed dimidiatas: venerantur Sacramenta; sed numero in immutata: Doctores sacros honorant; sed primorum Sæculorum laudant. Concilia; sed ex parte, qua ipsi non percelluntur: volunt subjici Censoribus Ecclesiæ; sed si illorum errores approbant. Denique unus illorum est sermo: *nec mihi nec tibi*. 3. Reg. 3. 26. *sit sed dividatur*. Reformare se volentes deformant; antiquam Religionem dum sumunt, novam prorsus effingunt. Id. ib.

Quid dicam de Ebionitis, qui legis cerimonias Christi Evangelio miscuerunt; sed, dum volunt Judæi esse, & Christiani; nec Judæi sunt, nec Christiani. S. Hieron. ep. 89. Vide plura hic apud Olivam.

T I T U L U S II.

TEMPERANTIA.

§. I.

Sanitatis mater, noverca.

Auferet Pharao caput tuum. Gen. 40. 19. Pharaonis servorum unus vidit per somnium vitem unicam, in qua erant tres propagines: alter in uno canistro cibos omnes. De hoc Joseph: *auferet &c.* Vide differentiam: alter eas solùm decerpsit uvas, quas vitis unica pauper ministrabat; alius varios cibos. Prudenter ergo Joseph mortem conjecturat ex artificiosis condituris. Naxera in Jos. 13. §. 8. Simplex erat ex simplici causa salutis, in cibis temperantia: quod ipse David inuere videtur, adhens: *pane cœli saturavit eos*. v. 40. *Colligat unusquisque, quantum sufficiat ad vescendum, gomor per singula capita*. Ex. 16. 16. Ubi in mensura cibus, constans quoque, & firma sanitas. Naxera in Jos. 5. §. 11. Lautitiæ non sunt vitæ fomenta, sed morborum, & mortis auxilia.

Noli avidus esse in omni epulatione; & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas &c. Eccl. 37. 32. 33.

Qui abstinens est, adjiciet vitam. Eccl. 37. 34. Tritum illud: pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.

Scio, mihi abstinentiam, & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam. S. Hieron. in ep. ad Tit. c. 1.

Ut tenuis mensa bonæ valetudinis, ità & voluptatis, mater est: & crapula, ut morborum, ità fastidii & fons est, & radix. Ubi enim satietas, ibi aviditas esse nullo pacto potest. S. Chrysost. hom. 21. in Joan. 2.

Aureum est dogma Hippocratis: sanitatem hæc duo tuentur: cibis non satiari; & impigrum esse ad labores. Cornelius in Ezech. 16. 49.

Exempla.

Beatitudo Paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiu jejunavit Adam, in paradiso fuit; comedit, & ejectus est: ejectus statim duxit uxorem. S. Hier. l. 2. Adv. Jovin.

Paulus primus eremita vitam produxit ad annos prope centum quindecim; ex quibus centum circiter egit in solitudine. Quadraginta primis pareris dactilis, & haustæ aquæ, usus; reliquos, ut Sanct. Hieron. testatur, pane dimidio, quem corvus ministrabat. S. Antonius annis centum quinque, ex quibus nonaginta in eremo, solo pane (quibus in extrema senectute aliquid oleris addebat) teste. S. Athanasio.

S. Paphnutius excessit nonaginta in eremo, solo pane, & aqua. Cassianus Collat. 3. c. 1. Simon stylites annis 80. quibus in columna stetit, Quadragesimas viginti octo sine ullo cibo, & potu transegit. Theodoretus in Simeone.

Ludovicus Comarus Venetus, vir eruditus; qui insignem libellum scripsit de vitæ sobriæ emolumentis; de seipso testatur: morbis variis, inquit, ad annum usque quadragesimum exercebar; & jam stomacho, jam febri, jam pleuritide, & jam podagra laborabam. Tandem Medicorum suasu, rationem vitæ temperantissimæ ingressus, unius anni spatio à morbis omnibus liberatus. Anno octuagesimo tertio tam sanus, & alacer; ut gradus, & montes facillimè scandere, è plano equum insilire posset. Drexelius Ros. sol. virt. p. 1. c. 11. §. 5.

§. II.

Varia alia motiva.

Ex Veteri.

Videbatur mihi quasi subcineri ejus panis ex hordeo volvi. Judic. 7. 13. Quemadmodum muros Jerusalem, id est, animæ pacificæ, princeps coquorum Babylonis destruxit, ventris voluptates obsoniorum condimentis irritans; sic Israelitarum panis hordeareus volvitur, & Madianitarum tabernaculum subvertit. S. Nilus l. Ascet.

Respexit; & ecce ad caput suum subcineri ejus panis, & vas aqua. 3. Reg. 19 6. Non legimus in Scriptura, Deus in servis opipara seciffe convivia; sed simplicia, & moderata. Quando Eliæus invitavit filios Prophetarum, non habebat alia sercula, quàm coctas in olla herbas. 4. Reg. 4. 39.

Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum. Dan. 1. 12. Tribus pueris cibus, olus, & legumina, fuit: alioquin nunquam vincerent flammas, si vellent amare delicias. Sanct. Fulgentius s. sup. illud Matth. 14. 1. audivit Herodes Petrarcha.

Tolle prandium, quod miset tibi Deus. Dan. 14. 36. Et dixit *recordatus es mei Deus; & non dereliquisti diligentes te*. v. 37. Pro Deo sex dies inter feras jejunus constituerat; &, cùm se desertum queri dolerat, ità exultavit pro prandio vili, & mes-

soribus destinato; ut nos lætaremur pro Ambrosia à cœlo missa. Oliva t. 2. Strom. §. tolle prandium.

Victus Prophetarum fuit sobrius. Amos cibus erant sycomori, id est, ficus saturæ, & insipidæ, c. 7. 14. Ezech. 4. 12. panis hordeaceus subcinericius, & qua Joan. B. locustæ, & mel Sylvestre. Matth. 3. 4.

Ex Novo.

Et aceetum offerentes ei. Luc. 23. 36. Consideremus quotidie hanc novissimam Christi mensam, qua propter nos cibatus est felle, & potatus aceto: sicque discamus, cibi, & potus, superfluitatem, ac voluptatem vitare; per abstinentiam carnem libenter, ac rationabiliter castigare; & de virtualium tenuitate non murmurare: quod adimplere ad Religiosos pertinet potissimùm. Dion. Carthus. hìc.

Capientes singula metretas binas, vel ternas. Joan. 2. 6. Cur prodit, quantum liquoris amphoræ capiant? ut gratiam extaggeret, modum scribit. Suspecta enim est felicitas, si modum nescivit: illius gratiæ decor erat, intrà modum contineri. Vinum largitur Dominus, ut necessitati consulat; sed modus adhibetur, nè helluationem, & crapulam nimia uberrate provocet. Naxera in Jos. 1. §. 40.

Accepit ergo Jesus panes. Joan. 6. 11. Hordeaceis panibus, non tam pascitur, quàm eruditur, strata in monte mortalitas. Ibi homines, dum esca vili jumentis æquantur, jumenta esse dedocentur. Nam si pecori convivas, non vives pecus. Dum enim jumentis insipientibus non comparamur, si austeritate victus jumentis assimilemur. Vel prodigus, ut suum esse cœpit conviva, Epicuri de grege pecus esse desist; in Angelum glande reformatus. Oliva D. 4. Quadr.

Cùm esuriret, voluit gustare. Act. 10. 10.

Notâ magnam sobrietatem Petri: non ventrem voluit implere, non saturari; sed gustare: quantùm sat erat ad reficiendum corpus & vires. Sylveira hìc.

Sive manducatis, sive bibitis omnia in gloriam Dei facite. 1. Cor. 10. 31. Cùm jubet Apostolus omnia in gloriam Dei facere; singulariter, & expressè, cibi, & potus, mentionem facit quia ex his rebus plurimæ solent offensiones nasci; nisi parcè, & moderatè fiant. Diez conc. 1. in Asc. Dom.

Ex Patribus.

Ipsa anima, est sapientissima, & optima. Clemens Alex. l. prædag. c. 2.

Est donum Dei maximum temperantia. Idem l. 2. Strom.

Quotidiano experimento probatur, potus satietate aciem mentis obtundi. S. Leo s. 8. de jejunio.

Quid pulchrius abstinentia? quæ facit etiam juventutis annos senescere, ut fiat morum senectus. Namque ut redundantia ciborum, ac temulentia, etiam maturior ætas calescit; ita mitigatur juventutis ferocitas epularum parsimonia; irriguoque fontis; & exterior ignis aquæ infusione extinguitur: non mirum; si etiam interiora æstus corporis fluviali potu refrigerantur. S. Ambros. ep. 82. post initium.

Respice corporis tui formam, & speciem congruentem celsi vigoris assume. Si sola animalia prona pascuntur; cur tu in edendo sternis ipse, quem natura non stravit? - Cur noctes, & dies, cibo intentus pecurum more terrena depasceris? cur intellectum tibi adimis, quem tibi Creator attribuit? cur te jumentis comparas, à quibus te voluit Deus segregari? S. Ambros. hexam. l. 6. c. 3.

Tempus belli, tempus certaminis est; tu autem sedes in deliciis? Non vides etiam rege, qui sceptra ferunt, in externis militiis frugaliter vivere? Christus præ fame tabescit; tu autem præ gula teipsum disrumpis. Nunquid Sacrificandi sumus, quod impinguamus nos ipsos? Quid supeditas vermibus tam splendidam mensam? Sanct. Chrysost. hom. 27. in Act.

Quid, responde quæso, ità pingue corpus efficere studes? an ut te ad immolandum ducamus? an ut mensæ immolatum apponamus? - Nihil certè corpori nostro ità repugnat, & obest; ut satietas. S. Chrys. hom. 45. in Matth. 13.

Quot canum, curam habent, nè plus, quàm expedit impleantur? ut veloces sint, & venatici; dum fame premuntur, & esurire: se verò non curant, nè crapulentur: & bruta quidem temperanter agere docent; ipsi verò ad brutorum feritatem deducuntur. S. Chrys. hom. 42. ad pop.

Quemadmodum navis, quæ majorem, quàm pro modo suo, mercium vim receperit; oneris magnitudine depressa; submergitur: ità & animus, & corporis nostri natura; si plus alimenti, quàm pro virtute sua acceperit, obruitur; & pondus mercium non ferens, in profundum internecionis demergitur; nautasque, & gubernatorem, & proretam, & navigantes, & ipsum denique onus, cum omnibus perdit. S. Chrysost. orat. de ebriet. & ingluvie.

Quid quæso, vegetum, validumque, studes reddere, quod paulò post est interiturum? Quid teipsum saginas, & carnibus gravas? An ignoras, quantò pinguis tuum tibi corpus, tantò graviorem animæ tuæ carcerem constituis? S. Basilius in Psal. 29.

Mens in Deo, non in patinis, dum editur, existat. Basilius s. quòd corpus instrumento animæ.

Rectè vivendi principium est temperantia. S. Nilus or. 1. de gula.

Exsiccatum lutum jam non porcis usui esse, ut ibi se volutent, potest: ità & caro, per abstinentiam marcida effecta, dæmonibus ultrà non præbebit in se quiescendi in locum. Joan. Climacus gr. 26.

Ad id, quod tibi appositum fuerit, sic manum extendito; tamquam edere coactus sis. B. Isaias Abb. or. 3.

Qui in diversitate, & abundantia vini sobrius est; ille est terrenus Deus. S. Bernardus ep. de gubernat. familiæ ad Raymundum militem.

Insanus labor, omittere curam cordis, & curam carnis agere in desiderio: impinguare, & fovere, cadaver putridum; quòd paulò post vermium esca futurum, nullatenus dubitatur. S. Bernardus s. ad Clericos de cont. Mundi c. 13.

Natura, quæ homini dedit os, parvulum dedit; illud brutis longum, & latum. Natura etiam, quæ tibi duos oculos dedit, duas etiam aures impedit: unum tantùm tibi os exhibuit; in quo tibi edendi mensuram ostendit. Sanct. Bonav. ser. 45.

§. III.

Post cibum oratio.

Fecit ei cœnam magnam. Judith. 6. 19. *postea verò per totam noctem intrà Ecclesiam oraverunt.* v. 21. Ità tibi semper comedendum est; ut cibum & oratio sequatur, & lectio. S. Hieron. ep. 19. ad Eustoch. De hoc etiam Lætam monet de filiola ep. 7. sic comedat, ut semper esuriat; ut statim post cibum possit legere, & psallere. Sit nobis cœna tenuis, & expedita, apta ad vigilias; & quæ à pædagogi disciplina minimè sit aliena. Clemens Alex. 2. pædag. c. 5.

Cùm ergo prandisset. Joan. 21. 15. Cajetanus: Jesus magna mysteria exercuit immediatè post sumptum cibum: nam, & Sacramentum Eucharistiæ instituit post cœnam: & in die Resurrectionis, postquam comedit coram Discipulis, aperuit illi sensum, & dedit Spiritum Sanctum. Joan. 20. 22. Et nunc post prandium committit Petro Pontificatum: ut discas ab exemplo, tam cœnam, quàm prandium sic sumere; ut nullum præstetur impedimentum exercitiis spiritualibus; ut non minùs idonei simus ad exercitia spiritualia. Sylveira hìc.

Diligis me plus his. Joannis 25. 15. Sumpto cibo, de amore oritur quæstio; ut etiam refectione susceptà, firmo sit de virtute: ne homo interior privetur cibo, ei exterior abitus est. Sim. Cass. l. 14. hìc.

Exempla temperantiæ.

Hoc me docuisti: ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. S. Aug. l. 10. Conf. c. 31.

Sic accedebat ad cibum, quasi ad tormentum. Vitæ S. Bernardi l. c. 4.

Gustum, per continuam mortificationem, perdidit; liquores alios pro aliis, oleum pro aqua sumpsit. Ib. l. 3. c. 1.

Mensa ipsis est omnis terra, & montes: cœna autem, ac prandium, herbæ sylvestres, atque agrestes; præcipuus ipsorum potus est aqua ex rivis: vinum autem similiter ex cavernis ac foraminibus petrarum. S. Ephrem serm. in SS. Patres suo tempore defunctos.

TITULUS III.

TEMPLA.

§. I.

Figuræ, & Similitudines.

Quàm terribilis est locus iste! Gen. 28. 17. O quàm amabilis est locus iste! (templum scilicet) terribilis propter potentiam judicis; amabilis propter charitatem Redemptoris præsentis. Dultremam l. 1. c. 4. sect. 12.

Facies propitiatorium de auro mundissimo. Ex. 25. 17. Numquàm legimus, in hoc Mundo Deum instituisse domum justitiæ, qua nos puniret, vel saltem judicaret: Sed, cùm sit Pater, imò Mater clementiæ; domum justitiæ, qua peccatis nostris propitiaretur instituit; non unicam, sed propè infinitas: quot enim Ecclesiæ, tot sunt domus propitiationis. Oleaster apud Escobar t. 3. Coll. Ch. l. 9. sect. 1. obs. 3.

Introduxit me in cellam vinariam. Cant. 2. 4. Per hanc cellam seu *domum*, vinariam, ut est in Hebræo, accipit. Origenes homil. 3. & 4. domum Sapientiæ, putà templa; in quæ inducitur populus fidelis, ut ibi à Doctoribus, & Prædicatoribus, hauriat vinum veræ sapientiæ, id est, cognitionis, timoris, & amoris Dei. Cornelius hìc.

Ædificavit turrim in medio ejus. Is. 5. 2. id est, templum in medio

medio regiæ civitatis ejus. Et torcular extruxit in ea, id est, altare &c. S. Rupertus hìc c. 16.

Ecclesia sanè, quidam locus est medicinæ spiritualis: & eos qui huc veniunt, decet, nè domum redeant; nisi congrua media acceperint, illaque suis vulneribus adhibuerint. S. Chrys. hom. 1. in Gen.

Dominus Dei est cœlo similis; & quemadmodum ex adversariis potestatibus nullam fas est illuc ascendere; ità nec in domum Dei &c. S. Chrysost. in Ps. 133.

Ad Ecclesiam, quasi ad fontem vivum, & ad spiritualem fluvium, convenire debemus: ut accipiamus aquam illam vivam, de qua Dominus dixit: *si quis sitit, veniat &c.* Joan. 7. 37. S. Cæsarius Arel. hom. 34.

Rogo, ut qui ad Ecclesiæ alvearium, quasi ad dulcissimi Christi favum, plena devotione concurrunt; velut apes prudentissimæ, de diversis Scripturarum divinarum floribus, intrare cellulas præparent; ubi sancta, & cœlestia mella suscipiant. Id. hom. 37.

§. II.

Templorum laudes, & nomina.

Ingredare tu, & omnis domus tua, in Arcam. Gen 7. 1. Non aberrabit quis, si profiteatur, Ecclesiam arca illa esse præstantiorem. Etenim arca & excipiebat animalia & conservabat: Ecclesia verò animalia semel suscepta immutat. Ingressus ne est illò milvus? Idem est egressus milvus. Illo introivit lupus? exiit etiam lupus. Huc ingressus est milvus? egreditur columba: introivit? lupus? exiit ovis; non quidem immutata natura, sed explosa malitia. S. Chrysost. Procemio priore in Enarrat. Is.

Verò non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Gen. 28. v. 16. *flantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.* S. Hieron. & alii, *in portis.* Portæ antiquis pro arcibus erant, & principe oppidi munimento; imò pro armamentario. Adversùs invisibiles hostes templa arces sunt, & armamentaria. Doultreman l. 1. c. 4 Sect. 12.

Erexit in titulum. Gen. 28. 18. Titulus hic non tantùm monumentum, sed etiam altare significat. Atque hinc primi Christiani, ad exemplum Jacobi, Ecclesias suas vocarunt *Titulos*, à titulo, id est signo Crucis; & à titulo, id est, nomine alicujus Sancti; in cujus honorem intitulabantur, id est, consecrabantur, & distinguebantur Ecclesiæ: ut titulus S. Praxedis. S. Laurentii &c Cornelius hìc.

Ascendit ad portam, & sedit ibi. Ruth. 4. 1. Booz sententiam Judicum quæsiturus: in portis enim exercebantur judicia. Et de muliere forti dicit Sapiens. Prov. 31. 23. *nobilis in portis vir ejus quando sederit cum Senatoribus terræ.* In templo, non de capite, aut fortuna bonis, sed de æterna animæ salute, cum Deo supremo Judice aguntur causæ; & per Sacerdotes, Ministros ejus fertur sententia. In portis fiebant panegyres, & ad concionem totius urbis, laudes præclarorum hominum prædicabantur. Prov. 31. 31. *date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus.* Et Psalm. 28. 9. *in templo ejus omnes* dicent gloriam. Doultreman antè citatus.

Et elevata sunt Cherubim: ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar. Ezech. 10. 15. In secunda visione videt pro bove Cherubim Pagninus, Fernandius ajunt, vitulum mutasse faciem suam in Cherubim. Sed unde hæc mutatio? primò facta est apparitio juxta fluvium; secunda prope templum: & animal, quod ad Mundi aquas erat bos, ubi accessit ad Dei templum, feritate deposita, mutatur in Sanctum Cherubim. Sylveira c. 19. in Joan. 10. q. 2.

Neque enim tonstrina, aut unguentaria taberna Ecclesia est, aut officina forensis: sed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia cœli, cœlum ipsum. S. Chrysost. hom. 36. in 1. Cor.

Convenitis ad audiendum Deum, - in hac Schola Christi, & Auditorio spirituali. Sanct. Bernardus in Nativ. Sanct. Joan. B.

Vocatur etiam Basilica, Regia, seu Regalis: quia in ea Regi regum servitur. Durandus Ration. div. offic. l. 1. c. 1.

§. III.

Templa amandi, frequentandi, motiva.

Ex Veteri.

Tremor, & horror invasit sensus eorum; nè hoc faceret Jerusalem, & templo Domini. Judith. 4. 2. Palæstina, immemor sui, uni timet Jerosolymæ, templo Domini: nunc verò quisque sibi. Oliva l. 11. Strom. §. Tremor &c.

Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum. Prov. 8. 31. q. d. in aliis ludo; sed cum hominibus delicior; præsertim in templo. Unde Deus templum, vocat sua voluptatem. Psal. 26. 4. *ut videam voluptatem Domini.* Cornelius hìc.

Ostende Domui Israel templum; & confundantur ab iniquitatibus suis. Ezech. 43. 10. Expende, quibus Deus utatur mediis ad pœnitentiam persuadendam. Putassem, Prophetæ dictum, ut clamet supplicia gravia: quasi sit ea virtus templis indita contra peccata; ut, si tantùm videantur, valeant illa penitus expugnare. S. Chrysost. hom. contra Anomæos: quotidie ad hanc congregationem confluamus: nam, si concupiscentia flagras; poteris eam facilè restinguere; tantùm visa hac Domo. Et, si irascaris; facilè bestiam domabis, iram inquam. Et, si aliqua alia affectione impeteris; tempestatem eam facilè sedabis; reddesque pacem, & serenitatem animæ tuæ. Baeza t. 2. l. 6. c. 1. §. 6.

Verumtamen rursus videbo templum Sanctum tuum. Joan. 2. 5. Ecce anchora! intellexit, Deo docente, futurum per divinam misericordiam, ut rediret Jerosolymam, & post Ninivitica peregrinationem, in templum Sion regrederetur. An cogitari potest amantior, aut solidior existimatio, & veneratio, erga sacra altaria; quàm ista Jonæ in tot malis, ac incommodis? Oliva t. 2. conc. 5.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Et introivit Jerosolyma in templum. Marci 11. 11. Formam nobis religionis, quam sequamur, præmonstrat: ut, cùm fortè villam, aut oppidum, aut alium quemlibet locum, in quo sit Domus orationis, Deo consecrata, intramus; primò ad hanc divertamus: & postquam nos Domino per orationum studia commendaverimus, sic deinde ad agenda ea, propter quæ venimus, temporalia negotia secedamus. V. Beda hìc.

Invenerunt illum in templo. Luc. 2. 46. Non in theatro, foro, ludorumve loco; ut pueri solent inveniri: ad innuendum, quòd Filium Dei quærere, & invenire, optantes, templum, oratorium, &c. ingredi debent; non Spectaculorum, aut tumultuum loca. Immò sicut qui libenter est in Ecclesia propter divina, filius Dei creditur adoptivus; tanquam libenter consistens in domo Patris cœlestis: sic qui in tabernis, & locis vanitatum, libenter est, diaboli filius reputatur. Dion. Carthus. hìc.

Venerat adorare in Jerusalem. Act. 8. 27. Quæstor primarius reginæ Candacis ab Æthiopia peregrinatus est Jerosolymam; solo desiderio impulsus, Deum adorandi in templo. Et venit eò per solitudinis æstus, juga montium, pericula fluminum, latronum; cœli mutationes, hospitiorum incommoda, itinerum tædia: aulam relinquens, in qua, ob eximiam potestatem objectus erat malignitati æmulorum, iique poterant in absentem calumniam cadere, & apud reginam facilè accusare. Quale autem erat templum? cujus gratia Jonas in utero ceti exultabant. Joan. 2. 5. Daniel 6. 10. in speluncam leonum descendebat? Satrapa Candacis, aula relicta, in periculum se, suaque, conjiceret? Templum in quo aromata prunis ardebant, & pecorum carnificinæ. Quid illi pro Christianis templis non fecissent? ubi Salvator præsens; ubi æterno Patri æternus Filius immolatur; ubi Spiritus S. in pœnitentes gratias effundit uberimas; ubi peccata remittuntur; ubi populis explicatur Evangelium; ubi Corpus Christi dispensatur Fidelibus; ubi ossa Martyrum pavimento conferunt sanctitatem; ubi cineres Confessorum scintillant ab altaribus. Oliva t. 2. conc. 5.

Omnia amamus, omnia colimus; solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est. Denique, præter alia, quæ id probant, indicat etiam hoc res ipsa, quam dico. Si quando enim usu venerit, quod scilicet sæpe evenit; ut eodem die, & festivitas Eucharistica, & ludi publici agantur; quæro ab omnium conscientia: quis locus majores Christianorum virorum copias habeat? caveane ludi publici? an atrium Dei? & templum omnes magis sectentur, an theatrum? verba vitæ, an verba mortis? verba Christi, an verba Mimi? Non est dubium, quin illud magis amemus, quod anteponimus. Salvianus de provid. Dei l. 6.

Quidam nunquam veniunt ad Ecclesiam (loquitur de Clericis) nisi quando fiunt distributiones: Sicut bubo non venit ad Ecclesiam, nisi propter oleum. Sanct. Bonaventura in Thren. 2.

§. IV.

Templa ædificandi motiva.

Operuit nubes tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud. Ex. 40. 32. Tabernaculo jam exstructo, & piè consecrato, advolat magnus Deus: non se continet; occurrit cum gaudio; ut sua fruatur domo. Similiter 3. Reg. 8. 11. *Impleverat gloria Domini.* Velloso in Judith. 1. Paræn. 3.

Rex Salomon priùs ædificavit Domum Dei, tum sibi. 3. Reg. 6. 1. & c. 7. 1.

Inventum est in Ecbatanis volumen unum. 1. Esdræ 6. 2. Quid in illo? *Cyrus rex decrevit, ut domus Dei ædificaretur.* vers. 3.

Suam

Suam Cyrus curam de templo ædificando mandatam voluit annalibus Perficis: Unde tantum sibi nomen peperit. Is. 45. 1. *hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*. Vellofo ib.

Sicut juravit Domino. Ps. 131. 2. David, cùm de se apud Deum agere vellet: *memento Domino David*. v. 1. uno post versu suum de templo condendo votum explicat: *sicut juravit*. Cur à sui cura mentem ad templum vertit? S. Basilius hic: cujus gratia hoc fecit? quòd hac re potissimùm delectetur Deus. Vellofo ib.

Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes. Eccl. 44. 6. Dion. Carthus. id est, diligenter intenti circa ornatum cultus divini, & templi decorem.

Nunquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis; & Domus ista deserta? Aggæi 1. 4. Docet hic Deus, Fidelibus primam debere esse curam templi, & sacrorum: ac, cùm urbs nova erigitur, primò erigendum esse templum, & cultum Dei stabiliendum.

Et alius Angelus egrediebatur. Zach. 2. 3. Videt Angelum habitu Architecti, *in manu ejus funiculus mensorum*. Rogatus, quo abeat? respondet: *ut metiar Jerusalem*; scilicet ad urbem muro, & templo ornandam. Rupertus lib. 7. de Vict. Verbi c. 19. in ædificatione terrenæ civitatis, & templi, jam & opifices volunt videri, seque certatim ingerunt Angeli. Vellosus citatus.

§. V.

Templa splendida, & sumptuosa.

Fuerunteque Salomoni &c. 3. Reg. 5. 15. Onera portantium, & latomorum, in fabrica templi, erant universim viginti quinquaginta milia. Cornelius hic.

Magna erit gloriam Domus istius novissimæ plus, quàm primæ. Aggæi 2. 10. In quo est major hæc templi secundi gloria? Non in divitiis, nec templi majestate; non in cerimoniis, nec in Sacerdotum Sanctitate: nam omnia hæc multò illustriora fuerunt in templo primo. Ideo 1. Esdræ 3. 12. in instauratione secundi templi lacrymabantur, memores præstantiæ primi templi. Quæ ergo gloria secundi templi? subdit Aggæus v. 8. *venit desideratus cunctis gentibus; & implebo Domum istam gloria dicit Dominus*. Stella in Luc. 2.

Scribit S. Hieronymus ad Paulinum: Adrianum Imperatorem Bethlehem profanasse, erecto ibidem Adonidis simulacro: u in specu, ubi quodam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangeretur. Stetit ibi Adonis per centum octuaginta annos, usque ad Constantinum Imp. quando S. Helena ejus mater, everso Adonide, magnificam Ecclesiam super ipsam specum extruxit: & super ipsum præsepe, in quo Agnus Dei reclinatus est, erexit altare; in quo idem jugiter Deo offerretur, qui ibidem primò pro salute hominum illuxerat. Sed & Constantinus eandem specum regalibus ornamentis, ex auro, argento, variisque aulæis, exornavit: ità ut hæc Basilica Mundi esset miraculum; nec in orbe quidquam ei esset simile. Nam excelsa est admodum, & amplissima. Quilibet ordo habebat quinquaginta columnas, singulari artificio, pretiosissimis sunt incrustati: quocirca ipsi etiam Turcæ, & Saraceni reverenter hoc templum frequentant. Cornelius in Michæ. 5. 2. ex Adricomio &c.

Ædificium Vaticanæ Ecclesiæ vocant ab ædificio Angelicum opus; ab amplitudinæ gigantum: cui nec comparari queunt decantata septem orbis miracula. Globus supremi apicis capit plus triginta quinque personis. Summum altare, quod in medio templi erectum, à Leone Magno vocatum fuit lectus Sanctæ quietis: eò quòd in illo condita essent corpora SS. Petri, & Pauli. Habet unum Cardinalem, Archipresbyterum, trecentos Canonicos, triginta beneficiatos, præter aliquot Sacellanos, & Diaconos. Aringi de Roma nova.

§. VI.

Templa ornantur pietate, profanantur peccatis.

Ex Veteri.

Si aversione aversi fueritis vos auferam Israel & templum. 3. Reg. 9. 6. 7. Si interior animarum cultus deficiat; quidquid magnum, quidquid sublime, exterioris cultus est, Deus abjicit. Babyloniorum rex templum Jerosolymæ incendit. 4. Reg. 25. 9. tres autem pueri in igne innocui. Dan. 3. 24. Cur tam inæqualiter Deus tractat, & templum, & pueros? Rupertus l. 6. de Vict. Verbi c. 25. non poterat hic Deus excelsus templum suum, quod erat Jerosolymis, illæsum custodire à flammis incendii Babylonii, qui tres pueros taliter custodivit in camino ignis? Poterat: sed erudiendus erat Mundus, ut sciret; quòd Deus excelsus, non pulchris lapidibus, aureis, vel parietibus templi manufacti delectetur; sed fidei claritate, & mundi cordibus: & ille est ei optabilis locus. Baeza t. 2. lib. 12. c. 4.

Dirutum à Chaldæo templum. 4. Reg. 25. 9. urbem, & ædem Sacram incenderunt Romani. Isid. Pelus. lib. 1. ep. 73. ut, dum suis non parcit aulis, terrorem iis, qui peccant, injiciat.

Domine, dilexi decorem Domus tuæ. Ps. 25. 8. Decorem Domus dicit, non pulchritudinem parietum, aut ministeriorum pretiosissimos apparatus; sed ipsorum actuum beatissimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Ecclesia: id est, in psalmorum jubilatione, in precum sanctitate, in Christiani populi humillima devotione. Cassiodorus hic.

Nec pepercit, omnia speciosa Jacob &c. Thren. 2. 2. Quæ habebant in ornamentis famosissimi templi, & cultu cremoniarum, quo se gloriosiores cæteris gentibus credebant: quæ nimirum Dominus præcipitavit, & *destruxit in furore suo*. Ut intelligeres, Dominum non ea, sed ipsos requisisse, sibi in cultum, & gloriam nominis sui. S. Paschasius hic.

Ex Novo.

Relinquetur vobis Domus vestra deserta. Matth. 23. 38. Post minas graves Discipuli Magistrum deducunt. Matth. 24. 1. *ostenderent ædificationes templi*. Cajetanus: monstrare volunt templi ædificationes, provocaturi ad misericordiam. Placent Deo sacræ ædes interim, dum fovent pios sensus animi. Quod si Domus Deo erigatur magnifica, non tamen piè colatur; verti ab hoste, & igne perire, sinit Deus. Vellofo in Judith. 1. Paræn. 3. Cur ostenderunt Discipuli ædificium templi? quod noverant frequenter à Christo visum; Ut flecterent eum ad misericordiam: nè scilicet templum relinqueretur; prout paulò antè asseruit. Et quia Discipuli rudes erant; carnalem, & rudem, causam miserendi tetigerunt; ostendendo pretiositatem templi: quasi, propter corporalia illa templi ornamenta, præservandum esset à destructione; & quasi talia Deus ponderaret. Dion. Carthusianus hic.

Non relinquetur lapis. Luc. 21. 6. Si omnia mundi templa, utensilia Deo dicata deperirent, sanctitas, qua salvari homo potest, non deperit. Sim. Cass. l. 9. c. 53.

§. VII.

Templi reverentia commendatur, & devotio in ea.

Ex Veteri.

Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi Domus Dei, & porta cœli. Gen. 28. 17.

Lavabant manus suas, ac pedes; quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii. Ex. 30. 19. 20. Vide, quanta reverentia templis, locisque Deo dicatis debeatur. Quin & Pythagoræ fuit dogma: nudis pedibus sacrifica. Nunc quoque Mauri, & Saraceni, templa, in quibus sacra facturi sunt, non ingrediuntur, nisi calceis depositis: Cornelius in Ex. 3. 5. Solvere jubetur Moyses de pedibus calceamenta, antequam ad montem Dei Horeb, & rubum incombustum appropinquaret. Ex. 3. 5.

Ut confugiat ad eas. Num. 35. 15. Causa asylorum, fuit reverentia templorum, & locorum sacrorum, & ipsius Dei: dum enim Domus Dei habentur Sacro-Sanctæ, & asyla; celebratur ejus gloria, & majestas; misericordia, & bonitas: dum miseros ad se confugientes in suam tutelam recipit. Cornelius hic.

Non audebant olim Dagonis Sacerdotes templi sui limen, in quod amputatas Dagonis manus reperissent conculcare. 1. Reg. 5. 5. Evaginato gladio tenuit Angelus Josue, nè in loco sancto, in quo stabat calceatis pedibus, graderetur. Jos. 5. 15.

Custodi pedem tuum, ingrediens Domum Dei. Ecclæ. 4. 17. Symbolicè pedes. S. Gregorius, August. Basilius, Orig. Hieron. & alii, accipiunt affectus animi: quia, sicut pedibus itur ad locum destinatum, sic affectibus itur ad opus externum. Affectus ergo sunt, quasi pedes animæ, quibus ipsa se promovet ad opus. Sensus ergo est: ingressurus templum custodi pedes, id est, affectus animæ; nè quid animo volvas, aut concupiscas Deo indignum. Cornelius hic.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Venit in spiritu in templum. Luc. 2. 27. Non venit Simeon in spiritu superbiæ; sicut ambitiosi; qui ambiunt primos accubitus: non in spiritu garrulitatis, non vanitatis, non curiositatis &c. Stella hic.

Ascenderunt in templum, ut orarent. Luc. 18. 10. Ad hoc debet quilibet ascendere in Ecclesiam, id est, ad orandum: non ad videndum mulieres; vel prava, & vana, colloquia faciendum: quod tamen multi faciunt. Hugo Card. hic.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est. Philipp. 4. 5. Quia nusquam magis, quàm in præsentia Domini, in templis, modestia cavenda. Mendoza in 1. Reg. 6. 13.

Eccle-

Ecclesiam, non secùs ac cœlum frequenta: nihilque in ipsa, seu loquere, seu cogita, seu terrenum. S. Nilus Cap. Paræn.

Balæna Brittanica, insulæ instar extensa, & ad formam terræ firmæ, fuligine, imò gramine, in dorso obsita; exscendente S. Maclovio è navi, & sacrificante, cœpit loco moveri. Quo animadverso Maclovius belluæ imperavit, ut staret; donec sacra peragerentur, ac sicci vectores in navim rediissent. Stetit, & jussa fecit: ad verecundiam grandium hominum; qui vel in templis sæpe quieti stare nequeunt, donec res divina ad finem perducatur. Stengelius Judic. div. t. 2. c. 14.

Abyssinorum (qui fidem Christianam profitentur, sed superstitionibus Judaicis habent inquinatam) nemini licet, nisi nudis pedibus, templum ingredi: in quo qui riserint, sermocinati fuerint, aut deambularint; profani habentur, & scelesti. Petrus Janicus thes. rer. Indic. tom. 2. c. 14.

§. VIII.

Commendatur in templo silentium; arguitur garrulitas &c.

Craticulamque in modum retis æneam &c. Ex. 27. 4. Circa altare hoc erant maxima multitudo Sacerdotum, & Levitarum; & præsertim in festis, cùm multæ immolandæ essent victimæ: alii enim eas mactabant, alii excoriabant, alii secabant, lavabant &c. miro omnes silentio, & reverentia. Aristæus lib. de septuaginta Interpretibus: silentium tantum inest; ut, cùm septingenti ferè ministrorum continuò adsint, & offerentium libamina sit multitudo ingens; nec unum quidem hominum in loco versari putes: summa namque veneratione, & magna pietate cuncta perficiuntur. Cornelius hic.

In templo ejus omnes dicent gloriam. Ps. 28. 9. Audiant hæc psalmi verba ii, qui longos, alienosque, in templo edunt sermones. Qui in templo Dei est, non vana, scurrilia, probrosa loquatur verba; sed *omnes dicent gloriam*. Adsistunt, verba describentes Angeli; adest & Dominus, affectus intrantium considerans: preces cujuslibet Deo manifestæ sunt. S. Basil. hic.

Nihil Ecclesiæ tam congruum, quàm silentium, & tranquilitas. S. Chrysost. hom. 38. ad pop.

Olim templi foribus inscriptum erat, *silentium*. Teste S. Chrysost. hom. 1. in 1. ad Timoth.

§. IX.

Contra irreverentiam in templo.

Fili hominis; putasne vides tu, quid isti faciunt, abominationes magnas, quas Domus Israel facit hic? &c. Ezech. 8. 6. *Ergo & ego faciam in furore meo: non parcet oculus meus; non miserebor*. v. 18.

Ipse autem Ariel quatuor cubitorum. Ezech. 43. 15. Ariel, id est, *leo*. Præferebat altare formam leonis: ut ad id sacrificaturi accedentes recordarentur, Deum similem esse leoni, qui irreverentes discerpat. Cornelius hic.

Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Matth. 21. 13. Ecce tibi amplissima domus, multo ædificata studio, summa arte exornata; ab impietate, & vitiis, habitantium eam faciem sumit; ut Deo rudis, & inculta, spelunca appareat. Baeza t. 2. l. 12. c. 4.

Et accesserunt ad eum cæci in templo. ib. 14. Aptè à Domino, post contemptores templi ejectos, mox cæci sanantur. Cæcitate enim laborant, qui in templo se irreverenter gerint. Jacob Gen. 28. 16. exclamat: *verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*, Jacui, somno indulgebam; dum deberem procidens adorare, & cœlestia meditari. *Et ego nesciebam*; mentis certè cœcitate laborabam. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 2. sect. 2. obs. 1.

Domus mea domus orationis vocabitur. Ib. Hi ementes, & vendentes, non degebant in ipso templo propriè, sed in atrio templi; imò in atrio omnibus gentibus communi: & tamen inde à Christo ejecti sunt. Quid ergo faciet Christianis in templo ipso coram Venerabili indigniora patrantibus? Cornelius hic.

Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem. Matth. 24. 2. Tunc Discipuli quærunt: *dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* Nota: Christus Dominus loquitur de templi ruina: unde Apostolis venit in mentem totius orbis dissolutio? Judicant ergo, excisso templo, orbem ruiturum; nec stare posse, religione sacri loci profanata. Sylveira in Act. 4. 1.

Cùm fecisset quasi flagellum. Joan. 2. 15. Non legitur in Evangelio Christus percussisse aliquem, nisi hic. Multa peccata fiebant in Jerusalem &c. Nota, quàm displicat Deo irreventia in templis. S. Vinc. Ferr. D. 10. Trinit.

Nunc autem foro nihil differt Ecclesia. Si quis corrumpere matronam conatur, locum hunc maximè idoneum putat. Emere quid, aut mercari lubet; magis idoneum Ecclesia est, quàm forum. Sæpius enim de his rebus, quàm in ipsis officinis loquuntur. S. Chrysost. 36. in 1. Cor.

Tunc etiam domus Ecclesiæ erant; nunc verò Ecclesia domus; imò domo qualibet profana magis. Nam in domo quidem, ordo servari solet: hera thronum occupat, famulæ tacitè texunt; hic verò magnus tumultus; nihilque à caupona differunt nostra. Tanta turba, tantus risus, quantus in balneis. Domino cœlitus de tam stupendis rebus nobiscum loquente, canibus impudentiores sumus; scortis reverentiæ plus, quàm Deo exhibemus. Inhorrescitis? cùm ista auditis? quin magis adeò facientes horrescite. Sanct. Chrys. hom. 36. in 1. Cor.

In hanc probrositatem morum. Itaque Ecclesias, vel potiùs templa, atque altaria Dei, minoris reverentiæ quidam habent; quàm cujuslibet minimi, ac municipalis judicii domum. Salvianus de Provid. Dei l. 3.

Stephanus Papa VI. cùm animadverteret, à nonnullis irreverentiam templo exhibitam; dum ipse Missam celebraret, sub ipsa Missa ad populum conversus exclamavit: Pavescite illum, qui flagello facto de funiculis ejecit vendentes de templo. Schonleben Disc. 27. in Dedic. Eccl.

T I T U L U S IV.

T E M P U S.

§. I.

Symbola.

Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves. Gen. 41. 1. 2. Ideò ascendebant de flumine: quòd dies, anni, ac tempora, fluminis prætereunt modò, & cursim labuntur. S. Ambros. offic. l. 2. c. 16.

Tempus rotæ speciem imitatur: utpote quòd in se torqueatur, & convolvatur. S. Isidorus Pelusiota l. 2. ep. 158.

Rosa Sinensis in patrio solo unicam diem vivit; & ut veluti florum dies. Matutino cum albore albicat, cum meridiano ardore flammeola est, cum luce noscente purpurat: at verò nostratibus in hortis hospes, biduo, triduoque, vivax. Ex Rosa Joan. B. Feirarii l. 4. c. 6.

Stella temporis est hieroglyphicum: qui nihil in toto Mundo statam temporis legem magis observat, quàm cœlestia corpora. Pierius Valerianus hierog. l. 44.

§. II.

Tempus pretiosum; bene eo utere.

Ecce video cœlos apertos. Act. 7. 55. Moneta, celebris Boniniæ Doctor, ad capessendum. S. Dominici institutum, permotus cujusdam ex eo ordine concionatoris, hæc verba S. Stephani explicantis, voce dicentis: ecce nunc cœli aperti sunt volentibus introire; sed mox in æternum claudentur iis, qui hoc vitæ, & bene agendi, tempus neglexerint. Ità Chron. Ord. p. 1. l. 1. c. 37.

Quid in crastinum differs? potes & hodiernum diem lucrari. Cavendum est, nè & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel horæ unius: & una hora totius vitæ portio est. S. Ambros. ep. 82. ante finem.

Omne tempus opportunum ad indulgentiam. Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, cras veniam; sed jam exigis: aurum accipere nemo differt, nullus excusat. Redemptio animæ promittitur; & nemo festinat. Sanct. Ambros. s. de Elia, & jejun. c. 22.

Deputentur tempora, distribuantur horæ, pro salute animæ. S. Aug. l. 6. Conf. c. 11.

Pars modica temporis fœnerata Deo, non solùm ipsa non deperit; sed cum magnis ab eo reponditur incrementis. Salonius Explic. in Ecclesiasten.

Dedit tibi vitam Deus, ut se coleres; tu eam incassum, & inutiliter consumis. Quæris, quod sit damnum? si vel parum argenti temerè consumpseris, id omnino summum appellas: sin totos dies in diaboli operibus consumpseris, nihil amisisse opinaris. S. Chrysost. hom. 57. in Joan.

Totum diem in iis rebus, quæ ad corpus spectant, insumis; & duas horas spiritualibus non vacas? Idem orat. de non contemnenda Ecclesia Dei.

Delectabile tempus, quod præterlabitur, & formidabile: delectabile propterea, quòd sui fruendi persuasionem hominibus ingeneret; formidabile; quod super vita futurum Dei judicium latenter inducit. Vita enim hominibus certamen est, & Creator arzonauta; qui evacto vitæ cursu, finem distribuens congruentem, virtuti coronas plectit, vitiosis verò moribus judicium apparat. S. Basilius Seleuc. or. 27.

Væ

Væ delicias *sectanti! tempore enim exiguo* tamquam vitulus ad mactationem *paratur*. S. Nilus Cap. Paræn.

Dedimus corpori annum; demus animæ dies: impendimus nobis tempora; *tempus deputemus* Authori. Vivamus Deo paululùm, qui sæculo viximus totum. Sanct. Chrysol. ser. 12.

Quanti *tempus sit*, quis cordes percipere? quisve humana valet referare facundia? illum noverunt optimè, qui eo carent. Omnem siquidem Mundi substantiam, honores prælationum, sæculi pompam, corporis voluptates, & quidquid sub cœlo creatum est, delectabile, atque jucundum; pro unus horæ spatio, si possent, voluntariè commutarent. Hi sunt, *quibus* misericordia jam fecit occasum; qui irrevocabiliter in lacum miseriarum descenderunt. Sanct. Lau. Just. l. de vita solit. c. 10.

O Domine, Deus! vitæ meæ quot temporæ effluxerunt, in quibus sine fructu vixi! coram te quomodo subsistam? quomodo ad te levare potero faciem meam, in illo Magno, & terribili examine; quando enumerare jusseris omnes dies meos, quærens fructum in eis! Idem de incend. div. am. cap. *6*.

Nihil pretiosius tempore: sed heu! nihil hodie vilius æstimatur! Transeunt dies salutis, & nemo cogitat: nemo sibi non reditura momenta periisse causatur. S. Bernardus s. de Verb. Petri: ecce nos &c.

Nemo vestrum, fratres, parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis: siquidem tempus acceptabile est; & dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile; nec advertit insipiens, quid amittat. Libet confabulari, ajunt, donec hora pertranseat. O! donec prætereat hora? ò donec pertranseat tempus? donec hoc prætereat; quàm tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam; miseratio Conditoris indulget. Donec transeat tempus; quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem, Sanct. Ber. ser. de triplici custodia.

Tempus, quod ad pœnitentiam nobis divina clementia concessit, si perditum fuerit, in æternum recuperari non poterit: unde nulla jactura gravior est nobis, quàm jactura temporis perditi. S. Bonav. s. 37. D. Septuag.

Ultimum periculum, est temporis ablatio, & cessatio. Modico tempore potest homo lucrari veniam, & gratiam, & gloriam. O si talis mercantia ad infernum portaretur, solum tempus dimidiæ horæ ad pœnitendum; emerent illud pro mille Mundis, si possent. *Veniam ad te tamquam fur*, ait Dominus. Apoc. 3. 3. Fur ad hoc venit, ut thesaurum indiligenter custoditum tollat. *Thesaurus utique indiligenter custoditus* est pretiosissimum tempus: quod meritò Dominus peccatori tollit, qui malè vivendo in lucro non ponit. S. Bernardinus t. 1. serm. 13. Art. 3.

§. XIII.

Tempus breve.

PRimò manè circa horam tertiam. Matth. 20. 1. 3. Dies hujus sæculi spatium est: qui quidem dies nobis longus videtur; sed, si cum æternitate Dei conferatur, est brevissimus. Origenes hom. 10. in Matth.

Unuscujusque hominis vita quanta est? adde quantoslibet annos; duc longissimam senectutem; quid est? nonne aura matutina? August. conc. prima de prima parte Ps. *36*.

Æternitati comparata brevis est omnium temporum longitudo. S. Hieron. ep. *139*. Cypriano.

Dies horarum, septimanæ dierum, menses septimanarum, anni mensium, labuntur instar. B. Theodorus Studia serm. 120.

T I T U L U S V.

TENTATIONES.

§. I.

Symbola.

SI ambulavero in medio umbræ mortis. Psalm. 22. 4. Medium umbræ mortis agnoscimus vitam tentationis. Sanct. Chrys. hìc.

Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ &c. Ps. 68. 2. Hæc est deprecatio pœnitentis, vel tentati; loquentis ad modum naufragantium, quorum navis rupta est, & impletur aqua: tunc deprecantur Deum, ut salvas possint facere animas suas tantùm, id est, vivi possint evadere. Hugo Cardin. hìc.

Ventus turbinis veniebat ab Aquilone. Ezech. 1. 4. Ventus turbinis ab Aquilone venit, quando frigidus à charitate Dei diabolus flavit; & turbine tentationis genus humanum in primis parentibus à beatitudinis statu dejecit. Sanct. Rupertus c. 3. in Ezech.

Motus magnus factus est in mari. Matth. 8. 24. Tempestas etiam oritur Apostolis: quia sine tentatione esse nemo possunt. S. Ambros. l. *6*. in Luc. 2.

Quotiescumque in tentationem incideris; scito malleum diaboli esse. Origenes hom. 3. in Jerem.

Quasi quædam vestis animæ, caro est. Sed hæc nimirum vestis habet tineam suam: quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, ex qua lacerantur. S. Greg. mor. l. 5. c. 29.

Quid est Mundus iste, nisi quidam spiritualis venationis locus? in quo tot tenduntur laquei, quot immittuntur tentationes, seu ad delinquendum hominibus emergunt causæ. S. Laur. Just. l. de cont. Mundi c. 18.

Quælibet tentatio, nuntius est Infernalis inimici; qui nos requirit ad ei consentiendum: & ut omnia nostra perdat, ac rumpat, fidelitatem suam, quam Deo, & Domino suo debet, & sponso. Et secundùm quod anima resistit plùs, aut minùs; secundùm hoc custodit illa meliùs, aut pejus, fidelitatem, & gratiam sponsi sui. Gerson. de differr. mort. & venial.

§. II.

Tentationum utilitas.

Symbola.

PRofectique de Mara venerunt in Elim. Num. 33. 9. *ubi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ septuaginta*. Mara interpretatur *amaritudo*. Vides, post tentationis amaritudinem, ad quantam deveniunt & dulcium pomorum, & aquarum profluentium amœnitatem? Per tentationis itaque pugnam perducuntur ad palmas; & per sitis intolerandæ penuriam ad irriguam veniunt aquarum viventium affluentiam. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 7.

Dabit pro terra silicem. Job 22. 24. Terra peccator est. Ps. 1. 4. *tamquam pulvis*, quàm dæmon hùc illùcque jacta: cùm justus efficitur, si lex est: ictus scintillas producit. Tentatus Deum invocat, cœlum suspirat, proponit, &c. Osorius D. Epiph.

Surge Aquilo &c. Cant. 4. 16. Volo permittere, quòd surgant diversa genera tentationum, & perflent, id est, stimulent hortum meum, id est sponsam meam; & fluent aromata illius. Quia per tales stimulationes tu mereberis, & redolabis *congruo modo*. Aquilo enim est ventus frigidus; auster verò est ventus calidus: & significant omnia genera tentationum; & omnia, quæ possunt inclinare ad malum. Quia quicumque malè agit; vel hoc facit ex timore infrigidante, vel ex amore malè inflammante. Sanct. Thom. Aqu. hic Lect. 2.

Orto sole æstuaverunt. Matth. 13. 6. Per solem orientem intellige tentationes: eò quòd tentatio ostendit homines, & declaret, quales sunt: sicut sol manifestat abscondita. Theophylactus hìc.

Sicut caro, quàmvis præcipua sit, nisi sale aspergatur, corrumpitur: ità & anima; quantumvis perfecta, nisi assiduis saliatur tentationibus relaxatur. S. Ambros. tr. de 42. mans. fil. Isr. Decima octava mansio.

Testimonia.

Ex Veteri, Novo, Patribus, & aliis.

Vir erat. Job 1. 1. B. Job de virtute, & fortitudine animi, contra tentationes, quas, diabolo instigante, sustinuit; vir appellatus est. V. Beda hìc.

Tempus belli, & tempus pacis. Eccle. 3. 8. Qui bellum gerit contra spirituales nequitias, pacem cum Deo habet. Et in hac quidem vita tempus est assiduè pugnandi contra principatus, & potestates: qui verò palmam consequetur, deinde in futuro sæculo lætabitur in deliciis, & in multitudine pacis. Olympiodorus hìc.

Erat navis in medio mari. Marci 6. 47. Discipulos tentari permittit, ut discant patientiam. Nam propterea non statim illis assistit; sed tota nocte finit in tempestate esse: ut doceat, fortes esse; & non in principio tentationum sperandam requiem. Theophylactus hìc.

Illud scientes, Martyrii occasionem esse quamvis tentationem. Clem. Alex. Strom. l. 4.

Meritò non solùm ab incipientibus, verùm etiam à proventissimis, Sanctis uniformiter Dominus supplicatur, & dicitur: *& nè nos inducas in tentationem*. S. Ambros. l. 2. de vocat. gent. c. 9.

Cogitur adversarius Sanctos Domini ad sua damna tentare. Dum enim tentat, meliores reddit; ut, qui tentatur, possit alios instituere, qui sui ipse invalidus videbatur. S. Ambros. in Ps. 43. Et inter gentes &c.

Nulla

Nulla sunt sine tentationum exprimentis opera virtutis; nulla sine perturbationibus fides; nullum sine hoste certamen; nulla sine congressione victoria. Sanct. Leo ser. 1. de Quadragesi.

Hoc ipsum de misericordia protegentis est; qui naturæ mutabili, nè de consecto prœlio superbiret, semper voluit superesse, quod vincat. S. Leo s. 1. de jejunio Pent.

Et qui fieri potest, dicet aliquis, ut Martyres imitemur? non enim persecutionis est tempus. Equidem id etiam scio persecutionis quidem tempus non est; ut martyris est tempus. Non persequuntur homines; at persequuntur dæmones: non vexat tyrannus; at vexat diabolus tyrannorum omnium sævissimus: non objectas prunas conspicis; at cupiditatis conspicis flammam accensam: illi cum bestiis pugnarunt; tu iram, immitem, & indomitam, belluam fræna: illi adversùs intolerabiles dolores steterunt; tu absurdas, pravasque, cogitationes, quæ in corde tuo pullulant, vince: ità Martyres imitabere. Sanct. Chrysost. t. *6*. Laudatio S. M. Barlaam.

Mos est Deo, ut non liberet à periculis viros virtute claros; neque à tentationibus liberet: sed in ipsis tentationibus tantam suam declarat virtutem; ut tentationes ipsæ eis fiant occasio lætitiæ magnæ. Sanct. Chrysost. hom. *62*. in Gen.

Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem; si propterea posset bene vivere, qui à nemine malè vivere suaderetur. V. Beda in Gen. 3.

Quot habeat Christus milites, certamen ostendit; qui triumphum mereatur, per bella cognoscitur. Ennodius l. 2. ep. 14.

Si homini videtur dura via virtutis, quia continuò oportet nos pugnare adversùs carnem, & diabolum, & Mundum: recordetur, quòd, quamcunque elegerit vitam, etiam secundùm Mundum, multa illi adversa, tristia, incommoda, laboriosa, patienda sunt. Idiota Regul. 1.

Desperant aliqui de Dei bonitate, si non suavitatem dulcedinis suæ experimento jugi gustent: quasi jam esse velint, non spe, sed ipsa re, beati; & possidere hæreditate sanctuarium Dei: neque esse in laboribus hominum; neque cum hominibus per tentationes flagellari. Ps. 72. 5. Gerson. de consolat. Theolog. l. 2.

Frequenter, dum graviter nocere cupit hostis, prodest admodum: & proficit in tantum; quòd crebro hominem tentare desistit, nè, tentationem superando, mereatur. Gerson. opusc. de div. tent. diaboli.

§. III.

Tentationibus resistendi motiva.

Num. I.

Deus, & gratia ejus, adjuvat.

NOli timere: plures enim nobiscum sunt. 4. Reg. *6. 16*. Et nos dicamus, quoties ab inimicis Christi visibilibus, seu invisibilibus, circumdamur. Dicamus, inquam, fidem habentes, spem retinentes, charitate Deo propinquantes: noli timere, ò anima, noli timere Ecclesia: *plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis*. Nobiscum est Dominus, nobiscum est Angelorum exercitus, nobiscum est spiritualis pugnæ princeps, & victoriæ opifex, Spiritus Sanctus. S. Rupertus l. 5. c. 33. in libros Reg.

Ut tentaretur à diabolo. Matth. 4. 1. Meritò nos D. N. J. C. jejunio suo, atque deserto, adversùs voluptatum informat illecebras; & tentari se Dominus omnium à diabolo patitur, ut in illo omnes vincere disceremus. S. Ambros. l. 4. in Luc. 4. Propterea tentari se passus est Imperator; ut doceret militem dimicare. S. August. s. 63. de divers. Rectè ergo continuò docturus, primùm tentationes nostras in semetipsum admisit, & vicit; atque vincendo, milites suos vincere voluit. S. Rupertus l. in Evang. c. 15. Sicut pro nobis, & pro nostra salute, unigenitus Dei dignatus est incarnari, circumcidi, baptizari, crucifigi; ità & tentari: ut nobis virtutem, & gratiam, triumphandi in omni tentatione promereretur. Dion. Carthus. in Luc. 4.

Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei. Act. 7. 55. Incunctanter offert sanguinem suum, qui præ oculis habet Regem suum; simul & bravium suum. Euseb. Emiss. hom. de S. Stephano. Vidit stantem: quia stare proprium est adjuvantis in prœlio. Lyran.

Non patietur vos tentari supra id, quod potestis. 1. Cor. 10. 13. Adverte, distributas à Domino tentationes, secundùm eorum, qui tentantur, vires. Qui enim noverat; neminem, nisi Christum, victorem evasurum, ex præsentata Mundi monarchia; eum solum voluit ea tentari. Similiter de dignitate Messiæ, qua solum Joannem pulsari voluit. Joan. 1. 19. quia solum noverat eam refutaturum. Oleaster.

Qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. S. Cyprianus ep. *9*.

Plena sunt angelorum omnia, aer, terra, mare; Ecclesiæ, quibus Angeli præsunt. Adsunt Cherubim, & Seraphim; qui dicunt Sanctus! Sanctus! Sanctus! Plenus est Mundus Sanctarum Virtutum; quia plenus est nequitiarum: plenus est orbis terrarum remediis; quia plenus est laqueis. S. Ambros. Oct. 1. in Ps. 118.

In tua pugna Dominus congreditur, Dominus dimicat: prœlium tuum, Christi est prœlium: peremptio hostis, gloria est Imperatoris. Sanct. Chrysost. s. in illud Sap. 3. justorum animæ.

Adamante solidiores nos Dei gratia efficit; & si volumus, omnino impugnabiles. Itaque sicut qui adamantem tundit, nihil adamantinocet; sed seipsum fatigat, & robur suum imminuit: in hunc modum res se habent nostræ cum salutis adversario; si armis, quæ nobis Spiritus S. gratia exhibet, conti nuò nos muniamus. S. Chrysost. hom. 4. in Gen.

Quid nocere poterit eorum, quæ sub cœlo sunt; quem Deus cœli protegere, & conservare voluerit. S. Barnardus ser. 1. sup. qui habitat &c.

Ex quo argumento magno factum est nobis, quòd neminem Deus in tentationibus, & tribulationibus derelinquit; ut non ministret de superis necessariam omnino virtutem; confortet angelicè, qui humanè succumbit; comedat de cœlis, quod non reperiatur in terris: ut & velut corporeus, & passibilis, sustineat passiones. Sim. Cass. l. 13. c. 13. Luc. 22. confortans eum.

Post gravissimas tentationes. S. Antonius sentiens præsentiam Domini; ubi eras, ait, bone Jesu? ubi eras? Quare non à principio adfuisti, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta, Antoni, hic eram; sed expectabam videre certamen tuum. Præfat. vitæ S. Antonii.

Num. II.

Tentationibus possumus resistere; nostra ignavia vinciamur.

Ex Veteri.

Cùmque levaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Ex. 17. 11. Orat Moyses, & vincit; cessat, & vincitur. Didicit Christianus, quid gerat; invenit, quid fugiat. Didicit, inquam, unde aut vincatur, aut vincat: quamvis instantiùs Christiano orandum sit: & quia periculosior hostis est, & pro seipso, non pro altero pugnat. Unde apparet, vires hosti illi dare, qui cessat; & sese ei subjicere, qui non orat: quod totum est, odisse sua, & diligere aliena: sibi ipsi hostem existere, dum contra hostem nolit jugiter exorare. Hostis enim, dum oras, premitur; dum cessas, erigitur. S. Chrysost. t. 1. s. de Moyse. Nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere nolit; dum orando cessarit: & tamen in Moyse corpus deficiebat, non voluntas aliquando cessabat. Si ergo fragilitatis causa in Moyse excusare non potuit, quemadmodum in nobis voluntas poterit excusari? S. Rupertus l. 3. in Ex.

Securi erant, & nihil adversi suspicabantur. Judic. 8. 11. Israelitæ de tribu Dan, vidisse dicuntur populum habitantem in quadam regione, absque omni timore securum; indeque audaciam sumpsisse ad illum invadendum. Sic dæmones se animant &c. Diez conc. 2. D. 5. Epiph.

Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum, repentè ventus vehemens irruit &c. Job 1. 18. Notandum, quæ tempora tentationibus congruant. Tunc quippe diabolus tentandi tempus elegit; quando B. Jobi filios in convivio invenit. Neque enim solummodò intuetur hostis, quid faciat; sed etiam, quando faciat: nam quamvis potestatem acceperit; aptum tamen ad subversionem tempus exquisivit. S. Gregor. mor. l. 2. c. 9.

Aperi mihi soror mea. Cant. 5. 2. Ponit his verbis rationes, ad suadendum peccatori, ut aperiat Deo. Cùm ait: *aperi mihi*, insinuat, aperuisse peccatorem aliis, vel aperire solere. Etenim ad januam cordis stat etiam diabolus pulsans; sed alio modo, quàm Deus. Sicut enim in palatiis regnum plures sunt ordines portarum, antequam perveniatur ad secretum cubiculum: ità cor hominis plures continet ordines portarum. Quinque sensus sunt portæ; magis intimæ sensus interni, phantasia, appetitus sensitivus: per quas etiam intrat diabolus, & vehementiùs pulsat; cùm fœdas cogitationes excitat, & immittit; quas David Ps. 77. 49. vocat *immissiones per angelos malos*. Et sic *misit diabolus in cor Judæ*. Joan. 13. 2. ut traderet Christum. Diabolus quidem immisit; sed Judas admisit, & consensit: & ideò ad possidendum cor ejus intravit; cùm tamen illam immissionem potuisset repellere. Universa enim potestas diaboli non ampliùs se extendit, quàm ad pulsandum ad has januas: at ulteriùs est intimior cordis janua ad superiorem spiritus partem, ad quam solus Deus immediatè pulsare po-

potest; immittendo in intellectum, vel voluntatem, pias cogitationes, & ferventes affectus. De Ponte hic Exh. 8. §. 1.

Ex Novo.

Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Matth. 4. 6. Tentat etiam Simonem Magum, ut per aera volitet. Cur tam diversimodè tentat? Hic valde superbus; à quo multùm distat Christus. S. Greg. M. l. 14. c. 7. intuetur inimicus generis humani uniuscujusque mores; cui vitio sint propinqui: & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit faciliùs inclinari mente. Job 41. 4. *quis revelabit faciem indumenti ejus?* q. d. quis diaboli vestem ex forma discerneret? Sylveira hìc.

In montem excelsum valde. Matth. 4. 8. Ut locus esset occasio consentiendi tentationi: sciens, ex mutatione locorum sæpe mutari affectum. Dion. Carth. hic.

Descendit pluvia, & venerunt flumina & cecidit &c. Matth. 7. 27. Quis illam domum demolitus? non sola tempestas, nec ventus: nam aliàs & altera domus destrueretur; sed malum fundamentum fuit causa. Ità tentationes, quæ malos, & probos impetunt, eædem sunt. Cùm aream ventus sufflat; paleas secum fert; triticum manet. Causa non solùm ventus, sed palearum levitas: Te non ducit tentatio, sed tua voluntas, quæ nihil ponderis habet in virtute. Impii, *tanquam pulvis, quem projicit ventus.* Ps. 1. 4. Justi sicut *planatum lignum.* Stella in Luc. 4. Pluvia notat tentationem Mundi; flumina carnis; venti diaboli. Pluvia enim ex alto descendens, terramque irrigans, inflans, tumentemque efficiens; notat ambitionem honorum, & cupiditatem opum, quas affert Mundus. Flumina, quæ ex terra oriuntur, & domum circumlambunt; notant tentationes carnis, quæ ex ipsa carne oriuntur; eamque oblectando, quasi circumlambunt; ut à puritate, quam lex Dei præscribit, desistat. Venti, qui ex aere invisibiliter in domum inflant, sunt tentationes diabolis invisibilis. Cornelius in Matth. 7. 27. Hominis vitium est, si cadat: tentatio hominem manifestat. Malè compacta navis etiam levi tempestate solvitur: rupes decumanis quoque fluctibus sine damno quatiuntur. Illud discrimen Salvatori indicat exemplo sapientis, *domum supra petram ædificantis super arenam.* Iisdem pulviis, fluminibus, ventis, utraque concutiebatur. Domus sapientis stetit; stulti collapsa est. Quis causa lapsus? non venti, non flumina, non pluviæ; alioquin etiam domus Sapientis corruisset. Causa igitur fuit arena; in qua domum suam stultus malè fundavit: non cecidisset, si firmum fundamentum posuisset. Stengelius div. Jud. t. 4. c. 56. Vides, quòd non tentationum inflictus, sed ædificantium stultitia, ruinam fecit. Etenim illic pluvia, & hìc pluvia; illic flumina, & hìc flumina; & illic ventorum incursus, & hìc idem: ille ædificavit, & hic ædificavit: & eadem ædificatio, & eædem tentationes; & non idem finis: quoniam non idem fundamentum. Non enim tentationum natura, sed ædificantis imprudentia, ruinam fecit; alioquin oportnisset & domum supra petram ædificatam cadere. S. Chrysost. hom. 4. ad pop. *Superseminavit - & abiit.* Matth. 13. 25. Dæmon superseminare tantùm potest malæ cogitationis zizania: ut fructum pariat, nequit efficere. Tentare potest, ut assentiaris tentationi; efficere non potest. Unde, postquam seminat, abit: quasi id jam fecerit, quod potest; reliqua tibi facienda relinquit. Nisi terra excipiat, & foveat; fructum non ferent. Barradius D. 5. Epiph. t. 2. l. 9. c. 3.

Cùm dormirent homines &c. ibidem. Diabolus ad nocendum, ex negligentia nostra, occasione utitur. Diez conc. 2. D. 5. Epiph.

Orate, nè intretis in tentationem. Luc. 22. 46. Non dicit, nè tentatio intret ad vos; sed nè vos intretis in illam: quoniam primum involuntarium est, secundum verò voluntarium. Cajetanus hìc.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Rom. 6. 12. Notat S. Chrysost. & Theodoretus: non dicit, non tyrannizet, quasi invitis vobis, peccatum: quia peccatum in nobis regnare non potest; nisi nobis volentibus, illudque spontè acceptantibus; ac consequenter tyrannizare nobis non potest. Cornelius hìc.

Habebat loricas igneas. Apoc. 9. 17. Duplicia sunt arma: offensiva, ut gladius, lancea, sagittæ: defensiva, ut lorica, scutum. Cur hi equites non habent lanceas? Respondeo: quia hujus exercitus duces sunt dæmones; qui nemini possunt nocere, nisi ei se submittat. Sylveira hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Cùm diabolicis anima subesse suasionibus cœperit; quantò se hosti callido crebriùs subjicit, tantò eum sibi intolerabiliorem facit: ut ei jam in nullo resistere valeat, uti in uno sui oblita assensum præstat. S. Gregorius in Ps. pœnit. Ps. 3. Quoniam iniquitates supergressæ &c.

Si spiritus dominantis ascenderit in te, locum tamen non deseras; si ostium occluseris, minimè tibi nocebit. Si verò neglectè susceperis concupiscentiæ incitationem; radices in te figet, & mentem tuam ligabit, & te detrahet in foveam malorum. S. Cyrillus Jerosol. Catech. 2.

Liberum arbitrium habet anima: & potest quidem diabolus incitare, cogere autem, præter voluntatem, omninò non potest. Subjicit tibi scortationis cogitationes: si vis, probas; si nolis, improbas. Si enim ex necessitate scortareris; cujus gratia Deus gehennam parasset? Et si natura, & non voluntate, justè ageres; cur Deus coronas pararet? Mansuetum est animal ovis; neque tamen illa propter mansuetudinem coronatur: quoniam illa mansuetudo non ex voluntate, sed à natura illi inest. Idem Catech. 4.

Quemadmodum hasta; quæ in clypeum incidit; si mollis quidem sit, eum exscindit; duro autem repugnanti, nihil facit; sed reflexa acie, vana, & inutilis excidit: ita etiam usuvenit in anima. Si mollem enim & delicatam, invenerint tela, quæ mittuntur à diabolo; in profundum pervadunt: sin autem duram, & validiorem, & ipse abit re infecta, & ei nihil mali facit. S. Chrys. in Ps. 9.

Non est ampliùs apertum bellum, nec ex æquo instructa acies. Sed ille quidem jacet pronus, & procumbens; tu autem stas erectus, ex alto eum feriens: ille quidem enervatus; tu verò robustus, & validus. Qui sit ergo, ut sæpe vincat? hoc fit ex nostra ignavia; & ex socordia eorum, qui dormiunt. Idem in Ps. 123.

Filius prodigus cupit implere ventrem de siliquis porcorum & nemo illi dabat. Per siliquas porcorum diversas cogitationes intelligimus; quibus maligni spiritus tanquam porci incrassantur; quæ aliquando cupienti non dantur: frequenter enim homo plus peccat, quàm diabolus suggerat; prævenit enim homo frequenter diabolum. Unde Ezech. 16. 27. *dabo te in manus odientium filiarum Palestinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata.* Grandis pudor! quòd diabolus erubescit de peccato hominis, quod ei non suggerit; & homo non erubescit. S. Antonius Pad. Dom. post Trinit.

Ostium mentis voluntas est, seu consensus ejus: quod & bono, & malo, à libertate arbitrii, per assensum, & dissensum, aperiri, & claudi potest. Ex quo patet, quòd liberum arbitrium portarius est, ad aperiendam hanc januam voluntatis. S. Bernardus t. 3. s. de amore inter Deum, & hominem.

Voluntas libera est janitor animæ: quia quodcumque pulsaverit ad januam visus, vel auditus, vel alterius sensus; voluntas statim adest, ad aperiendum, vel excludendum; hoc est, ad volendum, vel fugiendum. Si bonum occurrat, & voluntas hoc velit; diabolo aperitur. Et ideo non debet nimis festinanter aperire; sed recurrere ad castri custodem, id est, rationem. Broymard Voluntas libera.

Sicut, cùm fur ad januam, furandi animo, accedit, priùs seram tentat; quam si firmam comperit, spem furandi amittit: ità etiam diabolus priùs seram tentat, id est, quale quisque non peccandi propositum habeat. Quod si firmum invenit, pusillanimis ab incepto desistit. Diez conc. 4. de Incarn. Dom.

Num. III.

Tentationes vincendi motiva.

Ex Veteri.

Scrutare, quidquid tuorum &c. Gen. 31. 32. S. Ambr. l. 2. de Jacob. c. 5. Venit ad eum Laban, id est, *dealbatus*, putà Sathanas, (quia *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* 2. Cor. 11. 14.) & cœpit ab eo sua requirere. Respondit Jacob: nihil tuorum habeo. Quære, si quid agnoscis tuorum vitiorum, & criminum; nihil mecum abstuli fraudum tuarum. Omnia tua, tanquam contagium, refugi. Et quæsivit Laban, & nihil suorum reperit. Quàm beatus vir, in quo inimicus nihil invenit, quod suum possit dicere; in quo diabolus nihil offendit, quod suum agnosceret. *Venit princeps Mundi hujus, & in me non habebit quidquam.* Joan. 14. 30. Nihil est enim, quidquid est diaboli; quod nullam potest habere perpetuitatem, atque substantiam. Apud Corn. hìc.

Irruit spiritus Domini in Sampson, & dilaceravit leonem. Judic. 14. 6. Leo est res ardua, ut gravis tentatio; quàm; instar Sampsonis, invocato Dei spiritu, animosè invadere, & superare debemus. Occide hunc leonem: occisus ampliùs te non vexabit. Unde à Job 4. 11. juxta Sept. vocatur *myrmicoleon* id est, *formica leo.* Tradit Plinius, & alii: leonis animos, viresque infringi; si quis in oculos, vultumque, ejus pallium, vestemque aliam injiciat. Cornelius hìc.

Egressusque est Sathan à facie Domini. Job 1. 12. Ecce ad feriendum invictissimum robur inimicus fœviens, quot tentationum jacula invenit. Ecce quot obsidionum machinamenta circumposuit. Ecce quot percussionum tela transmisit. Sed in his omnibus mansit mens imperterrita, stetit civitas inconcussa. S. Greg. c. 4. de Job in Præfat.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi. Ps. 76. 3. Testimonium bonæ conscientiæ, & patientia in tribulationibus, & fre-

frequentes victoriæ adversùs tentationes efficiunt; ut anima experimento quodam dulcedinem Dei sentiat, & testimonium spiritus in se habeat; quòd sit filius Dei. Bellarminus hìc.

Lætentur insulæ multæ. Ps. 96. 1. Pulchrè animas, quæ licèt tentationibus agitatæ, stabilitatem, & firmitudinem, retinent, insulas appellavit; quas undique circumdat quædam malitiæ fallugo: sed tantum allapsu suo non potest, ut æstu aliquo virtutis constantiam labefactet. S. Greg. Nyss. tr. 2. de inscr. psalmor. c. 9.

Ab omni via mala prohibui pedes meos. Ps. 118. 101. Pedes significant mentis assensum; quæ nos quodam vestigio ducit ad culpam, & ad vias malas compellit; nisi eas pietas divinitatis abstraxerit. Cassiodorus hìc.

Et ad domum Dei. Is. 2. 3. Ecclesia nuncupatur domus. Sed cur domus Jacob? respondet Procopius, quia Jacob luctator, & victor extitit. 32. 25. Qui enim ad Ecclesiam Dei pertinet, debet cum vitiis, & passionibus luctari, & supplantare dæmones. Arcones hìc Disc. 6.

Legitur 1. Mach. 6. 34. quòd ostenderunt elephantis sanguinem uvæ, & mororum; ut acuerent eos ad bellum: quod fit; quando tepidis, & pigris, adhibentur Passiones Sanctorum in exemplum. S. Thom. Aq. in ep. 2. Cor. 1. Lect. 3.

Ex Novo.

Serpentes tollent. Marci 16. 18. Serpentes tollit, qui diabolicas suggestiones, & venenatas tentationes supplantat. Dionys. Carthus. hìc.

Tentatio vos non apprehendat; nisi humana. 1. Cor. 10. 13. Dæmoniacum est, maligna tentatione vinci, & peccare ex malitia: Angelicum eam non sentire: humanum sentire, & vincere. S. Anselmus apud Cornelium hìc.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Apoc. 2. 7. Lignum vitæ Christus est, qui suis electis semetipsum participando per gratiam vitam æternam præbet. Richardus à S. Vict. q. d. qui diabolum vincit, edet ligno vitæ: qui suavitate, & dulcedine Christi satiabitur; modò per participationem gratiæ, post visionis beatæ. Sylveira hìc.

Dabo illi stellam matutinam. Apoc. 2. 28. Aretas, Andreas Cæsar. diabolum intelligunt, juxta illud Is. 14. 12. *quomodo cecidisti de cœlo Lucifer.* Permittit Dominus, juxta hanc sententiam, victori dandi diabolum calcandum sub pedibus: quod precatur Paulus. Rom. 16. 20. *Deus pacis conteret Sathanam sub pedibus vestris velociter.* Et Luc. 10. 19. *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpionem, & super omnem virtutem inimici.* Sylveira hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Nunquam remittendæ sunt excubiæ, si quando hostis simulabit tranquillitatem; sed observans inimici insidias, dicat cum B. Habacuc. 2. 1. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem*, omni custodia servans cor meum. S. Cyprianus l. de duplici martyrio.

Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur; hac eadem, qua nutritur, mora roboratur. S. Gregor. mor. l. 21. cap. 7.

Et tu dicito, si fortè videris, adversum te diaboli tentamenta: quid mihi, & tibi, est Belial? Ego Christi servus sum, illi me totum mancipavi; quid mihi, & tibi est? Non novi opera tua; nihil tuum quæro, nihil tuum possideo, nihil tuum desidero. Quantò magis nos oportet separari à diabolo, si ille sic discernit à Christo. S. Ambros. lib. de Elia cap. 20.

Quia Petra dicitur Christus, eam nobis id nomen afferet utilitatem; ut rectam vivendi rationem, firmam, ac stabilem teneamus: & in rebus adversis fortiter perferendis constantes simus; adversusque peccati impetum omnes, strenuos atque invictos animos præstemus. Ex his enim rebus, & aliis hujusmodi, nos item erimus petra; in natura fragili firmus, & immutabile, Domini robur pro viribus imitantes. S. Greg. Nyss. de perfectione Christiani.

Quantò imbecilliori reluctamur, tantò minùs, si vincimur, venia digni sumus. S. Chrys. hom. 79. in Matth.

Te quærit certamen impar; te expetit mortalis infirmitas: quia majestatis tuæ gloria est, si leo rugiens ab infirma ove separetur; si spiritus violentissimus à debilissima carne vincatur. Fac illum tristem de humana lætitia; qui de offensione nostra semper exultat. Cassiodorus in Ps. 150. Conclus. ad Deum.

Peccato homo non solùm non debet consentire; sed neque in ejus delectatione, vel animo detineri. Sicut venenosum cibum homo non solùm non vult comedere, sed nec etiam gustare. Geminiani l. 9. c. 57.

§. IV.

Tentationibus maximè Deo devoti obnoxii.

Num. I.

Figura, & Symbola.

Ex Veteri.

Noli timere Abraham: ego protector tuus sum. Gen. 15. 1. Dixit Deus post triumphum. In conflictu spirituali majora sunt post triumphum discrimina; quàm antè prœlii initia. Nec enim res tota planè confecta est, cùm dæmon in tentatione devictus; nisi Deus denuò subveniat, novasque vires ministret. Did. Nyss. D. 1. Quadr. §. 8.

Oderat ergo semper Esau Jacob. Gen. 27. 41. Nota: post acceptam Patris benedictionem statim tentatur Jacob, persecutionem patitur, denique fugatur è domo patris: ut cogitare quis posset, nihil illi profuisse: imò obfuisse benedictionem. Sed eventus docuit, illam ipsi profuisse. Cornelius hìc.

Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, &c. Jos. 10. 5. Quinque reges concitatunt contra se Gabaonitæ; quia transfugerunt ad Israel. Origenes hom. 11. in Jos. cùm anima humana Verbo Dei se sociaverit; dubitare non debet, statim se inimico habituram: & eos, quos habuerat antè amicos, in adversarios esse vertendos. Idque non solùm pati ab hominibus se speret; verùm etiam de contrariis virtutibus, & spiritualibus nequitiis, id sibi imminere pro certo sciat. Et ità fit, ut qui amicitias expetit Jesu, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas. A primordio justitia vim patitur: statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio sortita est. Tertull. l. Adv. Gnost. c. 8.

Et convenerunt in Masphat &c. 1. Reg. 7. 6. Præterita flagitia abjurant, lacrymis diluerant, jejuniis se maceraverant; cùm subitò Philisthinorum satrapæ cum ingenti, non modò suorum, sed etiam Tyriorum, exercitu instat oppugnatores. S. Gregor. in l. Reg. quia, cùm altiori vita proficimus, maligni spiritus, qui bene agentibus semper invident, nobis infestiores sunt. Mendoza hìc.

Totum pondus prœlii versum est in Saul. 1. Reg. 31. 3. Cur omnium hostium furor in unum illum ferebatur? Causam Scriptura dedit. 1. Reg. 9. 2. *non erat vir de filiis Israel melior illo, ab humero usque & sursum, eminebat super omnem populum*, sic dæmones in eos, qui cæteris eminent, majore impetu feruntur. Did. Nyss. D. 1. Quadr. §. 2. Cassiodorus l. 1. epist. 2. graviores insidias adversarii tunc subimus, quando Dei dona suscipimus.

Cogitaverunt adversus Sanctos tuos. Ps. 82. 4. Post baptismum tentatur Christus: eò quòd in sanctificatis maximè diaboli tentamenta grassantur. S. Hilarius.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. Cant. 3. 7. Nec in ferculo, nec in throno, nec in quadrigis adhibuit sibi Salomon satellites, & excubitores; sed ad solum lectulum. Ut doceamur: ibi maximè timendas, ubi pax, & securitas, ad somnum provocant. Oliva l. 9. Strom. §. Nox præcessit.

Terribilis ut castrorum acies ordinata. Cant. 6. 3. Cur in hoc encomio ultimo loco addit hoc sponsus? ut insinuet: animam, quò pulchrior est, suavior, & magis decora, sicut Jerusalem; eò vehementiùs ab hostibus obsideri, & impugnari; ut ejus decorem penitus exterminent. De Ponte hìc Exh. 2. §. 5.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Super seminavit Zizania. Matth. 13. 25. Non priùs, quàm bonum semen seminatum. Item non in medio spinarum; sed in medio tritici. Mendoza in 1. Reg. 7. 5.

Et discerpens eum spiritus immundus. Marci 1. 26. Cur dæmon discerpens egreditur è homine? S. Gregor. hom. 12. in Ezech. quid est, quòd obsessum homines antiquus hostis; quem possessum non discerpserat, deserens discerpsit? nisi quòd plerumque, dum de corde expellitur acriores in eo tentationes generat, quàm priùs excitaverat, quando hoc quietus possidebat.

Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura. Apoc. 12. 4. Adhuc paritur mulier cœlo nota; quod pertinet ad conceptum votum piè vivendi: sed adest jam draco, ut vim faciat. Velloso in Judith. 5. Parænet. 27.

Sicut raptores, & fures, libentius efferunt aurea, quàm argentea, vel ligna vasa; sic & diabolus per se, vel per alios homines trahit ad peccatum libentiùs chariora Ecclesiæ membra. S. Bonaventura s. 1. D. 15. Pent.

Num. II.

Exempla, & Sententiæ.

Ex Veteri.

Nunquid considerasti servum meum. Job 1. 8. Illicò eum expetit ad certamen: *extende paululum manum tuam.* v. 11. Mira dia-

ra diaboli spes de casu nostro. Licèt enim armeris; licèt viceris, & triumphes, victoriam sperat. Eluxit id in viro sanctissimo Job: quem licèt sciret probatum per omnia, omnibusque virtutibus ante certamen exercitum: ipse enim nec filios profusè diligebat, nec uxorem; fœdus inierat cum oculis c. 31. 1. ab omni cupiditate purus. Nihilominus blasphemias ab ejus ore exortum iri credidit; si eum liberis, & fortunis, spoliaret. S. Chrysost. hom. 34. in Matth. quare in mentem diabolo venit, exercitationes ipsius non ignoranti; tot, tantosque, adversus ipsum excogitasse labores? Truculentissima est certè bestia; nec unquam solet desperare victoriam. Quod ad condemnationem nostram spectat, nam ille nunquam nostram desperat perditionem nos de salute nostra desperamus. Oliva t. 2. Strom. §. Me expectaverunt peccatores.

Tuus sum ego; salvum me fac. Ps. 118. 94. Incipit tunc timere, cùm securus jam esse deberet. Antequam Dei fieres, rogandus erat, ut te salvaret. Sapienter timet tunc maximè, cùm se vidit in domo Dei ornatum virtutibus, & locupletatum. *Tuus sum ego; salvum me fac.* Quia tibi propior factus sum, ideo vicinior factus hosti. Tunc ego salute; quia jam milito. Salvatori: nunc paveo, quia tuus sum. Nam & navis, quo pretiosiores vehit merces, eò diligentiùs à pyratis exquiritur, & fortiùs invaditur. Ol. t. 2. Strom. §. Tuus sum ego &c.

Prepara animam tuam ad tentationem. Eccli. 2. 1. Cur accedenti ad servitutem Dei parata est tentatio? 82. quia talis recedit à servitute diaboli: qui indignans, se suo peculio, & jure herili, privari; eum, ut servum fugitivum, & apostatam, persequitur, tentatque; ut ad sua castra, ad suum jus, & dominium reducat. Cornelius hìc.

Cibus ejus electus. Habac. 1. 16. Non vult quemlibet decipere. Saul reges, qui electus à Domino est; & Judam Apostolum, supplantare festinat. S. Hieron. c. 16. in Ezech. Sicut enim animarum salus, Christi D. cibus est; ità earundem pernicies diaboli cibus est; qui tamen *electus* dicitur: quia non tam improborum hominum, quàm justorum, perditione lætatur. Hunc enim velut ex mensa Christi electum cibum rapere, ac devorare, conatur. Diez Bellum spirituale.

Ex Novo.

Tunc ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4. 1. Hostis noster adhuc in hac vita nos positos, quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Contra nos verò eo vehementiùs incitatur, quo ex corde nostro, quasi ex jure suæ habitationis, expellitur. Hoc enim in seipso Dominus sub quadam dispensatione figuravit, qui diabolum non nisi post baptisma se tentare permisit: ut ignum nobis quoddam futuræ conversationis innueret; quòd membra ejus, postquam ad Deum proficerent, tunc acriores tentationum insidias tolerarent. S. Greg. mor. l. 24. c. 7. S Chrys. Euthym. &c. expendunt ly *tunc*. Scilicet mox ubi baptizatus, & summi Dei Filius dilectus, Patris ipsius voce proclamatus fuit. Ex quo discimus: quòd majori cum sollicitudine, timore, circumspectione, vivere debet, qui Deum magis propitium, ac benignum experitur: diabolus enim huc omne studium suum vertit; ut eum dejiciat. Did. Nyss. D. 1. Quadr. §. 2. Dæmon spirituales viros maximè nititur tentare; & solitariis insidiatur: utpote quibus, subacto Mundo, & carne, contra solos dæmones pugna restat. Cajetanus hìc. Quòd diabolus Christum post baptismum, & jejunium, tentare aggressus est, innotescit; quòd tunc potissimùm nititur hominem impedire, ac vincere; cum viderit eum incœpisse profectum, & aliquo ferventiori proficiendi desiderio inflammatum. Dionys. Carthus. in Luc. 4.

Bonam certamen certavi, cursum consummavi. 2. Tim. 4. 7. Certaminis nomine virtutes à se excultas, fidemque significavit servatam: quasi idem sit virtus, & certamen. Naxera in Jos. 10. §. 10.

Ex Patribus, & aliis.

Pervicacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit: atque tunc maximè sævit, cùm, hominem plenè sentit liberatum: tunc plurimùm accenditur, dum extinguitur. Doleat, & ingemiscat, necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis erasos. Dolet, quòd ipsum, & Angelos ejus, Christi servus, ille peccator, judicaturus est. Tertull. l de pœnit. post initium.

Venisti ad aquam baptismi: istud est certaminis, & pugnæ spiritualis initium: hinc tibi adversus Zabulum nascitur pugnæ principium. Origen. hom. 9. in Judic.

Neque enim persequitur, & impugnat Christi adversarius nisi castra, & milites. Hæreticos prostratos semel, suos factos contemnit, & præterit. Eos quærit dejicere, quos videt stare. S. Cyprianus ep. 58.

In fine nè corrumpas: Tunc enim diabolus spirat vehementiùs. Et quemadmodum piratæ, qui mare navigiis infestant; non tum, ubi conspexerint naves à portu exeuntes, invadunt: quid enim hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent? sed ubi redierint onustæ plenæque sarcinis; tum demum omnes expediunt artes: ità sceleratus ille dæmon, simul atque videt aliquos multa collegisse; videlicet jejunia, preces, eleemosynam, castitatem, reliquasque virtutes omnes; ubi videt, navigium nostrum esse plenum pretiosis pietatis lapidibus: tunc irrumpit, undique thesaurum perfodiens: in ipsius portus ostiis scapham demergat; jamque nudos nos ad eum portum ejiciat. S. Chrysost. hom. 3. in Isa.

Tunc diabolus sævior efficitur, tunc magis efferatur; cùm viderit, nos cum diligentia vitam nostram disponentes; cùm viderit virtutis onera composita, & magnos acervos; tunc gravius inferre naufragium studet. Idem hom. 1. ad pop. Antioch. de Timotheo. Vide locum.

Athletæ Christi, in corpore commoranti, nunquam deficit colluctationum palma: Sed quantò magis triumphorum successibus creverit, tantò ei etiam colluctationum robustior ordo succedit. Cassianus de cœnob. instit l. 5. c. 19.

Nullum certius argumentum est, quòd dœmones à nobis victi sint; si nos acerrimè oppugnent. Joan. Climacus gr. 27.

Optimum signum est, cum homo tentatur: quia ex hoc ostenditur, quòd diabolus in ejus vita offenditur. S. Bonaventura s. 69.

§. V.

Tentationes periculosæ, continuæ, ubique.

Quoniam pater meus, & mater mea, derelinquerunt me &c. Psal. 26. 10. Verè, si quis fragilitatem naturæ humanæ consideret, & hostium invisibilium potestatem; & quantopere in omnibus actionibus Dei gratia egeamus; nullo modo negare poterit, nos infantibus, à parentibus neglectis, rectissimè comparari. Porrò S. Ezechias usque adeò rem hanc intelligebat; ut non infanti, sed pullo hirundinis, seipsum compararit. Is. 38. 14. *sicut pullus hirundinis &c.* Bellarminus hìc.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me; & multiplicati sunt, qui oderunt me: ne derelinquas me Domine Deus; nè discesseris à me. Ps. 37. 20. &c. S. Basilius M. prætrepibus provide admodum ait, *inimici mei vivunt*: non enim sunt mortui; neque, ut semel in me quidvis moliti sunt, sic abjerunt. Vivunt, & quotidie invalescunt, plures contra me existentes. Apud Did. Nyss. f. 2. D. 4. Quadr. §. 5.

Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. Ecclæ. 3. 5. Est omnino intelligendum, quòd, quæ vitium perimunt cogitationes, eæ sunt lapides; qui ab Ecclesiaste funda rectè jaciuntur: quos semper mittit oportet, & colligi. Et mitti quidem ad eum evertendum, qui contra vitam nostram erigitur colligi autem ad hoc; ut animæ nostræ sinus sit iis preparatus: ut ad manum sit, quod jaci possit in adversarios; si quando nobis fuerint insidiati. S. Greg. Nyss. hom. 7. in Eccl.

Et accedens tentator. Matth. 4. 3. S. Leo querit: unde dæmon tam audax, ut Christum tentare non timuerit? Respondet ser. 3. de Quadrag. cap. 2. viderat superbiam suam baptizati D. Jesu humilitate calcatam: intellexerat quadraginta dierum jejunio omnem cupiditatem carnis exclusam: & tamen non desperavit de actibus suæ malitiæ spiritualis improbitas: tantumque sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit; ut, quem verum experiebatur hominem, præsumeret fieri posse peccatorem.

Assumpsit eum diabolus in Sanctam civitatem &c. Matth. 4. 5. Et hoc magis tremendum; quod neque virtus impleta, neque sanctitas approbata, neque locus Domino dedicatus, cohibuit hostem à congressu. S. Paschasius. Non se eremita in suo recessu, & latebris; non Religiosus in suo Monasterio, securum putet; cùm dæmon putarit Christum, quò minùs vinci posset, nihil vel ab eremo, vel à virtute, & explorata sanctitate subsidii habiturum. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 4. c. 2.

Plena oculis. Apoc. 4. 8. *Scito, quoniam in medio laqueorum ingrederis.* Eccl. 9. 20. Multi requirunt multos oculos: princeps tenebrarum mille habet nocendi artes, in cibo, potu, incessu, veste, sermone, hominum frequentia, solitudine; secundis, & adversis rebus; in ipsis bonis operibus de vana gloria. Cantic. 44. *mille clypei pendent ex ea.* Sylveira hìc.

Sed millia annorum jam propè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi; & artes, atque insidias, dejiciendi, usu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum invenerit militem Christi; si rudem; si non sollicitum; ac toto corde vigilantem; circumvenit nescium fallit incautum, decipit imperitum. S. Cyprianus l. de exhortat. martyrii.

Habet pax nostra pericula sua: & frustrà de fidei libertate securi sunt, qui vitiorum desideriis non resistunt. S. Leo s. 6. in Epiph.

Insidiæ sunt in divitiarum amplitudine; insidiæ in paupertatis angustiis; illæ elevant ad superbiam; hæ incitant ad quærelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas: dum & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore. S. Leo s. 11. de Quadr. Multos habes hostes; multa tela accipe. S. Cyrill. Jerosol. Prefat. in Catech.

§. VI.

Tentationum remedia, & amuleta.

Num. I.

Caput pete; initium elide.

Nè fortè moriamur. Gen. 2. 13. Diabolus metuit, & fugit eos, qui viriliter primis ejus conaminibus resistunt. Quis eò audaciæ diabolum devenisse crederet; ut, dicente Domino primis parentibus: *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; ipse sacrilego ore dicat, *nequaquam moriemini*? Hugo à S. Vict. lib. 1. Miscell. Dominus affirmavit; mulier dubitavit dicens: *nè fortè moriamur.* Dæmon negavit: *nequaquam moriemini.* Si mulier non dubitasset, fortè diabolus non negasset: sed dedit audaciam, quæ inchoavit malitiam. Baeza t. 1. l. 3. c. 22. §. 26.

Ipsa conteret caput tuum. Gen. 3. 15. Tam facilè conteritur caput serpentis, ut vel calce atteri possit; sed cauda difficillimè. Job 40. 12. *stringit caudam suam quasi cedrum.* Cum cedro componit caudam serpentis: quia inter arbores nulla magis procera, & inputribilis. Pinna Ethol. 211.

Statim in foribus Peccatum adest. Gen. 4. 7. S. Greg. mor. l. 4. c. 22. in foribus peccatum adest, cum in cogitationibus pulsat. Hujus appetitus subter est, eique homo dominatur; si cordis duritia aspecta citiùs prematur; & priusquam in duritiam crescat, reluctanti menti subigatur. Pinna Eth. 63.

Posuit super tempus capitis ejus clavum &c. Judic. 4. 21. Quare in capite quæsivit vulneri locum? videlicet, quia peccati caput est feriendum. Caput prima suggestio est. S. Rupertus in l. Judic. c. 7.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Ps. 100. 8. Postquam dixit, malorum se fugisse consortia, unde plerumque possunt evenire peccata; nunc ad mentis suæ interiora conversus, illam pestem tyrannicam, vastatricem generis humani, id est, pravam dæmonum suggestionem, quemadmodum de penetralibus suis expulerit, decenter exponit. In matutinis, in ipsis videlicet initiis; quando in nobis suggestiones diabolicæ, velut dubia crepuscula, cœperint apparere; tunc oratione debent ejici, tunc abominabili execratione detrudi; nè, paulatim noxiè crescentes, velut dies nos nebulosissima comprehendat. Cassiodorus hìc.

Veni, coronaberis de capite. Cant. 4. 8. Quia ille, qui se initio fortiter gessit, coronæ suæ præbuit auspicium. Gilbertus s. 29. jure caput ipsum triumphans coronatur Dei capite: quia & tentationum initium conterit, & tribulationum vehementiæ non cedit. Baeza t. 1. l. 3. c. 22 §. 26.

Lupus fortis est in capite, & collo; extrema debilia. Tota vis diaboli est in principio tentationis. Si ei in principio resistitur, tum debilis est. Lupi illum videre priores. Gemin. l. 5. cap. 39.

Num. II.

Alia remedia.

Ex Veteri.

Ecce familia mea infima est. Judic. 6. 15. Gedeon, qui à facie Madian fugere statuerat, contra Madian mittitur. Is enim optimus est ad triumphum de scelere reportandum, qui minimùm sibi fidit. Oliva l. 10. Strom. §. Apparuit ei Dominus.

Gedeon dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas; ac lampades in medio lagenarum. Judic. 7. 16. Gedeonis arripe arma Christiane, quem undique circumstant hostes. Perstrepat in auribus tuis Judicis supremi stupenda illa tuba: tartareis, æternisque flammis accensæ in mente ardeant lampades: fracta corporis lagena ante oculos [illegible] onatur. Non Gedeone, sed Christo Duce vinces. Barradius t. 2. l. 7. c. 25.

Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen. 2. Reg. 17. 8. Hinc invisibilium hostium contra homines rabies signatur; quorum hæc est quotidie vox, hoc studium; ut quemvis nostrum solum ad singulare provocent certamen. Infelix! qui solus accedit. Golfridus in allegor. Tilmanni: nullus ex nobis animositate proterva ineat hoc certamen: non est enim, qui ad hoc sufficiat. Non enim timet nos solos adversarius noster: idcirco fidenter provocat ad singulare certamen; sciens, quia *væ soli; qui cùm ceciderit* &c. Baeza t. 2. l. 12. c. 1. §. 7.

Frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum. Prov. 1. 17. Facilè laqueos, qui in terra tenduntur, cavet, qui conversationem habet in cœlis. V. Beda hìc.

Indica mihi - ubi cubes in meridie? Cant. 1. 6. Sicut pastores, à quibus hæc metaphora desumitur, in meridie, quando solis æstus valde urget, quærunt locum umbrosum, ubi se tueantur, & oves; nè lædantur à solis ardoribus: ita pia anima, tentationibus, ac persecutionibus vexata, umbram divinæ protectionis petit. *Ne vagari incipiam &c.* timeo enim imbecilitatem meam. Quòd si id non indicaveris mihi: fortè incipiam vagari, quærens alia loca quieta, & umbrosa, sodalium tuorum; te injuria afficiens, & me maculans. De Ponte hìc l. 3. Ex. 1.

Ex Novo.

Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus. Matth. 14. 24. Nunc rursum Discipuli fluctuant, ac periclitantur; sicut & priùs. Verùm tunc quidem, cùm essent imperfectiores, aderat & ipse (Christus) ad consolationem; quanquam dormiebat: nunc verò, cùm jam profecissent: aberat: ut nusquam habentes consolationem efficerentur fortiores. Theophylactus hìc.

Clamavit dicens: Salvum me fac. Matth. 14. 30. In Petro communis omnium nostrum consideranda conditio est: ut si nos in aliquo tentationum ventus conatur subvertere, vel unda submergere; clamemus ad Christum. S. August. s. 14. de verb. Dom.

Magnificat anima mea Dominum. Luc. 1. 46. Latet pro certo in cithara illa David mysterium: figura illa erat; hæc veritas. Hoc decachordo etiam nunc; cùm devotè concinitur, iniquas cordis suggestiones propulsari, lubricas carnis tentationes emolliri, dæmones pessimos effugari, crediderim. Denario versuum numero completur, ut decachordi teneat veritatem. S. Thom. Vill. conc. de Cant. B V.

Omnis, qui facit peccatum servus est peccatis. Joan. 8. 34. *A quo quis superatus est hujus & servus est.* 2. Petri 2. 19. Per aversionem à Deo, à diabolo superatur homo: non superaretur, si se teneret ad Deum. Insuperabilis est, qui sibi ex toto adhæret. Nemo subjectorum aggrederetur militem ad latus Imperatoris conspectum existere. Sim. Cass. l. 11. c. 28.

Ex Patribus, & aliis.

Pacem cum Deo habentibus, ac semper Patri toto corde dicentibus, *fiat voluntas tua*; nulla prævalere certamina, nulli possunt nocere conflictus. S. Leo s. 6. in Nat. D.

Adversùs diabolum, non vocis magnitudine, sed magnanimitate cordis, utendum est. Est tamen & vox cordis, quia & est vox sanguinis, quæ ad Deum pervenit. Clamat ergo cor nostrum, non sono corporis, sed cogitationum sublimitate, concentuque virtutum. S. Ambros. s. 19. in Ps. 118. Clamavi in toto &c.

Cùm malus ille dæmon videat animam de divinis rebus solicitam, & perpetuò illas versantem; nè accedere quidem propius audet, sed celeriter resilit, à spiritus operatione, quasi à succenso rogo abactus. S. Chrysost. tom. 1. hom. 14. in Gen.

Vitium momentaneum habet voluptatem, dolorem verò perpetuum: virtus contrà laborem brevem; fructum verò cum hilaritate indefinentem. S. Chrysost. hom. de Anna.

Si nolumus à diabolo superari; inhæreamus illi, qui diabolum triumphavit. S. Maximus hom. 2. de jejun. Quadrag.

Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere; invoca Custodem tuum, Doctorem tuum, adjutorem tuum. Sanct. Bernardus s. 12. in Ps. qui habitat.

Cùm infesti sunt adversarii; cùm illis impares vestras senseritis vires; cùm titubare, formidare, & ipsorum suggestionibus inclinare, cœperitis: sine mora currite ad petræ foramina, ad vulnera Redemptoris. S. Laur. Just. l. de casto conn. cap. 8.

Nullus sapientior, nullus cautior, apud Christianos respondendi modus contra diabolum; quidquid agganiat, quidquid nectat; hæc una responsio sit fidelius animæ: Christiana sum. Gerson tr. 8. sup. Magnif. O quàm bene est custoditus, & armatus, contra diaboli insidias, & malas cogitationes; qui imaginem Crucifixi habet in corde fixam, omnia interiora sua penetrantem. Thom. Kemp. p. 2. s. 4. ad Novit.

Annuæ Soc. Jesu A. 1598. referunt, Bizontinum B. V. sodalem in agone contra peccatum luctantem, Jesum, & Mariam, invocasse; tandemque de diabolo tentante victorem, Crucem Jesu, velut victoriæ labrum, manu vibrasse, ac ter victoria! victoria! victoria! inclamasse.

Philomela evitat bubonem nocte insidiantem, ponendo se in arbore concava, vel inter spinas densas; ubi ille cum grosso capite intrare non potest: sic nos, ponendo cor intrà crucem - vulnera, & spinas crucifixi. Broymard. Crux contra tentationes.

§. VII.

Tentationum variæ ſpecies, & circumſtantiæ.

Tres cunei. 1. Reg. 13. 17. Tres cunei Philiſthim idem ſunt, quod tres turmæ Chaldæorum. Job 1. Unus cuneus pergit contra viam Ephra; quando ſcilicet diabolus tentat per avaritiam. Alius ingreditur per viam Bethoron, quæ interpretatur *domus magiſtri*; quando tentat de ſuperbia, ſive inani gloria: unde diabolus Dominum tentavit in pinnaculo templi Matth. 4. ubi erat locus docendi. Tertius cuneus vertit ſe ad terram Sabaa ſive Seboim, quæ interpretatur *captiva*; & ſignificat carnem. Hugo Card. hic.

Non timebis à timore nocturno &c. Pſal. 90. 5. Quatuor pravos ſpiritus numerat, qui omnium virtutum exercitiis inſidiantur; maximè autem orationi. *Primus* vocatur *timor nocturnus*; qui eſt ſpiritus puſillanimitatis, acediæ, tædii; faciens timere, ubi non eſt timor. *Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos*. Num. 13. 33. Piger ſibi leones fingit. Prov. 22. 13. *Secundus*: *ſagittæ volantis in die*! ſcilicet ſpiritus vanæ gloriæ, jactantiæ. *Paſcit ventum, & ſequitur æſtum*. Oſ. 12. 1. hoc eſt, paſcitur, non veritatibus, ſed vanitatibus; & ſequitur æſtum: quia luxuria finis ſuperbiæ. *Tertius*; *negotium perambulans in tenebris*; qui eſt ſpiritus negotiationis terrenæ, & anxiæ ſollicitudinis circa bona temporalia, honores, dignitates. Ab his ſe abſtinuit David, ut Deo vacaret. Pſalm. 70. 15. *quoniam non cognovi literaturam*, ſeu, ut Sept. *negotiationem*, - *introibo in potentias Domini*. *Quartus*: *dæmonium meridianum*; qui decipere intendit non tantùm ſub ſpecie boni, ſed majoris boni; inclinando ad contemplationem, quando obedientia, aut charitas, aliò vocat. De Ponte in Cant. 1. 12. Exh. 3. §. 4.

Ut tentaretur à diabolo. Matth. 4. 1. Tentavit diabolus Chriſtum in deſerto de calamitate: in templo de ſuperbiæ vanitate; in monte de cupiditate. His tribus tentationibus adhuc impugnat Fideles quotidie &c. Significatæ ſunt autem in leone, urſo, & gigante. 1. Reg. 17. 34. quos occidit David. Per leonem ſuperbia; per urſum, qui mel ſequitur, concupiſcentia; per gigantem, qui quaſi inſuperabilis videbatur, avaritia ſignificatur: quia avaritia quaſi inſuperabilis eſt. S. Bonaventura ſ. 3. D. 1. Quadr.

Vade Sathana ſcandalum es mihi. Matth. 16. 23. Ut planum fiat; quòd majus bellum diabolus per hominem excitat; quàm dum ipſe per ſe apertè in pugnam deſcendit. S. Hilarius in Pſ. 130. 2. omnes inſidias, quaſcunque nobis ſpirituales nequitiæ prætendunt, maximè per homines aptantur: & occaſiones vitiis noſtris alienæ naturæ perverſitas ſubminiſtrat. Sylveira hic.

Dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum. Matth. 27. 34. Chriſto propinatus eſt triplex potus, myrrhæ, fellis, & aceti. Et ſignificat hic Chriſti potus triplicem amaritudinem triplicis tentationis. Potus myrrhæ, eſt tentatio avaritiæ; quæ nimiam habet amaritudinem: potus fellis, eſt tentatio carnis; quæ ſub ſpecie dulcedinis, amaritudinem tenet mortiferam: potus aceti, eſt ambitio ſæculi; quæ dentes ſtupefacere facit. Contra hunc potum triplicem mortiferum dedit nobis Dominus in Paſſione triplicem potum ſalutiferum. *Primum* in ſudore ſanguinis, contra æſtum avaritiæ: Aquam lateris, contra ardorem carnis: lacrymarum effuſionem, contra ſæcuii ambitionem. Hugo Card. in Sap. 11.

In omnibus, quæ ſecundùm Deum operamur, tres nobis foventes dæmones parant. Ad primum quidem, bonum, uti nè fiat impedire conantur. Secundò verò; ſi in primo ſuperati fuerint; ut non ſecundùm Deum fiat, moliuntur. Quòd ſi hac quoque intentione fures iſti potiti non fuerint: tunc laudibus nos efferunt, & beatos dicunt. Climacus gr. 26.

Eſt è Spiritibus unus, qui præcurſor dicitur; qui nos è ſomno ſurgentes protinus excipit, primumque noſtrum cogitatum inquinare nititur. Idem. ibidem.

§. VIII.

Tentationum origo, & qui iis obnoxii.

Inimicitias ponam &c. Gen. 3. 15. Quare ità dicitur? quia hinc manifeſtè oſtenditur; non poſſe nos à diabolo tentari, niſi per illam animalem partem, quæ quaſi mulieris imaginem, vel exemplum, in uno ipſo homine oſtendit. S. Auguſt. l. 2. de Gen. contra Manich. Habet in ſe unuſquiſque Adam, & Evam. Sicut enim in illa prima hominis tranſgreſſione ſuggeſſit ſerpens, delectata eſt Eva, conſenſit Adam: ſic & quotidie fieri videmus: dum ſuggerit diabolus, delectatur Caro, conſentit ſpiritus. S. Gregor. in 3. Pſ. pœnit.

Tum demum diabolus homini præcipuè inſidiari, & inſultare conſuevit; quando illum ſolitarium, & quaſi ſeorſim ab aliis poſitum cernit. Victor Antioch. in Marci 1.

Ducitur in deſertum; ut oſtendat nobis, quòd diabolus tentet nos, quando viderit ſolitarios, & non ab aliis adjutos. Oportet igitur nos non temerè fidere nobis ipſis. Theophylactus apud Naxer. in Joſ. 19. §. 28.

Finis tentationum, finis eſt cupiditatum: quia cauſæ tentationum, cauſæ cupiditatum ſunt. Cauſæ autem cupiditatum ſunt, carnis oblectatio, ſpecies gloriæ, aviditas potentiæ. S. Ambroſ. l. 4. c. 14. in Luc. 4. Et conſummata omni tentatione.

Miſcellanea.

Hortus concluſus. Cant. 4. 12. Dicitur bis *hortus concluſus*: quia tentationes Mundi, & Carnis, non poſſunt intrare ad ipſam. Addit etiam, quòd eſt *fons ſignatus*: quia etiam tentationes diaboli non poſſunt ad eam ingredi. S. Th. Aqu. hic Lect. 2.

Erras, erras, frater; ſi putas, unquam Chriſtianum perſecutionem non pati. Tunc maximè oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis. S. Hieron. tom. 3. ep. 1. Ad Heliodorum.

Nolite credere; nolite eſſe ſecuri. Licèt in modum ſtagni fuſum æquor arrideat; licèt vix ſumma jacentis elementi ſpiritu terga criſpentur: humanos hic campus montes habet; intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite; Crux antennæ figatur in frontibus. Tranquillitas iſta tempeſta eſt. Idem ibidem.

Omnium tentationum hæc periculoſiſſima eſt; aut non tentari; aut neſcire, ſe tentari: ignaviæ enim ut plurimùm, vel inſenſibilitati, non tentari, adſcribendum eſt. S. Laur. Juſt. de caſto connub. c. 7.

T I T U L U S VI.

T E P I D I T A S.

§. I.

Labitur in pejus.

Hujus ſtatua caput ex auro optimo erat; pectus autem, & brachia de argento &c. Dan. 2. 32. Quæris lamentabilis hujus ruinæ cauſam? in promptu eſt: aureus incepit juſtus; nec opus erat, ut ab auro ſubitò in lutum declinaret: ſatis fuit, quòd in argentum proximum degeneraſſet. Scilicet poſt fervorem tepor, niſi ſtatim reſipiſcas, neſcit, niſi in lethale frigus degenerare, Ramirez in Apoc 3. ep. 7.

Vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem. Matth. 8. 14. Febris, mortale peccatum, præmittit frigus negligentiæ bonorum operum. S. Vincent. Ferr. ſ. 1. fer. 5. poſt Oculi. Febris ex frigore oritur, & definit in calorem. Sic febris animæ, id eſt, peccatum, ſæpè oritur ex negligentia, & tepore: inde enim cupiditas, ardor luxuriæ, gulæ, ſuperbiæ, accenditur. Febris guſtum vitiat; quia ipſe pravo humore infectus eſt: ſic febris animæ facit, ut res divinæ, conciones, lectiones ſpirituales, colloquia pia, monita ſancta, ei deſipiant. Cor. hic.

Superſeminavit Zizania. Matth. 13. 25. Torporis tempore vitiorum ſeminantur ſentes; & exercitationis intermiſſione coaleſcunt. Secum autem inſpirationis præfocant germen; quoties mens noxio ſopore deprimitur. S. Laurent. Juſt. in Solemn. S. Joan. Evang.

Petrus verò ſequebatur à longè. Luc. 22. 54. Et bene à longè ſequebatur, jam proximus negaturo: neque enim negare potuiſſet, ſi Chriſto proximus adheſiſſet. S. Ambroſ. hic.

Incipiam evomere. Apoc. 3. 16. Notandum, quòd non dixit, evomam, *ſed incipiam evomere*: quia, qui per teporem reſolvitur, non ſubitò, nec ex tota gratia, deſeritur, ut raptim ad malum relabatur, ſed gratia deſerente; & ipſo primùm minima, deinde majora, contemnente, paulatim ſucciditur; & gradalitudinem tibi dixit, *incipiam te evomere &c.* quia electi quique in fide, quaſi cibus in ſtomacho per naturalem calorem decocti, per dilectionem membra Chriſti fiunt per veram juſtificationem; & tepidi ſine dilectione crudi evomuntur per reprobationem. Richardus à S. Vict. l. 1. hic c. 11.

Multi, poſtquam in ipſum aſcenderunt cœli verticem, & omnem exhibuere tolerantiam; & in deſertis morati ſunt; nec in ſomnis quidem viderunt mulierem: quòd paulatim torpuerint; ſupplantati ſunt & ad ipſum malitiæ barathrum devenerunt. S. Chryſoſt. hom. 77. ad pop. Antioch.

§. II.

Tepor pejor frigore.

Quando verò caro vivens in eo apparuerit &c. Levit. 13. 14. Lepram mundiſſimam eam vocat, ſi diſcurrens in cute operuerit omnem carnem à capite, uſque ad pedes. *Quando verò caro vivens in eo apparuerit; tunc Sacerdotis judicio polluetur, & inter immundos reputabitur*. Myſticè: lepra, totum corpus inficiens; peccatorem ſignificat, omni peccatorum genere coopertum: ſi autem vivens ſit caro, ità ut grana aliquot lepræ habeat; tepidum, & remiſſum, ſignificat: qui ex parte mundam habet conſcientiam, ex parte autem leproſam: tamen, quia vivens caro apparet, vivere ſibi videtur; nec medicum vocat. Octavianus in Eccl. 2. 15.

Benedicite ignis, & æſtus, Domino - benedicite gelu, & frigus, Domino. Dan. 3. 66. 69. Æſtas, & hyems, in chorum vocantur; ut Deo pſallant. Ver floribus repidens non inducitur. Quin & aurora à cœtu pſallentium excluditur. Nimirum quæ in confinio virtutis, vitique, ſunt; ea cœlo non probantur. Mavult Abdenago frigus, quam teporem: mavult æſtum, quàm remiſſiorem anni partem autumnum. Tenebras audie: concinentes cum pueris in fornace, non admiſſo crepuſculo in odeum: *benedicite lux, & tenebræ Domino*. v. 72. Oliva l. 6. Strom. §. benedicite ignis &c.

In civitate peccatrix. Luc. 7. 37. Magdalena tota reſperſa peccatorum lepra; ſed muniſſima ex hoc judicanda; quia cucurrit ad medicum, & ſanitatem recepit. Cùm contrà Phariſæus, in quo vivens caro apparebat; quia eleemoſynas dabat, Chriſtum ad convivium vocarat; medicinam à medico, quàm domi habebat, non requirit; immò in medicum inſurgit, ejuſque facta ſuggilat. Octavianus antè citatus.

Scio opera tua, quia neque frigidus &c. Apoc. 3. 15. Nam, qui frigidi ſunt, agnoſcunt ſuam frigiditatem; qui nudi, ſuam nuditatem; qui infirmi, ſuas infirmitates; & remedia, ac medicos, acceſſunt: quòd non agunt tepidi, & remiſſi. Idem ibidem. Tepor periculoſior eſt frigore; tum ob majorem oblivionem, & ſocordiam; ex quo non advertit ſuum periculum, ſed ſecurus in eo quieſcit, & obdormit: tum ob periculum derelictionis à Deo. Deus enim, qui eſt ignis conſumens, ſibique vult à Seraphinis miniſtrari, hunc teporem odit. Cornel. hic.

Frequenter vidimus de frigidis, & carnalibus; de ſæcularibus, ac paganis, ad ſpiritualem pervenire fervorem; de tepidis omninò non videmus. Caſſianus coll. c. 4. 19.

§. III.

Quis tepidus? quis frigidus.

Neque frigidus es, neque calidus. Apoc. 3. 15. Richardus à S. Vict. Aretas, Ambroſ. in Pſal. 118. & Salvianus l. 4. de provid. per calidum, intelligunt Chriſtianum, igne bonorum operum ferventem: per frigidum Paganum, aut Infidelem, ſine fidei calore: per tepidum verò, Chriſtianum nomine, ſine operibus; ſeu Chriſtianum in peccato viventem. Sylveira hic. Richardus à S. Vict. cenſet; frigidos eſſe hæreticos, calidos Catholicos, tepidos politicos; qui pro ſuis commodis omnium faciesinduunt; modò hæreticos, modò Catholicos, ſe ſimulant. Sylveira ibidem Tepidus, mea ſententia, is dicitur, qui Deum quidem non audet lethali crimine offendere ſciens, & volens; à perfectioris autem vitæ, & conſcientiæ perfectioris, ſtudio alienus eſt. Quare facilè ſe propriis concupiſcentiis permittit, & quævis peccata devorat; quæ ſibi tantùm venialia videntur. Ac propterea ſe reputat juſtum; quòd ſciens, & volens, peccatum mortale non admittat. Alcazar apud Ramirez in ep. 7.

§. IV.

Tepidtatem vitandi motiva alia.

Non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt--ut comedamus, & moriamur. 3. Reg. 17. 12. Aptiùs diximſſet, ut comedamus, & vivamus: cibo enim vita extenditur. Sed, quia de parvo cibo ajebat, maluit dicere, *ut comedamus, & moriamur*: eſt enim vicina morti tanta cibi parcitas. Baezat. 3. l. 15. c. 6. §. 13.

Aſcendente eo in naviculam. Matth. 8. 23. Tria ſunt hic ſpiritaliter attendenda. Primum eſt animæ converſio; quæ deſignatur in aſcenſu naviculæ. Secundum eſt tentatio; quæ deſignatur in impetu procellæ. Tertium eſt animæ conſolatio; quæ deſignatur in ſedatione tempeſtatis Chriſtus obdormit; quando Chriſti amor, & memoria tepeſcit in corde: nam in ſe non obdormivit. S. Bonav. in Luc. 8.

Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Matth. 25. 8. Cur inter oves Dei non referuntur Virgines illæ, quæ ardentes lampades habuere: non enim dicuntur prorſus extinctæ, nec penitus oleo evacuatæ: dicunt enim *extinguuntur*. Salvianus l. 2. ad Eccl. Cath. emicuiſſe in eis quiddam luminis puto, cùm & ipſæ extinguendas facilè lampades formidarint. Habebant profectò aliquid, quod verebantur extingui. Ex quo intelligimus, id, quod parum eſt, quaſi nihil eſſe: quia nequaquam omnino prodeſt illico extinguendum lumen accendi: nec juvat aliquid illuceſcere, quod in ortu habeat occaſum; & ad hoc tantùm habere initium viventis; ut poſſit finem habere morientis, Hoc verbum capiant Fideles; qui ſolùm id gratiæ oleum ſibi procurant, quo vel ad horam vivant; & luceant ſemel in anno, in die S. Paſchæ. Semel etiam Sathanas in gratia vixit; ſed, quia non abundavit, ut viveret; tota ejus vita pro nihilo fuit habita. De illo Iſ. 14. 12. *quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris*. Manè exortus fuit, & vitam, & lucem, in ſe oſtendit; ſed lucem ſolius auroræ, unius ſtellæ: ad perfectum diem non pervenit. Prov. 4. 18. *juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens &c.* Baeza citatus.

Surgite, eamus. Marci 14. 42. Tepidas excitat ſua promptitudine mentes; & cognita voluntate paterna, intrepidè ſe donat in pœnas. Sim. Caſs. l. 13. c. 8. Surgamus omnes, vocante nos Chriſto; ſurgamus à torporis, & negligentiæ, lectis: ſurgamus ab his, in quibus nos malè jacere cognovimus: Surgamus ad Chriſtiferas actiones. Id. ib.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. Joan. 10. 10. Non enim noſcuntur oves Chriſti, niſi ex abundantia gratiæ; ex abundantia ejus vitæ, qua vivat anima. Idem ibidem.

Si duodecim homines, putà Apoſtoli, totam fere farinam orbis fermentarunt, animo verſa, quanta ſit noſtra malignitas, & ignavia: qui cùm jam innumeri ſimus, has gentium reliquias convertere non poſſumus; qui vel Mundos mille ſatisfacere deberemus. S. Chryſoſt. hom. 47. in Matth.

Componamus nos ipſos undique: & quemadmodum ſuper funem extenſum ambulantibus non licet vel parum negligentibus eſſe: nam parum illud magnum illis malum generaret; mox enim ſubverſi, decederent, atque perirent: ità neque nobis pigreſcere licet. Viam enim incendimus anguſtam, & utrinque præcipitiis obnoxiam, pedumque ſimul duorum non capacem. Vides, qua nobis opus ſit diligentia. S. Chryſoſt. hom. 10. in c. 5. Theſſal.

Nè ſperet quiſquam cœlum, ſe cum vita remiſſa viſurum: nequit enim fieri. S. Chryſoſt. hom. 10. in Theſſal. c. 3.

Vereor, nè veſtram deſidiam quandoque abominantes Angeli cum indignatione recedant; & incipiat unuſquiſque veſtrum ſerò cum gemitu dicere Deo: *longè feciſti notos meos à me; poſuerunt me abominationem ſibi*. Pſ. 87. 9. Item: *qui juxta me erant, de longè ſteterunt; & vim faciebant, qui quærebant animam meam*. S. Bernardus ſ. 7. in Cant.

Da operam tu, qui gratiæ cœleſtis factus es particeps; nè tepeſcat ſpiritus, obtenebreſcat lumen, excutiatur flamma, mens deviet, reflectatur intentio, intermitatur opus, dormiret cuſtodia, mutetur affectio, diminuatur gratia, & proficiendi laxetur propoſitum. S. Laurent. Juſt. l. in feſto S. Lucæ Ev.

Ego vidi multos uſurarios, crudeliſſimos milites, meretrices, paganos, converti ad Dominum, & fieri bonos ſervos Dei: ſed tremo; cùm nunquam viderim tepidum ad Deum converti. S. Bernardinus tom. 4. Serm. 7.

Mors eſt ſtimulatrix tepidorum; ſicut nox appropinquans à viatoribus acediam fugat. Broymard. Mors.

Miſcellanea.

Charitatem tuam primam reliquiſti. Apoc. 24. Quis Epiſcopus, ad quem hæc epiſtola? Lyranus, Ribera, tenent, non fuiſſe Timotheum Pauli diſcipulum: quia fuit vir Sanctiſſimus, hic autem Epiſcopus à Chriſto increpatur ut remiſſus in charitate. Tamen valdè communis eſt ſententia Viegæ, Alcazar, Pererii, Cornelii, &c. fuiſſe Timotheum; non obſtante, quod ſcribitur illi: *primam &c.* id eſt, primum charitatis fervorem. Hæc eſt enim humana infirmitas; ut, etiam qui magno ſpiritu cœperunt Deo ſervire, ſenſim de ejus conatu remittant. Sylveira hic.

Hæc dicit: Amen. Apoc. 3. 14. Omnis tepor in Dei obſequio oritur ex eo, quòd homo non ſatis conſideret, & æſtimet, quis ſit Deus? quæ? & quanta, ſint ejus promiſſa, ac minæ? Cornelius hic.

Iis, qui ſunt remiſſi, imbecilli, id, quod eſt moderatum, videtur nimis intenſum, & tonum excedere Clem. Alex. l. 2. Strom.

Sicut ſolertem virum, animo, & propoſito, alacrem nulla res detinere poteſt; ità ſegnem, & remiſſum, hominem omnia poſſunt impedire. S. Chryſoſt. t. 6. orat. in SS. Petrum Ap. & Eliam Proph.

Vox multorum eſt: Sufficit mihi vita communis; ſi cum multis ſalvari potero, ſatis eſt. Nolo merita Apoſtolorum; nolo volare per ſumma: incedere per planiora contentus ſum. Gerſon. 3. p. tr. de myſt. induſtr.

T I T U L U S VII.

T E R R A.

§. I.

In genere.

Terra autem erat inanis. Gen. 1. 2. Dicitur *terra*: quia teritur pedibus animalium; & eſt eorum ſolidum ſuſtentaculum. S. Thom. Aqu. hic. Terra à terendo dicitur: & meritò ex ea contritionis noſtræ malum figuratur. Rich. à S. Vict. l. 2. de Emmanuele c. 26.

Terra autem in æternum ſtat. Eccl. 1. 4. Thales judicavit, ait Seneca l. 6. nat. quæſt. c. 5. totam terram ſubjecto humore portari, innatare, & ſuſtineri, velut aliquod grande navigium his aquis, quas premit. Plurium fuit Philoſophorum hic ſenſus. Horum opinionem ſecuti ſunt S. Athanaſius orat. contra idola. S. Clemens l. 8. recognit. S. Chryſoſt. in Pſ. 133. S. Hi-

S. Hilarius in Ps. 35. Eusebius in Ps. 23. Porrò Anaximenes, ait Plutarchus, censuit, terram aëre vectari, cui incumbit: idque verisimile innuunt S. Basilius, Ambros., Damascenus: qui id colligunt ex illo. Job 26. 7. *qui appendit terram super nihilum*. Verùm utrumque confutat hic Salomon: tò enim *stat* significat, terram firmam consistere; & substare aquis, aeri, cœteristque *elementis*, vèlut basim, & centrum Universi. Cornelius hic.

Non fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseverat: sed Dominus statuit eam, & firmamento voluntatis suæ continet: quia *in manu ejus omnes fines terræ*. S. Ambrosius l. 1. hex. c. 6.

Terra ducit meatus fluminum; quibus pignora sua, quasi pia mater, plenis lactat uberibus. S. Ambros. ep. 42.

S. Anselmus in elucid. arbitratur, post diem Judicii terram *totam*, instar paradisi terrestris, floridam permansuram: eò quòd Corpus D. N. J. C. exceperit, ac portaverit; torque Sanctorum Martyrum sanguine irrigata fuerit: Doukreman de amore l. 4. Sect. 3.

Terra, secundùm veriorem sententiam geographorum, continet in ambitu 19080. milliaria; profunditas usque ad centrum plus quàm tria millia. Lessius de perfect. div. omnipoten.

§. II.

Terræ fertilitas.

Omnes reges triginta unus. Jos. 12. 24. Notat S. Hieron. ep. ad Dardanum, terram promissionis in longitudine continere centum sexaginta millia passuum, sive centum sexaginta milliaria Italica: latitudinem sexaginta millium passuum. Ergo angustior erat Italia, imò & Belgio. Quare, tot in terra tam angusta dominari regulos; torque alios in ea superesse populos; arguit mirabilem olim fuisse soli illius ubertatem; meritòque vocari terram lacte, & melle manantem. Cor. hic.

Ager Damascenus, ubi asserunt Adam à Deo plasmatum, & hinc translatum in paradisum terrestrem: habet terram rubram, & mirè tractabilem; quàm Saraceni transferunt in Ægyptum, Indiam, Æthiopiam, carò vendentes. Habeturque fama constante, terram hanc talis esse virtutis, ut eam gestantibus nulla incommoda noceant: unde & aliqui abutuntur in varias superstitiones. Joan. Nieremb. l. de mir. nat. terræ promissæ c. 17.

Rex Peruanus in una arce tantum habuit thesaurorum, ut ad deferendum modò aurum, & gemmas vix sexcenti elephantes, totidemque equi sufficerint. Taceo de argento, cœtirisque metallis, tanquam de rebus nullius pretii. Nicolaus Pimenta de statu rei Christ. in India Orient.

§. III.

Terræ motus.

Terra mota est. Matth. 27. 51. Tota; ità ut totus globus è centro suo convulsus, & concussus sit. Hinc etiam mare horrendis fluctibus insonuit, æstuavit, & exundavit. Porrò non solùm Jerosolymis, ait Baronius A. C. 34. n. 107. sed & in plerisque aliis orbis partibus, scissos montes eodem terræ motu, incolæ firma traditione testatur. Scissas tunc esse petras montis Alverniæ, revelavit Angelus S. Francisco ibidem oranti. Cornelius hìc.

De motu terræ ità discurrit Gabriel Vasquez in l. 2. t. 1. Disp. 18. c. 3. 11. 26. Notanda est doctrina Archimedis: terram, & omnia gravia, quæ ipsi terræ innituntur; ità efficere corpus unum, quod attinet ad gravitatem; ut ponderibus suis librentur. *Terram autem*, & cœtera gravia, quæ terræ inituntur, ità gravitate sua tendere, & appetere cunjungi centro individuo, magnitudinis totius Mundi; ut, quamvis alteri corpori gravi innitantur, & ab eo detineantur, nè penetrent, & conjungantur cum centro; sua tamen gravitate perpetuò ad hoc conentur: ac proinde imprimant corpori sibi subjecto impetum, quò nitantur deorsum tendere, ac corpus sibi subjectum impellere, ut si ipsis cedat loco. Apud Cornel. in Ecclæ. l. 4.

§. IV.

In terra nè habites.

Liceat nobis transire per terram tuam. Num. 20. 17. Dicebant Israelitæ ad Edom. Sic Religiosi, ac spirituales viri, per terram solùm transitum, non commorationem petunt. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 6. Obs. 6. Felix talis transitor Mundi de habitantibus terram. Hugo Card. in Gen. 4. 31.

Egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ. Is. 26. 21. Sed quod piaculum, homines sedem in terra habere? Minas intendit Judex, ait Procopius, quas non in advenas, sed in terræ habitatores emittit: qui præsentis tantùm sæculi voluptate delectati, ejus boni, quod futurum est, spe abjecta, *edamus*, ajunt, *& bibamus*. Hinc tam tristes voces volantis aquilæ Apoc. 8. 13. *væ! væ! væ! habitantibus in terra*! S. Ambros. hìc: non omnes homines comprehendit: sunt enim in terris positi, quorum conversatio in cœlis est; sed eos, quos terrenæ conversationis affectus, & hujus sæculi gratia vicerit. Velloso in Judith. 1. Paræn. 4. *Væ! væ! væ!* Apoc. 8. 13. Ter dicit *væ*, propter illa tria. 1. Jo. 2. 16. *omne, quod est in Mundo &c.* Hugo Card. in Gen. 12. 1.

Surgite, & ite: quia non habetis hic requiem. Mich. 2. 10 Jubemur, in nullis Mundi rebus putare nobis requiem; sed ad sublime tendere. S. Hieron. apud Escobar cit.

Ego terram calcare didici, non adorare: non est enim mihi fas unquam rebus inanimatis credere spes animæ. Clem. Alex. orat. adhort. ad Græcos.

TITULUS VIII.

TERRENA.

§. I.

Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. Ex. 5, 12. Quæ verò ad Salutem animarum, granum; quod melius est. Quod temporale est, palea est; cùm sit transitorium. B. Humbertus s. 69. ad Studentes in Jure Canonico.

Super flumina Babylonis - cum recordemur Sion. Ps. 136. 1. Flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic amantur, & transeunt. O Sancta Sion! ubi totus stat, & nihil fluit. Quis nos in ista præcipitavit? quare dimisimus Conditorem tuum, & Societatem tuam? Ecce in Babylonia pulchra sunt, quæ tenent, non te teneant, non decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. S. August. hìc.

Si impiger fueris, veniet, ut fons, messis tua. Prov. 6. 11. Fructus terreni, quos metimus, non fonti comparantur, sed cisternæ: quia ad tempus pascunt colligentem, & in tempore deficiunt. At qui impiger fuerit pro cœlestibus laborare divitiis, hujus messis ut fons adveniet. V. Beda hìc.

Meliora sunt ubera tua vino. Cant. 1. 1. Ut indicet perpetuam durationem bonorum, quæ desiderat. S. Bernardus s. 9. in Cant. temporalia sunt instar vini ab uvis expressi, quod non ampliùs crescit, & uvæ manent aridæ, nec habent, quod denuò exprimatur. De Ponte hìc Exh. 9. §. 2.

Me dereliquerunt, &c. Jer. 2. 13. Verè cisterna dissipata honor; cisterna perforata voluptas, divitiæ, & omnis prosperitas Mundialis. Non valet aquam continere: triduo placet, & statim evanescit omnis illa consolatio; & fastiditur, & displicet. S. Thom. Villi. s. D. 5. Quadr.

Erat in proximo dies festus Judæorum, scænopegia. Joan. 7. 2. quod est, *fixo umbrarum*, seu tabernaculorum. Umbra longior est vespere: sic amor temporalium, sole gratiæ occidente, crescit: vel quia cupiditas major est in senili ætate. Et nota: quòd umbræ illæ ad literam fiebant de salicibus infructuosis; per quas bene significantur temporalia. Hugo Card. hìc.

Mittite in dexteram navigii rete. Joan. 21. 6. Illi mittunt rete, & piscantur ad sinistram; qui, quidquid faciunt, faciunt ad habendum temporalia, ut divitias, honores, & dignitates. Sylveira c. 6. hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Quid sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? qui ergo contra diabolum ad certamen properat; vestimenta abjiciat, nè succumbat. S. Gregor. hom. 32. in Evang.

Dulcedo hujus sæculi ad tempus fauces indulcat; sed in magnam postea amaritudinem convertetur. S. August. in Ps. 123.

Omne studium hominum, quod versatur in iis, quæ ad vitam pertinent, est planè puerorum ludus in arena. Nam simul atque à labore cessatum est, simul arena collapsa; nullum relinquit vestigium eorum, quæ fuerunt elaborata. Hæc est humana vita. Arena est ambitio, arena est potentia, arena divitiæ, arena est, quidquid ex iis, in quibus magno studio per carnem fruimur. S. Gregorius Nyss. hom. 1. in Ecclesiast.

Propterea luctatores pulverem adversariis conantur aspergere, ut olei levitatem injectu pulveris exasperent; atque ità faciliùs eos apprehendere valeant. Jam quod illic est pulvis, id in nostro certamine, est terrenis in rebus occupatio. Et quod illic est oleum, hìc est quietis studium ab omni sollicitudine vacuum. S. Nilus lib. Ascet.

Per capillos sæpe bona terrena solent intelligi: quod figuratur in tonsura Ecclesiastica. Unde & Levitæ tempore oblationis suæ raserunt omnes pilos carnis suæ. Blesensis ser. 4. de B. Lucia.

§. II.

§. II.

Terrena spernentium Symbola.

Sunt Aquilæ.

Aquila in arduis ponet nidum suum. Job 39. 27. In arduis habet nidum, qui in supernis figit consilium; non vult mentem in ima dejicere, non in infimis habitare. Diez Contemplatio.

Qui sperant in Domino assument pennas sicut aquilæ &c. Is. 40. 31. Aquila, si quando in terram descendit vultus causa, statim iterum advolat in sublime. Locusta autem, vix facit unum volatum; cùm statim iterum in terram decidit. Sic contemplantur cœlestia justus, & peccator. Diez D. 2. Quadr.

Vani, & fatui, remisso, & languente, volatu (qui muscarum instar res hujus vitæ tenues, & exiles, circumlambunt) implicantur, & illigantur, quasi retibus quibusdam: deliciis, inquam, honoribus, gloria, variisque cupiditatibus, velut quibusdam aranearum texturis, involvuntur: præda, & esca, facti illi feræ, quæ per hæc talia venationem instituere solet. At si quis aquilæ natura præditus, acutiùs ad lucis radios intentum mentis oculum convertens, seque ipsum in altum vibrans, in hujusmodi aranearum telas inciderit; sola aura, & impulsu pernicis volatus, soloque alarum impetu, quidquid occurrit, dissipat, & disjicit. S. Gregor. Nyss. tr. in Psalmos c. 8.

Maximilianus II. pinxit in Symbolo Aquilam *in nubibus* volantem; humi verò coronam, gladium, hastam, Mundum, cum lemmate: Nil humana moror, dum super astra feror. Caussinus l. 6. Symb. 20.

Aquila. Lem. *Nec obscura, nec ima*, Justorum animæ Aquilis comparantur; quòd alta petant, humilia derelinquant. S. Ambros. l. 3. in Luc. Picinelli.

Alia Symbola.

Ex Veteri.

Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Gen. 1. 6. Sicut firmamentum cœlum appellatum est, ex eo, quòd dividat inter eas aquas, quæ super ipsum; & eas, quæ sub ipso, sunt: ità & homo, qui in corpore positus est; si dividere potuerit, & discernere, quæ aquæ sunt superiores super firmamentum, & quæ sub firmamento sunt; etiam ipse cœlum, id est, cœlestis homo appellatur. Origenes hom. 1. hìc.

Producat terra jumenta, & reptilia, & bestias terræ. Gen. 12. 4. Per quæ significantur illa tria 1. Joan. 2. 16. *omne, quod est in Mundo &c.* Hæc tria de terra oriuntur: quia de amore terrenorum universa malitia ortum habet. Per reptile significantur cupidi, qui circa terram repunt: per jumenta luxuriosi: per bestias superbi. Hugo Card. hìc.

Cùm non invenisset, ubi requiescere pes ejus, reversa est. Gen. 8. 9. Vide, quomodo te pungat Deus; quocumque te extra eum extenderis per concupiscentiam in creaturis; tanquam nutrix pueri brachium extras cunas, nè pereat frigore. Propitius tibi sit Deus; nè inveniat, ubi requiescat pes mentis tuæ: ut saltèm coacta, ò anima! redeas ad arcam, sicut columba Noe. Guigo consid. de tranquill. animi c. 14.

Ascondebat ad tonsores ovium suarum. Gen. 38. 12. Vellera sine læsione tolluntur ab ovibus; sic temporalia à viris Sanctis sine omni dolore, & tristitia tolluntur. Hugo Card. hìc.

Solve calceamentum de pedibus tuis. Ex. 3. 5. Illa Moysi deposita calceamenta hoc significabant: quia nullus dignè Deum videre potest; nisi qui cuncta terrena, & mortalia vitia deponunt. V. Beda hìc. Quare Moyses jussus est calceamentum solvere? ut sollicitudines sæculares abjiceret huic mortali vitæ adhærentes. Theodoretus q. 7.

Et venit musca gravissima in domos Pharaonis. Ex. 8. 24. Israelitica anima Sabbathizat; dum, remota à negotiorum sæcularium strepitu, lectionibus, & orationibus vacat. Ægyptiaca verò muscarum ingruentium infestatione percellitur, dum terrenorum actuum inquietudine delectatur. Quid est enim in hac vita laboriosiùs, quàm terrenis desideriis æstuare? quid quietiùs? atque suaviùs? quàm hujus sæculi nihil prorsus appetere. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 5. Christiano spirituale Sabbatum agere est, à laboriosa rerum temporalium cupiditate quiescere: solis orationum, & lectionum, studiis insudare; sæcularium negotiorum pondus de mentis cervice projicere; ad contemplanda cœlestia tota cordis intentione vacare; carnis oblectamenta contemnere; de sola spe cœlestium spirituali jucunditate gaudere. Ille porrò Sabbatum Domino veraciter celebrat; qui sic ab his, quæ Mundi sunt, operibus vacat; ut à spiritualibus tamen actibus non quiescat. Idem l. 4. ep. 16.

Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea: desperavi neguaquam; ultra jam vivam. Job 7. 15. q. d. suspensus sum à terrenis, mortuus Mundo: jam non habeo spem in terrenis; ultrà non revertar ad Mundum nec mente, nec opere. Hugo Card. in Gen. 31.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Sola illa anima lilii candorem habet, quæ necessariis tantùm vitæ contenta, ad cœlestem pulchritudinem, candore animi, & corporis munditia, aspirat. Philo Carpathius hìc.

In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea. Cant. 3. 1. Anima, quæ Deum quærit, & ad Dei dilectionem, & cognitionem, pleniùs pertingere cupit; in lectulo hunc quærere debet, id est, in quiete mentis. Vacare enim debet, & quiescere ab occupatione, rerum terrenarum. Richardus à S. Vict. in Cantica c. 1. Bona nox, quæ prudenti oblivione dissimulat omnia temporalia; ad illum, qui æternus est, quærendum, tempus expediens, & explicans occasiones. Gilbertus s. 1. in Cant.

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Cant. 3. 9. Cur non de arboribus? ligna jam nullum terrenum sugunt succum. Anima à terrenis separata, est sedes Dei. Incerto Authore.

Capilli tui sicut greges caprarum &c. Cant. 4. 1. Graciles, & spiritualibus extenuati disciplinis, pene sine corpore sunt, & penitus sine carne; ad omnem insensibiles injuriam: ut nec tondentis instrumenti sentiant læsionem; in hoc tantùm sustinentes passionis molestias, si à capite, cui inhæserunt, contingat evelli. Reliquo enim emortuo corpore, vitalem ibi tantùm sensum retinent; ubi capiti, de quo oriuntur, junguntur. Gilbertus s. 23. in Cant. Hoc ergo magnum sponsæ elogium: abhorrere solùm à capite suo Christo separari; cœtera despicere. Naxera in Jos. 17. §. 12.

Statura tua assimilata est palmæ. Cant. 7. 7. Sicut palma, teste Plinio l. 13. c. 4. frugifera non est, nisi in solido fervido, nitroso, aut salso; ideoque videtur proceritate sua terram despicere, & cœlum appetere, ac recta eò conscendere, vixque humi radicibus niti: quia ibi nihil invenit, nisi insulsum. Sic & viri Sancti mentem habent defixam in cœlo: ideoque terrena illis omnia despiunt; ac Crucem Christi amant, in eaque radices agunt, nutriuntur; & crescunt usque ad cœlum; ad quod anhelant. Cornelius hìc.

Populus meus pendebit ad lignum meum. Os. 11. 7. Pulchrè anima, & propriè pendebit, tanquam inter cœlum, & terram: ut, licèt adhuc apprehendere cœlestia non valeat, non velit tamen tangere terrena. Et si aliquando tangit, non nisi summis articulis, id est, extremis partibus animæ: propter necessitatem scilicet corruptionis nostræ? cui cogimur servire. Guarricus s. 1. de Adv. Dom.

Lepus. Lem. *Ascensu levior. Lapides Sancti elevabuntur super terram*. Zach. 9. 16. Lapides sancti volvuntur super terram, instar rotarum, paululum tangentes humum; & volubilitate sua ad cœlestia festinantes. S. Hieron. Picinelli.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Filii tonitrui. Marci 3. 17. Esto filius tonitrui. Dices: quomodo possum esse filius tonitrui? Potes esse: si non in terra, sed pectore Christi, recumbas. Potes esse filius tonitrui; si terrena non moveant; sed ipse potiùs ea, quæ terrena sunt mentis tuæ virtute concutias. Tremat te terra, non capiat, vercatur caro potestatem animi tui, & concussa subdatur. S. Ambros. l. 7. c. 40. in Luc.

Sedebat supra fontem. Joan. 4. 6. Si interdum quiescere volumus, sedeamus super fontem. Fons iste, sive puteus, abundantia est, & profunditas terrenorum. Fons est emanatio, est delectatio; est fons iste profunditas naturalium, & humanorum, scientiarum. Super quem fontem oportet *super* sedere, non subjacere. Non subjiciatur defectibilibus amor: non enim quiescet subactus, atque agitatus calcaribus, equus; superfedens verò quiescit, aut fertur. Aut res nos deserunt, aut ipsas deserimus. Si deserunt, in adjutorio sunt: si deserimus; corpora, & corda gravant. Sim. Cass. l. 4. c. 9.

Luna sub pedibus ejus. Apoc. 12. 1. Hoc dici potuit de prima Ecclesia; dum ad pedes Apostolorum jacebant tota patrimonia Fidelium. Nè nunc Planeta ille, Symbolum terrenorum, ascendat in caput; nec divexet tyranni instar cogitationes Præsidium, & affectiones animi. Apostolico Sæculo curæ postremæ erant de patrimonio: hodie primariæ convertuntur circa reditus, & dominia. Oliva t. 2. conc. 19. die Ven 6. in Quadr. *Luna sub pedibus*, id est, temporalium bonorum claritas sub administratione ejus. Sanct. Rupertus l. 2. comment. in Apoc. Hoc ergo laudi est SS. Patribus, quòd divites quidem fuerunt, sicut sacræ historiæ tradunt; sed ipsas divitias non passi sunt affectibus dominari: sed ipsi dominati sunt divitiis, dispensando; ut poscebat usus privatus, ac publicus. Arcones in Is. 1. Disc. 2. *Luna sub pedibus*, id est, mutabilitas bonorum temporalium in contemptu ejus. S. Rupertus de oper. Spir. S. c. 14. Habet Ecclesia lunam sub pedibus: quoniam cuncta terrena, & transitoria, & mutabilia, despiciens, & pro nihilo ducens; sola cœlestia concupiscit. S. Euseb. Emiss. D. 3. Pasch.

Rota modico quodam vestigio stat in terra; & non solùm stat, sed quasi percurrit: non stat, sed tangit, & præterit: denique,

nique, cùm volvitur, ad altiora transcendit. Ità & sanctus vir, quoniam in corpore est, necessitatem habet, aliqua de terrenis cogitare: & quando venerit ad victum, & vestitum; his contentus est; & tangens terram ad altiora festinat. S. Hieron. in Ps. 76.

Corporalis saltus est, totum corpus à terra suspendere: spiritualis saltus; spiritum, & totum, quod spiritus est, à terrenis alienare. Corporalis saltus est, terræ tactum, usquequaque deferere, & totius corporis membra per inane librare: spiritualis saltus est; mente excedere, & infimis in imo relictis, in invisibilium contemplatione totum transire. Richard. à S. Vict. in l. f. 113.

Attende, quàm sit omnino, & cum omni admiratione, stupendum: quòd corpus de terra sumptum, terram ad tempus dato saltu deferere, & supra semetipsum ire: spiritus verò spiritualis, & incorporea natura, à corporeis, & terrenis, vel ad modicum separari non potest. Idem ibidem.

Aves paradisi rerum terrenarum despicientiam nos docent; hæ quippe, si Gesnero, Aldrovando, aliisque, fides, in terra, nisi mortuæ, non visuntur; nec corruptioni obnoxiæ sunt. Doultreman l. 1. c. 2. Sect. 5.

§. III.

Terrana spernendi motiva.

Num I.

Nobilitas hominis, Sancta superbia.

Ex Veteri, & Novo.

Ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. Ad id rationalem creaturam compellans; nè rebus, quibus ipsa nobilior, immò domina, constituta, velit malè subjici per amorem. Consuevit enim amor hominem subjici rebus, quas diligit; qui soli Deo debet esse subjectus. Sim. Cass. l. 5. c. 1.

Filii hominum - ut quid diligitis vanitatem? Ps. 4. 3. Septuag. *usquequo inclyti mei ignominiosè diligitis vanitatem?* Chaldæus: *usquequo honor meus ad vituperium?* Aquila & Symmachus: *usquequo gloriosi mei*, seu, *gloria mea?* Vatablus: *usquequo potentes, ac principes?* Quò magis extollitur dignitas, eò magis exaggeratur iniquitas. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 6. Sect. 3.

Si filius Dei es, mitte te deorsum. Matth. 4. 6. O quàm stulta hæc suasio! nimiumque perversa: quod utique si faceret Dominus, verè illum Dei esse Filium comprobaret. Sed inimicus cœli, nè tentando quidem ascensum vult suadere cœleste; deorsum, & in ima, provocat: quia optat omnes cadere, qui se sentit præ omnibus cecidisse. S. Maximus hom. 2. de jejunio Quadrag. Qui se Dei filium credit; actu, vita, moribus, honestate, tanto generi respondeat, ne iterum ad terrena descendens ad ipsam tanti Genitori tendat injuriam. S. Chrysol. s. 68.

Nolite timere pusillus grex? &c. adjecit, quid faciendum sit regnaturis: *Vendite, quæ possidetis &c.* Luc. 12. 32. 33. Non potest dominari omnibus, nisi is, qui propriis non tenetur. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, cùm vocatur ad regnum. Jacens animus plebejus nummulum thesauris, regalibus anteponit. S. Chrysol. serm. 22.

Misit illum in villam. Luc. 15. 15. Cùm homo recedit ab urbanitate cœlesti, meritò villanus in terrenis efficitur. Sim. Cass. l. 6. c. 16.

Ex Patribus, & aliis.

Magni, & excelsi animi est despicere, & calcare mortalia. Lactantius l. 6. instit. div.

Ipsi sibi renuntiant, seque hominum nomine abdicant; qui non sursum aspiciunt, sed deorsum: nisi fortè, ad ipsum, quòd recti sumus, sine causa homini attributum putant. Spectare nos cœlum Deus voluit; utique non frustrà. Idem l. 2. div. instit.

Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest. S. Cyprianus l. de spectaculis.

Mox, atque dixisti, *Pater noster, qui es in cœlis*. Matth. 6. 9. excitavit te hoc verbum, & mentem tuam alacrem reddidit; ostenditque te habere Patrem in cœlis; nè facias, quidquam, nec dicas, eorum, quæ sunt super terram. In ordinem illum supernum constituit te, & choro illi cœlesti adjudicavit: quid te ipsum ad ima dejicis? S. Chrysost. s. 14. in c. 4. ad Ephes.

Agnosce ò Christiane dignitatem tuam; & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cujus capitis, & cujus corporis sis membrum. S. Leo s. 1. in Nat. Dom.

Homo! quid commune cum terris tibi, qui confiteris, tibi genus esse de cœlis? Ergo cœlestem vitam monstra in habitatione terrena: quia, si quid in te gesserit terrena cogitatio, cœlo maculam, cœlesti generi injuriam intulisti. S. Chrysologus s. 71.

Quis de victu, quis, de vestitu, quis de plebejo censu, & vernalis cespitis vilitate, suspirat de regno certus? de dominatione securus? Satis sibi invidet, qui, elevatus ad summa, ipse se ad humiliora dejicit, ad egena deponit. - Qnid cùm terra illi, qui possidet cœlum? quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? S. Chrysologus s. 25.

Superbiat, ò pauperes! superbiat, ò humiles! anima vestra glorians in humilitate sua; omnemque altitudinem hujus Mundi longè, sub pedibus jacentem despiciat; indignumque judicet gloriæ suæ, ad concupiscentiam vilis prædæ suam ulterius majestatem inclinare. Quid? jam jam tollenda es in cœlum; & nunc te demum mergeres in cœnum? Te præstolatur Cumum Sanctorum; & præponeres societatem dæmoniorum? Guarricus serm. in solenn. OO. SS.

Nihil rectè æstimat, qui seipsum ignorat. Nescit, quòd sub pedibus suis omnis mundana gloria jaceat; qui conditionis suæ dignitatem non pensat. Nescit; quid de spiritu angelico, quid de spiritu divino sentire debeat; qui spritum suum priùs non cogitat. Richardus à S. Vict. l. 3. de arca myst. c. 6.

Si audieris, *Pater noster*, arripe generosum nobilemque, contemptum omnis fœde rusticitatis tu, qui tam Regio Patre gloriaris, Displicent tibi atque gemas exilium; cui cœlestis hæreditas filiationis titulo, cujus Pater in cœlis est, reservatur. Gerson. de myst. Theol. confid. 5.

Ponam te in superbiam sæculorum. Isa. 60. 15. ait Dominus de Jerusalem nova. Assumat utinam! mens nostri cordis hanc superbiam; aut nulli dignetur intendere, nulli jungi, nulli inhærere, nisi uni soli, quod est necessarium, optimum, æternum & summum. Idem tr. 7. sup. Magnif.

Indignum planè omnino & absurdum est; ut prænobilis anima, deputata sponsi cœlestis amplexibus; oblita suæ originis, & illius, cujus imago est; ad mechanicos rapiatur affectus. Blessensis ep. 138.

Similes sumus iis rusticis, qui nihil civile unquam experti, si fortè in urbem introducantur, jubeanturque principis alicujus mensæ adstare, aut etiam inter primates versari, atque honesto inter eos loco esse, facilè ista recusant, nihilque illis longius videatur: quàm ut indè recedant, atque ad rustica negotia revertantur. Simillimè nos cœlestem Rempublicam negligentes, terrenarum harum rerum duntaxat rusticitatem sectamur. Isidorus Clarius orat. 6. de S. Steph.

Sit in te Sancta quædam superbia, qua magni facias in te, quod decet; agnoscendo tuam nobilitatem. Ama res nobiles, id est, spirituales; juxta nobilitatem, quam indidit Deus cordi tuo generoso; cùm te creavit ad imaginem, & similitudinem suam. Gloria major lilio, quàm Salomonis: Regina tamen Saba hanc non illam, est admirata: in veste picta vides hominum manus; in lilio manum Dei. Stella de cont. Ps. 1. c. 44.

Sicut ex parte corporis humiles esse debemus; terra enim sumus ità considerata animæ excellentia, quædam sancta in nobis debet esse arrogantia; & spernere terrena, quæ sunt indigna anima. Idem in Luc. 2.

Ludovicus XIII. Gall. Rex, adolescens per quam addictus vixit avibus: sed ut primùm regnum aggressus est, has à suis curis in libertatem remisit, dicens: jam aliquid supra aves cogitandum est. Masen. l. 2. argut.

Num. II.

Terrena etiam malis obveniunt.

Det tibi Deus de rore cœli. Gen. 27. 28. id est, spiritualium abundantiam. *Et de pinguedine terræ*, id est, temporalium affluentiam. Esau post dicitur. *det tibi Deus de pinguedine terræ* quam principaliter affectabat. Hugo. Card. hìc.

Esau, quem Dominus reprobaverat, incedebat *cum quadringentis viris*. Gen. 33. 31. Jacob *in baculo suo* transeunte Jordanem Gen. 32. 10. Malo pauca cum puritate conscientiæ quàm dignitates innumeras cum verme, qui non moritur, possidere. Blesensis ep. 20.

Negantur Electis in hac vita bona terrena quia & ægris quibus spes vivendi est, nequaquam à Medico cuncta, qui appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona, qui in hac vita appetunt: quia & desperatis ægris omne, quo desiderant, non negatur: S. Gregor. mor. l. 21. c. 4.

Temporalia bona sunt quasi ossa convivii paradisi in Mundum missa. Sæpè enim malis divitibus, & magnis hominibus quasi canibus, projecta. Et tamen, sicut canis non daret os, quod rodit, pro Imperio, vel Papatu; sic impius dives non daret bona temporalia pro tota gloria sempiterna. S. Bernardinus t. 1. s. 22.

Universæ creaturæ meæ, seu fragmenta quædam, sunt quæ ex mensa Dei ceciderunt. Unde meritò canis appellatur, qui creaturis pascitur, Ps. 58. 15. *famem patientur ut canes*. Hx. operib. myst. V. P. F. Joannis à Cruce, lib. cui tit. ascensus mentis Carmeli c. 6.

B. Angela de Fulginio dicere solebat: temporalia bona, fortunas, honores, esse panis micas, quæ cadunt de mensa Domini: Cruces verò esse delicatos opipari convivii bolos; qui & fortibus Dei intimis apponuntur. Ex libello, cui titulus, solus Deus Auth. Boudon.

Vide. Divitiæ Prosperitas.

Num. III.

Terrenis semper aliquid deest.

Ex Veteri.

Inimici ejus terram lingent. Ps. 71. 9. quia peccatores, divinæ suavitatis fonte spreto, terram voluptatis lingunt ut canes jus supra terram effusum. O cœci, nonne orbis terrarum & quidquid in eo est voluptatis, gaudii, & honoris, *tanquam momentum statera coram Deo est*: Sap. 11. 23. Quomodo ergo lingitis terram stulti? cur non magis ad Deum fontem aquæ vivæ acceditis? Amatores terrenorum dicuntur lingere momentanea, quia non inveniunt in eis, undè satientur. Nunquid lingendo panem, aut aliquem cibum, potest quis satiari? Diez Desideria Sancta.

Vanitas vanitatum. Ecclesiast. 1. 2. Quæres: quæ, & quot, in Mundo, rebusque omnibus creatis, sint vanitates? Resp. esse multas, & penè innumeras; sed illustriores sunt duodecim contrarias totidem veritatibus, verisque bonis in Deo, & cœlo, existentibus; quæ inspectores movent ad sui contemptum, & Dei amorem. *Prima* est *exiguitas*: quòd omnis creatura, & creata voluptas, sit modica. Omnis enim creatura modicum esse accipit à Deo, ac consequenter modicum boni: nec ulla creatura se totam homini communicat; sed juxta suas qualitates: hæ gustum, illæ visum, &c. recreant. Hinc opponitur *immensitas Dei*, omniumque ejus bonorum. Sperne ergo delicias modicas, & fruere Deo, qui est mare deliciarum. Sperne opes terræ modicas, & cape regnum cœlorum. *Secunda* est *vilitas*: quia omnis creata voluptas, præsertim carnalis, terrea est, vilis, sordida, indigna creatura rationali. Cùm increata, quæ est in Deo, sit cœlestis, sublimis, angelica, & divina. Amas aurum, & argentum? Scis, quid amas? amas terram rubram, & albam, ait S. Bernardus. Amas purpuram, byssum, & margaritas? Scis, quid ames? amas excrementa piscium, concharum, & vermium. Amas lautas mensas? Scis, quid ames? amas cadavera porcorum, vitulorum, anserum, &c. Amas puellam? saccum stercorum amas. *Tertia* est *insatiabilitas*. Divina mentem satiant, & explent omne hominis desiderium. *Quarta* est *Brevitas*. Divina perpetua, & æterna. *Quinta* est *Instabilitas*: quòd omnis creata voluptas sit fluxa, nec habeat consistentiam; sed consistat in continuo motu, & fluxa. Divina verò semper in eodem statu permanet. Venaris opes, delicias, gloriam? venaris ventos, insequeris umbram, ædificas in arena. *Sexta* est *falsitas*: quòd nulla creata voluptas sit sincera, pura, mera, & liquida; sed multis molestiis, doloribus, & amaritudinibus permista. In Deo est purum merumque gaudium; mel sine felle, vinum sine aqua. *Septima* est *insensibilitas*: quòd omnis creata voluptas animam non pervadat; immò in se non attingat; sed tantùm corpus, sensusque afficiat; & per eos animam obiter perstringat. Divina verò voluptas ipsam animam occupat, pervadit, & replet. *Octava* est *infidelitas*: quòd omnis creatura infidelis sit; sæpeque spem, quam promittit, non præstet. Deus autem fidelissimus est; immò sæpe plus dat, quàm promisit. *Nona* est *incertitudo*: quod omnis creaturæ voluptas sit incerta. Quàm sunt divitiæ incertæ, quæ à fure rapi, incendio comburi, à mari hauriri possunt! Quàm sunt honores incerti! tam incerti, quàm homines, hominumque voluptates à quibus pendent. At divina voluptas, divitiæ certissimæ, *quò fur non appropiat &c. Decima* est *fallacia*: nam omnis creatura separabilis est; sæpeque post unum annum, mensem, vel diem; & semper in morte ab amante separatur, eumque deserit. At divina inseparabilis est: beati enim in cœlo nunquam à summo bono suaque beatitudine, separari possunt. *Undecima* est *infirmitas*: quia omnis creata voluptas infirma est. Amas mulierem pulchram? morbo ecce corripitur, deflorescit, sit turpis, abominabilis. Amas Deum? incorruptibilis est, immortalis, *Duodecima* est *pernicies*: creata enim voluptas noxia est; ducitque ad dolores, præsentes, & æternos. At voluptas divina est utilissima; ducitque ad gaudia sempiterna. Cornelius hìc.

Ut comedat ex eis, & fruatur parte sua. Eccl. 5. 18. Nota: *parte sua*; quasi nihil integrum liceat homini accipere ex creatura. Baeza t. 1. l. 3. c. 8. §. 3.

Hujus statua caput ex auro &c. Dan. 2. 32. Omnia Mundi regna aurea, argentea, ærea, congesta; ut compleant vel unam hominis statuam: nec complent tandem; nec omnibus his integratur natura humana; nisi supplente pulvere defectum metalli. Idem t. 1. l. 1. c. 7. §. 32.

Ex Novo.

Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis. Matth. 15. 27. Chananæa bonum creatum petebat; solam scilicet filiæ sanitatem. q. d. ait S. Hieron. scio, me filiorum panem non mereri; nec integros capere posse cibos: sed contenta sum reliquiis catulorum. Baeza t. 1. l. 3. c. 8 §. 3.

Benedixit, ac fregit. Matth. 26. 26. Vides panem frangi à Domino. Quod ad creaturam panis pertinet, traditur divisum; qui ibi latet Christus, non confractus, non divisus, integer accipitur. Hoc sibi amoris deberi ab hominibus voluit Dominus, quòd inter omnia bona ipse solus totus, & integer tradatur nobis. Idem ibidem.

Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem, Luc. 12. 13. Respondit: *quis me constituit judicem, aut dividerem, super vos?* Petebat ille dimidiam in terra hæreditatem; in cœlo Dominus offerebat totam. S. August. s. 196. de temp. Non venit dividere; sed unire. Sim. Cass.

Pater, da mihi portionem substantiæ. Luc. 15. 12. Non petit totam hæreditatem, sed portionem, seu partem: in bonis enim Mundi nihil plenum, sed totum divisum. Sylveira hìc. Postulat partem, qui totum habebat in toto: & pars deficiet, cùm separatur à toto; velut rivus à fonte, velut ramus ab arbore, & velut radius à sole, præcisus. Sim. Cass. l. 6. c. 14.

Intingat extremum digiti. Luc. 16. 24. Petit epulò extremum digiti, non manum: quia hoc ex bonis didicerat creatis; nihil integrum extra Deum posse hominibus dari. Baeza antè citatus.

Num. IV.

Terrena sunt vana, nihil.

Ex Veteri.

Terra erat inanis. Gen. 1. 2. Aquila: *terra erat vanitas, & nihil*. Symmachus: *terra erat otiosa, & indigesta*.

Peperit Abel. 4. 2. Habel vocat, id est, vanitas, à radice habal, *vapor in nihilum abiens*. Unde Josepho lib. 1. antiq. c. 4. *Habel* significat *nihil hoc*. Hac radice dixit Ecclesiastes: *Habel, habalim, vanitas vanitatum*. Velloso in Judith. 6. 19.

Ego sum, qui sum. Ex. 3. 14. Nota: sicut nomen Dei *est esse*; ità è contrario creaturarum nomen *non esse*: ut, si interrogetur homo, lapis, angelus; qui es? qui vocaris? respondere possit, & debeat: nomen meum est, *non esse*; ego vocor *non sum*; idque *primò*: quia omnis creatura habuit æternum, non esse. *Secundò* corruptibilis est; habebit rursum æternum non esse. Sit corruptibilis, uti Angelus potest semper habere non esse; quia ipsius esse est in potestate Dei liberè ipsum conservantis. *Tertiò* quia quælibet res creata plus habet non entis, quàm entis. Cornel. hìc.

Nolite converti ad idola. Levit. 19. 4. Hebr. *elilim*, id est, res vanæ, nihili. *Secundò elilim* est diminutivum ab *el*, id est, Deus quà fortis. q. d. *deiculi forticuli*.

Dixerat enim, non habeo filium. 2. Reg. 18. 18. Tres filios, & unam filiam habebat Absolon, ut ex 2. Reg. 14. 27. notant Lyran. Cajetan. Theodoretus. Quomodo ergo habens tres filios, erecturus monimentum dixit; *non habeo filium*? Rationem dat Theodoretus: quod *filii* non possunt diu durare. Meritò despicit filios, tanquam non essent; qui sciebat illos mortales. Baeza t. 3. l. 14. c. 17. §. 5.

Vidi impium superexaltatum transivi; & ecce non erat. Ps. 36. 36. Non dicit, non est; sed *non erat*. Idem ibidem. Quo transivit David? ut tam citò ei evanesceret pompa? transivit mente ad contemplandam Dei gloriam. Elias Cretensis or. 3. Nazianz. ait: quid illud est, quod transit justus, ut ista cesset elatio? Cùm videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere; transeamus & nos mente, & intellectu, ab iis, qui videntur, & temporalia sunt; & transferamus intellectum nostrum ad æterna: & tunc omnis Mundialis altitudo corruit tanquam in nihilum. Sylveira in Actor. 1. q. 8.

Vanitas vanitatum. Ecclæ. 1. 2. Hebr. *nihil; & nihil; & omnia nihil*. Aquila, Symmachus: *vapor vaporum, & omnia vapor*. Syrus. *inanitas inanitatum, & omnis inanitas*.

Ex Novo.

Petens aliquid ab eo. Matth. 20. 20. Dicendo *aliquid*, denotatur, illam cœlestia petiisse: nam omnia terrena nihil sunt. Qui solem aspexit, & repentè cubile intrat, nihil videt: Sic sapienti ex divinæ pulchritudinis contemplatione nihil cuncta videntur. Diez conc. 2. in festo S. Jacobi Ap.

Non habeo, quod ponam ante illum. Luc. 11. 6. In nulla creatura fuit aliquando inventum, aut invenietur in sæcula sæculorum; ut ante affectum suum ex semetipsa possideat, quid apponat. Utinam omnibus esset nota imperfectio in hominibus latens! profectò aut omnino tebescerent, aut viam extollentiæ ignorarent. Nemo sibi Deus est aut largitor bonorum. Sim. Cass. l. 6. c. 1.

Erat dives, & induebatur purpura, &c. Luc. 16. 19. Omnia dicit de præterito: significans, illum jam non esse, nec epulari, nec vestibus indui. O miser Munde! omnia, quæ in te sunt, divitiæ, honores, voluptates, meritò possunt dici, jam non esse; cùm tam citò transituræ sint. *Ego Ecclesiastes fui Rex*

Israel. Ecclæ. 1. 12. Actu erat Rex; dicit autem *sui*, ut doceret, omnia, quæ possidemus, tanquam præterita æstimanda. Diez fer. 5. D. 2. Quadr.

Dilexerunt magis tenebras. Joan. 3. 19. hoc est, bona sensibilia, quæ tenebræ appellantur: quia privata sunt lumine spiritus. Cajetanus hic.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joan. 14. 2. Meritò ait Dominus *sunt*: quæ enim æternùm manent, ea solùm sunt quæ non manent, non sunt, & quasi non sint, debent reputari Baeza t. 3. l. 14. c. 17. §. 5.

Reliquum est; ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint. 1. Cor. 7. 29. Omnia terrena, tanquam non sint, censeri debent. Cur ità? *præterit enim figura hujus Mundi*. v. 31. Idem ib idem.

Ex Patribus, & aliis.

Omnia imaginaria in hoc Sæculo, & nihil sunt. Tertull. l. de cor. militis.

Lætitia Sæculi vanitas: cùm magna expectatione speratur, ut veniat; & non potest teneri, cùm venerit. S. August. tr. 7. in Joan.

Omnes istæ felicitates, quæ videntur, Sæculi, somnia sunt dormientium. Et quomodo, qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est: sed evigilabit, & pauper erit. Sic omnia ista vana hujus Sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent. Idem in Ps. 131.

Et inspexi cœtera infrà te; & vidi, nec omnino esse, nec omnino non esse: esse quidem, quoniam abs te sunt; non esse autem; quoniam id, quod es, non sunt. Id enim verè est, quod incommutabiliter maset. Idem Confess. l. 7. c. 11.

Quæ sunt præsentia, sunt somnio nihil meliora. Sed quemadmodum, qui in somnis sibi videntur habere pecunias, licet fuerint regiæ gazæ, cùm dies illuxerit, sunt omnium pauperrimi: ità etiam in vita præsenti, qui nihil illuc auferre potuerit, est omnium pauperrimus: in somniis enim solùm est dives. Si velis ergo mihi ostendere divitem; tunc mihi ostende; quando fuerit dies, quando in illam patriam recesserimus: nunc autem non potero discernere divitem, & pauperem. S. Chrysost. in Ps. 43.

Omnia, quibus in hac vita mortalium curæ distinentur, inanis quædam opinio sunt, nihilque subsistens: Opinio est honor, dignitas, generis claritudo, superbia, elatio, divitiæ, & his similia; quibus vitæ hujus aranei inhiant. S. Gregor. Nyss. tr. in Psalmos c 7.

Vanum intelligitur, quod non potest consistere; quod in sola verborum prolatione suam habet essentiam. Idem. hom. 1. in Ecclesiasten.

Sed, nunquid cœlestia, & terrestria, quæ Deus creavit, & omnia valde bona; cuncta in vanitate consistunt? non utique sed comparata prioribus, illa minora nimis, & inania judicantur, sicut ait Hieron. Lucerna lampadis comparatione pro nihilo est. Lampas stellæ comparatione non lucet: stellam Luna confer; & cœca est: lunam soli junge: non rutilat: solem Christo confer; & tenebræ sunt. Sic omnia vana sunt; quæ cum melioribus comparantur, fulgore proprio minuuntur. Sim. Cass. in Ps. 61.

Arias Montanus ait, omnia sublunaria esse similia ciphræ O.; quæ, si à solido numero separetur, nihil efficit: nec numerus est; sed inanis, exilisque circulus. Sic enim omnia sub cœlo, per se nudè spectata, inania sunt; parvique immò nullius valoris & pretii. Rursum, quò magis cipham solam multiplicas, eò inanius plura inania concervas. Sic pariter quo plures opes &c. At, sicut ciphra O addita numero solido, eum adauger; sic, si vanitas veritati, homo Deo adhæreat, & ad ejus honorem opes in se vanas expendat; efficiet actus nobiles charitatis, eleemosynæ, aliarumque virtutum. Apud Cornelium in Eccl. 1.

Num. V.

Terrena sunt periculosa, noxia.

Ex Veteri.

Cumque operiretur vestibus, non calefiebat. 3. Reg. 1. 2. Temporalia non calefaciunt in amorem Dei, & proximi; sed potiùs refrigerant ab amore. Et quid mirum? umbras enim sunt, quæ & splendorem, & calorem solis aufert. Hugo Card. hic.

Defecerunt sicut fumus Dies mei. Psal. 101. 4. Nonne vides etiam corporis oculos cùm in fumo remorantur, lacrymas semper effundere? si verò potiantur florentibus pratis, & hortis viretibus, multò majori aciei fulgore rutilare. Talis profectò est & mentis oculos: si in pratis spiritualis pascatur eloquii, erit totus purus, & lucidus; si verò in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lacrymabitur, & flebit, S. Chrysost. hom. 2. in Matth.

Vanitas vanitatum. Eccl. 1. 2. S. Hieron. *vapor fumi*: Nam res Mundi excœcant, & molestant, ut fumus. Diez conc. 2. in festo. S. Jacobi.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. Is. 6. 1. oculos verò demittens vidit domum inferiorem *repletam fumo*. v. 4. Idem ibidem.

Sordes ejus in pedibus ejus. Thren. 1. 9. *deposita est vehementer, non habens consolatorem*. Ib. Ecce tibi tota civitas luctui, fletui, tradita, sine consolatore. Sed unde hic fletus, & sine consolatore, lamenti causa? *Sordes &c.* si non ad terrena, & lutea bona egrederetur, &c. Baeza t. 1. l. 5. c. 2. §. 2.

Ex Novo.

Si cadens adoraveris me. Matth. 4. 9. Nihil vicinius bonis temporalibus dæmon invenit, quàm casum, quàm ruinam Baeza t. 1. l. 3. c. 22.

Panem nostrum supersubstantialem &c. Matt. 6. 11. Mox: *& dimitte nobis debita nostra*. v. 12. Quæ debita? quæ ex acceptione hujus dono temporalis contraximus. Quid enim terrenum, licèt exiguum, non est occasio delinquendi? Tertull. hic c. 4. consequens erat; ut, observata Dei liberalitate (*panem nostrum*) etiam clementiam ejus precaremur. Quare erat consequens? quia vel parcus cibus solet occasionem delicti ministrare. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 5. sect. 2. obs. 6.

Quid faciam? Luc. 12. 17. Spectandas putabam in divite messe cantilenas; verba lætitiæ, & jubili: at non hæc; sed quæ anxietates, & molestas curas, sonabant. *Quid faciam?* S. Zeno s. de dupl. tentat. gen. *quid*, inquit, *faciam?* Quis non talem miseretur? quis non infelicitatem ejus doleat? angustiatur ex abundantia; constringitur ex opulentia; infelix in præsentibus, infelicior in futuris. Et, ut video, ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit graviores. Baeza t. 1. l. 5. c. 2. §. 2.

Fili, recordare; quia recepisti bona in vita tua. Luc. 16. 25. Hæccine tota causa cruciatuum, quòd *receperit* bona in vita sua? ipsa planè. S. Bernardus sup. *ecce nos*. Sanè judex sententiam laturus, reo objicit crimina, delicta comprobata declarat; ob quæ dignas pœnas recipiat. Et ecce tibi epuloni tota causa cruciatuum; quòd receperit bona in vita sua. Ubi sunt scelera illius? ubi feritas in pauperes? ubi æris alieni tenacitas? Omnia simul objicit crimina, qui bona illis temporalia enumerat. Baeza t. 1. l. 3. c. 22.

Fatigatus sedebat supra fontem. Joan. 4. 6. Non dicitur Jesus fatigatus, dum iter faceret; sed dum sedet super puteum. Puteus Mundi bona denotat: si enim homo post hujus sæculi vias, qui laborat ad bona comparanda, vult in iis sedere, & otio vacare, non requiem, sed fatigationem, & laborem reperit. Sylveira hic.

Si dimittimus eum sic &c. Joan. 11. 48. O stultitia, & imprudentia! timuisti perdere terram, & perdidisti cœlum. Timuisti, nè veniret Romani, & tollerent tibi locum & gentem; nunquid tollerent Deum? quid ergo, restat! quid?, nisi, ut jam fatearis, quid tenere voluisti, & tenendo malè amisisti. Perdidisti locum, & gentem, occidendo Christum: perdidisti & locum, & gentem, & Christum. S. August. in Psal. 53. Ecce Dei judicium: ut, qui Deum propter rem aliquam deserit, ab omnibus deseratur. Sylveria hic.

De iis, quæ tibi non profunt, te adeò fuisse sollicitum, erubesces, cùm è corpore excesseris. B. Isaias Abb. or. 15.

Qui flumen aliquod tranat; nisi caput super aquas erigat, est in periculo submersionis. De omnibus dici potest: *in mari via tua, & semita tua in aquis multis*. Ps. 76. 20. Si in altum cogitationes, & affectus non erigimus, in peccatorum undis submergemur. Diez conc. 3. D. 5. Pasch.

Num. VI.

Terrena vilia, brevia, pauca, vana.

Ex Veteri, & Novo.

Vidi somnium, quòd tria canistra haberem & in uno canistro portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo. Gen. 40. 16. Chald. *& aves comedebant ea*. Terrena, longo labore pacta, citò perduntur. Naxera in Jos. 15. §. 8.

Vitulus aureus non levi labore conflatus erat. Ex. 32. 4. quem *arripiens* Moyses *combussit, & contrivit usque ad pulverem*. v. 20.

Operuit vultum suum pallio. 3. Reg. 19. 13. Videns Elias gloriam Dei ante se transire, pallio oculos sibi obvelavit: quam primum enim quis gustat divina, terrenis omnibus oculos claudit. Stella de cont. p. 2. c. 63.

Extende paululùm manum tuam. Job. 1. 11. Sub vocabulo *paululùm* intelligit dæmon omnia terrena bona, quibus florebat Job; ut interpretantur S. Gregor. mor. l. 2. c. 5. S. Thomas Aqu. Pineda &c. bona omnia Jobi vocat *paululùm*, quia non animæ. Sylveira in Matth. 16.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Psal. 8. 8. Ut contemneremus, & calcaremus: nos verò ea tanti facimus, ut super caput ponamus. Diez conc. 2. in festo S. Jacobi.

Super pauca fuisti fidelis. Matth. 25. 21. Quæ illa pauca? certè omnia illa, quæ in hoc Mundo pretiosissima æstimantur. Omnia, quæ aut animæ, aut corporis, ministerio assignata, fide-

fideli usu ab homine sic tractantur; ut virtutum incremento, & divini beneplaciti obsequio deputentur. Cur ergo pauca dicuntur, quæ sunt innumera? Eusebius Gallicanus hom. de Nat. Conf. nota, quod pauca Dominus reputat, quæ in hoc Mundo meliora habemus: qua in re illius regni divitias inæstimabiles esse ostendit. Ramirez in Apoc. 2. ep. 2.

Pete à me, quod vis licèt dimidium regni mei. Marci 6. 22. 23. Vide, quàm benè sæculares de sæcularibus judicent potestatibus; ut etiam pro saltatione regna donentur. S. Ambros. l. 3. de Virg. c. 5.

Anima mea habes stulte, hac nocte. Luc. 12. 19. Non poterant non exigua esse possessionis spatia; cùm tam prolixa fuerint ambitionis tempora. Cyrillus in Catena: fructus quidem habes in horreis; sed annos plurimos unde poteris obtinere? dives igitur non parat permanentia horrea, sed caduca; & quod stultiùs est, vitæ longitudinem sibi taxat. Naxera in Jos. 5. §. 6. Notandum: quòd omnia, quæ in præsenti habemus, licèt magna videantur, & plurimæ, tamen comparatione futurorum pauca, & parva sunt. S. Hieron. apud Did. Nyss. D. 5. Pasch. §. 1.

Ex Patribus, & aliis.

Quaquaversum se verterit anima hominis; ad dolores figitur alibi, præterquam, in te; tametsi figitur in pulchris extra te, & extra se: quæ tamen nulla essent, nisi essent abs te: quæ oriuntur, & occidunt, & oriendo quasi esse incipiunt, & crescunt, ut perficiantur; & perfecta senescunt, & intereunt. Etenim omnia senescunt, & omnia intereunt. Ergo, cùm oriuntur, & tendunt esse, quò magis celeriter crescunt, ut sint; eò magis festinant ut non sint. S. Aug. Conf. l. 4. c. 10.

Quid caduco huic, Mundo laboras? cur perforato aquam dolio ingeris? nihil enim aliud est, in præsentibus istis laborare; quàm flammam discerpere, quàm pugnis aera cedere. S. Chrysost. hom. 77. in Matth. 22.

Quidquid finem habet, non admodum pretiosum est: quidquid cessat, & hodie est: cras desinit: etiam maximum, quàm vilissimum, est existimandum. S. Chrysost. hom. 43. in Joan. 6.

Cùm sol ad occidendum pergit; quò magis occidit, eo magis umbræ accrescunt. Quæcumque res corporea, etiam exigua, umbram magnam efficit. Cùm verò sol in meridie est, omnes umbræ sunt minimæ. Sic contingit nobis: quò enim magis Deus à nobis recedit, eò majores nobis apparent res, & honores Mundi. *Transierunt omnia tanquam umbra*. Sap. 5. 9. Quando verò Deus in medio hemispherii, id est, cordis nostri commoratur; tunc omnes umbræ sunt minimæ. Cùm enim sic possideatur, illuminetur, & à Deo inflammetur; omnia minima, & quasi nihil, esse ducit. Et hoc est, quod sponsa significat. Cant. 2. 3. *sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Arbores sylvarum sunt robora, rubus, ilices, & quercus; & suavem fructum non proferunt. Vult igitur dicere: quidquid est in Mundo, præter Deum, animæ est fructus sylvarum, glandes duræ, & amaræ. Diez Dom. Palm.

Num. VII.

Terrena spernentium dignitas, honor.

Ecce constitui te Deus Pharaonis. Ex. 7. 1. Quid causæ? cur Moyse tam graviter, & tam frequenter, Ægyptum verberante, increpante Pharaonem tàm sæpe; nunquam ausi sint, vel percussi Ægyptii, vel Rex objurgatus, eum occidere, vel regno pellere? Poterat sine dubio tyrannus, ut se liberaret pœnis & minis, præcipere uni è stipatoribus, ut Prophetam occideret. Id nemini in mentem venit: quia spes abjecta obtinendi imperii, è Regia fortis egressio, & ipsa dominationis fuga, sic venerandum faciebant, & afflictis subditis, & irato principi: ut nemo eum ferire, vel verbo percellere ausus. S. Ambros. s. 8. in Ps. 118. factus in Deum Regi Pharaoni: hæc est potentia sanctitatis. Et tu, si vis tanquam Deus peccatoribus terrori esse, regibus reverentiæ, ut tanquam Deo tibi videantur esse subjecti; contemne, quæ Sæculi sunt, & Dominicæ Passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis. Olivat. 3. conc. 31.

Ego dixi: dii estis. Ps. 81. 6. Quibusnam dixit Dominus? iis qui, quoad ejus fieri potest, mortalia omnia repudiant. Clemens Alex. l. 2. Strom.

Ostendit ei omnia regna Mundi. Matth. 4. 8. Author. Imp. op. hom. 5. in Matth. in persona diaboli: ostendam illi omnia regna Mundi. Si concupierit ea; scio, quia homo est: si autem contempserit; scio, quia Filius Dei est. Qui verè orat. *Pater noster, qui es in cœlis*, terrena non quærens; magis filius Dei, quàm hominis est. *Filii hominum, usquequo diligitis vanitatem?* Ps. 4. 3. Barradius hic tom. 2. l. 7. c. 4.

Ecce ego mitto Angelum meum. Matth. 11. 10. Angelum appellavit, quasi angelicam degentem vitam: eò quod super terrena elevabatur, & cœlestia sapiebat. Euthymius apud Escobar. t. 3. Coll. Chr. l. 1. sect. 2.

Princeps regum terræ. Apoc. 1. 5. Appellatur: quia peculiarem in illos dominatum obtinent, quia terrenis cupiditatibus imperare didicerunt. S. Andreas Cæsar. s. 1. hic.

Quis non sursum esse mallet, & non sub terra? quia non eligeret potiùs esse angelus, quàm talpa semper in subterraneis latebris agens? Angelus est iis, cujus cor in cœlo versatur; talpa ille, cujus in terra cor defossum. Theodoretus apud Sylveiram addit. in Luc. 12.

Num. VIII.

Terrena spernentium utilitas, præmia.

Egredere de terra tua. Gen. 12. 1. Abrahæ, Dei jussu terram suam relinquenti, promittuntur septem præmia: quo numero universitas præmiorum significatur. Mendoza in 1. Reg. 6. Antiot. 21. Sect. 2.

Levo manum meam ad Dominum Deum. Genes. 14. 22. Perfectæ mentis est, nihil de terrenis, nihil de corporalibus, illecebris assumere, abstinere à terrenis. Ideo Abraham dicit: *nihil summam ab omnibus tuis*. Quasi contagium, declinant intemperantiæ, quasi labem refugit corporalium sensuum: delectationes Mundi rejicit, quærens quæ supra Mundum sunt: hoc est extendere manus ad Dominum. S. Ambros. l. 2. de Abrah. c. 8. *Merces tua magna nimis*. Gen. 15. 1. Quia de præda nihil accipere voluisti; ideo ero protector tuus contra hostes tuos. Hugo Card. hic.

Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. Deut. 11. 24. Quantum est humilitatis dominium, omnia habere sub pedibus per generosum contemptum. Gerson. p. 2. s. in cœna Dom.

Pater noster, qui es in cœlis. Matth. 6. 9. Si vis habere Patrem Deum, in cœlos specta, & non in terram. Theophylactus hic.

Necesse habeo exire, & videre illum. Luc. 14. 18. Quid ex necesse videre, quorum contemptu beatificamur promissione regni cœlorum. Quid necesse videre terrena, quorum contemptu cœlestia tribuuntur? Quid necesse videre illa, quorum contemptu cum Angelis portio nostra statuitur? Quid necesse videre, quæ nunquam planè habentur, aut ex tota copia, seu ex modica mora: nec habita satiant; imò sæpe fastidiunt; cùm Paterfamilias omnium magnam vocat ad cœnam. Sim. Cass. l. 6. c. 19.

Misericors Dominus, quando nos videt despicere præsentia, etiam ipsa largius suppeditat; reponitque plurima, quibus olim fruemur. S. Chrysost. hom. 35. in Gen.

Ille plenè omnia terrena possidet, qui omnia hujus Mundi plenè despicit & contemnit. Sanct. Bonaventura Stim. am. c. 1.

Num. IX.

Christi exemplum, & monita.

Filii hominum, usquequo gravi corde. Ps. 4. 3. *& scitote, quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum*. v. 6. Hæc est potissima ratio, cur deberent homines non amplius inhærere temporalibus: quia videlicet venit ad nos Sanctus Dei, id est, Filius Dei. Bellarminus hic.

Ostende mihi faciem tuam. Cant. 2. 14. id est, converte ad me faciem tuam, quam à me aversam habes: averte illam à terrenis rebus, quas plus, quàm me, amabas: ut tu me deinceps respicias, & ego te. De Ponte hic. Exh. 26. §. 3.

Egredimini Filiæ Sion. Cant. 3. 11. id est, egredimini ab operibus pravis, concupiscentiis tumultibus, & rerum terrenarum curis; & tum tranquillè Regem vestrum videbitis. *Vacate, & videre*. Ps. 45. 11. Idem hic Exh. 34. Egredimini animæ fideles è Mundo, & corde sursum ascendite in cœlum: avertite oculos à terrenis. Idem ibidem.

Vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum. Cant. 4. 9. Duo sunt visus, five oculi; unus, quo superna contemplamus; alius, quo transitoria atque terrena. *Vulnerasti cor meum* q. d. ò anima! quæ soror mea dici meruisti, ex quo carnem sumendo me tibi fratrem feci; & quàm sponsam elegi, cùm te mihi in amore, & voluntatis unitate conjunxi: in eo, quòd æterna potiùs, quàm terrena, cordis oculis vides, & quæris; tantum me lætificas & grata fis; ut amor tuus cor meum vulneret, & nimietate sua penetret. Richardus à S. Vict. c. 27. in Cant.

Paravit Deus vermem. Jonæ 4. 7. Ambitiosæ hederæ, quæ umbra sua æstuantem Jonam protegebat. Vermis ille Christus crucifixus. Ego sum vermis Ps. 21. 7. quasi sit sensus: Florentissima sæculi bona quæ hominibus antea pro umbra, imò pro vita erant; ab ipsis postea, Crucis Christi humilitate edoctis, pro nihilo ducenda esse. Prædixit id Isa. 2. 18. *incurvabitur sublimitas hominum*. Incerto Authore.

Surgite, eamus hinc. Joan. 14. 31. Præcipiens, ut unusquisque surgat de terrenis; erigat animam humi jacentem; ad superna attollat: excitet aquilam suam; & illam aquilam, ad quam dictum est: *renovabitur ut aquilæ juventus tua*. Psal. 102.

102. 5. ad animam hoc dictum est. Anima ergo nostra, sicut aquila, alta petat, supra nubes volet, renovatis splendescat exuviis, cœlo volatus suos inferat, ubi laqueos incidere non possit. S. Ambros. l. de bono mortis c. 5. Hortatur nos Salvator dicens: *Surgite eamus hinc*: non eos tantùm, quos tunc Discipulos habebat, ex illo duntaxat loco transferens; sed & semper, & omnes discipulos suos, à terra, rebusque terrenis, ad cœlos, & res cœlestes pertrahens, S. Gregor. Naz. orat. 6.

Christus factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Philipp. 2. 8. Cur sic? ut elevatus à terra, id est, ab omnibus, quæ terreni homines quærere possunt, traheret ad se omnia, tam exemplo tali, quàm auxilio invisibili, Gerson. tr. 9. sup. Magnif.

Quis beatam vitam esse arbitretur in iis, quæ contemnenda esse docuit Filius Dei? S. August. l. de agone Christiano c. 11.

Omnia bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus; ut contemnenda monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat: ut neque in illis quæreretur felicitas; neque in istis infelicitas timeretur. S. August. l. de Catechiz. rud. c. 22

Num. X.

Exempla Sanctorum.

Scidit vestimenta sua. Job 1. 20. Ob hoc conscidit, ut expeditior, atque constantior, extitisset in prœlio, ut illa, quæ retardant, deponeret; ut illa, quæ impendiunt, à se projiceret. Origenes hìc.

Percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum. Cant. 5. 7. Non multò antè indilectum offendit; & fortiter adeò brachiis charitatis adstringit; ut separari non velit. *Tenui eum, nec dimittam &c.* Cant. 3. 4. Cur, quæ Sponsum adeò tenet ut eo spoliari nequeat, pallium fixè adeò non tenuit; ut nudari, nequiverit? O digna sponsæ cœlestis studia? vulnerari, spoliari, contemnit: hoc solùm timet, nè à sponso vel tantillum separetur: quia æqua æstimationis lance res ponderat. Solùm quæ amore digna, studiosè complectitur; alia generosè aspernatur. *Tulerunt pallium meum*, non rapuerunt: quia haud in vita reliquit. Naxera in Jos. 17. §. 12.

Memento mei Domine. Luc. 23. 42. O latronis philosophia! non petit pecunias, non solvi supplicio, non pœna liberari. Non ait illi, depone de cruce: nihil hæc curo supplicia: sublimiores assumpsi alas; alios oculos accepit. Terrenam universam, nihili facio, mortem contemno: adest enim, qui largitur immortalitatem: illum enim cupio, ejusque desiderio æstuo. S. Chrysost. orat. in sancta lumina.

Martha ergo occurrit. Joan. 11. 20 Dimittit Martha domum, dimittit sororem, dimittit consanguineos, & amicos; dimittit, qui humanè venerant præstare solamina: & inconsulta venit; cùm superiorem potentia, & virtute, advenire cognovit. Dimittuntur bona, cùm meliora proveniunt; & ima pro summis, terrena pro cœlestibus, humana pro divinis, dimittere ratio sic sana docet. Summa Christus est caussa, ut omnia fiant repudio, cùm advenit. Et humana consolatio dimittatur, ut se promittit adesse divina. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Num. XI.

Terrena spernendi varia motiva.

Filiæ meæ, & Filii, atque greges tui; & omnia, quæ cernis, mea sunt. Gen. 31. 43. Sicut opinor, Jacob valdè risit Labanum dicentem, liberos, greges, omnia denique sua esse. Philo Jud. lib. de Cherub.

Locum nostrum, & gentem. Joan. 11. 48. Prudentes omnia Mundi bona in mobilibus recensent; fatuis sunt omnia fixa, & stabilia. Magna amentia! quòd gentem, & locum, sua vocant, suasque facultates; quas illorum solùm usibus permiserat Deus; non dederat, ut reputarent propria. Did. Nyss. fer. 6. D. 5 Quadr. §. 4.

Si cui aliquis quinque hodie ex ære denarios offerat, quingentos verò aureos in crastinum spondeat; optionemque offerat, utrùm æs ad præsens sumere, an aurum mallet imposterum? dubiumne est, quin præoptet grandia illa munera cum parva munera? Tu quoque, brevis hujus, atque æternæ, vitæ conditione perspecta, non eligas capere vilia; cùm sperare possis pretiosa. S. Eucherius ep. Paræn. ad Valerianum.

Usum tantùm earum rerum accepimus, quas tenemus: commodatis enim à Deo facultatibus utimur & quasi precarii possessores sumus. Denique egredientes è Mundo isto, velimus, nolimus; hic cuncta relinquimus. Salvianus l. 1. Eccl. Cath.

§. IV.

Terrenorum amor, & amatores.

Num. I.

Symbola.

Ex Veteri.

Benedixitque eis dicens: crescite, & multiplicamini. Gen. 1. 22. Oportet te volare, vel natare; si vis affugere perditionem. Cùm Deus creavit aves, & pisces; dedit eis suam benedictionem: animalibus verò reptilibus non benedixit. Qui appetit benedictionem, non inordinatè afficiatur rebus terrenis. Stella de cont. p. 1. c. 82.

Dimisit corvum, & non revertebatur. Gen. 8. 7. Dicitur, quòd cadavere aliquo illectus fuit. Hugo Card. in Ps. 42.

Sicut pulverem terræ. Gen. 13. 16. Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 296. notat posteros Abrahaæ hic comparari pulveri terræ; stellis verò c. 15. 5. quia ex iis aliqui futuri erant sapientes, & sancti cœlestes, sublimes, & illustres, instar stellarum cœli: alii verò insipientes, pravi, terrestres.

Det tibi Deus de rore cœli &c. Gen. 27. 28. Esau venator, dum esset foris, Isaac benedictionem amisit. Jacob autem benedictionem recepit, quia domi residebat. Venator est, qui temporalia toto orbe fugientia corde, & corpore sequitur. Hugo Card. in Luc.

Omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. Levit. 11. 20. Quod manibus incedit, immundum est; &, quod super quatuor pedes semper graditur, immundum est. Manibus incedit, qui terrenis innititur; quique spem in illis omnem suam habet, Quatuor graditur pedibus, qui in res sensibus obnoxias incumbit; eorumque occupationibus principem animi partem. Unde sapiens ille Proverbiorum author nè duos quidem hominem sapientem habere vult pedes; sed unum tantùm, eumque raro ad res corporeas movere. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui* Prov. 25. 17. S. Nilus lib. Ascet.

Lucerna, quæ super eum est, extinguetur. Job 18. 6. Bene de lucerna hac non dicitur, quæ apud eum est; sed quæ super eum est: quia iniquorum mentem terrena gaudia possident; sicque eam in voluptatibus absorbent; ut super ipsam sint, non apud ipsam. Justi autem, etiam cùm prosperitatem vitæ præsentis habent, eam sub semetipsis premere noverunt. S. Gregor. mor l. 14. c. 4.

In circuitu impii ambulant. Psal. 11. 9 Semper ambientes bona Mundi, & nunquam ad finem desideriorum suorum pervenientes. Bellarminus hic.

Moverunt caput. Ps. 21. 8. videlicet mentem rebus caducis, & mobilibus per amorem copulando. Movent caput scilicet à Deo, qui mentem in mobilibus ponunt. Unde hæc fuit pœna Cain, scilicet tremor capitis. Hugo Card. hìc.

Universum stratum, ejus versasti. Ps. 40. 4. Lectus dicitur amor temporalium. Hugo Card. hìc.

Divitiæ si affluant nolite cor apponere. Ps. 61. 11. Omnes, qui terrena sapiunt; omnes, qui felicitatem terrenam Deo præferunt; omnes, quia sua quærunt, non quæ JESU Christi; ad unam illam civitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mysticè, & habet regem diabolum. Omnes autem, qui ea, quæ sursum sunt, sapiunt, qui cœlestia meditantur; qui cum sollicitudine in sæculo vivunt, nè Deum offendant, qui cavent peccare; quos peccantes non pudet confiteri; humiles, mites, Sancti, justi, pii, boni; omnes ad unam civitatem pertinent, quæ Regem habet Christum. S. August. hìc.

Inimici ejus terram lingent. Ps. 71. 9. Terram lingunt, id est, terram sapiunt: hoc enim sapit unicuique, quod lingit; quibus in modum serpentis humus est esca penalis Cassiod. hìc.

Qui descendet mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ps. 109. 32. Homines, rejecta stabili, & nulli tempestati exposita, vita; voluntate, & proposito, quasi mare effecti sunt. S. Gregor. Nyss. tr. 1. in Ps. c. 8.

Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque, & stultitiam. &c. Ecclæ. 2. 12. Voluptatem vocat errorem; atque circuitum: quòd ad omnem ventum circumferantur bona ista terrena; quæ materiam suggerunt lætitiæ, ac voluptati - Insanire enim videntur, ac esse sui obliti; qui in loco miseriæ, & lacrymarum, lætandum sibi esse falsò existimant. Olympiodorus hìc.

Oculi tui columbarum. Cant. 4. 1. Interior mentis sufficientia placitum aspectum facit exteriorem, ut circa terrena oculos habeat columbarum: sicut in cupidis terrenorum appetitus facit oculos milvorum. Richardus à Sanct. Vict. cap. 15. in Cant.

Ex Novo, & Patribus.

Congregabit triticum suum in horreum. Matth. 3. 12. Granum tritici, non hordei, esse debes: hordeum enim pelliculam illam, qua operitur, difficilè expellit: quam granum tritici facilè exuit. Sic perfectum cor non alicui rei hujus sæculi

culi adhæret inordinatè; imperfectum verò vix se ab aliqua novit expedire. Diez conc. 2. in Comm. Virg.

Genimina viperarum. Luc. 3. 7. Filii serpentis; qui pessimos, & fraudiloquos, imitantur, qui terrena sectantur, quoniam terra illius est cibus: qui humanam habent prudentiam non divinam; non cœlestem, sed omnino terrenam. Sim. Cass. l. 3. hìc.

Erat inclinata; nec omnino poterat sursum respicere. Luc. 13. 11. Nil mentem magis onerat, quàm istius Mundi solicitudo; & cupiditas, vel pecuniæ, vel potentiæ: quòd tibi demonstratur in Evangelio; cùm legis, quia illa mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis, inclinata erat, ut sursum respicere non posset: curvata enim erat anima ejus; quæ inclinabatur ad terrena capienda; & cœlestem gratiam non videbat. S. Ambros. l. 2. hexam. c. 3.

Et ecce equus pallidus. Apoc. 6. 8. In hoc figurantur rerum terrenarum nimii amatores; quibus insidet diabolus. Pallidi sunt ex nimia anxietate acquirendi; timore, acquisita perdendi. Sequitur Infernus, nam habent ab eo hanc conditionem: quod sicut infernus nunquam dicit, sufficit; sic etiam nulla abundantia habent satis. Sylveira hìc.

Vani, & fatui, remisso, & languente, volatu (qui muscarum instar res hujus vitæ tenus, & exiles, circumlambunt) implicantur, & illigantur, quasi retibus quibusdam: deliciis, inquam, honoribus, gloria, variisque cupiditatibus, velut quibusdam araneorum texturis, involvuntur: præda, & esca facti illi feræ, quæ per hæc talia venationem instituere solet. At si quis aquilæ præditus, acutiùs ad lucis radios irretortum mentis oculum convertens, seque ipsum in altum vibrans, in hujusmodi araneorum telas inciderit: sola aura & impulsu pernicis volatus, soloque alarum impetu; quidquid ocurrit, dissipat, & disiicit. S. Gregor. Nyss. tr. in Psalmos c. 8.

Homo uxorem accipit, cùm actionis terrenæ suscipit curam: cujus si fœditatem cognoverit: dat libellum repudii, & dimittit eam de domo sua. S. Rupertus Abb. l. 1. in Deut. c. 28.

Num. II.

Terrena amantur, proponuntur spiritualibus.

Ex Veteri.

Maledicta terra in opere tuo. Gen. 3. 17. Vide stoliditatem hominis, terræ, terrenisque rebus, aut malis, veriùs dicam, incubantis. Nam si terræ maledictæ, ubi nulla securitas, nulla felicitas; sed infida, & infelicia, cuncta, sic adhæremus miseri: quid nobis fieret, si securi, ac felices, terram benedictionis plenam habitaremus? Fernandius hìc.

Ecce ejicis me hodie à facie terræ; & à facie tua abscondar. Gen. 4. 14. id est, juxta Philonem: si temporalia à me tollis; spiritualia, quæ offers, abjicio. Est enim impiorum hoc ingenium; ut pluris temporalia, quàm spiritualia faciant. Pinna Ethol. 179.

Sacrificate Domino: oves tantùm vestræ remaneant. Exod. 10. 24. Cur oves retinere cupit? quia credebat, tantò amore suarum pecudum teneri, vel pecuniæ ex illi colligendæ; ut malint cum illis in servitute remanere, quàm sine illis in libertatem redire: seu cum illis Pharaoni servire in Ægypto captivos, quam sine illis Deo in deserto libero sacrificare. Imò putabat, si fortè de Ægypto sine suis gregibus exirent, quamprimum in Ægyptum redituros: propensiores ad terrenas possessiones in Ægypto, quàm ad cœlestes pollicitationes in Palæstina obtinendas. Mendoza in 1. Reg. 5. Annotat. 19. Sect. 1.

Gomor per singula capita. Ex. 16. 16. *Coturnix cooperuit castra.* ibid. 13. Cœlestia in mensura volumus, humana sine mensura Manna Israelitis ad mensuram cœlo demissum; coturnices sine mensura. Coturnix terreus cibus; manna Angelorum panis, cœlestis annona. Ideò ad mensuram datur, nè fastidiant, qui in ipsa coturnicum saturitate esuriebant. Basilius Seleuc. orat. 33. escam librans cœlum Judæis demittebat, ac intrà modum gratia cohibebatur. Ægrè ferret in humanis modum: in cœlestibus placebat: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Oleaster ad 12. Numer. audis, quibus nos Deus, veluti parvulos, alere voluit, & quibus velimus saturari. Vult ipse nos, ut filios, cibis delicatissimis enutrire: nos autem, veluti rustici, volumus porris, & aliis saturari. Ille nos cibat pane Angelorum; nos ventrem implere volumus siliquis porcorum. Naxera in Jos. 1.

Invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra, &c. Reg. 5. 4. Omnia sua bona spiritualia in uno Dagone Philisthiim ponebant: & nihilominus, cùm eum dirutum, & contritum videbant, nihil movebantur. Verùm cùm agrorum fructus, in quibus suas divitias habebant, à muribus devoratos viderent; valde doluerunt, & resipuerunt. v. 6. 7. Sic bonis spiritualibus temporalia anteponimus. Mendoza in 1. Reg. 5. Annot. 19. Sect. 1.

Ex Novo.

Mitte te deorsum. Matth. 4. 6. hoc est, in terram, in terrena negotia: cœlestia minimè cura. S. Ambros. in Luc. 4. qui, relictis cœlestibus, eligit terrena, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrit. Barradius tom. 3. l. 6. cap. 11.

Ut quid perditio hæc? Matth. 26. 8. S. Paulinus epist. 4. suo ipsius damnandus judicio, quo triginta argenteis vendidit eum, quem mulier, ut ipse taxaverat, unxit trecentis. Sed in hoc perversus, quòd, ipsum vili æstimans Dominum, unguentum illud caro æstimavit. Sic multi magni æstimant terrena, ut omni auro putent emenda; cœlestia nihil pendunt Sylveira hìc.

Intingat extremum digiti sui in aquam. Luc. 16. 24. Stilla digiti extremi credit gehennæ flammas extinguere, qui mensuris per totam diem ebrietatis non extinxit incendia. Sanct. Chrysost. serm. 124. *Qui epulebatur quotidie splendidè*, guttæ aquam petit: cur non petit fontem? cœlestia in mensura volumus, humana sine mensura. Naxera in Jos. 1. §. 37.

Quia homo amore visibilium ab invisibili amore cecidit, sola jam visibilia ex peccati pœna cognoscit; eaque diligit, solis eis inhæret; & invisibilia, quasi non sint, postponit. S. Bonav. de reform. mentis p. 1. c. 6.

Num. III.

Ex terrenorum amore dolor & labor.

Abiit tristis. Matth. 19. 22. Erat anima hujus colligata perfunctoriis rebus; ideo contristatur, si aliter salvari non potest, quàm quòd amata dimittat. In omni enim re dimittenda tanta est vis doloris, atque tristitiæ; quantum amoris inferebat possessa. Nihil enim aliud est ità à regione lancis, ex quo trutinetur amor possessæ rei, quàm dolor amissæ. Sim. Cass. l. 9. c. 46.

Et plangent se super eum omnes tribus terræ. Apoc. 1. 7. Tribus terræ vocat omnes terrena diligentes, & terrena Christo præferentes. Richardus à S. Vict. hìc.

Nunquam sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur. S. Greg. mor. l. 1. c. 4.

Amare aliquid periturum, nihil aliud est, quàm finaliter dolere. Quantum enim id, quod diligimus, gaudemus esse habitum, tantum etiam mox dolemus, cùm est amissum. S. Cyrillus Apol. l. 1. c. 9.

O mors, quàm amara &c. Si sic est amara sola memoria mortis, quid erit experientia? cùm dolor ex amore causetur. Necesse est, ut in morte tanto major sit dolor, quantò ad hæc temporalia major est amor. S. Bonavent. s. 33.

§. V.

Terrenorum damna, pericula.

Ex Veteri, & Novo.

Et venit musca gravissima in domus Pharaonis. &c. Ex. 8. 24. Israelitica anima sabbathizat, dum, remota à negotiorum sæcularium strepitu, lectionibus, & orationibus vocat. Ægyptiaca verò muscarum ingruentium infestatione percellitur dum terrenorum actuum inquietudine delectatur. Quid est enim in hac vita laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare? quid quietius, atque suavius, quàm hujus sæculi nihil prorsus appetere. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 5.

Quis est homo &c. Deut. 20. 5. Voluit Dominus hos remitti ex castris ad sua; nè desiderio rerum suarum, quibus necdum fruiti fuerant, remitterent animos in prœlio, fugamque capesserent, cum sociorum scandalo, & periculo. Corn. hìc.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho &c. Luc. 10. 30. Nota tempus, quo in latrones incidit, scilicet cum *descenderet*, non cùm ascenderet. Scilicet cùm relicta cœlestium rerum contemplatione, ad amorem sublunarium deflectit: tunc à latronibus spoliatur, vulneratur. Tunc enim malorum spirituum ictibus patemus, cùm à virtute ad vitam deflectimus. Pinna Eth. 66.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Ephes. 5. 16. Dies enim malos habemus, quando carnalia pro spiritualibus quærimus, terrena pro cœlestibus, pro æternis caduca, præsentia pro futuris. Orig. hom. 1. in Judic.

Seduxit habitantes in terra. Apoc. 13. 14. Seducit illos, qui cordis sensum in terra, rebusque terrenis, perpetuò defixum habent. Quorum enim conversatio in cœlis est, hos neque sensus, neque Anti-Christi potentia decipit. S. Andreas Cæsar. hìc.

Ex Patribus, & aliis.

O astutum consilium maligni Spiritus, & principis Mundi hujus! quomodo cunctos ad momentanea, & corruptibilia hæc pertrahit: in oblivionem interim æternorum bonorum homi-

homines inducens. S. Ephrem de his, quæ præsens vita &c.

Ad virtutem tendentibus magno est impedimento rerum affectio terrenarum. S. Nilus lib. Ascet.

Nunquam tentationibus carebit, qui terrena dilexerit: sunt quippe opes arma diaboli; tentationum fomentum, exterminium quietis; & perfectioni inimicæ. S. Laurent. Just. l. de casto connub. c. 6.

§. VI.

Terrena sunt stultitia, puerilitas.

Ex Veteri.

Da mihi de collione tua. Gen. 25. 30. In hoc contractu significatur; quòd reprobi propter lenticulam, id est, temporalia, vendunt æternam hæreditatem. Thren. 1. 11. *dederunt pretiosa, quæque pro cibo &c.* Hugo Card. hìc.

Parvulum occidit invidia. Job 5. 2. Parvulus dicitur, qui terrena diligit; magnus, qui sola æterna quærit. Hugo Card. hìc. Quemadmodum turpe est, virum ætate provectum, in cinere, aut pulvere, confidentem puerilia describere, ita turpe, imò longè turpius est, eos, qui de rebus æternis præfruendis deberent esse solliciti, in rerum terrenarum pulvere volutari; & studiorum turpitudine, professionis suæ fœdare perfectionem. S. Nilus lib. ascet.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Ps. 143. 15. sic judicant, qui veritatis discipuli non fuerunt. Mundi divitias præferunt, & cœlestia regna contemnunt: beatitudinem putantes, aut oves fœtosas aspicere, aut boves crassissimos possidere. Audite malè persuasi, audite dementes; in sinistra poni, quæ putatis esse magnifica. Sic enim Prov. 3. 16. legitur: *in sinistra illius divitiæ, & gloria*. Audiamus nunc, quid dicatur de turba Fidelium. *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*. Ps. 103. 15. Cassiodorus hìc.

Qui sectatur otium, stultissimus est. Prov. 21. 11. *indiget corde*, Pro *otium* in Hebræo est *vana* Syrus: *qui festinat post vanitatem*.

Fatuitas stultorum, imprudentia. Prov. 14. 24. Stultorum fatuitas maxima hæc est, quod, improvidi æternorum, de præsentibus tantùm commodis gaudeant; imprudentia enim dicitur quasi improvidentia. V. Beda apud Cornelium hìc.

Sapientis oculi in capite ipsius; stultus in tenebris ambulat. Ecclæ. 2. 14. Caput eminentia quædam est, & suprema totius corporis pars; pedes verò infimi sunt, terramque contingentes. Quando itaque præsidens intellectus purgatus fuerit; suprema speculatur, non quæ sunt super terram: ac tunc in capite oculos verè habet. Quando verò mens terrena convertitur tunc in pedibus habere oculos videtur, circa limum terræ occupata. Olympiodorus hìc.

Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. Ecclæ. 10. 15. Stulti nesciunt viam in urbem, id est, in Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem: quia hærent in via, id est, terra, cupediis, & nugis. Ita S. Hieron. Olympiodorus &c.

Attende, ne seductus in stultitiam humilieris. Eccl. 13. 10. Sapientia, & virtus, nulli, licèt potentissimo, ad scelus subditi se patitur; sed omnibus heroicè dominatur. Qui secùs facit, insipienter agit instar bruti cameli, qui poplites flectit, ut in dorsum onera, eaque ingentia suscipiat. Sic stultè se humiliant mundani, dum ad bona terrena procumbunt, eaque in dorsum suscipiunt, neglecto Deo, & cœlo. Cornelius hìc.

Ex Novo.

Quinque autem ex eis erant fatuæ. Matth. 25. 2. Una pars Christianorum insipiens est, & in die Judicii stulta probabitur: eò quòd divinis, ac spiritualibus præposuit terrena, & corporalia. Dion. Carthus. hìc. Propterea virgines fatuæ sunt appellatæ, quoniam circa fatuas Mundi curas vacabant; hìc congregantes, ubi minimè est reponendum. S. Chrys. hom. 51. in Joan.

Stultè. Luc. 12. 20. pro imprudens. Et verè imprudens: quia non providit sibi de necessariis ad salutem animæ. Cajetanus hìc. Quia illa sapientia, quæ est donum Dei, caret; & stultitia, puerilitatisque vitio adimpletur; estque similis puero, qui poma, & pyra, auro, & gemmis, præeligit: sic ipse spiritualibus, & æternis, transitoria, atque carnalia præfert. Dion. Carthus. hìc.

Filii hujus sæculi. Luc. 16. 8. Dicit eos; qui laudant omnia, quæ in terra lucrosa sunt. Theophylactus hìc.

Jericho. Luc. 18. 35. interpretatur *luna*; & designat mutabilitatem rerum temporalium: ex quarum amore excæcatur, & stultus efficitur. S. Bonav. hìc.

Ex Patribus.

Quid stultiùs? quàm, relictis cœlestibus, ad terrena intendisse; &, posthabitis perpetuis, elegisse ea, quæ caduca atque fragilia sunt. S. Ambros. ep. 17.

An non extremæ dementiæ, & iniquitatis, est? non tantum studii, ac sollicitudinis, in rebus spiritualibus ponere, quantum circa temporalia, & fluxa, monstramus? S. Chrys. l. 3. adv. vituperatores vitæ monasticæ.

In hac vita nihil ab insanientibus hi differunt, qui terrenas res, & brevi duraturas, tamquam in somniis suspicantur. Videntur divitiis affluere, cùm nullis affluant; in deliciis esse cùm uno sint. Neque antè se deceptos intelligunt, quam ab insania liberentur, quàm somnum discutiant. Idem hom. 4. in Joan. c. 1.

Qui sæculo renuntiasse se meminit; nullum sæculi diem novit: nec tempora terrena jam computat qui æternitatem de Deo sperat. Cyprianus de lapsis circa initium.

§. VII.

Terrenis præpone Christum, spiritualia.

De rore cœli, & de pinguedine terræ &c. Gen. 27. 28. Circa Jacob, qui posterioris populi figura est, id est, nostri, prima promissio cœlestis est roris, secunda terrenæ opimitatis. Tertull. l. 3. contra Marcion. c. 24.

Sumite Psalmum. Ps. 80. 3. id est spiritualia; *& date tympanum*, id est, temporalia. S. Thom. Aqu. sect. 3. in ep. Rom. 15.

Læva ejus sub capite meo &c. Cant. 2. 6. Læva est providentia Dei circa temporalia bona ad vitæ sustentationem: dextera verò providentia circa spiritualia, quæ conducunt ad vitam æternam. Utraque enim bona Deus nobis providet; hoc tamen ordine: & temporalia sint infrà nos; spiritualia verò, & æterna supra. Hinc probì in die Judicii collocandi ad sinistram Judicis: quia temporalia prætulerunt æternis; & ideò utraque perdiderunt. Figura, ut notat S. Ambros. s. 48. in Ps. 118. Jacob benedicto. Gen. 48. 14. Manasses, quod interpretatur *populus oblivionis*, & fuit filius Josephi major, symbolum est eorum, qui in hoc mundo exaltantur, & videntur dexteram tenere; sed apud Deum habent sinistram: quia propter temporalia obliviscuntur Creatoris sui. At Ephraim, quod interpretatur *frugifer*, indicat justos: qui licèt sinistram in Sæculo tenere videbantur, ad dexteram Christi collocabuntur: comutabit enim manus ad benedictionem electis. Hujusmodi autem brachiorum transpositio mysterium Crucis figurabat: in qua docuit nos temporalia quæ Mundus æstimat, contemnere; & æterna, quæ ille respuit, omnibus præponere. Et licèt Mundus, & Caro, contrario suadeant; non est illis assentiendum; sed cum Jacob in cœpto perseverandum: ut semper spiritualia temporalibus præponamus. In cujus etiam figuram Isaac benedicturus duobus filiis suis Jacob, & Esau, ejusdem verbis, ordine tamen inverso, usus est. Nam Jacobo dixit. Gen. 27. 28. & 39. *det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ*. Esau verò: *in pinguedine terræ, & in rore cœli desuper, erit benedictio tua*. Qui Electi, quorum figura Jacob, cœlestia bona præponunt terrenis: è contrà reprobi, quos Esau repræsentat. Ecclæ. 10. 2. *Cor sapientis in dextera ejus; & cor stulti in sinistra illius*. S. Hieron. hìc: id est, ille æterna, & cœlestia, sapit; hìc temporalia, & terrena. De Ponte hìc Exh. 41. §. 1.

Qui consurgens accepit puerum &c. Matth. 2. 14. Dion. Carthus. Cajet. Hugo, Barradius, &c. opinantur, quòd eadem nocte Joseph in Ægyptum discessit. Potiùs Joseph omnium bonorum suorum jacturam voluit ferre; quàm, cum infantis periculo, fugam differre. Sylveira hìc q. 8.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Matth. 6. 10. Id circo quotidianis, imò continuis, orationibus hoc precamur; & in cœlo, & in terra, voluntatem circa nos Dei fieri: quia hæc est voluntas Dei, ut terrena cœlestibus cedant: spiritualia, & divina, prævaleant. S. Cyprianus l. de Orat. Dom.

Accepit de dextera sedentis in throno librum. Apoc. 5. 7. sed cùm *in sinistra illius divitiæ* sint, *& gloria*. Prov. 3. 16. Cur cœlestis ille Agnus nihil de sinistra præsumpsit? sed solùm librum de dextera accepit? Rupertus valde notandum, quia veniens Christus in hunc Mundum per Incarnationis mysterium, nihil divitiarum, aut gloriæ, de sinistra; sed tantummodo librum, sive igneam Legem, accepit de dextera; bonum exemplum cunctis præbens Discipulis & credentibus in se: nihil divitiarum, aut gloriæ voluit, aut quæsivit in hoc Mundo. Tertull. l. de pat. c. 7. libenter terrena amittamus, cœlestia tueamur. Mendoza in 1. Reg. 4. Annot. 13.

Atrium ejice foras. Apoc. 11. 2. Alcazar per atrium foris, seu externum, intelligit externa bona Fidelium, divitias, honores &c. Jubet Deus Joanni, talia à se amovere, & relinquere Infidelibus, ac sibi rapientibus: servos autem suos contentos esse vult templo, altari, spiritualibus. Nota etiam; pretiosum habetur, quod mensuratur, quod non mensuratur, vile. Metiri jubetur Joannes templum, altare; cùm hæc valde pretiosa sint, & saluti utilia: non atrium, quod datum est Gentibus. Intima templi scilicet bona spiritualia, solis Fidelibus erant pervia: at atrium exterius, scilicet bona temporalia, Fidelibus, & Infidelibus communia. Sylveira hìc.

Fieri non potest; ut, quia ea quærit, quæ Deo congruunt, humana quoque non assequatur. At omne studium in iis, quæ ad vitam hanc pertinent, evacuatur: de spiritualibus autem

autem nulla ratio est: propterea terrena nobis pro voto non proveniunt. S. Chrysost. hom. 8. in ep. Ephes.

Talis est Deus noster, cùm nos viderit nos affixos rebus sæcularibus, & caducis, tunc nobis ea largitur. Cum nos viderit spiritualia proponentes, tunc & carnalia donat: ante autem nequaquam, nè quando avellamur à spiritualibus. S. Chrysost. hom. 20. in Hebr. 10.

§. VIII.

Terrena spernit, qui amat cœlestia.

Num. I.

Symbola.

Ex Veteri

Immisit soporem. Gen. 2. 21. Nè ægrè ferret Adam, unam sibi de costis eripi; licèt in ejus utilitatem fieret, immisit Deus soporem, id est, ecstasim, in Adam; ut hoc modo sopitus dolorem non sentiret. Potuisset quidem Deus ei costam etiam non sopito sine dolore eripere: sed docuit nos, quòd, ut homines Mundum sine dolore relinquant, sopiendi sint: iis scilicet suadendum, ut divina meditentur. Hoc enim cœlesti somno ab humanis rebus sine dolore, imò magna cum voluptate, avellimus. Si hoc somno sopitus non es; non modo costam, sed nè duo quidem minuta, sine dolore extorseris. Diez conc. 4. in festo S. Andreæ Ap.

Fenestram in Arca facies. Gen. 6. 16. Intelligitur fenestra, per quàm lux admittitur, cœlumque suspicitur. Qui enim in funebri illo feretro homines illi, velut ante mortem sepulti, tam calamitosam vitam viverent sine ingenti illo solatio? quod cœli lumen præbere solet. S. Ephrem tom. 2. paræn. 50. benè sentite de regno, ac paradiso; & mox res terrenas contemnetis. Ferdinandius hìc.

Ipse verò claudicabat pede. Gen. 32. 31. Jacob, qui Angelum tenuit, uno mox pede claudicavit: quia, qui verò amore sublimia respicit, jam in hoc Mundo duplicibus desideriis incedere nescit. Uno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur. Et necesse est, ut alius mascescat: quia, mentis virtute crescente, oportet procul dubio, ut carnis fortitudo torpescat. S. Gregor. mor l. 4. c. 30.

Fuit vir unus. 1. Reg. 1. 1. Perfectio viri in præconio ponitur unitatis: ut qui sæculum potenter despicit, mentem non dividat, solis supernis inhiet; ad ea tantùm, quæ de visione Conditoris sunt, æterna gaudia suspiret. Idem hìc.

Junior sumens Tobias de felle piscis &c. Tob. 11. Et unde illæ squamæ, & cœcitas? ex stercore hirundinum cap. 2. 11. Excœcata mens terrenis sordibus quomodo sanatur? cœlestium meditatione. S. Chrysost. hom. 66. in Joan. si quis in cœlum suspexerit; &, quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit; statim hanc vitam, multis plenam voluptatibus, contemnet, & nullius pretii esse existimabit. Confirmo ex piscis illius è quo fel, nomine, & proprietate. Ait enim Plinius l. 7. c. 32. Callionymum piscem, ad albugines abradendas, fellis succo conficere medicamen probatissimum. Græcè hic piscis Uranoscopus vocatus, hoc est, spectator cœli: Habet enim in capite lumen, quo fluctibus superior cœlum spectat. Ecclæ. 2. 14. *Sapientis oculi in capite*. S. Basilius hom. 10. in hexam. eis oculi sunt in capite, qui ea contemplatur, quæ in sublimi sunt. S. Chrysost. ad Gen. Saucius amore divino illis oculis videt præsentium statum. Escobar t. 2. Perfec. Chr. l. 6. sect. 2. obs. 5.

O ut ei columbarum. Cant. 4. 1. Propter quid columbarum? Columbæ, cùm in terra pascuntur, oculos in terram non figunt; sed raptim videntes granum statim visum in cœlum attollunt. S. Th. Vill. conc. 3. de Assumpt. V.

Spiritus levavit me, & assumpsit me. Ezech. 3. 14. Mox addidit: *& abii amarus in indignatione Spiritus mei*. q. d. cùm spiritus meus ad rerum divinarum contemplationem fuisset elevatus illasque gustasset; statim ea, quæ mihi priùs dulcia videbantur, super mel amara judicavi. Salmones marini post quam dulcem aquam gustant, illuc usque ad mortem permanent. Diez conc. 1. D. 6. Epiph.

Ex Patribus, & aliis.

Habitatio tabernaculorum, expeditum, & absque ullis impedimentis indicat eum, qui festinat ad Deum. Orig. hom. 5. in Exod.

Qui magno feruntur pelago pavidi nautæ, placidam sibimet auram imprecati, fixa cœlo sidera respiciunt, terraque amissa tenent cœlum; sedentesque ad clavum sideribus currunt. Erratica verò sidera sequi fugiunt; nè aut Syrtes naufragosas incidant aut in regiones ignoratas devecti, portus optatos nunquam attingant. S. Rupertus l. 3. in Joan. 2.

Sicut, postquam in montium verticem ascenderimus, parva nobis, & urbes, & mœnia, esse videntur; & formicarum more nobis viri super terram ire videntur: sic, postquam supra celsam philosophiæ cogitationem ascenderis, nihil terrenorum percelere poterit; sed parva videbantur omnia, & divitiæ, & gloria, & potentia, & si quid aliud hujusmodi; cum cœlestia respicias. S. Chrysost. hom. 15. ad pop. Ant.

Cùm volucrum natura sic, ut per aera ferantur; nulla ibi copiosa suppeditatio efficere unquam, aut allicere potest, ut naturæ suæ obliviscantur: semper enim libertatem amant. Cujus rei indicium est, quòd omnes caveæ rimas omnibus penè momentis scrutantur; si fortè invenire viam possint, qua in libertatem vindicentur. Quid per hoc nos docemur? nimirum ut nulla tanta rerum terrenarum copia sit, quæ hunc hujus vitæ carcerem expetendum nobis faciat; sed cogitemus semper, cœlum nostrum esse domicilium, nostramque patriam. Isidorus Clarius l. 1. ep. 57.

Cor cupidi est quasi vas transversum: deberet enim habere, sicut latitudinem suam in natura, sic in moribus superius ad divina & cœlestia. Sed è converso cupidus tantùm latitudinem cordis, & intentionis habet ad terrena, vel delectabilia: & ad talia os cordis ejus hiat, & aperitur. Sicut ergo vase erecto conservatur in eo, quod ponitur, transverso effunditur; sic &c. Broymard. Cor cupidi.

Augustus Thuanus auctor est, & Henricum II. Galliæ Regem Bononiæ agentem, allatum esse ex India orientali ab homine incognito, & barbaro, lapidem stupenda specie, & natura: videlicet lumine, & fulgore, coruscantem: quique totus ardere videbatur, splendore nullis ferè oculis tolerabili. Erat in eo mirabile, quòd terræ impatientissimus: si cooperiretur, sponte sua, & vi facto impetu, confestim evolabat in sublime: contineri verò, includive ullo loco angusto, nulla hominum arte poterat; nulla sorde inquinari. Figuræ species nulla erat certa, sed inconstans, & momento mutabilis. Contractari se non patiebatur; sed, qui contrà obsisteret, incommodum sentiebat. Ejusmodi lapidis qualitates, extra unam in constantiam, æmulari nos decet: transformari à claritate in claritatem, terram defugere, in sublime animo evolare; teneri, ac concludi, tam exiguis terræ limitibus, & ejus sordibus inquinari nescios. Doultreman. l. 1. cap. 5. sect. 9.

Avis paradisiaca. Lem. *Terræ commercia nescit. Nostra autem conversatio in cœlis est*. Philipp. 3. 20. Picinelli.

Num. II.

Exempla, & Testimonia.

Ex Veteri.

Ex omni ligno paradisi comede. Gen. 2. 16. Adeò enim contemplatione rerum divinarum absorptus erat, ut vix recordaretur cibi; nisi ei DEUS comedere præcepisset. Diez D. 4. Quadr.

Viditque in somnis scalam. Gen. 28. 12. Jacobum ostensio felicitatis æternæ, terrenæ fecit immemorem. Nam benedictione patris ornatus, *de rore cœli, & de pinguedine terræ*; futurus Dux tribuum, & dominus; ablegatus in Syriam, mox prædicti, & propè jam traditi, principatus incurius de pane solùm, & veste cogitat. *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum, &c.* Gen. 28. 20. Hunccnè recidere patris augurii? *serviant sibi populi, & adorent te tribus*. Gen. 27. 29. Unde ergo speranti purpuram, regnaque meditanti, toga sufficit, & pani? *Vidit in somnis scalam*. Ea subrecta in cœlum scalam mox Jacob descendit è solio. Quod si somniata tantùm æternitas, sceptra Jacobum docuit fastidire? quid in nos aget æternitas diu cogitata? Oliva f. 3. Pasch.

Propitius sit mihi Dominus, nè faciam rem hanc Domino meo Christo Domini. 1. Reg. 24. 7. Vides thronum ab eo despectum humanum? vide, quàm ardenter cupiat divinum: Psal. 54. 7. *quis dabit mihi pennas, sicut columbæ? & volabo, requiescam*. Quo involare desiderat? ad thronum illum, inquit Anastasius Sinaita l. 6. anag. cœlestium volucrum sex alas habentium. Volucrem desiderabat fieri, qui dicebat: quis mihi dabit pennas sicut columbæ, quæ descendit in Jordanem? & volabo, & requiescam in illa requie cœlestium volucrum sex alas habentium. Vel cum Seraphinis de desiderio certat, cùm pompam despicit humanam. Quàm non cuperet volare ad alta, si æstimasset magni caduca! Naxera in Jos. 15. §. 36.

Ad te Domine levavi animam meam. Ps. 24. 2. Levare, dicimus, sursum erigere. Ergo te terrena convesatione, vitiisque carnalibus, ad Deum dicit Ecclesiam levasse animam suam, contemplationem scilicet cœlestium rerum, qua semper Dominum pius animus intuetur: quia facilè humana despicit, qui divina conspexerit. Cassiodorus hìc.

Vidi impium superexaltatum & transivi; & ecce non erat. Psal. 36. 35. Quid illud est, quod transit justus? ut ista cesset elatio? Cùm videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere; transeamus & nos mente, & intellectu, ab iis, quæ videntur & temporalia sunt; & transferamus intellectum nostrum ad æterna: & tunc omnis mundialis altitudo corruit tanquam in nihilum. S. Greg. Naz. or. 3.

Quo laborat sub sole. Ecclæ. 1. 3. q. d. ego Salomon, mentem elevans ad cœlum, ibique supra solem, vel in sol, meipsum spiri-

ſpiritu conſtituens, indeque in terram deſpectans; ac videns omnes homines, hominumque labores, occupationes, & ſtudia; video omnia eſſe vana, nulliuſque utilitatis. Quare eorum miſertus iis inclamo! ò miſeri mortales! video opera veſtra, veſtras fabricas, urbes, provincias, regna, imò totam terram, eſſe inſtar puncti, & centri; ſi cum vaſta cœlorum amplitudine conferatur: video vos velut formicas diſcurrere, laborare, ſatagere, ut paucula grana convehatis, & in futuram ætatem recondatis. Omnibus ergo, & ſingulis inclamo: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Cornelius hìc. Iis, qui res terrenas in pretio habent, quia ſunt Coſmographi; omnia hæc quæ in oculos incurrunt magna videntur: ſed juſtis, cùm ſint Aſtrologi, totus Mundus puncto unicominor videtur. Jacobus Suarez S. 1. in Apoc. hæc eſt differentia inter Aſtrologum, & Geographum: hic, cùm de terra agat, tanquam ſuæ ſcientiæ objecto, eam maximam eſſe deſcribit; in regna, provincias, civitates, & oppida dividendo. Aſtrologus autem, qui cœlum meditatur, & cujus aſtra pro objecto habet, affirmat, minimam ſtellam, quæ eſt in firmamento, univerſam terram magnitudine ſuperare. Phillipp. 3. 8. *exiſtimo, omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam JESU Chriſti*. Quæ eſt illa ſcientia *eminens*? Aſtrologia divina: id paulò poſt dicit: *noſtra converſatio in cœlis eſt*. Philo Judæus: Nilus, fluvius celebrrimus, cœlum eſt Ægyptì. Cur Ægyptus Nilum, rem tam fluxam, pro cęlo habet? Seneca l. nat qq. in Ægypto nemo aratorum aſpicit cęlum. Didacus Nyſſ. Phęn. Græc. l. 5. c. 7.

Fortis eſt, ut mors, dilectio. Cant. 8. 6. Quia videlicet ſicut mors corpus interimit; ſic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit. S. Gregor. hom. 11. in. Matth. 13.

Ficus non florebit - ego autem in Domino gaudebo. Habac. 3. 17. 18. *ſuper excelſa deducet me victor*. v. 19. Ecce tibi media in jactura omnium bonorum? nil dolet juſtus homo, nullam triſtitiæ vocem promit; quin gaudet, ob gaudia ventura. S. Cyprianus ad Demtriadem: vinea licèt fallat, & olea decipiat; & herbis ſiccitare morientibus, æſtuans campus areſcat. Quid hoc ad Chriſtianos? quid ad Dei ſervos? quos paradiſus invitat, quos gratia, & copia omnis cęleſtis expectat? Exultant ſemper in Domino; & mala, atque adverſa Mundi fortiter tolerant, dum bona, & proſpera, futura proſpectant. Iſaac dum ſub gladio alacer mortem expectat. Gen. 22. 12. DEO gratam; meruit ab Angelo liberari, & parenti incolumis reddi. Sed Jephte filia. Judic. 11. 39. minimè liberatur ab Angelo; ſed vitam amittit; ac orbum, & triſtem, relinquit parentem. Quæ ratio hujus differentiæ? Anaſtaſius Nicenus q. 36. nec pater erat dignus beneficio Abrahæ, poſt illam incredulitatem, & de voto pœnitentiam, & veſtium dilacerationem, lamentationem: neque filia Iſaaci vita, poſt impium luctum, & duorum menſium ejulatum; ut quæ judicaret, hoc ſacrificium eſſe quavis calamitate gravius. Ille Deo placet, qui in jactura temporali propter Deum ſuſcepta non ſolvitur in planctus; ſed cęleſtia ſpectans nullam corporalem calamitatem æſtimat, Baeza t. 3. l. 14. c. 3. §. 19.

Ex Novo.

Aſſumpſit eum diabolus in montem excelſam valdè, & oſtendit ei omnia regna Mundi. Matth. 4. 8. Miſer! malus vis eſſe; ſed non potes? cupis tentare; ſed neſcis. S. Chryſol. ſ. 11. Quare? quia in montem celſiſſimum ducit, & à mundialibus rebus longiſſimè ſeparat: Debuiſſet terrenis rebus inſerere. Naxera in Joſ. 18. §. 29.

Beati eſtis, cùm maledixerit vobis. Matth. 5. 11. Et perſecutio, & rapina bonorum, & famæ, honoris, & vitæ, jactura temporalis, potius lætitiæ, quàm dolori eſſe debent hominibus illis; qui ſciunt, poſt hæc ad alia ſe perventuros gaudia, & vita æternam. Baeza citatus anté.

Domine, bonum eſt nos hìc eſſe. Matth. 17. 4. Unam ſtillam dulcedinis guſtavit; & omnem aliam faſtidivit dulcedinem. S. Auguſt. l. ſolil. c. 22.

Domine, da mihi hanc aquam. Joan. 4. 15. Jam oblita illius aquæ, ad quam venerat hauriendam, & delectata ſalubritate illius aquæ vivæ, quæ offerebatur, petit humili verbo. Vileſcunt cuncta terrena, & quaſi oblivioni traduntur, cùm cęleſtium placet auditus; & cùm ad ea erigitur animus. Sim. Caſſ. l. 11. c. 1.

Venit ergo, & tulit corpus Jeſu. Joan. 19. 38. Non cogitabat, dives ſum, & divitias amittere poſſum. Theophylactus. Unde illi tam illuſtris auſus? Scribit Lucas 23. 51. *expectabat regnum Dei*. Sylveira hìc.

Aſcendit in ſuperiora, ut oraret. Act. 10. 9. Petrus, quæ ſurſum ſunt, quærebat, non quæ ſuper terram. Illuc aſcendebat; ad illa tecta, ad illa faſtigia, de quibus Dominus Matth. 24. 17. *qui in tecto eſt, non deſcendat tollere - aliquid de domo*. S. Cyrill. Alex. l. 9. in Ex.

Omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora. Philipp. 3. 8. Dixit poſtea: *noſtra converſatio in cœlis eſt*. v. 20. optimè infertur: ſi eſt cęleſtis converſatio, terreſtrium erit contemptus. Diez D. 4. Quadr.

Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis; cognoſcentes, vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. Hebr. 10. 34. Hi illud Auguſtini experti ſunt: ibi ſit mens; & hìc erit requies. O confuſio Chriſtianorum! homines paulò antè ad fidem Chriſti converſi ita æterna cęli bona amabant: ut, cùm propria bona diripi viderent; non ſolùm nullum ex eo dolorem, ſed etiam magnam lætitiam percipiebant. Nos verò, quorum jam fides ſeneſcit, qua animi moleſtia, qua impatientia, quo dolore, adverſitates ſuſcipimus? Diez conc. 1. in feſto Ss. Philippi, & Jacobi.

Ex Patribus, & aliis.

Qui Sæculo renuntiaſſe ſe meminit, nullum Sæculi diem novit: nec tempora terrena jam computat, qui æternitatem de Deo ſperat. S. Cyprianus l. de lapſis.

Si conſideremus, fratres chariſſimi, quæ, & quanta ſunt, quæ nobis promittuntur in cęlis; vileſcunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque ſubſtantia, ſupernæ felicitati comparata, pondus eſt, non ſubſidium: temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors eſt potiùs dicenda, quàm vita. S. Gregor. hom. 37. in Evang.

Si æternitatem diligimus, cuncta temporalia in uſu, non affectu poſſidemus. Sanct. Gregor. hom. 29. de tribus portis.

Qui ſuſpirat ad patriam, ei tormentum eſt peregrinationis locus; etiamſi blandus eſſe videatur. Idem l. 8. ep. 70.

Qui domeſticus Dei eſt, exul eſt Mundo: qui converſatur in cęleſtibus, peregrinus eſt terris. Sanct. Ambroſ. ſerm. 7. in Pſ. 118.

Ecce quid faciunt Sanctis mali! capillos radunt. *Sicut novacula acuta feciſti dolum*. Pſ. 51. 4. Qui quid capilli non ſuperflue facti ſunt à Deo in corpore hominum, ſed ad aliquod ornamentum: tamen, quia ſine ſenſu præcidunturillì, qui adhærent corde Deo, ſic habent iſta terrena, tamquam capillos. S. Auguſt. in Pſ. 51.

Pecudes omnes terrenæ ſunt: ob hoc inclinantur ad terram. Sed alia eſt planta cęleſtis homo: qui, quantum habitu figuræ, tantum dignitate, diſtat à pecoribus. Horum facies deorſum flexa; tuum verò caput ſemper ad cęlum erigitur; oculi tui ſuperna reſpiciunt. S. Baſilius l. 9. hexam.

Tantò minus in peregrinatione temporalia diligimus, quantò ardentiùs ad cœleſtem patriam ſuſpiramus. S. Laurent. Juſt. l. de caſto conn. c. 1.

Quiſquis veraciter bona credit eſſe inviſibilia, debet procul dubio fidei ſuæ efficaciam ex contemptu oſtentare præſentium. Idem l. de regim. Prælat. c. 22.

Guſtato ſpiritu, neceſſe eſt deſpere carnem: affectanti cœleſtia, terrena non ſapiunt: æternis inhianti faſtidio ſunt tranſitoria. S. Bernardus ep. 111.

Si cœlum deſideras, nihil tibi in terra ſit negotii: non enim ſinit ipſa ad cœlum evolare. S. Nilus cap. paræn.

§. IX.

Terrena amans, ſpernit cœleſtia.

Num. I.

Symbola.

Ex Veteri.

Venite faciamus nobis civitatem, & turrim; cujus culmen pertingat ad cœlum. Gen. 11. 4. Pyramis, & turris, in terra magna fundamenta, & radices jacit, & per magnum ſpatium inferiora circumdat: at ſolo puncto tangit ſuperiora: de ſupernis concupiſcunt minima; de inferioribus, de terrenis maxima. Inverte ordinem affectui tuo, juxta ſitum, & menſuram cordis: ſolo puncto terram attinge; & immenſo ſpatio tanges cœleſtia. Arcones in Iſ. 1. Diſc. 2.

Da mihi decoctiones &c. Gen. 25. 30. In hoc contractu ſignificatur, quòd reprobi propter lenticulam, id eſt, temporalia, vendunt æternam hæreditatem. Then. 1. *dederunt pretioſa quæque pro cibo &c*. Hugo Card. hìc.

In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ &c. Num. 11. 5. Quàm arduum ſit vel divinas non faſtidire delicias, vel non ſitire terrenas; Filii Iſrael teſtati ſunt: qui inter coturnices, & manna cepas concupiere ſerviles. Uſque adeò placet Ægyptum, & cœlum deſipit: ut tedio ſit manna, ſi fluat è cœlo; & cepæ ſint in deliciis, ſi prope Nilum proveniant. Oliva l. 4. Strom. §. Ego flos campi.

Nec facias nos tranſire Jordanem. Num. 32. 5. Ruben, Gad, & dimidia tribus Manaſſe; quæ habebant pecora multa, cupiunt manere in terra Galaad ad ripas Jordanis. S. Greg. mor. l. 27. c. 7. qui jumenta plurima poſſident, Jordanem tranſire fugiunt: quia quos multa Mundi implicamenta occupant, habitationem cœleſtis, patriæ non requirunt. Mendoza in 1. Reg. 6. 12. Annot. 19. ſect. 1.

Uſquequò marcetis ignavia, & non intratis ad poſſidendam terram &c. Joſ. 18. 3. Apparet, veriſſimum eſſe; præſentis habitationis commoditatis avertiſſe animos omnium à propriarum poſſeſſionum cupiditate. Maſius.

Anima ſaturata calcabit favum. Prov. 27. 7. Anima divitum calcat favum: quia pro terrenis rebus ſpernit dulcedinem regni cœleſtis. Salonius hìc.

Notandum, quòd per totum libelli hujus (Canticorum) textum, ſponſa ſemper in domo, vel in lectulo, vel alio quolibet interiori loco, cùm ſuo Dilecto manere concupiſcat: ipſe autem ſponſus ad foriſneca potiùs opera vinearum ſcilicet vel hortorum, amicam ſuam evocet. Nè ſi cumcta temporalia proſperè currant, incolatu præſentis exilii delectata, minùs cælestem patriam ſuſpiret. V. Beda l. 2. in Cant. 1.

Ex Novo.

Villam emi. Luc. 14. 18. Villa, bovis, uxor, cœnam clauſere vocatis: Mundus, Cura, Caro, cœlum clauſere renatis. Hugo Card. in Deut. 20.

Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire. Luc. 14. 20. Non rogat iſte, ſed impotentiam veniendi pro ratione affert: quia animus, carnalibus delectationibus deditus, tam eſt ratione alienus; ut non roget, rationem ſui haberi: omnino elongatur à ſpiritualibus. Cajetanus hìc.

Cœperunt ſimul omnes ſe excuſare. Luc. 14. 18. Excuſat ſe omnis, qui plus terrena, quàm cœleſtia diligit; etiamſi ad cœleſtia ſe tendere dicat. Gloſſa. Notum eſt, quia per multos, qui vocati fuerant; & hora cœnæ cœperunt excuſare; contemptores ſignificantur: qui plus terrena, quàm cœleſtia; diligunt: qui ampliùs rebus corporalibus, quàm ſpiritualibus, occupantur. Rupertus de offic. l. 12. c. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Animo vacare non poteſt, qui de corpore ſollicitus eſt. B. Iſaias Abb. or. 15.

Corpus opacum oppoſitum corpori luminoſo, cauſat umbram: & quantò magis eſt corpus opacum, tantò majorem projicit umbram. Cum igitur Deus ſit lux, omnis autem creatura terrena ſit opaca; patet, quòd qui aliquam creaturam amando inter ſe, & Deum, ponit, umbram facit: & quantò major eſt amor, tanto major eſt umbra. S. Bonav. ſ. 113.

Amor terrenorum impedit ſalutem. Navis adhærens terræ ad portum non graditur; ſed periclitatur. Sic, qui terrenis adhæret per amorem, ad portum ſalutis non venit. Geminiani l. 9. c. 2.

Arbor plena fructibus, cœlo relicto, ad terram demittitur. Luna, cùm maximè lucet, & plena eſt, maximè abeſt à ſole: ſic dives, cùm plenus eſt opibus, cœlum non intuetur. Chriſtum ſolem non reſpicit. Hinc aſſignatis talentis, mox additur: *abiit*. Matth 25. 16. Et filius prodigus, accepta portione ſubſtantiæ, ſtatim *abiit*. Luc. 15. 13. Nec enim Deum agnoſcit dives. Quare principes in ſolio cum ſedent, interjectam habent ſolii partem inter cœlum, & caput: quaſi nihil illis cum cœlo ſit. Octavianus in Eccl. 5. 2.

Luna eccliſpata. Lem. *Alterius umbra*. Avarus terram interponit ſibi, & vero ſoli; unde continuam patitur eccliſpim. Hugo Card. in Prov. 28. Sicut terra interjecta luna lumen à ſole amittit; ſic animus obnubilatur interventu viliorum rerum. Lipſius Cent. miſcell. ep. 49. Picinelli.

Num. II.

Teſtimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Tranſierunt in affectum cordis. Pſ. 72. 7. Secundùm alios: *in picturam cordis*. Quia Mundi amatores non deſiderant, quod verum bonum eſt, & pulchrum; ſed quod ipſi ſibi pingunt, & fingunt, in corde ſuo perverſo, bonum, & pulchrum eſſe. Bellarminus hìc.

Veni ſeparari hominem adverſus patrem ſuum. Matth. 10 35. Niſi ſeparemur à Sæculo non copulabimur Chriſto. Igitur ſeparari neceſſe eſt à viſibilibus; ſi volumus inviſibilibus ſociari: & ab homine; ſi Deo conjungi ſatagimus; non odio, ſed ſpe conjunctionis ad melius. Sim. Caſſ. l. 9. c. 24.

Peccavi in cœlum. Luc. 15. 18. Quis peccat in cœlum? qui propter terram ipſum contemnit. Sim. Caſs. l. 8. c. 40. Derelinquendo cœleſtia, peccavi in ea; præferens ipſis voluptatem corruptibilem; & præeligens cœleſti patriæ meæ regionem famis. Quemadmodum enim in aurum peccare dicitur, qui illi plumbum præfert; ità & in cœlum peccat, qui illi terrena præponit. Titus Boſtrenſis.

Demas me reliquit, diligens hoc ſaculum. 2. Tim. 4. 9. Chryſoſt. neceſſe erat, ut diligens Sæculi voluptates derelinqueret cum, qui eas non amabat.

Ex Patribus, & aliis.

Eſſe quidem ſine delectatione anima numquam poteſt. Nam aut infimis delectatur, aut ſummis: & quantò altiori ſtudio exercetur ad ſumma; tantò majori faſtidio torpeſcit ad infima: quantoque acriori cura inardeſcit ad infima; tanto tempore damnabili frigeſcit à ſummis. S. Greg. mor. l. 18. c. 4.

Corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus. Si amaveris terram; peregrinaris à Deo: ſi amaveris Deum; aſcendis ad eum. S. Auguſt. in Pſ. 119.

Neceſſe eſt, animam ad carnalia, & terrena, dejici; quæ à ſpirituali vita degenerans: ad cœleſtia non aſpirat. Bleſenſ. ep. 111.

Miſcellanea.

Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos &c. Gen. 49. 14. Habitare inter terminos dicitur; qui ità ſpiritualia, & cœleſtia, curat; ut corporis, & neceſſarii alimenti, penitus non obliviſcatur: & ſic curat temporalia; ut non negligat æterna. Diez conc. 2. D. 1. Adv.

Deorſum - quaſi mala Punica facies. Ex. 28. 33. Hæc ex fimbria: in fronte geſtabat laminam auream, in qua ſculptum erat nomen Dei ineffabile. Ex. 28. 36. Nomen Dei quod in fronte gerit, pietatem, & virtutem deſignat; at malogranata omnium rerum copiam. Pinna Ethol. 180.

TITULUS IX.

S. THOMAS APOSTOLUS.

PLus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium Diſcipulorum profuit: quia, dum ille ad fidem palpando reducitur; noſtra mens, omni dubitatione poſtpoſita, in fide ſolidatur. S. Greg. hom. 26. in Evang. Hominem palpat, & Deum vocat. Si mille codices ederet, non ita Eccleſiæ profuiſſet. S. Thom. Vill. ſ. in octava Paſchæ.

Eamus & nos, ut moriamur cum eo. Joan. 11. 16. Ecce bonus commilito; qui ad probitatem & ſocios animat; & velut ignitus carbo alios extinctos nititur facere redivivos; & à mortis pavore jam factus extraneus alios invitet ad mortem. Dignum omninò ratus, omnes milites, ſi expedit, mortem ſubire cum Duce; maximè modicam illam catervam, poſt cœleſtis Ducis mortem, vita judicabat indignam. Propterea omnes hortatur ad mortem, ſi ipſi mori decreverit. Acſi diceret: quid nobis vita poſt Ducem? eſtne pretioſior vita omnium noſtrum, quàm Ducis, & Domini omnium? quid eum ſequi cumctamur, ſi vult ad bella procedere: ubi nos non antè præmittit; ſed ipſe primus vult habere congreſſum. - Magna fidei, & amoris adhæſio, erat in Thoma; qui timori mortis repudium dederat; animabatque ſocios hujuſcemodi timorem abjicere. Sim. Caſſ. l. 5. c. 15.

Ardentis deſiderii erat, non incredulitatis; quòd Condiſcipulis ſuis, qui, ipſo abſente, Dominum viderant, ait: *niſi videro &c*. Erat enim valde anxius, nè *non & oculus frueretur eo*, quod corde credebat. S. Gaudentius tr. de dedic. Baſilic. SS. 40. Mm.

Vide Domini clementiam: etiam pro una anima ſe oſtendit, & accedit; ut ſalvet eam. S. Chryſ.

TITULUS X.

TIMOR.

§. I.

Timor in genere, bonus, & malus.

TRes filii Saulis in Scriptura propriis nominibus diſtinguuntur. 1. Reg. 14. 49. Unus Iſboſeth, qui etiam erat Filius Saulis, prorſus tacetur, non nominatur. Cur? reſpondet Lyran. non nominatur Iſboſeth propter defectum magnanimitatis: quia fuit puſillanimis, & ineptus ad prœlium.

Noli timere. Matth. 10. 28. Conſidera, ut quid nobis in natura creavit timere mala carnalia. Non ut mala carnalia timeamus; ſed ut, per timorem malorum carnalium, intelligamus: magis timenda eſſe mala ſpiritualia. Utpote ſcis, quia malum eſt timere dolorem carnis: per hoc intellige, quia pejus eſt, dolorem animæ pati. Scis, quia malum eſt, confundi coram hominibus: per hoc intellige, quia pejus eſt confundi coram Angelis: quantum enim Angeli meliores ſunt hominibus; tantò confuſio pejor illa, quam iſta. Sylveira hìc.

Peccantes coram omnibus argue; ut & cæteri timorem habeant. 1. Tim. 5. 20. Sicut meliores ſunt, quos dirigit amor; ità plures ſunt, quos corrigit timor. S. Auguſt. ep. 50. ad Bonifacium.

Fugitiva eſt mens ſubjecta terrori. Ennodius Dictione 1. Metus Magiſter eſt idoneus. S. Greg. Naz. Procem. de vita ſua.

Aqua ſemper ima petit: & timor ad ima cogitationum deducit, & in inferioribus immoratur; atque loca horrenda, pavida, mente colluſtrat. S. Bernardus ſ. 1. D. 1. poſt oct. Epiph.

§. II.

Timor pejor ipso malo, quod timetur.

OMnis *qui invenerit me, occidet me*. Gen. 4. 14. Putat Hieron. *ep.* 125. Ambros. l. 2. de Cain c. 20. Chrysolog. sic s. 147. Ubi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petit: requiem credit, si pereat. Malebat mori, quàm semper timere. Quàm terribiles minæ! *maledictus eris profugus*. Sed Deus vult illum diu vivere, signo impresso, *ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum*. v. 15. Velloso in Judith. 5. Præen. 32.

Vidimus ibi monstra. Num. 13. 34. Timentibus omnia videntur esse majora & pejora, quàm sunt. Abul. q. 53. Non ita res se habebant, ut referebant, sed quia timores mutat. Sylveira addit. in Matth. 1.

Timuit ergo Elias; & surgentes abiit. 3. Reg. 19. 3. Ad minas Jezabelis fugit pavidus; & tamen sub junipero *petit anima sua mori*. v. 4. S. Chrys. s. 147. meliùs existimavit morti succumbere, quàm timori. Mori maluit, quàm timere. Velloso antè citatus.

A timore inimici eripe animam meam. Ps. 63. 1. Nonne breviùs diceret, eripe ab inimico animam meam? dixisset; sed alio sensu, qui Davidis generositati non congrueret. Si enim sit liber à timore inimici, se liberum ab inimico putat. Plus sæpe nos premit, & conturbat timor inimici, quàm illius gladius. Sylveira in Apoc. 6. 2.

Non timebis à timore nocturno. Ps. 90. 5. Benè dicitur, non timendum à timore nocturno; & non dicitur à morte: quia non ipsa tentatio afflictio est; sed magis timor ipsius. S. Bernardus s. 6. hic.

§. III.

Timor Dei.

Illius laudes, præstantia, &c.

BEatus *vir, qui timet Dominum*. Ps. 1. 1. Beatus vir, non qui multa novit, sed qui Dominum timet. Tutissima res est, nil timere, præter Deum. S. Laur. Just. lib. de ligno vitæ cap. 1.

Beatus vir, qui timet Dominum. Ps. 111. 1. Hæc vera beatitas; quemadmodum alia omnia sunt vanitas, umbra, & tantummodo nomina; sive dicas divitias, sive potentiam, sive corporis pulchritudinem, sive vim pecuniæ. Sunt enim similia foliis cadentibus, & umbris præteruntibus. S. Chrys. hic.

Quàm magnus, qui invenit sapientiam! sed non est super timentem Dominum. Eccl. 25. 13. Novem speciebus virtutum superadditur timor Dei; quoniam sicut novenarius numerus imperfectus est, quousque denario suppleatur: ità omnis operatio virtutum mediocris est, sine timoris Dei perfectione. Rabanus. Inter volucres cœli maxima est aquila; & inter bestias terræ leo: inter filios verò hominum, qui timet Dominum. S. Ephrem in illud attende tibi ipsi c. 7.

Timor Domini, fons vitæ, aqua, inquam, timor Domini est, etsi minùs sapida; sed optimè refrigerat animam noxiis desideriis æstuantem. Sed divina virtute aqua mutatur in vinum; quando perfecta *charitas foris mittit timorem*. S. Bernardus s. 1. D. 1. post Oct. Epiph.

Aqua timor est; quoniam ab æstu refrigerat desideriorum carnalium. Idem s. 54. in Cant.

§. IV.

Timor Dei, lætus, amabilis.

SErvite *Domino in timore*. Ps. 2. 11. Brevis, & plena commonitio; qua Domino Deo amabili timore servitur: nam sicut remissa securitas culpas admittit; ita timor desiderabilis delicta semper excludit. Et nè servitium Dei durissimum, aut tristissimum, fortè judicaretur, subjunxit: *& exultate ei cum tremore*: qui timor Domini non ad miseriam, sed ad gaudium, ducit; quippe qui beatos efficit, & sanctos operatur. Cassiodorus hic.

Venite filii, audite me; timorem Domini docebo vos. Ps. 33. 12. Non est timor est, qui formidetur, sed qui diligatur. Timor humanus amaritudinem habet; iste dulcedinem: ille ad servitium cogit; iste ad libertatem trahit; ille claustra metuit; hic cœlorum regna patefacit. Idem hic.

Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Psalm. 85. 11. Qui in Deum hanc reverentiam habet, legitimam vitam complectitur: mater verò lætitiæ talis vita est. B. Theodoretus hic. Quid sit timor Domini, mirabili ordine declaratur. Nam in timore isto mundano præcedit priùs causa periculi, aut alicujus angustiæ: in timore autem Domini præmittitur lætitia cordis; ut aliquis ad ejus timoris dulcedinem venire mereatur. Cassiodorus hic.

Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. Ps. 118. 162. Unde tanta lætitia? causam præmisit v. 161. *à verbis tuis formidavit cor meum*. S. Ambros. hic: bona trepidatio, si exultationem generat: qui enim trepidat à verbis Dei, postea exultat à verbis Dei. Pinna Ethol. 15.

Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam. Eccl. 1. 12.

§. V.

Timor Dei non sinit peccare, custodit legem &c.

Ex Veteri.

MOrte *morietis*. Gen. 2. 17. Itanè? tam citò Deus optimus incutit timorem, qui se Adamo patrem exhibuerat lætitiæ rerum omnium? Sed legem dederat, *ne comedas*; & serpens jam serpebat ad perniciem hominis. Metu igitur magistro egebat homo; ut suum Domino præstaret obsequium. Velloso in Judith. 1. Præen. 17.

Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum. Gen. 39. 9. Impotens quodammodo sibi videbatur: nec enim dicebat, nolo; sed non possum; fieri enim non posse videtur; ut, qui Deum timet, in eum peccet. Octavianus in Eccl. 1. 27.

Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Ex. 32. 1. Quoties ab eo cessavit pædagogi virga, stultus puer ad eadem, vel similia, convertit idololatriæ flagitia. Rupertus l. 4. in Ex. c. 24.

Post hæc percussit cor suum. 1. Reg. 24. 6. Cùm David jure posset occidere Saulem, idque sine peccato; abstinuit tamen, solumque ut offenderet, potuisse se, nec tamen voluisse illum occidere, abscidit oram vestimenti ejus. Quod factum quis unquam improbasset. Sed ipse, quia timebat Dominum, inquirens, quæ ei erant placita, timuit offendisse. Octavianus in Eccl. 2. 19.

Constitue legislatorem super eos. Ps. 9. 21. Hebr. *pone timorem*, sonat, *& legislatorem*: timor enim legis custos. Non facilè arcetur cupiditas, quæ metu caret, ait Clem. Alex. or. 1. Velloso in Judith. 1. Præen. 17.

Confige timore tuo carnes meas. Psalm. 118. 120. Sicut enim, qui clavos corpori infixos habet, doloribus pressus, non facile quidquam agere potest: sic Dei timore confixus, non oculo uti præter decorem, non manus ad nefarias movere actiones; non denique parvum aliquid, aut magnum, contra officium agere poterit. S. Basilius Cæs. s. in principium Proverbiorum. Optima timor iste sagitta; qui configit, & interficit carnis desideria; ut spiritus salvus sit. S. Bernard. s. 29. in Cant.

Qui Deum timet, nihil negligit. Eccl. 7. 19. Deum timere, est, nulla, quæ facienda sunt, bona præterire. S. Greg. moral. l. 1. c. 2.

Timor Domini expellit peccatum. Eccli. 1. 27.

Ex Veteri.

Mulier timens, & tremens-venit, & procidit ante cùm. Marci 5. 33. Timore plena mulier, non fugit conspectum Jesu; imò ad illum vadit. Quis hoc crederet timore? nonne timor ipsissima fuga est ab eo, qui timetur? Et timor erat, & humilitas erat: nam timor humilis non fugit Dei conspectum; sed in illum inclinat. Audi è contra superbi Adæ vocem Gen. 3. 10.

Vocem tuam audivi in paradiso, & timui, eò quod nudus essem, & abscondi me. Quia times Adam, fugis conspectum DEI? Imò potiùs, qui times, Deum conveni, fugientem detine; cum Davide clama: *nè declines in ira à servo tuo*: idest; licèt iratus sis, tamen adsis: quia enim te iratum timeo, requiro. Baeza t. 2. l. 10. c. 7. §. 7.

Quo erat ipse venturus. Luc. 10. 1. Scientes enim Discipuli, quòd subsequeretur Magister, cogebantur, omni cura injuncta exequi. Cajetanus.

Ligavit vulnera ejus. Luc. 10. 33. Per duas partes ligaminis vulnera constrinxit, dum per duos timores peccata compescuit. Servilis enim timor pœnalis à peccatis prohibet; filialis autem timor sanctus ad opera bona monet. S. Honorius D. 13. Pent.

Neque tu times Deum. Luc. 23. 40. Sterilem socium, & jam igni applicandum; ut reviviscere, & fructificare, faciat bonus latro; dolens, quòd juxta misericordiæ fontem pereat, timorem suggessit. Baeza t. 1. l. 1. c. 9. §. 8.

§. VI.

Timor Dei dat robur fortitudini junctus.

UBi *est timor tuus, fortitudo tua?* Job 4. 6. Sicut in via Sæculi audacia fortitudinem; ità in via DEI audacia debilitatem, parit: & sicut in via sæculi timor debilitatem, ità in via DEI timor fortitudinem gignit. S. Gregor. mor. l. 5. c. 13.

Deum time-erit irrigatio ossium tuorum. Prov. 3. 7. 8. Irrigatio, id est, medulla, juxta illud Job 21. 24. *medulis ossa illius irrigantur*. Lyran. medulla ossium, est robur, & constantia, in adversis. Sanct. Gregor. Naz. or. 20. Sanct. Basilium comparat Achilli; quem fingunt Poetæ educatum à Chirone Centauro; ab eoque enutritum medullis leonum, & cervorum. Longè enim meliùs, sanctiusque, educatus fuit S. Basilius à timore Dei, quasi pædagogo; ab eoque, & sanctam audaciam leonum, & pium pavorem cervorum, hausit, & suxit. Cornelius hic.

Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum. Prov. 30. 30. Timet tamen ignes, rotas, teste Plinio. Ità tu non time homines, sed æternas Dei pœnas. Pinna Ethol. 19.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit. Eccl. 34. 16.

Replevit eum spiritus timoris Domini. Isa. 11. 3. Non enim quoscumque repleverit, capaces alterius rei esse plenitudo timoris finit. S. Paschas. l. 3. in Matth. Si anima repleta est spiritu timoris Domini, non potest alium timorem de terrenis in se recipere. Sylveira in Act. 2. Reliqua S. Spiritus dona super hominem requiescunt: at timor Dei ità hominis cor replet; ut nullum omnino locum humano timori relinquat. Pinna. Eth. 19.

Dominus de Sion rugiet-& fortitudo filiorum Israel. Joel. 3. 16. Quomodo rugiens Dominus, fortitudo dicitur populi sui? Tremit, cœlum, & terra; & homo pulvis, & cinis, Deo tonante roboratur? Nimirum numquam fortitudo validior, quàm ubi altissimus rugit. Oliva l. 11. Strom. §. Dominus de Sion.

§. VII.

Timor Dei omnem alium timorem pellit.

Ex Veteri.

NOlite *timere*. 1. Reg. 12. 20. *Timete Dominum*. v. 24. Samuel Israelitis timorem humanum abstulit, & intulit divinum. S. Laur. Just. de ligno vitæ de timore c. 2. timor hominum peccandi differt facultatem & operationem; non autem aufert: sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem.

Occidisti, & possedisti. 3. Reg. 21. 19. à facie Jezabelis fugit trepidus Elias, & mori optat. Tum quod mirere, redux ex Oreb, Achabo, infesto vultum occurit, tonatque: *occidisti*. Itane fulgurat contra regem, dudum à regina profugus? nonne occidit, ut ait, Rex innocentem? ergo & vatem jugulabit. Unde tunc tantum ei animi robur? Vidit in Oreb divini furoris profluentes. 3. Reg. 19. 11. *post spiritum commotio, & post commotionem ignis &c.* Grandioris spectaculo stragis regum lanienam timere didicerat. Oliva f. 3. Pasc.

Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Psalm. 13. 5. si timor Dei adesset, timorem hominum abjicerent. S. Basilius in Scholis hic: illic trepidaverunt timore; instar leonum audentes fuerunt; & more leporum timuerunt: cùm enim Deum non timerent, hominem timuerunt. Pinna Eth. 19.

AAA. Domine Deus! nescio loqui. Jer. 1. 6. Horruerat suspicione tantùm Jeremias, nè in vatem designaretur à Deo; prævertique inaugurationem ejulatibus. Mox non loqui tantùm; sed evellere jubetur, & dissipare: nec tamen, aut onus detrectat, aut pavet. v. 19. *bellabunt adversum te, & non prævalebunt*. Non prævalebunt? in puerum clinguem, trepidantem? Fuere hæc olim: jam vir est; & nihil metuit. Cur? Levarat in cœlum oculos; videratque hinc virgam, inde ollam. v. 11. 13. Qui Dei iram contemplatur, ridet hominum fulgura. Oliva fer. 3. Pasch.

Tollite me, & mittite in mare. Joan. 1. 12. Ipse contra se profert sententiam: cur non timet periculum mortis? dixit causam: *Dominum Deum cœli ego timeo!* v. 9. Zeno Veron. s. de timore: Jonas, timens Dominum spontaneum non timet adire naufragium. Sylv. in Act. 4. 19.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Nolite timere eos &c. Matth. 10. 28. Cur Christus D. tam exactè excludit à suis Discipulis timorem tyrannorum? Author Imperf. hom. 25. in Matth. nè fortè, propter timorem mortis, non liberè dicatis, quòd audistis; nec fiducialiter prædicetis in omnibus, quod in aure audistis. Non solùm enim proditor veritatis, qui mendacium loquitur; sed etiam ille, qui non liberè pronuntiat veritatem, quam liberè pronuntiare oportet. S. Bernardus s. 13. in Ps. 90. repleat vos Spiritus timoris Domini; & timor alienus locum non habeat in Vobis. Sanct. Zeno Veron. s. de timore: Timor sine fine studet timere; ne quid, præter Deum, quem diligit, timeat. Sylveira hic.

Tutissima res est, nihil timere, præter Deum. S. Laur. Just. de ligno vitæ c. 3. de timore.

§. VIII.

Time Deum; non homines.

PRincipes, *& persecuti sunt me gratis; & à verbis tuis formidavit cor meum*. Ps. 118. 161. Ergo terreni reges Christianos gratis persecuti sunt? sed quid subjecit, attende: *& à verbis tuis &c.* Habuerunt quidem & illi verba minantia: expello, proscribo, occido, ungulis torque, ignibus torreo, bestiis subigo, membra dilanio. Sed tua potius me verba terruerunt: *nolite timere eos, qui occidunt corpus*. Matth. 10. 28. ab his verbis tuis formidavit cor meum. Sanct. Aug. hic.

Quia ad te, Domine, oculi mei. Ps. 140. 8. Non curo, quid minentur, qui circumstant: *ad te Domine oculi mei*. Plus figo oculum meum in promissis tuis, quàm in minis eorum. Sanct. August. hic.

Non in die festo. Matth. 26. 5. Sceleratam cædem perpetraturi, non Deum, sed homines timebant. Timuerunt enim: quia tunc offerenda erant omnia sacrificia in lege decreta; nè populus propter homicidium à sacrificiis absisteret, perderentque ipsi lucro, quod ex sacrificiis habebant. Theophylactus hic.

De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus. Apoc. 19. 15. Gladius temporalium potestatum non est acutus, nisi ex altera parte: non enim habent potestatem, ut aliquid, ultra corpus puniant. Cavete autem ab eo, cujus gladius ex utraque parte acutus. *Nolite timere eos &c.* Matth. 10. Diez fer. 5. D. 2. Quadr. Deum non homines, timeas. Si hominem times; ab eo ipso, quem times, derideberis: si verò Deum, hominibus quoque venerabilis eris. S. Chrysost. hom. 84. in Matth. 26.

Hoc unum extimescamus, nè quid vehementiùs, quàm Deum timeamus. S. Greg. Naz. or. 22.

Federicus III. Imp. rogatus, quos è suis haberet charissimos? respondit: eos, qui non magis me, quàm Deum, timent. Cornelius in Ex. 18. 21.

§. IX.

Timor Dei ob beneficia.

Ex Veteri.

TErribilis *est locus iste!* Gen. 28. 17. Pavescit justus propter magnam Dei misericordiam. S. Chrysost. hom. 54. in Gen. Quia scalam conspexit; angelos ascendentes, & descendentes; auditque, multas sibi benedictiones promitti. Pinna Eth. 16.

Dicite Deo: quàm terribilia sunt opera tua Domine! Ps. 65. 3. Opera Dei hac ratione arbitror esse, metuenda; ut consideremus, ut possit nobis accidere; si illa majestas, quæ Mundum miserata respexit, peccatis nostris facientibus reddatur offensa. Deus enim pro nobis dignatus est homo fieri. Cassiod. hic.

Rex potens, & metuendum nimis. Eccl. 1. 8. quorsum, inquies, hæc connexio Creatoris, & timoris? ut intelligamus, reddendam nobis rationem; si hoc beneficio malè utamur. Octav. hic.

Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ-& replebit eum spiritus timoris Domini. Is. 11. 2. Eum, qui Deum ignorat? minimè: sed eum, qui est plenus sapientia, scientia, & intellectu. Ubi enim hujusmodi, dona residet. Sylveira in Luc. 5. 8. q. 15.

Attendite ad me &c. Isa. 51. 4. mirabile, dum Scriptura agit de mysteriis Redemptionis, statim simul agit de finali Judicio: *& brachia mea populus judicabunt*. v. 5. Sic etiam Ps. 96. 1. *Dominus regnavit, exultet terra &c.* loquitur de gloriosa Resurrectione Christi; statim subdit: *nubes, & caligo, in circuitu ejus*. Act. 1. 11. *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*. Et B. Petrus, probans adventum Spiritus Sancti, citavit Act. 2. 18. 19. testimonium Joelis: effundam de Spiritu meo, mox loquitur de Judicio finali: 2. 30 *& dabo prodigia in cœlo, & signa in terra-sol convertetur in tenebras &c.* Quæ causa hujus rei? voluit docere Deus, quod tot, & tanta mirabilia, quæ pro nobis operatus est, in rationis die magis nos ipsa accusatura sunt, si ex illis fructum capere non curamus. Diez Spiritus S.

Consideravi opera tua, & timui. Habac. 3. 2. scil. timor iste affectuosus, & pius est; dulcedinem habens, non amaritudinem; spem generans, non diffidentiam creans. Cassiodorus in Ps. 65.

Ex Novo.

Tolle grabatum tuum-videntes turba timuerunt. Matth. 9. 8.

Et Zacharias turbatus est. Luc. 1. 12. Turbatur Zacharias; quia tanto oraculo judicabunt se indignum: nam justus, cùm ad se oculos convertat, cœlestia dona timet. Sylveira hic.

Et misericordia-timentibus eum. Luc. 1. 50. Quare misericordia hic præmittitur timentibus eum; non verò credentibus, vel sperantibus, vel diligentibus? q. d. qui ex ipsa benignitate sumunt occasionem non contemnendi, seu non offendendi, sed potiùs timendi Deum; in hos fructus hujus misericordiæ. Incarnationis derivabitur. Idem hic q. 9.

Accepit omnis timor. Luc. 7. 16. postquàm resuscitatus mortuus. Minæ Dei magna sunt illius beneficia: at beneficia ejus nihilo leviores minæ. Si adolescentem vivum voce exanimasset, nil novi putarem, quod timeant. Sed cogita, magis timendum Deum beneficum, quàm scelerum ultorem, justum, ac rigidum. Didac. Nyss. D. 15. Pent. §. 5. Dum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum. S. Gregor. hom. 9. in Evang.

Neque tu times Deum. Luc. 23. 40. Timens ipse Deum timere docuit socium. Sed unde hic timor? ex misericordia inten-

intensa Christi morientis, ex sanguine copiosè profluente, ex profundis vulneribus &c. Pinna Eth. 16.

Nunc judicium est Mundi &c. Joan. 12. 31. Hoc est: nunc pro Mundo sententia proferetur, nunc tyrannica servitute diaboli liberabitur. Quare, Domine, singulare hoc beneficium *judicium* vocas? nonne meliùs diceres: nunc singulare quoddam Mundo dabitur beneficium, misericordia specialis; quæ nec humanis, nec angelicis linguis valeat explicari. Significat, hoc beneficium iis, qui ex eo fructum recipere noluerint, esse judicium. Timendum, quòd majora Dei beneficia sunt nobis majora judicia; nisi ex illis fructum percipere studeamus. Diez conc. 1. Exalt. S. Cruc.

Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis. Act. 2. 3. Magno Ecclesiæ bono Spiritus S. sua largitus est munera sub specie ignis: ut quò quis de munere effertur, eò timeat sub igne. Petrus Cœll. lib. de pan. cap. 7. periculosè exultat de dono, cui major accrescit sollicitudo cum dono. Baeza t. 1. l. 5. c. 8. §. 11.

Multa prodigia, & signa, per Apostolos in Jerusalem fiebant, & metus erat magnus in universis. Act. 2. 43. Quid timetis, cùm Filium Dei, ejusque Apostolos, videtis mortuos suscitare? Si vivos occiderent, ratio timendi videretur: cùm autem benè aliis eos facere cernitis, pavetis? Sic utique: quia hæ misericordiæ sunt judicia ingratis timendi. Diez conc. 1. in Exalt. S. Cruc.

Omne datum optimum - descendens à Patre luminum. Jacobi 1. 17. Cur à Patre luminum? non potiùs à Patre misericordiæ, pietatis? ut qui illud accipit, Judicii moneatur: *Jerusalem scrutandam in lucernis*, & lumine. Soph. 1. 12. *A domo Dei*, à Christiano, quem toties Eucharisticus Jesus inhabitavit, *incipiet Judicium Dei.* 1. Petri 4. 17. Novarinus Agn. Euchar.

Gladius ex utraque parte acutus. Apoc. 1. 16. Cur stellis gladium jungit? Richardus à S. Vict. postquam dixit, quòd habebat septem stellas in dextera sua; ut hoc eis esset ad consolationem; statim addidit, quòd *gladius ex utraque parte acutus de ore ejus exibat*; quod esset ad correptionem: ei illud conferret fiduciam de gratia, istud incuteret terrorem de negligentia: ut inde sumerent securitatem, nè desperarent; hinc cautelam, ut semetipsos emendarent. Stellis ingerit spem, gladio timorem, ut cum spe, & timore, viventis cautos se habeant; ut timore pœnas fugiant, spe ad prœmia animentur. Sylveira hìc.

Qui non timebit te Domine? quia solus pius es. Apoc. 15. 4. Putabas, dicturum, quia justus est? Non: misericordia enim, & pietas, timorem nobis debet incutere. Octavianus in Eccl. 1. 8.

§. X.

Varia de Timore Dei.

Nequaquam morte moriemini. Gen. 3. 4. Cùm vult diabolus introducere peccatum in mentem hominis, conatur abjicere timorem Dei, & suæ justitiæ, vel sui rigoris. Et introducere curat præsumptionem impunitatis, & securitatem malam. Et tunc aperit ostia mentis omni iniquitati, & malitiæ, & vanitati. S. Th. Aq. hìc.

Confige timore carnes meas: à judiciis enim tuis timui. Ps. 118. 120. Si jam se habere timorem testatur illis verbis: *à judiciis tuis timui*; quid est, quòd adhuc timorem petit? *confige*. S. August. respondet, duplicem esse timorem; servilem, & filialem; filialis succedit servili. Unde ait: da mihi castum timorem; ad quem petendum me tamquam pædagogus timor ille legis perduxit; quo timore à judiciis tuis timui. Pinna Ethol. 18.

Unam sapientiam novi, timere Deum. S. Greg. Naz. orat. 13.

Quid tam timendum? quàm potestas; cui non potes resistere? quàm sapientia; cui non abscondi potes? Poterat minùs timeri Deus, alterutro carnes. Nunc autem perfectè oportet, timeas illum: cui nec oculus deest videns omnia; nec manus, potens omnia. S. Bernardus l. 5. de confid. ad Eugen.

§. XI.

Timor hominum.

Num. I.

Facilè prævaricatur.

Egrediamur foras. Gen. 4. 8. Facilè Caino foret pacem cum Abele servare; si Deum, quo parentes, metu coleret. Cur enim fratrem trahit in agrum? nisi ut scelus patres procul à parentum oculis. Metus igitur parentum Caino frænum erat, nè fratrem opprimeret; sed leve frænum. Abit à parentibus, & timore; & scelus facit. Velloso in Judith. 5. Præen. 25.

Qui timet hominem, citò corruet. Prov. 29. 25. Nihil magis timendum, quàm quòd timor humanus præponatur divino. S. Gregor. hic.

Puer metus jacet. Matth. 8. 6. Servus paraliticus jacens, est communis hominum timor: semper enim timor servitutem habet. Servitus quoque timoris calcaribus angitur; nisi ubi libera charitas servit: sed paralysin patitur, cùm dissolvitur. Sim. Cass. l. 5. c. 12.

Volens illum occidere, timuit populum. Matth. 14. 5. Facilè deviat à justitia, qui in causis, non Deum, sed hominem, pertimescit. S. Chrysol. s. 127.

Herodes metuebat Joannem. Marci 6. 20. Non in veritate timebat Joannem: sed meliùs sibi; si timuisset Dominum in Joannes: quoniam *timor Domini expellit peccatum.* Eccli. 1. 27. Sim. Cass. l. 3. c. 3.

Plebs universa lapidabit nos. Luc. 20. 6. Cùm isti non negant hominis virtutem; non Deum verentur, sed plebem. Abstinent multi à malo, non Dei amore; sed metu, sed timore plebejo. Ac per hoc, quicumque venerunt in hanc miseriam, seu animi parvitatem, ut aspectum hominum, atque judicium, & quod ab eis adversum posset infligi, magis, quàm Deum, verentur; immunes à crimine non sunt. Sim. Cass. l. 11. c. 50.

Si quis ambulaverit in die, non offendit. Joan. 11. 9. Lux invisibilis, & rationalis Mundi est rectus amor; nox verò amor obliquus: Lux verò visibilis falsitas est: lux timor Dei; nox timor Mundi? in quo ambulans scandalum passus est. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Joan. 19. 12. Mollior erat Pilatus, & minimè pro veritate constans. Timebat enim calumniam, nè accusaretur, quòd rebellem absolvisset. Non enim doctus erat dicere: terrorem vestrum non timebo; sed Dominus ipse mihi erit timor. Isa. 8. 12. Theophylactus hìc. Majorem timorem se ingerere putaverunt Pilato, terrenti de Cæsare, ut occident Christum, quàm superiùs, ubi dixerunt: *nos legem habemus* v. 7. Timuit magis humanam, quàm divinam, perdere gratiam. Vix peccatum ullum committeretur; si Deus æquè, ac homines timeretur. Pinna Eth. 19. Facilè deviat à justitia, qui in causis, non Deum, sed hominem pertimescit. Hic timor, peccati difficultatem differe potest; auferre non potest voluntatem. Unde etiam, quòd suspenderit à crimine, avidior redit ad crimen; & æstuat animo, quousque perficiat, quod cogitat, malum. Solus Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, perpetem tribuit facultatem. S. Chrysol. s. 127.

Timor hominum peccandi differt facultatem, & operationem; non autem aufert: sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem. S. Laur. Just. de ligno vitæ. c. 2. de timore.

Num. II.

Non timendi homines motiva.

Ingredieris tu, & seniores Israel, ad Regem Ægypti. Ex. 3. 18. ait Deus ad Moysen. Et tamen Ex. 5. 1. dicitur: *ingressi sunt Moyses & Aaron &c.* Cur non ingressi etiam illi Seniores? Respondent Hebræi apud Lyranum: quia ducti regis timore foris manserunt; ad divinum præceptum violandum audaciores, quàm ad vultum regis sustinendum. Sed non evasit hic timor impunitus: nam Deus postea in monte Sinai solum Moysen ad se ingredi voluit. Ex. 24. 2. *Solus Moyses ascendet ad Dominum; & illi non appropinquabunt.* Æquum enim erat, ajunt Hebræi; ut, qui humano timori succubuerant, à divino conspectu arceantur. Mendoza in 1. Reg. 12. Annot. 12. Sect. 1.

In Domino confido - quomodo dicitis animæ meæ - quoniam ecce peccatores intenderunt arcum. Ps. 10. 2. 3. Suadetur David fuga in montes, ob armatas inimicorum manus: ille tamen non timet; quia *peccatores*. Euthymius hìc: hac de causa ego confido: quia peccatores sunt, qui pugnant adversum me. Peccant enim, dum me temerè insequuntur, & morte afficere volunt. Sylveira in Act. 23. q. 5.

Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Psalm. 26. 1. Nullum hominem formidabo: timor enim fecerat Domini, nè quemquam alium timere potuisset. Cassiodorus hìc.

Nè timeas eos; quoniam increduli &c. Ezech. 2. 6. Sed, quæ adferuntur, timorem potiùs incutere, quàm excutere, videntur. Meritò tamen jubetur non timere: quia, cùm sint impii, citò peribunt. Theodoretus hìc: causa idonea est ad contemptum eorum, qui insidiosè aggrediuntur, improbitas: legis enim violatores, & à divina ope vacui sunt: neque utique hujusmodi viri metuendi; quamvis more scorpionum lædant. Sylveira in Act. 23. q. 5.

§. XII.

Timor salubris de salute, perseverantia.

Ex Veteri.

Noli timere Abram: ego protector tuus sum. Gen. 15. 1. Dicebat Deus, hostibus devictis. Quid ultrà metuendum? Respondet Pererius: verisimile est, timuissem Abram; nè quatuor illi reges, à se debellati, tantæ cladis dolore, ac pudore, vehementiùs ad vindictam inflammarentur, & majoribus coactis viribus redirent. S. Leo s. 6. de Epiph. habet & pax nostra sua pericula. S. Bernardus s. 1. in Psalm. 90. monebat suos Monachos: lætos vos esse volo; sed non securos. Did. Nyss. fer. 2. D. 4. Quadr. §. 5.

Semper, quasi timentes super me fluctus, timui Deum. Job 31. 23. Cur timorem, ex divina justitia ortum, cum timore orto ex procella comparavit? Credo duplicem ob causam, Unam tradit S. Gregor. mor. l. 21. c. 17. quia sicut tempestas cogit ad merces in mare projiciendas, ut vita servetur; ità divinus timor impellit ad bona temporalia abjicienda, nè spiritualia amittantur. Secunda causa: quia sicut, coorta tempestate, omnes in preces, & vota, ac lacrymas solvuntur; omnes præterita crimina abjurant, nova vivendi exordia promittunt, divinam gratiam humiles precantur: ità timore divino perculsi, etiam sancti viri, hæc omnia exequuntur. Mendoza in 1. Reg. 12. Annot. 4. Sect. 1.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Psalm. 1. 1. Non dixit, qui non abit, sed qui non *abiit*: nondum enim ille, qui in vita est, beatus est prædicandus, ob exitum incertum: sed qui vices suæ functionis, & vocationis, semel absolverit, vitamque fine certo clauserit; hic jam beatus dici tuto potest. S. Basil. hìc.

Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; nè quando pereatis de via justa. Ps. 2. 11. Exultate, sed cum tremore; ut semper humiles teneatis, quod accepistis: *nè quando irascatur Dominus*, superbis, sibi, quod habent, tribuentibus; non illi, à quo habent, gratias agentibus. S. Aug. s. 2. de Verb. Ap.

Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Ps. 263. Timeo tibi, quia parum times. Qui castra rides, ab una prosterneris fœmina. Oliva t. 2. Strom. §. sint lumbi vestri &c.

Fulgura in pluviam fecit. Psalm. 13. 4. 7. Minas ad misericordiam flexit. Quando tibi minatur Deus, per Prophetam, & per Apostolum, & times; nonne coruscatio terruit te? sed cùm pœnitendo corrigeris, & agnoscis, hoc misericordia fieri; in pluviam vertitur fulguris terror. Sanct. August. hìc.

Ne glorieris in crastinum. Prov. 27. 1. Adhuc Judas forsitan dignus erat cum cœteris seorsum accipi, & audire, quæ passurus erat Magister. Adhuc nesciebat Judas, quid esset facturus. Sed nec aliquis nostrum scit: nam & omnibus dicitur, *nè glorieris in crastinum*; nec enim scis: quid superventura pariet dies. Orig. hom. 11. in Matth.

Beatus homo, qui semper est pavidus. Proverb. 18. 14. Nè mireris, quòd timuerit justus, in quo Spiritus Sanctus erat: non enim erat vacuus coram latrone viator; & quomodo non timeret? - Tua modò securitas, aut de inopia, aut te ignorantia est. Aut enim deest, quod possit auferri; aut deesse jam putas, quod possit auferri. Time vel ob hoc ipsum; quia te invenis non timentem. Sylveira in Luc. 2. q. 29.

Ante mortem non laudes hominem quemquam. Eccli. 11. 30. Quia adhuc est in pugna. Hugo Card.

Angelus Domini - fuit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Dan. 3. 50. Timor Domini est sicut ventus, de quo Dan. 3. quia fornax omnium desideriorum carnalium temperatur, & refrigeratur, per Dei timorem. S. Bonaventura Diæt. Sal. c. 32.

Ex Novo.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8. 24. Nè, si vigilaret, Apostoli non timerent. Observat id S. Ambrosius in Psal. 43. remissos, & negligentes, esse non passus; quasi de Domini præsentia, & favore, securos, somno corporis se composuit. Mendoza in 1. Reg. 12. Annot. 4. Sect. 1.

Videntes turbæ timuerunt. Matth. 9. 8. Objectum timoris est malum. Timoris servilis, objectum est malum pœna; timoris autem filialis objectum, est malum culpæ. - Quid ergo, vel cur timuerunt hæ turbæ? cùm potiùs exultare, & amare debuerant. Rz. quòd ex tanto miraculo perpenderunt sanctitatem, & dignitatem Christi: quem licèt nondum putarent Deum; certissime tamen tenebant, eum esse virum valde sanctum, divina potestate agentem. Sicque considerata sanctitate ipsius, propriam pravitatem clariùs attenderunt; & se Christi præsentia reputabant indignos; eumque offendere verebantur. Dion. Carth. hìc.

Vade post me Sathana. Matth. 16. 23. Nulli Sanctitatis culmini sanctitas in hac vita. Ecce Petrus paulò antè à Christo beatus prædicatur; & modò Sathanas dicitur. Nullus, crede, sanctitatis gradus est, à quo non possis cadere. Baeza t. 2. l. 12. c. 7. §. 5.

Contristati valde cœperunt singuli dicere: numquid ego sum Domine? Matth. 26. 22. Ecce innocentes Condiscipuli ad significationem facinoris expavescunt; & omnes sibi, non edito impietatis authore, formidant. Contristati enim sunt, non de conscientiæ reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto: timentes, nè minùs verum esset, quod in se quisque noverat. S. Leo s. 7. de Pass.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12. 35. Væ discincto! porrò is caret cingulo, qui periculum non perpendit. Nolo meticulosum in acie militem: sed ante pugnam nihil æquè triumpho præludit, quàm metus. *Domine, te cum paratus sum in carcerem, & in mortem ire*, dicebat Petrus Luc. 22. 23. Parum timuit; & ideo cecidit: si timuisset, non negasset. Tyronem, deglutientem montes & maria exsorbentem, gutta una submerget. Audacia, quæ periculum sprevit, periclitata est, cùm adiit pugnam. Oliva t. 2. Strom. §. sint lumbi &c.

Lucerna ardentes in manibus vestris. Luc. 12. 35. Sic ardens, & lucens, nondum in domo se esse confidat, ubi sine omni timore ventorum accensum lumen solet deportari. Sed meminerit, se esse sub dio; & utraque manu studeat operire, quod portat &c. S. Bernardus s. 3. in Vigil. Nat. D.

Invenit in templo vendentes. Joan. 2. 14. Quid hinc discimus? nisi quanta cum circumspectione agere in hac vita debeamus. Nam si in sacro templo, in loco sanctitatis, tot ex parte hominum offendimus pericula; quomodò inter pericula inveniemus securitatem? Did. Nyss. fer. 2. D. 4. Quad. §. 1.

Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua. Apoc. 2. 1. Isto dicto stellas ejusmodi salutis timor constringit: quia videlicet sic stellæ istæ in cœlo sunt, ut eas teneri oporteat, nè cadant in terram: nam de cœlo plurimæ stellæ ceciderunt; & de stellis facti sunt principes tenebrarum. Dicendo igitur, *qui tenent septem stellas in dextera sua*, simul terribiliter innuit, ut, *qui se existimat stare, videat, nè cadat.* 1. Cor. 10. 12. non enim stat sua virtute, sed dextera Domini continente. Rupertus hìc.

In conspectu sedis tamquam mare vitreum. Apoc. 4. 6. Quid denotat vitreum illud mare? Respondet Bachiarius: memento frater, quòd caro sumus. Mare illud, id est, forma Baptismi, quod B. Joannes vidisse se dicit, vitreum esse descriptit: & ideò in nobis citò periclitatur, aut frangitur. Hæc ille ep. de recip. lapsis. Magno mysterio Baptismus mare dicitur, sed vitreum. Mar quidem ut copia gratiæ, quæ ex illo in nos redundat, significetur; vitreum verò; ut indicetur, quàm facilè frangatur. Quid fragilius vitro? quid fragilius gratia? Unus cogitatus turpis, aut qualis vis materiæ gravis, adjunctum habens consensum; potest demoliri plurimorum annorum merita, virtutes, opera bona. Did. Nyss. fer. 2. D. 5. Quadr. §. 5.

Ex Patribus, & aliis.

Qui præsumit, minùs veretur, minùs præcavet, plus periclitatur. Timor fundamentum salutis est; præsumptio impedimentum timoris - si præsumamus; neque timendo, neque cavendo, difficilè salvi erimus. Tertull. de cultu fœm. apud Nissenum Pol. cœlor. p. l. 7. c. 6.

Anchora cordis, est pondus timoris: & plerumque fluctu cogitationum quatitur sed per disciplinæ suæ vincula retinetur. Neque hunc tempestas suæ inquietudinis ad naufragium perrhit: quia in divini amoris littore perfecta charitas adstringit. Unde necesse est; ut, quisquis ad contemplationis studia properat, semetipsum priùs subtiliter interroget, quantùm amat? Machina quippe est mentis vis amoris; quæ hanc, dum à Mundo extrahit, in alta sublollit. S. Gregor. mor. l. 6. c. 17.

Quantò magis innumeris affluebat meritis, tantò magis timebat, & tremebat. Et hanc à Præceptore disciplinam discebat. Etenim ille in tertium raptus cœlum, & in paradisum delatus, & auditis ineffabilibus verbis, & mysteriorum talium factus particeps; cùm orbem totum percurriset, tamquam alis quibusdam fultus, ad Cor. 1. 9. 27. scribens dicebat: vereor, *nè forte, cum aliis prædicaverim, efficiar ipse reprobus.* Si verò Paulus, post talia, & tot, officia, timet qui dicere potuit: *mihi Mundus crucifixus est &c.* multò magis nos timere oportet & tantò magis, quantò majora fuerimus beneficia consecuti. Tunc enim diabolus sævior efficitur, tunc magis efferatur, cùm viderit nos cum diligentia vitam nostram disponentes, cùm viderit virtutis onera conquisita, & magnos acervos; tunc magis inferre naufragium studet. S. Chrys. hom. 1. ad pop. Ant. de Timotheo.

Timor Domini est sicut bonus justitiarius, qui perimit malefacos, & suspendit. Nam sicut illi, qui tenent justitiam, in locis patentibus ponunt patibulum, ad timorem latronum: ità timor Domini &c. Et sicut ille justitiarius crucifigit latronem, sic timor Domini nititur crucifigere carnem, tamquam pessimum animæ latronem. S. Bonaventura diæt. Sal. de don. Spir. S.

Ne dicas, consenui in virtute; nec timeo: semper timenda conversio est; multosque, qui virtute consenuere, uno temporis momento Sathanas in barathrum detraxit. B. Theodoretus Studita s. 2.

Ad tyrones timor spectat; ad perfectos verò amoris possessio. B. Theodoretus Ep. in Ps. 110.

Me miserum! me miserum! quia nondum à gehennæ igne sum liber: nondum mihi constat, quò hinc sim profecturus. B. Isajas Abb. orat. 14.

Una securitas est; numquam esse securum: quatenus timor se observans reddat semper paratum? donec securitas succedat timori, non timor securitati. Guarricus Abb. s. 3. de Adv. Domini.

T I T U L U S XI.

T R I B U L A T I O.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

ÆGyptus interpretatur *coangustatio*, & *tenebræ*, sive tribulatio. S. Bonaventura s. 1. D. 2. Epiph.

Ægo dormivi &c. Psal. 3. 6. Noctem sæpius calamitatem Sacræ literæ appellant: etenim velut in tenebris vivere existimant eos, qui in tes admodum tristes incurrunt. B. Theodoretus Ep. hic. Solet in divinis Scripturis adversitas designari per noctem. S. Bernardus s. 6. in Ps. qui habitat.

Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Ps. 37. 3. id est, tribulationes multæ. Bellarminus hic.

Et erit tempus eorum in sæcula. Ps. 80. 16. Tempus vocat calamitates: sic enim Syri, & Hæbrei nominare consueverunt. B. Theodoretus Ep. hic.

Quia decoloravit me sol. Cant. 1. 5. id est, tribulationum ardor. V. Beda in Cant. l. 2. c. 1.

Hyems, abiit. Cant. 2. 11. Sicut arbores fructificant, abscedente hyeme, sic fructum habet homo post tribulationem. S. Bonaventura in Luc. 21.

Surge Aquilo. Cant. 4. 16. In Aquilone adversa Mundi designantur. S. Isidorus hic.

Torcular calcavi solus. Isa. 63. 3. Torcular in Scriptura proverbialiter significat vehementem oppressionem, cladem, stragem: qui enim illam subeunt, perinde sunt ac uvæ, quæ premuntur in torculari. Cornelius hic.

Ecce ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis. Jer. 9. 15. Fel, & absynthium, afflictionis, & amaritudinis, sunt Symbolum. Cornelius hic in hierogl.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Tollat crucem suam. Luc. 9. 23. Omnes passiones appellatione Crucis designantur. Cajetanus hic.

Nonne duodecim sunt horæ diei? Joan. 11. 9. Rupertus, Maldonatus, Toletus, per horas diei accipiunt tempus divinæ protectionis, sub qua nullum timendum est malum: per horas autem noctis tempus permissionis divinæ; qua posita ingentes homini ruinæ obveniunt. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 10.

Percusso latere Petri excitavit eum. Act. 12. 7. Lateris percussio, est temporalis correctio: æterna enim percussio non in latere tantùm, sed in omnibus membris fit. S. Bonaventura s. 5. D. 1. Adv.

Omnes tribulationes hujus Mundi, pœnitentiæ sunt datæ à Papa Jesu. S. Vinc. Ferr. s. 5. D. 16. SS. Trinit.

§. II.

Tribulationum utilitas.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Videbat, quòd rubus ardebat, & non combureretur. Exod. 3. 2. Ignis in rubo, est tribulatio in homine sancto, humili & mortificato: talem enim non urit, non lædit; sed illustrat, & roborat. Scribit Philo in vita Moysis: per Dei potentiam rubum incorruptibilem factum in medio ignis; imò, acsi fonte desuper manante rigaretur, viridiorem visum. Hæc est enim, inquit S. Chrysost. omnipotentiæ Dei vis, ut per contraria operetur contraria: scilicet calorem per aquam; frigus per ignem. Cornelius hic.

Erat aqua quasi murus à dextera eorum, & lævâ. Ex. 14. 22. adversa sunt justorum defensiones. S. Bernardinus s. 8. Art. 1.

Si dixero puero: ecce sagittæ intrà te sunt, tolle eas; tu veni ad me: quia pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus. 1. Reg. 20. 22. Quisquis sagitta morbi tangeris, non paveas. Ecce Dei sagittæ intrà te sunt: pax tibi est, & nihil est mali. Drexelius Gymnas. pat. part. 1. c. 4. §. 2.

Ponam eam desertam; non putabitur, & non fodietur; & ascendent vepres, & spinæ. Is. 5. 6. Quemadmodum, qui vineam putant, astringunt ejus vites, & externè continent; ut majori cum temperamento procedat ad perferendos utiles fructus: ad eundem modum contingit animæ assiduitate tribulationum incurvatæ; quodammodo in se contrahitur, seque humiliter demittit; atque ad diligentiorem custodiam retrahitur. E contrario anima, quæ indulgenter, ac remissè, vivere sinitur; perinde atque vinea quædam neglecta luxuriat, & sylvescit. S. Basilius M. apud Ramirez in ep. 3.

Tritura mea, & filii areæ meæ. Is. 21. 10. Tritura idem est, quod filii areæ, putà frumentum, & grana trituratione in area excussa. Ità vocat, ut ait S. Hieron. Jerusalem, & Judæos; qui ab Assyriis, & Chaldæis, fuerant triturati, calyati, & attriti. Moraliter hìc, & Jerem. 51. 33., & sæpè alibi, tritura vocatur tribulatio: tribulatio enim dicta est à tribula; quasi segetes tribulantur ut grana excutiantur. Disce, quàm sit utilis tribulatio: quæ facit nos filios areæ Dei; dum nos à paleis secernit; ut dicamus cum S. Ignatio M. frumentum Dei sum; dentibus bestiarum molar, ut panis Christi mundus inveniar. Cornelius hic.

Gradiar super eam, succendam eam pariter. Is. 27. 4. Quòd parum fructificat in prosperitate: vel, ego faciam eam fructificare in adversitate. Et tangit consuetudinem quarundam regionum: in Alverina enim in aliquibus locis, ità quandoque multiplicantur vineæ, quòd quasi in sylvas degenerent: & tunc homines comburunt eas; & optimè fructificant. Hugo Card. in Ps. 79.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Venient ab oriente, & occidente &c. Luc. 13. 29. Per Orientem designatur ortus Nativitatis; per Occidentem occasus mortis; per aquilonem, qui est ventus durissimus, duritia adversitatis; per austrum favor, & lenitas prosperitatis. Ab aquilone veniunt, qui, necessitate urgente, vel adversitate monente, compunguntur, & redeunt ad salutem; de quibus ait Salvator. Luc. 14. 23. *compellè intrare*. Dion. Carthus. hic.

Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur. Rom. 5. 3. Notat Hugo Card. Paulum hic innuere, patientiam esse velut terram fructiferam, quam tribulatio operatur, id est, colit, arat, exercet; ut fructum ferat meritorum: eo sensu, quo Gen. 2. 15. Adam dicitur positus in paradiso, *ut operaretur illum*. Cornelius hic.

Misit falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ. Apoc. 14. 19. Mala, quæ Deus hominibus immittit, sæpe cum putatione vitis comparantur. Rationem dat Clem. Alex. l. 6. Strom. qui putat vitem, licèt specietenus videatur malum moliri contra vineta; bono ipsorum imprimis consulit: nam si luxuriari sinatur, sylvescit vitis. Pinna Eth. 139. Ut vinea, dum jugatur, erigitur: & recisa non minuitur, sed augetur. Ità sancta plebs; dum ligatur, exuitur; dum humiliatur, attollitur; dum reciditur, coronatur. S. Ambros. in Luc. 20.

Animus, ni ærumnarum priùs, miseriarum, discriminum, quasi quadam conspersus nive sit; nequaquam se induit in florem; aut fructificat. B. Theodoretus Studita s. 68.

Dum nos omnipotens Deus molestiis exerceri permittit, atque ad melioris vitæ statum, interveniente tristitia provehit; miro consilio super futuram frugem gelu, & glaciem, gignit: ut electus quisque in hac vita, tanquam in hyeme, adversa ventorum, & frigorum toleret: & velut in æterna serenitate postmodum fructus, quos hic conceperit demonstret. S. Gregor. mor. l. 28. c. 15.

Mors est Deo, ut non liberet à periculis viros virtute claros; neque à tentationibus liberet: sed in ipsis tentationibus tantam suam declaret virtutem; ut tentationes ipsæ eis fiant occasio lætitiæ magnæ. S. Chrysost. hom. 62. in Genes.

Cùm cernis, arborem nucis percussionibus fieri fœcundiorem, quod & in olea quidam experti sunt; discis, afflictiones utiles esse ad pietatis fructus ferendos. Sic, cùm cernis, vitem, quæ sylvescere permittitur, minùs aptam esse ad uvas producendas; doceris, hanc terrenarum rerum nimiam copiam impedimento esse, quò minùs in Evangelica præcepta plano gradu ingrediamur. Isidorus Clar. l. 1. orat. 56.

Non sine causa veteres sapientes finxerunt, solem pasci aquis amaris, lunam verò dulcibus: quia justus amara quærit, afflictionibus delectatur; stultus verò voluptates, & dulcia, appetit. Diez Patientia.

Globus. Lem. *Percussus elevor.* Picinelli.

Rosa inter cepas. Lem. *Fragrantior.* Idem.

§. III.

Tribulationes ferendi.

Motiva.

Inevitabilis necessitas.

Collocavit Dominus ante paradisum & flammeum gladium. Gen. 3. 24. Ad quid? nam, ejecto Adamo, nullum legimus, qui illuc proficisci cogitaret: nec locus modò certus est, ubi paradisus fuerit. Voluit Dominus ostendere; non debere nos petere reditum ad paradisum terrestrem, post peccatum. Quid erat à paradiso? frigore, fame, mœrore, labore, dolore, carere. Et nè iterum revertamur ad hoc inquirendum; cùm contrarium nobis in pœnam peccati datum sit; ideò tantam custodiam ad paradisum collocat: quia voluntas Dei est, ut continuò agamus pœnitentiam. Diez conc. 2. in festo S. Jacobi.

Misit eos in carcerem principis militum. Gen. 40. 3. In eodem simul carcere ærumnas tolerant duo, qui peccaverunt, eunuchi; & Joseph innocens: ut scias, in hac vita neminem posse sine cruce vivere. In monte Calvariæ duo latrones, & Jesus innocens. Alvarez Illustr. 128.

Domine Deus virtutum! quousque irasceris super orationem servi tui? Psalm. 79. 5. Id est, quousque duriusculè mecum ages? numquam me malorum expertem facies? Respondet versu sequenti ad suum solatium: *cibabis nos pane lacrymarum, & potum nobis dabis in lacrymis, in mensura.* q. d. cur detrecto tribulationes? quæ mihi sunt pro cibo, & potu. Sicut enim vita corporis cibo, & potu sustentatur; sic vita Spiritus ærumnis. Pinna Ethol. 10.

Pater! in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23. 46. Tres in loco eodem, & hora eadem, crucifixi: innocens unus, videlicet Christus; alter pœnitens latro bonus; tertius obstinatus in peccato, latro malus. Hinc colligimus, neminem in hac vita sine cruce posse vivere. Bellarminus l. 1. de 7. Verb. Chr. c. 7.

Scio tribulationem tuam. Apoc. 2. 9. Hugo Card. q. d. Salvator: *tuam*, quæ tibi competit ex natura corrupta. Job 14. 1. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis.* Quasi homo in hac mortali vita nil tam suum, nihil tam proprium habeat, quàm tribulari. Ramirez in ep. 2.

In parabola seminis post cespitem arefacti persecutionum figurat ardorem. Tertull. l. contra Gnost. Ferunt, regionem quandam ferarum omnino expertem esse: nam id de Creta memoriæ proditum est. Aliam rursus esse, quæ nullis nivibus conspergatur. At nemo est mortalium, qui gloriari possit; se hujus vitæ laborum, & ærumnarum, expertem è vita discessisse. S. Greg. Naz. Carm. de humana vita.

Quemadmodum fieri nequit, ut aliquis super terram effugiat hunc aerem, ità impossibile est homini, quamdiu in hoc Sæculo est, tribulationibus, atque molestiis, non tentari. Sanct. Ephrem. adh. 4. ad Novitium Monachum.

Tribulationes præsentes sunt tributum, ad quod solvendum natura est obligata. Idiota l. 2. contempl. c. 1.

Si homini videtur dura via virtutis, quia continuò oportet nos pugnare adversùs diabolum, & Carnem, & Mundum; recordetur, quod, quamcumque elegerit vitam, etiam secundùm Mundum; multa illi adversa, tristia, incommoda, laboriosa patienda sunt. Idem Reg. 1.

§. IV.

Tribulatio honorifica, magnifacienda, pretiosa.

Num. I.

Figura, & symbola.

Ne appropies huc. Ex. 3. 5. Imaginem laborum, & ærumnarum, populi Israelis in Ægypto, ut ait Philo, & Theodoretus; seu, ut mavult Hieron. cruciatuum, persecutionum, nascentis Ecclesiæ, protendens Dominus, flammantem rubum ostendit. Rem, ut propiùs videret Moyses, accedebat. Et ecce vox: *nè appropies huc &c.* Cur jubetur calceos tollere? Theodoretus qu. 7. ut religiosiorem hac ratione Moysem redderet: quia ex divinitate pollent spinæ, crux, dolores; qui debeant tanta pene reverentia, & religione excipi, quanta augustissima Sacramenta. Baeza t. 1. l. 4. c. 1. §. 5.

Ad dexteram Orientis calamitates meæ illicò surrexerunt. Job 30. 12. Gilbertus Abb. s. 38. in Cant. jure ventum illum dextrum vocavit, qui nihil ei quæsivit sinistrum inferre: quia etiam coronæ gloriæ viro justo comportavit augmentum; quando virtus probata enituit, & quando provocata excrevit. Dextrane fuit illa dolorum congeries? impetus Chaldæorum contra greges? ruina filiorum? Omnia dextra, omnia ad dexteram Christi illum impulerunt. Sylveira in Apoc. 1. 9.

Lævæ ejus sub capite meo &c. Cant. 2. 6. Id quod priùs æstimat, & de se lætabunda jactat, leva est sponsi? à læva omne metuendum procedit: illinc rigor, & verbum asperum tonabit: illic maledicti constituentur. Sed servo Dei in Mundo omnia fausta. Idem ib.

Progressus pusilluv. procidit in faciem suam. Matth. 26. 39. Cùm tribularis, sic te compara, quasi sanctissima contrectes. Sanct. Anselmus hìc: procidit in faciem suam: ut humilitatem mentis ostenderet habitu corporis; & parem humiliationem eos doceret, quibus eadem Passio imminet. Discute modò; quo te componas affectu, ad ærumnas excipiendas? an ea desperatione, qua ignavi imminentia mala formidant? an velut nocentissimi rei supplicia deprecantes? an verò ut fidelis Christi affecta, prostratus humi reverenter, & humiliter, suscipit sacramenta. S. Greg. Naz. or. in S. baptisma: Præclare nobiscum ageretur, si humeros sanctitate imbuerimus, ac purgaverimus; ut Christi crucem tollere queant, non quibuslibet humeris facilè tollendam. Ut pectus, animusque, purgari, & sanctitate parari, jubetur, ad corporis, & sanguinis Dominici sacramentum excipiendum: sic humeri parentur necesse est; ut laboris cruciformis, & ærumnarum, excipiat sacramenta. Baeza t. 1. l. 4. c. 1. §. 5.

Linum de terra natum, multis attritum pressuris ad nivei candoris honorem, & levem subtilitatem, pervenit. Grossum, & inglorium, è terra consurgit; sed inter manus prementium opificum subtiliatur, & candescit. Tribulationem ergo Domini in lineo corporali advertimus. Rupertus offic. l. 2. c. 23.

Jacent duo lapides in artificis officina: alter, quo sterni pavimentum debet, vix ferro fricetur: alter verò qui effingi debet in Christi simulacrum tunditur, inciditur, diu torquetur: nec superficiem solum scalprum evadit; sed in viscera mergitur saxi, & nihil non vulnerat. Verùm, qui non diu tortus est, pedibus proterendus exponitur: qui diu vexatus, locatur in aris, auro vestitur, gemmis coronatur, thure colitur. Oliva l. 9. Strom. §. Erat quidam mendicus.

Num. II.

Testimonia.

Ex Veteri.

Tulit quoque ligna holocausti. Gen. 22. 6. An non satis fuit, quòd Isaac esset immolandus? cur insuper lingua, quibus exurendus, ei imponuntur? ubi paternus amor? Voluit pater, ut tolerando laborem, ipsam mortem mereretur. Pinna Eth. 32.

Tulitque annulum de manu sua &c. Gen. 41. 42. Joseph pro compedibus carceris à rege auream catenam accepit. Pro servili vinculo, annuloque ferreo, regium annulum. Pro habitu sordido, indutus est stola byssina. Pro antri squalore amplum imperii currum. Denique confer omnes honores cum his, quæ priùs passus fuit; & videbis, nihil fuisse passum, quod non, ut notat Rupertus, insigniter ei remuneratum sit. Primò pro odio fratrum accepit gratiam regis, & principum ejus: pro exilio exaltationem: pro labore manuum in servitio, annulum aureum: pro pallio, quod ei adultera detraxerat, stolam byssinam: pro compedibus torquem auream: pro eo, quòd vinctis ministrasset, princeps constituitur: pro carceris humilitate currum regium: pro contemptu honorem; pro nomine servi honorem regium: pro contempta adultera uxorem prænobilem. Si ita Deus suorum labores remuneratur in hac vita; quid faciet in futura? Cornelius hìc.

Ex Novo.

Nobiscum Deus. Matth. 123. Satagendum esse cum illo, qui vult esse nobiscum: sine quo nos nihil, aut miseri sumus. Præanticipavit ipse nobis socius fieri; & omnibus modi factus est socius, excepta societate peccati. Quærit vicem; tenemur illam omnino rependere, simus soci ejus *communicantes passionibus*. 1. Petri 4. 13. Sim. Cass. l. 2. hic.

Transfiguratum est. Matth. 17. 2. Eundem fuisse putat montem Cajetanus, ex quo illum affines ejus præcipitare tentarunt. Supra montem fundatur gloria, ubi periclitabatur vita. O quàm gratis oculis aspicere debent justi loca illa, in quibus Dominus passus. Mons Oliveti, in quo passionis ignominiam inchoavit, ubi procidit in faciem; fuit ascendenti in cœlum gloriosus. Naxera in Jos. 13. §. 23.

Assumpsit duodecim Discipulos suos secreto, & ait illis: ecce ascendimus Jerosolymam &c. Matth. 20. 17. Cur secretò? Auth. Imp. quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis inclusitur. Ità Christus flagra sua, probra, & crucem, non apud quosvis, sed apud Discipulos deponit. Did. Nyss. ser. 4. D. 2. Quadr. §. 7.

Sustinete hìc, & vigilate mecum. Matth. 26. 38. Sustinet quis cum Christo, cùm tædium non patitur ex repentinis eventibus: & ex subitis casibus anima meliùs roboratur, neque succumbit imminente periculo. Multa sunt, quæ homines sustinent: & multi sunt sustinentes; sed non cum Christo. Sim. Cass. l. 13. c. 11.

Abiit trans mare. Joan. 6. 1. 3. Rupertus advertit, ubi Joannes dixit Christum abiisse trans mare, mox addit: *subiit ergo in montem Jesus.* Ex quibus præmissis infertur illud *ergo*? Respondeo: bona est consequentia. Nam, si mare est Symbolum laborum, afflictionum, & mons, ob suam altitudinem, typus gloriæ, & quietis; benè infertur: *abiit trans mare. ergo subiit in montem. Propter quod exaltavit illum Deus, quia factus est obediens usque ad mortem.* Philipp. 2. 8. 9. Did. Nyss. D. 2. Quadr. §. 4.

Ut manifestentur opera Dei in illo. Joan. 9. 3. Poterat cœcus dicere: quid Domine? ad hoc homines in ærumnis ponis, ut gloria tua manifestetur? Verùm, ò cœce, quàm magna est misericordia, & gratia Dei; vilissimum terræ vermiculum in instrumentum gloriæ suæ assumere! Virga Aaron. Num. 17. 16. baculus erat, sicut & aliorum pastorum. verùm quia assumpta à Deo fuit in mirabilium suorum instrumentum, in Arca testamenti reconditur: tantique æstimatur, & colitur; ut nemo, præter summum Sacerdotem, illam semel in anno perspiceret. Gloriare ergo in infirmitatibus tuis; ut manifestetur in te virtus, & gloria Christi. Diez fer. 4. Dom. 4. Quadrag.

Quoniam digni habiti sunt. Act. 5. 41. Apostoli pati, & flagellari, habent pro magna dignitate. Christus eos elegit in Apostolos, supremam Ecclesiæ dignitatem. Luc. 6. 14. *Dedit eis potestatem curandi infirmos, ejiciendi dæmonia.* Marci 3. 15. Et tunc non dicitur, quòd gauderent, quia digni habiti sunt tanta dignitate. Sed modò: *quia digni habiti sunt pro Jesu contumelia pati.* Acsi tolerantia contumeliæ ipsis in majori honore, & dignitate sit; quàm quæcumque alia, etiam suprema, dignitas. Sylveira hic.

Obsecro vos ego vinctus in Domino. Eph. 4. 1. S. Paulus, grandia persuasurus, ut sibi authoritatem faciat, titulum hunc apponit. Alius dixisset, ego Dei princeps &c. At Paulus ait: *ego vinctus in Domino*: Præclarum honoris nomen, in carcere, in vinculis, esse; ubi fures, & latrones attinentur. An non ob hoc potiùs te contemnent Ephesii Paule? cur non scribis. ego Doctor gentium? Cur non, ego, qui ad tertium raptus sum cœlum? Cur vincula jactas? Quam hæc insignia tibi reverentiam procurabunt? Apud filios sæculi nullam: apud filios Dei maximam. Stengelius t. 3. c. 39. div. judic.

Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Gal. 6. 17. Quis vulnera persequentium timeat, quæ in stigmata Domini convertuntur? Sanè Paulo haud impressa dixero ab Angelo stigmata; sed plagas à carnificibus inflictas, puto, tam splendido honestasse vocabulo. Ergo, qui nos vulnerat, id præstat, quod S. Francisco singulari privilegio præstitum est à Seraphim. Cum Paulus vulnera sua, Stigmata Domini, dicit; palam testatur, vel Deum ipsum in servis suis laniari; vel ità esse pretiosum stigma in carne Christiani; ut eo, velut suo, Dominus glorietur. Nisi dicas, ideo à Paulo tortorum verbera, stigmata Domini vocata: quod inflictorum à carnificibus vulnerum faber, & author sit Deus &c. Oliva l. 12. Strom. §. Ego stigmata. *Ego stigmata-porto.* Non dixit, habeo; sed *porto*: tamquam aliquis de trophæis glorians, signisque regalibus. S. Chrys. hic.

Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis; sed ut etiam pro illo patiamini. Philipp. 1. 29. Vobis donatum est, quasi præmium pro Christo, quem diligitis; non solùm ut in eum credatis; sed etiam, ut pro illo patiamini, ad cumulum gloriæ. S. Anselmus hic.

Qui viceriit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Apoc. 3. 12. Præclarum sanè operæ pretium feret ille, qui multos perpessus fuerit labores: scilicet *faciam illum columnam*, hoc est, novis eum laboribus onerabo; & ingentis templi molem humeris ejus imponam. Pinna Eth. 52.

Ex Patribus, & aliis.

Non caput ità splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua; ut catena ferrea, quæ propter Christum fertur. S. Chrys. f. 8. in ep. ad Ephes.

Hoc sit mihi thesaurus desiderabilis, & super omnia amabilis; scilicet super me pœnas, & opprobria, congregare; & intimo corde diligere, qui me in hoc facto adjuvent: omnem consolationem vitæ præsentis horrebo. S. Laur. Just. de incend. div. am. c. 2.

B. Petrus Dam. f. 1. de exalt. S. Cruc. vocat Crucem victorum coronam. Nisi pretium crucis intelligas, nescies, quid dicat; ità appellet: quia Deus non reperit lauream, qua coronet eos, qui in hac vita passi sunt adversa; quàm ut eis novam Crucem veteri addat. Did. Nyss. f. 4. D. 2. Quadr. §. 8.

Tribulatio est pretiosus, & præclarus, annulus; quo Deus animam sibi desponsat. Pati pro Deo, res tantæ dignitatis est; ut homo jure se reputare debeat indignum eo honore. Blosius ep. ad quendam amicum. Si centum annis, & flexis genibus, Deum oremus; non sumus digni, ut Crucem unicam accipiamus. Henricus Suso lib. dialog. c. 10.

Veni filia, & impono tibi coronam factam ex septem lapidibus pretiosis. Quid verò est corona? nisi probatio patientiæ, quæ ex tribulationibus conflatur, & à Deo coronis adornatur, Revel. S. Brigittæ l. 4. c. 124. V. C.

Cruces, & adversitates, sunt Christi insignia, & vestis nuptialis. B. Cathar. Bon. Lyræus de imit. C. P. Arboris S. Crucis nec foliolum permittere debemus in terram cadere. Hæc erat Balthasaris Alvarez. S. J. ad afflictos omnes familiaris adhortatio. De Ponte c. 28.

§. V.

Tribulatio melior prosperitate.

Num. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Post duos annos vidit Pharao somnium &c. Gen. 41. 14. Sicut terra Ægypti ampliùs fuit Pharaoni subjecta tempore egestatis; quo tempore magis sollicita ad consilium, & auxilium, Joseph recurritur: Sic miro modo fit, quòd mens per sensum suæ egestatis fortiùs se Deo subjiciat; & humiliet, & ad discretionis divinæ consilium recurrat; quàm tempore, quo ad votum bibit, & pascitur in divinis. S. Th. hic.

Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt &c. Gen. 41. 14. Absque præviis tribulationibus, audi, multùm sublimatos corruisse. Sicut utique corruit primus Angelus, ac primus homo: & Saul, & Salomon, reges. Quia igitur Joseph erat singulariter sublimandus; ideo primò fuit singulariter humiliandus, & tribulandus. S. Thom. Aqu. hic.

Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo &c. 1. Reg. 25. 29. Pulcherrima comparatione statum justorum à reproborum sorte discernit: hos lapidi fundæ assimilat, illos fasciculus enim constringitur; ut integer maneat, & conservetur: lapis in funda expeditus ponitur; ut abjiciatur. Sic enim in hoc Sæculo electi pressuris tribulationum coangustantur; ut his admoniti, arctiùs se ad invicem mutua charitate connectant; & coadunati ad invicem manu sui Redemptoris in perpetuum conserventur. At verò reprobi, quantò licentius in hac vita voluptatibus propriis, velut liberi, dimittuntur; tantò longiùs in futuro in divinæ visionis gloria projiciuntur; ut de eis meritò dicatur: *ipsi de manu tua expulsi sunt &c.* V. Beda l. 30. qq. in lib. Reg. q. 6. Glossa ord. hic: fasciculus astringitur, ut conservetur; lapis in funda ponitur, ut abjiciatur.

Vidi impium superexaltatum, & elevatum, sicut cedros Libani. Ps. 36. 35. Justum humiliori arbori comparet. Psal. 1. 3. *Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Quid factum cedris? *transivi; & ecce non erat.* Quid humili? *fructum suum dabit in tempore suo*, &c. Naxera in Jos. 24. §. 7.

Cadent à latere tuo mille &c. Psal. 90. 7. Solatia sunt periculosa. Plus debet quis velle in ista parte, in qua pauciores cadunt. S. Bonaventura s. 17. Per dexteram felicitas, per sinistram designari solet adversitas. Rupertus in Ezech. c. 5. Licèt multos frangat adversitas; tamen multò plures extollit prosperitas; sicut scriptum est: *cadent à latere tuo mille* &c. Sanct Bernardus serm. 2. D. in Ramis.

Fasciculus myrrhæ - inter ubera mea commorabitur. Cant. 1. 12. De botro Cypri non dixit expresè: quia nulli est difficile, dulcia, & honorifica, inter ubera collocare: at arduum est, & purissimæ dilectionis signum, amare, & contumeliosa inter ubera collocare. De Ponte hic Exh. 6.

Venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes. Matth. 26. 40. Vigilat Christus in horto dormientibus Apostolis; dormit verò iisdem inter procellas laborantibus. Matth. 8. 24. Itane? tam dissimilis militibus Dux; ut quiescat, illis periclitantibus; luctetur, & ad cruorem usque sudet, iisdem placidè dormientibus? Apostolis timentibus, nihil timuit; quos sciebat à periculis ad pietatem erudiri: timet verò plurimùm illis oscitantibus. Et meritò: nam periclitante cymba ad Christum omnes confugere post somnum omnes fugere à Christo. Ibi vel Judas oravit; hic pejeravit vel Petrus. Oliva t. 2. Strom. §. Bonum mihi, quia humiliasti me.

Ex Patribus, & aliis

Non dubium est, quia videris aliquando ingentem ad præsepe bovem, elatum, nitentem corporis pinguitudine, cervices attollentem: contraque bovem alium demisso capite, incurvum, deformem; quæ indicia sunt laboris in arando. Et tamen ille jugulationi reservabatur; hic tam sese, quàm horum, labore nutriebat. S. Gregor. Naz de providentia.

Quemadmodum aqua, dum per plana, & ampla spatia fertur, non in altum exurgit; sed tenuem sese latè quaquaversus extendet: cùm autem manu artificum subtus colligente, stringenteque, coacta fuerit in angustum; jam inde collicita, omni telo velocius se in excelsum ejaculatur, petitque regionem supernam. Sic mens humana, dum otiosa & liberior, quàm expediat, degit; diffunditur, latèque defluit: cùm autem rerum

rerum eventu asperiori casuque subtus coarctante adverso solicitatur; jam agiliùs se extrudit, & intentas, dilucidàsque orationes mittit in excelsum. S. Chrysost. hom. 4. de incomprehensibili natura Dei.

Omnes fontes, sive aquæ; majores, & diffusiores, sum noctis tempore, quàm die: quia nox est frigida, & humida? item sol in die aquas exterminat. Sic gratiæ nocte tribulationis majores, quàm prosperitatis dies. Berengarius Ep. de similit. Avicenna l. de quatuor diluviis.

Herbæ omnes majoris virtutis sunt hyeme, quàm æstate: in hac enim totus succus, & virtus earum, excrescit in folium, & in flores: in hyeme autem intus manet, contrahitur, & unitur: ut refert Galenus in Antidotario veteri. Sic virtus in adversis fragrantior, quàm in prosperis. Berengarius.

Sicut navis tutior fertur in amara, sive salsa, aqua; quàm in dulci: quia amara, & salsa, grossior, & gravior est dulci. Sic anima in amara tribulationis tutior, quàm in dulci prosperitatis. Geminiani l. 1. c. 80.

Bos. Lem. *Saginatur ad mortem.* Picinelli.

Num. II.

Testimonia.

Ex Veteri.

Factusque est juvenis sagittarius. Gen. 21. 20. Ismael matri traditur, domo excutitur: puer suæ quodammodo potestatis in deserto moratus est. Isaac in monte vinculis illigatur. Ismaelem portat mater: holocausti ligna Isaac. Ismael vocatur puer, dum traditur; Isaac vocatur filius, dum constrictus altari imponitur. Ille liber, hic vinculatus, quis felicior? Naxera in Jos. 13. §. 13.

Fratri tuo servies: tempusque veniet, ut excutias, & solvas, jugum ejus de cervicibus tuis. Gen. 27. 40. Quale hoc solatium, prædictio servitutis? Imò plus, ait Philo Hebræus l. de nobilitate, indulsit filii commodis de injuncto jugo, & minus de impertito indulsisset imperio; si homo nequam in sua potestate relinqueretur. Cœcutimus, & obscurante judicii serenitatem affectu, in fausta dicimus felicissima: felicissima putamus infausta. Id. ibid.

Egressæ sunt aquæ largissimæ &c. Num. 20. 11. Populo Israel in deserto. Eliæ 3. Reg. 19. 7. dicitur: *surge comede: grandis enim tibi restat via-ambulavit in fortudine cibi illius quadraginta diebus &c.* Quadraginta diebus pastu, & potu caret Propheta; paneque arcto & aqua in mensura ab Angelo recreatur. Ecquis Deo dilectior? Hebræus, an Elias? Ad speciem dilectior videtur Hebræus. O quàm falleris! Non censendus amor de itinere, sed de termino. Elias ventre arido, & sicco, defatigato anhelitu, Dei montem conscendit, *usque ad montem Dei Horeb*; at Hebræus in deserto jacet. Quid aquarum juvat deliciosa abundantia, si promissionis negatur terra? quid oberit Eliæ sitis, si quiescit amœno vertice? Naxera in Jos. 15. §. 41.

Percussit David cor suum. 1. Reg. 24. 6. Ægrè ferens, ait Oleaster, quòd se vindicare cœpisset. Cùm tamen in aula otiosus degeret, Uriam perdidit. 2. Reg. 12. 9. David sub hoste Saule pius, & justus est: dum Sceptrum tenet; sævus, & injustus est. Quod notat S. Greg. de cura past. p. 3. cap. 27. rectior fuit in servitio, quàm dum pervenit ad regnum: servus amore justitiæ, deprehensum adversarium ferire timuit; Rex verò pertinaciæ luxuriæ, devotum extinxit militem. Velloso in Judith. 1. Paræn. 2. Peccata in rebus lætissimis plus cavenda. In Saulis persecutione numerosas virtutes exercuit: qui positus in regni securitate peccavit. Quo facto docemur, felicitatem Mundi istius non oportere perquiri, quando magis in afflictione perficitur, & in prosperitate peccatur. Cassiodorus in Ps. 50. Periculosior est res prospera animo, quàm adversa corpori. - Hoc peccatum non fecit David, cùm persecutorem Saulem pateretur, quando illius persecutoribus agitabatur: quando per diversa fugiebat, nè in manus ejus incideret; non concupiscebat alienam, non adulterata uxore occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis suæ tantò intentior, quantò inferior videbatur. Utilè quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum, tamquam contra diaboli tentamentum. - Valet ergo hoc Exemplum ad id, ut timeamus felicitatem. S. Aug. in Ps. 50.

Si Regi placet, obsecro, ut venias ad me hodie, & Aman tecum, ad convivium. Esth. 5. 4. Cur hoc Esther facis? populi hostem vis pascere? Numquam in Aman sævior, quàm cùm cum excipit convivio. Inescat, ut capiat; impinguat, ut macet. Perditissimos homines beneficiis Deus affligit aliquando; illos tunc puniens, & saginans ad mortem. Baeza t. 1. l. 3. c. 9. §. 4.

Consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Job 1. 5. Sed fortunis omnibus eversi non legitur sacrificasse. Noverat enim, majora imminere pericula fortuna blandiente, quàm sæviente: ipse dolor, & miseria, superbiam cogit ponere, & submissè sapere. Naxera in Jos. 23. §. 12. Cautior iste fuit in doloribus, quàm ille (Adam) in memoribus: ille victus est in deliciis: iste vicit in pœnis. Consensit ille oblectamentis; non cessit iste tormentis. Sanct. Aug. l. de patientia c. 12.

A judiciis tuis timui. Psal. 118. 120. Et 118. 43. *in judiciis tuis super speravi.* Quomodo sperat, & timet? Sanct. Hieron. ait, duplex Deo esse judicium; alterum cum malis, alterum cum bonis. Judicium iniquorum est, ut hic habeant brevem prosperitatem, ibi æternam miseriam. Bonorum, hic pati; ibi gaudere: sperabat judicium hoc, cùm patiebatur; timebat illud in prosperitate. Diez conc. 2. in festo S. Jacobi.

Deus meus misit Angelum suum. Dan. 6. 22. Inter feras unus adstat Angelus; sed Lotho inter delicias geminus. Gen. 19. 21. inter quas majori egebat tutela, quàm Daniel inter leones. Sanct. Ambros. pene non est profectus, ut conderet: nisi, urgentibus Angelis, & tenentibus manum ejus, egredi coactus esset. Non ergo profectus, sed eductus est. Unus Angelus Petrum è carcere, & catenis educit. Naxera in Jos. 23. §. 12.

Ex Novo.

Herodes occidit omnes pueros. Matth. 2. 16. Tam profanus hostis, numquam sic beatis parvulis prodesse potuit obsequio, quantum profuit persecutionis odio. V. Beda hom. in Natali Innoc.

Assumpit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem &c. Matth. 17. 1. In Thabor duo ex requie, tres ex terreno labore: quia semper plures ad Christum trahunt labor, quàm felicitas, & requies. Sylv. hic.

Ecce mulier in civitate peccatrix &c. Luc. 7. 37. Interim malo peccatricis, & pauperis nostræ divitias in lacrymis, & affectu: quàm tuas in impietate; illius jejunium, quàm tuum convivium. Malo inter capillos illius Christi pedibus alligari, quàm inter dapes tuas tecum juxta Christum sine Christo discumbere. S. Paulinus ep. 4. de Magd. & Pharisæo.

Erat filius ejus senior in agro. Luc. 15. 25. Junior in regione vagatur, vivit luxuriosè: ille laboriosè. Et tamen huic dicitur: *tu semper mecum es.* q. d. primogenituræ privilegio gaudes, & præcipuo patris amore fruetis, quia libertati indecoræ non datus. Naxera in Jos. 13. §. 13.

Nolite flere &c. Luc. 23. 28. q. d. super filium crucis non est flendum, sed super delicatos, qui non bajulant crucem. Hugo Card. in Gen. 19.

Consolatio temporalis, via est ad cruciatum æternum: & è converso, cruciatus temporalis; via est ad consolationem æternam. Hugo Card. in Gen. 25.

§. VI.

In tribulationibus benedictio.

Horror magnus, & tenebrosus, invasit eum. Gen. 15. 12. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham.* v. 18. Regis lucis è tenebris emergit: terrorque parit securitatem. Pax fumat, ut expers caliginis dies oriatur è nebula: Tunc in possessionem inducitur Abraham beatitatis; quum undique obscuretur in cursu ignis, fumi, caliginis, & terroris. Oliva fer. 3. D. Pass.

In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua: vives in gladio, & fratri tuo servies. Gen. 27. 39. videtur magis esse benedictio: quid enim gravius servitute? Vocatur tamen, & est *desuper* divina hæc benedictio. Pinna Ethol. 52. S. Ambros. l. 5. ep. 20. pro benedictione hujusmodi confertur servitus. Denique inter bona annumeratur, inter collatam terræ ubertatem, & rorem cœli à summo.

Tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo dormiit. Gen. 28. 11. Dum Jacob hortatu matris exulat, contendit que in Syriam solus, extoris, nullo instructus viatico, aut jumento, & saxo incubat: tum enim verò jactum benedictionis semen pullulavit in petra, referato cœlo quiescenti. Oliva f. 4. D. Pass.

Et benedixit ei in eodem loco. Gen. 32. 29. Non lego, Jacobum benedictione Domini consecutum, usque dum cum eo luctam iniit, & nervus femoris ejus marcuit. Cur hucusque benedictio dilata? Stephanus Cantuar. Jacob debilitatus benedictionem obtinuit. Hoc est, quòd *virtus in infirmitate perficitur.* q. d. debilitas Jacobi divinam vocavit benedictionem: ut constet, afflictione, perpeti, non in perniciem patientis, sed in ejus utilitatem, si patienter ferat, redundare. Castillo Illat. 96.

§. VII.

Tribulatio beneficium magnum, & donum.

Narrabo opera Domini: castigans castigavit me Dominus. Ps. 117. 17. 18. Narratur opus creationis? vel quòd de pascuis assumptus in regem? vel quòd de Goliath triumpharit? non quid ergo refert? *castigans castigavit me.* Acsi inter tot illustria opera, & tanta beneficia, maximè initeat castigatio divina. Sciebat, quantum lucrum, & fructum, castigatio, & afflictio importet. Sylv. in Apoc. 3. 19.

Miserere mei secundùm eloquium tuum. Ps. 118. 58. Hoc dicere potest etiam prudens ægrotus Medico: ut scis, medicinam adhibe, & ut ars præcipit. - Sæpè enim per animadversionem salutem procurat, & pœna fit benignitas. Sic etiam Medicus, & secat, & comburit; laboranti sanitatem tractans: sic etiam nos decet misericordiam petere. Nam aliquando per paupertatem misericordiam impertit, & per ægritudines benignitatem largitur. B. Theodor. hìc.

Cùm gustasset, noluit bibere. Matth. 27. 34. Gustavit Christus omnes passiones, sed non absorbuit: quin reliquerit sequacibus posteris. Nec abolevit mortem, quæ originaliter provenit ex parentibus primis. Quamquam enim sua Passione nostra peccata deleret, reconciliaret & Patri; non tamen mortem abstulit, nec passiones, ut non essent, absorbuit. Relinquendæ profectò erant divino, & infallibili decernente decreto, mors hominibus, & passiones; cum quibus humana natura certaret ad præmium; evaderetque supplicium, & angeretur timore, quæ amore primo non steterat. Simon. Cass. l. 13. hìc.

Omne gaudium existimate fratres &c. Jacobi 1. 2. Hæc enim sunt magna beneficia Dei, sicut affirmat Apostolus Philipp. 1. 29. *vobis donatum est, pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam patiamini pro illo.* Dion. Carth. in Matth. 5. Omnia adversa amanter suscipe, tamquam pretiosissima venia tibi Deo transmissa. Blosius parad. an. c. 9.

§. VIII.

Tribulationes à Deo proveniunt.

Ex Veteri.

Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Gen. 22. 8. Cùm hæc pater diceret, & filius audiret, *pergebant pariter.* Ib. Cur Isaac patri non plures quæstiones movit? S. Chrysost. hom. 4. in 1. Cor. 2. ut Dei nomen audivit, nullum ultrà verbum addidit; nec curiosiùs quidquam inquisivit: usque adeò prudens erat hic puer. Did. Nyss. Pol. cœl. p. 2. l. 3. c. 2. Providentia Dei in adversis summum solatium.

Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui? Gen. 30. 2. Abulensis: videns Rachel, quòd Jacob justè responderat; redargutionem factam patienter toleravit. Ratio patientiæ: quia Jacob dixerat; quod causa illius sterilitatis non esset alia, quàm providentia Dei. Did. Nyss. cit.

Pro salute vestra misit me Deus. Gen. 45. 5. Et iterum Gen. 50. 20. *cur cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud bonum.* Qui Deum calamitatum suarum authorem agnoscit; quidquid faciant hostes, quasi à Deo factum excusat, non accusat: immò grande inde sibi solatium parat; &, quod patitur, libenter non dolenter patitur. Velloso in Judith. 7. Paræn. 26.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Exod. 3. 2. Damnum timendum erat ex tanto igneo rubo: at tota flamma à Deo veniebat. Et ideo non damnum, sed multum boni rubo inferebat: ut inde illustrior, & viridior appareret. Sylv. in Act. 7. 30. q. 21. Rubus ardet, & non comburitur: significabat enim Hebræos oppressos, & vexatos, igne persecutionum, minimè peritures; sed magis multiplicandos. Id. ibid. qu. 22.

Noli irecum eis, neque maledicas populo. Num. 22. 12. Curabat Balaac, ut Balaam celebris veneficus, malediceret populo Dei; sed Deus terruit veneficum. Mirum, quòd omnipotens Dominus venefici maledictionem populo suo metueret, & illum curarit avertere. Quòd veneficus maledicat populo Dei; ideò maledictus erit? Respondet Anastasius Nyceenus q. 32. quam vim habebat vatis execratio, cui Deus prohibuerat, nè execraretur? nullam quidem vim habebat: falsa enim tenebatur opinione. Sed quoniam populus continenter iniquè agens sustinebat plagas à Deo immissas; ad eorum imbecillitatem hæc dispensavit. Nam nè à Deo castigati existimarent se per vatis execrationem incidisse in calamitates; non sivit vatem ui execratione. Baeza t. 1. l. 4. c. 5. §. 11.

Dominus mortificat, & vivificat. 1. Reg. 2. 6. Tunc supplicia vitam patiunt, cùm superioris manu infliguntur: quæ si ministris permittantur, pro incolumitate invehent mortem. Etenim Dominus ideo vivificat, qui mortificat. Oliva l. 12. Strom. §. Dominus mortificat.

Quare percussit nos Dominus? 1. Reg. 4. 3. Non dixerunt, quare percusserunt nos Philisthiim; sed, *quare percussit nos Dominus?* pœnæ enim peccatorum Deo attribuendæ. Mendoza hìc.

Dominus præceperat ei, ut malediceret David. 2. Reg. 16. 10. Est iste Dei quidem lorum, & virga: non video lorum; sed video Deum, qui me flagro cædit. Theodor. q. 32.

Irruerunt Sabæi &c. Job 1. 15. Nil magis diabolus satagebat, quàm ut Job induceret ad credendum; pœnas, quas patiebatur, non à Deo, sed creaturis, provenisse. Unde ille multiplex nuntius, sive diabolus fuerit, ut Chrysostom. & Olympiodorus putant; sive alius, diaboli fraude submissus; ut Origenes, & alii sentiunt; ille, inquam multiplex nuntius numquam eas Deo, sed creaturis tribuebat. Numquam Deum nominat, ut Jobum ad impatientiam provocet. Job autem: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Mendoza in 1. Reg. 4. 3.

Extende paululum manum tuam. Job 1. 11. Sua id manu facere optabat: suam ipsam manum in affligendo Dei manum vocat. Quòd agnoscens Job dicit, unicum in malis solatium: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Octavianus in Eccles. 2. 3.

Dominus dedit. Job 1. 21. Quia non attendebat, quis percuteret, sed quis permitteret. S. Aug. in Ps. 29.

Mitte manum tuam, & tange os ejus &c. Job 25. Multùm insipienter loquitur: quæ enim à manu Dei veniunt, non ad perditionem, sed ad profectum conducunt. Sanct. Ambros. in Psal. 36. diabolus suo sermone deceptus est, qui dixit, *mitte manum tuam &c.* Misit Deus manum suam, & confirmatus est Job: cœpit benedicere, qui maledicere credebatur. Sanat enim justos, dum tangit manus divina, non vulnerat. Sylv. in Act. 7. 30.

Obmutui, & non aperui os meum; quoniam tu fecisti. Amove à me plagas tuas. Ps. 38. 10. Ubi non solùm Deum respicit punitorem; sed etiam suas inde plagas consolatur. *Plagas tuas:* quia eas, non ut à creatura, sed ut à Deo imperatas, considerabat. Mendoza in 1. Reg. 4. 3.

Misit ante eos virum. Ps. 104. 17. Meritò dixit virum: quia multa passus, viriliter cuncta sustinuit. Considerandum est etiam, quòd dicit, eum Dominum misisse; qui fratrum suorum iniquitate distractus est. Novit enim Deus bene uti malis alienis. Sic enim omnia illi adversa feliciter contigerunt, ut missio facta sit Domini, Joseph dolosa venditio; sicut & ipse fratribus suis dicit Gen. 45. 5. *pro salute vestra misit me Dominus Deus ante vos in Ægyptum.* Cassiod. hìc.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ &c. Ps. 122. 2. Qui sunt isti servi, & ancillæ, qui sic habet oculos in manus dominorum suorum? nisi qui jubentur cædi. Vapulat servus, sentit plagarum dolores; attendit ad manus Domini sui, quoadusque dicat: parce. Ergo quid dicimus fratres? jussit nos cædi Dominus noster, & Domina nostra Sapientia Dei jussit nos cædi, & in hac vita vapulamus, & tota ista vita mortalis, plaga nostra est. *Sicut oculi &c.* Adhortatur, ut in tribulationibus manum Dei percutientis agnoscamus. S. Aug. hìc.

Læva ejus sub capite &c. Cant. 2. 6. Cùm ad sinistram manum cor propendeat; quando porrigit læva ad sustinendum caput, simul divinum cor porrigit. Nam quidquid Deus per lævam operatur, sive permittendo adversa, sive comminando supplicia; ex amore procedit, & ut nos in sui amorem trahunt. De Ponte hìc Exh. 41. §. 3.

Sustina sustentationes Dei. Eccl. 2. 3. Lyran. Dion. Hugo Card. idest, patientiam habe in tuis calamitatibus: quas cùm sustines, eodem tempore in iisdem à Deo sustentaris, nè cadas: viresque sufficit, ut eas toleres. Qui ambulando baculo utuntur; portant illum quidem, sed ab eodem sustentantur. 2. Vocat tribulationes *sustentationes Dei*: quia immittuntur à Deo. Et optima ratio est ad sustinendum, considerare, quòd Deus illas immittat. Octavianus hìc.

Bona, & mala à Deo sunt. Eccl. 11. 14. Purior est Dei amor in adversis, quàm prosperis: quia in cruce nihil habet ambr carnalis, vel sensualis; uti habet in deliciis. Christus æquè dilexit Deum in monte Calvariæ, ac in monte Thabor. Quocirca piè S. Greg. Naz. ep. 63. gratias ego, ait, ut in lætis rebus, ità etiam in acerbis: quia exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam rationem expers esse rationis. Sicut in thermis ex uno latere videmus ebullire aquam calidissimam, ex alio frigidissimam; quæ in thermis commissæ temperatum, & salutare efficiunt balneum: sic in hisce Mundi thermis cernimus emanare à Deo tristia, & læta. Cornelius hìc.

Virga furoris mei, & baculus ipse. Is. 10. 5. Quantus error! virgam aspicere percutientem, & manus percussoris non aspicere. Quis adeò stupidus? ut ab inimico vulneratus dicat, gladius me vulneravit, non hostes &c. Cur ergo, cùm à Deo corripimur, Deum pœnæ authorem agnoscere recusamus? Dicimus, non est ipse. Canes imitamur; qui lapidem mordent, quo petiti sunt, non manum jacentis. Hoc totum non alio fine facimus; quàm ne delicti nostri gravitatem agnoscere, vitamque in melius mutare, cogamur. Quamdiu enim mala, quæ patimur, alienis causis adscribimur, tamdiu culpam, ob quam punimur, non apprehendimus; nec irritari Numinis manum, à qua vapulamus, reveremur. Idem ibidem.

Ideirco percussit eos leo. Jer. 5. 12. Sed quomodo id fieri potest? an non flagelli ictus vident, palpant, operiuntur? dicam? *negaverunt Dominum, & dixerunt, non est ipse.* v. 12. Sentiunt quidem flagellum, idque atrox; negant tamen esse flagellum Dei. Non credunt, Deum esse; qui bella immittat, famem, pestem, cluviones, incendia, turbines, terræmotus &c. Segneri l. 15. die Ven. Dom. 2. Quad.

Præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam. Joan. 2. 1. Ad quid manus Dei præparavit piscem? ut pro morte præberet habitaculum; ut qui in mari iratum senseret. Baeza t. 1. l. 1. c. 7. §. 30.

Ex Novo.

Motus magnus factus est in mari. Matth. 8. 24. Tempestas non ex se orta est, sed potestati paruit imperantis. Orig. hom. 6. in diversi. Motus hic maris creditur suscitatus magis virtute divina, seu miraculosè, quàm naturaliter: ut Christi potentia, & divinitas panderetur per motus sedationem. Dionys. Carth. hìc.

Calicem, quem dedit mihi Pater &c. Joan. 18. 11. Pater, non judex: idest, amore, non ira, voluntate, non necessitate; gratia, non vindicta. Rupertus l. 13. in Joan. Dedit Pater Filio calicem amarissimæ Passionis, quem usque ad fundum exhausit; pro eo, quod Pater dedit: cujus voluntati nihil statuit præferendum. Sim. Cass. l. 13. hìc.

Non vis, ut bibam illum? ib. Non vis tu ò homo, quod vult Deus? non vis tu creatura, quod vult Creator? non tu servus, quod vult Dominus? &c. Id. ib.

Non haberes potestatem adversùs me ullam; nisi tibi datum esset desuper. Joan. 19. 11. Non ad Præsidem, sed ad primum motorem, aspexit, quando crucem excepit. Stengelius t. 1. Judic. div. §. 5.

Dominus est. Joan. 21. 7. In mari solus Joannes, cœteris Discipulis id ignorantibus, agnovit Dominum multi in rerum turbatarum fluctibus non agnoscunt turbati maris authorem Deum; sed in eos, quos hostes putant, acriter stomachantur &c. Drexelius Heliotrop. l. 1. c. 2. §. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Quoties Deus quocumque flagello huic Mundo irascitur, id ministerium vindictæ apostatæ Angeli mittuntur. S. Isid. Ep. l. 1. sent. c. 10.

Universa, quæ accidunt tibi, absque Dei non veniunt voluntate. Qui tibi adversantur, Dei faciunt consilium. S. Isid. Ep. l. 1. solil.

Pœnæ in semetipsis consideratæ minimè quidem possunt amari: sed consideratæ in sua origine, idest, providentia, & voluntate divina, quæ eas ordinat, & immittit; infinitè sunt amabiles, & amandæ. Intuere virgam Moysis. Ex. 43. 4. projecta in terram, & serpens horrificus: eandem vide in manu Moysis; & hac illus, qui patrat mirabilia. Intuere tribulationes: in semetipsis sunt orribiles; in voluntate autem divina si consideres, sunt puri puri amores, & deliciæ spirituales. Quoties contingit, nos habere aversionem contra remedia, & medicamenta; dum ea nobis medicus, vel apothecarius exhibet: quæ tamen oblata nobis per amicam manum, amore horrorem superante, cum lætitia accipimus. Certè vel amor aufert asperitatem doloris, vel sensum illius efficit amabilem. Dicitur in Bœotia esse fluvius, in quo pisces apparent aurei: verùm tolle eos de aqua, quæ est locus eorum originis, habent colorem aliorum piscium naturalem. Afflictiones sunt tales: si eas aspicias extra Dei voluntatem, habent suam amaritudinem naturalem: at qui eas considerat in beneplacito æterno; omnino sunt aureæ, amabiles, & pretiosiores, quàm dici possit. Si Abraham vidisset necessitatem occidendi suum filium extra Dei voluntatem; quantas pœnas, quot convulsiones cordis, eum sufferre fuisset necesse. Sed videns illam in Dei beneplacito, erat illi tota aurea: tenerè proinde eam complexabatur. Si Martyres &c. S. Franc. Salesf. de amor. Dei l. 9. cap. 2.

§. IX.

Tribulationes propriæ amicorum, dilectorum Dei.

Num. I.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri.

Quia vis fili? Gen. 22. 7. Filium vocat pater, dum ligat, dum sacrificat, dum ensem, & ictum vibrat. Pater magis est pater, dum tentat; filius magis est filius, dum tentatur. S. Ambros. l. de Abr. c. 1. inflexibilis à studio devotionis minister, vocare filium frequenter non timet: & hoc se meliorem patrem putabat, si eum immolaret Deo. Deus ostendit se patrem, dum tentat, dum flagellat: inter tentationes, ærumnas, regia filiorum Dei magis splendent insignia. Arcones in Is. 1. 2. Disc. 3.

Jacob, dum ei occurreret Esau, Rachel, & Joseph, in extremis collocavit. Gen. 33. 2. ut quique ordines, sicut profundios hæserant affectibus patris; ità longiùs absisterent gladio ferientis. Rup. l. 8. c. 2. in Gen.

Non sic Christus fecit cum suis dilectis.

Scyphum meum argenteum pone in ore sacci junioris. Gen. 44. 2. Scyphus in sacco junioris fratris absconditur. - O tormenta misericordiæ! cruciat, & amat. S. Greg. hom. 21. in Ezech. Scyphus Joseph inventus est in pera Beniamin dilectissimi: & calix Passionis Christi non invenitur, nisi apud ejus dilectos. Stella de contemptu p. 1. c. 82. Per Beniamin intelliguntur hic innocentes, quos Dominus teneriùs diligit: & ideò potiùs arguit hìc, ut puriores sint. Hugo Card. hìc.

Grando & ignis, mista pariter ferebantur. Exod. 9. 24. Mirabile! grandinem simul cum igne descendisse. Unde tam pacificum consortium inter calida, & frigida; humida, & sicca? Stephanus Cant. ignis, & grando, mixta pariter sunt: quia, dum Deus hominem punit, etiam signum sui amoris impendit: in igne enim fervor divini amoris exprimitur. Castillo Illat. 46.

Bibite, & inebriamini. Cant. 5. 1. Amicis communibus calix traditur epotandus: at charissimi hauriunt usque ad ebrietatem. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psalm. 35. 9. Hesychius in cath. Græca: voluptatis torrente charissimos potat. Torrens voluptatis fuere Christi pœnæ (*de torrente in via bibet*) *voluptatis* merito dictum est; nam Christus in deliciis erat, cùm pro nobis pateretur. Escob. t. 1. mir. Chr. l. 1. obs. 4.

In vinculis Adam, traham eos, in vinculis charitatis. Os. 11. 4. Quanam Adæ vincula? Prado ad c. 6. Ezech. c. 9. traham in doloribus, & Afflictionibus, quas à parente suo Adam hæreditarunt: hæc enim sunt amoris mei erga illos vincula, quibus soleo ad me allicere.

Ex Novo.

Ascendente eo in naviculam &c. Matth. 8. 23. Paulò antè v. 16. Dominus miracula faciebat turbis; nunc autem, ubi dura imminet tempestas, cum solis charis Discipulis ascendit. Consuevit enim labores, & pressuras, solis magnis viris committere. Sanct. Chrysostom. hom. 29. in Matth. ubi miraculorum ostensio erat, plebem permittit adesse: ubi autem tentationum, & timorum acceptio; athletas orbis terrarum, quos excitaturus erat, hos solos assumit. Baeza tom. 2. l. 11. cap. 5.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8. 24. Et œconomia servatur in Apostolis; ut advertas, sine tentatione neminem posse ex hoc vitæ curriculo demigrare: quia exercitium fidei tentatio est. S. Ambros. l. 6. in Luc. 8.

Num. II.

Exempla.

Ex Veteri, & Novo.

Projicite eum in cisternam hanc. Gen. 37. 22. Justior in Jacobi familia Joseph in lacum detruditur: innocentior in familia Adæ occiditur à fratre primus Abel: Elias optimus inter Prophetas exulat. Baptista in carcerem mittitur. Alvarez Illustr. 62.

Tunc Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4. 1. Siccine agitur cum Filio amico, & dilecto? Bone Deus! fateris filium, laudibus extollis, complaces tibi in ipso, & ad desertum impellis, ut tentaretur à diabolo? S. Chrysost. hom. 13. in Matth. *Tunc* istud ad quodnam tempus aptandum est? procul dubio ad illud, quo descendit Spiritus S. cùm etiam desuper delata vox ait: *hic est Filius meus.* Arcones in Is. 1. 2. Disc. 3.

Quid timidi estis modicæ fidei? Matth. 8. 26. Cur solùm Discipulos objurgat? de aliorum diffidentia tacet. Alii navigantes non adeò familiaritate conjuncti, neque scholam ejus frequentantes. At Discipuli & teneriùs dilecti, & accuratiùs instructi. Naxer. in Jos. 17 §. 18.

Duo autem vobis amicis meis. Luc. 12. 4. Servos suos dignatur appellare amicos tunc, cùm ad martyrium eos accendit: ut intelligamus, præsentis vitæ mala, mortemque, parari amicis ejus, & talia esse amicitiæ ejus pignora. Cajetanus hìc.

Pater! in manus tuas &c. Luc. 23. 46. Christus in probroso Calvariæ monte Patrem suum agnoscit. Ut nos doceret: qui se filium Dei gloriatur, premenda ejus vestigia: ut sit idem inter supplicia, qui inter delicias, idem in ignominia, qui in honore; iisdem oculis amarum spectet, quibus dulce. Vid. Nyss. Sabb. D. 1. Quad. §. 5.

Ecce, quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Priùs dilectus dicitur,

citur, quàm infirmus. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 6. Mira sunt verba, magisque miranda sententia. Si amas, ò Christe! quomodo, & qualiter, infirmatur? finisne tuos infirmari dilectos? si infirmatur, ubi est, quod ames? Nam à te diligi, hæc est penitus mortalis infirmitas; cùm neminem diligas, nisi quem diligendum agnoveris. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Joan. 15. 9. Sicut dilectissimo Filio Deus crucem ex amore ad gloriam destinavit; sic Filius Discipulis labores, ad meritorum augmentum, impertivit. S. Chrysol. s. 55. Charitas dolum non habet; fraudem pietas, affectio non recipit falsitatem. Si Pater est, non potest, non amare: si amat; nisi quod bonum est, dare nescit. Negat patrem, qui de patris suspectus est largitate: ignorat se filium, quem data paterna sollicitant. Ergo si Deum credis, & confessus es Patrem; quidquid jusserit, quidquid in te elegerit; crede, sibi satis salutiferum esse. Ramirez in epist. 5.

Amen, amen dico tibi: cùm esses junior &c. Joan. 21. 18. ait Christus Petro post trinam testificationem amoris. Pro tripli-ci amore promittitur Petro triplex tormentorum genus; servide amanti Petro, ipsum pro Christo pati, & crucifigi: magna merces, pretiosum munus. Sylveira in Joan. 10. Prædixit Petro, quòd esset pro ipso passurus; ubi amoris certitudine ferebatur in illum. Ut non solùm amor ostendatur in regimine ovium, sed in tolerantia persecutionum: ut non ipse amor possit ampliùs in virtutibus progredi, quàm mori pro Christo. Sim. Cass. l. 14. hic.

Ego, quos amo, arguo, & castigo. Apoc. 3. 19.

Ex Patribus, & aliis.

Sævire videtur Deus, cùm ista facit. Nè metuas, quoniam Pater est: numquam sic sævit, ut perdat &c. S. Aug. in Ps. 65. Quando malè vivis; si parcit, plus irascitur. Omnino istæ tribulationes flagella sunt corrigentis, nè sit sententia punientis. Id. ib.

Quis nos potest ampliùs amare, quàm Deus? Et tamen nos non solùm docere suaviter; sed etiam salubriter terrere, non cessat. Formentis lenibus, quibus consolatur, sæpe etiam mordacissimum medicamentum tribulationis adjungens; exercet fame Patriarchas etiam pios, & religiosos; populum contumacem pœnis gravioribus agitat. Sanct. August. ep. 48. post initium.

Quod te non vult pati, non pateris: quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Ad hæreditatem sempiternam erudimur, & flagellari dedignamur? Id. tr. 7. in Joan.

In nos ità se gerit Dominus, ut nos in nostros filios. Sunt tibi filii, castiga eos, suadet sapientia Ecclesiastici. 7 25. Atqui liberos nostros, & filios, valde, & supra quodcumque aliud amamus. Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 9.

Deus omnia facit diligens: quemadmodum beneficio afficiens posuit in paradiso, & beneficio afficiens ejecit è paradiso. Beneficio quoque afficiens gehennam minatus est. Et quemadmodum patres, non solùm indulgentes filiis, sed etiam verberantes, patres sunt; nec minùs verberantes, quam indulgentes: ità etiam Deus. S. Chrysost. in Psal. 110.

Deus Pater est: numquid amandus est blandiens, & respuendus corripiens? Cogita quoslibet cruciatus, extende animum in quaslibet in hac vita pœnas humanas; compara gehennas: & leve est omne, quod cogitas. Et paulò post: quidquid hic passus fuerit homo; si corrigatur, emendatio est: si non corrigatur, duplex damnatio est. Et hic enim luit pœnas temporales; ibi experietur æternas. Sanct. Chrysost. hom. de Job.

Quoniam nos valde amat; ideò permittit, ut affligamur; ut ei perfectiùs conjungamur. Nam matres quoque solent insolentes pueros, diversis personis perterrentes, cogere eos, ut ad suum gremium confugiant: non eos quidem volentes molestia afficere; sed hoc excogitantes, ut ipsi eis assideant. Ità etiam Deus, volens nos sibi conjungere, cùm sit amator vehemens, vel potiùs amatore quovis vehementior; permittit, ut ad talem redigaris necessitatem; ut perpetuò vaces orationi, & eum assiduè invoces. Idem in Psal. 114. Tribulatio est pretiosus, & præclarus annulus; quo Deus animam sibi desponsat. Pati pro Deo res tantæ dignitatis est, ut homo jure se reputare debeat indignum eo honore. Blosius ep. ad amicum. S. Gertrudis afflictiones vocabat annulum desponsationis. S. Franc. Seraph. sorores: S. Borgias amicos.

B. Angela de Fulginio dicere solebat: temporalia bona, fortunas, honores; esse panis micas, quæ cadunt de mensa Domini: Cruces verò esse delicatos opipari convivii bolos; qui & fortibus Dei intimis apponuntur. Osorius regula 6.

§. X.

Tribulationes disponunt, & sunt via ad cœlum.

Figura, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Joseph totonderunt. Gen. 14. 14. Virga, & ferula, & flagella, tempus habent, quo radi necesse habemus contra venturam solemnitatem æternæ jucunditatis: ibi enim nullus admittetur, nisi rasus. Quod significatum est. Gen. 41. ubi legitur: *Joseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt regi.* Sed postquam solemnitas illa advenerit, non erit ultrà necessaria novacula: quia pili noxiarum cogitationum, & affectionum non renascentur ulteriùs, sicut modò. Hugo Card. in Ecclæ 3. 1.

Domus de lapidibus dolatis, atque perfectis, ædificata est. 3. Reg. 6. 7. In ædificio templi omnes lapides priùs malleis tundebantur; nè in illorum positione sonus mallei audiretur. Sic & vivi lapides, qui ponendi sunt in illa cœlesti Jerusalem, variis infortuniorum tunsionibus priùs poliuntur, quàm in ædificio cœlestis habitaculi collocentur. Blesensis ep. 12.

Malleus, & securis, non sunt audita. Ib. Quia lapides vivi lapides sancti, de quibus suprema civitas construitur, hic dolantur, hic tunsionibus, & pressuris expoliuntur. Ibi autem in pace per manum artificis locis suis aptantur; ità ut nullus persecutoris malleus, nulla cædentium securis, ulteriùs audiatur. S. Rup. l. 3. c. 11.

Ascendit Elias per turbinem ad cœlum. 4. Reg. 2. 11.

Funes ceciderunt mihi in præclaris. Psal. 15. 6. Funes sunt afflictiones: convertuntur autem in præclara, perducendo ad Resurrectionis æterna munera. Cassiod. hic.

Osculetur me. Cant. 1. 1. Ab ore, gladio armato, osculum petit? Gladius significat tribulationes. Sciebat, ad osculum beatitudinis non perveniri, nisi per medios gladios. Beda in 24. Luc. Sponsa prudentissima ad osculum sponsi sui non anhelat, nisi mediis gladiis tribulationum. Sylveira in Apocal. 1. 16.

Vidit duas naves. Luc. 5. 2. Duæ naves, sunt duæ viæ eundi ad Deum: scilicet innocentia, & pœnitentia. Et qui non fuerit ingressus in unam istarum, peribit in mari. Hugo Cardin. hic.

Trans torrentem Cedron. Joan. 18. 1. Volens ire in hortum, per quem paradisus intelligitur, transit per torrentem, idest, per tribulationem ad crucem. Hugo Card. hic.

Venerunt ad portam ferream. Act. 12. 10. Ferrea porta, quæ ducit ad Jerusalem cœlestem, est crux, mortificatio, tribulatio, martyrium. V. Beda apud Cornelium hic.

Suscipit nos benignus Jesus in Religione sua, cùm clamamus, Abba Pater. Sumus hic, dum vivimus, in ea Novitii: tempus Probationis habemus usquequo veniat dies Professionis faciendæ coram Abbate nostro Deo, & cœlestium Conventu toto: ut tunc habeamus vocem in Capitulo, stallum in choro, cibum in Refectorio, lectulum in dormitorio. Gerson. tr. 10. sup. Magnif.

Panis in mensa. Lem. *Per multas tribulationes.* Masenius.

Ex Patribus, & aliis.

Omnes oportet transire per flammas, sive ille Joannes Evangelista sit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum. Joan. 21. *Sic eum volo manere &c.* De morte ejus aliqui dubitaverunt; de transitu per ignem dubitare non possumus; quia in paradiso est, nec separatur à Christo. Sive ille sit Petrus, qui claves accepit regni cœlorum, qui supra mare ambulavit, oportet, dicat: *transivimus per ignem, & aquam &c.* S. Ambros. in Ps. 118. Oct. 20.

Quid est, quòd jejuniis solemnia prævenimus? nisi quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. S. Bernardus in Vigil. S. Andreæ.

Non dedignetur justus intrare cœlum per portam crucis, per quam ingressus est Dominus. S. Thom. Vill. conc. 2. de uno M.

Tribulationes calcaria sunt, quæ faciunt nos currere ad Deum. Idem conc. de MM.

Mors, afflictiones, sudores, labores (quibus abundat vita nostra) quæ justa Dei ordinatione sunt pœnæ peccati; sunt etiam, beneficio suavis ejus misericordiæ: radii, & gradus, ad ascendendum in cœlum; media ad proficiendum in gratia, & merita ad obtinendam gloriam. S. Franc. Sal. de am. Dei l. 9. c. 1.

Crux præsens scala est ad gloriam, & è converso, præsens gloria scala est ad crucem æternam. Hugo Card. in Gen. 39.

Tribulatio mittitur velut nuntius gratissimus, de præsenti miseria vocans ad felicitatem æternam. Hugo Card. in Matth.

§. XI.

Tribulationes mundant, sanant, præservant à peccato.

Num. I.

Figura, & symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Ecce populus Israel multus, & fortis nobis est: venite, sapienter opprimamus eum, ait Pharao. Ex. 1. 9. 10. Immò insipienter populus opprimitur. Sapienter deliciis appositis inescarentur, nè fugam arriperent. Glossæ Græcæ author: Deus Israelem afflictari permisit, ut Ægyptiorum deos tartareos odio haberent, atque ex Ægypto egrederentur alacriùs. Quod æquo animo non fecissent, si in Ægypto victum, tranquillamque vitam habuissent. Escobar tom. 6. Par. Chr. §. 3. obs. 2. lib. 3.

Orate Dominum. Exod. 9. 28. Origenes: nescire Dominum se ait Pharao. Ex. 5. 2. Vide, quid agat cruda superbia! Donec *in laboribus hominum non est.* Psalm. 72. 5. 6. *& cùm hominibus non flagellatur; propterea tenuit eum superbia.* Denique videbis eum paulò post, quantum proficit in flagellis, quanto melior verberatus afficitur. Iste, qui modò dicit: *nescio Dominum*; postea, cùm vim sentit verberum, dicturus est: *Orate Dominum.*

Fecit Moyses serpentem-quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. Num. 21. 9. Deus per serpentem æneum sanavit morsos à serpentibus. Sic labores, & adversa, quibus nos percutit, sunt instrumenta, quibus animæ vulneribus medetur. Diez conc. 2. D. 5. Epiph.

Cornua rhinocerotis; cornua illius. Deut. 33. 17. Ut enim cornua rhinocerotis acuta sunt quidem ad feriendum, & salutaria ad medicandum; ità & labores, qui nobis à Christo Domino inferuntur, plagas quidem corporibus, animis tamen afferunt sanitatem. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 8.

Numquid mare ego sum, aut cetus? quia circumdedisti me carcere. Job 5. 12. Responderi potest: ità prorsus se rem habere. Cùm enim inter Orientales esset magnus divitiis, honoribus, liberis amicis: timendum fuit, nè tamquam cetus in prædulci aqua corrumperetur: ideò multò sale tribulationum condiri debuit. Incert. Auth.

Nigra sum; sed formosa. Cant. 1. 4. Nigra propter tribulationem; formosa propter conscientiæ puritatem. Hugo Card. in Num 12.

Spiritu S. & igni. Matth. 3. 11. Author Imp. intelligit tribulationes, quibus, quasi igne, suos affligit Christus, & mundat. Duplex est sensus, alter significans solemne principium ablutionis totius humani generis celebratum in die Pentecostes: alter significans baptismum tribulationis. Cajet. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Sicut novacula pili superflui de corpore amoventur, & acutis pectinibus purgantur lanæ, & capita à fœcibus suis, & pattni acrimonia saponis, & lixivio, aut fullonum herbis, mundari solent: sic justorum mentes à tribulationibus toleratis. S. Bernardinus tom. 1. s. 8. art. 1.

Sicut vestes diu inclusas, & à tinea corrosas, vel nimio pulvere respersas, aliquando virga percutimus, ab eis vermes, & pulverem, percutientes excutimus: sic Deus homines nimio luxu; & abundantia, corruptos; illecebrosis appetitibus; velut vermibus, corrosos; vanitatis, & cupiditatis pulvere fœdatos tribulationis virga, excussa vanitate, & carnalibus desideriis; extinctis purificat. S. Thom. Vill. conc. 3. de M. M.

Sicut cibus adhæret vasi, in quo coquitur, nisi moveatur; & perdit saporem debitum, debitumque colorem: sic cor hominis adhæret illi Mundo; nisi moveatur per tribulationes. Idiota contempl. l. 2. c. 1.

Recentes, & usui aptæ, animalium carnes, nullo præveniente fœtore, sale condiuntur, nè scateant vermibus. Multò magis boni, nè in virtutibus otio marceant, aguntur adversitatibus. Sim. Cass. l. 1. c. 25.

Vidua est virtus, quam non patientia firmat. Flagello Domini pulvis excutitur; quem ad deformationem animæ iniquitas assidua congessit: & exteriori vulnere sanatur plaga interior. Blesensis ep. 31.

Mappa ex lino Indico in ignem injecto. Lem. *Torget, non urer.* Atque id causæ fuit, teste Plinio l. 19. c. 1. cur ex eo lino contexuerint olim sacculos, ad servandos in sepulchrali pyra Imperatorum cineres. Cœterùm indicare voluit Author Symboli: ærumnis vitæ hujus purgari, non uri animum suum.

Trochus. Lem. *Cadit, nè cadat.* Picinelli Vel. *Dant animos plagæ.*

Liber foliis absinthii coopertus. Lem. *Tineæ procul.* Idem.

Num. II.

Testimonia.

Ex Veteri, Novo, & Patribus.

Sepi viam tuam spinis. Os. 2. 6. Spinæ namque adversitatis utiliter compungunt, atque lacerant pedem ad mala currentis, & inhiantis deliciis pernitiosis: ut saltem spinarum talium commonita anima rationalis dicat: vadam, & revertar ad virum meum priorem. S. Rup. hic. S. Hieron. ex quo intelligimus, quòd providentia Dei sæpe nobis accidunt mala; nè habeamus ea, quæ cupimus; ac variis calamitatibus hujus Sæculi, ac miseriis, ad Dei servitutem redire cogamur.

Effundam, quasi aquam, iram meam. Os. 5. 10. Sicut aqua visibilis mundare solet sordes corporeas; ità illa captivitas mundavit populi peccata. Rupertus hic. Cur ira divina potiùs aquæ, quàm igni comparatur? quia lavat à sordibus.

Cùm immundus spiritus &c. Matth. 12. 43. Mens in tribulatione posita est locus ille aridus. S. Bernardinus s. 8. ar. 1.

Rubigo quædam apprehendit otiosam animam, & consumit splendorem, ac alia omnia. Quanam re detergeretur rubigo illa? coté tribulationum: illæ utilem animam facient, & ad omnia accommodam. S. Chrysost. hom. 35. in Acta.

Non potest ab afflicta anima aliquid mali fieri-Noster pædagogus est afflictio. Id. ib. hom. 42.

Tunc anima purgatur, cum propter Deum affligitur: tunc majori fruitur auxilio, cùm ampliore eget subsidio; gratiamque meretur copiosiorem. Quod auro ignis, hoc animabus afflictio; sordes purgans, puros reddens, splendidos efficiens, & hilares. Idem hom. 26. in 2. Cor. 12.

Omnis, qui malum aliquod hic patitur; vel patitur, ut peccata dissolvat, vel ut coronæ augeantur. Theophylactus in Matth. 2.

§. XII.

Tribulationes retrahunt ab Inferno.

Ex Veteri, Novo, Patribus, & aliis.

In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Job 5. 19. Quæ sunt fames, sitis, frigus, labor, morbus, mors. His percutit Dominus, & liberat. Septima est pœna æterna, quæ penitus non tangit eos. Hugo Card. hic.

Hæc sit mihi consolatio &c. Job 6. 10. q. d. scio, quòd Dominus hic quibusdam parcit, ut in æternum feriat: sed me, hic non parcens, feriat: quod mihi est consolatio. Idem hic.

Domine, nè in furore tuo arguas me. Ps. 6. 2. Non supplicat Domino Patri, ut non arguatur; sed nè in Judicii severitate culpetur: quia hic multis argui salus est. Apoc. 3. 19. *Ego, quos amo, castigo.* Cassiodorus hic. Petit, ut ante Judicium, non in Judicio corripiatur: quia, qui ibi arguitur, sine dubitatione damnatur. Id. ib.

Domine, nè in furore-quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Psal. 37. 3. Secura est causa probabilis, ut in illo Judicio jam non debeat puniri, qui malis præsentibus vehementer afflictus est. Dominus enim, cùm hic vindicat, ibi parcit: quoniam clementia ejus in idipsum duas non exigit ultiones; sicut scriptum est. Nahum 1. 9. 12. *non affligam te ultra non judicabit Dominus bis in idipsum.* Cassiod. hic.

Dedisti timentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus. Ps. 59. 6. Per tribulationes, inquit, temporales significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni. S. Aug. hic.

Expandit rete pedibus meis. Thren. 1. 13. Quia eos post voluptates, & desideria cordis eorum, prosperè usque ad finem vitæ ire non permisit; sed convertit eos retrorsum: ut dolores, & durissimas sentirent angustias tribulationis, pro suis pessimis adinventionibus. S. Paschasius hic.

Factus est Dominus, velut inimicus. Thren. 2. 5. Mira dispensatione temperat sententiam severitatis: dum quasi, & non ex toto, inimicus dicitur: quia etsi eam videatur deserere in manibus hostium, & affligere aliquoties in tantum, ut penitus destituta credatur. Non de crudelitate inimicitiarum fortè venit, si se demum converterit; sed de providentia pietatis; ut ad eum flagellata redeat. Id. hic.

Accessit, & tetigit loculum. Luc. 7. 14. Quoties & tu ad Inferni sepulchrum properas? misericors autem Dominus tangit manu loculum, corpus divitias, &c. mittendo morbum, infortunium: ut te retineat, & ad vitæ gratiam revocet. Stella hic.

Et nunc manus Domini super te: & eris cœcus; non videns solem usque ad tempus. Act. 13. 11. Cur S. Paulus Elymam magum potiùs percutit cœcitate, quàm alia pœna? S. Chrysost. hom. 28. in Acta: quo ille adductus est signo, hoc & hunc voluit adducere.

Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus. Sanct. August. lib. de decem chordis cap. 9.

Quàm multa habeant impii in hac vita munera, & dona gra-

gratuita, ab illo, quem contemnunt; enumerare quis potest? Inter quæ illud magnum, quòd exemplis interpositarum tribulationum, quas hujus Sæculi dulcedini, tamquam bonus medicus, miscet: admonet eos, si attendere velint, fugere ab ira ventura. *Et* cùm in via sunt, idest, in hac vita, concordare cum sermone Dei, quem sibi adversarium fecerunt malè vivendo. Quid ergo non misericorditer hominibus præstatur à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est. Nam res prospera donum est consolantis; res autem adversa donum est admonentis Dei. S. August. ep. 87.

A Domino castigari, & tamquam à pædagogo erudiri, est, à morte liberari. *Virga tua, & baculus tuus; ipsa me consolata sunt*. Clem. Alex. l. 1. pæd. c. 7.

§. XIII.

Tribulatio est schola; docet, illuminat.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

De felle piscis linivit oculos patris sui. Tob. 11. 13. Tribulatio est illud amarum fel, quo oculi Tobiæ, idest, viri justi, ad Dei cognitionem fuerunt illuminati. Bernardinus t. 1. s. 8. art. 2. Plerumque bonus activus per amorem terrenorum, quasi calorem stercorum, excœcatur: sed Domino visitante per amaram compunctionem, tamquam fellis unctionem curatur; & ad speculationem cœlestium revocatur. S. Bonav. in Psal. 118.

Respondens autem Dominus Job de turbine. Job 38. 1.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Ps. 19. 2. Tribulatio dies dicitur: quia illuminat. Hugo Card. hic.

In terra deserta, & invia, & inaquosa-ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Ps. 62. 3.

Vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone. Ezech. 1. 4. inter turbines, videt divinitatem.

Igitur-ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, - altissimo benedixi. Dan. 4. 31. Tantum utilitatis ex calamitatibus percepit; ut Prophetæ instar, de Deo sentiat, & loquatur. Theodoretus.

Et sedens docebat de navicula turbas. Luc. 5. 3. Ut doceremur; nullum esse capiendæ sapientiæ lyceum accommodatius, quàm concussum tempestatibus æquor. Oliva l. 1. Strom. §. Benedixit illis Simeon.

Elevans oculos suos, cùm esset in tormentis. Luc. 16. 23. Tribulatio aperit oculos, & sæculi alterius beatitudinem contemplatur. Escob. t. 6. Par. Chr. l. 3. sect. 2. obs. 2.

Collyrio inunge oculos tuos. Apoc. 3. 18. Collyrium est tribulatio; quæ per sui amaritudinem mentem illuminat. Albertus M.

Exempla.

Ex Veteri.

Orate Dominum. Exod. 9. 28. Ecce Pharao durissimus; tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum nescit, verberatus pro se supplicari Dominum rogat. Origen. hom. 3. in Ex.

Disciplina tua ipsa me docebit. Psal. 17. 36. Quæ non didicerat in thure, nec hauserat in arca; informandum se iis fuga, latebrisque sperabat. Plus eum Absolonis sica imbuit, quàm barillus Samuelis. Oliva lib. 1. Strom. §. Benedixit illis Simeon.

Beatus quem tu erudieris Domine. Psal. 93. 12. Vatablus ex Hebr. *beatus, quem tu castigaveris Domine*. Quemadmodum parvi pueri doctrinam despicientes, ob ferulas, flagellaque quæ Magistri, & pædagogi adhibere solent, attentius dictata suscipiunt; & ipse sermo ante plagas non auditur; post verbera, doloresque, veluti statim apertis auribus, & auditu, excipitur oratio, & memoria custoditur. Sic, qui divina audiunt præcepta, & ad ea servanda se negligenter habent; postquam ex Deo disciplina eis inflicta est, ad ipsius mandata servanda, ac ei obtemperandum, voce quadam excitari videntur: ex quo ipsorum auribus sapientiæ statim admittitur. S. Basilius s. in principio Proverbiorum.

Castigasti me, & eruditus sum. Jer. 31. 18. Ergo virga plumescit in calamum, vulnus pallescit in chartam: liber, non livor, est, qui plagam ambit. Oliva l. 1. Strom. §. Benedixit illis.

Ex Novo.

Si filius Dei es; dic, ut lapides isti panes fiant. Matth. 4. 3. Tunc ignorat diabolus, an Christus sit Dei filius. Postea verò Matth. 8. 29. *clamaverunt: quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei? venisti ante tempus torquere nos*. Origenes: ubi tormenta senserunt, sciunt Dominum. Ante flagella dicunt, nescio Dominum.

Vir plenus lepra, & videns Jesum &c. Luc. 5. 12. Vexatio ejus aciem acuit oculorum, ut Deum intueri posset. Quot in eadem via benè valentium oculi Jesum despexere! quot, dum solum lumen oculorum recipiunt, cum adversa valetudine ad lectulum alliduntur! Oliva l. 13. Strom. Luc. 5.

Vos vocatis me Magister, & Domine; & bene dicitis. Joan. 13. 13. Bono ordine hæc duo junguntur: Dominus timorem incutit; otiantem servum, aut malè operantem, flagris accipit: Magister verò docet, ignorantiæ tenebras depellit. Pinna Ethol. 10.

Ex Patribus, & aliis.

Calamitas prudentia consilia ut plurimùm parere solet. S. Joan. Dam. or. 2. de Ass. B. V. Ezechias, cùm esset in tribulatione, vide, qualia faciebat pro salute sua: saccum induit, & in terra sedit. 4. Reg. 19. 1. Ubi autem in deliciis esse cœpit, cecidit præ altitudine cordis sui. - Quando tribulabantur Israelitæ; multò plures fiebant: quando autem illos dimisit; tunc omnes peribant. S. Chrysost. hom. 16. in Acta.

In præsenti vita, velut in ludo quodam literario, per morbos, tribulationes, tentationes, paupertatem, & alia, quæ gravia videntur, imbuimur; quatenus ad futurorum bonorum receptaculum idonei reddamur. Idem hom. 10. in cap. 6. Rom.

Magnum est bonum tribulatio. Et hoc ex nostris discimus filiis: nam absque tribulatione nihil utile discerent; nos autem plus illis afflictionis indigemus. Si enim illic passionibus quiescentibus illos muniunt; multò magis nos, & præsertim tantis detentos: sed nos potiùs pædagogos oportebit habere. A puerulis enim numquam magna committuntur peccata; à nobis verò magna nimis: pædagogus autem noster, tribulatio. Id. hom. 62. ad pop. Ant.

Henricus Suso, postquam diris afflictionibus corporis à decimo octavo ætatis anno ad quadragesimum se exercuit, in extasi visus sibi videre juvenem egregium cum hac voce: diu satis in minoribus, & trivialibus exercitatus es scholis; jam tempus est, ut ad altiora contendas. Ductus ergo ab illo in domum quasi Religiosam; in qua morabantur viri seipsos per omnia abnegantes: traditus est illius disciplinæ Magistro &c. Bollandus 21. Jan.

§. XIV.

Tribulatio prodest virtuti, perfectioni.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Gen. 41. 52. Ordinavit omnipotens, multos per tribulationes, & adversa plus crescere: quoniam proprium est virtutis, adversitatibus prosperari. Unde de filiis Israel legitur. Ex. 1. 12. quòd, *quantò opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, atque crescebant*. Optimè radicata noscitur virtus, quæ crescit inter adversa: & dum sævi fluctus insurgunt, in altiora ipsa consurgit. Sim. Cass. l. 14. Joan. 21. 6.

Si dormiatis inter medios Cleros &c. Ps. 67. 14. Hebr. *Si dormiatis inter medios tripodas & ollas*; ex quarum contactu denigrati aliquantum fueritis: scitote tamen, quòd tunc potiùs estis formosi; sicut columbæ; quæ argentatas, & candidas, habent pennas, quibus ad cœlestia volent: & dorsum, quo ipsas tribulationes pertulistis, erit fulgenti charitatis auro splendidum. De Ponte in Cant. 1. Exh. 22. §. 1.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13. 31. Granum sinapis, nisi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoscitur: nam non contritum lene est, si verò conteritur, inardescit, & quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic unusquisque vir sanctus, cùm non pulsatur; despicabilis, ac levis aspicitur: Si verò illum tritura persecutionis opprimat; mox omne, quod, calidum sapit, ostendit; atque in fervorem virtutis vertitur, quidquid in illo antè despicabile, infirmumque videbatur. S. Greg. Præf. in Job.

Ex Patribus, & aliis.

Nemo vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improvidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. Sanct. Greg. moral. lib. 23. cap. 28.

Agit hæc divina misericordia: ut ex una, eademque re, ex qua carnalibus dat flagellum, ex ea spiritualibus virtutis præstet incrementum. Cumque illos per tribulationem purgat, istos ex societate tribulantium ad majora prœmia excitat. S. Greg. hom. in Ezech.

Sicut unguenta, nisi commota, redolere latiùs nesciunt: & sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cùm incenduntur, expandunt: ità sancti viri, omne, quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. S. Greg. Præf. in Job.

Gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas. Blandiente aura navim regit ultimus nauta: in confusione ventorum primi quæritur ars magistri. S. Chrysol. s. 20.

Frumenti granum projectum in terram, & mortuum; cùm juxta siccum lapidem pullulasset, lilium ità fertur illi dixisse Unde tibi contrito, & mortuo, spiritus germinandi? cùm ego, quando conteror, eo ipso perdor: Cui granum respondit: hoc mihi ex virtutis granditate contingit: qua fit, ut passio mea, sit mea actio, & dum morior, revivisco. Phœnix mortua generat, & cinnamomum contritum plus inflammat. Sic infirmum membrum sine dolore tangi non patitur, & sanum, dum tangitur, delectatur. S. Cyrillus Apol. c. 21.

Est quædam infabulis arbor, quæ secta floret, & cum ferro certamen suscipit: acsi novum, ac insolens quoddam, proferendum est de re nova, & inaudita: morte vivit, & sectione germinat, incrementum denique sumit, cùm absumitur. Hæc quidem est ipsa fabula, fingendique libertas. Mihi verò videtur omnino quiddam hujusmodi esse philosophus: ærumnis incalescit: casus tristes materiem virtutis existimat. S. Greg. Naz. or. 13.

Ubi vincula sunt, illic necesse est magnum quid fieri: ubi afflictio, illic omninò, & salus est; illic prorsus magnæ sunt virtutes. Diabolus enim, quando calcat, tum potissimum percutitur: quando servos Dei ligat; tum maximè sermo Dei crescit. S. Chrysost. s. 8. in Eph.

Job passionibus videtur magis, quàm virtutis actionibus, profecisse: nam neque ità illustris est habitus, cùm pecuniam possidebat, cùm domum pauperibus referabat, substantiamque erogabat: quàm quòd audiens ruinam non se acerbè agit &c. Idem hom. 5. de patientia Job.

Tolera tribulationes: inter ipsas enim virtutes, quemadmodum inter spinas rosæ nascuntur, & germinant. Sanct. Nilus cap. paræn.

Quemadmodum cannabi, ac lini, species non est idonea, ut ex eo fila subtilissima fiant; nisi diutius elaboretur, atque exerceatur: immò quantò magis illud torquetur, tantò purius, aptiusque efficietur. Sic & anima Deo devota multas probationes, atque tentationes, subiens; afflictionesque fortiter tolerans; purior, utiliorque ad spirituale extenuationis, & humilitatis opificium redditur. S. Ephrem de Patientia.

Lucerna, licèt videatur extingui, cùm emungitur; tamen clarior redditur: sic Sancti, licèt tribulationibus premantur; tamen lucidiores redduntur. Hugo Card. in Joan. 6.

Numquam servatur vinum benè in bonitate sua, nisi in fece: nec boni, & justi, in virtutibus stare, & proficere possunt: nisi probentur tribulationibus, & iniquorum persecutionibus. Revel. S. Brigittæ l. 1. c. 22. Verba B. V.

Sicut in mari, & aquis amaris, majores, pinguiores, dulcioresque pisces reperiuntur, quàm in dulcibus fluminibus: ità in mari pœnitentiæ, austeritatis, paupertatis, tribulationis majores, perfectioresque Sancti. Diez conc. 5. in Comm. MM.

Equus. Lem. *Dant animos plagæ*. Picinelli.

Spica. Lem. *Perficitur æstu*. Idem.

Cithara. Lem. *Ex pulsu melos*. Citharizamus, cùm in passionibus nostris, vel damnis, securi, aut læti, dicimus: *Dominus dedit, Dominus abstulit*. Cassiod. in Ps. 32. Idem.

Ignis. Lem. *In crescit malis*. Vel: *Contraria juvant*: idest, venti: ignem charitatis persecutiones magis inflammant. Id.

Chordæ musicæ. Lem. *Plus torta, plus musica*. Athenienses de pace non nisi attriti cogitabant: ità plerique nostrum vix de Deo, nisi afflicti. Just. Lipsius cent. 3. ad Belg. ep. 4. *In tribulatione sua manè consurgent ad me*. Obs. 6. 1. Idem.

Torcular. Lem. *Dum comprimit, exprimit*. Idem.

§. XV.

Affinis priori Tribulatio facit probum, adducit ad Deum, invenit Christum.

Num. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Numquid habemus residui quidquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri? Gen. 31. 14. Sicut illas conjuges Jacobi adversa impulerunt, ut illum relinquerent patrem, qui filiarum comedisset pretium, & talem sequerentur virum. Sic & adversa Mundi plerumque dilectam Deo juvant animam: ut anhelantiùs tendant ad Deum. Rupert. hic.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Cur inter flammas, & spinas? cur non in throno excelso, ut Isaiæ: vel curru mirabili, ut Ezechieli: vel in gloria majestatis, ut ei in monte Sinai? Missurus erat Moysen in Ægyptum, inter pericula & spinas persecutionum; ut ex tali visione disceret patientiam Christus inter spinas, flagella. Vis Christiane ad eum pervenire? perge per crucem, spinas: aliter non habebis accessum. Sylv. in Apoc. 1. 18.

Cumque secundò misisset, & ille noluisset venire ad eum &c. 2. Reg. 14. 29. Absalon, cùm bis vocari curaret Joab, obsecrans, ut ad se veniat; ille verò venire noluisset; jussit Absalon servos suos succendere igni agrum Joab. Quod cùm fecissent, venit Joab ad Absalon: ut de illato sibi damno conqueretur. Qua occasione Absalon prolixè cum eo locutus: quidquid ab eo volebat, obtinuit. Eodem modo, cùm non vis audire suavem, & amicam Dei vocationem; nec ea, quæ per suos Prædicatores tibi significat: tunc jubet suas creaturas variis te calamitatibus affligere: ignem, ut domos tuas incendat: grandinem, ut vineam, & agros, destruat; morbum, ut corpus vexet. De Ponte tom. 1. de perf. Chr. hom. tr. 1. c. 13. §. 3.

Ab aquilone aurum venit. Job 37. 22. Alii dixerunt: *ab aquilone nubes aurei coloris*. Ità enim Sanctos homines, qui sunt nubes Dei, tentant frigora aquilonis: ut eos pretiosos, & igne charitatis rutilos, reddant. V. B. hic.

Percussit petram, & fluxerunt aqua. Psal. 77. 20. Sponsa virgam verberantem sponte sua recipit. Cant. 5. 7. Imitatur saxum illud, de quo vates: *percusse &c.* Eam nimirùm ob causam percussa, velut rupes, illa à Moyse: ut ad similitudinem illius, & ipsa Verbum Dei de vulnere imbris instar effusum, prosistentibus quasi quandam scaturiginem emittat. S. Greg. Nyss. in Cant. hom. 12.

Fasciculus myrrha. Cant. 1. 12. Nè excutias myrrham: Dilectus latet inter fascem. Cave, nè dolores repellas: quia salutare tuum in infirmitate rejicies. Absconditus vultus ejus. *Verè tu es Deus absconditus*. Is. 45. 15. *Audite hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Israel*. Is. 48. 1. Nomine, Israel estis, non re: qui Deum non videtis latentem in myrrha. Oliva tom. 2. Strom. §. Dirumpamus vincula.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Cave, nè perdas lilium, dum spinas fugis. - Latet lilium in spinis; splendet Deus in rubo. Si corticem consilii times, unionis pretio defraudaris. Tenebras fugiens perdes lucem illam, quæ lucet in tenebris. A tabernaculo Salomonis recedis, dum pelles ei circumdatas spernis. Dum times virgam egredientem de radice Jesse, amittis florem ex ea ascendentem. Lia, quam despicis, pariet tibi Judam; è cujus germine, & reges prodibunt, & Rex regum orietur. Si lippientem recusas, solem justitiæ è stirpe tua erumpere non videbis. Id. ib.

In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Cant. 3. 1. Surgit, quærit Dilectum. *Invenerunt me custodes paululum cùm pertransissem*. Cant. 5. 7. Vulnerata fruitur; deliciis affluens requirit. S. Ambros. hic: bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat: ut Deum visura, mundo corde gradiatur. Naxera in Jos. 10. §. 21.

Anima mea desideravit te in nocte. Is. 26. 9. De nocte, id est, tribulatione, & cruces per quam nos ducis ad gloriam; suspirabo ad te. Corn. hic.

In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Os. 11. 4. In funiculis Adam trahit, quando dolorem incutit, aut timorem in vinculis charitatis; cùm vel beneficia exhibita recolit, vel exhibenda promittit. Hugo Card. in Gen. 1. Funiculi Adam sunt flagella: quia & ipse primus, & per eum nos flagellati sumus. Vincula verò charitatis sunt Dei beneficia. S. Bonav. s. 2. f. 4. Pent. Non dixit funibus: quia dolores, & afflictiones hujus Mundi nihil sunt in comparatione pœnarum Inferni. Funiculi Adæ sunt labores, & miseriæ hujus Mundi: quibus Deus trahit nos ad se; qui nihil sunt aspectu gloriæ. S. Vinc. Ferr. s. fer. 4. Pent.

Jube me ad te venire super aquas. Matth. 14. 28. Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic pervenit ad Dominum: ostendens nobis; quòd non nisi per pericula properetur ad Christum. S. Ambros. hic.

Dolentes quærebamus te. Luc. 2. 48. Porta cœli absque clave crucis aperiri non potest. Si Christum in templo gloriæ invenire volumus, quærendus cum dolore, luctu, lacrymis, ac patientia. Did. Nyss. D. 1. Epiph. §. 4.

Ex aliis.

Ferrum ignitum malleo contusum. Lem. *Dant vulnera formam*. Picinelli.

Tela acu picta. Lem. *A vulnere decor*. Idem.

Culter tonsorius. Lem. *Detrahit, & decogat*. Idem.

Organum. Lem. *Sub pondere melos*. Idem.

Horologium Caroli V. in annulo. Lem. *Pungit, sed monet*. Quid non misericorditer præstatur hominibus à Deo; à quo etiam tribulatio beneficium est. Nam res prospera, donum est consolantis; res adversa donum est admonentis Dei. S. Aug. ep. 87. Idem.

Typotheta, imaginem sub prælo dum premit, imprimit. Lem. *Fingique premendo*. Æneidos 6. Vel.

Dant pretium plagæ. Masenius.

Num. II.

Testimonia.

Ex Veteri.

Mansuetulas in arca facies. Gen. 6. 14. Hugo Vict. l. alleg. in Gen. 16. Arca est anima sancta; fel secretum conscientiæ: aquæ tentationes. In arca nullus legitur genitus: erat enim locus, & tempus pœnitentiæ. Ità ille. Arcam Noe homines intrarunt octo; utriusque sexus: cùmque anno integro fuissent inclusi; iidem illo octo solùm exierunt. Tribulatio enim, non tantùm ab illicitis, sed licitis etiam voluptatibus retrahit. Imò nè quidem agnus, vel leo, vel aliud animal natum est in arca toto illo tempore. Stella de contempt. p. 1. cap. 79.

Clamor filiorum Israel venit ad me. Ex. 3. 9. Vide, quid faciat afflictio: compellit invocare Deum. Corn. hic.

Job Deum benedixit, non felix, sed miser.

Virga tua, & baculus tuus; ipsa me consolata sunt. Psalm. 22. 4. Virga pertinet ad justitiam, & fortitudinem Domini Salvatoris; sicut Psal. 44. 7. dicitur: *Virga directionis, virga regni tui.* Baculus ad adjutorium humanum respicit: quo & pes ipse cautè defigitur, & totum corpus nisi desuper incumbentium sustentatur. Sed videamur, quemadmodum nos utraque consolari poterunt, cùm res omnino diversæ sint: baculum quippe non est dubium consolari, qui ad opem ferendam humanæ semper imbecillitati assumitur. De virga quid dicemus? quæ percutit, affligit, & vitia nostra judiciaria potestate castigat? Consolatur planè, & ipsa Fideles: quando eos ad viam Domini adhibita emendatione perducit. Nam rectè consolari dicimus omne, quod adjuvat; etsi ad tempus nos pro sua distinctione contristat. Unde Hebr. 12. 11. *omnis disciplina in præsenti, videtur quidem non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum affert pacatissimum &c.* Cassiodorus hic.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Psalm. 50. 19. In tantum prodest tribulatio Christiano, ut per hanc Spiritus noster Deo sacrificium fiat. B. Fulgentius ep. 7. ad Venantiam de pœnit.

Et locutum est os meum in tribulatione mea. Ps. 65. 14. Quid locutum? *holocausta medullata offeram tibi.* v. 15.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi. 76. 3.

Cùm occideret eos, quærebant eum. Ps. 77. 34.

Tribulatio, & angustia invenerunt me. Ps. 118. 143. quasi perquirant hominem. Ideò: *mandata tua meditatio mea est*; scilicet ad servandum. S. Vinc. Ferr. s. 6. D. 16. Trinit.

Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi. Ps. 119. 1.

Factus est Dominus velut inimicus. Thren. 2. 5. Mira dispensatione temperat sententiam severitatis; dum quasi, & non ex toto, inimicus dicitur. Quia, etsi eam videatur deserere in manibus hostium, & affligere aliquoties in tantum, ut penitus destituta credatur: non de crudelitate inimicitiarum sortè venit, si se demum converterit, sed de providentia pietatis, ut ad eum flagellata redeat. S. Paschasius hic.

Ex Novo, & Patribus.

Ecce princeps unus accessit, & adorabat eum. Matth. 9. 18. S. Marcus 5. 22. ait, non solùm adorasse, sed etiam ad pedes ejus provolutum. Quid hunc principem sic humiliavit? non dubium, quin maxima illa calamitas, qua premebatur. Hic est primus calamitatum fructus. Diez D. 23. Pent. c. 1.

Tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cùm beneficiis ejus fruentes honorem dare divinæ indulgentiæ deberent. At verò, si quæ necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur. Lactantius l. 2. instit.

§. XVI.

Tribulatio facit suspirare cœlum.

Urgebantque Ægyptii populum exire de terra velociter. Exod. 12. 33. Compellunt nos exire de Ægypto præsentis vitæ habitatores; scilicet tribulationes, morbi, paupertas, mors ipsa; faciuntque nos sic ambulare ad terram promissionis. De Rampelogis. Mundus.

Pondus, & statera, judicia Domini. Prov. 16. 11. Sicut tribulationes: has enim justo judicio ità librat Deus; ut viribus hominis tum naturæ, tum gratiæ, congruant, ac ferendo sint. Rursum, sicut in libra, si in una bilance pondus imponas, altera priùs depressa attollitur: sic Deus onus tribulationis corpori imponit, ut mens, priùs in terram depressa, sese elevet ad Deum, & amorem cœlestem. Corn. hic.

Ventus elevans fluctus.

§. XVII.

Tribulationis varii fructus, & prœmia.

Ex Veteri, & Novo.

Quare negligitis? Gen. 42. 1. Quæres: qua ratione Joseph tam diu incognitus mansit in Ægypto, putà viginti tribus annis; ità de se nihil unquam nuntiarit Patri, adeò propter se mœrenti. Cur hoc ità fieri, & celari voluit Deus? Respondeo, quia Deus hoc quasi purgatorium mœroris voluit dari Jacobo, ob levia ejus quædam peccata: tum quia nimis, & cum invidia fratrum, amaverat Josephum. Solet enim Deus nimios Sanctorum, circa rem, vel personam aliquam amores hoc modo per adversa, quasi vinum injecta aqua temperare. Ità S. Aug. s. 82. de temp. apud Cornelium hic.

Non introducetis hos populo &c. Num. 20. 12. Fuit hæc insignis pœna, & mortificatio Moysi, quòd terram præmissam, adeò concupitam videre non potuerit: quodque Ducatus sui longissimi, & molestissimi, fine ac fructu, frustratus fuerit. Cornelius hic.

Habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Job 7. 3. In hac vita quædam laboriosa sunt, quædam vacua: quædam verò vacua simul, & laboriosa. Amore quippe Conditoris, præsentis vitæ tribulationibus exerceri, laboriosum quidem est; sed vacuum non est. Amore autem sæculi, voluptatibus solvi; vacuum quidem est, sed non laboriosum. Amore verò ejusdem sæculi adversa aliqua pati, & vacuum simul est, & laboriosum: quia ex adversitate mens afficitur: & remunerationis prœmio non repletur. In his itaque S. Ecclesia, qui in ea positi adhuc voluptatibus diffluunt, & proinde fructu boni operis non ditantur; menses vacuos ducunt: in his verò, qui æternis desideriis dediti, Mundi hujus adversa patiuntur: laboriosas noctes enumerat &c. S. Greg. mor. l. 8. hic.

Honestavit illum in laboribus. Sap. 10. 10. Græc. *ditavit eum in arumnis.*

Ex Patribus, & aliis.

Horrorem operis fructus excusat: ululans ille, & gemens, & mugiens, inter manus medici; postmodum easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicavit, & sævas jam negabit. Tertull. c. 5. Adv. Gnost.

Ut caro mollibus, sic anima duris nutritur: illam blanda refovent, hanc aspera exercent: illa delectationibus pascitur? hæc amaritudinibus vegetatur &c. Sanct. Greg. moral. lib. 10. cap. 13.

Nisi tentatio; nec corona: nisi certamina: nec prœmia: nisi studia; nec honores: nisi tribulatio; nec remissio: nisi hyems; nec æstas. S. Chrysost. hom. 4. ad pop.

Sicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & undique jactans, non evellit: sed & solidiores, ac firmiores his incursibus reddit: sic & animam sanctam, & piè viventem, tentationum incursus, & tribulationum non supplantant: atque etiam ad majorem patientiam præparant. S. Chrysost. ibid.

Prosperitas laqueus est; culter incidens hunc laqueum adversitas. Guigo de tranquill. animi c. 14.

Nusquam secuta est anima Christiana, nisi in adversis. Idem 16.

§. XVIII.

Tribulatio parva, & brevis.

Num. I.

Figura, & Symbola.

Ex Veteri.

Generatione autem quarta revertentur huc. Gen. 15. 16. Prænuntiabat Dominus Abrahæ amico suo; quòd posteri ejus quadringentos annos in dura captivitate exacturi, demum verò in terram promissionis reversuri essent, dicens: *generatione &c.* Hoc ad consolandum illum dixit; quòd calamitates non perpetuò futuræ: habent enim levamen miseriæ, quæ finem habent. S. Hieron. ep. 36. nihil longum, quod finem habet. Did. Nyss. l. 4. c. 9. Vitæ Abr.

Divides eam minutatim &c. Lev. 2. 6. Optima est ferendæ tribulationis exhortatio, dum suades; nec longam, nec multiplicem fore. Unde allegorizans Galfridus, oblationem similæ in sartagine frixæ, sed minutatim dividendæ, & oleo superfundæ, sic scribit; oportet molestia alicujus gravioris tribulationis afflictio, velut in sartagine frixo, solo oleo abundantioris consolationis subvenire; nè cremari incipias. Hæc divide minutatim. Dico autem, nè sicut quosdam insipienter interdum facere novimus ipse tibi dies, & annos, & longa tempora, coacerves; tanquam simul omnia debeas sustinere, quæ simul nequeunt provenire. Sufficiat magis dici malitia sua: ut considerans, quia non consurget duplex tribulatio, fixuram dividas minutatim. Ramirez in ep. 2.

Calix in manum Domini vini mei plenus misto. Ps. 74. 9. Sunt multæ proprietates calicis, quare præsens tribulatio, calici comparatur: quia, ut scyphus pauca capit, id est, mensura parva est. Rom. 8. 18. *non sunt condignæ.* Tegitur cooperculo pulchro, id est, spe vitæ æternæ. Lætificat. Rom. 5. 3. *gloriamur in tribulationibus.* Hugo Card. hic.

Torrentem pertransivit anima nostra. Ps. 123. 5. Haberi non debet calamitas; si aut transit, aut pertransitur à nobis. Oliva fer. 2. Pasch. Dicitur adversitas torrens. Hugo Card. in Ecclæ. 1. 5.

Oritur sol, & occidit. Ecclæ. 1. 5. quia brevis est omnis adversitas præsens, quæ pro Domino sustinetur, respectu prœmii, quod meretur. Hugo Card. hic.

Fasciculus myrrhæ. Cant. 1. 12. Myrrha, amara res, dura, & aspera, tribulationem significat. Ea sibi Dilecti causa imminere prospiciens, gratulabunda loquitur: *fasciculus myrrhæ.* Non fascem, sed *fasciculum* - Dilectum dicit; quòd leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris. Bene *fasciculus!* quia *Parvulus natus est* nobis: bene *fasciculus; quia non sunt condignæ passiones hujus temporis &c.* Erit quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò est fasciculus myrrhæ. S. Bernardus s. 43. in Cant.

Ex Novo.

Erat enim contrarius ventus. Matth. 14. 24. Hoc significatur; quòd post Christi Ascensionem. S. Ecclesia in hoc Mundo multa adversa esset passura. Eusebius Gallicanus hom. in Sabbat. post Cin.

Potestis bibere calicem? Matth. 20. 22. Citò bibitur, quod infunditur calici: sic passio velociter transit. Et, quod liquidum est, dilabitur; & passio tota fluit. Quod mensuram habet, perpetuum esse non potest: calix autem mensurata est potio. Sim. Cass. l. 7. c. 29.

Mulier, cùm parit, tristitiam habet quia venit hora ejus &c. Joan. 16. 21. Tristitia parturientis brevis est; gaudium verò ex filio nato diuturnum. Per horam denotatur brevis dolor. Chrysostom. Theophylactus, Euthymius, Bonavent. notant, quòd Christus tempus Passionis, & mortis suæ, comparat parturitionis; Resurrectionem vero gaudio post partum. Sylveira hic.

Trans torrentem Cedron. Joan. 18. 1. Volens ire in hortum, per quem paradisus intelligitur, transit per torrentem, idest, per tribulationem, & crucem. Dicitur *torrens*: quia cum impetu, & citò transit. Hugo Card. hic. Torrens subitam, & defluentem citò, tribulationem insinuat: non enim durabilia sunt Mundi mala in aliquo. Defluxit torrens tribulationum, Apostolorum, & Martyrum: defluxit torrens persecutionum Imperatorum, adversantium omnium Regi Christo. Simon Cass. l. 13. c. 8.

Ex Patribus.

Persecutiones sunt grandines, & torrentes; & quæcunque alia, subitæ sunt, & temporalia: quæ mollia quidem facilè lædunt, ac dissipant; à solidis verò, & resistentibus, si in illa inciderint, magis patiuntur aliquid, quàm ut illis incommodent. - Et quemadmodum, ubi grandinis nubilum præteriit, & torrens alveo suo effluxit; illud in serenitatem dissolvitur, iste profundo absorptus, viam, qua fluxerat, siccam, & aridam relinquit: ità & tempestas illa, quæ nos jam apprehendit, paulò post non erit; modo sustineamus, non inspicere præsentia; sed spem in ea extendere, quæ paulò sunt ulteriora. S. Basilius ep. 11. ad Nicopol. Presb.

Bono animo estote! nebula enim est, quæ brevi evanescet, dixit. S. Athanasius, cùm Juliani Apostatæ jussu Alexandria in exilium pelleretur, & circa se Christianos illacrymantes videret. Apud Cornelium in Ex. 2. 14.

Nè animum abjiciamus, quando nos mala invaserint. Torrens est, cujusmodicumque sit; est nubes, quæ prætercurrit. Quidquid molesti dixeris, id habet finem. - Torrens est ad tempus terribilis; & rursum supra modum deprimitur. Sanct. Chrysost. in Ps. 123.

Omnes vitæ tribulationes aquis comparantur prætereuntibus; propterea, quia si quid in hac vita tribulationis acciderit, non stat; sed celeriter transit. S. Isidorus sent. l. 3. c. 58.

Num. II.

Testimonia.

Ex Veteri.

Paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum. Exod. 5. 18. Moyses, & Aaron, mittuntur à Deo in Ægyptum, populi sui liberatores, & redemptores. Quid tunc? magis sævit ira Pharaonis; *Paleæ &c.* Qualis hic rigor? nonne hæc crudelitas signum est æternæ captivitatis, & oppressionis? imò nullum clarius signum esse potuit vicimè populus Dei affligitur, cùm propinqua est salus, & liberatio. Baeza t. 2. l. 11. c. 6. §. 4.

Lætabitur justus in Domino &c. Psal. 63. 11. Justum in futuro dicit lætaturum: quia hic discipulos suos noverat diversarum passionum afflictionibus ingravandos. Sed lætabuntur, quando sedebunt in Judicio judicantes duodecim tribus Israel. Contristati sunt ad tempus; lætabuntur in æternum: quia majora sunt prœmia Domini; quàm quæ illi à Fidelibus, munere tamen ipsius, probantur offerri. Cassiodorus hic.

Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum &c. Ps. 124. 3. q. d. non sinet providentia Dei justos à tyrannis diu vexari. Non dicit, non erit virga super justos; sed, *non relinquet* virgam afflictionis: citò transibit. Rupertus l. 7. de gloria Filii hom. quid est, *non relinquet?* nisi, diu durare non permittet. Recordamini priorum, ac novissimorum: quicumque virgam suam, idest, potentiam suam, elevaverunt super sortem justorum; ad affligendos eos, qui ad vitam æternam prædestinati sunt; non diu durarunt. Nolite timere: quia non diu durabit virga hæc; sed citò frangetur, & in ignem mittetur; ut ardeat. Sylveira in Act. 16. q. 12.

Usque in tempus sustinebit patiens; & postea redditio jucunditatis. Eccli. 1. 29. Hæc consideratio ad patientiam hortatur. 1. Cor. 7. 29. *tempus breve est.* Theodoretus, *prope finem.* Octavianus hic.

Ad punctum, in modico, dereliqui te &c. Isa. 54. 7. Septuag. ultima verba: *in furore parvo averti faciem meam à te, & in misericordia sempiterna miserebor tui.* Qualis hic furor? parvus erat. Baeza t. 3. l. 15. c. 22.

Et hoc usque ad tempus, ait Daniel 11. 24. post varias recensitas calamitates.

Ex Novo, & Patribus.

Et præ timore clamaverunt. Matth. 14. 26. Quid hoc? venit Dominus, ut metus tollat; & præbet illis occasionem? sic consuevit Dominus vehementiores labores, & curas immittere; velut indices vicinæ liberationis. S. Chrysost. hom. 51. in Matth. semper hoc Dominus facit, cùm soluturus sit mala aliqua difficilia, & terribilia inducit: quia enim non est longo tempore tentari, cùm finiendi sunt agones justorum. Volens ampliùs eos lucrari, auget eorum certamina. Baeza t. 2. l. 11. c. 6. §. 5.

Et tertia die resurget. Matth. 20. 19. Non satis tristis est abscessus, ubi velocissimus est regressus. S. Chrysost. hom. de Pass.

Breviabuntur dies illi. Matth. 24. 22. *Erit tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio Mundi.* v. 21. Sed Deo sit gratia! qui magnitudinem tribulationis exiguitate temporis circumscripsit. Dicit enim, quòd, propter electos, *breviabuntur* &c. S. Cyrill. Jerosol. Catech. 15.

Ecce jam triduo sustinent me. Marc. 8. 2. Noluit ultra triduum jacere in sepulchro; nè diu de absentia tristarentur Apostoli. Stella in Luc. 2.

Una hora. Marci 14. 37. Omne tempus, quod ab initio creationis usque ad finem Mundi decurret, nec horam respectu æternæ diei poterimus appellare. Indicibilis brevitas est vita hominum. Quid causabimur de tribulationibus, aut angustiis; cùm vita nostra sit modica hora? Nam tempus, quod in præteritum est, elapsum, non vivimus; tempore vero futuro non vivimus: presenti tempore vivimus, quod majori velocitate futurum transvolat de præterito; quàm bene curvato, & forti, sagitta emittatur ab arcu. Quid ergo est, quod tam brevi hora cum Christo in suis placitis, & nobis utilibus, non possumus vigilare? atque sustinere ferendo? nisi quia defectus est in nobis amoris, atque virtutis; quo acceptam potentiam homini fecit inutilem. Sim. Cass. l. 13. c. 13.

Post triduum invenerunt illum. Luc. 2. 46. Quàm bene justus numerat dies, quibus ab eo Deus discessit: neque patitur Deus, plus quàm triduo, in labore esse, & sine se. Stella hic.

His autem fieri incipientibus, - levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. Luc. 21. 8.

Ambulantes, & estis tristes. Luc. 24. 17. ambulatis, & mœretis. Non magnopere sentit peregrinus hospitis inopiam; nec arenis regionis, quam transit, illacrymatur. Domesticum incommodum odi; & si quem incolo, coloque, sabulosus est ager; ægrè fero, glareasque fastidio. Cœterùm quà transeo, nec me beatus allicis, nec me angit calamitas; si aut transit, aut pertransitur à nobis. - *Non enim habemus manentem hic civitatem peregrinamur.* Hebræ. 13. 14. Oliva fer. 2. Paschæ.

Modicum, & jam non videbitis me. Joan. 16. 16. q. d. tempus Passionis meæ, & mortis, breve est, unico triduo concludetur; & mox resurgam. Recipite ergo brevitate dolores, & gaudii longitudine, consolationem. Sylv. hic.

Mulier, quid ploras? Joan. 20. 13. Quorsum hæc interrogatio? an nescitis? quòd afflictus animus validiùs affligitur; cùm cogitur meminisse, & proferre causas dolorum? Erat jam luctus finiendus; erat lætitia in foribus: & ideò exacerbatur dolor; ne minima lacrymula remaneat ex his, quæ possunt effundi pro Domino. Drogo Ost. l. de Sacr. Pass. equidem bene noveratis, ò piissimi Angeli! quid ploraret? & quem quære-

fet ? quare illam iterum commemorando intus excitastis? Sed propè erat insperatæ consolationis gaudium: ideo tota vis doloris, & plorationis excurrat. Baeza t. 2. l. 11. c. 6. §. 5.

Et servabo te ad horam tentationis. Apoc. 3. 10. ab hora, id est, à tempore. Tempus enim tentationis vitæ hujus, quia breve est, & velut tempestas transiens, vocatur hora. Corn. hic.

Cùm venerit (Anti-christus) *opporet illum breve tempus manere*. Apoc. 17. 10. Terret nos magnitudine adversitatis; & refovet de brevitate temporis. Rupertus l. 10. in Apoc.

Nihil longum, quod finem habet. S. Hier. ep. 36.

Optimum est, in moribus tribulari ad horam; & persecutionem Comicam pati. Sim. Cass. l. 13. in Evang. Quid est persecutio Comica? quando hominem videmus in scena multari excidio; damnari capitis; imperi mucronibus: quàm exigua illius commovemur miseratione! scimus enim, hæc ludicra esse, & ficta; & umbras tantùm vexationum; non veros cruciatus. Quæcumque in hac vita tolerantur; si cum iis conferantur, quæ in æterna vita torquebunt; sunt commœdiarum fictæ persecutiones, & solæ repræsentationes verarum calamitatum. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 4. c. 9.

§. XIX.

In tribulatione adest Deus, patitur cum patientibus.

Ex Veteri.

Apparuit Dominus in flammis ignis de medio rubi. Exod. 3. 2. At cur Deus inter flammas, & spinas, se exhibet visendum? quin potius inter gemmas, & flores? Credo ut Moyses in periculorum incendia, & in laborum dumeta, se conjicere nos dubitaret; Deo ibi sine dubio fruiturus. q. d. gradere nudis pedibus per spinas, ad me inter spinas comorantem accessurus. Quidquid ibi laboris tibi contigerit; scias, mihi priùs contigisse. Mendoza in 1. Reg. Annot. 34.

Vidi afflictionem populi mei - & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum. Ex. 3. 7. 9. Nonne de cœlo, & se sede tua, Domine, eos poteras liberare ab omni malo? nonne Angelum ad eorum liberationem mittere? quid opis est, ut descendas? Gaudet Dominus, ut leviora faciat quæ Sancti patiuntur mala; sese illis immiscere. Oleaster hic.

Antequam tentaretur Job, Deus ei nunquam locutus est: postquam autem tentatus est, venit ad eum Deus, & familiariter loquitur, quasi amicus cum amico suo. Veniant plagæ, omnia pœnarum genera: dum post plagas Christus adveniat. S. Hieron. in Ps. 66.

Juxta est Dominus iis, qui tribulatio sunt corde. Psal. 33. 19. Est eis Dominus juxta, ut medicus ægro, ut consolator afflictis, ut adjutor laborantibus. Securus debet esse, juxta quem est Dominus. Et quid mirum? si Dominus est juxta suum sacrificium: quia *sacrificium est Deo Spiritus contribulatus*. Hugo Card. hic. Sanct. Bernardus ser. 17. in Psalm. 90. Aurum probat fornacem, & viros justos tentatio tribulationis. Ibi, ibi, cum eis es, Domine; ibi in tuo nomine congregatis medius adstas. Sicut olim. Dan. 3. 92. cum tribus pueris dignatus es etiam Ethnico apparere: ut diceret: quia *species quarti similis Filio Dei*. Quid trepidamus? quid cunctamur? quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis; sed Dominus nobiscum est in tribulatione.

Cùm ipso sum in tribulatione. Ps. 90. 15. Et ego aliud interim requiram, quàm tribulationem? S. Bernardus s. 17. hic.

Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ: ut mecum sit, & mecum laboret. Sap. 9. 10. Non petit à laboribus eximi; sed in laboribus cum Deo sociari: sperans, multò sibi jucundius fore, laborare pariter cum Deum vacuum omni labore in deliciis vivere. Mendoza in 1. Reg. 8. Annot. 34. Sect. 2.

Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non deseruit illum. Sap. 10. 13. 14.

Cùm ambulaveris in igne, non combureris - noli timere: quia ego tecum sum. Is. 43. 2. 5. Noverat hanc Dei providentiam. S. Dionysius, teste Surio in vita: qui, cum in cibanum ignis conjiceretur, dixisse fertur: *eris hic mecum bone Jesu*.

Filia populi mei! accingere cilicio, & conspergere cinere - quia repentè veniet vastator super nos. Jer. 6. 26. Quid est, *super nos*? An & Deus cum populo peccante puniendus? Difficultatem cognoverunt Septuaginta: ideo transtulerunt *super vos*. Sed rectè. Sanct. Hieron. hic: illud, quod nos interpretati sumus, *super nos*, Septuaginta *super vos* posuerunt: cùm multò Deus misericordius dixerit: ut, quidquid super suum venturum est populum, super se quoque venire testetur. Mendoza in 1. Reg. 9. 5.

Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis &c. Dan. 3. 92. Adest amica Majestas; & patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari. S. Chrysost. hom. de trib. pueris. Quando non adfuit Filius Dei agonizantibus servis suis propter ipsum? nonne cum piis Martyribus Filius Dei? & in flammis, & in cæteris agonibus, semper præsens fuit. Rupertus hic.

Et serviant ei humero uno. Soph. 3. 9. Cur non utroque? quia Deus pariter cum illis onus subit; & illis unum humerum subjicientibus, ille subjiciat alterum: ut laborem cum illis partiatur. Mendoza in 1. Reg. 8. Annot. 34. sect. 2.

Ex Novo.

Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me? Matth. 27. 46. Ideo Christus est derelictus in pœnis, nè nos derelinqueremur in peccatis: ut ipsius derelictio sit nostra liberatio peccatorum. Ideo derelictus in pœnis suis, nè nos derelinqueremur, cùm patimur in nostris. Sim. Cass. l. 13. hic.

Venit ad eos. Marci 6. 48. Quoties Dominus calamitates immittit, submittit unà vires; ut tolerare queas. Cùm in gravi tempestate, & vitæ periculo, agerent Discipuli, circa quartam vigiliam noctis venit ad eos Jesus, ut opem eis ferret. Certum enim erat, quod, qui coegit Discipulos suos ascendere navim, idem eis præstò futurus esset. Did. Nyss. Sabb. post Cin. §. 2.

Suspiciens in cœlum ingemuit. Marci 7. 34. Quid mirum, gemitum edi ab eo, qui cum afflicto patiebatur? Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 7. sect. 3. obs. 4.

Vident Jesum - proximum navi fieri. Joan. 6. 19. In tribulatione Deus præcipuè adest; quamvis non sentiatur, sed quasi abscondat se, aspiciens nostrum certamen. Dum ergo affligimur, impugnamur, tentamur; pensemus Deum præsentem, & nostrum conflictum considerantem: sicque animemur viriliter militantes, & de subsidio Dei certissimè confidentes: scientes verum esse, quod ait Psalm. 90. 5. *cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum*. Dion. Carth. hic.

Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. 2. Cor. 4. 9.

§. XX.

Tribulationes Deus non immittit ultra vires.

Ex Veteri.

Non arrabis in bove, simul & asino. Deut. 22. 10. Quàm Deus creaturas, etiam viles curat. Quid bovem asino ad aratrum jungi? occurrit dubio Philo: quia non pollent paribus viribus, infirmiori consulitur; nè cum fortiori contendens, succumbat negotio. Si Deus tantopere curat bruta, ut nolit ea labore viribus majori onerari; durusne, & austerus, erga homines erit? Did. Nyss. f. 6. D. 1. Quadr. §. 5.

Qui fecit ventis pondus. Job 28. 25. Pondus ventorum utilitas tribulationum est: quæ ita in pondere fiunt, nè supra mensuram gravent dorsa ferentium. Fidelis enim Deus, qui non patitur quemquam tentari super id, quod possit. Simon Cass. l. 5. c. 34.

Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos; & cor meum. Ps. 25. 2. Qui timere debuit tentationem, petit tentationem. Non times, nè in igne deficias? Non, inquit; quare? quia *misericordia tua ante oculos meos est*. Novi enim Dei bonitatem, qui parciore manu pœnas distribuit; nec impar viribus onus cuiquam imponit. S. Aug. s. 254. de temp.

Potum dabis nobis in lacrymis in mensura. Ps. 79. 6.

Pondus, & statera, judicia Domini. Prov. 16. 11. Sunt tribulationes: has enim justo judicio ita librat Deus; ut viribus hominis tum naturæ, tum gratiæ congruant; ut ferendo sint. Cornelius hic.

Mane, Thecel, Phares. Dan. 5. 25. *Numeravit, appendit, divisit*. q. d. Deum, nisi ex numerato, & appenso premere homines. Velloso in Judith. 7. Paræn. 28.

Ex Novo.

Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum. Joan. 6. 13. Ego non panis modò copiam, & multiplicationem admiror; sed quòd tantùm, quæ duodecim sportulæ capere poterant, fragmenta superfuerunt; quòd præviderit, quantum essent consumpturi. Sanct. Chrysost. hom. hic. Nihil ampliùs superesse voluit, quàm unde cujusque Apostoli cophinus expleretur: nè quisquam gravius oneraretur. Did. Nyss. f. 6. Dom. 1. Quadrag. §. 5.

Modicum, & non videbitis me. Joan. 16. 16. Sic se Christus D. subtrahit, ut redeat iterum: nè quis prematur gravius, quàm ferre possit, mœrore continuo. Velloso ante citatus.

Deus, qui totus est sapientia plenus, novit, quanti probationibus, tentationibusque indigeant animæ ipsi placere volentes. S. Ephrem serm. de patientia.

§. XXI.

In tribulatione Deus confortat, consolatur, tuetur.

Murmuravit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysem. Num. 16. 41. *Moyses, & Aaron, fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini*. Origenes hom. 9. in Numer. non legimus antè, quia obtexerat nubes tabernaculum, & apparuerat Majestas Domini, & receperit intra nubem Moysem, & Aaron; nisi nunc, cùm insurrexit in eos populus, & lapidare eos voluit. Discamus ex his, quanta sit utilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiæ conferatur; quomodo propugnator ejus fiat Deus. Pinna Ethol. 10.

Sustine sustentationes Dei. Eccli. 2. 3. Lyran. Dion. Carthus. Hugo Cardin. idest, patientiam habe in tuis calamitatibus, quas cùm sustines, eodem tempore, in iisdem à Deo sustentaris; ne cadas; vireque sufficit, ut eas toleres. Octavianus hic.

Ego reficiam vos. Matth. 11. 28. Non dicit, tollam laborem, seu onus vestrum; sed refocillabo vos. Non promittit Christus tolerare labores, & malorum onera, in hac vita; sed reficere interiori pabulo mentes, animosque hominum venientium ad eum. Cajetanus hic.

Dabo illi stellam matutinam. Apoc. 2. 28. Stella matutina est Christus consolans suos in persecutionibus, & afferens lucem proximè secuturæ prosperitatis. Sylveira hic.

§. XXII.

Tribulatio probat nos.

Palpebræ ejus interrogant filios hominum. Ps. 10. 5. Hebr. *palpebræ ejus dormientes scrutantur filios Adæ*. Cajetanus; metaphoricus est sermo ad similitudinem hominis claudentis oculos; ut experiatur, quid, se non videntè, alii faciant. Scrutatur filios Adæ per simulatam illam absentiam; illorum erga se fidem, amorem, & observantiam: qui, cùm eum, etiam inter flagella, colunt, & diligunt; veros amicos se probant. Did. Nyss. D. 4. Epiph. §. 2.

Probasti cor meum, & visitasti nocte. Psal. 16. 3. Cor meum visitatione tribulationis probatum est. S. Aug. hic.

Producit ventos de thesauris suis. Psal. 134. 7. Non ad submergendum, sed ad probandum, vires humanas impellunt; ad probationem virtutum: ut agnoscamus, quid possimus; nè superbiamus, in nobis ipsis confidentes. Et ut fragilitate cognita, invocemus eum; qui potest per se non valentibus ferre juvamen. Sim. Cass. l. 5. c. 34.

In igne probatum aurum & argentum. Eccli. 2. 5. Plinius de auro l. 33. c. 3. quo fæpius arsit, proficit ad bonitatem. Tribulatio prodit bonos, & malos. Si quis prope littus, ubi aves sunt, lapidem jaciat; pisces in profundum descendent, aves sursum evolabunt. Et tamen ex eadem materia pennatorum, pinnatorumque genus emersit. Ex una etiam massa homines omnes: si tamen tribulationum lapis incurrat; mali demergent se, sed boni sursum, velut aves concinentes Deo cum gratiarum actione consurgent. Octavianus hic.

Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationes. Eccl. 27. 6.

Creaturæ Dei factæ sunt in tentationem animabus hominum. Sap. 14. 11 Quomodo factæ in tentationem? Explico: est parens, cui dubia filii sui erga se fides. Digreditur ab ædibus, domi relinquens & filium, & scrinium apertum - sic Deus absentiam simulat, dum creaturas suas nostro arbitrio expositas relinquit: ut de illarum recto usu nostra fidelitatem arbitretur. Did. Nyss. D. 4. Epiph. §. 2.

Finxit se longius ire. Luc. 24. 28. Non perperam fingit, qui vult hominem in virtute, aut scientia esperiri: dum non quærit, aut tentat decipere, sed incognitorum dare scientiam. Fingit sæpe mater, parvulum ad terram dejicere filium, quem portat in ulnis; ut ipse tenaciùs hæreat. Sim. Cass. l. 14. hic.

Probationis nostræ mentis ad Deum causa feriuntur plerique: ut in ipsa passione, an magis Deum? an magis temporalia diligamus? appareat: & sibi animus innotescat patiendo probatus; qui non patiendo extiterat improbatus. Sim. Cass. l. 1. c. 25.

Si servi Dei nihil paterentur adversi, multi ejus servi fierent: non ob aliam causam, nisi ut pericula devitarent. Et nescio, in quo electorum, & reproborum, & dæmonum, in moribus esset diversitas; si omnibus communis esset amœnitas, nullaque adesset adversitas. Idem ib.

Vas vacuum probat pulsatio: virum tentatio. Vas malum streperus sonus indicat. Broymard. Patientia.

§. XXIII.

Tribulatio justum non lædit; immo roborat.

Num. I.

Figura, & Symbola.

Rubus ardens, non combustus. Ex. 3. 2. Symbolum justi in tribulationibus. Miraculum non minus, hominem mediis in tribulationibus, in amore Dei firmum consistere, & ab illius obsequio non divelli. Besseus D. 4. Pasch. Mare rubrum, securum Israelitis, Ægyptiis ruina. Ex. 14. 22. 27.

Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. Ps. 1. 3. Arbores, quæ altas radices egere, ventos exsibylant; licèt in ramos, & frondes grassentur. Sed quæ non nisi summa terra hærent, ad minimam procellam ejiciuntur, & emoriuntur. Besseus D. 4. Pasch.

Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me &c. Psalm. 138. 11. Tenebræ hic significant afflictionem. Quod autem dicit, est ejusmodi: circumsessus sum à malis; & dixi mihi ipsi: superabunt me mala. Sæpè autem mala non mutata sunt in bona: immo verò, quod est majus; mala non mutata sunt in bona; sed malis manentibus magnam sensi benignitatem. Non dixit enim: nox deleta est; sed nox fuit lucida, hoc est, nox manens nox: mala scilicet, & calamitates, non potuerunt me conculcare; sed fuit lux in nocte: hoc est, mei extitit defensio. S. Chrysost. hic.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Chald. Vatabl. vertunt: *rosa*; quia hæc spinosa est. S. Gregor. Nyss. hom. 4. sicut lilium inter spinas nascitur, & efflorescit; sic anima Sancta inter tribulationes in virtute crescit, magisque resplendet.

Sicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & undique jactans, non evellit; sed & solidiores, & firmiores, his in cursibus redit: sic & animam Sanctam, & piè viventem, tentationum incursus, & tribulationum, non supplantant; atque etiam ad majorem patientiam præparant. S. Chrys. ho. 4. ad pop.

Rupes, & scopuli, in medio mari, fluctibus, & tempestatibus, impetiti, immobiles persistunt: ostrea verò, & alia conchylia, modò in littus ejiciuntur, modò in fundum demerguntur. Besseus D. 4. Pasch.

Num. II.

Testimonia.

Ex Veteri, Patribus, & aliis.

Annis, quibus vidimus mala. Ps. 89. 15. En, quomodo generosæ animæ inflictas à Deo ærumnas extenuant! quovis alio corporis sensu mala si dicerent se expertos, graviùs se faterentur oppressos. At cùm dicunt, mala se solùm vidisse; vix se testantur afflictos. Cor enim inter ærumnas premitur, auris strepitu quatitur, afflgitur memoria recordatione malorum, odoratus torquetur graveolentia: solus oculus, solem æmulatus, ærumnas videt, nec sentit; vulnera incruentus spectat, lætus mœsta intuetur, fractionem integer aspicit; sordibus adest immaculatus. Oliva l. 12 Strom. §. annis quibus.

Non contristabit justum &c. Prov. 12. 21. Causæ variæ, cur justus nulla re contristetur, aut turbetur. *Prima*: quòd res omnes hujus Mundi, quæ turbationem afferre possunt, parvi æstimet; nec amet: si ei auferantur non dolet. *Secunda*: quia refræenat suas cupiditates, quæ sunt causa perturbationum. *Tertia*: quia pacem, & quietem animi rebus omnibus anteponit. *Quarta*: quia scit, se, suaque Deo esse curæ: quare in Paterna ejus cura suaviter conquiescit. *Quinta*: quia mentem habet in Deo fixam; & cum eo ita se unit, ut unus cum eo Spiritus efficiatur. Cornelius hic.

Quælibet tormenta, quælibet tribulationes, quælibet hujus sæculi adversitates, undique sæviant: illud, quod Deus in abscondito fecit firmum, in nobis frangi non potest, non cedit. S. August. in Ps. 138. circa medium scimus, nos lædi posse à nemine, nisi deprehendamur in sceleribus, aut maleficiis: occidere potestis, lædere non idem. S. Justinus M. Apol. 2. pro Christianis ad Antoninum Pium.

Certus sum, qui nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. S. Bernardus s. 7. in Ps. 90.

Quod justis exercitium virtutis est; hoc injustis pœna peccati est. Origenes hom. 16. in Gen.

§. XXIV.

In tribulatione non pecca, non desice.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. Neglecto firmamento aquis incumbit. Cur mare prætulit, non terræ solum, sed & cœlo? adamavit aliqua in æquore, quæ in homine amaret. Mare ventorum vi concutitur quidem, & fervet; sed littus non excedit, suisque se continet finibus. Legis memor vel in furore. Imitare & tu mare; ut æquus sis. Oliva l. 9. Strom. §. Spiritus Domini.

Job scidit vestimenta sua; sed habitis non peccavit. Job 1. 20. 22.

Turbatus sum, & non sum locutus. Ps. 76. 5. Seu adversa irruant, seu maledicta sæviant, seu tentatio rugiat fervere non dedecet, peccare non libet. Idem.

Sicut ablactatus coram matre sua. Ps. 130. 2. Quemadmodum puellus, qui ablactatur; qui nuper ab ubere avulsus est, nec sic quidem à matre recedit; sed flens, gemens, lugens, ægrè ferens, & se afflictans, parenti semper adhæret, nec ab ea recedit: ita ego, cùm essem in afflictione, angustiis, & calamitatibus; Deo semper adhæsi. S. Chrysost. hic.

In noctibus extollite manus vestras &c. Ps. 133. 2. In adversitatibus, ait, quæ per diem vitæ hujus obscurant, nolite deficere, sed manus vestras in opere sanctitatis extollite. S. Prosp. Aquitan. hic.

§. XXV.

Tribulationes quo animo ferendæ.

Ex Veteri.

Propitius sit mihi Dominus, nè faciam hanc rem Domino meo Christo Domino &c. 1. Reg 24. 7. David, qui à Saule mille calamitatibus affectus, errans in montibus, in speluncis; ibi crudelem hostem habuit in manibus: quem si occidisset, periculis liberatus regnum hæreditabat. Maluit tamen in ærumnis expectare à Deo finem; quàm, hoste perempto, festinare liberationem suam. S. Ambros. in Apolog. 1. David c. 6. debitum sibi imperium diu distulit; quod sciebat Deo authore sibi deberi. Baeza t. 1. l. 4. §. 24.

Quoniam ego in flagella, paratus sum. Ps. 37. 18. In flagella paratus est, & offert se Domino: ut, quæ placuerint Deo flagella sustineat. Elegisse quidem lego David flagelli genus, quod æquanimiter sustineret: sed elegit, quia de tribus ei conditionibus eligendæ unius necessitas mandabatur. Ubi autem non mandatur, ad omnia paratus est Dei servulus, seu corporalem ægritudinem subeat, seu fugam à facie inimici, sive obitum filiorum. S. Ambros. hìc.

Fiat misericordia tua, ut consoletur me. Ps. 118. 76. Inter ærumnas multiplices, & sæva certamina tormentorum, consolatricem rerum istarum misericordiam petit; ut adversitates Sæculi ferre posset. Non enim auferri sibi talia postulavit; sed in eis expetit consolari. Consolatio est enim; quando miseriarum patientiam donat, tormenta sæva temperat, & afflicti animi mœrores beatitudinis promissione confortat. Cassiodorus hìc. Alius humiliatus ærumnis posceret, ut circa eum tentamenta desinerent; & sedare Dominus adversa dignaretur. Iste autem, tanquam athleta fortis, & patiens, quia exerceri, & tangi, animam suam tribulationibus nosset; non tristitia dimovere desiderat; sed magis in tempore laboris sui, dari sibi verbum consolationis exposcit: ut possit forti, quæ ingruunt, mente tolerare. S. Ambr. hìc. Octon. 10.

Deprime cor tuum, & sustine. Eccli. 2. 2. Cùm sæviunt æstus tribulationum; cor nostrum humiliare, & elatos spiritus submittere oportet. Octavianus hìc.

Ex Novo.

Intrate per angustam portam. Matth. 7. 13. Quomodo igitur, dixerit aliquis, dictum est illud: *jugum meum suave est, & onus meum leve?* Matth. 11. 30. nam si angusta est via, & aspera; quomodo rursus eam levem, facilemque vocat? Illud quidem dictum est propter naturam afflictionum; hoc verò propter spontaneam voluntatem adeuntium. Nam fieri potest; ut, quod natura est intolerabile sit leve; si eum alacritate animi suscipiamus. S. Chrysost. hom. 3. de Lazaro.

Puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Matth. 8. 6. Puer, idest, *servus*, teste Luca 7. 2. Servi hominum malè torquentur; Servi Dei bene est, patienter ferre, quidquid ærumnarum Deus inferat. Malè torqueri est, cum indignatione pati. Bene torqueri ad coronam; malè ad pœnam. Pinna in Eccl. Ethol. 29.

Quid dicam? Pater. Joan. 12. 27. S. Chrysost. hom. 66. in Joan. quasi diceret: non habeo, quid dicam, ereptionem quærens: *propterea enim veni in horam hanc.* Incarnata Dei sapientia non habet, quid dicat, ereptionem quærens: & garrula humana fatuitas quantas adfert excusationes? Sylveira addit. hìc.

Bajulans sibi crucem exivit. Joan. 19. 17. Animosè, & intrepidè, pericula oblata, licèt gravissima, amplexanda sunt. Ecce qui ad calicis poculum trepidabat, modò crucem dolorosissimam, & ignominiosissimam, sine trepidatione bajulat. S. Cæsarius dial. 3. deprecabatur poculum, nos instruens: in pericula non insiliendum esse; sed adversantia fortiter, ac viriliter, esse suscipienda. Ideo crucem, per meditationem æstimatam, certo consilio deprecatur quidem: exhibitam verò super humeros, tanquam victor tollens, ibat sponte in ea clavis suffigendus. Non sic vani homines; sed ut ait Psal. 77. 9. *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Domi crucem, cædesque meditatur; in arana verò dama fugaciores sunt. Baeza t. 1. l. 4. §. 1.

Aperta sunt omnia ostia. Act. 16. 26. Cur portis carceris apertis, Paulus, & Silas, non egrediuntur? S. Chrysost. hom. 8. in ep. ad Eph. quemadmodum carcerem Paulus non egrediebatur, etiamsi potuisset; donec, qui illum conjecerat, evocaret, & duceretur: ita tres pueri caminum egressi non sunt, donec, qui conjecerat, egredi jussisset. Quid hìc dicemus? nè videlicet in adversis liberari festinemus. Expecta longanimis: Deus dabit finem. Sylveira hìc q. 12.

Ex Patribus, & aliis.

Grata ignominia Crucis ei, qui Crucifixo ingratus non est. S. Bernardinus s. 25. in Cant.

Quemadmodum mens aliqua, licèt quidem semper verberetur, non tamen dat tergum; neque concavitatis formam in se recipit; sed eadem semper manet, sibique similis: sic & qui vult verum se gerere Christianum, inter diversas tribulationes, atque tentationes; sive extrinsecus ab hominibus illatas contumelias, persecutiones, damna, aut aliqua ejusmodi; sive extrinsecus à spiritibus malignis inductas angustias diversissimas, unus & idem, maneat oportet; fortiter quæcunque obvenientia perferens. S. Ephrem de fide. Sit mens nostra non quasi vitrum, quod ad primum persecutionis ictum impatiens frangitur; sed pretiosi potiùs vena metalli, quæ sub mallei contunsione purgatur. B. Petrus Dam. l. 4. ep. 17.

Cur tibi molestæ sunt injuriæ, & adversitates quæcumque? nisi quia illa aversaris? Bellum iis infers tanquam hostibus; quid mirum, si te infestant? Quod si eas amares, non essent molestæ; sed potiùs jucundæ. Stella de contemptu &c. p. c. 2.

Si persecutio sibi affert molestiam, non conqueraris de persequente; sed potiùs de teipso. Quòd si aliquid tibi videtur esse durum; contra teipsum insurge, & vindica te de inimicis tuis internis, qui te affligunt: nec conqueraris externis; cùm te nonnisi volentem, lædere non possint. Sicut tinea consumit pannum, ex quo nata est; & vermis rodit lignum, ex quo prodiit: sic hæc onera, quæ cor tuum premunt, oriuntur ex propria tua concupiscentia. Idem ibid.

Omnes creaturæ sunt homini, qualis homo erga seipsum est. Bona anima non potest offendi rebus exterioribus; nec malus iis juvari. Idem ib. c. 43.

Calamitatis ventus neminem non incursat: resistentes quercus frangit; submittentes se arundines non lædit. Drexelius Gymn. pat. p. 1. c. 1.

§. XXVI.

Tribulationes sanctis charæ, optatæ, &c.

Ex Veteri.

Adoravit Israel Deum conversus ad lectuli caput. Genes. 47. 31. Sepruag. *adoravit Israel summitatem virgæ ejus.* Quid virgæ cum lectuli capite? in capite lectuli cervical ad capitis requiem apponitur. Virga labores, tribulationesque, in Scriptura signantur. Virga percuti justos, idem est, ac beate quiescere. S. Hilarius Can. 11. in Matth. nunquam hilariùs Sancti requiescunt, quàm dum laboribus fatigantur. Escobar tom. 5. Proph. Chr. l. 8. sect. 2. obs. 3.

Servate mihi puerum Absolon. 2. Reg. 18. 5. Quæ tunc protulit; cùm perduellis vota, & arma in regem tonarent, sævirentque. David nunquam teneriori animi, orisque sensu, prosecutus est Absolonem; quàm cùm ab eo sede sua pelleretur. E contra supplicem, avidumque paterni amplexus rejecit. 2. Reg. 14. 24. *revertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Sciebat enim, expetenti Domini sui faciem, armatum plus filium prodesse posse, quàm blandum. Oliva f. 4. D. Pass.

Cibi mei sunt. Job 6. 7. Justi enim gloriantur in tribulationibus: scientes, *quoniam tribulatio patientiam operatur.* Rom. 5. 3. Hugo Card. hìc.

Hæc mihi sit consolatio: ut affligens me dolore, non parcat; nec contradicam sermonibus Sanctis. Ibid. v. 10. *Cùm audierit* (equus generosus) *buccinam, dicit vah!* Job 39. 25. *Vah* est interjectio animi gestientis. Guilielmus Par. lib. de morib. tr. de spe: sicut gaudent equi, cùm signum imminentis conflictus audierint: sic & Dei amici hujusmodi gaudio gaudent; cùm bellum tribulationis consurgere cognoverint. Escob. t. 1. Mir. Chr. l. 1. Obs. 2.

Venerunt ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti, qui noverant eum priùs - consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum. Job 42. 11. Quod non fecerunt, quando in mediis angustiis positus magis eorum solatio egebat. Jam mala præterierant; cur ergo eum solantur? nam ubi nihil ærumnarum sit, non videtur esse locus consolationis, & compassionis, inquit Pineda hìc. Respondeo: consolati sunt eum, non de alio, quàm quòd jam pati cessasset. Nam viro justo crux summa, sine cruce esse. Did. Nyss. D. 20. Pent. §. 3.

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Ps. 22. 4. Ipsa me non afflixerunt; sed potiùs consolata sunt: quia in his intelligo, te esse memorem mei? S. Laur. Just. hìc.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! Psal. 30. 20. Dulcis est, cùm corrigit dulcis, dum percutit; dulcis, cum credentibus æterna proemia compromittit. Cassiodorus hìc.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus. Ps. 101. 15. Per lapides, qui duri sunt, intelligi possunt tribulationes; quæ duræ, & asperæ sunt: tamen placent servis Domini. Unde cantat Ecclesia de S. Stephano: *lapides torrentis illi dulces fuerunt*: Hugo Card. hìc.

Mihi nimis honorati sunt amici tui Deus. Psal. 138. 17. Heb. *mihi valde pretiosæ sunt afflictiones tuæ Deus. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Cant. 1. 12. Mirari satis quæ possit patiendi, non cupiditatem solùm in sponsa; sed etiam pretium. Non modò myrrham complectitur, sed etiam veneratur. Myrrham non solùm non horret; sed quasi vicariam sponsi; imò ipsum putat esse Dilectum. David quidem clamabat: *quoniam propter te mortificamur tota die.* Ps. 43. 22. Et Paulus: *ego stigmata D. Jesu in corpore meo porto.* Gal. 6. 17. Ille propter Deum; hic in similitudinem Domini, confossum se putat. Sponsa verò eò myrrham provexit; ut non Dei putet esse, seu imaginem, seu simulacrum; sed Deum. Oliva l. 3. Strom. §. Fasciculus myrrhæ.

Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Cant. 2. 5. Chald. & Hebr. *fulcite me ignibus plurimis.* Non expetit auratam spondam, nec plumeum stragulum; sed pyras, & rogos, stridentium flammarum, pro lectisternio. Inter ustulata li signa, velut inter flores recumbit. Unde Symmachus legit: *requiescere me fecisti in flore.* S. Chrysol. s. 13. de Sanct. Laur. tunc oblata est torrenda, & assanda, martyrio nobilis illa Laurentii craticula: astrictus est ferro: sed ille craticulam supplicii lectum quietis putabat. Theodoretus in Dan. 3. 24. tanta intus pietatis præcones serenitate Deum colentes fruebantur, ut per ignitos carbones, quasi per quasdam rosas incederent. Arcones in Isa. 1. 25. Disc. 3. *Fulcite me floribus.* Origenes ait, in Græco habetur: *confirmate me in myrrhis.*

Et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me. Eccl. 51. 5. Quis captivum januis circumdedit? & non magis muro vallavit? Cui vel januæ desint, vel pro foribus foramen sit? Quid? nisi spes evadendi ex portis affulgeat? sed tribulationum magis metuendæ sunt portæ, quàm muri. Neque enim difficilis constantia est, quando eam necessitas frænat. At si elabendi occasio se offerat, duriùs cum tormentis confligimus. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Eccl. 31. 10. elogium est fortitudinis non vulgaris. Inter Martyres uberius laudamus; quòd faciliùs eos tormenta declinare potuisse, & noluisse cognoscimus. Davidi aperta porta est evadendi manus Saulis. 1. Reg. 24. 4. quando in spelunca deprehensum inermem, & solum potuit occidere. At tanta opportunitate crucidandi hostis minimè usum, quis non stupet? Potuit Christus de cruce descendere: sed non minoris virtutis fuit, perstitisse in cruce, facta sibi potestate descendendi, quàm crucem subiisse. Oliva l. 12. Strom. §. Et de portis tribulationum.

Volavit ad me unus de Seraphim; & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari; & tetigit os meum. Isa. 6. 6. 7. Stupes; ex regali effluentia copiarum cœlestium, ex regis Christi regnantis gazis; nihil aliud ad Isaiam delatum de superis, nisi calculum, seu carbonem; in quo Isaias figeret oscula. S. Hieron. ep. 142. ad Damasum: forcipem, de qua altaris carbo comprehensus est, propriam Isaiæ asseruit passionem, qua sub Manasse rege interfectus est. Vates hæc omnia osculatur, tanquam quid cœleste. Ludovicus de Alcazar expendit hìc, cur Hebræus vocem *prunam*? Sept. verò calculum? *in manus ejus carbunculus.* Ait, in prunis indicari Apostolicorum virorum persecutiones: quæ, licèt aspectu terreant, & videantur, ut carbones urere; justi tamen reputant pro lapidibus pretiosis. Arcones in Is. 2. 4. Disc. 4.

Ex Novo.

Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, & consolationem, scripturarum, spem habeamus. Deus autem patientiæ, & solatii, det vobis idipsum sapere &c. Rom. 15. 4. 5.

Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. 2. Cor. 1. 5. *Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 7. 4

Ascendens Christus in altum. Ephes. 48. In altum, idest, in cœlum, inquit Chrysostomus. Solus B. Dorotheus doctr. 22. ait: ascendens in crucem voluptate sua; & peccatum, ruinæ nostræ causam, cruci affigiens, captivam duxit captivitatem. Altum hoc Chrysostomo cœlum est, Dorotheo crux. Sed qui istud? cùm à cœlo crux non minùs distet, quàm terra? sic fortè loquatur, qui nescit, quid sit pro Deo pati: nam qui novit, quid sit boni in cruce; illi crux par cœlo est. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Ps. 149. 5. Euthymius: exultabunt sancti in futura gloria. S. Hieronymus: exultabunt Sancti in gloria, in cruce. Sed quid gloriæ cœlorum & crucis? si exultabunt Sancti in gloria cœlorum, quomodo in gloria crucis? Respondeo: justo gloria, & crux; crux, & gloria; idem sunt. Tantam nempe ex passione cœpit voluptatem: ut perinde habeat; sive in cœlum, sive in crucem ire jubeatur. Did. Nyss. D. 20. Pent. §. 4.

Exempla historica.

Venerabilis P. F. Joannes à Cruce, tria solebat à Deo petere. Primùm labores. Secundum, nè præsul existens è vita migraret. Tertium, ut abjectus, & vilipensus viveret, ac moreretur. Cùm ante imaginem Christi D. crucem bajulantis oralaboribus? & ille: Domine pati, & contemni pro te. Dicere solebat: quid scit? qui pro Christo pati nescit? In compendio vitæ §. 9.

B. Godefridus Cappenberg. Præmonstr. in tribulationibus dicebat: opto, ut sicut scopa usi detrita novissimè flammis injicitur, sic corpus meum, Christi exhaustum servitio, tribulationis demum igne consumetur. Boll. 13. Jan.

§. XXVII.

Tribulationes apprehende bona ansa.

Ex Veteri.

Egredientes autem anima præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, idest, filius doloris mei. Pater verò appellavit eum Benjamin, idest, filius dexteræ. Gen. 35. 18. Non respexit dolorem matris; sed robur, felicitatem, dexteræ vocabulo significata. Sic quando res quædam habet, quo exhilarare possit, & quo contristare; spectanda est, quo solari, non quo tristare potest. Did. Nyss. p. 2. l. 9. Pol. Cœl. c. 7.

Recordatusque somniorum, quæ aliquando viderat. Gen. 42. 9. Non dicit, eum memorem venditionis, aut mortis sibi intentatæ, sed somniorum. Oleaster.

Ecce asta regis, transeat unus de pueris regis, & tollat eam. 1. Reg. 26. 22. Cur hastam solam, non etiam Scyphum, restituit? Quid accidit David, dum erreptitium regem Psalterio mitigaret? *Nullus est configere David lancea in pariete.* 1. Reg. 19. 10. Si bonus David lanceam penes se retinuisset, poterat tantæ malevolentiæ eum perpetuò admonere, & ad vindictam stimulare. Scyphum retinet; qui refrigerium adferre potest animo inflammato. Did. Nyss. D. 3. Pent.

Servate mihi puerum Absolon. 2. Reg. 18. 5. Confecto prœlio quærit: *esne pax puero Absolon?* At indicata ejus morte, *fili mi absolon! Absolon fili mi?* &c. v. 33. Cùm viveret, aut vivere putaretur Absolon, *puer* identidem vocabatur; cùm verò in vivis esse desiit, *filius* ter, quaterque, appellatur. S. Ambros. in Ps. 118. 5. qua ratione antè puerum dixit, postea filium nominavit? Cur non in utroque, aut puerum dixit, aut filium? Respondeo ad sensum Ambrosii: puerum vocavit, & cogitavit Absolonem; dum perduellis sceleri vacabat, aut vacare putabatur: ut & ipse parens leviùs ferret, quòd ab impotente sibi puero impetebatur: & belli duces ab illo violentas manus abstinerent; quod nullam sibi ex nece pueri parare gloriam viri possent. Si Filium, si parricidam, tunc cogitasset; quomodò non irasci tali filio pater potuisset? quomodo mandare suis tribunis; ut servarent vivum filium, qui vivere patrem nolebat. Ambros. non ergo pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis: ideoque vir justus, quod religionis fuit, tacuit, quod infirmitatis aspexit. Ubi verò est mortuus, apud patrem personæ crimen defecit, naturæ nomen remansit. Did. Nyss. D. 3. Pent. §. 3.

Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Job 1. 21. Pro servanda patientia illud tempus ad memoriam reduxit, quo necdum ista, quæ perdidit habebat. Ut, dum intuetur, quòd illa aliquando non habuit, dolorem temperet, quod amisit. Magna enim consolatio est, in rerum amissione illa tempora in memoriam reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuisse. S. Gregor. mor. l. 2. c. 12.

Foderunt manus meas, & pedes meos. Ps. 21. 17. Non dicit, transfixerunt, sed *foderunt*: ut notetur fructus, qui inde secutus est, scilicet æterna beatitudo. Hugo Card. hìc.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Joannes - in vinculis &c. Matth. 11. 2. Quod Herodes Joanni faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio; & ira ejus, quasi Dei misericordia fruebatur. Auth. Imp. hom. 27. hìc. Joannes, non loci, in quo versabatur vilitatem; sed occasionem bene merendi, quæ se ibi offerebat, attendebat; & vinculorum non probra, sed lucra spectabat. Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 1. l. 4. c. 8.

Sicut fuit Jonas &c. Matth. 12. 40. Cur potiùs suæ sepulturæ, quàm mortis, Dominus dat signum? In morte multis injuriis, opprobriis, & tormentis affectus; in sepulchro honoratus quievit. *Erit sepulchrum ejus gloriosum.* Is. 11. 10. De morte, & doloribus, videtur oblivisci; & ansam gloriæ apprehendit. Sylveira hìc q. 12.

Factum est autem, cùm complerentur dies assumptionis ejus; & ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem. Luc. 9. 51. hoc est cùm instabat tempus, quo, postquam sustinuisset salutarem passionem pro nobis, oportebat assumi in cœlum, & considere Patri. Theophylactus. Non memorat dolores, sed gloriam. Sylveira in Matth. 12. q. 12.

Auferamus carceris nomen; secessum vocemus. Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur; omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu: & non stadia opaca proponens tibi; sed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris. Tertull. l. ad MM. c. 2.

Talis justorum mos est; ut quando aliquid pro Deo ferunt; non res ipsas, quæ fiunt spectent; sed causam secum expen-

dentes, facilè omnia ferant. Quandoquidem & Paulus gentium Doctor vincula, ad tribunalia abductiones, quotidiana pericula; multas illas, & intolerabiles, afflictiones, *leves* vocabat: non quòd natura tales essent; sed quia causa, propter quam fiebant, talem ei sententiam ingenerabat. S. Chrys. hom. 25. in Gen.

Unaquæque res duas habet ansas; unam tolerabilem, alteram intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non ea prehende, qua facit injuriam: ea enim ejus ansa est intolerabilis. Sed illinc potiùs esse fratrem, esse una educatum. Sic prehendes eam, quæ tolerabilis. Epictetus c. 65. Enchiridion.

§. XXVIII.

In tribulatione fac ex necessitate virtutem.

Cras tu, & filii tui, mecum eritis. 1. Reg. 28. 19. Quærit Abulensis: cur Saul filios suos in conflictum eduxerit, in quo illos occubituros prænoverat? Respondet q. 3. in c. ult. hujus libri: quia putavit, quod necesse erat; quòd tam ipse, quàm filii ejus, morerentur: ideo nullo modo poterant evadere hanc mortem. Melius ergo fuit, quòd viriliter in bello morerentur, pugnando pro Israel; quàm ignominiosè fugiendo desideratam vitam conservare non possent.

Fuge Dilecte mi, & assimilare capreæ &c. Cant. 5. 15. Ardebat desiderio sponsi sponsa dicens: *quis mihi det te fratrem meum* &c. Votis potita quid dicit? *fuge*. Si sponsum adeò percupiebat, cur celerem ejus abitum optat? V. Beda: quod ait *fuge Dilecte mi*, non optando loquitur (quis enim eum, quem diligit, à sua fugare præsentia velit) sed ejus potiùs voluntate fervendo: memor videlicet consuetudinis ipsius, qua se, in medio sæpe sermone relinquens, transierit, ac declinarit: memor etiam suæ consuetudinis; quia illum in hujus temporis, vel peregrinationis, loco continuè videre non possit. Nam si necesse fuit ab illo nonnunquam deseri; prudentia fuit, hoc sponte petere, quod necessariò toleratura erat. Did. Nyss. Dom. infra Oct. Asc. §. 4.

Humiliamini sub potenti manu Dei. 1. Petri 5. 6. q. d. Si manum ejus effugere, impossibile; si tanto Domino subdi, necesse est: humiliamini volentes, & de necessitate virtutem facite. Idem ibidem.

Hoc totius Christianitatis est robur, facere de necessitate virtutem; & pœnalitates, & verbera, contumelias, & opprobria, vulnera, sic & mortem, in arma conflare virtutum; & de his scalam facere cœlos pertingentem. Sim. Cass. l. 8. c. 38.

§. XXIX.

Varia alia motiva.

In virga indignationis ejus. Thren. 3. 1. Aliam quidem puto esse virgam furoris Dei; aliam virgam directionis, & virgam regni ejus; aliam verò indignationis: quoniam alia est ferrea, inflexibilis, qua conterentur impii, tanquam vasa testes in ira furoris Dei. Alia, qua in æquitate Sancti reguntur; donec perveniant ad bravium supernæ vocationis. Alia illa, de qua ad Jerusalem Dominus: *in indignatione non percussite*. Isa. 60. 10. *& in reconciliatione mea misertus sum tui*. Sub hac enim virga ad hoc percutit Deus, ut misereatur; ad hoc vulnerat, ut sanet. S. Paschasius hic. Adversitas, quæ à Domino est, plena justitiæ, plena æquitatis, plena misericordiæ est. Idem ibid.

Domine, hic autem quid? Joan. 21. 21. Hunc ità Domino dilectum cùm respexisset Petrus, statim interrogavit, quis vitæ illius terminus imminere? Quia communiter hominibus insitum esse videtur; ut optent, si quid periculi subituri sunt; non se solos, sed cœteros etiam, aut videre similia pati, aut saltem audire, perpessos fuisse; vel omnino idem passuros. S. Cyrill. Alex. l. 13. in Joan. David, vicinus morti, ait filio suo Salomon: *ego viam ingredior universæ terræ*. 3. Reg. 2. 2. idest, ad Patres meos abeo; & viam omnibus, qui nunc sunt, quive post me erunt, communem viam ingredior. Cur communem dicit? ut mortem suam sibi, & filio suavem faciat. Sylveira in Apoc. 7. q. 16.

Particeps in tribulatione. Apoc. 1. 9. Hoc apponit: quia & ipse sævitiam Domitiani expertus, & in Patmos relegatus. Et hoc dicit ad multam Fidelium consolationem: nam videntes communicationem in laboribus cum Joanne dilecto; inde singulare in se divini amoris discent argumentum, multa ob fidem pati. Sylveira hìc.

Quod si tantus ostenditur, & probatur, Christianorum Martyrum populus; nemo difficile, vel arduum putet, se Martyrem fieri; quando videt Martyrum populum non posse numerari. S. Cyprianus exhort. ad MM. c. 1.

Si leoni taurus objicitur discerpendus, ut princeps videns lætetur: & tu discerpereris, ut Deus videns lætaretur: satis, superque esset, ut hoc patienter tolerares. Osorius in die SS. Innocent.

Cùm te videris tribulari; si perquiras, multas invenies causas. Et si alia non esset, præter voluntatem divinam, & gloriam ejus; hæc satis est. An non leoni objicitur canis, vel taurus, dilaniandus, ut principi spectaculum præbeatur? Id. f. 4. D. 4. Quadr.

Quantumlibet nobis anxietatum pateras vitæ præsentis propinet afflictio; parva toleramus; si recordamur, quid biberit ad patibulum, qui invitat ad cœlum. Sidonius Apollin. l. 9. ep. 4.

Refertur de anima cujusdam Sancti; qui multas in hac vita ærumnas sustinuerat: quòd, dum post mortem amico appareret, illeque quæreret; num tantis doloribus condigna illi fuerint gaudia? responderit: Ipsa prima Cœlitum salutatio, qua me cœlum ingredientem complexi sunt; ac præsertim primum Christi osculum, quo me deosculatus est ita mihi suave accidit; ut mox omnium laborum me oblivisci fecerit; omniumque dolorum memoriam mihi abstergerit, juxta illud: *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*. Apocal. 21. 4. Cornelius in Cant. 1. 1.

Equum indomitum etiam peritissimus equitandi timet conscendere; at, postquam domitus est, pueri ipsi in eo equitare audent: Crux, antequam Christus eam conscenderet, equus erat indomitus; quotquot eam conscendebant, prosternebat, eorum honorem, & vitam adimens. At postquam eam animosus conscendit, ita domita, ac mansueta remansit; ut pueri, & senes, intrepidi eam ascenderint. Diez conc. 2. in festo S. Andreæ.

§. XXX.

In tribulatione solatia, & refugia.

Positis genibus orabat. Luc. 22. 41. Orabat, completurus opus redemptioni nostræ. Docuit nos, frustra optari vincula, & crucem; nisi oratione armemur. Præsumptio est, non amor; carnificibus occurrere sine oratione. *Paratus* Petrus *& in carcerem, & in mortem ire* cum Jesu. Luc. 22. 43. dum orationem negligit, Magistrum deserit. Dormivit, cum orandum erat; negavit, cùm palma delata est moriendi cum Christo. Vicit Moyses Amelech. Ex. 17. 11. sed oravit: timuit ancillam Petrus; sed non oravit. Oliva t. 2. Strom. §. Positis genibus.

Nullum majus, nullum melius, negotium est in tribulatione; quàm recedere ab eo strepitu, qui foris est; & ire in interiora mentis secretiora: Ibi Deum invocare, ubi nemo videt, gementem, & subvenientem. S. August. in Ps. 34.

Lenit dolores patientis Christiani, assidua recordatio in cruce pendentis. Petrus Cell. c. 22.

Qui crucem post Christum ferre amant; crucem ipsam sine crucis sensu ferunt: qui verò eam fugiunt; hi soli crucis pondere onerantur. Isidorus Clarius. Orat. 9.

T I T U L U S XII.

SS. T R I N I T A S.

§. I.

Figuræ, Symbola, Testimonia.

Ex Veteri.

Faciamus hominem ad imaginem. Gen. 1. 26. Non allocutus Angelum: quia cum Deo ad creationem non concurrerunt. Homo non factus ad similitudinem Angeli. Ut tamen unum Deum doceret, dixit, *ad imaginem*, non ad imagines. Paoletti Dom. 6. Pasch. Igitur in opere mundanæ fabricæ, cunctorumque creatione, omnipotens, omnia sciens, omnibus commendatur benigna Trinitas. - Bonitas quippe, vel Charitas, Dei Spiritus Sanct. est. Qui, cùm Patrem, ut omnia per Verbum operaretur excitaverit; tum verò in plasmatione hominis ità studiosum reddidit; ut nihil eorum subtraheret, quæ conferre potuit. Quid enim taliter conditio homini, præter naturalem divinitatem defuit? - Igitur in plasmatione hominis benevolentia Dei, quæ est Spiritus S. maximè operam suam exhibuit; cum ei (utpote creatus) naturaliter non poterat esse Deus, gratia sui similitudinem Dei contulit. Rupertus l. 11. c. 17.

Venerunteque duo Angeli. Genes. 19. 1. Duo scilicet, qui ab Abrahamo recesserant, tertiò cum eo remanente. Angelus unus è tribus, repræsentans Deum Patrem, manserat cum Abraham: ut ejus domum benediceret; eumque patrem efficeret ad generandum Isaac. Unde hic Angelus videtur fuisse medius, & primarius inter tres: puta Michael; qui duos socios Gabrielem, & Raphaelem, misit ad excitandam Sodomam; *Gabriel* enim, juxta etymon suum, *est fortitudo Dei*; puta fortis executor divinæ justitiæ: hicque repræsentat secundam in Trinitate Personam. *Raphael* verò videtur esse Angelus præses castitatis, summusque osor libidinis. Cornelius hìc.

In Arca testamenti tria continebantur: virga Aaron, tabulæ Legis, manna solitudinis. In virga designatur potentia Patris, in tabulis sapientia Filii, in manna bonitas Spiritus Sancti. Maschantius D. Trinitatis.

Sic benedices filii Israel - benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Num. 6. 23. 24. &c. Ob tres Personas, quarum quælibet est Deus, *Dominus* ter repetitur. Sed, ut monstret, unum tantùm esse Deum subdit: *invocabuntque nomen meum super filios Israel*. v. 27. Non dicit nomina nostra. Paoletti D. 6. Pasch.

Audi Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est. Deuter. 6. 4. Ponuntur hic tria vocabula: scilicet *Dominus*; quod est nomen potentiæ, quæ Patri tribuitur: Deus nomen sapientiæ, quæ Filio appropriatur: *Unus*, nomen bonitatis, quæ Spiritui S. attribuitur. Sanct. Vinc. Ferr. s. de S. Jacobo Apost.

Benedicat. Psalm. 66. 8. idest, multiplicet *nos Deus* Pater. *Benedicat nos Deus* Filius! *benedicat nos Deus* Spiritus S. & sic multiplicet, ut tandem metuant eum omnes fines terræ; ut tota terra Creatorem colat, non creaturam. Remigius Antisiod. hìc.

Funiculus triplex. Eccl. 4. 12. est SS. Trinitas; quæ est fons omnis societatis, amicitiæ, & concordiæ. S. Paulinus ep. 4. ad Severum.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Symbolicè notantur hic tres SS. Trinitatis Personæ: per *osculetur* Pater: per *oris* Filius: hic enim est os, & Verbum Patris per *osculo* Spiritus Sanctus: hic enim est nexus, amor, & quasi osculum; quo se osculantur Pater, & Filius. Ita S. Bernardus l. 7. apud Cornelium hìc.

Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti. Sap. 11. 21. Secundùm hanc ordinationem omnis actio nostra debet esse mensurata, numerata & ponderata: hoc est, in virtute Patris, cui mensura: in virtute Filii, cui numerus: in virtute Spiritus S. cui pondus adscribitur. S. Albertus M. par. animæ cap. 8.

Et dixit AAA. Jer. 1. 6. Viegas in Apoc. 9. Sect. 5. n. 4. SS. Trinitatis mysterium hic innui putat. Ter enim, inquit, dixit A., quæ balbutientis, & infantis, adhuc vox est, propter tres Personas divinas: ut indicaret; se comparatione ejus mysterii infantem esse, & nescientem adhuc articulatè loqui. Loquebatur enim cum eo SS. Trinitas: Pater dicens, *novi te*. Filius, *sanctificavi te*: Spiritus S. *Prophetam dedi te*.

Ex Novo.

Scriptum est. Matth. 4. 7. Ter in hac concertatione Evangelium refert, Christum dixisse: *Scriptum est*. Tanquam, quidquid sit in divina Scriptura, sit à Trinitate dissertum. Simon Cass. l. 9. t. 6.

Recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob. Matth. 8. 11. In Abraham Pater, in Isaac Filius, in Jacob Spiritus S. ostenditur. Sim. Cass. l. 5. c. 12.

Designavit Dominus & alios Septuaginta duos. Luc. 10. 1. S. Aug. in qq. Evang. Beda, Hugo: per hunc numerum ostendit Dominus; quòd per hos, & eorum sequaces erat annuntiaturus. Mundo fidem Trinitatis. Una die per viginti quatuor horas à sole totus illustratur orbis: Sol ergo, per triduanum ambitum suum, Septuaginta duas horas facit. Christus, qui se diem, ac lucem appellat, per hunc prædicantium numerum significat fidem, & lucem Trinitatis toti orbi annuntiare, ac per Mundum maximè illuminare. Sylveira hìc.

Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis &c. Luc. 24. 27. Lex te Patrem Legislatorem præsentat: Evangelium te Filium incarnatum: Prophetia te Spiritum Sanctum; qui locutus es per Prophetas. Patri adscribitur æterniras, Filio veritas, Spiritu S. charitas. Patri providentia, Filio Sapientia, Spiritui S. Ordo, & unio. Patri creatio, Filio gubernatio, Spiritui S. conservatio. Patri prædestinatio, Filio redemptio, Spiritui S. sanctificatio. Patri via purgativa, Filio illuminativa, Spiritui S. unitiva. Patri præterita, Filio præsentia, Spiritui S. futura. Patri principium, Filio medium, Spiritui S. finis, & terminus: Sicut memoria parit intellectionem, intellectio amorem. Et sicut fides parit spem, spes charitatem: ita Pater generat Filium, Filius cum Patre spirat Spiritum Sanctum. Cornelius in dedic. ad SS. Trinit. Comment. in 4. Proph. Majores.

Requiem non habebant &c. Apoc. 4. 8. Trisagion non solùm continet mysterium SS. Trinitatis; sed totum Apostolorum symbolum, totamque Evangelii doctrinam. Cùm enim Seraphini Patri acclamant *Sanctus*, significant, sanctitatem Patris ostendi in creatione, Filio in Redemptione, Spiritui S. in sanctificatione. Cornelius hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Cùm novem sint ordines Angelorum; quare, tribus exclusis, tantùm sex in Præfatione ponuntur? Dionysius tres esse tradit Ordines Angelorum: trinos in singulis ponens: ut similitudo Trinitatis eis insinuetur impressa. Sunt enim tres Ordines superiores, Seraphim, Cherubim, Throni. Medii, Dominationes, Principatus, Potestates. Inferiores, Virtutes, Archangeli, Angeli. De singulis autem hic ordo medius subtrahitur; de superioribus Cherubim, de mediis Principatus, de inferioribus autem Archangeli: Quia ad comparationem Trinitatis æternæ (cujus majestas hic præcipuè commendatur) omnis alia Trinitas diminuta reperitur, & imperfecta. Innocentius III. P. de sacr. alt. myst. l. 2. c. 61.

Quoddam in creatæ Trinitatis vestigium relucet in omnibus creaturis, tàm in Angelo, quàm in homine, quàm in Mundo. Id. ib.

Pater lux ingentissima; Filius splendor pulcherrimus, & fulgentissimus; Spiritus S. amor ardentissimus. S. Bonaventura s. 21.

Ostenditur per omnem creaturam, quòd in omnibus creaturis est vestigium Trinitatis: *omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit*. Sap. 11. 21. Glossa; in his tribus Dominus instituit, & gubernat, & judicaturus est. S. Bonav. s. 3. in Octava Pent.

Videmus in rebus procreatis imagines rerum, nobis divinarum naturarum indicantes: ut cùm dicimus summam S. Trinitatis excellentiam, per solem, & lucem, & radium: aut per rosæ plantam, & florem, & odorem declarari. S. Joan. Damasc. orat. 1. de imaginib.

Unus sol, unus Deus: in una essentia tres Personæ. In uno sole una substantia, & ab una substantia tres formæ, lux, splendor, calor. De Patre dicitur. 1. Joan. 1. 5. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*. De Filio dicitur: *qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*. Hebr. 1. 3. De Spiritu S. dicitur: *ignem veni mittere in terram*. Luc. 12. 49. S. Thom. Vill. conc. 1. de S. Augustino.

Per memoriam Patri similes sumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spirituì S. S. Bernardus l. de anima c. 1. sive Medit.

Quare in Missa ponantur panis, vinum, & aqua? In pane, qui corroborat, intelligitur Pater, qui est omnium fortitudo: in vino, quòd lætificat, intelligitur Filius; qui est gaudium omnium nostrum: in aqua, quæ mundat, & lavat intelligitur Spiritus S. Ezech. 36. 25. *Effundam* &c. S. Th. Aqu. Opusc. 18. de exposit. Missæ Art. 2.

Osculum sanctum est; quod in signum S. Trinitatis datur. Idem in c. 16. Rom. Lect. 1.

Tria sunt invisibilia Dei: potentia, sapientia, benignitas. Ab his tribus procedunt omnia; in his tribus consistunt omnia; per hæc tria reguntur omnia. Potentia creat, Sapientia gubernat, Benignitas conservat. Quæ tamen tria, sicut in Deo ineffabiliter unum sunt; ita in operatione separari non possunt. Potentia per benignitatem sapienter creat: Sapientia per potentiam benignè gubernat: Benignitas per sapientiam potenter conservat. Potentiam manifestat creaturarum immensitas, sapientiam decor bonitatem utilitas. Richardus à S. Vict. l. 2. c. 2.

Impossibile foret hoc Verbum esse Deum, si à Patre, & Spiritu S. esset separabile. Sicut ab hac dictione *ita*, quæ veritatem sonat, & tres in se literas continet, exemplum habetur. Si illarum enim aliquam subtrahes, eandem dictionem non efficerent. Simili modo intelligendum est de tribus in una divinitate Personis. Revel. Sanct. Brigittæ in die Domin. Lect. 1. c. 1.

Specialiter *ignis* repræsentat SS. Trinitatem: quia ignis apparet tripliciter: in flamma luce, & carbone. *Aqua* triplex, condensata in nube, congelata in glacie, liquida in fonte, vel flumine. *Terra*. Is. 49. 12. *quis appendit tribus digitis molem terræ?* Omnis *res* habet principium, medium, & finem. Omnis *sonus*, juxta Isidorum, harmonicus, aut voce editur, scilicet per fauces, aut flatu, scilicet per fistulas; aut pulsu, scilicet per tympanum, Psalterium, & Citharam. Geminiani c. 81. l. 1.

In nomine Jesu, ut dicit Ambrosius, tota Trinitas repræsentatur; quia Jesus interpretatur *unctus*: in quo intelligitur, unctus ungens, & unctio. Idem ibid.

Sicut tres colores faciunt in circulo cœlesti iridem; ita tres Personæ in deitate faciunt Triadem: puta unum, trinumque Deum. Cornelius Comm. in 4. Proph. Major. in dedic.

Sicut idem numero Christus existit in tribus hostiis consecratis, & hostiæ realiter à se distinguuntur; cùm tamen essentiam habeant planè eandem, nimirum idem Corpus Christi: ita etiam essentia divina existit in tribus personis, quæ in ratione personæ realiter differunt; cum essentiam habeant eandem, & individuam. Idem ibidem.

§. II.

A SS. Trinitate nobis collata beneficia.

Ex Veteri, & Novo.

Confortare, & esto robustus. Jos. 1. 6. Ter hoc repetit v. 6. 7. 9. ut indicet, eum Trino, summoque robore SS. Trinitatis egere. Cornelius hic.

Requiescet sub vite sua, & sub ficu sua, & sub Oliva sua. Ità legit Origenes. 3 Reg. 4. 25. Oremus, ut Jesus regnet super nos, & cesset terra nostra à bellis; cesset ab impugnationibus carnalium desideriorum: & cùm ista cessaverint; tunc unusquisque *requiescet sub vite sua*, &c. sub velamento enim Patris, & Filii, & Spiritus S. requiescet anima; quæ pacem in se recuperaverit carnis, ac spiritus. Origenes hom. 22. in Num. *Veni de Libano* &c Cant. 4. 8. Dicit ter, *veni*, propter fidem Trinitatis, ad quam alios inducere debet. Vel, quia derelinqui Mundus non potest; nisi educat *Pater* sua potentia. Psalm. 135. 11. *eduxit Israel de medio eorum, in manu potenti.* Nisi *Filius* dirigat sua sapientia: *eduxit illam sapientia à dilecto suo.* Sap. 10. 2. Et nisi *Spiritus S.* attrahat sua bonitate: *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* Isa. 63. 14. S. Thom. Aqu. hic Lect. 1.

Adveniat regnum tuum. Matth. 6. 10. idest, veniat Pater, & requiescendo regnet in palatio memoriæ: Filius in palatio intelligentiæ: & Spiritus S. in palatio voluntatis humanæ. S. Bernardinus t. 3. s. in dieb. rogat.

Et ad eum veniemus. Joan. 14. 23. Hoc profectò magnum dilectionis est proœmium, quòd Pater & Filius, per Spiritum S. Deus *unus*, dilectio animæ intrinsecus, mira, & ineffabilis charitatis voluptate copulatur. S. Rupertus l. 11. hic.

Misericordia vobis, & pax, & charitas, adimpleatur. Judæ v. 2. Salmeron, & alii, misericordiam attribuunt Deo Patri: ipse enim est *Pater misericordiarum.* 2. Cor. 1. 3. Pacem Filio: *ipse enim est pax nostra.* Eph. 2. 14. Charitatem Spiritui S. *charitas* enim *diffusa est* &c. Rom. 5. 5. Cornelius hic.

Ex Patribus, & aliis.

A Patre potentiam, à Filio sapientiam, à Spiritu S. accipimus innocentiam: Pater eligit, Filius diligit, Spiritus S. conjungit, & unit à Patre nobis datur æternitas, à Filio imaginis ejus conformitas, & Spiritu S. integritas, & libertas. In Patre sumus in Filio vivimus, in Spiritu S. movemur, & proficimus. S. Cyprianus de Baptismo Christi.

Planè inseparabilis Trinitas, unus Deus inseparabiliter operatur. Verumtamen singuli horum, idest, Patris, & Filii, & Spiritus S. sicut personæ proprietas, ita & in perfectione Mundi consideranda est actio propria: videlicet, ut Patris creatio, Filius redemptio. S. Spiritus proprium sit opus creaturæ innovatio. S. Rupertus prologo in Gen.

Proprium erat opus Patris facere: proprium opus Filii redimere: proprium Spiritus S. opus illuminare; & ad similitudinem Dei hominem producere: *faciamus* hominem ad *imaginem*, & *similitudinem*. Idem l. 1. de oper. Spir. S. c. 111.

O bone Jesu! totius B. Trinitatis thesaurorum elargitor. S. Laur. Just. de incend. am. c. 6.

Lex naturæ appropriatur patri, Lex scripta Verbo, Lex Gratiæ Spiritui S. Lex naturæ est, lex pietatis: pietas videtur inesse omni creaturæ, etiam insensibili. Radix enim totum, quidquid recipit, mittit ad ramos: fons, quidquid hausit, mittit ad rivolos. Similiter in bestiis pietas videtur esse Patris ad prolem; quidquid gustant, & sumunt, præter necessarium, & etiam de necessario, in lac convertunt, & in nutrimentum prolis. Lex Scripturæ est lex Veritatis: quia est in quadam veræ promissionis pronuntiatione. Lex Sanctitatis est Gratiæ: lex spiritus liberavit me. Per hæc tria Deus Trinitas gubernat Mundum; & secundum hæc tria imprimit leges in mente rationali. Sanct. Bonaventura hexam. serm. 21.

Tres habemus hostes: Carnem, Mundum, & diabolum. Sed quomodo huic nefandæ Trinitati poterimus resistere? Ex nobis nequaquam. Quid ergo faciendum? Habemus Trinitatem ineffabilem, patrem filium, & Spiritum S.; cujus auxilio vincere possumus: per patrem diabolum, per filium Mundum, per Spiritum S. carnem, vincimus. Beneficio Patris, & consilio, resistimus diabolo; Mundo, Verbo filii, & exemplo: Carni, obumbratione S. Spiritus, & incendio. Vultis audire beneficium Patris? *misit Filium suum.* Joann. 3. 17. qui fortem alligavit diabolum. Consilium dedit nobis, quando dixit: *hic est Filius meus dilectus.* Matth. 3. 17. Obumbratione spiritus *virtus Altissimi obumbravit tibi.* Luc. 1. 35. Incendio enim charitatis incentiva carnis repellit. Blesensis s. 8. de S. Vincentio.

§. III.

SS. Trinitas colenda, laudanda.

Ex Veteri, & Novo.

Faciamus hominem. Gen. 1. 26. Hinc incipiens teipsum cognoscere. Nondum in ulla molitione hæc vox scripta est. *Fiat lux*; Cœlum: sed sine consultatione. Stellæ. Stellæ; sed nulla præcessit deliberatio. Pelagus, atque innumerabilia Maria, ad jubentis vocem extiterunt. Non, ut inter aliis rebus; dixit, *fiat* homo. Disce pretium, ac dignitatem tuam. *Faciamus*, sapiens consulit, artifex meditatur. Et quid deest arti ejus? Quanam difficultate adductus consulit; ut absolutum, & perfectum, elaboratumque, faciat charum opus suum? An? ut ostendat, te perfectum esse apud Deum? Cur autem non dixit, facito; sed *faciamus*? ut scias, patrem fecisse, per filium, & filium paterna creasse voluntate: laudaresque patrem in filio, & filium in Spiritu S. S. Gregor. Nyss. Orat. in ea Scripturæ verba: faciamus hominem.

Vespere, & manè, & meridie, narrabo &c. Psal. 54. 18. Consuetudo ter orandi in die legitur aliam apud Danielem 6. 13. fortasse in honorem Sanctissimæ Trinitatis; cujus mysterium Prophetis non erat incognitum. Bellarminus hic.

Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus! Sanctus! Sanctus! &c. Isa. 6. 3. dicamus & nos: *Sanctus*, &c. Sanctus in creatione, Sanctus in redemptione, Sanctus in sanctificatione nostra. Sanctus in cœlo, Sanctus in terra, Sanctus in ghenna. Sanctus in gloria, Sanctus in gratia, Sanctus in justitia. Sanctus glorificans Angelos, Sanctus justificans homines, Sanctus puniens dæmones. Sanctus in utero, Sanctus in præsepio. Sanctus in patibulo. Sanctus in miraculis, Sanctus in doctrinis, Sanctus in exemplis. Sanctus in Christianis, Sanctus in Judæis, Sanctus in Gentibus. Sanctus in potentia, Sanctus in sapientia, Sanctus in providentia. Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus S. Cornelius hic.

Non tetigit eos omnino ignis. Dan. 3. 50. Edax ignis in tribus pueris sanctum, & divinum, Ternarium reverebatur, & tremebat. S. Chrysost. in Ps. 96.

Ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Joan. 17. 22. Et Monachi, & Ecclesiastici, Trinitatem exprimunt. Plures personæ sunt; sed natura una. Idem sapiant; quamvis alter præsit, ministret alter. Non confundendæ personæ: alia est enim persona patris, - sed tamen natura una, unaque voluntas. Non Dominus, sed pater, audiatur in nobis: non servus intra nos, sed filius, compelletur. Quique ex his prodeunt, non mancipia putentur; sed amoris fœtus. Oliva l. 12. Strom. §. Rogo pater.

Ex Patribus, & aliis.

Submittimus nos Patri; ut sanctificemur: submittimus nos Filio; ut hoc ipsum fiat: submittimus nos Spiritui S.; ut id efficiamur, quod ille est, ac dicitur. S. Gregor. Nyss. Orat. in diem Lum. Animus, ab iracundia alienus, templum est Spiritus S. In Spiritu mansuetudinis caput Christus inclinat: & mens pacifica Ss. Trinitatis est domicilium. S. Nilus or. 4. de ira.

Ariprando fratri charissimo. Exigis, dilectissime fili, ut tibi aliquid scribam: & qui, me dictante, frequentes aliis scriptitas, ut tibi quoque aliquid scribatur, imploras. Sed unde scriptori congruentius incipiam scribere, quàm à scribendi ipsius Musica dignitate? In te quippe, qui scribis, tres sunt digiti & una manus: scribis, tres Personæ, & unus Deus. Cùm igitur ex diversis apicibus continuum ducis articulum; ad illum semper unum tua dirigatur intentio; cujus in tenetipso, per quandam similitudinem, conspicis Sacramentum. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 18.

Fidem tibi non fallam, ò Pater expers principii! non fallam fidem, ò sermo Unigenite! non fallam fidem ò Sancte Spiritus! scio, quid professus fuerim; à quo me disjunxerim, & cui me adjunxerim. S. Gregor. Naz. orat. 11. Adv. Arianos.

Honora Patrem meum, dilige me, obedi S. Spiritui meo. Revel. S. Brig. l. 1. c. 3. V. C.

Miles suspensus in tertium diem vixit, ob Ss. Trinitatem, & vulnera Christi quotidie culta. Depositus à furca, à Sacerdote accepit, quod petivit: peccatorum scilicet absolutionem, & Communionem; qua accepta mox expiravit. Stengelius t. 1. div. judic. c. 15. ex Cæsar. l. 9. c. 49.

Duo fratres, propter morum arborem, graves habebant rixas, quovis eorum, suam esse afferente. S. Franciscus de Paula charitate motus, optans lites tollere, ad orationem confugit; & ea finita, ad arborem conversus: ò creatura Dei, ait, ego minimum servorum ejus, in nomine SS. Trinitatis impero tibi, ut componas litigia inter istos dominos temporales. Et mox arbor illa in duas divisa est partes æquales, ut quisque dimidium habuerit. Paoletti s. 10. de S. Franc. de Paula.

§. IV.

§. IV.

Ss. Trinitatem ama, non offende.

Ex Patribus, & aliis.

ADerit quoque tunc in Judicio Deus omnium Pater, assidente Christo, & præsente Spiritu Sancto. S. Cyrill. Jeros. Catech. 15.

Cùm Scripturam sanctam legimus; Verbum Dei tractamus; Filium Dei per speculum, & in ænigmate, præ oculis habemus. Et revera, si benevoli lectores sumus, si benevoli auditores lectioni assistimus legendo, vel audiendo, accendimur: legendo, vel audiendo, ad amorem Dei proficimus, Nonne ergo de Scriptura sacra nobis amor Dei processit? Quid autem est amor Dei? nisi Spiritus Dei. Procedit donum ex Patre; ut, per Scripturam intellectam, cognoscamus Filium Patris. Procedit nobis amor ex intelligentia Scripturæ; ut amemus Patrem Filii, & diligamus Filium Patris. None ergo jam nobis etiam hoc modo Spiritus Sanctus ex Patre, Filioque processit? S. Rup. l. 1. de oper. Spir. S. c. 6.

Pensa charissime, quàm beatissima Trinitas amanda sit: quæ sic tota nobis intendit; imò quæ se totam nobis impendit. S. Bonav. s. 3. in oct. Pent.

Deus est, Deus Abraham, conferendo fidem: Deus Isaac, conferendo spem: Deus Jacob, conferendo charitatem. S. Bonav. in Ps. 45.

Imperator Valens, malevolorum adductus sermonibus, incubuit ad voluntatem eliciendi Basilium in exilium: Cœterum calamus statim, nolens iniquo subservire consilio, ultrò confractus est. Secundum calamum arripuit, ad subscribendum sententiæ exilii, & ille confractus est. Tertium; & hic confractus. Tres calami consubstantialitatem Trinitatis prædicanti patrocinati sunt. S. Ephr. Encom. in S. Basilium. M.

Triplex genus peccatorum. Alia enim sunt, in quæ incidimus per infirmitatem; alia, quæ incurrimus per errorem; alia, quæ committimus per solam iniquitatem. Secundùm hunc triplicem peccandi modum, dicimus peccare in patrem, peccare in Filium, peccare in Spiritum Sanctum. Nam, quamvis una, eademque, sit potentia, sapientia, & bonitas, sit Patris, & Filii, & Spiritus S.; Secundum quemdam tamen modum loquendi in quibusdam Scripturæ locis, potentia Patri, Sapiencia Filio, benignitas Spiritui S. (quasi specialiter) videntur assignari. Qui igitur per infirmitatem delinquit, ei utique valde contrarius est, qui summa potentia est. Qui verò per solam malitiam offendit; quomodo ei magis adversari potest, qui summa bonitas est? Rich. à S. Vict. tr. 2. c. 3.

Pœnitens obligatur Deo Patri, ex peccatis, quæ fecit ex fragilitate. quia Deo Patri attribuitur potentia. Solvitur autem ista obligatio per asperam, duram, & magnam, pœnitentiam. *Secundò* obligatur Filio Dei, ex peccatis, quæ commisit per ignorantiam; ignorans, quòd tenebatur scire. Solvitur hæc obligatio, audiendo sapientiam divinam, Missas, sermones, bonas lectiones. *Tertiò* obligatur Spiritui S. ex peccatis, quæ commisit per malitiam, & iniquitatem. Solvitur ista obligatio per bonitatem, faciendo opera misericordiæ, tam corporalia, quàm spiritualia. S. Vinc. Ferr. s. in Vig. Epiph.

Potentia ad Patrem; Sapientia ad Filium; charitas ad Spiritum S., pertinet. Quando ex fragilitate peccamus; peccamus in Patrem, quasi contra potentiam: quando ex ignorantia, peccamus in Filium, quasi contra Sapientiam: quando verò ex malevolentia; peccamus in Spiritum S. quasi contra dilectionem. Blesensis s. 29. in Ass. B. V.

TITULUS XIII.

TRISTITIA.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Scissisque vestibus. Gen. 37. 34. Vetus mos, in luctu scindere vestes: eratque hoc Symbolum planctus. Scissio enim vestium significabat, scissum dolore cor. Cornelius hic.

Nudis pedibus &c. 2. Reg. 15. 30. Hebræi, & postea Romani, nudo capite incedebant: quasi liberi, & expediti: in luctu verò caput operiebant: ut patet 2. Reg. 19. 4. & Jerem. 14. 3. Nimirum sciebat David; sibi non tam cum Absolone, quàm cum Deo, rem esse. Eum itaque priùs hisce pœnitentiæ armis expugnare decrevit. Cornelius hic.

Verbum *sedendi* significat tristitiam: *sede in pulvere virgo filia Babylon.* Isa. 4. 71. *Quomodo sedet sola civitas?* Tren. 1. 1. *Dies multos sedebunt Filii Israel sine rege.* Os. 3. 4. *Surgite, postquam sederitis.* Ps. 126. 2.

Cùm serò esset. Joan. 20. 19. Erat plus mœrore, quàm tempore: Serò est mœroris, & tristitiæ, nubilo mentibus obscuratis. - Nullæ noctis tenebræ caligini mœroris, & formidinis, comparantur. S. Chrysol. s. 48.

§. II.

Tristitia vitiosa, & indifferens.

Ex Veteri, & Novo.

David tollebat citharam &c. 1. Reg. 16. 23. Franciscus Vallesi. s. Philos. c. 28. dæmones melanchonicos invadunt; aut melancholicos humores hominibus inferunt. Quocirca, qui tentationes diaboli evadere cupit; caveat à melancholia. cum suspiciones, timores, angores, scrupulos ingerit; dicat: non credo vobis: vos enim proceditis à meo hoste; scilicet dæmone, & melancholia. Falsa sunt, inepta sunt, stulta; quæ mihi repræsentatis. Hinc S. Antonius, teste S. Athanasio, dicebat: nihil efficacius esse ad vincendos dæmones qua lætitiam spiritualem. Et S. Jacobus 5. 13. *tristatur aliquis vestrum? ret.* S. August. l. 9. conf. c. 6. quantum flevi in hymnis, & Canticis tuis, sua vesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus; commotus acriter! voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum; & ex ea æstuabat inde effectus pietatis; currebant lacrymæ: & bene mihi erat cum eis. Cornelius hic.

Acetum in nitro, qui canta carmina cordi pessimo. Prov. 25. 20. Galenus l. 3. de medicam. compos. docet: nitrum optimè solvi acri vino, & aceto. Hinc aliqui sic exponunt, sicut acetum refringit vim nitri, ac nitrum vim aceti; sic suavis sermo, & cantilena infringit, lenitque sensim malitiam, id est, mœstitiam cordis. Cornelius hic.

Omnis plaga, tristitia cordis est. Eccl. 25. 17. Syr. *omnis plaga non est, sicut plaga cordis.* Tigur. *summa plaga, est mœror animi.* Ratio: quia mœror immediatè totus est in anima, qui maximè est sensitivus: cœteri enim dolores; ut verbera vulnera, adustiones, sicut in corpore; & per corpus, quod in se sentiendi vim non habet, quasi refracti, retusi, & imminuti, transeunt ad animum; ubi est. Cornelius hic.

Regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno. Luc. 24. 52. Non patitur in suis Deus tristitiam; sed vult eos hilares. Sylveira in Act. 1.

Ex Patribus, & aliis.

Sicut est puer parvulus ad tristitiam; qui interdum tempor: mortui patris, vel matris, vel alicujus amici, ridet, & ludite talis fiat vir; habitudinem puerilem, circa tristitias repellendas, perfectioris animæ ratione commutans. Orig. tr. 5. in 18. Matth.

Omnis, qui placet, hominibus displicet; causas tristitiæ nullas habet. S. Gregor. mor. l. 15. c. 22.

Tristantur facilè, quorum spes extat in imis. V. Beda in proverbiis.

Nihil roboris habet tristitia, nisi reliquæ adsint perturbationes: quemadmodum nec vincula quidquam possunt; nisi adsint, qui illa admoveant. Qui, tristitia obstrictus est, is victus est à perturbationibus; & tristitiæ vincula circumfert, tamquam indicia calamitatis suæ. S. Nilus or. 5. de tristitia.

Victor passionum victor est tristitiæ. Quem vicit voluptas, is non facilè effugerit tristitiæ vincula. Qui Mundum diligit, is, necesse sit, ut subinde contristetur, & mœreat: qui autem, quæ in Mundo sunt bona, nè tantilli quidem ducit, jugi lætitia perfruetur. S. Antiochus Abb. hom. 20.

Si quis Mundum omnino odit, hic tristitiam effugit. Porrò, si quis qualibet visibilium rerum affectione mordetur, tristitia nondum liberatus est. Joan. Clim. gr. 2.

Tristitiam, si potes, nè admiseris: sin minus, nè ostenderis. S. Martinus Bracar. Maximæ de moribus.

§. III.

Tristitia bona, salubris.

Contristatus sum in exercitatione mea. Psal. 54. 3. Hic oportet contristari, si velimus in futuro ad lætitiam transire: omnes enim motus à contrario in contrarium sunt. Eligat igitur hic unusquisque, quod voluerit; lætitiam scilicet, vel tristitiam: quia hinc ad suum contrarium transcurrus est. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. 16. 20. Hugo Card. hic.

Beati, qui lugent. Matth. 5. 5. Religiosa tristitia aut alienum malum luget, aut proprium. S. Leo hom. 9. de jejunio.

Filiæ Jerusalem nolite flere super me. Luc. 23. 28. Jerusalem filiæ, animæ sunt pacis; quæ super nullo afflicti lamentis, doloribus debent; præterquam quod Dei displicentiam generat. Nihil enim mœstitia dignum, nisi peccatum. Sim. Cass. l. 13. hic.

Non turbetur cor vestrum. Joan. 14. 1. Nulla major causa perturbationis, atque tristitiæ, quàm separari à dilecto; ab eo; quod neque fallere, neque falli, potest. Id. l. 12. c. 1.

Cùm nos, vel proximi peccant; tunc tristandum est: cùm autem in humanos casus incidimus, inutilis tunc tristitia. S. Chrysost. hom. 77. in Joan. 16.

Tri-

Tristitiam nobis Deus non ob aliud indidit, nisi propter solum peccatum, & hoc per ipsam rerum experientiam manifestavit. In pecuniarum enim multa, in morte, & ægritudine, & aliis nobis ingruentibus molestiis; dolentes, & mœrentes, non tantùm nullam consolationem capimus; verùm & molestias augemus. In peccatis verò si doleamus, & contristemur; peccati magnitudinem minuimus: &, quod erat magnum, reddimus parvum: sæpè verò & funditus ipsum totum delemus. S. Chrysost. hom. 7. ad pop.

Sanctorum luctus multiplicatum gaudium, pro portione, pavit. Simile mihi videtur hoc: ut, cùm rosaria plantantur; tunc enim nihil, præter spinas, cernitur; neque tamen ideo plantare desinunt. Sciunt enim, novo vere rosaria ipsa mira florum, ac rosarum, specie aspectus hominum, & odoratus etiam, oblectare. Isidorus Clarius l. 2. or. 8.

§. IV.

Tristitia Christi.

Figura.

Pertivit anima sua, ut moreretur. 3. Reg. 19. 4. Unde tantus pavor? tanta consternatio in Elia? qui paulò ante erat impavidus; certabat cum Achab, & Baalitis, eosque superaverat. Respondeo: quia subduxit illi Deus robur à se inditum: ut agnosceret, fuisse donum Dei se verò ex natura sua timidum, ut alii sunt homines. *Secundò* repræsentat infirmitatem Christi paventis in horto. Ità Rupertus l. 5. cap. 10. apud Cornelium hìc.

Christi tristitiam in horto vocat Anastasius Sinaita: tristitiam in pariendis filiis, & tristitiam conturbantem Christi animam usque ad mortem. Columbam nomine, referunt medici, gravidam parturiisse multos dies; &, per conatus illos naturæ, ad obstetricum studia nihil promovisse. Triennium igitur lecto affixa decubuit. Deinde, resumptis utcumque viribus, ambulavit, viginti quinque annos uterum gerens. Tandem extinctæ, atque medicorum scalpro exectæ, in utero deprehensus est infans, in lapidem durissimum conversus: quod vidisse se Parisiis Anno 1609. affirmat Aubertus Myræus, vir à Scriptis clarissimus. Non unum, ut illa; aut ut Rebecca, geminos, etiam collidentes in utero, gestavit Christus; sed quotquot homines erant in orbe futuri: adeoque illos omnes triginta tres annos, quoad vixit, eniti conatus est ad vitam; & in lucem Evangelii parturivit. At quàm multi obdurarunt ut lapis! De Nabal immiti 1. Reg. 25. 37. *emortuum est cor ejus intrinsecus; & factum est, quasi lapis.* Quàm acerbo putas Christi parturientis sensu, Judæi, Scribæ, Pharisæi, ad prædicationem ejus obdurarunt! *Quasi lugens, & contristatus, sic humiliabat.* Ps. 34. 14. S. Hieron. legit, quasi lugens mater tristitia incurvabat. Doultreman. l. 2. c. 3. de amore Sect. 10.

Varia de tristitia Christi.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26. 38. Plena est tristitia Christi, & ab ipso sanctè suscepta in horto pinguedinis: ut in ipso puniretur, quòd in horto primævo malè fuit lætatus Adam. S. m. Cass. l. 13. c. 11. *Tristis* &c. idest, vehementissimè contristatur: ità ut tristitia hæc, & mors, uno duntaxat gradu, videantur distare. Dion. Carth. hìc.

Et factus est sudor ejus. Luc. 22. 44. Tam vehementem tristitiam, & timorem, Christus assumpsit: non solùm ex consideratione Passionis sibi instantis; sed etiam ex consideratione ruinæ, & ingratitudinis, destructionisque Judæorum; propter quorum salutem specialiter fuerat missus. Et quia videbat, Passionem suam tam multis non debere prodesse, immò magis obesse, propter eorum ingratitudinem, & peccata: itemque quia omnium Electorum suorum futuras tribulationes, quas pro ipso passuri erant, usque in finem Mundi, prævidit; & intimè eis condoluit. Dion. Carth. hìc.

Uno Jesus tempore fruebatur Dei visione, & intolerabili passione gemebat: ut tota divinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam. Nam quemadmodum omnes cognitione antecessit; ità, etiam & mœrore. Apposita est illi scientia, appositus est & dolor. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 19.

Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur: & vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam; ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. S. Ambros. l. 10. in Luc. 94. Mœstitiam prætendebat, quam non ex metu mortis suæ, sed ex mora nostræ redemptionis assumpserat. - Non propter mortem, *sed usque ad mortem*, tristis est Dominus: quòd in certamine Passionis mors corporis, absolutio, anxietudinis, non coacervatio sit doloris. S. Ambros. l. 7. in Luc.

Hoc dolebat mihi, & contristabar pro persequentibus me: quia nolebant pœnitentiam agere. Ego in cruce pendebam, & sanguine meo lavabam sordes eorum; & ipsi nolebant agere pœnitentiam. Hæ erant lacrymæ meæ; hæc compunctio: persequentes me non potui salvare. S. Hieron. in Ps. 108.

TITULUS XIV.

TURCÆ.

Anno 1509. 14. Septembris terræ motus octodecim continuò diebus, murum Constantinopolis, qua parte mare spectat, cum omnibus adjacentibus domibus disjecit, & fossas ruderibus implevit. Sed mirum id fuit: cùm multæ Turcarum Moschææ collaberentur, Christianorum tamen templa illæsa manserint. Ipsa Sophiæ ædes nihil mali sensit, præter turrim à Turcis post captam urbem, templo in fine illo ornatus gratia annexam: quæ tota præcipitata periit. Sed & terræ motu, calx, & cœmentum, quo Beatorum imagines post captivitatem urbis coopertæ fuerant, ità separatim ab imaginibus ceciderunt, quasi arte nova jam primùm suo splendori essent redditæ. Stengelius t. 2. judic. div. c. 18.

B. Catharina Bononiensis prævidit Orientalis Imperii excidium, & Constantinopolitanam captivitatem. Pro qua cùm rogaret, nè Christianum Imperium in potestatem Turcicam deveniret; admonita est à Deo, finem precandi faceret: quod ob Græcorum flagitia, & impietatem, oporteret à Christiano Corpore illud imperium rescindi. Bollandus 9. Martii.

Notat Genebrardus in Chronol. eodem ferè anno, quo Ottomanus usurpavit Imperium Turcarum, Deum creasse Imperatorem Christianorum Rudolphum Habspurgensem; à quo Austriaci descendunt: quasi eos Ottomanicis opposuisse videatur. Sicut tradunt Hebræi: eo die, quo Nabuchodonosor diruit templum, natum esse Cyrum, qui ejus posteros delevit. Cornelius in Cant. 7. 1.

Et ecce equus pallidus. Apoc. 6. 8. Optimè Joachim, Seraph. Firmanus, Pannonius, & Pererius, per hunc equum intelligunt Sectam Mahometis, Turcas, & Saracenos, infensissimos à mille jam annis hostes Christianorum: hi enim post Gothos, Arianos, aliosque priscos hæreticos, Ecclesiam gravissimè infestarunt. Cornelius hìc.

Credite fratres, quàm diu in his moribus Ecclesia vixerit, frustrà bellatur in Turcas: priùs contra mores, quàm hostes, pugnandum. Corrigamus ergo vitam, & adhæreamus Deo; & ipse pugnabit pro nobis. S. Thom. Vill. s. 1. D. 2. Quadr.

Non est, fratres, cur Turcarum ferocitatem timeamus nos, quibus Deus præsidio est, qui illis est contrarius. Alium Turcam ego magis timeo, qui intrà nos latet; peccatum scilicet; ingratitudinem, aversionem. *Si populus meus audisset me &c. pro nihilo forsitan &c.* Ps. 80. 14. Idem f. in Rogat.

V

TITULUS I.

VANITAS.

§. I.

Figura, Symbola, definitio.

Ex Veteri.

Dormivitque Salomon cum Patribus suis. 1. Reg. 11. 43. Jam ante proclamarat Salomon totique Mundo concionatus; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* & tamen vanitas, vanaque species mulierum, eum in senio dementavit, vanumque reddidit; ut seipsum fecerit summum vanitatis spectaculum: evanuit enim ejus sapientia, sanctitas, felicitas, gloria, sanitas, vita, utinam non æterna! Quid est homo etiam sapientissimus, ditissimus potentissimus? si Deum deserat, & à Deo deseratur? non est aliud, quàm mancipium vanitatis, imago stultitiæ, præda mortis, ærumnarum abyssus. O si Salomoni liceret ad vitam redire; qualem ageret pœnitentiam, qualem institueret vitam, quid mortalibus inclamaret? utique illud Salvii ad mortem revocati apud Greg. Turon. l. 7. hist. c. 1. audite filii Adæ, & intelligite: quia nihil est, quod cernitis in hoc Mundo, sed omnia vanitas. Omnia ergo, ut vana, contemnite; ut veram gloriam Dei mereamini adipisci in cœlo. Cornelius hìc.

Usquequo parvuli diligitis infantiam? Prov. 1. 22. idest, Sæculi vanitatem. *Et stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupiunt;* id est, temporalia: quia sunt ignis, & gladius: quæ duo pueri libenter tenent; donec comburantur, aut lædantur. Hugo Card. hìc.

Hedera Jonæ 4. 6. Symbolum est vanitatis Mundi, omnisque rei, & spei mundanæ, De hac enim hedera in Hebr. v. 10. hìc dicitur: *Filia noctis erat, & filia noctis periit;* idest, una nocte nata est, una etiam nocte periit. Annon filia noctis est honor, deliciæ, divitiæ; quæ una nocte obveniunt; una nocte durant. Cornelius hìc.

Ex

Ex Novo.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua &c. Matth. 21. 8. O quàm dissimile est, *tolle! tolle! crucifige eum! & benedictus, qui venit &c.* Quàm dissimile, *Rex Israel; & non habemus regem, nisi Cæsarem.* Quam dissimiles rami virentes, & crux; flores, & spinæ Cui priùs sternebantur vestes alienæ, ecce suis exuitur. S. Bernardus s. de Pass. Dom.

Facta est nubes. Luc. 9. 34. En, quò felicitas recidat! en, quomodo apparatus ille majestatis evanuerit! en ut sol genarum mutetur in nubem! Ità ut plurimùm serenitas potentiæ nubilo excipietur; & fortuna aghatum secum trahit nimbum lacrymarum. Soli nubes succedunt, splendor umbra funestatur, rutilantia indumenta tandem inumbrantur. Oliva l. 13. Strom.

Nec Salomon in omni gloria &c. Luc. 12. 27. *Si autem fœnum &c.* Præfertur lilii gloria gloriæ Salomonis: cùm tamen Rex iste omnes majestatis splendores superavit; & flox ille tantùm uno die in æquo resplendeat. Adeò humana gloria brevis est, ut longum spatium fuerit dies. Naxera in Jos. 1. §. 39.

Ex Patribus, & aliis.

Sicut videri nequit in rota, quæ continuò versatur, aliqua pars ejus; eò quod crebra circumferentia semper summa fiant ima; & ima summa: ità etiam nostrarum rerum impetus, dum continuò vertuntur, summa facit infima. Ut videre licet in divitiis, potentiis, & aliis. S. Chrysost. tom. 1. de nomine Abram.

Umbræ, & rotæ, & tristitia, & læta, hujus vitæ temporaneæ, quemadmodum umbra, non manent; & ut rota, vertuntur. S. Nilus in paræneſi.

Res nostræ velut orbe quodam volvuntur: aliàs sæpe uno, eodemque, die, atque etiam interdum hora, mutationes advehente. S. Gregor. Naz. de paup. amor.

Heu! cuncta paulatim, etiam præclara, pereunt! ut exiguæ supersint reliquiæ. Velut solo vexato à magnis imbribus aliis supersunt avectis silices modò. Idem. Poemate de vita sua. Quidquid in hoc Sæculo magnum videtur, umbra, vel somnia, deputanda sunt. Aponius l. 6.

Theophrastes docet, chameleontem ex rore vivere, & sæpe deprehensum, muscas comedere. Atque hinc fortè orta vulgi opinio, eum ex aere vivere, Symbolum eorum, qui vento honoris, & muscis deliciarum se pascunt. Quàm multi Christiani stolidiores Domitiano! qui, cùm salutem suam æternam procurare debeant, quotidie, non duabus, sed omnibus horis, captant muscas. Ambis opes? muscam ambis. Ambis sponsam divitem, & speciosam? muscam ambis &c. Cornelius in Levit. 11. 30.

S. Petrus Clementem docebat, Mundum hunc esse domum fumo plenam. Clemens Rom. in ep.

Pontifex primùm triplici tiara coronatus cani sibi audit: Pater Sancte! sic transit gloria Mundi; stupa simul accensa. Nieremb. in discrim. temp. & ætern. c. 3. Fluvius fortiter in omne resistens impingit, omnia frangit; sed dum ad mare redit, penitus nomen perdit; Sic & homo potens &c. sed, dum venit ad montem superbiæ, nomen perdit. Geminiani l. 1. c. 36.

Alphonsus Arrag. Rex, in Symbolo dicitur habuisse coronam, in cujus ambitu hæc inscriptio: *Artifex cudit, Deus ludit, imponendo, deponendo.* In fronte coronæ pomum erat Smaragdinum cum Lem. *æstate prodor: autumno probor: hyeme perdor.* Manus tenens in filo orbis globum cum Lem. *Tenui prudentia filo.*

Joannes Dux Cliviæ cum Lem. *Hodie aliquid, cras nihil.*

Horologium lunare, vel solare. Lem. *Labor omnis in umbra.* Picinelli.

§. II.

Vanitatem spernendi motiva.

Ex Veteri, & Novo.

Sitivit anima mea ad Deum vivum. Ps. 41. 3. Propemodum suadens, & vociferans omnibus, qui rebus hujus vitæ inhiant: quid in corpora insanitis? quid corpora amatis? quid gloriam desideratis? quid concupiscitis voluptatem? nihil eorum manet, & vivit perpetuò; sed diffluit, & præterit; & est umbra vanius, & somnis fallacius. Incerta est eorum possessio, instabilis eorum usus, & fruitio; velox est mutatio. In Deo autem nihil est ejusmodi; sed vivit, & manet perpetuò. Caducis ergo, & momentaneis, relictis, eum, qui est æternus & perpetuus, amemus. S. Chrysost. hic Calcare terram, nihil aliud est, quàm simulacra non adorare; quia de terra ficta sunt. Item divitias non concupiscere, voluptates corporis spernere: qui opes, & corpus ipsum, cujus hospitio utimur, terra est. Vivum colite, ut vivatis. Moriatur enim necesse est; qui se, suamque animam, mortuis adjudicavit Lactantius l. 2. instit.

Verba Ecclesiastæ. Eccle. 1. 1. Decernit Ecclesiastes, & ostendit, quæcumque in hoc Mundo sunt, vanitatem esse: non quòd omnia damnet, atque accuset; verùm potiùs consilia hominum reprehendit, qui in hoc Mundo spem suam collocasse videntur. Olympiodorus hìc in Præfat. Nota: creaturas in se veras quidem, & bonas esse; sed, si cum Deo creatore comparentur, vanas, & umbras meras esse. Item non damnantur hic creaturæ Dei; sed pravus affectus, usus, & cupiditas hominum, amantium media pro fine &c. Cornelius hìc.

Vanitas vanitatum. Ib. S. August. l. de quantitate animæ c. 33., & de vera Relig. c. 31. 33., & allbi legit: *vanitas vanitantium*, idest, vanitati servientium: *sunt enim facti*, sicut ea, quæ dilexerunt. Aquila, Symmach. vertunt: *vapor vaporum, & omnia vapor.* Syrus: *inanitas inanitatum, & omnia inanitas.* Alii: *nihilum, nihil; & omnia nihil.* Vanitas ergo opponitur rei velut umbra: res enim, puta corpus, est ipsa vanitas; cujus vanitas est ejus umbra. Quare sicut umbra sequitur suum corpus, sic creatura sequatur suum Creatorem; nè evanescat, & ideò in nihilum abeat. Omnis enim res creata in fieri, esse, & conservari, pendet à Deo, sicut radius à Sole. Quare, sicut sole se subducente radius evanescit: sic Deo manum, idest, operationem, & conservationem suam subducente, res creata redit in suum nihilum. Cornelius hìc. Vanus, ait Servius, vocatur stultus; qui mente vacuus, qui in rebus inanibus studium collocat. Vanitas ergo multa significat. Nam vanitas *primò* est inanitas, *secundò* brevitas, *tertiò* mutabilitas, *quartò* interitus, *quintò* mendacium, *sextò* fraus & fallacia. Omnia in Mundo sublunari summè inania, brevia, mutabilia, corruptibilia, mendacia, falsa, & fallacia. Ex adverso in cœlo apud Deum omnia sunt solida, longa, immutabilia, incorruptibilia, vera, & fidelia. Idem hìc.

Quid habet amplius homo de universo Labore suo? ib. 3. Aliquì tò *amplius* referunt ad laborem. q. d. quid in labore suo amplius habet homo subaudi: quàm ipsum laborem? q. d. ex labore suo nihil acquirit homo, nisi laborem; indeque desolationem, dolores, & cruciatus. Vel tò *amplius* accipias pro mercede. q. d. ex omni labore quid mercedis refert homo? utique exiguum, vel nihil. Cornelius hìc.

Vanitas vanitatum. Hoc dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in viis, in fenestris, in januis; sed potissimum in ipsa cujusque conscientia, continenter inscriptum esse oportet, omnique tempore cogitationi obversari. S. Chrysost. hom. Adv. Eutropium.

In momento. Luc. 4. 5. humana omnia à dæmone exposita: ut tuo multuario aspectu Christus raperetur. Non si singula attentiùs, & accuratiùs, spectaremus; sperneremus; Ità facere solent mercatores, si eorum merces corruptæ; acervatim, & festinanter, ementibus proponunt; nè fortè maculas deprehendant, & abscedant. Equidem qui in momento solùm temporis epulonis *byssum*, & *purpuram*. Luc. 16. 19. intueretur, profectò, vel patrimonii jactura, eam felicitatem emeret. At, si diutius eam spectaret, videret clarè vermes ex ea nasci immortales, ostrum flammas emittere, sitim per aureos calices diviti propinatam; dolores ex deliciis, supplicia pullulare; ambitiosiùs plagas emens mendici, quàm byssum epulantis. Oliva l. 13. Strom. cap. 4. hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Qui in Christo est, quomodo potest vanitates aspicere? cùm Christus in carne sua omnes Mundi hujus crucifixerit vanitates. S. Ambrosius Octo. 5. in Ps. 118. averte oculos meos.

Vanitas rerum humanarum est hæres: quoniam ipsius est distractio, & occupatio varia. S. Ephrem. de pœnit.

Si agonizans plumam levem ori impositam non movet, signum est mortis. Cum vanitates spernuntur, signum est, hominem adhuc in divina gratia vivere. Diez Humilitas.

Plus sapientiæ, & scientiæ, inveniet simplex idiota in vita Christi, ad hujus Mundi vanitates spernendas, ejusque dolos cognoscendos; quàm vel subtilissimus disputator in totius Mundi machina consideranda. Stella de contemptu &c. p. 1. c. 3.

TITULUS II.

VENDITIO CHRISTI.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Vendiderunt Joseph viginti argenteis. Gen. 37. 28. Origenes, August., & Beda: vendiderunt Joseph triginta argenteis. Joseph quidem à fratribus venditus; sed nè moreretur: Filius autem hominis traderur, ut crucifigatur. *In servum venundatus est Joseph* Psal. 104. 17. Ut servaretur: Servi à servando. Verè non est dolor, sicut dolor Christi. Segneri die Ven. S.

Appen-

Appenderunt mercedem meam triginta argenteos &c. Zach. 11. 12.

Hostia in modum denarii cum imagine Christi, seu literarum Nominis Christi: Quia traditus est, & venditus, triginta argenteis; & est verus denarius laborantibus in vinea Domini. Matth. 20. 2. Gavantus p. 2. t. 7.

§. II.

Quàm vili æstimatus.

S*i bos cornupeta-triginta siclos &c.* Exod. 21. 29. 32. Tanti, nec pluris omnino, quanti vile mancipium, æstimatus est Dominus dominorum: in quo sunt omnes divitiæ, omnesque thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Incerto Auth.

Caput ejus aurum optimum &c. Cant. 5. 11. En! tantus triginta emptus est argenteis.

Quid vultis mihi dare? Matth. 26. 15. Judas non postulat certam summam; sed, quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit. S. Hieron. hìc. Quando aliquis vult vendere rem, quam diligit, imponit ei pretium. Sed quando habet rem, de qua vult se liberare, dicit: date mihi, quod placet.

At illi constituerunt ei triginta argenteos. Matth. 26. 15. Tanti enim erat valoris unguentum pretiosum: cujus pretio in tantum doluit se frustratum; ut, desiderio recuperandi illud, venderet Jesum. O infelix Juda! quàm parvi pretii fuit Filius Dei in anima tua! nec mirum: quia avarus fuisti. Dion. Carth. hìc.

O Juda proditor! unguentum Passionis ejus trecentis denariis æstimas; & Passionem ejus triginta denariis vendis? dives in æstimatione, vilis in scelere. S. Ambros. l. 3. de Spir. S. c. 18.

Emitur tot argenteis, quot annis peregrinatus est in hoc Mundo usque ad Baptismum. S. Paschasius in Matth. 26. q. d. tam vili æstimatus est pretio, ut nec pro singulo quoque pretiosissimæ suæ ætatis anno vel unum argenteum persolverint.

§. III.

Venditionis causa, finis.

C*onstituerunt ei triginta argenteos.* Matth. 26. 15. Judas Filium Dei pro triginta siclis argenteis vendidit; in recompensationem damni, quod incurrerat, propter effusionem unguenti. Quilibet autem argenteus valebat decem denarios usuales, & ità damnum unguenti, quod valuerat trecentis denariis, triginta recompensavit argenteis. Ad designandam ergo pretii quantitatem, quo Christus est venditus, Sacerdos facit tres cruces communiter super Oblata, & Calicem, cùm dicit: *benedictam, ascriptam, ratam*: nam & trecenta pariter, & triginta, multiplicationem suscipiunt à ternario. Innocentius III. P. de S. Alt. myst. l. 3. c. 12.

Infelix Judas! damnum, quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult Magistri pretio compensare. S. Hieron. in Matth. 26.

Accepit aurum, perdidit Deum. S. Chrysost. s. 3. de Resurr.

Ex consilio venditur: ut nos, sub peccato venditos, sua Venditione emat. S. Gregor. Nyss. tr. 2. de inscript. Psalmor. cap. 8.

Traditus est pro denariis inimico, nè tu traderis pro denariis diabolo. S. Bonav. s. 2. D. Quinqu.

Nos ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate. Ipse nobis hac pietate pretiosior, quod se vili vult æstimari; ut ab omnibus ematur. S. Paulinus ep. 4.

T I T U L U S III.

V E R B U M V E R B A.

§. I.

Figuræ, Symbola.

C*unctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ.* Exod. 20. 18. Lapides quidem videri potuerunt; at sonitus buccinæ, & voces, qui videri quærunt? Dei voces magis ad oculos, quàm ad aures pertinent: quia potiùs computandæ sunt cum rebus, quàm vocibus. Pinna in Eccl. Ethol. 261.

Ne obliviscaris, verborum. Deut. 4. 9. idest, rerum, & portentorum. Sic verbum pro re accipitur. Ps. 90. 3. *liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero*, idest, à re aspera, & acerba. Et Luc. 1. 37. *non erit impossibile apud Deum omne verbum*, idest, omnis res. Cornelius hìc.

Præceptum Domini lucidum. Psal. 18. 9. Colores quidem lucem excipere possunt; at quomodo præceptum, quod ore profertur, potest illuminare? Quia eloquia divina ad res magis pertinent, quàm ad verba: unde, sicut res istæ lumen excipiunt, sic etiam Dei sermones. Id. ib.

Lingua mea calamus scribæ. Psal. 44. 2. Quia, quod lingua dicitur, sonat, & transit; quod scribitur, manet. Cùm ergo dicat Deus Verbum, & Verbum, quod dicitur, non sonet, & transeat; sed & dicatur, & maneat, scriptis hoc Deus maluit comparare, quàm sonis. S. August. hìc.

Canet tuba &c. 1. Cor. 15. 52. Quæ est ista tuba, quæ inferis infert bellum, sepulchrorum resolvit moles, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem perpetem dat triumpum? quæ est? illa; quam Dominus dixit: *mortui audient vocem Filii Dei*. Joan. 5. 25.

§. II.

Verba Christi in cruce.

Q*Uantò breviùs dicta sunt, & in articulo, quo seria, & necessaria, agi rerum circumstantia postulat; tantò diligentiùs inquirenda sunt. Arnoldus Carnot. tr. de 7. V. in Præfat.

Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me! Matth. 27. 46. Absentat se Passioni divinitas. Hoc solius carnis est; in hoc solo se deseri Filius innuit: ut undique sana fidei veritas elucescat, & palam fit: quia, secundùm quod Deus est, omninò nòn moritur; Secundùm quod homo est, dispensatoria ratione ad tempus moriturus deseritur. Idem hìc. Nescio, fratres mei, si ullus mortalium intelligere possit in hoc mysterio querulæ vocis; quanta, qualiave, sunt sacramenta, quæ offert? S. Paschas. lib. 12. in Matth. Origenes putat, queri Christum de paucitate salvandorum, & multitudine damnandorum; qui fructu Passionis, & mortis ejus exclusi sunt. Vox plena mysteriis, & doctrina, ait.

Consummatum est. Joan. 19. 30. S. Isidorus l. 2. different. lit. P. notat quòd Christus dixit: *Consummatum est*; & non, perfectum est: nam inter utrumque, ait, est differentia. Perfectum est, cui jam addi nihil potest. Consummatum verò, est quodlibet opus in finem deductum. Indè Christus D. opus redemptionis nostræ dicit esse consummatum, & non perfectum: nam adeò vehemens est ejus amor; quòd non videatur ei totum exhibitum, quod tum postulat, & exoptat. Sylveira hìc.

Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum. Luc. 23. 46. Primum Verbum à Christo prolatum ait: *nesciebatis? quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc. 2. 49. Sic ultimum Verbum fuit: *Pater! in manus tuas.* Stella hìc.

Nota bene: quia non videbis in tota Scriptura septem verba, tantæ dulcedinis, & efficacitatis. S. Bern. t. 4. s. 45.

§. III.

Verba humana.

E*T folium ejus non defluet.* Ps. 1. 3. idest, verbum non deorsum fluet. Hugo Card. hìc.

Otiosum verbum est; quod, aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. S. Greg. l. past. curæ. p. 3. c. 15.

Vilis, & volatilis, res, verbum hominis, nullius molis, nullius ponderis, nullius pretii, nullius soliditatis: aerem verberat; unde & verbum dicitur. S. Bern. s. 2. in festo Ss. Petri & Pauli.

Sicut avarus nummos, ità Religiosus verba sua trutinare debet: nè inutiliter, aut sine lucro, verbum aliquod dicat. Thom. Kemp. s. 8. ad fratres.

T I T U L U S IV.

V E R B U M D E I.

§. I.

Figuræ, Symbola.

C*oncrescat, ut pluvia, doctrina mea* &c. Deut. 32. 2. Quædam prædicatio est quasi imber hyemalis, cum peccatores minis terrentur, ut convertantur. Alia est instar vernæ pluviæ, suavis, & placida; cùm exhortatur homines, vel ad pœnitentiam, vel ad majores in virtute progressus, spe regni cœlestis; vel ex gratitudine propter accepta beneficia &c. de Ponte in Cant. 2. Exh. 16. §. 14. Imber ergo notat eloquii, & sapientiæ primò copiam, secundò suavitatem, tertiò fœcunditatem: quòd fructum è cordibus audientium producat, similem illi, quem imber producit, & terra. Quartò quòd è nube sapientiæ proferatur, quasi è re non terrena, sed cœlesti: adeoque ejus originem esse à Deo in cœlis. Cornelius in Eccl. 39. 6.

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Prov. 25. 11. V. Beda: verba Prædicatoris, appositè ad captum Auditorum concinnata, sunt mala: quia de arbore vitæ; hoc est, de Dei sapientia, sunt orta.

Murenulas aureas faciemus tibi. Cant. 1. 10. Murena piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad cujus exemplar fit inauris, quæ murenula dicitur. Qua significatur prædicatio, quæ auribus inhæret, & eas penetrat. S. Gregor. hìc.

Guttur

Guttur tuum sicut vinum Optimum. Cant. 7. 9. Siculi, ait Nigridus Siculis, vinum optimum vocant vinum mortuorum: quòd quasi mortuos suscitet, & loqui faciat. Cornelius hìc. In gutture vox est: per guttur ergo ipsa prædicatio designatur: quæ, quasi vinum optimum esse dicitur: quia mentes hominum inebriat; ut præteritorum obliviscantur; & in anteriora currentes, non lassentur. S. Gregorius apud Cornelium hìc.

Et in manu ejus calculus. Isa. 6. 6. S. Hieron. & Haymo, per calculum accipiunt Verbum Dei; quod petitus ab altari, id est. S. Scriptura.

Omnes sitientes venite ad aquas. Isa. 55. 1. Divina doctrina dicitur aqua, quia infirmos sanat: *aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Eccl. 15. 5. Inquinatos mundificat: *effundam super vos aquam mundam.* Ezech. 36. 25. sitientes satiat: *si quis biberit ex aqua* &c. Joan. 4. *Secundò* dicitur vinum: quia pungit arguendo; quia accendit exhortando: *eloquium Domini inflammavit eum.* Ps. 104. 119. quia inebriat consolando. S. Th. Aqu. hìc.

Numquid non verba mea sunt quasi ignis; & quasi malleus conterens petram? Jer. 23. 29. Verba Domini quasi ignis sunt: quia frigus expellunt, calorem mentibus ingerunt. Malleus autem sunt: quoniam obstinationis, & pervicaciæ duritiam molliunt. B. Petr. Dam. l. 2. ep. 1. *Porrò faber ferrarius, &c.* 1. Reg. 13. 19. est Prædicator, qui operatur in igne, vel malleo, super incudem, idest, in verbis Scripturæ Sacræ, quæ sunt ignis, & malleus. Hugo Cardin. in 1. Reg. 13. 19. Verba Domini sunt ignis: quia consummunt rubiginem peccatorum; calefaciunt ad amorem Dei; & illuminant ad cognoscendos articulos fidei. Sunt etiam malleus: quia duritiam cordium frangunt, & emolliunt, ad compunctionem. Incus est cor peccatoris: super quem debet Prædicator operari, & formare vas in honorem in domo Domini. S. Hieronymus apud Hugo. Card. citatum.

Respondit Angelus, & dixit. Zach. 1. 12. idest, sermo Dei loquens in me. S. Cyrill. Alexand. Comment. in Os. consueverunt SS. Prophetæ Dei sermonem appellare Angelum: utpote annuntiantem iis, & manifestantem voluntatem Dei Patris.

Ex Novo.

Non veni pacem mittere, sed gladium. Matth. 10. 34. Qui gladium illum arripiunt, gladium Verbi Dei; *hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt.* Deut. 33. 9. Rupertus Abb. l. 2. c. 13. in Deut.

Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. Matth. 23. 37. Quia Christus venerat congregare, sicut gallina, pullos suos; ovum protulit verbi: per quod Ecclesiæ germina Sancta nutrirentur. S. Chrysol. s. 55.

Ut det illis in tempore tritici mensuram. Luc. 12. 42. Triticum est Verbum Dei. quod mensuram charitatis, vel veritatis excedere non debet; sed secundùm capacitatem Auditorum, & temporum, mensurandum est. S. Bonaventura s. 2. D. 1. post oct. Pent.

Cum usuris utique exegissem illam. Luc. 19. 23. Venit erogatam pecuniam exigere cum usuris. Et quæ est ista pecunia? quàm Evangelica observantia? Verba sunt vitæ seminata. Venit seminator ille sermonis sui colligere fructus, pecuniæque suæ exigere pensas. S. Laur. Ep. Novar. ho. de eleemos.

De throno procedunt fulgura, & voces. Apoc. 4. 5. Hoc est, quod Marcus ait: *illi autem profecti prædicaverunt ubique &c.* V. Beda hìc.

Ex Patribus. Symbola, & laudes.

Quid mentes Auditorium, nisi Scyphi sunt; quæ Sanctis prædicantibus vino scientiæ replentur? S. Gregor. hom. 6. in Ezech. 1. post initium.

Habet Verbum Dei epulas suas: alias fortiores; ut est Lex, & Evangelium: alias suaviores; ut sunt Psalmi, & Cantica Canticorum. S. Ambros. Oct. 22. in Psal. 118. Eructavit cor meum &c.

Quid sunt aliud divina eloquia, nisi quædam lilia; emanantia candorem puritatis, & gratum puritati spirantia odorem suavitatis? S. Amedeus Ep. hom. 6.

§. II.

Verbum Dei necessarium.

Ex Veteri, Novo, & Patribus.

S*I continuerit aquas, omnia siccabuntur.* Job 12. 15. Aqua scientia est prædicationis. S. Greg. mor. l. 11. c. 6. Omnia exarescent; nec remanebit aut modestiæ flos, aut germen pietatis, aut pomum justitiæ: immò timendum; nè vera fide excidat orbis Christianus defectu Verbi divini. Oliva t. 2. conc. 3. in festo S. Luciæ.

Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus: Prov. 29. 18. Cur Christianus orbis tam eat perditum, quid aliud in causa est? nisi quòd Verbum Dei negligitur, & quanta sit ejus utilitas, ignoratur. Isid. Clarius l. 1. or. 50.

Mittam famem in terram. Amos. 8. 11. *Non famem panis, sed audiendi Verbum Domini*: cùm statim subjicit: *in illa die deficient virgines pulchræ.* S. Hieron. hìc: ex quo colligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesiis, perire pudicitiam, castitatem mori; omnes abire virtutes: quia non comederunt Verbum Dei.

Non in solo pane &c. Matth. 4. 4. Quemadmodum meritò desperatur vita naturalis ejus, qui corporalem cibum non sumit; vel sumptum non retinet: sic rationabiliter desperatur spiritalis vita illius, qui Verbum Dei non audit, atque custodit. Dionys. Carth. hìc.

Vos estis lux Mundi &c. Matth. 5. 14. hoc est: quàm necessarius est sol vitæ corporali; tam necessarii sunt Concionatores spirituali vitæ. Si toto mense sol non oriretur, stupore moveremur, O Concionatores! nè in vestris sanctis exercitationibus sistatis: quod si vos quieveritis, lucemque amiseritis; quid erit animabus? Jeremias populi mala deplorans, inter reliqua dicit: *aspexi terram; & ecce vacua erat, & nihili.* c. 4. 23. Causam addit: *& aspexi cœlos, & non erat lux in eis.* Diez conc. 2. in Comm. DD. Sicut omnes morerentur, si una die sola cessaret sol facere cursum suum; qui habet splendorem, calorem, & vigorem: ità, si Verbum Dei deficeret, quod est sol animæ; scilicet, quòd Verbum Dei non prædicaretur, & non communicaretur animabus; ut possint incitari, & illuminari splendore veritatis, & calefieri in ardore illius; omnes spiritualiter morerentur. S. Bernardinus tom. 4. s. 5.

Certissimè scitote: quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima, quæ assiduè non pascitur Verbo Dei ad nullum opus bonum congrua invenitur. S. August. s. 50. de temp.

Quod est esca carni, hoc est animæ fides: quod cibus corpori, hoc Verbum Spiritui. S. Cyprianus de Cœna Dom.

Cibus verus naturæ rationabilis, sermo Dei est. Origenes hom. 27. in Num.

Verbum Dei, & cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies. S. Bernardus s. 24. de div.

Oportet nos esse perpetuò munitos: bellum enim hoc nullam novit dilationem, nec ullas inducias: non habet nec legatos nec feciales: bellum non indicitur, & ideò oportet se maximè undequaque munire. Hujus autem belli commeatus, & horum militum arma, sunt divinarum Scripturarum auditio: ea qui non fruitur, fame perit in Ps. 143.

§. III.

Verbi divini fructus, & utilitas, præcipuè peccatoribus.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

V*Erba sapientum, sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi.* Ecclæ. 12. 11. Duobus vitiis totum genus humanum dignoscitur laborare: videlicet tarditate desidiæ, ad ea, quæ salubria sunt: & præcipitio impetuositatis ad ea, quæ noxia sunt. Ideò duobus indiguit remediis: quorum altero urgeretur ad utilia; altero retineretur à noxiis. Et ideò doctrina sapientum duo genera sermonum continet, quorum alterum vocat Salomon *stimulos*, alterum *clavos*. Hugo Card. hìc.

Ossa arida, audite Verbum Domini. Ezech. 37. 4. Audito ex ore Ezechielis verbo Dei, revixere.

Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini. Ezech. 36. 25.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni Verbo &c. Matth. 4. 4. Quisquis Verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit: nec enim potest Sæculi panem cupere, qui pane vescitur Salvatoris. S. Ambros. s. 36. de Quadrag.

Et continuò gallus cantavit. Matth. 26. 74. Gallus est sermo; qui non finit nos torpore, & dormire; sed dicit: Vigilate. Et: surge qui dormis. Theophylactus hìc. Quatuor sunt, quæ faciunt hominem vigilare: galli cantus, idest, prædicatio divini Verbi &c. Hugo Card. in Matth. 24.

Tollite lapidem. Joan. 11. 39. Tollitur lapis situatæ duritiæ; cùm per prædicatorum vocem Auditor, aut amore mollitur, aut timore conteritur. Sim. Cass. l. 5. c. 15. hic.

Audivi vocem tamquam tubæ. Apoc. 1. 10. Tuba ad pugnandum milites evocare solet; similiter & nos sermo Dei, ad pugnandum contra diabulum, atque vincendum, incitare non desinit. S. Ambros. hìc.

Testimonia.

Ex Veteri.

Vocem tuam audivi. Gen. 3. 10. Licèt cœcus & stupidus, fuerit Adam; ideo tamen speranda erat ejus salus: quia audiit Deum loquentem; & locutus ipse vicissim est. Licèt cœtera in peccatore deficiant; sperandum tamen de ejus sanitate,

te, in quo adhuc duo liberi sensus Deo patent, nempe auris & lingua: ut audiat Deum, & cum eo loquatur. Mira est enim vis Verbi Dei mira vis confessionis, & oratio.

Vox Domini in virtute. Psal. 28. 4. quia per eam fiunt miracula spiritualia: *cæci videns, claudi ambulant.* Matth. 11. 5. *Misit sermonem suum, & sanavit eos.* Psal. 106. 20. Hugo Card. hic Sect. 25.

Neque urgeat super me puteus os suum. Psal. 68. 16. S. August. vertit: *non claudat.* Fernandius hic.

Ecce constitui te hodie, ut evellas &c. Jerem. 1. 10. Sed quo ferro? qua manu? *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* v. 9.

Ex Novo.

Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum illo. Matth. 5. 25. Adversarius tuus Dei sermo est verbi causa: forsitan delectat te inebriari dicit tibi: noli. Delectat te spectare, & nugari ille dicit tibi: noli &c. O quàm bonus adversariis! quàm utilis adversarius est nobis, qui diu sumus & ipsi nobis. S. August. l. 1. de V.D.

Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petram. Matth. 7. 24. Sapiens est vir, qui ædificat domum suam supra petram, idest, Ecclesiam; huic similis, qui audit Verbum Dei; quia licèt non omnino immobilis in virtute perseveret; difficile sanè est, ut labatur. Pinna Ethol. 9.

Quid ergo faciemus? Luc. 3. 10. Si Verbum Dei in veritate à Concionatore processit, si verè ad audientium corda pervenit; protinus timorem incutit; timor verò cautelam à periculis facit inquirere signum evidentissimum profectus verbi, timor, & compunctio audientium: quoniam statim se conferunt, unde æterna possint cavere pericula. Sim. Cass. l. 13. hic.

Ecce mulier, Luc. 7. 37. Mota ad cœlestis Doctoris verbum, suorum peccatorum mole contrita, liquefacta dulcedine Christi, tracta decore conversationis, fida in animo, de benignitate ipsius sperans remissionem peccatorum, incensa igne charitatis illius; opportunitatem perveniendi studio impigro quærebat. Idem l. 8. c. 40. Hæc mulier famam audierat de Jesu; & cum turbis sequentibus aliquando eum audierat prædicantem. In quem defixo corporis pariter ac mentis aspectu, contemplans vitam, ponderans verba, considerans sanctitatem, virtutem in jam factis miraculis, plurimi eum existimaret. Idem l. 9. c. 29.

Commovet populum. Luc. 23. 5. Verum dicebant; sed sub intentione fallendi Commovit sanè populum in mente propter altitudinem Verbi sui, ac per doctrinam mellifluam; quam etiam operibus validabat. Commovit animos hominum ad spem supernæ vitæ, initians viam novam. Idem lib. 13. hic.

Amicus sponsi, qui stat, & audit eum. Joan. 3. 29. Ideò stat, quia audit; de interiori fonte bibit, ideo stat. Illi, qui noluerunt de interiori fonte bibere, ideo expulsi sunt; nec potuerunt stare. S. August. tr. 15. in Joan.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Joan. 8. 47. Cupiens in hac vita cognoscere Deum, audiat verba Dei; cujus cognitio in fide conceditur; *& fides ex auditu est, auditus est autem per verbum Christi.* Rom. 10. 17. Volens amare Deum; audiat verbum Dei: eruditur in illo ad Zelum secundùm scientiam. Dispositus ad agones audiat verbum Dei; nè supra se indebitè raptus in inferiora labatur. Idem l. 11. c. 40.

Oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim. Joan. 10. 3. Conveniunt ad Adam leo, ursus, tigris, lupus, bos, ovis, aquila &c. ut ejus vocem audiant, & pareant. Gen. 2. 19. Ad secundum Adam non leones, non lupi, sed tantùm oves veniunt, & ab eo nominantur. Venerunt ad eum feræ, sed mox, ut ejus vocem audierunt, & intrà ejus ovile, Ecclesiam, ingrediuntur; jam ex sanguinariis bestiis, omni posita crudelitate, in oves mites mutantur. Sylveira hic.

Ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Act. 9. 7. Definit videre fæcularia, qui incipit videre divina. S. Ambros. l. 2. de Abrah. c. 9.

Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Act. 9. 8. Amisit visum, non auditum: quia vocem Domini audivit. Castillo Illat. 278.

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum. Apoc. 3. 18. Si ditescere lubet, à me, qui veras, stabilesque opes largior, ferventi desiderio ignitum aurum emito: nempe Sacræ doctrinæ verbum igne exploratum, splendidumque redditum. S. Andreas Cæsar. c. 3. in Apoc.

Ex Patribus, & aliis.

Pleraque Symbolicè.

Verbum Dei lux est, Verbum Dei nix est Super mel quoque, & favum est Dei Verbum: quod ore divino melle dulcior fluxit oratio; & perspicuæ nivis ritu mollioribus cædunt verba sententiis. Verè hic solus sermo nivibus comparandus; qui de cœlo missus in terra jejuna nostrorum arva pectorum fœcundavit. S. Ambros. l. 7. in Luc. Erant autem Moyses, & Elias &c.

Admiranda sunt opera Verbi Dei: per ipsum enim vita amoris, & charitatis in anima generatur. S. Bernardinus tom. 2. s. 9.

Verbum Dei hamo simile est: quia, nisi capiatur, non capitur, Idem ib.

O quàm bonum Verbi Dei rete salvificum, & indissolubile, non mortalis artificis manu contextum; sed Spiritus S. sapientia connexum, atque compositum. S. Laurent. Just. de triumph. &c. c. 27.

Quando Deus vult venire per gratiam in mentem alicujus, ad ipsum justificandum; primò præmittit Joannem prædicantem: quia singularis introitus Dei in corde peccatoris est per prædicationem. S. Vinc. Ferr. serm. 7. D. Adv.

Inter cœtera remedia, quæ, ad conservandam animi innocentiam, juvare plurimum possunt, præcipuum est auditus Verbi Dei. Isidorus Clarius l. 1. or. 63.

Lumen est ægris oculis odiosum, sic Verbum Dei hominibus pravè dispositis molestum. Excitat lux pigritiam: sic Verbum Dei excitat mentem surgendi è lecto peccati: *surge illuminare Jerusalem.* Isa. 60. 1. Geminiani l. 1. c. 82.

Ex modica scintilla sit sæpe maximus ignis: sic aliquando ex brevi prædicatione sequitur magnus fructus. Idem ibid.

§. IV.

Verbi Dei efficacia.

Figura, & Symbola.

S*Excentos viros vomere &c.* Judic. 3. 31. Vomer significat vim Verbi Dei in anima; quo eradicantur spinæ vitiorum, & cordis duritia mollitur. Isa. S. Hieron. in Is. 2.

David tollebat citharam &c. 1. Reg. 16. 23. Potior vis hujus citharæ erat supernaturalis. Rupertus per citharam accipit dulcedinem prædicationis Evangelicæ: hac enim sua suavitate ad se rapuit omnes gentes. Cornelius hic.

Eructavit cor meum Verbum bonum. Ps. 44. 1. *Comede volumen istud.* Ezech. 3. 1. q. d. hæc traditio voluminis Symbolum est Legationis tuæ. Sicut Doctores creantur, tradendo librum; sic hic Ezechiel creatur Propheta, accipiendo volumen prophetiarum à Deo. Comestio verò significat ea, quæ in illa audis, & vides, in intima animæ tuæ meditando transmitti: ut cum affectu, & ex calore interno, & toto spiritu, ea populo proloquaris. Nota: Verbum Dei est simile pilulis; quæ foris auratæ, vel sacharatæ, deglutiuntur cum suavitate; sed, cùm in ventre dissolvuntur, aloe, myrrha, crocus &c. ventrem amaricant. Sic, ait S. Thom. in Apoc. 10. Verbum Dei dulce est rationi, sed amarum sensualitati. Et sicut pilulæ, quæ ventrem non alterant, bonæ non sunt, sed inefficaces; quia noxios humores non expellunt; ità concio, quæ conscientias, suis vitiis affixas, non concutit, bona non est. Cornelius in Ezech. hic.

Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Psal. 119. 4. vel *vastatoribus.* Qui sunt isti carbones? Intelligat Charitas vestra primò, quæ sint sagittæ. Sagittæ potentis acutæ, Verba Dei sunt. Ecce jaciuntur, & transfigunt corda; sed, cùm transfixa fuerint corda sagittis Verbi Dei, amor excitatur, non interiùs comparatur. Novit Dominus sagittam ad amorem: & nemo pulchriùs sagittat ad amorem, quàm qui verè sagittat. Imò sagittat, ut faciat amantem, sagittat cor amantis: ut adjuvet amantem, sagittæ autem sunt, cùm agimus verbis. Carbones vastatores qui sunt? Parum est verbis agere contra linguam subdolam, & labia iniqua; parum est vocibus agere, & exemplo agendum est: exempla sunt carbones vastatores. S. August. hic. Est sagitta sermo Dei vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. S. Bern. s. 36.

Labia ejus lilia. Cant. 5. 13. Sicut lilia non nent, neque texunt; sed Pater cœlestis vestitit illa: ità: sermones Christi per se placent; licèt humani ornamenti nihil habeant. Theodoretus.

Et gladium Spiritus &c. Ephes. 6. 17. Dicitur Verbum Dei gladius: quia separat Spiritum à carnali voluptate. Hugo Card. in Gen. 32.

Et vox illius, tamquam vox aquarum multarum. Apoc. 1. 15. Hæc vox, ait S. Greg. & Pererius, est prædicatio Evangelii; ità sonora, & potens; ut in omnem terram exierit sonus ejus. Et sicut aquarum: quia instar aquæ restinxit sitim rerum temporalium; & refrigeravit æstum concupiscentiæ. Secundò, quia abluit maculas peccatorum. Tertiò quia fœcundat terram cordium humanorum, ut fructus proferant. Cornelius hic.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Anima mea liquefacta est, ut locutus est. Cant. 5. 6. O mira vis Verbi, & ignita vehementer! inflammat cor, commutat renes; in nihilum, in conspectu suo, respectu Dei sui, animum redigit; à seipsa liquescere, & deficere facit, ut jam anima

anima non sit secum. Gilbertus s. 44. Quando? vel ubi locutus est? Nimirum quando, vel ubi, ego pessulum ostii mei Dilecto aperui: loquendo scilicet, pro utilitate audientium, ea, quæ sunt Dilecti: tunc & ibi Ductus est locutus. Non enim ego eram, qui loquebar; sed ipse loquebatur in me. S. Rupertus l. 5. in Cant. hic.

Manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi Magistrum: Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico. Isa. 50. 4. 5. In tot opprobria, tormenta, ultrò se tradit? quo motivo? quia Verbum Dei audivit. Ignitum eloquium Domini vehementer, pervasit niveam molem, & dissolvit: jam liquefactus ad humiliationes, cruciatus, sponte defluat necesse est. Gilbertus s. 44. Dominus aperuit mihi aurem. Audis loquentem Dominum? audite liquefactum affectum discipuli. *ego*, inquit, *non contradico.* in Apoc. 2. 9.

Adhuc quadraginta dies &c. Joan. 3. 4. 5. Jonas brevissima concione sceleratissimam urbem ad pœnitentiam revocavit.

Sedebam docens in templo. Matth. 26. 55. Libertas doctrinæ, atque Verborum Dei præfigitur; quod Christus in templo docens non capitur. *Verbum Dei non est alligatum*; neque conclusum fuit aliquando funibus tyrannorum. Sim. Cass. l. 13. hic.

Ecce dedi coram te ostium apertum. Apoc. 3. 8. Quid est apertum, nisi Verbum liberum? Sicut namque apertam domum intramus; ità, per verbum liberum prædicatum cor humanum penetramus; & hostem eliminamus: & factorem cordis in ipso habitatorem collocamus. Richardus à S. Vict.

Ex Patribus, & aliis.

Potens est sermo spiritualis persuadere obtemperantibus fidei; etiam absque Grammatica, & Rhetorica. S. Ephrem. Prologo in Paræneses ad Monachos.

Omnis virtus, quæ est in Verbo prædicato, est à Verbo propter nos increato. S. Bonaventura serm. 2. de SS. Evangelistis.

Quotidie cernimus; simplici sermone, propter Spiritus assistentiam, spirituales viros utiliter hominum corda ferire: alios verò ornato cloquio in ventum verba proflare; ut non coram Deo glorietur omnis caro. S. Thom. Vill. f. fer. 4. Dom. 1. Quadr.

Parum ignitum est, & minùs efficax, Verbum, quod non incaluerit, & fulcitum fuerit ab eloquio Dei: quod est ignitum vehementer: & nisi vivificatum fuerit à sermone ejus; qui est *vivus, & efficax*, secundùm Apostolum. Hebr. 4. 12. Gerson Lect. 1. sup. Marc.

Decora columna alabastrina, perpolitè, sculpta, non eget albedine, aut aliis coloribus: ipsæ enim picturæ eam deformarent. Sic gemmæ non aliam lucem, quàm suam, patiuntur: colore alio deturpantur. Sic sublimis sapientia Evangelii non eget exornari humana Rhetorica; nec alio splendore, quàm suo. Diez D. Sexages.

§. V.

Verbum Dei negligentes. Damna neglecti.

Ex Veteri, & Novo.

Q*Uare negligitis?* Gen. 42. 1. Cùm famis tempore audisset Jacob, triticum in Ægypto, caro licèt, mente turbata filiis ait: *quare negligitis? descendite, & emite nobis necessaria.* Quid dixisset? si gratis dari audisset? Dei Verbum non venditur. *gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis.* 2. Cor. 11. 7. Et tamen incurri illud negligitis; quia nullam, quæ urgeat, famen habetis? Segneri s. 4. D. 1. Quadr.

Qui declinet aures suas, nè audiat legem; oratio ejus erit execrabilis. Prov. 28. 9. Est hæc pœna Talionis: Deus enim par pari refert. Nam sicut ille non vult audire Deum loquentem per legem; sic Deus vicissim non vult eum audire loquentem sibi per orationem. Cornelius hic.

Regina Austri surget in Judicio &c. Luc. 11. 31. Et isti nolunt propter Verbum Dei venire ad Ecclesiam suam. B. Humbertus s. 72. ad Laicos in Civitatibus.

Qui ex Deo est-propterea non auditis, quia ex Deo non estis. Joan. 8. 47. De eorum salute parum confidimus: quoniam nec libenter Verbum Dei audiunt; sed cum tædio, & fatigatione. S. Thom. Vill. f. D. Sexag.

Ex Patribus, & aliis.

Nos insensati, quasi negligenda quidem Scriptura sit: nolentes ea discere, quæ nobis incutiant metum; sed ea audire cupientes, quæ nos subvertant, quæ decipiant. Origenes in Ezech.

Verè surdos dixeris, qui cœlestia, & vera, & facienda non audiunt. Lactantius l. 4. instit. div.

Erit tempus, ut risus suos lugeant, qui dicta nostra nunc rident. S. Ambros. l. 5. in Luc. 6.

Sicut corpori noxium est, corporalem escam non posse percipere; ità animæ periculosum, spirituales delicias fastidire. S. Prosper Aquit. in Ps. 106.

Stulti sunt, qui non audiunt, Verbum Dei. Maximè propter duo: Primò, quia ex auditu Verbi Dei vitatur omne malum. Secundò, acquiritur omne bonum. S. Thom. Aquin. Dom. de Pass.

Volentibus audire Verbum Dei, offerendum est; fastidientibus ingerendum: nè fortè contra nos ante tribunal Christi stantes dicant, se à nobis non fuisse admonitos; & animarum illarum sanguis de nostris manibus requiratur. S. Cæsarius Arel. hom. 22.

Augustinus inquit: sicut nullum est majus signum prædestinationis æternæ, quàm Dei verba libenter audire; sic nullum pejus est signum, quàm illa contemnere. S. Bernard. serm. 6. Art. 3.

Bononiæ Concionator, cùm paucos haberet auditores, significavit sibi apparuisse proxima nocte diabolum; qui mira nuntiasset, de quibus proxima concione dicturus sit. Affluxit igitur urbs tota. Tum Orator: sæpe vobis Verbum Dei exponere conatus sum; cùm pauci adfuistis: nunc verò adestis frequenter, cùm dæmonis vobis figmenta nuntianda credidistis. Ergonè dæmon Deo est vobis gratior &c. Massenius l. 2. argut. Fonte repugnantium §. 3.

Grandis morbus, & execranda calamitas, Divinæ Legis appetentiam non habere. Cassiodorus in Ps. 106.

§. VI.

Verbum Dei audienda motiva varia.

Exempla.

U*Niversa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus.* 3. Reg. 10. 24. *Et ecce plus quàm Salomon hic.* Matth. 12. 42.

Cùm turba irruerent in eum, ut audirent Verbum Dei. Luc. 5. 1. Vehementi desiderio movebantur turbæ: ideò irruebant; considerantes magis Domini bonitatem, quàm majestatem. Bonaventura. Desiderium Verbi DEI meritò magni apud Deum est; quòd ipsam quoque irreverentiam turbæ irruentis in eum excuset. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 1. Sect. 5. Observ. 1. Non tam audire Magistrum, quàm in ipsum irreverenter irruere, videbantur: ità ut quasi compressus Dominus in naviculam secedere cogeretur. Nec tamen subtrahit Verbum. Quid ità? Galfridus: magni meriti est apud Deum, desiderium Verbi Dei; quod ipsam quoque irreverentiam turbæ irruentis excusat: non enim ab eis consideratur majestas, dum desideratur, utilitas. Sed nec ab ipso quidem attenditur, ad quem irruant; sed ad quid. Ramirez in Apoc. 2. 10.

Cæpit egere. Luc. 15. 14. Potest intelligi; quòd non fame panis, nec siti aquæ; sed fame, & siti verbi divini, sese perhibeat laborare. S. Bernardus s. 8. de divers.

Hora autem erat quasi decima. Joan. 1. 39. Horam significat Evangelista: & in his invenies discipulatus desiderium; & in illo humanitatem: quod neque propter tempus aversi sunt, cùm jam sol ad occasum declinaret. -- Oportet igitur & nos ob nullum tergiversari tempus ab audiendis his, quæ divina sunt; sed omnia his posteriora ducere. Euthymius apud Sylveiram hic.

Susceperunt Verbum cum omni aviditate. Act. 17. 11.

Simulatque surrexeritis, curiosè perquiritis; ubi nam futura sit exhortatio? ubi salubris admonitio: ubi doctrina? ubi sermo ad sermonem Christi conducens? S. Chrysost. or. 2. Adv. Judæos.

Sanè ego videns inexplebilem vestram spiritualium doctrinarum aviditatem, etiam satis conscius meæ magnæ tenuitatis; non intermitto quotidie apparare ex divinis Scripturis convivium. S. Chrysost. hom. 28. in Gen.

S. Patritius, Hiberniæ Apostolus, prædicabat populo undique confluenti tribus diebus continuis, & noctibus; omnesque præsentes existimabant non plus effluxisse temporis, quàm unius tantum diei spatium. Bollandus 17. Martii c. 10.

§. VII.

Verbi divini audiendi alia motiva.

Ex Veteri, & Novo.

Q*Uia audivi.* Gen. 3. 17. Sicut initium damnationis nostræ fuit audiendo diabolum, ità initium salutis nostræ provenit audiendo Deum in Ministris suis. Broymard. Verbum Dei.

Permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi: sequere. & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Matth. 8. 21. Cur tam pium opus prohibet Dominus? S. Chrysost. hom. 41. in Matth. nam si ad sepelliendum patrem, ne consequentia disciplinæ incideretur, non permisit abire; quantò minùs prædicationem absolvi propter aliqua privata. q. d. hic homo frequens erat auditor Christi: ergo, nè concionum filum abrumperet, à parentis funere avulsus est: sic enim auditio-

ditionem Verbi Dei pietati erga parentem prætulit. Pinna Ethol. 9.

Factum est Verbum Domini. Luc. 3. 2. Quot reges, & principes, designat hic Evangelista: ut dicat, à Christo missum Joannem prædicare? Cùm Christi nativitatem scripsit, tantùm Romani Cæsaris meminit: Joannis nativitatem narrat, nullius principis facta mentione. Cùm verò prædicationis officium recensuit; non tantùm Cæsaris, sed & Sacerdotum, & minorum principum, recordatur; quanti esset momenti, alicujus sancti Prophetæ, aut prædicatoris, creatio. Stella hic.

Qui ex Deo est, verba Dei audivit. Joan. 8. 47. Titelmanus: idest, prædestinatus, & electus: quique Deum ex affectu amat, & colit. Jansenius: *qui ex Deo est*, hoc est, Dei Spiritu præditus. Similiter Toletus. Euthymius: *qui ex Deo est*, juxta modum familiaritatis, hoc est, qui amicus est Dei, verba Dei audit: qui diligit ejus legem. Barradius t. 3. l. 1. c. 20. Dom. Pass. Quisque delectatur relatione stirpis suæ, & gestorum, quibus majores claruerunt: de stemmate alieno non attendit. Ità, qui sunt ex Domo, & progenie Dei, Dei Verbum audiunt: qui non sunt ex Deo, fastidiunt. Stella de contempt. &c. p. 3. c. 48.

Ex Patribus, & aliis.

Qui Verbum Dei libenter audit in aures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. S. August. l. 50. homiliar. hom. 26.

S. Basilius Seleuc. Orat. 30. Christianam doctrinam vocat novam, & de cœlo allatam, politiam.

Sicut esurire, corporalis sanitatis indicium ità & studio magno audire divina eloquia, bonæ animi valetudinis certissimum est argumentum. S. Chrysost. hom. 4. in Gen.

Cùm affectui, & spirituali palatui, sapiunt cœlestia, & divina; atque desipiunt carnalia, & terrena; lætatur de spiritualibus, ac de carnalibus contristatur: signum evidens est, quòd in tali anima inhabitat Spiritus Sanctus. S. Bernardinus s. in fer. 6. Pent.

Date quartam partem horæ Verbo Dei, & honori Sanctorum, & saluti vestræ: qui non unam horam, non duas, sed dies integros, sed hebdomadas, fabulis sæpe datis. Gerson. s. de OO. SS.

§. VIII.

Verbum Dei attentè audiendum.

Ubi est Deus, qui fecit me; qui dedit carmina in nocte. Job 35. 10. S. Gregorius, dare carmina in nocte, est, per Prædicatores inter medias tenebras eorum submitti lucem sacræ doctrinæ. Nota: prædicationem carmen in nocte vocari Prædicatoribus enim evenit, quod Symphoniacis illis; qui nocte serena, sed frigida, musicam adornant. Fit, ut dulci concentu quendam excitent, & permoveant; ut relicta tantisper lecti quiete, ad fenestram accedat, & Symphoniam avidè audiat. Sed cùm paululum auscultavit, stratum repetit. Idem dic de concionibus. Did. Nyss. D. 4. Adv. §. 5.

Qui habet aures audiendi, audiat. Luc. 8. 8. Multi aures habent, sed non ad audiendum: ii videlicet, qui auditionem divino Verbo minimè præstant: quique perinde verbum audiunt acsi non audirent. Audire namque Verbum, est attentè, utiliter, obedienterque audire Theophylact.

Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Luc. 10. 40. Quærit S. Aug. s. 26. de V. D. cur Magdalena accusata à sorore Martha, desidiæ, & inurbanitatis; omnino tacuerit? nec se defenderit? Respondet: Maria neque in respondendo voluit laborare: si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem.

Quantæ temeritatis, imò quantæ insaniæ est; si fortè dum alloquitur nos Dominus majestatis; nos insensati avertamus aurem, & ad, nescio, quas, ineptias convertamur. Quanta est hæc injuria, & quàm graviter vindicanda! cùm vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur Creatorem universitatis. S. Bernardus s. de 7. spirit.

§. IX.

Verbo Dei dæmon infensus.

Tulerunt-universa, quæ ad cibum pertinent. G. 14. 11. Dæmones libenter tollunt, quæ ad cibum animarum pertinent; idest, verba prædicationis, & doctrinæ. *Omnis, qui audit verbum regni, &c.* Matth. 13. 19. Hoc est, quod legitur Jud. 7. 6. quòd Holofernes præcidi fecit aquæductum, nè influeret civitati, idest, prædicationem. Et hoc fit ex magna ira Dei; quando permittit, ut diabolus Prædicatores exterminet; tamen diabolus semper suos prædicatores relinquit, qui Sacram Scripturam vel depravant, vel emolliunt, vel evacuant. Hugo Card. hic.

Ventus aquilo dissipat pluvias. Prov. 25. 23. idest, doctrinas. Prædicatorum. S. Thom. Aq. Lect. 5. in 1. Rom.

Adhuc eo loquente dixit quidam: ecce mater tua, &c. Matth. 12. 47. Non intrat Mater, sed foris perstat, ut Magister loquitur: ne attentorum ad Christi verba turbaret quietem, ait Abulensis hic q. 105. Longè aliter improbus ille, qui Magistrum piè, ac rite, docentem urget: *ecce Mater tua*. S. Chrysost. hom. 30. in Matth. videns diabolus, quod persuadebat populis Christus, esse se Dei Filium; timuit; nè ipse derelinqueretur ab omnibus: ideoque venit aliquis, tamquam diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur. Velloso in Judith. 7. Paræn.

Dæmon tabellarium mentitus, avocare à concione S. Antonii de Padua voluit nobilem fœminam, nuntio de filiis ejus obitu allato. Sed Sanctus eam palam allocutus ait: ne timeas domina; filius tuus vivit, & rectè valet: cursor autem iste diabolus est. Ad quæ Sancti verba dæmon ut fumus evanuit. Nadasi 3. mense div. am. c. 3.

§. X.

Verba Dei in corde conserva, rumina.

Figura, & Symbola.

PHaraoni pistor. Gen. 40. 17. 18. *tria canistra farinæ super caput habere somniavit. & in uno, quod erat excelsus, portare omnes cibos, - avesque comedere ex eo*. Joseph. verò ex hoc somnio suspendium illi divinitus prædixit. Si eximium Verbi Dei triticum, sive farinam; & divinas, quæ ex ea fiunt, escas supra caput, & in capite solùm, restas; nec animi dentibus, idest, cogitatione, teris, & manducas, sed volucribus diripiendas exponis: suspendium time tartareum. Contrà, si botros cum pincerna in calicem exprimas, Verbum Dei expendas, & in opera convertas. Barradius t. 2. l. 10. c. 1. D. Sexag.

Congregatæ sunt in horrea. Gen. 41. 47. Horrea sunt corda hominum, in quibus segetes congregantur: quando sacra Scriptura verbo, & exemplo peccatoribus prædicatur. Hugo Cardin. hic.

Manhu! Ex. 16. 15. Manna interpretatur, *quid est hoc?* Cùm enim audimus, Legem Dei recitari in Ecclesia; interrogemus Doctores, dicentes, *quid est hoc?* Hoc autem manna *minutum* erat, *sicut semen coriandri*, & suave. Quid Verbo Dei minutiùs? quidvè subtilius? aut quid dulcius, & suavius, eloquiis Dei, quæ sunt dulcia super mel &c. S. Isidorus c. 14. in Exod. In nostro Dominico die semper Deus pluit manna de cœlo: per totum enim novi testamenti tempus divina eloquia nobis manifestantur. Manna interpretatur, *quid est hoc?* Cùm audimus Legem Dei recitari; dicimus Magistris; quid est hoc? V. Beda hic. Manna, quod edebatur in eremo, figuram habebat Verbi: dicebatur manna, quod interpretatur, *quid est hoc?* ut, quotiescumque audivimus Verbum admoneat nos, ipsum nomen requirere; quid est hoc, quod audivimus? Mendoza in 1. Reg. 2.

Guttur tuum sicut vinum optimum. Cant. 7. 9. Verbum Dei debet servari sicut vinum in cellario: dicitur vinum, quia inebriat. Hoc vino erant inebriati Apostoli; quando ad unum verbum denudabant se, & relinquebant omnia. Hugo Card. in Joan. 14.

Maria conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Luc. 2. 19. Verbum Dei debet servari sicut liquor pretiosissimus in vase; ne effundatur per oblivionem, vel neglectum.

Comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Jacobi 1. 23. Vir obiter speculum considerat; non diu in eo intuendo moratur: contrà fœmina attentè, & diu, speculum aspicit; ut se comat, & ornet. Obliviosus Auditor ut vir concionis inspicit speculum: attentus, qui Verbum Dei expendit, instar fœminæ morum facit, in speculo hæret contemplans. Barradius t. 2. l. 10. c. 2.

Quomodo columbæ, vel turtures, postquam genuerint ova; si illa permiserint refrigerari; perdunt fructum illorum: ità & vos, si conceptum Verbum Dei per oblivionem refrigerari permittis, desiderabilem fructum habere non potestis. S. August. s. 218. de temp.

Sic serva sermonem Dei, quomodo meliùs servare potes cibum corporis tui. Nam & ille panis vivus est, & cibus mentis. Panis terrenus, dum in arca est, potest à fure tolli, potest à mure corrodi, potest vetustate corrumpi: ubi verò comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi Verbum Dei: *Beati* enim, *qui custodiunt illud*, Ergo trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas; & in mores tuos. S. Bernardus s. 5. de Adv. D.

Apis hic unum florem, ibi alium carpit; postea verò in alveare se recipit, & ibi mollificat: nam, si tantum tempus in colligendis floribus consumeret, & numquam mellificaret; inanis esset ejus labor. Sic, licèt plurimos flores in concionibus carpamus; si tamen divinas sententias, intellectu perceptas, non meditamur; parum proderit. Dicz D. 11. Pentec. conc. 2.

Nisi stomachus cibum retineat, coquat, & digerat, inque reliquas corporis partes dispertiat; nihil cibus proficiet. Sicut bonus stomachus cibum coquit, ut in carnem, & sanguinem,

nem, vertatur: sic bonum cor divinum Verbum concoquit; ut convertatur in sancta opera. Barradius ante citatus.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Os prudentis quæritis in Ecclesia, & verba illius cogitabunt. (auditores) *in cordibus suis*. Eccl. 21. 20. Ostendit, quales esse oporteat in Ecclesia, & conventu populi Doctores, & Auditores; qui dicta non sinunt elabi animo &c. Cornelius hic.

Secus viam. Matth. 13. 4. Semen cadit Verbi Dei, quando cor Auditoris pravis cogitationibus auditam prædicationem conculcat. V. Beda hic.

Et posuerunt omnes, qui audierant, in corde suo. Luc. 1. 66. Quid posuerunt in corde suo? ea, *quæ audierant*. Quare? ut considerarent; ut memoriter tenerent. Ea, quæ de divinis thesauris audivimus; omnino sunt in corde ponenda. Etenim cor nostrum sic creatum est; ut sit in terra quoddam armarium atque repositorium divinorum. Ponenda sunt in corde sancta mysteria, verbaque divina; ut credamus, & diligamus; ut in illis sedulò meditemur; & ex eis fiat directio gressuum nostrorum. Sim. Cass. l. 3. hic.

Aliud cecidit secus viam. Luc. 8. 5. Illi secus viam sunt, qui Verbum Dei non custodiunt mente, non meditantur. Barradius ante citatus.

Aliud cecidit in terram bonam. Luc. 8. 8. *Quod autem in terram bonam; ii sunt, qui in corde bono, & optimo, verbum retinent*; id est, qui meditantur, conservant. Idem ib.

Ex Patribus, & aliis.

Quanta sollicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat; tanta sollicitudine observemus, ne Verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquitur, de corde nostro pereat. Quia non minùs reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit; quàm ille, qui Corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit. S. Aug. l. 50. hom. 26.

Admonemus charitatem vestram; ut ea, quæ audiendo, tanquam ventre, memoria conditis; rursus revolvendo, & cogitando, quodammodo ruminetis. S. August. in Ps. 141.

Si diabolum fugas per literas suspensas in collo, multò magis fugabis per literas retentas in corde. S. Chrysost. hom. 1. in Joan.

§. XI.

Verbum Dei audi, &. fac.

Figura, & Symbola.

Tulit vir inaures aureas - & armillas totidem. Gen. 24. 22. Cur cum inauribus non obtulit alia dona? Rebecca animam fidelem significat; in aures auditionem Verbi, armillæ operationem. S. Ambros. l. 1. de Abrah. c. 9. inaures Rebeccæ pii auditus insignia, & viriæ Rebeccæ ornamenta factorum, sunt. Sylveira in Joan. 8. 47.

Susanna pulchra specie. Dan. 13. 31. Non corporalibus erat ornata monilibus &c. pro inauribus habebat verba divina, pro annulo fidem decoram, pro margaritis opera pretiosa; quibus quotidie speciem mentis suæ, & animam, decoravit. V. Beda hom. in Lect. Sabb. D. 3. Quadr.

Nè postquam posuerit fundamentum. &c. Luc. 14. 29. Per fundamentum intelligas Doctoris sermonem. Opus est autem sermoni huic, hoc est, fundamento, superædificatione, opere dico. Theophylactus hic.

Assumite gladium spiritum, quod est Verbum Dei. Eph. 6. 17. Gladius manibus arripiendus; sic Verbum Dei.

Motiva.

Ex Veteri.

Cum loqueretur Angelus - elevaverunt ipsi vocem suam, & flevertunt, - immolaveruntque ibi hostias Domino. Judic. 2. 4. Sunt nonnulli, qui libenter Verba Dei audiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur: sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. S. Gregor. in Joan. 8. Filii Israel fleverunt, & mox rectis operibus studium impenderunt. Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 10. sect. 9.

Abstulerunt ergo Filii Israel Baalim, & Astaroth. 1. Reg. 7. 4. Ad Samuelis concionem omnes Israelitæ, non solùm aures audiendi, sed etiam manus operandi, attulerunt. Mendoza hic.

Non cecidit nè unus quidem sermo ex omnibus bonis, quæ locutus est per Moysen servum suum. 3. Reg. 8. 56.

Videte ergo nunc, quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram. 4. Reg. 10. 10. Et de Samuele 1. Reg. 3. 19. *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*. Id est, sermo ejus propheticus non fuit irritus. Sic exponunt. Dionys. Carth. Lyran. Cajetanus hic.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Ps. 118. 66. Cùm alia sunt, quæ ideo discimus, ut tantummodò sciamus; hic verò, ut etiam faciamus: quando Deus ea docet sic docet, ut ea scienda faciamus: aperiendo veritatem sic docet, ut facienda faciamus imprimendo suavitatem. Non enim frustrà ei dicitur: *doce me facere voluntatem tuam*. Ps. 142. 10. Sic, inquit, doce me, ut faciam; non tantummodò, ut sciam. Sanct. August. hic apud Pinnam Ethol. 9.

Ignis, grando, nix, glacies. Ps. 148. 8. Nè talia sine providentia divina fieri, moverique, putarentur; continuò subjecit: *quæ faciunt Verbum ejus*. S. August. de Gen. ad lit. l. 3. c. 10.

Factum est Verbum Domini in manu Aggæi. Agg. 1. 1. *Onus Verbi Domini in manu Malachiæ* 1. 1. *quæ locutus est in manu servi sui Eliæ*. 4. Reg. 10. 10. Pensa vocem Dei exceptam manu prophetica, non aure. S. Hieron. in Malach. manum pro operibus accipe: unde in manu Aggæi, & in manu Jeremiæ, factus est sermo Domini. Velloso in Judith. 5. Paræn. 18.

Ex Novo, & Patribus.

Quia appropinquavit regnum cœlorum: Matth. 10. 7. Hic est omnis prædicationis fructus: ut homines intelligant, credant, sperent, & ament ea, quæ sunt regni cœlorum. Cajetanus hic.

Incipiens à Galilea. Luc. 23. 5. Ascendendo docet: nam doctrina Christi facit hominem in superna conscendere. Sim. Cass. l. 13. hic.

Non sit mora in faciendo, quod intus sapit intelligendo. S. Aug. s. 112. de temp.

Mater Christi efficitur homo, audiendo Verbum Dei: quia, sicut Mater concepit Illum in utero, ità homo sermonibus concipit Christum in utero conscientiæ; quando proponit facere ejus voluntatem. Parit autem Christum, quando conceptum propositum efficitur. S. Vinc. Ferr. s. 1. fer. 4. D. 1. Quadr.

§. XII.

Verbum Dei non facientium malitia, damna.

Ex Veteri.

Scripsit David epistolam ad Joab, misitque per manum Uriæ. 2. Reg. 11. 14. Dum Urias à Davide literas ferret ad Joab principem militiæ, cogitare potuit, forsitan mandat ei Rex, ut me promoveat &c. sed monebatur Joab, ut ejus necem machinaretur. O peccator! conciones, quas audis sine fructu, literæ sunt, quas contra te deferes. Idcirco vanum est dicere, Conciones, & Missas, audivi; hoc mihi in Judicio Dei patrocinabitur. Falleris, aperiet Deus illic epistolas tuas: videamus, dicet, quid hæ literæ contineant. *Beati misericordes &c. Dimittite, & dimittetur vobis &c.* atqui tu misericors fuisti &c. Diez D. Sexag.

Scatere cœpit vermibus, atque computruit. Ex. 16. 20. In nobis fiunt vermes de manna, hoc est de Verbo: sic enim dixit: *si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*. Joan. 15. 22. Post susceptum enim Verbum Dei, si quis peccet; efficitur ipsum illi vermis, qui illius conscientiam fodiat. V. Beda hic. Qui post susceptum Verbum Dei peccat, efficitur ei ipsum Verbum Dei vermis; qui ejus semper conscientiam fodiat, & arcana pectoris rodat. S. Isidorus hic c. 22.

Ipse illusores deludet. Prov. 3. 34. Illusor est, qui audit Verbum Domini, & non facit. Hugo Card. hic.

Apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis, - in superficie parietis. Dan. 5. 5. Si verba ut summo parieti, ità cordi quoque inscripta fuissent, regem ad pœnitentiam movissent. Quare manus Sacerdotis tam parum operatur per eam sententiam, quam frontibus nostris inscribit, *memento homo &c.*? nisi quia apparent digiti manus scribentis in parietis superficie; neque in cor descendunt, aut animam penetrant. Did. Nyss. s. 1. die Cin. §. 3.

Ex Novo.

Stetit in loco campestri. Luc. 6. 17. Voluit Dominus loca, in quibus populum docebat, designari: ut si, postea rebelles facti, dicerent, se non admonitos; loca ipsa, si opus esset, in testes vocarentur. Sic enim homines lapidum acervos, & statuas, in testes fœderis, vocant; ut legimus Gen. 31. 46. de Jacob, & Laban. Deut. 1. 1. *hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem, in solitudine campestri*, & in fine sermonis: *testes invoco hodie cœlum, & terram &c. Et lapis iste erit vobis in testimonium*. Jos. 24. 27. Stella hic.

Clamabat. Luc. 8. 8. Illo clamore acerbum animi dolorem testatus fuit. Quid doluit? Verbi sui divini jacturam, cujus tres partes de quatuor pereunt. Sicut, si æger medicinam propriis sumptibus, longo studio, paratam effundat. Ægre Christo erat, dum in hac parabola cogitabat; suos Prædicatores la-

laborum suorum tam exiguos fructus reportaturos. Did. Nyss. ser. 2. D. Resur. §. 5.

Revelatur iræ Dei de cœlo super omnem impietatem. Rom. 1. 18. *qui veritatem Dei in injustitia detinent*. Is veritatem in injustitia detinet, qui velut in carcere veritatem captivam cohibet; & per pravam voluntatem ad opus prodire non sinit. *Veritas* ait Christus, *liberabit vos*. Joan. 8. 32. Captivus captivum liberare nequit: libera veritas nos liberabit; si ex intellectu in voluntatem, in oculos, manus, prodierit. Barradius t. 3. l. 1. c. 22.

Ex Patribus, & aliis.

Non hac sola de causa tam studiosi in dicendo sumus, ut aures vestras oblectemus; vel quòd laudari à vobis capiamus: nisi lucrum sit vobis ex sermonibus nostris; satius fuerit posthac silere. Nollem enim vobis majoris damnationis causa fieri. S. Chrys. tom. 1. hom. 6. in Gen.

Verba mea sunt quasi flos arboris bonæ. Et quamvis omnes flores de una radice arboris prodeunt; non tamen omnes flores veniunt ad effectum fructus. Sic verba mea sunt quasi quidam flores, de radice charitatis divinæ prodeuntes: quæ quidem multi suscipiunt; non tamen in omnibus faciunt fructum, nec in omnibus maturescunt: quia quidam suscipiunt ea, & retinent ad tempus; & sic postea rejiciunt: quia spiritui meo ingrati sunt. Revel. S. Brigittæ l. 2. c. 24. V. C.

S. Antoninus narrat: eximium quemdam concionatorem, cùm in quadam solenni festivitate concionem habiturus esset, in morbum incidisse. Cùmque magnus populus concionis causa confluxisset, Prælatus illius monasterii tristabatur, quòd deforet, qui vices ageret. Et ecce pulsat fores dæmon Monachi habitu; qui ait, se concionatorem, & concionem facere promittit. Suggestum ascendens de gloria cœlesti, de Inferni tormentis; de gravibus, quæ in Mundo fiunt sceleribus, ferventissimè prædicavit, tanta efficacia; ut omnes auditores plorarent. Divina revelatione Religiosus probus illius monasterii cognovit Concionatorem; eumque post concionem nomine Dei adjuravit; ut, quæ causa ipsum ad concionandum adduxisset, ediceret. Cui dæmon: novi genium Auditorum, quòd ex hac concione nullum fructum reportabunt: conceperunt quidem bona desideria; sed mox evanescent: & ità, quæ audierunt, in majorem ipsis damnationem vertentur. Diez D. 4. Pent. conc. 2.

§. XIII.

Verbum Dei à quovis libenter audi.

Figuræ, & Symbola.

Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur. Gen. 25. 28. Esau erat homo agrestis, & efferatus, & indole ad malum propensa. *Isaac* nihilominus *amabat Esau &c.* Modò lac sit bonum, & salubre: nihil ad rem facit, quòd nutrix sit deformis. Sit lux clara, & candelabrum qualecumque. Did. Nyss. Pol. Col. p. 1. c. 4.

Et ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis. Judic. 14. 8. Cur Sampson in ore fœtido leonis mel dulce invenit? Plinius l. 8. c. 16. fertur, quemvis leonem vivum os habere fœtidissimum. Per favum mellis Sacra Dei doctrina denotatur. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*. Ps. 118. 103. Sic sæpe ex ore fœtido peccatoris dulcedo sacræ donæ percipitur. Sylveira in Matth. 23. 1. Sampson de ore mortui leonis favum mellis eduxit; & ex arente mandibula asini aquis se profluentibus satiavit. Judic. 15. 15. Sed nec aselli in aqua desidiam, nec belluinam gustavit in melle ferociam. Utrobique nimirum, quod sumptum est, juxta proprietatem suam in ore sapuit: unde sumptum fuerit, non magnoperè discrevit. S. Petrus Dam. tom. 3. c. 21.

Corvi quoque deferebant ei panem, & carnes. 3. Reg. 17. 6. Sic Deus sapè per rostra immunda Concionatorum animabus servorum suorum mundam, sanctamque doctrinam mittit. Et potiùs suffert Deus, se immundorum hominum linguis versari, quàm nobis spiritualem cibum deesse. Diez D. Sexag. Quomodo Elias à corvo nutriebatur; corvus enim in Lege impurum animal habetur. Quomodò ergo ab impuro corde nutriebatur Propheta? S. Chrysost. hom. de Petro, & Elia. Sed quid deferebant? panem & carnes. Elias ergo sic differebat: si panis est bonus, & caro pinguis; quid refert? quòd allata sit ministerio avis. Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 1. c. 4.

Dulciora super mel, & favum. Ps. 18. 11. Quia vel ex mortui cadaveris, peccatoris, ore haurienda. Et sicut ab apibus nullus flosculus, etsi humilis, contemnitur; quin ab illo liquorem suum emendicent, & hauriant. S. Paulinus ep. 4. ubique capiemus cibum vitæ; ubique aucupemur Verbum Dei; de omnium Fidelium ore pendeamus; quia in omnem Fidelem Spiritus Dei spirat: & necesse est, à minimo Dei servo vel guttam cœlestis sapientiæ distillare. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 46.

Sapientia misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem. Prov. 9. 3. Sæpe Dei vocatio non à cathedris; non à doctis, & eloquentibus; sed vel ab ore ancillulæ datur. Sponsa Cant. 3. 3. prudens virgo à militibus illiteratis quærit de Dilecto. Idem ibidem.

Semen est Verbum Dei. Luc. 8. 11. Exposuit, quid sit semen, quid via, quid petra, quid spinæ, quid bona terra? tamen, quis esset seminator, non exposuit Haymo. Docet, in verba prædicationis, in monita sacra, nostram ferri præcipuè debere attentionem; non in Ecclesiasten, quia nobis loquitur. Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 1. l. 1. c. 4.

Motiva, & Exempla.

Ex Veteri, & Novo.

Omnia, quæ locutus es, vera sunt. Judith. 8. 28. Pendet Ozias, & Principes Sacerdotum, ab ore Judith. *Turbata est in sermone ejus*. Luc. 1. 29. Turbata est, non in vultu, sed in sermone ejus. Eusebius. Non expende, an Angelus sit, qui docet; sed an doctrina, quam tradit, sit angelica? Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 1. l. 1. c. 4.

Maria autem conservabat omnia verba hæc &c. Luc. 2. 19. Si Maria à pastoribus discit, cur tu declinas discere à Sacerdotibus? S. Ambros. hìc. Magna prudentia est, non solùm à doctis, & magnis; sed etiam à minimis, doceri velle. Sylveira hìc q. 4.

Audientem illos, & interrogantem eos. Luc. 2. 46. Interrogat Christus: ut suo exemplo doceat; nobis non esse erubescendum, dum à minoribus interrogamus. Sylveira hìc q. 46.

Ego vox. Joan. 1. 23. Omnibus speciosis titulis prætermissis, Joannes tantùm de se ait: *ego vox*: ità ut neque Sacerdotalis dignitas, nec prophetalis authoritas, nec Angelica sanctitas, in eo attendenda esset; sed hoc unum, quòd sit Dei vox; seu, quòd Dei voce loquatur: nec enim in Doctore considerandà est persona; sed quòd vices Dei gerat. Sylveira hìc.

Ex civitate illa multi crediderunt, propter verbum mulieris. Joan. 4. 39. Sermo, qui ad salutem conducat, à quocumque dicatur, accipiendus est. Non parum commendatur Samaritanorum prudentia, & salutis aviditas; quod vel ex ore mulieris non spernebant verbum salutis; sed illi fidem darent de eloquiis divinis. Baeza t. 2. l. 6. c. 3. §. 46.

Historica.

S. Ephrem, in itinere, dum Edessam pergeret; oravit Dominum, obvium in ingressu habere hominem, qui secum à Scriptura sermonem exordiatur. Ingredienti occurrit meretrix: vita indoluit, preces suas inanes: quo pacto enim hæc de Scriptura mecum disserat? substitit autem illa eum intuens. Ad quam ille: quid subsistis, intentis in me oculis? & illa: intueor te; quia ego mulier ex te viro sumpta sum: tu autem nè me intuearis; sed terram, ex qua tu vir sumptus es. Laudavit Deum pro sapienti doctrina. Bollandus 1. Febr.

Quadam die occurrit S. Brigittæ V. Scotæ quidam insanus, de loco in locum currens, plenus furore; multosque obvios affligebat; dixitque S. Brigitta ad eum: prædica mihi Verbum D. Jesu Christi. Insanus dixit: o Brigida Virgo! tua jussa implebo: ama Deum, & amabunt te omnes: honora Deum, & honorabunt te omnes: time Deum, & timebunt te omnes. Cùm hoc dixisset, cum clamore fugit. Bollandus 1. Febr.

B. Ægidius tertius socius S. Francisci Seraph. quamquam, teste S. Bonaventura c. 3. Legendæ, esset idiota, & simplex; tamen ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem. Gregorio IX. summo Pontifici, petenti documentum tale dedit: debetis habere duos oculos, dextrum, & sinistrum; dextrum ad contemplandum superiora; sinistrum ad dispensandum inferiora. Bollandus 23. April.

S. Gregorius in quadam epistola: ab omnibus corripi, ab omnibus emendari, paratus sum: & solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam, ante appetitionem districti Judicis, meæ maculas mentis tergo. Et S. Augustinus dicebat: ego & senex, & Episcopus, paratus sum à pueris doceri. Diez in dedic. S. Michaelis conc. 3.

§. XIV.

Verbi Dei dispositio, capacitas.

Ex Veteri, & Novo.

Potens in terra erit semen ejus. Ps. 111. 2. Non in petrosis, non secus viam, non inter spinas; sed inter bona, *potens erit semen ejus*. S. Ambros. hìc.

Ad annuntiandum mansuetis. Is. 61. 1. *Esto mansuetus ad audiendum Verbum Dei, ut intelligas*. Eccl. 5. 13.

Docebit mites vias suas. Ps. 24. 9. *Ut mederer contritis corde*. Is. 61. 1. *Abscondisti hæc sapientibus &c.* Matth. 11. 25.

Quod in aure auditis, super tecta. Matth. 10. 27. Christus D. hortatus est Discipulos suos publica concione: neque in aurem singulis doctrinam suam instillabat; sed omnes in communi ad virtutem hortabatur. Cur ergo ad Discipulos publicas conciones, in aure audita, vocat Dominus? Ut doceat; licèt omnia in communi dicantur, singuli tamen arripiant: & quisque pro se solo dicta, velut ad nullum alium pertinerent, verba excipiat, meditetur, exequatur. Cùm coram pluribus uni secretum dicere volumus, in aurem submissa voce loquimur. Sic Auditor in aurem sibi dictum putet, quidquid in concione audivit; & ad se unum pertinere. Pinna Ethol. 9.

Pauperes evangelizantur. Matth. 11. 5. Hi enim meliùs dispositi sunt, ut illuminentur, & convertantur: divitiis enim, & nobilitati superbia est annexa: tumor autem mentis, obstaculum est veritatis. Divitum etiam corda plena sunt sollicitudine Sæculi, quæ suffocat Verbum Dei. Denique divites, quia pleni sunt donis, & solatiis, Sæculi parvipendunt dona, & consolationes, cœli. Marchantius D. 2. Adv.

Exiit qui, seminat. Matth. 13. 3. Doctrina Evangelica comparatur semini, & ex eo prodeunti messi: quia sicut ad messem corporalem opus est semine, terra, sole, pluviis, ventis: sic similibus opus est ad messem Evangelicam, & spiritualem. Semen est Verbum Dei, ejusque prædicatio; terra est liberum audientis arbitrium; sol est gratia præveniens, illuminans, & inflammans, liberum arbitrium; ut Verbum Dei excipiat, indeque fructus virtutum producat: Pluvia est gratia rigans, conservans, & promovens, hos bonos actus & motus. Venti sunt tentationes; qui illos agitando magis radicant, & roborant. Cornelius hìc.

Talium est regnum Dei. Marci 10. 14. Regnum Dei, idest, doctrinam Evangelii, sicut parvuli accipere jubemur. Quia quomodo parvulus in discendo non contradicit Doctoribus; neque rationes, & verba componit, adversum eos resistens; sed fideliter suscipit, quod docetur; & cum metu obtemperat, & quiescit: ità & nos in obediendo simpliciter, & sine ulla retractatione, verba Domini facere jubemur. V. Beda hìc.

Quod autem in bonam terram. Luc. 8. 15. Ista bonitas terræ nihil aliud est; quàm bona præparatio nostri cordis. S. Bonaventura s. 1. D. Sexag.

Sermo meus non capit in vobis. Joan. 8. 37. quia non capitur: sermo enim Dei est ut hamus; qui capit, dum capitur. Hugo Card. hìc. Verbum Dei hamo simile est: quia, nisi capiatur, non capitur. S. Bernardinus tom. 2. s. 9. Si sermo meus caperetur, caperet; si caperemini, intrà retia fidei tamquam pisces concluderemini. Quid est ergo, *non capit in vobis*? non capit cor vestrum, quia non recipitur à corde vestro. Sic enim est sermo Dei, & sic esse debet, tamquam pisci hamus. S. August. tr. 42. in Joan.

Ex Patribus, & aliis.

Ad cor numquam sine amore cordis pervenit Verbum Domini. Rupertus de Vict. Verbi l. 5. c. 25. Felix, in quo amoris Mundani deficcatus est humor, & vigor deficit; in eo facilè igniti verbi vis operatur. Gilbertus s. 24. in Cant.

Vitrum, crystallum, aquas limpidas, gemmas, radii lucis pervadunt, & illustrant. Si in corpus opacum, in saxum, incidant; superficietenus tantùm recipiuntur, non admittuntur in interiora. Sic *Dei docibiles*. Joan. 6. 45. Omnes sinus, totum pectus, pandunt; cùm Deum, vel de Deo, audiunt, aut legunt. Filii autem hujus Sæculi, quia obdurato sunt corde, oculos claudunt, nè videant; aures obdurant, nè audiant divinam veritatem. Stengelius t. 1. judic. div. c. 1.

Auditorum intellectus est, tamquam silex; Prædicatores verò tamquam ferrum. Videbitis aliquando otiosos, qui ex silice ferro ignem excutiunt; non ut ignem accendant, sed ut videant, quomodo evolent scintillæ. Vix scintilla exiliit, cùm clamant en! ut hæc scintilla volavit. Percutiunt iterum; & ajunt, plus ista volavit, sed, licèt plures iterent ictus, nunquam tamen ignem accendent, qui escam non admovent silici. Sic Auditores conveniunt, ut Prædicatores illos suis vocibus, & aures, & animos feriant; non ut charitatis ignis accendatur; sed ut videant, quæ scintillæ plus volent? quis in verbis ornatior sit? quis in rebus eruditior? Et ità dicunt: melior est hìc Prædicator, quàm ille. Et numquam divini amoris ignis accenditur, quia non applicant escam, quæ est voluntas, ut ignem concipiat. Diez conc. 3. D. 3. Adv.

Sol ubique lucet, & tamen ubique aurum non generat; sed in terra ad hoc disposita. Et Deus ubique pluit; fructum tamen in terra solùm disposita producit. Broymard.

§. XV.

Verbum Dei quibus exosum.

Manhu! Exod. 16. 15. Ad manna de cœlo depluens clamabant Hebræi: post aliquot annos carnes petunt: da nobis carnes, ut comedamus; *anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*. Num. 21. 5. cùm tamen primum suavem saporem retineret. Manna nequaquam immutatum est; sed rebellium gustus est alius; ut sylvestrem corticem spernant; quod, priùs quasi panem Angelicum mirabantur. Idem respondeo dicenti, ubi est Verbum Domini? ibi est, ubi priùs erat, & inde scaturit. Vos ipsi id initio fugebatis, ut mel suavissimum. Honor ille, quem in sententias probas concipitis; odium, quo flagratis in prudentes monitores; oriuntur ex depravatione vestrarum mentium, non à corrupto consiliorum sapore. Oliva. t. 3. conc. 8. dec. 5. Ven. Quadr.

Magister, hæc dicens etiam concumeliam nobis facis. Luc. 11. 45. Quam misera conscientia! quæ, audito Dei Verbo, contumeliam sibi fieri putat. V. Beda. Ità etiamnum improbi, dum Concionatores vitia, quorum sibi conscii sunt, castigant; censent sibi ab eis contumeliam fieri; ideoque eos persequuntur. Cornelius hìc.

Lumen est ægris oculis odiosum: sic Verbum Dei hominibus pravè dispositis molestum. Geminiani l. 1. c. 82.

Aliqui nolunt audire Verbum Dei, quia vita illorum mala est iis delectabilis, & lucrativa. Hi sunt sicut illi, quòd reliquiæ S. Martini portatæ per civitatem in via infirmos sanarent: cùm semel portandas audirent, fugerunt; nè sanarentur, & lucrum medicationis perderent. Broymard. Verbum Dei.

§. XVI.

Verbum Dei qui incapaces; in quibus sterile.

Vox quidem vox Jacob est &c. Gen. 27. 22. Deceptus est Isaac, quia magis credidit rudiori sensui, scilicet tactui; quàm subtiliori, qui est auditus. Cur tam pauci proficiunt audito Verbo Dei? quia sensuales sunt; quia quæ faciunt, sunt præsentia; tanguntur, palpantur: quæ audiuntur, sunt spiritualia, futura sequuntur sensum hebetiorem: magis timetur hominis judicis pœna imminens, quàm divini, qui putatur remotior. Diez D. 3. Quadr.

Per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Luc. 5. 5. S. Petrus tota nocte in piscatione laborans, nihil cœpit; in Verbo autem Domini rete laxans, multitudinem piscium conclusit; ità nos cùm vitiis, & peccatis, in tenebris prædicamus, quasi in nocte frustrà laboramus; & ideo nihil capimus, sed verba in cassum fundimus. Quia mirum sermo Dei in hoc non capit, qui tantùm terrena sapit. S. Honorius s. D. 5. Pent. Qui terra sunt, & terrena sapiunt, & non possunt percipere, quæ sunt Spiritus Dei; famem Verbi Dei patiuntur, legis mandata non audiunt, correptiones Prophetarum nesciunt, Apostolicas consolationes ignorant, nec sentiunt Evangelii medicinam. Origenes hom. 16. in Gen.

Herodes sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Luc. 23. 9. Multi cupiunt Verbum Dei ob curiositatem tantùm audire; unde illo indigni fiunt. Herodi curioso Christus nec verbum locutus est. O Verbum Patris æterni! cur taces? cùm Herodes te videre, & audire desiderarit? cur ipsum de crudelitate in Joannem, de adulterio non corripis? &c. Diez Concionis auditor. - Sicut plerique tabulas, in quibus Dominica Passio ad vivum expressa, curiositatis magis, quàm devotionis, affectu contemplantur: ità multi in sanctis concionibus, non quæ ad pietatem pertinent, sed solùm dicendi artem, attendunt &c. Idem ib.

In vasis argenteis, seu aureis, difficilimè bullire potest ipsa aqua: quia humiditas & frigiditas argenti actionem ignis, & ebullitionem reprimit: sic in divitibus, avaris &c. vix bulliet amor suavitatis cœlestis. Berengarius Ep. in similitudinibus.

TITULUS V.

VERECUNDIA.

Mirum dictu est: nutritus (Nebridius Salvinæ maritus) in palatio; contubernalis, & condiscipulus, Augustorum; quorum mensæ ministrat Orbis; & terræ, ac maria, serviunt: inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore, tanta verecundia fuit, ut virginalem pudorem vinceret; & nè levem quidem in se obscæni rumoris fabulam daret. S. Hieron. ep. 9. ad Salvianam de servanda viduitate.

Pudicitia semper ornatur solo pudore: bene sibi tunc conscia de pulchritudine, si improbis displicet. Pudicitia nihil ornamentorum quærit; decus suum ipsa est. S. Cyprianus l. de bono pudicitiæ.

Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra hæc, & quàm splendida gemma morum in vita, & vultu, adolescentis. Testis innocentiæ, lampas est pudicæ mentis; jugiter lucens; ut nil in ea turpe, vel indecorum, residere attentet, quod non illa illico prodat. Specialis gloria conscientiæ, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes,

virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. S. Bernardus s. 36. in Cant.

Verecundia, quasi aurora quædam, omnium actuum colorat principia, & virgineo virtutes reliquas venustat pudore. Gilbertus s. 25. in Cant.

Diluculum. Lem. *Absque rubore numquam*. Picinelli. Vide Pudor.

TITULUS VI.

VERITAS.

§. I.

Illustratur adversariis; vincit.

SUper omnia vincit veritas. 3. Esdræ 3. 12. Nebula solet manè aliquo tempore solem obvelare, sed tandem eluctatur. Sic ipsa veritas. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 59.

Nunc ego habitatores Jerusalem, & viri Juda; judicate inter me, & vineam meam. Is. 5. 3.

Si justum est in conspectu Dei - judicate. Act. 4. 19. Nulla major veritatis comprobatio, quàm ipsos adversarios judices appellare. Sylveira hìc.

Non possumus aliquid adversùs veritatem. 2. Cor. 13. 8. Veritas, ut oleum, aliquo tempore deprimi potest; sed tandem alteri liquori supernatat. Triumphavit Veritas contra omnes falsas doctrinas hæreticorum. Et licèt principes fulcra supponerent mendaciis; tamen corruerunt. Quando magis Veritas premebatur, quàm cùm moreretur in Cruce? sed audi publicum Centurionis testimonium: *verè Filius Dei erat iste*. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 59.

Et ecce equus albus; & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax. Apoc. 19. 11. *& de ore ejus procedit gladius* v. 14. Qui vera loquitur, verbis tamquam gladio, utitur. Subdit Joannes: *& in capite ejus diademata multa*. v. 12. Multas coronas Veritas gestat in capite: quia de multis mendaciis triumphum agit. Pinna Ethol. 54.

Negligentiùs Veritas quæreretur, si mendaces adversarios non haberet. S. August. s. 63. de divers.

Quomodo apparebit Veritas, nisi habuerit adversarios; qui & sunt mendaces, & veritatem oppugnent. S. Macarius hom. 17.

§. II.

Veritas exosa.

Ex Veteri.

IMpediioris, & tardioris, lingua sum. Exod. 4. 10. Cur se dicit ineloquentem? cùm de eo Stephanus dicat: Act. 7. 22. *erat potens in verbis suis*. Quia ad regem mittebatur, ad veritatem dicendam. Castillo Illat. 213.

Nunciavitque ei, quod mihi verum videbatur. Jos. 14. 7. Ut prœmium referret, aptiùs videbatur arduos itineris labores proferre, quàm, quod verùm erat, testari. Nimirum tam arduum, virtuti, veritatique consentanea enuntiasse. Vide Num. 14. 9. Calebi periculum, dum veritatem profert: *recessit ab eis omne præsidium; Dominus nobiscum est* &c. Abulens. q. 43. Josue, & Caleba, videbantur offendisse populum; ideo populus concitatus voluit eos lapidare v. 10 quia resistebant desiderio populi. Totus enim deliberaverat reverti in Ægyptum: isti autem duo resistebant desiderio populi, ostendentes, illud non esse rectum. Naxera in Jos. 14. §. 21.

David autem psallebat manu sua - & tenebat Saul lanceam. 1. Reg. 18. 10. Quis Dei tubas audire sustinet? ne pulsantis quidem citharam Davidis dextera grata est, si Sathanam abigat. Dum malum Spiritum fugat à rege, hasta impetitur. Herodes Joannem libenter audit; sed quamdiu non arguit. Oliva l. 11. Strom. §. Erunt signa in sole.

Consuluitque Dominum, & non respondit. 1. Reg. 28. 6. Non audent Sacerdotes viventes Saulem monere de tristi fato. Mittit Deus Samuelem vita functum v. 16. Abulens. q. 15. quia Sacerdotes, & Prophetæ, videntes interitum Saulis, appropinquare nollent denuntiare, propter timorem Samuel verò, qui mortuus erat, non timeret. Addit Zeno s. de Resurr. liberiùs canit mortuus, quàm vivus canere consueverat. Velloso in Judith. 5. Paræn. 8.

Quis decipiet Achab? 3. Reg. 22. 20. ait Dominus, cùm ob multa peccata Achab disponeret, ut decideretur in consiliis suis. Et statim dæmon dicit: egrediar, & ero Spiritus mendax. Et statim Dei vox: *decipies, & prævalebis*. Unde tam certa victoria? ex mendacio, quod valde potens in aulis regum, ubi exosa Veritas. Sylveira in Act. 12. 19.

Erraverunt in solitudine. Ps. 106. 4. *esurientes, &c.* Primum periculum est, devium à veritate hominem in ignorantiæ solitudine, atque errore, versari & carentem cibo, potuque sapientiæ, fame, sitique deficere. S. Prosper hìc.

Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, - & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Is. 30. 20. 21. *Hæc est via, ambulate in ea*. Si auditor videt suum Præceptorem quomodo post monentis tergum audit? Quia tam ingratus veritatis sermo ut vel inchoatus, mox cogat Auditorem post tergum accurrere, facieique dare terga recessuro. Escobar l. 3. Coll. Chr. l. 1. Sect. 1. Obs. 1.

Tunc Daniel - cœpit intrà semetipsum tacitus cogitare quasi una hora; & cogitationes ejus conturbabant eum. Dan. 4. 16. Somnium soluturus hæret, pallet; timet verum dicere regi. S. Hieron. tacitus intellexit, somnium esse contra regem; & cordis timorem vultus pallore signabat. Velloso in Judith. 5. Paræn. 8.

Apparuerunt digiti quasi manus scribentis. Dan. 5. 5. Balthasar, templis vasis abutens, vidit manum scribentis in pariete. Æquum nimirum est, ut in regum, & principum, palatiis veritas in lapidibus cœlitus scribatur; cùm eam pronuntiare audeat nemo. Diez conc. 1. D. 2. Adv.

Divites ejus repleti sunt iniquitate; & habitantes in ea loquebantur mendacium. Micheæ 6. 12. Unde eorum opulentia? quia repleti erant iniquitate, & mendacio. Sylveira in Act. 16. 17.

Ex Novo.

Joannes in vinculis. Matth. 11. 2. Veritatis partus monstrosi. Veritas odium parit. Ex venustissima matre nascuntur atri Æthyopes odii, rancoris. S. Aug. de S. Stephano: me vis, festinas lapidari, ardes coronari. Unde id infert? quia loquitur veritatem: *vos semper Spiritui S. resistitis*. Act. 7. 51. Didac. Nyss. D. 2. Adv. §. 1.

Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas. Matth. 13. 34. Considerabat, quàm ægrè ferrent homines, veritatem audire; quàm torvo vultu, & hirsuto naso, eum aspicirent: & considerans, quàm necessarium hominibus foret, veritatem audire; veritatem parabolis, & similitudinibus involvebat, & valebat: ut, qui veritatem nudam fastidiebant, & ad mendacia arrectas aures habebant; saltèm fictis vestibus tectam audirent. Oleaster in Ex. 23.

Herodias insidiabatur illis. Marci 6. 19. Nihil in hominibus nequius, nihil ad damnationem proclivius, quàm odire ad mortem scelerum argutores. Quid in infirmo magis infirmum? quàm medici vocem inquirere, qui quærit omnino sanare? Perniciosa libertate gaudere exoptat in se cœca; neminem sui sceleris vellet esse videntem. Sim. Cass. l. 3. c. 3.

Misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Marci 6. 27. Cur Joannes è carcere vocatur ad mortem? Joseph autem Gen. 41. 14. è carcere evocatur ad Ægypti principatum? Sanct. Chrysol. s. 174. Joseph somnia dum revelat, evasit ex morte: Joannes, ut Dei Filium revelaret, suscipit & mortem. Somnia non sunt res ipsa, seu veritas: Joannes autem, non somnia, sed veritatem narrabat. Sylveira hìc. q. 15. B. Joannes Bapt. propter veritatem, quàm prædicabat, missus est ab Herode tetrarcha in carcerem, velut latro, & sacrilegus. Haymo hom. D. 3. Adv. Herodes haud secùs ac servus nequam, herilem reprehensionem, ità hic quoque Baptistam metuebat. B. Isid. Pelus. l. 4. ep. 96.

Dabant ei bibere myrrhatum vinum. Marci 15. 23. Vinum myrrhatum cum felle præmittitur, antequam fodiatur: ut singuli sensus singulas habeant passiones. Et lingua, quæ docuerat dulcia verba vitæ, recompensationem habeant in vino myrrhato, alicujus animalis amarissimo felle mixto. Implacabili odio Judæi oderant linguam illam; quam talibus ordinaverant amaricari saporibus: memores enim erant, quoniam damnatos illorum mores arguebat. Idem l. 13. hìc.

Ejecerunt illum extra civitatem &c. Luc. 4. 29. Cùm Christum extra civitatem ejiciunt, & supra montem ad præcipitandum inducunt: eos designant, qui mente depravati sunt: & veritatem, rectumque sermonem, & dulcem reprehensionem, ejiciunt extra mentes; & Christum, & omne, quod rectum est, de seipsis præcipitant per superbiæ montem imò per mentem tumentem. Sim. Cass. l. 8. c. 14.

Et velaverunt eum. Luc. 22. 64. Velant Christi faciem, qui non permittunt sibi ostendi veritatem, neque pœnarum, neque Judicii. Hugo Card. hìc.

Bene dixisti, quia non habeo virum &c. Joan. 4. 17. Mulier veritatis sermonem interrumpit. Toletus: mulier resolutionem controversiæ petit, ut colloquium de sua incontinentia incœptum interrumperet. Sæpe enim accidit, quando aliquid non admodum libenter audimus: aliquam solemus excitare diversam quæstionem: de qua dum fit sermo, quod erat auditui minùs gratum, relinquitur.

Durus est hic sermo. Joan. 6. 61. Esto: sermo durus est; numquid non verus est? lapis durus est; numquid non pretiosus est? Quare autem Veritas dura est tibi? nisi propter duritiam cordis tui. Mendoza in 1. Reg. 6. 14.

Quæritis me interficere - qui veritatem vobis locutus sum. Joan. 8. 40. Omninò implacita Veritas his, qui placita sua quærunt: ideo homini illam dicenti non creditur; quia placitis hominum adversatur. Porrò ex hoc implacita: quia placita humana, & terrena non recipit; sed è regione consistit, eis

eis adversatur, & percutit. Sim. Cass. l. 11. c. 39. Si mendacium diceremus, crederetis, utique mihi: quia autem veritatem dico, non creditis mihi. Euthymius.

Quid est Veritas? & cùm hoc dixisset, iterum exivit. Joan. 18. 38. Cur, o inurbane! non expectas Domini responsum? Dixerat, se *in hoc venisse, ut testimonium perhiberet veritati*; Pilatus autem, dum Christus amara veritatis dogmata parat aperire, veritatis osor terga vertit; ut post tergum monentis verbum audiat. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 1. Sect. 1. Obs. 1.

Jussit eos duci. Act. 12. 19. Syr. *jussit eos necari*. Cur custodes Christi ad sepulchrum bene habent apud Pilatum? custodes Petri malè apud Herodem? Milites Petri verum testificabantur, dicentes, Petrum non humana, sed divina ope è carcere ereptum. At custodes sepulchri mentiuntur. *Discipuli ejus nocte venerunt &c.* Matth. 28. 13. Veritatem dicentes invisi sunt regi. S. Cyrill. Jerof. Catech. 4. quare, sicut Petro de custodia exeunte condemnati sunt custodes; sic etiam, qui Jesum custodiebant, non sunt condemnati; sed isti quidem mulctati sunt &c. isti autem silentes veritatem à principibus Sacerdotum servati sunt. Sylveira hìc. q. 18.

Isti homines servi Dei Excelsi. Act. 16. 17. Cur hæc puella divinando multas conquirebat divitias? Prophetæ multa prædicendo nihil lucrabantur; sed pauperes afflicti erant? Respondeo: quia Prophetæ vera, & sæpe amara, nuntiabant. At verò hæc puella mendacia spargebat; indeque multas pecunias congregabat. Gratius mendacium, quàm Veritas. Sylveira hìc. q. 8.

O insensati Galatæ &c. Gal. 3. 1. Insensatus propriè dicitur, qui sensu caret: sensus autem spiritualis, est cognitio veritatis. Qui ergo veritate caret, propriè insensatus dicitur. Sapient. 5. nos insensati! S. Thom. Aqu. hìc.

Si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis. Gal. 4. 15. 16.

Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio: eò quòd veritatem charitatis non receperunt. 2. Thess. 2. 10.

Ex Patribus, & aliis.

Cogitans humanam vitam, & considerans diversos errores; non invenio veritatem in hoc Mundo. Omne quod videmus; & omne quod intelligimus, mendacium est. S. Hieron. in Ps. 115. 11.

Quid Paulo caput abscidit? quid Petrum ad crucem sustulit? quid singulos Discipulos variis tormentis tradidit? nonne quòd prohiberent peccatum, & docerent justitiam? Semper enim Discipulis, quos reprehendunt, invisi sunt veritatis amatores, & Magistri. Sanct. Gregor. Nyss. de Castigatione.

Veritas ideo semper invisa est; quod is, qui peccat, vult habere liberum peccandi locum: nec aliter se putat malefactorum voluptate securiùs frui posse; quàm si nemo sit, cui delicta non placeant. Ergo, tanquam scelerum, & malitiæ suæ, testes extirpare funditus nituntur, & tollere; gravesque sibi putant, tanquam vita eorum coarguatur. Cur enim sint aliqui intempestivè boni, qui corruptis moribus publicis convitium bene vivendi faciant? Lactantius l. 1. div. instit.

Si quis vult imitari vitas Prophetarum; si arguat, increpetque, peccatores: statim odium meretur; statim ei detrahetur, statim patietur insidias. Orig. hom. 11. in Jer.

Habet hoc proprium humanæ mentis fragilitas; quòd perampliùs novitatibus, quàm summis veritatibus delectetur. Sim. Cass. l. 9. c. 34.

Nulli grata reprehensio est: imò, quod pejus multò est; quamlibet malus, quamlibet perditus; mavult mendaciter prædicari, quàm jure reprehendi, & falsarum laudum irrisionibus decipi; quàm saluberrima admonitione servari. Salvianus l. 8. de Prov. Dei.

O nostri, sæculi perditionem! ò Mundi pessimam corruptelam! ò Mundum mendaciis, & adulationibus plenissimum! non est Veritas in Mundo; non est, qui loquatur verum cum proximo suo. Quidquid hodie vulgus loquitur; fraus, & adulatio est. Docuerunt enim linguas suas loqui mendacium: in hac Schola exercitati sunt, in hac edocti: ut discerent fallere, mentiri, adulari; exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes. Hæc civilitas, hæc aftabilitas: & inurbanus est, quisquis fallere, & mentiri non novit. Si quis verax, si quis fidelis, & probus; rusticus, & stupidus reputatur. S. Thom. Vill. tr. de Adv. Dom.

Credite mihi, amarissima est Veritas: sed nescio, quo pacto apud nullos ampliùs, quàm apud literatos, qui sapientes sunt in oculis tuis: apud quos omnis vel admonitio charitativa vel fraterna correctio, contumeliosæ, & vindicandæ, deputatur injuriæ. Herson in ep. quadam ad Studentes.

Veritas est, sicut aqua lustralis, quam omnes flagitant: sed, cùm spargitur, quisque faciem declinat. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 60.

§. III.

Veritatem audiendi, acceptandi, motiva.

ORo te, nè celaveris me. 1. Reg. 3. 17. Monitores non loquuntur, quia vos filetis: nec sperate locuturos, donec vim quandam amantibus precibus iis inferatis. Tacebat Samuel, licèt accepisset à Deo strages, quæ imminebant. Heli, & ejus Domui. Nec syllabam ullam tragœdiæ mox futuræ puer sanctus edidisset; nisi eum senex severè adegisset. Hæc machina est, per quam ex altissimis hominum animis extrahuntur, sepulta Veritas, & peccata silentio tecta; si dixeritis: *oro te, nè celaveris me*. Oliva t. 2. conc. 26 die Ven. post Cin.

Habet hoc proprium mens protectibus anxia, humilitatis ornata decore; sine contradictione cogitationis, atque verborum, subjicere animum veritati; etiamsi videatur nostris volitis, atque sensibus adversari. Sim. Cass. l. 2. c. 25.

Adversus solem nè loquere. Pythagoræ Symbolum in Ethicis. Id est, veritati manifestæ non resistas.

§. IV.

Veritas liberè dicenda.

ECce constitui te Deum Pharaonis. Exod. 7. 1. Quasi innueret: quòd, nisi deitatem induat, privatus homo minimè nuntiabit dura, & acerba principi; ex quo sperare bona posset, & timere mala. Baeza t. 1. l. 3. c. 4. §. 33.

Occidat unusquisque fratrem &c. Ex. 32. 27. Cur ad munus adeò durum Moyses Levitas selegit? S. Ambros. ep. 56. Sanctiora cœteris ad hoc munus eliguntur ministeria Levitarum, quorum portio Deus est. Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt: quoniam Sanctis omnia Deus est.

Non abscondam veritatem tuam à concilio multo. Ps. 39. 11. Suam David curam intendit, ubi gravius erat periculum supprimendæ veritatis; *scilicet in concilio multorum*. Velloso in Judith. 5. 5. Paræn. 10.

Increpabat eum dicens: neque tu times &c. Luc. 23. 40. Inexpectatum os ejus aperuit Deus in Cruce, quod veritati patrocinaretur. S. Chrysost t. 6. orat. de æmulat. & pietate.

Qui veritatem prædicat, Christum confitetur: qui verò eam in prædicatione tacet, Christum negat. S. Anton. Pad. D. 6. Pasch.

§. V.

Veritas opposita falsitati.

PAter filiis notam faciet veritatem tuam. Is. 38. 19. Non revelatur servo Veritas: quia servus nescit &c. sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quærit utilitatem. S. Bernardus s. 3. de Cantico Ezech. regis.

Nullus suavior animo cibus, quàm cognitio veritatis. Lactantius l. 1. instit. de falsa rel.

Naturam hominis Deus veri adipiscendi cupidissimam fecit. Idem l. 3. instit. div.

Primum, quod creavit Deus, fuit lux: & primum, quod creat in homine, est cognitio veritatis; quam dæmon in iis, quos suorum albo inscribit, obliterat. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 73.

§. VI.

Veritas opposita mendacio.

BOnum lilium veritas, candore conspicuum, odore præcipuum. S. Bernardus s. 70. in Cant.

Non amat latibula veritas, non diversoriis delectatur, non angelos quærit: appetit autem publicum, cupit coram omnibus prædicari. S. Laurent. Just. de triumph. &c. c. 8.

Ludovicus XI. Galliæ Rex ajebat: se in Aula omnibus rebus abundare, excepta una. Rogatus, quænam ea esset? dixit: Veritas. Cornelius in Exod. 18. 21.

TITULUS VII.

VESTES.

§. I.

Luxus vestium.

Ex Veteri, & Novo.

FEcit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus, tunicas, pelliceas. Gen. 3. 21. Quid homo gloriaris veste; cùm illa sit nota peccati? Cornelius hìc.

Arca testamenti intus erat auro obducta, & cilicio foris cooperta. Exod. 26. Sit anima tua charitate plena; exteriùs, qualem se in vestitu ostendat, parum refert. Stella de cont. &c. p. 1. c. 40. Deus pretiosiora vilioribus vestimentis induit: Auri vestis terra: Uniones, margaritas, conchis includit.

Quid pretiosius anima? quam illi vestem dedit? *pelle, & carne, vestisti me; ossibus, & nervis, compegisti me*. Job 10. 11. Quid pretiosius Deo? quando se volvit induere, induit Humanitate. *Habitu inventus ut homo*, Philipp. 2. 7. Cur ergo corpora vilissima tam exquisitè vestiuntur? Dicz D. 2. Quadr.

In aliis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, & innocentium. Jer. 2. 34. In vestimentis tuis, quibus ad ostentationem, velut colorata avis, induebaris, inventus est sudor, & sanguis, pauperum quos injustis mediis oppressisti. Junghen Nupt. Agni Exh. 8.

Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Matth. 11. 8. Adverte Christum dicentem: qui mollibus vestibus induuntur, in domibus regum sunt: qui verò talia vestimenta non habent, in cœlis sunt. S. Chrysost. hom. 29. in ep. ad Hebr.

Induebatur purpura. Luc. 16. 19. Valde absurdum est, putridum cadaver pretiosa veste ornari; unde possent multi pauperes sustentari. S. Bonaventura hìc.

Mulier erat circumdata purpura. Apoc. 17. 4. Sic Babylon ornatur; sic ejus filii, & filiæ. At de Ecclesia Apoc. 12. 1. *Mulier amicta sole*. Cultus ejus splendidissimus, non è terra, sed cœlo. Quod aurum, quæ gemmæ, quo purpura, cum sole conferre possunt. Barradius D. 2. Adv.

Ex Patribus, & aliis.

Vestes pullas æquè devita ut candidas. Ornatus sunt sordes; pari modo fugiendæ sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. S. Hieron. ep. 2. ad Nepotianum.

Verus ornatus maximè Christianorum, & Christianarum, non tantùm nullus fucus mendax; verùm nè auri quidem, vestisque pompa; sed mores boni sunt. S. August. ep. 73.

Cœterùm si te sumptuosiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspirandi fomenta succendas: ut, etsi ipsa non pereas, alios tamen pardas, & velut gladium te, & venenum, videntibus præbeas. Excusari non potes, quasimente casta sis, & pudica. Redarguit te cultus improbus, & impudicus ornatus: nec computari jam potes inter puellas, & Virgines Christi, quæ sic vivis, ut possis adamari. S. Cyprianus l. de discipl. & habitu virginum.

Sericum, & purpuram, indutæ Christum induere non possunt: auro, & monilibus, adornatæ ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt. Id. ib.

Impossibile est, aliquam agere curam animæ; & tanti facere corporis pulchritudinem, & ornatum. S. Chrysost. hom. 57. in Gen.

Margaritæ minùs damnosæ projicerentur ad porcos, & utiliùs ad medicinalia franerentur; quàm quòd collo, aut capiti, aut apponerentur vestibus mulierum. Pretiosa vestis ornat Judæam, sive Paganam; sed deturpat omnino in moribus fœminam Christianam. Non enim vestis debet esse pretiosa; pro quibus mors Christi exititit pretiosa; nec in pretio vestimentum, pro quibus sanguis Christi est pretium. Sim. Cass. l. 15. de just. Christ. c. 3.

Certissimè scias, quòd quoties fœminæ deliniunt facies suas colore stybio, & extraneo; toties diminuitur eis infusio aliqua Sanct. Spiritus; & diabolus magis appropinquat eis. Quoties verò ornant se vestibus indescentibus, & inordinatis; toties ornatus animæ diminuitur, & diaboli potestas augmentatur. O inimici mei, qui talia facitis, & alia peccata meæ voluntati contraria effrontes committitis. Quare neglexistis Passionem meam? & non attenditis in cordibus vestris, quomodo ego nudus steti ad columnam ligatus, duris flagellis crudeliter verberatus. Quomodo ego nudus stabam, & clamabam in cruce, repletus vulneribus, & vestitus sanguine. Et quomodo vos depingitis, & ungitis facies vestras. Cur non aspicitis ad faciem meam, qualiter sanguine repleta fuerit &c. Revel. S. Brigittæ l. 7. c. 26. V. C.

Anno 1518. Princeps sacri Ordinis, (nomen prætereo) talarem tunicam habuit, suffultam pellibus, quas pellio è carduelium, seu acanthidum, capitellis opere miro confecit. Drexelius in Trismegisto l. 3. c. 9.

Parisiis vetula juvenculorum mortuorum crines præcisos formosos sibi in comam adaptaverat: hæc tempore processionis in medio fori à simia rapta. Broymard. Vestium luxus.

Vestes sumptuosæ signum interioris vilitatis. Parietes rudes diligentiùs exteriùs ornantur, & pinguntur, quàm marmorei, vel auro ornati: quia hi potiùs deformarentur]. Idem Vestes sumptuosæ.

§. II.

Sub vestibus splendidis animus sordidus.

INduebatur purpurâ & bysso. Luc. 16. 19. Expressit Lucas divitis ornamenta ex purpura, & bysso: ut depravatos hominum mores exprimeret. Cur Matth. 3. 4. non exprimit Baptistæ Angelicas virtutes? imò exprimit, dicens: *ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum; & Zonam pelliceam circa lumbos suos*. Cum vestimento vitam exposuit: hoc enim dum operit corpus, aperit animi mores; virtutem, aut iniquitatem manifestat. Escobar t. 3. Parab. Chr. l. 3. Sect. 1. Obs. 1.

Projiciamus ornamenta terrena, si cœlestia optamus. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem. Tertull. l. de cultu fœm. in fine.

Corporis, ac vestium, fragrantia arguit; intus latere animum graveolentem, & immundum. Spiret anima tua fragrantiam spiritualem. S. Chrysost. conc. 1. de Lazaro.

Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tantò curaretur corporis cultus; nisi priùs neglecta fuisset mens inculta virtutibus. S. Bernardus Apol. ad Guilielmum Abb.

Rex quidam magnus, cùm iter faceret, contigit, ut duos viros laceris, & sordidis vestibus, obvios haberet. Quos ut vidit, è curru desiliens eos honoravit, & genua procidit. Proceres id molestè ferebant. Jussit autem Rex è ligno quatuor arcas effici; quarum duas cùm undique auro contexisset, fœtidæque cadaverum ossa injecisset, aureis seris eas obfirmavit. Reliquis autem, pice, ac bitumine oblitis; pretiosisque lapidibus, omnique unguentaria fragrantia impletis, asperisque funibus constrictis: proceres illos ad se vocavit, ipsisque quatuor has arcas proposuit: ut, quanti hæ, quantique illæ pretii essent, æstimarent. Illi autem inauratas maximi pretii esse asserebant; at aperiri arcas jussit: typumque ostendit eorum, qui splendidis utuntur vestibus, intus pleni flagitiis. S. Joan. Damian. histor. de Barlaam, & Josaph. c. 6.

Cygnus est avis candida, extenti colli; magna corpore, nigra carne. Et significat illos; qui splendore vestitus plus æquo gloriantur; nigri intus nigredine peccatorum. Hugo Card. in Levit. 11. 4.

Et reges olim habitu communi utebantur, dum innocentia adhuc noscebat mortales. Ubi innocentiam exuerunt, simul exuerunt pudicitiam; & serico ornatu vitia induerunt. Non tot in pannosa veste pediculi serpunt, quot in pretiosa veste culpæ. Alvarez in Gen. 37. 3. Illustr. 30.

§. III.

Sub veste pretiosa magna sæpe fames, & paupertas.

EXagitabat eum Spiritus nequam à Domino. 1. Reg. 16. 14. Quærunt interpretes, qualis hic Spiritus fuerit? Abulensis, Spiritum melancholiæ fuisse, ait. Et ex medicamine apparet: cicharæ enim sono malum sopiebatur. Abul. qu. 34. non poterat tristitia præsens expelli, vel leniri, nisi per magnam delectationem. En Saul purpura fulget, diademate redimitur, opima mensa cibatur: verùm sic internis urgetur doloribus; ut summis indigeat delectationibus. Naxera in Jos. 15. §. 38.

Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua. Job 1. 20. Cur dæmon, ablatis reliquis facultatibus, vestes reliquit? Eadem versutia regalem permisit purpuram, qua omnem prorsus abstulerat fortunam. Reliquit vestes: ut splendidior, sed miserabilior esset miseria. Semel miser est, cujus miseria nota: bis, cujus miseria felicitate vestita. Naxera in Jos. 15. §. 39.

Vestimentum tibi est: princeps esto noster. Isa. 3. 6. Splendida vestis divitias indicabat: sed qua homo ille premeretur inopias, audi: *in domo mea non est panis*. Panem domi non habuit; quia ornatu fulgebat. Naxera in Jos. 9. §. 4.

Nihil invenit, præter folia. Marci 11. 13. Cùm vidisset à longe ficum habentem folia; venit, si quid fortè inveniret in illa. Foliis nitet; sed fructibus vacua. Cùm venisset ad eam, nihil invenit, præter folia. Fortè fructibus dives esset, ni labili foliorum arrogantia abundaret. Folia habuit, fructus non habuit: lætiori ornatu fulget; sed cibis caret. Idem in Jos. 4. §. 4.

Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Luc. 10. 18. Levius illi fuisset, tenebris ruisse obscuratam, quàm splendenti lumine: ad pœnæ augmentum lucis erat operimentum: intus ardebat, foris lucebat: nescio, an lumine, an igne, plus torqueatur? & externæ compassionis caruit solatio. Idem in Jos. 15. §. 39.

Abstulit me in Spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam. Et mulier erat circumdata purpura &c. Apoc. 17. 34. Cur mulier sumptuosè ornata non civitatem, sed desertum inhabitat? Desertum nil ad vitam alendam profert. Mulier ergo, & pompa fulget, & deserto tegit: ut noscas, carere victu, quæ abundat amictu. Idem in Jos. 9. §. 4.

Chameleon pellicula vivit - hebes, fessus, vix se à terra suspendit: gradum magis demonstrat, quàm explicat: jejunus scilicet semper. Hoc solùm Chameleonti datum, quod vulgo dictum est: de corio suo ludere. Tertull. de pallio c. 3. De corio suo ludit, semper jejunus, & semper nitidus. Stomachus alget, & vestis nitet. Naxera in Jos. 9. §. 4.

Vestis

Vestis fulgurat; sed cruenta pallet. Data est ei stola, & annulus; sed vitulum esurit, & glande vestitur: Purpura, & byssо, vestitus; epulatur quotidie miserè. Unus, idemque, & epulonem in veste exhibet, & fame Lazarum. Oliva l. 4. Strom.

§. IV.

Exempla modestiæ in vestitu.

VIrgo Cunegundas Imperatrix uxor Henrici I. Imp., extincto conjuge migrans in claustrum, positis insignibus Imperialibus, Religiosum induit habitum. Moritura ad agonem supremum se accinxit. Advertens autem, Religiosas expandisse aulæa, & tapetia regia, quæ tegerent corpus emorcuum; exclamat: tollite mox ista hinc: sapiunt enim vanitatem, & dedecent sponsam Christi. Meliùs mihi consuletur hac humili veste, quàm superbis his aulæis. Historia Imp. sub anno 1040.

S. Elisabeth Ungariæ regina sæpè sub holosericeis vestibus cilicium gestabat. In vita Surius 19. Novemb.

S. Francisca Romana, licèt uxor esset nobilis, & ditissimi viri; vilibus tamen vestibus induebatur. Bollandus 9. Martii.

§. V.

De vestimentis varia.

ORnatus Pontifex Ex. 28. 5. Creaturarum omnium typum gestabat in vestibus sanctis; in quarum coloribus totius Mundi similitudinem præferebat. Byssus enim terræ deputatur, de qua gignitur: purpura mari, quia ex ejus cochleis tingitur: hyacinthus aeri: cujus speciem habet: Coccus, propter ruborem igni ut authori. Arnoldus Carnot. tr. de 6. & 7. Verbo Christi.

Solet sub nigro habitu anima satis pura latitare: nec multùm interest, si quis non habeat candidam vestem. S. August. s. 2. Dom. in oct. Pasch.

Obsecro, quicunque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris: cui si Dominus optionem daret, multò magis eligerem tunicam Pauli (Eremitæ) cum meritis ejus; quàm regum purpuram in pœnis suis. S. Hieron. ex vita S. Pauli Eremitæ.

S. Apollonii, qui fuit Pater quingentorum Monachorum, miræ sanctitatis viri vestimenta non veterascebant, inquit Palladius in Lausiaca c. 52.

T I T U L U S VIII.

V I A.

Purgativa, Illuminativa, Unitiva.

ANtequam comedam, suspiro. Job 3. 24. Antequam comedat, suspirare habet necesse: qui nisi per compunctionis gratiam, & post lacrymarum effusionem, ad intimam animæ refectionem, veritatisque pabula, nullo modo potest pertingere. Richardus à Sanct. Vict. de erud. hom. lib. 1. cap. 16.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Tria sunt oscula: Primum pedum, secundum manuum, tertium oris. Cùm primò convertimur, pedes Domini osculamur. Secundum osculum fit, cùm primùm ad opera bona surgimus. Tunc manus Domini osculamur, cùm ei nostra bona opera offerimus, vel cùm ab eo virtutum dona recipimus. At verò tertium osculum tunc fit; cùm jam assumpto luctu pœnitentiæ, jam acceptis virtutum donis, mens cœlesti desiderio inspirata, ad secreta interioris cubiculi gaudia, impatiens amoris introduci desiderat; cùm dulcibus suspiriis, vocem animi interrumpentibus, pio cordis affectu decantat: *vultum tuum Domine requiram*. S. Bernardus in parv. s. l. 52. In primo osculo primordia dedicantur nostræ conversionis: secundum autem proficientibus indulgetur: porrò tertium sola experitur, & rara perfectio. Idem l. 4. in Cant.

Surge propera, amica mea &c. Cant. 2. 10. *Surgere*, pertinet ad eos, qui incipiunt *properare*, ad eos, qui proficiunt: ad perfectos autem, *venire*. De Ponte hìc Exh. 13.

In lectulo meo per noctes quæsivi &c. Cant. 3. 1. Nota: triplex lectulus invenitur in hoc libro. *Primus* est tenebrosus *in lectulo meo per noctes*. *Secundus* est ornatus de quo: *en lectulum Salomonis &c. Tertius* est *floridus*. In primo jacent vulnerati peccatores, id est, pœnitentes: in secundo jacent fatigati in bello; id est, proficientes in tentationibus: in tertio jacent delicati, vacantes otio; id est, contemplantes in excessu mentis. Hugo Card. hìc.

Christus post Resurrectionem apparuit in triplici specie. Magdalenæ in specie hortulani: Discipulis in Emaus in specie peregrini: & Apostoli æstimabant se Spiritum videre. Illud tempus inter Resurrectionem, & Ascensionem, significat tempus gratiæ; in quo se habet erga incipientes ut hortulanus; cujus officium est nocivas herbas eradicare. Erga proficientes ut peregrinus, eos in via deducendo. Erga perfectos ad modum Spiritus, eos suo amore inflammando. Broymard. Chrysost. Resurrect.

Plura de viis.

Stetuisti in loco spatioso pedes meos. Ps. 30. 9. Certè angusta via est: laborantibus angusta est; amantì lata est. S. Aug. hìc.

Parabola Salomonis. Prov. 1. 1. Proverbialis sermo alio nomine parœmia vocatur. Cùm enim initio viæ in milliaria necdum essent distinctæ, priscæ ætatis homines, per certa itinerum intervalla, signa defigebant; iisdemque aliquod problema, vel apophtegma, vel illustre aliquod dictum ascribi curabant. Faciebant id autem duplici de causa: Prima, ut viator hinc intelligeret, quantum viæ spatium emensus esset: altera verò, ut ejusmodi sententiam animo versans, ejusdemque interpretationi inter proficiscendum insistens, melior, & doctior evaderet; simulque itineris molestiam falleret. Didymus in Catena Græcorum.

Sapientia prædicat, in plateis dat vocem suam. Prov. 1. 20. In lata videlicet, & spatiosa via; quæ ducit ad mortem: ut revocet ambulantes per eam. S. Bernardus s. de verb. Abac. super custodiam meam stabo. Duæ nobis viæ notæ erant: altera primaria, & præstantior; quæ videlicet ad sacras domos nostras, sacrosque Doctores, ferebat: altera secundaria, nec ejusdem honoris; nimirum quæ ad externæ doctrinæ Professores ducebat. Reliquas omnes, quæ ad festa, spectacula, celebres conventus, epulas ferebant; volentibus reliqueramus. S. Greg. Naz. or. 30. in laudem Basilii.

Quis autem hominum intelligere potest viam suam. Prov. 20. 24. Tò *autem* potest accipi ut causale pro enim; ut det causam præcedentis hemistichii. Non enim homo per se valet intelligere viam suam, ut prævideat, qua via sit securè incedendum; quæ via, & modus, ad feliciter rem conficiendam: hæc enim superant hominis providentiam, & divinam requirunt. Sæpe enim homo putat, se recta virtutis via incedere; & curva vitii incedit. Putat se ire in Jerusalem, dum vadit in Jericho, juxta Prov. 16. 25. *est via, quæ videtur homini recta; & novissima ejus ducunt ad mortem*. Aman invitatus cum rege Assuero à regina Esther, putabat se ire ad gloriam; & ibat ad furcam. Esth. 7. 1. 10. Æsopus in via deprehensus à Magistratu, interrogatus, quo iret? respondit: nescio. Magistratus, sibi ab eo illudi, vel insultari, putans; eum abduxit in carcerem. Tum Æsopus: nonne verè dixi, me nescire, quò irem? scilicet in carcerem. Ità quotidie, dum domo eximus, nescimus, quò eamus? quia sæpè, præter mentem, ab occurrentibus aliò abducimur. *Pete à Deo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant*. Tob. 4. 20.

Justum deduxit per vias rectas. Sap. 10. 10. Viæ Domini viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ sine errore; quia ducunt ad vitam: pulchræ sine sorde; quia docent munditiam: plenæ multitudine; quia totus jam Mundus est intrà Christi sagenam. S. Bernardus s. de verb. l. Sap.

Parate viam Domini. Luc. 3. 4. Non dixit, parate viam Domino. Via præparanda Fidelium animis: hanc viam Dominus inibit. Rex est, Dominus est: sit Domini via, sit Regis. Via regia, animus est, Regis Domini virtutem æmulans: studeamus à via, seu à corde, pellere servitutem. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 4. Sect. 2. Obs. 4. Parat viam, qui corrigit vitam. Guarricus s. 4. de Adv. Viam, quam jubet parari; vita est Christiana. Potest item per viam anima intelligi; semitæ verò cogitationes, & opera. Theophylactus hìc.

Dirigite viam Domini. Joan. 1. 23. Servus sum, & viam præparate Domino corda vestra. Proinde illa facite recta dolosi vos, & obliqui; & facite æqua: ità ut Dominus Christus per vos iter faciat. Theophylactus in Luc. 3. Id est, corda vestra disponite ad receptionem, in habitationemque Christi: vitiorum obliquitates, seu gratiæ obicem, repellendo; & quod in vobis est, faciendo. Dion. Carthus. in Matth. 3. 3.

Petatur sedulò à Domino, ut dirigat vias affectuum nostrorum, vias intentionum vias morum: quoniam, si Deus dirigit, curremus sine offendiculo non errabimus: Ad ipsum perveniemus: quia omnis via, quam ipse dirigit, ad ipsum perducit: & suarum directionum ipse factus est finis. Dionis. Carth. l. 15. de just. Christ. c. 2.

Viæ publicæ, & regiæ, Romæ olim viginti novem numerabantur: quæ non solùm lapidibus eleganter stratæ; sed utrimque etiam lapideis subselliis, ædifficiis sumptuosis, templis, sepulchris, & statuis, instructæ. Inter alias fuit via triumphalis; in qua triumphator tantisper subsistebat, dum in urbe pro triumpho apparatus fieret. Via salaria ità dictà quòd per illam à Sabinis sal adveheretur. Paulus Aringus in Roma subterr. de persecut. Christian.

TITULUS IX.

VICTORIA.

§. I.

Contra hostes visibiles paucorum contra multos.

ABraham cum trecentis servis suis quatuor Reges debellavit. Gen. 14. 15.

Exercitus Madian erat ut minimùm centum triginta quinque millium; è quibus cœsa sunt centum viginti millia: reliqua quindecim millia fugentiam persecutus Gedeon cæcidit trans Jordanem. Judic. 8. 10.

Et cædes magna nimis. 1. Reg. 14. 20. Josephus l. 6. c. 7. ait cœsa sexaginta millia Philisthinorum. Solus David, *quasi tenerimus ligni vermiculus, octingentos interfecit impetu uno.* 2. Reg. 23. 3. Solus interfecit Goliam.

Josaphat, cùm Maobitas, Ammonitas, Idumæos, contra se irruentes nimiùm timeret; sola se contra illos oratione, & jejunio armavit: & quos tandem milites in prœlium adduxit, diligenter monuit, non ut pugnarent; sed canerent, pulsarent citharas 2. Paral. 20. 3. 21. Et vix cantare cœperant, cùm hostes in mutua vulnera cornuentes, omnes ad unum perière; nè uno quidem tantæ cladis superstite nuntiorum. Mendoza in 1. Reg. 14. Annot. 18. Sect. 1.

Judas Machabæus. 1. Machab. 4. 6. cùm ab innumeris hostibus armatis cingeretur; ipse apparuit in campo cum tribus millibus virorum tantùm; qui tegumenta, & gladios, non habebant: & tamen inermes armatos contriverunt. Idem ibidem.

§. II.

Varia de victoria contra hostes visibiles.

F*Quos equos fulnerabis, & currus igne combures.* Jos. 11. 6. Monetur Princeps, nè, cùm fruetur victoria, suis imposterum fidat opibus. Orig hom. 15. in Jos. ut ultrà non in equis, nec in armis, sed in nomine Dei nostri invocemus: quid prodest equus, si non adest Deus? *fallax equus ad salutem.* Ps. 32. 17. Quid virtus facit, cùm Deus manum retrahit? *non salvatur rex per multam virtutem.* v. 16. Velloso in Judith. 1. Paræn. 11.

Habitavit David in arce, & vocavit eam civitatem David. 2. Reg. 5. 9. Nota: Hebronem eo elogio ornatam non esse, licèt ipsi septennio regnaverit. v. 5. Nec Jerosolyma dicta Regis civitas est: suam tamen arcem, & urbem, Sionem vocavit; quam armis cœperat, Jebusæo excusso. Ad laudem victoriæ magnificæ, ait Abulensis q. 10. ad 2. Reg. 5. Velloso in Judith. 7. Paræn. 7.

Quotiescumque autem pœnituerunt. Judith. 5. 19. Si hostes cupis vincere, Dei metu exercitum ducitur. Isid. Pelus. lib. 1. ep. 294.

In finem pro his, qui immutabuntur. Psal. 59. De victoria duplici carmen est. Cùm succendit Mesopotamiam Syriæ; ubi David ferro, & flamma, Syriam terit, & Idumæam premit. Sed inscriptio metum priùs sonat; cùm fortunæ rotam videat. Apta epigraphe pro Duce victorioso: qua David gloriosus victor, & monetur, & monet: fortunam belli prosperam facilè avolare: Regem modò victorem gaudere; modò victum dolere. Idem in Judith. 1. Paræn. 8.

Alphonsus rex Aragoniæ, filio suo, dum in Florentinos moveret, hoc documentum dedit. Victoria, mihi crede, non hominum disciplinis: aut industria paratur; sed Dei Optimi Maximi benignitate, & arbitrio. Panormitanus l. 3. de reb. Alphonsi c. 51.

Theodosio imperium suscipiente, bellum grave in Occidente motum est. Perculsus, non pecuniam, non milites, cogit; non fœdera quærit; sed Dei opem. Cognito, virum quendam in Ægypto anachoretam, nomine Senaphium, sanctissimè vivere, miracula patrare; confestim Theophylum Alexandrinum Episcopum cum literis ad illum expedit; ut quam primùm Constantinopolim se conferat. Diu restitit vir sanctus: tandem cuculla, & baculo, in cœlum sublatis; Domine Deus, inquit, huic, obsecro, cucullæ, & baculo, vim tantam imperti, quantam mihi, si adessem, tribueres. Tum quæ manibus tenebat, Antistiti tradens: hæc, inquiens, defer Imperatori; ut cucullam imponat capiti, baculum manu ferat, primam ipse aciem in hostem Dux educat. Fecit, quod suasum, Theodosius; hostis mox in fugam conversus, cæsus, victus, sine suorum sanguine.

Tempore Urbani II. ad ann. D. 1098. Christiani in bello sacro à Papa indicto, pro recuperatione Jerosolymæ: cùm essent Antiochiæ in summa desperatione; eò quòd propè adesset infinitus exercitus Turcarum; & ipsi pauci essent, ac diuturna fame propè enecti: ità ut etiam viri fortissimi baculis innixi incederent; neque equos haberent, nisi paucissimos: quin & ipsorum Dux Godefridus Bullonius equo commodato uteretur; & multi principes in asinis equitare cogerentur. Tandem Deus revelavit, ubi esset Lancea, qua Christi latus perforatum est in Cruce: eaque prælata in bello victoriam dedit: ità ut occiderint centum millia Turcarum. Ità Paulus Æmilius l. 4. histor. Francorum.

Ossa Comitis Castellæ fortissimi Ferdinandi Gonzali, strepitu, & concussione sua, significant victorias Catholicorum contra Infideles. Prædixerunt A. 1456. pridie victoriam Joannis Hunniadis contra Turcas; alias Hispanorum contra Mauros. Nierembergius l. 1. de mir. nat. in Europa c. 10.

§. III.

Victoriæ Christi.

Symbolum palmæ.

IN ramis palmarum significabatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo superaturus; & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. S. Isidorus Ep. de offic. Eccl. c. 27. l. 1.

Palma victoriam signat, ac si dicerent illi non verbis, sed rebus: venis Jerosolymam; certam victoriam reportabis de morte diaboli: crucifigeris ibi, descendes ad inferna, & liberabis electos, & superabis diabolum. Haymo hom. Dom. 1. Adv.

Rami palmarum, laudes sunt, significantes victoriam: quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, & trophæo crucis de diabolo, mortis principe triumphaturus. S. August. tr. 51. in Joan.

Varia.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo. Ps. 2. 6. Non tamen lego honorificum hunc titulum vestibus Christi D. insertum, nisi postquam canit cruentam victoriam. Victoriam *habebat in vestimento suo scriptam: Rex regum.* Apoc. 19. 16. Sed quale vestimentum? vestitus erat veste aspersa sanguine. Tunc se Christus D. Regem jure meritò censet, cùm vestem explicat cruore illitam. Velloso in Judith. 7. Paræn. 7.

Exivit vincens, ut vinceret. Apoc. 6. 2. Significat, sensim ab una victoria ad aliam progressum. Vicit ex parte victores; exivit, ut Gentiles quoque vinceret. Sylveira hic.

In illa solutum est bellum diutinum, extincta mors, maledictio interempta, diaboli tyrannis absoluta, vasa ejus direpta. Deus hominibus reconciliatus est &c. S. Chrysost. hom. 30. de hebd. Sancta.

Per quæ diabolus vicerat, per eadem Christus eundem devicit. Loco Evæ est Maria: loco ligni scientiæ boni, & mali, lignum Crucis: loco mortis Adami mors Christi. S. Chrysost. l. 6. orat. in Cruc. Dom.

§. IV.

Victoria sui.

Ex Veteri, & Novo.

A*Braham, Abraham, Tolle filium tuum unigenitum &c.* Gen. 22. 2. Guilielmus Pepinus quærit: cur Deus vocem Abrahæ ingeminarit? Respondet: factum, ad excitandam voluntatem in effectum tam difficilis justionis. Sed nunc quæro: cur illum iterato nomine etiam tunc appellarit, quando afferre filio manus volebat, & Deo obtemperare? *Abraham, Abraham; non extendas manum tuam super puerum.* v. 11. Causa est: quòd, ut illi arduum fuit filio necem inferre, ideoque bis de nomine vocari debuit; sic, postquam degustavit, quantum boni illud tam heroicum opus complecteretur; sic illum abripuit obedientia, & incitatum filii immolandi desiderium; ut bis quoque vocari oporteret; quò intermitteret: sicut bis nominari debuit; ut inchoaret opus. Did. Nyss. f. 5. post D. 5. Quadr. S. 5.

David saltabat totis viribus ante Dominum. 2. Reg. 6. 14. David luctatus cum Golia, quas non virtutes exercuit? Zelo armatur, fide munitur, charitate audet, spe pugnat, oratione triumphat. Nihilominus tantarum virtutum moles par non est choreæ, quam ante Arcam duxit. S. Gregor. mor. l. 27. c. 27.

Quid de ejus virtutibus ab aliis sentiatur, ignoro. Ego Davidem plus saltantem stupeo, quàm pugnantem: pugnando quippe hostes subdidit; saltando autem ante arcam semetipsum vicit. Aerius confodit irriso, quàm lancea; & malumus effundere cruorem, quàm suffundere. Elisæus deliciis, pompis, opibusque, calcaris, ferre noluit, non dico prudentium fides, sed pauperum inultus. 4. Reg. 2. 24. &c. Oliva l. 4. Strom. §. Fidelis Deus, per quem vocati estis.

Lapides sanctæ elevabuntur super terram ejus. Zach. 9. 16. Lapides hi, justi sunt; qui ædificio conjungantur architecti manu: sed tanta subsidia præstat architectus lapidibus, ut seipsos impellant renitentes, virtutis violentis alleviant pondera, ut velociter volvantur ad montium cacumina. Sept. transtulerunt; *lapides sancti volventur.* Hieron. qui lapides sancti tantum erunt leves, & in sublime nitentes; ut non præstolentur ædificantium manus; sed ipsi festinent imponi super fundamentum Christi. Arcones in Is. 2. 13. Disc. 7.

Regnum cœlorum vim patitur &c. Matth. 11. 12. Regnum cœlorum piè rapiunt, qui in omnibus suam indolem, ad vitia propendentem, student vi quadam injecta suæ naturæ evincere. S. Antiochus hom. 130.

Ex Patribus, & aliis.

Quando mens in passione luctatur; si, intentis viribus, & solerti attentione, vicerit; refert de hac passione victricem palmam; & coronat quodamodo per seipsam Deum. S. Basilius in Ps. 28.

Qui victores sunt sui, cœlo vim inferunt. S. Cyprianus de Nat. Chr.

Nihil est; unde non triumphet animi triumphator. S. Hildebertus ep. 56.

Qui perfectè se vincit, ad omnia fortis erit. S. Laur. Just. Ligno vitæ de pat. c. 1.

Amore nostri, fratres charissimi, Redemptor noster occubuit: & nos amore ejus discamus vincere nosmetipsos. S. Gregor. hom. in Evang.

Impossibile est, quemquam de seipso triumphare posse; donec experimento didicerit, propria se virtute obtinere non posse triumphum. Ricardus à S. Vict. c. 21. in Cant.

Non est ejusdem facultatis, seu facilitatis. Ægyptum exire, & eremum pertransire; Mundum relinquere, & seipsum vincere, & post seipsum projicere. Illud quasi modicum, quod modico tempore perficitur: hoc post multos labores, per multas tentationes, vix tandem aliquando, & à paucis consummatur. Durum difficile, grande, seipsum relinquere; seipsum bene inspicere, & plenè despicere; perfectè probare, & penitus improbare. Idem tr. de exterminat. &c. c. 12.

Cùm quis contra populos, & urbes decertat; totus simul interior, & exterior homo pugnat: & si expugnat, non magnam videtur de tanta victoria coronam meruisse; eò quòd extra illum sunt, quæ vincuntur. Qui autem contra proprium animum virtute sapienciæ in se certat; non totus, sed minùs, quàm dimidius pugnat. Urbanus V. P. in Ps. 50.

Esto victor tui, Christo desuper præstante levamen; & eris omnium magnificus triumphator. Velut pessimum inimicum statue teipsum in campo spiritualis certaminis adversùs teipsum; & supplantare festina: & omnis Mundi amœnitas vertetur in fugam, & terga dabit propere hostis antiquus. Qui seipsum in occulto agone apprime vicerit, nihil habet obsistens. Nullus alicui est seipso nocivior inimicus: nec enim ab alio, quàm à seipso, quis spiritualia, seu æterna, nocumenta sulcepit. Simon. Cass. l. 13. cap. 11.

S. Franciscus Xaverius, inter reliqua documenta data, Joanni Bravio Novitio, ait: omnibus in rebus, à quibus appetitum, vitiosamque naturam, senseris abhorrere, strenuè teipsum vince: quæ apetit, negando; quæ horret, amplectendo. B. Petrus Janicus thes. rer. Indic. l. 1. c. 21.

Magnum certamen est, seipsum vincere: gloriosus triumphus, cervicem superbiæ flectere. Thom. Kemp. 1. p. f. 7. ad Novit.

Tantum projicies, quantum tibi ipsi vim intuleris &c. Idem de imit. Chr. l. 1. c. ult.

Recenentur varia beneficia, & curationes, intercessione S. Josephi obtentæ. Inter cœtera refertur ex P. Pauli de Barry tractatu de devotione erga S. Josephum: multis experientiis certum esse; vix ullum esse præsidium efficacius ad nobilem aliquam de seipso victoriam referendam, quàm S. Josephi patrocinium. Bollandus 19. Martii de S. Josepho §. 10.

§. V.

Victoria de vitiis, diabolo, tentationibus.

Figuræ, Symbola.

A*Scendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Cant. 7. 8. Ipsa charitas palma est: ipsa est etiam plenitudo victoriæ. S. Ambros. l. de Isaac c. 8. Curramus ergo, ut comprehendamus, ut vincamus: qui vincit, ascendit in palmam; & manducat fructus ejus. Arcones in Is. 2. Disc. 10. Per palmam significatur victoria: palma enim victores coronabantur. S. Bonaventura s. 4. D. Palm.

Palmæ in manibus eorum. Apoc. 7. 9. 3. Reg. 6. 29. Insculptæ erant palmæ, tacitè monentes; ut generosè pro Deo, & virtute certarent, si palmas victoriæ in domo Dei consequi vellent. Sylveira hic.

Testimonia.

Ex Veteri, Novo, & aliis.

Non vocaberis ultrà Jacob. Gen. 35. 10. Credit Abulensis, eum ex fortitudine, & victoriis, duo illa nomina sortitum, *Jacob*, & *Israel*; *luctator* scilicet, ac *videns Deum*. Nam, velut alter Hercules, luctatus est, cum plurimis laboribus, cum fratris minis, cum ingratitudine Laban: rursum cum timore fratris, cum Angelo tota nocte, cum seditionibus liberorum apud Sichimitas, cum nece Joseph illata, ut putabat &c. Verus Jacob, sed Israel, Deum videns: nam septies Deum, sive Angelum vidit. S. Thomas, Lyranus, Abulensis inquiunt: Jacob hìc vocatur Israel, quia Deus hic evexit Jacobum: ut, qui hucusque vitam activam egerat, contra hostes, & vitia dimicando; nunc contemplativam agat. S. August. q. 114. Jacob, id est, *supplantator*, significat certamina, & labores præsentis vitæ: Israel verò, id est, *videns Deum*, significat prœmium futuræ beatitudinis. Cornelius hìc.

Scuto voluntaris bonæ tuæ coronasti eum. Ps. 5. 13. Dominus est hìc, ut scutum protegens; in patria verò, ut scutum coronans. Consuetudo namque fuit Romanis, uti scutis rotundis. Et, quando triumphabant, illomet scuto utebantur, ut corona. Et inde Sancti pinguntur cum scuto rotundo in capite: quia de hostibus adepti triumphum. S. Thom. Aqu. hìc.

Qui perfecit pedes meos, tanquam cervorum. Psal. 17. 34. Habac. 3. 19. *Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quasi cervorum.* In fuga victoria.

Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Cant. 7. 1. Anima sancta, per in victum animi excelsi robur fortiter confligens cum Mundo, carne, & dæmone, eosque devincens, deque iis victis triumphans: agit choros castrorum, id est, jubilat in spiritu; Deoque, quasi victoriæ authori, psallit, & gratias agit. Quia, ut ait Theodoretus: ex castris fiunt chori: nam cùm in castris vicerint milites, virtutis pæana canentes revertuntur; & choros ducentes victoriæ præconium laudibus concelebrant. Cornelius hìc. Quid videbitur in Sunamite, quæ venit sicut chori castrorum? hoc in ea, quæ multùm, & adversùs plurimos, in corpore præliata est. Etenim pugnavit adversùs extraneos hostes, pugnavit adversùs lubricas Sæculi mutationes, pugnavit, adversùs corporis fragilitas, adversùs multiplices passiones. S. Ambrosius orat. de obitu Valentini.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. In domo nempe illius, qui priùs novit certamina, quàm lucem: qui, ut sensit inimicum, non tempus expectavit, sed ab utero supplantavit fratrem. Gen. 25. 25. Nil magis pavendum Dei hostibus, quàm forte, & intrepidum initium pugnandi. Nonne Ægyptii plures sustinuere plagas? Ex. 12. 29. Sed cùm vident primogenita occisa, tunc Israeli potestatem faciunt exeundi. Nicetas in Naz. or. 2. de Pasch. neque enim eam plagam Ægyptii perferre potuerunt; sed tunc Israelitis discedendi potestatem fecerunt. Eadem modo dæmonibus quoque, animarum nostrarum persecutoribus, gravissima hæc pœna videtur; quando in animo, ab omni ostentatione alieno, primogenita, peccati, id est, prima vitii origo, ac principium, à nobis extinguitur. Abraham, jugulaturus filium. Gen. 22. 20. Cùm primùm gladium stringit, ante ullam sanguinis effusionem triumphum, & coronam obtinet. Sic orci hostes prostrati jacent ad primam eductionem gladii. Bieza t. 1. l. 1. c. 7. §. 42.

Vincenti dabo manna absconditum, &c. Apoc. 2. 17. Per manna delicias præstat, ut mulceat; per calculum divitias, ut ditet; per nomen novum honorem, ut glorificet. Et quia *omne, quod est in Mundo, est concupiscentia carnis &c.* 1. Joan. 2. 16. Contra concupiscentiam carnis manna præbet, contra concupiscentiam oculorum calculum candidum, contra superbiam vitæ nomen novum. De Ponte in Cant. 1. Exh. 15. §. 2. Optimè manna hoc sunt consolationes spirituales; quæ quasi congrua merces à Deo datur vincenti, tum delicias, tentationes, & concupiscentias carnales; tum suum metum, & pusillanimitatem; qualis erat hæc Episcopi Pergameni. Cornelius hìc.

Nec est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina. S. Ambros. Ethic. l. 1. c. 15.

Summum victoriæ genus, divinæ cedere Majestati: & auctoritati Matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor, & gloria. S. Bernardus in epist.

Cavendum planè nobis nè victoriam Christi, quia diabolum triumphavit, de captivitate ejus nos redimens sanguine suo pretioso; & auferens ei humani generis principatum, nostro vitio irritam faciamus illius tyrannidi, per illecebras carnis, ejus crudeli iterum regno nos subjicientes, in contumeliam Redemptoris. Unde merito conqueratur increpans, & exprobrans: *quæ utilitas in sanguine meo?*

Ps. 29.

Ps. 29. 10. Sine causa pro vobis sanguis meus efusus est; si ita vos geritis. Itaque conversamini, nè author cupiditatum malarum diabolus iterum principetur in vobis; spolia se tanto detraxisse victori prædo superbus insultans. S. Gaudentius t. 12. de div. capitulis.

T I T U L U S X.

V I D U Æ.

§. I.

Nomen, Symbola, Virtus.

APud Hebræos vidua *almana* dicitur; quòd mortuo marito sit tanquam muta. Pagninus: quod viro mortuo non valeat loqui, & litigare. Diez.

Vox turturis &c. Cant 2. 12. Cernere est, turturem (Symbolum viduarum tempore suæ viduitatis, sanctæ viduitatis opus strenuè, atque infatigabiliter, exequentem. Videas ubique singularem; ubique gementem audias; nec unquam in viridi ramo residentem prospicies: ut tu ab ea discas, voluptatum virentia, velut virulenta, vitare. Adde, quòd in jugi montium, & in summitatibus arborum, frequentior illi conversatio sit: ut, quod vel maximè propositum pudicitiæ decet, edoceat nos terrena despicere, & amare cœlestia. Denique compare uno contenta est: quo amisso alterum jam non admittit; numerositatem in hominibus nuptiarum redarguens. S. Bernardus s. 59. in Cant.

Duo vestium viduæ ornamenta sunt; necessitas, & simplicitas: duo actionum, & operum, ejus ornamenta sunt; humilitas, & charitas: duo linguæ illius insignia sunt; honestas, & verborum benignitas: oculorum decus, modestia, & pudicitia: & unicus cordis illius amor, Jesus Christus crucifixus. S. Franciscus Salef. in Philothea p. 3. c. 40.

Lampades, quarum aromaticum est, dum extinguntur earum flamma, longè gratiorem naribus halitum emittunt. Sic viduæ, quorum amor in conjugio purus fuit, suaviorem virtutis, castimoniæ, fragrantiam exhalant; cum ipsarum lumen, id est, conjux, per mortem extinctum est. Idem. ibid.

Non omnis vidua verè vidua; sed quæ pro Christo castitatem custodit, Et hæc honoranda, si expedit, ut alimentis Ecclesiæ pascatur. Ut 1. Tim. 5. 3. scribit apostolus. Non est Christi vidua; nisi viduæ hujus Luc. 2. 37. Tam antiquæ formam accipiat, ut non discedat à templo. Refrenanda sunt omnino jejuniis, incentivæ libidinis; nec sufficit pulla vesti, si exculta caro nitescit, si ex cibo crassescit, si ex nimio potu somnescit: non serviat Mundo, sed Domino. Sim. Cass. l. 2. Luc. 2.

In honesto loco consistens: quia decet eligere viduas habitacula honestatis. Ibi habitare præfigant, ubi testes devitare non possunt. Confert ad custodiam castitatis, ubi humani devitari non possunt aspectus. Surrexit sæpe importuna tentatio delinquendi, ubi nullus timetur aspiciens, nec deserenda sunt loca, quæ conferunt ad officium sanctitatis. Idem ib. in illud: non discedebat de templo.

§. II.

Viduarum tutela, patrocinium.

Ex Veteri.

S*Anguinem animarum vestrarum &c.* Gen. 9. 5. Sanguis animæ lacrymæ sunt, ut dicit Augustinus: quas Dominus vindicat in oppressione pauperum, & viduarum. Hugo. Card. hic.

Deus magnus, potens, & terribilis; qui personam non accipit, nec munera. Facit judicium pupillo, & viduæ. Deut. 10. 17. 18. Ecce tibi, magnus, & potens Dominus de universis sæculorum negotiis, qualia sibi deligit judicanda? utpote in suo conspectu graviora: nimirum facit judicium pupillo & viduæ. Sequebatur hoc exemplum Theodoricus rex apud Cassiodor. 1 var. 8. cordi nobis est, cunctos in communi protegere; sed eos maximè, quos sibi novimus defuisse. Sic enim æquitatis libra servabitur, si auxilium largiamur imparibus, & metum nostri pro parvulis, insolentibus opponamus. Fortuna minor principem quærit. Et sanè pro oppressis debilibus inventus est principatus: nec unquam Deus principem constituit, cui summa, & prima illa pauperum negotia non indiceret. Sic Ps. 71. 2. *Deus judicium tuum regi da - judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.* Baeza t. 3. l. 14. c. 16. §. 23.

Heu mulier vidua ego sum. 2. Reg. 14. 5. Mittit Joab Thecuitem ad David, ut pro Absolone deprecaretur. Non quærit Joab aulicos, & amicos regis; sed tantùm objicit viduam lacrymantem. Abulens. q. 10. vocat se viduam, ut significet, se esse personam miserabilem; & moveatur faciliùs rex ad misericordiam, & expediendam causam. Sylveira in Luc. 7. 13.

Pater orphanorum &c. Ps. 67. 6. Quocirca nemo pupillos injuria afficiat, Patrem cogitans; nec viduam opprimat, Judicem ob animum sibi proponens. S. Gregor. l. 1. ep. 60. Pastoralis regiminis necessitate compellimur; ut orphanorum, viduarumque, causis solertiùs, quàm curis cœteris, insistamus. Ità scripsit, nec secùs fecit: cujus in libro inscripta erant nomina, qui Romæ vel inopia, vel injustitia, laborabant. Audiebat orphanos primùm deinde Legatos: præ omnibus viduas, & oppressores; tum Cancellarios. Priùs, quàm scriberet ad Mauritium Imperatorem, libellis pauperum subscribebat. Oliva t. 1. Conc. 28.

Viduam ejus benedicens benedicam. Ps. 131. 15. Vidua Christi dicitur Ecclesia; quia omni auxilio destituta Mundano, solam spem suam ponit in Domino: patiturque, quod vidua, improbitates malorum, direptiones crudelissimas impiorum; & tanquam maritali auxilio destituta, semper mœret, semper atteritur. Cassiodorus hic.

Ostendit deposita esse hæc, & victualia, viduarum, & pupillorum. 2. Machab. 3. 10. Direptor templi Heliodorus virgis dirè conscissus. v. 16.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Comeditis domos viduarum. Matth. 23. 14. Emungebant domos viduarum, & bona, sanctitati prætextu, fingentes longas preces, tam pro ipsis viduis, quàm earum maritis defunctis. Ità S. Chrysost. Paschasius, Theophylactus.

Reliquistis, quæ graviora sunt, legis, judicium, & misericordiam. Matth. 23. 23. Majora dico negotia; non, ut quidam æstimant controversias, quæ inter claros, divites potentes, incidunt, sed quoties privati, egeni, obscuri, premuntur à potentioribus; cùm nulla præsidii spes est, nisi à Judice. Philo l. de creat. principis.

Socrus Simonis tenebatur magis febribus. Luc. 4. 38. Quæ nunc sanata est, vidua erat. S. Ambros. l. de vid. Nota: primum miraculum à Domino in muliere operatum fuit in hac vidua: quia viduæ calamitas ad sui miserationem maximè movet. Silveira hic.

Misericordia motus super eam. Luc. 7. 13. Filiam Archi-Synagogi suscitaturus quanta agit? Marci 5. 38. plorantes reprehendit, subsannantes patitur, tibicines expellit, parentes defunctæ vocat, Discipulos inducit, defuncto manum tenet, alloquitur, tandem vitam revocat. Verùm occurrens filio defuncto unico matris viduæ, mox eum matri vivum restituit. S Ambros. l. 6. in Luc. causam ait esse: quia vidua erat; mater unici non patiebatur moras. Prima Ethol. 32. Viduæ lacrymæ Unigenitum traxerunt ad restituendam unigenito vitam. S Basilius Seleuc. or. 10.

Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat & hominem non reverebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa &c. Luc. 18. 2. 3. O quoties Ethnici Judices causas viduarum, & pupillorum, acriùs tuiti, quàm Christiani. Sylveira in Act. 25. q. 4.

Viduas honora. 1. Tim. 5. 3. Honor in Scriptura, non tam in salutationibus deferendis, quàm eleemosynis, ac munerum oblatione, sentitur. S. Hieronym. in Matth. 13.

Duo ista nomina (viduæ, & pupilli) in quantum despectui humano, in tantum divinæ misericordiæ exposita suscepit tueri Pater omnium. Tertull. l. 1. ad ux. c. 8.

T I T U L U S XI.

V I G I L A N T I A.

S*Peculatorem dedi te Domui Israel.* Ezech. 3. 17. Vigilantiæ Pastorum Symbolum sunt psittaci Brasiliæ; qui, dum gregatim pascuntur, speculatorem unum è grege suo collocant in arboris cacumine: qui, si quid periculi superveniat, signum edit; quo reliqui possint avolando sibi consulere. Cornelius hic.

Vigilare. Matth. 24. 42. Opus est vigilare, sive vesperi, id est, in juventute; sive media nocte, id est, in medio vitæ humanæ tenebrosæ, sive galli cantu, quando jam Senior est, sive manè, quando jam senectute provecta est. Origenes tr. 30. in ep. Tim. 24. Quatuor sunt, quæ faciunt hominem vigilare: galli cantus, id est, prædicatio divini verbi: solis ortus; id est, Christi gratia: timor furis; id est, consideratio mortis: solicitudo rei familiaris; id est, desiderium Regni cœlestis. Hugo Card. hic.

Si in Secunda vigilia. Luc. 12. 38. Prima vigilia primævum tempus est, id est, pueritia: secunda adolescentia, vel juventus: Tertia senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat secundam. Et qui vigilare in secunda vigilia noluit, custodiat secundam. Et qui vigilare in secunda vigilia noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat. S. Gregor. hom. 13. in Matth. 25.

Revera plus vigilare, plus vivere est. S. Chrysol. s. 24.

Pernicio-

Perniciosissimus nimis est repentinus hostis, nam aut inscios prævenit, aut incautos præoccupat, aut opprimit dormientes. Hinc est, quòd Christus Rex noster antè sæcula per totam sæculi noctem milites suos præmandatis vigiliarum vicibus commonuit, contra diaboli, id est, veteris hostis subtilissimum dolum. Idem s. 27.

Antiqua est familiarum devotio; familiare bonum omnibus Sanctis. S. Isidorus de offic. Eccl. l. 1. c. 22.

T I T U L U S XII.

V I N U M.

N*Oe - plantavit vineam.* Gen. 9. 20. In Symbolis Romanorum reperimus: Noe, qui primus vineam plantavit, quem Janum illi dicebant, miscuisse viti, & vino sanguinem quatuor animalium, simiæ, leonis, porci, & agni, quia vinum facit vel moriones, quasi Simias; vel pugnaces, ut leones; fœdos; ut porcos; alios mansuetos, blandos, pios, ut agnos. Cornelius hic.

Bibensque vinum inebriatus est. Gen. 9. 21. Aquæ infinitæ non potuerunt, vincere ipsum; vinum autem vile inter dormiendum justi viri corpus nudavit. A modico, vilique vino victus est dormiens. S. Ephrem de Virginitate.

In quo augurari solet. Gen. 44. 5. Tradit Julius Sirenius l. 9. de fato c. 18. Ægyptios, & Assyrios, pelves, & scyphos, aqua replere; deinde certis verbis dæmonem advocare solitos; ac tum dæmonem, instar sibili, ex aqua dedisse responsa. Dices: ergone Joseph talem hic se profitetur magnum? Respondeo; pro *augurari* Hebr. est nacsas, quod significat *præsagire*, & divinare; sivè augurio, seu naturali sagacitate. Unde Chaldæus vertit: *probare*. Joseph ergo hoc scypho, eum vino plenum hospitibus suis propinando, naturaliter divinabat, & explorabat, hospitum suorum temperantiam, prudentiam, & arcana cordis: & hic explorabat, quis fratrum in Beniaminum esset animus? Cornelius hic.

Vinum lætificat. Judic. 9. 3. 13. Calefacit, laxat, funditque cor, ideoque lætificat lætitia enim est cordis laxatio, & diffusio, quàm facit calor. Tristitia verò ejusdem contractio, & torpor: quam causat frigus: quare indicibilem sympathiam habet cum corde. Cornelius hic.

Aquam vinum factam. Joan. 2. 9. Etsi aquam vinum in nuptiis fecerit, non tam permisit inebriari. Cl. Al. pæd. l. 2. c. 2.

Si quid itaque in me potest esse consilii, si experto creditur: hoc primùm moneo, hoc obtestor: ut sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc adversus adolescentiam prima arma sunt dæmonum. Non sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facilè aliis caremus vitiis; hic hostis nobis inclusus est. Quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum, & adolescentia, duplex est incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium.

Sicut aqua igni est adversa, sic vinum immodicum rationi. S. Basilius hom. 18. contra ebrietatem.

Vinum medicina optima est, quando commensurationem habet optimam. S. Chrysost. hom. 1. ad pop.

Vinum datum est, ut delectemur; non ut dehonestemur: ut rideamus; non ut rideamur: ut valeamus; non ut ægrotemus. Idem hom. 71. ad pop.

Non ferventi ætati, quod est omnium humidorum calidissimum, vinum infundere convenit: perinde acsi quis in ignem derivet. Hinc autem fit, ut mustum juventutis, fines pudoris transiliat. Clem. Alex. pæd. l. 2. c. 2.

Vinum à vi. Varro de lingua Latina.

T I T U L U S XIII.

V I R.

SExdecim annorum erat Joseph, cum à fratribus venditus in Ægyptum relegatur. Gen. 37. 2. 28. Et tamen David de illo: *misit ante eos virum; in servum venundatus est Joseph.* Ps. 104. 17. Adultera de eodem: *introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis.* Gen. 39. 14. Convicta id ex Josephi innocentia fatebatur. Vir erat, qui juvenilibus illecebris non succumbebat. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 4.

In sanctuario comedes illud: mares tantùm edent ex eo. Num. 18. 10. Ait Deus ad Aaron de sacrificio pro peccato.

Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea. Deut. 22. 5. Arbitror, quòd non tam de vestibus, quàm moribus dixerit. S. Ambros. ep. 15. ad Irenem.

Vir unus. 1. Reg. 1. 1. A virili constantia. Mendoza hic.

Confortamini, & estote viri. 1. Reg. 4. 9. Viri hoc loco nomen virtutis, non ætatis. Unde non omnes sunt viri, qui videntur. *Virum de mille unum reperi.* Eccl. 7. 29. *Vidit, quia non est vir.* Is. 59. 16. *Quærite in plateis ejus, an invenietis virum.* Jerem. 5. 1.

Accinge sicut vir lumbos tuos. Job 38. 3. Scriptura sacra viros vocare consuevit; qui vias Domini fortibus, & non dissolutis gressibus sequuntur. S. Gregor. moral. libro 28. capite 4.

Discumbuerunt viri numero quasi quinque millia. Joan. 6. 10. De viris solùm mentionem facit: ænigmaticè monens; omnibus, qui viriliter probitatem, ac fidem amplectuntur, non imbecillibus, ac mollibus, cœlestem à Salvatore cibum præberi. Nam, qui puerili animo, aut puerili sunt, nihil magni cognoscere possunt. S. Cyrill. Alex. l. 3. in Joan. c. 16.

Imperatores nullam cohortationem habent efficaciorem in prœliis, quam estote viri. Philo lib. quòd omnis probus sit liber.

T I T U L U S XIV.

V I R G I N I T A S.

§. I.

Figuræ, Symbola.

I*N vestitu deaurato.* Ps. 44. 10. Quid est vestitus aureus, nisi decor, & honor, corporis Virginalis? S. Gregor l. 6. Expos. in 1. Reg. 15. 1.

Aliud centesimum. Matth. 13. 8. Porrò centesimus numerus (diligenter quæso Lector attende) de sinistra transfertur ad dextram; & eisdem quidem digitis, sed non eadam manu: quibus in læva nuptæ significantur, & viduæ; circulum faciens, exprimit Virginitatis coronam. S. Hieron. lib. 1. adv. Jovinian. ubi per triginta intelligit nuptias, per sexaginta viduas. Quod dicit, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Centesimum Martyrum, propter sanctitatem vitæ, vel contemptum mortis. Sexagesimum Virginum, propter otium interius. Tricesimum Conjugatorum: quia hæc est ætas prælantium. S. August. l. 1. q. q. Evangel. qu. 10.

Bonus hortus virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris. Hortus clausus. Cant. 4. 12. quia undique vallata est muro castitatis. Fons signatus: eò quòd virginitas sit fons, & origo pudicitiæ; quæ inviolata custodiat virginitatis signacula: in quo fonte imago Dei luceat. S. Ambros. in Cant. 4. hic.

Digna Virginitas, quæ apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis; nescit concubitus, mella componit. Ros quoque Virginis, est sermo divinus: quia sicut ros, verba Dei descendunt &c. Idem l. 1. de Virginibus post medium.

Vellus Judic. 6. 37. Virginem præsignat. Vellus enim, sicut cum sit de corpore, corporis non subjacet passioni: ità Virginitas, cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Ildephonsus l. 6. de Assumpt. B. V.

Virginitas flos est: qui, si debito modò servetur non decidit; quem ventus temporalis prosperitatis non dejicit; nec hyems adversitatis lædit. S. Thom. Aqu. de erudit. princ. lib. 5. c. 54.

Virginitas assimilatur cedro: est odoris jucundi, quæ serpentes, id est, dæmones fugat. Nunquam à tinea, vel alio verme corroditur. Sic corpora mortificata per abstinentiam in cedro, id est, virginitate, incorrupta servantur. Geminiani l. 3. c. 80.

§. II.

Virginitatis excellentia, laudes.

Ex Veteri.

A*Dam verò cognovit uxorem suam Evam.* Genesi 1. 4. Quamdiu in paradiso fuit, mulier vocata est; & cognita viro non erat: ubi autem ejecta est de paradiso, tunc legitur, quia Adam cognovit Evam mulierem suam: & tunc concepit, & peperit filium. S. Ambros. lib. de instit. Virginis c. 5. Simul atque Deo non obtemperarunt (primi parentes) ac terra, cinisque facti sunt: simul cum beata illa vivendi ratione virginitatis decus amiserunt: & unà cum Deo semigravit ab eis castitatis virginalis. Nam, quamdiu à diaboli servitute liberi fuerunt, ac Dominum suum sunt veriti, fuit penes eos Virginitas; quæ majori ipsis erat ornamento, quam sit diadema regibus, aut aurea vestimenta. Postea verò quàm captivi fuerunt, & regiam ipsam exuerunt stolam, tunc unà successit connubium mortale hoc, & servile vestimentum. S. Chrysost. lib. de virginit. Eva in paradiso virgo fuit; post pelliceas tunica institium sumpsit nuptiarum. S. Hieron. ep. 22. ad Eustoch.

Nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi; præter te, quæ uxor ejus es. Gen. 39. 9. Cur non dixit, præter te, quæ domina mea es? S. Ambros. l. 5. de

Joseph:

Joseph: rectè uxor Domini, non ipsa Domina, dicitur, quæ non potuit extorquere, quod voluit imperare. Nam quomodo domina? quæ dominandi non habet affectum? quæ disciplinam dominæ non tenebat? - Ille Dominus, qui amantis non excipit faces. Baeza t. 1. l. 1. c. 7. §. 10. Puritas virginalis, non est, nisi dominium; quòd persona recipit super sensualitatem corporis. S. Vinc. Ferr. s. de S. Martha.

Ut ascenderent extra Bethuliam. Judith. 7. 1. Diabolus Virginum hostis: laus hæc earum maxima: neque enim diabolus odit graviter, nisi quod magnum est, Apoc. 16. 13. *de ore leonis, & de ore draconis, & de ore pseudo-prophetæ videt* Joannes *spiritus tres immundos*. Rupertus l. 10. in Apoc. propter istam causam spiritus dicuntur immundi, quia spurcissimi sunt: quia humanum genus, per suas suggestiones multimodis immunditiæ, atque ignominiæ, passionibus afficiunt. Prima cum Virgine diabolo pugna. 2. Cor. 11. 3. *Serpens Evam seduxit in astutia sua*. Tertull. l. de virg. velandis c. 5. adhuc felix, adhuc paradiso digna, adhuc virgo. Velloso in Judith 7. Paræn. 2.

Astitit regina à dextris tuis, &c. Ps. 44. 10. Adverte, ò Virgo, quantùm tibi Spiritus Sanctus, Scripturæ divinæ testificatione, detulerit: regnum, aurum, pulchritudinem. Regnum; vel quia sponsa es regni æterni; vel quia invictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiva haberis; sed quasi regina dominaris. S. Ambros. l. 1. de virginit.

In medio juvencularum tympanistriarum. Psa. 67. 26. Juvenculas tympanistrias puellas vocat, Virginitatem exercentes, & divinam symphoniam Deo afferentes. B. Theodoretus hic.

Quæ est ista? quæ progreditur &c. Cant. 6. 9. Consurgit Ecclesia quasi aurora; cùm, spretis tenebrarum operibus, castè, & sobriè, vivit in conjugatis: pulchra ut luna: cùm in continentibus candido nitore resplendet: electa ut sol; cum in Virginibus perfectionis decore refulget. S. Justus Orgelit. hic.

Sacerdotes ejus gementes, Virgines ejus squalidæ. Thren. 1. 4. Virginitas rectè Sacerdotio copulatur; eò quod sint regale Sacerdotium omnes. S. Paschas. hic.

Ex Novo.

Et erat subditus illis. Luc. 2. 51. Magna est virginibus dignitas prorogata, quia Christus duabus virginibus factus est subditus: ut moverint hoc sacramentum homines; quòd illorum Christus complet vota, desideria perficit: qui se puritati, & munditiæ tradiderunt. Et spes magna facta est amantibus cœlestem vitam, quanta sit eis Christus in illa patria familiaritatem donandus, qui duobus castis in hac vita factus est subditus. Sim. Cass. l. 2. c. 29.

Virgo cogitat, quæ Domini sunt. 1. Cor. 7. 34. ut nihil aliud esset, ut nulla merces alia virginem sequeretur, sufficeret ei hæc sola prælatio; cogitare, quæ Domini sunt. S. Hieron. l. 1. adv. Jovin.

Ex Patribus, & aliis.

Nunc nobis ad Virgines sermo est - flos est ille Ecclesiastici germinis; decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis; læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum. Dei imago, respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. S. Cyprianus l. de disc. & hab. Virg.

Non ideo laudabilis Virginitas, quia & in Martyribus reperitur; sed quia ipsa Martyres faciat. S. Ambrosius l. 1. de Virginibus. Sub initium.

Sola est Virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest: res magis voti, quàm præcepti. S. Ambros. adhortat. ad Virgines. Post initium.

Bona virginitatis via; sed sublimis, & ardua, validiores requirit. Id. ep. 82.

Meliores patre tuo, qui nuptias contempsisti: & tu melior matre tua; quæ nuptias contempsisti. Etenim melior est virginalis sanctitas, quàm pudicitia conjugalis. S. August. s. 53. de verb. D.

Qui servimus in Lege nuptiis, Virginitati? in Evangelio serviamus. S. Hieron. l. 1. contra Jovinianum.

Quomodo absque cœteris operibus Virginitas sola non salvat; sic omnia opera absque Virginitate, puritate, continentia, castitate imperfecta sunt. Idem ibidem.

Romanus populus quanto honore Virgines semper habuerit, hinc apparet; quòd Consules, & Imperatores, & in curribus triumphantes; qui de superatis gentibus torphæa referebant, & omnes dignitatis gradus; eis de via cedere solitus sit. Idem ibidem.

Tam magnum voluit Deus esse bonum Virginitatis; ut illud non aliunde, sed ex vocabulo dignaretur nominare virtutis. Virginis itaque si quis velit diligenter considerare vocabulum, ex virtutis inveniet nomine derivatum. B. Fulgentius ep. 3. ad Probam de Virginitate.

Nec dubitamus dicere: tantùm à sancta virginitate, carnis, & spiritus. Fidelium conjugatorum (licèt à Deo concessum) infirmæ mortalisque carnis hujus distare concubitum; quantùm similitudo pecorum ab imitatione discernitur angelorum. Idem ibidem.

Virginitas est bonum: id quoque ego fateor. Atqui nuptiis etiam melior: ac istud tibi assentior: ac, si libet, illud adjunga: tantò nuptiis præstare, quantò cœlum terræ, quantò hominibus angeli antecellunt. Ac, si quid præterea audendum est - etiam magis. S. Chrysost. l. de virginit.

Qui virginitate suaviùs? quid pulchriùs? quid illustriùs? Etenim ipsis solis radiis fulgores splendidiores emittit. Nos verò, ab omnibus terrenis rebus avocans, sic afficit; ut solem justitiæ puris, & intentis oculis intueamur. Idem ibidem.

Vos estis, quæ, secundùm nobilitatem generis, flores estis Ecclesiæ: quæ virore pudicitiæ, & splendore castæ dilectionis, sponso serta componitis; & coronam spineam mutatis quotidie in gloriam triumphantis. S. Paschasius l. 1. in Ps. 44.

Semper est angelis cognata Virginitas. In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Esse angelum, felicitatis est; virginem esse, virtutis. S. Chrysos. s. 143.

Soli eos, qui virginitatem amplexi sunt; Lunæ autem eos, qui continentiam; ac denique stellis eos, qui honorabile conjugium, amplexi sunt, atque conservarunt, comparare licet: maxime cum D. Paulus calculum suum addat, & dicat: *alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum*. 1. Cor. 15. 41. S. Isidorus Pelus. l. 3. ep. 341.

Virginitas est, quæ cunctorum edidit vitam, regina virtutum; sponsa, atque pronuba Christi. B. Theodorus Studita s. 65.

Triplex corona legitur in Scriptura: una aurea, altera stella, tertia lapidea. Prima datur Virginibus, secunda Prædicantibus, tertia Martyribus. Aurum enim, quia incorruptibile, significat incorruptionem, seu carnis integritatem: stella deviantium est directiva: lapis propter suam soliditatem, significat patientiæ firmitatem. S. Bonaventura s. 2. de S. Bartholomæo.

Virginitas currus igneus est; sursum ferens, quem vehit. Blesensis in festo OO. SS.

Supplementum angelicæ ruinæ ex solis virginibus fieri verisimile est; cum alii tanta non accedant ad Angelos affinitate. Imò, teste veritate. Luc. 5. 36. Novi panni non congruunt panno veteri; sicut è contrario commissura veteris non bene assueretur novo. Quod, etsi in Scriptura non adeò inveniatur expressum; sufficere tamen potest ad ejus assertionem, *quòd neque nubent &c. Sed erunt sicut angeli Dei*. Matth. 22. 30. Idem s. 28. in Assumpt. B. Virg.

§. III.

Virginitatis prærogativæ, gratiæ, speciales revelationes &c.

Tunc Holofernes præcepit servis suis, ut comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam. Judith. 6. 7. *Bethulia* idem est, quod *Dei virgo*. Huc missus ab Holoferne *Achior, lucis frater*. Quò enim lucis candorem mitti oportebat, nisi ad Dei Virginem? nam Virginitas multo splendore lucet. Sibyllis profuit ad sapientiam Virginitas. S. Hieron. l. 1. contra Jovin. quarum insigne virginitas; & virginitatis præmium, divinatio. Velloso in Judith. 6. Paræn. 1.

Dominus est. Joan. 21. 7. Solus Joannes, Christo apparente piscantibus, eum, & primus agnovit. S. Hieron. l. 1. contra Jovinianum: Solus Virgo Virginem agnoscit. Et S. Cyrillus: Joannes propter mentis puritatem, & cordis, oculorum acumen, ad intelligendum erat aptissimus. Unde solus signum statim intellexit, & Christum adesse cognovit, & aliis, nihil dubitans, significavit. Cornelius in ep. S. Joannis procemio. Inter omnes sanctos Apostolos, & Evangelistas, de nullo legitur, tot, tantasque, revelationes habuisse; sicut S. Joannes Evang., & S. Paulus. Cujus ratio esse videtur: quia hi duo sacri viri erant Virgines; cæteri verò non; quia erant conjugati, ut S. Ambros. affirmat super ep. 2. Cor. c. 11. Diez conc. 2. in Comm. Virg. Joannes magnus paradisi fluvius, qui ex principali sui fontis origine porfluens, squalentia deserta humanarum mentium irrigat. Et non immerito tam profunda, tam supereminens revelatio Deitatis Virginis debebatur: ut qui carnis sibimet amputavit illecebras, felici commercio pro carnali dulcedine, cœlestium epularum divitiis frueretur. B. Petrus Damiani s. 1. de S. Joanne.

Huic erant quatuor filiæ prophetantes. Act. 21. 9. Sapientia præmium est Virginitatis: ut patet in Sybillis, quæ ob Virginitatem tantùm donum assecutæ. Sylveira hic.

Pruden-

Prudentes animæ, & mundæ, ut Virgines; cùm intelligant se sitas esse in mundana inscitia; lumen accendunt, & mentem excitant; tenebras illuminant, & ignorantiam expellunt. Sanct. Clemens Alexand. lib. 5. Strom. cap. 2. de Virginib. prud.

In castitate, & scientia. 2. Corinth. 6. 6. In qua virtutum conjugatione evidentissimè nos voluit erudire; de castitate ad scientiam perveniri. Nestor apud Cassian. Coll. 14. caput 16.

Quid aliud Virgines sanctas, nisi Dei Secretarias, dixerim? His sua Deus pandit arcana, his abscondita mysteria revelat: has visitant angeli; has perficiunt, has exornant thesauris cœlestibus. Sanct. Thom. Vill. Conc. 2. de Sanct. Dorothea.

§. IV.

Aliæ gratiæ, & dona.

Ex Veteri.

Et post hæc mortuus est Josue. Jos. 24. 29. Inveniens, tantum Principem nullo planctu sepeliri. Diebus septuaginta Jacob defunctus deploratur. Gen. 50. 3. Aaron triginta. Num. 20. 30. totidem Moyses. Deut. 34. 8. S. Hieron. l. 1. contra Jovin: Moyses moriens plangitur à populo Israel: Jesus autem quasi victurus post mortem non plangitur: nuptiæ enim finiuntur in morte; Virginitas post mortem incipit coronari. S. Bern. ep. 42. hæc enim est instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur. Escob. t. 1. Mir. Chr. p. 4. sect. 9. obs. 3.

Introduxit me in cellam vinariam. Cant. 2. 4. Cur ad tantam affluentiam donorum inducitur? Dictum paulò antè de ea: *sicut lilium inter spinas*; ubi per lilium Virginitas, & puritas animæ, laudantur, teste Sanct. Ambros. l. de Virgin. S. Bern. s. 48.

Pascitur inter lilia. Cant. 2. 16. Chald. *inter rosas*. Septuag. *Pastorem agens in liliis*. Hebraicè verti potest: qui *pascitur liliis*, idest oblectatur Virginibus, æquè ac virtutibus. Cornelius hic. Pascitur inter lilia, cùm in corde virginum requiescit; vel cùm illic per gratiam, quam ipse tribuit, quotidie augetur, & proficit. S. Justus Orgelit. in Cant. 6. O cadens lilium! ò tener, & delicate flos; vide, quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est Mundus spinis. Versari in his, & minimè lædi; divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Sed confidite, inquit, ego vici Mundum. Considera lilia agri; quomodo inter spinas vigent, & nitent. Si fœnum, quod hodie est &c. Deus sic custodit; quantò magis amicam, & sponsam suam charissimam? S. Bernardus s. 48. in Cant.

Tolle illum (Jeremiam) - *nihilque ei mali facias*. Jerem. 39. 12. Præceperat Nabuchodonosor de Jeremia, multa de eo cura providente Deo. Cur de sacra Domo id non mandat? cur non de tota Jerusalem? Quidquid grande est in Jerosolyma, donat flammis; unum servat Jeremiam. Sed Jeremias, Virgo est. S. Hieron. hoc enim verum Dei templum est, & hæc Sancta Sanctorum; quæ virginitatis puritate Domino consecrantur. Veloso in Judith. 6. Paræn. 5.

Consolabor te Virgo, filia Sion. Thren. 2. 13. Quam filiam dixerat, appellavit & Virginem: nè, si tantùm filiam nominasset, arbitrareris & nuptam. S. Hieron.

Ex Novo.

Impone manum tuam super eam, & vivet. Matth. 9. 18. Cur Christus solùm hos tres suscitavit? Archi-Synagogi filiam, filium viduæ, & Lazarum? Quia innupti erant, casto, & virgineo, corpore viventes: ac proinde aptiores, ut mortem fugarent, & vincerent. Sylv. hic q. 14.

Non est puella mortua, sed dormit. Matth. 9. 24. Aptè puella duodecim annorum, dormire, non mortua esse à Domino asseritur: quia Virginitas nescit occasum. Escob. tom. 1. Mir. Chr. p. 4. sect. 9. obs. 3.

Clamor factus est: ecce sponsus venit. - Tunc surrexerunt omnes Virgines. Matth. 25. 6. 7. Unde tanta illarum celeritas? Sanè maritatæ, & difficiliùs prægnantes, ad vocem Domini, non ità facilè, & expeditè, occurrissent. *Væ prægnantibus &c.* Matth. 24. 19. Fernandius in Gen. 3.

Volo omnes vos esse sicut meipsum. 1. Cor. 7. 7. Sed, ò Apostole Dei! sancte Dei! electe Dei! si omnes te imitarentur, unde filii, & filiæ? homines, & mulieres, nascerentur? Si omnes essent Virgines, unde nascerentur, & Virgines? Unde genus humanum propagaretur, si omnino ab omnibus cœlibaretur? Sed utinam ab eo tempore, quo Christi Evangelium claruit; aut nunc, sicut ista vita decrevit, omnes viri, & mulieres tenuissent, aut tenerent perfectissimè cœlibatum. Quòd autem sic compleretur numerus Electorum, & finiretur ista miseria; sive aliter provideretur in propagatione hominum; Deo possibile est, qui simul ac repentè, ex nihilo eduxit militiam angelorum. O hominum magna temeritas, & infrunita vesania! quòd imaginatur, Dominum aliter homines educere non posse, nisi ex carnis corruptione. Unde eduxit angelos? unde sublimissimos cœlos? unde multitudinem stellarum? magnitudinem ipsarum unde composuit? quatuor elementa unde produxit? Utinam facerent homines, quod in eis est, & implerent per castitatem Domini voluntatem: faceret & Dominus omnipotens, quod in eo est; qui faciendi omnia, possidet omnimodam, & celerem facultatem. Sicut dixit, & facta sunt; sic si vellet, & fieret. Videbat Apostolus, in Deo non deesset potentiam; quin aliter humanam naturam posset propagare. Videbat Joannes Bapt. cùm Judæis dixit: *potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*. Luc. 3. 8. Sim. Cass. l. 15. de just. Christ. c. 3.

Sequuntur agnum, quocumque ierit. Apoc. 14. 4. Virgines erunt continuè in societate Christi. Item erunt domicellæ B. Virginis. Aliæ siquidem mulieres erunt quasi famulæ; sed istæ familiares magis quasi domicellæ. B. Humbertus s. 47. ad Moniales albas. Privilegium singulare; sed multo obtentum labore, & mortificatione: Cur autem Virgines speciali familiaritate in cœlo Christum dicuntur secuturæ? Sanct. Antonius Pad. s. 1. de Virg. Virgines etiam ipso Martyrio Domino assimilantur: si enim genus Martyrii est castitas in juventute, ut dicit Augustinus; quantò magis Virginitas tota? Hinc est, quòd Virgines sequuntur agnum, quocumque jerit. Ramirez in epist. 5.

Ex Patribus.

Oza arcam, quam non licebat tangere, attingens subita morte prostratus est: neque enim vas aureum, & argenteum tam charum Deo fuit, quàm templum corporis Virginalis. S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium.

Virginitas holocaustum Christi est. Universa castitas; sive in Virginitate, sive in viduitate, sive in continentia; hostia Christi est. S. Hieron. in Ps. 95.

Non dos hujus sponsæ sunt mancipia, non agri jugera: non tot, tantaque, aurea talenta: sed cœlum, & bona cœlestia. S. Chrysost. l. de Virgin.

Primus sermo salutis factus est ad Virginem. S. Athanasius Alex. l. de Virgin.

Non ignoremus castitatis gloriam: Angelica enim est corona, & supra hominem hæc perfectio. Parcamus corporibus, quæ lucere debent sicut sol. Sanct. Cyrill. Jerosol. Catech. 12.

§. V.

Virginitas quibus virtutibus ornanda, præsidiis munienda.

Primò.

Solitudo.

Igitur puella &c. Gen. 24. 14. S. Hieron. ex Hebræo, *alma*: quod verbum numquam, nisi de Virgine scribitur, & interpretatur: *abscondita*. S. Thom. Aqu. in Gen.

Egressus est à filia Sion omnis decor ejus. Thren. 1. 6. Causam in præcedentibus dixit: *omnes portæ ejus destructæ*. v. 4. Egrediente multùm domo Virgine, egreditur decor ejus. S. Ambrosius Exh. ad Virgines: Paradisus es, ò Virgo; Evam cave. Sicut paradisus est in loco tam occulto, ut non certo sciatur, ubi sit? sic etiam debet esse Virgo Deo dicata. Jonghen ex sacris Profession. p. 2. Exh. 1.

Nullus sit tuus sine matre progressus, quæ sit anxia tui custos pudoris. Ipsa quoque ad Ecclesiam progressio rarior sit adolescentulis. Considera, quanta fuerit Maria, & tamen nusquam alibi, nisi in cubiculo reperitur. Decet solitudo verecundiam: & gymnasium pudoris secretum est. S. Ambros. Adhort. ad Virgines. Ante finem.

Virgo devota api quàm simillima esse debet, quæ longè à suo apiario volans, pulchros undique flores elegit; ex quibus intrà alveum conclusa mellificat. S. Thom. Vill. conc. 2. de S. Dorothea.

Nix in montibus excelsis conservatur; sic Virginitas non ità commodè in palatiis conservatur; nec in visitationibus, & colloquiis; sed in oratione, & solitudine. Diez conc. 1. in festo B. V. ad Nives.

Secundò.

Humilitas.

Lilium convallium. Cant. 2. 1. Se dicit: quatenus inquit. S. Ambros. s. 5. in Ps. 118. in humilibus magis elucet ejus gratia. Flos campi, terræ inaratæ: flos Virginum, lilium convallium: quia humilitati Virginitas sociandа. Dicitur flos *campi*, & non camporum: *convallium*, & non convallis. q. d. ego quidem flos sum campi Ecclesiæ in genere; sed peculiariter sum lilium,

per

per singularem providentiam omnium humilium, & singulorum. De Ponte hic. Exh. 20. §. 4.

Et descendit cum eis. Luc. 2. 51. Descensu aditur Nazareth; quòd flos pudoris humilitate servatur. Si ascendas; flos de radice Virginitatis non ascendet in cor tuum. Oliva lib. 13. Strom. hic.

Si qua Virgo est Christi: non potest Christo, nisi cordis humilitate conjungi. Filii Dei thalamus elatas non recipit: & *humilis* sponsus à connubio suo superbas expellit. B. Fulgentius.

Tertiò.

Varia alia virtutes.

Ex Veteri.

Et ecce Rebecca egrediebatur. Genes. 24. 15. Nota hic speculum Virginum in Rebecca. Nam 1. non otiosa sedet, sed laboriosa hydriam gestat. 2. Hausta aqua revertitur; non diu moratur in publico: & licèt servum Abrahæ videret; non tamen curiosè inspicit, vel alloquitur. 3. Cùm servus ab ea petit potum, statim offert, benignè alloquitur. 4. Quamvis audiret eum esse servum Abrahæ: non tamen eum in domum introducit: sed matri nuntiat. 5. Non curiosè inquit, cur servus hic advenerit? 6. Obtemperat parentibus, cùm videt eos consentire, ut ad Isaac pergeret: tametsi durum ei esset: relinquere parentes. Corn. hic.

Rebecca, puella decora nimis, virgoque pulcherrima. Gen. 24. 16. Bis dicitur pulchra: ut ostendatur, quòd pulchritudo exterior multùm ab interiori puritate dependebat: ac proinde toties dicitur *pulchra* in exteriori facie, quoties Virgo, & pura in interiori. S. Chrysost. t. 6. s. quales ducendæ uxores: quid mihi narras pulchritudinem corporis? ut discas insignem ejus pudicitiam, ut discas animi pulchritudinem. Sylv. in Act. 7. q. 15.

Cucurrit puella, & nuntiavit. Gen. 24. 28. Protulit vir inaures aureas: audit sermonem blandum: *cujus es filia?* sed matrem citò adit, & nuntiat; quid? fortasse quæ acceperat? non: sed *quæ audierat*. Sermonem cum viro obrumpit virgo cauta, & matrem consulit: timens, nè qua sub voce leni pestis esset: sub melle venenum: sub esca hamus lateret. Virginum enim est, ait S. Ambros. l. 2. in Luc. 1. omnes viri affatus vereri. Velloso in Judith. 1. Paræn. 1.

Apparuitque ei Dominus &c. Ex. 3. 2. Ignis in rubo, est Deus in B. Virgine conceptus, & natus: illæsa ejus virginitate. Ità Theodoretus, Rupertus, Bernardus, Greg. Nyss. ubi nota: aprè virginitatem comparari rubo: quia per humilitatem, & asperitatem vitæ conservanda: in deliciis enim castitas est in periculo. Corn. hic.

Mulieres excubabant in ostio tabernaculi. Ex. 38. 8. Excubare significat vigilias militares ad arcendum hostem. Nihil Virgini congruentius, quàm vigilare, excubare. Væ castitati, quæ ad horam dormitat. Sanct. Chrysostom. hom. 40. ad pop. quid Salomone beatius? sed, quia dormitavit, cecidit. Gen. 39. 7. S. Greg. Nyss. illa dicebat dormi mecum: adolescenti autem contra proclamabat temperantia, vigila mecum. Baeza t. 1. l. 1. c. 6. §. 7.

Astitit regina à dextris tuis. Psalm. 44. 10. Sponsus in acie stat: debet ergo, & ipsa armis succincta viriliter dimicare. Nemo in acie positus otiosus stare potest, nè cadat. Et hinc est, quod Salomon Virginem castris comparet. Cant. 6. 9. *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Sanct. Paschasius hic.

Sicut vitta coccinea labia tua. Cantic. 4. 3. Sponsarum agni, hoc est, Virginum Christi labia præcipuè decet esse, sicut vitta est coccinea: & sermo earum semper charitate ardeat, Passione agni, & sponsi rubeat: qui semper debet esse in corde, semper sit in ore; candidus, & rubicundus, dulcis Jesus. S. Bern. tr. de Pass. Dom. c. 31.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilæa. Luc. 1. 26. Quærant transmigrationem (Galilæam) Virgines, Virginem virginum imitantes: ut in nullo visibili virginalis ligetur affectus. Nil diligat, quod castissimi sponsi dilectionem impediat: nè quærat diligi, à quo deceat separari: qui non potest beare. Sim. Cass. l. 2. c. 1. de B. V.

Hæc Angelorum militia est; semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum, student: lectione, vel operibus continuis, mentem occupant: separari à cœtu mulierum: sibi ipsi invicem tutam præbent custodiam. S. Ambros. ep. 82.

Novi Virginitatis vim; novi hujus certaminis contentionem: quantùm hoc habeat prœlium difficultatis, intelligo. Vehementi quodam, & forti, animo opus est, & qui nullum habeat sensum voluptatis: quandoquidem per candentes carbones, ut non adararis: per mucrones gladiorum, ut non saucieris; est incedendum. Ea est enim libidinis vis, ut cum igne, & ferreo conferatur. Quamobrem adamantina quadam rationis vi, oculis numquam somno conniventibus, summa tolerantia; muris etiam firmis, opus est, quibus muniamur: vigilantibus præterea, fortibusque custodibus: imprimis verò divinæ gratiæ indigemus adjumento. S. Chrysostom. l. de Virgin.

Paupertas eis in pretio est, & eò ampliùs, quò ex ipsa major approximatio fit ad sponsum; qui pauperes requirit; sed divites non repellit. Verumtamen Virgo pauper propior accedit ad Crucem, nuda rebus temporalibus. Virgo nudam crucem astringit ardentiùs: & tantò illius arboris fructus gustat sapidiùs, quò sibi fructum terrenarum arborum interdixit. Sim. Cass. l. 2. in Luc. 2.

Convenit dicatis Deo Virginibus civitatem Nazareth incolere; propter florem campi, & lilium convallium, Dominum omnium Christum; ad florendum per eum, & juxta eum, ad aliam vitam: quoniam in ista nihil manet, aut floret; quod in vespere non decidat, & arescat, & marcescat. Id. ibid.

Deus posuit in firmamento Virginem intrà Librani, & Leonem: ut hinc temperantia, inde fortitudine, se muniat. S. Basilius or. 8. de Joseph. fuga usus pro armis.

§. VI.

Virginitatem servandi, & tuendi motiva.

Bonum est homini mulierem non tangere. 1. Cor. 7. 1. Dices: Gen. 2. 18. dicitur: *non est bonum esse hominem solum*. Respondeo: Deus in Genesi loquitur de bono speciei; Paulus de bono individui. Deus tempore Mundi vacui; Paulus pleni. Deus de bono temporali; Paulus de bono vitæ spiritualis, & æternæ. Corn. hic.

Virga es, ò Virgo: non curveris non inflectaris in terram; ut in te flos paternæ radicis ascendat. Hortus clausus es Virgo; serva fructus tuos: non ascendant in te spinæ; sed uvæ tuæ floreant. Hortus clausus es filia: nemo auferat sepem tui pudoris - Paradisus es Virgo; Evam cave. Fons signatus es Virgo: nemo aquam tuam polluat, nemo contubet; ut imaginem tuam in fonte tuo semper attendas. Porta clausa es Virgo: nemo aperiat januam tuam, quam semel clausit sanctus, & verus; qui habet clavem David: *qui aperit, & nemo claudit: & claudit, & nemo aperit*. Apoc. 3. 7. S. Ambros. l. de instit. Virginis c. 9.

Splendebas, ut argentum: fulgebas ut aurum; quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tamquam stella in manu Domini. Apoc. 1. 16. Quæ ista subitanea conversio? De Dei Virgine facta es corruptio Sathanæ, - de habitaculo Spiritus S. tugurium diaboli. Quæ incedebas cum fiducia, ut columba, nunc lates in tenebris sicut stellio: quæ fulgebas ut aurum, propter virginitatis honorem; nunc vilior facta es luto platearum. Id. l. ad Virginem lapsam c. 2.

Cave, quaso, nè quando de te dicat Deus: *Virgo Israel projecta est in terram suam, & non est, qui suscitet eam*. Amos 5. 1. Audenter loquar: cùm omnia possit Deus, suscitare Virginem, non potest post ruinam. - Rectiùs fuerat homini, subjisse conjugium, ambulasse per plana; quàm ad altiora tendentem in profundum Inferni cadere. S. Hieron. ep. 22. ad Eustoch. de Virginit. custodia.

Virginitas, si perditur, irrecuperabile bonum. Poterit siquidem pœnitens misericordiam consequi: non autem coronam assequi virginalem: neque illud cantare Canticum, quod solum centum quadraginta quatuor millibus coram agno cantare concedetur. Sim. Cass. l. 2. c. 1.

Virginitas vitro debilior: vitrum enim non frangitur, nisi tangatur: Virginitas autem solo visu concupiscentiæ læditur. S. Vinc. Ferr. s. de S. Agnete.

T I T U L U S XV.

V I R T U S.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ossa.

Quoniam conturbata sunt ossa mea. Ps. 6. 3. Idest, virtutes animæ obscuratæ sunt, & extenuatæ virtutes simul conturbatæ sunt. Per ossa virtutes accipimus; per quas nimirum animus sustentatur. Sicut enim in ossibus est fortitudo corporum; ità in virtutibus robur innititur animarum. S. Greg. in Ps. pœnit. hic.

Dum confringuntur ossa mea. Ps. 41. 11. Idest, virtutes destruuntur. Hugo à S. Vict. hic.

Deus dissipabit ossa eorum &c. Psal. 52. 6. Ossa sunt virtutes: quia, sicut ossa sustinent corpus; ità virtutes sustinent animam. S. Vinc. Ferr. l. 3. in Epiph.

Contrivit omnia ossa mea. Thren. 3. 4. Per ossa virtutes animæ demonstrantur: quia, sicut ossa firmamentum sunt corporis; ità virtutes fortitudo sunt animæ. S. Paschas. hic.

Non fregerunt ejus crura. Joan. 19. 33. Idcirco crura sibi frangi noluit: quia ossium fractura nullum usquam bonum sui similitudine commendat. Ossa namque, quæ ubique in Scripturis mysticè pro virtutibus accipiuntur, nihil nobis mysterii prædicarent in eo, quòd frangerentur. Sed è contra crura ejus in eo, quòd integra conservata sunt, illud nobis mysticant; quòd universæ viæ ejus rectè inviolabiles sunt. Sanct. Rupertus lib. 14. hic.

Alia Symbola.

Ex Veteri.

Dies mei - pertransierunt, quasi naves poma portantes. Job 9. 25. 26. Quæ scilicet ad vendendum festinant, nè per moram putrescant. Significatur etiam studium tendentis ad finem. q. d. dies mei non pertransierunt vacui; sed virtutes congregavi: cum quibus tendo ad finem consequendum. S. Thomas Aqu. hic Lect. 4. Per poma, quæ sancti portant per naves, significatæ sunt virtutes, & opera virtutum: habent enim decorem, odorem, refectionem. Idem Conc. quadam de mortuis.

Protegar in velamento alarum tuarum. Psal. 60. 5. Per umbram alarum Dei, quæ velamenti loco nobis est, si quis virtutes intelligat, minimè aberraverit. S. Greg. Nyss. tr. 2. de inscript. psalmor. c. 14.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Ps. 64. 12. Quasi enim corona anni benedicitur; cùm, finito laboris tempore, virtutum remuneratio confertur. Dies autem hujus anni sunt singulę quæque virtutes: menses autem, multiplicia facta virtutum, S. Greg. mor. l. 4. c. 17.

Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus, Prov. 31. 21. Duplex est vestis; hyemalis, & æstivalis. Vestem hyemalem dico virtutes; quibus protegimur contra pluviam, & grandinem tentationum, & persecutionum: ut est patientia, mansuetudo, humilitas, & hujusmodi. Æstivalem dico virtutes; quibus tempore pacis, & tranquillitatis, vacatur bonis operibus, vel contemplationi, ut est pietas, charitas, sapientia, Hugo Card. hic.

Cor sapientis in dextera ejus, & cor stulti, in sinistra illius. Eccl. 10. 2. Cor hoc loco pro intellectu, ac mente accipi decet. Sapientis itaque intellectus semper in dextras vergit partes virtutis, ac laudabiles: stulti autem mens sinistra fertur, & in ea, quæ facilè culpari possint. Olympiod. hic. Sicut sunt nobis in dextera parte virtutes, ità nobis pars vitiorum in sinistra. S. Chrysol. s. 9.

Curremus in odorem unguentorum. Cant. 1. 3. Virtus est unguentum: quoniam est sejuncta ab omni tetro odore peccatorum. S. Greg. Nyss. hom. 4. in Cant.

Oculi tui columbarum. Cant. 1. 14. Columbæ sunt virtutes mutuo amore colligatæ. Deo autem non offerimus columbas, sed pullos; non habitus, sed actus earum. De Ponte hic Exh. 10. §. 1.

Egrediamur in agrum &c. Cantic. 7. 11. In agro Christiani, in vineis Ecclesiæ, in floribus fides, in fructibus virtutes, in malis Punicis Martyrium designatur. Sanct. Isidorus hic.

Viæ Sion lugent. Thren. 1. 4. Viæ sunt animæ virtutes ad solemnitatem contemplationis. S. Thom. Aqu. hic.

Ex Novo.

Ubi est, qui natus est? Matth. 2. 2. Sicut Rex est Dominus civitatum sui regni; ità Christus est Dominus omnium virtutum; quæ dicuntur civitates suæ. Si ergo volumus eum perquirere cum sanctis Regibus, quæramus eum in suo dominio: quia rex communiter moratur in suo regno. Sanct. Vinc. Ferr. l. 2. in Epiph. *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ*. Psal. 23. 10.

Induamur arma lucis. Rom. 13. 12. Idest, virtutes: quæ arma dicuntur: in quantum nos muniunt. Sanct. Thom. Aqu. hic.

Si quis autem superædificat -- lapides pretiosos. 1. Corinth. 3. 12. Per lapides pretiosos designantur opera diversarum virtutum, quibus anima humana ornatur. Eccl. 50. 10. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*. Sanct. Thom. Aqu. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Si circulus non magnitudine spatii, sed quadam conformatione, cœteris præstat; quantò magis de virtute existimandum est; quòd non majoris loci occupatione, sed divina quadam congruentia rationum, atque concordia, cœteras affectiones animi superat. Sanct. August. l. de quantitate animæ cap. 16.

Viatores valdè solliciti sunt de bonis hospitiis. Bona hospitia ad quiescendum sunt, charitas misericordia, patientia, castitas, & cœteræ virtutes. Sanct. Bonavent. serm. Dom. 3. Epiph.

Stella. Lem: *Non indiget auro*. Virtus ipsa sibi magnum premium est; nec ornamenta ulla aliunde desiderat. Justus Lipsius præfat. l. 1. var. lect. Picinelli.

Ursa minor. Lem. *Sine occasu felix*. Vel: *Sub Jove clarior frigido*. Idem.

§. II.

Virtutis vocabula, & nomenclatio; in quo consistat.

Recti diligunt te. Cant. 1. 3. Sept. *rectitudines diligunt te*. Virtutes vocantur rectitudines: quia ipsarum essentia, & perfectio in rectitudine consistit, omni curvitate submota. De Ponte hic Exh. 16.

Tot videberis accepisse uxores, quot virtutibus grandes. Origenes hom. 11. in Gen.

Nil aliud sunt virtutes, quàm ordinatæ affectiones. S. Bern. tr. de gratia, & lib. arbitrio.

Si à fine denominatur res, & virtutes ducunt hominem ad illam finalem beatitudinem; ideo virtutes dicuntur beatitudines. S. Vinc. Ferr. s. 1. de S. Martino.

Ordinantur acies virtutum, & præparantur in clypeis, & lanceis, adversùs castra vitiorum. De castris virtutem ejicitur virtus, quæ præter ordinem evagatur: perdit enim virtutis nomen, quæ egreditur ordinem. Virtus igitur non est, si ordinata non est. Petrus Cellens. de pane lug. c. 13.

§. III.

Virtutem assequendi motiva.

Excellentia, laudes, prærogativa.

Ex Veteri.

Non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem, Deut. 34. 6. verùm æterna ejus durat memoria: non Mausolæi suffragio, sed egregiè factorum auxilio. Gloriosiùs post mortem prædicant egregia facta, quàm insana, & arte tota elaborata sepulchra: tempus ferreo dente marmorea devorat simulacra: virtus æterna est, nec temporum assultibus vincitur. Nax. in Jos. 12. §. 6.

Quæ est petitio tua Esther. -- Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Esth. 7. 2. Pro eruendo populo à mortis sententia, solùm datur, regem exorare Estheri. Cur non etiam datur potestas ad aliqua miracula; sicut Moysi pro liberando populo à servitute: cùm majori in periculo versetur populus sub Assuero, quàm Pharaone. Esther tunc non pro regno, sed pro populo rogat. Ubi tam conspicua barbaris erat virtus Esther, ut etiam oblatum regnum sperneret; non necessaria erant miracula, ut Assueri mentem in pietatem moveret. Sylv. in Matth. 21.

Vir erat in terra Hus nomine Job: & erat vir ille simplex, & rectus. Job 1. 1. Quid potissimùm, & primùm mirari debeamus in hominibus, sacræ author historiæ nos admonet: virtutem nempe præ cœteris admirationi, laudique esse debere. In Jobo enim non opes prædicat, & liberos; sed hæc, quasi appendicem sortis, narrat, postquam justum, dixit, & innocentem. Nos, morum omissa probitate, solùs in hominibus opes veneramur: tantique facimus Senatorem, non quami est; sed quanti eum haberi faciunt supellex, & genus. Oliva l. 6. Strom. §. Vir erat &c.

Tempus flendi, & tempus ridendi. Eccl. 3. 4. Virtutes faciunt nobis tempora bona; vitia, & peccata, faciunt tempora mala. Salonius hic.

Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum. Eccl. 9. 7. Panis, & vinum rationalis creaturæ, sunt ipsæ virtutes, ex quibus animæ nutriuntur. Olympiod. hic.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens &c. Cant. 8. 5. Deliciis affluimus, cùm virtutibus abundamus. Super dilectum innitimur, cùm Deo adscribimus, quidquid boni operamur. *Sicut virgula fumi ex aromatibus* ascendimus; cùm virtutum studio, & disciplina exercitati, proximos nostros ad benè agendi similitudinem incitamus. S. Bern. in Sententiis.

Ex Novo.

Beati pauperes spiritu &c. Matth. 5. 3. In quavis beatitudine duo tanguntur; scilicet meritum, & præmium. Meritum est ipsa beatitudo vitæ, videlicet actus virtutis, cùm dicitur *beati &c.* Præmium verò est merces merito correspondens; quod tangitur, cùm dicitur, *quoniam &c.* Cùm enim actus virtutis sit in hac

in hac vita laboriosus, aliquo modo, maximè in principio (ars namque, & virtus, sunt circa difficilia, secundùm Philosophum) idcirco Salvator, beatitudines commendans, protinus subdit de præmio: ut ad beatitudines exercendas nos excitet. Commemoratio enim mercedis provocat, & confortat laborantem. Dion. Carth. hìc.

Ipsorum est regnum cœlorum. Matth. 5. 3. Fortassis unaquæque virtus est regnum cœlorum; ut, juxta hunc sensum, jam in regno cœlorum sit, qui secundùm virtutes vivit. Orig. tr. 1. in Matth.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum &c. Matth. 7. 19. Cur arbori bonæ non deputatur prœmium, sicut malæ pœna? *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*. Apoc. 3. 4. Qui vicerit, sit vestictur vestibus albis. Si ipsi jam habebant vestes puras; cur illis hæc promittuntur? non potiùs promittuntur purpura, byssus, aurum, gemmæ? Quia virtus ipsa sibi prœmium, & ornatus. Sylv. hic. qu. 12.

Fuit in diebus Herodis. Luc. 1. 5. Dum Lucas Zachariæ dignitatem, & nobilitatem, describit; apponit verbum *fuit* præteriti temporis: dum autem ejus, & uxoris, sanctitatem narrat, ponit verbum *erat* imperfecti temporis: *erant justi ambo ante Deum*. v. 6. Verbum *fuit* significat rem præteritam, ac transactam: verbum autem *erat* æternitatem, ac permanentiam: & ideo usus est eo Joannes in generatione æterna: *in principio erat Verbum &c.* Omnis hujus sæculi dignitas, & nobilitas, citò deficit: justitia autem coram Deo æternum durat. Sylv. hìc q. 1.

Quia imò beati, qui audiunt verbum Dei &c. Luc. 11. 28. Disce, in majori æstimatione esse apud Deum minimam virtutem, quam supremam dignitatem. Sylv. hic.

Nondum venit hora mea. Joan. 2. 4. Non appellavit Matrem ex carne, qui tantùm virtutis in hominibus quærit. Simon. Cass. lib. 2. c. 25.

Ex Patribus, & aliis.

Verè dives, qui in conspectu Dei potest dives videri: in cujus conspectu terra exigua, Mundus ipse angustus est. Sed solum illum Deus divitem novit, quid sit dives æternitati: qui non opum, sed virtutum fructus recondat. S. Ambros. ep. 10. ad Simplicianum.

Libenter in sinu Sanctorum quiescit Dominus: unde, & Joannis Evangelistæ sinum, ut in eo accumberet, libenter elegit. Sinus ergo, in quo Christus requiescit, non corporis gremio præparatur, non vestimentorum ambitione componitur; sed cœlestium virtutum operatione colligitur. Nam Christi sinus erat in Joanne Evang. fides: in Deo Patre divinitas: in Maria Matre Virginitas. Ibi sinus Christi est, ubi habitaculum est virtutum. Ibi reclinat caput suum, ubi domicilium cœlestium invenit præceptorum. Idem s. 18. de sancta Epiphania.

Amiserunt omnia (Christiani, ut objiciunt Gentiles) quæ habebant. Numquid fidem? numquid pietatem? numquid interioris hominis bona; qui est ante Deus dives! Hæ sunt opes Christianorum; quibus opulentus dicebat Apostolus: *est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia*. 1. Tim. 6. 6. S. August. de civ. l. 1. c. 10.

Semper virtus rara est; & arcta, & angusta via; quæ ducit ad vitam &c. S. Hieron. in Ezech. c. 32.

Veræ ergo divitiæ, non opes sunt, sed virtutes; quas secum conscientia portat; ut in perpetuum dives fiat. S. Bern. de adv. D. s. 4.

Vestes nostræ virtutes sunt: bona vestis charitas, bona vestis obedientia. Idem s. 1. in Sept.

Non recti planè, sed perversi, est animi; antè quærere gloriam, quàm exercere virtutem; & velle coronari, qui legitimè non certaverit. - Frustrà ad celsitudinem nititur gloriæ, qui priùs non claruit virtute. Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ est. Cujus vita repleta bonis, quid? nisi mensa repleta cibis? Idem serm. 1. in Natali Sanct. Victoris Conf.

Per virtutem perveniunt ad gloriam: quia *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Psal. 23. 8. 10. Et alibi ait idem Propheta: *ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam*. Psal. 62. 3. Idem s. 5. de adv. Dom.

Beata illius latitudo animæ, beata strata illius mentis: ubi Pater, & Filius, ut non dubito, unà cum Spiritu S. recumbit, cœnat, & mansionem facit. Quibus, putas, opibus, quibus copiis, tales convivæ pascuntur? Pax ubi primus cibus est, humilitas simul apponitur, ac patientia; mansuetudo quoque, ac lenitas: &, quod summæ ei suavitatis est, puritas cordis. Charitas autem in hoc convivio principalem obtinet locum. Origen. hom. 2. in Cant.

Quid est vestimentum animæ? virtus: quæ nuditas? peccatum. S. Chrysost. hom. 25. in Acta.

Si sis memoriæ cupidus; ego te doceo viam veram, & apertissimam. Virtutis curam gere: nihil enim facit nomen adeò immortale, ut natura virtutis. Id ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum Reliquiæ; ostendit memoria eorum, qui rectè, & ex virtute vixerunt. Idem in Ps. 48.

Sicut, licèt quis margaritam luto obruat, nihilominus nativam retinet pulchritudinem: sic & virtus, quocumque eam projeceris, suam vim exerit, etiam in servitute, etiam in afflictione, etiam in prosperitate. Idem homil. 63. in Genes.

Nihil est viro vilius (etsi rex sit) quando est vitio deditus: quemadmodum nihil est vel captivo regalius, ac magnificentius; quamdiu virtutem possederit. Idem in Ps. 6.

Quid prodest homini? si pecunias possideat, virtutem verò non possideat? Villam, inquit, fertilem habeo. Quid est hoc? at animam fertilem non habes. Habeo mancipia; sed virtutem non habes: quod alterius est habes; tua verò non habes. Id. hom. 6. tr. in terræmotum.

Erit, erit major cœlo, qui sic vixerit, sicut docuit Paulus: erit clarior sole: qui sic virtutum radiis toto orbe splendet; ut fuscari se nulla vitiorum nocte permittat. Erit, erit iste lucidior luna, qui tenebras has non tenuato lumine temperat; sed totam sæculi noctem pleno meritorum fulgore depellit. S. Chrysos. s. 120.

Virtutis desiderium præcellit miraculorum operationem, Prophetiæ donum, linguarum genera, interpretationem sermonum, sanitatum gratiam, naturalium scientiam, & cognitionem cœlestium. Multi talibus perierunt; virtutibus autem nemo. S. Laur. Just. opusc. de inter. confl. c. 9.

Hæc est hæreditas nostra; quæ nec eripi cuipiam, nec transferri ad alterum potest. Lactantius div. inst. lib. 7. de divino prœmio.

Apud amatorem virtutis virtus ipsa jam prœmium est. B. Eucherius s. 6.

Virtus est gratuita unctio regalis promotionis. Sicut enim reges, qui promoventur ad regna terrena unguntur: sic Deus Electos suos ungit unctione gratiæ, ad obtinenda regna cœlestia, & terrena. S. Bonav. dicit Sal. cap. 24. de virtutib. in comm.

Quid est vita nostra? virtutes sunt vita nostra, quibus anima rectè vivit. S. Dorotheus Doctrina 8.

§. IV.

Virtutem comparandi motiva varia.

Ex Veteri.

Dixit Deus: fiat lux; & facta est lux &c. Gen. 1. 3. Quòd præcinit David: *ipse dixit, & facta sunt*. Non manus admovit Deus; sed Verbo omnia condidit: ut ostendat, quàm facilè sit studium virtutis; præcipuè quia Deum in eo habemus adjutorem. Pinna Ethol. 182.

Vocabis nomen ejus Isaac. Gen. 17. 19. Filius Abrahæ virtus est. Isaac interpretatur risus: ita Philo l. 2. alleg. Et Rebecca, quæ interpretatur *Patientia*, copulatur Isaaco. Id. Ethol. 7.

Jacob suavem requiem reperit super lapidem. Gen. 28. 11. Sic vir justus in virtute. Id. ib.

Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Ex. 16. 15. Panis, quem terra profert, multo labore constat: *in sudore vultus tui vesceris pane*. Gen. 3. 19. Cœlestia per virtutes, facilè parantur; terrena difficulter. Id. Ethol. 182.

De petra melle. Ps. 80. 17. Carent humana lætitia, quam virtus habet. Per petram, ex qua Moyses aquam dulcem elicuit, quam Psalmista vocat *mel*, intellige virtutem; ex qua dulces emanant aquæ voluptatum.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum? Cant. 3. 6. Arab: *ex deserto*. Angeli, inquit Myssenus, Theodoretus, S. Ambr. &c. Et homines, talem animam cernentes, quasi admirantes dicunt: quænam est ista? quàm strenua, quàm fortis! quæ, cùm descendere deberet; eò quò ex Adæ terra compacta est, originisque pondere per ima scelerum præcipitem se dedit; nunc vi nova, planeque mira, in virtutis ardua conscendit? Ascendit, inquam, de deserto Mundi, ubi solitudo est virtutis, & sanctitatis? Cornel. hìc.

Sicut Virgula fumi. Ibidem. Anima sancta vocatur virgula fumi: quia gracilis est, & delicata; disciplinis Spiritus S. attenuata; subtilis, non habens consuetudinem carnalium desideriorum. S. Greg. & Cassiod.

Ex Patribus, & aliis.

Cicutes, & placidæ, accessu faciles, ac perviæ, virtutes suppeditant bona, & dilargiuntur; vitæ sunt conciliatrices. Sanct. Basilius in Is. 8. q. d. ignavus eam habet de virtutibus, & pœnalibus operibus opinionem; quòd sint efferati leones, tygrides monstra. Sed errant: quia virtutes, & omnes exercitationes, cicutes, & placidæ, aves sunt; quæ facilè capi, mansuefieri possunt: columbæ sunt sine felle, agni sine unguibus. Did. Nyss. Polit. Cœl. p. 2. q. 3. Virtus ignavia nostra ardua.

Somniatores sunt, qui immanem, & feram, virtutem opinantur. S. Gregor. Nyss. de Virginit. c. 23. Inaccessæ rupes putantur; qui est planus compus: impervium mare; quod est vadosus fluviolus. Did. Nyss. ibidem.

In urbibus, quasi in solitudinibus, versans: quòd hominum congressus illius virtutem nihil læderet. S. Gregor. Nyss. orat. fun. de fratre suo. S. Basilio.

Virtus habet laborem brevem; fructum verò cum hilaritate indesinentem. S. Chrysost. l. 6. hom. de Anna.

Talis est virtus: habet quidem brevis temporis laborem: perpetuam autem lætitiam. Idem. in Ps. 140.

Omnia mortalibus ad virtutem providentur: & inter tot armamenta justitiæ non esse justum, creaturæ defectus est, non incuria Creatoris. Hildebertus ep. 32.

A virtute quies, vitiis est exordium. Studita s. 108.

Omnes animæ vocantur ad Sabbatum virtutis; ut ad Sabbatum æternæ beatitudinis perveniant. Sim. Cass. l. 4. c. 7.

Benjamin alia interpretatione virtutis filius appellatur. Naturali nempe amore fertur filius in parentem. Etenim omnis homo sic creatus est, cùm divinam in se suscepit imaginem; ut in virtutem, velut in matrem, inevulsibili amore feratur. Idem l. 14. Joan. 21. 6.

§. V.

Virtus una non sufficit; omnibus orneris.

Figura, Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Germinet terra herbam virentem, & facientem semen; & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum. Gen. 1. 11. Quibus verbis innuit: velle se, dum terra omnis generis fructus profert; ut anima quoque varios fructus virtutum, & bonorum operum proferat. Besseus D. 2. Adv.

Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Gen. 27. 27. Exercendis ad sanctimoniam mentibus, atque corporibus, ipsa quoque mundi elementa famulantur. S. Leo s. 6. de jejunio septimi mensis.

Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oves varias, & sparso vellere. Gen. 30. 32. Pastor pastorum fortis luctator, & verus Jacob, totum gregem suum vult varium, pulchrum, maculosum; non unicolorem, sed vario colore respersum. Non enim tibi sufficit una virtus, ut sis ovis Christi: non satis est, ut sis humilis, vel castus, vel mansuetus, vel pius, inveniaris, ut Electorum ovili adjungaris; sed ex pluribus, aut ex omnibus, virtutibus oportet esse decoratum. Talis erat illa Ps. 44. 10. quæ *astitit regina à dexteris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate*. S. Thom. Vill. f. 2. D. 2. Quadr.

Putabam, me ligare manipulos. Gen. 37. 7. Aliter Pharaoni in somnis ostenditur: *septem spicæ pullulabant in culmo uno*. Gen. 41. 5. Quia non Pharaoni, sed Josepho, ostendebatur perfecta sanctitatis corona; quæ non ex una, alterave, virtute, sed ex omnibus texitur. Sylveira in Apoc. 3. 4. q. 46.

Facies & lucernas septem. Ex. 25. 37. Non unam solùm in conspectu Domini accendit, sed septem: quæ virtutum universitatem designant. Si unius tantùm virtutis lucernam accendas; à Dei conspectu, & tabernaculo abjicieris. Pinna Ethol. 33.

Astitit regina à dextris tuis - circundata varietate. Ps. 44. 10. Non solùm vestitu deaurato, & fimbriis aureis, decoratur; sed & omni lapide pretioso cooperitur. S. Amedeus hom. 2.

Collum tuum sicut monilia. Cant. 1. 9. Non sat erat ad perfectum decorem sponsæ tuum monile. S. Gregor. Nyss. hom. 3. in Cant. est hoc quoque consilium, quod à Verbo præbetur toti Ecclesiæ: non oportere nos, ad bonum unum aspicientes, in cœteris rectè factis esse negligentes. Sylveira in Apoc. 3. q. 46.

Hortus conclusus. Cant. 4. 12. Tot horti sunt, quot virtutum plantationes simul collectæ. Ubi tantùm flos unus est, quis ibi hortum esse definiat? Sic nec una castitatis plantatio, nec una justitia, horti potest integritatem explere. Gilbertus s. 37. in Cant.

Exijt primo manè conducere operarios in vineam suam. Matth. 20. 1. S. Chrysost. in Catena: vinea ejus justitia est. Cur sub vineæ imagine justitiam adumbravit? quia in vinea, inquit Chrysostomus, non una, aut altera vitis; sed plures. Naxera in Jos. 18. §. 19.

Lucernæ ardentes in manibus vestris. Luc. 12. 35. Tracta est hæc similitudo à servulis, qui sub noctem facem dominis præferunt. Sed cur *lucernas*, non unam lucernam manibus gestant: quis nunquam vidit plures ab uno præferri? oportet nos alias. Pinna Ethol. 33.

vestimentis albis induaris. Apoc. 3. 18. Priùs suadetur ei aurum ignitum emere, mox albis vestiendum: quia à charitate omnis virtus procedit. Ad perfectam sanctitatem non sufficit una virtus, sed multæ: ideo dicit, vestimentis induendum. Sylveira hic q. 46.

Iris. Lem. *Variè pulchrior*. Picinelli.

Motiva.

Ex Veteri.

Summi Sacerdotis Heli virtutes quis non miretur? aderat templo. Annam benedictione imperiis, Samuelis interpellationem ter pertulit, latam in se à Domino sententiam æquissimè tulit. Quot ejus in corde drachmæ? una defuit, severior scilicet in coercenda filiorum luxuria disciplina; ideoque fractis cervicibus expiravit. 1. Reg. 2. 23. Nemo non novit Ezechiæ regis drachmas, sublatos lucos, restitutam religionem, preces non semel fusas; is gazæ tamen gloriosa ostentatione; & sibi luctum, & suis compedes, seminavit. Is. 39. 4. Oliva l. 5. Strom. §. quæ mulier habens drachmas decem.

Justitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento. Job 29. 14. Vestimento utique cùm vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo justitia, sicut vestimento, vestitur, qui se ubique bono opere protegit; & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Nam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus; quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit: nec jam bona sunt opera, quæ subortis aliis operibus, inquinantur. Did. Nyss. D. 5. Epiph. §. 3.

In viis justitiæ ambula, in medio semitarum judicii, Prov. 8. 20. Nota: non in via justitiæ ambulatur, sed *in viis*. Sunt, qui justitiæ unam solam esse viam putent. Oliva. l. 4. Strom. §. In viis &c.

Ex Novo.

Cùm esset justus. Matth. 1. 19. Vocari justum attendite, propter omnium virtutum perfectam possessionem. S. Hieronymus.

Sic decet nos implere omnem justitiam. Plurali numero se posuit; quod in aliqua Evangelii parte simile genus loquendi nunquam reperimus; sed, propter membra cohærentia sibi, Christus tali loquendi genere factus est. Non solùm hæc referantur ad Christum, & ad solum Joannem; sed ad Christum, & ad corpus sibi denuò coaptandum, quam Christo in se implente, subsequentia membra, quæ salvanda erant, sic omnem justitiam virtutis, & operis, impleverunt. Sim. Cass. l. 9. c. 3.

Estote perfecti. Matth. 5. 48. Non per ampliora diffusior, non per angustiora contractior, non altior in excelsis, non humiliatus in infirmis, non major in magnis, non minor in minimis: sed unus, idemque æqualis ubique. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 17. de Deo.

Virgines enim sunt. Apoc. 14. 4. *hi sequuntur agnum*. Agnus noster charitatem habuit, gratia humilitatis enituit, patientiam servavit, mundanæ dignitatis altitudinem sprevit, inimicos dilexit. Ille itaque agnum, quocunque ierit, sequitur; qui non sola Virginitate ejus vestigia, sed per omnes quoque virtutum semitas, imitatur. B. Petrus Dam. s. 2. de nat. Virg.

Ex Patribus.

Connexæ sibi sunt, concatenatæque, virtutes: ut, qui unam habet, plures habere videatur. S. Ambros. lib. 5. in Luc.

Ethica est, quæ sui curam gerens, cunctis sese erigit, exornat, augeruque, virtutibus: nihil in vita admittens, quo non gaudeat; nihil faciens pœnitendum. S. Richardus à S. Vict. tr. Exposit. l. 1. c. 13.

Senectam unus crinis non facit. S. Gregor. Naz. in Jambico.

Curandum, nè bona nostra pauca sint, nè indiscussa: nè, aut pauca agentes, inveniamur steriles; aut indiscussa relinquentes, vecordes. Neque enim unaquæque verè virtus est, si mixta aliis virtutibus non est. S. Gregor. mor. lib. 1. c. 20.

Una virtus sine altera, aut omninò nulla est, aut minima: si enim aut castitatem humilitas deserat, vel humilitatem castitas derelinquit; cùm Deus detestetur tam superbiam, quàm immunditiam; quo modo oculis ejus accepta erit castitas elata, vel humilitas immunda. Idem in Ps. pœnit. Ps. 3.

Virtutes, si separatæ fuerint, dilabuntur: æquitas sine bonitate sævitia est; & justitia sine pietate crudelitas. S. Chrysol. s. 145.

Quid - faciemus ut salvemur? aggrediamur virtutem, cùm tempus habemus: distribuamus virtutes nobis, sicut sibi distribuunt agriculturam agricolæ: in hoc mense vincamus detractiones, injurias - & dicamus: hodie ab hoc nos vitio corrigamus; in illo autem mense patientiam doceamus &c. & cum

cum hanc virtutem in habitu perceperimus, ad aliam transeamus. S. Chrysost. hom. 24. in ep. ad Hebr.

§. VI.

Virtus ardua: cur? & quibus?

Ex Veteri, & Novo.

Iter pigrorum quasi sepes spinarum; via justorum absque offendiculo. Prov. 15. 19. *Hebr. via pigri veluti senticetum spinarum; & semita rectorum complanata*. Alludit ad hortos septos spinarum obseptos. Sicut enim viator, qui vult fructibus hortorum gaudere; necesse est, ut sepes spinosas transeat: sic, qui vult fructibus virtutum frui, sepes tentationum, & difficultatum perrumpat. Genuinè sic explicatur: iter ad honestas virtutes pigris videtur durum nimis, arduum, impervium, quasi spinis septum: via autem justorum, qui strenuè progrediuntur in via justitiæ; absque offendiculo, facilis, & trita. Cornelius hìc.

Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occupentur in ea. Eccl. 1. 13. Si autem in ipsa virtus cum labore perficitur; & hoc item homini perutile est. Si enim, quoquò te vertas, & circa bonum, & circa malum, laborare oportet: consequitur verò malum unitio, bonum autem fruitio, voluptasque ineffabilis: sine ulla comparatione præoptandus est labor, & occupatio, circa bonum. Olympiodorus hìc.

Dulce lumen, & delectabile est oculis, videre solem. Eccl. 11. 7. Et tamen oculos tenebris assuefactos offendit. Sic virtus, quæ jucunda est; molesta, & tediosa, est assuefacto in peccatis. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 48.

Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum. Cant. 7. 1. Chorus ad musicum, castra ad bellum pertinet. Utrumque subire debent, qui virtutem colit. Fieri enim non potest, ut, qui ad virtutis concentum aspirat, cum hostibus non pugnet, & difficile subeat certamen. Pinna Ethol.

Parate viam Domini. Luc. 3. 4. Ardua, & spinosa, & propter plurima impedimenta, res penè inaccessa est virtus. S. Titus Bostr. hìc.

Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus. Apoc. 6. 12. Hæc immutatio non in ipsis elementis facta est, sed in hominum timidorum immaginatione: firma terra iis nutare videtur; id est, virtutem, quæ stabilis planè est, nutare credunt; & lucem virtutis tenebras putant. Prima Ethol. 77.

Ex Patribus, & aliis.

Non proclive iter est, quo tenditur ad virtutes: sed ascenditur; & angustè, ac difficulter, ascenditur. Origen. hom. 5. in Exodum.

Non potest accidere, omnino non potest, ut, qui virtutem diligenter exequitur, nunquam plurimos acquirat inimicos. S. Chrysost. hom. 15. in Matth. 5.

In sudore vultus, consolationis, ac virtutis, vescimur pane; terra cordis, & corporis, vitiorum spinas, atque concupilcentiarum tribulos, germinante. S. Lauren. Just. in solennit. S. Joan. Evang.

Cùm magna difficultate, facimus bona opera: nec scimus facere sine Magistro; mala autem scimus sine magistro facere. Rectè de nobis est, sicut de lapide, qui violenter ascendit, non à se, sed ab alio; licèt per se naturaliter descendat, & cadat. S. Vinc. Ferr. ser. 4. post Pent.

Humanæ naturæ minùs probabilis est virtus; nec vitiorum potiri quisquam potest, qui non luctatus est. B. Theodorus Studita f. 28.

§. VII.

Virtus exercitio fit facilis.

Figuræ, Symbolæ.

Ex Veteri, & Novo.

Abraham, Abraham; tolle filium tuum unigenitum &c. Gen. 22. 2. Guilielmus Pepinus quærit, cur Deus vocem Abrahæ ingeminarit? Respondet: factum, ad excitandam voluntatem in effectum tam difficilis jussionis. Sed nunc quæro: cur illum, iterato nomine etiam tunc appellavit, quando jam afferre manus filio volebat, & Deo obtemperare? *Abraham, Abraham, non extendas manum tuam super puerum*, v. 11. 12. Causa est, quod, ut illi arduum fuit, necem filio inferre, ideoque bis de nomine vocari debuit; sic, postquam degustavit, quantum boni illud tam heroicum opus compleveretur; sic illum abripuit obedientia, & incitatum filii immolandi desiderium; ut bis quoque vocare oporteret, quò intermitteret; sicut bis nominari debuit, ut inchoaret opus. Did. Nyss. f. 5. D. 5. Quadr. §. 5.

Forsitan non erant sepulchra in Ægypto; ideò tulisti nos, ut moreremur in solitudine. Ex. 14. 11. Ita dixit timore conterritus populus, dum mare occurrit. Terræ promissionis vicinis; non mare, & amaras aquas, sed Jordanis fluvium trajicere, necesse: nec timent; sed intrepidè undarum calcant profunda: *omnis populus per arentem alveum transibat*. Jos. 3. 17. Quò propiùs virtuti accedimus, placidior, & jucundior nobis est Magis laborat, qui à profectu magis distat. Egressio amara, sed progressio jucunda. Nazera in Jos. 3. §. 36.

Transibis ad montem, atque succides tibi, atque purgabis ad habitandum spatia; & poteris ultrà procedere. Jos. 17. 18. Mons sylvosus industria potest domari, ut commodus fiat habitationi. Idem in Jos. 17. §. 30.

Quando petra fundebat mihi rivos olei. Job 29. 6. S. Gregor. mor. l. 19. c. hic per petram intelligit virtutem: quæ dura pluribus, ut petra, videtur; sed decursu temporis dat oleum. Pinna in Eccl. 6. Ethol. 79.

Assument pennas sicut aquilæ; current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Is. 40. 31.

Jesus ductus est in desertum. Matth. 4. 1. Non sine mysterio Evangelii prædicationem aggressurus. Deinde *abiit per sata*. Matth. 12. 1. Tandem introivit in hortum. Joan. 18. 1. Ut significaret: eos, qui Evangelicam perfectionem aggrediuntur; à desertis, & incultis locis ad uberes, & amœnos agros sensim pervenire. Hæc est, ea, quæ initio difficilia, & aspera judicabant, amore augescente, tanquam facilima subire. S. Ambros. l. 4. in Luc. videte, quibus itineribus ad paradisum reducamur. Nunc in deserto Christus est, agit hominem; instruit, informat, exercet, ungit oleo spiritali. Ubi videt robustiorem, per sata, & fructuosa traducit: postea in paradiso constituit tempore Passionis. Mendoza in 1. Reg. 14. Sect. 9.

Beati; qui esuriunt &c. Matth. 5. 6. Post luctum ponitur esuries. S. Ambr. l. 6. in Luc. ordinem prosequamur: peccatum deposui, temperavi mores, delicta deflevi: esurire incipio, & sitire justitiam.

Jugum meum suave est. Matth. 11. 30. Juvenci initio jugum detrectant, & ad ferendum vix adiguntur: assueti ultra colla supponunt. Sic, licèt initio, velut taurus indomitus, pietatis jugum ejicias; tandem assuetus libenter trahes. Pinna Ethol. 79.

Et accipiens calicem. Matth. 26. 27. Priùs panem, postea calicem consecravit. Theophylactus in Luc. 22. Primò datur panis, secundò calix: prior enim est in spiritualibus laboriosus actus, velut panis; non solùm, quia in vultus sudore laboratur; sed etiam, dum comeditur, non est facilis ad glutiendum. Deinde, post labores, sequitur exultatio divinæ gratiæ, quæ est calix. *Comedite, & inebriamini charissimi*. Sylveira hìc.

Mulier, cum parit, tristitiam habet &c. Joan. 16. 21. Docet spernere ardua virtutis. Virtutem inchoans exercere: concipis; expecta, & gaudebis. Pinna Ethol. 79.

Testimonia.

Ex Veteri, & Patribus.

Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos. Ps. 33. 12. Sicut discipuli initio vix terroribus, & flagellis, ad studium adiguntur; cùm verò proficiunt, scientiæ dulcedine allecti, vix à studio avelli possunt: sic sensim virtutis tyrones cum delectatione eam exercent. Pinna Ethol. 79.

In opere ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius. Eccli. 6. 20. - *in novissimis enim invenies requiem in ea & convertetur tibi in oblectationem*. v. 29. Studium pietatis consuetudine dulcescit. Id. ib.

Jesus tibi dicit: tolle crucem tuam, & veni, & sequere me. Matth. 16. 24. Et si talis fueris, ut semper Christum sequaris; quantò plus secutus fueris, tantò minùs laborabis. Orig. apud Naxeram in Josue c. 3. §. 36.

Harpyæ vultum habent Virginum; ungues autem aduncos, & rapaces. Virtus severo, & gravi vultu: sed si familiariter accesseris, blandissimo admittit gremio; & brachiis charitatis constringit. Hildebertus ep. 59.

§. VIII.

Virtus arduis crescit, adversariis gaudet, lucet in terra.

Figuræ, Symbolæ.

Quantò opprimebant eos; tantò magis multiplicabantur. Ex. 1. 12. Vides quàm crescat adversis agitata virtus, quæ in prosperis languet, & marcescit. In Hebr. pro multiplicabantur, est *erumpebant*: sicut aqua, vel fluvius, quò magis arctatur, & concluditur; eò majori copia eluctatur aggeres, obiceſque perfringit, & erumpit. Cornelius hìc.

Virtu-

Virtutem quidam olim ità expressit: facem inversam pinxit, quæ majores sese consumendo flammas ejiciebat, majoremque lucem vibrabat, cum Lem. *Vires inclinata resumo*. Besseus D. 2. adv.

Herologium solare. Lem. *Umbra lucem*. Scilicet indicat. In adversitate virtus innotescit. Picinelli. Stellæ. Lem. *In tenebris magis*. Quomodo stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus; quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis. S. Bernardus f. 27. in Cant. Picinelli.

Testimonia ex Patribus.

Etsi corpus includitur, etsi caro deteritur, omnia Spiritui patent. Tertull. lib. ad MM.

Virtus duritia exstruitur, mollitie verò destruitur. Idem ibidem.

Virtus, est ad perferendorum malorum fortis, ac invicta patientia. Ex quo fit, ut virtus nulla sit; si adversarius desit. Lactantius l. 5. div. instit.

Non potest accidere, omino non potest; ut, qui virtutem diligenter exequitur, nunquam plurimos acquirat inimicos. S. Chrysost. hom. 15. in Matth. 5.

Vitiis semper serviunt blandimenta, lenocinatur dulcia delictis: virtutibus verò austera, & fortia, sunt amica. Chrysol. f. 74.

Nulla virtus in veritate clarescit; nisi oppositum, aut retrahens, sive impediens, patiatur. Habet virtus fornacem, habet & refrigerium: in uno probatur, in altero requiescit. Sim. Cass. l. 4. c. 1.

§. IX.

Virtutem consequendi, & conservandi, praxes.

Prima.

Sensim, & pedetentim.

Det tibi Deus de rore cœli &c. Gen. 27. 28. Cur non dixit, det tibi de pluvia cœli, sed tantùm de rore, qui vix terræ irrigat superficiem? quia ros sensim, & leniter, descendens, terraque imbibitus, uberem eam reddit: pluvia autem larga terram inundat, radices evellit. Sciebat prudens senex, ad culmen supernæ benedictionis non extensis alis, sed gradibus pedetentim ascendendum: sicut angeli, alioquin alis præditi, per scalam Jacob ascendebant. Cassill. Illat. 8.

Hæ sunt mansiones filiorum Israel. Num. 33. 1. Quadraginta & duabus stationibus peregrinati sunt filii Israel ex Ramesse usque in terram promissionis. Cur brevi itinere Deus eos non perduxit eò? Origene hom. 27. in Num. in his intelligit figuraliter conversionem à creaturis. Per Ægyptum statum miserum culpæ: per familias Jacob, animas; per terram promissam, gloriam, vel culmen virtutis; per mansiones, profectum in virtute. Antequam, inquit, ad perfectum veniat, in eremo habitat: ubi scilicet exerceatur in præceptis Domini. Et, ubi fides fuerit in eo probata, inde venit ad aliam; & quasi de una mansione ad alteram transit! Et impletur in his illud, quod scriptum est: *ibunt de virtute in virtutem*. Ps. 83. 8. usquequò perveniant ad ultimum, imò ad summum gradum virtutum. Idem ibidem.

Sicut aquila provocans ad volandum. Deut. 32. 11. Quid putamus, fratres, quomodo tunc repentè de terris ad cœlos evolare poterimus, qui tunc exercitio, & usu quotidiano, volitare non didicimus? Nunquid non Christus sicut aquila provocat ad volandum filios? *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ*. Ps. 54. 7.

Non adhuc perpetes petit aquilæ volatus; sed cum columba gemere, & inter Christianæ petræ cavernas amat volitare. S. Aelredus l. 1. speculi c. 5. Plumescat interim, Domine Jesu, plumescat, quæso anima mea in nido disciplinæ tuæ; pausset in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Baeza t. 2. l. 6. c. 1. §. 6.

Botrus Cypri Dilectus meus. Cant. 1. 13. Adhuc non uva, non mustum, non vinum; sed tantùm botrus, scilicet gemmula, sive flos. Orig. homil. 2. in Cant. in quibus verbum Dei vitis vera efficitur; non eis ad summum maturos botros producit, & dulces: nec repentè eis efficitur vinum suave, & lætificans cor hominis; sed priùs producit eis suavitatem odoris in florem. Idem t. 1. l. 1. c. 9. §. 4.

Vidimus stellam, Matth. 2. 2. Hinc est, quod & ad Magos, noctis incolas, & totius obstupescentes oculis, tenuiter micans stella assuefacit ad lucem; & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis, & diem. S. Chrysol. f. 87.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Quid memorem de sepulturæ officio, quod prævenit; de pedibus ascendens ad unctionem capitis. Marci 14. 3. Drogo. Ost. de serm. Dom. Pass.

Vultus exercitio perseverat. S. Chrysol. f. 28.

Secunda.

Priùs extirpa vitia.

Figuræ, Symbolæ.

Ex Veteri, & Novo.

Egresso foras Jacob, venit Esau. Gen. 27. 30. Sic sanctitas, & iniquitas, nunquam conveniunt. Mendoza in 1. Reg. 5. 1.

Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum. Gen. 28. 12. Ego pietatis exercitationem scalæ Jacob visæ rectè comparaverim; cujus pars terram, pars verò cœlum attingebat: Ex quo eos admonere opus, qui ad virtutem dicendi sunt: ut priùs admoveant gradibus vestigium; & inde paulatim ascendendo, progrediendoque, ad comprehensibilem humanæ naturæ altitudinem perveniant. Quemadmodum verò in gradibus prima est ascensio, ab humo recessus; sic in exercitatione laudabilis operis discessus à malo. S. Basilius in Ps. 1.

Percussum Ægyptium abscondit sabulo. Ex. 2. 12. Priùs Moyses Ægyptium occidit, quam ad colloquium cum Deo vocaretur. Ex. 3. 2. S. Ambros. l. 2. de Abel, & Cain, c. 4. Cùm interficitur impius, Christus infunditur: &, ubi abominatio abolentur, sanctificatio congregatur.

Meum est omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti. Num. 3. 13. Cùm renuntiatur improbitati, statim adipiscitur virtus: egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum; S. Ambrosius citatus; Non priùs sanctificati sunt primogeniti Israel, quàm percuterentur Ægyptiorum primogeniti: & quasi causam sanctificationis, horum interitum, & necem ponit illorum. Orig. hom. 3. in Num.

Tempus putationis advenit. Cant. 2. 12. Mox, *vineæ florentes dederunt odorem suum*. Quia, nisi diligens præcedat putatio, non sequetur fragrans vineæ floritio. Priùs enim sunt resecanda peccata, quam sequantur gloriosa virtutum primordia: mortificandæque sunt cunctæ inordinatæ affectiones; ut floreant, & fragrent, studiosi affectus, & actus. De Ponte hìc Exh. 23. §. 2.

Hyems transiit -- flores apparuerunt. Cant. 2. 11. 12. Per flores virtutes signantur: quæ, post transitum diabolicæ hyemis, in cordibus oriuntur. S. Bonaventura spec. B. V. cap. 10.

Vadam ad montem myrrhæ. Cant. 4. 6. Ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, sponsus vadit: quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere; & per mundas, & humiles orationes suaviter redolere perspicit. S. Gregorius hìc.

Surge aquilo, & veni Auster. Cant. 4. 16. S. Ambros. in Ps. 1. per aquilonem, spiritum malum intelligit; per austrum, divinum. Et subdit: istæ ventus adspirat, si Boreas ille gravis ventus flare desierit.

Ut evellas, & destruas &c. Jer. 1. 10. Contra quatuor tristia duo læta apposuit: quia non poterant ædificari bona, nisi destructa essent mala; nec plantari optima, nisi eradicentur pessima. S. Paschasius in Thren. 3.

Dico huic vade, & vadit, veni, & venit. Matth. 8. 9. Priùs dicit, vade, deinde veni. Priùs dic vitio, vade, longè recede à me; deinde virtuti, veni, id est, mecum perpetiò manè. Sylveira Addit. in Matth. hìc.

Colligite primùm Zizania. Matth. 13. 30. Priusquam colligatur triticum, evellantur Zizania; id est, antequam quis virtuti incumbat, pericula vitet. Nota item: *ad comburendum*. Non satis Zizania evellere, & à tritico separare; sed exurenda, nè remaneat, quod iterum sata possit lædere; & inimicus homo superseminare Zizania tritico. Origen. in Jer. eradicatum est quidpiam; invenit etiam adversarius inter ea, quæ eradicata sunt, aliquam sementem, quam iterum seminet. Propter hoc jubet Dominus: colligite & comburite: scilicet ut eradicatio quoque, & ipsa subversio, consumatur. Pinna Ethol. 238.

Motiva.

Ex Veteri, Novo, Patribus, & aliis.

Diverte à malo, & fac bonum. Ps. 33. 15. Ad videndos dies bonos, non sufficit, tantùm à malis actibus abstinere, nisi nos pietas compellat & bona agere: nam primus virtutis gradus est, aliena non quærere; sed iterum superior, egentibus propria non negare. Cassiodorus hìc. Quomodo enim poteris facere bonum, nisi declinaveris à malo? Quid quæro, ut dones, quando adhuc rapis? S. August. in Ps. 36.

Levamini, mundi estote - discite benefacere. Is. 1. 16. 17. Isaias, cùm populus instrueret, priùs mundationem à sceleribus, & quietem à vitiis, posuit; quàm intulisset de benefaciendo scientiam. Sim. Cass. l. 3. c. 1.

Ut sine timore. Luc. 1.74. Porrò, nisi à dæmonum dominatu liberemur; & Deo in veritate servire non possumus. Priùs enim à dæmonibus habenda est libertas: antè sunt solvenda vincula peccatorum, quibus voluntariè nosmetipsos innexuimus: priùs è carceribus oportet dimitti, quàm justum Deo famulatum exhibere possimus. Sim. Cass. ibidem.

Cùm renuntiatur improbitati, statim adscisciur virtus: egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum: eodemque studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur. S. Ambros. de Abel. & Cain. l. 2. c. 4.

Sive virtutes inferas, vitia sua sponte decedent: sive etiam vitia eximas, virtutes ultrà subibunt. Sic honorum, ac malorum, constituta natura est; ut se invicem semper oppugnent, semper expellant: ità fit, ut neque vitia detrahi sine virtutibus possint, nec virtutes inseri sine detractione vitiorum. Lactantius l. 6. div. instit.

Virtus, nisi cum cordis munditia, non potest convenire. Orig. hom. 6. in Gen.

Priùs vitia in homine extirpanda sunt; deinde inserendæ virtutes. S. Isidorus l. 2. sent. c. 36.

Non potest mens regnum habere virtutum; nisi priùs excusserit jugum vitiorum. S. Prosper. l. 3. c. 3. de virtutibus, & vitiis.

Ad nihilum valet operum honorum novella plantatio, nisi malorum priùs fiat eradicatio. Sim. Cass. l. 3. c. 3.

Nullus potest esse in vera vita spiritali; nisi priùs moriatur peccato. S. Th. Aqu. in ep. ad Gal. c. 1. Lect. 1.

§. X.

Virtus non amatur: sumas difficiles ad illam.

Ex Veteri, & Novo.

Fiat lux. Gen. 1. 3. Lux quidem, ut esset, divinum mandatum expectavit; tenebræ autem extiterunt sine mandato. S. Greg. Nyss. l. hexam. Præmisit *& tenebræ erat super faciem abyssi*. S. Anastas. Sinaita l. 1. Anagog. contemplat. Scriptura tenebras ponit ante lucem. Quod præsignificaverunt illæ etiam duæ volucres, quæ emissæ sunt ex Arca Noe. Gen. 8. 7.8. Unde licet videre; ibi quoque priores esse tenebras: prior enim corvus evolavit super aquas. Cùm blanda voluptas homini res terrenas proponit, quę meræ tenebræ sunt; & ratio cęlestia dictat, quę lux sunt; priùs in illas abripimur, quàm in hęc feramur: non secus ac ante columbam corvus evolavit. Did. Nyss. D. 3. Pasch. §. 3.

Dedit viro suo. Gen. 3. 6. Ut mulier alliceret virum ad peccatum; absque ullius mandato, ipsa, ut comedit, dedit viro suo: nam ad malum nos proni sponte nostra; ad salutem mandato impelli opus habemus. Sylveira in Joan. 4.

Abjicite deos alienos; surgite &c. Gen 35. 2. 3. Surgere jubet: quia somnolenti sumus ad ea, quæ animæ, & Dei sunt: ut necesse sit, crebris vocibus nos excitare. Et ascendere jubemur: quia omnis pro Deo, & anima, susceptus labor videtur minus præcelsus: aliter est in voluptatibus. Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 2. l. 9. c. 4.

Tollite inaures aureas, de uxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum, auribus; & afferte ad me. Ex. 32. 2. Si ab uxore, aut filia, monile auferas ad bonum aliquod; vix tota die fletum, & turbationem domus, compescere poteris: nunc verò tam facilè pretiosis spoliari permittunt ad idola. Oleaster. Imperat virtus; & dormimus: annuit vitium; & jam currimus. Utinam se sic fineret homo à vitiis rogari, quemadmodum ad opera virtutum. Seneca l. 3. nat. quæst. c. 27. nihil difficile est naturæ, ubi in finem sui properat. Ad originem rerum parcè utitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus, subitò ad ruinam toto impetu venit. Did. Nyss. Polit. Cœl. p. 2. l. 2. c. 6.

Repente ventus irruit à regione deserti. Job 1. 19. at Ezech. 37. 9. *à quatuor ventis veni spiritus, & insufflu super interfectos istos, & revivisca*nt. Ad evertendam domum, ad inferendam necem, irruit ventus unus: ad conferendam verò vitam à quatuor ventus totidem fœderati venire debuere. Idem f. 4. D. 5. Quadr. §. 4.

Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris; & cum perverso perverteris. Ps. 17. 26. Sanctum ter nominat, sanctus, innocens, electus; & perversum semel tantùm. Cur mali, & perversi, non ter, æque ac sancti, meminit? Quia, ut quis evadat Sanctus, tribus & pluribus, indiget Sanctis, qui illum ad probitatem petrahant: ut verò quis malus evadat, unus, quis pervertat, plus satis est. Idem ibidem.

Ambulavimus vias difficiles. Sap. 5. 7. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*. Ps. 13. 3. Sed, ut ad cœlum tendant, quid requiritur? *Appropinquavit regnum cœlorum &c.* Matth 3. 2. Novus dicendi modus! homo debet quærere, & sese appropinquare ad regnum cœlorum; at è contra Joannes ait. Nisi cœlum se inclinet, & ad nos veniat; nunquam homo se movebit, ut illud conscendat. Sylveira in Joan. 4.

Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. Os. 2. 14. alii legunt, *seducam* eam in solitudinem. Expende verbum *seduco*, & considera; quod etiam ad ea, quæ nobis maximè utilia sunt, operet Deum nos seducere. Oleaster in Gen. 12.

Abscondi talentum tuum in terra. Matth. 25. 25. Compone hunc servum iniquum cum illo. Luc. 16. 3. qui ait: *fodere non valeo*, hoc est, laborare. At iste, qui unum talentum acceperat, *abiens fodit in terram*. Hic ad malum strenuus, & impiger, alter ad bonum, & satisfaciendum Domino piger. Sylveira hìc in addit.

§. XI.

Varia de Virtute in genere.

Vinum tuum mistum est aqua. Is. 1. 22. id est, justitia tua mista est cum avaritia, & injustitia. Religiosus miscet vinum cum aqua, quando cum obedientia miscet propriam voluntatem, & judicium cum oratione curiosa, & sæcularia colloquia, cum cœlestibus cogitationibus consolationes viles. Cornelius hìc.

Virtus spontanea quædam res est, & nullius subjecta dominio: quod autem quadam necessitate coactum est, virtus jam non esse potest. S. Gregor. Nyss.

Multò magis regnans virtus mavult adolescentiam, quàm senectutem; & tanquam intactam Virginem, & nihil probri passam adolescentiam, secum jungit necessitudine, ut cujus vitæ primitias ambiat. S. Ghrysost. in Ps. 14.

§. XII.

Virtutes Theologicæ.

Figura, Symbola.

Abraham, Isaac, Jacob.

Deus est *Deus Abraham*, conferendo Fidem: *Deus Isaac*, conferendo spem: *Deus Jacob* conferendo charitatem. S. Bonaventura hìc.

Per Abraham Fides, per Isaac spes, per Jacob Charitas intelligitur. Hugo Card. in Matth. 1.

Recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob. Matth. 8. 11. In Abraham Fides, in Isaac Spes, in Jacob Charitas designatur. Sim. Cass. l. 5. c. 12. Hi tres Patres in medium adducuntur; nam in Abraham Fides, qua placuit Deus; & reputatum est ei ad justitiam: in Isaac verò spes, quasi Sacramentum fidei; & gratiæ, generatur. Porrò per Jacob Charitas designatur; quæ per varia certamina, donec Israel possit Deum deorum in Sion videre, laboriosè transeat. S. Paschasius l. 5. in Matth.

Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob. Luc. 20. 37. Quare potiùs istos, quàm alios nominavit, cùm sit Deus omnium? Quia in his tribus commendantur, & significantur, tres virtutes Theologicæ, idest, Fides, Spes, Charitas; per quas venitur ad Resurrectionem. Per Abraham Fides, per Isaac Spes, per Jacob Charitas. Hugo Cardinale hìc.

Alia Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Creavit Deus cœlum &c. Gen. 1. 1. Christianus est cœlum; in quo Luna est Fides, Hesperus Spes, Sol Charitas; astra reliqua cœteræ virtutes. Cornelius hìc.

Ibimus viam trium dierum. Ex. 3. 18. Via trium dierum, est via Fidei, Spei, & Charitatis. Cornelius hìc. Fides demonstrat iter ad terram promissionis, utì columna nubis, & ignis: Spes autem manna suavitatis nos sustentat: at verò Charitas in eam nos introducit, ut arca fœderis. S. Francisc. Salesi. de div. am. l. 1. c. 6.

Est nostrum *pro peccato sacrificium* fides. Levit. 3. 1. &c. *hostia pacificorum* spes *holocaustum* verò Charitas. S. Rupertus hìc l. 1. c. 27.

Tres civitates. Deut. 19. 2. Glossa hìc dicit Fidem, Spem, & Charitatem: ad aquas omnes pœnirentes debent confugere.

Surge per Fidem; *propera* per Spem; *veni* per Charitatem. Cant. 2. 10. Idem S. Rupertus hìc.

Sancta Ecclesia, idest, spirituale ædificium; ut ad secreta gaudia pertingat; tres solummodo portas Ezech. 40. 6. &c. habet; videlicet Fidem, Spem, atque Charitatem. Unam ad orientem, aliam ad aquilonem, tertiam ad meridiem. porta quippe in oriente est Fides: quia per ipsum lux vera nascitur in mente. Porta ad aquilonem Spes, quia unisquisque in peccatis positus, si de venia desperaverit, funditus perit; unde

unde necesse est, ut, qui per suam iniquitatem extinctus est, per spem misericordiæ revivisca t. Porta ad meridiem Charitas: quia igne amoris ardet. S. Gregor. hìc hom. 19. post medium.

Ex Novo.

Faciamus hìc tria tabernacula. Matth. 17. 4. Fidei unum, Spei unum, Amori unum. S. Bernardus l. de Amore Dei c. 2.

Non permisit secum intrare quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem. Luc. 8. 51. Petrus, qui interpretatur *agnoscit*, designat fidem: Jacobus qui *luctator* interpretatur, Spem: Joannes Charitatem. Et hæ tres virtutes sunt Domino familiarissimæ; & concurrunt ad suscitationem peccatoris à morte; quæ designatur in sucitatione puellæ. S. Bonaventura hìc. Virtutes vivificæ; animam mortuam reviviscere facientes, tres solummodò sunt; quas Theologicas appellamus. Sim. Cass. l. 6 c. 1.

Commoda mihi tres panes. Luc. 11. 5. Isti tres panes intelligi possunt actus Fidei, Spei, & Charitatis, quibus Deus præcipuè colitur. Dion. Carthus. hìc. Hoc est, infunde cordibus nostris Fidem, Spem, & Charitatem. S. Eligius homil. 14.

Petite, & dabitur vobis: quarite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Luc. 11. 9. Petimus Fide, per eam ad Christum euntes: quærimus spe; qua attinginus usque ad interiora: pulsamus Charitate; dùm laboribus desudamus: ut quod petimus, & quærimus, consequamur. S. Bonaventura hìc.

Quis ex vobis. Luc. 11. 11. *Panis* intelligitur Charitas, sine qua cœtera nihil sunt; sicut sine pane mensa inops videtur, cui contraria est cordis duritia, quàm lapidi comparavit. *Pisces* sunt Fides invisibilium: cui contrarium posuit serpentem, propter venena fallaciæ. In *ovo* indicatur spes: huic contrarium, posuit scorpionem, cujus aculeus venenatus retro timendus est: quia mortifera desperatio in fine est formidanda. Ven. Beda l. 1. in Matth. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Prima salutis initia, & ipsa fundamenta, Fides est: profectus verò, & augmenta ædificii, Spes est: perfectio autem, & culmen, totius operis, Charitas. Origenes l. 2. in Rom. 2.

In illa crucis parte, quæ terræ degitur, Fides, quæ religionis fundamentum est, figuratur, hinc scilicet fundamento totæ fabricæ bonæ operationis innititur. Per supremum verò eorum, quod cęteris eminet. Spes intelligitur: qua noster animus ad capessenda cęlestia provocatur. Illo verò ligno, quod in medio positus binis utrimque porrigitur brachiis, latitudo designatur geminæ Charitatis. B. Petrus Damian. l. 6. ep. 22.

Quare in Missa ponuntur panis, vinum, & aqua è quia in his res ipsa, & virtus, Sacramenti intelligitur. In aqua intelligitur Fides, quæ latet, & nutritur in aquis. In vino, quod lætificat, & accendit, intelligitur Spes. In pane, qui confirmat, & reficit, intelligitur Charitas. S. Thom. Aqu. opusc. 8. de exposit. Missæ.

§ XIII.

De Theologicis Virtutibus varia.

Qui timetis Dominum, credite illi; & non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum; & in oblectatione veniet vobis misericordia. Quis timetis Dominum, deligite illum; & illuminabuntur corda vestra. Eccli. 2. 8. 9. 10. Tribus sententiis munit timentes Deum, virtutibus Theologicis. Olympiodorus hìc.

Apertis thesauris suis. Matth. 2. 11. Cùm omnia, juxta vota, vidissent; imò perampliùs, quàm crederent, & sperarent; quoniam bonus Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum; majora eis tribuit, quàm acceperit; & potiora, quàm posset provehi spes humana: Pro auro Fidem; pro thure Spem; pro myrrha conservantem ab immunditiis, & à corruptione, Charitatem. Sim. Cass. l. 1. c. 15.

Docete omnes gentes. Matth. 28. 19. Docuerunt homines, in carne angelicè vivere: docuerunt, quid credendum, quid sperandum, quid amandum. Idem l. 14.

Ex merito Fidei videt anima Deum, id est, Filium Dei, & sapientiam Patris: ex merito spei possidet potentiam Dei; id est, & æternum Patrem: ex merito charitatis fruitur Deo, id est, suavitate Spiritus S. S. Bernardinus s. de prosperitate.

Tribus in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt: id est, in Spe, in Fide, & Charitate. S. Zeno Veron. de Fide &c.

§. XIV.

Virtutes Cardinales.

Figura, Symbola.

Ex Veteri, & Novo; Patribus, & aliis.

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis &c. Gen. 2. 10. Est paradisus vita beatorum: quatuor flumina, quatuor virtutes. S. Isidorus hìc.

Psalite Domino in cithara &c. Ps. 97. 5. Videntur satis commodè applicari quatuor virtutibus Cardinalibus; cithara Prudentiæ, Psalterium Justitiæ, tuba ductilis Fortitudini, tuba canora Temperantiæ. Cithara variarum chordarum sonos miscens unum dulcem concentum efficit. Sic Prudentia varias circumstantias operis boni conjungens, perfectum opus reddit. Psalterium decem chordis instructum Decalogum nobis repræsentat, idest, omnia præcepta Justitiæ. Tuba ductilis malleorum ictibus extenditur, & formatur, ut sonum suavissimum edat: Sic Fortitudo tribulationes patienter ferendo, ità extendit, & perficit hominem Dei; ut suavem illum sonum edat cum Job. *Si bona suscepimus &c.* c. 2. 10. Denique Temperantia, tanquam durum cornu, carnem excedens, & superans; id est, corpus castigans jejuniis, atque vigiliis, tubam spiritualem efficit: qualis erat Præcursor Domini, qui melle Sylvestri, & locustis, contentus, & pilis camelorum indutus, dicebat: *ego vox*. Matth. 3. 4. Bellarminus.

Tria sunt difficilia &c. Prov. 30. 18. Per quadruplicem hanc viam accipe quadrigam virtutum &c. quia trahimur ad felicitatem æternam. Scilicet per *viam aquilæ in cœlo* significatur Prudentia: utpote quæ mira pollet oculorum ad videndum, & prævidendum, acie. Per *viam navis in mari*, Fortitudo: qua contra fluctus, & procellas, tentationum Mundi hujus fortiter incedimus. Per *viam viri in adolescentia*, Temperantia: qua adolescentiæ æstus, & cupiditates, moderamur. Per *viam colubri in petra*, Justitia; quæ cuique suum tribuit: sicut coluber, repens per petram, nihil illi adimit. Cornelius hìc.

Tria sunt, quæ benè gradiuntur &c. Prov. 30. 29. Quisque in animæ suæ republica, & regno, incedat fortiter ut leo; sapienter, ut gallus; temperanter ut aries; justè, ut rex. Idem hìc.

In medio ejus similitudo quatuor animalium. Ezech. 1. 5. Quatuor hæ virtutes adumbratæ sunt in quatuor Cherubinis, stipantibus currum providentiæ, & gloriæ Dei; qui faciem, & speciem, habent quatuor animalium, scilicet leonis, bovis, aquilæ, & hominis; quibus totidem hìc animalia Salomonis ex æquo respondent: leoni leo, bovi aries, aquilæ gallus, homini rex. Idem hìc.

Tulerunt illum in Jerusalem &c. Luc. 2. 22. In obligatione Domini quatuor personæ offerunt: Maria, Joseph, Simeon, & Anna: quia anima, quæ verum sacrificium offerre vult Deo, debet habere comitatum quatuor virtutum Cardinalium. Per Simeonem, qui interpretatur *audiens*, intelligitur Prudentia. *Audiens sapiens sapientior erit*. Prov. 1. 5. Per Annam, quæ interpretatur *gratia*, intelligitur Temperantia: *optimum est, gratia stabilire cor, non escis*. Hebr. 13. 9. Per Joseph virum justum, qui interpretatur *augumentum*, intelligitur Justitia: *multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*. 2. Cor. 9. 10. Per Mariam, quæ interpretatur *dominatrix*, intelligitur Fortitudo: *melior est patiens viro fortis*. Prov. 16. 32. S. Bonaventura hìc.

Animal primum simile leoni &c. Apoc. 4. 7. In his quatuor animalibus notantur quatuor virtutes Cardinales: in facie hominis Temperantia, leonis Justitia, vituli Fortitudo, id est, patientia, aquilæ Prudentia. S. Bernardinus apud Sylveiram hìc.

Claritas respondet Prudentiæ, subtilitas Temperantiæ, agilitas Fortitudini, impassibilitas Justitiæ: quia Justitiæ perpetua est, & immortalis. S. Bonaventura s. 2. in hexam.

Temperantia respondet terræ; quæ aridam reddit, & tamen ornat, & vestit floribus; Prudentia respondet aquæ perspicuitati. Justitia aeri: aer enim ascendit, & descendit, ad dextram, & ad sinistram, movetur. Fortitudo respondet vigori ignis. Idem ibidem s. 6.

Virtutes configurantur quatuor Causarum efficaciis. Fortitudo debetur Efficienti, Prudentia Formæ, Justitia Fini, quæ regulat; Temperantia Materiæ, nè defluat. Idem de Virt. Cardin. Serm. 6.

Sicut ignis purgat fœces metallorum, ità Justitia purgat vitia malefactorum. In aere illustrante, & viam, qua eundum sit, monstrante; accipe Prudentiam dirigentem. In aqua, ardorem refrigerante; & terram, nè dissolvatur in pulverem, suo humore continentem; accipe Temperantiam; ardorem concupiscentiæ restinguentem. In terra, percussa undique aquis, & tamen immobiliter permanente; accipe Fortitudinem in periculis roborantem. Geminiani l. 1. c. 84.

Tempus docet quatuor Virtutes Cardinales. *Primo* Prudentiam: tres partes habet tempus; sic juxta Tullium, tres partes

tes Prudentia: scilicet memoria in recordatione præteritorum, intelligentia in ordinatione præsentium, & providentia in provisione futurorum. De quibus Deut. 32. 29. *utinam saperent*, scilicet præterita, & *intelligerent* præsentia, *ac novissima providerent*, id est, futura. *Secundò* Justitiam: cujus est, communitatem servare sine personarum acceptione. Hanc communitatem Justitiæ Tempus præcipuè servat: quia nihil est eo communius; & omnibus æqualiter est commune. *Tertiò*: Fortitudinem: pertinet enim ad virum fortem; non otio vel ignavia, torpescere; nec propter aliquam difficultatem ab opere virtutis desistere: sed, si aliquando remitti contingat, continuò reviviscere. Quæ omnia Tempus docet: nunquam enim quiescit; sed continò cursum peragit. *Quartò* Temperantiam; quæ maximè necessaria est ad conservationem sanitatis, & gratiæ spiritualis. Sicut moderato tempore in suis qualitatibus corpori nihil salubrius. Idem l. 1. c. 84.

Alia.

Deus judex justus, fortis, & patiens. Ps. 7. 12. Nota, quòd in hoc versu in Christo ostenduntur esse quatuor virtutes Cardinales: Prudentia per hoc, quod dicit *Judex*: ad prudentiam enim pertinet discernere, & judicare: *Justus*, ecce Justitia: *fortis* ecce Fortitudo: *patiens*, ecce Temperantia. Hugo Card. hic.

Beati pauperes spiritu &c. Luc. 6. 20. S. Ambrosius dat causam, cur Lucas quatuor tantùm assignet Beatitudines: quia contentus, inquit, fuit, quatuor amplecti virtutes Cardinales. Temperantiam in prima: *beati pauperes*. Justitiam in secunda: *beati qui nunc esuritis*, scilicet *justitiam*, ut addit Matth. 5. Prudentiam in tertia: *beati, qui nunc fletis*. Habes, ait Ambros. Prudentiam, cujus est flere occidua: & ea, quæ æterna sunt quærere. Fortitudinem in quarta: *beatis eritis, cùm vos oderint homines*. Cornelius hic.

In hac vita Virtus non est, nisi diligere; quod diligendum est. Id eligere; Prudentia est: nullis inde averti molestiis; Fortitudo est: nullis illecebris; Temperantia est: nulla superbia; Justitia est. S. August. ep. 52.

Si currus est anima; habet equos vel bonos, vel malos. Boni equi virtutes sunt animæ; mali equi passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit, & revocat; bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: Prudentia, Temperantia, Fortitudo, Justitia. Mali equi iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. S. Ambros. l. de Isaac, & anima c. 8.

T I T U L U S XVI.

V I T A.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Dle sexto parent, quod inferant. Ex. 16. 5. Sex diebus vitæ nostræ cibaria comparanda sunt in septimum diem æternitatis; ut iisdem in æterna quiete cœlesti vivamus. Ità Origenes, Rupertus, Cyrillus. Apud Cornelium hìc.

De manè usque ad vesperam. Job. 4. 20. id est, ab initio vitæ usque ad finem. Hugo Card. hic.

Militia est vita hominis super terram. Job 7. 1. Nam, sicut belli tempore, miles nunquam aliquid certi sibi spondere potest, nec in eodem versatur statu; sed modò victoriam refert, modò in fugam compellitur: hodie cædit, cras ab hoste cæditur; adeò ut semper arma cum gestare necesse sit: Sic nihil in hac vita habetur stabile, sed omnia fortunæ mutationi subjecta sunt: nam, si manè victor fueris, vesperi clades timenda, vel excidium: adeò ut nunquam certi aliquid tibi promittere valeas. Besseus D. 1. Epiph.

De torrente in via bibet. Ps. 109. 7. Sicut torrens pulvialibus aquis collectus redundat, perstrepit, currit; & currendo decurrit, id est, cursum finit: sic est omnis iste cursus mortalitatis humanæ. Nascuntur homines, vivunt aliis, moriuntur; rursusque morientibus alii nascuntur, succedunt, accedunt, decedunt. S. Prosper. hìc.

Extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Prov. 20. 20. Lucerna Symbolum est vitæ. Sicut enim vita alitur humido radicali, sic lucerna oleo; eoque deficiente languet, & emoritur. Cornelius hìc.

Ægyptiis lucerna Symbolum vitæ erat: quòd nihil aliud putarent vitam esse, quàm ignem humore, velut olei liquore, nutritum. Idem in Is. 60. 1.

Jam hyems transiit. Cant. 2. 11. Possumus etiam per hyemem vitam præsentem intelligere. S. Gregor. hic. Hyems est vita præsens; in qua nos, etsi jam spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor astringit. Idem mor. l. 27. c. 14.

Et ecce quasi statua una grandis. Dan. 2. 31. Quid est aliud hujusmodi statua, nisi humana figura, sive humana vita? Richardus à S. Victore de erud. hom. inter. l. 1. c. 26.

Ex Novo.

Erat parasceve, quod est ante Sabbatum. Marci 15. 42. Est parasceve nomen Græcum; & interpretatur *præparatio*. Unde sextam feriam sic appellabunt Judæi: quia ea, quæ Sabbato erant necessaria, præparabant. Parasceve vitam præsentem significat; in qua necessaria præparari debent vitæ futuræ. Hugo Card. hìc.

Venit in omnem regionem Jordanis. Luc. 3. 3. Congruè circa Jordanem de Judicio sermo ejus est; Jordanis enim idem est, ac *fluvius Judicii*. Et amœnus quidem fluvius est; sed in mare mortuum defluebat. Egregius typus vitæ nostræ: quid illa est? nisi Jordanis fluvius amœnus: divitiis, voluptatibus, honoribus, lætus. Verùm in mare mortuum descendit, in mortis abyssum transeunt fluctus; manet luctus. Marchantius D. 4. adv.

Gravati erant somno. Luc. 9. 32. Somnus est vita præsens, quo gravantur oculi interiores. Ab hoc somno evigilat homo, cùm moritur. Et tunc potest videre Majestatem Dei; antè non. Hugo Card. hìc.

In Cana Galilæa. Joan. 2. 1. Galilæa interpretatur *transmigratio*. Vita ergo præsens Galilæa est; transmigrans de præsentibus ad futura. Hugo à S. Vict. de 7. hydriis.

Venit nox. Joan. 9. 4. Præsens vita dicitur dies: & mors dicitur nox, vel futurus status: quia dies dati sunt ad operationem; noctes ad quietem. Hugo Card. hìc.

Per dies quadraginta &c. Act. 1. 3. Quadragesimus numerus est Symbolum peregrinationis nostræ in hoc Mundo. Hinc quadraginta annis peregrinati sunt filii Israel in deserto. Ità Christus hic quasi quadraginta diebus peregrinatus fuit; & iis peractis, ascendit in cœlum. Cornelius hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Dies Sanctæ Quadragesimæ vitam Sæculi præsentis significant: sicut & dies Paschæ eternam beatitudinem præfigurant. S. Aug. l. 2. in capite jejunii de tempore.

Sicut Quadragesimæ dies ante Pascha significaverunt laboriosam vitam in hac ærumna mortali: sic isti dies læti significant futuram vitam, ubi erimus cum Domino regnaturi. Idem s. 6. de diversis.

Pelagus est longè, latèque protensum, hæc vita: & quemadmodum in mari universo sinus diversi aliis, atque aliis tempestatibus commoventur precipuè; sic & in vita nostra fieri videmus. S. Chrysost. hom. 82. in Matth. 26.

Mercaturam hanc vitam existimo. Si negotiatus fueris; quæstum facies; parva magnis, caduca sempiternis, commutans. Quòd si nundinarum tempus tibi fluere sinas, nullum aliud es postea habiturus. S. Gregor. Naz. in sententiis.

Quid hominis vita aliud est, quàm rota, quæ perpeti rotatu versatur. S. Antiochus hom. 30.

Quadragenarius numerus typum presentis Sæculi tenere videtur; dum anni quadripartitis vicibus currunt; & Mundus quatuor partibus terminatur. V. Beda l. 1. in Matth. 1.

Similis est vita nostra ludo scacorum, ubi à bene ludentibus diabolo illuditur. Sicut ergo uno tractu malè facto, vel non facto, ludus amittitur, vel totum lucrum: Sic uno opere malè facto, vel neglecto, totius vitæ nostræ fructus perditur. Hugo Card. in Ecclesiastes 9.

Vita nostra quasi linea est circumducta (circulus) rediens ad idem punctum: à pulvere enim incipiens, & per defectus naturales quasi circulariter progrediens, ad pulverem revertitur. Blesensis s. 36. in Ded. Cal.

§. II.

Vita brevis, fragilis.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Dles mei velociores fuerunt Cursore. Job 9. 25. Cursor, licèt celeriter currat, tamen temporis aliquantulum, & in dormiendo, & comedendo, consumit: dies autem hominis nullam moram faciunt. Stella in Luc. 1.

Quasi gutta aquæ maris deputati sunt. Eccl. 18. 8. Tria hìc agnoscit Hugo: brevitatem vitæ in gutta, instabilitatem in aqua, amaritudinem in mari. Sensus est: si conferatur gutta maris immensis Oceani aquis, quid erit? sic vita hominis æternitati. Octavianus hìc.

Ecce uncinus pomorum. Amos 8. 1. Vita humana rectè comparatur pomis. 1. Quia sicut poma citò in gemmas erumpunt, crescunt, maturescunt, carpuntur: ità & homines.

2. Sicut è pomis alia matura, alia immatura, sponte decidunt; alia in arbore putrescunt; alia rubent; alia manu carpuntur; alia baculo, & vi dejiciuntur: ita hominum alii in ætate virili, alii in juvenili, naturali morte decedunt; alii in senectute. Hinc. Job. 9. 26. *dies mei pertransierunt, quasi naves poma portantes*. Hæ enim naves celeriùs aguntur, cæteris: nè poma, quæ citò putrescunt, corrumpantur, antequam ad portum appellant 3. Vides arborem florentem, & floribus comptam, immò onustam: adverte, ex quinquaginta floribus vix unus in pomum maturum evadet. Antequam enim gemmescant, plurimi vel vento decusti, vel æstu arefacti, vel à vermiculis arrosi, vel humore deficiente marcescentes decidunt. Ex iis verò, qui gemmescunt, plurimi pariter, antequam maturescant, similibus casibus in terram corruent. Ità ex quinquaginta infantibus, qui nascuntur, vix unus in virum evadit: sed alii in infantia, alii in pueritia, alii in adolescentia moriuntur. 4. Inter arbores infirmissima est malus, maximèque quæ dulcis est, ait Plinius l. 17. c. 24. Sic inter animalia quid infirmius homine? Cornelius hìc.

Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix. Matth. 17. 2. Nix non est durabilis, modico calore dissolvitur; ità ut nihil amplius de ea reperiatur. Ipsa vita nivis instar in aquam resolvitur, ac in terram labitur. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur*. 2. Reg. 14. 14. Dum hyeme terra nivibus tecta, fulgore suo repercutit oculos; sed mox, ut radio solari resolvitur, terræ permixta lutum facit; & patent, quæ suo candore texerat, sordes: sic durante vita, resplendet fulgor divitiarum. Quid verò remanet, nive corporis resoluta? *Putredo, & filius hominis vermis*. Job 25. 6. Jonghen ex nupt. agni p. 1. Exh. 23.

Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens; & deinceps exterminabitur. Jacobi 4. 15. Hinc & Ps. 77. 33. Ubi nos habemus: *defecerunt in vanitate dies eorum*; Chald. vertit *consumpti sunt dies vitæ vestræ tanquam vapor oris in hyeme*. Cornelius in Ecclesiastæ 1. 2.

Ex Patribus, & aliis.

In hac germinum specie, & in illo virentis herbæ munere, imago est vitæ humanæ; & naturæ, conditionisque nostræ, insigne quoddam spectatur; & speculum elucet. - Quæ enim firmitudo in carne, quæ salubritas potest esse diuturna? Hodie videas adolescentem validum, pubescentis ætatis viriditate florentem, grata specie, suavi colore: crastina die tibi, faciem, & ora, mutatus occurrit. Et qui pridie tibi lautissimus decoræ formæ visus est gratia; alio die miserandus apparet, ægritudinis alicujus infirmitate resolutus. S. Ambros. hexam. l. 3. c. 7.

Uniuscujusque hominis vita quanta est? adde quantoslibet annos, duc longissimam senectutem: quid est? nonne aura matutina? S. August. Conc. 1. de prima parte Ps. 36.

Vita nostra naviganti similis est. Is namque, qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit: quia impulsu navis ducitur. Ità ergo & nos sumus: qui, - sive vigilantes, sive dormientes: sive tacentes, sive loquentes, sive ambulantes; sive volentes, sive nolentes; per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. S. Gregor. l. 6. ep. 26. Andreæ Scholastico.

Quid, quæso, præsentis vitæ incolatus, nisi spiritualis quædam domus; quo ad commorandum delegati sumus à Domino? an non quotidiè, & absque intervallo, domus ista consumitur, veterascit, casuique propinquat? tot, ut ità dicam, subtrahuntur lapides, quot prætereunt dies. S. Laur. Just. de contemptu Mundi c. 17.

Testimonia.

Ex Veteri.

Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? Gen. 47. 8. De diebus, non annis, uterque loquitur: quia sicut dies facilè finitur, sic & vita. Alvarez Illust. 287.

Dies mei velociùs transierunt &c. Job 7. 6. Non semper volant aves, non semper cervi currunt; at vita in perpetuo fluxu est. Idem ibidem.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos. Ps. 38. 6. Nostra vita velut quibusdam pugillis, & palmis, mensuratur. S. Chrysost. hìc.

Generatio præterit, & generatio advenit. Ecclesiastæ. 1. 4. Sapienter Ecclesiastes à nativitate incepit, & morte, temporariæ hujus vitæ nos admonuit. Propterea enim & Moyses primum quidem suum volumen Genesim inscripsit; Exodi verò secundum nominavit: ut historia figuratè nobis hanc temporariam vitam describeret. Olympiodorus hìc.

Ex Patribus.

Vitæ hujus principium mortis exordium est: nec priùs incipit augeri ætas nostra, quàm minui. Cui siquid adjicitur spatii temporalis, non ad hoc accedit, ut maneat; sed in hoc transit, ut pereat. S. Ambros. l. 2. de vocat. gent. c. 8.

Quidquid temporis vivitur, de spatio vivendi demitur; & quotidie fit minus, minusque, quod restat: ut omninò nihil sit aliud tempus vitæ hujus; quàm cursus ad mortem. S. August. de civit. l. 13. c. 10.

Tempus cuique nostrum proximum est; quia mortales sumus: inter casus ambulamus. Si vitrei essemus, minùs casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo? & tamen servatur, & durat per sæcula. Idem lib. 1. de. V. D. secundùm Matth.

Sentisne, obsecro, quando infans, quando puer, quando juvenis, quando robustæ ætatis, quando senex, factus sis? Quotidie morimur, quotidiè commutamur: & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum, quod dicto, scribitur, quod relego, quod emendo; de vita mea tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum damna sunt temporum. S. Hieron. ep. 3. ad Heliodorum.

Qui dudum infans, subitò puer; qui puer, repentè juvenis; & usque ad senectutem per spatia mutatur incerta; & antè se senem intelligit, quàm juvenem non esse se miratur. S. Hieron. in Is. c. 40. 2.

Canos videmus in pueris; capilli deficiunt, antequam crescunt; nec ætas in senectute desinit; sed incipit à senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat. S. Cyprianus l. ad Demetrianum.

§. III.

Vita misera, & ærumnosa.

Figuræ, Symbola.

APparuit elibanus fumans. Gen. 15. 17. Fornacis similitudine exprimi videtur vita humana, quæ implicata iniquitatibus sæculi hujus, intus quasi fornax æstuat diversis cupiditatibus; foris velut quodam fumo abtexitur, nè videat veritatis faciem. S. Ambros. l. 2. de Abrah. cap. 9. in fine.

Jam hyems transiit. Cant. 2. 11. Hyems est tempus vitæ mortalis; quod, æternæ comparata, rectè hyems imbrifera, & procellosa, nuncupatur; ob ingentes ærumnarum imbres, quibus tàm reprobi, quàm Electi comprimuntur. De Ponte hìc Exh. 17. §. 3.

Verà salix est vita: nam arbor sterilis salix est: à nobis autem dulcis vitæ fructus defluxit. S. Gregor. Nyss. or. in funere magni Meletii Ep. Antioch.

Annon hæc vita nostra, & res humanæ, mare quoddam sunt? Nimirum in ea multùm quoque est falsuginis, & instabilitatis. Venti sunt tentationes, quæ nobis accidunt, & alii casus inopinati. S. Greg. Naz. or. 13.

Testimonia.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Misericordia motus super eam. Luc. 7. 13. Tam miserum est, nasci; tanta felicitas, mori: ut nato de vita compati, denato autem de morte gratulari, possis. Matrem viduam superfitem, ac mœstam, non defunctum adolescentem, Christus miseratus fertur ab Evangelista. Dicebat Seneca: stratagema est naturæ, homines sine ratione nasci. Nam si ratione inter vitæ primordia pollerent, qua possent calamitates futuras prævidere; quis lacrymabilem vitam diligeret? Did. Nyss. s. 5. D. 4. Quadr. §. 4.

Et lacrymatus est Jesus. Joan. 11. 35. Vestræ non debent à Salvatoris lacrymis discrepare, si estis Salvatoris amici: qui non pro morte Lazari, sed pro ipsius revocatione ad miserias temporales, planxisse fertur. Blesensis. Lacrymatus est, non tam quòd mortuus est, quàm quòd revocari illum oportebat ad tolerandas rursus hujus vitæ miserias. Rupertus hìc.

Ista vita in corpore, umbra est vitæ, atque imago; non veritas. S. Ambros. in Ps. 118. s. 3.

Nescio, unde venerim huc? in istam, dico, mortalem vitam: mortalem, dicam, vitam? an mortem vitalem? nescio. S. August. Conf. l. 1. c. 6.

In doloribus vivere, non est vivere. Idem s. 112. de divers.

Nox quidem vita hæc dicitur, cùm æternæ comparatur: nam, qui illam vitam contemplari dignè potuerit; illius comparatione, quidquid hic lucidum cernitur, noctis obscuritas esse judicatur. S. Gregor. l. 5. Exposit. in 1. Reg. 14.

Haud scio, an hæc vita mors potiùs dicenda sit? ac mors contrà vitæ nomine appellanda? S. Greg. Naz. Carm. de nat. humana.

Nunc, quemadmodum in utero puellus, sic in Mundo vivimus, multis intercluſi angustiis; venturique sæculi nec fulgorem,

gorem, neque claritatem valentes contueri, &c. S. Chrysost. Paræneſi ad Theodor. lapſum.

Nunc quidem in vita non ſumus, ſed in morte. Idcirco optabat Paulus dicens: *quis me liberabit à corpore mortis hujus?* Rom. 7. 24. S. Baſilius in Pſ. 33.

Hæc, quæ dicitur vita, non eſt vita: ubi nec requies à labore, nec ſecuritas eſt à timore; ubi fraudes, ubi calumniæ. S. Fulgentius ſ. de Laz. reſuſcitato.

Terret me vita mea. Namque diligenter diſcuſſa, apparet mihi, aut peccatum, aut ſterilitas, ferè tota vita mea: &, ſi quid fructus in ea videtur, ſic eſt, aut ſimulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum; ut poſſit, aut non placere, aut diſplicere Deo. S. Anſelmus l. de miſeria hominis.

B. Theodorus Studita in variis ſermonibus vocat vitam noſtram Crucigeram.

Tota hæc vita facta eſt ſibi Paraſceve Crucis: illic autem feſtivus, & ſplendidus, æternam celebrat gloriam Reſurrectionis. B. Petrus Dam. l. 1. ep. 19.

§. IV.

Vita mixta proſperis, & adverſis.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri.

Fecit ei tunicam polymitam. Gen. 37. 3. Sic Deus juveni cauſa dilectionis, præ reliquis tunicam facit, & induit Religionis. Polymita dicitur, quæ ex filis diverſi coloris variegata. S. Chryſoſt. hom. 8. in Matth. Deus mœſtis læta miſcet ſanctis; quos nec tribulationes, neque jucunditates, ſinit habere perpetuas: ſed tum de adverſis, tum de proſperis, juſtorum ritum, quaſi admirabili varietate contexit. Univerſaliter nulla tela texi poteſt; niſi filis rectè, & tranſverſim, in crucis formam diſpoſitis. Junghen ex Nupt. agni p. 1. Eph. 3.

Commutans manus. Gen. 48. 14. Alii legunt: *intelligere facit manus.* Nempè ſciens, & prudens, Jacob ità decuſſavit manus; ut minorem primogenito præferret. Sic ſæpe Patris, ac Paſtoris, æterni, providentia intelligere facit manus ſuas, commutans eas: nimirum proſperitatem in adverſitatem; & è contrà. Et tametſi occulta ſint nobis ejus conſilia; ſemper manus intelligentes ſunt. Doultreman l. 5. c. 2. Sect. 2.

Calix in manu Domini vini meri plenus miſto. Pſ. 74. 9. Per *vinum* merum intelligunt Lorinus, & Bellarm. &c. ſeveritatem divinæ juſtitiæ; per *mixtum*, temperamentum divinæ miſericordiæ: nè ſemper totum ſit miſericordia, nec ſemper juſtitia; ſed inclinetur de una in alteram; prout occaſio exigit, & merita hominum. *Verùntamen fœx ejus non eſt exinanita*, id eſt, ultima pars, & graviſſima juſtitiæ vindicativæ, adhuc remanet; & ſervatur uſque ad ultimum diem Judicii; ut explicat Bellarminus. Sylveira in Joan. 16. Vinum merum jucunditas ſola; fœx amaritudo ſumma; mixtum, juncta ſimul; & permixta, bona, & mala. Merum æterna felicitas, fœx ſempiterna infelicitas; mixtum ex proſperis, & adverſis, temporalis mutabilitas. Quantumcumque quis in hac vita floreat; neceſſe eſt, ut aliquam amaritudinem ſentiat: *quia calix in manu Domini &c.* Item, quantumcumque quis in hac vita dejicitur; omnino aliqua quandoque conſolatione relevatur: *quia calix &c.* Si igitur perturbaris, noli deficere, ſi conſolaris, noli ſecurus eſſe: *quia inclinavit ex hoc in hoc.* In die malorum memento bonorum; & die bonorum memor ſis malorum: *quia inclinavit &c.* Ecce video vas iræ perfuſum ex calice Domini, & repletum amaritudine: evacuatur iterum vas iræ, & repletur ex eo vas miſericordiæ. Richardus à S. Vict. in Pſ. 74.

Nigra ſum &c. Cant. 1. 4. Per nigrum lugubrem colorem ærumnas intellige. Subdit tamen: *Sicut tabernacula Cedar* ad ſignificandum: quòd ſicut hæc tabernacula mutabilia ſunt; ità nigrorem ex adverſis, & decorem ex proſperis, variari in hac peregrinatione. De Ponte hic Exh. 22.

Venit manè, & nox &c. Iſ. 21. 12. Unum promittitur ad conſolationem; alterum prædicitur ad eruditionem; utrumque ad utilitatem. Acſi apertiùs diceret: ſic tranſiet nox, ut iterum redeat; ſic rediet dies, ut iterum recedat. *Venit manè, & nox.* Si in nocte es, noli deſperare; quia veniet manè: ſi in die es, noli confidere; quia veniet nox. Manè ergo promittitur; nè laborantes deficiant: nox futura prædicitur, ut cauti fiant. Richardus à S. Vict. l. de Verbo incarnato c. 7.

Similitudo autem vultus eorum &c. Ezech. 1. 10. Dei omnia moderantis quadrigam videns Ezechiel notavit, ſub altero jugo hominem, & leonem eſſe; ſub altero vitulum, & aquilam. Ferox dum rugit leo, de vicina hominis humanitate, ſub eodem jugo exiſtente temperatur. Servitium tolerat durum vitulus: ſed illis adſtat liberrima ales aquila. Nullibi unum ſine altero: ſervituti aſſuitur libertas; feritati humanitas. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 10.

Scripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ. Ezech. 2. 9. Liber hic totius humanæ vitæ periodum continebat. Tria in hoc libro ſcripta: duo triſtia, quæ lacrymas cient; *lamentationes, & væ*: unum jucundum; *carmen*. Vita peragi non poteſt ſine aliqua lætitia. Sed, ſi ſapis, ità gaudio indulge; ut duplicem portionem, lacrymarum, & mœroris injicias. Pinna Ethol. 242.

Daniel erat in foribus regis. Dan. 2. 49. Qui in foribus eſt, ille nec ſatis ingreditur, neque planè exit domo. Voluit ergo ſignificare Daniel: quòd, licèt tam gratioſus regi, in foribus tamen erat, quaſi abiturus: quia gratia illa excidere poterat. Habebat, nec habebat, bona: quia nobilia, & fluxa; non firma Did. Nyſſ. f. 6. D. 5. Quadr. §. 4.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Superſeminavit Zizania. Matth. 13. 25. Semper Zizania in felicitatis in tritico proſperitatis. S. Auguſt. in Pſ. 93. poteris te convertere ad aliquam voluptatem, ubi ſpinas non ſenſeris? In bonorum cupiditatem quantæ ſunt ſpinæ? amores turpes quantas moleſtias habent! Delectata eſt Rachel in flore formæ; ſed non ſine ſpina ſterilitatis: Liæ datum eſt granum fœcunditatis; ſed non ſine Zizania deformitatis. Et in regnum agris creſcunt afflictionum Zizania. David, omnium hoſtium victor, à filio fugit. Rex Balthaſar in medio convivio gaudiorum ad unam manum conturbatur. Dan. 5. Paoletti D. in Epiph.

Nonne duodecim ſunt horæ diei? Joan. 11. 9. Juxta Lyranum, &c. Jeſus ſuam in Judæa oſtendit ſecuritatem ex facili rerum humanarum mutatione: quia ſingulis horis omnia mutantur; nunc adverſitas, nunc proſperitas. Baeza t. 2. lib. 8. c. 3. §. 10.

Surrexerat ante floribus immixta teneris ſine ſpinis roſa; & pulcherrimus flos ſine ulla fraude vernabat. Poſtea ſpina ſepſit gratiam floris: tamquam humanæ præferens ſpeculum vitæ: quòd ſuavitatem perfunctionis ſuæ finitimis curarum ſtimulis ſæpè compungat. Vallata eſt enim elegantia vitæ noſtræ, & quibuſdam ſolicitudinibus obſita; ut triſtitia adjuncta ſit gratiæ. S. Ambroſ. hex. l. 3. c. 11.

Donis ſuis flagella permiſcet: ut nobis omne, quod nos in Sæculo delectabat, amareſcat: illud incendium ſurgat in animo, quod nos ſemper ad cœleſte deſiderium inquietè excitet: atque, ut ità dicam, delectabiliter mordeat, ſuaviter cruciet, hilariter contriſtet. S. Gregor. hom. 16. in Ezech. poſt initium.

Si vitæ iſtius curſum veraciter attendimus; nihil in eo firmum, nihil invenimus ſtabile: ſed quemadmodum viator modò per aſpera graditur; ſic nobis utque in hac vita manentibus, nunc proſperitas, nunc occurrit adverſitas. S. Gregor. ep. 51.

Sicut in longo peregrinationis itinere, nunc eſt pulvis, nunc lutum; nunc ſerenum, nunc pluvia: ità modò ſpes, modò timor, modò dolor, modò guaudium, in hac vita. Bleſenſis ep. 167.

Mundus lactucarum perſimilis eſt: in quo & oleum ſolatiorum; & acetum, acrimoniaque, adverſitatum invenitur. Beſſeus Dom. 3. Paſch.

Teſtimonia, & exempla.

Ex Veteri.

Cùmque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham - dictumque eſt ad eum: ſcito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum -- & affligent quadringentis annis. - Et poſthac egredientur cum magna ſubſtantia. Gen. 15. 12. 13. 14.

Invenitque Joſeph gratiam coram Domino ſuo. - Gen. 39. 4. *Et introduxit virum Hebræum &c.* v. 14.

Iratus eſt valde, tradiditque Joſeph in carcerem &c. v. 20.

David in eadem domo & Saul, & Jonatham habuit.

Achior tractus à lictore, & ad arborem ligatus. Judith. 6. 9. ſed, ruptis vinculis, ductus in Bethuliam gaudet, cùm placet Hebræo. Sic alternis agit fortuna; læta miſcet triſtibus, ſpini roſas. Velloſo hic.

Riſus dolore miſcebitur &c. Prov. 14. 13. Lappones ſub rigido ſeptentrione algentes; ut ſe recreent, convivia inſtruunt accitis citharædis: in his ſaltant, tripudiant; ſed mos in gemitus, & alta ſuſpiria, revoluti in terram corruunt. Cornelius hic.

Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter. Thren. 5. 15. In præſentiarum, ſicut nulla ſine miſeriis plena ſunt gaudia; ità ſine lamentis vix, aut nulla, inveniuntur cantica. Paſchaſius hic.

Ex Novo.

Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua, &c. Matth. 21. 8. Per quam urbis januam paulò antè aſello inſidens, populorum vallatus agminibus; palmarum, olivarumque, ramus mos in manibus geſtantium, atque clamantium, *Oſanna! benedictus &c.* perrexit ad templum; per eandem hodie blaſphemantibus turbis, tam ignominioſè rejectus, ad Crucis ſupplicium trahebatur. S. Laur. Juſt. de triumph. &c. c. 16.

Modicum non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Joan. 16. 16. Chriſtus D. ſic ſe ſubtrahit, ut iterum redeat: nec enim patitur, ut quis prematur graviùs. Si eſt moleſtia ex abſentia, erit recreatio ex redeuntis præſentia. Sylveira hic.

Ex Patribus, & aliis.

Blandiris, nè fatigemur in viâ: corripis, cædis, ac dirigis; nè aberremus à via. S. Auguſt. ſ. 4. de V. D.

Si ſemper Deus in iſtis proſperitatibus faveret nobis, ut omnia nobis abundarent; nullamque in tempore iſto mortalitatis noſtræ tribulationem, nullas preſſuras, anguſtiaſque pateremur: non diceremus, niſi iſta eſſe ſumma bona, quæ præſtat Deus ſervis ſuis; & majora ab illo non deſideraremus. Ideo autem huic vitæ malè dulci miſcet amaritudines tribulationum: ut alia, quæ ſalubriter dulcis eſt, requiratur. Id. in Pſ. 43.

Apud Deum nihil tantùm ſuave placet, niſi quòd in ſe mordacitatis habet aliquid, & veritatis: Paſcha enim Chriſti cum amaritudinibus manducatur. S. Hieronymus epiſt. 127. manſ. 5.

Si triſtia ſemper acciderent; quis ſuſtineret? ſi ſemper proſpera, quis non contemneret? ſed rerum tanta gubernatrix Sapientia, horum perneceſſaria viciſſitudine, eo moderamine Electis ſuis curſum vitæ temporalis alternat; ut nec adverſa frangant, nec læta diſſolvant: cùm potiùs & iſta ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur. S. Bernardus ep. 136.

Univerſorum Deus noſtri curam gerens, non ſemper in adverſis nos manere relinquit; ut non opprimatur noſtra infirmitas: celeriter, & ipſe opitulatur, firmans noſtram alacritatem, & mentem excitans. Neque ſemper in proſperitate nos eſſe relinquit; ut nè fiamus negligentiores, & vitiorum partes tranſfugiamus. S. Chryſoſt. hom. 40. in Gen.

Nota: de quolibet die creationis dicitur: *factum eſt veſpere, & manè, dies unus.* Gen. 1. Solius autem diei ſeptimi non facit mentionem de veſpere; licèt, ſicut alii, veſperum habuerit. Ut intelligas: quòd quamvis in hoc Mundo nobis aliqua requies; gaudium, & voluptas, ſit (quæ per *manè* ſignificantur) nullum tamen eſt manè, quòd ſuum veſperum non habeat. Solum illud clarum manè per otium diei ſeptimi ſignificatum non habebit ſullum veſperum, aut finem: nam æternùm perdurabit. Diez. Beatitudo.

§. V.

Vita proba.

Ex Veteri, & Novo.

Dilectus meus mihi. Cant. 2. 16. Totus vixit, & totus mihi mortuus eſt: *& ego illi* ſimiliter tota vivam, & tota moriar. Hugo Card. hic. Anima ſancta dicit Chriſto: Dilectus meus mihi vivit, & ego illi vivo, non mihi. Theodoretus apud Cornelium hic.

Sume citharam. Iſ. 23. 16. Per citharam ſignificatur recta vita. 1. Quantùm ad carnis mortificationem; propter chordarum materiam. 2. Quantùm ad virtutum connexionem: propter cantus concordantiam. 3. Quantùm ad dulcedinem boni operis; propter audientis lætitiam. S. Thom. Aquin. hic.

Appropinquavit regnum cœlorum. Matth. 4. 17. Regnum cœlorum eſt, & Chriſtus, & vita virtutibus prædita. Quando enim quis ſuper terram vivit ſicut Angeli, nonne cœleſtis eſt? atque ità in unoquoque noſtrum eſt regnum cœlorum; ſi angelicam vitam agimus. Theophylactus hic.

Oportet ſemper orare. Luc. 18. 1. Nec hoc aliter impleri poteſt in tota noſtra vita; niſi ut converſatio talis ſit: ut in conſpectu Dei oratio deputetur. S. Thom. Aqu. in Cant. 4.

Vivo ego, jam non ego. Gal. 2. 20. q. d. ad alia quidem omnia mortuus ſum, non ſentio, non attendo, non curo: ſi quæ verò ſunt Chriſti; hæc vivum inveniunt, & paratum. S. Bernardus in Cap. jejun. c. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Qui bene agendo vivit Deo, hic verè vivit: quia æternam habet vitam. S. Ambroſ. in Rom. 6.

Hoc eſt vita vivere; virtute vivere; beatæ vitæ actus habere in iſtius corporis vita. Idem l. de paradiſo c. 9.

Vita juſti mortis eſt imitatio. Idem de bono mortis c. 3.

Nec quidquam eſt aliud bene vivere; quàm ea facere, quæ Deo placent. S. Auguſt. l. de beata vita.

Tota vita Chriſtiani hominis, ſecundùm Evangelium vivat, crux eſt, atque martyrium. Idem ſ. 3. in feſto S. Laurentii. Libro de Sanctis.

Faciamus de terra cœlum; monſtremus rectè vivendo Gentilibus, quibus bonis carebunt. Nam, quando laudabiliter nos vivere videbunt, faciem regni cœlorum aſpicient. Sanct. Chryſoſt. hom. 44. in Matth. 12.

Probata Chriſtianorum vita majorem apud multos authoritatem ſibi vendicat, quàm ſigna. Siquidem hæce apud imprudentes, & malos homines malum concitant opinionem: vita autem pura etiam ipſum diaboli os majorem in modum obſtruere poterit. Idem hom. 6. in 1. Cor. 1.

Omni tuba clarior eſt per opera virtutum exhibitio: & ipſa luce ſplendidior eſt munda vita: licet innumeri ſint, qui calumnientur. S. Chryſoſt. hom. 6. in var. loc. Matt.

Sic fatagite: quaſi & noſtra vita deſcribenda ſit; & in ſublimi collocanda, ut omnibus conſpicua ſit. S. Ephrem. epiſt. ad Joannem Monachum.

Unum hoc ab utroque noſtrum agebatur; ut virtutem coleremus, atque ad futuras ſpes vitæ noſtræ rationes accommodaremus, ante mortem à terra migrantes. S. Gregor. Naz. or. 30. in laudem Baſilii.

Sic vivamus nobis, ut ad Dei gloriam, proximique profectum, noſtra militet vita. Transformamur in ſingulos communicantes nos omnibus; ità ut illud Apoſtoli compleatur in nobis: *omnibus omnia factus ſum.* 1. Cor. 9. 22. S. Laur. Juſt. de trimph. &c.

Nihil aliud eſt bene vivere: quàm toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere. Idem ligno vitæ de charitate.

Uxor eſt converſatio tua: bona vita, uxor bona: mala vita, uxor mala. Filii tui opera tua. S. Bonav. ſ. 2. D. 13. Pent.

§. VI.

Vita longæva, vel brevis, moraliter.

Ex Veteri.

In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. Gen. 2. 17. An mox illo die prævaricationis mortuus? Vivebat, cùm comedit, non Deo, ſed ſibi. Ergo mortuus eſt adhuc vivens, non vivens Deo. Caſtillo Illat. 38.

Vixit Seth centum quinque annis. Gen. 5. 6. Nota: in generatione Seth, quæ eſt Electorum; & Cain, quæ eſt reproborum; ſemper de Electo dicitur: vixit tot annos, & mortuus eſt; quod de nullo reproborum dicitur: nec de eorum fit mentio, quia fuit prava: & quia præſens eorum vita non fuit vita, ſed mors potius. Nec aliquis illorum mortuus eſſe dicitur: mors enim talium non finita eſt: ſed in perpetuum morientur. Diez ſ. 4. D. 2. Quadr.

Menſis iſte (quo Dominus populum ex Ægypto eduxit) *vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.* Ex. 12. 2. Cur Deus anni ſupputationem ab illo menſe, & non à præcedentibus inſtituit? S. Gaudentius tr. 1. non ſunt imputati Iſraelitis illi dies, quos conſumpſerunt in Ægypto; ſed quando ingemuerunt ad Dominum converſi ab operibus duris. Caſtillo Illat. 38.

Filius unius anni erat Saul &c. 1. Reg. 13. 1. Sic enim erat innocens, quando regnare cœpit, ſicut filius unius anni eſt; & in eadem innocentia duobus annis regnaſſe dicitur. S. Rupertus in 1. Reg. 19. Cur unius anni eſſe dicitur, cùm regnare cœpiſſet? niſi ut ejus innocentia prædicetur. - Illo ſolum tempore nos vixiſſe gaudeamus, quo innocenter, & humiliter viximus. Nam illa tempora, quæ in Sæculi vanitate, & fluxa carnis vita, conſumpſimus; quaſi perdita minimè memorantur. S. Greg. hic.

Dies, quos regnavit Salomon in Jeruſalem, ſuper omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt. 3. Reg. 11. 42. Et tamen Joſephus l. 8. antiqu. c. 3. Salomon, inquit, jam admodum ſenex moritur, exactis regni annis octuaginta. Utrumque conciliat Theodoretus q. 37. in 3. Reg. exiſtimo, hunc quidem ſimul numeraſſe omnes illos annos; illum autem, id eſt, authorem hiſtoriæ Regum, eos ſolos, quos tranſegit in pietate, ac vera religione. Mendoza in 1. Reg. 13. 1. annot. 13. Sect. 2.

Mortuus eſt ſenex, & plenus dierum. Job 42. 16. Notandum eſt, quod quidam moriuntur dierum vacui; quidam pleni. Vacuus dierum moritur, qui in vita ſua vanitatibus hujus Mundi inſerviens, vitæ æternæ merita moriendo ſecum non detulit. Plenus verò dierum migravit à Sæculo, qui operam virtutibus dedit. Bonum ſiquidem eſt bene vivere, ſed longe meliùs bene mori. Bleſenſis tr. ſeu compend. in duo priora capita Job. In Scriptura ſacra non facilè plenus dierum ponitur, niſi is; cujus per eandem ſcripturam vita laudatur. Vacuus quippè dierum eſt; qui, quamlibet multùm vixerit,

rit, ætatis suæ tempora in vanitate consumpsit. S. Gregorius in Job 42.

Dies mei sicut umbra declinaverunt. Ps. 101. 12. Si brevitatem vitæ suæ exprimere voluit, cur non dixit, sicut sol, qui velocissimè currit? quia non solum brevitatem suæ gloriæ, sed etiam inanitatem, ostendere voluit. S. Bernardus s. 20. in Cant. declinaverunt sicut umbra: quia præterierunt sine fructu. q. d. sol quidem velocissimè pertransit; sed egregia virtutis opera post se relinquit; aurum, gemmas, flores, excolit: at umbra infructuosa evanescit. Mendoza in 1. Reg. 10. annot. 6. sect. 1.

Consummatus in brevi explevit tempora multa. Sap. 4. 13. id est, tantùm meruit illo brevi tempore, quo vixit, quantum alius multis temporibus vivens. Hugo Card. hic.

Ex Novo, & Patribus, & aliis.

Impletum est tempus pariendi Elisabeth. Luc. 1. 57. Impletum est vitæ tempus, cùm Sancti viri ex hoc vitæ curriculo demigrarent. Plenitudinem justi vita habet; inanes autem dies sunt impiorum. S. Ambrosius hìc.

Triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Joann. 5. 5. Quæ verba si à Philosopho Gentili legerentur, diceret, hoc non rectè scriptum esse: nam anni non possunt haberi. Aristoteles enim dicit: de tempore non habemus, nisi nunc. Sed quis dubitat, rectissimè scriptum esse, quod Spiritu Sanct. dictante scriptum est. Insinuat igitur, ipsum tempus habuisse; eo quod ex eo commodum, & lucrum, reportarit: quia patientiam habuit in illo longo morbo. Diez Patientia.

Perdit, quod vivit, qui te Deum non diligit. Qui curat vivere non propter te, Domine nihil est, & pro nihilo est. S. August. Manuali c. 4.

Illud agamus in terra, quod transire possit in cœlum. Faciamus transmissiones ad Dominum nostrum: ut, quod in peregrinatione colligimus, in patria congregemus: ut de laboribus nostris non in dies, neque in annos; sed in æterna Sæcula gaudeamus. S. Eucherius hom. 2.

Illum tantùm diem vixisse te, computa; quem non malitia, non invidia, non superbia contaminavit: quo voluntates proprias abnegasti; quem sine ulla regulæ transgressione duxisti. Illum diem applica ad vitam, cujus lucrum venit ad animam tuam. B. Cæsarius Arel. hom. 27.

Sacra Scriptura nos docet, in hoc Sæculo Christianis Fidelibus vitam longam non prodesse, sed bonam. S. Fulgentius ep. 2. ad Gallam.

Non magnum est; imò magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus: cùm *puer centum annorum morituros sit* Is. 65. 20. *& peccator centum annorum maledictus erit*. Guarricus s. 3. de Purif. B. V.

§. VII.

Vita activa, & Contemplativa.

Figuræ, Symbola.

Ex Veteri.

Vidit scalam - Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes. Gen. 28. 12. Scalas vidit Jacob per somnium; & in ipsis scalis vidit Angelos ascendentes, & descendentes; & lapidem, quem sibi posuerat ad caput, unxit. Audistis, quia Messias Christus est: audistis, quia unctus Christus est. Sic est & Ecclesia. Angeli Dei boni Prædicatores prædicantes Christum, hoc est, super Filium hominis ascendunt, & descendunt. Quomodo ascendunt? & quomodo descendunt? Ex uno habemus exemplum. Audi Apostolum Paulum.

Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim raptum hujusmodi usque in tertium cœlum &c. 2. Cor. 12. 2. Ascendentem audistis? descendentem audite: *eamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam*. 1. Cor. 3. 1. 2. Ecce descendit, qui ascenderat. Quære, quomodo ascenderit? usque ad tertium cœlum. Quære, quomodo descenderit? usque ad lac parvulis dandum. S. August. tr. 7. in Joan. 1. 50. Jacob Patriarcha dormiens vidit apertis cœlis scalam à cœlo in terram; & Angelos ascendentes, & descendentes. Fiat hoc in Ecclesia. Angeli Dei, annuntiatores sunt veritatis: ascendant, ut videant. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum &c.* Descendant, & videant: quia *Verbum Caro factum est &c.* Ascendant, ut erigant magnos; descendant, ut nutriant parvos. Vide ascendentem Paulum.

Sapientium loquimur inter perfectos. Vide descendentem: *lac vobis potum dedi, non escam*. Sanct. Augustinus in Psalm. 44. Scalam sibi construxerat spiritualem, cujus cacumen tangebat cœlos; per quam ascensus frequentabat, & descensus: ascendebat utique, contemplanda cœlestia, ac meditando divina: descendebat autem, cùm, exigente causa, sibi indulgeret, & proximo. Sanct. Laur. Just. serm. in festo S. Hieronymis. Per Angelos designantur Sancti; quorum est, ascendere ad Deum, & descendere ad proximum. S. Thomas Aqu. hìc.

Lia lippis erat oculis; Rachel decora facie & venusto aspectu. Gen. 29. 17. Activa per Liam lippam; contemplativa per Rachelem pulchram: cognoscendo enim, & amando Deum pulchrum, efficimur pulchri, ait August. tr. 9. in ep. Joann. de Ponte in Cant. 1. 6. Exh. 11. §. 1.

Tetigit nervum fœmoris ejus, & statim emarcuit. Genesi 32. 25. Jacob grandi quidem spiritus commodo. Sed, & magno carnis suæ vicit detrimento. Denique claudicat is, qui vicit. Quomodo claudicat? videlicet uno pede terræ innitens, alteram à terra suspendens, id est, activam vitam pro cura subditorum non omnino relinquens; & Contemplativa pro ejus dulcedine totis viribus inhærens. Rupertus lib. 8. cap. 9. in Gen.

Non vocaberis ultrà Jacob &c. Gen. 35. 10. Credit Abulensis, cum ex fortitudine, & victoriis, duo illa nomina sortitum, *Jacob, & Israel: luctator* scilicet, ac *videns Deum*. Nam, velut alter Hercules, luctatus est cum plurimis laboribus, cum fratris minis, cum in gratitudine Laban: rursùm cum timore fratris, cùm angelo tota nocte, cum seditionibus liberorum apud Sichimitas, cum nece Joseph illata, ut putabat &c. S. Thom. Aqu. Lyran. Abul. inquiunt: Jacob hìc vocatur Israel: quia Deus hìc evexit Jacobum; ut, qui huc usque vitam activam egerat contra hostes, & vitia, dimicando; nunc contemplativam agat. Cornelius hìc.

Duo Cherubin Ex. 25. 20. quos Moyses ex Deo præcepto fecerat, extensas alas ad contemplandum, & volandum, habebant; sed *respiciebant se vultibus mutuò*. Ità tu, licèt sis contemplativus; non ideò vultum à proximo averte; si illi, ut poteris, succurre. Stella in Luc. 8. 42.

Si dormiero, dicàm quando resurgam; & rursum expectabò ad vesperam. Job 7. 4. Quiescens quippe in vespera contemplationis manè desiderabat; quo surgerat ad actionem: rursumque negotiis fatigatus expectabat vesperam libenter, repetens otia contemplationis. S. Bernardus s. de Cantico Ezechiæ Proph.

Interroga jumenta; & docebunt te: & volatilia cœli; & indicabunt tibi. Job 12. 7. Jumenta significant activos; quia colunt terram: volucres Contemplativos, propter volatum. S. Bonaventura in Ps. 118.

Laetentur cœli. Psal. 95. 11. Id est, alti Contemplativi: *& exultet terra*, id est, simplices activæ vitæ dediti, *ante faciem Domini*. Thom. Kemp. conc. 3. de Incarnat. D.

Tempus amplexandi; & tempus longè fieri ab amplexibus. Ecclæ. 3. 5. Quia modò actioni, modò debent intendere Contemplationi. S. Bonaventura hìc.

Fasciculus myrrha. Cant. 1. 12. in activa; *Botrus Cypri*: v. 13. in Contemplativa, quæ mentem dulcedine reficit. Qui exercent se in activa, imitantur Christum Crucifixum; qui in Contemplativa. Christum resuscitatum, & gloriosum. De Ponte hìc Ex. 7. §. 3.

Et tu pulchra es &c. Cant. 1. 14. Dicitur bis pulchra, ab operibus vitæ activæ, & Contemplativæ. Per hanc pulchra coram Deo, cui assistit; per actionem verò hominibus, quibus prodest. Id. ib. Exh. 9.

Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cant. 2. 6. Leva ejus, sinistra Christi; quæ denotat vitam activam: erit *sub capite meo*, id est, secundariò intenta; *& dextera illius*, id est, vita Contemplativa, per quam intendo mihi, *amplexabitur me*, id est, erit super caput meum: quia erit ad quod primò intendam. S. Thom. Aqu. hìc Lect. 1.

Speciosa mea. Cant. 2. 13. Per Contemplationem: *amica*, cùm prædicando, ministrando, consulendo, sponso acquirit lucrum. Id. in Ps. 137.

Quasi palma exaltata sum. Eccl. 24. 18. Egregium charitatis Symbolum palma: in sublime assurgens, dactilis tamen dependentibus onusta: ut quæ Deum intimè complectitur, & conversationem suam in cœlis habet; ad utilitatem tamen proximorum sese demittit. Cornelius hìc.

Qui sunt isti, qui ut nubes volant? & quasi columbæ ad fenestras suas? Is. 60. 8. Acsi dicat: Apostoli mei sunt: ipsi volant, nullo quieti otio; sed, impellente Spiritu S. cunctis gentibus pluviam salutaris doctrinæ portantes. Ipsi sunt quasi columbæ simplices; attamen serpentis prudentiam habentes. Columbæ istæ singulæ stant ad fenestras suas, id est, exercent, quas acceperunt Spiritus S. gratias divisas; semper prædicando, volantes ut nubes; semper contemplando per illas fenestras suas cœlum suspicientes; meditando gementes, gemendo meditantes. S. Rupertus hìc.

Manus hominis sub pennis eorum. Ezech. 1. 8. Manus hominis sub pennis, est virtus operis sub volatu contemplationis. Quid per manus, nisi activa? & quid per pennas, nisi Contemplativa designatur? S. Greg. hom. 3. hìc. Non sunt ipsa verba, sed sensus.

Animalia ibant, & revertebantur. Ezech. 1. 14. Ibant ad præ-

prædicationem, & revertebantur ad Contemplationem. De Ponte in Cant. 2. Ex. 15. 1. Ibant ad supera; revertebantur ad infima, ut proximos juvarent. Idem in Cant. 6. 9. Eph. 8. §. 3.

Ex Novo.

Impleverunt ambas naviculas. Luc. 5. 7. Duæ naviculæ, activa, & Contemplativa. Sim. Cass. l. 9. c. 15.

Pedes ejus unguento ungebat. Luc. 7. 38. Qui Deum diligit cum Magdalena, pedes ungat operibus vitæ activæ; caput Contemplativæ. De Pontes in Cant. 1. 2. Exh. 32. §. 2.

Osculabatur pedes ejus. Ibidem. Vitam activam, atque Contemplativam, duo labia appellamus. - Labium inferius activa vita; labium superius Contemplativa. Sim. Cassan. lib. 8. 40.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10. 42. Non ait, totum elegit, sed partem perfectionis, vitam scilicet Contemplativam, ut notat Cajetanus: alteram enim vitam, scilicet activam, Marthæ relinquit: ex utraque enim componitur consummata perfectio. Sylveira in Act. 6. 4. In his duabus sororibus duas vitas cognoverim, Contemplativam videlicet, & activam; quæ subvenire cupiunt homini ægrotanti: mittentes amorem legatum ad Christum omnium Vitam; qui nostra mala impugnaturus advenit. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Luc. 24. 42. Piscis assus vita activa consumens nostram humanitatem laborum pruinis: favus mellis contemplatio dulcis eloquiorum Dei. Theophylactus q. 11.

Conversus Petrus vidit illum Discipulum &c. Joan. 21. 20. Quid per Petrum, nisi vita activa? quid per Joannem, nisi vita Contemplativa designatur? Illi dicit, *pasce*: hic super pectus requiescit. Eusebius Emiss. in Nat. S. Joan. Evang.

Et pedes ejus &c. Apoc. 1. 15. Post oculos, ut flammam ignis, ignitos pedes refert: quia sicut per oculos intelligitur vita Contemplativa; ità & per pedes activa. Et utraque debet esse inflammata amore divini Spiritus. Sylveira hìc.

Datæ sunt mulieri alæ duæ. Apoc. 12. 14. Hæ alæ sunt vita activa, & Contemplativa. Hugo Card. hìc.

Ex Patribus, & aliis.

Duæ vitæ, activa videlicet, & Contemplativa, cum conservantur in mente; quasi duo oculi habentur in facie: dexter namque oculus vita Contemplativa est; sinister activa. S. Gregor. mor. l. 6. c. 17.

Luna, quæ crescit, & minuitur; signat hominem in vita activa, & contemplativa. Quando vacat Contemplationi, tunc summè illuminatur fulgoribus cœlestibus, quando verò actioni vacat, tunc minùs illuminatur. Et non vivit homo, qui non minuatur, quando se dat actioni: excepto Christo, qui fuit perfectus in actione, & contemplatione. S. Bonav. hexam. s. 20.

Circinus. Lem. *Hinc fixus, & inde movetur*. Masenius.

Utramque junge.

Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram. Ps. 26. 8. Id est: hactenus exquisivi te per opera vitæ activæ, quærens tibi placere, & non aliis, nisi propter te; deinceps autem etiam faciem tuam requiram; intendens, & cognoscere, & faciem per contemplationem intueri. De Ponte in Cant. 1. 12. Exh. 3. §. 1.

Ecce ego mitto Angelum meum. Malach. 3. 1. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Matth. 18. 10. Angelus, id est, *missus*: mittuntur ad hominum custodiam; & cum hominibus ità morantur, ut simul à respectu Patris non recedant. Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 11. Obs. 3.

Totus suus, & totus omnium, erat: ut nec charitas à custodia sui, nec proprietas ab utilitate communi eum impedire, vel retardare in aliquo videretur. Si videres hominem solum, & secum habitantem; putares soli vivere Deo & sibi. Si videres hominem mediis immersum turbis, & implicitum curis; diceres, patriæ natum, non sibi. S. Bernardus in festo. Sanct. Micheæ.

§. VIII.

Vita activa.

Figuræ.

Jacet paralyticus. Servus Centurionis Matth. 8. 6. Activa est vita: quæ pro supernæ vitæ dextralibus servire deberet; sed malè se habet, cùm paralysim patitur, quæ dissolutio est membrorum. Nulla major morum dissolutio, quàm non quod decet, sed, quod libet, velle perficere. Sim. Cass. l. 5. c. 12.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12. 35. Succincti lumbis sunt, qui activam vitam agunt: ejusmodi enim habitibus utuntur operarii; quibus & ardentibus candelis opus est; Opus enim habet vita activa etiam judicii dono: ut is, qui activam vitam agit; non solùm sciat, quod oporteat facere; sed & quomodo. Multi enim bonum quidem fecerunt; sed non bene: non habuerunt ardentes lucernas in manibus, hoc est, non habuerunt rectum judicium. Theophylactus hìc.

Vita activa præfertur Contemplativæ.

Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est. Prov. 14. 4. Hebr. *mundum est*, hoc est, ait Vatablus: qui laborat, habet, quòd manducet: qui autem otium sectatur, egestatem habet in domo. Bos erat victima: unde religionis est symbolum, & mortificationis. Salazar versum citatum sic explicat: sicut, qui caret bobus, habet præsepe, id est, stabulum mundum; qui autem boves habet, etsi stabulum immundum illi fit, gaudet tamen proventu. Sic, qui curam animarum non suscipit, sed sibi totus vacat, majori forsan puritate conscientiæ fruitur: qui autem operam suam proximo navat, hic mentis suæ stabulum immundius habet: nam ex activa vita semper aliquid sordium, saltem levium, adhæret: tamen uberiores fructus metit. Cornelius hìc.

Ego flos campi. Cant. 2. 1. Invitaverat sponsum Cant. 1. c. ult. ad lectuli floridi, concinnæ, ac pulchræ, domus requirem; respondit ipse: *ego flos campi*. acsi corrigens eam dicat: quid me invitas ad lectum floridum, qui natus sum ad labores, ærumnas, persecutiones, & pugnas? sum flos, non solùm domi clausus, sed foris expositus. Flores in lectulo languent, & arescunt; in campo florent, & virescunt: sic virtutes in pace defloresçunt: & à me lectulus tuus floridus. De Ponte hìc Exh. 20. §. 2.

In Jacob inhabita; & in Israel hæreditare. Eccl. 24. 13. Jacob *luctator* dicitur, Israel *videns Deum*. Priùs fis Jacob, luctator fortis contra carnis illecebras, contra insidias dæmonis: deinde hæreditaberis in Israel; accipies vult præmium actionum vitæ activæ, summam Dei contemplationem. Diez Contemplatio.

Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. Eccl. 42. 14. Contemplationi addicta anima, sit tibi mulier filum ducens, meditationis claustris addicta. Vir autem, minister Evangelii, ad campum prosiliens certaturus. Revertitur hic vulneratus ad claustra. S. Bernardus s. 12. in Cant. objurgat temerariè virum de prœlio revertentem mulier nens in domo. Si quis de claustro eum, qui versatur in populo, interdum nimis dictrictè, minusque circumspectè, sese agere deprehenderit; non ad judicandum confestim prosiliat; sed meminerit scriptum: *melior est iniquitas viri &c.* Nam tu quidem, in tui custodia vigilans, benefacis: sed, qui juvat multos, & meliùs facit, & viriliùs. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, hoc est absque aliqua inæqualitate vitæ; memento, *quia charitas operit multitudinem peccatorum*. Escobar. t. 1. Par. Chr. l. 1. Sect. 4. Obs. 2. Melior, Deoque gratior, est vir Apostolicus, etsi in defectus aliquos labatur quàm solitarius, vel monialis, sibi soli, Deoque, vacans; ideoque defectuum vitæ activæ expers. Sicut melior est canis venaticus, qui lepores capit; etsi aliquando currendo per sentes pedes cruentet: quam catellus speciosus, qui heræ suæ sinu continetur. Cornelius hìc.

§. IX.

Vita Contemplativa.

Num. I.

Figura.

Esther interpreatur *elevata*, vel *abscondita*: & signat animam contemplativam; quam in contemplatione elevat Deus, & abscondit *in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum*. S. Bonaventura. Spec. B. V. c. 10.

Per Joannem B. nullum aptiùs, quàm contemplativum virum moraliter accipimus: Hic Joannes manet in deserto non tam materiali, quàm spirituali; dum sedet solitarius, & elevat se supra se: qua sublevatione superna super cunctam hanc confusam rerum fluctuantium, & exundantium, multitudinem attollitur. Hanc subtus deserit: qua derelicta profectò manet in deserto quodam mentis secretissimo, & abditissimo, solis expertis agnito. Gerson. Lect. 2. in Marc.

Num. II.

Contemplativa præfertur activæ.

Suburbana autem eorum non veneant. Levit. 25. 34. Hac re significabatur; Levitas præ omnibus debere vacare sibi, & Deo: ideoque subinde secedere extra urbem, & strepitum popu-

populi; & vacare sanctæ quieti, solitudini. Quare domos urbanas vendere poterant, sed non suburbanas. Hanc discant Religiosi, Mariam præponere Marthæ, orationem actioni. Errant, qui se studiis, aliisque negotiis, ità occupant, ut orationem negligant &c. Cornelius hic.

Ne suscitetis &c. Cant. 2. 7. Qui enim electi cujuslibet mentem, vel in orationibus devotis Deo loquentem, vel in sacris lectionibus divina mandata, sive promissa, meditantem, importunus impedierit; sponsam utique Christi de sopore beato, priusquam ipse vellit excitat. V. Beda hìc.

Surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis. Jon. 1. 3. id est, in explorationem gaudii, quod significat contemplationem; quam desiderant aliquando multi, quos Dominus mittere vult ad activam. Hugo Card. in Gen. 48.

Maria - sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, &c. Luc. 10. 39. Sapidiora confiteris fercula, quæ Maria sedens, & audiens accipit; quàm quæ Martha satagens præparat, & apponit: in his enim panis hominum; in illis autem erogatur panis angelorum. Hildebertus epist. 37.

Num. III.

Contemplativa juvat Activam.

Immisit Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit de costis ejus. Genes. 2. 21. Sanct. Augustinus somnum hunc extasim fuisse putat: ita dulci divinorum contemplatione illectus sensibus alienatus erat: Tunc Adam Evæ utilior, cùm contemplationi devotior. Ora, cùm Evæ vitam infundis: & tunc aptiùs vivificabis proximum. Tunc Adamus ossi refundit vitam, cùm oratione alatus cœlum frequentat. Est enim oratio salutis vena, persuasionis efficacia, reprehensionis energia, omnisque externæ actionis anima. Addo: adeò efficax ad proximorum salutem oratio; ut minùs possint, & longa jejunia, & præclara virtutum opera. Naxera in Jos. 15. §. 14.

Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis &c. Ex. 12. 21. Nubes sic hominibus superior, ut cœlo approximet; nec adeò remota, ut aspectum hominum fugiat. Id. in Jos. 14. §. 6.

Cùmque levaret Moyses manus &c. Ex. 17. 11. Moyses typus vitæ Contemplativæ, Jesus activæ: quoque hæc ab illa dirigi, omnemque suam vim, & victoriam, trahere, & haurire, debeat. Sic enim Josue vires pugnandi, & vincendi, hausit ab oratione Moysis. Cornelius hic.

Fons signatus. Cant. 4. 12. Sponsus sponsæ puritatem laudans, eam clauso fonti assimilat; utpote quem neque ferarum pes sordidet, neque pulvis perturbet. Hunc ergo fontem, quem adeò sedulè clausum dixerat, jam cunctis floribus, viretisque, amœnos subministrare latices ostendit: *fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* v. 15. Contraria sibi sponsus dixisse videtur: si enim sigillo clausus, quomodo jam impetu fluens, & hortorum flores abluens? Immò, ut copiosiores hortis aquas impertiatur, priùs est signatus, & clausus sigillis. In abdito acquisivit, quos ditior postea latices plantis omnibus propinaret. Naxera tr. de B. V. §. 16.

Erat (Joannes) *in desertis.* Luc. 1. 80. Quare? & quousque? *usque in diem ostensionis suæ ad Israel*: quatenus inter ea loqueretur Dominus ad cor ejus in solitudine; revelans, & indicans; quæ esset ipse facturus ad Israel, & docturus. Gerson. tr. 11. sup. Magnif.

Reversi sunt pastores. Luc. 2. 20. Scilicet ad custodiam gregis commissi. In quo erudiuntur devoti: ut, post contemplationem Salvatoris, revertantur ad exercitium actionis. *Animalia ibant, & revertebantur.* Ezech. 1. 14. S. Bonav. hic.

Exiit, qui seminat. Luc. 8. 5. Scilicet de domo ad agrum; hoc est, quiete ad laborem. Idem hìc.

Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem D. N. I. C. ut det vobis &c. Epiph. 3. 14. 15. Cur non confugit ad ferrea vincula; &c. conducibiliùs videbatur dicere: hujus rei gratia carceris tenebras patior, compedes sustineo &c. quàm precibus incumbere. S. Chrysost. lib. 2. de precat. illinc intelligi poterit, quanta sit vis sanctarum precum; quòd Paulus per totum terrarum orbem velut alatus discurrens, in carceribus habitans, flagella sustinens, gestans catenam; vivens in sanguine, & periculis; insuper & dæmones ejiciens, ac mortuos suscitans, morbos abigens: in harum rerum nulla fiduciam posuit servandi homines; sed precibus communiit orbem: postque miracula, post excitatos mortuos, ad precationis præsidium accurrit. Naxera in Jos. 15. §. 14.

Ecce in medio throni - agnum - habentem oculos septem: qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Apoc. 5. 6. Quomodo ad terram delegati, & in medio throni? Quia spiritus ibi manent, unde mittuntur. Sic terram peragrant, ut cœlo vivant: sic cœlo vivunt, ut hominum extirpandis vitiis, virtutibusque augendis, inserviant. Idem in Jos. 14. §. 6.

Mulier illa amicta sole, & in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat. Apoc. 12. 2. Hoc ipso tempore aquilæ alas mutuatur, & jam deserta colit, quæ inhabitaverat cœlum. *Datæ sunt mulieri alæ duæ &c.* v. 14. En ænigma Prædicatoris, & Zelatoris animarum: mulier videlicet volans & clamans. Clamat, ut serpentis conatus elidat; ut Christum In audientium cordibus pariat: fugit; nè serpentino halitu fascinata hæreat. Hugo Card. hæ alæ sunt vita activa, & Contemplativa. Ità animarum suspirat lucra, ut videatur remotissima habitare deserta: ità incolit deserta, ut animarum studiosissimè exambiat lucra. Id. ib.

§. X.

Propter activam abrumpe Contemplativam.

Ex Veteri.

Dimitte me: jam enim ascendit aurora. Gen. 32. 26. Glossa angelica. q. d. tempus est, ut ab invisibilibus ad temporalia tractanda descendas. Jussus est intermittere studium orationis, & rem curare familiarem. Non enim est grata Deo oratio, quæ tunc fit, cùm faciendum aliud. Richardus in Cant. 4. Si, propter occupationem utilem, orationem aliquis intermittat, ipsa occupatio vice orationis reputabitur; ut, juxta Apostolum 1. Thess. 5. 17. *sine intermissione oret*, qui semper bene operatur. Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 2. lib. 6. c. 7.

Vade, descende citò: *peccavit populus tuus.* Ex. 32. 7. q. d. meditationem hanc cœlestem deserere; operi potiùs incumbe; & populo, ut à peccato desistat, suggere. Besseus D. 2. adv.

Nunquid fratres vestri; ibunt ad pugnam; & vos hic sedebitis? Num. 32. 6. In hoc reprehensibiles sunt quidam; qui, dum volunt arcem contemplationis ascendere, volunt quiescere; & ad laborem actionis recusant descendere. Et hi designantur per filios Ruben; de quibus dicitur, quòd voluerunt ultra Jordanem remanere. S. Bonaventura in Luc. 9. 29.

Surge, properа, amica mea &c. Cant. 2. 10. Surge de strato illo multùm tibi amabili: in quo tuimet curam agere, in psalmis, & orationibus, delectaris. Veni ad impendendam etiam proximis curam salutis. V. Beda hìc.

Fuge Dilecte mi &c. Cant. 8. 14. Tanquam bona sponsa optat ad tempus auxilio separari, non ab ejus fide, vel amore; sed ab ejus suavitate: hoc est, à contemplationis dulcedine ad tempus cedere; ut possit aliis jam conversis intendere per informationem morum, & doctrinæ. S. Thom. Aqu. hic Lect. 2.

Ex Novo.

Venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes. Matth. 26. 40. Nullo responso suscepto, interpolavit orare permodicum: reversus tamen ad piam, & utilem, actionem: nam venit confortaturus Discipulos. Oportet siquidem orationem intermittere pro utilitatibus proximorum; maximè ubi spiritualia bella timentur. Et discretionis insignis est, virtutis actum pro alio actu virtutis intermittere. Sim. Cass. l. 13. in Evang. Sic orabat ad Dominum, ut non obliviscereturovium suarum: quin imò tunc interrupit orationem; ut rediret ad Discipulos excitandos. S. Bonav. in Luc. 22.

Et reversi sunt pastores &c. Vide §. præcedentì.

Quid statis aspicientes in cœlum? Act. 1. 11. Cur illos increpat Angelus, cùm laudabile sit cœlum suspicere? Sanct. Athanas. or. in Ascens. quid statis? Mundo miraculum hoc prædicate. q. d. surgite, & implete munus vestrum Apostolicum: prædicate Evangelium, & agite de salute hominum. Sylveira hìc.

Surge, descende. Act. 10. 20. Surge ab oratione. Sæpe oratio, vitaque Contemplativa, omittenda ob activam. Sylveira hìc.

Et audivi post me vocem magnam. Apoc. 1. 10. Cur à tergo hæc vox exhibita est Joanni? S. Anselmus, Richardus, & Rupertus censent; hoc situ vocis Joannem, qui contemplationi rerum divinarum vacabat, ad humana, putà ad aliorum correctionem, & instructionem, revocari. Cornelius hìc.

T I T U L U S XVII.

VOCATIO DIVINA.

§. I.

Vocationes variæ.

Veni de Libano sponsa mea veni &c. Cant. 4. 8. Ter dicitur, *veni*. Venit enim sponsa ad Christum; dum in hoc Mundo vivens bona, quæ potest, operatur. Venit, quando in hora mortis anima, ipsa videlicet sponsa, è carne exuitur.

tur. Venit tertio, quando in die Judicii ultimi carnem resumit, & cum Christo thalamum cœlestem ingreditur. S. Gregorius hìc.

Exiit - conducere operarios in vineam suam. Matth. 20. 1. Quidam à pueritia ad operandum opere regni Dei accedunt: & ipsi sunt, qui primo manè conduncuntur ad vineam. Alii autem in adolescentia veniunt ad Dei culturam: & sunt ipsi, qui hora tertia invitantur. Alii verò viri perfecti: & ipsi sunt, qui in sexta vocantur. Alii autem jam senes adducuntur ad Dei culturam; & ipsi circa nonam vocantur. Alii autem in ipso exitu senes ad plenum: & ipsi sunt, qui circa undecimam vocantur. Origenes tr. 10. hìc. Quia ad vitam bonam alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in juventute, alius in senectute, alius in decrepita ætate perducitur; quasi diversis horis operarii ad vineam vocantur. S. Gregorius hom. 19. in Evang. hìc.

Et vidit duas naves stantes secus stagnum &c. Luc. 5. 2. Admirare Domini dispensationem, quomodo per propria & familiaria sua, quemque attrahit: sicut magos per stellam; ità & piscatores per pisces. Theophylactus hìc.

§. II.

Vocationis divinæ efficacia.

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea. Ps. 147. 18. Ecce venit illud crystallum Saulus post cædem, & lapidationem Stephani: duritia quadam stupidus in Christum, petiit literas à Sacerdotibus, ut undique exhiberet Christianos, anhelans cædem. Durus est ille, & gelidus, contra ignem Dei. Sed, quanquam esset durus, quanquam gelidus; ecce ille, qui *emittit verbum suum &c.* clamavit de cœlo fervidus: *Saule! Saule! quid me persequeris?* Una illa voce tanta illa duritia crystalli resoluta est. Act. 9. 4. S. August. hìc. Non sunt omnia verba Augustini, sed sensus.

In funiculis Adam traham eos. Os. 11. 4. Quando quis invitat alium ad prandium, velle fortè, ut non veniret: Sed Deus non ità; imò vim infert, ut secum maneamus; & invitat nos usque ad vestium lacerationem; & trahit per subtractionem temporalium, & morbos. Manassen adversitas convertit. 2. Paral. 33. 12 Prodigum fames revocavit. Luc. 15. 17. 18. Paulum cœcitas. Act. 9. 9. Geminiani l. 9. c. 84.

Prodiit - ligatus pedes, & manus, institis. Joan. 11. 44. Opportunè Evangelista hoc perscripsit: quia videlicet consequitur, in illius vocantis voce vim facillimam extitisse; quæ illum pariter & vivificavit, & de monumento expulit. Qui, cùm esset ligatus manus, & pedes, institis; nec pedibus, nec manibus prorumpere potuit. Rupertus l. 13. de victoria Verb. c. 18.

§. III.

Vocatione divinæ obtemperandum.

Et cucurrit ad Heli. 1. Reg. 3. 5. *Semel loquitur Deus; & idipsum secundò non repetit.* Job 33. 14. Quia divinæ vocis Majestas tanta est; ut timendum sit, nè, si ejus aures aliquando præterlabatur, nunquam amplius iteretur: vel saltem, nè, qui priorem Dei vocem misericorditer vocantem non audivit, audiat posteriorem terribiliter minantem: ut contigit Nabuchodonosori; quem divinæ revelationis contemptorem divina comminatio perterruit. Dan. 4. 28. Ad primam igitur vocem Samuel obediit; nè aut secunda voce indignus esset; aut pro vocatione minas audiret. Mendoza hìc.

Vocabis me, & ego respondebo tibi. Job 14. 15. Vocat Deus per gratiam visitantem; & respondebit homo per mandatorum impletionem. Rich. à S. Vict. append. in Cant. 6. Vocare Dei, est, nos amando, & eligendo respicere. Respondere autem nostrum est amori illius bonis operibus parcere. S. Greg. mor. l. 11. c. 14.

Vocavi, per Prædicatores; *& renuisti: extendi manum meam*, per bonorum largitionem; *& non fuit, qui aspiceret. Despexisti omne consilium meum*, per internam inspirationem; *& increpationes meas neglexisti*, vobis factas per flagellationes. *Ego quoque in interitu vestro ridebo &c.* S. Bonaventura l. 37. D. Septuag. Prov. 1. 24.

Pessulum ostii mei aperui Dilecto meo. Cant. 5. 6. Pessulum aperimus; quando, remotis voluptatibus fluxis, cor nostrum in amorem Christi, quod priùs durum fuerat, solvimus: & sponso pulsanti ad ostium, introitum liberum facimus. S. Gregor. hìc.

Ut fugeret à facie Domini. Joan. 1. 3. Disce: eum, qui fugit à facie Dei vocantis, & blandientis, incidere in faciem Dei indignantis, & ulciscentis. Ità Jonas, fugiens Deum vocantem, incidit in cetum devorantem. Cornelius hìc.

Vidimus stellam in oriente & venimus. Matth. 2. 2. Et tu cunctaris viso sole in occidente? Sufficit magis ad exilium ultrò appetendum natum in cœlo sidus; & tibi non satis est, ad invadendum regnum mortuus in Cruce Sol? O felices Magi! sed ò latro Regibus longe felicior! Tibi indicarunt tenebræ, quod lux illis nuntiavit. Sed, quod illi diuturna peregrinatione, & larga effusione donorum, consecuti sunt; tibi vox una impetravit à Verbo. Oliva t. 2. Strom. §. Vidimus stellam ejus.

Mittentes rete. Matth. 4. 18. Major est piscatoribus occupatio, dum retia in mare jaciunt; ac dum extrahunt. Ut ergo discamus, quòd, vocante Deo, omnis occupatio; sive illius adsit finis, sive principium; abrumpenda sit: ideo mittentes retia vocantur. Sylveira hìc. Petrus, & Andreas, relictis retibus secuti sunt Redemptorem. Nulla verò hunc facere adhuc miracula viderant; nihil ab eo de prœmio æternæ retributionis audierant: & tamen, ad unum Domini præceptum, hoc, quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos ejus miracula videmus; quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur: & tamen vocantem sequi contemnimus &c. S. Gregor. hom. in Evang. hìc.

Exiliens venit ad eum. Marci 10. 50. Periculosum est, cùm Dominus vocat, moras innectere, aut remissè gradi ad optatum, & definitum hominibus; bonum. Sim. Cass. l. 5. c. 32.

Mittit Discipulos suos, ut in te, sicut in pullo asinæ edeat: curis te sæcularibus solvat; ut paleas & lateres, Ægypti derelinquens, Moysem sequaris in eremo, & terram repromissionis introeas. Nemo sit, qui prohibeat; non mater, non soror, non cognata, non germanus: Dominus te necessariam habet. S. Hieron. ep. 22. ad Eustochium.

O anima ingrata! ò viscera dura! usquequo fatigas Dilectum tuum? Pulsat; & ei non vis aperire? Vocat te; & non vis eum audire? Pulsat semel, & iterum; & tu eum expectare, & exspectare jubes? modicum, & modicum. Is. 28. 10. 13. Vocat semel; vocat iterum: & tu nihilominus eum expectare jubes? modicum, & modicum. Modicum in uno loco, & modicum in alio: modicum ibi, & modicum ibi. Cogitur igitur Dilectus tuus facere sæpe, & multum; quod tu dicis modicum, & modicum. Nam modicum, & modicum, protrahis in longum, & longum: & ità hunc modum fraudas amicum tuum & fatigas Dilectum tuum Rich. à S. Vict. de arca myst. l. 4. c. 13.

Egressus est de domo paterna Bernardus, videns autem Guido primogenitus fratrum suorum Nivardum minimum cum pueris in platea; ejus, inquit, frater Nivarde; ad te solum respicit omnis terra possessionis tuæ, ad quod puer non puriliter: vobis ergo cœlum; mihi terra? non ex æquo divisio hæc facta est. Paulò post fratres secutus. Vitæ S. Bernardi l. 1. c. 3.

Aspectus divinitatis propitiæ, munus est conservationis humanæ. Quàm beati essemus omnes! si, quàm promptam ejus nos Dei audientiam legimus, tam promptè ipsi Deum audire vellemus. Salvianus de prov. Div. l. 2.

Vide Inspirationes.

T I T U L U S XVIII.

VOLUNTAS IN GENERE.

Bona, & mala.

§. I.

Ex Veteri.

Lignumque scientiæ boni, & mali. Gen. 2. 9. Proprium est voluntatis arbitrium, quod in medio nostri est positum; ad dignoscendum bonum, vel malum. De quo, qui relicta Dei gratia gustaverit, morte morietur. S. Isidorus Ep. hìc c. 3. ante finem.

Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem. Gen. 24. 57. Ex Hebræo verti potest: *os ejus inquiramus.* Nam sæpe in Scriptura os pro voluntate usurpatur: quòd hæc per illud enuntiari solet, & significari. Doultreman lib. 3. cap. 4. Sect. 4.

Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet absque tuo imperio &c. Gen. 41. 40. Hoc non immeritò videtur Deus dicere voluntati, quod olim dixit Pharao Josepho. S. Franc. Salesi. de div. am. l. 1. c. 1.

Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit in cœlo, & in terra. Ps. 134. 6. Sed audite causam, cur edicta Dei semper impleantur: *omnia opera ejus vera; & viæ ejus judicia.* Dan. 4. 34. Rich. à S. Vict. lib. 2. de erud. hom. inter: ergo idem est ejus voluntas, quod æquitas; & æquitas, quod voluntas.

Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis &c. Is. 1. 5. Caput liberum arbitrium; cor consilium; pes carnale desiderium. Rich. à S. Vict. de statu inter hom. tr. 1. c. 1.

Ex Novo.

Omnis arbor. Matth. 7. 17. Per arborem intelligimus, seu bonam, seu malam voluntatem. V. Beda hic.

Si quis vult post me venire. Luc. 9. 23. Eques, & nobilis, habet duo servorum genera: quosdam captivos, & emptos; quosdam cognatos, & consanguineos; eosque nobiles, & honoratos. Prioribus imperat, nolint, velint; & ab illis urbanè, & comiter petit. Homo servus nobilis, & consanguineus Dei, reliquæ creaturæ, sol, luna, stellæ, terra; mancipia: his imperat. Sic imperavit soli, ut staret. Jos. 10. 12. Tempore Passionis soli, & lunæ nè lucerent. Igni. Dan. 3. 49. Jordani nè flueret. Jos. 3. 16. Leonibus. Dan. 14. 30. Corvo, ut pasceret Eliam 3. Reg. 17. 4. Balenæ ut servaret Jonam 2. 1. Ab homine petit tanquam ab illustri & cognato, relinquendo totum in manu ejus. Paralytico dicit: *vis sanus fieri?* Joan. 5. 6. Cœco: *quid tibi vis faciam?* Luc. 18. 41. Stella hic.

Da mihi portionem substantiæ. Luc. 15. 12. Rationalis, ad quam subsequitur liberum arbitrium, substantia est hominis. Dat nobis Dominus rationem, ut ea liberè, tanquam nostra substantia, utamur. Theophylactus hic. In sua potestate esse voluit ille filius, qui dixit: da mihi partem patrimonii, quæ me contingit. Bene servabatur apud patrem, nè cum meretricibus dissiparetur. Accepit, facta est in ejus potestate: profectus in regionem longinquam effudit omnia cum meretricibus. S. August. in Ps. 131.

Ecce sto ad ostium; & pulso. Apoc. 3. 20. Mea præsentia nulli vim affert: cordis ostium pulso: promptè aperienti super salute sua gratulor; illumque opiparæ cœnæ loco duco. S. Andreas Cæsar. l. c. 23. in Apoc.

Ex Patribus, & aliis.

Non est Rex, neque princeps, qui extorqueat nobis faceræ, quod non proposuimus. Nec similes sumus Græciæ Philosophorum; qui verba pro rebus meditati sunt ad opinionis celebritatem. Nobis res sociæ verbis, & verba rebus: res celeres & sermones breves; in virtute nobis libertas est. S. Ambros. ep. post medium.

In malis, flagitiosisque; factis cupiditas propriè dicitur, non voluntas. S. August. l. 2 de serm. Dom. in monte c. 34.

Caput languet: quia liberum arbitrium ad omne bonum torpet. Cor mœret: quia malum, quod patitur consilium, sitit, nec ignorare, sic nec dissimulare valet. Pes cum toto corpore dolet: quia concupiscentiæ malum undique fervet. Rich. à S. Vict. tr. 1. de statu inter. hom. c. 11.

Inter omnia creationis bona nihil in homine sublimius, nihil dignius libero arbitrio: nihil utilius, nihil occultius salubri consilio: nihil inferius, nihil infirmius carnali desiderio. Idem ib. c. 3.

Totus Infernus, totus Mundus, totus denique militiæ cœlestis exercitus in unum concurrat, in hoc conjuret: unus ex libero arbitrio consensus in qualicunque re invito extorqueri non potest. Idem ib.

Nihil est homini amabilius libertate propriæ voluntatis: per hanc enim homo est etiam aliorum dominus: per hanc aliis uti, vel frui potest: per hanc etiam actibus suis dominatur. S. Thom. Aqu. de perfect. vitæ spir. c. 10.

Liberum nostrum arbitrium nunquam tam est liberum, quàm quando est mancipium divinæ voluntatis: sicut nunquam magis est servum; quàm quando servit propriæ nostræ voluntati. Sicut nunquam tantum habet vitæ, quàm quando sibi ipsi mortuum est: nunquam contrà tantum habet mortis, quàm quando sibi ipsi vivit. S. Franc. Salef. de div. am. c. 10. lib. 12.

Algerus de Sacramentis l. 2. c. 7. quærit: cur supplicia peccatis & prœmia virtutis, sint æterna; cùm opera sint temporalia? ut videtur non solùm immodicus rigor; quod unius horulæ, vel momenti, culpam æterna pœna plectat; sed etiam quædam prodigalitas, quod operis temporarii remuneratio sit æterna. Respondet: quia Deus non temporalem actionem, sed perpetuam boni, vel mali, remunerat, vel damnat, voluntatem: quæ, si in æternum viveret, in æternum in suo proposito permaneret; idcoque justè æternitatem retributionis æternitati voluntatis appendit.

Congruum est, ut ad liberæ simus voluntatis, conformandum nos loco, in quo sumus; qui quo sumus; qui est medius inter bonum, & malum; inter cœlum, & Infernum. Broymard. Voluntas libera.

§. II.

Voluntas bona pro opere.

Ex Veteri.

Non pepercisti unigenito tuo propter me. Genes. 22. 12. Voluntas pro opere acceptatur. Did. Nyss. Vita Abr. lib. 11. c. 6.

Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio & in fratre suo, ut detur vobis benedictio. Exod. 32. 29. Sed quomodo Levitæ filios; ac fratres suos occidere potuerunt? Nam Moyses convocavit ad se omnes Levitas, ad idololatras occidendos, ut apparet v. 26. Filii verò, ob fratres, Levitarum erant etiam Levitæ. Ergo nullus fuit Levita occisus, sed omnes occisores. Aliter, & aliter respondent Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Oleaster. Sed facilis, & accommodata, videtur hæc responsio: Levitas, non facto, sed voto, fuisse suorum filiorum, & fratrum, occisores: adeò enim prompti erant ad parendum Deo: ut etiam fratres, & filios occidissent; si jussisset. Mendoza in 1. Reg. 3: Annot. 3. Sect. 2.

In dedicatione templi Salomonici inscripsit David Psal. 29. *Psalmus Cantici in dedicatione Domus David*, Cur non potiùs dixit, in dedicatione Domus Salomonis? nam illud templum non à David, sed à Salomone condictum fuerat. Respondeo ex Lyrano: quia licèt Salomon templum illud ipso opere condiderit, David tamen multò antè illud animo, & voluntate, ædificaverat: quia non minùs Deus obsequendi affectu quàm effectu, delectatur, Id. in 1. Reg. 14. Sect. 2.

Surge Domine in requiem tuam. Ps. 131. 8. Salomon templum inchoavit & perfecit; David nec lapidem primum posuit: voluntate tamen efficax de ædificando Deo sic placuit, ut ei adscribatur. Sylveira in Apoc. 5.

Præbe fili mi cor tuum mihi. Prov. 23. 26. Feliciter nobiscum agitur, ex quo Legis imperium à corpore migravit in mentem. Licet namque esse, quod non sumus; ex quo sola voluntas in sacrificio est. Inter plumas Martyrum laureis non fraudamur, si cor sitiat Martyrium. Oliva l. 12. Strom. §. Præbe, &c.

Ex Novo.

Calicem quidem meum bibitis. Matth. 20. 23. Joannes non defuit martyrio, sed mors Joanni defuit martyrio, ex quo voluntas pro facto accipitur. S. Hieron. Non Joannes morti, sed mors. Joanni defuit in martyrio. Verè, sicut illi Dominus antè promiserat, calicem Domini bibit; & sine morte Martyrii meritum, & gloriam obtinuit; & martyrum laureola in cœlo est coronatus. S. Thom. Vill. f. de S. Joanne.

Vespere autem Sabbati. Matth. 28. 1. Quomodo S. Matthæus dicit eas venisse vespere Sabbati; cùm juxta alios Evangelistas, venisse legantur valdè manè? Respondeo: Matthæus respexit ad intentionem, & desiderium, harum fœminarum; ideò afferit, eas venisse vespere Sabbati: non quòd hora vespertina, vel ante mediam noctem, arripuerint iter? sed quia tunc se præparabant, totamque noctem duxerant insomnem, conficiendo aromata. Dion. Carth. hic.

Relictis omnibus secutus est eum. Luc. 5. 28. *& fecit ei convivium magnum Levi in domo sua.* v. 29. Quæritur: cùm sicut Lucas insinuat, relictis omnibus secutus sit Christum de telonio Matthæus; quomodo postea in domo suâ suis sumptibus pascat eum cum publicanis, & peccatoribus? Ex quo liquet, quòd res votis magis, quàm manu relinquitur. S. Paschas. in Matth. 9. Licèt Matthæus domo nondum discessit, neque bonis se abdicavit; dicit nihilominus Lucas, reliquisse illum omnia: idque propter voluntatem, qua se obstinaverat ad renuntiandum domui, familiæ, & opibus. Erat obnoxius accipiendis, reddendisque: rationibus; habebat, quæ cum aliis componeret; & relinquere ea indigesta, sine aliorum injuria & offensione conscientiæ propriæ, non poterat: & ideò conveniebat, ut non statim abjiceret omnia. Did. Nyss. Vit. Abr. l. 11. c. 6.

In plagis supra modum in mortibus frequenter. 2. Cor. 11. 23. Estne possibile, ut quis sæpe moriatur? Etiam: quamvis non mortis experientia; attamen moriendi proposito. S. Chrysost. hom. 11. in Gen.

Ex Patribus, & aliis.

Sæpe numero dixi vobis, Martyrem facere non mortem tantùm, sed animi quoque propositum: non enim eventu solo, sed etiam voluntate. Martyrii corona comparatur. Et hanc non ego, sed Paulus affert Martyrii definitionem: *quotidie morior.* 1. Cor. 15. 31. Quomodo quotidie morieris? proposito nimirum animi, inquit, quòdque ad mortem sim paratus. Abraham non gladium cruentavit, non altare rubefecit, non Isaac jugulavit; sed tamen sacrificium confecit. *Non pepercisti filio tuo.* Gen. 22. 12. Atqui vivum cum recepit, & incolumen reduxit: quomodo igitur non pepercit? Non mactavit manus, at voluntas mactavit. S. Chrysost. tom. 6. Laudatio S. P. N. Eustachii Antioch. Arch. Ep.

Martyrium non eventu tantùm æstimatur, sed etiam proposito. Non cùm Martyr decollatur, tunc fit Martyr; sed ex quo propositum ostendit profitendi, Martyr est; etiamsi non patiatur, quæ Martyres solent. Id. in Ps. 95.

Quis potest omnibus hominibus bene facere? potest tamen hominibus bene velle. Potest dicere aliquis: facultatem non habeo; nunquid dicere potest, bonam voluntatem habere non possum? S. Cæsarius Arelat. hom. 19.

Aliquando plus meritorium est, velle flere, & non posse; quàm

quàm fletibus abundare. Gerson l. in Cœna Dom. de pœnitentia.

Potes quærere: quid debet dare pauper, qui nihil habet? utique habeat? voluntatem, & consideret sic secum: si haberem aliquid, libens largiter darem: hæc enim voluntas reputatur ei pro opere. l. 2. Revel. S. Brig. c. 14. V. C.

§. III.

Voluntas bona facit omnia facilia.

Anima esuriens etiam amatum pro dulci sumet. Prov. 27. 7.

Intrate per angustam portam. Matth. 7. 13. Quomodo igitur, dixerit aliquis, dictum est illud: *jugum meum suave est, & onus meum leve?* Nam, si angusta est via, & aspera; quomodo rursus eam levem, facilemque, vocat? Illud quidem dictum est, propter naturam afflictionum, hoc verò propter spontaneam voluntatem adeuntium. Nam fieri potest, ut, quod natura est intolerabile, sit leve, si cum alacritate animi suscipiamus. S. Chrysost. hom. 3. de Lazaro.

Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Philipp. 4. 7. Cur pacem priùs in cordibus eorum, & deinde in intelligentiis residere exoptat? S. Thom. *custodiat corda vestra*, id est, affectus vestros, ut in nullo declinetis à bono, q. d. Voluntas humana sic, in quod desiderat, propendet; ut, quod amat, semper reputet melius, & alacriter exequatur. Ut ergo divinæ pacis singulare bonum nos omnes custodiret, priùs voluntatis, & cordis, arcem præoccupare cupit Paulus: ut, ea obtenta, totum hominem custodiat. Nam, si voluntas semel pacem divinam diligat, sine dubio in intellectum, & cœteras potentias, hanc pacem diffundet. Castillo Illat. 206.

§. VI.

De voluntate bona varia.

Cecidit corona capitis nostri. Thr. 5. 16. Corona capitis nostri tunc perit, cùm bona voluntas amittitur. De qua rectè Propheta canit: *scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Ps. 5. 13. S. Paschasius hic.

Gloria in altissimis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, Luc. 2. 14. Redemptore nato cœli cives ostensi sunt, qui clamarent: *gloria* &c. ante Dei namque oculos nunquam est manus vacua à munere; si fuerit arca cordis replera bona voluntate. S. Gregor. ho. 5. in Evang. Nihil Deo offertur ditius bona voluntare. Idem hom. 4. in Evang.

Aurum mens bona est; quæ non immeritò comparatur auro: nam, sicut aurum cæteris præstat metallis; ità mens bona in homine cæteris potior est humanæ substantiæ portionibus. S. Ambrosius tr. de 42. mansionibus &c.

Bona voluntas origo est in animo omnium bonorum, & omnium mater virtutum. S. Bernardus ep. ad FF. de vita solitaria.

Bona voluntas omnium bonorum germen est primum. S. Prosper. l. 1. de vocat. gent. c. 6.

Inter omnia Dei dona; quæ ad salutem hominis spectare videntur, primum, & principale: donum bona voluntas esse cognoscitur; per quam in nobis divinæ similitudinis imago reparatur. Quidquid homo agat, bonum esse non potest, nisi ex bona voluntate procedat, Quidquid, ex bona voluntate fit, malum esse non poterit. Rich. à S. Vict. lib. qui dicitur Beniamin c. 64.

Si homo omnes alias potentias bonas habeat, non potest dici bonus homo; nisi habeat bonam voluntatem; secundùm quam aliis omnibus bene utitur. S. Thom. Aqu. in Galat. 5. Lect. 6.

Sacrificium Deo bonæ voluntatis offerre satagite, si in conspectu ejus vultis veri divites apparere. B. Petrus Dam. f. in Nat. Dom.

Tantus thesaurus est bona voluntas; ut totus Mundus ei æquiparari non possit. Blosius parad. an. c. 33.

§. V.

Voluntas Dei.

Ex Veteri, & Novo.

Ab eo commoveantur omnes inhabitantes orbem. Ps. 32. 8. Hoc est, omnis motus, sive ex mente, sive ex corpore, actum perficiens, divinæ voluntati obtemperet: sic enim ab ipso commovebuntur. Videlicet si nec oculus, nec manus, præter Dei voluntatem, ac mandatum, moveantur. Neque item cor ea, quæ Deo displicent, excogitet. Et demum à nulla alia causa, præterquam Dei timore, moveantur. S. Basilius hic.

Doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus tu es. Psal. 142. 10. Si non me docueris, faciam voluntatem meam; & deseret me Deus meus. S. August. hic.

Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua. Matth. 6. 10. Hoc est regnum Dei, quando & in cœlo, & in terra, Dei est sola voluntas: quando in omnibus hominibus Deus meus est, Deus vivit, Deus agit, Deus regnat, Deus est totus. S. Chrysol. f. 67. Ut videlicet voluntas nostri Conditoris; sicut in omnibus justis perficitur; ità & in nobis quoque peccatoribus impleatur. S. Gregor. mor. l. 15. cap. 19.

Surgite, eamus. Marci 14. 42. Tepidas excitat sua promptitudine mentes: & cognita voluntate Paterna, intrepidè se donat in pœnas. Argumento pro moribus est nobis: ut quod omnino novimus, Deum velle, leve, & asperum, prompto animo capiamus. Sim. Cass. l. 13. c. 13.

Commoda mihi tres panes. Luc. 11. 6. Credo, petendos nobis esse tres panes, Veritatis, Charitatis, Fortitudinis. Commoda ergo mihi amice tres panes: ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam. S. Bernardus f. in rogat. de 3. panib.

Vapulabit multis. Luc. 12. 47. Meritò fortiter flagellatur hic Mundus: cognovit enim jam verba Domini Mundus. Servus est, sciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis. S. August. f. 12. de verbis Domini.

Meus cibus est &c. Joan. 4. 34. q. d. quid de corporali cibo me reficiendum intenditis? licèt corpore fatigatus existam spiritus promptissimus est; lassitudine non tabescit; id quærit efficere, quod a Patre in mandatis accipit; cui omnes corporis cura postponenda est. Cessandum est ab alimentis, & à competentibus corpori; si faciendi Domini voluntatem opportuna instat occasio. Sim. Cass. l. 11. c. 3.

Qui vivit, vivit Deo. Rom. 6. 10. Sicut Deo vivere dicitur is, qui secundùm voluntatem; Dei vivit ità peccato vivere dicitur is, qui secundùm voluntatem peccati vivit. Origenes l. 5. hic.

Dies Domini declarabit. 1. Cor. 3. 13. Quando homo suam voluntatem implet, etiam contra Deum, tunc est dies hominis. *Hæc est hora vestra &c.* Luc. 22. 53. *Diem hominis non desideravi.* Jer. 17. 16. Dies verò Domini dicitur, quando voluntas Domini completur de hominibus: qui per ejus justitiam, vel prœmiabuntur, vel damnabuntur. S. Thom. Aqu. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Cùm videam homines habere in pessima consuetudine, ubi dici debet, hoc Deus voluit; dicere, hoc voluit fortuna. S. August. l. 1. Retract. 1.

Sunt utraque ista unum quiddam: nam, quæ utilia nobis sunt, illa vult Deus: & quæ Deus vult; illa demum & utilia nobis sunt. S. Chrysost. f. 20. in Rom. 12.

Voluntas Dei quatuor modis accipitur à Doctoribus: scilicet pro scientia Dei, pro voluntate Sanctorum, pro ratione humana, pro præceptis divinis. S. Anselmus l. de Vol. Dei.

Nihil ex eo ampliùs requirendum, quàm ut quis ejus noverit voluntatem: sine qua ei nec legitimè servire poterit, nec placere. S. Zeno Veron.

Ad cognitionem, ac voluntatem, Domini componantur actiones tuæ; & laqueis diaboli non implicaberis. S. Ephrem consilio de vita spir. ad Monach. Novitium c. 7.

Quisquis cor suum direxerit ad divinam voluntatem, hic puerum quemvis parvulum adeò illuminatum mirabiliter offendet, à quo poterit voluntatem Dei discere. S. Doroth. Ab. Doct.

Divina voluntas omnium creaturarum prima regula est. S. Thom. Vill. conc. de S. Joan. Evang.

§. VI.

Voluntatis humanæ cum divina conformitas,

Figura, Symbola, Similitudines.

Ex Veteri, Novo, Patribus, & aliis.

Abraham! Abraham! Gen. 22. 1. Geminatio nominis idem est, quòd Levit. 17. & Ezech. 14. Ubi dicitur: *homo! homo!* q. d. homo interior, & homo exterior, promptus debet esse ad obediendum in duobus: scilicet ad flagella, & opera. Ps. 107. 1. *paratum cor meum Deus, paratum &c.* Hugo Cardin. hic.

Expandentes alas, - respiciantque se mutuò, versis vultibus in propitiatorium. Ex. 25. 20. Cerne Cherubim circumstantia propitiatorium, conversa ad propitiatorium, & pene nutui divino oculum intendentia. Ad Dei enim voluntatem tantùm respicit sancta cœlestium spirituum multitudo. Cyrillus Alex. in Catena.

Effundi animam meam in conspectu Domini. 1. Reg. 1. 15. Hoc est, interprete Cajetano, omnes affectus meos. Similiter David Ps. 61. 9. *effundite coram illo corda vestra.* Threni 2. 19.

effunde

effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Verbum *effundere* ostendit indifferentiam animi: significat enim liberalem traditionem omnium affectuum; nè uno quidem reservato. Mendoza hic annot. 8.

Ut jumentum factus sum apud te. Ps. 72. 23. *& ego semper tecum*. Quasi jumentum, inquit, volo ire, Domine, quocunque me duxeris. Diez D. 1. Quadr.

Sex alè uni, & sex alè alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. Is. 6. 2. Extremis alis ad velandum, ad volandum mediis, utebantur. Lyranus: ad designandum, quòd Angeli semper sint parati ad divina ascendere, & ad inferiora descendere, secundùm Domini voluntatem; ideò volatus in medio loco disponitur; quasi ad utrumque paratus. Did. Nyss. Vit. Abr. lib. 9. cap. 2.

Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus. Matth. 15. 26. *Etiam Domine &c.* Chrysologus: comminutum, & conculcatum à filiis panem canis tota fide toto desiderio, lambere festinat. Mira est canis fidelitas: quia cibos accipit, licèt indigne illi projiciantur: seu caro sit, seu os, seu multum, seu parum. Did. Nyss. D. 3. Epiph. §. 3.

Capilli erant candidi tanquam lana alba. Apoc. 1. 14. Victorinus ait: in capillis designari servos ejus. Cur hi capilli, non ut nigra, sed ut alba lana fuerunt? Respondet Glossa ordin. quia lana alba apta est ad quoscunque colores recipiendos. Scilicet servi Dei indifferentes esse debent ad suscipiendum colorem, quocunque illos vult Deus imbuere. Philipp. 4. 2. *Scio, & humiliari, scio & abundare*. Did. Nyss. fer. 6. Dom. 4. Quadr. §. 5.

Beatæ sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant sesterum Verbum Dei. Super se; & fræna ejus patiuntur: ut, quocunque ipse voluerit, flectat eos, & agat, habenis præceptorum suorum: quia jam non propria voluntate incedunt; sed ad omnia ducuntur, & reducuntur, voluntate sessoris. Origen. hom. 2. in Cant.

Sicut is, qui est in navi quapiam, non se movet proprio motu; sed sinit se solùm moveri, juxta motum navis, in qua ille est: eodem modo cor humanum, quod conscendit navim beneplaciti divini non debet habere aliam voluntatem, quin, ut sinat se vehi ad terminum voluntate Dei sibi constitutum. S. Franc. Salef. de div. am. l. 9. c. 13.

Construe tibi, per mentis conceptum, veluti habitaculum quoddam ex solius divinæ voluntatis materia: teque in eo ità concludet; ut in omnibus, quæ agenda, vel omittenda, occurrunt, cogites, voluntatem Dei te circumdare, secundùm quam semper vivere debes. Proinde nihil aspicere, nihil audire, nihil gustare, nihil aliis sensibus percipere; nusquam progredi, nihil facere, nihil loqui, nihil cogitare, aut desiderare, velis aliter; quàm Deo placitum, acceptumque, esse credis. Blosius Conclavis animæ p. 3. c. unico. Bos. Lem: *In utrumque paratus*. Picinelli.

Exempla.

Ex Veteri.

Aperiens Noe tectum arcæ, aspexit, vidiique, quod exiccata esset superficies terræ. Gen. 8. 13. Adhuc Noe differt egressum ex illa custodia, in qua tenebrarum compedibus cinctus tam diu delituit; nec præproperam fugam parat ex contubernio ferarum. Expectat Domini nutum, & imperium; totum se committit divinis jussionibus; ut ad vocem cœlestis oraculi, ingrediatur, & egrediatur. S. Ambros. l. de Noe c. 21. recedente aqua, & siccata terra, exire potuit Noe de arca: sed justus nihil sibi arrogat; sed totum divino se committit imperio. Et maximè, qui cœlesti fuerat ingressus oraculo, cœleste debuit, ut egrederetur, expectare responsum. Arcone in Is. 3. 3. Disc. 5.

Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum. 1. Reg. 13. 14. Dum David cordi Dei cor proprium jungit; & menti ejus mentem suam adnectit: hoc est, ut, quæ vult Deus velit, & quæ non vult, similiter nolit: sic eum Dominus individuo amore, & conjuncta charitate dilexit. S. Chrysost. ho. de David, & Goliath.

Si dixerit mihi, non places, præstò sum. 2. Reg. 15. 26. Ad ei obsequendum, ut regno ejiciat, & exul vagusque, per orbem oberrem; ac fiam pauper, & inops, ut etiam victum mendicare cogar. Vide miram Davidis humilitatem, obedientiam, & resignationem. Cornelius hic.

Paratum cor meum. Ps. 107. 2. Qui habet cor ità paratum ad omnia, talis potest habere pacem cordis, & gaudium. Unde bene post hæc subdit: *cantabo*. Hugo Cardin. hic.

Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. 1. Machab. 3. 60. Ut vel vincamur, vel vincamus, prout Deus voluerit. q. d. utcunque alea belli cadet: bene cadet: quia cadet ex voluntate Dei, qua nihil est melius. Nota Judæ fortitudinem, pietatem, resignationem in Dei voluntatem; qua Dei gratiam & victoriam, sibi, suisque conciliavit. Cornelius hic.

Ex Novo.

Christus.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8. 24. Exprimitur securitas potestatis; quòd, omnibus dormientibus, solus intrepidus quiescebat. Sanct. Ambros. in Luc. 8. Porrò *cervical*, in quo, teste Macro, dormiebat, resignatio est Dei voluntatem. Cornelius hic.

Ità Pater &c. Matth. 11. 26.

Transeat à me calix iste. Matth. 26. 39. Quod dixit, *transeat, si possibile est*, humanitatem suam ostendit: eo verò, quod, *non ut ego volo, sed ut tu*, sublimem admirabilis philosophiæ virtutem tradidit: cùm exemplo nos doceat, etiam natura abhorrente, ac renitente, Deum esse sequendum. S. Chrysost. hom. 84. in Matth.

Agebatur à spiritu. Luc. 4. 1. Beati, qui in omnibus consentiunt se duci à Spiritu S. de his. Rom. 8. 14. *Quicumque à spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. Quid ais Apostole? credimus enim, inter bruta, & homines, hoc interesse; quòd bruta aguntur, & non agunt; ducuntur, & non ipsa se ducunt: homines verò agunt, & non aguntur. Qui perfecti sunt in virtute, & verè filii Dei, ejus divino beneplacito subjecti sunt, ut propriam voluntatem nequaquam habere videantur: hoc est duci à Spiritu Dei. Sic orat David Ps. 72. 23. *ut jumentum factus sum apud te; & ego semper tecum*: quasi jumentum; inquit, volo ire, Domine, quocunque duxeris. Diez D. 1. Quadr.

Alia exempla ex Novo, & aliis.

Si quis potes me mundare. Matth. 8. 2.

Ecce, quem amas, infirmatur. Joan. 11. 3. Ego, quod melius est, decerne; & de omnibus voluntas tua fiat: nosque tuam semper laudabimus bonitatem. Nunquam meliùs nostræ terminantur pressuræ, quàm ut referantur in Domini voluntatem: ut in his, quæ decernit, sibi nostra voluntas pecata subdatur. Sim. Cass. l. 5. c. 15.

Domine, quid me vis facere? Act. 9. 6. Se offert ad omnes labores, persecutiones &c. pro Deo sustinendas. Sylveira hic. O verbum breve; sed plenum, vivum, & omni acceptione dignum. S. Bernardus s. 1. in conv. S. Pauli.

Quidquid terroris habet Mundus, contemno: quidquid delectabile habet; rideo. Divitias non cupio, paupertatem non horresco, mortem non timeo. Semper enim dico: Domine voluntas tua fiat: non quod ille vult, vel ille; sed quod tu vis: tua voluntas mihi turris fortissima, & petra stabilis, & baculus fidus. S. Chrysost. hom. de expulsione ipsius.

Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, dicebat S. Martinus. O verè sanctissimam animam! ò inæstimabilem charitatem! ò obedientiam singularem! Bonum certamen certasti &c. de reliquo superest tibi corona justitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie justus Judex. Et adhuc dicis: non recuso laborem; fiat voluntas tua. Obtulisti planè Isaac, unicum illum, quem diligis: quod in te est, jugulasti, immolasti, singulare gaudium tuum pia devotione; paratus redire iterum in pericula, innovare certamina, denuò subire laborem, sustinere tribulationem, prolongate tentationem. Deinde differri adhuc ab illa tanta felicitate, & diu desiderata societate spirituum beatorum; atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari. Postremò, quod maximum est; à Christo tuo peregrinari diutius; si modò ipse voluisset. S. Bernardus s. in festo S. Martini.

Narrat Alphonsus Salmeron tom. 10. tr. 11. fuisse hominem, qui orationis loco totum ordine alphabetum recitavit (utique perplexa necessitate pressus) cum hac clausula: Domine, junge tu literas: & quod tibi magis placet, mihique expedit, largire.

Motiva varia.

Fiat voluntas tua. Matth. 6. 10. Nihil in desiderio rectius, nihil in actione perfectius; quàm in anima, & corpore, sataqere, Dei perficere voluntatem. Voluntatem Dei facere, est abnegare seipsum; & quidquid datum, acceptumque, est gratis à natura, subdere sancto mandato Legis, & Evangelicis disciplinis: & tranquillum fieri ad omnia prospera, & adversa; quæ divina providentia, & dispositione, aguntur. Voluntas Dei ostenditur in præceptis; quæ qui perfecerit, ejus factus est amicus. Testatur hoc Dei Filius suis Discipulis: *vos amici mei estis; si feceritis, quæ ego præcipio vobis*. Joan. 15. 14. Etiam in hominibus quærentibus invicem amicari, numquam aptiùs amicitia ipsa conditur; quam versa vice unius, & alterius, perficere voluntatem. Sim. Cass. lib. 10. c. 30. *Fiat voluntas tua sicut*, supple, fit *in cœlo* ab Electis: hoc est: da, ut conformes tibi fiamus in terris, sicut conformes tibi facti sunt sancti in cœlis. Gerson. tr. de orat. Dom. In filiorum ordinem, gradumque, provecti, illa continuò, quæ est in bonis filiis pietate flagrabimus: ut

ut jam non pro nostris utilitatibus, sed pro nostri Patris gloria totum impendamus affectum, dicentes ei: sanctificetur nomen tuum; nostrum desiderium, nostrum gaudium, gloriam nostri Patris esse testantes. Cassianus Coll. 9. c. 18. Tunc Deus perfectè regnat in nobis, quando nos sumus omnino ei subjecti. Et ideò addit Matthæus post hanc petitionem: *fiat voluntas tua*. S. Bonaventura in Luc. 11.

Abneget semetipsum. Matth. 16. 24. Quid est, seipsum abnegare? nisi voluntatem suam Deo dare, & se totum Deo committere, nihil de se retinere. Idem s. 16. de S. Marco.

Quid tibi vis faciam? Luc. 18. 41. Quanta est miseratio tua Domine; quanta dignatio tua. Siccine Dominus servi quærit facere voluntatem? Verè cœcus ille: quia non consideravit, non expavit, non exclamavit: absit hoc Domine; tu magis dic, quid me facere velis. S. Bernardus s. 1. de Conv. S. Pauli.

Judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam. Joan. 5. 30. Quicumque quærit facere voluntatem propriam, facilè errat in judicio. Voluntas autem divina lex est omnis judicii. Et propterea, qui conformat se voluntati divinæ, non errat in judicando. Cajetanus hic.

Ex Patribus, & aliis.

Illud sit tibi & Scriptura, & natura, & disciplina; quod gratum Deo inveneris. Tertuli. l. de vel. Virginibus.

Miles, qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi; nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria carpit compendia, nè recedat à signis: sed itinerarium accipit ab Imperatore, & custodit illud, præscripto incedit ordine, rectaque via conficit iter; ut inveniat commeantium parata sibi subsidia. Si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, mansionem pacatam non invenit: quia Imperator jubet iis parari omnia hæc, qui sequuntur - meritoque non deficit, qui Imperatorem sequitur. Hanc legem viandi, Christo ducente, Sanctis commeantibus præscriptam velim. Sanct. Ambros. s. 9. apud Baezam t. 1. lib. 3. cap. 4. §. 23.

Grandem vim obtinet vera dilectio. Et, qui perfectè amatur, totam sibi vindicat amantis voluntatem. Nihil est imperiosius charitate. S. Hieron. ep. 14. fortè Paulini Nolani Ep. ad Celantiam.

Illi perfectè diligunt Deum, qui volendo, quod vult Deus; & nolendo, quod non vult, acquiescunt. S. Prosper Aquit. l. 3. de virt. & vit. c. 15.

Totius humanitatis summa in eo videtur consistere; si voluntas nostra divinæ, ut dignum est, subjecta sit voluntati. - At verò subjectionem istam triplicem esse necesse est: ut, quod certum est, Deum velle; id nos velimus omnino: & quod certum est, eum nolle, similiter execremur & nos: quod autem incertum est, utrùm velit, aut nolit; neque velimus ex toto; neque penitus non velimus. S. Bernardus serm. quomodo voluntas nostra subjicienda divinæ.

Hoc est totum bonum hominis, ut conformet se voluntati divinæ. S. Thom. Aqu. D infra Oct. Epiph.

Tunc amicitia cognoscitur esse vera, si sit utriusque dilecti mutua familiaritate conjuncta-si ab eodem velle, & nolle, non dissona. S. Bonaventura s. 18. de S. Joanne.

In vera amicitia est cor unum, & anima una: sed in una, eademque, anima est voluntas una, & in seipsa non dissona, non contraria, non diversa. Idem ib.

Heu Domine mi! (inquiebat venienti ad se) ego indigna nihil, quod tuam divinam possit condecere magnificentiam, præparavi; sed totam substantiam meam offero pietati tuæ: desiderans, & orans; ut tu ipse tibimet digneris in me præparare, quidquid tuam divinam me summè delectare potest benignitatem. Cui Dominus: si vis, inquit, mihi hanc in te præstare libertatem; da mihi clavem, qua omnia liberè possim accipere, & reponere; quæcumque mihi, tàm ad commodum, quàm ad refectionem, placent. Ad quod illa: Et quæ est clavis? respondit Dominus: voluntas tua propria. Infin. div. piet. S. Gertrudis l. 4. c. 23.

Nulla præstantior oratio est; quàm ut quis petat, gravissimam Dei voluntatem in se, & omnibus aliis, fieri. Blosius Instit. spir. c. 8.

Æqum est, ut homini placeat, quidquid Deo placet. Lipsius l. de constantia c. 14.

Tessera. *Deus vult*.

§. VII.

Voluntas mala.

Jerusalem! Jerusalem! quoties volui - & noluisti. Matth. 23. 37.

Multa opera bona ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis. Joan. 10. 32. Non dicit, vultis me lapidare; sed *lapidatis*. Ut intelligamus, quòd erant in procinctu lapidandi: immò quòd, quantùm ex ipsis erat, lapidabant. Cajetanus hic.

Hæc voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita; infirma ad efficiendum, facilis ad audiendum; in cupiditatibus cœca, in honoribus tumida; curis anxia, suspicionibus inquieta; gloriæ, quàm virtutum, avidior; famæ, quàm conscientiæ, diligentior; & per omnem sui experientiam, miserior fruendo iis, quæ concupiverit, quàm carendo: nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem. S. Ambros. l. 1. de vocat. gent. c. 2.

Ubique voluntas est in causa; ubique nostrum arbitrium est auctor: quandoquidem diabolus etiam utilis est nobis; si eo, prout oportet, utamur. S. Chrysost. tom. 6. serm. cur è medio non sit sublatus diabolus.

Quid est malitia? voluntas mala: in voluntate mala dilectio mala. Hugo à S. Vict. de judicio veri & boni.

§. VIII.

Voluntas mala sæpe pro lege, & jure.

Acidit, ut peccarent. Gen. 40. 1. Quid peccarint, non constat; ferunt tamen vincula, nulla juris forma servata. Ubi testes? ubi judex? ubi probatio scelerum? Sed regis voluntas, regis potestas est. S. Ambr. l. de Joseph. exemplo cœteris esse debent (hi aulici) quibus in regia voluntate spes omnis sit; quibus levis offensa summum sit periculum. Vellosio in Judith. 3. Paræn. 3.

Hoc erit ejus regis, qui imperaturus est vobis. 1. Reg. 8. 11. Sed quænam hujus juris forma? *agros vestros, & vineas vestras, & oliveta optima, colet; & dabit servis suis*. v. 14. Mirror, vim apertè factam hausto juris colore adumbratam. Cur ità? Cajetanus, erunt juris: quia Rex jus esse volet. Idem in Judith. Disq. 4. Paræn. 2.

Numerate populum. 2. Reg. 24. 2. Peccasse regem mandato hoc constat 1. Paral. 21. ubi sextus ait, regem à Sathana deceptum, & commotum. Obsistit Joab: *quid sibi Dominus Rex vult?* Abulens. q. 10. vidit Jacobus voluntatem regis esse inclinatam ad aliquid agendum, quod erat penitus sine ratione; quòd incitasset eum diabolus. Persistit David: *obtinuit sermo regis*. v. 4. Non occidit Rex bonis viris, non optimis consiliis, non sacris sanctionibus; utpote voluntarius homo. Vellosio in Judith. 3. Paræn. 3.

Utere servitio nostro, sicut placuerit tibi. Judith. 3. 6. Voluntas regibus pro lege est. Decernunt Senatores Persici, invenisse se legem, qua liceret Cambysem facere, quidquid liberet ità Herodotus l. 2. Idem ib.

Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare. Esth. 6. 9.

Nabuchodonosor, quos volebat exaltabat; & quos volebat, humiliabat. Dan. 5. 19.

Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. Marci 6. 25. Hæc juris vis est; hæc una ratio ferendæ sententiæ. *Volo*. Cur nullam addit petitionis causam? S. Chrysost. hom. 46. quippe nulla afferri poterat. Vellosio antè citatus.

§. IX.

Voluntas propria noxia &c.

Ex Veteri, & Novo.

Vadam, videbo illum, antequam moriar. Gen. 45. 28. Profectus cum magno gaudio, ecce tibi in via ipsa, nescio quo timore perculsus, hæret; adeò, ut opus fuerit ab ipso Deo animari, & urgeri. Gen. 46. 3. Unde tantus timor? Timuit, quòd Deum priùs non consuluerit, quod divinum imperium non expectarit; sed propriam secutus voluntatem, quàm suspectam habebat, tradiderit se in viam, acsi ità secum loquatur: quò mea me trahit voluntas? juvenis divinæ semper parui voluntati; senex audeo parere meæ? absit hoc à me! hinc ultrà non progrediar, nisi progredi à Deo imperetur: præstat filium non videre, quàm Deo non obtemperare. Mendoza in 1. Reg. 3. Annot. 2. Sect. 1.

Timuit ergo Elias; & surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas: & perivit anima sua, &c. 3. Reg. 19. 3. Cur Elias, tam magnanimus, quia regem in faciem corripuerat, nunc timet mulierem? Elias hucusque nutu Dei dirigebatur, à quo ad torrentem Carith missus ad viduam, ad Achab. At modò *abiit, quocumque eum ferebat voluntas*. Dum Dei mandato dirigitur, imperterritus erat; at sequens suam voluntatem, nescens in ea periculum; timet, & mortem optat. Sylveira in Luc. 15. q. 2.

Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit &c. Luc. 15. 12. Est anima sub seipsa, cùm propriam sequitur voluntatem, libertate pernitiosa gaudens. Hic est filius ille prodigus, qui portionem paternæ substantiæ, quæ se contingebat, accepit: ingenium scilicet, memoriam, vires corporis, cœteraque simi-

lia bona naturæ; quibus non ad divinam, sed ad suam uteretur voluntatem; esletque tamquam sine Deo in hoc sæculo. S. Bernardus serm de div. affect. animæ.

Si non lavero te. Joan. 13. 8 Multos decepit regulatio propriæ voluntatis; non solùm in malis apertis, sed etiam in manifestissimis bonis. *Sim. Cass.* l. 13. c. 5.

Ex Patribus, & aliis.

Si conspexeris adolescentem propria voluntate in cœlum ascendentem; tene ipsum; expedit enim ipsi. Id verò de illo quoque intellige; qui, cùm ætate sit senex, mente tamen est junior. S. Ephrem. Præen. 35. Judicium enim proprium tam sæpe fallit, & fallitur; ut ejus ductui; licèt in cœlum ferre, & rapere, videatur, turò fidere nemo possit, aut debeat. Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 1. l. 7. c. 6.

Voluntas propria crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & lœna sævissima. S Bernardus s. 3. in die Paschæ.

Non est dominus crudelis ad illam; non est tyrannus tam impius, & inhumanus; sic urgens servulum, & non parcens. Fatigatum magis instigat, subditum premit durius. Idem serm. de verb. Petri: ecce nos reliquimus omnia.

Minuendi sanguinis duplex est causa? interdum quantitas, interdum qualitas obest. Hic minùs perniciosa abundantia, quàm corruptio. Sanguis animæ meæ voluntas: naturæ siquidem cognatus præ cœteris humoribus sanguis dicitur: & animæ vita in voluntate est. Minuatur ergo prava voluntas, quæ morbi causa est spiritualis. Minuatur, inquam, dum penitus exhauriri, exsiccarique non potest. Scindatur & aperiatur, vena ferro compunctionis: ut peccati, etsi non omnis sensus, saltem consensus effluat, & abjiciatur. Idem in sententiis.

Ipsa voluntas propria, est herba diaboli venenosa, suggestione venenata, & omnibus ea utentibus pestifera. S. Anselmus l. de similitudinibus c. 38.

Solus Deus, quidquid vult, debet velle propria voluntate; ità ut aliam, quam sequatur, non habeat supra se. Cùm ergo vult homo aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi suam coronam. Sicut enim corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo. Et sicut regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam ei auferret; sic homo inhonorat Deum, qui aufert ei propriæ voluntatis privilegium, habendo, quod ille debet habere solùm. Sed sicut propria voluntas Dei fons est, & origo totius boni; ità propria voluntas hominis totius est exordium mali. Idem lib. de similit. c. 8.

Apud inferos, si quis propriæ mortuus esset voluntati, in libertinam voluntatem Dei; is utique non auderet. Et in cœlis si quis propriæ esset voluntatis, contra voluntatem Dei; is certè non beatus, sed miser, & infelix foret. Blosius Sacellò animæ fidelis §. 5.

§. X.

Voluntas propria mortificanda, abneganda.

Egredere de terra tua. Gen. 12. 1. Factum est in mysterium; quòd omnino recedendum est à propria voluntate, & ab affectione suæ carnis, & suorum sensuum, qui vult perfici in divinis. S. Thom. Aqu. hìc.

Abraham se aptat; ut litet filium Deo. Gen. 22. Similiter Jephete Judic. 11. 31. 35. filiam suam sed Deus ictum ab Abrahamo renitentem cohibuit, Nil tale facit cum Jephte; sed finit domum ejus tristi lamentatione replere. Jephte fecit id, inconsulto Deo, Abraham ab eo justus. Felix ille, qui non propria voluntate, sed Dei imperio, quodcumque opus aggreditur. Baeza t. 2. l. 6. c. 4. §. 1.

Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Matth. 16. 25. Perdit animam suam, secundùm Christum, qui desideria ejus refrænat, qui cupiditates ejus resecat, qui luxuriam ejus castigat; & in nullo prorsus facit voluntatem suam, sed voluntatem Dei. Origenes hom. 18. in Num.

Nullum sacrilegii crimen reperitur deterius, quàm in voluntate semel oblato Deo reaccipere potestatem: non debent sibi vivere, qui cor suum Deo dicarunt. S. Bernardus ep. ad quendam.

Non relinquit omnia, qui retinuit vel seipsum; immò verò nihil prodest, sine seipso cœtera reliquisse: quandoquidem nullum aliud onus est gravius homini, quàm homo ipse. Quis enim tyrannus crudelior, quæ sævior potestas homini, quàm hominis ipsius voluntas? B. Petrus Dam. s. de S. Benedicto.

Quid eis prodest, quòd facultates suas abjiciunt; qui voluntates proprias non relinquunt: cùm sit longè præstantius, voluntatibus propriis renuntiare, quàm rebus. S. Prosper Aquit. de vita contempt. l. 2. c. 17.

In sacrificiis antiquorum animalia mactabantur; in sacrificiis Christianorum occiduntur propriæ voluntates. Simon. Cass. l. 13. c. 11.

TITULUS XIX.

VOLUPTAS.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri, & Novo.

Super pectus tuum gradieris. Gen. 3. 14. Homo voluptarius super ventrem ingreditur, serpens ad voluptates perfruendas. S. Nilus libro ascetico.

Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio Domino. Levit. 2. 11. Quid mel in Dei sacrificio non offertur, indicat, apud Deum nihil hujus Mundi, placere. S. Isidorus in Levit. 3. Idem ait V. Beda hìc. Nusquam præceptum in Veteris Testamenti ceremoniis invenitur, ut mel sacrificiis misceatur. Per quod intelligitur: quia iis, qui Deo vitæ suæ sacrificium offerunt, nullam carnalem Deus vult inesse dulcedinem: nihil in eis vivere, quod ad carnalem pertinet voluptatem. B. Petrus Dam. s. de S. Joanne. Mel sanè voluptatis indicium est, & suavitatis: semper enim voluptas mortificat; semper voluptas Deo non placet: quodcùmque dulcedinem habet, in Dei sacrificiis non offertur. S. Chrysost. hom. 2. in Marcum.

Mors in olla. 4. Reg. 4. 40. Mors est in olla deliciarum Mundi, quæ gulam, & Venerem provocant; ideoque varios morbos, ac mortem præsentem, & æternam accersunt. Cornelius hìc.

Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. Prov. 23. 3. Disce, delicias, omnesque Mundi hujus voluptates, & pompas, non esse veraces, sed fallaces: mentiuntur se habere veritatem voluptatis; cùm ejus inanem tantùm contineant speciem, & umbram. Mox abeunt; & in dolore desinunt. Cornelius hìc.

Sicut pisces capiuntur hamo &c. Ecclæ. 9. 12. Homines, qui fluctuans, & instabile, hujus vitæ pelagus sulcant, varias voluptatum illecebras consectantes, quasi carentes ratione pisciculi, malis retibus implicantur. Olympiodorus hìc.

Musca morientes perdunt suavitatem unguenti. Ecclæ. 10. 1. Concupiscentia aptè comparatur muscæ: quia instar muscæ vilis est, exilis, mordax, immunda, importuna, improba, & putrida. Est brevis ævi: vivit enim paucos dies: imò subinde paucas horas: seque in oleo, melle, aliaque re dulci suffocat; vel ad lucem lucernæ, aut candelæ, advolans adurit. Denique musca est indocilis, & indomabilis: sic concupiscentia. Cornelius hìc.

Ova aspidum ruperunt. Is. 59. 5. Ova aspidum sunt exteriùs alba, pulchra, & oculis grata; interiùs autem veneno plena. Sic Mundi deliciæ &c. Stella in Luc. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Quasi clavis quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus: & cùm semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis; difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore, revolare. S. Ambr. l. 4. c. 14. in Luc. 4. in fine.

Quomodo qui scribunt in aqua manu quidem efficiunt Scripturam, typus characterum describentes in humido; ex characteribus autem nihil manet in figura; sed scribendi opera est tantùm, dum scribitur; manum enim semper sequitur aquæ superficiem: ità & omne studium, & operatio, quæ ponitur in fruenda voluptate, apparet in iis, quæ fiunt. Sanct. Greg. Nyss. hom. 4. in Ecclesiasten.

Quemadmodum arbores, quæ sub umbraculis crescunt, & in locis ventorum expertibus sitæ sunt; cum ipsa specie prosperè germinent, molles fiunt, atque fungosæ; & facilè quovis incursu læduntur: quæ verò excelsis in montium verticibus sitæ sunt, à multis, magnisque, ventis agitantur; intemperiem aeris assiduè ferunt; multa nive feriuntur, ferro quovis robustiores evadunt. Pari ratione corpora, quæ multis, ac variis in deliciis educantur; quæ mollibus indumentis ornantur, & continuis balneis, & unguentis utuntur, & diversi generis alimentis, præter, necessarium usum, delicatè fruuntur; prorsus ad sudores, laboresque proprietate sustinendos, inutilia reddentur. S. Chrysost. t. 6. Orat. in illud: gloriamur in tribulationibus. Rom. 5. 3.

Cani similis est Voluptas: si pulsas, fugit: si nutrias, permanet. Idem hom. 22. ad pop. Antioch.

Voluptas diaboli est hamus, ad perniciem deducens. S. Basilius exhort. ad Baptismum.

Væ delicias sectanti: tempore enim exiguo tamquam vitulus ad mactationem paratur. S. Nilus Abb. Cap. Parænet.

Sedere scripturæ in Scriptura pro ignavum esse, & voluptatibus deditum. Ignaviam locus ille significat, *sedentes in tenebris, & umbra mortis.* Ps. 106. 10. Idem lib. ascet.

Bibere delicias hujus Mundi, est bibere de fonte mortis. S. Vinc. Ferr. l. 2. in die S. Paschæ.

Non

Non sine causa Veteres sapientes finxerunt; solem pasci aquis amaris, lunam verò dulcibus: quia justus amara quærit, afflictionibus delectatur; stultus verò voluptates, & dulcia appetit. Diez Patientia.

§. II.

Voluptatem spernendi, vitandi, motiva.

Num. I.

Christus, ejus Incarnatio, Passio &c.

Usquequo deliciis dissolveris filia vaga? Jerem. 31. 22. Motivum subdit; *Fœmina circumdabit virum*, q. d. dum Dei Filius in virgineo utero clauditur, deliciis vacare nemo debet. Incerto Auth.

Jesus ductus est in desertum. Matth. 4. 1. Meritò D. N. J. C. jejunio suo, atque deserto, adversus voluptatum informat illecebras & tentari se à diabolo Dominus omnium patitur; ut in illo omnes vincere disceremus. S. Ambros. in Luc. 4. Procemio.

Abiit foras extra civitatem in Bethaniam &c. Matth. 21. 17. 18. Ut offenderet Christus despiciendas esse delicias; & cùm in manè cum tanta gloria susceptus fuisset; ac per totam diem in prædicatione, & in aliis bonis operibus laborasset: cùm jam vespera esset, exiit in Bethaniam cum Duodecim. Nec invenit Jerosolymis, qui sibi guttam aquæ offerrat. Propterea, ut proditorem ostenderet esse Mundum in deliciis suis; ut sic dicam, Mundi delicias fastus, & famelicus, aufugit: & sic suo exemplo delicias contemnendas esse ostendit. S. Bernardinus s. 50. art. 1.

Nolite flere &c. Luc. 23. 28. q. d. super filium Crucis non est flendum; sed super delicatos, qui non bajulant crucem. Hugo Card. in Gen. 21.

Contemplaris, ò homo! immaculatissimum Dominum, in Cruce suspensum; audesque, ò impudens, & infelix, homo! in deliciis, ac risu, universum vitæ tuæ tempus in terris transigere? S. Ephrem. s. de Pass. Salvatoris.

Nihil potiùs voluptuosos à carnalibus refrænat desideriis; quàm cùm audiunt, sive recolunt; quòd Dominus gloriæ proeis incarnari, & pati, dignatus est. V. Beda lib. 4. in Cant. 4.

Passio Domini celebratur; & nos voluptati operam damus? Drogo Ost. de Sacr. Dom. Pass.

S. Salomon Anach. cùm in Paschate accederet ad mensam, vidisseque olei apparatum cum sale; fricans manibus frontem, & ubertim flens, ait: Dominus meus crucifixus est: & ego nunc oleum comedam? Bollandus 11. Jan.

Num. II.

Voluptates non decent Christianum.

Hortus conclusus. Cant. 4. 12. Sunt deliciæ Paganorum, & Infidelium; sed non conclusæ: sunt deliciæ peccatorum: sed non conclusæ: sunt verorum Christianorum; sed conclusæ. Hortus conclusus, est paradisus Ecclesiæ; vagari non licet. Deliciæ Christianorum debitos fines habent, certis limitibus concluduntur. Incursibus dæmonum patet, qui non stat in horto concluso. Sim. Cass. l. 13. c. 8.

Nihil est, quod adeò sit inconcinnum, & alienum à Christiano; atque requiem, & recreationem, quærere: & ad præsentem vitam nimiùm affici; alienum est à professione, & militia, nostra. Dominus tuus crucifixus est; & tu requiem quæris? Dominuus tuus affixus est; & tu deliciaris? hæccine sunt militis generosi? S. Chrysost. hom. 13. in Philipp. 3.

Vocati sumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cùm in Sacramenti verba spondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit; nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditis, & substrictis. Tertull. lib. ad Martyres.

Virtus duritia exstruitur, malitia verò destruitur. Idem ibid.

Num. III.

Voluptates vincentium, & spernentium, exempla.

Noluit bibere; & libavit eam Domino. 2. Reg. 23. 16. Quia se illicita perpetrasse meminerat; contra semetipsum jam rigidus etiam à licitis abstinebat. S. Greg. 34. in Evang.

Sunt crudeles quidam carnifices, corporis Voluptates; imò verò carnificibus crudeliores: nam vinculis torquent non manufactis: per oculos animam vulnerant, per aures luxuriæ faces admovent, aspero flagello intellectum flagellant. Porrò si juventutem etiam aggressæ fuerint, tum verè ignis cum igne miscebitur: facilè namque juventus voluptatibus incenditur: quippe quæ pinguior olei in morem, & aptior sit ad inflammationem. S. Thecla, cùm voluptatibus, ut cùm bestiis, Martyr pugnabat. S. Chrysost. tom. 6. laudat. S. Protom. & Apostolæ Theclæ.

Quot corpus illecebras, quot oblectamenta Mundus habere videtur; tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes, vir justus. S. Bernardus in illud Job 5. 19. *in sex tribulationibus liberabit te.*

Num. IV.

Voluptas noxia, periculosa; affligit.

Dissimulante illo apprehenderunt manum ejus &c. Gen. 19. 16. Loth amœnitate Sodomorum tenebatur: idcirco, quasi non satis intelligeret, quòd dicebatur, cùm percelleretur nuntio instantis periculi; dormientes oculos, & amore divitiarum pressos, avertebat à lumine præsenti. Rupertus. Ut leones justum servarent, satis fuit, unum Angelum descendisse. Dan. 6. 22. *Deus misit Angelum suum*: Ad Loth duo avolant: quia non à leoninis rictibus liberandus, sed à deliciis extrahendus. Naxera in Jos. 18. §. 11.

Cùm venisset Esau de agro lassus, ait: da mihi decoctione &c. Gen. 25. 29. Fernandus Sect. 5. n. 1. hìc: en, qualem fructum ex sua venatione; & continuo discurrendi, vagandique, per agros, & saltus, studio collegit Esau: rediit domum ab agro fessus & fame confectus. Honcala: jam in Esau explebatur illud impiorum, desperata salute sese lamentantium: *ergo ambulavimus vias difficiles; lassati sumus in via iniquitatis.* Did. Nyss. Pol. Cœl. p. 1. l. 6. cap. 3. Voluptates Mundi videntur rosæ; sed reverà sunt spinæ.

Usquequo marcetis ignavia? Jos. 18. 3. Hujus ignaviæ causam dat Masius: hanc ignaviam mirificè fovebant; ut est credibile, mille commoditates: quas sibi in tam diutina statione omnes comparaverant. Hanc desidiam ut castigaret imperator, prudenter aliò movenda esse castra putavit; aut dissipanda potiùs, & quem ad suas possessiones extrudendum. Naxera in Jos. 18. §. 20.

Omnia, quæ desiderraverunt oculi mei, non negavi eis. Eccl. 2. 10. q. d. plenas oculorum & cordis desiderorum, laxavi habenas; intrà limites tamen licitæ honestatis, & Legis; nè quid illicitum committeret. Disce primo quàm noxium sit, indulgere suis desideriis, & affectibus: his enim Salomon indulgens præcipitavit se in luxuriam, & idololatriam. Secundò quàm periculosum sit velle experiri, quidquid est licitum, nec terminos voluptatis sibi statuere; nisi in eo, quod illicitum est. Facilè enim terminos hosce, & confinia liciti, & illiciti, utpote exiguum, & indivisibile, curiosus transgreditur; itaque in peccatum delabitur, uti fecit Salomon. Cornelius hìc.

Primo vincendæ sunt delectationes, & postea dolores. Quomodo potest superare Mundum sævientem, qui non potest superare blandientem. S. Aug. s. 6. in festo plurimorum M. m.

Medicos audivi: qui, quò minùs ad summum formæ pleræque mulieres pervenirent, obstare voluptatem dicebant. S. Chrysost. hom. 39. in 1. Cor. 4.

Num parvam putas esse persecutionem in deliciis? hæc omnium difficillima est; hæc & persecutione gravior. Idem hom. 24. in Act.

Uxor Ducis Venetiarum ità delicatè vivebat, ut, aquas communes dedignata, rore cœli à famulis undique collecto, sese ablueret: ejus porrò cubiculum tot thymiamatum, aromatumque, generibus redolebat; ut pudor sit referre. Ulcescente autem hanc mollitem Numine; toto corpore computruit adeò, ut nemo famulorum ejus fœtorem ferre posset, Sensim ergo computrescens, doloribus putridis miserabiliter cruciata, diem clausit extremum. B. Petrus Dam. ep. ad Blancam Comitissam c. 11. Et ex eo Baronius t. 10. Apr. C. 998.

Sicut vermes in lignis mollioribus innascuntur maximè; sic animi anxietates in mollioribus hominum mentibus oriuntur. S. Basilius s. de gratiis Deo agendis.

Venator sæpe perdit in venatione leporis equum multò majoris pretii, quàm centum lepores. Sic multis desipiunt, qui pro brevi voluptate, animam, quietem, sanitatem profundunt. Stella de contemptu &c. p. 2. c. 14.

Num. V.

Voluptatis finis dolor.

Non ascendas contra eos; sed gyra post tergum eorum, &c. 2. Reg. 5. 23. Cùm Philisthæi audirent, Davidem in Regem unctum esse, coactis copiis ad illum expugnandum uno animo devenere; quos ille auxilio Dei fortiter fugavit. Cumque comparato exercitu rursus illum movissent, monitus est à Domino, non adverso Marte, ut antea, sed gyrans per tergum illorum ipsos in fugam vertit. Hinc sapiens quidam, voluptates non præsentes, & abeuntes; non faciem, sed tergum, spectanda monet. Diez Bellum spirit.

Omnia flumina intrant in mare. Ecclesiastæ 1. 7. Quid est, fluui-

flumina intrare in mare? nisi omnem carnalem delectationem terminari in amaritudine. Richardus à S. Vict. tr. 1. de statu inter. hom. c. 10.

Vinum sequitur furor, unguenta tormenta, sanguis rosas, ira lætitiam. S. August. s. 246.

In consummatione Mundi, præteritarum deliciarum recordatio, erit materia cruciatuum. S. Hieron. l. 8. in Is. 24.

Voluptas quidem brevis est; sed ab ea dolor perpetuus: etenim & vespere, & nocte, in deserto, in civitate, & quocumque locorum, semper accusator sequitur; ensem intentans acutum, & supplicia intolerabilia, & formidinem. S. Chrys. hom. 77. in 1. Cor. 9.

Num. VI.

Voluptates spernendi varia alia motiva.

Panem nostrum quotidianum da nobis. Matth. 6. 11. Non luxum, non delicias, neque divitias; non auri copiam, non boum armenta; tantùm non apertum per hanc orationem clamat intelligentibus: desinite, ò homines, circa res vanas cupiditatibus diffundi, ac distendi. - Semen Patrisfamilias frumentum est; ex frumento panis conficitur: ab luxus, atque deliciæ, Zizanium est; quod ab inimico juxta frumentum satum est. S. Greg. Nyss. or. 4. de orat. Dom.

Omnis, qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum. Joan. 4. 13. Anselmus: Omnis, qui biberit voluptatem Sæculi, quàm talis aqua significat, sitiet iterum. *Sicut somniat esuriens, & comedit; cùm autem fuerit ex perfectus &c.* Is. 29. 8. Tales terrenæ voluptates: bibis illas, & sitis. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 3. obs. 13.

Quæ major voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis? quàm Sæculi totius contemptus? quàm vera libertas, quàm conscientia integra. Tertull. lib. de spectaculis.

Voluptatem vicisse, voluptas est maxima: nec ulla major est victoria quàm ea, quæ de cupiditatibus refertur. S. Cyprianus lib. de bono pudicitiæ.

Terra carnis nostræ, nisi assiduis fuerit subacta culturis, citò de segni otio spinas, tribulosque, & partu degeneri dabit fructum, non horreis inferendum, sed ignibus concremandum. S. Leo s. 4. de jejunio Pentec.

Omnino fieri non potest, ut quis simul sit & scientia præditus, & blandiri corpori non erubescat. Clem. Alex. l. 3. Strom.

Quàm suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum: & quas amittere metus fuerat, jam dimittere, gaudium erat. Ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior; sed non carni, & sanguini: omni luce clarior; sed omni secreto interior: omni honore sublimior; sed non sublimior; sed non sublimibus in se. Sanct. August. Conf. lib. 9. c. 1.

Diverso itinere ambulat, si gaudia delectationesque appetit; cui Dux suus viam amaritudinis ostendit. S. Gregor. l. 40. homiliar. hom. 2. in Luc. 18. circa finem.

Quænam sæcularium, quæso, voluptatum utilitas? hodie sunt; cras elabuntur: hodie sunt; hodie flos pulcherrimus; cras aridus pulvis: hodie ignis ardens: cras cinis extinctus. Spiritualia autem perpetuò clara, floridaque, & in dies splendidiora permanent. S Chrysost. hom. 43. in Joan.

Qui ad nuptias properat, vel epulas, cujuslibet magnæ solemnitatis expectat; ad anticipandum præcedentis horæ jentaculum non anhelat. Nos, ad illud refectionis æternæ nuptiale convivium invitati, festinare jam cœpimus; & adhuc molliter, ac deliciosè viventes, velut horam edendi legitimam prævenimus. Quid prandenti cum tumulo? quid epulis cum sepulchro? si sepulturam Domini cum Discipulis, non cum militibus custodimus; afferamus mixturum myrrhæ, & aloes; non cacabos, & lebetes. B. Petrus Dam. ep. 33.

Miscellanea.

Trahe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. 3. ubi pura vocat honestas, sola invenitur sponsa; immò & sponsa sequitur tracta. Ubi verò sensuum oblectamenta, & fragrantia, unguentorum illicia; plures accurrunt celeri gressu. Gregatim currimus ad voluptatum fallacias: si voluptatis non inveniatur fomentum, manet virtutis studium. Naxera in Jos. 18. §. 11.

Malum omne faciliùs vincitur, quàm voluptas: quia illud, quidquid est, horridum est; hoc blandum est. S. Cyprianus l. de bono pudicitiæ.

Qui cupiditates tollit; & metus sustulit: nam ex cupiditatibus metus veniunt. Idem ib.

Princeps cocorum destruxit muros Jerusalem. Jerem. 52. 12. Quid per muros Jerusalem Scriptura exprimit, nisi virtutes animæ? quæ ad pacis visionem tendit. Aut quis cocorum princeps? nisi venter accipitur; cui diligentissima à coquentibus cura servitur. S. Gregor. mor. l. 30. 13.

Propterea Christus eum supplicio mulctavit, qui mulierem impudenti aspectu fuerit contuitus; ut majore labore nos liberaret. S. Chrysost. hom. 12. in ep. Rom.

T I T U L U S XX.

VOTA RELIGIOSA.

Figuræ, Symbola.

VOta Religionis significantur in tribus factis Joseph. *Primum* est, quando mulierem impudicam contempsit. Gen. 39. 8. *Secundum*, quando pallium abjecit, idest, temporalia. ib. v. 12. *Tertium*, quando in carcere reclusus fuit sub alterius potestate. Ibid. v. 20. Unde Jacob dixit, benedicens ei: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens.* Gen. 49. 22. Ter dicit *accrescens*; bis explicitè, semel implicitè: *Joseph* enim *accrescens* interpretatur. Hugo Card. in Luc. 1.

Ut eamus viam trium dierum. Ex. 5. 3. Hæc via trium dierum, est triplex Votum, quod fit in Religione; quæ per solitudinem designatur: videlicet Votum obedientiæ, paupertatis, & Castitatis. Idem in Ps. 38.

Candidiores nive &c. Theren. 4. 7. In nive, & lacte, castitas; in ebore antiquo jugis, & fortis, obedientia; in saphyro, qui cœlestis est coloris, paupertas; quæ spem in solum Deum figit. Cornelius in Num. 6. 2.

Obtulerunt aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11. Per aurum intelligit S. Bonaventura hìc s. in Epiph. paupertatem; per thus obedientiam; per myrrham castitatem.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via &c. Matth. 21. 8. &c. Hæc omnia Religiosi exequuntur: hi enim non modò diurnum, nocturnumque precum pensum, qua voce, qua mente; ex Ordinis, vel Sacerdotii, cui se illigarunt, præcepto persolvunt: verùm etiam suis omnibus bonis, per paupertatis leges, se abdicant: corpus, animæ vestem, per castitatis votum Deum consecrant: potioremque sui partem, animam videlicet, Superiorum ad nutus, per obedientiam inflectunt, ut jumentum facti apud Deum. Doultreman. l. 1. c. 5. Sect. 2.

Per *pauperes, debiles, cæcos.* Luc. 14. 21. S. Basilius Seleuc or. 30. vel V. Beda: intellige tria vota Religionis.

Altare. Hebr. 9. 4. est obedientia; *urna* paupertas, quæ Deo se, & sua, quasi in mensa offert, ac vicissim à Deo alitur; *candelabrum* castitas. Cornelius hìc.

Consonat Votum paupertatis eleemosynæ votum obedientiæ orationi, Votum castitatis jejunio. Gerson de laude Scriptorum Consid. 5.

Specimen Religiosæ disciplinæ valde præclarum prætendit in Eucharistia Jesus: paupertatis, cùm panis, & vini, accidentium involucris obtegitur: castitatis, cùm purissimam triticeæ materiæ portionem exigit ad consecrationem panis: Obedientiæ, cùm ad vocem hominis Creator obtemperat. Arcones in Isa. 4. Disc. 7.

T I T U L U S XXI.

VULNERA CHRISTI.

§. I.

Figuræ, & Symbola.

Ex Veteri.

Mansiunculas in arca facies. Gen. 6. 14. Quinque cameræ in arca, sunt quinque Vulnera in carne Christi. Mansiunculas in ea facies, non mansiones: quia tantùm humiles in ea habitant. *Sinite parvulos venire ad me.* Hugo Card. hìc.

Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli aperti sunt. Gen. 7. 11. Aspice illos fontes manuum ac pedum, Domini tui, sacrum sanguinem manantes, & inundantes: vide apertas cataractas cœli; ut inundet diluvium gratiæ ad nostram malitiam, & superbiam, submergendam. S. Bernardinus tom. 1. p. 1. s. 55. art. 4.

Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis &c. Gen. 9. 12. Istud quidem signum (iris) cum nubibus transibit; ipsum autem fœdus, cujus signum est, idest, memoriale nostræ Redemptionis, in sempiternum permanebit in conspectu Patris in carne Filii ejus, in cicatricibus vulnerum, manuum, pedum, ac lateris ejus. Rupertus l. 4. c. 36. in Gen.

Quod cùm vidissent viri Israel, se in castro positos, abscondunt se in speluncis. 1. Reg. 13. 6. Sic aliqui Christiani, cernentes, se undique à diabolo, Mundo, & Carne, tentari; in foramine petræ, in fossa humo, idest, in Christi vulneribus, & in Dominicæ Passionis memoria, salubriter se occultant; & in propriæ humiliationis profundo se celant, atque in tantum parvi pendunt, & quasi nihil se reputant, quod à dæmonibus nequeunt tangi. Dion. Carth. apud Mendozam hìc.

Tulit baculum suum, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente &c. 1. Reg. 17. 40. Goliam, idest, diabolum, baculo Crucis; & quinque lapidibus, idest, quinque plagis, stravit. S. Bonaventura s. 2. D. 2. Adv. Verè turris David, qui superbum Goliam quinque lapidibus de torrente, idest, quinque vulneribus? & Crucis baculo; gloriantem in Calvariæ monte prostravit. S. Thom. Vill. conc. 1. de Assumpt. V. B. Margaritæ de Cortona dicebat Christus: Si vis puritatem inviolabiliter custodire, fer tecum quinque lapides meorum; vulnerum; & cum eis tuum hostem in fronte percutes. Bollandus 22. Febr.

Apparuerunt fontes aquarum. Ps. 17. 16. Fontes sunt Vulnera Jesu Christi; quæ sunt fontes aquarum, idest, gratiarum. *Haurietis aquas cum gaudio de fonetibus Salvatoris.* Is. 12. 3. idest, de Vulneribus Jesu Christi. Hugo Card. hìc.

Foderunt manus meas, & pedes meos. Ps. 21. 17. *Foderunt* non transitoriè debemus accipere: quia terra tunc varios fœtus germinat, quando hominum studio cognoscitur exarata. Quod contigit in corpore Domini Salvatoris: illud enim clavis affixum, lancea perforatum, fructum nobis intulit sine fine mansurum. Cassiodorus hìc. Non dixit, transfixerunt, sed *foderunt*: ut notet fructum, qui indè secutus est, scilicet æterna beatitudo. Fossa parit tellus. Hugo Card. hìc.

Introibit Rex gloriæ. Ps. 23. 7. Christus quinquies dicitur Rex gloriæ. Cur id? pro numero Vulnerum acclamant Regiam dignitatem. S. August. s. 178. de temp. viderunt Cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla talibus concrepant hymnis, *quis est iste Rex gloriæ?* Sylveira in Joan. 19. q. 13.

Oleum effusum. Cant. 1. 2. Quinque vulnera Domini, quinque fontes olei sunt, fundentes pretium Redemptionis nostræ; quo solvamus cuncta nostra debita, & emamus dona gratiæ divinæ. De Ponte hìc Exh. 29. §. 1.

Columba mea in foraminibus petræ &c. Cant. 2. 14. Benedictus, qui, ut nidificare posse in foraminibus petræ; manus, pedes, & latus, perforari sibi tulit: & sic mihi totum aperuit; ut ingredias in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito tabernaculi sui. Guarricus s. 4. in Ram. palm. *Petra erat Christus.* Quæ sunt foramina petræ, nisi vulnera? quæ pro nostra salute suscepit Christus. In quibus profectò foraminibus columba residet, ac nidificat; cùm anima quæque mitis in Passione Dominica spem suæ salutis unicam ponit; cùm in Sacramento mortis ejus sese ab insidiis hostis antiqui, quasi à raptu accipitris, tutari confidit. V. Beda l. 3. in Cant. hìc. Per foramen petræ, vulnera manuum, ac pedum Christi in Cruce pendentis libenter intellexerim. Cavernam verò maceriæ vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. S. Gregor. hìc. Si, *juxta expositionem Apostoli, petra erat Christus.* 1. Cor. 10. 4. quæ sunt foramina petræ? nisi vulnera, quæ pro nostra salute suscepit Christus. V. Beda hìc. Foramina petræ, plagæ sunt corporis: caverna maceriæ, apertio est lateris. Sim. Cass. l. 3. in Joan. 3. 16. In foraminibus petræ, idest, Vulneribus, quæ pro salute sponsæ sponsus accepit. S. Isidorus hìc. Non ob aliud Ecclesia columba vocatur, nisi quia est sine dolo; & Spiritu S. repletur. Habitat in foraminibus petræ: quia semper receptaculum habet in his, ex quibus sanata est, Vulneribus Christi. S. Justus Orgel. hìc. Visceribus misericordiæ suæ charitas JESU ab effusione, imò à perfossione lateris, non pepercit: ut te semel in ipsis cavernis pedum, manum, & lateris, quasi columba, per hanc aperturam recepto, ad omne suum consilium admitteret, gaudiis admisceret, divinitati adjungeret, æternitati statueret, beatitudini Angelicæ adæquaret. Petrus Cell. cap. 19. Foramina petræ sunt vulnera, quæ pro salute nostra in Cruce suscepit. S. Thom. Aqu. hìc Columba. Lem. *Secura nidificat.* Et revera, ubi tuta, firmaque, infirmis securitas, & requies, nisi in Vulneribus Salvatoris? tantò illic securior habito, quantò ille potentior ad salvandum. Fremit Mundum, premit corpus, diabolus insidiatur; non cado: firmatus enim supra firmam petram. S. Bernardus s. 61. in Cant. Picinelli.

Ego flos campi. Cant. 2. 1. Quidam dicunt, quòd flos campi dicitur quidam parvus flos, valde rubicundus habens; quinque folia, sicut Christus quinque vulnera rubicunda. S. Bonaventura s. 3. in Resurr. Dom.

Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini. Isa. 2. 10. Ingredere in petram, ò homo! abscondere in fossa humo; pone tibi latibulum in Crucifixo. Ipse petra, ipse humus: quia DEUS, & homo. Ipse petra forata, humus fossa. Quia *foderunt manus meas*, inquit, *& pedes meos.* Ps. 21. 17. Abscondere, inquit, in fossa humo à facie timoris Domini, hoc est, ab ipso fuge ad ipsum; à Judice ad Redemptorem; à tribunali ad Crucem. Guarricus s. 4. D. Palm Ingredere in petra, idest, divinitatem Christi: abscondere in fossa humo, idest, in Vulneribus Christi. Qui in hac petra est, solus est: qui extra hanc est, in multitudine est. In hac solitudine mentis tanta gratia, & illuminatio mentis percipitur; ut percipiens sit gravis aliis ad videndum. Sicut Moyses solus manens in monte cum Deo quadraginta diebus & noctibus. Ex. 24. 18. S. Albertus parad. an. c. 32.

In manibus meis descripsit te. Isa. 49. 16. Vulnera sunt literæ, clavi calami, sanguis atramentum. Diez Conc. 2. in Asc. Dom.

Ex Novo.

Faciamus hic tria tabernacula. Matth. 17. 3. In ipso volo facere tria tabernacula: unum in manibus, aliud in pedibus, & tertium majus in latere suo; in quo volo quiescere, & dormire; bibere, legere, & orare. S. Bonaventura. Stimulo amor. c. 1.

Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. 2. 22. Emitur Redemptor quinque siclis à Virgine, qui quinque plagis totum erat Mundum redempturus. S. Thom. Vill. conc. in Purif. V. Voluit quinque siclis redimi, quemadmodum ipse redempturus erat Mundum quinque principalibus plagis. S. Vinc. Ferr. s. de Purif. V.

Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordaceos. Joan. 6. 9. Nota, quòd hi quinque panes, quinque vulnera Christi, sunt; qui multùm reficiunt animam devotam. 1. Reg. 21. 3. *Si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi.* S. Bonaventura serm. 3. D. 4. Quadr.

Ego sum pastor bonus. Joan. 10. 14. ò bone Pastor! ego sum illa ovis, quæ periit; pro qua in cruce posuisti animam tuam. Ecce ego agnosce eam; & introduc eam in caulas vulnerum tuorum; & tua Passione custodi diligenter. S. Laur. Justin. de inc. am. c. 4.

Ex Patribus, & aliis.

Signaculum regium Crux est; quam si in cordis nostris memoria portaverimus, tanti regionem Regis, quæ finem non haber, securè poterimus transire. Habet hoc sigillum imaginem Crucifixi Jesu: in ipso sigillo Crucis multis fissuris effossam, & impressam; sicut in sigillis imago rerum exprimitur fodiendo, &c. S. Bernardus tr. de Pass. Dom. c. 44.

Numerus dictionum, quæ ponuntur in consecrationis forma, quinarius est. Nam sicut per quinque Vulnera Christi sanguis principaliter emanavit; sic etiam per quinque perficitur ista. S. Bernardinus tom. 2. s 54.

Lecti animæ, sunt quinque Christi vulnera, ubi contemplando quiescit. S. Vincent. Ferr.

O quàm multas rubeas rosas, ex singulis plagis, & vulneribus suis mitissimus JESUS produxit! omnibus aromatibus suaviores, & pulchriores. Thom. Kemp. serm. 8. ad Novit. pag. 3.

Christus S. Theresiæ quinque rosas in sui corporis paradiso ostendit. Gertrudis l. 4. c. 35. gratias agit SS. Trinitati pro roseis vulneribus sui unicè electi amatoris. Nadasi Ros. cœli rosa 2.

Franciscus Lucas observat, nescio quam vulnerum imaginem agnos in mediis pedum vobis perpetuò gestare, non dissimilem Christi, veri Agni, clavorum fixuris. Doultreman l. 2. c. 2. Sect. 6. Crucifixio. Balsami, liquor, sciso plantæ cortice, promanat. Lem. *Aliis mea plaga medetur.* Masenius.

§. II.

Vulnera Christi benefica, salubria.

Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Luc. 23. 42. Hæc est fidei plena devotio; ut cùm de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate ejus venia postuletur S. Maximus hom. 1. de S. Latrone.

Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Joan. 20. 20. Cùm Discipulos pace donat, ostendit eis vulnera belli, quibus acquisita pax q. d. pacem offero vobis; sed quæ effuso sanguine, diris vulneribus, comparata. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 9. Sect. 1. Obs. 6.

Opus manuum tuarum, Domine, nè despicias: Vulnera manuum tuarum, ut aspicias. S. August. Solil. c. 2.

Amore vulneratus est propter delicta nostra. Tuta, & firma, requies est infirmis, & peccatoribus, in Vulneribus Salvatoris. Securus illic habito: patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex Vulneribus Domini mei: quoniam misericordia affluunt. Nec desunt foramina, per quæ affluant; per foramina corporis patent mihi arcana cordis. Sanct. August. Manuali cap. 21.

Star Martyr tripudians, & triumphans: toto licèt lacero corpore, & rimante latera ferro; non malò fortiter, sed & alacriter, sacrum è corpore suo circumspicit ebullire cruorem: Ubi ergo tunc anima Martyris? nempe in lutto, nempe in petra, nempe in visceribus JESU; Vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. S. Bernardus s. 61. in Cant.

Da mihi Vulnera tua! Hæc super cœlum ambit cor meum; super solem illuminant intellectum meum; super ignem accendunt affectum meum; super aerem fœcundant sermonem meum; super aquam emolliunt animum meum; super terram stabiliunt affectum meum. S. Laur. Just. de inc. div. am. c. 4.

O beata vulnera! ò locus deliciarum! de isto enim lateris medio fons omnis dulcioris, & suavitatis emanat. Id. ib. c. 2.

Christi quinque partito vulnere caro profoditur: ut nos à vitiorum, quæ in nos per quinque sensus ingrediuntur, irruptione curemur. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 1.

Quinque nostrorum sensuum vulnera illis quinque Domini corporis cicatricibus sunt sanata. Idem l. 7. ep. 5.

Foramina petræ, Vulnera sunt Redemptoris: quæ profectò non casu quinque sunt. Sed quia nos fueramus quinque, sensuum vulneribus sauciati, per has quinque plagas saluti sumus perpetuæ restituti. Idem opusc. 50. c. 2.

O admiranda, & veneranda JESU Christi! ò certè vita, dulcedo; & spes nostra! S. Bonaventura Stim. am. c. 1.

Ecce aperta est apotheca paradisi, omnibus aromatibus medicinalibus tota plena: ibi, quascumque volueris species, accipies. Idem ibidem.

Quando absolvitur peccator, debet cogitare, quòd omnia Vulnera Christi sunt aperta, & sanguis effunditur super eum. S. Vinc. Ferr. l. 1. ser. 5. post Oculi.

Deformitas tua, mea est pulchritudo: plagæ tuæ, & singula Vulnera; sanitas animæ meæ: & mors tua vita mea. In his vivo, & in talibus vita Spiritus mei. Thom. Kemp. conc. 22. de Chr. Pass.

Pelicanus. Lem. *Ex vulnere solus*. Plaga Christi nostra medicina est. S. Ambros. l. de Spir. S. c. 8.

§. III.

Vulnera Christi proficua peccatori.

Columba mea in foraminibus petræ-ostende mihi faciem tuam. Cant. 2. 14. Ex his vulneribus peccatorum tuorum immensam deduces gravitatem: ipse enim, ut dicit Isa. 53. 5. *vulneratus est propter iniquitates nostras &c.* Vide S. Bernardus s. 3. de Nat. D. Ex iisdem cognoscere poteris peccatorum tuorum multitudinem. Sufficiebat quidem, ad totius Mundi delenda peccata, minimum Christi vulnus, sicut & minima ipsius Sanguinis gutta: ut quid ergo tot suscepit vulnera? nisi ut in illis agnosceres tua contra eum innumera delicta. Nam quia *à planta pedis usque ad verticem, non erat in te sanitas*. Isa. 1. 6. *sed vulnus, & livor, & plaga tumens*: ideo etiam in corpore ipsius à planta pedis nihil mansit invulneratum. Tertiò ex iis agnosce debitum satisfaciendi: non enim passus est Christus, ut à peccatoribus auferret satisfaciendi necessitatem, & obligationem; sed potiùs, ut suo exemplo ad eam exhortaretur, ad illamque præstandam vires præberet. Si enim innocens Dei Filius, pro alienis vulneribus curandis, tot vulnera, & dolores, passus est; quid te nocentem, pro tuis propriis vulneribus curandis, agere, & pati, oportebit? Puniatur igitur caro, ut sanetur anima; vulneretur corpus, ut servetur Spiritus. De Ponte hìc Exh. 24. §. 2.

Horrendum est incidere in manus DEI viventis. Hebr. 10. 31. Si hominem inimicum habes; licèt potens sit; cras tamen moriturum sperare potes, & ità erit inimicitiæ finis. Verùm, si Deum habes inimicum, quis finis potest expectari? Et ità ejus manus sunt manus Dei viventis in æternum. Curate igitur hìc incidere in manus DEI mortui; quæ manus sunt vulneratæ: à quo nihil mali, imò bona plurima vobis proveniant. Incidere in has manus, est, ejus sanctissimorum Vulnerum meritis ad vestræ salutis remedium uti. Diez Conc. 3. D. 1. Adv.

Peccavi peccatum grande! turbatur conscientia; sed non perturbatur: quoniam vulnerum Domini recordabor. S. Bernardus s. 61. in Cant.

Quid tam efficax, ad curanda, conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem? quam Christi vulnerum sedula meditatio. S. Bernardus s. 62. in Cant.

§. IV.

Vulnera Christi cur retenta in Resurrectione.

QUinque plagæ ejus, quasi quinque linguæ sunt. Plagarum suarum cicatrices idcirco in corpore suo retinuit, & reservavit; ut victorias suas semper loquatur illis quasi linguis. Rupertus de Vict. Verbi l. 12. c. 27.

Oravit in Cruce Patrem dicens: *Pater! dimitte illis*. Luc. 23. 34. Rogat eundem indesinenter in cœlo, exhibendo vulnerum cicatrices; quæ pro redemptione Fidelium in suo perpessus est corpore. S. Laur. Justin. in fasciculo amoris c. 15.

Clamat idem Redemptor ad Patrem, Corporis sui cicatrices ostendens, quatenus ab æternis suppliciis sua homines interpellatione custodiat. Idem serm. in festo Corp. Chr.

Facilè innatam, & naturalem, compassionem trahit ad se calamitas pauperum, & tribulati cordis deprimens mœror. - Sic & ipse mediator Christus, ut divinam adversùs humanum genus concitatam, pro criminibus posset mulcere justitiam; cicatrices Vulnerum sibi reservavit in corpore: quatenus haberet semper, quod, pro reconcilianda hominum specie, irato ostenderet Patri. Idem de triumph. &c. c. 15.

Suæ Passionis vulnera in corpore ideo custodivit illæsa: ut haberet: quod exhiberet Patri, & ostenderet nobis. Patri, ut illum reconciliaret offensum: nobis verò, ut in torpore jacentes mentes sursum erigeret. - Opportunè Apostolo dubio manus ostendit, & latus: quatenus in altero Creationis, in altero autem beneficium Redemptionis, objiceret. S. Laur. Just. de triumph. c. 26.

Prima erit in reos intoleranda sententia reverendarum præsentia cicatricum. B. Cæsarius Arel. hom. 23.

Apud Deum optimum habemus advocatum Christum: qui, quot Vulnera pro nobis suscepit, tot linguas habet, quibus pro nobis apud Patrem intercedit. S. Bernardinus s. 2. in Asc. Dom.

Ratio, cur cicatrices retinuerit: ut ascendens in cœlum semper ostenderet Deo Patri, quale genus mortis pro nobis sustinuit, & provocet eum ad misericordiam. Tertiò, ut Electi, qui quotidie assumuntur in patriam cœlestem, videntes easdem cicatrices in corpore Redemptoris sui, indefinenter agant ei gratias. Haymo hom. in Oct. Paschæ.

Veri amici, in signum fœderis, & amoris; servare solent ad invicem aliqua insignia, & manuscula, sibi invicem data. Unde Christus, qui verè amicus noster est, cicatrices vulnerum, quæ propter nos sustinuit, adhuc reservat. Et nos servare debemus tribulationis, laboris, & doloris, insignia; in signum fœderis, & amoris, inter nos, & ipsum. Hugo Card. in Gen. 17. 11. *ut sit in signum fœderis*.

§. V.

Vulnus Lateris.

Figura.

Ostium Arcæ. Gen. 6. 16. Vulnus Lateris. Hugo Card. hìc. Vulnus in Latere Christi, quid? nisi ostium in latere arcæ, salvandis à facie diluvii. Guarricus s. 4. in Ram. Palm.

Filiæ tuæ de latere surgent. Isa. 60. 4. Habet JESUS filios, & filias de Latere enixas: habet apertum Latus, per quod novam progeniem, cœlo destinatam parturit; in eoque sinu nidificantes parvulos enutrit, & roborat. Arcones in Isa. 3. 1. Sancti Garciæ regis matrem, scribunt Hispaniæ historiæ, dum uterum gestaret, hasta tam feliciter secundùm ventrem ictam; ut continuò per patulum vulnus infans manum miserit; atque eductus fuerit vivus, & illæsus. Nos omnes in utero gestabat Christus: qui vulnus ejus Lateri Longinus inflixit, exitum ad vitam soboli aperuit. Doultreman. l. 4. 3. Sect. 1.

In illa die erit fons patens Domui David. Zach. 13. 1. Per hunc fontem intelligunt Hieron. Rupertus, Hugo, Baptismum &c. Haymo Latus Christi.

Unus militum lancea latus ejus aperuit.
Joan. 19. 34.

Est & alia Lateris hujus causa. Mulier fuerat prima ductrix peccati, quæ de latere creata est. Sed JESUS, qui venit, ut viris simul, & mulieribus, conferret reconciliationem; aperuit Latus pro mulieribus, ut solveret. S. Cyrill. Jeros. Catech. 13.

Vigilanti verbo Evangelista usus est; ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed *aperuit*: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesia manaverunt. S. August. tr. 120. in Joan.

O si fuissem loco lancæ! exire de Christi Latere noluissem: dixissem enim: hæc requies mea in Sæculum Sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. S. Laur. Just. de inc. div. am. cap. 1.

Pretiosum tuum dedisti sanguinem, & accepisti tabernaculum (Ecclesiam) & aperto Latere, quod est theca ejus, quod est reconditum marsupium Divinitatis, arca sanctificationis: & lancea, tamquam clave, in arcam injecta. Injecta autem: non ut qui te improbe gerere; sed qui concederes, ac permitteres: dedisti pretium ex Paterno thesauro. S. Chrys. in Ps. 14.

Pro nimio amoris sui fervore, voluit lancea suum Latus aperiri: ut demonstraret: quòd tradidit tibi cor suum. S. Bonaventura stim. am.

Ideo

Ideo Latus suum pius, & misericors, aperuit; ut cruore Vulneris vivificet, calor corporis refocillet, Spiritus cordis quasi patenti, & libero, meatu, aspiret. Guarricus s. 4. in Ram. Palm. Aristoteles lib. de spiratione: summus animæ ardor in cordis principatu consistit. Et lib. de Spiritu: in corde calor vehementissimus.

Novimus moderamen Spiritus S. in prolatione hujus Evangelistæ, ut sic proferret: *unus militum &c.* ut aperto Latere cognoscamus dilectionem cordis usque ad mortem: & ad illum ineffabilem amorem ejus ingrediamur, quo ille processit ad nos. Et accedemus ad cor ejus, cor altum, cor secretum, cor omnia cogitans, cor omnia sciens, cor diligens: & per apertam portam fiamus saltèm in amoris vehementia cordiformes. Proinde sibi ad negligentiam imputet, qui non ingreditur; si apertum novit introitum. Sim. Cass. l. 13. hìc.

Voluisti, Domine, ut cor tuum lancea aperiretur: ut meæ contemplationis ingressus mihi facilior fieret: sicut domus, cujus janua patet, incitat ad contemplandam pulchritudinem in se contentam. Stella de amore Medit. 29.

Clericus ille, qui ad Claram Vallem venit, Deo famulari: quia corpus antè delicatè habere consueverat, à communi Fratrum pane, & possis, valde abhorruit. Noctę ergo quadam tristi Christus apparuit, fructum similis panis manu tenens; tunc ei porrigens dixit: comede panem istum. Cùm novitius responderet nequaquam vesci posse panę hordeaceo Christus Vulneris Lateris sui panem illum intinxit, & porrectum comedere jussit. De quo cum gustasset, factus est sicut mel dulcis in ore ejus. Itaque deinceps & panem arctum, & fabas, & reliqua legumina, magna delectatione comedit. Cæsarius l. 14. c. 80.

TITULUS XXII.

UXOR.

§. I.

Bona.

Servivam tibi. Gen. 29. 18. Nota: Jacob hac servitute tam longa, & dura, more prisco, emit sibi uxorem, tam Liam, quàm Rachel. Moris enim fuit apud Græcos, Romanos, & Hebræos; ut viri dato pretio emerent sibi uxorem. Ità David emit Michol centum præputiis Philistinorum. 1. Reg. 18. 25. Cornelius hìc.

Cùm vidisset Angelum, festinavit, & cucurrit ad virum suum. Judic. 13. 9. Insinuavit marito, visum sibi hominem Dei, præclara specie, futuræ sobolis ferentem oracula: nec passa sine viro scire vel divinitatis secretum. S. Ambros. ep. 60. apud Baczam t. 1. l. 1. c. 7. §. 19.

Cerva charissima. Prov. 5 19. idest, illa conjux sit tibi charissima; quæ, sicut cerva serpentes, ità persequitur scortatores. Hugo Card. hìc.

Jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus. Matth. 18. 25. Quorsum, ò Christe, jubes uxorem ejus venundari? quid mulier vetula valebit? quis pro illa aliquid volet pretii dare? Sine dubio majoris erant pretii, & æstimationis, olim mulieres; quàm jam sint. Gen. 29. 18. Jacob pro Rachele servivit septem annis: nunc autem in Matrimonium collocent, numeros præbent. Diez conc. 1. Dom. 21. Pent.

Sanctificatus est vir Infidelis per mulierem Fidelem. 1. Cor. 7. 14. Nihil potentius, muliere bona ad instruendum, & informandum virum, quodcumque voluerit. Neque tam facilè magistros, neque amicos; neque principes patietur; ut conjugem admonentem, & consulentem. Habet enim voluptatem quandam admonitio uxoria; cùm plurimùm amet, cui consulit. S. Chrysost. hom. 6. in Joan.

§. II.

Uxor mala.

Quicumque primus fuerit egressus &c. Judic. 11. 3. Quem potuit cogitare priùs occurrentem à conjugem cogitavit. At, quia homo proponit, Deus disposuit. Proposuit Jephte pejus dare; Deus autem disposuit, ut optimum arriperet: filiam, perdidit, retenta uxore. Hugo à S. Vict. de Jephte.

Dabo eam illi, ut fiat ei scandalum. 1. Reg. 18. 21. Saul valde oderat Davidem; nec semel hasta confodere nisus est. Verùm effectu frustratus aliò vertit animum. Micholem, cujus ingenium noverat, in matrimonium promittit; quo consumat extraneo, vel intestino bello. Naxera in Jos. 15. §. mulier mala supplicium.

Dixit autem illi uxor sua: adhuc tu permanens in simplicitate tua; benedic Deo, & morere. Job 2. 9. Humiliatus videbatur Job perdita substantia sua, perditis filiis suis; perditis, quæ servabat; perditis, quibus servabat: remansit sine hæreditate; & quod est tristius, sine hærede. Remansit ad solam uxorem; non suam consolatricem, sed diaboli potiùs adjutorium &c. August. in Ps. 30. Ideo solam uxorem superesse nequissimus diabolus voluit; ut hac novissima uteretur pro Job sed actione, atque animæ ejus subversione. Diabolus hanc conservavit, ut ministram suæ iniquitatis: ut hanc haberet pro novissimo Job laqueo: & postquam per omnem rem desperaret, tunc per uxorem justum perderet. Orig. in Job l. 2.

Sicut tinea vestimento &c. Prov. 25. 20. Sicut in ligno vermis; ità perdit virum suum uxor malefica. S. Hieron. lib. 1. contra Jovin.

Mulier mala viro peccatori dabitur, ait Scriptura. Et dabitur tamquam amarum antidotum; quod peccatorum malos humores consumat. S. Chrysost. in Ps. 3.

Qui habet uxorem malam, suorum se peccatorum mercedem accepisse intelligat. S. Chrysost. apud Antonium in Melissa l. 2. c. 34.

Carolus V. dicebat: nihil pejus quem hosti suo imprecari posse; quàm uxorem imperiosam. Cornelius in Eccles. 25. 17.

Cum mulierem obstreperam verberibus paulò severiùs vir castigasset; illa velut ad ictus lethales confidens mortem simulabat. Tum vicino accersito vir simulatè casum questus, ecquid mortua uxore faciendum sit? cui ille: censeo, inquit, pellem detahenda n; quàm optimam esse ferunt in malis mulieribus. Age igitur, tibi illam cedo; tu detrahe. Vix ille cultrum acuere, illumque admovere cœperat; cùm mortua subitò revixit. Masenius l. 2. Argut.

§. III.

Uxor qui erga virum se habere debeat.

Faciamus ei adjutorium simile sibi, Gen. 2. 18. Caveat mulier lunam imitari: hæc enim, quò longiùs abest à sole, eo magis conspicua, clariùs emicat, pulchrior apparet. Eidem verò, quantò proprius ad solem accedit; tantò fit obscurior, magis abditur, minùs apparet, suam lucem obtegit, & speciem commutat. Pudeat mulierem ità vitam suam instituere, ut à mariti oculis procul abesse gaudeat? propè verò adesse doleat. Fernandius hìc.

Serpens decepit me. Gen. 3. 13. Accusata à viro non accusat injuriæ patiens. S. Ambros. de instit. Vir. c. 4. nec accusata crimen retorsit; sed ipsum accusatorem suum maluit, si posset absolvere, quàm ligare.

Honorabile conjugium inter Isaac, & Rebecca. Genesi 24. 67. Isaac Hebr. *risus* est, Rebecca *patientia*. Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 5. Risus à tolerantia adjuvatur. Ut risum à Viro mulier eliciat, patienter agat: risum patientia impetrabit. Velloso in Judith. 7. Paræn. 25.

Præter te, qua uxor ejus es. Gen. 39. 9. Si Ægyptia fidelis esset conjux, oculos non injiceret in servum, uxori enim quæ honestatem amat, nullus vir pulchrior marito videtur, Alvarez Illustr. 97.

Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum; terribilis nimis. Judic. 13. 6. Si vir Dei, si Angelus est, cur vocat terribilem? Erat conjugata, & marito suo castissimè addicta; ideoque ejus specie contenta vivebat: ut vel Angelica forma ei terribilis videretur: sola mariti forma ei affabilis, & placita, videbatur. Idem ibidem.

Venit Abigail ad Nabal &c. 1. Reg. 25. 36. Iracundos meliùs corrigimus, si in ipsa iræ commotione declinamus: perturbati enim, quid audiant, ignorant. Unde & Nabal ebrio culpam suam laudabiliter Abigail tacuit, quam, digesto vino, laudabiliter dixit. S. Gregor. & Eucherius, apud Fernandium in Gen. 9. sect. 4.

Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Joan. 1. 13. Carnem pro fœmina posuit: quia de costa cùm facta esset, Adam dixit, *hoc nunc os ex ossibus meis: & caro de carne mea*. Gen. 2. 22. Posuit ergo *caro* pro uxore: quomodo aliquando spiritus pro marito: quia ille imperare debet, ista servire. S. August. tr. 2. in Joan. Explicat Sanctus Doctor rixas, & contentiones, quæ dantur inter conjuges, metaphora carnis, & spiritus: quia perpetuum iis dissidium. *Caro concupiscit adversùs spiritum &c.* Gal. 5. 17. Sylveira Addit. hìc.

§. IV.

Uxor quomodo à marito habenda.

Tulit unam de costis. Gen. 2. 21. Nec de capite, nec de pedibus, viri sumptum est id, unde fieret mulier: nè aut domina, si de capite; aut ancilla, si de pedibus, putaretur. Ideò de medio, idest, costa sumi debuit; ut socia intelligeretur. Hugo Card. hìc. Non es dominus, sed maritus: non ancillam fortitus es, sed uxorem. Gubernatorem te Deus esse voluit sexus inferioris, non præpotentem. S. Ambr. hex. l. 5. c. 7. De costa viri, non de terra formata est mulier: ut eam vir plus diligat.

ligeret. De medio autem; non de capite, non dependet: ne domina, vel omnino subjecta putetur; sed socia. Hugo Card. hìc. Decuit mulierem ex viro formari: ut vir magis diligeret mulierem, & ei inseparabiliùs inhæreret; dum cognosceret, eam ex se esse productam. S. Thom. Aqu. 1. p. q. 92. a. 2. Et a. 3. conveniens fuit, mulierem formari de costa viri: ad significandum; quòd inter virum, & mulierem debet esse socialis conjunctio. Neque enim mulier debet dominari in virum; & ideo non est formata de capite: neque debet à viro despici, tamquam serviliter subjecta; & ideo non est formata de pedibus.

Relinquet homo patrem suum, & matrem; & adhærebit uxori suæ. Gen. 2. 24. Nunc autem homines ulteriùs progrediuntur: nam pro uxoribus suis viri, non solùm patrem, & matrem, sed etiam Deum relinquunt. Diez conc. 1. D. 2. Epiph.

Viri diligite uxores. Eph. 5. 25. non hìc consistet; sed modum etiam amoris præfinivit. At quem? *sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Et quomodo, quæso, Christus dilexit? ità ut semetipsum pro ea traderet. Itaque, etiamsi mori pro uxore oporteat; nequaquam tergiversaberis. Sanct. Chrysost. tom. 6. hom. in laudem Maximi, & quales ducendæ uxores.

Viri, diligite uxores vestras, & nolite amarè esse ad illas. Coloss. 3. 19.

§. V.

Uxor qualis ducenda.

Puella, cui dixero &c. Gen. 24. 14. Vide sapientiam famuli, quale signum destinet. Non dixit, siquam videro mulis, pisentove, invehi, enuchorumque agmen post se trahere, & numerosum famulitium; puellam ætate, ac forma florida; eam præparasti tuo famulo. Sed quid? cui dixero, *præbe hydriam suam.* Qui ais bone vir? adeone vilem hero tuo quæris conjugem. Etiam, inquit: missus enim sum, non pecuniosam, aut formosam; sed moribus ingenuis præditam, quærere. Et qui scis, virtute præditam? in dubitatum signum, & maximum: est enim hospitalitatis signum certissimum: proinde mores quærit herorum suorum moribus consimiles. S. Chrysost. tom. 6. hom. in laudem Maximi.

Si domum empturi, aut mancipium; curiosè consideramus, tum venditores, tum priores dominos; ipsorum quoque venalium tàm corporis habitudinem, quàm indolem animi. Quantò magis dispiciendum est de futura conjuge. Domum enim, si vitiosa sit, licet denuo vendere; sicut & servum nequam compactum, venditori restituere: uxorem verò semel acceptam non item fas est eis, à quibus acceperis, reddere. Idem ibidem.

Qui divitem duxit uxorem, Dominam sibi magis quæsivit, quàm conjugem. Cum enim, & absque hoc, mulieres ingenio superbo sint, honorisque cupido, si opes quoque accesserint, quomodo erunt maritis tolerabiles? Idem ibid.

Pauperem alere, difficile est; divitem ferre, tormentum. Adde, quoniam nulla est uxoris electio; sed, qualiscumque obvenerit, habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida; quodcumque vitium est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia; vestes quoque, & lebetes, sedile, lignum, calix, & urceolus fictilis, probantur priùs; & sic emuntur: Sola uxor non ostenditur; nè antea displiceat, quàm ducatur. S. Hieron. l. 1. contra Jovin.

Varia.

Et replevit carnem pro ea. Gen. 2. 21. Quando abstulit Deus costam ab Adamo, subintellige cum carne quoque abstulisse. Quo facto mirum nescio quid indicare voluit Deus omnipotens: nempe ex conjunctione mulieris cum viro in matrimonio aliquid, & non parum soliditatis, constantiæ, & virilis fortitudinis, virum amittere; quasi costa erepta ossea, pro qua carnis mollitiem induit: tierique ipso, nescio quomodo, fragiliorem, atque minorem; blanditiis humbratis fœmineis, atque affectibus: quamlibet id ægrè profiteri mari sustineant. Unde & sapientes patres; cùm immorigeratos, & indisciplinatos, ac suis præceptis nequaquam obtemperantes, habent filios; optimè eis consulunt, conjugali illos vinculo copulaverint. Lipomanus Ep. apud Fernandium hìc.

In plerisque regionibus, secundo die post Pascha, solent mariti uxores suas verberare, & vicissim uxores viros: ut ostendant, sese mutuò debere corrigere. Belethus Rat. div. offic. c. 120.

Meritò vir uxorem, non uxor virum, ducere dicitur: virum seduxit mala ductrix; ac proinde ducenda potiùs, quàm ductura Stengelius t. 2. div. c. 26.

Z

TITULUS I.

ZELUS ANIMARUM.

§. I.

Figuræ, Symbola.

Zeli, & Zelantium.

Ex Veteri.

Da auxilium aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Gen. 24. 17. Sitis Apostolorum, est desiderium salutis hominum. Huic potum præstant, qui eorum verba audiunt, & opere explent. Cornelius hìc.

Suscitavit eis Salvatorem. Judic. 3. 9. Salvatores, Salvatorem Jesum imitantes, sunt iis, qui animas in viam salutis dirigere satagunt. Rupertus: si illos dixit Scriptura Salvatores, per quos Deus temporaliter liberavit Israel; quantò magis rectè illi dicuntur Salvatores, quorum labor Salvatori nostro ad nostram salutem æternam cooperatus est &c.

Dixeruntque olivæ: impera nobis. Judic. 9. 8. Qui per olivam, quæ & signum pacis ostendit, oleique pinguedinem fundit, nisi illi designantur; qui Spiritus S. pinguedine delibuti, evangelizando pacem, reconciliant homines peccatori. B. Petrus Dam. opusc. 2. contra Clericos aulicos.

Classis regis deferens aurum, & argentum. 3. Reg. 10. 22. Veri Salomonis aurum, gemmasque deferens navis, est, quicumque ad Deum animas ducit. Barradius Dom. 18. tom. 2. l. 5. c. 10.

De principibus patrum secundùm vires suas. 1. Esdræ 2. 68. 69. Aurum, & argentum, & vestes Sacerdotales, principes patrum secundùm vires suas, in impensas offerunt operum templi; cùm viri sancti, quidquid sapientiæ, quidquid eloquentiæ, quidquid percipiunt actionis bonæ; totum hoc bene utendo in ædificationem conferunt Fidelium Christi. V. Beda hìc.

Nolite me considerare, quòd fusca sim. Cant. 1. 5. Symbolicè, sol accedens, & quasi denigrans animam, est charitatis æstus: item ardens desiderium fruendi Deo; atque zelus justitiæ: quo quasi tabescit anima, cùm videt Dei offensas, & animarum perditionem. *Tabescere me fecit zelus meus.* 118. 139. Cornelius hìc.

Botrus Cypri. Cant. 1. 13. Vinum est fervidissimus Zelus expressum de botro Cypri: & calix inebrians, Christi amor. S. Bernardus s. 44. in Cant.

Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Cant. 3. 9. Dicitur anima Sancta ferculum: ferculum à ferendo: quia fertur de loco ad locum, ubi eam voluntas gubernantis direxerit, & Dei omnia disponentis: ut plures reficiat, & ad salutem instituat. Rich. à S. Vict. c. 12. in Cant. Ferculum est quælibet Sanctorum congregatio, ad æternum convivium animas ferentium. Idem ex Miscell. 2. l. 1. c. 121. Incipientes dicuntur lectulus; quia in eis quiescit Christus: non tamen sunt ferculum; quia non ferunt Christum ad alios, generando ipsum in cordibus aliorum. S. Thom. Aqu. hìc Lect. 2.

Descendi in hortum nucum. Cant. 6. 10. Nux, vel fractio nucis, Symbolum est perfectæ patientiæ illorum, qui animas Christo lucrari, & despondere satagunt: præsertim illas, quæ callum in perfidia, aut vitio quopiam, longa peccandi consuetudine, obduxerunt; ut callus hìc suaviter, & sensim, reiecetur. Hortus nucum est anima sancta, patiens, & perfecta: præsertim quæ assiduè laborat in conversione peccatorum durorum; quales sunt Judæi, hæretici, concubinarii &c. Cornelius hìc.

Propter quadrigas. Cant. 6. 11. Animadvertendum est diligenter, quòd non solùm in quadrigis sponsa, & Fideles animæ, positæ esse dicuntur; verùm etiam currus, vel quadrigas, Ecclesiam ipsam positam dicit: ut se veluti piam matrem, & sanctissimum vehiculum, quo plures convehantur ad patriam, esse intelligat. Philo Carpath. hìc.

Candidiores nive, nitidiores lacte &c. Thr. 4. 7. In nive sola est candoris pulchritudo; in lacte, cum nitore, est & saporis dulcedo. Parum ergo erat, fuisse candidiores nive, nisi fuissent & nitidiores lacte: idest, parum fuisset, propria sibimet munditia candidios fuisse, nisi venientibus ad se, per sermonem suum, gustum præbuissent dulcedinis æternæ. Sed &, cùm candidi, & nitidi, essent, passionibus superadditis quendam purpureum traxerunt ruborem: nam verbera experti sunt. S. Rupertus in h. l.

Similitudo autem vultus eorum, facies hominis & facies leonis &c. Ezech. 1. 10. Operarius meminerit illorum animalium, quæ Ezechiel ostenta sunt. Quædvis quatuor formas habebat, hominis, aquilæ, leonis, & bovis. Operarii Ecclesiastici, hæc est imago: sit ratione illustrata per fidem homo; contemplatione aquila; fortitudine, contra Mundi dæmonisque, terrores, leo; labore, animarumque cultura, bos. Bos esse nequit, nisi aquila sit, & leo. Barradius Dom. Sept. t. 3. l. 5. c. 19. Hoc totum in uno, quod semel in quatuor. S. Gregorius hìc. Dei gloriæ minister, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, multiformes induit vultus. Leo apparet, ut peccatores frænet: bos, ut agrum Domini excolat: aquila, ut immotis palpebris solem aspiciat: homo, ut ineffabili conversatione homines reducat ad virtutem. Naxera in Jos. 5. §. 15.

Ex Novo.

Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Matth. 9. 2. Portitores cœlestes, qui paralyticos ad Christum sanandos portant, sunt similes his Evangelicis. Barradius D. 18. Pent. c. 2. l. 5. c. 29.

Congregabit triticum in horreum suum. Luc. 3. 17. Justi tritico similes: quia utiles sunt proximo, & fructificant. Triticum molitur, coaptatur, coquitur, dividitur; ut homines sustentet: sic sancti, ob salutem proximorum, se consumunt. Stella hìc.

Et ait servus &c. Luc. 14. 22. Diligens erat, & obediens. Licèt enim primò, secundò, & tertiò mittatur; numquam se excusat, nec laborem refugit, non excusationem priorum prætendit. Zelo insuper fervebat: *adhuc locus est*; hìc omnibus adductis adhuc numerus Electorum non est completus. Sylveira hìc.

Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Joann. 4. 14. Fons aquam retinere nescit; sed arva copiosis gestit rigari laticibus: &, quo scaturigo abundantior; & auctior est impertitio. Naxera tract. de B. V. §. 28.

Vidit Joannes. Apoc. 4. 6. *in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia.* Qui poterant in medio simul esse, & in circuitu? Quatuor animalium nomine, Doctores, & Curatores animarum, significantur: qui tam præsto adsunt omnibus; acsi in medio, & in circuitu; intus, & foris; ubique semper in salutem animarum excubant. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 4. sect. 1.

Ex Patribus, & aliis.

Duo sunt in hac vita genera justorum: unum videlicet benè viventium; sed nulla docentium: aliud vero rectè viventium, & eadem rectè docentium. Sicut & in cœli facie aliæ stellæ prodeunt, quas nullæ pluviæ subsequuntur; aliæ prodeunt, quæ arentem terram magnis imbribus infundunt. S. Greg. mor. l. 27. c. 5.

Adesdum caris, non petulantia, atque impudentia, sed vitæ libertate: non oblatratione; sed recti custodia, noctibusque illis, quas pro animarum salute pervigiles traducis. Atque eo etiam nomine canis: quia virtutis familiares atque domesticos mulces; externos latrando insectaris. Sanct. Gregor. Nazianz. or. 33. in laudem Heronis Philosophi, olim Cinici.

Beatus, qui bona evasit sagena spiritualis, multosque pisces optimo suo cœpit Domino. Sanct. Ephrem lib. de Beatitudinis.

Beatus, cujus mens, tanquam nubes pluviis, divina gratia plena est; animasque mortalium ad incrementum fructuum vitæ capiendum irrigat. Idem ibidem.

Nubes. Lem. *Effluendo consumitur. Consumitur nubes, & pertransit.* Job 7. 9. Picinelli.

§. II.

Motiva.

Primum.

Zelus Deo, & Christo, gratus.

Ex Veteri.

Locuta est Maria, & Aaron, contra Moysem. Num. 12. 1. Illa punita lepra, illo indemni. Sed cur? *omni tempore, quo leprosus est, - solus habitabit extra castra.* Levit. 13. 46. Aaron Sacerdos erat; ac ideo animarum curæ semper invigilare, circuire, conversari debebat. Quòd si autem lepra punitus fuisset; fungi officio suo non potuisset. Paoletti ser. 11. de S. Marco.

Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum. Ps. 28. 1. Hoc est totum, quod expetit, quod requirit: ovium fœtus, vile terreni pecoris germen, stratos per viam partus, ferat, admonetur. S. Chrysol. hìc s. 10.

Caput meum plenum est rore &c. Cant. 5. 2. Quia multi in Ecclesia positi, & Deum cùm credunt, & tamen frigidi persistentes ad ardorem charitatis non accenduntur: per cincinnos autem populos intelligimus. Ad hos accendendos sponsa excitatur; dum spiritualis quilibet pro ædificatione plurimorum, & ab otio ad prælationem Ecclesiæ vocatur. S. Gregor. hìc.

Expoliavi me tunica mea. Cant. 5. 3. Fortè, & tu, ò anima magni Apostoli! sive cujuscumque viri Apostolici, sabbatizare vis. Sed ecce *vox Dilecti tui pulsantis*, Cant. 5. 2. *aperi mihi soror mea! amica mea!* Hæc dicens, utique angariare te vult mille passus, quod est Sabbari iter. Angariare, inquam, te vult: ut, postposita, quàm elegeras, solitariæ contemplationis require, surgas; illi aperias; vadas Evangelium ejus annuntiare: & hoc in una parte orbis terræ in Asia. Vade cum illo alia duo millia passuum: id est, noli contentus esse in una Asia prædicare; sed etiam in Africa, & in Europa, prædicando labora; laborando prædica Evangelium. Et hoc modo pulchrè angariatus es, vadens cum illo, non solùm mille passus; sed & alia duo: suntque tria millia passuum; quia tres sunt partes orbis terrarum. Rupertus lib. 5. in Matth.

Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea &c. Cant. 5. 2. Jam sponsæ Ecclesia ostium cordis aperuerat sponsæ; totumque cor illi tradiderat, ut paret. Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Pulsat tamen id sponsa Ecclesia proximorum quoque clausa corda, per suos Concionatores, clave prædicationis aperiat, ajunt Cassiodorus, Beda, Just. Orgelitanus, Richardus, Anselmus, Rupertus &c. Sanct. August. s. 57. in Joann. pulsat, ut excutiat quietem sanctis; & clamat: *aperi mihi*, prædica me. Ad eos quippe, qui clauserunt contra me, quomodo intrabo sine aperiente? *quomodo* enim *audient sine prædicante?* Rom. 10. 14. Ad hoc, scilicet ad procurandam aliorum salutem, quatuor titulis, quasi stimulis, eam perurget. *Primò*: *soror*, inquit, *mea es*: quia par est, ut assimileris mihi; quia frater tuus sum: ut, ego è cœlis ade terram in carnem descendi, vivensque totum me impendi hominum saluti; sic & tu mecum te totum eidem impendas. *Secundò*: *amica mea es.* Si ergo amas me, pasce oves meas. Quare satage; ut & cæteri me ament, mihique fiant amici. Tertiò: *columba mea es*: *sponsa mea* es fœcunda: columba enim singulis mensibus parit. Tu ergo quoque assiduè mihi filios parias, & partos nutrias. *Quartò*: pura, & *immaculata*; pura, & *perfecta* es. Cur ergo patieris per proximorum scelera quasi inquinari puritatem meam? quin potiùs eos depuras, perficis; ubique, imò, & mihi, similes efficere satagis. Cornelius hìc.

Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Jer. 15. 19. Quid hoc est? qui ab errore ad veritatem manuduxerit; vel à peccato ad virtutem proximum induxerit; pro virili humano me imitatur. Nihil ità gratum est Deo, & ità curæ; ut animarum salus. S. Chrysost. hom. 3. in Gen. Pretiosum à vili separat, qui humanas mentes à reprobo antiqui hostis imitatione disjungit. Sanct. Gregor. mor. lib. 33. cap. 16. ante finem.

Ex Novo, & Patribus.

Euntes discite, quid est, misericordiam volo, non sacrificium. Matth. 9. 13. Illam patenter misericordiam se requisisse significat, quæ impenditur circa curam animarum. S. Rupertus in Os. 6.

Neminem per viam salutaveritis. Luc. 10. 4. q. d. ita sitis attenti, & festini ad iter, & ad salutem animarum; quòd de exteriori salutatione, ac aspectu viatorum, quasi non curetis. S. Thom. Aqu. in Gen. 19.

Nullum Deo omnipotenti tale est Sacrificium, quale est zelus animarum. S. Gregor. hom. 12. in Ezech. 3.

Nulla res Deo gratior est, quàm ut universam vitam ad commune commodum conferas. Idcirco ratione, atque oratione, nos Deus decoravit; mentem, atque ingenium, concessit; manus, pedes, vires corporis dedit: ut his, & nos ipsos, & proximos, tutemur. Sanct. Chrysostom. hom. 79. in Matth. 25.

Si Deum honorare conaris, non aliter meliùs, quàm in hominis salute, poteris actitare. Sanct. Laurent. Justin. de compunctione &c.

Secundum.

Exempla.

Ex Veteri.

Non videbit me homo, & vivet. Ex. 33. 20. Meritò admiratur. S. August. in solil. cur non Moyses mox exclamet: fac Domine! & moriar, ut te videam. Tam sublimis erat ejus charitas; ut potiùs voluerit vivere inter populi murmura; ut illuminaret populum in religione; quàm supremo gaudio ex visione Dei repleri. Sylveira in Act. 25. 10.

For-

Fornicatus est populus. Num. 25. 1. Iratus Hebræo Deus erat, quippe qui suam cum Moabitis Venerem coluerat. Dolebat Moyses; & ejulatu plorabant magno viri boni. vers. 6. qui *flebant ante fores tabernaculi*. Nec tamen Deum pro fletu propitiatum lego. Irruit Phinees in Hebræum malæ mentis cum bono successu: & Dominus ad Moysem. *Phinees avertit iram meam à filiis Israel*. v. 11. Oleaster: expende, quantò plus valeat ad placandum Dominum vindicta malorum, quàm lacrymæ: ut illa placaverit Dominum, & ab ira revocaverit; quod lacrymæ facere non poterat. Velloso in Judith. 7. Paran. 18.

Trahe me post te: curremus. Cant. 1. 3. idest, si traxeris, non ego sola curram; sed curabo, ut adolescentulæ animæ, aliique plures, post te currant. De Ponte hic Exh. 7. §. 4.

Donec introducam &c. Cant. 3. 4. Non tantum tenebo illum mihi; quia *charitas non quærit, quæ sua sunt*: & ideò non quiescam, donec orationibus, & prædicationibus, & exemplis, introducam eum per cognitionem, & amorem, in universum Mundum; qui domus est Sapientiæ increatæ matris meæ. Idem hic Exh. 4. §. 4.

Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam. Malach. 4. 5. Elias potiùs, quàm Moyses, vel quis aliùs, erit præcursor secundi adventus Christi. *Primò*: ob ingentem zelum, quo præ aliis prophetis ditatus fuit. Vide 3. Reg. 18. 40. Simili zelo opus erit in fine Mundi, quando refrigescet charitas. Secundo; quia, sicut sub Noe Mundus periit diluvio: ita in fine peribit igne. Moraliter hic disce: quanta virtus sit zelus, quantique Deus faciat zelosos: utpote quos velit sibi vicinos; suosque esse præcursores, & indices. Cornelius hic.

Ex Novo.

Christi Domini.

Rogabat illud quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Luc. 7. 36. Legitur Christus accessisse ad convivia invitatus. Sumebat corpore cibum, & refundebat ex ore suo in audientium corda doctrinam: & nobiliora, quàm acceperat erogabat; spiritualia pro corporalibus benignè rependens: simulque prænoscens, infiniti esse præmii, cum suscepisse hospitio. Et per corporale hospitium ad cordis interiora per fidem tendebat ingressum. Sim. Cass. l. 4. c. 10.

Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem &c. Joan. 4. 6. Perquiramus, qua de causa, & locum, & horam, & absentiam Discipulorum indicavit. *Hora erat quasi sexta &c.* Cur locum dixit? docebo: in spirituali venatione versabatur; cujus causa in locum illum se contulerat, unde poterat prædam referre. Cur autem horam quoque dixit? audi: egena erat hæc Samaritana, manuum labore victum quærebat. Hora verò sexta, quo tempore quieti à labore vacabant omnes, tum illa aquam advehebat: quod noscens Dominus, opportunitatem cœpit ad spiritualem hanc prædam venandam. Quare verò Discipulos suos ablegavit? Mulier illa paupercula erat misera, ut jam dictum; neque potuisset multorum satellitum numerum contueri. Quòd si Magistrati dignitatem vidisset, & Discipulorum cœtum; subitò fortassis aufugisset; ac præda periisset. S. Chrysostom. tom. 6. orat. in Samaritanam.

Comprehensus sum à Christo. Philipp. 3. 12. ait Paulus: eram in perditorum numero suffocabar: apprehendit me Christus: summo studio insectatus est fugientem; ut revocaret ad se. Isidorus Clarius l. 2. or. 10.

Aliorum.

Habeo sub me milites. Matth. 8. 9. Attendant hic Sacerdotes, & Clerici; qui tot habent animas ad curandum; in quibus ferè vix est unica sana: & ita solliciti sint, uti iste Centurio: qui centum milites habens sub se, & propter unum servum ægrum sollicitè tam devotè rogabat Jesum, ut sanaret eum. Hugo Card. hic.

Percurrentes universam regionem. Marci 6. 55. Vide, quanta sit fides hominum Genezareth! ut non præsentium tantùm salute contenti sint; sed mittant ad alias per circuitum civitates, quò omnes curant ad Medicum. S. Hieron.

Neque tu times Deum? Luc. 23. 40. Non solùm non advertebat mentem ad cruciatus; sed, omnibus suis relatis, res alterius curabat: & ut illum ab errore eriperet, & Magister ejus in cruce fieret, omni ope studebat. S. Chrys. hom. in Crucem.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem &c. Joan. 4. 28. Hoc signum, si diligitur Christus: quòd is, qui diligit, in ejus amicitiam alios trahit. Sim. Cass. hic lib. 11. cap. 3. De aqua gratiæ, quam acceperat, in alios refundebat. Idem ibid.

Interrogabat horam ab eis. Joan. 4. 52. Cur quærit de hora? Glossa interlin. non diffidit de misericordia Domini; sed desiderat, ut virtus divina servorum confessione plurimis innotescat.

Ascendit Petrus in superiora, ut oraret; circa horam sextam; & cùm esuriret, voluit gustare. Act. 10. 9. 10. Mirandum, cur sanctum virum post orationem fames sequatur; cùm soleat fames oratione depellii, & esuriens anima non esuriisse cibum hominum, sed salutem: nec inedia venatum esse corporis, sed inopia Credentium laborasse. Cùm enim Judaicus populus fervidus, & ingratus, illo prædicante, Christo non crederet, famem quodammodo Petrus officii sui sustinebat. Sanct. Ambros. serm. 10. de Sanctis. Apud Did. Nyssen. D. 3. Pasch. §. 1.

Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. 2. Cor. 12. 15. Si & ipsam carnem insumere oporteat; non parcam propter vestram salutem. S. Chrysost. hom. 26. hic.

Complures his in locis, ob id unum, modò Christiani non fiunt; quòd desint, qui eos faciant Christianos. Mihi verò persæpè venit in mentem, circum Europæ Academias, ac præcipuè Parisiensem, cursare, & insani risu passim vociferari; eosque, qui doctrinæ plus habent, quàm charitatis, his compellare verbis: heu! quàm ingens animarum numerus, vestro vitio exclusus cœlo, deturbatur ad inferos! utinam illi, quemadmodum litteras, ita in hanc quoque curam incumberent, ut reddere possent Deo doctrinæ, creditorumque talentorum, rationem &c. Sanct. Franc. Xaverius lib. 1. ep. 5. Societati Romam.

§. III.

Zelus animarum in periculis tutus, non pervertitur.

Figura, Symbola.

At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Gen. 8. 11. Mirum, quòd ramum olivæ, salutis signum, & victoriæ, portet columba, quæ inter putrida cadavera commorata est. Non perit; potiùs novæ pacis affert ad cellulam insignia, qui ad hominum utilitatem recessit. Dion. Carth. quandam obscurationem splendidæ contemplationis quando incurrunt servi Dei: sed redeuntes ad Dominum mox recuperare amissa contendunt; & magis, quàm antea illuminantur. Escobar tr. 5. Proph. Chr. l. 4. sect. 1. Obs. 1.

Cùm fugerent filios Israel. Jos. 10. 11. Solùm dirigebantur isti lapides in Chananæos: & cùm Judæi Chananæis fugientibus propinqui essent; lapides, plurimos de Chananæis occidentes, neminem de Judæis tetigerunt. Abulens. q. 8. Quia scilicet periculosos pro aliena salute conflictus sustinuerunt. Naxera in Jos. 10. hic.

In plateis sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans, odorem dedi. Eccl. 24. 20. Justi, & spirituales, quos sapientia cœlestis in omnibus actionibus dirigit; in locis maximè suspectis, & in quibus major peccandi occasio; majorem virtutum, devotionis, modestiæque suæ, odorem diffundunt; qui eos gratos, & spectabiles facit. Bessens D. 2. Epiph.

Simile fermento, quod acceptum mulier abscondit &c. Matth. 13. 33. Fermentum in massæ insipiditatem non transit; sed potiùs massam ad saporis sui trahit æmulationem. Justo enim agnatum est, ab iniquis sociis non solùm non perverti; sed eos ad sui imitationem allicere. Escobar tom. 6. Parab. Chr. l. 7. sect. 2. Obs. 5.

Quemadmodum radii solis contingunt quidem terram; sed ibi sunt, unde mittuntur: sic animus magnus, & sacer, & in hoc demissus, conversatur quidem nobiscum; sed hæret origini suæ. Illinc pendet, illuc spectat, ac nititur, nostris tamquam melior interest. Seneca ep. 41.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Omne opus tuum non facies in ea. Ex. 20. 10. Ita legit Tertull. Dicendo *tuum*, de humano opere definit. Opus autem salutis, & incolumitatis, non est hominis, sed Dei proprium. Tertull. lib. 4. adv. Marcionem c. 12. Pende illas particulas, opus salutis, & incolumitatis: quàm aptè opus salutis cum incolumitate copulavit Escobar t. 2. Pers. Chr. lib. 8. sect. 3. Obs. 1.

Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris, Convertentur ipsi ad te; & tu non converteris ad eos. Jerem. 15. 19. Gregorio, & Chrysostomo, authoribus, ministri Evangelici inter peccatores degentis securitas exprimitur.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Matth. 10. 16. Qua pietate, Domine, oves tuas ad lupos mittis? Cupio oves meas lupis. Sociari, ut lupos attrahant ad sui æmulationem. Non lupi vorabunt oves, sed in oves eorum exemplo convertentur. Vident enim Discipulos ab auro, argento, omnibusque abstinere divitiis, quibus avari lupi inhiant,

Isaias Abb. or. 16. præcepit Dominus eis, ut nihil acciperent in via; cùm enim nihil luporum habeant, non poterant lupi eos devorare. Escobar tom. 6. Par. Chr. l. 7. Obs. 5.

Ego vado. Joan. 8. 21. Anselmus ado sponte: & ideo frustra laboranti. Quàm aptè J. Iu incolumitas ostenditur, cùm proximorum saluti prædicando vacabat. *Hæc verba*, ait Joannes v. 20. *locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo; & nemo apprehendit eum*. Qui docendis proximis vacat, nulli periculo subjacet. Escobar tom. 5. Proph. Chr. lib. 4. sect. 1. Obs.

Nunc quærebant te Judæi lapidare &c. at Christus: *si quis ambulaverit in die, non offendit*. Joan. 11. 8. 9. Quia timebant & illi, & sibi ipsis magis dicunt: *modò quærebant te Judæi, & lapidare & iterum vadis illuc?* At ipse animat illos, & dicit: sicut, qui videt lucem, non offendit: ita & qui bonum facit, & in lucis operibus ambulat, nihil grave experietur. Theophylactus hic.

§. IV.

Zeli animarum varia motiva, & laudes.

Ex Veteri.

Ne putes &c. Esth. 4. 13. Nè putes te ideo sublimatam, ut solam salvares. Hoc est contra illos, qui non curant, nisi de seipsis. Quibus dicitur in epistola Judæ: *væ illis, qui in via Cain abierunt*; qui dixit. Gen. 4. *numquid custos fratris mei sum?* Hugo Card. hic.

Afferte Domino &c. Psalm. 28. 1. Afferte, quos sponte venire necessitas vetat, aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, aut tenent vitia, aut delicta remorantur. Sanct. Chrysol. serm. 10.

Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Prov. 24. 11. Si charitas jubet, eripi hominem à morte corporali; multò magis à spirituali, & æterna. Hoc maximè dictum sibi putent Religiosi, Sacerdotes, Concionatores sic & Cassianus coll. 2. cap. 13. hoc nomen applicat tentatis: hi enim à dæmone ducuntur ad mortem gratiæ; qui proinde leniter tractandi, & animandi. Cornelius hic.

Fulcite me floribus &c. Cant. 2. 5. Dicit hæc sponsa adolescentulis, quæ sub ejus cura erant: quasi eas rogans, ut consentiant ejus poma; quibus ipsa recreetur. De Ponte hic Exh. 39. §. 2.

Surge. Cant. 2. 10. ad lavandos alios: quia *amica es, columba, formosa*. Numquid frustrà has gratias tibi concessi? numquid talenta, quæ tibi, ad lavandos alios, dedi, abscondes in terra? si mea amica; cur non de meo lucro sollicita? si mea columba; cur non mihi fœcunda? si mea formosa; cur non progrederis foras; ut videant opera tua bona, glorificent &c. Idem hic Ex. 15. §. 1.

Veni de capite &c. Cant. 4. 8. q. d. pugnabis contra has feras Dei Verbi gladio, & vinces eas: & hos omnes montes, eorumque incolas, ac universas gentes, subjicies mihi de illis triumphabis, & coronaberis. *Corona senum filii filiorum*. Prov. 17. 6. quoniam ii, qui convertuntur ad fidem, & gratiam; corona sunt eorum, qui eos converterunt. 1. Thessal. 2. 19. *quæ spes nostra, aut gloria? gaudium, aut corona? nonne vos? Gaudium meum, & corona mea*. Philip. 4. 1. Idem hic Ex. 11. §. 4.

Quem mittam &c. Is. 6. 8. Tò *nobis* stimulus est Isaiæ, & Apostolis; ut magno animo missiones Dei suscipiant, cogitantes, se in hac re Seraphinorum esse socios, atque se ire ad opus divinum; non ex se, sed à Deo vocatos, & electos. Cornelius hic.

Ex Novo.

Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Matth. 5. 6. id est, tam ardenti affectu appetunt in omnibus justitiam observare, ut Deus honoretur in omnibus: sicut famelicus appetit cibum, & potum corporalem. Itaque esurire & sitire justitiam, quæ est virtus generalis, de qua nunc sermo, est, vehementer optare, ut omnes Deo obediant; & tam ipse, quàm alii, in bona vita proficiant. Dionys. Carthus. hic.

Sicut credidisti, fiat tibi. Matth. 8. 13. Felix, per quem etiam in alienam salutem exundant merita propria. Euseb. Gallic. hom. de Quadrag.

Sedebitis & vos judicantes &c. Matth. 19. 28. Quomodo sedebunt judicantes? cùm omnis reus etiam verbi otiosi judicandus sit; Petrus negavit, filii Zebedæi ambierunt primas cathedras, facta inter eos contentio, quis eorum videretur esse major, relicto eo omnes fugerunt? Apostolico munere, & Zelo, omnia peccata ita evacuata, acsi nunquam extitissent. Tam præclarum est munus prædicare, & convertere. Sylveira Addit. hæc.

Nè fortè non sufficiat nobis, & vobis; ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Matth. 25. 9. Feliciores, & gloriosiores forent, si sic meritis exundarent, ut sibi, & aliis, sufficere, imò abundare possent. B. Cæsarius Arel. hom. 18. Taliter vos exhibere debetis Fratres; tam sanctè; & tam justè, tam piè; ut merita vestra non solùm vobis sufficere, sed etiam peccantibus aliis in hoc sæculo possint veniam impetrare. Baeza t. 2. l. 2. c. 3. §. 14.

Abscondi talentum tuum in terra. Matth. 25. 25. Talentum illud, quod acceperat, & defoderat, servus ille, reddidit integrum: attamen dat pœnas; eò quòd non auxerat lucrum. Ita tu quidem, etiamsi ipse purus, & innocens, perseveres, cœterùm non augeas talentum, non fratrem pereuntem revoces ad salutem; eadem, quæ ille patitur, patieris. Quid magni postulo? unusquisque vestrum unum mihi fratrem ad salutem revocet. Sanct. Chrysostom. orat. adv. Judæos.

Duc in altum. Luc. 7. 4. idest, in profundum ut etiam de profundo peccatorum, homines eruantur. O si ego rudis piscator unicum piscem Domino meo Jesu capere possem! S. Bonav. s. 1. D. 3. Epiph.

Invenit hic primùm fratrem suum. Joann. 1. 41. Legitimi Christiani signum est, quòd alios Christo acquirat. Ecce Andreas, cùm primùm Christum novit, nil præs curat, quàm Christo fratrem acquirere. Hoc unum gemit Christianus, si solus sit: tunc lætus, si plures habeat fratres Christus Inde censentur Dei filii; si alium parturiant; inde censentur oves Christi, si *sterilis non sit inter eos*. Cant. 4. 2. inde inter Christianos agnos legitimè numeraberis, si gemellus fueris, si non singularis. Baeza tom. 2. lib. 6. cap. 2. §. 24.

Ego sum lux Mundi. Joan. 8. 12. Christianus, qui calorem sine luce habet. Christi Discipuli debent non modò ipsi proficere, & rem suam agere; sed curare quoque, ut & alii meliores evadant. S. Chrysost. hom. 79. ad pop. sive jejunus maneas, sive dormias humi, sive favillam comedes sive lugeas continuò; & nulli profis alteri, nihil magnum efficis. Did. Nyss. Sabb. D. 4. Quadr. §. 5.

Pasce oves meas. Joan. 21. 17. Illi quidem (Christo) licebat verbis hujusmodi Petrum affari: si me amas Petre, jejunia exerce, super nudam humum dormi, vigila continenter: Nunc verò, prætermissis omnibus his, quidnam ille ait? *pasce oves meas*. Nam, quæ modò à me dicta sunt, ea complures etiam ex subditis præstare facilè possunt; non viri solùm, sed etiam fœminæ. At verò de Ecclesiæ præfectura, de credenda huic, vel illi, tam multarum animarum cura agitur: Universa quidem muliebris natura functionis istius moli, ac magnitudini, cedat, oportet, itemque & bona virorum pars. S. Chrysost. l. 2. de Sacerdotio.

Aliis autem miseremini. Ep. Judæ vers. 23. Docet S. Judas, quàm animarum saluti incumbere debeamus. Docet præterea; hunc animarum zelum debere esse celerem, & efficacem cùm ait: *de igne rapientes*. Sicut enim, si quem puerum, vel amentem, in ignem ruere videremus; illico etiam pro viribus, etiam nolentem, & resistentem, inde raperemus: sic animas, per peccatum sponte ruentes in ignem gehennæ, omni conatu, & celeritate, etiam per vim, inde rapere debemus. Porrò omne peccatum, omnis cupiditas, est ignis; sed maximè libido. Est ignis, quia gehennæ vicina: nil enim inter libidinosum, & illam, interjacet, nisi paries fragilis corporis; quo disjecto illico ultricibus flammis addicitur. Cornelius hic.

Ex Patribus, & aliis.

Omnis bonus operarius manus Christi est. S. Ambr. or. fun. de obitu Valentiniani Imp.

Vos autem genus electum (operarios Domini alloquitur) infirma Mundi; qui dimisistis omnia, ut sequeremini Dominum; ite post eum, & confundite fortia: ite post eum speciosi pedes, & lucete in firmamento; ut cœli enarrent gloriam ejus. Ubique discurrite ignes Sancti, ignes decori: vos enim estis lumen Mundi; nec estis sub modio. Exaltatus est, cui adhæsistis; & exaltavit vos. Discurrite, & innotescite omnibus gentibus. Sanct. August. Conf. lib. 13. cap. 19.

Saluti nostræ salutem proximorum adjiciamus; præsertim cùm, qui sua contentus, negligit alienam, nec suam quidem consequi potest. S. Chrysost. hom. 60. in Matth. 18. Vide hic pulchra fusiùs.

Non mihi persuasi, salvum fieri quemquam posse, qui pro proximi salute nihil laboris impenderit: cùm neque miserum illum quicquam juverit; talentum sibi traditum non imminuisse: immo hoc ille nomine periit, quòd illud non auxisset, duplicassetque. S. Chrysost. l. 6. de Sacerdotio c. 10.

Homo est toto Mundo pretiosior: hujus enim causa, & cœlum, & terra, & mare condita, & sol, & stellæ. Perpende igitur, quanta sit dignitas ejus, cujus saluti consulitur; & nè contempseris illius curam. Nam etiamsi pecuniæ vim immen-

mensam dinumeraverit aliquis; nihil simile præstiterit ei, quod præstat is, qui servat animam, & abducens ab errore ad pietatem manu reducit. Idem or. 3. adv. Judæos.

Annuntiate peccatori opus ejus, nè ille in peccato suo moriatur: sanguinem verò ejus de manu vestra requiret, qui suo eum redimit sanguine pretioso. En, de cœlo clamat: virgo Israel corruit, & non est, qui sublevet eam. Quousque in luto aurum jacet! tollite margaritam! levate splendidissimam, atque pretiosissimam gemmam de sterquilinio. Levate eam, antequam porcorum, idest, spurcorum spirituum pedibus conculcetur. S. Bernardus ep. 203.

Si magnæ mercedis est, à morte eripere carnem quandoque morituram; quanti est meriti, à morte animam liberare, cœlesti patria sine fine victuram. V. Beda in Jacobi c. 5.

Nullum opus, nullaque commendabilis exercitii disciplina, saluti proximorum anteponenda est. Sanct. Laur. Just. Fascic. am. c. 2.

Satis me vixisse arbitrabor, & officium hominis implesse; si labor meus aliquos homines, ab erroribus liberatos ad iter cœleste direxerit. Lactantius lib. de opificio Dei.

Est quæstus planè non modicus, ubi lucrum, non pecuniarum, sed acquiritur animarum. S. Maximus hom. in Is.

Procurator est quodammodo salutis humanæ, qui non tantùm id agit, ut bonus sit; sed efficere hoc nititur, ut alii mali esse desistant. Salvianus de provid. Dei l. 7.

Jesus salutaris, vel salvator, interpretatur; & significat unumquemque, qui suam, & aliorum, salutem quærit, & operatur. Hugo Card. in Luc. 7.

Nescio, si potest homo aliquid à Deo in hac vita majus accipere; ignoro, an possit hac gratia interim majorem aliquam Deus homini conferre; quàm ut ejus ministerio perversi homines in melius mutentur; ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur, &c. Richardus à S. Vict. lib. Beniamin c. 44.

Quod scribam præterea nihil habeo: nisi, tantam esse vim & copiam gaudiorum, quæ Deus suis hujusce vineæ operariis, in hac barbarie excolenda, sedulò laborantibus elargiri solet: ut, si quæ vera est, ac solida, in hac vita jucunditas; hæc una mihi esse videatur. S. Franciscus Xaverius ep. 5. societati Romam Cocino l. 1.

§. V.

Zeli animarum proprietates, & actus.

Occurrit prius magis egenti.

Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum. Matth. 3. 23. Perambulat oppida, & vicos: quia in his parvis locis major necessitas cœlestis doctrinæ, quàm in civitatibus; ubi sunt multi Doctores. Sylveira hic.

Simon, habeo tibi aliquid dicere, &c. Luc. 7. 40. Cur Christus priùs loquitur Pharisæo, quàm Magdalenæ? S. Chrysol. s. 94. Christus illuc primùm curam vertit, ubi ignota sæviebat infirmitas: ut cœlestis medicus uno medicamine duos curaret ægrotos.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Jo. 13. 6. Origenes, Chrysost. & Euthym. ajunt, primùm Judæ lotos pedes. Causam addit Orig. ut medicina, ubi magis morbus urgebat, citiùs adhiberetur. Escobar t. 3. Colloq. Chr. l. 3. sect. 2. §. 3.

Nullus locus ei vilis.

Vox Dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea. Cant. 5. 2. Strabus: Sto ad ostium, id est, inspiro. Anselmus: sto ad ostium, id est, cor clausum, vel induratum. Quid tibi, Fili Dei, cùm peccatorum habitaculo? Et rogas, & cupis, ut aperiant? in platea Dominus? noctu cœlestis vagatur sponsus? S. Aug. Conf. l. 4. c. 11. noli esse vana anima mea, & obsurdescere. Verbum ipsum clamat; & ibi est locus quietis imperturbabilis. Ibi est locus quietis? ibi: ubi clamat, ubi pulsat: in platea, in foro, tam decenter commoratur; acsi in cœlesti throno resideret. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 9. sect. 4. obs. 6

Vidit alios stantes in foro otiosos. Matth. 20. 3. Tanta est Domini pietas, ad peccatores adducendos; ut, postquam eos in locis abditis non invenit, vel ad forum, sibi invisum, eos quæsiturus egrediatur. Orig. forum est, quod extra vineam, aut Christi domum, est s. an non forum authoritati Domini indignum, ubi rustici commorantur? Nullus locus Sacerdotalis authoritate indignus, si inibi animarum salus reperiatur. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 9. sect. 4. obs. 6.

§. VI.

Zelus animarum sit universalis; non loco, non personis affixus.

Christi Domini.

Deus magnus Dominus. Ps. 94. 3. Cur tam magnus? quia *in manu ejus sunt omnes fines terræ. Ego flos campi.* Cant. 2. 1. quia per totius orbis latitudinem odoris mei gratiam innotescere cupio. V. Beda hic.

Ego veniam, & curabo eum. Matth. 8. 7. Redemptor noster, ut ostenderet; quia, quæ alta sunt hominum, despicienda sunt; & quæ despecta sunt hominum despicienda non sunt: ad filium Reguli ire noluit. Joan. 4. ad servum Centurionis ire paratus fuit. S. Gregor. hom. 28. in Evang.

Intravit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam. Luc. 4. 16. Dominus non venerat, ut prodesset uni; sed ut prodesset multitudini: ideò in Sabbato consueverat intrare in Synagogam, & prædicare: quia tunc omnes ibi conveniebat. Hugo Card. hic.

Et quid volo, nisi ut accendatur? Luc. 12. 49 Pro, *& quid volo*, si jam accensus est? significatur per hoc: quòd ex quo cœperat accendi igni amoris spiritualis in Discipulis, desiderabat, ut extenderetur ad universum Mundum. Cajetanus hic.

Aliorum.

Egressus est Joseph ad terram Ægypti, & circuivit omnes regiones Ægypti. Genes. 41. 46. Regius Vicarius, assumpta Ægypti procuratione, obibat ejus regionis præfecturas, & oppida; omnibus novum Magistratum officiosè, & hilariter excipientibus: quos tum beneficiis, tum comitate, sibi devinciebat; elucente in ipso vultu hominis eximia quadam gratia. Philo l. de Joseph.

Dominus misit me usque in Bethel. 4. Reg. 2. 2. Ait Elias ad Elisæum per turbinem ascensurus; quædam urbes priùs, & loca visitavit. Qua diligenter perlustrata rursus ait Elisæo: *Dominus misit me in Jericho.* v. 4.

Qua etiam lustrata rursus ei ait: *Dominus misit me usque ad Jordanem.* v. 6. ubi erant aliqua tuguria, & exiguæ domus. Quibus omnibus locis peragratis, igneo curru in sublime vehitur. v. 11. Quid habent tales visitationes cum migratione? quia maximè præparat ad ascensum in cœlum; non solùm amplas urbes, sed etiam parva loca invisere. Sylveira in Joan. 16.

Inde contemplatur escam. Et ubicumque cadaver, statim adest. Job 39. 29. 30. E cella desilimus, & promptiùs, & feliciùs, ad cadavera. Si non habitemus in silice, non ad cadavera; sed ad florulentos, & epulantes descendemus. Ad cadavera advolandum, idest, peccator requirendus. *Secundò*: non satis est, quòd impigrè ad impios, vel nostri indigos, properemus; sed ubicumque hi jacuerint, & nostram implorarint opem; accurrendum. Oliva l. 4. Strom. §. In arduis ponet nidum suum.

Si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam &c. Matth. 10. 13. Quis in ea dignus sit: non quis in ea dives sit; non quis habens bonum hospitium: sed quis dignus regno cœlorum. Cajetanus hic.

Nemo lucernam accendit &c. Luc. 8. 16. *Ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Matth. 5. 15. Videris; an omnibus luceas? qui ad juvandos divites aliger es, compeditus, & plumbeus ad pauperes. Lucerna es, ut omnibus luceas. Idem lib. 13. Strom. hic.

§. VII.

Zelus animarum quas virtutes requirat.

Num. I.

Spernat terrena, non quærat sua, &c.

Oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde. Ps. 30. 13. Idest, à propria voluntate. Bona oblivio, si teipsum nescias, ut proximo profis. S. Bernardus ep. 42.

Sequere me. Matth. 9. 9. Non dixit, affer ad me: quia Matthæum, non Matthæi, sacculos requirebat. Sanct. Chrysolog. ser. 28.

Gratis accepistis, gratis date. Matth. 10. 8. Quare non vendis ò sol lucem tuam? gratis accepi, gratis communico. Quare non vendis Rhene aquam tuam? gratis accepi, gratis fundo. Solus miser homo vendit gratiam sibi collatam. S. Bonaventura s. 2. hexam.

Introivit domum Simonis &c. Luc. 4. 38. Videtis, quæ res ad domum Petri invitaverit Christum? utique non discumbendi voluptas, sed jacentis infirmitas; non prandendi necessitas, sed

sed salutis occasio; divinæ virtutis opus, non humani pompa convivii. Christus, non epulas perceptuus, sed vitam redditurus intravit. Deus quærit homines, non humana: cœlestia dare cupit; non concupiscit invenire terrena. S. Chrysol. s. 18.

Et ipse avulsus est ab eis &c. Luc. 22. 41. Oraturus vel ab ipsis Discipulis avellitur. Vix aliquid præstare possumus, si non ab omnibus avellamur. Contrà quid non magnum à nobis præstabitur, si nulli creaturæ hæreamus. Magna geremus licèt minimi; si tamen à rebus omnibus sejungamur. *Lapis* prope Babylonem. Dan. 2. 34. devolutus è monte, parvus erat; sed vix excisus è rupe, sceleris grandem molem evertit. Ideo Paulus *segregatus* fertur *in Evangelium*. Rom. 1. 1. nec enim propagando Christi nomini aptus is est, qui ab omnibus etiam amicis separatus non est. Abraham facturus est magna; sed postquàm abierit è patria, & cognatis. Gen. 12. 1. Oliva l. 13. Strom. Luc. 22.

Habebat in dextera sua stellas septem; & de ore ejus gladius. Apoc. 1. 16. Septem stellæ, septem Ecclesiæ Asiæ Joannis curæ commissæ. Joannes, vis ad tua verba tremere Asiam? omnes observent: te nil aliud amare, manibusque tractare, quàm eorum commoda, Stellæ in manu gladios in ore generant, & verba in hostilia mutant: tum Prælatus omnis obsequitur? si se, suaque non cupiant. Oliva t. 1. conc. 20.

Non purè valet Dei, & proximi, quærere lucra, qui propria non contempserit. S. Bernardus ep. 42.

Num. II.

Humilitas.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis. Ex. 3. 2. Cur in igne Dominus? Eductus ex Ægypto filios Israel, Moysem ablegabat: ideoque ex igne cum docere voluit, qualis esse debeat populorum, & animarum liberator. Ignis enim, cùm elementorum primas sit, & in cœlo regni sui sedem habeat; ut Deo tamen obsequatur; non recusat infra omnes esse, & Inferno concludi ad impiorum pœnam, factus ex supremo postremus. Quique in cœlo blanditur, non urit; in gehenna nocentes immanissimè torquet. Qui animarum curæ destinatur, licèt excelsa teneat, infima non declinet. Et licèt mitissimus sit, cùm stellis circumdatur; furere debet, & sævire, quando perduellibus immiscetur. Oliva lib. 9. Strom. §. apparuitque Dominus, &c.

Usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Matth. 2. 9. Licèt cœlestem fuerit originem nacta, non dedignatur demitti ad stabulum usque; ut hominibus præbeat ducatum. Baeza tom. 1. l. 1. c. 8. §. 7.

Tantò humiliùs impendat quisque proximo omne bonum, quod potest; quantò certissimè novit, quòd à semetipso non potest habere, quod impendat. V. Beda in 1. Petri 3.

Num. III.

Pura intentio, & alia requisita.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Matth. 10. 16. Qui vult esse verus servus Christi, & Apostolus: cogitet, se mitti quasi ovem inter lupos: ac proinde sit prodigus vitæ, æstimet se perditum; sit resolutus ad labores, cruces, mortem pro Christo. Dux Albanus, Capitaneus Generalis exercitus Caroli V. habebat quadringentos juvenes animosos, & resolutos; quos vocabat prodigos vitæ & perditos, *Maghdib*. Hos in conflictu immittebat seorsim in latus hostium fortius: illi: ut audacissimi, pugnacissimi, & certi mori, turbabant ordines hostium; eosque rumpendo ordinariè pariebant victoriam. Corn. hic.

Diligis me plus his? Joann. 21. 15. Ecce, quòd potiùs diligentibus committitur cura animarum: etenim in illa virtus amoris plus, quàm sapientia operatur. Quoniam qui Christum in veritate non diligit, nec per sapientiam bene gubernabit Dominicum gregem. Sim. Cass. l. 24. hic.

Amas me? pasce oves meas. Joann. 21. 15. Quid est aliud, quàm si diceretur: si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas: sicut meas pasce, non sicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam; dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua. S. August. tr. 123. hic.

Necesse est, eum, qui vult etiam aliis prodesse, multa pati, & cuncta ferre patienter; sicut de Paulo dictum est: *ego ostendam ei, quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Orig. hom. 27. in Num.

§. VIII.

Priùs tibi intende, Zelum exerce sinè tuo damno.

Ex Veteri.

Reversus est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala. Jos. 10. 43. Suppetias fert Gabaonitis, in hostes irruit, diem producit, sed integro numero ad castra reversus. Vita quidem, ob charitatem periculis exponenda; sed virtus minuenda numquam. S. Gregor. in 1. Reg. 10. Redemptor noster sic vult nos quærere salutem alienam, ut nos negligamus nostram: vult, ut vocentur peccatores ad pœnitentiam; sed non vult, ut pereant hi, qui ipsos peccatores vocant. Vult, ut conversus peccator justitiam, quam non habuit, habeat; sed non vult, ut justus eam, quam habet justitiæ palmam perdat. Naxera hic §. 51.

Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum. Psal. 28. 1. Priùs sis filius Dei, quàm ea offeras, quæ grata sunt, Deo. S. Basilius hic.

Surge, amica mea, formosa mea &c. Cant. 2. 10. Non vocatur, quæ vitiis est denigrata, vel adhuc parum firma; sed quæ jam est amica Dei per gratiam; quæ novit voluntatem ejus facere per exactam obedientiam; cuique divina secreta commissa sunt per intimam contemplationem. Debet esse columba per simplicem intentionem; mansuetus sine felle; pro peccatis suis, & alienis gemere: formosa exemplo. De Ponte hic Ex. 15. 2.

Ex Novo.

Quid molesti estis huic mulieri? Matth. 26. 10. Nonnumquam ego, cùm sederem ad pedes Jesu merens, & offerens sacrificium spiritus, contribulati in recordatione peccatorum meorum; aut certè ad caput, si quando, vel rarò, starem, & exultarem in recordatione beneficiorum ejus; audivi dicentes: *ut quid perditio hæc?* Causantes videlicet, quòd soli viverem mihi; qui (ut putabant) multis prodesse possem. Et dicebant: *potuit enim venundari multo, & dari pauperibus.* Sed non bonum mercatum mihi est, etiamsi universum Mundum lucrer, me ipsum perdere, & detrimentum mei facere. S. Bernardus s. 12. in Cant.

Cùm accepisset linteum, præcinxit se. Joan. 13. 4. Præcingit se linteo Dominus, & Salvator, ad nitiditatem sui, & in absterione abluendorum: ut sic alios lavet, aut tergat; nè se ipsum commaculet. Vigilent, qui præsunt; ut taliter alios adjuvent, nè seipsos periculis peccatorum exponant: nè, dum alios abluunt, aut tergunt, ipsi turpentur. Nos virtute præcingi debere præmonstrant, antequam ad proximorum obsequia procedamus: nè, dum servimus in necessariis proximo, in magis debitis displiceamus Deo: & dum alienæ intendimus perficiendæ saluti, propriam nos ipsi perdamus: & nè incidamus in illam maculam, quam in aliis affectamus abstergere. Sim. cass. l. 13. 5.

Ut eatis, & fructum afferatis. Joan. 15. 16. Non ait, & fructum mittatis, sed *afferatis*. Qui aliquid mittit, non ipse venit cum eo, quod mittit. Vult Deus alios ad se adduci, & nos simul cum illis veniamus. *Affer ut comedam.* Genes. 27. 4. *Afferte filios arietum.* Ps. 28. 1. Ita notat Hugo Card. apud Pinnam in Eccl. Ethol. 155.

Miseremini in timore. Judæ 23. Docet sanctus Judas, charitatem debere esse prudentem, & circumspectam; nè dum alios vis salvare, teipsum perdas. Sicut debiles, qui manum natantibus jam submergendis porrigunt, ut eos extrahant, ab iis, utpote validioribus, in undas protrahuntur, & merguntur. Cornelius hic.

Ex Patribus, & aliis.

Parum proficit sibi, quamquàm alteri intendat, qui erga se minus sollicitus est. O quàm multos in gremio suo nutrit Ecclesia, qui adeò aliis vacant, ut de se vix cogitent. S. Laur. Just. tr. de compunct.

Fervor tuus agat in te priùs, & postea remotiora, calefacit regula ingenii tui, & zelus justitiæ tuæ, primùm formet te in exemplar artis tuæ aliis imitandum. S. Bonavent. de inform. spir. vitæ c. 17.

Acquirere animas exemplo, & doctrina, omnium Regi Christo, magni est meriti, sed non professionis omnium: acquirere seipsum, tota est, & omnium, Christiana professio. Sim. Cass. l. 4. c. 2.

TITULUS ULTIMUS.

ZELUS HONORIS DIVINI.

Erat cor ejus ardens pro arca Dei. 1. Reg. 4. 13. Heli cœtera malus, in hoc bonus; audiens arcam captam, *cecidit*. Non doluit, acceptam cladem, fugam militum libertatem perditam; excidium principatus, liberorum mortem. *Erat enim &c.* O elogium! Hic est spiritus Sacerdotii, nihil aliud, præter Sanctuarium, cogitare &c. Oliva tomo 1. conc. 2.

Quoniam irritaverunt te Domine, Psalm. 5. 11. Non curo, inquit, res mea; sed propter ea, quæ tua sunt, angor, & in animo crucior. S. Basilius hic! Est hoc Sanctorum; ut res quidem suas negligant; pro his verò, quæ Dei sunt, decertent. Pinna Eth. 116.

Statuerunt dimicare, & confligere fortiter; ut virtus de negotiis judicaret. Erat enim pro uxoribus, & filiis, itemque pro fratribus, & cognatis, minor sollicitudo: maximus verò, & primus, pro sanctitate, timor erat templi. 2. Machab. 15. 18.

Et cùm fecisset quasi flagellum &c. Joan. 2. 16. Cur per seipsum ejicit vendentes? quia talis ejectio pertinebat ad Dei cultum: quia quæ ad Dei honorem spectant, licèt vilia appareant, ea obire nè vereamur. Sylveira hic q. 10.

Canes latrant pro dominis; & tu non vis latrare pro Christo? mori possum; tacere non possum. Sanct. Hieron. lib. 3.

O. A. M. D. G.



TEX

TEXTUS SACRI

EX UTROQUE TESTAMENTO,

Qui in hoc secundo Tomo citantur, & explicantur, servato ordine Librorum, Capitum, & Versuum.

Liber Genesis.

Caput 1.

IN principio creavit Deus cœlum, & terram. P. t. 25. §. 1. S. t. 14. §. 1.
Terra erat inanis, & vacua. T. t. 8. §. 3.
Spiritu Dei ferebatur super aquas. P. t. 34. §. 2. S. t. 36. §. 1. §. 3. §. 4. §. 9. §. 10. T. t. 8. §. 3.
Dixit Deus: fiat lux, & facta est lux. V. t. 15. § 4. §. 10.
Factum est vespere, & manè, dies unus. M. t. 23. §. 3. P. tit. 18. §. 6.
Fiat firmamentum in medio aquarum. S. tit. 33. §. 11. T. t. 8. §. 2.
Fecit Deus firmamentum, divisitque aquas &c. S. t. 28. §. 1.
Fiant luminaria in firmamento cœli; & dividant diem ac noctem. P. t. 36. §. 1.
Fecit Deus duo luminaria magna. O. t. 6. §. 2.
Luminare majus, ut præesset diei; & luminare minus, ut præesset nocti. P. t. 17. §. 1.
Creavit Deus cete grandia &c. S. t. 26. §. 4. S. t. 41. §. 18.
Benedixitque eis, dicens; crescite, & multiplicamini. T. tit. 8. §. 4.
Producat terram animam viventem in genere suo; jumenta, & reptilia, & bestias terræ. S. t. 41. §. 1. T. t. 8. §. 2.
Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. M. t. 25. §. 1. n. 2. S. t. 43. §. 18.
Creavit Deus hominem ad imaginem suam. P. t. 18. §. 4.
Viditque Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona. P. t. 25. §. 3.

Caput 2.

Perfecti sunt cœli, & terra. P. t 5. §. 1.
Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat. M. t. 22. §. 1. n. 4. M. t. 25. §. 1.
Requievit die septimo ab universo opere, quod petrarat. P. t. 5. §. 1. P. t. 9. §. 18. Q. t. 3. §. 1.
Benedixit diei septimo. P. t. 11. §. 10. R. t. 2. §. 1.
In die, quo fecit Dominus cœlum, & terram. S. t. 22. §. 7.
Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. S. t. 16. §. 1.
Lignum scientiæ boni, & mali. V. t. 18. §. 1.
Nomen ubi Phison. M. t. 18. §. 6.
Posuit eum in paradiso voluptatis; ut operaretur, & custodiret illum. O. t. 10. §. 2.
Ex omni ligno paradisi comede &c. O. t. 1. § 3. §. 10.
In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. T. t. 10. §. 5.
Non est bonum, hominem esse solum. M. t. 19. §. 14.
Immisit Dominus Deus soporem in Adam. M. t. 11. §. 5. M. t. 22. §. 19. M. t. 23. §. 1. P. t. 29. §. 8. V. t. 16. §. 9.
Omne, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus. N. t. 3. §. 6.
Adduxit ea ad Adam. M. t. 11. §. 5.

Caput 3.

Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi. S. t. 24. §. 2.
Cui respondit mulier: de fructu lignorum &c. O. t. 4. §. 5.
Præcepit-nè tangeremus illud; nè fortè moriamur. O. t. 4. §. 3. O. t. 10. §. 3.
Nequaquam morte moriemini. M. t. 14. §. 1.
Aperientur oculi vestri. O. t. 1. §. 18.
Eritis sicut dii. O. t. 1. §. 17.
Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & tulit de fructu illius &c. O. t. 8. §. 1.
Cùm cognovissent, se esse nudos; consuerunt sibi folia ficus &c. O. t. 1. §. 22.
Cùm audissent vocem Domini Dei ambulantis in paradiso. P. t. 13. §. 15.
Ad auram post meridiem. P. t. 13. §. 13.
Abscondit se Adam, & uxor ejus à facie Domini in medio ligni paradisi. P. t. 13. §. 2.
Adam ubi es. M. t. 4. §. 3. M. t. 19 §. 6. P. t. 13. §. 1. n. 3. §. 9.
Vocem tuam in paradiso audivi; & timui; eò quòd nudus essem. P. t. 13. §. 12.
Serpens decepit me. P. t. 13. §. 10.
Maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ. S. t. 11. §. 4.
Super pectus tuum gradieris. O. t. 2. §. 3. V. t. 19. §. 1.
Terram comedes. P. t. 13. §. 11.
Inimicitias ponam inter te, & mulierem. S. t. 41. §. 4.
Ipsa conteret caput tuum. T. t. 5. §. 6.
Multiplicabo ærumnas tuas. M. t. 11. §. 3.
In dolore paries. P. t. 22. §. 3. §. 15.
Pulvis es, & in pulverem reverteris. P. t. 13. §. 16.
Fecit Dominus Deus Adæ, & uxori ejus, tunicas pelliceas, & induit eos. M. t. 25. §. 14. P. t. 35. §. 6.
Ejecitque Adam: & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium &c. P. t. 15. §. 23. T. tit. 11. §. 3.

Caput 4.

Adam cognovit uxorem suam. V. t. 14. §. 2.
Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: S. t. 3. §. 3.
Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit. M. tit. 24. §. 2.
Iratus est Cain Vehementer. P. t. 19. §. 3.
Egrediamur foras. O. t. 4. §. 2.
Consurrexit Cain adversùs fratrem suum. P. t. 15. §. 24.
Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. O. t. 8. §. 1. S. t. 11. §. 2.
Maledictus eris super terram. P. t. 14. §. 10.
Omnis, qui invenerit me, occidet me. T. t. 10. §. 2.
Egressus Cain à facie Domini. P. t. 15. §. 5.
Ædificavit civitatem. P. t. 13. §. 12.
Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel. P. t. 15. §. 24.

Caput 5.

Factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta; & mortuus est. M. t. 22. §. 2.
Vixit Seth centum quinque annis, & genuit Enos. V. tit. 16. §. 6.
Non apparuit; quia tulit eum Deus. M. t. 22. §. 14.
Iste consolabitur nos ab operibus manuum nostrarum. P. t. 13. §. 7.

Caput 6.

Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ &c. P. t. 13. §. 16.
Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. M. t. 19. §. 13. n. 2.
Gigantes erant super terram. S. t. 41. §. 3.
Noe vir justus &c. S. t. 26. §. 3.
Corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate. M. t. 13. §. 1. N. t. 3. §. 6. P. t. 14. §. 5.
Omnis caro corruperat viam suam super terram. M. tit. 21. §. 2.

Fac

Fac tibi Arcam. P. t. 5. §. 1.
Fenestram in arcam facies &c. P. t. 9. §. 15.
Mansiunculas in arca facies. T. t. 11. §. 15.
Ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in Arcam. M. t. 4. §. 3.

Caput 7.

Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, & septena &c. P. t. 9. §. 13.
Ingressus est Noe in arcam propter aquas diluvii, P. tit. 35. §. 2.
Cùm transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram. M. t. 16. §. 19.
Inclusit eum Dominus de foris. M. t. 18. §. 9. N. t. 1. §. 9. S. t. 30. §. 1.
Factum est diluvium quadraginta diebus super terram. P. t. 43. §. 2. Q. t. 1. §. 1.

Caput 8.

Recordatus Deus Noe. M. t. 19. §. 2.
Dimisit corvum, & non revertebatur. P. t. 13. §. 28. R. t. 2. §. 2. R. t. 6. §. 3.
Reversa est ad eum in arcam. M. t. 18. §. 12. S. t. 30. §. 1.

Caput 9.

Benedixit Deus Noe, & filiis ejus. O. t. 1. §. 14.
Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum. O. t. 8. §. 1. V. t. 10. §. 2.
Arcum meum ponam in nubibus. P. t. 22. §. 2.
Noe plantavit vineam. V. t. 12.

Caput 10.

Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra. O. t. 8. §. 1.

Caput 11.

Faciamus nobis civitatem. P. t. 22. §. 7.

Caput 12.

Egredere de terra tua, & de cognatione tua - & veni in terram, quam monstrabo tibi. M. t. 24. §. 1. n. 2. M. t. 25. §. 10. T. t. 8. §. 3. n. 8.
Egressus est Abraham - & ivit cum eo Loth. O. t. 1. §. 8.
Fuerunt ei oves, & boves, & asini, & servi &c. S. t. 21. §. 4.

Caput 13.

Elegit sibi Loth regionem circa Jordanem, & recessit ab Oriente. S. t. 26. §. 5.
Faciam semen tuum sicut pulverem terræ. T. t. 8. §. 4.

Caput 14.

Vallis sylvestris habebat puteos multos bituminis. M. tit. 25. §. 5.

Caput 15.

Factus est sermo Domini ad Abraham in visione noctis. S. t. 30. §. 4.
Noli timere Abraham: ego protector tuus sum. T. t. 10. §. 12.
Numera stellas, si potes &c. P. t. 28. §. 1.
Descenderunt volucres super cadavera. P. t. 19. §. 3.
Abigebat eas Abraham. M. t. 22. §. 12.
Tu ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. M. t. 22. §. 23.
Generatione quarta revertentur huc. T. t. 11. §. 18.

Caput 16.

Ambula coram me, & esto perfectus. P. t. 15. §. 5.
Appellaberis Abraham. P. t. 11. §. 15.
Infans octo dierum circumcidetur in vobis. S. t. 22. §. 4.
Vocabis nomen ejus Isaac. N. t. 1. §. 1.

Caput 18.

Apparuit ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi. M. t. 22. §. 4.
Si inveni gratiam in oculis tuis; nè transeas servum tuum. M. t. 18. §. 8. n. 3.
Erant ambo senes, provectæque ætatis. S. t. 15. §. 6.
Negavit Sara dicens: non risi, timore perterrita. M. tit. 14. §. 1.
Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ, multiplicatus est &c. P. t. 13. §. 22.

Caput 19.

Venerunt duo Angeli Sodomam vespere. M. t. 15. §. 1. M. t. 25. §. 7. O. t. 4. §. 6.
Visus est eis quasi ludens loqui. O. t. 3. §. 2.
Noli respicere post tergum. O. t. 4. §. 3.
Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva. O. t. 1. §. 21. n. 5.
Festina, & salvare ibi: quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. P. t. 35. §. 8.
Respiciens uxor ejus post se, versa est in statuam salis. P. tit. 22. §. 14. P. t. 24. §. 20.

Caput 21.

Ablactatus est: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus. R. t. 10. §. 1.
Ejice ancillam hanc, & filium ejus. M. t. 24. §. 1. n. 2. P. t. 15. §. 23. R. t. 8. §. 6.
Durè accepit hoc Abraham. P. t. 2. §. 8.
Tradidit puerum, & dimisit eam. M. t. 10. §. 1.
Factus est sagittarius. T. t. 11. §. 5.

Caput 22.

Abraham, Abraham. V. t. 18. §. 6.
Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac &c. O. t. 1. §. 13. §. 18. S. t. 3. §. 1.
Offeres eum in holocaustum. S. t. 3. §. 2.
Igitur Abraham de nocte consurgens stravit asinum &c. O. t. 1. §. 9.
Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus. M. t. 22. §. 4.
Quid vis fili. T. t. 11. §. 9.
Ecce ignis, & ligna: ubi est victima holocausti. O. t. 1. §. 13. §. 18.
Cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. P. t. 2. §. 3.
Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum. O. t. 1. §. 3.
Non extendas manum tuam super puerum. O. t. 1. §. 19. V. t. 15. §. 7.
Vidit post tergum arietem inter vepres hærentem. P. tit. 24. §. 9.
Appellavit nomen loci illius: Dominus videt. S. t. 3. §. 2.
Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti &c. O. t. 7. §. 13. V. t. 18. §. 2.
Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli; & velut arenam, quæ est in littore maris. O. t. 6. §. 4.

Caput 23.

Vixit Sara centum viginti septem annis; & mortua est. M. t. 11. §. 3.
Audi nos Domine: princeps Dei es apud nos. M. tit. 18. §. 14.
Det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui. R. t. 7. §. 1.

Caput 24.

Puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam, ut bibam - ipsa est &c. P. t. 35. §. 3.
Non comedam - donec loquar sermones meos. S. t. 5. §. 2.
Non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum. P. t. 2. §. 5.
Egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata jam die. M. t. 22. §. 1.

Caput 25.

Abraham deficiens mortuus est in senectute bona. M. tit. 22. §. 10.
Collidebantur in utero ejus parvuli. P. t. 19. §. 3.
Major serviet minori. M. t. 4. §. 1.
Isaac amabat Esau: eo quòd de venatione illius vesceretur. P. t. 2. §. 3. V. t. 4. §. 13.
Da mihi de coctione hac rufa. P. t. 13. §. 3. §. 9. T. t. 8. §. 6.
Vende mihi primogenita tua. P. t. 15. §. 14.

Caput 26.

Sevit Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum. M. t. 2. §. 3. O. t. 1. §. 21. n. 6. P. t. 35. §. 7.
Ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. P. t. 32. §. 1.
Nostra est aqua, quam ob rem nomen putei - vocavit Calumniam. P. t. 9. §. 25.

Caput 27.

Affer mihi duos hædos. P. t. 24. §. 5.
Nosti, quòd Esau frater meus homo pilosus est; & ego lenis. S. t. 35. §. 4.
Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. P. t. 5. §. 1. V. t. 15. §. 5.
Det tibi Deus de rore cœli &c. O. t. 7. §. 1. S. t. 30. §. 2. T. t. 8. §. 3.
Irrugiit clamore magno. P. t. 2. §. 4.
Vives in gladio. M. t. 5. § 2. M. t. 16. §. 1.
Fratri servies. O. t. 1. §. 14. T. t. 11. §. 5.
Oderat semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater. T. t. 5. §. 4.

Caput 28.

Tulit de lapidibus, qui jacebant; & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. M. t. 24. §. 1. n. 2. R. t. 8. §. 6.
Vidit in somnis scalam. M. t. 25. §. 4. O. t. 9. §. 1.
Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes. S. t. 41. §. 3. V. t. 1. §. 7.
Verè non est hic aliud, nisi domus Dei. T. t. 3. §. 2.

Caput 29.

Gregem ipsa pascebat. O. t. 6. §. 4.
Amovit lapidem, quo puteus claudebatur. O. t. 3. §. 2.
Serviam tibi pro Rachele filia tua minore septem annis. P. t. 9. §. 16.
Servivit Jacob pro Rachele septem annis. M. t. 11. §. 4.
Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. P. t. 5. §. 6.
Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. P. t. 9. §. 19. P. t. 24. §. 23.

Ca-

Caput 30.

Recordatus Dominus Rachelis exaudivit eam &c. M. tit. 19. §. 2.

Caput 31.

Et tempore jerat Laban ad tondendas oves, & Rachel furata, est idola patris sui. O. t. 4. §. 1.
Scrutantique omne tentorium, & nihil invenienti, ait &c. O. t. 2. §. 2.

Caput 32.

Minor sum cunctis miserationibus tuis - eruę me de manu fratris mei Esau. O. t. 9. §. 18. n. 5.
Ecce vir luctabatur cum eo usque mane. O. t. 9. §. 6. §. 18. §. 22 num. 4.
Dimitte me: jam enim ascendit aurora. O. t. 6. §. 3. V. t. 16. §. 10.

Caput 33.

Divisit filios Liæ, & Rachel. S. t. 5. §. 2.

Caput 34.

Tristemque delinivit blanditiis. P. t. 13. §. 25.

Caput 35.

Surge, & ascende Bethel, & habita ibi. P. t. 9. §. 6.
Mundaminj, & mutate vestimenta vestra. P. t. 24. §. 26.
Infodit ea subter terebinthum. M. t. 22. §. 13.
Non vocaberis ultrà Jacob; sed Israel erit nomen tuum. V. t. 9. §. 5.
Terror Dei invasit omnes per circuitum civitates. O. titul. 4. §. 4.
Hæc est Bethlehem. N. t. 1. §. 1.

Caput 37.

Eò quòd in senectute genuisset eum. P. t. 2. §. 7.
Fecit ei tunicam polymitam. O. t. 1. §. 1. R. t. 8. §. 1. V. t. 16. §. 4.
Putabam, nos ligare manipulos in agro &c. P. t. 9. §. 3. R. t. 13. §. 1.
Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas undecim, adorare me. M. t. 9. §. 1. P. t. 9. §. 16.
Veni, mittam te ad eos. O. t. 1. §. 8.
Ecce somniator venit. P. t. 35. §. 10.
Projicite eum in cisternam hanc. T. t. 11. §. 9.
Vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis. P. t. 17. §. 2.
Vide, an tunica filii tui sit, an non. M. t. 9. §. 1.
Scissis vestibus indutus est cilicio. M. t. 22. §. 19.

Caput 39.

Injecit domina sua oculos suos in Joseph. O. t. 5. §. 3.
Relicto in manu ejus pallio fugit. O. t. 4. §. 9.

Caput 40.

Accidit, ut peccarent duo eunuchi. M. t. 26. §. 1. P. t. 18. §. 2.
Videbam coram me vitem &c. P. t. 34. §. 7.
Expressi in calicem. P. t. 5. §. 10.
Auferet Pharao caput tuum. T. t. 2. §. 1.
Restituit alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum. M. t. 22. §. 1. n. 4.

Caput 41.

Post duos annos vidit Pharao somnium. T. t. 11. §. 5.
Putabam, me stare super fluvium &c. T. t. 4. §. 1.
Eductum de carcere totonderunt. T. t. 11. §. 5. §. 10.
Tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus. T. t. 11. §. 4.
Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. P. t. 11. §. 14. n. 4. T. t. 11. §. 14.

Caput 42.

Beniamin domi retento à Jacob - nè fortè in itinere quidquam patiatur mali. M. t. 22. §. 4.
Recordatus somniorum, quæ aliquando viderat. O. t. 2. §. 5.
Exploratores estis; ut videatis terræ infirmiora venistis. O. t. 2. §. 6.
Fratrem vestrum minimum adducite. M. t. 24. §. 1. n. 2.
Meritò hæc patimur: quia peccavimus in fratrem nostrum &c. P. t. 13. §. 12.

Caput 43.

Sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera. M. t. 26. §. 1.

Caput 44.

Scyphum meum pone in sacco junioris. P. t. 15. §. 14.
In quo augurari solet. V. t. 12.
Invenit scyphum in sacco Beniamin. P. t. 9. §. 13.

Caput 45.

Ego sum Joseph. P. t. 14. §. 6. n. 3.
Joseph filius tuus vivit. P. t. 13. §. 2.

Caput 47.

Jura mihi. R. t. 12. §. 1.
Adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput. P. t. 9. §. 8.

Caput 49.

Vocavit Jacob filios suos, & ait eis: congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sint vobis in diebus novissimis. M. t. 22. §. 11. §. 10.
Lavabit in vino stolam suam. P. t. 5. §. 7. n. 2.
Issachar asinus fortis. T. t. 8. §. 9.
Vidit requiem, quòd esset bona. P. t. 9. §. 18.
Salutare tuum expectabo Domine. S. t. 5. §. 1.

Caput 50.

Quo ascendente jerunt cum eo omnes senes. R. t. 8. §. 2.
Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum. P. t. 35. §. 10.
Asportate ossa mea vobiscum de loco isto. M. t. 22. §. 20. P. t. 2. §. 6.

Liber Exodus.

Caput 1.

Hæc sunt omnia filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob. P. t. 13. §. 13.
Quo mortuo, & universis fratribus ejus filii Israel creverunt. M. t. 23. §. 1.
Ædificaverunt urbes tabernaculorum Pharaoni. P. t. 13. §. 5.
Quantoque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant. P. t. 19. §. 2.
Quidquid Masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite. P. t. 13. §. 13. §. 21. P. t. 22. §. 13. P. t. 34. §. 10.

Caput 2.

Cui soror pueri: vis inquit, ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam; quæ nutrire possit infantulum. M. t. 25. §. 10.
Quem illa adoptavit in locum filii. P. t. 2. §. 5.
Vocavit nomen ejus Moyses, dicens: quia de aqua tuli eum. M. t. 15.
Percussum Ægyptium abscondit sabulo. V. t. 15. §. 9.

Caput 3.

Moyses pascebat oves Jethro. O. t. 1. §. 21. P. t. 11. §. 15. S. t. 43. §. 18.
Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. M. t. 15. P. t. 11. §. 10. P. t. 19. §. 6. R. t. 1. §. 2. S. t. 30. §. 3. & 4. T. t. 11. §. 8.
Videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. T. t. 11. §. 2.
Vadam, & videbo visionem hanc magnam; quare non comburatur rubus. P. t. 9. §. 1.
Nè appropies huc. T. t. 11. §. 4.
Solve calceamentum de pedibus tuis. T. t. 8. §. 2.
Veni, & mittam te ad Pharaonem. R. t. 10. §. 2.
Immolabis Deo super montem istum. S. t. 22. §. 7.
Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro. P. t. 15. §. 23. V. t. 15. §. 12.

Caput 4.

Quid est, quod tenes in manu tua. R. t. 5. §. 4. R. t. 9. §. 1.
Projecit (virgam) & versa est in colubrum. M. t. 22. §. 1. P. t. 15. §. 12.
Apprehende caudam ejus. O. t. 1. §. 8.
Quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. O. t. 14. §. 1.
Non sum eloquens ab heri, & nudius tertius. O. t. 7. §. 5.
Tullit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui. P. t. 9. §. 3. P. t. 15. §. 15.
Sponsus sanguinum tu mihi es. M. t. 24. §. 2.

Caput 5.

Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. T. t. 8. §. 1.
Injustè agitur contra populum tuum. M. t. 19. §. 13.

Caput 7.

Ecce constitui te Deum Pharaonis. M. t. 4. §. 3. M. t. 19. §. 7.
Devoravit virga Aaron virgas eorum. P. t. 15. §. 23.
Fecerunt Moyses, & Aaron, sicut præceperat Dominus. P. t. 26. §. 5. n. 7.
Versa est (aqua) in sanguinem. P. t. 22. §. 13.

Caput 8.

Orate Dominum, ut auferat ranas à me. P. t. 13. §. 24. P. t. 22. §. 6.
Omnis pulvis terræ versus est in sciniphes. P. t. 22. §. 2. S. t. 41. §. 6.
Digitus Dei est hic. P. t. 15. § 27.
Ecce ego mittam in te omne genus muscarum. S. t. 29. §. 1.
Venit musca gravissima in domum Pharaonis. T. t. 8. §. 5.
Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino. S. t. 24. §. 2.

Caput 9.

Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone. P. t. 22. §. 14.
Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narrent nomen meum in omni terra. M. titul. 19. §. 7. numer. 2.

Mm Gran-

Grando, & ignis, missa pariter ferebantur. P. t. 22. §. 3. T. t. 11. §. 9.

Caput 10.

Quomodo ego dimittam vos, & parvulos vestros, cui dubium est, quod pessimè cogitetis. P. t. 3. §. 1.
Oves tantùm vestræ, & armenta remaneant. T. t. 8. §. 3.
Non remanebit ex eis ungula. P. t. 15. §. 23. R. t. 6. §. 3.

Caput 12.

Mensis iste vobis, principium mensium. R. t. 10. §. 1.
Tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas. M. t. 5. §. 3. P. t. 3. §. 7. S. t. 5. §. 4.
Erit agnus absque macula. P. t. 9. §. 12.
Eden-azymos panes cum lactucis agrestibus. P. t. 9. §. 20.
In die primo non erit fermentum in domibus vestris. P. t. 15. §. 23.
Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illius de Israel. S. t. 22. §. 3.
In noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, &c. M. titul. 22. §. 6.
Surgite, & egredimini à populo meo, vos, & filii vestri. R. t. 6. §. 1. R. t. 12. §. 2.
Oves vestras, & armenta assumite, ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi. R. t. 12. §. 2.
Ungebant Ægyptii populum de terra exire velociter &c. M. t. 21. §. 1.
Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam. S. t. 21. §. 4.
Profecti sunt filii Israel de Ramesse in Socoth. M. t. 25. §. 10.

Caput 13.

Non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. O. t. 5. §. 2.
Erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos. P. t. 3. §. 10.
In manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto. P. t. 17. §. 1.
Tulit Moyses ossa Joseph secum. R. t. 9. §. 2.
Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. S. t. 30. §. 1. S. t. 33. §. 9.

Caput 14.

Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos. P. t. 11. §. 11.
Divisaque est aqua: & ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris. P. t. 13. §. 24. P. t. 24. §. 24. S. t. 26. §. 3.
Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis. P. t. 24. §. 22.
Reversæ sunt aquæ; & operuerunt currus, & equites, cuncti exercitus Pharaonis &c. M. t. 19. §. 15. P. t. 34. §. 8.
Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris. M. titul. 22. §. 19.

Caput 15.

Venerunt ad Mara. P. t. 9. §. 20.
Quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. P. t. 9. §. 7.

Caput 16.

Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. S. t. 28. §. 3.
Die sexto parent, quod inferant. P. t. 24. §. 23. V. t. 16. §. 1.
Manhu. O. t. 9. §. 12. V. t. 4. §. 15.
Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. V. t. 15. §. 4.
Colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum. M. t. 13. §. 2.
Gomor per singula capita. P. t. 34. §. 7. T. t. 8. §. 3.
Nullus relinquat ex eo in manè. M. t. 22. §. 14.
Scatere cœpit vermibus, atque computruit. M. t. 25. §. 12. O. t. 1. §. 22. V. t. 4. 12.
Maneat unusquisque apud semetipsum. R. t. 2. §. 1.
Sabbathizavit populus die septimo. O. t. 14. §. 1.

Caput 17.

Percuties petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus. S. t. 9.
Cùm levaret Moyses manus, vincebat Israel &c. O. t. 9. §. 7. T. t. 5. §. 3.

Caput 19.

Sint parati in diem tertium. M. t. 22. §. 7.

Caput 20.

Ego sum Dominus Deus tuus faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me. M. t. 19. §. 12.
Cunctus populus audiebat voces & sonitum buccinæ. V. t. 3. §. 1.

Caput 24.

Sub pedibus ejus, quasi opus lapidis saphirini. P. t. 9. §. 19.
Expectate hic, donec revertamur ad vos. S. t. 1. §. 4.

Caput 25.

Vectes semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis. M. t. 22. §. 4.
Facies propitiatorium de auro mundissimo. M. t. 19. §. 6. T. t. 3. §. 1.
Duos Cherubim aureos, & productiles facies. P. t. 9. §. 13.
Respiciant se mutuò versis vultibus in propitiatorium. V. t. 18. §. 6.
Facies & mensam de lignis Setim &c. M. t. 18. §. 1.
Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. M. t. 13. §. 2. P. t. 34. §. 7.
Facies candelabrum ductile de auro mundissimo. P. titul. 15. §. 5.

Caput 26.

Facies decem cortinas de bysso retorta &c. M. t. 24. §. 1.
Facies & saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi. R. t. 7. §. 6. S. t. 30. §. 1.

Caput 27.

Facies & atrium tabernaculi. P. t. 24. §. 12.

Caput 28.

Deorsum ad pedes ejusdem tunicæ per circulum quasi mala Punica facies. M. t. 23. §. 1.
Ità ut tintinnabulum sit aureum, & malum Punicum. O. t. 9. §. 3. S. t. 1. §. 2.

Caput 29.

Oblatio est Domini, odor suavissimus victimæ Domini. S. t. 3. §. 1.

Caput 30.

Facies & labrum æneum. P. t. 24. §. 2.
Dives non addet ad medium sicli. P. t. 11. §. 10.
Missa aqua, lavabunt in ea Aaron, & filii ejus, manus suas, & pedes; quando ingressuri sunt tabernaculum Testimonii. P. t. 24. §. 29.
Caro hominis non ungetur ex eo. S. t. 1. §. 2.

Caput 31.

Dedit Dominus Moysi duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei. P. t. 11. §. 2.

Caput 32.

Fac nobis deos, qui nos præcedant. P. t. 14. §. 4.
Hi sunt dii, tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. M. t. 19. §. 4. P. t. 15. §. 13.
Vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. M. t. 19. §. 13.
Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem. P. t. 15. §. 23.
Occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. P. t. 11. §. 14. n. 2. V. t. 6. §. 3.

Caput 33.

Ego ostendam omne bonum tibi. P. t. 3. §. 3.

Caput 34.

Excidit duas tabulas lapideas. P. t. 11. §. 5.
Posuit velamen super faciem suam. S. t. 30. §. 8.

Caput 38.

Mulieres excubabant in tabernaculo. V. t. 14. §. 5.

Caput 39.

Deorsum ad pedes mala Punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta. P. t. 11. §. 5.

Caput 40.

Operuit nubes tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud. T. t. 3. §. 4.

Liber Leviticus.

Caput 1.

Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino &c. S. t. 3. §. 1.

Caput 2.

Nec quidquam mellis adolebitur in sacrificio. V. t. 19. §. 1.

Caput 4.

Si Sacerdos, qui unctus est, peccaverit offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. S. t. 1. §. 2.

Caput 5.

Anima quæ juraverit, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino. P. t. 3. §. 1.

Caput 9.

Tollite hircum pro peccato. P. t. 24. §. 4.

Caput 10.

Offerentes coram Domino ignem alienum, quod ei præceptum non erat. P. t. 22. §. 14.
Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibebis, tu, & filii tui. P. t. 2. §. 5.

Caput 11.

Et sus. P. t. 15. §. 23.
Omne de volucribus, quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. T. t. 8. §. 4.

Caput 16.

Nullus hominum sit in tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingreditur. S. t. 1. §...

Caput 24.

Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum. P. t. 15. §. 8.

Caput 27.

Omnis æstimatio siclò Sanctuarii ponderabitur. S. t. 3. §. 3. num. 4.

Liber Numeri.

Caput 1.

Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel. S. t. 5. §. 1. n. 2.

Caput 3.

Ego tuli Levitas à filiis Israel pro omni primogenito-eruntque Levitæ mei. N. t. 2. §. 3.
Meum est omni primogenitum. V. t. 15. §. 9.

Caput 5.

Ipse tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit. S. t. 14. §. 1.

Caput 6.

Acetum ex vino non bibant. R. t. 6. §. 1.
Ista est lex Nazaræi. R. t. 8. §. 1.

Caput 11.

In mentem nobis veniunt cucumeres &c. T. t. 8. §. 9.
Adhuc carnes erant in dentibus eorum - & ecce furor Domini concitatus in populum &c. R. t. 6. §. 2.

Caput 12.

Locuta est Maria, & Aaron, contra Moysen. M. t. 29. §. 14. Z. t. 1. §. 2.

Caput 14.

Constituamus nobis duces, & revertamur in Ægyptum. R. t. 6. §. 1.

Caput 16.

Murmuravit omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen, & Aaron, dicens: vos inter fecistis populum Dei. T. t. 11. §. 21.

Caput 19.

Adducant ad te vacam rufam ætatis integræ. P. t. 13. §. 16.

Caput 20.

Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. M. t. 5. §. 3.
Percutiens bis virga silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ. M. t. 5. §. 3. O. t. 3. §. 1. O. t. 4. §. 4. T. t. 11. §. 5. n. 2.
Liceat nobis transire per terram tuam. T. t. 7. §. 4.
Aaron colligitur, & morietur ibi. P. t. 22. §. 16.

Caput 21.

Tædere cœpit populum itineris, ac laboris. S. t. 22. §. 5.
Deest panis, non sunt aquæ. R. t. 8. §. 6.
Qui percussus aspexerit eum vivet. P. t. 15. §. 23.
Fecit Moyses serpentem æneum. P. t. 9. §. 3.
Dicitur in libro bellorum Domini. M. t. 19. §. 20.

Caput 24.

Orietur stella ex Jacob. N. t. 1. §. 1.

Caput 25.

Fornicatus est populus cum filiabus Moab. P. t. 16. §. 1.
Suspende eos contra solem in patibulis. S. t. 33. §. 4. S. t. 43. §. 26.
Cessavit plaga à filiis Israel. P. t. 15. §. 15.
Hostes oves sentiant Madianitæ, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos. M. t. 24. §. 1.

Caput 26.

Factum est grande miraculum, ut, Core pereunte, filii illius non perirent. P. t. 2. §. 5.

Caput 27.

Ascende in montem istum Abarim. M. t. 22. §. 28.

Caput 28.

Oblationem offerte per tempora. P. t. 24. §. 4.
In Kalendis offeretis holocaustum Domino. R. t. 10. §. 1.
Dies septimus celeberrimus, & sanctus erit. P. t. 13. §. 7.
Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino - venerabilis, & sancta erit. P. t. 24. §. 2. R. t. 10. §. 2.

Caput 31.

Occiderunt omnes mares. P. t. 24. §. 8.
Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam. P. t. 15. §. 15.

Caput 32.

Dominus circumduxit eum per desertum quadraginta annis. Q. t. 1. §. 1.

Caput 33.

Profecti de mare venerunt in Elim. T. t. 5. §. 2.
Egressi de Cade castrametati sunt in monte. Hor. P. t. 32. §. 1.

Liber Deuteronomii.

Caput 4.

Dominus Deus tuus ignis consumens est. P. t. 13. §. 22.

Caput 6.

Dominus Deus noster, Dominus unus est. S. t. 22. §. 7. T. t. 12. §. 1.

Caput 11.

Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. M. t. 25. §. 10. S. t. 33. §. 1.

Caput 17.

Non multiplicabit sibi equos. P. t. 34. §. 4.

Caput 19.

Tres civitates separabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem. V. t. 15. §. 12.

Caput 21.

Quando inventum fuerit in terra hominis cadaver occisi &c. P. t. 14. §. 6.
Uxorem - illa radet cæsariem, & circumcidet ungues &c. P. t. 24. §. 6.

Caput 22.

Non arabis in bove simul, & asino. P. t. 27. §. 3. T. t. 11. §. 20.
Non indueris vestimento, quòd ex lana, linoque, contextum est. S. t. 22. §. 3.

Caput 28.

Percutiat te Dominus egestate, febri &c. P. t. 15. §. 12.
Maledictus eris in civitate &c. P. t. 13. §. 22.

Caput 29.

Radix germinans fel, & amaritudinem. P. t. 15. §. 17.

Caput 32.

Concrescat, ut pluvia, doctrina mea. V. t. 4. §. 1.
Sicut aquila provocans ad volandum pullos. V. t. 15. §. 9.
Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. P. t. 9. §. 7. S. t. 36. §. 1.
Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis miserebitur. M. t. 19. §. 6. n. 2.
Si acuero, ut fulgur, gladium meum. P. t. 13. §. 22.

Caput 33.

Innundationem maris quasi lac suget. P. t. 9. §. 7.

Caput 34.

Mortuus est ibi Moyses servus Domini. S. t. 22. §. 1.

Liber Josue.

Caput 1.

Surge, & transi Jordanem istum tu, & omnis populus tecum &c. M. t. 2. §. 3. O. t. 1. §. 8.
Confortare, & esto robustus. P. t. 16. §. 2.

Caput 2.

Tollens mulier viros abscondit &c. M. t. 14. §. 1.
Appendit funiculum coccineum in fenestra. S. t. 5. §. 3.

Caput 3.

Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. M. t. 22. §. 7.

Caput 5.

Sum princeps exercitus Domini. M. t. 15.

Caput 6.

Jericho clausa erat, atque munita. M. t. 25. §. 12.
Circuierunt urbem, sicut dispositum erat septies. M. t. 19. §. 17.
Omni populo vociferante, & clangentibus tubis muri illicò corruerunt. M. t. 18. §. 4.
Imprecatus est Josue dicens: maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, & ædificaverit civitatem Jericho. R. t. 6. §. 1.

Caput 7.

Usurpaverunt de anathemate. P. t. 13. §. 32.
Mi Domine Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem. P. t. 15. §. 14.
Anathema in medio tui est Israel. P. t. 27. §. 2.
Accedetis manè singuli per tribus vestras. P. t. 24. §. 21.
Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & concupiscens abstuli. O. t. 4. §. 5. O. t. 5. §. 2.

Caput 8.

Tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & consurgens ascende in oppidum Hai. P. t. 15. §. 27.
Ponite insidias post civitatem. M. t. 22. §. 5. P. t. 13. §. 32.
Cumque exierint contra nos, sicut antè fecimus, fugiemus. P. t. 13. §. 24.

Caput 10.

Congregati ascenderunt quinque reges Amorrhæorum. P. t. 19. §. 3. T. t. 5. §. 4.
Cùm fugerent filios Israel - Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo. Z. t. 1. §. 3.
Mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filii Israel. M. t. 21. §. 1.
Sol contra Gabaon nè movearis. O. t. 9. §. 7.
Stetit sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius dici. M. t. 18. §. 8.
Non fuit antea, nec postea, tam longa dies, obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Israel. O. t. 1. §. 7.
Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, & ponite viros industrios, qui clausos custodiant; vos autem nolite stare, sed persequimini hostes. P. t. 9. §. 13.

Reversus est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala. Z. t. 1. §. 8.

Caput 11.

Equos eorum subnervabis, & currus, igne combures. P. t. 15. §. 23. S. t. 33. §. 11. V. t. 9. §. 2.

Caput 12.

Omnes reges triginta unus. T. t. 7. §. 2.

Caput 13.

Tribu Levi non dedit possessionem; sed sacrificia, & victimæ Domini Dei Israel, ipsa est ejus hæreditas. P. t. 11. §. 16. S. t. 1. §. 3.

Caput 14.

Da mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus. M. t. 2. §. 3. P. t. 18. §. 4.

Caput 18.

Circuite terram, & describite eam; ac revertimini ad me. P. t. 18. §. 2.

Caput 19.

Fuit hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Juda. P. t. 2. §. 4.

Cumque complessent sorte dividere terram &c. P. t. 11. §. 14. num. 2.

Caput 23.

Estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi &c. M. t. 22. §. 20.

Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere-jam nunc scitote &c. P. t. 13. §. 21. P. t. 26. §. 6.

Caput 24.

Venistis ad mare; persecutique sunt Ægyptii patres vestros cum curribus, & equitibus, usque ad mare rubrum. P. t. 13. §. 21. S. t. 22. §. 2.

Timete Dominum, & servite ei perfecto corde. M. t. 16. §. 3.

Post hæc mortuus est filius Nun, servus Domini. V. t. 14. §. 4.

Liber Judicum.

Caput 1.

Sicut feci, ità reddidit mihi Deus. P. t. 22. §. 13.

Caput 3.

Obtulit munera Eglon regi Moab. R. t. 4. §. 5.

Percussit de Philistim sexcentos viros vomere: & ipse quoque defendit Israel. V. t. 4. §. 4.

Caput 4.

Intra ad me Domine mi: intra, nè timeas. P. t. 34. §. 6.

Caput 6.

Ascendit ignis de petra. S. t. 36. §. 1.

Spiritus Domini induit Gedeon. S. t. 36. §. 11.

Caput 7.

Videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, & in castra Madian descendere &c. T. t. 2. §. 2.

Caput 8.

Dominare nostri tu, & filius tuus. R. t. 4. §. 3.

Caput 9.

Jerunt ligna, ut ungerent super se regem. R. t. 8. §. 1. S. t. 43. §. 26.

Dixerunt olivæ: impera nobis. M. t. 18. §. 4. Z. t. 1. §. 1.

Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines. V. t. 12.

Caput 11.

Quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, - eum in holocaustum offeram Domino. V. t. 22. §. 2.

Caput 13.

Cave, nè bibas vinum, ac siceram-quia concipies, & paries filium. P. t. 2. §. 5.

Vir Dei venit ad me, habens vultum Angelicum, terribilis nimis. R. t. 8. §. 9. V. t. 22. §. 3.

Cùm vidisset Angelum, festinavit, & cucurrit ad virum suum &c. V. t. 22. §. 1.

Cui respondit Angelus: si me cogis, non comedam panes tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. M. t. 15.

Cœpit Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan. S. t. 36. §. 13.

Caput 14.

Vidi mulierem de filiabus Philistinorum-hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis. O. t. 5. §. 3.

Irruit Spiritus Domini in Sampson; & dilaceravit leonem quasi hœdum in frusta discerpens. M. t. 2. §. 3.

Ecce examen apum in ore leonis erat, & favus mellis. U. t. 4. §. 13.

De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo. P. t. 9. §. 20.

Percussit ibi triginta viros; quorum ablatas vestes dedit iis, qui problema solverant. M. t. 25. §. 2.

Caput 15.

Projecit mandibulam de manu. S. t. 21. §. 4.

Aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. P. t. 25. §. 1.

Caput 16.

Vocavit tonsorem, & rasit septem crines ejus. O. t. 9. §. 7.

Egrediar, sicut antè feci, & me excutiam: nesciens quòd recessisset ab eo Dominus. P. t. 13. §. 24. R. t. 6. §. 2.

Eruerunt oculos ejus. M. t. 21. §. 2. O. t. 10. §. 3. P. t. 22. §. 14.

Lætantes per convivia, sumptis jam epulis; præceperunt, ut vocaretur Sampson, & ante eos luderet. P. t. 13. §. 25.

Caput 18.

Venerunt in Lais, ad populum quiescentem, atque securum; & percusserunt eos in ore gladii. P. t. 13. §. 24.

Caput 19.

Quæso te, ut hodie hic manças, pariterque lætemur. P. t. 24. §. 22.

Liber Regum primus.

Caput 1.

Erat vir unus. P. t. 13. §. 19.

Ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus, ut adoraret. P. t. 13. §. 1. P. t. 32. §. 1.

Novacula non ascendit super caput ejus. P. t. 24. §. 2.

Caput 3.

Revertere, & dormi. O. t. 1. §. 12.

Vocavit adhuc Samuelem tertiò. O. t. 1. §. 10.

Caput 4.

Arca Dei capta est. P. t. 13. §. 29.

Caput 5.

Aggravata est manus Domini super Azotios. R. t. 6. §. 2.

Caput 8.

Audi vocem eorum; & constitue super eos regem. O. t. 9. §. 12.

Caput 9.

Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis. N. t. 2. §. 3.

Caput 10.

Mutaberis in virum alium. S. t. 34. §. 13.

Immutavit ei Deus cor aliud. M. t. 2. §. 3.

Caput 11.

In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros. P. t. 27. §. 2. S. t. 34. §. 1.

Caput 12.

Et nunc rex graditur ante vos. P. t. 2. §. 3.

Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis. M. t. 22. §. 12. P. t. 27. §. 6.

Caput 13.

Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset; duobus autem annis regnavit super Israel. S. t. 41. §. 8.

Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis, & lancea, in manu totius populi. M. t. 22. §. 6.

Caput 14.

Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranato. S. t. 1. §. 2.

Ergo Jonathas morietur? O. t. 2. §. 5.

Caput 15.

Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel. M. t. 18. §. 4.

Recensui, quæcumque fecit Amalec Israeli. P. t. 13. §. 26.

Percute Amalec, & demolire universa ejus. P. t. 13. §. 32.

Agag pinguissimus. M. t. 22. §. 29.

Caput 16.

Usquequò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum, nè regnet super Israel. O. t. 9. §. 24.

Imple cornu tuum oleo. R. t. 5. §. 4.

Tulit Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus. M. t. 18. §. 4.

Quærent hominem scientem psallere cithara. P. t. 27. §. 1.

David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul. P. t. 24. §. 30. T. t. 13. §. 2.

Caput 17.

Numquid ego non sum Philistæus? S. t. 41. §. 2.

Non vales resistere Philistæo isti-nunc vadam, & auferam opprobrium populi. S. t. 33. §. 11.

Veniebat leo, vel ursus, & persequebar eos, & percutiebam. S. t. 41. §. 1.

Tulit baculum suum-& elegit sibi quinque limpidissimos lapides. V. t. 21. §. 1.

Tulit gladium ejus-& interfecit eum. P. t. 22. §. 13.

De qua stirpe descendit hic adolescens. S. t. 22. §. 4.

Caput 18.

Expoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David. P. t. 5. §. 1.

Percussit Sal mille, & David decem millia. M. t. 5. §. 6.

David psallebat manu sua, sicut per singulos dies. M. t. 5. §. 3.

Ca-

Caput 20.

Uno tantùm (ut ità dicam) gradu ego, morsque, dividimur. P. t. 13. §. 24.

Caput 22.

Noluerunt servi regis extendere manus suas in Sacerdotes Domini. S. t. 21. §. 1.

Caput 24.

Percussit David cor suum. T. t. 11. §. 5.

Nunc quia scio, quòd certissimè regnaturus sis &c. P. t. 19. §. 17.

Caput 25.

Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum. P. t. 35. §. 8.

Caput 28.

Consuluit Dominum; & non respondit. V. t. 5. §. 2.

Caput 30.

Dereliquit me Dominus meus; quia ægrotare cœpit nudius tertius. M. t. 25. §. 3.

Liber Regum secundus.

Caput 11.

Vidit mulierem se lavantem. O. t. 4. §. 7.

Caput 12.

Peccavi Domino. P. t. 16. §. 2.

Ego vadam magis ad eum; ille verò non revertetur ad me. M. t. 22. §. 23.

Congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam. P. t. 14. §. 12.

Caput 14.

Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. P. t. 34. §. 7.

Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico. P. t. 15. §. 20.

Caput 16.

Dominus præcepit ei, ut maledicere David. T. t. 11. §. 8.

Caput 18.

Adhæsit caput ejus quercui. P. t. 17. §. 1. P. t. 22. §. 14.

Absolon fili mi! quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te. M. t. 22. §. 29.

Caput 20.

Tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porrò Amasa non observavit gladium &c. P. t. 13. §. 24.

Caput 23.

O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem ad portam. P. t. 24. §. 3. P. t. 27. §. 8.

At ille noluit bibere. P. t. 24. §. 24. V. t. 19. §. 2.

Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum, bibam? M. t. 22. §. 15.

Liber Regum tertius.

Caput 1.

Cum operiretur vestibus, non calefiebat. T. t. 8. §. 3.

Caput 2.

Appropinquaverunt dies David, ut moreretur. M. t. 22. §. 2.

Tu nosti, quæ fecerit mihi Joab &c. M. t. 19. §. 16.

Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi. R. t. 7. §. 1.

Caput 3.

Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit. O. t. 9. §. 21.

Caput 6.

Malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo, cùm ædificaretur. S. t. 23. §. 2. T. t. 11. §. 10.

Caput 7.

Stabat super duodecim boves, &c. S. t. 43. §. 10.

Caput 13.

Altare, altare; hæc dicit Dominus. O. t. 3. §. 1.

Non comedit leo de cadavere, ne lasit asinum. M. t. 22. §. 24.

Caput 17.

Vidit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto: si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verbum. M. t. 19. §. 4. P. t. 22. §. 24.

Corvi deferebant ei panem, & carnes manè; similiter panem, & carnes vespere. V. t. 4. §. 13.

Caput 19.

Timuit Elias; & surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas. S. t. 26. §. 6.

Projecit se, & obdormivit in umbra juniperi. P. t. 13. §. 24.

Ambulavit usque ad montem Dei Horeb. R. t. 7. §. 1.

Caput 21.

Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum. O. t. 8. §. 2.

Liber Regum quartus.

Caput 2.

Ecce currus igneus, & equi ignei, diviserunt utrumque. M. t. 22. §. 10. P. t. 24. §. 2.

Currus Israel, & auriga ejus. S. t. 43. §. 1. §. 10. §. 14.

Caput 4.

Incubuit super puerum. M. t. 5. §. 3. M. t. 23. §. 4. N. t. 1. §. 5.

Caput 5.

Vade, & lavare septies in Jordane. M. t. 19. §. 10.

Putabam, quòd egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui. M. t. 19. §. 10.

Verè scio, quòd non sit alius Deus in universa terra, nisi Deus in Israel. M. t. 21. §. 1.

Caput 6.

Nolite timere: plures enim nobiscum sunt. T. t. 5. §. 3.

Caput 9.

Percuties domum Achab domini tui. S. t. 43. §. 26.

Caput 20.

In diebus illis ægrotabat Ezechias usque ad mortem. M. t. 21. §. 1.

Caput 21.

Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab; & delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ. P. t. 22. §. 15.

Liber Tobiæ.

Caput 2.

Cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum &c. R. t. 13. §. 5.

Videte, nè fortè furtivus sit. R. t. 12. §. 2.

Caput 3.

Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis. P. t. 16. §. 1.

Caput 4.

Perquire, quomodo ad eum pervenias. S. t. 29. §. 2.

Pauperem quidem vitam gerimus; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum &c. P. t. 11. §. 15.

Caput 6.

Exivit, ut lavaret pedes suos. Et ecce piscis immanis exivit, ad devorandum eum. M. t. 22. §. 15. P. t. 3. §. 10.

Exentera hunc piscem. P. t. 15. §. 20.

Caput 11.

Tolle tecum de felle piscis: erit enim necessarium. P. t. 24. §. 9.

Sumens Tobias de felle piscis linivit oculos patris sui. M. t. 22. §. 19. T. t. 8. §. 8. T. t. 11. §. 13.

Liber Judith.

Caput 4.

Clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna. O. t. 9. §. 7.

Caput 5.

Quotiescumque pœnituerunt, se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi. V. t. 9. §. 2.

Erimus in opprobrium universæ terræ. P. t. 38. §. 3.

Caput 6.

Domine Deus cœli, & terræ; intuere superbiam eorum &c. P. t. 16. §. 1.

Fecit ei cœnam magnam-postea convocatus est omnis populus; & per totam noctem intrà Ecclesiam oraverunt, petentes auxilium à Deo Israel. T. t. 2. §. 3.

Caput 7.

Holofernes-præcepit exercitibus suis, ut ascenderent contra Bethuliam. V. t. 14. §. 2. §. 3.

Caput 8.

Omnia, quæ locuta es, vera sunt. V. t. 4. §. 13.

Caput 13.

Conclusit Vagao ostia cubiculi, & abiit. S. t. 30. §. 6.

Aperite portas: quoniam nobiscum est Deus. P. t. 20. §. 2.

Caput 16.

Obtulit in anathema oblivionis. P. t. 15. §. 23.

Erat populus jucundus secundùm faciem sanctorum. R. t. 3.

Liber Esther.

Caput 1.

Non putes, quòd animam tuam tantùm liberes &c. Z. t. 1. §. 4.

Caput 5.

Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. P. t. 26.

Caput 6.

Quid pro hac fide honoris, ac præmii, Mardochæus consecutus est? S.t.21.§.4.

Caput 10.

Parvus sons. P.t.9.§.6.

Caput 14.

Cumque deposuisset vestes regias, fletibus, & luctui, apta indumenta suscepit. P. t.24.§.28.

Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis; & transfer cor illius in odium hostis nostri. M. t.5.§.3.

Liber Job.

Caput 1.

VIr erat in terra Hus, nomine Job. P.t.9.§.1.S.t.9.§.3. V.t.15.§.3.

Nati sunt ei septem filii, & tres filiæ. P.t.27.§.5.

Cùm in orbem transissent dies convivii, mittebat non eo Job, & sanctificabat illos. P.t.2.§.7.

Sic faciebat Job cunctis diebus. P.t.32.§.2.

Numquid consideraſti servum meum Job; quòd non sit ei similis in terra. R.t.8.§.5.S.t.22.§.1.T.t.5.§.4.

Numquid Job frustrà timet Deum. P.t.9.§.16.

Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet &c. T.t.8.§.3.T.t.11.§.6.

Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt. O.t.9.§.12.

Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia. M.t.18.§.3. T.t.11. §.6.

Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oves, puerosque consumpsit. P.t.15.§.25.

Filiis tuis, & filiabus, vescentibus, & bibentibus vinum-repentè ventus vehemens irruit &c. T.t.5.§.3.

Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua. P.t.11.§.14. P.t.22.§.5.V.t.7.§.3.

Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. T.t.11.§.27.

Dominus dedit, Dominus abstulit-sit nomen Domini benedictum. P.t.9.§.23.P.t.11.§.2. T.t.11.§.6.

Caput 2.

Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua. M.t.5.§.9.P.t.9.§.3.§.29.

Mitte manum tuam, & tange os ejus, & carnem &c. T.t. 11.§.6.

Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serva. S.t. 39.§.2.

Testa saniem radebat. M.t.21.§.4.

Sedens in sterquilinio. M.t.22.§.14. P.t.9.§.15. P.t.11. §.2.

Quasi una de stultis mulieribus locuta es. P.t.9.§.10.

Caput 3.

Post hæc aperuit Job os suum. S.t.23.§.2.

Pereat dies, in qua natus sum. S.t.26.§.4.

Gaudent vehementer, cùm invenerint sepulchrum. O.t.10. §.1.

Timor, quem timebam evenit mihi. P.t.9.§.27.

Caput 4.

Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia, & perfectio viarum tuarum. T.t.10.§.6.

Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt. P.t.15.§.27.

Consumentur velut à tinea. M.t.22.§.1.

Morientur, & non in sapientia. M.t.22.§.28.

Caput 5.

Parvulorum occidit invidia. M.t.3.§.1. T.t.8.§.6.

Vidi stultum firma radice, & maledixit pulchritudini ejus statim. P.t.34.§.1.

Visitans speciem tuam non peccabis. P.t.15.§.20.

Caput 6.

Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui &c. M.t.19.§.5.P.t.24.§.2.

Sagittæ Domini in me sunt; quarum indignatio ebibit spiritum meum. P.t.22.§.2.

Potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? P.t.15. §.10.

Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. T.t.11.§.12.

Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profectis. S.t.19.§.4.

Caput 7.

Militia est vitia hominis super terram. P.t.9.§.6.§.16.P.t.35. §.2.V.t.16.§.1.

Sicut dies mercenarii dies ejus. M.t.22.§.26.

Numquid mare ego sum, aut certus; quia circumdedisti me carcere. S.t.41.§.1.

Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. T.t.8. §.2.

Caput 9.

Dies mei velociores fuerunt cursore. V.t.16.§.2.

Dies mei pertransierunt, quasi naves poma portantes. V.t.15. §.1.

Caput 12.

Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: &, si emiserit eas, subvertent terram. V.t.4.§.2.

Baltheum regum dissolvit, & præcinget fune renes eorum. S. t.41.§.7.

Caput 13.

Animam meam porto in manibus meis. S.t.5.§.3.

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. S.t.33.§.11.

Caput 14.

Expecto, donec veniat immutatio mea. M.t.22.§.26.

Caput 15.

Bibit quasi aquam iniquitatem. P.t.14.§.11.

Contra omnipotentem roboratus est. P.t.14.§.1.

Cucurrit adversùs eum erecto collo; & pingui cervice armatus est. P.t.14.§.24.

Caput 16.

Facies mea intumuit à fletu. S t.43.§.1.

Neque inveniat in te latendi locum clamor meus. P.t.14. §.8.

Verbosi amici mei: ad Deum stillat oculus meus. S. t. 28. §.2.

Caput 17.

Putredini dixi: pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus. M.t.22.§.1.§.15.

Caput 18.

Lucerna, quæ super eum est, extinguetur. T.t.5.§.4.

Caput 19.

Manus Domini tetigit me. P.t.22.§.3.

Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei. O.t.10.§.3. S.t 33.§.2.

Caput 20.

Gaudium hypocritæ ad instar puncti. M.t.25.§.4.

Caput 21.

Superponite digitum ori vestro. S.t.19.§.3.

Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. P.t.13.§.7.

Caput 22.

Numquid timens arguet te-& non propter malitiam tuam plurimam &c. P.t.9.§.2.

Caput 24.

Ipsi fuerunt rebelles lumini. O.t.3.§.1.

Sic in tenebris quasi in luce ambulant. P.t.13.§.25.

Obliviscatur ejus misericordia: dulcedo illius vermes. M.t.19. §.16.

Caput 27.

Dives, cùm dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet. M.t.22.§.12.

Caput 29.

Quando splendebat lucerna ejus super caput meum. P.t.34. §.1.P.t.35.§.1.

Justitia indutus sum; & vestivi me sicut vestimento, & diademate, judicio meo. P.t.27.§.2.

Conterebam molas iniqui. O.t.§.1.

In nidulo meo moriar; & sicut palma multiplicabo dies. M. t.22.§.6.

Cùm sederem quasi rex circumstante exercitu, eam tamen mœrentium consolator. R.t.15.S.t.28.§.2.

Caput 30.

Ad dexteram Orientis calamitates meæ illico surrexerunt. T. t.11.§.4.

Caput 31.

Pepigi fœdus oculis meis, ut nè cogitarem quidem de virgine. O.t.4.§.4.

Ab infantia mea crevit mecum miseratio. M.t.18.§.3.

Semper, quasi tumentes super me fluctus, timui Deum. P.t.22. §.2:T.t.10.§.12.

Si vidi solem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè &c. O.t.4.§.4.

Caput 35.

Non dixit: ubi est Deus, qui fecit me; qui dedit carmina in nocte. V.t.4.§.8.

Caput 38.

Numquid mittes fulgura, & ibunt; & revertentia dicent tibi: adsumus. O.t.10.§.2.

Caput 39.

Numquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum. N.t.1.§.1.

Ubi audierit buccinam, dicit vah! P.t.9.§.6.§.27.T.t.11. §.26.

Procul odoratur bellum. P.t.9.§.27.

Inde contemplatur escam; & de longè oculi ejus prospiciunt-&, ubicumque cadaver fuerit, statim adest. Z.t.1. §.6.

Ca-

Caput 40.

Ipse est principium viarum Dei; qui fecit eum, applicabit gladium ejus. P.t.16.§.2.

Protegunt umbræ umbram ejus. P.t.14.§.11.

Circumdabunt eum salices torrentis. M.t.24.§.4.

Caput 41.

Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. P.t.14.§.11.

Cor ejus indurabitur, tamquam lapis; & stringetur, quasi malleatoris incres. O.t.3.§.1.

Caput 42.

Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Job, duplici. O.t.9.§.13.

Venerunt ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ. T.t.11.§.26.

Mortuus est senex, & plenus dierum. V.t.16.§.6.

Liber Psalmorum.

Psalmus 1.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. P.t.14.§.11. n.5.T.t.10.§.12.

In cathedra pestilentiæ non sedit. S.t.41.§.1.

In lege Domini voluntas ejus. P.t.33.§.2.

Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. T.t.11.§.23.

Fructum suum dabit in tempore suo. O t.7.§.1.§.5.

Folium ejus non defluet. V.t.3.§.3.

Impii-tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. P. t.13.§.16.

Non resurgent impii in Judicio. P.t.14.§.13.

Psalmus 2.

Astiterunt reges terræ. P.t.13.§.5.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. S.t.33.§.1.

Filius meus es tu; ego hodie genui te. R.t.10.§.2.

Servite Domino in timore. T.t.10.§.4.§.12.

Psalmus 3.

Voce mea ad Dominum clamavi; & exaudivit me de monte sancto suo. O.t.7.§.8.

Ego dormivi, & soporatus sum. T.t.11.§.1.

Psalmus 4.

In tribulatione dilatasti mihi. P.t.9.§.6.n.2.

Filii hominum; usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? P.t.15.§.25. T.t.8.§.3. num.9.

Irascimini, & nolite peccare. P.t.24.§.28.

Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino. S.t.3. §.3.S.t.33.§.8.

Psalmus 5.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. O.t.9.§.18.n.7.

Manè astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. O.t.10.§.4.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. P.t.14.§.13.

Sepulchrum patens est guttur eorum. S.t.19.§.5.

Irritaverunt te Domine. Z.t.2.

Lætentur omnes, qui sperant in te. P.t.9.§.16.

Scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos. V.t.9.§.5.

Psalmus 6.

Domine, nè in furore tuo arguas me. P.t.22.§.3.S.t.26.§.6. T.t.11.§.12.

Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. U.t. 15.§.1.

Convertere Domine, & eripe animam meam. M.t.19.§.6. num.2.

Laboravi in gemitu meo. P.t.24.§.9.§.24.n.2.§.27.

Lavabo per singulas noctes lectum meum. P.t.24.§.6. numer.2.

Inveteravi inter omnes inimicos meos. P.t.13.§.18.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. S.t.26. §.6.

Exaudivit Dominus vocem fletus mei. O.t.9.§.18.

Psalmus 7.

Gloriam meam in pulverem deducat. S.t.41.§.8.

Deus judex justus, fortis, & patiens. M.t.19.§.8.V.t.15. §.14.

Gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit. M.t.22.§.4. P.t.22.§.2.

Psalmus 9.

Psallam nomini tuo Altissime. O.t.7.§.1.

Periit memoria eorum cum sonitu. M.t.22.§.13.

Factus est Dominus refugium pauperi. O.t.8.§.2.P.t.11.§. 10.§.16.

Constitue Domine legislatorem super eos. T.t.10.§.5.

Psalmus 10.

In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicut passer. T.t.10.§.11.

Non est Deus in conspectu ejus. P.t.15.§.6.

Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. O.t.4. §.8.

Inclinabit se, & cadet, cùm dominatus fuerit pauperum. O. t.8.§.2.in fine.

Præparationem cordis eorum audivit auris tua. O.t.9.§.22.

Palpebræ ejus interrogant filios hominum. T.t.11.§.22.

Pluet super peccatores laqueos. P.t.15.§.13.

Dixit in corde suo: non requiret. P.t.15.§.21.n.5.

Justus Dominus, & justitias dilexit. O.t.9.§.22.

Psalmus 11.

Salvum me fac Domine: quoniam defecit sanctus. S.t.26. §.6.

In circuitu impii ambulant. P.t.13.§.19.S.t.41.§.3.T.t.8. §.4.

Psalmus 12.

Illumina oculos meos, nè unquam obdormiam in morte. P. t.15.§.1.

Psalmus 15.

Conserva me Domine: quoniam speravi in te. S.t.33.§.3.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum; postea acceleraverunt. M.t.21.§.1.n.3.

Funes ceciderunt mihi in præclaris. T.t.11.§.10.

Psalmus 16.

Probasti cor meum, & visitasti nocte. T.t.11.§.22.

Sub umbra alarum tuarum protege me. P.t.35.§.8.

Os eorum locutum est superbiam. P.t.14.§.11.S.t.41.§.20.

Psalmus 17.

Circumdederunt me dolores mortis. M.t.22.§.29.

Carbones succensi sunt ab eo. P.t.24.§.2.S.t.36.§.8.

Apparuerunt fontes aquarum. V.t.21.§.1.

Cum sancto sanctus eris. S.t.26.§.5. V.t.15.§.10.

Perfecit pedes meos tamquam cervorum. M.t.25.§.10.

Disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit. T.t.11.§.13.

In auditu auris obedivit mihi. O.t.1.§.18.n.2.

Filii alieni mentiti sunt. P.t.13.§.11.

Psalmus 18.

In omnem terram exivit sonus eorum. O.t.11.

In sole posuit tabernaculum suum. P.t.5.§.4.

Tamquam sponsus procedens de thalamo suo. S.t.27.

Exultavit ut gigas ad currendum viam: à summo cœlo egressio ejus. M.t.3.§.1.Q.t.2.§.1.

Judicia Domini-desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum. P.t.27.§.4.

Dulciora super mel, & favum. V.t.4.§.13.

Psalmus 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis. T.t.11.§.13.

Memor sit omnis sacrificii tui. M.t.23.§.5.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. P.t.15.§.1.

Psalmus 20.

Super salutare tuum exultabit vehementer. S.t.5.§.1.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei. P.t.5.§.2.

Cantabimus, & psallemus virtutes tuas. O.t.7.§.10.

Psalmus 21.

Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies: & nocte; & non ad insipientiam mihi. O.t.9.§.11.

In te speraverunt patres nostri. S.t.5.§.1.n.2.

Ego sum vermis, & non homo. P.t.5.§.1.§.9.

Spes mea ab uberibus matris meæ. S.t.33.§.3.

Tribulatio proxima est: quoniam non est, qui adjuvet. S.t.11. §.2.n.2.

Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens. P.t.13.§.14.

Foderunt manus meas, & pedes meos. T.t.11.§.27.V.t.21. §.1.

Consideraverunt, & inspexerunt me. O.t.3.§.4.

Diviserunt sibi vestimenta mea. S.t.10.§.11.

Erue à framea Deus animam meam. P.t.5.§.2.

Salva me ex ore leonis. S.t.41.§.20.

Psalmus 22.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit. P.t.35.§.8.

Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. T.t.5.§.1.

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. P.t.9.§. 23.T.t.11.§.15.n.2.§.26.

Calix meus inebrians, quàm præclarus est. M.t.9.§.1.

Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. M.t.9.§.6.n.2.

Psalmus 23.

Introibit Rex gloriæ. V.t.21.§.11.

Psalmus 24.

Ad te Domine levavi animam meam. T.t.8.§.8.n.2.

Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis. R.t.15.§.3.

Psalmus 25.

In innocentia mea ingressus sum. S.t.26.§.6.

Proba me Domine, & tenta me. T.t.11.§.20.

Domine, dilexi decorem domus tuæ. T. t. 3. §. 6.
In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. P. t. 34. §. 4.

Psalmus 26.

Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum, T. t. 10. §. 12.
Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea. V. t. 1. §. 6. §. 7.
Credo videre bona Domini in terra viventium. P. t. 9. §. 16.

Psalmus 27.

Non intellexerunt opera Domini. O. t. 10. §. 3.

Psalmus 28.

Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum. P. t. 1. §. 1. Z. t. 1. §. 2. §. 4. §. 8.
Vox Domini super aquas. M. t. 19. §. 11. O. t. 9. §. 1. P. t. 24. §. 2. S. t. 2.
Vox Domini in magnificentia, M. t. 3. §. 1.
Vox Domini confringentis cedros, S. t. 41. §. 3.
Vox Domini concutientis desertum. P. t. 13. §. 19. R. t. 7. §. 4.
Vox Domini præparantis cervos. R. t. 7. §. 4.
In templo ejus omnes dicent gloriam. T. t. 3. §. 8.

Psalmus 29.

Domine, eduxisti ab Inferno animam meam. P. t. 13. §. 23.
Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus, M. t. 19. §. 12.
Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, M. t. 22. §. 27. P. t. 9. §. 19. R. t. 13. §. 1.
Ego dixi in abundantia mea: non movebor in æternum. S. t. 41. §. 7.
Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem. N. t. 2. §. 2. R. t. 6. §. 2.

Psalmus 30.

Statuisti in loco spatioso pedes meos, V. t. 8.
Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde. Z. t. 1. §. 7.
Domine, non confundar: quoniam invocavi te. O. t. 9. §. 21. num. 7.
Eripe me de manu inimicorum meorum. R. t. 6. §. 3.
Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine; quam abscondisti timentibus te. M. t. 19. §. 15. P. t. 14. §. 11. n. 5. T. t. 11. §. 26.

Psalmus 31.

Beati quorum tecta sunt peccata. O. t. 7. §. 4.
Dixi: confitebor adversùm me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. M. t. 19. §. 6. n. 2. P. t. 24. §. 16.
Intellectum tibi dabo. P. t. 13. §. 3.
Sperantem in Domino misericordia circumdabit. S. t. 33. §. 2.

Psalmus 32.

In psalterio decem chordarum psallite illi. P. t. 27. §. 1.
Ab eo commoveantur omnes inhabitantes orbem. V. t. 18. §. 5.
Vidit omnes filios hominum. M. t. 19. §. 13.
Fallax equus ad salutem. M. t. 25. §. 3.
Oculi Domini super metuentes eum. S. t. 33. §. 3.
Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te. S. t. 33. §. 2.

Psalmus 33.

Benedicam Dominum in omni tempore. P. t. 27. §. 4.
Exquisivi Dominum, & exaudivit me. O. t. 9. §. 2. n. 7.
Accedite ad eum, & illuminamini. P. t. 38. §. 1. n. 4.
Non est inopia timentibus eum. P. t. 35. §. 8.
Divites egerunt, & esurierunt. O. t. 8. §. 1.
Timorem Domini docebo vos. T. t. 10. §. 4. V. t. 15. §. 7.
Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. T. t. 11. §. 19.
Redimet Dominus animas servorum suorum. S. t. 33. §. 8.

Psalmus 34.

Dic animæ meæ: salus tua ego sum. N. t. 4. §. 5.
Fiat via illorum tenebræ, & lubricum. P. t. 13. §. 13.
Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi. R. t. 8. §. 1.
Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ. P. t. 14. §. 6. n. 2.

Psalmus 35.

Noluit intelligere, ut bene ageret. O. t. 3. §. 2.
Domine, in cœlo misericordia tua. M. t. 19. §. 14.
Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. P. t. 5. §. 3.
Apud te est fons vitæ. P. t. 28. §. 2.
Non veniat mihi pes superbiæ. S. t. 41. §. 1. §. 3.

Psalmus 36.

Noli æmulari in malignantibus. P. t. 34. §. 3.
Spera in Domino, & fac bonitatem. S. t. 33. §. 8.
Dabit tibi petitiones cordis tui. O. t. 9. §. 1. n. 5.
Novit Dominus dies immaculatorum. S. t. 7. §. 4.
Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. S. t. 19. §. 3.
Vidi impium superexaltatum & transivi, & ecce non erat. M. t. 25. §. 4. T. t. 8. §. 3. n. 4. §. 11. T. t. 11. §. 5.

Psalmus 37.

Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. T. t. 11. §. 1. §. 12.
Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. P. t. 13. §. 20.
Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem. P. t. 5. §. 1. P. t. 24. §. 18.
Tamquam surdus non audiebam. R. t. 8. §. 3.
In flagella paratus sum. P. t. 22. §. 5. T. t. 11. §. 25.
Inimici mei vivunt, & confirmati sunt super me. T. t. 5. §. 5.

Psalmus 38.

Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccatum adversum me. S. t. 23. §. 8.
Notum fac mihi Domine finem meum. M. t. 22. §. 15.
Mensurabiles posuisti dies meos. V. t. 16. §. 2.
Obmutui, & non aperui os meum: quoniam tu fecisti. T. t. 11. §. 8.
Auribus percipe lacrymas meas. O. t. 9. §. 18. n. 3.

Psalmus 39.

Aures perfecisti mihi. O. t. 1. §. 2.
Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam, à concilio multo. V. t. 6. §. 3.
Ego mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei. P. t. 11. §. 17.

Psalmus 40.

Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. M. t. 18. §. 2. num. 2. P. t. 5. §. 10.
Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. M. t. 18. §. 12. n. 1. M. t. 22. §. 29.
Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. M. t. 21. §. 1.
Verbum iniquum constituerunt adversùm me: numquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat. M. t. 22. §. 5. P. t. 13. §. 24.

Psalmus 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum sitivit anima mea ad te fontem vivum. V. t. 2.
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte. P. t. 24. §. 9.
In voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis. M. t. 27.
Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis. S. t. 33. §. 6.
Apud me oratio Deo vitæ meæ. O. t. 9. §. 22. n. 2.
Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei. V. t. 15. §. 1.

Psalmus 42.

Confitebor tibi in cithara Deus meus. M. t. 24. §. 1. num. 2. P. t. 24. §. 2.
Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo. S. t. 33. §. 3.

Psalmus 43.

Dedisti nos tamquam oves escarum. P. t. 13. §. 4.
Iniquè non egimus in testamento tuo. P. t. 12. §. 2. P. t. 24. §. 17.
Cooperuit nos umbra mortis. M. t. 22. §. 24.
Si obliti sumus nomen Dei nostri. N. t. 4. §. 3.
Exurge, quare obdormis Domine. P. t. 9. §. 8.

Psalmus 44.

Eructavit cor meum verbum bonum. S. t. 36. §. 1. §. 3.
Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. S. t. 13. S. t. 14. §. 1. S. t. 36. §. 1. §. 7. §. 11. V. t. 3. §. 1.
Speciosus forma præ filiis hominum. M. t. 19. §. 16.
Diffusa est gratia in labiis tuis. S. t. 43. §. 20.
Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna. R. t. 15. §. 1.
Virga directionis, virga regni tui. S. t. 43. §. 24.
Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. M. t. 19. §. 9. S. t. 36. §. 1.
Myrrha, & gutta, & casia, à vestimentis tuis ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. M. t. 24. §. 3. P. t. 6. §. 2.
Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. V. t. 14. §. 1. §. 2. §. 5.
Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. O. t. 1. §. 3.
Concupiscet rex decorem tuum. R. t. 10. §. 2. S. t. 36. §. 1.
Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. P. t. 18. §. 3.
Omnis gloria filiæ regis ab intus. S. t. 8. Miscell.

Psalmus 45.

Deus noster refugium, & virtus. S. t. 33. §. 11.
Conturbati sunt montes à fortitudine ejus. S. t. 41. §. 1.
Venite, & videte opera Dei; quæ posuit prodigia super terram. P. t. 5. §. 1.
Scuta comburet igni. S. t. 36. §. 3.
Vacate, & videte; quoniam ego sum Deus. S. t. 28. §. 3.

Psalmus 46.

Omnes gentes plaudite manibus. O. t. 7. §. 1.
Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram. M. t. 18. §. 5.

Psal-

Psalmus 47.

Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ. N. t. 3. §. 5.

Psalmus 48.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. O. t. 8. §. 2. P. t. 15. §. 10.
Sepulchra eorum domus illorum in æternum. S. t. 17. §. 1.
Homo, cùm in honore esset, non intellexit. P. t. 13. §. 4.
Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. P. t. 36. §. 3.

Psalmus 49.

Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram. P. t. 31. §. 4.
Ignis in conspectu ejus exardescet. O. t. 9. §. 18.
Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. S. t. 28. §. 2.
Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum &c. M. t. 13. §. 3. P. t. 14. §. 1. P. t. 24. §. 20.

Psalmus 50.

Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. P. t. 15. §. 11.
Ampliùs lava me ab iniquitate mea. P. t. 24. §. 24. n. 2.
Iniquitatem meam ego cognosco. P. t. 24. §. 16.
Peccatum meum contra me est semper. O. t. 2. §. 1. P. t. 24. §. 18. §. 24.
Malum coram te feci. P. t. 14. §. 5.
Cor mundum crea in me Deus. P. t. 13. §. 17.
Spiritum rectum innova in visceribus meis. S. t. 36. §. 2.
Docebo iniquos vias tuas; & impii ad te convertentur. P. t. 24. §. 30.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus. T. t. 11. §. 15. n. 2.

Psalmus 51.

Sicut novacula acuta fecisti dolum. M. t. 4. §. 1.
Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei speravi in misericordia Dei in æternum. P. t. 24. §. 6. n. 2. S. t. 33. §. 8.

Psalmus 52.

Abominabiles facti sunt in iniquitatibus. P. t. 14. §. 3.
Devorant plebem meam ut cibum panis. O. t. 8. §. 1.
Deum non invocaverunt. O. t. 9. §. 21. n. 7.
Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. U. t. 15. §. 1.

Psalmus 53.

Non proposuerunt Deum ante conspectum suum. P. t. 30. §. 3.

Psalmus 54.

Contristatus sum in exercitatione mea. T. t. 13. §. 3.
Quoniam declinaverunt in me iniquitates; & in ira molesti erant mihi. P. t. 9. §. 12.
Quis dabit mihi pennas ficut columbæ; & volabo, & requiescam. S. t. 24. §. 1. S. t. 36. §. 1.
Ad Deum clamavi, & Dominus salvabit me. S. t. 5. §. 4.
Vespere, & manè, & meridie, narrabo, & annuntiabo: & exaudiet vocem meam. O. t. 9. §. 7. T. t. 12. §. 3.

Psalmus 55.

In finem pro populo, qui à Sanctis longè factus est. M. t. 5. §. 1.
Conculcaverunt me inimici mei tota die. P. t. 14. §. 6. n. 3.
Ab altitudine diei timebo. P. t. 15. §. 25. n. 4.
Ipsi calcaneum observabunt. M. t. 22. §. 1. n. 4.

Psalmus 56.

Paratum cor meum Deus. O. t. 1. §. 9.
Exurge gloria mea; exurge psalterium, & cithara. R. t. 13. §. 1.

Psalmus 57.

Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens. N. t. 3. §. 6.

Psalmus 58.

Convertantur ad vesperam, & famem, patientur ut canes &c. O. t. 2. §. 2. P. t. 13. §. 13.

Psalmus 59.

Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus. P. t. 22. §. 17. T. t. 11. §. 12.
Salvum fac dextera tua, & exaudi me. S. t. 5. §. 2.
Juda rex meus: Moab olla spei meæ. P. t. 9. §. 3. P. t. 19. §. 2. S. t. 33. §. 5.
In Idumæam extendam calceamentum meum. M. t. 25. §. 10.

Psalmus 60.

Protegar in velamento alarum tuarum. V. t. 15. §. 1.

Psalmus 61.

Ab ipso patientia mea. P. t. 9. §. 1.
Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. M. t. 18. §. 8. P. t. 11. §. 17.

Psalmus 62.

In terra deserta, & invia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi; ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. S. t. 36. §. 4.
Melior est misericordia tua super vitas. M. t. 19. §. 14.

Psalmus 63.

A timore inimici eripe animam meam. T. t. 10. §. 2.
Accedet homo ad cor altum; & exaltabitur Deus. O. t. 10. §. 1.
Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo. T. t. 11. §. 18. n. 2.

Psalmus 64.

Turbabuntur gentes, & timebunt. T. t. 1.
Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. V. t. 15. §. 1.

Psalmus 65.

Dicite Deo: quam terribilia sunt opera tua Domine. T. t. 10. §. 9.
In flumine pertransibunt pede. S. t. 42.

Psalmus 66.

Lætentur, & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate. P. t. 24. §. 16.

Psalmus 67.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus. P. t. 37.
Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. P. t. 5. §. 1.
Turbabuntur à facie ejus, patris orphanorum, & judicis viduarum. V. t. 10. §. 2.
Si dormiatis inter medios cleros &c. T. t. 11. §. 14.
Deus confringet capita inimicorum suorum. P. t. 15. §. 27.
Viderunt ingressus tuos Deus. O. t. 7. §. 12.
Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum. V. t. 14. §. 2.
Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu. O. t. 10. §. 1.

Psalmus 68.

Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. T. t. 5. §. 1.
Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. P. t. 2. §. 5.
Neque urgeat super me puteus os suum. V. t. 4. §. 3.
Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam. P. t. 5. §. 9.
Dederunt in escam meam fel; & in siti mea potaverunt me aceto. O. t. 1. § 22. P. t. 14. §. 6. n. 3.
Videant pauperes, & lætentur. P. t. 11. §. 14. n. 2.

Psalmus 69.

Ego egenus, & pauper sum: Deus adjuva me. P. t. 32. §. 3.

Psalmus 70.

Deus reliquit eum: persequimini, & comprehendite eum quia non est, qui eripiat. P. t. 13. §. 8.
Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini. P. t. 11. §. 5. S. t. 1. §. 4. S. t. 29. §. 2.

Psalmus 71.

Inimici ejus terram lingent. T. t. 8. §. 3. n. 3.

Psalmus 72.

Quia non est respectus morti eorum: ideo tenuit eos superbia. M. t. 22. §. 17.
Prodjit quasi ex adipe iniquitas eorum. P. t. 34. §. 2.
Transierunt in affectum cordis. T. t. 8. §. 9.
Ipsi peccatores, & abundantes in Sæculo, obtinuerunt divitias. P. t. 34. §. 8.
Quomodo facti sunt in desolationem. P. t. 13. §. 27.
Ut jumentum factus apud te. V. t. 18. §. 6.
Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. S. t. 33. §. 2.

Psalmus 73.

Contribulasti capita draconum in aquis multis. O. t. 8. §. 1.
Æstatem, & ver tu plasmasti ea. M. t. 5. §. 1. M. t. 9. §. 1.

Psalmus 74.

Confitebimur tibi Deus; confitebimur, & invocabimus nomen tuum. O. t. 9. §. 18.
Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo. M. t. 19. §. 12.
Calix in manu Domini vini meri plenus misto. T. t. 11. §. 18. V. t. 16. §. 4.

Psalmus 75.

Factus est in pace locus ejus. P. t. 12. §. 1. §. 2. P. t. 27. §. 5. n. 2.
Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt, qui ascenderunt equos. O. t. 3. §. 1.

Psalmus 76.

In tribulatione mea Deum exquisivi & non sum deceptus. O. t. 7. §. 10. Q. t. 2. §. 2. T. t. 5. §. 3.
Turbatus sum, & non sum locutus. T. t. 11. §. 24.
Dixi: nunc cœpi. P. t. 32. §. 2.
Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes. R. t. 8. §. 10.
Vox tonitrui tui in rota. M. t. 25. §. 4.

Psalmus 77.

Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. M. t. 19. §. 16.
Percussit petram, & fluxerunt aquæ. T. t. 11. §. 15.
Occidit pingues eorum. P. t. 11. §. 2. P. t. 34. §. 2.

Psalmus 78.

Nos populus tuus, & oves pascuæ tuæ. M. t. 19. §. 13.

Psalmus 79.

Quousque irasceris super orationem servi tui. T. t. 11. §. 3.
Ut quid destruxisti maceriam ejus: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. P. t. 35. §. 1.
Singularis ferus depastus est eam. S. t. 41. §. 20.

Psal-

Psalmus 80.

Sumite psalmum, & date tympanum; psalterium jucundum cum cithara. O. t. 7. §. 1.
Exaudivi te in abscondito tempestatis. S. t. 23. §. 8. S. t. 28. §. 3.
Inimici Domini mentiti sunt ei. P. t. 22. §. 9.

Psalmus 81.

Judicate egeno, & pupillo: humilem, & pauperem, justificate. P. t. 11. §. 11.

Psalmus 82.

Cogitaverunt adversùs sanctos tuos. S. t. 7. §. 1. T. t. 5. §. 4.

Psalmus 83.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum. R. t. 8. §. 1.
Passer invenit sibi domum. N. t. 1. §. 8.
Ascensiones in corde suo disposuit. P. t. 32. §. 1.
Ibunt de virtute in virtutem. O. t. 7. §. 1.

Psalmus 84.

Justitia, & pax, osculatæ sunt. P. t. 12. §. 2.

Psalmus 85.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me. O. t. 9. §. 4. §. 18. n. 5.
Miserere mei Domine: quia ad te clamavi tota die. S. t. 36. §. 15.
Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. T. t. 10. §. 4.
Eruisti animam meam ex Inferno inferiori. P. t. 15. §. 9.

Psalmus 86.

Memor ero Rahab, & Babylonis, scientium me. M. tit. 1. §. 3.

Psalmus 87.

Repleta est malis anima mea. P. t. 14. §. 6.
Sicut vulnerati dormientes in sepulchris. P. t. 13. §. 24.
Ut Quid Domine repellis orationem meam. O. t. 9. §. 13.

Psalmus 88.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi. P. t. 25. §. 3.
Thronus ejus sicut sol in conspectu meo. S. t. 43. §. 22.

Psalmus 89.

Defecimus in ira tua; & in furore tuo turbati sumus. P. t. 22. §. 7.
Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala. P. t. 9. §. 26.

Psalmus 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. S. t. 33. §. 2.
Ipse liberavit me de laqueo venantium. M. t. 25. §. 5.
Sub pennis ejus sperabit. S. t. 33. §. 2.
Non timebis à timore nocturno. T. t. 5. §. 7.
A dæmonio meridiano. P. t. 5. §. 10. n. 4.
Cadent à latere tuo mille. T. t. 11. §. 5.
Non accedet ad te malum. P. t. 15. §. 21. S. t. 33. §. 3.
Super aspidem, & basiliscum, ambulabis. P. t. 15. §. 14.
Cum ipso sum in tribulatione. T. t. 11. §. 19.

Psalmus 91.

Senectus mea in misericordia uberi. M. t. 18. §. 12. num. 1. §. 17.
Sicut cedrus Libani multiplicabitur. P. t. 32. §. 1.

Psalmus 92.

Mirabiles elationes maris. S. t. 49. §. 19.

Psalmus 93.

Exaltare, qui judicas terram. S. t. 41. §. 19.
Beatus homo, quem tu erudieris Domine. T. t. 11. §. 13.
Factus est Deus meus in adjutorium spei meo. P. t. 9. §. 15.

Psalmus 94.

Deus magnus Dominus. Z. t. 1. §. 6.
Venite adoremus: quia ipse est Dominus Deus noster. P. t. 15. §. 11.

Psalmus 95.

Cantate Domino canticum novum. P. t. 24. §. 2.
Confessio, & pulchritudo, in conspectu ejus. P. t. 24. §. 4.
Lætentur cœli, & exultet terra. V. t. 16. §. 7.

Psalmus 96.

Lætentur insulæ multæ. R. t. 7. §. 1. T. t. 5. §. 3.

Psalmus 97.

Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit. R. t. 3.
Salvabit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus. O. t. 7. §. 1. S. t. 5. §. 1.
Recordatus est misericordiæ suæ. S. t. 33. §. 8.
Cantate, & exultate, & psallite. O. t. 7. §. 10.
Psallite Domino in cithara. M. t. 24. §. 1. n. 2. O. t. 7. §. 10. P. t. 9. §. 1. V. t. 15. §. 14.

Psalmus 100.

Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. M. t. 19. §. 16. P. t. 24. §. 16.
In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. T. t. 5. §. 6.

Psalmus 101.

In quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. O. t. 9. §. 4 R. t. 6. §. 4.
In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me. S. t. 41. §. 8.
Defecerunt sicut fumus dies mei. P. t. 34. §. 6. S. t. 29. §. 1. T. t. 8. §. 3. n. 5.
Similis factus sum Pelicano solitudinis. P. t. 19. §. 3. P. t. 24. §. 1.
Cinerem tamquam panem manducabam. M. t. 22. §. 14. P. t. 24. §. 4.
Placuerunt servis tuis lapides ejus. S. t. 7. §. 2.
Paucitatem dierum meorum nuncia mihi. M. t. 22. §. 16.

Psalmus 102.

Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas. O. t. 7. §. 1.
Miserator, & misericors Dominus: longanimis, & multùm misericors. M. t. 19. §. 7. n. 2.
Renovabitur ut aquilæ juventus tua. R. t. 13. §. 1.

Psalmus 103.

Extendens cœlum sicut pellem. S. t. 14. §. 1.
Qui facis angelos tuos spiritus. S. t. 12. §. 11.
Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit. R. t. 7. §. 6. S. t. 24. §. 1.
Illic passeres nidificabunt. R. t. 7. §. 6.
Sol cognovit occasum suum. M. t. 22. §. 14. P. t. 5. §. 1. §. 3.
Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. S. t. 43. §. 23.
Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo escam sibi. M. t. 5. §. 3. O. t. 8. §. 1.
Omnia in sapientia fecisti. P. t. 35. §. 3.
Auferes spiritum eorum, & deficient. M. t. 22. §. 17.
Emittes spiritum tuum, & creabuntur. P. t. 13. §. 17. R. t. 10. §. 1.

Psalmus 104.

Cantate ei, & psallite ei. O. t. 7. §. 10.
Lætetur cor quærentium Dominum. P. t. 28. §. 2. S. t. 33. §. 3.
Quærite Dominum, & confirmamini. Q. t. 2. §. 1.
Ferrum pertransiit animam ejus. S. t. 21. §. 6.
Convertit cor eorum, ut odirent eum. S. t. 26. §. 5.
Misit Moysen servum suum. S. t. 43. §. 17.
Comedit omne fænum in terra eorum. P. t. 15. §. 14. n. 1.
Non erat in tribubus eorum infirmus. T. t. 2. §. 2.

Psalmus 105.

Confitemini Domino, quoniam bonus. P. t. 24. §. 23.

Psalmus 106.

Erraverunt in solitudine in inaquoso. S. t. 41. §. 20. V. t. 6. §. 2.
Statuit procellam ejus in auram. S. t. 36. §. 11.
Exaltent eum in Ecclesia plebis. P. t. 32. §. 2.
Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. P. t. 27. §. 6.

Psalmus 107.

Moab lebes spei meæ. P. t. 24. §. 7.

Psalmus 108.

Nutantes transferantur filii ejus. M. t. 18. §. 14.

Psalmus 109.

Tecum principum in die virtutis tuæ. P. t. 5. §. 1.
Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. S. t. 1. §. 1.
De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput. V. t. 16. §. 1.

Psalmus 110.

Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. P. t. 35. §. 10.
Intellectus bonus omnibus facientibus eum. P. t. 27. §. 5. n. 5.

Psalmus 111.

Potens in terra erit semen ejus. V. t. 4. §. 14.
Ab auditione mala non timebit. M. t. 18. §. 12. n. 1. §. 14.

Psalmus 112.

Quis sicut Dominus Deus noster: qui in altis habitat & humilia respicit in cœlo, & terra. S. t. 41. §. 1.

Psalmus 113.

Pedes habent, & non ambulabunt. S. t. 22. §. 4.

Psalmus 114.

Dilexi: quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. P. t. 9. §. 16.
Inclinavit aurem suam mihi. O. t. 9. §. 4.
Misericors Dominus, & justus. M. t. 19. §. 16.

Psalmus 115.

Omnis homo mendax. M. t. 14. §. 1.
Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. P. t. 9. §. 3. S. t. 3. §. 3. n. 6.
Calicem salutaris accipiam. M. tit. 23. §. 5. P. t. 9. §. 6. n. 2. §. 29.
Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. M. t. 23. §. 5. P. t. 18. §. 1.
Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. S. t. 22. §. 1.

Psalmus 117.

Narrabo opera Domini. P. t. 9. §. 23.
Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. T. t. 11. §. 7.

Psal-

Psalmus 118.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. M. t. 19. §. 6. n. 2. P. t. 27. §. 5. n. 5. S. t. 12. §. 9.
In viis testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis. P. t. 29. §. 4. n. 1.
Via iniquitatis amove à me. P. t. 15. §. 23.
Via mandatorum tuorum cucurri, dilatasti cor meum. P. t. 32. §. 1.
Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. O. tit. 7. §. 1.
Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus tuam. P. t. 16. §. 1.
Memor fui nocte nominis tui Domine: & custodivi legem tuam. N. t. 4. §. 6.
Paratus sum, & non sum turbatus; ut custodiam mandata tua. P. t. 9. §. 27.
Funes peccatorum circumplexi sunt me. O. t. 4. §. 3.
Misericordia tua Domine plena est terra. M. t. 18. §. 20.
Bonitatem, & disciplinam, & scientiam, doce me: quia mandatis tuis credidi. P. t. 32. §. 2. S. t. 12. §. 3.
Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. O. t. 9. §. 18. n. 3.
Fiat misericordia tua, ut consoletur me. T. t. 11. §. 25.
Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi. P. t. 27. §. 5. n. 2. T. t. 5. §. 4.
Me expectaverunt peccatores, ut perderent me. P. t. 13. §. 21. S. t. 33. §. 7.
Latum mandatum tuum nimis. O. t. 1. §. 11.
Ab omni via mala prohibui pedes meos. T. t. 5. §. 3.
Lucerna pedibus meis verbum tuum. O. t. 1. §. 18. n. 2. S. tit. 12. §. 10.
Non confundas me ab expectatione mea. P. t. 11. §. 15.
Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui. P. t. 15. §. 11. §. 20. T. t. 10. §. 5. §. 10. T. t. 11. §. 7.
Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam. P. t. 24. §. 27.
Justus es Domine, & rectum judicium tuum. P. t. 9. §. 11.
Tribulatio, & angustia, invenerunt me: mandata tua meditatio mea est. T. t. 11. §. 15. n. 2.
Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine. O. t. 9. §. 22. n. 7.
Prævenerunt oculi mei ad te diluculo. O. t. 9. §. 27.
Vidi prævaricantes & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt. P. t. 16. §. 1.
Principes persecuti sunt me gratis; & à verbis tuis trepidavit cor meum. T. t. 10. §. 8.
Pax multa diligentibus legem tuam; & non est illis scandalum. P. t. 27. §. 1. n. 1.
Appropiaquet deprecatio mea in conspectu tuo. O. t. 9. §. 18.

Psalmus 119.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. P. t. 12. §. 3.

Psalmus 120.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. S. t. 12. §. 1.

Psalmus 121.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. P. t. 9. §. 16. S. t. 33. §. 3.

Psalmus 122.

Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum - ità oculi nostri ad Dominum Deum nostrum; donec miseratur nostri. T. t. 11. §. 8.

Psalmus 123.

Torrentem pertransivit anima nostra. T. t. 11. §. 18.

Psalmus 124.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovetur in æternum, qui habitat in Jerusalem. S. t. 33. §. 1.
Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. T. t. 11. §. 18. n. 2.

Psalmus 125.

Venientes autem venient, cum exultatione portantes manipulos suos. P. t. 9. §. 24.

Psalmus 127.

Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. P. tit. 2. §. 3.

Psalmus 128.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. P. t. 14. §. 6. n. 3. P. t. 19. §. 2.
Fiat sicut fœnum tectorum; quod, priusquam evellatur, exaruit. P. t. 34. §. 7.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. P. t. 24. §. 9.
A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino. S. t. 33. §. 10. §. 18.

Psalmus 130.

Sicut ablactatus est super matre sua, ità retributio in anima mea. T. t. 11. §. 24.

Psalmus 131.

Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. M. t. 5. §. 2.
Sicut juravit Domino, votum vovit Deo. Jacob. T. t. 2. §. 4.
Si dedero somnum oculis meis donec inveniam locum Domino. P. t. 15. §. 14. n. 2.
Ecce audivimus eam in Euphrata. N. t. 1. §. 1.
Invenimus eam in campis sylvæ. S. t. 29. §. 4.
Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ. O. t. 10. §. 1. V. t. 18. §. 2.
Viduam ejus benedicens benedicam. P. t. 19. §. 2. V. t. 10. §. 2.

Psalmus 132.

Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. S. t. 36. §. 1.

Psalmus 133.

Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini. S. t. 22. §. 1. §. 4.

Psalmus 134.

Omnia, quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. V. t. 18. §. 1.
Fulgura in pluviam fecit. T. t. 10. §. 12.
Producit ventos de thesauris suis. T. t. 11. §. 22.

Psalmus 135.

Fecit solem in potestatem diei. S. t. 10. §. 1.
Percussit Ægyptum cum primogenitis eorum. P. t. 22. §. 3.

Psalmus 136.

Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flevimus; cùm recordaremur Sion. P. t. 9. §. 15. T. t. 8. §. 1.
Illic interrogaverunt nos - hymnum cantate nobis de canticis Sion. P. t. 13. §. 25.
Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. P. t. 15. §. 23. n. 1.

Psalmus 137.

Magnificasti super omne, nomen sanctum tuum. S. t. 7. §. 3.

Psalmus 138.

Dixi forsan tenebræ conculcabunt me. T. t. 11. §. 23.
Nox illuminatio mea in deliciis meis & nox sicut dies illuminabitur. P. t. 15. §. 5.
Mihi nimis honorificati sunt amici tui Deus. F. t. 11. §. 26.

Psalmus 139.

Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me. M. t. 18. §. 3. P. t. 13. §. 23.
Qui cogitaverunt iniquitates in corde; tota die constituebant prœlia. P. t. 13. §. 14.

Psalmus 140.

Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. P. t. 5. §. 1. P. t. 24. §. 29.
Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. P. t. 5. §. 10.
Ad te Domine oculi mei; in te speravi; non auferas animam meam. T. t. 10. §. 8.

Psalmus 141.

Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. P. t. 9. §. 16.

Psalmus 142.

Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. P. t. 13. §. 12.
Doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu. V. t. 18. §. 5.

Psalmus 143.

Redemisti David servum tuum de gladio maligno eripe me. S. t. 26. §. 1.
Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. M. t. 25. §. 2.
Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. T. t. 8. §. 6.

Psalmus 144.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. S. t. 33. §. 3.

Psalmus 145.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea. O. t. 9. §. 19.

Psalmus 146.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. P. t. 24. §. 6.
Qui numerat multitudinem stellarum; & omnibus eis nomina vocat. S. t. 7. §. 2.
Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum. P. t. 35. §. 6. S. t. 28. §. 3.

Psalmus 147.

Qui posuit fines tuos pacem. P. t. 12. §. 1.
Qui dat nivem sicut lanam. O. t. 3. §. 6. P. t. 13. §. 15. P. t. 15. §. 17. n. 7.
Emittet verbum suum, liquefaciet. M. t. 5. §. 3. S. t. 33. §. 5.
Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ. R. t. 10. §. 1.

Psalmus 148.

Aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. S. t. 26. §. 4.
Præceptum posuit, & non præteribit. P. t. 27. §. 7.
Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus. P. t. 27. §. 7. S. t. 43. §. 24. t. 4. §. 11.

Psal-

Psalmus 149.

Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia Sanctorum. R. t. 10. §. 1.
Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. S. t. 29. §. 3.

Liber Proverbiorum.

Caput 1.

PArabolæ Salomonis filii David, regis Israel. P. t. 2. §. 6. V. t. 8.
Ad sciendam sapientiam, & disciplinam. S. t. 10. §. 5.
Timor Domini principium sapientiæ. S. t. 10. §. 3
Audi fili mi - ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. O. t. 1. §. 5.
Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. S. t. 7. §. 2. T. t. 5. §. 6.
Sapientia prædicat in plateis. V. t. 8.
Usquequo parvuli diligitis vanitatem. V. t. 1. §. 1.
Vocavi, & renuistis: extendi manum meam; & non fuit, qui aspiceret. M. t. 19. §. 6. P. t. 24. §. 3.
Aversio parvulorum interficiet eos. S. t. 11. §. 4.

Caput 2.

Si quæsieris eam, quasi pecuniam; & sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies. C. t. 11. §. 1. S. t. 10. §. 8.
Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. P. t. 13. §. 25.
Qui iniquè agunt auferentur ex ea. M. t. 22. §. 29.

Caput 3.

Deum time - erit irrigatio hostium tuorum. T. t. 10. §. 6.

Caput 4.

Posside sapientiam. S. t. 10. §. 5.
Via impiorum tenebrosa: nesciunt, ubi corruant. P. t. 13. §. 1.

Caput 5.

Non des annos tuos crudeli. P. t. 13. §. 5.
Deriventur fontes tui foras. M. t. 18. §. 8.
Cerva charissima. V. t. 22. §. 1.

Caput 6.

Vade ad formicam. P. t. 36. §. 3.
Si impiger fueris, veniet ut fons messis tua. T. t. 8. §. 1.

Caput 8.

In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii. O. t. 7. §. 7. V. t. 15. §. 5.
Ludens coram eo omni tempore. P. t. 26. §. 2.
Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum. T. t. 3. §. 3.
Beatus homo, qui audit me. S. t. 14. §. 3.

Caput 9.

Sapientia ædificavit sibi domum. S. t. 10. §. 6.
Immolavit victimas suas. M. t. 9. §. 1.

Caput 10.

Qui congregat in messe, filius sapiens est. P. t. 24. §. 23. P. t. 36. §. 3. S. t. 10. §. 2.
Nomen impiorum putrescet. P. t. 34. §. 2.
Vanæ vitæ, os justi. S. t. 19. §. 2.
Quasi tempestas transiens non erit impius. P. t. 15. §. 3. P. t. 19. §. 4.
Anni impiorum breviabuntur. P. t. 13. §. 27.
Expectatio justorum lætitia. P. t. 9. §. 6.

Caput 11.

Alii dividunt propria. M. t. 18 §. 8.
Anima, quæ benedicit, impinguabitur. M. t. 18. §. 8.

Caput 12.

Mulier diligens, corona est viro suo. M. t. 11. §. 4.
Qui sectatur otium, stultissimus est. T. t. 8. §. 6.

Caput 13.

Vult, & non vult, piger. P. t. 9. §. 17.
Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. S. t. 28. §. 5.

Caput 14.

Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est. V. t. 16. §. 8.
Quærit derisor sapientiam, & non invenit. O. t. 3. §. 2.
Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem. P. t. 4. §. 4.
Sapiens timet, & declinat à malo. S. t. 10. §. 5.
Fatuitas stultorum imprudentia. T. t. 8. §. 6.
Et filiis ejus erit Spes. S. t. 33. §. 8.
Sperat justus in morte sua. S. t. 8. Miscell.

Caput 15.

Lingua placabilis, lignum vitæ. S. t. 43. §. 18.
Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via justorum absque offendiculo. V. t. 15. §. 6.
Mens justi meditabitur obedientiam. O. t. 1. §. 15.

Caput 16.

Initium viæ bonæ, facere justitiam. M. t. 18. §. 17.
Spirituum ponderator Dominus. S. t. 3. §. 3. S. t. 41. §. 3.
Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. P. t. 7. §. 5.
Pondus, & statera, judicia Domini sunt. T. t. 11. §. 0.

Caput 17.

Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centunplagæ apud stultum. O. t. 3. §. 2.
Quid prodest stulto, habere divitias. M. t. 18. §. 7.
In facie prudentis lucet sapientia. S. t. 8. §. 4.

Caput 18.

Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. M. t. 3. §. 2.
Verba bilinguis, quasi simplicia: & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. S. t. 24. §. 3.

Caput 19.

Doctrina viri per patientiam noscitur. P. t. 9. §. 10.
Et gloria ejus est iniqua prætergredi. S. t. 23. §. 8.

Caput 20.

Qui maledicit patri suo, & matri; extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. V. t. 16. §. 1.
A domino diriguntur gressus viri. P. t. 35. §. 2.
Quis hominum intelligere potest viam suam. V. t. 8.

Caput 21.

Exaltatio oculorum est dilatatio cordis. M. t. 2. §. 1. P. tit. 9. §. 15.
Munus absconditum extinguit iras. P. t. 39. §. 4.

Caput 22.

Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. M. t. 18. §. 9.
Fovea profunda os alienæ. O. t. 13.

Caput 23.

Nè desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. V. t. 19. §. 1.
Præbe fili mi cor tuum mihi. V. t. 18 §. 2.
In novissimo - sicut regulus venena diffundet. O. t. 5. §. 3.
Eris sicut dormiens in medio mari. P. t. 13. §. 10.

Caput 24.

Vir sapiens fortis est. P. t. 9. §. 10. S. t. 10. §. 1.
Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. P. t. 13. §. 3.
Præpara foris opus tuum. M. t. 22. §. 7.

Caput 25.

Gloria Dei est, celare verbum. O. t. 7. §. 5.
Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. V. t. 4. §. 1.
Acetum in vitro, qui cantat carmina cordi pessimo. T. t. 13. §. 2.
Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ità tristitia viri nocet cordi. V. t. 22. §. 2.

Caput 27.

Nè glorieris in crastinum. T. t. 10. §. 12.
Anima saturata calcabit favum. T. t. 8. §. 9.
Diligenter considera vultum pecoris tui. S. t. 43. §. 1.

Caput 28.

Justus quasi leo confidens absque terrore erit. M. t. 1. §. 1.
Beatus homo, qui semper est pavidus. T. t. 10. §. 12

Caput 29.

Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus. V. t. 4. §. 2.
Qui timet hominem, citò corruet. T. t. 10. §. 11.

Caput 30.

Mendicitatem, & divitias, nè dederis mihi. P. t. 11. §. 18.
Generatio, quæ pro dentibus gladios habet. O. t. 8. §. 1.
Tria sunt difficilia mihi &c. R. t. 13. §. 1. V. t. 15. §. 14.
Quatuor sunt minima terræ. M. t. 16. §. 3.
Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. M. t. 16. §. 3. S. t. 24. §. 1.
Tria sunt, quæ bene gaudiuntur. S. t. 43. §. 1. V. t. 15. §. 14.
Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavet occursum. T. t. 10. §. 6.

Caput 31.

Quæsivit lanam, & linum; & operata est consilio manuum suarum. M. t. 22. §. 27.
Manum suam aperuit inopi. S. t. 43. §. 1.
Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. P. t. 8. §. 1. S. t. 12. §. 9. V. t. 15. §. 1.
Byssus, & purpura, indumentum ejus. P. t. 9. §. 2.
Ridebit in die novissimo. M. t. 22. §. 26.
Os suum aperuit sapientiæ. S. t. 23. §. 2.
Fallax gratia. M. t. 25. §. 3.
Date ei de fructu manuum suarum. M. t. 22. §. 27.

Ecclesiastes.

Caput 1.

VErba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem. M. t. 19. §. 16. P. t. 2. §. 6. V. t. 1. §. 2.
Vanitas Vanitatum, S. t. 18. §. 2. T. t. 3. §. 3. V. t. 1. §. 2.
Quid habet amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole. T. t. 8. §. 8. V. t. 1. §. 2.
Generatio præterit, & generatio advenit. V. t. 16. §. 2.
Terra in æternum stat. O. t. 6. §. 1. S. t. 14. §. 1.
Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur. M. t. 23. §. 1. P. t. 34 §. 7 S. t. 27. T. t. 11. §. 18.

Lu-

Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur. S. t. 27.
Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. P. t. 20. §. 2.
Omnia flumina intrant in mare. V. t. 19. §. 2.
Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole: & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus. P. t. 13. §. 20.

Caput 2.

Ædificavi mihi domos. P. t. 9. §. 1. S. t. 33. §. 1.
Transivi ad contemplandam sapientiam &c. T. t. 8. §. 4.
Et vidi, quòd tantùm præcederet sapientia stultitiam, differt lux à tenebris. S. t. 10. §. 1.
Sapientis oculi in capite ejus: stultus in tenebris ambulat. S. t. 10. §. 9. T. t. 8. §. 6.

Caput 3.

Tempus nascendi, & tempus moriendi. M. t. 22. §. 4.
Tempus flendi, & tempus ridendi. P. t. 24. §. 2. R. t. 15. §. 1. S. t. 4. §. 1. S. t. 23. §. 2. V. t. 15. §. 3.
Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. T. tit. 5. §. 5.
Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus: V. t. 16. §. 7.

Caput 4.

Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens. melior est pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore, & afflictione animi. O. t. 14. §. 1.
Unus est, secundum non habet &c. S. t. 5. §. 1.
Væ soli: quia, cùm ceciderit, non habet sublevantem se. P. t. 13. §. 15.
Funiculus triplex difficilè rumpitur. T. t. 12. §. 1.

Caput 7.

Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii. R. t. 7. §. 1.
Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia. P. t. 17. §. 1.
Qui timet Deum, nihil negligit. T. t. 10. §. 5.

Caput 8.

Non est in hominis potestate, prohibere spiritum; nec habet potestatem in die mortis. M. t. 22. §. 2.

Caput 9.

Omni tempore sint vestimenta tua candida. R. t. 15. §. 3.
Perfluere vita cum uxore, quam diligis &c. S. t. 10. §. 10.
Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare. P. t. 24. §. 23.
Sicut aves laquo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo. S. t. 41. §. 1. V. t. 19. §. 1.
Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. P. tit. 13. §. 9. §. 31.

Caput 10.

Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. V. t. 19. §. 1.
Cor sapientis in dextera ejus, & cor stulti in sinistra illius. S. t. 10. §. 8. V. t. 15. §. 1.
Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum nè dimiseris. S. t. 41. §. 1.
Qui amat periculum, peribit in illo. O. t. 4. §. 8.
Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. M. t. 18. §. 7. T. t. 8. §. 6.

Caput 11.

Da partes septem, nec non & octo &c. P. t. 39. §. 3. S. tit. 43. §. 11.
Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem; in quocumque loco ceciderit, ibi erit. M. t. 18. §. 1. P. t. 24. §. 23.
Mane semina semen tuum, & vespere nè cesset manus tua. O. t. 7. §. 11.

Caput 12.

Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ. S. tit. 3. §. 3.
Antequam - revertantur nubes post pluviam. S. t. 15. §. 1.
Quando commovebuntur custodes domus. S. t. 16. §. 1.
Circuibunt in platea plangentes. S. t. 17. §. 3.
Horebit amygdalus. S. t. 5. §. 1.
Verba sapientum, sunt stimuli, & quasi clavi in altum defixi V. t. 4. §. 3.
Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo. P. t. 27. §. 6.

Canticum Canticorum Salomonis.

Caput 1.

OSculetur me osculo oris sui. M. t. 19. §. 16. O. t. 9. §. 5. O. t. 10. §. 1. O. t. 13. P. t. 12. §. 2. P. t. 22. §. 31. P. t. 27. §. 3. S. t. 12. §. 10. S. t. 36. §. 1. T. t. 12. §. 1.
Meliora sunt ubera tua vino. M. t. 19. §. 7. O. t. 10. §. 1. S. t. 10. §. 11. S. t. 14. §. 1. T. t. 8. §. 1.
Fragrantia unguentis optimis. S. t. 36. §. 2.
Oleum effusum nomen tuum. S. t. 9. V. t. 21. §. 1.
Adolescentulæ dilexerunt te. P. t. 22. §. 2.
Trahe me: post te curremus &c. M. t. 5. §. 5. P. t. 9. §. 3. S. tit. 16. §. 2. S. t. 18. §. 2. T. tit. 15. §. 2. Z. t. 1. §. 2.
Introduxit me Rex in cellaria sua. M. t. 18. §. 5. O. t. 2. §. 6. O. t. 10. §. 1. P. t. 35. §. 1. S. t. 30. §. 1.
Recti diligunt te. S. t. 7. §. 5.
Nigra sum; sed formosa. O. t. 14. §. 2.
Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. S. t. 19. §. 1. S. t. 43. §. 21. T. t. 11. §. 11. V. t. 16. §. 4.
Nolite me considerare, quòd fusca sim &c. O. t. 2. §. 6. P. t. 5. §. 10. P. t. 19. §. 1. P. t. 21. §. 3. T. t. 11. §. 1. Z. t. 1. §. 1.
Filii matris meæ pugnaverunt contra me. P. t. 19. §. 2.
Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. N. t. 1. §. 1. P. t. 5. §. 1. S. t. 43. §. 9.
Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum. P. t. 9. §. 11. P. t. 18. §. 3. T. t. 5. §. 6.
Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea. M. t. 11. §. 3. R. t. 8. §. 1.
Collum tuum sicut monilia. S. t. 43. §. 9. V. t. 15. §. 5.
Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. V. t. 4. §. 1.
Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. M. t. 1. §. 2. P. t. 24. §. 1.
Fasciculus myrrhæ - inter ubera mea commorabitur. t. 9. §. 4. M. t. 23. §. 5. P. t. 5. §. 10. P. t. 9. §. 20. T. t. 11. §. 5. §. 15. §. 18. V. t. 16. §. 7.
Botrus Cypri dilectus meus mihi. M. t. 19. §. 16. P. t. 5. §. 1. P. t. 22. §. 9. R. t. 13. §. 1. Z. t. 1. §. 1.
Oculi tui columbarum. S. t. 14. §. 5. S. t. 24. §. 1. V. t. 15. §. 1.
Lectulus noster floridus. P. t. 38. §. 1. R. t. 7. §. 1.

Caput 2.

Ego flos campi, & lilium convallium. P. t. 5. §. 1. S. t. 24. §. 2. S. t. 33. §. 2. V. t. 14. §. 5.
Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. M. t. 5. §. 4. P. t. 5. §. 1. P. t. 9. §. 1. R. t. 13. §. 1. S. t. 29. §. 2. T. t. 11. §. 15. §. 23.
Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. N. t. 1. §. 1.
Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi. O. t. 10. §. 1. P. t. 35. §. 1. S. t. 36. §. 1.
Introduxit me rex in cellam vinariam. S. t. 9. S. t. 36. §. 1.
Ordinavit in me charitatem. P. t. 2. §. 3.
Fulcite me floribus stipate me malis. O. t. 9. §. 1. P. t. 5. §. 1. P. t. 9. §. 6. §. 8. P. t. 18. §. 1. P. t. 33. §. 1. S. t. 36. §. 12. Z. t. 1. §. 4.
Læva ejus sub capite meo. M. t. 19. §. 1. S. t. 10. §. 1. T. t. 11. §. 8.
Adjuro vos filiæ Jerusalem nè suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. O. t. 1. §. 8.
Surge, propera, amica mea - veni. M. t. 22. §. 23. P. t. 32. §. 1. Z. t. 1. §. 4. §. 8.
Jam hyems transiit. M. t. 23. §. 1. P. t. 9. §. 19. V. t. 15. §. 9. V. t. 16. §. 1. §. 3.
Flores apparuerunt in terra nostra. M. t. 22. §. 1. §. 14. P. t. 24. §. 1. P. t. 32. §. 3. P. t. 34. §. 7. S. t. 33. §. 1.
Tempus putationis advenit. M. t. 22. §. 14. P. t. 5. §. 1. P. t. 33. §. 3. V. t. 15. §. 9.
Vox turturis audita est in terra nostra. M. t. 22. §. 14. P. t. 22. §. 30. S. t. 36. §. 4.
Ficus portulit grossos suos. R. t. 8. §. 3.
Vineæ florentes dederunt odorem suum. P. t. 22. §. 1. R. t. 7. §. 1.
Columba mea in foraminibus petræ. R. t. 7. §. 1. V. tit. 21. §. 1.
Ostende mihi faciem tuam. P. t. 13. §. 4. P. t. 22. §. 3.
Vox tua dulcis. O. t. 9. §. 4.
Dilectus meus mihi, & ego illi; qui pascitur inter lilia. O. t. 1. §. 1. V. t. 16. §. 5.
Revertere: similis esto capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bether. R. t. 13. §. 1.

Caput 3.

In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. M. t. 25. §. 11. N. t. 1. §. 13. P. t. 30. §. 2. Q. t. 2. §. 2. §. 3. T. t. 11. §. 15.
Surgam, & circuibo civitatem. Q. t. 2. §. 2.
Per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea. P. t. 11. §. 10.
Quæsivi illum, & non inveni. Q. t. 2. §. 3.
Tenui eum, nec dimittam. O. t. 9. §. 9. O. t. 10. §. 2. S. t. 5. §. 1. S. t. 29. §. 2. Z. t. 1. §. 2.
Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus &c. M. t. 22. §. 1. S. t. 8. §. 4. V. t. 15. §. 4.
En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. Q. t. 3. §. 1. R. t. 7. §. 1. S. t. 30. §. 1. T. t. 5. §. 4.
Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. M. t. 2. §. 1. Z. t. 1. §. 1.

Ascen-

Ascensum purpureum. M. t. 9. §. 1. P. t. 5. §. 1. P. t. 9. §. 2. §. 17. §. 18.
Egredimini, & Videte regem Salomonem in diademate &c. P. t. 9. §. 3.
In die desponsationis suæ. P. t. 5. §. 3.

Caput 4.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. O. t. 19. §. 1. P. t. 13. §. 16. P. t. 22. §. 2.
Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. M. t. 9. §. 1. O. t. 10. §. 1. P. t. 32. §. 1. R. t. 8. §. 1.
Sicut fragmen mali Punici, ità genæ tuæ. M. t. 9. §. 1. P. t. 5. §. 10. P. t. 38. §. 1.
Sicut turris David collum tuum. O. t. 9. §. 1.
Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. M. t. 23. §. 1. P. t. 9. §. 19. R. t. 13. §. 1. S. t. 5. §. 1.
Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. P. t. 27. §. 2.
Veni de Libano sponsa mea; veni, coronaberis. M. tit. 22. §. 23.
Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum &c. O. t. 1. §. 4. §. 16. R. t. 8. §. 3. T. t. 8. §. 3.
Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. P. tit. 22. §. 9.
Favus distillans labia tua. O. t. 7. §. 10.
Mel, & lac, sub lingua ejus. P. t. 22. §. 9.
Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. M. tit. 18. §. 17.
Hortus conclusus soror mea, sponsa. R. t. 3. R. t. 20. §. 1. S. t. 23. §. 1. V. t. 15. §. 5.
Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum. R. t. 15. §. 3.
Cum universis lignis Libani. R. t. 7. §. 3.

Caput 5.

Veniat dilectus meus in hortum suum. P. t. 11. §. 14.
Veni in hortum meum soror mea. M. t. 23. §. 1. P. t. 5. §. 3. P. t. 9. §. 20.
Messui myrrham meam cum aromatibus. M. t. 9. §. 1.
Comedite amici, & bibite; & inebriamini charissimi. M. t. 9. §. 4. S. t. 36. §. 8.
Ego dormio, & cor meum vigilat. P. t. 9. §. 8. S. t. 31.
Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea. P. t. 22. §. 3. Z. t. 1. §. 2.
Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. S. t. 30. §. 4.
Caput meum plenum est rore. P. t. 5. §. 6. P. t. 15. §. 17.
Expoliavi me tunica mea; quomodo induar illa. S. t. 29. §. 1. Z. t. 1. §. 2.
Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham. P. t. 19. §. 3.
Pessulum ostii mei aperui dilecto meo. V. t. 17. §. 3.
Anima mea liquefacta est, ut locutus est. M. t. 1. §. 2.
Percusserunt me, & vulneraverunt me; tulerunt pallium meum. P. t. 9. §. 23. P. t. 13. §. 1.
Dilectus meus candidus, & rubicundus. M. t. 19. §. 16. P. t. 2. §. 1. P. t. 9. §. 12. S. t. 24. §. 2.
Caput ejus aurum optimum. V. t. 2. §. 2.
Oculi ejus sicut columbæ. S. t. 43. §. 20.
Labia ejus lilia distillantia myrrham primam. S. t. 43. §. 20. V. t. 4. §. 4.
Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. M. t. 18. §. 1. S. t. 33. §. 1.
Crura illius columnæ marmoreæ. R. t. 7. §. 3.
Guttur illius suavissimum. S. t. 43. §. 20.

Caput 6.

Pulchra es amica mea & decora sicut Jerusalem. P. t. 30. §. 2.
Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens. P. t. 32. §. 1. R. t. 7. §. 1. S. t. 43. §. 1. V. t. 14. §. 2.
Descende in hortum meum. O. t. 3. §. 1. P. t. 18. §. 1. Z. tit. 1. §. 1.
Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminabab. Z. t. 1. §. 1.
Revertere. M. t. 19. §. 7. P. t. 12. §. 1. P. t. 22. §. 3. S. t. 22. §. 1. S. t. 33. §. 7.

Caput 7.

Quid videbis in sulamite, nisi choros castrorum. V. tit. 15. §. 6.
Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebon. O. t. 10. §. 11.
Statura tua assimilata est palmæ. P. t. 22. §. 1.
Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus. V. t. 9. §. 5.
Guttur tuum sicut vinum optimum. V. t. 4. §. 1.
Egrediamur in agrum. M. t. 9. §. 1. V. t. 15. §. 1.
Videamur, si floruit vinea. P. t. 32. §. 1. P. t. 33. §. 1.
Ibi dabo tibi ubera mea. M. t. 15. §. 1.

Caput 8.

Quis mihi det, ut inveniam te foris. P. t. 38. §. 1.
Adjuro vos filiæ Jerusalem, nè suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. P. t. 9. §. 18.
Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens. O. t. 10. §. 1. P. t. 9. §. 6. P. t. 13. §. 19.
Sub arbore malo suscitavi te. P. t. 2. §. 5.
Pone me ut signaculum super cor tuum. P. t. 5. §. 10. P. tit. 38. §. 1.
Fortis est ut mors, dilectio. S. t. 38. §. 2.
Dura, sicut Infernus, æmulatio. P. t. 5. §. 9.
Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. O. tit. 6. §. 4.
Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum. P. t. 32. §. 2. T. t. 11. §. 28.

Liber Sapientiæ.

Caput 1.

Nolite Zelare mortem in errore vitæ vestræ. P. t. 28. §. 2.

Caput 3.

Justorum animæ in manu Dei sunt. P. t. 35. §. 8.
Visi sunt oculis insipientium mori. S. t. 39. §. 1.
Quasi holocausti hostiam accepit illos. M. t. 9. §. 1.

Caput 5.

Ergo erravimus à via veritatis. P. t. 15. §. 15.
Et sol intelligentiæ non est ortus nobis. O. t. 10. §. 1.
Ambulavimus vias difficiles. P. t. 13. §. 1. §. 7.
Transierunt omnia illa, tamquam umbra. M. t. 21. §. 3.
Sic & nos nati continuò desivimus esse. M. t. 22. §. 4.

Caput 6.

Potentes potenter tormenta patientur. P. t. 22. §. 15. V. t. 15. §. 11.

Caput 7.

Unus introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. M. t. 22. §. 1.
Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum Sapientia inhabitat. R. t. 15. §. 1.

Caput 8.

Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. P. t. 35. §. 6.

Caput 9.

Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam. S. t. 10. §. 8.
Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ; ut mecum sit, & mecum laboret. S. t. 12. §. 9.
Ut sciam, quid acceptum sit apud te. S. t. 12. §. 9.

Caput 10.

Justum deduxit per vias rectas. M. t. 22. §. 10.

Caput 12.

Cum magna reverentia disponis nos. S. t. 43. §. 7.

Caput 13.

Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. S. t. 12. §. 9.

Caput 14.

Creaturæ Dei factæ sunt in tentationem animabus hominum. T. t. 11. §. 22.

Caput 15.

Si non peccaverimus, scimus, quoniam apud te sumus computati. P. t. 13. §. 16.

Ecclesiasticus.

Caput 1.

Radix sapientiæ cui revelata est? P. t. 35. §. 10.
Unus est altissimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis. T. t. 10. §. 9.
Usque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio jucunditatis. T. t. 11. §. 18.

Caput 2.

Fili mi, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & timore; & præpara animam tuam ad tentationem. T. t. 5. §. 4.
Deprime tuum, & sustine. T. t. 11. §. 25.
Sustine sustentationes Dei. T. t. 11. §. 6. §. 21.
In igne probatur aurum, & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis. T. t. 11. §. 22.
Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus. S. tit. 33. §. 10.
Nullus speravit in Domino, & confusus est. S. t. 33. §. 2.
Secundùm magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est. M. t. 19 §. 5.

Caput 3.

Filii sapientiæ Ecclesia justorum. S. t. 10. §. 12.
Et natio illorum obedientia, & dilectio. O. t. 1. §. 3.
Qui timet Dominum, honorat parentes: & quasi dominis seviet his, qui se genuerunt. P. t. 2. §. 1.
Cor durum habebit malè in novissimo: &, qui amat periculum, in illo peribit. O. t. 4. §. 8.
Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. M. t. 18. §. 13.

Caput 4.

In judicando esto pupillis misericors ut pater & eris tu velut filius Altissimi obediens; & miserebitur tui magis, quàm mater. M. t. 18. §. 17.
Nè accipias faciem adversùs faciem tuam. P. t. 38. §. 1.
Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. S. t. 5. §. 3.

Caput 7.

Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum. P. t. 2. §. 7.

Caput 9.

In medio laqueorum ingredieris. M. t. 25. §. 5.

Caput 10.

Omnis potentatus brevis vita. R t. 5. §. 4.
Sic & rex hodie est, & cras morietur. M. t. 22. §. 3.

Caput 11.

Brevis in volatilibus est avis, & initium dulcoris habet fructus illius. P. t. 3. §. 2.
Fili, nè in multis sint actus tui, & si dives fueris, non eris immunis à delicto. S. t. 29. §. 2.
Bona, & mala; vita, & mors; paupertas, & honestas, à Deo sunt. T. t. 11. §. 6.
Ante mortem nè laudes hominem quemquam: quoniam in filiis suis agnoscitur vir. T. t. 10. §. 12.
A scintilla una augetur ignis; & ab uno doloso augetur sanguis.

Caput 12.

Inimicus caput suum movebit, & plaudet manu; & multa susurrans commutabit vultum suum. P. t. 13. §. 11.

Caput 13.

Dives injustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit. O. t. 8. §. 2.
Attende, nè seductus in stultitiam humilieris. T. t. 8. §. 6.
Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. P. t. 19. §. 3.
Pascua divitum sunt pauperes. O. t. 8. §. 2.

Caput 14.

Beatus vir, qui in sapientia morabitur. O. t. 10. §. 1.
Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi. M. t. 22. §. 1.

Caput 16.

Non misertus est illis, gentem totam, & extollentem se in peccatis suis. P. t. 14. §. 9.

Caput 17.

Creavit illis scientiam spiritus; sensu implevit cor eorum; & mala, & bona, ostendit illis. S. t. 12. §. 9.

Caput 18.

Cùm consummaverit homo, tunc incipiet. P. t. 32. §. 3.
Numerus dierum hominum quasi gutta aquæ maris deputati sunt. V. t. 16. §. 2.
Qui misericordiam habet, docet, & erudit, quasi pastor gregem suum. P. t. 7.
Memento paupertatis in tempore abundantiæ; & necessitatum paupertatis in die divitiarum. P. t. 24. §. 23.

Caput 19.

Qui spernit modica, paulatim decidet. P. t. 15. §. 14.
Ab occursu faciei cognoscitur sensatus. S. t. 8. §. 4.

Caput 21.

Quasi à facie colubri fuge peccata. P. t. 13. §. 1. P. t. 15. §. 22.
Os prudentis quæritur in Ecclesia; & verba illius cogitabunt in cordibus suis. V. t. 4. §. 10.
In ore fatuorum cor illorum; & in corde sapientium os illorum S. t. 19. §. 3.

Caput 22.

Cur dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam. P. t. 13. §. 24.
Supra mortuum plora; defecit enim lux ejus: & super fatuum plora; defecit enim sensus. P. t. 13. §. 10. P. t. 16. §. 1.

Caput 24.

In Jacobi inhabita, & in Israel hæreditare; & in electis meis mitte radices. V. t. 16. §. 8.
Quasi palma exaltata sum in Cades. V. t. 16. §. 7.
Quasi cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi. Z. t. 1. §. 3.
Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. S. t. 40.

Caput 25.

Beatus, qui invenit amicum verum. M. t. 18. §. 6.
Quam magnus, qui invenit sapientiam, & scientiam: sed non est super timentem Dominum. T. t. 10. §. 3.
Omnis plaga tristitia cordis est. T. t. 13. §. 2.

Caput 27.

Propter inopiam multi deliquerunt: &, qui quærit locupletari, avertit oculum suum. P. t. 11. § 18.
Homo sanctus in sapientia manet sicut sol. O. t. 10. §. 1.

Caput 30.

Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. P. t. 2. §. 7.

Caput 31.

Laboravit dives in congregatione substantiæ? & in requie sua replebitur bonis suis. P. t. 9. §. 16.

Caput 32.

Peccator homo vitabit correptionem: & secundùm voluntatem suam inveniet comparationem. P. t. 13. §. 30.

Caput 33.

Meliùs est, & filii tui te rogent; quàm te respicere in manus filiorum tuorum. P. t. 2. §. 9.

Caput 34.

Vana spes, & mendacium, viro insensato: & somnia extollunt imprudentes. S. t. 33. §. 4.
Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. S. t. 21. §. 4.

Caput 35.

Oratio humiliantis se nubes penetrabit. O. t. 9. §. 18.
Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis; quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. M. t. 19. §. 1.

Caput 38.

Ora Dominum, & ipse curabit te. M. t. 21. §. 1. §. 3.
Memento novissimorum; noli oblivisci: neque enim est conversio. P. t. 24. §. 23.
Memor esto judicii mei: sic enim erit & tuum: mihi heri; & tibi hodie. M. t. 22. §. 2.

Caput 39.

Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. O. t. 9. §. 1.
Quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. M. t. 9. §. 2.
Florete flores quasi lilium, & date odorem. R. t. 14.
Non est dicere: quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur. P. t. 35. §. 4.

Caput 40.

Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium. P. tit. 15. § 15.
Filii, & ædificatio civitatis, confirmabit nomen: & super hæc mulier immaculata computabitur. P. t. 2. §. 7.
Tibiæ, & psalterium, suavem faciunt melodiam; & super utraque lingua suavis. M. t. 5. §. 1.

Caput 41.

Nomen impiorum delebitur. N. t. 3. §. 6.

Caput 42.

Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. V. tit. 16 §. 8.

Caput 43.

Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriosè. P. t. 27. §. 7.

Caput 44.

Henoch placuit Deo; & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam. P. t. 24. §. 19.
Non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi. P. t. 18. §. 3.

Caput 45.

Dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ. P. t. 27. §. 3.

Caput 48.

Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. S. t. 26. §. 1.

Caput 49.

Præter David, & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt. P. t. 14. §. 24.

Caput 50.

Simon, Oniæ filius, quasi stella matutina in medio nebulæ. P. t. 32. §. 1. S. t. 43. §. 11.

Caput 51.

Liberasti me de portis tribulationum, quæ circumdederunt me. T. t. 11. §. 26.
Modicum laboravi; & inveni mihi multam requiem. S. t. 10. §. 4.

Prophetia Isajæ.

Caput 1.

Omnes caput languidum. V. t. 18. §. 1.
Plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. M. t. 21. §. 5.
Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis. O. t. 9. §. 21.

Caput 2.

Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. P. t. 35. §. 10.
Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo. V. t. 21. §. 1.

Caput 3.

Non sum mendicus; & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi. S. t. 43. §. 23.

Caput 5.

Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei. S.t. 22. §. 5.
Ponam ea desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent vepres, & spinæ. P.t. 9. §. 6.
Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis; & quasi vinculum plaustri peccatum. P.t. 13. §. 6. §. 26.

Caput 6.

Seraphim stabant super illud. P.t. 20. §. 1.
Sex alæ uni, & sex alæ alteri. V.t. 18. §. 6.
Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. O.t. 1. §. 18. P.t. 9. §. 3.
In manu ejus calculus. S.t. 36. §. 4. T.t. 11. §. 26.
Quem mittam? & quis ibit nobis? S.t. 22. §. 8.

Caput 7.

Butyrum, & Mel, comedet. M.t. 5. §. 1.

Caput 10.

Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis. S.t. 5. §. 5.

Caput 11.

Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. S.t. 43. §. 20.
Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus. S.t. 10. §. 2. §. 8.
Spiritus timoris Domini. T.t. 10. §. 6.
Repleta est terra scientia Domini. S.t. 41. §. 2.

Caput 12.

Confitebor tibi Domine, quoniam iratus est mihi; conversus est furor tuus; & consolatus es me. P.t. 22. §. 3.
Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. S. tit. 34. §. 12.

Caput 13.

Onus Babylonis. M.t. 25. §. 7.

Caput 14.

Sedebo in monte testamenti. S.t. 41. §. 21.

Caput 21.

Onus Duma ad me clamat ex Seir. O.t. 9. §. 22.

Caput 23.

Erubesce Sidon, ait mare. R.t. 8. §. 5.

Caput 26.

Domine, exultetur manus tua, & non videant; & confundantur Zelantes populi. P.t. 13. §. 2.

Caput 27.

Quis dabit me spinam, & veprem in prœlio; gradiar super eam; succendam eam pariter. T.t. 11. §. 2.

Caput 28.

Percussimus fœdus cum morte; & cum Inferno fecimus pactum. P.t. 13. §. 24.

Caput 30.

Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri. M. tit. 29. §. 8.

Caput 40.

Consolamini, consolamini populo meus, dicit Deus vester suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. P.t. 22. §. 3.

Caput 43.

Servire me fecisti in peccatis tuis. P.t. 14. §. 1.

Caput 46.

Redite prævaricatores ad cor. R.t. 2. §. 2.

Caput 49.

Audite insulæ, & attendite populi de longè. P.t. 19. §. 2.
In manibus meis descripsi te. M.t. 13. §. 2. V.t. 21. §. 1.

Caput 50.

Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis. P.t. 13. §. 22.

Caput 51.

Ego, ego ipse consolabor vos. S.t. 36. §. 3.

Caput 55.

Omnes sitientes venite ad aquas. V.t. 4. §. 1.

Caput 60.

Filiæ tuæ de latere surgent. V.t. 21. §. 5.
Qui sunt isti, qui ut nubes volant. V.t. 15. §. 7.
Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam. P.t. 3. §. 1.

Prophetia Jeremiæ.

Caput 1.

Constitui te super gentes, & super regna: ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices; & plantes. P.t. 9. §. 19. S.t. 43. §. 24.
Virgam vigilantem ego video. P.t. 9. §. 20.
Ollam succensam ego video. P.t. 13. §. 16.

Caput 5.

Audi populo stulte, qui non habes cor. P.t. 13. §. 6.

Caput 6.

State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit bona; & ambulate in ea. P.t. 17. §. 1.

Caput 11.

Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum. S.t. 7. §. 2.

Caput 17.

Diem hominis non desiderayi. P.t. 34. §. 1.

Caput 20.

Percussit Phassur Jeremiam prophetam, & misit eum in nervum &c. S.t. 23. §. 8.

Caput 23.

Quod est onus Domini? dices ad eos: vos estis onus. P. tit. 14. §. 1.

Caput 38.

Descendit Jeremias in cœnum. P.t. 13. §. 26.
Pone veteres pannos; & hæc scissa, & putrida, sub cubitu manuum tuarum, & super funes. S.t. 33. §. 5.

Threni.

Caput 1.

Quomodo sedet sola civitas. P.t. 13. §. 9.
Omnes portæ ejus destructæ. S.t. 43. §. 24.
Expandit rete pedibus meis. T.t. 11. §. 12.

Caput 2.

Factus est Dominus velut inimicus. T.t. 11. §. 12. §. 15.
Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum &c. M.t. 29. §. 8. P.t. 22. §. 15.
Ista est dies, quam expectabamus. P.t. 13. §. 14.

Caput 3.

Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. T.t. 11. §. 29.
Contrivit ossa mea. V.t. 15. §. 1.
In tenebrosis collocavit me. P.t. 13. §. 2.
Tetendit arcum suum; & posuit me quasi signum ad sagittam. P.t. 22. §. 2. §. 17.
Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes ejus. M.t. 29. §. 5.
Sedebit solitarius, & tacebit. S.t. 23. §. 4.
Ponet in pulvere os suum. S.t. 23. §. 8.
Dabo eis scutum cordis laborem tuum. P.t. 14. §. 11.

Caput 4.

Major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato sodomorum. S.t. 33. §. 7.
Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte &c. P.t. 24. §. 19. Z.t. 1. §. 1.
Denigrata est super carbones facies eorum; & non sunt cogniti in plateis. R.t. 8. §. 1.
Non crediderunt reges terræ &c. P.t. 15. §. 15.
Appropinquavit finis noster. P.t. 15. §. 15.

Caput 5.

Patres nostri peccaverunt; & non sunt. P.t. 13. §. 17.
Versus est in luctum chorus noster. V.t. 16. §. 4.

Prophetia Ezechielis.

Caput 1.

Unumquodque eorum coram facie ambulabat. O. tit. 6. §. 3.

Caput 3.

Comede volumen istud. V.t. 4. §. 4.

Caput 4.

Sume tibi laterem, & pones eum coram te: & describes in eo civitatem Jerusalem. P.t. 15. §. 5.

Caput 5.

Non parcet oculus meus, & non miserebor. P.t. 22. §. 3.

Caput 7.

Floruit virga, germinavit superbia. S.t. 41. §. 8.

Caput 11.

Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum. O.t. 3. §. 1.

Caput 17.

Aquila grandis magnarum alarum &c. P.t. 13. §. 26.

Caput 27.

Assume super Tyrum lamentum. S.t. 41. §. 19.

Caput 28.

Fili hominis, leva planctum super regem Tyri. M. tit. 29. §. 5.

Caput 34.

Quod abjectum est, non reduxistis; &, quod perierat, non quæsistis. S.t. 43. §. 24.

Caput 47.

Stabunt super illas piscatores. S.t. 43. §. 18.

Prophetia Danielis.

Caput 2.

Omnium ejus fugit ab eo. M. tit. 22. §. 5. P. tit. 13. §. 24.
Ecce quasi statua una grandis. V.t. 16. §. 1.

Hujus

Hujus statuæ caput ex auro optimo erat. M.t. 21. §. 5. T.t. 6. §. 1. T.t. 8. §. 3.

Caput 3.

Nabuchodonosor rex fecit statuam auream. P.t. 17. §. 1.
Peccavimus, & iniquè egimus, recedente à te. P. titul. 22. §. 5.
Angelus Domini - excussit flammam ignis de fornace. P. t. 11. §. 16.
Ecce ego video quatuor viros solutos - & species quarti similis filio Dei. M.t. 18. §. 17. T.t. 11. §. 19.

Caput 4.

Germen radicum ejus in terra finite. S.t. 33. §. 6.

Caput 5.

Bibebant vinum; & laudabant deos suos. S.t. 1. §. 9.
Apparuerunt digiti, quasi manus homini scribentis. V. t. 5. §. 2.
Appensus es in statera, & inventus es minùs habens. P.t. 22. §. 15.

Caput 7.

Prima (bestia) quasi leæna, & alas habebat aquilæ. S. t. 41. §. 3.
Mille millia ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. S.t. 43. §. 1.

Caput 13.

Susanna erat delicata nimis, & pulchra specie. V.t. 4. §. 11.

Caput 14.

Daniel serve Dei: tolle prandium, quod misit tibi Deus. M. t. 18. §. 1.

Prophetia Oseæ.

Caput 1.

Vade; sume tibi uxorem fornicationum &c. P. t. 14. §. 1.

Caput 2.

Sepiam viam tuam spinis. T.t. 11. §. 11.
Liberabo lanam meam, & linum meum. P.t. 13. §. 32.
Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. V. t. 15. §. 10.
Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendum spem. S.t. 33. §. 5. §. 11.

Caput 5.

Facti sunt principes Juda, quasi assumentes terminum. R. t. 6. §. 1.
Super eos effundam quasi aquam iram meam. T.t. 11. §. 11.

Caput 11.

In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis. T.t. 11. §. 15.
Populus meus pendebit ad reditum meum. T.t. 8. §. 2.

Caput 12.

Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum. S.t. 41. §. 7.

Prophetia Amos.

Caput 1.

Dominus de Sion rugiet. P.t. 22. §. 2.

Caput 8.

Ecce uncinus pomorum. M.t. 22. §. 1. V.t. 16. §. 2.

Prophetia Jonæ.

Caput 1.

Surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis. V. t. 16. §. 9. V.t. 17. §. 3.
Timuerunt viri timore magno. P.t. 13. §. 32.
Tollite me, & mittite in mare; & cessabit mare à vobis. T. t. 10. §. 7.

Caput 2.

Evomuit Jonam in aridam. R.t. 14.

Caput 3.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. P.t. 22. §. 2. P.t. 24. §. 20
Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus. P.t. 24. §. 13.

Caput 4.

Fecit sibimet umbraculum ibi, & sedebat subter illud in umbra; donec videret, quid accideret civitati. S.t. 43. §. 21.

Prophetia Michææ.

Caput 2.

Surgite, & ite: quia non habetis hic requiem. M. t. 22. §. 23.

Prophetia Nahum.

Caput 2.

Viri exercitus in coccineis. M.t. 9. §. 1.

Prophetia Habacuc.

Caput 3.

Cornua in manibus ejus. M.t. 5. §. 7.
Aspexit, & dissolvit gentes. M.t. 19. §. 3.

Prophetia Aggæi.

Caput 1.

Factum est verbum Domini in manu Aggæi. V. t. 4. §. 11.

Prophetia Zachariæ.

Caput 5.

Ego video volumen volans. P.t. 15. §. 15.

Caput 6.

Sumes aurum, & argentum: & facies coronas, & pones in capite Jesu filii Josedech sacerdotis magni. P.t. 24. §. 5.

Caput 11.

O pastor, & idolum. S.t. 43. §. 26.

Caput 13.

In die illa erit fons patens domui David. V.t. 21. §. 5.

Liber Machabæorum primus.

Caput 2.

David in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. M.t. 18. §. 4.

Liber Machabæorum secundus.

Caput 7.

Contigit autem & septem fratres unà cum matre sua apprehensos &c. M. tit. 10. §. 2.

Evangelium secundùm Matthæum.

Caput 1.

Liber generationis Jesu Christi. M.t. 18. §. 5. M.t. 19. §. 12. N.t. 4. §. 2. §. 3. P.t. 5. §. 7. P.t. 9. §. 18. P.t. 11. §. 10. P.t. 24. §. 6. S.t. 33. §. 5.
Filii David, filii Abraham. M. t. 3. §. 2.
Abraham genuit Isaac. S.t. 22. §. 2.
David rex. O.t. 7. §. 2.
Ex ea, quæ fuit Uriæ. N.t. 2. §. 3. P.t. 25. §. 6.
Jacob genuit Joseph virum Mariæ. O.t. 10. §. 2.
Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. S.t. 36. §. 3.
Joseph cùm esset justus. V.t. 15. §. 5.
Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. O. t. 1. §. 19. P.t. 24. §. 2.
Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. P.t. 6. §. 13.
Vocabunt nomen ejus Emmanuel: quod est interpretatum Nobiscum Deus. M.t. 3. §. 2. V.t. 11. §. 4.

Caput 2.

Cùm natus esset Jesus in Bethlehem Juda. N.t. 1. §. 4.
Ecce Magi ab oriente venerunt. M.t. 22. §. 4. O.t. 7. §. 13. R. t. 1. §. 2. S.t. 10. §. 8. S.t. 23. § 3. S t. 33. §. 4. §. 5.
Ubi est, qui natus est, Rex Judæorum. M.t. 2. §. 3. N.t. 1. §. 5. O.t. 4. §. 4. O.t. 11. P.t. 11. §. 14. P.t. 38. §. 1. Q.t. 2. §. 2. V. t. 15. §. 1.
Vidimus stellam ejus in Oriente. P.t. 11. §. 14. R.t. 15 §. 3. S.t. 7. §. 2. V.t. 15. §. 9. V.t. 17. §. 3.
Venimus adorare eum. O.t. 1. §. 1. O.t. 4. §. 2. O.t. 7. §. 5. S.t. 43. §. 24.
Herodes rex turbatus, & omnis Jerosolyma. N.t. 1. §. 7. S.t. 40. §. 16.
At illi dixerunt: in Bethlehem Judæ. S.t. 12. §. 9.
Reget populum meum Israel. M.t. 18. §. 5. Diligenter interrogate de puero. P.t. 14. §. 12.
Usque dum veniens staret, ubi erat Puer. Z.t. 1. §. 1.
Invenerunt Puerum cum Maria matre ejus. M.t. 19. §. 6. P.t. 24. §. 2. §. 17.
Procidentes adoraverunt eum. S.t. 24. §. 1.
Apertis thesauris suis. R.t. 8. §. 5. V.t. 15. §. 13.
Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. M.t. 18. §. 6. M.t. 24. §. 1. O.t. 9. §. 1. P.t. 9. §. 1. P.t. 24. §. 2. §. 11.
Responso accepto in somnis. O.t. 1. §. 3.
Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. M.t. 22. §. 23. P.t. 24. §. 2.

Nu

Accipe

Accipe Puerum-& fuge in Ægyptum, O. t. 1. §. 2. S. t. 33. §. 7. S. t. 43. §. 14.
Consurgens accepit Puerum, & matrem ejus nocte &c. T. t. 8 §. 7.
Herodes-occidit omnes pueros. M. t. 22. §. 23. P. t. 3. §. 1. S. t. 11 §. 2. T. t. 11. §. 5.
Vox in Rama audita est. O. t. 8. §. 2.
Habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth. N. t. 1. §. 5.

Caput 3.

Appropinquavit regnum cœlorum. R. t. 5. §. 2.
Esca ejus erant locustæ. P. t. 9. §. 6.
Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira. P. t. 2. §. 5. R. t. 5. §. 2.
Facite fructum dignum pœnitentiæ. P. t. 24. §. 1.
Jam securis ad radicem arborum posita est. P. t. 15. §. 23. P. t. 24. §. 9. §. 23.
Congregabit triticum suum in horreum, M. t. 18. §. 12. T. t. 8. §. 4.
Ipse baptizavit eos in Spiritu Sancto, & igni. P. t. 39. §. 1. S. t. 36. §. 9. T. t. 11. §. 11.
Venit Jesus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. P. t. 24. §. 2. S. t. 25.
Sic decet nos implere omnem justitiam. P. t. 27. §. 2.
Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam. M. t. 5. §. 1. M. t. 19. §. 16. S. t. 36. §. 6. §. 10.
Baptizatus Jesus confestim ascendet de aqua. P. t. 32. §. 1. S. t. 43. §. 18.

Caput 4.

Ductus est Jesus in desertum. O. t. 4. §. 3. P. t. 9. §. 19. P. t. 16. §. 1. P. t. 24. §. 19. R. t. 2. §. 2. S. t. 30. §. 2. S. t. 36. §. 12. T. t. 11 §. 9. V. t. 15. §. 7. V. t. 19. §. 2.
Ut tentaretur à diabolo. T. t. 5. §. 3. §. 4. §. 7.
Cùm jejunasset. N. t. 5. §. 1. S. t. 25.
Esuriit: & accedens tentator. O. t. 2. §. 6. T. t. 5. §. 5.
Si Filius Dei es. T. t. 5. §. 3.
Dic, ut lapides isti panes fiant. O. t. 3. §. 1. P. t. 15. §. 14. T. t. 11. §. 13.
Non in solo pane vivit homo. P. t. 27. §. 5. S. t. 14. §. 3. V. t. 4. §. 2. §. 3.
Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. O. t. 2. §. 5. T. t. 5. §. 5.
Si Filius Dei es, mitte te deorsum. M. t. 23. §. 5. T. t. 8. §. 3. §. 4. n. 2.
Scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te &c. O. t. 4. §. 9. S. t. 14. §. 5.
Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde. M. t. 25. §. 3. O. t. 1. §. 21. T. t. 5. §. 3. T. t. 8. §. 8. n. 2.
Ostendit ei omnia regna Mundi. M. t. 25. §. 3. §. 12. T. t. 8. §. 3 num. 7.
Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. P. t. 11. §. 11. P. t. 34. §. 2. R. t. 5. §. 4. S. t. 40. §. 9. T. t. 5. §. 3. n. 5.
Vade Sathana. S. t. 43. §. 20.
Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. S. t. 22. §. 7.
Tunc reliquit eum diabolus. O. t. 4. §. 9.
Et ecce angeli accesserunt. P. t. 9. §. 19.
Habitavit in Capharnaum maritima. P. t. 24. §. 9.
Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. M. t. 25. §. 1. N. t. 5. §. 1. V. t. 16. §. 5.
Mittentes rete in mare. V. t. 17. §. 3.
Erant piscatores. O. t. 6. §. 3.
Faciam vos fieri piscatores hominum. S. t. 23. §. 1.
Relictis retibus secuti sunt eum. P. t. 11. §. 15. S. t. 3. §. 3.
Circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum. S. t. 5. §. 1. S. t. 24. §. 1. S. t. 36. §. 1. Z. t. 1. §. 5.

Caput 5.

Cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. M. titul. 19 §. 7.
Aperiens os suum docebat. O. t. 12. S. t. 23. §. 7.
Beati pauperes spiritu. P. t. 11. §. 1. §. 5. §. 6. §. 9.
Beati mites. M. t. 5. §. 2. §. 9. P. t. 9. §. 8. S. t. 14. §. 13. S. t. 23 §. 8.
Beati, qui lugent. P. t. 16. §. 1. P. t. 24. §. 9. S. t. 36. §. 5. T. t. 13. §. 3.
Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam. P. t. 18. §. 7. P. t. 32 §. 3. R. tit. 12. §. 3. S. t. 8. §. 5. S. t. 43. §. 9. V. t. 15. §. 7. Z. t. 1. §. 4.
Beati misericordes. M. t. 18. §. 12.
Beati pacifici. P. t. 6. §. 3. P. t. 12. §. 3. §. 4.
Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. P. t. 16 §. 1. P. t. 19. §. 5. V. t. 15. §. 3.
Beati eritis, cùm maledixerint vobis. T. t. 8. §. 8. n. 3.
Vos estis sal terræ. O. t. 6. §. 3. R. t. 8. §. 3. §. 8. S. t. 43. §. 9.
Vos estis lux Mundi. S. t. 26. §. 1. V. t. 4 §. 2.
Non potest civitas abscondi super montem posita. S. tit. 43 §. 10.
Nisi abundaverit justitia vestra &c. O. t. 7. §. 8.
Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. P. titul. 15. §. 14 §. 23.
Si offers munus tuum ad altare &c. S. t. 3. §. 3.
Qui viderit mulierem ad concupiscendum &c. O. t. 45. §. 3. §. 5 P. t. 15. §. 14.
Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. P. t. 13. §. 31.
Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te. P. t. 15. §. 23. S. t. 11. §. 6.
Sit sermo vester, est, est; non, non. M. titul. 14. §. 1. O. t. 7 §. 6.
Diligite inimicos vestros. S. t. 43. §. 17.
Solem suum oriri facit super bonos, & malos. M. t. 19. §. 21
Estote vos perfecti, sicut & Pater cœlestis perfectus est. M. t. 18.

Caput 6.

Cùm oraveris, intrà in cubiculum tuum. O. t. 9. §. 19. §. 22
Sic orabitis. O. t. 9. §. 25.
Pater noster, qui es in cœlis, M. t. 22. §. 23. P. t. 8. §. 2. S. t. 7 §. 2. T. t. 8. §. 3. n. 8.
Sanctificetur nomen tuum. S. t. 7. §. 8.
Adveniat regnum tuum. M. t. 18. §. 5. P. t. 13. §. 5. P. t. 39. §. 3 R. t. 5. §. 1. §. 3. S. t. 43. §. 14. V. t. 18. §. 5.
Fiat voluntas tua. M. t. 18. §. 6. O. t. 9. §. 1. S. t. 5. §. 1. T. t. 8 §. 7. V. t. 18. §. 6.
Panem nostrum supersustantialem da nobis hodie. T. t. 8. §. 3. n. 5 V. t. 19. §. 2.
Dimitte nobis debita nostra. O. t. 9. §. 22.
Libera nos à malo. P. t. 13. §. 23.
Cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava. P. t. 35 §. 6. S. t. 43. §. 18.
Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. M. t. 22. §. 17
Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. P. t. 36. §. 4. S. t. 43. §. 12.
Nemo potest duobus dominis servire. P. titul. 17. §. 2. S. t. 22 §. 7.
Nè solliciti sitis animæ vestræ; quid manducetis &c. S. t. 29. §. 2.
Respicite volatilia cœli. P. t. 35. §. 6
Considerate lilia agri. O. titul. 2. §. 5. O. t. 14. §. 2. S. t. 29 §. 2.
Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. O. t. 7. §. 8. S. t. 29. §. 2.
Si autem fœnum agri-Deus sic vestit. P. t. 35. §. 6
Quærite primùm regnum Dei. O. t. 9. §. 21. P. t. 27. §. 5. S. t. 29 §. 2.
Nolite solliciti esse in crastinum. M. t. 22. §. 2.
Crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi. S. t. 22. §. 7.

Caput 7.

Quid vides festucam in oculo fratris tui. P. t. 15. §. 17
Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei. S. t. 33. §. 1.
Hæc est lex, & prophetæ. P. t. 27. §. 5
Intrate per angustam portam. M. t. 24. §. 1. P. t. 24. §. 3. T. t. 11 §. 25. V. t. 18. §. 3
Attendite à falsis prophetis. P. t. 15. §. 27
Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. V. t. 15. §. 3. V. t. 18.
Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. O. t. 7. §. 6
Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. S. t. 5. §. 1.
Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram. P. t. 28. §. 2. S. t. 32. §. 3. V. t. 4. §. 3
Descendit pluvia, & venerunt flumina &c. T. t. 5. §. 3
Similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. S. t. 33. §. 4

Caput 8.

Cùm descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. M. t. 5. §. 5. S. t. 24. §. 1.
Ecce leprosus veniens adorabat eum. O. titul. 4. §. 1. O. t. 7 §. 13.
Domine, si vis, potes me mundare. P. t. 25. §. 3
Extendens JESUS manum tetigit eum. M. t. 18. §. 20. M. t. 19 §. 6.
Volo mundare. O. t. 9. §. 5. P. t. 13. §. 26
Vide, nemini dixeris. O. t. 6. §. 2
Cùm intrasset Capharnaum, accessit ad eum Centurio. O. t. 9 §. 24. P. t. 34. §. 2. S. t. 7. §. 6.
Puer meus jacet. S. t. 22. §. 4. T. t. 10. §. 11. num. 1. T. t. 11. §. 25 V. t. 16 §. 8
Ego veniam, & curabo eum. O. t. 9. §. 20. P. t. 11. §. 10. S. t. 43 §. 23. Z. t. 1. §. 6
Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. O. t. 2 §. 1. P. t. 18. §. 2.
Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. M. t. 16. §. 1.

Nam

Nam & ego homo sum sub potestate constitus. O. t. 1. §. 10. S. t. 43. §. 11.
Habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alii; veni, & venit. M. t. 21. §. 1. P. t. 15. §. 13. §. 24. S. t. 43. §. 17. Z. t. 1. §. 2.
Sicut credidisti, fiat tibi. Z. t. 1. §. 4.
Multi ab Oriente, & Occidente venient &c. M. tit. 22. §. 10.
Vidit socrum ejus jacentem & febricitantem. P. t. 15. §. 17. T. t. 6. §. 1.
Tetigit manum ejus. O. t. 7. §. 1.
Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes. M. t. 23. §. 4.
Videns Jesus turba multa. P. t. 11 §. 14. S. t. 29. §. 1.
Sequar te, quocumque ieris. P. t. 33. §. 3.
Vulpes foveas habent. P. t. 13. §. 11.
Volucres cœli nidos. S. t. 40. §. 1.
Permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum. P. tit. 2. §. 2.
Sequere me. S. t. 12. §. 2. V. t. 4. §. 7.
Dimitte mortuo sepelire mortuum suos. P. t. 2. §. 2.
Ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum Discipuli. P. t. 13. §. 9. P. t. 24. §. 2. §. 9. S. t. 18. §. 2. T. t. 6. §. 4. T. t 11. §. 9.
Motus magnus factus est in mari. P. t. 19. §. 3. S. t. 43. §. 26. T. t. 5. §. 1. T. t. 11. §. 8.
Ipse verò dormiebat. O. t. 9. §. 2. P. t. 5. §. 3. P. t. 9. §. 8. P. t. 19. §. 2. S. t. 32. §. 3. S. t. 33. §. 3. T. t. 10. §. 12. V. tit. 18 §. 6.
Domine, salva nos; perimus. O. t. 9. §. 20. P. tit. 30. §. 2.
Quid timidi estis modicæ fidei. O. t. 1. §. 21. T. tit. 11. §. 9.
Imperavit ventis. P. t. 27. §. 7.
Facta est tranquillitas magna. O. t. 9. §. 20.
Qualis est hic, quia venti & mare, obediunt ei. P. t. 6. §. 1.
Occurrerunt ei duo habentes dæmonia. P. t. 14. §. 11.
Venisti huc ante tempus torquere nos. P. t. 22. §. 13.
Mitte nos in gregem porcorum. P. t. 15. §. 13. P. t. 22. §. 3. P. t. 35. §. 6.

Caput 9.

Transfretavit, & venit in civitatem suam. M. t. 22. §. 23.
Confide fili. M. t. 21. §. 1. §. 2. O. t. 9. §. 10. P. t. 11. §. 10. S. t. 5. §. 4.
Remittuntur tibi peccata tua. O. t. 9. §. 21
Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. P. t. 24. §. 23.
Surge, tolle lectum tuum; & vade in domum tuam. R. t. 4. §. 3. R. t. 14.
Videntes turbæ timuerunt. T. t. 10. §. 12.
Vidit hominem sedentem in telonio. M. t. 18. §. 3. M. t. 19. §. 13. O. t. 4. §. 2. S. t. 33. §. 5.
Sequere me. Z. t. 1. §. 7.
Surgens secutus est eum. P. t. 11. §. 10.
Discumbente eo in domo: ecce multi publicani, & peccatores, venientes discumbebant cum Jesu. M. t. 19. §. 14. P. t. 24. §. 5.
Misericordiam volo, & non sacrificium. O. t. 9. §. 22. Z. t. 1. §. 2.
Neque mittunt vinum novum in utres veteres. P. titul. 18. §. 6.
Ecce princeps unus accessit, & adorabat eum. T. t. 11. §. 15.
Filia mea modò defuncta est. P. t. 15. §. 19. P. t. 24. §. 20. P. t. 35. §. 10.
Impone manum tuam super eam, & vivet. V. t. 14. §. 4.
Accessit retrò. S. t. 33. §. 9.
Tetigit fimbriam vestimenti ejus. O. t. 7. §. 5.
O mulier, magna est fides tua. O. t. 9. §. 5.
Cùm vidisset tibicines, & turbam tumultuantem. P. tit. 13. §. 25.
Non est puella mortua. P. t. 15. §. 19.
Dormit. M. t. 22. §. 25.

Caput 10.

Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem. M. t. 21. §. 1.
Judas Iscariotes. P. t. 35. §. 10.
Appropinquavit regnum cœlorum. V. t. 4. §. 11.
Gratis accepistis, gratis date. Z. t. 1. §. 7.
Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. P. t. 11. §. 1. P. t. 17. §. 3.
Si quidem domus illa fuerit digna, veniet pax vestra super eam. Z. t. 1. §. 6.
Excutite pulverem de pedibus vestris. S. t. 26. §. 5.
Mitto vos sicut oves in medio luporum. M. t. 5. §. 3. O. t. 1. §. 11. P. t. 9. §. 7. Z. t. 1. §. 3. §. 7.
Simplices sicut columbæ. S. t. 24. §. 2
Cavete ab hominibus. M. t. 18. §. 3.
Ad reges, & præsides ducemini propter me. P. t. 9. §. 12.

Tradet frater fratrem in mortem. P. t. 19. §. 5.
Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. M. t. 22. §. 9.
Ne ergo timueritis eos. P. t. 4. §. 3.
Quod in aure auditis, prædicate super tecta. V. t. 4. §. 14.
Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. T. t. 10. §. 1. §. 10.
Nonne duo passeres asse venerunt. P. t. 35. § 6.
Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. P. t. 35. §. 6.
Non veni pacem mittere, sed gladium. P. t. 2. §. 2. T. t. 8. §. 9. V. t. 4. §. 1.
Quicunque potum dederit uni ex minimis istis-amen dico vobis, non perdet mercedem suam. P. t. 27. §. 3. S. t. 22. §. 5.

Caput 11.

Joannes cùm audisset in vinculis opera Christi. O. t. 7. §. 11. P. t. 9. §. 13. S. t. 8. §. 6. T. t. 11. §. 27. V. t. 6. §. 2.
Mittens duos de discipulis. O. t. 10. §. 1. S. t. 43. §. 12.
Tu es, qui venturus es. P. t. 36. §. 1.
Renuntiate Joanni, quæ audistis, & vidistis. O. t. 7. §. 5.
Surdi audiunt. O. t. 3. §. 1.
Pauperes evangelizantur. P. t. 11. §. 2. §. 5. V. t. 4. §. 14.
Quid existis in desertum videre. M. t. 25. §. 9.
Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. V. t. 7. §. 1.
Ecce ego mitto angelum meum. T. t. 8. §. 3. n. 7.
A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur. P. t. 24. §. 15. V. t. 9. §. 4.
Confiteor tibi Pater. S. t. 43. §. 14.
Abscondisti hæc à sapientibus. S. t. 12. §. 9.
Venite ad me omnes, qui laboratis &c. P. t. 13. §. 7. P. t. 24. §. 13.
Ego reficiam vos. T. t. 11. §. 21.
Tollite jugum meum super vos. P. t. 27. §. 3. §. 4. §. 9. S. t. 22. §. 3. §. 8.
Invenietis requiem animabus vestris. M. t. 21. §. 1.
Jugum meum suave est. M. t. 11. §. 3. O. t. 1. §. 11. P. t. 9. §. 16. P. t. 27. §. 3. S. t. 22. §. 3. §. 4. V. t. 15. §. 7.
Onus meum leve. T. t. 11. §. 25.

Caput 12.

Discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis. O. t. 2. §. 2.
Ecce homo manum habens aridam. M. t. 18. §. 19.
Si licet Sabbatis curare. O. t. 2. §. 2.
Spiritus blasphemiæ non remittetur. P. t. 24. §. 32.
Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui. P. t. 2. §. 5.
Magister, volumus à te signum videre. P. t. 5. §. 4. P. t. 9. §. 2.
Sicut fuit Jonas in ventre ceti. T. t. 11. §. 27.
Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. P. t. 28. §. 2.
Regina Austri veniet à finibus terræ. S. t. 34. §. 1.
Invenit scopis mundatam. P. t. 24. §. 24.
Adhuc eo loquente dixit quidam: ecce mater tua &c. V. t. 4. §. 9.
Quæ est mater mea. N. t. 2. §. 3.
Cùm immundus spiritus exierit ab homine &c. T. t. 11. §. 11.
Invenit eam vacantem. P. t. 13. §. 9.

Caput 13.

Exiit, qui seminat seminare. O. t. 7. §. 1. V. t. 4. §. 14.
Quædam ceciderunt secus viam. S. t. 33. §. 7. V. t. 4. §. 10.
Alia ceciderunt in petrosa. O. t. 3. §. 1.
Sole orto æstuaverunt. T. t. 5. §. 2.
Aliud centesimum. V. t. 1. §. 1.
Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum. S. t. 12. §. 7.
Cùm dormirent homines, venit inimicus. P. titul. 13. §. 24. T. t. 5. §. 3.
Superseminavit Zizania. P. t. 27. §. 2. T. t. 5. §. 3. §. 4. T. t. 6. §. 1. V. t. 16. §. 4.
Inimicus homo hoc fecit. M. t. 18. §. 3. P. t. 15. §. 5.
Vis imus, & colligimus ea. M. t. 4. §. 3. M. t. 19. §. 7. S. t. 21. §. 2.
Nè fortè colligentes Zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. P. t. 9. §. 26. P. t. 13. §. 32. S. t. 26. §. 1.
Colligite primùm Zizania. P. t. 15. §. 3. V. t. 15. §. 9.
Simile est regnum cœlorum grano sinapis. O. t. 10. §. 1. P. t. 19. §. 2. R. t. 5. §. 1. §. 2. S. t. 33. §. 11. S. t. 41. §. 14. T. t. 11. §. 14.
Cùm creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor. P. t. 19. §. 2.
Simile est regnum cœlorum fermento. O. t. 14. §. 2. Z. t. 1. §. 3.
Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas. V. t. 6. §. 2.
Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. S. t. 14. §. 1.
Simile homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. O. t. 2. §. 5. R. t. 7. §. 1.
Inventa una pretiosa margarita &c. N. t. 4. §. 2.
Educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa; malos autem foras miserunt. M. t. 22. §. 27.

Exi-

Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum. P. t. 16. §. 1.
Mittent eos in *caminum* ignis. S. t. 26. §. 5.
Unde huic sapientia hæc, & virtutes. N. t. 2. §. 3.

Caput 14.

Volens illum occidere, timuit populum. T. t. 10. §. 11. n. 1.
Discipuli ejus tulerunt corpus ejus. P. t. 13. §. 12.
Cùm *jussisset* turbam discumbere super fœnum. M. tit. 24. §. 1.
Statim compulit Jesus Discipulos ascendere in naviculam. O. t. 4. §. 3. P. t. 30. §. 2.
Navicula in medio mari jactabatur fluctibus. S. t. 26. §. 5. S. t. 28. §. 5. T. t. 5. §. 6.
Erat contrarius ventus. T. t. 11. §. 18.
Videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt. O. t. 1. §. 8.
Dicentes, quia phantasma est. O. t. 1. §. 18.
Præ timore clamaverunt. T. t. 11. §. 18.
Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. M. t. 22. §. 10. P. t. 18. §. 3. P. t. 30. §. 2. Q. t. 2. §. 2. T. t. 11. §. 15.
Cùm cepisset mergi, clamavit. Domine: salvum me fac. M. t. 2. §. 2. P. t. 15. §. 14.
Modicæ fidei, quare dubitasti. P. t. 3. §. 2. S. t. 33. §. 2.

Caput 15.

Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum N. t. 5. §. 2.
Sinite illos: cœci sunt, & duces cœcorum. S. t. 11. §. 2. S. t. 40. 41. §. 16.
Egressus inde Jesus secessit in partes Tyri. P. t. 13. §. 1.
Ecce mulier Chananæa à finibus illius egressa. O. t. 4. §. 1.
Miserere mei fili David. O. t. 9. §. 19.
Filia mea malè à dæmonio vexatur. M. t. 21. §. 1. O. t. 9. §. 22. P. t. 24. §. 17. P. t. 35. §. 10.
Non respondit ei verbum. O. t. 7. §. 5. O. t. 9. §. 13.
Discipuli ejus rogabant eum dicentes: dimitte eam; quia clamat post nos. O. t. 9. §. 24.
Domine, adjuva me. O. t. 9. §. 24.
Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus. V. t. 18. §. 6.
Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. S. t. 43. §. 19. T. t. 8. §. 3.
O mulier! magna est fides tua. O. t. 7. §. 8. O. t. 9. §. 24.
Præcepit turbæ, ut discumberent super terram. M. t. 25. §. 10.

Caput 16.

Facto vespere dicitis: serenum erit; rubicundum est enim cœlum. P. t. 5. §. 1. P. t. 34. §. 1. R. t. 13. §. 1.
Quem dicunt homines esse Filium hominis. S. t. 24. §. 1.
Alii Joannem Baptistam. N. t. 5. §. 1. S. t. 25.
Vos autem quem me *esse dicitis*. O. t. 2. §. 5.
Tu es Christus Filius Dei vivi. S. t. 24. §. 1.
Beatus es Simon Bar-Jona. N. t. 3. §. 5.
Tu es Petrus. S. t. 26. §. 3. S. t. 43. §. 4.
Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. S. t. 43. §. 10.
Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. S. t. 11. §. 2.
Oportet eum ire Jerosolymam, & multa pati. P. t. 5. §. 4. S. t. 5. §. 1.
Absit à te Domine. P. t. 15. §. 4.
Vade post me Sathana. P. t. 5. §. 2. S. t. 11. §. 2. T. t. 5. §. 7. T. t. 10. §. 12.
Non sapis ea, quæ Dei sunt. P. t. 5. §. 4.
Si quis vult post me venire. P. t. 24. §. 25. S. t. 22. §. 8.
Abneget semetipsum. R. t. 10. §. 2. V. t. 18. §. 6.
Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. V. t. 18. §. 10.

Caput 17.

Post dies sex assumit Jesus Petrum &c. P. t. 9. §. 16. T. t. 11. § 5.
Ducit illos in montem excelsum seorsum. O. t. 9. §. 3. §. 22. R. t. 7. §. 1. S. t. 28. § 4.
Transfiguratus est ante eos. O. t. 9. §. 8. P. t. 5. §. 3. T. t. 11. §. 4.
Resplenduit facies ejus sicut sol. M. t. 22. §. 24. N. t. 2. §. 3. P. t. 11. §. 14. P. t. 18. §. 3. S. t. 42. §. 18. §. 20. S. t. 43. §. 20.
Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix. V. t. 16. §. 2.
Moyses. & Elias, cum eo loquentes. M. t. 19. §. 16. S. t. 53. §. 18. §. 20.
Bonus est nos hic esse. M. t. 22. §. 13. P. t. 32. §. 2. T. t. 8. §. 8. n. 2.
Faciamus hic tria tabernacula. M. t. 18. §. 8. O. t. 7. §. 5. P. t. 34. §. 7. V. t. 15. §. 12. V. t. 21. §. 1.
Nubes lucida obumbravit eos. S. t. 36. §. 1. S t. 43. §. 2.
Hic est Filius meus dilectus. M. t. 18. §. 17. P. t. 9. §. 2.
Nemini dixeritis visionem. P. t. 38. §. 1.
Vade ad mare, & mitte hamum. O. t. 1. §. 18. P. t. 11. §. 10. O. t. 6. §. 4. O. t. 8. §. 2.
Aperto ore ejus inveniens staterem. S. t. 25.
Illum sumens da eis pro me, & te. P. t. 11. §. 14.

Caput 18.

Quis putas major est in regno cœlorum. S. t. 12. §. 7.
Advocatus Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum. P. t. 3. §. 1.
Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. P. t. 24. §. 3. P. t. 32. §. 1.
Qui scandalizaverit unum de pusillis istis expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. S. t. 11. §. 4.
Væ Mundo à scandalis. S. t. 11. §. 1. §. 4.
Si oculus tuus scandalizat te, erue eum &c. S. t. 5. §. 2.
Videte, nè contemnatis unum ex his pusillis. S. t. 11. §. 5.
Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. S. t. 43. §. 4.
Gaudet super eam magis, quàm super nonaginta novem, quæ non erraverunt. P. t. 24. §. 5.
Quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlo. P. tit. 24. §. 13.
Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. P. t. 39. §. 3. S. t. 19. §. 2.
Cùm cepisset rationem ponere cum servis suis, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. S. t. 33. §. 5. S. t. 43. §. 23.
Jussit eum dominus ejus venundari. V. t. 22. §. 1.
Patientiam habe in me. M. t. 4. §. 3. M. t. 19. §. 6. §. 7. P. t. 24. §. 13. S. t. 43. §. 10.
Misertus dominus dimisit eum; & debitum dimisit ei. P. tit. 22. §. 2. P. t. 24. §. 17.
Egressus servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios &c. P. t. 15. §. 6.
Videntes conservi ejus, quæ fiebant, contristati sunt valde. P. t. 16. §. 1.
Tradidit eum tortoribus. P. t. 22. §. 16.

Caput 19.

Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire. P. t. 3. §. 1.
Talium est enim regnum cœlorum. S. t. 24. §. 2.
Et cùm apposuisset eis manus, abiit inde. P. t. 3. §. 1.
Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. S. t. 22. §. 8.
Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus &c. P. t. 11. §. 2.
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis. P. t. 11. §. 8. §. 17. S. t. 22. §. 4.
In regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ. R. t. 14.
Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. P. t. 11. §. 5. S. t. 1. §. 2. Z. t. 1. §. 4.

Caput 20.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias. M. tit. 1. §. 3.
Exiit primo manè conducere operarios in vineam suam. P. t. 24. §. 19. §. 20. V. t. 15. §. 5. V. t. 17. §. 1.
Egressus circa horam tertiam. T. t. 4. §. 3.
Vidit alios stantes in foro otiosos. Z. t. 1. §. 5.
Circa undecimam exiit, & invenit alios stantes. P. tit. 24. §. 22.
Quid hic statis tota die otiosi. O. t. 14. §. 2.
Voca operarios. O. t. 7. §. 4. O. t. 10. §. 1. S. t. 11. §. 4.
Redde illis mercedem. S. t. 36. §. 1.
Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti. M. t. 22. §. 5. O. t. 2. §. 6. S. t. 15. §. 2.
Portavimus pondus diei, & æstus. P. t. 9. §. 16.
Volo & huic novissimo dare, sicut & tibi. P. t. 9. §. 22.
An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum. P. tit. 14. §. 11.
Multi sunt vocati, pauci verò electi. P. t. 28. §. 1.
Assumpsit duodecim Discipulos secretò. P. t. 5. §. 3. S. t. 30. §. 4. S. t. 43. §. 9. T. t. 11. §. 4.
Ascendimus Jerosolymam. P. t. 5. §. 7.
Tertia die resurget. T. t. 11. §. 18.
Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi. O. t. 4. §. 1. P. tit. 2. §. 5.
Petens aliquid ab eo. T. t. 8. §. 3. n. 4.
Dic, sedeant hi duo filii mei &c. O. t. 7. §. 5. P. t. 1. §. 3. S. t. 43. §. 23.
Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum. P. t. 5. §. 3. §. 6. P. t. 9. §. 3. §. 17.
Calicem quidem meum bibetis. V. t. 18 §. 2.
Ecce duo cęci cedentes secus viam. M. t. 15. §. 10.
Turba increpabat eos ut tacerent S. t. 26. §. 3.

Caput 21.

Cùm appropinquassent Jerosolymis, & venissent Bethphage ad montem oliveti. P. t. 5. §. 8. P. t. 24 §. 2. S. t. 5. §. 1.
Invenietis asinam alligatam. P. t. 15. §. 4.
Dominus hic opus habet. S. t. 5. §. 1.
Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam. M. t. 5. §. 1. §. 3. §. 9. M. t. 15. §. 9. P. t. 11. §. 14. S. t. 5. §. 1. S. t. 40. 41. §. 14.
Adduxerunt asinam. P. t. 27. §. 4.
Plurima turba straverunt vestimenta sua in via. M. t. 9. §. 1. P. t. 5. §. 3. R. t. 6. §. 2. R. t. 14. V. t. 1. §. 1.
Alii cędebant ramos. M. t. 18. §. 10. O. t. 7. §. 2.

Ejicie-

Ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo. M. tit. 5. §. 7.
Domus mea domus orationis vocabitur. T. t. 3. §. 9.
Abjit foras extra civitatem in Bethaniam. V. t. 19. §. 2.
Manè revertens in civitatem esuriit. P. t. 24. §. 20.
Nihil invenit in ea, nisi folia. M. t. 18. §. 10.
Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. M. tit. 5. §. 7.
Arefacta est continuò ficulnea. O. t. 4. §. 3.
Publicani, & meretrices, præcedent vos in regnum Dei. M. t. 19. §. 15.
Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam. P. t. 15. §. 22. S. t. 43. §. 14.
Sepem circumdedit ei. S. t. 30. §. 6. S. t. 43. §. 23.
Peregrè profectus est. M. t. 19. §. 7.
Agricolæ apprehensis servis ejus, alium cæciderunt, alium occiderunt. P. t. 15. §. 14. P. t. 34. §. 2.
Verebuntur filium meum. P. t 15. §. 14.
Cùm venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? M. t. 19. §. 7.
Malos malè perdet. P. t. 23. §. 1.
Vineam suam locabit aliis agricolis. P. t. 27. §. 3.

Caput 22.

Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptia filio suo. S. t. 33. §. 9. S. t. 43. §. 16. §. 20
Nolebant venire. P. t. 28. §. 2. S. t. 33. §. 10.
Omnia parata, venite ad nuptias. P. t. 28. §. 2.
Ite ad exitus viarum. M. t. 22. §. 14.
Intravit rex, ut videret discumbentes. S. t. 43. §. 23.
Vidit hominem non vestitum veste nuptiali. O. t. 7. §. 1.
Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem. P. t. 24. §. 19. R. t. 7. §. 7. S. t. 5. §. 5. S. t. 26. §. 2. S. t. 43. §. 20.
Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores. O. t. 14. §. 2. P. t. 22. §. 14. P. t. 24. §. 23.
Magister, scimus, quia verax es. S t. 24. §. 3.
Licetne censum dare Cæsari, an non. S. t. 12. §. 6.
Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. P. t. 11. §. 4. P. t. 18. §. 6. S. t. 3. §. 3.

Caput 23.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. S. t. 1. §. 3.
Alligant onera gravia, & importabilia. S. t. 43. §. 21.
Unus est Pater vester, qui in cœlis est. P. t. 15. §. 1.
Clauditis regnum cœlorum ante homines. S. t. 11. §. 2.
Comeditis domos viduarum. V. t. 10. §. 2.
Relinquitis, quæ graviora sunt legis, judicium, misericordiam, & fidem. V. t. 10. §. 2.
Ædificatis sepulchra Prophetarum. P. t. 15. §. 25.
Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi &c. P. t. 22. §. 11.
Quoties voluit congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti. M. t. 19. § 7. S. t. 43. §. 8. V. t. 4. §. 1.
Relinquetur vobis domus vestra deserta. P. t. 13. §. 15. T. t. 3. §. 6.

Caput 24.

Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. T. t. 3. §. 9.
Quod signum adventus tui, & consummationis Sæculi? M. t. 25. §. 11.
Audituri estis prœlia, & opiniones prœliorum. P. t. 9. §. 26.
Væ prægnantibus, & nutrientibus, in illis diebus. P. t. 13. §. 14. §. 24.
Non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato. M. t. 22. §. 29. P. t. 24. §. 2. §. 22. S. t. 33. §. 9.
Propter electos breviabuntur dies illi. T. t. 11. §. 18.
Si dixerint vobis: ecce in deserto est; nolite exire. O. t. 4. §. 3.
Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis. O. t. 3. §. 5.
Sol obscurabitur. S. t. 11. §. 3.
Videbunt Filium hominis venientem in nubibus. P. tit. 13. §. 22
Ab arbore fici discite parabolam. P. t. 34. §. 7.
Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur. P. t. 11. §. 10. P. t. 28. §. 2. S. t. 33. §. 6.
Vigilate: quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. M. t. 22. §. 7.
Si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique. S. t. 5. §. 2. S. t. 16. §. 2 S. t. 33. §. 6.
Quis putas, est fidelis servus, & prudens. M. t. 18. §. 6.

Caput 25.

Quinque fatuæ non sumpserunt oleum secum. M. t. 18. §. 2. O. t. 7. §. 8. P. t. 24. §. 23. T. t. 8. §. 6.
Prudentes acceperunt in vasis suis cum lampadibus. M. t. 18. §. 6.
Moram faciente sponso dormitaverunt omnes, & dormierunt. P. t. 15. §. 14.
Media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit. P. t. 18. §. 3.
Tunc surrexerunt omnes Virgines. V. t. 14. §. 4.
Date nobis de oleo vestro. P. t. 24. §. 22. P. t. 32. §. 3. T. t. 6. §. 4.
Lampades nostræ extinguuntur. M. t. 25. §. 12.
Nè fortè non sufficiat nobis, & vobis. M. t. 18. §. 12.
Ite potiùs ad vendentes; & emite vobis. M. t. 18. §. 6. Z. t. 1. §. 4.
Dum irent emere, venit sponsus. M. t. 22. §. 11. P. tit. 24. §. 23.
Domine, aperi nobis. P. t. 27. §. 2.
Nescio vos. S. t. 33. §. 4.
Vigilate: quia nescitis diem, neque horam. M. t. 22. §. 3.
Uni dedit quinque talenta. P. t. 11. §. 16.
Super pauca fuisti fidelis. M. t. 25. §. 12. T. t. 8. §. 3. n. 6.
Intra in gaudium Domini tui. S. t. 5. §. 1.
Unum talentum acceperat. R. t. 1. §. 2.
Abscondi talentum tuum in terra. V. t. 15. §. 10. Z. t. 1. §. 4.
Tollite ab eo talentum. P. t. 11. §. 11.
Cùm venerit Filius hominis in majestate sua. P. t. 22. §. 2.
Oves à dextris. M. t. 19. §. 16.
Hœdos à sinistris. M. t. 18. §. 12. P. t. 3. §. 7.
Esurivi. M. t. 18. §. 12 O. t. 7. §. 9.
Venite benedicti Patris mei. P. t. 28. §. 2.
Ibunt hi in supplicium æternum. N. t. 3. §. 6.

Caput 26.

Scitis, quia post biduum Pascha fiet. M. t. 22. §. 6. P. tit. 24. §. 2.
Non in die festo. T. t. 10. §. 8.
Cùm Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi. O. t. 1. §. 4.
Accessit ad eum mulier habens alabastrum ungenti pretiosi, & affudit super caput illius recumbentis. P. t. 8. §. 2.
Ut quid perditio hæc? T. t. 8. §. 4. n. 2
Quid molesti estis huic mulieri. O. t. 4. §. 1. P. t. 18. §. 2. P. t. 19. §. 3. Z. t. 1. § 8.
Ad sepeliendum me fecit. M. t. 22. §. 7.
Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium. P. titul. 32. §. 1.
Tunc abiit unus de duodecim. P. t 13. §. 1. S. t. 33. §. 9.
Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam. P. t. 14. §. 12
Constituerunt ei tringinta argenteos. V. t. 2. §. 2.
Ite in civitatem ad quendam. O. t. 7. §. 3.
Unus vestrum me traditurus est. S. t. 33. §. 7.
Contristati valde cœperunt singuli dicere: numquid ego sum Domine. O. t. 2. §. 1. T. t. 10. §. 12.
Filius homini vadit, sicut scriptum est de illo. M. t. 22. §. 23. P. t. 35. §. 10.
Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur. P. t. 14. §. 10. P. t. 28. §. 2.
Numquid ego sum Rabbi. O. t. 2. §. 1. P. t. 28. §. 1. S. tit. 5. §. 3.
Cœnantibus eis accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit. P. t. 9. §. 23. T. t. 8. §. 3.
Et accipiens calicem gratias egit. M. t. 23. §. 3. S. t. 3. §. 2. V. t. 15. §. 7.
Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. S. t. 5. §. 1.
Hymno dicto exierunt in montem oliveti. M. t. 18. §. 2. O. t. 9. §. 30.
In nocte hac antequam gallus cantet, ter me negabis. P. t. 14. §. 10.
Venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani. P. t. 5. §. 8.
Assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse. O. t. 9. §. 22.
Tristis est anima mea usque ad mortem. M. t. 22. §. 23. §. 29. P. t. 24. §. 11. §. 24. T. t. 13. §. 4.
Sustinete hic, & vigilate mecum. T. t. 11. §. 4.
Progressus pusillum cecidit in faciem suam. O. t. 9. §. 16.
Transeat à me calix iste. P. t. 5. §. 2. §. 13. V. t. 18. §. 9.
Non sicut ego volo, sed sicut tu. O. t. 1. §. 16.
Invenit eos dormientes. M. t. 19. §. 7. P. t. 24. §. 3. T. t. 11. §. 5.
Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma. S. t. 33. §. 9.
Iterum secundò abjit, & oravit. O. t. 7. §. 12.
Dormite jam. & requiescite. M. t. 22. §. 23. P. t. 5. §. 7. P. t. 9. §. 8. P. t. 14. §. 6.
Surgite, eamus. O. t. 9. §. 8.
Quemcunque osculatus fuero, ipse est. M. titul. 19. §. 15. §. 16.
Osculatus est eum. M. t. 25. §. 3. P. t. 14. §. 11.
Percutiens servum principis Sacerdotum amputavit auriculam ejus. P. t. 11. §. 11.

Converte gladium tuum in locum suum. M. t. 5. §. 7. P. t. 9. §. 25. S. t. 43. §. 24.
Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. P. t. 22. §. 13.
An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum. O. t. 9. §. 7. P. t. 5. §. 6.
Quotidie apud vos sedebam docens in templo. V. t. 4. §. 4.
Petrus sequebatur à longe. O. t. 4. §. 8.
Jesus tacebat. S. t. 23. §. 8.
Reus est mortis. S. t. 26. §. 3.
Nescio, quid dicis. P. t. 15. §. 14
Iterum negavit cum juramento. P. t. 15. §. 13. S. t. 26. §. 5.
Continuò gallus cantavit. V. t. 4. §. 3.

Caput 27.

Manè facto consilium inierunt omnes principes Sacerdotum &c. P. t. 14 §. 10. §. 12.
Videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset. P. t. 11. §. 11.
Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum. P. t. 15. §. 26. P. t. 17. §. 2. R. t. 12. §. 2.
Quid ad nos tu videris. O. t. 2. §. 2.
Abiens laqueo se suspendit. S. t. 33. §. 7.
Non licet eos mittere in corbonam. P. t. 14. §. 12.
Vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis. R. t. 4. §. 1. S. t. 17. §. 5.
Jesus stetit ante Præsidem. S. t. 5. §. 1.
Non respondit ei ad ullum verbum; ita ut miraretur Præses Vehementer. O. t. 7. §. 5.
Nihil tibi, & justo illi. P. t. 9. §. 2.
Multa passa sum hodie per visum propter eum. P. t. 9. §. 2. S. t. 31.
Crucifigatur. P. t. 14. §. 6.
Accepta aqua lavit manus coram populo. P. t. 14. §. 11.
Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium. M. t. 16. §. 1.
Exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei. S. t. 43. §. 11.
Arundinem in dextera ejus. P. titul. 13. §. 22. R. t. 5. §. 4. S. t. 13.
Ave rex Judæorum. R. t. 6. §. 4.
Induerunt eum vestimentis ejus. P. t. 5. §. 9.
Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. O. t. 7. §. 5.
Cùm gustasset, noluit bibere. S. t. 24. §. 3. T. t. 11. §. 7.
Unus à dextris, & unus à sinistris. P. t. 5. §. 7.
Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere-descendat nunc de cruce, & credimus ei. P. t. 9. §. 2.
Deus meus! ut quid dereliquisti me. P. t. 5. §. 7. P. t. 28. §. 1. S. t. 36. §. 9. T. t. 11. §. 19. V. t. 3. §. 2.
Jesus clamans voce magna emisit spiritum. M. t. 23. §. 4. R. t. 7. §. 6.
Velum templi scissum est in duas partes. P. t. 24. §. 1.
Terra mota est. M. t. 23. §. 5. P. t. 24. §. 11.
Petræ scissæ sunt. O. t. 3. §. 5.
Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. R. t. 14.
Verè Filius Dei erat iste. P. t. 9. §. 2.
Venit quidam homo dives ad Arimathæa nomine Joseph. O. t. 6. §. 4.
Accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. M. t. 2. §. 9. S. t. 5. §. 5.
Involvit illud in sindone munda. P. t. 24. §. 2.

Caput 28.

Vespere autem Sabbati. V. t. 18. §. 2.
Terræ motus factus est magnus. P. t. 13. §. 26.
Erat aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. S. t. 33. §. 9. S. t. 43. §. 20.
Præ timore ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. R. t. 13. §. 4.
Avete. R. t. 13. §. 7.
Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam: ibi me videbunt. S. t. 43. §. 16.
Pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes &c. P. t. 15. §. 12.
Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. P. t. 27. §. 2. V. t. 15. §. 13.
Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. P. t. 30. §. 2.
Videte locum, ubi positus erat Dominus. M. t. 22. §. 19.

Evangelium secundùm Marcum.

Caput 1.

Vidit cœlos apertos, & Spiritum, tanquam columbam. S. t. 36. §. 5.
Statim Spiritus expulit eum in desertum. S. t. 30. §. 4.
Discerpens eum Spiritus immundus. T. t. 5. §. 4.
Vespere facto, cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes. P. t. 34. §. 2.

Caput 2.

Nudaverunt tectum. O. t. 2. §. 5. S. t. 5. §. 6. S. t. 43. §. 22.
Omnis turba veniebat ad eum, & docebat eos. S. t. 24. §. 1.
Multi publicani, & peccatores, simul discumbebant cum Jesu, P. t. 24. §. 30. S. t. 33. §. 5.

Caput 3.

Filii tonitrui. T. t. 8. §. 2.
Quæ est mater mea. P. t. 2. §. 2.

Caput 4.

Magister, non ad te pertinet, quia perimus? M. t. 19. §. 13.

Caput 5.

Occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. M. t. 22. §. 17.
Concidens se lapidibus. P. t. 13. §. 23.
Mulier timens, ac tremens, sciens, quòd factum esset in se; venit, & procidit ante eum. T. t. 10. §. 5.

Caput 6.

Misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. O. t. 8. §. 2.
Ungebant oleo multos ægros, & sanabant. S. t. 2.
Non licet tibi habere uxorem fratris tui. P. t. 11. §. 5.
Herodias insidiabatur illi. V. t. 6. §. 2.
Herodes metuebat Joannem. P. t. 27. §. 4. T. t. 10. §. 11. n. 1.
Cumque-filia Herodiadis saltasset, & placuisset Herodi. P. t. 2. §. 5.
Pete à me, quod vis-licèt dimidium regni mei. T. t. 8. §. 3. num. 6.
Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. P. t. 19. §. 3. V. t. 18. §. 7.
Misso spiculatore, attulit caput ejus in disco. O. t. 8. §. 2.
Erat navis in medio mari. T. t. 5. §. 2.
Venit ad eos ambulans supra mare. T. t. 11. §. 19.
Percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se malè habebant, circumferre. Z. t. 1. §. 1.

Caput 7.

Ingressus domum neminem voluit scire; & non potuit latere. M. t. 19. §. 4.
Adducunt ei surdum, & mutum. M. t. 18. §. 9.
Deprecabantur eum, ut imponat illi manum. N. t. 4. §. 5.
Apprehendens eum de turba seorsum. O. t. 4. §. 3. O. t. 9. §. 20.
Suspiciens in cœlum, ingemuit. T. t. 11. §. 19.
Solutum est vinculum linguæ ejus. S. t. 23. §. 2.
Loquebatur rectè. S. t. 23. §. 2.

Caput 8.

Misereor super turbam. M. t. 18. §. 3.
Jam triduo sustinent me. S. t. 22. §. 2. T. t. 11. §. 18.
Quidam ex eis de longè venerunt. P. t. 24. §. 2.
Præcepit turbæ discumbere super terram. M. t. 22. §. 14. O. t. 11.
Apprehensa manu cœci, eduxit eum extra vicum. O. t. 7. §. 9.
Video homines velut arbores ambulantes. M. t. 25. §. 4.
Vade in domum tuam. M. t. 22. §. 23.
Cœpit docere eos: quoniam oportet Filium hominis pati multa. P. t. 9. §. 2.
Si quis vult me sequi, deneget semetipsum. S. t. 43. §. 17.
Qui me confessus fuerit, & Filius hominis confitebitur eum. P. t. 38. §. 1.

Caput 9.

Dixi Discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt. O. t. 2. §. 2.
Interrogavit patrem ejus: quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait: ab infantia. P. t. 2. §. 4.
Exi ab eo; & ampliùs non introeas in eam. R. t. 6. §. 3.
In via inter se disputaverant, quis eorum major esset. R. t. 5. §. 4.
Ubi vermis eorum non moritur. P. t. 24. §. 23.
Habete in vobis sal. S. t. 10. §. 4.

Caput 10.

Offerebant illi parvulos, ut tangeret eos ille. P. t. 24. §. 2.
Sinite parvulos venire ad me-talium est enim regnum cœlorum. V. t. 4. §. 14.
Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. P. t. 3. §. 1.
Præcedebat illos Jesu, & stupebant. P. t. 5. §. 2.
Exiliens venit ad eum. V. t. 17. §. 3.

Caput 11.

Introivit Jerosolymam in templum. T. t. 3. §. 3.
Non erat tempus ficorum. P. t. 9. §. 6.
Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet. S. t. 25.

Caput 12.

Circundedit sepem. P. t. 35. §. 1.

Ca-

Caput 13.

Vigilate, & orate: nescitis enim, quando tempus sit. M. t. 22. §. 3.

Caput 14.

Jam non bibam de hoc genimine vitis, usque &c. R. tit. 13. §. 6.
Simon dormis. P. t. 15. §. 12. S. t. 43. §. 26.
Non potuisti una hora vigilare mecum. T. t. 11. §. 18.
Sufficit: venit hora. O. t. 4. §. 1.
Surgite, eamus. T. t. 6. §. 4. V. t. 18. §. 5.
Ducite cautè. P. t. 15. §. 20.
Convenientia testimonia non erant. S. t. 23. §. 8.
Iterum negavit. M. t. 14. §. 1.
Cœpit flere. O. t. 9. §. 18.

Caput 15.

Tu es Rex Judæorum? S. t. 43. §. 11.
Dabant ei bibere myrrhatum vinum. V. t. 6. §. 2.
Jesus emissa voce magna expiravit. M. t. 22 §. 11.
Erat parasceve, quod est ante Sabbatum, V. t. 16. §. 1.
Audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. P. t. 9. §. 3.

Caput 16.

Cùm transisset Sabbatum. P. t. 27. §. 4.
Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. M. t. 18. §. 10. §. 20. P. t. 29. §. 3.
Valde manè una Sabbatorum, veniunt ad monumentum; orto jam sole. R. t. 13. §. 1. §. 3.
Viderunt juvenem sedentem in dextris. R. t. 14.
Jesum queritis-surrexit; non est hic. P. t. 9. §. 1.
Apparuit primò Mariæ Magdalenæ; de qua ejecerat septem dæmonia. P. t. 15 §. 26
Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus. M. t. 1. §. 2.
Exprobravit incredulitatem eorum. P. t. 14. §. 10. P. t. 22. §. 16.
Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. O. t. 1. §. 19. P. t. 5. §. 10.
Serpentes tollent. P. t. 15 §. 23. S. t. 26. §. 3. T. t. 5. §. 3.
Sedet à dextris Dei. S. t. 36. §. 3.

Evangelium S. Lucæ.

Caput 1.

Fuit in diebus Herodis regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias. N. t. 2 §. 2. R. t. 5. §. 2. S. t. 26. §. 2. V. t. 15. §. 3.
Erant justi ambo ante Deum. P. t. 2. §. 6 P. t. 18. §. 2. S. t. 7. §. 3.
Incedentes in omnibus mandatis-sine querela. P. t. 27. §. 2. P. t. 32. §. 1.
Non erat illi filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis. O. t. 9. §. 13.
Sorte exiit, ut incensum poneret. O. t. 7. §. 10.
Omnis multitudo populi erat orans foris incensi. O. tit 6. §. 3.
Apparuit illi Angelus Domini stans à dexteris altaris incensi, M. t. 1. §. 1. P. t. 3. §. 1. S. t. 1. §. 3.
Zacharias turbatus est videns T. t. 10. § 9.
Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium &c. N. t. 1. §. 3.
Erit gaudium tibi P. t. 2. §. 7.
Multi in nativitate ejus gaudebunt. P. t. 14. §. 2.
Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. S. t. 36. §. 3. §. 15.
Eris tacens &c. P. t. 15. §. 27. S. tit. 1. §. 3. S. tit. 23. §. 2.
Egressus non poterat loqui. O. t. 9. §. 14.
Missus est Angelus Gabriel a Deo. V. t. 14. §. 5.
Cui nomen erat Joseph de Domo David. P. t. 24. §. 6.
Cogitabat, qualis esset ista salutatio. S. t. 19 §. 3.
Vocabis nomen ejus Jesum. N. t. 4. §. 2.
Regnabit in domo Jacob in æternum. R. t. 5. §. 1. R. t. 15. §. 1. V. t. 9. §. 4.
Quomodo fiet istud? S. t. 43. §. 19.
Quoniam virum non cognosco. M. t. 11. §. 6.
Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. S. t. 7. §. 3.
Non erit impossibile apud Deum omne verbum. P. tit. 25. §. 2.
Ecce ancilla Domini. P. t. 28. §. 2.
Abiit in montana cum festinatione. M. tit. 2. §. 3. S. tit. 36. §. 11.
Exultavit infans in utero ejus. R. t. 8. §. 9.
Magnificat anima mea Dominum. P. t. 13. §. 9. T. t. 5. §. 6.
Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. T. t. 10. §. 9.
Fecit potentiam in brachio suo. R. t. 4. §. 3.
Elisabeth impletum est tempus pariendi; & peperit filium. O. t. 7. §. 13. P. t. 33. §. 1. V. t. 16 §. 6.
Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. N. t. 3. §. 15.

Postulans pugillarem, scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. O. t. 7. §. 9.
Posuerant omnes, qui audierant, in corde suo, dicentes &c. V. t. 4. §. 10.
Erexit cornu salutis nobis R. t. 5. §. 4.
Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi. S. t. 22. §. 7. V. t. 15. §. 9.
Erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.

Caput 2.

In diebus illis exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. N. t. 1. § 6. P. t. 27. § 5.
Ascendit & Joseph in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem. P. t. 33. §. 1. P. t 35. §. 1.
Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante, O. t. 1. §. 10. §. 20.
Peperit filium suum primogenitum. N. t. 1. §. 5. Pannis eum involvit. N. t. 1. § 8 O. t. 1. §. 10
Pastores erant in regione eadem vigilantes; & custodientes vigilias noctis super gregem suum. O. t. 2. §. 1 P. t. 35. §. 1. S. t 24. §. 1. S. t. 43. §. 23.
Evangelizo vobis gaudium magnum. P. t. 11. §. 5.
Natus est vobis hodie Salvator. P. t 11. § 14
Hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum. P. t. 11. § 10. §. 14.
Gloria in altissimis Deo. S. t. 5. §. 1.
Omnes, quia audiverunt, mirati sunt; & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. P. t. 11. §. 2.
Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, V. t. 4. §. 10. §. 13.
Reversi sunt pastores, glorificantes, & laudantes Deum, in omnibus, quæ audierant, & viderant.
Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer. P. t. 24. §. 2. §. 20. P. t. 27. §. 4.
Vocatum est nomen ejus Jesus. N. t. 4. §. 2. §. 3. §. 5.
Tulerunt illum in Jerusalem; ut sisterent eum Domino. V. t. 21. §. 1.
Omne masculinum sanctum Domino vocabitur. S. tit. 3. §. 3.
Par turturum, aut duos pullos columbarum. O. tit 9. §. 20.
Homo erat in Jerusalem, cui nomen erat Simeon. O. t. 1. §. 9.
Spiritus Sanctus erat in eo. S. t. 1 §. 4
Responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. M. tit. 22. §. 6.
Venit in spiritu in templum. T. t. 3 §. 8.
Accepit eum in ulnas suas. M. t. 18. §. 10. O. t. 7. §. 1. Q. t. 2. §. 3. R. t. 10 § 1.
Nunc dimitis servum tuum Domine. M. t. 22. §. 23. §. 24. S. t. 1. §. 2.
Viderunt oculi mei salutare tuum. P. t. 28 §. 2.
Tuam ipsius animam pertransibit gladius. P. t. 5. §. 1.
Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino. O. t. 4 §. 1.
Post tridutum invenerunt illum in templo. O. t. 1. §. 16 P. t. 24. §. 20. T. t. 3. §. 3. T. t. 11. §. 18.
In medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. V. t. 4 §. 13.
Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te. P. t. 2. §. 2. T. t. 11. § 15.
Quid est, quod me quærebatis. T. t. 11. §. 15.
Descendit cum eis, & venit Nazareth. O. t. 1. § 16.
Erat subditus illi. O. t. 1. §. 2. §. 12. §. 15. V. t. 14. §. 2.

Caput 3.

Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam &c. P. t. 34 §. 3. R. t. 5. §. 1.
Factum est Verbum Domini super Joannem. S. t. 30. §. 4. V. t. 4. §. 7.
Venit in omnem regionem Jordanis. V. t. 16. §. 1. Prædicans baptismum pœnitentiæ. P. t. 24. §. 24.
Vox clamantis in deserto. P. t. 13. §. 9.
Parate viam Domini. V. t. 15. §. 6.
Rectas facite semitas ejus. P. t. 13. §. 7.
Omnis vallis implebitur. M. t. 25. §. 2. P. t. 27. §. 3.
Erunt prava in directa, & aspera in vias planas. M. t. 5. §. 1.
Videbit omnis caro salutare Dei. S. t. 5. §. 1.
Genimina viperarum; quis ostendit vobis fugere à ventura ira. T. t. 8. §. 4. n. 1.
Patrem habemus Abraham. O. t. 7. §. 8.
Potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. M. t. 22. §. 15.
Jam securis ad radicem arborum posita est. M. t. 22. §. 1.
Interrogabant eum turbæ dicentes; quid ergo faciemus? V. t. 4. §. 3.
Qui habet duas tunicas, det non habenti. M. t. 18. §. 13. S. t. 22. §. 3.

Venerunt & publicani, ut baptizarentur &c. S. t. 12. §. 8.
Purgabit aream suam. P. t. 9. §. 1.

Caput 4.

Jesus plenus Spiritu Sancto regressus est à Jordane, S. t. 30. §. 9.
Agebatur à Spiritu in desertum, V. t. 18. §. 6.
Ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, R. t. 5. §. 4. V. t. 1. §. 2.
Recessit ab illo usque ad tempus. M. t. 22. §. 12.
Intravit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Sinagogam. Z. t. 1. §. 6.
Propter quod unxit me - dimittere confractos in remissionem. P. t. 24. §. 23.
In veritate dico vobis: multæ viduæ erant in diebus Eliæ, ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam, O. t. 1. §. 3.
Ejecerunt illum extra civitatem. P. t. 10. §. 3. V. t. 6. §. 2.
Duxerunt illum usque ad supercilium montis - ut præcipitarent eum. M. t. 18. §. 3. S. t. 40. 41. §. 3.
Erat homo habens dæmonium immundum. M. tit. 21. §. 5.
Introivit in domum Simonis. Z. t. 1. §. 7.
Rogaverant illum pro ea. O. t. 9. §. 13. S. t. 43. §. 12.
Dùm sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. O. t. 4. §. 1.
Increpans, non sinebat ea loqui: quia sciebant, ipsum esse Christum. M. t. 14. §. 1.

Caput 5.

Cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei. V. t. 4. §. 6.
Vidit duas naves. P. t. 24. §. 2. V. t. 17. §. 1.
Ascendens in unam navim, quæ erat Simonis. P. tit. 13. §. 32.
Rogavit eum, à terra reducere pusillum. S. t. 43. §. 17.
Sedens docebat de navicula turbas T. t. 11. §. 13.
Duc in altum. Z. t. 1. §. 4.
Per totam noctem laborantes nihil cepimus. V. t. 4. §. 15.
In verbo tuo laxabo rete. O. t. 5. §.
Concluserunt piscium multitudinem copiosam. P. t. 34. §. 2. S. t. 42.
Exì à me, quia homo peccator sum, Domine. S. t. 33. §. 9.
Relictis omnibus secuti sunt eum. V. t. 18. §. 2.
Ecce vir plenus lepra. P. t. 15. §. 15. T. t. 11. §. 13.
Ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus. S. t. 11. §. 5.
Homo, remittuntur tibi peccata tua. M. t. 21. §. 2.
Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. M. t. 22. §. 23.
Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. O. t. 7. §. 2. P. t. 11. §. 3. P. t. 24. §. 9. S. t. 22. §. 3.

Caput 6.

Factum est in Sabbato secundo, cùm transiret per sata, vellebant Discipuli ejus spicas. M. t. 25. §. 1.
Quid facitis, quod non licet in Sabbatis. P. t. 14. §. 12.
Surge, & sta in medium. M. t. 18. §. 9.
Erat pernoctans in oratione Dei. O. t. 9. §. 15. §. 21.
Simonem, quem cognominavit Petrum. O. t. 1. §. 7.
Descendit, & stetit in loco campestri. P. t. 27. §. 3. S. t. 43. §. 21. §. 22. V. t. 4. §. 12.
Beati pauperes. V. t. 14. §. 15.
Gaudete in illa die & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. P. t. 9. §. 9.
Neque de spinis colligunt ficus. P. t. 9. §. 7.

Caput 7.

Centurionis cujusdam servus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus. S. t. 21. §. 4.
Cùm audisset de Jesu, misit ad eum Seniores Judæorum. O. t. 4. §. 1.
Ecce defunctus afferebatur. M. t. 22. §. 14. P. t. 15. §. 19. P. t. 35. §. 1.
Misericordia motus super eam. M. t. 18. §. 9. M. t. 22. §. 24. V. t. 16. §. 3.
Noli flere. P. t. 2. §. 8. S. t. 28. §. 2.
Tetigit loculum. P. t. 22. §. 3. P. t. 24. §. 3. T. t. 11. §. 12.
Adolescens tibi dico surge. P. t. 24. §. 3.
Qui erat mortuus, cœpit loqui. P. t. 24. §. 1.
Accepit omnes timor. P. t. 15. §. 5. S. t. 12. §. 9. T. t. 10. §. 9.
Quid existis in desertum videre. M. t. 25. §. 10.
Cantavimus vobis, & non saltastis. O. t. 3. §. 4.
Rogabat illum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Z. t. 1. §. 2.
Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix. M. t. 1. §. 3. §. 5. M. t. 19. §. 14. N. t. 3. §. 5. O. t. 4. §. 5. P. t. 24. §. 12. T. t. 6. §. 2. T. t. 11. §. 5. V. t. 4. §. 3.
Ut cognovit. O. t. 4. §. 1. O. t. 6. §. 4. P. t. 24. §. 25. §. 26. S. t. 5. §. 1. §. 5. S. t. 26. §. 2.

Stans retro secus pedes ejus. M. t. 19. §. 16. P. t. 14. §. 1. P. t. 24. §. 31. R. t. 6. §. 2. S. t. 3. §. 3. V. t. 15. §. 9.
Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. M. t. 1. §. 3. §. 5. M. t. 19. §. 14. O. t. 7. §. 8. §. 11. P. t. 13. §. 20. P. t. 15. §. 11. P. t. 24. §. 5. §. 27. S. t. 3. §. 3. V. t. 15. §. 9.
Capillis capitis sui tergebat. M. t. 19. §. 9.
Osculabatur pedes ejus. M. t. 19. §. 16. O. t. 1. §. 3. O. t. 10. §. 1.
Et unguento ungebat. M. t. 18. §. 10. S. t. 25. V. t. 16. §. 7.
Videns Pharisæus - ait intrà se &c. P. t. 19. §. 3.
Hic si esset Propheta, sciret &c. O. t. 2. §. 1. §. 6.
Simon, habeo tibi aliquid dicere. Z. t. 1. §. 5.
Vides hanc mulierem? P. t. 24. §. 6. S. t. 26. §. 2.
Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. O. t. 7. §. 12.
Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm P. t. 24. §. 6. §. 24. P. t. 39. §. 5.
Fides tua te salvam fecit. P. t. 24. §. 24. S. t. 3. §. 3.
Vade in pace. P. t. 12. §. 2. P. t. 24. §. 26. R. t. 6. §. 2.

Caput 8.

Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant. M. t. 1. §. 3.
Ministrabant ei de facultatibus suis. O. t. 7. §. 9. S. t. 3. §. 3.
Exiit, qui seminat seminare semen suum. P. t. 33. §. 2.
Dum seminat aliud cecidit secus viam. P. t. 28. §. 2. V. t. 4. §. 10.
Secus viam, & conculcatum est. P. t. 16. §. 2. S. t. 30. §. 3. S. t. 43. §. 9.
Aliud cecidit super petram. P. t. 28. §. 1.
Cecidit, cecidit, cecidit. M. t. 22. §. 1.
In bonam terram; ortum fecit fructum centuplum. O. tit. 7. §. 1.
Hæc dicens clamabat. V. t. 4. §. 12.
Qui habet aures audiendi, audiat. V. t. 4. §. 8.
Semen est verbum Dei. V. t. 4. §. 3.
Quod autem in bona terram &c. V. t. 4. §. 14.
Navigantibus illis obdormivit. S. t. 36. §. 1.
Præceptor, perimus. P. t. 13. §. 32.
Increpavit ventum, & tempestatem aquæ, & cessavit. S. t. 43. §. 18.
Neque in domibus manebit, sed in monumentis. P. t. 13. §. 30.
Quod tibi nomen? legio. P. t. 15. §. 13.
Erat ibi grex porcorum multorum pascentium in monte. P. t. 13. §. 4.
Jairus; & ipse princeps synagogæ erat. S. t. 12. §. 9.
Mulier quædam erat in fluxu sanguinis. M. t. 19. §. 10.
Tetigit fimbriam vestimenti ejus. P. t. 5. §. 1.
Non permisit secum intrare quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem; & patrem, & matrem, puella. V. t. 15. §. 12.
Deridebant eum. P. t. 38. §. 1.
Jussit illi dari manducare. P. t. 25. §. 17.

Caput 9.

Nihil tuleritis in via; neque virgam, neque petram &c. P. t. 11. §. 5. S. t. 22. §. 8. S. t. 43. §. 18.
Vos quam me esse dicetis. R. t. 8. §. 5.
Si quis vult post me venire. S. t. 18. §. 2. V. t. 18.
Tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. P. t. 9. §. 6. T. t. 11. §. 1.
Factum est post hæc verba ferè dies octo. S. t. 23. §. 4.
Facta est, dum oraret, species vultus ejus altera. O. t. 9. §. 8.
Dicebant excessum ejus. M. t. 22. §. 17. P. t. 5. §. 3. §. 7.
Petrus, & qui cum illo erant, gravati erant somno. M. t. 22. §. 24. V. t. 19. §. 1.
Facta est nubes, & obumbravit eos. V. t. 1. §. 1.
Hic est Filius meus dilectus. P. t. 9. §. 13.
Factum est, dum complerentur dies assumptionis ejus. T. t. 11. §. 27.
Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de cœlo. N. t. 3. §. 5.
Sequar te, quocunque ieris. O. t. 7. §. 6.
Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos. P. t. 2. §. 2.
Permitte mihi primùm renuntiare his, qui domi sunt. M. t. 22. §. 3. P. t. 24. § 2.
Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens, aptus est regno Dei. P. t. 24. §. 2. P. t. 32. §. 3. S. t. 5. §. 3.

Caput 10.

Misit in omnem civitatem, & locum, quò erat ipse venturus. P. t. 15. § 5. T. t. 10 § 5.
Messis multa. M. t. 5. §. 3.
Mitto vos sicut agnos inter lupos. O. t. 1. §. 8.
Neminem per viam salutaveritis. O. t. 4. §. 3. P. t. 27. §. 4. Z. tit. 1. §. 2.
Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. P. t. 15. §. 19 S. t. 40. §. 8.
Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo. O. t. 7. §. 5. S. t. 12. §. 8.

Homo

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho. P. t. 11. §. 11. P. t. 16. § 2. S. t. 30. §. 7. S. t. 40 §. 3. T. t. 8. §. 5.
Incidit in latrones. P. t. 13. §. 1 P. t. 14. §. 1.
Despoliaverunt eum. O. t. 4. §. 8. P. t. 13. §. 14.
Alligavit vulnera ejus. T. t. 10. §. 5.
Infundens oleum, & vinum. M. t. 5. §. 3. M. t. 19. §. 1. §. 16. P. t. 24. §. 9. S. t. 43. §. 20.
Imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum; & curam ejus egit. S. t. 30. §. 6.
Sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. O. t. 7. §. 12. V. t. 16. §. 9.
Domine, non est tibi curæ; quòd soror mea reliquit me solam ministrare. P. t. 24. §. 6. V. t. 4. §. 8.
Unum est necessarium. R. t. 5. §. 1.
Maria optimam partem elegit. V. t. 16. §. 7.

Caput 11.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. P. t. 1.
Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte &c. O. t. 7. §. 8. O. t. 9. §. 5. §. 28.
Amice: commoda mihi tres panes. P. t. 27. §. 5. V. t. 15. §. 12. V. t. 18. §. 5.
Amicus venit de via ad me. R. t. 2. §. 1.
Non habeo, quod ponam ante illum. T. t. 8. §. 3. n. 4.
Pueri mei mecum sunt in cubili. P. t. 2. §. 7.
Non possum surgere, & dare tibi. O. t. 9. §. 18.
Petite & dabitur vobis. O. t. 7. §. 10. O. t. 9. §. 13. §. 21. V. t. 15. §. 12.
Quærite, & invenietis. O. t. 7. §. 10. O. t. 9. §. 20.
Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? O. t. 9. §. 11.
Erat Jesus ejiciens dæmonium; & illud erat mutum. P. t. 13. §. 11. §. 26. P. t. 15. §. 23. S. t. 33. §. 6.
Tentantes signum de cœlo quærebant ab eo. M. t. 22. §. 10.
Si in digito Dei ejicio dæmonia. S. t. 36. §. 1. §. 7.
Profectò pervenit in vos regnum Dei. R. t. 5. §. 1.
Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. S. t. 43. §. 23.
Qui non est mecum, contra me est. T. t. 1
Beatus venter, qui te portavit. P. t. 9. §. 2. P. t. 38. §. 1. S. t. 24. §. 1.
Quin immò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. V. t. 15. §. 3.
Regina Austri surget in Judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos. V. t. 4 §. 5.
Quod superest, date eleemosynam. M. t. 18. §. 12. §. 13.
Magister hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

Caput 12.

Dico vobis amicis meis: nè terreamini ab his, qui occidunt corpus &c. M. t. 9. §. 2.
Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. O. t. 1. §. 5.
Qui in spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur ei. P. t. 38. §. 1.
Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit. M. t. 22. §. 2
Cogitabat intrà se dicens: quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos. M. t. 18. §. 6. §. 7. S. t. 29. §. 2. S. t. 42. T. t. 8. §. 3. n. 5.
Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiescе &c. M. t. 22. §. 5. P. t. 13. §. 24. T. t. 8. §. 3. n. 6.
Stulte hac nocte, animam tuam repetent à te &c. M. t. 18. §. 7. M. t. 22. §. 3. §. 29. P. t. 13. §. 3. S. t. 10. § 9. T. t. 8. §. 6.
Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis. O. t. 14. §. 1.
Nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut unum ex istis. V. t. 1. §. 1.
Nolite timere pusillus grex. M. t. 5. §. 3. P. t. 9. §. 17. T. t. 8. §. 3.
Sint lumbi vestri præcincti. M. t. 18. §. 1. M. t. 22. §. 4. §. 7. P. t. 9. §. 1. T. t. 10. §. 12. V. t. 16. §. 8.
Lucernæ ardentes in manibus vestris. O. t. 7. §. 1. §. 8. R. t. 1. §. 1. T. t. 10. §. 12. V. t. 15. §. 5.
Similes hominibus expectantibus dominum suum. M. t. 22. §. 24. S. t. 22. §. 4. S. t. 33. §. 10.
Si venerit in secunda vigilia. M. t. 22. §. 19. V. t. 15. §. 2. V. t. 11.
Quem constituit Dominus super familiam suam. P. t. 1. §. 10. S. t. 43. §. 11.
Ut det illis in tempore tritici mensuram. V. t. 4. §. 1.
Beati servi illi, quos, cùm venerit, invenerit vigilantes. M. t. 22. §. 7.
Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique. M. t. 22. §. 6.
Non sineret eam perfodi. M. t. 22. §. 29.
Vapulabit multis. V. t. 18. §. 5.
Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut accendatur. P. t. 19. §. 1. P. t. 32. §. 1. S. t. 36. §. 1. §. 4. §. 8. Z. t. 1. §. 6.
Baptismo habeo baptizari. P. t. 5. §. 2.

Cùm videritis nubem orientem ab occasu statim dicitis: nimbus; venit & ità fit. N. t. 1. §. 2.

Caput 13.

Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac. M. t. 19. § 7. S. t. 5. §. 1
Succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat. P. t. 22. §. 2. P. t. 24. § 21. S. t. 26. §. 2.
Mulier erat inclinata; nec omnio poterat sursum respicere. S. t. 29. §. 2. T. t. 8. §. 4. n. 1.
Venient ob oriente, & occidente &c. S. t. 15. §. 1. T. t. 11. §. 2.

Caput 14.

Homo quidam hydropicus erat ante illum. M. t. 18. §. 9.
Non discumbas in primo loco: nè fortè honoratior te sit invitatus ab illo. O. t. 7. §. 13
Homo quidam fecit cœnam magnam. M. t. 18. §. 3.
Misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent. M. t. 25. §. 11. P. t. 24. §. 30. S. t. 5. §. 1.
Parata sunt omnia. P. t. 28. §. 2.
Cœperunt simul omnes excusare. T. t. 8. §. 9. n. 1.
Villam emi; & necesse habeo exire, & videre illam. M. t. 25. §. 3. §. 12. P. t. 36. §. 4. T. t. 8. §. 3. n. 8. §. 9. n. 1.
Juga bovum emi quinque. P. t. 13. § 5.
Uxorem duxi, & ideo non possum venire. T. t. 8 §. 9. n. 1.
Pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos, introduc huc. P. t. 11. §. 10.
Si quis venit ad me, & non odit patrem suum - non potest meus esse discipulus. P. t. 2. §. 2.
Qui ex vobis volens, turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus &c. P. t. 11. §. 1. P. t. 36. §. 3.
Nè, posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere; omnes, qui vident, incipiant illudere ei. V. t. 4. §. 10.
Legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. O. t. 9. §. 8.
Bonum est sal. R. t. 8. §. 10.

Caput 15.

Erant appropinquantes ei publicani, & peccatores. M. t. 19. §. 10.
Hic Murmurabant Pharisæi. M. t. 21. §. 5.
Hic peccatores recipit. M. t. 19. § 8. O. t. 2. §. 6.
Quis ex vobis homo, qui habet centum oves &c. S. t. 18. §. 2.
Nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat. P. t. 11. §. 14. S. t. 12. §. 9. S. t. 30. §. 6.
Cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. P. t. 13. §. 1. P. t. 24. §. 6. §. 11. R. t. 24. § 2
Ità gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. P. t. 24. §. 3. §. 7.
Quæ mulier habens Drachmas decem &c. P. t. 11. §. 9.
Congratulamini mihi: quia inveni drachmam. S. t. 5. §. 1.
Ità, dico, gaudium erit coram Angelis Dei. P. t. 24. §. 10. S. t. 5. §. 4.
Homo quidam habuit duos filios. P. t. 2. §. 8.
Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. P. t. 13. §. 3. R. t. 1. §. 1. T. t. 8. § 3. V. t. 18. §. 9.
Peregre profectus est in regionem longinquam. M. t. 13. §. 4. P. t. 2. §. 8. P. t. 15. § 5. R. t 2. §. 1.
Facta est fames valida in regione illa: & ipse cœpit egere. O. t. 2. §. 3. P. t. 11. §. 11. P. t. 27. §. 5. S. t. 33. §. 4.
Abiit, & adhæsit uni civium regionis illius. P. t. 11. §. 11.
Misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. P. t. 13. §. 11. T. t. 8. § 3.
In se reversus. P. t. 13. §. 4. P. t. 24. §. 7. §. 17.
Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus. P. t. 15. §. 11. S. t. 33. §. 5.
Surgam, & ibo ad patrem meum. P. t. 8. §. 3. P. t. 13. §. 1. P. t. 24. §. 16. §. 18. S. t. 22. §. 4.
Dicam ei: pater, peccavi in cœlum, & coram te. P. t. 13. §. 8. §. 32. P. t. 30. §. 1. T. t. 8. §. 9. n. 2.
Surgens venit ad patrem suum. P. t. 24. §. 18.
Vidit illum pater ipsius. P. t. 8. §. 3.
Citò proferte stolam primam. M. t. 19. §. 8. P. t. 24. §. 6.
Date annulum in manum ejus. N. t. 2. §. 3. O. t. 7. §. 1. P. t. 24. §. 6. §. 24. S. t. 36. §. 1.
Calceamenta in pedes ejus. M. t. 24. §. 1. P. t. 24. §. 30.
Manducemus, & epulemur. P. t. 34. §. 4. S. t. 5. §. 1.
Erat filius ejus senior in agro. T. t. 11. §. 5.
Ecce tot annis servio tibi. P. t. 24. §. 6.
Numquam dedisti mihi hædum. O. t. 9. §. 11. P. t. 28. §. 2. S. t. 28. §. 2.
Postquam filius tuus, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus &c. O. t. 2. §. 6.
Fili, tu semper mecum es. M. t. 5. §. 3. M. t. 19. §. 5.
Epulari, & gaudere oportebat: quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. P. tit. 24. §. 1.

Ca-

Caput 16.

Homo quidam erat dives. M. t. 18. §. 12. N. t. 3. §. 6. P. t. 15. §. 17.
Qid hoc audio de te. P. t. 30. §. 1. S. t. 43. §. 24.
Redde rationem villicationis tuæ. O. t. 2. §. 1.
Jam non poteris villicare. P. t. 14. §. 23.
Quid faciam: quia dominus meus aufert à me villicationem. M. t. 22. §. 4. P. t. 24. §. 22.
Fodere non valeo. P. t. 24. §. 23.
Mendicare erubesco. O. t. 9. §. 24.
Centum cados olei. M. t. 18. §. 2.
Sede citò: & scribe quinquaginta. P. t. 24. §. 1.
Laudavit dominus villicum iniquitatis: quia prudenter fecisset. M. t. 18. §. 6. P. t. 36. §. 3.
Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. P. t. 3. §. 6. T. t. 8. §. 6.
Nemo servus potest duobus dominis servire. S. t. 22. §. 7.
Homo quidam erat dives; qui induebatur purpura, & bysso. M. t. 24. §. 1. S. t. 43. §. 20. T. t. 8. §. 3. n. 4. V. t. 7. §. 1. §. 2.
Epulabatur quotidie splendidè. P. t. 34. §. 3. S. t. 33. §. 3.
Erat quidam mendicus nomine Lazarus. M. t. 18. §. 11. N. t. 3. §. 6. P. t. 9. §. 3. S. t. 5. §. 5.
Jacebat ad januam ejus ulceribus plenus. M. t. 18. §. 9. §. 11.
Factum est, ut moreretur mendicus. P. t. 11. §. 2.
Et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. M. t. 18. §. 17. P. t. 9. §. 2. P. t. 39. §. 5. R. t. 9. §. 1.
Elevans oculos suos, cùm esset in tormentis. T. t. 11. §. 13.
Vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus. O. t. 7. §. 9. S. t. 43. §. 9.
Pater Abraham, miserere mei. O. t. 9. §. 24. P. t. 15. §. 12. P. t. 24. §. 23.
Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam. M. t. 22. §. 10. O. t. 7. §. 8. P. t. 11. §. 11. P. t. 22. §. 14. P. t. 24. §. 24. S. t. 5. §. 4. S. t. 36. §. 3. T. t. 8. §. 3. §. 4. n. 2.
Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua. P. t. 34. §. 3. P. t. 39. §. 5. T. t. 8. §. 3. n. 5.
Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei. P. t. 14. §. 12. S. t. 24. §. 3.
Habent Moysem, & Prophetas - neque si qui ex mortuis resurrexerint, credent. M. t. 22. § 32. S. t. 14. §. 5.

Caput 17.

Transibat per mediam Samariam, & Galilæam. S. tit. 29. §. 1.
Occurrerunt ei decem viri leprosi. O. t. 4. §. 1.
Levaverunt vocem. O. t. 9. §. 20.
Ostendite vos Sacerdotibus. M. t. 21. §. 2. S. t. 25.
Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo; nisi hic alienigena. P. t. 38. §. 1.
Regnum Dei intrà vos est. M. t. 25. §. 11. R. t. 5. §. 3.
Duæ erunt molentes in unum: una assumetur, & altera relinquetur. M. t. 11. §. 3.

Caput 18.

Oportet semper orare. V. t. 16. §. 5.
Vidua quædam erat in civitate illa &c. V. t. 10. §. 1.
Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent. O. t. 9. §. 1. §. 2. T. t. 3. §. 7.
Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cœteris hominum. O. t. 2. §. 2 P. t. 14. §. 11. P. t. 18. §. 3.
Jejunio bis in Sabbato. P. t. 27. §. 2. S. t. 5. §. 5.
Quid faciens vitam æternam possidebo. S. t. 12. §. 8.
Tertia die resurget. P. t. 5. §. 3.
Cùm appropinquaret Jericho. M. t. 25. §. 4. T. t. 8. §. 6.
Cæcus quidam sedebat secus viam. P. t. 13. §. 2. P. t. 19. §. 3.
Dixerunt, quòd Jesus Nazarenus transiret. O. t. 4. §. 1.
Qui preibant, increpabant eum, ut taceret. P. t. 11. §. 11. P. t. 38. §. 1.
Ipse verò multò magis clamabat. O. t. 9. §. 22. R. t. 11.
Quid tibi vis faciam. P. t. 27. §. 5. V. t. 18. §. 6.

Caput 19.

Zachæus - & ipse dives - P. t. 11. §. 5.
Quærebat videre Jesum. M. t. 2. §. 3. S. t. 26. §. 6.
Statura pusillus erat. P. t. 3. §. 2.
Præcurrens ascendit in arborem sycomorum. O. t. 9. §. 23. P. tit. 18. §. 3.
Festinans descende. P. t. 24. §. 7.
In domo tua oportet me manere. M. t. 19. §. 6.
Excepit illum gaudens. P. t. 24. §. 9.
Reddo quadruplum. R. t. 12. §. 2.
Nolumus hunc regnare super nos. P. t. 14. §. 6.
Cum usuris utique exegissem illam. V. t. 4. §. 1.
Solventibus illis pullum dixerunt domini ejus ad illos; quid solvitis pullum. P. t. 13. §. 5.
Videns civitatem flevit super illam. M. t. 19. §. 5. P. t. 13. §. 20. P. t. 22. §. 8. S. t. 43. §. 10.
Si cognovisses & tu. P. t. 13. §. 20. §. 24.

Caput 20.

Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob. V. t. 15. §. 12.

Caput 21.

Vidit quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. S. t. 3. §. 3.
Omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei. S. t. 3. §. 3.
Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. T. t. 3. §. 6.
Cùm audieritis prœlia, & seditiones. P. t. 22. §. 17.
Dabo vobis os, & sapientiam. S. t. 10. §. 6.
Væ prægnantibus, & nutrientibus, in illis diebus. P. t. 33. §. 1.
Erunt signa in sole, & luna, & stellis. P. t. 15. §. 14.
Arescentibus hominibus præ timore. P. t. 13. §. 12.
Virtutes cœlorum movebuntur. S. t. 43. §. 26.
His fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra &c. P. t. 24. §. 20. S. t. 33. §. 2. T. t. 11. §. 10.

Caput 22.

Ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum. M. t. 22. §. 6.
Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. R. t. 5. §. 1.
Similiter & calicem, postquam cœnavit. P. t. 5. §. 2.
Facta est & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. S. t. 41. §. 21.
Qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. P. t. 31. §. 3.
Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. O. t. 8. §. 2.
Sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. P. t. 9. §. 15. S. t. 43. §. 2.
Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. P. t. 24. §. 30. S. t. 43. §. 10. §. 16.
Orate, ut non intretis in tentationem. T. t. 5. §. 3.
Avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis. M. t. 19. §. 14. Z. t. 1. §. 7.
Positis genibus orabat. T. t. 11. §. 30.
Apparuit illi angelus de cœlo confortans eum. O. t. 1. §. 3.
Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. P. t. 5. §. 2. T. t. 14. §. 4.
Osculo Filium hominis tradis. M. t. 5. §. 7.
Petrus sequebatur à longè. T. t. 6. §. 1.
Homo, non sum. P. t. 13. §. 17.
Velaverunt eum. V. t. 6. §. 2.
Conversus Dominus respexit Petrum. M. t. 18. §. 9. O. t. 9. §. 18.
Egressus foras Petrus flevit amarè. O. t. 4. §. 4.

Caput 23.

Commovet populum. V. t. 4. §. 3.
Herodes interrogabat eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondit. S. t. 12. § 6.
Facti sunt amici Herodes, & Pilatus, in ipsa die. P. t. 12. §. 3.
Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. M. t. 23. §. 2. §. 3. P. t. 5. §. 12. T. t. 13. §. 3. V. t. 19. §. 2.
Crucifixerunt eum. P. t. 15. §. 14.
Illudebant ei, acetum offerentes. T. t. 2. §. 2.
Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt. P. t. 13. §. 2. P. t. 14. §. 10.
Unus de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum. P. t. 9. §. 16. P. t. 24. §. 12.
Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. O. t. 3. §. 6. T. t. 10. §. 5. §. 9. Z. t. 1. §. 2.
Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. M. t. 18. §. 5. M. t. 19. §. 14. O. t. 4. §. 1. O. t. 9. §. 5. P. t. 9. §. 2. S. t. 33. §. 8. T. t. 8. §. 3. n. 10. V. t. 21. §. 2.
Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso. P. t. 24. §. 20. §. 22. P. t. 30. §. 1. S. t. 36. §. 11.
Obscuratus est sol. M. t. 23. §. 5. P. t. 5. §. 11. S. t. 43. §. 4.
Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. M. t. 22. §. 23. P. t. 5. §. 9. T. t. 11. §. 3. §. 9. V. t. 3. §. 2.
Ecce vir nomine Joseph accessit ad Pilatum &c. S. t. 17. §. 4.

Caput 24.

Venerunt ad monumentum portantes, quæ paraverant, aromata. R. t. 7. §. 1.
Invenerunt lapidem revolutum à monumento. S. t. 33. §. 11.
Quid quæritis viventem cum mortuis. Z. t. 2. §. 3.
Regressæ à monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, & cœteris omnibus. M. t. 1. §. 4.
Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi. P. t. 24. §. 6.
Petrus surgens cucurrit ad monumentum. O. t. 4. §. 4.
Appropinquans ibat cum illis. S. t. 43. §. 23.
Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes. O. t. 2. §. 4. S. t. 19. §. 2. T. t. 11. §. 18.
Potens in opere & sermone. O. t. 7. §. 5.
O stulti, & tardi corde ad credendum. P. t. 24. §. 21.
Finxit se longiùs ire. T. t. 11. §. 22.

Mane

Manè nobiscum, quoniam advesperascit. M. t. 22. §. 11.
Surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem. S. t. 34. §. 4.
Surrexit Dominus verè. P. t. 24. §. 1. §. 6.
Narrabant - quomodo cognoverunt eum in fractione panis. P. t. 5. §. 4. P. t. 9. §. 2.
Obtulerunt partem piscis assi, & favum mellis. P. t. 9. §. 20. R. t. 13. §. 1. V. t. 16. §. 7.
Sumens reliquias, dedit eis. P. t. 5. §. 13.
Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. S. t. 36. §. 9.
Regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno. T. t. 13. §. 2.

Evangelium S. Joannis.

Caput 1.

IN principio erat Verbum. S. t. 18. §. 2.
Lux in tenebris lucet. P. t. 13. §. 13. R. t. 1. §. 1.
Vita erat lux hominum. P. t. 24. §. 7.
Cui nomen erat Joannes. O. t. 6. §. 5.
Hic venit in testimonium. S. t. 5. §. 5.
Neque ex voluntate carnis. V. t. 22. §. 3.
Tu quis es. S. t. 12. §. 6.
Dirigite viam Domini. P. t. 27. §. 9.
Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi. M. t. 5. §. 3. §. 5. M. t. 21. §. 1. P. t. 9. §. 12. P. t. 15. §. 16. S. t. 18. §. 2. S. t. 43. §. 11. §. 16.
Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. S. t. 36. §. 1.
Magister, ubi habitas. S. t. 30. §. 4.
Venite, & videte. O. t. 10. §. 1.
Hora erat quasi decima. V. t. 4. §. 6.
Invenit hic primùm fratrem suum Simonem. Z. t. 1. §. 4.
Dicit Jesus, sequere me. S. t. 18. §. 2.
Erat Philippus à Bethsaida civitate Andreæ, & Petri. S. t. 33. §. 5.
Cùm esses sub ficu, vidi te. M. t. 18. §. 9.
Rabbi tu es Filius Dei. P. t. 9. §. 2.
Tu es Rex Israel. R. t. 15. §. 1.

Caput 2.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. V. t. 16. §. 1.
Vocatus est & Jesus ad nuptias. M. t. 11. §. 4. N. t. 6.
Deficiente vino. M. t. 15. §. 12. S. t. 28. §. 2. §. 3. §. 4.
Vinum non habent. O. t. 9. §. 24.
Quid mihi, & tibi, est mulier. O. t. 9. §. 13. P. t. 2. §. 2. P. t. 5. §. 5.
Nondum venit hora mea. P. t. 5. §. 5.
Quodcumque dixerit vobis facite. P. t. 27. §. 2.
Erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ. P. t. 34. §. 7. R. t. 6. §. 1.
Capientes singulæ metretas binas, vel ternas. T. t. 2. §. 2.
Implete hydrias aqua. O. t. 7. §. 6. P. t. 27. §. 3. R. t. 10. §. 1.
Ut gustavit aquam vinum factam. P. t. 24. §. 1. R. t. 14.
Servasti bonum vinum usque adhuc. P. t. 9. §. 2. §. 7.
Invenit in templo vendentes boves &c. T. t. 10. §. 12.
Numularios sedentes. P. t. 14. §. 7.
Cùm fecisset quasi flagellum. R. t. 6. §. 2. S. t. 43. §. 2. T. t. 3. §. 9. Z. t. 2.
Auferte ista hinc. P. t. 11. §. 10. R. t. 6. §. 2.

Caput 3.

Venit ad Jesum nocte. M. t. 19. §. 6.
Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. S. t. 36. §. 11.
Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire. M. t. 22. §. 23.
Spiritus, ubi vult, spirat. S. t. 36. §. 3.
Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis, qui in cœlo est. P. t. 5. §. 4.
Non misit Deus Filium suum in Mundum, ut judicet Mundum sed ut salvetur Mundus per ipsum. P. t. 28. §. 2.
Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. T. t. 8. §. 3. n. 4.
Omnis, qui malè agit, odit lucem. P. t. 13. §. 13.
Amicus sponsi, qui stat, & audit eum. V. t. 4. §. 3.

Caput 4.

Venit in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar. R. tit. 9. §. 1.
Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. M. t. 19. §. 7. §. 16 P. t. 14. § 6. P. t. 24. §. 11. R. t. 2. §. 3. S. t. 12. §. 9. T. t. 8. §. 3. n. 5. T. t. 8. §. 2. Z. t. 1. §. 2.
Erat hora quasi sexta. M. t. 14. §. 1.
Venit mulier de Samaria haurire aquam. P. t. 11. §. 6.
Da mihi bibere. P. t. 5. §. 7. P. t. 24. §. 5. S. t. 5. §. 1.
Si scires donum Dei. S. t. 36. §. 1.
Dedisset tibi aquam vivam. O. t. 9. §. 10. S. t. 36. §. 4.
Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum. V. t. 19. §. 2.
Da mihi hanc aquam, ut non sitiam. M. t. 5. §. 3. P. t. 39. §. 5. T. t. 8. §. 8. n. 2.
Voca virum tuum. R. t. 1. §. 1.
Bene dixisti, quia non habeo virum &c. V. t. 6. §. 2.
Domine video, quia Propheta es tu. O. t. 7. §. 6.
Reliquit hydriam suam mulier. O. t. 4. §. 4. P. t. 24. §. 20. Z. t. 1. §. 2.
Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. P. t. 24. §. 3. §. 5.
Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. P. t. 24. §. 5.
Videte regiones; quia albæ sunt jam ad messem. M. t. 22. §. 1. S. t. 15. §. 1.
Qui metit, mercedem accipit. M. t. 18. §. 8.
Multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium prehibentis. V. t. 4. §. 13.
Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. P. t. 34. §. 2. R. t. 1. §. 1.
Descende, priusquam moriatur filius meus. P. t. 24. §. 23.
Eo descendente, servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viverent. O. t. 2. §. 5. S. t. 21. §. 2.
Interrogabat horam ab eis, in qua meliùs habuerit. Z. t. 1. §. 2.
Heri hora septima reliquit eum febris. P. t. 15. §. 26. R. t. 2. §. 2.

Caput 5.

Erat festus dies Judæorum. P. t. 24. §. 4. §. 9. S. t. 28. §. 3.
Jacebat multitudo magna languentium - expectantium aquæ motum. S. t. 33. §. 8.
Angelus Domini descendebat secundùm tempus in piscinam. O. t. 4 § 1. S. t. 43. §. 9.
Qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate. P. t. 24. §. 20. P. t. 28. § 1.
Erat quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. P. t. 9. §. 9. P. t. 15. §. 17. S. t. 15. §. 6. S. t. 33. §. 10. V. t. 16. §. 17.
Hunc cùm vidisset Jesus jacentem. P. t. 9. §. 2.
Vis sanus fieri. O. t. 9. §. 5. P. t. 24. §. 31. S. t. 22. §. 8.
Hominem non habeo. M. t. 18. §. 3. P. t. 11. §. 11. S. t. 33. §. 4.
Tolle grabatum tuum, & ambula. M. t. 21. §. 3. O. t. 4. §. 3. O. t. 14. §. 4.
Et ambulabat. P. t. 24. §. 25.
Sabbatum est: non licet tibi tollere grabatum tuum. P. t. 19. §. 3.
Quis est ille homo, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum, & ambula. O. t. 2. §. 6.
Ecce sanus factus es: jam noli peccare. P. t. 22. §. 8.
Nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum. N. t. 4. §. 4.
Quæcumque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. N. t. 5. §. 1.

Caput 6.

Abiit Jesus trans mare Galilææ. P. t. 9. §. 19. T. t. 11. §. 4.
Sequebatur eum multitudo magna. S. t. 18. §. 2.
Erat proximum Pascha. P. t. 24. §. 1.
Cum sublevasset oculos JESUS, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum. M. t. 18. §. 9.
Unde ememus panes, ut manducent hi? P. t. 11. §. 13.
Ducentorum denariorum panes non sufficiunt. S. t. 43. §. 18.
Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos. P. t. 11. §. 11. V. t. 21. §. 1.
Facite homines discumbere. P. t. 35. §. 7.
Accepit JESUS panes; & cum gratias egisset, distribuit. T. t. 2. §. 2.
Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum. P. t. 27. §. 3. S. t. 22. §. 4. T. t. 11. §. 20.
Vident Jesum ambulantem supra mare, & proximum navi fieri; timuerunt. T. t. 11. §. 19.
Numquid & vos vultis abire. S. t. 22. §. 8.
Ex vobis unus diabolus est. O. t. 3. §. 5. P. t. 13. §. 11.

Caput 7.

Erat in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. T. t. 8. §. 1.
Ego non ascendo ad diem *festum illum*. P. t. 5. §. 3.
Ubi est ille? N. t. 4. §. 6.
Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit. O. t. 2. §. 6.
Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit &c. P. t. 27. §. 5. S. t. 12. §. 3.
Adhuc modicum tempus vobiscum sum. O. t. 4. §. 2. P. t. 24. §. 20.
Quæretis me, & non invenietis. P. t. 24. §. 21.
In novissimo die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat. O. t. 4. §. 2.
Si quis sitit, veniat ad me. S. t. 22. §. 8.
Qui credit in me - flumina de ventre ejus fluent aquæ vitæ. S. t. 36. §. 11.

Caput 8.

Jesus perrexit in montem Oliveti. M. tit. 19. §. 1. S. tit. 43. §. 10.
Adducunt mulierem in adulterio deprehensam. P. titul. 11. §. 11.
Jesus inclinans se deorsum digito scribebat in terra. P. t. 13. §. 16. P. t. 16. §. 2. P. t. 24. §. 23. S. t. 43. §. 10.

Unus

Unus post unum exhibant incipiens à senioribus. S. t. 15. §. 2.
Nec ego te condemnabo. M. t. 19. §. 16.
Vade, & jam ampliùs noli peccare. R. t. 6. §. 2. §. 4.
Ego sum lux Mundi. P. t. 5. §. 7. S. t. 43. §. 18. Z. t. 1. §. 4.
Ego vado, & quæretis me. M. t. 23. §. 2. P. t. 24. §. 21. Q. t. 2. §. 4. Z. t. 1. §. 3
Principium, qui & loquor vobis. P. tit. 32. §. 3. S. tit. 43. §. 8.
Non reliquit me solum. P. t. 27. §. 5.
Omnis, qui facit peccatum, Servus est peccati. P. t. 13. §. 5. T. t. 5. §. 6.
Sermo meus non capit in vobis. V. t. 4. §. 14.
Quæritis me interficere, qui veritatem vobis locutus sum. V. t. 6. §. 2.
Vos ex patre diabolo estis. P. t. 13. §. 11. P. t. 15. §. 24.
Ille homicida erat ab initio. S. t. 11. §. 2.
Qui ex Deo est, verba Dei audit. V. t. 4. §. 3. §. 4.
Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. V. t. 4. §. 5.
Jesus abscondit se. M. t. 19. §. 7. P. t. 9. §. 9.

Caput 9.

Præteriens Jesus vidit hominem cœcum à nativitate sua. M. t. 18. § 9. P. t. 13. §. 2.
Ut manifestentur opera Dei in illo. T. t. 11. §. 4.
Venit nox, quando nemo potest operari. M. t. 22. §. 1. P. tit. 24. §. 23.
Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo. M. t. 22. §. 15. N. t. 5. §. 1. S. t. 22. §. 2 S. t. 40. §. 10. T. t. 11. §. 4.
Linivit lutum super oculos ejus. S. t. 2.
Vade, lava in natatoria Siloe. M. t. 5. §. 1. O. t. 7. §. 8. S. t. 5. §. 4.
Mendicus erat. P. t. 11. §. 10.
Ille homo, qui dicitur Jesus lutum fecit, & unxit oculos meos &c. N. t. 4. § 4.
Adducunt eum ad Pharisæos. P. t. 19. §. 3.
Quomodo nunc videat, nescimus. P. t. 2. §. 7.
Nos Moysi discipuli sumus. P. t. 14. §. 6.
Hunc nescimus, unde sit. S. t. 12. §. 5.
In peccatis natus es totus, & tu doces nos. P. t. 11. §. 11.
Ejecerunt eum foras. P. t. 11. §. 11.

Caput 10.

Huic ostiarius aperit. S. t. 36. § 7.
Oves vocem ejus audiunt. P. t. 1. §. 19.
Proprias oves vocat nominatim. N. t. 3. §. 1. S. t. 43. §. 22.
Ante eas vadit, & oves illum sequuntur. S. t. 18. §. 2.
Ego sum ostium ovium. O. t 9. §. 5.
Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. T. t. 6. §. 4.
Ego sum pastor bonus. M. t. 18. §. 5. P. t. 31. §. 1. V. t. 21. §. 1.
Cognosco meas, & cognoscunt me meæ. S. t. 12. §. 9.
Vocem meam audient. S. t. 43. §. 11. V. t. 4. §. 3.
Facta sunt encænia in Jerosolymis. R. t. 10. §. 1. §. 2.
Quousque animam nostram tollis. P. t. 15. §. 25.

Caput 11.

Miserunt sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. O. t. 1. §. 21. O. t. 9. §. 16. P. t. 13. §. 10. P. t. 22. §. 3. T. t. 11. §. 9. V. t. 18. §. 6.
Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei: ut glorificetur Filius Dei per eam. P. t. 9. §. 2.
Mansit in eodem loco duobus diebus. O. t. 9. §. 13.
Nonne duodecim sunt horæ diei. T. t. 11. § 1. V. t. 16. §. 4.
Si quis ambulaverit in die, non offendit. T. t. 10. §. 11. n. 1.
Lazarus amicus noster dormit. M. t. 22. §. 13. §. 23. §. 25.
Gaudeo propter vos, ut credatis; quoniam non eram ibi. P. t. 22. §. 4.
Eamus & nos, ut moriamur cum eo. S. t. 18. §. 2.
Erat Bethania juxta Jerosolymam. O. t. 9. §. 22.
Martha, ut audivit, quia venit Jesus, occurrit illi. P. t. 11. §. 15. S. t. 28. § 3. T. t. 8. §. 3. n. 10.
Ego sum resurrectio & vita. R. t. 13. §. 2.
Illa, ut audivit, surgit citò. O. t. 1. §. 9. R. t. 11.
Infremuit spiritu, & turbavit seipsum. P. t. 13. §. 7. P. t. 16. §. 1. P. t. 24. §. 24.
Veni, & vide. M. t. 18. §. 9.
Lacrymatus est Jesus. M. t. 22. §. 24. S. t. 43. §. 10. V. t. 16. §. 3.
Tollite lapidem. O. t. 3. §. 1. N. t. 4. §. 3
Jam fœtet. S. t. 11. § 2.
Quatriduanus est. O. t. 3. §. 1.
Voce magna clamavit: Lazare veni foras. O. t. 1. §. 8. O. t. 4. §. 3. R. t. 6. §. 2. R t. 14.
Statim prodiit, qui fuerat mortuus. O. t. 1. §. 1. §. 19.
Solvite eum, & sinite abire. M. t. 22. §. 15. § 19.
Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium. P. tit. 13. §. 21.
Quid facimus, quia hic homo multa signa facit. P. t. 15. §. 24.

Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. T. t. 8. §. 3. nu. 5.
Venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. R. t. 5. §. 4.
Expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo; & non tota gens pereat. P. t. 14. §. 12.
Cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit. S. t. 43. §. 2.

Caput 12.

Jesus ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam. P. t. 27. §. 5.
Lazarus unus erat ex discumbentibus cum eo. M. t. 22. §. 32.
Maria accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu. P. t. 24. §. 24.
Dixit unus ex Discipulis ejus, Judas Iscariotes. R. titul. 8. §. 10.
Fur erat. M. t. 4. §. 2. P. t. 14. § 12.
Quare hoc ungentum non veniit trecentis denariis. P. t. 14. §. 12.
Cogitaverunt - ut & Lazarum interficerent. P. t. 15. §. 13.
Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel. M. t. 18. §. 5.
Si quis mihi ministrat, me sequatur. S. t. 18. §. 2.
Qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam. P. t. 24. §. 8.
Pater, clarifica nomen tuum. P. t. 5. §. 13.
Nunc judicium est Mundi. T. t. 10. §. 9.
Nunc princeps hujus Mundi ejicietur foras. M. t. 25. §. 11.
Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. M. t. 23. §. 4.
Ambulate, dum lucem habetis. P. t. 24. §. 23. P. t. 32. §. 1.
Qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat. P. t. 13. §. 2. §. 24.
Ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. T. t. 11. §. 25.

Caput 13.

Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus. M. t. 22. §. 6. §. 11. §. 23. M. t. 23. §. 3. O. t. 4. §. 1. P. t. 5. §. 5.
Cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas. P. t. 15. §. 5.
Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus. S. t. 5. §. 1.
Cùm accepisset linteum, præcinxit se. O. t. 7. §. 6. Z. t. 1. §. 5.
Cœpit lavare pedes Discipulorum. P. tit. 5. §. 4. S. tit. 43. §. 15.
Venit ergo ad Simonem Petrum. S. tit. 43. §. 26. Z. tit. 1. §. 8.
Si non lavero te non habebis partem mecum. V. t. 18. §. 9.
Dicit ei Simon Petrus. N. t. 3. §. 5.
Qui lotus est, non indigit, nisi ut pedes lavet P. titul. 32. §. 1.
Vos vocatis me Magister, & Domine; & benè dicitis: sum etenim. T. t. 11. §. 13.
Si ergo lavi pedes vestros, Dominus, & Magiter, & vos debetis alter alterius lavare pedes. S. titul. 43. Parag. 15
Si hæc scitis, beati eritis si fecericis ea. S. titul. 12. Parag. 9.
Post buccellam introivit in eum Sathanas. P. titul. 13. Parag. 11.
Quod facies, fac citiùs. P. tit. 5. §. 2. §. 7. P. tit. 13. Parag. 15.
Nunc clarificatus est Filius hominis. P. titul. 5. Paragrapho 4.

Caput 14.

Non turbetur cor vestrum. T. t. 13. §. 3.
In domo Patris mei mansiones multæ sunt. S. t. 33. §. 6. T. t. 8. § 3. n. 4.
Vado parare vobis locum. P. t. 9. §. 26.
Ego sum, via, veritas, & vita. S. t. 5. §. 1.
Quocumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. O. t. 9. §. 21.
Si diligitis me, mandata mea servate. P. t. 27. §. 3.
Spiritum veritatis, quem Mundus non potest accipere. S. t. 28. §. 4. S. t. 36. § 5.
Quia ego vivo, vos vivetis. M. t. 24. §. 3.
Ad eum veniemus. R. t. 6. §. 2. T. t. 12. §. 2.
Qui non diligit me, sermones meos non servat. P. titul. 27. §. 3.
Ille vos docebit omnia. S. t. 36. §. 7.
Pacem relinquo vobis. P. t. 12. §. 3.
Venit princeps Mundi hujus, & in me non habet quidquam. P. t. 24. §. 23.

Caput 15.

Manete in me, & ego in vobis. R. t. 6. §. 2.
Ego sum vitis, vos palmites. P. t. 5. §. 1. P. t. 13. §. 15. R. t. 13. §. 3. S. t. 43. §. 21.
Sine me nihil potestis facere. O. t. 9. §. 2.
Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet &c. P. t. 13. §. 15.
In hoc clarificatus est Pater meus - & efficiamini mei Discipuli. P. t. 32. §. 2.

Si-

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. T. t. 11. §. 9.
Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. S. t. 22. §. 2.
Posui vos ut eatis, & fructum afferatis. Z. t. 1. §. 8.
De Mundo non estis. P. t. 19. §. 3.
Memento sermonis mei. P. t. 9. §. 26.

Caput 16.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. P. t. 9. §. 26.
Absque Synagogis facient vos. P. t. 19.
Quo vadis. P. t. 9. §. 19.
Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. S. t. 28. §. 4.
Arguet Mundum - de judicio. P. t. 22. §. 11.
Docebit vos omnem veritatem. S. t. 36. §. 7.
Modicum, & jam non videbitis me. P. t. 5. §. 6. P. t. 9. §. 19. T. t. 11. §. 18. §. 20. V. t. 16. §. 4.
Plorabitis, & flebitis. P. t. 16. §. 1.
Tristitia vestra vertetur in gaudium. P. t. 9. §. 19. P. t. 15. §. 11.
Mulier, cùm parit, tristitiam habet. P. t. 9. §. 19. R. t. 13. §. 1. T. t. 11. §. 18. V. t. 15. §. 7.
Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. N. t. 4. §. 4. O. t. 9. §. 3.
Petite, & accipietis; ut gaudium vestrum sit plenum. O. t. 9. §. 21.
Hæc in probverbiis locutus sum vobis. S. t. 34. §. 2.

Caput 17.

Pater, venit hora: clarifica Filium tuum. P. t. 5. §. 4.
Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. O. t. 6. §. 6. S. t. 5. §. 1. S. t. 22. §. 6.
Ut sint unum, sicut & nos. T. t. 12. §. 3.

Caput 18.

Egressus est cum Discipulis suis trans torrentem Cedron. P. t. 9. §. 19. T. t. 11. §. 10. §. 18.
Jesus sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit. P. t. 9. §. 26.
Quem quæritis. M. t. 23. §. 2. §. 3. P. t. 5. §. 7. P. t. 9. §. 15. Q. t. 2. §. 4.
Sinite hos abire. M. t. 22. §. 23.
Mitte gladium tuum in vaginam. O. t. 6. §. 2.
Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? T. t. 11. §. 8.
Adduxerunt eum ad Annam primùm. P. t. 5. §. 9.
Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. S. t. 1. §. 3. S. t. 33. §. 7.
Regnum meum non est de hoc Mundo. M. t. 18. §. 5.
Quid est veritas. V. t. 6. §. 2.

Caput 19.

Nos legem habemus, secundùm legem debet mori. P. t. 14. §. 6.
Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. T. t. 11. §. 8.
Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. T. t. 10. §. 11. n. 1.
Erat Parasceve Paschæ. O. t. 4. §. 5.
Regem vestrum crucifigam? R. t. 15. §. 1.
Scripsit titulum Pilatus. N. t. 4. §. 6.
Jesus Nazarenus Rex Judæorum. R. t. 15. §. 1.
Noli scribere Rex Judæorum. P. t. 9. §. 16.
Milites - acceperunt vestimenta ejus. P. t. 11. §. 14.
Stabat juxta crucem Jesu mater ejus, P. t. 2. §. 1.
Mulier, ecce filius tuus. S. t. 5. §. 1.
Sitio. O. t. 7. §. 2. §. 1. P. t. 5. §. 6. P. t. 15. §. 24.
Consummatum est. V. t. 3. §. 2.
Inclinato capite tradidit spiritum. O. t. 1. §. 12. §. 16. P. t. 14. §. 6.
Ut non remanerent in cruce corpora Sabbato. P. t. 14. §. 12.
Non fregerunt ejus crura. V. t. 15. §. 1.
Unus militum lancea latus ejus aperuit. M. t. 22. §. 6.
Discipulus Jesu, occultus propter metum Judæorum. P. t. 38. §. 1.
Venit ergo, & tulit corpus Jesu. T. t. 8. §. 8. n. 2.
Ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. O. t. 7. §. 8.
In horto monumentum novum. S. t. 17. §. 4.

Caput 20.

Maria stabat ad monumentum foris plorans. M. t. 1. §. 4. R. t. 13. §. 4. S. t. 30. §. 5.
Mulier, quid, ploras? - quia tulerunt Dominum meum. P. t. 13. §. 28. Q. t. 2. §. 3. T. t. 11. §. 18.
Vidit Jesum stantem; & non sciebat, quia Jesus est. M. t. 1. §. 4.
Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem. S. t. 28. §. 5.
Vade ad fratres meos. M. t. 1. §. 2.
Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. P. t. 8. §. 1.
Venit Maria Magdalena annuntians Discipulis. S. t. 10. §. 7.
Cùm sero esset die illo. M. t. 22. §. 11. S. t. 33. §. 10. T. t. 13. §. 1.
Venit Jesus, & stetit in medio. S. t. 5. §. 5. S. t. 43. §. 9.
Pax vobis. P. t. 12. §. 1. §. 2.
Ostendit eis manus, & latus. M. t. 25. §. 3. P. t. 5. §. 10. V. t. 21. §. 2.
Hæc cùm dixisset, insufflavit. R. t. 4. §. 2. S. t. 36. §. 4.

Accipite Spiritum Sanctum. S. t. 36. §. 4.
Thomas non erat cum eis, quando venit Jesus. S. t. 25.
Nisi videro, non credam. P. t. 13. §. 10. P. t. 15. §. 14. P. t. 24. §. 24.
Infer digitum tuum huc. P. t. 5. §. 6. P. t. 35. §. 6.
Vide manus meas. O. t. 2. §. 5.

Caput 21.

Pueri, numquid pulmentarium habetis. P. t. 32. §. 1. S. t. 15. §. 6.
Mittite in dexteram navigii rete. T. t. 8. §. 1.
Dominus est. T. t. 11. §. 8. V. t. 14. §. 3.
Venite: prandete. P. t. 5. §. 13.
Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus. T. t. 2. §. 3.
Simon Joannis, diligis me plus his? S. t. 43. § 6. §. 12. T. t. 2. §. 3. Z. t. 1. §. 7.
Pasce agnos meos. O. t. 1. §. 10. P. t. 24. §. 6. P. t. 31. §. 1. S. t. 43. §. 2. Z. t. 1. §. 4. §. 7.
Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? O. t. 7. §. 12.
Cùm esses junior, cingebas te; & ambulabas, ubi volebas. T. t. 11. §. 9.
Cùm autem senueris, extendens manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. S. t. 15. §. 6.
Sequere me. S. t. 18. §. 2.
Conversus Petrus, vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus. V. t. 16. §. 7.
Qui & recubuit in cœna super pectus ejus. O. t. 9. §. 1.
Hic autem quid? P. t. 24. §. 6.
Quid ad te? tu me sequere. O. t. 2. §. 3.

Actus Apostolorum.

Caput 1.

PRimum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere, & docere. P. t. 27. §. 3.
Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. V. t. 16. §. 1.
Præcepit eis, ab Jerosolymis nè discederent. O. t. 1. §. 8. O. t. 9. §. 13. S. t. 36. §. 10. §. 13.
Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel. S. t. 36. §. 7.
Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. S. t. 12 §. 2.
Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos. S. t. 36. §. 4.
Viri Galilæi, quid statis, respicientes in cœlum. V. t. 16. §. 10.
Orantes dixerunt: tu Domine - ostende, quem elegeris ex his duobus unum &c. O. t. 9. §. 15.

Caput 2.

Factus est repentè de cœlo sonus. O. t. 1. §. 10. S. t. 36. §. 2. §. 5.
Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis. S. t. 36. §. 4. §. 7. §. 8. §. 9. §. 13. T. t. 10. §. 9.
Seditque supra singulos eorum. S. t. 36. §. 3. §. 10.
Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cùm sit hora diei tertia &c. O. t. 9. §. 27.
Compuncti sunt corde. M. t. 5. §. 3.
Multa prodigia, & signa, per Apostolos in Jerusalem fiebant; & metus erat magnus universis. T. t. 10. §. 9.
Habebant omnia communia. P. t. 11. §. 1.

Caput 3.

Petrus, & Joannes, ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. O. t. 9. §. 2.
Argentum, & aurum, non est mihi &c. P. t. 11. §. 5.
In nomine Jesu Nazareni surge. N. t. 4. §. 2.

Caput 4.

Si justum est in conspectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum judicate. V. t. 6. §. 1.
Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. St 36. §. 10.
Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri. R. t. 13. §. 7.
Vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant ante pedes Apostolorum. P. t. 17. §. 3.
Barnabas, - filius consolationis. S. t. 28. §. 3.

Caput 5.

Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum; & fraudavit de pretio agri. P. t. 11. §. 14.
Cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto. M. t. 14. §. 1.
Audiens ananias hæc verba, cecidit, & expiravit. P. t. 13. §. 23. S. t. 26. §. 2.
Factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc. P. t. 22. §. 11.
Ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum. P. t. 24. §. 6. S. t. 43. §. 23.
Afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis; qui curabantur omnes.
Ibant gaudentes à conspectu concilii: quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. T. t. 11. §. 4.

Ca-

Caput 6.

Multiplicabatur numerus Discipulorum in Jerusalem valde. P. t. 19. §. 2.
Viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli. S. t. 8. §. 4.

Caput 7.

Vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri ità & vos. P. t. 2. §. 5.
Cùm esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei. S. t. 36. §. 13.
Video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei. P. t. 9. §. 2. §. 15. T. t. 4. §. 2. T. t. 5. §. 3.
Testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. M. t. 5. §. 3.
Domine Jesu suscipe spiritum meum. M. t. 22. §. 11. N. t. 4. §. 6.
Positis genibus clamavit voce magna, dicens: Domine, nè statuas illis hoc peccatum. O. t. 9. §. 24. P. t. 9. §. 8. P. t. 30. §. 2. S. t. 33. §. 3.

Caput 8.

Facta est in illam die persecutio magna in Ecclesia. P. t. 19. §. 2.
Pœnitentiam age ab hac nequitia tua. O. t. 9. §. 24.
In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis, video te esse. P. t. 15. §. 17.
Precamini vos pro me ad Dominum. P. t. 15. §. 12.
Revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam. S. t. 12. §. 7.
Ecce aqua. O. t. 4. §. 1.
Descenderunt uterque in aquam - & baptizavit eum. P. t. 26. §. 26.

Caput 9.

Saulus spirans minarum, & cœdis, in Discipulos Domini. P. t. 24. §. 6.
Petiit epistolas in Damascum ad synagogas. P. t. 24. §. 27. P. t. 35. §. 10.
Circumfulsit eum lux de cœlo. P. t. 34. §. 2.
Cadens in terram, audivit vocem dicentem sibi. P. t. 24. §. 31.
Saule, quid me persequeris. P. t. 14. §. 12.
Ego sum Jesus, quem tu persequeris. M. t. 5. §. 3. N. t. 4. §. 4.
Domine, quid me vis facere? V. t. 18. §. 6.
Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. V. t. 4. §. 3.
Apertis oculis nihil videbat. V. t. 4. §. 3.
Vas electionis est mihi iste. O. t. 1. §. 13.
Saule frater: Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via. S. t. 43. §. 2.
Ænea, sanat te Dominus Jesus. M. t. 18. §. 9.
Ostenderunt ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. O. t. 7. §. 7.
Tabitha surge. R. t. 14.
Dans illi manum, erexit eam. M. t. 18. §. 11.

Caput 10.

Accersi Simonem quendam - hic dicit tibi, quid te oporteat facere. O t. 1. § 18.
Cùm discessisset angelus-vocavit duos domesticos suos &c. O. t. 6. §. 1.
Ascendit Petrus in superiora, ut oraret. S. t. 36. §. 13. T. t. 8. §. 8. n. 2. Z. t. 1. §. 2.
Dùm esuriret, voluit gustare. T. t. 2. §. 2.
Vidit cœlum apertum, & descendens vas quodam. P. t. 24. §. 2. §. 7.

Caput 12.

Herodes occidit Jacobum fratrem Joannis gladio, O. tit. 9. §. 20.
Quem cum apprehendisset, misit in carcerem. P. t. 13. §. 6.
Petrus dormiens inter duos milites. P. t. 13. §. 24. P. t. 24. §. 2.
Percusso latere Petri excitavit eum. P. t. 5. §. 10. P. t. 9. §. 8. P. t. 15. § 15. T. t. 11. §. 1.
Calcea te caligas tuas. P. t. 9. §. 1.
Existimabat, se visum videre. P. t. 9. §. 12.
Venerunt ad portam ferream. M. t. 24. §. 1.
Nunc sciò verè, quia misit Dominus angelum suum. O. t. 4. §. 3.

Caput 13.

Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. S. t. 26. §. 3.
Eris cœcus, non videns solem usque ad tempus. T. t. 11. §. 12.

Caput 14.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. P. t. 9. §. 17.

Caput 16.

Visio per noctem Paulo ostensa est. S. t. 31.
Statim aperta sunt omnia ostia. T. t. 11. §. 25.
Tremefactus procidit Paulo, & Sylæ ad pedes. S. t. 43. §. 12.

Caput 19.

Incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. P. t. 16. §. 1.

Caput 18.

Apollo - vir eloquens - potens in Scripturis. S. t. 10. §. 7.

Caput 19.

Quoties disputans in schola Tyranni cujusdam. P. tit. 19. §. 5.

Caput 20.

Quid adolescens - cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. M. t. 22. §. 19.
Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis. P. t. 16. §. 1.
Nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Jerusalem. M. t. 22. §. 6. §. 9.
Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi. P. t. 17. §. 3.

Caput 21.

Huic erant quatuor filiæ prophetantes. V. t. 14. §. 3.

Caput 28.

Utique homicida est homo hic. S. t. 23. §. 8.

Epistola Beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Caput 1.

PAulus servus Jesu Christi. N. t. 3. §. 5. S. t. 22. §. 1.
Gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis. P t. 14. §. 7.
Non erubesco Evangelium. P. t. 38. §. 1.
Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem. V. t. 4. §. 22.

Caput 2.

Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. O. t. 3. §. 1. P. t. 13. §. 22. P. t. 24. §. 32.
Nomen Dei per vos blasphematur. P. t. 14. §. 2.

Caput 3.

Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. P. t. 15. §. 3.

Caput 5.

Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur. P. t. 9. §. 1. P. t. 18. §. 7. T. t. 11. §. 2.
Patientia probationem. P. t. 9. §. 16.
Sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors: & ità in omnes homines mors pertransit, in quo omnes homines peccaverunt. M. t. 22. §. 2. P. t. 15. §. 18.

Caput 6.

Quod vivit, vivit Deo. V. t. 18. §. 5.
Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. M. t. 22. §. 15. P. t. 13. §. 5. P. t. 15. §. 22. T. t. 5. §. 3.

Caput 8.

Ipse spiritus postulat pro vobis gemitibus inenarrabilibus. S. t. 36. §. 3.
Quis nos separabit à charitate Christi? P. t. 13. §. 9.
Neque altitudo, neque profundum. P. t. 34. §. 1.

Caput 9.

Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia. P. t. 9. §. 9.

Caput 10.

Corde creditur ad justitiam. S. t. 5. §. 5.

Caput 12.

Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. P. t. 24. §. 2. S. t. 3. §. 3.
Spe gaudentes, in tribulatione patientes. P. t. 9. §. 16.
Necessitatibus Sanctorum communicantes. O. t. 9. §. 24.

Caput 13.

Abjiciamus opera tenebrarum. P. t. 13. §. 13.
Induamur arma lucis. V. t. 15. §. 1.

Caput 15.

Christus non sibi placuit. P. t. 5. §. 6.
Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. T. t. 11. §. 26.

Caput 16.

Deus pacis conteret Sathanam sub pedibus vestris velociter. P. t. 24. §. 17.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Corinthios prima.

Caput 1.

GRatias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei. S. t. 43. §. 20.

Caput 3.

Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum &c. P. t. 15. §. 1. P. t. 18. §. 7.
Dies Domini declarabit. V. t. 18. §. 5.
Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc Sæculo, stultus fiat, ut sapiens. P. t. 19. §. 3.

Ca-

Caput 4.

Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis, & hominibus. P. t. 9 §. 2.
Quid vultis? in virga veniam ad vos; an in charitate, & spiritu mansuetudinis. S. t. 43. §. 20.

Caput 5.

Modicum fermentum totam massam corrumpit. S. t. 26. §. 5.

Caput 7.

Volo omnes vos esse, sicut meipsum. V. t. 14. §. 4.
Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem. V. t. 22. §. 1.
Alligatus es uxori; noli quærere solutionem. M. t. 11. §. 3.
Reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint. T. t. 8. §. 3. n. 4.
Præteriit figura hujus Mundi. P. t. 34. §. 7.
Virgo cogitat, quæ Domini sunt: ut sit sancta corpore, & spiritu. V. t. 14. §. 2.

Caput 8.

Scientia inflat. S. t. 12. §. 9.
Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. S. t. 11. §. 5.

Caput 9.

Omnibus omnia factus sum. S t. 43. §. 10.

Caput 10.

Non patietur vos tentari supra id, quod potestis. T. t. 5. §. 3.
Sive manducatis, sive bibitis; omnia in gloriam Dei facite. T. t. 2. §. 2.

Caput 11.

In hoc non laudo. S. t. 43. §. 20.
Quotiescumque manducabitis Panem hunc - mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. P. t. 5. §. 4.

Caput 12.

Alii datur sermo sapientiæ. S. t. 10. §. 6.
Omnes in uno Spiritu potati sumus. S. t. 36. §. 1.

Caput 15.

Gratia ejus in me vacua non fuit. P. t. 28. §. 2.
Primitiæ dormientium. R. t. 13. §. 3.
Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis. P. t. 39. §. 1.
In momento, in ictu oculi. P. t. 24. §. 20.
Canet tuba. R. t. 14. V. t. 3. §. 1.

Caput 16

Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens, quod ei bene placuerit. M. t. 18. §. 12.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Corinthios secunda.

Caput 1.

PAter misericordiarum, & Deus totius consolationis. M. t. 19. §. 4. S. t. 28. §. 2.
Sicut abundant passiones Christi in nobis; ità & per Christum abundat consolatio nostra. T. t. 11. §. 26.
Consolamur pro vestra consolatione. S. t. 43. §. 10.

Caput 2.

Ex multa tribulatione, & angustia cordis, scripsi vobis per multas lacrymas. P. t. 16. §. 1.

Caput 3.

Epistola nostra vos estis. S. t. 43. §. 4. §. 8.
Transformamur à claritate in claritatem. P. t. 32. §. 2.

Caput 4.

Tribulationem patimur; sed non angustiamur. P. t. 9. §. 6.
Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. T. t. 11. §. 19.

Caput 5.

Pro Christo legatione fungimur &c. M. t. 19. §. 6. P. t. 24. §. 3.

Caput 6.

Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis. Q. t. 1. §. 2.
Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. P. t. 9. §. 29.

Caput 8.

Propter nos egenus factus est. P. t. 11. §. 12.

Caput 9.

Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. M. t. 18. §. 8.

Caput 11.

In plagis supra modum. V. t. 18. §. 2.
Ter naufragium feci. O. t. 4. §. 6.
Quis infirmatur, & ego non infirmor. P. t. 16. §. 1. S. t. 26. §. 3.
Per fenestram in sporta dimissus sum per murum. M. t. 22. §. 9.

Caput 12.

Nè magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ. S. t. 40. §. 7.
Cùm infirmor, tunc potens sum. M. t. 21. §. 1. S. t. 33. §. 11.
Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia. P. t. 9. §. 2.
Superimpendar ipse pro animabus vestris. Z. t. 1. §. 3.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Galatas.

Caput 1.

SI quis evangelizaverit vobis præter id, quod accepistis, anathema sit. O. t. 6. §. 1.
Licèt nos, aut angelus de cœlo, evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. S. t. 1. §. 2.

Caput 1.

Vivo jam non ego: vivit verò in me Christus. V. t. 16. §. 5.

Caput 6.

Si præocupatus fuerit homo in aliquo delicto-hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. M. t. 5. §. 3.
Bonum facientes non deficiamus. P. t. 9. §. 16.
Mihi Mundus crucifixus est. M. t. 24. §. 3. M. t. 25. §. 10. P. t. 19. §. 3.
Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. S. t. 21. §. 5. T. t. 11. §. 4.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios.

Caput 3.

HUjus rei gratia flecto genua mea. V. t. 16. §. 9.

Caput 4.

Obsecro vos ego vinctus in Domino. T. t. 11. §. 4.
Ascendens in altum captivam duxit captivitatem. P. t. 9. §. 6. T. t. 11. §. 26.
Renovamini spiritu mentis vestræ. R. t. 10. §. 2.
Induite novum hominem. R. t. 8. §. 11.

Caput 5.

Redimentes tempus, quia dies mali sunt. T. t. 8. §. 5.

Caput 6.

Galeam salutis assumite. S. t. 33. §. 1.
Gladium Spiritus, quod est verbum Dei. V. t. 4. §. 4.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Philippenses.

Caput 1.

VObis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. T. t. 11. §. 4.

Caput 2.

Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu. P. t. 5. §. 11.
Donavit illi nomen, quod est super omne nomen. N. tit. 4. §. 2.

Caput 3.

Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora. T. t. 8. §. 8. n. 2.

Caput 4.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. T. t. 3. §. 7.
Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra. V. t. 18. §. 3.
Omnia possum in eo, qui me confortat. M. t. 2. §. 3.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Colossenses.

Caput 1.

ADimpleo ea, quæ desunt passionibus Christi, in carne mea. P. t. 9. §. 12.

Caput 2.

Videte, nè quis vos seducat per Philosophiam. P. t. 35. §. 5.

Caput 3.

Mortui estis; & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. M. t. 24. §. 3. S. t. 30. §. 2.
Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis. R. t. 10. §. 2.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Thessalonicenses prima.

QUæ est spes nostra. S. t. 7. §. 7.

Caput 3.

Nemo moveatur in tribulationibus nostris: ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus. P. t. 9. §. 14.

Caput 4.

Operam detis, ut quieti sitis. S. t. 12. §. 6.
Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus. M. titul. 22. §. 23.

Caput 5.

Sine intermissione orate. O. t. 9. §. 22.

Epi-

Epistola B. Pauli Apostoli ad Thessalonicenses secunda.

Caput 1.

SI justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant. P. t. 22. §. 13.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Timotheum prima.

Caput 4.

CAnteriatam habentium conscientiam. P. t. 13. §. 10.

Caput 5.

Seniorem nè increpaveris; sed observa ut patrem. S. tit. 15. §. 5.
Peccantes coram omnibus argue: ut & cœteri timorem habeant. P. t. 22. §. 11. T. t. 10. §. 1.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Timotheum secunda.

Caput 1.

TImotheo charissimo filio gratia misericordia pax &c. S. t. 43. §. 10.
Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te perimpositionem manuum mearum. R. t. 10. §. 2.
Scio, cui credidi. P. t. 25. §. 3.

Caput 2.

Stultas quæstiones devita. S. t. 12. §. 6.

Caput 3.

Penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas. P. t. 15. §. 13.

Caput 4.

Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. S. t. 43. §. 20.
Tempus resolutionis meæ instat. M. t. 22. §. 12.
Bonum certamen certavi. T. t. 5. §. 4.
Demas me reliquit. T. t. 8. §. 9. n. 2.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Titum.

Caput 1.

COnfitentur, se nosse Deum, factis autem negant. P. t. 14. §. 4.

Caput 2.

In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum. S. t. 43. §. 7.

Caput 3.

Benignitas, & humanitas, apparuit Salvatoris nostri Dei. N. t. 1. §. 5.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Philemonem.

CUm sis talis, ut Paulus senex. P. t. 15. §. 16.
Forsitan ideo discessit ad horam à te, ut æternum illum reciperes. P. t. 35. §. 10.

Epistola B. Pauli Apostoli ad Hebræos.

Caput 4.

NOn habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. M. t. 19. §. 5. P. t. 15. §. 6.

Caput 6.

Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei. R. t. 6. §. 2.
Fortissimum solatium habeamus, si confugimus ad tenendam propositam spem. P. t. 9. §. 16.

Caput 10.

Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. S. t. 33. §. 4.
Consideremus invicem in provocationem charitatis. S. t. 26. §. 2.
Horrendum est incidere in manus Dei viventis. V. t. 21. §. 3.
Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. P. t. 11. §. 15. T. t. 8. §. 8. n. 2.

Caput 12.

Flagellat omnem filium, quem recipit. P. t. 9. §. 13.

Epistola Catholica B. Jacobi Apostoli.

Caput 5.

JAcobus Dei, & Domini nostri Jesu Christi servus. S. t. 22. §. 1.
Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. P. t. 9. §. 6.
Omne datum optimum descendens à Patre luminum. T. t. 10. §. 9. T. t. 11. §. 7.
Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. S. t. 19 §. 2. S. t. 23. §. 6.
Si quis auditor est verbi, & non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo &c. V. t. 4. §. 10.

Caput 2.

Superexaltat misericordia judicium. M. t. 18. §. 12.

Caput 4.

Petitis, & non accipitis; eò quòd malè petatis. O. t. 9. §. 22.
Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis. S. t. 36. §. 3.
Deus superbis resistit. S. t. 40. §. 12.
Quid est vita vestra? vapor est ad modicum parens; & deinde exterminabitur. V. t. 16. §. 2.

Epistola B. Petri Apostoli prima.

Caput 1.

REgeneravit nos in spem vivam. R. t. 13. §. 3. S. t. 33. §. 4.
Ut probatio vestræ fidei multò pretiosior auro - inveniatur in laudem, & gloriam &c. P. t. 9. §. 1.
Quasi filii obedientiæ. O. t. 1. §. 3.
In omni conversatione sancti sitis. S. t. 8. §. 5.

Caput 2.

Conversi estis ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. S. t. 53. §. 24.

Caput 4.

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. P. t. 19. §. 3. P. t. 38. §. 1.
Nemo vestrum patiatur ut homicida &c. P. t. 9. §. 12.

Caput 5.

Neque turpis lucri gratia. P. t. 11. §. 7.
Neque ut dominantes in Cleris; sed forma gregis facti. S. t. 43. §. 7.
Humiliamini sub potenti manu Dei. T. t. 11. §. 28.
Sobrii estote, & vigilate. M. t. 22. §. 12.
Diabolus tamquam leo rugiens circuit. O. t. 4. §. 8.

Epistola B. Petri Apostoli secunda.

Caput 1.

CUi non prestò sunt hæc, cœcus est. S. t. 12. §. 9.

Epistola B. Joannis Apostoli.

Prima.

Caput 3.

OMnis, qui peccat, non vidit eum, neque cognovit. P. t. 15. 21.

Caput 5.

Mandata ejus gravia non sunt. P. t. 27. §. 3. §. 5.

Epistola B. Joannis Apostoli.

Tertia.

SEnior Gajo charissimo. S. t. 15. §. 3.
Quos benefaciens deduces dignè Deo. P. t. 18. §. 2.

Epistola Catholica B. Judæ Apostoli.

ARbores autumnales. P. t. 24. §. 21.
Aliis miseremini in timore. Z. t. 1. §. 4. §. 8.

Apocalypsis B. Joannis Apostoli.

Caput 1.

APocalypsis Jesu Christi. N. t. 4. §. 5.
Mittens per angelum suum servo suo Joanni. S. t. 22. §. 1.
Gratia vobis, & pax. S. t. 7. §. 7
Pimogenitus mortuorum. P. t. 5. §. 7.
Princeps regnum terræ. M. t. 18. §. 5. T. t. 8. §. 3. n. 7.
Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo. R. t. 5. §. 1.

Par-

Particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Jesu. P. t. 9. §. 17. T. t. 11. §. 29.
Fui in insula, quæ appellatur Patmos. P. t. 19. §. 5. S. t. 30. §. 4.
Audivi post me vocem magnam tamquam tubæ. V. t. 4. §. 3. V. t. 16. §. 10.
Vidi septem candelabra aurea. P. t. 19. §. 2.
Præcinctum ad mamillas Zona aurea. M. t. 19. §. 1.
Caput ejus, & capilli erant candidi tamquam lana alba. M. t. 19. §. 14. V. t. 18. §. 6.
Oculi ejus tamquam flamma ignis. M. t. 19. §. 14. O. t. 3. §. 6.
Pedes ejus similes aurichalco. M. t. 23. §. 3. P. t. 5. §. 1. §. 2. V. t. 16. §. 7.
Sicut in camino ardenti. P. t. 5. §. 7.
Vox illius tamquam vox aquarum multarum. V. t. 4. §. 4.
Habebat in dextera sua stellas septem. M. t. 19. §. 1. P. t. 22. §. 2. S. t. 33. §. 9. Z. t. 1. §. 7.
De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. M. t. 5. §. 3. P. t. 12. §. 2. T. t. 10. §. 9.
Posuit dexteram suam super me. M. t. 19. §. 1. S. t. 1. §. 3. S. t. 43. §. 10.
Sacramentum septem stellarum. S. t. 1. §. 3.

Caput 2.

Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. S. t. 43. §. 2.
Qui ambulat in medio septem candelabrorum. S. t. 43. §. 9.
Habeo adversùm te, quòd charitatem tuam primam reliquisti. P. t. 28. §. 2. S. t. 43. §. 20.
Memor esto, unde excideris. P. t. 24. §. 19.
Prima opera fac. O. t. 7. §. 13.
Movebo candelabrum tuum. P. t. 15. §. 12.
Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam. P. t. 11. §. 11. §. 14. S. t. 22. §. 2. T. t. 11. §. 3.
Blasphemaris. P. t. 19. §. 3.
Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. P. t. 15. §. 19.
Scio, ubi habitas; ubi sedes est Sathanæ. S. t. 26. §. 3.
Veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. P. t. 23. §. 1.
Vincenti dabo manna absconditum. N. t. 4. §. 5. P. t. 24. §. 9. S. t. 28. §. 3.
Dabo illi calculum candidum. R. t. 10. §. 2.
Et in calculo nomen novum scriptum. N. t. 3. §. 3. S. t. 13.
Novi opera tua-novissima plura prioribus. P. t. 32. §. 2.
Non vult pœnitere à fornicatione sua: ecce mittam eam in lectum. M. t. 21. §. 2. P. t. 13. §. 24.
Dabo illi stellam matutinam. T. t. 11. §. 21.

Caput 3.

Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. S. t. 26. §. 2.
Scio opera tua: quia nomen habes, quòd vivas; & mortuus es. N. t. 3. §. 5. §. 6.
Non invenio opera tu plena coram Deo meo. P. t. 18. §. 14.
Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua. P. t. 28. §. 1. S. t. 26. §. 2. S. t. 43. §. 6.
Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis. P. t. 24. §. 2.
Dedi coram te ostium apertum. V. t. 4. §. 4.
Servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum. T. t. 11. §. 18.
Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. T. t. 11. §. 4.
Hæc dicit Amen. T. t. 6. §. 4.
Quia tepidus es; & nec frigidus, nec calidus: incipiam te evomere ex ore meo. T. t. 6. §. 1. §. 2. §. 3.
Dicis, quòd dives sum-& nescis, quia tu es miser &c. S. t. 12. §. 10.
Suadeo tibi à me emere aurum ignitum. V. t. 4. §. 3.
Ut locuples fias, & vestimentis albis induaris. V. t. 15. §. 5.
Collyrio inunge oculos tuos, ut videas. M. t. 22. §. 19. O. t. 10. §. 1. P. t. 24. §. 2. T. t. 11. §. 13.
Ego, quos amo, arguo, & castigo. P. t. 9. §. 13. T. t. 11. §. 9.
Ego sto ad ostium, & pulso. O. t. 3. §. 1. P. t. 24. §. 3. S. t. 5. §. 1. V. t. 18. §. 1.
Qui vicerit; dabo ei sedere mecum in throno meo. P. t. 9. §. 18.

Caput 4.

Ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc. P. t. 32. §. 1.
Et ecce sedes posita erat in cœlo. Q. t. 3. §. 1.
Qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis. M. t. 19. §. 12. §. 16 S. t. 43. §. 20.
Iris erat in circuitu sedis. M. t. 19. §. 12. §. 16.
De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. V. t. 4. §. 1.
In conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo. T. t. 10. §. 12.
Quatuor animalia plena oculis antè, & retrò. R. t. 6. §. 2. T. t. 5. §. 5.

Animal primum simile leoni. V. t. 15. §. 14.
Singula habebant alas senas. M. t. 18. §. 1.
Et in circuitu, & intus, plena sunt oculis. O. t. 10. §. 4. P. t. 5. §. 11. S. t. 43. §. 1.
Mittebant coronas suas ante thronum. O. t. 7. §. 8.

Caput 5.

Vidi librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem. P. t. 5. §. 1.
Flebam multùm: quoniam nemo dignus inventus est aperire librum. O. t. 9. §. 18.
Vicit leo de tribu Juda. M. t. 19. §. 12. §. 16. S. t. 43. §. 18.
Vidi in medio Seniorum agnum stantem, tamquam occisum. S. t. 43. §. 23. V. t. 16. §. 9.
Accepit de dextera sedentis in throno librum. T. t. 8. §. 7.
Habentes singuli citharas. O. t. 7. §. 1. §. 10. S. t. 43. §. 8.
Et phialas aureas plenas odoramentorum. O. t. 9. §. 1.

Caput 6.

Exivit vincens, ut vinceret. V. t. 9. §. 3.
Exivit alius equus rufus. M. t. 9. §. 1.
Vinum, & oleum, nè læseris. M. t. 18. §. 11.
Ecce equus pallidus. T. t. 8. §. 4. n. 1. T. t. 14.
Vidi subtus altare animas interfectorum. M. t. 9. §. 1. R. t. 9. §. 1.
Sol factus est niger, tamquam saccus cilicinus. V. t. 15. §. 6.

Caput 7.

Ex tribu Levi duodecim millia signati. S. t. 1. §. 1.
Palmæ in manibus eorum. V. t. 9. §. 5.
Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? N. t. 2. §. 2.
Ideo sunt ante thronum Dei. R. t. 7. §. 1.

Caput 8.

Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum. O. t. 9. §. 1.

Caput 9.

Habebant loricas, sicut loricas ferreas. T. t. 5. §. 3.
Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum. P. t. 15. §. 26.

Caput 10.

Facies ejus erat ut sol. S. t. 10. §. 1.
Accipe librum-& faciet amaricari ventrem tuum. P. tit. 15. §. 17.

Caput 11.

Atrium ejus ejice foras. T. 8. §. 7.
Corpora eorum jacebunt in plateis civitatis. P. tit. 35. §. 10.

Caput 12.

Mulier amicta sole. R. t. 8. §. 1. V. t. 16. §. 9.
Luna sub pedibus ejus. P. t. 11. §. 1. T. t. 8. §. 2.
Draco stetit ante mulierem. T. t. 5. §. 4.
Peperit filium masculum. N. t. 1. §. 14.
Projectus est draco ille magnus. S. t. 11. §. 4.
Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ. O. t. 1. §. 21. R. t. 8. §. 6. V. t. 16. §. 7.

Caput 13.

Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni; qui occisus est ab origine Mundi. M. t. 23. §. 3.
Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet. P. t. 22. §. 13.
Vidi aliam bestiam ascendentem de terra. S. t. 24. §. 3.
Seduxit habitantes in terra, propter signa. T. t. 8. §. 5.
Datum est illi, ut daret Spiritum imagini bestiæ - & faciat; ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, & occidantur. S. t. 3. §. 3.
Faciet omnes - habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis. P. t. 14. §. 5. §. 8.

Caput 14.

Ecce agnus Stabat supra montem Sion. M. t. 5. §. 5.
Vocem, quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. M. t. 24. §. 3. O. t. 7. §. 8.
Sequuntur agnum, quocumque ierit. V. t. 14. §. 4.
Virgines enim sunt. V. t. 15. §. 5.
Beati mortui, qui in Domino moriuntur. M. t. 22. §. 10.
Mitte falcem tuam. M. t. 22. §. 4.
Misit Angelus falcem suam acutam in terram. T. t. 11. §. 2.

Caput 15.

Quis non timebit te Domine - quia solus pius es. T. t. 10. §. 9.
Septem phialas aureas. P. t. 22. §. 3.

Caput 17.

Mulier erat circumdata purpura. V. t. 7. §. 2.
Habens poculum aureum plenum abominatione. M. t. 25. §. 3. P. t. 13. §. 31. P. t. 15. §. 17.
Cùm venerit, oportet illum breve tempus habere. P. tit. 19. §. 4. I. t. 11. §. 18.

Caput 18.

In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. P. tit. 22. §. 13.

Væ, væ, civitas illa magna Babylon-quoniam una hora venit judicium tuum. O. t. 4. §. 2.

Caput 19.

Vocabitur Fidelis, & Verax. V. t. 6. §. 1.
De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus. T. t. 10. §. 8.

Caput 20.

Beatus, & sanctus; qui habet partem in resurrectione secunda. P. t. 24. §. 1.

Caput 21.

Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. S. t. 28. §. 2.

Caput 22.

Qui in sordibus est, sordescat adhuc. P. t. 15. §. 13.
Ego sum stella splendida, & matutina. R. t. 13. §. 1.

SYLLABUS THEMATUM
IN DOMINICAS TOTIUS ANNI.

Dominica 2. Adventus.

MUndus miser miseros facit. M. t. 25. §. 8.
Quid existis videre.
Paupertas opibus præferenda. P. t. 11. §. 2. Pauperes evangelizantur.
Tribulationes apprehende bona ansa. T. t. 11. §. 27. Joannes in vinculis.
Veritas exosa. V. t. 6. §. 2. Joannes in vinculis.
Vestium luxus. V. t. 7. S. 1.
Sub vestibus splendidis sæpè animus latet sordidus. Ibid. §. 2.

Dominica 3. Adventus.

De curiosa scientia, seu inquisitione. S. t. 12. §. 6. Tu quis es.

Dominica 4. Adventus.

De mansuetudine. M. t. 5. §. 1. Erunt prava in directa.
De via. V. t. 8. Dirigite viam Domini.

Dominica 1. post Epiphaniam.

Obedientia respiciens scientiam, & sapientiam. O. t. 1. §. 14. Erat subditus.
Obedientia requirit humilitatem. O. t. 1. §. 15. Invenerunt illum in templo.
De parentum erga filios obligatione. P. t. 2. per totum.
Peccator non sentit malum suum. P. t. 13. §. 10. Remansit Puer.
Tribulatio quærit, & invenit Deum. T. t. 11. §. 15. Dolentes quærebamus te.
Tribulationes sunt breves. T. t. 11. §. 18. num. 2. Post triduum invenerunt illum.

Dominica 2. post Epiphaniam.

De Matrimonio. M. t. 11. per totum.
De Nuptiis. N. t. 5.
Opera pauca, ubi multa sunt verba. O. t. 7. §. 6. Implete hydrias aqua.
Orationibus aliorum cooperare vita tua. O. t. 9. §. 24. Vinum non habent.
Patientia pro miraculo habetur. P. t. 9. §. 2. n. 2. Servasti bonum vinum usque adhuc.
Præcepta Dei facilia. P. t. 27. §. 3. Implete hydrias aqua.
Relapsus in peccata. R. t. 6. §. 1. Erant ibi lapideæ hydriæ sex, secundùm purificationem Judæorum.
Renovatio Spiritus. R. t. 10. Implete hydrias aqua.
Solatium divinum adest absente, vel spreto humano. S. t. 28. §. 3. Deficiente vino.
De temperantia. T. t. 2. §. 2. Capientes singulæ metretas binas, vel ternas.
De uxoribus. V. t. 22. per totum.

Dominica 3. post Epiphaniam.

De militibus. M. t. 16. per totum.
Patientia in morbis habenda. M. t. 21. §. 3. §. 4.
Aliorum orationi cooperare vita tua. O. t. 9. §. 24. Accesit ad eum.
Pauperes Deus honorat. P. t. 11. §. 10. Ego veniam, & curabo eum.
Ad peccatum, & malum proni sumus. P. t. 15. §. 24. Dico huic vade, & vadit.
Servorum, præsertim infirmorum, habenda cura. S. t. 21. §. 4. n. 2. Puer meus jacet.
Obsequia spontanea Deo chariora. S. t. 22. §. 8. Vis sanus fieri.
Superior præest, ut prosit; sit liberalis. S. t. 43. §. 17. Nam & ego homo sum potestate constitutus.
Superior non sit imperiosus, sed suavis. S. t. 43. §. 17. Habens sub me milites. Eadem materia hic §. 18.
Tribulatio quærit, & invenit Deum. T. t. 11. §. 15. n. 2. Princeps unus accessit ad eum.
Tribulationes quo animo ferendæ. T. t. 11. §. 25. Puer meus jacet.
Conformitas voluntatis nostræ cum divina. V. t. 18. §. 6. Si vis, potes.

Dom. 4. post Epiphaniam.

Quæ misericordiam Dei moveant. M. t. 19. §. 13. n. 1. Domine, nonne ad te pertinet &c.
Obedientia indifferens tutissima est. O. t. 1. §. 2. n. 3. Quid timidi estis.
Oratio multorum efficax. O. t. 9. §. 20. Facta est tranquillitas.
Passiones animi frænandæ. P. t. 6. §. 1. Venti obediunt ei.
Passionum suarum victor est rex. Ibidem.
Peccator etiam aliis noxius est. P. t. 13. §. 32. Perimus.
Persecutiones sunt incrementa Ecclesiæ. P. t. 19. §. 2. n. 1. Motus magnus factus est in mari.
Præsentia Dei necessaria, utilis, jucunda. P. t. 30. §. 2. Modicæ fidei quare dubitasti.
Spes in solo Deo collocanda. S. t. 33. §. 2. Modicæ fidei.
De malis Superioribus. S. t. 43. §. 26. n. 2. Motus magnus.
Timor Dei salutaris. T. t. 10. §. 11. Ipse verò dormiebat.
Tribulationes à Deo proveniunt. T. t. 11. §. 8. Motus magnus.
Tribulationes sunt propriæ amicorum Dei. T. t. 11. §. 9. n. 1. Ecce motus magnus.
Conformitas voluntatis nostræ cum divina. V. t. 18. §. 6. Ipse verò dormiebat.

Dom. 5. post Epiphaniam.

Mali patienter tolerandi. M. t. 4. §. 3. Vis imus?
Mali immixti sunt bonis. Ibidem §. 2.
Homo degeneravit à misericordia. M. t. 18. §. 3. n. 3. Inimicus homo.
Misericordia Dei longanimis, & patiens. M. t. 19. §. 7. n. 1. Vis imus, & colligimus ea? Non.
Peccatoris mala securitas. P. t. 13. § 24. Cùm dormirent homines.
Peccator etiam aliis noxius est. P. t. 13. §. 32. Nè colligentes Zizania &c.
Præcepta Dei omnia servanda. P. t. 27. §. 2. Superseminavit Zizania.
Præsentia Dei absterret à peccato. P. t. 15. §. 5. Inimicus homo hoc fecit.
Peccati causa tollenda. P. t. 15. §. 23. n. 1. Colligite primùm Zizania.
Colloquia prava. S. t. 19. §. 4. Superseminavit Zizania.
De Societate malorum. S. t. 26. per totum.
Societas malorum noxia bonis. S. t. 26. §. 5. Mittent eos in caminum ignis.
De tepiditate. T. t. 6. §. 1. Superseminavit Zizania.
Boni sunt tentationibus obnoxii. T. t. 5. §. 5. Superseminavit Zizania.
Tentationibus possumus resistere: nostra ignavia vincimur. T. t. 5. §. 3. n. 2. Superseminavit Zizania.
Priùs eradicanda vitia, quàm virtutes plantandæ. V. t. 15. §. 9. Praxi 3. Colligite primùm Zizania.
Vita nostra mixta prosperis, & adversis. V. t. 16. §. 4. Superseminavit Zizania.

Dom. 6. post Epiphaniam.

De oratione mentali. O. t. 10. §. 1. Simile est regnum cœlorum grano sinapis.
Persecutiones sunt incrementa Ecclesiæ. P. t. 19. §. 2. n. 1. Simile grano sinapis.
De Regno Christi. R. t. 5. §. 1. Simile grano sinapis.
Tribulatio prodest virtuti. T. t. 11. § 14. Simile grano sinapis.
Zelus animarum in periculis tutus. Z. t. 1. §. 3. Simile fermento.

Domi-

Dominica Septuagesimæ.

Misereri propriè hominis est. M. t. 18. §. 3. n. 1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias.
Mortis oblivio. M. t. 22. §. 5. Hi novissimi.
Mors bonorum plena solatiis, læta. M. t. 22. §. 26. Voca operarios.
Observantes in aliis mala, non bona. O. t. 2. §. 6. Hi novissimi.
Oratio mentalis. O. t. 10. §. 1. Voca operarios.
Pœnitentia sit matura. P. t. 24. §. 19. n. 3. Exiit primo manè.
Dominorum erga servos obligatio. S. t. 21. §. 4. n. 1. Voca operarios.
Temporis pretium. T. t. 4. per totum.
Non uni, sed pluribus virtutibus, studendum. V. t. 15. §. 5. Exiit primo manè.

Dominica Sexagesimæ.

Obstinatio in malo assimilatur lapidi. O. t. 3. §. 1. Aliud cecidit super petram.
Aliorum lapsus sint tuæ columnæ. P. t. 16. §. 2. Cecidit secus viam, & conculcatum est.
De Prædestinatione. P. t. 28. §. 2. Aliud cecidit inter spinas.
Nullus peccator desperet. S. t. 33. §. 7. Dum seminat, aliud cecidit secus viam.
De verbo Dei. V. t. 4. per totum.
Vitam activam juvat Contemplativa. V. t. 16. §. 9. n. 3. Exiit, qui seminat.

Dominica Quinquagesimæ.

Mundus vanus, fragili, instabilis. M. t. 25. §. 4. Cùm appropinquasset Jericho.
Pauperes à Mundo spernuntur, durè habentur. P. t. 11. §. 11. Qui præibant, increpabant.
Peccator est cœcus. P. t. 13. §. 2.
Justus præ impio patitur persecutiones. P. t. 29. §. 3. n. 3. Cœcus secus viam.
De pudore. P. t. 38. §. 1. Qui præibant, increpabant.
De solitudine sancta. S. t. 30. per totum.
Assumpsit duodecim secretò.

Dominica 1. Quadragesimæ.

Mundus fallax. M. t. 25. §. 3. Ostendit ei omnia regna Mundi in momento.
Mundus in omnibus patitur defectum. M. t. 25. §. 11. Ostendit &c.
Occasio mala vitanda. O. t. 4. §. 3. Tunc Jesus ductus est in desertum.
Post tristia succedunt læta. P. t. 9. §. 19. Et angeli accesserunt.
Pauperes a Mundo spernuntur, durè habentur. P. t. 11. §. 11. Testim. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.
Peccatoris mala servitus. P. t. 13. §. 24. Exempla. Mitte te deorsum.
A peccatis minoribus ruitur in majora. P. t. 15. §. 14. nu. 3. Dic, ut lapides isti panes fiant.
Prosperitas hujus Mundi noxia. P. t. 34. §. 2. n. 2. Hæc omnia, si cadens &c.
De quadragesima. Q. t. 1. §. 3. per totum.
Recollectio spiritualis. R. t. 2. Ductus est Jesus in desertum.
De tentationibus. T. t. 5. per totum.
Tentationibus maximè obnoxii sunt boni. T. t. 5. §. 5. Tunc ductus est Jesus - ut tentaretur.
Terrena spernendi motiva. T. t. 8. §. 3. Si filius Dei es, mitte te deorsum.
Nobilitas seu superbia, sancta. T. t. 8. §. 3. nu. 1. Si filius Dei es.
Terrena sunt noxia, periculosa. T. t. 8. §. 3. n. 5. Si cadens adoraveris.
Terrena amantur, præponuntur cœlestibus. T. t. 8. §. 4. n. 2. Mitte te deorsum.
Terrena facilè spernit, qui amat cœlestia. T. t. 8. §. 8. Assumpsit eum diabolus in montem.
Vanitas contemnenda. V. t. 1. §. 2. In momento.
Verbi Dei utilitas. V. t. 4. §. 3. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo &c.

Dominica 2. Quadrag.

Misericors erga alios, sibiipsi benefacit, & prodest. M. t. 18. §. 8. n. 3. Faciamus hic tria tabernacula &c.
Deus misericors, & justus. M. t. 19. §. 16. Apparuerunt Moyses, & Elias.
Nobilitas vera in quo consistit. N. t. 2. §. 3. Resplenduit facies ejus.
Officio alieno te non immisce. O. t. 6. §. 1. Nesciens quid diceret.
Nihil vulgare, sed magna, perfecta agenda. P. tit. 18. §. 3. Resplenduit facies sicut sol.
Omnis Mundi prosperitas incostans. P. t. 34. §. 7. Faciamus hic tria tabernacula.
Religiosus status. R. t. 7. §. 1. Duxit illos in montem excelsum.
De solitudine. S. t. 30. per totum.
Superflua rejicienda. S. t. 42. Resplenduit facies &c.
Superiores Deus honorat. S. t. 43. §. 2. Nubes lucidas obumbravit.
Superior sit suavis, non nimiùm rigidus. S. t. 43. §. 18. n. 2. Resplenduit facies.
Superior sit suavis, & severus. S. t. 43. §. 20. Apparuerunt Moyses, & Elias.
Terrena spernit, qui amat cœlestia. T. t. 8. §. 8. n. Bonum est nos hic esse.
Tribulatio honorifica, pretiosa. T. t. 11. §. 4. n. 2. Transfiguratus.
Vitæ brevitas. V. t. 16. §. 2. Vestimenta ejus sicut nix.

Dominica 3. Quadrag.

Morborum origo sunt peccata. M. t. 21. §. 3. Erat Jesus ejiciens dæmonium.
Peccator est causæ suæ pœnæ. P. t. 13. §. 22. Erat Jesus &c.
Peccator difficulter agit pœnitentiam. P. t. 13. §. 22. Erat Jesus &c.
Peccatorum radices extirpandæ. P. t. 15. §. 29. n. 1. Illud erat mutum.
Per quæ quis peccat, per eadem & punitur. P. t. 22. §. 14. Erat mutum.
Pœnitentia non sit remissa, tepida &c. P. t. 24. §. 23. n. 1. Invenit scopis mundatam.
Peccator habeat magnam spem in Dei misericordia. S. t. 33. §. 6. Cùm fortis armatus custodit atrium &c.
Politicorum malus temperamentum. T. 1. Qui non est mecum, contra me est.
De otio. O. t. 14. §. 1. Invenit eam vacantem.

Dominica 4. Quadrag.

Misereri proprium est hominis. M. t. 18. §. 3. n. 1. Misereor super turbam.
Pauperes durè habentur. P. 11. §. 11. Est puer unus hic.
Miseriæ visæ Deum movent ad misericordiam. M. t. 18. §. 9. n 1. Sublevatis oculis Jesus &c.
De miraculis. M. t. 17. per totum.
Pauperes sunt in honorem divitum. P. t. 11. §. 13. Unde ememus.
Præcepta Dei facilia. P. t. 27. §. 7. Impleverunt duodecim cophinos.
Superior sit suavis, non nimis rigidus. S. t. 43. §. 18. n. 2. Ducentorum denariorum panes non sufficiunt.
Temperantia in cibo, & potu. T. t. 2. §. 2. Accepit panes.
Providentia Dei de alimentis. P. t. 35. §. 7. Facite homines discumbere.
Deus non immittit tribulationes ultra vires nostras. T. t. 11. §. 20. Impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.
Tribulationes sunt honorificæ. T. t. 11. §. 4. n. 2. Abiit trans mare.

Dominica 5. Quadrag.

Observantes in aliis mala non bona. O. t. 2. §. 6. Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu.

Dominica Palmarum.

De Mansuetudine. M. t. 5. per totum.
Mansuetudo efficaciter corrigit, & convertit. M. t. 5. §. 3. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.
Christus est Rex propter misericordiam. M. t. 18. §. 5. Ecce Rex tuus venit tibi - mansuetus.
Opera misericordiæ exhibentur Christo. M. t. 18. §. 10. Alii cædebant ramos.
Mundus miser miseros facit. M. t. 25. §. 8. Sedens super asinam.
Peccator est jumentum. P. t. 13. §. 4. Invenietis asinam.
Relapsus in priora peccata. R. t. 6. §. 2. n. 2. Plurima turba straverunt vestimenta sua.
Salus animarum Deo chara. S. t. 5. §. 5. n. 1. Dominus his opus habet.
Vanitas. V. t. 1. §. 1. Plurima turba.
Vita mixta prosperis, & adversis. V. t. 16. §. 4. Plurima turba.

Dominica Resurrectionis.

De resurrectione Domini. R. t. 13. per totum.
De resurrectione hominum. R. t. 14. per totum.

Spes

Spes maximè floret in arduis. S. t. 33. §. 11. Invenerunt revolutum lapidem.

Dominica in Albis.

De Pace. P. t. 12. per totum.
A peccatis minoribus ruitur in majora. P. t. 15. §. 14. n. 1. Nisi videro fixuram &c.
Pœnitentia non sit remissa. P. t. 24. §. 23. n. 1. Nisi videro-& mittam manum meam.
Dei providentia ex malis elicit bona. P. tit. 35. §. 10. Infer digitum tuum huc.
Spes maximè floret in arduis. S. t. 33. §. 11. Cùm serò esset.
Superior æqualiter amet omnes. S. t. 43. §. 9. Stetit in medio.
De Sacris Christi Vulneribus. V. t. 21. per totum.
Salutem nostram facilè possumus consequi. S. t. 5. §. 5. n. 1. Stetit in medio.

Dominica 2. post Pascha.

Christus propter misericordiam Rex. M. t. 18. §. 5. Ego sum Pastor bonus.
Obedientia prompta se non excusat. O. t. 1. §. 18. Oves meæ vocem meam audiunt.
Christus Dominus est bonus Pastor. P. t. 7.

Dominica 3. post Pascha.

Peccata aliorum deflenda. P. t. 16. §. 1. Exempla. Plorabitis.
Tribulationes sunt breves. T. t. 11. §. 18. n. 2. Modicum.
Virtus exercitio fit facilis. V. t. 15. §. 7. Mulier cùm parit, tristitiam habet.
Vita nostra mixta est prosperis, & adversis. V. t. 16. §. 4. Modicum.

Dominica 4. post Pascha.

Pœna Talionis non correctus, metuat graviores. P. t. 22. §. 11. n. 3. De judicio autem &c.
De via. V. t. 8. Nemo interrogat, quo vadis.

Dominica 5. post Pascha.

De oratione. O. t. 13. per totum.

Dominica Pentecostes.

De S. Spiritu. S. t. 36. per totum.
Præcepta Dei facilia sunt amanti. P. t. 27. §. 3. n. 5. Si qui diligit me, sermonem meum servabit.

Dominica 1. post Pentecostem.

De Sanctissima Trinitate. T. t. 12. per totum.

Dominica 2. post Pentecostem.

Misereri proprium est hominis. M. t. 18. §. 3. n. 1. Homo quidam &c.
Pauperes Deus honorat, tuetur; juvat. P. t. 11. §. 10. Pauperes introduc huc.
Peccator subit miserabilem servitutem. P. t. 13. §. 5. Juga boum emi quinque.
Salus æterna plurimùm pendet à nostra voluntate. P. t. 28. §. 2. Parata sunt omnia.
Spes longanimis est. S. t. 33. §. 10. Nolebant venire.
Amans terrena spernit cœlestia. T. t. 8. §. 3. num. 8. Necesse habeo videre illam. N. 1. Villam emi. Ibid. §. 9. num. 2. uxorem duxi.

Dominica 3. post Pent.

Misericordia Dei facilis, velox ad veniam. M. t. 19. §. 6. n. 2. Peccatores recipit.
Misericordia Dei medicina peccatorum. M. t. 19. §. 10. Erant appropinquantes peccatores.
De Pœnitentia. P. t. 24. per totum.
Pœnitentia Deum recreat. P. tit. 24. §. 4. Imponit in humeros suos gaudens.
Pœnitentia à Deo honoratur. P. t. 24. §. 5. Imponit &c.
Pœnitentia præ innocentia Deo chara. P. t. 24. §. 6. Gaudium erit.
Observantes in aliis mala, non bona. O. t. 2. §. 6. Hic peccatores recipit.
Salus animæ quàm chara sit Deo. S. t. 5. §. 1. num. 1. Gaudium erit.

Dominica 4. post Pent.

Obedientiæ magnum meritum. O. t. 1. §. 5. In verbo tuo laxabo rete.
Alterius officio te non immisce. O. t. 6. §. 1. Duc in altum.
Paupertas præfertur opibus. P. t. 11. §. 2. n. 1. Per totam noctem laborantes.
Mundi prosperitas noxia. P. t. 34. §. 2. Concluserunt piscium multitudinem copiosam.
Superflua periculosa. S. t. 42. Concluserunt &c.
Superior non sit imperiosus. S. t. 43. §. 17. Rogavit eum, à terra reducere pusillum.
Terrenis inhiantes. T. t. 8. §. 1. Mittite in dexteram navigii.
Tribulationes sunt via ad cœlum. T. t. 11. §. 10. n. 1. Vidit duas naves.
Activa, & Contemplativa, via. V. t. 16. §. 7. Impleverunt ambas naviculas.
Zelus animarum. Z. t. 1. §. 4.

Dominica 5. post Pent.

Tu ipse operare, non per alium. O. t. 7. §. 8. Nisi abundaverit justitia vestra &c.
Peccata minora trahunt ad majora. P. t. 15. §. 14. Qui irascitur fratri.
Peccatorum causæ, & radices tollendæ. P. t. 15. §. 23. n. 1. Testim. Qui irascitur fratri.

Dominica 6. post Pent.

Vide Dominicam quartam Quadragesimæ.

Dominica 7. post Pent.

Homo degenerat à misericordia. M. t. 18. §. 3. n. 3. Cavete ab hominibus.
Peccata venialia vitanda. P. t. 25. §. 27. num. 2. Attendite à falsis.

Dominica 8. post Pent.

Misericors est sapiens, prudens. M. t. 18. §. 6. Quid faciam.
Opera misericordiæ frequentanda. M. t. 18. §. 2. Centum cados olei.
Opera præferuntur verbis. O. t. 7. §. 5. n. 2. Non poteris villicare.
Mortem, non ut remotam, sed proximam, cogita. M. t. 22. §. 4. Aufert à me villicationem.
Peccator obnoxius est infamiæ. P. t. 13. §. 14. Diffamatus est.
Pœnitentia post mortem sterilis. P. t. 24. §. 22. Non poteris villicare.
Sæcularium prudentia. P. t. 36. §. 1. Laudavit dominus villicum &c.
Superior consulat suorum utilitati: non sit mollis, corrigat. S. t. 43. §. 24. Quid hoc audio.
Scandalosi sunt portæ Inferni. S. t. 11. §. 1. n. 2. Quasi dissipasset.
Super hoc Evangelium vide ponderosam sententiam. S. Bernardi de Pœnitentia. P. t. 24. §. 1. n. 1.

Dominica 9. post Pent.

De misericordia immensa, incomprehensibilis. M. t. 19. §. 5. Flevit.
Peccator ignorat sua peccata: ideo non deflet illa. P. t. 13. §. 20. Si cognovisses & tu.
Peccata aliorum deflenda. P. t. 16. §. 1. Exemplum Christi. Flevit.
Qui non corrigitur pœna Dei, sequitur illum mox alia. P. t. 22. §. 8. Vides civitatem flevit.
Superior sit clemens, condescendat. S. t. 43. §. 10. Flevit super eam.

Dominica 10. post Pent.

De oratione. O. t. 9. per totum.
Nihil vulgare age; sed quod magnum, perfectum. P. t. 18. §. 3. Non sum sicut cæteri.
Peccator pœnitens magis justificatur, à Deo honoratur, quàm multi boni. P. t. 24. §. 6. num. 1. Descendit justificatus ab illo.
Facilè possumus consequi animæ salutem. S. t. 5. §. 5. Deus propitius esto mihi.

Dominica 11. post Pent.

Miseriæ visæ movent ad commiserationem. M. t. 18. §. 9. n. 1. Adducunt ei surdum, & mutum.
Occasiones malæ fugiendæ. O. t. 4. §. 3. Apprehendens eum de turba seorsum.

Domi-

Dominica 12. post Pent.

Mansuetudo efficaciter corrigit, & convertit. M. t. 5. §. 3. Infundens oleum.
Misericordia Dei. M. t. 19. §. 1. Infundens oleum.
Christus est Samaritanus. M. t. 19. §. 9.
Est Medicus. M. t. 19. §. 10.
Deus misericors, & justus. M. t. 19. §. 16. Infundens oleum, & vinum.
Opera præferuntur verbis. O. t. 7. §. 5. n. 2. Quid faciendo vitam æternam possidebo.
Pauperes à Mundo spernuntur, durè habentur. P. t. 11. §. 11. Homo quidam descendebat &c.
Peccator incidit in latrones. P. t. 13. §. 1. Incidit in latrones.
Peccator inhumanus, Deo injurius. P. t. 14. §. 1. Incidit in latrones.
Pœnitentia solatiosa, læta. P. t. 24. §. 8. Infundens oleum, & vinum.
Præcepta Dei. P. t. 27. per totum.
Superior sit suavis, & severus. S. t. 43. §. 20. num. 1. Infundens oleum, & vinum.
Timor Dei custodit legem. T. t. 10. §. 4. Alligavit vulnera ejus.

Dominica 13. post Pent.

Morborum origo sunt peccata. M. t. 21. §. 3. Ostendite vos Sacerdotibus.
Oratio publica multorum efficax. P. t. 9. §. 20. Levaverunt vocem.
Occasio bona non negligenda. O. t. 4. §. 1. Occurrent ei.

Dominica 14. post Pent.

Mors omnibus certa, inevitabilis. M. t. 22. §. 2. Nolite solliciti esse.
Observatores aliorum defectuum. O. t. 2. §. 5. Considerate lilia.
Otium fugiendum. O. t. 14. §. 2. Nolite solliciti esse.
Pecuniarum nimius amor. P. t. 17. §. 2. Nemo potest duobus dominis servire.
Præceptorum divinorum observatio prodest œconomiæ in temporalibus. P. t. 27. §. 5. num. 3. Quærite primùm regnum Dei.
Providentia divina extendit se ad omnia. P. t. 35. §. 6. Si autem fœnum agri &c.
Regnum Christi. R. t. 5. §. 1. Quærite primùm regnum Dei.
De servis Dei, hominum, & Mundi. S. t. 22. §. 7. per totum. Nemo potest duobus dominis servire.
De sollicitudine vana & superflua. S. t. 29. §. 2. Si fœnum agri, &c.
De vestium luxu. V. t. 7. §. 1. De vestimentis quid estis solliciti.
Sub veste pretiosa sæpe latet magna fames, & inopia. V. tit. 7. §. 3.
Multi pro amictu magis sunt solliciti, quàm pro victu. Ibid.

Dominica 15. post Pent.

Morbi profunt animæ. M. t. 21. §. 1. n. 1. Tetigit loculum.
Mortis memoria ubique occurrit. M. t. 22. §. 14. Ecce defunctus.
Præsentia Dei absterret à peccato. P. t. 15. §. 5. Accepit omnes timor.
Peccata sunt portitores animæ ad mortem. P. t. 15. §. 19. Ecce defunctus efferebatur.
Peccatum est mors animæ. P. t. 15. §. 19. Ecce defunctus.
Pœnæ faciunt frugi; absterrent à peccato. P. t. 22. §. 4. Tetigit loculum.
Pœnitentiam Deus expetit. P. t. 24. §. 2. Adolescens tibi dico, surge.
Nihil casu fit; sed omnia ex divina providentia. P. t. 35. §. 3. Ecce defunctus efferebatur.
Scientia sit practica. S. t. 12. §. 9. n. 2. Accepit omnes timor.
Solatia extra Deum nulla. S. t. 28. §. 2. Noli flere.
Beneficia Dei timenda. T. t. 10. §. 8. Accepit omnes timor.
Timor de æterna salute salutaris. T. t. 10. §. 11. Videntes turbæ timuerunt.
Tribulationes retrahunt ab Inferno. T. t. 11. §. 12. Tetigit loculum.
De Viduis. V. t. 10. per totum.
Vita misera, & ærumnis plena. V. t. 16. §. 3. Misericordia motus super eam.

Dominica 16. post Pent.

Miseriæ à Deo visæ movent eum ad misericordiam. M. t. 18. §. 9. n. 1. Homo quidam hydropicus erat ante illum.
Observatores aliorum defectuum. O. t. 2. per totum.

Præsentia Dei absterret à peccato. P. t. 15. §. 5. Hydropicus ante illum.

Dominica 18. post Pent.

Morborum utilitas. M. t. 21. §. 1. n. 2. Confide fili.
Morborum origo sunt peccata. M. t. 21. §. 3. Remittuntur tibi peccata.
Mors iter ad patriam. M. t. 22. §. 23. Ratio 4. Transfretavit, & venit in civitatem suam.
Occasiones malæ vitandæ. O. t. 4. §. 3. Tolle grabatum tuum.
Pœnitentia post mortem sterilis. P. t. 24. §. 22. Ut sciatis, quia Filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata.
Pœnitentia impendit Deo, & virtuti, quæ antè impensa peccato. P. t. 24. §. 26. Tolle grabatum tuum, & ambula.

Dominica 19. post Pent.

Otium fugiendum. O. t. 14. §. 1. Ligatis manibus &c.
Per quæ quis peccat, per eadem punitur. P. 22. §. 14. Ligatis manibus.
Pœnitentia post mortem sterilis. P. t. 24. §. 22. Ligatis &c.
Facilè consequi possumus æternam salutem. S. t. 5. §. 5. Amice, quomodo huc intrasti.
Magna præsumptio malorum, inter bonos vivere. S. t. 26. §. 2. Quomodo huc intrasti.
Spera, & time. S. t. 33. §. 9. n. 2. Mot. Simile-homini regi.
Superior sit suavis, & severus. S. t. 43. §. 9. n. 2. Simile-homini regi.
Superior suis invigilet. S. t. 43. §. 23. n. 2. Intravit rex, ut videret discumbentes.

Dominica 20. post Pent.

Morbi sunt utiles animæ. M. t. 21. § 1. n. 1. Infirmabatur.
Morborum origo sunt peccata. M. t. 21. §. 2. Infirmabatur Capharnaum.
Pœnitentia in morte sterilis. P. t. 22. §. 22. Descende, priusquam moriatur.
Mundi prosperitas periculosa. P. t. 34. §. 2. n. 1. Filius infirmabatur Capharnaum.

Dominica 21. post Pent.

Misericordia Dei facilis, velox ad veniam. M. t. 19. §. 6. Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.
Misericordia Dei patiens, & longanimis. M. t. 19. §. 7. n. 1. Patientiam habe in me.
Peccata aliorum deflenda. P. t. 16. §. 1. Exempla alia. Contristati sunt valde.
Deus pœnas prænuntiat, ut eas vitemus. P. t. 22. §. 2. Testim. Et debitum dimisit ei.
Pœna Talionis. P. t. 22. §. 13. Tradidit eum tortoribus.
Superior suis adsit, invigilet, attendat. S. t. 43. §. 23. n. 2. Cùm cœpisset rationem ponere.

Dominica 22. post Pent.

Curiosæ quæstiones vitandæ. S. t. 12. §. 6. Licetne censum dare Cæsari.

Dominica 23. post Pent.

Peccatoris mala lætitia. P. t. 13. §. 25. Cùm vidisset tibicines.
Pœnitentia sic matura. P. t. 24. §. 19. n. 1. Filia mea modò defuncta est.
Peccatum, mors animæ. P. t. 15. §. 19. Filia mea modò defuncta est.
Providentia Dei ex malis elicit bona. P. t. 35. §. 10. Modò defuncta est.
Tribulatio adducit ad Deum. T. t. 11. §. 15. n. 2. Ecce princeps unus accessit ad eum.

Dominica 24. post Pentecostem.

Mors bonis honorifica, beata: non defletur t. 22. §. 27. Orate, ut non fiat fuga vestra &c.
Mors peccatorum pessima. M. t. 22. §. 29. Non fiat fuga &c.
Peccatoribus obstinatis horribile erit Judicium. O. t. 3. §. 5. Sicut fulgur.
Peccator obnoxius est infamiæ. P. tit. 13. §. 14. Væ prægnantibus.
De bonis propositis. P. t. 32. per totum. Væ prægnantibus.
Spera, & time. S. t. 33. §. 9. Non fiat fuga vestra in hyeme.
Tribulationes sunt parvæ, & breves. T. t. 11. §. 18. n. 2. Breviabuntur dies illi.

Dedicatio Ecclesiæ.

Magnanimitas vincit omnia. M. t. 2. §. 3. Quærebat videre Jesum.
Misericordia Dei facilis, velox, ad veniam. M. t. 19. §. 6. n. 2. Hodie in domo tua oportet me manere.
Nihil age vulgare, sed magnum. P. t. 24. §. 6. Ascendit in arboremſ.
Pœnitentia præ innocentia Deo chara. P. t. 24. §. 2. Festinans descende.
Pœnitentia solatiosa, læta. P. t. 24. §. 8. Excepit illum gaudens.
Restituenda iniquè pacta. R. tit. 12. §. 2. Reddo quadruplum templi reverentia habenda. T. tit. 3. per totum.

SYLLABUS THEMATUM
IN FESTA TOTIUS ANNI.

Circumcisio Domini.

DE Sanctissimo Nomine Jesu. N. t. 4. per totum.

Epiphania Domini.

De Sanctis tribus Regibus. R. t. 15. §. 2.
Magnanimitas vincit omnem difficultatem. M. t. 2. §. 3. Ubi est qui natus est Rex Judæorum.
Mors est iter ad patriam. M. t. 23. §. 23. Ratio 4. Per aliam viam reversi
Sanctorum trium Regum munera. M. t. 26. §. 2.
Opera præstant verbis. O. t. 7. §. 5. Veniamus adorare.
Rationis bonus usus. R. t. 1. §. 2. Ecce Magi.
Non sperandum in homine, aut cœteris creaturis, nec in seipso. S. t. 33. §. 4. Vidimus stellam ejus.
Superior consulat suorum spirituali bono: corrigat; non sit mollis. S. t. 43. §. 24. Venimus adorare.

Purificatio B. Virginis.

Mors est iter, & peregrinatio. M. t. 22. §. 23.
Ratio 3. Nunc dimittis. De hoc festo vide. M. tit. 6. Purificatio.

Annuntiatio B. Virginis.

Vide. M. t. 6. A. Annuntiatio.

In Parasceve Domini.

Mors Christi reddit suavem mortem nostram. M. t. 22. §. 23.
Mors à morte Christi somnus. Ibidem.
Mors Christi Domini. M. t. 23.
Passio Christi. P. t. 5.
Passio Christi est motivum patientiæ. P. t. 9. §. 3.
Peccator renovat Passionem Christi. P. t. 14. §. 6. n. 3.
Peccati gravitas ex Christi Passione, & Vulneribus. P. t. 15. §. 3. n. 1. Ex ejusdem morte. Ibidem n. 2.
Ad calumnias silere exemplo Christi. S. t. 23. §. 9.
Passio Christi oposita septem peccatis capitalibus. P. tit. 15. §. 26. n. 2.
Pœnitentiæ motivum est Christi Passio, & mors. P. t. 24. §. 11. n. 3.
Redemptio maximum beneficium, Opus Christi. R. t. 4. §. 3.
Sanguis Christi. S. t. 9.
Sepulchrum Christi. S. t. 17. §. 4.
Sudor Sanguineus Christi. S. t. 40.
Tristitia Christi. T. t. 13. §. 4.
Venditio Christi. V. t. 3. §. 2.
Vulnera Christi. V. t. 21.

Paschatis feria.

Tribulationes hic sunt breves. T. t. 11. §. 18. n. 2. Ambulantes, & estis tristes.
Tribulatio nos probat. T. t. 11. §. 22. Finxit se longiùs ire.

Paschatis feria.

Post fella mella. P. t. 9. §. 20. Obtulerunt ei favum mellis.

SS. Philippus, & Jacobus.

Terrena sunt vana. T. t. 8. §. 3. n. 4. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Sanctissima Trinitas.

De hac. T. t. 12. per totum.

SS. Petrus, & Paulus.

De S. Petro. P. t. 20. per totum.
De S. Paulo. P. t. 10. per totum.
De utroque. P. t. 21. per totum.
Observanda in aliis bona, non mala. O. t. 2. §. 5. Vos autem quem me esse dicitis.
Pudor sit Religioso, vinci à Sæcularibus. R. t. 7. §. 5. Vos autem &c.

S. Maria Magdalena.

De illa. M. t. 1. per totum.
Deus misericors, & justus. M. t. 19. §. 16. Osculatur pedes ejus.
Observantes in aliis mala, non bona. O. t. 2. §. 6. Hic si esset Propheta.
Occasio bona non negligenda. O. t. 4. §. 1. Ut cognovit.
Tu ipse operare, non per alium. O. t. 7. §. 8. Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.
Peccator non deflet sua peccata, quia illa ignorat. P. t. 13. §. 20. Lacrymis &c.
Pœnitentia matura. P. t. 24. §. 19. n. 2. Ut cognovit.
Pœnitentia impendit Deo, & virtuti, quod antè impendit vitiis. P. t. 24. §. 26. Lacrymis. &c.
Conversa Magdalena ex auditione verbi Dei. V. t. 4. §. 3. Ecce mulier.
Vita activa, & Contemplativa. V. t. 16. §. 7. Osculabatur pedes ejus.

S. Jacobus.

Proles sequuntur parentum exempla. P. t. 2. §. 5. Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi.
Passio Christi motivum patientiæ. P. t. 9. §. 3. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.
Tribulationes sunt parvæ, & breves. T. t. 11. §. 18. n. 1. Potestis bibere calicem.

Assumptio B. Virginis.

De hac vide. M. t. 6. A. Assumptio.
Vita activa, & Contemplativa. V. t. 16. §. 7. Maria optimam partem elegit.

S. Matthæus.

De illo. M. t. 12. per totum.

S. Michael.

De illo. M. t. 15. per totum.
De parvulis. P. t. 3. per totum.
Salus animæ omnibus rebus etiam charissimis præponenda. S. t. 5. §. 2. num. 1. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.
De scandalo. S. t. 11. per totum.
De simplicitate sancta. S. t. 24. §. 2. Talium est regnum cœlorum.

SS. Simon, & Judas.

Justus præ impio patitur persecutiones. P. t. 19. §. 3. num. 3. Quia de Mundo non estis.

Omnes Sancti.

Mansuetudo est regia virtus. M. t. 5. §. 2. Beati mites.
Misericordia aspicit cœlum. M. t. 18. §. 12. n. 4. Beati misericordes.
Misericordia Dei patiens, longanimis. M. t. 19. §. 7. §. 2. Cùm sedisset &c.
Patientia justis est suavis. P. t. 9. §. 8. Beati mites.

Pa-

Patientia signum prædestinationis. P. t. 9. §. 13. Beati, qui persecutionem patiuntur.
Paupertatis honores. P. t. 11. §. 5. Beati pauperes.
Paupertas cœlo apta: est via ad cœlum. P. t. 11. §. 6. Beati pauperes spiritu.
Pauperes Deus honorat, tuetur, juvat. P. t. 11. §. 10.
Paupertas Spiritus quæ? P. t. 11. §. 17. Beati pauperes spiritu.
Peccata aliorum lugenda. P. t. 16. §. 1. Beati, qui lugent.
Perfectionis desiderium. P. t. 18. §. 7. Beati, qui esuriunt justitiam.
De profectu in virtutibus. P. t. 32. §. 3. Beati, qui esuriunt justitiam.
Suaviùs servitur Deo, quàm Mundo, & diabolo. S. t. 22. §. 4. Beati pauperes spiritu.
Silentium in calumniis, injurii. S. t. 23. §. 8. Beati mites.

Defuncti Fideles.

Purgatorium. P. t. 39. per totum.

S. Martinus.

Oculi sunt ilices Veneris. O. t. 5. §. 3. Si oculus tuus &c.

S. Andreas.

Paupertas lucrosa. P. t. 11. §. 15. Relictis retibus.

S. Thomas Ap.

De illo. T. t. 9. per totum.
De Vulneribus Christi. V. t. 21. per totum.
Observando in aliis bona, non mala. O. t. 2. §. 5. Vide manus meas.

Nativitas Domini.

De illa. N. t. 1. per totum.
Paupertas Christi Signum divinitatis ejus. P. t. 11. §. 14. n. 1. Hoc vobis signum.

S. Stephanus.

De illo. S. t. 38. per totum.
Pœna aliorum non correctus metuat graviores. P. t. 22. §. 11. n. 3. Ut veniat super vos omnis sanguis &c.

S. Joannes Evangelista.

Curiosa de aliis inquisitio reprehenditur. S. t. 12. §. 6. Hic autem quid.
Vita Activa, & Contemplativa. V. t. 16. §. 7. Conversus Petrus vidit &c.

Sancti Innocentes Martyres.

Tribulatio melior prosperitate. T. t. 11. §. 5. n. 2. Herodes occidit omnes pueros.

Commune Apostolorum.

Mansuetudo efficaciter corrigit, & emendat. M. t. 5. §. 3. Mitto vos sicut oves inter lupos.
Obedientia in periculis tuta. O. t. 1. §. 8. Mitto vos sicut oves.
Obedientia prompta se non excusat, non replicat. O. t. 1. §. 18. Euntes in Mundum universum.

Commune Martyrum.

De his vide. M. t. 9. per totum.
Peccator à Deo deseritur. P. t. 13. §. 15. Si quis in me non manserit.
Superior non sit sibi lenis, aliis rigidus. S. t. 43. §. 21. Ego sum vitis, vos palmites.

Commune Doctorum, Episcoporum, Confessorum, Abbatum.

Misericors est prudens, sapiens. M. t. 18. §. 6. Qui, putas, est fidelis servus, & prudens.
Præparatio pro morte. M. t. 22. §. 7. Sint lumbi vestri præcincti.
Mortis memoria est stimulus virtutis, probæ vitæ. M. t. 22. §. 19. Si venerit in secunda vigilia.
Opera bona. O. t. 7. §. 1. Lucernæ ardentes.
Patientia. P. t. 9. §. 1. Sint lumbi vestri præcincti.
Religiosus status. R. t. 7 §. 1. Simile homini negotiatori.
Religiosorum officium R. t. 7. §. 3. Vos estis sal terræ.
De virtutum studio. V. t. 15. per totum.
Virtus una non sufficit: omnibus orneris. V. t. 15. §. 5. Lucernæ ardentes.

Commune Virginum, Viduarum.

De Virginitate vide. V. t. 14. per totum.
De viduis vide. V. t. 10. per totum.
Misericors est prudens, sapiens. M. t. 18. §. 6. Ite ad vendentes.
Immisericors est fatuus, imprudens. M. t. 18. §. 7. Quinque ex eis erant fatuæ.
Misericordia respiciens Judicium finale. M. t. 18. §. 12. n. 2. Nè fortè non sufficiat.
Nihil age vulgare; sed quod magnum, atque perfectum, est P. t. 19. §. 3. Media nocte clamor factus est.
Pœnitentia in morte sera. P. t. 24. §. 23. Date nobis de oleo vestro.
Pœnitentia post mortem sterilis. P. t. 24. §. 22. Quinque fatuæ.
Præcepta Dei omnia servanda. P. t. 27. §. 2. Domine aperi nobis.
Stulta hominum in rebus vanis occupatio. S. t. 39. §. 1. Quinque fatuæ.
Terrena sunt stultitiæ perversitas. T. t. 8. §. 6. Quinque fatuæ.

INDEX TITULORUM

Et Materiarum in hoc secundo Tomo contentarum Ordine Alphabetico.

M

Titulus I.

Magdalena pœnitens. 3.

§. 1. Nomen. pag. 3.
§. 2. Figuræ, & laudes. ibid.
§. 3. Magdalenæ pœnitentia, lacrymæ. ibid.
Figuræ, Symbola. ibid.
Varia de illius pœnitentia. ibid.
§. 4. Magdalenæ magnus amor. 74.
§. 5. Magdalenæ aliæ virtutes. ibid.
Vidé plura tit. Lacrymæ. Pœnitentia. Spes. Opera bona §. 12.

Titulus II.

Magnanimitas. 5.

§. 1. Symbola, allegoriæ. 5.
§. 2. Magnanimitas vincit omnia. ibid.
§. 3. Magnanimitatis exempla. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & historicis. ibid.
§. 4. Motiva varia. 6.

Titulus III.

Magnificus. ibid.

§. 1. Magnitudo animi. ibid.
§. 2. Magnitudo corporis. ibid.

Titulus IV.

Mali.

§. 1. Prosunt bonis. Ex Veteri. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 2. Mali immixti bonis. 7.
§. 3. Mali patienter tolerandi. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ibid.

Titulus V.

Mansuetudo. ibid.

§. 1. Symbola, allegoriæ. Ex Veteri. Ex Novo, & aliis. ibidem. Et 8.
§. 2. Mansuetudo regia virtus, apta regimini. ibid.
§. 3. Mansuetudo corrigit efficaciter, & convertit. Ex Veteri pleraque Symbolicè. Ex Novo, & aliis. 16. & 9.
§. 4. Mansuetudo placat, & reconciliat, iratos. ibid.
§. 5. Mansuetudo attrahit animos, persuadet. 10.
§ 6. Mansuetudo est fortis, potens. ibid.
§. 7. Mansuetudo Christi. ibid.
§. 8. Mansuetudo Moysis, & aliorum Sanctorum. ibid.
§. 9. Varia alia motiva. ibid.
Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid. & 11.
Miscellanea. ibid.

Titulus VI.

Maria Virgo Deipara Ordine Alphabetico. ibid.

A

Æquanimitas. ibid.
Affectus. ibid.
Amor Dei erga B. Virginem. ibid.
Amor B. Virginis in Deum, & Filium. ibid.
Amorem Dei vult in nobis accendere. 12.
Amor erga B. Virginem. ibid.
Angeli. ibid.
S. Anna. ibid.
Annuntiatio B. Virginis. ibid.
§. 1. Figuræ. ibid.
§. 2. Cur per Angelum salutata. ibid.
§. 3. Concernentia personam B. Virginis. ibid.
§. 4. Annuntiationis festum. 13.
Maria Apostolos respiciens. ibid.
Assumptio B. Virginis. ibid.
§. 1. Figuræ. 14.
§. 2. Ejus gloria. ibid.
§. 3. Ejus corona. ibid.
§. 4. Cur tardiùs assumpta. ibid.
§. 5. Proficua hominibus. ibid.
Aurora. 15.

B

Maria benedicta; ejus benedictio. ibid.
Beneficia hominibus præstita. ibid.
§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
§. 2. Beneficia illius in genere. ibid.
§. 3. Beneficia spiritualia. ibid.
§. 4. Beneficia corporalia. 16.

C

Castitas Mariæ. ib.
Charitas illius erga homines. ibid.
Charitatis actus. 17.
Christus D. Mariæ similis. ibid.
Cogitationes illius. ibid.
Compassio illius erga nos. ibid.
Conceptio immaculata. ibid.
§. 1. Figuræ. Ex Vet. & aliis. ib.
§. 2. Conceptionis immaculatæ argumenta, & congruentiæ. Ex Veteri. 18.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 3. Eam defendentes. 19.
Consilium Mariæ. ibid.
Constantia Mariæ. ib.
Cor. ib.
Correptio. ibid.
Crucifixus. ibid.
Cultus Mariæ. ib.
§. 1. Exempla. ibid.
§. 2. culta variis precibus. ibid.
§. 3. prœmia eam colentium. 20.
§. 4. Motiva alia Mariani cultus. ib.

Di-

D

Dignitas, & excellentia B. Virginis. ibid.
§. 1. Figuræ. ibid.
§. 2. Textus S. Scripturæ. ibid.
§. 3. Ex Patribus, & aliis. 21
Dolorosa. ibid.
§. 1. Figuræ, Comparationes. ibid.
§. 2. Comparantur Martyribus, & præfertur. ibid.
§. 3. Vehementia dolorum. 22
§. 4. Circumstantiæ augentes dolorem. ibid.
§. 5. Par amori dolor. ibid.
§. 6. In corde passa. 23
§. 7. Oblatio sacrificium. ibid.
§. 8. Initium ejus dolorum, & tempus duratio. ibid.
§. 9. Compassio cum Matre dolorosa. ibid.
Domina. ibid.
Domus Lauretana. ibid.

E

Educatio. 24
Eleemosyna. ibid.
Evangelista. ibid.
Evangelium. ibid.
Eucharistiam respiciens. ibid.

F

Fides. ibid.
Fiducia. ibid.
Filius. ibid.
Fortitudo. ibid.
Fuga in Ægyptum. ibid.

G

Gaudia. 25
Gratia. ibid.
Gratitudo. ibid.

H

Humilitas. ibid.
§. 1. Figuræ. ibid.
§. 2. Summa, perfecta. ibid.
§. 3. Humilitas illius à Deo respecta, amata. 26
§. 4. Exaltata. ibid.
§. 5. Quò major, eò humilior. ibid.
§. 6. Humilitatis actus. ibid.
Miscellanea. ibid.

I

Imagines. ibid.
Imitatio. ibid.
Incarnatio Christi Mariam respiciens. ibid.
§. 1. Figuræ. ibid.
§. 2. Uteri Virgines laudes. 27
§. 3. In utero Virginis factus est Deus mitior. ibid.
Inimici illius. 28
Invocatio illius pro diversis gratiis. ibid.

L

Laudes. ibid.
Liberalitas. ibid.
Lux Mundi. ibid.
Luxuriæ hostis, & remedium. ibid.

M

Magnificat Deum. ibid.
Mater Dei. ibid.
Mater nostra. ibid.
Misericordiæ. 29
§. 1. Figuræ ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Variis. ibid.
§. 2. Erga peccatores. ibid.
Num. 1. Figuræ. ibid.
Num. 2. Affectus, & opera. 30
§. 3. Regina misericordiæ. ibid.
§. 4. Communis, velox, major in cœlo. ibid.
Mors. ibid.
Morientium Patrona. ibid.

N

Nativitas Christi Domini. ibid.
Nativitas B. Virginis. ibid.
§. 1. Figuræ. 31
§. 2. Læta, dulcis. ibid.
§. 3. Utilis. ibid.
§. 4. Nascentis prærogativæ. ibid.
Varia. ibid.
Nives. ibid.
Nomen Mariæ. ibid.
§. 1. Significationes. ibid.
§. 2. honorificum, reverendum. 32
§. 3. Fugat metum, confortat. ibid.
§. 4. Terret dæmonem, Antichristum. ibid.
§. 5. Salubre. ibid.
§. 6. Dulce. ibid.

O

Obedientia. ibid.
Oratio. ibid.

P

Patrocinium. ibid.
§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
§. 2. Exempla. 33
§. 3. Ex Patribus. ibid.
Paupertas. 34
Peccatores respiciens. ibid.
Pœnitentia. ibid.
Prudentia. ibid.
Pulchritudo. ibid.
Purificatio. ibid.

R

Resurrectio. 35
Rosa. ibid.

S

Sabbatum. ibid.
Variè Sabbato culta. ibid.
Salutatio Angelica. 36
§. 1. Explicatio, Præstantia. ibid.
§. 2. Quibus in usu. ibid.
§. 3. Prœmia, & miri effectus. ibid.
Sanctitas. ibid.
Sermo. ibid.
Solitudo. ibid.
Spes nostra. 37
Spiritus Sanctus. ibid.
Stella. ibid.

T

Temperantia. ibid.
Templa. ibid.
Tentationes. ibid.

V

Verbum Dei. ibid.
Victoriæ. ibid.
Virginitas. ibid.
Virtus. 38
Visitatio. ibid.
Voluntas. ibid.

Z

Zelus. ibid.

Titulus VII.

Encomia B. Virginis. 39

Ex Sacra Scriptura, Sanctis Patribus, ordine Alphabetico. ib.

Titulus VIII.

S. Martinus. 45

Ti-

Titulus IX.

Martyres. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. 46
§. 2. Martyres comparantur rosis. ibid.
§. 3. Martyrum variæ laudes. ibid.
§. 4. Martyrum fortitudo, generositas. ibid.
§. 5. Martyrii desiderium, & aviditas. 47
§. 6. Martyrum multitudo. ibid.
Miscellanea. ibid.
Martyrium voluntarium. Vide tit. Paupertas. Virginitas. Patientia.

Titulus X.

Matres. ibid.

§. 1. Matrum amor in filios. ibid.
§. 2. Machabææ, & aliarum. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XI.

Matrimonium. 48

§. 1. Matrimonii Figuræ, & laudes. ibid.
§. 2. Origo, & causa. ibid.
§. 3. Matrimonium ærumnosum. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Matrimonium castè ineatur. 49
§. 5. Matrimonii bonæ dispositiones. ibid.
§. 6. Matrimonium honestius, quò castius. Continentes, Sancti Conjuges. ibid.
§. 7. Documenta varia. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XII.

S. Matthæus Evangelista. ibid.

Titulus XIII.

Memoria Dei. 50

Motiva. ibid.

§. 1. Est frænum peccati. ibid.
§. 2. Deus nostri memor. ibid.
§. 3. Memoriæ Dei alia motiva. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Arguitur oblivio Dei. ibid.

Titulus XIV.

Mendacium. ibid.

§. 1. Motiva vitandi. Ex Veteri, ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 51
§. 2. Mendacii origo. ibid.

Titulus XV.

S. Michael.

Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.

Titulus XVI.

Milites. 52

§. 1. Mirùm, si probi. ibid.
§. 2. Milites sancti, & probi. ibid.
§. 3. Miscellanea. ibid.

Titulus XVII.

Miracula. ibid.

§. 1. Quotidie fiunt. ibid.
§. 2. Miracula Christi. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XVIII.

Misericordia. 53

§. 1. Symbola, metaphoræ. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus & aliis. ibid.
§. 2. Misericordia comparatur olivæ. ibid.
§. 3. Misericordiæ Motiva. ibid.
N. 1. Misericordia est propria homini, & ei congenita. ibid.
Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus. ib. & 54.
N. 2. Immisericors non est homo. ibid.
N. 3. A misericordia degeneravit homo. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. 55
§. 4. Misericordia est regia virtus. ibid.
Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 5. Ob misericordiam Christus Dominus Rex. ibid.
§. 6. Misericors est prudens, sapiens. Ex Veteri. Ex Novo. 56
§. 7. Immisericors est imprudens, stultus. ibid.
§. 8. Misericors sibi ipsi benefacit, & prodest. 57
N. 1. Symbola. Comparatur fonti. Agro, & semini. Alia Symbola. ibid.
N. 2. Sententiæ Biblicæ. ibid.
N. 3. Exempla Biblica. ibid.
N. 4. Sententiæ Patrum. 58
§. 9. Visæ, & cognitæ, miseriæ movent ad misericordiam. ibidem.
N. 1. Deum, & Filium ejus Incarnatum. ibid.
N. 2. Homines. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Sententiæ Patrum. ibid.
§. 10. Misericordia Christo D. exhibetur. ibid.
§. 11. Misericors meretur misericordiam. 59
§. 12. Misericordia respiciens quatuor Novissima. ibid.
N. 1. Mortem. ibid.
N. 2. Judicium. ibid.
N. 3. Infernum. 60
N. 4. Paradisum, Cœlum. ibid.
§. 13. Misericordia extinguit peccata &c. ibid.
§. 14. Misericordia evitat pœnas Dei, & alia mala. ibid.
E contrà malè est immisericordi. 61
§. 15. Misericordia meretur benedictiones, gratias. ibid.
§. 16. Misericordia vocatur justitia, sanctitas. ibid.
§. 17. Misericordiæ honor, dignitas, præstantia. ibid.
N. 1. Facit Filium Dei. ibid.
N. 2. Varia ejusdem argumenti. ibid.
§. 18. Misericordiam à quibus doceamur. 62
§. 19. Varia alia misericordiæ motiva. ibid.
§. 20. Misericordia priùs succurrit magis egenti. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XIX.

Misericordia Dei. ibid.

§. 1. Figuræ, & Symbola. Per dexteram. ibid.
Alia Symbola. Ex Veteri. Ex Novo. Patribus, & aliis. ibidem.
§. 2. Dei est, misericordiæ recordari. 63
§. 3. Misericordię Dei est videre, prospicere: est facies Christi. ibid.
§. 4. Misericordia Dei propria. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 5. Misericordia Dei immensa, incomprehensibilis. Ex Veteri. Ex Novo. Patribus, & aliis. ib. & 64.
§. 6. Misericordia Dei facilis, velox, ad remissionem. ib.
N. 1. Figuræ, Parabolæ. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
N. 2. Exempla ex Veteri. 65
Ex Novo. Sententiæ Scripturæ, Sententiæ Patrum, & aliorum. ibid.
§. 7. Misericordia Dei patiens, longanimis. 66
N. 1. Figuræ, & Symbola. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
N. 2. Exempla, & sententiæ. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus. 67
§. 8. Misericordia Dei non sit stimulus ad peccandum. ib.
§. 9. Misericors Deus. 68
§. 10. Continuatio prioris. Misericors Medicus. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 11. Misericordia ejus major est Angelica, & humana. Ex Veteri. Ex Novo. 69
§. 12. Misericordia ei charior præ justitia. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.

§. 13.

§. 13. Quæ Deum moveant ad misericordiam. ibid.
N. 1. Quia sumus populus ejus. ibid.
N. 2. Fragilitas nostra. ibid.
§. 14. Deus benignior est peccatoribus, quàm justis. 70
Miscellanea. ibid.
§. 15. De misericordia Dei præsumptio. ibid.
Desperatio. Vide tit. Spes.
§. 16. Misericors, & justus, est Deus. Ex Veteri pleraque symbolicè. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. 71. & 72

Titulus XX.

Modestia. ibid.

Titulus XXI.

Morbi. ibid.

§. 1. Utiles animæ. ibid.
N. 1. Symbola, & similitudines. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
N. 2. Exempla Biblica. 73
N. 3. Sententiæ Biblicæ. ibid.
N. 4. Sententiæ Patrum, & aliorum. ibid.
§. 2. Morbi sunt loco purgatorii. ibid.
§. 3. Morborum origo ex peccatis. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
§. 4. Motiva patientiæ in morbis. 74
§. 5. Exempla patientiæ in morbo. ibid.
§. 6. Morbi animæ, & eorum cura. ibid.

Titulus XXII.

Mors. 75

§. 1. Symbola, & allegoriæ. ibid.
N. 1. Est vesper, occidens. ibid.
N. 2. Mors similis fluminis. ibid.
N. 3. Est somnus. ibid.
N. 4. Alia symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 76
§. 2. Mors certa, & inevitabili. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. 77
§. 3. Mortis incertum tempus, & causæ Cur? Ex Veteri. ibidem.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Mortem non ut remotam, sed proximam, & præsentem, cognita. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid. & 78.
§. 5. Mortis oblivio &c. ibid.
§. 6. Motiva præparationis pro bona morte. 79
N. 1. Christi Domini exemplum. ibid.
N. 2. Quia male est imparato. ibid.
N. 3. Bene præparato. ibid.
§. 7. Alia motiva præparationis pro morte. Ex Veteri. Ex Novo. ib. & 80
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 8. Praxes bonæ dispositionis remotæ. ibid.
§. 9. Mortem facilem faciunt ærumnæ. ibid.
§. 10. Qualis vita, mors est ita. Ex Veteri. Ex Novo. ib. & 81.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 11. Dispositio proxima pro morte in morbo gravi. ibi.
N. 1. In morte major fervor: tibi soli vaca. ibid.
N. 2. In morte mitte curas terrenorum. ibid.
N. 3. In morte fit oratio, pia suspiria. ibid.
N. 4. Pœnitentia, mortificatio. ibid.
§. 12. Quæ homini in morte accidant. 82
N. 1. Tentationes. ibid.
N. 2. In morte primum aperiuntur oculi. ibid.
N. 3. In morte omnia evanescunt. ibid.
N. 4. Quid morientem soletur. ibid.
§. 12. Post mortem quæ homini eveniant. ibid.
N. 1. Oblivio hominum. ibid.
N. 2. Quis eum comitetur? quid secum ferat? ibid.
N. 3. Varia. 83
§. 14. Mortis memoria. ibid.
N. 1. Symbola. ibid.
N. 2. Mortis memoria sit continua. ibid.
N. 3. Mortis memoria semper, & ubique occurrit. ibid.
§. 15. Mortis memoria utilis contra peccata; convertit &c. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 84
§. 16. Mortis oblivio. ibid.
§. 17. Mortis memoria frænum superbiæ. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 18. Mortis memoria, est motivum justitiæ, restitutionis. 85
§. 19. Mortis memoria stimulus virtutis, probæ vitæ. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
§. 20. Morientium pia monita. ibid.
§. 21. Morientium ultimæ voces, & suspiria, 86
§. 22. Mors prænuntiata variis signis. ibid.
§. 23. Mors non timenda ob sequentes Rationes. ibid.
Prima. Mors Christi reddit suavem mortem. Ex Veteri, Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
Secunda. Mors, à morte Christi, somnus est. ibid.
Tertia. Mors est solùm iter, peregrinatio. Ex veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. 87
Quarta. Mors est iter ad patriam, Patrem, Christum &c.
Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus. Exempla. ibid.
§. 24. Alia motiva non timendi mortem. Ex Veteri. Ex Novo, Ex Patribus, & aliis. 88
§. 25. Mors probis est somnus. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & aliis. ibid.
§. 26. Mors probis læta, plena solatiis, optata. Ex Veteri, ibidem.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 27. Mors probis beata, honorifica; non defletur. Ex Veteri. Ex Novo. Ex variis. 89
§. 28. Ex morte necessaria fac virtutem. ibid.
§. 29. Mors impiorum misera, infelix &c. Ex Vet. Ex Novo. ib. & 90.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 30. Planctus de morte aliena, charorum. 91
§. 31. Solatia ob charorum mortem. ibid.
§. 32. Mortuis resuscitatis non creditur. ibid.
Miscellanea de Morte. ibid.

Titulus XXIII.

Mors Christi Domini. 92

§. 1. Figuræ, & Imagines. ibid.
§. 2. Mors Christi spontanea. ibid.
§. 3. Mors Christi chara, dulcis, optata. ibid.
§. 4. Mors Christi quanta nobis bona attulerit. ibid.
N. 1. Nostra vita. ibid.
N. 2. Alia bona. 93
§. 5. Quomodo erga mortem Christi nos oporteat affici. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & aliis. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XXIV.

Mortificatio. ibid.

§. 1. Symbola, & allegoriæ. ibid.
N. 1. In genere. ibid.
N. 2. Symbola mortificationis carnis. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. 94
N. 3. Symbola mortificationis animi. ibid.
§. 2. Motiva varia mortificationis carnis, & animi. ibid.
§. 3. Mortificationis utilitas, & subsequens delectatio. 95
§. 4. Mortificationum corporalium exempla. ibid.
Flagella. Cilicia. In cubando. Mortificatio gustus. In frigore. Variæ aliæ mortificationes. ibid.

Titulus XXV.

Mundus. 96

§. 1. De materiali. ibid.
N. 1. Tempus creationis. Duratio. Finis. Mundi conservatio. ibid.
N. 2. Mundi laudes, varia nomina, & comparationes. ibid.
§. 2. De Mundo morali. Mundus fallax, deserit, spoliat &c. Rapit uni, ut det alteri. ibid.
§. 3. Mundi aliæ fraudes. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 97.
§. 4. Mundus vanus, fragilis, instabilis. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 5. Mundus plenus periculis. Ex Veteri. Ex Patribus, & aliis. ibid. & 98
§. 6. Mundus Deo, & Filio ejus, contrarius. ibid.
§. 7. Mundus malus, noxius, vilis, ingratus. 99
§. 8. Mundi festa definunt in luctu. ibid.

§. 9.

§. 9. Mundus miser miseros facit. ibid.
§. 10. Mundus spernendus, fugiendus. ibid.
N. 1. Symbola. ibid.
N. 2. Exempla spernentium. 100
§. 11. Mundum spernendi alia Motiva, ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 12. Mundus in omnibus patitur defectum. Ex Veteri. Ex Novo. Ex variis. 101

Titulus XXVI.

Munera. ibid.

§. 1. Faciunt gratum. ibid.
§. 2. Munera Sanctorum trium Regum. ibid.

Titulus XXVII.

Musica. 102

N

Titulus I.

Nativitas Domini Jesu. ibid.

§. 1. Figurata, & prædicta. ibid.
§. 2. Christi nascentis in nos amor. 103
§. 3. Christus nobis natus, omnibus utilis. ibid.
§. 4. Christus parvulus est; noli timere. ibid.
§. 5. Christi nativitas plena gratiis, solatiis, benignitate. 104
§. 6. Priori affinis: in fines nobis utiles natus. ibid.
§. 7. Christi nascentis gloria splendor. ibid.
§. 8. Virtutes, quas Christus in Nativitate exercuit. 105
N. 1. Humilitas. ibid.
N. 2. Paupertas. ibid.
N. 3. Aliæ virtutes. ibid.
§. 9. Bethlehem, & antrum. ibid.
§. 10. Præsepe. ibid.
§. 11. Nativitatem Christi cole, ama, imitare, non offende. 106
§. 12. Apparitiones Jesuli, beneficia. ibid.
§. 13. Festum, seu Natalis Domini. ibid.
§. 14. Christus nascitur in nobis spiritualiter. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus II.

Nobilitas. 107

§. 1. Vana de ea gloriatio. ibid.
§. 2. Nobilitas vana sine virtute. ibid.
§. 3. Nobilitas vera in in quibus consistat. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
Miscellanea. 108

Titulus III.

Nomen. ibid.

§. 1. Proprio vocari, amoris signum. ibid.
§. 2. Nomina Christi. ibid.
§. 3. Nomina data Sanctis à Deo. ibid.
§. 4. Nomina Sancta filiis data. ibid.
§. 5. Nomen non sit inane. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 109
§. 6. Peccator est anonymus. ibid.

Titulus IV.

Nomen Jesu. ibid.

§. 1. Figuræ, & Symbola. ibid.
§. 2. Illius excellentia. ibid.
§. 3. Nomen Jesu non est inane. 110
§. 4. Nomen Jesu proficuum, salutare. ibid.
§. 5. Nomen Jesu delectabile dulce. 111
§. 6. Nomen Jesu honora, invoca, pronuntia. ibid.

Titulus V.

Novitates. 112

§. 1. Christus D. eas vitat. ibid.
§. 2. Alia motiva eas vitandi. ibid.

Titulus VI.

Nuptiæ. ibid.

Vide Matrimonium uxor.

O

Titulus I.

Obedientia erga Deum, & superiores. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 2. Obedientia præstans virtus. 113
N. 1. Præfertur victimis. ibid.
N. 2. Præfertur aliis virtutibus. ibid.
N. 3. Includit omnes virtutes. ibid.
§. 3. Obedientiæ aliæ præeminentiæ, & laudes. Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Obedientia quàm sit grata Deo. ibid.
§. 5. Obedientiæ meritum, & prærogativæ. 114
§. 6. Obedientiæ miracula. ibid.
§. 7. Obedientia fortis victoriosa. 115
§. 8. Obedientia tuta in periculis. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
§. 9. Obedientia est quieta, pacifica, læta. 116
§. 10. Obedientia est apta, regimini. ibid.
§. 11. Obedientia est suavis; facit omnia facilia. ibid.
§. 12. Obedientia Christi. ibid.
§. 13. Obedientia Sanctorum. ibid.
§. 14. Obedientiæ varia alia motiva. 117
§. 15. Obedientia respiciens sapientiam, & scientiam. ib.
§. 16. Obedientia requirit humilitatem. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 17. Superbus non obedit. 118
§. 18. Obedientia est cœca, non discutit. ibid.
N. 1. Exempla. ibid.
N. 2. Obedientiæ cœcæ motiva. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 19. Obedientia est prompta: non excusat se non replicat. Ex Veteri. 119
Ex Novo, & aliis. Motiva. ibid.
§. 20. Obedientia quibus mediis reddatur facilis. ibid.
§. 21. Indifferentia ad locum, & officia. ibid.
N. 1. Symbola. ibid.
N. 2. Exempla. 120
N. 3. Indifferentia facit tutum. ibid.
N. 4. Malè est propriæ electioni. ibid.
N. 5. Periculosa propriæ electio. ibid.
N. 6. Indifferentia varia motiva. ibid.
Miscellanea. ibid.
§. 22. In obedientia. 121
N. 1. Pœnæ & damna. ibid.
N. 2. Alia motiva inobedientiam vitandi. ibid.

Titulus II.

Observatio. ibid.

§. 1. Observa tua, non aliena. ibid.
§. 2. Observare aliena, non sua, vitiosum est. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. 122
§. 3. Motiva non observandi alios. ibid.
§. 4. Alios observet, qui potest corrigere. ibid.
§. 5 Observa bona in aliis, & non mala. ibid.
Symbola. ibid.
Exempla. ibid.
§. 6. Observantis in aliis mala, & non bona. 123
Symbola. ibid.
Exempla. ibid.
§. 7. Observa cum malis etiam bona. ibid.

Ti-

Titulus III.

Obstinatio. ibid.

§. 1. Symbola, & similitudines. ibid.
N. 1. Comparatur lapidi, petræ, &c. ibid.
N. 2. Comparatur somno. 124
N. 3. Alia Symbola. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex variis. ibid.
§. 2. Obstinati actus, & effectus. 125
§. 3. Obstinatio deploratur. ibid.
§. 4. Obstinatorum exempla. ibid.
§. 5. Obstinatio quibus motivis vitanda. 126
§. 6. Obstinatio quibus mediis molliatur. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus IV.

Occasio. ibid.

§. 1. Bona non negligenda. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
§. 2. Occasionis bonæ non negligenda motiva alia. 127
§. 3. Occasio mala vitanda. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. 128
§. 4. Exempla. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & aliis. ibid.
§. 5. In occasione lapsi. 129
§. 6. In occasione pronum labi; prodigum non lædi. ibid.
§. 7. Occasionem vitandi varia motiva. ibid.
§. 8. Occasionem temerè adiens labitur. 130
Ex scriptura. Exempla. ibid.
§. 9. In occasione Deus servat incolumes, qui se non temerè iis ingerunt. ibid.

Titulus V.

Oculi. ibid.

§. 1. Laudes. ibid.
§. 2. Oculus periculosum membrum. 131
§. 3. Oculi sunt illices Veneris. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.

Titulus VI.

Officium. ibid.

§. 1. Alieno te non immisce, in genere. ibid.
§. 2. Sæculares se non immisceant officiis Ecclesiasticis; & vicissim. 132
§. 3. Officio tuo graviter intende. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
§. 4. Officia humilia libenter exerce. 133
§. 5. De promotione ad officia. ibid.

Titulus VII.

Opera bona. ibid.

§. 1. Figuræ, & Symbola. ibid.
1. Manus. ibid.
2. Gressus, ambulatio. ibid.
3. Fructus. 134
4. Filii. ibid.
5. Vestes. Varia alia. ibid.
§. 2. Opera vel minima; grata Deo, ejusque Filio incarnato. ibid.
§. 3. Opera spontanea Deo gratiora. ibid.
§. 4. Ea exercendi motiva varia. 135
§. 5. Opera præfertur verbis. ibid.
N. 1. De Deo, & Christo Domino. ibid.
Exempla alia. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
N. 2. Sententiæ Biblicæ, & Patrum. 136
§. 6. Opera pauca, ubi multa verba. ibid.
§. 7. Opera supererogatoria suadentur. ibid.
§. 8. Tu ipse operare, non per alium. Ex Veteri. Ex Novo. ib. & 137
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 9. Pro uno opere, quod nequis agere, substitue aliud. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 138
§. 10. Opera orationi junge. Pleraque symbolicè. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 11. Opera semper, & ubique, potes exercere. ibid.
§. 12. Opera eadem sæpiùs repete. Ex Veteri, & Novo. 139
Exemplum S. Magdalenæ. Magdalena sæpius ad pedes Domini. ibid.
Sæpius osculatur pedes Domini, & ungit, & quærit. ibidem.
§. 13. Opera heroica, perfecta. ibid.
Miscellanea. 140

Titulus VIII.

Oppressio pauperum. ibid.

§. 1. Symbola, similitudines. ibid.
Comparantur piscibus. ibid.
Comparantur leonibus. ibid.
Alia Symbola. ibid.
§. 2. Oppressionem pauperum cavendi motiva. ibid.
N. 1. Primum: quia barbara, fera crudelis. Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 141
N. 2. Secundum: oppressio pauperum clamat ad cœlum. ibid.
N. 3. Tertium: oppressores pauperum Deus odit, vindicat. ibid.
Motiva alia. 142

Titulus IX.

Oratio. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus. ibid.
§. 2. Oratio est necessaria. ibid.
§. 3. Orationis excellentia, variæ laudes. 143
N. 1. Est Vicaria Christi. ibid.
N. 2. Est colloquium cum Deo. ibid.
N. 3. Est felix rerum principium. ibid.
§. 4. Oratio Deo grata. ibid.
Orationis aliæ laudes. ibid.
§. 5. Ad orationem exaudiendam promptus Deus. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus. ib. & 144
§. 6. Oratio luctatur cum Deo, tenet Deum. ibid.
§. 7. Oratio fortis, victoriosa. 145
N. 1. Contra hostes visibiles. Historiæ. ibid.
N. 2. Contra hostes invisibiles. ibid.
§. 8. Oratio transfigurat; illuminat, confortat &c. 146
§. 9. Oratio mira impetrat. ibid.
§. 10. Oratio semper aliquid impetrat. ibid.
§. 11. Oratio sæpè bono nostro non exauditur. ibid.
Sententiæ Patrum. ibid.
§. 12. Quidam malo suo exaudiuntur. 147
§. 13. Oratio cur sæpè serò exaudiatur. ibid.
N. 1. Quia dilata chariora. ibid.
N. 2. Quia expedit. ibid.
§. 14. Orantium varia commoda. ibid.
N. 1. Contra tristitiam. ibid.
N. 2. Plus cum Deo, minùs cum hominibus. ibid.
N. 3. Aliæ Orationis utilitates. ibid.
§. 15. Orandi varia motiva. 148
§. 16. Oratio Christi. ibid.
§. 17. Exempla Sanctorum. ibid.
§. 18. Oratio quæ sit efficax. ibid.
N. 1. Probi, servatis præcepta. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
N. 2. Oratio pœnitentis. 149
N. 3. Oratio cum lacrymis. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus. ibid.
N. 4. Oratio cum mortificatione. ibid.
N. 5. Oratio cum humilitate. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. 150
N. 6. Oratio parvulorum. ibid.
N. 7. Oratio reverentialis. ibid.
§. 19. Oratio attenta, sine distractione. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 151
Similitudines. ibid.
§. 20. Oratio publica multorum. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
§. 21. In oratione quid petendum? 152
N. 1. Non vilia, non temporalia. ibid.
N. 2. Petenda utilia bona. ibid.
N. 3. Petenda spiritualia, virtutes. ibid.
N. 4. Petenda remissio peccatorum. ibid.
N. 5. Petendum regnum Dei, æterna &c. ibid.
N. 6. Petendum, quod vult Deus. 153
N. 7. Pete ipsum Deum. ibid.

§. 22.

§. 22. Ad orationem perfectam requisita. ibid.
N. 1. Præparatio. ibid.
N. 2. Oratio quas virtutes requirat. ibid.
N. 3. Oratio sit continua. 154
N. 4. Oratio sit constans. ibid.
N. 5. Oratio sit fervens. ibid.
N. 6. Oratio sit solitaria. ibid.
N. 7. Orationis afflictio, patientia. ibid.
§. 23. Orationi omnis locus aptus. 155
§. 24. Orationibus alienis cooperare vita tua. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 156
§. 25. Oratio Dominica. ibid.
§. 26. Oratio matutina, & vespertina. ibid.
§. 27. Oratio matutina. ibid.
§. 28. Oratio nocturna. ibid.
§. 29. Orationes jaculatoriæ, frequentes. 157
§. 30. Ritus orandi. Cur ad orientem. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus X.

Oratio mentalis. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 158
§. 2. Orationis mentalis utilitas, & alia motiva. 159
§. 3. Orationis mentalis neglectæ damna. ibid.
§. 4. Meditandi materia. ibid.

Titulus XI.

Ordo. 160

Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.

Titulus XII.

Os. ibid.

Titulus XIII.

Oscula. ibid.

Titulus XIV.

Otium. ibid.

§. 1. Symbola, & Similitudines. ibid.
§. 2. Otium fugendi motiva. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 162

P

Titulus I.

Panis. ibid.

Titulus II.

Parentes. ibid.

§. 1. Honórandi. ibid.
§. 2. Parentibus præferendus Deus, ejus præcepta. ibid.
§. 3. Parentum amor in liberos. 163
N. 1. Sit æqualis. ibid.
N. 2. Non amet plus quàm Deum, & se. ibid.
N. 3. Parentum major amor in filios, quàm filiorum erga eos. 164
N. 4. Parentum in filios amor bonus, & moderatus. ibidem.
N. 5. Parentum in filios malus amor. ibid.
§. 4. Parentum imprecatio efficax. ibid.
§. 5. Parentum mala exempla sequuntur filii. Ex Veteri. ib.
Ex Novo, & aliis. 165
§. 6. Parentum exempla bona sequuntur filii. ibid.
§. 7. Parentum bona educatio, cura prolium. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. 166
§. 8. Parentum mala educatio. ibid.
N. 1. Major cura corporis, quàm animæ. ibid.
N. 2. Parentum absentia nocet. ibid.
N. 3. De parentum mala educatione varia. ibid.
§. 9. Parentes puniuntur in filiis. 167
Miscellanea. ibid.

Titulus III.

Parvuli. ibid.

§. 1. Amantur à Deo, Christo Domino. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
§. 2. Parvuli amantur ab hominibus. ibid.
Miscellanea de parvis. ibid.

Titulus IV.

Parva. 168

Mirabilis in iis Deus. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus V.

Passio Christi. ibid.

§. 1. Figuræ, Prophetiæ. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 169
§. 2. Passio avidè à Christo desiderata. ibid.
§. 2. Passio quàm Christo chara, dulcis. Ex Veteri. 170
Ex Novo. ibid.
§. 4. Passionis Christi gloria. 171
§. 5. Passionem Christus vocat suam horam. 172
§. 6. Passionem suam Christus vocat modicum, leve: cupit plus pati. ibid.
§. 7. Patientis Christi amor. ibid.
N. 1. In genere. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus. 173
N. 2. Patientis amor sibi malè, nobis benè. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
N. 3. Patientis amor causa tristitiæ, & agoniæ. 174
N. 4. Passio indigna persona non amore. ibid.
N. 5. Pati amoris signum. ibid.
N. 6. Patitur in suis. ibid.
§. 8. Patientis misericordia. 175
§. 9. Dolorum magnitudo, & copia. ibid.
N. 1. In genere. ibid.
N. 2. Super omnes dolores. ibid.
N. 3. Sine solatio. ibid.
N. 4. Passionis tempus, dies, hora, locus. ibid.
§. 10. Passionis memoria. 176
N. 1. Figuræ, & Symbola. ibid.
N. 2. Motiva. ibid.
N. 3. Antidotum contra vitia. ibid.
N. 4. Passionis oblivio. ibid.
§. 11. Passionis meditatio. 177
§. 12. Passionis meditatione compassio, & lacrymæ. ibid.
§. 13. Passionis suæ vult nos Christus participes. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus VI.

Passiones. ibid.

§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Passionum victor est Rex. ibid.
§. 3. Passiones vincendi alia motiva. 178

Titulus VII.

Pastor bonus Christus. ibid.

Miscellanea. ibid.

Titulus VIII.

Pater. ibid.

§. 1. Cœlestis. ibid.
§. 2. Patris Cœlestis, mira, dulcis, appellatio. ibid.
§. 3. Patris cœlestis bonitas. 179
§. 4. Pater carnalis. ibid.

Titulus IX.

Patientia. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola, definitio. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 2. Patientia dignitas, honor, eminentia. 180

N. 1. Per patientiam præ miraculis notus Dei Filius. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus. ibid.
N. 2. Patientia etiam hominum præ miraculis. ibid.
N. 3. Continuatio de Patientiæ laude. 181
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
N. 4. Patientia facit Martyrem. ibid.
N. 5. Patientia grata Deo. ibid.
§. 3. Patientia Passio Christi motivum. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. 182
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Exempla Patientiæ Sanctorum. ibid.
N. 1. Job. ibid.
N. 2. Exempla aliorum. ibid.
§. 5. Patientia beata, pacifica, quieta. 183
§. 6. Patientia læta. ibid.
N. 1. Figuræ, & Symbola. ibid.
N. 2. Exempla. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
N. 3. Textus scripturæ. 184
N. 4. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 7. Patientia reddit omnia suavia: mutat fel in mel. ibid.
§. 8. Patientia est justis quies, somnus. Ex Veteri pleraque symbolicè. 185
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 9. Patientiæ fortitudo. ibid.
N. 1. Divinæ. ibid.
N. 2. Humanæ. ibid.
§. 10. Patiens est prudens, sapiens. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 186
§. 11. Patere, quia meritus es. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Patribus. ibid.
§. 12. Patientia innocens. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
Patribus, & aliis. ibid.
§. 13. Patientia signum prædestinationis. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
N. 2. Testimonia. Ex Veteri. 187
Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 14. Patientia propria Christianorum. 188
§. 15. Patientiæ motivum, Cœli, & salutis memoria. Symbola. ibid.
Testimonia ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 16. Patientia ob spem mercedis. Symbola. 189
Testimonia. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 190
§. 17. Patientia per dura ad regnum. ibid.
Figuræ, Symbola. ibid.
Testimonia Biblica. ibid.
Ex Patribus. ibid.
§. 18. Post Patientiæ laborem quies. ibid.
Figuræ, & Symbola. ibid.
Testimonia Biblica. 191
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus. ibid.
§. 19. Post tristia, læta. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 192
§. 20. Post amara dulcia. ibid.
§. 21. Post tenebras lux. ibid.
§. 22. Patientia sit sine querela, murmure. ibid.
§. 23. Patientia laudat Deum. ibid.
§. 24. Patientiæ motivum Resurrectio. 193
§. 25. Patientiæ varia motiva alia. ibid.
§. 26. Patientia in injuriis. ibid.
§. 27. Præparatio ad adversa. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 28. Priori affinis. ibid.
§. 29. Miscellanea. 194
§. 30. Impatientia. ibid.

Titulus X.

S. Paulus. ibid.

§. 1. Figuræ. ibid.
Ex Veteri, Novo, & aliis. ibid.
§. 2. De S. Pauli nomine. 195
§. 3. S. Pauli conversio. ibid.
§. 4. S. Pauli varia encomia. ibid.
§. 5. S. Pauli charitas, Zelus. ibid.
§. 6. S. Pauli patientia, martyrium, labores. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XI.

Paupertas. 196

§. 1. Symbola, similitudines. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
Comparatur angelis. ibid.
§. 2. Paupertas præfertur opibus. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 197
§. 3. Paupertas tuta læta. ibid.
§. 4. Paupertatis immunitates. ibid.
§. 5. Paupertatis honores, prærogativæ, laudes. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 198
§. 6. Paupertas Cœlo apta, via ad Cœlum. ibid.
§. 7. Paupertas apta lucro animarum. ibid.
§. 8. Paupertas apta ad sequendum Christum, & ei obsequendum. ibid.
§. 9. Paupertas apta omni virtuti. ibid.
§. 10. Pauperes Deus tuetur, juvat, honorat. ibid.
Figuræ. ibid.
Testimonia ex Veteri. 199
Ex Novo. ibid.
§. 11. Pauperes à Mundo spernuntur, durè habentur. ibid.
Symbola. Testimonia ex Veteri. 200
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 12. Pauperes honora, non sperne, non afflige, cura, juva. ibid.
§. 13. Pauperes sunt in bonum divitum. 201
§. 14. Pauperum solatia. ibid.
N. 1. Paupertas Christi signum Divinitatis. ibid.
N. 2. Alia de paupertate Christi. Ex Veteri, & Novo, & Patribus. ibid.
N. 3. Paupertas Sanctorum. 202
N. 4. Pauper est dives; nihil ei deest quia habet Deum. ibidem.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 15. Paupertas lucrosa, utilis &c. ibid.
Symbola, similitudines. ibid.
Testimonia. Ex Veteri. 203
Ex Novo. Ex Patribus. ibid.
§. 16. Paupertatem ferendi alia motiva, & solatia. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 204
§. 17. Paupertas spiritus. Beati pauperes spiritu. ibid.
Humilitas. De eadem varia. ibid.
§. 18. Paupertas ex usu bona, aut mala. ibid.

Titulus XII.

Pax. ibid.

§. 1. In genere. ibid.
§. 2. Pax cum Deo. 205
N. 1. Bellum cum vitiis. ibid.
N. 2. Varia de pace cum Deo. ibid.
§. 3. Pax cum proximo. ibid.
§. 4. Pacem facientes. ibid.

Titulus XIII.

Peccator. 206

§. 1. Illius miseriæ. ibid.
N. 1. Descendit à Jerusalem. ibid.
N. 2. Peccator est filius prodigus. ibid.
N. 3. Peccatoris aliæ figuræ, & exempla. ibid.
N. 4. Textus Biblici. 207
Sententiæ Patrum. ibid.
§. 2. Peccator est cœcum. ibid.
N. 1. Figuræ. ibid.
N. 2. Exempla, & Testus. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ib. & 208
Vide tit. Avaritia. Luxuria. Stultus.
§. 3. Peccator est stultus: peccatum stultitia. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 4. Peccator fit jumentum, bestia. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. 209
§. 5. Peccator subit miserabilem servitutem. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.

Ex Patribus, & aliis. 210
§. 6. Peccator est vinctus, captivus. ibid.
§. 7. Peccator miserè laborat, oneratur, affligitur. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 8. Peccatoris hostes sunt creaturæ. Ex Veteri. 211
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 9. Peccatoris jacturæ, damna. Ex Veteri. Ex Novo. 212
Ex Patribus, & aliis. ibid.
Peccator non est Dei. ibid.
Vide D. tit. 4. Deus §. 11.
§. 10. Peccatoris insensibilitas. ibid.
Symbola, Allegoriæ. ibid.
Exempla, & Textus. Ex Veteri, & Novo. 213
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 11. Peccator diabolum respiciens. 214
N. 1. In Peccatore diabolus habitat. ibid.
N. 2. Peccator ipse vocatur diabolus, & filius ejus. ibidem.
N. 3. Peccator pascit diabolum: est illius cibus. ibid.
N. 4. Varia. ibid.
§. 12. Peccator timet. ibid.
N. 1. Exempla. Ex Veteri. Adam. ibid.
Cain alii. ibid.
N. 2. Ex Novo. 215
N. 3. Sententiæ ex Veteri. ibid.
N. 4. Sententiæ Patrum. ibid.
§. 13. Peccator est in tenebris, odit lucem; est nox. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 14. Peccator obnoxius infamiæ; proditur. 216
Similitudines. ibid.
Exempla, & textus, ex Veteri, & Novo. ibid.
§. 15. Peccator deseritur à Deo; Deum deserit. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 16. Peccator est vilis, pulvis terræ, &c. 217
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 17. Peccator fit nihil. ibid.
§. 18. Peccator inveteratus senex. ibid.
§. 19. Peccatoris variæ miseriæ. 218
§. 20. Peccator non dolet, non flet: quia peccata sua nescit. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 21. Peccatori omnia cedunt in malum. 219
§. 22. Peccator pœnæ suæ author, & origo. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. 220
§. 23. Peccator ipse, & peccatum, sibi pœna, hostis. ib.
§. 24. Peccatoris mala securitas. Symbola, & similitudines. Comparatur somno, & lecto. Alia symbola. ib. & 221
Exempla ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 222
§. 25. Peccatorum mala lætitia. Pleraque symbolicè. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. ib. & 223
§. 26. Peccatori difficilis pœnitentia. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 27. Peccator est brevioris vitæ. ibid.
§. 28. Dubium magnum, an peccator recepturus sit gratiam. 224
§. 29. Peccatori nec sacra loca prosunt: ejusdem varia pericula. ibid.
§. 30. Peccator respiciens alios peccatores. ibid.
§. 31. Peccator infert sibi gravissima damna. ibid.
§. 32. Peccator etiam aliis noxius. 225
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.

Titulus XIV.

Peccatoris malitia. ibid.

§. 1. Peccator injurius in Deum, inhumanus. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. 226
§. 2. Peccator blasphemat nomen Dei. ibid.
§. 3. Peccator negat Deum. ibid.
§. 4. Peccator spernit Deum. ibid.
§. 5. Peccator impudenter præsente Deo peccat. ibid.
§. 6. Peccator injuriis est in Christum. 227
N. 1. Spernit Christum. ibid.
N. 2. Contristat, affligit Christum. ibid.
N. 3. Renovat passionem Christi. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 228
§. 7. Peccator est idololatra. ibid.
§. 8. Peccator impudens arguitur. ibid.
§. 9. Peccatoris gloriatio de peccato; affinis priori. 229
§. 10. Peccator ex malitia peccans. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 11. Peccantium malitiosè varii actus. 230
N. 1. Peccator excusat tuetur, peccatum. ibid.
N. 2. peccator innocentem se dicit: affinis prior. ib.
N. 3. Peccat ob rem vilem. ibid.
N. 4. Delectatur peccato. ibid.
N. 5. Præsumit. ibid.
N. 6. Docet peccare. ibid.
N. 7. Odit juvare volentes. ibid.
N. 8. Delinquit admonitus. 231
N. 9. Quærit solatia. ibid.
§. 12. Peccator palliat mala specie boni. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Pallium malitiæ Judæorum. ibid.
Judæ. ibid.
Herodis, & Caiphæ. Aliorum. 232
Peccator scrupulosus in parvis, non verò magnis. ibid.
Vide C. tit. 27. §. 4.
§. 13. Miscellanea. ibid.

Titulus XV.

Peccatum. ibid.

§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Peccatum fuge, quia illud infinitè odit. Quod cognoscitur. ibid.
N. 1. Ex pœnis. ibid.
N. 2. Nec templi Deus ob peccatum parcit. 233
N. 3. Peccati gravitas ex persona offensa. ibid.
§. 3. Peccati gravitas. ibid.
N. 1. Ex Christi vulneribus, ejusque Passione. ibid.
N. 2. Ex Christi morte. 234
§. 4. Peccati gravitas ex bonitate, beneficiis, Dei. Ex Veteri. Ex Novo, & aliis. ibid.
§. 5. Præsentia Dei, absterret à peccato. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 235
§. 6. Oblivio præsentiæ Dei est origo peccati. ibid.
§. 7. Solum peccatum est malum. ibid.
§. 8. Peccatum summum malum, majus omni malo. 236
§. 9. Peccatum est malum majus Inferno. ibid.
§. 10. Peccatum solum time, & dole. ibid.
§. 11. Peccatum præ pœna time, & dole. Ex Veteri, & Novo. ibid.
§. 12. Magis pœnam, quàm peccatum, timentes. Ex Veteri, & Novo. 237
§. 13. Ex uno peccato ruitur in aliud. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Patribus, & aliis. ib. & 238
§. 14. A peccatis minoribus ruitur in majora. ibid.
N. 1. Symbola, & similitudines. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Variis. ib. & 239
N. 2. Peccatum simile somno. Continuatio materiæ. ibid.
N. 3. Exempla. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 240
§. 15. Peccatorum pœnæ. ibid.
N. 1. In genere. ibid.
N. 2. Peccata tradunt hostibus. ibid.
N. 3. Peccatorum pœnæ feræ. Peccatum ipsum sibi pœna. ibid.
N. 4. peccatum pœna sequitur, impleta mensura. 241
§. 16. Peccati fœditas. ibid.
§. 17. Peccatum pungit, gravat, &c. ibid.
N. 1. Comparatur spinis. ibid.
N. 2. Peccati amaritudo. ibid.
N. 3. Est venenum. ibid.
N. 4. Gravat. 242
N. 5. Vulnerat. ibid.
N. 6. Est morbus, febris. ibid.
N. 7. Est hyems, & frigus. ibid.
Miscellanea. ibid.
§. 18. Peccatum causa, & origo mortis. ibid.
§. 19. Peccatum mors animæ. Symbola. 243
Testim. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus. ibid.
§. 20. Peccatum vitandi varia motiva. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 21. Peccatum origo, & radices. 244
N. 1. Liberum arbitrium. ibid.
N. 2. Oblivio Dei. ibid.
N. 3. Ignorantia Dei. ibid.
N. 4. Varia. ibid.
§. 22. Nos ipsi sumus causa peccati. ibid.
§. 23. Peccatorum remedia. ibid.
Primum. Radicem, viam, causam, tolle. ibid.

Sym-

Symbola, similitudines. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Testimon. Ex Veteri, & Novo. 245
Remedium secundum: Judicii memoria remedia. 246
§. 24. Promptitudo, celeritas, hominum ad malum. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 25. Peccata quæ reliquis graviora. ibid.
N. 1. Contra Deum, & Religionem immediatè. ibid.
N. 2. Peccata altioris status. 247
N. 3. Peccatum in opere, & tempore sancto. ibid.
N. 4. Ex majori scientia. ibid.
§. 26. Peccata Capitalia. ibid.
N. 1. Symbola. ibid.
N. 2. Peccatis capitalibus opposita. ibid.
1. Septem virtutes. ibid.
2. Vita, & Passio Christi. 248
3. Dona Spiritus S. ibid.
4. Oratio Dominica. ibid.
N. 3. Miscellanea de peccatis Capitalibus. ibid.
§. 27. Peccatum veniale. ibid.
N. 1. Victor majorum sæpè à minoribus vincitur. ibid.
N. 2. Peccata venialia vitandi motiva. ibid.
N. 3. Peccata venialia punita à Deo, & Angelis. 249

Titulus XVI.

Peccata aliena. ibid.

§. 1. Luge, defle. Symbola. Exempla ex Veteri. Ex Novo. Exemplum Christi Domini. ib. & 250
S. Pauli. Exempla alia, & motiva. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 2. Ob aliena peccata time, cave, corrige. Symbola. ibid.
Ob lapsum Luciferi. Aliorum. 251
Ex Patribus, & aliis. ibid.

Titulus XVII.

Pecunia. ibid.

§. 1. Symbola. Vocabula varia. ibid.
§. 2. Pecunia quantùm ametur, æstimetur, valeat. ibid.
§. 3. Pecunia spernendi motiva. 252

Titulus XVIII.

Perfectio. ibid.

§. 1. Symbola. Numeri varii. Alia. ibid.
§. 2. Perfectionis motiva ex parte Dei. ibid.
§. 3. Nihil age vulgare; quod plerique. Ex Veteri. Ex Novo. 253
§. 4. Perfectionis varia motiva. ibid.
§. 5. Perfectio quid sit: in quo consistat? 254
§. 6. Perfectionem consequendi media. Primum: Pedetentim. Secundum: Quasi semper incipiens. ibid.
Alia media. ibid.
§. 7. Perfectionis desiderium. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XIX.

Persecutiones. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
§. 2. Persecutiones sunt incrementum Ecclesiæ. 255
N. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
N. 2. Testimonia ex Novo. Ex Patribus. ibid.
§. 3. Persecutiones justus præ impio patitur. 256
N. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
N. 2. Exempla, & Testimonia ex Veteri. Ex Novo, Magdalena. ibid.
N. 3. Alii. Ex Patribus. 257
§. 4. Persecutiones ferendæ, quia breves. 258
§. 5. Motiva alia ex Veteri, & Novo. Ex Patribus. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XX.

S. Petrus. ibid.

§. 1. Illius laudes, honor, gloria. ibid.
§. 2. Virtutes. Humilitas. Pœnitentia. Trinam negationem trino amore debet. Aliæ virtutes. 259
§. 3. Illis fragilitas, lapsus, negatio. ibid.

Titulus XXI.

SS. Petrus, & Paulus. 260

Titulus XXII.

Pœnæ divinæ. ibid.

§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Pœnas Deus prænuntiat, ut vitemus, &c. ibid.
Figuræ, Symbola. ibid.
Testimonia ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. 261
§. 3. Pœnæ sunt beneficia Dei nos amantis. Symbola. Testimonia ex Veteri. ib. & 262
Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 4. Pœnæ faciunt frugi, absterrent peccare. ibid.
§. 5. Pœnas accepta humiliter, libens: quia eas meritus. 263
§. 6. Pœnas ferendi alia motiva. ibid.
§. 7. A pœna non meliorari, usitatum est. ibid.
§. 8. Non correctum per pœnam sequitur alia, & plerumque major. 264
§. 9. Pœna temporali non correctus, time æternam. ibid.
§. 10. Correctionis, alia motiva. ibid.
§. 11. Ex pœna aliena time, corrige. ibid.
N. 1. Exempla, & Testimonia. ibid.
N. 2. Non correcti aliena. ibid.
N. 3. Pœna aliena non correctus timeat graviores. 265
§. 12. Pœna peccati inevitabilis. ibid.
§. 13. Pœna Talionis. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Ex Patribus, & aliis. ib. & 266
§. 14. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 15. Pœna juxta mensuram, & qualitatem peccati. ibid.
§. 16. Pœna lenta dilata. ibid.
§. 17. Pœna dilata gravior. 267
Miscellanea. ibid.

Titulus XXIII.

Pœnæ humanæ. ibid.

§. 1. In sceleratos suadentur. ibid.
§. 2. Potentioribus non parcendum. ibid.
Vide I. tit. Judex.

Titulus XXIV.

Pœnitentia. ibid.

§. 1. Symbola. ibid.
N. 1. Resurrectio. ibid.
N. 2. Pascha. ibid.
N. 3. Flores, lilia. ibid.
N. 4. Arbor. 268
N. 5. Vinum. ibid.
N. 6. Aves. ibid.
N. 7. Numeri. ibid.
N. 8. Mors. ibid.
§. 2. Varia alia Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. 269
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 3. Pœnitentiam quantopere Deus, & Christus, expectat. Ex Veteri. 270
Ex Novo. 271
§. 4. Pœnitentia Deo grata, Sacrificium, festum &c. ibid.
§. 5. Pœnitentia cibat, potat, recreat, Christum. 272
§. 6. Pœnitentia honoratur, fovetur à Deo Christo. ibid.
N. 1. Figuræ, & Symbola. ibid.
N. 2. Exempla. David. Petrus. 273
Paulus. Matthæus. Magdalena. Prodigus. Latro pœnitens. ib. & 274
§. 7. Pœnitentia præ innocentia Deo chara. ibid.
Symbola. ibid.
Testimonia. ibid.
§. 8. Pœnitentia post lapsum fortior. 275
§. 9. Pœnitentia solatiosa, læta. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. Ex Novo, & aliis. ibid.
Testimonia ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 10. Pœnitentia grata Angelis. 276
§. 11. Pœnitentiæ motiva ex mysteriis Salvatoris. ibid.
N. 1. Incarnatio, Nativitas. ibid.
N. 2. Eucharistia. ibid.
N. 3. Passio, mors Christi. ibid.
§. 12. Pœnitentia delet peccata, mundat, &c. ibid.

§. 13. Pœnitentia liberat à pœnis; solvit debita. ibid.
§. 14. Pœnitentia facit formosum. 277
§. 15. Pœnitentia cœlo apta, eidem vim infert. ibid.
§. 16. Pœnitentiæ parcitur sibi non parcenti. ibid.
§. 17. Pœnitentiæ varia bona, & gratiæ. ibid.
Continuatio Patrem respiciens. 278
§. 18. Pœnitentium. Exempla. ibid.
§. 19. Pœnitentiæ varia motiva. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 20. Pœnitentia matura, velox. 279
N. 1. Symbola, & similitudines. ibid.
N. 2. Exempla Pœnitentiæ maturæ. ibid.
N. 3. Motiva. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus. 280
§. 21. Pœnitentia sera, procrastinata. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 22. Pœnitentia in morte. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus. 281
§. 23. Pœnitentia post mortem sterilis. Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Testimonia. Ex Veteri. Ex Novo. ib. & 282
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 24. Pœnitentia non sit remissa, brevis, tepida &c. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. Ex Novo, & aliis. ib. & 283
N. 2. Exempla Job, & David. ibid.
N. 3. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 284
§. 25. Pœnitentia sit constans, sine relapsu. ibid.
§. 26. Pœnitentia publica. ibid.
Vide Pudor.
§. 27. Pœnitentia impendit Deo, virtuti; quod priùs peccato. 285
§. 28. Pœnitentiæ satisfactio. ibid.
§. 29. Pœnitentia semper, etiam in morte, bona. ibid.
§. 30. Pœnitentia aliis suadenda, prædicanda. ibid.
§. 31. Miscellanea. 286
§. 32. Impœnitentia. ibid.

Titulus XXV.

Potentia Dei. ibid.
§. 1. Testimonia. ibid.
§. 2. Potentiæ divinæ omnia facilia. 287
§. 3. Potentia sua utitur Deus in bonum. ibid.
§. 4. Appendix. ibid.

Titulus XXVI.

Potestas. ibid.
Ea in bonum, non malum, utere. ibid.

Titulus XXVII.

Præcepta Dei. 288
§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Præcepta omnia servanda. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 289
§. 3. Præcepta sunt facilia, suavia. ibid.
N. 1. Testimonia ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ibid.
N. 2. Præcepta Deus juvat servare. 290
N. 3. Præcepta Dei faciliora, quàm hominum. ibid.
N. 4. Præceptis Dei duriora sunt diaboli. ibid.
N. 5. Præcepta Dei amanti facilia. ibid.
N. 6. Præcepta amanti omnia sunt unum. ibid.
§. 4. Præcepta Dei omnibus præter. Ex Veteri. Ex Novo. ibid. & 291.
§. 5. Præceptorum Dei utilis observatio. ibid.
N. 1. In genere. ibid.
N. 2. Præcepta observans Dei amicus, ei charus. ibid.
N. 3. Præceptorum observatio prodest Oeconomiæ in temporalibus. Ex Veteri. Ex Novo. 292
N. 4. Præceptorum observationi promittitur merces. ibid.
N. 5. Præceptorum observatio dat intellectum. ibid.
N. 6. Præcepta Dei observans non egat rege, nec lege alia. ibid.
N. 7. Præcepta Dei observantium varia comoda. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. ib. & 293
§. 6. Præceptorum Dei violatio est noxia. ibid.
§. 7. Exempla Præcepta Dei observantium rationalium, & irrationalium, creaturarum. ibid.
§. 8. Præcepta Dei quàm parum, & pauci servent. 294
N. 1. Figuræ. ibid.
N. 2. Nitimur in vetitum. ibid.
N. 3. Præcepta humana præ divinis servantur. ibid.
§. 9. Præcepta Dei servandi varia motiva. Ex Veteri. Ex Novo. Patribus, & aliis. ibid.

Titulus XXVIII.

Prædestinatio. ibid.
§. 1. Prædestinatorum paucitas. ibid.
§. 2. Unicuique propria voluntas est causa suæ damnationis, vel reprobationis. Ex Veteri. Ex Novo. 295
Ex Patribus, & aliis. 296

Titulus XXIX.

Prælati. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
N. 2. Qualis erga suos esse debeat. ibid.

Titulus XXX.

Præsentia Dei. 297
§. 1. Probatur. ibid.
§. 2. Præsentia Dei necessaria, utilis, jucunda. ibid.
§. 3. Præsentiæ divinæ memoria. ibid.
Præsumptio. Vide Misericordia Dei §. 16.

Titulus XXXI.

Principes. ibid.
§. 1. Vocantur Pastores. ibid.
§. 2. Sunt Patres. 298
§. 3. Principum propria clementia. ibid.
§. 4. Miscellanea. ibid.

Titulus XXXII.

Profectus in bono. ibid.
§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. 299
§. 2. Motiva proficiendi. ibid.
1. Ex Patribus. ibid.
2. Exempla. ibid.
3. Proficere semper potes. 300
§. 3. Proficiendi alia motiva varia. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Profectus praxes, adjumenta. ibid.
Miscellanea. ibid.
Promissa. Vide Fidelitas.

Titulus XXXIII.

Proposita bona. ibid.
§. 1. Symbola, similitudines. Conceptio. ibid.
Flos. Alia. 301
§. 2. Proposita exequendi Motiva. ibid.
§. 3. Proposita non servantur. ibid.

Titulus XXXIV.

Prosperitas. ibid.
§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Prosperitas noxia, origo peccatorum, periculosa. ibid.
N. 1. Symbola, similitudines. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Variis. 302
N. 2. Exempla, & Testimonia. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 303
§. 3. Prosperitatem sperne: quia datur & impiis. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Prosperitas reprobationis signum. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 5. Prosperitas suspecta sapientibus. 304
§. 6. Prosperitas desinit in luctu. ibid.
§. 7. Prosperitas instabilis, & fallax. ibid.
N. 1. Symbola, similitudines. Ex Vet. & Novo. ibid.
N. 2. Testimonia. Ex Veteri, & Novo. ibid.
§. 8. Cur bonis hic malè; malis benè? 305
Miscellanea. ibid.

Titu-

Titulus XXXV.

Providentia Dei. ibid.
§. 1. Figuræ, Symbola, Definitio. ibid.
§. 2. Providentia Dei asseritur, & probatur: Ex Veteri. Ex Patribus. ibid.
§. 3. Nihil fit casu, aut fortuito. Ex Veteri, Ex Novo. ibid.
Historiæ. 306
§. 4. Nihil fit sine causa. ibid.
§. 5. Male astris adscribuntur bella &c. ibid.
§. 6. Providentia Dei extendit se ad omnia. Ex Vet. 307
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 7. Providentia Dei de alimentis. Ex Veteri, Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 8. Providentia Dei specialis de sanctis. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. 308
§. 9. Providentia Dei de uno, ut de omnibus, quasi de te solo. ibid.
§. 10. Providentia Dei è malis physicis, & moralibus, elicit bona. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 309
Diabolus prodest. ibid.

Titulus XXXVI.

Prudentia. 310
§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Prudentiæ definitio. ibid.
§. 3. Prudentia futura prospicit. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Prudentiæ aliis actus. 311
§. 5. Prudentia major in caducis, quàm æternis. ibid.
§. 6. Miscellanea. ibid.

Titulus XXXVII.

Psalmi. ibid.

Titulus XXXVIII.

Pudor. ibid.
§. 1. Pudorem, propter Deum, & virtutem, vince: seu publicè benefac. ibid.
N. 1. Pudoris victores. Ex Veteri. ibid.
N. 2. Christus Dominus. 312
N. 3. Alii ex Novo. ibid.
N. 4. Sententiæ ex Veteri. ibid.
N. 5. Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 2. Pudoris origo, causa. ibid.
§. 3. Pudor, magna afflictio. ibid.

Titulus XXXIX.

Purgatorium. ibid.
§. 1. Asseritur, probatur. ibid.
§. 2. Purgatorii pœnæ. 313
§. 3. Motiva juvandi animas Purgatorii. ibid.
Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
Exempla. ibid.
§. 4. Media, & praxes eas juvandi. ibid.
§. 5. Purgatorium evadendi media, & praxes. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XL.

Puritas. 314

Q

Titulus I.

Quadragesima. ibid.
§. 1. Figuræ. ibid.
§. 2. Laudes. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus II.

Quærendus Deus. ibid.
§. 1. Facilè invenitur, promptus adest. ibid.
§. 2. Quærendi Deum varia alia motiva. 315
§. 3. Deus absconditus dulciùs invenitur, Ubi? & in qua specie, quærendus. ibid.
§. 4. Deus quibus mediis quærendus. ibid.

Titulus III.

Quies. ibid.
§. 1. Quies Dei. ibid.
§. 2. Quies hominis. 316

R

Titulus I.

Ratio. ibid.
§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
§. 2. Rationis bonus usus sequela. ibid.
§. 3. Ratione non utentes vel abutentes. 317

Titulus II.

Recollectio spiritus. ibid.
§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Recollectionis motiva. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus, & aliis. ibid.

Titulus III.

Recreatio. 318

Titulus IV.

Redemptio. ibid.
§. 1. Vocatur justitia. ibid.
§. 2. Redemptio major creatione. ibid.
§. 3. Redemptio maximum beneficium: opus Dei. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus V.

Regna. 319
§. 1. Regnum Christi D. Ex Veteri, & Novo. ibid.
§. 2. Regnum cœlorum. ibid.
§. 3. Regnum animæ. ibid.
§. 4. Regna Mundi. 320
N. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
N. 2. Regna Mundi instabilia, vana, &c. ibid.
Pleraque Symbolicè. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo, & aliis. ibid.
N. 3. Regna quomodo conserventur. ibid.
Miscellanea. 321

Titulus VI.

Relapsus in peccato. ibid.
§. 1. Symbola, similitudines. ibid.
Ex Novo, & aliis. ibid.
§. 2. Relapsum vitandi motiva. ibid.
N. 1. Graviùs punitur. ibid.
N. 2. Relapsus malitia. 322
N. 3. Relapsus timendus. ibid.
N. 4. Relapsus Christo D. adversus; gratus non relabens. ibid.
N. 5. Relapsus iteratus pejor. ibid.
§. 3. Relapsum cavendi alia motiva. Ex Veteri. 323
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Contra Relapsum amuleta. ib.

Titulus VII.

Religio, seu Religiosus status. ibid.
§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. ibid.
ex Novo, & aliis. 324
§. 2. Religionis etymon. ibid.

§. 3. Religionis laudes ex Patribus. ib.
§. 4. Ad Religionem vocatio. 325.
§. 5. Religionis ingressus, probatio. ibid.
§. 6. Religionis perseverantia. ibid.
§. 7. Religionum benefactores. ibid.
Miscellanea. 320.

Titulus VIII.

Religiosi. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. ib.
N. 1. Nazaræi. ibid.
N. 2. Aliæ figuræ, & Symbola. ibid.
§. 2. Religiosorum encomia, laudes, honor. 327.
§. 3. Religiosorum finis, officium virtutes. ibid.
§. 4. Religiosorum Regulæ. 328.
§. 5. Religiosis pudor, vinci à Sæcularibus. ibid.
§. 6. Religiosus non sit delicatus, non quærat commoda. ibid.
§. 7. Religiosus magna spernens non vincatur minoribus. 329.
§. 8. Religiosus non amet Sæculum, cognatos, &c. ibid.
§. 9. Religiosus vitet commercium Sæcularium. ib.
§. 10. Religiosi mali. 339.
§. 11. Religiosorum vestitus. ib.

Titulus IX.

Reliquiæ Sacræ. 331.

§. 1. Honorandæ, æstimandæ. ibid.
§. 2. Reliquiæ Sanctorum protegunt. ib.
§. 3. Reliquiæ salubres animæ, & corpori. ib.
§. 4. Reliquiæ Christum D. Concernentes. 332.
Miscellanea. ib.

Titulus X.

Renovatio Spiritus. ibid.

§. 1. Figuræ, similitudines. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ib.
§. 2. Renovationis motiva. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 333.
§. 3. Renovationis praxes. 334.
Vide Recollectio, Juventus. Senectus.

Titulus XI.

Respectus humani. ib.

Motiva spernendi. ib.
Vide Pudor. Timor hominum.

Titulus XII.

Restitutio alieni. ibid.

§. 1. Ægrè fit. ibid.
§. 2. Restituentium exempla. ibid.
§. 3. Non restituere, noxium, periculosum. 335.
§. 4. Restituendi motiva varia. ibid.
Vide Avaritia.

Titulus XIII.

Resurrectio Christi. ibid.

§. 1. Figuræ, Vaticinia, Symbola. Ex Veteri. Ex Novo. ib. & 336.
Sol Leo. ib.
§. 2. Resurrectio Christi Mundo læta, solatiosa. ibid.
§. 3. Resurrectio Christi causa, & spes nostræ Resurrectionis. 337.
§. 4. Resurgentis Christi apparitiones. ibid.
§. 5. Resurrectionis dies festus. ibid.
§. 6. Varia in Resurrectione Christum concernentia. ibid.
§. 7. Varia in Resurrectione homines concernentia. ibid.

Titulus XIV.

Resurrectio hominum. ibid.

Figuræ, Symbola. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 338.
Miscellanea. ibid.

Titulus XV.

Rex. ibid.

§. 1. Christus D. Rex noster. Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus. ibid.
§. 2. Sancti tres Reges. 339.
§. 3. Reges terreni. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ib.
N. 2. Regis officium, clementia &c. ibid.
N. 3. Regis unctio. 340.
N. 4. Reges mali. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XVI.

Risus. ibid.

§. 1. Sit moderatus. ibid.
§. 2. Nunquam ridentes. ibid.

S

Titulus I.

Sacerdos. 341.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
§. 2. Sacerdotis encomia, laudes. ibid.
N. 1. In genere. ibid.
N. 2. Sacerdos est major regibus. ibid.
N. 3. Sacerdos comparatur, præfertur, Angelis. ib.
§. 3. Sacerdotes honorandi motiva. 342.
N. 1. Sacerdotes à Deo honorantur. ibid.
N. 2. Sacerdotes ab Angelis honorantur. ibid.
N. 3. Sacerdotes ab hominibus honorantur. ibid.
N. 4. Sacerdotes etiam mali honorandi. ibid.
§. 4. Sacerdos sit sanctus. Ex Veteri. 343.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 5. Sacerdos sit castus. 344.
§. 6. Sacerdotum aliæ virtutes. ibid.
§. 7. Sacerdotes fugiant vitia. ibid.
§. 8. Sacerdos qualis erga oves esse debeat. ibid.
§. 9. Sacerdotes mali. ibid.
Miscellanea. 345.

Titulus II.

Sacramenta. ibid.

Titulus III.

Sacrificia. ibid.

§. 1. Sacrificia, & oblationes, Veteris Testamenti. ibid.
§. 2. Sacrificia Novi Testamenti. 346.
N. 1. Figuræ Christus. ibid.
N. 2. Sacrificium incruentum Altaris Figuræ. ib.
Illius æstimatio, pretium. 347.
N. 3. Sacrificii celebratio, celebrans. ib.
N. 4. Missæ Votivæ, Ritus, &c. Quid significet vinum aqua mixtum. ibid.
§. 3. Sacrificium morale. ibid.
N. 1. Teipsum offer. Ex Veteri. Ex Novo. Patribus, & aliis. ib. & 348.
N. 2. Offer Deo optima. ibid.
N. 3. Offerentis utilitas sine damno. ibid.
N. 4. Deus pensat magis affectum præ munere. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. 349.
N. 5. Munera spontanea, meliora. 350.
N. 6. Deo sua offerimus. ibid.
Miscellanea. ib.

Titulus IV.

Saltus. ibid.

§. 1. Bonus. ib.
§. 2. Profanus. ibid.

Titulus V.

Salus animæ. ibid.

§. 1. Quàm Deo, chara, desiderata. ibid.
N. 1. Dicit suam: ea sibi opus esse. ibid.
Ex Veteri, Ex Novo. ibid.

N. 2.

N. 2. Deus, & Filius, charissima saluti animæ nostræ postponit. ibid.
N. 3. Plura de Dei amore salutis nostræ. Ex Veteri. 352.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 2. Exemplo Dei, Christi, & tu ama, cura, salutem tuam. 353.
N. 1. Eam omnibus terrenis præfer. ibid.
N. 2. Salus animæ negligitur, postponitur rebus vilibus. ibid.
§. 3. Salutem animæ curandi varia motiva. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & aliis. 354.
§. 4. Salutem tuam tu ipse tuo labore cura. ibid.
§. 5. Salutis media. ibid.
N. 1. Facilia, multa, in promptu. ibid.
N. 2. Pessimum jis abuti. 355.
§. 6. Salutis impedimenta tolle. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus VI.

Salutationes. ibid.

Titulus VII.

Sancti. ibid.

§. 1. Etymon. ibid.
§. 2. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid. & 356.
§. 3. Sanctum esse vera laus. ibid.
§. 4. Sancti à Deo honorantur, proteguntur. ibid.
§. 5. Sancti amantur, honorantur ab hominibus. ibid.
§. 6. Sancti sunt Patroni, intercessores. 357.
§. 7. Sanctorum cultus, & invocatio. ibid.
§. 8. Sanctificare. ibid.

Titulus VIII.

Sanctitas. ibid.

§. 1. In quo consistat. ibid.
§. 2. Sanctitatem præfer, junge, sapientiæ. ibid.
§. 3. Sanctitatis laudes, dignitas. ibid.
§. 4. Sanctitas in vultu lucet. ibid.
§. 5. Sanctitatem consequendi motiva. 358.
§. 6. Sanctitati omnis locus idoneus. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus IX.

Sanguis Christi. ibid.

Titulus X.

Sapientia. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. Sol. Lux. ibid.
Lux. Alia Symbola. 359.
§. 2. Sapientia in quo consistat: ejus definitio. ibid.
§. 3. Sapientiæ præstantia. 360.
§. 4. Sapientiæ fructus. ibid.
N. 1. Pax Concordia. ibid.
N. 2. Alii fructus. ibid.
§. 5. Sapientia sit practica: jungatur pietati, &c. ibid.
§. 6. Sapientia vult aliis communicari. ibid.
§. 7. Sapientia libenter interrogat, & discit. 361.
§. 8. Sapientia spectat æterna, cœlestia, non terrena. ibid.
§. 9. Sapientia est memor mortis. Novissimorum. ibid.
§. 10. Sapientiæ acquirendæ media. ibid.
§. 11. Sapientia Dei, Christi. Figuræ. De eadem. Sapientia. 362.
§. 12. Sapientia Mundi in rebus malis, terrenis. ibid.
Appendix. ibid.

Titulus XI.

Scandalum. ibid.

§. 1. Quid sit. ibid.
§. 2. Scandali malitia, gravitas, nocumenta. ibid.
N. 1. Sathanas ejus cooperator. ibid.
N. 2. Scandalosus est homicida, persecutor. 263.
N. 3. Varia. ibid.
§. 3. Scandalum Deo exosum. ibid.
§. 4. Scandalum præ aliis punitur. Ex Veteri. Ex. Novo. ibid. & 364.
§. 5. A scandalo absterrentia motiva alia. ibid.
§. 6. Scandalosos rejice. ibid.
Vide Societas mala.

Titulus XII.

Scientia. ibid.

§. 1. Illius laudes, æstimatio. ibid.
§. 2. Scientia vera, & sancta, quæ? ibid.
§. 3. Scientiæ origo, & media eam consequendi. 365.
§. 4. Scientiæ abusus. ibid.
§. 5. Scientia vana mala &c. ibid.
§. 6. Scientia curiosa, inquirens inutilia. ibid.
§. 7. Scientiæ utilitas. ibid.
§. 8. Priori affinis: indaga, & scrutare, utilia. 366.
§. 9. Scientia fit practica: fac, quæ scis, bona &c. ibid.
N. 1. Symbola, & similitudines. ibid.
N. 2. Motiva. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid. & 367.
§. 10. Scientiam junge amori divino. ibid.
§. 11. Scientia charitati postponitur. ibid.
Miscellanea. 368.

Titulus XIII.

Scriba, seu Scribere. ibid.

Titulus XIV.

S. Scriptura. ibid.

§. 1. Figuræ, & Symbola. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 2. Scripturæ dignitas, laudes. 369.
§. 3. Scripturæ utilitas. ibid.
N. 1. Est cibus. ibid.
N. 2. Medetur. ibid.
N. 3. Varia ejusdem utilitas. ibid.
§. 4. S. Scriptura delectat; similis horto. ibid.
§. 5. S. Scripturæ lectio, cognitio. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XV.

Senectus, Senes. 370.

§. 1. Symbola, descriptio. ibid.
§. 2. Senectus apta pietati. ibid.
§. 3. Senes honorandi. ibid.
§. 4. Senes non spernant juvenes. ibid.
§. 5. Senes vix corrigibiles. ibid.
§. 6. Senectus ex moribus æstimanda. Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 371.
§. 7. Miscellanea. ibid.

Titulus XVI.

Sensus. ibid.

§. 1. Symbola, & similitudines. ibid.
§. 2. Sensus frænandi, & mortificandi, motiva. ibid.
Sensus animi. 372.

Titulus XVII.

Sepulchra. ibid.

§. 1. Propriè nostrum. ibid.
§. 2. Sepulchrum Adami sub Cruce Christi. ibid.
§. 3. Miscellanea. ibid.
§. 4. Sepulchrum Christi Domini. Figuræ, Symbola. Varia de eodem. ibid. & 373.
§. 5. Sepulchra Sanctorum honorata, salutaria. ibid.

Titulus XVIII.

Sequela Christi. ibid.

§. 1. Figuræ. ibid.
§. 2. Motiva. Ex Veteri. 374.
Ex Novo. ibid.

Titulus XIX.

Sermones. 375.

§. 1. In genere. ibid.
§. 2. Sermones boni, spirituales. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.

§. 3. Sermo sit discretus, consideratus. Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ib.
§. 4. Sermones mali, vani. Ex Veteri, & Novo. 376.
Ex Patribus. ib.
§. 5. Sermones fœdi. ibid.

Titulus XX.

Serpentes.

§. 1. De serpente Paradisi. ibid.
§. 2. De aliis serpentibus. ibid.

Titulus XXI.

Servi hominum. 377.

§. 1. Non serviant ad peccatum. ibid.
§. 2. Servi boni, fideles, &c. ib.
§. 3. Servi mali, pigri. ibid.
§. 4. Erga servos herorum obligatio. ibid.
N. 1. Merces. ibid.
N. 2. Servorum habenda cura. ibid.
§. 5. Servi inscripti charactere domini. 378.
§. 6. Servitus fœda. ibi.
§. 7. Miscellanea. ibid.

Titulus XXII.

Servi Dei. ib.

§. 1. Gloriosus titulus. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus. ib. & 379.
§. 2. Servorum Dei utilitas. ibid.
N. 1. Prœmium. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ibid.
N. 2. Servis Dei omnia cooperantur in bonum. ibid.
§. 3. Servire Deo suave, & facile. ibi.
§. 4. Servire Deo suavius, & utilius, quàm Mundo, & diabolo. Ex Veteri. Ex Novo. 380.
§. 5. Servitia plura, & duriora, exigit diabolus, quàm Christus. ib.
§. 6. Serviendi Deo varia Motiva. 381.
§. 7. Servire duobus non potes. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 382.
§. 8. Servitia spontanea Deo gratiora. ib.

Titulus XXIII.

Silentium. ib.

§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Silentii laudes. 383.
§. 3. Similem Sapientiæ amicum. ib.
§. 4. Silentium orationi, & contemplationi, amicum. ib.
§. 5. Silentii amantes. ibid.
§. 6. Silentii alia Motiva. ibid.
§. 7. De garrulitate silentio contraria. 384.
§. 8. Varia alia. ib.
§. 9. De silentio in calumniis, ærumnis, injuriis. ibid.
Exemplum Christi. Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.

Titulus XXIV.

Simplicitas. ibid.

§. 1. De simplicitate opposita astutiæ: amatur, docetur, à Deo &c. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
§. 2. De simplicitate opposita duplicitati, & simulationi. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 386.
§. 3. De simplicitati opposita duplicitate, & simulatione. Ex Veteri, & Novo. Motiva hanc vitandi. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.

Titulus XXV.

Singularitas. 387.

Motiva vitandi. Primum: Exemplum Christi. ibid.
Secundum: alia Exempla. Item quàm noxia, periculosa, singularitas. ibid.

Titulus XXVI.

Societas. ibid.

§. 1. Bona. Symbola. Testimonia. ibid.
Ex Veteri, Novo, & Patribus. ib.
§. 2. Inter bonos malum esse, pessimum. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 388.
§. 3. Societas mala. In ea permane bonus. Symbola. ib.
Exempla, & Testimonia. 389.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Societas mala nocet, pervertit. Symbola. 390
§. 5. Testimonia. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid. & 391
§. 6. Societatem malam fugientium Exempla. ibid.

Titulus XXVII.

Sol. ibid.

Laudes. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XXVIII.

Solatia. ibid.

§. 1. Symbola divinorum. ibid.
§. 2. Solatia extra Deum nulla, aut falsa. Ex Veteri. 392.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib.
§. 3. Solatium divinum adest, absente, aut spreto, humano. Ex Veteri, & Novo. ibid.
§. 4. Solatia divina non miscentur humanis. 393.
§. 5. Solatiis etiam divinis disce carrere. ibid.
§. 6. Miscellanea de solatiis divinis. ibid.
§. 7. Solatia humana, & terrena, non quære. ibid.

Titulus XXIX.

Sollicitudo. 394

§. 1. Symbola. ib.
§. 2. Sollicitudines vanas dimittendi, temperandi &c. Motiva. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 395
Miscellanea. ibid.

Titulus XXX.

Solitudo. ib.

§. 1. Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ib.
§. 2. Solitudinis variæ laudes, & Motiva. 396.
§. 3. Solitudo deliciosa. ibid.
§. 4. In solitudine videtur, auditur, Deus. Ex Veteri. ib.
Ex Novo. ib.
§. 5. Solitudo meretur Angelorum consortium. 397.
§. 6. Solitudo contra peccata, apta pœnitentiæ. ibid.
§. 7. Solitudinis dereliction sordes trahit, nocet. ibid.
§. 8. Solitudo dat pretium, æstimationem. ibid.
§. 9. Solitudinis aliæ utilitates, Motiva. ibid.
§. 10. Solitudo in turba. ibid.
Miscellanea. 398.

Titulus XXXI.

Somnia. ib.

Titulus XXXII.

Somnus. ib.

§. 1. Imago mortis. ibid.
§. 2. Somni moderati Motiva. ibid.
§. 3. Somnus incommodus, molestus. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XXXIII.

Spes. ib.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 399.
§. 2. Spes in solo Deo. ibid.
Ex Veteri. ibid.

Ex

Ex Novo, Patribus, & aliis. 400.
§. 3. Spei hujus alia Motiva. ib.
Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Non sperandum in homine, & cœteris creaturis; nec in se. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. 401.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 5. Speret peccator veniam, quia aliis data. ibid.
N. 1. Symbola. ibid.
N. 2. Exempla. David. Tres Reges. Matthæus. Zacharias. Magdalena. 402.
Petrus. Latro. Nicodemus. Paulus. ib. & 403.
N. 3. Plures alii. ibid.
§. 6. Sperandæ veniæ, & salutis, alia Motiva. 404.
Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
Vide Bonitas. Misericordia. Salus.
§. 7. Contra desperationem Motiva. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 405.
§. 8. Spei junge opera, virtutes, &c. ibid.
Ex Veteri, Ex Novo, Patribus, & aliis. ib.
§. 9. Spera, & time. ibid.
N. 1. Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. 406.
Vide Misericordia. Justitia.
N. 2. Motiva. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus. ibid.
§. 10. Spes longanimis. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. 407.
§. 11. Spes maximè floret in arduis diffidentia, sui &c. 408.
Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
Vide Fiducia.
Miscellanea. ibid.

Titulus XXXIV.

Spiritualia. ibid.

§. 1. Præfer corporalibus. ibid.
§. 2. Spiritualia obscura sunt carnalibus. 409.
§. 3. Spiritualia vitæ Signa. ibid.
§. 4. Varia. ibid.

Titulus XXXV.

Spiritus. ib.

Titulus XXXVI.

S. Spiritus. ib.

§. 1. Figuræ. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 410.
§. 2. S. Spiritus varia nomina, & laudes. ibid.
§. 3. S. Spiritus amor, bonitas, liberalitas in nos. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 411.
§. 4. S. Spiritus bonitas, & misericordia, erga peccatores. Figuræ, Symbola. 412.
Testimonia. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus. ib.
§. 5. S. Spiritus respiciens pœnitentes. ibid.
§. 6. S. Spiritus respiciens lacrymas. 413.
§. 7. S. Spiritus docet, illuminat. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib.
§. 8. S. Spiritus inflamat, dat Dei amorem. 414.
§. 9. S. Spiritus respiciens patientiam tribulationes. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus. ibid.
§. 10. S. Spiritus respiciens charitatem, & pacem. Symbola. Ex Veteri. Columba. Alia Symbola. Testimonia. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 415.
§. 11. S. Spiritus gratia. Figuræ, & Symbola. ibid.
Miscellanea. 416.
§. 12. S. Spiritus dona. Figuræ, & Symbola. ibid.
Miscellanea. ibid.
§. 13. S. Spiritus effectus, & operationes. ibid.
N. 1. Mutat, renovat. ib.
N. 2. Disponit ad ardua. ibid.
N. 3. Facit amare cœlestia, spernere terrena. ib.
N. 4. Alii præclari effectus. 417.
§. 14. S. Spiritui perfectè obediendum. ibid.
§. 15. Dispositiones ad S. Spiritum recipiendum, & conservandum. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 16. S. Spiritus impedimenta. 418.
Miscellanea. ibid.

Titulus XXXVII.

Stella. ib.

§. 1. Vocantur militia, castra &c. ib.
§. 2. Stellarum magnitudo, celeritas, & laudes. ib.
§. 3. De stella trium Regum. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus XXXVIII.

S. Stephanus Proto-Martyr. ib.

§. 1. Figuræ. ibid.
§. 2. Charitas. ibid.
§. 3. Amor inimicorum, & oratio pro iis. 419
§. 4. Cur Christum viderit stantem? ibid.
§. 5. Variæ virtutes, & laudes. ibid.

Titulus XXXIX.

Stultitia. ib.

§. 1. Stultum est, futura non prævidere. ibid.
§. 2. Miscellanea. 420.

Titulus XL.

Sudor Christi D. sanguineus. ibid.

Titulus XLI.

Superbia. ibid.

§. 1. Symbola, Similitudines. Aves. Alia Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 421.
§. 2. Superbiam diabolum respiciens. ibid.
§. 3. Superbia deprimitur, descendit, cadit. ibid.
N. 1. Symbola. ibid.
N. 2. Testimonia. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. 422.
§. 4. Superbi à fœminis humiliati. ibid.
§. 5. Superbi à parvulis humiliati. ibid.
§. 6. Supebi à vilibus animalibus, & bestiolis, humiliati. ibid.
§. 7. Superbus confunditur libidine. ibid.
§. 8. Superbia non durat, citò perit. 423.
§. 9. Superbia vilis. ibid.
§. 10. Superbiæ variæ pœnæ. ibid.
§. 11. Superbia cœli incapax. ibid.
§. 12. Superbia Deo, & hominibus, exosa. ibid.
Vide Humilitas.
§. 13. Superbia Inferno mancipata. 424.
§. 14. Superbiæ frœnum, & remedium humilitas Christi. ibid.
§. 15. Superbiæ damna, inopia. ibid.
§. 16. Superbiæ miseriæ, afflictio, pericula. ibid.
§. 17. Superbia origo vitiorum. ib.
§. 18. Superbiæ frœnum vilitas nostra. ibid.
§. 19. Superbiam vitandi varia Motiva. 425.
§. 20. Superborum malitia, & actus. ibid.
N. 1. Vult esse solus. ibid.
N. 2. Spernit reliquos. ibid.
N. 3. Alii varii actus. ibid.
§. 21. Superbiæ qui præ aliis obnoxii. ibid.
N. 1. In genere. ibid.
N. 2. Superbia non patitur æqualem. ibid.
§. 22. Superbiæ origo. 426

Titulus XLII.

Superflua. ibid.

Titulus XLIII.

Superiores. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. 427.
§. 2. Superiores Deus honorat, tuetur famam. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
§. 3. Superiores à nobis honorandi. ibid.
§. 4. Superiorum dignitas, grave onus. 428.
§. 5. Superior fulgeat sanctitate, virtutibus &c. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.

§. 6.

§. 6. Superior vincat suos sanctitate, virtute &c. 429.
§. 7. Superior bono exemplo præluceat. ibid.
§. 8. Superior amet suos, æstimet, honoret. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 9. Superior æqualiter amet, curet, puniat. 430
Figuræ, Symbola. Testimonia, ibid.
Ex Novo. ibid.
§. 10. Superior sit clemens, condescendat &c. Exempla & Testim. Ex Vet. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 431
Vide Correctio lenis.
§. 11. Superior præest, ut prosit, sit liberalis &c. ibid.
N. 1. Symbola. ibid.
N. 2. Testimonia, & Exempla ex Veteri, Ex Novo, Ex Patribus, & aliis. ib. & 432
N. 3. Exemplum Christi Domini. ib.
N. 4. Superior procuret suis bona corporalia, & spiritualia. ib.
§. 12. Superior non quærat se; suorum commodum suo præferat. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 13. Superior non velit sibi bene, dum suis malè. 433
§. 14. Superior sit suis pater, & mater. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
§. 15. Superiores sunt ministri suorum. ib.
§. 16. Superior sit tamquam unus ex subditis. ibid.
§. 17. Superior non sit imperiosus; roget, suadeat. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. 434
§. 18. Superior sit suavis, lenis, non rigidus. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
N. 2. Testimonia, & Motiva ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. 435
§. 19. Superior audiat benignè opposita. ibid.
§. 20. Superior sit suavis, & severus. 436
N. 1. Figuræ, & Symbola. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
N. 2. Testimonia, & Exempla. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid. & 437
§. 21. Superior non sit sibi lenis, aliis rigidus. ibid.
Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
§. 22. Superior facilem det suis accessum. ibid.
§. 23. Superior visitet suos; sit præsens, vigilet, attendat. 438
N. 1. Figuræ, & Symbola. ibid.
N. 2. Testimonia, & Exempla. ibid.
Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
§. 24. Superior consulat suorum bono spirituali; corrigat non sit mollis. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Patribus, & aliis. 439
§. 25. Superioratus non appetendus. ibid.
§. 26. Superiores mali. ibid.
N. 1. Figuræ. Symb. ibid.
N. 2. De iisdem varia. Ex Veteri. 440
Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.

Titulus XLIX.

Suspicio. ibid.

T

Titulus I.

Temperamenta. 441

Titulus II.

Temperantia. ibid.

§. 1. Sanitatis mater; noverca intemperantia. Exempla. ib.
§. 2. Varia alia Motiva. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus. 442
§. 3. Post cibum oratio. Exempla Temperantiæ. ibid.

Titulus III.

Templa. ibid.

§. 1. Figuræ, Similitudines. ibid.
§. 2. Templorum laudes, & nomina. 463
§. 3. Templa amandi, frequentandi, Motiva. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 4. Templa ædificandi Motiva. ibid.
§. 5. Templa splendida, & sumptosa. 464
§. 6. Templa ornantur pietate, profanantur peccatis. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
§. 7. Templorum reverentia commendatur, & in ea devotio. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 8. Commendatur in Templis silentium; arguitur garrulitas. 445
§. 9. Contra irriverentiam in Templo. ibid.

Titulus IV.

Tempus. ibid.

§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Tempus pretiosum; eo bene utere. ibid.
§. 3. Tempus breve. 446

Titulus V.

Tentationes. ibid.

§. 1. Symbola. ibid.
§. 2. Tentationum utilitas. Symbola. ibid.
Testimonia. ibid.
Ex Veteri, Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 3. Tentationibus resistendi. 447
N. 1. Deus, & gratia ejus, adjuvat. ibid.
N. 2. Tentationibus possumus resistere; nostra ignavia vincimur. ibid.
Ex Vet. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 448
N. 3. Tentationes vincendi Motiva. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 449
§. 4. Tentationibus maximè obnoxii Deo devoti. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
Ex Vet. Ex Novo, Patribus. ibid.
N. 2. Exempla, & Sententiæ. Ex Vet. Ex Novo. ib. & 450
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 5. Tentationes periculosæ, continuæ, ubique. ibid.
§. 6. Tentationum remedia, amuleta. 451
N. 1. Caput pete, initium elide. ib.
N. 2. Alia remedia ex Vet. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 7. Tentationum variæ species, & circumstantiæ. 452
§. 8. Tentationum origo, & qui iis obnoxii. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus VI.

Tepiditas. ibid.

§. 1. Labitur in pejus. ibid.
§. 2. Tepor pejor frigore. ibid.
§. 3. Quis tepidus? quis frigidus? 453
§. 4. Tepiditatem vitandi Motiva alia. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus VII.

Terra. ib.

§. 1. In genere. ibid.
§. 2. Terræ fertilitas. 454
§. 3. Terræ motus. ibid.
§. 4. In Terra nè habites. ibid.

Titulus VIII.

Terrena. ibid.

§. 1. Symbola. Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 2. Symbola Terrena spernentium: sunt aquilæ. Alia Symb. Ex Veteri. 455
Ex Novo, Patribus, & aliis. ibid.
§. 3. Terrena spernendi Motiva. 456
N. 1. Nobilitas hominis sancta superbia. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid.
N. 2. Terrena etiam malis obveniunt. ibid.
N. 3. Terrenis semper aliquid deest. Ex Veteri. 457
Ex Novo. ibid.
N. 4. Terrena sunt vana, nihil. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis. ibid. & 458
N. 5. Terrena sunt periculosa, noxia. Ex Vet. Ex Novo. ibid.
N. 6. Terrena sunt vilia, brevia, pauca, vana. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & aliis. ib. & 459
N. 7. Terrena spernentium dignitas, honor præmia. ib.
N. 8. Terrena spernentium utilitas, præmia. ibid.
N. 9. Christi exemplum, & monita. ibid.
N. 10. Exempla Sanctorum. 460
N. 11. Terrena spernendi varia Motiva. ibid.

Ter-

§. 4. Terrenorum amor, & amatores. ibid.
N. 1. Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo, & Patribus. ibid.
N. 2. Terrena amantur, præponuntur spiritualibus. Ex Vet. Ex Novo. 461.
N. 3. Ex Terrenorum amore dolor, & labor. ibid.
§. 5. Terrenorum damna, pericula. Ex Vet. ibid.
Ex Novo. Patribus & aliis. ibid.
§. 6. Terrena sunt stultitia, puerilitas. Ex Veteri. Ex Novo &c. 462.
§. 7. Terrenis præpone Christum, spiritualia. ibid.
§. 8. Terrena spernit, qui amat cœlestia. 463.
N. 1. Symbola. Ex Veteri. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
N. 2. Exempla, & Testimonia. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. Ex Patribus. 464.
§. 9. Terrena amans spernit cœlestia. ibid.
N. 1. Symbola. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus &c. 465.
N. 2. Testimonia. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus &c. ibid.
Miscellanea. ibid.

Titulus IX.

S. Thomas Apost. ibid.

Titulus X.

Timor. ibid.

§. 1. In genere, bonus, & malus. ibid.
§. 2. Timor pejor ipso malo, quod timetur. 466.
§. 3. Timor Dei. Illius laudes, præstantia &c. ibid.
§. 4. Timor Dei lætus, amabilis. ibid.
§. 5. Timor Dei non finit peccare, custodit legem &c. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
§. 6. Timor Dei dat robur fortitudini junctus. ibid.
§. 7. Timor Dei omnem alium timorem pellit. Ex Veteri 467.
Ex Novo. Patribus & aliis. ibid.
§. 8. Time Deum, non homines. ibid.
§. 9. Timor Dei ob beneficia. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo. ibid.
§. 10. Varia de Timore Dei. 468.
§. 11. Timor hominum. ibid.
N. 1. Facilè prævaricatur. ibid.
N. 2. Non timendi homines Motiva. ibid.
§. 12. Timor salubris de salute, perseverantia. Ex Veteri &c. 469.

Titulus XI.

Tribulatio. 470.

§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Vet. &c. ibid.
§. 2. Tribulationum utilitas, Figuræ, Symb. Ex Vet &c. ibid.
§. 3. Tribulationes ferendi Motivum: inevitabilis necessitas. 471.
§. 4. Tribulatio honorifica, magni facienda, pretiosa. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
N. 2. Testimonia. Ex Veteri. Ex Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. 472.
§. 5. Tribulatio melior prosperitate. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus &c. ibid.
N. 2. Testimonia. 473.
Ex Veteri. Ex Novo. ib.
§. 6. In Tribulationibus benedictio. ibid.
§. 7. Tribulatio magnum beneficium, & donum. 474.
§. 8. Tribulationes à Deo proveniunt. Ex Veteri. ibid.
Ex Novo Ex Patribus, & aliis. 475.
§. 9. Tribulationes propriæ Dei amicorum. ibid.
N. 1. Fig. Symb. Ex Vet. ibid.
Ex Novo. ibid.
N. 2. Exempla. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus &c. ibid. & 476.
§. 10. Tribulationes disponunt, & sunt via ad cœlum. Fig. & Symb. ibid.
Ex Veteri, & Novo. ibid.
Ex Patribus, & aliis. ibid.
§. 11. Tribulationes mundant, sanant; præservant à peccato. 477.
N. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus &c. ibid.
N. 2. Testimonia. Ex Vet. &c. ibid.
§. 12. Tribulationes retrahunt ab Inferno. Ex Veteri &c. ibid.
§. 13. Tribulatio est Schola; docet, illuminat. Figuræ, Symb. Ex Vet. 478.
Exempla. Ex Vet. &c. ibid.
§. 14. Tribulatio prodest virtuti, perfectioris Frig. Symb. Ex Veteri, &c. 543.
§. 15. Affinis priori. Tribulatio facit probum, adducit ad Deum. 479.
N. 1. Figuræ, Symbola. Ex Vet. &c. ibid.
N. 2. Testim. Ex Vet. &c. 480.
§. 16. Tribulatio facit suspirare cœlum. ibid.
§. 17. Tribulationis variis fructus, & prœmia. Ex Veteri &c. ibid.
§. 18. Tribulatio est parva brevis. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri &c. ibid.
N. 2. Testim. Ex Veteri, &c. 481.
§. 19. In tribulatione adest Deus, patitur cum patientibus. Ex Vet. &c. 482.
§. 20. Tribulationes Deus non immittit ultra vires. ibid.
Ex Veteri. & Novo. ibid.
§. 21. In Tribulatione Deus consolatur, tuetur. ibid.
§. 22. Tribulatio probat nos. 483.
§. 23. Tribulatio justum non lædit, immò roborat. ibid.
N. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
N. 2. Testimonia. Ex Veteri &c. ibid.
§. 24. In Tribulatione non pecca, non defice. ibid.
§. 25. Tribulationes quo animo ferendæ. Ex Vet. &c. 484.
§. 26. Tribulationis sanctis charæ, optatæ &c. Ex Vet. &c. ibid.
Exempla Historica. 485.
§. 27. Tribulationes apprehende bona ansa. Ex Vet. &c. ib.
§. 28. In Tribulatione fac ex necessitate virtutem. 486.
§. 29. Varia alia Motiva. ibid.
§. 30. In Tribulatione solatia, & refugia. ibid.

Titulus XII.

SS. Trinitas. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola, Testim. ibid.
Ex Veteri &c. ibid. & 487.
§. 2. A SS. Trinitate nobis collata beneficia. Ex Vet. &c. 488.
§. 3. SS. Trinitas colenda, laudanda. Ex Veteri &c. ibid.
§. 4. SS. Trinitatem ama, non offende. Ex Patribus, & aliis. 489.

Titulus XIII.

Tristitia. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
§. 2. Tristitia vitiosa, & indifferens. Ex Vet. &c. ibid.
§. 3. Tristitia bona, salubris. ibid.
§. 4. Tristia Christi. Figuræ. Varia de eadem. 490.

Titulus XIV.

Turcæ. ibid.

V

Titulus I.

Vanitas. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola, Definitio. Ex Vet. &c. ibid.
§. 2. Vanitatem spernendi Motiva. Ex Veteri, &c. 491.

Titulus II.

Venditio Christi.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
§. 2. Quam vili æstimatus. 492.
§. 3. Venditionis causa, finis. ibid.

Titulus III.

Verbum Verba. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
§. 2. Verba Christi in Cruce. ibid.
§. 3. Verba humana. ibid.

Titulus IV.

Verbum Dei. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Vet. &c. Symbola & laudes. Ex Veteri &c. ibid. & 493.
§. 2. Verbum Dei necessarium. Ex Veteri, &c. ib.
§. 3. Verbi divini fructus, & utilitas, præcipuè peccatoribus. Figuræ, Symbola. Ex Vet. &c. ibid.
Testimonia. Ex Veteri &c. ibid. & 494.
§. 4. Verbi Dei efficacia. Figuræ, Symb. ibid.
Testim. Ex Veteri &c. ib. & 495.

§. 5.

§. 5. Verbum Dei negligentes; damna neglecti. Ex Vet. &c. ibid.
§. 6. Verbum Dei audiendi Motiva varia, Exempla. ibid.
§. 7. Verbi divini audiendi alia Motiva, Ex Vet. &c. ibid.
§. 8. Verbum Dei attentè audiendum. 496
§. 9. Verbo Dei dæmoni sensus. ibid.
§. 10. Verba Dei in corde conserva, rumina, Figur. Symbol. ibidem.
Testim. Ex Vet. &c. 497
§. 11. Verbum Dei audi, & fac, Fig. Symb. ibid.
Motiva. Ex Vet. &c. ibid.
§. 12. Verbum Dei non facientium malitia, damna. Ex Vet. &c. ibid.
§. 13. Verbum Dei à quovis libenter audi, Fig. Symb. Motiva, & Exempla. Historica. 498
§. 14. Verbi Dei dispositio, capacitas. Ex Vet. &c. ibid.
§. 15. Verbum Dei quibus exosum. 499
§. 16. Verbum Dei qui incapaces; in quibus sterile. ibid.
Vide Conciones.

Titulus V.

Verecundia. ibid.
Vide Pudor.

Titulus VI.

Veritas. 500

§. 1. Illustratur adversariis; vincit. ibid.
§. 2. Veritas exosa. Ex Vet. &c. ibid.
§. 3. Veritatem audiendi, acceptandi, Motiva. 501
§. 4. Veritas liberè dicenda. ibid.
§. 5. Veritas opposita falsitati. ibid.
§. 6. Veritas opposita mendacio. ibid.

Titulus VII.

Vestes. ibid.

§. 1. Vestium luxus. Ex Vet. &c. ibid. & 502
§. 2. Sub vestibus splendidis animus sordidus. ibid.
§. 3. Sub veste pretiosa, magna sæpe latet fames, & inopia. ib.
§. 4. Exempla modestiæ in vestitu. 503
§. 5. De vestimentis varia. ibid.

Titulus VIII.

Via. ibid.

Purgativa, illuminativa, Unitiva.
Plura de viis. ibid.

Titulus IX.

Victoria. 504

§. 1. Contra hostes visibiles paucorum contra multos. ibid.
§. 2. Varia de Victoria contra hostes visibiles. ibid.
§. 3. Victoriæ Christi Symbolum Palma. Varia. ibid.
§. 4. Victoria sui. ib.
Ex Veteri &c. ibid. & 505
§. 5. Victoria de vitiis, diabolo, tentationibus. ibid.
Figuræ, Symbola. ibid.
Testimonia. ibid.
Ex Veteri &c. ibid.

Titulus X.

Viduæ. 506

§. 1. Nomen, Symbola, Virtus. ibid.
§. 2. Viduarum tutela, patrocinium. ibid.
Ex Veteri &c. ibid.

Titulus XI.

Vigilantia. ibid.

Titulus XII.

Vinum. 507

Titulus XIII.

Vir. ibid.

Titulus XIV.

Virginitas. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
§. 2. Virginitatis excellentia, laudes. Ex Vet. &c. ib. & 508
§. 3. Virginitatis prærogativæ, gratiæ, speciales, revelationes &c. ibid.
§. 4. Aliæ gratiæ, & dona. Ex Vet. &c. 509
§. 5. Virginitas quibus virtutibus ornanda, præsidiis muniendа. Primò solitudo. Secundò Humilitas. Tertiò Variæ aliæ virtutes. Ex Vet. &c. ibid. & 510
§. 6. Virginitatem servandi, & tuendi. Motiva. ibid.

Titulus XV.

Virtus. ibid.

§. 1. Fig. Symb. Ossa. Alia Symb. Ex Vet. &c. ibid. & 511
§. 2. Virtutis vocabula, & nomenclatio; in quo consistat. ibid.
§. 3. Virtutem assequendi Motiva. Excellentia, laudes. ibid.
Ex Veteri &c. ibid. & 512
§. 4. Virtutem comparandi Motiva varia. Ex Vet. &c. ib.
§. 5. Virtus una non sufficit; omnibus orneris. Figuræ, Symbola. Ex Vet. &c. 513
§. 6. Virtus ardua, cur? & quibus? Ex Vet. &c. 514
§. 7. Virtus exercitio fit facilis. Fig. Symb. Ex Veteri &c. ibidem.
Testimonia. Ex Veteri &c. ibid.
§. 8. Virtus arduis crescit, adversariis gaudet, lucet in terra. Fig. Symbola. Testimonia. ib. & 515
§. 9. Virtutem consequendi, & conservandi, praxes. Prima: Sensim, & pedetentim. Secunda: Priùs extirpa vitia. Fig. Symbola. Ex Veteri, & Novo. ibid.
Motiva. Ex Veteri &c. ibid.
§. 10. Virtus non amatur: sumus difficiles ad illam. Ex Veteri &c. 516
§. 11. Varia de Virtute in genere. ibid.
§. 12. Virtutes Theologicæ. Fig. Symb. Abraham, Isaac, Jacob. Aliæ Fig. & Symb. Ex Vet. &c. ib. & 517
§. 13. Varia de iisdem. ibid.
§. 14. Virtutes Cardinales. Fig. Symb. Ex Veteri &c. Alia. ibid.

Titulus XVI.

Vita. 518

§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri &c. ibid.
§. 2. Vita brevis, fragilis. Fig. Symb. Ex Vet. &c. Testim. Ex Veteri &c. ib. & 519
§. 3. Vita misera, & ærumnosa. Fig. Symb. Testimon. Ex Veteri &c. ibid.
§. 4. Vita mixta prosperis, & adversis. Fig. Symbol. Ex Vet. &c. Testim. & Exempla. Ex Vet. 520
§. 5. Vita proba. Ex Vet. &c. 521
§. 6. Vita longæva, vel brevis, moraliter. Ex Veteri &c. ibid. & 522.
§. 7. Vita activa, & Contemplativa. Fig. Symb. Ex Vet. &c. ibid. & 523.
Utramque junge. ibid.
§. 8. Vita Activa. Figuræ. ibid.
Præfertur Contemplativæ. ibid.
§. 9. Vita Contemplativa. ibid.
Num. 1. Figuræ. ibid.
Num. 2. Præfertur Activæ. ibid.
Num. 3. Juvat Activam. 524
§. 10. Propter Activam abrumpe Contemplativam. Ex Vet. &c. ibid.

Titulus XVII.

Vocatio divina. ibid.

§. 1. Vocationes variæ. ibid.
§. 2. Vocationis divinæ efficacia. 525
§. 3. Vocationi divinæ obtemperandum. ibid.

Titulus XVIII.

Voluntas. ibid.

§. 1. In genere, bona, & mala. Ex Vet. &c. ibid. & 526
§. 2. Voluntas bona pro opere. Ex Vet. &c. ibid.
§. 3. Voluntas bona facit omnia facilia. 527
§. 4. De Voluntate bona varia. ibid.
§. 5. Voluntas Dei. Ex Vet. &c. ibid.
§. 6. Voluntatis humanæ cum divina conformitas. Fig. Symb. Simi-

Similitudines. Ex Vet. &c. ibid.
Exempla. Ex Vet. Ex Novo Christus. Alia. 258
Exempla ex Vet. & Novo. ibid.
Motiva varia. Ex Pat. & aliis. ibid. & 259
§. 7. Voluntas mala. ibid.
§. 8. Voluntas mala sæpè pro lege, & jure. ibid.
§. 9. Voluntas propria noxia &c. Ex Vet. &c. ibid. & 530
§. 10. Voluntas propria mortificanda. ibid.

Titulus XIX.

Voluptas. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. ibid.
Ex Veteri &c. ibid.
§. 2. Voluptatem spernendi, vitandi, Motiva. 531
Num. 1. Christus, ejus Incarnatio, Passio &c. ibid.
N. 2. Voluptates non decent Christianum. ibid.
N. 3. Voluptates vincentium, & spernentium, Exempla. ibid.
N. 4. Voluptas noxia, periculosa, affligit. ibid.
N. 5. Voluptatis finis, dolor. ibid.
N. 6. Voluptates spernendi varia Motiva. 532
Miscellanea. ibid.

Titulus XX.

Vota Religiosa. ibid.

Figuræ, Symbola. ibid.

Titulus XXI.

Vulnera Christi. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola. Ex Veteri &c. ib. & 533.
§. 2. Vulnera Christi beneficia, salubria. ibid.
§. 3. Vulnera Christi proficua peccatori. ibid.
§. 4. Vulnera Christi cur retenta in Resurrectione? ibid.
§. 5. Vulnus Lateris Christi. Figuræ. Unus militum &c. ib.

Titulus XXII.

Uxor. 535

§. 1. Bona. ibid.
§. 2. Uxor mala. ibid.
§. 3. Uxor qui erga virum se habere debeat. ibid.
§. 4. Uxor quomodo à marito habenda. ibid.
§. 5. Uxor qualis ducenda. Varia. 536

Z

Titulus I.

Zelus animarum. ibid.

§. 1. Figuræ, Symbola, Zeli, & Zelantium. Ex Veteri &c ibid. & 537.
§. 2. Motiva. ibid.
Primum. Zelus Deo, & Christo, gratus. Ex Veteri &c. ibidem.
Secundum. Exempla. Ex Veteri. Ex Novo Christi, Aliorum. ibid. & 538
§. 3. Zelus animarum in periculis tutus. Fig. Symb. ibid
Testim. Ex Vet. &c. ibid.
§. 4. Zeli animarum varia Motiva, & laudes, ex Veteri &c. 539.
§. 5. Zeli animarum proprietates, & actus. 540
Occurrit priùs magis egenti. ibid.
Nullus locus ei vilis. ibid.
§. 6. Zelus animarum sit universalis; non loco, non personis, affixus. Christi Domini. Aliorum. ibid.
§. 7. Zelus animarum quas virtutes requirat. ibid.
Num. 1. Spernat terrena; non quærat tua &c. ibid.
N. 2. Humilitas. 541
N. 3. Pura intentio, & alia requisita. ibid.
§. 6. Priùs tibi intende, Zelum exerce sine tuo damno. Ex Vet. &c. ibid.

Titulus Ultimus.

Zelus honoris divini. 542

O. A. M. D. G.

F I N I S.

AUCTARIUM
POLYANTHEORUM
SACRORUM

EX MANUSCRIPTIS

R. P. ANDREÆ SPANNER

E Societate JESU,

à quodam ejusdem SOCIETATIS

SACERDOTE

Collectum,

Et in usum Sacrorum præsertim Oratorum pro exornandis eorundem Dictionibus.

Typis Editum.

VENETIIS, MDCCXLI.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

DUm Polyanthea Sacra, Opus Posthumum R. P. ANDREÆ SPANNER, ex diversis illius Manuscriptis in suos Titulos, & Paragraphos, magno meo per plures Annos labore distributa, & conscripta, adhuc sub prælo sudarent; submissi sunt mihi duo alii ejusdem Tomuli. Continebant hi ex variis authoribus, præcipuè Sanctis Patribus, præter fusiora Religiosorum Ordinum, eorumque Fundatorum, encomia, selectas, easque plurimùm Symbolicas, materias; quibus, tanquam exquisitis flosculis, Sacrorum Oratorum Dictiones eleganter exornari possunt. Quia verò promiscuè conscripta fuerant; ut publicæ utilitati servirent, etiam hunc laborem, accedente superiorum hortatu assumpsi; singula suis Titulis subjeci, & per modum Auctarii Polyantheorum Sacrorum nuper Typis editorum, annuente Superiorum Facultate, iisdem mandari feci. Si accuratis in Manuscripto meo citationibus typothetæ diligentia accesserit, eò charius hoc Opusculum Lectori futurum confido.

BARTHOLOMÆUS MAYER,
Societ. JESU.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

FERDINANDUS WALDTHAUSER,

SOCIETATIS JESU

Per Provinciam Bohemiæ Præpositus Provincialis.

CUm Librum, cui Titulus: AUCTARIUM POLYANTHEORUM SACRORUM; à Patre Andrea Spanner nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, & in lucem edi posse judicaverint: Potestate à Patre nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali ad id mihi data facultatem concedo; ut Liber Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas, & sigillo officii mei munitas dedi Pragæ 31. Octobris, Anno 1703.

L. S.

FERDINANDUS WALDTHAUSER.

POTESTAS

Bibliopolæ facta à R. P. Provinciali Societatis JESU per Provinciam Bohemiæ.

CUm Sacræ Cæsareæ Majestatis decreto omnibus, & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis librariam negotiationem exercentibus, seriò, firmiterque inhibeatur; nè quisquam ullos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel imposterum edendos, intrà Sacri Romani Imperii, Regnorumque, & Dominiorum Suæ Sacræ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, vel alio characteris genere, atque forma, sive in toto, sive in parte, recudere, vendere, aut distrahere, clam, seu palam, citra consensum, ac testimonium, suprà dictorum Patrum audeat. Ego JOANNES MILLER, Societatis JESU per Provinciam Bohemiæ Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à Patre Nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali, *Josepho Schlogel Nissensis Typographo* Jus Cæsarei hujus Privilegii circà AUCTARIUM POLYANTHEORUM SACRORUM, & typis dicti *Josephi Schlogel* edendum, usurpandi potestatem ad decennium indulgeo: ut, eo invito, idem nemo recudere, nemo intrà S. R. I. fines, & hæreditarias Sac. Cæs. Majestatis Provincias, importare, aut venum exponere audeat.

Roborandæ Facultati Sigillum Officii mei appressi, & nomen meum subscripsi.

Pragæ 13. Decembris 1704.

L. S.

JOANNES MILLER, Soc. Jesu,
Per Provinciam Bohemiæ Præpositus Provincialis.

INDEX
ALPHABETICUS TITULORUM,
SIVE MATERIARUM,

Quæ in hoc Opere Continentur.

A.

Titulus I.
Acedia. pag. 9
Titulus II.
Adventus Christi. ibid.
Titulus III.
Æternitas. ibid.
Vitulus IV.
Amicus. 10
Titulus V.
S. Andreas Apostol. ibid.

Varia.

Titulus VI.
Angelus. ibid.
Titulus VII.
Anima secundùm se. ibid.
Titulus VIII.
Anima Sancta. 11
Titulus IX.
Anima peccatrix. 13

Varia de Anima.

Titulus X.
Anima, & Caro. ibid.
Titulus XI.
Anti-Christus. ib.
Titulus XII.
Apostoli. 14
Titulus XIII.
Aqua. ibid.
Titulus XIV.
Avaritia. Avarus. 15

Varia de Avaritia.

Titulus XV.
S. Augustinus. 16

B.

Titulus I.
Baptismus. ibid.
Titulus II.
Baptizatus, 18
Titulus III.
S. Basilius. ibid.
Titulus IV.
Beatitudo æterna. ibid.
Titulus V.
Beatitudo temporalis. 19
Titulus VI.
S. Benedictus, & ejus Sacer Ordo. 21
Titulus VII.
S. Bernardus, & ejus Sacer Ordo. ibid.
Titulus VIII.
S. Bruno, & ejus Sacer Ordo. 22

C.

Titulus I.
Caro. 24
Titulus II.
Caro Christi. ibid.
Titulus III.
Castitas. ib.
Titulus IV.
Cella. Cellicola. 25

Varia promiscuè.

Titulus V.
Charitas. ibid.

Varia.

Titulus VI.
Charitas DEI, & proximi. 27
Titulus VII.
Christus Dominus. 28
Titulus VIII.
Christus Domini Incarnatio. 34

Varia.

Titulus IX.
Christi Domini Nativitas. 35

Varia.

Titulus X.
Christi Domini Passio. ib.
Titulus XI.
Christi Domini Resurrectio. 37
Titulus XII.
Christi Domini Ascensio. ibid.

Varia de Christo Domino promiscuè.

Titulus XIII.
Cogitationes. 38
Titulus XIV.
Concionator. ib.
Titulus XV.
Concupiscentia Carnis. 39
Titulus XVI.
Confessio. 40
Titulus XVII.
Conscientia. ibid.
Titulus XVIII.
Consilium. 41
Titulus XIX.
Consolatio. ibid.
Titulus XX.
Contemplatio. ibid.
Titulus XXI.
Conversatio. ibid.
Titulus XXII.
Conversio. 42
Titulus XXIII.
Cor. ibid.

Varia.

Titulus XXIV.
Corpus Christi Domini. ibid.
Titulus XXV.
Correctio dura. ibid.
Titulus XXVI.
Correctio lenis. 43
Titulus XXVII.
Crux Christi Domini. ibid.

Varia de Cruce promiscuè.

Titulus XXVIII.
Cupiditas temporalium. 44
Titulus XXIX.
Cura Sæculi ibid.

D.

Titulus I.
Damnatio. 45
Titulus II.
Desiderium. ibid.
Titulus III.
Detractor. ibid.
Titulus IV.
Devotio. ibid.
Titulus V.
DEUS. ibid.
Varia.
Titulus VI.
Diabolus. 46
Titulus VII.
Disciplina. 48
Titulus VIII.
Discretio. ibid.
Titulus IX.
Divinitas. ibid.
Titulus X.
Divitiæ. Dives. ibid.
Titulus XI.
Doctor. 49
Titulus XII.
Doctrina. ibid.
Titulus XIII.
Dodrina Catechetica. ibid.
Titulus XIV.
Dolus. 50
Titulus XV.
S. Dominicus, & ejus Sacer Ordo. ibid.
Varia promiscuè. ibid.
Titulus XVI.
Dona S. Spiritus. ibid.

E.

Titulus I.
Ebrietas. 51
Titulus II.
Ecclesia. ibid.
Titulus III.
Eleemosyna. 55
Alia. p. 52.
Titulus IV.
Evangelium. 37
Titulus V.
Eucharistia. ibid.
Varia. ibid.
Titulus VI.
Exemplum bonum. 60

F.

Titulus I.
Fides. ibid.
Titulus II.
Fides. Spes. Charitas. 61
Titulus III.
Fideles. 62
Titulus IV.
Fortitudo. ibid.
Titulus V.
Fragilitas. 63
Titulus VI.
S. Franciscus Seraphicus. ibid.
Titulus VII.
S. Franciscus de Paula. ibid.

G.

Titulus I.
Gaudium. 64
Titulus II.
Gentilis Populus. ibid.
Titulus III.
Gloria vana. 65
Titulus IV.
Gratia DEI. ibid.
Titulus V.
Gula. 66

H.

Titulus I.
Hæreticus. ibid.
Titulus II.
Homo. 68
Varia promiscuè. 69
Titulus III.
Humanita Christi Domini. ibid.
Titulus IV.
Humanum Genus. 70
Titulus V.
Humilitas. ibid.
Varia promiscuè. 71
Titulus VI.
Hypocrisis. ibid.

I.

Titulus I.
Jejunium. 72
Varia promiscuè. 70
Titulus II.
S. Ignatius Loyola. 73
Titulus III.
Societas JESU à S. Ignatio fundata. ibid.
Varia promiscuè. 74
Titulus IV.
Ignorantia. 75
Titulus V.
Innocentia. ibid.
Titulus VI.
Intellectus, seu Cognitio. ibid.
Titulus VII.
Intellectus. ibid.
Titulus VIII.
Intentio bona. 76
Alia. 74
Titulus IX.
Invidia. ibid.
Titulus X.
S. Joannes Baptista. 77
Titulus XI.
S. Joannes Evangelista. ibid.
Titulus XII.
Job. ibid.
Titulus XIII.
Ira. 78
Titulus XIV.
Judæi. ibid.
Titulus XV.
Judiciaria potestas. 79
Titulus XVI.
Judicia DEI. ibid.
Titulus XVII.
Judicium extremum. 80
Titulus XVIII.
Justitia. ibid.
Titulus XIX.
Justus. ibid.

L.

Titulus I.
Lacrymæ. 81
Titulus II.
S. Laurentius. ibid.
Titulus III.
Lex nova. ibid.
Titulus IV.
Lex vetus. ibid.
Titulus V.
Lex Sacra. ibid.
Titulus VI.
Lingua. 81
Titulus VII.
Luxuria. Luxuriosus. ibid.

M.

Titulus I.
S. Maria Magdalena. 83
Titulus II.
Magister. ibid.
Titulus III.
Malus Homo. 84

Titulus IV.
Manus. ibid.
Titulus V.
Manus dextera. ibid.
Titulus VI.
Mare. ibid.
Titulus VII.
SS. Martyres. 85
Titulus VIII.
Membra Christi D. ibid.
Auros.
Brachia.
Capilli.
Caput.
Facies.
Labia.
Lingua.
Manus.
Oculi.
Os.
Pedes.
Ubera.
Uterus.
Titulus IX.
Membra Hominis. 86
Aures.
Capilli.
Cor.
Caro. Corpus.
Caput.
Collum.
Dentes.
Facies.
Lingua.
Manus.
Pedes.
Sensus.
Venter.
Titulus X.
Mens. 89
Titulus XI.
Miraculum. ibid.
Titulus XII.
Misericordia. ibid.
Titulus XIII.
Monasterium. 90
Titulus XIV.
Mors. ibid.
Titulus XV.
Mortificatio. ibid.
Titulus XVI.
Mulier. ibid.
Varia. ibid.
Titulus XVII.
Mulierum noxia Conversatio. 91
Titulus XVIII.
Mundus. ibid.
Varia. 92
Titulus XIX.
Mundani. ibid.
Titulus XX.
Munera. ibid.
Titulus XXI.
Myrrha. ibid.

N.

Titulus I.
Negotiatio. 93
Titulus II.
S. Norbertus. ibid.
Titulus III.
S. Norbertus, ejusdem Sacer Ordo Præmonstratensis. 94

O.

Titulus I.
Obedientia. 95
Titulus II.
Oculus. ibid.
Titulus III.
Obstinatio. ibid.
Titulus IV.
Odium. 96
Titulus V.
Opera bona. ibid.
Alia. 97
Titulus VI.
Oratio. ibid.

P.

Titulus I.
Patientia. 99
Titulus II.
S. Paulus Apostolus. ibid.
Alia de S. Paulo. 100
Titulus III.
Paupertas. ibid.
Titulus IV.
Pax. ibid.
Titulus V.
Peccator. ibid.
Alia. 101
Titulus VI.
Peccatum. ibid.
Titulus VII.
Peccata septem Capitalia. 104
Alia promiscuè. 105
Titulus VIII.
S. Petrus Apostolus. ibid.
Titulus IX.
Perfectio. ibid.
Titulus X.
Perfectus. 106
Titulus XI.
Persecutio. ibid.
Titulus XII.
Philosophia. ibid.
Titulus XIII.
Philosophus. ibid.
Titulus XIV.
Pietas. 107
Titulus XV.
Plebs. ibid.
Titulus XVI.
Pœnitentia. ibid.
Alia. ibid.
Titulus XVII.
Pontifex Summus. 108
Titulus XVIII.
Præcepta DEI. ibid.
Titulus XIX.
Prædicatio. ibid.
Titulus XX.
Prælatus. 109
Titulus XXI.
Princeps. ibid.
Titulus XXII.
Princeps impius. ibid.
Titulus XXIII.
Prophera. ibid.

R.

Titulus I.
Ratio. 110
Titulus II.
Regnum DEI. ibid.
Titulus III.
Religio. ibid.
Titulus IV.
Religiosus. ibid.
Titulus V.
Religiosus indevotus. 111
Titulus VI.
Renovatio. ibid.
Titulus VII.
Rex. ibid.

S.

Titulus I.
Sacerdos. ibid.
Titulus II.
Sanctus Sancti. 113
Titulus III.
Sapientia. Sapiens. 116
Titulus IV.
Sacra Scriptura. ibid.
Titulus V.
Societas mala, sive Socius malus. ibid.

	Titulus VI.			V.	
Spes.	Titulus VII.	117	Verbum.	Titulus I.	123
S. Spiritus.	Titulus VIII.	ibid.	Verbum DEI.	Titulus II.	ibid.
S. Stephanus.	Titulus IX.	118	Veritas.	Titulus III.	ibid.
Superbia. Superbus.		ibid.	Vindicta Divina.	Titulus IV.	124
	T.		Vinum.	Titulus V.	ibid.
	Titulus I.			Titulus VI.	ibid.
Tentatio.	Titulus II.	119	Virgo Beatiss. MARIA.	Titulus VII.	131
S. Thomas de Aquino.	Titulus III.	ibid.	Virgo Virginitas.	Titulus VIII.	132
Timor DEI.	Titulus IV.	120	Virtus.	Titulus IX.	134
Tribulatio.	*Alia.*	121	Vita.	Titulus X.	136
	Titulus V.	ibid.	Vita Activa, & Contemplativa.	Titulus XI.	ibid.
SS. Trinitas.		122	Vita bona.		



A.

T I T U L U S I

A C E D I A.

A *Donibesech* comparatur ; de quo dicitur Judic. 1. quòd amputavit manus, & pedes, septuaginta Regibus. S. Bonav. diet. Sal. tit. 1. c. 7.

Asinus. Nota, quòd diabolus, in quibus non invenit fidem Catholicam fortem, in illis sculpit, & format, figuram asini acediæ. Id. ibid. tit. 10. c. 5.

Canis famelicus. Comparatur otiosus cani famelico. Id. 16. tit. 1. c. 7.

Campus incultus. Est otiosus sicut campus malè cultus ; in quo insurgunt vepres malarum tentationum. S. Vincent. Ferr. s. 6. de acedia.

Diluvii aqua. Sicut diluvii aqua submersit Mundum, sic acedia suffocat otiosum. S. Bonav. ibid.

Dæmon. Desidiæ Dæmon, qui etiam *meridianus* vocatur, dæmonum omnium gravissimus est. Evagrius ad Anatolium de octo vitios. cogitat. Est inter opera S. Joannis Damasceni impressa Parisiis 1577.

Febris quartana. Propter quadruplicem gradum peccati, scilicet cordis, oris, operis, & consuetudinis. S. Bonav. ib. in Prologo.

Febris hectica. Comparatur acedia febri hecticæ, vel phthisicæ, vel lassæ, vel paralysi. Id. ib. tit. 1. c. 7.

Filia acediæ sunt quindecim : tepiditas, mollities, somnolentia, otiositas, dilatio, tarditas, negligentia, imperseverantia, remissio, dissolutio, ignavia, indevotio, tristitia, tædium vitæ desperatio. Id. ib.

Lapis polluitus. Lapidi polluto exæquatus est piger. S. Antiochus de acedia hom. 36.

Lethargus. Comparatur otiosus - homini lethargico. S. Bonav. ibid.

Luna. Septem planetæ significant septem vitia. Luna Acediam, propter mutabilitatem, propter pigritiæ frigiditatem. S. Thom. Aqu. serm. 2. Dom. 10. Pent.

Mater desperationis. At quæ tandem est radix & mater desperationis ? ignavia inquam : imò quam quis haud ineptè nominaverit, non tantùm radicem, sed vicissim illius quoque & parentem, & altricem. Quemadmodum in cadavere tabes gignit vermiculos, quæ ab iis iterum augetur ; ita & propemodum hoc loci. Nam ignavia desperationem parit ; ab ea mutuò & illa nutricatur : adeòque dum servant inter se execrabiles vices dandi, accipiendique ; confirmantur in potentiam haud mediocrem ; alteram itaque rescindens, alteram, quæ consequitur, facili opera conficiet. Numquam enim, qui torpescit, in desperationem proruet. S. Chrysostomus ep. 5. ad Theod. lapsf.

Morbus gravissimus. Cassianus apud S. Joan. Damascen. parallelor. l. 1. c. 23.

Nubes. Quemadmodum nubes multò aquæ humore concreta : ita Monachus spiritu agitatus Acediæ. S. Antioch. de Acedia hom. 26.

Paralysis. Typus est torporis, quo piger jacet in mollitie carnis. S. Hier. apud S. Thom. in Cat. aur. super Marci c. 2.

Salix. Monachus acediosus nihil dissimilis comperitur virgultis deserti. S. Antioch. cit. Acedia comparatur salicibus, quæ sunt arbores infructuosæ - sic acediosi faciunt umbram diabolo & refrigerium. S. Vincent. Ferr. de proprietatib. & comparat. vitiorum c. 2.

Scholari negligenti acediosus comparatur. S. Bonav. cit.

Urtica rectè figurat Acediam. Id. ibid.

T I T U L U S II.

ADVENTUS CHRISTI DOMINI.

A*Nnus tertius* Esther 1. Rex Assuerus *tertio Anno imperii sui fecit grande convivium*. Rex ille significat Christum ; qui non primo, vel secundo anno, id est, ante Legem, vel sub Lege, sed tertiò, id est, tempore Gratiæ, fecit convivium. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 29.

Dies quintus. Judith 6. Quinque dies spirituales venerunt ante adventum Christi. Primus dies fuit æterna Patris præordinatio. Secundus Patris facta promissio. Tertius in Lege ipsius præfiguratio. Quartus ipsius à Prophetis prædicatio. Quintus ipsa Christi Incarnatio. De istis quinque potest intelligi illud Judith : *In diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel*. S. Thom. l. 1. D. 25. Pent.

Iter primum in Galilæam. Mysticè per hoc, quòd Jesus bis in Galilæam accedit, binus Salvatoris adventus in Mundum ostenditur : primus quidem misericordiæ, ut vino facto convivas exhilaret : secundus verò, ut filium reguli ad mortem penè deductum suscitet, idest, populum Judæorum. Origen. tr. 18. in Joan.

Missio Jacob pro hædis. Gen. 27. Rebecca loquitur ad filium juniorem : *vade ad gregem, & accipe mihi inde duos hædos* ; præfigurans carneum Salvatoris adventum - quòd autem duos jubetur adferre, duorum populorum significatur assumptio. S. Isidor. c. 23. in Gen.

Pes. Per pedes, & incessionem, adventum ipsius, & præsentiam accipimus. S. Joan. Damasc. Orthod. fid. l. 1. c. 14. Pedes filii Dei Incarnatio ejus intelligitur, quæ divinitati subjecta est, sicut capiti pedes. Calceamenta Domini nostri Christi mysticè significant Incarnationem ejus - de qua dicit Ps. 107. *in Idumæam extendam calceamentum meum* - gressus filii Dei, adventus in Mundum, & regressus ejus ad Patrem. S. Hier. Summa de essentia Dei. Hæc Summa invenitur in operib. S. Bonav. in fine Tomi secundi, eique adscripta est, prout ibi probatur.

Pluvia. Christus Dominus in primo adventu sicut pluvia in vellus Gedeon descendit cum humilitate : in secundo adventu autem *videbunt Filium hominem venientem in nubibus cum virtute magna, & gloria*. S. Hier. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Marci.

Processio Gedeonis ad Bellum. Gedeon itaque ad prælium veniens Redemptoris nostri significat adventum ; de quo scriptum est : *tollite portas Principes vestras*, ps. 23. Gedeon namque interpretabatur circuiens in utero. S. Isid. c. 5. in Judices.

T I T U L U S III.

Æ T E R N I T A S.

ÆS. Aptè æneus Serpens ligno suspensus est ; ut Dominus & in serpente mortuus, & in ære significaretur æternus. S. Isid. c. 20. in Num.

Gemmea corona est æternitas. S. Thom. l. 1. in festo S. Stephani. Quadruplex corona dabitur Sanctis. Argentea : quia clarum est argentum ; erit corporis claritas. Stellea : erit perfecta omnium Scientia. Gemmea erit in omnibus istis æternitas. S. Thom. l. 6. de mortuis.

Manè. Dicitur æternitas. Id. in ps. 5.

Murus Jerusalem. Muri cœlestis Jerusalem sunt munimenta æternitatis, & immortalitatis ; quam consecuti sunt Sancti per Christum. Id. in ps. 50.

Octava dies, est futuri sæculi tempus. S. Isid. c. 20. in Levit. Octonarius idcirco adhibetur; quia futuri ævi figuram gerit. S. Joan. Damasc. cor. de transf. Dom.

TITULUS IV.

AMICUS.

Dextera. Declinabit ad dexteram, per quam amici significantur - ad sinistram, inimicos - carnem brachii, id est, consanguineos. S. Thom. in 9. Isaiæ.

Divitiæ. Nota, quòd fidelis amicus est pretiosissimum genus divitiarum. S. Th. in l. 2. de consol. Phil. Boetii, prosam 8.

Fons. Amicitia est fons omnium bonorum, omniumque donorum; quæ nobis à munificentia super cœlesti proveniunt. S. Bernardus Opusc. seu tract. de charit. c. 12.

Gloria. Amicitia est divitibus pro gloria, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, ægrotis pro medicina, mortuis pro vita. Cassiodorus Prolog. lib. de amicitia, apud Lobbet. in Glor. Patr. S. Franc. Assis.

Manus. Manum nostram appellat necessarium amicum V. Beda apud S. Th. in Cat. sup. 9. c. Marci. *Si autem manus tua scandalizat te*. Matth. 18. Non de membris corporalibus hoc dicit, sed de amicis, quos in ordine necessariorum membrorum habemus. Sanct. Chrysost. apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth. In manu, & pede, amici designantur necessarii: in manu, propter opera; in pede propter discursum. Haymo hom. in Festo S. Michael. Arch.

Oculus, dicitur Amicus. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 9. Marci, Per oculum, amicum utilem, & consiliarium intellige. Haymo cit.

Pes. amicus dicitur, propter ministerium discursus. V. Beda cit.

Ubera nostra, quibus à Domino lactamur, sunt prosperitates temporalium, & solatium amicorum. Quando videt DEUS, quòd homines confidunt nimiùm in his, & afficiuntur ab his; subtrahit ea, & ponit amaritudinem; ut ponant in solo Deo spem suam. S. Thom. in ps. 30.

Hirundo. Æstate ad nos advolat, hyeme verò avolat. Ita infidus amicus. Plinius l. 10. c. 24.

TITULUS V.

S. ANDREAS APOST.

Tuba ea (est S. Andreas;) quam ut Christum moliretur, cruce quasi malleo, Evangelio quasi incude, quasi igne spiritu, novo ac veteri testamento, quasi ausim dicere, usus est follibus. Hesychius Presbyt. Jerosolym. or. in Sanct. Andream.

Varia.

Andreas secundùm Hebræam etymologiam interpretatur *decorus*, sive *respondens*: sermone autem aut Græco *virilis* appellatur. S. Isid. Origin. l. 7. c. 9. Andreas interpretatur *Fortitudo*. S. Thom. in 4. Matth.

Fundamentum secundum Sapphirus congruit. S. Andreæ. Vverberus Itin. cœl. p. 3. diss. 1.

Quasi columna primùm affixus est in Ecclesia, & ante Petrum Petrus, fundamentique fundamentum; primitiarum fuit principium - eam aperiens januam (Christum) quam fortassis non erat ingressus &c. Hesychius ibid. Est prophæta, quando dixit: venite & videbitis. Idem ibid. Ubinam manes (Christe) inquit Andreas; ut in Aula Domini janitor fiam - Andreas est benefactor Petri. Id. ib.

TITULUS VI.

ANGELUS.

Adjutores Angeli sunt nostri invicti. S. Thom. in Apoc. c. 12. *Amici* sunt nostri. Id. in Cant. 6.

Amici omnium regis. Sophronius Archi-Ep. Hierosol. Encom. de Sanct. Angelis.

Apostoli. Vos estis Apostoli, Prædicatores, & Prophetæ, & Evangelistæ, & rerum divinarum interpretes. Id. ib.

Aqua. Firmamentum in Ecclesia scripturæ divinæ intelliguntur, quia cœlum plicabitur sicut liber. Aquas quasdam, quæ sunt Angeli, posuit supra firmamentum: quia Angeli non egent scripturis. S. Isid. Hispal. c. 2. in Gen.

Archiepiscopi triumphantis Ecclesiæ sunt. Hermas discipulus S. Pauli l. 1. visione 3.

Arma Dei. Angeli dicuntur; quibus utitur ad pugnandum contra malos. S. Thom. in ps. 34.

Cardinales Christi. Considerate, quia ibi (in templo) est Papa Jesus, & Cardinales Angeli. Quapropter debetis devotè, & compositè stare in choro, quomodo staretis, si rex, vel Papa esset in vesperis. S. Vinc. Ferr. s. 7. D. in Albis.

Cœlum. Dicuntur Angeli *cœlum*, propter omnimodam incorruptionem, & naturæ suæ puritatem: nihil enim habent corpulentiæ - quantitate sunt maximi, non per dimensionem, sed per virtutem, & potestatem - qualitate sunt lucidi sicut cœli, per scientiæ, & sapientiæ claritatem - figuratione sunt Sphærici per continuationis contemplationem affectus angelicus circulariter movetur in Deum, & de Deo in proximum per dilectionem; & iterum à proximo movetur in Deum per dilectionis extensionem. Apoc. 7. *Stabant in circuitu, &c.* S. Bonav. opusc. Eccl. hierar. p. 4. c. 1.

Creatio Angelorum, Creare potest dici seminare. Cogita, quòd totus Mundus quasi sit unus campus; quem DEUS seminavit. Et primo seminavit in cœlo novem sulcos, id est, ordines Angelorum de puro semine, scilicet substantiis spiritualibus - sed aliud semen cecidit secus viam - hoc semen fuit Lucifer, quia cecidit secus viam, id est, DEUM. S. Vincent. Ferr. s. 4. Dom. Sexages.

Defensores nostri. Adversarius iste. Matth. 5. bonus Angelus est, qui in malis nobis obsistit. S. Bonav. s. de S. Michaele.

Dii quandoque dicuntur ipsi Angeli. S. Thom. in Prologo Exposit. sup. ep. ad Hebr. propter abundantissimam refulgentiam divinæ charitatis. Deos vocat. S. Dionys. Areopag. cœl. hier. c. 2. *Videbitur Deus Deorum*, idest, Angelorum, *in Sion* ps. 83. S. Vinc. Ferr. s. 3. D. 1. Adv.

Exercitus innumerus sunt Angeli. Sophronius cit.

Interpretes Divini silentii, & tanquam præclara lumina; quæ in aditis latentem indicant. S. Dion. Areop. c. 4. de divin. nom.

Flores Mundi istius sunt: quia eorum claritatibus Mundus ornatur, & bonum odorem Sanctificationis aspirant. S. Ambr. l. 7. in Luc.

Luna. Hodie illuminatur terra lumine solis, lumine lunæ, & Stellarum. Sol Christus, Luna Angelus, Stellæ Maria; quæ Stellæ interpretantur. S. Thom. Aqu. serm. in festo Paschali.

Lux. *Vidit Deus lucem quòd esset bona*. Gen. 1. id est, naturam Angelicam. Id. in festo omn. Sanct.

Maceria. Per Maceriam. Cant. 1. significatur angelicum præsidium, *In caverna* ergo *maceriæ* moratur (Ecclesia) quæ præsidio Angelorum undique circumdatur. Id. in Cant. c. 2.

Messores. Qui seminat bonum semen Filius est hominis; ager autem est Mundus: bonum verò semen hi sunt filii regni, messores autem Angeli sunt. S. Greg. Magn. hom. 12. in Evang.

Ministeriales Salutis nostræ. Sanct. Cyprian. ad Cornelium Papam.

Mons. Angeli sunt montes. S. Thom. in c. 6. Apoc.

Musici Dei. Sophron. cit.

Naves, nautæ. Sophron. cit.

Nubes. S. Dion. Areop. ext. hier. c. 15. §. 7.

Oves. S. Aug. in ps. 8.

Paranymphus. Angelus Custos fidelis est inter animam, & DEUM, paranymphus; non suam, sed Domini, quærens gratiam. S. Bernardus s. 31. in Cant.

Rectores septem Ecclesiarum Angelos vocat. S. Bonav. serm. de S. Michaele.

Reges, Duces, Nobiles, Barones Paradisi, associant eam (animam) & ducunt ad cœlum. S. Vinc. Ferr. ser. 4. in Epiph.

Stella matutina. Apoc. 2. est Angelus Custos. In fine, quando homo est in articulo mortis, Deus mittit stellam matutinam, idest, Angelum; qui ducit animam ad Christum, sicut stella. Matth. 2. S. Vinc. Ferr. s. 1. in Epiph.

Templum Dei. O felix Alleluia in cœlo! ubi templum Dei Angeli sunt. S. August. s. 18. de Alleluia.

TITULUS VII.

ANIMA SECUNDUM SE.

Adolescentulæ. Cant. 6. sunt Animæ. S. Thom. hic.

Ager. Homo, qui seminat in agro suo granum Sinapis, à plerisque Salvator intelligitur, qui in animis Credentium seminat. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. aur. sup. Matth. cap. 13. Thesauri nomine Spiritualiter cœlestis patriæ amorem intelligere debemus - ager, in quo thesaurus absconditus invenitur, nos sumus: si tamen in nobis manet cœleste desiderium. Haymo hom. in festo Virginis.

Agricola sum ovilis tui errabunda converte me in caulam tuam Domine. S. Ephr. s. in mulier. peccatric.

Aureum, argenteum vas. In auro, & argento, ac veste Ægyptiorum, significatæ sunt doctrinæ - sive animæ pretiosæ, tanquam vasa argentea, & aurea, cum suis utique corporibus, quæ vestes significant. S. Isid. Hispal. c. 16. in Exod.

Bethlehem, omnis anima fidelis est. S. Ambr. l. 5. ep. ep. 18.

Camera, anima nostra est. S. Thom. serm. 2. in festo Sanct. Thomæ.

Cannabis. Quemadmodum cannabis, ac lini species, non est idonea, ut ex eo fila subtilissima fiant, nisi diutius elaboretur - sic & anima Deo devota multas tentationes subiens pu-

purior ad spirituale humilitatis, opificium redditur. - Quemadmodum enim vas recens confectum, igneque non probatum, humanis inidoneum est usibus: aut sicut infans adres mundi tractandas ineptus est - ità etiam animæ, si divinæ gratiæ sint effectæ participes, dum nutriuntur dulcedine Spiritus, necdum variis probatæ tentationibus - nondum idoneæ ad regnum. S. Ephrem Tomo 1. de patientia.

Civitas est: cujus rex intellectus. Aponius l. 4 Com. in Cant.

Filia. Gentiles quidam dixerunt animas, maximi regis filias. Arnobius contra Gentes l. 2. in medio. Filia regis æterni. S. Vinc. Ferr. s. de Incarn.

Imago. Sanctissimæ Trinitatis. Ità fusè probat S. Thom. opusc. de dilectione 16. aliàs 61. gradu 10. SS. Trinitatis impar imago est humana mens; sed tamen imago. S. Aug. l. 10. de Trinit. c. 12. ibid. c. 11. docet, in eo consistere imaginem; quia anima una habet memoriam, intellectum & voluntatem.

Infans. Vide superiùs Cannabis.

Hospes Corporis. Nobilem hospitem habes o caro! nobilem valde; & tota salus tua pendet de ejus salute. Da honorem hospiti tanto - diligenter attende, quid hospiti hujus tibi præsentia largiatur: ipse enim est, qui tribuit oculis visum Denique discessus ejus probat, quid præsentia conferebat: protinus enim anima discedente lingua silebit. Quæso te, quis rusticus, si fortè nobilis & præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo Domus suæ - accubabit cedens hospiti suo locum, sicut dignum est? potiorem? dic hospiti tuo: quia *recordabitur* Dominus *tui*, *& restituet te in gradum pristinum*; & tu memento mei. Gen. 40. S. Bernard. l. 6. in adv. Dom.

Lucerna. Mens hominis est quasi lucerna DEI accensa divino lumine. S. Thom. in ps. 17. Lucerna in nobis est intellectualis natura. S. Chrysost.

Luna Comparatur Lunæ nocte splendenti: sic enim anima se convertens lucet bono exemplo. S. Greg. M. Exposit. in Cant. cap. 6.

Lux. Anima est Corpori, quod Lux lucernæ, & Sol Mundo. Lobberius q. 3. de S. Philipp. Nerio, §. 3.

Mulier inclinata ad terram Lucæ 13. quæ *non poterat sursum respicere*, significat animam meritò corruptionis originalis culpa allectam ad terrena, propter pronitatem ad malum. S. Bonaventura s. 1. D. 2. Adv. Hæc mulier sanatur in Sabbato: quia in altera vita quietis primùm perfectè anima liberabitur ab omni vinculo concupiscentiæ, à peccato originali in homine relictæ. Idem ib.

Nauta. Caro nostra est navis, & Spiritus est nauta. S. Bonav. diet. sal. tit. 1. c. 9.

Navicula S. August. de temp. l. 67. Navis trium coopertularum est quævis anima - in qua tres sunt potentiæ quasi tres cooperturæ, scilicet memoria præteritorum, intelligentia præsentium, voluntas futurorum. S. Vinc. Ferr. s. 4. de omn. Sanct.

Neglectus animæ. At tu quidem in tonstrino residens, & cæsariem detondens adhibito etiam speculo, multo cum studio, summaque cura, æqualitatem consideras, & nitorem capilli - animæ verò nostræ, quæ non solùm deformis est, verùm etiam ferarum omnino conformis; & quæ scylla aliqua, vel chimæra (ut fabula celebrat) effecta est; nihil pensi habemus: cùm tamen hic quoque speculum paratum sit spirituale; & longè illo utilius speculo, longeque lucidius. - Hoc autem est, virorum memoria Sanctorum, & beatæ illorum conversationis historia, & generaliter Divinarum lectio scripturarum, positæque à DEO leges. S. Chrysost. hom. 4. in Matth.

Nobilis Domicella, anima nostra est. - Stat innixa ad parietem, scilicet fidem Christianam: quia sicut paries sustinet, & impedit visum; ità fides Christiana est appodiamentum Christiani. S. Vinc. Ferr. s. de S. Antonio Abb.

Numisma. Nummus est anima, quem Dominus maximè in morte examinat, ut imaginem suam quærat. S. Bonav. s. 2. D. 22. Pent.

Oculus. Oculus hominis non illuminatur à Sole, nisi habeat directam operationem ad illum: ità anima, si debet recipere lumen Divinum, debet habere directum aspectum ad DEUM. S. Thom. in Psal. 6.

Ostium est duarum valvarum, cupiditatis scilicet, & timoris; per hæc duo omnia intrant in hominem. S. Augustin. Enarr. in Psal. 141.

Oleum. In Lucerna oleum, in corpore Anima. Pierius l. 46.

Ovis. Illa anima est quasi ovis; quæ ad modum ovis innocentis nulla habet arma ad impugnandum; non cornua superbiæ, non calces violentiæ, non dentes crudelitatis, non ungues rapacitatis, non venenum malignitatis. S. Bonav. s. 1. D. 2. Pasch.

Palma. Anima decenter palmæ comparatur. S. Greg. M. in Cant. c. 7. Palma angusta est inferiùs, & superius lata, sic anima, quæ vult ascendere ad DEUM, debet esse stricta ad voluptates terrenas &c. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. Palmar.

Paradisus DEI anima hominis est. S. Tho. opusc. de Sacr. Alt. c. 31.

Pastor. Duos Pastores quos dixit, spiritus, & anima intelliguntur; terra autem homo ipse est. Arnobius Annot. c. 15. in Matth.

Paterfamilias iste (Matth. 24.) noster est animus. Haymo hom. in festo Ep. non Conf.

Plaustrum. Quid plaustri nomine, nisi unaquæque uniuscujusque fidelis anima designatur? cujus profectò plaustri rotæ sunt utrumque testamentum. S. Greg. l. 3. c. 4. in c. 1. Reg.

Pretiosa res anima est. Arnobius contra Gentes l. 1. in fine.

Pupilla oculi dicitur anima: quia sicut pupilla, quæ est in medio oculi, circumdatur multis pellibus ad defensionem; & homo opponit manum, & ferè omne quod habet, nè lædatur: sic debet homo facere pro anima. Quid enim prodest homini &c. Marci 16. Custodi me ut pupillam oculi, id est, ut Christum. S. Thom. in ps. 16.

Rectrix. Animam fecit Rectricem corporis. S. August. de actis cum Felice Manich. l. 2. c. 18.

Sedes Sapientiæ anima est. S. Bernard. de Charit. c. 35.

Sol. Eum cum Sole comparat Nemesius c. 3. de junct. an. & corp. Anima est corpori, quod lux lucernæ, & Sol in Mundo. Lobbet. de S. Philipp. Ner. §. 3. Anima de se in quantum est ad imaginem DEI, est pulchrior Sole. S. Vinc. Ferr. s. 1. de S. Joan. B.

Speculum. S. Dion. Areop. de Eccl. hier. c. 3. vocat animas Sanctorum Specula. Rationem dat S. Maximus sup. id. cap. dicens: Specula vocat animas Sanctorum, utpote Divinæ lucis capaces.

Sitis. Ipsum desiderium sitis est animæ. S. August. in ps. 54.

Somnus animæ est oblivisci DEUM suum. Id. ib.

Tabernaculum. Cortinas tabernaculi, id est, ornatus animæ facies de bysso retorta, id est, de operibus pœnitentiæ, jejuniis, orationibus, afflictionibus &c. S. Thom. opusc. de Sacr. Alt. c. 15.

Terra. Appendit terram super nihilum, id est, animam, super humilitatis fundamentum. S. Bonav. diet. sal. tit. 7. c. 1.

Templum. Dicitur anima Templum DEI, quia in templo DEUS adoratur; similiter in anima fideli. Matth. 6. intra in cubiculum tuum, id est, secreta animæ tuæ, &c. Item ibi offeruntur sacrificia; similiter in anima fideli Ps. 50. Sacrificium DEO Spiritus contribulatus - Item, quia eam DEUS Sanctificat, & in eam descendit, sicut in templum. S. Thom. in ps. 19.

Thesaurus est anima, & ingens quidem. Lobbet. cit. §. 7.

Ventus. Subtilitate ventorum in sacro eloquio animæ designantur. S. Greg. M. sup. illud Job: fecit ventis pondus. l. 19. mor. cap. 4.

Vinea est anima, fides vitis, virtutes palmites, botri opera, devotio vinum. S. Bernard. s. 30. in Cant.

Virgultum. Per virgultum agri invisibilem Creaturam demonstrat intelligi, sicut est anima. Dictum autem est virgultum propter vigorem vitæ, herba propter eandem vitam nunquam marcescentem. S. Isidorus Hispal. c. 3. in Gen.

Vita corporis anima, vita animæ DEUS est. Isidorus l. 1. de summo bono.

Voluntas. Oculus est ratio, anima voluntas, venter memoria. S. Thom. s. 3. D. 6. Pent.

TITULUS VIII.

ANIMA SANCTA.

Adolescentulæ. Adolescentulæ dicuntur animæ electorum quia quò majoris fragilitatis sibi conscia sunt, eò ampliùs diligunt Christum. Sanct. Thom. in Cant. 1. Quid per Adolescentulas, nisi animæ sanctæ designantur? S. Gregor. M. in Cant. 1. Adolescentulæ electorum animæ gratia baptismatis renovatæ sunt. Sanct. Isidor. Hispal. in 1. Cant.

Agricultura Monachi, anima bona Evangelicè fructificans. S. Ephrem Paræn. 1.

Altare DEI. Quid est Altare DEI, nisi mens beneviventium? - Ubi ex mœrore compunctionis ignis ardet, & caro consumitur. S. Greg. hom. 22. in Exech.

Amica Christi. Propter fidem Christus Sponsam suam (id est, animam sanctam) amicam vocat: sine fide enim impossibile est placere DEO. S. Gregor. M. in Cant. cap. 2. Amica fit agnoscendo DEUM; formosa Christi humilitatem servando; columba, nihil de terrenis cupiditatibus requirendo. Aponius l. 4. Com. in Cant.

Areola. Per areolam (de qua Cant. 6.) anima cujusque fidelis intelligitur. S. Thom. in Cant. c. 6.

Arca Noe est anima sancta tricamerata fide, spe, charitate. S. Bonav. in ps. 67.

Arca Testamenti. Quid est mens justi, nisi arca Testamenti? quæ gestata à bobus calcitrantibus inclinatur: quia numquam etiam qui benè præest, dum subjectorum populorum confusione concutitur, ad dispensationis condescensionem ex sola dilectione promoventur: sed inclinatio fortitudinis casus putatur imperitis. S. Greg. mor. l. 5. c. 10.

Arida est anima sitiens DEUM. S. Isidor. c. 2. in Gen.

Aurora, mens justi est; quæ peccati sui tenebras deserens ad lucem jam erumpit æternitatis. Sanct. Greg. mor. l. 16. c. 29.

Carbo igneus, niger non est; imò candens, & lucidus: sed quando extinguitur, niger efficitur. Sic anima amore DEI ignita; & pulchra, & lucida est. Ezech. 1. *Aspectus eorum quasi ignis carbonum ardentium*. S. Bonav. s. 2. in Cœna Domini.

Columba Noetica. Columba, quæ non inveniebat, ubi requiesceret pes ejus. Gen. 8. rediit ad arcam. Sic debet anima non inveniens requiem mentis foris, redire ad conscientiam interiùs. Id. s. 2. in Epiph. Dom.

Convallis. Convalles significant humiles mentes, quorum lilium Christus est. S. Tho. in 2. Cant.

Cella vinaria debet esse anima nostra, ignisque divini receptaculum. S. Bernard. opusc. de Char. c. 40.

Cera. Per Puerum (de quo 4. Reg. 4.) fidelis anima, per Elisæum Dominus figuratur: qui sicut sigillum ceræ, sic se conjungit animæ; oculos suos super oculos ejus ponit; quia intellectum illuminat: carnem calefacit; quia affectum charitate inflammat. os super os ponit, quia gustum memoriæ dulcedine spirituali delectat: manus super manus ponit; quia in bono opere usque in finem conservat; & sic totum hominem perficit. S. Thom. opusc. de Sacr. Alt. c. 22.

Civitas. Moraliter civitas anima, plena populo bonarum affectionum, domina gentium, vitiorum; princeps provinciarum, sensuum; desolata bonorum suffragiis; vidua sponsi amplexibus; sub tributo vitiorum. S. Thom. in 1. Thren. Jer. Hæc est, quæ ædificatur ut civitas: hanc civitatem non ædificat avaritia, sed destruit; non ædificat libido, sed exurit, atque incendit. Vis tamen ædificare civitatem? *melius est exiguum cum DEI timore*. Proverb. 15. Ambros. l. 7. epist. ep. 44. Sicut Jerusalem dicitur ædificata ficut civitas; ità sunt animæ pacificæ. Id. l. 8. in Luc. Nota, quia anima est civitas summi Regis sed Ismaelitæ-obsident hanc, id est, diaboli. S. Bonav. in ps. 18.

Cibus DEI. Quid autem animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus? quæ ad hoc sunt conditæ, ut in ejus corpus traiciantur. S. Greg. hom. 17. in Evang.

Cœlum. Spiritualiter sanctas animas cœli nomine significat; & terræ, peccatrices. S. Aug. de Ser. Domini in monte L. 1. c. 17. Cœlum est animajusti. S. Thom. in c. 8 Apoc.

Collis, Mons. In thure sancta devotio orationum accipitur: mons ergo myrrhæ, & collis thuris, sunt excelsæ animæ Sanctorum per contemplationem. S. Thom. in c. 4. Cant.

Columba. Fidelis anima habet quatuor pennas, scilicet timorem, pœnitentiam, spem, & amorem. Lobbet. Glor. Patriarch. q. 2. de S. Brunone.

Currus DEI. Sanctæ animæ currus nomine intelliguntur. B. Paulus Diaconus tom. 15. Bibl. PP. Parisiis, 654. Anima currus est DEI, ut ira ejus, & libido, & timor, & omnes Sæculares concupiscentiæ refrænentur. S. Ambr. s. 2. in ps. 118.

Domus DEI, mens est, & conscientia fidelium. V. Beda apud S. Thom. in Cat. aur. sup. 11. Marci.

Equitatus Cant. 1. Nec miraberis, unam animam equitatus multitudini similatam: *equitatui meo &c.* si advertas quantæ in ipsa una, quæ tam sancta anima sit, virtutum acies habeantur; quanta in affectionibus ordinatio: aut si id tibi non placet; noveris, hujusmodi anima nunquam esse sine Angelorum custodia- Ergo Angelicis fulta ministeriis, & superno stipata agmine, sponsa incedens similis est equitatui Domini: illi utique (populo Israel) qui quondam in curribus Pharaonis tam stupendo divini adjutorii miraculo triumphavit. S. Bernard. s. 39. in Cant.

Ficus DEI, est anima sancta Joan. 1. hujus cortex est humilitas; decorticatur, dum humilitate spoliatur: albi fiunt rami ejus; quia ostensa ejus opera humanis oculis candescunt; sed & arescunt. S. Greg. mor. l. 8. cap. 37.

Filia regis, est anima fidelis, ps. 44. S. Bonav. diet. sal. tit. 5. c. 1. Filia principis. Ratio illius est: quia sicut filia principis in die nuptiarum vadit coram sponso nobiliter associata Baronibus, militibus, & scutiferis: sic anima bona, & sancta, Angelis. Authoritas: *quid videbis in Sunamitide, nisi choros castrorum*. Cant. 7. Nota: Sunamitis interpretatur *mortificata*. S. Vincent. Ferr. s. 3. D. 1. Adv. Animæ sunt filiæ Jerusalem. S. Isid. Hispal. in 1. Cant.

Ferrum ignitum. Sicut ferrum ignitum est tractabile; ità anima charitate plena. S. Bonav. diet. sal. tit. 5. c. 2.

Framea ps. 34. Potest intelligi, vel vindicta DEI, vel anima Christi, vel quilibet justus, qui sunt gladius DEI contra malos. S. Thom. in ps. 35.

Habitatio DEI. Anima viri justi, & virtuosi, est habitatio DEI; locus gaudii, locus lucis; & locus ordinati amoris. S. Bonav. cit. tit. 5. c. 1.

Hortus. Unaquæque sancta anima hortus conclusus esse intelligitur. S. Greg. in cap. 4. Cant.

Jerusalem nostram animam dicimus; si tamen rex pacificus requiescit in ea. Arnobius in ps. 64.

Lapis politus. Ad cujus (cœlestis templi) ædificationem Electorum animæ, quasi quidam expoliti lapides deferuntur. S. Isid. Hispal. Com. in 3. Reg. 2.

Lignum. Quemadmodum lignum plantatum secus decursus aquarum; ità etiam anima divinæ Scripturæ fluentis irrigata faginatur; fructumque tempestivum, id est, rectam fidem profert; ac perpetuò virentibus foliis, id est, DEO gratis actionibus exornatur. S. Joan. Damasc. Orthodox. fid. l. 4. cap. 18.

Lilium. Lilium, quamvis pungatur à spinis, candorem tamen retinet, fortiorem emittens odorem, quàm si non pungatur. Sic anima sponsa DEI, quamvis pungatur: candorem bonæ conscientiæ, & bonæ famæ odorem, servare conatur. S. Albertus M. parad. an. cap. 4. de Patientia. Lilia, sanctæ sunt animæ. S. Thom. in c. 4. Cant. Quid per lilia, nisi mundæ animæ designantur? S. Greg. M. in cap. 2. Cant. Lilia sunt animæ beatæ, & castæ. S. Thom. opusc. de Sacr. Alt. cap. 3.

Luna. Comparatur Lunæ nocte splendenti: sic enim anima se convertens vivit bono exemplo. S. Gregor. in Cant. cap. 2. Animam S. Engelberti M. & Archi-Ep. Colon. vidit S. Hermannus in specie Lunæ ad Cœlum ire. Author vitæ S. Hermanni c. 30.

Margarita. Anima sancta, in hac vita est velut margarita in sterquilinio. S. Greg. hom 40. in Evang.

Mons. Exultate montes, hoc est, ratione præditæ naturæ; quæque ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis. S Joann. Damasc. orat. 1. de Nat. B. V. Montes excelsæ anima sunt, colles parvulæ sunt. S. August. tr. 1. in Joan.

Murus. DEI Murus, est anima sancti. Habet & Ecclesia Muros suos: quæ jam perfectior dicit: *Ego civitas munita*. S. Ambros. s. 2. in ps. 118.

Myrrha. Per has ergo arbores (myrrham & aloes) designantur carnis continentia, & castimonia: nam putredo luxuriam solet designare - In Horto ergo Ecclesiæ sunt mirrha, & aloe, hoc est, mentes castæ. S Thom. in cap. 4. Cant.

Naves Tharsis, animæ piæ sunt, ferentes Salomoni ad templum necessaria. S. Ambr. Enarrat. in ps. 1.

Palma. Significat animam cujusque fidelis, quæ memor est Domini; qui dicit Joann. 16. *Ego vici Mundum*. S. Thom. in cap. 7. Cant. Palma angusta est inferiùs, & superiùs lata: sic anima, quæ vult ascendere ad DEUM, debet esse stricta ad voluptates terrenas. S. Vinc. Ferr. s. 1. Dom. palmar.

Ramus. Sicut ramus, in quo pendet fructus, & sic spica pleno grano: sic anima humilis, quæ est onusta fructibus bonorum operum - & plena granis virtutum. S. Bonav. diet. sal. tit. 7. c. 1.

Rebecca. Nota, quòd per Rebeccam potest mysticè intelligi quælibet anima, Christo filio DEI Patris desponsata, per intermediam procurationem Angelorum. S. Thom. in c. 24. Gen.

Regina. Quid per Reginas Cant. 6. nisi Sanctorum animæ designantur? S. Greg. in c. 6. Cant. Reginæ, id est, justorum animæ beatam te dixerunt (Mariam -) S. Joannes Damas. or. de dormit. B. V.

Sedes Dei, anima justi est. Sap. 1. & 2. Sedes mentes justorum sunt, in quibus Christus quiescit. S. Tho. in cap. 4. Apoc.

Sepulchrum Christi, anima fidelis est. Drogo Ost. s. de Pass. Dom.

Sindon. Sindone munda involvit Jesum, qui pura mente eum suscipit. Glossa. In tribus verò, quæ perducunt corporale linteum ad candorem, intelliguntur tria, quæ faciunt ad nostram mundificationem. 1. Enim lavatur. 2. torquetur, exsiccatur - 1. debet lavari per aquam lacrymarum; 2. per opera pœnitentiæ torqueri, &c. - De primo Ex. 30. *Lavabunt Aaron, & filius ejus manus, & pedes*, id est, opera, & cognitiones, aqua compunctionis, & confessionis ps. 31. *Lavabo lectum meum*, id est, conscientiam meam. De secundo Ex. 26. *Cortinas tabernaculi*, id est ornatus animæ, *facies de bysso retorta*, id est, de operibus pœnitentiæ, jejuniis, orationibus, afflictionibus, &c. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 15.

Sion. Sit ergo Sion anima nostra, ut deceat hymnum in ea dici Arnob. in ps. 64.

Sole amicta. Anima contemplativa est mulier bona amicta Sole. S. Bonav. opusculum. Eccl. s. 22.

Superluminare Ex. 12. Significat mentem fidelis. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 30.

Templum, est anima justa; in qua DEUS per gratiam. S. Tom. in ps. 17.

Vas tabernaculi. Quid per vasa tabernaculi, nisi fidelium animæ designantur. S. Isid. Hispal. in Num. c. 6.

Virgula

virgula fumi, anima sancta DEUM amans: gracilis est, & delicata, disciplinis Spiritus Sancti extenuata; non habens grossitudinem carnalium desideriorum. S. Thom. in cap. 3. Cant.

Virgines quinque sapientes, omnes animæ sanctæ intelliguntur. S. Isidor. alleg. novi Testam.

Volatilia Cœli. Facta sunt & volatilia; id est, animæ sanctæ ad superna volantes. Id. cap. 2. in Gen. In istis etiam (ramis Apostolis) volucres requiescunt; quia sanctæ animæ; quæ quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se sublevant, in eorum dictis, atque consolationibus, ab hujusmodi fatigatione vitæ respirant. Sanct. Gregor. lib. 19. mor. cap. 1.

Urna aurea, cor nostrum, quæ suscipit Christum, debet esse. S. Thom. cit. c. 15.

T I T U L U S IX.

ANIMA PECCATRIX.

A*Byssus* dicitur cor peccatoris, peccati caligine tenebrosum; cujus angelus est diabolus. S. Thom. in c. 9. Apoc.

Ænea olla. Ezech. 24. Sermo divinus æneæ ollæ peccatricem animam comparat. S. August. hom. 16.

Agnicula sum ovilis tui errabunda; converte me in caulam tuam Domine. S. Ephr. s. in mulier. peccatr.

Aranea. Tela araneæ est fragilis; ità cognitiones peccatorum sunt vanæ. S. Thom. in ps. 38.

Arida manus. Homo habens manum aridam significat animam minimè operibus fructuosam, S. Isid. Hispal. in alleg. novi Testam.

Babylon. Civitas Babylonis quælibet anima (vana) S. Thom. in Is. 24.

Civitas. Moraliter civitas anima, plena populo bonarum affectionum; domina gentium, vitiorum; princeps provinciarum: sensuum; desolata bonorum suffragiis; vidua sponsi amplexibus; sub tributo vitiorum. S Thom. in 1. Thren.

Columba tua ego sum - rapta ab accipitre calidissimo, atqueævissimo; ait anima peccatrix, & convertens se, apud S. Ephrem. s. in Mulier. peccatr.

Dæmoniaca. Matth. 15. Moraliter per istam dæmoniacam intelligitur anima peccatrix. S. Thom. s. 2. D. 2. Quadrag. Si quis habet conscientiam alicujus vitii sorde pullutam, filiam habet malè à dæmonio vexatam. Rabanus.

Dina, ut mulieres videat extraneæ regionis, egreditur, quando unaquæque mens - extra ordine proprium evagatur; quam Sichem princeps terræ opprimit. S Isidor. Hispal. c. 28. in Gen.

Drachma. Mulier, quæ perditam reperit drachmam. Ecclesia est; per drachmam anima peccatrix intelligitur. Id. in alleg. novi Testam.

Filia diaboli, violatrix templi Spiritus Sancti, quid de te dicam? Ità alloquitur animam peccatricem. Goffrid. Abbas Vindocinensis Opusc. 15.

Imago, quam DEUS depinxit, est anima, ad similitudinem suam - sed peccator superinducit maculam peccati. S. Vinc. Ferr. s. de S. Joan. ante port. lat.

Infernus anima peccatoris dicitur. S. Bonav. diet. sal. tit. 5. cap. 1.

Judas. Moraliter anima, quæ DEUM confiteri debet, migravit ad vitia, inter gentes vitia, vel dæmones. S. Thom. in 1. Thren.

Locustæ accipiendæ sunt tamquam vagæ, & salientes animæ in sæculi voluptates. S. Isid. Hispal. c. 14. in Ex.

Meretrix est, quæ ad se recipit dæmones. Id. Comment. in Levit. c. 12.

Olla. Anima peccatrix dicitur propter concupiscentiæ fervorem. Job 40. Mich. 3. Nahum. 3. S. Thom. in cap. Jerem. Anima peccatrix dicitur olla - Notandum, quòd prædicta olla succenditur igne inordinati amoris. Psalm. 79. *Incensa igne, &c.* iræ, & contentionis. Is. *Ecce omnes vos, &c.* Id. ibid.

Paralyticus jacens in lectulo, anima est vitiis desolata in corpore suo. S. Isidor. in alleg. Anima aggravata vitiis quid aliud est, quàm torpens paralyticus? Hildebertus Turonens. Archi-Ep. serm. Synodico in Luc. 12.

Perdix, à diabolo capta perdici similis est: quia sicut anceps per captam perdicem alias allicit, & capit; ità per animam, &c. S. Ephr. Syr. tom. 1. de recta viv. rat. cap. 22.

Via. Est mens, assiduo malarum cogitationum motu trita; nè verbi semen in ea germinare sufficiat. V. Beda apud S. Th. in Cat. aur. sup. c. 4. Marci.

Viscus. Obligata anima amore terreno quasi viscum habet in pennis. S. Aug. in ps. 122.

Varia de Anima.

Accipiter. Job 39. Signat personam contemplativam, volantem alis contemplationis, & orationis, ad Austrum. Auster est ventus calidus, & humidus; contemplatio calefacit per devotionem, humectat per lacrymationem, & anima renovatur (sicut accipiter) S. Vincent. Ferr. serm. 5. D. 20. Pent.

Astra. Aurora est initium bonæ vitæ, astra sunt bonæ animæ, quæ egrediuntur in morte. S. Bonav. s. 2. in Vigil. Nat. Dom.

Columba. Ut domestica, & mansueta quædam columba per tabulata spatians ædium, si strepitum senserit, exterrita avolat in tectum, & sublimen sese efferens exitum sollicitè petit, pavoreque levari enititur: sic animus beati illius (Danielis in visione constituti Dan. 8.) à corpore efferre, forasque omni ex parte extrudere cogebatur. Et quidem exisset, avolasset, corpus suum deseruisset; nisi continuò Angelus eum intimo liberasset metu, ad suumque revocasset diversorium. S. Chrysost. hom. 4. de Dei Natura.

Deo devota. Sicut Sol non potest non splendere, & sicut rosa non potest odorem non spargere, & sicut aqua fluens non potest terras proximas non irrigare; sic nec cor DEO devotum se potest abscondere. S. Bonav. s de S. Luca.

Fluminis impetus. Ps. 45. Quatuor flumina se percutiunt in anima peccatoris pœnitentis: scilicet flumen olei, misericordia, flumen mellis, Spiritus Sanctus, flumen aquæ, quando lacrymatum, flumen sanguinis, quando homo disciplinat se. *Lætificat civitatem DEI*, scilicet Angelos, quia gaudium est iis. Luc. 15. Sanctificavit tabernaculum. Quando homo est in peccatis, est stabulum porcorum; sed, postquam fluminis impetus mundavit eum, efficitur camera, & habitaculum DEI. S. Vinc. Ferr. s. 1. de S. Joan. B.

Framea DEI. Quid anima nostra potest, nisi DEUS illam teneat, & pugnet de illa? nam quilibet optimè facta Framea, si non habet bellatorem, jacet. S. Aug. in ps. 34.

Hirundo volando victum accipit: sic anima sancta in hac vita non debet multùm escis inhærere; sed iis quasi volando, sine mora dilatationis frui, & eas citò transire. Id. s. 1. Dom. Palm.

Jerichuntinus est anima Purgatorii. Luc. 10. Semivivus relinquitur: quia homo vitam corporalem perdidit, & superest tantum animæ vita. Juvatur à Samaritano per vinum: id est, orationem; oleum, id est, eleemosynas. Posuit eum super jumentum, id est, corpus: ecce afflictio corporalis. Id. s. 1. D. 14. Pent. vide hic plura.

Lucerna. Sicut lucerna non à se ipsa accenditur; ità nec anima humana sibi præstat lucem, sed clamat ad DEUM. Ps. 107. *Tu illuminabis lucernam meam Domine*. Sanct. August. in ps. 109.

Navis in mari, animus in dubio. S. Aug. in ps. 54.

Perdix. Cogita, quòd corpus sit nemus, anima ut perdix in eodem abscondita. Canes in circuitu sunt dæmones, qui sunt in terra: falcones sunt dæmones, qui sunt in aere, ut atomi in radio Solis: homines pungentes cum baculis sunt dolores pungentes, ut anima exeat: & non potest ibi manere. Ecce misera anima, in quali pressura est in morte. Id. s. 1. D. 11. Pent.

Philomela quando videt clarescere, & solis radios lucere, (manè) tanta hilaritate cantat, quòd penè discumpatur; & significat animam, quæ in hujus vitæ tenebris Solem justitiæ expectat; & quando eum senserit adesse, summè lætatur. Talis erat ille beatus senex Simeon. Luc. 2. S. Vinc. s. 1. D. Palm.

Quantitas cujusque animæ æstimatur de mensura charitatis, quam habet, ut v. g. quæ multum habet charitatis, magna sit, quæ parum, parva; quæ nihil, nihil; dicente Paulo 1. Cor. 13. *Si charitatem non habuero, nihil sum*. S. Bernard. s. 27. in Cant.

Regulus est omnis homo; cujus filius, id est, mens febricitat voluptatibus pravis. Accedit autem ad JESUM, & deprecatur, ut descendat, id est, ut condescensu misericordiæ utatur. Theophylactus apud S. Thom. in c. 4. Joan.

Reliquia. Anima debet diligenter custodiri, conservari, quasi reliquia pretiosissima. Id. s. 2. fer. 6. post Cineres.

Solsequium ad ortum Solis aperitur, ad occasum clauditur: sic animæ fidelis cor Soli DEO patere habet, Mundo verò debet esse clausum. Id. ib.

T I T U L U S X.

ANIMA, ET CARO.

A*Dam* animam, *Eva* carnem, signat. S. August. Conc. 1. ps. 48.

Cymbalum jubilationis, sunt anima, & caro. S. Vinc. Ferr. s. 4. de om. SS.

Fragilis

Facies duæ. Anima nostra duas habet facies; unam versùs DEUM, secundùm rationem; aliam versùs carnem, secundùm naturam sensitivam, quæ tantùm naturalia comprehendit. S. Thom. in ps. 10.

Isaac, & Rebecca. Sciendum, quòd in illa figura Gen. 27. Dominici Corporis quatuor erant personæ, scilicet Isaac & Rebecca, quasi masculus, & fœmina, significant duas naturas in nobis, Corpus, & Animam. Masculus, qui magis solet esse manifestus, & exterioribus plùs intendit, significat exteriorem hominem, id est, Corpus cum suis sensibus. Fœmina, quæ domi residet, & familiam regit, interiorem hominem, id est, Animam, quæ salutis suæ, & aliorum gerit curam. Sanct. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 7.

Scala erecta nostra vita in sæculo. Latera hujus scalæ dicimus animam, & corpus esse. S. Benedictus in Regula sua, cap. 7

Vitulus, & ursus, pascentur simul. Is. 9. Vitulus significat Corpus, quòd in sacrificio Deo est mactandum: ursus spiritum. hi pascentur simul, scilicet vero cibo, id est, carne Christi. S. Thom. ib. c. 7.

TITULUS XI.

ANTI-CHRISTUS.

A*bimelech*. Per rhamnum meritò typus Anti-Christi significatur. ignis de rhamno. iniquitas de Anti-Christo Abimelech tenet typum Anti-Christi, &c. S. Isid. cap. 6. in Judic.

Aquilam sub Nabuchodonosor vel Anti-Christi figura plangit (Ezechiel) Id. lib. procem.

Antiochus. In Daniele multa dicuntur de Antiocho in figura Anti-Christi: unde ibi quædam leguntur, quæ non sunt in eo completa; implebuntur autem in Anti-Christo. S. Tho. in Prologo Expos. in psalmos.

Barrabbas significat Anti-Christum. S. Isidor. in alleg. novi Test.

Cornu. De Anti-Christo ostendit, quòd ipse sit cornu pusillum, id est, parvo tempore regnaturus. Idem liber. procem.

Dan. Per Dan ideo Anti-Christus signatur; quia non de libertate gratiæ orietur, sed potiùs de ancilla, cupiditate scilicet, & ambitione. S. Thom. in 49. Gen. Dan Anti-Christum significat. S. Isid. in c. 31. in Gen.

Doeg, id est, Anti-Christus; qui commovebit in fine Mundi terrenos. S Thom. in ps. 51.

Hyems. Hyems autem quod dixit, tempus capiendi homines ostendit. Oremus, ut sæculum fugere possimus; ne ab Anti-Christo, velut ab hyeme, aut Sabbato, præoccupemur. Arnobius c. 26. in Matth.

Hermagedon (interpreratur) *mons furum*, vel *globosus*, vel *conturbatio cæstium iniquorum*; & signat Anti-Christum. S. Thom. in c. 16. Apoc.

Impius. Interficiet impium, id est, Anti-Christum. Id. in c. 11. Isaiæ.

Leo Super Aspidem, & Basiliscum, &c. ps. 90. Aspidem dixit mortem, Basiliscum peccatum, Leonem Anti-Christum, Draconem diabolum. S. Isid. cap. 5. in Gen. Leonem, & ursum David necavit; ursum videlicet diabolum, Leonem Anti-Christum (scilicet David præfiguratus) Id. c. 9. in 1. Reg.

Tenebræ. Christus lux est, tenebræ autem Anti-Christus Arnobius in c. 5. Joan.

TITULUS XII.

APOSTOLI.

A*gricola*. Homo, qui vineam plantavit, DEUS est, qui condidit Jerusalem. Coloni, autem quibus vineam locat populus est Israel. Servi missi, & interfecti, sunt prophetæ. Filius novissimè missus, est Christus. Illi autem agricolæ, ad quos vinea transferri præcipitur, significant Apostolos, vel Successores Apostolorum. Sanct. Isidor. in alleg.

Aqua tenebrosa. Dicuntur Apostoli in comparatione ad fulgorem, id est, Christum. S. Thom. in ps. 17.

Aquilæ sunt. S. Joa. Damasc. orat. 2. de Assumpt. B. V.

Arbor. Quidam Apostolorum in Romam, & quidam in Indiam, quidam in alias terræ partes sunt divisi, sicut rami. Theophylactus apud. S. Thom. in Car.

Arietes gregis S. Aug. ep. 89. ad Hilarium. Per altare significatur fides, per arietes duces gregis, Apostoli. S. Thom. in Is. 60 *Afferte Domino filios arietum*, id est, agnos. Mysticè arietes sunt principes gregis, id est, Apostoli; filii eorum sunt fideles. Id. in psal. 128. Arietes sunt Apostoli, qui (quasi arietes) gemino cornu, id est, scientia utriusque Testamenti adversarios hæreticos ventilant. S. Bonav. in ps. 28.

Athletæ Domini. Euseb. Cæsar. hist. l. 2. c. 13.

Biga Trinitatis facti sunt Apostoli, quando bini, & bini missi sunt. Marci 14. S. Chrysol. s. 170.

Boves intelliguntur Apostoli, qui nobis Scripturas Sacras dispensaverunt. S. August. apud S. Thom. in Cant. Bobus Apostolos comparavit propheta Isaias. Cæsarius Dialogo 4. interrogat. 192.

Candelabrum. Marci 4. Apostoli sunt, quos illuminavit Verbum DEI. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. hic.

Capilli sunt. Drogo Ost. s. de Pass. D.

Cedrus. Sicut cedri omnibus aliis arboribus præeminent; ità Apostoli, &c. S. Vinc Ferr. ser. 2. D. Palm.

Cervi sunt, præfigurati in Nephtalin, & Zabulon. S. Isid. c. 31. in Gen.

Corona Christi. Corona est signum Regiæ dignitatis. de lapide pretioso, id est, de Divinitate; quia regnum ejus non est de hoc Mundo. Vel Corona de lapide pretioso sunt Apostoli; qui dicuntur lapides pretiosi, propter pretiositatem doctrinæ. Unde cœtus Apostolorum est quasi corona Christi. S. Thom. in ps. 20.

Cœlum. Apostoli sunt cœlum. S. August. in psal. 18. *Annuntiabunt cœli*, id est, Apostoli cœlestes. S. Thom. in psal. 21. Per cœlos Apostoli, per Solem Christus intelligitur. & dicuntur cœli propter subtilitatem conversationis. Philipp. 3.

Nostra conversatio in cœlis est. Item stellati, propter multarum virtutum abundantiam. Lucidi, propter doctrinam, & exemplum. Volubiles, propter obedientiam, & discursum prædicationis. S. Thom. in ps. 18. Cœli facti sunt Apostoli, habentes in se Solem Justitiæ, & merita in modum stellarum. S. Chrysost. adv. hæret. Per cœlos intelliguntur Apostoli propter tria 1. Propter motum continuum. Joann. 15. 2. Propter Ordinem. Job 38. 33. 1. Cor. 14. 3. Propter Concordiam. Job 15. S. Thom. s. in Vigil. Pent. *Annuntiabunt cœli*. Ps. 49. Officium Apostolorum est annuntiare; & hi designantur per cœlos. Unde cœli, id est, Apostoli annuntiabunt justitiam DEI. Et dicuntur cœli; quia ipsi eminent omnibus choris Sanctorum, & illuminant totam Ecclesiam. S. Thom. in Psalm. 44. Istos cœlos (Apostolos) ornavit Spiritus Domini stellis: ornamentum enim cœlorum stellæ sunt. Eccl. 43. *Species cœli, &c.* Posuit enim in eis quinque ordines stellarum. 1. Ordo, virtutes Theologicæ. 2. Virtutes politicæ. 3. Septem dona Spiritus S. 4. Octo beatitudines. 5. Duodecim fructus Spiritus S. Id. s. in Vigil. Pent.

Columnæ Ecclesiæ: *Crura ejus columnæ marmoreæ, &c.* Significans columnas esse Ecclesiæ Apostolos; qui fundati sunt in timore sancto. S. Ambros. s. in ps. 118. *Ego confirmavi columnas ejus*, id est, Apostolos Ecclesiæ. S. Thom. in 2. Gal. lect. 2. Jacobus, Cephas, & Joannes; videbantur Paulo *columnæ* esse ad Gal. 2. Id. ib Firmamentum Ecclesiæ? qui nisi Apostoli: qui etiam alibi columnæ nuncupantur. S. August. ep. 120. ad Honoratum. Columnæ Ecclesiæ. S. Antiochus in laura Sancti Sabæ hom. 88.

Columbæ. Apostoli *simplices sunt columbæ, & sicut oves in medio luporum*. Matth. 10. S. Thom. in ps. 8. Dicuntur columbæ 1. propter cordis compunctionem. Nahum 2. gementes ut columbæ. 2. Propter vitæ simplicitatem. Matth. 10. *Simplices sicut Columbæ*. 3. Propter contemplationis altitudinem, vel velocitatem. ps. 34. *quis dabit mihi pennas sicut Columbæ?* 4. Propter conscientiæ puritatem. Cant. 5. *Oculi tui sicut Columbæ*, &c. Idem in 60. Isaiæ.

Crura Apostoli per crura sponsi designantur. S. Greg. sup. Cant.

Dies Apostoli dicuntur dies. Et hoc est, quod dicit (David) dies, id est, Apostoli, eructant verba Divinæ Sapientiæ dici, id est perfectis. 1. Cor. 2. Scientiam loquimur inter perfectos. S. Thom. in ps. 18.

Divites. Dietis (dixit Christus Discipulis suis) absque argento divites, absque medicamento totius orbis terræ eritis medici. Hesych. Presbyt. Jerosolym. or. in Sanct. Andr. Apost.

Duodecim anni. Mulier in profluvium sanguinis conversa, Ecclesia. vestimentum autem ejus, quod tetigit, Corpus Christi. duodecim anni Apostolorum numerum demonstrant. Arnobius c. 13. in Matth.

Duodecim boves. Quid aliud per duodecim boves (3. Reg. 6.) quàm duodecim Apostolos credimus designari? Labrum autem orbem terræ intelligimus? cujus ambitum lustraverunt Apostoli. S. Isid. c. 2. in 3. Reg.

Duodecim cophini. Per cophinum significantur opera servilia; mundare stercora, terram portare, cophino fit. Duodecim cophinos buccellarum implevit: quia abjecta hujus Mundi elegit; ut confundat fortia. S. August. in psal. 80. Per duodecim cophinos duodecim Apostoli figurantur. Sanct. Gregor. l. mor. 16. cap. 23. apud S. Thom. in Cat. sup. cap. 6. Marci.

Duodeca jugum. O bonorum equorum duodeca jugum mirabile! quibus fræna pacis, habendæ sunt charitatis; constricti inter se concordæ vinculis, & jugo fidei subjecti, quatuor

tuor rotis Evangelii mysterium totius orbis finibus invehentes, bonum aurigam portantes Verbum DEI: cujus flagello fugatæ sunt illecebræ sæculares justorum cursus impletus est. S. Ambr. s. 4. in ps. 118.

Duodecim Patriarchæ. Genes. 40. *Duodecim Pontes*. Exod. 15. *Duodecim Lapides*. Jos. 4. figura sunt duodecim Apostolorum. S. Chrysol. s. 170.

Duodecim Lapides. Jos. 4. Tulit autem JESUS duodecim lapides, & posuit in Jordane, ex ipso Jordane tulit alios duodecim, & fixit in loca castrorum. Illi duodecim, qui missi sunt in Jordanem, videntur mihi typum habuisse Patriarcharum: illi verò, qui levati sunt de Jordane, figuram habuisse Apostolorum sic, & in Psalmo 4. legimus: *Pro Patribus nati sunt tibi filii*. S. Aug. s. 130. de temp.

Duodecim panes propositionis significabant duodecim Apostolos, vel doctrinam eorum: ipse etiam Christus significatur per altare holocaustorum. Sanct. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 6.

Equi Domini, dicuntur Apostoli. S. Thom. in Apoc. 8. O rationabilium equorum certamen grande! ò mirandum mysterium! *Rota inter rotam* currebat; novum Testamentum in veteri Testamento erat. Currebant igitur equi (Apostoli) quia non dormiebat, qui ascenderat equos. Sanct. Ambr. s. 4. in psal. 118.

Facies Christi convenienter intelliguntur Apostoli, qui formam doctrinæ suæ populis ostendebant. Innocentius de Sacrific. l. 2. c. 39.

Filii Dei. Licèt omnes Sancti, & devotæ personæ, dicuntur filii DEI, magis proprie, & super omnes, Apostoli dicuntur filii DEI. Ratio est ista: nam filiatio divina communicatur in homine ex vita spirituali, quæ habetur per gratiam, & præsentiam Spiritus S. S. Vinc. Ferr. de SS. Philip. & Jacob.

Filii Abrahæ. Lapides quos dixit, Judæi intelliguntur. de quibus filios Abrahæ resuscitavit, idest, Apostolos. Arnobius c. 2. in Luc.

Filii Excussorum sunt, id est, Prophetarum; qui in manu DEI potentis positi sunt, & tanquam sagitta excussa pervenerunt usque ad fines terræ. S. Isid. c. 32. in Gen.

Filii Job facturi convivia per domos ibant, cum prædicatores Apostoli in diversis Mundi regionibus virtutum epulas audientibus, quasi edentibus ministrabant. Sanct. Gregor. lib. 1. mor. c. 19.

Fratres Christi, & per naturam assumptam, & per gratiam Vocationis ad Apostolatum. S. Thom. in ps. 21.

Gigantes. Hanc nimirum Apostolicus ille chorus loricam fesse induit sicut Gigas *ad faciendam vindictam in nationibus*. S. Bernard. s. 3. in Pent.

Gressus Ecclesiæ sunt veloces prædicationes Apostolorum; per quos in omnem terram Evangelium insonuit. S. Thom. in cap. 3. Cant.

Hora duodecim. Hujus diei (Christi) duodecim horæ sunt duodecim Apostoli. *Nonne ego vos duodecim elegi?* Jo. 7. Sanct. Thom. in 11 Joan. lect. 2.

Montes. Ecce in novissimo die hic *mons* filius Virginis hujus *præparatus est in vertice montium*, id est, elevatus est super Apostolos nostros. S. Ildefonsus lib. de Virginit. B. V. c. 4. & 6. *Fugiant ad Montes*, idest, Apostolorum doctrinam. Arnobius c. 26. in Matth. Montes sunt Apostoli; qui meritò virtutum Montes appellantur. S. Thom. in cap. 3. Cant. *Montes in cor maris* translati sunt. Ps. 45. cùm prædicantes Apostoli à Judæa perfidia repulsi ad intellectum Gentilium venerunt. S. Greg. mor. l. 9. c. 2. *Tange montes & fumigabunt*; non de fumo, de furno calcis, sed de fumo doctrinarum, & prædicationum. S. Vinc. Ferr. s. 2. de SS. Trinitate.

Nauta. Nos habentes pro nave Ecclesiam, pro gubernaculis crucem, pro gubernatore Christum, pro prora Patrem, pro vento Spiritum S. pro velo gratiam, pro nautis Apostolos, pro navigantibus Prophetas, pro mari vetus Testamentum, & novum; committamus nos pelagi profundo, ad perquirendum in Scripturis Divinis margaritam latentem. Sanct. Chrysost. de Cruce Dominica.

Non Homines. Per homines non intelligas Apostolos: quia numquam Apostoli sic appellantur. S. Thom. in 11. Joan.

Nubes sunt. S. Aug. Præfat. ad 2. Exposit. ps. 29. Nubes idcirco appellantur: quia inundatione sermonis sui terram rigantes, fidei eam fructum DEO facere docuerunt. Arnob. in ps. 35. Apostoli dicuntur nubes 1. propter terræ fertilitatem, scilicet ex pluvia. Job 37. *Frumentum desiderat nubes*. 2. Propter luminis diffusionem. Job 37. *Quæ lustrant cuncta, &c.* 3. Propter Divinæ Voluntatis impletionem. Job 37. *Quæcumque Voluntas, &c.* S. Thom. in ps. 60.

Oculi Christi. Apostoli sunt; qui scientia lumen universo corpori Ecclesiæ præstant. Sanct. Isidor. Comm. cap. 11. in 13. Levit.

Opera digitorum. Mysticè Apostolos opera digitorum (designant) tres digiti tres personæ; quasi dicat opera totius Trinitatis, vel Spiritus S. S. Thom. in ps. 8.

Os Christi. Cujus (Christi) Os Apostoli rectè dicuntur. Rupert. Abb. Tuit. de div. offic. l. 8. c. 12.

Ossa Ecclesiæ Apostoli. S. Aug. Expos. 1. in ps. 21.

Oves. Discipulos dicit, quasi innocentes, & quasi absque malitia. Theophylactus apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 14. Marci.

Patriarchæ. Apostoli sunt significati in Patriarchis. S. Tho. s. in Conv. S. Pauli.

Patres. Filii Ecclesiæ primitivæ sunt Apostoli. Filii dicuntur esse nati Ecclesiæ, propter doctrinam Christi Sponsi ejus, & alii per doctrinam Apostolorum, & alii filii aliorum prædicantium. Et imò non est inconveniens, quòd iidem sint filii & patres: quia Apostoli ipsi sunt Patres eorum, quos converterunt. 1. Cor. 4. *In Christo JESU ego vos genui*. S. Tho. in ps. 44.

Paterfamilias. Apostoli comparantur nomini Patrifamilias, proferenti de thesauro suo nova, & vetera. Haymo hom. in festo Virginis.

Pigmentarii. Genæ illius sunt areolæ aromatum consitæ à pigmentariis Apostolis. S. Isid. in Cant.

Piscatores. Isti Piscatores Apostoli, loco calami intendunt precationem, loco funiculi memoriam, loco hami. virtutes, escæ loco miracula: piscantur è cœlo debentes è petra piscari; naviculam debentes accipere recipiunt altare; piscium loco venantur Reges; pro sagena Evangelium extendunt; loco maris vitam peragrant; artis vice utuntur gratia, irretiunt cruce loco Sagenæ. Proculus Archi-Ep. Constant. orat. de S. Andr. Apostol. Vide Bibl. PP. Parisiis 1654. tom. 15. pag. 813.

Portæ Ecclesiæ sunt Apostoli. S. Thom. in c. 7. Cant.

Præcones salutis, ministri immortalitatis soleque, ac luna, & stellis illustriores. Hesychius orat. in S. Andr. Apost.

Primi Apostoli sunt illi novissimi, qui primi facti sunt; quamvis undecima hora venerint. Id. ib.

Principes. Isti ergo Principes dicuntur, quia primi dona spiritus acceperunt. S. Th. in ps. 44.

Phialæ Apostoli pleni vitalibus aquis. S. Isid. in c. 51. Ex.

Psalterium, & Cithara. Apostoli, ex bona vita, & observantia decem præceptorum, dicuntur Psalterium. Dicuntur etiam Cithara ex prædicatione altissima, & acutissima. Sanct. Vinc. Ferr. s. de Omn. SS.

Rami sunt Apostoli: ad quos si quis se fortiter tenere voluerit, fluctibus sæculi minimè mergitur. S. August. serm. 82. in App. Apostolos ex virtute Christi protensos, & Mundum inumbrantes, in ramis intelligimus; in quos Gentes in spem vitæ advolabunt; & aurarum turbine, id est, diaboli spiritu, flatuque vexatæ, tanquam in ramis arboris conquiescent. S. Hilar. c. 13. in Matth. apud S. Thom.

Reges. S. Thom. Opusc. 14. de quarto præcepto c. 19. Id. in ps. 44.

Sal terræ vocat eos Christus ad condiendum exemplo vitæ. Id. in c. 5. Matth.

Sagittæ ignea ad inflammanda corda credentium. S. Aug. in psal. 7.

Scribus propter scientiam nuncupat: eò quòd intellexerint, quæ ille nova, & vetera protulerit (in Evangeliis, & Lege) Sanct. Hilarius apud S. Th. in Cat. sup. 13. Matth. Vel Apostoli instructi Scribæ dicuntur, quasi Notarii Salvatoris qui verba illius, & præcepta, signabant in tabulis cordis carnalibus, &, quidquid in Evangelio prædicabant; Legis, & Prophetarum vocibus comprobarunt. Sanct. Hieronym. apud Sanct. Thom. cit.

Scutra terræ: quia Apostoli fuerunt Protectores omnium populorum. S. Thom. in ps. 46.

Sedes, & thronus Dei sunt Apostoli. Id. ps. 121.

Signa Zodiaci Apostolos dicit Corderius noster. Annot. sup. 10. epistolam S. Dionysii, esse.

Sol. Orbis oculi, Mundi lumina, Soles universi. Lobbet. Glor. Patr. de Sanct. Francisc. §. 3. Orbis Soles. Corderius ibidem.

Stabularius. Luc. 10. Apostoli sunt. Sanct. Isidor. in alleg. Stabularii typum gerunt Apostoli. Titus Bostrens. in Luc. 10.

Stellæ. Sole, & Luna, & Stellis illustriores. Hesych. or. in S. Andr.

Tabulæ. Quid per Tabulas, nisi Apostoli? quid per bases argenteas, nisi Prophetæ signantur? S. Isid. cap. 46. in Ex. Columnæ doctores sunt Sancti. tabulæ Apostoli. tentoria Præpositi, & Prædicatores. Id. ib. c. 48.

Thuribula. Sunt quasi Thuribula, & vasa ignis Spiritus S. inferiùs clausa per contemptum carnis, superiùs aperta, per desiderium supernorum. S. Thom. in 8. Apoc.

TITULUS XIII.

AQUA.

Apostoli tenebrosa aquam in nubibus aeris, idest, Apostolis elevatis à terra - & dicuntur Apostoli tenebrosa aqua in comparatione ad fulgorem, idest, Christum. S. Thom. in psalm. 17.

Baptismus. Lagenam aquæ portat (Marci 14.) qui baptizatus est. S. Thom. in Cat. sup. 14. Marci. Nuptiæ conjunctio Christi, & Ecclesiæ est; hydriæ autem sex lapideæ Ecclesias super petram fundatas demonstrant: aqua plenæ, idest, Baptismi gratia Arnobius in 2. Joann. Lignum, & aqua, Crucem designat, & baptisma: sicut enim ille (Noe) cum suis per lignum, & aquam salvatur; sic familia Christi per Baptismum, & Crucis Passionem sanatur. S. Isidor. cap. 7. in Gen. Hic adest Elisæus cum ligno ad quærendam securim, quæ in imò demersa est, & natavit ad lignum. 4. Reg. 6. id est, Genus humanum, quod à ligno vetito in Infernum decidit: sed per lignum Crucis Christi, & per Baptismum aquæ, ad paradisum natavit. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Marci.

Benedicta expellit dœmones à corporibus, sicut aqua calida canes de coquina. Sanct. Vinc. Ferr. ser. 9. de Aqua benedicta.

Consolatio effundam Aquas, idest, consolationes. S. Thom. in 44. Is.

Divitia. Affluentia divitiarum rectè aquæ comparatur, propter defluxum celerem. S. Thom. in 16. Apoc.

Gratia Dei. Aqua refectionis, idest, Divina Gratia. S. Jo. Damasc. orat. 1. de dormit. B. V. Gratiam ergo *Spiritus S.* dixit aquam vivam, idest, vivificativam, refrigerativam, & motivam. Theophylactus apud S. Thom. sup. 4. Joan.

TITULUS XIV.

AVARITIA, AVARUS.

Accipiter, milvus, aquila, significat raptores. S. Isidor. c. 9. in Levit.

Amphora. Zach. 5. Avaritia est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet. S. Greg. mor. l. 14. c. 27.

Apostema. Avarus similis est Apostemati, quod est proximum cordi. S. Bonav. diet. Sal. tit. 1. c. 6.

Aqua. Nota super illo: cùm transieris per aquas, tecum ero; quia DEUS liberat ab aquis cupiditatis. Ex. 15. *submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus*; in quibus suffocantur per avaritiam. S. Th. in 43. Is.

Araneæ tela. Os. 8. Instabilitatem temporalium significat: multo enim labore texitur, facilè destruitur; sicut temporalia. Unde avari sunt araneæ diaboli, (foris ponunt, intus eviscerant) S. Bonav. ser. 3. in Sexages.

Arbor. Sicut arborum à stipite latè sese explicant radices; ad eundem modum imagine non minùs propria auri, & argenti. S. Asterius Ep. Amaseæ hom. adv. avarit.

Aridam manus. Aridam quòd dixit manum, infructuosi hominis ostendit personam. Proinde Dominus dixit ad illum: extende manum tuam (ad eleemosynam.) Arnobius in c. 16. Matth Significat avaros, qui valentes dare, volunt accipere, prædari, & non largiri: quibus dicitur, ut extendant manus suas. Sanct. Hieron. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 3. Marci.

Ætna. Ad Ætnæ similitudinem habet se avaritia, & cupiditas hominum. Sanct. Thom. in lib. 2. de Cons. Boet. in metr. 8.

Avis rapax. Sicut aves rapaces volant non congregatim, sed solitariæ: sic avarus - unus est; secundum non habet. Eccl. 4. *Væ soli*. S. Bonav. diet. Sal. tit. 1. c. 6.

Causa, & radix omnium malorum, plus habendi cupiditas. S. Asterius cit. Radix omnium malorum. S. Gregor. mor. l. 20. c. 10.

Camelus. In quibus mysticè divites ad fidem conversi, qui & onus divitiarum projecerunt gibbum peccati. S. Thom. in 60. Is.

Canis. Est sicut canis avarus. S. Bonav. diet. Sal. tit. 1. c. 6. Usurarius similis est cani rabido; qui exiens domum mordet quoscumque reperit: ita usurarius ab omnibus usuras exigit. S. Vinc. Ferr. s. 2. de Avarit.

Circumforanea. Relinquite avaritiam, illam circumforaneam, illam Mœnada - turpem meretriculam. S. Asterius cit.

Currus illius. Avaritia in curru vehitur; cujus sunt quatuor rotæ: scilicet inhumanitas, pusillanimitas, contemptus Dei, oblivio mortis. Duo sunt equi; scilicet tenacitas, & rapacitas. Auriga, est amor habendi. De hoc curru dicitur. Is. 5. *Væ, qui trahitis, &c.* S. Bonav. in ps. 19.

Dypsas, quæ mordendo facit homines sitire usque ad mortem significat; avaritiam; qua usque ad mortem sititur pecunia. S. Bonav. s. 3. D. 1. Quadr.

Equus diaboli. Omnes, qui - avaritiæ deserviunt, quasi equi quidam sub curru Pharaonis, id est, sub regimine diaboli sunt: omnis verò, qui - in charitate fervet, equus effectus est Creatoris nostri. S. Thom. in 1. Cant.

Febris hectica, quæ est Avaritia; quæ difficilè, vel numquam curatur. S. Thom. s. 2. D. 21. Pent.

Filia avaritiæ sunt duodecim: usura, rapina, latrocinium, talliæ injustæ, fraus negotiatorum, deceptio advocatorum, acceptio munerum, simonia pro promotione consanguineorum; peccata Anachoritarum, idest, illorum, qui promoventur favore, & potentia principum, fraus mercatorum, avaritia scientiæ, & iniquitas luforum. Ista duodecim figurantur per duodecim duces, quos Ismael generavit. Ismael enim erat idololatra; & figurat avaritiam. Gen. 17. & Eph. 5. S. Bonav. diet. Sal. tit. 1. c. 6.

Forma. *Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini* Rom. 12. Sciendum, quòd triplex est forma sæculi. 1. Est terrenorum cupiditas. 2. Carnalis concupiscentia. 3. Vitæ superbia. De his tribus. 1. Joan. 2. *Omne, quod est in Mundo, &c.* Sciendum, quòd ista triplex forma dat triplex esse: quia prima forma dat esse terrenum; secunda animale; tertia diabolicum. Avaritia facit hominem terrenum, concupiscentia carnis animalem, superbia etiam similem facit diabolo. S. Thom. s. 1. Dom. infra Octav. Epiphan.

Fomes, & caput, iniquitatis est Avaritia. Sanct. Ambros in ps. 61.

Flumen. Flumina in mare currunt, & cupidi labuntur in sæculum. S. Aug. in ps. 23.

Gallina. Avarus similis est Gallinæ: nam Gallina naturaliter surda est in Augusto, vel æstate: sic avarus in æstate, idest, in statu meriti. Sanct. Bonavent. diet. Sal. tit. 1. cap. 6.

Hedera. Avaritia similis est hederæ. S. Asterius cit.

Hydrops. Avarus comparatur hydropico. Sanct. Bonav. cit. Quia facit hominem, quantò plus bibit, tantò plus sitire; & per hoc significat avaritiam. Sanct. Thom. s. 2. D. 17. Pent. Hydropisis avaritiam significat. S. Bonavent. diet. Sal. tit. 1. c. 1. Hydropicus quò ampliùs biberit, ampliùs sitit: & omnis avarus ex potu, seu peccato, sitim multiplicat. S. Greg. mor. l. 14. c. 5.

Idololatria. Avaritiam vera voce veritatis ille præco Paulus idololatriam appellat. S. Asterius cit. vide superiùs *Filia Avaritiæ*. Sicut idololatria servit simulacro, sic avarus thesauro. S. Innoc. III. de contemptu Mundi l. 2. c. 12.

Inæqualitatis Mater, immisericors, inhumana, crudelis. Id. ibidem.

Infernus. De Avaro dicitur: *dilatavit quasi Infernus animam suam*. Abac. 2. S. Bonavent. diet. Sal. tit. 1. c. 6. Avarus, & Infernus, uterque comedit, & non digerit; recipit, & non reddit. Innoc. III. l. 2. c. 6.

Ismael erat idololatra; & figurat avarum. Id. ib.

Ignis inextinguibilis, cupiditas insatiabilis. S. Innoc. III. l. 2. de Mundi contemptu c. 6.

Lagena. De Avaro dicitur. Is. 30. *Comminuetur, sicut conteritur lagena figuli*. S. Bonav. ante cit.

Lapis. Avarus est ut lapis durus, & frigidus; nullam habens pietatem de proximo indigente. De Avaro Job 12. *Corejus quasi lapis*. Avari ergo moriuntur lapidati, tot lapidibus precutiuntur, quot sunt modi avaritiæ. Primus est rapina, secundus simonia. S. Vinc. Ferr. Ser. 1. de invent. S. Cruc.

Lepra, est aviditas pecuniæ. S. Asterius hom. 8. de am. pec.

Malitia. Quid miserius avaro? quis enim mentis compos cum hujusmodi hominibus conversabitur? Nam, mea quidem sententia, cum mille dœmoniacis habitandum potiùs esset, quàm cum uno, qui hoc morbo laborat. Illi multas domos evertunt - communis ærumna civitatum, atque orbis totius sunt. Dœmonibus autem exagitati lacrymas ità movent, ut eorum facilè misereamur: & isti non sentiunt plerumque quod agunt; illi præmeditati omnia faciunt in mediis urbibus bacchantes, ac novam insanientes insaniam. Quando enim omnes simul dœmoniaci tantum facinoris committent, quàm Judas solus commisit? qui ad extremam iniquitatem devectus est; pariterque omnes, qui illum imitantur, quasi feræ è caveis solutæ, urbes nullo resistente, perturbant, ac lacerant. Et vincula quidem etiam his undique circumdata sunt, judicii timor, legum terror, vulgi condemnatio, &c. sed his ruptis omnia perturbant. - Fingite videre tetrum quendam hominem, qui ab oculis ignem emittat; cui ex utroque humero dracones pro manibus dependeant; cujus os cavernæ instar magnitudine sit; in quo pro dentibus acuti enses stent; loco linguæ autem fons sit ebulliens venenum, & lethalia pharmaca. Venter omni fornace sit voracior, cuncta, quæ immittuntur, subitò consumens. Pedes alati, flamma quoque ipsa vehementiores; facies canis, ac lupi simul ostendat; nec hominis vocem emittat, sed insuave quiddam, ac terribile mugiat: is ad hæc omnia, faces ardentes in manibus

bus teneat. Horrenda hæc nobis forsan videntur; sed nondum digne ipsius effigiem expressimus: sequi etiam debent horum instrumentorum affectus. Itaque imaginemur, eum obviam factos jugulare; carnes eorum lacerare, ac devorare. Sed quid facio? Nam, & hoc descripto multò truculentior avarus, in omnes, ut mors, insiliens; omnes, ut Infernus, deglutiens; communis generis hominum hostis; quippe qui vellet nullum hominem esse, ut omnia possideret. Neque tamen hic sistit gradum: sed cùm omnes perdiderit cupiditate sua, etiam terræ substantiam cupit abolere, ac aurum ipsam factam juvaret aspicere; nec solam terram, sed montes, & sylvas, & fontes, & breviter, quidquid in rerum natura extat. S. Joan. Chrysost. in 29. Matth.

Manasses, & Ephraim signant avarum. S. Bonav. diet. Sal. tit. 1. c. 6.

Mare. Comparatur avaritia mari mortuo, ac Inferno - de avaro dicitur: *Dilatavit quasi Infernus animam suam*. Abac. 2. Id. ib. Alij per mare, quod est sonorosum, intelligunt avaritiam. S. Thom. in metr. 4. libri 1. de consol. Boet. Mundus dicitur mare - ratione capacitatis, quantùm ad avaritiam. S. Thom. in 8. Apoc.

Mater vitiorum. Tu comples terram homicidis, mare piratis, urbes turbis, &c. Omnium autem eorum causa, ac radix, habendi cupiditas. Asterius cit.

Navis. Tharsis vocatur totum mare Mundi: per naves, quæ ad negotiandum vadunt, signatur cupiditas. Et sicut naves fluctuant in mari, ità divites fluctuant in rebus Mundi. Sed quando convertitur homo ad pœnitentiam, tunc naves, id est, cupiditates hujus Mundi conteruntur. S. Thom. Exposit. in ps. 47.

Nequitia. Avaritia dicitur nequitia, quia vult, quod nequit. Id. Ser. 1. in festo Resurr.

Paralyticus, est avarus propter multa. Id. Ser. 1. D. 2. post Epiph.

Pyxis perforata. Similis est avarus pyxidi perforatæ superiùs: quæ recipit pecuniam, quam numquam potest reddere, nisi frangatur. - De avaro dicitur Is. 30. *Comminuetur, sicut conteritur lagena figuli*. S. Bonav. diet. Sal. tit. 1. c. 6.

Pisces maris. Intuere etiam pisces maris hoc est, curiosos; *qui perambulant semitas maris*, id est, inquirunt in profundo hujus sæculi temporalia; quæ tamquam semitæ in mari evanescunt. S. Aug. in ps. 8.

Porcus. Avaritia comparatur porco; qui nihil valet, quando vivit: sic avarus; quia non vult eleemosynam dare. S. Vinc. Ferr. de propriet. & comparat. vitior. c. 2. Porcus nihil valet, dum vivit; sed quando moritur, valere incipit. S. Bonav. cit.

Possessores Avari. Diaboli habent animam, vermes corpus, amici divitias. Id. ib.

Porta mortis. Pravæ cupiditates sunt portæ mortis: quia per illas itur ad mortem. S. Aug. in ps. 8.

Rota molendini similis est avarus. S. Bonav. ib.

Sterquilinium. Comparatur sterquilinio: quia sicut sterquilinium congregatum corrumpitur, & fœtet; dispersum verò facit agros fructificare. S. Bonav. ib.

Servus. Avaritia facit hominem servum - ideo ps. 75. *Viri divitiarum*, non virorum divitiæ. Id. ib.

Stultus. Avaritia facit hominem stultum. - Ideo dicitur de Avaro Luc. 12. *Stulte; hac nocte, &c.* Id. ib.

Talpa. Avarus similis est talpæ. Id. ib.

Tantalus. Sitit in undis; avarus eget in opibus. Innoc. III. l. 2. de cont. Mundi c. 6.

Tinea est Avaritia. Arnobius c. 6. in Matth.

Vesuvius. Per ignem Vesuvij montis designantur Avari. S. Thom. in prof. 3. libri 1. de Cons. Phil. Boet.

Viscus. Cupiditas est viscum. S. Aug. in ps. 138. Obligata anima amore terreno quasi viscum habet in pennis. Id. in ps. 121.

Vitulus Aureus. Os. 8. Amorem pecuniæ significat; quæ est idolum avarorum. S. Bonav. Ser. 3. in Sexag.

Varia alia de Avaritia.

Arbor noxia. Avaritia sicut arbor noxia feralibus radicibus nexa solvit, & dissipat monumenta majorum. S. Chrysolog. Ser. 162.

Canis in veteri Testamento non offerebatur; quia significat rapacitatem, de qua non potest fieri oblatio. S. Thom. 2. 2. q. 86. a. 3. ad 2.

Cervus. Cùm cervus est antiquatus, induratur pellis, cornua crescunt, & non potest comedere: & naturaliter comedit unam herbam venenatam; postea æstuans renovatur ad fontem. Cervus significat avarum; duo cornua avari sunt usura, & rapina: quælibet habet plura cornula, scilicet plures species usuræ, & rapinæ - si tales volunt renovari, oportet comedere de herba, ut cervus, venenata; de qua David ps. 9. *Convertantur peccatores in Infernum*; cogitando acerbitatem pœnarum. S. Vinc. Ferr. Ser. 5. D. 20. Pent.

Cithara Job 21. Significat avaritiam, propter suam vacuitatem, & siccitatem. Id. Ser. 3. in Quinquag.

Ebrietas insatiabilis est avaritia. Et sicut ebrij, quantò plus vini ingurgitant, tantò magis ad sitim inflammantur: sic & isti quoque insaniam hanc indomitam numquam sistere possunt; sed quantò magis suas opes augeri vident, tantò & concupiscentia magis flagrant. S. Chrys. hom. 22. in Gen.

Incus, Job 41. Avarus stringitur quasi malleatoris incus: quem licèt faber percutiat, tamen non emollitur: sic nec avarus, licèt admoneatur. S. Vinc. Ferr. Ser. 4. D. 7. Pent.

Radix juniperi. Quid per radicem juniperi, nisi avaritia designatur? Job 30. ex qua peccatorum omnium spinæ oriuntur. S. Greg. mor. l. 20. c. 10.

Serpens. Persona avara est Serpens incedens tortuosè, propter fallacias, & falsitates, & falsa juramenta, quæ facit ex cupiditate. Id. ib.

TITULUS VI.

S. AUGUSTINUS.

Byssus Sapientiæ vocatur à Possidio in epist. ad Maced.

Angelis par ab eodem ib.

Anima Mundi. Lobbetius Glor. Patr. q. 1. de S. Aug.

Apostolis par in prædicatione. Possid. ib.

Augens dictus est Augustinus ab augendo. Lobbet. q. 2.

Cherubin. Quem in cœlis non Angelum, sed Cherubinum, sed & Seraphinum, appello. Lobbetius cit. de S. Norberto q. unica §. 7.

Cœlestis homo. Possid. cit.

Columna veritatis; Columna nubis, in quo thronum suum posuit Sapientia DEI. Rupertus l. 7. de operib. S. Spir. c. 19.

Conditor antiquæ fidei. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur; &, quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur. S. Hieronym. ep. 26. ad August.

Doctor doctorum. Est inter Doctores facilè princeps; inter sanctos doctissimus, inter doctos sanctissimus - profundus Doctor. Lobbet. in Procœmio de S. Aug. Est inter Doctores, quod Sol inter planetas - Doctor Doctorum. Remigius Antiodorensis in 2. ad Corinth. Lux Doctorum. Lob. cit.

Firmamentum Ecclesiæ Lobbet. de S. Aug. q. 2. §. 3.

Gloria Africæ, magnus Divorum parens. Id. ib. in Procœm.

Imago Divinitatis. Possid. cit.

Lingua Ecclesiæ. Bostius Carmelita Opusc. de viris illustrib. c. 11.

Lucerna Ecclesiæ. S. Paulinus ep. 31.

Malleus hæreticorum. Lobbet. cit.

Officina Altissimorum de Trinitate & sensuum, & affectum. Lobb. cit.

Pater Patrum. Possid. cit.

Par Angelis in fervore; par Prophetis in absconditorum mysteriorum revelatione; par Apostolis in prædicatione. Possid. cit.

Sal orbis universi. Lobb. q. 1. de S. Aug.

Vena fontis æterni. S. Paulinus ep. 31.

B.

T I T U L U S I.

BAPTISMUS.

Aqua. Hydriæ lapideæ aqua plenæ, hoc est, Baptismi gratia. Arnobius sup. 2. Joan. Haurietis aquas, & fluent aquæ baptismatis. Joan. 3. *nisi quis renatus*. Hic adest Elisæus cum ligno ad quærendam securim, quæ in imo demersa est, & natavit ad lignum 4. Reg. 6. id est, genus humanum, quod à ligno vetito in Infernum decidit: sed per lignum Crucis Christi, & per Baptismum aquæ ad paradisum natavit. S. Thom. in Cat. sup. 5. Marci.

Diluvium. Per Arcam significatur Ecclesia; per diluvium aquæ baptismatis. S. Thom. in ps. 21.

Engaddi; *fons hedi* interpretatur; per quem significatur baptisma. S. Thom. in 1. Cant.

Equus albus. Aspicit Zacharias equos missos ad prædicationem Mundi. Primum rufum, prædicationem Martyrii. Secundum nigrum, squalorem pœnitentiæ. Tertium album, candorem baptismatis, &c. S. Isidor. lib. procem.

Fons. Sicut cervus in generali desiderat aquas; ità Fidelis desiderat DEUM. Tamen in speciali adaptatur Catechumenis, & viris perfectis. Catechumenus autem est sicut cervus, qui sentit in se veneni ardorem, quod est ex suggestione serpentis introductum; ex quo veneno secutum est peccatum originale - & ideo debet desiderare fontem baptismi. S. Th. in ps. 41.

Hyssopus. Lignum, & hyssopum Num. 19, crucem putamus, & baptismum. Per hyssopi fasciculum aspergebantur agni sanguine, quæ mundari solebant; typicè figurantes lavacrum baptismatis. S. Isid. c. 16. in Num.

Jordanis fluvius baptisma significat. Id. c. 3. in Josue. Quòd Naaman Syrus in Jordane purgatus est, nativitatem spiritualem, & purgamentum in ea futurum figuraliter personabant. S. Chrysost. apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Joan.

Iris. Baptismus signatur in iride. S. Thom. in 4. Apoc.

Lacus, Marci 12. Baptismus est. Arnob. c. 22. in Matth.

Mare rubrum. Quòd Judæi mare rubrum transierunt - nativitatem spiritualem, & purgamentum in ea futurum figuraliter personabant. S. Chrysost. antè cit. Mare rubrum aqua baptismatis. Goffrid. Abb. opusc. 7. Quid mare rubrum, nisi baptismum Christi sanguine consecratum? hostes sequentes cum rege, peccata sunt, & diabolus. S. Isid. c. 19. in Ex.

Mare. Baptismus est mare. S. Thom. in Apoc.

Mare vitreum. Dicitur baptismus mare igneum propter purgationem à peccato: vitreum; quia per illum radius solis, id est, gratiæ Christi, mittitur baptizato. Et sicut vitrum citò frangitur, sed non citò reparatur; ità medicina baptismatis. *Vidi tamquam mare vitreum mixtum igne*. Apoc. 15. S. Bonav. Ser. 8. in Pent.

Natatoria Siloe. Cœcum quòd dixit, genus hominum Gentilium demostrat; Siloem autem fontem luminis interpretatur, quod est baptisma. Arnob. Annot. sup. 9. Joan.

Purgatorium. Ut statuam auri metallo confectam, fumo, & pulvere, & æruginis sordibus coinquinatam, cùm artificis manus acceperint, renovant fornacis ardore; splendidam nobis, lucidamque demostrant: ità & nostram naturam DEUS æruginatam mole peccati, & malorum gestorum fumo violatam; & omni pulchritudine, quam primò ei donaverat, denudatam; in illos aquarum fontes, tamquam in purgatorium mittit. S. Chrys. hom. ad Baptizandos.

Sepulchrum. Vocatur sepultura: *consepulti enim*, ait Rom. 6. *per baptismum in mortem*. Id. ib.

Sponsalium locus. Omnis animæ Sponsus Christus est; sponsalium verò locus, ubi conjunctio efficitur, locus est baptismatis: dat verò arrham sponsæ, peccatorum remissionem, Spiritus S. Communionem - Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Joan.

Uterus Ecclesiæ. Filiæ Judæ, omnes animæ ex utero Ecclesiæ iterata nativitate progenitæ. Arnobius in ps. 47. Baptismus est uterus Ecclesiæ. S. Vinc. Ferr. Ser. 3. de Luxuria.

T I T U L U S II.

BAPTIZATUS.

Aquilam. Ea, quæ à Prophetis sunt dicta, occultè ostendunt hunc nativitatis (baptismi) modum: ut puta illud ps. 112. *Renovabitur ut aquilæ juventus mea*. S. Thom. in Cat. sup. 3. Joan.

Lagenam aquæ portare, qui baptizatus est. Theophylactus apud S. Thom. sup. 14. Marci.

Ligna Libani sunt sancti candidati, & dealbati baptismo, & exornati omni virtutum pulchritudine. S. Th. in c. 3. Cant.

Lilium. Rosa nulla sic rubet, nulla sic candicant lilia; gemmarum nulla sic fulget; minor est siderum lux; ipsius solis minùs augusta majestas, omnis lapis pretiosus operimentum ejus; perfectus decore, signaculum altissimi. P. Franc. Sacchinus in Protreptico ad Mag. Scholar. infer. p. 1. c. 2.

Moyses (sic dictus, quia de aqua levatus est, Ex. 2. 10.) Christianum hominem significat de baptismi aqua eductum. Joan. Perlinus S. J. Convivij Sacri dist. 3. c. 3. n. 1.

Reptilia in aquis, *homines* renovati ad vitam per baptismi Sacramentum. S. Isid. c. 2. in Gen.

T I T U L U S III.

S. B A S I L I U S.

Aaron, Abel, Abraham, Daniel, Ezechias, Jacob, Joseph, Josue, Isaac, Moyses, &c. O fidelis Basili! velut Abel acceptus es? & sicut Noe salvatus; tamquam Abraham amicus DEI vocatus; ut Isaac pro victima DEO oblatus; instar Jacob tentationes fortiter tulisti: & sicut Joseph. glorificatus es magnificè, ut Moyses Pharaonem posteriorem virga Crucis demersisti, mare passionum secans. Ut Aaron summus Sacerdos Domini fuisti: ut JESUS, filius Nave inimicos in fugam vertisti. Ut Phinees æmulator gratia dignus habitus: ut Isajas spirituali igne mundatus; ut Ezechiel sedentem super Cherubim spectasti; ut Daniel ora leonum obturasti; & sicut tres pueri adversariorum flammam rectè conculcasti. Instar Petri prædicasti; instar Pauli docuisti, instar Thomæ filium DEI passum confessus es. Instar Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, de rebus divinis disseruisti: instar Apostolorum iniquos erudisti, impios convertisti, & DEO gratus fuisti. S. Ephræm in Encomio S. Basilii in fine.

Columna. Vox desuper audita est: Ephræm S. Ephræm! quemadmodum vidisti columnam hanc ignis, ejusmodi est M. Basilius. S. Amphilochius Inconij Episc. de S. Basil. & Ephr.

Fax. Splendida, & lucens Ecclesiæ fax. Sanct. Greg. Naz. or. 20.

T I T U L U S IV.

BEATITUDO ÆTERNA.

Ager. JESUS dicit Patrem suum agricolam, quia colit multiplicem agrum. Quatuor sunt agri: Mundus, Christus, justus, cœlestis paradisus. De primo Matth. 13. *Ager est Mundus*: de quarto Proverb. 13. *Consideravit agrum, & emit ipsum*. S. Thom. Ser. 1. in festo S. Marci. Ager paradisus est; thesaurus autem vita æterna. Arnob. Annot. 17. in Matth. Agri cœlestis hæreditatis ementur pecunia virtutum, & bonorum operum. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 24.

Altare. Et Angeli imponent Sactos super Altare tuum, id est, in gloriam cœlestem. Id. in ps. 50.

Apotheca DEI. S. August.

Aurum cœlestis Jerusalem. Quid aliud in auro, vel vitro, accipimus; nisi illam supernam patriam, illam beatorum civium Societatem; quorum corda sibi invicem, & claritate fulgent, & puritate translucent. *Civitas aurum mundum simile vitro*. Apoc. 21. S. Greg. mor. l. 18. c. 31.

Æstas. Bene regnum DEI æstati comparatur: quia tunc mœroris nostri nubila transeunt, cùm vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt. Idem hom. 1. in Evang.

Castrum dicitur, sive civitas, propter tria. 1. Quia castrum est situm in loco alto: sed nihil creatum est altius cœlo. 2. Quia castrum est inexpugnabile. 3. Quia est provisum de omnibus necessariis - etiam potest capi castrum cœli. Hoc non auderem dicere, nisi quia Christus dixit Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur*. Ideo tamquam boni bellatores debemus obsidere castrum cœli, & ipsum impugnare. S. Vinc. Ferr. s. 4. D. 1. Adv.

Cedrus. Cedri nomine celsitudo gloriæ in Electis accipitur; sicut & ps. 91. testatur, *sicut cedrus Libani, &c.* S. Isid. c. 3. in 3. Reg.

Cellaria DEI sunt æterna beatitudo, & supernæ patriæ gaudia. S. Thom. in 1. Cant.

Civitas. Nota super illa verba, *circuivi civitatem*. Cant. 3. - 3. Cœlestis patriæ, cogitando Sanctorum prœmia. S. Th. in 23. Is.

Cœna, Luc. 14. Per cœnam istam, sicut dicunt Sancti, intelligitur beatitudo cœlestis - fercula in vita æterna sunt gaudia. Id. S. 2. D. 21. Pent.

Convivium pinguium. Tertium convivium est solemne cœlestis gloriæ. In quo ponit tria: 1. vinum ad ebrietatem; *comedite amici, & inebriamini*. Cant. 3. 2. Lac ad profusionem cordis, & animæ, Cant. 5. *Oculi tui sicut, &c.* S. Thom. in Is. 25.

Denarius. Paterfamilias Christus est; qui operarios conducit, id est, qui credentes colligit. Vinea cultura legis est; denarius autem vita æterna. Arnob sup. c. 20. Matth. Gaudia æternitatis significantur per denarium. S. Thom. S. 2. in Septuag. Denarius est vita æterna; quæ non datur, nisi operantibus in vinea, id est, pœnitentia, vel religione. S. Bonav. S. 3. D. 1. Pasch.

Desertum, Luc. 15. est status gloriæ: qui à multis deseritur. Nonne reliquit 99. in deserto, id est, in cœlo. S. Thom. in 12. Apoc.

Desiderium beatitudinis æternæ. Et nos igitur si fructus spirituales gustabimus, præsentia certè universa vilipendemus; futurorum cupiditate, quasi optima quadam ebrietate capti. S. Chrysost. hom. 75. in Matth Umbram desiderare, est, post tentationis æstum æterni refrigerii requiem quærere. Hanc comprehendere Paulus ambiebat Philipp. 1. *Desiderium habens dissolvi*, S. Gregor. mor. l. 8. c. 7.

Dextera. Dextera gloriam æternam; sinistra vitam temporalem, & prosperitatem signat. S. Vinc. Ser. de S. Barnaba. Sedet ad dexteram Patris. Intellige dexteram, nè quæras ibi sinistram. Dextera DEI, dicitur æterna felicitas. S. Aug. Ser. 119. de temp. Per lævam, præsentis temporis prosperitas. vel etiam dona DEI, intelliguntur, quæ Sanctis in præsenti conferuntur per: dexteram beatitudo cœlestis patriæ accipitur. S. Thom. in c. 2. Cant. In læva Christi, temporalia ejus bona; in dextera, perpetuæ vitæ beatitudo designatur. S. Isid. Exposit. in Cant. Lævæ nomine intelliguntur splendores intellectus speculativi, qui ad gustum Viatoris pertinent: dexteræ nomine, quæ patriam signat, intelligitur superintellectualis unitio ad DEUM; quæ speculum nescit, & quasi ad præmium inclinat, tamquam arrha, & pignus; nec aufertur. Quare dixit Sponsa: *tenui eum; nec dimittam*. Vercellensis apud S. Bonaventuram de 6. itin. æternit. dist. 6. *Statuet oves à dextris*. Matth. 25. Dextera tua, id est, gloria futura. Sanct. Thom. in ps. 47.

Dies, futurum est sæculum. Proclus Archi - Ep. Constant. orat. de S. Andrea.

Dies octava, est futuri sæculi tempus. Sanct. Isid. c. 10. in Levit.

Ephraim mons, 1. Reg. 1. Quis est mons Ephraim? nisi cœlum. Mons quippe est frugifer; qui æternæ pulchritudinis flores, & fructus indeficientis gaudii semper profert. S. Greg. l. 1. c. 1. hic.

Fons. Haurietis aquas de fontibus Salvatoris. Is. 12. - Vitæ æternæ. *Me dereliquerunt Fontem*. Jer. 2. S. Thom. in Is.

Horreum. Electi sunt frumentum DEI, cœlestibus horreis recondendi. S. Greg. apud S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 10. Sanctorum gloria notatur: in horreum meum, spatiosum propter amænitatem; deliciosum propter jucunditatem; perpetuum propter æternitatem. Id. ser. 2. D. 4. Epiph. Triticum sunt Sancti; Zizania, hæretici; horrea mansiones cœlestes. S. Hieron. apud Sanct. Thomam in Cat. sup. c. 13. Matth.

Horeb. Mons DEI Horeb significat mensam cœlestem. S. Thom. serm. 1. D. 1. Quadragesi.

Lac æternæ gloriæ, propter facilem absorptionem. Id. in 28. Is.

Lapis pretiosus. In lapidibus pretiosis pretiosa vitæ æternæ designantur eloquia. Goffridus Abb. Opusc. 7.

Lectulus Salomonis superna - requies. S. Thom. in Cant. c. 3. Littus, Joan. 21. Quid per soliditatem littoris, nisi illa perpetuitas æternæ quietis designatur? S. Gregor. hom. 24. in Evang.

Manipulus. Per manipulum, præmium designatur; juxta quod legitur ps. 125. *Venientes autem veniunt, &c.* Innocent. 3. de Sacrif. Miss. l. 1. c. 43.

Margarita. Per margaritam intelligitur cœlestis vitæ dulcedo. S. Greg. hom. 11. in Evang. apud S. Thom in Cant. sup. c. 13. Matth. Speciosæ margaritæ nomine claritas æternæ Patriæ intelligitur. S. Haymo hom. in festo Virginis.

Meridies. Illa meridies tota est dies, & ipsa nesciens vesperam. S. Bernardus s. 33. in Cant. O verè meridies! plenitudo fervoris, & lucis; soli, statutio, umbrarum exterminatio, deficcatio paludum, fœtorum depulsio. O perenne Solstitium! - ò vernalis temperies, ò æstiva venustas, ò autumnalis ubertas! Et, nè quid videar præterijsse, ò quies, & feriatio hyemalis. S. Bern. ser. 33. in Cant.

Numerus. Per centenarium numerum æternæ vitæ contemplatio designatur. S Greg. hom. 17. Ezech. Per quinquagenarium numerum requies æterna signatur. Id. ib. Octonarius idcirco adhibetur: quia futuri ævi figuram gerit. S. Joann. Damasc. or. de transf. Dom.

Palma. Sportæ junco, & foliis palmarum solent contexi; & significant Sanctos, qui radicem cordis in ipso fonte vitæ collocant, nè arescant, ut juncus in aqua; & palmam æternæ retributionis in corde retinent. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth. Palma victricem ornat manum: & ideo significat præmium illud, quod victoribus Sanctis in cœlestibus dandum est. S. Thom. in 7. Cant. Palma est arbor lata, pulcherrima, omni tempore foliis adornata; arbor victoriæ significativa, diuturna, fructu dulcissima: sic, & vita illa beata. S. Bonav. ser. 1. de S. Bartholomæo.

Panis. *Satiare panibus* - vel gaudiis cœlestibus. Panis (quo pascit Christus Fideles suos, nè in via justitiæ deficiant) æternæ beatitudinis prægustatio. S. Thom. s. 2. D. 7. Pent.

Paradisus. Primus fluvius (quo cœlestis agricola agrum irrigat cœlestis paradisi) est gaudium de creatione corporali; secundus de societate Angelorum; tertius de Christo homine; quartus de gloria Divinitatis. Id. s. 1. in festo S. Marci. Paradisus dicitur, quasi parans visum: quia parat visum; qui est beatitudo Sanctorum, & Angelorum. Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM*. Id. ser. 1. D. 24. Pent. Paradisum colit quatuor modis: malas herbas extirpando, id est, dœmones; arbores pulcherrimas, id est, filia Virginum, & rosas Martyrum, & violas Confessorum, in eo plantando; quatuor fluminibus gaudiorum irrigando, &c. Id. s. 1. in festo S. Marci.

Ramatha civitas, 1. Reg. 1. Patriam cœlestem significat. S. Greg. l. 1. c. 1. in Reg.

Regio nostra paradisus est. Matth. 2. ad quem JESU cognito redire per viam, qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbibendo, &c. discessimus; sed ad eam necesse est, ut fluendo, obediendo - redeamus. S. Greg. hom. 10. in Evang.

Roma. S. Laurentius est Romæ cœlestis perennis Consul. Aurelius Prudentius hymn. 2. de S. Laur.

Sabbatum. Opera bona nostra sunt manna, quæ ante Sabbatum, id est, requiem æternam colligi debent; cæteroquin nihil valoris habitura. Perlinus dist. 5. c. 2. n. 10. ex S. Aug. ser. 91.

Salomonis apparatus. Beatitudo æterna significatur in eo splendido apparatu Salomonis 3. Reg. 10. quem Regina Saba, id est, anima admirabitur. S. Bonav. ser. 5. D. 2. Quadrag.

Septima dies vita beatorum, qui vesperam non habet. S. Isid. c. 3. in Gen.

Stola filij prodighi. Dedit Stolam primam; illam, quam Adam perdidit, immortalitatis gloriam sempiternam. S. Chrysolog. ser. 1. de filio prodigo. Stola est æterna beatitudo. S. Thom. in 6. Apoc.

Tabernaculum est cœlestis Patriæ visionis æternæ; quæ est omnium Beatorum. S. Thom. in 22. Isajæ.

Templum. Patria cœlestis designatur per templum. Sanct. Haymo hom. in festo Purif. B. V. Per Tabernaculum designatur Ecclesia militans; per templum in monte factum, status futuræ vitæ. S. Thom. in ps. 22.

Thesaurus vita æterna. Arnob Annot. 17. in Matth. Thesauri nomine spiritualiter cœlestis Patriæ amorem intelligere debemus: - ager, in quo thesaurus absconditus invenitur, nos sumus: si tamen in nobis manet cœleste desiderium. Haymo hom. in festo Virg.

Villa nostra, ad quam nos sumus ambulantes, est paradisus; & in nocte, scilicet culpæ, clauditur: ideo oportet venire de die, scilicet cum claritate gratiæ. S. Vinc. Ferr. ser. in octava S. Stephan.

Scriptura gloriam corporis glorificandi ostendit per lunam perfectam; gloriam autem animæ, per solem. S. Aug. Conc. 2. in ps. 88.

T I T U L U S V.

BEATITUDO TEMPORALIS.

Adjectiva. Temporalia quodammodò Adjectiva sunt: nam tum adsunt, tum non. Substantivum est amor DEI: nam talia non transeunt, sed permanent immobilia in æternum. Adjectiva ergo ad substantiam debent referri, id est, temporalia ad summum Bonum. S. Bonav. in ps. 104.

Angulla quantò fortiùs stringitur, tantò fortiùs de manu elabitur. Sic & Mundus, quantò ampliùs amatur, tantò timidiùs retinetur. Id. ser. 2. de Invent. S. Cruc.

Aqua. Mihi videtur, juxta tropologiam, lunaticus esse, qui per horarum momenta mutatur ad vitia: & nunc quidem in ignem fertur, quo adulterantium corda succensa sunt; nunc in aquis scilicet voluptatum, vel cupiditatum, quæ non valent extinguere charitatem. S. Hieron. apud S. Thom. sup. 17. Matth. Affluentia divitiarum rectè aquæ comparatur, propter defluxum celerem. S. Thom. in 16. Apoc.

Avis. *Transierunt omnia illa - tamquam avis, quæ transvolat in aere; cujus nullum invenitur argumentum itineris illius*. Sap. 2.

Bulla. Ubi præclara consulatus dignitas? ubi fucati amici? ubi cœnæ, & convivia? nimirum nox, & somnium. erant illa omnia. - Verni flores erant, umbra erant, fumus

erant, bullæ erant, araneæ tela. S. Chryſoſt. apud Damaſc. paralel. l. 1. c. 10.

Capillus. Monachus (S. Martinus) capillos evulſit, id eſt, temporalia reliquit, quæ per capillos deſignantur. S. Thom. ſerm. de S. Martino.

Cinis. Rectè ſtultorum memoria cineri comparatur: quia illic ponitur, ubi ab aura rapiatur. S. Gregor. mor. l. 11. c. 17.

Cutis pulchritudo, eſt gloria temporalis, Id. ibid. lib. 14. cap. 8.

Dextera ſignat proſperitatem. S. Vincent. Ferr. ſer. 3. de Dominica. Per quam ſignatur proſperitas. S. Thom. in pſ. 41.

Dies. Per diem intelligatur proſperitas, & per noctem adverſitas. Id. in pſ. 21.

Equus. Equum accipe etiam figuratè quamlibet amplitudinem ſæculi hujus, quemlibet honorem, in quem ſuperbus aſcendit. S. Aug. Enarrat. 2. in pſ. 32.

Fabula quædam eſt, & ſomnium vita. Sicut enim in ſcena aulæo ſublato varietates diſſolvuntur; & omnia corruſcante luce ſomnia avolant; ita nunc quoque conſummatione veniente tam communi, quàm uniuſcujuſque, omnia diſſolvuntur, & evaneſcunt. Et lignum quidem, quod plantaſti, manet; & domus, quam ædificas, & ipſa manet: faber autem, & agricola, pereunt. Et cùm hæc fiant, nec ità veremur; ſed tamquam immortales hæc omnia comparamus. S. Chryſoſt. hom. 55. ad Pop.

Facies dæmonum. Filii Iſrael à facie Philiſtinorum timent. 1. Reg. 7. ut eorum poſteriora non timeant. Quæ eſt enim malorum ſpirituum facies, niſi concupiſcentia ſæcularis? S. Greg. l. 3. c. 5. in 1. Reg.

Flos fœni. Iniquorum potentia fœni floribus comparatur: quia nimirum carnalis gloria, dum nitet, cadit; dum apud ſe extollitur, repentino intercepta fine terminatur. S. Gregor. mor. l. 17. c. 5. Decor hominis temporaliter eſt proſperitas temporalis; ideo comparatur florì. S. Thom. in pſ. 29. Caro, & Sæculi voluptates, ſunt arens fœnum S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. ſup. 14. Matth.

Flumina Babylonis ſunt omnia, quæ hic amantur, & tranſeunt. - Salices ſunt ſæculi amatores rigantur hæc ligna de fluminibus Babyloniæ, & nullum fructum ferunt. S. Aug. præfat. in pſ. 136.

Folium. Folia, & bullas, & fumum, & paleas, & umbram, & pulverem ab area vi venti excuſſum; omnem hujuſce ævi ſplendorem appellavi. Heſychius.

Foſſa, ſeu *fovea*. Ipſa felicitas peccatorum foſſa eorum eſt hoc ſe ille putat ſublimiter ire, & DEUS hoc foveam vocat. Foſſa ad ima tendit, non ad cœlum. Idem Expoſ. pſ. 93.

Fumus Ecce, quemadmodum fumus deficient abundantes in ſæculo; & nulla erit recordatio præteritorium gaudiorum. Thom. Kemp. l. 3. Imit. c. 13.

Gaudium vanum. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere*. Pſal. 126. Ante lucem ſurgere, eſt prius, quàm claritas æternæ retributionis appareat, in præſentis vitæ nocte gaudere. S. Gr. mor. l. 8. c. 35.

Hoſpitium Cœlum eſt domus quieſcentium, Mundus hoſpitium breve; & ideo relinquendum. Sanct. Bonav. Ser. 2. de Omn. SS.

Impedimenta in via. Hæc igitur ſciens, ſuperflua quæque amputa, ſacque pauperibus ſupplementum. Nam ſi calceamenta quis ſupra menſuram pedibus adegerit, itinere certè prolixiori impedimenta ſentiet: et veſtimentum induens corporis ſtaturam excedens pari modo implicabitur. Et qui ſupra quod ſatis eſt, habent; non modò in ipſa ſufficientia, ſed & in neceſſariis quibuſdam impediuntur. Nam qui deforis in agone currunt, & ipſa exuunt veſtimenta: viam verò in cœlum ferentem, & eandem arctam, & arduam, tot cum impedimentis, quando poteris ambulare? Sanct. Chryſoſt. hom. 7. de Pœnit.

Indumenta. Quid ſunt terrena omnia, niſi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, veſtimenta abjiciat, nè ſuccumbat; nihil in hoc Mundo amando poſſideat. S. Greg. hom. 32. in Evang.

Læva. Per lævam, præſentis temporis proſperitas intelligitur. S. Thom. in 2. Cant.

Lignum putridum. Eſt humana gloria putrido ligno ſimillima; quæ de nocte (præſentis vitæ) lucet; ſed in die (judicii) putridum apparet. Tales omnes (gloria temporali abundantes) lampyridi, ſive cicindelæ, vel nocti lucæ ſimiles; quæ volando de nocte lucet, & in die latet, & tota nigra apparet. S. Bonav. Ser. 1. de S. Andrea Ap.

Lucum dicuntur bona temporalia, quoniam coinquinant animam. S. Bonav. Ser. 2. D. 24. Pent.

Manus dicuntur divitiæ, temporales. Ratio: quia ſicut manibus facimus omnia opera unde dicit Philoſophus, quòd manus eſt organum organorum: ità cum divitiis homo facit omnia negotia. Manus dextera eſt pecunia de bono juſto congregata; ſiniſtra, eſt pecunia injuſtè acquiſita. S. Vincent. Ferr. Ser. 1. ſer. 6. poſt Cineres.

Molendinum puto dictum Mundum iſtum: quia rota temporum volvitur, & amatores ſuos conterit. S. Aug. in pſ. 36. conc. 1.

Navis. *Tamquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam*. Sap. 2.

Nidus eſt vita, præſæns, Chariſſimi, ex feſtucis, & luto coagmentatus. Licèt mihi magnas ædes oſtendas, ſive regias ipſas, multo auro fulgentes, & gemmis; nihil ab hirundinum nido differre cenſebo. S. Chryſ. hom. 55. ad Pop.

Nox. Manè dicitur, quando nobis bene eſt; nox dicitur, quando triſtitia tribulationis eſt. S. Aug. in pſ. 91. Manè ſignificat proſperitatem ſæculi; veſpera tribulationem. Id. in pſ. 64.

Noxia. Non tam vehementer fluvialium aquarum curſus ripas corrodere, & ſubmittere ſolet; ſicut deliciæ, & luxus, omnia valetudinis noſtræ firmamenta facilè ſubvertere. Sanct. Chryſ. hom. 55. ad Pop.

Nuntius. *Tranſierunt omnia - tamquam nuntius percurrens*. Sap. 2.

Olla fervens. Creaturæ, ſeu beatitudo temporalis, ſunt olla fervens: cui ſi qui nimium adhæſerit per amorem, timeat, nè ſe comburat. S. Vinc. Ferr. Ser. de Commem. S. Pauli.

Onera. S. Ambr. l. 1. ep. 89.

Panis. Per Panem deliciæ temporales. V. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. ſup. 6. Marci.

Paſcua. vaſtabit Dominus paſcua eorum, id eſt, civitates, & villas. S. Thom. in 25. Jerem.

Pavimentum. Per pavimentum terram intelligimus; per terram materialia (temporalia) - meritò adhærebat pavimento, qui ſe abſcondebat à Chriſto. Non adhæret pavimento, cui dicit Chriſtus Joan. 22. *ſequere me*. Sanct. Ambr. S. 4. in pſ. 118.

Pili. *Sicut novacula feciſti dolum*: Pſal. 51. quia ſicut novacula radit pilos, ità mali dolum acuunt contra juſtos. Et hæc verè faciunt ſicut novacula, quæ pilos ſuperfluos radit: quia non niſi ſuperflua, id eſt, temporalia poſſunt peccatores ſanctis auferre; ſpiritualia numquam. S. Thom. in pſ. 51.

Pondus. Amor divinus verè penna eſt; ſicut à contrario amor creaturarum verè eſt pondus. S. Bonav. Ser. de SS. Sim. & Juda.

Pratum. Jucunditatem hominum comparat (Iſajas) prato florenti. Id. in 35. Iſ.

Pulvis Quid ſunt aliud labentium dignitatum inſulæ, niſi pulvis? nam eam, quam blandiendo ſordidant, à veris ſplendoribus mentem cœcant. S. Greg. l. 2. c. 1. in 1. Reg.

Quaternarius numerus temporalia quæque & præſentia ſignificat, propter quatuor anni tempora, vel propter quatuor Mundi elementa. S. Thom. in Cant. c. 6.

Retia Dimittamus retia, id eſt; retinentia; ſicut ſunt occupationes mundanæ. S. Vincent. Ferr. ſerm. de S. Jacob. Ap. Majore.

Retinacula ſpei noſtræ. Tertull. de cultu fœm. c. 13.

Rota. Nonne noſtra rotæ cuidam ſimilia ſunt? S. Chryſoſt. hom. 43. ad Pop.

Salices ſunt ſæculi amatores: - rigantur hæc ligna de fluminibus Babyloniæ; & nullum fructum ferunt. S. Auguſt. Præfat. in pſ. 136.

Sarcina, vana, graviſque. Theophilactus apud Lobbet. q. 1. de S. Brunone §. 4.

Sepulchrum. Triplex ſepulchrum eſt: temporale, infernale, æternale. S. Bonav. ſerm. 2. de S. Jacobo Majore.

Somnium eſt iſte theſaurus præſentis vitæ, evigilas, & receſſit: quoniam qui potuerit crapulam iſtius Mundi edormire, & ſobrietatem virtutis aſſumere; iſta contemnit. S. Ambr. Enarr. in pſ. 48. Somno vitæ quies figuratur. *Ego dormio*. Cant. 5. Quod bene per Jacob Gen. 28. in itinere dormientem figuratur - in itinere quippe dormire, eſt, in hoc præſentis vitæ tranſitu à rerum temporalium amore quieſcere. S. Greg. mor. l. 5. c. 21.

Stabulum. Omnia, quibus uteris in hac vita, ſic tibi debent eſſe, tamquam ſtabulum viatori, non domus habitatori. S. Aug. conc. 1. in pſ. 34.

Tenebræ proſperitatem, tenebræ adverſitatem ſignificant. S. Thom. in 58. Iſ.

Ubera noſtra, quibus à Domino lactamur, ſunt proſperitas temporalium, & ſolatium amicorum. Quando DEUS videt, quòd homines nimium confidunt in his, & allicjuntur ab his; ſubtrahit ea, & ponit amaritudinem, ut ponant in ſolo DEO ſpem ſuam, S. Thom. in pſ. 39.

Viaticum. Quid homini pecunia ſua, niſi quoddam viaticum eſt? multa oneri, moderata uſui: Viatores ſumus vitæ hujus. S. Ambr. l. 7. ep. 44.

Uxor Loth. Gen. 49. in ſaltem converſa eſt; quæ ſpecies citò ſolvitur, non poteſt uſum habere diuturnum. Sic ſunt, temporalia ſequuntur, & non ſequuntur æterna: & hic infatuantur à ſtultitia ſua, & futurorum gratiam habere non poſſunt. S. Ambroſius in pſ. 43.

TITU-

T I T U L U S VI.

S. BENEDICTUS, ET EJUS SACER ORDO.

A*Dam*, *Abel*, *Abraham*, *&c.* Omnes Sanctos, ac venerabiles Patres, quotquot ab initio ſæculi fuerunt, imitatus veraciter agnoſcitur. Goffridus Abb. Vindocinenſis in Gallia. Card. S. Priſcæ. ſer. 11. de feſtivitate S. Benedicti. Vixit circa annum 1120.

Angelus. Firmiter credere debemus, quòd à DEO nobis ſit tamquam Apoſtolus, & Angelus deſtinatus Goffridus ibid.

Ampliſſimus. Balduinus præfatione ad Regulam S. Benedicti inter filios magni illius Parentis, ait, numerari Imperatores tres, Imperatrices undecim, Reges maximos, & ſtrenuos viginti duos, Reginas 41. Principes viros, ac fœminas, ferè innumeras. Lobbetius in Glor. Patriarch. de S. Benedicto in Procem. Dedit Pontifices 18. Gregorium Magnum, Bonifacium IV. Adeodatum, Agathonem I. Stephanum III. Leonem IV. & V. Sylveſtrum II. Stephanum IX. Gregorium VII. Victorem III. Urbanum II. Paſchalem II. Gelaſium II. Anaſtaſium IV. Adrianum IV. Clementem VI. Urbanum. V. Cardinales dedit 180. Archi-Epiſcopos 1564., Epiſcopos 3512. Abbates eruditione, & ſcriptis illuſtres 15700. Lobb. ibid. §. 1. ex Trithem. l. 1. cap. 5. Fuerunt aliquando Abbatiæ Ordinis Bened. ad triginta ſeptem millia; Prioratus ad quatuordecim millia; & inſuper Aſceteria Monialium ſupra quindecim millia. Id. ib. §. 2. In uno Epiſcopatu Moguntino, ut author eſt Trithemius lib. 1. de viris illuſtr. S. Benedicti cap. 2. fuerunt 124. Monaſteria. Id. ib. In Hiſpania Monaſterium Æleobaſſe recenſuit Religioſos 999. In Normandia Monaſterium Gimeſienſe 900. Monaſterium Bencor in Hybernia 300.

Benedictus. S. Benedictus eſt verè per omnia Benedictus. S. Bernardus ſer. 13. in pſ. 90.

Dilectus DEO, *& hominibus*. Eccl. 45. Hæc poſſunt exponi de B. Benedicto. Leguntur ſecundùm literam de Moyſe, qui præfiguravit S. Benedictum propter ſex: propter deſertionem Ægypti, petitionem eremi, multorum in eremum introductionem, multorum miraculorum operationem, futurorum prædictionem, & propter interpretationem. S. Thom. ſerm. 1. in feſto S. Benedicti.

Elias, *Eliſæus*, *Jacobus*, *Joannes*. S. Benedictus quoad quædam confertur cum Joanne B, cum Jacobo Patriarcha, cum Moyſe, Elia, Eliſæo. S. Thom. 3. p. q. 38. apud Lobbetium p. 92.

Filia ſegregata, cui comparabo te filia ſegregata? cui coadæquabo te? - Mater Monachorum - Exurge nunc Monachorum ſacratiſſime Princeps Benedicte. Joannes Trithemius Ordin S. Benedicti. Spanheimenſis primùm, dein S. Jacobi Herbipolenſis, Abbas Vict. anno 1490. mortuus 1516. die S. Luciæ.

Firmamentum. Filii ſancti Benedicti ſunt inſtar ſtellarum firmamenti. Lobb. p. 87.

Flos. Donavo ſuper te, ò flos Monaſtici decoris. Trithem. libro Penthico de ruina Ordinis Benedict. c. 3.

Inventor ſecundæ regenerationis noſtræ glorioſus iſte Sanctus pariter extitit, & ſcriptor. Goffridus ſer. 11. de ſeptio S. Bened.

Inclytus Ordo. P. Sfortia Pallavicinus lib. Vindic. Soc. Jeſu cap. 23.

Lucerna ſuper candelabrum poſita. Goffrid. ib.

Italiæ Lumen. Lobb. in Procem.

Parens Divorum. Ordo S. Benedicti fuit Regum portus, Pontificum ſeminarium, Divorum parens, Sapientiæ regia. Pallavic. ibid. Joannes XXII. Pontifex inquiſivit numerum. Sanctorum Ordinis Bened. & deprehendit illum acceſſiſſe ad 55000. Martyres ſolùm numerantur 2016. In Caſſinenſi cenſentur 5555. quorum ſacræ exuviæ religioſè ſervantur. Lobb. ib. §. 2.

Plenus omnium Juſtorum ſpiritu fuit. S. Greg. l. 2. Dialog.

Prænobilis Sodalitas. Pallav. ib.

Princeps Monachorum. Exurge nunc Monachorum Sacratiſſime Princeps. Trithem. ib. c. 3.

Specus, in qua habitavit, eſt paradiſi limen, miraculorum ſedes, & prodigiorum cœleſtium officina. Lobb. ibid. p. 78.

T I T U L U S VII.

S. BERNARDUS, ET ILLIUS ORDO.

A*Gricola*. Suſcitavit Dominus eis (Ciſtercienſibus) à principio novellæ plantationis eorum agricolam peritum. R. P. Andreas Spanner. Jacobus Vitriacus Aconenſ. Epiſc. & S. R. E. Card. hiſtor. Occid. c. 14. & 15.

Angelus. B. Henricus Suſo, & S. Bernardus, ſunt in terris Angeli; in carne prope toti ſunt ſpiritus. Lobbetius de S. Bernardo q. unica.

Aurum fuit B. Bernardus per voluntatis ſanitatem, multitudo gemmarum, per morum honeſtatem, & virtutum multiplicitatem; vas pretioſum, per virginitatis puritatem. - S. Bernardus quaſi vas auri: fuerunt autem in hoc novem gemmæ, de quibus Ezechielis 28. *Omnis lapis pretioſus*, *&c.* Lapides iſti ſignificant novem Ordines Angelorum, quibus fuit dotatus S. Bernardus: quia *habuit in ſe virtutes*, & Officia omnium Ordinum Angelorum. S. Thom. in feſto S. Bernardi.

Columba. Ordinem Ciſtercienſem Innocentius IV. Columbam appellavit mihi, humilem, electam Domini ſpecialem, & pulchram per totum. Lobbet. in Procem.

Columna. S. Bernardus Eccleſiæ columna. Ordo Ciſterc. eſt Eccleſiæ ſuſtentaculum. Fuit columna lucis, & ignis. lucis à ſcientia; ignis à DEI amore. Lobb. ib.

Varia de S. Bernardo, & ejus Ordine promiſcuè.

S. Bernardus Scholam habuit cœlum, Magiſtrum DEUM; ipſe inſignis fuit zelator animarum, Lobb. ibid. quæſt. unica.

S. Bernardus quaſi ſtella, ſed ſolis æmula; imò ut Sol ipſe lucis parens. Ib. Canonicus Regularis S. Bernardi olim diſcipulus; à morte S. Bernardi vidit ſtellam ad inſtar Solis ad cœlum ferri; per quam deſignari S. Bernardum divinitùs doctus eſt. Id. ib. ex Henriquez diſt. 4. c. 46.

Marquella, in Flandria cœnobium Virginum anno 1230. fundatum à Joanna Flandriæ, & Hannoniæ Comitiſſa; vetuſto, ac proprio nomine Reclinatorium Beat. Mariæ nuncupatur. Aubertus Miræus in Chronico Ciſterc. pag. 227. Flinenſis Abbat. in Flandria Virg. olim dicta, Honor Beat. Mariæ. Stagenſis Abbatia Virg. ibidem dicta fuit, Domus lætitiæ. Id. ib. p. 267.

Ordinem Ciſterc. appellavit Benedictus XI. Stellam matutinam in medio nebulæ. Clemens IV. fontem dixit, & quidem amœnum varietate virtutum, qui ſic excreſcere meruit, ut fontis nomen excedens fluvius cenſeatur. Stephanus Ep. Tornacenſis Epiſt. ad Robertum Pontiniac., lucernam ſuper montem poſitam. Sanct. Antonius Archi-Ep, Florent p. 2. tit. 15. cap. 23. magnam Eccleſiæ columnam. S. Petrus Abb. Chuniac., lacteam, fortemque columnam; cui innitatur Monaſtici Ordinis ædificium. Petrus Ep Carnotenſis Epiſt. ad Nicolaum Anglum, ipſa Ciſterc. Ordinis clauſtra dixit caſtra DEI. Cardin. de Vitriaco hiſt. Occid. c. 14. vineam electam. Id. ibid.

S. Bernardus eſt in Ordine Ciſtercienſi, quod lucerna in domo, quod ſtella in cœlo. Ib.

Ordo Ciſtercienſis multos Martyres, & Confeſſores numerat. Unum Clarævalleuſe Monaſterium illuſtres ſanctitate 900. Scotia Martyres 200. Hibernia 900. etiam in unico Menchorenſi Monaſterio. Hiſpania 2000. à Mauris pro fide cæſos, Anglia S. Thomam, & Edmundum Cantuar. Archi-Ep. Hibernia S. Malachiam Archi-Ep. illius regni decus, & lumen clariſſimum. Francia S. Hugonem Abbat. S. Godefridum Lingonenſ. Ep. Sanct. Guilielmum Aquitaniæ Ducem. Hiſpania Sanct. Maurum Abbat. Sanct. Bernardum Vincentinum Ep. Sabaudia Sanct. Petrum Archi - Ep. Tarantaſienſem, &c.

Ex Ordine Ciſtercienſi fuerunt Pontifices Romani 4. Patriarchæ 14., Cardinales 46., Archi-Ep. 800. Epiſc. 1400. E Regibus fuerunt 3. facti Monachi Ciſterc. è Regum filiis 8. e Ducibus 3.

Ex Ordine Ciſterc. prodierunt aliæ decem familiæ: Gulliemitæ, Ordo Vallis Caulium, Montis Virginis, Gilbertinorum, Conceptionis B. Virg. Mariæ, Calatravæ, Alcantaræ, Templi Grandimontenſis, Militum Chriſti. Hucuſque Lobb. in Procem. ut ſuprà.

Inter alios, quos Ordo Ciſterc. habuit doctrina præſentes Viros, fuit Alanus, dictus Doctor univerſalis. Idem ibidem.

Medium Eccleſiæ Sanctæ eſt Ordo S. Bernardi, ſuſtentans Eccleſiam, velut columna, cui tota domus innititur. ait Chriſtus D. ad S Mechtilden. Lobb. ex Henriquez de SS. Ord. Ciſterc. lib. 1. d. 1. c. 6.

Regula Ord. Ciſterc., conſcripta à S. Stephano tertio Ordinis hujus Abbate, vocata eſt ab eodem Stephano, charta charitatis. Lobb. ib.

Annotavit Henriquez Ordinis Ciſterc. accuratus hiſtoriographus: eum brevi tempore ità diffuſum; ut numeraverit Monaſterium Virorum 4000. Virginum 6000. Lobb. ib.

Aubertus Miræus author Chron. Ciſterc. in principio vocat Ordinem Ciſterc. clariſſimum Ordinem. Cœpit ſub Roberto anno 1098.; qui Moliſmenſi Abbatia relicta in ere-

mum Cistercium, 21. Monachis ejusdem Abbatiæ concessit. Roberto Molismum revocato successit Albericus, huic Stephanus, &c. Anno 1123., id est, annis quindecim post fundatum Cistercium, venit S. Bernardus cum 30. Sociis Cistercium. Est autem Cistercium in Burgundia. Miræus ib.

Ordo Cisterc. est Vinea Domini Sabaoth; quæ intrà breve tempus palmites suos extendit à mare usque ad mare. Psal. 79. Ibid. p. 3. 4. 5. juxta edit. anno 1614. in 8. Ut sidus nitidum noster præfulgidus Ordo. Jam penitus toto clarus in orbe micat. Ibid. p. 243. Cistercienses tamquam boves (Is. 65. de armento Domini paleam manducantes, grana supervenientibus reservabant, foris non mansit peregrinus: & ostium eorum viatoribus patuit. Ibidem p. 243. Non est provincia, vel Regno: ad quam vinea illa benedicta palmites suos non extenderit. Dilatavit Dominus, & beata eorum patrona Virgo Maria, locum tentorii eorum. Miræus ib.

Ordo Cisterc. est familia Domini. Jacob. Vitriac. p. 244.

Ordo Cister. est tranquillus portus. Idem apud Miræum p. 247.

Multiplicata est sicut Stellæ cœli, & excrevit in immensum, Cisterc. Ordinis Religio. Vitr. ibid. p. 246. In una Diœcesis Leodiensis regione septem hujus Ordinis Abbatias Monialium in tempore modico fundari vidimus; & Sanctis Monialibus, tamquam violis, & liliis, exornari. Id. ibid. p. 248. Ibidem vocat Leodiensem Diœcesim hortum liliorum, & paradisum deliciarum; ob tam frequentia Monasteria Ordinis Cisterc.

Cistercienses sunt velut Jacob, qui domi habitant; neque curis sæculi se implicant. Id. ib. p. 250.

S. Bernardus primus Abbas Clarævallis, eximium Ordinis Cisterc. decus, & ampliùs 160. Monasteriorum Pater, obdormivit anno 1253. & inter Divos ab Alexandro III. anno 1165. relatus. Miræus pag. 159. Temporibus S. Bernardi 200. plus minus Monasteria Cisterc. Ordinis numerabantur. Arnoldus Vionus in ligno vitæ libr. 1. cap. 97. tradit posterioribus sæculis numerata virorum Monasteria 4000. & Monialium sex ampliùs millia. Miræ. ib. p. 160.

Prima omnium Abbatia Cistercium fuit, unde totus Ordo nomen obtinuit: secunda fuit Firmitas, tertia Pontiniacum, quarta Claravallis, quinta Morimundus, sexta Pulliacum. Prima fundata an. 1098. secunda an. 1113. tertia an. 1114. quarta, & quinta an. 1115.

Nomina quarundam Abbatiarum Ordinis Cisterc. ex Miræo. Claravallis, ubi S. Bernardus Abb. Curia DEI in Diœc. Aurelian. fundata an. 1118. Apud Belgas in Brabantia, Camera B. Mariæ D. Diœcesim significat, Mechlin. Vallis florida D. Mechl. Vallis Virginum Abbat. D. Mechl. Nazarethum Abbat. D. Antuerp. Vallis rosarum Abbat. D. Mechl. Vinea nostræ Dominæ, Lovanii Abb. D. Mechl. Omnia hæc in Brabantia Monasteria sunt monialium. In Ducatu Lucemburgensi Aurea Vallis Abbatia D. Trevir. fundata an. 1131. Monach (NB. *Mon.* significat Virorum, *Virg.* Virginum) Bona via, D. ejusdem. Clarus fons Virg. In Flandriæ Comitatu sunt, Bella prata Virg. In Artesia, Clara pallus Audomaropol. an. 1137. Mon. Viridarium B. Mariæ, D. Camerac. Virg. Victoria D. Atrebat. In Hannonia, Locus spinosus Beat. Mariæ, D. Camerac. Virg. Olivæ D. ejusd. Refugium nostræ Dominæ. D. Camer. In Hollandia, Corona B. Virg. Portus B. Mariæ. Porta cœli. Aqua frigida. Mon. In Frisia Orientali. Clarus Campus Floridus Campus. Mon. Aula DEI Virg. In Ultrajectana Provincia, Vallis B. Mariæ Virg. Mon. In Groningana ditione. Schola DEI Virg. In Leodiensi ditione, vallis DEI. Mon. Vallis benedicta. Vallis B. Mariæ, Vetus Vinea Virg. In Diœc. Colon. Sylva B. Mariæ. Mon. speculum Beat. Mariæ. Fons Beat. Mariæ. Prata Beat. Mariæ Virg. In Gallia Mons petrosus. Vallis benedicta. Vallis crescens. Vallis Sancta. Scala DEI. Mon. Locus nostræ Dominæ. Virg. Ibidem in tractu Tolosano Bona aqua Mon. In Gasconia, Scala DEI. Sylva lata. Benedictio DEI. Vallis bona. Mon. In Cenomanensi districtu, Pietas DEI. Mon. In Andegavensi. Clarus Mon. In Diœc. Bituricensi, Columna. Albæ petræ. Vallis honesta. Pratum benedictum. Domus DEI. Olivetum. Mon. Bellus Visus Virg. In D. Pictavensi, Stella. Misericordia DEI. Gratia DEI. Mon. In Turonensi, Claritas DEI. Mon. In Normannia, Bonus Portus. Mortuum mare. Locus DEI. Mon. Thesaurus Virg. In Campania, Picardia, & Agro Parisiens., Vallis lucens. Septem fontes. Tres fontes. Altus fons. Bonus fons. Regalis mons. Vallis nostræ Dominæ. Frigidus mons. Bellum pratum. Vallis Clara. Pietas nostræ Dominæ. Sacra Cella. Gaudium nostræ Dominæ. Mon. Lilium nostræ Dominæ. Pons nostræ Dominæ. Amor DEI. Virg. In Lotharingia, Alta sylva. Clarus locus. Vallis dulcis. Directa Vallis. Mon. Benedicta Vallis. Bona via. Clarus fons. Virg. In Comitatu Burgundiæ, Caritas. Mons S. Mariæ. Carus locus. Locus crescens. Bethania. Gratia DEI. Mon. In Ducatu Sabaudiæ. Via cœli. Virg. in Hispania prope Toletum, Mons Sion. Vallis bona. Rivus siccus. Vallis paradisi. Spina. In Castella, Vallis DEI. In Austria, Vallis digna, à Jacobo 2. Rege fundata penes Valentiam. Saltus Albus in Regione Legionensi. In Portugallia, Stella S. Pauli. In Catalaunia, Vallis B. Mariæ. Vallis Bona. Vallis Sancta. Virg. In Regno Valentiæ. Mons Sanctus. In Regno Castellæ, Fons calidus. Turris cremata. In Germania D. Constantiensis, Vallis S. Crucis; olim aquarum haustus. Virg. In Saxonia fundatur an. 1141. Abbatia, Porta gloriæ. In Germania, Villa Salomonis an. 1138. In Svevia, Lucida Vallis. Regis pons. Corona B. Mariæ. Pons salutis. Stella lucida. Vallis rosarum Fons Beat. Mariæ. Vallis DEI. Vallis Angelis. Vallis Cœli. Hortus DEI. Cella Sanct. Mariæ. Vallis gratiæ. Vallis sancta. Pura Vallis. Bona Vallis. Cœli corona. Virg. Virg. In tractu Franconiæ, Vallis S. Crucis. Felix Aula. Vallis B. Mariæ Virgin. In Bavaria, Felix Vallis. In Vvestphalia, Porta Cœli. Speculum Virginum. Pax DEI. Fons salutis. Fons B. Mariæ. Hortus B. Mariæ. Mons amoris. In Jutlandia, Tuta Vallis. Insula DEI. Locus DEI. Regalis curia. Mon. In Moravia, Claustrum Reginæ. Virg. In Svevia, Aurora. Maris Stella. Capella Mon. Apud Francones, Vallis Sanctorum. Mon. Apud Bavaros, Campus Principum. Cella DEI. Cella Principum. Mon. Apud Austriacos, Stiros, & Carinthios, Cella Angelorum. Vallis DEI. In tractu Rhenano, Castrum aquilæ. In Pomeraniæ, & Brussiæ tractu, Rivus S. Mariæ. Purus mons. In utraque Marchia, Locus cœli. Nervus S. Mariæ. Cœli porta. In tractu Vvestphaliæ, Campus S. Mariæ. In Boemia: Aula Regia. Sancta Corona. Sacer Campus. In Hibernia, Mellis fons. Apud Venetos, Sana Vallis. Laudensi Abbatia in Flandria, olim dicta fuit, Laus B. Virginis, fundata anno 1152. Hactenus ex Miræo.

TITULUS VIII.

S. BRUNO, ET ILLIUS SACER ORDO.

S. Brunonis anima est illa Noemi columba. Lobb. in Glor. Patr. q. 1. de Brunone §. 4.

Carthusia est commoda pœnitentis animæ sedes, fidaque à sæculo fugienti statio. Id. ib.

S. Bruno volavit pennis columbæ, idest, castis, humilibus, &c. Id. ib.

S. Bruno est magna mens; & cœli novi, idest, Ordinis Intelligentia. Ib.

D. Bruno, ad instar aquilæ. Ib.

Noster Princeps Elias, noster Princeps Elisæus; nostri Duces, filii Prophetarum; qui habitant in agris, & solitudine. *Petrus Sutor Carthusianus* l. 1. de vita Carthusiana tr. 1. c. 2.

Divus Bernardus de Ordine Carthusiensi ait: res est antiquæ Religionis, perfectio fundatæ in Christo pietatis; antiquæ hæreditas Ecclesiæ DEI; à tempore Prophetarum præmonstrata: jamque, novæ gratiæ Sole exorto in Joanne B. instaurata, & innovata; ab ipso Domino familiarissime celebrata. Sutor ib.

Ordo Carthus. Ortus est an. 1084.

S. Bruno, natus Coloniæ in Germania, fuit Canonicus Rhemensis in Gallia. Id. l. 1. tr. 2. cap. 1.

Primi Brunonis Socii fuerunt sex: Lauduinus; Duo Stephani, Canonici Ambo; Hugo Andreas, & Garinus. Postremi duo Laici erant. Hugo solus inter hos Sacerdos. Ibid c. 2.

Bruno columbæ comparatur. Ib. c. 3.

Voluit Bruno similis effici pelicano solitudinis; & sicut passer fieri solitarius in tecto. Voluit quærere ut turtur nidum sibi, ubi poneret pullos suos: ut sicut pullus hirundinis, sic clamaret, & meditaretur ut columba. Ib.

Bruno venit ad solitudinem, ut instar Moysis, posset DEO in desertis sacrificium acceptum offerre. Ib. c. 4.

Bruno est bonus Christi Alumnus. Ib.

Bruno primùm post annum, ab audita Doctoris Parisiensis damnatione, ad eremum ivit. Ib.

S. Bruno cum sex suis Sociis videtur à Gratianopolitano Episcop. Hugone in specie Stellarum septem ad suos pedes corruentium. Ib. c. 7.

S. Bruno est honestatis speculum, exemplum gravitatis, & totius denique maturitatis quasi quoddam simulacrum: Ibid.

S. Bruno est Mons, litterarum sublimitate, virtutum, gratiarum. Ib.

Ordo Carthusianus est mirum ædificium. Ib.

Hi septem Patres (Bruno cum sex Sociis) septem sunt boves de fluvio mundanæ fluctuationis ascendentes Hi sunt septem spicæ in uno charitatis culmo congestæ. Hi sunt septem buccinæ in cordis Jubilæ Domini laudes concinentes. Hi sunt septem columnæ, quibus tota Anachoretici propositi Domus innititur. Hi sunt septem gradus, ab Ezechiele visi; quibus posteriores in atrium templi paradisiaci ascendunt. Hi sunt septem sportæ, quæ spiritualibus cibis, mirisque fragmentis, plenæ fuerunt. Hi septem candelabra aurea. Apoc. 1. Hi sunt septem oculi Agni in Apocalypsi visi, cœlestia mysteria contemplantes. Apoc. 5. &c. Hi denique septem sunt Stellæ Divinitus ostensæ: quippe quæ sublimitatem, stabilitatem, puritatem, claritatem, ac magnitudinem, instar Stellarum habuerunt. Id. l. 1. tr. 2. c. 7.

Cellulæ (Carthus.) per tentoria, seu tabernacula Israel figurata sunt. Ib.

In principio Carthusiani non plures, quàm tredecim ad singulas eremos admiserunt. Ib.

Gradus, quibus Carthusiani inter se distinguuntur sunt hi, 1. Inter eos quidam sunt Monachi quidam Conversi, quidam Redditi Clerici, quidam Redditi Laici, quidam Donati. Ibidem c 5.

Usque ad tempora Petri Sutoris Carthusienses votum non habuerunt de abstinentia a carnibus. Id. l. 1. tr. 3. c. 8. Vixit autem Petrus ann. 1520. prout certum est ex ejusd. l. 1. tr. 3. cap. 8.

Hosvinus de Berka, seu Becanus, Carthus. Ordinis, erat præco eloquii Divini, tuba Evangelii, Angelus pacis lingua muti, sal terræ, &c. Arnoldus Bostius Carmelita Opusc. de Vir illustr. Ord. Carth. c. 19.

Albergatus erat velut alter Elias. Id. ib. c. 22.

Ægidius Aurifaber tanquam ager fertilis fructum produxit uberrimum. Id. ib. c. 26.

Joannes ab Hagen, seu Indagine, Canonicæ scientiæ princeps dicitur. Id. ib. c. 28

Dionysius Rikel tanquam torrens inundans fuit. Ib. c. 29.

Beatissimæ Virgini MARIÆ Fratrum Carthusianorum universitas uti ram. stipiti, capiti membra, radii Soli, & rivuli fonti, post Deum specialius innititur. Ibid.

Laurentius Muschelis ut fidus admodum radiosum emicuit. Ib. c. 36.

Henricus Prudens, verus Jacobi puteus: in quo aquæ salutares hauriuntur: fuit enim vir raræ Doctrinæ, ac Sapientiæ; quam etiam ipsius opera testantur. Ibid.

Ordo Carthusianorum ipse sibi lux est, & quidem cœlestis: quia, quod Religiosos, tot Stellas; & velut adnascentia terris sidera. Lobbetius in Procem. de S Brun.

Hic Ordo, ceu alterum in terris firmamentum: & illius Alumni, ceu totidem sidera illi stetere infixa. Id. ib.

S. Bruno est murus Ecclesiæ, flos Patrum, semita Justitiæ, lux, & speculum Mundi, sublime cacumen. Ita eum ornat Ecclesia Carnotensis apud Lobb. ut supra.

S. Bruno est Religionis, & Scientia famosissimus. Vincentius Belluac apud eundem. Ibid.

Vir de cœlo lapsus. Thomas Bostus apud eundem ibid

Alexander III. vocat Ordinem Carthus. areolam horti, qui est Ecclesia. Clemens III. balsamum Alexander IV. lumen, ac veluti Solem alterum. Gregorius XV. Christianæ patientiæ castra, invictumque exercitum; qui præclaras de inferis perduellibus victorias reportat. Urbanus VIII. cœlestium virtutum spectaculum. Alumnos ejus vocat Joannes XXII. lapides vivos. Innocentius VI rutilantes Ecclesiæ margaritas. Lobb. supra cit. Franciscus Petrarcha præf. ad lib. de Otio Relig. vocat Ordinem Carthus. paradisum; ejus Alumnos autem Angelos. DEI. Lobb. cit S. Bernardus l. 4. ep 11. vocat Collegium cœleste, & numerum Apostolicum. Lobb. ibidem. Et in epist. ad Fratres de monte DEI ait: Altissima est Professio vestra; cœlos transit, par Angelis est, Angelicæ similis puritati. Lobb. ibid.

S Bruno est vitæ solitariæ antesignanus: ipse, & ejus sex Scii, sunt Instituti Carthus. imò & Mundi columna. Lobb. §1.

S. Bruno est S. Joannis B. æmulus. Id. §. 2.

S. Bruno est columba ferax, & fœcunda, à numerosa Soboleua: castra, & pura, à castitate. Ibid.

Candida illa B. Brunonis anima, ceu columba è corpore, ce nidulo, in cœlos evolavit. Ib §. 4.

Carthusia Caro tusa interpretatur. Sutor l. 1. tr. 4. c. 2. Carthia interpretatur, perfecta Dei vocatio: quandoquidem S. Hieronymi sententia Carthus perfecta vocatio dicitur: ya verò eus, sive Dominus. Id.

Mons Carthusiæ mons est Sinai, id est, mandati; in quo alte Moyses, scilicet Bruno, de aquis mundialibus extractus Anachoreticæ vitæ mundata suscepit. Mons Carthusiæ est mons Horeb, qui & Sina dictus, hoc est, ardoris. Est mons Seir, hoc est, fortunatus. Est mons Samariæ, qui custos interpretatur. Mons est Carmeli, Moria, hoc est. Vision, Sion, qui spelunca interpretatur. Galaad, qui acervus testis dicitur. Mons est Myrrhæ, hoc est, amaritudinis. Libi, candidationis. Mons Ephraim, frugifer, crescens. Mons Thabor, adventus luminis. Mons Olivarum, Mons Sanctus Mons Dei, Mons pinguis, Mons hæreditatis. Id. ibidem p. 3.

Cirabilem planè virum, & vix mortalibus imitabilem. S. Br. Id. l. 1. tr. 5. c. 1.

P. Andreas Spanner.

S. Bruno est grande sidus. Moritur anno 1101. Id. c. 4. 3.

Cella (Carthusianorum) per Arcam Noe figurata esse creditur: quippe quæ supra montis verticem sistens, cellulas in montibus quietas significasse videtur. Deinde per Arcam Testamenti, quæ Decalogi tabulas reconditas habebat. Cella tabulas vivas, hoc est animas continet. Porrò per scalam Jacob figuratur - per fiscellam scirpea n, in qua Moyses aquis expositus salvatus est - Per castra Israel cellæ Carthusianæ referuntur: utpote quæ contra hostes tartareos positæ conspiciuntur. Quæ itidem expressæ videntur per turrim David, & propugnacula Jerusalem. Per tentoria Prophetarum - per fornacem, seu caminum Chaldaeorum. Denique per Dominicum præsepium, funal & sepulchrum, figurata est spelunca Carthusiana. Sutor. l. 2. tr. 1. c. 2.

Vitam Carthusianorum vocat. S. Bernardus ep. ad FF. Carthusienses de monte Dei, vitæ solitariæ exemplar, & cœlestis formam conversationis. Id. l. 2. tr. 3. c. 1

Concilium Basileense vocavit Ordinem Carthusianorum, Sacram Religionem. Id. ib. c. 2.

Triginta quatuor, & supra, Pontifices Ordinem Carthus. usque ad ann. 1500. variis privilegiis donarunt. Hos inter Alexander III. Lucius III Clemens IV Cœlestinus III. Innocentius III. Honorius II., qui Carthusienses columbis assimilavit. Alexander IV Clemens IV. qui eos aquilis comparavit, & subsedile ad pedes Christi cum Magdalena dixit. Joannes XXII. Clemens VI. qui Ordinem Carthusianum, præsignem, & Sacram Religionem vocat in agro Dominico Divina dispositione plantatam; quæ uberes fructus protulit, & producit. Idem vocat eundem Ordinem, arborem bonam. Innocentius VI Religiosos rutilantes margaritas Ecclesiæ, Carthusianos aureos candidatos Nazaræos vocat. Gregorius XI. vocat præsignem Ordinem. Bonifacius IX. signum virtutum.

Qui in laudem Carthusianorum, eorumque defensionem scripserunt, fuit ferè sequentes Sanct. Bernardus, Joannes Gerson, Petrus de Aliaco Cardin. Petrus Blesensis; qui de Ordine Carthusian. ad quendam Novitium Carthus. scribens, in sua epistola sic ait: ibi probatissimæ Religionis est schola, &c. Nicolaus de Clamengis Theologus. Arnoldus Bostius Carmelita. Hostiensis Jurisconsultus. Joannes Andreæ; qui à Panormitano Juris Canonici speculum, ab aliis, fons Canonum appellatur. Joannes de Lignanis. Arnoldus de Villa Nova Medicus. D. Antonius 3. parte Summæ tit. 6. Angelus. Vincentius Bellunacensis. Platina. Gaguinus. Franciscus Petrarcha. Joannes Trithemius. Sebastianus Brant. Sutor ibid. l. 2. tr. 3. c. 2.

Qui magnum sanitatis nomen post se reliquerunt, sunt sequentes.

S. Bruno, quem vocat honestatis, gravitatis, & totius maturitatis quoddam quasi simulacrum, & sidus clarissimum. Idem ibid. Guigo de Castro, cujus sub regimine Carthusiani pro Angelis habebantur. Hugo Guigonis discipulus. Bernardus. Ancelinus. Basilius. S. Hugo Lincoliensis Episcopus ab Honorio III. canonizatus. S. Stephanus Ep. Diensis Juncellinus. Boso. Petrus Faverii. Joannes Tornerus Clarus. Jacobus de Viviaco. Joannes Birellus, quem Franciscus Petrarcha dixit novum sidus; & ex Carthusiæ specula sublimi, velut ex Orientalis jugi vertice, Luciferum maturinum irradiantem. Helisarius. Guilielmus de Mota. Hos omnes vocat egregios flores è nemoribus Carthusianis. Sutor ib. c. 5.

Scriptores, qui de Ordine sunt Carthusiensi, numerantur sequentes. S Bruno Princeps Carthusianorum, scripsit in Psalmos, Epistolas Pauli, &c. Guigo de Castro. Rifferius Maii Carthusiæ Prior 13. Trusianus. Ludolphus de Saxonia. Henricus de Kalkar. Guilielmus Rainaldi. Bonifacius Ferrarius. Henricus de Cosfeldia. Adrianus Theologus. Joannes de Teneramunda. Hermannus Petri. Henricus de Hassia. Stephanus de Senis. Gosvvinus de Beca. Osualdus de Corda. Gerardus de Stredam. Nicolaus Albergatus Cardin. Ep. Bononiens. de hoc ait Arnoldus Bostius: fuit vita ejus sanctitatis exemplum, eloquentiæ stupor, Doctrina, miraculum. Speculum itaque sine macula extitit Prælatis omnibus. Pater pauperum; & inter Dominatores orbis dissidentes pacis reformator; impeditor Schismatis, errorum excidium, Christianæque Reip. propugnaculum. De Gosvino Beca ait idem Bostius: erat utique præco, interpres, inter nuntius mellifluus eloquii Divini, turba Evangelii, Angelus pacis, amicus Sponsi, Religiosorum gloria, columna Cleri, deliciæ plebis, oculus cœcis, patriæ lumen. Iterum inter Scriptores numerat Sutor, Bartholomæum Ruremundensem, Joannem de Lovanio, Jacobum de Graytrode, Ægidium Aurifabrum, Henricum de Piro, Joannem Venetum, Henricum Uroede, Henricum Arnoldi, Gerardum de Breda, Henricum Loen, Martinum de Lauduno, Joannem de Lapide, Vvernerum de Laer, Petrum de Ruffi, Franciscum de puteo. Sutor l. 2. tr. 3. c. 7. Numerat autem Scriptores tantùm usque ad ann. 1520. post quem annum plures secuti sunt è Carth. Scriptores egregii. Hos inter Laurentius Surius.

Martinus V. vocat Ordinem Carthusian. fontem parvulum, qui crevit in fluvium, Ordinem prælucidum Id. lib. 2. tr. 3. cap. 9.

Carthusianus Ordo 17. Provincias habet in diversis regnis. Id. ib. de suis temporibus.

S. Bruno, est fidus purissimum, & splendidissimum, os DEI, lingua S. Spiritus, Divini signifer exercitus. Arnold. Bostius cit. c. 1.

B. Anthelmus ex Priore Cartusiæ septimo Bellicensis Episcopus - murum se pro domo DEI Domini constituens inexpugnabilem Id. c. 4. est DEI Athleta: in eo videbatur renatus Elias, libertatis Ecclesiasticæ propugnator illustris, sui temporis rarus phœnix. Id. ib.

B. Basilius Prior Carthusiæ octavus - quasi lucifer matutinus - tota conversatio ejus erat stola honestatis, morum ædificatio. Id. ib. c. 5.

Ludolphus de Saxonia, fuit accensa super candelabrum lucerna septiformi Divini muneris claritate relucens. Id. cap. 11. Ejus Opus de vita Christi tamquam sidus quoddam mentes humanas illustrat. Id. ib.

C.

T I T U L U S I.

C A R O.

A*sina Balaam*. Quæ est hæc Asina, nisi bruta gentilitas? - licèt & Caro nostra per hoc animal possit intelligi. S. Isid. c. 23. in Num.

Affectus. Elisæus 4. Reg. 4. Carnem (pueri) calefacit; quia affectum charitate inflammat. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 22.

Castrum diaboli Caro nostra est. S. Bonav. diet. sal. tit. 2. c. 6.

Dalila. Caro quasi in typo mulieris accipitur. S. Isid. c. 8. in Judic.

Fragilitas humana signatur per Carnem. S. Thom. 17. in Jerem.

Fœnum, Caro, & Sæculi voluptates, sunt arens fœnum. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 14. Matth.

Judæi, Caro, & Sanguis, non revelavit tibi, carnem ibi, & sanguinem, Judæos significans. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 16. Matth.

Navis Caro nostra est, & spiritus est nauta. S. Bonav. diet. sal. tit. 1. c. 9. Corpus nostrum est navicula. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Marci.

Nubes. Significat Carnem nostram. S. Thom. ibid.

Sicera. Vinum, quod Joannes bibere prohibet, luxuria intelligitur; sicera autem carnis dulcedo. Arnob. annot. cap. 1. in Luc.

Tympanum Carnem significat. S. Isid. c. 20. in Exod.

Velum. Caro est velum nostri templi, scilicet mentis, nostræ. Virtus autem carnis scissa est in Christi Passionibus à summo usque deorsum, scilicet ab Adam usque ad ultimos homines. Theophylactus apud S. Tho. in Cat. sup. 15. Marci.

T I T U L U S II.

CARO CHRISTI.

B*yssus*. Induitur stola byssina, id est, Carnem Sanctam stolam immortalitatis. S. Thom. c. 30. in Gen.

Cordis pars ex pisce. Particula cordis significat Corpus Salvatoris de Virgine sumptum. Hoc debet super carbonis poni, id est, Fidelibus accensis igne amoris donari: tunc fumus ejus, id est, virtus spiritualis fugat dæmonum tentationes. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 21.

Clavis David, Caro Christi. S. Thom. in 3. Apoc.

Diadema. Videte Regem Salomonem, id est, verum pacificum Christum, *in Diademate* - Diadema (Sponsa) vocat Carnem, quam Christus assumpsit pro nobis. Id. c. 3. in Cant.

Filia Jephte. Quis in Jephte prænunciabatur, nisi Christus Dominus JESUS Christus, & Salvator noster. Hic filiam suam, id est, Carnem suam in Passione immolavit. S. Isid. c. 7. in Judic.

Fimbria vestimenti Christi. Per mulierem, quæ hæmorrhoissa erat, intelligas humanam naturam. Sed mox ut fimbriam Domini tetigit, id est, Carnem ejus, sanata est; Qui enim credit Filium DEI Incarnatum, hic est, qui vestimentorum fimbriam tangit. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. c. 5. Marci.

Jumentum Samaritani, Caro Christi. S. Tho. s. 2. D. 13. Pent.

Ligna Sethim. Arca Corpus Christi significat. Ligna Sethim sunt membra Christi purissima. S. Thom. Opusc. de Sacr. cap. 8.

Medicina Mundi. Hodie medicina de cœlo datur Mundo. Goffridus s. 1. de Nat. Dom.

Nubes. Nota, super illo verbo, *super nubem*, quia est quadruplex nubes. 1. Assumptæ Carnis. Job 38 *Ubi eras, cùm ponerem nubem vestimentum ejus*. S. Thom. in c. 19. Is.

Pallium Eliæ. Est Elias nobis relinquens pallium, id est, Carnem suam. Drogo Ost. Ser. de Passion. Domini.

Paries, Quasi post parietem nostrum stetit; quia carnem nostram sibi opposuit, in qua Divinitas latuit. S. Thom. in c. 2. Cant.

Pix, & *Pili* (Dan. 14.) significant similitudinem Carnis peccati. Id. de Sacr. c. 28.

Pedes Agni Ex. 12. Caput Agni significat Deitatem, intestina animam; pedes Carnem. Id. ib. c. 4.

Scabellum DEI. Terra Scabellum DEI. Is. 66. significat Carnem Christi, quæ originaliter de terra orta est. Id. ib.

Sponsa DEI. Verbum (Patris æterni) est Sponsus; & Sponsa Caro humana; & utrumque unus Filius DEI, & Filius hominis. S. Aug. tr. 8. in Joan.

Tabernaculum, Caro Christi; in quo pro nobis militavit. S. Thom. in 13. Apoc.

Templum. Ideo Corpus Domini templum intelligitur; quia sicut templum gloriam DEI continebat habitantem in ipso; sic Corpus Christi repræsentans Ecclesiam Unigeniti continet; quia est imago DEI, & gloria. Id. sup. 2. Joan.

Terra. In terram, id est, in Carnem Christi statuerunt oculos suos. S. Thom. in psal. 16.

Urnam auream. Exod. 37. Intelligimus Carnem Christi puram, atque sinceram. S. Isid. c. 41. in Exod.

T I T U L U S III.

C A S T I T A S.

A*loe, Myrrha*. Per has arbores designantur carnis continentia, & castimonia. Nam putredo luxuriam solet designare. - In horto ergo Ecclesiæ sunt Myrrha, & Aloe, hoc est; mentes castæ. S. Thom. in 4. Cant.

Angelus. Augelicæ vitæ ratio. S. Ephrem tomo 1. de Casst. Angelis ille similis est Monachus, qui, quæ ventris sunt, spernit. Idem parænesi 1. Casti sunt Angeli terreni, aut potiùs cœli cives. S. Bern. s. de Altitudine Cordis.

Asina. Dilige Monache castitatem in charitate Christi: nam tuo vivendi instituto congruit, sicut ascia, atque securis fabro. S. Ephrem s. Ascetico de Timore DEI.

Byssus. In bysso figuratur Castitas; quæ est præcipuum ornamentum mentis. S. Bonav. diet. sal. tit. 5. c. 6.

Cingulum, est symbolum Continentiæ, & Castitatis. Lob. cit. de S. Ignatio q. 1.

Cohabitator. O Castitas! præcursor, & cohabitator Spiritus Sancti. S. Ephrem tom. 1. de Cast.

Cœlum. Vita casta dicitur cœlebs, quasi cœlestis: qui in carne vivere præter carnem, est vita cœlestis, & Angelica. S. Thom. in l. 2. de consol. Phil. Boet prof. 4.

Currus spiritualis. S. Ephrem. tomo 1. de Castit.

Divitiæ æternæ in anima hominis Christum amantis reconditæ. Id. ib.

Domus eburnea. Ps. 44. sunt frigidæ propter castitatem, candidæ propter puritatem. S. Thom. in ps. 44.

Donum DEI; benignitatis, disciplinæ, cognitionis, ac sentiæ plena. S. Ephr. ibid.

Ebur. Castitas est ebur S. Ephr. paræn. 46. ad Eulog. Ebnea domus est corpus castum. Arnobius in ps. 44.

Fœnum. Per Fœnum, quod præcisum ampliùs non pullat, signatur Daniel: qui non pullulavit per generationem, quia continens fuit: per quem signatur Ordo continentium. August. l. 3. de Doctr. Christ. apud S. Thom. in 9. Apoc.

Honor. Magnus honor castitas in charitate Christi. S. Erem s. Asc. de tim. DEI.

Lampas. Castitas sine charitate, lampas sine oleo. S. Tom. in 14. Apoc.

Lilium. Castitas est florens sicut lilium. S. Bonav. d. sal. tit. 4. c. 3.

Martyrium. An non martyrium castitas? Lobb. in Procœmio.

Onus leve. O castitas onus leve! quod in aquis non submergitur. S. Ephr. tom. 1. de Castitate.

Palma. Castitatem, dilecte frater, palmæ similem existima. Id. ib.

Portus tranquillus in summa pace, ac securitate constitutus. Id. ib.

Prudentia cœlestis, & Sancta prædicatio. Ib.

Oculorum fœnum. S. Ephr. tom. 1. de Castitate.

Templum efficitur DEI omnis, qui continentiam, & castitatem diligit. Id. Ser. Asc. de tim. DEI.

Thesaurus animorum, honor corporum, sacrificium DEO charum, legitimum DEI templum, sacrarium pudoris. S. Zeno serm. de Pudicitia. Castitas est thesaurus cum valore charitatis - ideo dicitur *simile Regnum cœlorum thesauro abscondit*. S. Bonav. diet. sal. tit. 4. c. 4.

T I T U L U S IV.

CELLA, CELLICOLA.

Promiscuè Varia.

CElla Religiosa, est cella medicinalis, tranquillus portus, munitio & asylum tutum, lavacrum nitidum; herba fullonum, qua superflua rescecantur, militaris palestra, Schola Doctrinalis, Discipulorum Christi schola, nitidum speculum, nuptialis thalamus, terrestris paradisus; cùm cella nihil sit aliud quàm juxta nomen suum cœli aula, sedes quietis, refrigerium laboris, areola aromatum, exedra gemmarum cœlestium, conciliabulum DEI & hominum, Divinum prorsus habitaculum, via aurea, &c. Petrus Sutor l. 2. de vita Carthus. tr. 1. cap. 2. 3.

Cellicola, seu qui cellam diligenter incolit, comparatur, & figuratus est in Enoch, Noe, Abraham, qui de terra, & cognatione sua exivit; in Isaac juxta puteum viventis, & videntis habitante in Jacob, Joseph, Moyse. In Josue terram promissionis de longè conspicante, & introeunte. In Samuele tabernaculum inhabitante. In Davide columba pennas desiderante. In Elia dimisso puero ad desertum festinante. In Elisæo mortuum resuscitante. In religioso Rege Ezechia orando plorante, & plorando orante. In Isaia Dominum vidente. In Jeremia interfectos populi lungente. In Ezechiele DEUM & inter hominem, cœlum & inter terram, constituto. In Daniele abstinente, & super hujus mundane Babylonis fluenta sedente, &c. Id. ib. c. 2.

T I T U L U S V.

C H A R I T A S.

A*bolitio criminum*. S. Bernard. tr. de Charitate.

Accipiter. Charitas est sicut avis generosa, quæ vivit de præda; sicut accipiter, falco, & aquila: istæ namque aves vix, vel nunquam tangunt terram; nisi quando rapiunt prædam. S. Bonav. diet. sal. tit. 5. cap. 2.

Acies. Ordinata est charitas: qua visa dæmones fugiunt. S. Bernard. serm. inter parvos 60.

Ærarium dives animi. S. Laur. Just.

Æstas Charitas est - habet & æstas pluvias suas suaves, & uberes. Quid dulcius lacrymis charitatis? Id. serm. 85. in Cant.

Ala. Militem Sanctum vocat S. Stephanum, S. Fulgentius Ruspens. Ep. serm. de cod., quem charitas (quasi ala) de terra elevavit ad cœlum: quique charitatem pro armis habebat; & per ipsam ubique vincebat.

Alimentum. Altilia significant Sanctos interna charitate saginatos. - occisa sunt - per pœnitentiam. S. Thom. de Sacr. Alt. cap. 19.

Alumna B. Virginis. Charitatem, & misercordiam, atque humilitatem, tanquam alumnas suas ulnis fovet. S. Joan. Damasc. or. 2. de Assumpt. B. V.

Apex virtutum. Quid est, cur discipulos in montem subducat? Montes figurato sensu virtutes Scriptura nominat. Omnium portò virtutum apex, & velut arx quædam, est charitas. Id. or. de transf. Domin.

Aranea. Sicut aranea ex suis visceribus trahens opus naturæ tabescit exinde; sic justus frequentans opera laboriosa ex vera charitate maceratur, & pallescit in corpore. S. Thom. cit. 8.

Aurum. Sicut aurum inter cætera metalla pretiosius est, ità charitas inter omnes virtutes principatum tenet, dicente Apostolo 1. Cor. 13. S. Thom. in cap. 4. Cant. Candelabrum Ex. 21. est vir justus: *facies candelabrum ductile* ductile dicitur, quia in multis tribulationibus ad perfectionem ducitur. Aureum totum; quia facit omnia in charitate. Id. serm. 2. de S. Benedicto. *In vestitu deaurato*. Psal. 44. Per aurum significatur charitas - est enim charitas flugida, & rubea; & ideo dicitur (vestitus) deauratus; quia informatur charitate. Idem in Ps. 44. S. Paulus fuit vas pretiosum - aureum charitate fervendo. Id. in Convers. S. Pauli. Charitas comparatur auro probato. S. Bonavent. diet. Sal. tit. 5. c. 2. quia sicut aurum alia metalla superat; sic charitas alias virtutes superat. Id. ib. Aurum est Symbolum amoris. Lobbet. de S. Norberto q. unica. §. 7.

Baltheus. Balthei vice accingere, perfecta in DEUM charitate, atque in proximum. S. Ephrem de panoplia spirit.

Calcar. Calcaria sunt timor, quo declinatur malum; & amor, quò agitur bonum. S. Thom. in 6. Apoc.

Calceus. Charitas fraterna est calceus: hoc armatus non sentit spinas aculeorum; quamvis ei in via obveniant. S. Vinc. Ferr. ser. 4. D. 22. Pent.

Calculus Is. 1. Per calculum charitas; quæ in manu, id est, in operatione ipsius est. Id. in Is. 6.

Calor anima naturalis est amor DEI: quando ergo subintrat extraneus, amor concupiscentiæ, & aliorum peccatorum, recedit DEUS. Id. in ps. 13.

Caput, & Sal, omnium virtutum. S. Eph. tom. 1. de Charit.

Carbunculus. Per carbunculum signatur charitas. Id. in 17. Apoc.

Catena. Charitas erga DEUM, est sicut catena, qua cum proximo devincimur. S. Joan. Damasc. epist. de trisagio ad Jordanem Cœnobiarcham.

Cherubim significat charitatem. S. Isid. c. 5. in Gen.

Chrysolitus, *Beryllus*, *Topazius*, significant charitatem. S. Bonavent. diet. Salut. tit. 10. cap. 5.

Collactanea Prophetarum. S. Joann. Damasc. l. 1. Parall. c. 18.

Columna omnium virtutum. S. Ephr. de humilit. comparanda. 90. Columna, & firmum in anima hominis fulcimentum est charitas. S. Ephr. de Judicio extremo. Charitas significatur per columnam ignis. S. Thom. Prol. Expos. ep. ad Ephes.

Compendium. Est DEI amor Compendium omnium virtutum, & summa perfectionis, & culmen sanctitatis. Lobb. de S. Phil. Ner. §. 10.

Condimentum. Amor DEI est omnium affectionum bonarum condimentum: & tantò plus sapiunt DEO cæteræ virtutum affectiones, quantò plus habuerint de hoc condimento. S. Bonav. de septimo processu Relig. c. 16.

Coniunctio, seu *Copulatio*. Moraliter per nuptias. Joan. 2. Intelligitur conjunctio DEI ad animam - primus dies (nuptiarum) fides, secundus spes, tertius charitas. Et in isto fiunt nuptiæ: quia per eam copulatur anima DEO. Dicit Augustinus: quid est Charitas? nisi vita copulans amantem cum amato. S. Thom. ser. 3. D. 1. Epiph.

Corona. Cecidit corona capitis nostri, charitas refriguit. Trithem. lib. Pentico. c. 3.

Caminus in Jerusalem. Is. 31. est Charitas in Ecclesia triumphante; ubi est charitas consummata, & ad instar camini, & non tantùm alicujus parvi ignis, in Sanctorum cordibus inflammata. S. Bonavent. ser. 1. de S. Laurent.

Charisma optimum, Charitas est. S. Bern. ser. 29. in Cant.

Cervi transvadantes fluvium, sunt symbolum mutui amoris, sufferentes onera proximi. S. August. ser. 21. de Verb. Ap. Hanc cervorum naturam fortasse intendit Salomon, cùm ait Prov. 5. *Cervus amicicia, & pullus gratiarum*. nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. Id. ibid.

Cibus. Verè dulcis cibus charitas; quæ fessos allevat, debiles roborat, mœstos lætificat. S. Bernard. de Grad. humil. &c. Charitas, Fratres, sitienti potus est, esurienti cibus. S. Aug. ser. 42. de temp.

Character. Hæc Discipulorum Domini indicium est, magnus Servorum DEI character. S. Chrysost. hom. 1. de Nat. DEI.

Cingulum nobile; quo vestes colliguntur, & continentur. S. Bonav. serm. 3. Dom. 3. Advent.

Consolatio dulcis. In amaritudine positis dulcedo, in tristitia constitutis vera, & grata consolatio; fluctuantibus portus, errantibus via, peregrinantibus patria. S. Aug. ser. 42. de temp.

Currus igneus, in quo receptus est Elias in paradisum, est charitas; sine qua nemo in cœlum recipitur. S. Bonav. ser. 5. D. 8. Pent.

DEUM amans. DEUS est. Charitas virtus facit, ut nomen Divinitatis participent (Fideles) quia Charitatis est transformare amantem in amatum. Unde August. talis est quisque, qualis sua dilectio, &c. S. Thom. in 14. Apoc.

Defendit. Contra tam multiplices sagittas adversitatum stat charitas quasi lignum immobile. S. Bonav. ser. 2. D. infrà Oct. Nat.

Dives. Magnæ sunt divitiæ charitatis, Chariffimi; sine qua dives pauper est; & cum qua pauper dives est. S. Aug. s. 42. de temp.

Facies. Aliæ virtutes corpus justitiæ sunt; charitas verò hujus amoris facies rectè intelligitur. S. Greg. l. 6. c. 3. in 1. Reg.

Facula. Amor, sicut vivax flamma, & ardens facula, sursum erumpit, secureque pertransit. Thom. Kemp. de Imit. Christi l. 3. cap. 6.

Fermentum. Dicendum, quòd fermentum significat charitatem, propter aliquem effectum, quia scilicet panem facit sapidiorem, & majorem. S. Thom. 3. p. q. 74. a. 4.

Ferrum ignitum. Sicut ferrum ignitum est tractabile; ità anima charitate plena. Sanct. Bonavent. diet. Sal. titul. 5. c. 2.

Finis. Sicut finis est principium omnium operabilium; ità Charitas est, principium omnium virtutum. S. Thom. in c. 12. ep. 2. Cor. lect. 3. Finis est amor Divinus: quia *finis præcepti est Charitas*, dicit Apostolus 1. Tim. Charitas est finis, & forma omnium virtutum. S. Bonav. Opusc. lum. Eccl. ser. 7. in fine.

Formica. Satis bona ordinatrix est charitas fratres: bene novit congregare in æstate, quod posset hyeme habere, hoc est, scit providere per eleemosynam in hoc sæculo, quod inveniat in futuro. S. Aug. ser. 42. de temp.

Fructus primus Charitas, habet tres mirabiles virtutes. Prima est: quia homo, qui comedit ipsum, inexpugnabilis efficitur. Rom. 8. *Qui nos separabit?* Secunda, quia omnia bona, & mala, prosunt ei, qui isto fructu reficitur. Rom. 8. *Scimus, quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum*. Tertia quia, qui comedit talem fructum, in æternum non morietur. 1. Cor. 13. *Charitas non excidit, &c.* S. Thom. ser. 3. D. 14. Pent.

Fumus aromatum ascendit, id est, ignis Charitatis. S. Thom. in ps. 17.

Funiculus coccineus. Jos. 2. Quid in funiculo coccineo (hoc est signum salutis Rahab) qui ignei coloris est, nisi charitas significatur? nam charitas ignea, & ardens, debet esse. Et sicut funiculo naves ad portum trahuntur: ità charitatis vinculo trahuntur ad Portum salutis æternæ. S. Bonav. Ser. 2. in Pent.

Funiculus triplex est charitas: quia DEUS, amicus, & inimicus, diligitur. Id. ib.

Gemma. Annulus fidei symbolum est, cujus gemma charitas. B. Petrus Damianus apud Lobbet. de Sanct. Ignatio q. 2.

Gluten. Adeò tenerum est amoris glutinum; ut non tam jungere, quàm unire, dicatur. S. Bern. tr. de Char. cap. 5. Charitas glutinum est, de quo Is. 41. 7. Id. Serm. 1. in Quadrages.

Jacob. Jacob significant charitatem. Charitas enim amplectitur duas vitas, activam per dilectionem proximi, contemplativam per dilectionem DEI: activa per Liam, contemplativa per Rachel significatur. Glossa apud S. Thom. sup. c. 1. Matth.

Ignis. Ignis immortalis Charitas DEI. S. Ephr. de Indic. extr. *Ignis*. Lev. 6. scilicet charitatis *in altari*, id est, in corde, *semper ardebit*. S. Thom. in ps. 25 Ignis, & gladius, in manibus Abrahæ portati sunt: ardor Divinæ Charitatis, ad dandum Filium pro nobis in mortem; & rigor justitiæ, exigens ab ipso mortem pro solvendis reatibus nostris. S. Thom. in 22. Gen. Spes admodum fumi ex igne, id est, ex charitate provenit, in altum ascendit, in fine deficit, id est, in gloria Id. Prol. Expos. ep. ad Eph. Amor est ignis in meditatione purificans mentem à sordibus vitiorum omnium. S. Bonav. de 7. don. S. Spir. de dono Piet. c. 3. Ignis in Sion. Is. 31. est charitas in Ecclesia militante. S. Bonav. ser. 1. de S. Laur. Sicut ignis habet virtutem corporis calefactivam, rubiginis abstersivam, duritiei emolitivam: sic dilectio, velut animarum ignis, dum in animam agit, ipsam intimè calefacit. S. Bonav. serm. 2. de S. Magd.

Insuperabilis. O magna virtus Charitas! ò fortis virtus! ò insuperabilis virtus Charitas! quæ ipsum qnoque insuperabilem superasti. S. Bernard. tr. de Char. c. 1. 2.

Inferni profundum. Potest in eo, qnod ait Is. 7. in profundum Inferni, etiam charitas ipsa, qua majorem nemo habuit, ut in Infernum quoque pro amicis moriendo descenderet, non immeritò designari. S. Bernard. de Christi Charitate ser. 2. de Adv. Dom.

Languor. Porrò amor languor est, dum amans desiderii dilatione torquetur, dum sponsi suspirat amplexus. Amor igitur nunc languor est, dum crutiatur desiderio videndi. S. Bernard. de Charit. c. 41.

Lapis David contra Goliath. Christus D. est David: qui progressurus contra Goliam deposuit arma oneraria, hoc est, Sacramenta Legis. Tulit autem quinque lapides, id est, libros Moysis, & imposuit in vas pastorale, in quo lac mulgere consueverat, hoc est, gratiæ imposuit. Unum e quinque misit: quia plenitudo Legis Charitas. S. August. in psal. 143.

Latitudo. Per latitudinem charitas intelligitur. S. Tho. in 21. Apoc. Altitudo templi hujus ad finem refertur, longitudo ad spem, latitudo ad charitatem. Sanct. Isid. cap. 2. in 3. Reg.

Lucrum Christi Charitas. S. Ambros. l. 5. ep. 24.

Lumen. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*: ipsa est lumen cordis; omnes sensus, & affectus hominis clarificans, & serenans. S. Bern. de Charit. c. 12.

Magna res amor. Id. ib. c. 7.

Margarita. Inventa una pretiosa margarita, id est, Charitate. S. Bonav. S. 3. D. 14 Pent. Ego unam hanc margaritam nihil aliud, quàm unitatem arbitror esse.

Mater bona, charitas. S. Bernardus sup. Cant. Mater omnium virtutum & radix; in quantum est omnium virtutum forma. S. Thom. 1. 2. quæst. 62. a. 4. c. Charitas non potest remanere informis, Id. ib. quæst. 24. a. 12. c. Charitas vera est cœlestium virtutum Mater, ac Magistra S. Aug. Ser. 42. de temp. Omnium Mater bonorum - & ea, quæ in nobis sunt bona cuncta complectens. S. Chrysost. hom. 16. in Matth. O bona Mater charitas! - ipsa est enim hominum Mater, & Angelorum. S. Bernard. de Char. c. 6. Est amicitiarum Mater. Id. ib.

Medulla virtutum. Richardus à S. Victor. tr. de grad. Char. cap. 1.

Mel. Charitas quovis lacte, & melle dulcior. S. Joann. Damasc. l. 1. Paral. cap. 10. Quemadmodum mel, & favus in ore; sic responsio fratris ad proximum suum cum charitate, & humilitate. S. Ephr. Ser. de vita Relig.

Mors omnium criminum. Cassiodorus sup. ps. apud S. Bonav. de donis S. Spir. c. 3. Charitas. Charitas comparatur morti carnem perimenti. Sanct. Bonavent. diet. Sal. titul. 5. capit. 2.

Mortem facit suavem. Quid non temperabit illa dulcedo (charitas) quæ mortem etiam facit dulcissimam. S. Bernard. Serm 2. de S. Andrea.

Navis. Charitas est instar magnæ navis. S. Vicent. Ferr. Ser. 6. D. infrà Octav. Asc. Comparatur navi in mari naviganti. S. Bonav. diet. Sal. tit. 5. c. 2.

Nervus. Quid est nervus, nisi quo corpus omne constringitur. Corpus Christi Ecclesia est, quæ vinculo stringitur charitatis. S. Ambr. in ps. 43.

Nubecula. Hæc est nubecula, quæ ad preces Eliæ magnam excrevit in pluviam. S. Bernard. de Charit. c. 12.

Oculus. Castus profectò, columbinusque oculus, amor est; qui in rebus usui humano concessis nulla libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum. Iste est oculus, qui non clauditur; quia carnalitatis palpebra caret; nullo turbatur injecto est oculus verè rectus, oculus verè dexter; quem nulla deorsum vertit sinistra intentio. Oculus verè simplex, & prudens quia amor oculus est, & amare videre est - duos quippe oculos anima habet; unum, qui intelligit; alium, qui inquirit. (*Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*. Cant. 4.) vulnerari ergo potest, qui, etsi sit impassibilis, compassibilis tamen est. Sanct. Bernard. de Charit. cap. 4.

Oleum. Charitas est oleum, quod omni liquori supernatat; quod sanat, & illuminat; & quod omnem asperitatem sua suavitate lætificat. Hoc oleo uncti Apostoli, & Martyres, suavissimam reputabant mortis amaritudinem. Idem ibid. cap. 12. Charitas est oleum viduæ; quod continuum ex distributione sumit incrementum. Id. ib. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo. S. Thom. in. 14. Apoc. Amor Creatoris sit in corde quasi oleum in lampade: quia debet omnibus dilectionibus supernatare. S. Vinc. Ferr. Ser. 5. D. infrà Oct. Ascens. Charitas oleo comparatur: nam quomodo oleum omnibus humoribus superius esse conspicimus; ità charitas omnibus virtutibus sublimior comprobatur. Nam si aliquis habebat infinitas divitias, & non habeat charitatem; sic est, quomodo habeat plures lucernas, & multas lampades, pinguedinem non habentes. Lucerna, vel lampas sine oleo accensa fumare potest de Iracundia, fumere de Superbia, fœtere de Avaritia; sine charitate penitus non potest lucem habere. Ipsa scit optimè, cui vel quantum porrigat, quid tribuat, quid reservet. S. Aug. ser. 42. de temp. Quia oleo ignis accenditur, oleum doctoris amor est cordis, in quo ignis accenditur: quia in pinguedine oris virtus, & gratia ardet Spiritus Sancti. S. Greg. l. 6. cap. 3. in 1. Reg.

Omnifica. Talis est quisque, qualis sua dilectio: si terram diligis, terra eris, &c. S. Aug. apud S. Thom. in 7. Apoc. Charitas virtus facit, ut nomen Divinitatis participent, &c. Vide antecedenter: DEUS amans DEUS est. Paulus charitate succensus totus factus est charitas. S. Chrysost. hom. 3. de Laud. S. Pauli.

Omnis virtus. Quid est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas illicit: quid cæteræ virtutes, nisi amor; quid quod suum est, unicuique distribuit. S. Bern. de Charit. c. 19.

Onus allevians, sicut in avibus ala. S. Bonav. diet. Sal. tit. 5. cap. 2.

Osculum. Mutui amoris indicium est; osculum pignus est charitatis. S. Ambr. l. 6. in Luc.

Palma. Sicut palma in ripis germinans (in margine est, ut phœnix in litoribus canens) ità charitas, atque concordia fratrum. S. Ephr. de tim. DEI. Est virtus pugnantium, palma victorum. Cassiod. sup. Ps.

Panis quotidianus est charitas. Matth. 6. *Panem nostrum quotidianum*. Nam sicut panis cum omni cibo sumitur: ità charitas cum omni opere debet esse. - Nota, dicitur à πᾶν, quod est totum. S. Bonav. in Ps. 40.

Penna. Amor Divinus verè penna est; sicut è contrario amor creaturarum verè est pondus. S. Bonav. s. de SS. Sim. & Juda.

Pes animæ est amor: & eo movetur anima ad locum, quasi ad terminum, ad quem tendit. Idem de 7. itin. ætern. de 1. sect. 2. partic. 1. dist. 2.

Phœnix. Phœnix unica avis est in Mundo; per quam, qui spiritualiter vinculis unitis conjuncti sunt intelliguntur. - Per Phœnicem etiam anima fidelis intelligitur, quæ virtutum species congregat, & eas in fervore charitatis deferens, in altum se collocat in altari cordis, & se Omnipotenti DEO in odorem suavitatis libenter offert. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. Palm. Vide antecedenter *Palma*.

Pignus DEI, est in animabus nostris. Sanct. Ephr. de Judicio extr.

Pondus amantis est charitas secundùm S. August. S. Thom. in Psal. 26. est pondus inclinationis ordinatæ. Sanct. Bonav. Breviloq. p. 5. cap. 8. Amor meus pondus meum. S. August. ep. 29.

Porta speciosa, est charitas. S. Bern. de Char. c. 12.

Possessio Divina. Id. de humilit.

Præmium Summum. Hæc promissio Regni: hæc summum præmium Sanctorum est in cœlo. Sanct. August. serm. 50. de temp.

Pupilla oculi. Serva unitatem, ut pupillam oculorum: lux, & vita in ea sunt; serva eam. S. Ephr. de panopl. Spir.

Quantitas animæ, est charitas. S. Bern. sup. Cant. Quantitas uniuscujusque animæ æstimatur ex mensura charitatis. Id. apud S. Bonav. Pharetr. l. 2. c. 25.

Radix, & initium virtutum. S. Thom. in cap. 12. 2. Cor. lect. 3. Amor, secundùm Augustinum de Civit. DEI, radix est omnium affectionum. Sanct. Bonavent. Opusc. lum. Eccl. serm. 7.

Reconciliatrix. Quid his verbis (*vade reconciliare fratre tuo*. Matth. 5.) mitius esse possit? quid lenius? Interrumpatur, inquit, cultus meus, ut tua charitas persistet: Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. Propterea quippe non dixit, postquam obtuleris, aut priusquam offeras; sed munere ipso jam posito, & inchoante sacrificio, reconciliandum mittit ad fratrem. S. Chrysost. hom. 16. in Matth.

Regina. Charitas est Regina cœli. Sanct. Bernard. de filio prodigo.

Robur. Charitas est vita Fidei, robur spei, & omnium intimævis, & medulla virtutum. Rich. à S. Vict. tr. de Grad. Char. cap. 1. S. Bern. de Char. c. 2.

Sabbatum. Hæc est dormitio, & septimæ diei tranquillissima quies. Dies septimus est charitas, dies Sabbati, dies requietionis, jucunditatis & pacis: per quam homo securè imo securissimè dicit: *in pace in idipsum dormiam*. Idem de Char. c. 21. In veteri Testamento assignatur triplex distinctio Sabbatorum - Primum Sabbatum hominis, est dilectio sui. Secundum dilectio proximi. Tertium Sabbatum Sabbatorum dilectio Dei. Id. ib. c. 22.

Sal charitas est. S. Ephr. tom. 1. de char.

Scala est Charitas; quæ idem est, quod bona vita. S. Vinc. Ferr. serm. 3. in Quinq. Scala charitas est. S. Bern. s. 19. inter parvos.

Smaragdus. Accipiamus charitatem ipsorum (Anachoretarum) quæ gloria Smaragdum inæstimabilem excedit. S. Ephr. s. de SS. Anachoretis.

Societas Electorum. S. Bonav. de 7. don. - de dono piet. c. 3.

Somnus meritò amor appellatur: quia sicut dormiens à visibilibus oculos claudit, & invisibilia contemplatur; ità &c. S. Thom. in c. 3. Cant.

Sunamitis. Hæc est speciosa Sunamitis, quæ David in virginitate sua calefaciebat. S. Bern. de char. c. 12.

Tabula latitudinem charitatis designant. S. Isid. in Cant.

Triclinium. 1. Reg. 9. 22. est charitas. S. Greg. lib. 4. c. 4. in 1. Reg.

Turris est charitas in medio castri, excelsa, firma, & pulcherrima. S. Bern. in Soliloq.

Vestis. Vestes nostræ virtutes sunt. Bona vestis charitas. S. Bern. s. 2. in Quadrag.

Vestis Nuptialis. Fides, & Charitas sunt vestis nuptialis. S. Ambr. l. 7. in Luc. Rectè charitas vestis nuptialis dicitur: quia hanc in se Conditor noster habuit, dum ad associandæ sibi Ecclesiæ nuptias venit. S. Greg. hom. 38. in Evang. Vestis nuptialis est charitas. S. Thom. de Sacr. c. 15.

Vinculum. Delicatum, ac molle vinculum est DEI dilectio: & tamen gladius anceps eam scindere non potest. Dissecuerunt tyranni membra sanctorum Martyrum, charitatem eorum nequaquam dissecare potuerunt. S. Ephr. de Judic. extr. Spiritualiter in Christo est jugum, lex charitatis - vincula sunt virtutes, spes, fides, charitas. S. Thom. in Psal. 2. Fratres sectamini charitatem; dulce, & salubre vinculum mentium. S. Aug. apud S. Bonav. Pharetr. l. 2. c. 25. Sunt vincula, à quibus DEUS non solvit. 1. Charitatis. Osea 11. *in funiculis charitatis &c.* S. Thom. in Is. 52.

Vinum. Charitatis donum rectè vini appellatione figuratur: quia mentem occupat, & à terrenis affectibus alienat. Id. l. 1. cap. 1. in 1. Reg. Charitas est vinum conditum; quod dicitur nectar: quod est dulce, acutum, & forte: diligendus est enim DEUS fortiter, & perseveranter. S. Bonav. diet. sal. tit. 5. c. 2. Vinum conditum, est dilectio cum operatione. S. Thom. in cap. 8. Cant. Est vinum in contemplatione mentem inebrians. S. Bonav. de 7. don. cap. 3. Quod amor, sive charitas, sit quoddam optimum vinum spirituale; ostendit Hugo l. 3. de Arca Noe, ubi dicit: charitas similis est vino, quia habet effectus vini: vinum namque eos, quos inebriaverit, reddit hilares, audaces, fortes, oblivioso, & quodammodo insensibiles. S. Bonav. de 7. don. de dono scientiæ cap. 4. Erunt utres novi; cùm post Ascensum Domini, desiderio consolationis ejus innovabuntur: & tunc novum vinum novis utribus adveniet, idest, Spiritus S. fervor spiritualium corda replebit. Vino autem novo fervor fidei, spei, & charitatis, quo intus reformamur, exprimitur. V. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 2. Marci.

Unguentum. Prima unguenta quid meliùs, quàm charitas, intelliguntur? S. Thom. c. 4. in Cant. Charitas unguentum est, de quo Ps. 132. S. Bern. s. 1. in Quad.

Charitas meritò virtutum Regina est: quia virtutis nomen amittit, qui charitati non famulatur. Charitas est Regina. Sanct. Bonav. in Psalm. 44.

Varia.

Ergo fratres, quando de charitate loquor, tacere non possum. Quare hoc? quia satis dulcis est charitas. Qui illam habet, quod dico, intelligit: qui verò non habet, forsitan me ridet, & despicit. S. Aug. s. 42. de temp.

Amandum DEUM efficiuntur Dii: ergo amando Mundum Mundus dicuntur. Idem s. 28. de temp.

Murus charitatis firmior est adamante. S. Chrysost. hom. de recipiendo Severiano.

Charitas est murus noster, & portus absque fluctibus, & bonus thesaurus. Id. ep. 2. in Innoc. Pap.

Amor est dulcedo saporis intimi. Et quantò quis ardentiùs amat, tantò dulciùs gustat. Igitur in charitate dulcior est refectio. Richardus apud Sanct. Bonav. de 7. don. - de dono piet. cap. 3.

TITULUS VI.

CHARITAS DEI, ET PROXIMI.

Duo minuta. Marci 12. Vidua pauper Ecclesiæ simplicitatem designat. Hæc in gazophylacium duo minuta mittit; quia dilectionem DEI, & proximi, munera defert. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. cap. 12. Marci. Vidua, quæ in gazophylacio &c. Vidua, quæ in gazophylacio duo jecit minuta, Luc. 21. animam fidelem demonstrat; quæ in thesauro cordis sui fructum dilectionis DEI, & proximi servat. S. Isidor. in allegor.

Duæ tubæ. Num. 10. sunt duo præcepta charitatis. S. Isidor. c. 7. in Num.

Illud *jugum*. Matth. 11. Charitas est DEI, proximique dilectio. S. Bern. de Charit. c. 17.

Quasi *duo brachia* sunt amor DEI, & proximi. S. Bonav. s. 4. D. infrà Octav. Nat. Dom.

Duo uberæ, sunt duo præcepta; Charitas scilicet DEI, & proximi. S. Vinc. Ferr. s. 2. D. 4. Adv. Duo ubera Christi, dilectio DEI, & proximi. S. Greg. sup. Cant.

Duos exploratores mittit Josue ad civitatem Jericho, & suscipiuntur à meretrice: quia verus Josue daturus erat duo præcepta dilectionis. S. Aug. s. 106. de temp.

Propitiatorium super arcam Christus est: *duo Cherubim* dilectio DEI, & proximi. S. Isid. c. 41. in Exod.

TITULUS VII.

CHRISTUS DOMINUS.

Aaron. Christus Dominus Incarnatus, est Aaron, fumens *thuribulum* carnis, & offerens DEO incensum pro salute humani generis. S. Aug. s. 98. de temp. Christus est Aaron. Id. in App. s. 40. Iste Sacerdos (Aaron, Num. 16.) Dominus DEUS Christus est, Princeps Principum Sacerdotum Sacerdos *iste* ruinam mortis in Mundo aspiciens stetit inter vivos, & mortuos, quia natus, & mortuus. Sicque thuribulum passionis suæ accipiens, inimicam percutit mortem. S. Isid. c. 14. in Lev. Sacerdos Aaron illum significat, ad quem dicitur Ps. 109. *Tu es Sacerdos*. Id. in c. 12. Lev.

Abel Pastor ovium Christi typum tenuit. Isid. in alleg. vet. Test. Signatur maximè per Abel occisum S. Bonav. Opusculum. Eccl. s. 14. Abel interpretatur *luctus*; & frater ejus Seth interpretatur, *resurrectio*: mors Christi, & vita ejus ex mortuis figuratur. S. Isid. c. 6. in Gen.

Abiud. Ipse est Abiud, idest, *Pater meus iste* Joan. 10. *Ego, & Pater unum sumus*. Remigius apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth.

Abia. Ipse Christus est, Abia, id est, *Pater Dominus*. Matth 23. *Unus est Pater noster, &c.* Et Joan. 13. *Vos vocatis me Domine, &c.* Altisidorensis apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth.

Abraham. Christus est Abraham, Isaac, & Jacob. S. Aug. contra Faust. 25. 26. 28. Christus est figuratus in Abraham: quia Christus relicta terra, & cognatione Judæorum, præpollet nunc, ut videmus in populo gentium. Sanct. Isidor. cap. 10. in Gen. Egressus est Abraham, ut peregrinaretur in Ægyptum. Abraham Christus, Ægyptus Mundus. S. Thom. serm. 2. in festo S. Sylvestri. Abraham in multis locis figuram Christi portat. Sanct. Anselmus apud S. Thomam in Cat. sup. 1. Matth.

Achaz. Christus est Achaz, idest, *comprehendens*: quia *nemo novit Patrem, nisi Filius*. Rabanus Maurus apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth. Achaz *convertens* secundùm illud Zach. 1. *Convertimini ad me*. Remigius ib.

Achim. *Frater meus iste*, Matth. 12. *qui fecerit voluntatem Patris mei &c.* Remigius apud S. Thom. ibid.

Acervus testimonii. Mysticè acervus testimonii Christus est; in quo multitudo consistit omnium Sanctorum, qui sunt lapides vivi. S. Thom. in 4 Cant.

Aculeus. Leviathan est diabolus; hamus, seu Aculeus in esca, est DEI Filius, in carne humana assumpta absconditus isto hamo captus est diabolus, & deceptus: quia dum carnem innocentis Christi in cruce mordere, & effundere sanguinem injustè præsumpsit, latens Aculeus Divinitatis potestatem ejus perforando destruxit. Sanct. Thom. de Sacram. cap. 28.

Adam. Christus D. secundus Adam. S. Aug. lib. 2. de Gen. Contra Onanich. Adam figuram Christi gestavit. Ille sexta die formatus; - hic sexta Mundi ætate natus. Sanct. Isidor. in allegor. Hodierna die Edom spiritualem novi Adami paradisum suscipit. Sanct. Joannes Damasc. orat. 2. de dormit. seu Assumpt. Virg. Salve sancta Virginalis tellus, ex qua novus Adam ineffabili fictione formatus est, qui veterem saluti restitueret. S. Andreas Jerosol. Archi-Ep. Cret. or. in Salut. Ang. tom. 12. Bibl. PP. Paril. 1644. impressæ. Hæc (Maria) spiritualis secundi Adami paradisus. Proclus Archi-Ep. Const. hom. de Nativit. Dom. tom. 15. Bibl. PP. 1654. Paris. impressæ.

Advocatus. Nota super illo verbo: *Suscepi te*. - quasi Advocatus ad reum excusandum. S. Thom. in 41. Is.

Agnus. *Caput ejus cum pedibus, & intestinis vorabitis*. Exod. 12. Caput Agni significat Deitatem, intestina animam, pedes carnem. Id. de Sacr. Alt. cap. 4. Agnus propter innocentiam. S. Isid. in Gen. c. 18. Hic Agnus est, qui apud Is. c. 53. in sacrificium adducitur, & à Joanne omnibus demonstratur. Id. in 6. Gen.

Agricola. Terram mutat in cœlum DEI agricola. Clem. Alex. or. ad Gent.

Alimentum. O alimonia cœlestis, refectio beata! cibus, quem vidit Pharao, in quo spicæ pulchræ, & formosæ erant. S. Aug. l. 18. de Civ. DEI c. 46. Alimentum vitæ, cœna lucis. Chrysipp. serm. de DEIP.

Altare. Templum est Ecclesia: & hujus templi altare est Christus. S. Thom. in Psalm. 25. Altare designat Humanitatem Christi - & Christus dicitur altare DEI. Hebr. ult. Sanct. Thom. in Psal. 42. Altare potest dici, altitudo Divinitatis Christi. Id. in 14. Apoc.

Alcitudo nostra Christus. S. Isid. in Gen. c. 7.

Aminadab. Ipse Aminadab est, hoc est, voluntarius: qui dicit, *voluntariè sacrificabo tibi*. Rabanus apud S. Thom. in Cat. sup. 5. Matth.

Amygdalum. Cujus (Christi) utraque substantia bene est per amygdalum figurata: amygdalum enim ex carne, osse, & nucleo constat. S. Ildefonsus s. 6. de Ass. B. V.

Angelus. Angelum descendentem de cœlo, Christum accipimus D. Primasius Episc. Uticensis l. 5. Comm. in Apoc. c. 20. Angelus, qui descendit in piscinam, significat Christum magni consilii Angelum. Rupertus Abb. Tuit. de Divin. Offic. lib. 4. cap. 14. Idem (Christus) & Angelus vocatur, & Apostolus: is enim nuntiat, quæ sciri oportet: & mittitur ut afferat nuntium: ait enim, *qui me audit, audit eum, qui misit me*. Sanct. Justinus M. Apol. 2. pro Christianis ad Antonium Pium. Est Angelus, ad cujus descensum movetur aqua. Joann. 5. Sanct. Isidor. in alleg. Ipsemet JESUS in Spirituum manifestatoriorum Ordinem redactus, magni consilii Angelus fuerit appellatus: etenim (ut ipse pro munere nuntii dicit) quæcumque audivit à Patre, nota fecit nobis. Sanct. Dionys. cœli hierarch. cap. 4. Angelus autem ille, qui apparuit Agar, Filius DEI erat: quia etiam ibi DEUS vocatur ille Angelus. Sanct. Isidor. cap. 17. in Gen. Christus D. dicitur Angelus propter missionem, propter illuminationem. Act. 12. *Angelus astitit, & lumen refulsit, &c.* Propter purgationem. Is. 6. *Ecce tetigit labia tua*. Propter perfectionem: quia ipse non tantum perfectus est, sed etiam perficit alios. Gen. 31. *Dixit Angelus ad Jacob: surge, & egredere de terra*. Propter mediationem: est enim Angelus medius inter DEUM, & hominem. Job 33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens*. Propter mysticam refectionem. 3. Reg. 19. *tetigit eum Angelus*, & dixit: *surge, & comede*. Propter inferiorum regimen: Angelis enim hæc inferiora regenda commissa sunt. Eccl. 17. *In unamquamque gentem præposuit Rectores*. S. Bonav. Opusc. Eccl. hierarch. p. 1. c. 1.

Apis. Apis habet mellis dulcedinem, habet & aculei punctionem. Apis verò est, qui pascitur inter lilia (Christus) qui florigeram inhabitat patriam Angelorum: unde, & ad civitatem Nazareth, quæ interpretatur *flos*, advolavit. Hujus apis mel, & aculeum non ignorat, qui cum propheta ei misericordiam, & judicium decantat. Psalm. 100. Attamen ad nos veniens solum mel attulit, & non aculeum, id est, misericordiam, & non judicium. Sanct. Bernard. serm. 2. in Adv. Dom.

Arca. In Arca urna aurea plena manna, est anima Christi plena sapientia. Ibi erant tabulæ; in Christo observatio utriusque Legis. S. Bonav. in Ps. 67. Christi Corpus, est Moysis Arca; quam qui indignè contingunt pereunt. Ex imputribili ligno: quia *non dabis Sanctum tuum, &c.* Id. ib.

Aula sancta est. Arnobius in Ps. 28.

Auriga. Pulchrum aurigam hominum Christum diligamus. Clem. Alex. or. ad Gen.

Aurum ignitum; idest, igne passionis affus, vel per effectum; quia alios ignit. Luc. 12. *Ignem veni mittere, &c.* S. Thom. in 3. Apoc.

Bellicosus. Disce Christum expugnatorem spiritualium hostium, spiritualiter armatum, & spiritualiter bellicosum intelligendum. Tertull. l. 4. contra Marcion. *Dominus mecum est, tamquam bellator fortis*. Jer. 20. Occurrit deinde nobis Princeps militiæ virtutum cœlestium Christus, tenens gladium Evangelii. S. Isid. in Jos. c. 6.

Botrus. Verus, ac maturus Ecclesiæ botrus. S. Joan. Dam. or. 2. de Nat. B. V.

Brachium. Nota super illo verbo, *brachium Domini cui revelatum est*: quia Christus est brachium. 1. Ad flagellandum dæmones, Psal. 88. *In brachio virtutis &c.* 2. Ad supportandum debiles. Is. 4. *In brachio suo &c.* 3. Ad defendendum Fideles. Sap. 5. *dextera sua &c.* S. Thom. in Ps. 53. Brachia potentes significant. Et brachium Domini, idest, virtus DEI. Id. in 51. Is. Brachium, scilicet Filius DEI, DEI virtus. Job 39. *Si habes brachium, sicut DEUS*. Id. in Is. 63. Brachium Domini Christus est. S. Aug. conc. 2. in Ps. 70.

Calamus. In Sacra Scriptura operationes metaphoricæ designantur per instrumenta, vel membra, quæ sunt operationum principia. Et sic per linguam, & calamum, operatio DEI designatur conveniens linguæ, & calamo. Operatio linguæ est; quòd per eam diffunditur sapientia cordis ad alios: per calamum autem designatur; quòd Sapientia, quæ est in corde, transfunditur in materiam sensibilem, scilicet pergamenam. DEUS autem & loquitur, & scribit. Loquitur; quando transfundit Sapientiam suam in animas rationales. Ps. 84. *Audiam, quid loquatur, &c.* Et hoc dicitur Verbum: quia per ipsum est omnis illuminatio. Joan. 1. *Vita erat lux hominum, &c.* Scribit: quia judicia suæ Sapientiæ imprimis in rationalibus creaturis. Rom. 1. *Invisibilia DEI, &c.* Eccl. 1. *DEUS effudit illam, &c.* Sicut enim respiciens librum, cognoscit Sapientiam scribentis; ità, cum nos videmus creaturas, cognoscimus Sapientiam DEI. Calamus igitur est Verbum DEI. S. Thom. in Ps. 44.

Calculus. In calculo Apoc. 2. humana Christi natura significatur, candida propter innocentiam. S. Bonav. serm. 4. in Circumcis. Dom.

Candelabrum. Candelabrum in figura Christi, in lucernis septem, quæ sunt Ecclesiæ. Sanct. Isidor. lib. proœm. Per Mosaicum candelabrum adumbratum fuisse Chtistum, docet Raynaudus in Candelabro sancto cap. 5. ex Sanct. Cyrillo lib. 4. in Joan. cap. 28. dicente: candelabrum universum terrarum orbem illuminans Christus est. Idem probat ex aliis sanctis Patribus; inter quos ultimo loco Richardus à S. Laur. lib. 1. de DEIP. c. 7. ait: Christus rectè dicitur candelabrum; quia illuminat omnem hominem. Ductile, non fusile, quia non semine hominis transfusum, sed opere Spiritus S. deductum. Ità P. Raynaudus in Candelabro sancto sect. 1. c. 2. num. 4. Candelabrum illud septem calamorum, Christum alii intelligunt. S. Isid. c. 43. in Ex.

Camelus. Cameli nomine se intelligi voluit: quia infirmitatis nostræ onera sustulit. S. Thom. in Cat. Aur. sup. cap. 10. Marci.

Candela, Cera mollis (in candela Christo) signat Carnem Christi, quam habuit passibilem: quæ liquefacta est in passione. Ellychnium album signat animam Christi purissimam: lumen verò, Divinitatem immensam. S. Vinc. Ferr. serm. in Purific. B. V.

Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula. S. Thom. in Apoc.

Capreæ, Non cervis assimilatur, sed capreis, mitioribus videlicet animantibus, propter humilitatem Incarnationis suæ; quia non solùm homo fieri, sed etiam humilis Homo fieri dignatus est. Idem in Cant. 2. Capreæ campos despiciunt, & ad alta montium enituntur. Christus ergo capreis comparatur: quia secundùm carnem resurgens à mortuis cœlorum alta petit. Id. ibidem. Aptè hæc duo ubera sicut duo hinnuli capreæ gemelli esse dicuntur: quia videlicet fœtus sunt, & filii, Salvatoris nostri Christi; qui per capream designatus est. Id. in 4. Cant. In assumptione carnis, & humilitate, capreæ assimilatur. Sanct. Isidor. in Cant. 2. *Vulnerasti cor meum Soror mea*, ait Sponsus. Cant. 3. Sponsa læta subdit: *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ*: quasi diceret: curre ocrum nobis, ut fera corde vulnerata; & sanguine tuo cœlestem semitam nobis ostende; donec te comprehendamus, & in te delicias æternas capiamus. Sanct. Thom. de Sacram. Altar. cap. 28.

Caput. Est caput Angelorum, & hominum. Sanct. Thom. lect. 8. in 1. Ephes. Caput Ecclesiæ Christus meritò ut Camelus dicitur. Sanct. Gregor. in 7. Cant. Christus est caput Prophetarum omnium. Remigius apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 13. Matth. Caput Joannis Christum significat; quia corpus filius (Christi) Prophetæ intelliguntur. In decollatione Joannis figuratur: quia Judæi Christum, qui est Caput omnium Prophetarum, amissuri erant. S. Haymo in decollat. S. Joan. B.

Carbo. Presbyteri ad imitationem sunt Seraphicarum potestatum, stolis vice alarum contecti. Duabus autem alis labiorum hymnum illum voce cantantes, & tenentes Divinum, & spiritualem carbonem Christum, prehensione manus manifestò gestantes. S. Germanus Archi-Ep. Constant. Carbonem Is. 6. dicimus, figuram nobis exhibere Verbi, hominis facti. S. Cyrill. Alex. de Incarnat. Unigen. cap. 8. O Virgo-pro lapidibus pretiosis margaritam pretiosam in gentis pretii Christum habens; illum inquam Divinitatis carbonem. S. Joan. Damasc. or. 1. de Nat. B. V.

Carbunculus. B. Virgo est etiam Seraphim, carbunculum hunc seni Simeoni deferens. S. Methodius Ep. Patarens. hom. in Purif. B. V. Forceps (Maria) carbunculi illius purgatorii. Id. ib. Carbunculus in auro, est Deitas in Humanitate. S. Bonav. s. 2. D. 1. post Epiph.

Character. Est Patris substantiæ character. S. Joan. Dam. or. in transfig. Dom.

Catulus leonis. Quisnam hic? Christus procul dubio. Id. or. de Nat. V.

Cornus est. Cornua ejus, duo sunt Testamenta. S. Ambros. s. 6. in Ps. 116.

Circulus. DEUS humanatus dicitur esse circulus: ut circumferentia Humanitas, centrum autem dicatur Divinitas: pes circuli mobilis - *impii in circuitu ambulant*. Psalm. 12. quia Humanitatem, non Divinitatem credunt. S. Bonav. in Psalm. 11. Circulus perfectissimus ipse est Christus. Id. Eccl. hier. p. 4. c. 6. In quo duæ extremitatis lineæ velut in puncto uniuntur. Nam Divinitas, quæ omnium rerum caput est, & potissimum cum humana natura, quæ finis erat omnium creaturarum, & ultimo in esse producta; in ipso Christo, velut in puncto in unione personæ est conjuncta, & tanta firmitate roborata. S. Bon. hier. p. 4. c. 6.

Cibus. Christus est cibus, & potus Angelorum, & Sanctorum. S. Thom. s. 1. de B. V. Est inter Dominicales D. 4. Quadr. Christus datus est nobis in cibum peregrinationis. S. Thom. in Is. 9.

Columba. In turture (quæ in purificatione offerebatur) præfigurabatur Domini castitas - in columba ejus simplicitas. S. Haymo hom. in Purif.

Columna nubis, & ignis. Christus dicitur columna nubis, secundùm quod homo: columna ignis, secundùm quod DEUS. S. Bonav. in Psal. 77. Nubes ista præcedens Christus est; idem etiam columna. S. Isid. in Gen. c. 30.

Cœlum cœli Christus. S. Bonav, in Ps. 17.

Cornu. Ea, quæ cornua animalia habent, ventilare dicuntur. Sed homo cornua non habet. Quomodo ergo ventilat? unde? vide, Scriptura quid dicat Psal. 43. *In te inimicos nostros ventilabimus*. Cornu nostrum es tu, Domine JESU. S. Ambr. in Ps. 43.

David. Invenimus apertissimè JESUM Christum apud Prophetam Ezechielem David esse appellatum. Scilicet Ezech. 34. 37. Sanct. August. lib. 1. Spelunca se texerat David figuratus. 1. Reg. 24. idest, carnis infirmitatem oculis objiciebat, & Majestatem Divinitatis corporis tegmine, tamquam spelunca abdito occultabat. Sanct. Isidor. cap. 17. in 1. Reg. Nonne David cùm panes propositionis manducavit. 1. Reg. 21. quos non licebat manducare, nisi solis Sacerdotibus, in una persona utrumque futurum, idest, in uno JESU Christo Regnum, & Sacerdotium figuravit? Idem cap. 1. in 1. Reg. Venit Christus (velut David in castra Saul. 1. Reg. 26.) non eos (Judæos) occidit; sed tulit ab eis Scyphum aquæ, idest, gratiam Legis. Tulit & Sceptrum regale, Regni scilicet potestatem. Deinde David noster de castris eorum egressus, transcendit in altitudinem montis cœlorum. Idem cap. 18. in 1. Reg. Per David convenienter Christus significatur: quia David dicitur *manus fortis*; & Christus *DEI virtus*. Dicitur autem David aspectu desiderabilis; & Christus *splendor gloriæ*. Hebr. 1., 1. Petri 1. Sanct. Thom. in Psalm. 2. Per Saulem Judæorum elatio; per David autem Christi humilitas significatur. Sanct. Isidor. cap. 12. in 1. Reg. In figura Christi David, sicut in figura diaboli Golias. Et quod David prostravit Goliam, Christus est, qui occidit diabolum. Sanct. Augustin. Conc. 1. in Psalm. 33. David in spelunca latet à facie Saul. Christus in carne latet à facie Judæorum. Sanct. Augustin. in Psalm. 56. Leonem, & ursum, David necavit: ursum, videlicet diabolum, leonem Anti-Christum Christus. S. Isidor. c. 9. in 1. Reg.

Decus Virginitatis Christus, atque ornamentum est. S. Damasc. l. 4. Orthod. fid. c. 25. Est gratiosissimum virginitatis decus, veluti rosa suaveolens. S. Andreas Jerosol. serm. in Sal. Angelic.

Denarius. Christus dicitur denarius. Matth. 20. Nimis est avarus, qui isto denario non est contentus. B. Thomas: Domine, non aliam mercedem recipiam, quàm te, &c. S. Vinc. Ferr. s. 1. f. 3. post D. 1. Quadr.

Dextera DEI dicitur Christus. S. Thom. in Psal. 16. Dextera propter effectus totius corporalis creaturæ, quæ per ipsum formata est; brachium; quia ab ipso omnia continentur. S. Isid. lib. 2. de differ. Spir. differ. 4. Per manus DEI intelligetur potentia DEI operativa. Et hæc est quædam dextera, qua exaltat bonos in spiritualiter bonis. - Dextera est Christus. S. Thom. in Psal. 10. Dextera Domini Christus est. S. Chrysologus s. 33.

Dies. Christus est dies, Apostoli horæ. Sanct. August. tr. 49. in Joan. Æternus dies Christus noster reluxit in lucem; qui duodecim suas horas in Apostolis suis duodecim signanter aptaret. Hunc Psalm. 117. vidit, cùm canebat: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, &c.* Unde & Apostolus 1. Thessalonicens. 5. lucis, ac diei filios appellat Credentes. Sanct. Chrysolog. serm. 170.

Dispensator. Tu dispensator es in domo Patris. S. Ambr. l. 7. in Luc.

Divitis. Suscipe thesaurum numquam deficientem, divitiasque certissimas, vir generosissimè. B. Virgo apud Method. hom. in Purific.

Doctor. Doctor vitæ nostræ, & magister salutis æternæ. Sanct. Cyprian. de opere, & eleemos. Christus est, cœlestis doctrinæ, vel Divinæ Sapientiæ Doctor. Victor Antiochenus apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Marci. Christus datus est nobis in Doctorem. Joel. 2. *Dedit vobis Doctorem justitiæ*. S. Thom. in 9. Is.

Dulcedo. Christus est incorruptionis dulcedo. Chrysipp. ser. de DEIP. Qui totus est dulcedo, & totus desiderabilis; atque expetendorum omnium summè expetendus. S. Joan. Damasc. or. 2. de B. V.

Elias nobis relinquens pallium. Pallium autem tuum est caro tua, qua vestitus ad nos processisti. Drogo Ostiens. de Sacr. Pall. Elias figura Christi. Illi afferunt corvi manè panem, vespere carnes: huic mane, idest, initio Ecclesiæ, afferunt peccatores fidem, eam recipiendo; vespere autem carnes, idest, carnis resurrectionem. Sanctus Isidorus cap. 8. in 3. Reg.

Elisæus. Ipse Elisæus figuram Christi gessit. Denique vocabulum ipsum, *Salus DEI* interpretatur. Sanct. Isidor. cap. 3. in 4. Reg. Elisæus Christus, Giezi Moyses, baculus Lex. Nec Moyses, nec Lex, potuerunt vivificare Genus humanum: donec ipse Elisæus, idest, Christus accepit formam nostram: quia incurvavit se in utero Virginis. Sanct. Thom. serm.

serm. de dupl. manu DEI. Est inter Dominicales ante Dom. Pass. Per puerum. 4. Reg. 4. Fidelis anima; per Elisæum Dominus figuratur: quia sicut sigillum ceræ, sic se conjungit animæ: oculos suos super oculos ejus ponit; quia intellectum illuminat: carnem calefacit; quia affectum charitate inflammat: os super os ponit; quia gustum memoriæ spirituali dulcedine delectat: manus super manus ponit; quia in bono opere usque in finem conservat; & sic totum hominem perficit. Sanct. Thom. de Sacr. Alt. cap. 22. Præcessit servus suus. 4. Reg. 4. posuit baculum super mortuum; non surrexit mortuus. Si enim data esset Lex, quæ posset vivificare, verè ex Lege esset justitia. Elisæus postea secutus vivificavit. Namque venit Elisæus jam figuram portans Domini: qui servum suum (Moysen) cum baculo, tamquam cum Lege promiserat. Sanct. Aug. Conc. 1. in psal. 70. Elisæus sanans sale aquas in Jericho, est Christus: qui, quasi vas fictile, carnem sumpsit; & dein Apostolos salem Matth. 5. misit; per quos aquam in Jericho, idest Ecclesia, sterili antè sanavit. Sanct. Ambr. serm. 87.

Fabri filius est Christus. Sed illius, qui Mundi fabricam fecit, non malleo, sed præcepto. S. Chrys. s. 48.

Fasciculus. Quasi fasciculus myrrhæ mihi fuit (in Passione) sed in resurrectione sua factus est mihi botrus Cypri. Ex resurrectione quasi suavissimi balsami odore per universum Mundum redoluit. S. Thom. in 1. Cant.

Fermentum. Rectè fermento Christus comparatur (quia sapientia ejus totus Mundus est fermentatus) Mulier est Ecclesia, quæ doctrinam Christi in cordibus nostris conatur abscondere. S. Ambr. s. 5.

Finis. Quare dicitur finis? quoniam quidquid agimus, ad ipsum referimus; & cùm ad eum pervenerimus, ultra, quod quæramus, non habebimus. Dicitur enim finis, qui consumit, & perficit. Finis ergo noster profectio nostra esse debet: profectio nostra Christus est. S. Aug. in ps. 54.

Flos. Est & corporaliter Dominus Angelorum, flos virgulæ virgunculæ sacratissimæ; ad cujus odorem reviviscunt mortui. Christus est flos omnium florum. Author vitæ S. Hieron. c. 15. Flos munditiæ Christus ex ea Virgine? Incarnatus in Mundum venit. Sanct. Ildef. serm. 6. de Ass. V. Flos Christus, dicitur virga, propter potestatem, & flagellationem malorum; & flos, propter honestatem, & consolationem bonorum. S. Thom. in 11. Is. Christus dicitur flos: quia fuit pulchritudo sanctitatis, odor benignitatis, medicina salutis. Idem serm. 1. de Annunt. B. Virg. Ipsa est virga de radice Jesse; de cujus rursum radice flos ascendit Christus. S. Ildef. serm. 1. de Ass. Virg. Dicit ergo: *Ego sum flos Campi*, idest, filius Virginis. Non ergo ruris, sed campi se florem vocat: quia virgineæ carnis fructus est. S. Thom. in 2. Cant. Hodie de radice Jesse virga orta est; ex qua Mundo flos divinitus existens ascendet. S. Joan. Dam. or. 1. de Nat. V.

Fluvius. Est fluvius incorruptionis. Sanct. Hesychius ser. 2. de Laud. V. Fluvius de paradiso exiens imaginem portat Christi. Sanct. Isidor. cap. 3. in Gen. Nota super illo verbo: *quasi fluvius violentus*; quia Christus est fluvius violentus: 1. Propter aquarum multitudinem. Psal. 64. *Flumen DEI &c.* 2. Propter amoris fervorem. Dan. 7. *Fluvius igneus*. 3. Propter cursus velocitatem. psal. 45. *Fluminis impetus &c.* 4. Propter originis altitudinem. Apoc. 22. *Ostendit mihi fluvium &c.* S. Thom. in 59. Is. Pater misit filium sicut fons fluvium. Idem in 16. Is. Cùm Pater sit fons, ac Filius dicatur fluvius; Spiritum dicimus potare. Scriptum est enim: *nos omnes eodem spiritu potati sumus*. Sanct. Athanas. Alex. lib. 1. ad Theophilum de Trinit. Christum intrà te habes: qui fluminis instar vivi uterum tuum egressus, quatuor velut initiis per Evangelium suum faciem orbis irrigavit. Sanct. Andreas Jerosol. Archi-Ep. or. de Salut. Ang.

Fons. Quis est fons, nisi Dominus noster JESUS Christus bonus fons; qui nos de hujus vitæ refrigeravit incendio. S. Aug. serm. 92. de temp. Christus est fons omnium gratiarum spiritualium: ideo Sancti, qui fuerunt Christo propinquiores, fuerunt magis spirituales. Quia qui magis appropinquat Christo fonti spirituali, magis est spiritualis. S. Vinc. Ferr. serm. de SS. Apost. Sim. & Juda. Fons, quia omnium rerum origo. S. Isid. orig. lib. 7. cap. 2. Est fons vitæ, in quantum est principium spiritus vivificantis. S. Thom. in psal. 37. David oblatam aquam fudit; significans sitire se-illum fontem æternum; non qui periculis quæreretur alienis, sed pericula aliena deberet. S. Isid. c. 4. in 2. Reg.

Forma operum nostrorum. Christus forma bonæ operationis nobis factus est. S. Chrysost. apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Marci.

Fortitudo. Christus est fortitudo populi ejus liberati per eum à peccato. S. Thom. in ps. 27.

Frater. Christus est verus frater noster. S. Thom. in ps. 48. Christus frater noster fieri voluit, propter justificationem nostram. Id. in 28. Matth.

Fructus. Est fructus; de quo comedens Adam protoplastus evomuit veterem illam devorationem, qua deceptionis escam sumpserat. Fructus, unde defluit amarulentæ ligni degustationis quædam condulcoratio, humanam purgans naturam. Fructus, qui ex incorrupto virginalis uteri surculo velut profectus, mirabiliter maturescens botrus enatus est. Fructus, ex quo vitalis ille panis, Corpus inquam Dominicum, & immortalitatis calix producitur, & salutaris potio exhibetur. S. Andreas Jerosol. serm. in Salut. Angelic. Cujus (B. V.) venter acervus quidam areæ: quoniam fructus benedictionis spicam immortalitatis, Christum, inquam, sine coloni opera perfectissimè produxisti. Id. ib. Fructus terræ est Filius Virginis. S. Thom. in 4. Is.

Fullo. Vestimenta Domini rectè Sancti accipiuntur, qui novo fulgebunt candore. Fullo autem intelligendus est, cui psalmista ait Ps. 50. *Amplius lava me*. V. Beda apud S. Thom. sup. c. 9. Marci. Quis est fullo? nisi forte ille, qui delicta nostra lavare consuevit. Is. 1. S. Ambr. l. 7. in Luc.

Gallina. Gallinam cognoscimus in infirmitate vocis, & in relaxatione plumarum: tota mutatur affectu pullorum. Quia illi infirmi sunt, se infirmam facit. Quia ergo, & nos infirmi eramus, infirmam se fecit Sapientia DEI. S. Aug. Conc. 1. in psal. 9. Christus gallinæ comparatur propter quinque. Nam gallina, cùm ovum posuit, cantat: sic Christus positis peccatoribus in nido Ecclesiæ. Luc. 15. *Gaudium est Angelis, &c.* Sanct. Bonav. in psal. 58. Et quæ avidius nutrit, & fovet pullos, quàm alia avis, quod cognoscitur in laxatione alarum, & in raucitate. Sic Christus: *quoties volui congregare &c.* Matth. 23. *Raucæ factæ sunt fauces &c.* psalm. 68. Et Gallina, cùm sit animal domesticum, non permittit se tangi: sic Christus, licèt *nobiscum sit usque ad consummationem sæculi*. Matth. 28. non tamen plenè tangitur. Et quia Gallina per medium scissa, & morsui serpentis supposita curat; ita Christus in cruce extensus languores sustulit, & morsum serpentis curavit. S. Bonav. ibid.

Gedeon. Iste Gedeon figuram gestabat Christi; qui sub umbra sanctæ crucis constitutus - Sanctos à vitiorum paleis sequestrabat. Sanct. Isidor. cap. 3. in Judic. Gedeon ad prælium veniens, Redemptoris nostri signat adventum: de quo scriptum est: *Tollite portas Principes, &c.* Psalm. 23. Gedeon enim interpretatur: *Circumdans in utero*. Sanct. Isidor. cap. 5. in Judic. Gedeon igitur, ut superius dictum est, Domini typum tenebat: plurimæ uxores ejus multæ sunt nationes, quæ per fidem Christo adhæserunt. Septuaginta enim filii ejus, septuaginta linguæ sunt in hoc Mundo diffusæ. Id. c. 6. in Judic. Designatur in tubis clamor prædicationum, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum: tales quippè dux noster (Christus) ad prædicationis prælium duxit. Id. c. 5. in Judic.

Gigas. *Ecce iste venit saliens in montibus*. Cant. 2. Potest hoc ad Incarnationem Christi referri: quia veniens quosdam saltus dedit: quia de cœlo venit in uterum Virginis, de utero Virginis in præsepe, de præsepi ad baptismum, de baptismo ad crucem, de cruce ad sepulchrum, de sepulchro ad cœlum. Hinc Psalmista 15. *Exultavit ut Gigas*. S. Thom. in Cant. c. 2.

Gladius. Sicut homo præparat se gladio contra hostes, qui sunt prope, sed arcu contra remotos: ità Divina vindicta dicitur gladius quasi contra propinquos, sed arcus contra remotos. Gladius DEI Christus est; vibratio, & comminatio gehenna. S. Thom. in ps. 7. Anima mea, ait Christus apud Sanct. Thom. in ps. 16. est framea, idest, gladius ex utraque parte acutus, qua destructus est diabolus.

Gloria æterni Patris. *Exurge gloria; psalterium, & cithara*. ps. 56. Nota: DEUS Pater vocat filium gloriam suam. S. Vinc. Ferr. s. 3. de Nat. B. V.

Gloriatio nostra est Christus Salvator noster. S. Hesych. s. 1. de Laud. V.

Granum. Granum tritici Christus erat. Sanct. Ildef. serm. 1. de Ass. B. V. Erat Christus granum frumenti, quod non nisi mortuum fructum fert. Sanct. Isidor. cap. 2. in Exod. Nascendo humiliatus ut arbor est. S. Aug. in Appendic. serm. 82. de illo Luc. 13. *Quod acceptum homo misit*. Pulchrè se vocat granum frumenti: quia candidum est interiùs, rubicundum exteriùs. Et Christus candidus dicitur respectu Divinitatis; & rubicundus in carne propter Passionem. Hugo à S. Vict. Erud. Theol. in spec. Eccl. cap. 7. Granum planè est Christus, dum patitur; arbor est, dum resurgit. Granum, inquam, est, cùm famis esuriem sustinet; arbor est, cùm quinque millia virorum quinque panibus saturat. Sanct. Aug. in Append. serm. 82. Homo, qui seminat in agro suo granum sinapis, à plerisque Salvator intelligitur; qui in animis Credentium seminat. Vel grano sinapis seipsum Dominus comparat; acri semini, & omnium seminum minimo; cujus virtus pressuris accenditur. Sanct. Hilarius cap. 13. in Matth. apud S. Thom. sup. 13. Matth. Ipse quidem est granum sinapis, qui in horto sepulturæ plantatus arbor magna surrexit. Granum namque fuit, cùm moreretur; arbor, cùm resurgeret: granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis. S. Greg. l. 19. mor. c. 1. apud S. Thom. ib.

Gu-

Gubernator. Nos habentes pro nave Ecclesiam, pro gubernaculis crucem, pro gubernatore Christum, pro prora Patrem, pro vento Spir. S. pro velo gratiam, pro nautis Apostolos, pro navigantibus Propheta, pro mari vetus Testamentum, & novum; committamus nos pelagi profundo, ad perquirendum in Scripturis Divinis margaritam latentem. S. Chrysost. hom. de Cruce Dominica.

Hamus. Leviathan est diabolus; hamus, seu aculeus, &c. Vide superius *Aculeus*.

Hinnulus cervorum Christus Dominus est. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 14. Marci.

Hædus. Benè & hœdus (Christus offertur) quia per ejus mortem author peccati diabolus agnoscitur jugulatus. S. Isid. in 6. Levit.

Homo. Hoc Regnum cœlorum, idest, filius DEI, quando factus est in similitudinem carnis peccati, tunc similis factus est homini regi, uniens hominem sibi. Orig. tract. 7. in Matth. apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth. Homo, qui peregrè profectus reliquit domum suam, Christus est, &c. Vide in Ascensione Christi. Serviamus operibus novi hominis, id est, Christi, S. Thom. in Psal. 6. Homo iste Christus est: qui peregrè profectus in Incarnatione, in Passione, in Ascensione, Idem serm. 2. in festo S. Sylvestri. Quis erat homo iste dives. Luc. 16. nisi Christus? & *habebat villicum*; quem? nisi hominem: cui ad colendum Mundum tota fuerat commissa possessio. S. Chrysol. s. 125.

Hostia. Pro nobis est hostia ipse, & Sacerdos; Advocatus, & Judex. S. Ildef. s. 7. de Assumpt. V. Christus est verè unica & perfecta Ecclesiæ hostia. Eusebius apud S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 11.

Humilitas. Sicut de statera, quantò una pars plus humiliatur, alia magis elevatur: ità filius DEI humiliavit se, ut nos exaltaret. S. Vinc. Ferr. de Inc. filii DEI. Est magister humilitatis. S. Aug. in Ps. 38.

Jacob. Scala Jacob Christus est, qui dixit: *Ego sum via*. Per hanc ascendebant, & descendebant Angeli: in quibus significati sunt Evangelistæ, & prædicatores Christi. Sanct. Isid. cap. 24. in Gen. Ille (Jacob) tres virgas in alveis aquarum opposuit; ut earum contemplatione multiplicarentur ejus oves. Et Dominus noster in aqua baptismatis trium personarum nomina, Patris, & Filii, & Spiritus Sanct. populo Fideli proposuit: ut quisquis has pleno corde prospexerit, efficiatur ovis DEI. Idem cap. 25. in Gen. Per Esau intelligitur populus Judæorum, pelle literæ, ex pilis cæremoniarum, & Legis servitute hispidus: per Jacob verò lenem Christus, & populus Christianus. S. Thom. cap. 28. in Gen. Jacob genuit Judam, & fratres ejus: & noster Jacob genuit duodecim Apostolos in spiritu, non in carne; verbo, non in sanguine. Judas autem interpretatur *Confessor*: quoniam Christi erat imago, qui Confessor Patris erat futurus dicens Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, &c.* apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 1. Matth. Est & Jacob supplantans: quia non solùm ipse supplantavit diabolum, sed & hujus potestatem filiis suis dedit, secundùm illud Luc. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra Serpentes*. S. Remigius apud S. Thom. ib.

Jechonias. Ipse est Jechonias, præparans, vel Domini-præparatio; secundùm illud. Joan. 16. *Si abiero, & præparavero vobis locum*, S. Remigius ibid.

Jeremias in omnibus dictis suis, & Passionibus, Redemptoris nostri imaginem prætulit. S. Isid. lib. Proœmior.

Jesse interpretatur *refrigerium*, & significat Christum. Sanct. Chrysostom. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 1. Matth. Est & Jesse, *incensum*. Luc. 12. *ignem veni mittere*. S. Remig. apud S. Thom. ib.

Ignis. Mentis, quam inhabitat, torpentia (animam) excitat (Christus) quia gallus est: inquieta frænat; quia magister est: frigida accendit; quia ignis est: accensa moderatur; quia unguentum est: emollit rigida; quia ratio est: fluxa restringit, quia medicina est. Sanct. Bernard. de Charit. cap. 43.

Indumentum. Est immortalitatis indumentum. S. Joan. Dam. or. 2. de Ass. V. Christus est indumentum Fidelium, amictus Credentium. S. Ambr. l. 5. ep. 22.

Joseph. Prophetalibus somnus incurrit zelum; Christus propheticis visionibus suscepit invidiam. Joseph missus in lacum mortis, vivus emergit à lacu: Christus mortis sepulchro datus, vivus remeat à sepulchro. Joseph venundatus est: pretio taxatus est Christus. Joseph esurientibus populis panem copiosè subministrat: Christus cœli pane manentes toto orbe exsaturat nationes. Sanct. Chrysol. serm. 14. 6. Joseph missus in lacum significat Christi descensum ad Inferos. S. Aug. serm. 81. de temp. Joseph adoratus à Sole, Luna, & undecim Stellis; est Christus adoratus sæpius à MARIA Luna, & nutritio Josepho, quasi Sole; & undecim Fidelibus Discipulis tamquam Stellis: de quibus dixit Christus Matth. 5. *Vos estis lux Mundi*. Figura Christi id tantùm fuit somnium Josephi. Joseph enim Ægyptius à matre sua pridem defuncta, & fratribus suis invidiæ nocte obscuris, cultus minimè fuit. S. Aug. serm. 81. de temp. Josepho mortuo creverunt Israelitæ; mortuo Christo creverunt Christiani. Id. serm. 84. Joseph descendit in Ægyptum, & Christus in Mundum. S. Isid. cap. 30. in Gen. Ipsum (Christum, qui verus est Joseph) excellentia Sanctorum in solis nomine; & Ecclesiæ claritas sub imagine lunæ; & omnium numerositas populorum in figura Stellarum adorant. Id. ibid.

Job ex suis passionibus, & verbis, Christi expressit imaginem. Conjux ejus, carnalium typum designat: amici verò ejus speciem prætulerunt hæreticorum. Idem lib. Proœmior.

Lacryma Domini, gaudia Mundi sunt. Idem serm. 194. de temp.

Lapis. Christus est lapis adjutorii. Sanct. Hieronym. apud S. Thom. in Cat. sup. 10. Marci. Christus est lapis Angularis. V. Beda ibid. sup. 12. Marci. Christus dicitur lapis propter firmitatem. Sanct. Thom. cap. 15. Apoc. Clarissimus DEI mons pariter; mons inquam, ille, qui collem omnem, ac montem, idest, Angelorum, & hominum, sublimitatem exuperat: ex quo exscindi voluit lapis angularis - Christus. S. Joan. Damasc. or. 1. de Beat. V. Lapis de monte Dan. 2. est Christus de Maria Virgine. Sanct. Bonav. in Psal. 29. Cùm venerit (Christus lapis Matth. 21.) de alto, judicare vivos, & mortuos; væ Judæis: quia cùm jaceret humiliter Christus, offenderunt in eum: *non est*, dicunt, *homo iste à DEO*. Joan. 9. Insane: jacet lapis, & ideo rides. Sed cùm rides, cœcus es; cùm cœcus es, offendis; cùm offendis, conquassaris; cùm quassatus fueris, illo modo jacente, postea veniente desuper contereris. S. Aug. s. 40. de verb. Dom.

Leo. Bene Christus ut leo requievit; qui non solùm mortis acerbitatem non timuit, sed in ipsa morte mortis imperium vicit. S. Isid. c. 31. in Gen.

Liber Christus est: liber est instrumentum, in quo sunt conceptiones Intellectus Divini. Col. 2. *In ipso sunt omnes thesauri Sapientiæ, &c*, Caput libri est DEUS Pater. 1. Cor. 22. *Caput Christi DEUS*, Ergo *in capite libri*, idest, in voluntate DEI Patris *scriptum est*, idest, ordinatum est, *de me*, Sanct. Thom. in Psal. 39. Liber vitæ dicitur tripliciter. Uno modo exemplum agendæ vitæ; & sic Christus secundùm Humanitatem dicitur liber vitæ: quia in ipso debemus legere vitam, quæ nobis est agenda. Alio modo, dispositio vitæ dandæ: & sic est prædestinatio salvandorum. Tertio modo id, in quo est documentum vitæ agendæ, & promissio vitæ dandæ. S. Thom. in 3. Apoc. *Accipe librum &c.* Apoc. 10. Iste liber est ipse Christus, vel ejus vita. S. Thom. in 10. Apoc. Hic liber vitæ solùm habet duas chartas, scilicet Humanitatem, & Divinitatem. S. Vinc. Ferr. s. in Comm. S. Pauli Liber est Christus; prima charta Divinitas, secunda Humanitas. Id. s. 2. de Omn. SS Hic liber Apoc. 5. ipse Christus est; *intus, & foris scriptus*, Etherius l. 1. ad Elipand.

Libanus. Sicut Libanus cœteris montibus Judææ præcelsior: ità Redemptor noster speciosior est omnibus electis - Et sicut cedrus pulchrior est, & procerior cœteris arboribus; ità ille gratia, & dignitate, omnes ab initio sæculi præcellit. S. Thom. c. 5. in Cant.

Lignum Sapientia, idest, Christus, lignum vitæ est. S. August. de Gen. ad lit. l. 8. cap. 5. Tamquam circa fluvium arbor nota est D.N. JESUS Christus. Raperis in præceps; tene lignum; ideò commode circa fluvium plantata est arbor. S. August. tr. 2. in ep. 1. Joan. Dicamus de Christo, quòd est lignum vitæ in medio paradisi. Sanct. Bonav. Opusc. lum. Eccl. serm. 14. Lignum vitæ, Sanctus Sanctorum utique Christus. S. Isid. c. 3. in Gen.

Lilium convallium. Convalles significant humiles mentes, quarum lilium Christus est. Id. ib cap. 2. Lilium convallium Christus est; convalles humiles parentes ejus significant. Id. ibidem.

Limen domus est Christus; per quem conceditur ad cœlum introitus. Id. ib. c. 31.

Lucerna Christus est; vas Mundus intelligitur; modium hæreses; candelabrum veritas. Arnobius c. 3. in Luc.

Lux, Nonne hoc erat lumen, quod illuminat. Joan. 1. Quomodo ergo lucerna dicitur? Isaias clamat: *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam*. cap. 9. Quomodo hic dicitur lucerna Psal. 118. sed videamus; nè fortè idem verbum aliis magna lux sit, aliis lucerna. Mihi lucerna, Angelis lux est. Petro lux erat Act. 12. quando *lumen refulsit* ei. Paulo lux erat. Act. 9. quando *eum circumfulsit lux de cœlo*. Et verè lucerna mihi est Christus; quando is nostro ore recensetur, lucet in limo, fulget in vase fictili. S. Ambr. s. 14. in Ps. 118. Christus lux vera donavit Apostolis, ut lux Mundi vocarentur. S. Thom. in Cat. sup. 3. Marci.

Magnes est Christus Dominus. Haymo serm. de Sanct. Andrea Ap.

Mane. *Ad vesperum*, idest, peccatum primi parentis, *demorabitur fletus*; *sed in matutino*, idest, Christo, *lætitia*. S. Thom. in Ps. 29.

Manipulus ille Gen. 37. in figura carnis accipitur Christus:

Christus

omnis enim *caro fœnum*. Fœnum hoc susceplt, ut suum triticum germinaret, & fructum resurrectionis afferret. S. Ambr. in Ps. 43.

Manna. Christus dicitur manna secundùm Divinitatem. Id. in 2. Apoc.

Manus. Hæc manus, Ezech. 2. 9. Sapientia DEI est, qua omnia facta sunt; sicut dicitur in Psal. 103. *Omnia in Sapientia fecisti*. - Hujus manus digiti sunt Doctores, & Prophetæ. Id. in Thr. Jerem. Christus in carne, est manus DEI in chirotheca. Hanc Mundus non agnovit. Figuratum hoc est in Isaac Gen. 27. qui signat Mundum, vel potiùs Judæos, senes tempore, mente cœcos. Hic manum Jacob non novit; quia pellicula circumdata fuit. Et Mundus vix credere potuit; quòd tam magna manus esset in tam parvà chirotheca. *Numquid* tamen *abbreviata est manus mea?* ait Dominus Is. 50. S. Bonav. s. 3. D. 1. Adv.

Margarita. Christus D. est margarita: quia lucidus candore veritatis, & solidus firmitate æternitatis: & undique sibi similis pulchritudine Divinitatis. S. August. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth. Dicitur Christus margarita propter quinque: quia parvus, propter humilitatem; candidus, propter puritatem; solidus, propter sanctitatem; pretiosus, propter DEItatem; rore cœli conceptus, idest, operatione S. Spiritus. - Christus invenitur in mari, idest, in Maria per Incarnationem, sciendum quòd margarita emitur triplici denario; scilicet æneo, argenteo, & aureo. Æneus est substantia Mundi, Argenteus corpus, aureus anima. S. Thom. in festo S. Martini. Negotiatores spirituales sumus, fratres, pretiosum quærentes margaritam, quæ est Christus Salvator noster; gloriatio, & exultatio nostra, securusque thesaurus noster. S. Ephr. s. de Religiosa vita.

Medicus. *Medicina*. Sapientis more medici - de carne sua nostri fecit medicinam peccati. Goffridus serm. 3. de Nativ. Dom. Hodie medicina de cœlo datur Mundo. Id. ibidem s. 1. Nota super illo verbo, *suscipito*: quia Christus suscepit nos, quasi medicus infirmum, ad sanandum. Psalm. 102. *Qui sanat omnes &c.* S. Thom. in 42. Is. Christus est Medicus; sacratissimum ejus corpus est cibus medicinalis. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 6. Noster Hypocrates, vel Galenus, JESUS, postquam salutem procuravit animabus nostris, voluit & procurare medicinam. Quando enim debuit recedere per Ascensionem, ordinavit aphorismum dicendo: *Signa eos, qui crediderint; hæc sequentur si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, &c.* S. Vinc. Ferr. in Commem. S. Pauli. Est Medicus cœlestis. S. Chrysol. s. 84. Medicus curaturus infirmum, primò faciem ejus inspicit; secundò pulsum tangit, urinam attendit, diætam præcipit; Syrupum immittit, & dein purgationem tribuit, ac tandem refectionem concedit. Sic agit Christus Salvaturus peccatorem: *hujus faciem inspicit*, illuminando ejus conscientiam ad peccatorum agnitionem. Pulsum tangit, dando contritionem: contritio enim quidam medicinalis tactus est manus Christi in vena cordis. Attendit urinam, quando est Confessio; ex qua status agnoscitur peccatoris. Diæta præscribitur; scilicet abstinentia à peccatis. S. Vinc. Ferr. serm. 5. post Ciner. Christus Medicus sanat ægros, dando sudorifera; scilicet cogitationes de Inferno. Hæc cient sudorem, idest, lacrymas contritionis; & sanatur anima. 2. Sanat per vomitum: hic est Confessio. 3. Per abstinentiam; quæ est animæ diæta; abstinendo à carnalibus. 4. Per unctionem: hæc est oratio, quæ est unguentum. O quot vulnera peccatorum curantur unguento orationis. Idem serm. 4. Dom. 18. Pent. 5. Sanat per venæ sectionem 3. quando superfluum Sanguinem, idest, divitias tollit; quæ sunt occasio peccandi. 6. Per cauterium. Hoc est tribulatio, infirmitas. 7. Per clisterem: hæc est peccatorum aliorum, & injuriarum remissio. 8. Per somnum: hic est requies à rebus, & negotiis sæcularibus. 9. Per exercitium corporis, & motum: hoc est pœnitentia, jejunium, cilicium &c. Id. ibid. Christus dicitur flos: qui fuit pulchritudo sanctitatis, odor benignitatis, medicina salutis. S. Thom. serm. 1. in Annunt. B. V.

Medulla cedri. Cedrus sublimis. Ezech. 17. est DEUS Pater: rami eminentiores antiqui Patres; vertex ramorum B. Virgo; medulla cedri, æterna DEI Sapientia; pars de ramorum vertice, caro Sancta de Virgine. S. Thom. de Sacr. Alt. cap. 20.

Mendicus. Mendicus dicitur, qui ab alio quærit victum; pauper verò, qui sibi non sufficit. Et hæc duo dicuntur de Christo. Joan. 9. *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet*. S. Thom. in Ps. 39.

Minister. Super illo: *in medio tuì sanctus Israel* Christus est in medio. 1. Quasi lux ad illuminandum. Eccl. 50. *Quasi Stella matutina in medio nebulæ*. 2. Quasi mediator ad reconciliandum. Luc. ult. *Stetit in medio Discipulorum, & ait illis, pax vobis*. 3. Quasi minister ad distribuendum. Luc. 22. *Ego autem in medio, sicut qui ministrat*. S. Thom. in 12. Is.

Mercator. Christus venit ad forum hujus Mundi, ad emendum animas pretio Sanguinis sui. S. Vinc. Ferr. serm. 3. de Nat. B. V. Mercator est Christus, qui venit de domo paradisi ad nundinas hujus Mundi, ad emendum animas nostras. Id. s. 15. de Perseverantia.

Mons. Mons DEI est Christus. Selom interpretatur *umbra nostri refrigerii* (& Christus est mons Selom) quia, ut dicit Glossa, de Corpore Christi manat umbra gratiæ; quæ nobis defensaculum est contra incentiva vitiorum. S. Thom. de Sacr. Alt. cap. 21. Ecce in die novissimo hic mons filius Virginis hujus *præparatus* est *in vertice montium*, idest, elevatus super omnes Apostolos nostros. S. Ildefons. lib. de Viginit. B. V. cap. 4. & 6. Hæc civitas, Psal. 47. scilicet Ecclesia, sita est in monte Sancto ejus. Hic mons Christus est. S. Thom. in Ps. 47. Ascendamus per fidem in montem DEI, idest, Christum; & ad domum DEI Jacob, idest, Ecclesiam. Idem 2. Is. Est mons pulcherrimus; de quo scriptum est. Is. 2. *Venite, ascendamus ad montem Domini* - sicut enim petra Christus, ità & mons Christus. Petra humilis fortitudo; mons eminens magnitudo. S. Isid. c. 18. in Num. Mons signat hic. Ps. 23. altitudinem Divinæ Justitiæ, sive Majestatis. Psal. 35. *Justitia tua sicut montes DEI*. Mons ergo est altitudo Divinæ Majestatis, vel sublimitas Christi; qui mons dicitur. Is. 2. *erit in novissimis &c.* S. Thom. in Psal. 23. Christus, qui est mons, crescens de lapide abscisso sine manibus tollitur, & mittitur in mare; quando Apostoli dicunt. Actor. 13. *transferamur ad Gentes*. Sanct. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 11. Marci.

Moyses. Filia Pharaonis, quæ Moysem expositum ad ripam fluminis collegit, Ecclesia gentium est; quæ Christum ad flumen salutaris lavacri reperit. Sanct. Isidor. in allegor. vet. & novi Testam. Christus post Passionem ad Limbum descendens, eumque evacuans, præfiguratus fuit in Moyse; qui in Ægypti caliginem descendit ad Pharaonem, Israelem inde liberavit. Maximus Plamedes or. in sepulturam Domini. Vasculum, in quo Pharaonis filia, idest, Ecclesia, Moysen invenit, id est, Christum; significat corda Sanctorum. Sanct. Isidor. c. 5. in Exod.

Murus. Glorificemus Christum JESUM, murum inexpugnabilem. S. Chrysost. hom. de Cruce Dominica. Christus est murus - structura muri, est conjunctio Verbi, & hominis assumpti. S. Thom. in 21. Apoc. Murus Christus, antemurale prophetæ. Id. in 26. Is.

Negotiator. Christus est factus negotiator - constituit mirabiles nundinas; in quibus vendidit denario paupertatis regnum cœlorum, denario vilitatis gloriam, denario mortis vitam. S. Thom. in festo S. Sylvestri.

Noe per omnia, omnesque actus ejus, Christum significat. Noe enim *requies* interpretatur: & Dominus dicit. Matth. 11. *Discite à me &c. & invenietis requiem animabus vestris*. S. Isid. c. 7. in Gen.

Nomen JESUS. IHS. significat crucifixionem Christi. I. Bonum latronem propter rectitudinem. S. Sinistrum, propter curvitatem. H. Christum: quæ non est litera, sed aspiratio: & Christus expiravit, antè non agnitus. S. Vinc. Ferr. s. de Circumc. Christi.

Nubes. Illa columna nubis. Ex. 13. specie quidem præcedebat filios Israel; mysticè autem significabat Dominum JESUM in nube venturum levi. Is. 19. idest, in Virgine MARIA - aliter quoque hanc interpretationem sumere licet: venit in nube levi Christus in Ægyptum: hoc est, venit susceptione corporis in hoc sæculum. In nube venit; quem nebula corporis obumbrabat. Sed levis erat caro; quam nulla sua gravabant delicta. S. Ambr. s. 3. in Ps. 118.

Octavus dies. Et quis est octavus dies, nisi Christus? qui hebdomade completa, idest, post Sabbatum resurrexit. S. Isid. c. 13. in Gen.

Omnibus omnia. Tibi Rex, tibi Sacerdos, Pastor, Sacrificium, ovis; tibi Agnus; tibi totum factus est, qui fecerat totum. Et qui sibi numquam; tibi toties immutatur, propter te varias monstratur in formas, qui manet, unica suæ majestatis in forma. S. Chrysol. s. 23. Si Sacramenta cogitas; Christus Sanctus Sanctorum: si gregem subditum cogites; Christus est Pastor Pastorum: si fabricam cogites; Christus fundamentum fundamentorum. - Et quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic fundamentum spiritualis fabricæ in summo est. S. Aug. in Ps. 86.

Oriens. Qui ovium ostium est, cui oriens nomen est. S. Jo: Damasc. or. 1. de Nat. B. V.

Ostium. Spiritus est ostiarius: ad officium enim Ostiarii pertinet, ut ostium aperiat. Et de S. Spiritu dicitur Joan. 14. *Docebit vos omnem veritatem*. Christus enim est ostium, in quantum est veritas. S. Thom. in 10. Joan. lect. 1.

Panis. Lacta MARIA panem cœli. S. Ildef. serm. 1. de Nat. Beat. V. *Quis petit panem &c. numquid lapidem dabit?* Luc. 11. *Ego sum panis*. Joan. 6. Sed Judæis conversus est *in lapidem offensionis, & petram scandali*. Rom. 9. - *Circumdederunt me canes multi*. Ps. 2. (quando projiciuntur, mordent lapidem.) S. Chrysol. s. 55.

Paterfamilias Christus est, qui operarios conducit, hoc est, credentes colligit. Vinea, cultura Legis est; denarius autem vita æterna. Quos autem dixit ad horam primam operatos, virgines sunt - Forum autem Mundus iste intelligitur. Qui autem serò accesserunt ad opus, abstinentes sunt. Arnobius c. 20. in Matth.

Pelicanus, est Christus; qui triduo mortuos suos deplorans, effuso tandem sanguine eos vivificat. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 28.

Piscis. *Nunquid pro pisce Serpentem dabit?* Luc. 11. Erat & piscis Christus, Jordanis levatus ex oleo: qui carbonibus impositus passionum, post resurrectionem Discipulis escam præbuit. Sed Judæis in Serpentem piscis iste commutatur, dicente Domino. Joan. 3. *Sicut Moyses exaltavit, &c.* Quia Christus venerat congregare sicut gallina pullos suos, ovum protulit verbi; per quod Ecclesiæ germina sancta nutrirentur. Sed Judæus reperit ibi Scorpionem. S. Chrysol sem. 88.

Psalterium, & *Cithara*. Caro Divina operans, psalterium est; caro humana patiens, cithara est. Sonet psalterium, illuminentur cœci, audiant surdi, &c. S. Aug. in ps. 56.

Radius. Sicut radius ex stella procedit, sic DEI filius processit ex Maria. Nec stella radio prodeunte corrumpitur; nec beata Mater filio nascente violatur. Goffridus ser. 8. de B. V. Hodie de splendida stella radius ad tenebras processit. Id. ser. de Nat. Dom. Pater misit Filium, sicut Sol radium. S. Thom. in 15. Is.

Radix. *Ascendet sicut radix de terra sitiente*, id est, de terra sine humore, quæ præ siccitate indecora videtur: sic etiam ipse ortus est de Matre sine virili humore. Idem in 53. Is. Nota super illos verbo, *Radix de terra*: quia Christus est Radix 1. propter absconsionem. Eccl. 1. *Radix Sapientiæ, &c.* 2. propter nutrimenti ministrationem. Jerem. 17. *Erit tamquam lignum, &c.* 3. Propter totius arboris sustentationem. Rom. 11. *Non tu radicem portas*. Id. ib.

Raphael noster. Raphael significat Christum, medicum animarum nostrarum: interpretatur enim *medicina DEI*. S. Bonav. ser. 5. de Nat. Dom.

Regnum cœlorum. Hoc Regnum cœlorum, id est, Filius DEI, quando factus est in similitudinem carnis peccati, tunc similis factus est homini regi, uniens hominem sibi. Orig. tr. 7. in Matth. apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth. Regnum cœlorum appellat ipsum Filium DEI; quod *Regnum simile* dicitur esse *homini, qui seminavit bonum semen in agro suo*. S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

Rex. *Dum esset Rex in accubitu suo*. Cant. 1. Accubitus hujus Regis fuit Incarnatio ejus. S. Thom. in 1. Cant. Christus venit ad instar magni Regis. Sicut enim Rex præmittit servos, ità Christus Prophetas, & Patriarchas. S. Irenæus l. 4. contra hæres. c. 67.

Ros. Christus est ros, ad refrigerandum. Is. 18. *Sicut nubes roris, &c.* S. Thom. in 45. Is. Ros in vellere. Judic. 6. Divinitas est in Humanitate. S. Bonav. ser. 4. in Vigil. Nativ. Dom.

Sacerdos. Accedamus ad Sacerdotem novum, ad sedem gratiæ, visitatorem animarum nostrarum: Sacerdotem, non secundùm Legem mandati carnalis creatum, sed secundùm virtutem infatigabilem electum. S. Ambr. l. 6. ep. 39. Iste Sacerdos (Aaron) Num. 16. Dominus JESUS Christus est; Princeps Principum Sacerdotum. Sacerdos iste ruinam mortis in Mundo aspiciens stetit inter vivos, & mortuos; quia natus, & mortuus. Sicque thuribulum passionis suæ accipiens inimicam perculit mortem. S. Isid. c. 14. in Num. Est Rex; quia *regnabit in domo Jacob in æternum*: & Sacerdos: quia natus, *ut salvum faceret populum suum à peccatis eorum*. S. Damasc. or. 2. de Nat. B. V. Christus factus est pro nobis Sacerdos, & Sacrificium: ara ipsius, crux fuit. Goffridus Ser. 5. de Resurr. Dom.

Sabbatum JESUS est Sabbatum animæ cum quærentis. S. Bernardus de Charit. c. 20.

Saliva Christi, sapientia ejus; digiti ejus, dona Spiritus S. Luc. 11. S. Greg. hom. 10. in Ezech.

Samaritanus. Luc. 10. Quatuor misericordiæ Christi hìc ponuntur, quas fecit peccatoribus. Prima fuit, naturæ humanæ susceptio. *Samaritanus quidam, &c.* Samaritanus Christus est; qui propter nos Homo factus vitæ præsentis iter arripuit. Secunda, Sacramentorum ad salutem peccatorum institutio. *Alligavit vulnera ejus*. Glossa; in Baptismo. Tertia; gratiæ S. Spiritus infusio. *Infundit oleum*. Glossa: id est, charisma Spiritus S. Quarta, amaritudinem passionis pro peccatoribus tolerando *imponens eum in jumentum suum*. Glossa: jumentum caro sua. S. Thom serm. 2. D. 13. Pent. *Transiens Samaritanus misericus est*, id est, ipse Dominus, qui miseratus est Genus humanum. Samarites enim *custos* interpretatur. Meritò cùm Judæi dicerent: *nonne verum dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Joann. 8. unum respuit, alterum amplexus est: *ego*, inquit, *dæmonium non habeo*. Non dixit, non sum Samaritanus. S. Aug. in ps. 30. Samarites Latinè *custos* interpretatur. Quis autem custos, nisi D. N. J. Christus? qui, quoniam surrexit à mortuis, jam non moriturus, non dormit, neque obdormiet, qui custodit Israel. S. Aug. in ps. 68.

Sapientia. Conquiescam cum Sapientia, id est cum Christo; qui est sapida scientia. Sanct. Thom. de Sacram. Alt. c. 19.

Semen. Christus est illud semen, de quo Luc. 8. Sed nota, quòd hoc semen cecidit quadrupliciter. Primò cecidit *secus viam*; scilicet in Nativitate. *Conculcatum est*, id est, despectum à Iudæis - *volucres cœli comederunt illud*, scilicet Reges Orientis; qui quasi aves citò venerunt. - Secundò *cecidit supra petram*, in sua conversatione; quia Iudæi voluerunt eum pluries lapidare. Tertiò *cecidit inter spinas*, in sua Passione. Quartò *in terram bonam*, in sua tumulatione: *& ortum fecit fructum centumplum*. S. Vincent. Fer. ser. 4. D. Sexag.

Seminator. *Simile est Regnum cœlorum homini*. Cui? utique Christo: *qui seminavit bonum semen*. - *Cùm autem dormirent homines*. Sancti Patres, Apostoli, Martyres, in sopore mortis temporaliter morientes, quia Sanctorum mors somnus est; *superseminavit Zizania*, diabolus hæreses inter Fideles. inter Sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes nequitiam. S. Chrysol. ser. 96.

Seraphim. Is. 6. Per Saraphim Christus, per forcipem duo Testamenta, per calculum charitas, quæ in manu, id est, in operatione ipsius est. S. Thom. in 6. Is.

Serpens. Virga projecta coram Pharaone, serpens facta, & devorans Ægyptiorum Serpentes, significat, quòd Verbum Caro fieret; quæ serpentis venena evacuaret per remissionem peccatorum. Ità ferè S. Isid. c. 12. in Ex.

Sinapis granum. Ipse Dominus granum sinapis est: - teri maluit; ut diceremus 2. Cor. 2. *Christi bonus odor*. Comprimi maluit. Unde Petrus. Luc. 8. *Comprimunt te turbæ*. Seminari maluit velut granum: in horto enim sepultus est. S. Ambros. l. 7. in Luc. Christus est Regnum cœlorum; qui velut granum sinapis in hortum virginei corporis missus, orbe toto crucis in arborem crevit. Nam sicut in integritate grani sinapis virtus habetur occulta; apparet autem virtus ejus vehementissimè, si teratur: ità Christus corpore teri voluit; quia suam noluit latere virtutem. S. Chrysol. ser. 98.

Sol. Sol nobis justitiæ indefinenter assistit - nec festinat occumbere; quia ipse dixit. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Matth. 28. S. Isid. c. 1. in Jos. *Mulier amicta sole*, id est, Ecclesia indacta, sive ornata Christo illuminante. S. Thom. in 12. Apoc. Luna est Ecclesia Cant. 6. *pulchra ut Luna*. - Claritas Lunæ est à Sole, claritas Ecclesiæ à Christo. Id. in ps. 10. *Pulchra ut Luna*. quia Sole Justitiæ illustrata noctem Mundi illuminat. Isid. in Cant. Christus Sol; S. Joannes & B. Martyres lucernæ S. Aug. de Verb. Dom. ser. 43. apud S. Thom. in Cat. sub. 15. Joann. *Resplenduit sicut Sol*. Quid ais Evangelista? Quid ea, quæ verè incomparabilia sunt, comparas? Quid ea componis, & confers, quæ nullam collationem admittunt? *Dominusne instar famuli?* At, non comparo, inquit, neque confero solum illud ingenitum lumen, ac Divinæ gloriæ splendorem; qui nullius rei similitudinem gerit. Verùm *quia mihi cum iis, qui carnis catenis vincti, sunt*, oratio est: id, quod intrà corpora præstantissimum est, ac præclarissimum, exempli causa arripio: non quòd quàm simillimum illi sit: neque enim fieri potest, ut, quod increatum est, in rebus creatis ità exprimatur, ut nullum omnino discrimen sit. S. Joan. Damasc. or. de transf. Dom. Sicut Sol, antequam radios monstret, Mundum clarificat: sic & Christus, antequam nasceretur, multa signa profectæ virtutis apparere fecit. S. Chrysost. apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth. In sole potest considerari Pater generans, scilicet substantia; & Filius genitus, scilicet radius; & S. Spiritus, calor: & tamen non est, nisi unus Sol. Et transeunte radio per fenestram vitream rubeam, vel alterius coloris, radius recipit illum colorem, & non substantia Soli, nec calor. Sic fenestra clarior crystallo erat Virgo MARIA; & per eam transivit radius Solis æterni Filius DEI, intrans ad illuminandum domus hujus Mundi sine fenestræ fractione; imò clarior remansit. S. Vinc. Ferr. ser. de Incarnat. Filii DEI Quis est iste Sol? Genes. 32. nisi qui dies fecit fulgere justitiæ, quibus in terra natus est Christus ex Virgine. Sanct. Ambros. in ps. 43.

Sponsus. Verbum (Patris æterni) est Sponsus; & Sponsa, Caro humana: & utrumque unus Filius DEI, & idem filius hominis: ille uterus Virginis MARIÆ, thalamus ejus est; unde processit tamquam Sponsus de thalamo suo. S. Aug. tr. 8. in Joann. apud S. Thom. in Cat. sup. 2. Joan. Omnis animæ Sponsus Christus est; sponsalium verò locus, ubi conjunctio efficitur, locus est baptismatis, sive Ecclesia. Dat verò arrham Sponsæ, peccatorum remissionem, Spiritus S. communionem. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Joan. Nec dubium est, quin uterus MARIÆ Virginis ipse sit thalamus, in quo Sponsi ac Sponsæ, cùm Caro sit Verbum, fœdera jungunt nuptiarum. S. Hildefonsus l. de Virginit. c. 12. Nativitas designatur, cùm dicitur: *ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo*. Thalamus uterus virginalis est. De hoc sicut Sponsus processit: quia in eo unione perpetua desponsavit Humanam naturam. Unde in morte Divinitas remansit unita

animæ, & corporis. S. Tom. in pſ. 18. Nuptiæ, conjunctio Chriſti, & Eccleſiæ eſt. Hydriæ autem ſeptem lapideæ, Eccleſias ſeptem ſuper petra fundatas demonſtrant Aqua plenæ, hoc eſt, baptiſmi gratia. Architriclinus Moyſes; Sponſus novus, Chriſtus eſt. Aqua in vinum converſa paſſionis cruorem demonſtrat. Arnobius in 2. Joan. Sponſus Chriſtus eſt; filii autem Sponſi nos ſumus. Id. in 12 Matth. Eſt Sponſus quia ſibi Humanitatem deſponſavit. S. Damaſc. or. 1. de Nat. Virg. Nullus alius eſt Sſponſus (animarum) niſi ſolus Chriſtus: omnes namque Doctores paranymphi exiſtunt. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. ſup. 3. Joan.

Theologus. Dixit ille magnus Theologus JESUS Chriſtus. S. Vinc. Ferr. de S. Sebaſt.

Theſaurus: Ager hic Mundus eſt: theſaurus autem in agro abſconſus, Chriſtus; qui latuit triduana illa paſſione. Arnobius Annot. in 17. Matth. Eſt theſaurus abſconſus in agro; qui poſtmodum in Cruce revelatus eſt. S. Irenæus l. 4. c. 43. Theſaurum Crucis appello, Chriſtum Filium DEI. S. Andreas Jeroſol. orat. 1. de exalt. S. Cruc Eſt theſaurus lucis, & Legis; quem Iſaias vidit in throno ſedentem: quem ſuper animalibus vidit Ezechiel: quem ſupra nubes vidit Daniel. quem in camino Nabuchodonoſor perſpexit, quem in tabernaculo recepit Abraham; cujus Moyſes poſteriora vidit in monte. Proclus Archi. Ep. Conſt. or. de S. Andrea Ap. Chriſtus eſt theſaurus Juſtorum. S. Thom. in 3. Apoc.

Venator animarum Chriſtus eſt, ſecundùm illud. Gen. 14. *da mihi animas*. S. Vinc. Ferr. fer. 4. Pent.

Veſtis. Ecce, quomodo Humanitas Chriſti dicitur veſtis. Ratio: quia, ſicut veſtis cooperit corpus, nè caro videatur; ità dicit Scriptura: *Qui cùm in forma DEI eſſet, ſemetipſum exinanivit, &c.* Philipp. 2. Id. Ser. de S. Joan. Evang.

Via. Stella hæc Matth. 2. via eſt; & via Chriſtus quia ſecundùm Incarnationis myſterium, Chriſtus eſt Stella. Orietur enim Stella ex Jacob. Num. 24. Alia via venerunt Magi, alia redierunt. Duæ quippe ſunt viæ: una peccatorum, quæ ducit ad Herodem: via Chriſtus eſt, qua reditur ad patriam. S. Ambr. l. 2. in Luc.

Virga Aaron ſignificat Filium DEI. S. Bonav. Ser. 3. D. 1. Adv.

Vita animæ. Quod eſt anima corpori, hoc eſt animæ Chriſtus: ſine anima corpus non vivit; non vivit anima ſine Chriſto: recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, &c. ſuccedunt. S. Chryſol. Ser. 19.

Vultur. Job 28. Rectè Mediator noſter vulturis appellatione ſignatur: qui quaſi mortalitatis noſtræ cadaver conſpexit in infimis, & ſe de cœleſtibus ad ima ſubmiſit. - Hujus vulturis oculus, fuit ipſa intentio noſtræ reſurrectionis. S. Greg. mor. l. 18. c. 21.

T I T U L U S VIII.

CHRISTI DOMINI INCARNATIO.

Accubitus. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*. Cant. 1. Accubitus hujus Regis, fuit Incarnatio ejus. S. Thom. in 1. Cant.

Angelus. Chriſtus Incarnatus, eſt Angelus deſcendens. Apoc. 18. Iſte deſcenſus non fuit ſecundùm loci mutationem, ſed per ſui exinanitionem, in aſſumptione carnis. S. Thom. in 18. Apoc.

Arca. Verbi Incarnati typus, arca ex lignis imputribilibus, intrà, & extra inaurata. S. Cyrill. Alex. de Incarnat. Unig. c. 15

Calceamenta Domini noſtri Chriſti, myſticè ſignificant Incarnationem ejus, de quo dicit Pſal. 107. *In Idumæam extendam calceamentum meum*. - Greſſus Filii DEI, adventus in Mundum. S. Hier. Summa de Eſſent. DEI. Hæc Summa invenitur in Operib. S. Bonav. in fine tomi 2. *In Idumæam &c.* Incarnatus ergo Dominus veniens quaſi calceatus apparuit; qui in Divinitate ſua morticina noſtræ corruptionis aſſumpſit. S. Gregor. l. 7. in Evang. apud S. Thom. in Cat. ſup. 1. Marci.

Caprea. Non cervis aſſimilatur, ſed capreis, mitioribus videlicet animantibus, propter humilitatem Incarnationis ſuæ: quia non ſolùm Homo fieri, ſed etiam humilis Homo fieri dignatus eſt. S. Thom. in 2. Cant. In aſſumptione carnis, & humilitate, capreæ aſſimilatur. S. Iſid. in 2. Cant.

Carbo. Carbonem Iſ. 6. dicimus figuram nobis exhibere Verbi Hominis facti. S. Cyrill. Alex. de Incarnat. Unig. c. 8.

Cataplaſma. Dedit tibi (Pater) Chriſtum per MARIAM, propter ſanitatem. In prima (mixtura, quam fecit DEUS; dum Verbum Caro, & anima in unam perſonam coaluerunt) remedium eſt: quia ex DEO, & Homine, cataplaſma confectum eſt, quod ſanaret omnes infirmitates noſtras. Contuſæ autem ſunt hæ duæ ſpecies, & commixtæ in utero Virginis, tanquam in mortariolo; S. Spiritu, tanquam piſtillo, illas ſuaviter commiſcente. Sed quia indignus eras (homo) cui donaretur; datum eſt MARIÆ; ut per illam acciperes, quidquid haberes. S. Bernar. Ser. 3. Vigil. Nat. Dom.

Dies. Quinque dies ſpirituales venerunt ante adventum Chriſti. Prima dies fuit, æterna Patris præordinatio; ſecunda, Patris, facti promiſſio; tertia, in Lege ipſius præfiguratio; quarta, ipſius à Prophetis prædicatio; quinta ipſa Chriſti Incarnatio. De iſtis quinque poteſt intelligi illud Judith. 6. *In diebus quinque reſpiciet Dominus populum ſuum Iſrael*. S. Thom. ſer. 1. D. 25 Pent.

Jacob. Rebecca loquitur ad filium juniorem Gen. 27. *Vade ad gregem, & accipe mihi inde duos hædos*; præfigurans carneum ſalvatoris adventum - quia autem duos jubetur adferre, duorum populorum ſignificatur aſſumptio. S. Iſid. c. 23. in Gen.

Leo. Chriſtus fuit in Incarnatione leo, qui & Deitatem Humanitate operuit; ſicut cauda leo veſtigia; nè diabolus, vel Judæi Divinitatem agnoſcerent. Sanct. Thom. in 5. Apoc.

Paries. Quaſi poſt parietem noſter Chriſtus Incarnatus ſtetit: quia in Humanitate aſſumpta Divinitas latuit. S. Gregor. in 2. Cant. Paries, mortalis noſtra conditio, appellatur. Id. Ibid.

Peregrinus. Homo iſte, Matth. 25. Chriſtus eſt; qui *peregrè profectus eſt* in Incarnatione, in Paſſione, in Aſcenſione. S. Thom. ſer. 2. in feſto. S. Sylveſtri.

Petra. Quæ quidem petra Chriſtus eſt Incarnatus DEUS, S Joann. Damaſc. orat. de transf. Dom.

Pluvia. Tanquam bona pluvia in vellus, abſque ullo ſtrepitu deſcendit. Id. orat. 1. de Nat. B. V.

Polymita. Quando (Jacob) beatum Joſeph plus omnibus filiis diligebat, & tunicam ei polymitam fecit; Incarnationem Domini Salvatoris ſignificavit. S. Aug. Ser. 197. de temp.

Poſteriora Filii DEI, Incarnatio ejus accipitur - Pedes Filii DEI, Incarnatio ejus intelligitur; quæ Divinitati ſubjecta eſt, ſicuti capiti pedes. S. Hieron. Summa de Eſſ. DEI.

Rubus accenſus, & non combuſtus, typus eſt Incarnationis. S. Cyrill. in Dialog. ad Hermiam.

Seſſio Domini, Matth. 5. humilitatem Incarnationis ejus deſignat. S. Haymo in feſto. Omn. SS.

Splendor Solis. De Filio dicitur, Hebr. 1. *Qui eſt ſplendor gloriæ*. - ut exemplo illo intelligamus: quia ſicut ſplendor ex ſubſtantia Solis naſcitur, ità & Filium ex ſubſtantia Patris genitum. Et ſicut non eſt Sol, aut ignis, prior ſplendore ſuo, licèt ex illo naſcatur - ſic agnoſcamus, non eſſe Patrem Filio priorem. - Accipe etiam hujus rei aliam ſimilitudinem. Sicut ſplendor ſolis replet orbem terrarum, & tamen à genitore ſuo non abſcinditur aliquando, nec recedit; ità Filius ex Patre genitus ubique dum ſit, in Patre ſemper permanet. Et ſicut ſubſtantialiter ſplendor in Sole eſt, & Sol in ſplendore; ità ſubſtantialiter Pater in Filio, & Filius in Patre eſt &c. S Aug. ſer. 58. de Verb. Dom.

Thuribulum. Per thuribulum Verbum accipitur Incarnatum. Innocentius P. l. 2. de Sacrific. Miſſ. c. 16.

Viſitatio. In illo Pſal. 8. *Quoniam viſitas eum*, ſignificari Incarnationem Chriſti, dicit S. Thom. hìc.

Varia.

In Incarnatione poſitum eſt pretium noſtræ redemptionis, quod poſtmodum ſolutum eſt in Paſſione. Pſal. 110. *Redemptionem miſit*. S. Vinc. Ferr. Serm. de Incarnat. Filii DEI.

Patet, quòd Incarnatio eſt radix, ſive janua omnium aliorum articulorum fidei. Id. ibid.

Incarnatus, fuit Sol nube, lumen in tecta, cereus in laterna. S. Bernard. ſer. 3. in Aſc. Dom. Chriſtus Incarnatus fuit mel in cera. Id. ib.

Tunc ambulavit Dominus JESUS juxta mare; quando homo factus eſt. S. Haymo ſer. de S. Andrea Ap.

Venerabile, & magnum, ac puris ſpiritibus amabiliſſimum myſterium. S. Cyrill. Alex. de Incarn. c. 10.

Chriſtus Dominus, eſt oſculum illud Cant. 1. in ſua Incarnatione, Patres in limbo orabant DEUM dicentes: *Oſculetur me oſculo &c.* id eſt, incarnetur Chriſtus. Oſculum ſignum pacis eſt. Sic & Chriſti Incarnatio, & nativitas, in qua cantatum: in terra pax. Oſculum hoc accepit Simeon, & in pace dimiſſus eſt. S. Bernard. ſer. 2. in Cant.

TITU-

T I T U L U S IX.

CHRISTI NATIVITAS.

Aquæductus. Sicut aquæductus exivi de paradiſo, ſcilicet virginali utero. S. Bonav. ſer. 7. D. 1. Adv.

Beatificatio hominis. Chriſti Nativitas fuit Mundi illuminatio. Inferni expoliatio, cœli reparatio, peccati deſtructio, diaboli ſeperatio, hominis cum DEO reconciliatio, hominis beatificatio. S. Thom. ſerm. 4. Dom. 1. Advent.

Collyrium. Nativitate collyrium fecit; unde tergerentur oculi cordis noſtri, ut videre poſſemus Majeſtatem ejus per ejus Humanitatem. Unde dicitur: *& vidimus gloriam ejus* - irruerat enim homini quaſi pulvis in oculum de terra: oculus iſte ſauciatus erat; & terra illuc mittitur, ut ſanetur. Caro te obcœcaverat. Caro te ſanat. S. Auguſt. tr. 2. in Joan. apud S. Thomam in Cat. ſup. 1. Joann.

Dies dulcis, verè dulcis; & cunctis pœnitentibus veniam portans. S. Aug. ſer. 7. de temp.

Firmamentum. Poteſt firmamenti nomine Incarnatus Unigenitus, per hoc, quod in eum natura noſtra ad æternitatem firmata ſit deſignari. S. Greg. hom. 8. in. Exod.

Fiſcella. Filia Pharaonis, anima peccatrix, quæ eſt filia diaboli; deſcendit per humilitatem, - & tunc invenit parvulum, de quo Iſ. 9. *Parvulus natus eſt nobis*. Invenitur autem in fiſcella, id eſt, in corde virtutibus contexto. S. Bonav. ſer. 3. D. 4. Adv.

Fluvius. Craſtina die ex rivulo ſuo (MARIA) fluvius magnus orietur, & fructus apparebit optimus. S. Auguſt. ad FF. in eremo ſer. 19. de Vigil. Nat.

Generatio. Hæc fecit Chriſtus nobis, naſcendo: generavit filios DEI faciendo: vivificavit vitam gratiæ, & gloriæ, largiendo: nutrivit pane Euchariſtiæ, & Verbi Divini, augmentavit, plenitudinem gratiæ, & donorum, largiendo; renovavit, vetuſtatem culpæ deſtruendo, & nova omnia faciendo. S. Thom. ſerm. in Vigil. Nat. Dom.

Glorioſa. Ut lux clariſſima, & igneum Solis jubar exuperans, reſplendet glorioſa Salvatoris Nativitas. S. Eph. to. 3. de Nat. DEI non ſcrutanda.

Lapis. Chriſtus naſcens, eſt lapis præciſus à monte MARIA. ſine manibus, abſque humano opere. S. Aug. in pſ. 47. *Abſciſſus eſt lapis de monte*. Dan. 2. In his verbis Nativitas Chriſti pulcherimè figuratur: qui de monte virginalis ſublimitatis abſciſſus ſine manibus amplexus virilis, percuſſit ſtatuam humanæ vanitatis. S. Bonav. ſerm. de Nat. Dom.

Liber Chriſtus eſt liber inaperibilis. - Venerat ad nos calceata Majeſtas. Divinitas Incarnata. Venerat DEI Sapientia; ſed in clauſo utique, & ſignato libro. Quod ligabat corrigia calceamenti, hoc claudebat ſignacula libri (ſeptem.) Sed quid dicimus ſuper his ſeptem? An fortè triplex animæ virtus, ratio, memoria, & voluntas, & quadrifaria corporis compoſitio, ex elementis videlicet quatuor, in his ſeptem eſt intelligenda, ut nihil de veritate Humanitatis defuiſſe noverimus Salvatoris? &c. S. Bernard. ſer. 1. de Reſurrect.

Medicina. Hodie medicina de cœlo datur Mundo. Goffrid. ſer. 2. de Nat. Dom.

Miles. in Aula uteri virginalis factus eſt novus miles, recipiens habitum Humanitatis, ut poſſet bellare. S. Vinc. Fer. de S. Stephano.

Miſericordia dies, eſt Natalis Domini; in quo ortus eſt nobis Sol Juſtitiæ. S. Thom. ſer. 1. D. 1. Adv.

Panis. Naſcens Chriſtus, eſt frumentum loco palearum, panis verus, alimentum vitæ, cœna lucis, eſca lætitiæ, incorruptionis dulcedo. S. Heſychius ſer. 1. de Laud. Virg.

Panni infantis. Quomodo pannis involvitur, qui auriga eſt Cherubinorum curruum? Id. ib.

Pelicanus. Puto ego, hic (pſ. 101. per Pelicanum) intelligi Chriſtum natum de Virgine: Solus: enim ſic: ideo ſolitudo. In ſolitudine natus eſt, quia ſolus ità natus. Sanct. Aug. in pſ. 101.

Reparatio ſalutis Humanæ. Hodierni myſterii Sacramentum, reparatio eſt ſalutis Humanæ, virtutum nativitas, ruina vitiorum. S. Maximus hom. 4. Nat. Dom. Chriſti Nativitas, reparatio generis Humani facta eſt, mors peccati, &c. Goffridus ſer. 1. de Nat. Dom.

Roratio cœli. *Rorate cœli &c.* Iſ. 45. Myſticè de Nativitate Chriſti accipitur. In quo tria facit (Propheta) ſcilicet Nativitatis principium, naſcentis ortum. Nativitatis fructum. Principium eſt triplex. 1. Cœlum rorans, quaſi principium effectivum: ſcilicet quia trium Perſonarum, propter quod pluraliter dicitur *Cœli*, Pater Filium mittendo, Filius Carnem aſſumendo. Philipp. 2. *Humiliavit ſemetipſum, &c.* Spiritus S. conceptionem faciendo. Matth. 1. *De Spiritu Sancto eſt*. Secundum principium eſt nubes pluens: quod eſt principium præparativum; in quo accipitur annuntiantis Angeli officium. Tertium principium eſt, terra germinans: quia eſt principium conceptivum B. Virgo; de qua in pſ. 84. *Terra noſtra dabit fructum ſuum*: cujus aperiatur affectus ad inveniendum gratiæ privilegium. - Sed ortus comparatur rori, pluviæ, germini: quia Chriſtus eſt ros ad refrigerandum, Iſ. 18. *ſicut nubes roris, &c.* Pluvia ad fæcundandum. pſ. 84. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*. Germen ad fructificandum. Jer. 23. *Suſcitabo David germen juſtum*. Fructus, eſt juſtitia; quæ cum illo oritur tripliciter: quem opere implevit. Matth. 3. quem Sermone docuit. Iſ. 62 *Ego qui loquor juſtitias*: quem pro munere dedit. 1. Cor. 1. *Factus eſt nobis Sapientia*. S. Thom. in Iſ. 45.

Sol. Oportet prævenire Solem. Sap. 16. Cras celebraturi ſumus ortum Solis æterni. S. Thom. ſer. in Vigil. Nat. Dom.

Varia de Chriſti Nativitate.

Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta ſunt emplaſtra naturæ. S. Aug. ſer. 21. de temp.

Veneranda Nativitas Salvatoris, humilitatis eſt inſtrumentum, pietatis myſterium, & æternæ ſpei remedium manifeſtum. Id. ſer. 22. de temp.

Omnis ergo hujus Nativitatis ſchola, humilitatis eſt officina, patientiæ maſſa, virtutis agonia. Id. ibid.

Sicut ſexto die fecit DEUS hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; ſic invenimus ſexto ſæculo veniſſe Dominum JESUM Chriſtum, ut reformaretur homo ad imaginem DEI. S. Aug. Ennarrat. in pſ. 92.

Ubi eſt, qui natus eſt? Matth. 2. Ubi eſt ergo longitudo brevis, magnitudo levis? altitudo ſubdita, latitudo anguſta? ubi lux lucens, aqua ſitiens, panis eſuriens? S. Bonav. de 5. feſtivit. pueri JESU feſtiv. 4.

Pergens Jacob in Meſſopotamiam, venit in locum, ubi nunc Bethlehem vocatur. Dicitur autem Bethlehem domus DEI; quia natus eſt Chriſtus in Bethlehem: porta vero cœli, quia ibi in terram deſcendit. S. Iſidor. c. 24. in Gen.

Naſcendo parvulus factus eſt. S. Iſidor. c. 31. in Gen.

T I T U L U S X.

CHRISTI D. PASSIO.

Abel interpretatur *luctus*; & frater ejus Seth, qui interpretatur *reſurrectio*. Mors Chriſti, & vita ejus, ex mortuis figuratur. Id. c. 6. in Gen.

Acus. Cameli nomine ſe intelligi voluit (Chriſtus;) quia infirmitatis noſtræ onera ſuſtulit. Per acum autem ſignificat punctiones, id eſt, dolores in Paſſione ſuſceptos. Foramen acus, dicit anguſtias Paſſionis; qua ſciſſa quaſi noſtræ veſtimenta naturæ quodammodo reſarcire dignatus eſt. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. ſup. 9. Marci.

Adam ſecundus. Chriſtus patiens in cruce dormiens, lancea percuſſus eſt. Et hinc formata Eccleſia; ſicut olim, immiſſo ſopore in Adamum, formata Eva. S. Iſid. c. 3. in Gen.

Agnus. De immolatione Agni, & tranſitu populi per mare, vel per Ægyptum, præfiguratur Paſſio Chriſti, & redemptio populi de Inferno. S. Hyeron. apud S. Thom. in Cat. ſup. 14. Marci.

Aqua. Aſſimilatur Chriſtus aquæ; quia aqua lavat: ſic Paſſio Chriſti omnes ſordes lavat. Apoc. 1. S. Thom. in pſ. 21.

Aries. Cornibus hærens aries Crucifixum Dominum ſignificabat. S. Iſid. c. 18. in Gen. Alii hunc arietem cornibus in vepribus obligatum, eundem Chriſtum ſenſerunt, antequam immolaretur, ſpinis à Judæis coronatum. Id ib. Aries rubricatus, cui non occurrat Chriſtus in Paſſione cruentus? S. Aug. quæſt. ſup. Exod. l. 2. q. 108. Chriſtus eſt aries, *hærens in ſpinis*, ſive vepribus. S. Aug. Expoſ. 2. in pſ. 30.

Botrus. Eſt botrus calcatus. S. Aug. ſer. 186. de temp. Eſt botrus de terra promiſſionis in ligno pendens. Id. l. 12. contra Fauſt. c. 31. Nos Chriſtus in ſanguine ſuo mundavit, quando ſicut botrus in ligno pependit. S. Iſid. c. 31. in Gen. Botrus refert in ligno, Num. 13. & Chriſti Paſſio demonſtratur - Botrus dependens è ligno, utique Chriſtus eſt ex ligno Crucis promiſſis gentibus de terra Genitricis MARIÆ. Duo bajuli, qui ſub onere botri illius incedebant, populus eſt uterque: prior Judaicus, & averſus - qui verò poſterior veniebat, populi Gentium gerebat figuram: qui credens, & Chriſtum ante oculos habens, ſpiritualiter eum portans videt. Id. c. 11. in Num. Primus botrus in torculari preſſus eſt Chriſtus. S. Aug. in pſ. 55.

Calix. Per calicem intelligitur Paſſio Chriſti. Calix iſte eſt amaricans, inebrians, & ſanans. S. Thom. de Sanct. Jacobo.

Camelus. Chriſtus eſt camelus: quem ſicut camelum nemo ſarcina Paſſionis oneraret, niſi ipſe ſe in terram deponeret. S. Aug. in pſ. 54. Camelus foramen acus tranſiit. Matth. 19. cùm Redemptor noſter uſque ad ſuſceptionem mortis per anguſtias Paſſionis intravit: quæ velut acus extitit; quia dolore corpus pupugit. S. Greg. mor. l. 35. c. 17.

Candelabrum. Christus est candelabrum. Ex. 25. S. Greg. hom. 6. in Ezech. Ductile candelabrum est; quia Christus passus est: ex auro purissimo; quia absque omni peccato. Id. ib. hom. 7.

Chore. Christus Crucifixus est Chore; qui interpretatur *Calvaria*. Filii Chore, sunt filii Christi Crucifixi. S. Aug. Enarrat. in ps. 41.

Cithara, est Christus in Cruce. S. Bonav. ser. 3. D. 3. Quadrag.

David. In spelunca latet à facie Saul; Christus in carne latet à facie Judæorum. S. Aug. in ps. 59. *Nunquid canis ego sum; quia tu venis ad me in baculo?* 1. Reg. 17. Goliam, id est, diabolum baculo Crucis; & quinque lapidibus, id est, quinque plagis stravit. S. Bonav. ser. 2. D. 2. Adv.

Didrachma. Matth. 17. est Passio. Ipse obtulit se sibi DEO pro se, solvit didrachma. S. Bonav. in ps. 109

Elisæus. Parvuli, illi illudentes saluti DEI, id est, Elisæo, Judæorum habuere personam, qui ad crucem Domino Salvatori subsannabant. Elisæus ascendit in montem Bethel, & conversus maledixit pueris: & exierunt duo ursi de sylva, & interfecerunt eos pueros. Christus ascendit in cœlum; maledixit Judæis: immisit duos ursos, Vespasianum, & Titum in Judæos. S. Isidor. c. 3 in 1. Reg. Christus crucifixus in monte Calvariæ; Elisæus irrisus in monte; pueri Judæi. S. Aug. in ps. 44.

Esca. Leviathan est diabolus; hamus, seu aculeus in esca, est DEI Filius, in carne humana assumpta absconditus. Illo hamo captus est diabolus, & deceptus. Quia dum carnem, innocentis Christi in cruce mordere, & effundere sanguinem injustè præsumpsit, latens aculeus Divinitatis, potestatem ejus perforando destruxit. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 28.

Farina. Farina est granum contritum; granum est Christus. Joan. 12. *Attritus propter scelera nostra*. Is. 53. Mulier ergo, id est, Ecclesia, vel anima, 3. Reg. 17. *colligens* per fidem & devotionem *duo ligna crucis*, de farinula panem fecit quando de Passionibus Christi se refecit. Panis iste parvulus est, quia Christus per Passionem minutus est, & humiliatus. - Subcinericius est: quia sub cinere Passionis Christi memore *coctus est*. S. Bonav. ser. 3. D. 4. Quadr.

Granum planè Christus est, dum patitur. S. Aug. ser 82. in Append. Pulchrè se vocat granum frumenti: quia candidum est interiùs, rubicundum exteriùs. Et Christus candidus dicitur, respectu Divinitatis; & rubicundus in carne propter Passionem. Hugo à S. Vict. in specul. c. 7. Christus Dominus est Joseph. Hoc mortuo creverunt filii Israel admodum; mortuo Christo Ecclesia. Erat enim Christus granum frumenti, quod non nisi mortuum fructum fert. S. Isid. c. 2. in Exod.

Hostia. Christus est verè unica, & pefecta Ecclesiæ hostia. Eusebius apud S. Thom. de Sacr. Alt. c. 11.

Jephte. Quis ergo in Jephte pranuntiabitur? nisi Dominus JESUS Christus, & Salvator noster: hic filiam, id est, carnem suam in Passione immolavit. S. Isid. c. in Judic.

Job dicitur *dolens*, & signat Christum. Quia etiam *bonus Servus* dicitur c. 1. quia Christus formam servi suscepit. S. Greg. mor. lib 2. cap. 22. Testa igne solidatur: caro autem Domini eò ex Passione sua robustior extitit, quò per infirmitatem moriens à morte sine infirmitate surrexit. *Exarsit velut testæ, &c.* ps. 21. Id. lib. 3. c. 14.

Jonas. Qui interpretatur *columba*, tàm sermone, quàm naufragio suo, Passionem Christi, mortemque ejus, vel resurrectionem figurat. S. Isid. lib. Procem. *fugit Jonas à facie DEI* - Christus ut speciei faciem Deitatis fugeret, totum nostræ servitutis confugit ad vultum. Ecclesiæ suæ conscendit in navem. Quid sibi vult confusa ventis procella? nisi diabolum; qui cor Judæ penetrans, Reges, Gentes, inflammavit in fluctus - *Tolite me, & mittite in mare*: voluntariam Domini indicat Passionem. *Potestatem habeo, ponere animam meam*. Ecce qualiter Jonas Christum signet. S. Chrysolog. serm. 37.

Joseph. Nisi Joseph fratres vendidissent, defecerat Ægyptus: nisi Christum Judæi crucifixissent, perierat Mundus. S. Isid. c. 30. in Gen.

Isaac. *Abraham vidit diem meum, & gavisus est* - Tunc scilicèt, cùm Isaac ad victimam lignum portaret - Quia crucis lignum vidit, & Christum passurum agnovit. Arnobius cap. 7. in Joan. Hic adest Isaac, cum lignis, & Abraham cùm ariete vepribus inhærente. Genes. 22. S. Thom. in Cat. sup. 15. Marci.

Latus Christi. Vis & aliam hujus sanguinis scrutari virtutem. Mortuo JESU, & adhuc in cruce pendente - inde aqua fluxit, & sanguis, quia priùs baptismate diluimur, postea mysterio dedicamur. S. Chrysost. hom. ad Neoph. De Adami latere tumpta est Eva sopore quiescentis: & de Christi in cruce mortui latere fluxere Sacramenta, unde vivit Ecclesia. Id. ib. *In vineis Engaddi* (locus in Judæa Cant. 1.) lignum est (opobalsamum dicit Sanct. Ambr.) quod si quis compungat, balsamum emittit, & unguentum - sic & Christus in illo tentationis ligno crucifixus - compunctus est lancea, & exivit de eo sanguis, & aqua, omni unguento suavior, per totum Mundum odorem sanctificationis effundens. S. Ambr. ser. 3. in ps. 118.

Mala Punica, ut sæpe dictum est, mysterium Dominicæ Passionis significant. S. Thom. in 6. Cant.

Mare rubrum. Apertiùs Christi Passio in illo populo (rubrum mare transeunte) figura est. S. Aug. lib. de Catech. rud. cap. 20.

Margarita. Una pretiosissima margarita. Matth. 13. est scientia Salvatoris, & Sacramentum Passionis. S. Hieron. apud S. Thom. in Cant. sup. 13. Matth.

Myrrha habet amaritudinem: & sic si referatur ad corpus Christi, signat amaritudinem passionis. Sanct. Thom. in ps. 44.

Nardus, typus est Dominicæ Passionis. S. Thom. in Cant. cap. 4.

Noe. est Noe, calice, denudatus, & rursum surgens absque crapula. S. Aug. in ps. 8. In Cruce manducavit, & bibit, & ebriatus est, & dormivit. Drogo Ost. serm. de Pass. Dom. Christus inebriatus est, dum passus est; nudatus, dum crucifixus est, in domo sua, id est, in gente sua. S. Isidor. c. 8. in Gen. Christus est Noe: vinea, quam plantavit, est Ecclesia. Nudatus est in cruce S. Bonav. ser. 2. D. Sept. Noe Christum significat; qui fortissimo charitatis vino inebriatus fuit. Cui bene ebriorum proprietates conveniunt. Ebrius enim nudatur quandoque - fatuè incedit inermis audacter invadit armatum. Id. ser. 3. in Parasc.

Panis, Lev. 2. in craticula coctus, & oblatus, & aspersus oleo; Christus est pro nobis in Cruce passus, & toties unctus Spiritu Sancto. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 21. Panes ordeacei. Joan. 6. asperi ad comedendum, possunt significare quinque aspera vulnera Christi; quibus animæ nostræ reficiuntur. S. Bonav. ferm. 5. Parasc.

Passer, *Asperges domum, &c.* Lev. 14. Domus leprosi Mundum, Passer carnem Christi, aquæ viventes baptismum, septem asperiones septem sanguinis Christi effusiones, significare possunt. S. Bonav. ser. 1. D. Passion.

Petra, quæ percussa aquam evomuit, Christi figuram habuit: ad quam velut virga lignum Passionis accessit; ut emanaret Credentibus gratia. S. Isid. c. 24. in Ex.

Phœnix. In quo omnium speciarum virtutes requieverunt: qui pro dilectione nostra in altari Crucis crematus est. S. Vinc. Ferr. serm. 1. D. Palmar.

Piscis assus in littore, id est, in fine sæculi. Rupertus Abb. de Div. Offic tr. 8. c. 9.

Sanguis Christi est carbunculata gemma. S. Aug. serm. 21. de temp. Occidite. Exod. 12. agnum anniculum, & sanguine ejus finite januas. Quid ait Moyses? sanguis ovis rationabilem hominem liberare consuevit: valde inquit non eò, quòd sanguis est; sed quia Dominici sanguinis per eum demonstratur exemplum - Nunc ergo si viderit inimicus, non postibus impositum sanguinem tibi, sed Fidelium ore lucentem sanguinem veritatis, Christi templi postibus dedicatum; multò magis se subtrahit. S. Chrysost. hom. ad Neoph.

Sepulchrum Christi. David in spelunca latet à facie Saul, Christus in carne latet à facie Judæorum - Hoc ergo monumentum spelunca erat. Illuc fugit à facie Saul (Christus David) tandiu enim persecuti sunt illum Judæi, quoadusque poneretur in spelunca. S. Aug. in ps. 56.

Signaculum se dicit Christus. Cant. 8. culptus enim fuit in Passione, manus, & pedes, clavis, latus lancea, caput spinis. Hoc ergo sigillum cordi imprimere debes per amorem. Sed attende, quòd non bene imprimitur sigillum, nisi cera affectus liquefiat per ignem Spiritus Sancti. *Factum est cor meum sicut cera liquescens*. Ps. 21. S. Bonav. ser. 4. D. infra Octav. Nat. Dom.

Serpens. Quid Serpens persuasit homini? mortem. Ergo mors à Serpente. Si mors à Serpente; virga in Serpente. Ex. 4. Christus in morte. - Et tamen expavit, & fugit Moyses - Mortuus est Christus, & expaverunt Discipuli; & ab illa spe, in qua fuerant, recesserunt. Sed quid dictum fuerat? *Apprehende caudam ejus*. - Primò factus est Serpens, sed cauda retenta facta virga: primò occisus, postea surrexit. - Est etiam in cauda Serpentis finis sæculi. S. Aug. in ps. 73.

Sol occidens. Occasus Christi, Passio Christi. Sed numquid sic Sol occidit, ut non oriatur? *Numquid, qui dormit, non adijciet, ut resurgat?* S. Aug. Conc. 3. in ps. 103.

Somnus: Mors Christi, dormitio: propter tria, quæ dormienti conveniunt. Propter facilem evigilationem. Joan. 10. *Potestatem habeo, &c.* Propter minimam moram. Matth. 12. *Sicut fuit Jonas, &c.* (quis enim ultra noctem dormiat?) & propter integritatem. ps. 15. *Non dabis sanctum, &c.* S. Bonav. in ps. 3.

Tympanum. Quoniam, qui crucifigitur, in ligno extenditur, ut autem tympanum fiat, caro, id est, corium, in ligno extenditur, dictum est, *tympanizabat*, id est, crucifigebatur; in ligno extendebatur. S. Aug. Conc. 1. in ps. 33.

Vermis.

Vermis. Vermis in cruce, scarabæus in cruce, - quid clamavit? (Abac. 2. secundùm Sept.) *Domine, nè statuas, &c.* Clamavit quasi scarabæus: *DEUS DEUS meus! &c.* - Et bonus scarabæus; qui lutum corporis nostri antè informe, ac pigrum, virtutum versabat vestigiis. Bonus scarabæus, qui *de stercore erigit pauperem*. Erexit Job qui sedebat in stercore. S. Ambr. l. 10. in Luc.

Vulnera Christi. Nobilissima sepulchra animarum sunt vulnera Christi. Sepelietur in eis anima meditatione, & contemplatione. Sepulchrum dicitur *monumentum*, id est, *monens mentem*. S. Vinc. Ferr. ser. 3. D. 5. Pent.

Varia.

Christus est *Arca Noe*? ostium hujus, est lateris vulnus; de quo Augustinus: quid angustius illo foramine? Et tamen per illas angustas portas ferè totus Mundus intravit. S. Bonav. s. 4. Dom. 1. Pasch.

Vulnera Christi, *porta cœli* sunt. S. Bonav. s. 4. in Parasc.

Adam in figura Christi, Eva in figura Ecclesiæ. - Quando fabricata est Ecclesia? dum dormiret Adam, sic, &c. Sanct. August. in psalm. 40.

T I T U L U S XI.

CHRISTI DOMINI RESURRECTIO.

Adam. In actu evigilantis Adæ, figura est Domini resurgentis. Unde Apostolus, factus est primus homo, &c. S. Aug. ser. 153. de temp.

Botrus. Quasi fasciculus myrræ mihi fuit; sed in resurrectione sua factus est mihi botrus Cypri. S. Thom. in 1. Cant.

Capreæ. *Revertere, similis esto dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum, super montes Bethel*. Bethel est *Domus DEI*, seu Ecclesia. Montes sunt Apostoli, quibus apparuit. Rupertus Tuit. de Div. offic. l. 7. c. 15. Capreæ campos despiciunt, & ad alta montium eniruntur, Christus ergo capreis comparatur: quia secundùm carnem resurgens à mortuis cœlorum alta peziit. S. Thom. in Cant. 2.

Catulus leonis. Bene requievit ut catulus leonis: quia die tertia resurrexit. S. Isidor. c. 31. in Gen. Et ibidem dicit; quòd Physici scribant, catulum leonis natum, diebus tribus, & noctibus dormire; postea per rugitum matris excitari.

Clavis Resurrectionis est Christus. Tertull. lib. de Orat.

Columba. Tamquam columba à mortuis resurgens evolavit ad cœlestia. S. Ephr. tom. 2. serm. ad FF.

Crystallus, dicitur: quoniam ex mortuis resurgens gloria immortalitatis clarus effulsit. S. Thom. in 21. Apoc. Christus resurgens, factus est firmamento crystallinum. Crystallus ex aqua congelascit. Corpus Christi antè mobilem passionibus sicut aqua, in resurrectione induruit ad omnes passibilitates, & mobilitates. S. Greg. hom. 7. in Ezech.

Daniel liberatus de lacu leonum, significat Christum resurgentem. S. Bonav. fer. 4. in Pascha.

David. Christus, est David; qui interfecit leonem, diabolum; & ursum, carnem. In urso caro significatur: sequitur enim mel, sicut caro voluptatem. S. Bonav. s. 2. D. 2. Pascha.

Granum, est Christus; qui rusurgens abundantem fructum dedit. S. Aug. præf. ad Ps. 40.

Sampson consurgens, & ferens portas ad montem, signat Christum resurgentem. Sampson interpretatur *Sol eorum*; Christus fuit clarior Sole. S. Bonav. serm. 5. in Pascha.

Sol. In Sole significantur quatuor dotes corporis glorificandi. In Solis splendore claritas; in perpetuitate impassibilitas, in hoc, quod v. g. vitrum sine ejus læsione penetret, subtilitas: in velocitate cursus ejus agilitas. S. Bonav. ser. 5. in Pascha.

Virga post aridatem virescens, Christus est post mortem resurgens: ipsum enim virgam, ipsum florem intelligimus. S. Isid. in Num. 15.

Alia de Resurrectione Christi Domini.

Crystallus. Crystallus dicitur: quoniam ex mortuis resurgens gloria immortalitatis clarus effulsit. Crystallus claret. S. Thom. in Apoc. 21.

Domina, dierum. Hæc (dies Resurrrectionis) domina, & regina est dierum. S. Ephr. de Cruce Dom.

Erectio lapidis. Erectio lapidis (Gen. 28.) resurrectio Christi est. Sanct. Thom. s. 2. de Resurr. Dom.

Ferrum. 4. Reg. 4. Christi Resurrectio figurata est in ferro in aquam lapso, & ad lignum resiliente. Sanct. Isidor. cap. 5. in 4. Reg.

Odor balsami. Ex Resurrectione, quasi suavissimi balsami odore, per universum Mundum redoluit Christus. S. Tho. in Cant. 1.

Venerabilis dies. Venerabilis est hic dies: quia Dominicus dies, & dies primus, atque perfectus est: & dies clarus; in quo visa prima lux. In quo transgressi sunt filii Israel mare rubrum: in quo pluit manna filiis Israel: quo Dominus baptizatus est: quo vinum de aqua in Cana Galileæ factum est: quo benedixit Dominus quinque panes, quibus satiavit quinque millia. S. Aug. serm. 154. de temp.

T I T U L U S XII.

CHRISTI DOMINI ASCENSIO.

Aquila. Aquila est: quia post Resurrectionem ad astra remeavit. S. Isid. l. 7. Orig. c. 2. *Ascendit ad montem*. Matth. 15. ut quasi avis teneros fœtus provocet ad volandum. Sanct. Hieron. apud S Thom. sup. 14. Matth.

Arbor. Ascendendo in cœlum exaltatus ut arbor est. S. August. in Append. s. 82.

David. Venit Christus (velut David in castra Saul. 1. Reg. 26.) non eos (Judæos) occidit; sed tulit ab eis scyphum, idest, gratiam Legis. Tulit, & sceptrum regale regni, scilicet potestatem. S. Isidor. c. 18. in 1. Reg.

Elias. Elias est, nobis relinquens pallium, idest, Carnem suam. Drogo Ostiensis serm. de Pass. Dom. Elias melotem discipulo reliquit: Filius autem DEI ascendens suam nobis Carnem dimisit. Sed Elias quidem exutus Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. S. Chrysost. hom. 2. ad Pop.

Elisæus. Ascendit in montem Bethel, & conversus maledixit pueris: & exierunt duo ursi de sylva, & interfecerunt pueros. Christus ascendit in cœlum; maledixit Judæis: immisit duos ursos, Vespasianum, & Titum, in Judæos. S. Isid. c. 3. in 4. Reg. 2.

Glorificatio nostra. Ascensio Christi glorificatio nostra est. S. Aug. s. 125. de temp.

Joseph. Dominus noster, postquam de inferorum carcere surrexit, ascendit currum regni cœlestis. Joseph, qui typum Christi induerat, currum meruit; & præco præconavit ante eum. S Isid. c. 30. in Gen.

Manus Dei. *Tollam in cœlum manum meam*. Deut. 32 idest, Filium meum. S. Thom. in ps. 16.

Novus Homo. Angeli admirantes novum Hominem sedem conscendere dexteræ Deitatis, vocibus sese impetebant alternis: *tollite portas, &c.* Sanct. Ildefonsus lib. de Virginitate B. V. c. 10.

Passer solitarius. Ascendit in cœlum: factus est sicut passer volando, idest, ascendendo, singularis in tecto, id est, in cœlo. S. Aug. in ps. 101.

Peregrinus Homo. Homo iste (Matth. 25.) Christus est; qui peregrè profectus est in Incarnatione in Passione, in Ascensione. Sanct. Thom. serm. 2. in festo S. Sylvestri. Homo (Marci 13.) qui peregrè proficiscens reliquit domum suam, Christus est: qui ad Patrem post Resurrectionem suam victor ascendens Ecclesiam corporaliter reliquit: quam tamen numquam Divinæ præsentiæ præsidio destituit. V. Beda apud S. Thom. in Cat. supra 13. Marci.

Radix. De Domino nostro prophetatum est: *Ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti*. S. Aug. ho. 36. de divers.

Situla. Sicut situla descendit in puteum ad hauriemdam aquam, & ascendit stillando: sic Christus ascendit in puteum uteri Virginei, & *ascendens dedit dona hominibus*. S. Vinc. Fer. s. 5. D. 9. Pent.

Triticum. Corpus Christi in Virgine conceptum significatur per triticum jacens in acervo: in Mundo pro nobis passum, per triticum cadens in agro: in cœlo glorificatum per triticum in panis complemento existens. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. cap. 10.

Volatus. *Volavit super pennas ventorum*. Psal. 17. Mysticè hìc ponitur mysterium Incarnationis. Secundò ejus Ascensio. - *Ascendit super Cherubim*. S. Thom. in ps. 17.

Varia de Christo Domino promiscuè.

Quid nobis, & tibi, Fili Dei? Hoc est dicere: vitæ auctor, quid tibi cum mortuis? habitator cœli, quid tibi cum sepulchris? odor paradisi, quid tibi cum fœtore? S. Chrysol. ser. 16. de duobus dæmoniacis.

Omnibus omnia factus. Tibi Rex, tibi Sacerdos, Pastor, Sacrificium, Ovis, tibi Agnus; tibi totum factus est, qui fecerat totum. Id. s. 23.

Quis est fons vitæ? nisi Christus. - Hic (in rebus corporeis) aliud est fons ad lumen: ibi (in Christo) non ita: quod enim est fons, hoc est & lumen. Et quidquid vis, illud vocas; quia non est, quod vocas; quia non potes congruum nomen invenire, non remanet in uno nomine. - Fons est, quia satiat sitientes; lumen, quia illuminat cœcos. S. August. in psal. 35. Si Sacramenta cogites; Christus Sanctus

Sanctorum : si gregem subditum cogites ; Christus Pastor Pastorum : si fabricam cogites ; Christus fundamentum fundamentorum. - Et quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic fundamentum spiritualis fabricæ in summo est. Sanct. Augustinus in psalm. 116. Omnia Christus est nobis : si vulnus curare desideras, medicus est : si febribus æstuas, fons est. Sanct. Ambros. lib. 3. de Virginib. Si gravaris iniquitate, justitia est : si auxilio indiges virtus est; si mortem times, vita est : si cœlum desideras, via est, si tenebras fugis, lux est : si cibum quæris, alimentum est. Id. ibidem.

Gemma nisi auro non convenit. Estote ergo aurum; ut possit *in vobis* margarita spiritualis includi. Margarita est Christus Dominus. Id serm. 6.

Ego ipse sum Pater, ego Frater, ego Dominus; ego Sponsus, ego Nutritor, ego Vestis, ego Radix, ego fundamentum. Quidquid volueris, ipse sum. Nulla re indigebis ; ego tuus ero minister. Veni enim, non ut mihi ministretur, sed ut ego aliis ministrem. Ipse Amicus sum, Membrum, Caput, Frater, Soror, Mater, universa ego sum ; dummodo mihi, ut decet afficiaris. S. Chrysost. hom 77. in Matth.

Omnia Christus tibi factus est : & mensa, & vestimentum, & domus, & caput, & radix : *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Gal. 3. Ecce quomodo vestimentum tibi est : vis discere, quomodo & mensa tibi sit? Quime comedit, inquit Joan. 6. *Vivet ille propter me*. Qui autem domus est tibi : qui comedit *Carnem meam, in me manet, & ego in eo*. Joan. 6. Et qui radix, rursum inquit Joan. 15. *Ego vitis, vos palmites*. Et qui frater, & amicus, & sponsus: *non amplius vos dicam servos*. S. Chrysost. hom. 21. ad Pop.

Quomodo Christus, & Caput, & fundamentum ; cùm Caput sit sursum, fundamentum deorsum ? Respondet S. August. Præfat. ad 2. Expos. ps. 29. Rebus ad ima tendentibus, in imo ponis fundamentum. Ecclesia verò DEI in imo posita tendit in cœlum, fundamentum ergo nostrum ibi positum, est Dominus noster Jesus Christus.

Quæ ratio : quòd multis nominibus appellatur ? modò Verbum, modò virtus, modò sapientia, modò dextera, modò brachium, modò margarita, modò thesaurus, modò retia, modò aratrum, modò veritas, & vita ; cùm sit DEUS *omnia in omnibus* : ut per hæc vocabula Divinarum dispositionum mysteria cognoscentur, non ut ipsa majestas Filii Dei propriè definita demonstretur. S. Aug. c. 190. de temp.

T I T U L U S XIII.

COGITATIONES.

Capilli capitis vestri omnes numerati sunt : Cogitationes filiorum atque intentiones cordis. Sanct. Ephr. de Cruce Dom. Per capillos Ecclesiæ subtiles cogitationes accipiuntur. Comparantur autem gregibus caprarum, quia hæc animalia munda sunt, & in rupibus pascuntur. S. Thom. in c. 4. Cant.

Cuminni, sunt intimæ cogitationes Sanctorum. Sanct. Thom. in 5. Cant.

Cor. Per cor cogitatio ; & per brachium designatur operatio. S. Isid. in Cant.

Facies vestra, idest, cogitationes vestræ. Sanct. Thom. in ps. 33.

Homicidæ. Attende igitur tibi ipsi, nè per negligentiam piratas illius maligni intromittas. Intelligis, ò frater, qui sint illi piratæ, & homicidæ ? cogitationes sordidæ, atque morosæ. S. Ephr. de Virginit.

Ligna. Coquens (seu cocus) est diabolus : qui malas cogitationes ministrat ; sicut cocus ministrat ligna. S. Thom. in ps. 20.

Nox. Cymeriæ tenebræ, turpes cogitationes sunt, & obscura Orci nox. Perling. S. J. Conv. Sac. dist. 3. c. 5. n. 6.

Os anima. Os cordis, idest, animæ ; est meditatio, seu cogitatio. S. Bonav. de 2. itin. ætern. dist. 4.

Ovis. Joachim ut pecudum Pastor cogitationes suas non minùs, quàm oves pascebat. S. Joann. Damascen. orat. de dormit. B. V.

Pedes. Lavabunt Aaron, & filii ejus. (Ex. 30.) manus, & pedes, idest, opera, & cogitationes, aqua compunctionis, & confessionis. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 15.

Pili, significant carnis cogitationes. S. Isid. c. 6. in Num.

Semen. Quemadmodum semen bonum, & electum, in terra bona, ac pingui : sic cogitationes bonæ in mente Monachi. S. Ephr. f. de vit. Relig.

Spinæ. Ut spinæ, & tribuli, inter sata optima: ita sordidæ cogitationes in anima Monachi. S. Ephr. serm. Ascet. de vita Relig.

Tela aranearum, est fragilis ; ita cogitationes peccatorum sunt vanæ. S. Thom. in ps. 38.

T I T U L U S XIV.

CONCIONATOR.

Abyssus. Numquid & ipsi abyssus ? Ut noveris, quia abyssus & ipsi, Apostolus ait 1. Cor. 4. *Minimum est, ut a vobis dijudicer*. - Quanta autem, abyssus sit, audite ampliùs ; *neque enim ego meipsum dijudico*. Tantamne profunditatem creditis in homine esse, quæ lateat ipsum hominem, in quo est ? Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro ; quando, quid in se ageretur, intus nesciebat ; & se moriturum cum Domino, vel pro Domino, temerè promittebat. S. Aug. in ps. 41.

Angelus. Joann. 5. est doctor ; qui movet aquam, dum, movet ad compunctiones. Sanct. Bonavent. serm. 2. Dom. 4. Pent.

Bos ruminans, & fissam habens ungulam, sunt doctores, prædicatores, studentes, & utriusque testamenti scientes. S. Vinc. Ferr. s. in Nat. Dom.

Calceamenta. Apostoli deposuerunt calceamentum corporale, quando missi sunt sine calceamento. Luc. 10. Sed non statim Dei calceamenta portarunt. Fortasse post resurrectionem Domini portare cœperunt. Marci 16. *Ite prædicate*. Est igitur calceamentum nuptiale, Evangelica prædicatio. S. Ambros. l. 2. in Luc. Hæc est præparatio Evangelii ad cœlestem cursum dirigens præparatos. Id. l. 7. in Luc.

Cervus. In cervis, vel ibicibus, magistrorum spiritualium persona signatur. Ipsi, velut ibices. (Job 39.) in petris pariunt : quia in doctrina Patrum, qui petræ pro soliditate vocati sunt, ad conversionem animas gignunt ; ipsi velut ibices nullius casus damna sentiunt ; dum in suis cornibus excipiuntur. (Abac. 3. *Cornua in manibus*.) - ipsi more cervorum interemptis vitiis, quasi extinctis serpentibus vivunt. Et (hinc) ad fontem vitæ acriùs inardescunt. Ipsi more cervorum, dum labentia hujus mortalitatis momenta, quasi quædam flumina transeunt, compatientes charitate onera sibi invicem supponunt. S. Gregor. mor. l. 30. cap. 16. ut unum de multis loquar : video Paulum quasi quandam cervam in partu suo magni doloris rugitus emittentem. Gal. 4. Filioli, *quos iterum parturio*. Gal. 3. O *insensati Galatæ, &c.* Id. ib. cap. 21. Quia Sanctus prædicator, ubi peccatores esse considerat, illuc anxiè pervolat. Id. l. 31. c. 37.

Cœli. Dicuntur cœli propter plura. 1. quia sunt luminosi, & lumini diffusivi. 2. sunt uniformiter motivi, & in suo motu velocissimi : motus iste, est cura de salute subditorum. Moventur autem ab Oriente ad Occidentem ; hinc iterum ad Orientem ; quando à contemplatione eunt ad prædicationem & ab hac ad priorem redeunt. Tale cœlum fuit Moysis ; qui descendens de monte, postquam fregit vitulum. Ex. 32. reversus est ad Dominum. Sanct. Bonaventura Opusc. Eccl. hierarch. p. 4. cap. 3. - 3. Cœlum est primum generationis, & corruptionis effectivum. Et hoc propriè convenit (Prædicatoribus) qui filios gratiæ per Evangelium generant vitium extrahunt, & extirpant. - 4. Cœlum est inferiorum informativum : & inferiora enim sunt in superioribus, tanquam in propriis formis, ut dicit Philosophus. Quia secundùm varias corporum impressiones figurantur, & formantur species inferiorum, &c. Id. ibid. Cœli prædicatores, terra autem auditores. S. Aug. in ps. 95.

Cœli concentus. Job 38. Quid per cœli concentum, nisi concors prædicantium sermo signatur ? S. Greg. l. 30. c. 7.

Cœmentarii sunt, qui parant ædificium animarum. Id hom. 13. in Ezech.

Consules terræ. Reges sunt Sancti Prædicatores Ecclesiæ qui sibimet ipsis præsident. Terræ autem consules : quia extinctis peccatoribus vitæ præbent consultum. - An terræ Consul non erat, qui dicebat. 1. Cor. 7. *de virginibus consilium do*. S. Greg. l. mor. c. 33. & 34. eundem S. Paulum vocat Consulem.

Currus, & auriga. Eliæ 4. Reg. 1. Quid est, fratres charissimi, quod Elias currus, & auriga ejus dicitur? nisi quia auriga agitat, currus portat. Doctor ergo, qui mores populi, & per patientiam sustinet, & sancti eloquii verbis docet ; & currus dicitur, & auriga. Id. hom. 21. in Ezech.

Fervor. Quia oleo ignis accenditur, oleum doctoris, amor est cordis ; in quo ignis accenditur : quia in pinguedine oris virtus, & gratia ardet Spiritus Sancti. S. Greg. l. 6. cap. 3. in 1. Reg.

Flumina, & fulmina. Quia corda audientium rigant, dicuntur flumina. Ps. 92. quia verò accenduntur fulgura. Psal. 96. S. Greg. mor. l. 30. c. 4.

Flumen. Sacri tractator eloquii morem fluminis debent imitari - fluvius valles ex latere cavas tangens implet ; & postmodum in alveum redit. Sic Doctor, cùm de qualibet re disserit, ubi viderit occasionem ædificationis, debet nonnihil evagari, & dein redire ad priorem sermonem. S. Greg. ep. de lib. Job ad Leand. c. 2.

Fru-

Fructus ubi nullus. In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra. Ps. 136. hoc est, hominibus infructuosis, scilicet avaris, cupidis, &c. nos prædicamus Scripturas Dei promissa Dei. *Præcipe divitibus non altum sapere*, ait Apostolus 1. Tim. 6. Et dum hoc ait, jubet discipulum suum tangere organa, neque ampliùs suspensa tenere. S. August. in psal. 136. *Fructus varii, & labores*. Invenio ergo aliquem de Corpore Christi prædicatorem Verbi - Venerit inter aliquos, qui Christiani non sunt ; pelicanus est in solitudine. Venerit ad eos, qui fuerunt, & ceciderunt ; nycticorax est in parietinis : non enim tenebras deserit eorum, qui habitant in nocte ; & ipsos lucrari vult. - Venerit ad eos, qui Christiani sunt (sed tepidi) clamat ad eos passer ; non in solitudine ; quia Christiani sunt : nec in parietinis, quia non ceciderunt (id est, apostatarunt.) Sed tamen in tecto sunt : sub tecto potiùs ; quia sub carne sunt. S. Aug. in ps. 101.

Fundamenta. In Scriptura Sacra quid aliud fundamentâ, quàm prædicatores accipimus ? S. Gregor. l. 28. c. 9.

Gallus. Qui hoc loco alii galli nomine. Job 38. designantur nisi Prædicatores sancti ; qui student venturum lumen nuntiare. Rom. 13. *Non præcessit ; dies autem &c. hora est de somno surgere*. S. Greg. mor. l. 30. c. 4. Est adhuc aliud in gallo intuendum : quia priùs alas excutit, & semetipsum feriens, vigilantiorem reddit. Ipsi (Prædicatores) priùs cogitationum alis semetipsos feriunt : quia quidquid in se inutiliter torpet, sollicita investigatione deprehendunt, districta animadversione corrigunt. Id. ib. c. 7.

Gazophylacium. Quid per Gazophylacia designatur, nisi corda Doctorum, Sapientiæ, atque scientiæ divitiis plena ? qui igitur benè vivit, & prædicat prudenter, gazophylacium nominatur. S. Greg. hom. 18. Ezech.

Genæ Ecclesiæ, sunt spirituales Patres, qui in ejus facie venerabiles apparent. Id. hom. 16. in Ezech.

Grando, & carbones ignis. Qui etiam grando, & carbones ignis, vocati sunt. Ps. 17. quia & per correptionem feriunt, & per flammam charitatis accendunt. - Grando veniens percutit, liquata rigat. S. Gregor. mor. l. 29. c. 11.

Lingua canum medicinalis. Canes sunt Prædicatores. Isti habent linguam medicinalem, quando lingunt ulcera peccatorum. S. Vinc. Ferr. s. in f. 5. D. 2. in Quadr. Canes sunt omnes, qui habent officium prædicandi. Magis enim timent, & terrentur dæmones latratu prædicationis, quàm lupi latratu canum. Id. ser. 2. D. 2. Pasch.

Mater Christi. Sciendum nobis est ; quia, qui Christi soror, & frater, est credendo ; Mater efficitur prædicando. S. Greg. hom. 3. in Evang.

Maxilla Ecclesiæ sunt Prædicatores. Hinc est, quòd Sampson maxillam asini tenuit, & hostes peremit. Quia Redemptor noster simplicitatem, atque patientiam prædicantium suæ manu virtutis tenens carnales interfecit. S. Gregor. mor. l. 13. c. 7. & 8.

Medicus. Quid est peccator, nisi vulneratus ? & quid prædicator, nisi medicus ? Sæpe contingit, ut prædicator reverenter audiatur : nonnumquam verò à perversis despicitur. Unde dicitur. Ezech. 3. *ut adamantem, & ut silicem, dedi faciem tuam*. Adamas ad ornamentum sumitur ; silex ab itinerantibus calcatur. S. Greg. hom. 10. in Ezech.

Montes. Præparavit magnos Prædicatores, & ipsos appellavit montes : humiles in se, excelsos in illo (Christo) S. August. in ps. 64.

Novacula. Quid per novaculam. 1. Reg. 1. nisi malorum pastorum cupiditas exprimitur ? qua nati filii, caput raditur, cùm bona subditorum, per Prædicatorum cupiditatem, rapiuntur. S. Greg. l. 1. c. 2. in 1. Reg.

Nubes. Prædicatores sunt nubes. Is. 5. *Mandabo nubibus meis, &c.* Quando mutatur per Prædicatores DEUS, tonat per nubes : quando miracula facit, - coruscat. - Terret per nubes, & irrigat per pluviam. - Qui dicti sunt nubes, ipsi sunt & montes DEI. - Et quomodo, quando Sol oritur, priùs luce montes illustrat, & inde lux ad humillima terrarum descendit ; sic quando venit D. N. J. C. priùs radiavit in altitudinem Apostolorum. S. Aug. in ps. 35. Nota : Prædicatores dicuntur venti, dicuntur nubes : nubes, secùndùm corpus ; venti secundùm animam. Nubes, quia tonant minis, coruscant miraculis, pluunt doctrinis. Venti secundùm animam : quia ignoratur, spiritus hominis unde veniat ? aut quo vadat ? S. Bonav. in ps. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*. Ps. 17. In Prophetis enim, atque in omnibus Divini Verbi prædicatoribus, obscura doctrina est. S. August. in psal. 17. Prædicatores sunt nubes ; sicut ergo non possunt ire, quò volunt ; sic etiam nequeunt agere, sicut volunt. (Sed Spiritu, quasi vento reguntur, ac ultro, citroque ducuntur.) S. Gregor. l. 27. cap. 22.

Orationis sit additus. Adde, quòd nihil fructus ex homilia capi possit, nisi oratio adjungatur. Porrò sermoni oratio debet anteire ; sic Apostoli dicunt. Act. 1. & 2. *Nos in ratione, ac sermonis doctrina perseverabimus*. Sic Paulus facit, cùm in exordiis suarum epistolarum oret : ut perinde quasi lumen lucernæ lux ipsa orationis regat sermonem, ac dirigat. S. Chrysost. hom. 3. in Dei Nat.

Organum, & Cithara. Quia Organum per fistulas, & Cithara per chordas sonat ; potest per citharam recta operatio, organum verò sancta prædicatio designari. Per fistulas quippe organi, ora prædicantium ; per chordas, intentionem rectè viventium accipimus. S. Greg. mor. l. 19. c. 30.

Ostia. Job 38. Quid ostia (hæc) nisi prædicatores sancti ? quid per vectem, nisi Incarnatus Dominus, designatur ? - Ostia vocantur : quia & ingressum Fidelibus aperunt ; & rursum sese perfidis, nè ingrediantur, opponunt. Pensemus, quale Ecclesiæ ostium extitit. S. Petrus, qui Cornelium Act. 10. recepit, Simonem repulit. S. Gregor. l. 28.

Pascit. Magnam eleemosynam facit, qui dat ad comedendum centum pauperibus. Sed majorem eleemosynam facit prædicator ; qui dat ad comedendum quingentis, vel mille hominibus, de cibo, quem paravit in coquina Spiritus Sancti. S. Vincent. serm. 5. D. 5. Pent. Habeo, quod adhuc vobis apponam de fragmentis hesterni convivii ; quæ mihi collegeram, nè perirent. Peribunt autem si nulli apposuero. S. Bernard. ser. 50. in Cant. Quorum utinam ego fidelis cocus! utinam anima mea coquina utilis videatur ! siquidem, ad præparanda fercula vestra, tota hac nocte *conculcavit cor meum intra me ; & in meditatione mea exarsit ignis*. Idem ser. 1. de Omn. SS. Vobis fercula mea verba ista sunt : pascere omnes pane tractabili, atque visibili, non sufficio. Inde pasco, unde pascor. S. Aug. hom. 25.

Principes Ecclesiæ. Qui Principes. 1. Reg. 2. nisi sancti Apostoli designantur (de quibus ps. 44. Quid est, quòd pauper cum principibus sedet ? nisi, quia Ordo Prædicatorum de gentibus electus, in S. Ecclesia culmen Apostolicæ authoritatis obtinet. Nomine autem *Cardinum*. 1. Reg. 2. ipsos prædicatores voluit designari S. Gregor. l. 1. c. 2. in 1. Reg.

Prophetæ. Qui sunt Prophetæ ? 1. Reg. 10. nisi magni Prædicatores sanctæ Ecclesiæ. Prophetæ namque ministerium est, occulta revelare, & futura prædicere. Doctores autem S. Ecclesiæ dum occultos Scripturarum sensus, ad communem scientiam trahunt ; secreta, quæ nesciunt, aperiunt : &, dum æterna gaudia prædicant, futura revelant. S. Gregor. l. 4. c. 5. in 1. Reg.

Ruminat. Ruminatio ad sapientiam quomodo pertinet ? quia dicit Scriptura. Prov. 21. *Thesaurus desiderabilis quiescit in ore sapientis*. S. Ambr hom. 45.

Salutem aliorum quærendo, non negligat propriam. Asinæ Cis sunt animæ peccatrices. S. Greg. l. 4. c. 4. in 1. Reg. Cis, intermissis asinis, sollicitus est pro filio suo Saul : quia Redemptor noster sic vult nos quærere salutem alienam ; ut non negligamus nostram. Id. l. 4. c. 45. in 1. Reg.

Sagitta eorum verba. Intendunt arcum, atque sagittas mittunt ; psal. 77. qui Scripturæ Sacræ sententias proponunt, & verbis rectis auditorum vitia feriunt. Sanct. Greg. hom. 21. in Ezech.

Spinæ. Per spinam signati sunt doctrinæ spiritualis viri : qui, dum de peccatis, & virtutibus, differunt ; & modò æterna supplicia minantur, modò cœlestis regni gaudia promittunt ; corda audientium pungunt. S. Greg. hom. 40. in Evang.

Stellæ. Qui Stellarum quoque claritate figurantur : quia, dum recta peccatoribus prædicant, tenebras nostræ mentis illuminant. Id. mor. l. 9. c. 3.

Verus prædicat solum Christum. Supra fabrica totius Ecclesiæ nihil aliud in fundamento ponunt sapientes architecti, qui sunt Verbis prædicatores, nisi JESUM Christum : de quo fundamento crudelitas surgit. Sanct. Chrysost. hom. 2. in symb. Apost.

Vita conveniat dictis. Doctrina verborum sine exemplis operum, est sicut cæmentum sine calce aridum, & invalidum. S. Bonaven. Opusc. de sex alliis Seraph. c. 6. *Labia eorum palmi unius reflexa, &c.* Ezech. 40. O Doctor ! ecce jam mensa es ; jam vasa portas. Sed intus reflecte labium, idest, ad cor revoca sermonem. Audi, quod dicis, operare, quod prædicas. S. Gregor. hom. 21. in Ezech. omni tuba documenta sunt operum clariora : vitaque munda ipsa est luce fulgentior. S. Greg. hom. 15. in Matth.

T I T U L U S XV.

CONCUPISCENTIA CARNIS.

Absolon. Moraliter potest legi psalmus iste (tertius, in persona uniuscujusque Fidelis ; qui à vitiis, & cupiditatibus impugnatur. Et secundùm hoc per David accipitur quilibet Fidelis : per Absolon vitia, & carnales concupiscentiæ. S. Thom. in ps. 3.

Adeps, in Scriptura quandoque in bono, quandoque in malo accipitur. In bono, secundùm quod signat devotionem mentis. Ps. 62. *Sicut adipe, & pinguedine, repleatur anima mea*. In malo : secundùm quod signat nequitiam cordis, oris, operis: & ideo signat detestabilem malitiam. Job 21. *Viscera impii plena*

sunt adipe. - Dicit ergo adipem suum, idest, carnalem sensum, vel delectationem. S. Thom. in ps. 16.

Alabastrum. Fractum alabastrum, carnale desiderium est: quod frangitur recumbente ipso (Christo) idest, humiliante se; ut eum tangeret fides peccatricis, S. Hieronymus apud S. Thomam in Cat. sup. 14. Marci.

Aquæ. Moyses Ægyptum deseruit, Benedictus Mundum; ille filios Israel in desertum introduxit; iste Monachos: ille dedit legem; iste regulam. - ille fuit Moyses re, & nomine; iste Benedictus re, & nomine: fuit enim assumptus de aquis carnalis concupiscentiæ. S. Thom. Ser. 1. in festo S. Benedicti. Mihi autem videtur juxta tropologiam lunaticus esse, qui per horarum momenta mutatur ad vitia: & nunc quidem in ignem fertur, quo adulterantium corda succensa sunt: nunc in aquas, scilicet voluptatum, vel cupiditatum; quæ non valent extinguere charitatem. Sanct. Hier. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 17. Matth. Vel ignis ad iram pertinet; eo quòd alta petat: aqua verò ad voluptates carnis. S. August. ibid.

Canis. Tritum est, fornicariorum symbolum, canes. Perling. dist. 2. c. 5. n. 8.

Dæmonium. Hoc genus dæmonii, idest, ista carnalium voluptatum mutabilitas, non vincitur; nisi spiritus oratione confirmetur, & caro per jejunium maceretur. Glossa apud Sanct. Thom. sup. 17. Matth.

Favus. Delectationes corporales quandoque sunt manifestæ, & sic est mel: quandoque sunt absconditæ, & dulciores; & sic est favus. S. Thom. in ps. 18.

Febris est æstus carnalium desideriorum. Sanct. Isid. in allegor.

Fervor. Panis cœlestis in similitudinem pruinæ, & roris, apparebat: quia Corpus Domini à fervore pravæ concupiscentiæ refrigerat. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 6.

Folliculi granorum. Vellere spicas, est homines à terrena intentione eruere: fricare autem manibus, & exemplis virtutum; à carnis concupiscentia, quasi à quibusdam folliculis, puritatem mentis exuere. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 2. Marci.

Formæ sæculi. Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini. Rom. 12. Sciendum, quod triplex est forma Sæculi. Prima est terrenorum cupiditas; secunda, carnalis concupiscentia; tertia: vitæ superbia. De his tribus 5. Joan. 2. *Omne quod est in Mundo, &c.* Sciendum, quòd ista triplex forma dat triplex esse: quia prima forma dat esse terrenum, secunda animale, tertia diabolicum. Avaritia facit hominem terrenum, concupiscentia carnis carnalem, superbia etiam similem facit diabolo. S. Thom. ser. 1. D. infra Octava Epiph.

Gabaonitas, idest, carnales homines expugnant. S. Isid. c. 12. in Jos.

Inimici. Persequar inimicos meos, idest, carnales affectus. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis &c.* Sanct. Thom. in ps. 17.

Jumenta impudica, & insipientia, sunt homines stulti carnales; DEUM præ oculis non habentes. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 3.

Lac. Nota super illo verbo, *ablactatos lacte*: quia est quoddam lac, quod debet deseri. Et istud est multiplex. 1. Carnalis concupiscentiæ. 2. Imperfectæ Justitiæ. 3. Rudis doctrinæ. S. Thom. in 28. Is.

Motus fluctuum. Mare significat multas miserias hominis; motus fluctuum, stimulum carnis. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 24.

Navis. Debet ille, qui Dominum vult sequi, relinquere navim, idest, concupiscentias carnales; & retia, idest, implicamenta mundana. S. Haymo hom. de S. Andr. Ap.

Olla Ægyptiaca, sunt carnalia desideria. Sanct. Isid. c. 8. Num.

Palpebræ. Castus profectò, columbinusque oculus, amor est: qui in rebus usui humano concessis nulla libidine figitur; sed in transitoriis contemplatur æternum. Iste oculus qui non clauditur, quia carnalitatis palpebra caret, nullo turbatur injecto, &c. S. Bernard. de Charit. c. 4.

Pecus. Carnali concupiscentiæ dediti, sunt pecora. S. Isid. c. 3. in Gen.

Pluvia. Sicut ventus Aquilonaris pluvias dissipat, nubes fugat, aerem serenat, reptilia exterminat, & aquam congelat: ità timor Domini dissipat pluvias carnalium delectationum, fugat nubes carnalium imaginationum. S. Ephrem de Monachis, & Turture tomo 2.

Pondus. Amor Divinus verè penna est; sicut è contrario amor creaturarum, verè est pondus. S. Bonavent. serm. de SS. Sim. & Juda.

Sanguinis fluxus. Peccator patitur fluxum Sanguinis tribus modis. 1. Per nimium amorem consanguineorum. 2. Propter fluxum carnalium delectationum. 3. Propter operationem quorumlibet peccatorum. *Sanguis sanguinem tetigit*, idest, peccatum. S. Thom. ser. 2. D. 24. Pent.

Sicera. Vinum, quod Joannes bibere prohibet, luxuria intelligitur. Sicera autem, carnis dulcedo. Arnob. Annot. c. 1. in Luc.

Socrus Petri. febriens, Synagogam significat, æstu carnalium desideriorum accensam. S. Isid. in Allegor.

Venter. De absconditis tuis adimpletus est venter eorum, idest, de peccatis non confessis. Venter eorum, carnalis concupiscentia. S. Thom. in ps. 16.

Vincula. Super illo verbo, *solve vincula*, nota: quòd sunt vincula, à quibus solvit DEUS. 1. Mundanæ sollicitudinis Job 39. *Quis dimisit onagrum, &c.* 2. Carnalis amoris. Eccl. 7. *Inveni amariorem morte &c.* S. Thom. in 52. Is.

Vinea. Est multiplex vinea. 1. Carnalis concupiscentiæ. - Et hujus est. 1. vinum iræ. Deut. 32. *Fel draconum, vinum eorum*. 2. Luxuriæ. Apoc. 18. *de vino fornicationis*. 3. Ineptæ lætitiæ. S. Thom. in Is. 5.

Vulnus. Per stuppam, qua alligantur vulnera, intelligitur temperantia; qua vulnus carnalis concupiscentiæ alligatur. S. Thom. Ser. 3. D. 3. Epiph.

T I T U L U S XVI.

C O N F E S S I O.

Aneidotum est, quo nos DEUS sanat. Goffridus Abb. ser. 5. de Resurr. D.

Aries. DEI Altare est pœnitentia - sacrificium est sine sumptu non enim quærit arietem, sed confessionem. S. Ephr. de Pœnit. tom. 3.

Cantus. Bonos cantores faciunt tria: scilicet bonæ vocis instrumentum, artis documentum, usus exercitamentum. Bonæ vocis instrumentum tria faciunt: reumatis expurgatio, pectoris dilatatio, oris apertio. S. Thom. in festo SS. Innocent.

Frondes. Comparatur pœnitens arbori, cujus radix est contritio, frondes confessio, flores sancta devotio, fructus bona opera &c. S. Bonav. diet. sal. tit. 2. c. 1.

Gladius, peccatorum confessio est. Perling. dist. 3. c. 5. n. 11.

Judæa. Per Judæam significantur confitentes; quos visitat Christus. Ubi enim est peccatorum Confessio, illuc venit Christus, & Discipuli ejus, idest, doctrina, & illuminatio ejus. Alcuinus apud S. Thom. in Cat. sup. 2. Joan.

Medicina. Confessio est medicina laxativa. Hugo de Prato ser. de S. Cathar.

Opus Domini. Est incomparabilis suæ dilectionis opus præcipuum. Goffrid. ser. 5. de Resurr. Dom.

Piscina probatica. Id. Opusc. 15.

Victoria DEI, verecundia diaboli. Id. ser. 5. de Resurr. Dom.

Verum. Nullas in se sordes celat. Sic Sancta electorum simplicitas sua peccata purè per Confessionem revelat. S. Thom. in 21. Apoc.

T I T U L U S XVII.

C O N S C I E N T I A.

Aurum. Duæ res sunt mihi necessariæ Conscientia propter me; bona fama, propter proximum. Bona vita notatur in auro, fama in thure. Dicitur autem bona vita aurum, propter quatuor. Est enim aurum pulchrum in colore, pretiosum in valore, ponderosum in gravitate, incorruptibile in soliditate. Omnis (colorati) pulcritudo consistit in luminibus, & characteribus Lumina sunt virtutes illuminativæ, ut perficiant intellectum: affectivæ, ut perficiant affectum: - Pretiositas, est humilitas. - Ponderositas, est morum honestas. - Incorruptibilitas, est perseverantia. - Thus significat bonam famam; quia est per fumum sui diffusivum, vicini aeris immutativum. Sanct. Thom. ser. 1. de Epiph.

Civitas. Nota super illo verbo: *Circuivi Civitatem*: quia debet homo circuire civitatem 1. propriæ conscientiæ, recogitando peccata. Ec. 12. *Circuibunt in plateis plangentes, &c.* S. Thom. in 23. Is.

Dæmoniacu. Si quis conscientiam habet alicujus vitii sorde pollutam, filiam habet malè à dæmonio vexatam. Rabanus apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth.

Domus. Homo iracundus, est sicut homo habens domum ligneam: qui manè est dives, & in vespere nihil habet: quia ignis iræ combuslit sibi domum, idest, conscientiam. S. Bonav. diet. sal. tit. 1. cap. 1.

Domus DEI, mens est, & conscientia Fidelium. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 11. Marci. Angusta est domus animæ meæ (scilicet conscientia) ruinosa est: refice eam. S. Aug. l. 1. Conf. cap. 5.

Gladius. (quo Abraham accinctus erat) significat acutissimum conscientiæ stimulum. S. Thom. in 22. Gen.

Lac. Est lac, quod debet amplecti. 1. puræ conscientiæ, propter nitorem. 2. Sanæ doctrinæ gloriæ, propter dulcorem. 3. Æternæ gloriæ propter facilem absorptionem. S. Thom. in 28. Is.

Lectus. Moraliter lectus, in quo homo quiescit, est conscientia. Hunc lavat homo per lacrymas in pœnitentia - Per stratum verò designantur peccata, quæ superstruuntur conscientiæ. - Per singulas noctes, idest, per singula peccata: de singulis enim peccatis debet homo pœnitendo plorare. S. Thom. in ps. 6. *Lavabo lectum meum*, idest, Conscientiam meam. ps. 31. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 5.

Sacerdos. Ipse sibi populus in Ecclesia Sacerdos quodammodo efficitur: quia conscientiam habet pro se Sacrificium offerentem. - In Ecclesia peccatores etiam, pœnitentiam agentes, Sacerdotes fiunt. S. Ephr. de Pœnit. tom. 3.

Spelunca. Mens Fidelium spelunca latronum fit; quando relicta simplicitate sanctitatis, illud conatur agere, quò valeat proximis nocere. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 11. Marci.

Spina, idest, remorsus conscientiæ, infigitur cordi meo spina, peccatum intelligitur. S. Thom. in ps. 31.

Terra bona, est electorum conscientia. V. Beda apud S. Tho. in Cat. sup. 4. Marci. Terra bona, est fidelis conscientia electorum, sive mens Sanctorum. Remigius apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

Tortor. Moraliter per servum illum Matth. 18. intelligitur peccator quilibet - A quatuor tortoribus torquetur: à DEO Conscientia, morte æterna, ab omni creatura. S. Thom. ser. 3. D. 22. Pent.

Venter. De absconditis tuis adimpletus est venter eorum, idest, de peccatis non confessis. Venter eorum, idest, Conscientia. *Saturati sunt filiis*. Alia lectio habet: *Saturati sunt porcina*, idest, immunditia peccatorum. Sanct. Thom. in ps. 16.

T I T U L U S XVIII.

C O N S I L I U M.

Aurum. Divini Consilii sincerissimum secretum significat. S. Thom. in Cant. cap. 5.

Castra. Per castra intelliguntur consilia, & conjurationes malorum contra aliquem. S. Thom. in ps. 26.

Civitas. Inimicus diabolus; framea, ejus tentationes; civitates, mala consilia. S. Thom. in ps. 9.

Oculus. Per oculum amicum utilem, & consiliarium, intellige. Haymo hom. in festo S. Mich. Arch.

Ova aspidum, idest, consilia venenosa. S. Thom. in 59. Is.

Semita, sunt Consilia. S. Thom. in ps. 22.

T I T U L U S XIX.

C O N S O L A T I O.

Aqua frigida. Sicut aqua frigida in magnis caloribus sitienti; ità consolatoribus sermo in tribulationibus. S. Ephr. serm. de vit. Relig.

Effundam aquas, idest, Consolationes. Sanct. Thom. in 44. Is.

Flumen. Consolatio exprimitur sub similitudinem fluminis: quia signat gratiam propter aquæ abundantiam: quia in gratia est abundantia donorum; sicut tribulatio exprimitur sub similitudine aquarum sonantium, & turbatarum. S. Thomas in psal. 45.

Lux. Expectavimus lucem Divinarum consolationum. S. Thom. in 59. Is. Lux consolationem, brachia potens, significant. S. Thom. in 51. Is.

Umbraculum. Spes defensionis à turbine, propter violentiam persequentis: umbraculum consolationis ab æstu, propter afflictionem persecutionis. S. Thom. in 25. Is.

T I T U L U S XX.

C O N T E M P L A T I O.

Ala. Sancta illa Ezechielis animalia suam singula manum sub ala habuisse dicuntur; ad insinuandum: viros spirituales manum actionis sub ala contemplationis continere. P. Alph. Rodericus p. 1. tr. 3. c. 9.

Aquila. Contemplativi sunt velut aquilæ. Alæ, quibus sublevantur, sunt lectio, & auditio. S. Vinc. Ferr. ser. 1. D. 3. Quadrag. Nota super illo: *assument pennas ut aquilæ*: quia sancti comparantur aquilis. 1. Propter volatus altitudinem. Job 39. *Nunquid ad præceptum, &c. & in arduis ponet nidum suum*; in quo eminentia contemplationis, &c. S. Thom. in 40. Is. Vide hic plura fusè. Nota, quòd prædicator debet esse aquila, propter sublimen contemplationem. S. Thom. in 8. Apoc.

Arx. Sciebat DEI Genitrix in arcem Divinæ contemplationis assumpta, processurum de se Dominum, tanquam de thalamo suo sponsum. S. Ildef. ser. 5. in Ass. Virg.

Avis. Dicens omnibus avibus, idest, justis à terrenitate elevatis. S. Thom. in 19. Apoc.

Ædificium. Humilitas est velut basis quædam in hoc contemplationis ædificio locanda. Petrus Sutor Carthus. l. 1. de vita Carthus. t. 3. c. 10.

Cantus. Ad artis (cantorum) documentum sunt tria necessaria. 1. Ut scias vocem levare. 2. Deprimere. 3. Concordare. Vox elevatur per contemplationem, deprimitur per humiliationem sui; concordatio vocis fit, concordiæ, & unitatis conservatione. S. Thom. in festo SS. Innocent.

Columba. Dicuntur Apostoli columbæ propter contemplationis altitudinem, vel velocitatem. Psal. 34. *quis dabit mihi, &c.* S. Thom. in 60. Is.

Facies, est vis contemplationis. S. Thom. in 1. Apoc.

Lectus animæ, est contemplatio, & meditatio de DEO, & ejus beneficiis. S. Vinc. Ferr. ser. 11. de Pace.

Mons signat cœlestem conversationem, & contemplationem. S. Thom. in 40. Is. Montes, idest, virtute, & contemplatione eminentes. S. Thom. in 6. Apoc. Mons altitudo contemplationis nostræ est. S. Isid. in 27. Ex. Exultate montes, idest, ratione præditæ naturæ; quæ ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis. S. Joan. Damasc. or. 1. de Nativit. B. Virg. Mons myrrhæ, & collis thuris, sunt excelsæ animæ Sanctorum per contemplationem. S. Thom. in 4. Cant.

Nubes. Cum nubibus, idest, cum Sanctis, qui volant per altam contemplationem. S. Thom. in 1. Apoc.

Oculus. Animæ nostræ oculus, intelligentia (seu contemplatio.) S. Bernard. Ser. 5. in Assumpt. V. Homo triplicem habet oculum, carnis, rationis, contemplationis; unde ratio oculus dicitur: item contemplatio. Hugo à S. Vict. apud Bonav. Breviloq. p. 2. cap. 12.

Puteus. *Invenit eum - ad puteum visionis*, idest, in contemplatione, & intelligentia veritatis. S. Isid. c. 19. in Gen.

Quercus umbrosa est arbor, & fortis: in qua secretior conversatio Sanctorum exprimitur. Hujus namque conversationis viridum ad exteriora opera activæ vitæ non exeunt, quasi in umbra sunt: quia incendia tentationum sentire non possunt. S. Greg. l. 4. c. 5. in 1. Reg.

Saliva. *Nec dimittis me, ut glutiam salivam*. Job 7. Caput unde defluit, est Divinitas: venter, ad quem fluit est mens: ipsa saliva est sapor intimæ contemplationis. Sed hanc salivam perfectè percipere hic nequimus. S. Greg. mor. l. 8. c. 21.

Sepulchrum. Sicut sepulchrum locus est, quo absconditur corpus; ità Divina contemplatio sepulchrum quoddam est mentis, quo absconditur anima. - Hinc est, quod Paulus Col. 3. dixit: *Mortui estis, &c.* S. Greg. mor. l. 5. c. 3.

Tonsio capitis, signum est contemplationis. Petrus Sutor. tr. 3. c. 5.

Turtur, quia est animal solitarium, significat contemplationem. S. Vinc. Ferr. serm. in Purif. V.

T I T U L U S XXI.

C O N V E R S A T I O.

Candelabrum. Supra Candelabrum, idest, super altitudinem conversationis, quæ secundùm DEUM est; ut aliis lucere valeat, lucernam ponere necesse est. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci.

Civitas. Relinquunt Civitates suas (ii qui sequuntur Christum, Matth. 14.) hoc est, pristinas conversationes, & dogmatum varietates. S. Hier. apud S. Thom. in Cat. sup. c. 14. Matth.

Cœlum. Moraliter per cœlum intelliguntur Sancti - propter conversationem cœlestem. S. Thom. ser. 2. in festo SS. Trinit.

Flores. Per flores initia sanctæ conversationis intelliguntur per mala verò, perfectio bonorum operum. S. Thom. in 2. Cant.

Lectulus Salomonis, est Conversatio Sanctorum. S. Isid. in Cant.

Regnum cœlorum. Glossa: idest, conversatio Justorum: Thesauro, idest, bono operi; abscondito in agro, idest, in corde. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 8.

Turtur Apostolos, & cæteros Doctores significat; qui possunt dicere: nostra conversatio in cœlis est. Philipp. 3. S. Thom. in 2. Cant.

TITULUS XXII.

CONVERSIO.

C*Ibus*. Est salus peccatorum ad instar ciborum delectabilium. S. Isidor. in Gen. c. 23.

Digitus DEI est iste. Ità S. Bernardus ep. 96. ad Abb. Fontanensem vocat conversionem tepidorum religiosorum in serventes.

Esca Justorum. Conversio est peccatorum. S. Greg. mor. l. 31. c. 22.

Hostia placens DEO, Salus est peccatorum. S. Isid. in Gen. c. 23.

Vellere spicas, est homines à terrena intentione eruere: fricare autem manibus est exemplis virtutum à carnis concupiscentia, quasi à quibusdam folliculis, puritatem mentis eruere: grana mundare, & emundatum quemque à sordibus vitiorum per ora prædicantium Ecclesiæ membris incorporari. Vener. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 2. Marci.

Vitulus. Imponent vitulos, idest, conversos de novo *super altare*, idest; super fidem Christi. S. Thom. in ps. 50.

TITULUS XXIII.

COR.

A*Byssus. Tenebræ*, idest. ignorantiæ, *erant super faciem abyssi*. Gen. 1. idest, humani cordis ex diaboli deceptione. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 6. Abyssus dicitur cor peccatoris, peccati caligine tenebrosum; cujus Angelus est diabolus. S. Thom. in c. 9. Apoc.

Ager. Homo, qui seminat in agro suo, granum sinapis, à plerisque Salvator intelligitur; qui in animis credentium seminat. Ab aliis ipse homo seminans in agro suo, idest, in corde suo. S Thom. in Cat. Aur. sup. 13. Matth. *Simile est regnum cœlorum*. Glossa, idest, conversatio Justorum, *thesauro*, idest, bono operi, *abscondito in agro*, idest, in corde. Sanct. Thom. de Sacr. c. 8.

Altare. Sicut est triplex templum, ità est triplex altare. Primum est Vir justus-hujus templi altare est cor. Levit. 6. *ignis*, scilicet charitatis, *in altari*, idest, in corde *semper ardebit*. S. Thom. in ps. 25. Cor justi dicitur altare: quia in eo immolantur motus bestiales: unde dicitur altare holocausti. S. Thom. in 8. Apoc. Altare concavum, est cor pœnitentis. Concavum, idest, jejunio attenuatum. Ex. 27. S. Bonavent. diet. Sal. c. 6. Cor nostrum est altare DEI. S. Thom. in 16. Apoc.

Caput. Capilli capitis nostri *omnes numerati sunt*, cogitationes scilicet, atque intentiones cordis. S. Ephr. serm. de Cruce Dom.

Castellum. Intravit JESUS in quoddam castellum. - Quod est hoc castellum, nisi cor humanum; quod, priusquam, Dominus ad illud veniat, cupiditatis fossa vallatur, muroque obstinationis clauditur; atque interiori latitudine sua Babylonica turre erigitur. Jam (post Adventum Christi) ponitur murus continentiæ, antemurale patientiæ. Surgit autem hoc opus à fundamento fidei. S. Bern. ser. 5. de Ass. V.

Cogitatio. Per cor cogitatio, & per brachium designatur operatio. S. Isid. in Cant.

Columba. Per istas aves (turturem, & columbam) non incongruè designantur corda hominum. S. Haymo in festo Purif.

DEUS. Cor DEUS, os Pater, lingua Filius, calamus Spiritus Sanctus. S. Bonav. diet. Sal. serm. 12.

Facies. Cor dicitur facies: quia sicut homo per faciem cognoscitur; sic per voluntatem cognoscitur cor; utrùm sit homo de ovibus DEI. S. Thom. in 11. Apoc.

Fiscella Moysis. Vasculum, in quo Phraonis filia, idest, Ecclesia Moysen invenit, idest Christum; significat corda Sanctorum. S. Isid. c. 5. in Exod.

Fons. Cor nostrum quasi Fons quidam est; verbum verò prolatum, quasi quidam rivulus manans ex ipso. S. Thom. in Cat. sup. 1. Joan.

Hemisphærium. Septem Stellæ, quæ sunt in dextera, sunt septem opera misericordiæ spiritualia, in cordis hemisphærio lucentia, tamquam sidera radiosa. S. Bonav. diet. Sal. tit. 7. c. 4.

Intentio. Recti corde sunt, qui intentione tendunt ad DEUM. S. Thom. in ps. 7.

Mons. Mons Amana superba Infidelium corda designat. S. Isid. in Cant.

Monumentum. Lapide devóluto de monumento, hoc est, duritie hominum de corde remota. Arnobius in c. 4. Joan.

Princeps. Cor Ægypti, idest, Rex, & Princeps; ex quibus totus rigor Ægyptio. S. Thom. in 19. Is.

S. Scriptura. Est omnis scriptura cor DEI, os DEI, lingua DEI, calamus DEI. S. Bonav. diet. Sal. ser. 12.

Semita. Cor nostrum debet esse semita Angelorum, non spelunca latronum; sed dignum cœlestium thesaurorum. S. Bernard. in Soliloq. quod incipit: Cor meum rogo te.

Templum. Sit cor meum Divinæ gratiæ templum purum, & immaculatum, quod cœlestem Regem excipiat: ut nè fit, tamquam latibulum improbarum cogitationum, & spelunca latronum pravis desideriis. S. Ephr. serm. de Passionib. Animi.

Thuribulum. Cor nostrum debet esse thuribulum: debet autem clausum esse inferiùs, amplum superiùs. S. Thom. in 8. Apoc.

Vagina. Et hic gladius (lingua detrahentium) est gladius diaboli; qui per linguam homines multos interficit. Hic autem gladius est in vagina, quamdiu est in corde. Sed quando profertur, est sicut jam evaginatus. S. Thom. in ps. 36.

Urna aurea. Cor nostrum, quod suscipit Christum, debet esse urna aurea. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 15.

Varia.

Nota super illo verbo: *redite prævaricatores ad cor*. Quia debet homo redire ad cor. 1. quasi ad judicis folium, ut se discutiat. Ps. 76. *Meditatus sum nocte, &c.* 2. Quasi ad vitæ principium, ut se custodiat. Prover. 4. *Omni custodia serva cor tuum*. 3. Quasi ad Divinæ locutionis auditorium; ut diligenter attendat. Os. 2. *Ducam in solitudinem, & loquar ad cor*. 2. Quasi ad Divinorum colloquiorum thesaurum; ut ipsum conservet. ps. 118. *In Corde meo abscondi eloquia tua*. 3. Ad Divinæ pacis, & refectionis cænaculum; propter oppositum, de quibus dicitur psal. 27. *Loquuntur pacem cum proximo, &c.* S. Thom. in 46. Is.

TITULUS XXIV.

CORPUS CHRISTI D.

A*Rca* Ex. 15. *Arcam de lignis Sethim compingite*. Glossa: Arca Corpus Christi significat. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 9.

Calculus. Is. 6. significat Corpus Christi: quia cor accipientis, & ornat castitate, & inflammat charitate. S. Thom. de Sacr. c. 24.

Cervical, mysticè puppis, est Ecclesiæ initium - Cervical Corpus Domini est; cui Divinitas sicut Caput inclinata est. S. Hier. apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci.

Fons. De Christi Corpore. Zach. 13. *In die illa erit fons patens*. S. Thom. in 12. Is.

Granum frumenti. Corpus Christi humanum, quod ex Virgine sumpsit, accipere possumus. S. Haymo hom. in festo unius Martyr.

Loth. Incendium Sodomiticum erat similitudo futuri Judicii: Loth autem typum figurabat Corporis Christi. S. Isid. in 3. Gen.

Mons Selmon, mons DEI est. ps. 67. & interpretatur umbra. Et sicut dicit Glossa, Corpus Christi significat. S. Thom. de Sacr. c. 24.

Panis. Nobilissimum Corpus Christi, quasi nobilissimus panis filiorum DEI. S. Thom. ib. c. 10.

Pruina. Panis cœlestis Ex. 16. in similitudinem pruinæ, & roris apparebat: quia Corpus Domini à fervore pravæ concupiscentiæ refrigerat. Id. ib. c. 6.

Templum. Ideo Corpus Domini templum intelligitur: quia sicut templum gloriam DEI continebat habitantem in ipso; sic Corpus Christi, repræsentans Ecclesiam, Unigenitum continet; qui est imago DEI, & gloria. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Joan.

TITULUS XXV.

CORRECTIO DURA.

C*Alix DEI*, est vindicta; quæ potat peccantes, sive ad correctionem in præsenti, sive ad damnationem in Inferno. Glossa apud S. Thom. in 14. Apoc.

Virga tua, & baculus tuus: ipsa me consolata sunt. Virga, sit correctio, & baculus tuus, scilicet lenioris disciplinæ; quasi dicat: mitis, & dura; correctio tua dedit mihi consolationem. S. Thom. in ps. 22. Virga feriens, est correctio dura; baculus sustentans correctio lenis. S. Bonavent. Opusc. de Sex. alis cap. 4.

TI-

TITULUS XXVI.

CORRECTIO LENIS.

C*Aptum*. Cùm videris avarum hominem ab aliquo Petro correptum; quia abstulit de ore ejus verbum pecuniæ; dices eum ascendisse de mari, idest, de fluctibus sollicitudinum avaritiæ, ad hamum rationabilem, & comprehensum, atque salvatum, ab aliquo Petro, qui eum docuit veritatem, ut pro statere habeat imaginem DEI, idest, eloquium ejus. Orig. apud S. Thom. in Cat. 17. Matth.

Gemma in nido, correctio in secreto: cùm erit opportunum, humiliter corrigat. S. Thom. in 8. Apoc.

Unguentum. Contra plagas spirituales, & vulnera animarum, unguentum mitigativum, & Sanativum, est Verbum fraternæ correctionis, quod Christus optimus Physicus confecit. S. Vinc. Ferr. serm. 1. Dom. Sexag.

TITULUS XXVII.

CRUX CHRISTI D.

A*Bolitio* omnis peccati Crux est. Joannes Xiphilinus Patriarcha Constant. or. in Crucis adorationem tom. 15. Bibl. PP. Parisiis 1654.

Abundantiam inopum. S. Ephr. de pret. & vivif. Cruc. Dom.

Aculeus mortis. Crux hæc non meus, sed mortis est aculeus. S. Chrysol. serm. 108. in Persona Christi.

Altare. Crux est Altare, in quo oblatus est DEO Patri, sacrificium nostræ redemptionis, scilicet ipse DEUS homo. S. Thom. in 8. Apoc.

Antenna. In tentationibus (fluctuum maris) erigatur antenna; ut suspensa arbori Crucem figuret. Hanc Christianus respiciat, & non deficiat. Huic antennæ, idest, Cruci Christi; simplex conversatio, & pura confessio, tamquam cadentia vela religentur. Et vela nostra fluctibus abluantur, vestisque tendatur; ut sine macula, & ruga inveniatur. S. Aug. ser. 14. de Verb. Dom.

Aratrum. Per illam, quasi sagenam, captæ sunt gentes; cum hac Christi Discipuli, tamquam aratro, infœcundam hominum naturam coluerunt. S. Andreas Cret. Arch. or. 2. de exalt. S. Crucis. Hic aratro Crucis suæ terram carnis nostræ perdomuit. S. Isid. c. 6. in Levit.

Arbor. Si de Ulysse refert fabula, quæ eum arboris religatione de mortis periculo liberavit: quantò magis prædicandum est, quod verè factum est: quod omne genus hominum de mortis periculo crucis arbor eripuit. Sanct. Ambr. serm. 55. Ex quo Christus Dominus religatus in Cruce est; ex eo nos Mundi illecebrosa discrimina velut clausa aure transimus. - Arbor quidem in mari, est Crux in Ecclesia. - Sirenum quædam suavis figura, est mollis concupiscentia voluptatum. Idem ibid. Crux est arbor decorata, Christi sanguine sacrata, cunctis plena fructibus. S. Bonavent. in laudismo S. Crucis. Ipsa est arbor vitæ, quæ est in medio paradisi. S. Bernard. apud S. Bonav. libr. 1. pharetræ cap. 4. Sub arbore eos (tres viros Gen. 18.) sedisse; Passionis Dominicæ erat signum. Sanct. Isidor. cap. 14. in Gen. Arborem malum, Crucem Dominicam debemus accipere. S. Thom. in 8. Cant. Arbor bona, Crux est. Arbor autem mala, vetus homo est; qui malos fructus facit, idest, peccata. Arnob Annot. cap. 10. in Matth.

Arca Noe. Lignum, & aquam; Crucem designat, & baptisma. Sicut enim ille (Noe) cum suis per lignum, & aquam salvatur; sic familia Christi per baptismum, & Crucis Passionem sanatur. S. Isid. c. 7. in Gen. Arca Noe fuit Crux, ut salventur Gentes à diluvio. S. Vinc. Ferr. serm. in Sabb. post Pascha.

Baculus. Claudorum baculus. S. Chrysost. hom. 4. de Cruce, & latrone. Baculus senectutis. S. Andreas Jerof. or. 5. de Exaltat. S. Crucis.

Baptismus. Calicem, & baptismum, Crucem nominat: calicem quidem tamquam potum dulciter ab ipso susceptum; baptismum verò, tamquam emundationem nostrorum facientem peccatorum. Thophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 10. Marci.

Beatitudo. Crux nobis totius beatitudinis causa est - hæc pacis firmamentum; hæc bonorum omnium abunda largitio. S. Chysost. hom. 1. de latr. & Cruce.

Calix. Hæc & calix desiderabilis intelligitur. S. Andr. Jerof. ib.

Cibus esurientium, & fons sitientium. S. Ephr. de Cruce Christi.

Cithara, qua David spiritum in Saulo furentem compescuit, figuravit Crucem Christi. S. Isid. c. 9. in 1. Reg.

Civitas. Oportebat vitale illud lignum è sublimi, instar civitatis super montem ædificatæ, vel instar lucernæ super candelabrum elatæ, universo Mundo demonstrari. S. Andreas Jerof. or. 2. de Exalt. S. Crucis.

Clavis Paradisi, Crux Christi. S. Vinc. Ferr. serm. 1. de Innocent. S. Cruc. Per clavem Crucis janua aperienda erat. *Dabo Clavem domus David*. Is. 22. S. Bonav. serm. de Exalt. S. Cruc.

Corona nostra. Passio certè Domini, nostræ beatitudinis caput est, atque origo; qua vivimus, & per quam sumus. Sed veluti coronam, sic læto animo circumferamus. Omnia enim, quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam, cum regeneramur, Crux Domini adest: cùm, sacratissimo alimur cibo; cùm in Ordine consecrandi statuimur; ubique, ac semper id victoriæ insigne nobis assistit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque, ac mente, magno studio Crucem inferamus. Id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis, atque humiliatis Domini, signum est. S. Chrysost. hom. 55. in Matth.

Firmamentum est, in quo Sol Justitiæ defixus. S. Andr. orat. 2. de Exalt. S. Crucis. Crux firmamentum est æternum. Arnobius in ps. 18. Firmamentum Orthodoxæ Fidei. S. Ephr. de pret. &c.

Infirmorum virtus, ægrotantium medicina. S. Vinc. Ferr. ser. 2. de Inven. S. Cruc.

Lignum: quod falsas aquas dulces reddidit, erat signum S. Crucis. S. Isid. cap. 21. in Ex. *Abraham vidit diem meum, & gavisus est*. Tunc scilicet, cùm Isaac ad victimam lignum portaret: - quia Crucis lignum vidit, & Christum passurum cognovit. Arnob cap. 7. in Joan. Ligna holocausti imposita super Isaac, est Crux Christi. Sanct. Thom. cap. 22. in Gen. Hoc itaque ingentis sanè prætii lignum, ac venerandum, optimo jure adorari debet. S. Damasc. Ortod. fid. l. 4. cap. 22. Lignum illud vitæ, quod à DEO in paradiso consitum est, præclarè Crucis figuram gessit. Idem ibid. Crux est lignum vitæ in medio paradisi, quod quatuor Evangeliorum flumina rigant. S. Bonav. in Laudismo de Cruc. Crux est, duo ligna, quæ colligebat mulier Sareptana, idest, Ecclesia; ut sibi, & filio, panem faceret: quia in cruce panis, idest, Christus decoctus est. Crux est lignum Elisæi, ad quod ferrum de profundo natavit: quia per lignum Crucis de abysso mortis sumus extracti. Et hoc ab Elisæo calvo habemus, idest, Christo in Cruce denudato, vel in monte Calvariæ crucifixo. Crux est lignum, de quo dicunt Judæi per Jeremiam Prophetam: *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, id est, Christum in Cruce interficiamus. Idem ibid. Crux Christi, *tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, idest, gratiarum abundantiam: quæ sine mensura fuerunt in Christo: *quod fructum suum dabit in tempore suo*, idest, in tempore mortis suæ saciatissimæ, & benedictæ. S. Bonav. l. de Phar. c. 4.

Reliqua de Cruce promiscua.

Crux spes Christianorum, resurrectio mortuorum, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrænatio divitum, destructio superborum, malè viventium pœna, adversùs dœmones triumphus, devictio diaboli, adolescentum pædagogus, sustentatio inopum, navigantium gubernator, periclitantium portus, obsessorum murus, Pater Orphanorum, Defensor Viduarum, Justorum Consiliarius, tribulatorum requies, Parvulorum custos, Virorum Caput, senum finis, lumen in tenebris sedentium, Regum magnificentia, scutum perpetuum, insensatorum Sapientia, libertas Servorum, Imperatorum Philosophia, lex Impiorum, Martyrum gloriatio, Monachorum abstinentia, Virginum castitas, gaudium Sacerdotum, Ecclesiæ fundamentum, scandalum Judæorum, perditio Impiorum, invalidorum virtus, ægrotantium medicus, esurientium panis, sitientium fons, nudorum protectio. S. Chrysost. hom. 4. de Cruce, & Latrone.

Hæc clypeus atque armatura, & trophæum est adversùs diabolum. Hæc sigillum, ut nè exterminator Angelus nos tangat. Hæc jacentium excitatio est, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ovium virga, resipiscentium adminiculum, proficientium perfectio, animæ, & corporis salus; malorum omnium depulsio, bonorum omnium causa, peccati extinctio, resurrectionis planta, vitæ æternæ lignum. S. Damascenus Orthodox. fid. l. 4. c. 22.

Crux est signum Filii hominis. Matth. 24. Id. ibid.

Jacob cùm adorato virgæ fastigio, cancellatisque manibus, filiis Joseph bene precaretur, Crucis signum aptissimè delineavit. Atque idem etiam indicarunt, & virga Mosaica in Crucis figuram efformata, ac mare feriens, atque Israelitis salutem afferens. Et manus in Crucis figuram extensæ, atque Amalecitas in fugam vertentes. Et virga Aaron; Sacerdotii dignitatem sanciens. Id. ib.

Ipsa Crux est imperium super humerum Salvatoris. O signum ineffabile, & Sacramentorum ubertate refertum. - Crux est Ara super quam Abraham immolavit Isaac filium, idest, Pater cœlestis. D. J. Christum. Crux est virga, cum qua

petra

petra percussa est, Christus, & egressa sunt flumina largissima Sanguinis, & aquæ; quibus animæ nostræ sanantur, & lavantur. Crux est palus, in quo erecto Serpente æneo, idest, Christo, omnes, qui eum fideliter aspiciunt, liberantur à Morsibus Serpentum ignitorum, idest, diabolorum. S. Bonav. in Suppositione Missæ.

Crux est *Citharæ*, in qua noster David, idest, Christus psallebat; quando in ea pendebat, & malignorum spirituum impetus à Saule, idest, ab Humano genere refrænabat. Id. ibidem.

Crux est *Palma*, quam Christus ascendit, & fructus ejus apprehendit, idest, redemptionem nostram. Id. ibid.

Crux est *Clavis David*; quæ januam cœli aperuit, & nos intromisit.

Arma Crucem, Mundi lucem; & habebis Christum ducem, per æterna sæcula. Id. in Laudismo de S. Cruce.

Crux in omnibus pressuris, & in gravibus, & duris, est *tutum remedium*. Crux in pœnis, & tormentis est dulcedo piæ mentis, & verum refugium. Crux est porta paradisi, in qua Sancti sunt confusi, qui vicerunt omnia. Crux est Mundi medicina, per quam bonitas Divina facit mirabilia. Crux est salus animarum, verum lumen, & præclarum, & dulcedo cordium. Crux est vita Beatorum, & thesaurus Perfectorum, & decor, & gaudium. Crux est speculum Virtutis, gloriosæ Dux salutis, cuncta spes Fidelium. Crux est decus salvandorum, & solatium eorum, atque desiderium. Crux est navis, Crux est portus Crux deliciarum hortus, in quo florent omnia. Crux est fortis armatura, & protectio secura, conterens dæmonia. - O quàm felix permanebis, nunc in Cruce si studebis; donec Mundo vixeris. S. Bonavent. in Laudismo.

Crux est opprobrium perfido, Fideli autem Gloria, Redemptio, Resurrectio est. S. Ambr. sup. Beati Immaculati, apud S. Bonav. in Pharetra l. 1. c. 4.

Tu sancta Crux cura ægrotos medicans; tu gaudium mœstos consolans, tu sanitas mœstos lætificans; tu status credentium rectè; tu firmitas operantium bene, tu beatitudo perseverantium ritè, sancta, pia, bona, justa. Rabanus de laude Crucis.

Crux est humilium invicta tuitio, superborum abjectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium reformatio, mors Infidelium, vita Justorum Cassiodorus sup. psalt. apud S. Bonav. in Pharetra.

Crux finita est in pœna, sed infinita semper manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis. S. August. apud S. Bonav. l. 1. c. 4. in Pharetra.

Crux Principum honor, regum potentia, belli ducum victoria, - Charitatis Gubernatrix, Mundi reconciliatio, finium descriptio, altitudo cœli, terræ profunditas, orbis apparentis longitudo, latitudo Mundi, & ut paucis complectar: Crux Christi Passionum, summa, miraculorum nobis factorum coronis. Sanct. Andreas Jerosol. orat. 1. de Exaltat. S. Crucis.

Crux Christi, ac nostra, Summa gloria est. Id. ibid.

Illa tamquam ex aliquo processit firmamento, nempe ex terræ penetralibus, instar solis - processit ornamentum Ecclesiæ Crux Christi - ex tenebrosis lucerna lucis. Id. or. 2. in Exalt. S. Cruc.

Pugio, quo Phinees Sacerdos Num. 25. Zambarim, & Scortum Madianitidem, transfodit, figuravit Crucem Christi. S. Isidorus cap. 24. in Num.

Hoc mare magnum. Psal. 103. Hæc tria notantur: mare, Mundus; navis, Ecclesia; nauta Christus. Remus illius navis, lignum Crucis, quo navigamus ad littus æternitatis. S. Bonav. hic.

Cùm lapide Golias percutit, 1. Reg. 19. Christi virtute sternitur. Et in qua tandem corporis parte percutitur? In fronte scilicet - ubi namque infertur ei mortis exitium, ubi signum salutis non invenitur. S. Ambros. serm. 88.

Signum Crucis est theriaca contra venenum omnium ciborum. S. Vinc. Ferr. ser. 4. de Gula.

Has criminum rabies, & voracissimas aves, à nostris sensibus Crucis hasta fortiter propellamus. Sanct. Chrysol. ser. 171.

Si non vis mergi, tabulam apprehende, ligno portare; Crux te perducat. S. August. in ps. 51.

Quid est Arcus in nube, nisi Christus in Cruce? Gen. 9. - Arcus ergo ille cœlestis, qui habet cornua versùs terram, propter quod non est tensus ad eum feriendum, signat pacem, & gratiam. S. Bonav. ser. de Exalt. S. Crucis.

Sicut circulus est signum tabernæ, sic Crux fugit signum conferendæ gratiæ - Nulli cœlestis janua clauditur, si vexillum Crucis ab eo feratur. S. Bonav. ib.

Quomodo non sumus in umbra, qui Crucis ejus protegimur velamento. S. Ambros. ser. 3. in ps. 118.

Non incongrue Crux Christi significat principatum: nam per ipsam, & diabolus vincitur; & totus Mundus ad Christi notitiam, & gratiam, revocatur. Sanct. Aug. ser. 71. de temp.

Muscipula diaboli, Crux Domini. S. Aug. ser. 174. de temp. Quæritur, quid sit Crucis significatio? & quare Dominus in patibulo pati elegerit? ad quod tripartita ratio redditur. 1. ut Christus pro reatu Mundi redemptio daretur; & antiquus hostis velut hamo Crucis caperetur. Sanct. Aug. serm. 181. de temp.

Magna res est, signum Christi, & Crux Christi. Et ideo de isto tam pretioso signaculo res magna, & pretiosa signari debet. Quid enim prodest, si de annulo aureo sigillum facias; & putridas paleas intus recondas? Quid prodest, si signum Christi in fronte, & ore gestamus; & intus in anima crimina, & peccata recondimus? S. August. serm. 215. de temp.

Petrus patitur Crucem, Paulus sentit pugionem. Piscatorem suspendit hamus Crucis; persecutorem mucro minuit persecutoris. Id. ser. 28. SS.

Passio certè Domini nostræ beatitudinis Caput est, atque origo, qua vivimus, & per quam sumus. Sed veluti coronam, sic læto animo Christi Crucem circumferamus. Omnia enim, quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur, &c. Vide superiùs.

Pretio empti estis. Cor. 6. Non sitis servi hominum. Pretium hic Crucem appellavit: quam non simpliciter digito in corpore, sed magna profecto fide in mente facere oportet. Nam si hoc modo eam impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cum hostem, videat, quo lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. S. Chrysost. hom. 55. in Matth.

T I T U L U S XXVIII.

CUPIDITAS TEMPORALIUM.

Ancillas. Per Dan ideo Anti - Christus signatur: quia non de libertate gratiæ orietur, sed potius de Ancilla, cupiditate scilicet, & ambitione. Sanct. Thom. cap. 49. in Gen.

Corvus. Gen. 8. Significat homines in immunditia cupiditatis deterrimos. S. Isidorus c. 7. in Gen.

Exilium Patriæ. Patria hominis est recta ratio - A civitate rationis nemo exulat, nisi per affectionem temporalium. S. Thom. in pros. 5. l. 1. de Cons. Phil.

Flumina in mare currunt, & cupidi labuntur in sæculum. S. Aug. in ps. 23.

Gibbus. Gibbosus (Sacerdos) est, quem terrenæ cupiditatis pondus deprimit. S. Isid. c. 13. in Levit.

Hidria amorem hujus Sæculi significat, id est, cupiditatem. S. August. Ser. 83. Quæst. q. 64.

Ignis. Ille, qui sæpe nunc in ignem, nunc in aquam cadebat, Mundum significat: ignis autem inflammantem cupiditatem; aqua carnis voluptatem demonstrat. S. Isid. in allegor. Sæpe cadit in ignem cupiditatum, & aquam luxuriæ. S. Tho. Serm. 2. Dom. 2. Quadrag.

Inferiora terræ quæ sunt? terrenæ cupiditates. S. Aug. in ps. 62.

Navis Tharsis vocatur totum mare Mundi: per naves, quæ ad negotiandum vadunt, signatur cupiditas. - Et sicut naves fluctuant in mari, ità divites fluctuant in rebus Mundi. Sed quando convertitur homo ad pœnitentiam, tunc naves, id est, cupiditates hujus Mundi conteruntur. S. Thom. in ps. 47.

Perambulatio maris. Quidam mali: & horum sunt tria genera. Joan. 1. *Omne, quod est in Mundo, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ*. Et primò ponit luxuriosos, & hi sunt pecora campi (qui dixerunt: *non sit pratum, quod non transeat luxuria*.) Secundò superbos, per volucres Matth. 14. *Aves cœli comederunt illud*. - Tertiò cupidos, *qui perambulant semitas maris*. S. Tho. in ps. 8.

Tempestas. Unicuique sua cupiditas tempestas est. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 14. Matth.

Vaccæ pingues. Isti (terreni) designantur per vaccas pingues. Amos 4. S. Thom. in ps. 21.

T I T U L U S XXIX.

CURA SÆCULI.

Catena. Sicut vincula, & catenæ, aquilæ; ità & Monacho cura sæculi. S. Ephr. de vita Relig.

Mare, juxta quod venit JESUS Matth. 15. turbida hujus sæculi volumina significat. Glossa apud S. Thom. in Cat. hic. Cùm videris avarum hominem ab aliquo Petro correctum, qui abstulit de ore ejus verbum pecuniæ; dices, eum ascendisse de mari, idest, de fluctibus sollicitudinem avaritiæ. Orig. apud S. Thom. in Cat. sup. 17. Matth.

Miles DEI est, qui se à negotiis sæcularibus tollit. Arnob. in ps. 138.

Mola asinaria. Mysticè in mola asinaria sæcularis vitæ circuitus, & labor exprimitur; & per profundum maris extrema damnatio designatur. S. Greg. l. past. cur. p. 1. c. 2. apud S. Thom. sup. 9. Marci. Quid per mare, nisi sæculum? qui, per molam asinariam, nisi actio terrena significantur? quæ cum colla mentis per desideria stulta stringit, hanc in laboris circuitum mittit. S. Greg. l. 6. mor. c. 17. apud S. Thom. sup. 18. Matth.

Pera. Allegoricè per peram onera sæculi; per panem, deliciæ temporales; per æs in zona, occulta sapientia designatur: quia, quisquis officium Doctoris accipit, neque oneribus sæcularium negotiorum deprimi &c. debet. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 6. Marci.

Spinæ, curæ sunt. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci.

Tunica. Quod tunica Sæculi curas significet, Dominus ostendit, dicens in Evang. Matth. 24. *Et qui in tecto est, non descendant tollere tunicam suam*. S. Thom. c. 5. in Cant.

Vinculæ. Sicut vincula, & catenæ, &c. vide superiùs. Super illo verbo: *solve vincula*, nota: quòd sunt vincula, à quibus solvit DEUS. 1. Mundanæ sollicitudinis. Job 38. *Quis dimisit onagrum &c.* S. Thom. in 52. If.

D.

T I T U L U S I.

DAMNATIO.

Abyssus. Diabolus est Rex, de quo Apoc. 9. - Est Angelus abyssi. Ratione tenebrositatis, ratione infinitatis, ratione profunditatis pœnarum, dicitur Infernus abyssus. S. Thom. in 9. Apoc.

Calix DEI est vindicta; quo potat peccantes, sive ad correctionem in præsenti, sive ad damnationem in Inferno. Glossa apud S. Thom. in 14. Apoc.

Frænum. Nota super illo verbo, *ponam frænum* quia est frænum æternæ damnationis: ps. 31. *in camo, & fræno, &c.* S. Thom. in 37. If.

Sanguis. Damnatio sanguis vocatur; quia sanguis est signum mortis. S. Thom. in 16. Apoc.

Ventus. Omnes Pastores tuos pascet ventus - futuræ damnationis. Jerem. 17. *Sicut ventus urens, &c.* S. Thom. in 22. Jerem.

T I T U L U S II.

DESIDERIUM.

Equus significat desiderium; calcaria significant bona exempla. S. Bernardus Opusc. de fil. prod.

Fames animæ, desiderium est. S. Bernard. Opusc. de Charit.

Fumus significat sanctum desiderium igne Divini amoris profusum. - virgula fumi sancta Ecclesia, &c. S. Thom. in 3. Cant.

Gemma. Aquila ponit gemmam in nido; sic prædicator spem, & desiderium gloriæ in animo; ut eam intendat, non ad vanum. S. Thom. in 8. Apoc.

Hyacinthus lapis est aerii coloris. Quid ergo in hyacinthinis manibus!, nisi spes, & desiderium cœleste accipitur. S. Tho. c. 1. in Cant.

Sitis, designat desiderium cum anxietate. S. Thom. in ps. 41.

Thesaurus, in agro absconditus Matth. 13. est cœleste desiderium: ager verò, in quo thesaurus absconditur, est disciplina studii cœlestis. S. Gregor. hom. 12. in Evang.

Thuribulum. Sunt quasi thuribula, & vasa ignis Spiritus S. inferiùs clausa, per contemptum carnis; superiùs aperta per desiderium supernorum. S. Thom. in 8. Apoc.

T I T U L U S III.

DETRACTOR.

Barbitonsor. *Sicut novacula acuta fecisti dolum*. Ps. 51. Quia sicut novacula radit pilos; ità mali dolum acuunt contra justos. Sed hæc verè faciunt sicut novacula; quæ Pilos superfluos radit: quia non nisi superflua, idest, temporalia, possunt peccatores Sanctis auferre - spiritualia verò numquam. Et sicut inexperti barbitonsores incidunt carnem; ità mali faciunt, qui suis machinationibus carnem justorum, idest, famam iniqua lingua student incidere. S. Thom. in ps. 5.

Ciconia diaboli. Sed ehu! quidam non columbæ DEI, sed ciconiæ sunt diaboli: qui sæpius ranam, quàm ramum in ore habent: ut detractores. S. Bonav. serm. 4. Dom. 3. Quadrag.

Cornu. Decem cornua, sunt decem modi detractionis. S. Thom. in c. 7. Dan.

Fur est diabolus, animam furando, detractor famam rapiendo, &c. S. Thom. serm. in festo S. Gregorii. Fures sunt laudes, & detractiones hominum. S. Thom. ser. 2. in Septuag.

Gladius diaboli. Et hic gladius (lingua detrahentium) est gladius diaboli; qui per linguam hominis multos interficit. Hic autem gladius est in vagina quamdiu est in corde: sed quando profertur, est quasi jam evaginatus. Sanct. Thom. in ps. 36.

Laqueus, est detractorum perversitas. S. Thom. ser. 1. Dom. 20. Pent.

T I T U L U S IV.

DEVOTIO.

Adeps in Scriptura quandoque in bono, quandoque in malo accipitur. In bono secundùm quid signat devotionem mentis, psal. 62. *Sicut adipe repleatur anima mea*. S. Thom. in ps. 16.

Corona. Heu cecidit corona capitis nostri, devotio monastica tepuit. Joan. Trithemius in libro Penthico de ruina Ord. Bened. c. 3.

Flos. Comparatur pœnitens arbori: cujus radix est contritio, frondes confessio, & flores Sancta devotio, &c. S. Bonaven. dict. Sal. tit. 2. c. 1.

Humor. Notandum, quòd peccatum dicitur frigus; quia extinguit calorem dilectionis. Matth. 24. *Quoniam abundavit iniquitas, &c.* quia congelat humorem devotionis. Eccl. 43. *Frigidus ventus Aquilo*. S. Thom. in 6. Jer. in fine.

Lingua animæ. Os cordis, idest, animæ, est meditatio, sive cogitatio. Sanct. Greg. mor. 15. apud S. Bonav. de 2. itin. æter. dist. 4. Verbi Divini lingua, est favor dignationis; animæ verò lingua, est fervor devotionis. Sanct. Bernardus ibid.

Oleum. *Impinguasti oleo*, idest, lætitia, *Caput meum*. Sanct. Thom. in psal. 22. Oleum significat spiritualem gratiam: ibid. Caput meum, idest, mentem meam. Matth. 6. *Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum*, idest, mentem oleo, idest spirituali devotione. Ib.

Pinguedo. In homine spiritualiter est duplex pinguedo: una mala, per delectationes corporales. Deut. 32. *Impinguatus est, dereliquit DEUM factorem suum*. Et pinguedo devotionis. *Sicut adipe, & pinguedine, &c.* Hac pinguedine dum caret anima, fit sicut aranea. S. Thom. in ps. 38.

Penna. Volatus Sanctorum perficitur quatuor pennis, scilicet dilectionis, cognitionis, devotionis, orationis. S. Bonav. serm. de SS. Sim. & Juda.

Thus. In thure sancta devotio orationum accipitur. S. Tho. c. 4. in Cant.

T I T U L U S V.

DEUS.

Ala. Duæ sunt alæ DEI, vetus, & novum Testamentum: quia nos regunt, subvehunt, & protegunt. S. Bonav. in ps. 35.

Amasius. Quæ (natura humana) dilecta non fuit, dilecta est vocata, & DEUM nacta est Amasium. Planudes or. de Sepult. Dom. tomo 15. Bibl. PP. Parisiis 1654.

Artifex. Summus artifex DEUS lapides suos, idest, electos, consuevit quadrare quadratura virtutum, scilicet prudentia, temperantia, fortitudine, & justitia. S. Bonavent. dict. sal. tit. 10. cap. 5.

Baculus. Ecce Dominus tuus est tibi quasi baculus. Securus homo incumbit; quia ille non succumbit. S. Aug. Enarr. 2. in psal. 32.

Caput. Per aurum intelligitur Divinitas: ideo dicitur. Cant. 5. *Caput illius aurum optimum*. Greg. Caput Christi est DEUS; & Ca-

& Caput aureum; quod aurum est Divinitas. S. Thom. in festo S. Bernardi Sermone unico.

Deferens hominem. A DEO numquam recedamus: patrimonium nostrum ipse sit. S. Aug. in ps. 55. Si recedat aer Mundi hujus, moritur corpus; si recedat DEUS, moritur anima. Id. Conc. 2. in ps. 70.

Formæ variæ. Propter te, homo, DEUS formas variat, officina commutat. Et nunc igneus tibi resplendet in rubo. Exodi 3. nunc elucescit flammeus in columna tibi nubis vertitur in columnam. Exodi 13. Nunc te ut aquila protegit; ut cœlestem provocet ad volatum. Deut. 32. Nunc sicut gallina educit, ducit, vocat; recipit. Nunc ut pastor requirit in montibus, &c. S. Chrysol. s. 170.

Fulgur. Quemadmodum fulgur universa explorat; sic etiam DEUS. S. Ephr. in pret. margarit.

Gallina. Alis gallina pullos contra milvum custodit: sic & DEUS suis alis, quæ sunt charitas, & misericordia, justos defendit à rapacitate dœmonum. Matth. 23. *Quoties volui congregare, &c.* S. Thom. in ps. 16.

Ignis Deitatem significat; & aqua assumptionem. S. Ephr. in marg. pret.

Scriba. In Sacra Scriptura operationes metaphoricæ designantur per instrumenta, vel membra, quæ sunt operationum principia. Et sic per linguam, & calamum, operatio DEI designatur. Quia Sapientia, quæ est in corde, transfunditur in materiam sensibilem, scilicet pargamenum. DEUS autem & loquitur, & scribit. Loquitur, quando transfundit Sapientiam suam in animas rationales ps. 84. *Audiam, quid loquatur, &c.* Et hoc dicitur Verbum: quia ipsum est omnis illuminatio. Joann. 1. *Vita erat lux hominum*. Scribit: quia judicia suæ Sapientiæ imprimit in rationalibus creaturis. Rom. 1. *in visibilia DEI*. Eccl. 1. *DEUS effundit illam, &c.* Sicut enim respiciens librum cognoscit Sapientiam scribentis; ita cùm nos videmus creaturas, cognoscimus Sapientiam DEI. Calamus igitur est Verbum DEI. S. Thom. in ps. 44.

Scutum Ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Est (DEUS) hìc ut scutum protegens; in patria verò ut scutum coronans. Consuetudo namque fuit Romanis antiquitus, uti scutis rotundis; & in illis habebant spem victoriæ. Et quando triumphabant, illomet scuto utebantur ut corona. Et inde Sancti pinguntur cum scuto rotundo in capite. Sanct. Thom. in ps. 5.

Sol. Ubi deest calor illius? (Solis) quò radii ejus non perveniunt? In cœlo fulget, in mari rutilat, fervet in terris. De Sole ergo non dubitas, quòd ubique resplendeat: de DEO dubitas, quòd non ubique fulgeat splendor gloriæ ejus? S. Ambr. ser. 19. in ps. 118.

Templum. Extollo manus meas ad templum, id est, opera mea dirigo ad DEUM. S. Thom. in ps. 27.

Vita animæ. Sicut anima vita est corporis, sed non vivificat sine cibo corporali: ità DEUS vita est animæ: sed non vivificat illam sine cibo spirituali, id est, sine Verbo DEI. S. August. apud S. Thom. de Sacr. Alt. c. 6. Vita Corporis anima est; vita animæ DEUS est. S. Aug. ser. 18. de Verb. Ap.

Varia.

Ego amore vestri quæsivi in S. Scriptura, & inveni, quòd quatuor chordis DEUS trahat ad se. 1. Est amor Divinalis. 2. Ardor cœlestis. 3. Timor infernalis. 4. Est dolor temporalis. S. Vinc. Ferr. ser. fer. 4. à Pent.

Aurum, quod hic est, non potest tibi esse argentum: quod vinum est, non potest esse panis: quod tibi lux est, non potest esse potus. DEUS tuus totum tibi erit. Manducabis eum, nè esurias; bibes eum, nè sitias. S. Aug. Conc. ps. 36.

Quemadmodum Sol oculos Sanos habenti tranquillus; apparet; in oculos autem lippos quasi tela jaculatur; intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatum. Sic cùm cœperit esse perversus (homo;) & tibi DEUS perversus esse videbitur. Tu mutatus es, non ille. S. Aug. in ps. 72.

TITULUS VI.

DIABOLUS

ABimelech, est diabolus, viam cœlestis patriæ includere moliens: signo Crucis Dominicæ superatur. S. Isid. cap. 25. in Ex.

Abyssus est diabolus. S. Thom. in 20. Apoc.

Ægyptius, à quo peregrinum fratrem Moyses liberavit, Ex. 2. diabolum figuravit. S. Isid. c. 6. in Exod.

Aleator. Peccatum est sicut ludus aleatoris, qui vulgò dicitur ludus corrigiæ. Diabolus est falsus aleator, seu corrigiator. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 2.

Angelus abyssi. Abyssus dicitur cor peccatoris, peccati caligine tenebrosum; cujus Angelus est diabolus. S. Thom. in c. 9. Apoc.

Aquilo dicitur diabolus, propter tentationis impetum. S. Thom. in 1. Jer. quia impedit boni operis fructum quia siccat lacrymarum fluvium. Id ib. Quid per Aquilonem, nisi immundus spiritus designatur. S. Greg. in 4. Cant.

Arma diaboli. Omnia, ut brevius utar verbis, auferuntur; sola mulier relinquitur. Antiquum diaboli organum: scilicet sibi ipsi tela servabat: quoniam quidem sciebat, quòd per mulierem primum hominem subegerat; ideo mulierem sibi reservat quoad versutiam, ut eisdem armis utatur. Sed ibi Adam invenit; hic autem Adam non invenit. S. Chrysost. hom. 3. de pat. Job.

Assur. Quis Assur superbi regis nomine? Ezech. 32. nisi ille per elationem cadens antiquus hostis exprimitur? S. Gregor. mor. lib. 9. cap. 50. Assur pro ipso diabolo figuratè intelligi solet, qui operatur in filiis diffidentiæ, tamquam in vasis suis; ut oppugnent populum DEI. S. Aug. in ps. 82.

Aves hic quoque appellat dœmones; qui & ipsi in pectoribus Scribarum malitiæ suæ nidos fecerunt. S. Chrysol. s. 19. Diaboli sunt appellandi aves aeris; aves cœli autem sunt spirituales viri. Id. ser. 98.

Babylonis Rex diabolus est. S. Isid. c. 2. in Esdram.

Bestiæ dœmones sunt. Ps. 73. *nè tradas bestis, &c.* Bestiæ agri sunt, qui impugnant actiones; bestiæ saltus, qui impugnant contemplationes: & solitarios. Vel, bestiæ agri sunt, qui sæculares; bestiæ saltus, qui religiosos impugnant, qui saltum de Mundo fecerunt. Sanct. Bonavent. serm. 3. Dom. Quinquages.

Caput malorum. Corpus diaboli universitas est iniquorum, tamquam illius nutrix adultera; cujus ipse caput est. S. Thom. de Sacr. c. 14.

Carbonarius diabolus est, de quo Is. 4. *Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas*. S. Bonav. ser. 4. D. 1. Pasch.

Catuli. Qui sunt catuli leonum? dœmones. Quomodo quærunt sibi escam? quando tentant. Sanct. Augustin. in ps. 100.

Carnifices. Apostoli velut carnifice utuntur dœmone, dicit enim Paulus: *quoniam ergo aliqui circa fidem naufragaverunt, hos, tradidi Sathanæ; ut discant non blasphemare*. 2. Tim. 1. Et iterum de quodam 1. Cor. 5. qui fuerat fornicatus, pœnamque debente ipse idem Paulus dicit. *Congregatis autem vobis, & spiritu meo, cum virtute Domini JESU, judicavi tradens hujusmodi Sathanæ, in interitum carnis; ut spiritus salvus sit*. S. Chrysost. hom. 3. de Pat. Job.

Cete. Quid ceti nomine, nisi antiquus hostis exprimitur? qui dùm mentes Sæcularium possidendo penetrat, quasi in earum lubrica cogitatione natat. Sanct. Gregor. mor. libr. 8. cap. 16.

Cocus. Pisces diaboli (mali homines) assabuntur perpetuò super prunas Inferni. S. Bonav. serm. 4. D. 1. Pasch. Coquens est diabolus; qui malas cogitationes ministrat; sicut coquens ministrat ligna. S. Thom. in ps. 20.

Damascus significat aereas potestates. Contra Damascum ergo est hæc turris: quia Ecclesia semper diabolo, & membris illius, adjutorio Christi munita, resistit. S. Thom. cap. 7. in Cant.

Draco, Super aspidem, & basiliscum, &c. ps. 90. Aspidem dixit mortem, basiliscum peccatum, leonem Anti-Christum, draconem diabolum. S. Isid. c. 5. in Gen.

Eques. Equus portat sessorem indifferenter, & mulus onus quodcumque. Peccatori duo imponuntur: sessor scilicet, diabolus; & onus, peccatum. Non ergo sitis sicut equus, non discernens inter sessores; an scilicet Christus sit, vel diabolus? Nec sicut mulus; quia quolibet onus; scilicet peccatum indifferenter portat. S. Thom. in ps. 31.

Erraticus. Dæmones sunt immundi, & erratici spiritus. S. Cyprianus ad Donatum epist. 2.

Falcones in aere sunt dæmones, in media regione commorantes. S. Vinc. Ferr. Ser. 3. D. 1. Adv.

Fœnerator pessimus est diabolus. S. Ephr. tom. 3. in sua Confessione.

Fortis. Fortem diabolum appellavit (Christus Matth. 11.) non quia natura talis sit; sed ut tyrannicas ejus vires, quas ex natura sumpsit, ignavas ostenderet. S. Chrysostom. hom. 20. in Matth. *Fortis* est dæmon, Marci 3. vasa ejus sunt homines, in quibus recipitur. Theophylactus apud. S. Thom. in Cat. sup. 3. Marci. Alligavit Dominus fortem, id est, diabolum ab electorum seductione compescuit: & ingressus in domum, id est, in Mundum, vasa ejus, id est, homines diripuit. V. Beda ib.

Fur. Terram, quam dixit, habitaculum Corporis nostri significat; thesaurus verò fides est - tinea est avaritia, sive libido - fures, diabolus. Arnob. c. 8. in Matth. Fur est diabolus animam furando. S. Thom. in festo S. Gregrii.

Gigantes sunt diaboli: quia sunt magnæ staturæ; quia minor diabolus Inferni est major maxima turri, vel arbore, existente in Mundo. Sanct. Vinc. Ferr. Serm. fer. 6. à Pent. Typum diaboli gestavit Nembroth Gigas. Sanct. Isidor. in Alleg.

Goliath

Goliath figura diaboli, & superbiæ. S. Isid. c. 8. in 1. Reg. Golias typus diaboli est. S. Ambr. Ser. 78. in ps. 118.

Hai Rex, figura diaboli. S. Isid. c. 8. in Josue.

Holofernes, quem Judith jejunans occidit, significat diabolum; qui abstinentia superatur. Sanct. Bonav. diet. sal. tit. 2. cap. 6.

Homo iniquus dicitur diabolus. S. Thom. in ps. 42.

Impius. A facie impiorum (protege me) qui me afflixerunt, id est, à potestate, & præsentia dæmonum. Sanct. Thom. in ps. 16.

Incantator diabolus est, & aliæ malæ personæ. Contra hos debemus induere proprietates aspidis: unam dexteram aurem ponere supra petram Christum; alteram occludere cauda corporis extremitate, scilicet mortis cogitatione, quæ est ultimum hominis. S. Vinc. Ferr. ser. 2. Epiph. Dom.

Infernus. Redimet de manu inferi, id est, diaboli; sub quo erant homines ante adventum Christi. S. Thom. in ps. 48. Infernus, id est, diabolus, qui præpositus est Inferis. Sanct. Thom. in 14. Is.

Joab Diabolus allicit, ut occidat. Hoc significatur in Joab Principe, qui Amasiam osculando interfecit. Osculum diaboli, falsa securitas peccatoris. Sanct. Bonav. serm. 2. D. 4. Pasch.

Laban. Hujus (Laban) filiam, id est, seu Mundi, seu diaboli, Jacob abstulit; cùm sibi Christus Ecclesiam ex Gentilitate conjunxit. S. Isid. c. 26. in Gen. Laban diaboli typum figurat. Laban quippe interpretatur *dealbatio*. Dealbatio autem diabolus non inconvenienter accipitur: quia transfigurat se velut Angelum lucis. Id. ib.

Latro. Maligni spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. S. Greg. hom. 12. in Evang. Sicut aurora est exosa latronibus, sic fides odiosa est latronibus, qui sunt latrones animarum. S. Bonav. dict. sal. tit. 5. cap. 3. Latro primus est diabolus. S. Thom. ser. 1. D. 20. Pent. Jericho significat Mundum, vulneratus Adamum, latrones diabolos, Samaritanus Christum Dominum, qui *custos* dicitur. Sanct. Ambr. lib. 7. in Luc.

Lectus diaboli est omne convitium, atque ira: quasi perniciosus quidam adulter oculta voluptate cum eo adulteratur; & ex pernicioso spermate diabolicas inimicitias parit; contraque matrimonium omnia peragens, eos, qui pacis vinculo in unum coarctantur, in multas dirimit partes; cùm matrimonium in una duos carne conjungat. S. Chrysost. hom. 52. in Matth.

Leo. Gratias magno illi leoni de tribu Juda (Christo.) Rugire iste 1. Petri 5. potest (diabolus) ferire non potest Rugiat, quantùm vult; tantùm non fugiat ovis Christi. S. Bernard. ser. 13. in ps. 90. Liberatus sum de ore leonis. Refertur ad diabolum. 1. Petri ult. S. Thom. in ps. 21. Leones sunt dæmones. S. Thom. ser. 2. Dom. 2. Pasch. Diabolus est leo cruentus, & veritatis inimicus. S. Ephr. tom. 2. in suo Testam. *Ad prædam ascendisti fili mi*. Gen. 49. id est, ascendens in crucem captivos populos redemisti; & quos ille leo contrarius invaserat, tu moriens eripuisti. S. Isid. cap. 31. in Gen. Diabolus biformis est; leo in impetu, draco in insidiis. S. Aug. Præfat. in ps. 69.

Lucifer. O Lucifer! imò non jam Lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer. S. Bern. tr. de grad. humilit.

Lupus. Sunt dæmones lupis rapacibus similes. S. Ephr. l. 2. paræn. 11.

Malleus significat diabolum. Jer. 50. *Contritus est malleus*. S. Bonav. in psal. 97. Tanquam malleus cœlestis opificis factus est (diabolus) malleus universæ terræ. Terit electos ad eorum utilitatem; reprobos conterit in eorum damnationem. S. Bernard. ser. de Malachia. Malleum universæ terræ, ps. 97. diabolum voluit intelligi. De ipso malleo in manu DEI, id est, potestate DEI posito, tunduntur ductiles tubæ. S. Aug. in psal. 97.

Malum. Malum hic, Matth. 6. diabolum vocat. Non eorum, qui natura sunt; sed eorum, qui electione fiunt, dicitur esse malitia. Per excellentiam autem ille sic vocatur, propter excessum malitiæ. S. Chrysost. hom. 20. in Matth.

Mercator. Peccatum est sicut falsitas in panno: ejus mercator est diabolus; ejus principium delectatio, medium remorsus conscientiæ, finis gehenna. Diabolus tantùm initium ostendit, sicut malus venditor facit. S. Bonav. dier. Sal. t. 1. cap. 2.

Milvi sunt aereæ potestates, diaboli, & Angeli ejus. S. Aug. Conc. 2. in psal. 90. Alis gallina pullos contra milvum custodit: sic & DEUS suis alis, quæ sunt charitas, & misericordia, justos defendit à rapacitate dæmonum. Matth. 23. *Quoties volui congregare &c.* S. Thom. in ps. 16.

Mons. Montis nomine diabolus significatur, propter superbiam. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 11. Marci. In miraculo à facie tua montes defluxerunt. Mysticè dæmones per hos montes intelliguntur. S. Thom. in 64. Is. Ponitur mons pro diabolo; transi hinc, id est, ab hoc corpore, & transibit. S. Thom. in Matth. 17.

Mors. Vita Christus est, mors diabolus. Joan. Xiphilinus Patr. Constant. or. in Cruc. ador. tom. 15. Bibl. PP. S. Chrysostom. apud. S. Thom. in Cat. sup. 8. Marci. Mors, id est, diabolus. Apoc. 6 *Nomen illi mors*. S. Thom. in ps. 48.

Myrmicaleon rectè dicitur, id est, leo, & formica: quia nimirum sicut contra consentientes fortis est; ità contra resistentes debilis. Aliis ergo leo, aliis formica. S. Greg. mor. l. 5. c. 17.

Pater impiorum. Neque diabolus aliquem hominem, aut potentia creavit, vel generando procreavit: & tamen dicitur Pater impiorum; non propter generationem, sed propter imitationem. S. Aug. hom. 27.

Pharao. Et quid in Pharaone Ægypti Rege, nisi ipse tenebrarum auctor diabolus designatur. S. Greg. l. 3. cap. 4. Sicut ille populus per mare rubrum salvatus est, Pharaone demerso; ità Ecclesia gentium per baptismum de diaboli servitute liberata est; & ad veram repromissionis terram, Evangelicam libertatem, introducta est. S. Thom. in Cant. 1. Omnes, qui luxuriæ, qui superbiæ, qui avaritiæ, qui invidiæ, qui fallaciæ, deserviunt; quasi equi quidam sub curru Pharaonis, id est, sub regimine diaboli sunt. S. Thom. in Cant. 1. Redemit nos Christus de manu Pharaonis, scilicet diaboli. S. Thom. Ser. 1. D. infra Octav. N. D.

Philisthiim. Mysticè per tabernaculum, designatur Ecclesia sancta. Hoc tabernaculum scilicet Ecclesia, ereptum est de manibus Philisthiim, id est, dæmonum. Sanct. Thom. in ps. 28.

Perdix, impurum, ac malevulum, & fraudulentum animal, adversario, & circumscriptori generis Humani, fallacissimoque, & impuritatis authori, conferendum putatur. S. Ambr. l. 7. ep. 48.

Porcus. Diaboli sunt porci. Luc. 15. S. Chrysol. ser. 5. de filio prod.

Porta lata est diabolus. *Portæ inferi non prævalebunt*. Matth. 16. S. Thom. Cat. sup. 7. Matth.

Portæ mortis sunt diaboli. S. Thom. serm. in festo Cathedræ S. Petri.

Portæ inferi. Sed & singulæ spirituales nequitiæ in cœlestibus, portæ sunt inferorum; quibus contrariantur portæ justitiæ. Orig. apud S. Thom. in Cat. sup. 16. Matth.

Regulus. In caverna reguli, id est, diaboli; qui est Rex super universos filios superbiæ. S. Thom. in 11. Is.

Rex Christus, Rex diabolus: ille humilium, hic superborum. S. Thom. de Sacr. Alt. cap. 29. Diabolus est Rex; de quo Apoc. 9. S. Thom. in 9. Apoc.

Sator, sartorque scelerum, diabolus. Daniel Monachus Raithunus in vita S. Joannis Climaci c. 1.

Scandalum. Venientia scandala sunt Angeli Sathanæ. Quærunt autem organa, per quæ scandala operentur. Orig. tr. 3. in Matth. apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth.

Scorpii, & Serpentes, appellantur. S. Cyprianus ep. 2. ad Donatum.

Sculptor. Nota; quòd diabolus, in quibus non invenit fidem Catholicam, vel fortem: in illis sculpit, & format, figuram leonis, id est, paccatum superbiæ, &c. S. Bonav. diet. sal. tit. 10. cap. 5.

Sequi diabolum quid? Tale est sequi diabolum; quale esset, si agnus sequeretur lupum, Porcus ursum, gallus vulpem, lepus canem, &c. S. Bonav. de SS. Petro, & Paulo.

Serpens. Crux est palus, in quo erecto Serpente æneo, id est, Christo, omnes, qui eum fideliter aspiciunt liberantur à morsibus Serpentum ignitorum, id est, diabolorum. S. Bonav. in Laudismo de S. Cruce. Cedrus odore suo Serpentes fugat; & sic sancti Doctores dæmones, fragratione doctrinæ suæ repellunt. S. Thom. in 1. Cant. Diabolus dicitur Serpens 1. propter renovationis ingenium. 1. Cor. 2. *Ipse Sathan transfigurat se, &c.* 2. Propter incedendi modum. Job 40. *Stringit caudam suam, quasi cedrum*, S. Thom. in 27. Is. Vide hìc *Tentator*.

Spiritus Domini appellatus est diabolus, 1. Reg. 16, propter ministerium: quia omnibus, etiam spiritibus malis, utitur DEUS bene; vel ad damnationem quorundam, vel ad emendationem, vel ad probationem. S. Isid. cap. 8. in 1. Reg.

Tentator. Diabolus nos non nisi ab inferiori oppugnare potest. Adeoque si sublimiter spiritu volemus, vincere nos nequit: est enim Serpens; humi tantùm serpit. S. Chrysost. Serm. de Laude DEI. Ille (Serpens) observat tuum calcaneum: tu observa caput illius. Quid est caput illius? initium malæ suggestionis. S. Aug. Conc. 1. in ps. 48. Dum prava in cogitatione machinatur, quasi adhuc gladius in vagina est: dum verò malum, quod cogitavit, iniquè perficit; de vagina sua egreditur: quia de occultatione cogitationis suæ per iniquitatem malæ operationis aperitur. S. Gregor. mor. l. 15. cap. 13. Venti sunt tentationes diaboli. Quandoque venit Aquilo, qui projicit navem sursum elevando in superbiam & ità navis, scilicet conscientia perit - sed ventus tentationis non eradicat solùm arbores, id est, simplices; sed etiam

davit

diruit montes, scilicet personas spirituales. S. Vinc. Ferr. ser. 5. de S. Dominico.

Venator. Diabolus est versutus venator. S. Chrysost. ser. de pœnit. Diabolus dicitur venator propter tria: quia insidias ponit, laqueos ponit, sanguinem fundit. S. Bonav. in ps. 90. Qui sunt venatores isti? ps. 90. 3. Veneatores utique pessimi Veneatores, qui cornu non sonant, ut non audiantur; sed *sagittant in occultis immmaculatum*. Ipsi sunt *rectores tenebrarum harum*. S. Bernard. ser. 13. in ps. 90. Quasi venator robustissimus, & auceps callidissimus. Sanct. Cæsarius Arelat. Ep. hom. 35.

Ventus. Perversitas hæreticorum, tentatio dæmonum, crudelitas tyrannorum, malignitas falsorum Christianorum, sunt quatuor venti, quibus navicula Petri agitatur. Sanct. Thom. ser. 2. D. 2. Epiph. De istis quatuor ventis. Dan. 7. *& ecce in mari magno pugnabunt venti quatuor*, Idem ibid. Mysticè puppis est Ecclesiæ initium. - Cervical Corpus Domini est; cui Divinitas sicut Caput inclinata est, Ventus autem, & mare, persecutores, & dæmones sunt. S. Hieronym. apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci.

Volucres cœli dicuntur rectè dæmones: sive quia cœlestis, spiritualisque sunt naturæ; sive quia in aere habitant Vener. Beda apud S. Thom. sup. 4. Marci. Per volucres intelliguntur dæmones, per semen justitia. Luc. 8. S. Thom. ser. 4. Sexag.

Vulpecula. Vinea justitia est; in qua sunt tot palmites, quot virtutes; sicut dicit Chrysostomus. Vulpeculas ab ipsa, id est, dæmones cohibendo. S. Thom. serm. 2. in Septuag.

Uxor diaboli. Lucifer duxit uxorem inobedientiam. S. Vinc. Ferr. ser. 2. D. 2. Pent.

T I T U L U S VII.

D I S C I P L I N A.

AGer. Thesaurus in agro absconditus. Matth. 13. est cœleste desiderium: Ager verò, in quo thesaurus cœlestis absconditur, est disciplina studii cœlestis. S. Greg. hom. 12. in Evang.

Ancilla DEI est disciplina sancta. Arnobius in ps. 118.

Ariadnæ filum. Lumen, ac ductor, & quasi Ariadnæum filum, est disciplina. P. Franciscus Sacchinus in Protrept. p. 2. cap. 2.

Virga. Numerus quadragenarius tempus istud significat, quo in hoc sæculo regis nos oportet à Christo secundùm disciplinam laboriosam; quam significat illa virga ferrea, de quo in psalmis legitur psal. 2. *Reges eos in virga ferrea*. Sanct. Aug. de Cons. Evang. l. 2. cap. 4. apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth.

T I T U L U S VIII.

D I S C R E T I O.

CAlamus, est discretio - Sicut calamus, nisi interiùs incaustum habeat, non scribit. Sic & discretio prædicatoris in illum, nisi repleatur gratia, in affectu vacua manet, nec affectum habet. S. Thom. in 11. Apoc.

Clavis cœli. Claves Regni cœlorum ipsam discretionem nominat. Rabanus apud S. Thom. in Cat. sup. 16. Matth.

Digiti. Per manus ipsa operatio designatur; per digitos verò discretio operationis. S. Thom. c. 5. in Cant. In manibus opera, in digitis discretio signatur. Sanct. Isidor in 1. Cant.

Frænum. Equus significat desiderium, calcaria significant bona exempla. - Frænum significat discretionem. S. Bernard. Opusc. de filio prod.

Monile. Collum, per quod vox emittitur, veritas est; monilia, quæ ornant pectus, & stringunt, discretio est. S. Bonav. lum. Eccl. serm. 2.

Nasus. In naso Verbi DEI dispensatores causa discretionis designantur. S. Isidorus in Cant. Parvo naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. S. Isid. c. 13. in Levit. Dum naribus discretionis spirat, charitas sibi suaviter olet. S. Gregor. in 1. Cant.

Palpebra. Per palpebras significatur discretio: quia sicut palpebræ oculi dirigunt visum, sic discretio moderatur humanam sapientiam. S. Thom. in ps. 10.

T I T U L U S IX.

D I V I N I T A S.

ALtare potest dici altitudo Divinitatis Christi. S. Thom. in 14. Apoc.

Caput. *Aperi mihi - quia Caput meum plenum est rore, &c.* Cant. 5. Caput meum, id est, Divinitas, plenum est rore, id est, misericordia ad dimittendum peccata. *Et cincinni mei*, id est, humanitas *guttis noctium*, id est, effusione sudoris lacrymarum, & sanguinis Passionum, ad redimendam hæreditatem tuam. Sanct. Thom. de Sacr. Alt. cap. 1. *Caput agni cum pedibus, & intestinis vorabitis*. Ex. 12. Caput agni significat Deitatem, intestina animam, pedes carnem. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 4.

Mel. *Comedi favum cum melle meo*. Cant. 5. id est, dulcedinem Carnis Christi cum dulcedine Divinitatis. S. Thom. de Sacr. Alt. cap. 24. S. Aug. super illud Cant. 4. *Mel, & lac, sub lingua tua*, dicit, quòd significat per butyrum Humanitatem, quia de terræ nutrimento venit: per mel Divinitatem; quia de rore cœli colligitur. S. Thom. in 7. Is.

Solium. Per solium. Is. 6. significatur eminentia Divinæ naturæ. Sanct. Dionys. cap. 13. cœl. hier. apud Sanct. Thom. in 6. Is.

Vestitus deauratus. *Astitit Regina*, psal. 44. quæ Regina, & Mater Regis est; quæ astat super omnes choros, *in vestitu deaurato*, id est, deaurata Divinitate. Non quòd sit DEUS, sed quia est Mater DEI. S. Thom. in ps. 44.

T I T U L U S X.

D I V I T I Æ, D I V E S.

AUrum quid? Aurum materia laborum, periculosa res possidentium; aurum enervatio virtutum; aurum malus Dominus; proditor servus;. Ergo qui aurum non habet, quid habet? fidem habet. Sanct. Aug. serm. 26. de Verb. Ap.

Canis Divitiæ sunt sicut canis sequens duos dominos; in capite autem viarum proprium. Sic divitiæ in capite mortis sequuntur Mundum, & dimittunt avarum. S. Bonavent. diet. sal. tit. 1. c. 6.

Cedrus. Vides cedrum in monte altissimo superexaltatam: sed vento frangitur, sed igni exuritur, sed vetustate dissolvitur. Ità & dives in sæculo. S. Ambr. in ps. 36.

Fundamenta montium sunt illa, in quibus fundantur; scilicet divitiæ. S. Thom. in ps. 17.

Laqueus. Advertis, laqueum diaboli esse divitias? - ac nè mediocrem hunc laqueum putes; hìc laqueus Judam Apostolum strangulavit. Esca diaboli luxuries est; esca laquei avaritia est. S. Ambros. ser. 14. in ps. 118. Laqueus diaboli sunt divitiæ sæculi hujus. S. Bernard. ser. 3. in ps. 90.

Miseria divitum. Quid invides diviti? quoniam se majorum curarum reum constituit; quoniam graviori servitio, & infinitis mœroribus, quasi quidam canis suis aligatus est pecuniis. Vis fieri dives ut pauper? licet tibi, si velis; & est, qui prohibeat, nemo. Contemne Mundi pecunias; nihil esse cogita, sicut, & sunt. Elimina pecuniarum amorem, & dives factus es. Hic est dives, qui dives esse non vult; qui pauper esse renuit, hic est, qui pauper est, S. Chrysost. hom. 65. ad Pop.

Noxia. Neque sapientiorem, neque temperatiorem, neque elementiorem, neque prudentiorem, divitiæ facere possunt: non benignum, non placidum reddunt - Si paratum aliquid, atque reconditum invenerint, subruunt: & è contrario vitia pro virtutibus introducunt: ipsarum enim pedissequa est luxuria, ira, &c. S. Chrysost. hom. quod nemo læditur, nisi à se ipso. Hoc (divitias servare) est feras quadam bestias in animis suis homines sponte collocare, & in pectoribus suis nutrire. Id. ib.

Onus. Quid homini pecunia tua, nisi quoddam viaticum est? Multa oneri, moderata usui: viatores sumus vitæ hujus. S. Ambros. l. 7. ep. 44. Hic relinquite ligna vestra divites; ut onus vestrum futuro incendio incrementum non addat. Si erogaveris, minuetur onus; &, quod remanserit, onus non erit. Id. l. 9. ep. 72.

Pinguedo dicuntur divitiæ. 1. Propter sterilitatem. Matth. 13. fallacia divitiarum. 2. Propter ventositatem. 1. Tim. ult. *Divitibus hujus sæculi præcipue, non sublime sapere*. 3. Propter inutilitatem. S. Thom. in 17. Is.

Puteus. Putei, cùm exhauriuntur, uberiùs fluunt; cum autem deseruntur, putrescunt. Eodem modo stabiles divitiæ inutiles sunt. S. Basilius apud. S. Joan. Damascen. lib. 2. Paral. c. 16.

Sevit (amor pecuniæ) ut barbarus, ferocit crudeliter ut tyrannus, debacchatur impudenter ut meretrix: nusquam miseretur, nusquam pudet. Adest ubique dura, ubique terribilis, dira, mala, mens, impia, truculenta. Et cùm lupis, & ursis, ac leonibus, ferociùs sæviat; suavis tamen hominibus videtur, & amabilis. Et quid dico suavis? melle ipso, ac favis dulcior. S. Chrysostom. hom. quòd nemo læditur, &c.

Scholæ malitiæ opes. Hæc igitur sciens, superflua quoque amputa, facque pauperibus supplementum, &c. S. Joan. Chrysost. l. 3. Adv. vitup. vitæ Monast.

Somnium est iste thesaurus: evigilans; & recessit. Quoniam qui potuerit crapulam istius Mundi edormire, & sobrietatem virtutis assumere; ista contemnit. Sanct. Ambros. in ps. 48.

Sor-

Sordes Mammonæ sunt divitiæ. Sanct. Asterius hom. Adv. avarit.

Sterquilinium. Quia sicut sterquilinium congregatum corrumpitur, & fœtet, dispersum verò facit agros fructificare. Ità &c. S. Bonav. diet. sal. tit. 1. c. 6.

T I T U L U S XI.

D O C T O R.

ARa. Doctores sunt ara Divinitatis. S. August. l. 20. contra Faustum c. 3.

Balsamum. Sal est balsamum naturæ; & Doctores sunt terræ balsamum. S. Aug. ibid.

Barba. Sicuti barba ornamentum est viri; ità SS. Apostoli, & Doctores, ornamentum præstant Corpori Christi. S. Isidor. c. 11. in 13. Levit.

Botrus. Uberibus Ecclesiæ Doctores propter lac primæ eruditionis, comparantur: & botris æquantur propter magisteria dulcissima æternitatis. S. Isid. in Cant.

Campfores. Doctores sunt quidam Campsores. Luc. 19. *Vocatis servis decem dedit eis minas, & ait: negotiamini, dum venio*. Ergo sunt negotiatores. S. Thom. in Ps. 36.

Cataractæ. Per abyssum intelligitur sacra doctrina: & sic est sensus: abyssus, idest, vetus Testamentum vocat aliud, idest, novum Testamentum - in voce cataractarum tuarum, idest, prædicatorum, & Doctorum. S. Thom. in Ps. 41.

Cervus, & Mercenarius. Comparatur studiosus animus cervo celerrimo, & mercenario pauperrimo; currentibus ad ardoris refrigerium, & operis complementum. S. Bonav. Exp. 2. 118. c. 9. v. 3. & 4.

Columnæ argenteæ sunt Doctores eloquii luce fulgentes. S. Isidor. in Cant.

Collum. Per collum Ecclesiæ Doctores sancti figurantur. S. Thom. in 1. Cant. Collum S. Ecclesiæ Doctores ejus sunt - Hoc autem collum turri David comparatur - quia semper quasi in bello sunt, pro defensione Ecclesiæ pugnantes. S. Thom. cap. 4. in Cant. In collo Doctores designantur. S. Isidor. in 1. Cant.

Columba. Possumus & per oculos sponsi Doctores accipere; qui columbis comparantur propter innocentiam, & simplicitatem. - Hæ columbæ *super rivos aquarum resident*: quia sancti Doctores fluentis Divinarum Scripturarum immorantur. S. Thomas in Cant. 5.

Cophini. Per duodecim Cophinos, duodecim Apostoli, & sequentes Doctores figurantur. S. Greg. mor. l. 16. c. 26. apud S. Thom. in Cat. sup. 6. Marci.

Custodes Civitatis, idest, Ecclesiæ, sancti sunt Doctores; qui sedula prædicatione circumeunt corda singulorum. S. Isid. in Cant.

Digiti significant Prophetas, & Doctores. Sanct. Thom. in procem. sup. Thr.

Isaac pueri. Pueri Isaac (qui istos puteos foderunt. Gen. 22.) sunt Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Petrus, Jacobus, Judas, & Apostolus Paulus, &c. Apostoli, vel Doctores: qui omnes novi Testamenti puteum foderunt, & invenerunt aquam vivam. S. Isid. in Gen. 22.

Labia spiritus sunt Doctorum. S. Isid. in Cant. 1.

Luminaria firmamento infixa, sunt Doctores S. Scripturæ. S. Isid. c. 2. in Gen. Doctores sunt luminaria Mundi. S. Cyrill. l. 3. cap. 21.

Ligna Libani significant Doctores. S. Thom. in Cant. 2.

Lapidaria, & ligna, Doctores sunt in Ecclesia. S. Isidor. in Cant.

Mammæ. In nomine Mammarum sancti Doctores designantur, propter consolationem infirmorum, & parvulorum sustentationem; quæ lacte exprimitur. Sanct. Isidor. in Cant.

Negotiatores. Luc. 19. *Vocatis servis dedit eis decem minas, & ait: negotiamini, dum venio*. Ergo sunt negotiatores Doctor ergo dat populo doctrinam, quasi pecuniam. Psalm. 11. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum*. S. Thom. in Ps. 36.

Oculus est quisque Doctor, tamquam vitæ demonstrans iter. Sanct. Isidor. cap. 35. in Exodi. Sancti Doctores oculi sunt. Sanct. Thom. in Cant. 4. Oculi Ecclesiæ Doctores propter nutrimentum: & rectè piscinæ comparantur; quia fluenta doctrinæ suis auditoribus præbere non cessant. S. Isidor. in Cant. *Oculi ejus quasi columbæ*. Cant. 5. Oculi ejus Doctores sunt; per quos Ecclesia videt, quæ recta sunt. Bene columbæ, propter simplicitatem; & rivulis aquarum, propter charismata Divina comparantur. Idem ibid. In unitate sancta Doctorum, idest, oculorum; & unitate sancta plebis, idest capillorum. Id. ibid.

Paranymphus. Nullus alius est Sponsus (animarum) nisi solus Christus: omnes namque Doctores paranymphi existunt. Theophyl. apud S. Thom. sup. 3. Joan. *Phialæ* Doctores, pleni vitalibus aquis. S. Isid. c. 58. in Exp.

R. P. Andreæ Spanner.

Portæ Ecclesiæ Doctores sunt sancti. Sanct. Isidor. in Cant. Portæ filiæ Sion dicuntur Doctores Ecclesiæ. Sanct. Thom. in Ps. 9.

Reclinatorium aureum ordo Doctorum. Sanct. Thom. cap. 3. in Cant.

Reges. In Ecclesia Ordo Doctorum, quasi Rex præsidet; quem Fidelium suorum turba circumstat. S. Greg. mor. l. 20, cap. 4.

Vitta. Bene vitta coccinea dicitur: vita enim capillos constringit: Sic sancti Doctores sua prædicatione ad unitatem multitudinem Fidelium nectunt. S. Thom. c. 4. in Cant.

T I T U L U S XII.

D O C T R I N A.

AQua profunda, idest, doctrina spiritualis. Sanct. Thom. serm. 2. Dom. 25. Pent. De hoc Libano, idest, Ecclesia, fluunt aquæ doctrinarum cœlestium. Sanct. Thom. in Cant. 4.

Fermentum Ecclesiæ, est doctrina spiritualis. Sanct. Ambros. l. 7. in Luc.

Gladius Christi, est doctrina ejus: & est super femur: quia organo Humanitatis verbo doctrinæ usus est. Sanct. Thom. in Psal. 44.

Gloria Christianorum DEI præceptum est: gloria Christianorum, Apostolorum, & Prophetarum doctrina. S. Ephrem de Amore paup.

Infirmitas magna, est ignorantia. Sanct. Vinc. Ferr. serm. 3. Dom. 2. Quadrag.

Manna Angelicum, est cœlestis doctrina. S. Isidor. cap. 8. in Num.

Margaritæ. Una pretiosissima margarita. Matth. 13. est scientia Salvatoris. Sanct. Hieronym. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

Mel. Per lac designatur simplex doctrina; mel verò cœlestem, & spiritualem doctrinam significat; quæ & perfectis, & instructis convenit. S. Thom. in Cant. 4.

Nutrix virtutum. Per impatientiæ vitium ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur. Scriptum namque est Prov. 19. *Doctrina viri per patientiam noscitur*. Tantò ergo quisque minus ostenditur doctus, quantò convenienter minus patiens. S. Greg. hom. 35. in Evang.

Panis. *Mittamus lignum in panem ejus*, idest, per lignum Crucis scandalum doctrinæ ejus suscitemus; quæ panis est. S. Thom. in 11. Jer. Satiare panibus, scilicet sacra doctrina. S. Thom. s. 2. Dom. 7. Pent.

Regnum DEI signat doctrinam Evangelii. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 10. Marci.

Ros. Judic. 6. Iste ros significat doctrinam JESU Christi bona ratione. Quia sicut terra de se non potest fructificare sine rore cœlesti: sic nec Mundus posset fructificare in bonis operibus; nisi descenderet ros, idest, doctrina Christi. S. Vincent. Ferr. serm. f. 2. Dom. Pass.

Vestimenta Apostolorum, vel doctrina virtutum, vel discretio Scripturarum, vel Ecclesiasticorum dogmatum varietates intelligi possunt. Ven. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 11. Marci.

Ubera sunt dulcedo Evangelicæ doctrinæ. Sanct. Isidor. in Cant. 1.

Vinum. Cella vinaria Ecclesia est; in qua est vinum Evangelicæ doctrinæ. S. Thom. in Cant. 2.

T I T U L U S XIII.

DOCTRINA CATECHETICA.

APex doctrinarum. Doctrina Catechetica est Sapientia Crucis, Sapientia Spiritus, vitalis ligni medulla, mamilla Regum, lac Apostolicum, cœli mel, nutrimentum æternitatis, vena vitæ, lumen virtutum, doctrinarum Apex, flox Theologiæ; denique Apostolorum, ut ità dicam, Grammatica. P. Sacchinus in Protreptico ad Magist. p. 1. c. 4.

Ibi dabo tibi ubera mea, idest, parvulorum meorum pædagogos. S. Isid. in Cant.

Sacerdotes in Ecclesia similitudinem videntur habere vaccarum; Christiani verò populi typum præferunt vitulorum. Quando enim per prata vaccæ discurrunt, ut de pascus herbis cibum lactis præparent vitulis suis: ità Sacerdotes Divinis Sacrarum Scripturarum mentibus legendo Verbi DEI dant flores decerpere; ex quibus spiritualis lactis filiis suis cibos valeant ministrare. S. Cæsarius Arelat. hom. 26. *Lac vobis potum dedi*, ait Apost. 1. Cor. 3. Lac sunt facilia documenta. S. Thom. in l. 1. Cons. Phil. prof. 2.

TITULUS XIV.

DOLUS.

A*Cetum. Illi autem spongiam &c.* Marci 15. Innuit hic Judæorum similitudinem. Spongiam (super cannam informem, aridam, ignibus aptam) implent aceto, idest, malitia, & dolo. Sanct. Hieronym. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 15. Marci.

Arcus. Conteret arcus, idest, dolosas machinationes - *& confringet arma*, idest, manifestas insidias. S. Thom. in Ps. 45.

Fovea. Ambulamus in medio trium fovearum. 1. Est mulier, vel luxuria. 2. Gula, & ebriositas. 3. Hypocritarum, & maleficorum dolositas. Matth. 8. *Vulpes foveas habent.* S. Thom. s. 1. Dom. 20. Pent. *Lacum* ergo, idest, foveam profundam *aperuit*, idest, excogitavit fraudem; fovit profundè cogitando. Sanct. Thom. in Psal. 7.

Telam ordiremini, idest, pravam machinationem. S. Thom. in Is. 30.

TITULUS XV.

S. DOMINICUS ET ILLIUS ORDO.

S. Dominicum publici, & communis boni procuratorem appellare possumus; ut olim Sanct. Basilium appellavit D. Gregorius Nazianz. or. 20. Lobbetius de S. Dominico q. unicæ p. 2. §. 6.

S. Dominicus fundavit militantem Ordinem, dictum Militia Jesu. Id. ibid.

Ante suam mortem audiit Dominicus cœlestem vocem dicentem: *Euge serve bone, & fidelis: quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Id. ib.

P. Rho, cùm infirmi S. Dominici in Missa meminisset, vidit extra se raptus D. Dominicum corona aurea, redimitum, & ad instar Solis omni parte radiantem Bononia excedere. Id. ibid.

S. Dominicus est Sol, & quidem novus. Id. ib.

Beate Dominice, Pater noster, es illa aurea porta cœlestis Hierosolymæ ex purissimo, & obryzo auro: per quam ingrediuntur in illam civitatem Dei, quicumque tua cœlesti, & Divina doctrina verè volunt uti - Tu es pretiosa gemma: quæ si probetur, semper exhibet præstantiam insignium virtutum cœlestium - Tu sanctissime Patriarcha, & Pater noster, es arx, atque castellum munitum: & defendis, ac protegis omnes, qui tua volunt uti opera. S. Thom. in quodam sermone habito in festo S. Dominici coram Venerabili Virgine Marina de Escobar in raptu constitura. Vide hujus Virginis vitæ l. 4. c. 20. §. 3. Ibidem vocat Ven. hæc Virgo S. Thom. gloriosum Doctorem. Ibid. S. Thomas vocat Ordinem Prædicatorum, sanctam Religionem.

Sol illuminans per omnia respexit; & gloria Domini plenum est opus ejus. Eccl. 42. Possunt hæc verba de B. Dominico exponi. Et notantur ibi duo. 1. B. Dominicus laudatur. *Sol illuminans.* 2. Ejus opus, idest, Ordo Prædicatorum, *gloria Domini.* Circa primum sciendum, quod B. Dominicus dicitur Sol propter septem, ait S. Thomas serm. in festo S. Dominici. Vide ibid.

Est Patriarcha longè sanctissimus: ejus Ordo religiosissimus. Lobbetius in procœm. de S. Dom.

Deus Pater dixit Sanct. Catharinæ Senensi dial. c. 158. Dominicus dilectus filius meus - ordinavit naviculam suam ordine perfecto ut videlicet attenderet solùm ad honorem meum, atque ad salutem animarum, cum lumine scientiæ. - Ipse fuit lumen, quod ego Mundo gratiosè concessi, mediante gloriosa Maria; quæ dedit illi habitum, & ego officium (prædicandi) Ultima hæc sunt ex cap. 34. prout citat Lobbet. ut suprà.

Prædicatores, seu Dominicani, sunt cœlestis verbi præcones, Evangelicæ tubæ, organa Divini spiritus, Labia Christi, cœli linguæ, satores æternitatis, & fideles mysteriorum Dei dispensatores. Lobbet. ibid.

S. Thomas est Apis Matina. Matinus mons est in Calabria Apibus abundans. Lobbet. ib.

Ordo Prædicatorum est sanctissimus. Id. ibid.

S. David 2. Reg. 24. dicitur lucerna Israel. Heli summus Sacerdos lucerna Dei. 1. Reg. 3. S. Athanasium secundam à Christo lucernam vocavit. S. Greg. Naz. or. 3. Doctores omnes, virique Apostolici dicti sunt lucerna Dei, lucerna militantis Ecclesiæ - Sic, & S. Dominicus lucerna Dei, lucerna Ecclesiæ est. Lobbet. qu. unica morali de S. Dominico Lucernarum harum lux, Theophylacto est ratio, & discretio. D. Maximo, oratio, & contemplatio. Aliis Fides; nonnullis fulgor boni operis. Ardor autem charitas. Lobb. ib. D. Dominicus est Princeps lucerna in Ecclesiæ candelabro. Id. ib.

Abbas Joachim, qui septuaginta annis antè mortuus, quàm vivere incepit S. Dominus, præsignavit SS. Dominicum, & Franciscum, illo Zachariæ vaticinio cap. 11. *& assumpsi mihi duas virgas; unam vocavi decorem, alteram funiculum, & pavi gregem.* Virgam decorem dixit significare Dominicum; virgam funiculum, qui signum est vitæ austeræ, Franciscum. Lobb. ibid.

Sol in Ecclesia Dei est B. Dominicus. Id. ib. §. 2.

Fuit Ecclesiæ Dominicus, quod gregi canis. Ibid.

Quasi Stella matutina in medio nebulæ, sic ille effulsit in templo DEI. Eccl. 50. Id. ib. §. 3.

S. Dominicus, postquam fuit baptizatus, apparuit in fronte illius lucidissima stella. Id. ib.

S. Dominicus est sidus Sanctitatis. Id. ib.

Dominicus, & Franciscus, seu gemina Ecclesiæ sidera. Id. ibidem.

Dominici labia visa sunt ad instar alvearis, & favi mellis. Id. ib. §. 4.

S. Dominicus reformator Ecclesiæ. Sic eum adhuc parvulum Sacerdos in Missa, cùm ad populum se vertisset dicturus Dominus vobiscum, loco Dominus vobiscum appellavit. Et quamvis corrigere vellet sæpius, numquam tamen aliud pronuntiare potuit, quàm ecce reformatur Ecclesiæ. Aderat enim tum Dominicus; ideo dicebat Sacerdos: *ecce*. Idem ib. §. 5.

Illius prædicatione plus quàm centum hæreticorum millia conversa sunt. Id. ibid. §. 7.

Eum omnium primum voluit esse Fidei Inquisitorem Innocentius III. quod & confirmavit Honorius III. Id. ibid.

Prædicatores sunt filii Beat. Virginis. Sic ipsa eos vocavit. Idem 2. parte quæst. unicæ de S. Dom. §. 1. Et iterum dixit B. Rho, uno ex primis D. Dominici Socio audiente, ad cœlo comites conversa: hi sunt filii mei dilecti, in quibus mihi complacui. Id. ib.

Sanct. Dominicus dux numerosi exercitus sacri. Idem ibidem §. 2.

S. Dominicus detrectavit quinque Episcopatus sibi oblatos. Id. ibid. §. 3.

S. Dominicus fuit commune miserorum perfugium. Idem ibidem.

Quæ (Dominicana Familia) cum paucis Aristotelem semper coluit, & honestavit. P. Sfortia Pallavicinus lit. Vindicat. Soc. JESU c. 25.

TITULUS XVI.

DONA S. SPIRITUS.

C*ollyrium. Collyrio*, id est, dono Spiritus Sancti, *inunge oculos tuos.* S. Thom. in 3. Apoc.

Columba. Rectè per columbas Spiritus S. charismata designantur. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 11. Marci.

Crateres. Sunt ibi (in tabernaculo) crateres, idest, distributiones donorum. S. Isid. c. 48. in Exod.

Dies septem. Commendatur S. Nicolaus à virtutum splendore, ibi, in diebus septem placuit DEO. Habuit enim septem dies. Diem Solis, idest, donum Sapientiæ: diem Lunæ, idest, donum Intellectus: Martis, idest, Fortitudinis: Mercurii, id est, Concilii, diem Jovis, idest, Scientiæ: diem Veneris, id est, pietatis: diem Saturni, idest, donum timoris Dei. S. Thom. serm. de S. Nicolao.

Fontes. Apparuerunt Fontes aquarum, idest, dona Spiritus S. S. Thom. in Ps. 17.

Lampades septem, sunt septem dona Spiritus Sancti. S. Thom. in 4. Apoc.

Læva. Per lævam dona Dei intelliguntur. S. Thom. in 1. Cant.

Lychni septem. Quam (MARIAM) Zacharias Vir divinissimus aureum (montem) ceu candelabrum septem vidit lychnis ornatum; nimirum septem illis donis Spiritus S. clarum, & lucidum. S. Andr. Jerosol. or. de sal. Angel.

Lucernæ septem. Salve lucerna septupla, & toties ardens donorum septem. S. Germanus Patriarcha.

Margaritæ. Spiritus S. dona sunt tamquam margaritæ. Sacchinus p. 2. c. 2.

Oculi Sponsi, sunt dona Spiritus Sancti. S. Thom. c. 5. in Cant. Cernit (Zacharias) lapidem, qui est Christus septem habentem oculos, idest, septiformis spiritus plenitudinem. S. Isid. lib. procœm.

Oleum. Homo quidam descendebat &c. Lucæ 10. Quatuor misericordiæ Christi hic ponuntur, quas fecit peccatoribus - tertia: gratiæ Spiritu S. infusio. Ibi infundi oleum. Glossa. Charisma Spiritus S. S. Thom. s. 2. D. 13. Pent.

Panes septem, Marci 8. dona sunt Spiritus S. fragmenta panum mystici intellectus hujus septimanæ. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 8. Marci.

Sportulæ. Exodi 21. dona Spiritus Sancti. S. Thom. serm. 2. de S. Bened.

Unguenta, dona sunt Spiritus S. S. Thom. in 1. Cant.

E.

TITULUS I.

EBRIETAS.

C*Ausa multorum malorum.* Si dicis: utinam non esset vinum! Ordine paulatim progrediens optabis, nè sit ferrum, propter homicidium; nè sit nox, propter fures; nè sit lux, propter calumniatores; nè sit fœmina, propter adulterium: & sic omnia opera tibi destruentur. Nè igitur ità dicas; nec vinum, sed ebrietatem crimineris. S. Chrysost. hom. 58. in Matth.

Diaboli ebrietas. Ebrietas alia spiritualis; alia corporalis, ex nimia vini repletione. Spiritualis alia Dei, alia diaboli. Dei dicitur, Apotheosis, idest, Deificatio: ebrietas diaboli dicitur metamorphosis, idest, mutatio à bono in malum; vel à malo in pejus. S. Bonav. in Ps. 22.

Filia gulæ. Filiæ gulæ sunt duæ, scilicet gastrimargia, & ebrietas. - De quibus dicitur Prov. 30. *Sanguisugæ, sunt duæ Filiæ dicentes, affer, affer* - Sanguisuga dicitur venter. S. Bonav. diet. sal. 1. c. 8.

Mater fornicationis. Fugiamus ebrietatem, Matrem fornicationis. S. Eph. de jejunio.

Obsidioni similis. Sicut hostibus subeuntibus urbem, & obsidione fracta, & perturbatione, multus efficitur tumultus. Ità fit & in anima, subrepente vino cum deliciis. Cui væ, cui tumultus, cui molestiæ contentiones, & rumores. S. Chrysost. hom. 54. ad pop.

Pascua diaboli. Oves diaboli pascuntur in prato ejus, scilicet in tabernacula; & tandem in Inferno. S. Vinc. Ferr. s. 2. f. 3. D. 1. Quadr.

Tempestas. Quemadmodum, cùm febris cessaverit, debilitas tamen inde facta diutius manet. Sic ebrietate transacta, effectus tamen ejus tam corpus, quàm animam, diutius exagitat. Jacet enim plerumque, tamquam tempestate conquassata navis, miserum hominis corpus: anima verò detestabili cupiditate compulsa vehementer incenditur. S. Chrysost. hom. 58. in Matth. Sic omnium pene bonorum jacturam ebrii patiuntur. Modestiam enim, pudorem, prudentiam, humilitatem; omnia hæc, quasi naufragium passi, iniquitatis pelago submerserunt. Verùm multò pejora sunt, quæ sequuntur ebrietatem, quàm tempestatem. Quæ nè accidant, fugiamus, oro, hanc tempestatem. S. Chrysost. hom. 58. in Matth.

Tenebræ. Densa caligo quædam est temulentia, ac tenebræ. S. Antiochen. hom. 5. de ebriet.

Varia ebrietates. Mali inebriantur vino. 1. materialis liquoris. Ephes. 5. 18. 2. Carnalis delectationis. Prov. 8. *Venite, inebriemur &c.* 3. Spiritualis erroris. Is. 19. *Et errare fecerunt &c.* 4. Divinæ punctionis. Thr. 3. *Inebriavit me absynthio.* Item inebriantur sancti. 1. lacrymis compunctionis. Is. 16. *Inebriabo te lacryma mea.* 2. Calice compassionis. Ps. 22. *Calix meus inebrians quam præclarus.* 3. Incentivo amoris. Cant. 5. *Comedite, & inebriamini.* 4. Torrente felicis delectationis. Ps. 34. *Inebriabuntur &c.* S. Thom. in 28. Is.

TITULUS II.

ECCLESIA.

A*cies. Terribilis, ut castrorum acies ordinata*; terribilis aereis potestatibus in unitate charitatis, fidei, & spei. S. Isidor. in Cant. Terribilis est Ecclesia malignis spiritibus; estque ordinata sicut castrorum acies: cùm videlicet unusquisque Fidelis ordinem suum, & vocationem rectè custodit. Tres enim sunt Ecclesiæ Ordines, Doctorum, Continentium, & Conjugatorum. Quæ species in tribus viris demonstrata est, Noe, Daniel, & Job. Noe enim inter fluctus arcam rexit, sanctos Doctores significat. Daniel cælebs, & castus continentes. Job, qui Uxorem habuit, & filios, Ordinem Conjugatorum exprimit. S. Thom. in 6. Cant.

Aer. Comparatur Ecclesia aeri: quia illuminatur per Sacram Scripturam, sicut aer per Solem. Item, *sicut aer est inter cœlum, & terram*; sic Ecclesia mente est in cœlo, corpore in terra. S. Thom. in 9. Apoc.

Æthiopissa. Uxor Moysis figuravit Ecclesiam ex Gentibus Christo conjunctam. S. Isid. in Alleg. Æthiopissa Uxor Moysis præfiguravit Ecclesiam ex Gentibus. S. Iren. Adv. hær. l. 4. c. 37.

Agna. Benedictus, qui Catholicam ipsius elegit Ecclesiam, veluti sanctam Agnam - & immaculatam columbam. S. Ephr. in suo Testam.

Altare est, & dicitur præsepe, & sepulchrum Domini. S. Germanus rerum Eccles. Contempl. Ecclesia est Altare, cujus super unitatem debet offerri Deo omne bonum nostrum. S. Thom. in 8. Apoc.

Angulus Ecclesia est, (Marci 12.) quasi conjungens Judæos, & Gentiles. Theophyl. apud S. Thom. in Cat. sup. 12. Marci.

Anna, 1. Reg. 1. Æstimavit eam Heli temulentam. Apostoli ebrii crediti sunt. Act. 2. - Spiritualiter autem Ecclesia ebria creditur - Ebria erat, non potatione erroris, sed repletione Spiritus S. - Coram Heli Anna stetit: quia sancta Ecclesia Synagogæ nullis persecutionibus corruit. S. Greg. l. 1. c. 1. in 1. Reg.

Aquila. Pulli Aquilæ, sunt subditi Ecclesiæ. S. Thom. de Sacr. c. 32.

Arbor est Ecclesia; cujus rami sunt dona, quæ numerat Apostolus 1. Cor. 12. *Alii datus est sermo sapientiæ &c.* S. Chrysol. serm. 98.

Arca. Arca ista (Noe) Ecclesiam demonstrabat. S. Isidor. c. 7. in Gen. Per hanc Arcam (fœderis) quam de lignis imputribilibus Moyses fabricavit, Ecclesia Christi significatur. S. Isid. c. 40. in Ex. In Arca (fœd.) circumlata significatur Ecclesia; in tubis autem æreis prædicatores fortes accipiuntur. S. Isidor. c. 7. in Josue. S. Paulus potest significari per columbam, de qua dicitur. Gen. 8. *Qua venit ad Arcam portans ramum olivæ in ore suo.* Quia enim oliva misericordiam significat, congruè per ramum olivæ accipitur nomen Jesu Christi; quod etiam misericordiam significat, secundùm illud. Matth. 1. *vocabis nomen ejus &c.* Hunc autem ramum virentibus foliis detulit ad arcam, scilicet Ecclesiam; quando ejus virtutem, & significationem, multipliciter expressit, Christi gratiam, & misericordiam ostendendo. S. Thom. in prol. sup. ep. ad Rom. Omnes circa arcam (fœd.) incedunt, quia ab Ecclesiæ sinu non discedunt. S. Isid. c. 10. in Jos. Ecclesia figuratur per arcam, sicut dicitur. 1. Petri 3. quia sicut in arca cæteris pereuntibus paucæ animæ salvatæ sunt; ità in Ecclesia pauci, idest, soli electi salvabuntur. S. Thom. in prol. expos. ep. ad Thess. 1. Dominus ergo inhabitavit diluvium hujus sæculi in Sanctis suis, tamquam in arca, ità in Ecclesia custoditis. S. Aug. in Ps. 28. Qua (Arca Noe) nemo nostrum dubitat figuratam Ecclesiam (in qua) non includerentur omnia genera animalium; nisi in illa unitate compaginis omnes gentes significarentur. Nisi fortè putamus, si omnia talia diluvio delerentur, defuturam fuisse Deo potestatem jubendi, ut terra ea produceret, sicut primo verbo ejus produxerat. S. Aug. Conc. 3. in Ps. 103. S. Ecclesia est Arca Noe. Ibi lata extitit, ubi bestias habuit; ibi angusta, ubi homines servavit: quia Ecclesia in carnalibus ampla est, in spiritualibus angusta. S. Greg. hom. 38. in Evang. Quare jam non peccaverit, qui arcam Ecclesiam majorem esse concesserit. Arca quidem. Gen. 7. animalia suscepit, & animalia conservavit, Ecclesia verò animalia suscipiens, eadem transformavit, ut puta: accipiter illuc introivit, & accipiter exivit, &c. S. Chrysost. hom. 3. de pœnit.

Arcturus. Quid namque Arcturi nomine, qui in cœli axe constitutus septem Stellarum radiis fulget, nisi Ecclesia universalis exprimitur? quæ in Joannis Apocalypsi per septem Ecclesias, septemque candelabra figuratur. S. Greg. l. moral. 9. c. 6. Arcturus universalem Ecclesiam, quæ non occidit, signat. S. Greg. mor. l. 25. c. 28.

Area est Ecclesia hujus temporis - & paleam habet, & frumentum. S. Aug. præf. in 2. expos. Ps. 25. Ecclesia, quæ toto orbe diffusa est, palea est, & frumentum: palea volat; frumentum manet: ideò *in populo graviori laudabo te.* Psalm. 34. S. Aug. Conc. 2. Ps. 34.

Atrium. Adorate Dominum in atrio Sancto ejus; idest, in Ecclesia ista, quæ est sicut atrium cœleste. S. Thom. in Ps. 28.

Aurora. Progreditur Ecclesia quasi aurora: quia jam ortus veri luminis Mundo post tenebras longæ ignorantiæ monstratur. S. Isid. in Cant. Filius quidem fabri Deus vocatur: sed fabri, qui fabricatus est auroram, & Solem, idest, Ecclesiam primam, & sequentem; in quarum figura mulier, & puella lanatur. Marci 5. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 6. Marci. Ecclesia est aurora. S. Greg. in 6. Cant. Aurora Ecclesia dicitur, quæ ad lucem permutatur. S. Greg. mor. l. 4. c. 15.

Beniamin. Per Beniamin terrestris figurabatur Jerusalem. S. Isid. c. 228. in Gen.

Bethlehem. Invenietis infantem. Lucæ 2. Hæc inventio fuit in Bethlehem, quæ interpretatur *domus panis*. Ecclesia enim est domus, in qua invenitur panis Angelorum in præsepio altaris. S. Bonav. s. 6. de Eccl.

Candelabrum. Septem candelabra septem Ecclesias Asiæ designant. Sanct. Thom. in 1. Apoc. Sancta igitur Ecclesia candelabrum ductile, & aureum est. Raynaudus in Candel. S. sect. 1. c. 4.

Castra DEI. Apostolus protegebat castra, idest, Ecclesiam DEI, gladio, qui est Verbum DEI. S. Thom. in prol. expos. sup. ep. ad Coloss. *Militia est vita hominis super terram*: ideo habitacula Fidelium nomine castrorum figurantur. Unde Ecclesia similitudinem habet castrorum. S. Thom. in prol. ad expos. ep. ad Coloss.

Catholica. Una est Columba mea. Una Catholica est per universum orbem diffusa Ecclesia. S. Thom. in 6. Cant. Illa dicimus, in qua jubebantur Agnum Paschalem comedere, significabat Ecclesiam Catholicam. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 14. Marci.

Caulæ. Ecclesiæ sunt caulæ ovium. Sanct. Isidor. cap. 16. in Num.

Chananæa. Ipsa mulier Chananæa Ecclesiæ ex Gentibus gerit figuram. S. Isid. in Alleg.

Cella vinaria. Ecclesia est; in qua est vinum Evangelicæ doctrinæ. S. Thom. in 2. Cant. Cella vinaria est Ecclesia; ubi propinatur calidum vinum Sanguis Christi; ad accendendum corda dilectione Dei, & proximi. S. Thom. de Sacr. c. 30.

Civitas. Hæc Civitas, Ps. 30. est Ecclesia. Hæc Civitas, Ps. 45. est Ecclesia - Tria sunt in ista Civitate, quæ sunt de ejus ratione - Primum est; quòd sit ibi multitudo liberorum; quia si ibi est unus, vel pauci: non est Civitas - Et similiter si sunt servi. Et huc maximè inventur in Ecclesia. Gal. 4. *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ*. Secundum est, quòd habeant sufficientiam per se. In vico enim non inveniuntur omnia necessaria vitæ Humanæ sanis, & infirmis. Sed in charitate oportet invenire omnia necessaria ad vitam. Tertium est unitas civium - Quia ad hoc scilicet ab unitate civium, civitas nominatur: quia *Civitas* quasi *Civium unitas*. Et hæc est in Ecclesia Joan. 17. *Ut sint unum in nobis*. - In Civitate habitant quiescente; in tabernaculo militans Ecclesia: quæ hic habet pacem, scilicet ex DEO; & tamen patitur inquietem à Mundo. Et ideo propter primum dicitur Civitas; propter secundum dicitur tabernaculum. - In Civitate, & exercitu, principale est tabernaculum regis, vel ducis: ità in hac Civitate, idest, Ecclesia principale tabernaculum, est Corpus Christi. S. Thom. in Psal. 45. Et hæc Civitas, Ps. 47. scilicet Ecclesia, sita est in monte Sancto ejus. Hic mons Christus est. S. Thom. in Ps. 47. Dominus est fundator hujus Civitatis - *Mons Sion lateral Aquilonis*, idest, deposita in latere montis Sion ad Aquilonem. Sion signat Judæos, Aquilo verò signat Gentiles idololatras. Hæc ergo Civitas est composita ex Judæis, & Gentilibus. S. Thom. in Ps. 47. Ecclesia Christi Civitas regis magni; gratia plena, prole fœcunda. S. Isid. c. 1. in 1. Reg. De qua scriptum est: *non potest Civitas abscondi super montem posita*. S. Thom. c. 49. in Gen. Vigiles sunt sancti Apostoli, & cæteri Doctores Ecclesiæ; qui Civitatem, idest, sanctam Ecclesiam custodiunt. S. Thom. in 3. Cant. In Civitate sunt tria magnifica, scilicet turres, muri, & plateæ. Quantùm ad primum, dicit: *narrate in turribus ejus*. Hieron. habet: *mirare turres ejus*. Turres sunt ad videndum à longè. Turres ergo Ecclesiæ sunt Prælati, & fuerunt Apostoli: quasi dicat: mirare Apostolos, & Prælatos. Murus autem hujus Civitatis est Spiritus Sanctus. Et plateæ illius Civitatis, est debita ministeriorum distributio: quosdam enim dedit Subdiaconos, quosdam Diaconos, quosdam autem Sacerdotes. Eph. 4. S. Thom. in Ps. 47. Mysticè Civitas, c. 14. Marci, Ecclesia est, quæ muro fidei cingitur. Homo occurrens, populus primitivus est: amphora aquæ, lex literæ. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 14. Marci. Ecclesia est Civitas sancta Sion super montem, qui abscondi nequit. S. Aug. in Ps. 50. Hæc Civitas, scilicet Ecclesia, munita turribus, idest, Prælatis; & muris, idest, Sanctis. S. Bonav. in Ps. 48. Civitas Dei Ecclesia est: peccat in cœlum, qui cœlestis Civitatis jura contaminat. S. Ambr. s. 15. in Ps. 118. Murus est anima sancti. Habet & Ecclesia muros suos; quæ jam perfectior dicit: *ego Civitas munita*. S. Ambr. s. 22. in Ps. 118.

Cœlum. Cœlo latior. S. Damasc. parall. l. 2. c. 14. Per cœlum serenum S. Ecclesia electorum intelligitur. Sanct. Hieron. Summ. de Eff. Dei. Ecclesia est terrenum cœlum. S. Germanus rer. Eccl. Contempl. Est cœlum, propter splendorem meritorum in justis. S. Thom. in 12. Apoc. Cœlum spiritualiter Ecclesia est; quæ in hujus vitæ nocte Sanctorum virtutibus, quasi claritate siderum fulget. S. Isid. de Nat. rer. c. 12. Ecclesia est cœlum, propter sapientiæ claritatem, & vitæ sublimitatem. S. Thom. in 4. Apoc.

Cœnaculum grande. Ecclesia magna est - strata varietate virtutum, & linguarum. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 14. Marci.

Columba est Ecclesia. Arnobius Annot. in 14. Matth. In his foraminibus columba, idest, Ecclesia moratur, quia totam spem salutis suæ in Passione sui Redemptoris constituit. S. Thom. in 1. Cant. Nullam aliam meliùs hic intelligi puto columbam deargentatam, quàm illam, de qua dictum est Cant. 2. *una est Columba*. Deargentata est autem: quia Divinis eloquiis est erudita: eloquia enim Domini dicuntur argentum. S. Aug. in Ps. 67.

Columna. Ecclesia Dei vivi est columna veritatis, & firmamentum. S. Bonav. Opusc. lumin. s. 1.

Conservi. Per conservos. Matth. 18. intelligitur Ecclesia; quæ illum solvit, & ligat. S. Aug. de qu. Evang. l. 1. apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth.

Corona. Posuisti in capite ejus Coronam, idest, Ecclesiam. S. Thom. in Ps. 20. In manu, idest, in protectione, - mysticè Ecclesia quasi corona Filii Dei. S. Thom. in 62. Is.

Cornu. Potest per cornu regni ejus, videlicet Ecclesia, sublimitas designari; de quo 1. Reg. 2. & Luc. 1. quia profectò cornu erectum, & plenum oleo dicitur: quia Ecclesia cum sublimitate potestatis extendit viscera miserationis. S. Greg. l. 6. c. 3. in 1. Reg.

Corpus. Apostoli sunt barba Corporis Christi, quod est Ecclesia. Isid. in 13. Levit. Ecclesia est Corpus Christi. S. Germanus cit. Ecclesia dicitur Corpus ad similitudinem unius hominis. Et hoc dupliciter: scilicet, & quantùm ad distinctionem membrorum. Eph. 4. *Dedit quosdam quidem Apostolos &c.* & quantùm ad servitia: quæ licèt sint distincta; tamen unum alteri. S. Thom. in 1. ad Coloss. lect. 5. Ipse S. Thomas Aqu. fuit una lux ardentissima; quæ non solùm in Ordine suo resplenduit; verùm etiam in Corpore mystico militantis Ecclesiæ, tenebras hæresum, ac errorum extinxit. Apud S. Cathar. Sen. tr. 6. c. 158.

Currus DEI. Ecclesia currus est Dei, quæ regenda est gubernaculis Christi. S. Ambr. s. 2. in Ps. 118.

Depositorium est dives - ubi omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. S. Iren. l. 3. c. 4.

Discus monstratus Petro. Act. 10. significat congregationem omnium nationum in Ecclesia. S. Isid. c. 7. in Gen.

Domus. Domus Domini spiritualis est duplex; & tertia est materialis, scilicet Ecclesia: in qua morari saluiferum est. - Nam in ea excitatur animus hominis ad devotionem. Domus spiritualis Dei, est Ecclesia militans - alia est Ecclesia triumphans 2. Cor. 5. *Si terrestris domus &c.* S. Thom. in Ps. 26. Ascendimus adhuc Dominicum montem, & ad Domum Dei Jacob, quæ est Ecclesia Dei vivi. S. Ildefons. de Virgin. B. V. c. 4. Introducite me in Domum vini: quod proinde est, acsi diceret: introducite me in Domum Ecclesiæ. S. Joan. Damascen. or. 2. de Nativ. B. V. *Ut inhabitem in Domo Domini*, hoc est, in Ecclesia: *in longitudine dierum*, idest, spiritualiter per gratiam, & in cœlo per gloriam. S. Thom. in Ps. 22. Extra hanc domum, idest, Ecclesiam nemo salvatur. S. Isidor. cap. 7. Jos. Per Domum, Is. 6. Ecclesiam triumphantem (exponit Sanct. Hieron. significari) Ecclesiam triumphantem, quæ plena est gloria ejus; per templum, Ecclesiam militantem; quæ plena est miraculis, vel Angelorum agminibus, quasi custodibus. Sanct. Thom. in 6. Is. Mysticè domus (de qua Marci 3.) ad quam veniunt, primitiva est Ecclesia: turbæ, quæ impediunt panem manducare; peccata, & vitia sunt. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Marci. Homo, qui peregrè proficiscens reliquit domum suam, Christus est: qui ad Patrem post Resurrectionem suam victor ascendens, Ecclesiam corporaliter reliquit: quam tamen numquam Divinæ præsentiæ præsidio destituit. Ven. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 13. Marci. *Dominus Domus*, Marci 14. Petrus Apostolus est; cui Dominus Domum suam credidit; ut sit una fides sub uno pastore. Sanct. Hieron. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 14. Marci. In sola domo Heber, quæ antea fuit, lingua remansit. Nunc quoque in sola Ecclesia, quæ est Domus Christi, unitam esse Confessionis, & fidei pacem, agnoscimus. Sanct. Isidor. cap. 9. in Gen. Domus hominis habentis duos filios, plena symphonia, & choro, est Ecclesia. Sanct. Chrysolog. serm. 5. de fil. prod. *Et regnabit in Domo Jacob in æternum*. Ecce Sacramentum Eucharistiæ. Ecce Ecclesia dicitur Domus Jacob; in qua est luctandum contra diabolum per humilitatem. S. Vinc. Ferr. de Incarn. Filii Dei. Ecclesia est Domus Sapientiæ septem columnis, idest, charismatibus insignita. Innocentius Papa de Sacrificio Missæ lib. 3. cap. 5. Ecclesia est Domus, quam Deus ædificavit; priusquam ædificaret, priùs in mente disposuit: quia prædestinavit, prævidit, lapides convexit Patriarchas, fundamentum posuit Christum; struxit parietes duos geminum populum, cujus angulus Christus est. Sanct. Bonavent. in Psalm. 5. Tectum apposuit singulis diebus, quando homines justificat, complendo numerum prædestinatorum. Idem ibidem. Videtis Dominum Jesum similem capreæ, aut hinnulo cervorum super montes Bethel. Salit enim super Ecclesiam, quæ est domus panis; eò quòd Fidelium corda confirmet. - *Vox turturis audita est*; quia invenit sibi nidum: Ecclesia enim Domus est castitatis. Sanct. Ambros. serm. 6. in Psal. 118. *Ingressus Domum Pharisæi*. Luc. 7. Quam domum? Synagogam. - In Synagoga tunc accubuit, quando occubuit, Christus. - *Ecce mulier*. Quæ? Ecclesia. *In Civitate peccatrix*. Civitate qua? illa, de qua Propheta: *quoniam facta est meretrix &c.* Is. 1. In Civitate ergo perfidiæ septa muris, superbiæ turribus communita, distincta iniquitatum plateis, observata contradictionum portis, depicta dolii fucis, indurata silicibus usurarum, negotiorum doloribus aggravata, infamata lupanaribus, idest, idolorum templis. Mulier hæc, idest, Ecclesia, gravissimum trahebat reatum

ex tanta præcedentium colluvie peccatorum. - Stat retro, non loco, sed tempore; inhæret ejus vestigiis, ut sequatur. Sanct. Chrysol. s. 95.

Esther. Hæc est Esther, quam *Rex amavit super omnes mulieres*. S. Thom. in 12. Apoc.

Eva designat Ecclesiam factam per mysterium lavacri; quod de latere morientis Christi profluxit. S. Isid. in Alleg. Hæc est Eva Mater omnium viventium - Mater viventium est de costa, idest, virtute Christi in Cruce pendentis, & dormientis facta. S. Ambr. l. 2. in Luc.

Ferculum. S. Ecclesia est ferculum. Cant. 3. quia ipsa fert animas ad cœlum. Ligna ex quibus constat, imputribilia, sunt fortes mentes: columnæ argenteæ, sancti Doctores, & Prædicatores. S. Greg. hom. 15. in Exod. Ferculum Salomonis est Ecclesia. S. Isid. in Cant. S. Thom. c. 3. in Cant.

Filia Pharaonis, quæ Moysen expositum ad ripam fluminis colligit, Ecclesia gentium est; quæ Christum ad flumen salutaris lavacri reperiit. S. Isid. in Alleg. Est filia Principis, idest, Christi. S. Isid. in Cant. Vasculum, in qua Pharaonis filia, id est, Ecclesia, Moysen invenit, idest, Christum; significat corda Sanctorum. S. Isid. c. 5. in Ex.

Firma. Non sunt tot in orbe hæreses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia legis pro Ecclesia. S. Aug. in Ps. 147.

Firmamentum. Per lucem intelligitur Christus, per firmamentum Ecclesia designatur. S. Thom. in Ps. 47.

Fons. Hæc ipsa Ecclesia est Fons signatus. S. Thom. in c. 4. Cant. Fons hortorum, puteus aquarum viventium. S. Isidorus in Cant.

Formosa. Nigra sum, loquitur Ecclesia ad sanctas animas, quia persecutiones patior; *sed formosa* sum virtutibus. S. Thom. in 1. Cant.

Hastile candelabri. Ex. 25. est Ecclesia: quia inter tot adversa libera stat. Calami autem, qui de hastili procedunt, Prædicatores sunt. S. Greg. hom. 6. in Ezech.

Hæmorrhoissa ista, Ecclesia est: quæ primi hominis vulnerata peccato, tota fluebat sanguine; tota originaliter decurrebat in mortem. S. Chrysol. s. 35. Mulier sanguine fluens, Ecclesia est congregata de Gentibus. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 5. Marci.

Hæreditas Christi dicitur Ecclesia propter tria: quia eam possidet. Joan. 4. 10. *Habeo alias oves, &c.* Quia eam colit. Jerem. 1. *Ego posui te, ut evellas, &c.* Quia, sicut hæreditas, pascit Dominum suum. Joan. 4. *meus cibus est, &c.* S. Bonav. in Ps. 2.

Hydria. Nuptiæ conjunctio Christi est, & Ecclesiæ: hydriæ autem septem lapideæ Ecclesias septem super petra fundatas demonstrant. Arnob. Annot. sup. 2. Joan.

Jacob. Ecclesia persecutionibus afflicta, figurata fuit in Jacob, quem persecutus est Esau. Sanct. Iren. Adv. hær. lib. 4. cap. 38. Per Jacob Luc. 1. intelligitur Ecclesia, tam ex Judæis, quàm ex Gentibus congregata. S. Haymo hom. de Annunt. B. V.

Jahel, quæ de ligno tempora ejus transfodit (scilicet Sysaræ, qui fuit typus diaboli, prout dicit. S. Isidorus) Ecclesiæ typum expressit: quæ per vexillum Crucis diaboli imperium interfecit. Sanct. Isidor. in Alleg. Jahel, ista alienigena, in cujus manu victoria facta est, figuram tenet Ecclesiæ ex Gentibus congregatæ. Jahel enim interpretatur *Ascensio*: quia per Ecclesiam ascenditur ad cœlum. Ista palo, idest, clavo Sysaram hostem interficit, idest, ligni Crucis acumine, & virtute, diabolum interemit: quod Barac, idest, prior populus per legis præcepta facere non potuit. Sanct. Isidor. cap. 2. in Judic.

Jerusalem. Ecclesia præsens Sion, idest, *speculatio*. Futuri sæculi Jerusalem, idest, *visio pacis*, dicitur S. Isidorus Orig. lib. 8. cap. 1. Te (MARIAM) Filiæ Jerusalem, idest, Ecclesiæ viderunt. Sanct. Joan. Damasc. or. 1. de dorm. Virg. Muri cœlestis Jerusalem, scilicet Ecclesiæ, sunt munimenta æternitatis, & immortalitatis, quam consecuti sunt Sancti per Christum: - Muri præsentis Jerusalem, scilicet Ecclesiæ, sunt Sacramenta, Gratiæ, & Doctores. Sanct. Thom. in Psal. 50.

Isaac typus Ecclesiæ, Ismael Judæorum. S. Isidor. cap. 13. in Gen.

Issachar Ecclesiæ typum tenuit; quæ subjecit humerum suum ad crucis onus portandum. S. Isid. in Alleg.

Introitus vitæ hæc est. S. Iren. Adv. hær. l. 3. c. 4.

Lazarus adjutus interpretari dicitur. Et gerit typum Ecclesiæ DEI; quæ semper confiteri debet, adjutorio sibi opus esse. S. Aug. Enarrat. in Ps. 69.

Lectulus Salomonis, quamvis - superna requies accipi possit probabiliùs præsens accipitur Ecclesia. Sanct. Thom. in 3. Cant.

Libanus. De hoc Libano, hoc est, Ecclesia, fluunt aquæ doctrinarum cœlestium. S. Thom. in 4. Cant. In turri Libani, idest, in firmitate Ecclesiæ. S. Isid. in Cant.

Lilium. Pulchrè lilium dicitur Ecclesia. Sicut enim lilium fulget, ità etiam splendent opera Sanctorum. Pulcherrimè etiam dictum est lilium convallium: quia in humilibus magis elucet gratia; sed hoc lilium in medio spinarum, hoc est, inter Judæos, & hæreticos, hoc est, inter sollicitudines hujus sæculi; quæ mentem, animumque hominis compungunt, possumus etiam aliter accipere. Quia sicut lilium inter spinas eminet; ità super omnes Conventus Ecclesia refulget. S. Ambr. s. 5. in Ps. 118.

Linteum Petri. Quid est, manducat? in corpus trajicit. Hoc agit Ecclesia per Sanctos. Esurit, quos lucrari vult, & quos lucrata fuerit aliquo modo, manducat quodammodo. Cujus personam gerebat Petrus; quando ei de cœlo submissus est discus plenus omnibus animalibus, - quibus omnes gentes significantur. Præfigurabat Dominus Ecclesiam; quæ omnes gentes erat transvoratura. S. Aug. expos. 2. in Ps. 30.

Locus DEI est. S. Damasc. Orth. fid. l. 1. c. 16.

Lucerna. Candelabrum in figura Christi, cum lucernis septem; quæ sunt Ecclesiæ. S. Isid. lib. procem. Hæc est lucerna Christi bajulans lumen. S. Iren. Adv. hær. l. 5. c. 20.

Luna Jericho signat Ecclesiam, Jericho interpretatur *Luna*, Ecclesia rectè facit cursum Lunæ. 1. fuit ut Luna nova tempore Apostolorum, & stricta; & tunc simpliciter ibant Christiani. 2. Crescens tempore Martyrum. 3. Plena tempore Sanctorum Doctorum, & Minorum, cœperunt. 5. Modò (1420.) est gyrans - quia nulla obedientia exhibetur Papæ, dicentibus quibusdam; quòd Papa sit supra Concilium; aliquibus è converso. 6. Ecclypsabitur tempore Anti-Christi. Sanct. Vinc. Ferr. serm. 1. de S. Dominico. Comparatur Ecclesia militans Lunæ. Sanct. Bonav. Opusc. lum. serm. 20. Sicut Luna est filia Solis, & recipit lumen ab eo; similiter militans Ecclesia à superna Jerusalem. Unde dicit eam Apostolus Matrem nostram, quia est Mater influentiarum, quibus efficimur Filii DEI. Idem serm. 22. Ipsum (Christum Joseph) excellentia Sanctorum in Solis nomine; & Ecclesiæ claritas sub imagine Lunæ; & omnium numerositas populorum in figura Stellarum adorant. S. Isidor. cap. 30. in Gen. Luna est Ecclesia. Cant. 6. *pulchra ut Luna* Claritas Lunæ est à Sole, claritas Ecclesiæ à Christo. Item medius Lunæ globus est clarus, & medius obscurus: sic in Ecclesia aliqui sunt clari, aliqui obscuri. S. Thomas in Psal. 10. *Pulchra ut Luna*: quæ Sole Justitiæ illustrata noctem Mundi illuminat. S. Isidor. in Cant. Ecclesia est Luna, quæ in quibusdam membris patitur ecclypsim. S. Thom. in 6. Apoc.

Machabæa. In Matre Machabæorum figurata est Ecclesia. S. Isid. in lib. Machab. Ecclesia est Machabæa. S. Aug. Conc. 2. in Psal. 68.

Magdalena, *Martha* significat Ecclesiam in hac vita, - Maria demonstrat eandem Ecclesiam in futuro sæculo requiescentem. S. Isid. in Alleg. Mysticè Simon leprosus Mundum infidelem primò, & postea fidelem significat: mulier autem cum alabastro Ecclesiasticam fidem. - Domus impleta odore, cœlum, & terra, est: fractum alabastrum, carnale desiderium est; quod frangitur recumbente Christo, idest, humiliante se; ut eum tangeret fides peccatricis. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 14. Marci. Magdalena Ecclesiæ figuram gerebat. S. Aug. s. 150. de temp.

Magna. Ecclesia est magna dilatatione, potestate, dignitate. S. Thom. in Psal. 21. *In Ecclesia magna*, idest, in Ecclesia Catholica; quæ magna est potestate, & firmitate. Matth. 16. *Portæ inferi, &c.* - Et magna diffusione. Malach. 1. *Ab ortu Solis usque ad occasum, &c.* S. Thom. in Psal. 39. Quid est, quod addit *magna*? nisi quia fuit antè non magna? Quæ est magna, nisi de totius orbis terrarum partibus congregata? S. Isid. in Ps. 39.

Malogranatum est, habens intrà se per granorum numerum multitudinem populorum. Sanct. Isidor. caput 11. in Num.

Malum punicum, ipsa Ecclesia: quia dum multos populos in unitate fidei nutrit, quasi multa grana sub uno cortice stringit. S. Greg. M. in 4. Cant.

Maria. Ecclesiam significat: quæ cùm sit desponsata Christo, Virgo nos de Spiritu Sancto concepit, Virgo etiam parturit. S. Isid. in Allegor. Istæ (Mariæ, Joan. 20.) tenent pedes Christi; quæ in Ecclesia typum prædicationis Evangelicæ tenent; & merentur ex cursu. S. Chrysol. serm. 76. Denique eadem Maria postea & vadit, & nuntiat; sed jam non fœminam, sed Ecclesiam gestans: ut ibi sicut fœmina taceat, hic ut Ecclesia enuntiet.

Martha, & *Maria*; Ecclesia, & fides intelliguntur. Arnob. Annot. in 4. Joan.

Mensa posita Ex. 43. pacis, & fidei Ecclesiæ gestabat typum. S. Isid. c. 43. in Ex.

Meridies. *Ubi manes in meridie?* Meridiem nostri esse Ecclesiam; quæ tenet Christum; & tu eum in noctibus quæris? Mihi matutinus eras, cùm adhuc crederem; sed non credebam plenè. S. Ambr. s. 2. in Ps. 118.

Mons. Cur eam Scriptura montem appellavit? quia everti non potest. Cur petram eandem vocat? quia labefactari, & cor-

corrumpi nequit. S. Damasc. parall. l. 2. cap. 14. Mysticè in monte, & tabernaculo, Ecclesia designatur præsens, vel Ecclesia cœlestis. S. Thom. in Psal. 42. Mons Oliveti fructiferam designat S. Ecclesiæ celsitudinem. V. Beda apud Sanct. Thom. in Cath. sup. 13. Marci. Ecclesiam montem appellat, propter eminentiam, & firmitatem. S. Aug. in Psal. 2. Sanctus mons ejus sancta Ecclesia ejus. Mons ille est, qui crevit ex minimo lapide. Dan. 2. ut impleret universam faciem terræ. S. Aug. in Psal. 42.

Mulier. Ipsa Mulier Chananæa, Ecclesiæ ex gentibus gerit figuram. Sanct. Isidor. in Allegor. quæ tamquam canis quærebat micas de mensa Dominorum, idest, satiari doctrinis Apostolorum, & Prophetarum. Id. ibid. Mulier quæ perditam reperit drachmam, Ecclesia est. Id. ibid. Mulier, quæ 18. annos infirmitatem habens à Domino curata est, Ecclesiæ typus est. Id. ibid. Mulier adultera, quæ offertur à Judæis Domino lapidanda, est Ecclesia ex Gentibus: quæ priùs Relicto DEO in idolis fuerat fornicata. Id. ibid. Mulier, quæ Caput Domini unxit unguento, Ecclesia est. Id. ibid. Mulier profluvium sanguinis conversa, Ecclesia - vestimentum autem ejus, quod tetigit, Corpus Christi est. Duodecim anni, Apostolorum numerum demonstrant. Arnob. cap. 13. in Matth. *Mulier amicta Sole*, idest, Ecclesia induta, sive ornata, Christo illuminante. Dicitur mulier: quia scientia Verbi Divini generat filios Sponso suo. Sanct. Thom. in 12. Apoc. Mulier ista, quæ fermentum accipit, & abscondit, mihi videtur Ecclesia, de diversis Gentibus congregata. Hæc tollit fermentum, intelligentiam scilicet Sacrarum Scripturarum. Sanct. Hieron. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 13. Matth. *Mulier amicta Sole*. Apoc. 12. Hæc authoritas ad literam intelligitur de Ecclesia. Est amicta Sole, idest, Christo ex claritate fidei, quam ipse prædicavit - *Luna*, idest, scientia Philosophiæ, *sub pedibus ejus*, & non super caput: quia in factis fidei nullus debet se regere per Philosophiam - Quia Philosophi sunt sicut servitores, qui nesciunt secreta Regis, sicut consiliarii. - *Et in capite Corona stellarum duodecim*, idest, duodecim articulis fidei fabricata. 2. Tim. 4. *Bonum certamen - reposita est Corona*. Sanct. Vinc. Ferr. serm. 13. de 5. Coronis. Ego hanc mulierem. Joan. 4. Ecclesiam esse puto de gentibus congregatam; quæ, & transactis annis quinque millibus, cùm in sexto-millesimo anno idolorum fornicationibus subjaceret; omnem ignominiam suam, adveniente Christi fonte, purgavit. S. Ambr. serm. 31.

Navis. Ecclesia Christiana est sicut navis trium cooperturarum: 1. est inferior Religiosorum, sicut coopertura inferior est secreta; sic religiosus debet esse secretus in claustro. 2. Signat statum Presbyterorum - in media stant merces. Sic in manu Presbyterorum stant merces paradisi, scilicet Sacramenta. 3. Est status Laicorum; qui vadunt hinc inde per Mundum. Sanct. Vincent. Ferr. de Petro Apost. Meritò spumosis fluctibus Evangelista refert fuisse navem repletam: cùm tot pene hæreses Ecclesia patiatur, quot Divinæ legis legimus esse quæstiones. Ecclesia est navis Marci 4. plena fluctibus, hoc est, hæresibus: Sanct. Chrysolog. serm. 21. Considerandum, quot quatuor genera hominum navibus utuntur: videlicet piscatores, bellatores, negotiatores, viatores. Sic est Ecclesia navis piscatorum in prædicatione, navis bellatorum in tentatione, negotiatorum in operatione, viatorum in peregrinatione. Sanct. Bonav. serm. 2. D. 3. Epiph. Ascendit Christus in Petri navem. Hæc est illa navis, quæ adhuc secundùm Matthæum fluctuant, secundùm Lucam repletur piscibus: ut & priora Ecclesiæ fluctuantis, & posteriora exuberantis, agnoscas. Sanct. Ambros. lib. 3. in Luc. Mare sæculum est: navis, in quam Apostoli ascenderunt, Ecclesia est - Ventus autem contrarius, diabolus. Arnob. Annot. in 18. Matth. Per hanc unam navem significatur Ecclesia; quæ est una unitate fidei, & Sacramentorum. Sanct. Thomas in 6. Joan. lect. 3. Naviculam istam Matth. 14. Ecclesiam cogitate; turbulentum mare, hoc sæculum. Sanct. August. serm. 14. de Verb. Dom. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 14. Matth. Navicula, de qua Matth. 14. significat Ecclesiam. Turba autem audiens, Dominum de civitate sequitur in desertum; de Synagoga videlicet ad Ecclesiam tendens. Sanct. Hilarius apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 14. Matth. Præfiguravit hæc navis. Marci 4. Ecclesiam in medio nationum ædificandam. Ved. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 4. Marci. Perversitas hæreticorum, tentatio dœmonum, crudelitas tyrannorum, malignitas falsorum Christianorum, sunt quatuor venti, quibus navicula Petri agitur. Sanct. Thom. serm. 2. Dom. 2. Epiph. Navicula Domini in mari deserviens, Ecclesia est de gentibus congregata. Sanct. Thom. in Cat. sup. 3. Marci. Nos habentes pro nave Ecclesiam, pro gubernaculo Crucem, pro gubernatore Christum, pro prora Patrem, pro vento Spiritum S. pro velo gratiam, pro nautis Apostolos, pro navigantibus Prophetas, pro mari vetus Testamentum, & novum; committamus nos pelago profundo, ad perquirendum in Scripturis Divinis margaritam latentem. S. Chrysostom. hom. de Cruce.

*Nupti*a. Per Nuptias. Matth. 22. quia malos, & bonos continebat, Ecclesia significatur. Sanct. Gregor. hom. 38. in Evang.

Oculus. Ipsa Ecclesia est oculus cœco: quia per virtutem lucet: ipsa pes claudo; quia per adjutorium continet. S. Greg. mor. l. 19. c. 20.

Pallium Christi jam dicta ejus Ecclesia intelligitur. S. Hier. Summa de Essent. DEI.

Palma Ecclesiam significat. S. Thom. in 2. Cant.

Panis. Sicut ex multis granis puris conficitur unus panis; sic ex multis Fidelibus puris, à culpa mortali mundis, & vinculo charitatis unitis, Ecclesiastica unitas consistit. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 9.

Paradisus est in hoc Mundo plantatus. S. Iren. adv. hær. l. 5. c. 20. Paradisus Ecclesia est. S. Isid. cap. 3. in Gen. Ecclesia militans est paradisus. S. Thom. in 2. Apoc. Ecclesia Dei est paradisus in quo sunt viri flores rosarum, & lilia convallium, humilitatis violæ, cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinamomum, myrrha, & balsamum, cum universis optimis, & primis unguentis. Est & corporaliter Dominus Angelorum flos virgulæ, virgunculæ sacratissimæ; ad cujus odorem revivisciunt mortui. Author vitæ. S. Hermanni c. 15. Ecclesia materialis est paradisus; in qua loco Serpentis est Christus reducens, loco Evæ Ecclesia, loco Adam seduli populus fidelis. Chrysost. hom. de regressu ex Asia Constantinopolim.

Petra. Petrus à petra; petra verò Ecclesia. Ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia. Et quis securus est, nisi qui ædificat supra petram? S. Aug. tract. 7. in Joan. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 1. Joan. Cur eam Scriptura petram vocat? quia labefactari, & corrumpi nequit. Sanct. Damascen. parall. l. 2. cap. 14.

Petrus. Calcat & Ecclesia (superbos signatos per fluctus, quos Petrus calcavit, Matth. 14.) nam ipsa est Petrus. Sanct. Aug. in Psal. 100. Ecclesiæ typus Petrus Apostolus. S. Aug. Conc. 13. in Psal. 118. Petrus personam Ecclesiæ gestat. S. Isid. in Alleg.

Polymita tunicæ, quam ei fecit pater, varietatem populorum ex omnibus Gentibus in Corpore Christi congregatam significavit. S. Isid. c. 30. in Gen.

Porta. Mysticè in monte, & in tabernaculo, Ecclesia designatur præsens, vel cœlestis; & hæc Ecclesia dicitur porta cœli. S. Thom. in Ps. 42.

Portus, est Ecclesia. Portus animarum Ecclesia est. S. Damasc. parall. l. 2. c. 14.

Populus Israel. Sicut ille populus per mare rubrum Salvatus est Pharaone demerso; ità Ecclesia gentium per Baptismum de diaboli servitute liberata est; & ad veram repromissionis terram, Evangelicam libertatem introducta. S. Thom. in Ps. 32.

Profundum. Quid per profundum, Job 41. nisi sancta Ecclesia figuratur? funda namque, dum in gyrum mittitur, sicut de illa lapides exeunt, quibus adversariorum pectora feriantur: ità S. Ecclesia, dum volubilitatem temporum, per tribulationum circuitum ducitur, fortes ex illa viri prodeunt, quibus iniquorum corda tunduntur. S. Greg. l. 34. c. 6.

Pullus, de quo Gen. 49. est Gentilis populus ad Christum conversus. Vinea est Ecclesia; Asina est Synagoga. Pullus asinæ ipsius altiore sensu intelligi queat sanctissima Ecclesia. S. Joan. Damasc. or. 2. de Nat. B. V.

Puppis. Mysticè puppis est Ecclesiæ initium. Cervical Corpus Domini est; cui Divinitas, sicut Caput, inclinata est. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci.

Raab figuram habet Ecclesia. Sanct. Isidor. in Alleg. Raab typum tenet Ecclesiæ: quæ de extraneis, atque alienis Gentibus congregata est; quæ antea vivens in desideriis carnis fornicabatur in idolis. Sanct. Isidor. cap. 2. in Jos. Ipse Christus accepit Raab, idest, Ecclesiam de Gentibus. Raab enim fames, vel latitudo, vel impetus. Quia Ecclesia Gentium esurit, & sitit justitiam; & impetu doctrinæ Philosophos, & Reges convertit. Glossa apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 1. Matth. Raab - cui dictum est Josue 2. ut per fenestram mitteret coccum, idest, ut in fronte haberet signum Sanguinis Christi, Ecclesiam Gentium significavit. Sanct. August. in Ps. 86.

Rachel clara aspectu, typum tenuit Ecclesiæ; quæ contemplationis acie Christi mysteria cernit. Sanct. Isidor. in Alleg. Rachel junior, & pulchra; priùs sterilis, & postmodum fœcunda, similitudo est Ecclesiæ. S. Isidor. cap. 25. in Gen. Per Rachel, quæ & *ovis*, dicitur, Ecclesia figuratur. S. Isid. c. 26. in Gen. Hujus (idest, Laban) filiam, idest, seu Mundi, seu diaboli (hi enim per Laban figurantur) Jacob abstulit; cùm sibi Christus Ecclesiam ex Gentilitate conjunxit. S. Isid. c. 26. in Gen. Lya lippa signat Synagogam, Rachel pulchra Ecclesiam. S. Vinc. Ferr. s. de SS. Innoc. Rachel Ecclesia est; quæ *noluit consolari in filiis* Judæorum, *qui non sunt*. S. Ambr. præf. in Enarrat. Ps. 37.

Rebecca Invenit autem eum (Christum) in Isaac figuratum Ecclesia (per Rebeccam significata) ad puteum visionis, id est, in contemplatione, & intelligentia veritatis. Sanct. Isid. cap. 19.

cap. 19. in Gen. Occurrit ei (puero præmisso ab Isaac) Rebecca, idest, Ecclesia. Videt autem Rebecca puerum, idest, Sermonem Propheticum; deponit de humero hydriam, utique elatam sæculi facundiam - Sicque venit ad Isaac, secuta verbum Propheticum Ecclesia venit ad Christum. S. Isid. c. 19. in Gen.

Regina Austri. 3. Reg. 10. Ecclesiæ figura fuit. S. Isid. c. 5. in 3. Reg.

Regnum DEI. Per Regnum cœlorum - sancta Ecclesia solet intelligi. B. Paulus Diaconus hom. sup. illud: simile - hominiqui voluit rationem &c. Regnum DEI est Ecclesia. S. Thom. in Psal. 33. Super solium David, idest, Ecclesiam, quæ significatur in Regno David. Luc. 2. *Dabit ei Dominus sedem David*. S. Thom. in 9. Is. Regnum DEI præsens Ecclesia vocatur. S. Greg. hom. 32. in Evang. apud Sanct. Thomam in Cat. sup. 16. Matth. Regnum DEI dicitur militans Ecclesia, quia regitur: & triumphans Ecclesia; quia regnat - Innoc. P. de Sacrific. Missæ l. 5. c. 26.

Romana. Non ignoramus, quòd Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat; *cujus typum in omni sequimur*, & formam. S. Ambros. l. 3. de Sacram. c. 1. In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam - Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ. Id. ib.

Rubus ardens incombustus Ecclesiam figurat militant. S. Isid. c. 7. in Exod.

Ruth. Ecclesiam præfiguravit Ruth alienigena. S. Isid. in Alleg. Ruth etiam interpretatur *videns*, vel *festinans*; & significat Ecclesiam, quæ puro corde videt DEUM. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth.

Sagena. S. Ecclesia sagenæ comparatur: quia & piscatoribus est commissa. S. Greg. hom. 11. in Evang. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

Samaritana. Hæc mulier. Joan. 4. forma est Ecclesiæ non justificatæ, sed jam justificandæ. S. Aug. apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Joan. Mulier Samaritana figuravit Ecclesiam. S. Aug. apud S. Thom. ibid.

Sara. Per Ecclesiam, cujus imago Sara erat. Sanct. Isidor. cap. 14. in Gen. Sæculi hujus figuram gerebant Reges, qui Saram (Ecclesiam) polluere non sunt permissi. S. Isidor. c. 16. in Gen.

Sareptana. Crux est duo ligna, quæ colligebat mulier Sareptana, idest, Ecclesia; ut sibi, & filio, panem faceret: quia in Cruce panis, idest, Christus Dominus decoctus est. S. Bonav. in Laudismo de Cruce.

Sedes DEI. Ecclesia est Sedes, in qua DEUS sedet tamquam in ea requiescens, regnans, disponens, & judicans. S. Thom. in 4. Apoc.

Semen Abrahæ, est Ecclesia. S. Irenæus l. 4. c. 18.

Sephora. Jethro adducit Sephoram, idest, Ecclesiam. S. Isid. c. 26. in Gen.

Sion. Ecclesia præsens Sion, idest, *speculatio*: futuri sæculi Jerusalem, idest, *visio pacis*, dicitur. S. Isid. Orig. l. 8. c. 1. Sion mons quòd sit Ecclesia docet. Ps. 32. Arnobius in Ps. 2.

Sororem, & Sponsam suam, Ecclesiam dicit Christus. Sanct. Thom. in 4. Cant.

Sol. Progreditur Ecclesia, *electa ut sol*: quia imaginem sui Conditoris in omni justitia, sanctitate, & veritate portat. S. Isid. in Cant. Ecclesia est aurora, est ut Sol electa. S. Greg. in c. 6. Cant.

Sponsalium locus. Omnis animæ Sponsus Christus est; Sponsalium verò locus, ubi conjunctio efficitur, locus est baptismatis, sive Ecclesia: dat verò arrham Sponsæ remissionem peccatorum, Spiritus S. communionem. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Joan.

Syrophœnissa. Mysticè mulier gentilis, Marci 7. quæ pro filia rogat, est Mater nostra Romana Ecclesia. Nata ejus dœmoniaca, barbarica, & Occidentalis natio. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 7. Marci.

Tabernaculum. Tabernaculum Ecclesia est: in qua est mensa, idest, unitas fidei; vel certè Scriptura Sacra. Sanct. Isidor. cap. 48. in Exod. Tabernaculum significat Ecclesiam - Per aurum fides, per argentum confessio, in ære fortitudo exprimitur, &c. Goffridus Abb. Opusc. 7. Mysticè per tabernaculum designatur Ecclesia sancta. Hoc tabernaculum, scilicet Ecclesia, ereptum est de manibus Philisthiim, idest, dœmonum. Sanct. Thom. in Psal. 28. Tabernaculum est militantium: & sic præsens Ecclesia dicitur tabernaculum. Sanct. Thom. in Ps. 29. In Lege primò tabernaculum; postmodum templum, in quod tabernaculum imposuerunt habuere. Tabernaculum signat præsentem Ecclesiam, templum triumphantem. - Per tabernaculum, quod erat mobile, signatur status præsentis Ecclesiæ; quæ non est perpetua, neque stabilis, nisi usque ad consummationem sæculi. Et hoc dicitur. Apoc. 21. *Ecce tabernaculum DEI cum hominibus*, idest, præsens Ecclesia cum hominibus, idest, donec homines erunt in vita illa. Et ex hoc transibo ad stabilem domum DEI. S. Thom. in Psal. 41. in Civitate habitant quiescentes; in tabernaculo militans Ecclesia signatur &c. Vide superiùs Civitas. Et *tabernaculum DEI cum hominibus*. S. Thom. in Ps. 51. Tabernaculum per allegoriam est Ecclesia in hujus vitæ eremo constituta. S. Isid. c. 44. in Exod. Tabernaculum ejus in terra, Ecclesia est adhuc peregrina. S. Aug. in Ps. 41.

Templum. Templum Salomonis figura Ecclesiæ. S. Aug. in Psal. 126. Templum DEI Ecclesia est; sicut Joannes testatur in sua Apoc. 11. *Et apertum est*, inquit, *templum DEI in cœlo, & arca testamenti ejus visa*. S. Ildefons. serm. 1. de Assumpt. B. V. Per tabernaculum designatur Ecclesia militans; per templum in monte factum status futuræ vitæ. S. Thom. in Ps. 14.

Terra. *Domini est terra*, idest, Ecclesia: quæ est bona terra; quæ facit multum fructum. S. Thom. in Ps. 23. *Omnes voluntates meas mirificavit*, idest, mirificè *adimplevit in eis*. In quibus? In Sanctis, qui sunt in terra ejus, idest, in Ecclesia militante, & triumphante. S. Thom. in Ps. 15. Terra Domini Ecclesia ejus. S. Aug. Conc. 1. sup. Ps. 36.

Thamar Ecclesiæ imaginem gestat; quæ à Christo per annulum fidei, & virgam Crucis, conceptionem sanctæ meruit ubertatis. S. Isidor. in Alleg.

Thronus, est Ecclesia. S. Thom. in 4. Apoc.

Torcular. Ecclesia est torcular: quia sicut in torculari separatur vinum à vinaceis; sic in Ecclesia separantur boni à malis. S. Thom. in Ps. 8.

Tunica, est Ecclesia Christi. S. Isid. 51. in Exod.

Turris, Ecclesia est. S. Isid. in Cant.

Turtur. Turturi assimilatur Ecclesia, quia ex quo Christus præsentia sua corporali cœlos petiit, Ecclesia in ejus amore tenacissimè perseverat; nec recipit ullum adulterum amatorem. S. Thom. in 1. Cant.

Tympanistria. Ecclesiæ sunt adolescentulæ nova gratia decoratæ. Ecclesiæ sunt tympanistriæ, castigata carne spiritualiter sonoræ. S. Aug. in Ps. 67.

Vestimentum. Vestimentum ejus (Christi) non scinditur: idest, non patitur dividi in hæreses, & schismata, Ecclesiam suam; quæ illi inhærendo vestis est propria. Cujus indumenti figura fuit tunica illa JESU non consutilis. Sanct. Isidor. cap. 12. in Levit. Laudabit Ecclesiam (Christus) quæ est quasi vestis ejus. Sanct. Thom. cap. 49. in Gen. Ecclesia est indumentum Christi ratione adhæsionis. Sanct. Thom. in 1. Apoc.

Vidua. Vidua ista. 3. Reg. 17. ut opinor, Ecclesia significatur. S. Isidor. c. 8. in 3. Reg. Vidua pauper, Marci 12. Ecclesiæ simplicitatem designat. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 12. Marci. Vidua, ad quam mittitur Elias pascendus - ad quam per fidem Christus venisse legitur; cujus farinæ, & olo, benedicitur, & non deficit, idest, gratia Corporis Christi, & charismatis unctio. S. Isid. in Alleg.

Vinea. Ecclesia est vinea; in qua possumus colligere vinum Sacr. Scripturæ, vel vinum Sanguinis Christi. S. Vinc. Ferr. serm. 6. de Acædia. Vinea est Ecclesia. S. Bonavent. serm. 2. Dom. Septuag.

TITULUS III.

ELEEMOSYNA.

Abundat. An nescitis, quia puteorum aqua, si frequentiùs hauriatur, & salubrior efficitur, & abundantior? quæ si otiosa remanserit, & immobilis; inutilior & corruptior fit. S. Ambr. s. 81.

Advocata. Eleemosyna regina illa virtutum, homines celerrimè ipsorum in cœlorum axes adducet, Advocati optimo loco fungens. S. Chrysost. hom. 9. de pœnit.

Arbor. Eleemosynarius est sicut arbor, quæ fructum facit. S. Bonav. dict. sal. tit. 2. c. 7.

Artifex. Tabernacula Sanctorum solida sunt. - Hanc in structuram pecuniam impendamus. Non architectorum sanè, aut operariorum magna nobis fuerit cura. Pauperum manus hujusmodi domos construunt; claudi, esurientes illas ædificant. Nam eleemosyna ipsa artifex est. Sanct. Chrysostom. hom. 7. de pœnit.

Cambium. Ut nostras divitias in altero Mundo possideamus, quid agendum? securè per cambium transmittendæ sunt. Hoc autem sunt manus pauperum. S. Vincent. Ferr. serm. de S. Cæcilia.

Cœlo nota. Est cœli nota Janitoribus. S. Chrysost. hom. 36. ad Pop.

Cœlum attingit. Extende manus tuas, non in cœlum, sed ad pauperum manus. Si ad pauperum manus extenderis manum, ipsum cœli verticem tetigeris: qui enim illic sedet, eleemosynam suscipit. Sanct. Chrysostom. hom. 67. ad Popol.

Defectum non patietur. Cibum corporis si volueris egenti tribuere; ad præsens, quod illi dederis, tu habere non poteris. Panem charitatis si dederis, centum hominibus, integer manet. Si universo Mundo largiri volueris, tibi nihil deficiet. S. Aug. s. 206. de temp.

DEO similes facit. Nihil nos usque ad similitudinem DEI sic effert, atque extollit, quemadmodum libera beneficia, & copiosa collatio. *Estote misericordes, sicut & Pater vester &c.* Luc. 6. S. Chrysost. hom. 36. in Matth.

Divitiarum pulchritudo non in sacculis divitum, sed in alimentis pauperum est. In illis infirmis, & egenis, opes meliùs lucent. S. Ambr. l. 7. ep. 44.

Fiducia. Ipsa est regina virtutum; quæ illi cum fiducia assistet, à tormentisque eripiet: & nemo repugnabit ei, qui secum in sæculum abierit. Nam & levis ejus est penna, plurimaque fiduciæ sublimitas sibi inest; atque ad ipsum ascendit regalem thronum, alumnos suos audacter agens. S. Chrysost. hom. 7. de pœnit.

Formica. Satis bona ordinatrix est charitas, fratres; bene novit congregare in æstate, quæ possit hyeme habere, hoc est, scit providere per eleemosynam in hoc sæculo, quod inveniat in futuro. S. Aug. s. 42. de temp.

Herba seminalis, & lignum fructuosum - Fideles sunt, de oblationibus suis Sanctorum necessitatibus communicantes. S. Isid. c. 3. in Gen.

Jejunium sine Misericordia. Alget jejunium, quod non eleemosynæ vestis tegit - Quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse jejunio. Sicut verni flatus tota facit germina florere camporum, ità misericordia - Quod oleum lucernæ est, hoc jejunio pietas. Quod diei Sol est, hoc eleemosyna noscitur esse jejunio - Ac nè multis immorer: quod est anima corpori, jejunio largitas hoc habetur. - Est quidem jejunium vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ, robur mentium. - Sed in his virtutibus jejunium tunc viget, tunc vincit, triumphat; cùm duce misericordia pugnat. Misericordia, & pietas, jejunii sunt alæ; per quas tollitur ad cœlum, sine quibus jacet in terra. Jejunium sine misericordia simulacrum famis est, imago nulla est Sanctitatis: sine pietate jejunium occasio avaritiæ est. Sanct. Chrysol. serm. 8. de Jejunio. Jejunium est Sanctitatis hostia; sed sine misericordiæ incenso ad Divinum non potest conspectum in odorem suavitatis ascendere. Jejunium virtutum navis, portat quæstum vitæ; sed nisi citò portum pietatis intraverit, lucrum non potest habere virtutum. - Quod est sine rege aula regia, hoc est, sine largitate jejunium. S. Chrysol. s. 42.

Lanificium. Neque ista lanificia (eleemosynæ) sunt à viris aliena - Diligenter attende in lanificio duo instrumenta; colum, & fusum. In colo lana involuta, quæ filo ducenda transeat in fusum. Quod in colo, adhuc in sinistra, & nondum in fuso est - Vide si habes aliquid in fuso; ibi enim firmantur brachia tua. Ibi securus DEO dices: da, quod dedi. - Quod pendet in colo, ad fusum trajiciendum est; non autem quod collectum est in fusum, ad colum revocandum est. - Sequitur Prov. 31. *manus suas aperuit inopi*. Eja fratres, exercete lanificium Sanctum. Si quis habet plenum cellarium, plenum horreum; omnia ista in colo sunt, transeant in fusum. In sinistra sunt, quamdiu pauperibus non erogaveris: at ubi cœperis eleemosynam facere, transferuntur ad dexteram; & fit opus, unde vestis (æternitatis) fieri possit. S. Aug. s. 217. de temp.

Lumen. Est Eleemosyna sicut lumen radiosum - Sicut lumen serenat aerem, sic eleemosyna mentem: & sicut lumen fugat omnem tenebram, sic eleemosyna omnem culpam: & sicut lumen portari debet non post, sed ante hominem; sic homo prudens facit eleemosynam in vita. S. Bonav. diet. sal. tit. 2. cap. 7.

Magna res homo est, & pretiosum quidem, vir misericors. S. Chrysost. hom. 53. in Matth.

Mensa nummulariorum, sunt manus pauperum. S. Vinc. Ferr. s. 2. f. 2. D. 2. Quadr.

Mercator. Est eleemosyna sicut mercator, qui merces vendit. S. Bonav. diet. sal. tit. 2. c. 7.

Meritoria. In balista sunt tria; scilicet lignum rectum, arcus, & chorda: sic tria necessaria sunt in eleemosyna, si debeat esse meritoria. 1. Lignum rectum, idest, intentio recta. 2. Arcus curvus, idest, compositio cordis erga proximum pauperem. - Chorda, qua sagitta impellitur, est præceptum DEI de misericordia. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. 3. Quadr.

Monile aureum. Sicut divitum liberi monilia circa collum aurea gestant, nec unquam ea deponunt; sed tamquam nobilitatis insigne circumferunt: sic & eleemosynam, charissimi, nos ipsos semper oportet induamus; ostendentes, quòd misericordis Patris simus filii; *qui facit* hunc *solem oriri super bonos, & malos*. S. Chrysost. hom. 36. ad pop. Ant. Circumdemur hoc ornamento, torquem collo faciamus aureum, eleemosynam dico, donec hic moramur. Cùm enim hæc ætas transierit, non ampliùs hac utamur. Quomodo? non ibi sunt pauperes, non pecuniæ, non mendicitas. Donec sumus pueri, nè nos hoc exuamur monili. Sicut enim circa pueros geritur; ut, cùm viri facti fuerint, hæc auferantur, & ad alium traducantur ornatum: sic & circa nos non ampliùs per pecunias eleemosyna remanebit; sed altera quidem multò major. Id. ib.

Oleum. Lampades hic Matth. 25. ipsis virginitatis nominat donum, & munditiam sanctitatis: Oleum verò benignitatem, eleemosynam, patrocinium indigentium. S. Chrysost. hom. 79. in Matth. Rursus fatuas appellavit: ut nihil amentius esse ostendat, quàm pecuniam in hac vita colligere, & nudos nos proficisci: ubi maximè benignitate indigemus, ubi misericordia nobis opus est. Nihil sanè tenebrosius est, atque virginitas oleo carens. Unde sic vulgò multi immisericordes tenebrosos solent appellare. S. Chrysost. hom. 79. de Pœnit. Christus cum Discipulis erat; hinc ad montem Olivarum exivit. Hinc & nos ad manus pauperum exeamus: ibi enim mons Olivarum est: Olivæ quippe in domo DEI plantatæ, multitudo pauperum est. Hinc stillat illud oleum guttatim, quo nobis tunc opus omnino erit. Hoc est, quod quinque illæ virgines habebant: hoc est, quo alteræ carentes, & perierunt. Hoc nobiscum habentes progrediamur, & cum fulgentissimis lampadibus ad sponsum proficiscamur. S. Chrysost. hom. 83. in Matth. Qui namque sunt mercatores olei hujus. Matth. 25. Pauperes ad eleemosynam sedentes. Quanti emitur? quanti habuerit. Pretium non appono, nè objicias inopiam. Quanti potes, tanti eme. Habes denarium? eme cœlum. Non quòd venale sit cœlum; sed quòd clemens sit Dominus. Non habes denarium? da calicem frigidæ aquæ. S. Chrysost. hom. 9. de pœnit. Largitas, seu misericordia, est olea feracissima. S. Chrysost. hom. 19. in Matth.

Pelves, & lavacra, cum aqua sunt, qua manus laves. Sic & eleemosyna, quæ per eam animæ manus diluas. S. Chrysost. hom. 9. de pœnit.

Perdit nihil. Quemadmodum si quis argentum parvo dederit puerulo, & retinere propensiùs imperet, vel & servo dare custodiendum, nè volenti rapere liceat. Itidem & DEUS agit. Ait enim, da indigenti, nè quis tibi rapiat, putà vel sycophanta, vel accusator, vel fur, vel novissimè mos. - Tamquam canis, ità diabolus divitibus insilit; tamquam buccellam, vel placentam tenenti puerulo, volens avellere. Demus igitur ea Patri. Et si diabolus factum hoc viderit, recedet. S. Chrysost. hom. 53. ad pop.

Puteus. Putei, cùm exhauriuntur, uberiùs fluunt: cùm autem deseruntur, putrescunt: eodem modo stabiles quoque divitiæ mutiles sunt. S. Basilius apud S. Damasc. lib. 2. parall. cap. 16.

Roborat animam. Non sic oleum corpus hominis roborat, ut animam misericordia stabilit, adeoque confirmat; ut superari à diabolo nequeat. Lubricum enim eleemosynæ oleum corpus hominis constituit: ità ut manus diaboli facilè propter lubricitatem effugiat. Sanct. Chrysostom. homil. 65. in Matth.

Sacrificium. Christiani est eleemosyna. S. Aug. hom. 29.

Sinus Abrahæ. Manus pauperis, sinus Abrahæ est; ubi, quidquid pauper accepit, mox reponit. S. Chrysol. serm. 8. de jejun.

Thesaurus cœli, manus est pauperis - & gazophylacium Christi - Da pauperi, ut des tibi. Sanct. Chrysol. serm. 48. de jejun. Præmittamus, fratres, thesauros nostros in cœlum. Sint vectores pauperes; qui possunt sinu suo, quæ nostra sunt, ad superna portare. S. Chrysol. serm. 7.

Alia.

Sitit cœlum, & expectat de ploratu pauperum vice roris: quia misericordia arat cœli campos, sulcos ducit. - Illic misericordia seminat: quia, quæ suscipit manus pauperis, ibi metit, ibi segetem colligit. S. Chrysol. s. 42.

Quod oratio pulsat; impetrat jejunium, misericordia accipit. Est orationis anima jejunium, jejunii vita misericordia est. S. Chrysol. s. 60.

Unguentum pietatis, seu misericordiæ in egenos conficitur hoc modo. - Igitur multæ miseriæ collectæ, atque oculo pietatis inspectæ; ipsæ sunt species, ex quibus unguenta optima componuntur. Tali comparabat S. Paulus 2. Cor. 11. *quis infirmatur, & ego non infirmor?* Job 29. *Oculus fui cæco &c.* S. Bern. s. 12. in Cant.

Animam suam (dives Lucæ 11.) superfluis, & nimiis epulis satiare cupiebat; pauperum tot inanes ventres superbissimus contemnebat. Nesciebat pauperum ventres apothecis suis esse tutiores. S. Aug. s. 212. de temp.

Ad hæc (temporalia bona) transvehenda nullo tibi opus est jumento; non custode, neque ullo alio. Nullus enim latro, vel fur, hac via vadit, ut nocere queat iis, quæ à te mittunt illuc. Sed ea, quæ reposueris in egenorum manus; illa in securum promptuarium, nempe manum DEI repofita erunt: quæ inviolata, & custodita exhibebit, cùm redieris in patriam. S. Chrysost. hom. 20. in Gen.

Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. Matth. 6. Bene tuba: quia talis eleemosyna hostilis est, non civilis, non misericordiæ dedita, sed clamori: seditionis vernula, non alumna pietatis; ostentationis nundinatio, non commercium charitatis. S. Chrysol. s. 9.

Quem-

Quemadmodum navigare turè per maria numquam poteris, si portus, & stationes omnino destruas, sic nulla erit hæc vita, si misericordiam, indulgentiam, humanitatem, radicitùs extirpaveris. S. Chrys. hom. 53. in Matth.

Pretium redemptionis animæ, eleemosyna est. S. Chrys. hom. 9. de Pœnit.

TITULUS IV.

EVANGELIUM.

Butyrum. Lac priscæ Legis habuisse figuram Apostolus nos admonet 1. Cor. 3. - butyrum autem, uberrimum, & pinguissimum Evangeliorum est testimonium. S. Isid. c. 14. in Gen.

Clypeus. Omnis sermo DEI ignitus clypeus est. S. Thom. in 4. Apoc.

Flumen. Quatuor Paradisi flumina, quatuor sunt Evangelia. S. Isidor. cap. 3. in Gen. Crux est lignum vitæ in medio paradisi, quod quatuor Evangeliorum flumina rigant. S. Bonavent. in exposit. Missæ, Verè tu benedicta - vividi salutis nostræ ligni paradisus! quæ ipsum horti Eden colonum, Christum in quam, intrà te habes. - Qui fluminis instar vivi uterum tuum egressus quatuor velut initiis per Evangelium suum faciem orbis irrigavit. S. Andreas Jerosol. orat. de salut. Angel.

Gladius. Occurrit deinde nobis Princeps militiæ virtutum cœlestium Christus, tenens gladium Evangelij. S. Isidor. c. 1. in Jos.

Incus. Tuba ea (Sanct. Andreas Ap.) quam ut Christus moliretur, Cruce, quasi malleo; Evangelio, quasi incude; quasi igne, spiritu; novo, ac veteri Testamento, quasi, ausim dicere, usus est follibus. S. Hesychius or. in S. Andr. Ap.

Mna. Servus, qui mnam unam accipiens decem acquisivit, significat Doctores; qui accepta gratia Evangelij in decem verborum prædicamentis bene usi sunt, &c. Sanct. Isidor. in Alleg.

Mons. Fugiant ad montes, id est, ad Apostolorum doctrinam. Arnob. c. 26. in Matth.

Panis. Non est bonum sumere panem filiorum, &c. Matth. 15. Panis significat Evangelium. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth. Septem panes sunt Scriptura novi Testamenti; in quo gratia Spiritus S. & revelatur, & datur. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth.

Pisces. Duo pisces, Marci 6. sunt piscatorum sermones, scilicet epistolæ, & Evangelium. Theophylactus apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 6. Marci. Pisciculi benedicti. Marci 8. libri sunt novi Testamenti: quoniam piscis assi partem Dominus resurgens postulat. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 8. Marci.

Pluvia in sanctis Scripturis sunt verba Evangelii; sicut & Moyses dicit Deut. 32. *Expelletur sicut pluvia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea*. Sanct. Isid. cap. 4. in 1. Reg.

Quadriga. Quatuor Evangelia quasi quadrigæ sunt novi Testamenti; cui præsidet auriga ipse Christus. S. Thom. c. 6. in Cant.

Quartus dies. Quartum diem excitatum, Evangeliorum demonstrat figuram. Arnob. in 4. Joan.

Rationale - Sermonem figurat Evangelicum. S. Isid. c. 51. in Exod.

Regnum DEI signat doctrinam Evangelii. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 10. Marci.

Sagena. Isti piscatores Apostoli, loco calami intendunt precationem, loco funiculi memoriam, loco hami - virtutes, esse loco - miracula. Piscantur è cœlo, debentes è petra piscari. Naviculam debentes accipere, recipiunt altare: piscium loco venantur reges; pro sagena Evangelium extendunt; loco maris vitam peragrant; artis vice utuntur gratia; irretiunt Cruce loco sagenæ. Proclus Archi - Ep. Const. or. de S. Andr.

Uberа sunt dulcedo Evangelicæ doctrinæ; vinum austeritas Legalis. S. Isid. in Cant.

Vestimentum ejus, quod factum est fulgens sicut nix, sunt sermones, & literæ Evangeliorum. Arnob. Annot. cap. 4. in Luc.

Vinum optimum Christus servavit usque adhuc, id est, Evangelium, usque ad sextam ætatem distulit. Alcuinus Caroli M. Præceptor apud S. Thom. sup. 2. Joan.

TITULUS V.

EUCHARISTIA.

Adeps. Eucharistia est adeps frumenti, S. Aug. in ps. 80. Hieron. in c. 55. Is. Est adeps, & vinum. Cyrill. & Hieron. in c. 55. Is.

Admirabilis. Verè venerandum, & admirabile est Christianorum Sacramentum! dixit ille Judæus, qui B. Basilio in die Paschæ mysteria celebranti Christianis sese immiscuit, volens explorare mysterium; & vidit, loco hostiæ tractari à B. Basilio pulchrum puellulum. Inde cum sua familia est conversus, & ab eodem Basilio baptizatus. Refert hoc S. Thom. de Sacr. Alt. c. 11.

Affluentia omnis Sacro - Sanctorum charismatum. S. Cyrill. in 56. Is.

Agnus DEI, tollens peccata Mundi, incruentè immolatus. Concilium Nicænum 1. Agnus DEI, agnum abigens (figuralem) Petrus Bles. carm. de Euch. cap. 4. Christus Eucharisticus est Agnus. Ex. 12. Innocentius P. de Sacrif. Miss. lib. 4. c. 2.

Alimentum vitale. Franco Abb. to. 10. de Gratia DEI.

Alimonia cœlestis. Sanct. Leo. ep. 23. Alimonia immortalis. Paschasius lib. de Sacr. cap. 11. Algerus lib. 2. cap. 5. Alimonia regalis. Rupert. lib. 9. in Gen. cap. 34. Alimonia spiritualis. Sanct. Leo ep. 23. Alimonia vitalis. Petrus Dam. ser. 10.

Amor amorum. S. Bernard. de cœn. Dom.

Antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, à peccatis mortalibus præservamur. Conc. Trid. Sess. 13. cap. 2. Antidotum mortis, pharmacum immortalitatis. S. Ignatius M. ep. ad Ephes.

Antitypa corporis, & Sanguinis Domini. S. Dyonisius c. 3. Eccl. hier.

Apotheca. Sumit cellarium pro apotheca aromatica, Raynaudus in Candelabro Sancto sect. 5.

Aqua. Intendamus in ipsum Venerabile Sacramentum, - inde exiet aqua Is. 12. cum delectatione de fontibus Salvatoris. Et paratur in conspectu tuo mensa, & poculum inebrians quam præclarum. Hæ sunt divitiæ simplicitatis, in quibus est Christi pretiosa paupertas. Sanct. Ambros. in ps. 40.

Aquila. Certè numquam fuit aquila tam liberalis, sicut aquila nostra Christus. Aquila escam suam communicat aliis avibus, non tamen carnem suam; quam Christus nobis communicat. Est etiam pelicanus. Ps. 101. S. Bonavent. serm. 1. in Asc. Dom.

Arca fœderis, sive Testamenti. S. Cyrill. l. 9. de Ador. & l. 4. in Joan. c. 28. S. Gregor. & Beda, ad c. 6. l. 1. Reg. Apon. l. 1. in Cant.

Arca DEI velo involvi jubetur Num. 4. - Per velum species Sacramentales; per Arcam Corpus Christi - hanc Arcam timent Philisthijm. S. Bonav. serm. 2. D. 3. Adv.

Archetypus verus typici Paschatis. Theodoretus.

Aries secundus. Hesychius l. 2. in Levit.

Arrhabo æterna vitæ. Nicolaus. Mehonensis Opusc. contra hæs. circa Euchar.

Bacchica nostra. S. Paschas. initio libri de Sacram.

Benedictio Beatifica. Concil. Bauhin. 1. cap. 9. Benedictio dulcedinis. Arnobius in ps. 20. Benedictio mystica. S. Cyrill. in Galphyr. Benedictio vivificativa. Sanct. Cyrill. ep. ad Calosyrium.

Bonum. Comede fili mi, quia bonum est. Sanct. Thom. de Sacr. Alt. cap. 1. Bonum, & pulchrum DEI. Zach. 9. *Quod bonum ejus est, & pulchrum ejus; nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Aponius Cant. 5.

Bona gratia. Dabitur tibi bona gratia; quæ Græcè dicitur *Eucharistia*, id est, Corpus Christi. Sanct. Thom. ib.

Botrus Cypri: Cant. 1. Duo sumo in botro; uvam, scilicet Corpus Domini in cibum; & ex uva sugo dulcem sanguinem in potum. S. Thom. de Sacr. Alt. cap. 29. In botro sunt duo: uva in cibum, & in uva dulcis sanguis in potum. Id. ibid. cap. 32.

Buccella sicca, est Sacrificium nostrum sub munda Specie panis, & honesta. S. Thom. de Sacr. c. 4.

Calculus candidus. Hugo Card. in 2. Apoc.

Calix admirandus. S. Chrysost. hom. 84. in Joan. Calix inebrians. Orig. tr. 35. in Matth. S. Ambr. in ps. 35. S. Chrysol. serm. 160. S. Chrys. in ps. 22.

Candela. Sicut Sol non deficit, toti Mundo lumen suum communicando; sic nec Christus Ecclesiam totam pascendo. Itèm, exemplum de candela: in qua millesies tantus ignis sumi potest, quantus in ea est: neque per hoc minuitur lumen ejus. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 4.

Canticum novum, immissum in os nostrum, carnem DEO nostro. Eusebius l. 1. de demonstr c ult.

Carbo

Carbo Divinus. Theodoretus in 6. Is. S. Justinus quæst. ad Orthod. 44.

Carbunculus. Calculus, Is. 6. est carbunculus, sic dictus; quia ignitus *ut carbo*; & significat Corpus Domini de altari sumptum, & charitate inflammatum Sanct. Thom. de Sacr. cap. 22.

Caro nova resurrectionis. Sanct. Bernard. serm. 1. de vigil. Nat.

Causa resurrectionis primæ. Guerricus ser. 2. de Resurr.

Celebratio pietatis. S. Aug. 3. Trinit. c. 10.

Cellarium, continens in se omnium aromatum pretiositatem, & virtutem. S. Laurent. Just. l. de disc. & perf. mon. conv. cap. 9.

Charitatis Sacramentum. S. Thom. de Sacr. cap. 25. Eucharistia est quasi charitatis origo, & vinculum. S. Vinc. Ferr. serm. 2. in die Defunct.

Cibus compositus. S. Damasc. l. 4. orth. fid. c. 14. Cibus, & conviva. S. Hieron. qu. 2. ad Hedibiam, & in cap. 11. Os. Cibus Credentium. S. Hieron. in 8. Os. Cibus Dominicus. Sanct. Hilarius l. 8. de Trinit. Cibus dulcis. Sanct. Hieron. & Aug. in ps. 54. Cibus grandium. Blesens. serm. 17. Cibus incomparabilis, & ineffabilis. S. Aug. l. 2. de visit. infir. cap. 4. Cibus inconsumptibilis. S. Cæsarius dial. 3. Cibus melle dulcior. S. Maximus Taurin. hom. in ps. 21. Cibus, & potus immortalis. S. Paschas. l. de Sacr. 19. Cibus pietatis. S. Hier. in 66. Pretiosus cibus. S. Thom. de Sacr. c. 1.

Cœna Dominicarum carnium. S. Chrysost. hom. de Job, & Abrah. Cœna veritatis. Sanct. Rupertus l. 3. de oper. Spirit. S. cap. 21.

Columna nubis, & ignis. Drogo Ost. Serm. de Pass. Dom.

Commemoratio propitians DEUM hominibus. Orig. hom. 13. in Levit.

Conservatorium ad resurrectionem vitæ æternæ. S. Athanas. in illud: qui dixerit verbum.

Coavivium cœleste. S. Ambr. l. de initiandis cap. 8.

Copula nuptiarum cœlestium. Sanct. Ephr. ser. de Judicio.

Corona. S. Greg. l. 4. Dial. c. 55.

Corpus humilitatis Domini. S. Aug. in ps. 21.

Dapifer. Qualis refectio? ubi dapifer Christus, pincerna Spiritus Sanctus. S. Bonav. in ps. 80.

Dapes Salvatoris nostri. Orig. hom. 38. in Luc.

David. Hic (in cœna ultima) est verus ille David; qui coram Achis Rege Geth. suis manibus ferebatur. 1. Reg. 22. Innocent. l. 4. c. 12.

Defensaculum contra incentiva vitiorum, & carnalis concupiscentiæ. S. Thom. Opusc. 58. c. 21.

Delibatio panis futuri. Damasc. l. 4. Orth. fid. c. 14.

Dieta peregrinantium. Ex S. Bernardo refert Turrecremata tr. de Corp. Christi c. 10. Corpus Christi est ægrotis medicina, peregrinantibus dieta.

Divitiæ indefinentes; quæ cœlorum Regnum nobis conciliant. S. Chrys. hom. de Nat. Dom.

Donum DEI inenarrabile. S. Gaudentius tr. 2. Dona immaculata. Fortunatus l. 4. de vita S. Martini. Dona pretiosa, ineffabilia, immaculata, reverenda, florrenda, Divina. Lithurgia. S. Jacobi.

Dulcedo dulcedinum. Credicus Bernardus serm. de dign. Sacer.

Effigies Dominicæ immolationis. Missale Gothicum in Præpar. ad Missam.

Epulæ vitales Angelorum. Petr. Damian. Opusc. 18. cap. 4. Epulum incorruptum. Orig. hom. 5. in diverf.

Esca omni carni. S. Prosper in psal. 135. Esca lætissima. Philo Carpath. ad illud Cant. 7. *Guttur tuum, sicut vinum optimum*. Esca salutaris. Petr. Clun. l. 6. ep. 15. Esca Sanctorum. S. Ambr. l. de bened. Patr. cap. 9. Esca vitæ, & poculum æternitatis. S. Prosper sent. 341.

Exequiæ quotidianæ Salvatoris nostri. Rupertus 2. de Offic. cap. 10.

Expiamentum placabilis Sacrificii. Fulbertus ep. 1.

Farina. Vidua, ad quam mittitur Elias pascendus; per fidem Christus venisse legitur: cujus farinæ, & oleo benedicitur; & non deficit, id est, gratia Corporis Christi, & Chrismatis unctio. S. Isid. in Alleg. Pugillus farinæ figurat inconsumptibile Corpus Christi Eucharistici. S. Thom. de Sacr. cap. 14. Christus Eucharisticus est farina mulieris Sarept. Innocent. *Vobiscum sum omnibus diebus*. Matth. 28. Hoc figuratum est 3. Reg. 17. hydria farinæ non deficiet, neque lecythus olei minuetur usque in diem, &c. In farina Sacramentum hoc significatur. Farina enim granum est contritum. Granum est Christus. - Attritus est autem in mola Crucis. - Hæc farina non deficiet: quia hoc Sacramentum nobiscum est usque in diem pluviæ, & usque ad consummationem sæculi. Pluvia terram germinare facit, pluvia ergo est influentia cœlestis virtutis, faciens semina corporum mortuorum pullulare per resurrectionem de terra. Sanct. Bonav. ser. 4. in Vigil. Nativ. Christi Dom.

Fasciculus Myrrhæ. Cant. 1. Sicut enim myrrha incorrupta servat corpora; sic Corpus Domini piè sumptum corda. Sanct. Thom. ib. c. 6.

Favus cum melle. Rupert. in Cantic. 5. *Comedi favum cum melle meo*. Cant. 5. id est, dulcedinem carnis Christi cum dulcedine Divinitatis. *Bibi vinum cum lacte meo*. Id est, dulcedinem sanguinis Christi cum dulcedine spiritualis consolationis. S. Thom. ib. c. 24.

Ferculum excellentissimum. Eusebius de Sanct. Hieron. morte.

Fidelia sancta. David. Is. 55.

Figmentum magnum DEI. Nazianz. carmine de Sacerdotibus.

Firmamentum in terra in summis montium. ps. 71.

Fons donorum cœlestium, super quem Christus sedet; non unam Samaritanam, sed universam alloquens Ecclesiam. Sanct. Chrysost. hom. 7. in Matth. Fons sacratissimus Sanguinis, & Spiritus. S. Chrys. hom. 83. in Matth. Fons immortalitatis. Isidor. Pelus. l. 1. ep. 123.

Fructus dulcis gutturi Sponsæ. Orig. hom. 3. in Cant.

Fundamentum fiduciæ. S. Chrysost. hom. 24. in 1. Cor.

Gemma. Sicut gemma virtutem suam effundendo non minuitur; sic Corpus Domini nos pascendo non minoratur. S. Th. de Sacr. c. 14.

Gloria DEI. S. Ignatius M. ep. ad Ephes.

Hæreditas Christi. S. Chrys. hom. 2. ad Pop.

Holocaustum salutis, holocaustum Dominicæ passionis. Rupertus. l. 6. in Gen. c. 32.

Hostia incruenta. Isid. Pelus. l. 3. cap. 75.

Humilitas Christi. S. Aug. c. 1. in ps. 33.

Jacob. Sciendum, quòd in illa figura (Genes. 27.) Dominici Corporis quatuor erant personæ scilicet Isaac, & Rebecca; quasi masculus, & fœmina, significant duas naturas in nobis, id est, Corpus, & Animam. Masculus, qui magis solet esse manifestus, & exterioribus plus intendit, significat exteriorem hominem, id est, Corpus cum suis sensibus. Fœmina, quæ domi residet, & familiam regit, interiorem hominem, id est, animam: quæ salutis suæ, & aliorum gerit curam. Jacob bonus, & formosus, habitans in tabernaculis, quem diligit Rebecca, id est, Fidelis anima, significat verum Corpus Christi. Esau, quem amabat Isaac, id est, corpus; eò quòd de cibis suis vescitur, significat substantiam panis cum suis accidentibus, scilicet colore, sapore, &c. Dum itaque Isaac quasi homo exterior, id est, Sacerdos benedicere debet, Esau, id est, substantia panis recedit; sed similitudo Esau, scilicet vestes cum odore, pelles pilosæ, cibus cum sapore, id est, accidentia panis sive similitudo, scilicet color, sapor, odor, duritiæ, manent circa Jacob; & sensus nostri falluntur. Ibi fallitur Isaac caliginosus, id est, debilitas corporis nostri. - Ibi fallitur gustus, qui putat cibum comedere Esau, &c. S. Thom. de Sacr. c. 7.

Ignis Divinus. Hesychius Centur. 1. c. ult.

Imago Passionis Christi. S. Gaudent. tr. in Exod.

Indumentum maximum. Sanct. Chrysost. Cathec. ad illuminandos. Indumentum regale. Id. hom. ad baptizandos.

Initium. Divinæ in nobis substantiæ. Guerricus serm. 2. de Resurr.

Josias. Memoria Josiæ, est memoriale Salvatoris; vel sacrificium altaris. S. Thom. de Sacr. c. 4.

Lac rationabile sine dolo. 1. Petri 2.

Lapis. Lapis iste Dan. 2. præcisus, sumptus de altari, significat Corpus Christi. S. Thom. de Sacr. cap. 21. Etiam lapidi pretioso comparatur (Christus Euchar.) de quo virtus exit: ut fugandi phantasmata, vel inflationes sedandi, vel alia, sine diminutione sui. Sanct. Thom. de Sacr. c. 14.

Legatio Sacerdotis ad DEUM pro hominibus. Sanct. Greg. hom. 37. in Evang.

Lignum vitæ. S. Thom. in 2. Apoc. Sicut initium mortis cœpit à ligno vetito, scilicet à ligno scientiæ boni, & mali; sic initium justificationis, & vitæ, incipere debuit à cibo, scilicet ligno vitæ, id est, Corpore Dominico. S. Thom. de Sacr. c. 6.

Locus pascuæ. S. Ambr. serm. 16. in ps. 18.

Lux. S. Chrys. hom. 24. in 1. Cor.

Manna cœlestis. Cassian Coll. 22. c. 7. manna utique, qui est Christus. Hoc est manna indeficiens, hic est panis vivus, & cœlestis cibus Angelorum. - Hoc autem manna minutum erat. Quid Verbo DEI minutius? S. Isidor. Hispal. cap. 23. in Ex. Christus Eucharisticus est manna absconditum. Sanct. Thom. de Sacr. cap. 4. Panis cœlestis in similitudinem pruinæ, & roris, apparebat: quia Corpus Domini à fervore pravæ concupiscentiæ refrigerat. Sanct. Thom. de Sacr. cap. 6. In terra Chanaan reficit Judæos panis ille cœlestis, hoc est, manna; quod est Eucharistiæ symbolum; Chanaan autem interpretatur *mercator*, vel *negotiator*. Jos. 5. Perlinus Conv. Sacr. dist. 3. cap. 3. nu. 1. Manna habuit triplicem saporem, similæ cum melle, & panis oleati. Et secundum hæc significat Christum; ex

ex quo secundùm triplicem ejus substantiam gignitur spiritualis triplex sapor; mellis ex substantia Divinitatis; panis oleati ex substantia animæ, quæ fuit plenissimè perfusa oleo gratiæ; similæ ex substantia corporis, à furfure fomitis, & originalis corruptionis puri. Sanct. Bonav. serm. 6. in Cœna Dom.

Massa ficorum. 4. Reg. 20. Isajas jussit afferi massam ficorum: quam cum posuisset super ulcus Regis, curatus est. Ulcus Regis est concupiscentia carnis; massa ficorum, Corpus Christi. S. Thom. de Sacr. c. 1.

Medicina. *Medicamentum*. Vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est cœleste, & venerabile Sacramentum. S. Ambros. lib. 5. cap. 4. Corpus Christi est medicamentum, tenebras ignorantiæ illustrans, morbum concupiscentiæ sanans, & mortem nostram mortificans. Propter hæc tria potest comparari triplici dulci cibo, & medicinali; scilicet melli, propter primum; ficui, propter secundum; fructui uvæ, propter tertium. Medicamentum salutare. Sanct. Gregor. lib. 1. ep. 47. Eucharistia est Medicina hominis. S. Thom. de Sacr. c. 2. Christus est Medicus; sacratissimum ejus Corpus est cibus medicinalis. S. Thom. de Sacr. c. 6.

Melchisedech. Christus est Melchisedech. Genes. 14. qui nobis *panem, & vinum*, hoc est, Carnem, & Sanguinem suum *obtulit*. Melchisedech est Rex Justitiæ, Rex Pacis. S. Ambr. l. 4. c. 3. & 4. de Sacram.

Memoria Passionis Christi; & Sacrificij Crucis. Hesychius in 2. Levit.

Mensa. Hic Ecclesiam tamquam mensam habuit. Mappam in mensa, fidem in Ecclesia: magna luminaria, quatuor Evangelia. Aquam Salomonis, Sacramentum baptismatis; panem, & vinum, Eucharistiæ mysterium: cibos innumerabiles, sanctas virtutes: servitores, distinctos Ecclesiæ Ordines, convivatores, universos Fideles: vestes epulantium, mores Credentium: fructus pomorum, exempla Sanctorum. Petrus Cell. lib. de panib. cap. 2. Mensa mystica; per quam & Mundus est stabilitus, & orbis terræ consistit, & regnum custoditur, Ecclesia multiplicatur, & DEUS sacrificatur. Theodoretus orat. de Hypap. Mensa nutrix animarum, & vivifica. Sanct. Germanus Cont. rer. Eccl. Mensa plena visceribus misericordiæ. Petrus Cell. l. de panib. cap. 2. initio. Mensa regalis S. Chrys. hom. 17. in ep. ad Hebr. Mensa salutis. Petr. Bles. serm. 18.

Ministerium, in quo est præcipua salus Christianorum. S. Epiph. ep. ad Joan. Jeros. Miraculum super omnia stupendum. Clemens unica de Relig. & ven. Sanctor.

Mons. Christus Eucharisticus est mons Selmon, mons Olei, mons uber, mons incaseatus, mons pinguis. S. August. Enarrat. in ps. 67. Mons DEI est Christus. Selmon interpretatur, *umbra nostri refrigerii*. (Et Christus êst mons Selmon) - quia ut dicit Glossa, de Corpore Christi manat umbra gratiæ; quæ nobis defensaculum est contra incentiva vitiorum. S. Thom. de Sacr. c. 24.

Munimentum Dominicæ saturitatis. S. Chrysost. hom. 24. in 1. Cor.

Mysterium faciens, ut terra nobis sit cœlum. Cyprianus ep. 54.

Nervus nostræ salutis. S. Chrysost. hom. 24. in 1. Cor.

Nubes. Is. 19. est Caro, seu Christi Humanitas. S. Vinc. Ferr. serm. in Oct. SS. Innoc.

Numerus 25. per se ductus semper in se ipsum reducitur in infinitum, - Quantumlibet enim multiplicetur Eucharistiæ Sacramentum, semper est idem sacrificium. - Sed & binarius, & ternarius, bene congruunt Sacramento: binarius, propter carnem, & sanguinem; ternarius, propter panem, & vinum, & aquam. Innocent. P. l. 5. c. 15.

Opus Divinorum notissimum, futuræ felicitatis indicium, ac Divinæ miserationis præsagium certum. S. Laur. Just. serm. de Eueh.

Ovis epulationis nostræ. S. Ambr. in ps. 43.

Pallium à Christo nobis relictum. Chrysost. hom. 2. ad Pop.

Panis beatitudinis. S. Athanas. orat. in 5. serm. Panis benedictus. S. August. l. 3. de Cons. Euch. cap. 25. Panis concordiæ; quem si sumunt, non litigant. S. Aug. tr. 26. in Joan Panis cor hominis confirmans. S. Ambr. ser. 18. in ps. 118. Panis mirabilis sine agricultura. Greg. Nyss. de vita Moysis. *Quis petit panem, numquid lapidem dabit?* Luc. 11. *Ego sum Panis*. Joan. 6. sed Judæis conversus est in lapidem offensionis, & petram scandali. Roman. 9. - *Circumdederunt me canes multi*. Ps. 2. (quando projiciuntur, mordent lapidem.) S. Chrysol. serm. 55. Ipse Christus est panis: qui factus in virgine, fermentatus in Carne, in Passione confectus, in fornace sepulchri coctus, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cœlestem cibum quotidie Fidelibus subministrat. Idem serm. 63. Ipse est panis, qui de cœlis descendit; qui Legis, & gratiæ mola aptatus in farinam; qui Crucis confectus est Passione; qui magnæ pietatis fermentatus est Sacramento; qui conspersionis levis levamentum sustulit de sepulchro; qui ut Divinitatis suæ calore coqueretur, ipse clibanum decoxit Inferni, &c. Idem serm. 71. Joseph esurientibus populis panem copiosè subministrat; Christus cœli pane manentes orbe toto exsaturat nationes. Idem serm. 146. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Magnus iste panis, qui replet mentem, & non ventrem. Iste panis & noster, & Angelorum. Iste panis manducatur, & non finitur: iste panis totum Mundum replet; & integer manet. Sanct. Chrysost. hom. de orat. Dom. Panis hordeaceus subvertens castra Madian. Judic. 6. id est, vires diaboli, est Christus Eucharisticus. Hordeaceus dicitur, propter aculeos Passionum Christi. Sanct. Bonaventura serm. 4. de Vigil. Nat. Dom. *Vir ferens panes*. 4. Reg. 4. est Christus. Sanct. Bonavent. serm. 5. de Cœna Dom. Panis iste, 3. Reg. 19. est Corpus Christi; quo mirabiliter confortamur in laboriosis hujus vitæ actionibus, & tentationibus. S. Bonav. serm. 6. de Cœna Dom.

Paradisi fons. Ascendebat ex Paradiso fons fluvios emittens sensibiles; ex hac mensa fons ascendit, spirituales emittens fluvios. Apud hunc fontem plantatæ non infructuosæ salices, sed arbores ad ipsum cœlum pervenientes, formam habentes semper maturam, & immarcessibilem. Si quis æstuat, ad hunc veniat, & æstum refrigeret. Hic terrarum orbis est pretium: hoc Christus emit Ecclesiam; hoc eam omnem adornavit. S. Chrysost. hom. 61. ad Pop.

Pax. Eucharistia est pacis mysterium. S. Chrysost. hom. 60. ad Pop.

Pectusculum, Lev. 10. Pectusculum optimum est, & dulcissimum animalis; significat dulcedinem Corporis Christi. S. Thom. de Sacr. c. 4.

Petra. Declaratum videtur; quòd petra illa. Judic. 6. typum habuerit Corporis Christi. S. Isid. c. 3. Judic.

Pignus vitæ. Petr. Bles. carm. de Euchar. 24. Pignus resurrectionis secundæ. Guericus ser. 2. de Resurr.

Pretium nostræ Redemptionis. Sanct. Aug. Conc. 1. in psal. 48.

Pulmentum vitale Deitatis. Fulbertus ep. 1.

Purpura, Dominico sanguine tincta. S. Chrysost. hom. ad baptizand.

Regnum DEI. Clem. Alex. 3. Pædag. cap. 2. regno diguè degustato, ait; ore modesto, & clauso, benevolentiam animi ostendamus.

Remedia immortalium sanitatum: S. Ambros. lib. de Viduis.

Requies Beatorum. Apon. l. 3. in Cant.

Sacramentum benedictionis. Tertull. lib. de Pudicit. cap. 14.

Sacramentum Charitatis. S. Thom. Opusc. 58. c. 25.

Sacramentum magnum super omnem æstimationem, super omnem intelligentiam, super omnem eminentiam: in quo salus est Mundi, pretium sæculi, pretium sine pretio, pretium impretiabile. Bles. ep. 123.

Sacramentum quo subjugatus est Mundus. Sanct. Eligius hom. 8.

Sacramentum Societatis JESU. Algerus l. 1. c. 3. Et habetur ex S. Dionysio cap. 1. cœl. hier. sub finem.

Sacrificium pretii nostri. S. Aug. l. 9. Conf. cap. 12.

Salus animarum nostrarum. Sanct. Dionysius cap. 1. Eccl. hier.

Scabellum pedum Domini. S. Ambros. lib. 3. de Spir. S. c. 12. Sanct. Aug. in psal. 98. ad illud. *Adorate scabellum pedum ejus*.

Signacula mysteriorum Divinorum. S. Aug. hom. ult. ex 50. cap. 9.

Speculum, & ænigma; per quod nunc videmus DEUM. Theodoret. in 1. Cor. 13.

Spiritus oris nostri. S. Bernard. ser. 48. in Cant.

Stipendia Divina. Bles. carm. de Eucharist. cap. 24.

Stipendium militiæ nostræ. S. Paschas. l. de Sacr. c. 8.

Templum illud Jerusalem magni Sacramenti est res; & intelligitur ex eo Corpus Domini. S. Aug. in ps. 73.

Testamentum vitæ, & salutis nostræ. Rupertus l. 3. de Oper. Spir. S. c. 18.

Thesaurus universus benignitatis DEI. S. Chrysost. hom. 24. in 1. Cor. Thesaurus in agro absconditus. S. Paschas. l. de Sacr. c. 17.

Vellima sancta, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis: quò triumphatus est hostis computans delicta nostra. S. Aug. l. 9. Conf. c. 13.

Vinum lætitiæ. Euseb. 1. de demonstr. c. ult.

Vitulus saginatus. S. Ambr. in 15. Luc.

Votum nostrum. S. Aug. ep. 59. ad q. 5.

Varia.

Si quotidianus est panis; cur post annum illum sumis à quemadmodum Græci in Oriente facere consueverant. Accipe quotidie, qui quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere: quomodo Job pro filiis suis offerebat quotidie. S. Ambr. l. 5. c. 4. de Sacram.

Non

Non videtis, quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt? qua pressione papillis infigant labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad hujus calicis spiritualis accedamus papillam. S. Chrysost. hom. 83. in Matth. Nonne videtis, quanta promptitudine parvuli papillas capiant; & quantò impetu labia uberibus infigunt. Accedamus cum tanta nos quoque ad hanc mensam, & uber spiritualis poculi: quin imò cum majori trahamus, tamquam infantes lactandi spiritus gratiam: & unus sit dolor nobis, hac esca privari S. Chrysost. hom. 60. ad Pop.

Sanguis Christi est clavis Paradisi. S. Hieron. apud S. Thom. de Sacr. c. 27.

Christus est Socius bonus viæ, & peregrinationis nostræ. S. Thom. de Sacram. Alt. cap. 4.

Et nostræ necessitatis servus. Id. ib.

Videte Regem, id est, JESUM Christum in diademate, id est, in Carne. Id. ib.

T I T U L U S VI.

EXEMPLUM BONUM.

Calcar. Equus significat desiderium; calcaria significant bona exempla. Sanct. Bernardus Opusc. de fil. prod.

Calceus. Calceamenta ex mortuis fiunt animalibus; & significant patrum præcedentium exempla. Sanct. Thom. c. 7. in Cant.

Cœlum. Per cœlos Apostoli, per Solem intelligitur Christus. Et dicuntur cœli propter sublimitatem conversationis: *Nostra conversatio in cœlis est*. Philipp. 3. Stellati, per multarum virtutum abundantiam - lucidi, per doctrinam, & exemplum. S. Thom. in ps. 18.

Esca. Pisces. Matth. 15. Sancti sunt novi Testamenti; qui de fluctibus sæculi erepti - exemplo suo nos reficiunt. Glossa apud S Thom. in Cat. sup. 15. Matth.

Liber vitæ dicitur (Christus) tripliciter. Uno modo exemplum gratiæ agendæ vitæ; & sic Christus secundùm Humanitatem dicitur liber vitæ: quia in ipso debemus legere vitam, quæ nobis est agenda, &c.. S. Thom. in 2. Apoc.

Luna. A nima comparatur Lunæ nocte splendenti. sic enim anima se convertens lucet bono exemplo. S. Greg. in Cant. cap. 6.

Sal. Christus eos (Apostolos) vocat Sal terræ: ad condiendum exemplo vitæ S. Thom. in 5. Matth.

Sol magnam claritatem exempli significat. S. Thom. in 19. Apoc.

M A L U M.

Portæ Inferi sunt prava Fidelium opera, - qua iter perditionis ostendunt, Rabanus apud. S. Thom. in Cat. sup. 16. Matth.

F.

T I T U L U S I.

F I D E S.

Abraham moraliter nobis virtutem fidei per exempla sua significat. Sanct. Thom. in Cat. sup. 1. Matth.

Altare. Per Altare significatur fides; per arietes duces Regis, Apostoli, & Ecclesiarum Prælati; per pecus, simplices. S. Thom. in Is. 60. Sicut est triplex templum; ità est triplex altare. Primum est Vir justus - hujus templi altare est cor. Lex. 6. *Ignis*, scilicet charitatis, *in Altari*, id est, in corde, *semper ardebit*. - Aliud templum est Ecclesia; & hujus templi altare est Christus, vel fides. Tertium templum est ipse DEUS. Apoc. 21. *Templum vidi in ea, &c.* & hujus altare est misericordia DEI: & hoc circumdare debemus desiderio mentis. S. Thom. in ps. 25. Fides dicitur altare: nihil enim DEO est acceptum, quod non offertur spiritualiter in fide. S. Tho. in Apoc. 8. *Imponent vitulos* - id est, conversos de novo *super Altare*, id est, super fidem Christi. S. Thom. in ps. 50.

Altitudo templi hujus, 3. Reg. ad fidem refertur, longitudo ad spem, latitudo ad charitatem. S. Isid. c. 2. in 3. Reg. Altitudo fidei consistit in cognitione æterni DEI; profundum autem in cognitione DEI Humanati. S. Bonav. Opusc. Lum. c. 8.

Annulus. Thamar Ecclesiæ imaginem gestat; quæ à Christo per annulum fidei, & virgam Crucis, conceptionemque sanctæ meruit ubertatis. S. Isid. in Alleg. Fides comparatur annulo. Annulus iste argenteus potest dici; eò quòd fides instar argenti luceat. S. Bonav. diet. Sal. tit. 5. c. 3.

Arca Testamenti. Fides est sicut Arca Testamenti. S. Isid. in Alleg.

Argumentum. Fides est sicut argumentum ad concludendum - Non sicut, argumentum Dialecticum - aut tentativum sed sicut argumentum hypotheticum, id est, faciens scire. S. Bonavent. diet. Sal. t. 8. c. 5. Per istud argumentum probatur unitas Divinæ essentiæ, trinitas personarum unitas primæ causæ; multa alia, &c. Et ideo Apostolus ait. Hebr. 11. fidem esse *argumentum non apparentium*. Id. ib.

Donum DEI primum. In donis DEI primum est fides; per quam DEUS habitat in nobis. S. Thom. in 1. 2. Thessal lect. 1.

Drachma, Luc. 15. est fides. *Didrachma*, Matth. 17. est fides, non tantùm in ore, sed & in corde. Rom. 10. Corde creditur, &c.. S. Ambr. l. 1. ep. 2.

Equus. Oratio est legatio pro hominibus ad DEUM. Hæc equo fidei insidens ad DEUM pergit. S. Bern. Opusc. de fil. prod.

Facies. Quid per faciem, nisi fidem? qua à DEO cognoscimur S. Greg. in Cant. 2.

Fasciculus hyssopi significat perfectionem, & integritatem fidei. S. Thom. de Sacr. c. 31. Limen domus est Christus; per quem conceditur ad cœlum introitus sup. illud Ex. 12. *Fasciculum hyssopi tingite*.

Finis. Principium, & finis Fidelium est fides, spes, charitas. S. Ephr. Serm. de timore DEI.

Flores. In floribus fides, in fructibus virtutes designantur. S. Isid. in Cant.

Folia. Virtutes sine fide, folia sunt. Videntur vivere; sed prodesse non possunt: agitantur vento; quia fundamentum non habent. Quanti Gentiles habent misericordiam, &c. Sed fructum non habent; quia fidem non habent. S. Ambr. in ps. 1. Fidem, florem; fructum, actum intellige. S. Bern. ser. 51. in Cant. Fides appellata est ab eo, quia *Fit*; quod dicitur. Duæ syllabæ sonant, cùm dicitur *Fides*. Prima syllaba est à facto, secunda à dicto. Interrogo ego te, utrùm credas? Dicis: Credo. Fac, quod dicis; & fides est. S. Aug. Ser. 237. de temp.

Fundamentum. Fides virtutum omnium stabile fundamentum est. S. Ambr. in ps. 40. Fides est bonorum omnium spiritualium fundamentum. S. Thom. in 1. Rom. lect. 5. Fides, quæ est pes, & fundamentum omnis boni. S. Thom. in 1. Apoc. Fundamentum virtutis fides est. Fides est principium cultus DEI, & fundamentum ejus, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ. S. Bonav. in Brevil. p. 1. cap. 2.

Granum sinapis. Pro thorace fidem assume; ut granum sinapis - Nam granum sinapis leve prorsus est, ac rotundum, nullam habens scissuram, nullum angulum - contritum habet fervorem insignem. S. Ephr. de Panoplia. Fides comparatur grano sinapis propter fervorem, fœcunditatem; parvitatem. S. Thom. in 17. Matth. Fides, quæ non hæsitat, grano sinapis comparatur: quod quanto magis conteritur, tanto magis ejus fortitudo sentitur. S. Thom. in 1. Cor. 13. sect. 1. Si regnum cœlorum sicut granum est sinapis. Luc. 13. & fides sicut granum sinapis: fides utique regnum cœlorum, & regnum cœlorum est fides. Itaque qui fidem habet, habet & regnum cœlorum: & regnum DEI intrà nos, & fides intrà nos est. S. Ambr. l. 7. in Luc. Fides est granum sinapis; quia calefacit. Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens, &c.* Sanct. Ambr. serm. 1. de Virgin. hic sermo est inter Augustinianos.

Illuminatio mentis est fides; quæ mens illuminatur à prima luce ad videndum bona spiritualia. S. August. Apud S. Thom. serm. 2. Dom. Quinq.

Initium salutis est fides. S. Thom. in 1. 1. Petri. Ubi fides est, initium habemus, & finem: ubi perfidia; nec initium, nec finis est. S. Ambr. ser. 20. in ps. 118.

Instrumentum. Hoc instrumentum, quod est fides, Solus Christus fabricavit. S. Bonav. diet. sal t. 8. cap. 5.

Itineris prævia. Sit ergo fides tibi itineris tui prævia; sit tibi iter Scriptura Divina. Bonus est cœlestis dictus eloquii. S. Ambr. ser. 14. in ps. 118.

Lapides duodecim - cœlestis civitatis, significare possunt duode-

duodecim articulos fidei; quæ est fundamentum omnis boni, & præmii futuri. Jaspis, Sapphirus, & Calcedonius, significant fidem. Fides debet esse vivens & hoc significat Jasphis, qui est viridis coloris; color enim in herba - viridis est signum vitæ. Et sicut Jaspis fugat phantasmata; sic fides vivens vitat omnia diaboli machinamenta. Fides debet esse cœlestis & signat Sapphirus, qui habet cœlestem colorem. Sicut Sapphirus, qui habet cœlestem colorem. - Sicut Sapphirus fugat venenosa, & mortificat araneam; sic vera fides venenosis suggestionibus resistit. - Fides debet esse fortis & hæc signat Calcedonius; qui in colore est pallidus, & omnis sculpturæ repulsivus. Sic qui habet veram fidem, per pœnitentiam est pallidus. Sed nullam sculpturam extraneam peccati recipit, sed secum conservat solam imaginem DEI. S. Bonav. diet. sal. cit. 10. cap. 5. Quisquis perfectè credit, lapis est templi DEI; lapis est solerti apparatu lævigatus. S. Antiochus Lauræ Sabæ Abb. hom. 1. de Fide.

Lucerna. Fidei verbum est sicut lucerna; à qua illuminamur ad ambulandum in vita ista. Sanct. Thom in 5. 2. Cor. lect. 2.

Lumen. *Lux*. Fides est lumen intellectus. S. Tho. ser. in festo S. Barnabæ Apost. Fides comparatur luci primordiali. Fides namque est sicut aurora: nam sicut illa est exosa latronibus; sic fides odiosa est dæmonibus, qui sunt latrones animarum. S. Bonav. diet. Sal. tit. 5. c. 3.

Luna. Per cœlum intelliguntur Sancti: - quia habent Solem, Lunam, & Stellas: Solem charitatis, Lunam fidei, & Stellas aliarum virtutum. S. Thom. serm. 2. in festo SS. Trinit.

MARIA. Per MARIAM, Stellam maris designabitur fides; & per Joseph, augmentum charitatis. S. Thom. serm. 3. D. infra Octav. Epiphan.

Matutina Stella est fides in medio nebulæ. S. Bonav. Opusc. Lum. Ser. 1. in fine. Dicitur etiam Stella matutina. S. Isid. in Alleg.

Medicina animæ omnium vulnerum, & una propitiatio pro delictis hominum, est credere in Christum. S. August. serm. 60. de Verb. Dom. Multùm interest, utrum quisque credat, ipsum esse Christum: & utrùm credat in Christum. Nam ipsum esse Christum, & dæmones crediderunt; nec tamen in Christum crediderunt. Iste enim credit in Christum; qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe, ac sine dilectione; Christum esse credit, non in Christum credit. Id. ser. 61. de Verb. Dom.

Minutum. Vidua pauper. Marci 12. Ecclesiæ simplicitatem designat. Hæc in gazophylacium duo minuta mittit; quia dilectionem DEI, & proximi; seu fidei, & orationis, munera deferr. Vener. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 12. Marci.

Oculus dexter. Fides comparatur oculo dextro; si instar oculi est ratio. S. Bonav. diet. sal. t. 5. c. 3. Oculus est fides: sinister, est fides de Humanitate Christi; dexter verò, fides de Divinitate. Isti sunt oculi cœci nati; qui per lutum Humanitatis, & sputum Sapientiæ Divinitatis, aperiuntur. Sed dexter oculus Judæis eruitur; qui JESUM Hominem, & non DEUM putant. S. Bonat. ser. 3. de Vigil. Nat. Dom.

Panis. Elias figura Christi: illi afferunt corvi manè panem, vespere carnes. Huic manè, id est, initio Ecclesiæ, afferunt peccatores fidem, eam recipiendo; vespere autem carnes, id est, carnis resurrectionem. S. Isid. c. 8. in 3. Reg.

Patrimonium. Fidem serva; quæ multò pretiosior, quàm pecunia est: fides enim æternum patrimonium est; pecunia temporale. S. Ambr. l. 1. de Sacram. c. 2.

Pes. Fides est pes, & fundamentum omnis boni. S. Thom. in 1. Apoc.

Petra. Fides est sicut petra fundamenti. S. Bonav. diet. sal. tit. 5. c. 3. Est petra durissima, & totius spiritualis ædificii fundamentum. Id. tit. 8. cap. 5.

Prælibatio cœli. Est prælibatio illius futuræ beatitudinis, & cognitionis, quam habebimus in patria. S. Thom. in 15. Joan. lect. 3.

Principium est Divinæ vocationis. S. Antiochus cit. hom. 1. de Fide.

Rachel. Fides Christiana comparatur Racheli uxori Jacob pulchræ: quæ videns, quòd non generaret, dixit viro suo Jacob: *da mihi liberos; alioquin moriar*. Gen. 30. Ecce fides Christiana. - *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid fides poterit salvare eum?* - *Fides sine operibus mortua est*. Jacobi 2. S. Vinc. Ferr. ser. 2. D. 3. Adv.

Radix arboris. Fides est, ut radix plantata in horto cordis; deinde mittit truncum, scilicet charitatis, faciens ramos, scilicet virtutum, & flores, & folia bonorum operum. - Et rigatur fide manè, & serò, dicendo: Credo in DEUM, &c. S. Vinc. Ferr. ser. 1. Quinquages.

Regnum DEI dicit fidem; quæ est in ipsum, ac dispensationem Humanitatis. S. Chrysost. apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci.

Rete Fides est rete, quo concluduntur Christiani. S. Bonav. ser. 2. D. 4. Pent.

Scala. Fides est scala, quam vidit Jacob Patriarcha. S. Bonavent. diet. Sal. t. 8. c. 5. Fides est scala Jacob: duo latera, fides Deitatis, & Humanatis Christi: gradalia ligna, sunt articuli fidei. S. Bonavent. ser. 3. f. 2. Pasch.

Scutum. Scutum portatur, & sinistra in manu fertur: sic fides habetur in hac vita. S. Vinc. Ferr. ser. 4. Dom. 22. Pent. Fides comparatur scuto militari. S. Bonav. diet. Sal. t. 5. c. 3.

Sephora. *Tulit Sephora acutissimam petram, & circumcidit, &c.* Ex. 4. Sephora fidem significat: interpretatur enim, *placens adhæsit*. Per fidem adhærentes DEO placent: *Sine Fide impossibile placere, &c.* Hebr. 11. Sanct. Bonav. ser. 2. in Circumc.

Speculum. Fides comparatur speculo mundo: quia sicut turris magna in modico speculo cernitur; sic majestas Divina in speculo fidei repræsentatur. Sanct. Bonavent. diet. Sal. t. 5. c. 3.

Stella. Fides est sicut Stella firmamenti: & præcipuè dicitur Stella maris. Dicitur etiam Stella matutinalis - Orientalis. Id. ibid. Fides est Stella maris in medio nebulæ. Sanct. Bonav. Opusc. Lum. ser. 1. in fine. Stella est fides, ducens ad Christum. Hic non inventur nisi Stella duce, id est, fide vel gratia. S. Bonav. ser. 6. de Nat. Dom.

Tactus Fidem significat, Tangit Christum, qui credit in Christum. Nam & illa mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, apud seipsam ait: *si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero*. Fide tetigit; & sanitas subsecuta est, quam præsumpsit. - Videtur ergo ista MARIA, cui dixit Dominus: *noli me tangere, &c.* Ecclesiæ gestare personam, quæ tunc in Christum credidit (& Christum tetigit) cùm ascendisset ad Patrem. S. Aug. ser. 105. de temp.

Thesaurus tuus est fides, pietas, misericordia. Thesaurus noster pretiosus intellectus (fides), est. Si terrenus intellectus fuerit, si fragilis; hæretica eum tinea, & impietatis ærugo, consumet. Levemus ergo, & erigamus sensus nostros; nec impossibile judicemus; ut hæc humani Corporis infirmitas ad cognitionem mysteriorum cœlestium provehatur; cum jam ad nos Dominus JESUS - descenderit, ut clausa reseraret. S. Ambr. l. 12. in ps. 118. Nullæ sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus Mundi major substantia; quàm est Catholica fides: quæ peccatores homines salvat, cœcos illuminat, infirmos curat, cathechumenos baptizat, Fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, Martyres coronat. S. Aug. ser. 181. de temp.

Vestis. Fides, & charitas sunt vestis nuptialis. S. Ambr. l. 7. in Luc.

Vexillum. Fides est sicut vexillum regis. S. Bonav. diet. Sal. t. 5. c. 3.

Umbra Christi. *Sub umbra ejus*. Cant. 2. - Umbra ejus fides. Caro ejus. Mihi quomodo non obumbrat Caro, qui in mysterio manduco eam? Thr. 4. *in umbra ejus vivemus*, inter gentes, in umbra, in gentibus, in luce cum Angelis. S. Bernard. serm. 48. in Cant.

T I T U L U S II.

FIDES, SPES, CHARITAS.

Abraham, Isaac, Jacob, Abraham moraliter nobis virtutem fidei per exempla sua significat. - Isaac significat supra *Abraham* igitur *genuit Isaac*: quia fides generat spem. Jacob autem significat charitatem. Charitas enim amplectitur duas vitas; activam per dilectionem proximi; contemplativam per dilectionem DEI. Activa per Liam, contemplativa per Rachel, significatur. Glossa apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 1. Matth. Nota: DEUS est DEUS Abraham, conferendo fidem; Isaac, spem Jacob, charitatem. Sanct. Bonavent. in psal. 45.

Altitudo, latitudo, longitudo. Altitudo templi hujus. 3. Reg. ad fidem refertur, longitudo ad spem, latitudo ad charitatem. S. Isidor. c. 2. in 3. Reg.

Asyli tres urbes (de quibus in Deut.) sunt Fides, Spes, Charitas. S. Isidor. c. 19. in 19. Gen. Deut.

Dies tres nuptiarum. Primus dies fides, secundus spes, tertius charitas: & in hoc fiunt nuptiæ: quia per eam copulatur anima DEO. S. Thom. ser. 2. D. 1. Epip.

Fimbria. Theologicæ virtutes fimbriæ sunt psal. 44. quia ornamentum, & complementum cujuslibet virtutis, sive vestimenti spiritualis. Ità ferè Sanct. Bonavent. s. 3. Dom. 2. Pent.

Fundamentum. Fides, Spes, Charitas, omnium virtutum sunt fundamentum. Sequentes virtutes sunt quasi superadditiones Sanct. Anselmus apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 2. Matth.

Herba. Fides, Spes, Charitas, sunt herbæ virides. S. Isid. c. 3. in Gen.

Navis. Mirabile gubernaculum est fides; quæ Ecclesiæ navem, per mare, & per terram, id est, per adversa, & prospera dirigit. Spes est anchora, velum charitas. S. Bonav. ser. 1. D. 4. Pent.

Panis, piscis, ovum. Luc. 11. Tria ista consideremus, nè fortè sint ibi illa tria, Fides, Spes, Charitas. Pone ergo tria: panem, pisces, ovum. Major horum panis: ideo panem bene intelligimus in his tribus Charitatem. Propterea pani lapidem opposuit. Luc. 11. quia duritia contraria est Charitati. Piscem fidem intelligimus. Dixit quidam sanctus, & nos dicere delectat: piscis bonus pia est fides; vivit inter fluctus; nec frangitur nec solvitur fluctibus. - Opposuit autem Dominus serpentem piscì, diabolum fidei. Diabolus non corrumpat fidem, nè devoret piscem. Restat spes; quæ, quantùm mihi videtur, ovo comparatur. Spes enim nondum pervenit ad rem. Et ovum est aliquid, sed nondum est pullus. Spes est futurorum. Nihil ergo tam inimicum spei, quam retro respicere, id est, in eis rebus, quæ præterlabuntur, & intereunt, spem ponere. - Ovo tuo Scorpium time. Vide, quia de cauda percutit, quam retro habet. Nos ovum nostrum sub alis ipsius gallinæ (Christi) Matth. 23. ponamus. S. Aug. ser. 29. de Verb. Dom.

Principium, & finis Fidelium, est fides, spes, & charitas. S. Ephr. de timore DEI.

Seræ tres. Fides, Spes, Charitas, tres seræ sunt missæ contra diabolum. Arnobius in ps. 147.

Tridens. Hæc est trinitas, Fides, Spes, Charitas; per quam velut per tridentem, reduxit (DEUS) de limo profundi ad emissam beatitudinem (hominem) S. Bernard. serm. inter parvos primo.

Vades. Tres vades sunt Ecclesiæ, Fides, Spes, Charitas. S. Ambr. l. 3. de Virgin.

Vinculæ sunt virtutes, Fides, Spes, Charitas. S. Thom. in ps. 2.

Vis Domini istæ sunt, Fides, Spes, Charitas. Arnob. in conflictu cum Serapione de DEO trino, & uno.

Ordine perfectionis charitas præcedit fidem, & spem; eò quòd tàm fides, quàm spes, per charitatem formatur, & perfectionem virtutis acquirit. Sic enim charitas est mater omnium virtutum, radix, in quantum est omnium virtutum, forma. S. Thom. 1. 2. q. 62. a. 4. c.

T I T U L U S III.

F I D E L E S.

Abel. Cain figura Judaici populi, Abel Christiani. S. Isid. c. 6. in Gen.

Acervus lapidum. Lapis, quem Jacob erexit. Genes. 31. typus Christi Acervus lapidum, multitudo Credentium est. S. Isid. c. 26. in Gen.

Apiculæ. O Christi apiculæ! Ità suos Christianos auditores compellat. S. Joan. Damasc. or. 3. de Nat. B. V.

Bajuli botri. Num. 13. Duo bajuli, qui sub onere botri illius incedebant, populus est uterque. Prior Judaicus, & avertus, qui verò posterior veniebat, populi Gentium gerebat figuram: qui credens, & Christum ante oculos habens, semper eum portans videt. S. Isid. c. 11. in Num.

Capilli. Per capillos populi figurantur, qui eidem Ecclesiæ ornatum tribuunt. S. Gregor. in 4. Cant.

Carbones. Tob. 6. Flumen, in quo pisces sunt, significat Mundum; omnes pisces ejus, diversa genera hominum. Piscis ille magnus, gentem Judæorum; cor piscis, quasi membrum nobilissimum, & ex quo vita procedit, B. Virginem. Particula cordis significat Corpus Salvatoris de Virgine sumptum. Hoc debet super carbones poni, id est, Fidelibus, accensis igne amoris, donari. Tunc fumus ejus, id est, virtus spiritualis, fugat tentationes dæmonum. S. Thom. de Sacram. cap. 11. explicans illud de fugando dæmone. Tob. 6.

Cincinni sunt Fidelium collectiones. S. Isidor. in Cant.

Civitas. *Non potest Civitas abscondi super montem posita*: se scilicet montem; Fideles autem suos, in sui nominis gloria fundatos afferens civitatem. S. Isid. c. 1. in Jos.

Columbæ. *Qui sunt isti - quasi columbæ ad fenestras?* Is. 60. Referendum est ad Gentes, quæ ad fidem velociter conversæ sunt. S. Thom. in 60. Is.

Columnæ. Fideles Ecclesiæ dicuntur columnæ: quia debent esse recti, erecti, & fortes. Recti per fidem, erecti per spem, fortes per charitatem. S. Thom. in Prologo sup. ep. ad Ephes.

Comæ sponsi, sunt multitudines Fidelium. S. Thom. c. 5. in Cant. *Comæ capitis ejus*, id est, Christi, sunt Fideles, bonis cum moribus decorantes. S. Thom. de Sacr. c. 31.

David. Moraliter potest legi psalmus iste (tertius) in persona uniuscujusque Fidelis; qui à vitiis, & cupiditatibus impugnatur. Et secundùm hoc per David accipitur quilibet Fidelis; per Absolon vitia, & carnales concupiscentiæ. S. Thom. in ps. 3.

Dextera nos sumus; quia Christum colimus, qui in dextera Patris sedet; sinistra autem Judæi sunt, atque hæretici. Arnobius cap. 6. in Matth.

Dies. *Lux*. Justi, & Fideles, sunt lux, dies; peccatores autem nox, & tenebræ. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Eph. 5. S. Isid. c. 2. in Gen.

Domus ps. 44. signant Fideles. - Eburneæ, frigidæ propter castitatem, candidæ propter puritatem. Sanct. Thom. in ps. 44.

Filii Apostolorum. Afferte Domino filios arietum, id est, agnos. Mysticè arietes, sunt principes gregis, id est, Apostoli: filii eorum sunt Fideles. S. Thom. in ps. 28.

Filii Sponsi. Sponsus Christus est: filii autem sponsi nos sumus. Arnobius c. 12. in Matth.

Frumentum. Electi sunt frumentum Dei, cœlestibus horreis recondendi. S. Thom. de Sacr. c. 10.

Galaad acervus testimonij interpretatur; qui bene convenit adunatæ multitudini Sanctorum. S. Isid. in Cant.

Grana. Sicut ex multis granis puris conficitur unus panis; sic ex multis Fidelibus puris, à culpa mortali mundis, & vinculo charitatis unitis, Ecclesiastica unitas consistit. S. Thom. de Sacr. c. 9.

Jacob typus Christianorum; Esau Judæorum. S. Isid. c. 23. in Gen.

Incus. Verus Christianus debet esse sicut incus in suis adversitatibus. S. Eph. tom. 1. de Fide.

Lapis. Quisquis perfectè credit, lapis est templi DEI; lapis est solerti apparatu lævigatus. S. Antiochus hom. 1. de Fide.

Luminaria. In Ecclesia sunt multi lucentes, sicut Fideles, & Sancti. Philipp. 2. *Inter quos lucetis sicut luminaria in Mundo, Verbum vitæ continentes*. S. Thom. in ps. 17.

Oculi ejus, id est, Fideles, in futurum sibi providentes: *sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ*. S. Thom. de Sacr. c. 31.

Oves suas in prato Scripturæ, gratiæ, & gloriæ, pascit - Propter tria dicuntur sancti oves. 1. Quia oves nemini injuriam faciunt. Quia mansuetè mala sufferunt - 3. Quia se, & sua, ad usum hominum tribuuntur. S. Thom. serm. 2. D. 2. Pasch. Figuraliter per oves. Gen. 29. justorum populi significabantur. Sanct. Isid. cap. 24. in Gen. Jacob tres virgas in alveis aquarum opposuit; ut earum contemplatione multiplicarentur ejus oves. Et Dominus noster in aqua baptismatis trium personarum nomina, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, populo Fideli proposuit: ut quisquis hoc pleno corde perspexerit, efficiatur ovis DEI. S. Isid. c. 25. in Gen.

Stella. Ostendit illi Stellas cœli, dicens: *sic faciam semen tuum*, id est, Christianam Gentem; cujus tu pater in fide subsistis. - Deinde monstravit ei arenam maris, & dixit: *sic erit in multitudine semen tuum*, hoc est, erit quidem copiosa gens Judæorum; sed sterilis, & infœcunda, manebit sicut arena. S. Isidor. cap. 12. in Gen. Ipsum (Christum) qui est verus Joseph, excellentia Sanctorum in solis nomine, & Ecclesiæ claritas sub imagine Lunæ, & omnium numerositas populorum, in figura Stellarum, adorant. S. Isidor. c. 30. in Gen.

Templum dicuntur Fideles propter devotionem; cœlum propter Sapientiam - Idem dicitur anima templum DEI: quia in templum DEUS adoratur; similiter in anima Fideli - Item quia eam DEUS sanctificat, & in eam descendit, sicut in templum. S. Thom. in ps. 10.

Vinea florentes, id est, Evangelicus populus; seu vites florentes. S. Isid. in Cant.

Utres veteres, Judæos vocat; novus utres nuncupat Christianos. - Hi sunt apti, ut de prælo crucis accipiant vinum novum. S. Chrysol. serm. 31.

T I T U L U S IV.

F O R T I T U D O.

Adamus symbolum est fortitudinis, Ezechiel Adamas fuit. Sic ad eum DEUS Ezech. 3. *In adamantem dedi faciem tuam; nè timeas eos*. Lobb. q. 2. de S. Ursula. Fortitudo est similis petræ infrangibili, qualis est Adamas. S. Bonav. diet. sal. t. 5. c. 7.

Æs. In ære fortitudo exprimitur. Goffridus Abbas Opusc. 7.

Arcus ejus, id est, fiducia, virtus, fuit firmata in DEO; & ideo dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum per manus potentes Jacob, id est, DEI; qui est potens protector, & defensor populi Jacob. S. Thom. c. 49. in Gen.

Armatura. Nota Philosophia conculit Boetio arma, non corporalia sed spiritualia: sicut sunt virtutes intellectuales; quas enumerat Aristoteles 6. Ethic. & sunt intellectus, sapientia, scientia, ars, & prudentia. Et similiter virtutes cardinales, quæ sunt quatuor: prudentia, justitia, temperantia, & fortitudo. S. Thom. in l. 1. Cons. Phil. profam. 2.

Aurum

Aurum est symbolum fortitudinis. Lobb. in Glor. Patr. de S. Norb. q. unica §. 7.

Baculus. Fortitudo est quasi baculus. S. Bonav. diet. sal. t. 5. cap. 7.

Barba. In barba virtus ostenditur. S. Isidor. c. 16. in 1. Reg. 21.

Brachium. In brachio intelligitur fortitudo. S. Thom. ser. 1. in festo S. Lucæ.

Capilli. In capillis aliquando hominis fortitudo figuratur - Virtutes animæ - capillos capitis (Christus) appellavit. Goffridus Abb. serm. 9. de S. Magdalena.

Indumento fortitudo indumentum ejus. Prov. 31.

Lorica. Fortitudo est lorica, quæ vetat ictum - Totus Mundus non vinceret unum hominem, in quo est fortitudo DEI: sicut patet, quòd puellæ virgines, puta Catharina, Cæcilia, &c. omnia tormentorum genera superabant. - Viri fortes mori possunt, vinci non possunt. S. Bonavent. diet. sal. tit. 5. cap. 7.

Miles egregius DEI fortitudo; accurrens per campum fiduciæ, extracto gladio lætitiæ. S. Bernardus Opusc. de fil. prod.

Os ossis. Virtutes sunt fortitudo hominis. Et ideo (David psal. 6.) dicit: *sana me Domine; quia ossa mea*, id est, fortitudo mea, animæ meæ scilicet virtus, & fortitudo, *turbata sunt*. S. Thom. in ps. 6.

Quadratus lapis. *Lateres ceciderunt*, id est, Reges Juda, qui erant infirmi. *Sed quadris lapidibus*, id est, fortibus regibus ex nobis *ædificamus* regnum. S. Thom. in 9. Is. Summus artifex DEUS lapides suos id est, electos, consuevit quadrare quadratura virtutum, scilicet prudentia, temperantia, fortitudine, & justitia. S. Bonav. diet. sal. t. 10. c. 9.

Virga est, quæ non incurvatur. S. Bonavent. diet. sal. tit. 5. cap. 6.

Vox Domini confringentis. ps. 28., signat donum fortitudinis. S. Thom., in ps. 28.

T I T U L U S V.

F R A G I L I T A S.

Calcaneus. Per calcaneum potest intelligi infirmitas carnis: quia quando homo deficit, calcaneus labitur. Et sic *iniquitas calcanei*, id est peccatum procedens ex infirmitate carnis, *circumdabit me*. Sanct. Thom. in ps. 48.

Capilli. In capillis fragiliores, in dentibus verò perfectiores; quique ad regendam Ecclesiam apti, designantur. S. Isid. in 1. Cant.

Lagena. Designatur itaque in tubis clamor prædicationum, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. S. Isid. c. 5. in Judic.

Testa. Vasa testea, poculum fragilem, & vilem signant. S. Thom. in 4. Thren.

Venter Dilecti fragilitatem Humanitatis ejus designat. S. Isid. in Cant.

Umbilicus, id est, fragilitas infirmitatis nostræ. S. Isid. in Cant.

T I T U L U S VI.

S. F R A N C I S C U S. S E R A P H I C U S.

Æmulator Christi. Hic ut virtutum Christi fuit æmulator, sic & miraculorum. Lobbetius ibid. q. 1. Sanct. Franc. §. 6.

Amicus Christi. Christus D. de S. Francisco ad S. Brigittam, Revel. extravag. c. 90. sic ait: Franciscus, amicus meus, fuit quasi lapis ignitus: quia habuit me in se, qui sum ignis.

Angelus. S. Franciscus est alter Angelus *ascendens ab ortu solis habens signum DEI vivi*. Stigmata Christi. Lobb. in Glor. Patr. de S. Francisco Ass. in procem. SS. Dominicus, & Franciscus, fuerunt velut duo illi Angeli; qui justum Loth, familiamque ejus liberarunt. Hi *duo luminaria magna*. Gen. 1. hi duæ tubæ veri Moysis. Num. 10. hi duo ubera Sponsæ. Cant. 4. hi duo filii olei. Zach. 4. hi duæ columnæ, Joachim, & Booz 3. Reg. 7. hi denique fuerunt velut duæ illæ nubes, quæ armatas Israelis copias comitabantur. Verè enim & Dominicus, & Franciscus, miseris mortalibus fuerunt, quod diei nubes: quæ à Sapiente c. 10. dicuntur, & sunt *velamentum diei*. Quia, ut inquit Interpres noster, Solem exhibent sine læsura, id est, innocuum. Lobbetius. ib. §. 4.

Apostolicus Vir est Franciscus. Id. §. 5.

Arx clementiæ, sunt Dominicus, & Franciscus. Lobb. ib. §. 4.

Columna. S. Franciscus est opulentus animarum mercator, Ecclesiæ columna, & jam prope labentis sustentaculum. Id. ib. §. 3.

Dux. Novus miles, & novus dux. Idem ibid. §. 5.

Funiculus. Abbas Joachim, qui septuaginta annis antè mortuus, quàm vivere incepit Dominicus; præsignavit SS. Dominicum, & Franciscum, illo Zachariæ vaticinio c. 11. *& assumpsi mihi duas virgas; unam vocavi decorem, alteram funiculum; & pavi gregem*. Virgam decorem, dixit significare Dominicum; Virgam funiculum, qui signum est vitæ austeræ, Franciscum. Id. ib. §. 1.

Lumen. Benedictum, & Franciscum, Italiæ lumina, appellat. Lob. in Procem. Glor. Patr.

Palma. Innocentius P. 3. in somno vidit, ad suos pedes putrescere palmam, & mox arborem pulcherimam assurgere: auditque, ea designari S. Franciscum. Id. ib. §. 3.

Salvator. Franciscus alter à Christo Mundi Salvator, & dici, & esse potuit. Id. §. 3.

Sidus. Dominicus, & Franciscus, ceu gemina Ecclesiæ sidera. Id. q. unica mor. de S. Dominico. §. 3.

Stella S. Franciscus Seraphicus, est *quasi Stella matutina in medio nebulæ; ac quasi luna perfecta in diebus suis; & sicut Sol in Ecclesia DEI fulgens*. Hoc effatum fuit Gregorii P. IX. in Bulla Solen. Canon. S. Francis. Seraph. Lobb. in Procem. Anima S. Francisci visa est à F. Jacobo à Laude instar Stellæ fulgidæ ad cœlos migrare. Vvadingus tom. 1. a. Min. 19. Lobb. q. 1. de S. Franc. q. 4.

Vexillifer Christi. Franciscus est JESU Christi vexillifer. Sic eum apellavit. S. Bernardinus Senensis apud Lobb. q. 1. de S. Franc. §. 2.

T I T U L U S VI.

S. F R A N C I S C U S. D E P A U L A.

Æmulus DEI Creatoris sui. Lob. q. 2. de S. Franc. de Paula §. 2.

Angelus. S. Franciscum de Paula Sixtus P. IV. semper ut Angelus DEI suspiciebat. Idem de S Franc. Paul in Procemio. Minimi, & Francisci filii, sunt Angeli terrestres, cœli Nuntii, Ecclesiæque minores Intelligentiæ. Lobb. ib. q. 2. p. 2. §. 1.

Doctor Sacer, Id. ib. §. 2.

Heros magnus. Lobb. §. 3.

Ignis domitor præcelsus Franciscus, & flammarum victor. Id. q. 2. §. 2. S. Franciscus ignis est. Id. ib. §. 1.

Magnus DEO. Id. ib. q. 1. §. 2.

Samuelis parvi æmulus. Id. q. 1. §. 2.

Sol. Facies Francisci fulgebat ut Sol: ejus cella cœlum erat: adeò frequentabatur ab Angelis; adeò ibi sæpe Angelorum concentus audiebatur. - Fuit verè sui dominus; & verè domitor carnis suæ. - Corpus S. Francisci erat hospitium magnæ mentis, & ferax virtutum omnium officina. Id. ib. q. 2. p. 2. §. 2.

Thaumaturgus ævi sui. Id. ib.

T I T U-

G.

TITULUS I.

GAUDIUM.

Aqua. Nota super illo verbo: *ponam flumina*. Quia est multiplex aqua Prima, effusæ lacrymæ. Jer. 10. *Quis dabit capiti meo, &c.* Secunda, baptismalis munditiæ. Joan. 3. *Nisi quis renatus, &c.* Tertia, spiritualis gratiæ. Joan. 7. *Qui in me credit, &c.* Quarta, Divinæ Sapientiæ, Eccl. 24. *Ego sapientia effudi flumina*. Quinta, internæ lætitiæ. S. Thom. in 42. Is.

Fercula in vita æterna, sunt gaudia. - Per cœnam istam. Luc. 14. sicut dicunt sancti, intelligitur beatitudo cœlestis. Fercula. S. Thom. ser. 2. D. 2. Pent.

Fluvius. Agrum quartum, id est, paradisum colit quatuor modis. 4. fluminibus gaudiorum irrigando. S. Thom. ser. 1. in festo S. Marci.

Nomen JESU est gaudium, jubilus melos. S. Thom. ser. 2. in festo Circumc. Domini.

Oleum. Impinguasti oleo, id est, lætitia, mentem meam. S. Thom. in ps. 22.

Regnum DEI non est esca, & potus; sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. S. Thom. in ps. 4.

Torrens. Inebriantur sancti torrente felicis delectationis. Psalm. 34. *Inebriabuntur, &c.* Sanct. Thom. in 28. Is.

TITULUS II.

GENTILIS POPULUS.

IN Agro duo. Per Agrum assignatur Mundus - per duos homines, populus Fidelium, & Infidelium. De istis *unus assumetur*, scilicet populus Fidelium; *alter relinquetur*, scilicet Infidelium. S. Thom. in 24. Matth. in fine.

Aqua. Mysticè loquitur sic: *sonuerunt montes*, id est, Apostoli, qui montes dicuntur: *turbatæ sunt aquæ*, populi Gentilium ad sonum montium, id est, ad prædicationem Apostolorum. Aquæ signant sapientiam; quasi dicat: aquæ id est, prophetiæ Gentilium sunt turbatæ. S. Thom. in ps. 45.

Aquæ salvæ homines Infideles. S. Isid. c. 2. in Gen.

Aquilo. Mons Sion *latera Aquilonis*; id est, deposita in latere montis Sion ad Aquilonem. Sion signat Judæos, Aquilo verò signat Gentiles idolatras. Hæc ergo civitas est composita ex Judæis, & Gentilibus. S. Thom. in ps. 47.

Asina. Quæ est hæc asina, nisi bruta Gentilitas. S. Isidorus c. 23. in Num.

Asinæ pullus. Marci 11. signat Gentilem populum. S. Hieron. & V. Beda, apud S. Thom. in Cat. sup. 11. Marci.

Asinus. Asini, quos secum fratres Joseph duxerunt, significant Gentiles laboriosos, & utiles. S. Isid. c. 30. in Gen. In bovis nomine populus ex circumcisione positus sub jugo Legis accipitur: in asino autem populus Gentium. S. Isid. cap. 6. in Deut. Bos, & asinus; Fidelis, & Infidelis. S. Thomas in 11. Apoc.

Bajuli botri. Duo populi bajuli, qui sub onere botri illius incedebant, populus est uterque, Prior Judaicus, & aversus. Qui verò posterior veniebat populi Gentium gerebat figuram: qui credens, & Christum ante oculos habens, semper eum portans videt. S. Isid. c. 11. in Num.

Bestiæ agri. Glorificabit me bestia agri, id est Gentilis bestialiter vivens, conversus ad Christum, vel videns, quomodo Judæos liberat. S. Thom. in 43. Is.

Camelus nos fuimus; qui nihil rectum in nobis habuimus, qui nunc sarcinam peccatorum exposuimus, & per foramen acus introivimus, hoc est, per arctam, & angustam viam. Arnobius c. 19. in Matth.

Canes vocat Gentiles Christus. Theophylactus apud S. Tho. in Cat. sup. 7. Marci.

Cœcus. Educam cœcos, id est, Gentiles *in viam*, id est, Christum. S. Thom. in 42. Is. Dæmonium habens cœcus, & mutus. Matth. 9. indicat eos, qui ex idololatria Gentium ad fidem Dominicam convertuntur. S. Isid. in Allegor. Cœcum, quòd dixit; genus hominum Gentilium demonstrat: siloem autem *fontem luminis* interpretantur; qui est baptisma. Arnobius sup. 9. Joan.

Circa viam. Via Christus est. Marci 4. Infideles autem sunt circa viam, id est, Christum. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci.

Columbæ. Qui sunt isti & quasi columbæ ad fenestras suas? Is. 60. Referendum est ad Gentes, quæ ad fidem velociter conversæ sunt. S. Thom. in Is. 60.

Dæmoniacus, Matth. 8. significat Gentilem populum multorum cultibus dæmoniorum obnoxium. S. Isidor. in Allegor. Hic dæmoniacus. Marci 5. desperatissimus Gentium populus est: nec lege naturæ; nec DEI, nec humano timore, alligatus. S. Hieronym. apud S. Thom. in Cat. sup. 5. Marci. Mysticè mulier Gentilis, Marci 7. quæ pro filia rogat, est Mater nostra Romana Ecclesia: nata ejus dæmoniaca, barbarica, & Occidentalis natio. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 7. Marci. Ille juvenis, qui à dæmonio jam in ignem, jam in aquam, conjectus fuit, significat Gentilem populum. Sanct. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 9. Marci.

Dromedarii. In quibus (camelis) mysticè divites ad fidem conversi; qui & onus divitiarum projecerunt, gibbum peccati. Dromedarii, animal camelo minus, sed velocius; in quo Gentes ad fidem velociter conversæ. S. Thom. in 60. Is.

Femur. Duorum concordia populorum - in junctura femorum designatur. S. Isid. in Cant.

Feræ sunt Gentes vitam appetentes æternam. S. Isid. c. 3. in Gen. Feræ, id est, Infideles; jumenta, id est, Fideles - omnia mea sunt. S. Thom. in ps. 49.

Hyems. Hyemis, & imbris nomine, asperitas Infidelium exprimitur; quæ totum Mundum tenebat usque ad adventum Domini. S. Thom. in 2. Cant.

Idola diaboli sunt præcipuè Infideles. Goffridus Abb. ser. 4. de Nat. Dom.

Lapides. Lapides, quos dixit, Judæi intelliguntur. - de quibus filios Abrahæ resuscitavit, hoc est, Apostolos. Sive gentium duritiam (lapides significant) de quibus Martyres coronavit. Arnobius c. 2. in Luc.

Mendicus ulcerosus demonstrat Gentilem populum confessionibus peccatorum humiliatum. Luc. 16. Sanct. Isid. in Allegor.

Pagani. Commoremur in villis, hoc est, ipsis quoque Paganis Fidem annuntiemus. Nemo nectit paganos à villa dictos: quia παγὸς Græcè, villa Latinè. Inde pagani dicti: quia longè sunt à civitate DEI. S. Tho. c. 7. in Cant.

Pallium Gentes sunt. S. Isid. c. 30. in Gen.

Pisces. Apostoli per rete sanctæ prædicationis, pisces; id est, homines de profundo pelagi, id est infidelitatis, ad lucem Fidei traxerunt. Remigius Altisiodorensis apud S. Thom in Cat. aur. sup. 1. Marci.

Pullus, de quo Gen. 49. est Gentilis populus ad Christum conversus; vinea est Ecclesia; asina est Synagoga. S. Tho. c. 49. in Gen.

Quatuor millia. Matth. 15. Sicut illa turba quam priùs pavit, Judaicæ convenit Credentium plebi; ità hæc populo Gentium comparatur. Quòd verò quatuor millia virorum congregantur; multitudo innumerabilium ex quatuor orbis partibus intelligitur. S. Hilarius Pictav. apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth.

Simon leprosus, Gentilis est populus; qui est à Redemptore mundatus. Matth. 26. S. Isid. in Alleg. Simon leprosus Mundum infidelem primò, & postea Fidelem significat. S. Tho. in Cat. sup. 14. Marci.

Sylvæ Gentilitas comparatur. Proclus Archi - Ep. Const. or. de S. Andrea Ap.

Tenebræ. Fidem ponimus primum diem; quo Fideles ab Infidelibus, quasi lux à tenebris separantur. S. Bernard. Opusc. de Char.

Uberæ duo. duo sunt populi; ex circumcisione venientes, & Gentilitate. S. Isid. in 1. Cant.

Uxores Gedeon. Gedeon, ut superiùs dictum est, Domini typum tenebat; plurimæ uxores ejus, multæ sunt nationes; quæ per Fidem Christo adhæserunt. Sanct. Isidor. c. 3. in Judic.

Zacheus Gentilis est populus, gratia meritorum pusillus. Luc. 19. S. Isid. in Allegor.

TITULUS III.

GLORIA VANA.

ÆRugo. Sicut vermis ligna corrodit, & ærugo ferrum; ità vana gloria nutrientem se perdit animam. S. Chrysost. hom. 29. in Joann. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 3. Joan.

Arbor juxta viam fructus ad maturitatem non perducit: sic homo qui omnia facit ad aspectum, qui juxta Mundum vivit, nequit in suis actibus justitiam tenere. S. Chrysost. apud S. Bonav. ser. 3. D. 7. Pent.

Basiliscus est vana gloria: prævisa non nocet. non prævisa nocet. P. Alphons. Rodericius p. 1. tr. 3. c. 6. ex S. Bernardi ser. 14. in ps. qui habitat.

Canales sunt inanis gloriæ cupidi: vix enim bonum aliquod recipiunt, & statim per jactantiam effundunt. Contrarii sunt sicut conchæ; quæ non nisi repletæ aquas fundunt. S. Bernard. ser. 18. in Cant.

Fundamenta montium. Quidam sunt magni, & hi dicuntur montes; id est, superbientes in sæculo. - Montium fundamenta sunt illa, in quibus firmantur, scilicet divitiæ, potestates, & honores. ps. 45. Transferuntur montes in cor maris. Sanct. Thom. in ps. 17.

Fur, est diabolus: inanis gloria mercedem tollendo. Sanct. Thom. ser. in festo S. Georgii. Fures sunt laudes hominum. S. Tho. ser. 2. in Septuag. Quicumque laudari cupit per id, quod tuum (DEUS) donum est, hic fur, & latro est; dæmoni similis; qui tuam furari gloriam voluit. Sanct. Aug. cap. 13. Soliloq.

Glacies. Honor terrenus spumæ, aquæ glaciali, vel fumo, seu somno, comparatur. S. Hieronymus apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Marci.

Hostis. S. Basilius in Constit. Monast. cap. 11. eam piratæ assimilat, in insidiis clancùlò latenti? Dulcem spiritualium expoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem. - Est Infernalis deprædatrix.

Luxuria spiritualis, vana gloria à Sanctis Patribus appellatur Rodericus p. 1. t. 3. c. 5. Inanis gloriæ servus fornicario non minor est. S. Chrysost. apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Joan.

Mercator. Vendunt oves, qui Humanæ gratia laudis opera pietatis exercent. S. Tho. in Cat. sup. 2. Joan.

Pulviculus est, & exiguus, & subtilis, & exiguus; sed sublimatus. Id. ib. c. 3.

Sagitta hæc vana gloria est. S. Bernard. serm. 6. sup. ps. qui habitat.

Semina sunt orationes, eleemosynæ, jejunia, peregrinationes, & his similia: sed hæc seminantur juxta viam, quando fiunt pro apparentia. S. Bonav. ser. 2. D. Sexag.

Tempestas. Eam sancti non inscitè vocant tempestatem in portu: alii verò eam assimilant terebræ navim mercibus onustam perforanti, & mergenti. Id. ib.

Telum diaboli, vana gloria est, quod nobis intentat diabolus. Roderic. ib. c. 4.

Ventus. Pauxillum venti, & vanitatis, hominum de nobis opinio, & æstimatio est. Rodericius cit.

TITULUS IV.

GRATIA DEI.

ADamas. Adamante solidiores DEI gratia nos efficit; &, si volumus, omnino inexpugnabiles. Itaque sicut adamantem tundit, nihil adamanti nocet, sed seipsum fatigat, & robur suum imminuit; & qui contra stimulos calcitrat; suos pedes cruentat: in hunc modum res se habent nostræ cum salutis nostræ adversario; si armis, quæ nobis Spiritus Sancti gratia exhibet, - nos muniamus. S. Chrysost. hom. 4. in Gen. Est sicut adamas: adamas reddit hominem gratiosum. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 1.

Angelus quandoque significat gratiam, & virtutem DEI. Angelum itaque DEUS mittit, quando gratiam homini infundit. *Angelus descendit in fornacem*, Dan. 3. id est, gratia. S. Bonav. Opusc. hier. Eccl. p. 1. c. 1. Gratiam dilectionis, seu charitatem signat Seraphim, Sapientiæ Cherubim; contemplationis gratiam, id est, gustum, & spiritualem delectationem, Throni; Dominationes regiminis gratiam humilitatis ad obediendum Principatus; Potestates gratiam patientiæ, & longanimitatis; Virtutes pudicitiæ, castitatis; Archangeli gratiam eloquentiæ ad docendum; Angeli gratiam misericordiæ, & pietatis. Hi omnes, gratias suas, & ministeria, nobis communicant. Idem ibid.

Aqua hæc Ezech. 47. est gratia Spiritus S. in qua incipientes minùs profundè, proficientes profundiùs, perfecti profundissimè sunt. S. Bonav. serm. 4. D. 2. Pasch. De petra aquam, Num. 26. oleum, Job 29. ignem, Judic. 6. mel. Ps. 80. 17. legimus ministrata; quibus Spiritus sanctus significatur. (qui à Christo petra post hujus ascensionem missus est in hunc Mundum.) Qui per effectum gratiæ, aqua est incipientibus, oleum proficientibus, ignis consumantibus, mel regnantibus. S. Bonav. ser 4. in Pent. Aqua utique est gratia Spiritus sancti in justificatione (quia lavat à peccatis) oleum in devotione, ignis in dilectione, mel in fruitione. Idem ibid. Aqua refectionis, hoc est, Divina gratia. S. Joan. Damasc. or. 1. de dormit. B. V. Gratiam Spiritus sancti dixit aquam vivam, id est, vivificativam, refrigerativam, & motivam. Theophylactus apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 3. Joan. Spiritus Sancti gratiam Scriptura quandoque ignem, quandoque aquam vocat: ostendens, quoniam non substantiæ sunt hæc nomina repræsentativa, sed actionis. Per ignis quidem appellationem, creativam, & causale gratiæ, & consumptivum peccatorum, animaticè insinuat; per aquam verò, mundationem, purgamentum; quæ ex spiritu, & multum refrigerium, mentibus eum recipientibus ostendit. Sanct. Chrysost. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 4. Joan.

Arca gloriæ est gratia DEI. S. Vinc. Ferr. ser. 2. Dom. 12. Pent.

Columba gratiam DEI significat. S. Aug. apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Joan.

Crine Nazaræi gratia Spiritus significatur. S. Isid. cap. 8. in Judic.

Cyprus, & manna, unam habent significationem: significat enim cœlestem gratiam, tanquam manna de cœlis veniens. S. Thom. in 3. Cant.

Dies gratiam significat. S. Thom. ser. 2. in Nat. Dom. Nota super illud: *ecce dies veniunt, &c.* quia tempus gratiæ dicitur dies propter luminis apparitionem Roman. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit, &c.* Propter Solis calorem. 2. Reg. 11. *Crastinum erit vobis salus, &c.* Propter itineris securitatem. Joan. 11. *Si quis ambulaverit in die, &c.* Propter vigilantiam, & sobrietatem. 1. Thess. 5. *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, &c.* S. Thom. in 23. Jerem. Facta die nihil tale fieret: sed omnia, qualia sunt, apparent; quod & in anima nostra contingit. Postquam enim gratia veniens mentis tenebras expulit; rerum veritatem discimus: & nobis fiunt despicabiles res priùs tremendæ: nec enim ampliùs mortem timemus. S. Chrysost. hom. 21. ad Pop.

Drachma. Mulier Evangelica, Luc. 15. id est, anima devota, accendit lucernam, & invenit drachmam. Drachma verò est gratia Divina. S. Bonav. diet. sal. t. 2. cap. 5.

Equus animæ est gratia DEI. S. Vinc. Ferr. ser. 11. de Pace.

Facies. Abscondam faciem meam, id est, subtraham gratiam. S. Thom. Opusc. de Sacram. c. 2.

Humilitas, gratiæ vas. Balsamum est purissimum, & solidissimum vas requirit. Et quid tam purum, quidve tam solidum, quàm humilitas cordis? Meritò perinde *humilibus dat gratiam*. S. Bern. ser. 3. de Annunt. B. V.

Incaustum. Calamus non scribit, nisi habeat incaustum in se: sic nec Scriptura scribit virtutes in anima, nisi adiungatur ei gratia. Itèm de bona litera non laudatur calamus, sed manus: sic de bona prædicatione Scripturæ non est laudandus prædicator, sed Spiritus Sanctus. Sanct. Thom. in 11. Apoc.

Lactis nomine DEI gratia intelligitur. S. Thom. cap. 5. in Cant.

Lux, Venit lux, & *refulsit in habitaculo carceris* (ubi erat Petrus) sic oportet primò, quòd radius luminis Divini, seu Divinæ gratiæ, illuminet. S. Vinc. Ferr serm. de S. Petro ad Vinc. Bona opera, dona DEI; & ipsi Sancti sunt decor domus DEI, in quanto relucet in eis gratia Divina; quæ pulchrificat sicut lux; sicut dicit S. Ambrosius: quia sine luce omnia sunt turpia. S. Tho. in ps. 25.

Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum. Quid sum sine ea, nisi aridum signum? Tho. Kemp. l. 3. c. 3.

Nuntius DEI, est gratia DEI. S. Thom. in 4. Apoc.

Oleum. Sicut lucerna corporis oculus, ità lucerna animæ mens est, in qua nisi oleum gratiæ suæ Christus infuderit, penitus lumen habere non poterit. Arnobius in ps. 17. Oleum spiritualem gratiam, lampades vigilantiam significant. Arnob. cap. 27. in Matth. Oleum gratiam Spiritus Sancti ostendit. S. Isid. cap. 44. in Exod. S. Thom. in ps. 22. Oleum figurat gratiam Christi, sal scientiam. S. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 3. ad 13.

Oliva. Gratiam Spiritus Sancti significat. S. Isid. c. 6. in Judic.

Paradisus, est Spiritus S. gratia. Gratia quasi paradisus in benedictionibus. Eccl. 40. S. Bonav. ser. 3. D. 3. Epiph.

Participatio Divinæ naturæ. Gratia nihil aliud est, quàm quædam participatio Divinæ naturæ; quæ excedit omnem aliam naturam. Et ideo impossibile est, quòd aliqua creatura gratiam causet. S. Thom. 1. 2. q. 112. a. 1. c. & q. 110. a. 4. c. & alibi.

Pluvia. Multò congruentiùs intelligitur ipsa gratia, pluvia voluntatis: quia nullis, præcedentibus operum meritis, gra-

tis datur. S. Aug. in pſ. 67. Gratia pluvia eſt. S. Auguſt. ſerm. 2. de Verb. Apoc. Si ſiccitas unius anni fieret, ardentiſſimè pluviam peteres. Modò ſiccitas tibi fuit viginti, vel triginta annis; & pluviam gratiarum S. Spiritus non petis. S. Bonav. ſer. 3. Rogat.

Poculum inebrians, pſal. 22., abundans eſt gratia Spiritus Sancti quæ optimè poculum dicitur: quia ejus plenitudine electorum corda in momento inebriantur. S. Greg. l. 3. c. in 1. Reg.

Puteus. Lapis puteo ſuperpoſitus figuram Domini præferebat; puteus gratiam Spiritus Sancti. Sanct. Iſid. cap. 24. in Gen.

Radix vitæ ſpiritualis eſt hominis, gratia Spiritus Sancti, quæ videri non poteſt. S. Vinc. Ferr. ſer. 6. D. 9. Pent.

Renovatio juventutis. Antè arida erat (virga Aaron) poſtea refloruit. Et tu aridus eras; & cœpiſti in irriguo reflo-reſcere. Arueras peccatis, ſed fructum jam afferre cœpiſti, plantatus ſecus decurſus aquarum. Depoſuiſti peccatorum ſenectutem, ſumpſiſti gratiæ juventutem. S. Ambr. l. 4. de Sacr. cap. 2.

Ros. Per lumen Sapientia, rorem gratia: pulverem vanitas, indicatur. Sanct. Bonav. diet. ſal. tit. 1. cap. 3. Ruperto gratia, cœli ros eſt. Lobb. q. 2. p. 2. de S. Franc. de Paula.

Sagitta. Retribuens ſcutum cordis, ſcilicet duritiam, ut non penetrent ſagittæ gratiæ tuæ in gladio verbi tui. S. Thom. in 3. Thr.

Septem gratiam ſignat. S. Aug. in pſ. 149.

Sors. Quare ſortis nomine appellat gratiam DEI? (David pſ. 30.) quia in ſorte non eſt electio, ſed voluntas DEI. S. Aug. expoſ. 2. in pſ. 149.

Sputum gratiam Spiritus Sancti deſignat. V. Beda apud. S. Thom. in Cat. ſup. 8. Marci.

Stella. Sciendum, quòd gratia DEI dicitur Stella; per Stellam Regum ſignificata. Ratio; quia, ſicut illa Stella dirigebat, & ducebat Reges ad Chriſtum in Judæam; ſic gratia DEI, &c. Vincent. Ferr. ſer. 1. in Epiph. Dom.

Ubera ſunt, ipſa gratia, qua ſalvamur. S. Thom. in 1. Cant.

Vinum. *Si non abiero, Paraclitus, &c.* Joan. 16. Acſi aliquis diceret: ſi non abiero in cellarium, non habebitis vinum: gratia enim Spiritus Sancti vinum eſt. Act. 2. *Muſto pleni ſunt iſti*. B. Bonav. ſer. 3. in Aſcenſ. Dom.

Vita. Mors eſt privatio vitæ. Mors ergo quantò meliori (vita) privat, tantò eſt pejor. Privat autem ſpiritualis mors animam vita gratiæ, quæ eſt optima: quia eſt per DEUM. S. Thom. in pſ. 33.

T I T U L U S V.

G U L A.

Accipiter, eſt guloſus. S. Bonaven. diet. Sal. t. 1. c. 8.

Avis. Comparatur guloſus piſci, & avi: nam ſicut piſcis per guttur capitur cum hamo; & avis per collum cum laqueo: ſic guloſus. Præcipuè inter aves guloſus ſimilis eſt avibus pinguibus. Id. ib.

Brutum. Guloſi ſunt velut irrationabilia pecora. Id. ib.

Caligo. Denſa caligo quædam eſt temulentia, ac tenebræ. S. Antiochus hom. 5. de ebriet.

Canis guloſus comparatur cani, qui ducit cœcum in lutum. Id. ibid.

Deturpat omnia. Quemadmodum ſi quis citharam aureis fidelibus coaptatam in manus ſumeret; &, cùm pulſare deberet, ſtercore, atque cœno ipſam indignè deturparet: ſimiliter hi quoque faciunt. Stercus autem non alimentum, ſed delitias, à voracitate appellavi, Quod enim neceſſitatem in edendo excedit; id non alimentum, ſed peſtis eſt. Os enim, & fauces, & lingua, non ad comedendum ſolùm, ſed ad majora quoque creata ſunt. S. Chryſoſtomus hom. 45. in Matth.

Eſau guloſus comparatur. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 8.

Febris quotidiana eſt gula. Iſ. 56. *Comedebamus, &c.* Sanct. Tho. ſer. 2. D. 21. Pent.

Fons currit ad mare; & peccatum gulæ ſtatim currit ad luxuriam. S. Vincent. Ferr. ſer. 4. D. 9. Pent.

Fovea. Nota, quòd ambulamus ſimiliter in medio trium fovearum. Prima eſt mulier, vel luxuria; ſecunda, gula, & ebrioſitas; tertia, hypocritarum, & maleficorum doloſitas. Matth. 8. *Vulpes foveas habent*. S. Tho. ſer. 1. D. 20. Pent.

Freno comparatur gula: nam ſicut ſeſſor ducit equum, ſic gula ducit guloſum. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 8.

Mare. Mundus dicitur mare ratione tumoris per ſuperbiam, inquietudinis per gulam, &c. S. Thom. in 8. Apoc.

Mater fornicationis. Fugiamus ebrietatem fornicationis Matrem. S. Ephr. de jejunio.

Mater vitiorum. Filiæ gulæ ſunt duæ, ſcilicet gaſtrimargia, & ebrietas - de quibus dicitur Prov. 30. *Sanguiſugæ ſunt duæ filiæ dicentes affer, affer*. Sanguiſuga dicitur venter. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 8.

Medius. Super candelabrum, id eſt, ſuper altitudinem converſationis, quæ ſecundùm DEUM eſt, ut aliis lucere valeat, lucernam ponere, neceſſe eſt; non ſub modio, id eſt, circa gulam; neque ſub lecto, id eſt, otio: nemo enim, qui eſcis ſtudet, & requiem diligit, poteſt eſſe lucerna omnibus lucens. Theophylactus apud S. Thom. ſup. 4. Marci.

Obſcurat mentem. Sicut terræ nubes caligant cœlum; ſic obſcurant animas intemperantia convivia. Sicut ventorum turbines elementa confundunt; ſic fercula congeſta ſtomachum. Ut navem fluctus; corpus ebrietas ſic demergit - mortis facit ſubire naufragium. S. Chryſol. ſer. 41.

Porcus. Gula comparatur porco. Unde dicitur Matth. 8. *mitte nos in gregem porcorum* id eſt guloſos. S. Vincent. Ferr. de propr. & comparat. vitior. c. 5.

Regius morbus. Comparatur morbo regio: nam ille morbus requirit magnas expenſas, & inde dicitur regius: quia ſoli reges poſſunt ſufficere ad expenſas tam grandes. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 8.

Saccus perforatus. Comparatur guloſus ſacco perforato. Id ibid.

Tributarius. Monachus juſtò edacior, nihil aliud cenſendus, quàm proprii ventris tributarius. S. Antioch. Abb. hom. 4. de ventris ingluviæ.

H.

T I T U L U S. I.

H Æ R E T I C U S.

Aaron filii: qui imponentes altari ignem alienum, ab igne Divino exuſti ſunt, illos ſignificaverunt; qui, DEI traditione contempta, alienas doctrinas appetunt. S. Iſid. c. 8. in Levit.

Abiu. S. Irænæus confert hæreticos cum Nadab, & Abiu. Lev. 10. l. 4. c. 43.

Adulteri. S. Aug. tr. 13. in Joan.

Alienigena. Sed neque panes offeruntur alienigenæ Domino id eſt, doctrina hæreticorum, vel ſtudia ſuperſtitioſa ſæcularium literariorum. S. Iſid. c. 17. in Levit.

Amaſias. Quæ de Amaſia, & Jeruſalem, ſive Iſrael (Amos) loquitur; tropologicè ad hæreticos referenda ſunt. S. Iſidorus lib. procemiali.

Amici Job. Job ex ſuis Paſſionibus, & verbis Chriſti expreſſit imaginem: uxor ejus carnalium typum deſignat: amici verò ejus ſpeciem prætulerunt hæreticorum. S. Iſid. lib. procem. Tres amici Job typum tenuerunt hæreticorum: qui ſub ſpecie conſolandi, ſtudium ſeducendi gerunt. S. Iſid. in Allegor. Eliphas, *Domini contemptus* dicitur Baldath, *vetuſtas ſola*. Sephar, *diſſipatio ſpeculæ*: qui amici Job fuere, & typus hæreticorum. S. Gregor. Præfat. in Job cap. 12. & mor. lib. 3. cap. 17.

Anguis. Quoties (hæretici Ariani) conſtricti fuerint, vera ratione; velut anguis lubricus ad alias quaſcunque quæſtiones callidas, & tortuoſas refugiunt. Sanct. Auguſt. ſer. 200. de temp.

Anti-Chriſti. Non ſolùm lupi ſunt vocati; ſed, & fures, & latrones, & falſi doctores, & pſeudo-prophetæ, & improbi, & Anti-Chriſti, & ſcandala, & filii hoſtis maligni, & oppugnatores Spiritus Sancti. Sanct. Chryſoſt. ſerm. contra Hæreticos.

Apoſtatæ impuri; quippe adverſus Divinam gloriam buccas ſuas dilatant, &c. vocantur. S. Cyrillus in Dialogo, quòd unus ſit Chriſtus, ad Hermiam.

Arena non aliud, quàm hæreſes intelliguntur; flumina, & venti, impetus perſecutionis. Arnobius c. 10. in Matth.

Babylonia, eſt confuſio hæreticorum. S. Iſid. c. 2. in Eſdram.

Beſtia vaſtatrix. S. Irenæus l. 1. c. 35.

Bethſamitæ. Qui ſunt percuſſi Bethſamitæ? niſi falſa contemplatione decepti hæretici. Bethſamitæ enim non veritate fuerunt, ſed præſumptione. 1. Reg. 6. S. Greg. l. 3. c. 5. hic.

Cæci.

Cæci. Qui aſſentiunt his, verè cœci cœcis ductoribus utentes juſtè corruunt in ſubjacentis ignorantiæ profundum. S. Iræn. l. 2. c. 29.

Canes vocat S. Paulus Philipp. 3. Cùm porcos audis, & canes, chariſſime, nè de brutis animantibus æſtimantibus æſtimes dici. Porci enim ſunt, qui vitam ſuam cœnoſæ libidini, & voluptatibus ſæculi, manciparunt: canes verò omnes hæretici. S. Chryſoſt. hom. de Cruce Dom. Sunt canes hæretici. S. Vincentius Lirenenſ. c. 18.

Caupones. Aquam miſcent vino, tamquam caupones peſſimi, adulterantes ſermonem DEI. S. Ambr. ſerm. 11. in pſ. 118.

Cham, qui interpretatur *calidus*, ſignificat non ſolùm Judæorum, ſed etiam hæreticorum genus callidum. S. Iſid. l. 8. in Gen.

Chamæleontes. Hæretici ſunt in ſententiis varii, non aliter, quàm Chamæleontes in coloribus. Synodus Nicæna.

Chore, Dathan, & Abiron, præfigurabunt hæreticos. S. Iſid. c. 13. in Num.

Cetura (Concubina Abrahami) & filii ejus, ſignificabant hæreticos. S. Iſid. c. 20. in Gen.

Cinipbes hæreticos ſignificant. S. Aug. ſer. 87. de temp.

Ciſternæ diſſipatæ, ſunt dogmata hæreticorum. S. Thom. c. 4. in Cant.

Columnæ ſepulchrales. Omnes ejuſcemodi columnæ ſepulchrales, & mortuorum ſunt monumenta. S. Ignatius M. ep. 9. ad Philadelph.

Dathan, & Abiron, &c. hæreticorum pravitatem deſignant, & perniciem eorum. S. Iſid. in Allegor.

Diſcipuli diaboli. Emiſſarii diaboli, ſe ad mores, & ingenium magiſtri ſui pulcherimè conformantes. Franciſcus Montanus in Apolog. pro Societate JESU, Præfat. ad Gallos Catholicos.

Draco. Draconem recens editum, habentem veneno temulentam linguam, Neſterium vocat. S. Cyrill. Alex. Dial. ad Hermiam.

Ephraim, & Samaria, hæreticos ſignant. S. Iſid. l. procem.

Equi diaboli. Aſpicit (Zacharias) equos miſſos ad prædicationem Mundi. 1. Rufum, prædicationem martyrii; 2. nigrum, ſqualorem pœnitentiæ; 3. album, candorem baptiſmatis - equum quoque in figura plebis hæreticorum, & aſcenſorem ejus diabolum. S. Iſid. lib. procem. Hæretici dicuntur diaboli equus. S. Thom. in 6. Apoc.

Facula. Stella, id eſt, cœtus hæreticorum, ſeu hæreticus: quia videtur lucem habere ſapientiæ; docet autem nocte; de die non audet. Ardet autem, non ſicut Stella, ſed ſicut facula: quia illud, quod incendit, ſive ſe, ſive alios, in carbonem deformem redigit. S. Thom. in 8. Apoc.

Feræ. Hæretici ſunt quaſi feræ. Arnob. in pſ. 67.

Flumina ſunt expoſitiones hæreticorum. S. Thom. in 8. Apoc. Multæ hæreſes jam emortuæ ſunt. Cucurrerunt in rivis ſuis, quantùm potuerunt: decurrerunt, ſiccati ſunt rivi; vix eorum memoria reperitur. S. Aug. in pſ. 57.

Fures. Hæretici ſunt fures, & latrones. S. Thom. ſer. 4. D. Sexag. Hæreticus eſt fur. Fur à furno dicitur, quia obſcurus eſt. S. Thom. in prolog. expoſ. ſup. ep. ad Titum.

Gelboe montes; nec ros, nec pluvia, veniant ſuper vos. 2. Reg. 1. Hæc applicat, & appropriat hæreticis. Sanct. Thom. in pſ. 10.

Gladius Goliæ. Eſt & alius gladius Goliæ. Sermo ſcilicet hæreticorum: quæ vir pſallere ſciens arripit, ut adverſariorum vincat. S. Ambr. l. 10. in Luc.

Goliath ſuperbos hæreticos; David Chriſtum, & qui Chriſti ſunt, ſignificat. S. Greg. l. 18. c. 8.

Hoſtes. *Facti ſunt hoſtes ejus in capite, &c.* id eſt, hæretici prævalentes in contentionibus. S. Tho. in c. 1. Threnorum Jerem.

Jezabel. Per hanc Jezabelem ſignantur hæretici. S. Thom. in 2. Apoc.

Ignis extraneus eſt hæreſis. S. Irenæus l. 4. c. 43.

Illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus. S. Judas ep. v. 18.

Impudici. Helvidium, impudoratum, impudicum, inhoneſtum, inverecundum, fatuiſſimum infamatorem, vocat. S. Ildephonſus l. de Virginit. B. V. c. 2.

Impetiginem habens (animal) hæreticorum figurat collectionem. S. Iſid. c. 16. in Levit.

Judices juxta petram, ſunt hæretici; non ſuper petram. Arnobius in pſ. 140.

Juniores, Job 30. *Derident me juniores*. Omnes hæretici, ætati univerſalis Eccleſiæ comparati, juniores tempore congruè vocantur. S. Greg. l. 20. c. 7.

Lamia. Quid lamias, niſi hæreticos appellat? - belluina corda - geſtantes. S. Greg. l. 19. c. 15.

Lapides ſecti, (Exod. 20.) ſignificant hæreticos. S. Iſidor. c. 32. in Exod.

Leones. Gentiles, & hæretici, perſequentes Eccleſiam, ſunt leones in cubili. pſ. 103. quia in his & vis, & dolus. S. Aug. in pſ. 9.

Leproſi. *Lepra*, quæ eſt contagioſa, ſignificat hæreſim infectivam. S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 5. 4. Decem leproſi - hæretici ſignificantur. Luc. 17. S. Iſid. in Allegor. Hæretici ſunt leproſi: ejiciuntur è caſtris Num. 5. S. Iſid. c. 4. in Num.

R. P. Andreæ Spanner.

Lupi. Veſtes ovium, quas aſſumunt hi lupi, ſunt Scripturæ Sacræ, vel potiùs depravatæ. D. Vincentius Lirinenſis c. 8. Nonne lupis iſtis (Luc. 10.) hæretici comparandi ſunt? qui inſidiantur ovibus Chriſti - qui ſi quem verſuta diſputationis ſuæ circumſpectione prævenerint, faciunt obmuteſcere. Mutus eſt enim; qui Verbum DEI non eadem, qua eſt gloria confitetur. S. Ambr. l. 7. in Luc. Lupi ſunt hæretici omnes Docere neſciunt; ululare conſueverunt. S. Ambroſ. ſer. 6. in pſ. 118.

Meretrix, hæreſis eſt; quæ multorum errori, vel libidini patet. S. Iſidor. c. 12. in Levit. Meretrix eſt doctrina hæreticorum. S. Thom. in 8. Apoc.

Miniſtri diaboli. Diabolus (hæreticos) miniſtros ſuos ſubornat, velut miniſtros juſtitiæ. S. Cyprianus de unit. Eccl.

Montes naufragoſi: quò quiſquis navim cùm impulerit, ſolvitur. S. Auguſt. tr. 1. in Joan. Emerſerunt principes hæreſum; & montes erant. Arius mons erat, Donatus mons erat. S. Aug. in pſ. 35.

Mulier improba, (3. Reg.) quæ voluit filium alterius, quæ figuravit Eccleſiam, dividi, ſignificat hæreticos. S. Iſidor. c. 4. in 3. Reg. Aſpicit (Zacharias) deinde duas mulieres, id eſt, hæreticorum plebem, & Judæorum: in alis ſuis levantes amphoram, id eſt, diabolicam doctrinam; maſſamque plumbi: quod eſt pondus peccati graviſſimum. S. Iſid. lib. Procem.

Naves. Per hanc unam navem ſignificatur Eccleſia; quæ eſt una unitate fidei, & Sacramentorum. Per iſtas alias naves, quæ ſupervenerunt, ſignificantur conventicula hæreticorum. S. Thom. in 6. Joan. lect. 3.

Nox eſt Judaica perfidia, nox ignorantia Paganorum, nox hæretica pravitas, nox Catholicorum carnalis, animaliſque converſatio. S. Bernard. ſermon. 75. in Cant. Sed & apud hæreticos, vel ſchiſmaticos, quot ſectæ, tot noctes. Fruſtra per has noctes juſtitiæ Solem quæritis. Hic olim quæſivit; unde dicit: *quæſivi*. Jam poſtquam errores ſuos Gentilitas reliquit, & Chriſti Sponſa facta eſt; jam, inquam, in his noctibus non quærit Chriſtum. Id. ib.

Onager. Rectè hoc loco, Job 24. onagris comparantur hæretici; quia in ſuis voluntatibus dimiſſi, à vinculis ſunt fidei, & rationis alieni. S. Greg mor. l. 16. c. 23.

Operarii ſubdoli. 2. Cor. 11. Operarii mali. Philipp. 3.

Organum diaboli ſunt hæretici. S. Joannes Damaſc. orat. de transf. Dom.

Oſtia tenebroſa ſunt hæretici: portæ mortis ſunt diaboli. S. Thom. ſer. in feſto Cath. S. Petri.

Palea ſunt hæreſes. Proclus or. de S. Andrea Ap. Hæreſes paleæ ſunt. S. Aug. l. de vera Relig. c. 6.

Palmites à vite abſciſſi. S. Optatus Afer. Ep. Milevit. lib. 2. contra Parmenianum.

Pardus. Hi hæretici pardi ſunt. Jerem. 13. *Si poteſt pardus mutare pellem ſuam*: quia vix hæreticus convertitur. S. Tho. ſer. 1. in feſto S. Sebaſt.

Peccatores. pſ. 10. *Quoniam ecce peccatores*, id eſt, hæretici. *intenderunt arcum*, id eſt, ad ſe traxerunt Sacram Scripturam, ſicut qui tendunt arcum: *paraverunt ſagittas ſuas*, venenoſa eloquia, *in pharetra*, id eſt, in memoria, vel ſcientia. S. Thom. in pſ. 10.

Poculum lethale hæreſis eſt, & S. Greg. Naz. t. 51. de Fide.

Porci. Hæreticos, tamquam blaſphemos, & DEI inimicos, Scriptura non homines, ſed canes, & lupos, & porcos. Matth. 7. & Anti-Chriſtos 1. Joan. 2. appellat. S. Ephrem tr. 1.

Porta inferni. Hæreticorum inſaniæ ſunt inferorum portæ. S. Thom. ep. dedic. ſuæ Catenæ in Matth. ad Urban. Pap. IV. Ego portas inferi reor hæreticorum doctrinas; per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. ſup. 16. Matth.

Præda dœmonibus futuri ſunt hæretici. S. Juſtinus M. & Philoſ. Apol. 2. pro Chriſtianis.

Putei abyſſi ſunt hæretici. S. Thom. in 9. Apoc.

Rivus conciſus à fonte. S. Optatus Millevit. ibid.

Sciniphes. Hoc animalis genus ſubtilitati hæreticæ comparatur. S. Iſid. c. 14. in Exod.

Scorpio. Hæretici ſunt Scorpiones. Quando Scorpio tangit, non ſentitur; ſed poſt, quando diffunditur venenum. Sic etiam doctrina hæreticorum. S. Thom. in 9. Apoc.

Semina diaboli. Hæretici ſunt diſcipuli ab initio invidentis nobis diaboli: qua propter & illius ſunt Zizaniorum ſemina. S. Ephr. tr. in ſuo Teſtam. in fine.

Sepulchra. Omnes ejuſcemodi, mortuorum ſunt monumenta. S. Ignatius M. ep. 9. ad Philadelph. Hæreticorum inſtar ſepulchri guttura ſunt. S. Joann. Damaſc. orat. de transfer. Dom.

Serpentes: Cedrus odore ſuo Serpentes fugat: & ſic ſancti Doctores hæreticos fragrantia doctrinæ ſuæ repellunt. Sanct. Thom. in 1. Cant. Ille Serpens paradiſiacus hæreticorum verſutiam deſignant. S. Iſid. c. 4. in Gen.

Sinistra. Dextera nos sumus: quia Christum colimus, qui in dextera Patris sedet: sinistra autem Judæi, atque hæretici. Arnob. c. 6. in Matth.

Sophista vanissimi. S. Irenæus l. 3. c. 5.

Spina. Spiritus, quas dixit, & tribulos hæreses intelliguntur: de quibus fructum justitiæ nemo colligit. Arnobius c. 10. in Matth.

Stella, idest, cœtus hæreticorum, seu hæreticus: quia videtur habere lucem sapientiæ; docet autem nocte; de die non audet. Ardet autem, non sicut stella, sed sicut facula; quia illud, quod incendit, sive se, sive alios, in carbonem deformem redigit. S. Thom. in 8. Apoc. Hæreticus est stella ardens de cœlo cadens. Apoc. 8. S. Bonav. s. 4. D. 4. Epiph.

Tabernacula. Per hædos immundæ cogitationes designantur; per tabernacula pastorum, conventicula hæreticorum. S. Greg. in 1. Cant.

Tinea sibi domum corrumpendo ædificat. Nec meliori potuit comparatione hæreticus demonstrari. Job 27. qui locum suæ perfidiæ non nisi in mentibus, quas corrupit, facit. S. Greg. l. 18. c. 9. Tinea hæreticus est. S. Ambr. l. 1. in Luc.

Vasa mortis. In eo paravit vasa mortis - Hi sunt hæretici: quia ex Sacra Scriptura mortem simplicibus parant. S. Thom. in Ps. 7

Vastrix bestia. S. Irenæus l. 1. c. 35.

Venti. Perversitas hæreticorum, tentatio dæmonum, crudelitas tyrannorum, malignitas falsorum Christianorum, sunt quatuor venti, quibus navicula Petri agitatur. S. Thom. s. 2. D. 2. Epiph.

Vespertilio sunt quærentes tenebris noctis similes errores. S. Isid. c. 9. in Levit.

Vipera venenatissima. S. Iren. l. 3. c. 5.

Umbra mortis dicuntur facta hæreticorum, portantium in se imaginem diaboli. S. Thom. in Ps. 22.

Vulpes, Vulpecula. Præcipit. Cant. 2. ut parvulas vulpes capiant, idest, ut hæreticorum pravitatem in ipso initio debellare, & destruere, non cessent. S. Thom. in 2. Cant. Justus Orgelit. in Cant. comparat hæreticos vulpibus Sampsonis, ignem trahentibus post se. Per vulpes hæretici, per vineas singulæ Ecclesiæ designantur. S. Greg. in 2. Cant. Hæreticos omnes arbitror vulpibus comparandos - Insidiantur Ecclesiæ, illi Evangelicæ Gallinæ. Matth. 29. 3. de qua ait Dominus: *sicut gallina &c.* Sed ipsa, sicut Sampson, Judic. 15. ardentes faces vulpibus religavit. S. Ambros. s. 79. sup. illud: *vulpes foveas habent*. Hæreticis vulpes comparat (Christus, Luc. 9.) Vulpes enim plenum fraudis est animal; foveam parans, & in fovea semper latere desiderans. Ità hæretici sunt &c. S. Ambros. l. 7. in Luc. Sampson binas vulpes sibi nexuit, Judic. 15. ad quarum caudas alligavit faces, & dimisit eas per messes Allophylorum: per hanc figuram significans; quòd improbi, ac fraudolenti homines, & maximè hæretici, liberam linguam habeant ad latrandum, sed exitus impeditos, finem, vel fraudis suæ incendio deputatum. Ideoque & trecentas vulpes dimisit; eò quòd perfidi Crucis quidem se prædicatione commendare desiderant. S. Ambr. s. 11. in Ps. 118.

Zizania. Triticum sunt Sancti, Zizania hæretici. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth. Hæreses Zizania. S. Aug. l. 2. Extract. c. 28.

T I T U L U S II.

H O M O.

A*Byssus* vocatur quilibet homo: quia qui; scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis; qui in ipso est? Ergo abyssus unus homo invocat alium ad Christum. Et hoc non fit propria virtute, sed *in voce cataractarum tuarum*, id est, inspiratione Spiritus Sancti; ex quo habet efficaciam lingua Prædicatoris. S. Thom. in Ps. 51.

Ager. Homo est, quasi ager Divini Verbi semine seminatus. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth. Thesauri nomine spiritualiter cœlestis Patriæ amorem intelligere debemus - Ager, in quo thesaurus absconditus invenitur, nos sumus: si tamen in nobis manet cœleste desiderium. S. Haymo hom. in festo Virginis. *Simile est Regnum cœlorum Thesauro*. Matth. 13. Ager est humana natura. *Ecce odor filii mei*. Gen. 27. *De plenitudine ejus omnes accepimus*. Joan. 1. Quicumque semina meditationum, desideriorum, & orationum, & operum, in hunc agrum mittimus, meliùs centies millies recipiemus. Thesaurus est Divina natura. - Relinquamus ergo caduca pro hoc agro. S. Bonav. s. 5. de Nat. Dom.

Angelus. In Angelis invenitur imago DEI per simplicitatem intuitum veritatis absque inquisitione; in homine verò per discursum. Et ideo in homine aliquantulum. Inde est, quòd homines dicuntur Angeli: Sanct. Thom. in Ps. 8. Creavit DEUS hominem, velut alterum Mundum, in magno parvum; Angelum alterum, visibilis creaturæ conspectorem - eorum, quæ in terra sunt, Regem. S Joann. Damasc. Orthod. fid. lib. 2. cap. 12. Notandum, quòd forma vitæ novæ est assumenda tripliciter: prima, voluntatis sanctitas; secunda locutionis veritas; tertia, operis equitas. Prima informat cor, secunda os, tertia manus. Prima forma dat esse Angelicum, secunda dat esse Divinum, tertia dat esse cœlicum. Per bonitatem homo fit similis Angelis, per veritatem DEO, per justitiam Sanctis. S. Thom. s. 1. D. infra Oct. Epiph.

Aqua. Homines assimilantur aquis: quia sicut aquæ homines fluunt, & non revertuntur. S. Thom. in Ps. 28.

Arbor. Homo arbor est, & opera arboris fructus. S. Aug. l. 2. c. 36. de serm. Dom. in Monte. Turba, quam dixit, vestimenta sua jactantes, hoc est, quòd Credentium multitudo, veterem hominem expoliantes, se projiciant - Arbores autem iidem homines sunt: ramos verò de arboribus abscindentes, peccata sunt. Arnob. cap. 21. in Matth. Arbores homines intelliguntur: quibus securis posita est, hoc est, utriusque Testamenti acumen: cujus manubrium crux intelligitur. Id. cap. 2. in Luc.

Cedri sunt homines magni, & signant Amorrhæos, qui fuerunt homines magni, & fortes. S. Thom. in Ps. 28.

Cera. Ætas hominis assimilatur ceræ: quæ si nimis est mollis, vel dura nimis, formam sigilli non recipit, nec retinet. S. Thom. in pros. 3. l. 1. de Cons. Phil. Boetii.

Drachma. Homo per drachmam signatur. Decima pars civitatis est homo, idest, totius multitudinis Angelorum, & hominum, supra novem Ordines Angelorum. Sanct. Thom. in 11. Apoc.

Ephemerii. Ephemerium est vita, ephemerii sunt homines: quia nequeunt sibi crastinum polliceri. P. Maximilianus Sandæus libello symbolorum, symb. 31.

Filius DEI est homo. Hujus filii pædagogi, & præceptores sunt prophetæ, lex. S. Bern. Opusc. de fil. prod.

Folium. Quid est homo, nisi folium? qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit. Quid est, nisi folium? quod tentationis vento rapitur, & desideriorum flatibus levatur. S. Greg. mor. l. 11. c. 23.

Fragilis. Inter casus ambulamus: Si vitrei essemus, minùs casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo? Et tamen servatur, & durat per sæcula. Ersi enim casus vitreo vasi timentur; senectus, & febris, non timetur. Nos ergo fragiliores, & infirmiores sumus. S. Aug. s. de Verb. Dom.

Imago DEI. Homo, in quantum homo est imago DEI. S. Thom. in Ps. 54.

Infirmus. Quos superiùs nominavit Dominus lupos, eosdem nunc appellat homines: lupos eos vocat propter voracitatem; homines propter infirmitatem. Sanct. Haymo homil. de Apostolis.

Lagunculа. Omnis laguncula, idest, quilibet de populo, implebitur vino tribulationis. S. Thom. in 13. Jerem.

Manipula. Nota, quòd Philosophia Mundum appellat aream fortunæ: quia, sicut in area triturando torquentur manipuli; sic fortuna in Mundo torquet homines. S. Thom. in prosam 1. l. 2. Consol. Phil. Boet.

Microcosmus. Fides, prima virtus in minori Mundo, hoc est in corde humano. S. Bonav. diet. sal. t. 5. c. 3.

Miraculum magnum est homo, & animal honorandum. S. Thom. in pros. 2. l. 1. Cons. Phil.

Mundus. Va Mundo à scandalis! Matth. 18. Hoc non de elementis Mundi intelligamus; sed homines, qui sunt in Mundo, dicuntur Mundus. S. Hilarius Pictav. Cant. 18. in Matth. apud S. Thom. in Cat. ibid. Mundus est liber: ejus compendium est homo, & epilogus. S. Vincent. Ferr. s. 2. Dom. infra Octav. Epiph.

Navis. Sicut navis undis marinis jactatur in altum nunc, & nunc in profundum; sic homo per fortunam nunc in prosperitate levatur, nunc in adversitate dejicitur. S. Thomas in pros. 5. l. 1.

Nubes. Homines nubibus similes sunt. S. Damasc. parall. l. 1. cap. 10.

Omnia. Homo dicuntur omnia: quia est finis omnium, quia ultimò factus; quia propter ipsum facta omnia - Vel quia est capax omnium; vel quia habet participationem cum omnibus. S. Thom. s. in Exalt. S. Crucis.

Opus DEI. Principale factorum ejus (DEI) est homo. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 12. Marci.

Ovis una, Matth. 18. homo intelligendus est, & sub homine uno universitas sentienda est. In unius enim Adæ errore omne genus hominum aberravit. S. Hilarius apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth.

Piscis. Flumen, in quo pisces sunt, significat Mundum: omnes pisces ejus diversa genera hominum &c. Sanct. Thom. Opusc. de Sacr. c. 21. Apostoli, per rete sanctæ prædicationis, pisces, idest, homines de profundo pelagi, idest, infidelitatis, ad lucem fidei traxerunt. Remigius Altisiodorensis apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Marci.

Portio Mundi. Laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ. S. Aug. l. 1. Conf. c. 1.

Pratum. Jucunditatem comparat (Isaias) pro prato florenti - Ipsi homines quasi lilium: qui est pulcherrimus flos, & diù durat. S. Thom. in 35. Is.

Re-

Regulus est omnis homo: cujus filius, idest, mens febricitat voluptatibus pravis. Accedit autem ad JESUM, & deprecatur, ut descendat, id est, ut condescensu misericordiæ utatur. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Joannis.

Reptile. In aquis reptilia, homines renovati in vitam per baptismi Sacramentum. S. Isid. c. 2. in Gen.

Servus. Per servos hominis Regis. Matth. 18. designantur omnes homines, quos ad laudandum se creavit. Remigius apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth.

Spectrum. Insomnium sumus instabile; spectrum quoddam, quod teneri non potest; transeuntis avis volatus; navis in mari vestigium non habens; pluvis, vapor, ros matutinus; flos pro tempore nascens, atque marcescens. S. Gregor. Naz. orat. funebri in laud. Cæs. apud S. Joan. Damasc. parall. l. 1. cap. 10.

Templum. Unicum templum diruit DEUS Jerosolymis; & innumerabilia erexit illo longè venerabiliora. *Vos*, inquit 1. Cor. 3. *templum estis DEI*. S. Chrysostom. or. 3. adv. Judæos.

Terra. Audite cœli, & auribus percipe terra. Is. 1. Est metonymia, ut ponatur cœlum pro Angelis, & terra pro hominibus. S. Tho. in 1. Is.

Vas. Homines in Sacra Scriptura inveniuntur vasis comparati propter quatuor, scilicet propter constitutionem, repletionem, usum, & fructum. Primò enim, quantùm ad constitutionem, vas arbitrio artificis subjacet: sic & constitutio hominis subjacet arbitrio DEI. Secundò quoad repletionem: quædam inveniuntur vasa vini, quædam olei &c. Tertiò quoad usum considerandum est; quòd omnia vasa alicui deputantur: sed, quædam ad honorabiliorem, quædam ad viliorem. Quantùm ad fructum; considerandum est, quòd quidam sunt quasi vasa inutilia, vel propter peccatum, vel propter errorem. S. Thom. in Prologo sup. ep. ad Rom.

Varia promiscuè.

Homo est arrogans lutum, insolens pulvis, inflatus cinis, scintilla, quæ facilè extinguitur; flamma, quæ facilè marcescit; lucerna, quæ facilè evanescit, folium, quod facilè corruptitur, fœnum, quod facilè exsiccatur, herba, quæ facilè emoritur; natura, quæ semper absumitur. - Perturbationum omnium pervium domicilium; variarum febrium ludibrium, quotidianarum calamitatum gymnasium, promptum mœroris omnis receptaculum. S. Chrysost. in ps. 36. apud S. Joan. Damasc. l. 1. parall. c. 10.

Homo dicitur, mare propter profunditatem. Job 7. *Nunquid ego sum mare?* S. Bonav. in ps. 29.

Pater agricola, igne Spiritus Sancti excussis spinis, in cordibus nostris jecit semen Verbi DEI; & terra mentis nostræ dedit fructum suum centesimum; vel sexagesimum, vel trigesimum. Ioi autem obedientia semen recipit, patientia fructificat, perseverantia metit. S. Bonav. in ps. 67.

Homo dicitur *microcosmus*: & est cœlum, quantùm ad animam; terra, quantùm ad corpus. Habet Solem charitatis, & Lunam continentiam, astra virtutes. Charitas enim, quasi fervor dilectionis, illuminat animam - Luna, Solis beneficio illuminat mortem, sicut dicit Macrobius. Nam Luna, quasi lucens luce aliena: sic absque charitatis beneficio meritum continentiæ non valet. S. Bonav. in ps. 134.

Convallis; ad quam confluunt, est caro hominis. Id. ser. 1. de S. Thoma Ap.

Per *ovem*. Luc. 15. significatur homo, propter innocentiam Originalem; per *drachmam* verò, propter imaginem naturalem: *faciamus hominem ad imaginem*. Gen. 1. S. Bonav. ser. 2. D. 3. Pent.

Homo est *elementorum Rex*. Homo est totius summa operis, quasi causa Mundi, propter quem facta sunt omnia: quasi omnium habitator elementorum, inter feras vivit, cum piscibus natat, super aves volat, conversatur cum Angelis, terram inhabitat, & cœlo militat, sulcat mare, aere pascitur, cultor Soli, viator profundi: piscator in fluctibus, in cœlo hæres, Christi cohæres. S. Ambr. l. 6. ep. 38.

Homo *Paradisi incola*, Christi possessio. Id. ibid.

DEUS est veluti magnes, homines velut annuli, qui adhærent illi magneti. Sicut autem qui ex annulis viciniores sunt magneti, fortiùs eidem adhærent, remissiùs remotiores: ità est cum hominibus, quo remotiores sunt à DEO, tanto sunt remissiores, & pejores. Et olim quidem, incipiendo ab Adam usque ad Noe, ità excrevit malitia hominum, ut omnis caro corruperit viam suam, & ps. 13. qui faceret bonum, non esset usque ad unum. S. Ambr. l. 6. ep. 42.

Quasi *gubernatores* estis in magno mari: si quis benè gubernat suum navigium, citò transit fretum, ut perveniat ad portum. S. Ambr. l. 10. ep. 82.

Domus una, homo unus est. Unusquisque enim domus aut DEI est, aut diaboli. Itaque domus spiritualis homo est spiritualis. S. Ambr. l. 7. in Luc.

R. P. Andræa Spanner.

Tibi sæculum hoc mare est. Habet diversos fluctus, undas graves, Sævas tempestates. Et tu esto piscis, ut sæculi unda non te mergat. Id. l. 3. de Sacramentis c. 1.

Pulchrè quinque libri, & unum Psalterium (psalterium est divisum in quinque libros. Primus continet quadraginta psalmos; secundus triginta, & unum; tertius septemdecim; quartus etiam septemdecim, quintus continet residuos quadragintaquinque) quoniam quinque sensibus homo exterior vivificatur; & rursum quinque sensibus ille absconditus cordis homo noster consummatur interior. - *Qui habet aures audiendi audiat*. Luc. 8. Habes unum sensum: & sicut sunt, qui *oculos habent, & non vident*; ità sunt, qui oculis non videntibus plus videre creduntur. Psal. 113. *Bonus odor Christi sumus* 2. Cor. 2. . Et est interior cibus. Joan. 4. *meus cibus est, &c.* Est & interior tactus; quo tetigit illa in Evangelio Christum. Luc. 8. Fidei tactus est, quo tangitur Christum. *Psalterium* ergo est homo (decachordum est ps. 32.) consummatus in Christo. S. Ambr. in ps. 40.

Avis es ò homo! qui, sicut avis, in quandam aquilæ renovatus es juventutem. Quid enim te in terram dejiciis, qui jam cœlum petebas? S. Ambr. ser. 14. in ps. 118.

Homo velut *dies* est: manè intellectus nostri pueritia est; hora tertia: adolescentia intelligi potest: quia jam quasi Sol in altum proficit, dum calor ætatis crescit. Sexta juventus: quia velut in centro Sol figitur, dum in ea plenitudo roboris solidatur. Nona senectus intelligitur, in qua Sol velut ab alto axe descendit: quia ea ætas à calore juventutis deficit. Undecima verò hora est ætas; quæ decrepita, vel veterata dicitur. S. Greg. hom. 19. in Evang.

Homo arbor fuit in conditione, folium in tentatione, stipula in dejectione. S. Bonav. in ps. 1.

Homo non est quicunque simpliciter manus habet, & pedes humanos. Nec quicunque tantùm rationalis est; sed quicunque pietatem cum fiducia, & virtutem exercet. Audi namque, quid de Job dicit. Cùm enim dixisser, quòd in terra Hustitide homo erat; non ex his eum describit terminis, quibus alieni: nec hoc dicit, quod duos pedes habeat, & ungues latos: sed indicia illius pietatis præbens dicebat: *simplex, & rectus, ac timens DEUM, & recedens à malo*. Demonstrans, quòd hoc est homo; sicut & alius dicit. Eccl. 12. *DEUM time, & ipsius mandata custodi: quoniam hoc est omnis homo*. S. Chrysost. hom. 21. ad Pop.

Artifex malorum est homo. Arnobius l. 7. adv. Gentes.

Homo est, terra, cinis, caro, fœnum, sanguis, flosculus terræ, umbra, fumus, vanitas; & si quid iis exilius, vilius, atque abjectius. S. Chrysostom. hom. 2. de incompreh. Nat. DEI.

Hominis nihilum. Quid fui? Domine! quid sum? & quid ero? Fui nihil sum - & ero fortè nihilo pejus. Fui conceptus in Originali peccato; sum plenus peccato Actuali: & quis scit; an ero condemnatus pœna gehennali? Fui miserabilis in ingressu; fui miserabilis in progressu; miserrimus ero in egressu. Fui sperma fœtidum; sum saccus stercorum; ero esca vermium. Cùm nihil essem; fui sine periculo damnationis, & sine spe salutis. Et jam sum in spe dubia, & gravi periculo: ero aut ex re sperata felix; aut ex periculi successu infelicissimus. Sic fui, ut damnari non possem: sic sum, ut salvari vix possim: sic ero; aut in æternum damnatus, aut in æternum salvus. Quid fuerim, scio; quod fui pessimus: quid sim, nescio; quia de gratia incertus: quid ero, ignoro, quia de salute dubius. Quod fui, Domine, ignosce: quod sum, corrige: quod ero, dirige, à malo præterito, in bono præsenti, ad præmium futurum. Amen. V. P. Robertus Southu vellus S. Ignatius in Anglia pro Catholica Religione suspensus, & sectus Londini Anno 1593. 3. Martii.

T I T U L U S III.

HUMANITAS CHRISTI DOMINI.

A*Lare* designat Humanitatem Christi. - Et Christus dicitur altare. Hebr. ult. S. Thom. in ps. 42.

Butyrum. Augustinus super illud Cant. 4. *Mel, & lac, sub lingua tua*, dicit, quòd significat per butyrum Humanitatem, quod de terræ nutrimento venit, per mel, Divinitatem, quod de rore cœli colligitur. Habuit tamen naturam sine corruptione, sicut butyrum sine caseo. S. Thom. in 7. Is.

Cincinni. *Aperi mihi - quia caput meum plenum est rore*. Cant. 5. Caput meum scilicet, Divinitas, plenum est rore, id est, misericordia ad dimittendum peccata. *Et cincinni mei*, id est, Humanitas, *guttis noctium*, id est, effusione sudoris lacrymarum, & Sanguinis Passionum, ad redimendum hæreditatem tuam. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 1.

Femur. Gladius Christi est doctrina ejus: & est super femur;

mur; quia organo Humanitatis verbo doctrinæ usus est. S. Thom. in ps. 44.

Manna. Arca est Christus; quæ continet omnes thesauros Sapientiæ, gratiæ. - Manna habet in se, id est, Humanitatem purissimam, &c. S. Thom. in 11. Apoc.

Nubes. Christi Humanitas est nubes; quæ nobis est refrigerium contra vitia. S. Thom. in. 10. Apoc.

Paries. Quasi post parietem nostrum Christus Incarnatus stetit: quia in Humanitate assumpta Divinitas latuit. S. Thom. in 2. Cant.

Pedes Christi sunt ejus Humanitas. S. Tho. in ps. 8.

Purpura est Humanitas Christi. Sicut ergo purpuram cum Regè, sic Humanitatem cum Deitate junctam adoramus. S. August. apud S. Thom. de Sacr. Alt. c. 4.

Tabernaculum. Mysticè tabernaculum potest dici Humanitas assumpta, sive Caro Christi; in qua abscondit nos per fidem, & spem. S. Thom. in ps. 26.

Templum. Ut visitem templum ejus, id est, frequenter videam templum, id est, Humanitatem Christi. Joan. 2. *Hoc autem dicebat de templo corporis sui*. S. Thom. in ps. 26.

Thronus. Christi Humanitatis est quasi thronus. S. Thom. in 14. Apoc.

Thuribulum est Christi Humanitas, de quo Apoc. 8. S. Tho. in 8. Apoc.

T I T U L U S IV.

HUMANUM GENUS.

A*rida manus*. Mysticè homo, qui manum habebat aridam, Humanum genus indicat, infæcunditate boni operis arefactum. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Marci.

Cæcus à Nativitate, Joann. 9. significat genus Humanum. S. Isidor. in Allegor. Nos sumus sicut cœcus natus. Sicut enim hic decipietur in imaginando sibi, v.g. Solem, si Soli sibi fidere velit: ità etiam tales erimus nos in credendo Incarnationis mysterio; nisi fidem Prophetis, & Apostolis habuerimus. S. Eph. de Nat. DEI, &c.

Captivus. Nota super illo verbo, *suscepito*. Quia Christus suscepit nos, tanquam victor captivum ad liberandum. S. Thom. in 41. Is.

Hæmorrhoissa. Per mulierem, quæ hæmorrhoissa, id est, sanguine fluens fuerat, intelligas Humanam naturam. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 5. Marci.

Lazarus Genus humanum demonstrat; qui in morte obdormiebat, priusquam Christus veniret. Arnobius in 4. Joan.

Leprosus, Matth. 8. Humanum indicat genus, delicti contagio maculosum. S. Isid. in Allegor.

Saul. Crux cithara est; in qua noster David psallebat, quando in ea pendebat, & malignorum spirituum impetus à Saule, id est, ab Humano genere refrænabat. S. Bonav. in Laudismò de S. Crucè.

T I T U L U S V.

HUMILITAS.

A*Blattatos*, id est, humiles, & simplices. S. Thom. in 28. Is.

Abscondit sua. Sicut aurum, vestemque pretiosam, cum in publico exponimus, plurimos allicimus, qui insidientur eis; si verò ea recondamus, atque occulamus domi, in tuto cuncta servabimus: sic etiam si rectè facta in memoria assiduè portemus; dominum irritamus, armamus hostem, & invitamus ad furtum - Quod etiam Pharisæus passus est. Luc. 18. in lingua illa circumferens. S. Chrysost. hom. 3. in Matth.

Adamas. Humilitas est sicut adamas - Adamas reddit hominem gratiosum. S. Bonavent. diet. Sal. t. 1. c. 1. in medit.

Alta est. *Surge, & unge eum*. (ait Dominus ad Samuelem 1. Reg. 16.) An tantus erat parvulus, ut sedendo ungi non posset? sedendo quippe alta tangere non possumus. Magna ergo est virtus, magna celsitudo humilium; si ad eorum summa nec Prophetæ pertingunt. S. Greg. mor. l. 6. c. 3.

Altare aureum humiljtas est; hæc ara spiritualis. S. Chrysostom. hom. 48. in Matth. Humilitas figuratur per altare tabernaculi. Ex. 38. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 1.

Alumna B. Virginis. Charitatem, atque misericordiam, & humilitatem, tanquam alumnas suas ulnis fovet. S. Joan. Damasc. or. 2. de Assump. B. V.

Amici Christi. Ad ipsos dicit Dominus: *non amplius vos vocabo servos, sed amicos*, & fratres. S. Ephrem de vict. adhort. 2. ad Monachum Novitium.

Arbor. Arborem attendite. Petit ima priùs, ut sursum excrescat: figit radicem in humili, ut verticem tendat ad cœlum. Nunquid nititur, nisi ab humilitate? Tu autem sine humilitate vis excelsa comprehendere. Sine radice auras petis. Ruina est ista, non incrementum. S. August. ser. 38. de Verb. Dom.

Aurum est aptissimum symbolum humilitatis: quia imum locum sibi vendicat tanquam debitum: Pallavicinus lib. Vindicat. S. J. c. 32.

Balsamo, & *auro* comparatur. S. Bonav. diet. Sal. t. 7. c. 1.

Basis. Humilitas est velut basis, quædam in hoc contemplationis ædificio locanda. Petrus Sutor l. 1. tr. 3. c. 10.

Calceamentum. Pro calceamento sume tibi humilitatem. S. Ephr. de panoplia spir.

Canalis. Mysticè canales isti (Cant. 7.) humilitatem significant Sanctorum. S. Tho. in 7. Cant.

Cinnamomum. Comparatur in Scriptura tribus, quæ sunt valde odorifera, scilicet thuri - nardo - cinnamomo. S. Bonavent. diet. Sal. t. 7. c. 1. Cinnamomum brevis est arbuscula, sed miræ virtutis, & odoris: ideoque profectum designat humilitatis. S. Thom. in 4. Cant. Cinnamomum significat humilitatem; balsamum gravitatem morum. S. Thom. serm. in Ass. B. Virg.

Cinis virtutum. B. Umberto humilitas est cinis virtutum (ut enim sub cinere servantur carbones accensi; sic æstus Divini amoris sub humilitate conservatur) de humilit. c. 37. apud Lobb. 2. p. q. un. de S. Dominico §. 3.

Colori viridi comparatur. S. Bonav. diet. Sal. t. 7. c. 1.

Concavitas Christi humilitas ejus fuit. S. Thom. serm. in Exalt. S. Crucis.

Convallos significant humiles mentes, quorum lilium Christus est. S. Thom. in 2. Cant. Per convallem humilitas significatur. S. Aug. de Sanctis s. 17. de Annunt. B. V. c. 2.

Currus. Humilitas currus est, qui in cœlum sustollit, & equos habet alatos. S. Chrysost. hom. 40. in ep. 1. Cor.

Custos reliquarum virtutum. S. Ildefonsus ser. 3. de Ass. B. V.

David. Goliath figura diaboli, & superbiæ. David Christi, & humilitatis. S. Isid. c. 10. in 1. Reg. Per Saulem Judæorum elatio; per David autem Christi humilitas significatur. S. Isid. c. 12. in 1. Reg.

Discipula Christi. Humilis, discipulus ejus est, qui crucem pro nobis sustinuit. S. Ephr. de vict. adhort. 2. ad Mon. Novit.

Disciplina miræ virtutis, & admirabilis Philosophia. S. Ildefonsus ser. 2. Ass. B. V.

Dos Sponsi Divini, amores rapiens. In compendio vitæ. S. Rosæ Romæ. 1665. impr. cap. 8.

Ethica. Illi reges magi habuerunt multiplicem scientiam. Habuerunt Logicam; profundissimam quæstionem faciendo: *ubi est, natus est Rex Judæorum, &c.* Astronomiam, Arithmeticam; numerum mirabilis virtutis eligendo: *obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham*. Musicam, adorando; Ethicam, *procidentes*. Est enim verè moralis scientia, scire humiliari. S. Thom. serm. 2. Epiph. Dom.

Felicitas magna, & gloria, est humilitas. S. Ephr. ser. Ascet. de timore DEI.

Finis, & *principium*. Quemadmodum principium, & finis bonorum est humilitas; ità malorum initium, & finis existit superbia. S. Ephr. tom. 1. ad eversion. superbiæ.

Flos. Humilitas est gratiosa instar floris speciosi - Comparatur autem inter flores præcipuè violæ - Hæc est viola pretiosa; de qua Cant. 2. *ego flos campi, &c.* S. Bonavent. diet. sal. t. 7. c. 1.

Fossa humilitatis cingit castrum Sapientiæ, super quam fortissimus, & pulcherrimus murus obedientiæ ædificatus est, & cœlos penetrat. S. Thom. Opusc. de fil. prod.

Gloria Christianorum, humilitas animi. S. Ephr. de Amore Pauper. Gloria Monacho, humiliare seipsum. S. Ephr. serm. Ascet. de vita Relig.

Gracilitas Sponsæ, est humilitas. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 1.

Granum frumenti. Humilitas virtuosa. B. Blasii notatur, cùm dicitur Joan. 12. *granum frumenti cadens in terram, &c.* nam palea significat superbos. Ratio: quia plures sunt eorum, quàm humilium. Secundò: quia palea est vana, & levis, & semper eminet: granum verò parvum est, & semper subjicitur. Sic humilis. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Blasio.

Habitus. Anima perpetuò humilitatis indumento, habituque, opus habet. S. Ephr. de vita Spir. c. 65.

Hyssopus, herba humilitas est, saxo hærens; quo signatur humilitas Christi. S. Isid. c. 3. in 3. Reg. Decor animæ humilitas est. Non à me ipso hoc dico, cùm Propheta prior dixerit ps. 50. *asperges me hyssopo, &c.* humili herba, & pectoris purgativa, humilitatem significans. S. Bern. ser. 45. in Cant. Hyssopus significat quod nardus: hyssopus purgat pectus; & humilitas mentem. S. Vinc. Ferr. serm. 1. D. Palm.

Lapis pretiosus. Nota, quod humilitas comparatur spiritualiter, & propriè, quinque lapidibus pretiosis: amethysto, qui reprimit ebrietatem, sic humilitas superbiam, quæ se inebriat per ambitionem. - Jaspidi, qui fugat phantasmata - Humilitas est sicut Saphyrus - Saphyrus reprimit humores. -

Et

Et sicut Onychinus - dicitur hominem reddere invictum. - Est sicut Adamas - Adamas reddit hominem gratiosum - Ipsa est *vas admirabile, opus Excelsi*. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 1. in medio.

Magna. Humilitas est operum nostrorum magnitudo. Sanct. Chrysost. hom. 3. in Matth. *Non inveni tantam fidem*. Matth. 8. Tantam, quid est? tam magnam. Unde magnam? de minimo, id est, humilitate grandem. S. Aug. ser. 74. de temp. Minimùm de se sensisse, tàm magnum est, quàm maximas res fecisse. S. Chrysost. hom. 2. in Matth. Si vis tuum facinus reddere verè magnum; noli animo evehi: & tunc illud, quod egeris, majus effecisti. - Nihil adeò est amicum DEO; quam si quis se minimis annumeret: hoc est enim caput totius Philosophiæ, & fastigium. Id. ib.

Muscus. Sicut muscus in locis fœtentibus recuperat odorem; sic humilitas fragrantior efficitur, cùm quis considerat propriam vilitatem. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 1.

Nardus. Herba parvula est calidæ naturæ; & significat humilitatem: humilitas enim minimè esse potest sine calore charitatis. Est nardus humilis herba; quam etiam calidæ ferunt esse naturæ. Et ideo per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere; sed quæ sancti amoris vaporibus flagret. S. Bernard. serm. 42. in Cant.

Nihilum illud ipsa est; super quod DEUS fundavit terram. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 1.

Oleum. Mitte oleum, nè deficiat tibi lumen lucernæ (Christus.) Oleum tuum humilitas est, quo cervicis nostræ dura mollescunt. S. Ambr. ser. 14. in ps. 118.

Pauperes spiritu. Beati Pauperes spiritu, id est, Angeli humiles: qui pauperes extiterant superbia, qua dives fuit Lucifer. S. Thom. ser. in festo Omn. SS.

Petra humilis fortitudo. S. Isidor. c. 18. in Num.

Porta civitatis hujus (de qua paulò antè) quæ est nisi humilitas? Nam Divini Verbi cognitio superbis absconditur, humilibus revelatur. Matth. 11. *Confiteor tibi Pater*. S. Greg. l. 4. cap. 4.

Possessio eximia. Quam pulchra, atque eximia possessio sit humilitas; facilè norunt. S. Ephr. c. 65. de vita Spir.

Ramus, *spica*. Sicut ramus, in quo pendet fructus; & sicut spica plena grano: sic anima humilis, quæ est onusta fructibus bonorum operum, & plena granis virtutum. S. Ephr. paræneſi 1.

Reclinatorium aureum (B. Virg.) est ejus humilitas. S. Thom. ser. 1. in Annunt. B. V.

Scala. Scala Jacob est humilitas. S. Bernard. de grad. humil. Facta est certè humilitas MARIÆ scala cœlestis; per quam DEUS descendit ad terras: *quia respexit humilitatem, &c.* S. August. ser. in Appendice 83. B. Umberto est humilitas scala, ad cœlestia nos sublimans de humilit. cap. 37. Humilitas est brevis scala devotionis, brevis schola perfectionis, & brevis via salvationis. - Hæc est scala Jacob. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 1. Humilitas est quædam scala, qua de terra ascenditur ad cor DEI; ut aliquando S. Brigittæ revelavit Christus Revel. c. 93.

Scutum. Quemadmodum venabulum venatori, & scutum militi; sic etiam Monacho est humilitas. S. Ephr. ser. Ascet. de timore DEI.

Sidus, Humilitas est gratiosa instar floris speciosi; luminosa instar sideris radiosi; & virtuosa instar lapidis pretiosi. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 1.

Varia promiscuè.

Humilitas est *lucerna*. Sanct. Vinc. Ferr. ser. de Sanct. Augustino.

Illa (superbia) via est Inferni; via Paradisi est humilitas. Idem ser. de morte quadruplici.

Humilitas *Mater* est *doctrinæ*. Is. ser. 161.

Cydaris, seu *tiara*. Ex. 28. significat humilitatem; lamina aurea descendens sapientiam. Innocentius P. lib. 1. de Sacrif. Missæ c. 28. & 29.

Humiles quasi *petra* sunt. - Superbi quid? quasi fumus. Etsi alti sunt, evanescunt. S. Aug. in ps. 92.

Humilitas est *salubris arx*. S. Greg. mor. l. 8. c. 22.

Saul per humilitatem prælatus est, per superbiam reprobatus. 1. Reg. 15. Cùm esses parvulus in oculis tuis, caput constitutus es in tribubus Israel. S. Greg. mor. l. 26. c. 21.

Humilitas est *vestibulum*. S. Greg. hom. 19. in Ezech.

Valles sunt humiles. Nisi Joannes Baptista apud se vallis esset; repletus gratiæ spiritu non fuisset. S. Gregor. hom. 20. in Evang.

Humilitas est *turris*. Id. hom. 37. in Evang.

Calceamentum fit de pellibus mortuorum animalium; & ideo humilitatem significat. S. Bonav. in ps. 59.

Humilitas est *Sapientiæ solum*, Prov. 11. *ubi militas, &c.* Gratiæ pallium. Coloss. 3. *Induite vos - humilitatem*. Gloriæ præludium. Prov. 15. *Gloriam præcedit humilitas*. S. Bonav. expos. 2. ps. 118. c. 4. v. 2. a. 2.

In nullo hæ virtutes (charitas, & humilitas) ab invicem dividuntur - sicut enim pars charitatis est humilitas, ità pars humilitatis est charitas. Sanct. Ambrosius serm. 14. in ps. 88

Illis tribus virtutibus, id est, callitatis, humilitatis, & charitatis, tamquam tribus panibus reficitur homo DEI. S. Bernard. serm. 17. inter parvos.

An non *lilia*, virginitatis decus, humilitatis insigne, supereminentia charitatis? Sanct. Bernardus serm. 4. in Nat. B. V.

Aurora, quæ fugat tenebras lucem nuntiat, meritò humilitatem designat. Id. ser. 60. inter parvos.

Cùm igitur hanc (superbiam) constet, esse arcem malorum; & radicem, fontemque peccati totius; contrarium ægritudini remedium conficiens (DEUS) quasi fundamentum quoddam forte, atque tutum, hanc primùm legem collocavit. Siquidem unusquisque humilitate supposita tutissimè cuncta alia supponit ædificans. Hac verò subducta, etiamsi ad ipsum usque cœlum conversationis sublimitate pervenias, facilè omnia subtrahunt, atque in finem pessimum exeunt: sive orationem, sive jejunium, sive misericordiam, &c. absque humilitate congreges. S. Chrysost. hom. 26. in Matth.

Ille est maximè seipsum sciens, qui se esse nihil existimat. Id. ibid.

Præterea nullum lacrymis melius remedium est ad peccatorum vulnera. Humilitas enim, atque contritio cordis, omnem vim superat. S. Chrisost. hom. 30. in Matth.

Quod igitur *caput virtutis* est? Humilitas certè. Quippe ab ipsa incipit Christus dicens: *beati pauperes spiritu*. Hoc caput etsi nec cæsariem, nec crines habeat; sic tamen pulchrum est; ut DEUM ad seipsum attrahat. Ad quem, ait. Is. 66. respiciam, nisi ad humilem? S. Chrysost. hom. 48. in Matth. Vide plura ibi de hoc Capite.

T I T U L U S VI.

HYPOCRISIS.

A*rbor* florida infructuosa. Tria sunt genera arborum, quæ nullos faciunt fructus. Prima est, quæ facit frondes sine floribus: hi sunt, qui habent verba sine operibus. Secunda, quæ facit flores sine fructibus: hi sunt, qui faciunt in apparentia opera, sed non verè. Tertia, quæ facit fructus, sed inutiles penitus. S. Thom. serm. 2. Dom. 8. Pent.

Fermentum. Expurga vetus fermentum, id est, hypocrisim. S. Thom. ser. 2. in Purif. B. V.

Fœnum viride. Hypocritæ signantur per fœnum viride - Viride autem dicitur: quia aliquid viroris habere videtur per speciem exteriorem. S. Thom. 8. Apoc.

Fovea. Nota, quòd ambulamus in medio trium fovearum. Prima est mulier, vel luxuria; secunda, gula, & ebriositas; tertia, hypocritarum, & maleficorum dolositas. Matth. 8. vulpes foveas habent. S. Thom. ser. 1. D. 20. Pent.

Seon interpretatur *tentatio oculorum*; per quem figuratur diabolus - Iste Rex occiditur in unoquoque homine quando quisque damnat simulationem, & diligit veritatem. S. Thom. c. 21. in Num.

I.

T I T U L U S I.

J E J U N I U M.

A*La*. Qui orat cum jejunio, duplices habet alas, etiam ipſis ventis leviores. Neque enim oſcitat, & torpet orans, quod, & multi patiuntur; ſed eſt igne vehementior, & terra ſublimior. S. Chryſoſt. apud. S. Thom. in Cat. ſup. 17. Matth.

Agilitas. Eſt jejunium ſicut agilitas in avicula. S. Bonav. diet. Sal. t. 2. c. 6.

Alimentum animæ. Jejunium animæ noſtræ alimentum eſt. Et ſicut corporalis iſte cibus impinguat corpus; ità jejunium animam efficit valentiorem. Sanct. Chryſoſtomo. hom. 1. in Gen.

Angelorum imitatio. Jejunium eſt pro virili noſtro, contemptus præſentium, ſchola precum, alimonia animæ, frænum oris; & mitigat concupiſcentias: ſciunt, qui jejunant: & mitigat voluptates; & non ignorant, qui tentarunt. - Ferme Angelus eſt jejunans. Sanct. Chryſoſt. ſerm. de Jejunio.

Anima orationis. Eſt orationis anima jejunium; jejunii vita miſericordia eſt. Hæc nemo reſcindat, neſciunt ſeparari. S. Chryſol. ſerm. 43. Quid jejunium nobis proderit, ſi relinquatur in terra? ſublevetur ergo jejunium penna quadam orationis. - Superbus Phariſæus. Luc. 18. ala una utens (*jejuno bis in Sabbato*) jejunium ejus non pervenit ad cœlum. Sanct. Bernard. ſerm. 4. in Quadr. Vis orationem tuam volare ad DEUM? fac illi duas alas, jejunium, & eleemoſynam. S. Aug. in pſ. 42.

Aratrum. Jejunium eſt ſingulare ſanctitatis aratrum: colit corda, eradicat crimina, evellit delicta, vitia ſubruit, charitatem ſerit, parat innocentiæ meſſem. Sanct. Chryſol. ſerm. 31.

Arma ſunt, quibus nos Salvator inſtruxit, oratio, miſericordia, atque jejunium. S. Ambroſ. ſerm. 86. Jejunium meliùs, quàm murus tuetur. S. Ambroſ. l. 5. Epiſtolar. ep. 28. Jejunium fortitudo viri eſt in bellis. Jejunium ſtrenuis militibus telum, athletiſque exercitium. S. Ephr. paræn. 1. ad Novitios.

Canes docent jejunare. Canes imitemur (in cohibendo nos à gula: illi enim quamvis à natura ſua ad vorandum ſint, dum fament, propenſi; tamen ex ſola inſtructione humana tantùm proficiunt, ut leporem venatu captum, licèt famelici, non attingant. Quantò magis homo præditus ratione debet ſe abſtinere à vetitis per Dominum omnium.) Hoc & accipitres, & aquilas, facere dicitur. S. Chryſoſt. hom. 42. ad Pop. Quòd ſi Paulum commemoravero; dicitis, quòd ipſe fuit Apoſtolus. Propterea Paulum taceo - nec hominem refero, ſed beſtiam. - Et beſtiam hoc à natura non habentem, nè reſpondeatis, quòd non naturaliter, & non voluntariè hoc efficit, Et quod admiratione dignum: voluntate non propria, ſed cura tua; non quòd fatigatus ſit, non quòd curſu diſtractus, non quòd propriis cepit laboribus, computat: ſed, his omnibus poſthabitis; Domini præceptum cuſtodit, & ventre ſuperior efficitur. Sitis igitur canibus non inferiores. S. Chryſoſt. hom. 42. ad Pop.

Caſtitas. Deſiderare jejunium, animæ dico puritatem, ac caſtitatem. S. Ephrem. De agone Spirit.

Caſtra noſtra. Caſtra nobis ſunt noſtra jejunia; quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. - Murus igitur quidam eſt Chriſtiano jejunium, inexpugnabilis diabolo, intranſgreſſibilis inimicis - Tunc eſt fortis infirmitas, 2. Cor. 12. v. 10. quando caro tabeſcit jejunis. Sanct. Ambroſ. ſerm. 25.

Cohabitator corporis ſecurus. S. Ephr. de Jejunio.

Comes ſobrietatis, temperantiæque opifex. Id. ibid.

Comes itineris optimus viatoribus. Idem ibidem.

Corrigit vitia. Luxuriæ, ventri, gulæ, fames tortor apponitur: ut ibi ultrix pœna ſeviat, ubi pœnalis reatus exarſerat. S. Chryſol. ſerm. 1. de fil. prod.

Diſciplina juventutis, ornamentum ſenibus. S. Ephr. de Jejunio.

Eleemoſyna cum jejunio. Alget jejunium, quod non eleemoſynæ vellus tegit. - Quod eſt terris ver, hoc miſericordiam ſcimus eſſe jejunio. S. Chryſolog. ſerm. 8. de Jejunio. quòd oleum lucernæ, hoc jejunio pietas - quod diei Sol eſt, hoc eleemoſyna noſcitur eſſe jejunio. - Ac nè multis immorer: quod eſt anima corpori, jejunio largitas hoc habetur. S. Chryſolog. ſerm. 8. de Jejunio. Eſt jejunium Eccleſiaſticæ vitæ viaticum ſalutare, invictus Chriſtianæ militiæ principatus: ſed in his virtutibus jejunium tunc viget, tunc vincit, triumphat; cum duce miſericordia pugnat. S. Chryſol. ſer. 8. Jejunium eſt ſanctitatis hoſtia, ſacrificium caſtitatis, ſed ſine miſericordiæ incenſo ad Divinum non poteſt conſpectum in odorem ſuavitatis aſcendere. Quod anima eſt corpori, hoc miſericordiam conſtat eſſe jejunio. S. Chryſol. ſerm. 41. Quod eſt ſine rege aula regia, hoc eſt, ſine largitate jejunium. Idem ſerm. 42.

Flos palmæ. Qui ſic jejunat, videri poſſit aſſimills flori ejus palmæ, quæ ἀλκτιὸς dicitur: & externè quidem colore interſpergitur planè triſti; internè autem candorem niveum præfert. Sed & arbor admirabili fructuum prægnans eſt ubertate. Sanct. Antiochus Abbas homil. 7. de Jejunio,

Frænum cupiditatibus Monachi eſt jejunium. S. Ephr. de Jejunio. Frænum quoddam luxuriantis animæ eſt corpus exhauſtum. S. Ambr. ſer. 33.

Manſiones quædam jejunia noſtra ſunt (ut in Exod) S. Ambr. ſerm. 23.

Mater ſanctitatis jejunium. S. Ephr. de Jejunio.

Medicina. Eſt etiam jejunium remedium ad expiandum morbum; bonum conſilium ad effugiendum lupum, & certum ingenium ad impugnandum caſtrum. S. Bonav. diet. Sal. tit. 2. c. 6. Medicina eſt jejunium. Sed medicina licèt millies utilis ſit, per utentis imperitiam inutilis ſæpe fit. Sanct. Chryſoſt. hom. 3. ad Pop. Non puteis parvum quoddam lucrum eſſe jejunio. Ab uno ligno ſi abſtinuiſſet Adam, ſi ab uno jejunaſſet, mortua fuiſſet mors: imò non fuiſſet mortua, quia non erat. Vides, ſi hoc pharmaco uſus fuiſſet Adam, non fuiſſet mortale noſtrum genus. S. Chryſoſt. ſerm. 1. de jejunio.

Navis. Quemadmodum leviores naves maria velociùs tranſeunt; contrà multis oneribus gravatæ ſubmerguntur; ità jejunium leviorem quidem mentem efficit, ut faciliùs hujus vitæ pelagus tranſmittat, & *in cœlum*, ac ea, quæ in cœlo ſunt, reſpiciat; & nihili faciat præſentia; ſed ut umbras, & ſomnia - cenſeat. S. Chryſoſtom. hom. 1. in Gen.

Oratio cum jejunio. Optimum jejunium dicitur; quando homo exterior jejunat, & homo interior orat. S. Bonav. diet. ſal. t. 2. c. 6. Qui orans jejunat, binas poſſidet alas, quibus ventos ipſos volando prætervehitur: non enim oſcitat, non extenditur; nec torpet orando, quæ multi patiuntur, ſed igne ardentior, & terra ſuperior eſt. Quare, terribilis hoſtis dæmonibus reditur. S. Chryſoſt. hom. 58. in Matth. Quid. jejunium nobis proderit, ſi relinquatur in terra? quod abſit. Sublevetur ergo jejunium penna quadam orationis, &c. S. Bern. ſer. 4. in Quadr. Vide ſuperiùs hic *ala*.

Parcitas ignis. Eſt jejunium ſicut parcitas ignis, vel lignorum, ſub olla. - Ancilla provida impedit tripliciter ebullitionem ollæ: ſcilicet ligna ſubtrahendo, aquam infundendo, &, quæ ſunt in olla, movendo. Sic anima pœnitens inſtar ancillæ, &c. S. Bonav. diet. ſalm. titul. 2. cap. 6.

Pedes quidam animæ pernices ſunt fides, & jejunium. S. Ambr. ſer. 23.

Portus animarun noſtrarum eſt jejunium. S. Chryſoſt. hom. 1. in Gen.

Quadrageſimale jejunium. Tempus Quadrageſimale eſt mons altus, & deſertus; & tempus carnale eſt locus paſſus, & delicioſus. S. Vinc. Ferr. ſer. 2. in Sabb. D. 1. Quadrag. Quia de aliis omnibus Sanctis nullus jejunavit Quadrageſimam, niſi iſti duo (Moyſes Ex. 24. & Elias 3. Reg. 19.) ideo hi ſoli fuerunt cum Chriſto in gloria transfigurationis. Matth. 17. Ideo ſi vultis eſſe in ſocietate Chriſti in transfiguratione in monte gloriæ; Quadrageſimam jejunetis. Id. ibid. Hodie, dilectiſſimi, ſacrum Quadrageſimæ tempus ingredimur tempus militiæ Chriſtianæ. Id. ibid. Tempus extra Quadrageſimam eſt tempus navigationis: ubi navicula animæ noſtræ ex tempeſtatibus, id eſt, paccatorum fluctibus multa damna patitur. Proinde, ut confracta, & diſſoluta reparentur, ad Quadrageſimam, quaſi portum, fracta reparaturi fugimus. S. Auguſt. ſerm. 55. de temp. Sicut tempore meſſium, vel vindemiarum, unde caro noſtra poſſit ſuſtentari, colligitur: ità in diebus Quadrageſimæ, quaſi in ſpirituali vindemiarum, vel meſſium tempore, unde anima noſtra in æternum poſſit vivere congregetur. S. Aug. ſerm. 56. de temp. Quòd Quadrageſimam jejunamus, non eſt humana inventio. authoritas eſt Divina; eſt & myſterium. Quadrageſima quatuor decades, quadratam fidei continet diſciplinam; quia ſemper eſt quadrata perfectio. S. Chriſolog. ſerm. 11. Quadrageſima tempus eſt bellorum ſpiritualium. Iſ. ſerm. 12. Id deſerto quodam videtur habitare, qui Quadrageſimæ tempore jejunus, & caſtus eſt, deſertum quoddam planè ipſum corpus eſt Chriſtiani; cum non repletur cibis, non poculis irrigatur; ſed arentis inediæ ſqualore negligitur. Deſertum, inquam, eſt corpus noſtrum, cùm abſtinentia marceſcit caro, &c. S. Ambrſ. ſerm. 34. de Quadrag. Ego teſtificor vobis; hos (dies Quadrageſimæ, jejunii) dies eſſe Redemptionis: hoc eſſe tempus quodammodo cœleſtis medicinæ; in quo omnium vitiorum noſtrorum labem, & univerſa vulnera peccatorum ſanare poterimus; ſi medicum animarum noſtrarum fideliter exoremus. S. Ambr. ſerm. 27. de Jejun. His itaque dierum quadraginta jejuniis reconciliatur DEUS, aperiuntur cœli, inferna reſerantur. Igitur jejunemus continuè, & devotè. Id ibid. Elias 3. Reg. 9. quadraginta dierum jejunio impetravit pluviam. Figura fuit ipſe noſtri jejunii: nos oportet jejunare; ut pluviam cœleſtis baptiſmatis impetremus pro Gentilibus, qui in ſiccitate ſunt poſiti. S. Ambroſ. ſerm. 27. de Jejun. Navigia corporum noſtrorum Quadrageſimæ ſunt curata jejunio. S. Chryſolog. ſerm. 60. Quemadmodum in viis publicis ſunt ſtabula, & diverſoria, in quibus feſſi viatores, & reſpirant, & quieſcunt, ut alacriùs poſtea pergant. Et ſicut in mari littora ſunt, & molles oræ, & portus, ut in eos ejactatione ſe recipiant navigantes; atque ubi recreat ſedata procella denuo navigationem aggrediantur: ità & nunc his, qui in hac Quadrageſima jejunii curſum ſuccepere, quaſi ſtabula, & diverſoria, & litora, & portus, per duos hebdomadæ dies Dominus quietem largitus eſt; ut & corpore aliquantulum jejunii labores remittantur, & animam refocillent jejunantes; &, exactis illis duobus diebus in pulchrè cœpto itinere alacriter currant. S. Chryſoſt. hom. 11. in Gen. Nos, fratres, ingreſſi iter abſtinentiæ, jejunii pelagus, Quadrageſimæ viam; navim corporis noſtri ſolvamus à littore Mundano: ſæcularis patriæ renuntiemus curis; in crucis arbore tota mentis vela tendamus; virtutum funibus, ſapientiæ remis, gubernaculis diſciplinæ, navigii noſtri muniamus inceſſum. Chriſto gubernante, flante S. Spiritu, evictis voluptatum ſpumis, ſuperatis vitiorum fluctibus, decurſis criminum procellis, tranſvectis ſcopulis peccatorum, atque omnium delictorum naufragiis evitatis, Paſchæ portum, lucrum vitæ. gaudia reſurrectionis intremus. S. Chryſol. ſer. 8. de Jejunio. Nunc eſt tempus, quo gula cum jejunio, abſtinentia cum crapula, cum luxuria caſtitas, &c. confligit. Idem ſerm. 13.

Vehiculum eſt ad cœlum. S. Ephrem. de Jejunio.

Unctio. Eſt jejunium corporis, capitis unctio; & carnis inedia, refectio cordis. S. Bernard. ſerm. 1. in Quadrag.

Varia promiſcuè.

Jejunium ſcimus, eſſe DEI arcem, Chriſti caſtra, murum ſpiritus, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum. Hæc Adam ſervavit in paradiſo, quem inde detraxit gula. S. Chryſol. ſerm. 11.

Jejunium eſt animarum noſtrarum tranquillitas, ſenum decor, adoleſcentum pædagogus, continentium magiſter; quod omnem ætatem, & ſexum, quaſi diademate quodam coronat. S. Chryſoſt. hom. 2. in Gen.

Eſt jejunium vitiorum mors, vita virtutum, pax Corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ, robur mentium, vigor animarum. caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas ſanctitatis. Schola meritorum. magiſterii magiſterium, diſciplinarum diſciplina. - Jejunium ſine miſericordia ſimulacrum famis eſt, imago nulla eſt ſanctitatis: ſine pietate jejunium occaſio eſt avaritiæ. S. Chryſol. ſerm. 8. de Jejunio.

Abſtinentia eſt lorica. S. Ambroſius l. 4. in Luc.

T I T U L U S II.

S. IGNATIUS LOYOLA.

A*Braham*. Concilium Tarraconenſe An. 1600. ep. ad Clem. VIII. vocat S. Ignatium verum alterum Abraham, & Patrem multarum Gentium.

Abſtractus. S. Ignatius eſt totus à materia, & terrenis abſtractus; & cum D. Paulo nuda propemodum anima. Lobb. de S. Ignatio q. 1. S. Paulum nudam propemodum animam vocat. S. Chryſoſt. ep. 2.

Anima. Fuit Ignatius totus anima; homo cœleſtis, terreſtris Angelus. Id. ibid.

Ara. Arx. Eſt arx refugii, afflictorum ſolatium, pereuntium aſylum; beneficentiæ, ac miſerationis ara. Lobb. in Procem.

Cherubim. Seraphim. Fuit. S. Ignatius & vero Cherubinus, ab inſita ſibi luce Divinæ cognitionis; & Seraphinus ab ardore charitatis. Lobb. q. 2. de S. Ignatio.

Columna Eccleſiæ. Qui D. Ignatio recens converſo à confeſſionibus fuit, de eo dixit: hic, ſi vivat, futurus aliquando columna ingens Eccleſiæ, ſucceſſor Apoſtoli Pauli, ſincerumque vas electionis ad converſionem orbis, id eſt, Infidelium hæreticorum, & peccatorum. Ità refert ex ſumma proceſſus Canoniz. Lobb. de S. Ignat. in Procem.

Defenſor novus Eccleſiæ, propugnatorque Religionis. Franc. Maria Ep. Portuenſis, S. E. C. coram Greg. XV. Lobb. in Procem.

Digitus DEI. Paulus IV.

Dux ſacratioris militiæ. Lobbet. q. 1. de S. Ignatio.

Granum ſinapis vocat S. Ignatium Ludovicus de Strada, Ord. Ciſt. in quadam epiſtola de qua 1. p. hiſt. Soc. l. 16. cap. 125., quod quidem minimum ex ſeminibus eſt, ſed tamen in magnam arborem, id eſt, Societatem toto orbe diffuſam excreſcit, &c.

Jacob electum, Lutherum Eſau, vocat S. Ignatium Franc. Montanus Apol. pro Soc. cap. 64.

Intelligentia. Magna illa mens (Ignatius) & intelligentia ſpectabat, quid in cœlo, quid in ſole, &c.: & in his nihil agnoſcebat, ubi animus conquieſceret. Lobb. qu. 1.

Lucerna. Quod ſi vel ipſo Chriſto judice. Joan. 5. vel Eccleſia interprete, Confeſſores lucernæ ſint; & lucerna erit Ignatius. Id. ibid. Etſi Princeps lucerna Societatis ſit Agnus, ſit ipſe DEUS; at ſecundùm illum eſt Ignatius. Id. qu. 2.

Lumen Eccleſiæ. Sic eum vocat Gabriel Card. Paleollus. Lobb. in Procem.

Melchiſedech. Sic à conſanguineorum cura aberat, quaſi eſſet ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia, ut alter Melchiſedech. Id. q. 1.

Speculum pellucidum eximiæ ſanctitatis. Ludovicus Granatenſis.

Theſaurus communis orbis terrarum. Cardin. Ludovicus Ludoviſius in ſua quadam oratione de S. Ignatio apud Lobb. in Procem.

T I T U L U S III.

SOCIETAS JESU, A' S. IGNATIO FUNDATA.

A*Cademia probitatis*. Verè cœtus ille virtutis gymnaſium, *honeſtatis lycæum*, probitatis Academia. Franc. de Royas, Ordin. Min. t. 2. comm. in Concord. Evangel. pro arcanis mens Julii in feſto S. Ignatij.

Acies ignea Ignatii. Card. Ludovicus Ludov. Paneg. de S. Ignat.

Æneidæ invicti, & indefatigabiles. Florimundus Remundus l. 5. de ortu hær. cap. 2. §. 2.

Agrum fertilem, uberes fructus quotidie proferentem vocat Paulus III. in Brevi: Licèt debitum.

Agricolæ, qui Zizania extirpare, bonum ſemen renovare, plantare; terraſque incultas Evangelico ſulco, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ vomere, erudire non ceſſent. Gregorius XIII. in Bulla. Salvatoris Domini.

Alveare. Card. Baronius in Notis ad 29. Decemb. vocat ſeminaria Societatis, virtutum, & doctrinæ prata: & quòd ex his tamquam alveariis apes emittantur, quæ purioris doctrinæ mel inſtillent, fucos arceant, &c.

Ampliſſima, divinitus excitata. Thomas Bozius t. 1. de Signis Eccl. l. 5. c. 3.

Apoſtolorum Coadjutores, Prudentius de Sandoval, Ordin. Benedict. Ep. Pampilon. 2. p. geſt. Caron. 5. l. 4. §. 25.

Apoſtoli à DEO utriuſque orbis conſtituti. Auguſtinus Manno Congr. Orat. Sacr. hiſtor. c. 35. Cœtus Apoſtolicus. Lud. Granatenſis. hiſt. Sac. t. 1. l. 11. n. 69.

Angelica. Socij JESU ſunt velut cœleſtes genij. Puteanus Cent. 4. ep. 17. ad Joannem Stephanum filium ſuum.

Anteſignanos veræ fidei, & ſatores germanæ doctrinæ, Societatem venerandam; vocant Societatis viros Lucernenſes Helvetii in literis ad Everardum. in quibus Collegium Lucernæ fundandum petunt.

Arx Religionis firmiſſima. Ant. Zara Epiſc. Petinen. in Anatomia ingenior. ſect. 1. cap. unico ad finem.

Benedictam Societatem vocavit Paulus V. hiſt. Soc. t. 2. n. 38.

Brachium dexterum Eccleſiæ DEI. Clemens VIII. Suarez. t. 4. de Relig. l. 1. de Inſtit. Soc. c. 7. n. 5.

Calamus ſcribæ. Inter Sacros Ordines pro MARIA glorioſè decertavit Societas JESU; Sanctorum, & Sapientum ad miraculum fæcunda mater, dexterum Eccleſiæ brachium; digitus DEI; calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Joannes de Salcedo, Ord. Seraph. in Aſſertionibus dicatis Urbano VIII. an. 1625.

Car-

Carnificina cupiditatum. Si collegia Jesuitarum, carnificinam cupiditatum, si flagitiorum pestem, si frænum furoris; dixisses; si juventutis cippos, si mortem lasciviarum; parum dixisses. Stanislaus Rescius Proton. Apost. in Apolog. contra Polonum pag. 103.

Centuria Christi. Neque lycæum quoddam, aut Academiam novam; sed novam Christi Centuriam instituit Ignatius. Sfortia Pallavic. lib. Vindicat. Soc. JESU c. 32.

Columna Ecclesiæ. Valerius Ximenez, Ord. Carmel. t. 1. stimuli devotionis c. 1 §. 1. tit. 3. Vocat Socios, gemmas, & lapides pretiosos, quibus voluit DEUS locupletare illustrissimam Societatem JESU; columnam firmissimam Ecclesiæ, murum fortissimum, & inexpugnabilem, adversùs hæreticos.

Composita Religio ad DEI summam laudem, Ecclesiæ ingens emolumentum, &c. Gregorius de Alfaro, Ord. S. Bened. in vita D. Francisci Reynoso Ep. Cordub. c. 15.

Digitus DEI. Paulus III. Inter Sacros Ordines, &c. Vide superiùs Calamus scribæ, &c.

Divinus Ordo. Ant. Perez, Ordin. Bened. Archi-Ep. Tarraconens. in Laurea Salmantina certam. 6. c. 6.

Emporium animarum. Paulus Ant. de Iarsia Theolog. Doctor, Abb. S. Antonii tr. de Nundinis l. 2. cap. 5. n. 1. Scientiarum, ac virtutum omnium, emporium. Anton. Zara Ep. Petin. in Anatomia ingen. sect. 1. c. unico ad finem.

Equus Trojanus. Ferdinandus Martinez Mascarenas Ep. Algartiorum. Vide Crisim de Soc. JESU §. 5. n. 37. Ex qua alii plurimi viri DEI Spiritu pleni; omnique genere scientiæ, ac doctrinæ instructi, tamquam ex Equo Trojano prodierunt. Stanislaus Carnovius.

Excitata à DEO. Cuivis perspicuum est, excitatum hunc à Domino Ordinem fuisse. Pius IV. ep. ad Philippum II. Cœlitus emissa, ad miserabilium temporum ruinas. Barthol. à Martyrib. Ord. Prædic. Archi-Ep. Brachar. ep. 20. ad Laynium. Excitata - DEO ad ædificandum. Genebrard. Arch-Ep. Aquinens. Ordin. Benedict. l. 4. Chron. ad annum 123. Ordo, quasi præsidiaria manus DEI benignitate submissus. Franciscus Romæus Gen. Ordin. Prædic. in literis ad suos. Societas amplissima, divinitùs excitata. Thomas Bosius tom. 1. de Sig. Eccles. lib. 5. c. 3. Divino pneumate acciti. Petrus Matthæus in Bullario ad Bullam. 3. Pauli III. Est auxiliaris manus de cœlo contra novum Sennacherib submissa. Florim. Rem. l. 5. de ortu hæres. c. 2. n. 2.

Exploratores expediti, tàm ad bellandum, quàm gradiendum; vocat primos S. Ignatii Socios. Lobb. qu. 1. de Sanct. Ignat.

Expugnatores accerrimi ignorantiæ, & impietatis. Alfonsus Ciacconus Ord. Prædic. vita Pauli III.

Familia sancta. Sacra Societas. Barthol. à Martyribus Ord. Præd. ep. ad Laynium.

Gemmæ, & lapides pretiosi; (Socii) quibus voluit DEUS locupletare illustrissimam Societatem IESU. Valerius Ximenez, Ord. Carm. t. 1. stim. devot. c. 1. §. 1. tit. 3.

Gloria disciplinarum. Eritius Puteanus or. de Purif. B. V.

Gloria Divina prima instrumenta. Barthol. à Martyrib. ibid.

Grata cœlo. O maximè à DEO dilecta Religio! Joan. Sanchez in electis disp. 43. n. 16. O grata DEO sancta Sodalitas! Levinus Torrentius Ep. Antuerp. in carmine quodam. Vide Crisim de Soc. §. 5. n. 41.

Gymnasium virtutis. Francisc. de Royas, Ord. Min. tom. 2. comm. in Concord. Evang. pro arcanis mensis Julii in festo S. Ignatii.

Joseph dilectus, invisus fratribus; cui obedivit Pharao, &c. Joachimus Abb. Florensis l. 1. Concord. novi, & vet. Test. c. 18.

Laudatum nunquam satis vitæ *Instituendum*. Bruno Lother, Ord. Carth. libro, quem S. P. Ignatio tum viventi dicavit.

Legio. Ignatius legionem in Ecclesia DEI fortissimam conscripsit. Joan. Ciampiolus lit. ad Greg. XV.

Magnum Ordinem Societatem; P. Generalem Claudium verò magnum decus. Horatius Carvon Bibliopola Lugdun. ep. dedicat. ad nostrum P. Claudium Aquavivam. sup. 5. tom. disput. in Scripturam.

Mater fecunda Sanctorum, & Sapientum, ad miraculum, Joan. de Salcedo, Ordin. Seraph. in Assertionib. dicatis. Urbano VIII. an. 1625. Sanctitate, & doctrina excellentes. Franc. Forerius, Ord. Prædic. Comm. in Is. in ep. ad Henricum Cardin.

Nauclori peritissimi in hoc mortalitatis procelloso mari. Greg. de Alfaro, Ord. S. Bened. cit.

Nubes. Joannes Fridericus Lummius l. 2. de extr. Jud. & vocant. Ind. c. 6. Prophetiam ait esse de Jesuitis, Is. 60. *qui sunt isti, qui ut nubes involant, & quasi columbæ, &c.* Hanc interpretationem approbat Rutilius Benzonius Ep. Lauret. lib. 1. de Jubilæo c. 8.

Officina splendida literarum. Prosper Farinacius tr. de Hæresi. ep. dedic. ad Card. Inquisitores.

Operarii novissimi. hi, licèt novissimi, tamquam nona diei hora, in vineam Dominicam inducti sunt, ab ipso Domino. Pius IV. ep. ad Philippum II. Fideles operarios in vinea Domini. Vocat Alex. VII. lit. ad Remp. Venet. Quando fructuosiùs vocat Societatem venerandam se in vinea Domini exercentem. Gregor. VIII. in Bulla Salvatoris Domini. Dignatus est (DEUS) mittere novos operarios in vineam suam. Ità Religio Carthusianorum Romam ad PP. Congregatos scripsit.

Pallas. Justus Lipsius Cent. 3. Miscell. ep. 34. ad P. Jacobum Pontanum, vocat eam suam Palladem: quæ se Ulyssen inter naufragia servavit.

Palmites. Presbyteri Venerabilis Societatis JESU, in vinea Domini tanquam fructiferi palmites. Gregor. XIII. Bulla Salvatoris Domini.

Perfectio sæculi. Eritius Puteaneus orat. de Purif. B. V.

Per necessarios. Ecclesiæ universæ vocat Henricus IV. Rex Galliæ. Vide Possevin. in Apparatu, verbo: Societas.

Porta Paradisi. Angelum Sybillam, Societatis JESU Sacerdotem Messanæ mortuum, ferunt; cùm primùm ad Collegii fores venisset, (ut ad Societatem admitteretur) validis pulsantem ictibus dixisse: hæc mihi Paradisi Porta. Franc. Sachinus hist. Soc. p. 4. l. 4. n. 129.

Præsidiaria quasi *manus*; DEI benignitate submissus Ordo. Franc. Romæus Gen. Ord. Prædic. in literis ad suos.

Pupilla oculi. Constantia Regina Poloniæ Societatem Pontifici, tanquam pupillam oculi sui commendavit. In epistola sua ad Congr. Generalem. Soc. JESU Romæ.

Sacratissima Societas. Vincentius Laurea Ep. Montis Regalis, postea Card. ep. ad Laynium.

Satores germanæ doctrinæ, antesignanos veræ fidei. Lucernenses Helveti in lit. ad Everardum.

Servi utiles; ac traditis à Domino talentis augendis imprimis opportuni. Alexander VII. in lit. ad Remp. Venet.

Societatem ingeniorum vocat Clemens VIII. Vide Adam, Contzen l. 8. polit. c. 2. 50.

Spes firmissima. Albertus Dux Bavariæ ep. ad Laynium an. 1560. ait: quassatos vineæ Domini muros sine intermissione reficiunt - - in quibus revivescentis Religionis, extirpandarumque hæresum, una firmissima spes consistit.

Victrix hæresum, Phares virtutum. Eritius Puteanus or. de Purif. B. V.

Vinea Domini electa. Ambros. Viola Ord. Prædic. Ep. Laquedonens. in approbatione libri Vindiciar, Soc. JESU Auth. Sfortia Pallavic.

Universa reperies in hoc cœtu. Hieronymus Romam Ordin. S. Aug. p. 1. Reip. Orbis l. 6. cap. 22

Varia promiscuè de eadem.

Venerandam plurimum Societatem vocat. Ferdinandus Secundus Rom. Imp. Lamorma, in vita ejus c. 25.

Militiam esse spiritualissimam à B. Ignatio erectam, ajunt Regna Castellæ ad Clem. VIII. literis pro beatific. B. Ignatii.

Sanctissimos Socios; qui contra Lutherum ejusque sequaces, castra posuerunt, vocat Emmanuel Rodriquez Ord. Seraph. tom. 1. qq. Regular. q. 2. a. 9.

Religiosissimos, & Sanctissimos Patres, vocat Petrus Navarra, de Restit. l. 2. c. 3. n. 83.

Bellarminus est fidus Ecclesiæ clarissimum, & hæreticorum formidolosissimum fulmen, sapientium omnium coryphæus. Prosper Fariacius tr. de hæresi ep. dedic. ad Cardiniles Inquisitores.

Exercitia Sacra P. S. I. Novitiatum toti humano generi institutum, vocat Ludovicus de Strada Ord. Cisterc. in quadam epistola, quæ habetur p. 1. hist. Soc. l. 16. n. 125.

Certè mihi persuadeo: quisquis ejus Societatis res bene compertas haberet; eum non nisi bene de ea sentire posse. Laurent. Surius in historiali epitome ad an. 1540.

Ut magnum illud Ecclesiæ lumen Augustinus olim in Africa Manichæos, Donatistas, & Pelagianos; sic nostra ætate Lutheranos, &c. strenuè in Germania Canisius oppugnavit. Aubertus Miræus in Belgicis elogiis classe 4.

S. Pius V. dicit in Bulla: Innumerabiles; quòd Societas Christiano orbi innumerabiles fructus attulerit, & sollicitis studiis afferre non desistat.

Validum Ecclesiæ Catholic. propugnaculum. Cæsar. Baronius Card. ep. ad Stanislaum Carneovium Archi-Ep. Gnesn. Roma prid. Kal. Oct. an. 1592.

Cùm particulæ aurium Sanctorum Martyrum nostrorum Japonensium à quodam allatæ essent ad P. Organtinum, dixit: Ecce tibi primitias Societatis in Japone! ecce laborum fructum! ecce flores novæ hujus Ecclesiæ! quos Domino humiliter offero. Ludovicus Froes histor. Martyrii cap. 7. n. 6. Et Bollandus 5. Febr.

Excessit recens è vivis doctorum ingeniorum luctu incomparabili, scripturæ summus interpres; abditæque divinorum librorum, & abstrusæ scientiæ perscrutator, & investigabilis, Benedi-

Benedictus Pererius: Horatius Cardon. Bibliop. Lugd. ep. dedic. ad N. R. P. Claud. Aquav. sup. 5. tom. disput. in Script.

Quòd Sacri Ordines multa semper passi sint, id Sacri DD. Dominici, & Francisci, Ordines abundè testantur; ut de Societate JESU à beato Ignatio patrum memorias, publico Ecclesia bono excitata nihil dicam. Adeò verum illud Apostoli: *omnes qui volunt piè vivere, &c.* Aubertus Miræus in Chron. Cisterc. p. 206.

Carolum Scribanium à Societate JESU vocat Erycius Puteanus in apparatu æpistolarum Centur. 3. ep. 68. solem; libros autem ejusdem vocat aurum sine scoria. Item Magnum Scriptorem.

Cui (Societati) qui adductus non est; minùs ille aut doctrinæ, aut pietati tribuit. Imò verum Ecclesiæ splendorem videtur ignorare. Erycius Puteanus Cent. 4. ep. 53. ad P. Petrum. Franc. Schifletium S. J.

TITULUS IV.

IGNORANTIA.

A*Chis* interpretatur *quomodo est?* per quod significatur ignorantia; & verbum mirantis, & non agnoscentis. S. Isid. c. 16. in 1. Reg.

Cœcus. Cœci, qui non intelligunt viam vitæ. S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth. Cœcus Sacerdos est, qui Scripturæ scientiam non intelligit. Isid. c. 13. in Levit.

Caligo ignorantiam significat. S. Thom. in 2. Thren.

Nox defectum spiritualis intelligentiæ significat. S. Thom. in ps. 16. Nox in Sacro eloquio pro ignorantia ponitur. Haymo apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Joan.

Palea ignorantiam significant. S. Bernard. Charit. c. 5.

Tenebræ Lucem quod dicit, Lex DEI est - tenebras autem quod dixit, ignorantia est. Arnobius c. 5. in Joan. Gen. 1. *Tenebræ* id est, ignorantiæ, *erant super faciem abyssi*. id est, humani cordis, ex diaboli deceptione. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 6.

TITULUS V.

INNOCENTIA.

A*Gna*. Quid per agnam, nisi activæ vitæ innocentia? S. Isidorus c. 7. in Levit.

Agni dicuntur sancti propter tria; propter innocentiam, propter simplicitatem, propter mansuetudinem. Sanct. Thom. ser. 1. in festo S. Lucæ. Ipse in vitulo, propter virtutem crucis offerebatur: ipse in agno propter innocentiam; in ariete propter principatum; in hirco propter similitudinem carnis peccati; in turture, & columba propter DEUM, & hominem. S. Isid. c. 1. in Levit.

Columba, simplicissima avis est: & per hanc simplicitas, & innocentia Ecclesiastica figuratur: quasi enim oculos columbarum habet; quia ab omni fictione se immunem ostendit. S. Thom. in 1. Cant.

Ovis simplicitatem conscientiæ significat justis, Ægyptiis fatuitatem. S. Isid. c. 11. in Exod. Per ovem innocentia designatur. Id. c. 36. in Exod.

Pullus Columbæ innocentiam signat. Goffridus Abb. ser. 7. de Purif. B. V.

Vestimentis albis induemur, id est, innocentia. S. Thom. ser. 3. D. 1. Adv.

TITULUS VI.

INTELLECTIO, SEU COGNITIO.

A*Uditus*. Audire sumitur etiam pro intelligere. S. Thom. in 3. Apoc.

Facies DEI, manifestatio ejus intelligenda est: non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus. S. Aug. l. 22. Civ. DEI cap. 29. apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth. Facies DEI in Scripturis Sacris non caro, sed Divina cognitio intelligitur. S. Isidor. l. 1. Sententiar cap. 5. Vultus DEI est id, per quod DEUS cognoscitur. S. Thom. in ps. 4.

Fermentum. Mulier ista, quæ fermentum accipit, & abscondit; prædicatio videtur Apostolica; vel Ecclesia de diversis gentibus congregata. Hæc tollit fermentum, intelligentiam scilicet Sacrarum Scripturarum. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

Fragmentum panis. Septem Panes, dona sunt Spiritus Sancti: fragmenta panum mystici intellectus hujus septimanæ. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 8. Marci.

Janua. Intelligentia janua est ad effectum. S. Thom. in 3. Apoc.

Lux. S. Catharina est lucerna lucens per cognitionem, ardens per dilectionem, eminens per intentionem, visitans per subventionem. Hugo de prato florido Ord. Prædic. ser. 2. de S. Cathr.

Oculus. Per oculos, ac palpebras, ac visum DEI, cognitionem ejus accipimus. S. Joann. Damasc. Orth. fid. l. 1. c. 14.

Penna. Volatus Sanctorum perficitur quatuor pennis, scilicet dilectionis, cognitionis, devotionis, orationis. S. Bonav. s. de SS. Sim. & Juda, apud Lobb. q. 2. de S. Brun.

Puteus Invenit autem eum (Christum in Isaac figuratum) Ecclesia (per Rebeccam significata) *ad puteum visionis*, id est, in contemplatione, & intelligentia veritatis. S. Isidor. c. 19. in Gen.

Stella. *Qui vicerit; dabo ei stellam matutinam*, id est, cognitionem bonorum omnium. Dabo illi coronam vitæ; per quam intelligitur Christus. S. Thom. s. 1. de SS. Seb. & Fabian.

Vas aureum. Per (hoc) in donaria Domini separatum, Divinitatis intelligentia accipitur. S. Isid. c. 48. in Exod.

TITULUS VI.

INTELLECTUS.

A*Rma spiritualia*. Nota: Philosophia contulit Boetio arma non corporalia, sed spiritualia: sicut sunt virtutes intellectuales; quas enumerat Aristoteles 6. Ethic. & sunt: intellectus, &c. Sanct. Thom. in Boet. lib. 1. Cons. Phil. met. 2.

Aures, sunt intellectus, & affectus. S. Tho. in 13. Apoc.

Dominus Domus, intellectus est; qui ostendit cœnaculum grande, id est, altitudinem intelligentiarum (intellige mentem hominis.) Quod, etsi altum sit (scientia, & virtute) tamen sternitur, & planum fit humilitate. Theophylactus apud S. Thom. sup. 14. Marci.

Facies. Anima nostra duas habet facies; unam versùs DEUM, secundùm rationem; aliam versùs carnem, secundùm naturam sensitivam; quæ tantùm naturalia comprehendit. S. Thom. in ps. 10.

Fons. Sol, est Fons splendoris, ardoris fornax, & causa generationis. Fuit autem Petrus Fons splendoris, in cognitione; fornax ardoris, in amore; causa generationis, in prædicatione. Propter primum dictus est *Petrus*, id est, *cognoscens*: propter secundum *Simon*, id est, *obediens*: propter tertium *Cephas*, id est, *Caput* Ecclesiæ. S. Thom. ser. 1. in festo SS. Petri, & Pauli.

Lectus. Intellectus dicitur interior lectus: quia animam informat, tranquillat, & quietat; sicut corpus in lecto pausat. S. Bonav. diet. sal. t. 6. c. 3.

Liber. Intellectus habet duos libros, è quibus DEUM addiscat: Sacram Scripturam, & creaturas. S. Bonav. diet. sal. t. 6. c. 3.

Lux. Ratio, & intellectus, dicuntur lux hominis. S. Thom. in 2. metr. l. 1. Boet. de Cons. Phil.

Mons altitudo intellectus, quem fingunt (hæretici) se habere. S. Thom. in ps. 10.

Oculus. Sicut oculus dirigit manum in opere, sic intellectus regulat affectum. S. Bonavent. diet. sal. t. 6. cap. 3. Sicut se habet oculus nycticoracis ad lumen Solis, sic intellectus noster ad manifestissima in natura. S. Thom. pr. 1. l. 1. de Cons. Phil. Per puerum. 4. Reg. 4. Fidelis anima; per Elisæum Dominus figuratur: qui sicut sigillum ceræ, sic se conjungit animæ. Oculos suos super oculos ejus ponit; quia intellectum illuminat, &c. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 22. Castus profectò, columbinusque oculus, amor est: qui in rebus usui humano concessis nulla libidine figitur; sed id transitoriis contemplatur æternum. Iste est oculus, qui non clauditur; quia carnalitatis palpebra caret; nullo turbatur inrecto - Est oculus verè rectus, verè dexter: quem nulla deorsum vertit sinistra intentio. Oculus verè simplex, & prudens - Quia amor oculus est; & amare, videre est. - Duos nempe oculos habet anima; unum, qui intelligit; alterum, qui inquirit. (*Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*. Cant. 4.) Vulnerari ergo potest: qui, etsi sit impassibilis, compassibilis tamen est. S. Bernard. de Char. c. 4.

Pes. Pedes nostri spiritus sunt, intellectus, & affectus; quibus frequenter anima devota carpit itinera æternitatis. Vercellensis sup. Cant. apud S. Bonav. de 7. itinerib. æternit. sect. 1. distinct. 4.

Postes, sunt intellectus, & affectus. S. Tho. in 12. Apoc.

Rami animæ, memoria, intelligentia, & voluntas: rami verò corporis, sensus corporis. S. Thom. in festo S. Barthol.

Sepes animæ, lex est Divina, & metus, veraque legalium sensuum cognitio. Olympiod. c. 10. in Ecclesiasten.

Sidus. Sicut sidera nobis lucere cessant propter interpositionem nubium; sic intellectus, & ratio, quæ lucent, & illuminant hominem, in cognitione veritatis impediuntur caligine perturbationum. S. Thom. in metr. 7. l. 1. de Cons. &c.

Sol, moraliter intellectus: Luna voluntas. S. Thom. ser. in festo SS. Petri & Pauli.

Testum,

Tectum, est intellectus; qui superponitur omnibus his, quæ in nobis sunt, Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 2. March.

Torques. Induitur (Joseph) stola bissina, id est, carnem sanctam, - stolam immortalitatis accepit. Accepit quoque torquem aureum, id est, bonum intellectum. S. Isid. cap. 30. in Gen.

Uber. Moraliter duo ubera possunt intelligi, intellectus, & affectus: ex illo fluit lac veritatis; ex isto lac bonitatis elicitur. S. Thom. ser. 1. in festo S. Agathæ.

Vir in nobis sensus rationalis intelligitur; caro autem quasi in typo mulieris accipitur. S. Isid. in 3. Judic. *Voca virum tuum*, id est, præsenta intellectum tuum. S. August. tr. 15. in Joan. apud S. Thom. in Cat. in 4. Joan.

T I T U L U S VIII.

INTENTIO BONA.

Abstractio à materia. Sicut Mathematici semper abstrahunt à materia, id est, materiam ipsam parum curant; sed de solis corporum quantitatibus, & figuris, laborant. Ità DEI famulus in iis, quæ ages, operibus, potissimùm id spectare debet; ut unius DEI voluntatem faciat, ab omni materia præscindendo: non intuendo, eane sit ex auro, vel cera, id est, non respiciendo, an huic officio applicetur, an illi, &c. Hæc (omnia facere ex bona intentione) vera, & certissima Chymia est, ad purissimum ex ære, & ferro, aurum conflandum. Licèt enim opus ex se sit vilissimum; hoc modo fit sublimissimum, maximique valoris. Alph. Rodericius p. 1. tr. 3. c. 8.

Amussis. Quemadmodum ædificatores, cùm murum extructuri sunt, amussim ab angulo ad angulum ducunt, atque ita murum pertexunt; ut minimè inæqualis ejus ora existat: sic & nos pro amussi verbum hoc adhibeamus; quod apud Apostolum est 1. Cor. 10. *Sive ætatis, &c.* S. Chrysost. orat. Calendis habita.

Apertio oris. Bonos cantores faciunt tria: scilicet bonæ vocis instrumentum, artis documentum, usus experimentum. Bonæ vocis instrumentum tria faciunt: reumatis expurgatio, pectoris dilatatio, oris apertio. Primum est, peccatorum expulsio. Eccl. 15. *non est speciosa laus in ore peccatoris*. Secundum, amicorum dilectio. 2. Cor. 6. *Cor nostrum dilatatum est, &c.* Tertium est, intentionis ad DEUM directio. Psal. 118. *Os meum aperui*. Sanct. Thom. in festo SS. Innocentium.

Aquila. Prædicator debet esse aquila — per sacram intentionem. Aquila enim ponit gemmam in nido; sic prædicator spem, & desiderium gloriæ in animo; ut eam intendat, non in vanum. S. Thom. in 8. Apoc.

Panes azymi intentionem puram; lactucæ agrestes significant dolorem de peccatis. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 16.

Candelabrum. In candelabro bonæ intentionis manifesta operatio intelligitur. Goffrid. Abb. Opusc. 7.

Capilli capitis nostri omnes numerati sunt; cogitationes scilicet, atque intentiones cordis. S. Ephr. serm. de Cruce Dom.

Cor. Dicit David. Psal. 7. *scrutans corda*, qui novit intentionem; & *renes*, delectationem. S. Thom. in ps. 7.

Dextera. *Te faciente eleemosynam, &c. nesciat sinistra*, id est, intentio prava; dextera, id est, dilectio pura. S. Thom. de Sacr. Alt. cap. 8.

Fundamentum perfectionis. Intentio, bonitatis, & perfectionis omnium operum nostrorum radix est, & fundamentum. Rodericius p. 1. tr. 2. c. 3.

Lucerna corporis tui est oculus tuus, id est, intentio. S. Thom. ser. 2. de S. Benedicto.

Oculus. Per oculum hoc loco (Matth. 6.) Sancti intentionem intelligunt; per corpus, ipsum opus. Rodericius p. 1. tr. 3. c. 1.

Varia.

Sicut *calceamenta* ornant, & decorant pedes; ità intentiones rectæ ornant, & decorant opera nostra. *Quam pulchri sunt gressus tui*. Cant. 7. id est, virtutum, & bonorum operum S. Vinc. Ferr. ser. 3. D. 1. Adv.

Ad secundum dicendum; quòd intentio dicitur *lumen*: quia manifesta est intendenti. Unde opera dicuntur tenebræ; quia homo nescit, quid ex opere sequatur. S. Tho. p. 1. q. 12. a. 3. 2.

Cogita animæ faciem, intentionem mentis: ex qua nimirum rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis, æstimatur. Porrò verecundiam intellige, tanquam colorem in facie: quòd hæc potissimum virtus, & venustatem ingerat, & augeat gratiam. S. Bernard. ser. 40. in Cant.

Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis. Cant. 1. Pudica avicula est, (solitaria) Et talis debet esse nostra intentio: ut sit cognita soli DEO, non pateat hominibus. S. Bernard. ser. 40. in Cant.

Si radicem non mutuaveris, fructus legitimos homo arbor bona opera afferre non poteris. Si radix charitas, & affectus tuus in terra est; non nisi terrenos fructus, & radices proferes. Si verò radix charitas tua in cœlo fixa fuerit; cœlestes, & æternos fructus afferet. S. Aug. ser. 44. de temp. Forsan ideo homo arbor inversa dicitur: quia radicem suam versùs cœlum habere debet.

T I T U L U S IX.

INVIDIA.

Acrisia. Sodomorum comparatur invidus, id est, cœcitati, qua percussit Dominus Sodomitas. S. Bonaven. diet. Sal. t. 1. c. 4.

Aqua. Invidus similis est aquæ, & navi, & candelæ serpentinæ. Nam in aqua, virga recta apparet tortuosa. Et ad lucem candelæ serpentinæ omnes paleæ videntur esse serpentes. Fit autem candela serpentina de cera temperata in aqua, in qua serpens coctus est. Et post, cùm candela facta de tali cera ardet, videtur hominibus, quòd omnes paleæ, & omnes, aliæ candelæ, quæ ibi ardent, sint serpentes. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 4.

Basiliscus. Invidia est Basiliscus. Quid invidere, nisi malum videre est? Si non esset ille basiliscus, nunquam per ejus invidiam mors intrasset in orbem. Væ homini misero, qui invidum non prævidit. - Væ vobis à dracone! immanis est bestia: flatu igneo, quidquid attigerit, necat; non modò bestias terræ, sed & volucres cœli. S. Bernardus ser. 13. in ps. 90. Basiliscus, ut ajunt, in oculo venenum gerit. Pessimum animal, & præ omnibus execrabile. Nosse, cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinatum? invidia cogitato. Id. ibid.

Cain invidi assimilantur. Gen. 4. S. Vinc. Ferr. ser. 7. de Invidia. Cain fuit primus diaboli discipulus. S. Basilius.

Canes, cum aluntur, mansuescunt; leones blanditiis cicurantur: invidi autem comitate, atque obsequiis vehementiùs efferantur. - Livor amicitiæ morbus est. S. Basilius apud S. Joan. Damasc. l. 3. parall. cap. 110. Malevoli, seu qui sunt malæ voluntatis, sunt canes. S. Thom. de Sacr. c. 17.

Contentionis materia est invidia. S. Thom. in 3. 1. Cor. lect. 1.

Corruptela naturæ, vitæ labes, pugna adversùs DEUM. S. Basil. ibid.

Diabolum malum proprium est invidia; quæ nec enuntiari potest, nec medicinam accipit. S. Basilius hom. de Invidia.

Doctrina Serpentis. Intolerabile hoc malum fugiamus. Serpentis doctrina, est, dæmonum, hostis semen, pœnæ arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni privatio. S. Basilius ibid.

Draco. Est sicut draco. De invido dicitur Job 30. *Frater draconum fui, & socius struthionum*. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 4.

Equus diaboli. Omnes, qui luxuriæ, qui superbiæ, qui avaritiæ, qui invidiæ, qui fallaciæ deserviunt, quasi equi quidam sub curru Pharaonis, id est sub regimine diaboli sunt. S. Thom. in 1. Cant.

Excæcat. Non sic nubes cœlum, nox diem, solem caligo; quomodo mentem cœcat invidia. S. Chrysol. serm. 48.

Febris putrida est invidia. S. Thom. ser. 2. D. 21. Pent.

Fera pessima devoravit filium meum Joseph, id est, invidia. S. Thom. serm. 1. in festo S. Lucæ. Hæc est illa fera pessima. Gen. 42. scilicet invidia; quæ omni bellua crudelior. - O secretum virus; ò pestis occulta! ò livoris parens, & criminis fomes, virtutum ærugo, & tinea sanctitatis! Illæ bestiæ quidem escæ indigentes, vel à nobis irritatæ adversùs nos armantur. Hi verò (invidi) beneficiis quoque frequenter allecti bene meritos maleficiis persecuti sunt. Hi quidem pejores feris, dæmonibus autem pares; fortè vel pejores, & istis. Hæc homicidii mater est: ita fratrem Cain occidit: ità Jacob Esau: ità Joseph fratres: ità cunctos homines diabolus. S. Chrysost. hom. 44. ad. Pop.

Hostis intestinus invidia: non carnis quatit muros, non elidit septa membrorum; sed in ipsam corporis arietat arcem: & antequam viscera sentiant, ipsam dominam corporis, animam Prædo capit, & adducit inclusam. S. Chrysol. ser. 4. de fil. prod.

Ignis. O Invidia! omni malitia cumulata! invidia ignis inextinguibilis. S. Bonav. ser. 4. D. 2. Epiph. Per ignem Vesuvii montis designantur avari, & invidi. S. Thom. in metr. 4. l. 1. de Conf. Phil. Invidia ignis inextinctus. S. Chrysost. apud S. Joann. Damasc. l. 3. parall. c. 110.

Judæ proditori similis est invidus. S. Bonavent. diet. Sal. t. 1. c. 4.

Labes vitæ, naturæ corruptela, pugna adversùs DEUM. S. Basil. cit.

Leproso similis est invidus. Id. ibid. Invidus similis est leproso, & diabolo. Leprosus vellet, quòd nullus esset sanus. Diabolus vellet, quòd nullus esset bonus. S. Vinc. Ferr. de propr. & comparat. c. 6.

Lupus. Mali dicuntur lupi propter tria: propter nequitiam, propter invidiam, propter fœvitiam. S. Thom. serm. 1. in festo S. Lucæ.

Magister. Fugiamus fratres impiæ adversùs DEUM pugnæ Magistrum, homicidii parentem, naturæ confusionem, propinquitatis ignorantiam. Id. ibid.

Malum. Libera nos à malo; scilicet ab invidia: quia nullum colorem boni habet. S. Vinc. Ferr. ser. 7. de Invidia.

Mare. Alii per rabiem maris intelligunt invidos. S. Thom. in metr. 4. l. 1. de Conf. Phil.

Menstruata oculo similis est Invidus: nam sicut illa inficit speculum, cùm respicit eum; sic invidus inficit proximum. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 4.

Paralysis, seu *Podraga*. Aza 2. Paral. 6. ratione suæ infirmitatis, scilicet podagræ, potest signare hominem invidum. Nam sicut podagricus perdit gressum corporalem, sic invidus progressum spiritualem. S. Bonav. ser. 1. Dom. 4. Quadr. Lepra superbiam significat: hæc spiritum, illa carnem tumescere facit. Paralysis invidiam: hæc motum charitatis ab affectu, sensum veritatis ab intellectu aufert; sicut illa motum, & sensum à corpore. S. Bonav. ser. 1. in Parasceve.

Pestiferum malum invidia, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum, convertit. - Interimamus ergo pestiferam hanc bestiam, ac multa ejus capita detruncemus: multæ quippe invidiæ sunt species. S. Chrysost. hom. 41. in Matth.

Procella. Invidia modò in media tranquillitate naufragium invehere solita. Ait. B. Virgo MARIA apud Maximum Planudem or. in sepult. Dom. & B. Virg. lamentatione.

Putridus fructus. Ut fructus pulcher, & delectabilis quidem exteriùs, sed putridus interiùs: sic invidus Monachus. S. Ephr. de vita Relig.

Scarabæus. Quemadmodum Scarabæi alieno stercore, sic invidi adversa aliorum fortuna nutriuntur; cùm sint communes humano generi hostes, atque inimici. S. Chrysost. hom. 51. in Matth.

Telum. Invidia semper in optimos quosque jactat telum lethiferum. B. Virgo apud Maximum, &c. ut suprà.

Vermis, *Tinea*. Invidia est sicut vermis in ligno, rubigo in ferro, tinea vestimento. Nam sicut ista rodunt proprium objectum; sic invidia. S. Bonavent. diet. Sal. t. 1. cap. 4. Quemadmodum vermis lignum corrumpit; sic etiam invidia eum, qui invidet, conficit. S. Chrysost. apud S. Joan. Damasc. l. 3. parall. c. 10.

Vipera. Ut ferrum rubigo, ità invidia animam, quam obsederit, consumit. Imò, ut rectiùs loquar, quemadmodum vipera exeso materno ventre in lucem editur: eodem modo invidia hanc naturam habet, ut parturientem se animam laceret, atque conficiat. S. Basilius apud S. Joann. Damasc. citatum suprà.

T I T U L U S X.

S. JOANNES BAPTISTA.

Alumnus oremi. Tu solitudinis alumne, ac nullius cibi homo. Tu nove Elia, Propheta excellentior. Tu inter vetus, & novum Testamentum interjecte. S. Greg. Naz. or. 39. in Sancta lumina.

Amicus Sponsi. Per Joannem, sicut per amicum Sponsi, inducitur Sponsa ad Christum; sicut per puerum Rebecca ad Isaac. Gen. 24. Unde sequitur: *& egrediebatur ad eum omnis Judæa*. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Marci.

Angelus. Joannes non tantùm Angelus Christi vocatus est; sed etiam lucerna lucens ante Christum. Tertull. contra Judæos. *Paravi lucernam Christo meo*. Psal. 131. Par Angelis. S. Chrysol.

Auris. Ego auris; ille Verbum: ait S. Joannes apud S. August. citatum à S. Thom. in Cat. sup. 3. Joan.

Clausula Prophetarum, *& Legis*. S. Joan. Damasc. contra Gnosticos.

Decollatio illius. Caput Joannis Christum significat: quia Corpus Christi Prophetæ intelliguntur. In decollatione Joannis figuratur: quod Judæi Christum, qui caput est omnium Prophetarum, amissuri erant. S. Haymo in festo decollat. S. Joan. Bapt.

Elias. Joannes Baptista, qui in spiritu Elias erat, eadem authoritate, qua Elias Achab, & Jezabel pro fornicatione, Herodem, & Herodialem, corripuit. S. Haymo in festo decoll. S. Joan. Bapt.

Evangelium: Allegoricè Joannes B. Evangelium sanctum signat. Id. hom. in festo S. Joan. Bapt.

Gloria legis est Joan. S. Hilarius apud S. Thom. in Cat. sup. 14. Matth.

Horizon. S. Joannes B. fuit velut horizon quidam Legis novæ, & veteris. Lobb. de S. Benedicto. pag. 92.

Initium Evangelii, & terminus Legis. S. Thom. 3. p. q. 38. a. 1.

Lex. Mysticè Joannes Baptista prætulit formam Legis: quia Lex Christum prædicavit. S. Hilarius apud S. Thom. in Cat. sup. 14. Matth.

Lucerna. Joannes non tantùm Angelus Christi vocatus est, sed & lucerna lucens antè Christum. Tertull. contra Judæos.

Lutum. Tu ad me venis, ad lutum aurum? ad lychnum Sol; ad scintillam fax? fons ad sitientem? ait S. Joan. Bapt. ad Christum apud Pantaleonem Diaconum serm. de luminibus Sanctis. tomo 12. Biblioth. PP.

Magnus homo. S. Aug. hom. 44.

Præco ante eum (Christum) procedit, id est, Joannes Baptista. S. Isidorus cap. 30. in Gen.

Servus, 22. Matth. Vinea, Lex nova est; turris autem Ecclesia; lacus baptismus est; coloni Judæi; spes verò fides est, servi, quos dixit occisos, Prophetæ intelliguntur. Posteriores quos dixit missos, Apostoli sunt: ex quibus decollatus unus, Joannes est. Novissimè autem filium occiderunt, id est, Christum. Arnobius c. 22. in Matth.

Testis lucis est S. Joannes. Joan. 1. S. Thom. ser. in festo S. Joan. B.

T I T U L U S XI.

S. JOANNES EVANGELISTA.

Animam sanctam te saluto. S. Dionys. Areop. ad Joan. Ev. Animam sanctam eum vocat, ait Corderius noster Annot. sup. epistolas, ob prærogativam virginitatis.

Aquila videt splendidissima; quia Solem in rota: remotissima; quia de cœlo leporem in terra. Sic B. Joan. Evang. vidit solem in rota, id est, Christum in Patre. *In principio erat Verbum*. Vidit remotissima: quia quæ ventura sunt in fine Mundi, vidit in Apocalypsi, Item dicitur aquila propter duplicis actionis proprietatem. 1. Pullos collocavit in DEO. 2. In petra nidum posuit: petra autem erat Christus. - De ista aquila dicitur Ezech. 17. *Aquila grandis, magnarum alarum, &c.* S. Thom. serm. 1. de S. Joan. Ev. Sanct. Joannes dicitur aquila propter tria: propter videndi perspicacitatem, propter volandi sublimitatem, propter quarundam actionum proprietatem. Idem ibidem. Aquilam in Joanne intellexerunt, ait S. Aug. l. 1. de Conf. Evang. Est Aquilla. Orig. hom. 2. ad diversos, & S. Hieron. l. 1. contra Jovinianum.

Columna Ecclesiæ. *Ego confirmavi columnas ejus*, id est, Apostolos Ecclesiæ. S. Thom. in 2. ad Gal. lect. 2.

Contemplavit vitæ per Joannem signatur. S. Thom. in 13. Joan. lect. 4. Per Joannem contemplativa, per Petrum activa vita signatur. Petrus verò mediante Joanne instruitur (in Cœna de proditore) à Christo: quia activa vita de Divinis instruitur mediante contemplativa. S. Thom. ibid.

Ecclesia per Joannem intelligitur. S. Thom. in 6. Apoc.

Epulator avidissimus S. Joannes Evang. cui non sufficiebat ipsa mensa Domini, nisi discumberet super pectus Domini; & de arcano ejus biberet Divina secreta. S. August. in ps. 144.

Gratia. Est, in quo est gratia, vel Domini gratia. S. Isid. l. 7. Orig. c. 9.

Interpres veridicus Divinorum secretorum. S. August. ep. 178. contra Pascentium Arianum.

Oleum. Si vis interpretari, Matthæus mel est, Marcus vinum, Lucas lac, Joannes oleum. S. Germanus Patriarcha Constant. Contempl. rer. cœlest.

Organum. Joannem denique Christus assumpsit in Thabor, ut Virginem, & purissimum Theologiæ Organum. S. Joann. Damasc. or. de Transfig.

Præcursor. Magna veritatis vox, & præcursor sermonis, ille Joannes. S. Greg. Naz. orat. 2. de Theologia. Elias Cretensis Ep. comment. sup. eundem locum, causam dicit, cur Præcursor vocetur, inquiens, appellavit Præcursorem, ut qui antecessurus sit Christum in Adventu altero.

Sol Evangelii. S. Dionys. Areop. ep. 10. ad Joan. Evang.

Theologus. Hæc (Jerusalem) Ecclesiarum arx est; hæc Discipulorum domicilium In hac Theologus DEI Genitrici, quę necesse erant, subministrabat. S. Joan. Damasc. orat. 2. de Ass.

T I T U L U S XII.

J O B.

Athleta magnus. Magnus ad nos hodie certator orbis advenit. Venit ad nos peregrinus, atque Angelis par (Jobus) Sanct. Chrysostomus hom. 1. de Patientia Job.

Oppo-

Oppoſuit Job ex adverſo umbonem fidei. Idem hom. 3. ibidem. Omnem humanam ſapientiam officioſa ejus facta ſuperexcedunt; ejuſque luctatio omnem humanam diadematis authoritatem ſuperant. Id. hom. 1. ibid. *Vidiſti*, (Iſ. 50.) *veni; & non erat homo.* (Jeremiæ 5. diſcurrite, & videte, ſi eſt unus, &c.) quomodo illum ſolum Scriptura Sacra hominem vocare ſolet, qui virtutem colit, - Noe autem homo. Eſt & alius juſtus quidam; cui hoc nomen pro ſummo encomio contingit; & præ aliis omnibus hoc nomine prædicatur; ut ſic virtus illius dilligenter exponatur. Quis ille? Beatus Job: ille pugil pietatis, Athleta orbis, qui ſolus intolerabilia illa ſuſtinuit; & exceptis innumeris diaboli telis ſine vulnere permanſit: ſed ſicut adamas quidam omnes ferre impetus potuit. S. Chryſoſtom. hom. 23. in Gen. fuit vir quidam admirabilis & magnus - beatus ille Job. Ille pietatis athleta, ille totius Mundi victor - Undique ſanguine, & ſanie diffluebat pretioſus ille adamas. Idem hom. de Avaritia.

Civitas S. Job erat: quam dæmon extra oppugnavit per ſe; intus verò per uxorem. S. Greg. M. ep. 7. Sed erat (Job) quemadmodum obſeſſa civitas; ſolis autem muris cuſtodita, ſpoliatus liberis, non tamen pietatis fructus amiſit. Habuit enim filius mores; & filias, virtutes. Tres ei filiæ juxta carnem, treſque ei virtutes juxta ſpiritum. Quemadmodum inquit Apoſtolus Paulus 1. Cor. 3. *Manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas: major autem horum charitas.* S. Chryſoſt. hom. 2. de Patient. Job.

Columba eſt Job (in terra Hus) in medio accipitur, ovis in medio luporum, ſtella in medio nubium, lilium in medio ſpinarum, & juſtitiæ germen in oppido iniquitatis S. Chroſoſt. hom. 4. de Pat. Job.

Columna. Perſtitit in his omnibus B. Job, velut columna quædam immobilis: quaſi turris, quæ non quatitur; velut luctator invictus; vulnerans magis, quàm vulneratus. S. Chryſoſt. hom. 1. de Pat. Job.

Lilium inter ſpinas, id eſt, inter Gentiles. S. Greg. mor. l. 1. cap. 1.

Nobilis animæ eadem ipſa vox (*Dominus dedit, &c.*) ſagitta diabolo fuit; fregit hoſtilem aciem. S. Chryſoſtom. hom. 3. de Pat. Job.

Petra. Jobus contra tentationes diaboli ſtetit, ut petra firmiſſima: ut turris validiſſima. S. Aug. ſerm. 225. de temp.

Tuba ductilis. B. Jobus fuit ductilis tuba; extenta per adverſitates. Bene ſonuit, cùm dixit: *Sit nomen Domini benedictum.*

S. Aug. ſerm. 222. de temp. B. Job ante flagella extitit; ſed juſtior poſt flagella permanſit - profectò velut tuba ductilis ex percuſſione perductà, in laudem DEI tantò altiùs elevatus eſt, quantò magis eſt percuſſus. S. Greg. mor. l. 28. cap. 1. *Carmen in nocte*, Job. 35. *eſt lætitia in tribulatione.* S. Greg. mor. l. 26. cap. 11.

Vas pretioſiſſimum. Omnem humanam Sapientiam officioſa ejus facta ſuperexcedunt; ejuſque luctatio omnem humanam diadematis auctoritatem ſuperat. Igitur Evangelica nobis lingua mirè neceſſariò accedat; quò ſummis, ut ità dicam, digitis unguenti alabaſtrum tangentes, Eccleſiam ſimul repleamus. Solum enim vas Job, ſi tangere cœperimus, idque pauliſper concuſſerimus; illico unguenti fragrantia Eccleſia replebitur. O vas ſummi pretii, non in Arabia (Hus) loco reconditum; per totum orbem ſuavem unguenti odorem transmittens. O vas, lapidibus, & plagis, & telis, à diabolo ictum; unguentum non effundens. S. Chriſoſtom. hom. 1. de Pat. Job.

Ulcera Job. Quomodo eum nominem, neſcio. Nequeo tam pretioſam invenire materiam, ut comparare queam, percuſſum illud vulneratumque corpus. Adeò pretioſam omni materia valde, ſupraque modum carnis illius natura clarior apparuit; vulnera præ ſolaribus radiis lætiora. Hi enim corporis illuſtrant vitum; illa verò mentis noſtræ illuminat oculos. S. Chryſoſt. hom. 5. de Pat. Job ulceroſus eſt ſtatuâ aurea, gemmea. S. Chryſoſt. hom. 5. ad Pop. Ulcera illa (Job) gemmis erant cariora. Margaritarum enim natura nihil vitæ noſtræ poteſt, nec ullum uſum habentibus neceſſarium expletur. Ulcera verò illa ſunt omnis triſtitiæ conſolatio; ulcera ſolaribus radiis ſplendidiora. Hi enim corporis oculos illuminant; illa verò mentis noſtræ lumina illuſtrant. Illa diabolum penitus excæcaverunt: propterea namque poſt illam plagam reſilivit; nec deinceps apparuit. S. Chryſoſt. hom. 5. de Pop.

Uxor Job. Omnia, ut brevibus utar verbis, auferuntur; ſola mulier relinquitur, antiquum diaboli organum. Scilicet ſibi ipſi tela ſervabat. Quoniam quidem ſciebat, quoniam per primam mulierem hominem ſubegerat: ideo mulierem ſibi reſervat, quoad verſutiam, ut ejuſdem armis utatur. Sed ibi Adam invenit; hic autem Adam non invenit. S. Chryſoſt. hom. 3. de Pat. Job. Modum ſuadet adiutorium diaboli, non mariti. Eva nova; ſed ille non vetus Adam. Id. hom. 5. de Pat. Job.

Chriſtus extra portam (paſſus) Job extra civitatem ſedet in ſterquilinio. Expectat ſuſcitantem de terra inopem, & de ſtercore elevantem pauperem. Id. hom. 4. de Pat. Job.

TITULUS XIII.

IRA.

Clamor. Materia iræ, clamor eſt. S. Thom. in Cat. ſup. 3. Joan.

Febris iram ſignificat, & accendit homines. S. Bonav. ſer. 1. in Paraſc.

Febricitat, qui iraſcitur. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. ſup. 1. Marci.

Feſtuca in oculo, ira eſt; trabs in oculo, odium eſt. Feſtuca initium trabis eſt: nam trabs, quando naſcitur, priùs feſtuca eſt: rigando feſtucam producis trabem - Feſtuca turbat, trabs extinguit (oculum.) S. Aug. ſer. 16. de Verb. Dom.

Incendiaria. Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Joann. 3. Imò & incendiarius diaboli eſt. S. Chryſoſt.

Lunatici ſunt iracundi, & impatientes; qui valde ſunt mutabiles. S. Bonav. ſerm. 1. D. 18. Pent.

Magiſtra peccati gravis, ira eſt. Alius medicus dicit. Eph. 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* S. Ambroſ. in pſ. 36.

Olla fervens. Ita comparatur primò ollæ ferventi: quia ſicut olla bullendo emittit aquam; ſic iracundus emittit verba inordinata. Secundò apro: nam ſicut aper ex fervore currit contra venabulum; ſic iratus ad peccatum. Proverb. 1. *Ad malum currunt.* Sanct. Vincent. Ferrer. de Propr. &c. cap. 5.

TITULUS XIV.

JUDÆI.

Abſolon figura fuit Judaici populi, civitatis Jeroſolimæ, à cujus facie fugit Chriſtus. S. Iſid. cap. 3. in 2. Reg.

Achis, 1. Reg. qui incredulus interpretatur, ſignificat Judæos. S. Thom. in pſ. 33.

Apri. Frenduerunt. Hoc eſt aprorum, qui crudeles ſunt. Sic & Judæi. Thr. 2. *Frenduerunt dentibus, & dixerunt, devorabimus.* S. Thom. in pſ. 34.

Arena. Oſtendit ille (Abraham) ſtellas cœli dicens: ſic faciam tuum ſemen, id eſt, Chriſtianam Gentem; cujus tu Pater in fide ſubſiſtit. - Deinde monſtravit ei arenam maris, & dixit: ſic erit in multitudinem ſemen tuum, hoc eſt, erit quidem copioſa gens Judæorum; ſed ſterilis, & inſœcunda manebit, ſicut arena. S. Iſid. cap. 12. in Gen.

Avidam manum habens homo, ſignificat Synagogam. S. Iſid. in Alleg.

Aſinus ſtratus ab Abraham, eſt rudis populus Judæorum, cæremoniis ſtratus Legis. S Thom. cap. 22. in Gen. Aſinus ille, Gen. 22. inſenſata eſt ſtultitia Judæorum. S. Iſidor. c. 18. in Gen.

Bajulus botri. Botrus refertur in ligno, Num. 13. & Chriſti Paſſio demonſtratur. Duo populi bajuli, qui ſub onere botri illius incedebant; populus eſt uterque: prior Judaicus, & adverſus, &c. S. Iſid. c. 11. in Num.

Beſtiæ. Piſcatores ſcilicet Chaldæos, qui quaſi in mari proſperitatis, & voluptatis viventes eos. (Judæos) cœperunt. Et poſt hæc mittam venatores, ſcilicet Romanos: qui eos quaſi beſtias præ crudelitate homicidii venati ſunt. S. Thom. in 16. Jer.

Bos. In bovis nomine populus ex circumciſione poſitus ſub jugo Legis accipitur. S. Iſid. c. 9. in Levit.

Cain figura Judaici populi, Abel Chriſtiani. S. Iſid. c. 6. in Gen.

Caiphas. Princeps Sacerdotum, qui ſcidit veſtimentum ſuum in Domini Paſſione, indicat Hebræum populum nudatum Sacerdotio. S. Iſid. in Allegor.

Camelus. Dives, qui camelo comparatur, perſonam indicat Judæorum. Id. ibid.

Cervi. Quia filii Iſrael quadraginta annis fuerunt in deſerto, ideo dicuntur cervi, pſ. 28. S. Thom. in pſ. 28.

Cham. Chriſtus inebriatus eſt, dum paſſus eſt: nudatus eſt, dum crucifixus eſt, in domo ſua, id eſt, in Gente ſua. Cham figura Judæorum. Cham, qui interpretatur *Callidus*, ſignificat non ſolum Judæorum, ſed etiam hæreticorum, genus callidum. S. Iſidor. c. 8. in Gen.

Cives, Luc. 19. qui noluerunt eum regnare, Judæi intelliguntur; qui Chriſtum regem ſpreverunt. S. Iſidor. in Alleg.

Cæcus, Duo cœci juxta viam ſedentes, ſignificant utroſque populos, Judæorum, atque Gentilium, per fidem Chriſti Chriſto appropinquantes. Id. ibid.

Dives, qui *induebatur purpura*, ſignificat Judæorum ſuperbiam. Id. ibid.

Eſau typus Judæorum, Jacob Chriſtianorum. Sanct. Iſidor. cap. 23. in Gen. Per Eſau intelligitur populus Judæorum, pelliteræ ex pilis cæremonialium, & legis ſeveritate hiſpidus: Per Jacob verò lenem, Chriſtus, & populus Chriſtianus. S. Thom. cap. 28. in Gen.

Fera peſſima devoravit eum, ideſt, Judaica beſtia interfecit eum. Sanct. Iſid. cap. 30. in Gen.

Ficus, Vidit (Chriſtus, Matth. 11.) ficum, ideſt, Judæum, habentem folia, ideſt, eloquia Legis, & Prophetarum. Et quæſivit in ea fructum boni operis, docendo, corripiendo, miracula faciendo; & non invenit: & ideo damnavit. V. Beda apud S. Thom. in Cat. ſup. 11. Marci.

Filii alieni. Vocat eos (David Pſalm. 17.) filios alienos, claudicantes à ſemitis tuis, ideſt, præceptis Legis. S. Thom. in Pſal. 17.

Fratres quinque divitis illius, qui apud inferos torquebatur, Judæi intelliguntur. S. Iſid. in Alleg.

Genimina viperarum. Judæi ſunt ſoboles, & genimina viperarum. Maximus Planudes orat. de ſepultura Domini.

Herba exſiccata Judæi comparantur. Proclus Archi-Ep. orat. de Sanct. Andrea.

Hædus alter. Geneſ. 27. Rebecca loquitur ad filium minorem: *vade ad gregem, & accipe mihi inde duos hædos*; præfigurans carneum Salvatoris adventum. - Quia duos jubetur adferre, duorum populorum ſignificatur aſſumptio. Sanct. Iſid. cap. 23. in Gen.

Hydriæ illa ſunt, quæ in fabulis eſt - Si Judæi hydra illa ſunt; igitur Chriſtus Dominus Hercules verus fuit. Planudes ibidem.

Iſmael Judæorum, Iſaac typus Eccleſiæ. Sanct. Iſid. cap. 13. in Geneſ.

Lapides, quos dixit, Judæi intelliguntur, de quibus filios Abrahæ reſuſcitavit, ideſt, Apoſtolos. Arnobius cap. 19. in Matth.

Latro alter. Duo latrones populum exprimunt Judæorum, ac Gentium: quorum unus incredulus blaſphemat Chriſtum alter Fidelis Judæos increpat blaſphemantes. Sanct. Iſidor. in Allegor.

Locuſtis Judæi ſunt ſimiles. Sanct. Greg. mor. l. 31. cap. 12. apud Sanct. Thom. in Cat. ſup. 1. Marci. Locuſtas quas dixit, populorum multorum demonſtrant figuram; qui ad Joannem veniebant. Arnobius cap. 3. in Matth.

Lupi. Judaica beſtia - de qua Dominus in Evangelio dicit: *ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum.* Sanct. Iſidor. cap. 30. in Gen.

Malchus. Servus Principis Sacerdotum, cujus dextera amputatur auricula, Iſracliticus eſt populus, incredulitate ſimilis effectus. S. Iſid. in Alleg.

Manaſſes, Geneſ. 38. qui interpretatur *oblivio*, typum geſſit Judæorum: quia oblitus eſt DEUM ſuum. Idem cap. 30. in Gen.

Manus illa Moyſis leproſa populum Judaicum ſignat. S. Iſid. cap. 9. in Exod.

Mercenarius Judæum oſtendit; qui fructum obſervantiæ Legis carnaliter quærit. Idem cap. 12. in Levit.

Milites Saulis. Venit Chriſtus (velut David in caſtra. Saul, 1. Reg. 26.) non eos (Judæos) occidit; ſed tulit ab eis ſcyphum aquæ, ideſt, gratiam Legis. Tulit, & ſceptrum regale, regni ſcilicet poteſtatem, &c. Sanct. Iſidor. cap. 18. in 1. Reg.

Montes. In miraculis à facie tua montes defluxerunt, Myſticè Judæi intelliguntur. Sanct. Thom. in 64. Iſ.

Moyſes in Scripturis varias geſſit figuras. Num. 20. ad aquas contradictionis geſſit figuram Judæorum. Sanct. Iſid. cap. 18. in Num.

Mulieres, ideſt, vos Judæi imbecilles. Sanct. Thom. in 32. Iſ. Aſpicit (Zacharias) deinde duas mulieres, ideſt, hæreticorum plebem, & Judæorum: in alis ſuis levantes amphoram, ideſt, diabolicam doctrinam: maſſamque plumbi, quæ eſt pondus peccati graviſſimum, &c. Sanct. Iſid. libro Procemiali.

Ollam fuccenſam vidit Jeremias, ideſt, Judæam plebem. Idem ibid.

Parvuli. Data ſunt (illa figurativa, & ſignificativa in veteri Teſtamento Judæis) quaſi parvulis, tamquam characteres librorum: in quorum proprietatibus, & modulis, offerendi, proficerent in diſciplina veræ fidei. - Ubi etiam clariùs appellat oves, & boves, quaſi literas parvulorum (Judæorum) in quibus multa bona ſunt diſcenda; & præcipuè Fides Salvatoris: oportebat enim, ut ad ſignificatum attenderent. Sanct. Thom. de Sacr. Alt. c. 3. Parvuli illi illudentes ſaluti DEI, id eſt, Eliſæo, Judæorum habuere perſonam, qui ad Crucem Domino Salvatori ſubſannabant. S. Iſid. c. 13. in 1. Reg. Illi dicuntur filii Core, qui patiuntur irriſionem propter crucem - Et hi deridentur à pueris, ideſt, Judæis puerili ſenſu utentibus - Et duo urſi devoraverunt eos, ſcilicet Titus, & Veſpaſianus. S. Thom. in Pſ. 41.

Patria ſua, ideſt, Chriſti, accipitur Gens Judæorum; apud quam pauca ſigna fecit. Ven. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. ſup. 6. Marci.

Phariſæus orans in templo, Judæorum eſt populus. S. Iſid. in Allegor.

Piſces. Quinta die (creata) animantia in aquis, & volatilia cœli, ſunt Judæi inter gentes: quia nullum ſtabilem locum habebant. S. Iſid. cap. 3. in Gen.

Piſcina probatica. Piſcina illa, & aqua illa, populum mihi videtur ſignificaſſe Judæorum. Sanct. Auguſt. apud S. Thom. in Cat. ſup. 5. Joan. Aqua illa, ideſt, populus ille quinque libris Moyſis, tamquam quinque porticibus claudebatur. Id. ibidem. Deſcendente de cœlis Chriſto commotus eſt in Paſſione ejus idem populus; & ſanatus eſt Mundus. Sanct. Iſid. in Allegor.

Pulvis. In pulverem, ideſt, in poteſtatem Judæorum, dediſti me: quia ſunt ſicut pulvis. S. Thom. in Pſ. 21.

Filius Reguli. Myſticè per hoc, quòd Jeſus bis in Galilæam accedit, binus Salvatoris adventus in Mundum oſtenditur. Primus quidem miſericordiæ; ut vino facto convivas exhilararet. Secundus verò, ut filium Reguli ad mortem pene deductum ſuſciteret, ideſt, populum Judæorum. - Arbitramur igitur Regulum eſſe Abraham; ægrotum verò filium ejus, Iſraeliticum Genus. Orig. tract. 18. in Joan. apud S. Thom. in Cat. ſup. 4. Joan.

Ruben figuram populi Iſrael, & Synagogæ geſſit: ſpecialiter Scribarum Simeon tenuit; & Levi Principum Sacerdotum. S. Iſid. in Allegor. Ruben ſignificat Judaicum populum, &c. S. Thom. cap. 28. in Gen.

Sanguis. Caro, & Sanguis non revelavit tibi. Carnem ibi, & Sanguinem, Judæos ſignificans. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. ſup. 16. Matth.

Saul. Mittit Saul cuſtodes ad domum David, ut cuſtodirent eum; & interficeretur. 1. Reg. 19. Mittunt Judæi cuſtodes ad ſepulchrum Chriſti, ut cuſtodirent eum, & interficeretur. Sed quid eſt hoc interficere? Hoc eſt itaque velle Chriſtum interficere, nomen reſurrectionis ejus extinguere. S. Iſid. cap. 13. in 1. Reg.

Scabellum pedum Chriſti eſt populus Judaicus. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. ſup. 12. Marci.

Servus, Matth. 18. Allegoricè ſervus hic, qui decem millia talentorum debuit, Judaicus eſt populus decalogo Legis adſtrictus: cui Dominus ſæpe dimiſit debita. Sed liberatus ab anguſtiis, nullam compaſſionem habebat; Prophetas & Apoſtolos, verbum reconciliationis afferentes, crudeliter trucidabat. Unde tradidit eos Dominus in manus Romanorum. Rabanus apud S. Thom. in Cat. ſup. 18. Matth.

Siniſtra. Dextera nos ſumus: quia Chriſtum colimus, qui in dextera Patris ſedet; ſiniſtra autem Judæi ſunt, & hæretici. Arnobius c. 6. in Matth.

Spina. O roſa! (MARIA) quæ ex ſpinis, ideſt, Judæis, orta eſt, ac Divina fragrantia cuncta perfudiſti. S. Joan. Damaſc. orat. 1. de Nat. B. V.

Teſtes falſi. Suſanna figuram Eccleſiæ habet; quam teſtes falſi Judæi quaſi adulteram Legis accuſant. Sanct. Iſidor. in Allegor.

Thamar. Nurus Judæ, intelligitur plebs Judæa. Id. c. 29. in Gen.

Veſtes Chriſti. Myſticè ſuis veſtimentis nudatur Jeſus, ideſt, Judæis: purpura induitur, ideſt, Gentili Eccleſia. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. ſup. 15. Marci.

TITULUS XV.

JUDICIARIA POTESTAS.

Claves. Sunt claves Eccleſiæ authoritas diſcernendi, & poteſtas dijudicandi. S. Thom. Opuſc. 5. aliàs 23. & 11. in 1. Decretalem Innoc. III.

Divina participatio. Apoſtoli dicuntur Dii propter judiciariam poteſtatem. Et judices in veteri Teſtamento Dii vocabantur. Exod. 22. *Diis non detrahes.* S. Thom. in Pſ. 46.

Gladius. Romphæa, ſive gladius, poteſtatem judiciariam ſignificat. S. Thom. in 2. Apoc.

Sedes. Per ſedes deſignatur judiciaria poteſtas. S. Haymo in feſto SS. Petri, & Pauli. Per ſedem in Scriptura judiciaria poteſtas deſignatur: - & ideo per ſedem Chriſti poteſtas ejus accipitur. Id. in Pſ. 44.

TITULUS XVI.

JUDICIUM.

A*Reum*, ideſt, judicium : ut quaſi à longinquo feriret. S. Thom. in 2. Thren.

Beneficium. Judicia tua, ideſt, beneficia tua, *auferuntur à facie ejus*, ideſt, à mente, & memoria ejus. Sanct. Thom. in Pſal. 9.

Galea. DEUS ſacras nobis donavit Scripturas, velut armamentaria, atque theſauros medicamentorum. Sunt autem in armamentariis arma, & tela diverſa. - *Induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem, &c.* Sanct. Ephrem ſermon. de Pat. & Contemplat.

Porta. Porta Reges, quorum erat poteſtas judicii, quæ in porta exercebatur. S. Thom. in 25. Jerem.

Uterus. Per uterum Dei, incomprehenſibilia Dei - myſticè intelliguntur. S. Hieron. Summa de Eſſ. Dei, in operib. S. Bonav. in fine tomi 2.

TITULUS XVII.

JUDICIUM EXTREMUM.

Æ*Stas, hyems*. Chriſti adventus æſtas erit juſtis ex hyeme; peccatoribus verò hyems ex æſtate. Theophylact. apud S. Thom. in Cat. ſup. 13. Marci.

Dies mala, eſt dies judicii. S. Thom. f. 1. D. 21. Pent.

Incendium Sodomiticum, erat ſimilitudo futuri judicii. Loth. autem figurabat typum Corporis Chriſti. Sanct. Iſidor. cap. 3. in Gen.

Meſſis. Falx eſt mors, vel judicium, quæ ferat omnia, meſſis eſt conſummatio ſæculi. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. ſup. 4. Marci.

Subjectio. Pſal. 8. Hi omnes ſubjecti ſunt pedibus Chriſti, quos ille judicatum eſt; adeoque per hanc ſubjectionem deſignatur poteſtas judiciaria Chriſti, quos ille judicaturus eſt. Joan. 5. *Poteſtatem dedit ei judicium facere*. Et, *Pater non judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio*. Sanct. Thom. in Pſal. 8.

TITULUS XVIII.

JUSTITIA.

A*Methyſtus, Chryſophraſius, & Hyacinctus*, - ſignant juſtitiam, & æquitatem generalem: quæ ſplendor eſt virtutis. S. Bonav. diet. ſal. t. 10. c. 5.

Arma. Philoſophia contulit Boetio arma non corporalia, ſed ſpiritualia; quæ ſunt virtutes intellectuales; quas enumerat Ariſtoteles 6. Ethic. Et ſunt, intellectus, ſapientia, ſcientia, ars, & prudentia. Et ſimiliter virtutes Cardinales, quæ ſunt quatuor: prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudo. S. Thom. in l. 1. Boet. proſ. 3.

Baculus ſignificat rectitudinem juſtitiæ; qua debemus nosmetipſos de noſtris exceſſibus ante communionem judicare. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 6.

Dea. Juſtitia eſt ſicut recta ſemita, ſicut recta linea. Eſt gemma in ſerto aureo, ſtella in polo arctico, Dea in noſtro microcoſmo. S. Bonav. diet. ſal. t. 5. c. 8.

Gladius. Ignis, & gladius, in manibus Abrahæ portati ſunt: ardor Divinæ charitatis ad dandum Filium pro nobis in mortem; & rigor juſtitiæ exigens ab ipſo mortem pro ſolvendis reatibus noſtris. S. Thom. c. 22. in Gen.

Lapis molaris. Miſericordia eſt quaſi ſuperior lapis in mola DEI, quæ nunc operator, & circuit: juſtitia autem quaſi lapis inferior, quæ nunc jacet, & quieſcit. Super quem lapis iſte ceciderit, conteret eum. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 15.

Manus. Manus juſtitiæ; & iſta eſt triplex. 1. Tangentis ad probandum. Job 19. *Manus Domini tetigit me*. 2. Flagellantis ad purgandum. 2. Machab. 6. *Nam eſt in præſenti, &c.* 3. Opprimentis ad condemnandum. Hebr. 10. *Horrendum eſt incidere in manus DEI viventis*. S. Thom. in 8. Iſ.

Mons, in quo Apoſtolos Dominus elegit, altitudinem deſignat juſtitiæ. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. ſup. 3. Marci hic, Pſ. 23. ſignat altitudinem Divinæ juſtitiæ. *Juſtitia tua ſicut montes DEI*. S. Thom. in Pſ. 23.

Oculus. Iſti ſunt duo oculi (DEI:) bonitas, quæ reſpicit bonos, & juſtitia, quæ videt malos. S. Thom. ſerm. 1. in feſto S. Michael.

Quadratura. Summus Artifex Deus, lapides ſuos, ideſt, electos, conſuevit quadrare quadratura virtutum: ſcilicet prudentia, temperantia, fortitudine, & juſtitia. S. Bonav. diet. ſal. t. 10. c. 5.

Regnum DEI. Non eſt Regnum Dei eſca, & potus; ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. S. Thom. in pſ. 4.

Vinea juſtitia eſt; in qua ſunt tot palmites, quot virtutes ſunt, ſicut dicit Chryſoſtomus. Sanct. Thom. ſerm. 1. D. 2. Epiph.

Virga ſignat juſtitiam. S. Thom. in 12. Apoc.

TITULUS XIX.

JUSTUS.

A*Ger*. Jeſus dicit Patrem ſuum agricolam: quia colit quadruplicem agrum. Quatuor ſunt agri: Mundus, Chriſtus, juſtus, & celeſtis paradiſus. Sanct. Thom. ſerm. in feſto S. Marci.

Altare. Cor juſti dicitur altare: quia in eo immolantur motus beſtiales: unde dicitur altare holocauſti. Sanct. Thom. in 8. Apoc.

Aranea. Sicut aranea ex ſuis viſceribus trahens opus naturæ, tabeſcit exinde: ſic juſtus frequentans opera laborioſa ex vera charitate enervatur, & palleſcit in corpore. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 8.

Avis. Dicens omnibus avibus, ideſt, juſtis à terrenitate elevatis. S. Thom. in 19. Apoc.

Candelabrum moraliter eſt vir juſtus. Exod. 21. *Facies candelabrum ductile, &c.* Ductile dicitur: quia in multis tribulationibus ad perfectionem ducitur. Aureum totum, quia facit omnia in charitate. Sanct. Thomas ſerm. 2. de Sanct. Benedicto.

Cœlum. Per cœlum, & nubes, Prophetæ, & alii juſti ſignantur. S. Thom. in 45. Iſ. Iſti ſignantur per cœlos, propter retributionem, & charitatem. Id. in Pſ. 35. Cœli majores juſti. Id. in 12. Apoc.

Ficus bona in uno calatho, ſignificat bonos, & juſtos: ficus malæ in altero calatho, de quibus Jerem. 24. ſignificant malos. S. Thom. in 24. Jerem.

Folium virens. Et erit folium, &c. in quo ſignificatur proſperitas ſpiritualis. Proverb. *Juſti, quaſi virens folium germinabunt*. S. Thom. in 17. Jerem.

Framea. *Effunde frameam*. Framea poteſt intelligi - quilibet juſtus; qui ſunt gladius Dei contra malos. S. Thom. in Pſal. 34.

Frater Angelorum. Juſti propter cognationem charitatis ſunt fratres Angelorum. S. Thom. in 12. Apoc.

Oliva. Duplex bonum faciunt ſancti in præſenti Eccleſia. Primò in hoc; quòd bene ſe habent ad proximum fructificando in eis. Et ideo juſtus comparatur olivæ. - Et comparatur olivæ propter pinguedinem. Judic. 9. *Non poſſum deſerere pinguedinem meam*. - Hic tamen (Pſ. 51.) comparatur olivæ propter fructum ſpiritualiter: quia ex olivis fit oleum; per quod ſignificatur miſericordia: ex qua juſti provident aliis, & fructum faciunt in Eccleſia. S. Thom. in Pſ. 51.

Ovis. Figuraliter per oves (Jacobi, Gen. 29.) juſtorum populi ſignificantur. S. Iſid. c. 24. in Gen.

Poma nova, & vetera, ſervavi tibi: ideſt, juſtos, qui vel in veteri Teſtamento præceſſerunt, vel in novo ſubſecuti ſunt. S. Thom. in 7. Cant.

Pullus gallinæ. Alis gallina pullos contra milvum cuſtodit: ſic & Deus ſuis alis, quæ ſunt charitas, & miſericordia, juſtos defendit à rapacitate dœmonum. Matth. 23. quoties volui congregare &c. S. Thomas in Pſ. 16.

Regnum cœlorum. Simile eſt Regnum cœlorum, ideſt, converſatio juſtorum; *Theſauro*, ideſt, bono operi; *abſcondito in agro*, ideſt, in corde. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 8.

Templum. Sicut eſt triplex templum, ità eſt triplex altare. Primum eſt vir juſtus: hujus templi altare eſt cor. Levit. 6. *Ignis*, ſcilicet charitatis, *in Altari*, ideſt, corde *ſemper ardebit*. S. Thom. in Pſal. 25. Templum eſt anima juſti; in qua Deus eſt per gratiam. 1. Cor. 3. *Templum DEI Sanctum eſt, quod eſtis vos*. S. Thom. in Pſ. 17.

Veſtis Chriſti. Veſtium nomine juſtos, quos ſibi adjungit, inſinuat. S. Greg. mor. l. 32. c. 7. apud S. Thom. in Cat. ſup. 8. Marci.

L.

TITULUS I.

LACRYMÆ.

A*Rbor*. Secundùm Gloſſam eſt quædam arbor caſiata, quæ naſcitur in locis aquaticis: & per hoc ſignatur aqua lacrymarum. S. Thom. in pſ. 44. Lacrymæ ex oculis diſtillantes, arbor ſunt vitæ in altitudinem humilitatis excitata. Sanct. Ephr. paræn. 1. ad Novit.

Arma. Adverſus arma, milites Gothos, quoque lacrymæ meæ arma ſunt. S. Ambroſius orat. contra Auxentium. Eſt lib. 5. pag. 32.

Diluvium peccatorum lacrymæ ſunt Hieronymo, Ruperto paradiſi fontes, Bernardo deliciæ Angelorum, Jeremiæ voces cordis. Lobbetius q. 1. de S. Auguſtino.

Mare Rubrum, lacrymabilis pœnitentia intelligitur. Goffr. Opuſc. 7.

Panis. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, pſ. 41.

Potus. Inebriantur ſancti lacrymis compunctionis. Iſ. 16. *Inebriabo te lacryma mea*. Calice compaſſionis. Pſal. 22. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt, &c.* Sanct. Thom. in 28. Iſ.

Siphones adhibentur in die incendii; & lacrymæ tentationis tempore. S. Thom. S. Ephr. de timore Dei.

Sudor animæ. S. Hilarius l. 10. de Trinit.

TITULUS II.

S. LAURENTIUS.

C*Onſul* perennis cœleſtis Romæ. Prudentius ibid.

Granum Synapis eſt Laurentius; qui diverſis attritus paſſionibus, per totum orbem gratia meruit ſui fragrare martyrii. S. Aug. in Append. ſ. 8.

Municeps cœleſtis civitatis Jeruſalem. Aurelius Prudentius hymno 2. de S. Laurent.

Piſces aſſi ſunt Martyres; ut Laurentius. S. Thom. ſer. 2. D. 7. Pent.

Propugnator fortiſſimus Chriſtianæ fidei. Rupertus Abb. Tuit. de div. offic. l. 8. c. 10.

Laurentius unus, & bene notus de magnis piſcibus; piſcis magnus, idemque aſſus: cujus aſſatura ſuaviter in tota Chriſti fragrat Eccleſia. Id. ibid.

Muſicus Laurentius vigil dulcem cantilenam in hora ſecunda eſt modulatus. Honorius Presbyter Auguſtod. Gemma animæ l. 2. c. 13.

Vir gemmis illuſtribus coruſcans. Aurelius Prudent. Ibid.

TITULUS III.

LEX NOVA.

A*Rcus* eſt Sacra Scriptura. De hoc arcu tot procedunt ſagittæ, quot verba ſacra. In arcu eſt lignum durum, & chorda molis, quæ flectit lignum. Similiter in Sacra Scriptura vetus Teſtamentum, quod habet duritiam; & novum, molle per gratiam, & mitigans vetus. Sanct. Thom. in 6. Apoc.

Butyrum. Lac priſcæ Legis habuiſſe figuram Apoſtolus nos admonet. 1. Cor. 3. Butyrum autem uberrimum, & pinguiſſimum Evangeliorum eſt teſtimonium. Sanct. Iſidor. cap. 14. in Gen.

Cibus ſolidus. Nomine lactis doctrina Legis ſignificatur perfectorum autem eſt cibus ſolidus. Hebr. 5. S. Iſidor. cap. 23. in Exod.

Gladius. Occurrit nobis Princeps militiæ virtutum cœleſtium Chriſtus, tenens gladium Evangelii. Sanct. Iſid. cap. 6. in Joſue.

Margarita. Bonæ margaritæ poſſunt intelligi Lex, & Prophetæ. Una pretioſiſſima margarita. Matth. 13. eſt ſcientia Salvatoris, & Sacramentum Paſſionis, & reſurrectionis illius. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat ſup. 13. Matth.

Oliva. Duæ olivæ, duo Teſtamenta. S. Iſid. l. Proœm.

Panes ſeptem ſunt Scriptura novi Teſtamenti; in qua gratia Spiritus Sancti, & revelatur, & datur. Gloſſa apud S. Thom. in Cat. ſup. 15. Matth.

Puteus. Libri ſunt putei. Pueri Iſaac (qui iſtos puteos foderunt) ſunt Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Petrus, Jacobus, Judas, & Apoſtolus Paulus; & cæteri Apoſtoli, vel Doctores, qui omnes novi Teſtamenti puteum foderunt, & invenerunt aquam vivam. S. Iſid. c. 22. in Gen.

R. P. Andreæ Spanner.

Ubera. Duo ubera, duo ſunt populi; ex circumciſione venientes, & gentilitate. S. Iſid. in Cant.

Veſtis Eccleſiæ. Secundum literam noſtram eſt duplex veſtimentum Eccleſiæ; Unum eſt doctrina duorum Teſtamentorum. *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus, &c.* S. Thom. in pſ. 41.

Via. Via Domini (qua Deus ad homines venit) eſt novum Teſtamentum: ſemitæ verò vetus: ad viam enim neceſſe erat præparari, ſcilicet ad novum Teſtamentum. Veteris autem Teſtamenti rectas ſemitas fieri oportebat. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. ſup. 1. Marci.

Vinea. Lex nova eſt; turris Eccleſia, coloni autem Judæi, &c. Arnobius c. 22. in Matth.

TITULUS IV.

LEX VETUS.

A*Qua amara*. Crux eſt lignum, quod eſt miſſum in Marath, ideſt, in Mundum: & dulcoratæ ſunt aquæ Legis. S. Bonavent. in expoſitione Miſſæ. Intellige amaras aquas, Exod. 15. occidentis literæ, & Legis, habere figuram. S. Iſidor. c. 21. in Exod.

Baculus Eliſæi. Eliſæus Chriſtus, Giezi Moyſes, baculus Lex. - Nec Moyſes, nec Lex, potuerunt vivificare genus humanum: donec ipſe Eliſæus, id eſt, Chriſtus, accepit formam noſtram: quia incurvavit ſe in utero Virginis. Sanct. Thom. de duplici manu Dei. Eſt inter Dominicales ante D. Paſſionis.

Cruſta Panis. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, &c. Matth. 15. Filios Dominus appellat Patriarchas, & Prophetas illius temporis: per menſam deſignatur Sacra Scriptura; per micas verò minima præcepta; vel interna myſteria, quibus Eccleſia paſcitur: per cruſtas verò carnalia præcepta, quæ Judæi obſervant. Micæ autem ſub menſa comedi dicuntur: quia Eccleſia humiliter ſe ſubmittit ad implenda Divina præcepta. Remigius apud Sanctum Thom. in Cat. ſup. 15. Matth.

Lac priſcæ Legis figuram habuiſſe, Apoſtolus nos admonet. 1. Cor. 3. *Lac vobis potum dedi*. S. Iſid. c. 14. in Gen.

Lucerna. Doctrina intra Legem (Moſaicam) lucerna intra modium. S. Iſid. c. 30. in Gen. Per lucernam (Apoc. 22.) vetus Teſtamentum. S. Thom. in c. 22. Apoc.

Maceria. Lex Judaica erat inſtar ſepis, & maceriæ. Sanct. Chryſoſt. apud S. Thom. in Cat. ſup. 1. Matth.

Olivæ. Duæ olivæ, duo Teſtamenta. Sanct. Iſidor. lib. Proœm.

Panes quinque, ſunt quinque libri Moyſis. S. Hilarius apud S. Thom. in Cat. ſup. 14. Matth.

Porticus. Aqua illa, ideſt, populus ille (Judaicus) quinque libris Moyſis, tanquam quinque porticibus, claudebatur. S. Thom. in Cat. ſup. 6. Joan.

Sediles viginti quatuor, dicuntur libri veteris Teſtamenti; qui ſunt viginti quatuor. Si Ruth non computetur cum libro Judicum, ſed per ſe: nec Threni cum libro Jeremiæ. S. Thom. in 4. Apoc.

Vinum. Ubera ſunt dulcedo Evangelicæ doctrinæ; vinum auſteritas Legalis. S. Iſid. in c. 1. Cant.

TITULUS V.

LEX SACRA.

C*Œnaculum* magnum ſpiritualiter Lex eſt. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. ſup. 14. Marci.

Ficus. Matth. 21. ſacræ Legis imaginem tenet. Plantavit vineam (cœleſtis Paterfamilias) ideſt, populum. In hac vinea poſuit ficum, hoc eſt, in populo ſuo poſuit Legem. S. Iſid. c. 6. in Judic.

Lucem qui dixit, Lex Dei eſt. Arnobius c. 5. in Joan.

Obſervandæ omnes. Sicut in cithara non unius tantùm fidis melodiam excitaſſe ſatis eſt; ſed omnes pari quodam in numero percurrendæ: ſic in virtute animi non tantùm Lex nobis ad virtutem ſufficit; ſed omnes æquè diligenter obſervandæ ſunt. S. Chryſoſt. ſerm. de Virt. & Vit.

Pons. Non poſſumus tranſire per alium pontem (ad cœlum) niſi per pontem obedientiæ, & præcepta Dei. Hic pons habet

bet decem arcus. (decem præcepta) S. Vincent. Ferr. ser. in Vigil. Epiph.

Sepes est Lex, prohibens eos alienigenis commisceri. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 12. Marci. Sepes animæ, Lex est Divina, & metus, veraque Legalium sensuum cognitio. Olympiodorus c. 10. in Eccl.

Vinea, cultura Legis est. Arnobius c. 20. in Matth.

Urias. Per Uriam, qui interpretatur *Lux Domini*, significatur Lex. S. Thom. in 8. Is.

TITULUS VI.

LINGUA.

Cithara. Fiat lingua mea velut cithara. S. Ephrem. ser. de Passionibus Animi.

Framea, est lingua adversariorum. Psal. 56. *Lingua eorum gladius acutus*. S. Thom. in ps. 21.

Monacha. Homo semper habet aures apertas, sed linguam clausam sub labiis, & dentibus. Est enim lingua quasi mala Monacha: & ideò reclusit illam Deus sub pluribus claustris. S. Thom. s. 1. D. 4. post Pascha.

Ostiaria cœli. Magdalenæ lingua, pia ostiaria facta cœli. Goffridus s. 9. de S. Magd.

TITULUS VII.

LUXURIA.

Abimelech. Benè figuratur luxuriosus per Abimelech. Judic. 9. S. Bonav. diet. sal. tit. 1. c. 9.

Amalech. Quid per Amalech, nisi fornicationis spiritus designantur? Lambere enim eorum, est ad peccandum mentem Carnis blandimento delinire. Sanct. Gregor. lib. 5. c. 5. in 1. Reg.

Aqua. Peccator dicitur lunaticus: quia ut Luna cum temporalibus crescit, & decrescit: & sæpe cadit in ignem cupiditatis, & aquam luxuriæ. Sanct. Thom. serm. 2. D. 2. Quadrages. Ille, qui sæpe nunc in ignem, nunc in aquam, cadebat, Mundum significat: ignis autem inflammantem cupiditatem; aqua carnis voluptatem demonstrat. Sanct. Isid. in Allegor. Ignis ad iram pertinet, cò quòd alta petat; aqua verò ad voluptates carnis. Sanct. Aug. apud S. Thom. in Cat. sup. 17. Matth. Nota super illo: *Cùm transieris aquas, tecum ero*. Quia Deus liberat ab aquis. 1. voluptatis. Proverb. 10. *Aqua furtiva, &c.* In quibus suffocantur per luxuriam. Sanct. Thom. in 43. Is.

Asinus. Per asinum hoc loco. Exod. 23. Immunditia; per ovem verò innocentia designatur. Sanct. Isidor. cap. 36. in Exod.

Canis. Dixit Sanctorum quidam, cani similem esse fornicationem. Si blandiaris, manet apud te; si pellas, fugit. S. Ephr. c. 9. in illud: *attende tibi*. Cani similis est voluptas. Si pellas, fugit; si nutrias, permanet. Propterea dicit Apostolus Jacobus c. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*. S. Chrysost. hom. 22. ad Pop.

Carbo ignitus. Quid sunt libidinosi corporis motus, nisi carbones ignis? S. Greg. l. 6. c. 2. in 1. Reg.

Clavus. Quasi clavis quibusdam suffixa anima corporeis voluptatibus. S. Ambr. l. 4. in Luc.

Dalila. *Si præstas animæ tuæ concupiscentias ejus; faciet te in gaudium inimicis*. Eccles. 18. Sicut Dalila. Judic. 16. tradidit Sampsonem fortissimum Philisthæis. S. Albertus M. in parad. an. c. 38. de Macer.

Dolores mortis, idest, carnis *circumdederunt me*. S. August. in ps. 17.

Dæmoniacus. Quid luxuria corruptus, atque petulans; qui ad omnes corporis formam stupet, à dæmoniaco differt? Non videtur nudus ambulare, sed corporeis, quidem vestibus amictus est; veris autem vestimentis privatus, & conveniente homini glorifica caret. Non lapidibus seipsum cædit; sed sceleribus, quæ lapidibus duriora sunt. Sepulchra profectò sunt meretricum diversoria; cum multo fœtore, multa putredine, multa immunditia sunt repleta. S. Chrysost. hom. 29. in Matth.

Equus. Omnes, qui luxuriæ &c. deserviunt, quasi equi quidam sub curru Pharaonis, idest, sub regimine diaboli sunt. S. Thom. in 1. Cant. Comparatur luxuriosus equo. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 9.

Esca diaboli luxuries est. S. Ambr. ser. 14. in ps. 118.

Favus. Delectationes corporales quandoque sunt manifestæ; & sic est mel: quandoque sunt absconditæ, & dulciores; & sic est favus. S. Thom. in ps. 18.

Febris continua, est luxuria. Oseæ 4. *Fornicati sunt, &c.* S. Thom. ser. 2. D. 25. Pent.

Festuca. Libido velut festuca est, citò accenditur, properè consumitur. S. Ambr. l. 9. ep. 76.

Fluxus Sanguinis significat luxuriam. S. Bonav. s. 2. in Parasc.

Fovea. Nota, quòd ambulamus in medio trium fovearum. Prima est mulier, vel luxuria, &c. Sanct. Thom. ser. 2. D. 23. Pent.

Fumus. Fili, sæpe ignis ardet; sed sine fumo flamma non ascendit: sic & aliquorum desideria ad cœlestia flagrant; & tamen à tentatione carnalis affectus liberi non sunt. Thom. Kemp. l. 3. Imit. c. 54.

Gabaonitas, idest, carnales homines expugnant. S. Isid. c. 12. in Jos.

Gehenna. Luxuria comparatur gehennæ. - In gehenna sunt specialiter tria: ignis ardens, vermis rodens, & sulphur fœtens. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 9.

Herodiani, carnales. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Marci.

Hœdi. Per hœdos immundæ cogitationes designantur. S. Greg. M. in Cant.

Homicida, Pirata. Attende tibi ipsi; nè per negligentiam piratas illius maligni intromittas. Intelligis frater, qui sunt illi piratæ & homicidæ? cogitationes sordidæ, atque morosæ. S. Ephr. ser. de Virginit.

Hydram esse, luxuriam censuit. Eusebius l. 1. de Præparationis Evangelica c. 2.

Hydropisis, est morbus aquosus, qui significat luxuriam. S. Thom. serm. 2. D. 17. Pent. Hydropicus demonstrat hos, quos fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat. S. Isid. in Allegor.

Ignis. Concupiscentia mala, quasi ardor est ignis: ignis consumit vestem; libido adulterii non consumit animam? S. Aug. ps. 57. Tanquam cera liquescunt à facie ignis. Solvuntur enim à quadam constantia castitatis propterea & ipsi euntes in libidines suas, soluti, & fluxi dicuntur. S. Aug. in psal. 57. Mihi videtur juxta tropologiam, &c. Vide inferius *Lunaticus*. Anima peccatrix dicitur olla. Notandum, quòd prædicta olla succenditur igne inordinati amoris. Psal. 79. *Incensa igne, &c.* S. Thom. in 1. Jerem. Luxuria est ut ignis. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Cæcilia. Ignis Dei dicitur: quia est non facienre Deo, tamen permanente generatur. S. Greg. mor. lib. 2. c. 34. Fili sæpe ignis ardet, sed sine fumo, &c. Vide hic superiùs *Fumus*. Vide inferiùs *Tinea*.

Ignis Græcus. Comparatur luxuria igni Græco: ignis enim Græcus horribiliter ardet, & aquas comburit. Ignis iste Græcus consuevit extingui arena, & aceto. S. Bonavent. diet. sal. t. 1. cap. 9.

Inimici. *Persequar inimicos meos*, id est, carnales affectus. Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis*, Sanct. Thom. in ps. 17.

Lac. Nota super illo verbo: *ablactatos lacte*. Quia est quoddam lac quod debet deseri: & istud est multiplex 1. carnalis concupiscentia &c. S. Thom. in 28. Is.

Lapis offensionis. Nè offendas ad lapidem familiaritatis pedem affectionis. Anima vulneratur in capite, vulnere superbiæ; in corde, vulnere avaritiæ, in renibus, vulnere luxuriæ, &c. S. Vinc. Ferr. s. 5. de S. Dominico.

Lectus est hoc loco (ps. 6.) appellatus; ubi requiescit animus æger, & infirmus, idest, in voluptate corporis, & in omni delectatione sæculari. S. Aug. in ps. 6.

Lepra luxuriam significat. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 1.

Lolium. Maledicuntur zizania; quia (mali) sunt lolium per luxuriam - lolium enim pervertit statum rationis, & luxuria similiter. S. Thom s. 2. D. 4. Epiph.

Lunaticus. Mihi autem videtur juxta tropologiam, lunaticus esse, qui per horarum momenta mutatur ad vitia. Et nunc quidem in ignem fertur; quo adulterantium corda succensa sunt; nunc in aquas, scilicet voluptatum, vel cupiditatum; quæ non valent extinguere charitatem. S. Hieron. apud S. Th. in Cat. sup. 17. Matth.

Mare. Per rabiem maris designantur luxuriosi. S. Thom. in metr. 4. l. 1. de Cons. Phil. Mundus dicitur mare - ratione fœtoris quoad luxuriam. S. Thom. in 8. Apoc. Undæ maris sunt tentationes carnis. *Mirabiles elationes maris*, idest, carnis. Ex hoc multæ naves oneratæ, personæ scilicet pretiosis mercibus virtutum, impingentes fuerunt perditæ. S. Vinc. Ferr. s. 5. de S. Dominico.

Mel. Ad 14. tum dicendum: quòd mel non offerebatur in sacrificiis Dei - ad excludendam omnem carnalem dulcedinem, & voluptatem ab his, qui Deo sacrificare intendunt. S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 3. Mel distillant labia meretricis; quod est delectatio voluptatis corporalis. Sanct. Isidor. cap. 6. in 1. Reg.

Mercatori fatuo comparatur luxuriosus - fatuo bellatori; scilicet inermi. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 9.

Metropolis vitiorum. Clem. Alex. l. 2. Strom.

Mulus. Per mulum (ps. 31.) intelliguntur luxuriosi. Mulus luxuriosus est; tamen non generat. Sic peccata luxuriæ infructuosa sunt. Rom. 6. *quem ergo fructum habuistis tunc, &c.*

Equus portat sessorem indifferenter, & mulus onus quodcumque. Peccatori duo imponuntur: sessor scilicet diabolus; & onus, scilicet peccatum. Non sitis ergo sicut equus non discernens inter sessores; an scilicet Christus sit? an diabolus? nec sicut mulus; qui quodlibet onus, scilicet peccatum, indifferenter portat. S. Thom. in ps. 31.

Musca, idest, Regi Ægypti, qui occidit Josiam. 4. Reg. penult. Et comparatur muscæ propter immunditiam idolorum, & luxuriæ, quæ viget in Ægypto. S. Thom. in 7. Is. Musca nimis insolens, & inquietum animal est: in quo quid aliud, quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? S. Greg. l. 18. mor. 18.

Navis. Comparatur luxuriosus navi; quæ solum aquæ fluxum sequi permittitur. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 9.

Olla. Hæc olla. Jerem. 1. Infernum significare potest: in qua diabolus tanquam coquus, horribiles, carnes, idest, luxuriosos coquit. S. Bonav. s. 1. D. 12. Pent.

Ostium diaboli in Infernum luxuria est. S. Bonav. ser. 2. D. 4. Pent.

Pecora. Carnali concupiscentiæ dediti sunt pecora. Sanct. Isidor. cap. 3. in Gen. *Omne quod est in Mundo, &c.* - Primò ponit luxuriosos: & hi sunt Pecora campi, (qui dixerunt: *non sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*) Sanct. Thom. in psal. 8. Pecora campi congruentissimè accipiuntur homines in carnis voluptate gaudentes; ubi nihil arduum - campus est enim lata via. Sanctus Augustinus in psal. 8.

Porcus. Porcus significat vitam cœnosam. S. Isid. cap. 9. in Levit. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum, &c.* id est, de peccatis non confessis. - Venter eorum, idest, conscientia, vel memoria, vel carnalis concupiscentia, vel sensualitas. *Saturati sunt filii*, idest, peccatis. Alia littera habet: saturati sunt porcina, idest, immunditia peccatorum. Sanct. Thom. in psal. 16. Nota super illo *qui habitat in tabernaculo*: quia est multiplex tabernaculum. 1. Carnalis concupiscentiæ; quod est pecorum. Hebr. ultimò: *habemus altare, &c.* Cùm porcos audis, & canes, charissime; nè de brutis animalibus æstimes dici. Porci enim sunt; qui vitam suam cœnosam libidini, & voluptatibus sæculi manciparunt. S. Chrysost. hom. de Cruce Dom.

Portio diaboli. Adulterium qui facit, luxuriam exercet, aliena diripit; portio diaboli est. Pudicus autem, & continens, & misericors; Christi portio est. S. Ambr. serm. 16. in Is. 118.

Quercus. Multis ictibus dejicitur quercus. Quercus est fornicatio. Meus sermo securis est. Uno audisti die quomodo uno die cadat, quæ tanto tempore radices immisit? Si enim bis, si ter, si centies, si decem millies; non jam mirum (si cadat) S. Chrysost. hom. 3. Pœnit.

Renes malorum sunt opera luxuriosa. S. Vinc. Ferr. Ser. 7. D. 2. Adv.

Segena comparatur luxuriosus. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 9.

Scorpio, id est, luxuria. S. Thom. serm. 3. D. 4. Adv.

Siliquæ. Mundus est villa diaboli. S. Chrysol. serm. 2. de filio prod. Manducant siliquas, hoc est, voluptatibus corporis malè dulcibus inhiant, & pascunt dæmones; qui semper corporum vitiis saginantur, & sordibus. Id. ser. 5. de eod.

Spinæ. Ut spinæ, & tribuli, inter sata optima; ita sordidæ cogitationes in anima Monachi. S. Ephrem. serm. Ascet. de vita Religiosa.

Stercus. Comparatur luxuriosus stercori. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. cap. 9. Stercora dicuntur voluptates carnales. Psal. 112. S. Bonav. in ps. 112.

Sulphur. Per Sulphur potest intelligi suggestio ad actionem pravam; quæ habet fœtorem in conspectu DEI. S. Thom. in 9. Apoc.

Tinea, est libido. Arnobius c. 8. in Matth. Sicut tinea lanam devorat, & ligna; fœnum, & stipulam ignis comburit; ita delicata caro animam concremat, & consumit. S. Albertus Magnus parad. an. cap. 34. de discretione.

Tympanum, Job 21. significat peccatum luxuriæ, & carnalitatis. Nam primò tympanum est figuræ rotundæ. Psal. 11. *in circuitu impii ambulant*. Item tympanum est depictum: sic est persona luxuriosa tota ornata ad lasciviam. Item tympanum quando tangitur, in pelle tangitur. S. Vinc. Ferr. ser. 3. in Quinquages.

Vallis. Spiritualiter fundum, sive valles, signant personas luxuriosas. Ratio: quia sicut ad valles descendunt aquæ, & immunditiæ; sic ad personas luxuriosas - descendunt aquæ corruptionum. S. Vincent. Ferr. s. 3. D. 4. Adv.

Vineæ, est multiplex vinea: primò carnalis concupiscentiæ. Et hujus est primò vinum iræ. Deut. 32. *Fel draconum vinum eorum*. Secundò luxuriæ. Apoc. 18. *De Vino fornicationis*. Tertiò ineptæ lætitiæ. S. Thom. in 5. Is.

Vinum, quod Joannes bibere prohibet, luxuria intelligitur: ficera autem, carnis dulcedo. Arnobius c. 1. in Luc. Est vinum carnalis delectationis. Apoc. 18. *De vino iræ fornicationis, &c.* S. Thom. in 25. Jer.

M.

TITULUS I.

S. MAGDALENA.

Abyssus. Magnus thesaurus Ecclesiæ est Paulus, & Matthæus, & Magdalena: qui quondam fuerunt quasi quædam abyssus. S. Thom. in ps. 32.

Apostola. Facta est Apostolorum Apostola per hoc; quòd cu committitur; ut resurrectionem Christi Discipulis annuntiet. S. Thom. in 20. Joan. Lect. 3.

Arcus. *Arcum meum ponam in nubibus cœli*. Gen. 9. possunt hæc exponi de Maria Magdalena: quæ intelligitur per arcum cœlestem propter tria: ratione formæ, finis, & materiæ. Materia, est nubes aquosa; forma, est cærulea, rubea, versùs terram tenet brachia. 1. Humilitatem, 2. Charitatem, 3. Misericordiam erga peccatores significat. Finis, ut sciant omnes homines; quòd Deus non velit mortem peccatoris: arcus enim est signum fœderis. S. Thom. de S. Magdalena.

Ducatus illius. Timor, & spes, sunt duces peccatricis animæ. - Beata peccatrix, quæ talem meruit habere ducatum. Goffrid. ibid.

Figuram Ecclesiæ gerebat. S. Aug. s. 150. de temp.

Forma pœnitentiæ. Est felix discipula - est peccatoribus forma pœnitentiæ, spes veniæ. Goffridus Abb. serm. 9. de Sanct. Magd.

Medicina peccati hujus est oratio; lingua pia ostiaria facta est cœli. Goffridus ibid.

Prædicatrix gloriosa. Id. ibid.

Stella. Hodie illuminatur terra lumine Solis, Lunæ, & Stellarum. Sol Christus, Luna Angelus, Stellæ Mariæ; quæ Stellæ interpretantur. S. Thom. s. in festo Paschali.

TITULUS II.

MAGISTER.

Agricola. Est puer instar soli feracis. Quò uberius fortitur Ingenium, eò densiorem in sylvam fructificat; nisi diligentiæ agricolarum, idest, magistrorum laboribus excolatur. Sacchinus p. 2. c. 1. Protreptico.

Aquilæ. Professores inferiorum scholarum sunt velut aquila Tilgami Babylonis Regis; de qua Ælianus hist. animal. l. 12. c. 20. hæc Tilgamum adhuc infantem de turri præcipitatum, cùm prætervolaret, dorso exceptum in hortum detulit; ubi ab hortulano susceptus, & deinceps altus fuit. Sacchin. ibid. cap. 18.

Artifex. Puer sub præceptore tanquam statua, sub artificis manu constituta est. Id. ibid. c. 12.

Collegæ Angelorum. Agite agnorum Christi pastores, suaviorum ejus fratrum magistri; ejusdem, & Patris æterni adjutores, Angelorum collegæ: honorificate ministerium vestrum, ut facitis. Id. ibid. c. 4.

Lex. *Propheta* Homo, est filius Dei: hujus filii pædagogi, & præceptores, sunt Prophetæ, Lex. S. Bernard. Opusc. de fil. prod.

Palmes. Magistri scholarum inferiorum sunt palmites fructuosi; Societas verò Jesu est vitis. Sacchin. cit. ibid. c. 16.

Parens. Inter Christianos jam inde ab initio nascentis Ecclesiæ habiti Patres, & nominati sunt, Catechistæ. Clemen. Alex. l. 1. Strom. initio.

Sal Sacerdotes sunt sal Ecclesiæ, præceptores sal scholæ; prætores sal curiæ. Carolus V. Imperat. teste Cornel. à Lap. in 5. Matt.

TITULUS III.

MALUS HOMO.

A*Rena* sunt homines mali, Mundus mare. Sanct. Thom. in 12. Apoc.

Chimæra. Falsi, & ficti Christiani; de quibus dicitur: *Confitentur se nosse Deum, &c.* Tit. 1. tales sunt sicut chimæra. S. Bonav. diet. sal. t. 5. c. 3.

Ficus mala. Ficus bonæ in uno calatho, significant bonos, & justos; ficus malæ in altero calatho, de quibus Jerem. 24. significant malos. S. Thom. in 24. Jerem.

Gutta noctium. Cant. 5. infidelitate plenas, frigidasque mentes significant. - Nam tales Sanctos Dei persequuntur, quasi cincinni sponsi pleni sunt guttis noctium. Sanct. Thom. in 5. Cant.

Jumenta impudica, & insipientia sunt homines stulti, carnales, Deum præ oculis non habentes. Sanct. Thom. de Sacr. Alt. cap. 3.

Lupi dicuntur mali propter tria: propter nequitiam, propter invidiam, propter sævitiam. S. Thomas serm. 1. in festo S. Lucæ Evang.

Palea. Dicitur Ecclesia torcular: quia sicut in torculari separatum vinum à vinatiis; sic in Ecclesia boni separantur à malis. Eadem ratione dicitur & arca: quia separatio fit grani à paleis. S. Thom. in psal. 8. Aream qui duxit, Mundum istum intelligit; frumentum verò sancti, & Fideles, intelliguntur paleæ autem perditi homines. Arnobius cap. 4. in Matth.

Principes. O Principes? idest, o mali homines! *attollite portas vestras*, idest, elevetis impedimenta, quæ opponitis, nè homines accedant ad Deum. Et vos portæ æternales, id est, æternum, & antiquum impedimentum, elevamini, idest, removeamini. S. Thom. in ps. 23.

Sylvæ lignæ intelligimus vagos homines esse, & vanos, æterno incendio præparatos. S. Isidor. c. 6. in Judic.

Spina, Vepres. Devorabitur spinas ejus, & vepres, & gloria saltus ejus, (intellige, igne consumetur) Is. 10. Quantùm ad minores (homines malitiosos) spina, & vepres dicit; quæ non multùm crescunt. Et gloria saltus ejus, quantùm ad magnos; qui propter dignitatem comparantur altis arboribus. Sed quia sylvestres, & infructuosæ, ideo consumentur. S. Thom. in 10. Is. Veprem, id est, populum vitiosum. Idem in 9. Is.

Ventus. Perversitas hæreticorum, tentatio dæmonum, crudelitas tyrannorum, malignitas falsorum Christianorum, sunt quatuor venti, quibus navicula Petri agitatur. Sanct. Thom. ser. 2. D. 2. Epiph.

TITULUS IV.

MANUS.

A*Micus*. Manum nostram appellat necessarium amicum. V. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 9. Marci. *Si autem manus tua scandalizat te, &c.* Matth. 18. Non de membris corporalibus hoc dicit, sed de amicis, quos in ordine necessariorum membrorum habemus. S. Chrysost. apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth. In manu, & pede, amici designantur necessarii: in manu propter opera; in pede propter discursum. S. Haymo hom. in festo S. Mich. Arch.

Arcus. Pro arcu ad orationem manus tuas extende. - Verè enim arcus est contra inimicos expansæ in oratione manus. S. Ephr. Panopl.

Auxilium. Per manus, potentiam; per dexteram auxilium, & in rebus secundis opem, accipimus. S. Joan. Damasc. Orth. fid. l. 1. cap. 14. *Manus Domini erat cum illo*, id est, Divinum adjutorium. S. Haymo hom. in festo S. Joan. B.

Diaconus. Sacerdotes, rationabiliter possunt dici, Ecclesiæ oculi; quoniam speculatores habentur: Diaconi autem, cæterique, manus: quia per eos opera spiritualia geruntur. Origenes apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth.

Intentio. *Te autem faciente eleemosynam nescint sinistra*, id est, intentio prava; dextera, id est; dilectio proximi. Sanct. Tho. Opusc. de Sacr. Alt. cap. 8.

Justitia. Nota, quòd est manus Divina triplex. - Secunda manus est justitiæ. Et hæc est triplex. 1. Tangentis ad probandum. Job 19. *Manus Domini tetigit me*. 2. Flagellantis ad purgandum. 2. Machab. 6. *Nam etsi in præsenti, &c.* 3. Opprimentis ad condemnandum. Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei*. S. Thom. in 8. Is.

Misericordia. Notandum, quòd duæ sunt manus Dei, quibus sanat omnes: scilicet potentia, & misericordia. - Secunda manus est misericordia, quæ habet quinque digitos. 1. Est considerare, quia dedit nobis Filium suum Unigenitum. 2. Quia omnia bona nobis communicat. 3. Est, quia non statim punit. 4. Intercipiendo. Exemplum de filio prodigo, Luc. 15. 5. Quia semper in omni hora recipit: quia, postquam receperit, numquam peccatorum recordatur. S. Thom. serm. de duplici manu Dei. Tertia manu est manus misericordiæ. Et hæc est triplex. Prima sanantis. Job 5. *Ipse vulnerat, & medetur*. Secunda pascentis. Psal. 94. *Populus pascuæ ejus, & manus ejus*. Tertia coronantis. Sap. 5. *Accipient diadema de manu Domini*. S. Thom. in 8. Is.

Manus corporis. Manus dicta, quòd sit totius corporis munus. S. Isid. Orig. l. 11. c. 1.

Potentia. Per manus potentiam accipimus. S. Joannes Damasc. Orth. fid. l. 1. cap. 14. Notandum, quia duæ sunt manus Dei: scilicet potentia, & misericordia: Prima manus Dei habet quinque digitos. 1. Quia ejus potentiæ nemo potest resistere. 2. Quia eam nullus potest effugere. 3. Quia nullus poterit sustinere. 4. Quia potentia judicis non poterit corrumpi, neque muneribus. 5. Nec falsis allegationibus. S. Thom. de duplici manu Dei. Per manus ergo Dei intelligitur potentia Dei operativa. Et hæc est quidem dextera, qua exaltat bonos in spiritualibus bonis. - Sinistra est; quæ punit malos, & largitur temporalia. S. Thom. in psalm. 20. Manus Dei, dicitur virtus ejus operativa. Et Deus habet duas manus: scilicet dexteram, qua remunerat bonos; & sinistram, qua punit malos. Matth. 25. Statuet hædos à sinistris; oves à dextris. S. Thom. in psalm. 47. Manus tua, id est, potentia tua: nam per membra in Deo signatur actio, quam exercemus per ipsam. Idem in ps. 43.

Potestas. Tradidit eos in manus Sisaræ, idest, potestati diaboli. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 2.

Protectio. In manu, idest, in protectione - mysticè Ecclesia, quasi corona Filii Dei. S. Thom. in 62. Is.

Vinculum. Vincula trahentia, sunt manus mulieris. S. Tho. ser. 2. D. 4. Adv.

Voluntas. Sicut oculus dirigit manus in opere; sic intellectus regulat affectum. S. Bonav. diet. sal. t. 6. c. 1.

TITULUS V.

MANUS DEXTERA.

Æ*Stimabile*. Pro dextera habere dicimus, quidquid pro magno pensamus: pro sinistra verò, quod pro nihilo ducimus. S. Isid. c. 5. in Judic.

Dilectio pura. *Te faciente eleemosynam, &c.* Vide in priori litera *Manus. Intentio*.

Prosperitas per dexteram signatur. S. Tho. in ps. 43. Dextera tua, idest, gloria futura. S. Thom. in ps. 47.

Sæculum futurum. Per lævam vita præsens designatur; per dexteram futura. S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

TITULUS VI.

MARE.

B*Aptismus* est mare. S. Thom. in 4. Apoc.

Cura Sæculi. Cùm videris avarum hominem ab aliquo Petro correctum, qui abstulit de ore ejus verbum pecuniæ; dices, eum ascendisse de mari, idest, de fluctibus sollicitudinum avaritiæ, ad hamum rationabilem, & comprehensum, atque salvatum ab aliquo Petro; qui eum docuit veritatem, ut pro statere habeat imaginem Dei, idest, eloquium ejus. Orig. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 17. in Matth. Mare, juxta quod venit Jesus. Matth. 15. turbida hujus sæculi volumina significat. Glossa apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 15. Matth.

Damnatio. Mysticè in mola asinaria sæcularis vitæ circuitus ac labor, exprimitur: & per profundum maris extrema damnatio designatur. S. Greg. l. de past. cura p. 1. c. 2. apud S. Tho. in Cat. sup. 9. Marci.

Fortuna. Boetius comparat fortunam salo, id est, mari: sicut enim navis undis marinis jactatur in altum nunc, & nunc in profundum; sic homo per fortunam nunc in prosperitate levatur, nunc in adversitate deiicitur. S. Thom. in metr. 5. l. 1. de Cons. Phil.

Gentiles. Montes, id est, Apostoli, transferent se ad Gentes. Act. 13. *Ecce convertimur ad Gentes*, in cor maris, id est, in dilatationem gentium: quia gentes habuerunt Apostolos in magna reverentia. S. Thom. in ps. 45. Apostoli, per rete prædicationis pisces, id est, homines, de profundo pelagi, id est, infidelitatis ad lucem fidei traxerunt. Remigius Altissiodorensis apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Marci. Mysticè per terram. Psal. 45. quæ solida est, intelligitur Judæa: quæ solida fuit in cognitione unius Dei, & fixa, & cingebatur gentibus, sicut terra circumdatur mari. S. Thom. in ps. 45.

Infernus. *Dicetis monti huic*, idest, superbo diabolo, *transi hinc*, id est, ab obsesso corpore, in altum maris, id est, in profundum Inferni; & transibit. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 17. Matth.

Mutabilitas. Romani status agitur semper alterna mutatio, & velut forma Oceani maris, quæ omni die dispar. Paulus Orosius l. 6. histor. c. 14.

Pœnitentia; est turbativa instar maris - *Magna est, velut mare, contritio tua*. Thren. 2. S. Bonav. diet. Sal. t. 2. c. 21.

Populi. Per aquas maris intelligimus populos. Apoc. 17. *Aquæ multæ, populi multi sunt*. S. Thom in ps. 32.

Prosperitas. Piscatores, scilicet Chaldæos mittam; qui quasi in mari prosperitatis, & voluptatis, viventes eos (Judæos) ceperunt. S. Thom. in 16 Jerem.

Schola Religiosa sunt - mare quoddam latè diffusum. Sacchinus in Protrept. c. 14.

Societas mala. Mare consortium malorum significat. S. Tho. in 13. Apoc.

Tribulatio. In malis, aqua maris intelligitur tribulatio hujus vitæ. S. Thom. in ps. 32. Mare significat multas miserias hominis. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 24. Ecclesia fundata est super maria, idest, super tribulationes: & super flumina, id est, persecutiones, quibus præparata est Ecclesia ad coronas Martyrum. Vel super maria, idest, amaritudines. S. Thom. in psalm. 23.

TITULUS VII.

SANCTI MARTYRES.

A*Cervus testimonii*. Galaad, *acervus testimonii* interpretatur. Quid autem per acervum testimonii, nisi multitudinem Martyrum intelligimus? Sanct. Gregor. sup. 4. Cant. Acervus Galaad, idest, testimonii, sunt Martyres. Sanct. August. in ps. 59.

Agni. Martyres proprio sanguine propitiatorium nobis omnibus facti, in holocausta seipsos pro nobis obtulerunt. Velut agni innocentes, atque irreprehensibiles, & immaculati, primitiæ pro omni populo facti. Sanct. Ephr. t. 4. Encom. Martyr.

Amici Christi. S. Aug. serm. 28.

Aurei. Circumdata (Ecclesia) *varietate*, Idest, diversis virtutum operibus. Quia alii fuerunt aurei per martyrium; alii rosei per gemitum pœnitentiæ, &c. S. Thom. in ps. 44.

Baptismi genus martyrium: quod cæteris eo augustius est; quòd nullis postea sordibus contaminatur. S. Greg. Naz. orat. 39. in Sancta lumina.

Calix tuus inebrians, &c. Psal. 22. Hoc calice inebriati erant Martyres; quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. S. Aug. in ps. 35.

Canes. Eos ipsos, qui usque ad sanguinem fuerant pro fide Evangelica certaturi, etiam canes vocat. Psalm. 67. Non illos. Philipp. *Cavete canes* - sed - canes laudabiles - fidem servantes Domino suo. Sanct. Aug. in ps. 67. Hos figurabant trecenti cum Gedeone. Judic. 7. qui aquam ut canes lamberunt. Id. ibid.

Cives. Civitatis Dei. S. Aug. l. 10. de Civ. Dei c. 21.

Columnæ fidei, & charitatis vincula, viva fundamenta. S. Ephr. c. 3. in Encom. MM.

Equus. Aspicit (Zacharias) equos missos ad prædicationem Mundi. Primum rufum, prædicationem martyrii; secundum nigrum, squalorem pœnitentiæ; tertium album, candorem baptismatis. - Equum quoque in figura plebis hæreticorum; & ascensorem ejus diabolum. S. Isid. lib. Procœm.

Fructus justitiæ. Spinas, quas dixit, & tribulos, hæreses intelliguntur: de quibus fructum justitiæ nemo colligit, hoc est Martyres ex hæreticis nemo meminit. Arbor autem mala vetus homo est, qui malos fructus facit, hoc est, peccata. - Arbor autem bona, Crux est. Arnobius c. 10. in Matth.

Frumentum non ponitur in horrea, nisi theca ejus fuerit fortiter conculcata in paleis. Ita anima mea non potest in paradisum intrare cum palma martyrii; nisi corpus meum permiseris à carnificibus lacerari. Sanct. Agata apud Sanct. Bonav. de ea.

Genu Ecclesiæ. Possunt per genas Ecclesiæ, Martyres figurari: qui rubicundi sunt effusione sanguinis sui, velut malum Punicum. S. Thom. in 4. Cant.

Granum sinapis, Martyres nostri sunt. Felix namque, & Victor, habebant odorem fidei; sed latebant. Venit persecutio; arma posuerunt, colla flexerunt, contriti gladio: per totius terminos Mundi gratiam sui sparsere mysterii. S. Ambr. in S. Luc. l. 7.

Heroes nostri. Hos multò elegantiùs, si Ecclesiastica consuetudo pateretur loquendi, nostros heroes vocaremus. S. Aug. l. 10. de Civit. Dei c. 21.

Holocausta sunt Martyres. S. Thomas in ps. 50.

Lucernæ. Christus Sol, S. Joan. Bapt. & Martyres Lucernæ. S. August. de Verb. Dom. serm. 43. apud S. Thom. in Cat. sup. 5. Joan.

Mala granata sunt Martyres. S. Isidor. in Cant.

Mala Punica. Per mala Punica Martyres designari diximus. Sanct. Greg. in 7. Cant. Malorum Punicorum, idest, Sanctorum Martyrum. S. Isidor. in Cant. Mala Punica Martyres significant. S. Thom. in 2. Cant. Martyres - rubicundi sunt effusione sanguinis sui, veluti malum Punicum. S. Thom. c. 4. in Cant.

Mare rubrum. Sicut Israelitæ per mare Rubrum, ita Martyres per martyrium sunt traducti. S. Bonav. expos. 2. ps. 118. c. 7. v. 15. a. 4.

Milites Christi, pugiles fortes. Beati sunt hi pugiles, qui lucem, & vitam æternam modò participant. - Filii castæ, ac verecundæ Christi Ecclesiæ; turres graves Sion, quæ in cœlis est. Christus sapiens eorum Magister, & belli Princeps, ac Victor. S. Ephr. t. 3. in Encom. MM.

Myrrha. Per myrrham significamus illos, qui dediti sunt amaritudinibus carnis, ut Martyres. Sanctus Anselmus in 3. Cant.

Oriones. Quid per Oriones, nisi Martyres designantur? Oriones ergo cœlum edidit, cùm S. Ecclesia Martyres misit. S. Greg. l. 9. mor. cap. 6. Oriones signant Martyres: nam sicut istri nascuntur in cœlo tempore hyemis; ita in Ecclesia procedunt Martyres tempore persecutionis. Procedentibus Orionibus mare turbatur, & terra; obortis verò Martyribus terrenorum, & Infidelium corda tempestate jactantur. S. Isidor. de nat. rer c. 26.

Pisces assi sunt Martyres; ut Laurentius. S. Thom. serm. 2. D. 7. Pent.

Poma. Quando, gentilibus persequentibus, Ecclesia deserta visa est; in cœlestem mensam spiritus Martyrum, tanquam de horto Dominico, multa, & suavissima poma transiverunt. S. Aug. in ps. 78.

Rami sunt Martyres. S. Aug. ser. 82. in Append.

Rosa, significat Martyres, propter effusionem sanguinis. S. Thom. in Assumpt. B. V.

Serpentes Celebramus diem Sanctorum Martyrum: qui velut boni serpentes, depositis carnis exuviis, tentationum hyemalium rigore superato, & Spiritus Sancti renovati gratia, æstiva modò luce fulgere. S. Ambros. ser. 6. in ps. 118.

Tympanum. Martyres percutiebantur in martyrio variis cruciatibus sicut tympanum; & clamabant ut fistula parva, dicendo: Christianus sum. S. Vinc. Ferr. s. 1. de OO. SS.

TITULUS VIII.

MEMBRA CHRISTI DOMINI.

AURES.

A*Uris* Dei, est *Voluntas* exaudiendi. S. Thom. in ps. 30.

BRACHIA.

Adventus Christi. Hæc sunt duo brachia sponsi; inter quæ sponsa dormiens ajebat. Cant. 2. *Lævæ ejus sub capite meo, &c.* S. Bernardus serm. 4. in Adv. Lævum autem brachium est Incarnatio. Dextrum autem, quo sponsus amplexabitur sponsam, est Adventus: quo assumet Christus Fidelem animam ad cœlum. S. Bernard. ibid.

CAPILLI.

Angeli, & *Sancti*. Hic (Dan. 7.) signat per vestimentum candidum Dei, quod & per capillos capitis ejus, sanctos videlicet Angelos, & multitudinem Sanctorum dealbatorum. S. Anselmus l. de membris, & actibus Deo attributis.

CAPUT.

Divinitas. Figuraliter in Deo caput cùm legimus, ipsam essentiam Divinitatis ejus, quæ omnia præcedit, & cui sunt omnia subjecta, intelligere debemus. S. Anselmus ibid.

FACIES.

Misericordia. Facies Dei, est ejus misericordia: dorsum justitia; quod in Judicio ostendet malis. S. Vinc. Ferr. serm. 2. D. 17. Pent.

Cognitio. Facies Dei est cognitio, qua Deum cognoscimus: aut invisibilis Deitas; quemadmodum posteriora Christi est Humanitas. Unde dicitur. Exod. 33. *Posteriora mea videbis; faciem autem meam videre non poteris*. S. Anselmus ibid.

Sacramenta. *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini*, idest, ad Sacramenta Christi. S. Thom. in ps. 41.

Facies Dei, est *Potentia*, qua dignis innotescit. S. Aug. in ps. 10. Avertere autem faciem Deus dicitur, dum non dat animæ notitiam sui. Idem in ps. 12.

L A B I A.

Testamentum utrumque. S. Anselmus ibid. Labia sua Deus aperit, cùm voluntatem suam hominibus per aperta judicia ostendit. S. Greg. l. 10. c. 4.

L I N G U A.

Lingua Christi, Spiritus Sanctus est. S. Anselmus ibid.

M A N U S.

Manus Domini, *Tribulatio*. Unde dicit Job: *Manus Domini tetigit me*. Id. ibid.

Dextera, & sinistra. Per manus DEI intelligitur, potentia DEI operativa. Et hæc est quædam dextera; quæ exaltat bonos in spiritualibus bonis - Sinistra est: quæ punit malos; & largitur temporalia. - Dextera est Christus. S. Thom. in ps. 20. Manus tua, idest, Potentia tua. Nam per membra à Deo signatur actio, quam exercemus per ipsam. Id. in psalm. 41. Manus Dei dicitur virtus ejus operativa. Et Deus habet duas manus, scilicet dexteram, qua remunerat bonos; & sinistram, qua punit malos. Matth. 25. *Statuet oves à dextris, &c.* Sanct. Thom. in ps. 47.

Gloria futura. Dextera tua, idest, gloria futura. S. Thom. in ps. 47.

Nota, quòd est manus Divina triplex. 1. Est manus Divinæ potentiæ. Et hæc est triplex. 1. Creantis. Job 1. *Manus tua fecerunt me*. 2. Continentis. Psalm. 49. *In manu tua Domine omnes fines terræ*. 3. Protegentis. Ps. 94. *In umbra manus tuæ protexit me*. Secunda manus, est manus justitiæ. Et ista est triplex. 1. Tangentis ad probandum. Job 19. *Manus Domini tetigit me*. 2. Flagellantis ad purgandum. 2. Machab. 6. *Nam etsi in præsenti, &c.* 3. Opprimentis ad condemnandum. Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus DEI*. Tertia manus, Est manus misericordiæ. Et ista est triplex. 1. Sanantis. Job 5. *Ipse vulnerat, & medetur*. 2. Pascentis. Psal. 94. *Populus pascuæ ejus, & manus ejus*. 3. Coronantis. Sap. 5. *Accipiet diadema de manu Domini*. S. Thom. in 8. Is.

O C U L I.

Oculos dicitur habere, pro eo, quòd omnia videt, & nihil eum latet. Aliter etiam oculi respectu gratiæ ejus intelliguntur; ut est in psalmo: *Oculi Domini super justos*. Item aliter oculi dicuntur præcepta ejus, per quæ lumen scientiæ subministrat, mysticè accipiuntur. Sanct. Anselmus citatus. Quid per palpebras DEI, nisi ejus judicia accipimus? quæ juxta aliquid clauduntur hominibus, juxta aliquid referantur. S. Greg. l. 28. cap. 18.

O S.

Os Dei, quo loquitur, sunt Prophetæ. S. Thom. in 30. Is.

Liber. Deus loquitur tecum, quando legis, vel studes in bono libro. Liber enim est Os Dei. S. Vinc. Ferr. de S. Joan. Evang.

P E D E S.

Pedes Domini, Incarnatio Christi intelligitur; de quo: *omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Id. ibid.

Aliter pedes Domini, id est, Jesu Christi, significati sunt sancti prædicatores; de quibus in Deuteronomio scriptum est: *qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius*. Id. ibid.

Pes Christi alter, est misericordia, alter judicium ejus tremendum. S. Bernard. serm. 6. in Cant. Felix mens, cujus semel Dominus Jesus infixerit pedem. (Vestigia istorum pedum) sunt timor, & spes: ille judicii, iste misericordiæ, repræsentans imaginem. Alterum sine altero osculari non expedit: quia & recordatio solius judicii in barathrum desperationis præcipitat; & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem. S. Bernardus ibid.

U B E R A.

Duo Ubera Christi sunt ejus expectatio erga peccatorum conversionem; & benigna eorundem susceptio. Ubera duplex ejus misericordia: una longanimitas, altera clementia. S. Bernard. serm. 9. in Cant.

U T E R U S.

Quid per uterum Dei, nisi ejus consilium debemus accipere quippe in quo ante sæcula per prædestinationem concepti sumus; ita ut creati per sæcula producamur. S. Gregor. l. 14. mor. c. 22.

T I T U L U S IX.

M E M B R A H O M I N I S.

A U R E S.

Auricula Samuelis, quia diminutivè dicitur, quid designat? nisi humilem intelligentiam Doctoris spiritualis. Sanct. Greg. l. 4. c. 4. in 1. Reg.

Auris prima (Adam, & Evæ) mortis janua fuit. S. Bernard. ser. 28. in Cant.

Aures, Pœnitentiarii. S. Bernard. s. 1. D. 10. Pent.

Donum Prophetiæ assimilatur auditui: quia Propheta non videt Dei essentiam, ut in eo videat revelata; sed quædam signa revelata fiunt in anima Prophetæ: & hæc signa habent se per modum locutionis. 1. Reg. 3. *Loquere Domine, quia audit servus tuus*. S. Thom. in ps. 50.

C A P I L L I.

Cogitationes superflua. Levitarum pili radi præcepti sunt. Num. 8. non evelli: rasis enim pilis in carne radices remanent, & crescunt, ut iterum radantur. Quia magno quidem studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt; sed tamen amputari funditus nequaquam possunt. S. Greg. l. 5. c. 23.

Superflua. Qui tali humanitate (qua Magdalena tersit pedes Christi) pedes Domini suscipit; quid impendit, nisi quæ habebat in domo superflua? Superflua tua, necessaria sunt tibi, si inde fueris obsecutus pedibus Domini. Sanct. August. in ps. 140.

C O R.

Ærarium est cor justi. S. Bonav. ser. 3. fer. 2. Paschæ.

Ager. - Quanto labore colitur ager pro fructum temporali unius anni? quantò plus ager cordis pro fructu in æternum manente? S. Bonav. serm. 3. D. infra Octav. Ascens. Cor nostrum (DEUS) tanquam agrum visitare dignetur. S. Aug. in ps. 58. Conc. 2.

Altare est cor nostrum; in quo jubetur ignis semper ardere Levit. 6. S. Gregor. l. 25. mor. c. 7. Quid est cor electi auditoris, nisi altare DEI? Quando enim bona loquitur Doctor ore, & ostendit opere; victus in manu est; quando autem, & quod dicit, & agit, auditoribus persuadet; victima in altari est. S. Gregor. l. 6. c. 3. in Reg.

Arca. De cordis arca profer laudis incensum; de cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei: quidquid profers accende charitate. S. Aug. in ps. 55. O homo! cor tuum sit potiùs arca DEI; ubi habitent divitiæ DEI. S. Aug. in ps. 63.

Caminus DEI. Cor amantis caminus est DEI inflammantis. Sicut enim cor est speculum DEI, arca DEI, ager DEI; ita & caminus DEI. Unde & cor justum, tanquam speculum debet esse mundum, ut arca opulentum, tanquam caminus accensum, tanquam ager frugiferum. S. Bonav. serm. 2. fer. 2. Paschæ.

Codex. Nota, quòd cordis, & codicis, triplex est convenientia; quarum prima est in Scriptura, secunda in pictura, tertia in ligatura. S. Bonav. expos. ps. 118. c. 1. v. 11. a. 1.

Consilium. Tres sunt partes in homine: Caput, Cor, Pes; supremum, medium, & infimum. Caput, liberum arbitrium; Cor, consilium; Pes, carnale desiderium, scilicet sensualitas. S. Bonav. in ps. 114.

Cubile. Hæc (corda) sunt cubilia; de quibus & Dominus monet, ut intus oremus clausis ostiis. S. August. in ps. 4. Cubile nostrum, est cor nostrum: ibi tumultum patimur malæ conscientiæ. S. Aug. in ps. 35.

Curia nostra, est Cor. S. Greg. l. 35. c. 26.

Firmamentum. Cœlum firmamentum; firmum cor; non timidum cor. S. August. in ps. 18.

Grabatum. Tollat grabatum suum, regat cor suum: jam eat in domum suam, intret in conscientiam suam. S. Aug. in ps. 100. In sacro eloquio lectulus, cubile, vel stratum, secretum solet cordis intelligi. S. Greg. l. 8. mor. c. 17.

Hortus. Cor nostrum, hortus est bonorum operum in fructificatione; thalamus in dilectione, templum in oratione. S. Bonav. s. 6. in Rogat.

Hospitium Dei. Exigit Dominus à nobis totum cor. Matth. 22. quasi proprium hospitium. S. Bonav. s. 2. D. 17. Pent.

Liber. Corda nostra sunt libri. Sanct. Chrysost. hom. 22. ad Pop.

Manus, & lingua concordent. Quid est manus Gentium? facta benè operantium. *Jubilate DEO in voce exultationis*. Et voce, & manibus: si tantùm voce, non bene: quia pigræ sunt manus. Si tantùm manibus; nec hoc benè: quia muta est lingua. Concordet manus, & lingua. S. August. in ps. 46.

Mare. Flumina in mare currunt; & cupidi labuntur in sæculum. S. Aug. in ps. 23. Quid est mare, nisi cor nostrum furore turbidum, rixis amarum, elatione superbiæ tumidum, fraude malitiæ obscurum. S. Gregor. l. 28. c. 18.

Misericordia. Una res ex necessariis, quibus salus ipsa continetur, misericordia est. Quare meritò in corde virtutis ipsam collocavimus, & cor ipsum esse censemus. Quod quidem cor, nisi cæteris omnibus spiritum præbeat, velociter extinguitur. Nam quemadmodum fons, si aquarum flumina in seipso quasi stagnum quoddam retineat, facilè putrescet. Eodem certè modo divites; cùm in seipsis opes suas detineant, marcescunt. S. Chrysost. hom. 48. in Matth.

Molendinum. Cor nostrum simile est molendino semper molenti: quod dominus cuidam servo suo custodiendum dedit præcipiens ei; ut suam tantùm annonam, videlicet frumentum, vel hordeum, vel etiam avenam, in ea molat; & eodem, quod moluerit, & ipse vivat. Verùm illi servo quidam inimicatur; qui huic molendino semper insidiatur. Qui, si quando illud vacuum invenerit; aut arenam ibi statim projicit, quæ illud dissipat; aut picem, quæ conglutinat; aut aliquid, quod fœdat; aut paleam, quæ illud tantùm occupat. - Hoc itaque molendinum semper aliquid molens, cor est humanum, assiduè aliquid cogitans. Hoc DEUS unicuique homini servandum tradidit, jubens, ut in eo molat illos tantùm cogitatus, quos ipse suggerit. Sed quia homini semper adversatur diabolus, & semper insidiatur cordi illius: qui si aliquando vacuum bonis cogitationibus invenerit; statim replet, si potest, malis. Harum autem malarum aliæ cor dissipant; ut iræ, & invidiæ: aliæ conglutinant, & coinquinant; ut gastrimargiæ, & luxuriæ: aliæ tantùm occupant; ut vanæ gloriæ, non nimis nocivæ. Hic igitur homo si cor suum benè custodierit, sanctosque benè cogitatus in eo revolverit, munda per os verba, per foramen molendini emittuntur; mundus per oculos visus, mundus per aures auditus, mundus per os gustus, mundus per nares odoratus, mundus per totum corpus tactus. S. Anselmus lib. de similitudinibus.

Nidus. Cor est nidus; verbum ovum; bonum opus pullus; qui fovetur, nutritur. S. Bonav. in ps. 118.

Paries. Per Ezechielem præpositorum persona signatur; per parietem. Ezech. 8. duritia subditorum. Et quid est, parietem fodere, nisi correptionibus duritiam cordis aperire? Sanct. Greg. l. 2. c. 4.

Pascua. Ventrem, cordis interna nominat Propheta Abac. 3. quia sicut venter cibis, cor sic sensibus pascitur. S. Chrysologus s. 68.

Passer. Cor, tanquam passer; caro, tanquam turtur. S. Aug. in ps. 83.

Patena, dicitur à patendo; cor latum, & amplum signat. Innocentius P. l. 2. c. 58.

Pelvis. Cor hominis in negotiis occupatum, est sicut pelvis plena aqua, sed commota. Sed separatum (cor à negotiis) est sicut aqua quieta: & tunc apparet in eo imago Divinæ revelationis. Innocentius Pap. in Octava SS. Innoc.

Petrarum caverna, sunt corda obstinatorum (in his requiescunt dæmones.) S. Bonav. s. 1. in Sabbato sancto.

Rex. Cor Ægypti, idest, Rex, & Princeps: ex quibus totus vigor Ægypti. S. Thom. in 22. Is.

Sepulchrum. Quia sepulchra mortuorum corpora tegunt; quid aliud per sepulchra, quàm reproborum corda signantur; in quibus extinctæ à vita beatitudinis animæ velut in sepulchris latent. Sanct. Greg. l. 15. cap. 29. Sicut illud cor cœlum est, in quo vivit Christus; ita illud pectus sepulchrum, in quo Christus adhuc habetur mortuus, & sepultus. S. Chrysol. ser. 75.

Templum. In cujus templo (corde) hic non ascenderit Christus; cœlum non ascendit ille cum Christo. Sanct. Chrysol. serm. 85.

Terra. Lingua est vomer; terra est cor. S. Greg. hom. 2. sup. Ezechiel.

Tuba ductilis malleo producitur; ita Christianorum cor in DEUM pressurarum plagis extenditur. S. August. enarr. 2. in psal. 36.

Venter. Ventrem, cordis interna nominat Propheta Abac. 3. quia, sicut venter cibis, cor sic sensibus pascitur. S. Chrysol. sal. 75.

C A R O, C O R P U S.

Ager est Corpus nostrum. S. Vinc. Ferr. s. 6. de Acedia.

Arena subtilis est corpus nostrum. S. Chrysol. s. 142.

Carcer animæ corpus est; de quo psal. 141. *adhuc de carcere animam meam*. Innocentius P. l. 1. de cont. Mundi c. 19.

Castrum. Corpus nostrum castrum est, quod DEO contra hostes custodire debemus. Sanct. Vincent. Ferr. serm. de Sanct. Matthæo.

Chorda. Siccatur chorda, ut congruum sonum reddat: quia & sancti viri castigant corpus suum. Pensandum quoque, quòd chorda in cithara si minùs tenditur, non sonat: si amplùs; raucum sonat. Quia, virtus abstinentia, aut omnino nulla est, si tantùm quisque corpus non edomet, quantum valet: aut valde inordinata est; si corpus atterit plus; quàm valet. Sanct. Gregor. l. 20. mor. cap. 30. Chorda est corpus; quod tenditur, & maceratur. - Chorda siccatur, & tenditur; ut sonum reddat: carò hominis à malo mundatur. Siccatur per abstinentiam, tensa per patientiam. S. Bonavent. in ps. 97.

Cithara significat corpus nostrum; psalterium, dilectionem DEI, & proximi. S. Aug. enarr. psal. 32. Sic utitur anima corpore, quomodo utitur citharista psalterio. S. August. Conc. 2. in ps. 48.

Cœlum. Corpus hominis, quia est maximè complexionatum, & magis remotum à contrariis; igitur est simile cęlo. Sanct. Thom. 1. p. q. 76. a. 5. 2.

Congeriem malorum operum significat corpus. S. Bonav. in ps. 24.

Conjux. Corpus significat quandoque conjugem. 1. Cor. 16.

Fornicatur in corpus suum. S. Bonav. in ps. 24.

Domicilium animi corpus est, vas animæ, murus spiritus; virtutum schola, Dei templum, in scenam criminum, voluptatum rediget in theatrum (diabolus.) Sanct. Chrysol. ser. 12. Corpus dicamus domum, spiritum dicamus habitatorem domus. S. Aug. Conc. 2. in ps. 64.

Equus. Sciendum, quòd in S. Scriptura corpus nostrum spiritui comparatum dicitur equus. Ratio: quia sicut miles regit equum; ita corpus nostrum regitur à spiritu equitante; eundo ante per opera bona, vel refrænando per temperantiam. S. Vinc. Ferr. s. de S. Joan. Evang.

Gurgustium animæ, corpus est. S. Ambros. l. 5. c. 21.

Instrumentum musicum. Formatum corpus hominis, juxta præceptum Domini, quasi instrumentum erat, quod egebat aliquo se movent (anima.) Imò sicut lyra, quæ opus habet aliquo, qui possit arte, & scientia sua, convenientem illi melodiam repræsentare. Sanct. Chrysostom. homil. 13. in Genes.

Laqueus. Ipsi gestamus laqueum nostrum - carnem hanc loquor de peccato natam, in peccato nutritam. S. Bernard. s. 5. in Quadrag.

Lectus. Quis est iste lectus, nisi corporis nostri species? namque in gemmis aer specie fulgoris ostenditur, in auro ignis, aqua in argento, terra per lignum. Sanct. Ambr. l. 3. de Virginib.

Lectus doloris. Hic lectus, qui tolli jubetur. Luc. 5. quid est aliud? nisi quia jubetur humanum corpus attollit? lectus doloris est. Sed si quid secundùm Christi præcepta se gesserit; jam non lectus doloris est, sed quietis. S. Ambros. l. 5. in Luc. Quis lectus doloris nostri, nisi corpus nostrum? in quo anima jacet dolens, & dolet, quòd cœlum repetere cupiens premitur corporis terra. S. Chrysol. s. 14.

Mortalitas. Corpus significat mortalitatem. Rom. 7. S. Bonav. in ps. 24.

Navis est corpus nostrum. Marci 4. S. Chrysol. ser. 21.

Oculus. Caro non potest videre, nisi corporalia. Sicut ille, qui coram oculis teneret berillos virides, vel rubeos: quidquid videret, esset viride, vel rubeum: defectus non est ex parte oculorum, sed de vitris, sive berillis. Ita est de nobis. Oculi animæ habent corpus sicut berillos; ideo non possunt videre, nisi corporalia. Sed dimissis berillis, scilicet carne, statim vident spiritualia, Angelos, &c. S. Vinc. Ferr. de S. Dominico.

Ossa. Sicut in corpore hominis ossa sunt fortiora; & sustinent corpus, & carnes; ita fortalitia, in quibus homines Mundi sustentantur, sunt divitiæ, dignitates, parentes; de quibus dicit David: *Deus dissipavit ossa*, scilicet in hoc Mundo. Et in alio quid erit? Sanct. Vincent. Ferr. de Sanct. Petro Ap. ad Vincula.

Psalterium. Cithara significat corpus nostrum; psalterium, dilectionem Dei, & proximi. Psalterium est decachordum; & dilectio Dei, & proximi, decem continetur præceptis. S. August. in ps. 32.

Tabernaculum. Nostrum corpus est tabernaculum Cedar: Cedar autem interpretatur *Tenebræ*. S. Bernardus serm. 26. in Cant.

Tectum hoc. Luc. 7. corpus est. S. Chrysol. s. 102.

Tunica Adami pellicea, est nostrum corpus miserabile. S. Ambr. l. 6. ep. 41.

Tympanum. Ut sit tympanum, pellem habet mortuam. Igitur mortifica corpus; ut in tympano, & choro laudes Deum. S. Chrysost. hom. 22. ad Pop.

Velum caro nostra est. Sanct. Vincent. Ferr. serm. de Sanct. Michaele.

Vestis animæ. Quid corpora nostra sunt, nisi quædam vestimenta animarum. Hoc vestimentum in via prosternit. Matth. 21. qui corpus suum pro Christo exponit. Sanct. Bonavent. serm. 2. D. Palmar. Tinea de veste nascitur, & eamdem oriendo corrumpit. Quasi quædam vestis animæ est caro. Sed hæc

hæc vestis habet tineam suam : quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, ex qua lacceratur. S. Greg. mor. l. 5. c. 27.

C A P U T.

Arbitrium liberum. Tres sunt partes in homine ; Caput, Cor, Pes, supremum medium, & infimum. Caput, liberum arbitrium ; Cor, consilium ; Pes, carnale desiderium, & sensualitas. S. Bonav. in ps. 114.

Contemplatio. Quid in capite, nisi mentis contemplatio designatur ? S. Greg. l. 4. c. 4. in 1. Reg.

Mens. Exaltavit caput meum, id est, mentem meam *super omnes inimicos meos* ; idest, super omnes appetitus meos. S. Thom. in ps. 26.

C O L L U M.

Præsumptionem signat. S. Bonav. Opusc. de alis Seraph. c. 5.

D E N T E S.

Cogitationes. Dentes sunt peccati cogitationes, malæ delectationes ; desideria, & hujusmodi. S. Vinc. Ferr. ser. 5. D. 3. Pent.

Religiosi sunt dentes. Sicut dicit Sanct. Bernardus sup. 71. X. Omnia, quæ de dentibus dixerat, pulchrè ad Religiosos applicans ; ex illis difficiliora seqq. Corio carent, idest, dissensionem curarum sæcularium. Non est dolor, sicut dolor eorum, quia nihil tam horribile, quam murmur, & dissensio, in congregatione. Indecens est, si appareant ; nisi interdum fortè ad risum : quia nihil turpiùs, quàm Monachus per castella, & urbes discurrens. - Charitas risus est ; quia hilaris est. Ait ferè S. Bernardus serm. 64. inter Parvos. Cibum masticant, orant pro conversione malorum. Saporem non habent ; nullam gloriam sibi assignant. Idem ibid. Dentes candidi sunt, & fortes, Carnem non habent ; nihil intra se pati possunt. Clausi sunt labiis, nè videantur. - Non facilè consumuntur. Per ordinem posici sunt : superiores alii, & alii inferiores. Et cùm inferiores moveantur, superiores numquam. Hujusmodi dentes ego arbitror homines Monasticæ professionis. Id. ibid.

D E X T E R A.

Amicus. Declinabit ad dexteram, per quam amici significantur ; ad sinistram, inimici ; carnem brachii consanguinei. S. Thom. in 9. If.

Præsumptio de justitia, quasi dextera est ; cogitatio impunitatis peccatorum, quasi sinistra est. Audiamus vocem Dei dicentem nobis. Prov. 4. *Nè declines in dexteram, aut sinistram*. Nè præsumas ad Regnum de justitia tua ; nè præsumas ad peccandum de misericordia DEI. Sanct. Aug. Præfat. in ps. 31.

F A C I E S.

Cogitatio. Facies vestræ, idest, cogitationes vestræ. Sanct. Thom. in ps. 33.

F R O N S.

Sicut malis cervix superbiam, sic in bonis liberalitatis erectionem signat. S. Greg. mor. l. 13. c. 8.

H U M E R I.

Fortitudo. Quid in humero, nisi fortitudo designatur ? - Quid in collo, nisi locutio ? quid in capite, nisi mentis contemplatio designatur ? S. Greg. l. 4. c. 4. in 1. Reg.

L I N G U A.

Clavis. Linguæ Apostolorum quasi claves cœli erant. S. Bonav. ser. 9. in Pent. Cujus (Eliæ) lingua, clavis facta est cœli. S. Chrysol. ser. 127.

Cor. Lingua tua, idest, cor tuum, quod in lingua manifestatur. Eccl. 22. *In ore fatuorum cor eorum*. Sanct. Thom. in psalm. 51.

Fenestra. Pharisæus ille. Luc. 18. publicano minor factus est : eò quòd linguæ suæ imperare non potuit ; sed per illam, sicut per fenestram aliquam, omnes divitias suas effudit. Tantum est inanis gloriæ malum. Dic enim mihi : quare ita humanæ laudi inhias ? nescis, quòd sicut umbra, & si quid illa vilius ; ita & illorum laus in aerem diffusa evanescit. S. Chrysost. hom. 5. in Gen.

Gladius diaboli. Et hic gladius (detrahentium) est gladius diaboli ; qui per linguam hominis multos interficit. Hic autem gladius est in vagina, quamdiu est in corde. Sed quando profertur ; est sicut jam evaginatus. Sanct. Thomas in psalm. 36.

Intellectus. Memoria. Lingua corporis est ista, qua loquimur ; animæ autem est memoria, vel intellectus. Et cum tali loquuntur Angeli in cœlo, & animæ beatæ. Ideo Apostolus de se dicebat : *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*. 1. Cor. 13. S. Vinc. Ferr. s. 5. D. 3.

Interpres mentis suæ est lingua. S. Chrysol. serm. 57.

Manus. In superioribus dixisse memini, manum esse linguam nostram, quæ pedes Dei attingat. S. Chrysostom. hom. 79. in Matth.

Mendax. Turpis est mendacium in ore, quàm stercus : quia pervertit officium linguæ. S. Vinc. Ferr. ser. 2. fer. 2. Paschæ.

Sagitta diaboli mala lingua est. Jerem. 9. S. Bonav. ser. 7. in Pent.

Vomer, est lingua ; terra, est cor. S. Gregor. hom. 2. sup. Ezech.

M A N U S.

Prælati. Vos ergo confortamini, & non dissolvantur manus vestræ. 2. Par. 15. Istæ manus, Prælati sunt instantia in agendo, & patientia in sufferendo. Sanct. Bonav. Opusc. de 6. alis Seraph. cap. 5.

N A S U S.

Præscientia naribus designatur. Is. 2. Sanct. Gregor. lib. 31. cap. 21.

O C U L I.

Officium oculi est, ostendere viam, & dirigere in agendis. Oculus tuus est Procurator, Advocatus, Confessor, Magister. S. Vinc. Ferr. ser. 6. D. 3. Pent.

Ratio. Lumen oculorum meorum, idest, ratio mea. S. Thom. in ps. 37.

O S.

Nuntius cordis. Primus Nuntius, manifestans quæ sunt in corde, est Os. S. Vinc. Ferr. s. 1. de S. Dominico.

Veritatis instrumentum, est Os. S. Bonav. in ps. 118. cap. 3. v. 11. a. 4.

P E D E S.

Affectus, sunt pedes animæ. Sanct. Bonav. serm. 3. in Cœn. Dom.

Carnale desiderium, scilicet sensualitatis. Sanct. Bonav. in ps. 114.

Fides, & Amor. Possunt pedes Sanctorum, fides, & amor Redemptoris intelligi. S. Greg. l. 1. c. 2. in 1. Reg.

Fortitudo, & Humilitas. Quid in utroque pede Sanctorum intelligimus, nisi fortitudinem, & humilitatem ? Id. ibid.

Pauperes. Qui tali Humanitate (ut Magdalena) pedes Domini suscipit ? quid impendit, nisi quæ habebat in domo superflua ? - superflua tua, necessaria fiunt tibi ; si inde obsecutus fueris pedes Domini. Sanct. August. in psal. 140. Capillis pedes Domini tergimus, quando sanctis ejus - etiam ex his, quæ nobis superfluunt, miseremur. Sanct. Greg. homil. 33. in Evang.

R E N E S.

Qui (DEUS) renes possidet nostros, ps. 138. idest, seminarium castitatis, & temperantiæ. S. Ambr. l. 4. ep. 16.

S E N S U S.

Aves Cœli, sunt sensus spirituales. S. Chrysol. s. 98.

Fenestræ Januæ. Animæ tuæ januas munire festina : non oculum tantùm, verùm etiam & aures, & os : istæ enim sunt fenestræ ; per quas pro sententia, vel bona prodeunt, vel mala. S. Chrysostom. hom. 22. in Evang.

Hædos dicit vagos, & petulantes, corporis sensus. Cant. 1. S. Bernard. ser. 35. in Cant.

Nuntii Corporis sunt sensus. S. Aug. in ps. 146.

V E N T E R.

Venter, carnales homines significat. S. August. in ps. 43.

TITU-

T I T U L U S X.

M E N S.

Atrium. Adorate Dominum in atrio sancto ejus, idest, in mente. S. Thom. in ps. 28.

Caput. In capite mens designatur, in comis cogitationes, Et sicut in capite membra, ità cogitationes mente reguntur. S. Isidor. in Cant. *Exultavit caput meum*, idest, mentem meam, *super inimicos meos*, idest, super omnes appetitus meos. S. Thom. in ps. 26. *Impinguasti in oleo* - idest, lætitia, *Caput meum*. Oleum significat spiritualem gratiam. - Caput meum, idest, mentem meam. *Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum*. Matth. 6. idest, mentem oleo, idest, spirituali devotione. Augustin. sup. 4. Cant. Per Caput, Sponsæ mens, quæ animæ principatur, assumitur. S. Greg. M. in 2. Cant.

Cœlum Fons. Nullum sane virtutis genus a veteribus excultum est ; in quo hic (S. Ephrem) etiam non excelluerit - Animum (mentem) ipsius, fonti similem dicere possumus ; vel prato diversis fragrantibus floribus resplendenti ; vel cœlo variis stellarum luminibus distincto ; vel paradiso ; aut si quid aliud venustum - variis bonis cohonestavit natura. S. Greg. Nyss. in vita S. Ephr.

Domus, Templum DEI, est mens, & conscientia justi. Vener. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 11. Marci. Ergo mens Fidelium spelunca latronis fit ; quando, relicta simplicitate Sanctitatis, illud conatur agere, quo valeat proximis nocere. V. Beda ibid.

Facies. Judicia tua, idest, beneficia tua, *auferuntur à facie ejus*, idest, à mente, & memoria ejus. Sanct. Thom. in ps. 9.

Filius reguli Regulus est omnis homo : cujus filius, idest, mens febricitat voluptatibus pravis. Accedit autem ad JESUM, & deprecatur, ut descendat ; idest, ut condescensu misericordiæ utatur. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. in 4. Joan.

Gladius. Quasi gladio acumen ; ità menti nostræ acumen ingenii (DEUS) imposuit ; ut eo, cùm oportet, utamur. S. Chrysostom. hom. 6. de laudib. S. Pauli.

Lignum. Est infirma mens nostra - similis ligno nuper plantato. S. Ephr. ser. de extremo Judicio.

Lucerna. Sicut lucerna corporis oculis ; ità lucerna animæ mens est : in qua, nisi oleum, gratiæ suæ Christus infuderit, penitus lumen habere non poterit. Arnobius in ps. 17.

Oculus animæ est mens. S. Aug. apud S. Bonav. de certio itin. æternit. distinct. 2. Mens est oculus : quia naturali vigore ad intelligendum aliquid dirigitur auris ; quæ alio docente discit. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup 13. Matth.

Sindon. Sindone munda involuit JESUM, qui pura mente eum suscipit. S. Thom. Opusc. de sacr. Alt. c. 15.

Superliminare. Ex. 12. significat mentem Fidelis. S. Thom. Opusc. de Sacr. cap. 30.

Templum. Caro est velum nostri templi, scilicet mentis nostræ. Virtus autem carnis scissa est in Christi Passionibus à summo usque deorsum ; scilicet ab Adam usque ad ultimos homines. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Marci.

Terra. Quemadmodum semen bonum, & electum, in terra bona, ac pingui : sic cogitationes bonæ in mente Monachi. S. Ephr. serm. de vita Relig.

T I T U L U S XI.

M I R A C U L U M.

Divinitatis participatio. Dici Dii aliqui possunt quator modis. Uno modo per unionem. Et sic solus Christus dicitur DEUS. - Alii per gratiam adoptionis. Ps. 81. *Ego dixi, Dii estis vos*. Aliqui per participationem Divinæ potestatis in miraculis faciendis. Exod. 7. *Constitui te DEUM Pharaonis*. Alii per ministerium, sicut Judices. Ex. 22. *Diis non detrahes*. S. Thom. in ps. 49.

Esca. Isti piscatores Apostoli loco calami intendunt precationem - loco hami virtutes : escæ loco - miracula. Piscantur è cœlo, debentes è petra piscari : naviculam debentes accipere, recipiunt altare : piscium loco venantur reges ; pro sagena Evangelium extendunt : loco maris vitam peragrant ; artis vice utuntur gratia, irretiunt cruce loco sagenæ. Proclus or. de S. Andr. Apost.

Lampas. In vocibus, & tonitruis, clamor prædicantium intelligitur ; in lampadibus claritas miraculorum ; in sonitu buccinæ, fortis prædicatio Sanctorum : quæ omnia in adventu Christi, & Spiritus Sancti completa sunt. S. Isid. c. 21. in Exod. & c. 5. in Judic.

Nubes. Qui sunt isti, qui ut nubes volant ? Is. 9. cum nubibus, idest, cum Sanctis : qui pluunt per prædicationem, coruscant per miraculorum operationem - volant per amplam contemplationem. S. Thom. in 1. Apoc.

T I T U L U S XII.

M I S E R I C O R D I A.

Ala DEI. Alis gallina pullos contra milvum custodit : sic & DEUS suis alis, quæ sunt charitas, & misericordia, justos defendit à rapacitate dæmonum. Matth. 23. quoties volui congregare, &c. S. Thom. in ps. 16.

Altare. Sicut est triplex templum, ità est triplex altare. Primum est vir justus. Hujus templi altare est cor. Levit. 6. *Ignis*, scilicet charitatis, *in altari*, scilicet corde, *semper ardebit*. - Aliud templum est Ecclesia : & hujus templi altare est Christus. - Tertium templum est ipse DEUS. Apoc. 21. *Templum vidi in ea, &c.* Et hujus altare est misericordia DEI. Et hoc circumdare debemus desiderio mentis. S. Thom. in ps. 25.

Alumna B. V. Charitatem, & misericordiam, tamquam alumnas suas, ulnis fovet (B. Virgo.) S. Joan. Damasc. orat. 2. de Assumpt. B. V.

Arma lucis, sunt misericordia, & veritas : misericordia enim est scutum, quo ab hostibus defendimur : veritas est virtus, qua omnia vincimus. S. Thom. serm. 1. D. 1. Adv.

Candelabrum. Ex. 25. Per hoc candelabrum significari viros misericordiæ ostendit P. Raynaudus de Cand. Sacro sect. 1. cap. 3. Candelabra aurea, Apoc. 1. signant septem opera misericordiæ corporalia ; quæ sunt ut aurum pretiosa. S. Bonav. diet. sal. t. 7. cap. 4.

Clavis cœli. Misericordia est clavis, quæ cœlum reserat. Id. ibid.

Consistorium. Misericordia superat justitiam : & in signum hujus de Curia justitiæ, si est à peccatore suspecta, licet ad consistorium misericordiæ appellare. - Misericordia est modus absolutionis optimus, liberans reum, & obligans DEUM. Id. ibid.

Dextera. Septem Stellæ, de quibus Apoc. 2. significant Episcopos. Dextera DEI misericordiam. Sanct. Thom. in 2. Apoc.

Fluvius exundans. Misericordia superat charitatem in eo, quò charitas est fluvius Divinæ pietatis - & non exit extra ripas : quia solum bonum diligit, & sua communicat. Misericordia verò, & pietas, extra ripas inundat, & sua bonis, & malis communicat. Sanct. Bonavent. diet. sal. tit. 7. cap. 4.

Frumentum mundum est vir hospitalis. S. Ephr. serm. Ascet. de timor DEI.

Gloria Christianorum, est DEI præceptum : gloria Christianorum, Apostolorum, & Prophetarum doctrina - humilitas animi - eos, qui in carcere sunt, visitare, &c. In his oportet nos gloriari : & non in curribus, & equis, potentiis, atque divitiis. S. Ephr. de amore pauper.

Iris significat Divinam propitiationem ad Fideles. - Nota, quòd rectè per iridem signatur misericordia Christi ad Fideles. Quia sicut exponit Haymo, generatio iridis est ex subintratione radii in nubem aquosam. S. Thom. in 4. Apoc.

Lapis in mola. Misericordia, est quasi lapis superior in mola DEI ; quæ nunc operatur, & circuit. Justitia autem quasi lapis inferior ; quæ nunc jacet, & quiescit. Matth. 22. *Super quem lapis iste ceciderit, conteret eum*. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 15.

Lectio Christi prima. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 4.

Manus DEI est misericordia ; quæ habet quinque digitos. Primus est, considerare, quia dedit nobis Filium suum Unigenitum. Secundus, quia omnium bona nobis communicat. Tertius est, quia non statim punit. Quartus est in recipiendo. Exemplum de filio prodigo. Luc. 15. Quintus quia semper, in omni hora recipit : quia postquam recipit numquam peccatorum recordatur. S. Thom. serm. de dupl. manu DEI. Est inter Dominicales ante Dom. Pass. Tertia manus DEI, est misericordia. Et ista est triplex. Prima sanantis. Job 1. *Ipse vulnerat, & medetur*. Secunda pascentis. Psal. 94. *Populus pascuæ ejus, & manus ejus*. Tertia coronantis. Sap. 5. *Accipiet diadema de manu Domini*. S. Thom. in 8. Is.

Mons. Per montem oliveti figuratur eminentia misericordiæ. S. Bonavent. diet. sal. t. 7. cap. 4.

Nubes. Arcum meum ponam in nubibus cœli. Gen. 9. Possunt hæc exponi de Maria Magdalena ; quæ intelligitur per arcum cœlestem, propter tria : ratione formæ, finis, & materiæ. S. Thom. serm. de S. Magdal. Materia, est nubes aquosa. Forma, est cærulea, rubea ; versùs terram tenet brachia : primum humilitatem ; secundum misericordiam erga peccatores significat. Finis, ut sciant omnes homines ; quia DEUS non vult mortem peccatoris ; arcus enim est signum fœderis. Id. ibid.

Oleum effusum nomen tuum. In oleo misericordia, in effusione abundantia misericordiæ, - est gloriosum, sanctum, magnum, novum, æternum. S. Thom. in Circumcis. Dom. Significat oleum unctionis, DEI misericordiam, infirmitatis medelam, & cordis illuminationem ; quod totum oratio operatur. Sanct. Chrysost. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 6. Marci.

Oleum,

Oliva, activi misericordes. S. Bonav. diet. sal. t. 2. cap. 1. Paulus potest significari per columbam; de qua dicitur Gen. 8. quod venit ad aream, *portans ramum olivæ in ore suo*. Quia autem oliva misericordiam significat, congruè per ramum olivæ accipitur nomen JESU Christi, quod etiam misericordiam significat, *secundùm illud* Matth. 1. *vocabis Nomen ejus, &c.* Hunc autem ramum virentibus foliis detulit ad aream, scilicet Ecclesiam; quando ejus virtutem, & significationem multipliciter expressit, Christi gratiam, & misericordiam ostendendo. S. Thom. in Prologo sup. ep. ad Rom. Duplex bonum faciunt sancti in præsenti vita. Primò in hoc: quòd bene se habeant ad proximum fructificando in eis. Et ideò justus comparatur olivæ, & comparatur olivæ propter pinguedinem. Judic. 9. *Non possum deserere pinguedinem meam*. - Hic tamen (psal. 51.) comparatur olivæ propter fructum specialiter: quia ex olivis fit oleum; per quod significatur misericordia: ex qua justi provident aliis, & fructum faciunt in Ecclesia. S. Thom. in ps. 51.

Oliveti mons. Per montem oliveti, figuratur eminentia misericordiæ. S. Bonav. diet. sal. tit. 7. c. 4.

Passio Christi interna, prima Christi lectio, & optima Christi unctio, est misericordia. Id. ibid.

Ros. Aperi mihi - quia caput meum plenum est rore, &c. Cant. 5. Caput meum, scilicet Divinitas, plenum est rore, idest, misericordia, ad dimittendum peccata. *Et cincinni mei*, idest Humanitas, *guttis noctium*, idest effusione sudoris lacrymarum, & sanguinis Passionum; ad redimendum hæreditatem suam. S. Thom. Opusc. de Sacr. c. 1.

Scutum, Arma lucis sunt misericordia, & veritas. Misericordia enim est scutum, quo ab hostibus defendimur: veritas est virtus, qua omnia vincimus. S. Thom. serm. 1. Dom. 1. Adv.

Sigillum. Misericordia viri velut sigillum cum illo. S. Ephr. serm. Ascet. de tim. DEI.

Stellæ, quæ sunt in dextera. Apoc. 1. sunt septem opera misericordiæ spiritualia in cordis hemisphærio lucentia, tamquam sidera radiosa. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 4.

Via Domini illæ sunt - misericordia. Arnobius in conflictu cùm Serapione de DEO Trino, & uno. *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas*. Crura sponsi, itinera sunt Salvatoris: quibus homo fieri, & ad nos venire dignatus est: quæ rectè columnis marmoreis comparantur. S. Thom. in 4. Cant.

T I T U L U S XIII.

MONASTERIUM.

Aqua. Religiosus est sicut piscis, qui extra aquam citò moritur. S. Bonav. diet. sal. t. 4. c. 1.

Castra DEI, dixit esse ipsa claustra Ordinis Cisterciensis, Petrus Episcop. Carnat. epist. ad Nicolaum Anglum.

Hospitium integræ pietatis. Thomas Cantipraten.

Paradisi porta. Angelum Sybillam, Societatis JESU Sacerdotem, Messanæ mortuum, ferunt, cùm primùm ad Collegii fores venisset (ut ad Societatem admitteretur) validis pulsantem ictibus dixisse: hæc mihi paradisi porta. Sacchinus hist. Soc. p. 4. l. 4. n. 129.

Sepulchrum Domini. Sui temporis claustra, & monasteria, dixit S. Bernardus simillima sepulchro Domini. In hoc sola linteamina reperta sunt; in iis verò non Religiosos, sed solùm vestes religiosas inveniri, & habitus formam. S. Bernardus Opusc. de Charit.

T I T U L U S XIV.

MORS.

Aspidis, super aspidem, & basiliscum ambulabis. Psal. 90. Aspidem dixit mortem, basiliscum peccatum, leonem Anti-Christum, & draconem diabolum. Sanct. Isidor. c. 5. in Gen.

Debitum naturæ. Idiota de Morte c. 3.

Dormitio, dicitur mors Sanctorum. Dormiens enim tria facit: cubat in spe surgendi. Ps. 10. *Numquid, qui dormit, &c.* Sic, & qui moritur in fide. Item postea resurgit magis refectus, & vegetus: sic Sancti resurgent incorruptibiles, &c. S. Thom. expos. sup. c. 4. ep. 1. Thess. lect. 2.

Falx est mors, quæ secat omnia: messis est consummatio sæculi. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci.

Framea, idest, mors, suscitare super pastorem meum Zach. 13. S. Thom. in ps. 21.

Gladius. Quia mors dividit animam à corpore; & Patrem à filio, & è contra; & fratrem à fratre, dicitur gladius. S. Thomas in ps. 21. Mors per gladium intelligitur. S. Thom. in 13. Apoc.

Pellis significat ablatam vitam. S. Isidorus c. 29. in Gen.

Porta ad DEUM, est mors. Clem. Alex. lib. 4. stromat. Mors porta est, & principium veræ vitæ. Clem. Alex. l. 4.

Sanguis est signum mortis. S. Thom. in 16. Apoc.

Sal. Liberatus est à Saule, idest, à morte. Sanct. Thom. in ps. 17.

Vespera. Septima dies, vita Beatorum, qui vesperam non habet. S. Isidor, c. 3. in Gen.

T I T U L U S XV.

MORTIFICATIO.

Byssus. Cortinas tabernaculi, idest, ornatus animæ, *facies de byisso retorta*, idest, de operibus pœnitentiæ, jejuniis, orationibus, afflictionibus, &c. Sanct. Thom. de Sacr. Alt. c. 15.

Cithara. Citharædus est, qui per internam hilaritatem, jucunditatem, vel per Divinam laudem, cum mortificatione carnis DEO cantat. S. Thom. in 14. Apoc.

Myrra. Per myrrham carnis mortificatio designatur. S. Isidor. t. 4. in 1. Reg.

Virginitatis comes mortificatio; imò illius custos fidelissima. Lobbetius de S. Bernardo quæst. unica.

Zona pellicea. Dolorem saccus significat; zona verò pellicea mortificationem Judaici significat populi. S. Thom. in Cat. sup. 1. Marci.

T I T U L U S XVI.

MULIER.

Arma diaboli, sunt mulieres: illæ enim sunt balistæ diaboli - mulier compta - gladius diaboli. - Mulieres sunt castra, in quibus diabolus ponit vexilla. S. Bonav. diet. Sal. t. 1. c. 9.

Contentiosum animal hoc est, avidumque victoriæ. Et sive ad malitiam declinet, magna mala patrat; sive ad virtutem se applicet; anima citiùs eam destituet, quàm propositum mutet. S. Chrisost. hom. 4. de fide Annæ.

Familiaritas. Undæ maris sunt tentationes carnis. - *Mirabiles elationes maris*. idest, carnis. Ex hac (familiaritate cum mulieribus) multæ naves, oneratæ pretiosis mercibus virtutum, impingentes fuerunt perditæ. - Nè offendas ad lapidem familiaritatis pedem affectionis. Anima vulneratur in capite vulnere superbiæ; in corde vulnere avaritiæ, in renibus luxuriæ in gutture gulæ, in facie invidiæ. S. Vinc. Ferr. ser. 5. de S. Dominico.

Feretrum. Quando pannus fericus ponitur super feretrum, signum est cadaveris. Sic in corpore ornato signum, quòd ibi jaceat mortuus. Unde mulier ornata non est, nisi feretrum mortuæ animæ. S. Vinc. Ferr. ser. 1. de Superbia.

Fovea, est mulier. S. Thom. serm. 1. D. 20. Pent.

Incendiaria diaboli mulieres sunt, templa DEI comburentes; ferentes ignem in caudis, ut vulpes Sampsonis. S. Vinc. Ferr. ser. 1. de Superbia.

Ornatus. Solent equorum venditores equis suis imponere ramum, vel aliud signum super capita eorum? vel in caudis: in signum, quòd volunt vendere. Ità mulieres imponunt ornamenta capitibus suis; in signum, quòd corpora earum venalia sunt. - Facies dealbata mulieris, gladius igneus, penetrans cor hominis. S. Vincent. Ferr. ser. 1. de Superbia.

Ovis infecta. Meretrix secreta comparatur ovi infectæ, quæ alias omnes oves inficit, - & pomo putrido, quod etiam corrumpit cætera poma: ideo expellenda est. Id. ser. 3. de Luxuria.

Puteus inferni. Idem ibid.

Seductrix. Non potest ratio nostra seduci ad peccandum, nisi delectatione in carnali infirmitatis concupiscentia. Et ideo serpens per mulierem Adam seduxit. S. Isidorus c. 4. in Gen.

Traditrices DEI; tradentes castrum Domini sui, idest, cor suum adversario ejus, idest, diabolo. Qui statim ibi ponit signum suum; ostendens, esse castrum captum. Id. ibid.

Varia.

Mulier mali causa, peccati author, via mortis, sepulchri titulus, janua Inferni, lamenti necessitas tota. S. Chrysol. serm. 70.

Quemadmodum venatores retibus extensis sylvestria animalia immitere aggrediuntur, ut ipsa jugulent: ità & hæ postquam lasciviæ pennas ubique extenderint, per oculos, & habitus, & per verba: postea suos iniiciunt amatores, & colligant: non priùs absistentes, quàm & ipsorum cruorem ebiberint. S. Chrysost. hom. 14. ad Pop.

T I T U L U S XVII.

MULIERUM NOXIA. CONVERSATIO.

Quia nunc de fœminarum commoratione vulgariter inter vos quidam ignominiosè devoluti sunt; etiam de hac re specialiter vobis Domini correptionem scribere compulsus sum: qui miserum me pro vestra negligentia cum severitate conveniens, mandare præcepit; ne Clerici cum fœminis commorentur. Et licèt hæc admonitio sola litterarum mearum auctoritate sufficeret; tamen, nè somniatorem irrideat quisquam, sicut Joseph fratres irriserunt; scripturarum addimus firmitatem. Ut omnes sciant, hoc etiam modo per revelationem Dominum jubere; quod literis cognoscitur, antè jussisse. S. Cyprianus lib. de singularitate Clericorum. His verbis inchoat librum; terminavit autem hisce. Perditionis meditatio est, frequentativum inter mulieres celebrare processum. De qua re nobis Salomon moderamen imposuit, dicens: *in medio mulierum noli assiduus esse*. Eccl. 42. Sic igitur ambulate, sic agite; ut semper in Clericis Ecclesiæ senatus candidus constet. Severitas in vobis circa fœminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur, &c.

Ab aspectu nefando averte oculos tuos, & nè delecteris pulchrarum vultibus fœminarum; nè per talem oblectationem ultima evolvas supplicia. Memento, cui dedicatti membra tua; & nè commisceas ea meretricibus, &c. S. Basilius admonit. ad filium spiritualem.

Non decet Monachum ullam habere cum fœmina societatem: ad eam verò, quæ virginitatem profitetur, prorsus nè accesseris; si quidem ullus in te carnalis sensus viget. Nam Monachum inter epulas cum fœminis versari, idem est, ac se in ignem proiicere. S. Ephrem. in doctrina varia. tomo 2.

Christus ipse dicit in Evangelio. Matth. 5. *Qui vidit mulierem ad concupiscendum eam jam machatus est eam in corde suo*. Verè tremenda hæc est admonitio, & multa vigilantia opus habet. Quid enim est mulier? Laqueus comptus, & homines in voluptate illiciens: quæ splendida quidem facie, & excelso collo oculis annuit, & genis arridet: lingua verò dulciter canens, voce alios decipit, & sermone pellicit. - Quid est mulier? naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, & malitiæ; mortifera conversatio, atque confabulatio; oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, juvenum perditio, sceptrum Inferni, & concupiscentia præceps. Quid est mulier? causa diaboli, requies serpentis, diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, malitia incurabilis, hospitium lascivorum, & officina dæmonum. Idem sermon adv. improbas mulieres.

Leones in lacu Danielem veriti sunt: at Naboth Jezabel occidit. Cete ventre suo Jonam servavit; Dalila verò Sampsonem septem crinibus capitis ejus abrasis tradidit alienigenis. Dracones, & aspides, ac bestiæ cornutæ, Joannem in eremo timuerunt: Herodias verò in convivio eum decollavit. Corvi Eliam in monte sustentarunt: at Jezabel eum post beneficium pluviæ acceptum ad necem persecuta est. S. Chrysost. hom. 14.

Simon Magus hæresim condidit, Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Mancion Romam præmisit mulierem; quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus, immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam, & Maxillam, nobiles, & opulentas fœminas primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit - Arius, ut orbem decideret, sororem Principis antè decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosque fœtentibus pollueret equis; Luciliæ opibus adjutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cœca cœcum duxit in foveam; successoremque sui Priscillanum habuit, Zoroastris magi studiosissimum, & ex mago Episcopum: cui, juncta Gella, non gente, sed nomine, Germanam huc illucque currentem, alterius, & vicinæ hæresos reliquit hæredem. S. Hieron. ad Cresiphontem adv. Pelagium.

Numquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus; nec intrà unam caveam habitans cum lupo tutus est agnus. S. Cyprian. de singularit. Clericor.

Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare. Et impossibilis liberatio est, flammis circumdari, & non ardere. S. Cyprianus ibid.

T I T U L U S XVIII.

MUNDUS.

Ægyptus est Mundus. 6. Aug. in ps. 71. Terra Ægypti in figura intelligenda est hujus sæculi. Campus Thanetos, planicies est mandati humilis: nam *mandatum humile* interpretatur Thanis. In hoc ergo sæculo humilitatis mandatum suscipiamus; ut in alio sæculo exaltationem - mereamur. S. Aug. in ps. 77.

Ager, hic Mundus est; ubi triticum bonorum operum, & zizania malorum. S. Vinc. Ferr. ser. 10. de Pane benedicto. Quid est Mundus, nisi quidam ager plenus certaminum? S. Ambr. l. 6. ep. 33.

Campus magnus plenus ossibus mortuorum corruptis, est iste Mundus. Ezech. 37. - Quomodo vivificabuntur ossa arida, idest, Peccatores? - ad hoc oportet, ut Spiritus Sanctus veniat. S. Vinc. Ferr. fer. 3. Pent.

Cithara. Mundus à DEO conditus, cithara bene ab eo concordata. S. Vincent. Ferr. ser. 1. D. 13. Pent.

Diluvium. Quid ergo tu facies, quia in medio diluvio es, ambulans in hoc sæculo? S. Aug. enarrat. 2. in ps. 31.

Domus. Totus Mundus est domus DEI. Ancilla, cui Dominus commisit claves, panis, vini, & fructuum, est natura. Sic enim DEUS ordinavit; quòd per manus suas habeamus omnia necessaria. S. Vincent. Ferr. in Vigil. Palmar. Si tamquam unam domum universum Mundum volumus accipere, videmus, velut ejus cameram, cœlum: terra igitur erit pavimentum. Vult itaque terrenis errui. *Adhæsit pavimento anima mea*. Ps. 118. S. Aug. Conc. 10. in ps. 118.

Equum accipe etiam figuratè quamlibet amplitudinem sæculi hujus; quemlibet honorem; in quem superbus ascendit. S. Aug. Conc. 2. in ps. 32.

Hortus est iste Mundus. Sanct. Vinc. Fer. serm. 3. Dom. 17. Pent.

Hospitale, est Mundus. S. Vinc. Fer. ser. 5. D. 4. Quadrag.

Jerusalem civitas, est Mundus; quæ odio habuit Christum, & Apostolos. Id. fer. 3. D. Pass.

Jezabel depinxit oculos suos stibio. Jezabel interpretatur *fluxus vanus*, vel *sterquilinium*: & signat Mundum; qui nihil est. nisi quidam fluxus vanitatis, & vilitatis. S. Bonavent. serm. de animab. fidelib.

Joppe, 2. Machab. 12. Mundum significat, propter deceptivam ejus pulchritudinem: interpretatur enim *pulchritudo*. S. Bonav. ser. 3. D. 3. Epiph.

Mali homines sunt Mundus: & in hoc in Scriptura sæpe intelliguntur. S. August. in ps. 141.

Mare. Iste, Mundus est tamquam mare. Ps. 103. *Hoc mare magnum, &c.* S. Vinc. Ferr. serm. 5. de S. Dominico. Sciatis, quòd iste Mundus est sicut mare fluctuans: quia unda maris non ascendit altè, non bassè, una contra aliam. Sic in hoc Mundo quidam sunt alti per prosperitatem - deinde bassi per adversitatem alicujus infirmitatis. Sicut in mari nullus potest diu navigare sine tempestate; sic nec possumus diu esse sine adversitate. Sanct. Vinc. Ferr. serm. 15. de Perseverantia. Mundus est mare, corpus nostrum navis. Sanct. Chrysolog. serm. 17. Flumina in mare currunt; & cupidi labuntur in sæculum. Sanct. Augustin. in ps. 23. Hoc sæculum mare est. Habet amaritudinem noxiam; habet fluctus tribolationum; tempestates tentationum; habet homines velut pisces. Sanct. Aug. in ps. 39.

Molendinum, puto dictum Mundum istum: quia rota temporum volvitur, & amatores suos conterit. S. August. Conc. 1. in ps. 36.

Mons Seir, Mundus est: qui temporalium superfluitatibus, versutiis, & fraudibus, pilosus est. Seir interpretatur *pilosus*. Hos pilos Ezechiel præcipit radere cap. 5. Si enim ob reverentiam festi pilos corporis superfluos radimus, quantò magis pilos superfluos vitiorum? S. Bonavent. serm. 2. in Vigil. Nat. Dom.

Naves Tharsis, sunt mentes Mundo deditæ. S. Gregor. mor. l. 4. c. 22.

Nox. In nocte opera non facimus, insidias lotronum sustinemus, dormimus. Hac similitudine hoc Sæculo dicitur nox. S. Bonav. in ps. 118.

Ophir. 3. Reg. 22. Mundum infirmum significat. Interpretatur enim *infirmans*. Isidor. etymol. lib. 20. verbo *Avidus*.

Syrenum locus est Mundus. S. Ambros. in ps. 43.

Tenebræ, quæ non comprehendunt lucem, Mundi nomine appellantur. S. Aug. in ps. 54.

Via peccatorum. Ps. 1. est Mundus. S. Bernardus ser. 35. inter Parvos.

Uxor Loth, Genes. 19. in salem conversa est: quæ species citò solvitur, nec potest usum habere diuturnum. Sic sunt, qui temporalia sequuntur, & non sequuntur æterna. Et hic infatuantur à stultitia sua; & futurorum gratiam habere non possunt. S. Ambr. in ps. 43.

Varia.

Castrum. Mundus iste dicitur castrum. Primò oportet, ut castrum sit in alto situm: sic Mundus in alto situs per superbiam. Est muratus pur avaritiam, muro de terra. Vallatus in circuitu per luxuriam: quia, sicut in valle congregantur immunditiæ; sic de peccato luxuriæ. - Castrum Mundi bene erat provisum per gulam. Situm in loco petroso: sic castrum Mundi erat bene situm: quia erat etiam inaccessibilis per invidiam. - Bene ordinatum de armaturis per iram. Possessum à personis fidelibus; sed erat oppositum: quia nolebant moveri in operibus pœnitentialibus, & meritoriis. - De isto castro allegoricè dixit JESUS Discipulis suis: *ite in castellum*; & expugnate illud bombardis prædicationis, *quod contra vos est*. Matth. 21. Sanct. Vincent. Ferr. serm. 1. de Ass. B. Virg.

Idumæa. Per idumææ nomen intelligitur sæculum istud. Idumæa enim erat gens quædam hominum errantium, ubi idola colebantur. S. Aug. in ps. 62.

Libanum solemus accipere veluti hujus Sæculi dignitatem: quoniam mons est Libanus, excelsas arbores habens; & nomen ipsum interpretatur candidatio. S. Aug. in ps. 71.

Puer. Sic agunt illi, qui Mundi hujus honores appetunt; quomodo pueri, qui sequuntur papiliones; Papiliones, enim cùm volant, tramitem rectum numquam tenent; sed huc illucque se agitant; cùmque alicubi residere videantur, nec ibi diu morantur; hos autem cùm pueri capere volunt, citò post eos currere satagunt: & quia non ad suos pedes, sed ad papiliones, intendunt; aliquando in foveam cadunt, seque immaniter lædunt. Plerumque verò, cùm eos vident alicubi resedisse, incedunt suaviter, & cautè, ut eos valeant comprehendere. Quod dum faciunt, manibus quoque plaudunt; ad invicem leni voce dicunt: ecce jam eos habebimus. Sed cùm proprius accedentes eos apprehendere tentant, papiliones avolant. Si quando verò eos apprehenderint, exultant de nihilo, quasi magnum quid fuerint adepti. - Similiter faciunt, qui hujus Mundi honores appetunt. Honores enim hujus Mundi numquam certam tenent viam; sed incertis diverticulis de uno ad alium transvolant. S. Anselmus lib. similit. cap. 72.

T I T U L U S XIX.

M U N D A N I.

Æ*Gyptii Cives*. Oves Ægyptii edere dedignantur. - Sapientes hujus sæculi, hoc est, cives Ægypti. Ovis simplicitatem significat justis, Ægyptiis stultitatem. S. Isidor. c. 11. in Exod.

Ægyptius puer, ab Abimelech Davidem fugientibus relictus. 1. Reg. 13. significat Mundanum à Mundo relictum. Quem David tamen suscipit, & ducem itineris eligit: quin suum etiam prædicatorem facit. Sanct. Isidor. cap. 19. in 1. Reg.

Cauda. In ore Doctorum scientia; in cauda verò; sæcularium potestas signatur. Potentes autem per caudam significantur: quia potestas sæcularis retro est, sicut cauda, idest, inter vilia, & contemnenda computanda est. S. Thom. c. 9. in Apoc.

Collis. *Mons*. Per montes, & colles, Mundi potentes significantur. S. Thom. in 54. Is.

Fullones. Forsitan fullones super terram, possumus moraliter existimare, sapientes hujus sæculi. Orig. sup. Matth. tract. 3. apud S. Thom. sup. 9. Marci.

Homines. Matth. 16. hic appellantur, qui terrena sapiunt: qui verò Divina intelligunt, non homines, sed alii appellantur. S. Haymo hom. de Annunt. B. V.

Ligna sylvarum, intelligimus vagos homines, vanos esse, æterno incendio præparatos. S. Isidor. c. 6. in Judic.

Pisces de mari, sunt sæculares. S. Bonav. de 7. don. S. Spir.

T I T U L U S XX.

M U N E R A.

A*Dulario*. Munera non solùm pecunia est; non solùm aurum, & argentum; non solùm xenia sunt, &c. Sed quid est accipere munera? Propter munera laudare hominem, adulari homini, palpare blandiendo, judicare contra veritatem propter munera. Propter quæ munera? non solùm propter aurum, & argentum, & hujusmodi aliquid; sed etiam propter laudem, qui judicat, malè munus accipit; & munus, quo nihil inanius. Patuit enim illi manus ad accipiendum judicium linguæ alienæ; & perdidit judicium conscientiæ suæ. Ergo *in quorum manibus, &c.* S. Aug. in ps. 25.

Concionator non acceptet munera. Pensemus, si possumus, cujus hoc mansuetudinis fuerit; panem spiritus prædicare, & panem carnis non accipere: corda audientium de divitiis æternis instruere; & inter eosdem fideles discipulos, & abundantes, fame laborare: inter satiatos pati inopiam; nec tamen quod patiebatur dicere, nec tamen dolere: videre dura erga se corda audientium tenacium; nec à prædicatione desistere. S. Gregorius hom. 1. in Ezech.

Fraus. Rectè de justo per Prophetam dicitur: *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere*. Is. 33. Quia enim non solum fraus in acceptione pecuniæ est, munus procul dubio unum non est. Tres verò sunt acceptiones munerum, ad quas fraudes festinatur. Munus namque à corde est, captata gratia à cogitatione. Munus ab ore, est gloria per favorem. Munus ex manu, est præmium per dationem. Sed justus quisque ab omni munere manum excutit: quia in eo, quod rectè agit; nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec à manu recipere donationem quærit. S. Greg. l. 9. mor. cap. 26.

Manus iniquitatis. Peremptorium est in principe vel auram adorare munerum, vel favorem quærere personarum. Teste siquidem Propheta: *in quorum manibus, &c.* Ps. 25. Transibunt verò iniquitates in pœnam, & munera in dolorem: quia testimonio Job 14. *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*. Petrus Bles. ep. 10. ad Sacellanum Regis Siciliæ.

Rapina. Cùm reprobi pastores præsunt, principale eis propositum est, in rapina subditorum. Quia æternorum bonorum abundantiam respicere nesciunt: quò præsentia ardentiùs concupiscunt, eò avidiùs oblata recipiunt; non oblata violenter tollunt, innocentibus insidiantur, debiles opprimunt; munera accipiunt, juraque pervertunt. Idem l. 5. c. 2. in 1. Reg.

T I T U L U S XXI.

M I R R H A.

C*Astitas*. Per has arbores (Myrrham, & Aloen) designatur carnis continentia, & castimonia: nam putredo luxuriam solet designare. - In horto ergo Ecclesiæ sunt myrrha, & aloe, hoc est, mentes castæ. S. Thom. in 4. Cant.

Eucharistia. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus*. Cant. 1. Sicut enim myrrha incorrupta servat corpora; sic Corpus Domini piè sumptum corda. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 6.

Martyr. Per myrrham designantur illi, qui vitam martyrio finierunt. S. Thom. c. 5. in Cant. Per myrrham significamus illos, qui dediti sunt amaritudinibus carnis; ut Martyres. S. Anselmus enarrat. in 4. Cant.

Mortificatio. Per myrrham carnis mortificatio designatur. S. Thom. in 3. Cant.

Passio Christi. Myrrha habet amaritudinem. Et sic, si refertur ad Corpus Christi, signat amaritudinem passionis: si autem referatur ad Sanctos, signat pœnitentiam. Eccl. 24. *Sicut myrra electa dedi suavitatem odoris*. S. Thom. in ps. 44.

Sepulchrum Christi. Myrrha sepulturæ signum ostendebat. Arnobius cap. 1. in Matth.

T ITU-

N.

T I T U L U S I.

NEGOTIATIO.

A*Ranea*. Quid vanè araneam texis; quæ inanis, & sine fructu est? & tamquam casses suspendis, inutiles divitiarum copias: quæ etsi fluant, nihil prosunt; imò exuunt te imaginem DEI, & induunt tyrannis imaginem. Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonnè obnoxius est damnationi. S. Ambros. 1. Offic. c. 49.

Damnosa. Nemo habet injustum lucrum sine justo damno. Ubi lucrum, ibi & damnum. Lucrum in arca, damnum in conscientia. S. Aug. ser. 215. de temp.

DEO exosa. Homo mercator vix, aut numquam, potest DEO placere. Et ideo nullus Christianus debet esse mercator: aut si voluerit esse, proiiciatur de Ecclesia DEI, dicente Propheta: *quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini*. Ps. 70. S. Chrysost. hom. 18. in 21. Matth.

Frumentarii. Nihil gravius, atque acerbius; quàm crudelitas cupiditasque inexplebilis eorum, qui rei frumentariæ copia circumfluunt. Observant enim temporum difficultates; atque ex annonæ penuria lucrum captant; & ex aliorum calamitatibus messem faciunt. Nec illud audientes; eum, qui pauperes commiseratur, DEO fœnori dare. Prov. 10. Nec rursus illud; eum, qui frumentum abscondit, Plebi execrabilem esse Eccl. 29. S. Gregor. Naz. orat. in laudem Basilii.

Peccaminosa. Sunt pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem animus non recurrat. S. Gregor. hom. 24. in Evang. Non potest ad bonum proficere, quod congregatur de malo. Quemadmodum si triticum, aut aliam bladi speciem cernas in cribro, dum huc, illucque jactas eum, grana omnia paulatim deorsum cadunt; & in fine in cribro nihil manet, nisi stercus solùm: sic & substantia negotiatorum; dum vadunt, & veniunt inter emptionem, & venditionem, minuitur: & in novissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum. S. Chrysost. hom. 38. in Matth.

Periculosa. Nonne vanum est, ut mercator noctibus, atque diebus conficiat iter, quò aggerare possit thesauri acervos, merces congreget; conturbetur ad pretium, nè fortè minoris vendat; quam emerit: aucupetur locorum pretia; & subitò aut latrones in se invidia famosæ negotiationis excitet; aut non expectatis serenioribus flatibus, dum lucrum quærit, naufragium impatiens moræ incidat? Sanct. Ambr. de offic. c. 39.

T I T U L U S II.

S. N O R B E R T U S.

A*braham* seminarium posteritatis suæ, Pater fidei, Pater electionis, Mundi hæres, Fons devotionis, virtutum omnium exemplar. S. Ambr. apud Lobbet. in Glor. Patr. q. unica de S. Norberto. Ubi statim subiicit Lobbetius; quæ eodem prope jure de S. Norberto dici possunt. Nam & hic seminarium posteritatis, &c. S. Norbertus Magdeburgensis Archi-Episcopus, Canonicorum Præmonstratensium Patriarcha, Antuerpiæ Apostolus, Propugnator Ecclesiæ Catholicæ. Author vitæ S. Norberti Præfat. in lib. 1.

Agnus. Reverendissimus Abbas Strahovienfis Gasparus Quæstenbergius, in literis ad Ordinem Præmonstratensem; quibus ejusdem Ordinis Religiosos invitat ad colendam translationem S. Norberti, datis Pragæ 13. Martii 1627. vocat S. Norbertum Agnum; & ait: quin enim Agnum vocemus? qui, cùm ex fera sæculi fieret primùm Agnus Christi; agno vestiri voluit.

Alumnus regum. Norbertus candidæ Princeps familiæ - regum alumnus, lux Procerum: elogium Rhytmicum D. Norberto Sacrum parte 1.

Apis. Ordinis sui quaquaversus propagandi studiosissimus fuit B. Hugo. Noluit siquidem fratrum suorum turmas intrà unius Præmonstrati ambitum continere: sed instar apum, quæ de alveariis exeuntes ad alia subinde loca evolare solent: ipse etiam novas duxit fratrum colonias, novas ædificavit Ecclesias: ac postmodum ita crevit Ordo Divina præstante gratia; ut centum, & plures Abbates ex diversis partibus ad Capitulum generale, ipsius Hugonis temporibus, convenirent. Ibid. l. 3. c. 9.

Aquila. Ut res feliciùs, faciliùsque procederet; quod verbo docebat, suos, velut aquila, pullos ad volatum exemplo provocans, operibus commonstrabat. Ibid. l. 1. c. 20.

Arca. Hæc est arca Domini de longinquo veniens à Bethsamitis. Historia Translationis S. Norberti.

Aurora. *Sol*. *Luna*. Hic progreditur quasi aurora consurgens, prænuntians æternitatis diem: pulcher ut Luna; plena in diebus suis: electus ut Sol; irradians universam Ecclesiam: terribilis ut castrorum acies ordinata, inferorum regnum expugnans. Hic murus est; super quem DEUS argentea miraculorum ædificavit propugnacula. Ibid. Præfat. ad lib. 4.

Canis. Diabolus ex obsesso Nivigellæ vocavit. S. Norbertum, album canem. Ibidem l. 2. c. 7.

Capreæ. Hic (in via purgativa) *similis factus est capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bethel* - factus velut *passer solitarius in tecto*; aut turtur, amisso compare, dolens, gemensque. Præfat. in l. 1. vitæ S. Norberti.

Cimelium. S. Norbertus est Regno Bohemiæ certum præsidium, Divinæque protectionis pignus, & gaza omnibus Indorum opibus potior - incomparabile cimelium. Historia Transl. S. Norb.

Civis. Fuit olim civis egregius hujus Sæculi, & inclytus Babyloniæ colonus. Auth. vitæ S. Norb. l. 1. c. 2.

Columba. Hic (in via illuminativa) velut columba in foraminibus petræ, in vulneribus, Christi in caverna maceriæ, in palæstra pœnitentiæ, abscondita morabatur. Hic emissione ejus paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Hinc scaturiebat fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Quibus non solùm sacratissimus Ordo noster, sed & universa Ecclesia irrigata, & fœcundata fuit. Hic labia Norberti visa sunt lilia distillantia myrrham primam cum magno prædicationis fructu. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis operum virtuosorum: ut undique illuminativa virtutum consideratione, exercitationeque plena reluceat. Præfat. in l. 2. vitæ S. Norb. Venit (gratia DEI) repentè; mutavit sylvestrem, & rapacem accipitrem (Norbertum) in simplicem, & mansuetam columbam. Sigismundus Kohel Abb. Luc. in vita S. Norb.

Columna Ecclesiæ, speculum veræ pœnitentiæ, norma abstinentiæ, regula paupertatis, flos sanctitatis, lux contemplationis, gemma Pontificum, speculum obedientiæ. Litan. de S. Norb.

Cygnus. Ex monte albo, & victorioso ad victrices aquilas Cygnus candidissimus advolat Norbertus. Epist. dedic. vitæ S. Norberti ad Imp. Leop. 1671. Pragæ impressa.

Decus Præsulum. Elog. Rhytm. p. 1.

Dux, & *Magister* Ordinis Præmonstratensis. Vitæ l. 1. c. 17.

Ecclesiastes. Magnum Ecclesiæ jubar, fistula. S. Spiritus, eximius Ecclesiastes, vir admirabilis gratiæ, prædulcis eloquentiæ, summæ continentiæ: informator, ac propugnator religionis canonicæ; servorum Christi aggregator - Tam habitu, quàm voce strenuus veræ pœnitentiæ prædicator; ac per omnia illius Prophetæ jussionis executor; qua dicitur: *parate viam Domini*. Ibidem l. 3. c. 17.

Exemplar omnis Sanctitatis. Ibid. l. 4. c. 1.

Facula geminæ charitatis. Histor. Translatio.

Filius B. Virginis. Fili, ait illa, accipe candidam vestem. Vitæ l. 4. c. 1.

Flagellum dæmonum, hæreticorum malleus contemplationis scrinium, pacis Angelus; Norbertus inquam, viam universæ carnis ingressus Ibid. l. 3. c. 17.

Gallina. Suum Candidatorum gregem, ut gallina mater pullos alis fovet, tegit, & obumbrat. Histor. Translat.

Gloriosus Vir est S. Norbertus. Lobb. §. 9.

Hæresum eversor. Ecclesiæ Catholicæ adversus hæreticos acerrimus defensor, & venerandus Episcopus. S. Aug. l. 1. contra Julianum c. 3. Quæ ille de Hilario; eadem ego de Norberto. Lobbet. §. 10.

Homo DEI. Sigismundus Kohel in Vita cap. 8.

Hospes Regni. Ernestus Card. ab Harrach in Mandato suo edito 1627. 30. April. pro eligendo. S. Norberto in Patronum Bohemiæ, vocat. S. Norbertum, Saxonum, & Sclavorum Apostolum, Sacramentariæ hæresis expugnatorem, thesaurum incomparabilem, novum regni de cœlo hospitem.

Invictissimus. Est sanctissimus Pontifex & Præsul invictissimus. Lobb. ibid. §. 5.

Jubar Illis diebus apparuit in Vestphaliæ partibus eximium quod-

quoddam jubar Ecclesiæ, memorabilis ille præco DEI Norbertus: vir nimiùm admirabilis gratiæ, prædulcis eloquentiæ. Kohel in vita S. Norbert. c. 52.

Lilium S. Norbertus, vix à corpore egressa anima, comparuit alicui venusta forma: mox tamen effigies hominis DEI mutata est in florem miri candoris instar lilii; quem Angeli cum veneratione suscipientes deferebant ad æthera. Auth. vitæ l. 4. c. 24.

Lumen. Magnum illud Ecclesiæ, & Præmonstratensium lumen, D. Norbertus, patriam habuit Santos, Cliviæ oppidum - parentes Heribertum, & Hadvvigen. Vitæ l. 1. c. 1.

Martyr. Est gentis candidæ Patriarcha, servus pauperis Crucifixi, veritatis præco, pacis artifex, Justitiæ Martyr, continentiæ, victima, mansuetudinis exemplar, rogus geminæ charitatis, amicus sponsi. Histor. Translat. c. 5.

Medicus. Imperio sanat, quos morbus profanat; duplex medicus. Elog. Rhytm. p. 3.

Miraculum. Miraculosa vox de cœlo facta (matri parienti) Norbertum magnum; & miraculum Mundo, cœloque, futurum pronuntiat. Vitæ l. 4. c. 1.

Murus. Hic murus est; super quem DEUS argentea miraculorum ædificavit propugnacula. Id. Præf. ad l. 4. Percussus ense non læditur: quia sui securus stat veluti murus. Elog. Rhytm. p. 3.

Oliva. S. Norbertus, vix à corpore egressa anima, comparet cuidam fratri ramum Olivæ portans. Vitæ l. 4. c. 23.

Pacis Angelus. Prostratus ut Saulus exurgit ut Paulus. Hostilitas cedit, concordia redit: præ gaudio flentes, honorant canentes, pacis Angelum. Elog. Rhytm. p. 1.

Pacificator. S. Norbertus est pacis stabiliendæ administer eximius. Vitæ l. 1. cap. 13. Egregius Divini Verbi præco, & pacis internuntius. Ib. l. 4. c. 13.

Pastor. Præmonstratenses sunt oves, quarum Pastor fuit S. Norbertus. Kohel Vitæ c. 46.

Sol totius Ordinis Questenberg. in lit. ad Ord.

Vas electum. Hic est electum vas, repletum Spiritu Sancto; hic est prædicator fortis, qui pugnavit cum antiquo serpente. Ita habet antiphona ante Sacellum. S. Norbert. quotidie cantari solita.

TITULUS III.

SANCTUS NORBERTUS, EJUSDEM SACER ORDO PRÆMONSTRATENSIS.

Acies. Diabolus est perfidus insidiator, omnis boni inimicus, & scelerum author. Qua (rabie) adversus pauperem illam Sodalitatem, tamquam aciem bene instructam flagrabat, exercere cœpit. Vitæ l. 2. c. 6. Ordo Præmonstratensis est candida militia, & acies adversus diabolum congregata, atque instructa. Ibid. cap. 4.

Ædificium. Locato igitur fundamento in Christo JESU, paulatim de vivis, bene sectis, politisque lapidibus spirituale crescebat ædificium; & domus DEI ampliabatur. Ibid. l. 1. c. 17.

Amplissimus. Tantus (Monialium à S. Norberto institutarum) crevit numerus; ut Viro DEI adhuc superstite plus quàm decem millium numerum excederent. Ibid. l. 2. c. 12. Ita crevit Ordo Divina præstante gratia; ut centum, & plures Abbates ex diversis partibus ad Capitulum generale, ipsius B. Hugonis tempore convenerint. Ibid. lib. 3. cap. 9.

Angelus Ordo Præmonstratensis est Angelica D. Norberti Societas. Lobb. q. unicæ.

Arcta, & subdita Religio, Ordo Præmonstratensis. Vitæ lib. 1. cap. 20.

Cedrus. DEUM humillimè precor - ut cum Patre suo - crescant, & germinent sicut lilium: & sicut cedrus Libani ramos suos in omnem terram diffundant. Histor. Translat.

Doctus. Non tantùm sanctitate, sed etiam doctrina illustres in eo reperiuntur viri. Primò ipse D. Norbertus; qui multa pulchra scripsit, sed quæ impius Mavors nobis invidit. Dein B. Hugo, B. Richardus Anglicus, B. Joannes Doctor Parisiensis. Lobbet. ibid. q. 9. Idem vocat Doctores Præmonstratenses, salutares ignes, fulgentesque lucernas, in vitæ hujus caligine aliis præeuntes. Luminaria Mundi. Splendidas, ac lucentes Ecclesiæ faces. Ibid.

Filii S. Augustini. Præmonstratenses sunt filii S. Augustini: Ita illos nominavit. S. Augustinus, cùm D. Norberto ostenderet se visibilem. Vitæ l. 4. c. 8.

Habitaculum æterni Regis, turris eburnea virtutum munita propugnaculis, lectulus Salomonis veri. Innocent. IV. apud Lobbet. q. unica. Si DEI domus; estis in ea Regis æterni habitaculum, ac domicilium. Lobb. ibidem.

Hortus. Locus, ubi primam Norbertus fecit stationem, fuit pratum monstratum, seu Præmonstratum, designatus à Beatissima Virgine, donatus verò, ut habetur lib. 1. cap. 15. à Burchardo Archi-Episcopo Cameracensi. Sed, ut legitur l. 4. c. 7. donatus fuit à Bartholomæo Episcopo Laudunensi. Ab hoc loco totus Ordo nomen sumpsit. - Canonico igitur horto Præmonstrati per solemnem professionem plantato; de variis surculis in illum adlegendis sollicitus erat Norbertus. Ibid. l. 2. cap. 2.

Laudabilis summè. Tot, ac tantis summorum Pontificum elogiis, & illustribus, & magnificis, longè dignissimi. Id. ibid.

Lectulus Salomonis. Si amænæ quietis locus; estis in ea veri Salomonis lectuli. Lobbetius in Procem.

Luminaria. Quasi luminaria in firmamento cœli, quæ terrenos illuminent. Lobbetius cit. in Procem.

Militia. Plurimi ad candidam illam spiritualem militiam Norberti nomen dantes convolant. Vitæ l. 2. c. 2. Ordo Præmonstratensis est candida militia. Ibid. c. 16.

Nobilissima constellatio in Ecclesiæ firmamento - Bonifacius VIII. Lobb. in Procem. Religio est in Ecclesia, quod in annulo gemma. Lobb. q. un. §. 9. Multi abdicatis Regnis, & Ducatibus suis, Ordini huic se dederunt. Inter hos B. Quido Godefridus, Reardus, Gerardus, B. Folcoldus, B. Aldericus, B. Henricus, B. Ludovicus, Beringerius: qui omnes in gradu Conversorum humiliter DEO serviverunt. D. Norbertus regum sanguis. B. Godefridus, B. Robertus, B. Dominicus, B. Henricus Vvratislai primi Bohemiæ Regis filius. B. Adalbertus Vvratislai secundi Bohemorum Regis filius dein Salisburgi in Bavaria Archi-Ep. B. Hroznata, B. Hayto, post dictus Macarius Hi omnes supra gradum conversorum fuerunt. Virilem sexum, æmulatus est fœmineus. Ex hoc sexu habet Ordo Præmonstratensis, B. Ermengardem, B. Bessellam, B. Falcoldi Uxorem; B. Agntem, B. Hildeguldam, B. Gudam, B. Ludovici Uxorem quondam, B. Anastasiam, B. Gertrudem. Habuit ergo Ordo Præmonstratensis, & sanguine, & sanctitate præclaros, & præclaras. Numerat præterea hic Ordo inter Sanctos suos. B. Evermondum Rasburgensem Archi-Episcopum, B. Gualterum Laudunensem Episcopum, B. Milonem Morinensem Episcopum. Hæc omnia fusiùs apud Lobbet. q. un. §. 9.

Oliva. Multis in locis Religio Præmonstratensis - dilatata - velut oliva fructifera in domo DEI florebat; mira pulchritudine, ac utilitate sese ad omnes diffundens multiplicata, ut quondam gens Hebræorum in Ægypto. Vitæ l. 3. c. 6.

Palmites. Domini vineæ, quæ est Ecclesia, palmites à mari usque ad mare porrectos, & fructus ferentes uberrimos, ejusdem Ordinis Religiosos vocat Adrianus IV. Lobbet. in Procem. Si Ecclesia est vinea; generosi palmites. Idem ibid.

Pulli Aquilæ. Vide superiùs in S. Norberto *Aquila*.

Pusillus grex. Ordo Præmonstratensis in principio dicitur pusillus grex. Vitæ lib. 4. cap. 9.

Religiosissimus Ordo, Lucem habet religiosissimus hic Ordo à sanctissimo, & Apostolico Præsule S. Norberto. Lobb. in Procem.

Sanctissimus est Ordo Præmonstratensis. Lobb. q. un.

Sedes Christi. Ordo Præmonstratensis, & Cistercienses, fuerunt quasi duæ olivæ; & quasi duæ sedes, in quibus Christus residebat. Kohel ex vetusto quodam authore refert.

Seminarium Episcoporum. Multos Ecclesiæ DEI Archi-Episcopos, Episcopos dedit Ordo Præmonstratensis. Solum Monasterium Montis Sion Pragæ non interrupta serie dedit septem Archi-Episcopos Pragenses, decem Episcopos Olomucenses: ut meritò dictum sit Seminarium Episcoporum Olomucensium. Lobb. ibid. §. 9.

Sodales Candidi sunt Præmonstratenses. Vitæ l. 3. cap. 9. Est albatorum Societas. Histor. Translat.

Vestis, quam præfertis, symbolum est niveæ morum innocentiæ, & candoris ingenuæ mentis, & candidæ virginitatis. Lobb. q. un. §. 7.

Viros timoratos vocat Jacobus Vitriaticus hist. Occid. c. 17.

TITU-

O.

TITULUS I.

OBEDIENTIA.

Angelica vita, est obedientia, est cœlestis vita. S. Bonav. diet. sal. t. 4. c. 1. Obedientia est genitrix virtutum omnium, regni cœlorum inventrix, & cohabitatrix Angelorum. Heribertus Rosvvedius in vitis PP. p. 620. n. 19.

Clavis. Obedientia est navis ad cœlum transiens, clavis cœlum aperiens, & avis ad cœlum ascendens. S. Bonav. ibid.

Dives. Qui obtinet obedientiam, magnam possessionem obtinent, magnasque sibi divitias accumulat. S. Ephr. tomo 1. de Obedientia.

Eques. Obediens comparatur equitanti: nam sicut equitans quiescendo procedit. Sic bonus obediens, quando pausat, meretur. S. Bonav. diet. sal. t. 4. c. 1.

Fructus vineæ. Servi missi. Marci 12. Prophetæ; fructus vineæ, obedientia est. S. Thom. in Cat. sup. 12. Marci.

Inaures. Per inaures subditorum obedientia exprimitur. S. Isidor. c. 48. in Exod.

Inventrix Regni cœlorum. Lobbetius ex S. Bernard. q. unica ex Heriberto Rosvveido in vitis PP. p. 620. n. 19.

Lucifer duxit uxorem inobedientiam. S. Vinc. Ferr. serm. 2. Dom. 2. Pent.

Martii nobile genus. S. Bonav. diet. sal. t. 4. c. 1.

Mulier Apocalyptica. Obediens cum duabus aliis, scilicet cum ala paupertatis, & cum ala castitatis, scandit ad cœlestia, hoc est, quod dicitur. Apoc. 12. *datæ sunt mulieri duæ alæ*. - Mulier ista potest dici Obedientia. Id. ibid. c. 2.

Murus. Fossa humilitatis cingit castrum Sapientiæ; super quam fortissimus, & pulcherrimus murus obedientiæ ædificatus est, & cœlos penetrat. S. Bernardus tr. de fil. prod.

Navis. Solebat S Borgia obedientiam vocare navem; in qua Religiosi inter humanæ vitæ fluctus tranquillum, atque perpetuum, nec somno quidem interruptum, ad æternitatem cursum teneant. Sacchinus hist. Soc. p. 3. l. 8. n. 122.

Ostium cœli. Obedientia est cœlestis aulæ salutare, & patens ostium. S. Laur. Just. l. de Obed. c. 12.

Principium charitatis. Obedientia parens est modestiæ, atque humilitatis; principium enim est Divinæ dilectionis. S. Antiochus Abb. de Obed. hom. 39.

Schola Salvatoris, nobile genus martyrii, palma triumphalis, & scala paradisi. S. Bonav. dict. sal. t. 4. c. 1.

Thesaurus Monachi est Obedientia. S Ephr. paræn. 1.

Via. Obedientia est unica, & compendiosa via perveniendi ad vitam æternam. S. Francisca Rom. vitæ l. 1. cap. 20. Quatuor vias docuit nos Christus viam pœnitentiæ, obedientiæ, charitatis mutuæ. S. Thom. ser. 2. D. 23. Pent.

TITULUS II.

OCULUS.

Adulatio. Oculus malus est odium, & adulatio. S. Thom. in Cat. sup. 7. Marci.

Amicus, dicitur Oculus. Ven. Beda apud S. Thom. sup. 9. Marci. Per oculum amicum, utilem, & consiliarium, intelligo. Haymo hom. in festo S. Michaelis Archangel.

Bonitas, & *Justitia DEI*. Isti sunt duo oculi DEI: Bonitas, qua respicit bonos; & Justitia, qua videt malos. S. Thom. serm. 1. in festo S. Michaelis.

Christus. Prospexit, mittendo Filium suum Dominus Pater de cœlo, idest, de sinu pietatis suæ. S. Thom. in ps. 13.

Doctores sancti, oculi sunt. S. Thom. in 4. Cant. Possumus etiam per oculos, Doctores Ecclesiæ, & Prædicatores, accipere. S. Thom. c. 4. in Cant. Oculi Ecclesiæ Doctores, propter nutrimentum. Et rectè piscinæ comparantur: quia fluenta doctrinæ suis auditoribus præbere non cessant. *Oculi ejus quasi columbæ*. Cant. 5. Oculi ejus Doctores sunt; per quos Ecclesia videt, quæ recta sunt: qui bene columbæ propter simplicitatem; & rivulis aquarum, propter charismata Divina, comparantur. S. Isidor. in 1. Cant. In unitate sancta Doctorum, idest, oculorum. Id. ibid.

Dona spiritus sancti sunt oculi sponsi. S. Thom. in c. 5. Cant. Cernit Zacharias lapidem, qui est Christus, septem habentem oculos, idest, septiformis Spiritus plenitudinem. S. Isidor. lib. Procem. & vet. Testament.

Ecclesia. Columba simplicissima avis est. Per hanc simplicitas, & innocentia Ecclesiæ figuratur: quasi enim oculos columbarum habet; quia ab omni fictione se immunem ostendit. S. Thom. in 1. Cant.

Evangelista. Oculi Christi, Apostoli, & Evangelistæ, sunt. S. Isidor. 31. in Gen.

Fides comparatur oculo dextro; sinister oculus est ratio. S. Bonavent. diet. sal. t. 5. cap. 3.

Intellectus. Sicut oculus dirigit manum in opere; sic intellectus regulat affectum. S. Bonav. diet. sal. t. 6. c. 3. Sicut se habet oculus nicticoracis ad lumen Solis, sic intellectus noster ad manifestissima in natura. S. Thom. sup. prof. 1. l. 1. de Conf. Phil.

Intentio. Per oculum hoc loco; Matth. 6. Sancti intentionem intelligunt; per corpus, ipsum opus. Rodericus p. 1. tr. 3. cap. 1.

Leæna. Libidinis pronubi, & quasi leænæ. S. Basilius apud Lobb. de S. Bernardo q. un.

Nuntius impudicus. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. S. August. apud S. Bonav. in Speculo animæ c. 3.

Oculi emissitii sunt Platoni principium amoris, sed impudici. In Hilarione, Moriturræ virginitatis principia. Sanct. Hieronym.

Pedes animæ sunt intellectuales oculi. S. Ephr. tom. 3. de Pœnit.

Ratio. Ira semper turbat oculum rationis. Turbati autem minùs prævident. Et ideo dicit David Psal. 6. *turbatus est oculus meus*, idest, ratio mea. S. Thom. in ps. 6. Homo triplicem habet oculum: carnis, rationis, contemplationis: unde ratio, oculus dicitur. Hugo à S. Victore apud S. Bonav. Breviloquio p. 2. c. 12. Oculus est ratio, anima voluntas, venter memoria. S. Thom. ser. 3. D. 6. Pent.

Sancti. Pupilla DEI sunt servi DEI. Zach. 1. *qui vos tangit &c.* S. Thom. in psal. 16.

Sol meridianus est, ceu Mundi oculus, cœli gemma. Lobb. in Procem. de S. Philipp. Nerio.

Vita Activa, *Contemplativa*. Duo oculi in facie, activa vita, & contemplativa in homine. Sanct. Isidor. sentent. libr. 3. cap. 15.

TITULUS III.

OBSTINATIO.

Causa interitus. Cùm & semel, & secundò, & tertiò unusquisque peccata gravia commiserit; expectat tamen illum DEUS; sicut per Prophetam dicit: *ut convertatur, & vivat*. Cùm verò in peccatis suis cœperit permanere; de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur. Sanct. August. serm. 88. de temp.

Cor durum quid? Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret; quia non sentit. - Quid enim cor durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur; ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad Divina præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit, præsentium nhil non perit, futurorum nulla, nisi fortè ad ulciscendum, prospectio, seu præparatio est. Et, ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar: ipsum est, quod nec DEUM timet, nec hominem reveretur. S. Bernardus l. 1. de consid. ad Eugen.

Incurvatio. Quid incurvus terræ hæres, & totus in cœno jaces? Illa, quam decem, & octo annis Sathanas vinxerat; postquam à Salvatore curata est, cœlum erecta suspexit. Quod ad Cain dictum est, tibi dictum puta: *peccasti, quiesce*. Gen. 4. S. Hieron. ep. 48. ad Sabinianum Diaconum.

Irremissibile peccatum. Liber, quem Propheta devorat, Ezech. 33. omnis series Scripturarum est. In quibus & pœnitens plangitur, & justus canitur, & maledicitur desperans. Nihil ita repugnat DEO, quàm cor impœnitens. Solum crimen est, quod veniam consequi non potest. Si enim ei ignoscitur post peccatum, qui peccare non desistit; & ille flectit judicem, qui rogat: impœnitens autem omnis ad iracundiam provocat judicantem. Solum desperationis crimen est, quod mederi nequeat. S. Hieron. ep. 48. ad Sabinianum. Qui in

Eccle-

Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tanti muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis diem claudit extremum; reus est ille irremissibili peccato in Spiritum Sanctum, in quo Christus peccata dimittit. S. August. in Enchiridio, ad Laurentium.

Misericordiam ignorat obstinatus. O homo! quicumque illam peccatorum multitudinem attendis, cur & Omnipotentiam cœlestis Medici non attendis? cùm enim DEUS velit misereri, quia bonus est; & possit, quia omnipotens est; ipse contra se Divinæ bonitatis januam claudit, qui DEUM sibi misereri, aut non posse, aut non velle, credit; cumque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit. S. August. serm. 58. de temp. Quid est peccatum ad DEI misericordiam? tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet. Sanct. Chrysost. hom. 2. in ps. 50.

Misericordia Divina est omne tempus. Nolo excusationes mihi afferas. Millies peccasti? millies pœnitere: etiamsi animam efflans jam de hoc Mundo exire debeas. Non impeditur temporis angustia misericordia DEI. Sanct. Chrysost. hom. 2. in ps. 50.

Phrenesis. An gravior ulla phrenesis judicatur, quàm impœnitentia cordis, & peccandi obstinata voluntas? siquidem manus nefarias inijcit sibi ipsi: nec carnem, sed mentem lacerat, & corrodit. Sanct. Bernardus serm. de Conversione ad Clericos.

Puteus. Quem malì operis iniquitas à bona stabilitate commovit, quasi tempestas aquæ rapuit. Sed si adhuc longa consuetudine non prævaluit, non demersit; jam in puteum cecidit, qui hoc, quod Divina lex prohibuit, perpetravit. Sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustavit. Tantò ergo faciliùs egreditur, quanto minori consuetudine coarctatur. Lapis verò puteo superponitur, cùm etiam dura consuetudine mens, in peccato devoratur; ut, etsi velit, exurgere jam utcumque non possit. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Ps. 68. Sanct. Gregor. mor. lib. 26. c. 30.

T I T U L U S IV.

O D I U M.

Deligium Charitatis. Ubi deliquium patitur charitas, eò prorsus ejus loco succedit odium. Quòd si, ut Joannes ait: 1. 4. *DEUS Charitas est*: sine dubio necesse est, diabolum odium esse: Ut igitur, qui charitatem habet, is DEUM habet; sic, qui odium habet, diabolum in se nutrit. S. Basilius serm. de Institutione Monachorum.

Patientia ficta. Illud verò quale est? quòd interdum patientes nos esse credimus, quia respondere contemnimus lacessiti; vel motu, gestuque irrisorio, fratrem subsannamus? Quasi verò apud DEUM verba tantummodo, & non præcipuè voluntas, vocetur in culpam: & opus solum peccati, & non etiam votum, ac propositum habeatur in crimine. - sæpe autem ficta patientia acriùs ad iracundiam, quam sermo, succendit; & atrocissimas verborum transcendit injurias maligna taciturnitas; leviusque tolerantur inimicorum vulnera, quàm irridentium subdola blandimenta. De quibus propriè dicitur per Prophetam ps. 54. *Molliti sunt sermones ejus super oleum; & ipsi sunt jacula.* Et alibi Prov. 18. *Verba calliidorum mollia*; hæc autem feriunt in penetralia cordis. Cassianus coll. 18.

Sol testis. Sol non occidat super iracundiam vestram. Ephes. 4. Quid agemus nos in die Judicii; super quorum iram, non unius diei, sed tantorum annorum, Sol testis occubuit? S. Hieron. ep. 36. ad Castorinam materteram.

Trabs. Ira, festuca est; odium, trabs est. Aliquando reprehendimus irascentem; & odium tenemus in corde. Et dicit nobis Christus Matth. 7. *Festucam in oculo fratris tui vides, & trabem in oculo tuo non vides?* Unde crevit festuca, ut trabem faceret? quia non statim evulsa est. S. August. in lib. 50. homil. hom. 42.

Veniа petenda. Omnes audiamus, omnes timeamus; si peccavimus in fratres nostros. Si adhuc inducias vivendi accepimus, non ideo morimur: adhuc enim vivimus; nondum damnati sumus. Dum vivimus, facimus, quod jubet Pater; qui erit DEUS judex omnium: ut petamus veniam à fratribus, quos fortè peccando in eos aliquid offendimus, aliquid læsimus. - Quid ergo? ante oculos DEI pœniteat eam; ante oculos DEI puniat cor suum. Et si non potest dicere servo suo, quia non oportet, da mihi veniam; blandè illum alloquatur: blanda enim appellatio veniæ est postulatio. S. Aug. in lib. 50. homil. hom. 40.

T I T U L U S V.

B O N A O P E R A.

Apes. Cùm bene proficere in sancta conversatione volumus, necessarium nobis est, ut electorum plurimorum nobis exempla colligamus. Nam & apes componere mella nequeunt, si ea in floribus variis nequaquam legunt. - Flores æternorum fructuum sunt opera Sanctorum. S. Greg. l. 4. cap. 5. in 1. Reg. Quid sunt bona electorum hominum opera, nisi victimæ, & holocausta? Id. lib. 6. cap. 2. in 1. Reg.

Arbor. Si voluerimus, & gehenna liberari, & regnum assequi; operæ pretium est, utraque ornari; & dogmatum rectitudine, & vitæ diligentia. Quid enim utilis fuerit, obsecro, arbor; quæ in proceritatem erigitur, & foliis frondet; si fructu careat? sic & Christiano nihil profuerint recta dogmata; si vitam suam non bene instituat. Propter hoc & Christus tales beatos dixit, inquiens Matth. 5. *Beatus, qui fecerit, & docuerit.* Multò enim fidelior, & certior doctrina operum, quàm sermonum. Nam qui talis est, etiam silens, & cùm non videtur, docere potest. S. Chrysost. hom. 13. in Gen.

Armillæ. Per armillas, præpositorum valde laborantium opera demonstrantur. S. Isidor. c. 48. in Exod.

Aromata sunt opera Sanctarum virtutum, bonæ opinionis odoribus fragrantia. S. Thom. in 5. Cant.

Byssus. Cortinas tabernaculi. Exod. 26. idest, ornatus animæ, *facies de bysso retorta*, idest, de operibus pœnitentiæ, jejuniis, orationibus, afflictionibus. Sanct. Thom. de Sacr. Alt. cap. 15.

Calamus. Qui vitam suam interiùs pensat, & exemplo suo foris admonendo alios ædificat: quasi in corde linguæ calamum tingit; in eo, quod manu verbi proximis exteriùs scribit. S. Greg. hom. 10. in Exod.

Calceamentum. Sicut calceamenta ornant, & decorant pedes; ita intentiones rectæ ornant, & decorant, opera nostra. *Quàm pulchri sunt gressus tui:* Cant. 7. idest, virtutum, & bonorum operum. S. Vincen. Ferr. serm. 3. D. 1. Adv.

Candelabrum. In candelabro bonæ intentionis manifesta opera intelliguntur. Goffridus Abb. Opusc. 7.

Carbones vastatores. Exempla sunt carbones vastatores. Quare dicti sunt carbones? (mali homines) quia, qui se convertunt ad Dominum, de mortuis revivifcunt. Carbones autem, antequam accendantur, extincti erant. Vastatores dicuntur: quia suo exemplo alios convertunt, & in iis vitia devastant. S. Aug. in ps. 119.

Cementum. Doctrina verborum sine exemplo operum, est sicut cementum sine calce aridum, & invalidum. S. Bonavent. Opusc. de 6. alis Seraph. c. 6.

Centrum. Perfectio in operando per centrum signatur. S. Thom. in 7. Apoc.

Cibus. Cibus Domini, bona opera sunt. S. Thom. c. 4. in Cant. Cibus sunt bona opera. Joann. 4. Cibus ait S. Bernardus, sitim excitat; potandus est. Accedat cibo boni operis orationis potus, componens in stomacho conscientiæ, quod bene gestum est, & commendans DEO. Orando bibitur, &c. S. Bernard. serm. 18. in Cant. Comedere, est bonis operibus satiari. Joann. 4. S. Greg. mor. l. 21. c. 7.

Cinctio, opera significat. Tunc enim se quisque cingit, cùm operaturus est. S. Aug. in ps. 92.

Cithara. Quia organum per fistulas, & cithara per chordas sonat; potest per citharam bona operatio, per organum verò sancta prædicatio designari. Per fistulas quippe organi ora prædicantium, per chordas intentionem rectè viventium accipimus. S. Greg. mor l. 20. cap. 30.

Condimentum. Vinum conditum, est dilectio cum operatione. S. Thom. in c. 8. Cant.

Convivium. Mens nostra non est jejuna. Jejunant hi, quibus abest Christus; qui bonorum meritorum copiis egent. At verò cui virtus sua ad voluptatem sufficit, convivium magnum exhibet, hoc est, bonorum operum spirituale convivium. Jejunare non possunt filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus. S. Ambr. l. 5. in Luc.

Currus. Sunt boni fructus, & status bonorum hominum. Sed quatuor rotæ necessariæ sunt in curru ad ascendendum. De quibus Ps. 23. *Quis ascendet, &c.* Certè *innocens manibus.* Ecce una rota. *Et mundo corde:* ecce alia rota. *Qui non accepit, &c.* ecce tertia. *Nec juravit:* ecce quarta. Ascendunt in curribus evolantes; in equis verò, resumptis corporibus resurgentes. S. Bonav. serm. 4. in Asc. Dom.

Dextralia. Per Dextralia, opera bona - commemorantur. S. Isidor. c. 48. in Exod.

Dona DEI, bona opera, & ipsi Sancti sunt decor domus DEI; in quantum relucet in eis gratia Divina: quæ pulchrificat sicut lux; sicut dicit Sanct. Ambrs. Quia sine luce omnia sunt turpia. S. Thom. in ps. 25.

Fides necessaria. Ea opera, quæ fiunt ante fidem - ita videntur

cur mihi esse, ut magnæ vires, & cursus celerimus præter viam. S. Aug. Præf. in ps. 31.

Filii nobiles, sunt recta opera; ignobiles autem, facta perversa. - Non incongruè filiorum nomine opera designantur. Stant de muliere Paulus dicit 1. Tim. 2. *salva erit per filiorum, &c.* S. Greg. mor. l. 12. c. 13. Filios, opera intelligimus. Et sicut bona opera bonos filios, ita malos mala, Sanct. Augustin. in ps. 16.

Flores. Cùm bene proficere in sancta conversatione volumus, necessarium nobis est, ut electorum plurimorum nobis exempla colligamus. Nam & apes componere mela nequeunt; si ea in floribus variis nequaquam legunt. - Flores æternorum fructuum sunt opera Sanctorum. S. Gregor. lib. 4. cap. 5. in 1. Reg.

Fluvius. Tota virtute prospiciendus est fluvius operis; si purus emanat ex fonte cogitationis. Sanct. Gregor. mor. lib. 1. cap. 39.

Folia virentia. Quemadmodum *lignum plantatum secus decursus aquarum*; ita etiam anima Divinæ Scripturæ fluentis irrigata, figinatur; fructumque tempestivum, hoc est, rectam fidem profert; ac perpetuò virentibus foliis, id est, DEO graris actionibus exornatur. S. Joann. Damasc. Orthod. fid. l. 4. c. 18.

Fructus. Ligna fructifera omnes sancti sunt; fructus eorum opera eorum. S. Isidor. c. 3. in Gen. Sciendum, quòd in Scriptura bona opera, quæ homo facit in hac vita, dicuntur fructus. Ratio: quia principale, & finale, quod homo expectat de arbore, est fructus. Sanct. Vinc. Ferr. serm. de Sanct. Laurent.

Gressus. Quid in gressibus? nisi unaquæque nostra actio designatur? S. Greg. mor. l. 12. cap. 10.

Holocausta. Quid sunt bona electorum opera, nisi victimæ, & holocausta? S. Greg. l. 6. c. 2. in 1. Reg.

Hostiæ, & sacrificia, in hoc altari offerenda, bona sunt opera Fidelium. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 9. Marci.

Lampades, sunt bona opera, Sanct. Ildefons. serm. de Purif. B. V.

Latitudo, Longitudo, Altitudo. Nunc tempus est (bene operandi) cùm ædificatur Sion. - S. Aug. Conc. 1. in psal. 101. Latitudo est in bonis operibus; longitudo in perseverando usque in finem; altitudo propter sursum cor. S. Aug. Conc. 1. in ps. 103.

Lucerna ardentis in manibus vestris, id est, opera meritoria. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Petro ad Vincula. Non dicit solùm in oculis, auribus, nec in ore; sed in manibus. Quia multi habent virtutes in oculis, legendo virtutes: alii habent solùm in labiis, prædicando de virtutibus. Sanct. Vincent. Ferr. serm. de Sanct. Augustino. Non portanti tantum lucerna lucet, sed multis: & opus bonum, dum facto in uno lucet, multos illustrat exemplo. Lucerna repellit noctium obscura; opus bonum malitiæ fugat tenebras. Sanct. Chrysolog. serm. 22.

Manna. Opera bona sunt manna, quod perdurat usque in Sabbato, & non corrumpitur. Opera autem alia mala sunt manna, quod conservatur in crastinum; sed vermibus corruptum invenitur. S. Aug. serm. 91. de temp.

Manus. Ad salvationem nostram non sufficit videre Christum per fidem; sed ipsum recipere oportet (cum Simeone) in manibus per bona opera. S. Vincent. Ferr. ser. de Purif. B. V. Animam in manibus portare, est intentionem cordis in operatione ostendere. S. Greg. mor. l. 11. c. 13. In elevatione manuum sancta operatio designatur. S. Bernardus de Charit. c. 39. Per manus, quibus gladius tenetur, bona opera signantur. S. Greg. in 3. Cant.

Mericoria. Justitia innumeris legionibus validior est. S. Chysost. de virtutib. & vitiis. Tales nobis DEUS nundinas proposuit; ut modico justitias emeremus, quò multo venderemus in sæculo futuro. S. Chrysost. hom. 5. de Pœnitentia. Hic modico justitia emitur; nisi pro panis fragmento, pro vili vestimento, pro calice aquæ frigidæ. *Amen dico vobis*, inquit spiritualis mercaturæ Doctor, *non perdet mercedem suam.* Marci 60. Calix aquæ frigidæ dignus est mercede. Sanct. Chrysost. ibid.

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti, &c. Luc. 16. Per digitum intelligitur operatio. Innocentius III. l. 1. de Sacrif. Missæ c. 17.

Oves sunt bona opera munditiæ, & pietatis. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 2. Joann.

Pecunia. Agri cœlestis hæreditatis ementur pecunia virtutum, & bonorum operum. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 24.

Pedes. Calceamenta habebitis in pedibus. Ex. 12. Pedes opera sunt, calceamenta pedes, exempla mortuorum Patrum bona opera nostra muniunt. S. Greg. hom. 22. in Evang.

Poma. Dicuntur virtutes poma, & bona opera, propter tria: propter eorum decorem, propter odorem, propter refectionem. S. Thom. serm. 3. de mortuis.

Porta. Sicut per portam intratur ad civitatem, ita per bonum opus ad patriam. S. Bonavent. in ps. 20. Quid ergo per civitatis portam, nisi bona quæque actio designatur? per quam anima ad conventum regni cœlestis ingreditur - Portæ mortis, sunt actiones pravæ; quæ ad interitum trahunt. Sanct. Gregor. mor. l. 19. c. 13.

Psalterium. Opus nostrum, psalterium nostrum est. Quicumque manibus operatur bona, psallit DEO: quicumque ore confitetur, cantat DEO. - Decachordon psalterium significat decem præcepta Legis. Sed cantare in illo opus est; non portare psalterium. Nam, & Judæi habent Legem; portant, & non psallunt. Qui sunt, qui psallunt? qui operantur. Rarum est: qui operantur cum tristitia, nondum psallunt. Qui sunt, qui psallunt? qui cum hilaritate faciunt bene. S. Aug. in ps. 91.

Quadrigæ regis, sunt bona exempli electi prædicatoris. S. Greg. l. 4. c. 4. in 1. Reg.

Ramus bonum opus significat. Quot enim bona opera propter Christum facis, tot eum ramis honoras. Si his ramis anima evolans ad DEUM venit, bene suscipietur: sicut significatum est in columba cum ramo virente. Gen. 8. ad Noe veniente. S. Bonavent. serm. 2. D. Palm.

Remigium alarum, continuus ordo bonorum factorum est. S. Amb. l. 3. de Virgin.

Semen. Semina sunt bona opera. S. Bernardus serm. 37. in Cant. Quæ sunt semina? bona opera in tribulatione terrena, S. Aug. in ps. 120.

Sol. Sol in fulgore, est bonum opus in manifestatione. Sanct. Greg. mor. l. 22. c. 16.

Thalamus. Bene in thalamo actio bona significatur: qui conscientiam, & quietam facit, & tutam. S. Bernard. serm. 47. in Cant.

Thesaurus. Simile est regnum cœlorum. Glossa: id est, conversatio Justorum, *thesauro*, id est, bono operi; *abscondito in agro*, id est, in corde. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 8.

Tunica talaris. Quid est talaris tunica, nisi actio consummata? S. Greg. l. 1. mor. c. 40.

Vestis. Lanea vestis, sunt opera externa; linea sunt opera bona interna; quæ sunt camisiæ, aut indusium, non apparent. Una sine altera portari non debet: spectaculum enim sumus DEO, qui novit interiora; & hominibus, quibus prælucere bonis exemplis debemus; ut glorificent Patrem. Ideo mulier Prov. 31. invenit lanam, & linum; & fecit utile. S. Aug. serm. 217. de temp. Vestimenta Ecclesiæ sunt bonorum operum ornamenta. S. Thom. in Cant. 4.

Viaticum. Da animæ tuæ bonorum operum viaticum. Sanct. Ephr. Cantico Spirit. in laudem Sapientiæ ad juventutem Christianam.

Alia.

Brachia. Posuisti ut arcum æreum brachia mea. - Infatigabilem intentionem bonorum operum meorum. S. August. in ps. 17. Sicut per brachium bona opera, ita per humeros socialis vitæ conjunctio designatur. Sophon. 3. servient, &c. Sanct. Gregor. mor. l. 21. cap. 15.

Cibus. Mentis vestræ quotidiana alimenta, bona sunt opera: cibo corpus pascatur pio opere spiritus nutriatur. Sanct. Greg. hom. 4. in Evang. Cibus sunt nostra opera; illis pascimur. Perlinus.

Comitantur defunctos. Remanent in sæculo cuncta, quæ sæculi sunt: neque enim nostra sunt. Quid possumus auferre nobiscum? sola virtus comes est defunctorum. Sanct. Ambr. l. 7. in Luc.

Dies. Et numerum dierum meorum, id est, opera mea; quæ sunt dies. S. Thom. in ps. 38.

Fermentum Pharisæorum, sunt acta, & vita eorum. Fermentum Herodis, est adulterium, &c. S. Thom. in Cat. sup. 8. Marci.

Manifestatio DEI. DEUM nemo vidit unquam. Verùm per signa viderunt sancti. Per ignis rubum Moyses, per turbinem Job, per nubem Isajas, per lucem Paulus, per vocem omnis Israel, & nunc sancti per operationes. Sanct. Ephr. de Pœnit.

Manus. Extendo manus meas ad templum, id est, opera mea ad cœlum. S. Thom. in ps. 27.

T I T U L U S VI.

O R A T I O.

Arma nostra. Magna arma sunt preces; magna securitas, magnus thesaurus, portus, &c. S. Chrysost. hom. 30. in Gen. Armis nobis opus est; magna verò armatura oratio. Sanct. Chrysost. hom. 41. ad Popul. Magnus ille David sanctis precibus, mœnium vice suum cinxit exercitum. - Deprecatio armatura est inexpugnabilis, ac tutissimum, nec unquam fallens munimentum: pari facilitate vel unum repellens, vel innumerabilia hostium millia. Quandoquidem admirandus ille David, de quo modò diximus, Goliath illum immanem, cùm veluti dœmon quispiam formidandus

dus irrueret, non armis, neque gladiis, sed precibus dejecit - sic & Rex Ezechias superior evasit in bello, quod illatum est à Petsis 4. Reg. 19. Sanct. Chrysost. lib. 1. de orando DEUM. Armatura valde necessaria. Sanct. Gregor. lib. 6. cap. 1. in 1. Reg. Oratio Regis, infirmitas est hostis. Sanct. Chrysostom. apud Sanct. Bonavent. serm. 2. D. 2. Quadr. Aptissima arma, oratio est; thesaurus certè perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus? denique author, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium, oratio est: atque ipsa regia etiam facultate potior, & superior. S. Chrysost. hom. 5. de Nat. DEI.

Canalis cœli. Oratio est canalis, per quem omnia dona de cœlo haurimus. S. Vinc. Ferr. serm. 1. D. 12. Pent.

Cementum. Instabilis est bonorum operum structura, quæ devotæ orationis frequentia non compaginatur: sicut paries lapidum sine cemento. S. Bonavent. Opusc. de 6. alis Seraph. cap. 3.

Cibus. Cibus animæ est ratio de mane, & sero. S. Vinc. Ferr. 1. D. 21. Pent.

Clavis cœli. Oratio est clavis cœli. Sanct. Aug. serm. 226. de temp.

Colloquium Divinum. Oratio tua locutio est ad DEUM. Quando legis, DEUS tibi loquitur. Sanct. August. in psal. 85. Illud occurrit omnium maximum, quod de precatione dicere possumus: quòd, quisquis orat, cum DEO colloquitur. Quantæ autem dignitatis sit, hominem cum DEO miscere sermonem, neminem latet. Cæterùm eam dignitatem oratione consequi nemo prorsus valet: quando quidem hic honor etiam Angelorum superat Majestatem. Sanct. Chrysost. l. 2. de orando DEUM.

Concentus Angelicus. Chorus Religiosorum in templo est cœlum; cantus est imitatio concentus Angelici. S. Bonaven. Opusc. de 6. alis Seraph. c. 8.

Conjunctio. Spiritus Sancti, est oratio. S. Aug. ser. 230. de temp.

Eleemosyna, Jejunium, & oratio, non separantur. Quod oratio pulsat, impetrat jejunium, misericordia accipit. Est orationis anima jejunium; jejunii vita, misericordia est. Hæc nemo rescindat; nesciunt separari. S. Chrysol. serm. 43.

Firmamentum. Precatio ceu radix, & basis, omnibus cæteris substernitur: neque secùs ac navem, & domum; ea, quæ substrata sunt, valida reddunt; ac, nè solvatur, continet. Ita nostram vitam orandi studium & continet, & ubique firmam reddit. Sanct. Chrysostomus lib. 1. de orando DEUM.

Floreni. Pater noster sunt, meri floreni. S. Vinc. Ferr. serm. de fid. def.

Fons omnis boni. Quòd omnis boni caput sit deprecatio, quodque salutis conciliatrix; nullus est omnium, qui ignoret. S. Chrys. l. 2. de Orando DEUM.

Fortificat. Quam vim habent in arboribus aquæ, hanc in vita Sanctorum habet deprecatio. Paulus hac medio noctis rigans animam, omnia facilè perpessus est, quamliber acerba: non aliter præbens terga verberibus, quàm si fuisset statua. Sic in Macedonia carcerem concussit; sic, ceu leo quispiam, precatione disrupit vincula. Id. ib.

Fumus aromatum, sunt orationes. Innocent. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 25. In odorem thymiama semper orationis accende: arripe gladium spiritus; altare cor tuum pone: & corpus tuum admove ad victimam. S. Chrysol. serm. 108. Incensum devotionis adolendum in thuribulo cordis igne charitatis; ut odorem suavitatis emittat. Innocent. ib.

Fundamentum. Deprecatio, salutis causa, immortalitatis animæ conciliatrix, Ecclesiæ murus, qui rumpi non possit; munimentum inconcussum; dæmonibus quidem formidabile, piis verò, nimirum nobis salutiferum. - Quemadmodum ubi regina quæpiam ingreditur civitatem, necesse est, ut omnis opulentia pariter consequatur: sic videlicet, posteaquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur illam. Nàm quod in domo est fundamentum, hoc in anima est deprecatio. Hanc ubi primum, ceu bassim, ac radicem, in anima fecerimus; tunc oportet diligentius superstruere pudicitiam, mansuetudinem, &c. Sanct. Chrysost. l. 2. de orando DEUM.

Ignis, de quo Levit. 6. & devotionis fervor, qui semper in altari cordis ardere debet: quem Sacerdos devotus, semper subjiciendo ligna Divinæ laudis, debet nutrire; nè quando extinguatur. S. Bonav. Opus. de 6. alis Seraph. c. 8.

Lettus placidum, est oratio; ad quod fructuum, suorum exempla quasi anchoræ fune se restringi scripsit S. Greg. M. ep. sup. l. Job ad Leandrum Ep. c. 1.

Lumen animæ. Quemadmodum Sol lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio. Proinde si cœco damnosum est, non intueri solem; quantò gravius damnum est homini Christiano, si non assiduè deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat. S. Chrysost. lib. 1. de orando DEUM.

Margaritæ. Orationes jaculatoriæ meræ margaritæ sunt. S. Vinc. Ferr. de fid. def.

Medicina. Quid majus, aut divinius obtingere possit, quàm deprecatio? cùm hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat. S. Chrysost. l. 1. Oratio est theriaca. S. Vinc. Ferr. ser. 10. de Pane benedicto.

Mortua. Quemadmodum corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profectò mortuum est, ac fœtidum: sic anima, nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est, ac misera, & graviter olens. Quin insuper, quòd oporteat quævis morte tristiùs existimare, siquis deprecatione privetur. Pulchrè nos docet Daniel ille Propheta magnus; qui maluerit emori, quàm triduo tantùm arceri ab orando. Sanct. Chrysost. l. 1. de orando DEUM.

Murus est oratio. Cant. 8. S. Bonavent. in ps. 79.

Nervus animæ. Jam verò si quis dicat, animæ nervos esse deprecationem; mea quidem sententia videtur verum dicere. Nimirum quemadmodum nervis corpus cohæret, currit, vivit, stat, & compactum est; adeò, ut si nervos incideris, universam corporis harmoniam dissolveris: itidem animæ per sanctas preces sibi constant, & compinguntur, & pietatis cursum facillimè peragunt. Quòd si teipsum destitueris precatione; proinde feceris, acsi piscem ex aquis extraxeris. Ut enim piscis vita, est aqua; ita tibi deprecatio. S. Chrysost. lib. 2. de or. DEUM.

Nocturna. Tunc plantæ respirant, in nocte dico; tunc & anima maximè rorem, & plus illis (plantis) suscipit. Quæ per diem Sol exussit, hæc nocte refrigerantur. Omni rore magis noctis lacrymæ contra concupiscentias, & adversùs omnem ardorem, & æstum demitturtur. S. Chrysost. hom. 42. ad Pop.

Nuntius ad DEUM. Clamor orationis optimus nuntius est ad aures DEI. S. Bonavent. serm. 2. D. 2. Quadrag.

Oculi ictus. Oratio mentalis, est sagitta, & ictus oculi. Unde dicit Christus oranti: *vulnerasti - in uno oculorum*. Cant. 4. Oratio vocalis, quæ fit per collum, est telum, quod movetur cum pondere. De hac dicit idem ibidem: *in uno crine colli tui*. Sanct. Vinc. Ferr. serm. 2. D. infra Octav. Nat. Christi.

Psalmodia. Duo cantica in libris Moysi, tanquam duo Mundi oculi, cœlique lumina, totum corpus operis illustrant. - In libro Psalmorum profectus est omnium, & medicina quædam salutis humanæ. - Psalmus benedictio populi est, DEI laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, authoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor jucunditatis, lætitiæ resultatio. Iracundiam mitigat, solicitudinem abdit, mœrorem allevat. S. Ambr. Præfat. in psalmos David. Nocturna arma, diurna magisteria, scutum in timore, festum in sanctitate. Imago tranquillitatis, pignus pacis atque concordiæ; citharæ modo ex diversis, & disparibus vocibus unam exprimens cantilenam (est psalmus.) In paucissimis digiti sæpe erant artificis; sed in populo spiritus artifex nescit errare. Psalmus nocturni operis commercium. Id. ibid. Diurnæ requiei stipendium, institutio incipientium, perfectorum confirmatio, Angelorum ministerium, militiæ cœlestis hostia spiritualis. - Quid igitur psalmus, nisi virtutum est organum? quod Spiritus Sancti plectro pangens Propheta venerabilis cœlestis sonitus fecit in terris dulcedinem resultare. Id. ibid. Si dicendum utile quid habes, aperi labia: si nihil sit necessarium, tace; meliùs est enim. Artifex manualis es; sedens psalle. Sed non vis ore psallere; hoc facias mente. Magnus comes psalmus: nihil hinc grave sustinebis; sed tanquam in monasterio in officina sedere poteris. Sanct. Chrysostom. hom. 21. ad Pop.

Sagina animæ. Orationibus devota saginatur animas. Sanct. Ambr. serm. 27. de Jejun.

Sagitta. Dicit Scriptura sacra: quòd orationes humiles, & devotæ, factæ pernos, sunt sagittæ penetrantes cœlum. Sanct. Vinc. Ferr. in Octava S. Stephani.

Scutum nostrum. Bonum scutum infirmitatis, oratio. Tu oras, & Dominus te protegit. Bonum scutum etiam triumphantis, ut inimicum tuum, quem possis ferire, defendas. S. Ambr. in ps. 38. *Dabis ei scutum cordis laborem tuum*. Item scutum orationis, quo ictum gladii repellamus. Sap. 18. Sanct. Bonav. serm. 3. D. infra Octav. Nat. Dom.

Templum Christi. Vides, quantam vim habet precatio, & obsecratio? Ex hominibus facit templum Christi. Et quemadmodum aurum lapides pretiosi, ac marmora, constituunt domos regum; sic deprecatio templa Christi, *ut inhabitet Christus in cordibus vestris*. Ephes. 3. S. Chrysost. lib. 2. de brando DEUM.

Tuba. In tubis orationes significantur: tuba enim in uno fine flatum recipit, in alio reddit sonum. Sic & orationis datus in Mundo sit; sed sonus auditur in cœlo. S. Bonav. ser. 3. D. 2. Quadrag. Sonus tubæ, (qui fit per os) est sonus prædicationis: sonus autem organorum est sonus orationis) quæ fit per folles) Tres autem folles sunt - timoris, doloris, & amoris.

amoris. Tot quoque claves habent, quot sunt in Oratione Dominica petitiones. Sed nota: quòd in organis & claves, & folles manu premuntur, ut sonus reddatur. Sic necesse est; ut manus bonæ operationis sonum adjuvent orationis. S. Bonav. serm. 4. D. 2. Pent.

Vallum animæ, est oratio. S. Chrysost. l. 2. de or. DEUM.

P.

TITULUS I.

PATIENTIA.

Custos, & radix omnium virtutum est patientia. S. Greg. apud S. Thom. in 2. Apoc.

Gloria Monachi patientia. S. Ephr. de timore DEI.

Purpura. Per purpuram, accipitur cruor, ac tolerantia passionum. S. Isidor. c. 54. in Exod.

Tuba ductilis. Vide Paulus. *Tuba*.

TITULUS II.

PAULUS APOSTOLUS.

Aven Abel, &c. Cui te beate Paule, justorum veteris Testamenti, vel novi, audeam comparare? Omnium quippe virtutum quasi in arca quadam, sed cum multo prorsus cumulo, condidisti. - Paulus enim secundus Abel - Paulus alter Noe, alter Abraham, alter Isaac - alter Jacob, &c. Alter Gabriel: qui Christi ortum cunctis gentibus nuntiavit. Paulus alter Michael: qui Christianorum Dux esse fortitus est. Etiamsi Angelorum, etiamsi Justorum hominum circumvolem choros; non invenio comparationem: cui, non tamen cumulo meritorum, Paulus occurrat. Sanct. Chrysost. hom. 8. de laudib. S. Pauli.

Adamas. Sed quid ego adamantem, vel aurum, ad similitudinem adduco Pauli? Id. hom. 2. de laud. S. Pauli.

Angelus. Restat, ut Paulum jam Angelis comparemus. S. Chrys. ib.

Auditor arcanorum verborum. Sanct. Joann. Damasc. or. de Nat. V.

Beniamin. Pauli Apostoli imaginem prætulit; qui & minimus omnium Apostolorum fuit electione; & de tribu ejus descendit. Ipse est lupus rapax; manè persecutor diripiens, vespere Doctor pascens. S. Isidor. in allegor.

Catechisator. Ipse magnus, & mirabilis catechisator orbis terrarum. Rupert. Tuit. Abb. de div. offic. l. 4. cap. 41.

Charitas. Paulus charitate succensus, totus factus est charitas. S. Chrys. hom. 3. de laud. S. Pauli. Beatus ille Paulus Divino ardore corruptus. S. *Justinus* M. P. exposit. fidei de SS. Trinitate.

Columba. Paulus potest significari per columbam, de qua dicitur Gen. 8. *Venit ad arcam, portans ramum olivæ in ore suo*. Quia autem oliva misericordiam significat, congruè per ramum olivæ accipitur nomen JESU Christi, quod etiam misericordiam significat, secundùm illud: *vocabis nomen ejus JESUS*. Hunc autem ramum virentibus foliis detulit ad arcam, scilicet Ecclesiam; quando ejus virtutem, & significationem multipliciter expressit, Christi gratiam, & misericordiam ostendendo. S. Thom. in Prologo sup. ep. ad Rom.

Columna. Hujus (Ecclesiæ) sponsor, ac paranymphus, Divinus Paulus est: sapiens architectus: columna firma fidei. Sanct. Ephr. Encom. MM.

Crystallus, erat Apostolus Paulus durus, obnitens veritati. Sed una voce tanta illa crystalli duritia resoluta est. S. Aug. in ps. 147.

Custos murorum. Muri civitatis sunt Doctores Ecclesiæ. Custodes ergo murorum illi sunt, qui etiam illos instruunt, qui aliis prædicare possunt: quales sunt Paulus; qui Timotheum, Titum muros utique hujus civitatis (Ecclesiæ) instruebat, & custodiebat. S. Thom. c. 3. in Cant.

Dispensator. Paulus mysteriorum DEI dispensator, Evangelicæ prædicationis minister. S. Cyrill. Alex. Dialogo cum Hernia, quod unus sit Christus.

Divinus. S. Dionys. Areop. de Div. nom. c. 7. S. Paulum vocat, communem solem; & virum plane Divinum.

Domus Hospitalis. Anima ejus erat domus hospitalis, patebatque universo orbi. S. Chrysost. hom. 2. de laud. S. Pauli.

Excubitor. Paulus vigil suavem cantilenam in prima hora cantavit. Honorius Augustod Presb. Gemma animæ l. 2. cap. 12.

Ferrum. Anima Pauli inter adversa adamantem, & ferrum superabat - Omni erat lapide tolerantior. S. Chrysost. hom. 2. de laud. S. Pauli.

Fons. S. Paulus est thesaurus, est fons bonæ voluntatis, arbor feracissima, pratum spirituale. Id. ib.

Gelu. An Paulus gelu non erat? qui, *Act. 9.* in corde Fidelium femina restringere quærebat. Sanct. Greg. mor. lib. 27. cap. 21.

Humilis. Paulus humilis, & quietus interpretatur. S. Thom. lect. 1. in 10. 2. ad Cor.

Ignis. Velut ignis, ac spiritus, totum terrarum percurrit orbem percurendoque purgavit. S. Chrys. ib.

Interpres utriusque Testamenti. S. Paulus. Tertull. lib. de Monogam.

Jonas. Quem (Paulum) velut novi Testamenti Jonam diei ac nocte per maris profunda jactatum absorbuit fluctus, & reddidit quasi sacrum depositum violare non audens, quia famulatrix eum unda custodiens illæsum - reservabat. Sanct. August. s. 29. de Sanctis.

Juris - Consultus. Paulum recito, idoneum Juris Divini consultum. S. Aug. serm. 63. de Verb. Dom.

Lactator Fidelium. *Petre amas me?* Joan. 21. *Pasce agnos meos*. Istis agnis collega Pastoris Petri Paulus pro pastu plena lactis ubera porrigebat dicendo. 1. Cor. 3. *Lac vobis potum dedi*. S. Chrys. serm. 6. in ps. 99.

Legatus à latere. S. Paulus fuit Christi Apostolus, & Legatus à latere: quia per totum Mundum poterat Episcopos facere. S. Vinc. Ferr. de Commemor. S. Pauli.

Luna fuit propter tria: quia lux noctis erroris tenebras illuminando; fons roris, gratiam prædicando; causa frigidationis, virginitatem commendando. S. Thom. serm. de SS. Petro, & Paulo. Per Solem intelligitur Petrus, per Lunam Paulus. Idem ibid. *Sol verteretur in tenebras, & Luna in sanguinem*. Joel. 3.

Lupus. Iste est lupus rapax: manè persecutor diripiens; vespere Doctor pascens. S. Isidor. in Allegor. Paulus fuit lupus, Stephanus fuit agnus. S. Chrysost. hom. de reprehens. ferend. & de Converf. Sanct. Pauli. Beniamin designat Paulum: qui instar lupi rapacis prædam Gentilium comedit, & attulit Christo. Sanct. Thom. cap. 49. in Gen. Beniamin lupus rapax Apostolus Paulus factus est; non jam insidiator ovium Christi, sed defensor. Sanct. Ambr. serm. 6. in ps. 118. Primò Fideles persecutus est: vespere spolia divisit: quia Fidelis postquam factus, sacra eloquia exponendo distribuit. Sanct. Greg. mor. lib. 18. cap. 9. Ananias *ovis* interpretatur. - Saulus autem lupus ad hanc ovem missus fuit. Sanct. August. serm. 9. de Verb. Apost.

Magister Fidei, & receptaculum DEI. Palladia, & Auspiciola ep. ad parentes. S. Salviani Ep. Massil.

Medicus. Est indulgentissimus Pater, optimus Dux, ac Medicus. S. Chrys. hom. 3. de laud. S. Pauli.

Miles. S. Paulus est castrorum DEI miles. S. Greg. mor. l. 2. cap. 16. S. Paulus, est fortissimus, & fidelissimus miles. Sanct. Aug. hom. 50.

Monoceros. Paulus monoceros fuit, propter superbiam, quem nullus venatorum aggredi ausus est prædicatorum. Sed ut caperetur virgo, id est, Sapientia DEI, sinum suum misericordiæ expandit, & cepit. Sanct. Gregorius. mor. lib. 31. cap. 13.

Murus. Petrus, & Paulus, sunt murus orbis terrarum. Sanct. Chrysost. l. 2. de orando DEUM.

Negotiator. S. Paulus Apostolus, est homo negotiator. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

Os Christi. Prædicator gratiæ, auspex Ecclesiæ, os Christi. S. Gregor. Nyss. in vita S. Ephr.

Paradisus. S. Paulus Apostolus, est pratum quoddam ingne virtutum, & paradisus spiritualis: qui nobis non quatuor, sed plurimos fluvios genuit mirabiles. Sanct. Chrysost. ibid. hom. 1.

Pater. Qui quasi communis totius Mundi esset Pater. S. Chrys. hom. 3. de laud. S. Pauli.

Prædicator. Stellæ roris. Job 38. sancti Prædicatores sunt - Rorem aspergebat Paulus, cùm diceret 1. Cor. 2. *non judicavi me scire, nisi Christum*. S. Gregor. mor. l. 29. c. 20.

Senator cœli. S. Paulus est cœli magnus Senator. S. Greg. l. 6. c. 2. in 1. Reg.

Sol. Communis Sol. S. Dionys. Areop. de Div. nom. cap. 7. S. Paulus est Sol Mundi. S. Chrysost. hom. 4. de laudib. S. Paul. Sol quidam hominibus est Paulus; qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radiis illuminavit. Idem ib. hom. 8.

Thesaurus Ecclesiæ. S. Paulus est thesaurus. S. Chrysost. Magnus Ecclesiæ thesaurus est Paulus, & Matthæus, & Magdalena: qui quondam fuerant quasi quædam abyssus. S. Tho. in ps. 32.

Tonitru. Audivimus de nube (Paulo) magna tonitrua. S. Aug. serm. 29. de Verb. Ap.

Torrens. S. Paulus erat sicut torrens; ejus lingua erat sicut ignis. S. Chrys. hom. 7. ibidem.

Tribunus devotæ Christo cohortis (Ejusdem Societatis) est S. Paulus Ap. Sacchinus ad Magistros inf. Schol. in Protreptico p. 4. c. 3.

Tuba. Ille Apostolus tuba, ille terrarum præco, ille cœlorum conscius. D. Vincent. Lirinens. c. 14. S. Paulus est sacra tuba. S. Methodius Ep. Patar. hom. de Purif. B. Virg. S. Paulus est tuba ductilis; de qua in persona DEI: ego tubam, inquit ille fabricator, perficere volo: non perficiam, nisi tundam. S. Aug. in ps. 97.

Vas. Fvit vas solidum per donum patientiæ - Nec lædi, nec sonum potuit dare percussum: quia non sonat tactum vas plenum, sed vacuum. S. Bonavent. serm. 2. in Conv. S. Pauli. S. Paulus est vas aureum propter fulgorem sapientiæ, solidum virtute charitatis: ornatum autem omni lapide pretioso, scilicet omnibus virtutibus. - Hoc autem vas plenum fuit pretioso liquore, scilicet nomine Christi: de quo dicitur Cant. 1. *oleum effusum*. - Est vas portatorium Divini nominis. S. Thom. in Prologo sup. ep. Rom. S. Paulus fuit vas pretiosum, speciosum, dilectum, electum. Pretiosum, quia argenteum, aureum, gemmeum, cœlicum; argenteum, puritatem munditiæ conservando; aureum, charitate fervendo; gemmeum, incomparabiliter in tribulationibus persistendo; cœlicum, universum orbem illuminando. - Fuit ornatum novem lapidibus pretiosis, id est, novem Ordinibus Angelorum, quorum officia exercuit. S. Thom. serm. in Conv. S. Pauli.

Vox. Vocalissima cicada. Daniel Monachus Raithunus in vita Sanct. Joann. Climaci cap. 1. *Vox turturis*. Cant. 2. Hanc vocem existimo vocem Pauli Apostoli posse intelligi. Philo Carpath. Ep.

S. Pauli Laudes variæ.

Petrus patitur crucem, Paulus sentit pugionem. Piscatorem suspendit hamus crucis; persecutorem mucro minuit persecutoris. S. Aug. ser. 28. de Sanctis.

Paulus Apostolus, est Sal Divinum: verba illius grana sunt salis. S. Chrysol. ser. 120.

Terrestris Angelus, & homo, cœlestis, vocatus Apostolus, & Spiritus S. receptaculum factus; qui usque ad tertium cœlum ascendit, & ineffabilia illa verba audivit. Qui in corpore corruptibili paradisum habitabit, zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum DEI solicitus curator, orator pietatis, imbecillium deductor, Credentium pronubus, Judæorum redargutio, nostri omnium sagena, post mortificationem doctor, & post mortem præco. S. Chrysost. hom. 22. ad Pop.

Cœlum hoc nebulæ plerumque obducunt; at Pauli animum nulla unquam rerum obtexit angustia. Siquidem Sol, qui in eo fulgebat, nec tam infirmos radios emittebat, ut ex molestiarum concursu hunc sineret obumbrari. Quin ea propter magis, ac magis clarescebat. Unde responsum illi est: *sufficit tibi gratia mea; virtus enim in infirmitate perficitur*. 2. Cor. 12. S. Chrysost. de gratiis reddendis DEO.

S. Paulus est Leo; major Elia, & Joanne Bapt. S. Chrysost. serm. de virt. & vit.

Et quid ad B. Paulum, Christi Rhetorem, Mundi piscatorem: qui quatuordecim per epistolas, veluti spiritualia retia, ad salutem captat. S. Chrysost. hom. 6. de Pœnit.

S. Paulus, Divinus Apostolus. S. Chrysost. serm. de mansuetudine.

T I T U L U S III.

P A U P E R T A S.

Ala. Obediens cum duabus alis, scilicet cum ala paupertatis, & cum ala castitatis, scandit ad cœlestia. Hoc est, quod dicitur Apoc. 12. *datæ sunt mulieri duæ alæ*. Sanct. Bonav. diet. sal. t. 4. c. 3.

Animalia cœli, sunt pauperes Christi. S. Hieron. apud Sanct. Thom. sup. 4. Marci.

Caminus est paupertas. Joan. Trithemius in libro Penthico de ruina Ord. S. Benedicti.

Dies. Joan. Trithem. in libro Pent. c. 2. vocat tria vota substantialia esse tres dies, quibus Israelitæ ex Ægypto fugerunt, & se salvaverunt, atque in desertum pervenerunt.

Domina. B. Franciscus Seraphicus vocabat Paupertatem, Matrem, Sponsam, Dominam. Lobb. q. un. de Sanct. Bernardo.

Fistula, brevis est arbuscula, & significat pauperes - spiritu. S. Thom. in 4. Cant.

Murus. Paupertas est murus Religionis. S. Ignatius p. 6. Constit. c. 2. §. 1.

Prandium. Pretium, solium cœleste. Paupertas est cœleste pretium, à quo pauperibus emitur cœlum. Sicut dicit Aug. Regnum cœlorum paupertate emitur. Est cœleste prandium - est cœleste solium. Mundus iste est stabulum. S. Bonav. diet. sal. t. 4. c. 3.

Præco Regni cœlestis. Fidelissimus Regni cœlorum præco est Monachus ab omni avaritia alienus. S. Ephr. paræn. 1.

Pretiosa res, est paupertas; cùm per eam acquiratur regnum cœlorum, quod per sinum Abrahæ significatur. S. Thom. ser. 2. de Mortuis.

Thesaurus Monachi, paupertas voluntaria. Idem ibid.

Virtus immortalis Monachi, est paupertas. Idem ibid.

Zona pellicea. Pilis cameli divites gentium significantur, & zona pellicea pauperes Mundo mortui. S. Hieron. apud. S. Thom. in Cat. sup. 1. Marci.

T I T U L U S IV.

P A X.

Corona gloriæ, & exultationis Monachi est pax, & sanctitas. S. Ephrem paræn. 1.

Encœnium. Pax est cœli linguagium, Christi encœnium, & DEI vestigium - & certissima semita. S. Bonav. diet. salm. t. 7. c. 6.

Fructus Spiritus S. Tertius fructus pax, similiter habet tres magnas virtutes. Prima, quia hominem ab omnibus malis protegit. Philipp. 4. *Pax DEI custodiat corda vestra &c.* Secunda, quia Filium DEI efficit. Matth. 3. *Beati pacifici &c.* Tertia, quia in loco, in quo est iste fructus, DEUS libenter inhabitat, & quiescit. Psalm. 75. *In pace factus est locus ejus*. S. Thom. s. 3. D. 14. Pent.

Jubileum. Et quid per quinquagenarium, in quo & Jubilæi requies continetur, nisi interna quies, edomito bello mentis exprimitur. S. Isid. c. 6. in Num.

Lectulus Ecclesiæ est qualiscumque tranquillitas, vel requies præsentis vitæ. S. Thom. in 1. Cant.

Tunica Christi indivisa, est pax, & unitas Ecclesiæ. S. Hieron. apud S. Thom. in 15. Marci.

Via Domini istæ sunt: fides - pax. Arnobius in conflictu cum Serapione &c.

T I T U L U S V.

P E C C A T O R.

Animalibus variis similis. Qui vivunt secundùm sensualitatem, sunt bestiæ. Superbi sunt leones, avari vulpes, luxuriosi porci, invidi canes, gulosi lupi, iracundi serpentes sive viperæ, pigritia asini. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. 2. Quadr.

Arundo. Quid per arundinem, nisi carnalis designatur animæ; quæ in peccatum quodlibet inclinatur. S. Greg. hom. 6. Evang.

Asinus. Portans onus, sunt - peccatores. S. Vinc. Ferr. in Nat. Dom.

Barba, signat temporalia. Hanc depilat, quisquis bonis, alterum spoliat. Barba nigra: est anima peccatoris: hanc depilat diabolus; quando eam in Infernum rapit. Qualis barbitonsor diabolus. S. Vinc. Ferr. s. 3. de Luxuria.

Bestia mala. Quid, obsecuro, possit esse mirabiliùs? Scorpions, Serpentes, ac Dracones, invitantur ad laudandum. Ps. 148. eum, à quo conditi sunt; solus peccator ab hac sacra chorea submotus est: idque jure optimo ala bestia est peccatum. - Eoque peccatorem, tamquam è sacra patria abegit Propheta, ac ultra fines, ac pomaria submovit. Atque, ut musicus optimus è cithara bene modulata chordam dissonam resecat; nè aliarum vocum harmonia vitietur. S. Chrysostom. serm. cùm Episcopus esset designatus.

Cœcus. Peccator, quamdiu existit in peccatis, est cœcus, qui transit per viam hujus Mundi, - cadit in lutum luxuriæ - S. Vinc. Ferr. serm. in Converi. S. Pauli.

Carnifex. Meruerat quidam (Cain) ut percussor inhiberetur: sed sine ulla intermissione ipse suus carnifex erat, ipse percussor. S. Ambr. in ps. 53.

Ci-

cibus diaboli est peccator. S. Thom. in 7. Apoc.

Conversatio cum iis sit cauta. Medicus cùm ad ægrotum accedit, prodest sæpenumero & sibi, & illi. Sed si quis parum sanus, validusque accesserit; & se, & ægrotum mutua contagione reddet infirmiorem. Et qui prodesse illi haud quidquam potuisset, sibi ipsi magnam hausit labem. Quemadmodum qui oculos inspiciunt lippientium, malo afficiuntur eodem; ita his accidit, qui consortium blasphemorum, & fœdorum illorum hominum adeunt; eò quòd animo sint infirmiori. Plurimum quippe sibi contrahunt impietatis, & stolidorum numerum augent. Sanct. Chrysostom. hom. 2. de incompreh. Nat. Dei.

Cor durum. Quid est cor durum, nisi quoddam ferrum frigidum, igne misericordiæ non mollitum (cujus rubigo peccatum; sed per misericordiam tollitur.) S. Bonav. s. 1. de SS. Philip. & Jacobo Ap.

Dæmon. Sicut Domino qui se jungit, unus spiritus est; ita qui se jungit diabolo, est dæmon unus. Sanct. Chrysol. s. 5. de Prod. Pater, secundùm sæculum, diabolus est: & fuit nobis Pater, cùm essemus Infideles: nam Infidelibus dicit Dominus. Jo. 8. *vox ex Patre diabolo estis*. S. Aug. in ps. 35. Quid luxuria corruptus, atque petulans, qui ad omnem corporis formam stupet, à dæmoniaco differt? &c. S. Chrysost. hom. 29. in Matth.

Debitor diaboli. Debitum quid est, nisi peccatum? - Et ideo qui liber eras in Christo, debitor factus es diaboli. Cautionem tuam tenebat inimicus, & eam Dominus crucifixit, & suo cruore delevit. Sanctus Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 4.

Felicitas peccatorum, fossa ipsorum est. - Hoc se peccator putat sublimiter ire; & Deus hoc foveam vocat. Fossa ad ima tendit, non ad cœlum. S. Aug. in ps. 93.

Homo non est. Attende diligenter. Quid externi sunt, hominem definire consueverunt. Quid est homo? Homo est, inquam, animal rationale, mortale. De his Philosophorum termini consulantur. Scriptura autem non eosdem dat terminos. Sed quid homo? irreprehensibilis, justus, verax, & recedens ab omni opere malo. Si quis ergo te interrogaverit: quid est homo? dic ad eum: irreprehensibilis, justus, &c. Adeò ut qui talium officiorum testimonia non fuerit comprobatus, homo non sit. Etenim talis, quamvis naturæ characterem ferat; hunc tamen malitiæ propositum deformat. S. Chrysost. hom. 2. de Patientia Job.

Hyems significat statum peccatoris. S. Vincent. Ferr. fer. 5. D. Pass.

Jonas fugiens. Postquam navigium ille ingressus est, statim Deus excitavit mare. Ut discas: ubi peccatum, ibi procella: ubi inobedientia, ibi fluctuatio. Et quatiebatur quidem Ninivitarum civitas propter peccata: quatiebatur autem & navigium propter Prophetæ inobedientiam. Illi igitur Jonam in mare dejecerunt; & stetit navigium. Nos quoque peccata submergamus; & civitas omnino stabit. Itaque nulla nobis utilitas: sicut nec illum fuga quidquam adjuvit; quinimò & læsit. Fugiebat terram; & Domini iram non effugiebat. Sanct. Chrysostom. homil. 5. ad Pop. Postquam autem in mare projectus est, & peccatum per supplicium deponens incompositum deductus est navigium, scilicet ceti ventrem; multa potiebatur libertate. Ut discas, quòd sicut in peccatis viventi nec navigium prodest: sic peccato exutum neque mare perdit, neque bestiæ consumunt. Idem ibid.

Lœna. Anima deliciis carnis capta, est lœna. Job 10. de qua. S. Greg. mor. l. 9. c. 51. plura.

Ludit cum diabolo. Nemo cum serpente securus ludit; nemo cum diabolo jocatur impunè. S. Chrysol. ser. 115.

Mare. Peccatores sunt profundum maris. Sanct. August. in psal. 67.

Monstrum horridum. Fingite videre tetrum quemdam hominem, qui ab oculis ignem emittat; cui ex utroque humero dracones pro manibus dependeant: cujus os cavernæ instar magnitudine sit: in quo pro dentibus acuti enses stent: loco linguæ autem fons sit ebulliens venenum, & lethalia pharmaca: venter omni fornace sit voracior, cuncta, quæ immittuntur, subitò consumens: pedes alati, flamma quoque ipsa vehementiores, facies canis, ac lupi faciem simul ostendat: nec hominis vocem emittat; sed insuave quiddam, atque terribile mugiat. Is ad hæc omnia faces ardentes in manibus teneat. Horrenda hæc nobis forsan videntur; sed nondum dignè ipsius effigiem expressimus: sequi etiam debet horum instrumentorum effectus. Itaque imaginemur, eum obviam factos jugulare; canes eorum lacerare, ac devorare. Sed quid facio? Nam & hoc descriptio multo truculentior avarus, in omnes, ut mors insiliens; omnes, ut Infernus deglutiens; communis generis hominum hostis: quippe qui vellet nullum hominem esse, ut omnia possideret, &c. Sanct. Chrysost. hom. 9. in Matth.

Paralyticus. Paralyticus est peccator in peccato mortali existens. Ratio: quia sicut paralyticus non potest se movere, nec aliquid facere, sic nec peccator potest facere opera meritoria. S. Vinc. Ferr. serm. 1. D. 20. Pent.

Pisces diaboli (peccatores) assabuntur perpetuò super prunas Inferni. Diabolus est carbonarius, de quo Is. 4. *ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas*. Sanct. Bonavent. serm. 2. D. 4. Pasch.

Portio diaboli. Sanct. Ambros. lib. 10. ep. 82. inducit peccatorem, qui nequit dicere illud ps. 118. *Portio mea Dominus*. Sed quoties id dicit, toties veniunt, diabolus, avaritia, luxuria, & scelera, quæ ipsum sibi vendicant, dicentes singula: mea portio es. Horum enim omnium servus est peccator, & ipsa ejus Domini existunt.

Prodigus filius. Manducant siliquas, hoc est, voluptatibus corporis malo dulcibus inhiant, & pascunt dœmones: qui semper corporum vitiis saginantur, & sordibus. S. Chrysol. serm. 2. de Prod.

Prostibulum dœmonum. Repulisti à te Spiritum Sanctum; factus es dœmonum prostibulum. S. Bonavent. serm. de S. Michaele.

Relapsus. Peccasse, est humanum; perdurasse autem in flagitiis non humanum est, sed penitus diabolicum. Sanct. Chrysost. ep. 5. ad Theodosium lapsum. Faciliùs est, casum cavere, quàm lapsos resurgere. Detentis autem, atque confractis, si se statim pœnitentiæ tradere voluerint, multam salutis spem polliceor. Et planta quidem nuper humi confita facilè revellitur; per multum verò tempus radicibus firmata non itidem. S. Chrysost. hom. 80. ad Pop.

Sepulchrum. Sepulchra profectò sunt meretricum diversoria, cum multo fœtore, multa putredine, multa immunditia, sunt repleta. S. Chrysost. 29. in Matth. Quando moritur peccator ad Infernum sepeliendus, mox diaboli ad Luciferum, quasi Curatum, currunt nuntiatum, qui dein exequias parari jubet. In ea, Crucis loco, præfertur signum diaboli, circulus. S. Vinc. Ferr. fer. 5. Dom. 2. Quadrag.

Status miserabilis. Certè si posses animam hominis dediti voluptati, & sceleribus, oculis cernere: non dubitares, multo meliùs esse in sepulchro jacere; atque delictis irretitum detineri: & lapide potiùs premi; atque gravi operculo insensibilitatis. S. Chrysost. hom. 28. in Matth.

Turpissimus. Nihil turpiùs, aut informiùs anima vitiis obnoxia. S. Chrysost. hom. 22. ad Pop.

Alia.

In Inferno fit confessio, non tamen DEO sed diabolo Curato illius parochiæ. - *hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum. Nos insensati*. Sap. 5. S. Vincent. Ferr. serm. 2. D. 12. Pent.

Stabulum porcorum. Quando homo est in peccatis, est stabulum porcorum, sed postquam fluminis impetus mundavit eum, efficitur camera, & *habitaculum DEI*. S. Vinc. Ferr. serm. 1. de S. Joan. B.

Gladius, Ezech. 21. est sententia damnationis: qui de vagina misericordiæ educitur, cùm ulteriùs peccatori non parcitur. S. Bonavent. ser. 4. D. 5. Pasch.

Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit. Sanct. August. expos. 42. ep. Roman.

Æthiops, & *pardus*, significant longæ vos peccatores. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 12.

T I T U L U S VI.

P E C C A T U M.

Abominatio, est peccatum. S. Thom. in 17. Apoc.

Abissus, est profunditas peccatorum. Sanct. Aug. in ps. 35.

Aculeus. Ubi est mors Aculeus tuus? Aculeus autem mortis est peccatum. S. Aug. ser. 45. de temp.

Adeps. In homine spiritualiter est duplex pinguedo; una mala per delectationes corporales. Deut. 32. *Impinguatus est dereliquit DEUM factorem suum* - Et pinguedo devotionis: *sicut adipe, & pinguedine, &c.* Hac pinguedine dum caret anima, fit sicut aranea. S. Thom. in ps. 38.

Ægritudo. Peccatum veniale comparatur ægritudini; mortale morti. S. Thom. 1. 2. q. 72. a. 5. c. Infirmitas, qua Mundus dissipatur. Sanct. Bonavent. diet. sal. t. 1. cap. 1. *Multiplicata sunt infirmitates eorum*, idest, peccata diversa. S. Thom. in psal. 15. Peccatum est spiritualis infirmitas: nam infirmitas corporis ex solutione debitæ proportionis humorum accidit. Sic quando affectiones animæ non sunt proportionatæ, est ibi spiritualis ægritudo. S. Thom. in ps. 6. Tres graves infirmitates incurrit quilibet peccator, quando peccat mortaliter: cœcitatem - surditatem - mutitatem. S. Thom. ser. 3. D. 12. Pent.

Ægyptii. Ægyptiis insequentibus Israelitas similia erant vestra peccata, persequentibus; sed usque ad mare Rubrum. Quid est usque ad mare Rubrum? usque ad fontem, Christi

Cru-

Cruce, & sanguine consecratum. S. Aug. serm. 119. cap. 8. de temp.

Arbor mala est peccatum; cujus radix est cor, rami sunt sensus. Percutitur cor (ut evellatur) tamquam radix; non oculus, non auris, &c. *Securis ad radicem arboris posita est*. Matth. 3. S. Vinc. Ferr. serm. 5. D. 17. Pent.

Balneum diaboli, est peccatum. S. Bonav. in Prolog. diet. sal.

Barba. Evulsi capillos, & barbam, id est, peccata mentis, & carnis. S. Thom. serm. de S. Martino.

Basiliscus. *Super aspidem, & basiliscum, &c.* Psal. 90. Aspidem dixit mortem; Basiliscum peccatum. S. Isidor. cap. 5. in Gen.

Bellum. Qui pacem omnibus precatus est, is vitiorum, atque perturbationum bellum ex animo ejecit, id est, peccatum. S. Damasc. paralell. l. 1. c. 18.

Cæcus iste secus viam mysticè est Christianus existens in peccato mortali, quod non est in via. S. Vinc. serm. 1. Quinquag.

Calcaneus. Per calcaneum potest intelligi infirmitas carnis; quia, quando homo deficit, calcaneus labitur. Et sic iniquitas calcanei, id est, peccatum procedens ex infirmitate carnis, circumdabit me. S. Thom. in ps. 48.

Caligo. Umbra mortis dicitur præsens vita caligine peccatorum obscura. S. Thom. in ps. 22.

Camelus significat vitam criminibus tortuosam. S. Isidor. c. 9. in Levit. Camelus nos fuimus; qui nihil rectum in nobis habuimus: qui nunc sarcinam peccatorum exposuimus; & per foramen acus introivimus, hoc est, per arctam, & angustam viam. Arnobius c. 19. in Matth.

Carcer, omnis luminis expers est peccatum. Sanct. Ephr. to. 3. de Pœnit. Carcer signat statum peccati mortalis. Ratio: quia carcer habet septem conditiones, repræsentantes septem peccata mortalia, &c. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Petro ad Vinc. Vide Peccata capitalia.

Causa omnium nostrorum *malorum* est peccatum. S. Aug. ser. 139. c. 3. de temp.

Cereus. Sicut aqua ignem extinguit ardentem; sic pœnitentia diluit crimina fontibus lacrymarum. - In corde pigri ut cereus ardet peccatum: nam in pectore pœnitentis liquescit. ut cera. S. Chrysost. serm. de Pœnit.

Cilicium. Hoc fit de pilis caprarum. Et in Lege veteri hircus caprarum immolabatur pro peccato: & ideo cilicium signat peccatum. Christus ergo dicitur portare cilicium. Psalm. 34. quia indutus est carne; non peccatrice quidem, sed habente similitudinem carnis peccati. Et nos etiam portare cilicium debemus; id est, pœnitentiam de peccatis. S. Thom. in ps. 34.

Civitates istæ ps. 9. sunt, *in quibus diabolus regnat*: ubi dolosa consilia, tamquam curiæ, locum obtinent; cui principatui, tamquam satellites, & ministri adsunt officia quorumcumque membrorum, oculi ad curiositatem, aures ad lasciviam, manus ad rapinam. Plebs est, omnes delicatæ affectiones. S. Augustinus in ps. 9. Ergo ubi Rex, ubi Curia, ubi ministri; ubi plebs invenitur; civitas est. Has civitates deservit; cùm excluso inde Principe, de quo Joan. 10. pacem reddit interiùs. Idem ib.

Cohors Sathanæ. Istæ (peccata) sunt Sathanæ cohortes, istæ diaboli legiones; ista sunt, quæ Mundum sepulchris obsederunt. S. Chrysol. serm. 12.

Color. Certè peccator niger color esse voluit. S. Augustin. serm. 15.

Coluber. Cervus, peremptis serpentibus, ad fontes acriùs currit. Serpentes, vitia tua sunt. Consume serpentes iniquitatis; tunc ampliùs desiderabis fontem veritatis. S. Aug. in psal. 41. Peccatum conceptum coluber est: in præcordiis hominis parit mortem, nisi fuerit pœnitentia expiatum. S. Chrys. serm. de Pœnit.

Compedes, & *retia*, sunt peccata. S. August. serm. 175. de temp.

Consumptio naturalium, amissio gratuitorum, infectio proximorum, separatio à gaudiis Sanctorum, & Angelorum, est peccatum. S. Thom. D. 2. post Octav. Epiph.

Corruptio: quia ducit ad nihil. S. Bonavent. Centiloquio p. 1. serm. 4. Peccatum est corruptio speciei, modi, & Ordinis. Id. ib. serm. 3.

Criniculi. Non solùm vincula, sed & criniculi sunt. S. Aug. in ps. 57. Criniculis peccatorum. Prov. 5.

Dæmon. Si quis conscientiam habet alicujus vitij sorde pollutam; filiam habet malè à dœmonio vexatam. Rabanus apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 15. Matth. Moraliter per istam dœmoniacam intelligitur anima peccatrix. S. Thom. serm. 4. Sexagesf. Peccatores sunt dœmoniacis impuriores. Sanct. Dionysius Areop. de Eccl. hierarch. cap. 3. §. 2. Magnus dœmon peccatum est. Quod si abjeceris abs te, major tu, eris mihi crede, quàm qui dœmonia ejiciunt. S. Chrysostom. hom. 33. in Matth.

Debilitas. Notandum, quia priùs Dominus aufert debilitates, Matth. 15. & postea cibat: quia priùs sunt removenda peccata; & postea anima Verbis DEI nutrienda. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth.

Debitum, Decem millia talentorum. Matth. 18. peccata in DEUM dicta sunt. S. Chrysost. de prodit. Juda.

Defluxus. *Defluxit terra*, Psal. 74. Unde defluxit, nisi de peccatis. Ideo & *delicta* dicuntur. Delinquere est, tamquam de liquido quodam defluere à stabilitate firmamenti. S. Aug. in psal. 74.

Dentes diaboli. Quid sunt detractiones, contentiones, blasphemiæ, perjuria, &c, nisi dentes diaboli? Ps. 123. *Benedictus Dominus! qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*. S. Bonav. serm. 3. D. 4. Pent.

Descensus. Peccatis suis unusquisque descendit; & meritis ascendit. S. Ambr. ser. 21. in ps. 118.

Equus. *Mulus*. Omnes, qui luxuriæ, superbiæ, &c. deserviunt, quasi equi quidam sub curru Pharaonis, id est, sub regimine diaboli sunt. S. Isidor. c. 3. in 1. Reg. Mulus luxuriosus est; tamen non generat. Sic peccata luxuriæ infructuosa sunt. Rom. 6. *quem ergo fructuum habuistis tunc, &c.* - Vel equus portat sessorem indifferenter; & mulus onus quodcumque. Peccatori duo imponuntur: sessor scilicet diabolus; & onus, scilicet peccatum. Non litis ergo sicut equus non discernens inter sessores: an scilicet Christus sit? an diabolus? Nec sicut mulus; qui quodlibet onus, scilicet peccatum, indifferenter portat. S. Thom. in ps. 31. Est peccatum malus equus. Sanct. Thom. in ps. 31.

Ebrietas. Est & absque vino ebrietas. Est enim ebrietas, & in ira, & in absurda concupiscentia, & in avaritia, & in amore gloriæ; denique in aliis innumeris affectibus. Ebrietas enim nihil aliud est, quàm excidisse à recta ratione: deliratioque, & sanæ mentis privatio. S. Chrysostom. orat. 5. adv. Judæos.

Exactor. Semper nobis noster error (peccatum) tamquam malus exactor occurrit: vel tamquam improbus fœnerator conveniens debitorem. Unde Dominus. Joan. 8. *qui facit peccatum, servus est peccati*. S. Ambr. in ps. 35.

Falsitas. Peccatum est sicut falsitas in panno. - Ejus mercator est diabolus; cujus principium delectatio, medium remorsus conscientiæ, finis gehenna. Diabolus tantùm initium ostendit; sicut malus venditor facit. Sanct. Bonav. diet. sal. t. cap. 2.

Fæces. Timor Domini instar antidoti purgat omnes peccati fœces. S. Bonav. diet. t. 6. c. 1.

Febres. Peccatores laborant septem febribus, &c. Vide Peccata Capitalia *Febres*. Peccatum est febris tertiana propter triplicem concupiscentiam, scilicet divitiarum, deliciarum, & honorum. Sanct. Bonavent. diet. sal. tit. 1. cap. 1. Peccata sunt febres animæ. Sanct. Augustin. L. de decem chord. cap. 8.

Fera crudelis, est peccatum; & non uno capite (unde hydra) in hominum genus sævire contenta. S. Chrysol. serm. 111.

Fermentum Pharisæorum sunt acta, & vita eorum. Fermentum Herodis est adulterium, homicidium, &c. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 5. Marci.

Ferrum. Incurvatus sum multo vinculo ferri, id est, peccati. 2. Paral. 36. in orat. Manasse. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 21.

Ficus. Folia ficulneæ intelliguntur peccata. Sanct. August. tr. 7. in Joan. apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Joan. Mysticè per ficum designatur peccatum. S. Thom. in 1. Joann. lect. 16 Dominus JESUS sub ficu vidit omne hominum genus. Isto enim loco, Joan. 1. intelligitur, per arborem fici significasse, peccatum. Non ubique hoc significasse, sed hoc loco, ut dixi. *Cùm esses sub ficu, vidi te*: cùm esses sub peccato, vidi te. Et ad rem quidem respiciens gestam, recordatus est Nathanael, se fuisse sub ficu; ubi non erat Christus. S. Aug. serm. 40. de verb. Dom.

Filii. *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, id est, de peccatis non confessis. Venter eorum est conscientia, vel memoria, vel carnalis concupiscentia, vel sensualitas. *Saturati sunt filiis*, id est, peccatis. Alia litera habet: saturati sunt porcina, id est, immunditia peccatorum. S. Thom. in ps. 16. Peccatores sunt filii diaboli, non nascendo, sed imitando. S. Aug. tr. 4. in 1. ep. Joan.

Fœnum, sunt peccatores. S. Augustin. in ps. 91. Exoriantur peccatores - sicut fœnum. ps. 91. Quid est, sicut fœnum? Virent, cùm hyems est; sed æstate arescent. Attendis florem fœni. Quid citiùs transit? quid lucidiùs? quid viridius? Non te delectet viriditas ipsius? sed time ariditatem ipsius. Sanct. August. in ps. 91.

Frigus. Notandum, quòd peccatum dicitur frigus; quia extinguit calorem dilectionis. Matth. 24. *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum*. Quia congelat humorem devotionis. Eccl. 43. *Frigidus venetus Aquilo, &c.* Quia retardat motum bonæ operationis. Prov. 20. *propter frigus, &c.* S. Thom. in 6. Jerem. in fine.

Fru-

Fructus mali. Arbor mala, vetus homo est; qui malos fructus facit, id est, peccata. Arnobius c. 10. in Matth.

Fumus. Hoc est peccatum naturæ, quod est fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo. S. Chrysol. ser. 111.

Fur. Peccatum est, fur, sponte introductus in thalamum animæ, pretiosum gratiæ thesaurum exhauriens. S. Bonav. Opusc. lumin. Eccl. ser. 2. in principio.

Gibbus. In camelis mysticè divites ad fidem conversi; qui & onus divitiarum projecerunt, gibbum peccati. S. Thom. in 60. If.

Hospitium Sathanæ. Qui modò flent commissa, modò flenda committunt, sunt Sathanæ hospitium. Qui opportunitate malefaciendi carent, voluntate tamen parati sunt; sunt Sathanæ tabernaculum: qui non solùm peccant, sed etiam alios ad peccandum trahunt, sunt castra diaboli: qui credunt se esse sanctissimos plenariè, & sunt pessimi, sunt templum diaboli. S. Bonav. in ps. 88.

Infernus. Per Infernum intelligitur mentis obstinatio in peccato. S. Thom. in ps. 9. Potest etiam Inferni nomine desperatio peccatoris designari; de quo psal. 6. *in Inferno quis confitebitur tibi*. Rectè autem desperantium corda nubibus comparantur: quia & caligine erroris obscura sunt, & peccatorum multiplicitate condensa - Sed claritate extremi Judicii dissipantur. S. Greg. in l. 8. cap. 14. *In Inferno*, id est, in profundo peccatorum, quis confitebitur tibi. Sanct. Thom. in ps. 6.

Infirmitas. Peccatum est spiritualis infirmitas: nam infirmitas corporis ex solutione debitæ proportionis humorum accidit. Sic, quando affectiones animæ non sunt proportionatæ; est ibi spiritualis ægritudo. S. Thom. in ps. 8.

Jugum. Sicut trahit vitula Is. 5. juxta 70. lorum jugi: quæ etsi non tenetur è proximo, tenetur tamen; nec se explicat, & absolvit: ità trahit unusquisque peccator indomitis moribus iniquitates. Qui putat se liberum; quia non est jugo subditus, subjectusque judicio: & nescit, quòd non sit exutus; sed magis, ut illa vitula, & ipse implicat se suorum nexibus peccatorum. Sanctus Ambros. serm. 8. in psalm. 118.

Lacus. Dicitur lacus miseria temporalis, propter ejus profunditatem, & multiplicitatem. Potest etiam referri ad miseriam - *de lacu miseriæ*, id, est deprofundo peccatorum. S. Thom. in ps. 39. Lacus miseriæ, profunditas iniquitatis est. S. August. in ps. 39.

Languor animæ. Quid sunt peccata, & vitia, nisi languor animarum? S. Greg. mor. l. 6. c. 3.

Lapis. Peccata mortalia magis comparantur ferro, vel plumbo, vel lapidi; tum propter gravitatem, &c. Peccata verò venialia comparantur ligno, fœno, & stipulæ: tum propter levitatem, tum quia ab eis aliquis facilè expurgatur per: ignem. S. Thom. lect. 2. in 1. Cor. 3. Peccata sunt lapis. Id. de Sacr. Alt. c. 17.

Lepra, est peccatum, animarum nostrarum. Ille leprosus est; cujus mala voluntas manifestatur per malum actum. S. Thom. in 8. Matth.

Lex. Peccatum originale comparatum ad corpus, dicitur lex carnis, lex membrorum - tyrannus, fomes. S. Bonavent. Centiloq p. 1. serm. 4.

Ludus. Peccatum est, sicut ludus aleatoris; qui vulgo dicitur *ludus corrigia* - diabolus est falsus aleator, seu corrigiator. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 2.

Lutum. Peccata sunt lutum. S. Thom. de Sacr. Alt. cap. 17. Aurum Justitia, iniquitas lutum est. Et verè lutum; quia eos inquinat, qui sibi appropinquaverint. Sanct. Ambros. in ps. 35.

Macula. Peccata sunt macula animæ. S. Thom. in ps. 31. Peccata sunt maculæ, & rugæ. S. Aug. in ps. 39.

Malum. Propriè malum dicitur peccatum. S. Maximus sup. ep. 8. S. Dionys. Areopag. Malorum omnium nostrorum causa est peccatum. S. Aug. ser. 119. c. 8. de temp. Nullum est grave malum, nisi peccatum: non paupertas, non ægritudo, non contumelia, non calumnia, non ignominia, non quæ omnium mors malorum esse videtur. Hæc enim calamitatum nomina Philosophantibus sunt tantùm nomina rebus carentia: vera autem calamitas DEUM offendere; & eorum, quæ ipsi non placent, aliquid facere. Sanct. Chrysost. hom. 5. ad Pop.

Mare. Maximi peccatores sunt mare. S. Thom. in 10. Apoc. Super terram, id est, sunt peccatores, terrenorum amatores. - Terra licèt peccatores significet; tamen mare peccatorem signat sub majori gravitate scelerum. Idem ibidem.

Miseria maxima, est culpa. Miseria autem felicitati opponitur; quæ consistit principaliter in actu virtutis perfectæ. S. Thom. in ps. 24. Dicitur lacus miseria temporalis, propter ejus profunditatem, & multiplicitatem. Potest etiam referri ad miseriam - *de lacu miseriæ*, id est, de profundo peccatorum. S. Thom. in ps. 39.

R. P. Andreæ Spanner.

Moles. Peccata venialia sunt arena; mortalia sunt moles. S. Aug. in ps. 39.

Monstrum, homo peccator est. S. Thom. Comment. sup. Præfat. Boetius in l. 1. de Trinit.

Mors. Sicut vermis ex ligno nascitur, & illud rodit, & comedit, suam ab ipso originem habens: sic tristitia, & mors, de peccato natæ sunt, & peccatum absumunt. Igitur nè timeamus mortem; sed peccatum timeamus dumtaxat, & propter illud doleamus. Sanct. Chrysost. hom. 5. ad Pop. Peccatum mors dicitur: quia per ipsum homo à Domino, qui est vita, separatur. Sanct. Thom. in 2. Ephes. lect. 1. Per peccatum mors intelligitur, sicut scriptum est: *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. S. Isidor. cap. 12. in Levit. Mors est, privatio vitæ. Mors ergo quantò meliori vita privat, tantò est pejor. Privat autem spiritualis mors anima vita gratiæ, quæ est optima: quia est per DEUM. Sanct. Thom. in ps. 33. Peccatum veniale comparatur ægritudini, mortale morti. Sanct. Thom. 1. 2. q. 72. a. 5. c.

Nox. Sciendum, quòd tempus illud circa finem Sæculi dicitur nox, propter quatuor: propter errorum obscuritatem, soporis profunditatem, peccandi securitatem, charitatis frigiditatem. S. Thom. serm. 2. in festo S. Agnetis Moraliter lectus, in quo homo quiescit, est conscientia. Hanc lavat homo per lacrymas in pœnitentia. Per stratum verò designantur peccata, quæ substernuntur conscientiæ. *Per singulas noctes*, id est per singula peccata. De singulis enim peccatis debet homo pœnitendo plorare. S. Thom. in ps. 6. Nox est peccatum. S. Bonavent. in Prologo dictæ.

Onus. Nota super illo verbo: *onera vestra pondera gravi, &c.* Is. 46. Quia peccatum, quemadmodum onus, fatigat. Primò propter sollicitudinem in excogitando. Prov. 4. *Non enim dormiunt, &c.* Secundò propter laborem in exequendo. Sap. 5. *Lassati sumus &c.* Tertiò propter confusionem in recogitando. Rom. 6. *Quem ergo fructum, &c.* Quartò propter frustrationem in expectando. Prov. 11. *Expectatio solitorum peribit*. S. Thom. in 46. Is. Peccatum quemadmodum onus fatigat. *Lassati sumus in via iniquitatis*. Sap. 5. S. Thom. in 46. Is. Peccatori duo imponuntur: sessor scilicet diabolus, & onus peccatum. S. Thom. in ps. 31.

Palea. Cùm districti Judicis sententia venerit, omnes iniqui quasi paleæ ante ventum erunt. Quia, ut ità dicam, iræ flatu subito levantur, & asportantur in ignem. S. Greg. mor. l. 5. c. 22. sup. 21. Job.

Paralysis. Paralyticus jacens in lectulo, anima est vitiis desolata in corpore suo. S. Isidor. in allegor. Peccata faciunt hominis animam paralyticam. S. Chrysol. serm. 30.

Paries. Peccata nostra sunt paries inter nos, & DEUM. Item Caro. Unus mihi obstet paries corporis; & non multæ interfint maceriæ vitiorum. S. Bernardus serm. 56. in Cant. Paries quidam, eminentia delictorum est. Sanct. Ambr. in ps. 61.

Pecus. Peccata dicuntur quasi pecudum acta. S. Vinc. Ferr. serm. 2. fer. 6. post Cin.

Pestis, sunt vitia. S. Isidor. c. 16. in Deut.

Pix, & pili (Dan. 14.) significant similitudinem carnis peccati. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 28.

Plaustrum, dicitur peccatum: quia opprimit servitutis onere, cordis timore, conscientiæ inquietudine. Sanct. Thom. in 5. If.

Plumbum. Peccato nihil gravius. Propterea Zacharias id plumbi figuravit similitudine. S. Chrysost. hom. 1. de Pœnitentia.

Podagra, est peccatum; propter accidiam, invidiam, &c. S. Bonav. diet. salm. t. 1. cap. 2.

Pondus. Peccatum est pondus gravissimum; quod patet: quia subitò traxit gravissimam catervam Angelicam de supremo loco ad infimum. S. Thom. in 8. Apoc.

Porta. Duplices sunt portæ: quædam sunt malæ; quæ claudunt aditum ad vitam: aliæ bonæ; quibus aperitur via vitæ. Portæ malæ sunt peccata; bonæ autem sunt virtutes. S. Thom. in ps. 23.

Profundum. *In Inferno autem*, id est, in profundo peccatorum, *quis confitebitur tibi?* S. Thom. in ps. 6.

Pruina. Significatur vitium - quo charitas proximi congelascit. S. Aug. in ps. 77.

Puteus. *Neque coarctet super me puteus os suum*. Ps. 68. Magnus est puteus, profunditas iniquitatis humanæ. *Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnet*. Clausit super eum puteus os suum. Quare clausit os suum? quia clausit os illius: perdidit enim confessionem. Sanct. August. Conc. 1. in ps. 68.

Putredo. Peccatum est sicut putredo in pomo. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 2.

Restis, peccata significat: sicut dicitur Is. 5. *Væ eis, qui trahunt &c. Ligate illi manus, &c.* Matth. 22. Non esset unde illi ligarent manus, & pedes; nisi sibi ipse restem fecisset. S. Aug. in ps. 130.

Rete. Quot vitia, tot retia, quot peccata, tot laquei hæreditarii jàm te nexus tenebant. Venit ad laqueos JESUS, ut

Adam solveret. - *Omnes retibus tenebamur*. Sanct. Ambr. s. 6. in psal. 118. Peccatum *est sicut rete*, & sicut virga inviscata. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 2. Peccata sunt compedes, & retia. S. Aug. s. 175. de *temp*.

Rixa cum DEO. Quamdiu non confiteris peccata tua, quodammodo *rixaris* cum DEO. Quomodo enim non cum illo litigas; *qui*, quod illi displicet, laudas? Punit ille furem; tu furtum *laudas* &c. S. Aug. in ps. 74.

Rota. *Pone illos ut rotam*. Ps. 28. Quomodo rota ex his, quæ retro sunt, extollitur; ex his, quæ antè sunt, dejicitur: sic fiunt homines inimici populi DEI. S. Aug. in ps. 82.

Rugæ. Peccata sunt maculæ, & rugæ. Ephes. 6. S. August. in ps. 39.

Sanguis. Peccata mortalia in S. Scriptura dicuntur Sanguis. Ideo David. psal. 50. *Libera me de Sanguinibus*. S. Vinc. Ferr. s. 3. Dom. 1. Adv. Per Carnem, & Sanguinem, solent carnis peccata designari. Sanies, putredo sanguinis est. Quid verò accipimus Saniem, nisi carnis peccata, & longa vetustate pejora? S. Greg. mor. lib. 3. cap. 14. Edom idem dictus est, qui & Esau. - Edom *Sanguis* dicitur. Noli mirari: ad sanguinem pertinet omnes carnales. S. August. in psal. 136. Per Sanguinem peccatum signatur. S. Thom. in 8. Apoc. Peccator patitur fluxum sanguinis tribus modis. 1. Per nimium amorem consanguineorum. 2. Propter fluxum carnalium delectationum. 3. Propter operationem quorumlibet peccatorum. *Sanguis sanguinem tangit*, idest, peccatum. S. Thom. s. 2. Dom. 24. Pent.

Scabies. Peccata sunt pustulæ, & horrenda scabies, animam deformem facientes. S. Aug. s. 41. de Sanctis.

Scorpius. Peccatum quasi Scorpius est: pupugit nos; & mortui sumus. S. Aug. s. 45. de temp.

Semen. Semen diaboli, vitia sunt universa. Goffrid. Abb. s. 3. de Nat. Dom.

Senectus. Animæ nostræ senescunt, & antiquantur de peccato mortali. Quia omnes defectus, quos senectus dat corpori naturaliter, eosdem defectus dat peccatum animæ spiritualiter, vel moraliter. Ideo dicit thema: *renovamini spiritu mentis vestræ*. Ephes. 4. Sex sunt defectus, quos senectus adducit corpori naturaliter. Primus defectus est dealbatio capillorum - Capilli, animæ sunt cogitationes - Dico, quòd persona existens in gratia, habeat capillos nigros, idest, cogitationes ex humilitate. Cant. 5. *Comæ nigræ quasi corvus*. Iste (Pharisæus Luc. 18.) habebat capillos albos. Secundus defectus, est obturatio sensuum. - Personæ in peccatis nihil sentiunt de malis animæ, sed corporis. Tertius defectus, est corrugatio pellis. Hæc significat peccatorum simulationem. Alii sunt; alios se ostendunt: non sunt explicati, & sinceri. Quartus defectus est, incurvatio capitis: peccatum enim inclinat hominem ad terrena. Publicanus, Luc. 18. *Non levabat oculos, &c. Mulier inclinata*. Luc. 13. Quintus defectus est debilitatio membrorum: ideo senexit baculatus. Peccatum hanc in animam inducit. *Peccatum peccavit Jerusalem: propterea instabilis facta est*. Thr. 1. Sextus defectus, est appropinquatio ad mortem. Job 21. *In puncto ad inferiora, &c.* S. Vincent. Ferr. serm. 4. Dom. 20. Pentec.

Sepulchrum. Ubique Scriptura sepulchra pro vilibus ducit; quibus degeneres, & vitæ hujus cupidi, comparantur. Domus enim Justorum non in terra est, sed in cœlo. Philip. 3. *Nostra conversatio in cœlis est*. Ipsa est domus nostra, quæ est Christi, - Piis ergo domus est Ecclesia; piis patria, cœlum est. Luxuriosis domus, sepulchrum est. Denique tamquam in sepulchro vivunt, qui possunt dicere: *manducemus, & bibamus; cras enim moriemur*; resurrectionem ante oculos non habentes. S. Ambros. in ps. 48.

Serpens. Delectatio serpentino illapsu hominis irrepsit affectibus. Itaque non immeritò sanctus Moyses delectationem serpentis figuravit similitudini. Prona est enim in ventrem sicut serpens: non pedibus incedens, aut ullis elevata cruribus; sed sinuoso flexu totius sui velut corporis lubrica. Ei terra cibus est, sicut serpenti: quoniam escam nescit cœlestem, &c. Sanct. Ambros. l. 6. ep. 42. Fugiamus delectationem sicut serpentem. Multas artes habet, & maximè in hominem. Nam alia animantia cibi aviditate capiuntur: homo, quantò plures sensus oculorum, auriumque habet; tantò majora pericula. Id. ibidem.

Somnus. Dormire, est in peccatis jacere. S. Greg. mor. l. 8. cap. 10.

Spina, culpa est; spina pœna est, &c. S. Bern. s. 48. in Cant. Spinæ, idest, remorsus conscientiæ infigitur cordi meo. - Spina signat superbiam - Spina peccatum intelligitur. S. Thom. in psal. 31. Ascendent supra eam vepres, & spinæ, idest, majora, & minora peccata. S. Thom. in 5. Is.

Statua Nabuchodonosoris, Dan. 2. Significat figmenta peccatorum. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 24.

Stercus. Quemadmodum si quis citharam aureis fidibus coaptatam, in manus sumeret; &, cùm pulsare deberet, stercore, atque cœno ipsam indignè deturparet. Similiter hi quoque faciunt (gulosi) Stercus autem, non alimentum, sed delicias, à voracitate appellavi. Quod enim necessitatem in comedendo excedit, id non alimentum, sed pestis est: & os enim, & fauces, & lingua, non ad comedendum solùm, sed ad majora quoque creata sunt. S. Chrysost. hom. 45. in Matth.

Sterilitas. Magna est sterilitas, iniquitas. S. Aug. Conc. 24. in ps. 118.

Stillicidium, est peccatum; quod provenit aliunde; ut alterius suggestione. S. Bonav. in ps. 100.

Taberna. Peccatum est sicut taberna. S. Bonav. diet. sal. t. 1. cap. 1.

Tenebræ. Ipse tibi es caligo, vel lumen: caligo iniquitatis est, tenebræ peccatorum, lumen innocentiæ. Sanct. Ambros. in ps. 43. Peccata sunt tenebræ. S. Thom. in 1. Joan. 1. Peccatum est tenebræ intellectus. S. Aug. apud S. Bonav. Centiloq. p. 1. sect. 3. Stultus, idest, peccator, in tenebris, idest, in peccatis ambulat. S. Thom. in psal. 18. Peccata tenebræ animarum sunt. S. Aug. de Baptismo contra Donatistas, l. 1. c. 11. Christus lucem seipsum appellat, de quo suprà Evangelista dixit: *erat lux vera*; tenebras verò appellat peccata. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Jon.

Torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Iniquitatis torrentes, sunt peccata. S. Vinc. Ferr. s. 6. de Acedia.

Trabs, est peccatum mortale, - festuca veniale. S. Vinc. Ferr. s. 1. D. 5. Pent.

Tyrannus. Peccatum est crudelis tyrranus. Sanct. Chrysol. s. 116.

Vanitas. Notandum, quòd peccatum dicitur vanitas. Sanct. Thom. in 2. Jerem. quia phantasticum in eligendo. Psal. 39. *Beatus Vir, cujus est nomen &c.* Quia transitorium in permanendo. Psalm. 77. *Defecerunt in vanitate &c.* Quia fallax in expectando. Eccl. 34. *Vana spes, & mendacium &c.* Quia infructuosum in consequendo. Is. 49. *In vacuum laboravi &c.* Id. ibid.

Venenum. *Vox Domini præparantis cervos*, idest, sanctos, & perfectos viros: quia sicut cervi reppellunt venenosa; ità sancti reppellunt omne peccatum. Et sicut sancti per spinas incedunt sine læsione; ità sancti per vanitatem Mundi transeunt sine delectatione. S. Thom. in ps. 28.

Vespera. Hujus (tertiæ diei) vespera fuit peccatum, & malitia pessimi Regis Saul. S. Isid. c. 3. in Gen.

Vinculum. Peccatum, est sicut vinculum; quo porcus ducitur ad macellum, & bos ad victimam. Sanct. Bonavet. diet. sal. t. 1. cap. 2. Non est pejus vinculum, quàm quo ex peccatis fit excœcatio; neque funis perniciosior. S. Ephr. in suo Testamento. Quid significant duæ catenæ (Petri) quæ tenent peccatorem vinctum? Dico: quia prima est longa consuetudo; secunda, mala societas. S. Vinc. Ferr. s. de S. Petro ad Vincula.

Vinum. Quid est Concupiscentia sæcularis, nisi uva reprobæ mentis? Quid est fervor peccandi, nisi liquor vini? qui peccatoris mentem æternorum bonorum immemorem facit. S. Greg. l. 3. c. 5. in 1. Reg.

Vitulus. Nos moraliter DEO offerimus vitulum, cùm carnis superbiam vincimus. S. Isid. c. 11. in Exod.

Umbra mortis, est prava operatio: quæ de imitatione antiqui hostis, quasi de corporis lineamentis exprimitur. S. Greg. mor. l. 11. c. 12.

Usura. Quæ sunt istæ usuræ, nisi peccata? quæ etiam debita appellantur. Usuras autem appellatas puto: quia plus mali invenitur in suppliciis, quàm commissum est in peccatis. Nam v. g. cùm homicida tantùm corpus hominis perimat, animæ autem nihil nocere possit; ipsius & anima, & corpus, perditur in gehenna. - Matth. 25. *Ego veniens cum usuras exigerem*. S. Aug. in ps. 71

Uva acerba. Quid namque uva acerba, nisi peccatum est? Uva acerba, est fructus ante tempus - qui comederit, dentes ejus obstupescunt. S. Greg. mor. l. 11. c. 18.

Vulnus. Si quis vulnus habeat; quid timere dignum est? saniem? an medici sectionem? ferrum, aut ulceri populationem? Peccatum sanies est, pœna ferrum medicinale. Sicut igitur sanies habens, & si secatur, malè habet; & cùm non secatur, tunc est in majoribus malis: ita peccans, etiamsi non puniatur; omnium est miserrimus. Et tunc maximè miser, cum non punitur, & grave nihil patitur. S. Chrysost. hom. 6. ad pop. Peccatum est, sicut vulnus in corpore humano. S. Bonav. diet. sal. t. 1. cap. 2.

T I T U L U S VII.

PECCATA SEPTEM CAPITALIA.

Cæcitas. Quadruplex est cæcitas. Cæcitas concupiscentiæ significatur in Sampsone. Judic. 16. Cæcitas superbiæ in Sedechia. 4. Reg. 25. Cæcitas infidelitatis in Elyma. Act. 13. qui resistebat Paulo prædicanti. De quo: *Ecce manus Domini super te; & eris cæcus &c.* S. Bonav. s. 3. in Quinquag.

Cæ-

Cœlo exclusa. Non est dignus intrare superbus (Regnum cœlorum) & alius: quia ab humili, & basso ostio, quod est Christus, conquassabitur. Non invidus; quia ejus *Regni participatio in idipsum*. Psal. 121. Non iracundus: quia ibi est summa pax. Philip. 4. Non avarus: quia foramen acus camelum cum sarcinis non admittit. Matth. 19. Non gulosus: quia *regnum DEI non est esca, & potus*. Rom. 14. Non luxuriosus: quia ibi *neque nubent, neque nubentur*. Matth. 22. S. Bonav. s. 2. D. 3. Quadr.

Currus, *Hi in curribus, & hi in equis*. Psal. 19. Currus significat tentationes: quæ ad instar rotarum volvuntur de una in aliam. Equi dæmonum, sunt peccata mortalia. Hi quatuor equi. Apoc. 6. sunt superbia, luxuria, avaritia, invidia. Primùs equus albus designat superbiam. Ratio: color albus præ cæteris apparet: sic superbus super alios vult apparere. S. Vinc. Ferr. serm. 4. D. 3. Pasch. Equus rufus significat luxuriam; niger avaritiam; pallidus invidiam. Id. ibid.

Febres. Peccatores laborant septem febribus. Prima est continua: quæ est luxuria. Psal. 4. *Fornicati sunt, &c.* Secunda quotidiana, est gula. Is. 56 *Comedamus, &c.* Tertia tertiana; quæ significat iracundiam. - Quarta quartana, quæ significat Acediam. Quinta hectica, quæ est avaritia; quæ difficilè, vel numquam curatur. Sexta ephemera; quæ est superbia: quæ citò deficit. Job 24. *Elevati sunt ad modicum*. Septima putrida: quæ est invidia. Prov. 14. *Putredo ossium invidia*. Sanct. Thom. serm. 2. D. 2. Pent. Febris quotidiana superbiam, podagra acediam, paralysis iram, vel invidiam, hydropisis avaritiam, dolor viscerum iracundiam, squinantia gulam, lepra luxuriam, significat. Et de peccatore dicitur. Is. 1. *à planta pedis &c.* S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 1.

Languor. Est malus languor avaritiæ languor. - est languor malus luxuria, libido, concupiscentia, delectatio, sæcularis ambitio; qui citò corrumpit salutem sobrietatis. Sanct. Ambros. in Ps. 1.

Lepra. Propter septem malas conditiones, quas habet lepra, significat septem peccata capitalia. Prima facit hominem inflare ex superbia. Secunda facit sitire avaritia. Tertia, est morbus contagiosus luxuria. Quarta, consumit humidum radicale invidia. Quinta facit anhelitum fœtidum gula. Sexta, vocem raucam ira. Septima debilitat omnia membra acedia. S. Vinc. Ferr. s. 9. D. 3. Adv.

Mare. Mundus, sive Gentilitas, dicitur mare; ratione tumoris propter Superbiam; inquietudinis, propter gulam, fœtoris quantùm ad luxuriam; rapacitatis, quantùm ad avaritiam; fervoris, quantùm ad iracundiam; amaritudinis, quantùm ad acediam; obscuritatis, quantùm ad perfidiam. S. Thom. in 8. Apoc.

Planetæ. Septem Planetæ significant septem vitia. Saturnus significat invidiam. Jupiter gulam, Mars iram, Sol superbiam, Venus luxuriam, Mercurius avaritiam: Luna acediam, propter mutabilitatem, propter pigritiæ frigiditatem. S. Thom. serm. 2. D. 10. Pent.

Podagra. Peccatum podagra est, propter acediam, invidiam, iram, avaritiam, gulam, luxuriam. S. Bonav. diet. sal. t. 1. cap. 2.

Principes diaboli. Pharao est diabolus: hujus Principes sunt luxuria, avaritia, & cætera vitia. Luxuria turpitudini carnis, præest; avaritia in peccatis rapinæ, & fraudis, sortita est principatum. S. Bonav. serm. 39. in Cant.

Sepulchra. Ezech. 32. Nominantur septem sepulturæ Inferni. Ibi Assur, ibi Elam, &c. Nota Assur, quod interpretatur *nemus*, est superbia. Elam, interpretatur *abjectio in congregatione*, est avaritia. Moloch, *captivatio*, est luxuria. Idumea, *sanguinolenta*, est gula. Aquilo, *parturiens*, est ira. Tubal, *flentus*, est invidia. Pharao, idem est, quod *denudabitur*, & est acedia. S. Vinc. Ferr. s. 6. à Pent.

Via diaboli, sunt superbia, & cætera peccata: sed hæ viæ omnes sunt in circuitu: *impii in circuitu*. Psalm. 11. *Circuit quærens &c.* 1. Petri 5. *Circuivi* Job 1. & 2. S. Bernardus serm. 6. in Ps. 90.

Zizania. Maledicuntur zizania: quia mali sunt lolium per luxuriam, vicia per avaritiam, avena per superbiam. Lolium enim pervertit statum rationis, & luxuria similiter. Vicia, quæ amara est, significat avaritiam; quæ miro modo affligit avaros. Avena, propter vanitatem, significat superbiam. S. Thom. s. 2. D. 2. Epiph.

Alia promiscuè.

Leviathan tentat de superbia, *Asmodæus* de luxuria, *Mammona* de avaritia, *Beelzebub* de invidia, de gula *Beelphegor*, *Bralberith* de ira, *Astaroth* de acedia. S. Vinc. Ferr. serm. 2. de S. Dominico.

Invidi assimilantur Cain. Gen. 4. Avaritia comparatur. 1. Sterquilinio: quia aggregatum corrumpit, & fœtet; dispersum verò facit agros fructificare. Sic divitiæ avari. Ezech. 7. *Aurum in sterquilinium &c.* 2. Porco: quia nihil valet, quando vivit. Sic avarus: quia non vult eleemosynam dare. S. Vinc. Ferr. de propr. &c. c. 2.

Nota, quod diabolus in quibus non invenit fidem Catholicam, vel fortem; in illis sculpit, & format figuram leonis, idest, peccatum superbiæ; in quibusdam figuram draconis, peccatum invidiæ; canis, iræ; talpæ, avaritiæ; asini, acediæ; lupi, gulæ; ursi, luxuriæ. Contra quæ monet Apostolus Rom. 12. *Nolite conformari huic sæculo*. S. Bonav. diet. sal. t. 10. c. 5.

Literæ, quas magister diabolus tabulis cordium nostrorum inscribit, sunt avaritia, odium, invidia, & cætera peccata. Sed pessimus magister non nisi malas novit inscribere literas. Ab hoc autem utpote malo magistro nos quantocyus abducamus. S. Chrysost. hom. 11. in Matth.

T I T U L U S VIII.

S. PETRUS APOSTOLUS.

Columna. S. Petrus est primus Apostolorum, & magna columna veri tabernaculi. S. Greg. hom. 13. in Exod.

Custos fidei. Ipse est custos fidei, petra Ecclesiæ, janitorque cœlorum - qui doctrinæ suæ reti concludit ad fidem hominum multitudinem. S. Chrysol. serm. 107.

Deus Pharaonis. In figura hujus (principatus Petri super omnes) dictum est Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. S. Bonav. s. 2. in Cath. S. Petri.

Fundamentum Ecclesiæ, Petrum Dominus nominavit. Et ideo dignè hoc fundamentum Ecclesia colit; super quod Ecclesiastici ædificii altitudo consurgit. Sanct. August. serm. 15. de Sanctis.

Gallus. Negans Christum. Gallus cantavit; & nocte naufragus respiravit. Ventum invenit fidei liberalem, quousque impelleret navem: ut in medio scopulorum portum quæreret lacrymarum. S. Aug. s. 121. de temp.

Murus Ecclesiæ. Petrus est cœlo splendidior. Ipse, & Paulus, sunt murus orbis terrarum. S. Chrysostom. de orando DEUM.

Patriarcha. Petrus Apostolus, non solùm Propheta, sed summus Patriarcha, &c. S. Greg. l. 6. c. 3. in 1. Reg.

Petra. *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* Matth. 16. Hæc petra Petrus est. S. Ambr. s. 11. de Sanct. Ibidem comparat S. Paulum vasi, quod est ad ornamentum; non autem petræ; sed tantùm Petrum comparat petræ, quæ est ad firmandum. Vide ibid. Petra dicitur: eò quòd primus nationibus fidei fundamenta posuerit; & tamquam Saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque, contineat. Petra ergo pro devotione Petrus dicitur; & petra pro virtute Dominus nuncupatur. S. Aug. s. 16. de Sanct.

Princeps Apostolorum. Ipse Petrus in Ordine Apostolorum primus - Idem Petrus à petra, consummatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens. S. August. s. 13. de Verb. Domini. S. Petrus Apostolorum Princeps. S. Chrysost. hom. 60. ad Pop. Ex piscatore fecit Dominus Apostolorum Principem. S. Aug. s. 28. de Sanctis.

T I T U L U S IX.

PERFECTIO.

Centesimus numerus. Millenarius numerus pro summa perfectione, & plenitudine ponitur. Sicut per millenarium plenitudo perfectionis, sic etiam per centenarium summa perfectio designatur. Sanct. Thom. in 8. Cant. Quinquagenarius numerus significat pœnitentiam, centenarius perfectionem. Sanct. Hieronym. apud Sanct. Thom. sup. 14. Matth. Perfectio in diligendo signatur per millenarium - perfectio in operando per centenarium. S. Thom. in 7. Apoc. Senarius signat minùs perfectos; sexagenarius mediocriter perfectos; sexcentenarius perfectissimos; qui & præcepta, & consilia, perfectissimè servant. Centenarius magnam perfectionem significat. S. Thom. in 13. Apoc.

Duodenarius. Hieronymus intelligit per duodecim alas (Is. 6.) ministerium perfectionis; quod commendatur in duodenario. Sicut duodecim gemmæ in diademate Sacerdotis. Sanct. Thom. in 6. Is.

Mala. Cant. 2. Per flores, initia Sanctæ conversationis intelliguntur; per mala verò perfectio bonorum operum. Sanct. Thom. in 2. Cant.

Millenarius. Per millenarium signatur perfectio perseverantiæ - per millenarium perfectio intimæ charitatis. S. Thom. in 14. Apoc.

Mons. Per fidem perficitur anima ad virtutes politicas. Et hoc est, ad radices montis ascendere. Deinde per fidem proficit anima ad virtutes purgativas, quasi ad medium montis. Deinde per fidem proficit anima ad virtutes purgati jam animi, quasi ad supercilium montis. S. Bonav. Opusc. lum. Eccl. serm. 1.

Sena-

Senarius perfectionem significat operis: quia sex diebus perfecit DEUS opera sua. S. Thom. cap. 3. in Cant. Senarius numerus perfectus est - qui DEI operibus specialiter est assignatus. S. Bern. Opusc. de Char. cap. 20.

Septenario numero universitas perfectionum significatur. S. Thom. in Cat. sup. 12. Marci.

Tricenarius. Solet in tricenario numero plenitudo perfectionis intelligi. S. Isid. c. 5. in Judic.

Vespera, est perfectio singulorum operum, & manè inchoatio sequentium. S. Isid. c. 3. in Gen.

T I T U L U S X.

P E R F E C T U S.

Arbor. Fœnum, idest, incipientes, qui rudes sunt in bono. Arborem, idest, alios perfectos, qui in altum elevantur per meritum perfectionis, & jam ad soliditatem ligni pervenerunt, & copiosè fructificant. S. Thom. in 9. Apoc.

Cervus. *Vox Domini præparantis cervos*, idest, sanctos & perfectos viros. Quia sicut cervi repellunt venenosa; ità sancti repellunt omne peccatum. Et sicut cervi per spinas incedunt sine læsione; ità sancti per vanitatem Mundi transeunt sine delectatione. S. Thom. in ps. 28. Sicut cervus in generali desiderat aquas; ità Fidelis desiderat DEUM. Tamen in speciali adaptatur Cathecumenis, & viris perfectis: Cathecumenus enim est sicut cervus; qui sentit in se veneni ardorem, quod est ex suggestione serpentis introductum; ex quo veneno secutum est peccatum originale. Et ideo debet desiderare fontem baptismi. - Vir autem perfectus est sicut cervus in petra stabilitus. S. Thom. in ps. 41.

Dentes. In capillis fragiliores, in dentibus verò perfectiores, quique ad Ecclesiam apti designantur. Sanct. Isidor. in 1. Cant. Secundùm veritatem, Apostoli dicuntur dies. Et hoc est, quod dicit David: *dies*, idest, Apostoli, *eructant* verba Divinæ Sapientiæ, *diei*, idest, perfectis. 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Item Apostolus, in quantum est nox, idest, in carne vivens, & mortalis; infirmitati & ignorantiæ radium condescendens; tamquam *nox indicat nocti*, id est, imperfectis *scientiam*; sed de rebus bonis. 1. Cor. 3. *non potui vobis loqui tamquam spiritualibus, sed quasi carnalibus*. S. Thom. in ps. 18.

Ligna Libani, significant perfectos. S. Thom. in 2. Cant.

Ossa Ecclesiæ, sunt fortes; ut Prælati, & viri perfecti. S. Th. in psal. 41. Per ossa viri perfecti intelliguntur, quos Dominus custodit. S. Thom. in ps. 33.

Sol. Per Solem intelliguntur viri perfecti. S. Thom. in 6. Apoc.

Terra. Per terram intelliguntur perfectiores in Ecclesia: qui stabiles sunt, & portant Ecclesiam. S. Thom. in 12. Apoc.

T I T U L U S XI.

P E R S E C U T I O.

Æstus. *Factus es - spes à turbine &c.* Is. 25. Spes defensionis à turbine propter violentiam persequentis: umbraculum consolationis ab æstu, propter afflictionem persequentis. S. Thom. in 25. Is.

Aqua, & flumina, sunt violentæ persecutorum minæ. Sanct. Thom. in 8. Cant.

Aquilo quidem frigidissimus ventus est, Auster calidus: & ideo per Aquilonem terrores, & minæ designantur; per Austrum blandimentorum decipulæ figurantur. S. Thom. in 4. Cant.

Equus rufus. Cœtus persecutorum sunt rufus equus propter malitiam. S. Thom. in 6. Apoc.

Flagellum inundans, idest, persecutio. S. Thom. in 28. Is.

Flumen. Flumina, & venti, impetus persecutionis. Arnobius c. 10. in Matth. Ecclesia fundata est super maria, idest, *supra* tribulationes; & super flumina, idest, persecutiones: quibus præparata est Ecclesia ad coronas Martyrum. S. Thom. in ps. 23.

Grando potest intelligi contumelia verborum, & immanitas exteriorum persecutionum. S. Thom. in 8. Apoc.

Guttæ noctium. Cincinni sunt intimæ cogitationes Sanctorum. Ros & guttæ noctium, infidelitate plenas, frigidasque mentes significant. Cùm tales (mali) sanctos homines persequuntur; quasi cincinni sponsi pleni sunt guttis noctium. S. Thom. c. 5. in Cant.

Hyems. Oriones signant Martyres. Nam sicut isti nascuntur in cœlo tempore hyemis; ità in Ecclesia Martyres procedunt tempore persecutionis &c. S. Isidorus de Nat. rer. c. 26.

Mare. Ventus, & mare, persecutores sunt. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci.

Meridies significat apertam persecutionem. Sanct. Thom. in 16. Is.

Novacula, *Sicut novacula acuta fecisti dolum*. Psal. 51. Quia sicut novacula radit pilos; ità mali dolum acuunt contra justos &c. S. Thom. in ps. 51.

Portæ inferi, etiam tormenta, & blandimenta sunt, persecutorum. Rabanus apud S. Thom. in Cat. sup. 16. Matth.

Sol. *Neque cadet super illos Sol*, idest, major tribulatio, quæ exurit hominem, *Neque ullus æstus*, idest, minor tribulatio. S. Thom. in 7. Apoc. Petram dicit duritiem protervæ mentis; terram, lenitatem animæ obedientis; solem fervorem persecutionis sævientis. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 4. Marci. *Decoloravit me Sol*, idest, fervor persecutionis. S. Thom. in 1. Cant.

Spinæ. Congregatæ igni comburentur. Is. 33. idest, Assyrii, qui alios lacerabant. S. Thom. in 33. Is.

Turbo. *Factus es spes mea à turbine &c.* Is. 25. Spes defensionis à turbine propter violentia persequentis. S. Thom. in 25. Is.

T I T U L U S XII.

P H I L O S O P H I A.

Philosophia est virtutis mater atque contubernalis. S. Asterius Amaseæ Ep. hom. de Avaritia.

Philosophia est eorum, quæ sunt, quatenus sunt cognitio, hoc est, naturæ eorum. Philosophia est rerum Divinarum, & humanarum scientia, hoc est, earum, quæ in aspectum cadunt, & quæ oculorum sensum effugiunt. Philosophia est mortis, tum in animæ inductione sitæ, tum naturalis meditatio. Philosophia est cursum DEI meditatio. - Philosophia est ars artium, & scientia scientiarum: Philosophia enim omnis artis initium est. Philosophia rursum est sapientiæ amor: vera autem sapientia DEUS est. Ex quo conficitur: amorem erga DEUM veram Philosophiam esse. S. Joan. Damasc. suæ Logicæ c. 3. & Philosophiæ c. 1.

Stulti Principes Tanеos. Is. 19. Stulti Principes, idest, Philosophi Taneos, ubi vigebat studium. S. Thom. in 19. Is.

Philosophia artifex vitæ. Seneca ep. 90. ad Lucilium.

Philosophia est studium virtutis, studium corrigendæ mentis. Seneca ep. 49.

Nec Philosophia sine virtute est, nec sine Philosophia virtus. Id. ibid.

Dicam, quod mihi sanè videtur: revera enim Philosophia est possessio præcipua, & DEO charissima; cui nos adductos sola commendat. Suntque hi veri Sancti, qui ad eam applicant animum. S. Justinus M. & P. in Colloquio cum Tryphone princ.

Est perfecta medicina animi Philosophia. Cicero Tusc. q. 4. Apulejus disciplinam regalem vocat. Et Plinius l. 7. cap. 30. Thesaurum regum opibus præstantiorem.

Philosophia, est libertatis vindex, scientia veritatis, res mirabilis & Divina, actionum vitæ nostræ directrix, & quasi quædam navarcha, idest, fluctuantium gubernatrix. S. Thom. in Procem. sup. exposit. suam in Boet. de Cons. Phil.

Hæc est Sol, per quem mens dejicit à tenebris oculos; deliciosus animi paradisus. S. Thom. in 1. de Cons. Phil. metr. 1.

Servire Philosophiæ, libertas est. Seneca ep. 8.

Est medica. S. Thom. sup. l. 1. de Cons. Phil. pros. 3.

Ipsa est magistra omnium virtutum, nutrix omnium virtutum, summum solatium, prævia veri luminis. S. Thom. in Procemio super Boet. de Cons.

Studium Philosophicum, est studium veritatis: studium autem Poeticum; est studium falsitatis. Sanct. Thom. in 1. Boet. metr. 1.

Hæc ex mortali immortalem facit; & caducum hominem in DEUM Deificæ mutationis auctoritate convertit. Idem ibidem.

Appellat Philosophia Musas, meretriculas scenicas. - Dicuntur scenicæ, id est, umbratiles: quia sunt umbra scientiæ, non verò scientia; cùm obumbrent mentes hominum. Idem ibid.

Item Philosophia appellat Musas Sirenes. Sicut enim Sirenes dulcedine cantus attrahunt naves periclitando eas; sic Musæ delectatione metri alliciunt homines, vel mentes hominum; & rationem aliquo affectu submergunt, & obscurant. Id. ibid. in l. 1. pros. 1.

T I T U L U S XIII.

P H I L O S O P H U S.

Aqua Ægypti. Ægyptus sæculi forma est. - Aquæ Ægyptiæ erraticæ, & lubricæ Philosophorum sunt dogmata. S. Isid. c. 14. in Exod.

Beatitudo Resp. Nota secundùm Platonem: beata Resp. Ajus Dominus Philosophus est. S. Thom. in pros. 4. l. 1.

Lapis. Philosophi sunt lapides; quos Sancta Catharina in ædificationem Ecclesiæ collocavit. S. Thom. f. de S. Cathar.

Lin-

Manui. Nota per manus Philosophiæ, per quas suas vestes texuerat, intelliguntur Philosophi, qui præcepta Philosophiæ alia conscripserunt. S. Thom. l. 2. Cons. Phil. pros. 1.

T I T U L U S XIV.

P I E T A S.

Catena. Nota super illo: *Si abstuleris de medio tui catenam*: Quia est multiplex catena. Prima pietatis. Ephes. ult. *Pro quo legatione fungor &c.* S. Thom. in 58. Is.

Cœlum. Prospexit mittendo Filium suum Dominus Pater de cœlo, idest, de sinu pietatis suæ. S. Thom. in ps. 13.

Equus, est veritas, & pietas Justorum: calcaneum autem novissima dies. S. Methodius Patarens. Ep. & M. in suis Revelationibus; in fine sup. 49. Gen. Dan accubans in semita, mordens calcaneum equi.

Genæ. Sponsi modestia Christi, pietas. - Hæ ergo genæ Sponsi areolis comparantur. S. Thom. in 5. Cant. In genis Salvatoris nostri, & modesta pietas, simul & severitas exprimitur. S. Isidor. in Cant.

Torques aureus. Quemadmodum torques aureus in collo viri: sic Monachum pietas decet, atque religio. S. Ephr. de tim. DEI.

T I T U L U S XV.

P L E B S.

Aqua, Apoc. 17. quas vidisti, populi sunt, & gentes. S. Isid. c. 10. in Exod. Per aquas maris intelligimus populos. Apoc. 17. aquæ multæ populi sunt. S. Thom. in ps. 32.

Capilli. Possunt in capillis populi Fideles accipi. S. Isid. in Cant. Possumus per capillos innumeram multitudinem simplicium Fidelium in laico Ordine constitutorum accipere. S. Th. c. 4. in Cant. Per capillos populi figurantur, qui eidem Ecclesiæ ornatum tribuunt. S. Greg. in 4. Cant.

Germen. Desertos faciam montes majores, (populi) colles, mediocres: germen, populares. S. Thom. in 42. Is.

Laguncula. Omnis laguncula, idest, plebs de populo, implebitur vino, tribulationis. S. Thom. in 13. Jerem.

Malum Punicum. Per malum Punicum ipsa Ecclesia designatur: quia, dum multos populos in unitate fidei nutrit, quasi multa grana sub uno cortice stringit. S. Greg. in 4. Cant.

Murus. *Super muros tuos Jerusalem constitui Principes &c.* Per metaphoram designat diligentiam Principum, qui populum gubernaverunt. S. Thom. in 62. Is.

Pellis. *Vetustam fecit pellem meam &c.* Pellem, in qua plebs quasi exteriùs circumstans: carnem; in qua delicati, & teneri: ossa; in quibus fortes de populo bellatores, idest, totum vetustate tabescit. S. Thom. in 3. Thren.

Pes. Populi sunt pedes corporis Ecclesiæ. S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth.

Rami. In abundantia ramorum significatur multitudo populi. S. Thom. in 11. Jer.

Spina. *Vepres*. *Devorabitur spinæ ejus, & vepres, - & gloria saltus ejus*. (igné consumentur) Is. 10. Quantùm ad minores, spinas, & vepres dicit; qui non multùm crescunt. *Et gloria saltus ejus*, quantùm ad majores; qui propter dignitatem comparantur altis arboribus. S. Thom. in 10. Is.

T I T U L U S XVI.

P Œ N I T E N T I A.

Ædificium. Dum peccatores convertuntur, quasi ex lapidibus cœleste ædificium fabricatur. S. Greg. l. 5. c. 4. in 1. Reg.

Alligatura vulnerum. Bona alligatura; quæ fractæ animæ tuæ ossa connectat, & soliditate reparata in pristinas vires reformet. S. Ambros. f. 21. in ps. 118.

Amygdalus, amara quidem est, sed valde medicinalis: ità pœnitentia. S. Bonav. f. 2. de S. Agnete V. M.

Aqua. Sicut aqua ignem extinguit ardentem; sic pœnitentia diluit crimina fontibus lacrymarum. S. Chrysostom. serm. de Pœnitentia.

Arbor. Cujus similitudini pœnitentiam comparemus? Sic est, quomodo ager fructifer, aut vinea fœcunda, aut etiam arbor fructifera. Fructus ejus edit peccator famelicus; proficit in fiducia DEI; acceptaque remissione pinguescit in vita, S. Chrysost. serm. de Pœnit.

Arma. Est pœnitentia delictorum medicina, - adversùs diabolum arma, gladius vim ejus præcidens. S. Chrysost. hom. 3. de Pœnitentia.

Carbones vastatorii sunt, qui convertuntur. Sanct. August. in ps. 139.

Circumcisio. Filius incircumcisus est malus Christianus. Petra duram, & gravem pœnitentiam significat. Hæc acuta est per contritionem. Verè acutum debet esse ferrum compunctionis: quo non octo tantùm dierum, sed multorum annorum, abscindi debet animæ præputium. S. Bonav. serm. 2. in Circumcis. Dom.

Confessio. Una, solaque purgatio peccatoribus reliqua est post peccata: videlicet ut sua commissa confiteantur. S. Chrysost. or. 2. adv. Judæos.

Cor contritum. Latrocinium damnationem meruerat, & supplicium: sed cor contritum pœnam mutavit in martyrium; & sanguinem in baptismum. S. Cypr. f. de Cœna.

Disputatio cum DEO. *Suavis sit ei disputatio mea*. Psal. 103. Quæ est disputatio hominis ad DEUM, nisi confessio peccatorum? Confitere Domino, quod es; & disputasti cum illo. Disputa cum illo, fac bona opera. Sanct. August. Conc. 4. in ps. 103.

Diplois. *Operiantur sicut diploide confusione sua*. Ps. 108. Diplois duplex pallium est. - Intelligitur autem, confundantur intus, & foris, idest, & coram DEO, & coram hominibus. S. Aug. in ps. 108.

Esca justorum, conversio est peccatorum. S. Gregor. mor. l. 31. c. 22.

Judith confitens interpretatur. Hæc Holofernem, idest, diabolum confundit. Acriores enim dolores diabolo non infligimus, quàm cùm plagas nostrorum peccatorum confitendo, & pœnitendo sanamus. S. Bonav. f. 4. Epiph. Dom.

Lacrymæ. Ipsæ lacrymæ piè contribulatorum mustum sunt amantium. S. Aug. in ps. 84. Quid sunt lacrymæ, nisi sanguis animæ? S. Bonav. in expos. ps. 118. c. 8. v. 5. n. 2.

Locusta. Castigandis peccatoribus attributa. Meritò pœnitentia figuratur in passum (gressum) ut de peccati loco exiliens, in pœnitentiæ locum ad cœlum possit pennis venia pervolare. Hoc Propheta senserat, qui dicebat. Ps. 108. *Excussus sum sicut locusta &c.* De peccato in pœnitentiam excussus est ut locusta: & curvavit genua; ut pœnitentiæ pondera bajularet. S. Chrysol. f. 167.

Magdalena pœnitentia. Venit, pietatis, non voluptatis, exhibitura convivium: pœnitentiæ ponit mensam, ferculà compunctionis apponit; panem doloris infert; potum lacrymis temperat in mensura, & ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui, & corporis symphoniam; organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur; gemitus aptat in fistulam: &, dum pectus percutit; facit placitura DEO cymbala personare. S. Chrysol. f. 43.

Medicamentum, est pœnitentia peccatum extinguens donum cœlitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans. S. Chrysost. hom. 5. de pœnit.

Mons. *Mons Sion*, *latera Aquilonis*. Psal. 47. Qui erant antè latera Aquilonis, idest, Socii, & inhærentes diabolo? cui dicitur Cant. 4. *exurge Aquilo*; facti sunt Christo fideles (*mons* Sion) Ipsi sunt enim, de quibus dicitur. Psal. 124. *qui confidunt, sicut mons Sion*. Facti sunt igitur mons Sion per gratiam Christi, & baptismatis Sacramentum. - Vide Paulum, cùm persequeretur Ecclesiam Domini, latus Aquilonis fuisse; vide nunc, cùm legitur in Ecclesia, montem esse speculatorium; per quem Christi gloriam cognoscimus, & videmus. S. Ambr. in ps. 47.

Osculum pacis. Indulgentiam, quam recepimus, quid? nisi quoddam osculum dixerim pacis, Sanct. Bernardus serm. 4. in Cant.

Pascha. Bonus transitus est, transire de peccatis ad justitiam. S. Ambr. f. 50. Pascha est, quando anima irrationabilem deponit passionem. S. Ambr. epistol. l. 1. ep. 1.

Passer. *Pelicanus*. Homo pœnitens est Pelicanus solitudinis: qui pœnitentia; sicut pelicanus sanguine pullos suos, opera à serpente Inferni venenata resuscitat. Et sicut passer in tecto: qui saltat de loco ad locum; ità peccator saltet de peccato ad pœnitentiam; plangendo, & singula deflendo. S. Vinc. Ferr. f. 5. de S. Dominico.

Percussio pectoris. In percussione tria sunt: ictus, sonus, tactus; per quæ signantur illa tria, quæ sunt in vera pœnitentia necessaria: videlicet cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio. Innocentius PP. l. 2. de Sacrif. Miss. c. 13.

Piscina, est pœnitentia, qua lavamur a sordibus peccatorum. - Aquæductus ad hanc piscinam est timor, vel amor. S. Bonav. f. 2. D. 4. Pent.

Procrastinatio. Quando mutaberis? cras inquis. Ecce, quoties dicis: cras, cras; factus es corvus. Ecce dico tibi: cùm facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina. Nam ille corvus cujus vocem imitaris, exiit de arca, & non rediit. Tu autem frater redi in Ecclesiam, quam tunc illa arca significabat. S. Aug. f. 164. de temp.

Regnum cœlorum imperat. Assverus, postquam incaluerat vino, dixit ad Esther, Esth. 5. *Si dimidiatam partem regni mei petieris, impetrabis*. Sic anima, postquam Christum vino compunctionis, dilectionis, devotionis inebriavit; regnum ejus impetrabit. S. Bonav. serm. 2. in Deng.

Reminiscentia peccatorum. Non sufficit dicere, peccator sum; sed

sed operæ pretium est; speciatim peccatorum, & delictorum reminisci. Sicut ignis, qui in spinas inciderit, facilè ipsas absumit: ità & cogitatio; quæ continuo, in scipia omnia versat peccata, quæ à juventute fecit usque ad senectutem, ea exuit. S. Chrysost. serm. de pœnit.

Scopa. Ipsa pœnitentia, est scopa, qua mundatur nostra conscientia. S Bernardus serm. 2. in Ass. B. V.

Spina. Contritio est spina, quæ pungit conscientiam. Sanct. Vinc. Ferr. serm. 2. de Corona Domini.

Stercorario. Remissio peccatorum facit bonas arbores. Circumfossio arboris, humilitas est pœnitentis: omnis enim fossa humilis. Cophinum stercoris, sordes pœnitentiæ. Quid enim stercore sordidius? Et tamen, si bene utaris, quid fructuosius? Sanct. August. serm. 12. de Verb. Dom. Tristitia sic est quomodo stercus. Stercus non loco suo positum, immundum est; stercus, non loco suo positum, immundam facit domum: loco suo positum, fertilem facit agrum. S. August. serm. 151. de temp.

Tabula secunda. Sicut baptismus post primum naufragium est prima tabula; sic pœnitentia est tabula secunda, post alios in peccata lapsus recidivos. Sanct. Bonav. serm. 2. de S. Matth. A. & E.

Testa. Quid per testam nisi rigor districtionis? percussi testa saniem radimus, cùm post pollutionem cogitationis illicitæ nosmetipsos asperè dijudicando mundamus. S. Greg. mor. l. 3. c. 22.

Via per desertum in terram promissionis, via est pœnitentiæ. S. Bonav. exposf. 2. in ps. 118. c. 2. v. 9. n. 9.

Vinculorum soluto. O si unum asinum hodie ad JESUM adducere possem! Jesus non sedet in asino ligato. Vis ergo esse asinus Christi? vis Jesum portare? solvaris prius à vinculis peccatorum. S. Bonav. serm. 2. D. Palmar.

Virgula fumi. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi? Cant. 3. Significat statum pœnitentium. Quæ confessio rectè fieri sicut virgula fumi dicitur: quia per plures peccatorum species tamquam fumus de thuribulo per plura foramina derivatur. - Quòd hic fumus odorem habeat, innuitur (cùm dicitur: *ex aromatibus myrrhæ, thuris, & pulveris pigmentarii.*) Confessionem debet semper comitari myrrha, & thus, idest, mortificatio carnis. S. Bernardus ser. 59. inter parvos.

Unguentum pretiosum. Compunctio cordis, est pretiosissimum unguentum. S. Chrysost. l. 2. de compunct. cord. Dum peccator unguentum contritionis suæ effundit, odor boni exempli replet totam domum Ecclesiæ; prout patet. Joan. 12. 3. S. Bern. s. 30. in Cant.

Alia promiscuè.

Oportet, ut simus crucifixi: Crux significat pœnitentiam. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Bartholomæo.

Oportet etiam, ut simus excoriati. Si habetis pellem leoninam superbiæ, & vanitatis; humiliemini. - Si habent pellem vulpinam avari, oportet excoriari, restituendo usuras. Idem ibid.

Tunsio pectoris, obtritio est cordis. S. August. enarrat. 2. in psal. 31.

Argumentum veræ confessionis habet, qui omnia peccata sicut aquam effundit; ut non remaneat color, sicut in effusione lactis; nec pinguedo, vel sapor, ut in effusione olei, aut sanguinis; nec odor, ut in effusione vini, vel aceti. Color remanet; quando dicitur peccatum, & reticetur occasio ad peccatum: ut fit in gula, fornicatione &c. Pinguedo, vel sapor, remanet, cùm dicitur peccatum, & reticetur quantitas, vel diuturnitas delectationis; in quæ ratio penitus absorbetur, juxta illud. Psal. 108. *intravit - sicut oleum in ossibus*. Odor manet, cùm tacetur infamia, vel scandalum aliorum. S. Alb. M. parad. an. c. 40. de Confess.

T I T U L U S XVII.

PONTIFEX SUMMUS ROMANUS.

Judas filius Jacob. Per Judam. Gen. 49. Romani Pontifices in fide constantes Christi: quorum Primatui omnes filii Christi subditur. S. Thom. cap. 49. in Gen.

Potestas in Episcopos. Sancta Romana Ecclesia quosdam Episcopos post mortem anathematizavit. Concil. Constantin. 2. quod fuit 5. œcumenicum. Sanct. Thom. in Cat. sup. 16. Matth.

T I T U L U S XVIII.

PRÆCEPTA DEI.

Chorda. Per eas (decem chordas) signantur decem præcepta Decalogi. S. Thom. in ps. 32.

Cithara decem chordarum significat observationem decem Præceptorum DEI. Arnobius in ps. 22.

Collyrium. Collyrio, idest, Divinis præceptis, *inunge oculos tuos. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Ps. 1. S. Thom. in 3. Apoc.

Crusta. Filios Dominus. Matth. 15. appellat Patriarchas, & Prophetas illius temporis. Per mensam designatur S. Scriptura: per micas verò minima præcepta, vel interna mysteria, quibus S. Ecclesia pascitur. Per crustas verò carnalia præcepta; quæ Judæi observant. Micæ autem sub mensa comedi dicuntur: quia Ecclesia humiliter se submittit ad implenda Divina præcepta. Remigius apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth.

Fimbria. Mysticè fimbriam vestimenti ejus, minimum mandatum intellige. V. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 6. Marci.

Gloria Christianorum, DEI præceptum est. S. Ephr. de Amore Pauperum.

Semita. Claudicaverunt à semitis tuis, idest, præceptis Legis. S. Thom. in ps. 17.

Vestimenta Domini, ejus mandata sunt, quibus tegitur Corpus ejus, idest, Ecclesia. S. Hieronym. apud S. Thomam in Cat. sup. 15. Matth.

T I T U L U S XIX.

PRÆDICATIO.

Buccina. In vocibus, & tonitruis, clamor prædicantium intelligitur; in lampadibus claritas miraculorum; in sonitu buccinæ fortis prædicatio Sanctorum. Quæ omnia in Adventu Christi, & Spiritus Sancti, completa sunt. S. Isid. c. 28. in Exod.

Canus. Canere, est prædicare. S. Thom. in c. 9. Apoc.

Coruscatio. De tertia nube procedit coruscatio prædicationis. Job 38. *Nubes spargunt lumen suum*. S. Thom. in 19. Is.

Didrachma. Cùm *primum* piscem admonetur Petrus inquirere. Matth. 17. ascensuri ostenduntur & plures. Beatus ille primus Martyr Stephanus primus ascendit, & staterem in ore continuit. In quo didrachma novæ prædicationis, tamquam duo denarii habebatur. DEI enim gloriam, & Christum Dominum contuens prædicabat. S. Hilarius apud S. Thom. in Cat. sup. 17. Matth.

Esca volucrum. Quid per escas volucrum, nisi prædicationes divinitus Missæ intelliguntur? Sanct. Isidor. cap. 23. in Exod.

Grando, est prædicatio: quæ est de se suavis: Judæis visa fuit grando contundens, & molesta. S. Thom. in 8. Apoc.

Gressus Ecclesiæ, sunt veloces prædicationes Apostolorum, per quos in omnem terram Evangelium insonuit. S. Thom. cap. 7. in Cant.

Mulier. Matth. 13. ista, quæ fermentum accipit, & abscondit; prædicatio mihi videtur Apostolica. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 3. Matth.

Piscis. Quinque Panes. Matth. 14. sunt quinque Libri Moysis. Duo pisces, sunt prædicationes Prophetarum, & Sanct. Joannis Bapt. S. Hilarius apud Sanct. Thomam in Cat. sup. 14. Matth.

Pluvia. Cum nubibus, idest, cum Sanctis; qui pluunt per prædicationem. S. Thom. in 1. Apoc.

Regnum Cœlorum, prædicatio Evangelii est, & notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam; de qua dicitur ad Judæos. Matth. 21. *auferetur à vobis regnum DEI*. Sanct. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

Rete. Apostoli per rete sanctæ prædicationis pisces, idest, homines, de profundo pelagi, idest, infidelitatis, ad lucem Fidei traxerunt. Remigius apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 1. Marci.

Sonus montium. Mysticè loquitur sic - *sonuerunt montes*, id est, Apostoli, qui montes dicuntur. *Turbatæ sunt aquæ*, id est, populi Gentilium ad sonitum montium, idest, ad prædicationem Apostolorum. Aquæ significant Sapientiam. Quasi dicat: aquæ, idest. Prophetiæ Gentilium sunt turbatę. Sanct. Thom. in ps. 45.

Tuba. Nota super illo verbo: *quasi tuba exalta*; quia prædicatio est tuba. 1. Quia excitat ad vitæ statum. 1. Cor. 15. *Canet enim tuba &c.* 2. Quia hortatur ad bellum. 1. Cor. 14. *Si incertam vocem &c.* 3. Quia nuntiat viri incessum. Is. 27. *Clangetur in tubis &c.* 4. Quia vocat ad consilium. Os. 8. *In gutture tuo sit tuba &c.* 5. Quia invitat ad festum. Ps. 80. *Buccinate in Neomenia tuba &c.* S. Thom. in 58. Is. Designantur in tu-

in tubis clamor prædicationum, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe Dux noster ad prædicationis prælium duxit. Sanct. Isidor. cap. 5. in Judic.

T I T U L U S XX.

PRÆLATUS.

Angelus intelligitur Prælatus Ecclesiæ. S. Thom. in ps. 33.

Campsor. Prælati, & Doctores, sunt quidam campsores. Luc. 19. *Vocatis servis decem, dedit eis decem minas, & ait: negotiamini, dum venio*. Ergo sunt negotiatores. S. Thom. in ps. 36.

Currus. Prælatorum S. Ecclesiæ currus, devota sunt eorum desideria. Nam dum superna gaudia ferventer appetunt, velut in curribus per alta feruntur. Sanct. Greg. lib. 4. cap. 4. in 1. Reg.

Discretio. Nasus sicut turris Libani. Cant. 7. Quia Præpositorum discretio, & munita semper debet esse ex circumspectione, & in altitudine vitæ consistere. Sanct. Greg. hom. 11. in Exod.

Facies S. Ecclesiæ sunt hi, qui in locis regiminem positi apparent primi. S. Greg. mor. l. 13. c. 11.

Maxilla. Per maxillam intelliguntur Prælati. S. Thom. in 1. Thren.

Ossa Ecclesiæ sunt sortes, ut Prælati, & viri perfecti. Sanct. Thom. in ps. 41.

Paterfamilias. Per patremfamilias intelligitur Prælatus Ecclesiæ, propter tria, quæ debet exhibere, scilicet generationem ad fidem, eruditionem ad salutem, custodiam ad securitatem. S. Thom. in prolog. exposf. sup. ep. ad Titum.

Porta, Prælati Ecclesiæ. S. Thom. in 1. Thren.

Regimen. Disciplina, vel misericordia, multùm destituitur, si qua sine altera teneatur. S. Greg. mor. l. 20. c. 6.

Turris. In civitate sunt tria magnifica: scilicet turres, muri, & plateæ. Quantùm ad primum, dicit: *narrate in turribus tuis*. Hieron. habet: *mirare turres ejus*. Turres sunt ad videndum à longe. Turres ergo Ecclesiæ, sunt Prælati, & fuerunt Apostoli. Quasi dicat: mirare Apostolos, & Prælatos. S. Thom. in ps. 47.

T I T U L U S XXI.

PRINCEPS.

Abies. Per abietes significantur sublimes in dignitate. S. Thom. in 14. Is.

Ala. Et erit extensio alarum ejus, idest, Principum ejus. S. Thom. in 8. Is.

Cor. Cor Ægypti, idest, Rex, & Principes; ex quibus totus vigor Ægypti. S. Thom. in 19. Is.

Cornu grande, ipse est Rex primus, scilicet Alexander, qui primus regnavit in Græcia. 1. Machab. 10. Per cornu fractum significatur mors Alexandri: per successum quatuor cornuum, successus quatuor Regum. S. Thom. in 8. Dan.

Custos. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, &c. Per metaphoram designatur diligentiam Principum, qui populum gubernaverunt. S. Thom. in 62. Is.

Euphrates. Per Euphratem figurantur Principes Mundani. S. Thom. in 9. Apoc.

Mons. Per montes, & colles, Mundi potentes signantur. S. Thom. in 54. Is.

Palmes. Per palmites metaphoricè significantur Principes, & sublimes. S. Thom. in 16. Is.

Rivus. Ascendet super omnes rivos, idest, Principes. S. Thom. in 8. Is.

Speculatores. Per speculatores. Jerem. 6. significantur Principes: vox tubæ, prædicatio eorum est. Sanct. Thom. in 6. Jerem.

Spina. Per spinas significantur Principes. Sanct. Thom. in 27. Is.

Stella, Princeps; Sol in ortu suo rex; Luna regina. Sanct. Thom. in 13. Is.

Vectes. Portæ significant Reges, vectes Principes. Portæ reges; quorum erat potestas, judicii, quæ in porta exercebatur. Vectis Principes; quibus confirmatur regnum, sicut vectibus portæ. S. Thom. in 2. Thren.

Unicornis. Et descendent unicornes &c. Animal est in quantitate, & tactu atrocissimum, habens cornu unum. Unde significat potentes Monarchas. S. Thom. in 34. Is.

T I T U L U S XXII.

PRINCEPS IMPIUS.

Balaac, interpretatur *elidens*: per quem signantur Principes mali. S. Thom. in 2. Apoc.

Leo rugiens, & ursus ejurieus, Princeps impius super populum pauperem. Prov. 28.

Montes, idest, Principes; sicut Nero, & alii *conturbati sunt fortitudine ejus*, scilicet DEI. S. Thom. in ps. 45.

T I T U L U S XXIII.

PROPHETA.

Antemurale. Murus Christus, antemurale Prophetæ. Sanct. Thom. in 26. Is.

Apes, sunt Prophetæ. S. Thom. in Cat. sup. 1. Marci.

Bases. Quid per bases argenteas, nisi Prophetæ signantur? S. Isidor. c. 46. in Exod.

Bos. Boves intelliguntur Apostoli, & Prophetæ; qui nobis Scripturas Sacras dispensaverunt. S. Thom. in Cat. sup. 2. Joan.

Cœlum. Per cœlos, Prophetas accipere debemus, de quibus scriptum est: *Cœli enarrant &c.* Ps. 18. S. Isid. de nat. rer. c. 12. Per cœlum, Prophetæ signantur. S. Thom. in 45. Is.

Corpus Christi. Caput Joannis Christum significat: quia corpus illius Prophetæ intelliguntur. In decollatione Joannis figuratur; quòd Judæi Christum, qui est Caput omnium Prophetarum, amissuri erant. S. Haymo in Decoll. S. Joan. Bapt.

Cypressus. Significat Patriarchas, & Prophetas, propter odoris suavitatem. S. Thom. in Ass. B. V.

Digiti, significant Prophetas. Sanct. Thom. in Procem. sup. Thren.

Excussus, Apostoli sunt *filii excussorum*, idest, Prophetarum; qui in manu potentiæ DEI positi sunt; & tamquam sagitta excussa pervenerunt usque ad fines terræ. S. Isid. c. 31. in Gen.

Fundamentum. Revelata sunt fundamenta, scilicet sancti Patriarchæ, & Prophetæ; supra quos fides nostra fundata est. Quia quod in eis dictum, vel factum est figuraliter, revelatum est per Apostolos. S. Thom. in ps. 17.

Margaritæ. Bonæ margaritæ possunt intelligi Lex, & Prophetæ. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

Montes, sunt Prophetæ. Qui meritò virtutum montes appellantur. S. Thom. in 3. Cant. Recurramus ad montes Sanctos Prophetas. S. Chrysost. adv. Hæreticos.

Nubes Tenebrosa Aquæ, idest, doctrina, *in nubibus*, idest, Prophetis (quia antè Adventum Christi Verbum DEI latuit.) S. Thom. in ps. 17.

Oculus - Beati Prophetæ oculi nostri fuerunt. S. Hippolitus Ep. M. or. de consummatione Mundi.

Os DEI, quo loquitur, sunt Prophetæ. S. Thom. in 30. Is.

Pastor. Figuraliter per oves. Gen. 29. justorum populi significabantur - Pastores verò Prophetæ sunt. S. Isid. c. 24. in Gen.

Ramus. Ab ipsa, charitate, tamquam fructus ab arbore, tamquam ramus à vite pendet tota Lex, & Prophetæ. S. Bern. tr. de Charit. c. 12.

Tauri, sunt Prophetæ; qui fortitudine fidei, quasi cornu, principibus Mundi restiterunt; & ab eis passi, virtutum nobis exempla reliquerunt. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 19.

R.

TITULUS I.

RATIO.

Civitas. A civitate rationis nemo exulat, nisi per affectionem temporalium. S. Thom. in prof. 5. l. 1. de Conf. Phil.

Clypeus. Sumitur hic pro ratione hominis. S. Thom. in metr. 4. l. 1. de Conf. Phil.

Judex. Prudentia comparatur Assessori Judicis: nam sicut Assessor Judicem - sic prudentia rationem dirigit. S. Bonav. diet. fal. t. 5. c. 5.

Lucerna. In isto candelabro ponuntur septem lucernæ. Prima ratio &c. S. Thom. s. 2. de S. Benedicto.

Lumen oculorum meorum, idest, ratio mea. Sanct. Thom. in psalm. 37.

Oculus. Ira semper turbat oculum rationis. Turbati autem minùs prævident. Et ideo dicit ps. 6. *turbatus est oculus meus*, idest, ratio mea. S. Thom. in ps. 6. Homo triplicem habet oculum, carnis, rationis, contemplationis. Unde ratio oculus dicitur. Hugo à S. Vict. apud S. Bonav. Brevil. p. 2. c. 12. Oculus, anima, & venter: per quæ ratio, voluntas, & sensualitas, designantur. S. Thom. in ps. 30.

Patria hominis, est recta ratio. Patria rationis tantùm uno Principe regitur, scilicet DEO; qui est rectæ regula rationis. S. Thom. in prof. 5. l. 1. de Conf. Phil.

Sal, significat rationem. S. Isid. in 4. Levit.

Sidus. Sicut sidera nobis lucere cessant propter interpositionem nubium; sic intellectus, & ratio, quæ lucent, & illuminant hominem, in cognitione veritatis impediuntur caligine perturbationum. S. Thom. in metr. 7. l. 1. de Conf. Phil.

Speculum. *Videmus nunc per speculum*, scilicet rationis; *& in ænigmate*, idest, figura panis. Sanct. Thom. de Sacr. Alt. cap. 7.

Vir, in nobis sensus rationalis intelligitur: caro autem quasi in typo mulieris accipitur. S. Isid. c. 8. in Judic.

TITULUS II.

REGNUM DEI.

Conversatio Justorum. Simile est Regnum cœlorum. Glossa: idest, conversatio Justorum *Thesauro*, idest, bono operis, *abscondito in agro*, in corde. Sanct. Thom. de Sacr. Alt. cap. 8.

Evangelium. Regnum DEI signat doctrinam Evangelii. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 10. Marci. Regnum cælorum prædicatio Evangelii est, & notitia Scripturarum; quæ ducit ad vitam; de qua dicitur ad Judæos. Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum DEI*. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

Gaudium. *Non est regnum DEI esca, & potus; sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*. S. Thom. in ps. 4.

TITULUS III.

RELIGIO.

Acies. Sicut Angelorum Sanctorum acies, ità & multitudo Monachorum unanimiter viventium. S. Ephr. s. Ascet. de vita Religiosa.

Aqua. Religiosus est sicut piscis; qui extra aquam citò moritur. S. Bonav. diet. fal. t. 4. c. 1.

Castra Sanctorum Angelorum. Sanct. Ephrem paræn. 58. ad Monachos.

Civitas, muris circumdata, atque munita, est multitudo Monachorum. Id. ibid.

Currus. Ordines Religiosi, sunt currus devehentes ad cœlum. S. Bonav. s. 2. D. 16. Pent.

Diadema pretiosum ex pretiosis lapillis speciosisque margaritis contextum, est multitudo Monachorum. Id. ibid.

Fons pulcher, & aquis scatens; quibus multitudo irrigatur plantarum, est multitudo Monachorum suam psalmodiam lacrymis irrigantium. Id. ibid.

Imago regalis, admirabilem aspectum quorumcumque selectissimorum colorum, ac florum continens. Id. ibid.

Navis, plena regalibus divitiis, est multitudo Monachorum. Id. ibid.

Portus. Mundus assimilatur pelago; portus est vita Religiosa. S. Ephr. adhort. 4.

Regeneratio secunda. Gloriosus iste Sanctus, nostræ secundæ regenerationis inventor, pariter extitit, & scriptor. Goffridus s. 11. de S. Benedicto.

TITULUS IV.

RELIGIOSUS.

Ædificium. Sicut ædificium fundamento carens super petram; ità & Monachus, qui non habet patientiam. S. Ephrem s. Ascet.

Ager. Similis est Monachus agro seminato. Id paræn. 50. Agricultura Monachi, anima bona Evangelicæ fructificans. Idem paræn. 1.

Angelus. Nomine Angeli justus intelligitur; & præcipuè Vir spiritualis, & Religiosus. Sanct. Bonav. Opusc. hier. Eccl. p. 1. cap. 1. Admirandum spectaculum in cœlis, est Monachus super terram angelicam vitam agens. S. Ephr. paræn. 1. Angelis similis est, est ille Monachus; qui, quæ ventris sunt, spernit. Id. ibid. Si animum avari, nudum absque corpore, cogitatione perspexeris invenies sicut vestem, mille tineis corrosam. - Non tali profectò animus inopis est. Inops dico ultrò, ac sponte sua. Sed fulget ille quidem ut aurum, splendet sicut gemma, floret quasi rosa: nulla tinea ibi est, nullus fur, nulla cura sæcularis; sed vivit Angelica vita. S. Chrysost. hom. 48. in Matth.

Aquila. Sicut aquilæ in montibus excelsis. Sanct. Ephr. de tim. Dei.

Arbor. Consiste instar arboris floridæ; fructusque suarum custodi virtutum. Sanct. Ephr. in hypomnistico. Monachus est arbor, quæ si plena sit fructuum, & alio plantetur, perit: ità Monachus, si extra claustrum vivat. Sanct. Ephrem serm. Ascet.

Asina Baal. Asina animam subditi significat. Asina quando urgebatur à Propheta, procedere contra voluntatem Dei, contradixit. Sic subditus: sic Papa, vel Imperator; si Pater, vel Mater, cogitet eum aliquid facere contra Deum; debet os aperire, & contradicere: ibi enim non oportet obedire. S. Bonav. s. 3. D. 15. Pent.

Athletæ, & pugiles pietatis isti sunt probati. S. Ephrem de tim. Dei.

Capilli Christi, proximè ei adhærentes, sunt pauperes Religiosi. S. Anselm. in 4. Cant.

Castellum. Villa significat homines sæculares; castellum autem statum Religiosum; altero statu, scilicet sæculari, securiorem. S. Anselmus lib. similit. c. 76.

Cervus, esto quasi cervus sitiens, desideransque adire fontes aquarum, idest, Sacras Scripturas. S. Ephr. de Patient.

Cœlum. Religiosi, & contemplativi, dicuntur Cœli. 1. Propter remotissimam ab amore terrenorum elongationem. 2. Propter cœlestis munditiæ imitationem: - nam cœli sunt purissimi. 3. Propter ordinatam obedientiæ voluntariæ continuationem. 4. Propter harmonicam circulorum cœli proportionem: - nam in cœlo sunt quidam circuli Solstitiales, quidam æquinoctiales &c. 5. Propter omnimodam contrarietatis remotionem. Cœlo nihil est contrarium, ut dicit Philosophus l. 1. de Cœlo. tex. 20. Et ideo non potest cœlum aliqua corruptio subintrare. 6. Propter ordinatam orbium cœli elevationem, & dispositionem. 7. Propter cautissimam meritorum suorum occultationem: nam cœlum interposita aliqua de suis contentis aspicientibus repræsentat, sed plura occultat. Sanct. Bonav. Eccl. hier. p. 4. c. 4.

Colles, dicuntur Religiosi: quia colles dant lætitiam ex altarius patriæ contemplatione. Quia communiter in collibus est via aspera: sic vita Religiosorum est arcta. S. Vinc. Ferr. s. de S. Petro ad vincula.

Columbæ. Columbarum instar in sublime volitant, suaque tabernacula in Cruce defigunt. S. Ephr. de tim. Dei. Collibus velut columbæ alii insident. Id. ibid.

Cursor. Monachus superbus, velut Aquila est absque pennis. Monachus humilis, ac modestus, levis, & celer est cursor; & tamquam saggittarius jaculandi peritus. S. Ephrem de tim. Dei.

Doctores cunctorum sunt hominum - filii sunt sanctæ illuminationis. Id. ibid.

Filiæ Judæ. Quæ sunt filiæ Judæ, nisi animæ Religiosæ, quæ JESUM Christum Dominum confitentur. S. Ambros. s. 10. in psal. 118.

Fistula, brevis est arbuscula; & significat - pauperes spiritu. S. Thom. in 4. Cant.

Fornax. Dan. 3. Horum igitur virtutum nos quoque debemus imitari. Siquidem etiam nunc aurea imago erecta est, nempe Mammonæ tyrannis. Sed non aures, animosque præbeamus illis tympanis, nec tibiis, nec citharis; nec si quæ alia divitiarum spectra. Sed, etiamsi ardentem fornacem intrare cogamur, paupertatem dico; eam tamen præoptemus potiùs, quàm adoremus eam. - De hujusmodi fornace Lazarus non minùs, quàm illi tres pueri, clarus egressus est. At contrà ille purpuratus, qui in parte odorantium imaginem jure numeratur; gehennæ est deputatus incendio. - Illis pueris inveniuntur æquales, quotquot paupertatem cum gratiarum actione patiuntur. S. Chrysost. hom. 4. in Matth.

Grex Salvatoris. Venite electi mei - Grex Salvatoris electe. S. Ephr. panæn. 50.

Lampas. Quemadmodum lampas in obscuro loco relucens; ità Monachus sobrietati mentis, & cordis vacans. S. Ephrem paræn. 50.

Lignum vitæ super terram Monachus passionum expers. Lignum vitæ æternæ in cœlis, Monachus stabilis, & non errans. Idem paræn. 1.

Luminare. Hominem, non ut sibi ipsi tantùm prodesset, creavit DEUS; sed ut multis. Idcirco Paulus quoque Fideles homines, luminaria appellat: ex ipsa appellatione manifestans; oportere Fideles cæteris quoque usui esse. Luminare quippe, quamdiu seipsum tantummodo illuminat, luminare profectò non est. S. Chrysost. lib. 3. contra Vituperat. vitæ Monast. Isti (Religiosi) qui tamquam luminaria clarissima in tenebris micantia, eos, qui æstu medio jactantur, ad summam invitantes quietem, & securitatem, ac Philosophiæ faces, de sublimi quadam, & longinqua Pharo, accensas præferentes; ità demum eos, qui monitis suis obtemperare non renuunt, ac quietem, & portum tutissimum deducunt. Idem. ibid. Ista ergo orbis terrarum lumina in exortu solis, imò verò etiam multò ante diem, à lectulo surgentes integri, sobrii, vigilantes: nam nec gravedo capitis, - eos tamquam Angelos - perturbat. S. Chrysost. hom. 69. in Matth.

Maris littus. Littus atque unda maris arenas congerens, est cor Religiosi vani: qui videtur in solida terra stare; sed tamen multa habet à Sæculo. Sanct. Greg. lib. 5. cap. 3. in 1. Reg.

Moneta. Tria cuique bono insunt denario, quæ cuique perfecto debent inesse Monacho. Denarius quippe bonus ex puro ære, recto pondere, monetaque legitima debet constare. - Hæc quoque debet habere Monachus, ut verè Monachus esse interpretatur. Ejus quippe metalli puritas, pura est ejus obedientia. - Rectum verò illius pondus, stabilitas est propositi ejus. Non ergo leviter exsufflari debet ab eo, qui cœpit; sed usque in finem perseverat stabilis. Illius autem moneta habitus est Monachalis, atque tonsura antè, & retro, & his consimilia. Sicut enim denarius à moneta dignoscitur, cujus sit regionis; sic ab istis Monachus, cujus sit Ordinis. Is autem Monachus, qui adeò est senex, ut antè, & retro, jam nequeat inclinare; denario ille est similis, cujus monetam temporis antiquitas jam delevit. - Quem quidem habitum videret Monachalem quidem habitum habere, sed ex ære impuro, idest, inobedientem esse; hunc thesauro cœlesti numquam reponit Christus sicut nullum denarium falsum. S. Anselmus de similitud. c. 90. Falsus denarius, bonus plerumque esse videtur: at, si in ignem fuerit missus, protinus falsus esse proditur. Quod si hoc (Monachus qui videtur, & patet malus) imputaverit Ordini; tale est, acsi denarius dicat igni: tu me falsum fecisti. Non autem falsum eum facit, sed, quod erat, ostendit. Id. ibid. c. 95.

Mundum fugit. Sæpe nautæ, maximè in tempestate, fugiunt terram. Et tamen, cùm eam fugiunt navigantes, ipsa potiùs fugere videtur à navigantibus. Et tu, si fugeris Mundum hunc, & ipse te effugiet. S. Ambr. in ps. 26.

Paupertas Religiosa. Nobilis margarita paupertas: quæ, dum omnia contemnit, dominium super omnia accipit. Sicut è contrà avarus, dum omnia appetit, omnium servum se facit. S. Bonav. s. 2. in Cat. S. Petri. Quid sibi vult? quòd eadem promissio facta est pauperibus, & Martyribus. Matth. 5. Nisi, quia verè Martyris genus paupertas est; quæ habitatores à gemina impugnatione, quæ hujusmodi amatores expugnant, reddit securos: scilicet propria invidia, & aliena. Paupertas enim, dum putatur misera, aliena caret invidia. Et quia est voluntaria, nemini quidquam invidet. S. Bernardus s. 4. inter parvos.

Piscis. Religiosus est sicut piscis; qui extra aquam citò moritur. S. Bonav. diet. fal. t. 4. c. 1.

Planta novella, à DEO Sanctificata, est Monachus abstinentiæ rore irrigatus. S. Ephr. paræn. 1.

Portus. Portum Monasterii petii; & relictis, quæ Mundi sunt - ex hujus Mundi naufragio nudus evasi. S. Greg. ep. ad Leandrum Ep. sup. lib. Job cap. 1. Tantùm vita sæcularium à Religiosorum; quantùm inter tranquillissimum interest portum, & mare tempestuosum, distat. S. Chrysost. hom. 69. in Matth. Nihil in rebus humanis stabile, nihil inconcussum; sed hominum vita imitatur mare vesaniens, quotidie parturiens naufragia - Quæ est igitur horum omnium causa? pecuniarum amor, vesana divitiarum cupiditas, morbus insanabilis; fornax, quæ numquam extinguitur; tyrannus. - At non hujusmodi paupertas. Sed his, quæ dicta sunt contraria. Ea siquidem est tutum asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, deliciæ periculorum expertes, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, Philosophiæ parens, frænum intemperantiæ, radix modestiæ. S. Chrysost. hom. de Avarit.

Præco cœli. Fidelissimus regni cœlorum præco, est Monachus ab omni avaritia alienus. S. Ephr. paræn. 1.

Reges, sunt Monachi, meliori corona redimiti. S. Anselmus lib. similit. c. 33.

Regula ipsa est quasi quædam clausura, vel stagnum vivarii: quoniam quidem sicut pisces decurrente aqua vivarii moriuntur; si clausuræ ipsius minuatim, ac sæpe, crepant, nec reficiantur; ità omnis religio Monastici Ordinis funditus perit; si custodia ejus, per modicarum contemptum culparum, paulatim à fervore suo tepescit; attestante Scriptura; quæ dicit: *qui modica spernit, paulatim decidet*. Sanct. Anselmus l. simil. cap. 122.

Securitas. Atqui nihil horum (periculorum Sæculi) penitus in Monasteriis invenies. Verùm quamquam procella tanta, tantique fluctus desæviunt; soli in tranquillo, & portu, & securitate summa residentes; veluti ex cœlo ipso cæterorum naufragia spectant. S. Chrysost. lib. 3. contra Vitup. vitæ Monast.

Status Religiosus. Est terribilior pauperies igne; & gravius urere consuevit. S. Chrysost. hom. 4. in Matth. Hic (pauper Religiosus) in cœlo tamquam in pavimento ambulat. Quòd si tale pavimentum domus ejus est; cogita per seipsum, quale tectum est. Id. hom. 48. in Matth. Tranquillitatis Mater, eremus est; quietus portus, omnis perturbationis expultrix. Id. hom. 51. in Matth. Jejunium mensa eorum est. Id. hom. 56. in Matth. Vides, quantum vobis advenæ præcellunt. Hi, dico, eremi habitatores, imò verò cœlorum cives. Nos certè, qui harum urbium cives sumus, peregrinamur à cœlo: illi autem è contrà. Potes enim & urbes habitare, & Monachorum Philosophiam imitari. Potes & uxorem habere, & in magna familia versari, & orare, simul jejunare, atque compungi. Idem ibid. Quare illo Adam amisso, quid inter Angelos, & hunc Monachorum intersit chorum, libenter interrogaverim: qui sic in terra cantant, & dicunt: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. S. Chrysostom. hom. 69. in Matth. Apes imitantes sacrorum favis librorum circumvolant, magnam inde voluptatem captantes. Id. ibid. Quare non abs re quispiam facere poterit; si ora illorum, qui versantur in foro, qui sæcularium rerum rabie furunt; cloacis sordidissimis comparet. Illorum verò (Religiosorum) fontibus; unde rivis limpidissimis fluenta mellis (doctrinæ) emanent. Id. ibid. Sed Monachi Angelis æquales, longè à nobis omnibus absunt: omnibus enim alio quodam modo, quàm nos utuntur: omniaque sibi à nostris aliena sunt; cibus, domus, calcei, locutio. - Si quis ad aurifabrum, aut rosetum venerit; recipit ab auro, & rosis, quendam coloris splendorem. Sic, qui accedunt illis, nonnihil à fulgore illorum utilitatis consecuti, à priore superbia plerumque liberant. Ac velut, si quis editum locum petierit, etiamsi minus sit, magnus tamen, atque sublimis videtur: sic donec cum illis fuerint, excellentiores apparent. Idem hom. 70. in Matth.

Templum DEI. *Et ingressus templum*. Luc. 19. Sicut templum DEI in civitate est; ità & in plebe fideli vita Religiosorum. S. Greg. hom. 39. in Evang.

Tentationibus maximè obnoxius. Quemadmodum latrones, non ubi fenum, & paleæ, & calamus; sed ubi aurum, & argentum: ibi fodiunt, & continuò vigilant: sic & diabolus his maximè instat, qui spiritualia attingunt negotia. Ibi mulcæ insidiæ, ubi virtus: ibi invidia, ubi misericordia. S. Chrysost. hom. 1. ad pop.

Tuba. Postquam dormierint, mox studiosè surgunt; & velut tubæ desideratum Christum collaudant. Sanct. Antiochus hom. 39. de Obedientia.

Turturi viduato comparavit tesæculo abdicatum Propheta. Psal. 54. ò Monache! S. Ephr. de Monachis, & Turture tom. 2.

Vaccæ illæ Allophilorum arcam DEI gestantes, fugam Sanctorum renuntiantium sæculo designaverunt. Nam sicut illæ pignorum affectibus à recto itinere minimè digressæ sunt; ità sancti &c. S. Isid. c. 3. in 1. Reg.

Volucris. Tamquam volucres in montibus volitant. S. Antiochus citatus.

TITULUS V.

RELIGIOSUS INDEVOTUS.

Ædificium. Sicut ædificium fundamento carens super petram; ita & Monachus, qui non habet patientiam. S. Isidor. l. Ascet. de vita Relig.

Aquila implumis. Monachus superbus, velut aquila est absque pennis. Idem ibid.

Sanctuarii lapis. Nos; fratres charissimi; nos sumus lapides Sanctuarii - quos numquam necesse est foris conspici, idest, nunquam in extraneis actionibus videri. - Sed Sanctuarii lapides in plateis sunt; cùm Religiosi lata Mundi itinera sectantur. S. Greg. hom. 17. ad Sacerdotes.

Scapha. Quemadmodum Scapha, quæ fluctibus circumfertur; ita & Monachus, cujus mens sæculi negotiis distrahitur. Id. ibid.

Scirpus. Religiosus indevotus, est sicut Scirpus, vel juncus, aut mergus; qui interiùs est aridus: & tamen stat in aqua. S. Bonav. diet. sal. t. 4. c. 1.

TITULUS VI.

RENOVATIO.

Accipiter, *Aquila, &c. Renovamini spiritu mentis vestræ*. Ephes. 4. Debemus autem quoque modis renovari. 1. Sicut Aquila, rostrum malæ linguæ deponendo. 2. Sicut cervus, cornua superbiæ deponendo. 3. Sicut accipiter, plumas, virtutum per gratiam S. Spiritus assumendo. 4. Sicut serpens, corium vetustæ conversationis exuendo. 5. Sicut aurum, vel argentum, rubiginem mali amoris auferendo. Sanct. Thom. s. 1. D. 19. Pent.

Vinum novum. Discipulos veteribus comparat utribus, quos vino, idest, spiritualibus præceptis faciliùs disrumpi, quàm id posse continere dicit. Erunt autem utres novi; cùm post Ascensum Domini, desiderio consolationis ejus innovabuntur. Et tunc novum vinum novis utribus adveniet, hoc est, Spiritus S. fervor spiritualium corda replebit. V. Beda apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 4. Marci. Discipuli veteribus vestimentis assimilati sunt, propter eorum infirmitatem. Theophylactus ibid. Novo vestimento autem bona opera, quæ foris aguntur, insinuantur. Vino autem novo fervor fidei, spei, & charitatis, quo intus reformamur, exprimitur. Ven. Beda ibidem.

TITULUS VII.

REX.

Ala. Hebræus dicit; quòd per duodecim alas. Is. 6. intelliguntur duodecim Reges, qui præfuerunt populo ab Ozia, sub quo visio incepta est, & deinceps; quorum quatuor tantùm justi fuerunt: scilicet Ozias, Joathan, Ezechias, & Josias: & ideo quatuor alis volabant. Reliqui erant octo: quorum quatuor legitimè regnum possidebant. Et hi significantur per quatuor alas; quibus facies tegebatur. Reliqui, qui illegitimè: & significantur per alas; quibus pedes tegebantur. Hi Joachim, Jechonias, Sedecias, & Godolias: illi Achaz, Manasses, Amon, & Joathan. Sanct. Thom. in 6. Is.

Cor Ægypti, idest, Rex, & Principes; ex quibus totus vigor Ægypti. S. Thom. in 19. Is.

Cornu grande, ipse est Rex primus, scilicet Alexander; qui primus regnavit in Græcia. 1. Mach. 10. Per cornu fractum designatur mors Alexandri: per successum quatuor cornuum successus quatuor Regum. S. Thom. in 8. Daniel.

Coronæ, est signum regiæ dignitatis. S. Thom. in ps. 20.

Lavere ceciderunt, idest, Reges Juda; qui erant infirmi. De quadris lapidibus, idest, fortibus regibus, ex nobis ædificabimus regnum. S. Thom. in 9. Is.

Leo Regem, bos rusticum, signat. S. Thom. in 11. Is.

Musca, idest, Regi Ægypti, qui occidit Josiam. 4. Reg. penult. & comparatur muscæ, propter immunditiam idolorum, & luxuriæ, quæ viget in Ægypto. S. Thom. in 7. Is.

Portæ significant Reges, vectes Principes. Portæ reges; quorum erat potestas judicii, quod in porta exercebatur. Vectes Principes, quibus confirmatur regnum, sicut vectibus portæ. S. Thom. in 2. Thren.

Sensus. Quinque Reges, quod dicit Abraham, sunt quinque sensus nostri. S. Isid. c. 11. in Gen.

Sycomorus. Succiderunt sycomoros, id est, Reges Judæ infructuosos. S. Thom. in 9. Is.

S.

TITULUS I.

SACERDOS.

Amianthus lapis, qui nullo igne læditur, est hyeroglyphicum Sacerdotium. Cornel. à Lap. in cap. 7. ad Hebr.

Angelus. Sacerdotes Angeli sunt. Sanct. Dionysius Areop. epistol. 8. ad Demophilum. Ipse Sacerdos, in quantum est medius inter DEUM, & populum Angeli nomen habet; secundùm illud. Malach. 2. *Angelus Domini exercituum est &c.* Sanct. Thom. part. 3. quæst. 22. num. 1. cap. 1. Sanct. Chrysostom. lib. 3. & 6. de Sacerdotio, ostendit; Sacerdotes non tantùm Regibus, sed etiam Angelis esse digniores; quibus potestas remittendi peccata concessa non est. Sacerdos Domini omnipotentis Angelus est. Sanct. Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 319. An ignoras, quid sit Sacerdos? Angelus utique Domini est. Sanct. Chrysostom. hom. 2. in 2. Tit. Est Seraphim; qui carbonem ignitum, idest, Eucharistiam de altari fert populo. Cornel. à Lap. in 6. Is. Constat, omnes, qui Sacerdotio funguntur, Angelos posse vocari, dicante Malachia c. 2. *Angelus est Domini*. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Marci.

Apis. Rectè comparantur Sacerdotes apibus: quia sicut apes, castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeum Legis exercent. S. Ambr. s. 83.

Aqua baptismatis. Cur rei similes dixerim malos Sacerdotes nisi aquæ baptismatis? quæ peccata baptizatorum diluens illos ad regnum cœleste mittit; & ipsa postea in cloacas descendit. S. Greg. hom. 17. in Evang.

Arbores, sunt Sacerdotes: qui debent dare flores odoris per bonam famam. S. Vinc. Ferr. s. 4. D. 26. Pent.

Aries. Quem alium hoc loco arietem accipimus, nisi primum intrà Ecclesiam Ordinem Sacerdotum? de quibus scriptum est: *Afferte filios arietum Domino*. S. Greg. mor. lib. 30. cap. 3.

Aurum obscuratum est. Thren. 4. Quia Sacerdotum vita, quondam per gloriam virtutum clara; nunc per actiones infimas ostenditur reproba. S. Greg. hom. 17. in Evang.

Basis templi. Quid aliud designant bases in templo, nisi Sacerdotes in Ecclesia? - In basibus Cherubim exprimuntur; quia decet; ut Sacerdotum pectora plenitudine scientiæ sint referta. Id. ibid.

Canalis. Pons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Eccl. 1. Canalia, per quæ transit (ad nos gratia Dei) sunt Sacerdotes. S. Vinc. Ferr. s. 1. in festo Corp. Chr.

Cherubim. Sacerdotes, per boves, leones, atque Cherubim, designati sunt. 3. Reg. 2. Quia in plenitudine scientiæ, quam habent necesse est, ut & boum mansuetudinem teneant, & fervorem leonum. S. Greg. hom. 21. in Ezech.

Cibus Sacerdotis est, in peccatorum remissione. S. Ambr. l. 1. ep. 3.

Coci, Sacerdotes sunt: quia dum electis Fidelibus in fervore Spiritus loquuntur, cibos mentis velut per ignem coquunt. S. Greg. l. 4. c. 4. in 1. Reg.

Consiliarius. Rectitudinem consiliarios tuos, idest, Sacerdotes: quorum est, consilia Dei manifestare populis. S. Thom. in 1. Is.

Corvi dicuntur Sacerdotes: qui ad modum corvi nigrescere per pœnitentiam, spernere per lotionem momentaneam, & attractare cras, cras, annuntiando futuram gloriam. Istis præcepit, ut pascant Eliam. 3. Reg. 17. idest, quemlibet bonum Christianum; deferendo ei carnes, & panem, idest, Carnem Christi sub specie panis. Sanct. Bonav. serm. 1. D. 1. Pasch.

Deificus, est Ordo Sacerdotum. Sanct. Ambr. l. de Sacerd. dignit. cap. 6.

Dispensator. Sunt ministri Dei nostri. Is. 61. Sunt *Dispensatores*

fores mysteriorum DEI, idest, secretorum ejus. S. Thom. in 1. Cor. 4.

Exercitus. Sacerdotes sunt Domini exercitus sancti. S. Joan. Damasc.

Fundamentum. O miraculum stupendum! o potestas ineffabilis! o tremendum Sacerdotii mysterium? spirituale, ac sanctum, venerandum, & irreprehensibile. Scutum siquidem est refulgens, & incomparabile, turris firma, murus indivisibilis, fundamentum solidum ac stabile, à terra ad axem usque cœli pertingens &c. S. Ephr. de Sacerdotio.

Gubernator navis. Suscepisti munus Sacerdotii, & in puppi Ecclesiæ sedens navim adversus fluctus gubernas. Tene clavum fidei; ut te graves hujus sæculi turbare non possint procellæ. S. Ambr. epist. l. 7. ep. 44.

Lingua Sacerdotis, est calamus Spiritus sancti; quo scribuntur chartæ, idest, conscientiæ nostræ: & quo sese pro nostra cautione Deus subscribit, seu in baptismo, seu aliis Sacramentis: ubi per verba Sacerdotis Dei gratiam consequimur. Sanct. Chrysost. hom. de reditu suo ex Asia Constantinopolim.

Mediatores sunt Sacerdotes inter Deum, & homines. Innoc. P. l. 1. de Sacrif. Missæ c. 9. Dicendum, quod propriè officium Sacerdotis est, esse mediatorem inter Deum, & populum. S. Thom. p. 3. q. 22. a. 1. c. ult.

Minister DEI. Sacerdotes dicuntur Dii: quia Dei ministri. Is. 61. *Vos Sacerdotes Domini, vocabimini ministri DEI*. S. Thom. in Prologo exposit. sup. ep. ad Hebr.

Moyses. Vide mysterium. Moyses, hoc est, Propheta. Virga, hoc est, Verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergo Sacerdos calicem; redundat aqua in calice; salit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est. S. Ambr. l. 5. c. 1. de Sacramentis.

Nautæ sunt Sacerdotes. Eum oportet, qui cum vitiis decertaturus sit prœlio, omnium artes notas habere; eumdemque & sagittarium, & centurionem, & militem, & ductorem, & navalis, & muralis pugnæ peritum esse. S. Chrysost. l. 4. de Sacerdotio.

Oculus Ecclesiæ. Sacerdotes rationabiliter possunt dici Ecclesiæ oculus: quoniam speculatores habentur &c. S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth.

Os Ecclesiæ. Excommunicatio fieri debet per os Ecclesiæ, id est, per Sacerdotem. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth. In corpore non nisi os recipit cibum, & proficit omnibus membris. Ratio: quia omnia sunt conjuncta in eodem corpore, & uno spiritu. Si autem sit membrum abscissum, non proficit sibi. Sacerdos autem est os corporis mystici Ecclesiæ. Et quando ipse communicat Sacramentaliter; populus spiritualiter. Rom. 12. *Sicut in uno corpore &c.* S. Vinc. Ferr. s. 10. de Pent.

Pastores. Grex. Luc. 2. populus, nox sæculum, pastores sunt Sacerdotes. S. Ambr. l. 2. in Luc.

Petra salis. Quasi inter bruta animalia petra salis debet esse Sacerdos in populis. S. Greg. hom. 21. in Exod. Sacerdotes terræ sunt sales. S. Chrysost. l. 6. de Sacerdotio.

Puritas. Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet: ut nè quando Spiritus Sanctus desolatum illum relinquat; ut dicere ei liceat: *vivo* equidem, *non* ampliùs *ego, vivit autem in me Christus*. Gal. 2. S. Chrysost. l. 6. de Sacerdotio. Luminis instar, universum orbem illustrantis, Sacerdotis animum splendescere oportet. S. Chrysost. hom. 6. de Sacerdotio.

Regibus eminent. S. Chrysost. hom. 5. de Verb. Is. demonstrat, Sacerdotem præstare regibus; & Sacerdotium regno. Sacerdoti, ait, thronus in cœlis collocatus est - Medius stat Sacerdos inter Deum, & naturam humanam.

Sacra dans. Dicitur Sacerdos quasi *sacra dans*. S. Thom. p. 3. q. 22. a. 1. c. ult.

Scyphus Joseph. Scyphus argenteus. Gen. 44. est Sacerdos clarus scientia, mundus vita. In sacco est, nimirum pœnitentia, & humilitate. Sed aperto sacco statim apparebit, quàm pretiosum vas intus continebatur. Psal. 29. *Conscidisti saccum meum &c.* in morte. S. Bonav. Opusc. Eccl. hier. p. 4. c. 5.

Sepulchrum Christi, Corpus Sacerdotis est. S. Vinc. Ferr. s. de S. Marco Evang.

Seraphim. Presbyteri ad imitationem sunt Seraphicarum potestatum; stolis, vice alarum contecti. Duabus autem alis labiorum hymnum illum voce cantantes; & tenentes Divinum, & spiritualem carbonem, Christum, prehensione manus manifesta gestantes. S. Germanus Constant. rer. Eccl. contempl.

Vasa electa. Sacerdotes triplici vasi electo comparantur in Scripturis: scilicet altari consecrato; cortinæ ligatæ; Scypho aureo. De primo Deut. 12. de secundo Exod. 24. de tertio Eccl. 50. Sacerdos quasi vas auri solidum. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 29.

E. P. Andreæ Spanner.

TITULUS II.

SANCTUS. SANCTI.

Abraham, Sanctos præfigurat. Sanct. Isidor. cap. 12. & 14. in Gen.

Acervus testimonii. Galaad, acervus testimonii interpretatur: quod tantùm convenit adunatæ multitudini Sanctorum. S. Isid. in Cant.

Adamas. Justi sunt sicut adamas; qui nè quidem calefit in igne. S. Bonav. s. 2. de S. Philipp. Apost.

Agni dicuntur sancti propter tria. 1. Propter innocentiam. 2. Propter simplicitatem. 3. Propter mansuetudinem. S. Thom. s. 1. de S. Luca Evang.

Ala. Quid alas animalium. Ezech. 2. nisi virtutes debemus sentire Sanctorum? qui, dum terrena despiciunt, ad cœlestia volando sublevantur. S. Greg. mor. l. 24. c. 10.

Altilia. Significant sanctos interna charitate saginatos; - occisa sunt - per pœnitentiam. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 19.

Angelus in sole. Apoc. 19. est spiritualis homo in lucida conversatione. S. Bonav. s. 3. in Pent.

Aquila. Nota super illo verbo: *assument pennas ut aquilæ*. Quia Sancti comparantur aquilis. 1. Propter volatus altitudinem. Job 39. *Numquid ad præcepum &c. & in arduis ponet nidum suum*. In quo eminentia contemplationis. 2. Propter odoris suavitatem. Luc. 16. *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur, & aquilæ*. In quo fervor dilectionis. Cant. 1. *Curremus in odorem &c.* 3. Propter loci sublimitatem. Prov. 3. *Tria sunt mihi difficilia &c. via aquilæ in cœlo*. In quo studium cœlestis conversationis. Philipp. 3. *Nostra conversatio in cœlis est*. 4. Propter motus velocitatem. Thren. 4. *Velociores fuerunt &c.* In quo promptitudo bonæ operationis. Prov. 22. *Vidisti hominem velocem &c.* 5. Propter renovationem. Psalm. 102. *Renovabitur ut Aquilæ &c.* In quo studium emendationis, & profectus. 2. Cor. 4. *Licet is, qui foris est &c.* 6. Propter membrorum pulchritudinem. Ezech. 17. *Aquila grandis &c.* In quo decor virtutum. Cant. 5. *Tota pulchra es, &c.* 7. Propter filiorum solicitudinem. Deut. 32. *Sicut Aquila &c.* In quo solicitudo Sanctorum. 1. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non &c.* Sanct. Thom. in 4. Is.

Arbor. Arbores Sancti sunt: de quibus ille ramos cædit, qui virtutem imitatur eorum. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 11. Marci. Sicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & undique jactans, non evellit; sed & solidiores, & firmiores his incursibus reddit: sic & animam Sanctam, & piè viventem, tentationum incursus, & tribulationum, non supplantant. S. Chrysost. hom. 4. ad Pop.

Arma Dei sunt Electi ejus. S. Thom. in ps. 34.

Aurum. Sancti designantur per aurum, & lapidem pretiosum. S. Thom. in ps. 18. Plateæ civitatis. Apoc. 21. sunt sancti inferiores - Aurum etiam sunt per flammam internæ charitatis. S. Thom. in 21. Apoc. Sancti magni hic bene purgati, sunt aurum; & ideo à morte statim in cœlum recipiuntur. Alii non satis purgati, sunt thus; & ponuntur in thuribulo, scilicet purgatorio. Eccl. 50. *Quasi thus in igne*. S. Vinc. Ferr. s. 4. in Epiph.

Barba. In barba lepram portant, qui de Apostolis, & Sanctis Christi, perversè aliquid sentiunt. Sicuti enim barba ornamentum est viri; ita sancti ornamentum præstant Corpori Christi. S. Isid. c. 11. in 13. Levit.

Canales isti. Cant. 7. humilitatem significant Sanctorum. S. Thom. c. 7. in Cant.

Cantor. Sancti, optimi sunt cantores. S. Thom. s. in festo SS. Innocent.

Carbo. Quidam Sancti sunt sicut carbones, ardorem habentes, sed vicina non illuminantes: alii sicut lampades sunt; ardent, & illuminant. S. Greg. hom. 5. in Ezech.

Cedrus. Cedri specie majorum, qui justi fuerunt, gloria declaratur. Ps. 19. *Sicut cedrus Libani multiplicabitur*. Sicut enim cedrus non putrescit; ita nec majorum gloria ulla vetustate corrumpitur. S. Ambr. s. 4. in ps. 118. Cedrus odore suo serpentes fugat; & sic sancti, dæmones, hæreticos, fragrantia doctrinæ suæ repellunt. S. Thom. in 1. Cant.

Cervus. Sunt cervi, qui contemplationis saltu omnia aspera facilè transcendunt. S. Greg. l. 26. c. 10. Cervi munda animalia sunt, serpentibus, & venenis inimica; & significantur virtutes Sanctorum. Sanct. Thom. in 2. Cant. Mysticè legitur sic: cervus transcendit sine læsione, & spinas, & sylvas: sic spiritualis affectus pertransit sine læsione, & infectione mala, delectationes Mundi. Sanct. Thom. in psal 17. *Vox Domini præparantis cervos*, idest, sanctos, & perfectos viros. Quia sicut cervi repellunt venenosa; ita Sancti repellunt omne peccatum. Et sicut cervi per spinas incedunt sine læsione; ita Sancti per vanitatem Mundi transeunt sine delectatione. S. Thom. in psal. 28. Vir perfectus, est sicut cervus in petra stabilitus. S. Thom. in Psal. 41.

Cincinni. Sunt intimæ cogitationes Sanctorum - Ros verò,

& gut-

& guttæ noctium, hoc loco, infidelitate plenas, frigidasque mentes significant. - Cùm tales Sanctos DEI persequuntur, quasi cincinni Sponsi pleni sunt guttis noctium. Sanct. Thom. in 5. Cant.

Cœlum. Moraliter per cœlum intelliguntur sancti, propter septem: Propter continuum motum de virtute in virtutem; propter concordiam, Ordinem; quia vasa illius, id est, DEI: propter conversationem cœlestem; quia semper habent cor in cœlo; quia habent Solem, Lunam, & Stellas; Solem charitatis, Lunam fidei, & Stellas aliarum virtutum. S. Thom. in festo SS. Trinitatis. Per cœlum Sanctos, per terram terrenos significat. Sanct. Thom. in 66. If. Justi signantur per cœlos, propter retributionem, & charitatem. Sanct. Thom. in psal. 35. Quot cœlum stellis, tot sancti virtutibus elucescunt. Sanct. Chrysol. serm. 120. Cœli, Sancti sunt; elevati à terra portantes Dominum. S. Aug. exposit. 2. in psal. 18. *Verbo Domini cœli firmati sunt*. Non enim à seipsis, sed verbo Domini justi firmati sunt. Idem in psal. 37. Portando Deum cœli sumus. S. Aug. Conc. 1. in psal. 88. Tu, si vis, cœlum eris. Si vis esse cœlum, purga de corde tuo terram. Si terrenas concupiscentias non habueris, cœlum eris. - Cœpisti sapere, quæ sursum sunt, & non quæ super terram sunt; nonne factus es cœlum? Carnem portas; & corde jam cœlum es. Sanct. August. in psal. 96. Quid aliud cœlum, nisi sublimis vita Sanctorum debet intelligi. Cœlum fuit Abraham, cœlum Isaac, cœlum Jacob. Sanct. Greg. lib. 29. cap. 21. de cœlo vitæ tuæ imaginem cape; etiam quando non germinas fructum; fere tamen semen ad fructum. Isti igitur sunt cœli, qui audent dicere. Philipp. 3. *Nostra conversatio in cœlis est*. Isti sunt cœli; in quibus fides, gravitas, continentia, doctrina, vita cœlestis est. Sanct. Ambr. serm. 12. in psal. 118. Quemadmodum terra dictus, qui lapsus ex illa prævaricatione cœlestis gratiæ; & in hæc vitia terrena dejectus, prævaricationis suæ vinculis se religavit: ita è contrario cœlum dicitur; qui vitam Angelorum custodia integritatis exercet; & corpus suum continenti sobrietate moderatur - Est ergo & in terris cœlum; in quo possunt virtutes esse cœlestes. *Cœlum mihi thronus*: ego magis justi affectum, quàm elementum intelligo. Illum puto cœlum; ad cujus animam venit Christus. Idem serm. 12. ibidem. Ideo sanctus cœlum dicitur; quia vicinior eum claritas Solis semper illustrat. Habet splendorem suum domesticum; ut tenebras noctis non sentiat. Idem sermon. 16. in psalm. 118.

Comæ, catervæ sunt Sanctorum. S. Isid. in Cant.

Cortina tabernaculi, Sancti omnes sunt; qui interiora velent, & exteriora omnimodè ornant. Sanct. Greg. hom. 19. in Ezech.

Crystallus. Quid est ergo crystallum? nix est glacie durata per multos annos. Sancti, & Electi, sunt lana, cinis, frusta panis, seu buccellæ. Antè erant nix, nebula, crystallus: nix, propter frigiditatem; nebula, propter ignorantiam; crystallus, propter duritiam; laua sunt propter hoc, quòd vestimenti Christi pars; cinis, per pœnitentiam. Sanct. August. in psal. 147.

Cypressus. Bona tigna cedrina, & laquearia cypressina: dicuntur: nam utræque arbores imputribilis naturæ sunt, Sanctos designantes. S. Thom. in 1. Cant.

Decor domus DEI. Bona opera, dona Dei; & ipsi Sancti sunt decor domus Dei; in quantum relucet in eis gratia Divina, quæ pulchrificat, sicut lux. Sicut dicit Ambrosius: quia fine luce omnia sunt turpia. S. Thom. in ps. 25.

Dies. Sibi *Dies*, est justus in tenebris; quia *& lux in tenebris lucet*. Joan. 1. - Et Joseph in Ægypto erat; & lucebat ei meridies. S. Ambr. in ps. 36.

Filii hominum. Mysticè terrigenæ dicuntur peccatores, quæ terræ adhærent per affectum: unde serpenti comparantur. Filii hominum dicuntur boni: qui imaginem Dei, & Christi, qui est filius hominis, habent. S. Thom. in ps. 48.

Fiscella Moysis. Vasculum, in quo Pharaonis filia, idest, Ecclesia: Moysen, idest, Christum invenit; significat corda Sanctorum. S. Isid. c. 5. in Exod.

Fumus, propter tres proprietates, quas habet, significat Sanctum; vel maximè virgines. Fumus enim est ætherei coloris: & notatur virginis desiderium in cœlestibus. Et citò transiens: per transitum festinus motuum defectus. Et tenuis; per tenuitatem humilitas. Cant. 3. virgula &c. Sanct. Bonav. in psal. 100.

Germen herbarum, & lignorum sunt Sancti. S. Isid. cap. 3. in Gen.

Granum sinapis, est Vir sanctus. S. Greg. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 17. Matth.

Holocaustum. *Oblationes*, idest, minores Sanctos; *& holocausta*, idest, Sanctos majores, *acceptabis*. - Et Angeli *imponent* Sanctos *super altare tuum*, idest, in gloriam cœlestem. S. Thom. in psal. 50.

Incus. Verus Christianus debet esse sicut incus in suis adversitatibus. S. Ephr. tom. 1. de Fide.

Lapis. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, &c.* If. 54. Quasi in pavimento lapides pretiosos, significans homines virtutibus eminentes. Sanct. Thom. in 54. If. Mysticè acervus testimonii Christus est; in quo multitudo consistit omnium Sanctorum, qui sunt lapides vivi. Sanct. Thom. in 4. Cant. Omnes, qui in JESUM Christum credunt, lapides vivi dicuntur; de quibus 1. Petri 2. S. Isid. cap. 9. in Josue. Moab significat acervos lapidum transeuntium, idest, Sanctos, per istud Sæculum ad alias mansiones transire festinantes. S. Isid. c. 20. in Num.

Lapis quadratus. Summus Artifex Deus lapides suos, idest, Electos, consuevit quadrare quadratura virtutum: scilicet prudentia, temperantia, fortitudine, & justitia. Sanct. Bonav. dict. sal. t. 10. cap. 5. Lapis quadrus æquè stat, in quocumque latere fuerit versus. Quisquis ergo in prosperitate non extollitur, in adversitate non frangitur, suassionibus ad malum non trahitur &c. Lapis quadrus est. S. Greg. hom. 21. in Ezech. Secti lapides significant hæreticos; non secti Sanctos. S. Isid. cap. 32. in Exod. Quid est quadrari? Attendite similitudinem quadrati lapidis. Similis debet esse Christianus. In omni tentatione sua Christianus non cadit. Et si qua vertitur, non cadit; nam quadratum lapidem quocumque verteris, stat. Sanct. Aug. in ps. 86.

Lampas. Bene justi simplicitas, & lampas esse dicitur, & contempta - lampas; quia interiùs lucet: & contempta lampas, quia exteriùs non lucet. Intus ardet flamma charitatis, &c. *Facti sumus parvuli*. 1. Thessal. 2. Sanct. Gregor. lib. 10. moral. cap. 29. Lampas David erat propter innocentiam; sed tamen valde contempta. 1. Reg. 16. Quid Paulus, nisi contempta lampas apud cogitationes divitum fuit? - An non contempta lampas erat; qui tot virtutibus emicans, tanta adversa tolerabat? Hujus lampadis (Christi) flammas Herodes explorare voluit. Luc. 24. Sanct. Greg. moral. lib. 10. cap. 29.

Lilia, sunt candidæ, & odoriferæ virtutes Sanctorum. S. Thom. in 2. Cant. Nota super illo verbo: *florebit quasi lilium*; quia Sancti comparantur liliis. 1. Propter stipitis altitudinem: ex qua constantia in adversis. Cant. 1. *Sicut lilium inter spinas*. 2. Propter odoris suavitatem: ex quo bona fama. Eccl. 29. *Florete flores, &c.* 3. Propter humoris vigorem: ex quo virtus mentis. Eccl. 5. *Quasi lilia, &c.* 4. Propter connexionem: ex quo Sanctorum charitas. Cant. 7. *Venter tuus acervus tritici vallatus liliis*. S. Thom. in 35. If. Quid per lilia, nisi illorum vita declaratur, qui veraciter dicunt: *Christi bonus odor sumus*. 2. Corinth. 2. S. Greg. mor. lib. 14. cap. 10.

Lucerna. Sciendum, quòd in Sacra Scriptura invenitur: quod sanctæ personæ, quando habent claritatem fidei, & ardorem devotionis, dicuntur lucernæ. Ratio est, propter officium, & imitationem lucernæ. S. Vinc. Ferr. de S. Benedicto. Quandiu hic Sol (Christus) fuit præsens in Mundo, illuminavit Mundum in fide Catholica prædicando: sed postquam Sol occubuit per suam passionem, & recessit à Mundo per Ascensionem; fuerunt necessariæ lucernæ ardentes Sanctorum personarum; sicut Apostolorum, Martyrum, Doctorum, Confessorum. Non enim propter aliam causam accenduntur lucernæ, nisi propter Solis absentiam. Idem ibid. Sancti sunt lucernæ illæ Mosaicæ. Exodi 25. *Facies lucernas septem, & pones super candelabrum, &c.* Candelabrum est fides Christiana; absconditum, sunt peccata; modius hæreses significat - Debent autem hæ lucernæ lucere ex adverso, scilicet peccatorum mortalium, quæ sunt septem: ex adverso avaritiæ paupertas Apostolorum; iræ, patientia Martyrum; Acediæ, diligentia Doctorum; gulæ, abstinentia Confessorum; luxuriæ, puritas virginum; invidiæ, dilectio Conjugatorum; superbiæ, humilitas pœnitentium. Idem ibid. In veteri Testamenti, sicut in novo, dicuntur Sancti lucernæ. Ratio: quia sicut in lucerna sunt tria, cera fragilis, quæ liquescit statim ad ignem; ellychnium album, lux clara: ita quælibet persona sancta habet ista tria: scilicet corpus fragile; quod igne devotionis liquescit in lacrymas. Intus habet animam albam. Habet lucem gratiæ Dei; sine qua non essent Sancti. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Francisco Seraph.

Luminare magnum, Sancti sunt luminaria magna. S. Thom. s. de Nat. D. in Ecclesia sunt multi lucentes, sicut fideles, & Sancti. Philip. 2. *inter quos lucetis sicut luminaria in Mundo, verbum vitæ continentes*. S. Thom. in ps. 17.

Margarita. Sancti Dei sunt profectò margaritæ pretiosissimæ in domo Dei. Sigismundus Kohel Abb. Lucensis Ord. Præmonstratens.

Mensa Dei. Corda Sanctorum, mensæ Dei sunt, ex quadris lapidibus constructæ. Sanctus Gregorius homil. 21. in Ezech.

Mons. Sancti in montibus; criminosi in vallibus (habitant) *Deus enim montium est*. 3. Reg. 20. *& non Deus vallium*. S. Ambrosius lib. 3. epist. 12. Montes aromatum sancti sunt; ad eos confugit Christus: quia fundamenta ejus in montibus sanctis. Psalm. 86. Mons igitur aromatum Paulus, qui potest dicere. 1. Cor. 3. *Bonus odor Christi, &c.* Mons aromatum

tum David, psal. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum*. S. Ambr. serm. 22. in ps. 118. Intelligimus montes, claros quosque & magnos Ecclesiæ spirituales viros; magnos soliditate, non tumore. S. Aug. in ps. 39. Montes ipsi sunt Patriarchæ - & cæteri Sancti, qui meritò virtutum montes appellantur. S. Thom. in 3. Cant. Per montes intelliguntur sancti Viri. S. Thom. in ps. 35. Montes aromatum sancti DEI sunt. Sanct. Thom. in 8. Cant.

Nubes. Cum nubibus, idest, cum Sanctis: qui pluunt per prædicationem, corruscant per miraculorum operationem, volant per altam contemplationem. Sanctus Thom. in 1. Apoc.

Oleum. Nota, oleum tria facit: illuminat, reficit, & sanat. Sic sancti illuminant. Matth. 5. *Vos estis lux Mundi*. Reficiunt. Prov. 25. *Cibu illum, &c.* Sanant. Unde Samaritanus. Luc. 10. appofuit *vinum, & oleum, &c.* S. Bonav. in ps. 80.

Oliva. Nota, quòd sanctus dicitur oliva propter pinguedinem, in qua devotio. Rom. 11. Socius radicis, & pinguedinis olivæ &c. Propter olei nitorem: in quo contemplatio. Zach. 4. *Isti sunt duo filii olei*, &c. 3. Reg. 6. *Fecit in oraculo, &c.* Propter foliorum virorem: in quo virtus mentis. Gen. 8. *Reversa est Columba, &c.* Propter fertilitatem: in qua abundantia bonorum operum. Psal. 51. *Ego autem sicut oliva fructifera, &c.* Propter pulchritudinem: in qua Sanctorum gloria. Eccl. 24. *Quasi oliva speciosa, &c.* Oseæ 14. *Erit quasi oliva gloria ejus*. S. Thom. in 11. Jerem.

Ossa Ecclesiæ, sunt fortes; ut Prælati, & perfecti viri. S. Thom. in ps. 41.

Oves. Oves suas in prato Scripturæ, gratiæ, & gloriæ, pascit. - Propter tria dicuntur sancti oves 1. Nemini oves injuriam faciunt. 2. Quia mansuetè mala sufferunt. 3. Quia se, & sua, ad usum hominum tribuunt. S. Thom. ser. 2. Dom. 2. Pasch.

Palma. *Justus ut palma florebit, &c.* Numquid, cùm Sol exierit, arescit palma? Numquid arescit cedrus? cùm autem Sol aliquando candens fuerit, arescet fœnum. Veniet ergo Judicium; ut arescant peccatores, virescant fideles. S. Aug. in ps. 91. Nec immeritò Sanctorum vita palmæ comparatur: quia sicut palma inferiùs tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obvoluta; superiùs verò & fructibus, & visu pulchra. S. Gregor. mor. l. 19. c. 15.

Panis frustra, sunt Sancti, & Electi: quia participant pani, de quo Apostolus 1. Cor. 10. *Unus panis, unum corpus multi sumus*. S. Aug. in ps. 147.

Pisces, Matth. 15. Sancti sunt novi Testamenti; qui de fluctibus sæculi erepti - exemplo suo nos reficiunt. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth.

Psalterium. Vos Sancti virtus DEI, estis. Sed quam facit in vobis, & potentatus ejus, quem ostendit in nobis. Vos estis tuba psalterium, cithara, tympanum, chorus, chordæ & organum, & cymbala jubilationis bene sonantia quia consonantia. Vos estis hæc omnia. S. Aug. in ps. 150.

Pupilli. Job 24. Quid hoc loco pupillos accipimus, nisi electos DEI in mentis teneritudine positos: qui magna fidei gratia nutriuntur; & jam pro se mortui faciem necdum vident. - Quæ est Vidua, nisi Ecclesia? S. Greg. mor. l. 12. c. 22.

Reges. Sancti sunt Reges: quia se bene regunt. S. Greg. l. 26. c. 26.

Scutati, *Ut scuto bonæ voluntatis, &c.* DEUS hic ut scutum, protegens: in patria verò ut scutum coronans. Consuetudo namque fuit Romanus antiquitus, uti scutis rotundundis: & in illis habebant spem victoriæ. Et quando triumphabant; illomet scuto utebantur ut corona. Et inde sancti pinguntur cum scuto rotundo in capite. S. Thom. in ps. 5.

Stella, Tria Stellis conveniunt: nam sunt eminentes, lucentes, ordinem servantes. Sic Sancti hæc habent: & ideo Stellis comparantur. De primo Philipp. 3. *Conversatio in cœlis*. De secundo Matth. 5. *Vos estis lux Mundi*. De tertio Cant. 2. *Ordinavit in me charitatem*. S. Bonav. in psal. 146. Sancti comparantur Stellis. 1. Propter numerum Ps. 146. *Qui numerat multitudinem Stellarum*. Dan. 7. *Millia millium ministrant, &c.* 2. Propter situm. Philipp. 3. *Nostra Conversatio in cœlis est*. 3. Propter gradum. 1. Cor. 25. *Stella à Stella differt claritate*. 4. Propter splendoris rutilium. Dan. 13. *Qui ad Justitiam erudiunt, &c.* 5. Propter ordinatum motum. Judic. 5. *Stellæ manentes in ordine*. 6. Propter visum. Eccl. 50. *Quasi Stella matutina*. 1. Joan. 3. *Nondum apparuit, quod erimus*. 7. Propter figuræ circulum. Apoc. 12. *Corona Stellarum duodecim*. In quo significatur perfectio gloriæ. S. Thom. in 14. If.

Triticum. Sancti dicuntur triticum: quia ad instar tritici habent intus candorem puritatis, exteriùs rubedinem charitatis. Sanct. Vinc. Ferr. serm. D. 5. Epiph. Boni sunt triticum. 1. Quia albi, propter puritatem. 2. Quia rubri, propter charitatem. 3. Quia ponderosi, propter morum honestatem. S. Thom. serm. 2. D. 4. Epiph. Veri Christiani, & Electi, designantur per triticum. S. Ephr. præam. 4. ad Monachos Novit.

Tuba. Cernit quoque Jeremias tubas, Sanctorum gestantes figuram: per quas Dominus Mundo canit. S. Isidorus l. Proœmiali.

Vestimenta Christi, Sanctos significant; de quibus If. 49. *Omnibus his velut vestimento vestieris*. Et nivi comparantur: quia candidi erunt virtutibus; & omnis vitiorum æstus ab eis remotus erit. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 17. Matth.

Unguentum. Sicut unguenta, nisi commota, redolere latiùs nesciunt: & sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cùm incenduntur, expandunt: ita sancti viri in tribulationibus innotescunt. S. Gregor. Præfat. in Job.

TITULUS III.

SAPIENTIA. SAPIENS.

Anima in corpore. Sapiens Humani generis primus est, ut gubernator in navi, præfectus in urbe, Imperator in bello, anima in corpore, mens in anima, cœlum in Mundo, DEUS in cœlo. Philo apud S. Joan. Damasc. parall. l. 3. c. 73.

Aqua. Nota super illo verbo: *Beati qui seminant super aquas* Doctrina Domini est aqua: quia abundat. Eccl. 24. *Ego Sapientia effudi flumina*. S. Thom. in 32. If. *Effundam super vos aquam* If. 36. Aqua Sapientia est doctrina sacra. S. Thom. in ps. 22.

Arx. Sapientia DEI est arx. S. Thom. in 4. Apoc.

Castrum. Fossa humilitatis cingit castrum Sapientiæ. S. Bernardus Opusc. de Charit.

Cibus. Qui spirituali cibo, qui est DEI Sapientia, caruerit; à spirituali vita deficiet. S. Thom. de Sacr. Alt. cap. 6. Est aqua Sapientiæ sacra doctrina: quæ quidem est & cibus, quia confortat; & aqua, quia refrigerat. S. Thom. in ps. 22.

Donum est splendidissimum, non solùm sicut Sol, sed & plus quàm Sol - Est donum sapidissimum instar mellis: non solùm sicut mel, sed etiam plus quàm mel. - Est donum profundissimum instar maris: non solùm sicut mare, sed etiam plus quàm mare. S. Bonavent. dict. sal. t. 6. c. 4.

Fons. Notandum, quia haurietis aquas de fonte Divinæ Sapientiæ. Eccl. 1. *Fons Sapientiæ Verbum DEI in excelsis*. S. Thom. in 12. If.

Lac. Dicitur Sapientia lac; & hoc 1. propter pulchritudinem. Gen. penult. *Nephtalim cervus, &c.* 2. Proper dulcedinem. Cant. 2. *Sonet vox tua, &c.* 3. Propter sumendi facilitatem 1. Petri 1. *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite*. Sanct. Thom. in 55. If.

Lignum vitæ, ipsa bonorum omnium Mater est Sapientia: de quo Prov. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam*. S. Isidorus c. 3. in Gen.

Lux. Per lucem Sapientia, rorem gratia, pulverem vanitas, indicatur. S. Bonav. diet. sal. l. 1. c. 4.

Puteus viventis, seu viventis, est profunda Sapientia. S. Thom. in 24. Gen.

Resina. Numquid resina, per quam medicina pœnitentiæ contra culpam, vel Divina Sapientia, signatur? Medicus Propheta, vel Sacerdos intelligitur. S. Thom. in 8. Jerem.

Sal dulcedinem Sapientiæ, ignis Spiritus S. gratiam, designat. V. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 9. Marci. Sal Sapientiæ Symbolum est: hæc enim sapor est mentis, ut sal sapor cibi. Lobbet. q 1. de S. Augustino.

Sapientia, est sapida DEI scientia. Rodericius p. 1. tr. 2. c. 7. ex S. Bernardo.

Sputum. Spiritus Sanctus est digitus DEI; sputum autem Divina Sapientia est, quæ solvit vinculum labiorum Humanæ generis. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 7. Marci.

Tetragonum. Aristoteles in Ethicis dicit: Sapiens bene scit ferre fortunas; quia se habet sicut tetragonum sine vituperio. S. Thom. in metr. 5. l. 1. de Conf. Phil.

Via. Quatuor vias docuit nos Christus: viam pœnitentiæ, Sapientiæ, obedientiæ, charitatis mutuæ. S. Thom. serm. 2. D. 23. Pent.

Vinum. Nota, quòd vinum mysticè aliud bonum, aliud malum. Est enim bonum vinum Sapientia. Prov. 9. *Bibite vinum, &c.* S. Thom. in 13. Jerem.

Uxor. Sicut Uxor justi dicitur Sapientia; sic Uxor injusti, & peccatoris, appellatur stultitia. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth.

TITULUS IV.

SCRIPTURA SACRA.

Abyssus, idest multitudo aquarum, *invocat abyssum*, idest, trahit ad se multitudinem aquarum aliarum. In Scriptura abyssus, & tempestas, important malum. Unde

de abyssus, quasi dicat: una punitio, abyssum invocat, id est, continuatur ad aliam. Literaliter per abyssum intelligitur sacra doctrina. Et sic est sensus: abyssus, id est, vetus Testamentum vocat aliud, id est, novum Testamentum. *In voce cataractarum tuarum*, idest, Prædicatorum, & Doctorum. S. Thom. in ps. 41.

Arcus. Arcum suum tetendit. Per hunc arcum, secundùm Augustinum, intelligitur S. Scriptura. *Et in eo paravit vasa mortis*. Hi sunt hæretici: quia ex S. Scriptura mortem simplicibus parant. S. Thom. in psal. 17. *quoniam ecce peccatores*, idest, hæretici, *intenderunt Arcum*, idest, ad se traxerunt S. Scripturam, sicut qui tendunt arcum. *Paraverunt sagittas*; venenosa eloquia, *in pharetra*, idest, in memoria, vel scientia. Sanct. Thom. in psal. 10. Arcus est S. Scriptura. De hoc arcu tot prodeunt sagittæ, quot verba sacra. In arcu est durum lignum, & chorda mollis, quæ flectit lignum. Similiter in S. Scriptura vetus Testamentum, quod habet duritiam, & novum molle per gratiam, & mitigans vetus. Sanct. Tho. in 4. Apoc.

Armamentarium. Sacra nobis (Deus) donavit Scripturas, velut armamentaria, atque thesauros medicamentorum. Sunt autem in Armamentariis arma, & tela diversa *Induet thoracem justitiæ; & accipiet pro galea judicium; sumet scutum inexpugnabilem æquitatem*. Sanct. Ephr. serm. de Pat. & Compunct.

Arundo. S. Scriptura convenienter arundo dicitur, propter sonum prædicationis. S. Thom. in 21. Apoc.

Calamus. Per calamum potest intelligi Scriptura secundùm Glossam: quia calamo metitur quis longitudinem, latitudinem, & altitudinem construendæ domus. Sic qui habet Scripturæ intelligentiam, metitur cum ea singulorum capacitatem; ut majoribus majora, minoribus minora proponat. Calamus non scribit, nisi habeat incaustum in se: sic nec Scriptura scribit virtutes in anima; nisi adjungatur ei gratia. Item de bona litera non laudatur calamus, sed manus: Sic de bona prædicatione Scripturæ non est laudandus prædicator, sed Spiritus Sanctus. S. Th. in 11. Apoc.

Cibus. Scriptura cibus, & potus est: in locis obscuris est cibus; quia manducando, & ruminando sumitur - in locis autem apertis potus est; quia facilè intelligitur. S. Greg. apud S. Thom. in 10. Apoc. Notandum, quòd priùs Dominus aufert debilitates. Matth. 15. & postea cibat: quia priùs sunt removenda peccata; & postea anima Verbis Dei nutrienda. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth.

Cœlum. Scriptura rectè dicitur cœlum: quia cœlat in se Divina secreta. S. Thom. in 14. Apoc.

Cor Christi. Per hoc intelligitur S. Scriptura; quam manifestat cor Christi. Hoc autem erat clausum ante passionem; quia erat obscura. S. Thom. in psal. 24. Est omnis Scriptura, cor Dei, os Dei, lingua Dei, calamus Dei. S. Bonav. Lum. Eccl. serm. 12.

Domus est S. Scriptura; tectum ejus sublimitas. S. Thom. in Cat. sup. 2. Marci.

Favus. Rectè Divina Scriptura favus distillans vocatur: quia multipliciter intelligitur, & variis sensibus exponuntur. S. Thom. in 4. Cant.

Firmamentum in Ecclesia Scripturæ Divinæ intelliguntur: quia cœlum plicabitur sicut liber. Aquas quasdam, quæ sunt Angeli, posuit supra firmamentum: quia Angeli non egent Scriptura. S. Isid. c. 2. in Gen.

Fluvius. Hæ columbæ super rivos aquarum resident; quia sancti Doctores fluentis Divinarum Scripturarum immorantur. Sanct. Thom. c. 5. in Cant. Sacra Scriptura est fluvius: hujus fluvii finis, est amor Divinus: *Quia finis præcepti est charitas*, dicit Apostolus. 1. Tim. 1. S. Bonav. Lum. Eccl. serm. 7. in fine.

Fons. Esto cervus sitiens, desideransque adire fontes aquarum, idest, Sacras Scripturas. Sanct. Ephrem de Patientia ad Religiosum. Mysticè fons Jacob Scripturæ sunt. Siquidem instructi in Scripturis bibunt sicut Jacob, & filii ejus. Simplices autem, & rudes bibunt more pecorum Jacob. Orig. tr. 14. in Joan. apud S. Thom. in 4. Joan. Scriptura, secundùm Augustinum. Fons est, deducens rivulos multos. S. Thom. in 12. Apoc. Quid per fontem, & puteum, nisi sancta Scriptura designatur? - Sed quare Fons, & puteus simul? Fons in superficie apparet; puteus latens omnes se querentes majori labore exercet. Sed sciendum; quòd Divina Scriptura, - in quibusdam manifesta existens; in quibusdam verò locis obscuram se præbens - magna inquisitione eget, ut inventa sumatur. S. Greg. in 5. Cant.

Hortus. Pulsemus ad pulcherrimum illum Scripturarum hortum, mirè fragrantem, & suavem. S. Joannes Damasc. Orth. fid. l. 4. c. 18. S. Scriptura est hortus optimus. S. Thom. serm. 3. Sexagesf.

Ignis. Notandum, quòd Verbum Dei dicitur ignis: quia illuminat. Psal. 128. *Lucerna pedibus, &c.* Quia inflammat. Psal. 104. *Eloquium Domini, &c.* Quia intima penetrat. Jerem. 29. *& fastus est Sermo, &c.* Quia liquefacit. Ps. 147. *Liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, &c.* Quia consumit inobedientes. Is. 30. *Labia ejus repleta, &c.* S. Thom. in 5. Jer.

Liber. Liber grandis. S. Th. in 8. Is. Intellectus habet duos libros, è quibus Deum addiscat. S. Scripturam, & creaturas. S. Bonavent. dict. sal. t. 6. cap. 3. Liber vitæ dicitur tripliciter. Tertio modo id, in quo est documentum vitæ agendæ, & promissio vitæ dandæ. Et sic idem est, quod S. Scriptura. S. Thom. in 3. Apoc.

Mensa. Tabernaculum Ecclesia est; in qua est mensa, id est, Scriptura Sacra. S. Isid. cap. 48. in Exod. Triplex mensa legitur in S. Scriptura. 1. Est mensa veteris Legis. Exod. 25. Alia est novi Testamenti. 1. Cor. 10. Et hæc mensa fuit res, & figura. Tertia mensa est in patria. Luc. 22. *Ego dispono vobis, &c.* Et utraque mensa pugnamus contra inimicos nostros. Unde dicit David: *adversus eos, qui tribulant me, &c.* Quia per mensam, quæ est S. Scriptura expellimus tentationes. S. Thom. in ps. 22.

Panis. Septem panes, sunt Scriptura novi Testamenti: in quo gratia S. Spiritus & revelatur, & datur. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 15. Matth. Nota super illo verbo: *& panes frugum*. Quia verbum Dei est panis 1. arctus, propter observandi difficultatem. Matth. 7. *Arcta via*. 2. Uberrimus, propter fructus utilitatem. Is. 55. *Quomodo descendit imber*. 3. Pinguis, propter delectationis suavitatem. Gen. ult. *Auser panis pinguis*. S. Thom. in 30. Is.

Sagitta Dei, Dei Verba sunt. S. Thom. in ps. 37.

Sciphus, est Divina Scriptura; ubi est potus Sapientiæ. S. Anselmus apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth.

Sol. Comparatur Ecclesia aeri, quæ illaminatur per Sacram Scripturam, sicut aer per Solem. S. Thom. in 9. Apoc.

Vestes ovium, quas assumunt hi lupi sunt S. Scripturæ, vel potius depravatæ. D. Vincentius Lirinensis c. 18. Vestimenta alba, Evangelica sunt & Apostolica scripta omnium clarissima S. Chrysost. apud S. Thom. in Cat. sup. 9. Marci.

Vinaria cella. Potest per cellam vinariam S. Scriptura figurari. S. Greg. in 2. Cant.

Vitrum. Scriptura comparatur vitro; quia vitrum ostendit rem, sed non plenè. S. Thom. in 4. Apoc.

T I T U L U S V.

SOCIETAS MALA. SOCIUS MALUS.

Carbones vastatores, exempla sunt. Quare dicti sunt - (mali) carbones? Quia qui se convertunt ad Dominum, de mortuis revivisunt; carbones autem, antequam accenderentur, extincti erant. S. August. in psal. 119. Vastatores dicuntur; quia suo exemplo alios convertunt, & in iis vitia devastant. Idem ibid.

Civitas sanguinum. Ezech. 24. est collectio impiorum. S. Bonav. spec. B. V. c. 2.

Corpus diaboli, universitas est iniquorum, tanquam illius nutrix adultera; cujus ipse caput est. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 14.

Currus diaboli, est mala Societas. S. Bonav. ser. 2. D. 4. Pasch.

Dentes diaboli, mali Socii sunt: quia alios bonos corpori diaboli incorporant. S. Gregorius l. 33. c. 29.

Ericii, sunt mali: qui, antequam apprehendantur, seu corripiantur, toti videntur; apprehensi verò globantur, & non videntur. Excusatio id agit. S. Gregor. l. 33. c. 32.

Hydria Samaritanæ. Joan. 4. Spiritualiter hydria erat Societas mala mulieris, quæ ejus impediebat cursum, ideo dimisit. S. Vinc. Ferr. ser. f. 6. D. 3. Quadrag.

Incantator, est diabolus, & aliæ malæ personæ. Contra hos debemus induere proprietates aspidis; unam dexteram aurem ponere supra petram Christum, alteram occludere cauda, corporis extremitate; scilicet mortis cogitatione, quæ est ultimum hominis. Sanct. Vincent. Ferrer. serm. 2. Epiphan. Dom.

Lucifer. Dæmones sunt Patres eorum, quos decipiunt. Patres dico, non generatione, sed imitatione. Lucifer ergo est avus hominum perversorum. S. Bonav. serm. 2. in Vigil. Nativ. Dom.

Mallei diaboli. Malos homines diabolus quasi malleos, & flagella, habere consuevit. S. Aug. s. 85. de temp.

Mare, consortium malorum significat. S. Th. in 13. Apoc.

Meretrix. Apoc. 17. Hæc mulier meretrix, est multitudo malorum, & quidem maximè perversorum. S. Thom. in 17. Apoc.

Organum diaboli Scandala, sunt Angeli Sathanæ. Quærunt autem (diaboli) organa, per quæ scandala operentur. Origen. tr. 3. in Joan. apud S. Thom. in Cat. sup. 18. Matth.

Perdix. Sicut auceps per captam perdicem alias allicit, & capit; ita diabolus per animam captam. S. Ephr. tom. 2. de recta intent.

Pestilentia, est homo malus; qui te vult per calumniam expoliare. Iste talis sic est, quomodo pustula mala in corpore. S. Aug. l. 50. homil. 10. Ut pustulam amittamus, non curamus, quòd aliquid cum pustula de nostro corpore abscindantur. Sic non debemus curare, quòd aliquid de substantia corporali nobis cum ablatione talis hominis abscedat; dummodo ab eo liberemur. Id. ib.

Poma putrida. O quot animæ damnantur ex mala Societate! Quoniam poma putrida corrumpunt omnia alia: sic etiam corrumpit mala Societas omnes alios de societate. S. Vinc. Ferr. s. fer. 5. D. 4. Quadrag.

Radices malæ, mali parentes; mali rami, sunt mali filii, & nepotes. Item malæ radices sunt primi vitiorum inventores; rami sunt eorum vitiorum sequaces. Et jam securis Divini judicii ad radicem venit. Luc. 3. Patet igitur, quòd impossibile est, ramos evadere, ex quo securis sic cœpit radices ferire. S. Bonav. ser. 2. D. 7. Pent.

Saxum cadens. Sicut Saxum de monte descendens lapides sibi occurrentes secum præcipitat: ita exemplo malo multi cadunt in profundum inferni. S. Vinc. Ferr. ser. 3. D. 21. Pent.

Sepulchrum, Guttur eorum est sepulchrum patens. Nam sicut sepulchrum est locus mortuorum, & de eo egreditur fœtor; ita locutiones eorum mortificant alios vel spiritualiter, vel corporaliter. 1. Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*. S. Thom. in ps. 5.

Tæda lumen. Prædicatio perversorum, seu pervertentium, est sicut tædæ lumen. S. Greg. l. 33. c. 36.

Turba. Christus turba ejecta sanat puellam. Matth. 9. Idem surdum de turba subducit, & sanat. Matth. 7. Zachæus *præ turba non poterat videre JESUM*. Luc. 19. Turba hæc, est malorum Societas. S. Bonav. ser. 2. D. 23. Pent.

Venatores diaboli, sunt homines perversi; per quos animæ hominum in peccatis capiunt. S. Bonav. ser. 1. D. 16. Pent.

T I T U L U S VI.

SPES.

Altitudo. Per longitudinem Fides intelligitur, per altitudinem spes, per latitudinem charitas. Et hæ virtutes æquales dicuntur: quia quantum quisque credit, tantùm sperat; & quantum sperat, tantum diligit. Sanct. Thom. in 21. Apoc.

Anchoras. Comparat (Apostolus) spem ipsi anchoræ. - Spes animam firmat in DEO in hoc Mundo; qui est quasi quoddam mare. S. Thom. in 6. Hebr. lect. 4. Est autem differentia inter anchoram, & spem: quia anchora in imo figitur, sed spes in summo, scilicet in DEO. Idem ibid. Spes, est quasi anchora stabiliens corda. Ibid. in 13. lect. 2. Spes in DEO, est firmamentum. Ideo hæc comparatur anchoræ. S. Tho. in ps. 20.

Armæ. Sicut galea est munimentum capitis; sic spes est armatura intentionis. S. Bonav. diet. salm. t. 5. c. 4.

Astirix DEI. Spes est dulce lumen oculorum, levamen laborum, dulcis consolatio miserorum; una, & non infima de tribus regii cubiculi astitricibus. S. Bernardus Opusc. de fil. prod.

Asylum. Tres illæ urbes asyli. Deut. 19. sunt fides, spes, charitas. S. Isidorus c. 19. in Deut.

Campus. Fortitudo miles egregius DEI, accurrens per campum iniquiæ, extracto gladio lætitiæ, &c. S. Bernardus Opusc. de fil prod.

Columna. Spes dirigit ad supernà: unde significatur per columnam fumi. S. Thom. in prologo expos. ep. ad Ephes. Spes est sicut columna domum firmans; sicut galea caput armans, sicut anchora navem servans. S. Bonav. diet. salm. t. 5. c. 4.

Dux animæ. Timor, & spes, sunt Duces peccatricis animæ: Beata peccatrix; & quæ talem meruit habere ducatum. Goffridus Abb. ser. 9. de S. Magdalena.

Erectio. Fideles, Ecclesiæ dicuntur columnæ: quia debent esse recti per fidem, erecti per spem, fortes per charitatem. S. Thom. prologo expos. sup. ep. ad Ephes.

Fumus. Spes ad modum fumi ex igne, id est, ex charitate provenit; in altum ascendit, in fine deficit, id est, in gloria. S. Tho. ib.

Galea. Assume pro galea spem futurorum bonorum, quæ oculus non vidit. S. Ephrem de Panoplia.

Hastile. Spes - designatur in hastilis rectitudine. S. Thom. in 1. Apoc.

Hyacinthus; lapis est aerii coloris. Quid ergo in hyacinthinis manibus, nisi spes, & cœleste desiderium accipitur? S. Thom. in 5. Cant.

Isaac. Abraham moraliter nobis virtutem fidei per exempla sua significat. - Isaac significat spem. *Abraham* igitur *genuit Isaac*; quia fides generat spem. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth.

Longitudo. Altitudo templi hujus ad fidem refertur, longitudo ad spem, latitudo ad charitatem. S. Isidor. c. 2. in 3. Reg.

Mola. Superior, & inferior, mola, est spes, & timor: spes quippe ad alta vehit; timor autem cor inferiùs premit. S. Isidor. Comm. cap 10. in Deut. Tollit superiorem molam, si flenti peccatori dicat; non habebis veniam de commissis: tollit inferiorem; si peccantem deceptione palpet, ac fi dicat: age mala in quantum vis absque metu: nam DEUS pius est. S. Isidor. c. 10. in Deut.

Ovum. Oppositum Dominus serpentem pisci, diabolum fidei. - Diabolus non corrumpat fidem, nè devoret piscem. Restat spes; quæ, quantùm mihi videtur, comparatur ovo: spes enim nondum pervenit ad rem: & ovum est aliquid; sed nondum est pullus. - Nihil ergo tam inimicum spei, quàm retrò respicere, id est, in eis rebus, quæ præterlabuntur, & intereunt, spem ponere. Ovo tuo scorpium time. Vide, quia de cauda percutit, quam retrò habet. Nos ovum nostrum sub alis ipsius gallinæ (Christi: Matth. 23.) ponamus. S. Aug. ser. 29. de Verb. Dom.

Pes. Spes vocata est, quòd sit pes. Unde contrarium desperatio: deest enim ibi pes. S. Isid. l. 8. orig. c. 2. *Quemcunque locum calcaverit pes vester, vester erit*. Pes vester utique Spes vestra est: & quantumcunque illa processerit, obtinebit. Si tamen in DEUM tota figatur; ut firma fit, & non titubet. S. Bernardus s. 15. in ps. 90.

Principium, & *Finis*, Fidelium est fides, spes, & charitas. S. Ephr. de timore DEI.

Rachel. Spes æternæ contemplationis DEI, habens certam intelligentiam veritatis, ipsa est Rachel. S. Isidor. cap. 25. in Gen.

Servus DEI. Unus servorum, quos DEUS mittit ad revocandos filios prodigos, est timor, alius spes. S. Bernard. Opusc. de fil. prod.

T I T U L U S VII.

S. SPIRITUS.

Alcare Fidelium. Sanct. Spiritus est. Sanct. Thom. in 8. Apoc.

Amor est. Sanct. Thom. ad Cantorem Antiochen. Opusc. 2. c. 4. Spiritus S. dicitur amor, & donum; in quo omnia donantur. S. Thom. serm. in festo S. Barnabæ Ap.

Aqua Omnes sitientes venite ad aquas. Is. 55. Athanasius habet aquam, per quas S. Spiritus intelligitur. Ait enim: aqua viva Spiritus Sanctus est; sicut Joannes docuit cap. 7. S. Athanas. s. 1. ad Theophilum de Trinitate. Et l. 3. de Spiritu Sancto. Ait: cùm Pater sit fons, ac filius dicatur fluvius; Spiritum dicimus potare. Scriptum est enim: *Nos omnes eodem Spiritu potati sumus*. Terra, Mater Domini MARIA rectissimè accipitur; de qua scriptum: *aperiatur terra*. Quam terram irrigavit Spiritus Sanctus; qui fontis, & aquæ nomine in Evangelio significatur. S. Isidor. c. 3. in Gen.

Auster. Dicitur Auster propter calorem. Abac. 2. *DEUS ab austero veniet*. Propter arborum fructificationem. Cant. 4. veni Auster. Per Austrum Spiritus Sanctus figuratur. S. Gregor. in 4. Cant.

Calamus DEI. Cor DEUS, os Pater, lingua Filius, calamus Spiritus Sanctus. S. Bonav. Spec. B. V. c. 2.

Candelabrum illud septem calamorum Spiritus Sancti gestabat imaginem. S. Isidorus c. 45. in Exod.

Columba. Quæritur: quare Spiritus Sanctus ibi (ad Jordanem) in columba, hic (in monte Thabor) in nube declaratus est? Dona siquidem sua per species declarare solet: innocentiam autem in baptismate donat; quæ per avem simplicitatis designatur. Daturus est autem claritatem, & refrigerium, in resurrectione: ideo in nube refrigerium, in fulgure nobis claritas resurgentium corporum designatur. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 17. Matth.

Custos. Paracletus regeneratis in Christo custos, consiliator, & tutor est. Repertus Abb. Tuit. de div. offic. l. 7. cap. 10.

Digitus. Opera digitorum. Tres digiti, tres personæ, q. d. Opera totius Trinitatis, vel Spiritus Sancti. S. Thom. in ps. 8. Digitus in Evangelio Spiritus Sanctus dicitur. Nicetas sup. or. 40. S. Gregorii Naz. in S. Baptisma. Spiritum Sanctum esse digitum DEI, in libris Evangeliorum apertissimè declaratur. Cùm enim unus Evangelista dixisset. Luc. 11. *In digito DEI eijcio dæmonia*; alius Matth. 12. ait: *in Spiritu DEI eijcio dæmonia*. S. Isidorus Orig. l. 7. c. 3. 4. Spiritus Sanctus est digitus DEI; sputum autem Divina Sapientia est; quæ solvit vinculum labiorum humani generis. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. sup. 7. Marci.

Doctor velox, & efficax. Ivo Carnot. Ep. Serm. de Pentecoste.

Flumen Fons. Est pacis fluvius. Rupertus ib. l. 7. c. 10. Spiritus Sanctus, est Fons aquæ salientis in vitam æternam. Orig. apud S. Thom. in Cant. sup. 4. Joan.

Gallus, lucis nuntius, quis est, nisi Spiritus Sanctus? cujus voce in Prophetis, & in Apostolis nos de trina negatione exci-

tamur: ad amarissimos post lapsum fletus. S. Hieron. apud S. Thom. in Cant. sup. 16. Marci.

Gladius, Spiritus sanctus est; sicut Apostolus Paulus ad Ephesios meminit. Auricula autem amputata, auditus Judæorum est; sicut Isaias dixit: *Domine, quis credidit auditui nostro?* Theca verò Petrus est, in quo Spiritus DEI latebat. Arnobius annot. 8. sup. Joan.

Murus hujus civitatis est Spiritus sanctus. S. Th. in ps. 47.

Notarius publicus, est Spiritus sanctus. S. Bonav. diet. sal. t. 3. cap. 1.

Nubes lucida, & obumbrans sanctos, est Spiritus sanctus. Origen. apud. S. Thom. in Cat. sup. 17. Matth. Nubes est Spiritus sanctus; qui est sapientiæ Fons. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. sup. 9. Marci.

Oleum. Panis in craticula coctus. Levit. 2. & oblatus, & aspersus oleo, Christus est in cruce pro nobis passus, & totus unctus Spiritu sancto. S. Tho. de Sacr. Alt. c. 21. Dicitur Spiritus sanctus oleum: quia sicut oleum supernatat omnibus liquoribus; ita Spiritus sanctus omnibus creaturis. 2. Propter suavitatem suam misericordia, & omnis suavitas mentis, à Spiritu sancto est. 3. Quia oleum est diffusum; sic Spiritus sanctus est communicativus. Item oleum est fomentum ignis, & caloris: & Spiritus sanctus fovet, ac nutrit amoris calorem. - Item oleum illuminat, & ita Spiritus sanctus. Job 32. *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. - Oleum gaudii pro luctu. Is. 61. Spiritus sanctus est causa gaudii. Sanct. Thom. in psal. 44. Est oleum exultationis. Sanct. August. contra Maximinum l. 3. c. 16. super illud psal. 44. *Unxit te oleo lætitiæ*. Solet Spiritus sanctus olei nomine appellari; juxta quod psal. 44. ait: *Unxit te DEUS tuus oleo*, id est, Spiritu sancto. S. Thom. in 1. Cant.

Osculum. Spiritus sanctus specialiter charitatis nomine designatur. Ipse est amor Patris, & Filii, & suavitas, & unitas, & osculum, & amplexus. S. Bernardus Opusc. de Charitate c. 13.

Ostiarius, est Spiritus sanctus. Ad officium Ostiarii pertinet, ut ostium aperiat: & de Spiritu sancto dicitur Joan. 14. *Docebit vos omnem veritatem*. Christus est enim ostium, in quantum est veritas. S. Thom. in 10. Joan. lect. 1.

Rebecca. Gen. 27. Rebecca loquitur ad filium minorem: *Vade ad gregem, & accipe mihi inde duos hædos*; præfigurans carneum Salvatoris adventum - Isaac portat imaginem DEI Patris, Rebecca Spiritus sancti. S. Isid. c. 23. in Gen.

Scriba. S. Spiritus est scriba velociter scribens. Qui per studium quærunt sapientia; per partes, & etiam longo tempore student: quia habent eam à Spiritu sancto, velociter accipiunt. S. Thom. in ps. 44.

Signaculum vivens DEI. S. Athanasius l. 1. ad Theophilum de Trinit.

Sol. Dicendum, quòd sicut est de Sole materiali, ita contingit de Spiritu sancto. Multi autem possunt se abscondere, & non recipere calorem Solis; sed Sol ex parte sua se exhibet omnibus. Sic Spiritus sanctus effunditur ubique, & petit ab omnibus recipi; nisi aliquis se per malitiam abscondat. S. Thom. in ps. 18.

Vena, est benigna Paterni cordis; est torrens voluptatis DEI. Rupertus Abb. Tuit. de div. offic. l. 7. c. 10.

Veritas. S. Justinus M. P. Sermone exhortatorio ad gentes, docet, à Platone dictum Spiritum sanctum fuisse, veritatem & virtutem.

Vita. Spiritus sanctus-vitalis est; vel potiùs totus ille ipsa lux, & ipsa vita est. S. Gregor. Naz. or. 6. de Sanct. Spiritu.

TITULUS VIII.

S. STEPHANUS.

Agnus. Paulus fuit lupus, S. Stephanus fuit Agnus. Sanct. Chrysost. de Reprehensionib. ser. & de Conversi. Sanct. Pauli.

Apostolus. O Virum! tempore quidem Apostolis posteriorem; at præclaris facinoribus priorem Sanct. Asterius Amaseæ Ep. hom. de S. Stephano.

Belator avidus. Dux purpurati exercitus. S. Chrysol. ser. 154.

Lapis. Currunt illi ad lapides, Act. 7. & ille ad preces. Lapides lapidem percutiunt, sed lapidem molliorem; de quo fluit oleum charitatis, & tinnitus redditur pietatis. *Domine*, inquit, *nè statuas illis hoc peccatum*. Id. ib.

Martyrum Dux. Martyrum antesignanus fuit ille primus Christi Diaconus, & Apostolus, ac primus Martyr Stephanus. S. Damascenus Orthod. fid. l. 4. c. 16. Primitiæ Martyrum. S. Asterius hom. de S. Stephano. S. Proto-Martyr Stephanus est primicerius purpuratæ cohortis, armatus vexillifer. S. Bernardus serm. de S. Stephan. Primitivus flos Martyrum. Ibid. Sic loricatus gratia, & hasta fortitudinis sapienter infrendens, faciebat prodigia, & signa magna. Idem ibidem.

Piscis. Cùm *primum* piscem admonetur Petrus inquirere, Matth. 17. ascensuri ostenduntur & plures. Beatus ille primus Martyr Stephanus primus ascendit, & staterem in ore continuit: in quo didrachma novæ prædicationis, tamquam duo denarii, habebatur. DEI enim gloriam, & Dominum Christum, contuens, prædicabat. S. Hilarius apud. S. Tho. in Cat. sup. 17. Matth.

Platanus procera, quam fabri plures accidant. S. Asterius citatus.

TITULUS IX.

SUPERBIA. SUPERBUS.

Abies. Notandum; quòd sicut abietes sunt magnæ; ita & cedri: & ideo per eas signatur superbia. Dicitur ergo, *vox Domini confrigentis cedros*, id est, virtus imperii Divini super omnes superbos. S. Thom. in ps. 28.

Adeps. Dicit adipem suum, superbiam. S. Thom. in ps. 16. Sicut ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur. S. Greg. l. 15. mor. c. 25.

Ædificat alta. Quid dixerunt superbi? nè perceamus diluvio, faciamus altam turrim. Superbia se munitos arbitrabantur. S. Aug. in ps. 54.

Alieni, vocantur supebi. S. Thom. in ps. 18.

Aranea. Superbia comparatur araneæ: quia sicut aranea se eviscerat - Sic superbus perdit animam, ut capiat laudem humanam. S. Vinc. Ferr. de Propriet. vitior. c. 1.

Arbor. Sicut arbor excelsa, & speciosa, sed infructuosa; ita superbus, & insolens Monachus. S. Ephr. de vita Relig. Superbia arbori excelsissimæ, sed putridæ, similis est; cujus undique facilè confringuntur rami. Idem de recta vivendi ratione c. 3.

Avena, propter vanitatem, significat superbiam. S. Thom. ser. 2. D. 4. Epiph.

Bestiæ, sunt superbi. S. Isidor c. 2. in Gen.

Cedrus. Elatus sicut cedrus Libani confrigetur. Arnobius in ps. 28. Vide hic *Abies*. Cedri nomine pravorum superba elatio designatur. S. Isidorus c. 3. in 3. Reg. Superbi sunt cedri. S. Aug. in ps. 28.

Cervix. Nota, cervix propriè posterior pars colli est: quandoque accipitur pro superbia. S. Thom. in c. 5. Boetii.

Cornu. Superbiam signat. S. August. in ps. 8.

Cygnus, significat cervicis altæ superbiam. S. Isid. c. 9. in Levit.

Dæmonum habitacio, est conscientia personæ superbæ. S. Bonav. ser. de S. Aug.

Diei altitudo. Ab altitudine diei conculcaverunt me. Ps. 55. hoc est, à superbia temporali. Noli timere altitudinem conculcantium: diei altitudo temporalis est, non æterna. S. Aug. in ps. 55.

Divites, intellige superbos; pauperes, humiles. S. August. in ps. 48.

Equus. Omnes, qui luxuriæ, superbiæ deserviunt, quasi equi quidam sub curru Pharaonis, id est, sub regimine diaboli sunt. S. Thom. in 1. Cant. illi sunt equi, qui per superbiam extolluntur. S. Thom. in ps. 31.

Febris ephemera, est superbia; quæ citò deficit. Job 24. *Elevati sunt ad modicum*. S. Thom. ser. 3. D. 22. Pent.

Feretrum. Superbia comparatur feretro mortuali. S. Vinc. Fer. de propriet. vit. c. 1.

Fons omnium vitiorum, & radix, est superbia. S. Thom. 2. 2. q. 132. a. 4.

Fortis. Superbi dicuntur fortes. S. Aug. in ps. 36. *Dii fortes terræ*, dicuntur præsumentes de se, & superbi. S. Aug. in ps. 46.

Fulmen. Per ictum fulminis intelliguntur superbi. Sicut enim fulmen generatur in alto; sic superbi altè se extollunt. S. Thom. in metr. 4. l. 1 de Conf. Phil.

Fumus. Superbia comparatur fumo. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 4. Sicut fumus magis ascendendo deficit: sic superbus plus exaltatus magis evanescit. Sanct. Vinc. Ferrer. serm. 1. de Superbia.

Gallina. Comparatur gallinæ: quia, sicut gallina statim cùm posuerit ovum, clamat: sic superbus vult videri, cùm fecerit aliquod bonum. Matth. 23. *Faciunt, ut videantur*. S. Vinc. Ferr. de Propriet. vit. c. 1.

Gelboe montes. Per Gelboe montes superba Judæorum corda signantur. S. Greg. l. 4. mor. c. 3.

Gigas. *Terram gigantum*, id est, superborum, & potentium; *detrahes in ruinam*. Is. 26. S. Thom. hic. Gigas, superbus aliquis est, extollens se, velut quia est aliquid in se, & per se. S. Aug. enarrat. 2. in ps. 32.

Goliath. figura diaboli, & superbiæ. S. Isid. c. 10. in 1. Reg.

Hæreticorum locus superbia est - sicut est è contra humilitas locus bonorum. S. Greg. mor. l. 3. c. 17.

Hydrops. Nascitur ex vitio vesicæ cum inflatione turgente: per hoc significat superbiam. S. Thom. ser. 2. D. 17. Pent.

Immedicabile. Superbiæ morbus, malum immedicabile. S. Ephr. de tim. DEI.

Initium. Superbia est radix, & initium omnium vitiorum. S. Thom. in c. 12. 2. Cor. lect. 3. *Initium omnis peccati superbia*. Eccl. 10. Quemadmodum principium, & finis, bonorum est humilitas; ità malorum initium, & finis, existit superbia. S. Ephrem tom. 1. ad eversionem superbiæ. Omnium malorum initium superbia est. Paulus Orosius ad S. Aug. lib. 6. histor. c. 17.

Lazibulo superbia similis est: in quo draco libenter moratur. S. Ephr. de virtute c. 5.

Lepra. Leprosus superbus est, qui tumet. S. Thom. ser. 1. D. 2. Epiph. Superbia, est lepra Naaman, 4. Reg. 5. quæ setempliciter nos occupavit: in proprietate possessionum, in gloria vestium, in voluptate corporum; in ore quoque dupliciter, similiter in corde. Necesse igitur habemus, cum Naaman septies lavari; & quidem in Jordane, id est, in humili Passione Christi; ut ab ea lue immundissima mundemur. S. Bernardus ser. 3. de Resurrect. Dom.

Libidinosissimus. Multis sæpe superbia luxuriæ seminarium fuit. S. Greg. mor. l. 26. c. 12.

Lupus. Uno mense vivit vento. Ita superbus uno mense in mensura vitæ suæ vivit vento superbiæ. S. Vinc. Ferr. de Propriet. vit. c. 1.

Mare. Mundus dicitur mare, ratione tumoris per superbiam. S. Thom. in 8. Apoc. Arenam Dominus mari terminum posuit: quia, ad frangendam Mundi gloriam, abjectos, & pauperes elegit. S. Greg. mor. l. 9. c. 5.

Mons. Quando dæmon vult aliquem præcipitare in Infernum; primò facit illum ascendere in supercilium montis superbiæ. S. Bonavent. serm. de Invent. S. Crucis. *Montes fluxerunt sicut cera à facie Domini*. Qui sunt montes? Superbi, omnis altitudo extollens se adversus DEUM. S. Aug. in ps. 96. Dæmones montes sunt propter superbiam; & petræ post vocantur propter pertinaciam. S. Thom. in 6. Apoc. *Dicetis monti huic*, id est, superbo diabolo, *transi hinc*, id est, ab obsesso corpore *in altum maris*, id est, in profundum Inferni; *& transibit*. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 17. Matth. Per hos montes (pardorum) sæculi potestates, Reges scilicet, & Principes intelliguntur: qui veluti montes in superbia extolluntur; & malignis spiritibus, quasi leonibus, & pardis, cubilia præbent. - De his montibus coronatur Ecclesia; quando Principes sæculi ad fidem Christi convertuntur. Coronatur & de cubilibus leonum, & montibus pardorum; quando superbos quosque, & sævos, ac dolosos, convertit. S. Tho. in 4. Cant. *Tange montes, & fumigabunt*, per compunctionem. S. Thom. in 8. Matth. id est, superbos. Montes Amana, superba Infidelium corda. S. Isid. in Cant.

Morbus. Superbia est perinde, ac pestilens quidam morbus, ac tabificus. S. Antiochus Abb. hom. 44. de Superbia.

Naves Tharsis, superbi sunt, præsumentes in incertis flatibus ventorum. S. Aug. in ps. 47.

Oculi, id est, superbia, sublimis, id est, hominis potentis; humiliati, id est, humiliabuntur. S. Thom. in 2. Is.

Oleum. P. Petrus Ribadeneira comparat superbos oleo: quia, sicut oleum, ita superbi omnibus volunt supernatare.

Onager. Per onagrum intelligitur superbus: unde vincula onagri, sunt vincula superbi. S. Thom. serm. 2. D. 3. Adv.

Pavo; symbolum superbi. S. Vinc. Ferr. ser. 1. de Superbia.

Pes Superbiæ. Cùm cautam faceret Dominus Ecclesiam, ait: illa tuum caput observabit; & tu ejus calcaneum. Serpens observat ejus calcaneum, quando tibi veniat pes superbiæ; quando labaris, ut dejiciat. Tu autem caput ejus observa. *Initium omnis peccati superbia*. S. Aug. in ps. 35.

Phrenetici. Fortes hi, seu fani sunt superbi Judæi de se præsumentes; phreneticis similes, quibus nihil fortius. Sed quantò majores vires, tantò mors vicinior. S. Aug. Conc. 1. in ps. 58.

Pinguis cervi, est opulenta superbia. S. Greg. mor. l. 12. c. 22.

Radix, & origo omnium vitiorum, est superbia. S. Tho. in 12. 2. Cor. lect. 3. Prava radix est superbia. S. Tho. in ps. 30. Superbia omnium vitiorum septem radix, & origo. S. Tho. 2. 2. q. 132. a. 4.

Rami. Superbi sunt rami erecti; & spicæ erectæ, quia vacuæ. S. Bonav. diet. sal. t. 7. c. 1.

Rubigo, est præsumptio. S. Aug. in ps. 77.

Stare nescit. Citò pes offendit in nocte, si quasi quidam Mundi oculus luna viam non monstret. Et tu in nocte es sæculi. Monstret tibi Ecclesia viam; ex alto te Sol illuminet, ut lapsum timere non possis. - Nescit stare superbia. S. Ambros. in ps. 35.

Taurus. Congregatio taurorum, id est, superborum cornupetarum, inter vaccas populorum: quas dixit vaccas, animas seductibiles. S. Aug. in ps. 57. In tauro cervix superbiæ; in ariete ducatus gregum sequentium, designatur. S. Gregor. Præf. in Job c. 13. Tauri vocabulo cervix superbiæ demonstratur. Ps. 21. tauri pingues. S. Greg. mor. l. 7. c. 15.

Turris, superbia hujus Mundi est. S. Isidor. c. 9. in Gen.

Tyrannis. Bene superbiam impii tyrannidem vocat. Propriè enim tyrannus dicitur: quia in communi republica non jure principatur Id.

Ventus. Superbia comparatur vento propter tria: quia ventus extinguit lucem, exsiccat rorem, & exsufflat pulverem. S. Bonav. diet. sal. t. 1. c. 3.

Vermis divitiarum, superbia est. S. Aug. apud S. Bonavent. Apolog. pauper. 3. respons. partic. 1. a. 2.

Vesica comparatur: quæ mox deficit, dum tantùm acu pungitur. S. Bonav. diet. Salut. t. 1. c. 3.

Via est Inferni, sicut humilitas via cœli. S. Bonav. serm. de S. Phil. & Jac. Apost.

Volucres cœli. Vide nunc etiam volucres cœli superbos. S. Aug. in ps. 8.

Vorago est. S. Bonavent. Opusc. de 6. alis Seraph. c. 5.

T.

TITULUS I.

TENTATIO.

Aquilo. Diabolus dicitur Aquilo, propter tentationis impetum: - quia impedit boni operis fructum, quia siccat lacrymarum fluvium. S. Thom. in 1. Jerem.

Dies mala, est tentatio diabolica. S. Th. s. 1. D. 21. Pent.

Framea. Inimicus specialiter diabolus. - framea ejus tentationes. S. Thom. in ps. 9.

Latus sinistrum, significat tentationes diaboli: dextrum verò delicias Mundi. S. Bonav. diet. sal. t. 10. c. 5.

Rete. Sicut pisciculi evadunt sagenam, sic humiles rete, id est, tentationes diabolicas. Sanct. Bonavent. diet. sal. t. 7. cap. 1.

Semen diaboli, est perversa suggestio. S. Isid. c. 5. in Gen.

Serpentem, suggestionem accipimus; mulierem, animalem corporis sensum; rationem autem, virum. S. Isidor. c. 4. in Gen.

Somnium nocturnum, est tentatio occulta. S. Isidor. c. 20. in Deuter.

Ventus, quandoque significat tribulationem, quandoque ipsam tentationem peccati. S. Thom. in ps. 34.

TITULUS II.

S. THOMAS AQUINAS.

Abyssus. Thomas idem est, quod *abyssus*. Quid de abysso dicat abyssus, hoc est, S. Thomas, audiamus. In ps. 32. ait: abyssus secundùm Augustinum, dicit profunditatem aquarum immeabilem; & habet duplicem interpretationem. Ab *α*, quod est *sine*, & bali, quod est fundamentum quasi sine fundamento, & sine candore: quia profunda est, & obscura. - In ea (abysso) est immensa abundantia, sive multitudo aquarum. Secundò in abysso conservatur aqua; & non decidit. Tertiò extrahuntur ad utilitatem, cùm elevantur vapores ex eis, & generantur pluviæ, & irrigatur terra. Ità S. Thom. in ps. 32. Quæ omnia pulchrè quadrant abysso. S. Thomæ.

Acutissimus Doctor. Sed hæc (ad scribendos Theologicos Commentarios) impellere non potuissent; nisi S. Thomam gravissimum, atque acutissimum nobis Divinitus datum Doctorem, in hisce tam operosis nostris commentationibus præeuntem, & quasi viam munientem, subsequerer. P. Gabriel Vasquez tom. 1. Comment. in S. Thom. Præfat. ad Lectorem.

Alpha. Rectè Titelmannus eum appellat Theologorum Theologum, alpha literarum omnium, veritatis unicum artificem, architectum omnium literarum, &c. Laurentius Deaponte, Ord. Cler. Reg. Minorum in Sap. to. 2. hom. 13. §. 4. n. 114.

Angelus Theologiæ. P. Vincentius Caraffa ep. de mediis conservandi

servandi primævum spiritum Societatis. Angelicus Doctor. Pius V. Bulla, quam eum inter Doctores Ecclesiæ retulit.

Aquila. Istar omnium una nobis Aquinas Aquila; qui non usitata, & tenuipenna hæc exaravit. P. Henricus Engelgrave in Cœl. Panteop. 1. Præfat. ad Lect.

Astrum Pulcherrimum Dominicanæ familiæ, atque adeò Reipublicæ Christianæ astrum. P. Ludovicus Molina in ep. dedicat. ad Philipp. Hisp. Reg.

Athleta splendidissimus Catholicæ fidei. Paulus V. Bulla ad Neapol.

Baculus senectutis Lumen oculorum meorum, baculum senectutis meæ; solebat S. Thomam vocare Paulus IV.

Candelabrum in domo DEI lucens. Sixtus V. Bulla, qua S. Bonaventuram inter Doctores Ecclesiæ retulit. Fuit universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemina radians Clericorum, fons Doctorum, Universitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne, ac lucens: per quem omnes, qui vias vitæ, & scholas doctrinæ sanctæ ingrediuntur, lumen vident claritatis. Parisiensis Schola epistola ad laudem, defensionemque Sancti doctrinæ. Ità refert P. Laurentius Deaponte antè citatus.

Clarissimus, & Sanctissimus *Doctor*. P. Petrus Ribadeneira vitæ. S. Ignatii l. 3. c. 23.

Cherubim. Eligam Angelicum Doctorem; qui non quilibet Angelus, sed Cherubim, hoc est, scientia, & charitate plenus. Idem ibid. n. 116.

Clypeus est, *Ecclesiæ*, & telum. Joannes Bapt. Gonet, Ord. Prædic. in Commendat. doctrinæ S. Thomæ §. 6.

Columna veritatis. Nisi Apostolus Sanctissimam Ecclesiam edocuisset columnam esse, ac firmamentum veritatis; Thomam dicerem; Thomam sanctissimum, ut talem prædicarem. P. Laurent. Deaponte tom. 2. Sap. Salom. tom. 13. §. 4. n. 90.

Decus, & flos Mundi, dixit cum fletu sepius de S. Thoma Albertus M. ut in suo nodo indissolubili 17. refert Petrus de Alva, & Astargo. Est sanctissimus Doctor lumen, splendor clarissimus, Scholasticæque disciplinæ decus, & ornamentum. Deaponte cit.

Deus minor. Quem DEUS in terris veluti quendam minorem DEUM ab omnibus Religiosè coli præcepit. P. Cosmus Alamannius p. 1. Summæ Ppilos. Præfat. ad Lect.

Divinus. S. Thomæ doctrina, est Divina, cœlestis, admirabilis. Clem. VIII. ad Neapolit. Certissima Christianæ doctrinę regula. S. Pius V. Constitut. 36. an. 1567. Est perfecta, & non sine infusione Spiritus sancti. Joannes XII. an. 1323. in Bulla Canon. Scripta S. Thomæ sunt nobis mera oracula. P. Joannes Bonifacius de Sapiente fructuoso. l. 5. ep. 3. Est Divinus homo; est Doctor, & Sapiens, & Sanctus. Idem.

Doctor Ecclesiæ. Primis Ecclesiæ Doctoribus comparatur. P. Franc. Suarez tom. 1. de Gratia. Prolegom 6. c. 6. n. 28. Ejusdem est primarius Dux, & Magister. Ibid. P. Nicolaus Lancicius S. J. Opusculo de rectè traducenda adolescentia ait: satis se Ecclesiæ profuisse censere posset Ordo Prædicatorum; si vel solum S. Thomam protulisset. Est Doctor egregius. Urbanus V. in Bulla de Translat. Corporis. S. Thomæ. Doctorum antistitem, vocat S. Thomam Engelgrave in festo S. Catharinæ V. M. §. 1. Est proprius Doctor Societatis. Congregatio Jesuita Generalis. Gloriosus Doctor. V. Marina de Escobar vitæ l. 4. c. 20. §. 3.

Enucleator secretorum. Fuit oraculorum, & secretorum naturalium, & supernaturalium, enucleator precipuus. Clemens VI. serm. de S. Thoma.

Evangelica Doctrina. Dum audio, doctrinam suam non ab hominibus Thomam accepisse, sed à sanctissimis Apostolis, & à Christo audio approbatam; parum abest, nè illam Evangelium dicam. Deaponte ibidem num. 104.

Genius naturæ. Scimus, unum D. Thomam Scolæ Principem, naturæ genium, orbis Magistrum, nullius injuria cæteris Theologis omnibus esse anteponendum. P. Joan. B. Gonet cit. §. 10.

Incomparabilis Doctor, princeps Theologorum. P. Sfortia Pallavicinus histor. Concil. Trident. p. 1. l. 7. c. 14. n. 5.

Interpres Angelicus Divinæ voluntatis. Clemens VII. Bulla ad Neopolit.

Lucerna. Est lucerna. Sic eum vocat DEUS Pater apud S. Catharinam Sen. tr. 2. dial. c. 84.

Luminare. *Lux*. Lumen Ecclesiæ. Splendidissimum Ecclesiæ lumen. P. Possevinus tom. 2. apparat. Sacri p. 477. Ipse fuit veluti lumen valde lucidum, quod in Ecclesia collocavi. Ait DEUS Pater apud S. Catharinam Sen. cit. Est veluti luminare splendens super candelabro collocatum, extirpans errores. Ibid. c. 119. Ipse fuit una lux ardentissima; quæ non solùm in Ordine suo resplenduit, verùm etiam in corpore mystico militantis Ecclesiæ, tenebras hæresum, ac errorum extinxit. Ibid. tr. 6. c. 158. In quibus omnibus (scilicet Conciliis, Lugdunensi, Constnatiensi, Viennensi, Florentino, Lateranensi, Tridentino,) sic sancti doctrina præfulgida, sic hæreticis terribilis: ut sicut sanctis lumen Conciliis; sic pertinus hæreticorum in illis fuerit malleus. Deaponte tom. 2. hom. 13. §. 4. n. 110.

Magister orbis. Magister terrarum P. Franciscus Piccolomini ep. de util. & necessit. Executionum.

Magnus Aquinas. P. Pallavicinus lib. Vindic. Soc. JESU cap. 24.

Machabæus. Est verè Machabæus alter; qui gladio suo castra DEI protexit. Joannes Gonet citat.

Oraculum. Scripta. S. Thomæ sunt nobis mera miracula. P. Joan. Bonifacius citatus.

Pythagoras Christianus est. Pallavic. cit. c. 3.

Salomon. Est plus, quam Salomon. Clemens VI. ser. 2. de S. Thom. Doctor noster Salomoni meritò coæquatur. Id. ibid. Plus, quam Salomon. Innocent. VI. an. 1352.

Sidus fulgentissimum Academiarum. Gonet citat.

Sol Theologiæ, ac Princeps. P. Ludovicus Molina in primitiva Concordia Præfat. ad Lectorem.

Turris. Doctrina sanctissimi Thomæ ad instar illius cœli, de quo in Canticis Salomon sicut turrem efformat; de qua mille clypei pendent. P. Granada. S. J. in 1. p. D. Thomæ c. 3. n. 114.

TITULUS III.

TIMOR DEI.

Antidotum. Timor Domini instar antidoti purgat omnes peccati fœces, Sanct. Bernardus serm. 86. sup. Cant.

Calcaria, sunt timor, qua declinatur malum; & amor, quo agitur bonum. S. Thom. in 5. Apoc.

Capitulum. Maximè est sicut, quoddam Capitulum, quod est factum præcipuè ad culparum currectionem. S. Bernardus citatus.

Civitas. Qui timet Dominum, similis est civitati supra montem positæ, murisque, munitæ; à cujus conspectu impii contremiscunt dœmones. S. Ephr. de timore DEI in principio.

Decor virtutum. Sicut Mater DEI, est Virgo, & decor virginum; sic timor iste castus decor est, & virgo virtutum animæ. S. Bonav. diet. sal. t. 6. c. 1.

Disciplina puerorum. Timor DEI est sicut disciplina puerorum. S. Bernardus cit.

Dux. Timor, Spes, sunt Duces peccatricis animæ. - Beata anima, quæ talem meruit habere ducatum. Goffridus Abb. s. 9. de S. Magdalena.

Electuarium. Timor Domini est instar electuarii conservativi. S. Bernardus citatus.

Fons. Timor Domini Fons vitæ; timor Domini munitio animæ. - Timor Domini animæ tutela. - Timor Domini gubernator est animæ. - Timor Domini animæ schola est. S. Eph. ser. Asc. de timore DEI.

Framea. Pro framea igitur, ac gladio timorem apprehende Domini: nam timor Domini velut gladius anceps est. S. Ephr. de Patientia, & conservatione Sæculi.

Gloria Monachi, timere DEUM. Sanct. Ephr. de timore DEI.

Hortus. Timor Domini, est speciosus sicut hortus, virtuosus sicut ventus, & pretiosus sicut thesaurus. - Est valde speciosus instar horti paradisi - est sicut hortus conclusus. S. Bernardus ser. 86. in Cant.

Justitiarius. Timor Domini, est sicut justitiarius puniens maleficum. Id. ib.

Medicina. Est sicut medicina infirmorum. - Timor DEI repellit sanguinem luxuriæ, phlegma accediæ, melancholiam iræ, & choleram superbiæ. Id. ib.

Mola. Superior, & inferior mola, est spes & timor. Spes quippe ad alta vehit, timor autem cor inferiùs premit. S. Isid. in c. 10. Deut. Vide superius *Spes*. *Mola*.

Murus eorum timor Domini. S. Ephrem præen. 46. ad Eulogium.

Officina Religiosorum. S. Bernardus ser. 86. in Cant.

Ostiarius. Timor Domini, est sicut ostiarius custodiens ingressum - portat clavem portæ æternæ. Id. ibid.

Paradisus deliciarum. Ubi verò non est timor, ibi vulpes habitabunt. S. Ephr. ser. Ascet. de timore DEI.

Radix. Sapientia duas habet radices; scilicet timorem, & amorem. S. Bonav. Opusc. Lum. Eccl. ser. 14.

Retinaculum superbiæ, est timor Domini. Sanct. Thom. in ps. 33.

Servus DEI. Unus servorum: quos DEUS mittit ad revocandos filios prodigos, est timor, alius spes. S. Bernardus tr. de fil. prod.

Ventus. Est specialiter sicut ventus Aquilonaris. Nam sicut ventus Aquilonaris pluvias dissipat, nubes fugat, aerem serenat, reptilia exterminat, & aquam congelat: ita timor Domini dissipat pluvias carnalium delectationum, fugat nubes carnalium imaginationum. Sanct. Bernardus serm. 86. in Cant.

Vere-

Verecundus. Timor verecundus. est omnium ætatum ornatus: sed in juvenili ætate ampliùs erubescit. Quid est amabilius verecundo adolescente? Quàm pulchra hæc, & splendida gemma maximè in vultu adolescentis.

Vestis. Timor servilis, est velut vestis de sacco. Idem ibid.

TITULUS IV.

TRIBULATIO.

Adamas. Nec malleis cæsus infringitur. Ità ergo qui à seipso non leditur, etiamsi tundatur, ab illi non potest lædi. S. Chrysost. hom. quia nemo læditur, nisi à seipso.

Æstus est Sæculi; sed magna umbra est sub aliis DEI S. August. in ps. 60.

Apes sunt persecutiones: nam sicut apes quamvis aculeatæ mel parant; ità persecutiones electis dulcedinem cœlestis gloriæ præparant. S. Bonav. serm. 4. D. 3. Pasch.

Aratrum. Quemadmodum aratrum immittens infernè terram proruit, tutam seminibus custodiam parans, nè jacta in superficie remaneant, sed in ipso terræ sinus condantur, & in tuto radices figant: sic & nos facere necessarium; & tamquam aratro tribulatione utentes, cordis profundum scindere. Joel. 2. S. Chrysostomus hom. 4. ad Pop.

Balsami lignum. Quis hodie patientiam servat in adversis; similes sumus ligno balsami, quòd nullo modo vult gladio tangi, imò, si tactum fuerit, statim perit. Plin. in nat. histor. lib. 12. cap. 25.

Calceus. Calceati sunt patientes in dextero pede per amorem DEI: in sinistro per timorem inferni. S. Vinc. Ferr. de S. Petro ad Vinc.

Carcer. Pro omni tribulatione ponit (Joan. Apoc. 2.) carcerem. S. Anselmus in Apoc.

Cithara. Cithara sanat, quæ nos sumus, dum adversa patimur. S. August. in psal. 42. Sicut citharædus neque nervum intendit, ut non abrumpat, neque remittit ultra modum, nè harmoniæ concentum lædat: sic & DEUS agit, neque in remissione continua, neque in longa tribulatione, nostram constituit animam: secundùm suam prudentiam utrumque faciens. Non sinit enim nos continua potiri remissione ne segniores fiamus. Non autem rursum sinit in continua esse tribulatione; nè concidamus, neve desperamus. S. Chrysost. hom. de Reditu suo.

Collyrium, *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas*. Apoc. 3. Stephano virtute collyrij passionis in tantum purgati sunt oculi: ut videret *gloriam*, *DEI*, *& JESUM stantem*. - De felle dicitur Tobiæ c. 15. *Assumens Tobias de felle piscis*, *&c.* visum recipit. Accipiamus fel tribulationis, patienter sustineamus pro illo, qui pro nobis in passione de felle gustavit. S. Bonav. serm. 4. in Quinquagesima.

Correctio. Neque hæc sola de tentatione bona lucrati sumus; verùm & multam modestiam, mansuetudinem multam. Civitas nobis (Antiochia) repentè monasterium facta est. Non sic aliquis eam ornasset; si aureas in foro statuas erexisset: sicut nunc clara, & illustris est; quæ bonas virtutis statuas protulit, & proprias exhibuit divitias. S. Chrysost. hom. 17. ad Pop. Vide inferiùs hic *Ignis*.

Disciplinæ. Tribulationes hujus Mundi ab Apostolo Hebr. 2. vocantur disciplinæ. Sanct. Vinc. Ferr. serm. 15. de Perseverantia.

Exemplaris. Animus patiens tolerantia sua alios ad tranquillos portus transvectat. S. Chrysost. serm. de Charit. Vos, (alloquitur ante expulsionem suam suos) estis mihi Patres; vos mihi Mater; vita; vos mihi gratia. Si vos proficitis, mihi placebit. Vos estis corona mea, divitiæ meæ; vos estis thesaurus meus. Ego millies pro vobis immolari paratus sum - Quid enim non patiar pro vobis? &c. Idem hom. ante exilium.

Fluvii. Tribulationes temporales sunt velut fluvii pluviales citò defituri. S. Aug. in ps. 17.

Hyems, est dies tribulationis, dies scandalorum, & amaritudinis. S. Aug. Enar. 1. in ps. 48.

Ignis. Non nos tantum, quia perturbare assolet; sed etiam ignis, quia urit, vocanda est trbulatio. S. Aug. in psal. 16. *Grando*, *& carbones ignis*. psal. 17. Objurgationes figuratæ, quibus velut grandine corda dura tunduntur. Idem ibidem, Ignis ille (tribulatio) non est diversus; & diversa agit. Palam in cinerem vertit, auro sordes tollit. In quibus autem habitat DEUS; utique meliores in tribulatione fiunt, tamquam aurum probati. Id. in ps. 21. exposit. 2. Ignis tribulationem significat. Id. in præfat. ad 2. exposit. ps. 29. In te tribulatio fornax est artificis; si tamen aurum sis, & non palea. Id. exposit. 3. in ps. 30.

Impavidus. *Immobilis*. Sicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & undique jactans, non evellit: sed & solidiores, & firmiores his incursibus reddit: sic & animam sanctam, & piè viventem, tentationum incursus, & tribulationum non supplantant. S. Chrysostom. hom. 4. ad Pop. Perstit in omnibus his B. Job veluti columna quædam immobilis; quasi turris, quæ non quatitur; velut luctator invictus; vulnerans magis, quàm vulneratus. Sanct. Chrysost. hom. 1. de pat. Job.

Lancea tres visæ tempore Sanctorum Dominici, & Francisci, quibus Christus Mundum delere volebat, significabant tres tribulationes. Figuratæ sunt ipsæ lanceæ 1. Reg. 18. per lanceas, quibus Absolon fuit transfixus. S. Vinc. Ferr. serm. 1. de S. Dominico.

Levamen. Communes nobis præceptores, & calamitatum consolationem, per terrarum orbem misit DEUS pauperes. Es aliquid præter voluntatem passus? sed tale nihil, quale ille. Erutus est oculus tibi? sed illi duo. Longo morbo laborasti? sed ille incurabili. Amisisti filios? sed ille & proprij corporis sanitatem. S. Chrysostom hom. 28. ad Pop.

Lucernæ. Patientia, abstinentia, diligentia, sunt lucernæ ardentes; quas non in oculis, auribus, sed manibus ferre debemus. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Augustino.

Malleus. Nec malleus auditur in templo Salomonis post hanc vitam. Sancti dicuntur laminæ aureæ; quia laminæ tunduntur, & tunsionibus extenduntur. Sic sancti in persecutione proficiunt. S. Bonav. in psal. 97. Tribulationes sunt malleationes, quibus ferrum, si ignitum sit, per amorem, & patientiam, ac devotionem in figuram pulchram flectitur: si verò frigidum per impatientiam sit, informe manet, & absque decore desiderato. Sanct. Vinc. Ferr. serm. 6. Dom. 17. Pent.

Myrrha. Dico, quia tribulationum amaritudines sub myrrhæ nomine dicit se subire paratam, Cant. 1. amore dilecti. S. Bernardus serm. 42. in Cant. Myrrha res amara, dura, & aspera, tribulationem significat. Idem serm. 43. in Cant. - Properea non fascem, sed fasciculum dilectum dicit. Quia leve præ amoris ipsius ducit, quidquid laboris immineat. - Bene fasciculus: quia *non sunt condignæ passiones*, *&c.* Rom. 8. An non fasciculus, cujus jugum suave est. Id. serm. 43. in Cant.

Novacula. *Sicut novacula acuta fecisti dolum*. Ecce quid faciunt sanctis mali? capillos radunt. - Quid est factura illa novacula? calvum factura est. Et hoc ad Christum pertinet, qui in loco Calvariæ crucifixus est.

Capilli superflua rerum temporalium significant. Qui quidem capilli non superflue facti sunt à DEO in corpore hominum; sed ad aliquod ornamentum. Tamen, quia sensu præciduntur; illi; qui adhærent corde DEO, sic habent ista terrena, tamquam capillos. S. Aug. in ps. 51.

Nox, est tribulatio. S. Aug. in ps. Mediam noctem, graviora tribulationis, intelligendum existimo. S. August. Conc. 16. in ps. 118.

Occultam virtutem prodit, Sicut unguenta non nisi commota, redolere latiùs nesciunt; & sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cùm incenduntur, expandunt: sic viri sancti in tribulationibus innotescunt. S. Greg. Præfat. in Job c. 4.

Olla Moab. Olla est tribulatio; quæ operatur spem. Meritò olla. *Olla spei meæ*: spes autem non confundit. S. Aug. in ps. 59.

Purgat. Justus Job ante flagella extitit, sed Justior post flagella permansit. Profectò sicut tuba ductilis ex percussione producta in laudem DEI tantò altiùs elevatus est, quantò magis percussus. S. Greg. mor. l. 21. cap. 1.

Quadragesima. Tempus ante Pascha, seu Quadragesimale jejunium, significat tribulationem præsentis vitæ: tempus Paschale autem futuram beatitudinem. S. August. in ps. 148.

Sal. Providentia Divina temperat gaudia cum tristitia, & è converso: quia bonus coquinarius est: & in cibo nimis dulci ponitur sal; & in cibo salso ponitur mel - vel saccharum consolationis. S. Vinc. Ferr. Ser. 3. de B. V.

Spes cœli. Sicut mercator non sentit navigationis laborem, lucrorum spe relevatus; & pugil generosè fert capitis vulnera, coronam respiciens: ità profectò nos quoque in cœlum, & cœlestia intendentes bona; quæcunque inferantur gravia, generosè cuncta feremus; bona futurorum spe roborati. S Chrysost. hom. 16. ad Pop. Decertans athleta generosè fert vulnera respiciens ad coronam Agricola non invenit manipulos, nisi proprios priores sudores mittat. Similiter in cœlum respicientes nihil putant tribulationes, bonorum spe roborati. S. Chrysostom. hom. 22. ad Pop.

Sudarium, quo laborantium sudor extergitur, est exemplum patientiæ in laborantibus. S. Bonav. Ser. 3. D. 3. Quadr.

Tenebræ sunt tribulationes. S. Vinc. Ferr. Ser. 2. de B. V.

Torcular. Solent accipi torcularia etiam martyria, tanquam afflictione persecutionum calcatis eis, qui Christi nomen confessi sunt: cùm mortalia eorum tanquam vinacia in terra remansserunt; animæ autem in æternam requiem cœlestis habitationis emanaverunt. S. August. in ps. 8. Cùm cœperis in Christo piè vivere, ingressus es torcular: præparate

ad

ad pressuras. Sed noli esse aridus; nè de pressura nihil exeat, S. Aug. in ps. 55. In arbore libertas, in torculari pressura. S. Aug. in ps. 136. Omnes, qui Ecclesiam persequuntur, quid aliud, quam torcular calcant? Quod Divina dispositione permittitur: ut animarum botri in spirituale vinum defluant; quæ caine corruptibili exuti ad cœlestia regna, velut in apothecam, currant. S. Greg. mor. l. 16. cap. 25. Considera, quòd illi, qui te persequuntur, apud DEUM velut molæ, ac torcularia deputantur. Tu verò quasi oliva, & quasi vua, legitima, parvo tempore pressuram malorum hominum sustinere cogeris; sed postea sine fine illis remanebit opprobrium; tu felici commutatione transibis ad regnum. S. Aug. hom. 8. Sic uva calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur. Sic oliva contusionibus expressa amurcam suam deserit, & in olei liquorem pinguescit. Sic, per trituram areæ, à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perveniunt. S. Greg. hom. 15. in Evang. Reproborum nequitiæ, trituræ more electorum vitam, quasi grana à paleis separans premit, & purgat. Idem mor. l. 26. cap. 9.

Tuba ductilis malleo producitur: Ità Christianorum cor in DEUM præssurarum plagis extenditur. S. August. enarrat. 2. in ps. 32. Vide hic *Malleus*.

Ventus. Sicut Aquilonaris ventus est frigibus, & stringit homines: ità tribulatio stringit hominem cum DEO. S. Vinc. Ferr. ser. 5. in Epiph.

Alia de Tribulatione.

Ablactatio. Ubera nostra, quibus à Domino lactamur, sunt prosperitas temporalium, & solatium amicorum. Quando videt DEUS, quod homines confidunt nimiùm in his, & alliciantur ab his; subtrahit ea, & ponit amaritudinem: *ut ponant in solo DEO spem suam*. S. Thom. in ps. 30.

Æstus, significat tribulationem, sol tyrannum, qui ipsam infert. S. Thom. in 49. Is. *Neque cadet super illos Sol*, id est, major tribulatio; quæ exurit hominem: *neque ullus æstus*, id est, minor tribulatio. S. Thom. sup. 7. Apoc.

Calor. Sicut aqua frigida in magnis caloribus sitienti; ita consolatorius sermo in tribulationibus. S. Eph. Serm. de vita Relig.

Camus. Frœnum. In camo, & frœno, id est, in majori, vel minori tribulatione. S. Thom in ps. 31. Ponam frœnum, temporalis afflictionis. Job 30. *Frœnum posuit in os meum*. S. Thom. in 37. Is.

Dies mala. Prima dies mala est iniquitas; secunda, temporalis prosperitas; tertia. temporalis adversitas: quarta, est tentatio diabolica; quinta, est dies judicii. S. Thom. ser. 1. D. 21. Pent.

Diluvii aqua. Per arcam Noe, significatur Ecclesia; per diluvium tribulationes Mundi. S. Thom. in ps. 28.

Fructus. Pœnæ majores designantur per fructus. S. Thom. in ps. 41. Grando signat tribulationem. S. Thom. in 32. Is.

Foramen aspidis. Super foramina aspidis, id est, super tribulationes, quas diabolus, vel tyrannus immittit. S. Thom. in 11. Is.

Framea flammea, significat temporales tribulationes. S. Isidor. c. 5. in Gen.

Lacus, miseria temporalis dicitur, propter ejus profunditatem, & multiplicitatem. S. Thom. in ps. 39.

Mare; significat multas miserias hominis. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 24.

Meridies, significat apertam persecutionem. S. Thom. in 16. Is.

Meridianum dæmonium. Rectè hìc intelligimus dæmonium meridianus, persecutionem vehementem. S. August. Enar. 1. in ps. 90.

Necessitates. Tribulationes vocat necessitates, ps. 24. in quantum sunt utiles tribulationes. S. Thom. in ps. 24.

Nox. Dies prosperitatem, nox adversitatem, æstus persecutionem significat. S. Thom. in 4. Is. Per diem, & noctem, id est. in prosperis, & adversis. S. Thom. in. 2. Thren. Jeremiæ.

Penuriæ, dicuntur tribulationes. S. Thom. in ps. 24.

Sagittæ, sunt tribulationes. S. Aug. in ps. 37.

Spinæ. Vepres. Ascendunt super eam vepres, & spinæ, id est; vepres peccatorum, spinæ tribulationum. S. Thom. in 5. Is.

Tenebræ, significant tribulationem. S. Thom. in 60. Is.

Vinum. Omnis laguncula, id est, quilibet de populo. *implebitur vino* tribulationis. S. Thom. in. 13. Jerem.

Virga est correctio. Virga ergo in colubrum vertitur. Exod. 4. quando in obstinatis præsentem tribulationem horror damnationis sequitur; quando hic, & in futuro, affligimur. Sicut patet in Antiocho. 2, Machab. 9, & Herode Act. 12. - Sed è contrario legitur de virga Aaron. Virga Aaron arida flores, & fructus habuit: quia castigatio electorum flores virtutum in præsenti, & fructus præmiorum producit in futuro. S. Bonav. ser. 4. D. 3. Pasch.

Umbra mortis, dicitur præsens tribulatio; est enim umbra præsagium corporis subsequentis. S. Thom. in ps. 22.

T I T U L U S V.

SS. TRINITAS.

A. A. A. sacrosancta Trinitas significatur Jerem. 14. A. A. A. Domine, nescio loqui. Quasi dicat: A. justissimæ pater DEUS. A. justissimæ Fili DEI, &c. Eadem significatur psal. 68. benedicat nos DEUS, DEUS noster.

Angeli tres. Gen. 18. Videtis: Abraham tribus occurrit, & unum adorat. Trina Vnitas, & Vna Trinitas. S. August. ser. 68. de temp.

Animæ potentia. SS. Trinitatem fusè explicat per triplicem animæ potentiam. S. Aug. ser. 63. de Verb. Dom.

Dies tres. JESUS ergo ille, qui typum Domini præferebat, veniens ad Jordanem, dixit ad populum. *Parate vobis cibos ad diem tertium*. Diem tertium, fratres charissimi, Trinitatis agnoscimus mysterium. S. Aug. ser. 106. de temp.

Digiti tres. Is. 40. In tribus digitis propheta trinam Divinæ Omnipotentiæ æqualitatem sub quadam mysterii lance libravit. S. Isidor. de Nat. Dom. cap. 4. Mysticè Apostolos, vel Scripturas, opera digitorum designant. Tres digiti, Tres personæ; quasi dicat opera totius Trinitatis. S. Thom. in ps. 8.

Funiculus triplex, est fides Trinitatis. S. Bonav. ser. 3. in festo SS. Trinit.

Gedeonis trecenti milites. Solet in tricenario numero plenitudo personarum intelligi. Quid ergo per prædictum numerum designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis. S. Isidor. c. 5. in Judic.

Panes tres. In novo Testamento significatur 1. Joann. 5. *Tres sunt, qui testimonium perhiberent*. Eadem significatur in tribus panibus. Luc. 11. Et iterum Luc. 1. ubi dicitur: *spiritus sanctus superveniet, Virtus Altissimi*: & hic etiam dicitur Filius incarnandus: *quod nascetur ex te Filius altissimi vocabitur*. Marci 16. *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Matth. 3. Dum baptizatur Christus. Matth. 17. in clarificatione Christi. In his omnibus mysterium SS. Trinitatis ostenditur. S. Bonav. ser. 3. in festo Trinit.

Sol. Mysterium Trinitatis est in Sole. S. Bonav. ser. 4. ib. Ecce substantia Solis; quæ de se generat radium. Et radius potest dici Filius (Pater autem Sol.) Et substantia, & radius, generant calorem. Spiratus enim Spiritus Sanctus dici potest. Idem in DEO. S. Vinc. Ferr. Ser. de S. Cathar. SS. Trinitatis exemplificatio est in Sole uno: in quo est Pater generans, scilicet substantia - Et Filius genitus, scilicet radius: & Spiritus Sanctus spiraculum, scilicet calor. - Ideo David dixit ps. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum*, scilicet similitudinem suam. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Stephan.

Via trium dierum. Tres dies, Exod. 5., significant mysterium SS. Trinitatis. S. August. ser. 90. de temp.

Virgæ tres. Genes. 25. Ille (Jacob) tres virgas in alveis aquarum opposuit: ut earum contemplatione multiplicarentur ejus oves, Et Dominus noster in aqua baptismatis Trium Personarum nomina Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, populo Fideli proposuit: ut quisquis hoc corde pleno perspexerit, efficiatur ovis DEI. S. Isidor. c. 25. in Gen.

Vitis. In vite. Gen. 40., erant tres propagines. S. Bonavent. serm. 2. in festo SS. Trinitat.

V.

T I T U L U S I.

VERBUM.

Carbo. Carbones ignis, idest, verba inflammantia. S. Thom. in ps. 17.

Clavus. Verba sapientis stimuli sunt, & quasi clavi in altum defixi. Eccl. 11.

Dentes peccatorum, id est, maledicta verba. S. Thom. in ps. 3.

Folia, significant dulcia Verba. S. Thom. ser. 1. in Annunt. B. V.

Ignis. Nubes significat carnem nostram; ignis verbum, locutionem. S. Thom. in Cat. sup. 3. Marci.

Inspirationes diaboli. Os diaboli, verba ejus sunt; verba autem ejus, inspirationes occultæ sunt. S. Isidor. sentent. l. 3. c. 5.

Rivulus. Est quidem cor nostrum quasi fons quidam; verbum verò prolatum, quasi quidam rivulus manans ex ipso. S. Basilius apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Joan.

T I T U L U S II.

VERBUM DEI.

Calamus DEI. In S. Scriptura operationes metaphoricæ designantur per instrumenta, vel membra; quæ sunt operationum Principia. Et sic per linguam, & calamum, operatio DEI designatur conveniens linguæ, & calamo. Operatio linguæ est: quia per eam diffunditur sapientia cordis ad alios. Per calamum autem designatur; quia sapientia, quæ est in corde, transfunditur in materiam sensibilem, scilicet pergamenum. DEUS autem & loquitur, & scribit. Loquitur, quando transfundit sapientiam suam in animas rationales. Psalm. 84. *Audiam, quid loquatur* &c. Scribit: quia judicia suæ sapientiæ imprimit in rationalibus creaturis. Rom. 1. *Invisibilia DEI*, &c. Eccl. 1. *DEUS effudit illam* &c. Sicut enim respiciens librum cognoscit sapientiam scribentis: ità cùm nos videmus creaturas, cognoscimus Sapientiam DEI. Calamus igitur est Verbum DEI. S. Thom. in ps. 44.

Calcar, est exhortatio. S. Ambr. serm. 10. in ps. 118.

Cibus animæ. Sicut anima vita est corporis, sed non vivificat sine cibo corporali: ira DEUS vita est animæ; sed non vivificat illam sine cibo spirituali, id est, sine Verbo DEI. S. Aug. apud S. Thom. de sacr. Alt. c. 6.

Clypeus. Omnis sermo DEI clypeus ignitus est. S. Thom. in 4. Apoc.

Corpus Christi, est Verbum DEI, id est, vera lux in carne humana quasi lucerna; qua illuminatur fidelis anima. S. Thom. ibid.

Eructatio. Manducas, cùm discis; eructas, cùm doces: manducas cùm audis; eructas cùm prædicas. S. Aug. in ps. 44.

Facies DEI, est prædicatio Evangelica. Ratio: quia sicut in facie cognoscitur homo, ità in prædicatione vos, qui nescitis Scripturas, cognoscitis DEUM. Ideo dicit Scriptura. *faciem tuam*, id est, prædicationem tuam, *Domine requiram*, S. Vinc. Ferr. fer. de Concept. B. V.

Fames. Sicut esuries corporalis, sanitatis indicium est; ita & studio magno audire Divina eloquia, bonæ animi valetudinis certissimum est argumentum. S. Chrysost. hom. 4. in Gen.

Fructuosa auditio. Sicut multi sæpe ex prato recedentes, rosam, vel violam, vel quempiam talium florum capiunt, & digitis circumferentes recedunt: alii verò ex viridario domum abeuntes, arborum ramos, fructus habentes, reportant: alii rursum à lautis cœnis mensæ reliquias necessariis suis referunt: Sic utique & tu hinc recedens admonitionem reporta filiis, uxori, necessariis omnibus. S. Chrysost. hom. 6. ad Pop.

Gladius. Apostolus protegebat castra, id est, Ecclesiam, DEI gladio, *quo est Verbum DEI*. S. Thom. in Prologo exposit. sup. ep. ad Coloss. Quid per vigiles, nisi Doctores Ecclesiæ? - per gladium Verbum DEI; per manus, quibus gladius tenetur, bona opera signantur. S. Gregor. in 3. Cant. Gladius Abrahami significat Verbum DEI. S. Thom. cap. 22. in Gen.

Ignis. Notandum, quòd Verbum DEI dicitur ignis: quia illuminat. Ps. 128. *Lucerna pedibus meis*, &c. Quia inflammat. Psalm. 104. *Eloquium Domini*, &c. Quia intima penetrat. Jerem. 29. *Et factus est Sermo*, &c. Quia consumit inobedientes. Is. 30. *Labia ejus repleta* &c. S. Thom. in 5. Jerem.

Labia. Per labia Sponsi, Verba Domini JESU Christi accipiuntur; quæ lilius comparantur. S. Thom. c. 5. in Cant.

Lac. Doctores sunt ubera Ecclesiæ, quia parvulos, & simplices fideles lacte Verbi DEI nutriunt. S. Thom. in 4. Cant.

Medicina. Sermo ejus medicamentum est. Alius sermo constringit vulnera: alius fovet oleo; alius vinum infundit. S. Ambr. l. 7. in Luc.

Novacula. Verbi DEI novacula omne peccatum infidelitatis abraditur. S. Isidor. c. 18. in Deutr.

Nundinæ spirituales sunt in templo, ubi prædicator cœlestes merces proponit. S. Chrysost. hom. 29. in Gen.

Panis. Nota super illo verbo: *& panes frugum*: quia Verbum DEI est panis 1. arctus, propter observandi difficultatem. Matth. 7. *Arcta via* 2. Uberrimus, propter fructus utilitatem. Is. 55. *Quomodo descendit imber*, &c. 3. Pinguis, propter delectationis suavitatem. Gen. ult. *Ager panis pinguis*. S. Thom. in 30. Is.

Pluvia, in sanctis Scripturis verba sunt Evangelii. - Sicut & Moyses dicit Deut. 32. *Expectetur sicut pluvia eloquium meum; & descendant sicut ros verba mea*. S. Isidor. cap. 4. in 1. Reg.

Rete, est prædicatio. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Petro Ap.

Sagitta, Verba DEI sunt. S. Thom. in ps. 37. Arma Christi sunt sagittæ, quæ sunt Verba Christi; dicuntur sagittæ propter tria. 1. Quia sagitta suo acumine usque ad cor penetrat, ita Verba Christi. Hebr. 4. *Vivus est Sermo*, &c. Item sagitta velociter movetur. Sic verbum Christi subitò totum orbem implevit. Ps. 147. *Velociter currit Sermo eius*. Item sagitta ad remota attingit. Sic etiam sermo Christi. Ps. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum*, &c. Sanct. Thom. in psalm. 44. *Servus*.

Servus, Missus Servus. Matth. 12. est sermo DEI. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 12. Marci.

Triticum. Quid paleis ad triticum, &c. Quasi dicat: verba mea sunt triticum ad reficiendum. Jerem. 14. *Inventi sunt Sermones tui, & comedi eos*, &c. S. Thom. in 23. Jerem.

Theriaca. Prædicatores sunt medici: jam dura, jam lenia, adhibentes remedia. S. Aug. serm. 67. de temp. Quomodo theriaca bibitur, nè corporibus possint prævalere venena; hoc austera prædicatione geritur, unde animarum præparentur antidota. Idem ibidem.

Tuba. Audistis Apostolicam vocem? tubam cœlestem? lyram spiritualem? Etenim tanquam tuba terribile canens, & bellicum; hostes quidem consternat; lapsos autem suorum sensus excitat; & multa implens fiducia mentem adhibentes diabolo inexpugnabiles reddit. Et tanquam lyra rursum, multa cum jucunditate delectans, absurdarum morbos cogitationum sopit; & multam cum voluptate nobis affert utilitatem. S. Chrysost. hom. 1. ad Pop. Prædicatio Prophetarum dicitur sonus tubæ. Quia tuba non est recta; & est una in se, & tamen triplex - Item prædicatio Prophetarum erat de Uno DEO in essentia; sed Trino in personis. 2. Quia tuba est stricta circa sonantem; sed est lata circa aliud caput. Ità eorum prædicatio arcta erat circa eos per pœnitentiam - aliis autem erat lata, & clara. S Vinc. Ferr. serm. 1. de omn. Sanct.

T I T U L U S III.

VERITAS.

Arma luci, sunt misericordia, & veritas: misericordia enim est scutum; quo ab hostibus defendimur: veritas est virtus; qua omnia vincimus. S. Thom. serm. 1. D. 1. Adv.

Candelabrum. Lucerna Christus est, - vas Mundus intelligitur. Modium hæreses. Candelabrum, veritas Domus est Ecclesia. Arnobius c. 3. in Luc.

Collum, per quod vox emittitur, veritas est: monilia, quæ ornant pectus, & stringunt; discretio est. S. Bonaven. Lum. Eccl. serm. 2.

Lac. Moraliter per duo ubera possunt intelligi intellectus, & affectus: illo fluit lac veritatis; ex isto lac bonitatis elicitur. S. Thom. serm. 1. in festo S. Agathæ.

Margarita. Christus Dominus est margarita: quia lucidus

candore veritatis, & solidus firmitate æternitatis; & undique sibi similis pulchritudine Divinitatis. S. August. apud S. Thom. in Cat. sup. 13. Matth.

T I T U L U S IV.

VINDICTA DIVINA.

A*Byssus*. In Scriptura abyssus, & tempestas, important malum; unde abyssus; quasi dicat; una punitio abyssum invocat, id est, continuatus ad aliam. S. Thom. in ps. 41.

Arcus. Sicut homo præparat se gladio contra hostes, qui sunt prope; sed arcu contra remotos: ita Divina vindicta: dicitur gladius, quasi contra propinquos; sed arcus contra remotos. - Gladius DEI Christus est; vibratio, est comminatio gehennæ. Dicit arcum suum, id est, vindictam Divinam, quasi ex inopinato punientem. S. Thom. in ps. 7.

Calix DEI, est vindicta; quæ potat peccantes, sive ad correctionem in præsenti, sive ad damnationem in Inferno. Glossa apud S. Thom. in 14. Apoc.

Framea. Effunde frameam, id est, multiplica vindictam. S. Thom. in ps. 34. Framea potest intelligi vindicta DEI. Idem ibidem.

Gladius. Nota super illo verbo: *Dominus vastabit in gladio*. Quia vindicta DEI dicitur gladius. 1. Durus, propter pœnæ acerbitatem. 2. Magnus, propter punitorum universalitatem. Apoc. 6. *Datus est illi gladius magnus*. 3. Fortis, propter punienties potestatem. 4. Acutus, propter ipsius penetrabilitatem; quia usque ad animam. 5. Lucens, propter æquitatem. S. Thom. in 27. Isaiæ.

T I T U L U S V.

VINUM.

A*Mor DEI*. Est bonum vinum Divini amoris. Cant. 8. *Dabo tibi poculum, &c.* S. Thom. in 13. Jerem.

Austeritatem vinum significat. Sanct. Th. in 1. Cant. Ubera sunt dulcedo Evangelicæ doctrinæ; vinum austeritas legalis. S. Isid. in 1. Cant.

Compunctio. Ps. 59. *Potasti nos vino compunctionis*. S. Thom. in 13. Jerem.

Consolatio. Inebriat consolando. Is. ult. *Inebriamini ab uberibus, &c.* S. Thom. in 55. Is.

Contemplatio. Est bonum vinum Sapientiæ contemplationis. Prov. 9. *Bibite vinum, &c.* S. Thom. in 13. Jerem.

Dolus. Est vinum malum fraudulentæ deceptionis. Deut. 32. *Fel draconum vinum eorum, &c.* Idem ibid.

Evangelium. Cella vinaria, Ecclesia est; in qua est vinum Evangelicæ doctrinæ. S. Thom. in cap. 2. Cant. Optimum vinum Christus servavit usque adhuc, id est, Evangelium usque ad sextam ætatem distulit. Alcuinus Caroli M. præceptor apud S. Thom. sup 2. Joan. Discipulos veteribus comparat utribus; quos vino, id est, spiritualibus præceptis faciliùs disrumpi, quàm id posse continere, dicit. Erunt autem utres novi; cùm post Ascensionem Domini desiderio consolationis ejus innovabuntur. Et tunc novum vinum, novis utribus adveniet, hoc est, Spiritus Sancti fervor spiritualium corda replebit. Ven. Beda apud S. Thom. in Cat. sup. 2. Marci.

Eloquium. Vinum incendit exhortando. Ps. 104. *Eloquium Domini inflammavit, &c.* S. Tho. in c. 55. Is.

Indignatio. Est vinum Divinæ indignationis. Apoc. 14. *Si quis adoraverit bestiam, &c.* S. Thom. in 13. Jerem. Per vinum signatur Divina indignatio, per calicem potestas tyrannorum: per quos hæc indignatio in gentes diffundenda erat. S. Thom. in 25. Jerem.

Ira. Est multiplex vinea. Primò carnalis concupiscentiæ. Et hujus est primò vinum iræ. Deut. 32. *Fel draconum vinum eorum*. Secundò luxuriæ. Apoc. 18. *De vino fornicationis, &c.* Tertiò ineptæ lætitiæ. S. Thom. in 5. Is.

Tribulatio. Omnis lagunculа, id est, quilibet de populo. implebitur vino tribulationis. S. Thom. in c. 13. Jerem.

Venenum. Fuge vinum, quasi venenum. S. Ephr. de agone Spirituali.

T I T U L U S VI.

VIRGO BEATISSIMA M A R I A.

A*Bigail* Nabal peccatorum, Abigail MARIAM, David Christum signat. Sanct. Bonaventur. Specul. B. Virg. lect. 14.

Abyssus. Ubi inexhaustæ opes? ubi pretiosus ille thesaurus, qui vitam suscepit? ubi animata mensa? ubi novus liber, in quo inenarrabili modo DEUS Verbum citra omnem manus operationem in scriptis est. Ubi gratiæ abyssus? ubi sanationum pelagus? ubi fons ille, ex quo sanationum vita orta est? S. Joan. Damasc. or. 2. de Assumpt. B. V. Est miraculorum abyssus. Id. de Nat. B. V. orat. 1.

Acerra. Salve aurea revera spiritualium aromatum acerra. S. Germanus Patr. Constant. orat. in Nat. B. V.

Aditus facilis desperabundis. S. Germanus Archi-Ep. Const. or. in dormit. B. V.

Administra est salutis universi orbis. S. Joannes Damasc. orat. 1. de Nat. B. V.

Ædificium. Omnipotens est artifex ædificii hujus. S. Ildefonsus Archie-Ep. Tolet. lib. de Virginit. B. V.

Æternitas Divinitas est. S. Ildefonsus ibid. c. 10.

Ager. Salve DEI ager amplissime; quem nullus alius locus, nisi tu sola, comprehendere potest. Chrysippus Presb. Jerosol. serm. de S. Maria DEI-para. B. Virgo est ager incultus: & tamen proferens spicam. S. Hesychius serm. de laudib. B. V.

Tu *Agonizatrix* pugnantium. S. Bonav. in suo Te Matrem DEI laudamus.

Altare propitiatorium. S. Germanus Patr. Constant. orat. in Nat. B. V. Gaude altare, in quo Agnus, vivificans spiritualiter omnem fructum, offertur. S. Germanus Archi-Ep. Constant. orat. in Beatam dormit. Est purum, immaculatumque altare; de quo sumptus vivificus ille carbunculus JESUS Christus. S. Methodius Ep. Patarens. in festo Purif. B. Virg.

Anchora firmissima. S. Joann. Damasc. or. 1. de dormit. B. V.

Ancilla. Hæc Ancilla est, & Mater; virgo, & cœlum. S. Proculus Archi-Ep. Constant. hom. de Nat. Dom.

Arbor mirè culta. S. Bonav. in psalterio minori, quinquagena 3. Arbor vitæ fructifera. Id. in Litaniis B. V.

Arca. Te Apostolorum agmen veram arcam Domini, ut quondam Sacerdotes typicam illam, humeris sublatam, atque in sepulchro conditam, per illud, velut per alterum Jordanem, ad veram promissionis terram, hoc est, ad supernam Jerusalem, transmiserunt. S. Joann. Damasc. orat. 1. de dormit. B. V. Hodierna die sacra, & viva DEI vivi arca in templo Domini conquiescit. Idem orat. 2. de Ass. B. V. Corpus B. Virginis est arca de lignis imputribilibus: quia caro MARIÆ nequaquam, ut credimus, putrefacta est; sed antè in cœlum delata. S. Bonavent. in Specul. B. V. lect. 2. Saltavit Propheta David antè arcam. 2. Reg. 6. Arcam autem quid, nisi S. MARIAM diximus? si quidem arca intrinsecus portabat Testamenti tabulas; MARIA autem ipsius Testamenti portavit hæredem. S. Ambros. serm. 80. Arca sanctuarii. S. German. Archi-Ep. orat. in Nativ. B. V. Arca vera. S. Ephr. tom. 3. de laud. B. V. Est Arca; quæ in montibus Sion post quadraginta dies requievit in purificatione. S. Methodius hom. in purif. B. V. Qualis venerationis cultus à nobis, qui minimi sumus, tibi debetur? Tibi, inquam, quæ verè DEI Legislatoris animata arca. Idem ibid. Arca, arca Noe latior longior, illustrior. Illa erat animalium arca; hæc autem arca vitæ: illa corruptibilium animalium; ista verò vitæ incorruptibilis: illa ipsum Noe, hæc verò ipsius Noe factórem portavit. S. Hesychius serm. 3. de laud. B. V. Arca sanctificationis tuæ, quæ est haud dubiè Virgo DEI-para. Si enim tu es gemma; meritò illa est arca. Id. ser. 2. de laud. V. Arca verè regia, arca pretiosissima, est Virgo DEI-para: Arca, quæ excepit totius sanctificationis thesaurum, Arca, non ea, in qua erant omnium animalium genera, quemadmodum in Arca Noe-Non ea, in qua erant tabula lapideæ - sed arca, cujus architectus & incola, Gubernator, & Mercator; Comes viæ & Dux; erat opifex omnium creaturarum. S. Andreas Hierosol. Archi-Ep. Cretensis orat. in Salutat. Angel. Salva sis nova gloriæ Arca; in qua DEI Spiritus delapsus quievit-Arca, in qua novæ sanctificatio gloriæ. Id. ibid. Venite, quæso, & videte: quoniam hodie translata est Arca Testamenti DEI ad superos. S. Ildefonsus serm. 1. de Ass. B. V. Est Arca, quam vidit Joannes Apoc. 11. Id. ibid.

Arcus. Figurata fuit per arcum; quem Dominus dedit Noemo. Gen. 9. S. Bonav. de laudib. B. V.

Armatura. Tu auxilium, armatura, exultatio, spes, & robur meum. S. Germanus Arch. Encomio in S. DEI-param.

Arvum. Hoc arvum invenit vitæ Princeps nostræ spica; in quo sine semine, & absque agricultura; supernaturaliter natus germinavit. S. Germanus Patr. orat. in Nat. B. V. Illud Divinum domicilium, illum minimè effossum refectionis fontem; illud inaratum cœlestis panis arvum - terræ penetralibus obrui minimè conveniebat. S. Joannes Damasc. orat. 2. de Ass. B. V. O arvum! ex quo naturæ colonus sine semine exortus est. Proclus Arch. Const. hom. de Nat. Domini. *Figurata fuit per arcam, quem Dominus dedit Noemo.*

Arx. Murus, &c. Quis te non admiretur? cùm sis nobis spes immutabilis, firma protectio, inconcussum profugium, vigilans tutela, salus perennis, auxilium stabile, murus inexpugnabilis, arx tuta, vallum undique munitum, valida auxilii turris. S. Germanus Arch. orat. in dormit. B. V. Arx sina sanctior: quam non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens ignis, contegit. S. Joan. Damasc. orat. 1. de Nat. B. V.

Ascensus. Ave porta cœlorum, & scala, ascensusque omnium. S. Ephr. 1. tom. 3. de laud. Virg.

Augustissima. Est nobilior, & nobilissima Virgo; honestior, & honestissima Virgo: augusta, & Augustissima Virgo. S. Ildefonsus ser. de Virginit. B. V. c. 1.

Aula. Regis virtutum Aula clarissima. Idem ibid. cap. 2. Est aula regia. Goffridus Abb. ser. 8. de B. V. Aula summæ Trinitatis. S. Bonav. in psalterio minori. B. V. Quinq. 1.

Aurora. Perpetuæ lucis aurora. Sanct. Bonavent. in Litan. B. V. Veri solis tu aurora. Idem ibid. Quinq. 2. Hæc dies est, in qua gloriosa Dei Genitrix quasi aurora processit. S. Ildefonsus ser. 2. de Assump. B. V. Jacob luctatur cum Angelo. Gen. 32. homo cum Deo. Sed certè adveniente aurora, adveniente Maria, pacificati sunt Angelus, & homo. Sanct. Bonavent. Spec. B. V. lect. 11. Tu processisti (in Conceptione) ut aurora lucida, & rubicunda: quia superatis originalibus peccatis in utero Matris, nata est lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis. S. Bernardus ser. 2. sup. Salve.

Aurum. Virginis, instar auri purum erat corpus. S. Joannes Damasc. orat. 2. de Ass. B. V.

Baculus. Tu es baculus pauperum, & miserorum. S. Bonav. in psalt. B. V. ps. 132.

Balsamum. Cinnamomum significat humilitatem, balsamum gravitatem morum. S. Thom. in Ass. B. V.

Benedicta. O fœmina super fœminas benedicta! S. August. de Sanctis ser. 18. de Annunt. B. V. serm. 2. Mulierum prima benedictio. S. Bonav. in Litan. B. V. Sola tu verè benedicta es. S. Andreas Cret. orat. in Salutat. Angel. Ex immaculata, præbenedicta combenedicta, postbenedicta. Idiota in Contempl.

Bethlehem spiritualis. S. Germanus Arch. orat. in Nat. B. V.

Camera. O camera Fili Dei! ajunt sancti tres Reges apud S. Vinc. Ferr. ser. 3. de Nat. B. V.

Candelabrum. Quam Zacharias Vir divinissimus aureum ceu candelabrum septem vidit lychnis ornatum: nimirum septem illis donis Spiritus sancti clarum, & lucidum. Idem ibidem. O candelabrum Virgineum: quod involutos tenebris illustravit. O candelabrum Virgineum: de quo Propheta: *paravi lucernam Christo meo*. S. Epiphanius apud Raynaudum in Candelabro sancto sect. 1. c. 3.

Caput Virginum. S. Ildefons. serm. 4. de Ass. V. Quam Isaias Propheticis oculis conspicatus - & libri caput, idque sigillo consignatum manifestè appellavit. S. Andreas Cret. sup. Salutat. Angel.

Carbo. Benedictus carbo tam benedictam flammam producens. S. Bonav. Spec. B. V. lect. 15.

Castellum. Tu es Castellum, in quod JESUS intravit; habens turrim humilitatis, & murum Virginitatis. S. Bernardus ser. 4. sup. salve.

Castitas. B. Virgo est ipsa castitas. S. Bonavent. expos. 2. in ps. 118. cap. 2. v. 4.

Cathedra non inferior cathedra Cherubica. S. Hesychius de laud. V.

Cedrus exaltata. S. Bonavent. in psalt. Virg. Quinq. 2. Ut cedrus Libani quotidie in terris multiplicabitur. S. Ildefonsus ser. 1. de Ass. V.

Cella Dei. S. Bonav. in ps. Virg. Quinq. 2.

Charta Divinissima. S. Ephrem. tom. 3. de laud. Virg.

Cherubim gloria. S. Germanus Patr. orat. in Nat. B. V.

Civitas. Ipsa Civitas. Apoc. 21. id est Maria, *aurum mundum* per charitatem: *simile vitro Mundo*, per castitatem. Splendor autem, (Christus) non solùm per integrum vitrum transit, sed etiam colorem per transeundum induit. S. Bonav. ser. 1. de Nativ. B. V. Dei civitas. S. Joann. Damasc. ser. 1. de dormit. B. V. Possunt hæc (ps. 45. *Fluminis impetus lætificat, Civitatem &c.*) referri ad B. V. quia ipsa est Civitas: in ipsa habitavit; ipsam fluminis impetus, scilicet Spiritus sanctus, lætificavit. S. Thom. in ps. 45.

Clavis regni cœlestis. S. Ephrem de laudib. Virg.

Clibanus. Pones eos ut clibanum. - Et significat uterum Virginis. Nam sicut clibano duo sunt, scilicet ignis, & panis; sic in utero Virginis, ignis, & panis. Ignis, spiritus sanctus; panis Christus. Panis in clibano. Levit. 2. Christus in Virginis utero. S. Bonav. in ps. 53.

Clypus Christi. Christus, quando debuit intrare campum hujus Mundi, ad bellandum pro nobis, posuit clypeum suum, scilicet Virginem Mariam per Incarnationem. S. Vincent. Ferr. ser. 1. de omnib. sanctis.

Cochlea. Virgo instar cochleæ naturaliter (hoc est, inquit Glossa, ex latere, verè, & realiter) peperit. S. Ephr. de Marganta pret.

Cœlum. Cœlo altior, imò latior, cœlo cœlorum. S. Ignatius M. E. ad B. Virgo. O felix Maria: & omni laude digníssima. O Virgo Dei Genitrix gloriosa. - Sed quid dicam pauper ingenio: cùm, de te quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur. Si cœlum te vocem, altior es. S. August. in Append. serm. 83. Quia Sol existis (Christe) necessariò Virgo vocabitur cœlum. S. Hesychius serm. 2. de laud. B. Virg. Salve cœlum, Solis gloriæ cœleste tabernaculum. S. Andreas Cret. orat. in Salut. Angel. Cœlum, spirituale. S. Bonav. in ps. Quinq. 3. O beatum ventrem: qui vivum cœlum, cœli ipsis latius, peperit. S. Joannes Damasc. orat. 1. de Nat. B. V. Hodierna die Virgo illa immaculata, quæ cum terrenis affectionibus commune nihil habuit. in cœlestia tabernacula introducitur. Quis enim eam cœlum nuncupans à vero aberrat? Idem or. 2. ibid.

Columba. Tu es fidelissima illa columba Noe; quæ inter summum DEUM, & Mundum diluvio spirituali submersum, mediatrix fidelissima extitit. Corvus infidelis; columba fidelis fuit: sic & Eva infidelis. Idem ibid. lect. 9. Figurata fuit per columbam, quæ attulit ramum olivæ Noe, & filiis suis. S. Bonav. de laud. Laud. B. V. Virgo columbina. Idem in ps. Quinq. 2. Speciosa sicut columba. Idiota de Contempl. cap. 4. Columba impolluta. S. Hesychius serm. 2. de laud. B. V. Hodierno die sacratissima columba, & simplex, atque innocens anima, - ex arca, hoc est, ex corpore, evolans pedibus suis requiem invenit. S. Joan. Damas. or. 2. de Ass. B. V.

Columna nubis. MARIA est nobis columna nubis: quia tanquam nubes protegit ab æstu Divinæ indignationis, ab æstu diabolicæ tentationis. Ps. 140. *Expandit nubem &c.* MARIA quoque columna ignis est; illuminans nos. - Quid faceremus - si tam luminosam columnam non haberemus? S. Bonavent. in Spec. B. V. lect. 3.

Complementum. Hæc universum Trinitatis complementum. S. Hesychius ser. 2. de laud. Virg.

Concha. Figurata fuit per concham rore impletam. Judic. 6. S. Bonavent. de laud. B. V. Est, (Christus) unico rore Spiritus sancti conceptus in concha, quæ est B. Virgo. S. Joan. Damasc. orat. 1. de Nat. B. V. Commoveatur Mundi mare: in ipso enim concha gignitur; quæ cœlitus ex Divinitatis fulgetro in utero concipiet, & Christum ingentis pretii unionem pariet. Id. ibid.

Consolatrix. Mæstorum consolatio. S. Ephr. de laud. B. V. Ave fons gratiæ, & totius consolationis. Id. ibid. Miserorum pia consolatio. S. Bonavent. in Litan. Terra dicebat ad eam: mane nobiscum ò nostra consolatio, unicumque in terra solatium. S. Joan. Damasc. or. 2. de Ass. V.

Corona anni. Hujus anni, benedicti, ps. 64., corona est benedicta Virgo MARIA. Ipsa certè est corona omnium dierum hujus anni: quia ipsa est corona omnium Sanctorum cœli. Corona enim super caput poni solet: sic MARIA; quasi super capita omnium sanctorum locata est. S. Bonav. in Spec. B. V. lect. 14. Gratiarum corona. S. Germanus Arch. otat. de Nat. V. Corona, & gaudium S. Ephr. de laud. V.

Correctio primigenæ Matris Evæ. S. Joan. Damasc. orat. 1. de laud. V.

Dapifera deliciarum DEI. S. Bonavent. in Litan.

Datrix vitæ. Ave Virgo vitæ datrix; ad te dives Imperatrix, clamo pauper. S. Bonav. in psalt. min. Quinq. 3. Honorum, & opum donatrix. S. Joan. Damasc. or. 1. de dormit. Virg.

Decus. Decus Aaron. S. Ephr. de laud. V. Ave Virgo Mundi decus. S. Bonavent. in psalt. min. Quinq. 1. Decus puellarum. Id. ibid. Quinq. 2. Hæc Virginitatis illibatæ - decus, & ornamentum. Proclus de Nativ. Dom. Decus mulierum. S. Ildefonsus serm. 1. de Ass. V. Parentum decus. S. Joann. Damasc. orat. 1. de Nat. V. Meritò Te beatam prædicant omnes generationes, ut eximium humani generis decus. S. Joan. Damasc. orat. de Nat. B. V. Omnis creaturæ decus. Id. orat. 1. de dormit. Virg.

Deserta terra. B. Virgo dicitur deserta propter asperitatem vitæ: & invia: quia nullus homo transivit per eam. S. Vinc. Ferr. serm. 2. de Nat. B. V.

Diadema. Salve pulchritudinis diadema. S. Hermanus Arch. orat. in Nat. V.

Dies festa. S. Bonavent. in psalt. min. Quinq. 3. *Dies*, id est, Gabriel, *eructat verbum diei*, id est, Virgini beatæ proponit verbum Salvatoris, Sed *nox*, id est, diabolus, *indicat scientiam noctis*, id est, Evæ. Gen. 3. *Eritis sicut Dii, scientes bonum, & malum*. S. Thom. in ps. 18.

Dioptra. Salve dioptra perspectiva. S. Andreas Cret. orat. in salut. Angel.

Directio itineris mei. S. Germanus Arch. Encom. in B. Deip.

Diversorium. Ave peccatorum refugium, atque diversorium. S. Ephr. de laud. V.

Divitia mendicitatis meæ. S. Germanus Arch. ibid.

Doctrix Apostolorum, & Evangelistarum. S. Bonav. Lum. Eccl. serm. 9. Doctrix est Sapientiæ DEI. Idiota in contempl. de B. V. cap. 1. Doctrix fuisti Doctorum, & magistra Apostolorum. Idem ib. c. 3.

Domicilium. Denique quid aliud, quàm DEI domicilium? S. Joan. Damasc. or. 1. de Nat. Virg.

Domi-

Domina. Domina mortalium omnium. S. Germanus Arch. Encom. in S. Deip. O Domina mea sola, quæ sola mihi ex Deo solatium. Idem ibid. Ita, ita, Domina mea - da mihi filii tui donis frui: nè expectatione mea frauder, Domina purissima. Idem ibid. Domina nostra gloriosissima, eademque optima, ac præcellentissima; sublimior cœlestibus, candidior solis radiis - honoratio Cherubim. S. Ephr. de laud. V. Imperatrix, & Mundi Domina. S. Bon. in Corona B. V. Est omnium Sanctorum Domina. Goffridus ser. 8. de B. V.

Domus. Domus sapientiæ est B. Virgo. Columnæ septem sunt, fides Trinitatis, & quatuor Cardinales. Prov. 9. S. Bernardus serm. 9. inter Parvos. Dominus Domini. S. Ildefonsus l. de Virginit. B. V. c. 1. Hæc in Ezechiele c 44. domus Dei. Idem ibid. c. 3. Instar olivæ fructiferæ virtutum omnium domicilium efficitur. S. Joan. Damasc. orthod. fid. l. 4. c. 15. Digna Deo. V. Maria, domus Domini appellatur. Goffridus serm. 4. de Nat. Dom. *Sapientia ædificavit sibi Domum*, id est, Te Virginem Mariam; ut in te habitaret per humanæ naturæ assumptionem. Idiota de Contempl. B. V. c. 4. Domus Dei cypressina. S. Bonav. in Litan.

Domum est omni reprehensione vacans. S. Germanus Arch. Encom. in S. Deipar. Hunc ades maximè novum Dei donum. Id. ib. Ave - salutare donarium. S. Germanus Patr. orat. in Nativ. B. V.

Dulcedo. Joachim, & Anna, tanquam spirituales montes dulcedinem stillabant. S. Joan. Damas. or. 1. de Nat. V.

Ecclesia. Maria Ecclesiam significat: quæ cùm sit desponsata Christo, Virgo nos de Spiritu sancto concepit, Virgo etiam parturit. S. Isidorus in Allegor. novi Testam.

Exaltatio. Tu exaltatio exaltationum. S. Germanus Arch. Excom. in S. Deip.

Excellentissima. Fuit omnium fœminarum virtutibus excellentissima. S. Justinus M. & Philosophus ad Orthodoxos responf. 136. Est excellentissima, & piissima Mater. Goffridus s. 8. de B. V. Est excellentissima - piissima, ac misericordissima S. Ildefonsus ser. 7. de Assumpt.

Excusatrix culparum. S. Bonav. in laude B. V.

Exemplum. Salus orbis, & exemplum. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 1.

Exultatio ægrotantium. S. Ephr. de laud. V.

Fastigium omnium Virginum. S. Ildefonsus ser. 1. de Ass. V.

Favus. Ave Virgo, favus mellis. S. Bonavent. in ps. min. Quinq. 1.

Fenestra. Facta est Maria fenestra cœli. S. August. s. 24. in Appendice. De tempore 11. De Nat. Dom. 7. Cœli fenestra crystallina S. Bonav. in Litan.

Ferculum. Ferculum. Cant. 3. S. Germanus Patr. or. in Nat. V. Est ferculum Salomonis. S. Thom. ser. 1. in Annunt. V.

Fermentum. Salve sanctum Dei fermentum: quo tota humani generis massa conspersa est: & ex unico Christi Corpore ceu panis factus in unum coiit incredibilis concretio. Sanct. Andreas Cret. orat. in Salut. Angelic. Tu fermentum redintegrationis Adam. S. Germanus Arch. in beatam dormit. V. Maria hujus fermenti. Luc. 13. imolet typum - dum de supernis suscipit fermentum Verbi. S. Chrysol. ser. 99.

Filia. O Domina: vos estis illa Filia, de qua dicit Dominus Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te, &c.* Ajunt Adam, & Eva, apud S. Vincent. Ferr. ser. 2. Nativ. Dom. O David Filia: ò benignissima: ait S. Simeon apud S. Methodium hom. in Purif. B. V. Filia Jerusalem esse canitur. S. Ildefonsus ser. 1. de Ass. V. O pulcherrima, & suavissima Filiola. S. Joan. Damasc. or. 1. Nat. V.

Finis. Huc ades finis ipsius consiliorum. S. Germanus Arch. Encom. in S. Deip. Ave Virgo finis iræ. S. Bonavent. in ps. min. Quinq. 1.

Firmamentum. Firmamentum in terra demissorum. Idem ibid. *Firmamentum virtutis Dei*. Psal. 150. est Maria. Sanct. Vincent. Ferr. serm. de omn. sanct. Nunquam fuit Sanctus, vel Sancta, qui non fuit motus per veniale, vel prostratus per mortale; excepta B. Virgine: ideo columna est, & firmamentum. Idem. ibid. Tu es totius religionis mirabile firmamentum. S. Bonavent. in ps. B. V. ps. 17.

Flos, & decus virginalis. S. Bonavent. in Lit. Ave flos regalis. S. Bonav. in psalt. min. Quinq. 1.

Flumen Sapientiæ S. Bonav. in Litan.

Fons. Fons ille signatus. S. August. serm. 83. in Appendice. Deinde transeundum ad fontem, qui est in medio paradisi, id est, B. Virginem; quæ inundat plenissimè fluminibus gratiæ, & gloriæ. S. Thom. in 19. Apoc. Ave Fons gratiæ, & totius consolationis. S. Ephr. de laud. Virgo Fons misericordiæ. S. Bonavent. in Litan. Salve Filii erga genus humanum Fons propensionis. S. Methodius hom. de Purif. B. V. Vocavit te fontem signatum is, qui ex te ortus est Sponsus. S. Hesychius ser. 2. de laud. V. Ave Fons lucis omnem hominem illuminantis. Chrysippus serm. de S. Maria Deip. Figurata fuit per fontem, de quo Gen. 2. 6. S. Bonav. de laude Virg. Fons, ex quo vita orta est. Est lætitiæ Fons. Joan. Damasc. or. 2. de Ass. V. Deliciarum Fons justitiæ. Ildefonsus ser. 1. de Ass. V. Fons universo orbi medicinam afferens. S. Joan. Damasc. orat. 1. de Nat. V. Mariam Fons justitiæ. Idem orat. 1. de dormit. Virg.

Forceps carbunculi illius purgatorii. S. Methodius in Purif.

Forma. Si formam Dei appello, digna existis. S. Aug. s. 83. in Appendice, Ave Virgo forma morum. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 1.

Formidabilis rebellibus Angelis. S. Joannes Damasc. or. 1. de Nat. B. V.

Fundamentum. Sublimitatis inexplicabilis Divinum facta es fundamentum. Sanct. Germanus Arch. orat. in beata dormit. V.

Gaudium. Tu Virginum gaudium. S. Ephr. de laud. V. Salve Spes immensi gaudii Genetrix. S. Andreas Cret. or. in Salut. Angelic.

Gloria. Dicebant Prophetæ: *Tu gloria Jerusalem &c.* Ajunt tres Reges apud S. Vinc. Ferr. ser. 3. de Nat. V. Tu Sacerdotum gloria. S. Joan. Damasc. or. 1. de Nat. V. Gloria luti nostri. S. Hesychium serm. 2. de laud. V. Gloria Prophetarum. S. Ephr. de laud. V. Tu Virginum gloria, corona, & gaudium. Idem ibid.

Gutta Spiritus sancti. Sanct. Germanus Patr. orat. in Nat. B. V.

Habitaculum DEI. S. Methodius in Purif. B. V. Habitaculum Spiritus sancti. S. Tho. ser. 1. de B. V. Est inter Dominicales D. 4. Quadrag. Est virginalis habitatio Dei, Regis virtutum Aula clarissima; mansio Imperatoris cœlestium; locus gloriosus Dei. S. Hesychius de Virginit. B. V. c. 2.

Honor Martyrum. S. Ephr. de laud. V.

Hortus. Hortus non deficiens. S. Germanus Arch. or. in beat. dormit V. Vocavit te hortum conclusum Is, qui ex te ortus est Sponsus. S. Hesychius ser. 2. de laud. V. Ave quæ es hortus Patris. Chrysippus serm. de Maria Deipara. Cor B. Virginis non fuit sentina diaboli, non fuit sepulchrum vitii; imò fuit hortus, & paradisus Spiritus sancti. S. Bonav. Spec. B. V. cap. 2.

Hydria. Figurata est Maria, in nova hydria, salutare in se sal continente. S. Methodius hom. de Purif. B. V.

Hymnodia. Ave canticum Cherubim, & Seraphim, & hymnodia Angelorum. S. Ephr. de laud. V.

Janua. Janua cœli. S. Ildefonsus. serm. 1. de laud. V. Idem ibid. serm. 4.

Illuminatrix. Maria Illuminatrix, sive Stella maris: genuit enim lumen Mundi. S. Thom. Opusc. 11. in Salut. Angel.

Immaculata. Est immaculata. S. Ildefonsus de Virginit. B. V. c. 12. Hodie (in Assumpt.) meruit audire. *Surge, veni proxima mea, sponsa mea, columba mea, immaculata mea*. S. Ildefonsus ser. 1. de Ass. Virg. Ipse sanctam in sancta, immaculatam in immaculata Matre animam suscepit. Goffridus serm. 3. de Nat. Dom. Quoniam autem modò, ò immaculata, morti obnoxia efficieris? Tu inquam vitæ pons, & cœli scala? S. Joannes Damasc. or. 2. de Ass. B. V. Hæc est illa certè bona mulier, *cujus mentionem Dominus faciebat. Genes. 3. Inimicitias ponam, &c.* - Verè beata Maria diaboli caput contrivit: quæ in se principalem ejus suggestionem penitus extinxit. Semen B. Mariæ Christus - semen diaboli, vitia sunt universa Goffridus ser. 3. de Nat. Dom. Fecit summus artifex, in ostentationem pleniorem artis suæ, speculum unum, clarissimo clarius, Seraphim tersius, & purius; & tantæ puritatis; ut purius intelligi non posset, nisi Deus esset: personam scilicet gloriosissimæ Virginis. De cujus speculi formatione Bernardus: hanc, Domine, fecisti imaginem bonitatis tuæ. S. Thom. Opusc. 16. de dilect. Deip. 1. c. 27. in fine. *Tota pulchra es*, Virgo gloriosissima: non in parte, sed in toto: *& macula* sive mortalis, sive venialis, sive originalis, *non est in Te*; nec unquam fecit, nec erit. Idiota Contempl. de B. V. c. 2. Fuisti vas innocentiæ purissimæ sine macula, & labe. - Invenisti Virgo Maria gratiam cœlestem: quia fuerunt in Te ab originis labe præservatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superventio, & Filii Dei conceptio. Id. ibidem c. 6. Est puerum, immaculatumque altare; de quo sumptus ille vivificus carbunculus Jesus Christus. S. Methodius hom. in Purif. B. V. Vestis absque macula ejus, qui *indutus lumen sicut vestimentum*. Idem ibidem Est pura, & immaculata Virgo. S. Ephr. in Threnis B. V. Quantus dolor est, Te immaculata privari. S. Germanus Arch or. in beat. dormit. Animam meam tibi charam accipe; quàm à peccati labe pura servasti. Ait B. Virgo apud S. Joan. Damasc. orat. 2. de Ass. V. *Beatus qui inventus est sine macula*. Eccl. 31. Sed in Christo, & in Virgine Maria, nulla omnino macula fuit. S. Thoma in psal. 14. Via est Christi Virgo beata. Ps. 67. *In mare via tua*. Hæc est impolluta. Idem in ps. 17. B. V. Corpus est immaculatum. S. Ildefonsus serm. 1. de Nat. B. V. Immaculata conservata es in Dei Sponsam. S. Joan. Damasc. orat. 1. de Nat. B. V. Est prorsus immaculata puella. Idem orat. 1. de dormit. B. V. Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit. Id. ib. Hodierna die Virgo immaculata, quæ cum terrenis

terrenis affectionibus commune nihil habuit - in cœlestia tabernacula introducitur. Id. ib.

Imperatrix. Est laudabilis, & universalis Imperatrix Angelorum, & hominum. Goffridus ser. 8. de B. V.

Infans. Donata à DEO infans. S. Joann. Damasc. or. de Nat. V.

Jus. Cœlorum Rex est possessor Juris istius. S. Ildefonsus l. de Virginit. B. V. c. 2.

Lacus. Desiderii David in Bethlehem ille vivificus lacus; ex quo poculum immortalitatis scaturivit. S. Method. hom. de Purif. B. Virg.

Lætitia. Omnium lætitia, ac plena animi oblectatio. S. Germanus Arch. Encom. in S. Deip. Lætitia Sanctorum. Sanct. Ephrem de laud. V. Tu Mundi lætitia. Id. ibid. Salve in æternum indefinens nostra lætitia. S. Methodius hom. de Purif. B. V.

Lampas. Tenebrosæ meæ animæ splendidissima lampas. S. Germanus Arch. Encom. in S. Deip.

Laterna. Laterna crystalli de sepulchra, & clara; sed si intus mittatur lucerna accensa, pulchrior erit, & clarior. Idem de Virg. MARIA. Cogitate ejus corpus pulchrum, & mundum ad instar laternæ: & lucerna intus illuminans totum Mundum est Filius DEI. S. Vinc. Ferr. in Vigil. Nat. Dom.

Liber. Is. 29. S. Germanus Patr. or. in Nat. V. Novus liber, in quo inenarrabili modo DEUS, Verbum, citra omnem manus operationem inscriptus est. S. Joan. Damasc. or. 2. de Ass. V. Hodierno die DEUS novum librum condidit. Idem or. 1. de Nat. V.

Lignum. Ave lignum vitæ. S. Ephr. de laud. V. Figurata per lignum vitæ. Gen. 2. S. Bonav. de laud. V. Ave Virgo vitæ lignum. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 1. *Tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum*, tanquam lignum vitæ, quod fructum suum dedit, hoc est, DEUM Incarnatum, atque omnium vitam. S. Joan. Damasc. orat. 1. de Nat. V. O verè lignum vitæ; quod solum fuit dignum portare fructum salutis. S. Bernardus ser. 2. de Adv. Domini.

Lilium. O Lilium inter spinas, ex nobilissima, & maximè regia radice ortum. Id. ib. Est Lilium inter spinas. S. Ildefonsus ser. 1. de Ass. V. Ave Lilium convallium S. Ephr. de laud. V. Ave cœleste Lilium. S. Bonav. de laud. V.

Limen supernum cœlestium arcanorum. S. Germanus Patr. or. in Nat. B. V.

Locus. Gen. 28. S. Germanus Patr. or. in Nat. V. Quam Isajas Propheticis oculis conspicatus - locum visionum appellavit S. Andreas Cret. in Salut. Angel. Locus gloriosus DEI. S. Ildefonsus de Virginit. c. 1.

Lucerna. Lucerna, quæ à se ipsa jugiter ardeat. S. Helychius serm. 2. de laud. Virg. Lucerna clarissima. S. Ephr. de laud. V. Lucerna septula, & toties ardens donorum septem candelabrum. Lucerna inextinguibilis luminis omnia collustrantis. S. Germanus Arch. or. in beat. dormit.

Lucifera Virgo. S. Ephr. de laud. V.

Lumen. *Lux*. Ave Virgo Mundi lumen. Ave Virgo lux astrorum. S. Bonav. in psalt. min. Quinq. 1. O lux Gentium. S. Ildefonsus ser. 6. de Ass. V. Lux Justorum. Id. ib. Quinq. 3. Ave lux splendidissima. S. Ephr. de laud. V. Splendor, & lux Orientalis. S. Bonav. in Litan.

Luna. Ave tota dealbata Virgo, cui comparata Luna nigra reputatur, Sol cum Stellis obscuratur. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 3.

Magisterium. Virginitas, & vita B. MARIÆ, fuit Magisterium valde eximium probitatis. S. Ildefonsus serm. 3. de Ass. B. V.

Magistra. Doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum. Idiota de Contempl. B. V. c. 3.

Malacia perturbatorum. S. Germanus Patr. orat. in beat. dormit.

Mamillæ parvulorum. S. Bonav. in Litan.

Mansio Divinitatis. S. Ildefonsus de Virginit. V. c. 2.

Mare. Origo fontium, & fluminum, mare: virtutum auctrix, & scientiarum scientia Sanctarum MARIA. MARIA est mare diabolum submergendo. Sanct. Bonav. Spec. B. V. lect. 3.

Margarita. Pretiosissima regni margarita. S. Method. hom. de Purif. B. V.

Martyr. Habuit meritum Martyris, mortem Crucis, cum Filio patiendo. S. Thom. serm. in Ass. B. Virg. MARIA, quia mente passa, plus quàm martyr fuit. S. Hieron. apud S. Bonavent. l. 1. pharetræ cap. 5. Cùm videret Dominum pendentem, etiam plus quàm martyr fuit. S. Ildefonsus serm. 2. de Ass. V.

Mater. *Astitit Regina à dexteris*. Ps. 44. Potest exponi totum hoc de B. Virgine: quia Regina, & Mater Regis est; quæ astat super omnes choros *in vestitu deaurato*, id est, deaurata Divinitate. Non quòd sit DEUS; sed quia est Mater DEI. S. Thom. in psal. 44. Beat. Virgo fuit Sponsa Patris, & Mater Filii, & habitaculum Spiritus sancti; juxta illud: Salve Mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium. Sanct. Thom. serm. 1. de B. V. Est inter Dominicales D. 4. Quadrag. Verè bona MARIA peperit Christum, & in Christo peperit Christianos. Est itaque Mater Christi, Mater Christianorum. Si Mater Christi, Mater Christianorum est; patet profectò, quia fratres sunt Christus, & Christiani. Goffridus serm. 7. de Purif. B. V. Est dulcissima Mater. Idem serm 8. de B. Virg. Est excellentissima, & piissima Mater. Idem ibidem. Mater lucis. S. Hesychius serm. 1. de laud. Virg. Ave Mater Orphanorum. S. Bonavent. in psal. min. Quinq. 1. Novi Mater Adam. Mater pietatis. Idem ibid. Quinq. 3. Si Matrem Gentium dico, præcedis. S. Aug. serm. in Append. 83. Ave Mater humilium. S. Bonav. in laud. B. V.

Mediatrix. Salve Legis, atque gratiæ Mediatrix. S. Germanus Arch. orat. in Nat. V. Ave DEI, & hominum, Mediatrix optima. S. Ephr. de laud. V. Est Mediatrix DEI, & hominum. S. Bonav. in laude B. V.

Medicina. Insanabilium vulnerum meorum medicina. Sanct. Germanus Arch. Encom. in Deip. Mundi medicina. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 1. Ego morbo corruptis medicina. S. Joannes Damasc. or. 2. de Ass. V. Gaude pharmacum, ex omni pectore dolorem propulsans. Idem ibid. Nulla tam gravis est peccati plaga, cujus non sit, si ipsa voluerit, medicina. Goffridus serm. 8. de B. V. Ægrotantibus medicina. S. Joann. Damasc. or. 1. de dormit. V.

Mensa. B. Virgo est mensa propositionis duodecim panium. Duodecim panes sunt duodecim fructus Spiritus Sancti. Gal. 5. S. Bernardus ser. 4. sup. Salve. Divina mensa. S. Germanus Arch. or. in beat. dormit.

Miraculum omnium miraculorum maximè novum. S. Joan. Damasc. orat. 1. de Nat. B. V. Ave præstantissimum universi orbis terræ miraculum. S. Ephr. de laud. B. V.

Mons. Quam montem magnum Daniel vidit; ac montem obumbrantem Abacuc, Montem præterea DEI montem pinguem; montem quoque jucundum: montem inquam, quem DEO inhabitare placuit; quem Propater tuus (David) & Rex, Divino Afflatus spiritu cecinit, &c. S. Andreas orat. de Salut. Angel. Salve mons fumigans. S. Germanus Arch. or. in Nat. B. V. Salve. S. Spiritus mons inumbrate. S. Methodius hom. de Purif. B. V. Ave mons, unde lapis angularis abscissus est sine manibus. S. Chrysippus ser. de S. Deip. Sola tu verè benedicta es; quam montem magnum Vir ille desiderabilis Daniel vidit. S. Andreas Cret. orat. in Salut. Angel. Tu mons ille non incisus. S. Bonav. in psalt. min. Quinq. 3. *Mons DEI, mons pinguis &c.* S. Joan. Damasc. or. de B. V. Potest hujus montis nomine, 1. Reg. 1. Beatissima Virgo MARIA, DEI Genitrix designari. Mons quippe fuit; quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit - *Mons in vertice montium fuit*. Is. 2. quia altitudo MARIÆ super omnes Sanctos refulsit. - Vir igitur de Ramatha Sophim factus est de monte Ephraim: quia qui per Divinitatis suæ potentiam Angelos condidit; de carne præcelso Virginis formam suscepit humanitatis. Sanct. Gregor. lib. 1. cap. 1. in 1. Reg.

Mulier. Hæc est certè illa bona mulier, cujus mentionem Dominus faciebat. Gen. 3. *ponam inimicitias, &c.* Goffridus serm. 3. de Nat. Dom.

Nauta. Ave Virgo nauta Mundo. S. Bonav. in ps. min. Quinquag. 3.

Norma castitatis. Id. ib. Quinq. 1.

Noemi. Ruth. 1. pulchra, & amara, signat MARIAM: pulchram per Spiritus Sancti sanctificationem; amaram verò per Filii sui passionem. S. Bonav. in Spec. B. V. lect. 3.

Nubes. Nubes erat secundùm hæreditatem Evæ; levis erat secundùm Virginitatis integritatem. Levis erat; quæ non homini quærebat placere, sed DEO. S. Ambros. ser. 5. in ps. 118. Ave nubes pluviæ, potum animi Sanctorum exhibentis. Sanct. Chrysippus serm. de S. Deip. Ave nubes pluvialis. S. Bonaventura in psalt. min. Quinq. 2. Hæc verè levis illa nubes, quæ super Seraphim sedentem in corpore suo gestavit. Proclus hom. de Nat. Dom. Nota super illo verbo: *super nubem*; quia est quadruplex nubes. 1. Assumptæ carnis. Job 38. *Ubi eras, cùm ponerem nubem vestimentum ejus &c.* 2. Est virginalis ventris. 3. Reg. 18. *Ecce nubecula parva ascendebat de mari*. 3. Est devotæ mentis Psal. 65. *Magnificentia ejus in nubibus*. 4. Judiciariæ sedis. Ps. 67. *Nubes, & caligo, in circuitu ejus*. S. Thom. in 19. Is. Nota item super illo verbo: *nubem levem*. Quia prima dicitur levis, propter eminentiam dignitatis, Dan. 7. *Ecce in nubibus, &c.* Secunda dicitur levis, propter virginitatis puritatem. Apoc. 14. *Et ecce nubem candidam; & super nubem, sedentem similem Filio hominis*. Tertia dicitur levis, propter obedientiæ velocitatem. Is. 60. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Quarta dicitur levis, propter executionis facilitatem. Eccl. 43. *In magnitudine sua posuit nubes*. S. Thom. in 19. Is.

Obededom. Hujus, 2. Reg. 6. domus fuit MARIA. S. Bonav. in Spec. B. V. c. 14.

Oblectatio. Angelis lætitia, Patriarchis sempiterna oblectatio. Joan. Damasc. or. 1. de dormit. V. Tu, quæ es omnium - lætitia,

titia, ac plena animi oblectatio. S. Germanus Arch. Encom. in Deip.

Obliteratio. Gaude unica mœroris obliteratio. S. Joan. Damasc. or. 1. de Ass. V.

Officina. Hæc unitarum inter se naturarum officina. Proclus hom. de Nat. Dom. Est officina miraculorum, ac fœderum. S. Joan. Damasc. or. 1. de Nat. B. V.

Oliva. Tanquam *Oliva fructifera in domo DEI*. S. Joan. Damasc. or. de Nat. B. V. Floret ut *Oliva speciosa in campis*, & fructificat in domo DEI in æternum. S. Ildefonsus ser. 1. de Ass. B. V. illam perpetuò vernantem, ac pulchrum fructum proferentem, olei spiritualis olivam, terræ penetralibus obrui minimè conveniebat. S. Joan. Damasc. or. 2. de Ass. V. Instar olivæ fructiferæ virtutum omnium domicilium efficitur. Idem Orthod. fid. l. 4. c. 15. Ave Virgo primitiva, Virgo verax ut oliva, quæ Divini germen floris attulisti nostris oris. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 1.

Opus. Opus DEI digitorum. S. Bonav. ib. Quinq. 1. Speciale opus DEI. Idiota in Cant. B. V. c. 4. Opus redemptionis nostræ. S. Ildefonsus de Virginit. B. V. c. 12.

Oratio. Ave pulchra hymnigraphorum omnium oratio. S. Ephr. de laud. V.

Organum. Salve lætitiæ organum. S. Andreas Cret. orat. in Salut. Angel.

Oriens. Ave solis ortus, qui nullum ferre potest occasum. Chrysippus ser. de S. Deip. Quam Exechiel verum solis ortum proclamavit. S. Andreas or. in Salut. Angel.

Palatium. B. Virgo, est DEI palatium. S. Bonav. in ps. B. V. ps. 17. Salve consecratum Regis palatium. S. Andreas Cret. orat. in Salut. Angel. Oportebat priùs palatium parari; atque ita Regem adesse. S. Joannes Damasc. or. 3. de Nat. V.

Palma. Virgo palmæ coæquata, premens arce dignitatis cuncta ligna voluptatis. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 2. Exaltatur ut palma. S. Ildefonsus S. 1. de Ass. V.

Palmes. Ave palmes vitis veræ. S. Bonav. in ps. min. Quinquag. 3.

Panegyris. Hæc salutaris reconciliationis panegyris. Proclus hom. de Nat. V.

Paradisus. Verè paradisus DEI fuit in benedictionibus multiplicium deliciarum spiritualium. S. Bonavent. in Spec. B. V. lect. 5. Tu paradisi janua. S. Bonav. in suo: Te Matrem DEI laudamus. Vividi salutis nostræ ligni paradisus; qui ipsum horti Eden colonum Christum inquam, intrà te habes. Qui fluminis instar vivi uterum tuum egressus, quatuor velut initiis per evangelium suum faciem orbis irrigavit. Sanct. Andreas Cret. orat. de Sal. Angel. Ave paradise deliciarum. S. Ephr. de laud. V. Paradisus immortalitatis. S. Hesychius ser. 2. de laud. Virg. Figurata fuit per paradisum rigatum fluvio voluptatis. Gen. 2. S. Bonav. de laude B. V. Tu cœlestis paradisus. Idem in psalt. min. Quinq. 3. Hæc spiritualis secundi Adam paradisus. Proclus hom. de Nat. Dom. Hodierno die Eden spiritualem novi Adami paradisum suscepit. - Ad hunc paradisum serpens aditum non habuit. S. Joan. Damasc. orat. 2. de dormit. B. V.

Parens. Nobis bonorum omnium causa, & parens extitisti. S. Joan Damasc. or. 1. de dormit. V. Ave omnium parens. S. Ephr. de laud. V. Tu es veræ ipsius vitæ parens. S. Germanus Arch. orat. in beat. dormit. V.

Patrocinium. Tu quæ es omnium patrocinium. Id. Encom. in Deip. Patrocinium inconcussum. Idem orat. in beat. dormit. B. V.

Pelagus. Gaude inexhaustum gaudii pelagus. S. Joann. Damasc. orat. 2. de Ass. B. V. Gratiarum pelagus. S. Joann. Damasc. orat. 1. de Nat. V.

Perfectio. Huc ades perfectio Divinarum ordinationum, ait Zacharias trimulam in templo præsentatam suscipiens, apud S. Germanum Arch. Encom. in Deip.

Perfugium. Hæc DEI para est MARIA Christianorum omnium perfugium. S. Germanus Patr. orat. in Nat. B. V. Ave perfugium in Jerosolymis. S. Ephr. de laud. V.

Petra. Petra durissima contra inimicum. S. Bonavent. in Litan. B. Virgo Figurata fuit in petra, de qua fluxit aqua Mundum reficiens. S. Simeon apud S. Methodium hom. in Purif. B. V. Nota super illo verbo, *de petra deserti*. Quia B. V. dicitur petra. 1. propter gratiæ firmitatem. 2. Propter continentiæ frigiditatem. S. Thom. in Is. 16. 3. Propter fructus ubertatem. Job 39. *Petra fundebat rivos olei*. Id. ib.

Pignus. Saluto te MARIA, dulcissimum Annæ pignus. S. Joann. Damasc. orat. 1. de Nat. V.

Pincerna. Deliciarum DEI dapifera, cœlestis curiæ pincerna. S. Bonaventur. in Litan. stilla nobis guttam suavitatis tuæ: quia tu es pincerna gratiæ dulcoris. S. Bonav in ps. B. V. psal. 55. Non causamur de vino, in quo est luxuria. Illud quærimus, de quo Propheta Zacharias capit. 9. *quod germinat Virgines*. Harum pincerna Tu. - Calix in manu tua vini meri; in manu tua, in potestate tua; vini meri, amoris Divini. Dic pro nobis Filio: *Vinum non habent*. Joann. 2. Calix hujus vini. inebriat, calefacit, acuit; audaces facit & fortes, obliviosos, discretos, somnolentos. Inebriat amor DEI ad contemptum Mundi. &c. Sanct. Bernardus serm. 4. sup. Salve Regina.

Plenitudo. Ingreditur huc, plenitudo meæ Prophetiæ. Zacharias ut antè in *Perfugio*.

Pons. Tu vitæ pons. S. Joann. Damasc. de Ass. V. orat. 2. Hæc sola pons est, per quam DEUS ad homines descendit. Proclus hom. de Nat. Dom.

Porta. Porta in domo Domini clausa, Virgo est Maria, semper intacta. S. Ildefonsus serm. 6. de Ass. Virg. Hodierno die ad Orientem porta extructa est; per quam Christus ingredietur. S. Joann. Damasc. orat. 1. de Nativ. V. Beat. Virgo est vitæ porta. S. Joann. Damasc. orat. de Nativ. Virg. Porta. Ezech. 44. Idem orat. 1. de dormit. V. En (Portam, Ezech. 44.) evidens demonstratio Sacræ Deiparæ Virginis Mariæ. Proclus hom. de Nativ. Dom. Porta domus Dei. S. Ildefonsus de Virginit B. Virg. capit. 2. Hodie hortus conclusus ex illa porta præcessit; & in illam, & per illam fons manavit signatus; de quo Propheta dicit Ezech. 44. *est Porta, &c.* Hæc porta templi, & templum Domini est Maria beatissima, & incomparabilis Virgo. Goffridus serm. 4. de Nativ. Dom. Stella maris, cœli porta; ex qua Mundo lux est orta. Idem Opuscul. 17. Alius te appellavit portam clausam in oriente sitam. Sanct. Hesychius serm. 2. de laud. Virg. Ave porta clausa soli Regi aperta. Chrysippus serm. de B. M. D. Ave Porta cælorum. S. Ephr. de laud. Virg. Paradisi porta pervia. S. Bonaventur. in Litan. Porta in domo DEI clausa. S. August. serm. 83. in Append. Hæc porta clausa. Ezech. 44., ut Solis radius intrat innoxius fenestram vitream; sic Dei Filius, immò subtiliùs, aulam virgineam. S Bonavent. in ps. 71. Quæ est illa porta Sanctuarii? Ezech. 44. Nonne est hæc porta Moria? per quam in hunc Mundum Redemptor intravit. S. Ambr. l. 2. Comment. in Evang. S. Lucæ.

Portus. Portus tempestate jactatorum. S. Germanus Arch. orat. in beat. dormit. Tu Portus naufragantium tutissimus. S. Ephr. de laud. V. Tempestate jactatis portus. S. Joann. Damasc. orat. 1. de dormit. V.

Possessio Dei. S. Ildefonsus de Virginit. B. V. c. 2.

Potentia. Debilitatis meæ potentia. S. Germanus Arch. Encom. in Deip.

Præcentrix. Lætabitur B. V. Maria, præcentrix in choro cœlesti. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 15.

Præconium Apostolorum. S. Ephr. de laud. V.

Prædium patens. Id. ib.

Præses. O Virgo intemerata, & pia auxiliatrix. idem: ibid.

Præsidium. Dulce conversorum solamen, atque præsidium. S. Ephr. de laud. V. Omnium Christianorum firmum præsidium. S. Bonav. in Litan.

Pratum. Ave, quæ es pratum totius fragrantiæ. S. Spiritus S. Chrysippus serm. de S. Deip.

Pretium. Tu es pretium pretiorum; Tu præmium præmiorum. S. Germanus Arch. Encom. in Deip.

Primipila. Tu fuisti - Virginitatis primipila. Idiota in Contempl. c. 6.

Primitiva Virginum. S. Bonav. in Spec. B. V. lect. 2. Ave Virgo primitiva. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 2.

Princeps omnium prudentissima, ac sagacissima, & lucifera Virgo. S. Ephr. de laud. V.

Principium. Gaude gaudii principium, & execrationis terminus. S. Germanus Arch. orat. in Nativ. V. Tu festi nostri (Purific.) principium; Tu medium; Tu finis. S. Methodius hom. de Purif. V.

Procuratrix publica omnium bonorum. S. Germanus Arch. or. in beat. dormit.

Promptuarium. Est latum omnia complectentis, ac solius Deitatis promptuarium. Sanct. Joannes Damasc. orat. 2. de Ass. Virg.

Prophetissa. Est Regina, & Prophetissa. S. Germanus Arch. orat. in S. Nativ. Prophetissa. Is. 8. S. Germanus Patr. orat. in Nativ. Virg. Quam Isajas Prophetissam, & Virginem nuncupavit. S. Andreas Cret. orat. in Salut. Angelic. Audite, quæso, Matrem prophetissam Dei. (*Beata me dicent omnes generationes*) Prophetissam dico; immò, ut ita dicam, Evangelistam. S. Ildefonsus serm. 2. de Ass. V. Prophetissa B. Virgo est, quia prophetavit dicens: *Magnificat anima mea Dominum*. S. Thom. in 8. Is.

Protectio firma. S. Germanus Arch. orat. in beat. dormit.

Quies Dei. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 2.

Radius. Candidior Solis radiis. S. Ephr. de laud. V.

Radix. Radix Jesse. S. Germanus Arch. Encom. in Deip. Radix nominatur. Is. 11. S. Germanus Patr. orat. in Nativ. V. Radix floris speciosissimi. S. Methodius hom. de Purif. V. Ave Radix omnium bonorum. Chrysippus serm. de S. Deip.

Reconciliatio. Alienatorum reconciliatio. S. Germanus Arch. in beat. dormit. Ave totius terrarum orbis Conciliatrix efficacissima. S. Ephr. de laud. V. Salve Divina cum hominibus reconciliatio. Sanct. Andreas Cret. in Salut. Angelic. Te laborum requiem, ac sudorum refrigerium habemus. S. Joan. Damasc. orat. 2. de Ass. V.

Refugium. Refugium peccatoris. Goffridus Opusc. 7. Hæc post Filium suum est præcipuum refugium peccatoribus, quò post lapsum fugiant; consilium; ut pœniteant; auxilium, ut convertantur, nè pereant. Idem serm. 7. de Purif. Ave peccatorum refugium, atque diversorium. S. Ephrem de laud. Virg. Refugium singulare. S. Bonavent. in laud. B. M. V.

Regina, Regina omnium - Domina nostra gloriosissima. S. Ephr. de laud. V. Virtutum cœli Regina. S. Bonaventur. in Litan. Qualis venerationis cultus à nobis, qui minimi sumus, tibi debetur? Tibi, inquam, quæ verè Regina es. S. Methodius hom. in Purif. Virg. Tu Regina Reginarum. S. Bonaventur. in psalt. min. Quinq. 2. Est universalis Regina Angelorum, & hominum. Goffridus serm. 1. de Nat. Dom. *Astitit Regina à dextris*. Ps. 44. Potest exponi totum hoc, &c. Vide superiùs hic *Mater*. Est cœlorum Regina. S. Ildefonsus serm. 7. de Ass. V. Regina totius extitit castitatis. S. Vinc. Ferr. serm. 143.

Renovatio rerum antiquarum. S. Germanus Arch. Encom. in Deip.

Reparatio. Prima primi lapsus primiorum parentum reparatio. S. Germanus Patr. orat. in Nativ. B. V. Reparatrix perditorum. S. Bonaventur. in ps. min. Quinq. 2. Perditæ gratiæ reparatrix. Idiota Contempl. B. V. Reparatio vitæ. S. Ildefonsus serm. 1. de Ass. V. serm. 4. ibid.

Requies laborantibus. S. Joan. Damasc. 1. de dormit. V.

Restauratio calamitatum mearum. S. Germanus Arch. Encom. in DEIP.

Rivulus. Crastina die ex rivulo suo fluvius magnus orietur; & fructus apparebit optimus. S. August. ad fratres in eremo serm. 19. de Vigil. Nat. Dom.

Ros. Sola æstus in me existentis Divinus ros. S. Germanus Arch. Encom. in DEIP.

Rosa. Rosa Veris speciosa. S. Bonavent. in Litan. Ave Rosa speciosa. Idem in laude B. V. O Rosa! quæ ex spinis, hoc est; Judæis orta es; ac Divina fragrantia cuncta perfudisti. S. Joan. Damasc. or. 1. de Nat. V.

Rubus. Rubus ardens, Exod., est MARIA. Sicut enim rubus arsit sine combustione; ita Virgo peperit sine corruptione. S. Bonaventur. serm. 1. in Circumc. Dom. Quid rubus ille quondam Mosaicus prætendebat? flammas quidem mittens, sed non ardens; nisi MARIAM parientem. S. Bernardus serm. 4. sup. Salve. Magna planè visio, rubus ardens sine combustione: magnum signum, mulier illæsa manens amicta Sole - Non est virtutis humanæ: sublimior quædam necessaria est. - *Spiritus Sanctus superveniet in Te, &c.* Nihil itaque mirum; si sub tali umbraculo talis etiam sustineatur amictus. S. Bernardus ser. 1. in Nat. B. V. B. Virgo est rubus Moysis. S. Joannes Damas. orat. 1. de Nat. B. V. Hæc animatæ naturæ rubus; quem Divini partus ignis non combussit. Proculus hom. de Nat. Dom. Ave, quæ es rubus ardens, igne speciali nusquam tam adureris. Chrysippus serm. de S. DEIP. Figurata fuit rubum ardentem. S. Bonavent. de laude Beat. Virg.

Ruth. B. Virgo est Ruth; Booz Christus: *messores sunt* Doctores, & Rectores. - Quid sunt messores, nisi Doctores, & Rectores? ò verè magna MARIÆ gratia: quàm multi ex eis ad misericordiam colliguntur; qui à Doctoribus, & Rectoribus, tanquam incorrigibiles relinquuntur. S. Bonavent. in Spec. B. V. lect. 5.

Saba Regina. Considera in his verbis (*Regina Saba ingressa est Jerusalem cum comitatu multo &c.* Reg. 10.) gloriam ingredientis Mariæ in cœlo. S. Bonav. in Spec. B. V. lect. 13.

Sacerdos. Repræsentat DEI-parum Sacerdos. Corn. à Lap. in 5. Matth.

Sacrarium. Gaude Sacrarium gentium. S. Germanus Arch. or. in Nat. V. Sacrarium Spiritus Sancti. S. Thom. Opusc. 11. sup. Salut. Angel. Et S. Ildefonsus de Viginitat. B. V. cap. 2. Benedicta sis ò Sacrarium Christi. S. Bonavent. in psalt. B. V. ps. 125.

Salus. Gaude inexpectata salus. S. Germanus Arch. or. in Nat. V. Salus perennis. Idem ibid. Tu omnium. S. Ephr. de laud. V. Salus Mundi. Id. ibid. Vera salus, & beatitudo. S. Bonav. in Litan. Salus orbis. S. Bonav. in psalt. min. Quinq. 1. Totius Mundi salvatio. S. Ildefonsus serm. 7. de Ass. Virg.

Sanctificatio rebus omnibus. S. Joann. Damascenus orat. 1. de dormit. V.

Scala. Præsignata est per scalam Jacob. S. Joan. Damasc. or. 1. de dormit. V. Est scala viva. Idem orat. 1. de Nat. V. Cœli scala. Id. orat. 2. de Ass. Virg. Ave scala cœlum tangens. S. Bonavent. in psalt. min. Quinq. 1. Facta est certè humilitas Mariæ scala cœlestis; per quam Deus descendit ad terras: *quia respixit humilitatem ancillæ suæ*. S. Aug. serm. in Appendice 83. Ave porta cœlorum, & scala, ascensusque omnium. S. Ephr. de laud. V. Facta est Maria scala cœlestis. S. Aug. in Append. serm. 83. Salve vera scala Jacob. S. Germanus Arch. orat. de Nat. V. Scala cœlica, per quam patet ascensus ad æterna, est Maria. Gen. 28. Sanct. Bonav. Eccl. hier. p. 4. c. 7. Filioli mei! hæc peccatorum scala; hæc mea maxima fiducia; hæc tota ratio spei meæ. S. Bernardus ser. 2. in Nat. V.

Sceptrum David. S. Germanus Arch. ibid. Regni Sceptrum. S. Germanus Patr. orat. in Nat. V.

Schema clarum David. S. Bonav. in psalt. min. Quinq. 2.

Sedes Spiritus Sancti. S. Hieronymus contra Helvid. apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth.

Sigillum veteris, novique Testamenti. S. Germanus or. in Nat. V.

Sol. Origo fontium, & fluminum, mare; virtutum auctrix, & scientia scientiarum Sanctarum, Maria. Quia sicut Sol universa cœli lumina præcellit prærogativa claritatis eximiæ; sic ipsa totam rationalem creaturam post Filium præcellit splendore virtutis, & scientiæ. S. Bernardus serm. 1. sup. Salve. Sol. Ps. 36. S. Germanus Patr. or. in Nat. V. Es Sole speciosior; & emissione gratiarum fœcundior. Idiota de Contempl. cap. 3. Hodie præcessit electa de terris ad cœlum, electa ut Sol. S. Ildefonsus serm. 1. de Ass. V. B. Virgo clarior Sole refulsit in throno claritatis. Idem serm. 2 de Ass. V. Inter choros Virginum sicut Sol fulgens. Idem serm. 6. de Ass. V. Corpus suum posuit in Sole, id est, in beata Virgine; quæ nullam habuit obscuritatem peccati. Cant. 4. *Tota pulchra es, &c.* S. Thom. in ps. 18.

Solium. Tus es solium regium. S. Joannes Damasc. or. 1. de Dormit.

Stella. Stella ista, Num. 24. est Virgo Maria, propter refulgentiam virtutum, gratiarum. S. Bonav. serm. 1. in Pascha Stella est Maria. Num. 24. cujus radius est Christus Dominus; qui ibi dicitur virga. S. Bonav. in Spec. lect. 3. Sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium; sic absque sui læsione Virgo parturit filium. - Illa est igitur nobilis illa Stella Jacob; cujus radius universum illuminat. S. Bernardus hom. 2. sup. *Missus*. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat Mundum; ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris Stellam - quid? nisi caligo involvens, ac umbra mortis, ac densissimæ tenebræ, relinquuntur. Sanct. Bernardus serm. 2. in Nat. B. V. Ave Stella fulgidissima. S. Ephr. de laud. V. Stella lucis matutinæ. S. Bonav. in psalt. min. Quinq. 2. Maris Stella. Idem ibid. Quinq. 3. Stella solemes enixa. Idem ibid. Iste cognominat Eam Matrem lucis; ille Stellam vitæ. S. Hesychius serm. de laud. V. Stella maris, cœli porta; ex qua Mundo lux est orta. Goffridus Opusc. 7. Sicut radius ex Stella procedit, sic Dei Filius processit ex Maria. Nec Stella radio prodeunte corrumpitur; nec beata Mater Filio nascente violatur. Id. serm. 8. de B. V. Hodie de splendida Stella radius ad tenebras processit. Idem serm. 2. de Nat. Dom. *Hodie pro salute nostra natus est - Sol de Stella*. Idem serm. 3. de ead. Ipsa Stella maris, quam hodie cœlum suis recepit sedibus, appellatur. S. Ildefonsus serm. 1. de Ass. V.

Tabernaculum. Aureum tabernaculum. S. Germanus Patr. orat. in Nat. B. V. Salve non manufactum tabernaculum, atque à Deo conditum. Idem ibid. Tabernaculum ab omni sorde liberum. Chrysippus serm. de Deip. Solis gloriæ cœleste tabernaculum. S. Andreas Cret. in Salut. Angel. Est Divinum, ac beatissimum tabernaculum. S. Joan. Damasc. orat. 2. de Ass. V. Tabernaculum gloriæ. S. Ildefonsus serm. 7. de Ass. V. Gloriæ Domini tabernaculum. Id. or. 1. de Nat. V. Tabernaculum Abrahæ Te aptissimè indicabat. Id. orat. 1. de dormit. V. Est Deo dignum tabernaculum. Id. or. 2. de Ass. V.

Tabulæ. Te tabulæ Divinitus præscriptæ - apertè præfigurarunt. Idem orat. 1. de dormit. V. Tabula scriptam Legem mortalibus adferens. S. Ephr. de laud. V.

Tela. Hæc admirandæ illius œconomiæ tela, in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius unionis tunica confecta est. Cujus quidem textor extitit Spiritus Sanctus; nectrix virtus ex alto obumbrans: lana vetusta, Adami pellis; trames impolluta Virginis caro; radius textorius, immensa gestantis gratia; Artifex, Verbum per auditum illapsum. Proclus hom. de Nat. Domini.

Templum. Quod in principio erat apud Deum, Verbum Deus, intrà se Virgo reperit; & factum est magnum Deitatis templum, quæ erat pusillum Humanitatis hospitium S. Chrysol. serm. 144. Animatum Domini templum. S. Germanus Arch. in Deip. Est templum Sponsi universæ Ecclesiæ. Id. orat. in Nat. V. Hæc est Dei templum. S. Aug. in Append. serm. 83. Ascendit in templum templo ipso sublimior. S. Methodius hom. in Purif. V. Templum incorruptum. S. Hesychius serm. 2. de laud. V. Solemne Dei templum. S. Bonav. in ps. min. Quinq. 1. Ipsa est templum Dei mirabile præ omnibus Sanctis. S. Thom. serm. 1. in Purif. B. V. Mater Virgo Templum Christi fuit. S. Gregor. Naz. ad Nemesium. Templum majus cœlo. S. Hesychius serm. 1. de laud. V. Templum Dei est ipsa excellentia suæ Sanctitatis. S. Thom. in ps.

17. Templum ſingulariter unicum factoris ſui. S. Iſdefonſus de laud. V. cap. 10. O templum! in quo Deus naturam non demutans, ſed eum, qui eſt Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech induens, noſtri miſericordia Verbum Caro factum eſt. Proclus hom. de Nativ. Dom. Templum cœleſte. S. Ildefonſus ſerm. 7. de Aſſ. V. O Virgo! templum DEI Sanctum; quod ille pacis Princeps Salomon ſpiritualiter conſtruxit, & habitavit. S. Joan. Damaſc. or. 1. de Nat. Virg.

Terminus. Gaude gaudii principium, & execrationis terminus. S. Germanus Arch. orat. in Nat. V.

Terra. Salve Sancta, virginalis tellus, ex qua novus Adam ineffabili fictione formatus eſt, qui veterem ſaluti reſtitueret. Terra fructuoſa. S. Bonav. in pſalt. min. Quinq. 2. Terra Mater Virgo Domini Maria rectiſſimè accipitur; de qua ſcriptum eſt: *aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Quam terram irrigavit Spiritus Sanctus; qui fontis, & aquæ nomine in Evangelio ſignificatur. S. Iſidorus in Gen. cap. 3. B. Virgo eſt terra, quæ germinat uvam non plantatam, vinum ſine vite, & fluvium ſine fonte. S. Heſychius ſerm. de laud. V. Illa *terra* ſanctiſſima *dedit fructum ſuum*, Virgo vides licet Maria. Goffridus ſerm. 4. de Nat. D. *Aſcendet ſicut virgultum, & ſicut radix de terra ſitienti*, id eſt, de terra ſine humore; quæ præ ſiccitate indecora videtur. Sic etiam ipſe ortus eſt de matre abſque virili humore. S. Thom. in 53. Iſ. Hæc ſola terra fide aperta, non corruptione, germinare potuit Salvatorem. S. Hildefonſus de Virginit. V. cap. 2. Hæc terra eſt, de qua veritas orta. Idem ibid.

Thalamus. Thalamus nuptialis. S. Germanus Arch. orat. in dormit. Thalamus ſolus dignus, & Sanctum Sanctorum geſtaret in terra. Chryſippus ſerm. de S. Deipar. Hæc thalamus; in quo Verbum humanam animam ſibi deſponſavit Proclus hom. de Nat. Dom. Nativitas deſignatur, cùm dicitur; ipſe *tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo*. Thalamus, uterus virginalis eſt. De hac ſicut Sponſus proceſſit: quia in ea unione perpetua deſponſavit humanam naturam. S. Thomas in pſal. 18. Hæc in pſalt. 18. thalamus Dei eſt. Sanctus Ildefonſus de Virginit. Beat. Virginis capit. 2. Ipſa facta eſt DEI thronus, & thalamus. Idem ſerm. 2. de Aſſ. V. O admirabilem thalamum, de quo ſpecioſus forma prodiit Sponſus. Sanct. Ildefonus ſerm. 7. de Aſſ. V. Tota Spiritus thalamus es. S. Joannes Damaſc. orat. 1. de Nativ. V. Verbum eſt Sponſus; & Sponſa, Caro humana: & utramque Filius DEI, & idem Filius hominis. Ille uterus Virginis Mariæ, thalamus ejus eſt; unde proceſſit *tanquam Sponſus de thalamo ſuo*. S. Aug. tr. 8. in Joannem apud S. Thom. in Cat. ſup. 2. Joannis. Sciebat DEI Genitrix in arcem Divinæ contemplationis aſſumpta, proceſſurum de ſe Dominum, tanquam de thalamo ſuo Sponſum. S. Ildefonſus ſerm. 5. de Aſſ. V.

Theſaurus. Theſaurus voluptatum. Sanct. Germanus Arch. orat. in Beat. dormit. *Salve amoris DEI Patris theſaure*. Sanct Methodius ſerm. de Purific. V. Theſauraria gratiarum. Idiota in Contempl. cap. 1. Veni ad nos, ò Divine, & vitam ferens, theſaure. Sanct. Joannes Damaſc. orat. 2. de Aſſ. V. Ubi inexhauſtæ opes? ubi pretioſus ille theſaurus, qui vitam ſuſcepit? Idem ibidem. Hæc illibatæ Virginitatis purus ille theſaurus, decuſque, & ornamentum. Proclus hom. de Nat. Dom. Bonum theſaurum (Anna) Mundo peperit. S. Ioannes Damaſc. orat. 1. de Nat. V. Virginitatis theſaurum produxiſtis. (Joach. & Anna) Idem ibidem. Sanctitatis theſaurus eſt. Id. orat. 1. de dormit. V. Eſt verè Sapientiæ theſaurus. Idem ibid. Inexhauſtus ipſiuſmet vitæ theſaurus. Idem ibid.

Thronus. Thronus Salomonis eſt Maria: grandis omnino in gratia, & gloria. S. Bonavent. in Spec. B. V. lect. 2. B. Virgo, eſt thronus, *ſicut ſol; & ſicut Luna perfecta in æternum*. Pſal. 88. Idem ibidem lect. 3. B. Virgo concipiens, fuit thronus eburneus Salomonis. 3. Reg. 10. Eburneus: ſiquidem in Virginitate ſua plena permanſit; ſicut ebur plenum eſt, & nunquam poroſum eſt. S. Bonaventur. hier. Eccl. part. 4. cap. 7. Thronus. Iſ. 6. S. Germanus Patr. orat. in Nativ. Virgin. Thronus Cherubicus, igneus, ac ſublimis; Regem Dominum exercituum in ſinu geſtans. Idem ibidem. Ave Throne Creatoris noſtri glorioſiſſime. S. Ephr. Ecce tanquam Thronus ſublimis, atque elevatus, ob gloriam illius, qui ipſum fabricavit, virgo Mater Regi Domino Sabaoth palam inſtruitur. S. Methodius hom. de Purific. Virg. Thronus verè Regius, Thronus glorioſus, Thronus ſanctus, Thronus ſolus dignus, qui Sanctum Sanctorum geſtaret in terra. Chryſippus ſermon. de S. Dei-para. Thronus Salomonis. S. Bonavent. in pſalt. min. Quinq. 2. Ipſa facta eſt Dei Thronus, & thalamus. S. Ildefonſus ſ. 4. de Aſſ. V.

Thuribulum aureum. S. Ephr. de laud. V.

Triclinium. Deitatis triclinium. S. Bonaventur. de laud. V. Totius Trinitatis nobile triclinium. S. Thom. Opuſc. 11. ſup. Salutat. Angelic. B. Virgo fuit Sponſa Patris, & Mater Filii, & habitaculum Spiritus Sancti; juxta illud: Salve Mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium. Idem ſerm. 1. de B. V. Eſt inter Dom. D. 4. Quadr.

Turris. Turris noſtræ ſpei. S. Bonavent. pſal. min. Quinq. 2. Eſto nobis Domina Turris fortitudinis, & petra duriſſima, contra inimicum. S. Bonaventur. in Litan. Valida auxilii turris. S. Germanus Arch. orat. in Beat. Deipar. Tu Domina naſus es ſpecioſus; ad quam dicit Sponſus, Cant. 7. *Naſus tuus ſicut turris Libani*. Naſus habet duo foramina, per quem ſpiritum à capite emittit. Ita tu Domina Virginitate, & humilitate tua de cœlo eduxiſti Filium Dei. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus*. Thren. 4. Turris es Libani. Libanus mons, qui dicitur *dealbatio*, albam præ omnibus ſignat innocentiam tuam. Innocens fuiſti ab originalibus, & ab actualibus peccatis. S. Bernardus ſer. 4. ſup. Salve.

Tympaniſtria. Audite, quomodo tympaniſtria noſtra cantaverit, Ait enim: *Magnificat anima mea Dominum*. &c. S. Aug. ſer. 18. de Annunt. V. Tunc (in cœlo) Maria tympanum pinum ſumens choros Virginales excitabit, cantantes Domino: quòd per mare ſæculi ſine ſæcularibus fluctibus tranſierunt. Exod. 15. S. Amb. l. 1. de Virginib.

Vallis. Ave vallis fidelium. S. Ephrem de laud. V. Vallis quantò humilior, tantò eſt receptibilior aquarum: ſic & Maria gratiarum. Vallis autem irrigationes aquarum recipit, quandoque à ſuperiore (monte) quandoque ab inferiori (fonte.) Similiter humilis Maria. S. Bonavent. Spec. B. Virg. lect. 15.

Vallum undique munitum. Sanctus Germanus Arch. orat. in Beat. dormit.

Vas. 4. Reg. 2. Civitas Jericho eſt Mundus; in qua terra non fructificabat: quia homines per bona opera, quæ faciebant, non ibant ad paradiſum ante Paſſionem Chriſti. Sed fecit Deus remedium: nam fecit afferri novum vas, ſcilicet uterum Virginis Mariæ, quòd dicitur novum: quia in ea nullum unquam fuit peccatum, ut dicit Auguſtinus, quod non fuerat à ſæculo auditum. S. Vinc. Ferr. ſerm. 4. de Aqua benedicta. Ave præclarum, & electum vas Dei. S. Ephr. de laud. Virgin. Vas unguenti. S. Bonaventur. in pſal. min. Quinq. 3. Fuiſti vas innocentiæ puriſſimæ ſine macula, & labe. Idiota de Contempl. cap. 6. Hæc fœmina ſanctificationis vas eſt. S. Ildefonſus de Virginit. B. V. c. 10.

Vellus. *Deſcendit ſicut pluvia in vellus*. Vellus cùm ſit de corpore, neſcit corporis paſſionis: ſic Virginitas, cùm ſit in carne, vitia carnis ignorat. S. Chryſol. ſerm. 143. Hæc vellus eſt Gedeonis. S. Germanus Patr. orat. in Nat. Virg. Vellus impercitibilis illius roris. S. Methodius hom. in Purific. Virg. Ave Virgo, vellus roris. S. Bonaventur. in pſalt. min. Quinqu. 2. Beata Virgo velleri comparatur. Quia ſicut de vellere fiunt veſtes; ita Caro Chriſti facta eſt de Carne Virginis, quaſi veſtis ejus. Unde Philipp. 2. *Habitu inventus ut homo*. Sanct Bonaventura in pſalt. 71. Rectè Maria velleri comparatur; de cujus fructu ſalutaria populis veſtimenta texuntur. Vellus planè Maria eſt: ſiquidem de molli ſinu ejus Agnus egreſſus eſt; qui & ipſe Matris lanicium geſtans, hoc eſt, Carnem, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum S. Ambroſius ſer. 13. in Nativ. Domin. Vellus Gedeonis eſt Humanitas Chriſti ſumpta de Virgine Maria ove, ſine vulnere carnis Virgineæ detonſum. In hoc illabitur pluvia Divinitatis primò; dein ex hac pluvia Divinitatis exprimitur, & madefit tota area, Humana natura, per prædicationem. De hoc dicitur Pſal. 71. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*: quia Chriſtus ſine ſtrepitu humanæ operationis factus eſt homo. Et *ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*. Quia Chriſtus per prædicationem, per ſtrepitum verborum, ac ſonitum, miraculorum, nobis innotuit. S. Bernardus hom. 2. ſup. Miſſus. Vellus eſt medium inter rorem, & aream. Iudic. 6. Idem ſerm. in Nativ. Beat. Virg. Cœleſti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus, pretium univerſum contulit in Mariam. Idem ſerm. 2. in Nat. B. V.

Vena. In temporalibus vena illa Maria plus quàm larga fuit; quia largè, & perfectè, omnia contempſit. Idem ibidem. Ave Virgo vena munda, per Te vivi fontis unda mihi ſemper irroretur; quo cor meum ebrietur. S Bonavent. in pſ. min. Quinq. 1.

Veſpere, & manè. Et factum eſt veſpere, & manè dies unus Veſper dicitur finis diei: ecce Joſeph antiquus. Et manè Virgo MARIA juvenis annorum quatuordecim. Dies unus per deſponſationem. S. Vinc. Ferr. ſerm. 2. de Nat. V.

Veſtimentum. Nuditatis meæ veſtimentum. S. Germanus Arch. Encom. in S. Dei-para. Hæc purpurea David veſtis. S. Germanus Patr. orat. in Nativ. Virg. Veſtis abſque macula ejus, qui induit lumen ſicut veſtimentum. S. Methodius hom. de Purif. V.

Via. Ave Virgo vitæ via. S. Bonavent. in pſalt. min Quinqu. 1. Via Chriſti eſt Virgo beata. Pſal. 76. *In mari via tua*. Hæc eſt impolluta. S. Thom. in pſ. 17. Via, per quam venit Chriſtus, eſt Virgo MARIA. S. Vincent. Ferr. ſerm. 2. D. 2. Adv.

Vinea. Vinea uberrima ex Anna pullulavit; atque uvam ſuaviſſimam protulit, nectar mortalibus fundentem, in vitam æternam. S. Joannes Damaſc. orat. in Nativ. Virg. Illam minimè rigatam uvæ immortalitatis vineam - terræ penetralibus obrui minimè conveniebat. Idem orat. 2. de Aſſ. V.

Virga. *Virgula*. Eſt virga virtutis. Pſ. 109. contra diabolos. S. Bonavent. in Spec. V. lect. 3. Ipſa eſt Virga Aaron florida per Virginitatem, & fructifera per fæcunditatem. Idem ibidem. Quid, rogo, virga Aaron florida, nec humectata, niſi ipſam concipientem? Sanct. Bernardus hom. 20. ſup. Miſſus. Hodie de radice Jeſſe virga orta eſt: ex qua Mundo flos Divinitus exiſtens aſcendet. Sanct. Joannes Damaſc. de Nativ. Virg. orat. 1. Matrem Domini ſignificat virga Aaron: quia Maria ſine humano coitu Deum generavit. Sanct. Iſidorus c. 41. in Exod. Ipſa eſt virga de radice Jeſſe - de cujus rurſum radice flos aſcendit Chriſtus. S. Ildefonſus ſerm. 1. de Aſſ. Virg. Virga iſta, ſacra eſt Virgo Maria; quæ neque ſata, neque radicata, tertio die, hoc eſt, tertio ſæculi tempore. S. Spiritu eſt fæcundata; nobiſque Deum hominem genuit, & hominem, Chriſtum. Idem ſerm. 6. de Aſſ. Virg. Alii virgam hanc. Num. 17. quæ ſine humore florem protulit, Mariam Virginem putant. Sanct. Iſidorus cap. 15. in Num. Tu es, de qua dicitur: *Egredietur virga de radice Jeſſe*. Idiota de Con. V. cap. 3. Eſt *virga directionis*, *virga fumi*. S. Thom. ſerm. 1. in Annunt. Virginis Figurata fuit per virgam Aaron, quæ habuit fructum præter opus naturæ. S. Bonav. de laud. V. Virgam Jeſſe ſemper virentem; quæ cuncto generi humano vitam pro fructu attulit, ſemper prædicare convenit. Chryſippus ſerm. de S. Deip. Virga Sacroſancta. S. Germanus Arch. orat. in Nat. V.

Viſio. Accedite, & videte viſionem magnam cum Moyſe, quam vidit in rubo. S. Ildefonſus ſer. 1. de Aſſ. V.

Umbraculum. Placitum Dei umbraculum. S. Bonav. in Lit.

Urna. Ex Auro confecta urna. S. Germanus Arch. orat. in Nativ. V. Pulcherrima urna, cœli manna geſtans. S. Ephrem de laud. V. Salve urna aurea; quæ eum fers, qui dulce manna reddit; ac mel à petra ingrato Iſraeli elicuit. S. Andreas Cret. or. in ſalut. Angel.

TITULUS VII.

VIRGO. VIRGINITAS.

Albedo. Quid albedo, niſi caſtitas integra? Regula Ordinis Equitum Templariorum.

Amica Dei. O continentia! amica Dei, & apud Sanctos laudata. S. Athanaſ. Alex. l. de Virginit.

Angelica Vita. Angelorum vitam elegiſti, in eorum Ordinem te aggregaſti. Id. orat. 36. Virginitas Angelorum munus eſt, ac peculiaris omnis incorporeæ naturæ nota. S. Joan. Damaſc. orthod. fid. l. 4. c. 25. Nota: vita caſta dicitur vita *cælebs*, quaſi *cæleſtis*: quia in carne vivere præter carnem, eſt vita cœleſtis, & Angelica. S. Thom. in l. 2. Conſ. Phil. Proſ. 4.

Anima Sancta. Saluto te animam Sanctam. S. Dionyſ. Areop. ep. 10. ad Jo. Ev. Animam Sanctam vocat, ait Corderius Annot. ſup. ep. ob prærogativam Virginitatis.

Apis. Digna Virginitas, quæ apibus comparetur: ſic laborioſa, ſic pudica, ſic continens. Rore paſcitur apis, neſcit concubitus, mella componit. Ros quoque Virgini eſt ſermo Divinus - partus Virginis, fœtus laborum, expers amaritudinis, fertilis ſuavitatis. S. Ambr. l. 1. de Virginib.

Auriga. Donum optimum eſt Virginitas, curru ipſum ad cœlos cum Elias evehens. S. Ephr. paræneſi 1.

Aurum. Virginitas aurum. S. Adhelmus Saxonum Occidentalium Ep. Libello de Virginitate. Aurum: quia per ignem Divinum purior evadit. Sanct. Ambroſius lib. 1. de Virginibus.

Author Virginitatis. Ejus authorem quem poſſumus exiſtimare, niſi immaculatum Dei Filium? S. Ambr. ib.

Bethula. *Virgo* Hebraicè Bethula appellatur. S. Hieron. apud S. Thom. in Cat. ſup. 1. Matth.

Byſſus. Per byſſum immaculatæ carnis corruptio demonſtratur. S. Iſidorus c. 48. in Exod.

Cœlum. Dicuntur Virgines cœlum propter ſtatus ſublimitatem, & meritorum claritatem. S. Thom. in 14. Apoc.

Cœli incola. Si ibi patria, ubi genitale domicilium: in cœlo profectò eſt patria caſtitatis: itaque hic advena, ibi incola eſt. S. Ambr. l. 1. de Virginib.

Columba. Virgo eſt columba; accipitres ſunt proci. S. Ambroſ. l. 2. de Virginib.

Corona. O Virginitas: Corona immarceſſibilis. S. Athanaſius Alex. l. de Virginit. Floret Eccleſia tot Virginibus coronata. S. Cyprianus ep. ad Antonianum de Cornel. & Novat. ep. 52. Ubi integritas, ubi caſtitas - illic Confeſſorum violæ, lilia Virginum, roſæ Martyrum ſunt. S. Ambroſ. in Luc. lib. 7.

Divitiæ. O Virginitas: divitiæ incomprehenſibiles. S. Athanaſius Alex. l. de Virginit.

R. P. Andreæ Spanner.

Domicilium Spiritus Sancti. Id. ib.

Donum, ſacrilegas manus non metuens. S. Greg. Naz. l. or. 29. in laudem Cypriani. Donum optimum Monachi, eſt Virginitas. S. Ephr. paræn. 1. Virgo, Dei donum eſt, munus parentum, Sacerdotium caſtitatis. S. Amb. l. 1. de Virginib.

Flos eſt (Virginitas) Eccleſiaſtici germinis. S. Cyprianus de Diſcipl. & habitu Virgin.

Fons obſignatus. S. Greg. Nazian. orat. 29. in laudem Cypriani.

Gaudium. Prophetarum, & Apoſtolorum gloria. S. Greg. Naz. lib. Cygneor. carmin.

Honor corporum, eſt Virginitas. Sanct. Zeno ſerm. de Pudicitia.

Hortus clauſus. Id. or. 29. in laud. Cypriani. *Hortus clauſus, Soror mea, Sponſa, Fons ſignatus*. Cant. 4. Chriſtus hoc dicit ad Eccleſiam; quam vult eſſe Virginem ſine macula, ſine ruga. Bonus hortus Virginitas, &c. S. Ambroſius lib. 10. Ep. 82. Bonus hortus Virginitas; plurimos boni ferat fructus odoris. Hortus clauſus: quia undique vallata eſt muro caſtitatis. Fons ſignatus: eò quòd Virginitas ſit Fons, & origo pudicitiæ: quæ inviolata cuſtodiat integritatis ſignacula: in quo fonte DEI imago luceat: quia cum munditia corporis congruit etiam puritas ſimplicitatis. Id. Ibid.

Imago DEI, reſpondens ad ſanctimoniam Domini. S. Cyprianus de Diſcipl. & habitu Virgin.

Lampas. S. Zoſimus Epiſcopus Syracuſanus inextinctam ſervavit Virginitatis lampadem. Bollandus 3. Martii, fol. 840.

Lilium. Ibi Lilia, Virginitatis candor. S. Iſidorus cap. 48. in Exod. Virgines ſunt quaſi lilia. S. Thom. in pſal. 44. Lilia ſignificant Virgineos choros. S. Thom. in 2. Cant.

Margarita. O Virginitas: margarita pretioſa; apud multos latens, à paucis verò vix invenitur. S. Athanaſius Alexand. lib. de Virginit.

Militia cœleſtis. Hæc eſt cœleſtis illa militia; quam laudantium exercitus. Luc. 2. Angelorum promittebat in terris. S. Ambroſius l. 1. de Virginib.

Mons. Aſcendit Chriſtus in triplicem montem. Primus mons Patris Divinitas; ſecundus mons, Matris Virginitas; tertius, cœli ſublimitas. S. Thom. ſerm. in feſto omnium Sanctorum.

Munus Angelorum. S. Joan. Damaſc. l. 4. c. 25. Orth. fid.

Nota. Peculiaris omnis incorporeæ naturæ nota. Idem ibidem.

Operarii. Vinea, cultura Legis eſt; denarius vita æterna. Quos dixit ad horam primam operatos, Virgines ſunt. Arnobius c. 20. in Matth.

Opus integrum, atque incorruptum laudis, & honoris. Cyprianus de Diſcip. & habitu Virgin.

Ornamentum. Decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritualis. Id ibid.

Portio Chriſti. Quæ Virginitatem amplexata eſt, tota Chriſti eſt. S. Greg. Naz. or. 36. Illuſtrior portio gregis Chriſti. S. Cyprianus ibid.

Poſſeſſio. Pretioſa poſſeſſio Monachi, eſt Virginitas lumine eleemoſynæ colluſtrata. S. Ephr. paræn. 1. ad Novitios.

Primitiæ Juſtorum. Virginitas ſervatur ab infantia: aut non eſt Virginitas. - Unde rectè Virgines dicuntur primitiæ Juſtorum. S. Thom. in 14. Apoc.

Pudor. Sicut MARIÆ Comes, & cuſtos fuit Joſeph; ita Virginitatis debet eſſe pudor. Sanct. Ambroſius l. 2. de Virginib.

Pulchritudo recondita. S. Greg. Naz. or. 29. in laud. Cyp.

Regina. Virgo eſt Regina: quia dominatur appetitui. S. Ambr. l. 2. de Virginib.

Ros. Eſt Virginitas ros cœli; ubi pinguedo terræ fæcunditas. Richardus l. 1. c. 6.

Sacerdotium caſtitatis. S. Ambroſius l. 1. de Virginib.

Sacrarius pudoris. S. Zeno ſer. de Pudicitia.

Sacrificium Deo charum. Id. ib.

Saltus. Ab hac (ſaltatione) Virgines Dei procul eſſe deſidero. Nemo enim, ut dixit quidam ſæcularium Doctor, ſaltat ſobrius, niſi qui inſanit. S. Ambroſius l. 3. de Virginib.

Sanitas. Caſtitas ſecuritas mentis, ſanitas corporis eſt. Ait 20. regula Ord. Eq. Templar.

Soror Angelorum Virginitas. S. Hieron. apud S. Th. ſerm. 2. de Annunt. B. V.

Sponſa. Virgo eſt germana Chriſti ſponſa. S. Greg. Naz. or. 29. in laud. Cypr.

Statua viva. Idem ibid.

Templum. Legitimum Dei templum. Idem. Si Virginis corpus Dei templum eſt; animus quid eſt? (Sacerdos.) S. Ambr. l. 2. de Virg.

Terra, quæ fert centeſimum, ſunt Virgines: quæ ſexageſimum, continentes: trigeſimum conjugati, & laici. Theophylactus apud S. Thom. in Cat. aur. ſup. 4. Marci.

Theſaurus animarum. S. Zeno antè cit.

TITULUS VIII.

VIRTUS.

Promiscuè in genere, & in specie.

ALA DEI: sunt alæ DEI: misericordia, & veritas (quibus protegit) S. Bonav. in ps. 16.

Anguli. Quatuor virtutes Cardinales, sunt quatuor Anguli, quæ sustinent ædificium virtutum. Sanct. Greg. mor. l. 2. cap. 36.

Animalia. Ezech. 1. Quatuor animalia, sunt quatuor virtutes Cardinales. Quod erat in similitudine hominis, significat prudentiam, &c. Prudentia enim rationis humanæ est. Leo significat fortitudinem: fortitudo enim vim quandam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum. Vitulus significat temperantiam. Aquila justitiam. Justitia in alto quodam suggestu locata videt, exploratque omnia: quæ aliis potiùs nata, quàm sibi. S. Ambr. l. 9. de Virginib.

Arcus ejus, idest, fiducia, & virtus fuit firmata in DEO. Et ideo dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum, per manus potentis Jacob, idest, DEI; qui est potens Protector, & Defensor populi Jacob. Sanct. Thom. cap. 49. in Genes.

Arcola aromatum, virtutes & dulcedo, conditæ à pigmentarii. S. Isid. c. 5. in Cant.

Arma. Arma, scutum, sunt virtutes. Sanct. Thom. in psal. 34. Virtus est armatura tam fortis, quæ omnia vincit. Sanct. Bonav. diet. salm. t. 5. cap. 4. Non ignorat (diabolus) quænam sint Christi signa; bene cognovit arma, quibus fictus, fugatusque est. Quæ autem ea sunt? humilitas profectò animi, & mansuetudo. Nam quando in monte aggredientem superavit atque prostravit; quando non cognoscebatur, quia Christus esset; mansuetudinis, humilitatisque verbis eum confudit. Sanct. Chrysostom. hom. 79. in Matth. Paupertas, & divitiæ, sunt arma, ad virtutem utraque ferentia, si velimus. Et tu igitur si dives es, multam demonstra eleemosynam, si pauper factus es; patientiæ multum, & tolerantiæ. Nec enim divitiæ malum, nec paupertas simpliciter: sed juxta voluntatem utentium hæc utraque fiunt. S. Chrysost. hom. 15. ad pop.

Artes liberales. Septem sunt artes liberales in schola Philosophorum; septem etiam in schola Christi; quæ spirituales virtutes designant. Prima est Grammatica. Hæc docet loqui congruè: ut scilicet cum substantivo Adjectivum conveniat, cum nomine verbum, cum antecedente relativum. Cum substantivo Adjectivum convenit; quando DEO, qui est substantivum, omnes eventus, præter peccatum, adscribuntur. Bonus proinde Grammatista in schola Christi fuit Jacob. Gen. 27. respondens Isaac, quærenti, quomodo potuisti: *voluntas DEI fuit.* Et iterum. Genes. 33. - Bonus similiter Grammatica fuit Job, omnia DEO attribuens, & suam voluntatem cum DEI uniens, & accommodans. Job 1. Ista est optima Grammatica. De (seu ex) illa Grammatica est regula, quam repetebat Apostolus ut Baccalaureus. Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso, sunt omnia.* Cum nomine convenit verbum: quando de bona fama, quod est nomen, non detrahimus, sed debitè loquimur. Cum antecedente convenit relativum, quando veritatem factorum proximi referimus. Secunda ars, & scientia, est Logica. Hæc nos docet disputare, & argumentari. Logica Christi similiter nos docet argumentari contra diabolum per credentiam. Tertia est Rhetorica. Rhetorica Christi nos docet coram DEO bene perorare, ut impetremus capita: scilicet per orationem humilem, constantem, &c. Quarta Musica. Christi Musica docet vocum concordantiam in pœnitentibus; quibus dicitur. Is. 23. *Sume tibi citharam bene cane.* Quinta est Arithmetica. Arithmetica Christi docet numerare peccata in confessione - Bene numerabat peccata Manasses dicendo. 2. Paral. ult. *Peccavi super numerum arenæ maris.* Sexta est Geometria. Geometria Christi docet mensurare vitam propriam: ut pateat, quòd totum sit parum, quod boni facimus, respectivè ad opera Christi, quæ habemus respectu operum Divinorum. Septima scientia est Astrologia. Astrologia Christi docet: quòd sicut est unus Sol, & tamen tria sunt in Sole, substantia, radius, calor: ità DEUS sit unus, & Tres Personæ Deitatis. Docet Christum Solem Justitiæ percurrere duodecim articulos Fidei, quasi signa Zodiaci. Lunam, idest, Ecclesiam, lumen habere à Sole Christo. Planetas, idest, Angelos custodes suis influentiis nobis commodare &c. S. Vinc. Ferr. t. 5. D. 26. Pent.

Beatitudo. Si à fine denominantur res; & virtutes ducunt hominem ad illam finalem beatitudinem: ideo virtutes dicuntur beatitudines. S. Vinc. Ferr. s. 1. de S. Martino.

Brachia. Crura. DEI timor, & justitia, sunt non solùm quasi duo crura, quibus fortiter stamus; sed etiam quasi duo brachia, in quibus Christum portamus. Unde de Simeone Christum in ulnis portante. Lucæ 2. dicitur: *Homo iste justus, &c.* S. Bonav. s. 1. D. 10. Pent.

Capilli. Virtutes animæ - capillos capitis (Christus) appellavit. Goffridus s. 9. de S. Michaele Arch.

Caprea. Capreæ, & cervi, munda animalia sunt, serpentibus, & venenis inimica: & significantur virtutes Sanctorum. S. Thom. in 2. Cant.

Cedrus. Cedri virtutes Sanctorum; & tabulæ latitudinem charitatis designant. S. Isid. in Cant.

Charakter. Virtus est signum, seu character prædestinationis. S. Bonav. diet. salm. t. 5. c. 4.

Civitas. Virtutes Theologicæ, & Cardinales, sunt Christi Civitates, in quibus moratur. Sanct. Vinc. Ferr. s. 2. in Epiph. Dom.

Concordia fratrum, voluntas DEI est, jucunditas Christi, perfectio Sanctitatis, justitiæ regula, materia doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. S. Aug. s. 169. de temp.

Cultus Divinitatis, est virtus. S. Isid. in 3. Gen.

Decus naturæ. Idem ibid.

Devotio. Arida est omnis religio, quæ non oleo isto (devotione) saginatur. S. Bonav. de sex. al. Seraph. c. 2. Hæc est unctio spiritus; docens de omnibus, quæ expediunt saluti. 1. Joan. 2. *Vos unctionem &c.* Id. ibid. c. 8.

Dies vitæ. Qui sunt dies vitæ uniuscujusque Doctoris, nisi virtutum spiritualium claritates? S. Greg. l. 3. c. 5. in 1. Reg. Proprium, & domesticum ornamentum.

Discretio; est sal. S. Bonav. Opusc. de sex. al. Seraph. cap. 7. Hæc est margarita virtutum omnium, statuens omnibus modum, & ordinem. S. Albertus Magnus in parad. an. cap. 34. de Discretione. Rationale, Exod. 28. significat discretionem. Innocentius P. lib. 1. de Sacr. Missæ cap. 24. Quia digitis quæque discernimus per digitum discretio designatur. Sanct. Greg. mor. lib. 15. cap. 17. Conscientia est terra, aratro discretionis terenda, secanda, aquis lacrymarum riganda. S. Bonav. serm. 2. Cath. S. Petri. Est discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix, & auriga virtutum. S. Bern. serm. 49. in Cant.

Divitiæ. Veræ divitiæ, non opes sunt, sed virtutes. S. Bernardus serm. 4. in Adv. Divitiæ spirituales, sunt scientiæ, & virtutes. - Istæ divitiæ sunt appetendæ propter tria: propter immensitatem, utilitatem, dignitatem. Sanct. Thom. serm. 1. Dom. 18. Pent. Divitiæ nostræ sunt, non famuli, non vestes, non equi; sed animi virtus. Sanct. Chrysostom. or. Kalendis habita.

Exercitium. Patientia, vel quælibet virtus, sine exercitio quasi plumbea lancea est. Sanct. Anselmus lib. Similit. cap. 184.

Felicitas. Maxima miseria est culpa. Miseria autem felicitati opponitur, quæ consistit principaliter in actu virtutis perfectæ. S. Thom. in ps. 24.

Flos. Flores in terra apparuerunt: decor videlicet virtutum, & pudicitiæ. Sanct. Thom. in 2. Cant. Quælibet virtus flos est animæ. Flos est humilitas, flos est patientia, flos lilii castitas. - Sed certè in hyeme flores non inveniuntur: itaque neque virtutes in corporis torpore. S. Bonav. s. 4. D. infra Oct. Nat. Dom.

Fortitudo. Fortitudo animæ, est parum mellis, quod gustans Jonathas confortatus est ad persequendum hostes suos. 1. Reg. 14. Sanct. Albertus Magnus parad. an. cap. 9. de Fortitudine. Ossa significant fortitudinem animæ. Sanct. August. in psalm. 6. Virtutes sunt fortitudo hominis. Et ideo (ps. 6.) *Sana me Domine: quia ossa mea*, idest, fortitudo mea, animæ meæ, scilicet virtus, & fortitudo, *turbata sunt.* Sanct. Thom. in psal. 6.

Fructus. In agro Christiani - in floribus fides - in fructibus virtutes designantur. Sanct. Isidorus in Cant. Consite instar arboris floridæ; fructusque tuarum custodi virtutum. S. Ephrem in hypomnistico, seu admonitoria oratione. Novæ fruges, novæ virtutes sunt. Sanct. Bonav. serm. 1. in Vigil. Nat. Dom.

Gemma. Multitudo gemmarum fuit B. Bernardus, propter morum honestatem, & virtutum multiplicitatem. S. Thom. in festo S. Bernardi.

Gradus. Virtus gradus ad gloriam; virtus Mater gloriæ est. S. Bern. s. 1. de S. Victore Conf.

Granum. Sicut ramus, in quo pendet fructus; & sicut spica plena grano: sic anima humilis, quæ est onusta fructibus bonorum operum - & plena granis virtutum. S. Bonav. diet. salm. t. 7. c. 1.

Gubernatrix mentis. Quasi gubernator aliquis mentis, clavum magna vigilantia arripiens, navim suam ab irruentibus malitiæ procellis submergi non est passus (Noe.) Sed factus tempestate potentior; licèt in alto jactatus, quasi in portu federet, virtutis gubernaculum dirigebat; & à diluvio totum orbem devastaturo se eripiebat. Tanta res est! tam immortalis, tam invicta, tam nihil cedens hujus vitæ inæqualitatibus. Sed super malitiæ retia volitans quasi è sublimi specula quadam; sic omnia humana despiciens, nihil, quod aliis molestum est, sentit. S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Habitus animi, est virtus. S. Isidor. c. 3. in Gen.

Honor hominis. Id. ib.

Hortulanus. Sciendum ad virtutes tendenti, quod agere debeat more hortulani. S. Anselmus lib. Similit. c. 97.

Hospitium. Bona hospitia ad quiescendum sunt charitas, misericordia, patientia, & cæteræ virtutes. S. Bonav. serm. 2. D. 3. Epiph.

Lapis. Lignum. Comparatur virtus ligno fructuoso, lapidi pretioso. S. Bonav. diet. Sal. t. 5. c. 1.

Lilium. Lilia, sunt candidæ, & odoriferæ virtutes Sanctorum. S. Thom. in 2. Cant. Quot virtutes, tot lilia. S. Bernardus serm. 70. in Cant.

Locus gaudii. S. Bonav. diet. Sal. t. 5. c. 4.

Lorica. Justitiam vocat Apostolus Eph. 6. loricam hac similitudine. Nam lorica nos munit antè, & retrò, à dextris, & à sinistris; quia unicuique reddit, quod suum est. Habemus enim antè nos, qui priores vocantur; post nos juniores; à dextris amicos, à sinistris inimicos. Reddamus prioribus obedientiam, juniores doctrinam, amicis lætitiam, inimicis patientiam. S Bonavent. in ps. 118.

Lucernæ. Virtutes Cardinales sunt radii lucernarum, qui sancti sunt. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Benedicto. Virtutes sunt lucernæ. Idem ibid.

Lumen. Lux. Tob. cap. 2. cœcus: *reddite*, inquit, *si de furto est*, hædus scilicet. Erat in luce juste; uxor ejus cœca erat; si furtum defendebat. Illa erat foris in luce Solis; ille erat intus in luce justitiæ. Qui eorum erat in luce meliore? S. August. serm. 18. de Verb. Dom. Omnis (colorati) pulchritudo consistit in luminibus, & characteribus. Lumina sunt virtutes illuminativæ; ut perficiant intellectum: affectivæ, ut perficiant affectum. - Pretiositas, est humilitas, - ponderositas, est morum honestas - incorruptibilitas, est perseverantia. S. Thom. serm. 1. in Epiph.

Mansuetudo. Mansuetus homo cordis medicus est. S. Ambr. l. 10. ep. 82.

Membra corporis. Sæpe in S. Scriptura per membra corporis intelliguntur virtutes interiores. S. Thom. in ps. 31.

Misericordia. Quinquagesimum numerum ad misericordiam pertinere David pandit; cum psalmum quinquagesimum cantat clamans. *Miserere.* S. Chrysolog. serm 126. vestes Sacerdotis, virtutes significant - Dalmatica, qua Episcopus utitur, significat misericordiam. Innocentius P. l. 1. de Sacr. Missæ cap. 4. Dicitur Dalmatica, quia in Dalmatia reperta. Idem ibid. cap. 55. - Quæ sui forma figurat largitatem: quia largas habet manicas, & protensas. Ob hoc fortè specialiter utuntur Dalmaticis Diaconi; quia principaliter electi sunt ab Apostolis. Act. 6. ut mensis ex officio ministrarent. Id. ibid.

Misericordia, pons est cœli. S. August. in psal. 39. Pretium nostrum misericordia est. S. Ambr. in ps. 38. Misericordia, plenitudo virtutum est. Idem. lib. 5. in Luc. Misericordia est alia scala; cujus gradus sunt septem opera misericordiæ. S. Vincent. Ferr. serm. 1. fer. 4. D. Palmar. Inclinat aurem suam ad nos DEUS, misericordiam deponens super nos. S. August. in ps. 30. Dilexisti malitiam super benignitatem Iniquè vis levare aquam super oleum: demergetur aqua, oleum supereminebit. Ponere vis sub tenebris lucem: fugabuntur tenebræ, lux manebit. Super cœlum terram vis collocare: pondere suo cadet terra in locum suum. Tu ergo mergeris, diligendo malitiam super benignitatem: nam nunquam benignitatem malitia superabit. S. August. in ps. 51. Quid per armillam, nisi circumplectens nos Divina misericordia designatur? S. Gregor. hom. 25. in Evang. Oliva, Is. 41., misericordes significat; quia & græcè eleos misericordia vocatur. Idem hom. 20. Evang. Quasi alæ duæ sunt misericordia corporalis, & spiritualis; ala dextra, spiritualis, S. Vinc. Ferr. serm. 3. D. 21. Pent.

Mons. Montis figurato sensu virtutes Scriptura nominat: omnium verò virtutum apex, & velut arx quædam, est charitas. S. Joan. Damasc. or. de transf. Dom.

Mortis comes. Remaneant in sæculo cuncta, quæ sæculi sunt: neque enim nostra sunt, quæ non possumus afferre nobiscum. Sola virtus comes est Defunctorum. S. Ambr. l. 7. in Luc.

Muri Jerusalem. Quid per muros Jerusalem Scriptura exprimit, nisi virtutes animæ? S. Greg. mor. l. 3. c. 26.

Oriens. Occidens. Per Orientem, Occidentem &c. intelligit quatuor Cardinales virtutes. S. Bonavent. expos. 2. in ps. 118. v. 16. a. 3.

Ossa. Sicut ossa sustinent corpus, ita virtutes sustinent animam. S. Vincent. Ferr. serm. 4. D. 5. Pentec. In quolibet homine quælibet virtus, est velut quoddam os. Et si contingat justum, castum, cadere; confringitur os ejus. S. Th. in ps. 41.

Ostia. Quid moraliter per ostia, nisi virtutes? quid per vectem, nisi robur charitatis, accipimus? S. Gregor. mor. l. 28. c. 19.

Palmes. Vinea justitia est; in qua sunt tot palmites, quot virtutes, sicut dicit Chrysostomus. Sanct. Thom serm. 2. in septuag.

Paradisus. Comparatur virtus paradiso cœlesti in quatuor: est enim paradisus cœlestis habitatio Dei, locus gaudii, locus lucis, & locus ordinati amoris. S. Bonavent. diet. Sal. t. 5. c. 1.

Passus. Quot virtutibus Sancti proficiunt, quasi tot passibus ad Deum tendunt. S. Th. c. 4. in Cant.

Patientia. Patientia nostra in afflictione, est gladius omnis tentationis diabolicæ peremptorius. S. Gregor. lib. 5. cap. 3. in 1. Reg.

Pax. Locus pacis est habitatio Dei. Ratio: cuilibet domino placet, ut camera, in qua habet quiescere, sit quieta sine vento, pluvia, pulvere, fumo. Sic Deo placet, ut locus ejus sit quietus sine vento querrarum, pluvia luxuriarum, pulvere avaritiæ, fumo vanæ gloriæ, sine tempestate discordiæ. Ideò dicitur 2. Cor. 13. *Pacem habete, &c.* S. Vincen. Ferr. serm. 11. de Pace. Pax fratrum, voluntas Dei est, jucunditas Christi, perfectio Sanctitatis, justitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia - desideriorum omnium competens plenitudo, dilectionis Mater, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium. S. Chrysol. serm. 53 Pax alumna fidei, columna justitiæ, futuræ spei pignus idoneum. Idem serm. 138. Pax vinculum Sanctæ Societatis, compago spiritualis, ædificium de lapidibus vivis. S. Aug. in ps. 149. Et pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. S. Aug ser. 57. de Verb. Dom.

Pecunia. Agri cœlestis hæreditatis ementur pecunia virtutum, & bonorum operum. S. Thom. de Sacr. Alt. c. 24.

Penna volabit super pennas ventorum. Psalm. 17. hoc est, super virtutes animarum. S. August. in ps. 137. In istis (ramis, Apostolis) volucres requiescunt: quia sanctæ animæ, quæ quibusdam virtutum pennis à terrena cogitatione se sublevant; in eorum dictis, atque consolationibus ab hujusmodi fatigatione vitæ respirant. S. Gregor. mor. l. 19. c. 1. apud Sanct. Thom. in Cat. sup. 3. Matth. Pennæ animarum virtutes, bona opera. In duabus alis habent omnes pennas. Omnia enim præcepta in duobus sunt. - Quicunque implicatur amore carnali, viscum habet in pennis. Sanct. August. in ps. 149. Pennæ nobis sunt boni mores. S. Ambros. ser. 26. de Epiph.

Pignus. Virtus est pignus salvationis. S. Bonav. diet. Sal. t. 5. c. 4.

Pluma. Moraliter si volumus elevari, debemus esse aquila. *Aquila grandis magnarum alarum, &c.* Ezech. 17. Ut virtutum varietate plumemur. Ezech. 17. *Aquila plena plumis, & varietatibus.* S. Th. ser. 1. in festo S. Joan. Evang.

Pomus. Ligna pomifera; sunt opera virtutibus fæcunda. S. Isidorus c. 4. in Deut. Poma convallium, sunt virtutes, quæ humilitate condiuntur. S. Thom. in cap. 6. Cant. Notandum, quia per bona significatæ sunt virtutes, & opera virtutum - Dicuntur autem virtutes poma, propter tria. 1. Propter eorum decorum. 2. Propter odorem. 3. Propter refectionem. S. Thom. ser. 3. de mortuis. Habetur inter Dom. post D. 4. Quadr.

Porta. Duplices sunt portæ. Quædam sunt malæ; quæ claudunt aditum ad cœlum: aliæ bonæ; quibus aperitur via vitæ. Portæ malæ, sunt peccata; bonæ autem, sunt virtutes. S. Th. in ps. 23.

Possessio optima. S. Bonav. diet. Sal. t. 5. c. 4.

Præbenda nobilis. S. Bonav. diet. Sal. t. 5. c. 4.

Pretium salvationis. Id. ib.

Pudicitia. Pudor. Pudor plerumque corrector est noster: & dum incipit nos pudere commissi; nè diutius pudeat, deserere, quæ erubescenda sunt, admonemur. S. Ambrosius ser. 10. in ps. 118. Pudor est bonus magister officii - Quem pudet facere, in naturam vertit. S. Ambr. in ps. 38. Pretium nostrum, pudicitia est. Id. in ps. 61.

Pulvis pigmentarii, est virtus bene operantis. S. Greg. mor. hom. 3. in Ezech.

Purpura. Virtus regali purpuræ est similis; quippe cui nihil alienum attexi potest. S. Ephr. de humilit. comparanda cap. 59.

Rex. Is demum Rex est; qui iram, qui invidiam, qui voluptatem cohibens, omnia sub Dei lege agit; mentem liberam servans; neque patiens voluptatum dominationem animo suo imperitare. S. Chrysost. lib. de Compar. Regis, & Monachi. Quo libello ostendit, quantis parasangis Monachus Regem præcedat.

Scala. Virtutes, velut scalæ quædam cœli sunt. S. Joan. Damasc. vitæ Barlaam, & Josaphat c. 11. Scala Jacob sunt omnes virtutes. Duo latera, charitas Dei, & proximi; gradus, aliæ virtutes. Lapis, cui incubuit Jacob, pœnitentia est. S. Bonav. ser. 1. D. 3. Pasch. Devotio est una scala; cujus gra-

gradus sunt: orare, contemplari, audire Missas, &c. Misericordia est alia scala: cujus gradus sunt septem opera misericordiæ. Castitas, est alia scala; cujus gradus sunt gubernatio quinque sensuum. S. Vinc. Ferr. ser. 1. fer. 4. D. Palm.

Scutum. Arma, & scutum, sunt virtutes. S. Th. in ps. 34.

Sidera virtutes signant. S. Isidorus c. 2. in Gen.

Simplicitas. Oculi columbæ totæ in lacte. Cant. 5. Baptizat in lacte Dominus, id est, in sinceritate. Et isti sunt, qui verè baptizantur in lacte, qui sine dolo credunt. S. Ambr. ser. 16. in ps. 118. Per lanam simplicitas; per linum verò subtilitas designatur. S. Greg. mor. l. 8. c. 39.

Sinus. Ibi sinus Christi est, ubi habitaculum est virtutum. S. Ambrosius l. 3. de Virg. Reclinat caput suum; ubi domicilium cœlestium invenit præceptorum. Idem serm. 18. de Epiphan.

Spes. Sicut spei nostræ octava perfectio est, ita octava summa virtutum est. S. Ambrosius l. 5. in Luc. c. 6.

Statera, justitia est. S. Ambr. l. 1. epist. ep. 1.

Superadditiones. Fides, Spes, charitas omnium virtutum sunt fundamentum: sequentes virtutes sunt quasi superadditiones. S. Anselmus apud S. Matth. in Cat. sup. 1. Matth.

Thesauri virtutum in arca cordis claudendi sunt sera humilitatis - Hanc seram imitando acquire à filio fabri Christo. S. Bonav. serm. 2. fer. 2. Pasch.

Timor DEI. Timor DEI in domo conscientiæ est, ut fons redundans gratiarum spiritualium. S. Vinc. Ferr. serm. de S. Marco. Timor DEI, est sicut lucerna ardens intellectum illuminando, nè cadat in errorem. - Timor DEI, sicut ager fructuosus: qui facit Dominum suum divitem. Ideo David ps. 33. *Timete &c.* Id. serm. 12. de tim. DEI. Timor DEI est sicut fundamentum sustinens totum ædificium, id est, personam; sine quo ruit homo. Unde Eccl. 27. *si non in timore, &c.* Timor DEI, est thesaurus, faciens hominem divitem in cœlo. Unde ps. 14. timentes glorificat. Id. ibid. Anchora cordis: est pondus timoris. S. Greg. mor. l. 6. cap. 27. DEI timor, est justitia, sunt non solùm quasi duo crura, quibus fortiter stamus: sed etiam quasi duo brachia, in quibus Christum portamus. Unde de Simeone Christum in ulnis portante. Luc. 2. dicitur: *Homo iste justus, & timoratus*. S. Bonav. serm. 1. D. 10. Pent. Infirmus custos diuturnitatis est timor qui enim metuit, reprimitur, non emendatur. S. Ambr. l. 8. in Luc. Aqua, timor est: quoniam ab æstu refrigerat desideriorum carnalium. *Initium Sapientiæ timor Domini*. Et habes Eccl. 15. *Aqua Sapientiæ &c.* Si timor sapientia, & sapientia aqua; timor aqua est hydria mens tua. S. Vinc. Ferr. serm. 54. in Cant. Caminus est timor; sed ut examinet, non exurat, veritas facit. S. Bernardus serm. 6. in psal. 90. Hyssopus herba humilis - & pectoris purgativa, *est timor Domini*; aqua sapientiæ salutaris. Id. serm. 1. in dedic. Eccl. Magna est cautela peccati, DEI semper præsentiam timere - S. Aug. ser. 213. de temp. Sicut in domo stante semper milite armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit: sic & metu animas nostras detinente, illi, beralium nulla perturbationum facile nobis subrepit; sed omnes fugiunt, & pellunt, timoris imperio undique exactæ. S. Chrysost. hom. 15. ad Pop. Timor nihil aliud est, quàm murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis. Id. ibid. Non habes pecunias? at DEI timorem habes omnibus pecuniis uberiorem thesaurum: qui neque consumitur, neque intervertitur, neque exhauritur unquam. S. Chrysost. orat. Kalendis habita.

Veritas, est cubiculum vacantium, speculum videntium, pabulum gustantium. S. Bonavent. in ps. 118. expos. 2. cap. 2. v. 14. a. 4.

Vestis. Nota super illo, *induere vestimentis*; quia sancti habent vestimenta virtutum, de quibus gloriantur. Et ista 1. sunt ad protegendum. Is. 61. *Induit me Dominus, &c.* 2. Ad calefaciendum Prov. ult. *Non timebit domui suæ &c.* 3. Ad ornandum. Apoc. 3. *Vestimentis albis &c.* Hæc vestimenta 1. debent esse candida in honestate operis. Eccl. 9. *Omni tempore vestimenta, &c.* 2. Munda in rectitudine intentionis. Is. 9. *Vestimentum mistum, &c.* 3. Odoriferæ per famæ divulgationem. Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum*. S. Thom. in Is. 52. Vestimentis operiemur, id est, virtutibus. S. Thom. in Is. 4. Vestimentis albis induemur, id est, innocentia. Sanct. Tho. serm. 3. D. 1. Adv. Justitia vestimento comparatur. Ps. 131. *Sacerdotes induant justitiam*. S. Greg. mor. l. 12. c. 19. Vestes animæ, sunt virtutes. Camisia animæ est virtus castitatis; quæ carnem tangit, ut camisia. Secunda tunica, est humilitas: quia castitas sine humilitate non placet Deo. Tertia tunica, seu pellicium est compassio Christi. Mantellum autem est charitas. S. Vinc. Ferr. serm. 3. D. 5. Pent. In Scripturis Divinis plerumque vestimenta virtutes sunt. S. Ambr. l. 9. in Luc. Sed quia speciosa veste circumdaris. Sed & respice pro cultu vestium virtutum decore fulgentem: & videbis; te quidem putrefacto jam fœno esse simillimum; illum verò arbori admirabiles fructus ferenti; maximam præbenti cernentibus voluptatem. At ille, qui virtutum decore circumdatus est, talem præsto habet stolam; quam non modo tinea, sed nè mors quidem valeat ipsa corrumpere. - In cœlo namque hujusmodi vestimenta texuntur; ubi non est tinea, non vermis, nec ejusmodi quidquam aliud omnino. S. Chrysost. hom. 24. in Matth. Festa non multitudo convenientium facere solet, sed virtus: non sumptuosus vestitus; sed pietatis ornatus: non mensæ dapsilitas; sed cura animæ. Maximum enim festum est conscientia bona. Et quemadmodum in externis celebritatibus is, qui nec vestem habet, qua induatur, splendidam; neque mensam, qua fruatur, lautam; sed vivit in paupertate, fame, extremaque miseria; non afficitur festo die, etiamsi universam urbem choreas agitare videat; sed hac ipsa de causa magis angitur, & dolet; dives verò delicatus mutatoriis vestibus abundans, & in summa prosperitate vivens, etiam extra festa tempora festum agere sibi videt: ita & in spiritualibus rebus usu venit: qui vivit in justitia, & operibus bonis; vel absque festo festum agit; sin ceram voluptatem ex bona conscientia percipiens. S. Chrysost. hom. 5. de fide Annæ Matris Samuelis.

Via. Moraliter viæ, sunt animæ virtutes ad solemnitatem contemplationis, portæ, sensus. Sanct. Thom. in 1. Thren.

Virtus quid? Virtus dicitur, quasi *virum tuens*; vel quasi *virens intus*. Sanct. Bonaventura Opusc. Eccl. hier. part. 1. cap. 1.

Virtutis duo sunt genera; quæ inter se sic differunt, ut corpus, & anima. Unum enim interius, & invisibile; aliud verò exterius, atque visibile. Interius namque est charitas, humilitas, patientia, benignitas, cæteraque similia. Exterius verò jejunare, eleemosynas dare, in orationibus vigilare, lacrymari, aliaque hujusmodi. - At sicut corpus sine anima non diu subsistere valet; anima verò sine corpore potest: sic exterius genus sine interiori non diu subsistit; cùm exterius faciat sine interiori. Diu enim charitatem habere quis potest, etiamsi non jejunet; cùm diu pro Deo jejunare non possit, si eum non amet. S. Anselmus l. Similit. c. 96.

Virtutum officia. Deus dedit homini creato misericordiam, quasi custodem, & pedissequam: veritatem, eruditorem: Justitiam, Rectorem: patientiam, fotorem. S. Bonavent. in ps. 138.

Zelus Justitiæ, quasi coccus bis tinctus, duplici charitatis colore rutilat: amoris nempe Dei, & proximi. S. Bonavent. de sex alis Seraph. c. 3.

TITULUS IX.

VITA.

Ædificium. Vita præsens comparatur ædificio. S. Thom. in l. 2. de Cons. Phil. metr. 4.

Alveolus lusorius: homines, calculi, & tesseræ. Sandæus symb. vitæ hum. 103.

Aqua. Hanc vitam, aquas, & mare, in Scriptura Sacra persæpe nuncupari reperimus. S. Basilius hom. 5. in Hexam. apud S. Joan Damasc. parall. l. 1. c. 10.

Aranea. Ps. 89. Vilior araneis est vita: vel tam vilis, ac illa. Et tamen tanti eam æstimas! Aranea tela. Quocirca, qui vitæ confidit, spem ponit in tela araneæ. Sandæus symb. 7. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*. Ps. 89. Aranearum tela: si rumpatur, quis refecerit? Sandæus ib.

Arbor, est vita humana, ad quam homo se tenet: radicem autem hujus arboris arrodit ratta alba, id est, dies; quæ quolibet die de arbore hac abrodit duodecim horas. Ratta nigra est nox. S. Vinc. Ferr. ser. 5. D. 3. Pent. Vide S. Joan Damasc. in vita Barlaam, & Josaphat.

Aura matutina. Adde quantoslibet annos. Quid est? nunc aura matutina? S. August. Conc. 1. in ps. 36.

Aurum. Vide, quanti tua valeant opera: vitæ dant pretium, ut auro pondera. Sandæus cit.

Babylonia est, seu confusio; è qua post septuaginta annos, qui eandem vitam significant, egrediemur. Sanct. August. in ps. 125.

Bullæ. Bullarum aliæ, simul atque natæ sunt, protinus evanescunt: aliæ paulò diutius durant. Omnes brevissimis quibusdam intervallis aliæ succedunt aliis. Sandæus symb. 12.

Calamus. Bona vita, quæ ex præceptis Dei agitur, tanquam stylus est; qui auditur scribens in corde. Sanct. Aug. in ps. 93.

Calcaneus. Calcaneum, quæ est ultima pars corporis, significat mortem, observabunt. S. Vincent. Fer. ser. de S. Petro ad Vin.

Calculus arenæ. Eccl. 18.

Carcer. Nullo præsens vita præstare videtur carceri. Sed sicut, cùm triste illud introivimus habitaculum, omnes circumdatos videmus, ac vinctos catenis: ita etiam nunc, si extra omnia nos phantasmata collocantes uniuscujusque introspiciamus vitam, & ad animam penetremus; videbimus eam

eam durioribus vinculis colligatam: & maxime, si in divitum intres animas. Nam illi, quo pluribus sunt amicti, eo magis sunt astricti. S. Chrysost. hom. 14. in Matth.

Cera. Ætas hominis assimilatur ceræ: quæ, si nimis mollis est, vel dura nimis, formam sigilli non recipit, nec retinet. S. Thom. in Prof. 5. l. 1. de Cons. Phil.

Circus. Præsens ævum circum esse cogita. S. Hesychius apud S. Joann. Damasc. parall. l. 1. c. 10.

Compedes. Mortalitas, corruptibilitas carnis, compedes sunt quibus ligati sumus. S. Aug. in ps. 68. Conc. 2.

Convallis. In Comparatione supernorum, omnis præsens vita, convallis est. S. Greg. mor. l. 10. c. 14.

Cor. Humanæ vitæ hieroglyphicum esse cor, Symbolici asserunt. Pierius l. 34. Sandæus symb. 18.

Cucumerarium, Umbraculum, Tabernaculum, Tugurium: quæ eriguntur; ut post noctem, vel diem, destruantur. Sandæus cit.

Curriculum, *Cursor*, *Cursus*. Quid est vita? curriculum. Quid est vivere? currere. - Est B. Pauli Symbolum; qui vitam nostram stadio confert, homines cursoribus. 1. Cor. 9. Sandæus symb. 20. Non curritur solum in vita; sed ipsa est cursus. Idem symb. 21. Cursor. Job 9. *Custodia in nocte*. Ps. 89. Quid est vita præsens, nisi cursus ad mortem? S. Augustin. apud S. Thom. ser. 1. D. Sept. Vita nostra quovis levior, atque celerior est cursore. S. Ephr. de S. Juliano Anachoreta.

Dies. Dies mercenarii. Job 7.

Dolor. *Omnes dies ejus dolor, & animi distractio*. Eccl. 3.

Ephemerium est vita; ephemerii sunt homines; quia nequeunt sibi crastinum policeri. Sandæus cit.

Eremus. Audiant omnes fideles. Sciant ubi sunt. In eremo sunt: patriæ suspirant. S. Aug. in ps. 72.

Euripus. Luge eum, qui non ejusmodi est: quique in præsenti vita, tanquam in concitatissimo circumfertur Euripo. S. Chrysost. l. 2. contra vitup. vitæ Monasticæ.

Exilium. Viaticum (Eucharistia) est ascendentium de exilio ad patriam. Hugo a S. Victor. in Spec. Eccl. cap. 7. Vita nostra, est tanquam exilium, & tabernaculum, quod dissolvitur. S. Ephr. l. 1. de Patient.

Fabula quædam est, & somnium, vita. Sicut enim in scena, aulæo sublato varietates dissolvuntur; & omnia coruscante luce somnia avolant: ita nunc quoque consummatione veniente tam communi, quam uniuscuique, omnia dissolvuntur, & evanescunt. Et lignum quidem, quod plantasti, manet: & domus, quam ædificas, & ipsa manet: faber autem, & agricola, pereunt. Et cum hæc fiant, necita veremur, sed tanquam immortales hæc omnia comparamus. S. Chrysost. ad Pop.

Fama, præteriens. Sandæus symb. 75.

Fax. Vita S. Ephrem Syri fuit sicut illustris, ac Sole splendidior fax orbi accensa. S. Greg. Nyss. in vita.

Follis. Acu tange, expirabit. Sandæus.

Fumus. Index ignis, & incendii. Id.

Clarea est vita præsens. Job 30. Quæ indesinenter ad terminum suum, ipso defectu mutabilitatis, quasi impulsu fluminis ducitur. S. Greg. mor. l. 20. c. 14.

Gutta. Totum hoc tempus - ab Adam usque in finem sæculi, exigua gutta est, comparata æternitati. S. August. Conc. 2. in psalt 101. Et longa hominis vita tanta Brevitate constringitur ad universi sæculi illius latitudinem; quasi si una gutta ad universum mare comparetur. S. August. serm. 39. de Verb. Dom. Gutta maris. Eccl. 18.

Habitus oris hybernus. Sandæus cit.

Hederæ Jonæ. 4. Idem.

Hora. Ps. 89. *Mille anni, tanquam dies hesterna*. Ambrosius legit in 15. Luc. *hora novissima*. 1. Joan. 2. Glossa interlin. intelligit per eam vitam humanam. Sandæus cit.

Hortus nucum. *Descendi ad ortum nucum*, Cant. 6. Hortus nucum est præsens vita. S. Thom. in. 6. Cant.

Ignis in Speculo. Sandæus cit.

Imago in tabula. Idem. Imago inconstantiæ. Idem.

Iris. Colores ostendit; non habet. Id.

Labor. Labyrinthus. Laqueus. Larva. Lanugo. Sap. 5. Sandæus ibid.

Liber. Cogitate, quod vita nostra sit ut liber; in quo scribenda sunt omnia bona, quæ faciemus. Et ne erremus, Christus regulavit duodecim lineis, id est duodecim articulis fidei. Qui incredulus est, non erit recta anima ejus. Abac. 2. S. Vinc. Ferr. 2. D. 4. Adv.

Locusta. Inquietum est animal; huc illuc saltitans, & fallens oculos. Sandæus cit.

Luna. Ex Lunæ prospectu, qui rerum nostrarum status sit, edocemur. S. Basilius apud S. Joan. Damasc. hom. 5. in Hexam. Tempus vitæ nostræ comparatur Lunæ, & civitas Jericho Futura autem Soli, & Jerusalem. S. Aug. in ps. 60. Luna signat præsentis vitæ mutabilitatem. S. Aug. in ps. 71.

Lusus. Non est lusus hæc vita. Immo est quidem præsentis vita lusus: sed futura non sunt ludrica, & jocularia. Immo non tam lusus est vita nostra, quam aliquid deterius. Non enim exit in risum; sed inlolerabilem quoque portat dolorem eis, qui mores suos non mature, ac diligenter instituunt. S. Chrysost. hom. 24. in Matth.

Manna. Quod colligendum pro septima quietis die. Sandæus cit.

Mare. Hanc vitam, aquas, & mare, in Scriptura Sacra sæpe nuncupari reperimus. S. Basilius apud S. Joann. Damasc. parall. l. 1. c. 10. Mare fervens. Sandæus cit.

Mensis. Per mensem signatur vita hominis; quæ multis defectibus subjacet. S. Thom. in 9. Apoc.

Militia. Fidelis - & miles, & athleta. - Quomodo utraque hæc simul esse possunt, & nudum esse, & non nudum. Exue vitæ negotia, & athleta factus es. Indue arma spiritualia; & factus es miles. Te ipsum vitæ curis denuda: luctæ enim tempus est. S. Chysost. hom. 3. ad Pop.

Mors. Hæc vita mortalis, dici debet potius mors vitalis. S. Bernardus Opusc. de Charit. cap. 3. Quid mutabilitas, nisi mors quædam est? quæ, dum rem qualibet in illud mutat, quasi occidit, quæ fuerat; ut incipiat esse, quæ non erat. S. Greg. mor. l. 12. cap. 17. Vita, quam ducimus, mors potius, quam vita. S. August. Conc. 19. in ps. 118.

Navis, *Navigatio*. Magnus labor; ut aliquis sibi Christum acquirat; ne sine gubernatore quasi navis in sæculi istius salo fluctuet. S. Ambros. in ps. 87. Navigamus in hac vita quasi per quoddam stagnum: & ventus est; & procellæ non desunt tentationum. S. August. ser. 221. de temp. Sicut in navibus dormientes ventis aguntur in portus; etsi nullus quiescentibus sensus est navigandi; tamen cursus eos urget ad finem, & impellit ignaros: sic vitæ nostræ spatio defluente ad proprium unusquisque finem cursu latente deducitur S. Ambros. in ps. 1. Bona vita, est navis; nauta confessarius. S. Vincent. Ferr. serm. 2. D. 26. Pent. *Tamquam Navis, quæ pertransit fluctuantem aquam*. Sap. 2. Vita nostra naviganti similis est. Is, qui navigat, sive stat, sive jacet, vadit tamen: quia impulsu navis ducitur. S. Greg. l. 6. ep. 26.

Nox. Vita præsens est nox: ad quam illuminandam missi sunt sancti, quasi astra. Deinde in fine noctis nuncians diem venit Christus quasi Lucifer. S. Greg. præf. in Job c. 10.

Nundinæ. Constituit mirabiles nundinas: in quibus vendidit denario paupertatis regnum cœlorum, denario utilitatis gloriam, denario mortis vitam. S. Thom. serm. 2. in festo S. Sylvestri.

Oculus apertus. Pierius l. 33. apud Sandæum cit.

Organum. Auram exclude, tacebit. Sandæos.

Pelagus; est late longeque protensum, hæc vita. Et quemadmodum in mari universo sinus diversi aliis, atque aliis tempestatibus commoventur; præcipue velut Ægæum ventis exasperatur, sic & in vita nostra fieri videmus. Nam primum in ea pelagus statim videre licet, puerum ætatis conditione; quæ multis ac magnis procellis exagitatur: tum quia mens imbecilla est, tum quia nulla firmitate adhuc roboratur; sed huc atque illuc flectitur. Quapropter pædagogos illi, atque magistros præficimus; ut defectus naturæ diligentia suppleat. Velut & in navigando gubernatoris artificio maris asperitas superatur. Adolescentium fluctus pueritiæ succedunt; quæ vehementioribus, sicut Ægæum pelagus, exagitantur concupiscentiæ ventis. Quæ quidem ætas, quanto magis correctione indiget, tanto minus instruitur. S. Chrysostom. hom. 82. in Matth. Nihil est in rebus humanis stabile, nihil inconcussum: sed hominum vita imitatur mare vesaniens, quotidie parturiens naufragia. Idem de Avaritia.

Peregrinatio. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam. Si dulcis est patria, amara est peregrinatio. Si amara peregrinatio, tota die tribulatio. S. Aug. in ps. 85. Homines in hac vita peregrini sunt Jerosolymitani. S. Aug. in ps. 125. Peregrinatio 1. Petri 2.

Pomum. Foris rubet; intus putet. Sandæus cit. Pomum. Amos 8.

Pons longus, & strictus, est vita bona. S. Vinc. Ferr. ser. 2. D. 4. adv.

Rota. Qui hodie potens, sanus; cras egens, & infirmus erit. Ita volvitur rota. Sandæus cit. Attollit, & deprimit. Idem. *Rota super terram*. Ezech. 1. est via corporis ad animæ aptata virtutem, & ad Evangelicum cohærenti cursum præceptum formata. Rota autem in medio roræ, veluti vita intra vitam: quæ Sanctorum vita sibi non dissonet; sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit & sequentis. Vel quia in hac vita corporis vitæ volvitur usus æternæ. S. Ambr. l. 3. de Virginib.

Scala ipsa erecta, nostra vita in sæculo. Latera hujus scalæ dicimus, nostrum esse corpus, & animam. S. Benedictus in Regula sua c. 7.

Scena. Non est profecto theatralibus scenis præsens vita dissimilis: nam ut illic ille Imperatoris, hic judicis, alter & militis implet officium: ubi autem consecuta nox fuerit; nec Imperator agnoscitur Imperator; nec Judex, qui fuerat Judex;

dex; nec miles postea, qui prius miles. Ita unusquisque nostrum in illius sæculi die, non personis, sed actibus competentem accipiet dignitatem. S. Chrysost. ep. 6. ad Theodorum Mon.

Sepulchrum. Potest etiam per sepulchrum non solum in hac vita contemplatio, sed quies æternæ vitæ, & intimæ retributionis intelligi: in qua tanto verius quiescitur, quanto in nobis corruptionis vita perfectius necatur. S. Greg. mor. l. 6. c. 29.

Somnium umbra. Si nihil umbra, quid, quæso, umbræ somnium? Sandæus cit.

Speculum. Omnes prodit. Idem.

Statera. S. Michael pingitur cum statera. Pars sinistra, est vita præsens; pars autem dextera, vita futura. Qui ergo in sinistra hujus Mundi, & vitæ exaltatur, in alia humiliatur. Luc. 18. Omnis qui se exaltat; humiliabitur, S. Vinc. Ferr. ser. 1. D. 4. Pent.

Tabernaculum. Tria sunt: tabernacula, atria, domus. In tabernaculis sunt omnes justi in carne viventes, & laborantes: quia tabernacula laborantium sunt, & militantium. Tabernaculum habet tectum, sed fundamento caret, & portabile est: quia justi in præsenti non sunt fundati. Fides etiam eorum, quæ est fundamentum, non est in terrenis, sed in Domino. Tectum habent, id est munimentum gratiæ, & protectionem. Atria sunt domui vicina, amplitudinem habentia. In illis sunt animæ sanctæ corporibus exutæ: quæ in latitudine sunt, depositæ carnis angustia. Atria habent fundamentum, sed non tectum: quia animæ (in cœlo) non ruunt. Tectum non habent: quia consummatio, & perfectio gloriæ non nisi post Resurrectionem fiet; quando ipsa corpora glorificata animabus jungentur. Et tum habitabunt sancti in domo, quæ est completa. est ergo præsens vita tabernaculum; altera ante Resurrectionem est atrium; post eam est domus; corpora autem glorificata tectum sunt. S. Bernard. s. 42. inter Parvos. Nota super illo verbo: qui habitat in tabernaculo; quia est multiplex tabernaculum. Est temporalis, & naturalis vitæ, quæ est hominis. 2. Petri 1. S. Thom. In Is. 22. Vita nostra, est tanquam tabernaculum, quod dissolvitur. S. Ephr. de Pœnit. & Pat.

Tela. Congrua similitudine tempus carnis telæ comparatur; quia, sicut tela filis, sic vita mortalis diebus singulis, proficit. Sed quoad augmentum proficit, eo ad incisionem tendit. S. Gregor. l. 4. c. 11. illud Job 7. *Dies mei velociores. &c.*

Torrens, est præsens vita. S. Aug. in ps. 123.

Tribulatio. Tota ista vita intelligentibus, tribulatio est. S. Aug. ser. 42. de V. D.

Via. Præsens vita, non nisi est quædam via arenosa. Tot sunt occasiones peccandi. S. Vinc. Ferr. de S. Barnaba. In via periculosa est peccator. Præsens vita, est via: unus vadit per mortem, alius venit per nativitatem. - Et peccator dormit. Sed quid facit Angelus? excitat eum per compunctionem. S. Vinc. Ferr. ser. de S. Michaele. Quid est vita mortalis, nisi via? S. Greg. hom. 1. in Evang. Sic est præsens vita quasi via. S. Haymo hom. in festo Virginis. Est via ad terminum, S. Thom. in 7. Job lect. 1. Via vita dicta est ob celeritatem. Victor es in hac vita. Omnia præteris, omnia a tergo relinquis. - An non igitur via hæc vita est? ut quæ alium, atque alium subinde assumat, atque omnes sibi in vicem succedentes habeat? *Beatus igitur, qui in via peccatorum non stetit*. S. Basilius ho. in ps. 1. apud S. Joan. Damasc. paralel. l. 1. c. 10.

Vigilia. Revera plus vigilare, plus vivere est. Nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? S. Chrysol. ser. 24.

Vincula. Vincula sunt compluria in hoc sæculo (vita) vincula sunt desideria vivendi; vincula sunt oblectamenta voluptatum; vincula sunt honorum; vincula conjugii. 1. Cor. 7. Solutus es ab uxore? S. Ambr. Ser. 3. in ps. 118.

Vinea. Sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe incultum, desertumve in se sapiens derelinquit. S. Bernardus Ser. 63. in Cant.

Umbra. Umbra mortis est vita. S. Aug. in ps. 22. Umbræ transitus, est tempus nostrum. S. Thom. in ps. 4. Umbra declinata. Sandæus cit. Umbra pictorum; quæ facit, ut oculis multum judicemus distare; quæ minime distant. Estne vita umbra mortis? an mors umbra vitæ? Umbra præcedit aliquando corpus, aliquando sequitur. Id. ibid. Umbra mortis præs.

TITULUS X.

VITA ACTIVA, ET CONTEMPLATIVA.

Agna. Quid per Agnam, nisi activæ vitæ innocentia? Quid per capram; quæ in summis, extremisque sæpe pendens rupibus pascitur, nisi contemplativa significatur? S. Isid. c. 7. in Levit.

Asinus Abrahami. 22. Gen. Asinus stratus, est actio, seu vita activa, virtuosis circumstantiis adornata: duo vero juvenes, sunt rationalis intellectus; & rationalis affectus. S. Thom. in 22. Gen.

Bos. Figuraliter (in veteri) in agno, vel vitulo, Christus: in capra pœnitentia; in bove vita robusta, & activa; in ave sublimis, & contemplativa. S. Thom. Opusc. de Sacr. Alt. c. 3.

Columba. Per columbam activa vita; quæ multorum est communis: per turturem vero contemplativa; quæ paucis est imitabilis, designatur. S. Ildefonsus ser. in Purif. B. V. per columbam, quæ gregatim volare consueverat, designatur activa vita; quæ multorum est: per turturem, quæ soli vaga est, designatur contemplativa; quæ paucorum est. S. Haymo ho. in festo Purif. B. V.

Joseph: interpretatur *augmentum*, & significat activas; qui debent habere augmentum operum misericordiæ. MARIA interpretatur *illuminata*; & significat contemplativos: qui in contemplatione suscipiunt Divinas illuminationes. S. Tho. serm. 3. D. infra Octav. Epiph.

Lia, Rachel. Abraham moraliter nobis virtutem fidei per exempla sua significat. Isaac significat spem. *Abraham* igitur *genuit Isaac*: quia fides generat spem. Jacob autem significat charitatem. Charitas enim complectitur dua vitas; activam per dilectionem proximi; contemplativam, per dilectionem DEI. Activa per Liam; contemplativa per Rachel significatur. Glossa apud S. Thom. in Cat. sup. 1. Matth.

Martha, Magdalena. Martha activæ vitæ figuram præferebat. Per Mariam vero vita perspicue præmonstratur contemplativa. S. Ildefonsus ser. 5. de Ass. B. V.

Oculi. *Oculi ejus quasi columbæ*. Cant. 5. Duo oculi in facie, activa vita, & contemplativa in homine, S. Isidorus Sentent. l. 3. cap. 15.

TITULUS XI.

VITA BONA.

Altare holocausti significat vitam Justorum, Glossa apud S. Thom. de Sacr. Alt. c. 29.

Bos. Nonnunquam in bove bene operantium vita, in asino stultorum vecordia figuratur. S. Isidorus c. 6. in Deut.

Cani. *Cani sunt sensus hominis; & atas senectutis vita immaculata*. Sap. 4.

Cithara. Nota super illo verbo; *sume citharam*; quod per citharam significatur recta vita, 1. Quantum ad carnis mortificationem, propter chordarum materiam. Ps. 70. *Psallam tibi in Cithara*. 3. Quantum ad virtutum connexionem, propter cantus concordantiam. 3. Quantum ad dulcedinem boni operis, propter audientis lætitiam. Job. 21. *Tenent Tympanum, & citharam, &c.* S. Thom. in 23. Is.

Hyacinthus. Per hyacinthum signatur similitudo vitæ sanctæ, sive cœlestis. S. Thom. in c. 9. Apoc.

Ligna quadrata, stabilem Sanctorum vitam significant. S. Isidorus c. 7. in Gen.

Manna. Edocemur simplicem mannæ cibum, id est puram, cœlestemque vitam quærere. S. Isidorus c. 8. in Num.

Navis. Navim ascendit, qui vitam sanctam aggreditur. S. Thomas serm. 2. D. 2. Epiph.

Nazarenus. Quid Nazaræorum nomine, nisi abstinentium, continentiumque vita designatur? S. Isidor. c. 3. in Num.

Uxor. *De genere suo ducat Uxorem* (ut in Levitico præcipitur) utique vitam amplectatur Sanctorum. S. Isidorus cap. 10. in Levit.

INDEX
ALPHABETICUS TITULORUM,
SIVE MATERIARUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

A.

Titulus I.
ACEDIA. Pag. 9.
ADonibesech.
Asinus.
Campus incultus.
Canis famelicus.
Diluvii aqua.
Dœmon.
Febris Quartana.
Febris hectica.
Filiæ 15. Acediæ.
Lapis pollutus.
Lethargus.
Luna.
Mater desperationis.
Morbus gravissimus.
Nubes.
Paralysis.
Salix.
Scholaris negligens.

Titulus II.
ADVENTUS CHRISTI. ibid.
Annus tertius.
Dies quintus.
Iter primum Christi in Galilæam.
Missio Jacob pro hædis.
Pes.
Pluvia.
Processio Gedeonis ad Bellum.

Titulus III.
ÆTERNITAS. ibid.
Æs.
Gemmea Corona.
Mane.
Marus Jerusalem.
Octava dies.

Titulus IV.
AMICUS. 20
Dextera.
Divitiæ.
Fons.
Gloria.
Manus.
Oculus.
Pes.
Ubera nostra.

Titulus V.
S. ANDREAS APOSTOLUS. ib.
Tuba.

Varia. ibid.

Titulus VI.
ANGELUS. ibid.
Adjutores.
Amici.
Amici omnium Regis.
Apostolus.
Aquæ.
Architecti.
Arma DEI.
Cardinales Christi.
Cœlum.
Creatio Angelorum.
Defensores nostri.
Dii.
Exercitus innumerus.
Flores Mundi.
Interpretes Divini silentii.
Luna.
Lux.
Maceria.
Messores.
Ministeriales Salutis nostræ.
Montes.
Musici DEI.
Naves. Nauta.
Nubes.
Oves.
Paranymphus.
Rectores Ecclesiarum.
Reges, Duces, &c.
Stella matutina.
Templum DEI.

Titulus VII.
ANIMA SECUNDUM SE. ib.
Adolescentula.
Ager.
Agricola.
Aureum Vas.
Bethlehem.
Camera.
Cannabis.
Civitas.
Filiæ.
Imago SS. Trinitatis.
Infans.
Hospes Corporis.
Lucerna.
Luna.
Lux.
Mulier inclinata.
Nauta.
Navicula.
Neglectus animæ.
Nobilis Domicella.
Numisma.
Oculus.
Oleum.
Ostium.
Ovis.
Paradisus DEI.
Pastor.
Paterfamilias.
Plaustrum.
Pretiosa.
Pupilla Oculi.
Rectrix.
Sedes Sapientiæ.
Sitis.
Sol.
Somnus.
Speculum.
Tabernaculum.
Templum.
Terra.
Thesaurus.
Ventus.
Vinea.
Virgultum.
Vita corporis.
Voluntas.

Titulus VIII.
ANIMA SANCTA. 11
Adolescentula.
Agricoltura.
Altare Dei.
Amica Christi.
Arca Noe.
Arca Testamenti.
Areola.
Arida.
Aurora.
Carbo ignitus.
Cella vinaria.
Cera.
Cibus Dei.
Civitas.
Cœlum.
Collis.
Columba.
Columba Noetica.
Convallis.
Currus Dei.
Domus Dei.
Equitatus Dei.
Ferrum ignitum.
Ficus Dei.
Filia Regis.
Framea Dei.
Habitatio Dei.
Hortus.
Jerusalem.
Lapis politus.
Lignum.
Lilium.
Luna.
Margarita.
Mons.
Murus.
Myrrha.
Navis Tharsis.
Palma.
Ramus.
Rebecca.
Regina.
Sedes Dei.
Sepulchrum Christi.
Sindon.
Sion.
Sole amicta.
Superliminare.
Templum.
Vas Tabernaculi.
Virgula fumi.
Virgines prudentes.
Volatilia cœli.
Urna aurea.

Titulus IX.
ANIMA PECCATRIX. 13
Abyssus.
Ænea Olla.
Agricola errans.
Aranea.
Arida manus.
Babylon.
Civitas.
Columba.
Dœmoniaca.
Dina.
Drachma perdita.
Filia diaboli.
Imago fœdata.
Infernus.
Judas.
Locustæ.
Meretrix.
Olla.
Paralyticus.
Perdix.
Via.
Viscus.

Varia de Anima.
Accipiter.
Astra.
Columba.
Deo devota.
Fluminis impetus.
Framea Dei.
Hirundo.
Jerichuntinus.
Lucerna.
Navis.
Perdix.

Philomela.
Quantitas.
Regulus.
Reliquia.
Solſequium.

Titulus X.
ANIMA, & CARO. ibid.
Adam. Eva.
Cymbalum jubilationis.
Facies duæ.
Iſaac, & Rebecca.
Scala.
Vitulus, & urſus.

Titulus XI.
ANTI-CHRISTUS. 14
Abimelech.
Antiochus.
Aquila.
Barrabbas.
Cornu puſillum.
Dan.
Doeg.
Hyems.
Hermagedon.
Impius.
Leo.
Tenebræ.

Titulus XII.
APOSTOLI. ib.
Agricola.
Aqua tenebroſa.
Aquilæ.
Arbor.
Arietes gregis.
Athletæ Domini.
Biga Trinitatis.
Boves.
Candelabrum.
Capiſti.
Cedrus.
Cervi.
Corona Chriſti.
Cœlum.
Columbæ.
Columnæ Eccleſiæ.
Crura.
Dies.
Divites.
Duodecim Anni.
Duodecim Boves.
Duodecim Cophini.
Duodeca jugum.
Duodecim Patriarchę.
Duodecim Fontes.
Duodecim Lapides.
Duodecim Panes propoſitionis.
Equi Domini.
Facies Chriſti.
Filii Dei.
Filii Abrahæ.
Filii excuſſorum.
Filii Job.
Fratres Chriſti.
Gigantes.
Greſſus Eccleſiæ.
Horæ duodecim.
Montes.
Nautæ.
Non homines.
Nubes.
Oculi Chriſti.
Opera digitorum.
Os Chriſti.
Oſſa Eccleſiæ.
Oves.
Patriarchæ.
Patres.
Patresfamilias.
Pigmentarii.
Piſcatores.
Portæ Eccleſiæ.
Præcones ſalutis.
Primi.
Principes.
Phialæ.
Pſalterium, & Cithara.
Rami.
Reges.
Sal terræ.
Sagittæ ignitæ.
Scribæ.
Scuta terræ.
Sedes Dei.
Signa Zodiaci.
Sol.
Stabularii.
Stellæ.
Tabulæ.
Thuribula.

Titulus XIII.
AQUA. 16
Apoſtoli.
Baptiſmus.
Benedicta.
Conſolatio.
Divitiæ.
Gratia Dei.

Titulus XIV.
AVARITIA AVARUS. ib.
Accipiter.
Amphora.
Apoſtema.
Aqua.
Araneæ tela.
Arbor.
Arida manus.
Æthna.
Avis rapax.
Cauſa malorum.
Camelus.
Canis.
Circumforanea.
Currus illius.
Dypſas.
Equus diaboli.
Febris hectica.
Filiæ duodecim Avaritiæ.
Flumen.
Fomes.
Forma.
Gallina.
Hedera.
Hydrops.
Idololatria.
Inæqualitatis Mater.
Infernus.
Ignis inextinguibilis.
Iſmael.
Lagena.
Lapis.
Lepra.
Malitia.
Manaſſes.
Mare.
Mater vitiorum.
Navis.
Nequitia.
Paralyticus.
Pixis perforata.
Piſces maris.
Porcus.
Poſſeſſores Avari.
Portæ mortis.
Rotæ molendini.
Servus.
Sterquilinium.
Stultus.
Talpa.
Tantalus.
Tinea.
Veſuvius.
Viſcus.
Vitulus aureus.

Varia alia de Avaritia. 17
Arbor noxia.
Canis.
Cervus.
Cithara.
Ebrietas.
Incus.
Radix juniperi.
Serpens.

Titulus XV.
S. AUGUSTINUS. ibid.
Abyſſus.
Angelus.
Anima Mundi.
Apoſtolus.
Augens.
Cherubim.
Cœleſtis Homo.
Columna.
Conditor antiquæ fidei.
Doctor Doctorum.
Firmamentum Eccleſiæ.
Gloria Africæ.
Imago Divinitatis.
Lingua Eccleſiæ.
Lucerna Eccleſiæ.
Malleus hæreticorum.
Officina.
Pater Patrum.
Par Angelis.
Sal Orbis univerſi.
Vena fontis æterni.

B.

Titulus I.
BAPTISMUS. 18
Aqua.
Diluvium.
Engaddi Fons.
Equus albus.
Fons.
Hyſſopus.
Jordanis fluvius.
Iris.
Lacus.
Mare rubrum.
Mare.
Mare vitreum.
Natatoria Siloe.
Purgatorium.
Sepulchrum.
Sponſalium locus.
Uterus Eccleſiæ.

Titulus II.
BAPTIZATUS. ib.
Aquila.
Lagenam Aquæ portans.
Ligna Libani.
Lilium.
Moyſes.
Reptilia in Aquis.

Titulus III.
S. BASILIUS. ib.
Aaron. Abraham, &c.
Columna.
Fax Eccleſiæ.

Titulus IV.
BEATITUDO ÆTERNA. ibid
Ager.
Altare.
Apotheca Dei.
Aurum.
Æſtas.
Caſtrum.
Cedrus.
Cellaria Dei.
Civitas.
Cœna.
Convivium pinguium.
Denarius.
Deſertum.
Deſiderium beatitudinis.
Dextera.
Dies.
Dies octava.
Ephraim mons.
Fons.
Horreum.
Horeb.
Lac.
Lapis pretioſus.
Lectulus Salomonis.
Littus.
Manipulus.
Margarita.
Meridies.
Numerus.
Palma.
Panis.

Paradiſus.
Ramatha Civitas.
Regio noſtra.
Roma.
Sabbatum.
Salomonis apparatus.
Septima Dies.
Stola filii prodigi.
Tabernaculum.
Templum.
Theſaurus.
Villa noſtra.

Titulus V.
BEATITUDO TEMPORALIS. 19.
Adjectiva.
Anguilla.
Aqua.
Avis.
Bulla.
Capillus.
Cinis.
Cutis.
Dextera.
Dies.
Equus.
Fabula.
Facies Dæmonum.
Flos fœni.
Flumina Babylonis.
Folium.
Foſſa, Fovea.
Fumus.
Gaudium vanum.
Hoſpitium.
Impedimenta viæ.
Indumenta.
Leva.
Lignum putridum.
Lutum.
Manus.
Molendinum.
Navis.
Nidus.
Nox.
Noxia.
Nuntius percurrens.
Olla fervens.
Onera.
Panis.
Paſcua.
Pavimentum.
Pili.
Pondus.
Pratum.
Pulvis.
Quaternarius numerus.
Retia.
Retinacula.
Rota.
Salices.
Sarcina vana.
Sepulchrum.
Somnium.
Stabulum.
Tenebræ.
Ubera noſtra.
Viaticum.
Uxor Loth.

Titulus VI.
S. BENEDICTUS, ET EJUS ORDO. 21.
Adam, Abel, Abraham, &c.
Angelus.
Ampliſſimus.
Benedictus.
Dilectus DEO, & hominibus.
Elias, Eliſæus, &c.
Filia ſegregata.
Firmamentum.
Flos.
Inclytus Ordo.
Inventor novæ regenerationis.
Lucerna.
Italiæ Lumen.
Parens Divorum.
Plenus Spiritu.
Præclarus.
Princeps Monachorum.
Specus.

Titulus VII.
S. BERNARDUS, ET EJUS ORDO. ib.
Agricola.
Angelus.
Aurum.
Columba.
Columna.

Omnia de S. Bernardo, & ejus Ordine promiſcuè.

Titulus XIII.
S. BRUNO, ET ILLIUS SACER ORDO. 22.

C.

Titulus I.
CARO. 24.
Aſina Balaam.
Affectus.
Caſtrum diaboli.
Dalila.
Fœnum.
Fragilitas humana.
Judæi.
Navis.
Nubes.
Paries.
Sicera.
Tympanum.
Velum.

Titulus II.
CARO CHRISTI. ibid.
Byſſus.
Clavis David.
Cordis pars ex piſce.
Diadema.
Filia Jephte.
Fimbria veſtimenti Chriſti.
Jumentum Samaritani.
Ligna Sethim.
Medicina Mundi.
Nubes.
Pallium Eliæ.
Paries.
Pili. Pix.
Pedes Agni.
Scabellum Dei.
Sponſa Dei.
Tabernaculum.
Templum.
Terra.
Urna aurea.

Titulus III.
CASTITAS. ib.
Aloe. Myrrhæ.
Angelus.
Aſcia.
Byſſus.
Cingulum.
Conabitator.
Cœlum.
Currus ſpiritualis.
Divitiæ æternæ.
Domus eburnea.
Donum DEI.
Ebur.
Fœnum.
Honor. Lampas.
Lilium.
Martyrium.
Oculorum frænum.
Onus leve.
Palma.
Portus tranquillus.
Prudentia cœleſtis.
Templum.
Theſaurus.

Titulus IV.
CELLA. 25.

Varia promiſcuè.

Titulus V.
CHARITAS. ibid.
Abolitio criminum.
Accipiter.
Acies.
Ærarium.
Æſtas.
Ala.
Alimentum.
Alumna B.V.
Apex virtutum.
Aranea.
Aurum.
Baltheus.
Calcar.
Calceus.
Calculus.
Calor animæ.
Caput.
Carbunculus.
Catena.
Cherubim.
Chryſolitus, Berillus, Topazius.
Collactanea prophetarum.
Columna omnium virtutum.
Compendium virtutum.
Condimentum affectionum.
Conjunctio, ſive Copulatio.
Corona.
Caminus in Jeruſalem.
Cervi tranſvadentes fluvium.
Caracter.
Chariſma.
Cibus.
Cingulum nobile,
Conſolatio dulcis.
Currus igneus Eliæ.
DEUS.
Defendit.
Dives.
Facies.
Facula.
Fermentum.
Ferrum ignitum.
Finis.
Formica.
Fructus illius.
Fumus aromatum.
Funiculus coccineus.
Funiculus triplex.
Gemma.
Gluten.
Jacob.
Ignis.
Inſuperabilis.
Inferni profundum.
Languor.
Lapis David contra Goliath.
Latitudo.
Lucrum Chriſti.
Lumen.
Magna res.
Margarita.
Mater bona.
Medulla.
Mel.
Mors criminum.
Mortem facit ſuavem.
Navis.
Nervus.
Nubecula.
Oculus.
Oleum.
Omnifica.
Omnis virtus.
Onus allevians.
Oſculum.
Palma.
Panis quotidianus.
Penna.
Pes animæ.
Phœnix.
Pignus DEI.
Pondus amantis.
Porta ſpecioſa.
Poſſeſſio Divina.
Proemium Summum.
Pupilla Oculi.
Quantitas animæ.
Radix.
Reconciliatrix.
Regina.

Robur ſpei.
Sabbatum.
Sal.
Scala.
Smaragdus.
Societas Electorum.
Somnus.
Sunamitis.
Tabula.
Triclinium.
Turris.
Veſtis.
Veſtis nuptialis.
Vinculum delicatum.
Vinum.
Unguentum.

Varia.

Titulus VI.

CHARITAS DEI, ET PROXIMI. ib.

Duo minuta.
Duæ tubæ.
Jugum ſuave.
Duo brachia.
Duo ubera.
Duo exploratores.
Duo Cherubim.

Titulus VII.

CHRISTUS DOMINUS. 28.

Aaron.
Abel.
Abiud.
Abia.
Abraham.
Achaz.
Achim.
Acervus teſtimonii.
Aculeus.
Adam.
Advocatus.
Agnus.
Agricola.
Alimentum.
Altare.
Altitudo noſtra.
Aminadab.
Amygdalum.
Angelus.
Apis.
Arca.
Aula ſancta.
Auriga.
Aurum ignitum.
Bellicoſus.
Botrus.
Brachium.
Calamus.
Calculus.
Camelus.
Candela.
Candelabrum.
Candor.
Caprea.
Caput.
Carbo.
Carbunculus.
Catulus Leonis.
Character.
Cervus.
Cibus.
Circulus.
Columba.
Columna nubis.
Cœlum cœli.
Cornu.
David.
Decus.
Denarius.
Dextera.
Dies.
Diſpenſator.
Divitiæ.
Doctor.
Dulcedo.
Elias.
Eliſæus.
Fabri filius.
Faſciculus Myrrhæ.
Fermentum.
Finis.
Flos.
Fluvius.
Fons.
Forma operum noſtrorum.
Fortitudo.
Frater.
Fructus.
Fuilo.
Gallina.
Gedeon.
Gigas.
Gladius.
Gloria Patris.
Gloriatio noſtra.
Granum.
Gubernator.
Hamus.
Hinnulus cervorum.
Hædus.
Homo.
Hoſtia.
Humilitas.
Jacob.
Jechonias.
Jeremias.
Jeſſe.
Ignis.
Indumentum.
Job.
Joſeph.
Lacrymæ Chriſti.
Lapis.
Leo.
Liber.
Libanus.
Lignum.
Lilium convallium.
Limen domus.
Lucerna.
Lux.
Magnes.
Mane.
Manipulus Joſeph.
Manna.
Manus.
Margarita.
Medicus. Medicina.
Medulla cedri.
Mendicus.
Mercator.
Miniſter.
Mons.
Moyſes.
Murus.
Negotiator.
Noe.
Nomen Jeſu.
Nubes.
Octavus dies.
Omnibus omnia.
Oriens.
Oſtium.
Panis.
Paterfamilias.
Pelicanus.
Piſcis.
Pſalterium, & Cithara.
Radius.
Radix.
Raphael noſter.
Regnum Cœlorum.
Rex.
Ros.
Sabbatum.
Sacerdos.
Saliva Chriſti.
Samaritanus.
Sapientia.
Semen.
Seminator.
Seraphim.
Serpens.
Sinapis granum.
Sol.
Sponſus.
Theologus magnus.
Theſaurus.
Venator animarum.
Veſtis.
Via.
Virga Aaron.
Vita animæ.
Vultur.

Titulus VIII.

CHRISTI D. INCARNATIO. 34

Accubitus.
Angelus.
Arca.
Calceamenta Chriſti.
Caprea.
Carbo.
Cataplaſma.
Dies.
Jacob.
Leo.
Paries.
Peregrinus.
Petra.
Pluvia.
Polymita.
Poſteriora Filii Dei.
Rubus ardens.
Seſſio Domini.
Splendor Solis.
Thuribulum.
Viſitatio.

Varia. ibid.

Titulus IX.

CHRISTI D. NATIVITAS. 35

Aquæductus.
Beatificatio hominis.
Collyrium.
Dies dulcis.
Firmamentum.
Fiſcella.
Fluvius.
Generatio.
Glorioſa.
Lapis.
Liber.
Medicina.
Miles.
Miſericordia dies.
Panis.
Panni infantis.
Pelicanus.
Reparatio ſalutis Humanæ.
Roratio Cœli.
Sol.

Varia. ibid.

Titulus X.

CHRISTI D. PASSIO. ibid.

Abel.
Acus foramen.
Adam ſecundus.
Agnus.
Aqua.
Aries.
Botrus.
Calix.
Camelus.
Candelabrum.
Chore.
Cithara.
David.
Didrachma.
Eliſæus.
Eſca.
Farina.
Granum.
Hoſtia.
Jephte.
Job.
Jonas.
Joſeph.
Iſaac.
Latus Chriſti.
Mala Punica.
Mare rubrum.
Margarita.
Myrrha.
Nardus.

Noe.

Noe.
Panis.
Paſſer.
Petra.
Phœnix.
Piſces.
Sanguis Chriſti.
Sepulchrum Chriſti.
Signaculum.
Serpens.
Sol Occidens.
Somnus.
Tympanum.
Vermis.
Vulnera Chriſti.

Varia. 37

Titulus XI.

CHRISTI D. RESURRECTIO. ibid.

Adam.
Botrus.
Caprea.
Catulus Leonis.
Clavis.
Columba.
Cryſtallus.
Daniel.
David.
Granum.
Sampſon.
Sol.
Virga.
Alia de Reſurrectione Chriſti Domini. ibid.

Titulus XII.

CHRISTI D. ASCENSIO. ibid.

Aquila.
Arbor.
David.
Elias.
Eliſæus.
Glorificatio noſtra.
Joſeph.
Manus Dei.
Novus Homo.
Paſſer ſolitarius.
Peregrinus Homo.
Radix.
Sicula.
Triticum.
Volatus.

De Chriſto Domino Varia alia premiſſuè. ibid.

Titulus XIII.

COGITATIONES. 38

Capilli.
Cincinni.
Cor.
Facies.
Homicidæ.
Ligna.
Nox.
Os animæ.
Ovis.
Pedes.
Pili.
Semen.
Spinæ.
Tela aranearum.

Titulus XIV.

CONCIONATOR. ibid.

Abyſſus.
Angelus.
Bos ruminans.
Calceamenta.
Cervus.
Cœlum.
Cœlorum concentus.
Cœmentarii.
Conſules terræ.
Currus, & auriga.
Fervor.
Flumina, & fulmina.
Flumen.
Fructus ubi nullus.
Fructus varii, & labores.
Gallus.
Gazophylacium.
Genæ Eccleſiæ.
Grando, & carbones ignis.
Lingua carnis medicinalis.
Mater Chriſti.
Maxilla Eccleſiæ.
Medicus.
Montes.
Novacula.
Nubes.
Orationi ſit addictus.
Organum, & Cithara.
Oſtia.
Paſcit.
Principes Eccleſiæ.
Prophetæ.
Ruminat.
Saluti etiam ſuæ ſludeat.
Sagittæ eorum verba.
Spinæ.
Stellæ.
Verus prædicator quis?
Vita conveniat verbis.

Titulus XV.

CONCUPISCENTIA CARNIS. 39.

Abſolon.
Adeps.
Alabaſtrum.
Aquæ.
Canis.
Dæmonium.
Favus.
Febris.
Fervor.
Folliculi granorum.
Forma Sæculi.
Gabaonitæ.
Inimici.
Jumenta.
Lac.
Motus fluctuum.
Novus.
Oliæ Ægypti.
Palpebræ.
Pecus.
Pluvia.
Pondus.
Sanguinis fluxus.
Sicera.
Socrus Petri.
Venter.
Vincula.
Vinea.
Vulnus.

Titulus XVI.

CONFESSIO. 40.

Antidotum.
Aries.
Cantus.
Frondes.
Gladius.
Judæa.
Medicina.
Opus Domini.
Piſcina probatica.
Victoria Dei.
Vitrum.

Titulus XVII.

CONSCIENTIA. ibid.

Aurum.
Civitas.
Dæmoniaca.
Domus.
Domus Dei.
Gladius.
Lac.
Lectus.
Sacerdos.
Spelunca.
Spina.
Terra bona.
Tortor.
Venter.

Titulus XVIII.

CONSILIUM. 41

Aurum.
Caſtra.
Civitas.
Oculus.
Ova aſpidum.
Semitæ.

Titulus XIX.

CONSOLATIO. ibid.

Aqua frigida.
Effundam aquas.
Flumen.
Lux.
Umbraculum.

Titulus XX.

CONTEMPLATIO ibid.

Ala.
Aquila.
Arx. Avis.
Ædificium.
Cantus.
Columbæ.
Facies.
Lectus animæ.
Mons.
Nubes.
Oculus.
Puteus.
Quercus.
Saliva.
Sepulchrum.
Tonſio capitis.
Turtur.

Titulus XXI.

CONVERSATIO. ibid.

Candelabrum.
Civitas.
Cœlum.
Flores.
Lectulus Salomonis.
Regnum Cœlorum.
Turtur.

Titulus XXII.

CONVERSIO. 42.

Cibus.
Digitus DEI.
Eſca Juſtorum.
Hoſtia.
Vellicatio ſpicarum.
Vitulus.

Titulus XXIII.

COR. ibid.

Abyſſus.
Ager.
Altare.
Caput.
Caſtellum.
Cogitatio.
Columba.
DEUS.
Facies.
Piſcella Moyſis.
Fons.
Hemiſpherium.
Intentio.
Mons.
Monumentum.
Princeps.
S. Scriptura.
Semita.
Templum.
Thuribulum.
Vagina.
Urna aurea.

Varia. ibid.

Titulus XXIV.

CORPUS CHRISTI D. ibid.

Arca.
Calculus.
Cervical.
Fons.
Granum frumenti.
Loth.
Mons Selmon.
Panis.
Pruina.
Templum.

Titulus XXV.

CORRECTIO DURA. ibid.

Calix DEI.
Virga.

Titu-

Titulus XXVI.
CORRECTIO LENIS. 43.
Captura.
Gemma in nido.
Unguentum.
Titulus XXVII.
CRUX CHRISTI DOMINI. ibid.
Abolitio peccati.
Abundantia inopum.
Aculeus mortis.
Altare.
Antenna.
Aratrum.
Arbor.
Arca Noe.
Baculus.
Baptismus.
Beatitudo.
Calix.
Cibus.
Cithara.
Civitas.
Clavis Paradisi.
Corona nostra.
Firmamentum.
Infirmorum virtus.
Lignum.
Reliqua de Cruce promiscuè. 16
Titulus XXVIII.
CUPIDITAS TEMPORALIUM. 44
Ancilla.
Corpus.
Exilium Patriæ.
Flumen.
Gibbus.
Hydria.
Ignis.
Inferiora terræ.
Navis.
Perambulatio maris.
Tempestas.
Vaccæ pingues.
Titulus XXIX.
CURA SÆCULI. ibid.
Catena.
Mare.
Miles DEI.
Mola asinaria.
Pera.
Spinæ.
Tunica.
Vincula.

D.

Titulus I.
DAMNATIO. 45.
Abyssus.
Calix DEI.
Frænum.
Sanguis.
Ventus.
Titulus II.
DESIDERIUM. ibid.
Equus.
Fames animæ.
Fumus.
Gemma.
Hyacinthus.
Sitis.
Thesaurus.
Thuribulum.
Titulus III.
DETRACTOR. ibid.
Barbitonsor.
Ciconia diaboli.
Cornua decem.
Fur.
Gladius diaboli.
Laqueus.
Titulus IV.
DEVOTIO. ibid.
Adeps.
Corona.
Flos.
Humor.
Lingua animæ.
Oleum.
Penna.
Pinguedo.
Thus.
Titulus V.
DEUS ibid.
Alæ DEI.
Amasius.
Artifex.
Baculus fulciens.
Caput.
Deferens hominem.
Formæ variæ.
Fulgur.
Gallina.
Ignis.
Scriba.
Scutum.
Sol.
Templum.
Vita animæ.
Varia. 46
Titulus VI.
DIABOLUS. ibid.
Abimelech.
Abyssus.
Ægyptius.
Aleator.
Angelus abyssi.
Aquilo.
Anima illius.
Assur.
Aves.
Babylonis Rex.
Bestia.
Caput malorum.
Carbonarius.
Carnifex.
Catuli.
Cete.
Cocus:
Damascus.
Draco.
Eques.
Erraticus.
Falcones.
Fœnerator.
Fortis.
Fur.
Gigantes.
Goliath.
Hai Rex.
Holofernes.
Homo iniquus.
Impius.
Incantator.
Infernus.
Joab.
Laban.
Latro.
Lectus illius.
Leo.
Lucifer.
Lupus.
Malleus.
Malum.
Mercator.
Milvus.
Mons.
Mors.
Myrmicaleon.
Pater Impiorum.
Pharao.
Philisthiim.
Perdix.
Porcus.
Porta lata.
Porta Inferi.
Portæ mortis.
Regulus.
Rex.
Sator.
Scandalum.
Scorpius.
Sculptor.
Sequela illius.
Serpens.
Spiritus Domini.
Tentator.
Venator.
Ventus.
Volucres.
Vulpecula.
Uxor diaboli quæ?
Titulus VII.
DISCIPLINA. 48
Ager.
Ancilla DEI.
Ariadnæ filum.
Virga.
Titulus VIII.
DISCRETIO. ibid.
Calamus.
Clavis cœli.
Digiti.
Frænum.
Monile.
Nasus.
Palpebra.
Titulus IX.
DIVINITAS. ib.
Altare.
Caput.
Mel.
Solium.
Vestitus deauratus.
Titulus X.
DIVITIÆ DIVES. ibid.
Aurum quid?
Canis.
Cedrus.
Fundamenta montium.
Laqueus.
Miseriæ divitum.
Noxiæ.
Onus.
Pinguedo.
Pullus.
Sæviunt.
Schola malitiæ.
Somnium.
Sordes Mammonæ.
Sterquilinium.
Titulus XI.
DOCTOR. 49
Ara.
Balsamum.
Barba.
Botrus.
Campsores.
Cataractæ.
Cervus, & Mercenarius.
Collum.
Columba.
Columnæ argenteæ.
Cophini.
Custodes civitatis.
Digiti.
Isaac pueri.
Labia.
Laquearia.
Ligna Libani.
Luminaria.
Mammæ.
Negotiatores.
Oculus.
Paranymphus.
Phialæ.
Portæ Ecclesiæ.
Reclinatorium aureum.
Reges.
Vitta;
Titulus XII.
DOCTRINA: ibid.
Aqua profunda.
Fermentum Ecclesiæ.
Gladius Christi.
Gloria Christianorum.
Infirmitas.
Manna.
Margarita.
Mel.
Nutrix virtutum.
Panis.
Regnum DEI.

Ros.
Ubera.
Vestimenta.
Vinum.
Titulus XIII.
DOCTRINA CATECHETICA. ibid.
Apex doctrinarum.
Lac.
Ubera.
Titulus XIV.
DOLUS. 15. lit. V.
Acetum.
Arcus.
Fovea.
Tela.
Titulus XV.
S. DOMINICUS ET EJUS ORDO. ibid.
Titulus XVI.
DONA S. SPIRITUS. lit. V.
Collyrium.
Columba.
Creatores.
Dies septem.
Fontes.
Lampades septem.
Læva.
Lucernæ septem.
Lychni septem.
Margaritæ.
Oculi Sponsi.
Oleum.
Panes septem.
Sportulæ.
Unguentum.

E.

Titulus I.
EBRIETAS. 51
Causa malorum.
Diabolica.
Filiæ duæ gulæ.
Mater fornicationis.
Obsidioni similis.
Pascue diaboli.
Tempestas.
Tenebræ.
Variæ ebrietates.
Titulus II.
ECCLESIA. ibid.
Acies.
Aer.
Æthiopissa.
Agna.
Altare.
Angulus.
Anna.
Aquila.
Arbor.
Arca Noe.
Arcturus.
Area.
Atrium.
Aurora.
Beniamin.
Bethlehem.
Candelabrum.
Castra DEI.
Catholica.
Caula.
Chananæa.
Cella vinaria.
Civitas.
Cœlum.
Cœnaculum grande.
Columba.
Columna.
Conservus.
Cornu.
Corona.
Corpus.
Currus Dei.
Depositorium.
Discus Petri.
Domus.
Esther.
Eva.
Ferculum.
Filia Pharaonis.
Firma.
Firmamentum.
Fons.
Formosa.
Hastile candelabri.
Hæmorrhoyssa.
Hæreditas Christi.
Hydriæ.
Jacob.
Jahel.
Jerusalem.
Isaac.
Issachar.
Introitus vitæ.
Lazarus.
Lectulus Salomonis.
Libanus.
Lilium.
Linteum Petri.
Locus.
Lucerna.
Luna.
Machabæa.
Magdalena.
Magna.
Malogranatum.
Malum Punicum.
Maria.
Martha. Maria.
Mensa.
Meridies.
Mons.
Mulier.
Navis.
Nuptiæ.
Oculus.
Pallium Christi.
Palma.
Panis.
Paradisus.
Petra.
Petrus.
Polymita tunica.
Populus Israel.
Porta.
Portus.
Profundum.
Pullus.
Puppis.
Raab.
Rachel.
Rebecca.
Regina Austri.
Regnum Dei.
Romana.
Rubus ardens.
Ruth.
Sagena.
Samaritana.
Sara.
Sareptana.
Sedes Dei.
Semen Abrahæ.
Sephora.
Sion.
Sol.
Soror. Sponsa Christi.
Sponsalium locus.
Syrophænissa.
Tabernaculum.
Templum.
Terra.
Thamar.
Thronus.
Torcular.
Tunica.
Turris.
Turtur.
Tympanistria.
Vestimentum Christi.
Vidua.
Vinea.
Titulus III.
ELEEMOSYNA. 55
Abundat.
Advocata.
Arbor.
Artifex.
Cambium.
Cœlo nota.
Cœlum attingit.
Defectum non patitur.
DEO similes facit.
Divitiarum pulchritudo.
Fiducia.
Formica.
Herba seminalis.
Jejunium sine Misericordia.
Lanificium.
Lumen.
Magna res.
Mensa numulariorum.
Mercator.
Meritoria quæ?
Monile aureum.
Oleum.
Pelves.
Perdit nihil.
Puteus.
Roborat.
Sacrificium.
Sinus Abrahæ.
Thesaurus cœli.
Alia. 56.
Titulus IV.
EVANGELIUM. 57.
Butyrum.
Clypeus.
Flumen.
Gladius.
Incus.
Mna.
Mons.
Panis.
Pisces.
Pluvia.
Quadriga.
Quartus dies.
Rationale.
Regnum Dei.
Sagena.
Ubera.
Vestimentum Christi.
Vinum optimum.
Titulus V.
EUCHARISTIA. ibid.
Adeps.
Admirabilis.
Affluentia charisinatum.
Agnus Dei.
Alimentum vitale.
Alimonia cœlestis.
Amor amorum.
Antidotum.
Antitypa.
Apotheca.
Aqua.
Aquila.
Arca fœderis.
Arca Dei.
Archetypus Paschatis.
Aries fecundus.
Arrhabo.
Bacchica nostra.
Benedictio beatifica.
Bonum.
Bonum Gratia.
Botrus Cypri.
Buccella.
Calculus candidus.
Calix admirandus.
Candela.
Canticum novum.
Carbo Divinus.
Carbunculus.
Caro resurrectionis.
Causa resurrectionis.
Celebratio pietatis.
Cellarium.
Charitatis Sacramentum.
Cibus compositus.
Cœna.
Columna.

Commemoratio.
Conversatorium.
Convivium cœleste.
Copula nuptiarum cœlestium.
Corona.
Corpus humilitatis Domini.
Dapes.
Dapifer.
David.
Defensaculum.
Delibatio.
Dieta.
Divitiæ.
Donum.
Dulcedo.
Effigies Passionis Christi.
Epulæ vitales.
Esca.
Exequiæ Christi.
Expiamentum.
Farina.
Fasciculus Myrrhæ.
Favus.
Ferculum.
Fidelia.
Figmentum Dei.
Firmamentum.
Fons.
Fructus dulcis.
Fundamentum fiduciæ.
Gemma.
Gloria Dei.
Hæreditas Christi.
Holocaustum.
Hostia.
Humilitas Christi.
Jacob.
Ignis Divinus.
Imago Passionis.
Indumentum.
Initium Divinum.
Josias.
Lac.
Lapis.
Legatio.
Lignum vitæ.
Locus pascuæ.
Lux.
Manna.
Massa ficorum.
Medicina.
Melchisedech.
Memoria Passionis.
Mensa.
Ministerium.
Miraculum.
Mons.
Monimentum.
Mysterium.
Nervus salutis.
Nubes.
Numerus 25
Opus Divinum.
Ovis.
Pallium Christi.
Panis.
Paradisi Fons.
Pax.
Pectusculum.
Petra.
Pignus vitæ.
Pretium Redemptionis.
Pulmentum Deitatis.
Purpura.
Regnum Dei.
Remedium Sanctitatis.
Requies Beatorum.
Sacramentum.
Sacramentum Societatis Jesu.
Sacrificium.
Salus nostra.
Scabellum Dei.
Signaculum mysteriorum.
Speculum.
Spiritus oris nostri.
Stipendia Divina.
Stipendium.
Templum.
Testamentum.
Thesaurus.
Victima.
Vinum.
Vitulus saginatus.
Votum nostrum.

Varia. 59

Titulus VI.

EXEMPLUM BONUM. 60
Calcar.
Calceus.
Cœlum.
Esca.
Liber vitæ.
Luna.
Sal.
Sol.
Portæ inferi.

F.

Titulus I.

FIDES. ibid.
Abraham.
Altare.
Altitudo.
Annulus.
Arca Testamenti.
Argumentum.
Armatura.
Caligo.
Candelabrum.
Condimentum.
Cornu.
Dextera.
Dies.
Donum Dei.
Drachma.
Equus.
Facies.
Fasciculus hyssopi.
Finis.
Flores.
Folia.
Fundamentum.
Granum sinapis.
Illuminatio.
Initium salutis.
Instrumentum.
Itineris prævia.
Lapides duodecim.
Lucerna.
Lumen.
Luna.
B. V. MARIA.
Matutina Stella.
Medicina.
Minutum.
Oculus dexter.
Panis.
Patrimonium.
Pes.
Petra.
Prælibatio cœli.
Principium vocationis Divinæ.
Rachel.
Radix arboris.
Regnum DEI.
Rete.
Scala.
Scutum.
Sephora.
Speculum.
Stella.
Tactus.
Thesaurus.
Vestis.
Vexillum.
Umbra Christi.

Titulus II.

FIDES, SPES, CHARITAS. 61
Abraham, Isaac, Jacob.
Altitudo, latitudo, longitudo.
Asyli tres urbes.
Dies tres nuptiarum.
Fimbriæ.
Fundamentum.
Herbæ.
Navis.
Panis, piscis, ovum,
Principium, & finis.
Sere tres.
Tridens.
Vades tres.
Vincula tria.
Viæ.

Titulus III.

FIDELES. 62
Abel.
Acervus lapidum.
Apiculæ.
Bajuli botri.
Capilli.
Carbones.
Cincinni.
Civitas.
Columbæ.
Columnæ.
Comæ Sponsi.
David.
Dextera.
Dies.
Domus.
Filii Apostolorum.
Filii Sponsi.
Frumentum.
Galaad.
Grana.
Jacob.
Incus.
Lapis.
Luminaria.
Oculi Columbæ.
Oves.
Stellæ.
Templum.
Vineæ.
Utres.

Titulus IV.

FORTITUDO. ibid.
Adamas.
Æs.
Arcus.
Armatura.
Aurum.
Baculus.
Barba.
Brachium.
Capilli.
Indumentum.
Lorica.
Miles.
Os.
Quadratus lapis.
Virga.
Vox Domini.

Titulus V.

FRAGILITAS. 63
Calcaneus.
Capilli.
Lagena.
Testa.
Venter.
Umbilicus.

Titulus VI.

S. FRANCISCUS SERAPHICUS. ibid.
Æmulator Christi.
Amicus Christi.
Angelus.
Apostolicus Vir.
Ara clementiæ.
Columna.
Dux.
Funiculus.
Lumen.
Palma.
Salvator.
Sidus.
Stella.
Vexillifer Christi.

Titu-

Titulus VII.

S. FRANCISCUS DE PAULA. ibid.
Æmulus DEI.
Angelus.
Doctor.
Heros.
Magnus DEO.
Moyses.
Samuelis æmulus.
Sol.
Thaumaturgus.

G.

Titulus I.

GAUDIUM. 64
Aqua.
Fercula cœli.
Fluvius.
Nomen JESU.
Oleum.
Regnum DEI.
Torrens voluptatis.

Titulus II.

GENTILIS POPULUS. ib.
In Agro duo.
Aquæ.
Aquæ salsæ.
Aquilo.
Asina.
Asinæ pullus.
Asinus.
Bajulus botri.
Bestiæ agri.
Camelus.
Canes.
Cœcus.
Circa viam.
Columbæ.
Dæmoniacus. *Matthæi* 8.
Dromedarii.
Femur.
Feræ.
Hyems.
Idola.
Lapides.
Mendicus.
Pagani.
Pallium.
Pisces.
Pullus.
Quatuor millia. *Matth.* 15.
Simon leprosus.
Sylvæ.
Tenebræ.
Ubera duo.
Uxores Gedeon.
Zachæus.

Titulus III.

GLORIA VANA. 65
Ærugo.
Arbor juxta viam.
Basiliscus.
Canales.
Fundamenta montium.
Fur.
Glacies.
Hostis.
Luxuria spiritualis.
Mercator.
Pluviculus.
Sagitta.
Semina.
Telum diaboli.
Tempestas.

Titulus IV.

GRATIA DEI. ibid.
Adamas.
Angelus.
Aqua.
Arca.
Columba.
Crinis Nazaræi.
Cyprus.
Dies.
Drachma.
Equus animæ.
Facies.
Humilitas.
Incaustum.
Lac.
Lux.
Magistra.
Nuntius DEI.
Oleum.
Oliva.
Paradisus.
Participatio Divinæ naturæ.
Pluvia.
Poculum inebrians.
Puteus.
Radix.
Renovatio juventutis.
Ros.
Sagitta.
Septem.
Sors.
Sputum.
Stella.
Ubera.
Vinum.
Vita.

Titulus V.

GULA. 66
Accipiter.
Avis.
Brutum.
Caligo.
Canis.
Deturpat omnia.
Esau.
Febris.
Fons.
Fovea.
Frænum.
Mare.
Mater fornicationis.
Mater vitiorum.
Modius.
Obscurat mentem.
Porcus.
Regius morbus.
Saccus perforatus.
Tributarius ventris.

H.

Titulus I.

HÆRETICI. HÆRESIS. ibid.
Aaron filii.
Abiu.
Adulteri.
Alienigenæ.
Amalias.
Amici Job.
Angues.
Anti-Christi.
Apostatæ.
Arena.
Babylonia.
Bestiæ.
Bethsamitæ.
Canes.
Cœci.
Caupones.
Cham.
Chamæleontes.
Chore, Dathan, Abiron.
Cetura.
Ciniphes.
Cisternæ dissipatæ.
Columnæ sepulchrales.
Dathan, & Abiron.
Discipuli diaboli.
Dracones.
Ephraim. Samaria.
Equi diaboli.
Facula.
Feræ.
Flumina.
Fures.
Gelboe Montes.
Gladius Goliath.
Goliath.
Hostes.
Jezabel.
Ignis.
Illusores.
Impetigo.
Impudici.
Judices.
Juniores. *Job* 30.
Lamiæ.
Lapides secti.
Leones.
Leprosi.
Lupi.
Meretrix.
Ministri diaboli.
Montes naufragosi.
Mulier improba.
Naves.
Nox.
Onager.
Operarii subdoli.
Organum diaboli.
Ostia tenebrosa.
Paleæ.
Palmites abscissi.
Pardi.
Peccatores.
Poculum lethale.
Porci.
Porta inferni.
Præda dæmonum.
Putei abyssi.
Rivi concisi.
Sciniphes.
Scorpiones.
Semina diaboli.
Sepulchra.
Serpentes.
Sinistra.
Sophistæ.
Spina.
Stella.
Tabernacula.
Tinea.
Vasa mortis.
Vastatrix bestia.
Venti.
Vespertiliones.
Viperæ.
Umbra mortis.
Vulpes.
Zizania.

Titulus II.

HOMO. 68
Abyssus.
Ager.
Angelus.
Aqua.
Arbor.
Cedrus.
Cera.
Drachma.
Ephemeris.
Filius DEI.
Folium.
Fragile vitrum.
Imago DEI.
Infirmus.
Laguncula.
Manipulus.
Microcosmus.
Miraculum.
Mundus.
Navis.
Nubes.
Omnia.
Opus DEI.
Ovis.
Piscis.
Portio Mundi.
Pratum.
Regulus.
Reptile.
Servus.
Spectrum.
Templum.
Terra.
Vas.

Varia promiscuè. 69
Hominis nihilum.
Titulus III.
HUMANITAS CHRISTI. ib.
Altare.
Butyrum.
Cincinni Sponsi.
Femur.
Manna.
Nubes.
Paries.
Pedes.
Purpura.
Tabernaculum.
Templum.
Thronus.
Thuribulum.
Titulum IV.
HUMANUM GENUS. 70
Arida manus.
Cœcus.
Captivus.
Hæmorrhoissa.
Lazarus.
Leprosus.
Saul.
Titulus V.
HUMILITAS. ibid.
Ablactatio.
Abscondit sua.
Adamas.
Alta est.
Altare.
Alumna B. V.
Amica Christi.
Arbor.
Aurum.
Balsamum.
Basis.
Calceamentum.
Canalis.
Cinamomum.
Cinis virtutum.
Color viridis.
Concavitas Christi.
Convallis.
Currus.
Custos virtutum.
David.
Discipula Christi.
Disciplina virtutis.
Dos Sponsi.
Ethica.
Felicitas.
Finis, & principium.
Flos.
Fossa.
Gracilitas Sponsæ.
Granum frumenti.
Gloria Christianorum.
Habitus.
Hyssopus.
Lapis pretiosus.
Magna.
Muscus.
Nardus.
Nihilum.
Oleum.
Paupertas spiritualis.
Petra.
Porta.
Possessio eximia.
Ramus.
Reclinatorium.
Scala.
Scutum.
Sidus.
Varia promiscuè. 71
Titulus VI.
HYPOCRISIS. ib.
Arbor florida infructuosa.
Fermentum.
Fœnum viride.
Fovea.
Sion.

I.
Titulus I.
JEJUNIUM. 72
Agilitas.
Ala.
Alimentum animæ.
Angelorum imitatio.
Anima orationis.
Aratrum.
Arma.
Canes docent jejunare.
Castitas.
Castra nostra.
Cohabitator.
Comes sobrietatis.
Comes itineris.
Corrigit vitia.
Disciplina juventutis.
Eleemosyna cum jejunio.
Flos Palmæ.
Frænum.
Mansiones.
Mater sanitatis.
Medicina.
Navis.
Oratio cum jejunio.
Parcitas ignis.
Pedes.
Portus.
Quadragesimale jejunium.
Vehiculum.
Unctio.
Varia promiscuè. ibid
Titulus II.
S. IGNATIUS LOYOLA. 73
Abraham.
Abstractus.
Anima.
Ara.
Cherubim. Seraphim.
Columna Ecclesiæ.
Defensor Ecclesiæ.
Digitus DEI.
Dux militiæ.
Granum sinapis.
Jacob.
Intelligentia.
Lucerna.
Lumen Ecclesiæ.
Melchisedech.
Speculum.
Thesaurus Mundi.
Titulus III.
SOCIETAS JESU. ib.
Acadëmia probitatis.
Acies ignea.
Æacidæ invicti.
Ager fertilis.
Agricolæ.
Alveare.
Amplissima.
Angeli.
Antesignani fidei.
Apostoli.
Apostolorum Coadjutores.
Arx Religionis.
Benedicta Societas.
Brachium Ecclesiæ.
Calamus Scribæ.
Carnificina cupiditatum.
Centuria Christi.
Columna Ecclesiæ.
Composita Religio.
Digitus DEI.
Divinus Ordo.
Emporium animorum.
Equus Trojanus.
Excitata à DEO.
Exploratores expediti.
Expugnatores ignorantiæ.
Familia sancta.
Gemmæ.
Gloria disciplinarum.
Gloriæ Divinæ prima istrumenta.
Grata cœlo.
Gymnasium virtutis.
Joseph.
Laudatissimum Institutum.
Legio DEI.
Magnus Ordo.
Mater Sanctorum.
Naucleri peritissimi.
Nubes.
Officina litterarum.
Operarii novissimi.
Pallas.
Palmites.
Perfectio Sæculi.
Pernecessaria.
Porta Paradisi.
Præsidiaria manus.
Pupilla Oculi.
Sacratissima Societas.
Satores germanæ doctrinæ.
Servi utiles.
Societas ingeniorum.
Spes firmissima.
Victrix hæresum.
Vinea electa.
Universitas.
Varia promiscuè de eadem. ib.
Titulus IV.
IGNORANTIA. 75
Achis.
Cœcus.
Caligo.
Nox.
Palea.
Tenebræ.
Titulus V.
INNOCENTIA. ibid.
Agna.
Agni.
Columba.
Ovis.
Pullus Columbæ.
Vestimentum album.
Titulus VI.
INTELLECTIO SEU COGNITIO. ibid.
Auditus.
Facies DEI.
Fermentum.
Fragmentum Panis.
Janua.
Lux.
Oculus.
Penna.
Puteus.
Stella.
Vas aureum.
Titulus VII.
INTELLECTUS. ib
Arma spiritualia.
Aures.
Dominus Domus.
Facies.
Fons.
Lectus.
Liber.
Lux.
Mons.
Oculus.
Pes.
Pestes.
Ramus animæ.
Sepes animæ.
Sidus.
Sol.
Tectum.
Torques.
Uber.
Vir.
Titulus VIII.
INTENTIO BONA. 76
Abstractio à materia.
Amussis.
Apertio oris.
Aquila.
Panes Azymi.
Candelabrum.
Capilli.
Cor.
Dextera.
Fundamentum perfectionis.

Lucer-

Lucerna Corporis.
Oculus.
Varia.
Titulus IX.
INVIDIA. ibid.
Acrisiæ Sodomorum.
Aqua.
Basiliscus.
Cain.
Canes.
Contentionis materia.
Corruptela naturæ.
Diaboli malum.
Doctrina serpentis.
Draco.
Equus diaboli.
Excœcat.
Febris putrida.
Fera pessima.
Hostis intestinus.
Ignis.
Judas.
Labes vitæ.
Lepra.
Lupus.
Magister impius.
Malum.
Mare.
Menstruatæ oculus.
Paralysis.
Pestiferum malum.
Procella.
Putridus fructus.
Scarabæus.
Telum.
Vermis. Tinea.
Vipera.
Titulus X.
S. JOANNES BAPTISTA. 77.
Alumnus eremi.
Amicus Sponsi.
Angelus.
Auris.
Clausula Prophetarum.
Decollatio illius.
Elias.
Evangelium.
Gloria Legis.
Horizon.
Initium Evangelii.
Lex.
Lucerna.
Lutum.
Magnus Homo.
Præco Christi.
Servus. 22. *Matth.*
Testis lucis.
Titulus XI.
S. JOANNES. EVANGELISTA. ibid.
Anima sancta.
Aquila.
Columna Ecclesiæ.
Contemplativa Vita.
Ecclesia.
Epulator.
Gratia.
Interpres secretorum.
Oleum.
Organum.
Præcursor.
Sol Evangelii.
Theologus.
Titulus XII.
JOB. ibid.
Athleta magnus.
Civitas.
Columba.
Columna.
Lilium inter spinas.
Nobilis anima.
Petra.
Tuba ductilis.
Vas pretiosum.
Vulcera illius.
Vxor illius.
Titulus XIII.
IRA. 78.
Clamor.
Febris.
Febricitat.
Festuca.
Incendiaria.
Lunatica.
Magistra peccati.
Olla fervens.
Titulus XIV.
JUDÆI. ibid.
Absolon.
Achis.
Apri.
Arena.
Arida manus.
Asinus Abrahami.
Bajulus botri.
Bestiæ.
Bos.
Cain.
Caiphas.
Camelus.
Cervi.
Cham.
Cives. *Luc.* 19.
Cæcus.
Dives epulo.
Esau.
Fera pessima.
Ficus.
Filii alieni.
Fratres Epulonis.
Genimina viperarum.
Herbæ exsiccatæ.
Hædus. *Gen.* 27.
Hydra.
Ismael.
Lapides.
Latro sinister.
Locustæ.
Lupi.
Malchus.
Manasses.
Manus leprosa Moysis.
Mercenarius.
Milites Saulis.
Montes.
Moyses.
Mulieres.
Olla succensa.
Parvuli.
Patria Christi.
Pharisæus orans.
Pisces.
Piscina probatica.
Pulvis.
Filius Reguli.
Ruben.
Sanguis.
Saul.
Scabellum Christi.
Servus. *Matth.* 18.
Sinistra.
Spinæ.
Testes falsi.
Thamar.
Vestes Christi.
Titulus XV.
JUDICIARIA POTESTAS. 79.
Claves.
Divina participatio.
Gladius.
Sedes.
Titulus XVI.
JUDICIUM. ibid.
Arcus.
Beneficium.
Galea.
Porta.
Vterus.
Titulus XVII.
JUDICIUM EXTREMUM. 80.
Æstas : Hyems.
Dies mala.
Incendium Sodomiticum.
Messis.
Subjectio.
Titulus XVIII.
JUSTITIA. ibid.
Amethystus.
Arma.
Baculus.
Dea Microcosmi.
Gladius.
Lapis molaris.
Manus.
Mons.
Oculus.
Quadratura.
Regnum DEI.
Vinea.
Virga.
Titulus XIX.
JUSTUS. ibid.
Ager.
Altare.
Aranea.
Avis.
Candelabrum.
Cœlum.
Ficus bona.
Folium virens.
Framea.
Frater Angelorum.
Oliva.
Ovis.
Poma nova, & vetera.
Pullus gallinæ.
Regnum cœlorum.
Templum.
Vestis Christi.
I.
Titulus I.
LACRYMÆ. 81.
Arbor casiata.
Arma.
Diluvium.
Mare rubrum.
Panis.
Potus.
Sciphones.
Sudor animæ.
Titulus II.
S. LAVRENTIUS. ibid.
Consul Romanus.
Granum sinapis.
Municeps cœlestis.
Piscis assus.
Propugnator Fidei.
Vigil.
Vir.
Titulus III.
LEX NOVA. ibid.
Arcus.
Butyrum
Cibus solidus.
Gladius.
Margarita.
Oliva.
Panes septem. *Matth.* 15.
Puteus.
Vbera.
Vestis Ecclesiæ.
Via.
Vinea.
Titulus IV.
LEX VETUS. ibid.
Aqua amara.
Baculus Elisei.
Crusta panis.
Lac.
Lucerna.
Maceria.
Oliva.
Panes quinque. *Matth.* 14.
Porticus.
Sedilia viginti quatuor.
Vinum.
Titulus V.
LEX SACRA. ibid.
Cænaculum.

Ficus.
Lux.
Observatio omnium.
Pons.
Sepes.
Vinea.
Urias.

Titulus VI.
LINGUA. 82

Cithara.
Framea.
Monacha.
Ostiaria cœli.

Titulus VII.
LUXURIA, LUXURIOSUS. ib.

Abimelech.
Amalech.
Aqua.
Asinus.
Canis.
Carbo ignitus.
Clavus.
Dalila.
Dolores mortis.
Dæmoniacus.
Equus.
Esca diaboli.
Favus.
Febris continua.
Festuca.
Fluxus Sanguinis.
Fovea.
Fumus.
Gabaonitæ.
Gehenna.
Herodiani.
Hædi.
Homicidæ.
Hydra.
Hydropisis.
Ignis.
Ignis Græcus.
Inimici.
Lac.
Lapis offensionis.
Lectus.
Lepra.
Lolium.
Lunaticus.
Mare.
Mel.
Mercator.
Metropolis.
Mulus.
Musæ.
Navis.
Olla.
Ostium diaboli.
Pecora.
Porcus.
Portio diaboli.
Quercus.
Reges malorum.
Sagena.
Scorpio.
Siliquæ.
Spinæ.
Stercus.
Sulphur.
Tinea.
Tympanum.
Vallis.
Vinea.
Vinum.

M.

Titulus I.
S. MAGDALENA. 83

Abyssus.
Apostola.
Arcus.
Ducatus illius.
Figura Ecclesiæ.
Forma pœnitentiæ.
Medicina.
Prædicatrix.
Stella.

Titulus II.
MAGISTER. ibid.

Agricola.
Aquila.
Artifex.
Collega Angelorum.
Lex. Propheta.
Palmes.
Parens.
Sal.

Titulus III.
MALUS HOMO. 84

Arena.
Chimæra.
Ficus mala.
Guttæ noctium.
Jumentum impudens.
Lupus.
Palea.
Princeps.
Spinæ. Vepres.
Sylvæ. Ligna.
Ventus.

Titulus IV.
MANUS. ibid.

Amicus.
Arcus.
Auxilium.
Diaconus.
Intentio.
Justitia.
Misericordia.
Manus corporis.
Potentia.
Potestas.
Protectio.
Vinculum.
Voluntas.

Titulus V.
MANUS DEXTERA. ibid.

Æstimabile quid?
Dilectio pura.
Prosperitas.
Sæculum futurum.

Titulus VI.
MARE. ibid.

Baptismus.
Cura Sæculi.
Damnatio.
Fortuna.
Gentiles.
Infernus.
Mutabilitas.
Pœnitentia.
Populi.
Prosperitas.
Scholæ Religiosæ.
Societas mala.
Tribulatio.

Titulus VII.
SANCTI MARTYRES. 85

Accervus testimonii.
Agni.
Amici Christi.
Aurei.
Baptismus.
Calix inebrians.
Canes.
Cives cœli.
Columnæ Fidei.
Equi.
Fructus justitiæ.
Frumentum.
Genæ Ecclesiæ.
Granum sinapis.
Heroes nostri.
Holocausta.
Lucernæ.
Mala granata.
Mala Punica.
Mare Rubrum.
Milites Christi.
Myrrha.
Oriones.
Pisces assi.
Poma.
Rami.
Rosa.
Serpentes.
Tympanum.

Titulus VIII.
MEMBRA CHRISTI. ibid.

Aures.
Voluntas.
Brachia.
Adventus Christi.
Capilli.
Angeli, Sancti.
Caput.
Divinitas.
Facies.
Misericordia.
Cognitio.
Potentia.
Sacramenta.
Labia.
Testamentum utrumque.
Revelatio.
Lingua.
Spiritus Sanctus.
Manus.
Tribulatio.
Dextera, & sinistra.
Gloria futura.
Os.
Pedes.
Ubera.
Uterus.

Titulus IX.
MEMBRA HOMINIS. 86

Aures.
Capilli.
Cor.
Ærarium.
Ager.
Altare.
Arca.
Caminus DEI.
Codex.
Consilium.
Cubile.
Curia.
Firmamentum.
Grabatum.
Hortus.
Hospitium DEI.
Liber.
Manus, & linguæ concordia.
Mare.
Misericordia.
Molendinum.
Nidus.
Paries.
Pascua.
Passer.
Patena.
Pelvis.
Petrarum caverna.
Rex.
Sepulchrum.
Templum.
Terra.
Tuba ductilis.
Venter.
Caro, Corpus.
Ager.
Arena.
Carcer.
Castrum.
Chorda.
Cithara.
Cœlum.
Congeries malorum.
Conjux.
Domicilium animæ.
Domus.
Equus.
Gurgustium animæ.
Instrumentum musicum.
Laqueus.
Lectus.
Lectus doloris.
Mortalitas.
Navis.
Oculus.
Ossa.

Psalterium.
Tabernaculum.
Tectum.
Tunica.
Tympanum.
Velum.
Vestis animæ.
Caput.
Arbitrium liberum.
Contemplatio.
Mens.
Collum.
Præsumptio.
Dentes.
Cogitationes.
Religiosi.
Dextera.
Amicus.
Præsumptio.
Facies.
Cogitatio.
Frons.
Humeri.
Lingua.
Clavis.
Cor.
Fenestra.
Gladius diaboli.
Intellectus.
Interpres mentis.
Manus.
Mendax.
Sagitta diaboli.
Vomer.
Manus.
Prælati.
Nasus.
Præscientia.
Oculi.
Officium illorum.
Ratio.
Os.
Nuntius cordis.
Veritatis instrumentum.
Pedes.
Affectus animæ.
Carnale desiderium.
Fides, & Amor.
Fortitudo, & Humilitas.
Pauperes.
Renes.
Seminarium castitatis & temperantiæ.
Sensus.
Aves cœli.
Fenestra. Janua.
Hædi.
Nuntii Corporis.
Venter.
Carnales.

Titulus X.
MENS. 89.

Atrium DEI.
Caput.
Cœlum.
Domus, Templum DEI.
Facies.
Filius Reguli.
Gladius.
Lignum.
Lucerna.
Oculus animæ.
Sindon.
Superliminare.
Templum.
Terra.

Titulus XI.
MIRACULUM. ibid.

Divinitatis participatio.
Esca.
Lampas.
Nubes.

Titulus XII.
MISERICORDIA. ib.

Ala DEI.
Altare.
Alumna B.V.
Arca lucis.
Candelabrum. *Exodi 25.*
Clavis cœli.
Consistorium DEI.
Dextera. *Apoc. 2.*
Fluvius exundans.
Frumentum.
Gloria Christianorum.
Iris.
Lapis in mola.
Lectio Christi.
Manus.
Mons.
Nubes.
Oleum effusum.
Oliva.
Oliveti Mons.
Passio Christi.
Ros.
Scutum.
Sigillum.
Stellæ. *Apoc. 1.*
Via Domini.

Titulus XIII.
MONASTERIUM. 90.

Aqua.
Castra DEI.
Hospitium pietatis.
Paradisi Porta.
Sepulchrum Domini.

Titulus XIV.
MORS. ibid.

Aspis.
Debitum naturæ.
Dormitio.
Falx.
Framea.
Gladius.
Pellis.
Porta ad DEUM.
Sanguis.
Saul.
Vespera.

Titulus XV.
MORTIFICATIO. ibid.

Byssus.
Cithara.
Myrrha.
Virginitatis comes.
Zona pellicea.

Titulus XVI.
MULIER. ibid.

Arma diaboli.
Contentiosum animal.
Familiaritas periculosa.
Feretrum sepulchrale.
Fovea.
Incendiaria diaboli.
Ornatus venalis.
Ovis infecta.
Puteus inferni.
Seductrix.
Traditrices DEI.
Varia. ibid.

Titulus XVII.
MULIERUM COMMORATIO MAXIME CUM CLERICIS, ET RELIGIOSIS. 91.

Titulus XVIII.
MUNDUS. ibid.

Ægyptus.
Ager.
Campus.
Cithara.
Diluvium.
Domus.
Equus.
Hortus.
Hospitale.
Jerusalem.
Jezabel.
Joppe.
Mali Homines.
Mare.
Molendinum.
Mons Seir.
Naves Tharsis.
Nox.
Ophir.
Syrenum locus.
Tenebræ.
Via peccatorum.
Uxor Loth.
Varia. 92.

Titulus XIX.
MUNDANI. ibid.

Ægyptii Cives.
Ægyptius puer.
Cauda.
Collis.
Fullones.
Homines.
Ligna sylvarum.
Pisces maris.

Titulus XX.
MUNERA. ibid.

Adulatio.
Concionator non acceptet.
Fraus.
Manus iniquitatis.
Rapina.

Titulus XXI.
MYRRHA. ibid.

Castitas.
Eucharistia.
Martyr.
Mortificatio.
Sepulchrum Christi.

N.

Titulus I.
NEGOTIATIO. 93.

Aranea.
Damnosa.
DEO exosa.
Frumentarii.
Peccaminosa.
Periculosa.

Titulus II.
S. NORBERTUS. ibid.

Abraham.
Agnus.
Alumnus Regum.
Apis.
Aquila.
Arca.
Aurora.
Canis albus.
Caprea.
Cimelium.
Civis Mundi.
Columba.
Columna Eccle.
Cygnus.
Decus Præsulum.
Dux & Magister.
Ecclesiastes eximius.
Exemplar Sanctitatis.
Facula charitatis.
Filius B. Virginis.
Flagellum dæmonum.
Gallina.
Gloriosus Vir.
Hæresum eversor.
Homo DEI.
Hospes Regni.
Invictissimus.
Jubar Ecclesiæ.
Lilium.
Lumen.
Martyr.
Medicus.
Miraculum.
Murus.
Oliva.
Pacis Angelus.
Pacificator.
Pastor.
Sol Ordinis.
Vas electum.

Titulus III.
ORDO PREMONSTRATENSIS. 94.

Acies.
Ædificium spirituale.
Amplissimus.
Angeli.

Arcta Religio.
Cedrus Libani.
Doctus.
Filii S. Augustini.
Habitaculum Regis æterni.
Hortus.
Laudatissimus.
Lectulus Salomonis.
Luminaria.
Militia spiritualis.
Nobilissima constellatio.
Oliva.
Palmites.
Pulli Aquilæ.
Pusillus grex.
Religiosissimus Ordo.
Sanctissimus Ordo.
Sedes Christi.
Seminarium Episcoporum.
Sodales candidi.
Vestis candor innocens.
Viri timorati.

O.

Titulus I.
OBEDIENTIA. 95.
Angelica vita.
Clavis.
Divitiæ.
Eques.
Fructus vineæ.
Inaures.
Inventrix Regni cœlorum.
Lucifer.
Martyrium.
Mulier Apocalyptica.
Murus.
Navis.
Ostium cœli.
Principium charitatis.
Schola Salvatoris.
Thesaurus.
Via.

Titulus II.
OCULUS. ibid.
Adulatio.
Amicus.
Bonitas, & Justitia DEI.
Christus.
Doctores.
Dona S. Spiritus.
Ecclesia.
Evangelistæ.
Fides.
Intellectus.
Intentio.
Leæna.
Nuntius impudicus.
Emissitii.
Pedes animæ.
Ratio.
Sancti.
Sol meridianus.
Vita activa, & contemplativa.

Titulus III.
OBSTINATIO. ibid.
Causa & origo illius.
Cor durum quid?
Incurvatio.
Irremissibile peccatum.
Misericordiam ignorat.
Misericordiæ DEI omne tempus.
Phrenesis.
Puteus profundus.

Titulus IV.
ODIUM. 96.
Deliquium charitatis.
Patientia ficta.
Sol testis.
Trabs.
Venia petenda.

Titulus V.
OPERA BONA. ib.
Apes.
Arbor.
Armillæ.
Aromata.
Byssus.
Calamus.
Calceamentum.
Candelabrum.
Carbones vastatores.
Cementum.
Centrum.
Cibus.
Cinctio.
Cithara.
Condimentum.
Convivium.
Currus.
Dexteralia.
Dona DEI.
Fides necessaria.
Filii nobiles.
Flores.
Fluvius.
Folia virentia.
Fructus.
Gressus.
Holocausta.
Hostiæ.
Lampades.
Latitudo, longitudo, altitudo.
Lucernæ.
Manna.
Manus.
Meritoria etiam minima.
Oves.
Pecunia.
Pedes.
Poma.
Porta.
Psalterium.
Quadrigæ regiæ.
Ramus.
Remigium alarum.
Semen.
Sol.
Thalamus.
Thesaurus.
Tunica talaris.
Vestis.
Viaticum.

Alia. 97.
Brachia.
Cibus.
Comitantur defunctos.
Dies.
Fermentum.
Manifestatio.
Manus.

Titulus VI.
ORATIO. ibid.
Arma nostra.
Canalis cœli.
Cementum.
Cibus.
Clavis cœli.
Colloquium cum DEO.
Concentus Angelicus.
Conjunctio S. Spiritus.
Eleemosyna.
Firmamentum.
Florenus.
Fons omnis boni.
Fortificat.
Fumus aromatum.
Fundamentum.
Ignis.
Littus.
Lumen animæ.
Margaritæ.
Medicina.
Mortua.
Murus.
Nervus animæ.
Nocturna.
Nuntius ad DEUM.
Oculi ictus.
Psalmodia.
Sagina animæ.
Sagitta.
Scutum nostrum.
Templum Christi.
Tuba.
Velum animæ.

P.

Titulus I.
PATIENTIA. 99.
Custos virtutum.
Gloria Religiosi.
Purpura.
Tuba ductilis. *Vide in sequenti* Tuba.

Titulus II.
S. PAULUS APOSTOLUS. ibid.
Aaron, Abel, &c.
Adamas.
Angelus.
Auditor arcanorum.
Beniamin.
Catechisator.
Charitas.
Columba.
Columna.
Chrystallus.
Custos Ecclesiæ.
Dispensator.
Divinus.
Domus Hospitalis.
Excubitor.
Ferrum.
Fons.
Gelu.
Humilis.
Ignis.
Interpres Testamenti.
Jonas.
Juris-Consultus.
Lactator fidelium.
Legatus à Latere.
Luna.
Lupus.
Magister Fidei.
Medicus.
Miles.
Monoceros.
Murus.
Negotiator.
Os Christi.
Paradisus.
Pater Mundi totius.
Prædicator.
Senator cœli.
Sol.
Thesaurus Ecclesiæ.
Tonitru.
Torrens.
Tribunus Cohortis Christianæ.
Tuba.
Vas.
Vox.

Alia de S. Paulo. 100.

Titulus III.
PAUPERTAS. ibid.
Ala.
Animalia cœli.
Caminus.
Dies.
Domina.
Fistula.
Murus.
Prandium cœleste.
Præco cœli.
Pretiosa.
Thesaurus.
Virtus immortalis.
Zona pellicea.

Titulus IV.
PAX. ibid.
Corona gloriæ.
Encœnia.
Fructus S. Spiritus.
Jubilæum.
Lectulus Ecclesiæ.
Tunica Christi.
Via Domini.

Titulus V.
PECCATOR. ibid.
Animalibus variis similis.
Arundo.
Asinus.
Barba.

Bestia mala.
Carnifex.
Cibus diaboli.
Cœcus.
Conversatio cum illo sit cauta.
Cor durum.
Dæmon.
Debitor diaboli.
Felicitas peccatoris.
Homo non est.
Hyems.
Jonas fugiens.
Leæna.
Ludit cum diabolo.
Mare.
Monstrum horridum.
Paralyticus.
Piscis diaboli.
Portio diaboli.
Prodigus filius.
Prostibulum dæmonum.
Relapsus.
Sepulchrum.
Status miserabilis.
Turpissimus.

Alia. 101

Titulus VI.
PECCATUM. ibid.
Abominatio.
Abyssus.
Aculeus mortis.
Adeps.
Ægritudo.
Ægyptii.
Abor mala.
Balneum diaboli.
Barba.
Basiliscus.
Bellum.
Cœcus.
Calcaneus.
Caligo.
Camelus.
Carcer.
Causa malorum.
Cereus.
Cilicium.
Civitas diaboli.
Cohors Sathanæ.
Color niger.
Coluber.
Compedes.
Consumptio naturalium.
Corruptio.
Criniculi.
Dæmon.
Debilitas.
Debitum.
Defluxus.
Dentes diaboli.
Descensus.
Equus. Mulus.
Ebrietas.
Exactor.
Falsitas.
Fæces.
Febres.
Fera crudelis.
Formentum Pharisæicum.
Ferrum.
Ficus.
Filii.
Fœnum.
Frigus.
Fructus mali.
Fumus.
Fur.
Gippus.
Hospitium Sathanæ.
Infernus.
Infirmitas.
Jugum.
Lacus.
Languor animæ.
Lapis.
Lepra.
Lex carnis.
Ludus.
Lutum.
Macula.
Malum.
Mare.
Miseria maxima.
Moles.
Monstrum.
Mors.
Nox.
Onus.
Palea.
Paralysis.
Paries.
Pecus.
Pestis.
Pix.
Plaustrum.
Plumbum.
Podagra.
Pondus.
Porta.
Profundum.
Pruina.
Puteus.
Putredo.
Restis.
Rete.
Rixa cum DEO.
Rota.
Rugæ.
Sanguis.
Scabies.
Scorpius.
Semen diaboli.
Senectus animæ.
Sepulchrum.
Serpens.
Somnus.
Spina.
Statua Nabuchodonosor.
Stercus.
Sterilitas.
Stillicidium.
Taberna.
Tenebræ.
Torrentes iniquitatis.
Trabs.
Tyrannus.
Vanitas.
Venenum.
Vespera.
Vinculum.
Vinum.
Vitulus.
Umbra.
Usura.
Uva acerba.
Vulnus.

Titulus VII.
PECCATA SEPTEM CAPITALIA. 105
Cæcitas.
Cœlo exclusa.
Currus.
Febres.
Languor.
Lepra.
Mare.
Planetæ.
Podagra.
Principes diaboli.
Sepulchra.
Viæ diaboli.
Zizania.

Alia promiscuè. ibid.

Titulus VIII.
S. PETRUS APOSTOLUS. ibid.
Columna.
Custos Fidei.
DEUS Pharaonis.
Fundamentum Ecclesiæ.
Gallus.
Murus Ecclesiæ.
Patriarcha summus.
Petra.
Princeps Apostolorum.

Titulus IX.
PERFECTIO. ibid.
Centesimus numerus.
Duodenarius.
Mala. *Cant. 2.*
Millenarius numerus.
Mons.
Senarius numerus.
Septenarius numerus.
Tricenarius numerus.
Vespera.

Titulus X.
PERFECTUS. 106
Arbor.
Cervus.
Dentes.
Ligna Libani.
Ossa Ecclesiæ.
Sol.
Terra.

Titulus XI.
PERSECUTIO. ibid.
Æstus.
Aqua.
Aquilo.
Equus rufus.
Flagellum inundans.
Flumen.
Grando.
Guttæ noctium.
Hyems.
Mare.
Meridies.
Novacula.
Portæ inferi.
Sol.
Spinæ.
Turbo.

Titulus XII.
PHILOSOPHIA. ibid.

Titulus XIII.
PHILOSOPHUS. ibid.
Aquæ Ægypti.
Beatitudo Reip.
Lapis.
Manus.

Titulus XIV.
PIETAS. 107
Catena.
Cœlum.
Equus.
Genæ Sponsi.
Torques aureus.

Titulus XV.
PLEBS. ibid.
Aquæ.
Capilli.
Germen.
Laguncula.
Malum Punicum.
Murus.
Pellis.
Pes.
Rami arboris.
Spina. Vepres.

Titulus XVI.
PEONITENTIA. ibid.
Ædificium.
Alligatura vulnerum.
Amygdalus.
Aqua.
Arbor.
Arma.
Carbones vastatorii.
Circumcisio.
Confessio.
Cor contritum.
Diplois.
Disputatio cum DEO.
Esca justorum.
Judith.
Lacrymæ.
Locusta.
Magdalenæ pœnitentia.
Medicamentum.
Mons.
Osculum pacis.
Pascha.

Passer.
Percussio pectoris.
Piscina.
Procrastinatio.
Regnum cœlorum impetrat.
Reminiscentia peccatorum.
Scopa.
Spina.
Stercoratio.
Tabula secunda.
Testa.
Via.
Vinculum.
Virgula fumi.
Unguentum pretiosum.

Alia. 108

Titulus XVII.
PONTIFEX SUMMUS ROMANUS. ib.
Judas filius Jacob.
Potestas in Episcopos.

Titulus XVIII.
PRÆCEPTA DEI. ibid.
Chorda.
Cithara.
Collyrium.
Crusta.
Fimbria.
Gloria Christianorum.
Semita.
Vestimentum Christi.

Titulus XIX.
PRÆDICATIO. ibid.
Buccina.
Cantus.
Coruscatio.
Didrachma.
Esca volucrum.
Grando.
Gressus Ecclesiæ.
Mulier. *Matth.* 13.
Pisces. *Matth.* 14.
Pluvia.
Regnum cœlorum.
Rete.
Sonus montium.
Tuba.

Titulus XX.
PRÆLATUS. 109
Angelus.
Camphor.
Currus eorum.
Discretio.
Facies Ecclesiæ.
Maxilla.
Ossa Ecclesiæ.
Paterfamilias.
Portæ Ecclesiæ.
Regimen quale.
Turris.

Titulus XXI.
PRINCEPS. ibid.
Abies.
Alæ.
Cor Ægypti.
Cornu grande.
Custodes.
Euphrates.
Mons.
Palmes.
Rivus.
Speculatores.
Spinæ.
Stellæ.
Vectes.
Unicornes.

Titulus XXII.
PRINCEPS IMPIUS. ibid.
Balaac.
Leo rugiens.
Montes.

Titulus XXIII.
PROPHETA. ibid.
Antemurale.
Apes.
Basis.
Bos.
Cœlum.
Corpus Christi.
Cypressus.
Digiti.
Excussi.
Fundamentum.
Margarita.
Montes.
Nubes.
Oculi.
Os DEI.
Pastor.
Ramus.
Tauri.

R.

Titulus I.
RATIO. 110
Civitas.
Clypeus.
Judex.
Lucerna.
Lumen oculorum.
Oculus.
Patria hominis.
Sal.
Sidus.
Speculum.
Vir.

Titulus II.
REGNUM DEI. ibid.
Conversatio Justorum.
Evangelium.

Titulus III.
RELIGIO. ibid.
Acies.
Aqua.
Castra.
Civitas.
Currus.
Diadema.
Fons.
Imago regalis.
Navis.
Portus.
Regeneratio secunda.

Titulus IV.
RELIGIOSUS. ibid.
Ædificium.
Ager.
Angelus.
Aquila.
Arbor.
Asina Baal.
Athleta.
Capillus.
Castellum.
Cervus.
Cœlum.
Collis.
Columba.
Cursor.
Doctor.
Filiæ Judæ.
Fistula.
Fornax. *Dan.* 3.
Grex Salvatoris.
Lampas.
Lignum vitæ.
Luminare.
Maris littus.
Moneta.
Mundum fugit.
Paupertas Religiosa.
Piscis.
Planta novella.
Portus.
Preco cœli.
Reges.
Regula.
Securitas.
Status Religiosus.
Templum DEI.
Tentationibus maximè obnoxii.
Tuba.
Turtur.
Vaccæ.
Volucris.

Titulus V.
RELIGIOSUS INDEVOTUS. 112
Ædificium sine fundamento.
Aquila implumis.
Sanctuarii lapis.
Scapha.
Scirpus.

Titulus VI.
RENOVATIO. ibid.
Accipiter. Aquila.
Vinum novum.

Titulus VII.
REX. ibid.
Ala.
Cor Ægypti.
Cornu grande.
Corona.
Lateres.
Leo.
Musca.
Porta.
Sensus.
Sycomorus.

S.

Titulus I.
SACERDOS. ibid.
Aminantus.
Angelus.
Apis.
Aqua baptismatis.
Arbor.
Aries.
Aurum.
Basis templi.
Canalis.
Cherubim.
Cibus.
Cocus.
Consiliarius.
Corvus.
DEI ficus Ordo.
Dispensator.
Exercitus.
Fundamentum.
Gubernator Navis.
Lingua illius.
Mediator.
Minister DEI.
Moyses.
Nauta.
Oculus Ecclesiæ.
Os Ecclesiæ.
Pastor.
Petra salis.
Puritas illius.
Regibus eminet.
Sacra dat.
Scyphus Joseph.
Sepulchrum Christi.
Seraphim.
Vas electum.

Titulus II.
SANCTUS SANCTI. 113
Abraham.
Acervus testimonii.
Adamas.
Agni.
Alæ.
Altilia.
Angelus. *Apoc.* 19.
Aquila.
Arbor.
Arma.
Aurum.
Barba.
Canalis.
Cantor.
Carbo.
Cedrus.
Cervus.
Cincinni.
Cœlum.
Comà.
Cortinæ tabernaculi.
Crystallus.

Cy-

Cypressus.
Decor Domus Dei.
Dies.
Filii hominum.
Fiscela Moysis.
Fumus.
Germen.
Granum sinapis.
Holocaustum.
Incus.
Lampas.
Lapis.
Lapis quadratus.
Lilia.
Lucerna.
Luminare magnum.
Margarita.
Mensa Dei.
Mons.
Nubes.
Oleum.
Oliva.
Ossa.
Oves.
Palma.
Panis frusta.
Pisces.
Psalterium.
Pupilli.
Reges.
Scutum.
Stella.
Triticum.
Tuba.
Vestimentum Christi.
Unguentum.

Titulus III.
SAPIENTIA, SAPIENS. 115
Anima in corpore.
Aqua.
Arx.
Castrum.
Cibus.
Donum.
Fons.
Lac.
Lignum vitæ.
Lux.
Puteus Videntis.
Resina.
Sal.
Sapientia.
Sputum.
Tetragonum.
Via.
Vinum.
Uxor.

Titulus IV.
S. SCRIPTURA. 116
Abyssus.
Arcus.
Armamentarium.
Arundo.
Calamus.
Cibus.
Cœlum.
Cor Christi.
Dominus.
Favus.
Firmamentum.
Fluvius.
Fons.
Hortus.
Ignis.
Liber.
Mensa.
Panis.
Sagitta.
Scyphus.
Sol.
Vestes ovium.
Vinaria cella.
Vitrum.

Titulus V.
SOCIETAS MALA SIVE SOCIUS MALUS. ibid.
Carbones vastatores.
Civitas Sanguinum.
Corpus diaboli.
Currus diaboli.
Dentes diaboli.
Ericii.
Hydria. *Joan.* 4.
Incantator.
Lucifer.
Malleus diaboli.
Mare.
Meretrix.
Organum diaboli.
Perdix.
Pestilentia.
Poma putrida.
Radices malæ.
Saxum candens.
Sepulchrum.
Tædæ lumen.
Turba.
Venatores diaboli.

Titulus VI.
SPES. 117
Altitudo.
Anchora.
Arma.
Astitrix Dei.
Asylum.
Campus.
Columna.
Dux animæ.
Erectio.
Fumus.
Galea.
Hastile.
Hyacinthus.
Isaac.
Longitudo.
Mola.
Ovum.
Pes.
Principium.
Rachel.
Servus Dei.

Titulus VII.
S. SPIRITUS. ibid.
Altare Fidelium.
Amor.
Aqua.
Autter.
Calamus Dei.
Candelabrum.
Columba.
Custos.
Digitus.
Doctor velox.
Flumen. Fons.
Gallus.
Gladius.
Murus.
Notarius publicus.
Nubes.
Oleum.
Osculum.
Ostiarius.
Rebecca.
Scriba.
Signaculum vultus Dei.
Sol.
Vena.
Veritas.
Vita.

Titulus VIII.
S. STEPHANUS. 118
Agnus.
Apostolus.
Bellator.
Lapis.
Martyrum Dux.
Piscis.
Platanus.

Titulus IX.
SUPERBIA. SÆPERBUS. ib.
Abies.
Adeps.
Ædificat alta.
Alieni.
Aranea.
Arbor.
Avena.
Bestia.
Cedrus.
Cervix.
Cornu.
Cygnus.
Dæmonum habitatio.
Diei altitudo.
Dives.
Equus.
Febris ephemera.
Feretrum.
Fons vitiorum.
Fortis.
Fulmen.
Fumus.
Gallina.
Gelboe montes.
Gigas.
Goliath.
Hæreticorum locus.
Hydrops.
Immedicabilis morbus.
Initium vitiorum.
Latibulum.
Lepra.
Libidinosissimus.
Lupus.
Mare.
Mors.
Morbus.
Naves Tharsis.
Oculi.
Oleum.
Onager.
Pavo.
Pes Superbiæ.
Phrenetici.
Pinguis cervix.
Radix.
Ramus erectus.
Rubigo.
Stare nescit.
Tauri.
Turris.
Tyrannis.
Ventus.
Vermis divitiarum.
Vesica.
Via Inferni.
Volucres cœli.
Vorago.

T

Titulus I.
TENTATIO. 119
Aquilo.
Dies mala.
Framea.
Latus sinistrum.
Rete.
Semen diaboli.
Serpens.
Somnium nocturnum.
Ventus.

Titulus III.
S. THOMAS DE AQUINO. ib.
Abyssus.
Acutissimus Doctor.
Alpha literarum omnium.
Angelus Theologiæ.
Aquila.
Atrum Reip. Christianæ.
Athleta Catholicæ Fidei.
Baculus senectutis.
Candelabrum domus DEI.
Clarissimus Doctor.
Cherubim.
Clypeus Ecclesiæ.
Columna veritatis.
Decus Mundi.
Deus minor.
Divinus.
Doctor Ecclesiæ.
Enucleator secretorum.
Evangelicus Doctor.
Genius naturæ.

In-

Incomparabilis Doctor.
Interpres Angelicus.
Lucerna.
Luminare.
Magister orbis.
Magnus Aquinas.
Machabæus.
Oraculum.
Pythagoras Christianus.
Salomon.
Sidus Academiarum.
Sol Theologiæ.
Turris.

Titulus III.

TIMOR DEI. 120

Antidotum.
Calcar.
Capitulum.
Civitas.
Decus virtutum.
Disciplina puerorum.
Dux animæ.
Electuarium conservativum.
Fons vitæ.
Framea.
Gloria.
Hortus.
Justitiarius.
Medicina.
Mola.
Murus.
Officina Religiosorum.
Ossiarius.
Paradisus.
Radix Sapientiæ.
Retinaculum Superbiæ.
Servus DEI.
Ventus.
Verecundus.
Vestis.

Titulus IV.

TRIBULATIO. 121

Adamas.
Æstus.
Apes.
Aratrum.
Balsami lignum.
Calceus.
Carcer.
Cithara.
Collyrium.
Correctio.
Disciplina.
Exemplaris.
Fluvius.
Hyems.
Ignis.
Impavida.
Lanceæ tres.
Levamen.
Lucerna.
Malleus.
Myrrha.
Novacula.
Nox.
Occultam virtutem prodit.
Olla Moab.
Purgat.
Quadragesima.
Sal.
Spes cœli.
Sudarium.
Tenebræ.
Torcular.
Tuba ductilis.
Ventus.

Alia. ibid.

Ablactatio.
Æstus.
Calor.
Camus. Fœnum.
Dies mala.
Diluvium.
Fluctus.
Foramen.
Framea.
Lacus.
Mare.
Meridies.
Meridianum dæmonium.
Necessitas.
Nox.
Penuria.
Sagitta.
Spinæ. Vepres.
Tenebræ.
Vinum.
Virga.
Umbra mortis.

Titulus V.

SS. TRINITAS. 122

A. A. A.
Angeli tres. *Gen.* 18.
Animæ tres potentiæ.
Dies tres. *Exodi* 19.
Digiti tres. *Is.* 40.
Funiculus triplex.
Gedeonis trecenti milites.
Panes tres. *Luc.* 11.
Sol.
Via trium dierum. *Exodi* 5.
Virgæ tres. *Gen.* 25.
Vitis. *Gen.* 40.

V.

Titulus I.

VERBUM. 123

Carbo.
Clavus.
Dentes.
Folia.
Ignis.
Inspirationes diaboli.
Rivulus.

Titulus II.

VERBUM DEI. ibid.

Calamus DEI.
Calcar.
Cibus animæ.
Clypeus.
Corpus Christi.
Eructatio.
Facies DEI.
Fames.
Fructuosa auditio illius.
Gladius.
Ignis.
Labia Sponsi.
Lac.
Medicina.
Novacula.
Nundinæ spirituales.
Panis.
Pluvia.
Rete.
Sagittæ.
Servus.
Triticum.
Theriaca.
Tuba.

Titulus III.

VERITAS. ib.

Arma lucis.
Candelabrum.
Collum.
Lac.
Margarita.

Titulus IV.

VINDICTA DIVINA. 124

Abyssus.
Arcus.
Calix DEI.
Framea.
Gladius.

Titulus V.

VINUM. ibid.

Amor DEI.
Austeritas.
Compunctio.
Consolatio.
Contemplatio.
Dolus.
Evangelium.
Eloquium.
Indignatio.
Ira.
Tribulatio.
Venenum.

Titulus VI.

BEATISSIMA VIRGO MARIA. ib.

Abigail.
Abyssus.
Acerra aurea.
Aditus desperabundorum.
Administra salutis universæ.
Ædificium Divinum.
Æternitas Virginitatis.
Ager amplissimus.
Agonizatrix pugnantium.
Altare propitiatorium.
Anchora firmissima.
Ancilla DEI.
Arbor mirè culta.
Arca.
Arcus.
Armatura.
Arvum.
Arx.
Ascensus omnium.
Augustissima.
Aula.
Aurora.
Aurum.
Baculus pauperum.
Balsamum.
Benedicta.
Bethlehem spiritualia.
Camera Filii DEI.
Candelabrum.
Caput Virginum.
Carbo benedictus.
Castellum.
Castitas ipsa.
Cathedra Cherubina.
Cedrus exaltata.
Cella DEI.
Charta Divinissima.
Cherubim gloriæ.
Civitas. *Apoc.* 2.
Clavis Regni cœlestis.
Clibanus.
Clypeus.
Cochlea.
Cœlum.
Columba.
Columna nubis.
Complementum SS. Trinitatis.
Concha.
Consolatrix.
Corona anni.
Correctio Evæ.
Dapifera DEI.
Datrix vitæ.
Decus.
Desertum.
Diadema.
Dies festa.
Dioptra perspectiva.
Directio viæ nostræ.
Diversorium peccatorum.
Divitiæ nostræ.
Doctrina Apostolorum.
Domicilium DEI.
Domina.
Domus.
Donum.
Dulcedo.
Ecclesia.
Exaltatio.
Excellentissima.
Excusatrix culparum.
Exemplum orbis.
Exultatio ægrotantium.
Fastigium Virginum.
Favus mellis.
Fenestra cœli.
Ferculum Salomonis.
Fermentum.
Filia.

Finis.

Finis.
Firmamentum.
Flos virginalis.
Flumen Sapientiæ.
Fons.
Forceps carbunculi.
Forma Dei.
Formidabilis dæmonibus.
Fundamentum sublime.
Gaudium Virginum.
Gloria nostra.
Gutta S. Spiritus.
Habitaculum Dei.
Honor Martyrum.
Hortus.
Hydria.
Hymnodia.
Janua.
Illuminatrix.
Immaculata.
Imperatrix.
Infans Dei.
Jus nostrum.
Lacus Bethlehem.
Lætitia.
Lampas.
Laterna.
Liber. Lignum.
Lilium.
Limen.
Locus. *Gen.* 28.
Lucerna.
Lucifera Virgo.
Lumen. Lux.
Luna.
Magisterium probitatis.
Magistra Apostolorum.
Malacia perturbatorum.
Mamilla parvulorum.
Mansio Divinitatis.
Mare.
Margarita.
Martyr.
Mater Dei.
Mediatrix.
Medicina.
Mensa propositionis panum.
Miraculum. Miraculorum.
Mons.
Mulier. *Gen.* 3.
Nauta.
Norma castitatis.
Noemi. *Ruth.* 1.
Nubes.
Obededom.
Oblectatio.
Obliteratio mœroris.
Officina unitorum animorum.
Oliva.
Opus Divinum.
Oratio omnium.
Organum.
Oriens.
Palatium regium.
Palma.
Palmes vitis.
Panegyris reconciliationis nostræ.
Paradisus.
Parens.
Patrocinium.
Pelagus.
Perfectio Divinarum ordinationum.
Perfugium Christianorum.
Petra.
Pignus S. Annæ.
Pincerna.
Plenitudo Prophetiæ.
Pons.
Porta.
Portus.
Possessio Dei.
Potentia nostra.
Præcentrix.
Præconium Apostolorum.
Prædium patens.
Præses.
Præsidium.
Pratum fragrans.
Pretium pretiorum.
Primipila.
Primitiva Virginum.
Princeps prudentissima.
Principium.
Procuratrix publica.
Promptuarium.
Prophetissa.
Protectio firma.
Quies Dei.
Radius.
Radix.
Reconciliatio.
Refugium.
Regina.
Renovatio.
Reparatio.
Requies laborantium.
Restauratio calamitatum.
Rivulus.
Ros.
Rosa.
Rubus.
Ruth.
Saba Regina.
Sacerdos.
Sacrarium.
Salus.
Sanctificatio.
Scala.
Sceptrum.
Schema David.
Sedes S. Spiritus.
Sigillum utriusque Testamenti.
Sol.
Solium.
Stella.
Tabernaculum.
Tabulæ.
Tela.
Templum.
Terminus.
Terra.
Thalamus.
Thesaurus.
Thronus.
Thuribulum aureum.
Triclinium.
Turris.
Tympanistria.
Vallis.
Vallum.
Vas.
Vellus.
Vena.
Vespere, & manè.
Vestimentum.
Via.
Vinea.
Virga.
Visio magna.
Umbraculum Dei.
Urna.

Titulus VII.

VIRGO VIRGINITAS. 131

Albedo.
Amica Dei.
Angelorum vita.
Anima sancta.
Apes.
Auriga.
Aurum.
Author Virginitatis.
Bethula.
Byssus.
Cœlum.
Cœli incola.
Columba.
Corona.
Divitiæ. Domicilium S. Spiritus.
Donum.
Flos.
Fons.
Gaudium.
Honor corporum.
Hortus.
Imago Dei.
Lampas.
Lilium.
Margarita.
Militia cœlestis.
Mons.
Munus Angelorum.
Nota.
Operarii vineæ.
Opus incorruptum.
Ornamentum.
Portio Christi.
Possessio pretiosa.
Primitiæ Justorum.
Pudor.
Pulchritudo recondita.
Regina.
Ros cœli.
Sacerdotium castitatis.
Sacrarium pudoris.
Sacrificium Deo charum.
Saltus illi periculosus.
Sanitas corporis.
Soror Angelorum.
Sponsa Christi.
Statua viva.
Templum.
Terra.
Thesaurus animorum.

Titulus VII.

VIRTUS. 132

Ala Dei.
Anguli ædificii.
Animalia. *Ezech.* 1.
Arcus.
Areolæ aromatum.
Arma.
Artes liberales.
Beatitudo.
Brachia. Crura.
Capilli.
Caprea.
Cedrus.
Character.
Civitas.
Concordia.
Cultus Divinitatis.
Decus naturæ.
Devotio.
Dies vitæ.
Discretio.
Divitiæ.
Exercitium.
Felicitas.
Flos.
Fortitudo.
Fructus.
Gemma.
Gradus.
Granum.
Gubernatrix mentis.
Habitus animi.
Honor hominis.
Hortulanus.
Hospitium.
Lapis. Lignum.
Lilium.
Locus gaudii.
Lorica.
Lucerna.
Lumen. Lux.
Mansuetudo.
Membra corporis.
Misericordia.
Mons.
Mortis comes.
Muri Jerusalem.
Oriens. Occidens.
Ossa.
Ostia.
Palmes.
Paradisus.
Passus.
Patientia.
Pax.
Pecunia.
Penna.
Pignus.
Pluma.
Pomum.

Por-

Porta.
Possessio optima.
Præbenda.
Pretium.
Pudicitia.
Pulvis.
Purpura.
Rex.
Scala.
Scutum.
Sidera.
Simplicitas.
Sinus.
Spes.
Statera.
Superadditiones.
Thesauri virtutum.
Timor Dei.
Veritas.
Vestis.
Via.
Virtus quid?
Virtutum genera.
Virtutum officia.
Zelus justitiæ.

Titulus IX.

VITA. 134

Ædificium.
Alveolus lusorius.
Aqua.
Aranea.
Arbor.
Aura matutina.
Aurum.
Babylonia.
Bulla.
Calamus.
Calcaneus arenæ.
Carcer.
Cera.
Circus.
Compedes.
Convallis.
Cor.
Cucumeratium.
Curriculum. Cursor. Cursus.
Dies mercenarii.
Dolor.
Ephemerium.
Eremus.
Euripus.
Exilium.
Fabula.
Fama præteriens.
Fax.
Follis.
Fumus.
Glarea.
Gutta.
Halitus oris.
Hedera.
Hora.
Hortus nucum.
Ignis.
Imago.
Iris.
Labor.
Liber.
Locusta.
Luna.
Lusus.
Manna.
Mare.
Mensis.
Militia.
Mors.
Navis. Navigatio.
Nox.
Nundinæ.
Oculus.
Organum.
Pelagus.
Peregrinatio.
Pomum.
Pons.
Rota.
Scala.
Scena.
Sepulchrum.
Somnium umbræ.
Speculum.
Statera.
Tabernaculum.
Tela.
Torrens.
Tribulatio.
Via.
Vigilia.
Vincula.
Vinea.
Umbra.

Titulus X.

VITA ACTIVA, ET CONTEMPLATIVA. 136

Agna.
Asinus Abrahami.
Bos.
Columba.
Joseph.
Lia. Rachel.
Martha. Magdalena.
Oculi.

Titulus XI.

VITA BONA. ibid.

Altare holòcausti.
Bos.
Cani.
Cithara.
Hyacinthus.
Ligna quadrata.
Manna.
Navis.
Nazaræus.
Uxor.

FINIS.